

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sem. M. A. Theol.

Ex libris Johannis Ritter
Campen. A° 95.

Titulo Emptionis accessit
Bibliothecae Jeoannis Go-
defridi Kauffmans Prof.
Kaurg. Anno 1730. 4 7bris

Universidad de Deusto
Biblioteca



GREGORII DE VALENTIA, E SOCIETATE IESV,

SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA Ingolstadiensi Professoris

COMMENTARIORVM THEOLOGICORVM

Tomus Tertius

COMPLECTENS MATERIAS SECVNDAE SECVNDAE Diui THOMAE.

CVM VARIIS INDICIBVS.

AD SERENISSIMVM VTRIVSQVE BAVARIAE Ducem GVILHELMVM V.

Cum Priuilegio SVMMI PONTIFICIS, & sacræ CAESAREAE MAIESTATIS.

Comprado a Valkenburg en sep. 1956.

Anno M. D. XCV.
Excudebat DAVID SARTORIVS.
INGOLSTADII

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO GVILHELMO, COMITI PALATINO RHENI, ET VTRIVSQVE BAVARIAE DVCI, &c.

GREGORIVS DE VALENTIA, SOCIE-tatis JESV, gratiam & felicitatem à Deo precatur.

VOLVMEN tertium Operis à me iam pridem Ser.ti V.ræ dedicati, pari ſtudio nunc offero: non tam illud quidem ob rerum, quas continet, multitudinem & varietatem, amplum, quàm exiguum, tenueque munus, præ magnitudine meritorum V.ræ Ser.tis in Chriſti Eccleſiam, & noſtram Societatem. Sed ſingularis V.ræ Ser.tis tum humanitas in omnes, tum in Deum pietas, ſperare me fecit, fore, vt Ser.tas V.ra nec parui id ducat, quod ex magna proficiſcitur voluntate, obſeruantiaque erga ipſam, & hunc quoque librum à me ſibi miſſum, propter illius ſaltem argumẽtum, ſolita benignitate excipiat. Nam id in eo explanatur, quod Ser.tas V.ra tanquam totius veræ pietatis Summam, in iſta ſua religioſiſsima vita vnicè ſibi propoſitum habet; nempe quid *Fide* ſit credendum; quid complectendum *Spe* (quam in huius vitæ afflictionibus, *vnicum remedium eſſe*, rectè cenſuit diuus Gregorius NAZIANZENVS) & quid item *Charitate* amandum, atque adeò etiam *Juſtitia* cæteriſque virtutibus, Charitatis ductu imperioque faciendum, ad colendum Deum: Quæ, vt veriſsimè ſanctus

In Orat. de Pauperum amore.

06828
Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S.I.

In Enchirid. cap. 4.

AVGVSTINVS ait, *maximè, imo verò sola, Religione sequenda sunt.* Huc accedit quod planè conuenire videtur, vt is Princeps patrocinium suscipiat explicationis earum virtutum, quas & ipse mirifico studio colit; & præclaro exemplo, educationeque, in Ser.mos filios, Principes præclarissimos, MAXIMILIANVM, PHILIPPVM, FERDINANDVM, ALBERTVM, omnino transfudit; & auctoritate atque vigilanti cura in Ditionibus suis, cum felicissima subditorum pace & tranquillitate, florere fecit. Per quæ studia eò denique (vt AVGVSTINI verbis concludam) Ser.tas V.ra felicissimè aliquando peruenietis, *vbi est sanctis & perfectis cordibus nota & ineffabilis pulchritudo, cuius plena visio est summa felicitas.* Ingolstadij, die duodecimo Martij. Anno Domini M.D.XCV.

vbi supra.

AVCTOR PIO LECTORI S.

QVAE DAM sunt, pie Lector, de quibus te, post ea quæ in primo secundóque tomo præfatus sum, breuiter admonendum existimaui. Primum est, in hoc potissimum tertio Tomo peculiares rationes habuisse me (propter varietatem nimirum & copiam rerum) cur meum illum sequerer scribendi ordinem, in distribuendis præsertim capitibus seu punctis quæstionum, & ad ea reuocandis articulis D. Thomæ. Id quod nemo mihi vitio vertendum existimabit, qui id perpenderit, quod in primo tomo præfatus sum; videlicet minimè instituisse me fungi munere meri interpretis seu Commentatoris D. Thomæ: sed de rebus ipsis per se Disputationes siue Commentationes Theologicas ita conscribere, vt & Theologicæ doctrinæ veritas, & (quæ à veritate ipsa vix vnquam differt) sententia D. Thomæ intelligi possit, quem in Societate nostra, tanquam Theologorum principem, propositum & commendatum nobis habemus auctorem. Est autem omnino integrum ei qui materias ipsas per se explicandas suscipit, arbitratu suo vti methodo & ordine quo velit: maximè cùm non raro etiam ipsi interpretes D. Thomæ ordinem articulorum eius, re postulante, aut inuertant, aut redigant in vnum locum; in non paucis articulis aliud nihil annotantes, quàm quòd D. Thomæ conclusio sit Affirmatiua vel Negatiua, &c. Quæ verò sit commoditas huius nostræ methodi, declarauimus in præfatione primi Tomi. Alterum est; Quanquam in singulis materiis seu Disputationibus peculiarem numerum quæstionum assigno, tamen id non debere adferre prolixitatem & molestiam in hisce nostris citandis. Non enim est necesse in citando numerare & Tomum, & Disputationem, & quæstionem, & punctum, (quamuis ne id quidem est nimis longum) sed satis erit ferè indicare in quota cuiusque Disputationis quæstione & puncto res contineatur: Vt verbi gratia, q. 3. de Angelis, p. 4. vel q. 2. de peccatis, p. 3. vel q. 5. de Fide, p. 2. & sic in aliis: siquidem nemo ferè est, qui non statim inspectis generalibus indicibus disputationum cuiusque tomi, scire & meminisse possit, quo nam in tomo & quo ordine sit à nobis collocata vnaquæque materia Theologica. Postremum est, priora nostra volumina alibi etiam extra Ingolstadium impressa vidisse me, sed mendis typographicis ita deprauata, vt magnum ex eare, prout parerat, dolorem ceperim, quo & nunc impellor vt Typographos, si qui vsquam hæc nostra impressuri sunt, obtester, faciant vt id correctè, emendatis erroribus typographicis, qui à nobis in editione Ingolstadiensi (alioqui accurata) indicati sunt, & insuper annotatis iis qui in aliis editionibus irrepserint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIPLOMA SVMMI PONTIFICIS. GREGORIVS PP. XIV.

AD futuram rei memoriam. Cùm, sicut accepimus, dilectus filius GREGORIVS de VALENTIA, Presbyter Societatis IESV, Commentaria in Summam Theologiæ S. Thomæ de Aquino summis studio ac vigiliis compilauerit, eaq; ad communem studiosorum vtilitatem in lucem edere intendat; vereatur tamen, ne postquam prodierint, si a quocunque indistinctè imprimantur, mendis & erroribus paulatim (quod ex impressorum incuria facilè euenire posset) respergantur; nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eidem GREGORIO specialem gratiam facere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, illi, vt ad decennium à primæua commentariorum huiusmodi impressione computandum, nemo sine ipsius GREGORII, vel ab eo causam habentium, licentia commentaria prædicta, dummodo tamen, à dilectis filiis Reuisoribus deputatis recognita, & approbata fuerint, tam in vrbe, & reliquo statu Ecclesiastico nobis mediatè vel immediatè subiecto, quam alibi in vniuersis Christiani orbis partibus imprimere, seu ab aliis, quàm ab iis, quibus ipse GREGORIVS licentiam concesserit, impressa vendere, aut venalia habere possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis vtriusque sexus CHRISTI fidelibus, præsertim Bibliopolis, & librorum impressoribus, vbiuis locorum constitutis, ne subditi nostri videlicet sub quingentorum ducatorum auri de Camera, piis vsibus applicandorum, sed & alij non subditi, sub indignationis nostræ & maioris excommunicationis pœnis, commentaria prædicta, vel eorum partem aliquam, sine prædicti GREGORII licentia imprimere, vel impressa vendere, aut venialia proponere audeant, aut præsumant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis quoque & consuetudinibus etiam iuramento, vel Apostolica firmitate roboratis, ac priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum ROMÆ apud S. PETRVM sub Annulo Piscatoris, die XII. Martij. M. D. LXXX XI. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

DIPLOMA S. CÆSAREÆ MAIESTATIS.

RVDOLPHVS Secundus, diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & VVirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Notum facimus vigore præsentium vniuersis, Quòd cùm nobis humiliter exponendum curauerit noster & Imperij sacri fidelis dilectus DAVID SARTORIVS, Typographus Ingolstadienſis, sub prælo se habere Commentarios Theologicos GREGORII de VALENTIA; vereri autem, ne, quod antehac sibi in fraudem accidit, ab aliis lucri caussa iidem imprimantur ac venum dentur, atq; ipse hoc pacto non tantùm laboris atq; industriæ suæ præmio destituatur ac defraudetur, sed in graue etiam damnum incurrat; Nos considerantes quàm Commentarij illi GREGORII de VALENTIA, præstantis Theologi, ad orthodoxam Religionem explicandam & asserendam vtiles sint, & quàm præclaram Reipub. Christianæ SARTORIVS ipse eiusmodi libris eleganter & correctè edendis operam nauet, quantumque referat, vt iidem libri, vbi auctor ipse adsit, imprimantur, benignè ipsi SARTORIO eiusq; hæredibus, auctoritate nostra aduersus omnem fraudem & dolum consulere cupiuerimus, & harum vigore scientia, animoq; bene deliberato, pro auctoritate nostra Cæsarea seriò decreuerimus, ediderimus, statuerimus ac vetuerimus, quemadmodum vigore præsentium decernimus, edicimus, statuimus ac vetamus, ne quisquam Typographorum, Bibliopolarum, aut aliorum, qui siue imprimendis, siue vendendis libris quacunque ratione negociationem exercent librariam, intra quindecim annos, à primæ editionis die numerandos, Commentarios illos GREGORII de VALENTIA dicto DAVIDE SARTORIO inscio aut inuito, typis seu quocunque alio modo aut charactere imitetur, exprimat, vel in publicum edat, nêue ab aliis editum vel impressum, vel aliunde allatum, intra sacri Romani Imperij fines vendat aut distrahat, apertè vel occultè. Si quis autem præsens edictum nostrum transgredi aut violare, prædictosque Commentarios recudere, & in fraudem prænominati SARTORII edere aut vendere ausus fuerit, eum non solùm eiusmodi Commentariorum exemplaribus, tanquam quę in commissum ceciderint, memorato DAVIDI eiusque hæredibus, vel mandatum ab eo habentibus, ope Magistratus eius loci, vbi deprehensa fuerint, vendicandis priuari, verùm etiam mulcta viginti marcarum auri puri, Fisco nostro Imperiali, fraudum vindici, ac parti læsæ ex æquo soluenda ac pendenda, puniri volumus, ea tamen lege, vt eorum commentariorum exemplaria vt minimum tria quàm primùm ad Imperialem Cancellariam transmittantur. Mandamus proinde vniuersis & singulis, nostris & sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, cuiuscunq; status, gradus, ordinis & conditionis extiterint, præsertim verò iis qui in Magistratu constituti, & vel suo, vel superiorum suorum loco ac nomine Iuris vel Iustitiæ administrationem exercent, ne quenquam hoc Priuilegium seu Interdictum nostrum impunè violare, spernere aut negligere patiantur: Sed, si quos contumaces compererint, præscripta mulcta affici, &, quibuscunque rectè fieri potest, modis coërceri curent, Quatenus & ipsi grauissimam indignationem nostram euitare voluerint. Id quod testamur præsentibus literis manu propria subscriptis, & Cæsarei sigilli nostri impressione munitis. Datum in arce nostra regia PRAGÆ, die X. mensis Maij, Anno Domini M. D. XCII. Regnorum nostrorum, Romani XVII. Hungarici XX. & Bohemici itidem XVII.

Rudolphus.

Iacobus Curtius à Senffrenau.

Ad Mandatum sacræ Cæsar. Maiest. proprium
Io. Baruicius.

APPRO-

APPROBATIONES.

OPus hoc Theologiæ Scholasticæ, quod attinet etiam ad hũc tertium Tomum, auctore eximio, multisque pro religione Catholica hactenus editis eruditissimis & vtilissimis lucubrationibus claro, celebrique Theologo, R. P. Doctore GREGORIO de VALENTIA, Societatis IESV, ab aliis eiusdem Societatis Theologis visum & approbatum, Ego quoq; ALBERTVS HVNGERVS, S. Theolog. Doctor, Professor, & Procancellarius in alma Academia INGOLSTADIANA, ita approbo, ita omnibus veræ sinceræque Theologiæ studiosis commendo, vt tum propter doctrinæ præstantiam vbertatemque, tum propter docendi ordinem, viam, modumque, atque adeò exactissimam explicandi, confirmandi, confutandi rationem, vtilissimum, & luce laudeque dignissimum censeam. Datum Ingolstadij, 26. Martij. Anno Domini 1595.

COmmentariorum Theologicorum R. P. GREGORII de VALENTIA, clarissimi è Societate IESV Theologi, hic tertius Tomus, siue in eo solidæ, & accuratæ, atque orthodoxæ doctrinæ vim, siue cum subtilitate elegantem ac facillimum Scholasticæ Theologiæ tractandæ modum, atque ordinem spectes, prioribus Tomis egregiè respondet. Quapropter pari cum iis laude atque fructu in lucem edi posse censeo. PETRVS STEVARTIVS Leodius, S. Theologiæ in Academia INGOLSTADIENSI Professor, & facultatis Theologicæ, hoc tempore, Decanus. Ingolstadij, 23. Martij. Anno Domini 1595.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX
DISPVTATIONVM TERTII TOMI, QVI EST DE VIRTVTIBVS ET VITIIS IN SPECIE.

I. De Fide, & ei Annexis, & vitiis contrariis.
II. De Spe, & ei Annexis, & vitiis contrariis.
III. De Charitate, & ei Annexis, & vitiis contrariis.
IV. De Prudentia, & ei Annexis, & vitiis contrariis.
V. De Iustitia, & eius speciebus, ac vitiis contrariis; tum in Iudicio, tum extra: Itemque de variis contractibus.
VI. De Religione, quæ est Virtus Iustitiæ annexa, & de vitiis ac Superstitionibus ei contrariis.
VII. De quibusdam aliis virtutibus eidem Iustitiæ annexis, & de vitiis contrariis.
VIII. De Fortitudine, & eius partibus, & vitiis contrariis.
IX. De Temperantia, & eius partibus, & vitiis contrariis.
X. De diuersis Statibus ac Officiis hominum.

DISPVTATIO PRIMA GENERALIS.

DE FIDE, ET EI ANNEXIS, ET VITIIS CONTRARIIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEXDECIM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS PRIMÆ GENERALIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Obiecto Fidei.

PVNCT.I. *Quodnam sit obiectum Fidei.*
II. *Qualenam sit obiectum Fidei, quoad eius modum; An scilicet sit aliquid simplex & incomplexum; vel complexum & enunciabile.*
III. *Qualenam sit obiectum Fidei, quoad infallibilitatem; an scilicet necessariò sit verum, vel possit etiam esse falsum.*
IV. *Qualenam sit Fidei obiectum, quoad eius cognoscibilitatem; an scilicet possit esse aliquid euidens.*
V. *Qualenam sit obiectum Fidei, quoad dispositionem & ordinem credibilium, quæ in illo continentur; vtrum scilicet hæc rectè distincta, & enumerata sint in Symbolo fidei.*
VI. *Qualenam sit obiectum Fidei, quoad antiquitatem credibilium, quæ in illo continentur; vtrum scilicet eadem semper fuerint ex fide credita, an verò progressu temporis quædam fuerint de nouo proposita Fidelibus ad credendum.*
VII. *An, vt Fidei obiectum per Christianam fidem infallibiliter credatur, satis sit, illud esse reuelatum diuinitus, & explicatum à quouis legitimo verbi Dei ministro; An verò præterea necesse sit, illud tanquam à Deo reuelatum, & ideo credendum, proponi & ostendi fidelibus per infallibilem aliquam & præeminentem auctoritatem, ad quam proinde spectet editio Symboli seu articulorum fidei, & iudicium atq; definitio omnium fidei controuersiarũ, quæ vnquam oriri possint; & quænam & vbi quærenda sit eiusmodi auctoritas.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De interno actu Fidei, qui est, credere.

PVNCT.I. *Quid sit credere, & quot modis id contingat.*
II. *Quidnam sit necessariò credendum.*
III. *Quonam modo sit credendum; An scilicet necessarium sit ad salutem, credere explicitè omnia quæ fidei sunt, vel sufficiat aliqua credere implicitè.*
IV. *An, & quomodo sit necessarium credere mysterium Incarnationis.*
V. *An sit necessarium ad salutem credere explicitè mysterium Trinitatis.*
VI. *An sufficiat ad salutem credere explicitè vnum aut alterum præcipuum mysterium fidei, aut omnia quæ sunt in Symbolo, etiamsi circa alia fidei dogmata quis erret. Vel requiratur fides vndequaq; sana & integra.*
VII. *An, & quomodo actus credendi sit meritorius.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Fidei actu externo, hoc est, de Fidei Confessione.

PVNCT.I. *An, & quomodo exterior Confessio fidei, sit fidei actus.*
II. *An, & quomodo externa Confessio fidei, sit necessaria ad salutem.*

QVÆSTIO QVARTA.

De ipsa Virtute Fidei secundùm se.

PVNCT.I. *Quidnam sit Fides.*
II. *In quonam subiecto sit Fides.*
III. *An Fides perficiatur per charitatem tanquam per suam quandam formam.*
IV. *An Fides possit etiam consistere seiuncta à Charitate, atq; adeo informis.*
V. *An, & quomodo Fides sit Virtus.*
VI. *An Fides sit vna Virtus.*
VII. *An Fides sit prima Virtutum omnium.*
VIII. *An Fides sit certior quàm aliæ Virtutes intellectuales.*

QVÆSTIO QVINTA.

De iis, qui Fidei participes esse possunt, seu de Fidei subiecto.

PVNCT.I. *An homo & Angelus in prima sui conditione habuerint fidem.*
II. *An damnati & beati habeant fidem.*
III. *An hæretici habeant fidem.*
IV. *An alij maiorem habeant fidem, quàm alij.*

QVÆSTIO SEXTA.

De Causa efficiente Fidei.

PVNCT.I. *Vtrum fides sit donum à Deo infusum.*
II. *An etiam Fides informis sit Dei donum.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Effectibus Fidei.

PVNCT.VNIC. *Quinam sint effectus Fidei.*

QVÆSTIO OCTAVA.

De dono Intellectus, quod est annexum Virtuti Fidei.

PVNCT.VNIC. *Quid sit donum Intellectus, & quomodo se habeat ad Fidem, & ad alia dona.*

QVÆSTIO NONA.

De dono Scientiæ, quod est annexum Virtuti Fidei.

PVNCT.VNIC. *Quomodo Scientiæ donum se habeat ad Fidem, & quale donum sit.*

QVÆSTIO DECIMA.

De Infidelitate, quæ est vitium Fidei contrarium.

PVNCT.I. *An Infidelitas sit peccatum, & quale.*
II. *An cum Infidelitate possit consistere vlla bona actio; vel vtrum omnis actio Infidelis sit peccatum.*
III. *Quotuplex sit Infidelitas.*
IV. *An liceat cum Infidelibus publicè disputare.*
V. *An, & quatenus liceat communicare cum Infidelibus in conuersatione & conuictu.*
VI. *An liceat Infideles compellere ad Fidem.*
VII. *An licitè permittantur & tolerentur Infidelium ritus.*
VIII. *An licitè permittatur Infidelibus dominium & prælatio in Fideles.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Hæresi, quæ est vna species Infidelitatis.

PVNCT. I. *Quid sit Hæresis.*
II. *Quænam sit materia siue obiectum hæresis.*
III. *An sint hæretici puniendi.*
IV. *Vtrum si hæretici conuertantur, sint ab Ecclesia recipiendi.*

QVAESTIO DVODECIMA.

De Apostasia, quæ est etiam quædam Infidelitas.

PVNCT. I. *In quo consistat peccatum Apostasiæ.*
II. *Vtrum propter peccatum Apostasiæ à fide amittatur temporale dominium & prælatio in subditos.*

QVAESTIO DECIMATERTIA.

De Blasphemia generatim, quæ est peccatum contrarium Confessioni Fidei.

PVNCT. I. *Quodnam peccatum sit Blasphemia.*
II. *Quomodo se habeat blasphemia ad Infidelitatem.*

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

De Blasphemia in Spiritum sanctum.

PVNCT. I. *Quidnam sit Blasphemia in Spiritum sanctum.*
II. *Quotuplex sit Blasphemia in Spiritum sanctum.*
III. *An Blasphemia in Spiritum sanctum sit irremissibilis.*

QVAESTIO DECIMAQVINTA.

De vitiis oppositis Scientiæ & Intellectus, quæ sunt dona annexa Fidei.

PVNCT. VNIC. *Quænam peccata opponantur dono Scientiæ & Intellectus, & vnde illa oriantur.*

QVAESTIO DECIMASEXTA.

De præceptis Fidei, Scientiæ, & Intellectus.

PVNCT. I. *An, & quatenus extet præceptum de Fide.*
II. *An, & quatenus extet præceptum de dono Intellectus & Scientiæ.*



DISPVTATIO PRIMA GENERALIS.

De FIDE, & ei annexis, & vitiis contrariis.

D. Thomas 2. 2. à quæstione 1. vsque ad q. 16.

DISPVTANT SCHOLASTICI THEOlogi de Fide in 3. sent. d. 23. 24. & 25. Atq; etiam veteres Ecclesiæ Scriptores multa passim de Fide disseruerũt, præsertim ij, qui fidem atq; religionem Christianam in vniuersum ex instituto propugnârunt, editis de eiusmodi argumento peculiaribus libris. Vt QVADRATVS *Apostolorum discipulus & Episcopus Athenienſis, qui, vt testatur sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, scripsit ad Hadrianum Imperatorem librum pro religione nostra valdè vtilem, plenumq; rationis ac fidei, sicut Hieronymus inquit. Item* ARISTIDES, *qui eidem Hadriano volumen apologeticum de eodem argumento obtulit. Et* IVSTINVS *Apologias duas, alteram ad Senatum Romanum, alteram ad Imperatorem Antoninum pium, & orationem parenæticam ad Gentes. Et* ATHENAGORAS *apologiam vnam ad eundem Antoninum. Et* CLEMENS *Alexandrinus orationem adhortatoriam ad Gentes. Et* TERTVLLIANVS *Apologeticum. Et* LVCIANVS *Martyr, presbyter Ecclesiæ Antiochenæ libros quosdam de Fide, teste Hieronymo vbi suprà. Et* ARNOBIVS *libros octo ad Gentes. Et* CYPRIANVS *librum de vanitate Idolorum. Et* LACTANTIVS *libros septem diuinarum instit. Et* EVSEBIVS *de præparatione Euang. libros quatuordecim, & alios decem de demonstratione Euangelica. Et* ATHANASIVS *orationem contra idola. Et* AVGVSTINVS *librum de vera religione, & librum de vtilitate credendi, & contra epistolam Fundamenti, & multa etiam in libris de Ciuitate* DEI. *Et* THEODORETVS *libros duodecim de curandis affectionibus græcorum, quorum librorum primus est de Fide. Item disputant de Fide non pauca ij,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui de controuersiis fidei contra huius temporis hæreticos scripserunt, præsertim cum disserunt de Iustificatione: ac nominatim Michaël Medina ex instituto in septem libris, quos scripsit de recta in Deum fide.

Nos ea, quæ propriè spectant ad hanc materiam, complectemur sexdecim quæstionibus, in quas etiam D. Thomas hanc totam disputationem partitus est. PRIMA *erit de obiecto Fidei.* SECVNDA, *de actu Fidei interiori.* TERTIA, *de actu Fidei exteriori.* QVARTA, *de ipsa Fidei virtute secundùm se, cuius scilicet quidditas & attributa, cognitis iam ante obiecto eius & actibus, facilè perspicientur.* QVINTA, *de subiecto Fidei, seu de iis, qui possunt esse fidei participes.* SEXTA, *de caussa Fidei.* SEPTIMA, *de effectibus Fidei.* OCTAVA, *de dono Intellectus, quod est affine & connexum virtuti Fidei.* NONA, *de dono Scientiæ, quod similiter Fidei est affine.* DECIMA, *de Infidelitate generatim, quæ est vitium contrarium Fidei.* VNDECIMA, *de Hæresi, quæ est omnium deterrima Infidelitatis species.* DVODECIMA, *de Apostasia à Fide, quæ est quædam Infidelitas.* DECIMATERTIA, *de Blasphemia generatim, quæ est peccatum contrarium externæ confessioni Fidei.* DECIMAQVARTA, *de Blasphemia in Spiritum sanctum.* DECIMAQVINTA, *de Cæcitate mentis & Hebetudine sensus, quæ sunt vitia contraria dono Intellectus. De Ignorantiæ autem peccato, quod est contrarium dono Scientiæ, in primo Tomo disput. 2. quæst. 1. & disput. 6. quæst. 6. dictum est.* DECIMASEXTA, *de præceptis Fidei, Scientiæ, & Intellectus.*

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

De Obiecto Fidei.

D. Thomas 2. 2. q. 1.

EXPLICANDA SVNT SEPTEM. PRIMO, QVODNAM SIT obiectum fidei. SECVNDO, Qualenam sit, quoad eius modum: an scilicet sit aliquid Enunciabile & complexum, vel res aliqua simplex. TERTIO, Qualenam sit, quoad veritatem: vtrum scilicet semper sit verum & infallibile, an verò possit etiam esse falsum. QVARTO, Qualenam sit, quoad cognoscibilitatem: vtrum scilicet semper sit ineuidens & obscurum, an verò possit esse etiam euidens. QVINTO, Qualenam sit quoad dispositionem & ordinem credibilium, quæ in illo continentur; vtrum scilicet hæc rectè distincta & enumerata sint in Symbolo fidei. SEXTO, Qualenam sit, quoad eorundem credibilium antiquitatem: vtrum scilicet eadem semper fuerint ex fide credita, an verò quædam successione temporum fuerint de nouo proposita fidelibus ad credendum. SEPTIMO, An, vt fidei obiectum per veram & Christianam fidem infallibiliter credatur, satis sit, illud esse reuelatum diuinitus, & explicatum à quouis verbi DEI ministro: an verò præterea necesse sit, illud tanquam à DEO reuelatum & ideo credendum, proponi & ostendi fidelibus per præeminentem aliquam & infallibilem auctoritatem, ad quam proinde spectet editio articulorum fidei, & iudicium atque definitio omnium controuersiarum fidei, quæ vnquam oriri possint. Et quænam, & vbi quærenda sit eiusmodi auctoritas.

PVNCTVM PRIMVM.

Quodnam sit obiectum fidei.

D. Thomas art. 1.

QVÆSTIO DE FIDEI OBIECTO, ex parte pertinet ad quæstionem de quidditate fidei, de qua demùm differendum est ex instituto quæst. 4. postquam in hac & duabus sequentibus quæstionibus disputatum fuerit de fidei obiecto & actibus, ex quibus etiam innotescit natura & quidditas cuiusque virtutis. Cùm autem quæstio de rei quidditate, atque adeo etiam de obiecto præsupponat quæstionem, *An est*, & hæc ipsa quæstio, *An est*, determinanda sit ex notione ipsa vocabuli, vt tomo 1. Disp. 1. q. 2. p. 1. docuimus; necesse est hoc loco inprimis declarare, quid nomine Fidei in proposito intelligamus, vt inde constare possit, & fidem esse, & meritò à nobis obiectum fidei inuestigari, neque oportuisse mouere separatim de Fide quæstionem, *An est*, cùm per se sit facilis, cognita vocabuli notione. A B

Porrò auctores Theologi varias assignare solent acceptiones vocabuli Fidei; & ita quidem vt alij plures, quàm par sit, multiplicent, de quo Sotus queritur lib. 2. de natura & gratia cap. 6. alij verò pauciores, quàm ferat institutio ipsa nominis & consuetudo latinè loquentium, atq; etiam sacrarum literarum. Alexander Hallensis 3. p. q. 74. membro 1. ponit vndecim acceptiones, quas ex eodem Hallensi recitat Gabriel in 3. d. 23. q. 2. Albertus Magnus in 3. d. 23. art. 1. ad 3. ponit quinque, & addit, accipi etiam aliis modis. Bonauentura in 3. d. 23. in explicatione textus, litera B. ponit decem. Alfonsus à Castro in summa de hæresibus, verbo Fides, hæresi 2. ponit septem. Vega in Tractatu de Iustificatione q. 1. ponit nouem. Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 6. ait, quosdam ponere quindecim. Ipse verò ibidem per aliud extremum tantùm admittit acceptiones duas, quas etiam solas ponit Michaël Medina lib. 1. de recta in Deum fide, cap. 1.

Sed acceptiones eius vocabuli, quæ quidem extant in sacris literis, & ideo ad Theologum spectant, sunt decem, ex quibus vna est potissima, considerando vim nominis, & ab ea reliquæ deductæ videntur, quamuis nō illa, sed alia quædam est ea, quæ pertinet ad præsentem disputationem, vt videbimus.

PRIMO igitur Fidei vocabulum significat virtutem quandam non intellectus, sed voluntatis, per quam opere completur id, quod promittitur. Quæ virtus solet etiam nominari fidelitas & veritas. Sic fides etiam est in Deo. Ad Roman. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax, &c.* De

Universidad de Deusto
Biblioteca

hac fide loquitur etiam sanctus AVGVSTINVS in epist. 19. ad Hieronymum, vbi tractans locum illum 1. Cor. 5. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*, ita scribit: *Fides in latino sermone ab eo dicitur appellata, quia fit quod dicitur. Vbi autem fit, quod dicitur, mentiendi vtiq; non est locus.* Allusit fortè ad Ciceronem, qui lib. 1. de Officiis definit, hanc fidem esse *dictorum conuentorumq; constantiam ac veritatem.* Et paulò inferius: *Credamus*, inquit Cicero, *quia fiat, quod dictum est, appellatam Fidem.* Hoc modo non accipitur vocabulum Fidei in proposito.

SECVNDO, ex hac primæua huius vocabuli acceptione deriuata est altera, qua fides nominari solet ipsa promissio, quam fidelitas adimplet. 1. ad Tim. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quo loco communiter omnes expositores intelligunt per primam fidem, votum & promissionem. Vnde etiam sanctus AVGVSTINVS in Psalmum 75. *Quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt & non reddiderũt.* Sic etiam accepit id vocabulum Poëta 8. Aeneid. *Accipe, dag; fidem.* Nec isto modo accipitur fides in proposito.

TERTIO, inde quoque nominari solet fides auctoritas alicuius seu existimatio, quæ de ipso habetur in standō promissis. Vt Leuitici 6. *Anima, quæ negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, reddet omnia, &c.* Et Ecclesiast. 27. *Qui denudat arcana amico, fidem perdit.* Sic etiam accipitur id vocabulum à Iurisperitis libro 22. digest. titulo 4. qui est *de Fide instrumentorum*: & lib. 2. Decretalium, titulo 22. de eadem. Et sic etiam dicitur homo bonæ vel malæ fidei: nec eo modo accipitur Fides in proposito.

QVARTO, inde etiam & frequenter fiducia quædam seu firma spes, futurum id, quod est promissum, nominatur fides. Sic accipitur à sancto Iacobo capite primo, cùm inquit: *postulet autem in fide nihil hæsitans*: Et fortè etiam à Domino Matthæi decimo quarto, cùm dixit Petro: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Fidem enim hic appellat eam fiduciam, ad quam ibidem Petrum & alios Apostolos hortatus fuerat inquiens: *Habete fiduciam. Ego sum, nolite timere.* Atque etiam à latinæ linguæ auctoribus nonnunquam videri potest accipi id vocabulum in ea significatione. Vt à Terentio in Heaut. *At mihi fides apud hunc est nihil me istius facturum.*

Sed neq; isto modo fidem accipimus in proposito. Instituimus enim disputationem de ea fide, quę præter Charitatem & Spem commendatur passim in diuinis literis, & requiritur atque conducit ad iustificationem. Quam fidem certum est distingui à fiducia, cùm distinguatur à Spe, à qua minimè fiducia distinguitur. Licet Sectarij quidem fidem iustificantem vel solùm vel præcipuè velint esse fiduciam ipsam de misericordia Dei remittentis peccata: quod beneficium contendunt, vnumquemque debere sine vlla formidine credere, se iam esse consecutum. Sed hunc errorem confutauimus in materia de Gratia, & partim etiam hîc paulò post refellemus.

QVINTO, inde etiam vocabulum fidei accommodatum est, vt significet assensionem, qua credimus, implendum esse, quod promittitur; vel qua verum esse, quod dicitur, nobis persuademus propter auctoritatem dicentis; atque etiam pro quocunque assensu veritatis. Vt Ecclesiast. 29. *Vir bonus fidem facit proximo suo*, id est, ei creditur. Et Dominus Matth. 9. *Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei. Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Quo loco necesse est per fidem intelligere assensum, quo cæci illi crediderunt, posse sibi restitui visum à Domino. Nam fiducia non est propriè de potentia faciendi, sed de effectu futuro. Et sanctus AVGVSTINVS libro de spiritu & litera cap. 31. *Aliter*, inquit, *dicimus, Non mihi habuit fidem; aliter autem, Non mihi seruauit fidem. Nam illud est, Non credidit quod dixi: Istud, Non fecit quod dixit.* Vbi simul mentionem fecit huius quintæ acceptionis vocabuli Fides, atque etiam primæ. Item Virgilius 4. Aeneid. *Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum:* Fidem pro assensione dixit. Et Cicero lib. 2. de diuinat. non longè admodum à fine: *Insanorum*, inquit, *visis fides non est adhibenda.*

Ex quibus testimoniis (vt alia prætereamus) satis apparet, eos decipi, qui dicunt non satis bene & latinè fidem pro assensione dici, vt Philippus Melanchthon in loco de Iustificatione, vbi explicat vocabulum Fidei, & Laurentius Valla libro quinto elegant. cap. 30. & Budæus in annotationibus ad Pandectas. ff. de seruo corrupto, lege 1. Atqui Cicero & Virgilius (vt alios taceam) latinissimè scripserunt. Hæc acceptio nominis fidei non est omnino aliena à proposito, tametsi neque plenè declarat rationem eius fidei, de qua disputare instituimus, sed ex parte tantùm, vt videbimus.

SEXTO, inde etiam Fides nominatur notitia ea, qua quisque sibi conscius est actionum & consiliorum suorum, hoc est, conscientia. Vt ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Fidem enim ibi nominari conscientiam bonam interpretatur Glossa interlinearis & Theophylactus & alij interpretes. Atque etiam Innocentius III. lib. 2. decretal. titulo de præscriptionibus, capitulo vltimo, vbi idcirco decernit, vt nulla præscriptio valeat absque *bona fide*, id est, absque bona conscientia. Isto modo non accipitur hoc nomen in proposito.

SEPTIMO, inde etiam à Theologis Fides vocatur habitus quidam intellectus, quo firmiter & sine vlla formidine, tametsi ineuidenter, assentimur iis omnibus, quæ tanquam à Deo reuelata proponuntur credenda in Ecclesia. Sic

accipi-

accipitur à D. Paulo ad Hebr. 11. cùm definit, fidem esse *substantiam sperandarum rerum argumentum non apparentium.* Nam hoc ipso, quod fidem nominat substantiam & quasi basim ac fundamentum spei, indicat esse aliquid permanens & durabile, atq; adeo habitum, vt magis patebit ex iis, quæ de essentia & quidditate fidei trademus q. 4. Et eodem modo accipit Fidem ad Ephes. 2. cùm asseuerat, eam esse *Dei donum.* Sic etiam accipitur in Concilio Viennensi & Tridētino, cùm definitur, *infundi fidem* in iustificatione. Atq; hæc maximè acceptio huius nominis spectat ad præsentem disputationē, vt statim confirmabimus.

OCTAVO, inde etiam nomen fidei tributum est rebus ipsis seu veritatibus, quas per hanc fidem credimus. Vt Apocalyp. 2. *Non negasti fidem meam.* Et in Symbolo Athanasij: *Hæc est fides Catholica, &c.* Propriè autem non accipitur hoc modo Fides in proposito. Nam sic Fides est obiectum potius eius fidei, cuius obiectum iam inquirimus, & de qua instituitur tota hæc disputatio Theologica.

NONO, ipse etiam assensus huius fidei, quæ diuina auctoritate nititur, vocatur etiam Fides. Ita accipitur id vocabulum, vbicunque in Scriptura Iustificatio asscribitur Fidei, nempe per Charitatem viuæ. Vt ad Rom. 3. & alibi passim. Neq; isto modo propriè accipimus id nomen in præsenti, cùm de assensu fidei sit peculiariter tractandum sequenti quæstione.

DECIMO, inde per Synecdochen (qua nomen partis attribui solet toti) appellatur etiam Fides tota summa Christianæ religionis. Vt ad Galat. 3. *Quando venit ergo fides, &c.* Ac multò minus accipitur hoc pacto id nomen in proposito.

ACCIPITVR igitur nomen fidei in Disputatione hac Theologica, quę de Fide instituitur, illo septimo modo, vt diximus, nempe vt significat *habitum, seu facultatem quandam intellectus, qua ineuidenter quidem, sed firmiter assentimur iis omnibus, quæ tanquam à DEO reuelata proponuntur credenda in Ecclesia.* Atque eadem est apud auctores Ecclesiasticos significatio vocabuli Græci πίστις & Hebraici אֱמוּנָה pro quibus in vulgata editione est fidei vocabulum. Fides autem miraculorum, quam nonnulli memorant, est hæc ipsa fides adiunctâ firma quadam fiducia circa euentum miraculosum.

Christianam fidem habitum Intellectus esse.

Quod autem hoc modo fidei vocabulum in Disputatione Theologica de Fide, accipi debeat, paucis nunc antequam vlterius progrediamur, confirmandum est, propter stultissimam pertinaciam quorundā Sectariorum huius temporis, qui id negant. Nam Philippus Melanchthon in loco communi de Fide & Iustificatione non semel asseuerat, fidē quæ in Scripturis commendatur, & quæ proinde spectat ad disputationem Theologicam, nihil aliud esse, quàm certam fiduciam de misericordia Dei remittentis vnicuiq; peccata propter Christum, idq; vnumquemq; de se debere firmiter credere: Et idem ferè docet Kemnitius in examine sess. 6. Concilij Tridentini, vbi agit de Fide iustificante; & alij Sectarij. Quod si verum est, fides Christiana de qua Theologicè disputandum est, non est habitus intellectus, sed voluntatis. Nam fiducia nihil aliud est, quàm quædam firma spes: & certum est, spem non esse habitum intellectus, sed voluntatis, cùm habeat pro obiecto bonum difficile ad consequendum, vt in sequente Disputatione videbimus.

PROBEMVS igitur, Fidem Christianam, quæ in Scripturis commendatur, tanquam ad iustitiam & salutem necessaria, & de qua proinde Theologicè disputandum est, non esse fiduciam, sed habitum seu facultatē illam intellectus, quam diximus. Id autem potest multis modis ex Scriptura probari.

PRIMO, quia manifestè Scriptura distinguit hanc fidem à Spe, atq; adeo à fiducia. Vt 1. Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Et ad Colossl. 1. *Si tamen permanetis in fide fundati & stabiles & immobiles à Spe Euangelij, quod audistis.* Et 1. Petri 1. *Qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra & Spes esset in Deo, &c.*

SECVNDO, quia etiā Scriptura declarat, actum proprium fidei Christianæ esse scire & intelligere & credere, atq; adeo eam fidem esse facultatem intellectus, non autem voluntatis, in qua est fiducia, & cuius functio est cum appetitu quodam propendere in rem speratam, non autem scire vel intelligere. Ad Roman. 4. *Confortatus est fide* (Abraham) *dans gloriam DEO, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere.* Et ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ibidem. *Si confitearis in ore tuo Dominũ IESVM, & in corde tuo credideris, quia DEVS excitauit eum à mortuis, saluus eris.* Et ad Hebræ. 11. *Fide intelligimus aptata esse sęcula verbo DEI, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.*

QVARTO, quoniam etiam laudantur in Scriptura ij, qui minimè certò confidebant, sibi remissa esse iam peccata, sed potius de eo metuebant, quos tamen certum est veram alioqui fidem habuisse: & contra, qui de ea re non dubitāt, & in se certò confidunt tanquam iusti, vituperantur, tametsi non suis viribus, sed Deo, gratiæque ipsius iustitiam propriam asscribant. Hoc ostendit luculentissimè inducta à Domino parabola de Pharisæo & Publicano. Lucæ 18. *Contra eos, qui in se confidebant tanquam iusti. Pharisæus enim*

Universidad de Deusto
Biblioteca

stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi (quasi A diceret, non mihi tribuo) *quia non sum sicut cæteri homines, &c. Et Publicanus à longè stans nolebat oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori:* De quibus hanc sententiam fert Christus: *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

QVINTO, quia Scriptura loquens de fide vera & necessaria ad salutem, sæpe ostendit obiectum & materiam eius esse etiam aliquid, quod solùm creditur per intellectum, nec propriè cadit in voluntatis fiduciam atque spem. Vt in locis ad Romanos decimo, & ad Hebræos vndecimo, in probatione 3. citatis: & Ioann. 11. *Omnis, qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi. Vtique Domine: Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Et Ioan. 14. *Non creditis quia ego in patre, & pater in me est?* & alibi passim. Hæ autem & aliæ similes veritates, quæ iam de *præsenti*, aut etiam de *præterito* sunt, intellectu solum creduntur, non autem sperantur: Spes enim & fiducia solum sunt de *futuris*.

SEXTO, accedit huc etiã auctoritas omnium sanctorum Patrum, qui fidem & eius actum in assensu & operatione intellectus constituunt, non autem in fiducia voluntatis.

S. DIONYSIVS Areopagita cap. 7. de diuinis nominibus: *Diuina fides*, inquit, *stabilis est credentium sedes, quæ hos in veritate locat, in ipsisq; veritatem imperfusibili identitate certam & simplicem veritatis notionem habentibus.* C

Sanctus IRENÆVS libro primo, capite tertio agens de Fide, quæ proponitur in vniuersa Ecclesia: *Prædicatio*, inquit, *veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire.*

S. ATHANASIVS in oratione contra Idola: *Quia in nobis*, inquit, *habemus fidem, ideo possumus celeriter intelligere & contemplari vniuersitatis regem, Patris scilicet salutare Verbum, &c.*

Sanctus BASILIVS in serm. de Confessione fidei: *Fides*, inquit, *est assensus non hæsitans de iis quæ audita sunt in certitudine veritatis, & prædicata sunt per gratiam Dei.* D

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS oratione de moderatione in disputationibus seruanda, expendens illud Apostoli: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: Plena*, inquit, *numerisq; omnibus absoluta salus in eo sita est, vt etiam confiteamur, ac cognitioni professionem dicendiq; libertatem adiungamus.* Vbi Fidem cognitionem appellat.

Sanctus AMBROSIVS sermone 20. in psal. 118. circa illud: *Principium verborum tuorũ veritas. Cum principium*, inquit, *verborum Dei veritas sit, veritas vtiq; fidei fundamentum est. Primum enim oportet, vt credamus vera esse Dei summi, quæ in diuinis Scripturis legimus, oracula.*

S. HIERONYMVS in caput 4. epistolæ ad Ephesios: *Omni*, inquit, *studio laborandum, primùm in fidei occurrere vnitatem, deinde in eadem vnitate habere cognitionem filij Dei.*

S. AVGVSTINVS lib. de prædest. Sanctor. cap. 2. *Ipsum credere*, inquit, *NIHIL aliud est, quàm cum assensione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit; cùm ideo cogitent plerique, ne credant. Sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat & cogitando credit.*

S. GREGORIVS Magnus lib. 2. in 1. Reg. cap. 4. *Fide*, inquit, *velut fama Deum cognoscimus: amore autem contemplationis is, qui fama innotuit, nobis velut ex ostensione præsentia reuelatur.* Similia alij Patres.

Conuincitur autem his Scripturæ & Patrum testimoniis fidem Christianam & Theologicam esse duntaxat facultatem quãdam intellectus, ac proinde neq; ex toto, neque etiam ex parte esse fiduciam voluntatis: quasi sit quiddam compositum ex duabus facultatibus, quarum altera ad intellectum & assensum; altera ad voluntatem pertineat, vt Kemnitius & alij quidam Sectarij videntur imaginari. Loquuntur enim Scriptura & Patres in citatis locis de ea fide, quam ex aliis Scripturæ testimoniis constat esse facultatem quandam non compositam, sed vnam ac simplicem, sicut est Charitas & Spes, quibus annumeratur 1. Corinth. 13. & sicut est etiam *vnus Deus & vnum baptisma*, vt dicit Apostolus ad Ephes. 4. Quare cùm Scriptura & Patres in citatis locis affirmant, fidem esse facultatem quandam cognoscendi, omnino affirmant esse duntaxat cognoscendi facultatem, cùm sit quiddam vnum & simplex. Quod apertissimè sanctus AVGVSTINVS loco citato expressit, cùm, explicans proprium actum fidei, dixit NIHIL aliud esse credere, quàm cum assensione cogitare.

SED OBIICIT Melanchthon, quod Græcum vocabulum πίστις, pro quo in latina editione est vocabulum Fides, propriè non significat nisi fiduciam. Kemnitius etiam, fidem iustificantem, atque adeo Theologicam inprimis esse fiduciam, vel cum fiducia remissionis peccatorum, inde probat, quòd in aliis fidei sententiis ac veritatibus, quas credimus, non offertur nobis iustificatio; *Vt cùm narrantur*, inquit, *anni Mathusalem, aut ædificatio Turris Babel.* Ergo per fidem de eiusmodi rebus non accipimus gratiam iustificationis, sed solùm per fidem ac fiduciam de remissione peccatorum per Christum mediatorem.

Sed hæc facilè refelluntur. Ad obiectionem enim Melanchthonis RESPONDEO, græcum vocabulum πίστις similiter significare tum fiduciã, tum etiam assensum siue persuasionẽ. Vt Matth. 9. vbi legimus, *secundùm fidem vestram* (κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν) *fiat vobis.* Ibi enim πίστις non potest significare nisi assensum & persuasionem. Nam significat fidem eam, qua cæci illi credebant, Dominum posse restituere ipsis visum; *de potẽtia* autem

facien-

facientis non est fiducia, sed persuasio; siquidem fiducia est potius de ipso *effectu*, vt suprà etiam diximus. Et idem significat id vocabulum in aliis Scripturæ locis contra Sectarios istos à nobis citatis. A

Ad argumentum autem Kemnitij RESPONDEO, vt quis per fidem de aliqua sententia diuinitus reuelata consequatur iustificationem, minimè opus esse, vt in ea fidei sententia offeratur iustificatio significando ipsam expresse; sed satis est eatenus offerri, quatenus Deus decreuit iustificare credentem eam sententiam, & reliquas reuelatas, modò aliis etiam necessariis & salutaribus animi motibus in Deum conuertatur, vt charitatis, pœnitentiæ, &c. iuxta ea, quæ de necessaria præparatione ad iustificationem tradidimus tomo 2. disput. 8. q. 5. p. 4. Vbi etiam q. 4. p. 4. multis modis confutauimus fidem istam Sectariorum specialem, qua contendunt vnumquemque debere sine vlla formidine credere, sibi remissa esse peccata.

Quare maneat, fidem Christianam & Theologicam, de qua disputationem instituimus, neque omnino neque ex parte esse voluntatis fiduciam, sed esse quandam intellectus facultatem, qua certissimè credimus ea omnia, quæ tãquam diuinitus reuelata proponuntur credẽda in Ecclesia.

Porrò huiusmodi fidem *esse*, ita compertum est ex testimoniis Scripturæ & Patrum allatis, vt minimè oportuerit hoc loco de fide præmittere quæstionem *An est*. Quo posito, quæstio à nobis proposita de *Obiecto* huius fidei, nũc est explicanda, quæ vt initio diximus, ex parte pertinet ad quæstionem de quidditate fidei, de qua tamen ex instituto erit disserendum postea q. 4. C

Ac solent quidem de OBIECTO fidei referri variæ sententiæ Theologorum, argumentis in vtramque partem propositis. Sed quoniam arbitror Catholicos Doctores hac in re esse aut certè debere esse concordes, præmittendam potius existimo ipsius rei ac veræ sententiæ explicationem. Ex ea namque facilè postea diiudicabimus aliorum opiniones. Prius autem quàm veram sententiam de Obiecto fidei per nõnullas assertiones aperiamus, sunt quinque annotãda, quæ in hac perobscura disputatione quasi viam nobis ostendant, vt ad veritatem perueniamus sine confusione & errore. D

Quinq; obseruanda in quæstione de obiecto fidei Christianæ.

PRIMO: Obiectum alicuius facultatis seu habitus intellectus constat esse aliquid, quod habitus respicit, id est, ad quod ex natura sua habet ordinem. Quatuor verò sunt ea, ad quæ habet habitus eiusmodi ordinem: quæ omnia appellari solent obiectũ habitus licet diuersimodè. PRIMVM est ratio formalis siue causa, qua nititur habitus veluti fundamento, & in quam tum ipse habitus, tum etiam assensus ab eo elicitus, vltimò resoluitur. Et hoc nominatur obiectum formale *Quo*, siue ratio formalis, *sub qua* obiecti: rationem huius modi loquendi infrà reddemus. SECVNDVM est id de quo habitus primariò elicit assensus. Et hoc nominatur obiectum formale *Quod*, & potest etiam significantius dici *Subiectum*, de quo habitus cognoscit primariò. TERTIVM est id de quo habitus secundariò elicit assensus, eo quòd eius cognitio aliquo modo conducat ad cognitionem formalis & primarij obiecti *Quod*. Et hoc nominatur obiectum materiale *Quod*, & similiter dici potest *Subiectum Quod* materiale. QVARTVM est ipse assensus significatus per enũciationem, cui habitus assentitur. Et hoc propriè dicitur obiectũ *Quod complexum*, vt rectè notauit Durandus in prologo sent. q. 5. & in 3. sentent. d. 24. q. 1. & Capreolus in prologo sent. q. 4. art. 2. concl. 2. Hic verò disputatio est de obiecto formali fidei primo & secundo modo, scilicet de obiecto *Quod & Quo*, ac præsertim *Quo*, siue de ratione *sub qua* obiecti fidei, hanc enim potissimùm inuestigamus. A B

Cæterùm vt non erremus in illius inuestigatione, notandum SECVNDO, quoddam esse discrimen inter habitus euidentes & ineuidentes, qualis est fides. Nam fundamentum, siue ratio, qua nititur, & in quã resoluitur habitus euidens & assensus ab eo elicitus, etiam est sufficiens motiuum ad hoc, vt homo propositioni ad eum habitum pertinenti assentiatur. Quia enim ratio, qua nititur euidens habitus, est euidens, necessitate quadam adigit intellectum ad præbendum assensum, ita vt reniti & dissentire nõ possit. Ratio verò siue fundamentum, in quod habitus ineuidens & assensus ab eo elicitus secundùm se resoluitur, siue quo nititur, adeo non cogit intellectum assentiri, vt nec sufficiat quidem ad mouendum hominem ad præbendum assensum, si res ineuidens, quæ proponitur, sit admodum difficilis, & præsertim humanum captum superans. Hoc discrimen satis patet ex differentia euidentiæ & ineuidentiæ. Hoc enim est habitum esse euidentem; scilicet si percipiatur ratio vel causa, qua nititur talis habitus, non posse intellectum dissentire: percepta verò ratione & fundamento ineuidentis habitus vel assensus, potest intellectus dissentire: Itaque indiget præterea intellectus aliis motiuis, quibus ad assentiendum ineuidenti rei impellatur superata difficultate, quæ ad assentiendum rei ineuidenti est tum ex parte intellectus, qui rem non videt, tum ex parte pertinacis voluntatis.

Hinc TERTIO notandum, cùm ratio formalis siue fundamentum, in quod resoluitur, habitus ineuidentis inquiritur, circumspectè distinguendos esse quasi duos processus: ALTERVM, quo de causa ipsius habitus & assensus secundùm se considerati, inquiritur, & in quem firmitas & certitudo ipsius habitus, & quicquid perfectionis habet, tanquam in causam refertur. ALTE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

RVM, quo non de causa certitudinis & perfectionis habitus, sed de causa propter quam homo animum induxerit velle credere, inquiritur, cùm alioqui ipsa ratione seu fundamento habitus secundùm se non impelleretur ad id necessariò. Quod si hi duo processus in disputatione de ratione formali sub qua obiecti habitus ineuidentis confundantur, errare necesse est confundendo causam certitudinis ipsius habitus, & causam propter quam homo credere voluerit & acceptauerit talem habitum, quæ tamen causæ omnino sunt distinguendæ. Nam etsi cùm homo inducitur ad præbendum assensum ineuidentem, ipsa quoque ratione *sub qua* Obiecti habitus ineuidentis ad credendum moueatur, vt infrà videbimus, tamen non est illa vltima ratio, propter quam liberè credere *voluerit*, & habitum *acceptauerit*, & in quam resoluitur hoc ipsum, quod est voluisse credere & acceptasse, atque etiam retinere habitum fidei.

Ex his etiam QVARTO notandum est quiddam aliud, quod est in tota disputatione de Fide, in promptu habendum, scilicet cùm iuxta priorem illum processum quæritur causa & ratio, in quam vltimò Fides secundùm se resoluitur, non esse laborandum, vt inueniatur ratio vel causa huiusmodi euidens; hoc enim esset inquirere causam fidei, quæ cum natura ipsius fidei pugnet. Vt enim ipsa fides obscura & ineuidens in se est, ita etiam causam & fundamentum habet nobis ineuidens & obscurum. Secus verò est, cùm iuxta illum alterum processum, quo inquiritur causa, propter quam homo *voluerit* credere & acceptare fidem. Huius enim causa aliquid euidens potest esse, & quandoq; est, vt infrà patebit.

QVINTO, ad vitandum in hac disputatione errorem, diligenter, etiam iuxta priorem illum processum, quo inquiritur ratio & causa fidei secundùm se, distinguendum est, inter id, quo ipse habitus & assensus fidei tanquam causa aliquo modo in se influente *nititur*; & id quod ad assensum fidei *requiritur*, tanquam conditio solùm necessariò requisita, vt is assensus eliciatur.

HIS explicatis, SEX de hac re tota ponam assertiones, quarum tribus prioribus, iuxta priorem illum processum, quo diximus posse inquiri de ratione & resolutione fidei secundùm se, constituam obiectum formale *Quod*, & *Quo* fidei; atque etiam *conditionem* quãdam necessariò requisitam, vt assensus fidei eliciatur; tribus autem aliis, iuxta alterum processum, quo diximus quæri etiam posse rationem & causam, cur aliquis voluerit credere, & acceptare fidem, tradam de hoc etiam doctrinam hoc loco necessariam.

Deum vt Deum esse fidei obiectum formale Quod.

PRIMA assertio. *Obiectum formale Quod Fidei est Deus vt Deus, seu sub ratione diuinitatis.* Ita docet D. Thomas 1. p. q. 1. art. 7. & Alex. Hall. 3. p. q. 79. memb. 6. vbi agens de obiecto fidei, quod creditur, dicit, *verum increatum* (id est Deum) *esse primò & per se obiectũ fidei*: & Albertus Magnus in 3. sent. d. 23. art. 12. vbi ait, *primum obiectum fidei quod creditur esse primam veritatem*, hoc est Deum. Et Durandus ead. d. q. 1. & Capreolus in prologo sent. q. 4. art. 2. circa 5. concl. vbi ponit & approbat de hac re verba D. Thomæ ex 1. p. q. 1. artic. 7. Item Caietanus hic art. 1.

Est autem ista assertio in primis contra Caluinum lib. 2. inst. cap. 6. & lib. 6. cap. 2. qui vult non Deum solum, vt Deus, esse obiectum primarium fidei, sed Deum vt est etiam homo Christus. In priori enim loco sic ait: *Vulgare illud dictũ, Deum esse obiectũ fidei sic admitto, vt tamen correctione opus habeat: quia non frustrà vocatur Christus inuisibilis Dei imago, sed hoc elogio monemur, nisi occurrat nobis Deus in Christo, non posse in salutem nobis innotescere.* In posteriori autẽ loco sic dicit: *Cùm in scholis de Fide disputant, Deum eius obiectum simpliciter vocando, euanida speculatione animas transuersum rapiunt magis, quàm ad scopũ dirigant. Nam cùm Deus lucem inaccessam habitet, Christum occurrere medium necesse est.*

Item est nostra assertio contra Martinũ Kemnitium in impio suo examine Concilij Tridentini, circa caput 5. & 6. sess. 6. Concilij Tridentini. vbi agit de fide iustificante. Qui contendit, *promissionẽ*, vt inquit, *de gratuita misericordia Dei, propter filium mediatorem remittentis peccata, adoptantis & acceptantis credentes ad vitam æternam, esse verum, proprium & principale obiectum fidei iustificantis*, id est Christianæ & Theologicæ.

Est etiã nostra assertio contra nõnullos Theologos, qui in prologo sententiarum dicunt, sacræ doctrinæ in Scripturis traditæ, atque adeo etiam Fidei & Theologiæ, obiectum primarium seu formale *Quod*, esse Deum non absolutè sub ratione diuinitatis, sed sub aliqua ratione magis particulari, vt sub ratione glorificatoris, &c. quẽadmodum tomo 1. disput. 1. q. 1. p. 3. varias de hoc opiniones recensuimus. Est etiã nominatim hæc assertio contra Thomam Argentinensem in prologo sent. q. 1. art. 1. ad quoddam 2. argumentum, vbi negat, Deum sub ratione Deitatis esse obiectum fidei.

PROBATVR autem assertio nostra PRIMO ex Scriptura, quæ non rarò declarat, præcipuum obiectum & tanquam scopum fidei esse Deum. Vt Marci 11. *Habete fidem Dei.* Et Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides.* Vbi Apostolus ex vnitate principalis obiecti fidei, nempe Dei, vult intelligi vnam & eandem apud omnes oportere esse fidem. Et 1. ad Thessal. 1. *In omni loco fides vestra, quæ est ad Deũ, profecta est.* Et ad Hebr. 6. *Non rursus iacientes fundamentum, ab operibus mortuis & fidei ad Deum.* Et ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.* Quod ipsum indicatur etiam in Apostolico Symbolo, vbi primus fidei articulus numeratur

ratur ille: *Credo in Deum patrem, &c.* Quia scilicet Deus est primarium obiectum fidei, quo reliqua omnia credibilia referuntur.

SECVNDO probatur nostra assertio manifestis testimoniis sanctorum Patrũ. Nam S. AVGVSTINVS lib. 4. de ciuit. Dei cap. 20. ita scribit: *Fidei primum et maximum officium est, vt in verum credatur Deum.* Quid clarius? Item docet hoc ipsum æquè luculenter S. CYRILLVS Hierosolymitanus catechesi 5. illuminatorum. *Fides*, inquit, *in anima celerrimo actu maxima perficit. De Deo enim speculatur, Deum intuetur. Ita vt qui meretur fide illuminari, & mundi terminos circuit, & ante mundi huius consumationem iudicium iam videt, & promissionum retributionem. Habeas itaq; fidem in illum, &c.* Et S. IRENÆVS lib. 4. cap. 13. *Fides*, inquit, *quæ est ad Deum altissimum, iustificat hominem.* Nec dissimiliter loquuntur de Fide alij Patres.

TERTIO probatur assertio manifesta ratione. Nam illud est primarium & formale obiectum habitus cognoscitiui, atque adeo fidei, ad cuius pleniorem cognitionem referuntur omnia alia quæ per talem habitum cognoscuntur. Sed omnia quæ cognoscuntur & creduntur per fidẽ, spectant eò, vt pleniorem de Deo ipso cognitionem habeamus, quoad eius fieri potest in hac vita. Ergo Deus est obiectũ formale ac primarium fidei. Maior extra cõtrouersiam est apud oẽs eruditos.

Minor autem probatur tripliciter. PRIMO ex Apostolo, qui sæpè declarat, totam summã fidei nostræ, ac nominatim etiam ipsum mysterium Christi, referri ad Dei ipsius agnitionem. Vt ad Ephes. 1. *Deus Domini nostri* IESV *Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus, secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, etc.* Et ad Colos. 2. *Instructi in Charitate & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei, patris Christi* IESV. Et ad Colos. 3. *Induentes nouum hominem, qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius, qui creauit illum, &c.*

SECVNDO, probatur eadem Minor ex S. AVGVSTINO lib. 11. de ciuit. Dei cap. 2. vbi pulchra oratione affirmat, ipsum etiam Christũ hominem esse viam, qua fides peruenit ad Dei cognitionẽ. *Vt mens in fide*, inquit, *fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei filius homine assumpto, non Deo consumpto, eãdem constituit ac fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei & hominũ, homo Christus* IESVS. *Christus per id, quod est mediator, est homo & via perueniendi ad Deũ. Quia si inter eum, qui tendit, & illud, quo tendit, via media est, spes est perueniendi; Si autem desit, aut ignoretur, qua eundum sit, quid prodest nosse qua eundum sit? Sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus, & homo. Quo itur, Deus: Qua itur, homo.*

TERTIO, probatur eadem Minor euidenti ratione. Nam cùm Deus, vt Deus, inter omnia quæ fides credit, sit quiddam præstantissimum, & per alia omnia, quę creduntur, magis ac magis nobis innotescat; dubitari non potest, quin ex natura ipsa fidei omnia alia, quæ creduntur, eò spectent, vt magis ac magis Deus à nobis per fidem cognoscatur: siquidem fides in huius vitę caligine instar lucernæ nobis est ad cognoscendum Deũ, donec dies beatitudinis elucescat, *& lucifer oriatur in cordibus nostris*, vt ait S. Petrus epist. 1. cap. 1. Est igitur Deus, vt probauimus, formale & primarium obiectum fidei.

Sed obiiciunt PRIMO Caluinus & Kemnitius vbi suprà, quòd Scriptura sacra cõmendãs nobis fidem salutarem & Theologicã, solet eam nominare *fidem in Christũ*: quia scilicet Christus sit formale & primariũ illius obiectũ. Vt Ioan. 3. *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitã æternam.* Et Act. 26. refert Apostolus illa verba Christi ad se: *Nunc ego mitto te aperire oculos eorũ, vt conuertantur de tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidẽ, quæ est* (inquit) *in me.* Et ad Rom. 3. *Iustificans eũ, qui est ex fide* IESV *Christi.* Et ad Gal. 2. *Vt iustificemur ex fide Christi*, & sæpè aliãs.

RESPONDEO, huiusmodi Scripturæ sententiis non ideo cõmendari fidem in Christũ, quia Christus vt homo sit obiectũ fidei primariũ & præcipuũ, sed alia duplici de causa. PRIMO, quia fides, vt est de Christo, & eius mysteriis, est fides propria Christianorũ, & ad salutem necessaria, quæ idcirco cõmendatur & exigitur in Scripturæ locis citatis. Neq; enim sufficit ad salutẽ credere in Deũ, quãuis Deus sit fidei obiectũ præcipuum, sed etiã requiritur fides in Christũ, vt q. 2. explicabimus. SECVNDO, quia post Deũ quidem Christus, vt homo, est inter alia credibilia præcipuum obiectum fidei, sicut etiã visionis beatificæ: iuxta illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deũ verum, & quem misisti* IESVM *Christũ*, quod de vtraq; cognitione scilicet fidei & beatifica, potest intelligi, vt tradidimus tomo 2. disput. 1. q. 3. p. 4.

Itaq; mentitur vbi suprà impudẽter Caluinus cùm scribit Theologos Scholasticos cũ differunt de obiecto fidei, *velut obducto velo Christum texisse.* Etsi enim Theologi præcipui nõnisi Deũ statuãt esse obiectum primarium fidei, tamẽ agnoscunt omnes & docent, Christũ eiusq; mysteria esse obiectũ fidei prestantissimum inter reliqua credibilia omnia. Ideoq; de eo in 3. sent. tã multa tractãt.

SECVNDO, obiicit Kemnitius, quòd *ipsa*, vt inquit, *vis veritatis extorserit à patribus Concilij Tridentini sess. 6. cap. 6. hæc verba, quòd dicunt, fidem credere vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt, atq; illud inprimis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo* IESV: ex quo iste colligit, primarium & formale obiectum fidei esse Christum, seu promissionem de gratuita iustificatione per ipsum.

RESPON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDEO, verius nos posse dicere, ipsam vim & consuetudinem non dicendi veritatem extorsisse hic à Kemnitio istud mendaciũ. Nam Patres Concilij non dicunt absolutè (vt iste refert) *fidem* inprimis credere iustificari impium per gratiam Dei & redemptionem, quæ est in Christo, sed explicantes rationem *eius actus* fidei, quo homo disponitur ad suscipiendam iustificantem gratiam, aiunt inprimis eo credi, iustificari impium à Deo per gratiam eius & redemptionem, quæ est in Christo. Etsi enim iustificatio per Christum nõ sit absolutè primarium obiectum fidei, tamen in id obiectum, scilicet in iustificationem per Christum, maximè fides respicit tunc, cùm homo per fidei actum se disponit ad iustificationem, vt exposuimus tomo 2. disput. 8. q. 5. p. 4. Ac proinde in ipsam iustificationem peculiariter eo actu fertur, vel explicitè, vel saltè implicitè & virtualiter, quatenus is qui credit, ita affectus est, vt facilè eum quoque articulum de remissione peccatorum crediturus esset explicitè, si tunc veniret in mentem. Neque enim est necesse ipso tempore iustificationis cogitare expresse de iustificatione ipsa, cùm possit contingere, vt iustificetur homo exercens actum fidei circa aliquod aliud mysterium, vt patebit ex iis, quæ de fidei necessitate ad salutem disseremus quæstione sequenti. Quare maneat, obiectum primarium seu formale Quod fidei, non esse nisi Deum, vt Deum, sicut in illa prima assertione nostra constituimus.

Primam veritatem esse fidei obiectum formale Quo.

Sit nunc SECVNDA assertio. *Obiectum formale Quo, seu ratio formalis, sub qua obiecti fidei est prima & summa veritas Dei reuelantis ea, quæ creduntur.* Ita docẽt S. Thomas hic art. 1. & Alexander Halensis 3. p. q. 78. membro 4. & Albertus Magnus in 3. d. 23. art. 7. & 12. & Bonauentura d. 24. art. 1. q. 2. & 12. & Altisiodorensis lib. 3. summæ Tract. 3. cap. 1. q. 3. & Richardus in 3. d. 23. art. 4. q. 3. & Durandus ead. d. q. 7. numero 12. & d. 24. q. 1. n. 16. & q. 2. n. 4. & Capreolus d. 24. q. vnica, art. 1. concl. 4. & Gabriel d. 23. q. 2. art. 1. & Marsilius in 3. q. 14. & Caietanus hic artic. 1. & Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 3. & alij Theologi communiter, excepto Scoto in 3. d. 23. q. vnica, artic. 2. in argumentis contra conclusionem quartam, & Gulielmo Parisiensi in Tractatu de Fide & legibus, non longè ab initio, vbi scribit, per verã & Christianam fidem credi Deo, *non quia verax est, aut quia verum est, quod ipse loquitur, sic enim*, inquit, *homini crederetur cuiuis, sed quia iubet sibi credi, & sic fides*, inquit, *est per quam obedientiæ suæ debitum sõluit intellectus humanus.*

Ante verò quàm probemus assertionem nostram, est notandum, dupliciter accipi posse nomen *primæ veritatis*. PRIMO, vt eo nomine intelligatur ipsa Dei entitas, vt est veritas transcendentaliter, id est, vt potest terminare intellectum verum. Et sic prima veritas potius est obiectũ *Quod* fidei formale, de quo in conclusione præcedenti. Sicut enim idem est dicere, Ens, vel Entitatem in communi esse obiectum Quod formale intellectus, & verum aut veritatem; sic etiam in proposito, idem est dicere, Obiectum Quod formale fidei esse Deum, & esse primam veritatem trãscendentaliter, quæ solet etiam dici prima veritas in essendo. De hac ergo veritate iam non loquimur.

SECVNDO, potest eo nomine intelligi ipsa diuina reuelatio infallibilis, seu quod idem est, Deus vt infallibiliter reuelans per scriptorem Canonicum, aut alium legitimum definitorem fidei, veritatem aliquam. Et sic intelligimus in conclusione, primam veritatem esse rationem formalem sub qua obiecti fidei. Et solet prima veritas hoc modo accepta nominari prima veritas *in dicendo*.

Sic esse hanc conclusionem intelligendam, non obscurè D. Thomas hic ar. 1. declarauit, cùm ex eo, quòd fides non assentitur, nisi his, quę sunt reuelata à Deo, probat primam veritatem esse rationem formalem fidei obiecti. Hic enim satis indicat se loqui de prima veritate, vt reuelans est. Atque eadem est sententia aliorum omnium Theologorum, quos citauimus.

Iam probatur assertio nostra PRIMO ex Scriptura, quæ non rarò certitudinem omnem doctrinæ fidei, atque adeo assensionum fidei, asscribit auctoritati diuinæ reuelationis. Vt Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est.* Et Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu patris ipse narrauit.* Et 2. ad Corinth. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi* IESV. Et ad Galat. 4. *Notum enim vobis facio euangelium, quod euãgelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem* IESV *Christi.* Et 1. ad Thessal. 2. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et 1. ad Timoth. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum.* Et 2. Petri 1. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Et 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Et ibidem: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, &c.*

SECVNDO probatur ex Patribus, qui & ipsi similiter fundamentum fidei in diuina auctoritate atque reuelatione constituunt. S. DIONYSIVS in lib. de diuinis nominibus cap. 7. *Eum*, inquit, *qui in veritate credit iuxta Scripturæ fidem, nihil remouebit à veræ fidei auctore* (Deo) IN QVO *constantiam immobilis atq; immutabilis identitatis habebit.*

S. IRENÆVS lib. 4. cap. 14. de cognitione fidei tractans: *Edocuit*, inquit, *Dominus, quoniam Deum*

scire nemo posit, nisi Deo docente: hoc est, sine Deo non cognoscit Deum. Et infrà: *Ab initio assistens filius (Dei) suo plasmati, reuelat omnibus Patrem, quibus vult, &c. Et propter hoc in omnibus & per omnia vnus Deus Pater, & vnum Verbum, & vnus filius, & vnus spiritus, & vna fides, & salus omnibus credentibus in eum.*

S. ATHANASIVS, oratione quòd vnus sit Christus, de fide in Christum loquens: *Oportet*, inquit, *in sublimi rationem istarum rerum petere, non humi ex sanguine & carne conquirere, sed ex reuelatione diuina & cælesti.*

S. CHRYSOSTOMVS homil. 8. in 2. ad Cor. differens de dignitate fidei Christianæ. *Dixit Deus*, inquit, *fiat lux & facta est lux. Tunc quidem dixit, Fiat, & factum est. Nunc autem non dixit, sed ipse nobis factus est lux.*

S. AMBROSIVS serm. 21. qui est de Epiphania, ideo dicit in Baptismo Christi Spiritum sanctum in columbæ specie apparuisse, & Patris vocem auditam, vt intelligeremus fidem nostram diuino testimonio niti. *Fides enim nostra*, inquit, *nisi auditu non constat & visu. Ideo se Spiritus in columba oculis subdit, Pater in voce se auribus subministrat. Nam nisi propter nostram credulitatem ista fieri oportuisset, potuit Pater & Spiritus tanquã inuisibilis Deus ad verbum filium inuisibili prolapsione descendere. Ideo propter nostram fidem aperto Cælo Spiritus ad Christũ, Pater ad filium, Vox descendit ad Verbum.*

S. HIERONYMVS in caput 1. ad Titum. *Propterea*, inquit, *non mendax Deus dicitur, & cùm iureiurando quædam in Prophetis pollicetur, vt nos securiores effecti & tota mente credentes ad consequenda ea, quæ ventura sunt, præparemur.*

Sanctus AVGVSTINVS in libro contra epistolam fundamenti cap. 14. *Eos*, inquit, *sequamur, qui nos inuitant prius credere, quæ nondum valemus intueri: vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur, non iam hominibus, sed ipsi Deo intrinsecus mentem nostram firmante atq; illuminante.* Similia sæpè scribunt & alij Patres.

TERTIO probatur eadem assertio ex ipsa ratione vocabuli fidei, prout illud in hac disputatione accipimus. Nam vt suprà tradidimus, fidem appellamus in proposito facultatem quandam seu habitum intellectus, quo infallibiliter assentimur iis, quę diuina authoritate sunt testata: atque ita fides diuina reuelatione tanquam fundamẽto & ratione sui obiecti nititur. Et certè quod ad rem quidem attinet, in hac nostra assertione conuenire oportet eos omnes, qui (quod necesse est) concedunt fidem niti diuina auctoritate. Nihil enim aliud nomine rationis formalis *sub qua* obiecti fidei intelligimus, quàm hoc fidei fundamentum. Quare si qui negent hanc assertionem, ij aliter vsurpẽt necesse est rationem formalem *sub qua* obiecti, neque id sanè rectè, vt infrà patebit. Sed quicquid sit de nomine, quædam tamen occurrũt difficultates, quod ad rem prædictæ assertionis attinet, quæ pro maiore huius assertionis intelligentia sunt explicãdæ. Sunt autem NOVEM eiusmodi difficultates.

Difficultatum quarundam explicatio circa primam Veritatem, vt est fidei Obiectum.

PRIMA est, Quomodo oporteat concipere primam veritatem, vt est diuina reuelatio infallibilis, vel Deus reuelans, cùm dicimus, eam ita acceptam, esse rationem sub qua obiecti fidei? RESPONDEO, cogitando nimirum conceptum diuinum infallibilem de aliqua veritate, prout manifestatur nobis per assueretionem scriptoris Canonici, aut alicuius alterius legitimi definitoris rerum fidei. Hinc enim scriptura diuina, & definitio fidei rectè Dei verbum, & quasi calamus appellatur, quia scilicet Deus, qui in se lingua & ore caret, quo nobis suum conceptum significet, assueratione Scriptoris Canonici, seu definitoris tanquam lingua aut calamo instrumentaliter vtitur, & nobis, quid ipse cognoscat, significat, atq; adeo veritates fidei testatas facit. Huc spectant illa: *Lingua mea* (inquit Dauid Psal. 44.) *sicut calamus scribæ, &c.* Et Zacharias apud Lucam cap. 1. *Sicut locutus est per os sanctorum.* Et Actor. 1. *Sicut prædixit Spiritus sanctus per os Dauid.* Et Apostolus 1. ad Hebræos. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus, &c.*

Sed hinc oritur in eadem assertione SECVNDA difficultas. Quæri enim potest, an hæc assueratio Scriptoris seu definitoris, per quem diuinus conceptus nobis indicatur, sit vnà cum ipso conceptu diuino ratio formalis obiecti Fidei, ita vt ex conceptu diuino & assueratione Scriptoris seu definitoris, ratio formalis adæquatè confletur; an verò ea assueratio solùm sit conditio sine qua diuinus conceptus non esset ratio formalis sub qua obiecti fidei.

RESPONDEO, dummodò de re constet; scilicet Fidei nostrę firmitatem niti diuina cognitione per eam assueretionem manifestata nobis, vtrouis modo loqui posset quispiam sine vllo absurdo. Et sanè cùm ratio formalis obiecti Fidei dicatur reuelatio, & testimonium siue testificatio diuina: & reuelatio hæc & testificatio sit manifestatio seu significatio veritatis à Deo cognitæ, ac veritas à Deo cognita nobis per assueerationem definitoris manifestetur: non malè quis loqueretur, qui ex vtroq; diceret rationem formalem obiecti fidei coalescere: Maximè cùm ipsa etiam assueratio ex assistentia Spiritus sancti sit infallibilis & apta, vt vnà cum diuino conceptu sit veluti fidei sustentaculum. Accedit, quòd Ecclesia fideliũ, atq; adeo ipsa fides dicitur tanquam fundamento niti assueratione siue confessione Apostolorum & Prophetarum. Sic enim legimus ad Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarũ*, id est, vt Commentarius Ambrosij interpretatur, supra nouum & vetus Testamentum ab Apostolis & Prophetis conscriptum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæterùm quoniã video, Doctores hanc quæ- A
stionem non attigisse, nil certi velim statuere: v-
trouis enim modo, vt diximus, intelligi res ipsa
potest. Illud tamen addam: si asseueratio Scri-
ptoris seu definitoris partim ponatur ratio for-
malis obiecti, consequenter dicendum esse, eam
non esse in definitore actum elicitum ab habitu
fidei, sed ad quoddam genus Prophetiæ potius
pertinere, quatenus scriptor vel definitor, Dei
afflatu veritatem infallibiliter testatur. Ratio i-
stius est, quia ratio formalis sub qua obiecti fidei,
eadem est respectu omnium actuum fidei infusæ:
siquidem ab ea ratione sumitur species eadem
omnium eiusmodi actuum. Itaq; priorem illam
esse oportet quocunque actu fidei, & etiam ipso
habitu secundùm totam latitudinem specificam B
actuum ipsius. Nam eadem est ratio sub qua ha-
bitus & actus; salua differentia per diuersum or-
dinem ad obiectum, actus primi & secundi.

Si dicas: non igitur Scriptor Canonicus seu
definitor veritates fidei ex fide credit. Respõdeo,
imo verò credit. Nam postquã primò asseuerat,
& fungitur officio illo instrumenti, deinde etiã
per fidem assentitur veritati à se manifestatæ.

Tertia difficultas est, cùm ad assensum fidei
non satis sit diuina reuelatio, sed præterea requi-
ratur concursus supernaturalis Dei, vt in mate-
ria de Gratia disputatur, & infra q. 6. videbimus
contra Pelagium; cur tantummodò diuina reue-
latio dicitur ratio formalis obiecti fidei, & non
etiam ille concursus? Potest enim quis ita argu- C
mentari:

Ratio formalis obiecti fidei est id, quo, vel
per quod, fides alicui assentitur, & quo nititur vt
fundamento: At hoc non solùm est diuina reue-
latio, sed etiam concursus Dei supernaturalis.
Ergo vtrumq; dicendum esset ratio formalis ob-
iecti fidei. Confirmatvr: Nam saltem respe-
ctu assensus eliciti ab habitu fidei, potest præter
diuinam reuelationem: ipse etiam habitus fidei
dici ratio formalis, in quam resoluitur fidei as-
sensus, siquidem assensus huiusmodi ipso etiam
habitu nititur.

Respondeo Primvm, quæstio hæc apud Ca-
tholicos, non tam de re, quàm de nomine aut de
modo loquendi, esse potest. Conuenit enim in-
ter eos de reipsa: scilicet ad fidem vtrumq; con-
currere, diuinam reuelationem & concursum
supernaturalem. Quo posito, disputare cur non
etiam concursus dicatur ratio formalis, est de
ratione modi loquendi disputare. D

Dico Secvndo, ideo Doctores communi-
ter concursum Dei non appellare rationem for-
malem obiecti fidei, quia, vbi possunt, meritò di-
stinguunt concursus eorum, quæ ad aliquem ef-
fectum conspirant. Itaq; in proposito rationem
formalem obiecti fidei tantùm dicunt id, ex quo
fides pendet, tanquam ex causa formali & exem-
plari. Hoc autem est propriè non ille concursus,
sed diuina reuelatio. Consistit enim dependen-
tia fidei à diuina reuelatione tãquam à causa for-
mali & exemplari in hoc, quòd fides naturâ sua
talis est, eumq; ordinem ad diuinam reuelatio-
nem habet, vt nulli propositioni assentiatur, quã
diuina reuelatio non ostenderit. Ex quo fit, vt si-
cut diuina reuelatio de aliqua propositione in-
fallibilis est, ita etiam oporteat fidem non nisi
infallibiliter propositioni alicui assentiri: atque
ita fides in infallibilitate & certitudine diuinam
reuelationem vt exemplar & formam sui imita-
tur. At hoc modo fides à supernaturali concursu
non pendet, quippe qui tantùm ad fidem effecti-
uè concurrit: neque cernitur in eo illa ratio ex-
emplaris, quam fides imitatur. Ob hanc igitur
causam ne Doctores confunderent huiusmodi
diuersitatem eorum, à quibus fides pendet, diui-
nam reuelationem nominant rationem forma-
lem obiecti fidei: non autem concursum illum
supernaturalem.

Quare ad argumentum obiectũ facilè respon-
deri potest per distinctionem Maioris. Nõ enim
omne id, à quo fidei assensus quocunque modo
pẽdet est ratio formalis obiecti fidei, sed id à quo
pendet tanquam à forma siue exemplari, ea ra-
tione, qua explicaui.

Ad id verò, quod in Confirmatione eius
argumenti de habitu fidei respectu assensus ob-
iiciebatur, licet Scotus in 3. d. 23. q. vnica, ita sen-
serit, scilicet assensum Fidei resolui in ipsum in-
ternum lumen assensus Fidei, tanquam in ratio-
nem formalem; nos tamẽ respondemus. Meritò
Doctores alios nõ censere habitum Fidei esse ra-
tionem formalem obiecti Fidei quoad assensum.
Nam cùm habitus & actus subordinati sint, in v-
num & idem vterque vltimò resoluitur tanquam
in Exemplar, quod vterque imitetur in infallibi-
litate. Ita ratio formalis obiecti fidei tum quoad
habitum, tum quoad assensum, prior esse debet
tum habitu, tum assensu fidei, ac proinde ea non
est ipse fidei habitus, sed diuina reuelatio, quæ &
assensu & habitu prior est.

Ex his faciliùs expedietur Qvarta difficul-
tas, quæ talis est: Diuinitas est id, in quod infalli-
bilis reuelatio seu prima veritas reuelans vltimò
resoluitur: Ergo fides non resoluitur vltimò in
diuinã reuelationem, vt in rationem formalem
obiecti, sed potius in diuinitatem vt sic. Assũ-
ptum probatur. Nam si quæratur, quare diuina
reuelatio sit infallibilis, cui omnino sit adhiben-
da fides; rectè respondebitur, quoniam est à Deo,
id est, ab eo, qui summè bonus ac sapiens est, &
ideo neque falli, neque fallere potest. Et confir-
matur. Nam prima veritas comparatur cum di-
uinitate sicut passio cum suo subiecto secundùm
rationem. Ergo tandem in diuinitatem vltimò
resoluitur.

Hac ratiocinatione adductus Aureolus apud
Capreolum in 3. d. 24. art. 2. in argumentis contra
4. concl. sentit, non primam veritatem, sed diui-
nitatem esse rationem formalem vltimam Fidei.

Ac Aureolo videtur Caietanus hic art. 1. assentiri A
propter idem argumentum: Qui tamẽ cùm po-
stea dicit non esse vlterius quærẽdum, quare cre-
dendũ sit primæ veritati, & sibi & Aureolo vide-
tur repugnare. Quo loco hanc quęstionem Caie-
tanus confusè & parùm constanter tractat; vt in
explicando, vel defendendo, vel impugnando nõ
libeat commorari. Satis enim fuerit, si rem intel-
ligamus.

Respondeo ergo ad argumentum Aureoli
negando consequẽtiam. Nam etsi verum est, pri-
mam veritatem à diuinitate secundùm nostrum
intelligendi modũ dependere, ac proinde aliquo
modo etiam fidem, quæ ea veritate nititur; tamẽ
non omne id, à quo fides, quomodocũq; depen-
det, est ratio formalis obiecti Fidei, in quã vltimò B
resoluatur fidei assensus, sed id tantùm, à quo de-
pendet, tanquam à primo exemplari, quod in in-
fallibilitate & certitudine attingendi obiectum
imitetur. Hoc autem (vt rem consideranti patet)
est prima veritas *in dicendo* atq; adeo diuina reue-
latio, siue Deus vt reuelans infallibiliter, non au-
tem Deus vt Deus. Nam diuina reuelatio est quæ
attingit infallibiliter obiectum ex formali sua ra-
tione, non aũt Deus vt sic. In diuinam igitur reue-
latiõnẽ vltimò resoluitur Fides, vt in causam for-
malem & exemplarem, non autẽ in Deitatem, li-
cet Deitas sit quasi fundamentũ in essendo ipsius
primæ veritatis, iuxta nostrũ modũ intelligẽdi.

Quare rectè illud quidem à Caietano dictũ est: C
*Fatuam esse quæstionem, si quis alterum interroget, cur
credat primæ veritati reuelanti.* Nam in primam ve-
ritatẽ vltimò fit resolutio assensus Fidei, atq; adeo
propter illam vltimò fides assentitur. Itaq; nõ est
quærenda vlterius ratio, quare fides assentiatur.
Sed solùm potest quæri vlterius, vnde habeat illa
prima veritas, vt sit prima veritas? Et tũc respon-
dendum est, id habere secũdùm nostrum intelli-
gendi modũ ex diuinitate, cuius attributũ & qua-
si passio est, & quæ neq; falli, neq; fallere potest.

Qvinta difficultas est. Cùm Deus reuelet ve-
ritatem, non solùm Apostolis, Prophetis, &c. sed
etam interdum priuatim aliquibus sanctis, quo-
modo diuina reuelatio ponitur ratio formalis
obiecti fidei? omnisne diuina reuelatio, etiã pri-
uata, est ratio formalis obiecti fidei, an aliqua tã- D
tùm? id est, diuina reuelatio latè sumpta, vel stri-
ctè secundùm aliquam conditionem? Respondet
Caietanus hic: Omnem omnino reuelationem
diuinam pertinere ad obiectum Fidei, licet Fides
ipsa (inquit) non se extendat ad illa omnia, quæ
reuelantur, sed solùm ad ea, quæ tanquam à Deo
reuelata proponit Ecclesia omnibus credẽda: &
hoc ideo, quoniam propositio Ecclesiæ est con-
ditio necessaria, vt Fides alicui assentiatur, sicut
postea dicemus.

Hæc responsio Caietani mihi nõ placet: Nam
aut expedit credi ab omnibus quæcũq; vllo mo-
do à Deo reuelantur, aut nõ expedit. Si primum;
De⁹ ita Ecclesiæ prouideret, vt omnia, quę à Deo
reuelantur, possent proponi, & proponerentur
credẽda fidelibus, ac proinde ad illa omnia fides
se extenderet. Si secundum; non est putandum
fidem ociosè respicere omnem reuelationem tã-
quam rationem formalem sui obiecti, nec tamen
ad omnia reuelata se extendere.

Est ergò alia verior & communior sententia,
eam reuelationem tantùm quæ ad communem
religionem & statum Ecclesiæ pertineat, esse ra-
tionem formalem obiecti fidei. Ita Magister in 3.
d. 23. ex mẽte D. Augustini in Enchirid. cap. 9. Ita
etiam D. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. ad secundum, &
Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 3. post 3. concl.

Sed tamen Dvbivm adhuc restat, quomodo
intelligendum sit, reuelationẽ aliquam pertine-
re ad communem religionem & statũ Ecclesiæ?
Quidam ita hoc intelligere videntur, vt illam re-
uelationem sentiant ad communem religionem
pertinere, qua innotescit aliquid, quod suapte
natura valet ad communem fidelium ædificatio-
nem & vtilitatem, vt valent mysteria Fidei. Citãt
in hanc sententiã illud Isaię 48. *Ego Dominus Deus
tuus docens te vtilia.* Et Apostolum ad Titum 1. vbi
Fidem appellat agnitionẽ veritatis *secundum pie-
tatem in spe vitæ æternæ.*

Cæterùm nisi aliud sit, reuelationem ad com-
munem vtilitatem & religionem pertinere, reue-
lationes etiam priuatæ, quæ sanctis fiunt, perti-
nebunt ad communẽ religionem, & consequen-
ter ad rationem formalem obiecti fidei. Nam &
Deus sæpè sanctis quædam ad communem statũ
Reipub. Christianæ pertinentia reuelat: &, si quæ
ad ipsorum personas peculiariter attinentia, eos
docet, ea cũ nonnisi vtiliter Deus illis patefaciat,
valere procul dubio possẽt saltẽ propter exem-
plum ad aliorum ædificationem, atque adeo ad
communem religionem, non minus fortè quàm
alia etiam minutissima, quæ de priuatis personis,
vt de Tobia, Iob, &c. in Scripturis narrantur, quæ
tamen constat ad obiectum Fidei pertinere.

Dicendvm igitur, reuelationem aliquam ad
communem religionem tunc pertinere in pro-
posito, quãdo non modò id, quod reuelatur, per
se potest ad communem vtilitatem conferre, sed
etiã reuelatur per Ecclesiæ Principes, vt per Pro-
phetas, Apostolos, vniuersales Pastores, per quos
quidem Deus sufficienter instruit Ecclesiã de his,
quæ expedit fideles credere. Decet enim vt ob-
iectũ eius Fidei, quæ fides communis est, & ideo
Catholica dicitur, fidelibus innotescat nonnisi
per eos, quos Deus esse voluit quasi vniuersalia
instrumẽta patefaciẽdę doctrinæ cęlestis, & quasi
cælos quosdam in hoc spirituali mũdo Ecclesiæ.

Ideo Apostolus ad Ephes. 2. Fideles ait *superæ-
dificatos supra fundamentum Apostolorum & Prophe-
tarum*, id est, supra reuelationes per eos factas in
nouo & veteri Testamẽto. Et eadem epist. cap. 4.
Quosdam, inquit, *dedit Apostolos, quosdam autẽ Pro-
phetas, alios Euangelistas, etc. in ædificationem corporis
Christi.* Si in Ecclesiæ ædificationem ministri hi à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christo dati sunt, vtiq; dati sunt etiam ad constituendum fundamentum huius ædificij, id est, ad stabiliendam fidem per diuinam reuelationem, qua Ecclesia nititur. Hinc etiam Dauid Psal. 86. loquens spiritualiter de hoc Ecclesiæ ædificio, *fundamenta* (inquit) *eius in montibus sanctis*, id est, in Principibus Ecclesiæ. Et infrà: *Dominus narrauit in Scripturis populorum, & Principum horum qui fuerunt in ea.* Nõ igitur reuelat Deus obiecta fidei in Scripturis priuatis, quæ reuelationes factas personis priuatis continent, sed in *Scripturis populorum*, id est, communibus & ab Ecclesiæ proceribus traditis. Huius etiam argumentum est, quod Ecclesia, ad quam spectat obiectum Fidei proponere, reuelationes eiusmodi priuatas nunquã proponit omnibus, tanquam fide credendas.

Ex quo intelligitur, eos qui in Scriptura reprehendũtur, quòd priuatis reuelationibus nõ crediderint, vt Sara Genes. 18. Zacharias Lucę 1. non propter infidelitatem propriè, vt est vitiũ contra fidem Catholicam, reprehendi, sed propter imprudẽtiam & duritiem cordis. Pertinet enim ad prudentiam infusam, & ad donum consilij, eiusmodi reuelationibus priuatis assensum præbere vel negare, consideratis circumstantiis, quæ docent, eas esse à Deo vel non: Et illæ personæ commoratæ, ex prudentia & dono consilij credere illis debuissent.

Sexta difficultas. Diuina reuelatio nihil ponit in veritate fidei reuelata: Ergo non est ratio formalis obiecti fidei. Antecedens probatur. Nã esse reuelatũ est denominatio extrinseca rei, denotans tantũmodò quendã respectũ rationis ad reuelantem. Ita argumentatur Scotus vbi suprà.

Respondeo. Explicatio huius difficultatis facilis est ex iis, quæ diximus tomo 1. disput. 1. q. 1. p. 3. cùm ageremus de Vnitate Theologiæ. Itaq; neganda est Primo Consequẽtia. Nam illic ostendimus, per accidens esse, quòd ratio formalis *sub qua* obiecti, sit coniũcta cum ipso obiecto aut non; per se autẽ tantum esse, vt assensus nitatur illa ratione formali. Itaq; ratio formalis *sub qua* obiecti fidei nõ est respectus ille rationis, secundùm quem veritates, etiã à diuina reuelatione seiunctæ & separatę, denominantur reuelatę, sed est ipsa diuina reuelatio, quatenus ea nititur assensus fidei, quantumuis seiuncta à veritatibus reuelatis. Secvndo, quod attinet quidem ad illa, quæ reuelantur de Deo ad intra, negandum est antecedens propositi argumẽti. Nam diuina reuelatio, vt est diuinus conceptus, intima est diuinæ veritati ad intra reuelatæ. Hanc secundam solutionem dedit Caietanus hîc in solutione secũdi dubij, sed prima est vniuersalior & melior, quam Caietanus non attigit.

Septima difficultas. Diuina reuelatio est ratio formalis sub qua obiecti Theologiæ: Ergo nõ fidei. Respondeo, hoc etiã tomo 1. loco citato explicatũ est. Nam ibi docuimus, alia ratione diuinã reuelationem esse formalem rationem fidei, & alia Theologiæ: Fidei *immediatè* mouendo intellectũ ad assensum: Theologiæ *mediante* discursu. Ita etiam Canus declarauit discrimen Fidei & Theologiæ lib. 12. de locis Theologicis c. 3.

Octava difficultas. Si diuina reuelatio est ratio sub qua obiecti fidei, oportet in assensu Fidei procedere in infinitũ. Patet, cùm fides assentitur huic propositioni: Deus reuelauit se esse trinũ & vnum. Aut enim ista propositio est etiam reuelata aut non: si non; non poterimus ei assentiri per Fidem: quoniã deest ratio *sub qua* assensus. Si verò est reuelata; vel per se ipsam, vel per aliã propositionem. Si per aliã, quęro rursus de illa, & sic in infinitũ. Quòd verò per se sit reuelata, videtur fieri non posse. Nam id quod per aliquã propositionem est reuelatũ, vtiq; obiectũ est talis propositionis, sed eadem propositio non potest esse obiectũ suiipsius, quia obiectum est id, ad quod propositio siue conceptus habet ordinem: ordo autem est inter distincta: fieri ergo non potest, vt eadem propositio sit per seipsam reuelata. Nam tunc idem conceptus & eadem propositio erit obiectum suiipsius, quod videtur inintelligibile.

Attigit etiã hoc argumentũ Scotus vbi suprà. Cui Primo possumus respondere, non esse opus, vt in vniuersum omne obiectum, cui fides assentitur, sit reuelatũ: sed satis esse, vt sit vel reuelatũ, vel ipsa reuelatio: Sicut non est necesse, vt omne obiectum, in quod potentia visiua fertur, sit lucidum, sed satis est, vt sit lucidũ, vel ipsa lux, quam etiam videmus. Ac suaderi etiã potest hoc ex ipsa natura rationis *sub qua*, siue fundamẽti assensus: Habet enim illa vt sit veluti quædã regula potentiæ vel habitus: regulam autẽ non oportet attingere vt regulatũ aliquid, sed vt regulam. Sic ergo in proposito rectè potest intelligi, naturam fidei esse talem, vt ex se habeat ordinem, & ad ea quæ sunt extrinsecè reuelata, & ad ipsam etiã reuelationem: sic, vt non solùm in reuelata possit ferri tanquam in obiectũ; sed etiam in ipsam reuelationem, qua similiter fulciatur ac sustententur; æproinde vt ipsa reulatio non modò sit obiectum *Quod*, sed etiã exerceat munꝰ obiecti *Quo*, siue rationis formalis sub qua obiecti respectu suiipsi.

Confirmatur hoc: Nam diuina reuelatio ex eo dicitur ratio formalis *sub qua* obiecti Fidei, quòd fidei assensus erga aliquod obiectũ, imitatur diuinam reuelationẽ in infallibilitate ac certitudine. Sed sicut Fides potest imitari infallibilitatem reuelationis, quando præbet assensum alicui obiecto reuelato: Ita etiã quando præbet assensum ipsimet reuelationi: Ergo sicut reuelatio potest exercere munꝰ obiecti *Quo*, siue rationis *sub qua*, quãdo per fidem creditur aliquod aliud obiectũ reuelatum: ita etiã poterit, quãdo creditur ipsamet reuelatio: atq; ita, vt dictũ est, reuelatio similiter erit obiectũ *Quod* & *Quo* respectu suiipsius.

Quanquã obseruãdum est hîc quoddã discrimen: nam quando reuelatio est ratio sub qua, respectu alterius obiecti; fides imitatur eam in infallibi-

fallibilitate nõ modò absolutè, sed etiã respectu talis obiecti, quod idem terminat & reuelationẽ & assensum fidei. Vt quãdo assentimur huic propositioni: Deus est trinus & vnus. At quando reuelatio est ratio sub qua respectu assẽsus fidei de ipsa etiã reuelatione, fides imitatur infallibilitatem reuelationis non respectu eiusdẽ obiecti, sed absolutè, quatenus scilicet sicut reuelatio est infallibilis, ita etiã assensus de reuelatione infallibilis quoq; est. Id quod sufficit ad hoc, vt reuelatio dicatur ratio formalis respectu assensus fidei de ipsa: & propterea hoc discrimen non obstat datæ solutioni. Est autẽ prædicta solutio ex mente Caietani hîc dub. 4. & Capreoli in 3. d. 24. q. 2. in responsione ad argumenta contra quartam conclusionem. Et Cani lib. 2. de locis Theol. c. 8. & est omnino probabilis.

Possumus Secvndo ad argumentũ respondere, concedendo quòd fides prębeat assensum reuelationi vt reuelatę, non per aliã reuelationem, sed per seipsam. Hoc aũt ita explicandũ est: Deus eodem conceptu, quo aliquid cognoscit, etiam cognoscit se & omnia, quæcunque cognoscit. In his omnibus vnum est, ille etiam ipse conceptus Dei, qui proinde est etiam obiectũ suiipsius, non per ordinem, quem habeat ad se, tãquam ad obiectum distinctum, sed per summam identitatem coniunctam cum infinitate, quæ abundè supplet ordinem, quẽ solet habere conceptus ad obiectũ distinctum. Sic igitur intelligi rectè potest Deus eodẽ conceptu, quo aliquid cognoscit & reuelat per assẽuerationẽ Scriptoris, cognoscere quoq; & reuelare nobis ipsum suũ cõceptum, atq; adeo reuelationem de aliquo, saltẽ quoad illud, ꝙ est præcipuũ in reuelatione, scilicet quoad cõceptũ diuinũ. Nam ipsa assẽueratio Scriptoris nõ assẽuerat seipsam; neq; hoc est necesse: satis enim est, vt hoc ipso, quod Scriptor assẽuerat id, ꝙ cognoscit Deus, tacitè etiam assẽueret cõceptum diuinũ, atq; adeo reuelationẽ, vt includit cõceptum Dei. Hoc igitur modo dici potest, Fidem assentiri reuelationi, vt reuelatæ per seipsam. Vtraq; solutio est bona, & per vtramque satis vitatur processus infinitus in reuelationibus.

Nona difficultas. Si prima veritas seu diuina reuelatio infallibilis, esset ratio *sub qua* obiecti fidei, propter quã sit credendum; fides nõ haberet suam quandã peculiarem laudẽ & dignitatẽ virtutis. At prorsus habet; cùm omnino sit virtus, vt q. 4. videbimus. Ergo non est prima veritas ratio formalis *sub qua* obiecti fidei. Probatur Maior. Nam etiã homini sine vlla virtutis laude crederemus, si infallibiliter diceret verũ. Hæc in summa est ratiocinatio Guilhelmi Parisiẽsis loco suprà citato, propter quam contendit, fidem non ideo propriè credere, quia Deus infallibiliter verax est, sed quia is iubet sibi credi.

Verùm facilis Responsio est. Negãda est enim Maior, ꝙ positio huius ratiocinationis. Nam hoc ipsum, ꝙ firmiter credimus aliquid tanquam infallibiliter dictũ à Deo, habet magnam laudẽ virtutis, cùm id non sit euidens; iuxta illud Christi. Ioan. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Ad ꝙbationem aũt illius Maioris, quam sæpe inculcat Parisiensis, respondeo, similiter fore non exigę virtutis credere homini dicenti infallibiliter verum, si non sit euidens ꝙ id infallibiliter dicat, & suppetãt motiua ac rationes, ob quas prudenter id credi possit, sicut suppetunt ad credendum esse vera, & à Deo infallibiliter testata & reuelata ea, quæ docet fides. Et hactenus satis confirmatam & explicatã esse arbitror nostram secundam assertionem.

Requiri quoq; Propositionem Ecclesiæ ad credendum.

Tertia assertio. *Secundùm legem Dei ordinariã, vt quis per habitũ fidei Christianæ alicui veritati reuelatæ assentiatur, præter ipsam reuelationem, necesse est eiusmodi veritatem ab Ecclesia proponi, tanquã à Deo reuelatam & fide credendam: nõ quia hæc Ecclesiæ propositio sit de ratione formali obiecti fidei, sed quia est cõditio quædã requisita, sine qua ordinariè assensus Fidei Christianæ non elicitur.* Hęc assertio declaranda est, antequam probetur.

Oportet enim inprimis explicare, quid in hac assertione intelligamus nomine *Ecclesiæ*, & nomine etiã *propositionis* veritatũ fidei, quã dicimus debere fieri ab Ecclesia, vt veritates fidei credantur. Hoc aũt vt declaremus, quędã ponenda sunt hîc, vt certa, quæ infrà puncto 7. sunt probanda; videlicet Ecclesiã esse cætum omnium Fidelium. Hos non omnes auctoritate esse pares, sed esse in Ecclesia peculiarẽ potestatem siue auctoritatem diuinitus institutã, qua fideles tum doctrina tum præceptis informentur. Hanc auctoritatẽ plenè in Romano Pontifice Christi Vicario & S. Petri Successore residere, qui scilicet de Fidei & morũ controuersiis ad Vniuersalem Ecclesiã pertinentibus, vel per se, vel vnà cũ generali Concilio sufficienter constituat. Et denique eius auctoritatis vsum adeo Spiritui sancto curæ esse, vt in iis, quæ ad fidem & mores fidelium constituendos pertinent, nullus error contingat.

Iam igitur cùm dicimus propositionẽ Ecclesiæ esse cõditionem necessariam ad assensum Fidei, nomine *Ecclesiæ* intelligimꝰ eius caput, id est, Romanum Pontificem per se, vel vnà cum Concilio, ex prędicta auctoritate propositiones Fidei fidelibus declarãtem. Quamuis enim Romanus Pontifex per se aut cum Concilio nõ sit tota Ecclesia, vt Ecclesia dicitur congregatio omnium fidelium, nihilominus Ecclesia totum quoddam seu corpus mysticum est, & toti rectè attribuitur munus propriè pertinẽs ad aliqua eius membra, & præsertim ad caput; idcirco rectè quoque hæc propositio pertinens ad Romanum Pontificem per se, aut vnà cum Concilio de Fide statuentem, dicitur propositio *Ecclesiæ* à Doctoribus. Cùm igitur explicatum sit quid nomine Ecclesiæ in Conclusione intelligamus, quid etiam nomi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne *propositionis* rerum credendarum intelligendū sit, accuratius est explicandum.

Hìc verò distinguendum est inprimis diligenter inter *assseuerationem* Pontificis, per quam Deus mediante Pontifice per se, aut vnà cum Concilio, aliquam veritatem ante non satis exploratam & certā, nobis patefacit, & inter *propositionem*, qua dicimus veritatē à Deo reuelatam oportere nobis proponi à Pontifice per se vel vnà cùm Concilio, vt à Deo reuelatam & ideo credendam.

Asseueratio enim illa fertur directè ac per se non in ipsam Dei reuelationē, tanquam in obiectū, sed immediatè in ipsam veritatē, quam Deus vult expresè manifestare. Vnde sicut asseueratio Scriptoris Canonici per se, non habet ipsam reuelationem pro obiecto, sed potius veritatem à Deo infallibiliter cognitam, & idcirco est quasi pars vel conditio reuelationis diuinæ; ita etiam asseueratio Pontificis per se, aut cum Cōcilio, aliquam veritatem Fidei de nouo exprimentis, non habet ꝓpriè reuelationē pro obiecto Fidei, sed ipsam veritatem, ac proinde est quasi pars seu conditio ipsius testificationis diuinæ, de veritate quam vult expresius in Ecclesia manifestari.

Propositio aūt veritatum fidei facta à Pontifice per se aut vnà cū Concilio, ꝓpriè & directè fertur nō in ipsam veritatē, sed potius in reuelationem diuinam de veritate. Est enim nihil aliud, quàm iudicium Pontificis, quo iudicat, aliquam veritatem esse à Deo reuelatam. Vnde *propositio* rerū Fidei, sicut supponit asseuerationem Scriptoris Canonici, ita etiam supponit aliquando asseuerationem factā per ipsum Pontificem per se, aut cum Concilio: est enim iudicium de tota reuelatione alicuius veritatis, vt est reuelatio completè, scilicet, vt est conceptus diuinus asseuerationē instrumenti legitimi manifestatus.

Hanc Differentiam *assseuerationis & propositionis* cernere licet in Conciliis, in quibus quidem non modò simpliciter tradi solet doctrina ex fide credenda, sed etiā contrarij errores damnantur, vt cum diuina reuelatione pugnantes: quo ipso expresiori quodam modo proponitur doctrina reuelata atq; adeo obiectum fidei. Asseueratione verò doctrinæ fidei, quæ præcedit, asseritur ipsa fidei veritas. Quanquam fateor hoc discrimē non ita clarè in omnibus Fidei definitionibus apparere: Illud dico, siue re, siue ratione hæc duo distinguenda esse, cum Ecclesia aliquid de fide statuit, videlicet asseuerationem veritatis, & propositionem reuelationis.

Quare cùm dicitur, Ecclesiā habere potestatem definiendi res fidei, illud verbum *(Definire)* latè patet, & distinguēdum est: potest enim significare aut asseuerationē veritatis Fidei, aut propositionem reuelationis. Primo modo locuti sumus de definitione Fidei per Ecclesiam, aut Scriptorem Canonicum in conclusione secūda præcedēti, vbi diximus probabile esse, definitionem partim pertinere ad rationem formalem obiecti Fidei: Hìc verò iam non loquimur nisi de *propositione*, & dicimus tantùm illam esse conditionem *sine qua non*, Fidei assensus.

Quod ideo asserimus, quia cùm ea propositio sit iudicium siue assensus de reuelatione veritatis fidei, est actus elicitus à fide in ipso Pontifice: ac proinde nō potest censeri vel ex toto vel ex parte ratio formalis *sub qua* obiecti fidei. Nam vt dictum est in conclusione præcedēti, ratio formalis sub qua obiecti fidei, præcedit omnes fidei actus. Quare restat, vt ea propositio Ecclesiæ, si ad assensum fidei requiritur (vti asserimus & probabimus) solùm requiratur tanquam conditio necessaria, vt fideles credant. De *asseueratione* verò ipsarum fidei veritatum, quæ fit per Ecclesiā; eadē probabilitate, qua suprà diximus, pertinere ad rationem formalem sub qua obiecti fidei, diximus etiam illam non esse actum elicitū à fide.

Vtrū verò huiusmodi asseueratio Ecclesiæ sit noua reuelatio diuina, quam Deus fidelibus faciat, vel non sit (de quo aliqui Doctores disputant) infrà puncto 6. videbimus. Nunc satis sit annotasse, eiusmodi *asseuerationē* à *propositione* esse distinguendam. Qua distinctione animaduersa, multæ quæstiones in hac materia cōmodius explicari poterunt: ac ex eadem iam facilè perspicitur, quæ sit vis & sentētia nostræ assertionis tertiæ, in qua ponimus *propositionē* Ecclesię esse conditionem necessariò requisitā, vt quis credat veritates fidei à Deo reuelatas.

Sed est præterea Animadvertendvm, in hac nostra assertione aliquid nos ponere, ꝙ est extra controuersiam nō modò apud orthodoxos, sed etiam apud omnes hæreticos: & aliquid simul in eadē assertione subindicare & subintelligere, ꝙ negatur ab hæreticis, & ꝙ non hic, sed infra puncto 7. vt dixi, est ꝓbandū. Quod enim directò & expresè in hac assertione ponimus, nēpe ab Ecclesia debere aliquo tandem modo *proponi* veritates fidei, vt credantur, omnes nō solùm Catholici, sed etiā hæretici profitētur. Agnoscūt enim, fidem debere esse ex auditu per ministerium aliquod doctrinæ in Ecclesia, quam idcirco singuli quoque Sectarij penes se solos esse iactant. Quod aūt in eadem assertione subintelligimus, nēpe in vno vniuersali pastore Christi Vicario & D. Petri Successore, Romano Pōtifice, residere illam Ecclesiæ auctoritatem, per quā veritates fidei reuelatæ debeant proponi; & infallibiliter quidē per eam Ecclesiæ auctoritatem à Pontifice, vel per se vel vnà cū Concilio proponi eiusmodi veritates: id verò est quod & pertinaciter negatur ab omnibus Sectariis, & orthodoxè asseritur ab omnibus Doctoribus Catholicis, & nominatim hìc à D. Thoma art. 10. & Caietano ibidem & Ioanne Driedone lib. 2. de via inuestigandi verū sensum Scripturæ cap. 3. & à Melchiore Cano lib. 2. de locis Theologicis c. 7. & 8. & passim ab aliis Theologis. Quod & nos etiā ostendemus infrà puncto 7. copiosè, vbi præter diuinam reuelationem veritatum

ritatum fidei, constituemus aliam quandam auctoritatē infallibilem, cuius sit in omni quæstione diiudicare & proponere fidelibus veritates fidei credendas, tanquam diuinitus reuelatas.

Hoc verò loco satis fuerit id breuiter cōfirmare, ꝙ directò in assertione illa tertia ponimus, & quod, vt diximus, est extra cōtrouersiam, nempe debere aliquo tādem modo ab Ecclesia proponi veritates fidei reuelatas, eamq; propositionē esse conditionem necessariam, vt tales veritates credantur per fidem legitimam & christianam.

Id autē probatur Primo ex variis testimoniis Scripturæ, quæ possunt reuocari ad tres classes. Nam Primo, ex quibusdā Scripturę locis cōstat, fidē esse discendā ab Ecclesiæ pastoribus, qui per se vel alios à se instructos vel missos doceant. Vt Hierem. 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Et Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiā, & legē requirēt ex ore eius.* Et ad Eph. 4. *Alios dedit pastores & doctores ad cōsummationē sanctorū in opus ministerij in ædificationē corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatē fidei, & agnitionē filij Dei, etc.* Et ad Hebr. 13. *Mementote præpositorū vestrorū, qui vobis loquuti sunt verbū Dei.*

Secvndo, ex Apostolo adhuc expresius constat, nō posse fidē suscipi, nisi per ministerium eorum, qui ab Ecclesia ad docēdum destinati sunt, atq; adeo ex sententia Ecclesię doceāt: vel immediatè vel certè mediatè per alios, quos ipsi erudiuerint. Ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittātur?* Et infrà: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbū Christi.*

Tertio, ex aliis quibusdā Scripturæ locis apparet, etiam tempore Apostolorū fuisse in more positū apud fideles, vt si quod esset aut esse posset dubiū de auctoritate alicuius doctrinæ in materia fidei, vera & legitima approbaretur ab Ecclesia & ꝓponeretur fidelibus, vt sine hæsitatione ab iis credi posset. Cū enim Antiochiæ dubitaretur, vtrū doctrina Pauli & Barnabę de Circumcisione Legali, ex Deo esset, missi sunt in Hierusalē ad Petrum & alios Apostolos, vt ea de re conferrent, Actor. 15. Ac ipse etiam Apostolus Paulus, licet, vt idem ait ad Gal. 1. *Euangelium non ab homine, sed per reuelationem Iesv Christi accepisset*, ascendit tamen in Hierusalem, vt illud cū Petro & aliis fidelibus conferret, ad Gal. 2. Quo ipso, vt D. Hieronymvs ait Epist. ad Avgvstinvm, quæ inter Augustini epistolas est vndecima, satis ostendit, se non habuisse securitatē Euangelium prædicandi Gentibus, nisi cum Petro & aliis de eo cōtulisset. Ac D. Avgvstinvs lib. 28. contra Faustum c. 4. apertè negat, Ecclesiam fuisse Euangelio Pauli creditura, nisi ab Apostolis prius fuisset approbatum, sicut etiā Tertul. lib. 4. aduersus Marcionē paulò post initiū. Item D. Petrus tanquā ex officio, Euāgelium S. Marci ꝓbauit, vt videre est apud D. Hieronymum in lib. de Viris illustribus, in Marco.

Secvndo probatur eadē assertio ex Patribus.

S. Irenævs lib. 3. cap. 4. *Non oportet quærere apud alios veritatē, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, vt omnis, quicūq; velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere & apprehendere veritatis traditionem.*

Tertvllianvs in lib. de præscription. *Quid*, inquit, *Apostoli prædicauerint, id est, quid eis Christus reuelauerit, & hoc præscribā, non aliter probari debere, quàm per Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt; à quibus* (vt ait paulò suprà) *traducem fidei, & semina doctrinæ cateræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur vt Ecclesiæ fiant.*

S. Cyprianvs in lib. de vnitate Ecclesiæ. *A fonte*, inquit, *præcide riuū, præcisus arescet. Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totū radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbiq; diffunditur.* Et suprà: *Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit?*

S. Cyrillvs Hierosolymitan. catechesi 5. *Fidem*, inquit, *si didiceris, promissionem possidebis. Et obserua illam à Sola Ecclesia traditam & ex omni Scriptura munitam.*

S. Ambrosivs lib. 6. in Lucaā, circa illud Luc. 9. *Quicunq; non receperit vos, &c. Quæ*, inquit, *dignior domus Apostolicæ prædicationis ingressu, quàm sancta Ecclesia?* Et paulò post: *Fides igitur inprimis Ecclesiæ quærenda mandatur.*

S. Avgvstinvs lib. contra epist. fundamenti cap. 5. *Euangelio*, inquit, *non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Et serm. 181. de tempore. *Quia ex sola*, inquit, *Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur, &c.* Similia alij passim.

Tertio ꝓbatur eadem assertio ratione, quæ ex adductis testimoniis Scripturæ facilè colligitur. Nā secundùm legē Dei ordinariam, non creditur aliquid sine eo medio, quod vt fidei doctrina propagaretur, Christus instituit. Sed id mediū est ministeriū docendi ex Ecclesiæ sententia, atq; adeo *propositio* veritatum fidei ex auctoritate atq; sententia Ecclesiæ facta. Ergo sine hac veritatum fidei *propositione* non creditur aliquid secundùm legem Dei ordinariā. Minor patet ex testimoniis ad Rom. 10. & ad Ephes. 4. anteà citatis. Itēq; ex illis Christi verbis Matthæi vlt. *Euntes docete omnes gentes, &c.* & Marci vlt. *Euntes prædicate Euangeliū omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c.* Vnde apparet, medium ad suscipiendam fidem esse prædicationem & doctrinam ab Ecclesiæ ministris ex sententia Ecclesiæ factam.

Porrò nō est necesse, vt hæc Ecclesiæ *propositio*, quatenus ex Ecclesiæ sententia fit, & vt est (sicut puncto 7. videbimus) infallibilis, explicitè cognoscatur ab omni eo, qui credit, sed satis est, vt cognoscatur saltem implicitè & in confuso, sicut cognoscitur à rudioribus, & ab iis, qui nō imme-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diatè ipsi erudiuntur de fide ab Ecclesiæ pastoribus seu ministris, sed credunt commoti auctoritate & testificatione suorũ maiorum, aut aliorũ fidelium, qui immediatè vel mediatè ab Ecclesiæ pastorib⁹ seu ministris instructi sunt. Variis enim modis posśũt homines induci ad fidẽ, vt patebit ex iis, quæ paulò post, atq; etiam infrà puncto 7. disseremus. Vbi mouebimus quoq; & soluemus nonnullas difficultates circa infallibilitatẽ huius propositionis Ecclesiæ ad credendũ necessariæ.

Et hactenus quidem tribus præcedentibus assertionibus declarauim⁹, quæ necessaria sunt ad fidem secundùm eũ processum, quo de causis vel requisitis ad fidem *secundum se*, inquiri potest; nũc circa processum alterum, quo initio dicebamus, quæri etiam posse, quare homines *acceptẽt* ipsam fidem, alias tres assertiones ponam.

Aliqua etiam Motiua requiri ad credendum.

Sit ergô QVARTA in ordine assertio. *Vt aliquis acceptet fidem, præter reuelationem & ꝓpositionem Ecclesiæ infallibilem, motiuis aliis opus est.* Hãc assertionem, per summã ignorãtiam negauit nuper quidam Sectarius in Responso suo ad nostrum quẽdam librum, quem inscripsimus *Fidei Analysin*.

Sed probatur hæc assertio PRIMO ex Scriptura & eorum exemplis, qui vnquã animum ad fidem applicuerint. Huc enim illud spectat. Marci vlt. *Prædicauerunt vbiq; Domino cooperãte, & sermonẽ confirmante, sequẽtibus signis, etc.* Sic Actor. 13. Sergius Proconsul *videns factum credidit, admiràs super doctrina Domini*. Et Lucæ 23. *Centurio videns ꝙ factum fuerat, glorificauit Deũ, etc.* Et Ioan. 4. *Ex ciuitate autẽ illa multi crediderunt in eum ꝓpter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, etc.* Et ibidem: *Cognouit ergo Pater, quia illa hora erat, qua dixerat ei IESVS, filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota.* Hinc etiam Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo credent sine prædicante?* hoc est sine exponẽte rationem fidei, adhibitis causis ad persuadendum, vti fecerunt Philippus & Petrus, Actor. 8. & 10. Qui quidem nõ simpliciter Eunucho & Cornelio fidem proposuerunt, sed argumentis & testimoniis ad eam persuadendam vsi sunt. Hinc etiam illud Christi Domini. Ioan. 15. *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent, etc.* Ex quo apparet, motiuis opus esse ad acceptandam fidem: siquidem illis deficientibus respuere illam, peccatum non est.

SECVNDO probatur luculento testimonio sancti AVGVSTINI lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Præcipitur*, inquit, *vt credamus, vt dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari posimus. Sed quis potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerũ testificatione tangatur?* Et lib. de Spiritu & litera, ca. 34. *Neq; enim*, inquit, *anima rationalis credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit vocatio vel suasio, cui credat.* Pertinent autẽ ad diuinam vocationem motiua & argumenta, quibus homo inducitur, vt per fidem se ad Deũ conuertat: sicut intelligi potest ex iis, quæ de vi & ratione diuinæ vocationis fusè disseruimus tomo 2. disput. vlt. q. 3. p. 2.

TERTIO probatur ratione. Nam vt rectè argumentatur Durandus in 3. d. 25. q. 3. quòd Fides ipsa infusa vel reuelatio diuina per se nõ sufficiat ad credẽdum, nisi quis prius motiuis inducatur, atque adeo fide acquisita veritates fidei sibi persuadeat, Iudæorum perfidia satis declarat. Qui tametsi ante aduentũ Christi fidem infusam habuissent, & plures assensus per eam elicuissent, nihilominus illis ea fides satis non fuit, vt Christi doctrinam reciperẽt: & siqui illorum eam receperunt, aliis motiuis & signis ad id inducti sunt. Ex quo apparet, huiusmodi motiua moraliter necessaria esse.

QVARTO probatur. Nam reuelatio diuina & *propositio* infallibilis Ecclesiæ, nõ minus obscura nobis est, quàm quilibet alius articulus fidei credẽdus: Ergo vt doctrinę fidei assensum prębeamus, motiuis aliis præterea opus est, quibus inducamur ad credendum, non solùm propositiones fidei esse veras, sed etiam esse illas à Deo reuelatas & infallibiter propositas ab Ecclesia. Attigit hoc Canus lib. 2. de Locis c. 7. cùm dixit, siquis interrogetur, quare credat, Deum esse trinum & vnũ, aut id esse à Deo reuelatũ, incommodè eum responsurũ, quia Ecclesia infallibiliter proponit. Vnum enim ex credendis est hoc ipsum.

NOTANDVM est autẽ, assertionem nostrã intelligi de necessitate motiuorũ, non solùm ad amplectendam fidem de nouo, sed etiam ad retinẽdam. Vnde AVGVSTINVS libro cõtra Epist. fundamenti cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia consensus omnium populorũ, tenet me veritas miraculorũ.* Quare puero baptizato nõ est satis habitus in baptismo ei infusus, sed motiuis aliis indiget, vt credat & retineat fidem, quãdo ratione est vsurus, sicut Durandus vbi suprà rectè docet.

Alios aliis Motiuis induci ad credendum.

QVINTA assertio. *Non eodem omnes motiuo inducuntur ad credendum, ac proinde processum illum, quo quæritur, quare quis acceptauerit fidem, non omnes necesse est resoluant vltimo in idem obiectum.* Hæc conclusio patet PRIMO experientia & exemplis ex Scriptura depromptis, quibus confirmauimus præcedentem conclusionem. Alium namq; mouet miraculorum historia; aliũ consensus doctorum hominum aut præterito aut præsenti tempore viuentium: alium consonantia fidei nostræ cum lumine naturali rationis, ex qua fit, vt argumenta contra nostrã fidẽ euidenter dissolui possint: deniq; aliũ plura, aliũ pauciora motiua impellunt, vt quisq; valet ingenio, aut cõsecutus est bonũ Doctorẽ, vt infrà p. 4. clarius patebit, cũ quãdo varia nostræ fidei motiua numerauerimus.

SECVNDO probatur eadem assertio testimonio sancti AVGVSTINI lib. 1. ad Simplicianum q. 2. vbi eleganti oratione & variis exemplis declarat, non modò variis modis alios atque alios homines ad fidem moueri, sed etiam quandoq; accidere,

accidere, vt quod vnum mouet, alium minimè moueat, aut etiam deterreat potius à fide. Sic ergo scribit AVGVSTINVS in illa q. 2. circa mediũ: *Videmus alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moueri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum nostrum IESVM Christum adhuc infantem paruulum credidit, spiritu ei reuelante cognoscens. Nathanael ad vnam sententiam, quam ab illo audiuit, Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub arbore fici, vidit te, respondit, Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israël. Quod tanto post quia confessus est Petrus, meruit audire, quòd beatus esset, & quòd ei darẽtur claues regni cælorũ. Miraculo facto in Chana Galilææ, quod initium signorum IESV Ioannes Euangelista commemorat, aqua in vinum conuersa, crediderunt in eum discipuli eius. Multos loquẽdo inuitauit ad fidem. Multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De cruce atq; morte eius cõterriti etiam discipuli titubarũt: & tamen latro tunc credidit, cùm eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem. Vnus etiam de numero discipulorum post eius resurrectionem non tam viuentibus membris, quàm recentibus cicatricibus credidit. Multi ex eorum numero, à quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contempserant, discipulis eius prædicãtibus, & in nomine eius talia facientibus, crediderunt.* Ac tunc concludit hinc Augustinus, etiam eos, qui non credunt, & conuertuntur ad Deum, potuisse à Deo ad fidem & conuersionem quibusdã modis inuitari, quibus fuissent persuasi, vt Esau & alij: *Cùm*, inquit, *alius sic, alius autem sic moueatur ad fidẽ, eademq; res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta nõ moueat; aliumq; moueat, alium non moueat; quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatẽq; coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Itaq; non dubium est, quin alij aliis motiuis soleant commoueri ad fidem, vt in nostra quinta assertione posuimus.

Ex qua assertione TRIA quædam sequuntur, quę sunt annotanda. PRIMO enim hinc apparet, posse contingere, vt processum illum, quo quis rogetur, quare fidẽ *acceptauerit* (de quo processu nunc agimus) resoluat quis vltimo in motiuum euidens. Vt si ita aliquis ratiocinetur. Id in quo doctissimi huius temporis cõsentiunt, verum ac fide dignũ est: sed quod fides docet est huiusmodi: Ergo est verum & fide dignũ. Vbi patet, motiuum ad recipiendã fidem esse Antecedens euidẽs pro Maiore præmissa: quanquã ob ineuidentiam Minoris fit, vt conclusio non sit euidens. Sæpius autem accidit, vt motiuum primum sit ineuidẽs: vt ex historia Miraculorum, Martyrum, &c.

SECVNDO ex eadem varietate motiuorum patet, non esse mirũ, si idem homo vno tempore, hoc: altero, illo motiuo inducatur ad fidem. Ita enim Samaritani primò ob verbũ Mulieris, Ioan. 4. inducti erant: postea dixerũt ad illam: *Iam non propter tuã loquelã credimus, ipsi enim audiuimus, etc.*

TERTIO potest ex dictis intelligi, non esse absurdum, quòd quis fide acquisita ex motiuis ad credendum inducatur, quamuis fides huiusmodi sit ex suo genere incerta ac fallibilis. Ratio est: Nam huiusmodi cognitio fidei acquisitæ non est fundamentum fidei Christianæ *secundum se*, sed ratio duntaxat, ob quam *amplectimur* fidem: nullum autem absurdũ est, vt homo ratione & fundamento alioqui fallibili prudẽter inducatur ad aliquid faciendum, atq; adeo ad fidem amplectendam secundùm se infallibilem. Is enim est consuetus modus actionum humanarum.

Sed QVÆRET aliquis, Vtrum perceptis motiuis, opus sit assensum fidei *acquisitæ*, veritatibus fidei actu præbere, priusquã eisdem assensum fidei *infusæ supernaturalis* præbeat? RESPONDEO, cõmuniter quidẽ ita existimo accidere, id quod doctores aliqui, quos postea citabo, rectè animaduertisse videntur. Cæterùm quòd hoc necessariũ sit, nõ video. Nam cùm fides supernaturalis possit cũ auxilio diuino, quod præstò est, in instãti adhiberi veritatibus fidei, non repugnat, primum assensum, quem quis elicit circa veritates fidei, perceptis eorum motiuis, esse supernaturalem & fidei infusæ. Quomodo autem cum auxilio diuino in potestate libera hominis sit, actum fidei supernaturalem in momẽto elicere, tametsi ante id momentum non habuerit homo habitum supernaturalem ad id requisitum, declaraui tomo. 2. disputat. vltima, q. 5. p. 4. tractans generaliter de libertate nostra ad actus supernaturales.

Omnes moueri ad credendum aliquali etiam fide acquisita.

Sit nunc SEXTA assertio. *Quamuis, vt dictum est, non omnes in idem motiuum vltimò resoluant hoc, quod est, se acceptasse fidem supernaturalẽ: omnes tamen ad id mouentur per aliqualẽ fidem acquisitam de reuelatione credibiliũ, & de infallibili ꝓpositione Ecclesiæ.* Hæc assertio, suppositis iis, q̃ in confirmationẽ assertionis tertię attulimus, tantùm indiget expositione.

Asserimus igitur, motiuũ illud primum, quod vnumquemq; mouet, inprimis illum mouere ad hoc, vt fide acquisita sibi persuadeat, veritates nostrę fidei esse reuelatas à Deo, & ab Ecclesia infallibiliter propositas, & ideo etiam ad hoc, vt assensum supernaturalẽ eliciat fidei, atq; adeo accepteat fidem supernaturalẽ. Ita quamuis in motiuo primo non oẽs conueniant, omnibus tamen cõmune est, vt reuelatione diuina & propositione Ecclesię, per qualemcunq; fidem acquisitã cognita, ad supernaturalẽ fidem amplectendã moueantur. Nec tamen opus est, vt omnes explicitè habeant cognitionẽ illam reuelationis diuinę, & propositionis Ecclesiæ, sed satis est si eam habeãt vel explicitè vel implicitè eo modo, quo declarauimus sub finẽ confirmationis assertionis tertiæ.

Porrò hæc assertio sexta sic explicata, iisdẽ testimoniis probatur, quib⁹ probauimus suprà assertionem tertiam. Nam hoc ipso quòd propositio Ecclesiæ de reuelatione diuina, est conditio necessaria ad credendũ (vt in assert. tertia probauimus) mouet etiam ad amplectendam fidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaq; ex hac Conclusione SEQVITVR, propositionem Ecclesię in hoc differre ab aliis motiuis, quibus quis inducitur ad fidē, quòd ipsa est simul & motiuum acceptandæ fidei, & conditio ad id necessaria; non tamen oportet, vt quicquid est motiuum acceptandæ fidei, sit etiam cōditio requisita acceptandæ fidei secundùm se. Nam vt in præcedenti Conclusione diximus, non idem est motiuum omnibus; *conditio* autem requisita ad fidem secundùm se, est eadem apud omnes, sicut est eadem fides, licet non æquè explicitè ab omnibus cognoscatur, vt diximus.

Atq; hactenus mihi satis explicasse videor, quę nam ad fidem requirantur tam secundùm se, quàm vt acceptetur à nobis. Exposuimus enim quid sit *obiectum* Fidei, quid *conditio* requisita, quid neutrum, sed tantùm *motiuum* ad acceptādam fidem.

Ex quibus nō erit difficile iudicare de Scholasticorum quorundā sententiis, qui non satis quidem cautè & explicatè resolutionē vltimam nostræ fidei absolutè referunt in fidem acquisitā de veritate articulorum & eorum reuelatione. Vt Scotus in 3. d. 23. q. vnica, & Gabriel q. 2. quibus adnumerat Canus lib. 2. cap. 7. Durandum in 3. d. 24. q. 1. & d. 25. q. 3. vbi videtur sentire, fidem vltimò resolui in fidem acquisitam de propositione infallibili Ecclesiæ.

Si enim hi Doctores loquātur de resolutione fidei secundùm se iuxta primum processum, de quo diximus in tribus prioribus assertionibus, nullo modo sunt audiēdi: Sin, vt ego puto, intellexerunt de resolutione fidei iuxta secūdum processum, quo quæritur, quare quis fidem acceptauerit, in hoc quidem non errant, quòd asserunt, fidem infusam resolui in fidem acquisitā: in hoc verò, quòd dicunt, resolui vltimò in fidem acquisitam de reuelatione, aut propositione infallibili, aut veritate articulorum fidei, apertè falluntur, vt patet ex quinta & sexta conclusione. Nam ante fidem acquisitam de veritate, aut reuelatione, aut propositione, præcedat necesse est aliud motiuum clarius, quod non idem est absolutè apud omnes.

Sed neq; in fide acquisita de reuelatione, veritate, aut propositione articulorum, puto esse aliquem certum ordinem, ita vt quilibet ex primo motiuo debeat prius fide acquisita cōcludere infallibilitatem propositionis, quàm reuelationē, aut veritatem articulorum, vel è contrario: quin existimo indifferenter accidere, vt ex primo motiuo iam reuelatio, iam veritas, iam infallibilitas propositionis fide acquisita concludatur; omnes tamen, vt postrema conclusione dictum est, mouentur etiam reuelatione, ac propositione articulorum, quocunque ordine id tandem fiat.

Itaq; dato quòd de secūdo processu sint locuti isti Doctores, tamen errāt in eo, quòd conantur aliquod certum motiuum primum absolutè, & quoad omnes, assignare. Item etiam errāt in eo, quòd illud primum dicunt esse cognitionem reuelationis, vel veritatis articulorū, aut propositionis. Nam etiamsi daremus, esse aliquod primū motiuum commune omnibus, tamen illud non esset reuelatio, nec propositio, nec veritas articulorum, sicut illi volunt. Nam cùm ista sint admodum obscura, motiuo priori opus est; quod tamen varium ac diuersum in diuersis hominibus esse potest, vt in quinta nostra assertione dictum est.

Summa Resolutionis Fidei.

POSTREMO, vt breuiter quæ fusè disputata sunt de *resolutione* fidei, colligamus, placet modū tradere, quo quis de fide interrogatus, debeat respondere. Igitur si quis rogetur v. g. quare credat, DEVM esse trinum & vnum? distinguat, vtrum sermo sit de caussa ipsius fidei secundùm se: Cur videlicet firmiter & infallibiliter id credat: Vel de caussa, ob quā acceptauerit eam fidem. Si primum; respondeat, quia DEVS reuelauit: Si rursus interrogetur, vnde cognoscat DEVM reuelâsse? respondeat, se quidem nō nosse id clarè: credere tamen eadem fide infallibiliter, & id quidem nō ob aliam reuelationē: bene tamen ob infallibilē propositionem Ecclesiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requisitam. Si rursus: vnde cognoscat propositionem Ecclesiæ esse infallibilem? similiter dicat; se clarè nō nosse, credere tamen fide infallibili ob reuelationem Scripturæ, testimoniū perhibentis Ecclesiæ, cui reuelationi non credit ob aliam reuelationē, sed ob se ipsam, quamuis ad hoc ipsum opus sit ipsa Ecclesiæ propositione, vt conditione requisita.

Neque in sic respondendo erit aliquis vitiosus circulus. Tum quia reuelatio, propter quam dicitur credi infallibilitas propositionis: & propositio, ob quam dicitur credi reuelatio, non habent vnum & idem obiectum, sed aliud & aliud. Obiectum enim propositionis est ipsa reuelatio; obiectum autē reuelationis est ipsa veritas credita, vt DEVM esse trinum & vnū, aut propositionem Ecclesiæ esse infallibilem, &c. Tum quia, cùm ex reuelatione redditur ratio credēdi propositionē, redditur ratio per caussam (reuelatio enim caussa est assensus fidei) cùm autem ex propositione Ecclesiæ redditur ratio credendi reuelationem, ratio redditur nō per caussam credendi, sed per conditionem ad id requisitam: & ita vitatur vitiosus circulus, & solùm redditur ratio connexorum vicissim ex ipsismet connexis sub diuersa ratione, id quod omnino licet.

Si autem quis demùm rogetur, cùm & reuelatio & propositio infallibilis obscurę & ineuidentes sint, quid ipsum impulerit, vt hunc quasi labyrinthum rerum obscurissimarum ingressus sit ad fidem modo dicto acceptandam, hoc est, ad credendum reuelationem propter Ecclesię propositionem, tanquam propter conditionem requisitam, & hanc vicissim propter reuelationem tanquam propter caussam credendi: veniat tum

ad illum

ad illum alterum secundùm processum & rationes, atque motiua clariora exponat, quibus & ipse inductus fuit, & quiuis prudens induci possit, ad acceptādam eiusmodi fidem, quantumuis secundùm se ineuidentem & obscuram. Id quod luculenter disserere licebit, cognitis communibus motiuis nostræ fidei, quæ proponemus & explicabimus infrà puncto quarto.

PVNCTVM SECVNDVM.

Qualenam sit obiectum fidei, quoad eius modū: An scilicet sit aliquid simplex & incōplexum, vel complexum & enunciabile.

D. Thomas art. 2.

MOVET hanc quæstionem non solùm D. Thomas hic art. 2. sed etiam Alexander Hall. 3. p. q. 79. membro 5. & Albertus Magnus in 3. d. 24. art. 5. & Bonauentura ead. dist. art. 1. q. 3. & Altisiodorensis lib. 3. Tract. 3. cap. 2. q. 2. & Richardus ead. dist. q. 2. & Durandus & alij. Sed clara resolutio huius quæstionis, per quā etiam conciliari poterunt opiniones omniū, consistit in duabus assertionibus, quas posuit etiā D. Thomas hoc loco.

PRIMA assertio. *Si nomine obiecti fidei intelligatur res, de qua habetur notitia siue assensus fidei, sic est aliquid incomplexum.* Hæc assertio probatione non eget, si nomine incomplexi intelligamus propriè quicquid non est conceptus ille in intellectu credentis, qui dicitur *compositio*. Item intelligendo latiùs nomine incomplexi id, quod est simplex, etiā est vera assertio accepta de obiecto primario fidei, quod pūcto 1. diximus esse Deum. Deus enim quiddam simplicissimum est.

Hoc modo (scilicet pro re extra intellectum, quæ non est ipsa compositio assensus intellectualis) accepit obiectum fidei sanctus AVGVSTINVS in Enchiridio cap. 8. cùm ita scribit: *Est itaque fides & bonarum rerum & malarum, quia & bona creduntur & mala; & hoc fide bona non mala. Est etiam fides & præteritarum rerum & præsentium & futurarum, &c.* Et in lib. de Agone Christiano capite 13. cùm ait: *Fides in Ecclesia breuissimè traditur, in qua commendantur æterna, quæ intelligi à carnalibus nondum possunt, & temporalia & præterita & futura, quæ pro salute hominum gessit, & gestura est æternitas diuinæ prouidentiæ.*

SECVNDA assertio. *Si nomine obiecti intelligatur notitia siue assensus ipsius fidei, mediante quo, res cognita dicitur esse in cognoscente, sic obiectum fidei est aliquid complexum enunciabile.* Probatur. Nam res cognita est in cognoscente secundùm modum eius: sed modus noster in cognoscendo est, vt etiam ea quæ secundùm se sunt simplicia, componendo ac diuidendo percipiamus: Igitur res cognitę per fidem sunt in nobis per assensum & notitiam complexam, ac proinde obiectum fidei sic acceptum, est aliquid complexum.

Hoc modo accepit obiectum fidei S. AVGVSTINVS lib. de Genesi ad literam, imperfecto, cap. 1. cùm inquit: *Catholica fides explicanda est. Est autem hæc: Deum Patrem omnipotentem vniuersam creaturam fecisse atq; constituisse per Filium suum vnigenitum, id est, per sapientiam atq; virtutem suam consubstantialem sibi, et coæternam in vnitate Spiritus sancti cōsubstantialis et coæterni. Hanc ergo Trinitatē* DICI *vnū Deum, eumq; creasse omnia, quæ sunt, in quātum sunt, Catholica disciplina* DICI *iubet, &c.* Hæc enim & alia, quæ ibi addit AVGVSTINVS, veritates quædam intellectus sunt complexæ & enunciabiles, & quæ (vt idem Augustinus ait) DICI & enunciari possint ac debeant.

Intelligitur autem facilè hæc ipsa doctrina ex iis, quæ de modo cognoscendi intellectus per compositionem tradidimus tomo 1. disput. 1. q. 16. p. 2. & ex iis, quæ hîc puncto præcedente notauimus de variis modis, quibus vocabulum *obiecti* accipi solet, vbi diximus propriè etiam obiectum alicuius habitus intellectualis nominari posse ipsum assensum, qui est quiddam complexum & enunciabile.

QVÆRI autem præterea hoc in loco potest, Vtrum habitus fidei, mediatè & ordine quodā, ac per discursum inclinet in obiecta ipsius cōplexa, hoc est, in assensus siue propositiones fidei: An verò immediatè & sine ordine? Sensus quæstionis est, vtrū ad hoc, vt habitus fidei eliciat omnes suos, aut saltem aliquos assensus, necesse sit prius elici priorem aliquē aut aliquos assensus, quibus quasi per discursum alij tandē assensus fidei concludantur: Et quidē siue assensus priores debeant elici ab ipsomet habitu fidei, siue ab aliis habitibus: Vtrouis enim modo intelligi posset, fidē mediatè inclinare in suos assensus. Sicut v. g. habitus scientificus per discursum elicit nō modò eos assensus, q ex prioribus assensibus ab ipsomet habitu scientifico elicitis concluduntur, sed etiā assensus primarum passionum de suo subiecto, qui non concluduntur ex assensibus ab ipso habitu primorum principiorum circa ipsam quidditatem subiecti.

Sic percepta quæstione, probatur PRIMO, quòd mediatè & per discursum inclinet fides in assensus suos: Nam Apostolus 1. ad Cor. 15. Resurrectionis nostræ articulum, ex articulo resurrectionis Christi concludit inquiens: *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus*, quasi ordine quodam & per discursum habitus fidei inclinet in articulum resurrectionis nostræ. CONFIRMATVR ex sancto Thoma 1. p. q. 1. art. 8. asserēte, ex aliis articulis concludi alios; & infrà quæst. seq. art. 5. vbi ait, habitum fidei per se & primariò respicere ea, circa quæ distinguuntur fidei articuli, qui omnibus fidelibus credendi proponuntur: alias verò propositiones, quæ diuinis Scripturis continentur, respicere secundariò & per accidens. Ex quo

apparet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

apparet, habitum fidei non in omnes propositiones æquè immediatè inclinari.

SECVNDO, quia experientia constat, difficilius homines negare aliquas propositiones fidei quam alias. Cuius ratio videtur esse, quia fides immediatè in aliquas inclinat, cum quibus videtur habere maiorem connexionem.

TERTIO, quia propositiones, quæ ex altera præmissa de fide, & altera nota naturaliter per bonam consequentiam deducuntur, sunt de fide: & tamen illis nonnisi per discursum assentimur. Igitur, &c. Maior probatur dupliciter; Primò, quoniam multæ sunt propositiones, quæ tanquam de fide habentur in Ecclesia, propterea solùm quia ex aliis de fide & naturaliter notis deducuntur: vt quòd Christus habeat duas voluntates. Secundò, nam casu, quo aliquis ritè baptizet Infantem, fide credit eum esse in gratia, & tamen nonnisi quia ita ratiocinando concludit: Omnis Infans ritè baptizatus acquirit gratiam: Hic Infans à me est ritè baptizatus. Igitur acquirit gratiam. Vbi Maior est de fide, & Minor est naturaliter euidens. Quod autem est de hac propositione iudicium, idem videtur debere esse de reliquis omnibus, quæ ita concluduntur: Ergo omnes tales sunt de fide. Et sic patet illa Maior.

QVARTO, quia assentiri alicui propositioni mediante discursu, in eo solùm consistere videtur, quod nimirum oportet intellectum nostrum, non nisi quodam ordine assensuum intercedente, in alicuius cognitionem peruenire, eò quòd talis sit nostri intellectus natura in ordine ad quædam obiecta, quæ non sunt nobis statim per se nota; Sed habitus fidei non potest absque hoc ordine intellectus elicere suos assensus: Ergo mediatè & per discursum in eos inclinat.

Maiorem probo. Nam cùm aliquo ex quatuor modis videatur declarari posse, in quo consistat discursus Intellectus, nullus ex illis videtur aptus præter eum quem posuimus in illa Maiori. Nam PRIMO dici posset, eum assensum haberi per discursum, quem alij assensus ita necesse est præcedant, vt sint illius causa effectiua propriè, ad modum quo calor ignis est causa caloris producti in ligno. At is modus improbabilis videtur: tum quia, quòd vnus assensus isto modo concurrat ad alium assensum, nullo modo potest nobis esse notum. Itaque in nulla materia possemus constanter definire aliquid cognosci per discursum. Tum, quia intellectus specie intelligibili informatus, sufficientissimum principium est ad eliciendum actiuè quemcunque assensum: Tum postremò, quia assensus priores non permanent sicut habitus, sed statim transeunt: quare difficile est asserere assensum, qui concluditur, procedere actiuè ab assensibus, qui præterierunt.

Hoc igitur modo id explicandi reiecto, SECVNDVS modus id explicandi esse posset, vt dicamus, illum assensum per discursum haberi, qui significat aliquid obiectiuè, quod ex natura rei est effectus in aliquo genere causæ, eius, quod obiectiuè significatur per assensus præcedentes. Sed nec is modus apparet probabilis. Nam tunc oporteret in vero discursu significari semper per assensum conclusionis aliquid obiectiuè reipsa distinctum ab eo, quod obiectiuè significatur per assensus præmissarum: aliter enim non est intelligibile, quòd obiectiuum significatum conclusionis procedat reipsa ex obiectiuo significato præmissarum: Constat autem non semper per conclusionem significari aliquid reipsa distinctum à significato præmissarum, vt patet in demonstrationibus Metaphysicis, in quibus subiectum & passio nõ distinguuntur reipsa, & consequenter nec præmissarum & conclusionis significatum.

TERTIVS modus esse posset. Si dicamus, eum assensum haberi per discursum, qui non potest esse certior nec euidentior, quàm sint assensus priores, ex quibus concluditur: Ita vt ille dicatur discursus intellectus, quo assensus posterior sequitur priores secundùm quandam analogiam & similitudinem modi, quo effectus naturales procedunt ex suis causis; quæ analogia consistat in hoc, quod sicut effectus naturales sequuntur ita suas causas, vt non possint illas superare perfectione, sic etiam assensus, qui concluduntur per discursum hoc modo explicatum, non possunt excedere priores assensus perfectione certitudinis aut euidentiæ. At huic etiam explicandi modo obstat, quòd communiter ita videntur Doctores de vero discursu iudicare, vt prius sit hoc, quod est aliquem assensum haberi per discursum, quàm hoc quod est, huiusmodi assensum non posse esse certiorem aut euidentiorem prioribus assensibus, ex quibus sequitur. Atque hinc axioma illud: *Conclusio sequitur debiliorem partem*, tanquam quid posterius, concludunt de Syllogismo siue discursu. Ex quo apparet, essentiam discursus per aliquid aliud esse declarandam, quod sit prius.

Itaque reliquus videtur esse QVARTVS explicandi modus, positus in nostri argumenti Maiore, videlicet vt ille assensus per discursum haberi censeatur, quem necesse est, vt alij assensus priores simpliciter præcedant, absque alia peculiari habitudine præter simplicem quendam ordinem. Et sic patet illa Maior illius quarti argumenti. Probatur autem Minor. Nam puncto primo docuimus oportere, vt cognitio motiuorum fidei præcedat assensum fidei.

In CONTRARIVM verò est, quod si fides mediatè per discursum in assensus suos inclinat, non posset distingui à Theologia, quippe quæ etiam nititur diuina reuelatione mediante discursu, vt tomo primo, disputatione prima, quæstione prima, puncto tertio disputatum est.

RESPON-

RESPONDEO, Fidem nullo modo mediante discursu elicere suos assensus, sed sicut visus v. g. immediatè fertur in obiecta sua sub ratione lucidi, ita etiam fidei habitus in sua sub ratione diuinæ reuelationis. Ita videntur supponere pro certo omnes Theologi: Vt Scotus in 3. dist. 24. quæst. vnica in fine, vbi ait, nos *non deuenire in credibilibus ad aliquam propositionem primam & immediatam, licet aliqua sit talis secundùm se, puta hæc: Deus est trinus & vnus.* Atque etiam ibidem §. *ad propositum*, cùm ait, *peritos scripturarum assentiri immediatè omnibus & singulis in Scriptura traditis, quia sunt reuelata, & non vni propter aliud.* Item Capreolus ead. d. q. vnica, art. 3. in respons. ad 3. contra 2. concluſ. & Caietanus art. præced. & Vega lib. 9. in Concil. Trid. cap. 3. ac reliqui hoc idem, vt certum supponunt.

Probatur verò hæc sententia. Nam Fides neq; inclinat in assensus suos per discursum, in quo assensus præmissarum oporteat esse prius elicitos *at eodem habitu* fidei: neq; per discursum, in quo recesse sit assensus præmissarũ elici prius per aliquem *alium habitum* distinctum à Fide. Ergo nullo modo. Antecedēs quoad PRIOREM partē probatur tripliciter. PRIMO, Nam qualis est ordo diuinæ reuelationis ad veritates fidei reuelatas, talis est ordo ipsius habitus fidei ad assẽsus, quos præbet veritatibus Fidei: sed diuina reuelatio æquè indifferenter se habet ad omnes fidei veritates, quæ in se sunt reuelatæ: Ergo similiter ipse habitus fidei. Maior probatur. Nam fides præbet assensum veritatibus, prout cadunt in diuinam reuelationem, & non aliter. Minor etiam probatur. Nam vna propositio nõ est magis, nec prius reuelata, quàm alia, quantum est ex parte ipsius Dei reuelantis, etiamsi materialiter inter ipsas veritates sit ordo aliquis.

SECVNDO: Nam perceptis motiuis fidei, & proposita diuina reuelatione de quacunq; veritate, sufficiẽter potest moueri homo ad eliciendum assensum infallibilem. Ergo indifferenter potest habitus fidei elicere assensum circa quamcunq; veritatem sine ordine. Antecedens patet. Nam hoc ipso quòd alicui proponitur veritas vt à Deo reuelata, proponitur vt infallibilis, & quidem æquè ac quæcunq; alia similiter proposita: non enim est vna veritas magis infallibilis ex prima veritate quàm altera.

TERTIO, nam quamuis credentem oporteat prius cognoscere reuelationem diuinam & propositionem Ecclesiæ, tamen non est necesse, vt hæc prius cognoscat per actum fidei infusæ, sed ãtis est per actum fidei acquisitæ. Quare non apparet, cur sit necessarius aliquis ordo in assensibus fidei infusæ.

Probatur etiam Antecedens nostri argumenti quoad POSTERIOREM partem, scilicet quòd fides non eliciat assensus per discursum, in quo necesse sit assensus præmissarum elici prius per *alium habitum*, vtputa per habitum fidei acquisitæ, aut per aliquem alium. Nam constat assensus fidei esse multò certiores aliis assensibus cuiuscunque alterius habitus. Sed assensus conclusionis per verum discursum eliciti, non sunt certiores aut perfectiores assensibus præmissarum. Igitur fatendum est, assensus fidei non esse assensus conclusionum deductarum per discursum, cuius præmissæ pertineant ad vllum alterum habitum.

Quod siqui assensus priores necessarij sunt, antequam eliciantur assensus fidei infusæ, ij tantùm sunt conditiones requisitę ad assentiendum rebus fidei; ob naturam intellectus nostri, quæ videlicet talis est, vt obscura & difficilia persuadere sibi non possit absq; aliquibus motiuis. Huiusmodi autem conditiones sunt in proposito motiua fidei: quorum videlicet cognitio non influit, instar præmissarum in assensum fidei, sed solùm minuit difficultatem, quam naturâ sua habet intellectus in amplectenda fide.

Ad argumenta verò contraria ita respondeo. Ad PRIMVM: Cùm aliquis ex vi discursus & consequentiæ sibi persuadet articulum fidei, assensus ille de illo articulo non est elicitus ab habitu fidei, sed potius ab habitu Theologiæ, cuius est assentiri alicui propositioni, quatenus ad assensum mouetur intellectus, non solùm lumine supernaturali fidei, sed etiam lumine naturali rationis cognoscente euidenter veritatem alicuius præmissæ, vel saltem bonitatem consequentiæ, si vtraque præmissa sit de fide.

Quod si ipsa conclusio, cui tunc intellectus assentitur per habitum Theologiæ, sit etiam per se reuelata in Scriptura aut per definitionem Ecclesiæ, poterit quoq; intellectus ei assentiri immediatè per habitum fidei, quatenus scilicet est per se reuelata. Neque enim est absurdum, vt eidem propositioni possimus diuersis rationibus assentiri per assensum elicitum à fide, & etiam per assensum elicitum à Theologia.

Quod si quæras, in quo differt assensus huius propositionis: Omnes resurgemus, quando est elicitus à Theologia; ab assensu eiusdem propositionis, quando est elicitus à fide: RESPONDEO differre dupliciter: PRIMO, quia vt est à fide, nititur sola diuina reuelatione; vt autem est à Theologia, nititur partim quoque lumine naturali, siue quoad alteram præmissam, siue saltem quoad vim consequentiæ. SECVNDO, quod assensus elicitus à fide est certior, eò quòd nullo alio fundamento nititur præterquam infallibili: cum verò elicitur à Theologia, quia tunc lumen naturale confert ad illum, non est tam certus, quamuis simpliciter sit adhuc certus, & certior, quàm si solo lumine naturali niteretur. Fateor tamen hanc differentiam certitudinis à nobis fortè percipi non posse, quãuis ratio eam suadeat.

Ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad CONFIRMATIONEM illius primi argumenti, quod attinet ad primum locum D. Thomæ, iam ex his patet solutio. Quod verò attinet ad secũdum locum, arbitror ibi illum loqui non de obiectis fidei complexis, sed incomplexis: inter quæ verum est, esse aliquem ordinem. Nam Deus est primarium obiectum *Quod*, vt etiam censuit Scotus in 3. d. 24. q. vnica in fine. Quia verò hæc subordinatio non efficit, vt assensus de primario obiecto sit infallibilior, quàm alij; idcirco ex illa solum sequitur, quod habitus fidei primariò & principalius feratur in obiectum incomplexum, quod est Deus, nõ verò quod prius cum ordine discursus, vt etiam bene attigit Scotus loco citato.

Ad SECVNDVM argumentum respondetur, difficultatem maiorem, in neganda vna propositione fidei, quàm altera, non prouenire ex eo, quòd fides prius inclinet in eam, sed ex eo quòd natura nostri intellectus minorem habet difficultatem in assentiendo illi quàm alteri, cùm non omnes fidei propositiones sint æquè difficiles.

Ad TERTIVM respondetur negando Maiorem. Sunt enim illæ propositiones non propriè de fide, sed Theologicæ, quatenus concluduntur quidem per discursum Theologicum. Ad *primam* autem probationem Maioris respondetur, propositionem illam (Christus habet duas voluntates) & si quæ aliæ sint propositiones eiusmodi, quæ in Ecclesia habentur de fide, non solùm esse certas, quia concluduntur ex aliis de fide, sed quia in se sunt definitæ: definitæ autem sunt propterea quòd consentaneæ videbantur fidei, id quod discursu Theologico compertum est. Ad *secundam* probationem eiusdem Maioris respondetur: Si ille qui ita ratiocinaretur, assentiretur conclusioni ex vi bonitatis illius consequentiæ & ex euidentia alterius præmissæ, tunc illum assensum elici non à fide, sed à Theologia. Quum verò posita euidentia illius Minoris, constat iam illi homini, conclusionem illam contineri implicitè in Maiore præmissa de fide, liberum ei esset assentiri illi conclusioni per habitum etiam fidei: si nimirum cognito euidenter, quòd ipse ritè baptizasset Infantem, non iam moueretur ex vi illius discursus ad putandum, eum esse in gratia, sed ex vi diuinæ reuelationis, qua nititur illa altera propositio: Omnis ritè baptizatus recipit gratiam, in qua propositione, constat iam illi homini, includi etiam, quod ille Infans baptizatus, sit in gratia.

Quod si quæratur, quomodo se habeat in proposito exemplo assensus Minoris, ad assensum conclusionis, quando ille homo conclusioni assentitur, habitu fidei ob reuelationem, qua nititur Maior propositio: RESPONDEO, habere se non vt præmissam vel discursum, sed vt conditionem, sine qua ille homo non fuisset certus, conclusionem esse reuelatam in Maiore propositione, atque adeo sine qua non elicuisset habitu fidei assensum illum, quo ob diuinam reuelationem persuadet sibi, eiusmodi Infantem esse in gratia.

Diligenter autem est ADVERTENDVM, cùm dicimus, in proposito exemplo liberum esse illi homini assentiri etiam conclusioni per habitum fidei: minimè hoc habere locum in omni alio discursu, quo aliqua propositio infertur ex vna propositione de fide, & altera euidenti naturaliter: sed tunc solùm, quando vniuersalis propositio in tali discursu est de fide, sicut in exemplo proposito. Tunc enim per alteram præmissam innotescit certò, conclusionem esse etiam reuelatam in vniuersali propositione de fide: atque ita tunc liberum est alicui vt ad assentiendum conclusioni, moueatur etiam ex reuelatione diuina immediatè, & sic eliciat assensum fidei.

Quando autem propositio, quæ in eiusmodi discursibus est de fide, nõ est vniuersalis, sed particularis: tunc non potest per alteram præmissam innotescere, quòd conclusio sit reuelata in præmissa, quæ est de fide: siquidem ea præmissa etiam est particularis. Quare si ea conclusio non sit alioqui in se reuelata, minimè erit integrum, assentiri eiusmodi conclusioni per habitum etiam fidei, ob diuinam reuelationem. Vt v. g. in hoc discursu: Omnis homo est risibilis: Christus est homo: Ergo est risibilis: quia maior illa vniuersalis, in qua per Minorem cognoscimus includ conclusionem, non est de fide. Sed solùm euidens naturaliter, idcirco conclusioni illi: *Christus est risibilis*: duntaxat assentiri possumus ex vi discursus, atque adeo Theologicè, & non immediatè ex fide: quia non cognoscimus, eam propositionem esse reuelatam in illa præmissa particulari de fide, sed tantum quod sequitur ex illa.

Itaque ex illo exemplo allato, de eo qui ritè Infantem baptizat, non sequitur, quòd omne propositiones, quæ inferuntur ex altera de fide & altera euidenter nota, sint de fide. Hoc inquam non sequitur. Nam si quis assentiretur conclusioni in illo exemplo ex vi discursus, assensus non foret de fide, sed Theologicus. Et præterea non est eadem ratio de illo exemplo & de aliis, in quibus non est liberum, assentiri conclusioni immediatè etiam per fidem; cùm scilicet, vt dictum est, conclusio non infertur ex propositione vniuersali de fide.

Ex quibus apparet, non satis explicatè & verè dici ab Andrea Vega lib. 9. super Concilium Trident. cap. 39. omnes propositiones illatas ex aliis propositionibus de fide, absolutè esse de fide. Tantummodò enim sentiẽdum est, omnem propositionem, quæ infertur ex propositionibus de fide, esse de fide quasi indirectè ac mediatè: tum quia assensum illarum præcessit assensus de fide: tum etiam quia negans propositionem, quæ per bonam consequentiam infertur ex altera propositione de fide, cogitur negare præmissam de

fide, atque adeo est hæreticus, nisi ex ignorantia vel proteruia neget duntaxat consequentiam. Sed Vega plus aliquid voluisse videtur, nec satis rem discutit.

Ad QVARTVM argumentum respondetur negando Maiorem. Ad probationem respondetur, tertium illum modum explicãdi, in quo existat discursus, esse admittẽdum, & quidem conuenienter doctrinæ Philosophi, cùm docet, in discursu, assensus præmissarum esse causas assensus conclusionis. Tribus enim modis potest hoc exponi, ex quibus tertius tantum admitti debet, qui est idem cum illo quoque tertio modo, quo dicimus, esse explicandam rationem discursus. PRIMO potest id dictum Philosophi exponi obiectiuè: vt videlicet tunc assensus præmissarum causa sint cõclusionis, quãdo obiectiuum significatum præmissarum est reipsa causa obiectiui significati conclusionis. SECVNDO formaliter & propriè, vt tunc assensus præmissarum sint causa cõclusionis, quando conceptus ipsi præmissarũ, qui sunt formales notitiæ intellectus, sunt veræ causæ effectiuæ, conceptus formalis siue notitiæ cõclusionis, ad modum, quo calor ignis est causa caloris in ligno. TERTIO, potest exponi formaliter etiam, sed impropriè ac per quandam analogiam, vt videlicet assensus præmissarum tũc sint causa conclusionis, quando hęc est analogia ac similitudo inter illos & causas physicas naturales, quod, sicut causæ naturales nõ superantur perfectione à suis effectibus, ita nec assensus præmissarum ab assensu conclusionis in certitudine ac euidentia. At quod doctrina Philosophi nõ sit exponenda primo & secundo modo, abundè patet ex refutatione primi & secundi modi, quo in argumento illo quarto videbatur posse explicari id, in quo consistit discursus. Quare restat, vt tertio modo iam dicto exponamus præmissas esse causas conclusionis in vero discursu. Hic autem modus est ille tertius, quo in argumento explicabatur natura discursus.

Ex quo patet, Fidem non ideo per discursum inclinare in suos assensus, quia necesse sit, vt antecedat illos aliquis assensus fidei acquisitæ, vt diximus puncto præcedenti, assertione quarta. Assensus enim fidei, qui postea sequuntur, multò certiores sunt, quàm ille assensus fidei acquisitæ; & ideo hic assensus fidei acquisitæ minimè antecedit illos alios tanquam præmissa in vero discursu, sed solùm tanquam conditio quædam requisita, sine qua non elicerentur illi alij assensus fidei Christianæ, vt vidimus puncto præcedenti.

Ad id verò, quod contra *tertium* illum modum explicandi rationem discursus, obiiciebatur in argumento, respondetur, naturam discursus non esse explicandam per aliquid prius quàm hoc quod iam diximus. Nec veteres Philosophi aliquid prius in discursu obseruauerunt. Sed cùm ex varietate obiectorũ & etiam mediorum, quæ suppetunt ad varia cognoscenda, animaduertissent, ita quandoque esse necessarium ordinem assensuum priorum ac posteriorum ad cognoscenda aliqua obiecta, vt posteriores assensus non possint esse perfectiores prioribus in certitudine ac euidentia, appellauerunt eiusmodi ordinem *discursum*, in quo procedatur ab assensibus prioribus ad posteriores, vt à causis ad effectus non propriè, sed secundùm analogiam dictam.

Quod si quis QVÆRAT, quænam possit esse vniuersalis regula ad dignoscendum, quando assensus posterior possit esse perfectior prioribus, atque adeo quando aliquid non cognoscatur per discursum, etiamsi ad id cognoscendum quidam ordo assensuum posteriorum ac priorum sit necessarius: RESPONDEO, illam mihi videri optimam, quam possumus elicere ex dictis in solutione tertij argumenti, nimirum vt tunc intelligamus, non esse discursum, quando per alterum ex assensibus prioribus innotescit nobis certò, conclusionem ad quam tendimus, niti certiori quodam & firmiori fundamento, quàm sit ille idem assensus prior, per quem hoc innotescit. Hoc enim posito natura nostri intellectus est talis, vt veluti neglecto assensu priore debiliore, extendat se ad alterum fundamentum firmius, quo cognoscit conclusionem niti, & ab eo potissimum permotus perfectiore assensu sibi persuadeat conclusionem, quam sit alter assensus prior. Atque hoc omnino accidit in illo exemplo, de quo disputatum est in tertio argumento, & idem in similibus potest obseruari.

Ex his sequitur PRIMO, vt rectè statuatur, assensum alicuius conclusionis esse imperfectiorem, vel non magis perfectum, quàm sit alter prior assensus, debere constare, quòd talis conclusio inferatur per verũ discursum. Tunc enim verum erit, quod dici solet, conclusionem debere sequi debiliorem partem. Id autem discerni poterit per assignatam regulam, videlicet inspiciendo, vtrum per aliquem ex prioribus assensibus, innotescat conclusionem niti alio firmiore fundamento, vel non: Nam si non; verus erit discursus. Sin autem id innotescat, minimè erit verus discursus: neq; tunc conclusio debebit sequi debiliorem partem.

Sequitur SECVNDO ex dictis, discursum Theologicum non omnino esse similẽ discursibus aliarum scientiarum. Nam assensus Theologicus est perfectior in certitudine, quàm sit assensus præmissæ euidentis naturaliter, & hoc propter efficaciam & perfectionem diuinæ reuelationis, ex qua assensus Theologicus procedit: at in aliis scientiis assensus conclusionis neutrã præmissã est perfectior.

Nihilominus in hoc est similitudo, quod assensum Theologicum elicimus ex vi bonitatis consequentiæ, & præterea nõ est perfectior qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

libet præmissa, atque adeo accipiendo vtramque præmissam, vt vnam caussam adæquatam & totalem, dici potest, eiusmodi assensum non esse perfectiorem sua caussa adæquata. Et hoc satis est, vt ordo notitiarum in ratiocinatione Theologica censeatur verè esse discursus per caussam, secundùm analogiam ad caussam naturalem & effectum. Videmus enim etiam aliquando in causis naturalibus, effectum, tametsi non sit perfectior omni eo, quod in caussa totali includitur, esse tamen perfectiorem aliquo pertinente ad caussam. Vt equus productus, perfectior est, vt talis, quàm aliquid inadæquatè pertinens ad equum producentem, videlicet quàm gradus animalis, qui etiam est de integritate caussæ. Licet ergò assensus Theologicus sit perfectior alterâ præmissa, tamen quia non est perfectior vtraque præmissa adæquatè, potest adhuc explicari discursus Theologicus per analogiam ad caussam naturalem, ac proinde ipse etiam est verus discursus.

PVNCTVM TERTIVM.

Qualenam sit obiectum fidei, quoad infallibilitatem, an scilicet necessariò sit verum, vel possit etiam esse falsum.

D. Thomas art. 3.

AD hanc quæstionem sine vlla dubitatione respondent communiter omnes Theologi, fidei obiectum non posse esse nisi verum, seu (quod idem est) fidei non posse subesse falsum. Ita D. Thomas hic articulo tertio, & Alexander Hallensis tertia parte, quæst. 79. membro primo, & Albertus Magnus in tertio, distinct. 25. articulo tertio, & Bonauentura distinct. 24. articulo primo, quæst. prima, & Altisiodorensis libro tertio, tractatu 3. cap. 2. quæst. 3. & Richardus in 3. dist. 24. quæst. 3. & alij.

Qui omnes ferè ad id confirmandum vtuntur huiusmodi argumento: Omne id, quod cadit sub fidem, cadit etiam sub diuinam reuelationem seu primam veritatem: sed nihil falsi potest cadere in primam veritatem: Ergo nec in fidem. Maior patet. Nam prima veritas est formalis ratio *sub qua* obiecti fidei. Nihil autè cadit in aliquem habitum nisi sub ratione formali obiecti ipsius: vt neq; etiam in potentiam aliquam. Nihil enim, verbi gratia, attingitur à potentia visiua, nisi sub ratione lucidi. Minor autem probatur. Nam falsum, directè pugnat cum prima veritate & opponitur illi sicut Malum Bono, & Non ens Enti.

Hic autem occasione Minoris assumptæ à Theologis in hoc argumento quæri solet, *Vtrum à prima veritate doceri possit aliquid falsum*. Cuius quæstionis vtilitatem & opportunitatem necesse est *inprimis* declarare. Potest enim videri alicui, hanc quæstionem aut puerilem esse, aut non esse ad propositum. Nam si de prima veritate formaliter accepta quæstio sit, ridiculè quæritur, vtrum ea possit aliquid falsi docere. Est enim prima veritas sic accepta nihil aliud, quàm diuinus conceptus verus, nobis patefactus, vel ipse Deus nobis reuelans verum, vt patet ex dictis p. 1. cùm explicabamus, quid sit intelligendum nomine *primæ veritatis*, quæ est ratio formalis obiecti fidei. Itaque quærere, Vtrum prima veritas possit aliquid falsi docere, perinde est, ac quærere, Vtrum conceptus diuinus verus possit esse falsus, quod est puerile, cùm constet non posse, posito quod sit verus.

Sin autem quæstio sit de prima veritate materialiter accepta, vt est scilicet ipse Deus, sic etiam quæstio non videtur esse ad propositum. Nam etiamsi Deus posset docere falsum, tamen adhuc manebit fidei sua infallibilitas. Diceretur enim, fidem non respicere testimonium diuinum, quando falsum esset, sed solùm, quando esset verum. Tunc enim duntaxat esset testimonium primæ veritatis formaliter, quæ est ratio sub qua obiecti fidei: Maximè cùm fides sit quædam intellectualis virtus, quæ proinde non potest esse, nisi circa verum.

Hæc igitur difficultas primùm explicanda est, vt intelligatur vtilitas & sensus quæstionis. Ac dicendum est, quæstionem esse de prima veritate materialiter accepta, id est, pro Deo, & nihilominus esse vtilem, & pertinere ad propositum. Nam etsi intelligi posset, fidem esse infallibilem, dato quod Deus testari posset falsum, sicut paulò antè probabatur, at nulla pateret tunc via nobis ad affirmandum determinatè, hoc aut illud esse obiectum verum fidei infallibilis.

Cùm enim neque experientia, neque discursu cognoscamus obiecta supernaturalia esse vera & infallibilia, vnam solùm habemus viam ad id cognoscendum, videlicet, si nobis persuadeamus, illa esse testata & dicta à Deo: qui si falsum testari posset, iam nec hæc via nobis suppeteret ad id cognoscendum, vt inferius magis patebit. Quia ergo est Theologi, ita fidei infallibilitatem asserere, vt simul via pateat in Ecclesia ad asseuerandum constanter, hoc aut illud determinatè esse obiectum verum, in quod fides infallibiliter tendat, & huiusmodi via nequit esse, si Deus possit falsum testari; ideo meritò quæritur: Vtrum Deus docere possit falsum, nec ne?

Præterea pro maiore declaratione quæstionis est *Secundò* aduertendum, Deum docere falsum, non esse idem, atque DEVM docere aliquid, ex quo homines propter ignorantiam aut rei difficultatem decipiantur. Tunc enim per Scripturam passim Deus docuisset falsum, si-

quidem,

Bibliotheca
Facultatis Philosophicæ
Provinciæ Cast. Orientalis

quidem constat multos Scriptura abuti ad errorem. Deum igitur docere falsum, est, ex propria intentione & efficaciter velle ab intellectu hominis elici assensum, quo homini significetur seu repræsentetur falsum, oppositum ei verò, quod ab ipso Deo intelligitur. Et hoc modo quærimus, an Deus possit docere falsum.

Hinc rursus est *Tertiò* notandum, dupliciter intelligi posse Deum docere falsum ex intentione, vt est dictum: VNO modo *immediatè* & per se: si nimirum immediatè velit ab homine elici assensum falsum, ita vt eiusmodi homo sola diuina voluntate moueatur ad talem assensum, & non etiam ab aliquo testimonio alicuius hominis docentis falsum. ALTERO modo *mediatè* per hominem: si videlicet Deus primò moueret intellectum alicuius hominis ad assensum falsum, ac deinde moueret eum hominem, vt eum assensum falsum alios doceret, ac proinde deciperet. Iam quæstio est, Vtrum Deus posset docere falsum vtroque modo; per se, & per alterum? Denique disputatio est, Vtrum Deus per se vel per alium possit, siue potentia ordinaria, siue absoluta, alterum fallere.

Sic exposito sensu quæstionis, pars *affirmatiua* probari potest PRIMO, ex aliquibus Scripturæ locis, in quibus videntur contradicentia affirmari, quorum vtrumque nequit esse verum. Exempli gratia, Exodi vicesimo dicit Deus: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Cui consonat etiam illud Iob decimo nono: *Deus seruauit filiis illius dolorem patris, &c.* Contrarium autem asseuerari videtur Ezechielis decimo octauo, vbi legimus: *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Item Iob primo dicitur: *In omnibus his non peccauit Iob, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* Cuius contrarium significari videtur Iob 39. vbi legimus: *Et adiecit Dominus & locutus est ad Iob: Nunquid qui contendit cum Deo tam facilè conquiescit? vtique qui arguit Deum, debet respondere ei. Respondens autè Iob dixit: Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem.* Et Iob 42. *Ideo*, inquit, *inspiciter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam.*

Item Iob septimo: *Peccaui*, inquit, *quid faciam tibi ô custos hominum?* Cuius contrarium dicit postea Iob 27. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

Item Iob nono de Deo dicit: *Si venerit ad me, non videbo eum.* Cuius contrarium videtur affirmare Dauid psal. 100. cùm ait: *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.*

Item Ecclesiastici 49. in laudibus Henoch dicitur: *Nemo natus est in terra qualis Henoch.* Cui contrarium videtur illud Christi elogium de Ioanne Matth. 11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.*

Item Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et tamen contrarium videtur significari cùm dicitur *Deus inuisibilis*, vt 1. ad Tim. 6. & aliâs.

Item ad Rom. 3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Cuius contrarium videtur Iacob⁹ in sua epist. cap. 2. significare, inquiés: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Vt iam alias eiusmodi apparentes contradictiones prætereamus.

SECVNDO idem probari posse videtur ex aliis quibusdam locis Scripturæ, quæ sunt ferè notata à Gregorio Arim. in 1. distinct. 42. quæst. 2. & à Gabriele in 3. distinct. 37. quæstione vnica, artic. 3. & à Melchiore Cano lib. 2. de locis Theolog. cap. 2.

PRIMVS locus est Gen. 4. vbi Dominus, Cain verenti ne occideretur, dixit: *Nequaquam ita fiet.* & tamen ita postea factum est. Nam pleriq; Doctores putant, eum interfectum à Lamech: eamque sententiam *maiorum esse* affirmat S. Hieronymus in epist. 125. ad Damasum.

SECVNDVS locus est Gen. 22. vbi Abraham conscensurus montẽ, vt immolaret Isaac, dixit ad pueros: *Expectatè hic: Ego & puer illuc vsq; properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Quo loco instinctu diuino Abraham est locutus, vt ait D. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 8. & tamen, vt apparet, est mentitus, siquidem putabat se immolaturum Isaac.

TERTIVS locus est Gen. 27. vbi Iacob fraudulenter egit cum Isaac patre suo, & mentitus videtur dicens: *Ego sum primogenitus tuus Esau*, quæ tamen, vt ait Innocentius Papa in cap. Gaudemus, extra de diuortiis, spiritu Dei instinctus ille ita dixit.

QVARTVS locus est Esaiæ 38. & 4. Regum 20. vbi Dominus per Esaiam Ezechiæ nuntiauit mortem eius instare: quod tamen falsum fuit, cùm quindecim annis vltrà vixerit: & sunt multæ tales prophetiæ, quæ videntur fuisse falsæ.

QVINTVS locus est 2. Regum 22. vbi cùm diceret Dominus: *Quis decipiet Regem Achab, &c. prodiit Spiritus (nequam) qui suscepit se decepturum omnes Prophetas, &c.* quod Dominus approbauit. Vnde Propheta Micheas ibidem: *Ecce dedit Dominus Spiritum mendacem in ore omnium prophetarum.*

Adde, quòd multis aliis Scripturæ locis apertè dici videtur, Deum solitum esse decipere, & tradere in reprobum sensum: Vt Esaiæ 63. Ezechielis 14. Iob 12. & ad Romanos primo, ac passim alibi. Ex quibus apparet, Deum reipsa decipere, nedum decipere posse de potentia ordinaria aut absoluta.

TERTIO, idem probatur etiam auctoritate AVGVSTINI, qui lib. 83. quæst. q. 83. negat quidem Deum decipere per Spiritum bonum, con-

cedit tamen, eum posse decipere per spiritum malum. Item in libro de gratia ac libero arbitrio cap. 27. fusè docet, posse Deum mouere intellectum ad falsum.

QVARTO, peculiariter probatur ratione, quòd saltem id possit Deus facere per potentiam absolutam. Nam omnipotentiæ diuinæ nihil est negandum, quod non appareat implicare contradictionem: Sed quod Deus per se aut alium, gignat in intellectu hominis assensum falsum, atque ideo decipiat, non videtur contradictionem includere: Ergo:

Minor probatur. Nam *primò* non id repugnat ex parte ipsius assensus falsi in intellectu hominis gignendi. Cùm enim ille assensus sit quidam effectus possibilis; & Deus possit omne possibile: nihil obstat, quo minus sine cõtradictione intelligatur Deus, posse illũ assensum efficere efficacia suæ voluntatis excitando intellectum ad eum.

Nec *secundò* id repugnat ex parte hominis decipiendi, quasi ei fiat iniuria à Deo. Tum quia Deus, absolutè loquendo, nulli creaturæ quicquam debet, sed quicquid in illa efficit, potest eo iure facere, quod habet plenissimum in illã. Tum etiam, quia fieri potest, vt homo deceptionem iure mereatur vt pœnam, ac proinde Deus pœnarum auctor iure possit hominem decipere.

Nec *tertiò* id repugnat ex ea parte, qua Deus est agens perfectissimum: quasi ideo impossibile videatur ab ipso gigni errorem, qui est quidam defectus; non inquam ex hac parte id repugnat, nam non obstante perfectione Dei in agendo, posset ille in aliis creaturis aliquid producere, quod sit illis dissentaneum, vt frigiditatem in igne, & distorta membra in animalibus. Cur igitur non posset eadem ratione errorem in intellectu efficere? Maximè cùm, sicut posset Deus alia producere dissentanea à particulari creatura, spectando aliam perfectionem, ita etiam errorem: atque ita nihil propterea faceret alienum à sua perfectione. Non enim intenderet primario eiusmodi defectum, sed aliquod aliud bonum; vt ostensionem potentiæ suæ, &c.

Neque *quartò* id repugnat ex parte sapientiæ diuinæ. Nam dummodo Deus ipse non falleretur, optimè posset intelligi sapientia Dei esse summa, quamuis Deus homini falsum significaret, siquidem ille nihilominus intelligeret id, quod est verum.

Neque *quintò* id repugnat ex parte summæ bonitatis diuinæ, quasi Deus docèdo falsum turpiter faceret, & peccaret significando id, quod ipse intelligit secùs esse, atque adeo abutendo intellectu & conceptu hominis, quo Deus non debeat vti, nisi vt significet homini verum, quod est menti diuinæ consentaneum: sicut nec homo vti debet verbis nisi ad significandum, quod mente concipit. Non inquam ex hac parte id repugnat. Tum quia Deus, absolutè loquendo, nulla lege astringitur in iis, quæ erga creaturam quoquo modo molitur, ac proinde nec potest intelligi Deus peccare, quicquid tandem erga creaturam faciat. Tum etiam, quia dici posset, intellectum & conceptum hominis (in ordine quidem ad Deum) non solùm habere eum vsum, vt Deus homini verum significet, sed etiam, vt Deus hominem puniat significando ei falsum. Quare cùm Deo integrũ sit, quamlibet creaturam arbitrio suo vsurpare omnibus modis, quibus ea creatura vsui esse potest, nulla apparet deformitas, nullúmue peccatum Dei, ex eo quod Deus intellectu & conceptu hominis vtatur, ad significandum falsum, ac proinde ad decipiendum. Quod si in hoc nullum peccatum Dei est, certè quod is fallat, non pugnat cum sua bonitate summa.

Nec verò rectè quis obiiciet, si hæc ratiocinatio valeat, eadem ratione posse intelligi, vt homo absque peccato mentiatur, intendendo videlicet verbis significare id, quod falsum est, & ab ipsius hominis mente alienum. Quamuis enim verum sit, quòd verba possint etiam habere alium vsum, quàm vt verum significent, cæterum homini non perinde integrum est, creaturam arbitratu suo omnibus modis vsurpare. Habet enim homo præcepta diuina, quibus eius facultas coarctatur, ne videlicet illam exerceat aliter, quàm secundùm certam rationem & diuinum beneplacitum expedit. Quare cùm ad alium vsum nunquam expediat proferre verba, intendendo per illa significare aliquid falsum; fit, vt diuino præcepto & naturali homo prohibeatur, quo minus illa ad alium vsum sic vsurpet. Quod autem id non expediat, patet. Nam maximè expediret ad alterum eludendum, qui extorquẽdo scilicet aliquam veritatem, vult inferre iniuriam, aut otiosè interrogat, &c. At hoc fieri potest etiam siquis non mentiatur, si vsurpet nimirum verba amphibologicè in alia significatione, hoc est intendendo, vt alter per illa aliquid aliud à proposito intelligat, sed verum tamen. Patet ergo non eadem ratione intelligi posse, quòd mentiatur homo absque peccato, atque quod mentiatur Deus. Quare firma videtur illa etiam ratio, qua ostendebamus, non repugnare bonitati diuinæ, vt Deus quempiam fallat.

Deum nec docuisse nec docere posse falsum de lege ordinaria.

Nihilominus sit PRIMA conclusio. *Hæreticum est asserere, quòd Deus per se, aut per alterum docuerit aliquando falsum, vel de lege ordinaria docere possit.* De hac conclusione inter omnes Catholicos Doctores conuenit. Est tamen illa contra Priscillianistas, quos AVGVSTINVS in libro contra mendacium ad Consentium capit. 2. refert, Scripturæ testimoniis & exemplis Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum, probare solitos, licitũ esse aliquando mẽdacium. Itaq; sentiebant, Deum aliquando mentiri per alios, siquidem

quidem omnes Scripturas recipiebant tanquam diuinas, vt de eisdem commemorat Augustinus in libro de hæresibus, hæresi 70. Qui etiam libro cõtra mendacium, vbi suprà, addit, illos Christo etiam Domino tribuisse mendacium: *non se aliter* (inquit) *arbitrantes veracem suam ostẽdere falsitatem, nisi veritatem dicant esse mendacem.*

Eundem errorem tribuit Armenis hæreticis Guido Carmelita: quanquam Alfonsus à Castro in summa, verbo Deus, incredibile putat, Armenos fuisse in eo errore, cùm reciperẽt Scripturas, quibus manifestè hic error redarguitur. Quæ coniectura Alfonsi si valeret, neque Priscillianistæ in eo errore fuissent. Nam teste AVGVSTINO hæresi 70. non minus hi Scripturas receperunt. Et certè infrequens non est, vt hæretici Scripturas recipientes, in eos errores incidant, qui manifestissimè redarguuntur ex Scripturis.

Sed quicquid sit de Armenis, probatur nostra conclusio PRIMO, ratione ducta ex Scriptura sic: Deus non potest per se, aut per alterum docere falsum, nisi formaliter & propriè mentiatur: At quod Deus aliquando fuerit mentitus, vel de lege ordinaria mentiri possit, est apertè contra Scripturam: Ergo. Maior probatur. Nam fieri nequit, vt Deus illud falsum, quod doceret, sibi persuadeat, quippe cùm falli ipse minimè possit. Quare si falsum doceret, secus quàm ipse intelligit, doceret, atque adeo mentiretur formaliter.

Minor verò probatur his Scripturæ testimoniis: Exodi 34. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens ac multæ miserationis, ac verax.* Et Numer. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur.* Et Ioan. 3. *Qui accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est.* Et Ioan. 8. *Qui me misit verax est.* Et ad Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et ad Tit. 3. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus, &c.*

SECVNDO probatur ex Patribus. S. ATHANASIVS in libro de Incarnatione Verbi, eiusq; corporali ad nos aduentu: *Absurdum*, inquit, *est, Deum in suis verbis mentiri. Non enim Deus fuisset, si cùm dixisset nos perituros, non periissemus.*

S. CHRYSOSTOMVS homil. 1. in Symbolum Apostol. tom. 5. *Creditis*, inquit, *Deo omnipotenti, quia posse ipsius non potest inuenire non posse, tamen aliqua non potest, vtpote falli, fallere, mentiri.*

S. CYRILLVS Alex. lib. 2. in Ioannem cap. 69. *Qui*, inquit, *verba eius accipit, qui desursum venit, hic sapientia sua quasi conclusum quoddam & certum signauit, non posse diuinam mentiri naturam.*

S. AMBROSIVS lib. 6. epist. epistola 37. ad Chromatium, de eo quod legitur, Numer. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur. Non*, inquit, *mentitur Deus, quia impossibile est mentiri Deum, ad Hebræ. 6. Impossibile quoque istud nunquidnam infirmitatis est? Non vtique. Nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Non quod virtuti arduum, sed quod naturæ eius contrarium. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile istud non infirmitatis, sed virtutis & maiestatis est. Quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem. Ideoq; sit Deus verax, omnis autem homo mendax.*

S. AVGVSTINVS lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 25. aduersus quosdam disputans, qui negabant futuram resurrectionem carnis: *Si volunt*, inquit, *inuenire, quod Omnipotens non potest: habent: prorsus ego dicam: Mentiri non potest.* Et libro primo de Symbolo ad Catechumenos, capite primo: *Deus omnipotens est, & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod ait Apostolus, negare seipsum non potest.* Quam *multa non potest, & omnipotens est? & ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens: Si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens, quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens.*

Sanctus ANSELMVS libro primo cur Deus homo, cap. 12. *Non sequitur*, inquit, *si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri, sed potius Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas, immo qua deserendo veritatem corrupta est.*

TERTIO, probatur ratione. Nam si Deus de lege ordinaria mentiri potest, non essent nobis penitus certæ Scripturæ; siquidem nec ex natura ipsius Dei, nec ex lege aliqua aut promissione ipsius constaret, illum semper verum dicere. Possemus enim dubitare, an in illa ipsa promissione Deus fuisset mentitus. At Scripturæ certissimæ sunt. Ergo non potest Deus mentiri de lege ordinaria.

Sed opponet quis contra probationes has huius conclusionis PRIMO, quòd sententię ex Scriptura & Patribus allatę solùm videntur probare, Hæreticũ esse eum, qui dicat, Deum posse per se immediatè falsum docere: nõ verò eum, qui asserat, posse illum falsum docere per alterum.

SECVNDO, quòd per probationem, quam primo & tertio loco ex Scripturis petiuimus, videmur supponere probandum, atq; ideo peccare petitione principij. Nam cùm testimonia diuina ex Scripturis sumimus vt vera, eo ipso ponimus Deum veracem esse, ac non esse mentitum, quod tamen est probandum.

Quod ad PRIMAM obiectionem attinet, etsi Canus libro secundo de locis Theolog. cap. 3. non audeat Hæreticum simpliciter pronunciare illum, qui asserit, Deum posse de lege ordinaria docere falsum per alterum, mihi tamen testimonia ex Scriptura & Patribus allata eandem vim habere videntur ad probandum talem esse Hæreticum, atque ad probandum, Hæreticum esse eum, qui asserat, Deum immediatè docere falsum. Ratio est PRIMO, quoniam Scriptura in illis locis simpliciter asserit, Deum vera loqui semper. Sed ex eadem Scriptura patet, Deum esse eum, qui simpliciter loquitur, etiamsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ille per hominem loquatur: Ergo æquè certum debet eſſe, Deum loqui verum, quando per alterum loquitur, atque quando per ſe ipſum immediatè. Minor probatur. Nam Exodi 3. dicitur Deus locutus Moyſi de medio rubo; & tamen tunc non eſt Moyſi locutus, niſi per Angelum, vt patet ex oratione D. Stephani, Actorum ſeptimo. Hinc ille modus loquendi Prophetarum, quando ſententiam Dei proponũt: *Hæc dicit Dominus, &c.* Quia ſcilicet ipſe Dominus eſt qui loquitur, quando per alium loquitur. Huc & illud pertinet: *Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10. Et, *Qui vos audit, me audit.* Lucæ 10. Et illud Zachariæ: *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius,* Lucæ 1. &c.

Accedit SECVNDO, quod ſi propriè loquamur, illud nobis loquitur DEVS per aliquem hominem, quod prius Deus ipſe per ſe eum hominem docet, vt nobis demum patefaciat: ſicuti in declaratione ſenſus quæſtionis explicauimus. Ac proinde quodcunque Deus propriè loquitur per alterum, etiam loquitur per ſe. Quare, ſi certum eſt, Deum per ſe non poſſe docere falſum, æquè certum eſt, id non poſſe illum per alterum, ſi propriè loquamur.

Sed DICET aliquis: Poſſet Deus falſum aliquid nos per hominem docere, quod non ipſe per ſe hominem docuiſſet, ſed quod homo aliunde hauſiſſet: Si Deus nimirum excitaret mẽtem hominis ad patefaciendam duntaxat aliis falſam opinionem, quam homo aliunde acquiſiuiſſet, quàm ex Deo. RESPONDEO primùm, non poſſe Deum tunc adeo propriè dici docere illud per hominem. Deinde, hoc etiam dato, tamen non multò minus abſurdum eſt, quòd oratio & ſermo hominis falſus in tali caſu excitaretur immediatè à Deo, quàm quod notitia falſa in caſu, quo prius Deus per ſe immediatè moueret intellectũ hominis ad falſum, quod per illum docere velit. Quare ſi certum eſt, notitiam falſam immediatè à Deo excitari nõ poſſe in intellectu hominis; perinde quoq; certum erit, nõ poſſe à Deo immediatè excitari in illo orationẽ falſam, per quã aliquis falſum aliunde cognitum aliis patefaciat: Atque adeo æquè certum eſt, Deum non poſſe per alterum docere falſum, quod ſit aliunde cognitũ ab homine, per quem doceat.

Ad SECVNDAM obiectionẽ reſpondeo, nos in ea probatione non ſupponere, teſtimonium Scripturæ eſſe verum ex ea parte, formaliter loquendo, qua eſt diuinum. Nam ſi hoc faceremus, procul dubio peteremus principium. Sed abſtrahentes nunc ab hac conſideratione, ſupponimus teſtimonia illa Scripturarum eſſe vera, attendentes ad alia motiua religionis noſtræ, propter quæ poſſumus nobis non temerè perſuadere, huiuſmodi teſtimonia vera eſſe, ſicut & reliquam Scripturam, vt magis patebit ex iis, quæ diſſeremus puncto ſeq.

Nec de potentia abſoluta Deum poſſe docere falſum.

SECVNDA Concluſio. *Deus de potentia abſoluta non poteſt per ſe, aut per alterum docere falſum.* Hæc concluſio eſt contra Gabrielem in tertio, diſtinct. 38. quæſtione vnica, & Aliacum in primo, quæſt. 12. & Hybernicum quendam, & Adamum, quos refert Gregorius Arim. in primo, diſtinct. 42. quæſtione ſecunda. Hanc tamen concluſionem amplectitur ibi Gregorius & Durandus in tertio, diſtinct. 24. quæſtione ſecunda, & Marſilius in 3. quæſt. 14. & Canus libro ſecundo de locis Theolog. cap. 3. ac reliqui etiam Theologi omnes hanc aſſertionem vt certam videtur ſupponere.

Hæc aſſertio iiſdem illis argumentis certiſsimè probari poteſt, quibus probauimus primam aſſertionem. Itaque PRIMO probatur ex Scripturæ teſtimoniis allatis pro prima aſſertione. Nam cùm in Scriptura dicitur: *Deus verax, omnis autem homo mendax.* Item: *Non eſſe Deum quaſi hominem, vt mentiatur, &c.* de vtriuſque naturæ diſcrimine ſermo eſt, videlicet diuinæ & humanæ. Vt nimirum Deus eiuſmodi eſſe intelligatur, qui naturâ ſua nullo modo mentiri poſsit, homo verò poſsit. Aliâs, ſi ſolùm de actu mentiendi & aſſerendi verum, ſermo eſſet, diſcrimen aſſignatum non eſſet vſquequaq; verum. Plerique enim homines reperiuntur aut reperiri poſſunt, qui nunquam mentiantur.

Sed ſunt præterea duo Scripturæ loca, quæ maximè valent ad hanc concluſionem confirmandam. PRIMVS eſt ad Hebræos ſexto, vbi Apoſtolus cùm diſſereret de firmitate promiſſionis, qua Deus Abrahæ & ſemini eius benedictionem per gratiam pollicitus eſt, ſic inquit: *In quo Deus abundantius volens oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles* (ſcilicet promiſſionem & iuramẽtum) *quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimũ ſolatium haberemus.* Hìc ſanè cùm D. Paulus negat, potuiſſe Deum mentiri; aut in promiſsione, aſſerendo ſe videlicet facturũ, quod non habebat in animo: aut in iuramento, fingendo ſe iurare, quod animo non iurabat, vel non adimplendo poſtea, quod iurauit: procul dubio de potentia Dei abſoluta loquitur. Nam ſi ſolùm negat potuiſſe Deum mentiri de lege ordinaria, minimè tunc (quod Apoſtolus affirmat) fortiſsimũ ſolatiũ habere poſſemus. Vereremur enim, ne in illa reuelatione, qua eiuſmodi legem ordinariam cognoſceremus, fuiſſet Deus mentitus, vt paulò poſt magis patebit. Quare CHRYSOSTOMVS & THEODORETVS & alij interpretes in eum locum, ſimpliciter diſtinguunt duas res diuerſas, quarum vtraque faciat nos certos, quòd impoſsibile fuerit, Deum mentiri, ſcilicet aſſeuerationem & promiſsionem.

ALTER locus eſt 2. ad Timot. 2. vbi cùm idem Apoſtolus homines certiſsimos reddere conaretur de Dei promiſsione, qua æternum præmium piis operibus decreuit, ita inquit: *Ille* (videlicet Deus) *fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt*; videlicet aut negando ſe promiſiſſe præmium, aut non adimplendo quod promiſit. Hoc etiam loco ſine dubio negat Paulus, Deum vlla ratione mentiri poſſe, atque adeo ſentit, eum nec de potentia abſoluta poſſe falſum dicere: alioqui ſi ſolùm loquatur de lege ordinaria, certi penitus de diuina promiſsione, vt vult Apoſtolus, eſſe non poſſemus.

SECVNDO probatur eadem aſſertio teſtimoniis Patrum pro prima aſſertione citatis. Nam ita illi Patres aſſeuerant, Deum non poſſe mentiri, vt planè repugnare putent, illum & mentiri, & ſimul *eſſe Deum*, ſicut loquuntur Athanaſius & Anſelmus; aut ſimul *retinere diuinam naturam*, vt indicat Cyrillus; aut ſimul eſſe immunem ab eo, quod ſit naturæ ſuæ *contrarium*, vt affirmat Ambroſius; aut ſimul eſſe *omnipotentem*, vt aſſeuerat Auguſtinus. Sed certum eſt, nihil minus fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam, quàm vt Deus *non ſit Deus*, vel vt *non retineat* diuinam naturam, vel vt admittat aliquid naturæ ſuæ *contrarium*, vel non ſit *omnipotens*. Ergo æquè certum eſt ex ſententia iſtorum Patrum, nihil minus fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam, quam vt Deus mentiatur. Hæc certè probatio ita firma eſt, vt nequeat cõtemni, niſi temerariè & impudenter contemnatur auctoritas tantorum Patrum.

TERTIO probatur ratione, *à priori*, ſic: Contradictionem implicat, vt is mentiri poſsit, qui habet ſummam & infinitam auctoritatem ad perſuadendum aliis id eſſe verum, quod ipſe dicit. Sed Deus habet ad hoc ſummam & infinitam auctoritatem. Ergo contradictionem implicat, vt Deus mentiri poſsit. Et vi conſequentis efficitur, ne per potentiam quidem abſolutam Deum poſſe mentiri; ſiquidem ea quæ implicant contradictionem, in nullam potentiam cadunt.

Maior probatur euidentiſsimè, ex ratione ſummæ & infinitæ auctoritatis ad perſuadendum: Idque dupliciter: PRIMO, quia ſumma & infinita auctoritas debet excludere omnem formidinem in credendo. Qui autem ita dicit & teſtificatur, vt tamen poſsit in hoc mentiri, non excludit omnem formidinem. SECVNDO, nam illa eſt ſumma & infinita auctoritas ad perſuadendum, qua non poteſt eſſe, neque intelligi maior. Talem autem auctoritatem, neceſſe eſt, nullo modo mentiri poſſe: alioqui non eſſet ſumma & infinita; nam maior eſſet ea, quæ nullo modo mentiri poſſet, ſiquidem huic multò facilius & certius crederetur.

Minor autem propoſitio eiuſdem argumenti, ſcilicet quòd Deus habeat ſummam & infinitam auctoritatem ad perſuadendum aliis, id eſſe verum, quod ipſe dicit, probatur dupliciter: PRIMO, ex ratione perfectionis diuinæ, vt eſt infinita ſimpliciter in toto genere entis. Hinc enim cogimur Deo tribuere quidquid ita pertinet ad perfectionem, vt non excludat ſuapte ratione aliquam perfectionem maiorem. Tale eſt autem hoc, quod eſt habere ſummam & infinitam auctoritatem ad perſuadendum. Nam hæc ſumma, & infinita auctoritas, ad perfectionem ſpectat, nec ex ſua ratione excludit aliquid maius, ac proinde eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſolùm enim excludit potentiam ad mentiendum: quæ certè potentia non eſt aliquid perfectius & maius, quàm ſumma auctoritas ad perſuadẽdum, excludens omnem formidinem. Omnis autem perfectio ſimpliciter ſimplex, eſt formaliter tribuenda Deo, hoc ipſo quòd eſt infinitus, ſicut docuimus tomo 1. diſput. 1. quæſt. 4. SECVNDO probatur eadem Minor ex ratione perfectionis diuinæ, vt eſt prima & ſumma veritas. Cum enim in propoſito Deus aſſeritur eſſe prima & ſumma veritas in dicendo ſeu in teſtificando, duplex Dei perfectio ſumma & infinita ſignificatur, noſtro modo concipiendi diſtincta: ALTERA, quaſi in *actu ſecundo*, quatenus nimirum intelligimus Deum perfectiſsimè aſſeuerare & teſtari verum, quo pacto prima veritas eſt ratio formalis *ſub qua* obiecti fidei, vt vidimus puncto primo. ALTERA Dei perfectio ſignificatur eo modo loquendi, quaſi in *actu primo*, quatenus nimirum intelligimus Deum eſſe ſummè & infinitè veracem; quod ipſum eſt, illum habere ſummam & infinitam auctoritatem ad perſuadendum, id eſſe verum, quod ipſe dicit. Et hæc fuit noſtræ argumentationis Minor, ſequitur igitur euidenter Concluſio, ſcilicet implicare contradictionem, vt Deus poſsit mentiri, ſicut à priori iam demonſtrauimus ex rationibus ipſis ſummæ auctoritatis ad perſuadendum, & infinitatis, & primæ veritatis. Atque ex hac noſtra ratiocinatione intelligi poteſt, quàm verè à Patribus ſuprà citatis dictum ſit, non eſſe infirmitatis & impotentiæ, ſed virtutis & perfectionis & omnipotentiæ, & denique diuinitatis, non poſſe mentiri: quia ſcilicet ſi Deus mentiri poſſet, non eſſet infinitæ perfectus, atque adeo neque omnipotens, neque Deus.

QVARTO probatur quoq; noſtra aſſertio ratione, *à poſteriori*, ſic: ſi Deus de potentia abſoluta poſſet docere falſum, tunc neq; deberemus, neq; poſſemus abſq; omni formidine eſſe penitus certi de veritate Scripturarum & aliarum propoſitionum fidei: At id poſſumus & debemus: Ergo Deus de potentia abſoluta nõ poteſt falſum docere. Minorem hic ſuppono vt certiſsimam. Sicut etiam illam pro certiſsima habent illi Theologi, contra quos poſuimus ſecundam aſſertionem, quam nunc confirmamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maior verò probatur. Nam si Deus posset de potentia absoluta docere falsum, nullam haberemus viam, vt nobis persuaderemus, propositiones fidei aliquo vero & infallibili fundamento niti. Ac proinde cùm hæc sit natura nostri intellectus, vt nisi persuadeamus nobis aliquid niti certo & infallibili fundamento, de eo non possimus esse penitus certi (sicut patet experientia) non possemus tunc esse penitus certi de veritate Scripturarum & aliarum propositionum fidei.

Quod autem tunc non possemus nobis persuadere, eiusmodi propositiones niti aliquo infallibili fundamento, sic probo: Nam primò certum est, non posse nobis persuaderi, eiusmodi propositiones niti fundamento infallibilis demonstrationis, vt patet: nec rursus possemus nobis persuadere, illas niti fundamento certæ & infallibilis reuelationis. Nam si Deus naturâ sua docere falsum possit, vnde persuadebimus nobis reuelationem diuinam eiusmodi propositionũ veram ac certam esse? Non certè ex natura Dei; siquidem is ponitur naturâ sua posse falsum docere absolutè. Nec rursum ex lege ordinaria, id est, ex promissione Dei, qua ille statuerit se semper verum reuelaturum. Cum enim hanc legem siue promissionem nõ possimus cognoscere nisi ex reuelatione diuina, qua ille nimirum dixerit se promisisse ac statuisse idipsum: si Deus naturâ sua dicere falsum potest, de hac etiam reuelatione possemus meritò dubitare, num videlicet, tũc Deus mentiendi potestate vsus sit, quando dixit nobis nunquam se mentiturum. Itaque non haberemus viam ad hoc, vt ex lege ordinaria cognoscamus, Deũ veracem semper esse. Quia via ad hoc cognoscendum debet esse reuelatio, per quam lex ordinaria innotescit; de hac autem ipsa reuelatione primùm dubitaremus, si Deus naturâ sua potest reuelare falsum.

Huius argumenti vis hoc exemplo magis perspici potest: si ad cognoscendum, quòd Petrus v. g. semper dicat verum, non haberemus aliam viam, nisi quòd ipse Petrus dicit, se statuisse nunquã mentiri, non possemus esse penitus certi, quòd ipse semper verum dicat: nam cùm naturâ sua mentiri possit, vereri possemus, ne tunc, quando diceret se nolle mentiri, mẽtiretur: si igitur Deus naturâ sua etiam mendax esset; ex lege ordinaria per reuelationem ab ipso patefacta non possemus nobis penitus persuadere, illum nunquam mentiri. Vereremur enim ne in illa ipsa reuelatione legis siue ordinationis suæ maximè mentiretur.

Hoc etiam argumentũ tanti est apud me ponderis, vt quamuis nunquam scirem rationem *à priori*, ob quam Deus nequeat de potentia absoluta docere falsum, crederem tamen aliquam talem rationem esse, nec paterer me ab ea sententia deduci. Et sanè mihi videtur contraria opinio temeritatis, nè quid grauius dicam, iis argumentis conuinci.

Nvnc supereſt, vt respondeamus ad argumenta initio proposita pro contraria opinione. Ad Primvm respondeo, in illis locis Scripturæ, qui videntur contrarij, minimè significari contraria aut contradicentia, sed quædam diuersa, quæ simul consistunt, & sunt vera, si rectè illi loci intelligantur. Nam Primo, quod Exodi 20. dicitur Deus punire filios propter parentes, intelligitur de pœna temporali, & de filiis, vt sunt tanquam aliquid parentum. Apud Ezechielem verò negatur, Deum punire filios propter parẽtes pœna spirituali, præsertim æterna, & vt filij sunt diuersi à parentibus, suoq; proprio vtuntur arbitrio: quam rem tomo 2. disput. 6. q. 17. p. 2. explicauimus.

Item quod ait Iob cap. 39. & 42. leuiter & insipienter se locutum, non significat, se loquendo peccasse, sed comparatione scientiæ Dei, non fuisse sapienter locutum, cùm fretus innocentia sua querebatur se tam aduersa pati: Vt sanctus Gregorivs in illa loca exponit. Atq; ita non pugnat id cum eo, quod Iob 1. legimus: In omnibus his non peccasse Iob. Vide D. Gregorium lib. 32. moral. cap. 1. & lib. 35. cap. 1. vbi ait: *Omnis humana sapientia quantolibet acumine polleat, diuinæ sapientiæ comparata, nec iusta, nec pulchra, sed insipientia est, &c.*

Item cum fatetur Iob 7. se peccasse, loquitur de peccatis leuioribus, quæ ne iusti quidem possunt omnia vitare: cùm autem postea cap. 27. negat se fuisse vnquam à corde reprehensum, intelligit peccata grauiora, & quæ committuntur opere & pleno cõsensu, vt sanctus Gregorivs lib. 14. moral. cap. 4. interpretatur.

Item cùm ait Iob cap. 9. *Si venerit ad me, non videbo eum*, loquitur de certa & indubitata cognitione aduentus Dei ad animam, per gratiam. Dauid autem Psal. 100. indicat, posse eum aduentum cognosci per notitiam coniecturalem ductam ex bona & immaculata conscientia, vt diximus tomo 2. disput. 8. q. 4. p. 4.

Item quod dicitur Ecclesiast. 49. *Nemo natus est in terra qualis Henoch*; primò non est necesse, vt significet, Henoch absolutè & simpliciter omnibus antecellere, sed potest significare, quod antecelluerit omnibus quoad virtutem seu prærogatiuam aliquam: vt quia peculiariter ambulauit cum Deo, & *tulit eum Dominus*, vt dicitur Genes. 5. id est, *translatus est in paradisum*, vt dicitur Ecclesiast. 44. Et similiter potest intelligi, quod de Abraham legimus Ecclesiast. 44. *non est inuentus similis illi.* Quod Ecclesia accommodat cuilibet sancto Confessori, quia vnus in hoc, alius in illo excelluit. Atque etiam eodem modo potest fortè intelligi, quod Matth. 11. dixit Dominus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, scilicet quoad dignitatem præcursoris, &c.

Vt potest intelligi ex ratione, quam illic præmisit Dominus: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c.* Secundò, dato quòd Henoch & Ioannes Baptista simpliciter præferantur omnibus, tamen vtrumque potest stare; scilicet vt Henoch antecelluerit omnibus, qui fuerunt, antequam Ecclesiasticus illud scripserit, & Ioannes omnibus, qui fuerunt, antequam ei testimonium perhibuerit Christus, atque adeo vt fuerit maior ipso etiam Henoch. Sed prior solutio mihi videtur satis commoda.

Item quod dicitur, *Deus inuisibilis*, intelligitur naturaliter & oculis corporeis. Cum quo non pugnat, quòd Deus videri possit supernaturaliter & oculis mentis, vt tomo 1. disput. 1. q. 12. p. 1. declarauimus.

Denique Apostolus Paulus cùm ait, hominem iustificari per fidem *sine operibus*, loquitur de *prima* iustificatione. Iacobus autem cùm ait, iustificari hominem *ex operibus*, loquitur de iustificatione *secunda*, seu de augmento iustificationis, vt declaratũ est in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 10. & nos etiam docuimus tomo 2. disput. 8. q. 5. p. 4. Sed hæc modò gratia tantùm exempli dicta sint, vt ex iis paucis intelligatur posse facilè explicari & defendi veritates sentẽtiarum Scripturæ, quæ primo aspectu videãtur secum pugnare.

Ad Secvndvm argumentũ ex aliis locis Scripturæ ductum non est etiam difficile respondere. Nam quod ad Primvm locum attinet, possumus Primo negare Cain fuisse hominem illum, quem Lamech interfecit. Neq; enim id ex Scripturis constat, sed à pluribus putatur commentitium, ac nominatim Theodoretus q. 44. in Genesim *fabulosum* id esse censuit. Secvndo, dato quòd Cain ille fuerit, tamen non ideo erit in Dei oratione mendacium: Etenim cùm is ad Cain dixit: *Nequaquam ita fiet*: sensus fuit: Nequaquam impunè à quoquam interficieris, sicut verebaris; quæ expositio satis congruit textui.

Ad Secvndvm locum, sunt qui concedant, Abraham dissimulandi causa fuisse mẽtitum. Ita Adrianus quodlibeto primo, art. 3. in responsione ad probationem 3. quem Canus sequitur lib. 2. de locis Theologicis cap. 4. consequenter ij dicunt, quòd Abraham mentitus sit, hoc illum ex instinctu Dei non fecisse, quòd verò nescius prophetauerit verum, hoc esse Deo attribuendum, atq; ita exponũt sententiam illam D. Ambrosij.

Mihi sententia D. Avgvstini magis placet, qui serm. 71. & 72. de Temp. negat, Abraham tũc mentitum esse. Etsi enim persuaderet sibi fore, vt immolaret filium, sperabat tamen, illico à Deo ad vitam reuocatũ iri, quo implerentur promissiones. Ita verè potuit dicere: *Expectate hic: Ego & puer illuc properantes, postquã adorauerimus, &c.* Sententiam hanc Augustini sequitur Gabriel in 3. d. 30. & Carthusianus in illum locum. Neq; obscurè illam attigit Apostolus, cùm ad Hebr. 11. dixit: *Fide Abraham obtulit Isaac Deo, cùm tentaretur, &c.* Et paucis interiectis: *arbitrans quòd & à mortuis suscitare potens est Deus, &c.*

Adfert Carthusianus aliam expositionem, vt nimirum, quod solus Abraham erat suo iudicio præstiturus, nimirum vt rediret, id iuxta Scripturæ phrasin, se & filium facturos affirmaret: Ad quem modũ intelligitur illud Matth. 26. *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc?* quod tamen vnus Iudas dixit: Item illud Marci 15. *Et alij qui crucifixi erant cum eo, conuiciabantur ei*: cùm tamen vnus solus fuerit ei conuiciatus.

Ad Tertivm locum plerique concedunt, Iacob mentitum fuisse dicendo, *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Et ad Innocentium dicunt, eum nõ definiisse, sed fuisse locutum ex opinione priuata. Cæterùm communior sententia Doctorum ac Patrum est contraria, vt videre est apud Canum, vbi suprà. Quamuis enim Iacob naturâ nõ esset primogenitus: at iure erat, ex voluntate diuina, quam vel priuata reuelatione cognouit, vel ex instructione Rebeccæ Matris, quam constat Genes. 25. cap. diuinitùs edoctã fuisse, fore vt maior seruiret minori, &c. Potuit ergo Iacob absq; mendacio dicere: *Ego sum primogenitus tuus*: intelligens iure, non naturâ, ad eum modum, quo populus gentilium per Iacob significatus Rebeccæ, vbi suprà, postquam per fidem successit Abrahæ, potuit verè dicere, se iure & voluntate diuina semen esse verum & hæredem quoad diuinas promissiones, vti indicat perspicuè Paulus ad Rom. 9. cùm inquit, *non omnes, qui ex Israël sunt, ij sunt Israël, neq; omnes qui sunt semen Abrahæ, ij sunt filij: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.*

Ad Qvartvm locum respondetur Primo, sententiam illam fuisse comminatoriam, quæ, vt rectè aduertit Canus lib. 2. de locis Theolog. c. 4. iuxta communem loquendi vsum accipienda est tacita quadam cõditione subintellecta. Si nimirum is, ad quem dirigitur comminatio, non resipiscat. Resipuit autem Ezechias. Itaque nulla fuit in oratione Isaiæ falsitas, siquidem defuit conditio.

Secvndo respondetur, Deum per Prophetas suos solitum esse prænunciare non modò id, quod omnibus consideratis futurum est, sed etiã id, quod attẽdendo ad aliquas inferiores causas, vt ad merita hominum, &c. verè iudicari potest esse futurum; tametsi ex voluntate diuina, & attentis omnibus causis, secùs futurum sit. Atque hoc modo Isaias eo loco verè prædixit mortem Ezechiæ, videlicet secũdùm causas particulares, id est, solùm respiciendo ad merita ipsius præsentia. Ita similes prophetias interpretatur D. Thomas 1. p. q. 19. artic. 7. ad 2. argumentum, & 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2.

Ad Qvintvm locum respondetur, illis verbis non significari Dei præceptum, quasi is positiuè impulerit Spiritum nequam ad decipiẽdum; sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

significatur diuina permissio, quæ in Scripturis plerumque eodem genere sermonis designatur, quo præceptum & positiua voluntas Dei. Ita intelligitur illud Ioannis 13. *Quod facis, fac citius*: sicut Canus vbi suprà rectè notauit. Eodem modo ad omnia alia loca respondemus, & sic etiam exponẽdus est D. Augustinus. Quod enim is ait, per Spiritum malum Deũ solitum esse decipere, non per bonum, ideo dicit, quia Spiritus malus sit, qui permittente Deo decipere solet, non autem Spiritus bonus.

Ad TERTIVM argumentum ductum ex ratione respondeo PRIMO, quicquid sit de rationibus illis probandi, Deum non posse fallere, quæ in eo argumento impugnantur: tamẽ aliud quoddam argumentum suppetere, quo id certissimè *à priori* probatur, vt ostendimus in nostra tertia probatione secundæ conclusionis.

SECVNDO respondeo, etiamsi nullum omnino argumentum suppeteret, quo posset *à priori* id probari, tamen iure ac meritò negaremus, Deum per vllam potentiam posse fallere. Nam etsi fateor inprimis nihil esse diuinę potentię negandum, nisi quod constet repugnantiam inuoluere: tamẽ non vnica via est, vt de aliquo id constet. Potest enim cognosci vel à priore, vel *à posteriore*, vel per Scripturæ & Patrum testimonia. Et sufficit Theologo ad aliquid tãquam repugnans negandum diuinæ potentiæ, si habeat eiusmodi testimonia, & argumẽtum à posteriori, vt in proposito habemus.

Id (quoniam ad varias quęstiones de potentia Dei valere potest) ostendendum est breuiter exemplo, & ratione. *Exemplum* quidem ex Mysterio SS. Trinitatis peti potest. Asserit enim Theologus constanter implicare, vt in diuinis sint personæ plures aut pauciores tribus. Huius autem rationem *à priori* non habet. Etenim si omnia, quæ naturaliter cognoscimus, de diuina natura expẽdamus, optimè illis non obstãtibus intelligi posset, diuinitatem vnico suppposito contineri: vt tomo 1. in materia de Trinitate q. 6. p. 1. dictum est. Negat itaque Theologus, id esse posibile, quoniam ex Scriptura, cui meritò credit, cognoscit naturam diuinam (à nobis quidem non satis notam) eiusmodi reipsa esse, vt repugnet omnino eam in pluribus aut paucioribus personis, quàm tribus existere.

Ratione verò ostenditur. Nam satis est Theologo colligere aliquod absurdum, ex eo ꝙ Deus posit hoc vel illud facere, vt à posteriori meritò concludat, illud in se esse implicans & impossibile, quantumuis adhuc illi per rationem à priori non constet de tali implicatione, eo quod rei naturam imperfectè cognoscit, & imperfectius diuinæ potentiæ ac naturæ rationem. Vbi igitur de potentia Dei absoluta quæstio inciderit, diligenter distinguendæ sunt hæ duæ propositiones: Hoc non implicat. Et: Quod hoc implicet, à priori non constat. quamuis enim secunda propositio vera esset, tamen prior potest esse falsa ob rationem à posteriori, quæ deducat ad aliquod absurdum, ex eo quod Deus id posset. Sed habemus etiam in proposito rationem à priori, vt patet ex nostra tertia probatione.

PVNCTVM QVARTVM.

Qualenam sit Fidei obiectum quoad eius cognoscibilitatem; an scilicet possit esse aliquid euidens.

D. Thomas art. 4. & 5.

EVIDENS censeri solet illud, quod ita sufficienter mouet intellectum, vt in libera hominis potestate non sit dissentire, sicut satis indicat D. Thom. hic artic. 4. Potest autem aliquid ita esse euidens, vel quia est per se notum, vt prima principia; vel quia ex per se notis euidenter colligitur, vt conclusiones scientiarum; vel quia sensu etiam manifestè percipitur, vt quod est in conspectu. Et omnibus his modis quærimus, an obiectum Fidei possit esse aliquid euidens.

Sed est præterea animaduertendum, tripliciter adhuc id posse quæri. PRIMO, vt sensus quæstionis sit formalis; ita scilicet, vt quęratur, an obiectum fidei possit esse euidẽs, quatenus obiectũ fidei est, atq; adeo per ipsammet fidem. Quod est perinde ac quærere, Vtrum assensus fidei sit euidens.

SECVNDO, vt sensus quæstionis sit materialis; ita scilicet, vt quæratur, Vtrum obiectũ fidei possit esse euidens, saltem per aliquam aliam cognitionem euidentem eidem homini, qui fidem habet, ac proinde possint in eodem homine consistere simul fides & euidens cognitio de eodem obiecto.

TERTIO, vt sensus quæstionis sit adhuc magis materialis; ita scilicet, vt quæratur, an per aliquã aliam cognitionem possit obiectum fidei esse euidens, saltem secundùm communem rationem credibilitatis, vt maximè euidens non sit secundùm propriam & specialem rationem veritatis suæ. Fieri enim potest, vt sit euidens, aliquid esse fide dignũ, hoc est, prudenter credi posse, quamuis euidens non sit, illud esse verum. Vt si audias hominem magnæ auctoritatis asseuerantem, accidisse quidpiam, quod non vidisti; Id tunc euidenter est credibile propter euidentem testificationem hominis fide digni, licet non ideo sit euidenter verum, cùm possit etiam mentiri homo fide dignus. Tractanda est igitur ordine quæstio proposita hoc triplici modo.

Sit ne Fides euidens.

PRIMO ergo quæritur, Vtrum obiectum fidei sit aut esse possit euidens per ipsammet fidem, an verò ineuidens, ita vt fidei assensus pendeat peculiariter à libera motione voluntatis, & in hominis potestate sit non assentiri doctrinæ fidei.

Et quidem Manichęi hęretici Fidẽ euidentem esse oportere arbitrati fuisse videntur. Nam contendebant, nihil esse credendum, quod non ratione ostenderetur esse verum, vt ex sancto AVGVSTINO intelligi potest in libro de vtilitate credendi ca. 1. vbi ipse Augustinus narrat, ea opinione vel maximè se fuisse adductum, vt Manichæis crederet. *Quid enim me*, inquit, *aliud cogebat, annos ferè nouem spreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate.*

In eodem errore fuisse videtur Petrus Abailardus, siquidem S. BERNARDVS epist. 190. inter errores illius numerat, quòd asseruerit, *non esse credendum aliquid sine ratione*, & quod se rationem reddere velle quorumcunque fidei Mysteriorum profiteretur. Haud dubiè enim de ratione euidenti Petrus hic loquebatur: nam quòd fides nitatur ratione ineuidenti, vt puta diuina auctoritate & testificatione, extra controuersiam est. Vnde Bernardus vbi suprà Petro illi obiecit testimonium sancti Gregorij dicentis, *fidem non habere meritum, vbi humana ratio præbet experimẽtum.* Homil. 26. in euang.

Videtur quoq; in eadem sententia fuisse Caluinus lib. 2. instit. cap. 17. sect. 2. & 3. vbi ait, *fidem non in ignorantia, sed in cognitione sitam esse, & cum intelligentia coniunctam.* Ac nuper etiam quidam Sectarius in Responsione ad nostram Analysin fidei, imperitissimè contendit, Fidem non ineuidentem sed euidentem esse, nesciens nimirum distinguere inter Euidentiam & Certitudinem infallibilem, ac proinde ignoranter detorquens ad euidentiam ea, quæ in Scripturis extant de fidei certitudine infallibili, vt in peculiari libello contra Responsionem illam indocti Sectarij nuper ostensum est.

Fuerunt denique ex Scholasticis Theologis vnus aut alter, qui imprudenter in hunc errorem prolapsi sunt, vt putauerint, fidem esse euidentem. Ita enim sensit quidam Franciscus de Marchia, in prologo sent. q. 3. quem refutant Gregorius Arim. ibid. q. 1. ar. 4. & Ockamus q. 3. Et idem in re sensit Holcot. in 1. sent. q. 1. art. 6. in responsione ad 1. argumentum primi dubij: siquidem ibi contendit, non posse intellectum non assentiri veritatibus fidei, perceptis fidei motiuis, neque id pendere ex libera motione voluntatis: quod ipsum est, assensum fidei esse euidentem, vt patet ex euidentię notione initio à nobis proposita, ex doctrina D. Thomæ.

Hanc sentẽtiam probabat Petrus Abailardus ex illo Ecclesiast. 19. *Qui citò credit, leuis est corde*, vt memorat S. Bernardus, vbi suprà. Videtur enim citò & leuiter credere, qui sine manifesta ratione credit. Item insinuat aliam rationem eiusdẽ sententiæ Caluinus, vbi suprà, quod scilicet quę credũtur, dicũtur cognosci & intelligi in Scriptura.

Refert quoq; pro eadem sententia Gregorius Arimin. vbi suprà, varia argumenta Francisci de Marchia, quæ omnia reuocantur ad duo satis inepta. PRIMVM est, quia aliâs non teneremur indubitatè credere articulos fidei. Nam illa solùm, quæ sunt infallibilia tenemur sic credere. Et illa solùm putauit Franciscus ille esse talia, quæ sunt euidentia tanquam per se nota, vel ex per se notis deducta. SECVNDVM est, quòd oportet esse aliquod primum credibile, ex quo reliqua deducantur, ne alioqui procedatur in infinitum. Primum autem credibile creditur per se, atq; ita erit per se notum, reliqua etiam erunt euidentia vt deducta ex per se noto.

Sed potest præterea hęc eadem sententia confirmari aliis quinque argumentis in specie melioribus: PRIMO sic: Intellectus lumine supernaturali fidei roboratus, nõ habet minorẽ proportionem cũ obiectis fidei, quàm per lumen naturale habeat cũ obiectis naturalibus: Sed ex hac ꝓportione ꝓuenit, vt obiectis naturalibus commodè ꝓpositis non possit nõ assentiri, atq; adeo euidenter illa cognoscat: Ergo similiter proportio luminis supernaturalis fidei cũ obiectis fidei efficiet, vt obiectis fidei sufficienter ꝓpositis, necessariò atq; adeo euidenter assentiatur.

SECVNDO, Nam si motiua & rationes fidei non compellunt intellectũ, quęro quid est, quod efficit, vt ille assentiatur? Respondebitur id effici à libera motione voluntatis. At contra potest obiici, quòd vel illa motio parit cum assensum supplendo efficaciam, quam oporteret habere motiua fidei, vt cogerent intellectum: Et hoc nõ apparet quomodo illa motio efficiat; libera enim motio voluntatis nullã vim suppeditat motiuis, quam alioqui ex se illa non habeant. Vel parit eum assensum duntaxat applicandõ liberè intellectum ad hoc, vt assensum eliciat. At contra hoc etiam potest obiici, quòd isto modo etiã ad assensum scientiæ libera motione voluntatis opus est; nunquam enim assentiemur per scientiam nisi velimus. Et tamẽ non obstante hac dependentia à voluntate, assensus scientiæ est euidens: Ergo & fidei poterit esse euidens.

TERTIO, si in libero motu voluntatis est positum credere, cùm credere sit aliquid rectæ rationi consentaneum, & præterea difficile; oportebit virtutem indicare, ad quam illa motio libera voluntatis pertineat: Omnis enim actus liber circa bonum difficile, alicuius virtutis est. At nõ apparet, quænam sit eiusmodi virtus.

QVARTO, Si, cùm rationes & motiua non cogunt, liberũ est nihilominus assentire alicui propositioni, pari ratione in libera voluntate situm erit absque vlla prorsus ratione aliquid credere: vt v. g. arenas maris esse pares. Consequens est falsum, & contra Philosophum lib. 3. de Anima c. 3. asserentem, in nostra quidem potestate esse, *imaginari* quod volumus, non tamen *opinari*. Ergo id etiam erit falsum vnde hoc consequitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVINTO, si Fides euidens non est, maximè propterea quòd experientia constat, multos esse, qui fidem non amplectantur; ex quo colligitur, liberum esse, fidei propositionibus assentire. At non rectè colligitur inde ineuidentia fidei: Ergo, &c. Minor probatur. Nam inde alterutrũtãtummodò possumus inferre, scilicet aut fidem ineuidentem esse, quia non compellat intellectum: aut illos, qui fidei repugnant, non penitus percipere motiua & rationes ipsius, sed malitiosè ad fidei lucem oculos claudere. Non rectè igitur inde colligimus alterum determinatè, nimirum fidem esse ineuidentem.

His tamen non obstantibus contraria sententia est certa & communis Theologorum, scilicet fidem esse ineuidentem, & ideo ex libera motione voluntatis pendere; & contrarium asserere est prorsus erroneum.

Probatur PRIMO ex Scriptura. Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis indicat Dominus, in libera hominũ potestate esse credere aut non credere, etiam postquam sufficienter eis fuerit explicata doctrina Euangelij, ac proinde fidem non esse euidentem. Et Ioan. 12. *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ impleretur; quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro?* Et Actor. 28. *Quidam credebant his, quæ dicebantur* (à Paulo) *quidam verò nõ credebant:* nimirum pro cuiusque arbitratu. Et ad Rom. 10. *Corde* (id est, arbitrio & voluntate) *creditur ad iustitiam.* Et ibidem: *Non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?* Et rursus: *Ad Israël autem dicit* (Isai. 65.) *Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Et ad Hebr. 11. *Est autem Fides substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*

SECVNDO probatur ex Conciliis. Nam in Concilio Arausicano can. 5. dicitur, *initium fidei esse ipsum credulitatis affectum* (puta liberum) *eúmque inesse nobis per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem* (inquit) *voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem*, videlicet in hoc liberam. Et in Concilio Tolet. 4. can. 55. neminem cogendum esse ad fidem, inde probatur, quia *sicut homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens periit, sic* (vocante se gratia Dei) *propria mentis conuersione quisq; credendo saluatur.* Quem canonem refert quoque Gratianus in decret. 45. d. canone, De Iudæis. Item in Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. dicitur, homines disponi ad iustitiam, *dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.*

TERTIO probatur ex Patribus. S. IRENÆVS lib. 4. cap. 72. *Non tantum*, inquit, *in operibus, sed etiam in fide liberum & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Dominus, dicens; secundùm fidem tuam fiat tibi; propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam.*

S. ATHANASIVS in Tractatu de salutari aduentu Christi aduersus Apollinarium: *Non enim*, inquit, *fides de re euidenti concepta, fides dici poterit. Sed fides est, quæ in impossibili* (secundùm quandam apparentiam) *possibilitatem, & robur in imbecillitate, & patibile in impatibilitate, & corruptionem in incorruptibilitate, et mortale in immortalitate, et in paucitate magnitudinem credit.*

S. Gregorius NAZIANZENVS oratione 2. de Theologia: *Ducem*, inquit, *potius fidem, quàm rationem sequamur; si modò ingenij tui infirmitatem in propinquioribus rebus didicisti, rationemq; in hoc positam esse cognouisti, vt quænam sint ea, quæ rationis humanæ captum excedant cognoscas: ne alioqui prorsus terrenus sis, rebusq; terrenis immersus, ipsã quoq; ignorantiam ignorans.*

S. HILARIVS lib. 8. de Trinit. ante medium: *Habet*, inquit, *non tam veniam quàm præmium ignorare quod credas, quia maximum fidei stipendium est sperare quæ nescias.* Vbi videtur alludere ad Apostoli dictum, scilicet fidem esse substantiam & argumentum sperandarum rerum, *non apparentium.*

S. AMBROSIVS lib. 1. de Abraham cap. 3. *Bonum est*, inquit, *vt rationem præueniat fides, ne tanquã ab homine, ita à Domino Deo rationem videamur exigere. Et enim quàm indignum, vt humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus?*

S. AVGVSTINVS Tract. 40. in Ioannem. *Credimus*, inquit, *vt cognoscamus; nõ cognoscimus, vt credamus. Quod enim cogniturí sumus, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid enim est fides, nisi credere, quod non vides? Fides ergò est, quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre.* Et Tract. 79. in Ioã. *Hæc est*, inquit, *laus fidei, si, quod creditur, non videtur.* Et sermone 1. de festo Trinitatis: *Accepto*, inquit, *baptismo, hoc dicimus: Fidelis factus est, siue factus sum, credo quod nescio, & propterea scio, quia me scio nescire, quod nescio.*

S. GREGORIVS homil. 26. in Euangelia. *Diuina*, inquit, *operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Quod Gregorij testimonium S. Bernardus vbi suprà, opposuit Petro Abailardo, vt notauimus.

Ac simile dictum legimus apud Cyprianũ (vel quisquis fuit ille auctor) in Tractatu de Operibus Christi cardinalibus, sermone de Natiuitate Christi. *Circa infantiam*, inquit, *paruuli, diuinitatis intimatæ nullum humana ratio præbebat experimentum: sed auditui fides obtemperans nullum apud Deum impossibile verbum credidit.* Et infrà citans illud Isaiæ 9. *Paruulus natus est nobis: Hoc*, inquit, *potuit videri. Hic nullum fides meritum quærit.* Quæ si sint accepta ex Gregorio, auctor ille nec Cyprianus, nec Cypriani æqualis esse potuit. Nisi forte Gregorius potius in ea sententia Auctorem illum secutus fuerit.

QVARTO, probatur orthodoxa sententia de ineuidentia, & libertate fidei, ratione in Scripturis fundata. Nam quod laudatur & remuneratur, & cuius contrarium reprehenditur ac punitur, id ex libera voluntate pendet; Sed quòd homines credãt, laudatur & remuneratur, & quod non credant, reprehenditur & punitur. Ergo ex libera voluntate pendet fides, atq; adeo non est euidens. Minor probatur ex iis locis. Ioan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderũt.* Et ad Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones.* Et 1. Petri 1. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.* Et contrà reprehenduntur increduli. Lucæ 24. *O stulti & tardi corde ad credendum.* Et Marci 16. *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duriciam cordis.* Et ibidem additur pœnæ comminatio. *Qui non crediderit, condemnabitur.*

QVINTO, probatur ab experientia difficultatis, quam sentit humana ratio in assentiendo rebus fidei; quæ difficultas satis superque ostendit, fidem non esse euidentem, cùm adeo intellectus ad ei assentiendum non cogatur, vt etiam non sine difficultate ad id adducatur: iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 20. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

Atque ex his argumentis sequitur etiam, falsò asseruisse Scotum in d. 25. quæst. 2. ad assensum fidei non esse necessariam liberam motionem voluntatis, sed satis esse, vt voluntas non resistat intellectui: tametsi non sensit quidem Scotus ad id cogi intellectum, sicut dixit Holcot.

Sed oportet, vt respondeamus ad contraria argumenta initio obiecta. Ad FVNDAMENTVM Abailardi respondeo cum sancto Bernardo vbi suprà, in illo loco Ecclesiast. 29. sermonem esse non de eo, qui credit Deo, àductus motiuis nostræ fidei, de quibus dicemus p. seq. sed de eo, qui leuiter credit homini.

Ad fundamentum item insinuatum à CALVINO, respondeo, cognitionem siue intelligentiam latius patere, quàm cognitionem euidentem. Nam cognitio etiam obscura & ineuidens, est quædam cognitio & intelligentia, & talem cognitionem tribuit fidei sacra Scriptura: imò etiã quandam visionem ænigmaticam, accipiendo visionis vocabulum prout significare solet qualemcunque cognitionem, vt notauit AVGVSTINVS serm. 33. de verbis Domini. Vnde Apostolus 1. Corinth. 13. loquens de cognitione fidei: *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nũc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum.* Hinc etiã sanctus AVGVSTINVS in Psalm. 118. circa illud: *Da mihi intellectum, &c. Nisi aliquid intelligat, nemo*, inquit, *potest credere in Deum.*

Ad argumẽta Francisci de Marchia facilè quoque respondetur. Ad PRIMVM negandum est omnino, illa sola esse infallibilia, quæ sunt euidentia, neque id Franciscus ille probat. Itaque asserimus, illa quoque esse infallibilia & indubitatè credenda, quę nituntur diuina reuelatione (quãtumuis ineuidenti modo) testata & cognita per fidei motiua, & Ecclesiæ propositionem.

Ad SECVNDVM, nego inprimis esse tale aliquod primum credibile, quod oporteat primò & ante omnia per se credere. Iam enim vidimus p. præcedenti, fidem sine vllo certo ordine posse immediatè assentiri cuilibet credibili, propter diuinam reuelationem. Secundò, negandum est, id esse per se notum euidenter (sicut hic loquimur) quod per se creditur, seu primò seu secundò: sed est id per se notum ineuidenter. Iam enim diximus, cognitionem latius patere, quàm cognitionem euidentem. Itaque quamuis diuinam reuelationem de aliqua propositione fidei, per se ipsam cognoscimus & credimus per fidem, sine alia reuelatione, vt puncto 1. explicuimus: tamen non illam per se cognoscimus euidenter.

Ad reliqua quinque argumenta, quæ addidimus, ita ordine respondeo. Ad PRIMVM dico, disparitatem esse, quòd lumen ipsum naturale parit nobis difficultatem in assentiẽdo rebus fidei, non autem in assentiendo ꝓpositionibus scientiarum. Quare proportio illa intellectus affecti lumine supernaturali ad veritates fidei, non perinde sufficit ad euidentiam; cùm non sit ei proportio illa intima, sed aduentitia.

Ad SECVNDVM respondeo, liberam motionem voluntatis non parere assensum fidei suppeditando aliquam vim peculiarem motiuis & rationibus fidei, sed mouendo intellectum ad eliciendum assensum, quem naturâ sua, Deo adiuuante, potest elicere, existentibus illis motiuis & rationibus, tametsi ab illis non cogatur. Ex quo fit, vt talis assensus sit euidens.

Nec verò, vt obiiciebatur in argumento, eodem modo assensus scientiæ pendet à libera motione voluntatis. Is enim solùm pendet à voluntate quoad *exercitium*, hoc est, vt actus absolutè eliciatur, & non sit otiosa potentia intellectus; assensus verò fidei pendet à libera motione voluntatis etiam quoad *specificationem*, id est, libera motio voluntatis non solùm necessaria est, vt actus circa obiectum fidei eliciatur, sed vt actus talis speciei circa id obiectum eliciatur, qui nimirum sit assensus & non dissensus, cùm alioqui, quantum est ex vi motiuorum fidei, & natura intellectus, secluſa tali motione voluntatis, potuisset elici actus circa obiectum fidei, qui fuisset dissensus. In scientia autem, si actus circa obiectum scientificum elicitur percepta demonstratione, necessariò debet esse assensus, atque ita quoad hoc, non dependet à libera voluntate.

Ad TERTIVM respõdeo, omnino ad aliquam virtutem pertinere liberum illum cõsensum voluntatis in fidem. Neque tamen ea virtus est charitas. Nam infrà videbimus, fidem posse esse informem absq; charitate. Quod si alicubi S. Thomas charitati tribuere videatur huiusmodi consensum, nihil vult aliud, quàm charitatem non

Universidad de Deusto
Biblioteca

parum conferre ad fidem. Virtus ergò ad quam propriè pertinet huiusmodi consensus, est *studiositas*, vna ex virtutibus moralibus, de qua disserit D. Thomas infrà q. 166. vbi eam collocat in voluntate. Eius verò munus est, intellectum impellere ad cognoscenda ea, quę nosse expedit secundùm rectam rationem. Constat autem in his præcipuam esse doctrinam fidei, quare studiositatis est mouere intellectum, vt assentiatur fidei. Id quod inprimis pertinet ad studiositatem, prout est virtus moralis, non solùm acquisita, sed etiam infusa in ordine ad finem supernaturalem, ad quem spectat maximè motio illa voluntatis in fidem: iuxta dicta de Virtutibus moralibus infusis tomo 2. disp. 5. Solet etiam huiusmodi consensus voluntatis ad fidem necessarius appellari *pia affectio*: nempè quoniam fides, quam parit, fundamentum est pietatis.

Ad QVARTVM: Ockam in 2. d. 25. concedit, quod infertur, nimirum sine vllo fundamento posse nos quę libeat opinari pro arbitratu. Idem videtur concedere Caietanus 1. 2. q. 65. art. 4. sed malè. Nam etsi sit in libera potestate nostra inclinare intellectum ad assentiendum, etiam quando rationes non cogunt: tamen requiritur, vt aliqua suppetant motiua tametsi non cogentia: idque propterea quòd talis sit intellectus naturâ (sicut experimur) vt nisi suppetant aliquæ rationes, non possit moueri à voluntate.

Ad VLTIMVM respondeo primùm, non esse illam potissimam rationem, cur aliqui non credant, sed illam, quam ex difficultate doctrinæ fidei, cõfirmata testimoniis Scripturæ petiuimus. Non enim est verisimile, inter illos, qui doctrinam fidei inficiantur, reperiri neminẽ, qui motiua ac rationes nostræ fidei perceperit; maximè cùm multi ex illis, eiusmodi rationibus ac motiuis inducti fidem antea complexi essent, quam postea repudiarunt. Igitur non ex eo, quod rationes non percipiant, omnes dissentiunt, sed quia liberum est fidei assentiri, quæ proinde non est euidens.

Possit ne Fides esse de obiecto euidenter aliunde cognito.

SEQVITVR nunc SECVNDA quæstio, vtrum scilicet obiectũ fidei possit esse euidẽs per aliam saltem cognitionem, ita nimirum, vt idem homo possit simul & per fidem, & per euidentem notitiam (vt v.g. scientiæ) cognoscere & sibi persuadere idem obiectum secundùm idem. Vt v.g. Deum esse, aut Deum esse vnum.

De qua quæstione duæ sunt contrariæ Theologorũ sententiæ. Vna negat: quæ est D. Thomæ hic art. 4. & 5. & Capreoli in 3. d. 25. q. vnica, art. 2. concl. 1. & 2. & Caietani hìc art. 4. & 5. & aliorum Thomistarum, ac præterea Scoti in 3. d. 24. q. vnica, §. *ad quæstionẽ*, in fine, & §. *sed si aliter loquamur*, etiam in fine, & Richardi in 3. d. 24. q. 5.

Hæc sententia variis argumentis probari potest, quamuis apud eius auctores non nisi vnum ferè aut alterum argumentum reperio, cuius faciam quoq; mentionem. PRIMO posset probari ex illis Scripturę testimoniis, quib⁹ antea probauimus, obiecta fidei cognosci ineuidenter: & peculiariter ex Apostolo ad Hebr. 11. definiente fidem esse argumentum rerum *non apparentium*. Videtur enim illis locis indicari, quòd ne per aliam quidem cognitionem sint aut esse possint euidentia ea, quæ per fidem creduntur.

SECVNDO, ex testimoniis Patrum suprà citatis, qui idem asserere videtur, ac nominatim sanctus Augustinus Tract. 79. in Ioan. vbi inter cætera ait: *Nescio vtrum credere dicendus est quisq; quod videt. Nam ipsa fides in epistola, quæ scribitur ad Hebræos, ita est definita: Est autem fides sperantium substantia & coniunctio rerum, quæ non videntur.*

TERTIO sic: Omnis actus fidei est ex se laudabilis & meritorius, quatenus est de obiecto quod creditur. Sed nullus assẽsus de obiecto per vllam aliam cognitionem euidenter noto, potest esse meritorius, quatenus est de tali obiecto: Ergo nullus talis assensus potest esse actus fidei: & vi consequentis efficitur, nõ posse simul vllum obiectum credi per actum fidei, & cognosci euidenter per vllam aliam cognitionem. Maior probatur ex his testimoniis Scripturæ vniuersalibus de omni actu fidei: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marci 16. Et: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Ioan. 20. Et: *Sancti per fidem adepti sunt repromissiones*, ad Hebr. 11. Minor autem probatur tum testimonio Gregorij & Cypriani (seu quisquis fuit auctor tractatus de operib⁹ Christi cardinalibus) qui aperte negant, fidem *habere meritum, si humana ratio præbeat experimentum*. Tum etiam ratione. Nam meritum vt meritum, debet esse actus liber: assensus autem de obiecto, q̃ per vllam cognitionẽ euidenter sciatur, nõ est liber, quatenus est de tali obiecto, siquidem necessariò cogitur intellectus assentiri obiecto euidenti.

QVARTO sic: Impossibile est, vt vnum & idem cognoscatur simul euidenter & ineuidenter: Ergo etiam, vt vnum & idem cognoscatur euidenter, & per fidem. Antecedens probatur, tum quia euidentia & ineuidentia intellectus opponuntur contradictoriè: tum quia necessariò assentimur ei, quod euidenter cognoscimus, ei autem, quod cognoscimus ineuidenter, assentimur non necessariò; nec fieri potest, vt simul necessariò & nõ necessariò assentiamur vni & eidem obiecto. Consequentia verò patet, quoniam fides est ineuidens. Atque hoc est argumentum, quo nituntur auctores illius primæ sententiæ.

QVINTO sic: Non minus opponuntur assensus euidens & ineuidens, quàm assensus sine formidine oppositi, & assensus cum formidine. Sed propter hanc oppositionem assensuum cum formidine & sine formidine, negat Philosophus primo poster. text. 44. posse haberi simul scientiam & opinionem de eodem; eo quòd assensus scientię est sine formidine, opinionis autem cum formi-

formidine. Ergo pari ratione propter oppositionem assensus euidentis & ineuidentis negari debet, posse esse simul de eodem obiecto assensum euidentem, & assensum ineuidentem fidei. Quo argumento etiam vtuntur aliqui auctores illius primæ sententiæ.

SEXTO: Fieri non potest, vt lumen maius & lumen minus simul illuminent idem subiectum: siquidem maius impedit minus, vt Sol candelam. Ergo nec fieri potest, vt simul intellectus illuminetur à fide, & à cognitione euidenti, quæ est lumen maius.

SECVNDA sententia contrà affirmat, idem secundùm idem posse credi, & simul cognosci euidenter. Ita docent multi & graues Theologi: nempe Alex. Hallensis 3. p. q. 79. memb. 3. circa finem, & Albertus Magnus in 3. d. 24. art. 9. & Altisiodorensis 3. p. tract. 3. cap. 1. q. 4. vbi ad extremum deniq; videtur idem dicere, quod Hallensis. Item Bonauentura in 3. d. 24. art. 2. q. 3. & Durandus in prologo sent. q. 1. num. 39. & seq. & Gabriel in 3. d. 24. q. vnica, art. 2. concl. 3. Et hæc sententia mihi videtur probabilior, vtpote magis conformis sacris literis, & Patribus, & rationi.

Probatur PRIMO ex Scriptura, quæ inter ea, quæ ab omnibus, nemine excepto, credẽda sunt ex fide, numerat quædam, quæ per demonstrationem constare possunt, & doctioribus etiam cõstant. Nam Exodi 20. & Deuter. 6. proponitur omnibus ex fide credendum, *vnum esse verum Deum, nec plures Deos habendos*. Quod ipsum per euidentem demonstrationẽ constare potest, & multis constat.

Item Apostolus ad Hebr. 11. generatim affirmat, *oportere accedentem ad Deum credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit*. Vbi absolutè de *Esse* Dei loquitur, atque adeo etiam de eo Dei Esse, quod naturaliter sciri euidenter potest, & à multis scitur.

Item ibi etiam affirmat, fide cognosci, Deum esse auctorem & effectorem sæculorum: quod etiam potest euidenter sciri, & scitur à peritioribus. *Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei; vt ex inuisibilibus visibilia fierent*.

Atque etiam de Abraham affirmat ad Rom. 3. quòd fide confirmatus certissimè sibi persuaserit id, quod verisimile est tantum patriarcham euidenter etiam cognouisse, cùm sit cognitu facillimum, nimirum Deum posse implere, quod promisit. Sic enim ait Apostolus de Abraham: *Confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciẽs, quia quæcunq; promisit, potens est & facere. Ideo reputatum est illi ad iustitiam*: nempe quod fide etiam id crediderit, iuxta illud Abacuc. 2. *Iustus ex fide viuit*.

Et certè nimis violenta Scripturæ interpretatio esset dicere, quod in iis locis, vbi omnib⁹ credenda proponuntur ea, quę euidenter quoq; sciri possunt, excipiantur homines eruditi, quasi hi nec debeant, nec possint ea credere, cùm sciant euidenter.

SECVNDO probatur similiter ex Apostolico Symbolo & Nicæno, vbi omnibus itidem, siue indocti siue docti sint, proponitur ante omnia credendus articulus de vno & vero Deo, & omnipotente, & creatore cæli & terræ, qui euidenter quoque à multis scitur.

Nec videtur satisfacere, quod D. Thomas infrà art. 8. ad 1. ait, in eo articulo nomine vnitatis diuinæ cõtineri multa, quæ naturali ratione Philosophi inuestigare non potuerunt, puta circa prouidentiam eius, & omnipotentiam, & quod ipse solus sit colendus. Hoc inquam non satisfacit. Tum, quia negari non potest, quin aliqua etiã in illo articulo contineantur, quæ potuerunt sciri per demonstrationem à Philosophis, & nunc sciuntur à multis; vt, esse Deum verum, & eũdem vnum, &c. quæ tamen nihilominus proponũtur omnibus per fidem credenda, sicut argumentati sumus. Tum etiam, quia nõ videtur verum, quòd non potuerint Philosophi per demõstrationem cognoscere, quòd Deus solus sit colendus honoribus diuinis, & quòd sit omnipotens ac prouidens omnibus (id quod etiam omnibus est credendum) licet quidam effectus omnipotentiæ & prouidentiæ diuinæ cognoscantur solùm per fidem, vt Incarnatio, & alia Mysteria.

TERTIO, probatur illa secunda sententia ex Patribus, qui cùm agunt de iis, quæ credẽda sunt, nunquam excipiunt doctos, quod attinet ad ea, quæ de Deo euidenter demonstrari possunt. Vt S. CYRILLVS Hierosolymitanus catech. 6. cùm explicans articulum illum Symboli: *Credo in Deũ*, inter ea, quæ ad pietatem (vt inquit) sufficit scire de Deo, hoc inprimis numerat, quòd *Deum*, inquit, *habemus. Deum vnũ, Deum existentem, & semper existẽtem, sibi perpetuò similem*. Quæ certè à multis euidenter sciũtur, & tamen ab omnibus procul dubio, ex sentẽtia tanti auctoris, in Symbolo credenda per fidem & profitenda sunt.

Item S. CHRYSOSTOMVS homil. 2. in Symbolum Apostolorum, tomo 5. ad omnes seu doctos seu indoctos pertinere putauit, quod ait: *Dicite quod à nobis auditis: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Videte, vnde cæpistis. Credo, dixistis. Hæc credulitas confert vobis præsentis vitæ securitatem, & futuræ vitæ æternitatem. Ergo ponite in fundamento cordis hanc credulitatem. Sed in quo? Videte, in Patre. Quod dixistis in capite orationis: Pater noster, qui es in cælis: hoc dicitis & in Symboli confessione: Credo in Deũ Patrem omnipotentem, totus in cælo, totus in terra*. Et tamen horum ipsorum credulitatẽ, quæ euidenter à multis scitur, vult Chrysostomus ab omnibus poni in fundamento cordis.

Item S. AVGVSTINVS in libro de Fide & Symbolo cap. 1. de omnibus fidelibus, & quoad omnes Symboli Apostolici articulos loquitur, cùm inquit: *Est autem fides catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriaq; mandata, quantum res passa est breuitate sermonis, &c.* Et lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 20. *Fidei*, inquit, *primum & maximum officium est, vt in*

Universidad de Deusto
Biblioteca

verum credatur Deum. Certè credibile non est, in fidelibus doctis, qui Deum vnum & verum euidenter cognouerunt, locum non habere fidei *primum* & *maximum* officium.

Deniq; etiam RVFFINVS in expositione Symboli, quæ est inter opera sancti Cypriani, ad articulum illum: *Credo in Deum, &c.* accommodat dictum Apostoli ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et postea subiungit: *Deum cùm audis, substantiam intellige sine initio, sine fine, simpliciter, &c.* quæ à multis sciuntur euidenter, & tamen oportet credi ab omni eo, qui accedat ad Deum.

QVARTO probatur ratione. Nam auctoritas diuinæ reuelationis cognitæ per motiua fidei, & vis rationis euidentis, minimè inter se pugnant, sed potius consentiunt, quatenus conspirant in vero. Ergo potest intellectus moueri simul ad assensum, & ꝓpter reuelationem diuinam per motiua fidei cognitam, & ꝓpter rationem euidentem, si quæ suppetat ad assentiendum eidem veritati, ac proinde potest simul eidem assẽtiri per fidem, & per euidentem cognitionem.

QVINTO, si assensus fidei, & assensus euidens de eodem non possunt stare, sed assensus euidens assensum fidei excludit, vt dicunt: non autem assensus fidei assensum euidentem (constat enim experiẽtia, fidem non impedire, quominus quis acquirat euidẽtem assensum per demonstrationem) sequitur, hominem quod attinet ad eos fidei articulos, qui euidẽter sciri possint, deterioris esse conditionis, si doctus sit, quàm si sit indoctus. Quod certè sine absurditate concedi non potest. Id autem consequi, probatur: nam fidei cognitio supernaturalis, vt infrà q. 5. videbimus, multò est certior, atq; adeo etiam absolutè perfectior, quàm cognitio naturalis euidens. Ergo deterior erit conditio illius, qui propter doctrinam fraudatur hac fidei cognitione, quàm eius, qui beneficio imperitiæ suæ particeps esse potest huius fidei cognitionis.

SEXTO probatur, nam potest commodissimè intelligi & explicari, quod assẽsus fidei de aliquo obiecto sit per se ineuidens, etiamsi illud idem euidenter cognoscatur per aliam cognitionẽ. Ergo non est negandum, quin vnum & idem obiectum possit simul vtroque modo cognosci. Probo antecedens. Nam ineuidentia assensus in hoc propriè consistit, vt per ipsum quidem, & quantum est ex vi fundamenti seu rationis, qua talis assensus nititur, non assentiatur intellectus necessariò & immobiliter, sed possit quoq; dissentire. Hoc autem omnino etiam de assensu fidei tunc verificabitur, cùm simul assentietur intellectus eidem obiecto euidẽter per aliam cognitionem innixam alij medio & fundamento euidenti. Nam tunc etiam verissimè dicemus, assensum illum fidei, vt suo ipse fundamento nititur, scilicet diuina reuelationẽ obscura, non esse necessarium & immobilẽ, vt est de tali obiecto, ac proinde esse per se ineuidentem: licet aliunde intellectus habeat circa idem obiectum immobilitatem, atq; adeo euidentiam. Non enim est de ratione ineuidentis assensus, vt nullo prorsus ex capite habeat intellectus euidẽtiam circa tale obiectum, sed vt eam non habeat per talem quidem assensum, & vt fundamento obscuro nititur.

Porrò his argumentis æquè probatur, posse simul aliquid cognosci per fidem, & per qualemcunque cognitionem euidentem, siue ea habeatur per demonstrationem scientificam, siue per certam experientiam, &c. Quamuis Bonauentura quidem vbi suprà q. 1. id negat de cognitione euidenti & intuitiua per sensum; sed sine firmo fundamẽto. Non enim est difficilius intelligere, quomodo simul aliquid cognoscatur per fidem, & talem cognitionem euidentem, quàm per cognitionem scientificam euidentem, id quod Bonauentura vbi suprà q. 3. concedit.

Ac potest dupliciter fieri, vt (quemadmodum probauimus) simul quis assentiatur eidem veritati per fidem & per alium assensum euidentem. VNO modo ita, vt ratione solùm differant assensus fidei ineuidẽs, & assensus euidens. Idem namque re assensus potest esse tum *fidei*, quatenus nititur reuelatione diuina, & quatenus vt sic non habet immobilitatem, atq; adeo vt est ineuidẽs; tum etiam *scientiæ* aut *experimentalis*, quatenus nititur euidenti demonstratione aut experientia sensus. Atque isto modo rem hanc declarat Durandus vbi suprà.

ALTERO modo potest id fieri per plures assensus re etiam distinctos, quorum alter sit fidei, alter euidens; & id quidem siue simul in eodem instanti, siue successiuè sub idem tempus. Ostendimus enim tomo 1. disput. 4. q. 9. p. 3. ex aliquorum Theologorũ sententia, nihil impedire, quominus intellectus simul eliciat duas intellectiones diuersas per diuersa media, etiam circa obiecta diuersa, ne dum circa idem, vt in proposito.

Sed iam respondendum est ad argumẽta, quæ fecimus pro contraria sententia. Ad PRIMVM & SECVNDVM dico, neque Scripturam nec Patres aliud significare, quàm quòd fides sit earum rerum, quæ non apparent, nec videntur per ipsam quidem fidem: vt patet peculiariter ex Apostolo & Augustino, qui id asserunt, definientes vim ipsam atque rationem fidei.

Ad TERTIVM nego Minorem. Ad probationem dico, assensum fidei de obiecto aliunde euidenter noto, esse quoq; liberum (atq; adeo meritorium) vt est de tali obiecto per *medium* quidem fidei: nam etiamsi quis aliunde sciat aliquid euidenter, tamen posset negare, esse quidem reuelatum à Deo, & ideo verum, cùm id non sit euidens. Vnde id credendo meretur eo quidem merito, quod est proprium assensus fidei, quatenus fidei est.

Sed OBIICIET hic aliquis quòd Dominus Ioan. 20. videtur indicasse, non esse vllum meritum

tum in fide, quando est de obiecto aliunde euidenter noto, inquiens: *Quia vidisti me Thoma credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt.*: Thomas enim per aliam notitiam, scilicet experimẽtalem, habuerat euidentiam, quòd Christus resurrexisset, & tamẽ nihilominus significauit Dominus, illius fidem de hoc nõ habuisse meritum.

RESPONDEO, Dominum non omnino negasse, fuisse meritum in illa fide Thomæ, sed indicauit, fuisse minus meritum, eo quod minus difficile sit credere reuelationem de aliquo, si illud euidenter etiã aliunde cognoscatur. Hęc responsio verissima est, etiamsi ponamus, Thomam illud idem tunc credidisse, quod euidenter agnoscebat, scilicet Dominum viuere, vt planè colligitur ex textu. Si autẽ cum AVGVSTINO tract. 79. in Ioannem, & GREGORIO homil. 26. dicamus, aliud eũ vidisse, scilicet *hominẽ*, & aliud credidisse, scilicet *Deum*, clarius est habuisse meritũ.

Ad QVARTVM argumentũ iam patet responsio ex vltima nostra probatione. Distinguendum est enim Antecedens. Nam verum est, non posse intellectum per vnum & idem medium, & per assensum vnius & eiusdem rationis, assentiri eidem euidenter & ineuidenter; idq; solùm concludunt probationes illius Antecedentis. Potest autẽ per alium & alium assensum seu re seu ratione saltem distinctum; vt patet ex nostra vltima probatione. Euidentia enim & ineuidentia assensus non opponũtur contradictoriè respectu intellectus, nisi prout is vno aliquo & eodem assensu assentitur, non autem prout assentitur per assensus diuersos. Primo enim conuenit ea euidentia vel ineuidentia assensui, & ratione assensus intellectui. Et similiter ratiocinandum est de euidentia & ineuidentia habituum intellectus, non enim opponuntur nisi secundùm vnum & eũdem habitum, non autem secundùm diuersos.

Ad QVINTVM argumẽtum respondeo ex sententia Bonauenturæ in 3. d. 24. ar. 2. q. 2. & Durandi in 1. q. prolog. num. 20. & seq. per distinctionem Minoris. Nam si assensus opinionis consideretur, vt accidentaliter est plerumq; coniunctus actu cum formidine oppositi, cum scilicet est de obiecto, quod est aut esse putatur *contingens*; sic quidem non potest esse cum assensu sciẽtiæ, cùm hæc sit de obiecto *necessario* & cognito vt tali: & sic assensum opinionis cõsiderauit Philosophus. Si autem assensus opinionis consideretur solùm ex parte medij, per se & essentialiter, vt est scilicet probabilis duntaxat, siue vt innititur fundamento solùm probabili, atq; adeo, vt ipse quidem ex se non excludit formidinem de oppositio, sic bene potest consistere cum assensu scientiæ excludente formidinem. Nam sicut de ratione fidei supernaturalis non est, vt ex nullo capite sit aliunde notum euidẽter obiectum quod creditur; ita neque est de ratione opinionis, vt ex nullo capite aliunde excludatur formido de oppositio eius obiecti, quod per opinionem cognoscitur, sed vt ipsa quidem opinio ex se non excludat eam formidinem.

Atq; eadem ratione sequitur, posse stare simul assensum *fidei humanæ* & *scientiæ* de eodem. Nam vt rectè Durandus sentit vbi suprà numero 19. fides humana & opinio nõ differunt essentialiter, cùm vtraq; nitatur medio solùm probabili non excludente per se formidinem; sed solùm differunt materialiter siue accidentaliter; quatenus medium probabile, quo nititur fides, est auctoritas dicentis: medium autem probabile, quo nititur opinio, est ratio. Vnde quod D. Thomas hic art. 4. dicit, assensum voluntariũ & ineuidentem, si sit cum formidine, esse opinionem, si autem sit cum certitudine & sine formidine, esse fidem, intelligi debet de fide supnaturali & infusa, de qua disputamus. Nam fides humana nõ excludit formidinem, cùm non differat essentialiter ab opinione, sicut est dictum.

Ad VLTIMVM argumẽtum neganda est consequentia, quidquid sit de Antecedente. Ratio discriminis est, nam lumen corporale quod à debiliore corpore luminoso produci potest, non alterius rationis est, quàm lumẽ corporale, quod producitur à luminoso corpore fortiori: & ideo cùm, prædominante & vincente corpore luminoso fortiori, subiectum occupatur, & afficitur à lumine per illud producto, nõ est amplius in potentia, vt recipiat lumen minus aut æquale eiusdem rationis, quod potest produci à corpore luminoso debiliori. In proposito autẽ illuminatio assensus fidei, quam potest adferre intellectui diuina reuelatio, alterius rationis est, quàm illuminatio assensus euidentis, quam potest ei adferre demonstratio seu medium euidens: ac proinde potest intellectus recipere illuminationẽ assensus fidei, non obstãte quòd circa idem obiectum illuminetur per assensum euidẽtem. Adde quod illuminatio fidei, ꝙ ad rem ipsam & perfectionem assensus attinet, simpliciter ꝑfectior & maior est, quàm illuminatio assensus euidẽtis, vt patebit infrà q. 4. Et ita si aliquid probaret illud argumentum, non probaret fidem excludi per cognitionem euidentem, sed contrà potius, cognitionem euidẽtem excludi per fidem. Verùm eodem modo tunc respondendum est.

Sint ne euidenter credibiles veritates Fidei.

SVPEREST TERTIA qstio, An obiecta fidei possint simul euidẽter cognosci sub ratione cõmuni credibilitatis; seu (ꝙ idem est) an veritates fidei sint euidenter credibiles. Et pars negatiua huius quæstionis videtur his argumẽtis probari posse.

PRIMO. Non est verisimile, quin aliqui eorũ, qui fidem nostrã reiiciunt, perceperint rationes & argumẽta, quib⁹ nobis persuademus doctrinã fidei esse credibilem; & tamẽ nullus illorum hoc sibi persuadet: Ergo hęc fidei credibilitas non est euidens: Cui nimirũ nemo possit refragari rationibus perceptis. Antecedẽs pro prima parte pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

batur. Nam eisdem argumentis conuincitur, doctrinã nostræ fidei probabiliter esse veram, quibus cõuincitur esse dignam fide, siue credibilem: Sed aliqui eorum, qui reiiciunt fidem, percipiũt rationes, quibus illa ꝓbabiliter persuadetur, tãquam vera: Ergo etiam rationes, quibus persuadetur vt credibilis. Probatur etiam idem Antecedens pro secũda parte. Nam si illi interrogentur, cur abiiciant nostram fidem, respondebũt, quia est indigna, cui assensus præbeatur prudenter, alioqui si confiterentur illam esse credibilem, arguerent sese stultitiæ, quod eam reiicerent.

SECVNDO. Eisdem rationibus persuadetur, fidei nostræ doctrinam esse credibilem prudenter, & esse probabiliorem humano modo loquẽdo, quàm sectas illi oppositas. Sed nullus Infidelium persuadet sibi, doctrinam nostram esse probabiliorẽ: Ergo nec esse prudẽter fide dignã, atq; adeo minimè id est euidẽs. Probatur Minor, quia tunc illã potius amplecterentur. Non enim videtur quis posse nõ assentiri ei, ꝙ putat ꝓbabilius.

TERTIO. Si iudiciũ illud, quo iudicamus doctrinã fidei credibilem; euidens esset: cùm non sit per se notũ, oportebit assignare peculiarem aliquem Intellectus habitũ ad quem id iudiciũ pertineat. At hoc difficile est. Non enim pertinet ad habitũ fidei, cùm is habitus sit ineuidens; & consequenter nec ad habitũ Theologiæ. Nam assensus Theologicus prærequirit habitum fidei, & iudiciũ euidens de credibilitate doctrinę fidei, præcedit fidei habitum, ac proinde etiam habitum Theologicum. Nec demùm apparet, ad quem alium habitum iudicium illud pertineat.

QVARTO. Aut est euidẽs, doctrinam fidei esse credibilem fide infusa, aut solùm fide humana. Si primum; sequitur etiam esse euidens, doctrinam fidei esse à Deo reuelatam, & proinde veram: atq; ita omnes facilè eã amplecterẽtur. Non est enim credibile per fidẽ infusam, nisi ꝙ est à Deo reuelatũ & verum. Sin secundũ dicatur; hoc non sufficiet. Nam iudiciũ de credibilitate doctrinæ fidei debet esse practicũ, id est, debemus nobis eo persuadere, eiusmodi doctrinã dignã esse, quæ prudenter credatur illa ipsa fide, qua postea à nobis creditur, nimirum diuina siue infusa, non aũt humana tãtũ. Sicut ad hoc, vt manu v. g. scribamus, oportet prius cognoscere, ꝙ sit manu scribendũ.

IN CONTRARIVM est illud Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ex quo videtur omnino colligi, doctrinã fidei euidenter esse credibilem, id est, dignam fide prudentum. Si enim non esset euidẽter credibilis, minus quàm nimis esset credibilis; siquidem credibilius est, quod est euidenter etiam credibile.

De hac re duplex sententia est. Quidam enim, ex quibus est Capreolus in 3. d. 31. & 32. q. vnica, art. 3. ad 3. cõtra 1. concl. sub finem art. negant haberi euidentiam propriè dictam de credibilitate fidei. Quod verò S. Thomas hic art. 4. ad 2. docet oppositũ, ait Capreolus exponẽdum de euidentia latè accepta, prout omnis cognitio etiam obscura potest dici euidẽtia quædam. Sed expositio hæc Capreoli manifestè pugnat cum ipso textu diui Thomæ in eo articulo. Nam eadem euidentia, qua S. Thomas negat conceptũ specialem de veritate ipsa obiecti fidei esse euidentẽ, concedit euidentem esse conceptũ generalem credibilitatis eiusdem obiecti. Constat autem illum de euidentia ꝓpriè dicta loqui, quãdo conceptum specialem de obiecto fidei euidentem esse negat. Si enim de euidentia largè loqueretur, concederet eiusmodi conceptũ euidentem etiam esse posse.

Est ergo alia sententia Caietani hîc & aliorũ; doctrinam fidei esse credibilem euidenter ꝓpriè loquendo de euidentia. Atq; hæc est sancti Thomæ, & vera, quæ sic ꝓbatur: Euidens est, illud esse prudẽtium fide dignũ, atq; adeo credibile, quod euidenter constat, grauibus argumentis confirmari: sed euidenter constat doctrinam nostræ fidei grauibus argumentis confirmari: Ergo euidẽs est eam esse credibilem. Maior est clara. Nam ꝙ grauibus argumentis adducti credimus, prudenter credimus: ergo quod euidẽs est grauibus argumentis niti, euidens est esse fide dignum.

Minor verò probãda est proferendo varia argumenta siue motiua nostræ fidei. Antè verò quã ea Minor ita ꝓbetur, diligenter aduertẽdum est, nos in illa non subsumere, quòd doctrina fidei nostræ euidentibus argumentis confirmetur, sed quod sit euidens, illam grauibus argumẽtis confirmari. Quare ad eam Minorẽ astruendam opus non erit euidentia argumenta adferre pro fide nostra. Satis erit si probabilia, aut ex historia, aut ex auctoritate humana attulerimus. Nam euidẽs est, argumenta etiam probabilia, esse grauia & fide digna apud homines.

Sed neq; erit abs re ex iis confirmare, fidei nostræ credibilitatẽ, quorum aliqua etiã per fidem infusam credenda sunt, atq; adeo quorũ est persuadenda credibilitas, cuiusmodi sunt miracula aliqua, &c. Hæc enim in proposito non adferemus, quatenus per fidem supernaturalem certa sunt, sed quatenus constant fide humana siue historica, vt sic ex illis ipsis, quatenus sunt vno modo cognita, probemus illa eadẽ vnà cum reliquis fidei articulis eiusmodi esse, quib⁹ meritò assentiri per fidem supernaturalem debeamus.

Porrò argumenta hæc pro euidenti credibilitate fidei, diligenter pro nostri ingenij tenuitate collegimus & exposuimus in parte prima eius libri, quem Fidei Analysin inscripsimus: Vbi ex iisdem quoq; argumentis probauimus, doctrinam quorumcunq; Sectariorũ dissidentium à fide Ecclesiæ Catholicæ Rom. minimè esse Christianam & credibilẽ. Et quia vix nunc possumus meliora adferre, imitabimur in illis hoc loco repetendis sanctum AVGVSTINVM, qui libro de cura pro mortuis gerenda cap. 2. & 3. postea quàm disputationem quandam suam de ratione Christianæ sepulturæ ex lib. 1. de ciuitate Dei cap. 12. & 13. ad

verbum

verbum descripsisset, ad extremum addit: *Hæc est mea de sepultura causa atq; ratione, sententia: Quã propterea ex alio libro meo in istum transtuli, quia facilius hoc à me recenseri potuit, quàm idipsum alio modo eloquendum fuit.* Quod velim recordari etiã aliàs lectorẽ, cùm in hos nostros Commentarios quędã transferimus ex libris nostris controuersiarũ. De meo enim, nõ de alieno, accipio; nec decet in tali opere aliquid desiderari, quod alibi quęrendũ sit à lectore; neq; est absurdũ, vt quemadmodum in pluribus exemplaribus eiusdẽ libri, ita etiam in pluribus libris eadẽ interdum legi possint, si sint vtilia: maximè cùm quędã nunc addamus, & quędam etiam luculentius explicemus. Sed ad rem. Nouendecim argumẽta illa proposuimus ad demonstrandam Christianæ fidei credibilitatem.

PRIMVM ducitur ab eorum conditione & auctoritate, qui fidem Christianã olim receperunt, quo vtitur Lactantius lib. 5. diuin. instit. cap. 13. & S. Augustin. lib. de vtilitate credendi, cap. 14.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Prudentissimè creditur, quod oẽs penè gentium nationes, & in his innumerabiles viri summa auctoritate, summo ingenio & excellenti virtute, atq; eximia, variaq; doctrina ꝓditi, ita crediderunt, vt & rationem disciplinæ suæ reddere omni poscenti se pulchrè possent, & cõtrarios errores religionum aliarũ (quod alia nulla disciplina ita præstitit) manifestè refellerẽt. Talis autem Christiana doctrina est. Illi igitur prudentissimè fides adhibetur: *Ego*, inquit is, quẽ dico, Augustin. lib. de vtilit. credendi, cap. 14. *nullis me video credidisse, nisi populorum atq; gentium confirmatæ opinioni ac famæ admodum celeberrimæ.* Et alio in loco contra epistolam fundamenti, cap. 4. *Tenet me in Ecclesia* (inquit inter cætera) *consensus populorum atq; gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata.*

Vbi duo circa hoc argumentũ sunt ponderanda. PRIMO, Augustinum hæc scripsisse, cùm ipse sanè neq; Augustinum, neq; reliquos, qui post ipsum in Ecclesia floruerunt, haberet, quorum etiam auctoritate moueretur. Nos verò qui & Augustinum ipsum, & alios è fidelium numero innumerabiles Ecclesiæ Doctores eruditissimos (quorum etiam Catalogi prolixissimi exstant) duces sequimur; quantò vehementius exemplo maiorum commoueri par est, ad Christianam fidem toto pectore complectendam? Habuerunt quoque superstitiosarum religionum cultores, maiores suos quos sequerentur: sed tanta prædi tos auctoritate, tanta doctrina, tanta probitate vitæ, tanta constantia, tanta luce, tam denique paratos instructosq; tum ad suam disciplinã tuendam, tum ad alienas omnes religiones confutandas & euertẽdas, quàm nostri fuêre maiores, quinam vnquam populi habuerunt?

SECVNDO, ponderandum est, quòd, vt S. IVSTINVS Martyr Apolog. 2. pro Christian. ad Antoninum Pium, verisimè argumentatur, cogitari non potest, aliquod humanum commodum aut diuitiarum, aut voluptatis, aut mundanæ gloriæ, quod mentẽ in deligenda religione excæcaret, propositũ sibi habuisse eos, qui primis illis temporibus reiecta vanitate patriæ superstitionis, Christiana sacra susceperunt. Quis enim nescit, quàm tunc acerbè cum Christianis hominibus agebatur? Ita nimirum, vt qui Christiani fierent, præter salutem animi & vitam æternam in cælis, aliud ex ea re nihil in hoc mundo nisi ignominiã & crucem, ac ipsam adeo mortem polliceri sibi potuerint. Quod vel ex vna illa appellatione, qua ethnici homines Christianis conuiciari erant soliti, luculenter intelligere licet. Nam vt Tertullianus in Apolog. aduersus Gent. cap. 46. sub finem commemorat, Sarmenticios (vt de cæteris ludibriis nihil dicam) vulgò appellabant, à vitæ discrimine, in quo perpetuò versabantur: quòd scilicet ad palum deligati, sarmentisq; suppositis passim comburerentur.

Apollinem ferunt Pythium percunctãtibus de legitima religione Athenien sibus, oraculo respõdisse, patriam religionẽ, & quam coluissent maiores, retinendam esse. Hoc cõsilium cùm sequebantur Athenienses, quia in maioribus suis nonnisi religionis errorem, quem imitarentur, habebant, miserè fallebãtur. Nos autem, cum tam sincerè salutem animi solam, vt dictum est, maiores nostri in Christiana complectenda fide quæ fuerint; ac tales præterea, tamq; in omni genere præstantes fuerint; consilium illud, nõ dico ab Apolline, sed à Deo in Scripturis sanctis datum iure optimo sequemur, Deoq; patrum nostrorum (vt eiusdem Scripturæ vtar phrasi) arctissimo Christianæ religionis ac fidei vinculo adhærebimus.

Hoc primum argumentum ita retorquemus in Sectarios.

Quę verè Christiana doctrina est, ea maiorum etiam auctoritate, hoc est, consensu doctorũ atq; populorum, & fama (vt Augustinus loquitur) admodum celeberrima nititur. His autem Sectariorum doctrina minimè nititur. Non est igitur doctrina Sectariorum verè Christiana.

Obsecro enim quos populos? quos maiores? quamq; Christiani nominis existimatione atque fama celebres sequuntur? Ipsos, inquiũt, Prophetas & Apostolos sequimur. Equidem nõ requiro antiquiores. Sed cùm quæstio omnis sit, Vtrum Catholici, an Sectarij, Prophetas & Apostolos doctrinæ duces sequantur: habuerintq; eiusmodi antiquissimi Patres, suos sine controuersia discipulos fidelissimos, famaque celeberrimos, quos ipsos quoq; tanquã maiores sequi necesse sit eos, qui nunc Apostolicã & Propheticam doctrinam verè complectuntur; quærimus sanè, quosnam etiam ex eo numero sequantur Sectarij? Num Augustinos, Hieronymos, Ambrosios, Gregorios? Num vel doctores, vel fideles reliquos, q per om-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes Ecclesię ætates cum Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, in doctrina Christiana, Prophetica & Apostolica consentientes fuerunt? Non magis certè, quàm ipsos Concilij Tridętini Patres, à quibus isti nuper ex consensu omnium temporum superiorum condemnati sunt.

Etenim doctrinam D. AVGVSTINI (vt vtar compendio) Catholicam doctrinam maiorũ esse, ne ipsi quidem audent diffiteri Sectarij. Num verò aliud D. Augustinus, aliud Concilij Tridętini Patres, de quæstionibus fidei controuersis docuerunt? Quid? Nónne iam ipse Augustinus in ea cõfessione Augustiniana, quæ cum ingenti istorum fremitu ab omnibus teritur, definitiones illas Tridentini Concilij, ad verbum ex ipso Concilij codice recitatas, doctrina sua comprobauit, iisq; quasi propria manu subscripsit?

Nam quid ego de diligentia Catholicorũ auctorum in singulis locis cõtrouersis ex sententia tum Augustini, tum aliorũ Ecclesiæ Doctorum, aduersus istorum pertinaciam tractandis dicam? An aliquis est vel mediocriter in eo genere disputationũ, scriptisq;, tum sectariorum, tum ipsorum Patrum versatus, qui nõ videat, toto cælo ab erudita illa orthodoxaq; antiquitate distare fæcem istam omnem Lutheranæ, Caluinianæq; doctrinæ? Quod nisi ita sit; cur (vt proditum est) de iis discipulis penitus desperare solitus erat Lutherus, qui veterum Patrum monumẽta paulò diligentius in caussa religionis consulere cœpissent? vt videre est apud Iacobum Billium in epistola Nuncupatoria operis D. Ioãnis Damasc. postremò excusi Parisiis anno 1577. cur toties à Patrum sententia ad Scripturam, hoc est, à certa antiquitatis interpretatione, quam sibi aduersari vident, ad sua commenta prætextu Scripturæ vanissimè prouocant?

Protestor, inquit Lutherus initio libri de abroganda Missa priuata, *aduersus eos, qui in me sunt clamaturi, quod contra statuta Patrum, contra receptissimum vsum docuerim, horum nihil me auditurum.* Et infrà: *Non quæritur, vt Sancti vixerint & dixerint, sed vt viuendum Scriptura dicter.* Scilicet Lutheri iudicio potius quàm Patrum.

Item Caluinus lib. 4. instit. cap. 17. sect. 39. *Sed enim*, inquit, *qui sic faciunt* (Catholici, qui seruant extra vsum etiam Eucharistiam) *habent veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor. Verùm in re tanta nihil tutius est, quàm ipsam veritatem sequi.* Num verò Caluinus rectius quàm vetus Ecclesia veritatem ipsam intellexerit?

Item Kemnitius in Exam. sess. 25. *Si Pontificij*, inquit, *sententias veterum vrgere voluerint, prouocabimus ad locum cõmunem, in quo ipsi Patres pronunciãt, quid de hominum scriptis, sicubi à S. Scripturæ regula declinant, iudicandũ sit.* Ergóne veteres, quia Kemnitij & aliorũ Sectariorũ iudicio in controuersiis de fide & de Scripturæ sensu aduersantur, à Scripturæ regula declinare iudicandum est? Nónne rectius ab illa declinare Sectarios iudicabimus, cùm aduersantur Patribus? At citant & ipsi testimonia Patrum. Deus bone, qua fide. Equidẽ (vt de me ipso hoc in loco profitear) nullam vel docendo publicè in schola, vel scribẽdo, pertractaui controuersam de fide quęstionem, in qua non aliquot insignes istorum corruptelas in allegandis veterũ testimoniis manifestissimè deprehenderim. Quo in fraudis genere cùm illi omnes exercitatissimi sunt, tum examinator ille Concilij Tridentini Kemnitius maximè excellit.

Sed quoniam de antiquitate Catholicæ atq; Apostolicæ doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, à qua isti desciuerunt, infrà quoq; p. 7. dicendum est, illos ego nunc (vt ad alia argumenta pergam) rursus interrogo, si non Augustinũ, non Doctores, & fideles alios populos cum Augustino consentientes, doctrinæ duces habent, quosnam alios Doctores & populos Christianos fama admodum celeberrimos (vt Augustinus loquitur) tanquam maiores suos sequantur? Nempe (vt vno verbo expediam) illos omnes populos ac Doctores Lutheranos & Caluinianos isti sequuntur, qui multis ante Lutheri & Caluini nomen auditum seculis in orbe illustres & noti fuerunt: id est, nullos penitus. Nam quis olim, non dicam, populus, sed priuatus homo vnquam extitit, qui per omnia idem senserit, quod Lutherus aut Caluinus? Consentiunt quidem in multis isti cum priscis hæreticis in Ecclesia olim notis & proscriptis, quorum opiniones (vt infrà p. 7. docebimus) instaurârunt, de quo ipso, vt opinor, minimè gloriari volunt: sed & multa etiam ipsi planè nouârunt, quorum nullum omnino possunt proferre auctorem.

SECVNDVM argumentũ ducitur à constantia Martyrum, quo S. Iustinus Martyr Apolog. 1. ad sen. Rom. testatur, se maximè fuisse motũ ad fidem: & eo etiam vtitur Lactantius lib. 5. diuin. instit. cap. 13. & 14. & alij antiqui Scriptores passim.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Nullo modo verisimile est, falsam eam esse doctrinam, quam innumerabiles omnis ordinis, sexus & ætatis homines, qui & Deo placendi veræque religionis agnoscendæ colendæque cupidissimi erant, & singulari vitæ probitate atque sanctimonia conspicui, sic amplexi sunt, vt illi res omnes ac vitam ipsam, exquisitissimis tormentorum generibus admiranda patientia tolerandis, postponere non dubitauerint. Talis autem, vt constat, est Christiana doctrina. Non est igitur verisimile eam falsam esse. Id probatur ex *prouidentia*, ex *bonitate* Dei, ex eiusdem erga hominum genus multis modis testata charitate.

Ex Dei *prouidentia*: quia cùm homines ad eum finem ipse creauerit, vt sibi vera religione atque cultu seruirent; aut nullis omnino (quod incredibile est) aut illis maximè, secundùm rectissimam suæ prouidẽtiæ rationem, opitulari ad eam

rem

rem putandus est, qui tam ardenter ipsi seruire cupiuerunt, vt quo placerent illi, non modò sanctissimè, ex ipsa lege naturæ, vixerint, verùm etiam (quod omnium maximum est) constantissimè mortem pro illo oppetiuerint.

Ex Dei *bonitate & charitate* erga homines: nam quàm esset ab illa alienum; immo verò quàm crudele esset, permittere atque pati, vt homines ea voluntate, eo studio religionis, eo desiderio salutis, ea vitæ innocentia, in negotio summo, quod ad salutem æternam spectat, fallerentur, ac vitam etiam sine vtilitate prodigerent? Hoc certè nemo, qui modò conuenienter rationi iudicet, persuadere sibi possit de Deo: siquidem eum & sapientem, & prouidum, & clementem, & nostri amantissimum esse, illa cognitionis luce, quæ mentibus nostris est innata, compertum omnes habemus.

Quod si iam ipsius etiam diuinæ doctrinæ testimoniis probare nobis liceret, Deum inquirentes se non deserere, in promptu plurima, eaque luculenta haberemus: *Quæretis me*, inquit ipse Deus per Hieremiam 29. *& inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis.* Et per Amos 5. *Quærite me & viuetis.* Quod, vt cætera loca præteream, adeo certum & constitutum in diuinis libris est, vt Apostolus ad Hebr. 11. id inprimis tanquam immotum quoddam principium fidei, credi oportere docuerit: *Accedentem ad Deum*, inquit, *oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est.*

Quoniam igitur compertum est, innumerabiles eiusmodi martyres, quales iam descripsimus, veræ religionis inueniendæ, & Deo placẽdi cupidissimos, fidem Christianam cõplexos fuisse: Et incredibile est, vt ostendimus, tales esse in re tanta deceptos; certò certius concludimus, doctrinam Christianam prorsus dignissimam esse, quæ pro vera atq; certa habeatur.

Sed nonne, dicet aliquis, proditum est, ethnicos etiam quosdam, specie religionis falsa deceptos, dæmonibus deuouere se esse solitos? Negari non potest. Verùm ij profectò res aut credunt alioqui aut faciunt tam pugnantes cum ipsa etiam ratione & lege naturæ; vt facilè appareat, illos ea re non à diuina prouidentia in vera religione dirigi, sed secundùm æquissimam diuinæ prouidentiæ rationem pœnas meritas vel stultitiæ vel improbitatis dare. Nostri verò plerique martyres, ex Christianæ religionis instituto priusquam mortem oppeterent, innocentissimè vixerunt: nihilq; contrà, quamuis quædam, vt pòst dicemus, supra rationem, crediderunt. Quam ob rem D. AMBROSIVS in expositione Psalm. 118. eorum esse illam vocem in Psalmis, non incommodè interpretatur: *Principes persecuti sunt me gratis. Quia cùm nihil malè fecerint* (ait Ambrosius) *peiora latronibus subire tormẽta sunt coacti.* Non igitur Deo vindice ob aliqua scelera (vt quidam ethnici) sed adiutore Deo vitam pro veritate perfudisse Christiani Martyres existimari debent. Ita ferè occurrit huic obiectioni sanctus Chrysostomus homilia quarta in 1. epist. ad Corinth. 7.

Hoc secundum argumentum sic retorquemus in Sectarios.

Vera Christi doctrina sanguine etiam innumerabilium sine cõtrouersia martyrum mundo testata est, vt hactenus est ostensum. Non habet autem id testimonium Sectariorum doctrina. Non est ea igitur verè Christiana doctrina. Qui enim pro ea doctrina mortem oppetere potuerunt martyres, quam vel in veteribus hæreticis martyres ipsi execrati sunt, vel multis sæculis post martyrum tempora (sicut præcedenti argumento vidimus) Martinus Lutherus, & id genus nouatores excitauerunt? Quid quod præcipui ac maximi quique martyres contrariam istorum erroribus doctrinam, hoc est, doctrinam, quam hodie profitetur Ecclesia Catholica, disertis verbis asseruerunt?

Martyres fuerunt Dionysius, Ignatius, Martialis, Iustinus, Irenæus, Cyprianus, Hippolytus & amplius triginta Romani Pontifices ex primis, atque plures alij. Horum verò quis nesciat, nos aduersum Sectarios passim pugnare testimoniis? An non hoc ipso nomine Sectarij Centuriatores in cælum ponunt os suum, impudentissimeq; Sanctos eiusmodi martyres reprehendunt, quòd senserint nobiscum, atque adeo (ipsorum quidem iudicio) à pura atque Apostolica doctrina (scilicet) degenerauerint?

Sic enim de discipulis ipsis Apostolorum, sanctissimisq; martyribus, Ignatio, Polycarpo, Irenæo, Iustino, &c. in præfatione Centuriæ 2. ad Ducem Saxoniæ censent: *Deploratione* (inquiũt) *dignum est, quòd tam cito magnæ obscurationes magnorum articulorum fidei sensim inciderunt. Summi enim in Ecclesia Doctores* (nempe illi, quos iam nominaui, quosque ipsi Centuriatores ex illo seculo solos commemorant) *suas quasdam opiniones habuerunt, quibus sequentibus temporibus Ecclesia quassata & turbata est. Nam doctrina de libero arbitrio statim hoc sæculo cœpit vitiari, nimiumq; viribus humanis tributum est, &c. Operibus iustificatorũ plusquam debebant ascripserunt: quod fortè* (inquiunt) *ex errore de necessitate operum ad salutem promanauit. Martyria Sanctorum, sentire cœperunt esse peccatorum expiationes.*

Item Centuria 3. cap. 4. pag. 83. *Videas*, inquiunt, *in Doctoribus huius sæculi* (ante annũ videlicet trecentesimum) *non obscura* (hoc est, clara) *vestigia inuocationis Sanctorum.*

Item Cent. 2. cap. 4 pag. 64. inquiũt: *Ex Ignatij epistolis apparet, homines iam tum paulò impensius cœpisse amare, & venerari virginitatis statũ. Nam in epistola ad Antiochenos inquit: Virgines videant, cui se consecrârint. Et ad Heronem: Virgines custodi tanquam sacraria Christi. Item ad Tharsenses: Eas quæ in Virginitate sunt, honorate, sicut sacras Christi.*

Rursus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rursus Centuriatores impetum propterea faciunt in eũdem Christi martyrẽ Ignatium, quod ad Philippenses in hæc verba scripserit: *Dies festos nolite inhonorare: Quadragesimam verò nolite pro nihilo habere. Imitationem enim continet Dei conuersationis. Hebdomadem etiam passionis nolite despicere.* Quid hîc Centuriatores? Nimirũ affirmant, Ignatium contra doctrinam Pauli (*Nemo vos iudicet in cibo aut parte diei festi*) ita scripsisse.

Quid autem de Dionysio? *Non sentit* (inquiunt centuria 1. lib. 2. cap. 10. pag. 625.) *Apostolicè, quod monachorum ordinem, vt sublimiorem & excellentiorem reliquis commendet.* Quod ipsum superstitiosè admodum ab eodem Dionysio traditũ esse, pluribus etiam verbis Philippus Melanchthon asseruerat in libello de Ecclesia.

Porrò censent isti fidesolarij centuria 2. ca. 4. pag. 58. perperam Iustinum martyrem scripsisse, *totã legis iustitiam esse diligere Deum plusquã seipsum, & proximum vt seipsum.* Quæ tamen sententia non tam est Iustini, quàm ipsius Christi, Matth. 22.

Sic & martyrẽ Irenæum de oblatione, hoc est, de sacrosancto Missæ sacrificio dicunt, satis loqui incommodè, cum lib. 4. cap. 32. ait: *Noui testamenti nouam docuit Christus oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo Deo offert.*

Itemq; eundem martyrem Irenæum centuria 2. cap. 4. pag. 58. & cap. 10. pag. 221. reprehendunt, quòd liberum arbitrium *etiam in spiritualibus passim defendat.*

Item de martyre Cypriano centuria 3. cap. 4. pag. 83. *Superstitiosè* (inquiunt isti) ait: *Eucharistiam in altari sanctificari, & Sacerdotes sanctificare calicem, & vice Christi fungi, ac Deo patri sacrificium offerre.* Atque etiam in eodem vehementer ipsis centuria 3. capite quarto, pag. 84. displicet, quod lib. 4. epist. 8. ad Corn. asseruerit, *Romanam Ecclesiam ab omnibus aliis pro matrice & radice Catholicæ Ecclesiæ agnoscendam esse.*

Quid multa? Hæc & id genus Catholica dogmata (ne alia plurima nominatim à Sectariis eodem modo reprehensa persequar) quæ primis etiam illis seculis martyrum, sanctissimè à nostris maioribus, iuxta Apostolicam doctrinam & traditionẽ defensa sunt, nõ aliud isti, quàm peculiares, incõmodas, monstrosas opiniones, stipulas, næuos & errores, quia nunc etiã, à Papistis videlicet, similiter retinentur, contumeliosè appellãt. Quod cùm ita sit, qd habet obsecro commune doctrina Sectariorum cum doctrina Martyrum?

TERTIVM argumentũ ducitur à mirifica mutatione animi eorũ, qui fidem Christianam suscipiunt & colunt. Quo argumento vsi sunt Iustinus Martyr Apolog. 2. pro Christian. ad Antoninũ Pium Imperatorem, Tertullianus libro ad Scapulam, Carthagin. Præsidem, Lactantius lib. 3. diuin. institut. cap. 26. &c.

EST etiã pro fide nostra magnũ argumentum illud, quod ex admirabili quadã animi mutatione eorum, qui eam cõplectuntur & colunt, sumitur. Primùm enim, qui ex Christianæ religionis instituto viuunt, singulare quoddã animi robur, magnamq; facultatẽ (vt illorum vita testatur) ad grauiora peccata omnia cõtra naturę legẽ vitanda obtinent. Qua facultate cùm careant ij, qui Christianæ religionis sunt expertes, apparet profectò, illam naturalem non esse, sed à Deo tributam, tanquam testimonium etiam quoddam veritatis Christianæ doctrinę. Deinde cuiusmodi luce, & quibus interdũ spiritualibus delitiis animo perfundantur ij, qui secundùm Christianam religionem sanctè ac piè viuunt; id verò *neq; nouit aliquis, nisi qui accipit*, neq; illi ipsi, qui norũt & experti sunt, vlla possunt oratione explicare. Certè ex illorum rectissimis factis & tranquillitate atq; constantia vitæ, perspicuum est, in eorum animis aliquid versari atq; inesse diuinum, quod nec humanitùs soleat contingere, & veritatem, sine qua rectè se habere aut requiescere mens nostra nullo modo potest, necessariò sociam habeat.

Hoc argumento Malachias Propheta, vel potius ipse Deus per Malach. ca. 3. ad probandã hominibus Christianam religionem, quę veteri legi successura erat, tanq; validissimo vsus etiam fuisse videtur: *Erunt*, inquit, *mihi in die, qua ego facio, in peculium, & parcã eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. Et conuertemini & videbitis, quid sit inter iustũ & impium, inter seruientem Deo, & non seruientẽ ei.* Vides, quibus verbis, futurã in melius animorum mutationem, quæ experimento etiam probari possit, proponit, vt homines ad legitimũ Dei in Ecclesia cultum spe quoq; experiundi alliciantur? Ducebat item ab eadem mutatione rationẽ Apostolus Paulus ad Ephes. 5. qua persuaderet Ephesiis studium virtutum: *Eratis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & veritate, &c.*

Deniq; non nisi dexteræ excelsi mũtationem hanc fuisse in his, qui Christianã religionẽ susceperunt, vel inde colligi potest, quòd ipsis etiam ethnicis, quibus Christus fuit lapis offensionis, maximè admirabilis extitit. Nemo est enim, qui falsum existimet narrauisse D. Petrũ in illo loco, vbi recens Christianos adhortatus inter cætera dicit: *Sufficit præteritum tempus ad voluntatẽ gentium consummandã, iis qui ambulauerunt in luxurijs, desideriis, vinolẽtijs, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo*, inquit, *admirantur* (vel *obstupescunt*, vt habet alia litera) *non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* 1. Petri 4.

Cum quibus pulchrè consentit oratio illa LACTANTII lib. 3. cap. 25. *Dei*, inquit, *præcepta, quia & simplicia, & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrat. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem, reddam. Da cupidum, auarum, tenacem; iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam tibi plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: iam cruces & ignes, periculum omne, & taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem: iam in veram clementiam, furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuò & æquus & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tanta diuinæ sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam, vno semel impetu expellat.* Hæc ille.

Hoc tertium argumentum ita retorquemus in Sectarios.

Qui ex doctrinæ Christianæ instituto viuunt, ij & magnam in se experiuntur ad euitanda grauiora peccata facultatem, & reliquis ferè sunt innocentiæ atque omnis probitatis exemplum. At non eadem vis ac ratio doctrinę Sectariorum est; quinimmò hæc facillimè ipsa mores peruertit, & ad omnem vitæ licentiã homines facit procliues. Doctrina itaq; Sectariorum nihil præter nomen habet commune cum vera Christi doctrina.

Etenim, si non alio tremore & labore, præterquam sola fide salutem quisque suam operari debet; si conscientiæ ratio, ad obtinendam remissionem peccatorum, reddenda Dei ministris nõ est; si ieiuniis nullis caro domari & coërceri debet; si denique conuenienter reliquis Sectariorum placitis ad libertatem carnis excogitatis, vita instituitur; quid mirum erit, si eius alumni doctrinæ nullo certo disciplinæ freno cohibiti, sed habenis potius ad omnem carnis cupiditatem laxatis, desideria carnis in omni genere perficiant?

Exierunt ex Ecclesia (vt de hæreticis D. Ioannes inquit) & transierunt ad istorum castra magno suo malo quandoque nonnulli. An hi vnquam meliores apud istos sunt facti, post eaquam ex Lutheranæ doctrinæ ratione viuere cœperũt? An mutatio in eorum vita dexteræ excelsi, *aliis admirantibus* (vt D. Petrus de recentibus Christianis dicit) notari potuit? Num exemplis illustribus & frequentibus, charitatis, orationis, pœnitentiæ, patientiæ, modestiæ, humilitatis, omnisque continentiæ vitæ, quæ apud Sectarum prædicantes viderint, ad pietatis studium vehementius inflammati sunt? Quis nescit, apud istos fermè iacere hæc omnia, præter suum illud Verbum, & nimis solam suam (vel potius nullam) fidem?

Sed ne ego in istorum vitam, quibuscum parùm ipse versor, curiosius fortè inquirere videar, domesticos eorum testes vnum aut alterum de fructu sui Euangelij profitentes audiamus. Bucerus igitur lib. 1. de regno Christi, cap. 4. de eiusmodi hominibus Euangelicis loquens: *Maxima*, inquit, *eorum pars visa est id tantùm ex Euangelio Christi petiisse, vt iugum qualiscunq; disciplinæ, pœnitentiæ & religionis vniuersæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abiicerent, proq; carnis suæ arbitrio ac libidine instituerent, agerentq; omnia. Tum non ingratum eis fuit audire, iustificari nos de fide in Christum, non bonis operibus, quorum nullo tenebantur studio. Nec pauci eorum qualemcunq; Euangelij prædicationem eò tantum receperunt, vt in opes inuaderent Ecclesiasticas.* Hactenus Bucerus.

Tum etiam de laxatione disciplinæ apud suos grauiter conqueritur Schmidelinus: *Vt totus mundus*, inquit, *agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nullum exercent penitus. Ieiunij loco comessationibus & perpotationibus nocte dieq; vacant: Vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt & excoriant: Precationes vertunt in iuramenta & blasphemias & diuini nominis execrationes, idq; tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantoperè blasphemetur: Demùm pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio. Atq; hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur institutum.* Potuítne iste aut verius aut magis graphicè Lutherani Euangelij fructum depingere?

Item VVigandus in admonitione de bonis & malis Germaniæ, præsertim ab anno 1517. cùm recenset malum secundum: *Rapere*, inquit, *Ecclesiastica bona, scortari, inebriari, aliaq; id genus innumera peccata, eò magis inualescũt quotidie, quia libertatem crescendi habent.* Vndenam verò potius crescendi libertatem, VVigande, innumera, vt inquis, peccata nunc habent, quàm ex relaxata apud vos (quemadmodum ante diximus) Christianæ religionis sanctissima disciplina?

Cuius profectò rei & aliud quoddam illustre admodum testimonium, idemq; publicum primariæ ciuitatis Lutheranæ, Dominicus Sotus lib. 4. sent. distinct. 18. q. 1. art. 1. auctor inprimis grauis, & ob summam doctrinæ atq; prudentiæ existimationem, Inuictissimi Imperatoris Caroli V. in ipsa etiam Germania à sacris confessionibus, sacrilegis, complenit. Ergo à fructibus etiam eorum doctrinæ, falsi isti prophetæ, iuxtà præceptũ Christi Matth. 7. cognosci debent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVARTVM argumentum ducitur à modo, quo fides olim propugnata est. Quo vtitur sanctus Iustinus Martyr Apolog. 2. ad Antoninum Pium, paulò post medium, Chrysostomus homil. 34. in Matthæum, & homil. 4. & 5. in epistolam 1. ad Cor. & D. August. lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 5. & Damascenus lib. 4. fidei Orthodoxæ, cap. 4.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Quæ doctrina diuinitùs est hominibus probata, ea sine dubitatione est vera. Atqui doctrinam Christianam esse probatam diuinitùs, modus certè, quo in orbem est introducta, declarat. Nam à paucissimis hominibus, nulla neque humana eruditione eloquentiáue instructis, neque potentia & vi armatis, neque nobilitate claris, neque opulentia præstantibus: & præterea eiusmodi res docentibus, quæ magna ex parte hominum voluntatibus, atque adeo ipsi carni repugnant; plurimi sapientissimi, eloquentissimi, potentissimi, nobilissimi, opulentissimi, vna vi veritatis; *Domino cooperante, & sermonem eorum admirabiliter confirmante, Marci 16.* victi ac superati sunt, eoque demùm adducti, vt desertis patriis religionibus, quæ vel ipsa diuturnitate valdè cõfirmatæ erant, Christianam disciplinam amplecterentur. Quod profectò naturaliter, id est, absque aliqua maiore virtute, planeque diuina, non magis fieri potuit, quàm vt ferocissimi lupi, à mansuetissimis agnis superarentur. Itaque cùm Apostoli, qui vt agni inter lupos missi sunt, lupos vicerint; id est, cùm absque vllis humanis præsidiis orbem Christo subdiderint: nemo prudens dubitare debet, quin insit in Christiana doctrina vis veritatis, quam ipse Deus sanctissimorum illorum hominum ministerio atque opera mundo probauerit.

Quod ipsum pulcherrima sanè ratione confirmat D. Augustinus lib. de vera relig. cap. 3. Si enim priusquam Christianam fidem mundus cõplecteretur, sapientium Philosophorum aliquis interrogatus fuisset, vtrum censeret, sine virtute diuina per vnum vel per paucos homines nulla, neque potentia excellentes, neque humana doctrina claros, persuaderi mundo illa posse, quæ Christum & Apostolos persuasisse iam cernimus: *Respondisset credo ille* (inquit Augustinus) *non posse hoc ab hominibus fieri, nisi quos ipsa Dei virtus atque sapientia commendàsset, vt omnia contemnendo, quæ praui homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horrescunt, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atq; auctoritate conuerteretur.* Hoc igitur cùm iam factum videamus; non nisi diuina planè ope esse factum, confitendum est.

Huius argumenti vim, quæ est sanè maxima, intelligi à Corinthiis voluit Apostolus 1. Cor. 1. quos ideo illis verbis commonefaciebat: *Videte*, inquit, *fratres vocationem vestram. Quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret.* Ac rursus 2. Cor. 10. ad eosdem: *Non secundùm carnem*, inquit, *militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Certè vel hæc ipsa D. Pauli verba suapte grauitate declarant, Apostolos in persuadenda Christiana doctrina, quemadmodum diximus, maiori vi fuisse vsos, quàm sit vlla humana. Quo & illud eiusdem Apostoli, 1. Corinth. 2. pertinet: *Sermo meus*, inquit, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

Hoc argumentum quartum ita retorquemus in Sectarios.

Si Sectariorum doctrina, illa ipsa doctrina Apostolica est, quam duodecim illi viri sine humanæ sapientiæ verbis, mundo vniuerso persuaserunt: quî nunc fit tandem, vt eam tam multi Sectarij prædicantes, iidemque verborum etiam artifices non admodum imperiti, ne diuturno quidem multorum iam annorum spatio, probare orbi potuerint? Nempe quia militant prorsus secundùm carnem, non autem, vt Apostoli, in virtute Dei & potentia spiritus.

Verùm quia non istos propugnare, sed oppugnare planè doctrinam Apostolicam, atq; adeo Ecclesiam ipsam Christi, infrà suis locis accuratè probandum est (p. 7. vbi probabitur, solam Ecclesiam Romanam, legitimam Ecclesiam esse, & Apostolicam doctrinam sequi) satis nunc erit, si Lector notet, posse istorum doctrinam ita redargui ex hoc loco: Quæ doctrina ab iis nouatoribus propriè & singulariter defenditur, qui & vita, & moribus, & virtute atque efficacia in docendo, plurimùm distant ab Apostolis; eam nullo modo verisimile est doctrinam esse verè Christianam & Apostolicam, qualis olim orbi ab ipsis Apostolis probata est, duratura secundùm Christi promissiones in Catholica Ecclesia perpetuò. At doctrina Lutherana & Caluiniana à talibus nouatoribus, ita defenditur. Quare minimè verisimile videri debet, eam esse doctrinam verè Christianam & Apostolicam.

QVINTVM argumentum ducitur à miraculis, quæ vel ob eam rem maximè, quasi antonomaticôs, nominari solent signa, quia cumprimis significant atq; declarant, eam doctrinam diuinitus probari, atq; adeo veram esse, cuius ad confirmationem edantur. Quo ex loco pro veritate Christianæ doctrinæ pulchrè argumentatur D. Chrysostomus homil. 3. in 2. ad Corinth. & D. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. & libro de vtilitate credendi, cap. 16. & passim alij, quin etiam ipse D. Paulus ad Hebr. 2.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Non dubium est, quin ea doctrina prudentissimè existimetur vera esse, quæ miraculis diuina planè virtute editis, confirmata atq; probata orbi est. Eiusmodi est autem Christiana doctrina. Quare dubium nullum est, quin vera planeq; diuina esse prudentissimè putetur.

Sed vnde, dicet aliquis, intelligi potest, eiusmodi miracula & diuinitus facta esse, & etiam fuisse facta ad confirmationem Christi doctrinæ? Ego verò ad huius argumenti cõclusionem, quæ est, doctrinam Christi dignissimam esse fide, primùm nõ necesse esse puto, vt ista duo simul prorsus euidenter constent. Nam si sic constarent; euidenti etiam consequentia rationis nobis esset nota Christianæ doctrinę veritas. Et tamen illam sola fide, in qua non est euidentia, tenemus. Vt igitur, propter miracula etiam, prudenter animum inducamus ad assentiendum Christianæ doctrinæ, satis erit, si alia quadam, sed tamen magna illa quoque, certitudine, quam *moralem* nominant, nobis constet, ea & diuinitus esse facta, & simul ad eam rem facta fuisse, vt Christi doctrina confirmaretur.

Deinde quin sint pleráque miracula ex illis patrata, non alicuius creaturæ virtute, sed planè potentia diuina, plusquam morali certitudine, perspicuum est. *Nam à seculo non est auditum*, (Ioan. 9.) *quòd naturaliter aperti sint oculi cæci nati*, aut mortui planè ad vitã resurrexerint. Quæ ac plura eiusdem generis admirabilia à Christo, eiusque ministris præter naturæ consuetudinem fuisse gesta, si quis neget, hîc omnẽ omnino historiam eadem ratione in dubium reuocare posit, vt egregiè conuincit sanctus AVGVSTINVS lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 18.

Commemorantur quidem apud veteres Scriptores profanos aliqua prodigia, quę aliarum religionum hominibus acciderunt, quæ prosequitur diligenter D. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 16. Sed non talia, nec tanta, nec tam testata ac illa, quæ sunt à Christo & eius ministris pro nostra religione facta. Itaque nemo profectò similia aliqua mirabilium operum exempla opponi posse existimabat, cùm Christus ipse Ioan. 15. non minus fidenter illud quàm verè affirmaret: *Si opera*, inquit, *non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: Quod ipsum eruditè sanè ac copiosè Michaël Medina, in suo opere de recta in Deum fide libro secundo, cap. 7. persecutus est.

Præterea omnia eiusmodi opera Christi admirabilia, in vniuersum gesta fuisse, diuina virtute, ita compertum est, vt nemo ea de re prudenter dubitare possit. Hoc patet tum ex illorum operum magnitudine; tum ex singulari innocentia & perfectissima sanctimonia vitæ eius, per quem fiebant, nempe Christi Domini; tum ex modo quo idem admirandas eiusmodi res operabatur. Nam neque vllius rei naturalis, quæ ad illos effectus naturâ sua valeret, adminiculo, sed solo verbo atque imperio, vel certè precatione vtebatur; neque malignorum spirituum præstigiis atque opera credibile est, adiutum eum fuisse, cui tantum tamq; apertum fuit cum illis nequam spiritibus bellum, vt non modò sanctissimis studiis in omni vita eorum conatibus aduersaretur; verùm etiam reluctantes ipsos atque inuitos è corporibus humanis summa vi pelleret. Quo argumento ad hanc ipsam rem ille vtens Matthæi duodecimo: *Si Satanas*, inquit, *Satanam eiicit, quomodo stabit regnum eius?* Itaque reliquum est, vt Dei ope supra humanas suas, & omnium etiam creaturarum vires ad eas res peragendas vsus fuerit. Huc accedit, quòd vno & eodem ferè modo patrauit omnia miracula, quæ fecit, nempe admirabili imperio. Quare, vt opera quædam maiore virtute, quàm sine dubitatione sit aliqua vis creata, fecit (nempe illuminando cæcos à natiuitate, & mortuos excitando) ita & reliqua omnia fecisse putandus est, quæ similiter fecit.

QVOD autem in argumento quoque sumebamus miracula hæc ad eam rem diuinitus facta per Christum fuisse, vt Christiana firmaretur doctrina: id verò, si non euidenter (quis enim, præsertim citra lumen fidei, vt ad fidem ipsam persuadendam iam loquimur, cognouit penitus, atque vidit sensum & consilium Domini?) at ita certè compertum est, vt non nisi imprudenter ac temerè in dubium reuocari possit. PRIMVM, quoniam ipse Christus Dominus id testabatur: in cuius spectatissima virtute, quid obsecro iure desiderari potuit, quo minus eius auctoritati ac testimonio in ea re à prudentibus fides haberetur? Magnus vir ac sapientissimus erat Ioannes Baptista, neque indoctos aut imprudentes habebat & ipse discipulos. Annè igitur hi temerè fidem Christo adhibuerunt, cùm is, vt suam illis auctoritatem probaret: opera eiusmodi mirabilia ad dignitatem doctrinamque suam comprobandam pertinere significauit? (Matthæi vndecimo) *Euntes*, inquit, *renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur, & beati, qui non fuerint scandalizati in me.* Certè operum Christi tam admirabilium ea quoque vis fuit, vt credere oporteat sapientes non modò per se esse vera, quæ ille docuit, sed hoc ipsum etiam verissimum esse, quod asseuerauit, opera quæ ipse faceret *testimoniũ de se præbere*, id est, ad ipsius confirmandam doctrinam diuinitus fuisse patrata.

DEINDE hoc idem diuinæ erga homines prouidentiæ ratio suauissima, atq; ad eorum salutem aptissima confirmat, Nam si Deus ad confirmandam aliquam doctrinam veram (non enim ad falsam potuit) aut omnino ad alium finem, quàm ad cõciliandam auctoritatem Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sto, miracula illa tam stupenda edidit, cur non vllum hominibus dedit eius finis indicium, ne in re tanta vsque adeo verisimiliter falli possent? Quid enim ipsi aliud cogitare poterant, nisi in eius gratiam miracula illa fieri, per quem omnino fiebant? aut quomodo diuinâssent aliò illa referri, cùm nihil ipsis ostenderetur vllo modo quò alioquî pertinerent?

Aut igitur miraculorum illorum finis non alter fuit, quàm vt Christi doctrina probaretur, aut Deus eum finem non monstrans, in re maximè necessaria defuit hominibus. At Dei prouidentia hominum saluti non deest. Non igitur nisi ad eam rem diuina illa miracula fuerant, vt Christianæ doctrinæ fides adhiberetur.

Quæ ratio docet, prudenter admodum illos omnes feciſſe, qui propter miracula, quæ à Christo fieri cernebãt, inducebantur, vt ei fidem accommodarent. Nam quamuis ipsa per se miracula non efficiant certitudinem infallibilem de veritate doctrinæ, & de Ecclesia legitima, sed contrà potiùs Ecclesia vera & legitima certos nos de veritate miraculorum faciat, vt alicubi diuus AVGVSTINVS libro de vnitate Ecclesiæ, cap. 16. indicat: tamen prudenter homines mouentur miraculis, & aliis argumentis ad credendum certò veræ doctrinæ ob reuelationem diuinam, sicut suprà explicauimus. Sic Regulus cum domo sua tota, sic Centurio, sic alij, de quibus passim legimus, ad fidem suscipiendã miraculis adducti sunt.

Perspicitur autem, nescio quo pacto, magis huius argumenti vis, si proponitur illâ formâ & modo: quo est à D. Augustino lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 5. propositum. Is igitur pro religione nostra contendens contra ethnicos, hunc ferè in modum à miraculis argumentatur. Aut Christiana religio diuinis miraculis orbi probata est, aut nullis miraculis est confirmata. Si aliquibus miraculis probata est, diuina est igitur, & digna quæ recipiatur: sin autem nullis; multò etiam magis est fide digna. Quod enim maius miraculum ad illius veritatem auctoritatemq; persuadendam proferri potest, quàm si nullis testata miraculis, eam tamen vim per se habuerit, vt ab vniuerso orbe sit suscepta?

Sed vt hunc locum magis firmemus, ad extremum breuiter dicendum est, quæ sit illarum sententiarum vis, in quibus Christus nihilominus significat, non esse miraculis in negotio fidei innitendum, Matth. 7. & 24. Faciet enim signa & prodigia magna Antichristus, facient etiam & fecerunt sæpenumerò mirabilia quædam alij seductores. 2. Thessal. 2. quibus tamen non ideo est credendum: Vt de Donatistis etiam, qui nescio quas mirabiles visiones iactabant, monuit diuus AVGVSTINVS tractatu tertio in Ioannem, & libro de vnitate Ecclesiæ, cap. 16. Hoc si ita est, quî potest pro fide nostra tam firmum argumentum à miraculis duci, quàm hactenus contendimus?

Hoc ita expeditur. Non prohibet Christus, seductorum miraculis credere, quia nullis miraculis sit credendum. Nam ad confirmandam doctrinam suam & ipse miracula fecit, & vt à suis etiã discipulis fierent, omnino voluit. Quod ipsum esse alioqui consilium Dei, quandocunque opus fuit auctoritatem hominibus aliquibus in negotio religionis diuinitus addi, ex sacris quidem literis non est obscurum. Quid ergo commonefactio illa Christi significat? Nimirum vt seductorum miraculis non commouea-mur: quia eiusmodi sunt, vt si illorum ratio dispiciatur, haud difficulter intelligi possit, non vera miracula ea esse per virtutem Dei facta, *sed signa*, (vt Apostolus 2. Thessal. 2. loquitur) planè *mendacia in virtute Satanæ.*

Primùm, quoniam ex eorum aliis fructibus, hoc est, ex vita, ex consiliis, ex actionibus denique cæteris apparet, quò pertineant, & cuius adminiculo edantur ab illis ea signa. Referunt enim ea vel ad ambitionem plerumque & gloriam vanam, vel certè ad oppugnandam doctrinam veram, quæ sit aliis multis ac magnis argumentis probata: Quod est inprimis studium dæmonis. Quæ autem opera verè admirabilia sunt, diuinaq; virtute edita, non nisi ad optimum, sanctissimumq; finem spectant, vt docet etiam præclarè D. AVGVSTINVS lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 12. Itaq; miracula, quæ primò pro religione Christiana verissimè à Deo (aliis argumentis id contestantibus) facta sunt; meritò quibusq; aliis impostorum Christique hostium signis auctoritatem atque fidem derogant.

Denique pleraque istorum facinora, aut meræ præstigiæ sunt, aut res certè non prorsus per se admirabiles, sed potius eiusmodi, quæ in causam aliquam naturalem, tametsi occultam & abditam referri à peritioribus possint. Atque inde porro fit, vt minimè seductores isti, quidquid admirabiliter diuina virtute, pro confirmanda veritate religionis Christianæ, aut etiam olim Mosaicæ, factum est, similiter facere possint. Quod Magi Pharaonis Exodi 8. ostenderunt, cùm nequiuerunt similiter, vt Moyses, efficere cyniphes. Multò minus valent aut cæcis lumen oculorum, aut mortuis veram atque solidam vitam restituere.

Itaque quod narrat Suetonius, Vespasianum cæco lumen reddidisse, & claudum sanasse, nequaquam verum miraculum fuit. Nam nec verè cæcus fuit ille, nec verè claudus, vt ex Cornelio Tacito libro quarto histor. & ex Tertulliano in Apolog. capite 22. intelligi potest: Sed ita vterque illorum erat affectus, vt naturali remedio, atque adeo ope Dæmonis à Vespasiano restitui sanitati potuerit. Sic etiam alias præstigias, quæ apud Ethnicos commemorantur, potuisse fieri artificio Dæmonis, facilè ostẽdit diuus

Augusti-

Augustinus libro decimo de ciuitate Dei, cap. 16. & Tertullianus in Apolog. capite 22. & 23. atque etiam non ita pridem Michaël Medina libro secundo de recta in Deum fide, capite septimo, & deinceps.

Nec verò quòd Apostolus Paulus 2. Thessalon. 2. scripsit, futurum aduentum Antichristi in omni virtute, ita intellexit, quasi facturus sit aut facere possit ille homo nequissimus omnia, quæcunque fieri possunt admirabilia: Sed quia in omni genere miraculorum enitetur homines ludificari opera diaboli, cuius erit præcipuum organum. Quare non absolutè dicit, venturum illum in omni virtute: sed addit etiam, *secundùm operationem Satanæ & signis & prodigiis mendacibus.* Quam ob rem igitur iis miraculis, quæ pro religione Christiana adduci solent, moueri debeamus, aliis autem non item, ita breuiter explicâsse ad institutum nostrum satis nunc erit.

Hoc argumentum quintum ita retorquemus in Sectarios.

Si quam doctrinam singularem (hoc est, abhorrentem à recepta communiq; sententia orbis) Deus aliquando eorum hominum ministerio persuaderi voluit, qui auctoritate secundùm humanum iudicium, impares cæteris viderentur; eam doctrinam necesse fuit supernaturalibus aliquibus miraculis diuinitus comprobari, vt verissimè diuus Augustinus libro 22. de ciuitate Dei, capite octauo disputat, & exemplum prædicationis Apostolorum & Prophetarum, & ratio ipsa docet. Non enim alioqui posset eiusmodi doctrina prudenter recipi, ab his præsertim, qui rationem ipsam per se doctrinæ diiudicare satis non possunt, sed auctoritate potissimùm docentis commoueri debent. At singularem illam doctrinam, quam orbe vniuerso reclamante profiteri isti cœperunt, nullis DEVS miraculis mundo comprobauit. Neque vult igitur, neque voluit Deus, vt eam sibi homines istorum ministerio persuadeant; ac proinde neque Apostolica, neque verè Christiana doctrina est. Quam rationem, quoniam infrà sumus vberiùs confirmaturi, pun. 7. vbi ostendetur, neque ordinariè, neque extraordinariè Sectarios esse legitimos ministros Euangelij, nihil attinet hîc dilatare.

SEXTVM argumentum ducitur ab eorum testimonio, qui fidem Christianam non receperunt. Quod argumentum maximum ad religionem confirmandam habere pondus, docet diuus Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei, cap. 47.

FORMAMVS autem istud argumentum hoc pacto: Doctrina cuius ea vis & auctoritas est, vt aduersarij etiam vel inuiti cogantur perhibere testimonium eius auctori, absque dubio dignissima est, quæ à prudentibus credatur. Talis autem doctrina fidei est. Est igitur dignissima, quæ à prudentibus credatur. Quo quidem in genere nescio quid aut verius, aut grauius dici potuit, quàm illud, quod est scriptum à Iosepho Iudæo, magnæ existimationis auctore. Is cùm in historia gentis suæ ad seculum fælicissimum peruenisset, quo CHRISTVS vnigenitus DEI filius in terris visus, & cum hominibus versatus est, de ipso hunc in modum (procul dubio ex communi valdeque celebri hominum opinione) scripsit libro decimo octauo antiquit. capite nono: *Fuit autem* (inquit) *his temporibus Iesus sapiens vir. Si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor omnium eorum, qui libenter audiunt, quæ vera sunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum, cùm Pilatus in crucem agendum decreuisset, non deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus: secundùm quod diuinitus inspirati Prophetæ vel hæc, vel alia innumera miracula futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat & genus.*

Huc & alia Imperatorum veterum Romanorum spectant testimonia præclara, quæ illi pro Christianis, quos alioquî crudelissimè persequebantur, ab ipsa veritate sunt coacti ferre: Ex quibus Christianæ vitæ atque doctrinæ institutum, optimum sanctissimumque esse, omnino intelligitur. Sed quia breuitas mihi maximè proposita est, omissa non necessaria recitatione, moneo tantum Lectorem, vt ea de re, si libuerit, legat epistolas varias eiusmodi Imperatorum apud Eusebium libro quarto histor. Ecclesiast. capite 13. & libro nono, capite nono, & etiam Apolog. 2. Iustini ad Antoninum Pium, in fine. Omnia certè externorum hæc hominum testimonia eiusmodi sunt, vt non temerè proinde postulare possimus, vt in negotio, & caussa Christianæ religionis contra inimicos nostros, vel ipsi etiam inimici nostri sint iudices.

Hoc argumentum sextum retorquetur quoque in Sectarios.

Nam tale aliquod testimonium inimicorum Christianæ religionis, vel veterum, vel recentiorum, omnino pro suis opinionibus Sectarij non habent: nisi intestinos hostes, hoc est, hæreticos veteres, quorum isti discipuli sunt, intelligas. Etenim vt veteribus Christianis (quod & suprà argumento primo vidimus, & infrà etiam pun. 7. cùm redarguetur, quod isti dicunt, propugnare se doctrinam Apostolicam, à qua Ecclesia Romana defecerit, docebimus) Lutherana atque Caluiniana doctrina incognita fuit, sic & veteribus Christianæ religionis hostibus externis. Qui autem modò supersunt Ecclesiæ hostes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu Turcæ, seu Ethnici, si modò rationis aliquam habent scintillam, ne possunt quidem sine summa execratione de istorum proteruia atque rebellione erga Ecclesię Dei Prępositos (cùm Christiani illi se profiteantur) audire. Nam quod fuerit nuper Ecclesiæ Græcæ de istorum opinionibus iudicium, quamque ipsis acerba & ignominiosa censura, cùm res iam vulgo notissima sit, quid attinet hoc in loco commemorare?

SEPTIMVM argumentum ducitur ab eorum cladibus, qui fidem Christianam oppugnauerũt. Quo argumento vtitur Tertullianus in libro ad Scapulam, & sanctus Chrysostomus oratione 3. contra Iudæos.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Omnino credibilis est ea doctrina, cuius hostes appareat fuisse Deo vindice grauissimis suppliciis mulctatos. Grauissimis autem suppliciis apparet Deo vindice mulctatos esse hostes Christianæ doctrinæ. Est igitur ea omnino credibilis. Quid enim aliud dicemus de impiis & Christicidis Iudæis. Qui maximas calamitates, eo quod *tempus non cognouerunt visitationis suæ*, patiuntur in hanc vsque diem, vt prædixerat illis futurum Christus Dominus?

Nam si non ita est, quam obsecro aliam ob caussam suspicari possumus, illos vsq; adeo grauiter à Deo mulctari? Certè cùm & grauissimè, & iam inde à Christo per ipsos interfecto, & omnes communiter & continenter puniantur; necesse omnino est, crimen illud, propter quod ita acerbè puniuntur, & grauissimum esse, & in illa Christi tempora incidisse, & id omnibus illis aliqua ratione esse commune, & illius eos nũquam omnino pœnitere. Has verò peccati conditiones omnes in nullo alio facinore gentis istius, præterquam in eo, quo CHRISTVM occiderunt, apparet esse coniunctas: In illo verò maximè.

Etenim in ea re, si peccatum ab illis est, vt omnino est, grauissimè ab illis peccatum est; (quippe qui auctorem interfecerint vitæ) & id illorum peccatum calamitates eas, quas tolerant, non ita multùm anteceſsit; & commune illis omnibus, saltem consensu ac voluntate est; & eius nunquam ipsos pœnitet, immo de illo nefariè gloriantur. Quibus ex rebus colligitur, homines istos infæliciſsimos, non nisi illius sceleris, tam diuturno acerboque supplicio pœnas dare, quod impiè conati sint opprimere veritatem, hominemque Deum interfecerint, qui vera, vt ipse Ioan. 8. verissimè aiebat, loqueretur illis.

Quò & illa etiam D. CHRYSOSTOMI, oratione tertia aduersus Iudæos, accedit haud exigui ponderis ratio. Fingamus enim animo, id quod existimare nefas est, Christum, verum Deum, vti dicebat ipse, non fuisse, neque veram adeo atque diuinam, vt profitebatur, doctrinam tradidisse. Dubium tunc non est, quin in interficiendo eo, qui vsque adeo impiè gloriam diuinam ad se transtulisset, magnum fuisset à Iudæis gratisimumq; obsequium præstitum Deo. Hoc autem posito, nequaquam certè esset diuinæ bonitati consentaneum, quòd post id facinus illa gens, tam multis, tam diuturnis, tam magnis ærumnis vexaretur. At in ea re diuinam bonitatem accusare nullo modo possumus. Non igitur illo facto diuinam illi gloriam propugnârunt, sed grauissimè offenderunt, eum qui verissimè erat Filius Dei, occidendo.

Si Phinees (inquit diuus Chrysostomus oratione illa tertia) *vnico perempto homine totam numinis iram aduersus populum placauit (stetit enim Phinees & placauit & cessauit quassatio Psalm. 105.) tamq; multos homines eripuit ab ira diuina vnius hominis cædes: multò magis hæc vobis oportuit accidere, si legis transgressor erat, quem vos crucifixistis. Cur igitur quæso, Phinees, viro legis transgressore perempto, iustus habitus est, & sacerdotio honoratus: vos autem cùm in crucem egeritis virum impostorem, vt dicitis: non modò non inde fertis laudem & honorem, verùm etiam acerbiora patimini, quàm tum cùm filios vestros mactabatis? An non istud perspicuum est, etiam vehementer tardis & hebetibus, quòd posteaquam aduersus seruatorem ac principem orbis impiè egistis, talis sit de vobis sumpta vindicta?* Iam verò supplicia & horribiles exitus aliorum, qui religionis Christianæ præcipui hostes extiterunt, non prolixum modò, sed etiam superuacaneum esset repetere, cùm in promptu vnicuique sint iis de rebus historiæ. Legat, si quis velit, Tertullianum saltem lib. ad Scapulam, & Eusebium libro secundo, capite quarto & septimo, & libro septimo cap. 20. & libro nono, capite octauo & nono, & Nicephorum libro secundo, capite decimo & vndecimo.

Hoc septimum argumentum ita retorquemus in Sectarios.

Si non ipsi, sed Ecclesia, vt contendunt, Romana, non secus atque Iudæorum olim Synagoga, à doctrina vera, sinceraque religione desciuit, cur templa, cur sacerdotes, cur sacrificium, cur cærimoniæ atque ritus, cur certa descriptio formaque religionis in Ecclesia Romana magis, quàm in reliquiis ac fæce Iudæorum, durauit? Ita ne verò? portas inferorum aduersus sanam incorruptamque doctrinam, quam Sectarij (scilicet) tuentur, tamdiu Christus, contra promissiones suas, prævalere permisit? Tamdiu etiam patitur doctrinę lumen ministerio doctoris Lutheri (vt isti loquuntur) accensum, *intra insolentem tantùm portiunculam* (vt Paciani verbis in Epistola tertia ad Sympronianum vtar) *tuberq, collectum, & à reliquo corpore separatum*, tanquam sub modio inclusum contineri?

Mitto, quòd non minus horribiles his temporibus multorum Sectariorum exitus fuerunt, qui doctrinam Ecclesiæ Romanæ oppugnârunt,

quàm

quàm eorum qui olim hostiliter eandem insectati sunt, vt nominatim etiam ab Erasmo Albero libro secundo contra Carolstadianos, est literis proditum. Quod ipsum profectò argumento minimè leui est, non magis istorum doctrinam, quàm veterum illorum Ecclesiæ hostium, esse reuera Christianam.

OCTAVVM argumentum ducitur à testimonio, quod aduersarij Christianæ fidei Iudæi præbent Scripturæ veteris Testamenti, per quas illa comprobatur. Quo argumento vtitur sanctus Augustinus libro 18. de ciuitate Dei, capite 47.

NAm diuinitus magnoque nostro commodo factum est, vt censuit AVGVSTINVS libro primo de consensu Euangel. capite decimoquarto, & lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 46. & epistola 59. ad Paulinum in solutione 2. quæst. vt Iudæi in illa vastatione Hierosolymitana non omnes funditùs deleti fuerint, sed aliqui etiam in varias mundi partes dispersi. Sic enim consecuti sumus, vt testimonia nostræ fidei secum ipsi, contra se & pro nobis circumferant, nosque optimo iure vsurpare possimus illud Deuter. 32. *Et inimici nostri sint iudices.* Quod & idem Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei, capite 46. & epistola 59. ad Paulinum indicat, à Deo postulatum fuisse voce illa Christi in Psalmis, Psalm. 58. *Deus*, inquit, *ostendit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.*

Hoc argumentum octauum ita retorquemus in Sectarios.

Si Scripturæ sacræ non magis suffragantur, aut prosunt Sectariis, quàm Iudæis, frustra de sola Scripturarum professione ad sui erroris patrocinium gloriantur. Sed nihilo magis ipsis prosunt: Frustra igitur de illis gloriantur. Cur enim Scripturæ nunc non prosunt Iudæis, nisi quia eas illi ex proprio suo sensu (quod faciunt æquè pertinaciter Sectarij) interpretantur? Nam quod ex collatione Scripturarum isti dicunt, verissimam se colligere sententiam, an non idem & Iudæorum, & omnium qui vnquam fuerunt hæreticorum prætextus est? Quemadmodum igitur Iudæi, ita & Sectarij (quod inferius pũcto septimo abundè probabitur) *Scripturas tenent ad speciem, non ad salutem*, inquit præclàre diuus AVGVSTINVS libro tertio de bapt. contra Donat. capite 19.

NONVM argumentum ducitur ab auctoritate ipsius Christianæ doctrinæ, quatenus est prophetice prædicta. Quo argumento vsi sunt Iustinus Apolog. 2. ad Antoninum Pium, Tertullianus in Apolog. cap. 20. Clemens Alex. lib. 6. Strom. Augustinus lib. de catech. rud. cap. 26. & lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 15. & deinceps, & lib. 13. contra Faustum, cap. 8. & sequent. Lactantius lib. 4. diuinar. institut. cap. 9. & sequent. & alij Patres passim.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Dubitandum non est, quin verissima sint ea religionis mysteria, quæ multò antequam contingerent, prædicta certò & per se asserta fuerunt. Nam quæ *contingentia* futura sunt, non possunt certò prædici & asseri, nisi diuinitus; nec potest diuinitus aliquid asseri, quod non sit verissimum. At pleraque mysteria Christianæ religionis sunt ita certò prædicta & asserta. Igitur sunt verissima. Etenim multa ex illis ita planè prædicta sunt, vti postea euenisse constat. Quod apparet maximè in rebus, quæ pertinent ad vitam & passionem ac mortem Christi. Rursus alia mysteria nostræ fidei item contingentia, quæ vel futura adhuc sunt, vel iam quidem præterita, sed per se tamen occultiora, quàm vt ex historiis etiam humanis ea iam euenisse satis constet; similiter atque illa, quæ sine controuersia iam acciderunt, sunt olim prædicta. Prorsus vt ex simili prædictionum modo appareat, illa æquè certò atque adeo perinde diuinitus prædicta esse, atque illa alia, quæ in externo euentu, de quo nulla iam controuersia est, sunt posita, vt rectè diuus Augustinus & Tertullianus argumentantur. Iam verò, cùm huiusmodi omnia mysteria sic prædicta diuinitus & certò sint, vt eadem ipsa prædictione fuerint quoq; per se asserta: fit necessariò, vt omnino sint vera: siquidem sunt asserta ab ipso Deo, qui nec falli potest, nec fallere.

Hoc argumentum, quod ex prædictione fidei nostræ prophetica duci solet, hac forma & modo proponi debere, vt pro veritate doctrinæ Christianæ vim habeat; sicut habet sanè maximam; explicabo vno exemplo. Cùm Isaias capite septimo dixit: *Ecce virgo concipiet*: asseueratio ipsius futuri mysterij cum prædictione coniuncta est. Non enim tantùm dixit, fore, vt virginem concepisse ab aliquibus crederetur: quo modo etiam hæreses & falsa dogmata prædicta diuinitus à Christo fuerunt, neque tamen ideo sunt ipsa vera: Sed prædicendo illud mysterium, simul etiam ipsum per se asseuerauit. *Virgo*, inquit, *concipiet.* Cùm ergo eiusmodi asseueratio mysterij *contingentis*, quæ prædictione illa continetur, fuerit, vt antè ostensum est, planè diuina; verum prorsus id mysterium est.

Atque hæc quidem argumentandi ex hoc loco forma, eodem modo ad probandum alia Christianæ fidei mysteria, quæ similiter sunt diuinitus prædicta, accommodari debet. Vt ad salutem humani generis per Christum partam; ad eius resurrectionem; ad ascensionem in cælum; ad Spiritus sancti admirabilem aduentum; ad assistentem opem diuinam in operibus mirabilibus, quæ vel à Christo, vel ab illius discipulis

Universidad de Deusto
Biblioteca

in confirmationem Christianæ doctrinæ patrata sunt; ad iudicium futurum; ad resurrectionem carnis quam speramus; ad alia huius generis, quę partim à Prophetis in Scripturis, partim etiam à Sybillis, fœminis è populo gentilium prophetissis, de Christianæ religionis mysteriis prænunciata fuerunt, vt ex Clemente Romano libro quinto constitut. Apostolic. capite sexto, & ex Iustino in oratione parænetica ad Gent. & Lactantio libro primo institut. diuin. capite sexto, & Augustino lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 23. cognosci potest.

Hinc Christus ipse Ioannis quinto, vt vel hoc argumento auctoritatem doctrinæ suæ Iudæis probaret, Prophetarum de se vaticinia, quibus illi fidem habebãt, obiicere eis erat solitus: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, in quibus vos dicitis vitam æternam contineri, quoniam illæ testimonium perhibent de me.* Et; *Si crederetis Moysi, crederetis vtiq; & mihi, quoniam de me ille scripsit.* Ab eodem argumento & sanctus Apostolus, vt auctoritatem Euangelio conciliaret, exorsus in epistola ad Roman. 1. est: *Segregatus*, inquit, *in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui natus est ei ex semine Dauid, secũdum carnem.*

Hoc argumentum nonum ita retorquemus in Sectarios.

Verum Christi Euangelium, hoc est, veram Christi doctrinam, multò antè per Prophetas suos tanquam perpetuò in Ecclesia duraturam promiserat Deus. Lutheri autem aliorumq; Sectariorum Euangelium nunquam Deus promisit: quin immo id planè priorem illam Dei promissionem euacuat, vt ostendemus. Non est igitur illud verum Christi Euangelium, sed hæresum potius sentina quædam, quales fuisse & in Ecclesia futuras, diuinitus prędictum est, & cęteri quoq; hæretici (teste D. Irenæo lib. 3. aduersus hæreses cap. 11. in fine) Euangelij nomine similiter se palliare iam olim consueuerunt.

Vbi enim obsecro Lutheri Euangelium, hoc est, Euangelicæ doctrinæ (vt Sectarij dicere malunt) Lutheranam institutionem, per Prophetas suos, aut per Apostolos, promiserat Deus? Equidem nullum Scripturæ locum video, qui ad eam rem pertineat, præterquam illos 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse.* Et Matth. 24. *Surgent pseudoprophetæ.* Et 1. Tim. 4. *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacia, & cauteriatam habentium conscientiam, &c.* Hæ nimirum Euangelij Sectariorum sunt prophetiæ: non aliæ.

Nam vbi perpetuò sonare oportuerit vocem veri Euangelij, Deus ipse clarissimè significauit cum Ecclesia loquens per Esaiam 59. *Spiritus*, inquit, *meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, amodo & vsq; in sempiternum.* Cum quanam verò Ecclesia hîc loquitur? Nempe cum ea, quæ sit congregatio eorum, de quibus per eundem Prophetam Isai. 61. dicit: *Scietur in gentibus semen eorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quoniam isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Hi verò & visi semper & cogniti ab omnibus, quinam alij sunt, nisi qui omnibus illis seculis ante Lutherum, Ecclesiæ sanctæ Romanæ membra fuerunt? Ab huius igitur Ecclesiæ ore, si (iuxta illustrem illam Dei promissionem) nunquam recessit aut recedet Euangelij verbum: qui potuit Deus velle ac promittere, vt Lutheri aliorumq; Sectariorum opera in eam Ecclesiam Verbum Euangelij (tanquam si ab ea recessisset) denuò reduceretur? Certè est euidens ex prophetiæ ratione (vt fecimus) ita redargui pseudoprophetæ Lutheri & aliorum Sectariorum pseudoeuangelium, vt planè appareat, illud habere non posse vllum locum, si veræ sunt diuinæ prophetiæ de vero Christi Euangelio.

DECIMVM argumentum ducitur à sanctitate & rectitudine eiusdem Christianæ doctrinæ: quo argumento vsi sunt Tertullianus in Apolog. aduersus Gentes, cap. 39. Iustinus in Apolog. 2. ad Antoninum Pium non longè ab initio.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Quæ doctrina ex omni parte est rectissima atque sanctissima, ea meritò credi potest fundamento veritatis niti; cùm à veritate, vera sanctitas rectitudoque diuelli ac distrahi nullo modo possit. Est autem talis doctrina Christiana. Eam igitur niti veritate credendum est.

Primùm enim contra rationem docet nihil. Quanquam docet quidem suprà rationem non pauca: sed quæ sunt tamen eiusmodi, vt ab argumentis omnibus eiusdem humanæ rationis quęcunq; contra fiant, defendi haud difficulter possint, sintq; luculenter defensa à Christianis auctoribus.

Sed neq; iubet aliquid, quod sit improbũ; Immo verò naturæ leges vniuersas sanctissimè tuetur confirmatque; tum alia porro nonnulla præcepta addit, quibus modum religionis & per se optimum, & ipsi rationi Christianę doctrinę, hominumq; naturę valdè conuenientẽ præscribit.

Quæ res quantam vim habere debeat, vt qui nondum Christianam religionem susceperunt, animum ad eam applicent, & qui receperunt, constanter eandem teneant; Psalmista etiam Psalm. 18. indicâsse videtur: *Lex enim*, inquit, *Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis, illuminans oculos.* Quasi diceret: Quia & immaculata prorsus est, & præclara docet: conuertendi vim habet animas. Quam etiam ob caussam; *Iudicia item Domini vera, & iustificata in semetipsa esse dixit.* Quia videlicet, cùm diuina doctrina, non nisi optima quæq; doceat, satis se ipsa probat. Contrà verò nulla secta fuit, aut est hominum infidelium,

lium, quam nostri nõ conuicerint aliqua vel docere absurda, vel sancire atque approbare planè impia: vt vel ex vno Theodoreto in libro de fabulis hæreticorum, & libro de legibus Philosophorum, satis cognosci potest.

Hoc decimum argumentum sic retorquemus in Sectarios.

Quæ doctrina tradit aliqua manifestè absurda & impia, non est digna vllo modo, cui adhibeant fidem prudentes. Doctrina Sectariorũ eiusmodi est. Non igitur est fide prudentum digna.

Nam quale est obsecro illud non minus sceleratum, quàm peruulgatum, doctrinæ Lutheri in concione quadam, quã habuit de eo ipso argumento obscænissimo, decretum: *Si non vult vxor, veniat ancilla.* Itemq; illa eiusdẽ aduersus Christi sanctissimũ consilium. Matt. 19. blasphemia, quã scripsit, præter morem suũ, Græcè, vt tegeret aliquo modo turpissimæ sententiæ improbitatem, in epistola ad VVolfgangũ Reisembuchs: ἄγαμος (cælebs) planè ἀδύνατα πρᾶττει (impossibilia sectatur) καὶ ὅλως στομαχεῖ (& omnino cum Deo pugnat) vt præteream nunc alia istorum dissolutissima placita, quæ eum fructũ suapte vi proferunt, de quo ipsos suprà argumento tertio testificantes audiuimus. Quamobrem non hæc Sectariorum doctrina, lex Domini sancta & immaculata, sed legis atq; doctrinæ Dominicæ præuaricatio, multis erroribus contaminata, reputari debet.

VNDECIMVM argumentum ducitur ab ipsa conditione Christianæ doctrinæ, vt continet quædam ardua & difficilia. Quo argumento vsi sunt Clemens Alexand. lib. 6. Strom. in fine, & sanctus Augustinus lib. de vera religione cap. 3. & 4.

FOrmamus autem id argumentum hoc pacto: Cũ Christiana doctrina ferè doceat, quæ sunt hominũ deprauatis voluntatibus atq; studiis aduersa; cumq; à tot, tamq; diuersi generis hostibus oppugnata omnibus temporibus sit; nisi in ea inesset magna vis veritatis, & patrocinio diuino prorsus niteretur; nõ potuisset vllo modo vel initio persuaderi; vel postea cõsistere. Nunc verò nõ modò oppugnationibus tũ hæreticorum, tũ tyrãnorum firmior reddita est, verùm etiã hac inprimis ratione mirabiliter aucta. Ita neq; verẽdũ est, ne vllo vnquã tẽpore opprimatur. Nam si hostes illi sunt cõmodo, à quibusnam ei periculũ interitus impendere potest? Quod si & stetit hactenus, sicut alia religio nulla, & perpetuò cõsistet, neq; ab vllis hostib⁹ delebitur; auctoritate illã firma & stabili, id est, planè diuina, niti necesse est.

Hoc vndecimum argumentum ita retorquemus in Sectarios.

Christiana doctrina vel ea ratione maximè cõmẽdatur, quod, cùm disciplinã contineat repugnantem alioqui propensis hominũ cupiditatibus, tamen mirabiliter iisdem hominibus ꝓbata est. Atqui doctrina Sectariorũ prurit carni & auribus, congruitq; his planè, qui ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, non ex Deo nati sunt; & vix tamẽ paucis nationibus hactenus persuaderi potuit. Nihil igitur doctrina Sectariorũ est minùs, quàm Christiana doctrina.

DVODECIMVM argumetũ ducitur ab ordine, qui cernitur in instituto & religione Christianæ doctrinæ; de quo præclarè sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputationibus habenda.

FOrmamus aũt id argumentum hoc pacto: In magna differentia officiorũ & graduum, pulcherrimus ordo religionis omnino est indicium, ab eo illã constitutã esse, à quo omnia, quæ sunt, ordinatissima sunt, nempe à Deo. Est autẽ ordo pulcherrimus in magna varietate atq; differẽtia graduũ & officiorum Christianæ disciplinæ. Deũ igitur habet auctorẽ. Nam si Regina Saba ex ordine atq; ratione familiæ Salomonis rectè colligebat, res illius regis singulari Dei ꝓuidentia atque ope contineri: Quid nos de Ecclesia Christi censere debemus, in qua tantò admirabilior est ordo atq; consensus, quantò latius illa, per cunctũ orbẽ diffusa, quàm domus Salomonis, patet.

Hoc argumentum duodecimum ita retorquemus in Sectarios.

Si ordo in varietate statuũ est indicium verę & à Deo constitutæ religionis; babylonica cõfusio sine vlla varietate & ordine stabilium statuũ, indicium erit erroris, peruersarumq; Sectarũ à religione vera deerrantium. Deerrant igitur à vera religione oẽs hodie Sectarij, postquam omnem istam varietatẽ, ex qua ordo ipse existit, & qua est Christi Ecclesia pulcherrimè circundata, suis ex Synagogis procul eiecerunt. An enim (vt de aliis fileam) negare possunt, in se quadrare, quod de hæreticis huius temporis scripsit in præscriptionibus Tertullianus: *Apud eos cras est laicus, qui hodie est Sacerdos?*

DECIMVM TERTIVM argumentum ducitur ab eiusdẽ Christianæ doctrinæ vi in afficiendis animis, vt obseruauit Clemens Alexand. lib. 6. Strom. non longè à fine, & Lactantius lib. 3. diuin. instit. cap. 23.

FOrmamus aũt id argumentum hoc pacto: Par est credere, diuinã ac verissimam esse eam doctrinã, quæ diuinè prorsus animos hominũ afficit, & ad virtutẽ impellit. Hoc aũt facit Christiana doctrina. Credi ergo debet eam esse verisimã atq; diuinã. Etsi enim est scripta verbis simplicibus & caret ferè artificio orationis & ornamẽtis: Nihilominus ita vehementer Lectoris mentem cõmouet, vt alia nulla doctrina. Quod argumento est, illius auctoritatem omnino diuinam esse, non humanam: hæc enim sine verborum arte & orationis quasi lenociniis, ad efficiendum animorum motum non valet.

Neq; verò in vno aliquo vel altero genere, sed in omni prorsus, hæc doctrina hominibus vtilis est, *vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum in-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

structus. 2. Tim. 3. Docet ignorãtes: solatur tristes: torpentes excitat, confirmat atq; erigit afflictos. Deniq; nulla animorum ægritudo est, cui mederi non possit. Nam verisimè Sapiẽs Prouerb. 30. *Omnis*, inquit, *sermo Dei ignitus clypeus est sperãtibus in se.* Quam Scripturæ sanctę virtutem cùm essent Machabæi experti; licet hostibus vndiq; sæpti essent, magnisq; difficultatibus premerentur; nulla re tamẽ indigere se aiebant, *habentes solatio sanctos libros, qui sunt*, inquiũt, *in manibus nostris, 1. Machab. 12.* Mihi quidem Machabæorũ hoc testimonium sæpenumerò eiusmodi visum est, vt vel eo audito, qui non omnino sit malæ mentis, salutarem hanc & diuinam Scripturæ sacræ virtutem, etiam sine alia experientia, sentire possit. Vnde etiam Apostolus, Rom. 15. *Quæcũq;*, inquit, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiã & consolationem Scripturarum spem habeamus.*

Hoc argumentũ etiam retorquemus in Sectarios.

Nam si eam consolationem & hunc fructum ex Scriptura, Sectarij perciperent, procul dubio Ecclesiam Catholicã, quam sine vlla dubitatione (vt Augustinus lib. 1. contra Cresconiũ Gram. cap. 23. inquit) Scriptura commẽdat, & ad quam nos illa sæpè remittit, minimè vel insectarentur, vel contemnerent. Quòd cùm faciant; rursus hîc repeto ex eodem D. Augustino lib. 3. de bapt. cõtra Donatist. cap. 19. tenere illos *Scripturã ad speciem non ad salutem*, neq; magis, vt probent suam doctrinam verè Christianam esse, Scripturam ipsis suffragari, quàm Iudæis, itidem Scripturæ tenacissimis, vt comprobent perfidiam suam.

DECIMVM QVARTVM argumentum ducitur à Scripturarum diuinarum antiquitate, quam maximum pondus auctoritatis habere iudicarunt non immeritò veteres Patres.

ETenim literæ sacræ bona sui parte longè antecesserunt omnia alia profanorum hominũ monumenta; vt ostendunt Iosephus lib. 1. contra Apionem. Iustinus Apolog. 2. Clemens Alex. lib. 1. Stromat. Tertullianus in Apologetico cap. 19. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 37. & seq. Itemq; consensus earũ maximus. Tum etiam in illis seruandis, ac ex Hebraico sermone in Græcũ per interpretes illos septuaginta admirabiliter transferendis, singularis prouidentia diuina, vt obseruarunt Tertullianus in Apologet. cap. 19. & D. August. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 43. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15. Denique tanta in eisdem sapientię vbertas, vt etiam profanarum scientiarum vetustissimi doctores ex hoc fonte hauserint, quicquid melius & verius tradiderunt, vt testatur Iustinus, vbi suprà, & alij. Quæ omnia procul dubio pondus auctoritatis doctrinæ nostræ addunt maximum.

Hoc argumentũ retorquemus etiam in Sectarios.

Nam si antiquitas ipsa per se ad cõmendationem doctrinæ valet; certè doctrinæ nouitas, præsertim cum antiquitate è diametro pugnans, auctoritatẽ Sectariorũ doctrinæ (ne habeatur pro verè Christiana) meritò apud omnes detrahet. Nam qp dictitant, se omniũ primam & antiquissimã doctrinã profiteri, ab ipso Deo in paradiso illis verbis traditã: Ipse (sic enim malunt, quàm, Ipsa; licet eodem res recidat) *conteret caput tuum*, nónne valde est ridiculum? Etenim qp vnigenitus Dei atq; Marię Virginis filius contriuerit passione sua caput, hoc est, vim diabolici serpentis, non ipsorum propria, imò non reuera ipsorũ, sed Ecclesiæ Catholicę, cuius ipsi quasi calcaneo insidiantur, doctrina est. Ipsorum autẽ doctrina, ppria est, reliquisse potius Christum integrũ caput serpẽti, imò nescio quo illud inuolucro mollissimè quasi confouisse; hoc est, nõ delere penitus illum sua gratia in Baptismo peccatum originis (quod quasi caput operũ diaboli in homine est) sed tanquam velo quodam tegere. Hoc commentum & reliqua absurdissima, quæ de iustificatione, aliisque locis isti propriè defendunt, quæro, quonam in loco paradisi Deus docuit?

DECIMVM QVINTVM argumentum ducitur ab ipsa Christi persona, & eius propheticis prædictionibus. Quo vtuntur Chrysostomus oratione 2. & 3. contra Iudæos, & Augustinus lib. de catech. rud. cap. 24.

NAm vt nihil dicamus de illius absoluta sapientia, de singulari innocentia vitæ, de patiẽtia admirãda, de signis stupendis, quæ illius vitã, & mortem, & resurrectionẽ admirabilem mũdo reddiderunt: de virtutibus deniq; omnibus, quæ cõciliare doctrinę alicuius apud homines auctoritatẽ possunt; nónne etiam veritatis se doctorẽ esse, multarũ rerũ prophetica prædictione, quas euenisse iã constat, luculentissimè, pbauit? Nónne Hierosolymitanæ vrbis excidiũ, Luc. 19. futuram in Ecclesia perfidiã hæreticorum, Matth. 7. conuersionẽ Gentium Ioã. 12. & 17. prædicationẽ Euangelij vbiq; Matt. 24. peccatũ Petri Matt. 26. Iudę, pditionem Ioan. 13. Apostolorum martyriũ Matth. 24. prædixit? An non hæc omnia quẽadmodũ prædixit, euenerunt? Quid qp intimas hominũ cogitationes diuinitus sæpè vidit. Matth. 9. & 12. & Ioan. 16. ad easque mirabiliter respõsum accommodauit? Hæc certè tam insignis virtus argumento nobis esse debet, in omnibus eum doctrinæ partibus tradendis verissimi diuinique magistri munus expleuisse.

Hoc argumentum rationem nobis luculentissimam suppeditat reuincendi Sectarios.

Mirũ namq; est, cùm toties au diunt Sectarij, à Christo Domino inter cætera veri simè esse prædictum, hæreticos Christiano nomine palliatos, fuisse futuros; cur non aliquãdo tandẽ intelligãt, ex eorum omnino se esse numero, atq; adeo nihil minus, quàm doctrinã retinere: verè Christianã?

Neq; enim difficile est hunc in modum ratiocinari: Hæretici, quos Christus Dominus prædixit futuros, illi homines omnino sunt, qui cum opinione quidem sua existiment, atq; iactent, se propugnare veram atque Apostolicam doctrinam; se sequi prorsus sententiam Scripturæ; se in hoc non errare; se esse Christi veram Ecclesiam; alios qui ipsis contradicunt, in errore versari, nec Ecclesiam veram esse, &c. hæretici, inquam, sunt ij, qui cùm hæc & similia opinione quidem sua ita de se iactent: eius tamen cætus auctoritate & sententia, qui pro Ecclesia Christi vera in orbe vniuerso ante natam controuersiam habitus fuerit, & postea etiam à cæteris omnibus habeatur, hæretici iudicantur. Tales autem prorsus sunt omnes Sectarij, tum Lutherani, tum Caluiniani. Igitur omnes illi ex eorum hæreticorũ sunt numero (cogor ita loqui propter argumenti consequentiam) quos Christus verè prædixit fuisse futuros.

Obsecro, quid in vllo quæstionis genere certius concludi potest? Vtrum enim Maiorem, an Minorem, an Consequentiam negabunt? Quid? Diffiteri ne possunt, quin sententiâ eius cætus fidelium, qui pro Ecclesia vera ante Lutherum in vniuerso orbe habebantur, & postea etiam à reliquis præter ipsos habẽtur, hæretici sint iudicati? At hoc & sciũt ipsi plus satis, & animo iniquissimo (quod est etiam hæreticorũ ingenium) ferũt. An verò negabunt, iudiciũ reliqui orbis terrarum satis esse, vt iure habeantur hęretici? Quorum nam igitur præterea iudicium requiritur, si non sufficit iudicium aliorum omniũ præter ipsos? Certè nullum supereſt nisi iudicium etiã ipsorum. Quid igitur? Hæretici meritò non habebuntur, nisi qui sua etiam sententia propria sint hæretici? Nulli igitur omnino hæretici in Ecclesia Christi vel fuerunt, vel erunt aliquando; falsoque Christ⁹ hæreticos aliquos fuisse futuros prophetauit. Quis enim vnquam aut fuit aut erit hęreticus, qui se ipse etiam hæreticum esse profiteatur? An non etiam Manichęi, Ariani, Pelagiani & reliqui omnes sine controuersia hæretici, errare se aut hęreticos esse pernegabant? Nónne, vt meritò haberentur hæretici, iudicium satis fuit reliquorum fidelium cætus, qui ante controuersiam cõmuniter ab omnibus pro vera Ecclesia agnoscebatur? Sed de hoc aduersus istos inuictissimo argumẽto infrà nobis redibit oportunè ser. p. 7.

DECIMVM SEXTVM argumentum ducitur ab efficacitate sermonum Christi, quam expendit Chrysostomus homil. 26. in Matthæum, & Hieronymus in caput 9. Matthæi.

ETenim doctrinam omnem à Christo traditam (vt argumento præcedenti concludebamus) esse diuinã atq; verissimam, vel ipse profectò in dicẽdo admirabilis modus, atq; energia, qua ille ad stuporem vsq; maximum auditorum, vti solitus erat, persuadere possit, vt notatum est à D. Chrysostomo homil. 26. in Matthæũ, & Hieronymo lib. 1. com. in Matth. circa caput 9. Quis enim hominum vnquã ita locutus est, vt ille homo? Ioan. 7. Aut de quo legimus, tãtum dicendo potuisse, vt turbæ maximæ relictis domibus, ad agros, & ad montes desertos audiendi causa toto triduo, atq; etiam oblitæ necessarij cibi, sequerẽtur? Matth. 15. & Marci 8. An hoc efficere potuit humana vis, præsertim vani alicuius & mendacis magistri? Negemus, hæc ita vt narrantur accidisse, & planè barbari tum erimus, qui pari ratione historiis aliarum rerum, quas ipsi non vidimus; nullam debeamus adhibere fidem, vt argumentatur rectissimè D. Avgvstinvs lib. 10. de ciuitate Dei cap. 18.

Sed loquebatur ille fortassis humanæ sapientiæ verbis. Nihil min⁹. Imò simplicissima oratione & planissimis sententiis, ac vulgaribus similitudinibus vsus est. Quo magis est perspicuũ illius in dicẽdo vim fuisse planè diuinam. *Beati* (inquit in eo sermone, quẽ ad multas vndiq; turbas concurrentes in monte Matt. 5. habuit) *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, etc.* Quid hac & sequenti oratione tota lenius esse potest? Et tamẽ, *cùm consummãsset* Iesvs *omnia verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorũ & Pharisæi. Matth. 7.* Nempe homo erat non tantùm homo, sed idem Deus. Vnde & illud etiam, quod proditũ est, eueniebat, vt quos ipse discipulos deligeret; ad vnam statim eius vocem diuina vi attracti, confestim sequerentur, vt Matthæus, & alij Apostoli. Quod cum Iulianus, teste Hieronymo lib. 1. comment. in Matthæum circa caput 9. & alij Christianæ religionis hostes, velut leuiter à discipulis Christi factum impiè deriserunt; validius etiam nobis hoc argumentum pro fide nostra reddiderunt: siquidem eo ipso agnouerunt tamen, id factum esse, quod nisi diuina Christi docentis atq; vocantis virtute accidisse, non est verisimile.

Hoc argumentum meritò etiam retorqueri potest in Sectarios.

Qui enim cum illa Christi in docendo moderatione summa atq; puritate, arrogãtiam, superbiam, obscænitatem & procacissimam maledicẽtiam, quæ est passim in Lutheri, aliorumq; Sectariorum scriptis, contulerit; sibine persuadere poterit, istorum doctrinam desursum esse, & non potius (vt ait D. Iacob. 3.) terrenam, animalem, diabolicam? *Quæ enim de sursum est sapientia* (inquit idẽ Apostolus) *primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Quibus profectò verbis, quid nominatim defuturum esset in huius temporis Sectariorũ doctrina, videri non iniuria posset sanctissimus hic Apostolus voluisse describere.

DECIMVM SEPTIMVM argumentum ducitur à Christi præstantia & dignitate, eo modo quo sanctus Bonauentura in stimulo diuini amoris p. 1. cap. 6. ratiocinatur.

FOrmamus autem ita rationem: Si Christus eiusmodi homo fuit, qui falsò contenderet se filium dei naturalem esse, veramq; adeo doctrinam diuinitus tradere, necesse prorsus est, eũ aut singulari, imò portentosa superbia & ambitione, aut stultitia & stupiditate mentis maxima præditum fuisse; qui videlicet dignitatem tantam vel nequiter, vel ignoranter atq; stolidè sibi falsò arrogaret. Rursus verò tam improbus, vel tam stupidus si fuisset, facere aliter non poterat, quin aliquo vel in vita & conuersatione peccato, vel in doctrina manifesto errore, nõnullum indicium improbitatis aut stultitiæ suæ aliquando daret. Ostendit enim impietas atq; insipientia sese: neque latere penitus diu potest. At nemo fuit vnquam, etiam ex inuidiosissimis & ad omnem cauillandi occasionem intentissimis hostibus, qui aliquod illius aut dictum aut factum posset probabiliter arguere de vllo peccato vel errore: tametsi multi falsi testes ad eam rem diligẽtissimè quæsiti fuerint. Neque ambitione igitur improbus, neq; verò insipiens homo fuit. Quod si talis non fuit: non falsò igitur contendit se Dei filium naturalem esse, veramque doctrinam diuinitus tradere.

Qua ratiocinatio argumentum quoq; nobis suppeditat contra Sectarios.

Nam *quomodo* (inquit præclarè D. AVGVSTINVS epist. 48. ad Vincentium Rogatianum) *confidimus, ex diuinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus, & Ecclesiam manifestam?* Atqui Sectarij ex diuinis literis nondum didicerunt, Ecclesiam Christi manifestam, omniumq; oculis perpetuò expositam esse (vt infrà suo loco videbimus) non igitur (auctore D. Augustino) confidere possunt, ex diuinis se literis didicisse Christum manifestum. Quod si hac fiducia freti esse nequeunt: certè non re, sed nomine tenus Christiani sunt.

DECIMVM OCTAVVM argumentum ducitur ab affectione quadã animi eius, qui præcedentibus argumentis moueatur; quo vsus est sanctus Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus.

CVm enim hactenus eiusmodi argumẽta pro auctoritate Christianę doctrinæ fecerimus, quæ per se ipsa satis esse prudentibus debeant, vt animum inducant velle credere, tamẽ nescio an non sit argumentũ iis omnibus maius, quòd qui verè Christiani sunt, ita se animo diuinitus affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiunt, vt præcipuè quidem propter nullum argumentũ, quod vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud nescio quid, quod alio quodam modo, & longe fortiùs quàm vlla argumenta, animis nostris persuadet (est autem id reuera diuinum ipsum testimonium) ad firmiter credendum moueri se intelligant. *Nouit enim* (inquit verissimè sanctus Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus) *is, qui veritati coniũctus est, quàm bene se habeat, etiamsi plures illum corripiant quasi amentem & extra se factum. Per intemeratam enim fidem extra se fit, exstasimq; patitur. Porrò nouit seipsum veraciter, non, quod illi aiunt, insanire, sed ab instabili atq; variabili circa latissimam erroris varietatem motu per simplicem & semper se eodem modo habentem veritatem euasisse liberum.*

Hanc igitur experiẽtiam diuini testimonij & sensum, licet per se quidem non satis sit euidens; tamen quoniam ab iis, qui credunt, propemodum clarè percipitur, & ab aliis etiam (indicio quodam & significatione) in credentibus ipsis animaduerti potest; dico pro multis argumentis esse debere, ad fidem vel constantissimè retinendam, vel etiam de nouo suscipiendam. Etenim quod minimè vanus hic sensus sit, sed diuinus & solidus, & ortus ex natura supernaturalis fidei, quæ mentem ipsa per se in diuina reuelatione faciat ita firmiter acquiescere: fructus optimæ ac sanctissimę vitæ ostendit eorum, qui ad normam Christianæ fidei actiones suas studiosè instituũt.

Accedit eodem, quòd etsi quandoq; contingat, vt Angelus Satanę in Angelũ lucis sese transfiguret, hoc est, vt ij, qui errant, lucem nihilominus veritatis sibi percipere videantur aliqua ex parte similem (nam prorsus similiter eos atq; fideles affici non mihi persuadeo) ei quam persentiunt qui vera credunt: tamen non est vllo modo diuinæ prouidentiæ consentaneum, vt tot Christi fideles, ac tales, & tam ordinariè, in orbe toto sic illudantur.

Hoc argumentum si vllum aliud, meritò deterrere deberet Sectarios ab errore, in quo versantur.

Nam & illo Lutherus ipse aliquãdo, quasi clarissima voce, à conscientia propria in viam reuocabatur, monebaturq; verissimè (si voluisset audire) quantopere à recto itinere veræ Christianæque doctrinæ declinare inciperet. *Quoties* (inquit ipse Lutherus in præfatione libri de abroganda Missa priuata ad Fratres Augustiniani ordinis, in Cœnobio VVittembergensi) *mihi palpitauit tremulum cor, & reprehẽdens obiecit fortissimum illud argumentum? Tu solus sapis? totnè errant vniuersi? Tanta secula ignorauerunt? Quid si tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Infæliciſsimum verò te mortalium omnium, Luthere, quòd non tunc audieris, quid Dominus, secũdùm magnam misericordiam suam (cũ nondum esses consumptus) in te loquebatur. Quid enim ad fortissimum illud argumẽtum (vt ipse appellas) quo & sanctissimi olim Ecclesiæ Patres ad se se & alios confirmandos (vt infrà videbimus) vti solebant, respondere poteras? *Tandẽ*, inquit, *confirmauit me verbis suis Christus, vt iam nec tremat, nec palpitet, sed insultet cor meum his Papisticis argumẽtis.* Atqui ab Angelo poti⁹ Satanę in ista tua obstinatione, Luthere, obfirmatũ fuisse te, illud ipsũ fortissimũ argumẽtum, à tanta aliorũ auctoritate &

fama

fama Catholici nominis (vt Augustinus inquit) admodum celeberrima; certissimè concludebat. Sed scriptum est Prouerb. 18. *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.*

Ad eos verò omnes, qui Lutheri, aliorumque Sectariorum fraudibus irretiti tenentur clamat adhuc Dominus, & vel hoc ipso horribili exemplo obstinationis Lutheri monet, *vt magnum ipsi* (sicut in simili causa D. CYRILLVS lib. 4. in Ioan. cap. 13. ait) *profectum faciant à peccatis aliorum, quærántque*, vt AVGVSTINVS lib. de vera relig. cap. 7. grauissimè inquit, *Christianam religionem in Ecclesiæ Catholicæ communione; quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non sõlùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis.*

DECIMVM NONVM argumentum ducitur ab iis omnibus argumentis, quæ hactenus sunt proposita.

SI maximè enim argumenta singula, quæ fecimus, tantam vim nõ haberent, vt vnumquodque per se mouere debeat (quãquam nullum est omnino, quod non sit maximum) certè in omnibus simul ingens est pondus: si non vt constet euidenter Christianam doctrinã esse veram; certè vt euidenter intelligamus, eam quamuis per se non sit euidens, esse tamen fide & assensione prudentum dignissimam: quod si nec hoc quidem, certè vt error atque ignorantia, si quæ in assentiendo Christianæ doctrinæ esset (est autem in ea re potuis summa verisimaque sapientia) omni culpa & reprehensione vacaret.

Quid enim vnquam de rebus non euidentibus sine culpa creditum est, si credere quæ Christiana doctrina tot tantisque argumentis confirmata docet, culpa non vacat? Aut quomodo in extremo illo iudicio Deus propter studium, professionemq; Christianæ religionis condemnare nos poterit, quam tot modis vel ipse probauit, vel certè probari sic permisit, vt nisi planè desipimus, nulla religio alia, ac multò minus contemptus omnis religionis, vel gratus Deo ipsi, vel rectæ rationi conueniens esse videri nobis possit?

Nunquam igitur laudari satis Richardi Victorini lib. 1. de Trin. cap. 2. oratio ad Deum poterit: *Domine, si decepti sumus, tu nos decepisti.* Quæ mihi vox & verissima, & consolationis plenissima, & prorsus eiusmodi videtur, quam omnibus portis inferorum in negotio fidei confidentissimè opponere possimus. Neq; enim video, vt assentiamur Christianæ doctrinæ, quid vehementius mouere nos possit, quàm quod euidenter intelligimus, vt explicatum est, eam aut omnino esse veram, aut sine culpa prorsus veram à nobis iudicari.

Hinc concludimus in Sectarios:

Cùm hac consolatione (vt argumentis etiam ipsis, hactenus pro Christiana doctrina factis) destituantur, nihil eis, dum ad regiam viam Ecclesiæ Catholicæ non redeunt, nisi vt planè desperent, superesse.

Porro ex his intelligitur, eos qui Christianam doctrinam complectũtur, nequaquam indoctas fabulas sequi, sed testimoniis eiusmodi niti, quæ verè sunt, vt Psalmista Psal. 92. loquitur, *credibilia nimis.*

Deinde intelligitur, quamcunque aliam religionem à Christiana differentem, indignam esse prorsus, cui adhibeant fidem prudentes. Iisdem enim argumentis vtrumque conuincitur: videlicet & nostram fidem credi prudẽter, & quæ cum ea pugnant, prudenter credi non posse. Primùm, quoniam idipsum inter cætera docet nostra fides, quæ in vniuersum, vt probatum est, vera docet. Tum etiam, quoniam vt repugnantes doctrinæ prudenter credantur, fieri per se quidem non potest: id est, si vtriusque partis argumenta satis cognita sint, & inter se bene conferantur.

Quod ob eam rem ita dico; quoniam propter ignorantiam fieri *ex accidenti* potest, vt quis antequam rationes & argumenta nostræ fidei percipiat, haud imprudenter assentiatur doctrinæ pugnanti cum iis fidei nostræ articulis, qui sunt supra captum naturalis rationis. Itaq; hoc euincunt euidenter argumenta nostræ fidei, qui argumenta hæc percipiat, hunc neq; posse prudenter credere, quod pugnet cum nostra fide, & prudentissimè facturũ, si complectatur illam, quoniam omnino nulla religio est, aut fuit vnquam ita probata sicut est nostra.

Ex qua re etiam illud intelligi debet, iure hominibus impositum esse diuinitus præceptũ credendi; siquidem prudenter, ob argumenta iam explicata, possunt hoc facere, quamuis fidei doctrina non sit ipsa euidens. Quod erat igitur nobis argumentis docendum, id satis, vt arbitror, ostẽsum est: nempe doctrinam fidei esse euidenter credibilem.

Responsio ad ea quæ fuerunt obiecta contra euidentiam credibilitatis Fidei.

SED SVPEREST modò, vt respondeamus ad argumenta initio proposita contra euidentiam hanc credibilitatis nostræ fidei. Ad PRIMVM potest PRIMO responderi, si qui ex iis, qui reiiciunt fidem, simul percipiãt rationes ac motiua illius, eos euidenter posse cognoscere illam esse prudẽter credibilem. Et nihilominus possunt illam reiicere vel ex malitia, vel ob eius difficultatem. Siquidẽ motiua fidei non cogunt assentiri. Quemadmodum sæpe accidit, vt qui euidenter cognoscit, bonum esse temperatè viuere v. g. ac prudenter facere eum, qui ita viuit, sæpe inquam accidit, vt talis nihilominus sit intemperans.

SECVNDO respõdetur, communiter eos, qui fidem non admittunt, ex malitia, vel ex affectu erga se, aut erga magistros suos impediri & excæcari, quo minus possint rationes & motiua fidei perspicere, atque ita mirum non est, si non

habeant

Universidad de Deusto
Biblioteca

habeant eiusmodi euidẽtiam de credibilitate fidei nostræ.

Hæc solutio colligi potest ex Apostolo 2. Corinth. 4. vbi causam infidelitatis reiicit in cæcitatem mentis. *Deus*, inquit, *huius seculi excæcauit mẽtes infidelium, vt non fulgeat in eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi.* Ac similiter Sapiens agens de incredulitate Iudæorum circa diuinitatem Christi, inquit: *Excæcauit eos malitia eorum.* Sap. 2.

Ad SECVNDVM eodem modo respõderi potest, PRIMO, si qui ex infidelibus intelligant, probabiliorem esse doctrinã fidei, nihilominus posse contrarios errores sequi, propterea quòd maior illa probabilitas non cogat. SECVNDO respondetur, communiter illos impediri prauo aliquo affectu, quo minus maiorem probabilitatem in doctrina fidei perspiciant.

Ad TERTIVM respondeo, iudicium illud euidens elicitiuè ad prudentiam pertinere, sicut & aliqua iudicia de agibilibus. Impulsiuè autẽ pertinet ad ipsum habitũ fidei supernaturalis, postquam eum consecuti sumus. Eo enim ipso, quòd lumen supernaturale fidei afficit intellectum nostrum, reddimur promptiores, vt euidenter de credibilitate obiecti fidei iudicemus: ob illum videlicet ordinem, quem per habitum fidei habemus ad obiecta fidei. Quemadmodum v.g. iudicium euidens, quod sit temperatè viuendum, elicitiuè ad prudentiam pertinet; impulsiuè autem ad ipsum habitum temperãtiæ, quo si simus affecti, facile nobis videtur conueniens esse illius obiectum, iuxta illud Philosophi lib. 3. eth. cap. 4. *Qualis vnusquisq; est, talis ei finis videtur.* In hunc modum interpretatur Caietanus, quod docet S. Thomas hic in solutione tertij, euidentiã credibilitatis prouenire ex ipso lumine fidei.

Ad QVARTVM respondeo, motiuis illis, quæ attulimus, cõuinci euidenter, doctrinam catholicam dignam esse, vt prudenter credatur, non solùm fide humana, sed etiam diuina ac supernaturali. Hoc autem nõ ita intelligendum est, quasi euidens sit, doctrinam eiusmodi reipsa esse obiectum fidei supernaturalis, atque adeo esse à Deo reuelatam; sed quia euidens est, homini prudenti ad hoc conandum esse, vt cum auxilio Dei velit per supernaturalem fidem præbere, quantum in se est, assensum ei doctrinæ, tametsi euidens non sit, futurum, vt reipsa per huiusmodi fidem supernaturalem assentiatur.

POSTREMO, superest hîc breue dubium, quonam modo oporteat hominem cognoscere credibilitatem nostræ fidei, vt prudẽter credat? Ratio dubitandi est: quia D. Thomas hic art. 4. ait, neminem crediturum (puta prudenter) nisi videret esse credibilem doctrinam fidei. CONTRA autem est, quòd videtur posse quis credere, licet non videat, doctrinam fidei esse credibilem. Patet in pueris, cùm primùm fidem propositam à parentibus amplectuntur. Item in ethnicis illico assentientibus concionanti; ij enim non videntur euidenter iudicare de credibilitate.

RESPONDEO cum Caietano, quod ait sanctus Thomas, neminem crediturum esse, nisi videat, doctrinam fidei esse credibilem, verissimũ esse, intellectũ de actu credendi virtuosè ac prudenter. Item addo, intelligendum esse de euidentia credibilitatis saltem in potentia propinqua, cùm videlicet quis ad credẽdum mouetur ratione aliqua graui, ex qua facilè possit euidẽter colligere, rem esse credibilem. Hoc modo intellecta propositio D. Thomæ vera est, nam aliter credere esset leuitatis. Atque ex hoc patet responsio ad obiectionem. Habent enim illi euidentiam credibilitatis, saltem in potentia propinqua, dum in re graui credunt parenti, aut concionatori rectè rem proponenti, qui non facilè solent decipere.

PVNCTVM QVINTVM.

Quale nam sit obiectum fidei quoad dispositionem & ordinem credibilium, quæ in illo continentur: vtrum scilicet hæc rectè distincta & enumerata sint in Symbolo fidei.

D. Thomas art. 6. 8. & 9.

ORDO & dispositio credibilium cernitur in Symbolo fidei, quod proponitur in Ecclesia omnibus fidelibus. Sunt autem tria breuiter explicanda. PRIMO, Quid sit fidei Symbolũ. SECVNDO, Quotuplex sit fidei Symbolum, & à quo vnumquodque compositum. TERTIO, An rectè factum sit, quòd certi quidam articuli fidei, in Symbolo proponantur fidelibus.

Quod ad PRIMVM attinet, Symboli nomen, vt notat Ruffinus in expositione Symboli, duo significat, videlicet indicium siue *notam*, qua alij ab aliis dignosci possint: & *collationem* plurium in vnum. Secundùm vtramque significationem rectè hoc vocabulum accõmodatur, ad significandam summam articulorum credendorum à fidelibus. Hoc enim Symbolo fideles à non fidelibus discernuntur. Et præterea Symbolũ à multis est collectum, vt iam videbimus. Glossa tamẽ in Titulum de Summa Trinit. & fide Catholica, ait, Symbolum dici à *Syn*, quod est simul, & *bolus*, quod est, inquit, morsellus, quia singuli Apostoli suam partem posuerunt. Sed hoc ineptum videri potest. Quare sufficiat illa altera explicatio Ruffini.

Quod ad SECVNDVM attinet, triplex est in Ecclesia fidei Symbolum. PRIMVM est communissimum Symbolum Apostolicum, ita nominatum, quoniam ab ipsis Apostolis compositum est,

est, cùm in varias mundi partes proficiscerentur ad Euangelium prædicandum; vt essent vniformes in proponenda summa fidei Christianę: Id quod adeo certum est, vt non immeritò temeritatis arguãtur Erasmus & Laurentius Valla, quia id negauerint.

Nam esse hoc Symbolum ab Apostolis compositum, affirmant communiter antiqui Ecclesiæ Patres. Nempe Clemens 1. epist. 1. Irenæus lib. 1. cap. 2. Tertullianus in præscriptionibus. Ambrosius epist. 81. ad Siricium. Ruffinus in expositione Symboli. Hieronymus in epist. ad Pamachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani. Chrysostomus homil. 1. & 2. in Symbolum. Augustinus serm. 115. & 180. de tempore. Leo ser. 11. de passione Domini, & epist. 13. ad Pulcheriam.

Atque etiam Augustinus in illo sermone 115. affirmat, singulos Apostolos singulas sententias seu articulos Symboli confeciſſe; & nominatim cuiq; illorum vnum articulum assignat. Idemq; indicat Leo in epist. citata. Quamuis hoc non est æquè certum, atque compositum fuisse ab Apostolis illud Symbolum quocunq; tandem modo id fecerint.

Neque verò propterea putandum est Symbolum Apostolicum esse Scripturam Canonicam, quod ab Apostolis sit compositum. Non enim illud scripserunt immediatè dictante Spiritu sancto, sed eos quidem dirigente, vt clarius illas veritates colligerent ex doctrina reuelata.

SECVNDVM Symbolũ est ATHANASII. Nec tamẽ habet infallibilem auctoritatẽ, vt est compositum ab Athanasio, sed vt est receptũ ab Ecclesia tanquam omnino orthodoxũ. Porrò esse illius auctorem Athanasiũ, negauit nostra tempestate Valentinus Gentilis, hæreticus Trinitarius. Sed omnino esse Athanasij conuincitur testimonio sancti Augustini, qui in Psalm. 120. recitat ex hoc Symbolo sub nomine Athanasij versiculum illum: Filius à patre solo est, nõ factus, nec creatus, sed genitus. Et alibi etiam idem Symbolum citat: Nempe in Enchirid. cap. 36. & lib. 5. de Trinit. cap. 8. & epist. 174. ad Pascẽtium, & serm. 195. de tempore. Atque etiam testimonio sancti Gregorij Nazianzeni idem conuincitur. Nam in oratione de laudibus sancti Athanasij ait, eum conscripsisse *perfectissimam fidei confessionem, quam totus*, inquit, *Oriens & Occidens veneratur.*

TERTIVM Symbolum est NICÆNVM, quod solet in Missæ sacrificio recitari. Quanquam non fuit hoc Symbolum, quoad omnes eius particulas à Patribus Concilij Nicæni compositum: sed ita apppellatur, quoniam ab illis componi cæptum est, postea verò & auctum & explicatum magis est in Concilio tum Constantinopolitano I. tũ Toletano VIII. & Florentino. Qua de re quædam annotauimus tomo 1. disput. 2. q. 10. p. 2. vbi defendimus, iure potuisse Ecclesiam in illo Symbolo quædam addere circa processionem Spiritus sancti, ppter hæreses, quæ postea sunt exortæ.

Quod ad TERTIVM attinet, optimæ rationes sunt redditæ à sanctis Patribus, cur oportuerit, præcipuos articulos fidei in Symbolo comprehendi. Præcipuè sunt duæ. PRIMO, vt esset vbique fidei vniformitas apud omnes gentes. Quam rationem explicuit S. IRENÆVS lib. 1. cap. 3. vbi loquens de fide in Symbolo ab Apostolis exposita, quam præcedenti capite proposuerat: *Hanc fidem*, inquit, *Ecclesia in vniuersum mundum disseminata diligenter custodit, quasi vnam domũ inhabitans; & similiter credit iis, quasi vnam animam habens, & vnum cor: Et consonãter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo dissimiles loquelæ sunt, tamen virtus traditionis vna & eadem est.*

SECVNDO, vt quemadmodum ait S. AVGVSTINVS in libro de fide & Symbolo cap. 1. *Incipientibus atq; lactentibus eis, qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum diuinarum diligentissima tractatione atq; cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, proficientibus, & ad diuinam doctrinam certa humilitatis atq; charitatis firmitate surgentibus, quod multis verbis exponendo esset perficiendum.* Atque eandem rationem reddit S. CYRILLVS Hierosolymit. catechesi 5. *Cum enim*, inquit, *non omnes possint Scripturas legere; & alios quidem inscitia, alios verò occupatio impediat à cognitione; in paucis versibus vniuersam fidei doctrinam* (ad quam scilicet omnia reuocantur) *comprehendimus.*

Addi etiam potest, quòd vtile est ad cautelam cõtra hæreticos, habere certam formulam profitẽdi fidem, cùm soleant illi facilè eam corrumpere varietate verborum, vt notauit Durandus in 3. d. 25. q. 2. Quanquam tanta peruersitas hæreticorum est, vt quemadmodũ ait AVGVSTINVS lib. de fide & Symbolo cap. 1. sub ipsis *paucis verbis in Symbolo cõstitutis, plerig; hæretici venena sua occultare conati sunt: quibus resistit*, inquit, *diuina misericordia per spirituales viros, qui catholicam fidem non tantum in illis verbis accipere & credere, sed etiam Domino reuelante intelligere atq; cognoscere meruerunt:* per scientiam scilicet Theologiæ, iuxta ea, quæ de hac intelligentia Theologica tradidimus tomo 1. disput. 1. q. 1. p. 3.

Porrò quare sententiæ fidei, quæ in Symbolo Apostolorum continentur, nominentur fidei *articuli*, facilè declarat S. Thomas art. 6. Nam vt articuli propriè dicuntur quædam partes inter se aptæ ad motum & distinctæ; ita in proposito metaphoricè nominantur articuli fidei, sententiæ quædam principales, quæ & potissimùm spectãt ad negotium salutis nostræ, & habent specialem ac distinctam difficultatem ad credendum propter sui ineuidentiam.

Collocari autem cõuenienti ordine hos ipsos articulos in Symbolo, siue duodecim siue quatuordecim numerentur, ostendit facilè idem D. Thomas art. 9. Vbi NOTA, quod ad rem quidem attinet, inter omnes orthodoxos conuenire, articulos fidei Catholicis credendos, esse illos, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolorum Symbolo continentur, sed differentia est, quod aliqui tres articulos SS. Trinitatis coniungunt in vnum. Articulum verò de *resurrectione* carnis distinguunt ab articulo de *vita æterna*. Et articulũ *conceptionis* & *natiuitatis* coniungunt, ita vt solùm numerent duodecim articulos. Alij verò distinguunt Mysterium SS. Trinitatis in tres articulos, & articulum de *vita æterna* & carnis *resurrectione* coniungunt; & de *conceptione* & *natiuitate* distinguunt; ita vt numerent quatuordecim. Videtur autem communior modus illorum, qui solùm duodecim numerant: quæ diuisio ponitur in Catechismo Romano, & ab Augustino serm. 115. de tempore.

PVNCTVM SEXTVM.

Qualenam sit obiectum fidei quoad antiquitatem credibilium, quæ in illo continentur: vtrum scilicet eadem semper fuerint ex fide credita, an vero progressu temporis quædam fuerint de nouo proposita fidelibus ad credendum.

D. Thomas art. 7.

SENTENTIA communis Theologorum de hac re continetur duabus assertionibus, vt intelligi potest ex D. Thoma hic art. 7. & Magistro sententiarum in 3. sent. d. 25. & ex Alberto Magno in 3. d. 25. art. 1. ad 2. & Bonauentura ead. d. art. 2. q. 1. & Scoto q. 1. & Durando q. etiam 1. & Richardo art. 3. q. 2. & ex aliis.

PRIMA assertio: *Actu Fidei implicito omnia quæ nunc creduntur, fuerũt semper in Ecclesia Dei credita.* Probatur. Nam quicquid posteriores vnquam explicitè crediderunt, vel de diuinitate, vel de prouidentia diuina, id totum in veterum Patrũ fide implicitè continebatur, quatenus illi, vt necesse est ad salutem, crediderunt & Deum esse, & remuneratorem esse. Quapropter cogitandum est, ita fidem explicitam posteriorũ in fide priorum Patrum contentam fuisse, sicut dici solent vlteriores ac magis explicati cõceptus de aliquo obiecto, in potẽtia cõtineri in vniuersalioribus, minusq; distinctis, quatenus nimirum ij possunt de illis inferioribus siue de subiecto, vt illis substat, prædicari. Sic ergo in proposito, quoniam omnes cõceptus fidei, quos modo habemus clariores, ad diuinitatem aut prouidentiam, qua in beatitudinem dirigimur, pertinent; diuinitatem autem ac prouidẽtiam veteres, in vniuersali, crediderunt, agnoscentes Deum esse, ac remuneratorem esse; ideo rectè dicitur, posteriorem fidem contineri in fide priorum, vt rectè declarat Durandus vbi suprà.

Atq; hoc ipsum est, quod S. Thomas hic art. 7. vult modo illo loquendi obscuriori, cùm inquit, articulos fidei non creuisse *secundum substantiam*; sicut attẽtè legenti articulum patebit. Item hoc sensu verum etiam est, quod S. IRENÆVS lib. 4. cap. 13. & S. AVGVSTINVS epist. 51. & alij Patres dicunt, vnam & eãdem fidem esse & antiquorum Patrum & nostram: nempe non solùm explicitè quoad quædam eius obiecta, sed etiam implicitè quoad omnia. Quatenus autem vel nũc vel olim necessaria fuerit fides explicita ad salutẽ, vel sufficerit implicita, explicandum est quæstione sequenti.

SECVNDA assertio: *Actu Fidei explicito non eadem semper fuerunt credita, sed progressu temporis alia & alia fuerunt patefacta & credita à fidelibus.* Probatur. Nam Exodi 6. dixit Deus Moysi: *Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob, &c. & nomen meum Adonai non indicaui illis*: hoc est, nõ impartiui illis claram notitiam simplicitatis & vnitatis meæ, vt interpretatur D. Thomas q. 174. art. 6. Item Dauid Psalm. 118. *Super senes intellexi.* Et Apostolus ad Ephes. 3. *In prioribus generationibus Mysterium Christi non est agnitum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis.*

Hoc ipsum asserũt Patres, ac nominatim sanctus IRENÆVS lib. 4. ca. 47. vbi inde probat, maiorem obedientiam & perfectionem ab hominibus exigi in lege gratiæ, quàm in lege veteri, quia fides nunc est illustrior, & quoad explicitam cognitionem creuit. *Quemadmodum*, inquit, *in nouo testamento, ea, quæ est ad Deum, fides hominum AVCTA EST, additamentum accipiens filium Dei, vt & homo fieret Dei particeps: ita & diligentia conuersationis adaucta est, cùm non solùm à malis operibus abstinere iubemur, sed etiam ab ipsis malis cogitationibus & ociosis dictionibus.*

Sed QVÆSTIO est hoc loco, an quò fuerunt homines Christo viciniores, vel antecedenter, vt Ioannes Baptista, vel consequenter, vt Apostoli, eò plenius diuina mysteria cognouerint. Ratio huius quæstionis est, nam D. Thomas hic artic. 7. ad 4. ita affirmat. Et probatur ea ratione, quia vltima consummatio gratiæ fuit facta per Christũ, vnde & tempus eius dicitur tempus plenitudinis ad Galat. 4. Quare sicut status hominis propinquior iuuentuti perfectior est, eò quòd illa reliquis ætatibus sit præstantior, ita etiam perfectior & illustrior fuisse videtur fides eorum, qui Christo antecedenter aut consequenter fuerunt viciniores.

CONTRA verò potest PRIMO obiici, Quòd Adam, Abraham & similes Patres, qui videntur fuisse quasi capita, videntur plus cognouisse de diuinis Mysteriis, quàm ij, qui fuerunt viciniores Moysi; & plus Moyses quàm posteriores vsque ad Christum. Non ergo eò peritiores, quò viciniores Christo.

SECVNDO, quòd experimur iam in Ecclesia, industria & ingenio posteriorum Theologorũ, pluri-

plurimum eruditionis additum esse ad cognitionem & doctrinam veterum Patrum Ecclesiæ, qui fuerunt Christo propinquiores.

TERTIO, quòd non pauca fidei dogmata indies videtur Deus fideles docere per Ecclesiam, quæ videntur veteres latuisse: id quod colligi potest PRIMO, ex eo, quod suprà p. 1. disseruimus, Ecclesiam non solùm habere auctoritatẽ ad proponendas veritates Fidei, sed etiam ad asseuerandum ex instinctu diuino, id quod credendum fidelibus proponatur. SECVNDO, ex eo, quod sanctus Thomas infrà art. 10. docet, ad S. Pontificem pertinere, nouam editionem Symboli fidei. TERTIO, ex eo, quòd licuit olim de multis dubitare, de quibus iam per fidem non licet, vt de auctoritate aliquorum librorum Canonicorum; de veritate quorundam dogmatum; cuius causa videtur esse, quod de nouo sint aliqua in Ecclesia tradita, vt de fide credenda. QVARTO, potest idem colligi ex eo, quod eadem iam est Ecclesia, eundemq; Spiritum habet assistentem, quem antea: Ergo sicut tempore Apostolorum, aliqua fidei dogmata fuerũt de nouo tradita, ita etiam pòst, & iam & deinceps poterunt, si ratio temporum postulabit. Quandoquidem Christus pollicitus est vsque ad consummationem seculi se Ecclesiæ adfuturum.

POSTREMO, sententiam illam D. Thomę difficilem reddit, quod ratio ipsius non videtur satis efficax. Quamuis enim Christi tempus fuerit *plenitudinis*, tamen potest hoc ita intelligi, vt non illicò putare debeamus, tempore illo Christi & Apostolorum, completam fuisse hanc plenitudinem, sed compleri indies, procedente tempore quo Ecclesia durat, vt sic Christi tempus dicatur plenitudinis, eò quòd tunc quidem cæperint diuina mysteria clarius hominibus patefieri.

Et potest hæc expositio à simili confirmari. Nam etsi Actor. 1. dicantur Apostoli repleti Spiritu sancto in Pentecoste, & Christus Dominus Ioan. 16. prædixerit futurum, vt ille *adueniens doceret Apostolos omnem veritatem*, non idcirco tamen fuerunt Apostoli statim illo ipso die veritatem omnem edocti, siquidem aliquantò pòst D. Petrus, vt apparet Actor. 10. dubitauit, vtrum Euangelium Christi ad Gentes pertineret. Vnde vt illas admitteret, admonitus est visione lintei siue vasculi, in quo erant varia animalia. Quocirca dixit: *In veritate comperio, quia non est personarũ acceptor Deus.* Et cùm veniens Hierosolymam reprehenderetur ab iis, qui erant ex circumcisione, quod cùm gentibus conuersaretur, ea se visione excusauit. Ex quo apparet, in Ecclesia anteà illam veritatem fidei, videlicet, quod Euangelium ad Gentes pertineret, compertam non fuisse.

His non obstantibus RESPONDEO, sententiam D. Thomæ certam esse duabus adhibitis limitationibus. PRIMA, vt viciniores Christo siue antecedenter, siue consequenter, intelligantur aliis fuisse peritiores diuinorum mysteriorũ, non omnes omnino, sed regulariter, & vt plurimum. ALTERA, vt hoc intelligatur de maiore cognitione non *acquisita*, qualis est cognitio Theologica, sed *infusa* diuinitus, vt est cognitio fidei. Primam limitationem adhibet hic Caietanus, quã elicit ex doctrina D. Thomæ. Secunda satis probatur experientia, de qua dicebamus in secundo argumento proposito.

Sic intellecta sententia hæc D. Thomæ, quod attinet ad viciniores Christo *antecedenter*, satis congruenter probatur ratione illa ipsius S. Thomæ. Quod verò attinet ad viciniores *consequenter*; in primis de Apostolis quidem pro certo statuendum est, illos & plura, & perfectius de diuinis cognouisse, quàm vllos posteriores, adeo vt qui hoc negaret, temerarius esset. Et certè quod posteriores non cognouerint plura, aut perfectius de diuinis rebus, quàm Apostoli, adeo verum existimo, vt contrarium putem erroneum.

Vtrumq; probatur PRIMO ex variis Scripturæ locis, Ioannis 14. *Paracletus, quem pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et 15. *Vos autem dixi amicos, quoniam omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.* Et 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Lucæ vltimo: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas:* Et ad Rom. 8. disertè Paulus affirmat, se vnà cum reliquis Apostolis *primitias* Spiritus accepisse. In quem locum videndus est diuus Thomas. Et 2. ad Cor. 3. cùm ageret Apostolus de discrimine inter ministerium Euangelicum & Mosaicum: *Nos*, inquit, *reuelata facie gloriam Domini speculantes, etc.* Et ad Ephes. 2. fideles dicuntur *fundati super fundamentum Apostolorum.*

SECVNDO, idem probatur ex Patribus, qui propterea asserunt, Apostolos fuisse quasi fontes quosdam, quia in illis vberior, quàm in aliis omnibus fuerit cognitio cælestis doctrinæ. Vt sanctus CYPRIANVS in epistola ad Pompeium, quæ est ordine 74. in editione Pamelij: *Si canalis*, inquit, *aquam ducens, qui copiosè prius & largiter profluebat, subitò deficiat, nónne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noscatur?* Et paulo pòst: *Si in aliquo nutauerit veritas*, ad originem Euãgelicam, & traditionem Apostolicam reuertamur.

Et sanctus AMBROSIVS serm. 24. *Legimus*, inquit, *in Propheta: Benedicite Domino de fontibus Israël, Psalm. 67. Dominus Christus est, qui non nisi per Apostolorum ora dicitur, discipulorumq; doctrinam. Apostoli dicendi sunt fontes, quia velut amnes purissimi gratia prædicationis exuberant.*

Et sanctus AVGVSTINVS lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 26. approbans citatam sententiam Cypriani: *Quod*, inquit, *nos admonet Cyprianus, vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eodem pertinet, quod Patres cum montibus & fundamentis comparare solent Apostolos. Vt sanctus Cyrillus Alex. lib. 4. in Isaiam oratione 2. *Optimè*, inquit, *sanctis montibus comparandi sunt sancti Apostoli & Euangelistæ, quorum cognitio firmata est instar fundamenti posteris.*

TERTIO probatur ratione. Nam vt DEVS, quicquid perfectionis rebus naturalibus impartitur, hoc totum per corpora cælestia, vt vniuersalia instrumenta illis largitur: ita per Apostolos voluit nos de rebus ad doctrinam cælestem pertinentibus instrui. Quare necesse fuit illos rerum diuinarum cognitione excellere, sicut rerũ omnium perfectiones corpora cælestia continent. Apostolos verò constitutos esse vniuersales Magistros, satis patet. Matth. & Marci vltimo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Actor. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem:* Et ex testimonio citato ad Ephes. 2.

Quod verò etiam alij veteres proximè Apostolis succedentes plura cognouerint, quàm posteriores, facilè probatur. Nam cognitio infusa rerum diuinarũ, de qua agimus, auditione percipitur. Itaq; dubium non est, quin Patres Apostolis proximè succedentes, facilius huiusmodi cognitionem acquisiuerint.

Ex his facilè refutatur error Abbatis Ioachimi, Monachi Benedictini, & cuiusdam Petri Ioannis, Franciscani, qui negarunt, Apostolos percepisse sensum spiritualem Euangelij, quem voluit Ioachimus primùm fuisse à sancto Benedicto intellectum: Petrus verò Ioannes à sancto Francisco. Contra hos disserit Alfonsus à Castro verbo Apostoli hær. 1. & manifestè reuincuntur testimoniis allatis. Superest ad argumenta respondere.

PRIMVM, solùm probat, meritò additam esse primam limitationem. Vt enim ait Caietanus, intelligenda est sententia D. Thomæ regulariter & salua excellentia eorum, qui fuerunt veluti capita reliquorum.

SECVNDVM item argumẽtum probat secundam limitationem, quam addidimus. Fatemur enim, scientiam diuinarum rerum labore acquisitam, indies in Ecclesia augeri.

Ad TERTIVM argumentum inprimis dico, ad Ecclesiam quidem pertinere, cum auctoritate infallibili decernere, quid sit à Deo reuelatum, ac proinde à fidelibus credendum. Deinde dico, negandum non esse, quin ad eandem spectet, veritates fidei secundùm se asseuerare, iuxta modũ illum loquendi ab Apostolis Actor. 15. & ab aliis Conciliis vsurpatum: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Quid autem intersit inter simplicem hanc asseuerationem veritatis, & propositionem seu definitionem de reuelatione diuina, dictum est puncto primo.

Illud verò nunc nego, ad Ecclesiam pertinere, asseuerare veritatem aliquam fidei, vel proponere reuelationem aliquam, quæ fuerit Apostolis penitus ignota. Spectat quidem ad Ecclesiam, veritates fidei, quas Apostoli vel cognouerunt vel tradiderunt, prout necessitas postulat, interdum de nouo magis explicatè tradere fidelibus, illasque cum infallibili auctoritate velutiè tenebris eruere, in quibus quandoque ob hominum negligẽtiam vel proteruiam, & ingenij peruersitatem, demersæ latuerunt, & fortasse latent adhuc in Ecclesia aliquæ. Nullam tamen veritatem docet, aut docebit vnquam Ecclesia ita nouam, vt Apostolis incognita fuerit.

Atque hæc sanè causa est, ob quam, vt latè persequitur VValdensis lib. 2. Doctrinalis fidei cap. 22. & 23. quandocunque aliquid est in Ecclesia vel asseuerandum, vel definiendum tanquam de fide, monimenta patrum, traditiones, concilia, scripturas, &c. consulere necesse est, vt nimirum fidei veritates ab Apostolis cognitæ seu traditæ, in lucem educantur, nihilque noui proponatur, sed stabiliatur, quod est antiquum, idq; clarius, ad occurrendum peruersis hominum ingeniis.

Hinc D. Thomas art. 10. inferius in solutione 2. asserit, in doctrina quidem Christi & Apostolorum sufficienter contineri omnia, quæ pertinent ad fidem; oportere tamen aliquando fidei veritates ab Ecclesia denuò magis explicari, & fidelibus proponi, & hoc ob peruersos homines, qui doctrinam Christi, sicut & scripturas, facilè corrumpunt.

Hinc quoque Thomas VValdensis cap. 22. vbi suprà, rectè probat, Ecclesiam non posse nouum articulum proponere. Atque etiam Canus lib. 2. de locis cap. 7. & lib. 4. cap. 4. & Alfonsus à Castro in summa sua lib. 1. ca. 8. & alij rectè negãt, expectandam iam esse aliquam nouam reuelationem veritatis incognitæ Apostolis. Quanquam vtrum illa noua asseueratio, vt propositio clarior Ecclesiæ, propterea quòd est infallibilis Spiritu sancto assistente, qui idem astitit scriptoribus canonicis, appellanda sit noua reuelatio; vel propterea quòd non continet veritatem nouam, quæ Apostolis incognita fuerit, nõ ita appellanda sit, quæstio videtur esse solùm de nomine. Res certè, illa est, quam diximus, videlicet in fidei controuersia ad Ecclesiam tantum pertinere, nouam explicationem Apostolicæ adeoq; veteris doctrinæ.

Vnde D. HIERONYMVS in illud Psalm. 86. *Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerũt in ea*, propterea, inquit, Prophetam verbum illud *(Fuerunt)* vsurpasse, quòd nihil in Ecclesia tanquam de fide habendum sit, quod Prophetæ & Apostoli, qui fuerunt Ecclesiæ Principes, non tradiderunt.

Et idem docet sanctus IRENÆVS lib. 3. cap. 2. & sanctus CYPRIANVS in epist. ad Pompeium suprà citata, & sanctus AVGVSTINVS & alij Patres: vt etiã VValdensis aliquot testimoniis confirmat. Quod idem præclarè & luculenter asserit Vincen-

Vincentius LYRINENSIS in libro aduersus prophanas hæresum nouitates, præsertim cap. 27. & sequent. Vbi ad hoc probandum vrget meritò illud Apostoli, 1. ad Timoth. 6. *O Timothee, Depositum custodi, &c. Quis est*, inquit, *hodie Timotheus, nisi vel vniuersa Ecclesia, vel specialiter totum corpus præpositorum, qui integram diuini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere? &c. Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: Quod accepisti, non quod excogitasti. Rem non ingenij, sed doctrinæ. Non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos: non institutor sed sectator: non ducens, sed sequens.*

Itaque ad PRIMAM obiectionem, qua in tertio illo argumento oppositum probabatur, RESPONDEO, aliud esse, Ecclesiam perinde atque scriptores Canonicos infallibiliter asseuerare fidei veritates, aliud asseuerare veritates fidei nouas. Prius concessimus superius p. 1. posterius hîc negamus. Sicut enim illam eandem veritatem, quam vnus Scriptor Canonicus asseuerat, contingit ab alio Scriptore Canonico asseuerari, & vtraque asseueratio pertinet ad reuelationem & obiectum fidei; ita nihil obstat, quo minus veritates easdem, quas Apostoli asseuerârunt, postea etiam ob hæreses occurrentes, Ecclesia non modò proponat vt reuelatas, sed etiam eodem Spiritu assistẽte, iterum infallibiliter asseueret, quò maior nobis fiat fides. Neque propterea Ecclesia asseuerabit aliquid nouum: tametsi illius asseueratio dici possit pertinere ad reuelationẽ & obiectum fidei, iuxta dicta in p. 1. cùm distinguemus inter propositionem & asseuerationem Ecclesiæ.

Ad SECVNDAM obiectionem respõdeo, sensum D. Thomæ non esse alium, quàm quòd Ecclesia de nouo declarat magis veritates quidem fidei, sed antiquas, vt dictum est: Atque eodem modo accipiendum est, quod nos suprà p. 1. toties insinuauimus, Ecclesiam interdum de nouo statuere aliquid in materia fidei.

Ad TERTIAM obiectionẽ respondetur, quòd aliquando licuerit citra periculum hæresis dubitare de aliquibus, de quibus non licet modò, id esse, non quod huiusmodi veritates non fuerint vnquam cognitæ in Ecclesia, sed quia hominum vel malitia, vel errore, vel negligentia, erant tunc temporis veritates illæ quasi demersæ & obrutæ, donec Ecclesia suum iudicium ac auctoritatem interponeret.

Ad QVARTAM obiectionem respondetur, ex eo quòd eadem nunc Ecclesia sit, & eundem Spiritum habeat, non sequi, quòd possit illa nouam omnino tradere doctrinam. Quemadmodum (vt rectè ait VValdẽsis, vbi suprà) etsi vir sit idem homo, qui fuit puer, tamen non sequitur, quòd possit vir perinde crescere quoad substantiam, atq; cùm erat puer. Sic Ecclesia antequam tempus legis Euangelicæ veniret, sub lege continebatur, tanquam puer *sub pædagogo*, quæ quidem Lex, vt ait D. Paulus ad Hebr. 7. *nihil ad perfectum ducebat*: quare fieri potuit, vt crescret adhuc in doctrina. Nunc verò postquam venit plenitudo, & Ecclesia ad statum quasi virilem adducta est, iam non est *sub pædagogo*, ad Gal. 4. ac proinde nõ potest amplius crescere in fidei doctrina.

Ad QVARTVM argumentum principale respondetur, ex aliis locis Scripturæ colligi, quòd non possit illa plenitudo legis Euãgelicæ vel gratiæ illo modo exponi, quo ibi obiiciebatur.

PVNCTVM SEPTIMVM.

An, vt fidei obiectum per Christianam fidem infallibiliter credatur, satis sit, illud esse reuelatum diuinitus, & explicatum à quouis legitimo verbi Dei ministro: An verò præterea necesse sit, illud tanquam à Deo reuelatum, & ideo credendum, proponi & ostendi fidelibus per infallibilem aliquam & præeminentem auctoritatem, ad quam proinde spectet editio Symboli seu articulorum fidei, & iudicium atque definitio omnium fidei controuersiarum, quæ vnquã oriri possint; & quænam & vbi quærenda sit eiusmodi auctoritas.

D. Thomas art. 10.

QVæ nobis in hoc puncto ad explicãdum proposita sunt, nemo non videt, continere disputationem grauissimam, & his temporibus vtilissimam: quippe cùm sectæ & hæreses, quibus nunc, si vnquam aliâs, Ecclesia Christi diuexatur, nullum possent habere locum, si inter Catholicos & Sectarios conueniret de auctoritate magistra & iudice fidei. Etsi autem de his ipsis rebus in nostro libro Analysis fidei multa scripserimus, tamen minimè iam decere iudicamus, disputationem talẽ præterire in hoc opere, præsertim cùm quædam interdum addituri nunc simus.

Sunt autem ordine octo quæstiones de hoc toto grauissimo argumento pertractandæ, vt distinctè & accuratè explicemus rem omnẽ in hoc puncto propositam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMA, Sítne præter diuinam reuelationem de veritate ipsa doctrinæ fidei, aliqua auctoritas infallibilis magistra & iudex controuersiarum fidei, per quam proponi oporteat fidelibus doctrinam fidei, tanquam à Deo reuelatam, & ideo credendam.

SECVNDA, Quænam & qualis sit ista auctoritas? Diuináne tantùm, an tantùm humana? an verò partim diuina, partim humana, scilicet humana diuinitus inspirata.

TERTIA, Cuiusnam aut quorum propria sit hæc auctoritas? Alicuiusnè an aliquorum, qui olim vita defuncti, scripto aut voce doctrinam fidei explicarint, posteritatique mandauerint: an verò in aliquo vel aliquibus supersit semper & vigeat præsens ea auctoritas apud fideles ipsos, & pronunciare perspicuè ac palam de fidei controuersiis omnibus possit, neque alibi, quàm in vera Christi Ecclesia, hoc est in congregatione verè fidelium, quæri debeat, aut inueniri possit.

QVARTA, Quænam hominum congregatio seu cætus sit vera Ecclesia Christi fidelium, in qua & quærenda, & audienda sit eiusmodi auctoritas, iudex & magistra fidei.

QVINTA, In quonam vel in quibus de ipso cætu veræ Ecclesiæ resideat eiusmodi auctoritas? In omnibusnè fidelibus, aut in aliquibus, aut in vno aliquo, puta in Romano Pontifice, tanquam in Ecclesiæ capite.

SEXTA, Si in Romano Pontifice auctoritas ea resídet; an ab omnibus ex diuino præcepto id credêdum sit, quod Romanus Pontifex declarat, esse fidei sententiam.

SEPTIMA, Vtrum aliquæ regulæ sint consulendæ à Romano Pontifice, vt legitimè vtatur auctoritate illa in explicanda & definienda doctrina fidei: & quænam regulæ illæ sint, & quomodo illis Pontificem in ea re vti oporteat.

OCTAVA, Quænam sit ratio & vis singularum illarum regularum ad explicandam infallibiliter doctrinam fidei: vbi sigillatim de his regulis est disserendum: nempe De Scriptura sacra: De Traditionibus Ecclesiasticis; De Conciliis & Romanorũ Pontificum decretis; De consensu Doctorum Ecclesiasticorum: De consensu fidelium. Hæ namque sunt illæ regulæ, quæ in fidei definitione consulendæ sunt.

Quibus omnibus explicatis apparebit, omnino verè & orthodoxè docuisse D. Thomam hic art. 10. ad summum Pontificem pertinere explicationem & editionem Symboli fidei, id est, eorum, quæ à fidelibus credi debent. Quæ veritas vsque adeo continet summam & caput totius Christianæ religionis, vt nemo Catholicus esse possit, qui illam non amplectatur, neque vllus sit hæreticus, qui illam non neget. Verissimè namque sanctus Cyprianvs in libro de vnitate Ecclesiæ, causam omnium hæresum esse censet, *quia ad veritatis*, inquit, *originem non redítur, nec caput quæritur, nec magistri cælestis doctrina seruatur: Quæ si quis*, inquit, *consideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est: probatio est enim ad fidem facilis compendio veritatis: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam.* Quo loco originem & caput & compendium veritatis meritò constituit in Petri & successorum eius auctoritate. Sed ad explicanda, quæ sunt proposita aggrediamur: & quoniam disputatio hæc longissima est, per paragraphos, quæ dicenda sunt, distinguemus.

QVAESTIO PRIMA.

An præter diuinam reuelationem de doctrina ipsa fidei, sit aliqua auctoritas infallibilis magistra & iudex omnium fidei controuersiarum, per quam fidelibus ostendi oporteat doctrinam fidei tanquã à Deo reuelatam & ideo credendam. §. 1.

RESPONDEMVS, omnino extare talem aliquam auctoritatem. Et quidem putare quis posset, de hac assertione sic generatim posita, nullum nobis cum vllis Sectariis esse controuersiam. Nam ab omnibus, qui volunt haberi Christiani, concedi videtur (& certè verbis nemo id apertè negat) esse aliquam auctoritatem, à qua posimus in omni quæstione discere fidei sententiam, & reuelationem de ea diuinam. Itaque illud tantummodo, de quo in sequentibus agemus, videtur controuerti; cuiusmodi scilicet & qualis sit hæc auctoritas.

Cæterùm talem hanc auctoritatem esse contendunt Sectarij, vt nullam reuera (quemadmodum infrà videbimus) eiusmodi asserant, quæ ad omnes omnino fidei quæstiones satis fidelibus esse possit. Nam quidam illorum asserunt, hanc auctoritatem esse auctoritatem solius Dei, vnicuique priuatim indicantis, quæ sit vera, & ab eodem Deo reuelata doctrina fidei. A quibus minimè reuera asseri, auctoritatem aliquam iudicem & magistram fidei, quæ sufficiat fidelibus, conuincemus quæstione secunda, ex illis octo propositis in hoc puncto.

Alij autem pleriq; Sectarij auctoritatem eam esse contendunt, auctoritatem Scriptorum duntaxat Canonicorum, id est, Apostolorum & Prophetarum, quatenus Deo inspirante sententiam fidei & reuelationem diuinam literis sacris consignârunt, & indicârunt hominibus; neq; agnoscunt in fidei quæstionibus vllius alterius auctoritatis vocem tanquam infallibilis iudicis, præter illam, quę murè sonat in atramento & characteribus Scripturæ; tametsi nõ negent, hanc Scripturæ

pturæ vocem & doctrinam patefieri debere hominibus per humanum ministerium prædicationis Verbi. Quos Sectarios nihilo magis, quàm priores asserere auctoritatem magistram & iudicem fidei infallibilem, quæ sufficiat fidelibus, demonstrabimus quoq; quæstione tertia ex propositis ad explicandum in hoc puncto.

Quapropter vt id nunc firmemus, quod Sectarij non tam verbis fatentur, quàm re ipsa negant, & quia per se quoq; id proderit ad confirmandum animos; non alienum ab instituto erit monstrare hîc breuiter earum rationum capita, quæ cùm primis docent, eiusmodi auctoritatem aliquam ad iudicandas omnes fidei quæstiones sufficientem, oportere esse: maximè cùm ex iisdem ipsis rationibus firma deinde argumẽta ducturi simus ad demonstrandum præterea contra Sectarios, quæ etiam & qualis eiusmodi auctoritas esse debeat.

Ergo PRIMA eius rei ratio hunc in modum à diuina *prouidentia* dicitur: Nisi talis aliqua exstaret infallibilis auctoritas, magistra & iudex doctrinæ fidei, non satis esset à Deo prospectum hominibus de necessariis rebus ad salutem æternam comparandam. At satis in eo genere illis prospectum à Deo est: Exstat igitur talis aliqua auctoritas.

Et quidem quòd satis superque Deus hominum saluti prouideat; vsque adeo Scriptura sacra euidenter tradit, vt ab ea etiam erga homines prouidentia quasi cognomen quoddam Deum accepisse significet. Nã ideo vocatur Psal. 67. *Deus saluos faciendi*; quia quæ præsidia ad salutem necessaria sunt, affatim suppeditat hominibus. Quod autem minimè satis prospectum hominibus esset, nisi exstaret aliqua infallibilis auctoritas magistra & iudex fidei, inde patet, quòd Scriptura diuina multis in locis docet, rectam ex omni parte atque certam fidem de diuinis rebus ad salutem nobis necessariam esse. Hanc autem fidem animalis homo per se non percipit, id est, nequit rationis humanæ viribus assequi ipse per se doctrinam fidei, atque adeo reuelationem diuinam, sed eam nêcesse est discat: *Stultitia enim est illi* doctrina fidei, & non potest intelligere, 1. Corinth. 2. Quod si certò discere quæ sunt fidei oportet; aliquam necesse est exstare infallibilem auctoritatem magistram doctrinæ fidei, quæ de rebus in eo genere dubiis omnibus infallibiliter docere verum possit.

Itaque præclarè ob hanc rationem D. Avgvstinvs lib. de vtilitate credendi, cap. 16. *Si Dei*, inquit, *prouidentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin autem præsidet* (quod pulchrè Augustinus ibi ostendit) *non est*, inquit, *desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certo nitentes attollamur in Deum.*

Quod ipsum confirmatur etiam ex verissima illa sententia, quam ibi paulò antè posuerat Augustinus: *Sola est*, inquit, *auctoritas, quæ commouere possit stultos* (hoc est, adhuc ipsius rei ignaros) *vt ad sapientiam festinent.* Quod Augustini dictum, si in vllo genere locum habet, maximè certè in fidei, religionisque negotio, in quo vel ipsa *mundi sapientia stultitia est.* 1. Corinth. 3. si auctoritate neglecta inuestigare ratione quis velit diuina mysteria.

SECVNDO probatur ex *humani ingenij* conditione. Nam mens nostra non modò naturâ sua imbecilla est & omnino impar viribus, vt ipsa per se necessariam doctrinam fidei & reuelationem diuinam perueștigare possit; sed in ea ipsa doctrina cùm reuelata nobis diuinitus est, quàm facillimè hallucinatur & aberrat. Cuius rei partim caussa est exiguitas nostri luminis, partim maiestas doctrinæ fidei, quippe quam, eò quòd supra naturam est, nunquam satis ratione ac mente complecti possumus. Quæ ratio est, quam ob rem in ipsa etiam Ecclesia, cuius in cathedra lucet splendidissimè diuina reuelatio & fides, necesse tamen sit, oriri quandoque hæreses, vt & Apostolus 1. Corinth. 11. dixit, & plus satis experientia docet. Id cùm ita sit, auctoritatem aliquam infallibilem exstare oportuit, cuius magisterio singuli, nisi velint esse nimium cæci, in vera fidei doctrina retineri, aut ad eam reuocari possint.

TERTIO probatur ex *natura* ipsius fidei. Nam hæc est fidei ratio, vt *argumentum sit rerum non apparentium* ad Hebræos vndecimo, id est, cognitio non euidens, sed quæ nitatur infallibili testimonio, & pariatur ex auditu, ad Romanos decimo, sitque certissima. Quæ autem res obscurè isto modo, & tamen certò ac infallibiliter sciuntur, eas necesse est, alicuius infallibilis auctoritatis iudicio atque asseueratione discere. Quia igitur cuncti fideles possunt atque debent in omni quæstione fidei falsum repudiare, & quod verum est, Christique doctrinæ consentaneum, certò & infallibiliter credere: consequitur, aliquam auctoritatem infallibilem exstare, per quam fideles vniuersi in quacunq; fidei controuersia possint ita doceri, vt falsum respuant, & verum infallibiliter amplectantur.

QVARTO probatur ex adiuncta quadam *conditione* fidei. Etenim cognitio certa & infallibilis, quæ cum obedientia quadam mentis in assentiendo coniuncta est, aliqua nititur infallibili auctoritate magistra, cui sit in hoc genere obediendum. Talis autem est cognitio fidei. Exstat igitur aliqua talis auctoritas, quæ fidei veritatem in omni quæstione infallibiliter doceat. Maior probatione nulla indiget. Minor occurrit passim in Scriptura Apostoli. Nam non alia caussa est, quam ob rem ipsa etiam fides *obedientia* quædam nominari ab illo soleat: contrà verò hæresis aut obstinatio aduersus fidem, *inobedientia*; nisi quia necesse est in credendo obe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dire. *Gratias autem Deo*, inquit Apostolus ad Romanos sexto, *quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis. Sed non omnes*, inquit ad Rom. 10. *obediunt Euangelio*, id est, non omnes credunt. Ideo enim subiungit: *Isaias enim dixit; Domine, quis credidit auditui nostro? Isaiæ 53.* Idem rursus ad Galat. 6. *Quis*, inquit, *vos fascinauit non obedire veritati?* Atque etiam de hæreticis commonefaciens Titum, cap. 1. ob eam rem affirmat, Episcopum amplecti *oportere sermonem fidelem, quoniam sunt*, inquit, *multi inobedientes, vaniloqui & seductores, &c.* Hæ sententiæ & aliæ, quæ sunt similes, perspicuè indicant, infallibilem aliquam auctoritatē esse, cui velut magistræ in omnibus fidei quæstionibus oporteat in assentiendo obedire; vti dictum est.

QVINTO probatur ex *necessitate* damnandi hæreses in Ecclesia. Nulla enim potest oriri de aliqua fidei quæstione hæresis, quæ non possit ac debeat in Ecclesia damnari & reiici, dicto anathemate eius auctoribus. Generatim enim Apostolus pronunciat ad Galat. 1. *Si quis vobis euāgelizauerit* (quidquid illud sit) *præter id, quod accepistis, anathema sit.* At hoc minimè fieri posset, nisi auctoritas exstaret aliqua, quæ in omni quæstione de rebus fidei certò doceret, quid rectæ fidei consentaneum sit, & quid eidem repugnans.

POSTREMO talem aliquam auctoritatem, fidei iudicem, & quasi communem regulam sæpè asserunt sancti Patres. Vt sanctus IRENÆVS libro tertio, capite quarto, cùm ait; *Facilè esse ab Ecclesia sumere veritatem, cùm Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vt omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ.*

Et S. CYPRIANVS in Tractatu de vnitate Ecclesiæ, cùm disputat, *non tenere fidem eum, qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, &c.*

Et S. AVGVSTINVS libro de vtilitate credēdi, cap. 16. vbi probat à Deo *auctoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certo nitentes attollamur in Deum.*

Et Vincentius LYRINENSIS libro aduersus prophanas hæresum nouitates, capite secundo, cùm disserit, ideo *opus esse, vt Scripturarum canoni, Ecclesiasticæ intelligētiæ iungatur auctoritas, quia Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non vno eodemq; sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atq; aliter, alius atq; alius interpretatur.* Quam rem totā magis in sequentibus confirmabimus. Nunc satis nobis sit probauisse, oportere in Ecclesia esse aliquam infallibilem auctoritatē, magistram & iudicem fidei. Quænam autem & qualis ea sit, an scilicet sit aliqua auctoritas diuersa ab auctoritate Scripturæ, disputandum est postea.

Illud tamen hoc loco est addendū; non esse necesse, vt omnes & singuli fideles cognoscāt explicitè iudicium eius auctoritatis, quæ est magistra & iudex fidei: Satis enim est, vt illud vel explicitè cognoscant (sicut cognoscunt ij, quorum munus est alios erudire) vel implicitè, vt cognoscunt rudiores, qui scilicet credunt commoti auctoritate aliorum. Nam & hi quoque, licet actu quidem non cognoscant iudicium auctoritatis magistræ fidei, tamen facilè possunt illud explicitè cognoscere, cùm id necesse fuerit, exorta controuersia de fide. Id quod sufficit, vt beneficio auctoritatis magistræ fidei possint facilè fideles omnes consentire in vna & eadem fide: quę consensio est finis & scopus, in quem respicit & intuetur auctoritas illa magistra & iudex fidei. Nunc ad alia progrediamur.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quanam & qualis sit ista auctoritas iudex & magistra fidei? Diuinane tantùm, an tantùm humana? an partim diuina, partim humana, seu humana diuinitus inspirata? §. 2.

RESPONDEMVS per hanc assertionem: *Auctoritas hæc non est tantùm diuina, nec tantùm humana, sed humana diuinitus inspirata.* Et quidem non esse purè humanam eam auctoritatem, cuius magisterio in omni fidei quæstione fides cognoscenda sit, satis liquet ex demonstratione præcedentis assertionis. Nam planum fecimus, humani vires ingenij esse minores, quàm vt quisquam valeat per se doctrinā fidei sine errore percipere aliisq; tradere. Quòd verò neque purè diuina sit ejusmodi auctoritas, id est, quod non absque alicuius humanæ auctoritatis ministerio Deus ordinariè doceat per sese (vt nonnulli Sectarij ex Anabaptistarum factione, præsertim Schvvenckfeldiani & Muntzeriani somniauerunt) facilè quoque probatur his argumentis.

PRIMO, Scriptura docet, fidem oportere primùm concipi *ex auditu, ad Roman. 10.* Deinde fouendam atque conseruandam eam esse obedientia erga Præpositos, qui *nos docuerunt verbum Dei, ad Hebræos decimo tertio*, petendam *ex ore sacerdotis, Malach. 2.* discendam à Pastoribus & Doctoribus, quos *posuit in Ecclesia Deus, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, &c. ad Ephes. 4.* His autē & aliis externis adminiculis quid opus erat, si per se Deus ipse, quæ sit in omni quęstione recta fides, docere voluisset?

SECVNDO, Deus non eo modo docet nos ordinariè veram fidem, quo modo de rebus fidei ordinariè nobis non loquitur. Etenim docet vtique loquendo. At nobis de doctrina fidei per se ipse ordinariè non loquitur, sed *per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius, Luc. 1.* atque etiam per os Ecclesiæ, *in quo posuit ipse*, & manere perpetuò voluit *suum verbum. Isai. 59.* Non igitur per sese ipse de eiusmodi rebus ordinariè nos docet.

TERTIO, Si singulos ipse per se solus docet; quanam obsecro ratione hoc facit? Docétne illos, ita vt nequeant omnino ipsi falli, dum putant, se aliquid didicisse ex Deo? An verò permittit eos in eiusmodi iudicio quandoq; decipi? Primum dici nullo modo potest. Nam extra controuersiam est, omnibus temporibus fuisse, & iam etiam esse permultos hæreticos, qui falsò sibi persuadeant, eam esse diuinam doctrinam, quæ pugnat cum sententia diuina. Quod si Deum illo altero modo docere omnes dicas, scilicet ita, vt nihilominus quiuis decipi possit existimando id se discere ex Deo, quod ipse fingit errore proprio: certè nondum erit ea ratione satis hominibus prouisum, vt veram in omnibus controuersiis fidem primùm dignoscere, deinde complecti ac retinere possint. Quid enim procliuius, q̄ in illo iudicio falli, si in eo falli possumus? *Spiritus est Deus, Ioan. 4.* ideoque spiritualiter ac latenter ipse mentibus humanis loquitur (loquitur eis autem, cùm vult efficaciter, vt hoc aut illud intelligant ac sibi persuadeant) nec oculis euidenter cernitur, vt facilè animaduertere possis, vtrum id audias, quod ille in te loquatur, an quod dicit tibi Spiritus tuus, vel certè spiritus Satanæ, qui se in Angelū lucis persæpè *transfigurat, 2. Cor. 11.*

Huc accedit, quod nihil interest, vtrum fidem dicas vnicuique ex proprio ingenio cognoscendam esse; vel ex magisterio solius Dei, qui tamen vtrum aliquid ipse doceat nec ne, vnusquisque ingenio proprio & fallibiliter diiudicare debeat. Nam ex eą parte singulis erit æquè facilè in doctrina fidei errare, atque si fallibiliter ipsos, sine magisterio peculiari Dei, diiudicare oporteret doctrinam fidei. Quibus igitur rationibus constat, homines præter vim ingenij sui, aliqua auctoritate externa infallibili indigere, vt vera fide salutem consequi possint: iisdem efficitur, eam auctoritatem non esse solius Dei per se ita docentis, vt homines in doctrina diuina percipienda (quemadmodum fit) falli possint.

QVARTO, Nam ab ipso Deo in Scriptura sacra ij reprehenduntur, qui de rebus diuinis ea & sentiunt, & docent, quæ ipsis propriè ac singulariter veniunt in mentem, prætextu diuinæ doctrinæ, quam ipsi singulariter ac propriè diuinitus se accepisse iactent. Vt Ezech. 13. *Væ*, inquit, *Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Dicunt; ait Dominus: cùm ego non sim locutus.* Et rursus Hierem. 23. *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur; non de ore Domini.* Et Ierem. 14. *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non locutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis.* Item ipse magister noster Christus Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis.* Et Matt. 24. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus* (id est, hæc est diuina Christi doctrina) *ecce illic, nolite credere.* Nec propterea solum tam seriò ac grauiter monemur, priuatos huiusmodi prætextus diuinę doctrinæ fugere, quia per se, quod ad rem ipsam attinet, sint falsi; Sed propterea maximè, quod priuati & singulares sint, eoque ipso abhorreant à consilio Dei, qui ordinariè non priuatim singulos, sed per communem aliquam regulam omnes docere soleat: Hæc namq; causa posterior, est eius admonitionis ratio præcipua. Pauci enim admodum sunt, qui diiudicare de re ipsi possint, vtrum ea doctrina, quæ tanquam diuina proponitur, vera sit an falsa. Et tamen omnes communiter eiusmodi priuatos spiritus atque doctrinas iubētur auersari: quoniam nemo est, qui non facilè vel per se vel alieno auxilio discernere queat, num dogma, quod proponitur, sit propriū ac singulare alicuius, an verò per communem aliquam auctoritatem & regulam in Ecclesia traditum.

Quod igitur ordinariè Deus per se solus ac priuatim vnumquemque non doceat, ex dictis satis perspicuum esse videtur. Itaq; præclarè D. AVGVSTINVS lib. 12. confess. cap. 25. *Veritas*, inquit, *tua Domine, nec mea est, nec illius, aut illius: sed omnium, quos ad eius communionē publicè vocas: terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu faciendum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suū esse vult, quod omnium est, à communi propellitur ad sua: id est, à veritate ad mendacium.* Sic D. Augustinus.

Ac ob id etiam B. IRENÆVS lib. 3. aduersus hæreses, cap. 2. iure in hæreticos est inuectus sui temporis, quod *singularitate dogmatum se ipsos prædicarent, ac veritatis deprauarent regulam.*

Tum illud à TERTVLLIANO lib. de præscript. hæret. rectè hæreticis exprobratum est: *Idem*, inquit, *licuit Valentinianis quod valentino, idem Marcionitis quod Marcioni: de suo ingenio fidem innouare.* Et à veritate ipsa Ioan. 8. dictum est, diabolum etiam, cùm mendacium loquitur, ex propriis loqui: qui tamen diuinæ doctrinæ prætextu & ipse vsus est: inquiens Matth. 4. *Scriptum est enim, &c.* Ergo qui de fidei rebus quocunque prætextu ex propriis sibi loquendum putant, ij ex patre sunt diabolo.

Quod si *neq; purè diuina*, sine cōmuni alio medio, est illa auctoritas infallibilis, quæ in omni quæstione nos doceat, vt ostendimus hactenus; *neq; etiam purè humana*, vt præcedente §. probatū est; non est nobis opus alia propria probatione, vt quod in hoc loco agimus, persuadeamus; esse scilicet illam auctoritatem, quasi ex vtraq; compositam atq; mediam; nempe *humanam diuinitus inspiratam.* Bonus enim ac firmus est hic Syllogismus: Oportet auctoritatem illam, in determinandis omnibus fidei quæstionibus infallibilem, aut purè diuinam, aut purè humanā, aut humanam diuinitus inspiratam esse (nemo est enim, cui probare nunc oporteat, nō esse Angelicam)

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non est autem vel purè diuina, vel purè humana, vt probatum est. Est igitur humana inspirata diuinitus.

Et sanè cùm omnes penè Sectarij eam auctoritatem sola Scripturâ sacra contineri contendunt, fateri eos necesse est, humanam diuinitus inspiratam illam esse. Homines enim ij sunt, qui *Spiritu sancto inspirati, sunt nobis in Scriptura locuti.* Sed an rectè Scripturâ sola eam auctoritatem isti definiant, videbimus §. sequenti. Nunc tantùm hîc restat, vt Scripturæ quosdam locos explicemus, quibus contra assertionem positam videtur cõfirmari posse, Deum per se ipsum singulos docere rectam fidem sine vllo prorsus humano ministerio. Quod eò quoque faciendum est, quia eiusmodi locis illi etiam Sectarij imprudentes ad errorem suum abutuntur, qui volunt tamen Deum non docere sine omni medio, sed per Scripturam sacram, quæ ipsa, vt dictum est, continetur humana auctoritate diuinitus inspirata.

Eius generis sunt ij loci: Isaiæ 54. & Ioann. 6. *Erunt omnes docibiles Dei.* Et Iacob. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluẽter.* Et Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina eius, vtrum ex Deo sit.* Itẽ Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Item Ioan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem.* Atq; in iis quidẽ & aliis eiusdem generis testimoniis, simpliciter significari videtur futurũ, vt oẽs de rebus fidei ab ipsomet Deo erudiantur.

Sunt autem & alij loci quidam, in quibus item negari videtur, non opus alicui fore alio magistro præter Deum. Vt in prima Canonica Ioannis, cap. 2. *Non necesse habebitis, vt aliquis doceat vos: sed ipsa vnctio docet vos de omnibus.* Et apud Ieremiam, cap. 31. *Non docebit amplius vnusquisq; proximũ suum.* Et in Euangelio ipse Christus Ioan. 5. *Ego,* inquit, *testimonium hominum non accipio.* Acciperet autẽ, si oporteret ab hominibus veritates Christianæ fidei proponi. Quare & alibi scriptum est 1. Ioann. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.*

RESPONDENDVM est ad locos priores, vtrũque verum esse: & à Deo doceri fideles (sicut in illis testimoniis diuinitus est promissum) & doceri tamen ab illo ordinariè non nisi per ministerium humanum. Sed est consuetudo sacræ Scripturæ, vt quæ Deus principaliter facit, ea illi sic tribuat, ac si solus omnino sine aliquo instrumento faceret: idque etiam propterea, quod ipse quoque suppeditat vim instrumentis ad operandum.

Hanc ob caussam simpliciter ab Apostolo 1. Corinth 3. illud scriptum est: *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et Christus ipse Matth. 10. *Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Nec sanè dicet aliquis (vt hoc quoq; vtamur exemplo) producere Deum, absq; cõcursu aliarum caussarum, in mõtibus fænum Psal. 105. quamuis Psalmista illi soli videatur hunc effectum, sicut alios permultos, attribuere. Ergo pari ratione, cùm in Scripturis citatis legimus, Deum esse, qui nos docet: intelligere debemus, hoc eum facere per ministerium auctoritatis humanæ, cuius etiã per os loquitur & auditur. Itaq; nõ ipse solus per se docuit Paulum, sed ad Ananiam adire illũ voluit, à quo erudiretur Actor. 9. & Philippũ misit, vt ad currũ accedens doceret Eunuchũ Actor. 8. & Petro traditur in disciplinã Cornelius Act. 10.

Quæ explicatio ad eos locos etiã, qui sunt posterius obiecti, pertinere potest. Nam quod negat Scriptura, necesse esse, vt alius alium doceat: eodem modo intelligi debet, quo illud: *Neq; qui plãtat est aliquid, neq; qui rigat.* Et illud etiã, quod similiter explicauimus. *Non estis vos, q̃ loquimini.* Quid enim hoc significat? An qui inspirante Deo loquitur, prorsus ipsum nõ loqui? Minimè verò: sed Deum esse quidem, qui eius ore tanquam instrumento quodam præcipuè loquitur. Ita non doceri fideles ab homine, minimè idem est, quod nullo modo per humanum ministerium doceri: sed est, doceri præcipuè à Deo: qui cum omnibus temporibus docuerit ipse (vt Psalmista Psal. 93. loquitur) hominem scientiam; longè id vberius in hoc tempore gratiæ facit.

Quod si nullo modo doctrinam fidei Deus per humanum ministerium traderet: respõderi profectò satis Augustino Tract. 3. in primam epistolam Ioannis non posset, hunc in modũ cum ipso Ioanne Apostolo hac de re colloquenti: *Vnctionem,* inquit, *habebant quibus loquebaris. Tu dixisti (1. Ioan. 2.) quia vnctio ipsius docet vos de omnibus. Vt quid igitur talem epistolã fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instituebas? Quid ædificabas?* Sed respondet facilè pro ipso Apostolo cõuenienter iis, quę iam à nobis explicata sunt, idẽ ipse Augustinus: *Iam hic videte fratres magnum Sacramentum. Sonus verborum nostrorum aures percutit. Magister intus est. Nolite putare quenquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus strepitu vocis nostræ. Si non sit intus qui doceat, inanis sit strepitus noster.* Ac paucis in eandem sententiam interpositis: *Cathedram,* inquit, *in cælo habet, qui corda docet. Propheta ait, & ipse in Euangelio Matth. 23. Nolite vobis dicere Magistrum in terra, vnus est Magister vester Christus.* Hæc Augustinus. Qui pulchrè hac ratione docet, ideo fidei doctrinam ipsi Deo acceptã ferri debere, quoniam etsi per se ipse sine ministerio auctoritatis humanæ non doceat; tamen ipse est magister huius disciplinæ principalis.

Quod verò ait Christus: *Ego non ab homine testimonium accipio,* sic intelligendum est. Non indiguit Christi doctrina humano testimonio, vt ipsa ab illo robur acciperet: sed opus habuit eo tamen, vt secundùm consilium Dei, & rationem constitutam eius prouidentiæ propagaretur, id est, vt ei homines fidem haberent. Nam & illud etiam ob eam rationem à Christo Domino dictum est Actor 1. *Eritis mihi testes in Hierusale, & in*

omni Iudæa, &c. Tum illud eodem pertinuit Ioã. 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Ac subiungit Euangelista rationem à nobis assignatam: *Vt omnes,* inquit, *crederent per illũ.*

Hinc est, quod in eo ipso loco, vbi negat Christus, se ab homine testimonium accipere: vtitur tamen aduersus Iudæos testimonio Ioannis. Dixerat enim Ioan. 5. *Vos misistis ad Ioannem: & ille testimonium perhibuit veritati.* Tum subiungit: *Ego autem non ab homine testimonium accipio. Sed hæc,* inquit, *dico vt vos salui sitis.* Quasi diceret: Ego quidem testimonium, quod mihi perhibuit Ioannes, non adfero, tanquam illo nitatur mea doctrina: sed vt illam eo vobis probem, id est, vt Ioannis auctoritate, qui magnus est apud vos, commoti, mihi credatis, & salui sitis.

Ex his arbitror satis confirmatam ac defensam nostram assertionem esse, nempe, non purè diuinam, neque purè humanam, sed *humanam diuinitus inspiratam* esse oportere auctoritatem illam, quæ de fidei quæstionibus omnibus certò doceat fideles.

Quod autem phanatici illi Sectarij, qui contempta Scriptura solis somniis priuatarum reuelationum niti volunt, illud præterea D. Pauli 2. Cor. 3. vrgere solent: *Litera occidit, Spiritus autem viuificat*; confutatione vix indiget. Neque enim his verbis Apostolus aut pernicioſam aut inutilem ipsam per se Scripturam (quam aliâs prodesse, *vt perfectus sit homo Dei.* 2. Tim. 3. verissimè affirmat) significauit, sed vel ab ipsa certè illos redargui & damnari, qui spiritu gratiæ & charitatis non eius præceptis obsequuntur, quique nudis illius verbis, neglecto vero sensu, ad errorem abutuntur, vt fecerunt Iudæi, & faciunt omnes hæretici: vtroque enim modo eum locum diuus AVGVSTINVS lib. de spiritu & litera cap. 4. & 5. & lib. 25. contra Faustum cap. 8. & serm. 70. de tempore & alibi, interpretatus est.

QVÆSTIO TERTIA.

Cuiusnam vel quorum propria sit auctoritas illa humana diuinitus inspirata, quæ est iudex & magistra fidei? §. 3.

RESPONDEMVS per huiusmodi assertionem: Auctoritas hæc non vnius tantùm vel alterius hominis quondam vita defuncti, aut etiam aliquorum propria est, qui olim vel scripto vel voce sententiam diuinam explicauerint, posteritatique commendârint, sed omnibus seculis apud fideles ipsos viget præsens, & pronunciare perspicuè ac palam de fidei controuersiis omnibus potest.

Est autem hæc assertio prius declaranda, quàm à nobis probetur. Non enim absolutè hîc negamus, alicuius hominis, vel aliquorum vita defunctorum auctoritatem diuinitus infallibilem esse in quæstionibus fidei. Sed cùm in iudicio, & quasi caussa fidei duobus modis intelligi possit, aliquam auctoritatem esse infallibilem; videlicet aut tanquam magistram & iudicem, cuius sit sufficienter pronunciare & statuere, quæ sit in omni quæstione doctrina fidei: aut certè tanquam testem, qui licet in eo iudicio definire satis ipse, ita vt est necesse, quæstionem omnem non possit, tamen ab auctoritate magistra & iudice consuli debeat: affirmamus sanè auctoritatem illam infallibilem, à qua oportet (vt hactenus ostensum est) in omnibus quæstionibus, quæ de fide moueri possint, tanquam à iudice ac magistra, fideles cunctos omni tempore sufficienter de fide doceri; non esse propriam alicuius vel aliquorum hominum vita defunctorum. Quanquam & talis quidem auctoritas aliquorum, qui superstites non sunt, & olim diuinam sententiam aut verbo aut scripto infallibiliter explicârunt, tanquam testis in fidei caussis certa ratione & modo (id est, vt vel rem ipsam dicat, vel aliquid rei consentaneum, ex quo res deduci possit) consuli debeat, vt à nobis suo loco explicabitur.

Nunc explicatione hac adhibita, probãda nostra assertio est. Quod fiet commodissimè, si vtamur huiusmodi partitione. Auctoritas humana eorum qui vita functi sunt, & olim diuinam sententiam, aut verbo aut scripto infallibiliter declarârunt, partim *Scriptura* ipsa sacra, partim *traditionibus* Apostolicis (id est, sententia per Apostolos viua primùm voce tradita, & deinceps ab eorum successoribus retenta & custodita, & continua successorum serie ad posteros transmissa) continetur, vt infrà quoque suis locis docebimus. Sed neque *Scriptura* sacra, neque etiam sola *traditio* (si ab ea separes præsentem in Ecclesia auctoritatem infallibilem; sic enim de traditione nunc loquimur) est illa auctoritas infallibilis magistra fidei & iudex in omnibus quæstionibus. Talis igitur auctoritas non est propria alicuius vel aliquorum hominum vita defunctorũ. Quod si exstat tamen aliqua talis humana auctoritas, vt probatum est; neque verò ea est illorum hominum propria, qui iam præterierunt; restat vt viuat semper inter fideles præsens, quemadmodum in assertione nostra positum est. Confirmemus iam singula.

Ac primùm eiusmodi auctoritatem sola Scriptura sacra, vt hæretici perperam sentiunt, non contineri, sequentia argumenta persuadere debent.

Auctoritatem iudicem fidei, non contineri sola Scriptura sacra, probatur PRIMO ex ipsius Scripturæ obscuritate. §. 4.

PRIMO. Sententiam eius auctoritatis, cuius de rebus omnibus fidei iudicium est, apertam oportet esse, vt ab omnibus fidelibus commodè possit intelligi. Nam si non ita perspicuè & planè auctoritas illa doceat, non ad eam rem valebit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuius causſa (vt ſuprà probauimus) diuinitus inſtituta eſt; nempe vt omnes, niſi nimium velint eſſe cæci, facilè cognoſcere poſsint, quid ex fide credere debeant, & quid tanquam fidei contrarium repudiare. Quomodo enim cõſcientia acquieſcet, aut in animum aliquis inducet, certò & abſq; vlla hęſitatione id credere, quod ſcire clarè ipſe non *poſsit* ab aliqua auctoritate proponi & tradi, quam ſibi perſuadeat eſſe infallibilem? Iam verò ſententia Scripturæ de maximis etiam fidei quæſtionibus, ita obſcura & difficilis ad intelligendum eſt, vt homines etiam bene literati, nedum vulgares fideles, in eius inquiſitione facillimè hallucinentur ab eaque aberrent.

Id, quia hæretici omnes pertinaciter negant, demonſtrandum iam diligẽter eſt. Quod rectiùs fiet, ſi primùm conſtiterit, quo ſenſu & quare Scripturam obſcuram eſſe affirmemus. Ita enim & ipſas vias quaſi obſtruemus aduerſariis, quibus illi in hac re arbitrantur, ſe poſſe ſubterfugere. Cùm enim Scripturam obſcuram eſſe dicimus, non vitium aliquod in doctrina ipſa diuinitus tradita ineſſe ſentimus, ſed maieſtatem atque altitudinem potius eiuſmodi ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & imbecillitatem ingenij noſtri profitemur. Nam hoc ſignificat, eam obſcuram eſſe, difficulter à nobis illam intelligi poſſe; quoniam & *res fidei* à noſtra cognitione remotiſsimas docet, & diuino ac *ſingulari* ſuo quodam modo conſcripta eſt, & *nos multis rebus*, atque adminiculis indigemus, vt eius ſententiam aſſequamur; atque adeo multis etiam modis in ea re impedimur. *Quod totum*, inquit præclarè D. AVGVSTINVS lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 6. *diuinitus prouiſum eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerumq; vileſcunt.* Nec diſsimilem rationem, cur Scriptura ſit obſcura, reddit CLEMENS Alexandrinus lib. 6. Strom. nõ admodum longè à fine.

Fatemur igitur ante omnia, & concedimus aduerſariis, hominum vel infirmitate, vel etiam vitio accidere, vt Scriptura non intelligatur. Sed viciſsim ab ipſis poſtulamus, vt, quia tolli hac in vita nequit illa infirmitas, & difficillimè vitari hoc vitium ab hominibus poteſt, nobiſcum etiam agnoſcant & fateantur, Scripturam ſolam, quæ vix à paucis rectè intelligi poteſt, non eſſe omnium fidei controuerſiarum iudicem & magiſtram & communem fidei regulam, à qua in quæſtionibus fidei doceri poſſe infallibiliter omnes oportet. Quæ enim fidei regula communis hominibus ipſis eſt propoſita; eam prorſus oportet ex parte inprimis ipſorum hominum eſſe cognitu facilem, atque adeo perſpicuam. Siquidem tota ad eorum vſum accommodata eſſe debet. At Scripturam, ex parte ſaltem conditionis humanæ, obſcuram & difficilem eſſe, ita certum eſt, vt ſint etiam impudentes Sectarij ſi negent.

Id probamus PRIMO ex eo, quòd multis præſidiis ad Scripturam intelligendam opus eſt, quibus omnibus inſtructum eſſe difficile admodum eſt; & pleriſque etiam fidelibus humano modo impoſsibile.

I. Etenim ipſi etiam Sectarij vident, vim dictionis cognoſci debere, qua vel primùm eſt ipſa doctrina ſacra mandata literis, vel certè deinde in aliam linguam bene verſa. Hoc, quod minimum eſt: tamen non omnes fideles rectè nouerunt.

II. Scientiam quoque rerum ipſarum, & ſenſus in Scripturis exercitatos, ad Scripturarum intelligentiam requiri, negari non poteſt. Ideo enim fit, vt etiam inter eos, qui verborum cuiuſque linguæ, omniſque Grammaticæ bene periti ſint, difficillimè tamen de Scripturarum ſenſu in maximis rebus conueniat. Cui rei ipſi ſunt argumento Sectarij. Sunt enim ex Caluiniſtis & Lutheranis non pauci Caluiniſtæ & Lutherani bilingues, immo trilingues Grammatici. Et tamen qui de maximis fidei rebus, Lutheranis cum Caluiniſtis, immo ipſis etiam tum Lutheranis, tum Caluiniſtis inter ſe (dum omnes ſola Scriptura niti volunt) conueniat, nouit iam ſatis orbis Chriſtianus, quin etiam norũt Turcæ & Ethnici. Non igitur Grammaticæ tantùm doctore, ſed rerum inprimis ad Scripturam intelligendam opus eſt. Quod profectò cenſuit D. AVGVSTINVS lib. de vtilitate credendi, cap. 7. cùm ita ſcripſit ad Honoratum: *Terentianum Maurum ſine magiſtro attingere non auderes: Aſper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poëta poſsit intelligi: Tu in eos libros, qui ſancti, diuinarumq; rerum pleni propè totius generis humani confeſsione diffamantur, ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam?* Nec diſsimilis diui HIERONYMI in epiſt. ad Paulinum oratio eſt, quam, quia notiſsima eſt, breuitatis cauſſa prætereo. Iam quotuſquiſque idoneum Scripturarum præceptorem vel quærit, vel inuenit, vel rectè intelligit, vt Scripturæ genuinam ſententiam aſſequatur?

III. Sed neque hiſtoriam multarum rerum, artesque liberales quaſdam ignorare oportet; quarum ignoratione fit ſæpè, vt aberret aliquis à vero Scripturæ ſenſu, quemadmodum D. AVGVSTINVS potiſsimùm lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 1. 6. & 29. & 31. & 36. & 37. & 40. diligenter notat, & res ipſa docet.

IV. Ratio quoque omnis tenenda rectæ fidei eſt, vt eius vbique analogiam videre, & ad eam exigere Scripturæ ſententias difficiliores poſsis. In qua re magno ſanè iudicio, quod paucis contingit, & dexteritate magna opus eſt.

V. Et quoniam in maleuolam animam non intrabit ſapientia, Sap. 1. purgandus etiam eſt animus, ne cœno vitiorum obruta atque excæcata mens videre in Scriptura non poſsit lumen veritatis. Quod diuo etiam AVGVSTINO quantumuis

tumuis magno & perſpicaci ingenio eſſet prædituſ, tum accidebat, cùm adhuc erat inquinatus peccatis: *Inſtitui*, inquit lib. 3. Confeſſ. cap. 5. *animum intendere in Scripturas ſacras, vt viderem quales eſſent. Et ecce video rem non compertam ſuperbis, neq; nudatã pueris: ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſteriis. Et non eram ego talis, vt intrare ad eam poſſem. Nam illa erat, quæ creſceret cum parvulis. Sed ego indignabar eſſe paruulus, & faſtu turgidus mihi grandis eſſe videbar.* An verò nullius difficultatis res eſt, ab hoc tumore vitiorum vacuum eſſe, eorumque fuligine velatum cor, inſtar Iudæorum, non habere, ſed humilem fieri ac docilem diſcipulum ad huiuſmodi Spiritus ſancti diſciplinam capeſſendam?

VI. Quid autem precatio ad Deum pro ſapientię interpretationiſq; Scripturę dono? An exigua difficultas eſt, & piè & perſeueranter illud cũ eodem AVGVSTINO lib. 11. confeſſ. cap. 2. orare: *Domine attende & miſerere mei. Domine Deus meus, lux cæcorum, & virtus infirmorum. Largire ſpacium meditationibus noſtris in abdita legis tuæ, neq; aduerſus pulſantes claudas eam. Neq; enim fruſtrà ſcribere voluiſti tot paginarum opaca ſecreta.* Et aliquibus interpoſitis: *Vide*, inquit, *Pater, & aſpice, & vide, & approba, & placeat in conſpectu miſericordiæ tuæ inuenire me gratiam ante te; vt aperiantur pulſanti mihi interiora ſermonum tuorum. Obſecro per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Ipſum quæro in libris tuis, &c.*

VII. Sed ex omnibus, quæ ad intelligentiam Scripturarum neceſſaria ſunt, illud eſt difficillimum, quod tamen magno ſanè errore Aduerſarij putant omnem remouere Scripturæ obſcuritatem. Aiunt enim, difficiliores Scripturæ locos ex aliis clarioribus, qui ſunt eadẽ de re, interpretandos eſſe. Quod & nos fatemur. Sic enim AVGVSTINVS lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 25. & 26. præcipit, & paſsim præter Auguſtinum alij Patres docent, ac vſu exemploque ſuo confirmant. Sed difficillimũ tamen eſſe aſſerimus, huiuſmodi locorum *collationem* ita inſtituere, vt quẽ locum tu putas clariorẽ eſſe, ideoq; ex eo alium locum interpretandum, is reuera ſit clarior, & non cõtrà potius obſcurior: ex quo idcirco non alterum interpretari, ſed eum ex altero ſit neceſſe.

Vt enim quis in Scriptura ipſa, & in cognitione locorum Theologicorum, magis aut minus verſatus eſt, atq; etiam vt magis & minus perſpicax, & in indagando diligẽs, ſic magis aut minus rationes videt, cur hic ſenſus potius, quàm alius huic loco ſubiici debeat. Ita fit, vt q locus in vno ſenſu alteri clarus videtur, alteri videatur obſcurus, eaque varietas facit, vt facillimum ſit, quemadmodum diximus, in huiuſmodi collatione locorum Scripturæ falli atque errare: dum non obſcurus reuera locus ex claro, ſed clarus (ſi rationes omnes latentes & circumſtantes cõſiderentur) ex obſcuro peruersè exponitur.

Cuius rei, cùm multa & vetera, & recentia etiam exempla ex noſtrorum temporum controuerſiis proferri poſsint, ego breuitatis cauſſa vnum aut alterum ponam, vt Lector contempletur Labyrinthum errorum, in quo, propter hanc ſuam Scripturæ collationem, verſantur Sectarij, & verſabuntur perpetuò, niſi redeant ad ſaniorem mentem. Quæſtio eſt, vtrum concupiſcentia in iis, qui gratiam ſunt adepti in Baptiſmo, ſit peccatũ veri nominis, damnatione etiam dignũ. Affirmant omnes Sectarij. Quia quod in perſona iuſtificati hominis Paulus ait ad Romanos ſeptimo: *Habitare in ſe peccatum*; putant habere illum ſenſum clarum, quem illico verba ſuperficie tenus exhibent, nempe concupiſcendi facultatem ſeu appetitum eſſe peccatum. Itaque ex hoc loco interpretantur alios eiuſdem Apoſtoli, vbi contrà negat, vllum remanere peccatum in iis, quos affirmat ablutos & ſanctificatos eſſe in Baptiſmo ad Rom. 6. & 8. & 1. Cor. 6. & aliàs ſæpè. Dicunt enim ſenſum eſſe, non quod ij mundi prorſus facti ſint, & immunes à peccato, ſed quòd peccatum quo alioquî inquinati ſunt, non imputetur ipſis ad pœnam.

Falluntur autem in hac Scripturarum collatione. Quoniam locos clariores malè interpretantur ex obſcuro. Demonſtrant enim certiſsimè Catholici, ſenſum eius, quod Apoſtolus inquit, habitare in ſe peccatum, non eſſe illum primam facie clarum, quem falsò putant Aduerſarij, nempe reuera concupiſcentiam peccatum eſſe. Hoc enim & naturæ ipſi diuinæ gratiæ repugnat, quæ cum peccato mortali ſtare nullo modo poteſt, & aliis etiam innumeris Scripturæ locis, ex quibus conſtat per gratiam ita aboleri penitus peccata, vt nihil in ipſo homine inſit dãnationis ad Rom. 8. id eſt, damnatione dignum.

Docent igitur iidem Catholici, alium quendã illi Apoſtoli loco ſubiici ſenſum obſcurum, videlicet concupiſcentiam & ex peccato proueniſſe, & ad peccatũ inclinare, ideoq; appellari ibi ab Apoſtolo peccatum: ſicut etiam ipſum Chriſtum peccatum, 2. Cor. 5. impropriè appellat, quia fuit hoſtia pro peccato: & Adamus Euã ſimiliter Geneſ. 2. os appellauit, quia ex oſſe exſtitiſſet. Proinde non ex eo Apoſtoli loco tanquam ex claro, illi alij loci, qui gratia emundari penitus hominem à peccatis manifeſtiſsimè docent, exponẽdi perperam erant: Sed ex iis potius locis tanquam claris, illius alterius loci ſenſus obſcurior (quem indicauimus) colligi ab Aduerſariis debuit.

Item quæſtio eſt, vtrum quilibet poſsit ac debeat certò credere ſe iam eſſe receptum in gratiam diuinam. Affirmant etiam cuncti Sectarij: quamuis ego quidem nunquam mihi perſuadere potero, vllum eſſe cordatum hominem inter illos, qui ſibi omnino ita certò perſuadeat: cuius rei alio in loco manifeſtiſsimas rationes reddi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

di in Disputatione de gratia, & de differentia veteris & nouæ legis. Sed affirmant tamen ita credendum esse, licet minimè ipsi credant. Cum autem obiicitur illis testimonium Apostoli clarum in persona hominis iustificati, dicentis: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, 1. Cor. 4.* conferunt hunc locum cum illo alio eiusdem Apostoli ad Roman. 4. *Ideo ex fide* (iustificatio) *vt secundùm gratiam firma sit promissio.* Quoniam autem putant, significasse hîc Apostolum, gratiam per fidem solam ideo apprehendi, vt quilibet non ex bonis animi sui motibus aut recta conscientia, sed ex recta promissione diuina per fidem certò possit sibi persuadere, quòd gratiâ sit consecutus; interpretantur, non negauisse Apostolum in illo alio loco, quin sciret omnino, atq; adeo, quin sciat quiuis iustus (in cuius persona tunc loquebatur) se esse iustificatū, sed negauisse tantùm, id se scire ex bona sua conscientia.

Decepti verò sunt in ea collatione turpissimè. Nam vt aliud non esset, tamen antithesis certè, quæ continuò sequitur in verbis Apostoli, declarat, eum (in persona quidem hominis iustificati) omnino negauisse, se vel ex promissione diuina, vel aliunde, secundùm legem Dei ordinariā, scire in præsentia, num esset iustificatus. Subiungit enim: *Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaq; nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit occulta cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à Domino.* Cum enim Dominum solum affirmat, qui, num aliquis iustificatus sit, sciat; de eaque re ante tempus illud extremum, à nobis certò iudicium fieri vetat; nōne omnino negat, in præsentia quenquā hoc de se certò scire aliqua ordinaria via?

Aliter igitur debuissent hîc instituere collationē Sectarij, & vel ex hoc loco potius intelligere, sensum illius alterius loci, vbi Apostolus ait; ideo ex fide hominem iustificari, vt secūdùm gratiam firma sit promissio, non esse, quòd per fidem iustificemur, vt ex promissione sola possimus certò scire nos esse iustificatos. Negat enim absolutè Apostolus, hoc à nobis sciri ante nouissimum tempus ordinario vllo modo posse. Sed docet, ideo nos gratis, absq; meritò nostrorum operū, per fidem, & alios nimirum animi rectos motus, charitatis & pœnitentiæ (qui cum fide viua coniuncti sunt) iustitiam & gratiam consequi, quoniam oportet certò diuinam promissionem impleri, quæ fuit prorsus talis; scilicet vt eo modo gratis iustificaremur absque nostro merito; quemadmodum sic etiam Abraham iustificatus est coram Deo. Hæc ibi tantùm Apostoli sententia est, neque quidquam de vana illa istorum persuasione hîc agit: vt ex disputatione & instituto Apostoli in ea epistola, in disputatione de vera & falsa differentia veteris & nouæ legis probauimus.

Notum etiam est, Sacramentarios hæreticos idcirco errare, quoniam Scripturæ locos, qui sunt de Christi discessu ex hoc mundo, non ex claro hoc loco; *Hoc est corpus meum*, sicut oportet, interpretantur (ita scilicet, vt de discessu tantùm & absentia Christi secundùm modum ordinarium atque visibilem eos locos intelligi necesse sit) sed hunc peruersè ex illis malè intellectis. Vnde fit, vt dum prauè tum illi, tum etiā Lutherani panistę collationem instituunt, plures quàm octoginta interpretationes differentes, plenasq; vanitatis pauciſsimis illis Christi verbis: *Hoc est corpus meum*, adhibeant, ne vel præsentiā corporis Christi in Eucharistia, vel cōuersionem panis in illud fateantur. Quæ profectò varietas clarissimo argumento est, hos omnes, quantumlibet Scripturæ collationem iactitent, à proprio illorū Christi verborum sensu longissimè aberrare.

Atq; vt vno verbo dicam, in omni fidei quæstione, quæ in vtramq; partem ex Scripturis agitetur; proposita quacunq; collatione Scripturæ, semper porro quęstio esse poterit, vter potius locus ad sensum alterius accommodandus sit, ex eoq; interpretādus? Ita fit, vt collatio nō semper finiat ipsa & absoluat difficultatē quæstionis de sensu Scripturæ, sed plerumq; etiam augeat.

Huc accedit, quod non modò facillimè contingit error in iudicando, an hic locus per illum exponi debeat; cùm vtrumque constat de eadem re loqui; sed etiam in discernendo, an idipsum, quod in collatione sumitur, verum sit, scilicet vtrumque locū de vna eademq; re loqui. Quandoq; enim idem in Scriptura verbum, & eadem ferè phrasis ad significandas res diuersas accommodatur, vt admonuit etiam D. Avgvstinvs lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 24. 25. 26.

Quod quia nuper quidam Sectarius, Lutheri discipulus (Herbrandus) cōtra nostrum de sacrificio Missæ tractatum, non animaduertit; ineptè voluit per Scripturæ scilicet collationem ostendere, *oblationem mundam*, de qua vaticinatus est Malachias 1. non aliud sacrificij genus in Ecclesia esse, nisi Euangelij prædicationem, quam etiam Apostolus ad Rom. 15. per similitudinem *oblationem* vocat. Rectè autem D. Avgvstinvs lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 24. *Non putemus*, inquit, *esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus.* Sed errorem istiusmodi collationis lib. 2. de sacrificio Missæ, cap. 4. redarguimus. Et omnes disputationes, quæ nobis intercedunt cum istis, plenissimæ sunt exemplis similibus, in quibus appareat, variis vbique erroribus Aduersarios esse implicatos, propter Scripturæ collationem à se siniſtrè institutam.

Nunc quæ exempla huius rei adduximus, non tam adduximus, vt in illis quæstionibus eos errâsse ostenderemus, id enim aliorum est locorum, quàm vt (quod iam agimus) euinceremus, eos facillimè certè, dum sola Scripturarum collatione niti volunt, sic errare potuisse. Ex quo intelligi debet, non quidem eorum esse leuiorem

culpam

culpam in errando (quis enim eos Scripturis solis quæstiones fidei velle definire cogit?) sed Scripturam profectò esse ad intelligendum difficilem: quādoquidem in eius interpretatione collatio locorum, in qua facillimè erratur, negligenda non est, & alia multa adminicula antè enumerata ad eam rem requiruntur, ex quibus aliqua in plerisque hominibus sæpè desiderantur.

Neque sanè ab hoc proposito aliena obseruatio est, quod cum præter ea, quæ diximus, quasdam etiam peculiares regulas ad Scripturam intelligendam vtiles, Avgvstinvs lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 29. & sequentibus, ex quodam Tyconio commemorâsset: tamē quosdam dicit tales esse Scripturæ locos, vt ad eorum sensum inueniendum vix vlla eiusmodi regularum satis esse, immo ne seruire quidem possit.

Secvndo, Scripturam ex parte ipsorum hominum esse difficilem & obscuram ad intelligendum, probamus ab *experientia* Sectariorum. Nam si Scriptura difficilis non est, quid sibi vult inter ipsos, in tam multis tamque grauibus fidei quæstionibus de Scripturę sensu tanta dissensio? Cur Caluiniani Lutheranis, Lutherani Caluinianis (vt capita tantùm ipsa Sectarum, variè porro inter se dissectarum nominem) non persuadent rem claram? An literas nesciunt? An locos non conferunt? An à Deo, qui dat omnibus affluenter, sapientiam non postulant? Eligant igitur hîc quod maluerint, alterutrumque fateantur, aut Scripturam esse difficilem: aut se insanire, quòd inter eos de clarissimo minimeque difficili Scripturæ sensu conuenire non possit.

Tertio, idem probamus ex ipsamet *Scriptura*; quæ certè cùm de seipsa loquitur, non eam facilitatem sibi tribuit, quàm ei isti quasi per vim obtrudere, contra sensum, contra experientiam, & suam & alienam conantur. Non autem noua adferam, sed vetera hac de re Scripturæ testimonia, cùm sint optima, repetam, vt ea magis confirmem. In quo genere clarissimum certè testimonium est illud diui Petri, qui testatur, secunda Petri tertio: *Quædam esse in epistolis D. Pauli difficilia intellectu. Quæ*, inquit, *indocti homines & instabiles, sicut & cæteras Scripturas, depravant ad suam ipsorum perditionem.* Cùm dicit, illa diui Pauli, sicut & Scripturas cæteras, depraui à peruersis; certè Scripturas etiam cæteras magna ex parte similiter esse difficiles indicat. Nam propter difficultatem vtique cæteræ quoque Scripturæ deprauantur, sicut & illa de Pauli epistolis. Neque verò diuum Petrum latebat, quid valere posset ad Scripturæ intelligentiam collatio locorum, & tamen ea re non obstante, pronunciat simpliciter, Scripturam intellectu esse difficilem: ac ideo facilè deprauari posse.

Et planè falsum ac ineptum etiam est, quod Kemnitius in exam. sess. 4. Concil. Trident. vt hoc testimonium eludat, hîc comminiscitur: *Respondeo*, inquit, *Petrus non dicit, epistolas Pauli ita esse conscriptas, vt difficultate & obscuritate sua Lectoribus præbeant occasionem ad perditionem. Vtitur enim articulo non fœmineo, sed neutro: significans res ipsas, de quibus Paulus loquitur, quia positæ sunt longè supra & extra omnem conspectum rationis, non posse rectè intelligi ab hominibus carnalibus, sed opus esse illuminatione Spiritus sancti.* Hactenus ille Lutheranus. Quem adeo non est Deus passus hac interpretationis vanitate Lectorem decipere, vt ad eam clarissimè refellendam ipsius etiam ore sit vsus. Subiungit enim iste illico: *Vtitur autem Petrus* (inquit) *verbo valdè emphatico στρεβλοῦσι (id est, detorquent) quod à torturis desumptum est. Sicut enim adhibitis tormentis sæpè de innocentibus habentur quæstiones, vt aliquid aliud quàm res habet, pro affectu torquentium, ab illis exprimatur: ita Petrus dicit, Scripturæ quasi tormenta adhiberi, quibus à genuina, simplici & aperta sententia distorqueatur, vt illud nobis loquatur, quod ante lectionem præsumpsimus intelligendum, vt Hilarius loquitur.* Hactenus etiam iste.

Ex cuius hac postrema oratione tale contra commentitiam illam expositionem ipsius conficitur firmum ac euidens argumentum: Diuus Petrus ea in epistolis diui Pauli dicit esse intellectu difficilia, quorum item ait significationem deprauari ab indoctis hominibus: vt scilicet aliud illa nobis loquantur & significent, quàm res habet: sicut iste Lutheranus ex verbi Græci interpretatione non malè colligit, & ex ipsa sententia & oratione D. Petri est perspicuum. Nunc ita subsumo: Illa quæ secundùm significationem isto modo deprauantur, non sunt res ipsæ significatæ à Paulo (non enim propriè res ipsæ loquuntur nobis, & significant) sed loci & partes scriptarum epistolarum à Paulo. Igitur illa, quæ diuus Petrus affirmat, esse difficilia intellectu in epistolis Pauli, non sunt propriè res ipsæ à Paulo significatæ, sed ipsius Scripturæ Paulinæ loci & partes. Nihil profectò potest euidentius concludi.

Item, *velamen*, quod ipse Paulus 2. Corinth. 3. affirmat, *vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, esse positum supra cor Iudæorum*: profectò textum (vt ita dicam) bona ex parte est ex difficultate Scripturarum illarum. Hoc enim, vt anteà monuimus, est, Scripturam esse difficilem, eiusmodi eam esse, & tam multa, vt illa intelligatur, requiri, vt procliue fuerit Iudæis, & sit aliis omnibus, non percipere veram eius sententiam. Quod quia dare nobis coguntur, velint, nolint, Sectarij: rectè ac necessariò inde concludimus, communem illam regulam & magistram fidei, quam necesse est, esse propositam fidelibus omnibus, non esse Scripturam: cùm non sit cognitu facilis ipsis hominibus: vt antè quoque argumentati sumus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huc & illud Isaiæ 59. pertinet: *Erit vobis visio* A *omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint homini scienti literas, & dicent, lege istum, respondebit non possum. Signatus est enim.* Atque etiam obscuritatem Scripturæ D. Gregorio Magno rectè significauit liber ille inuolutus, quem de manu Domini Propheta Ezechiel accepit. Ezechiel. 2. *Liber inuolutus,* inquit Gregorius homil. 9. in Ezechielem, *est Scripturæ sacræ eloquium obscurum, quod profunditate sententiarum inuoluitur, vt non facilè sensu omnium penetretur.* Quocirca & Eunuchus ille, de quo D. Lucas in Actis 8. cùm Scripturam legeret, ab eoque Philippus percontaretur: *Putásne intelligis quæ legis? Quomodo possum,* inquit, *nisi quis doceat me?* Tum illud eleganter Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. versus finem: *Dauid,* inquit, *dicit, Psal. 17. Tenebrosa aqua in nubibus aëris; à fulgore coram ipso nubes transierunt, grando & carbones ignis, abditos esse docens sanctos sermones.* B

Quarto probatur eadem Scripturæ obscuritas testimonio tum istorum Patrum, quos iam citauimus, tum etiam aliorum, qui non minus clarè Scripturæ obscuritatem agnouerunt, vt diuus Ambrosius epist. 44. ad Constantium. Hieronymus epist. ad Paulinum, & epist. ad Algasiam, quæst. 8. Augustinus epist. 3. & 119. & lib. 2. doctrin. Christian. cap. 6. & ante hos Irenæus libro 2. cap. 47. Origenes lib. 7. contra Celsum. Chrysostomus homil. 4. in Ioan. &c.

Sed Obiicvnt hîc Sectarij varia, quę ad tria C potissimum reuocantur. Primo, quod Scriptura dicitur Psal. 118. *Lucerna pedibus nostris, & lumen nostris semitis.* Et 2. Petr. 1. *Cui bene faciamus attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, &c.*

Respondeo. Hęc verissima sunt omnia. Sed est inprimis etiam videdum, vbinam collocatam esse oporteat hanc lucernam doctrinæ diuinæ, vt ipsi lumen eius videre, & eò dirigere gressus nostros possimus. Quid enim si lucernam aliquam ponas sub modio? Certè lucebit ibi nihilominus ipsa, & ardebit, & lumen retinebit suum: sed non etiam ibi te illuminabit, nisi eam colloces in idoneo loco.

Concedimus igitur pari modo, sacras literas, quæ diuinæ doctrinæ continent lumen, tãquam D lucernam esse per se ipsam splẽdidissimam semper, atque fulgentissimam. Sed nobis tamen cõsiderandum est, quo modo sit hoc lumen non in se modò lucidum, verùm etiam (vt regius Propheta Psalm. 18. dicit) *illuminans oculos.* Nunquid qua ratione vnusquisque ingenij proprij atque industriæ suæ finibus illud tanquam modio quodam exiguo comprehendit? Minimè verò; sed quatenus est diuinitus in Ecclesiæ Catholicæ auctoritate tanquam in candelabro positum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt, Matth. 5. Hanc enim Ecclesiæ auctoritatem, docebimus postea suo loco, esse in vniuersum iudicem atque magistram fidei viuam: idcirco necesse est, vt lumen illud fidei, quod in diuinis literis splendet, præferat ipsa atque ostendat omnibus, qui ad eam aggregantur, in eaque manent, licet ineruditi sint alioquî, nec valeãt ipsi per se aspicere lumen illud, vt in ipsis literis sanctis tanquam in lucerna continetur.

Quam rem bene mihi ac subtiliter D. Ambrosius lib. 7. in Lucam, cap. 52. attigisse videtur, cùm docuit, Christum, vt fidem nostram Ecclesiæ Catholicę accommodaremus, oratione illa hortari: *Nemo,* inquit, *accendit lucernam, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed super cãdelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Quid autem aliud fuisset, Scripturam non alicui communi auctoritati infallibili interpretandam commendare, sed vnicuique priuato ex æquo committere: quid, inquam, hoc aliud fuisset, quàm accensam lucernam in abscondito ponere? In abscondito enim, Scripturæ lumen poni est, ea illud ratione ac modo proponi, quo non possit neq; debeat lucere omnibus, qui sunt in Ecclesiæ domo. Non potest autem aut non debet certè Scripturæ fideique lumen sic lucere aliis omnibus, ab iisque recipi, quomodo lucet vni aut alteri priuato, quicunque ille sit tandem, & quantumcunque in indaganda Scripturæ sententia laborârit. Cur enim aliis non liceat illi anteponere parem auctoritatem iudicij etiam sui? Cur nõ possint putare illum ex iis esse qui priuato spiritu dicunt: *Ecce hîc, ecce illic Christus:* à quibus, vt diligentissimè nobis caueremus, Magister noster Christus, Matth. 24. præcipit.

Errant igitur vehementer Aduersarij, cùm Scripturam esse lucidam lucernã, ac illuminare nos, idem esse existimant, quod eam non egere Ecclesiæ communi aliqua atque infallibili auctoritate, vt certos nos faciat de fidei dogmatibus. Lucet enim & illuminat, sed super candelabrum Ecclesiæ constituta, vt est explicatum. Quod si eam sub modio ingenij tui tegere atque comprehendere velis; ipsa quidem lucida per se nihilominus est, & simul tamen, vt hactenus est probatum, tibi est obscura: sicut esset alia lucerna quæuis sub modio.

Secvndo obiiciunt, quòd si maximè de quę- D stionibus fidei subtilioribus quædã tradat Scriptura obscurius: tamen ex articulis fidei necessariis, quos satis est ad salutem credere, nullus est, qui nõ alicubi in Scriptura clarissimè doceatur.

Respondeo. Hac erroris sui defensione cùm vtuntur Aduersarij, profectò declarant, se non satis animaduertisse, quibus modis fiat, vt ad salutem necesse sit credere aliquã fidei veritatem. Fit autem hoc bifariam. Vno modo, quoniam absolutè & simpliciter necesse est, vt veritatem hanc aut illã fidei nôris & credas. Altero modo, quia cùm omnis infidelitas diuinitus sit prohibita, non licet tibi sine iactura salutis, credere aliquem errorem vlli fidei veritati contrarium. Vnde fit, vt etsi aliquam fidei veritatem absolutè nõ necesse habeas nosse & credere: sub cõditione

tamen

tamen debeas illam & credere & nosse. Nam si A contingat, tibi proponi eiusmodi veritatem fidei, atque ei contrarium errorem; & alterutri assensum præbiturus sis: necesse tibi ad salutem est, vt veritati fidei assentiaris, nõ contrario errori.

Priori modo, scilicet absolutè & simpliciter, paucarum admodum veritatũ fides & cognitio omnibus fidelibus ad salutem necessaria est. *Posteriori* autem modo, scilicet sub illa conditione, vt contrarij caueantur errores; omnes omnino fidei sententiæ ac veritates, cum quibus pugnare possint aliqui cõtrarij errores, sunt omnibus hominibus necessariò credendæ ad salutem. Nemo enim est, cui liceat amplecti aliquẽ contrarium fidei errorem: quin (vt suprà probatum est) omnes prorsus & singuli mandato diuino iubentur B quemuis errorem atque hæresim repudiare, eiq; anteponere veræ fidei sententiam.

Iam, quæ fidei veritates *priori* modo, scilicet absolutè & simpliciter ab omnibus hominibus necessariò cognoscendæ & credendæ sunt, vt & fide & spe & charitate ad beatitudinem cõtendere valeant; eas non diffitemur perspicuè ferè in Scripturis ipsis doceri, vt Avgvstinvs etiã lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 9. notauit. Sunt enim illæ & paucæ & communissimæ, nec notitiam requirunt vsque adeo distinctam & expressam, modò aliquali ratione nõ falsa in mente cõcipiantur. Atq; huius quidem generis sententiæ C sunt comprehensæ in Apostolorum Symbolo.

Veritates autem aliæ propè infinitæ, quæ *posteriori* modo (scilicet sub conditione, vt contrarij quique errores caueantur) ab omnibus fidelibus credi debent; ipsi Aduersarij coguntur fateri, & euidenter hactenus est probatum, maiori ex parte contineri in Scripturis obscurè. Itaq; & illos Scripturæ locos, ex quibus oportet hæreses refutare, obscuros esse scripsit D. Avgvstinvs in Psalmum 67. *Multi,* inquit, *sensus Scripturarum sanctarum latent, & paucis intelligentioribus noti sunt: nec asseruntur commodius & acceptabilius, nisi cùm respondendi hæreticis cura compellit.*

Huiusmodi verò locorum Scripturæ obscuritas, in his rebus difficilioribus, caput est probationis nostrę, qua necessariò euincimus, Scriptu- D ram nõ esse illam communem regulam, fidei iudicem & magistram, à qua possint fideles omnes sufficiẽter doceri; vt in omnibus fidei quæstionibus veritatem amplectantur & errorem repudient. Nam cùm omnes mandato diuino debeãt quoscunq; errores contrarios fidei cauere, & eatenus quibuscunq; etiam fidei veritatibus (vt expositum est) assentiri; certè facere hoc, secundùm diuinam prouidentiam, omnes possunt: licet casu contingere possit, interdum aliquos in ea re à peccato excusari. Quomodo verò præstare id omnes poterunt, nisi cõmunis illa regula, iudex & magistra fidei diuinitus proposita, clarè & perspicuè & accommodatè ad captum omnium de quæstionibus & rebus fidei quibuscũq; definiat? Hoc autem Scriptura non facit, vt ostensum est, & ipsi etiam agnoscunt Sectarij. Quare perspicuum est, nihil proficere Aduersarios, nec argumentationis nostræ vim vllo modo infirmare, cùm dicunt, Scripturam de iis rebus fidei, quæ sunt necessariæ, claram doctrinam tradere. Omnes enim res fidei vno quodam modo necessariæ sunt, vt exposui: & proinde de omnibus perspicuè Scripturam docere oporteret, si esset ipsa fidei Iudex communisque illa regula.

Hvc accedit, quòd illos ipsos Scripturæ locos, qui continent articulos fidei simpliciter necessarios, nõ nisi quadam cum distinctione concedi debet esse omnes perspicuos. Duobus enim modis intelligi, atque dici potest, locum Scripturæ aliquem esse clarum.

Vno modo, quia ipse locus certè, si per se spectetur, proprio, plano & aperto sermone cõstat, neque vllo genere figuratæ dictionis inuoluitur. Atq; hoc quidẽ pacto illi loci, qui continent fidei articulos absolutè necessarios, pspicui ferè sunt, vt ex sententia D. Augustini exposuimus. Quin omnes alij quoq; Scripturæ loci, qui propriis & planis verbis sunt scripti, eò etiã clariores (ex ea parte) quàm aliæ Scripturæ prophanorũ auctorum, censeri possunt, quò minus humanæ eloquentiæ artificio fucati sunt. Qua quidem ratione rectè Patres affirmare solent, Scripturam facilem & planam esse; videlicet perse, quatenus ferè vtitur proprio & simplici sermone. Quemadmodum contrà, per se etiam obscuri dici possunt illi ferè Scripturæ loci, qui constant ex figurato sermone. Quãquam & horum tamen locorum sententia ferè etiã exposita reperitur in aliis quibusdam Scripturæ locis, qui sunt quidem clari, hoc est, plano ac proprio sermone scripti. Quod rectè notauit D. Avgvstinvs lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 6. cùm dixit: *Nihil ferè de illis obscuritatibus* (figurati sermonis) *erui, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Ibi enim ipse Augustinus explicat id dici planissimis verbis, quod sine similitudinis adminiculo dicitur.

Altero modo dici posset locus aliquis Scripturæ clarus, nõ modò si per se ipse cõsideretur, sed etiam si consideretur cum relatione ad locos D alios, cum quibus & bene, & malè cõferri possit. Atq; hoc quidem modo quàm pauciss imi Scripturæ loci, immo vix aliqui, etiã ex iis, qui & planè scripti sunt, & articulos simpliciter necessarios continent, clari & perspicui censeri possunt: quin propemodum omnes illi, ob humani quidem ingenij vel imbecillitatem vel peruersitatẽ (vt suprà exposuimus) sunt obscuri.

Etenim si ad verba ipsa rationemque dicendi spectemus, quis planior & clarior videri possit locus, quàm ille Matth. 26. *Hoc est corpus meum?* Aut quàm ille de diuinitate Christi, 1. Ioann. 5. *Hic est verus Deus?* Et tamen collatio cum locis aliis, quàm plurimas de genuina eius etiã generis locorum sententia parit controuersias. Quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

controuersiæ tam variæ ac multiplices an non euidenti argumento sunt, esse etiam eiusmodi Scripturæ locos, si cum relatione ad alios considerentur, difficiles ipsis quidem hominibus, atq; obscuros ad intelligendum?

Hæc igitur obscuritas Scripturæ, quæ ex relatione potissimum atq; collatione locorũ existit, ob quam etiam locis per se quidem planissimis ac clarissimis, hæretici facillimè abutuntur (vt postea quoque docebimus ex Augustino lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 31.) fundamentum est nostræ probationis firmissimum.

TERTIO, cùm ex Scripturæ difficultate probamus, non esse eam sufficientem omnium quęstionum fidei judicem, admodum impudenter Sectarij nobis obiiciunt, similiter nos facere, atque hæreticos illos, quos D. IRENÆVS lib. 3. capite 2. his verbis redarguit: *Cùm ex Scripturis*, inquit, *redarguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non* RECTE *habeant, neque sint* EX AVCTORITATE, *& quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab iis, qui nesciant traditionem*.

RESPONDEO. Considerandũ est, qua ratione D. Irenæus aduersus eiusmodi hæreticos pugnãdum esse, tum putabat, & quomodo etiam illi in accusationẽ conuertebantur Scripturarũ: quod in ipsis iure ac meritò D. Irenęus accusauit. Nempe Irenæus Scripturæ testimoniis hæreticos illos (Gnosticos) reuincendos arbitrabatur, non vt quisq; Scripturam, per ipsam Scripturam solam, intelligendã autumat, sed vt ab Ecclesia inprimis intelligitur, ex viua etiã Apostolorum traditione, quæ fideliter custodiatur ab Apostolorum legitimis successoribus: quemadmodum statim ex ipsomet Irenæo audiemus. Contrà verò hæretici illi aduersus Scripturæ sententiam ex Apostolica traditione ab Ecclesia ipsa certissimè propositã, cõmentitiis suis tantũmodò traditionibus, nulla Ecclesiarum auctoritate cõmendatis, nitebãtur. Atq; hìc contendebant, immeritò ac perperam ipsis Scripturas illatas obiici: nõ enim eas habere alioquî certam auctoritatem, & variè esse dictas, neq; posse ex illis elici veritatem sine adminiculo suarum illarum cõmentitiarum traditionum.

Hanc impudentiam rectè D. Irenæus taxauit. Etenim posteaquam Ecclesia sententiam aliquam ex Scriptura colligit, Scripturamque proinde, vt est à se secundùm Apostolicam traditionem intellecta, contrariis erroribus opponit: summa improbitas est, aliquid præterea desiderare in eiusmodi Scripturæ vel auctoritate, vel interpretatione, quocumq; id fiat siue difficultatis siue obscuritatis prætextu. Quæ enim Scriptura per auctoritatem Ecclesiæ commendatur, explicaturque, ea iam hoc ipso & maximè est authentica, & splendidissimè clarissimeque lucet, tanquam lucerna videlicet (vt suprà exponebamus) posita super candelabrum.

Num verò cum hac, quam Irenæus hîc incusat, hæreticorum veterũ in Scripturis ipsis accusandis petulantia, quidquam est commune Catholicis propterea, quod sentiunt, Scripturam, si per se & ex se quidem sola, semoto Ecclesiæ lumine, quo ipsa illustratur, consideretur, difficilem ad intelligendum, eatenusque obscuram esse? Nonne eiusmodi alioquî intelligendæ Scripturæ difficultas in caussa est, quam ob rem hæreticis omnibus procliue fit, suis etiam figmentis (vt ostendit luculenter idem Irenæus lib. 1. cap. 1.) Scripturas accommodare, illaque etiam palliare ipso sacrosancto Euangelij nomine?

Quid quod ipsi potius Sectarij eodẽ planè modo in accusationẽ hodie conuertuntur Scripturarũ, quem in Gnosticis illis hęreticis Irenęus hìc notauit? Etenim quas scripturas manifestas eorũ erroribus opponit Ecclesia, eas dicunt vel nõ esse ex auctoritate (vt quæ afferuntur ex libro Machabæorum, & ex epistola Iacobi) vel nõ rectè ita habere sicut ab Ecclesia explicãtur, nec posse ex his inueniri veritatem ab iis, qui nesciant Lutheranam traditionem. Quanta igitur Sectariorum impudentia hæc est, eum nobis Irenęi locum obiicere, in quo nihil minus quàm nostra de Scripturæ difficultatibus sententia, sed ipsorum potius Sectariorum in sanctas Scripturas crimen iustissimè vituperatur?

Sed ne hanc à nobis D. Irenæi sententię explicationẽ pro arbitrio nostro, non ex ipsius mente Irenæi, proponi, Sectarij suo more cauillari possint, age, quæ illi hæreticorum accusationi eodẽ in loco D. Irenęus opponit, in illo cap. 2. lib. 3. audiamus: *Cùm autem*, inquit, *ad eam iterum* (id est, præter Scripturam) *traditionẽ, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorũ in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos; aduersantur traditioni, dicentes, se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores inuenisse veritatem; se indubitatè, & incõtaminatè, & sincerè* (dicas, Lutheranum aliquem vel Caluinistam, loqui) *absconditum scire mysterium. Euenit itaq; neq; Scripturis iam, neq; TRADITIONI consentire eos*. Vides SCRIPTVRAS, & TRADITIONEM in Ecclesiis præter Scripturas, per successionẽ presbyterorũ custoditam? Vides, quemadmodũ Irenęus ad Scripturã, in disputatione contra hæreticos, traditionẽ quoq; adhibendã, & ex ea Scripturam interpretandam, atq; ita demum aduersus hæreticos Scripturam vrgendam, existimauerit? Vides denique Irenæum nõ nisi illos hæreticos accusare, qui Scripturam, posteaquã est ab Ecclesia (hoc est, ab eo fidelium cœtu, qui solus pro Ecclesia Christi in orbe sit agnitus) explicata, tanquam dubiam atq; incertam incusant? Sed quia de probatione prima, ab obscuritate Scripturæ sumpta, satis, vt arbitror, ad errorem Aduersariorum redarguendum, qui Scripturam solam de fide iudicare volunt, dictum est, alia etiam argumenta subiungemus, quibus item assertio nostra confirmetur.

Scriptu-

Scripturam solam non esse Iudicem Fidei, probatur SECVNDO *ex eo, quòd non ipsa continet omnia fidei dogmata. §. 5.*

SECVNDO igitur id probamus hoc modo: Si maximè Scripturæ sententia vbique esset clara: tamen quædam de fide quæstiones & fuerunt aliquando, & esse possunt, quæ sola Scriptura definiri nullo modo valent. Non est igitur Scriptura sola illa auctoritas, quam inquirimus, diiudicandi quæstiones fidei omnes. Id probatur, quoniam fieri potest, vt in dubium vertatur auctoritas ipsa tota & doctrina alicuius vel aliquorum librorum sacræ Scripturæ; an scilicet in vniuersum à Deo reuelata sit. Hæc autem controuersia ex Scriptura aut rarò aut nunquam dirimi poterit. Itaque alio Iudice opus erit, qui non modò iudicet de sensu Scripturæ, sed omnino de Scripturæ auctoritate: num sit diuina, quæ proinde contineat sententiam fidei.

Scribit EVSEBIVS libro quarto histor. cap. 8. Simonidem fuisse quendam hæreticum, qui libros nescio quos prophetarum, præter eos, qui in sacro volumine sunt, comminisceretur. Eorum vnum Barchabam: alterum Barcham nominauisse. Hanc opinionem quomodo Scripturæ tantùm testimonio refelleres? Item sanctus AVGVSTINVS libro secundo Retract. capite 16. auctor est, nonnullos reiecisse omnia Euangelia. Neque defuerunt, teste etiam Eusebio lib. 3. histor. cap. 16. qui omnes epistolas D. Pauli in vniuersum improbarent. De multis quoque aliis libris sæpè fuit in Ecclesia disputatum, an Canonici essent, cùm vel tales aliqui falsò à quibusdam esse negarentur, vel importunè alij, ementito nomine Apostolorum, fidelibus obtruderentur, teste Ioanne Dried. lib. 1. de Script. & Cano lib. 2. de locis Theolog. Quæ controuersiæ omnes non potuerunt Scripturæ solius auctoritate definiri in Ecclesia.

Itaque non modò falsa, sed admodum etiam frigida atque inepta Caluini sententia est, cùm scribit libro primo instit. capite septimo, haud difficilius Scripturam Canonicam à non Canonica per seipsam dignosci, discernique posse, atque album à nigro, frigidum à calido, dulce ab amaro. Hoc si ita est, quomodo magis controuerti posset, an hic liber aut ille sit Scriptura Canonica, quàm vtrum ignis sit calidus, & aqua frigida; aut amarũ fel, & mel dulce? Num verò ipsa de se tota nominatim, Scriptura loquitur? aut vllus in ea locus est, vbi Caluinus aut alius quispiam ex Sectariis legerit, singulos illos atq; omnes libros nominatim, qui sine controuersia sacri atque Canonici sunt, esse à Spiritu sancto dictatos? Cur igitur doctrinam illam in eis libris contentam, diuinam esse credunt, si nihil arbitrantur certa fide credi oportere, quod ex ipsa Scriptura non didicerint?

Quod si aliam auctoritatem præter Scripturam necesse est esse infallibilem, quæ doceat id, quod in fide est maximum, nempe Scripturæ ipsius doctrinam esse in vniuersum diuinam: profectò est insania non credere, illam ipsam auctoritatem infallibiliter item docere, quæ sit sententia eiusmodi diuinæ doctrine. Simile namque illud est, quod præclarè, inprimisque sapienter scriptum est à diuo AVGVSTINO libro de vtilitate credendi cap. 14. *Cur*, inquit, *non apud eos potissimùm* (loquitur de Ecclesia Catholica) *diligentissimè requiram, quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid præcepisse iam credidi? Tunè mihi melius expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum? Quæ igitur*, inquit, *ista tanta dementia est? Illis crede, Christo esse credendum, & à nobis disce, quid dixerit? Multò facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quàm de illo quidquam nisi ab iis, per quos ei credidissem, discendum*. Hæc ibi diuinè prorsus Augustinus.

Quæ nos similiter Lutheranis & Caluinianis hominibus, vt ille tunc Manichæis, pro Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, quam esse fidei magistrã pòst ostendemus, dicere possumus. Agite enim vos seu Lutherani, seu Caluiniani Sectarij: Cur non apud Ecclesiam Catholicam potissimùm requiremus, quid Deus omnino in libris sacris docuerit, cuius auctoritate commoti credidimus Deum aliquid omnino docuisse in iis libris? Vósne melius quàm Ecclesia Catholica exponetis nobis, quid in Scripturis Deus dixerit, quem nec dixisse omnino in Scripturis aliquid, nisi hoc Ecclesia docuisset, crederemus? Et quæ ista hæc insania est: Ecclesiæ crede, Deo in Scripturis loquenti esse credendum, & à nobis potius, qui Scripturam rectius quàm Ecclesia intelligimus, quid in eis Deus dixerit, disce. Ego verò, vt ex Augustini mente atque sensu loquar, vehementer admiror, cur non multò facilius sibi persuadeant, qui Caluino, aut Luthero credunt, Scripturæ diuinæ nihil omnino esse credendum, quàm ex ea quidquam, nisi ab Ecclesia, per quam ei crediderunt, esse discendum. Quanquam hic tandem multorum exitus miserrimus est, vt nec Scripturæ ipsi credant, postquam Ecclesiæ, quam Scriptura commendat, & à qua ipsos etiam Scripturam discere, atque accipere oportuit, non credunt.

Sed Ecclesiæ in fide docenda auctoritatem posteà in proprio loco asseremus. Nũc quia Scriptura sola de præcipuis fidei quæstionibus, & inprimis ad salutem necessariis, quæ scilicet de auctoritate sunt ipsius Scripturæ, nihil, ne obscurè quidem definit: rectè concludimus, non ipsam esse iudicem sufficientem ac regulam illam generalem in omnibus controuersiis fidei, quam inquirimus.

HUC ACCEDIT, quod ne de aliis quidem multis fidei dogmatibus peculiaribus, quæ certissimè credi debẽt, Scriptura ipsa docet. Quod non

Universidad de Deusto
Biblioteca

meis, sed AVGVSTINI verbis lib. 2. de Bapt. contra Donatist. cap. 7. breuiter indicabo, vt minus possint repugnare Aduersarij: *Credo*, inquit, *consuetudinem non rebaptizandi hæreticos ex Apostolica auctoritate venire: sicut* MVLTA *non inueniuntur in literis eorum, neq; in Conciliis posterorum: & tamẽ quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Sic ille.

Item alibi Epist. 174. sub initium: *Patrem*, inquit, *in sacris libris nusquam ingenitum legimus, & tamen dicendum esse defenditur.*

Item lib. 3. contra Maximin. Arian. cap. 3. *Da*, inquit, *testimonia, vbi adoratur Spiritus sanctus. Quasi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ nõ legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar: tu vbi legisti, Patrem Deum ingenitum vel innatum? & tamen verum est.*

Item lib. 5. de Bapt. contra Donatist. cap. 23. *Multa sunt*, quæ *vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Hæc ille.

Atque vt alia quædam exempla commemorem. Nullus Christianus est, qui perpetuam beatissimæ Dei matris *virginitatem* contra blasphemiam Heluidij (vt in libro de Ecclesiasticis dogmatibus appellatur) non putet sibi esse credendam. Et tamen ex Scriptura certè non hoc dogma satis probabitur.

Item certa fide credendum est, *Pascha* die Dominico celebrari debere, vt iam olim Ecclesia definiuit contra hæreticos, qui à contrario errore nominati sunt Quartadecimani. Nec tamen id dogma testimonio Scripturæ potest probari.

Item credendum est, & credunt etiam Sectarij, Baptismum, & Eucharistiam (vt de his duobus tantùm iam dicam) esse *Sacramenta*, hoc est, cultus & cæremonias quasdam, ad Deum colendum, & ad significandam gratiam, quæ in earum vsu conferatur, diuinitùs institutas. Quod certè ex Scriptura sola satis probari non potest. Nam etsi Scriptura indicat, illos esse gratiam consecuturos, qui rectè vtantur Baptismo & Eucharistia, nusquam tamen dicit, has cæremonias ex peculiari Dei institutione esse talia signa eius gratiæ. Ac possunt proferri alia exempla similia.

Sed OBIICIVNT hic nobis Aduersarij, locum illum D. Pauli. 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, &c. vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Sententiam enim huius loci volunt esse, Scripturam ipsam solam sine adminiculo alterius auctoritatis, omnia docere, quæ ad rectam fidem, atque ad absolutam Christiani hominis perfectionem sint necessaria.

At isti in hac re magnopere, vt in aliis omnibus decipiuntur. Nam ibi Apostolus, non Scripturam solam sufficientem esse, vt perfectus sit homo Dei, dicit, sed simpliciter ad eam rem affirmat Scripturam quidem valere. Hoc autem duobus modis intelligi potest. PRIMO, quasi ipsa Scriptura immediatè omnia tradat. Hoc minimè vult Apostolus, cùm loquatur de omni etiam Scripturæ parte, in qua constat non contineri omnia. SECVNDO, quoniam Scriptura in omni libro sacro docet aliquid ex his, quæ sunt credenda aut facienda, quæque ideo ad eum finem valent, vt homo perfectus sit; & quia in quibusdam etiam locis auctoritatem Ecclesiæ, à qua peti ea debent, nobis monstrat, commendatq;. Hoc modo Apostolus vult, & Orthodoxi etiam sentiunt, Scripturam continere, quæ ad salutem sunt necessaria. Ita fit, vt præter Scripturam suus etiam maneat alicui alteri auctoritati in controuersiis fidei locus.

Quod profecto D. Augustinus lib. 1. contra Cresc̃on. Grammaticum cap. 23. intellexit, cùm ita scripsit: *Scripturarum à nobis tenetur veritas cùm id facimus, quod vniuersa iam placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: Vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura* DEMONSTRAT.

Simili modo Patres, cùm vni Scripturę omnia tribuere videntur, intelligi debent. Non enim eorum mens est à Scripturæ auctoritate, vbi de fide iudicandum est, auctoritatem Ecclesiæ, quæ item ipsa diuina est, diuellere. Sed quemadmodum, quando vni personæ diuinæ aliqua perfectio diuinitatis absoluta tribuitur, intelligunt Theologi, ab eius perfectionis cõmunione creaturas tantùm excludi, non autem personas alias diuinas, quæ sunt eiusdem naturæ: ita sancti Patres, ſicubi Scripturæ auctoritatem solam ad fidei quæstiones finiendas valere significant; Ecclesiæ certè auctoritatem, quam item pro diuina habent, & quam ipsa nobis commẽdat Scriptura, minimè excludunt, sed alia siue testimonia, siue argumenta, quæ sint tantùm humana. Nam si non ita intelligerent: profecto nunquam illi in controuersiis fidei ipsa per se auctoritate Ecclesiasticæ traditionis ad probandum vterentur. At & vtuntur ea ipsi frequentissimè, vt infrà quoque suo loco videbimus, & vtendum esse docent.

Quo in genere præter Augustini testimonia, quæ paulò antè allegauimus, illustris etiam est illa oratio D. Basilij lib. de Spiritu sancto, cap. 29. *Plurima*, inquit, *mystica citra Scripturam intra nos versantur. Et Apostolicum arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. Laudo enim, inquit Apostolus, 1. Cor. 11. vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis traditiones continetis, &c.* Ita Magnus Basilius.

Scripturam solam non esse Fidei Iudicem, probatur TERTIO *ex fine, ob quem auctoritas magistra & iudex fidei diuinitus instituta est. §. 6.*

TERTIO idem probamus sic: Auctoritas, quæ ad iudicandas omnes fidei quæstiones diuinitus est instituta, procul dubio accommodatissima est ad cognoscendos & cauendos errores omnes fidei contrarios. Nam ad eam rem talis aliqua Auctoritas diuinitus est proposita, vt homines ad illam iudicium suum conforment, atq; ita repudiatis erroribus rectam fidem complecti tenereque possint. Neque putandum est, aut voluntatem, aut sapientiam, aut facultatem Deo defuisse, quo minus nobis ad eum finem optimã atque accommodatissimam regulam diuina sua prouidentia pararet. At Scriptura sacra sic omnino composita est, vt experientia etiam doceat, eam per se solam non tam regulam accommodatam esse ad declinandos omnes errores, quàm arcano Dei iudicio esse velut lapidem offensionis, & *in tentationem* (vt Sapiens de Dei creaturis Sap. 14. inquit) *pedibus insipientium*, vt qui velint ea sola niti, facillimè impingant & errent. Non est igitur Scriptura sola Iudex omniũ fidei quæstionum.

Vnde enim vlli errores existũt nisi de Scripturis malè intellectis? Aut quî fieri potest, vt quæ doctrina tam facilè ab hominibus adulteratur, vt in patrocinium omnium errorum aduocetur, eadem sit accommodatissima, appositissimáque regula ad reiiciendum omnes omnino errores? Non magis hoc certè stare potest, quàm siquis diceret, illud esse accommodatissimum remedium ad rectè videndum, ex quo accideret omnes cæcutire, quicunque fierent cæci.

Quod enim dicunt Sectarij, id hominum culpa ac peruersitate, non Scripturæ vitio, accidere: nos etiam fatemur. Sed considerandum est, hoc ipsum quidem præuidisse Deum: nempe vitio hominum fuisse futurum, vt quicunque forent hæretici, ij omnes Scripturæ prætextu facilè vterentur ad confirmandum errorem. Ita cùm non sit vllum dubium, quin Deus in negotio fidei de optima & accommodatissima ad hominum naturam regula prospectum esse voluerit: profectò est dementia arbitrari, non aliam esse eiusmodi fidei regulam, nisi Scripturam.

Omnes enim hæretici, inquit D. Augustinus epist. 222. ad Consentium, *qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potius sectentur errores.* Et Tract. 18. in Ioan. *Neq; enim*, inquit, *natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Hæc ille.

Et obseruatione dignum est, quod idem Augustinus verissimè scribit lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 31. non modò locos Scripturæ obscuros, sed etiam alios, qui sunt aperti & clari, corrumpi ab hæreticis. *Non est mirum*, inquit, *si Pelagiani dicta nostra in sensus, quos volunt, detorquere conantur, quandoquidem de Scripturis sanctis,* NON *vbi* OBSCVRE *aliquid dictum est, sed vbi* CLARA *&* APERTA *sunt testimonia, id facere consueuerunt, more quidem* HAERETICORVM *etiam cæterorum.*

Quamobrem & TERTVLLIANVS in præscriptionibus aduersus hæreticos circa illius libri medium ita scriptum reliquit: *Non ergo*, inquit, *ad Scripturas prouocandum est; nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa.*

Neque Augustini modò & Tertulliani, aliorumque Patrum hæc de hæreticis sententia est, sed Christus etiam facillimè ab illis doctrinam corrumpi subindicauit, cùm admonuit, vt ab iis tãquam à falsis Prophetis, caueremus. Nam ideo falsi Prophetæ à Christo sunt dicti, quia cùm Prophetæ, id est, interpretes diuinæ sententiæ, propter externam diuinæ doctrinæ quasi speciem, verisimiliter videantur: minimè tamen Prophetæ sunt. Videntur Prophetæ, quoniam Scripturæ verba proferunt, quæ diuinæ doctrinæ sunt character, & quasi externa species. Sed Prophetæ non sunt: quoniam sub ea verborum diuinorum externa specie non ostendunt nobis genuinam Spiritus sancti sententiam, sed adulterinas suas peruersasque opiniones sacrilegè in verbis sacris à se collocatas, tanquam *abominationem* (vt eleganter Origenes homil. 29. in Matth. notauit) *stantem in loco sancto.*

Quod ipsum appellatione quoq; *luporum rapacium*, qui vestimentis induti sunt ouium, Christus Matth. 7. nobis declarauit. *Nam quænam istæ sunt pelles ouium* (inquit Tertullianus lib. de præscription. hæretic. non longè ab initio) *nisi nominis Christiani* (& Scripturæ) *extrinseca superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & Spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delirescentes? Qui pseudoprophetæ nisi falsi prædicatores? &c.*

Quem Tertulliani locum pulchrè quoq; Vincentius LYRINENSIS lib. contra prophanas hæreſum nouitates, imitatus & prosecutus est. Atque etiam huc pertinet, quod elegantissimè hîc ipse Lyrinensis dicit, vbique hæreticos Scripturæ verbis opiniones suas tanquam *quodam aromate aspergere*, ne fœtorem exhalent. Quæ quidem ideo recitaui, vt quoniam vniuersi hæretici facillimè Scripturas omnes in suam perditionem, sicut D. Petrus inquit, deprauant, 2. Petr. 3. intelligamus certè, non in Scripturis solis constitutam esse vniuersalem illam, & ad hominũ salutem accommodatissimã Auctoritatem, totius fidei Iudicẽ, quam inquirimus.

Scripturam solam non esse Fidei Iudicem, probatur QVARTO *ex ipso officio Iudicis. §. 7.*

QVARTO, Scripturam solam nõ esse iudicem fidei, probari potest euidentissimo sanè ar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gumento ducto à Iudicis officio sic: Auctoritas illa, quæ est fidei Iudex, omnino talis est, vt apud omnes quidem, qui eam agnoscant & recipiant pro fidei Iudice, possit proferendo sententiam, facilè & efficaciter finire omnes controuersias de fide, quæ inter illos oriuntur. At sola auctoritas Scripturæ minimè est talis. Ergo sola auctoritas Scripturæ minimè est Fidei iudex.

Prior huius argumenti propositio patet euidentissimè ex ipsa institutione, ratione & efficacitate officij Iudicis. Nam quorsum iudex constituitur, nisi vt controuersiis finem imponat? Itaque Moyses Exodi 18. hoc ipsum affirmauit fuisse sibi propositum in iudicando Dei populo. *Venit*, inquit, *ad me populus quærens sententiam Dei. Cumq; acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei & leges eius.*

Idem quoque significauit Dominus Lucæ 12. cum dicenti ei cuidam: *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, respondit: Quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos?* vt scilicet dirimam vestram controuersiam.

Hinc etiam in lege diuina Deuter. 17. grauissima pœna decreta fuit ei, qui nollet stare sententiæ Sacerdotis, qui fungeretur iudicis munere. *Qui*, inquit, *superbierit, nollens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël.*

Hoc ipsum ratione naturali ductus agnouit Philosophus lib. 4. polit. cap. 4. vbi affirmat, necessarium esse in Republica Iudicem, *qui ius*, inquit, *dicat ac decernat*, vt scilicet finiantur controuersiæ. Itaque de priore propositione nostri argumenti dubitari non potest.

Posterior autem propositio, scilicet solam auctoritatem Scripturæ nõ esse talem, vt apud eos, qui eam agnoscant pro fidei iudice, possit facilè & efficaciter finire omnes fidei controuersias proferendo sententiam; probatur quadruplicitер.

PRIMO, à Scripturæ obscuritate, de qua in primo argumento abundè à nobis dictũ est. Etenim iudex non potest facilè & efficaciter finire cõtrouersias; nisi perspicuè & clarè proferat sententiam de re, quæ inter litigãtes disceptatur, vt cùm iis omnibus, qui dissident, manifesta & indubitata fuerit sui Iudicis sententia, ei acquiescant. Alioqui si ita iudex proferat sententiam, vt facilè ex ignorãtia vel malitia possint litigantes illam aliter atq; aliter intelligere & interpretari, nunquam finiri poterit inter eos cõtrouersia: dum quisq; contendet sententiam iudicis pro se stare. Cùm igitur sit euidentissimum & plus satis etiam experientia compertum, auctoritatem Scripturę seu Scriptoris Canonici (tum propter cælestis doctrinæ maiestatem, tum ob alias causas suprà argumẽto primo expositas) ita de controuersiis fidei proferre sententiam, vt non facilè manifesta sit omnibus, sed eam alij aliter interpretentur; euidentissimũ certè est, solam Scripturæ auctoritatem non esse talem, vt possit ipsa facilè & efficaciter finire fidei cõtrouersias apud eos, qui eam pro iudice fidei agnoscant.

SECVNDO probatur idem ex eo, quòd Scriptura sola non pronunciat, quid sentiendum sit de iis rebus omnibus, quę in fidei controuersiam venire possunt: vt argumento secundo conuicimus.

TERTIO ex eo, quòd tãtùm abest, Scripturam solam posse facilè finire controuersias omnes fidei, vt ipsa potius sit occasio controuersiarum & dissidiorum in doctrina fidei, sicut ostendimus argumento tertio.

QVARTO probatur idem ab ipsa experientia Sectariorum huius temporis. Omnes namq; Sectarij, quantumuis inter se de fide dissidentes, agnoscunt pro *Iudice* fidei solam Scripturę auctoritatem. Et tamen sola Scripturæ auctoritas nequaquam potest apud eos finire controuersias, quas habent de fide irreconciliabiles.

Exempli causa: Lutherani & Caluinistæ inter se disceptant, num Christus sit præsens corporaliter in Eucharistia: Lutheranis affirmantibus, Caluinistis pernegantibus. In hac controuersia vtrique agnoscunt pro fidei iudice auctoritatem illius Scripturæ: *Hoc est corpus meum*. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11. Clamat igitur in hac controuersia hic Iudex, (nimirum Scriptura sola) & pronunciat sententiam hanc: *Hoc est corpus meum*. Nunquid pronunciando hanc sentẽtiam, finit facilè & efficaciter, vel ægrè saltem ac difficulter, hanc controuersiam? Minimè gentium. Nam Lutheranus dicit: En claram vocem Iudicis: Christus est verè & substantialiter & corporaliter in Sacramento: Ait enim apertè: *Hoc est corpus meum*. Contrà Caluinianus: Imò verò, inquit, pro me stat Iudex, negatque Christi corpus propriè & corporaliter in Sacramento esse. Nam de pane affirmat, quòd sit Christi corpus. Nec potest panis propriè nominari Christi corpus, sed solùm impropriè & per metaphoram, quia signum sit Christi corporis.

Interrogatur rursus & auditur ab vtraque factione Scriptura sola tãquam iudex. Clamat hic iudex rursus: *Hoc est corpus meum*, & persistit in hac sua sententia. Sed nimirum frustrà: cùm per eam sententiam non modò non finiatur, sed etiam foueatur & ventiletur controuersia.

Quod cùm in hac & in aliis omnibus controuersiis fidei, quæ sunt inter Sectarios, compertũ sit, certè mihi videtur insania arbitrari solã Scripturæ auctoritatem esse fidei iudicem, tanquam ea, quæ pronunciando suam sententiam, possit facilè & efficaciter finem imponere omnibus fidei controuersiis. Oportet enim hoc iudicandi munus (vt infrà videbimus) non nisi Ecclesiæ auctoritati attribuere, de cuius videlicet sententia in controuersia fidei facillimè constare potest.

Scriptu-

Scripturam solam non esse fidei Iudicem, probatur QVINTO ex discrimine, quod esse oportet inter legem seu regulam, cui iudicium fidei conformari debet, & auctoritatem eam, quæ fidei Iudex est. §. 8.

QVINTO, solam Scripturæ auctoritatem non esse fidei iudicem, ita probamus: Auctoritas ea, quæ est quasi lex & regula, ad cuius normam iudicium fidei ferendum est, non est fidei Iudex. Sed auctoritas Scripturæ est quasi lex & regula, ad cuius normam iudicium fidei ferendum est, vt Sectarij vltrò fatentur: Ergo auctoritas Scripturæ non est fidei Iudex.

Prior propositio probatur tripliciter: PRIMO, quia ipsa natura & Scriptura etiam indicat, discrimen esse oportere inter *iudicem* & *legem* ac regulam, secundùm quam est iudicandum: sicut patet Deuter. 17. vbi apertè distinguitur inter legem & iudicem; cùm ita dicitur: *Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies, quodcũq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequeris q; sententiam eorum, nec declinabis ad dextram vel sinistrã.*

SECVNDO, quia lex & regula iudicij ab ipso iudice cõsuli, vsurpari & applicari debet ad causam, quæ sit diiudicãda. Oportet autem id, quod consulitur & vsurpatur, & applicatur, diuersum esse ab eo, qui consulit, vsurpat & applicat.

TERTIO, nam si non alia auctoritas est fidei iudex præter illam ipsam, quæ est lex & regula scripta iudicij fidei, malè prorsus cõsisteret Christiana Respublica; siquidem non posset facilè in ea retineri fidei consensio atque vnitas; dum quilibet scriptam legem & regulam fidei in sententiam suam raperet.

Quomodo enim obsecro posset stare ea Respublica, in qua scriptis tantùm legibus ita causas politicas diiudicari oporteret, vt priuato cuilibet, atq; adeo ipsi etiam reo esset integrum ad Scriptarum legum normam iudicia quæcunque exigere, nec prius acquiescere, quàm ipse persuaderet sibi cum legum sententia congruere controuersiæ definitionem? An esset vnquam in illa Republica controuersiarum exitus aliquis futurus? Quilibet certè in suo sensu abundaret, & vim faceret legibus, vt eas ad suam mẽtem & causam quoquo modo inflecteret. Itaque vt ea perturbatio & confusio tolleretur, omnes intelligunt necesse fuisse Magistratus tãquam iustitiæ normam animatam (vt Aristoteles lib. 5. ethicor. cap. 5. inquit) in populis exstare, atq; etiam aliquam auctoritatem parem ipsis legibus, cuius sit summa potestas iudicandi, finemque omnino imponendi litibus.

Num verò censebimus, rationem iudicandi fidei causas minus aptè in Ecclesia diuinitus esse constitutã, quàm sit ratio in Rebus publicis dirimendi controuersias politicas? Non est id quidem vllo modo credibile. Nam *dilexit Christus Ecclesiam*, ad Ephes. 5. nec facultas aut sapientia illi defuit, quo minus optima ratione eius statum constitueret. Quã ob rem vt finis facilè esse posset controuersiarum de doctrina fidei; præter auctoritatem, quæ est in Scripturis Canonicis infallibilis, aliam aliquam procul dubio infallibilem item auctoritatem, eamq; animatam in Ecclesia Deus esse voluit, cui debeant omnes in iudicio fidei parere, licet ipsi non penitus etiam videant, quemadmodum ea auctoritas conuenienter Scripturæ iudicet.

Scripturam solam non esse Fidei Iudicem, probatur SEXTO ex eo, quod sanctus Petrus docet, non posse certò & infallibiliter intelligi Scripturam, nisi ex sententia alicuius alterius communis & infallibilis auctoritatis, quæ proinde in Ecclesia sit iudex & magistra fidei. §. 9.

SEXTO. Cùm tam seriò ac grauiter admonuit beatus Petrus, vt *hoc inprimis intelligeremus, quòd omnis*, inquit, *prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit. 2. Petr. 1.* aliquid è tribus significare voluit, nempe 1. aut non posse vllo modo, scilicet *certo* vel *probabili*, exponi Scripturam propria industria & ingenio: Aut 2. non posse *certo* quidem exponi vnum aut alterum Scripturæ locum ex ingenio proprio, sine collatione aliorũ Scripturæ locorum, cùm ea verò collatione posse. Aut 3. non posse *certo* quidem & infallibiliter vbiq; eam exponi sine sententia alicuius alterius communis & infallibilis auctoritatis, quæ proinde in Ecclesia sit fidei Iudex. Sed nec *primum*, nec *secundum* significare voluit, Ergo *tertium*. Non quidẽ *primum*: Nam constat multa passim Scripturæ loca esse probabiliter exposita à sanctis patribus, propria eorum ingenij solertia atque industria. Non etiam *secundum*, nempe vt non putet aliquis se posse vnum aut alterum Scripturæ locum ingenio proprio infallibiliter ac certo exponere, non consultis & collatis aliis Scripturæ locis. Nam quis omnino hæreticorum hoc putat? Aut quid opus erat hoc tam seriò admonere? Item si vnum aut alterum Scripturę locum, ingenio sensuque proprio interpretari certò nemo potest, quantò minus locos Scripturæ plures, inter quos collatio instituitur? Vnde ipse D. Petrus: OMNIS, inquit, *prophetia Scripturæ, &c.* Non dicit, Hæc, aut illa tantùm: sed absolutè ac sine vlla exceptione, omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit.

Restat igitur vt tertium illud, quod diximus, significauerit hoc loco D. Petrus: Nempe vt vis atque sapientia huius Apostolicæ monitionis sit, Neminem priuato suo labore atque proprio studio, quacunq; demùm ratione, atq; adeo etiam ne ex ipsa quidem Scriptura, doctrinam Scripturæ certò ac infallibiliter in controuersis quæstionibus intelligere posse: sed opus esse, vt discat ex

aliqua

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliqua alia auctoritate in Ecclesia communi, per quam Spiritus sanctus communiter loquatur, ac omnes doceat.

Nam vt ipse Apostolus ibidé subiungit, quemadmodum non auctoritate humana sed diuina locuti in Scripturis sunt sancti Dei homines: ita etiam nõ humana ac propria industria huius vel illius hominis vllo modo, ne ex ipsa quidem Scriptura, sententia Scripturæ certò cognoscenda est, sed ex aliqua auctoritate, item diuina, per quã ipse Spiritus sanctus, qui Scripturæ auctor est, sit etiam certissimus Scripturæ interpres. Ita fit, vt sola Scriptura non sufficiat nobis ad certò diiudicandas fidei quæstiones.

Atque etiam hinc intelligitur, quemadmodũ ex mente atque sententia planè ipsius D. Petri, suprà §. 4. exposuerimus, quod ille hoc in loco dixerat, Scripturam quasi lucernam quandam esse, cui lucenti in caliginoso loco bene faceremus attendentes. Docuimus enim, Scripturam quidem lucernam per se esse: sed eam tamen non modo proprij iudicij comprehensam, sed in auctoritate Ecclesiæ tanquam in candelabro constitutam, illuminare nos certò posse. Quod vt D. Petrus doceret; statim ac dixerat, Scripturam esse lucernam, subiunxit admonitionem, ne quis hoc ita intelligeret, quasi certo illuminaret ea etiam secũdùm propriam alicuius interpretationem, valeret que proinde ipsa sola ad terminandas fidei quæstiones sine communi & certa alia auctoritate, quæ sit magistra & iudex fidei.

C

Scripturam solam non esse Iudicem fidei, probatur SEPTIMO ex modo, quo Deus homines docet. §. 10.

SEPTIMO potest huc etiã illa forma argumentandi rectissimè accommodari, qua supra §. 2. sumus vsi, vt probaremus, Deum per se solum sine vllo alio medio non docere. Nam ab iis etiam, qui asserunt, per Scripturam solam Deum omnes ac singulos de rebus fidei sufficienter docere: quærendum est, vtro modo id Deus faciat? Nunquid ita omnes ac singulos Deus per solam Scripturam docet, vt *nequeant* omnino ipsi falli dum iudicant se aliquid in fidei quæstionibus didicisse ex Scriptura diuinitus? An verò ita, vt *permittat* eos in eiusmodi iudicio quandoq; falli?

D

Primum dici non potest. Nam vt suprà quoq; ex Apostoli sententia, 1. Corint. 11. dicebamus, oportet hæreses esse, & fuerunt ferè omni seculo, ac sunt iam, ob Scripturã falsò intellectam, plures etiam quàm oporteret.

Quod si Deus illo altero modo per Scripturam solam docet; *permittendo* videlicet, vt homines falsò putent, se ex Scriptura didicisse id, quod Scripturæ est contrarium: non magis isto modo consuluisset saluti hominum, quàm si ipse solus per se sine omni medio doceret. Nam cùm Scriptura nec linguam, vt sese ipsa sonora voce declaret, habeat, & præterea difficilis, vt euidenter

A

suprà ostendimus, atque obscura nobis sit: æquè ferè facilè decipi possumus in existimando nos aliquid ex Scriptura didicisse, atque in iudicando nos didicisse sine vllo medio ex ipsomet Deo: vt plus etiam satis hæreticorum omnium exemplo tam facilè ad errores suos Scriptura abutẽtium, comprobatur.

Quemadmodum igitur propter eiusmodi facilitatem errandi non esset satis hominibus prospectum, si absque medio Deus doceret: ita neq; si doceret per solam Scripturam absque alia quadam auctoritate administra, quæ viuat & loqui clarè ipsa possit, ne quis in eius sententia percipienda facilè decipiatur.

B

Scripturam solam non esse Iudicem fidei, probatur OCTAVO ex eo, quod fides est coniuncta cum obedientia erga Ecclesiam. §. 11.

OCTAVO, Si ex Scripturis solis discenda esset fides; non oporteret ex diuino mandato Ecclesiæ in credẽdo obedire: illius iudicio prorsus acquiescendo, eique submittendo iudicium propriũ. Liceret enim semper illi refragari prætextu Scripturæ, si præter Scripturam nulla in ea auctoritas sit, quæ certò & infallibiliter doceat de fide. At veram & Christianam fidem cum quadam obedientia mentis (nempe erga Ecclesiam, per cuius os Deus loquitur & auditur) coniunctam esse necesse est, vt suprà §. 1. certissimè demonstrauimus: Non est igitur fides ex Scriptura sola, tanquam ex iudice controuersiarum omnium, discenda. Obsecro enim, quis credat, illam fidei obedientiam, quæ tantoperè in sacris literis commendatur, non in alio consistere, quàm vt quisque obediat Scripturæ soli, prout eam ipse intelligit, adhibita collatione eiusdem Scripturæ? An vt quis credat quod ipsemet verũ & Scripturæ consentaneum iudicat, opus difficile ac præclarum Obedientiæ est?

C

Nec præteritam aliquam Traditionem sine præsenti aliqua auctoritate esse iudicem fidei. §. 12.

PORRO iisdem fermè argumentis efficitur, neque solam *Traditionem* viuæ vocis eorum, qui olim vita defuncti sunt, esse Iudicem sufficiẽtem fidei, quæ valeat per se sine alia aliqua infallibili ac præsente auctoritate omnes omnino definire fidei quæstiones.

D

Nam PRIMVM, sicut de auctoritate ipsius Scripturæ necesse est per aliquam aliam certam Auctoritatem cõstare, ita etiam de auctoritate traditionis, si ea quoque reuocetur in dubium. Non enim traditio loquitur etiam ipsa clarè & perspicuè de sese: vt neque ipsa Scriptura.

DEINDE, cùm traditio scriptis ferè doctorũ Orthodoxorum in Ecclesia conseruetur: quæstiones ac dubia moueri possunt de sensu illius, sicut dubitatur sæpè de sensu ac mẽte doctorum. Eiusmodi autẽ quæstiones, cùm erunt ortæ post traditionem, quæ semel tantùm, vt ita dicam, lo-

cuta est, neque præterea amplius loquitur; certè per eandem ipsam traditionem definiri satis nõ poterunt.

A

POSTREMO multæ in Ecclesia variis temporibus definitæ, ac declaratæ sunt sententiæ fidei, & deinceps similiter, motis controuersiis, definiri possent, de quibus nõ extet vsque adeo expressa traditio.

Quod si igitur aliquam humanam auctoritatem diuina assistentia infallibilem, magistram ac iudicem, in omnibus quæstionibus fidei, exstare necesse est, vt superiùs §. 1. probauimus: neque verò ea est illorum hominum propria, qui olim diuinam doctrinam aut verbo, aut scripto tradiderunt, & vita defuncti sunt, vt iam etiam probatũ est; restat, vt viuat hæc auctoritas successione semper inter fideles præsens, quemadmodum in assertione nostra posuimus.

B

Atque hoc in loco velim, vt ij, qui sectis hodie addicti sunt, incipiant secum perpendere, quantoperè à recta fide aberrent: siquidem eam discere nolunt nisi ex sola Scriptura, non autem ex aliqua alia Infallibili auctoritate præsente apud fideles semper: cuius tamen solius, vt probatum est, absoluta & plena potestas est de omnibus fidei quæstionibus iudicandi. Sed progrediamur ad reliqua.

QVÆSTIO QVARTA.

Quænam hominum congregatio sit vera Ecclesia Christi fidelium, in qua & quærenda & inueniẽda sit auctoritas ea infallibilis, quæ viget semper præsens apud Christi fideles, & est iudex ac magistra fidei. §. 13.

C

RESPONDEMVS per hanc assertionem: Vera Christi Ecclesia, in qua quærenda & inuenienda est auctoritas iudex & magistra fidei, non alia est, nisi ea fidelium congregatio, quæ paret Romano Pontifici pro tempore existenti.

Et quidem, quod illa auctoritas, cuius est omne fidei iudicium, in Ecclesia vera Christi fideliũ quærenda sit, nec alibi inueniri possit: id verò probatione noua nihil indiget. Nam si tota eiusmodi auctoritas ad vsum & salutem Christi fidelium est diuinitus instituta, viuitque semper, vt probatum est, ac præstò in omnibus fidei quæstionibus adest: frustrà nisi inter fideles ipsos, atque adeo in Ecclesia quæreretur.

D

Sed vt illam demùm auctoritatem in Ecclesia Christi vera inueniamus, necesse est primùm inueniri ac ostendi eam ipsam veram Ecclesiam Christi fidelium. Hanc asserimus esse congregationem seu cætum eorum hominum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti parent, id est, Romanam Ecclesiam. Hoc nunc probãdum est. Quam ad rem necessariò dicendum est primo loco, & de *ratione* ipsa in genere veræ Christi Ecclesiæ, & *de proprietatibus* eius, quæ partim ipsi in Scriptura sacra, partim in fidei Symbolis tribuuntur. Nam congregationem illam, quæ Romano paret Pontifici, atque adeo hanc ipsam, quæ nunc paret Clementi VIII. Pontifici Maximo, esse veram Ecclesiam Christi; tum demùm probatum erit, si ostenderimus ei congregationi cõuenire prorsus & *rationẽ*, & *proprietates* veræ Christi Ecclesiæ.

Dicam igitur primũ de his duabus rebus, hoc est, de ratione, & proprietatibus veræ Ecclesiæ, & breuiter, & meo modo, quæ ad rem pertinebunt. Et quia controuersia est inter nos & Sectarios, non modò quæ sit vera Ecclesia, sed etiam ex quibus notis ac proprietatibus Ecclesia vera probari debeat: istud quoque deinde constituemus. Ita enim aperta demum atque expedita via erit, vt probemus id, quod nunc agimus, Ecclesiam Romanam, id est, congregationem, quæ Romanum Pontificem pro pastore habet, esse veram Ecclesiam.

Siquis verò, de ipsa quidem ratione ac forma Ecclesiæ in communi, plura fortasse, quàm ego dicenda putem, desiderabit (quanquam rem ipsam complectemur) ea petet ab aliis, qui antè de Ecclesia scripserunt. Nam tractárunt id argumẽtum latissimè Thomas VValdensis lib. 2. doctrinalis fidei antiq. cap. 9. & deinceps. Ioannes Turrecremata in summa de Ecclesia. Ioannes Driedo lib. 4. de variis dogmat. ca. 2. Albertus Pighius lib. 6. de Ecclesiastica hierarchia. Melchior Canus toto lib. 4. de locis Theolog. Hosius Cardinalis in Confessione Polonica, super Articulum de Ecclesia. Alfonsus à Castro in suo opere aduersus hæreses, verbo, Ecclesia. Franciscus à Victoria in relectione de potestate Ecclesiastica. Franciscus Turrianus, Robertus Bellarminus, & alij quàm plurimi. Nos sanè eò potissimùm tractationẽ hanc totam dirigemus, vt manifestissimè constet, illam congregationem determinatè, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, esse veram Ecclesiam.

Quæ sit Ecclesiæ ratio. §. 14.

ERGO, vt remota vocabuli ambiguitate, rem illico aggrediamur, Ecclesia Græcè, Latinè est conuocatio, sicut omnes notant. Inde traductum est hoc nomen, ad significandum locum ipsum, in quem conueniunt plures, qui sint conuocati. Sicut in libro Iudith, cap. 6. ea vox accipitur, vbi scriptum est: *Totam noctem intra Ecclesiam orauerunt.* Hæc vocabuli vsurpatio ad præsens institutum non attinet.

Secundò, accommodatum est id nomen ad significandum cœtum ipsum siue conuentum hominum conuocatorum. Quæ acceptio pertinet ad propositum. Sed animaduertendum est, nomen hoc in ea significatione, vtramque in partem, nempe in bonam & malam à Scriptura sacra vsurpari. In malam, vt cùm in Psal. 25. dicitur: *Odiui Ecclesiam malignantium.* In bonam autem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt vbi Psal.149.legimus: *Laus eius in Ecclesia sanctorum*.

Iam verò Ecclesiastici Doctores in bonam tãtùm partem ea voce vtuntur: vt Ecclesia dicatur cætus eorum, qui diuinitus ad virtutis aliquam, sanctæq; religionis societatem conuocantur. Et quemadmodum variis modis cætus aliquis virtute ac religione copulari potest: ita Ecclesiæ nomẽ in ea ipsa significatione latè porro patet. Quæ sanè est causa, quam ob rem vbi de Ecclesiæ ratione agitur, non expediat vnam tantùm aliquã Ecclesiæ descriptionem ponere, sed satius sit distinguere plures magis & minus latè patẽtes, quę totum Ecclesiæ ambitum, illiusque varias acceptiones exponant.

Ita enim, semotis verbi controuersiis, commodius, quod ad rem ipsam attinet, poterũt tria intelligi quæ circa Ecclesiæ rationem sunt præcipuè notãda. Nempe PRIMO, quid Ecclesiæ conueniat iuxta vnamquamq; acceptionem nominis, in illa vltima significatione, quæ est in vsu Ecclesiastico. SECVNDO, qui nam errores circa variam Ecclesiæ rationem, seu varias eius partes vitari debeant. TERTIO, quæ sit Ecclesiæ acceptio & descriptio apud Doctores vsitatior, quæ præcipuas huius loci difficultates contineat.

Secundùm postremam igitur nominis acceptionem in bonam partem, quam apud Ecclesiasticos Doctores diximus esse vsitatam, potest PRIMO Ecclesia describi latius, vt sit eorum multitudo, quos beneficio vocationis diuinæ verus Dei cultus, & vera Dei cognitio indita diuinitus, quomodocumque coniungit: siue ea quidem cognitio sit obscura, qualis est cognitio fidei, siue clara & aperta, cuiusmodi est beatorum. Dico autem, *quomodocumq;* coniungit: vt complectar non modò eos, quos in tali aliqua multitudine coniungit vera Dei cognitio & verus cultus secundum se, atq; adeo coniunctione interna, sed etiam eos quos vera Dei cognitio non secũdum se, sed secundum sui saltem protestationem externam in tali aliqua multitudine coniungit, externa duntaxat coniunctione.

Isto modo latissimè Ecclesia patet. Atque ita de illa loquuntur Doctores, quando tripartito eam diuidunt: nempe in *militantem* hac in vita cũ eius hostibus, mundo, dæmone, & carne; & peccata expiantem in *purgatorio*; atq; *triumphantem* in patria cælesti.

Hoc tam amplo modo definita Ecclesia, in ipsa conditione Angelorum suum habuit *initium*. Nam sunt illi creati cum vera cognitione Dei: imò etiam in gratia, vt verissimè sentiunt grauiores Theologi, vt D. Thomas 1.p.q.62.art.3. Quocirca ad Ecclesiam communi isto modo acceptam pertinent: vt D. Bernardus serm. 27. in Cantic. & D. Thomas 3.p.q.8.art.4. notauerunt.

ALIO modo definitur angustius Ecclesia, vt sit hominum multitudo, quos verus Dei cultus, veraq; cognitio, sed obscura, nimirum fidei, hac in vita coniungit, partim secundùm se, interna coniunctione, partim secundum sui protestationem, coniunctione externa. Sic Doctores accipiunt, cùm asseuerant, vnã atq; eandem esse veteris & noui Testamenti Ecclesiã, ob eandem videlicet fidem in eundem Christum Mediatorem: quę Patribus illis nobiscum fuit communis. Atq; ideo Apostolus ad Ephes. 2. lapidem angularem Christum esse dixit, quo sit vtraque Ecclesia connexa.

De *initio* Ecclesię sic acceptæ, non eodem modo loquuntur recentes Scriptores. Aliqui asseuerant, illam ab Adam ducere suam originem, quod sentiunt Ioannes Driedo libro quarto de variis dogmat. & Hosius in Confessione Polonica cap.22. Sed Ioannes Turrecremata in sua summa de Ecclesia lib.1. cap. 25. & 27. affirmat communiorem esse sententiam, quod Abel dederit huic Ecclesiæ initium. Id quod D. AVGVSTINVS enarratio. 1. in Psal.142. & lib.15. de ciuitate Dei, cap.1. sensit.

Quæstio autem hæc non est tam de re quàm de nomine. Nam si Ecclesia illo modo dicatur hominum multitudo, quam coniungit fides & qualiscumque cultus Dei absolutè; etiam si nullis certis externis cærimoniis ac determinatis signis cultus eiusmodi declaretur: certum est, ab Adamo eam incepisse. Sin verò in ea Ecclesiæ descriptione fides & cultus intelligantur cum certa quadam & peculiari cærimonia externa; non cõstat certè Ecclesiam ita incepisse ab Adamo: quoniam non constat Adamum certam aliquam cærimoniam cultus externam vsurpâsse ante Abel, qui Genes. 4. legitur obtulisse Domino de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: quãquam fortè non improbabiliter suspicari liceat, ante quoque simile aliquid feciisse Adamum. Itaque cùm Abel sit primus, de quo certò quidem constet, certam aliquam cultus cærimoniam rectè adhibuisse Deo, ille ferè dicitur fuisse principium Ecclesiæ sic acceptæ; quod videlicet sciatur.

POSTREMO, presius definitur Ecclesia, vt sit hominum multitudo, quam in hac vita verus Dei cultus & vera cognitio fidei, non qualiscumque, sed Christianæ & in Sacramento baptismi susceptæ, coniungit partim coniunctione tum externa tum interna quoad aliquos, quos nimirum oporteat semper in tali multitudine esse verè & ex animo fideles, partim coniunctione externa tantum, secundum sui professionem saltem externam, quoad aliquos nimirum, quos interdum forte contingat per externam tantum fidei Christianæ professionem, sine interna fide versari in tali multitudine. Et de Ecclesia hoc modo accepta potest intelligi, quod in capitulo Firmiter de summa Trini. dicitur, Vnam esse Ecclesiam fidelium: Et quod ait Nicolaus Papa in Can. Ecclesia, De consecr. dist. 1. Ecclesia est Catholicorum Collectio: Si nimirum latius sumpto

voca-

vocabulo, per fideles & per catholicos intelligamus non solum eos, qui verè fidem Christianam profitentur, sed etiam secundariò eos, qui illam quomodocunque profitentur exterius.

Sic diuersa est nunc Ecclesia ab ea, quæ fuit olim in lege veteri. Ad huiusmodi enim Ecclesiam propriè quidem ac simpliciter omnes & soli baptizati, ac fidem Christianam profitentes pertinent, siue prædestinati sint, siue reprobi, siue iusti, siue iniusti, siue cuiuscunque alterius conditionis, dummodo aut fidem retineant integram (quales semper oportet aliquos in Ecclesia Christiana esse, vt infrà ostendemus §.16. in proprietate 3. & 7.) aut exterius illam profiteantur. Quamuis, vt sunt in hac Ecclesia diuersi gradus, ita ex iis ipsis, qui ad eam pertinent, alij magis, alij minus arctè in hoc Ecclesiæ corpore copulantur.

Inde enim fit, vt excommunicati certa quadam ratione dicantur non esse membra Ecclesiæ: quamuis si sint verè fideles, aut fidem profiteantur, non omnibus modis sunt extra Ecclesiam: vt paulò pòst dicemus.

Catechumeni verò si per votum Baptismi gratiam consecuti sint, & fidem adeo habeant; ad Ecclesiam Christianam & ipsi pertinent secundùm *meritum*: quamuis non propriè, & secundùm *numerum*, vt rectè notat ex recepta Theologorum sententia Turrecremata lib.1. Summæ de Ecclesia cap.8. ad argument.8.

Hæretici aũt nulli omnino ad Ecclesiam Christi pertinent verè tãquam membra quidem, quæ interna vnione sint reliquo corpori coniuncta. Nam vt rectissimè inquit D. AVGVSTINVS lib.2. de nupt. & cõcup. cap.31. *Non quia videntur Ecclesiæ Christi habere nomẽ, idcirco pertinent ad eius consecrationem.* Quare & alibi lib.1. contra epistol. Parmen. cap.7. *dealbatos tantùm Christiano nomine eos* esse dicit eleganter idem Augustinus. Quod idem asserunt Tertullianus lib. de præscript. Cyprianus lib.1. epist.6. Ambrosius lib.7. in Lucam, cap. 11. & alij communiter sancti Patres. Et clarum est testimonium Ioannis: Ex nobis, inquit, prodierunt, 1. Ioan.2.

Hæretici tamen non manifesti sed occulti, qui scilicet exterius apud alios veram fidem & religionem Christianam profitentur, sine dubio externa quidem coniunctione sunt ac nominari possunt membra quædam Ecclesiæ, licet arida. vt censuit Melchior Canus lib. 4. de locis Theologicis cap. 6. ad 12. & alij non pauci auctores: Neque potest de hoc esse vlla controuersia nisi velimus certare de nomine. Clarum enim est, externa quidem conuersatione & professione versari in Ecclesia cum catholicis mixtos hæreticos occultos, quoad vsque illorum hæresis manifesta fiat, & ex Ecclesia eiiciantur. Vt vel ex illa parabola patet qua Ecclesia comparatur sagenæ missæ in mare & ex OMNI genere piscium congreganti, Matth.13.

Etsi aũt nulli hæretici interna quidem vnione membra Ecclesiæ sint, tamẽ minimè negandum est, quin omnes illi quadam ratione ad Ecclesiã pertineant. Quia enim & characterem habent Baptismi, & aliquando interna quoque membra Ecclesiæ fuerunt; illorum quædam cura ad eam pertinet. Vt manus v.g. à corpore cuiuspiam abscissa, peculiari quodam iure ac ratione ad eius curam & potestatem attineret, cuius fuisset anteà membrũ. Ex quo intelligi debet, Ecclesiam, dum hæreticos punit, minimè facere contra illud Apostoli 1. Corinth.5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* loquitur enim hoc loco Apostolus de infidelibus, qui nunquam in Ecclesia fuerunt, quos perspicuum est non perinde atque hæreticos ad Ecclesiæ ius pertinere, nec Ecclesiæ membra esse, nisi fortè membra dicas *in potentia*: quatenus ad fidem conuerti possunt. Quo pacto ad Ecclesiam eos pertinere, eorumque caput esse Christum, docet B. Thomas 3.p.quæst.8.articulo quarto.

Porrò illa postrema Ecclesiæ ratio, quam ita breuiter descripsi & exposui, omniũ est frequentissima apud Orthodoxos Scriptores. Sic Ecclesia propriè ad nos Christianos pertinet. Sic eam Apostolus 1.Cor.1. vocat *societatem Iesu Christi Filij Dei*, ad quam simus immenso Dei beneficio vocati. Atque ad eam item pertinent Scripturæ noui Testamenti multæ ac variæ sententiæ, quæ nobis declarant, qualis sit Ecclesiæ Christianæ forma & status, quamque varia & multa genera hominum illa complectatur: *Attendite*, inquit Apostolus Actor. 20. *vobis & vniuersõ gregi: in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* Hìc quosdam esse in Ecclesia, qui alios regendi auctoritatem habeant, & quosdam etiam, qui aliorum auctoritate & cura regantur, clarè significat. Quam regendi potestatem Christus quòque Matth. 28. declarauit inquiens: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam nõ audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.*

Atq; etiam reprobos cum prædestinatis, malos cum bonis (dum fidem quidem profitentur) permistos esse in Ecclesia, vsque ad extremum diem iudicij, multis similitudinibus in Scriptura significatur. Ideo siquidem, vt AVGVSTINVS Tractat. 6. in Ioannem rectè intellexit, Ecclesia comparatur areæ, in qua triticum est cum palea, donec cribro perpurgatum reponatur in horreum: palea autem comburatur igne inextinguibili. Ac eadem ratio comparationis est, cùm esse Ecclesiam quasi sagenam dicitur, ex omni genere piscium congregantem, Matth.13. qui primùm in littore segregantur. *Sic*, inquit, *erit in consummatione seculi: Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis.* Item Matth. 25. *Simile est*, inquit, *regnum cælorum* (id est, Ecclesia, vt rectè D. Gregorius interpretatur)

Universidad de Deusto
Biblioteca

decem virginibus: quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ, &c.

Ideo etiam Apoſtolus 2. Timoth. 2. *In magna,* inquit, *domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Et illud quoq; pulchrè AVGVSTINVS libro de vnitate Eccleſiæ capite decimo tertio: *Eſt in Canticis canticorum, capite ſecundo, quod de ſancta Eccleſia dictũ omnis Chriſtianus agnoſcit: Sicut lilium in medio ſpinarũ, ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat ſpinas, niſi propter malignitatem morum? Et eaſdem vnde filias, niſi propter communionem Sacramentorum?* Ac ſunt quàm plurima Scripturæ teſtimonia ſimilia, ex quibus ſatis apparet, certiſsima fide niti illam Eccleſiæ deſcriptionem, ſecundùm quam affirmauimus, omnis conditionis homines fideles contineri in Eccleſia.

Errores tres circa Eccleſiæ Chriſtianæ formam confutantur. §. 15.

EX qua doctrina tres errores circa formam Eccleſiæ Chriſtianæ facilè refutantur. PRIMVS Catharorum, Donatiſtarum, & Anabaptiſtarum, qui commenti ſunt, Eccleſiam ex iis tantùm hominibus conſtare, qui gratia & charitate perfecti ſint, neq; vlla ſint infecti peccati macula. Huius erroris meminit D. AVGVSTINVS lib. 3. contra Parmen. cap. 2. SECVNDVS error fuit, Ioannis VViclephi, & Ioannis Huſs, vt apparet ex Concil. Conſtant. ſeſſ. 15. Hi contenderunt, ne ex bonis quidem omnibus, ſed tantùm ex ſolis prædeſtinatis Eccleſiam conſtare. TERTIVS error eſt aliorum quorundam Sectariorum, qui voluerunt conſtare tantùm ex iuſtis, quantumuis ij ſint aliquibus obſtricti peccatis.

Aduerſus hos omnes illa Scripturæ teſtimonia, quę ſunt adducta, ſatis ſunt & firma & perſpicua. Deinde etiã illa ratio eoſdem reuincit, quòd ſi Eccleſia tantùm ex perfectis, aut ex prædeſtinatis, aut ex iuſtis conſtaret, omnis gubernatio ſiue regimen illius tolleretur. Nam neq; ſuperiores cognoſcere ſatis poſſent ſuos ſubditos, neq; viciſsim ſubditi ſuos ſuperiores. Quis enim ſatis ſciat, vtrum ſis perfectus, nec ne? vtrum prædeſtinatus, aut reprobus? vtrum iuſtus an impius?

Propriè verò contra PRIMVM errorem valent illa, ex quibus in materia de Gratia q. 1. probauimus, perfectam illam iuſtitiam, quæ peccatum excludat prorſus omne, in hac vita minimè reperiri. Quare Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 18. *Vbicunque,* inquit, *commemoraui Eccleſiam non habentem maculam, neq; rugam: non ſic accipiendum eſt, quaſi iam ſit, ſed quæ præparatur vt ſit: quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias & infirmitates membrorum ſuorum, habet vnde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita noſtra.* Hęc ille.

Eſt etiam ſecundus ille error VViclephi damnatus in Conſtantienſi Concilio ſeſſ. 15. Quod ſi quis plura hac de re videre velit, legat inter cæteros, auctorem eruditiſsimum Ioannem à Turrecremata lib. 1. de Eccleſia cap. 54. & 55. & Thomam VValdenſem lib. 2. doctrinalis fidei antiq. cap. 8. & 9. & Melchiorem Canum lib. 4. de locis Theolog. cap. 3. Hi etiam Scriptores ad argumẽta illorum hæreticorum facilè reſpondent.

Quibus ſanè argumentis omnibus ex hoc vnico fundamento occurri poteſt: nempe Eccleſiæ Chriſtianæ, cùm tam latè pateat, plures & eas valdè diuerſas eſſe partes. Nam qui non ſolùm fide inter ſe & cum Chriſto capite coniuncti ſunt, ſed etiam gratia & charitate: ex iis præſtantior Eccleſiæ pars cõſtituitur, quàm ſit illa, quæ conſtat ex hominibus fide duntaxat prædictis: & ea pars Eccleſiæ omnium eſt præſtantiſsima, quæ hominibus non modò fidelibus & iuſtis, ſed etiã prædeſtinatis continetur. Itaque ſi quid interdum vel à Scriptura ſacra, vel à Patribus tribuitur Eccleſiæ, quod aut iuſtis tantùm, aut prædeſtinatis tantùm conueniat: id non ad Eccleſiam totam, ſed per Synecdochen ad Eccleſiæ partes illas præſtantiores referri debet.

Quod ſi Patres etiam quandoq; negant, peccatores eſſe membra Eccleſiæ; aut certè aſſerunt, eſſe membra ipſius mortua: ſenſus eſt, non eos eſſe membra ſana & perfecta, quæ ſcilicet vita perfecta ſpirituali, hoc eſt, et iam gratia & charitate vigeant. Hoc tamen non obſtat, quo minus ratione fidei, quam à Chriſto capite percipiunt, vera alioqui membra ſimpliciter cenſeantur. Etenim vel ipſa fides vita eſt: quædam ſpiritualis imperfecta, qua vtcunque moueri poſsis, & contendere in vitam æternam, licet minimè quidem ſufficienter abſque charitate. Itaque vel ſola participatione fidei in Eccleſiæ corpore interna vnione connexus, tãquam membrum, hæret peccator. Velut ſi pars aliqua v. g. ſic eſſet vnita corpori humano, vt nonnihil vitæ participaret ex corpore, videlicet motum & vigorem per nutrimentum, non autem etiam ſenſum: membrum corporis cenſeretur, tametſi non ſanum & perfectum. Quocirca nõ eſt certè ratio, cur magnoperè recipiamus modum quorundam loquendi, qui aiunt, peccatores quidem Eccleſiæ partes dici poſſe, membra non poſſe. Quanquam quæſtio eſt omnis de nomine: cùm res ipſa quidẽ vno & eodem modo ſine controuerſia ab omnibus Orthodoxis intelligatur.

Ex eodem illo fundamento, quod ſint videlicet Eccleſiæ Chriſtianæ partes multę ac diuerſæ; intelligi poteſt, qua ratione excommunicati, licet fideles ſint, tamen dicantur præciſi ab Eccleſia, neq; membra eius eſſe. Hoc ſanè veriſsimum eſt, ſi intelligantur eſſe præciſi ab ea parte Eccleſiæ, quæ nõ modò fide, ſed etiam ſolennium precum atque ſuffragiorum mutua communicatione coniungitur.

Sic etiam illud accipiendum, quod veriſsimè à Theologis docetur, ſchiſmaticos, etſi non ſint etiam

etiam hæretici (contingere namque id poteſt, vt intellexit quoque D. Auguſtinus libro de fide & Symbolo cap. 10. ac rectè D. Thomas 22. q. 39. articul. 1. declarat) hoc ipſo quod ſchiſmatici ſunt, non eſſe membra Eccleſiæ. Huius enim ratio eſt, quod cùm ſubtrahunt ſeſe ab imperio ſummæ in Eccleſia poteſtatis (quę eſt, vt infrà probabimus, ſummi Pontificis) eo ipſo à recto deſciſcunt ordine, quem conuenit Eccleſiæ membra habere cum illius in terris capite viſibili, Chriſti vicario: atque ita ad potiorem illam & ſaniorem Eccleſiæ partem non pertinent, quæ non ſolùm fide inter ſe & cum Chriſto coniuncta eſt, ſed etiam ordine recto ſubeſt, atq; coniungitur viſibili capiti.

Atque hęc pro inſtituto noſtro ſufficiant, tum ad rationem ipſam Eccleſiæ per ſe intelligẽdam, tum ad rectè de quibuſdam Doctorum diſputationibus iudicandum. Quos quidem apparebit ex dictis, etſi in aliquibus videantur circa rationem, formamque Eccleſiæ diſſentire, re tamen conſentire, tantumque propter varias Eccleſiæ acceptiones loqui diuerſo modo.

Quæ ſint Eccleſiæ proprietates. §. 16.

NVmerabimus hîc breuiter eas Chriſtianæ Eccleſiæ proprietates, quas ipſi vel Scriptura ſacra, vel etiam fidei Symbola ſine controuerſia tribuunt. Etſi autem varia numerandi ratio eſſe poſsit, neque magnoperè interſit, quomodo diſtinguas ac numeres, modo aſſerãtur illa attributa, quæ reipſa conueniunt Eccleſiæ (ſiue alia illorum ad alia referas, ſiue ab aliis ſepares numerando, ac diſtinguas) animaduerto tamẽ Eccleſiæ prærogatiuas, quæ quidem ad propoſitum attinere poſsint, eſſe potiſsimùm octo. Ex quibus quatuor priores recitabimus ex vſitatis etiã fidei Symbolis: Poſteriores autem quatuor colligemus ex diuina Scriptura. Tum videbimus ex quibus earum, & quomodo, quęnam ſit vera Eccleſia, probari debeat.

PRIMA Eccl. Proprietas.

PRIMO igitur Eccleſia dicitur, *vna.* Hæc proprietas in Symbolo fidei Nicæno habetur. Ac ſignificatur ex ſententia Cypriani libro de vnitate Eccleſię, Auguſtini Tractat. 6. in Ioannem, illis canticorum verbis: *Vna eſt columba mea, Cant. 6.* Quæ verò ſit huius vnitatis ratio, expoſuit Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Solliciti,* inquit, *ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Sicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ; vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.*

Quo loco Eccleſiæ vnitatem contineri docet tum vnitate *principij,* videlicet Dei vocantis: tum vnitate *finis,* nempe vitę æternæ, quam ſperamus, & ad quam vocati ſumus: tum vnitate *mediorum,* per quę nobis ad illam contendendum eſt, nimirum fidei, Baptiſmi & reliquorum Sacramentorum, quorum quaſi ianua eſt baptiſmus.

Explicat quoq; ſpeciatim illam Eccleſiæ vnitatem idem Apoſtolus 1. Corinth. 10. ab vnitate eiuſdem cibi cæleſtis, id eſt, *Euchariſtiæ,* qua fideles omnes reficiuntur. *Vnus,* inquit, *panis & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane & calice participamus.* Item id declarat ab vnitate *charitatis & doctrinæ,* ad Philipp. 2. quæ ſit eadem à fidelibus retinenda. *Vnanimes,* inquit, *in charitate idipſum ſentientes.* De quo modo vnitatis illud etiam intelligi poteſt Actor. 4. *Erat multitudo credentium cor vnum, & anima vna.*

Eſt etiam ſententiâ Patrum, Eccleſia vna ab vno paſtore ſeu Epiſcopo, cui *plebs Chriſtiana* (vt Cyprianus lib. 4. epiſtolarum epiſt. 9. ad Florentium Pupianum inquit) *adunata cohæret.*

Cùm verò dicimus Eccleſiam eſſe vnam: hoc intelligimus vnitate *totius.* Nam ratione diuerſi loci aut temporis non dubium eſt, quin plures Eccleſiæ dici poſſunt, vti loquitur etiam ſæpè D. Paulus. Sed tamẽ omnes iſtiuſmodi Eccleſiæ ſunt partes vnius Eccleſiæ Chriſtianæ vnitate totius. Et hoc quidem perſpicuum eſt.

Sed illud deinde circa hanc Eccleſiæ proprietatem diligentiſsimè notari debet, Eccleſiam Chriſti non ob eam rem ſolùm, ab vnitate fidei & doctrinæ vnam eſſe ac dici, quoniam omnes, qui ſunt eius membra in eadem fide atque doctrina, quamdiu quidem ſunt eius membra, conſentiant *actu,* ſed ob id inprimis ab vnitate fidei & doctrinæ dicitur Eccleſia vna, quoniam modum atque rationem ipſa tenet accommodatiſſimam ad conſenſionem fidei & doctrinæ tuendam. Quod erit poſtea præcipuè ponderandum, cùm ex hac Eccleſiæ proprietate probabimus, Eccleſiam Chriſti legitimam non apud vllos Sectarios, ſed apud eos ſolos eſſe, qui Romano parent Pontifici.

Cur verò hæc Eccleſiæ proprietas ita neceſſariò debeat intelligi: ratio eſt in promptu clariſſima. Etenim, ſi Eccleſiæ vnitatem in actuali tantùm doctrinæ fidei conſenſione, & non præcipuè in ratione ad conſenſionem accommodatiſſima poneremus; nihil omnino magnum Eccleſiæ Chriſti tribueremus, dum illam propter vnam atque eandem fidei doctrinam aſſerimus vnam eſſe. Sed neque poſſet Chriſti Eccleſia per eam notam ab hæreticorum conuenticulis vllo modo diſcerni. Quis enim vnquam fuit hæreticorũ cætus tam exiguus, in quo qui ad eum pertinuerunt (quamdiu pertinuerunt ad eum quidem) non fuerint actu de doctrina conſentiẽtes? Etenim vbi primùm quis, prudens ac ſciens, ab aliis diſſentit, eo ipſo cenſetur à cætu aliorũ, qui ſecus ſentiunt, alienus.

Itaque hodie Lutherani, in publicis etiam ſuis ſcriptis, pro alienis ac planè pro hæreticis Caluinianos habent, & viciſsim Caluiniani Lutheranos: quia licet in vna & eadem familia, cuius infanum caput exſtitit Lutherus, omnes principio fuerint: tamen poſtea inter ſe de fidei doctrina diſſentire cæperunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non igitur in actuali tantùm consensu: sed in-
primis in ratione aliqua optimè accommodata
ad retinendum consensum vnitas Ecclesiæ Chri-
sti consistit. Quod velim diligentissimè conside-
rari ab iis maximè, qui sunt Sectariis, vel Luthe-
ranis, vel Caluinianis addicti. Sed postea id quo-
que repetemus.

SECVNDA Eccl. Proprietas.

DEINDE dicitur Ecclesia, *sancta*. Ita vtrum-
que Symbolum; Apostolicum scilicet & Ni-
cenum, atque etiam Apostolus 1. Cor. 3. *Templũ*,
inquit, *Dei sanctum est, quod estis vos*. Et sunt ratio-
nes plures, quam ob rem Ecclesia sancta cènseri
debeat. Decem collegit Ioannes Turrecremata
in erudito illo suo ac prolixo opere de Ecclesia
lib. 1. à capite 9. vtsque ad 17.

Potissimæ sunt hæ. I. Quoniam secundùm
aliqua præcipua sua membra, nempe secundùm
iustos, immunis est ab omni peccati macula
mortali, quæ sola videlicet cum gratiæ sanctita-
te stare non potest, & eius delet nitorem. Ita-
que per Synecdochen Ecclesia sancta dicitur,
propter iustos. Quemadmodum nationem ali-
quam, fortem dicere solemus: non quòd omnes
eius nationis homines, fortes sint, sed quoniam
aliquos gignit fortes.

Neque verò obstat, quod in Canticis de Ec-
clesia dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula
non est in te:* Cant. 4. Sensus enim non est, omnes
ac singulos fideles in Ecclesia carere ea prorsus
macula peccati mortalis, sed aliquos ita carere
ea prorsus, vt sint toti mundi: id est, vt neque se-
cundùm intellectum, neque secundùm affectum
sint aliquo peccato mortali inquinati. Quam in-
terpretationem doctè explicat ac dilatat Ioan-
nes Turrecremata.

Quanquam dici etiam potest, sententiam il-
lam non ad Ecclesiam, qualis in hac vita est, sed
qualis in patria cælesti est futura, referri debere:
*cùm exhibebit sibi Christus Ecclesiam gloriosam, non
habentem maculam neq; rugam: ad Ephes. 5.* Vera e-
nim esse illa D. Augustini oratio videtur lib. con-
tra Donatistas post Collat. cap. 7. *Quacunque*, in-
quit, *testimonia diuinarum Scripturarum commemo-
rari potuerint, quibus ab omni malorũ hominum per-
mixtione pura prænunciatur Ecclesia: non qualis nunc
est, illis testimoniis prænunciatur: sed qualis post istam
mortalitatem in vita æterna futura est.* Huc adde, pos-
se quoque in hac vita totam pulchram dici pro-
pter Christianam professionem, quæ tota pura
est, vt mox dicemus.

II. Item dicitur Ecclesia, sancta, à sua firmita-
te. Est enim supra petram, quæ inprimis est Chri-
stus, fundata, contra quem nulla vis prævalebit.
Ideo in Canticis terribilis dicitur, *quasi castrorum
acies ordinata*, Cant. 6. Atque hac ratione pulchrè
D. Augustinus in Psal. 103. concione 1. Ecclesiam
interpretatur terram esse illam, de qua Dauid in
Psal. 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam: non
inclinabitur in sæculum sæculi.* Hanc rationem san-
ctitatis rectè explicuit in Confessione Polonica
Cardinalis Hosius.

III. Sãcta dicitur, quoniam sanguine est Chri-
sti iuncta & acquisita. Ad quod attendisse D. Pe-
trus videtur, vbi fideles vocat *gentem sanctam, po-
pulum acquisitionis, 1. Petr. 2.*

IV. Quia tota diuino cultui cõsecrata est: præ-
ceptis, Sacramentis, institutis sanctis contine-
tur: prorsus vt in eam rectissimè conueniat illud
Psal. 18. *Lex Domini immaculata, &c.* Hac ratione
Ecclesia tota sancta dici potest. Quia licet non
omnes fideles colant vitæ sanctimoniam: omnes
tamen certè illam profitentur. Quemadmodum
religiosos aut artifices, propter vitæ institutum
& professionem, eos etiam solemus dicere, qui
religionis aut artis præcepta transgrediuntur, vt
ad hoc propositum rectè notatum est in Cate-
chismo Romano.

V. Sancta item dici potest propter sanctissima
eadẽq; varia ac multiplicia diuinæ gratiæ charis-
mata, quibus ornata est: atque etiam ob vniuer-
salia, efficacissimaq; remedia sanctitatis, quibus
affatim diuino beneficio abundat.

TERTIA Eccl. Proprietas.

EST præterea Ecclesia Christi, *Catholica*: vt di-
citur in vtroque Symbolo. Cùm autem, Ca-
tholica, idem sit quod vniuersalis, variam habet
rationẽ hæc Ecclesiæ proprietas. Nam PRIMVM
Catholica dicitur ab vniuersitate eius doctrinæ,
quam profitetur. Cõtinet enim materiam vber-
rimam de Deo & de Creaturis.

SECVNDO ab vniuersitate loci: quia per vni-
uersum est orbem diffusa. Quam rationem ap-
pellationis D. AVGVSTINVS super Psal. 121. & 81.
diligenter exposuit. Ex eaque sæpè probat, hæ-
reticorum conuenticula Ecclesiam Christi non es-
se, quoniam suis quibusdam tantùm contineantur prouinciis. De qua re postea. Huc autem illa
Patris æterni ad Christum promissio Psal. 2. per-
tinet: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessio-
nem tuam terminos terræ.* Ac item illud Psalm. 18. *In
omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis ter-
ræ verba eorum.* Vt iam præteream multa similia.

TERTIO Dicitur quoque Ecclesia Catholica
à temporis vniuersitate. Nam ad finem vsq; mun-
di perseuerabit. Quemadmodum & à mundi ex-
ordio constãs perpetuò aliqua Dei Ecclesia fuit,
vt eruditè inter cæteros Ioannes Turrecremata
lib. 1. de Ecclesia à capite 22. vsque ad 30. & Ioan-
nes Driedo lib. 4. de variis dogmatibus cap. 2. p. 1.
ostenderunt.

Nunc quod Christi Ecclesia ad finem vsque
mundi sine interruptione mansura sit, satis con-
stat ex illis Christi promissionibus, in Matthæi
Euangelio: *Portæ*, inquit, *inferi non prævalebunt ad-
uersus eam, Matth. 16.* Et: *Ego vobiscum sum vsque ad
consummationem seculi, Matth. 28.* Item in Euan-

gelio

gelio Lucæ Gabriel Angelus: *Dabit*, inquit, *ei
Dominus sedem Dauid Patris sui, & regnabit in domo
Iacob in æternum, Lucæ 1.* Quod & ab Isaia præ-
dictum erat: *Super solium*, inquit, *Dauid, & super re-
gnum eius sedebit, vt confirmet & corroboret in iustitia
& in iudicio, à modo & vsq; in sempiternum, Isa. 9.*

Ex qua Ecclesiæ perpetuitate intelligitur, eti-
am fidem illius fore perpetuam: vt luculentissi-
mè D. AVGVSTINVS in Psalm. 101. concion. 2. &
lib. de Ecclesiæ vnitate, cap. 13. ostendit. *Nam de-
sponsabo* (inquit Dominus Ecclesiæ per Oseam)
te mihi in fide, Osea 2. Huic autem perpetuitati
consuluit Deus prospiciendo Ecclesiæ de Pasto-
ribus & Doctoribus, qui fidem Christianam ac
religionem tutarentur. Quos ideo Pastores &
Doctores Ecclesiæ datos dicit Apostolus ad E-
phesios quarto: *Ad consummationem Sanctorum,
donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitio-
nis filij Dei, in virum perfectum, &c.* Idque promi-
serat Deus Ecclesiæ per Zachariam, cap. 9. *Cir-
cundabo*, inquit, *domum meam ex iis, qui militat mi-
hi.* Sic Timotheũ Apostolus militare Deo & Ec-
clesiæ volebat, cui dicebat: *Labora vt bonus miles
Christi Iesu.* De iis Deus per Isaiam, cap. 62. *Super
muros tuos Hierusalem constitui custodes, &c.* Atque
hi sunt nimirum, *illi fortes, qui custodiunt lectulum
Salomonis, Cant. 3.*

Sed dicet aliquis: Cùm Apostoli scandalum
omnes in Christi passione sunt passi, vbi fuit tunc
Christi Ecclesia? Item vbi erit illo tempore, de
quo Christus inquit, Lucæ 18. *Putásne filius homi-
nis veniens, inueniet fidem in terra?* Quod si Eccle-
sia aliquando non fuit, & aliquando etiam non
erit, quomodo est etiam Catholica ab vniuersi-
tate temporis?

Nonnulli sentiunt, Christi passionis tempo-
re in sola beata Virgine mansisse fidem. Id verum
non est. Primùm, quia si maximè omnes tunc
Apostoli fidem abiecissent, non inde consequi-
tur, in nullo præterquam in beata Virgine fi-
dem permansisse: Potuerunt enim alij perseue-
rare fideles, etsi de illis quidem tacetur. Dein-
de, nego amisisse fidem omnes omnino Apo-
stolos: immo retinuerunt eam aliqui, vt eruditè ostendit Melchior Canus libro quarto de locis
Theolog. cap. 5. Et certè id defendit de D. Petro
D. Hilarius.

Neque verò aliud ex Scriptura colligi po-
test, quàm quod omnes Apostoli scandalum pas-
si sunt in illa nocte, Matth. 26. quod attinet qui-
dem ad externam fidei confessionem. Id autem
fieri potuit, licet illorum aliqui fidem ipsam ani-
mo retinuerint. Fuit itaque, & tunc aliquis fide-
lium numerus, ex quorum congregatione, tam-
etsi exigua, constaret Ecclesia.

Sic etiam sub mundi finem aliqua omnino
Ecclesiæ congregatio erit: Christus enim illo
modo dicendi: *Putásne, &c.* paucos futuros tunc
esse fideles significat, nullos fore non significa-
uit. Præclarè enim D. AVGVSTINVS lib. de vni-
tate Ecclesiæ, cap. 13. *Hoc*, inquit, *nos intelligimus à
Christo dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem,
quæ ita difficilis est, vt in ipsis quoq; admirabilibus San-
ctis, sicut in ipso Moyse, inueniatur aliquid, vbi trepi-
dauerint, vel trepidare potuerint: vel propter illam ini-
quorum abundantiam & paucitatem bonorum. Pro-
pterea enim, tanquam dubitans, hoc Dominus dixit.
Neq; enim ait: Veniens filius hominis non inueniet fi-
dem in terra. Sed, putas inueniet fidem in terra?* Hæc
Augustinus.

Dicitur DENIQVE Ecclesia Catholica, id est,
vniuersalis, quoniam ad eam homines vniuer-
si, cuiuscunque sint sexus, aut ætatis, aut condi-
tionis, conuocantur: *Quicunq; enim* (ait Apostolus) *baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus,
neq; Græcus, non est seruus, neque liber, non est mascu-
lus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in
Christo Iesu.*

Atque, vt rectè explicauit Ioannes à Turre-
cremata, ob easdem rationes & fides ipsa, Ca-
tholica dicitur, & fideles, Catholici. Quo eti-
am loquendi modo Apostolus ad Titum pri-
mo, penè est vsus, cùm scribit epistolam *dilecto fi-
lio Tito, secundùm communem*, inquit, *fidem*, id est,
secundùm Catholicam, vt exponit Glossa ex di-
uo Augustino.

QVARTA Eccl. proprietas.

PRÆTEREA dicitur Ecclesia Christi in Nicæ-
no Symbolo *Apostolica*. PRIMO, quoniam
in Apostolis habuit initium. Quam rem diuus
Paulus ad Romanos octauo explicuit illa oratio-
ne: *Nos autẽ*, inquit, *primitias Spiritus habentes*. Vbi
Glossa: *Et tempore*, inquit, *prius & cæteris abun-
dantius*.

SECVNDO, quoniam ab illis per orbem pro-
pagata est. Vnde Christus Dominus Ioann. 17.
dum pro iis rogat æternum suum Patrem, *qui per
Apostolorum verbum erant in se crediturí*; pro Ec-
clesia sanè rogat.

TERTIO, quoniam antiquam proinde fidem,
doctrinam, auctoritatẽ Apostolorum perpetuò
sequitur, vt suprà quoq; dictum est. Quod non
modò facit, quando scriptis Apostolicis expres-
sam doctrinam retinet: Verùm etiã cùm aliquid
ipsa per orbem vniuersum obseruat, neq; id ta-
men scriptum est in Apostolicis libris. Illa enim
vniuersalis Ecclesiæ consuetudo (quod infrà suo
loco probabimus) argumento certo est, manãs-
se rem ex Apostolica traditione, vt clarissimè &
verissimè affirmat diuus Augustinus libro quar-
to de baptis. contra Donatistas, cap. 24. & epist.
86. & epist. 118. &c.

Huc pertinet, quod ideo in libro Apocalyp. 21.
atque etiam à D. Paulo ad Ephes. 2. Apostoli vo-
cantur *fundamenta* Ecclesiæ: tametsi sunt illi qui-
dem non nisi fundamenta secundaria: quippe
cum & ipsi niterentur fundamento primo, *quod
est Christus Iesus, 1. Corinth. 3.* Quo etiam spectat
illud Dauidis de Ecclesia, Psalm. 86. *Fundamenta*

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius in montibus sanctis, id est, in Apostolis, vt diuus Augustinus in illum Psalmum interpretatur.

Itaque meritò propter hæc dicitur Ecclesia Apostolica. De qua Ecclesiæ proprietate, plura (si quis volet) videre licet apud Turrecrematam, præsertim libro primo de Eccles. cap. 18. & 19. & apud VValdensem libro secundo doctrinal. fid. antiquæ, cap. 16. Atque hactenus quidem de iis Ecclesiæ proprietatibus, quas etiam confitemur in fidei Symbolis.

QVINTA Eccl. proprietas.

EX aliis autem siue prærogatiuis, siue proprietatibus Ecclesiæ, quæ colligi ex Scriptura possunt, non est sanè postrema, quod licet multorum hominum sit congregatio, minimè tamen est, quasi chaos aliquod, cõfusa, sed quàm rectissimè *ordinata*. Hoc ex multis potest intelligi nominibus, quibus illa propter eiusmodi ordinem afficitur in sacris literis: Cuiusmodi sunt: Matth. 25. *Regnum*. & Matthæi quinto, *ciuitas*. & 1. Corinth. 3. *templum*. & ad Hebræ. 3. *domus*. & ad Hebræ. 8. *tabernaculum*. & Cantic. 4. *hortus*. & Cantic. 6. *castrorum acies ordinata*, & id genus alia, quorum rationes ad Ecclesiam pulchrè atque eruditè accommodat Ioannes Turrecremata, libro primo de Eccles. cap. 31. & deinceps.

Maximè verò optimus Ecclesiæ ordo significatur, cùm *corpus* dicitur. Cuius appellationis ea potissimùm ratio est, quia sicut in vno corpore multa ac varia sunt membra, nec illa omnia tamen eundem actum habent (ad Ephesios primo & quarto. & 1. Corinth. 12. & ad Romanos 12. &c.) Sic in Ecclesia fideles non omnes auctoritate sunt pares, non officio, non gradu dignitatis. Vt perspicuè Apostolus in epistola ad Romanos docuit, & elegantissimè persequitur diuus Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disput. habenda.

Sunt enim in Ecclesia oculi, sunt pedes, sunt manus: hoc est, sunt qui aliis obsequi, & ab iis doceri debeant; sunt etiam, qui alios doceant & regant, Pastores & Doctores, quos dedit Christus Ecclesiæ, & in ea perpetuò conseruat, *ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.*

In *ordine* hoc igitur, quo est Christi Ecclesia constituta illud præcipuum est, quod Pastores & Doctores perpetua sibi successionis serie succedunt, qui legitimè vocentur ad id opus ministerij sustinendum, sine quo Ecclesiæ Christianæ forma consistere nullo modo potest. Nam si Ecclesia est, certè oportet, vt corpus sit Ecclesiæ quoddam; idque *totum*, vt ait Apostolus ad Ephesios quarto: *Compactum & connexum per omnem iunctu*ram *subministrationis secundùm operationem in mensuram vniusc*uiusque *membri*. Et promissiones hac de re diuinas superiùs indicauimus, cùm Ecclesiæ sanctitatem atque firmitatem ministerio perpetuo Doctorum atque Pastorum niti doceremus.

SEXTA Eccl. proprietas.

DICITVR porro ab orthodoxis Doctoribus, secundùm certissima & clarissima sanctarum Scripturarum testimonia, Ecclesia *visibilis*: id est, sic in luce hominum & conspectu posita, vt quouis seculo euidẽter internosci, & quasi digito monstrari queat congregatio illa, quam esse Ecclesiam veram determinatè credere possis ac debeas.

Hæc autem Ecclesiæ proprietas vniuersos hæreticos pessimè habet. Neque id sanè mirum. Etenim huius proprietatis assertio cogit illos fateri, vel certè intelligere, se non esse de Christi Ecclesia: Cùm nullum possint illustrem, hoc est, in orbe præteritis temporibus cognitum hominum cœtum indicare, in quo fuerit ea religionis atque doctrinæ forma, quam nuper ipsi inuexerunt.

Ergo vt se filios esse tenebrarum ostendant, Ecclesiam, quod in ipsis est quidem, priuant sua luce, eamque tanquam in latebris per plura secula delitescere posse putant. Quod euenisse scilicet ante nouatorem Lutherum asseuerant. Ac Brentius quidem & nonnulli alij Sectarij hoc ad eam rem argumento vtebantur. Si quid credi debet: id non etiam oculis cerni potest. At ex fidei articulis ille vnus est: *Credo sanctam Ecclesiam*. Non igitur Ecclesia cerni potest: aut si conspicua esse dicitur, tollendus erit ille articulus de Apostolico Symbolo.

Sed quàm sit hæc istorum argumentatio imperita, & opinio etiam falsa, facilè intelligetur, si priusquam probemus, explicemus etiam, quæ sit nostræ assertionis sententia, cùm dicimus, Ecclesiam esse conspicuam. Nam & hoc ipsum animaduerto posse perperam intelligi: Si videlicet aut nimis multum, aut nimis parum claram atque visibilem Ecclesiam esse, asseratur.

Primùm igitur, non vsque adeo volumus Ecclesiam esse conspicuam, vt censeamus aut oculis cerni, aut euidenti ratione intelligi posse ipsam etiam Ecclesiæ quasi essentiam & veritatem, aut etiam proprietates eius omnes. Non enim arbitramur palam aspici aut euidenter cognosci posse, quòd vlla congregatio sit reuera cœtus aliquorum *rectè* colentium Deum, & sancto Spiritu gubernetur, & sanctitate, vera fide, doctrina, aliisque donis affecta sit. Immò verò hæc in illa ipsa congregatione hominum inesse, quæ vera est Ecclesia, non nisi obscura fide credimus, quomodo cæteros fidei articulos.

Sed

Sed neque rursus cùm Ecclesiam dicimus visibilem esse, vsque adeo parum dicimus, vt solùm contendamus, eam ex hominibus constare, qui per se, cùm sint præditi corpore, pateant sensibus. Hoc enim nemo, qui modò sit homo, sciatque, homines, quorum sine controuersia Ecclesia est cœtus, sensibili atque aspectabili ex corpore esse constitutos, in dubium reuocare potest.

Sententia igitur nostræ assertionis hæc est: euidenter posse omni seculo conspici, & internosci, & quasi digito demonstrari congregationem aliquam hominũ, de qua possit ac debeat vnusquisque firma fide, tametsi alioqui obscura, credere quòd sit vera Ecclesia, (id est, cœtus rectè Christum colentium) quòd vera fide copuletur, quòd Spiritu sancto regatur, quòd aliis muneribus atque prærogatiuis sit prædita, de quibus partim iam dictum est, partim dicetur. Ita fit, vt, quamuis isto modo Ecclesiam visibilem esse statuamus, suum locum tamen (quod non videbant Sectarij) in Symbolo relinquamus illi articulo, quo credimus Ecclesiam esse, & esse sanctam, &c.

Esse verò isto modo Ecclesiam conspicuam, fremant licet lucifugæ Sectarij, Scripturæ sanctæ certissimis testimoniis conuincitur.

I. Nam primùm aperta est illa Christi oratio de Ecclesia Matth. 5. *Vos*, inquit, *estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Item: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.*

Quibus duobus testimoniis AVGVSTINVS lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 14. ad eam ipsam rem vsus est contra Donatistas: *Non est*, inquit, *operta Ecclesia. Quia non est sub modio, sed super candelabrum: Et de illa dictum est: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Sed Donatistis* (intellige etiã Lutheristis & Caluinistis) *operta est, quia audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe esse demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere, qui cùm esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram.* Hactenus D. Augustinus.

Qui etiam illud Dauidis Psal. 18. huc pulchrè accommodat: *In sole posuit tabernaculum suum, id est*, (inquit Augustinus in eundem Psalmum) *Ecclesiam suam in manifestatione.* Nam & alibi etiam (Psal. 30.) Ecclesiã intelligit Rex Dauid per hoc tabernaculum: *Protèges*, inquit, *eos in tabernaculo tuo.* Vbi etiam Augustinus ibidem: *Quid est*, inquit, *tabernaculum Dei, nisi Ecclesia præsentis temporis, quæ tabernaculum ideo dicitur, quoniam adhuc in terra peregrinatur?*

Sed recitemus integrè superiorem locum Augustini in Psalmum 18. qui de Ecclesiæ claritate videtur hodie contra Sectarios loqui: *In manifestatione* (inquit Augustinus) *posuit Ecclesiam suam; non in occulto, non quæ lateat, non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum. Quid tu hæreticè fugis in tenebras? Quid latitare conaris?* Hactenus ibi Augustinus.

Nec potuit certè Isaias illustrius significare hanc Ecclesiæ Christi claritatem, quàm cùm de fidelibus, ex ipso Dei ore, hunc in modum vaticinatus est, Isai. 61. *Fœdus*, inquit, *perpetuum feriam eis: & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Atque vt alia multa, quæ ad hanc rem ex Scripturis adduci possunt, præteream; ad Ecclesiam ipsam pertinet, auctore Augustino libro 18. de ciuitate Dei, cap. 32. quod ita vaticinatus est Propheta Abac. cap. 3. *Operuit cælos gloria eius, laudis eius plena est terra: Splendor eius, vt lux erit.*

II. Extra controuersiam est, omni tempore aditum ad Christi Ecclesiam iis omnibus patere, qui extra eam sunt, vt possint ac debeant ad eam se aggregare. Sic enim cum ipsa Dominus per Isaiam capite 60. loquitur: *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* At ne intelligi quidem potest, quemadmodum fores Ecclesiæ pateant omnibus, vt ad eam se adiungere & intrare possint, si non ea hominum congregatio queat internosci, quæ vera est Ecclesia. Est igitur illa prorsus conspicua.

III. Neque verò eorum aliquid, quæ in Ecclesia geri debent, si non ipsa pateat, agi posset. Nam si nescias, quam hominum congregationem credere debeas esse veram Ecclesiam; multò minus cognosces, qui sint in Ecclesia tanquam oues, qui verò vt Pastores: id est, quosnam oporteat doctrina & Sacramentis pasci, ac ministerij auctoritate hierarchica ab aliis duci atque regi; qui verò munus sustineant docendi, regendi, pascendi. Quod si ignorent fideles, à quibus quæri, aut quibus impartiri Sacramenta debeant: item cui præcipi possit, aut quibus nam obtemperare oporteat: quænam esse poterit in Ecclesiæ corpore functio membrorum? aut quomodo (quod CHRISTVS iubet) *Ecclesia audietur*, Matthæi decimo octauo, *& pascetur Grex* CHRISTI? prima Petri quinto. Tolletur profectò pulcherrimus ille ordo, differentiaque Ecclesiæ membrorum, quæ vt diuus Gregorius Nazianzenus in oratione de moderat. in disput. habenda, inquit, diuinitus sic constituta est, *vt alij sint oues, alij pastores: illi obediant, ij obtemperent, quò omnia rectè inter se conueniant, commodumq; tam ad præfectos, quàm ad subditos redundet, omnesq; fiant vnum in Christo.*

IV. Hanc etiam esse de Ecclesia sententiam Patrum, non dubium est. Ex diuo Augustino quædam iam recitauimus. Qui rectè quidem

clarita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

claritatem Ecclesiæ inde ostendere solet, quod vbique terrarum diffusa est. Nam quomodo possit esse ignota illa hominum congregatio, quę religionis instituto communicat cum omnibus gentibus? *Quia*, inquit Augustinus lib. 2. contra lit. Petiliani, cap. 32. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: hinc fit, vt Ecclesia vera neminem lateat.*

Et Tract. 1. in epistolã Ioannis: *Nonne*, inquit, *aperta est Ecclesia? Nonne obtinuit omnes gentes? Nonne impletur, quod ante tot annos promissum est Abrahæ, in semine eius benedici omnes gentes? Ecce mons implens vniuersam faciem terræ.*

Tum illud rectè Tract. 2. in eandem epistolam: *Quid amplius*, inquit, *dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui cõtra lucernam in candelabro positam oculos claudunt?*

Hieronymus autem in Dialog. contra Luciferian. ita conspicuam Ecclesiam esse censuit, vt Solem etiam eleganter appellârit. *Poteram*, inquit, *omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.*

Item D. Chrysostomus hom. 15. in Matth. *Sic*, inquit, *eritis manifesti cuncti, quemadmodum ciuitas in montis vertice collocata: vel sicut lucerna in domo super candelabrum relucens. Vbi igitur nunc sunt Christi virtuti increduli? Audiant*, inquit, *ista & prophetiæ potentiam post experimenta mirantes, maiestatem Domini adorando reuereantur.*

His, ne sim prolixus, testimonium vnicum adiungam D. Cyrilli Alexandrini lib. 3. commentar. in Isaiam non longè ab initio, qui rationem, cur Christi Ecclesia Sion, atque etiam Hierusalem nominetur, assignauit his verbis: *Excelsa*, inquit, *& Specula exponitur Sion; Visio autem pacis, Hierusalem. Est autem vtrumque hoc verè Christi Ecclesia: celsa nempe, & illustris, & velut in monte posita.*

Iam verò ad varias Sectariorum argutias hoc loco refellendas diligenter ANIMADVERTI debet, non sic accipiendum esse, quod dicimus, Ecclesiam esse semper conspicuam, quasi velimus eam omni tempore dignosci posse æquè facilè. Nouimus enim iis illam aliquando errorum, schismatum, persecutionum fluctibus esse agitatam, vt imperitis quidem, nec satis prudenter rationes temporum, rerumque circumstantias æstimantibus, cognitu fuerit difficilis. Quod tum maximè accidit, cùm Arrianorum perfidia in orbe penè toto dominabatur. Nam & eo tempore, scripsit Hieronymus contra Luciferianum, Ecclesię nauem esse fermè obrutam; & Hilarius libro contra Auxentium sub finem, pluribus admonuit verbis, non fuisse Ecclesiam tunc temporis in tectis & exteriori pompa quærendam, sed potius in carceribus & speluncis.

Non igitur negamus, quin fuerit alio quàm alio tempore difficilius Ecclesiam dignoscere. Hoc tamen asserimus, semper illam potuisse à prudentibus rerum æstimatoribus internosci. Etenim illo ipso tempore, quo videbatur latere, cum præteritis temporibus collato, deprehendi potuit, Ecclesiam non apud multitudinem eorum, qui religionem innouabant, sed apud paucos illos potius fuisse, qui quod veteres Ecclesiæ Patres, & fideles omnes magno consensu diuturnisque temporibus tenuerunt, consectabantur.

Quod præclarè mihi de prouidentia Dei erga Ecclesiam cogitauisse D. AVGVSTINVS epistola 48. ad Vincentium videtur, cùm ita scripsit: *Ipsa est*, inquit, *Ecclesia, quæ aliquando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, vt sagittent in obscuro rectos corde. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet.*

Itaque cùm Ecclesiam omni tempore esse visibilem, id est, cognitu facilem, affirmamus: non ad præsentem tantummodò statum, quem habeat illa vno tempore aut altero, sed etiam ad perpetuam eius continuamque successionis seriem respicimus. Hæc series si cogitetur, & diligens adhibeatur temporum atque personarum comparatio: neque latuit Ecclesia, neque vnquam latere poterit, sed *in suis firmissimis*, vt Augustinus inquit, semper *eminebit*. Qua re animaduersa, tenebræ omnes facilè discutiuntur, quas offundere lucifugæ Sectarij luci atque claritati Ecclesiæ hoc in loco conantur.

SEPTIMA Eccl. proprietas.

ILLA quoque præclara est Ecclesiæ prærogatiua, quod sic à Spiritu sancto sibi assistente veritatem omnem fidei docetur, vt *aberrare* ab ea minimè possit. Ac notet hoc loco Lector, non ipsam fidei veritatem per se à nobis nominari Ecclesiæ prærogatiuam & quasi proprietatem: hæc enim essentia ipsa potius seu de essentia Ecclesiæ est; quatenus Ecclesia videlicet congregatio fidelium esse describitur. Non igitur ipsam per se doctrinæ fidei veritatem, sed assistentiam illam Spiritus sancti, qua fit, vt à veritate Ecclesia aberrare non possit, in prærogatiuis, & quasi proprietatibus Ecclesię numeramus. Quæ quidem explicatio quorsum pertineat & quantum ad redarguendam Sectariorum obstinatam inscitiam valeat, quòd veritatem ipsam doctrinæ fidei pro nota Ecclesiæ assignent; suo loco postmodum clarissimè intelligetur.

Nunc quod asserimus Ecclesiæ etiam prærogatiuam esse, quòd à veritate fidei descisere nequeat, Apostolus 1. Tim. 3. satis indicat, cùm Ecclesiam ideo vocat *columnam atque firmamentum veritatis*. Et habemus illustres hac de re promissiones, Ioan. 14. *Ego*, inquit Christus, *rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Ac rursus in eodem Euangelio Ioannis, cap. 17. *Pater*, inquit, *sanctifica eos in veritate.*

Sermo tuus veritas est; & ego pro eis sanctifico me ipsum, vt sint ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro illis etiam, qui credituri sunt per verbum illorum in me. Ex qua Christi precatione (cùm efficax fuerit) sanè perspicitur, ita Ecclesiæ promissum esse Spiritum veritatis sanctum, vt ea promisio nõ modò ad illos, qui Apostolorum temporibus vixerunt, sed etiam ad omnes posteros pertineat, ex quibus quacunque ętate Ecclesia Christi coalescat.

Idipsum clarissimè Deus per Isaiam est testatus his verbis Isai. 59. *Hoc fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, nõ recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui amodò et vsq; in sempiternũ.* Quam promissionem & Christus ipse cõfirmauit, Ioan. 14. *Alium*, inquit, *paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, vt maneat vobiscum in æternum.* Nec sanè adest Christus Ecclesiæ suæ, vti promisit Matt. 28. vsque ad consummationem seculi, & non eam in veritate conseruat, cùm sit ipse magister veritatis. Quare præclarè Augustinus, terram illam, quæ fundata est (vt Rex Dauid Psalm. 103. inquit) super stabilitatem suam, nec inclinabitur in seculum seculi; Ecclesiam intelligit supra fundamentum, quod est Christus, fundatam: *Ipsa est enim*, inquit in concione prima in illum Psalmum; *Prædestinata columna & firmamentum veritatis.*

Cæterùm, quoniam promissiones hæ generale quiddam sonant: explicanda iam vis illarum est speciatim. Summa hæc est. PRIMO, Si quando oriantur controuersiæ de fide, Ecclesiam non posse in iis definiendis à veritate aberrare. Hæc autem Ecclesiæ infallibilis auctoritas ad definiendum non est in singulis fidelibus, quippe qui sine controuersia possunt errare singuli. Neque est etiam in omnibus omnino fidelibus. Fruſtrà enim data illis esset, cum fieri vix possit, in fidei causis, vt ab omnibus illis sigillatim sententia dicatur. Sed refidet illa summa Ecclesiæ auctoritas (vt postea sumus ex instituto probaturi) in Christi Vicario, summo Pontifice; siue vnà cum Episcoporum concilio, siue absque concilio res fidei definire velit.

SECVNDO, vis etiam illarum promissionum est, omnes fideles non posse deficere à doctrina fidei, neque omnino, neque quoad aliquam ipsius partem. Nam si deficerent omnes, Ecclesia tota deficeret. Ita falsa esset illa Dei pollicitatio facta Ecclesiæ per Prophetam Oseam 2. *Desponsabo*, inquit, *te mihi in fide vsque in sempiternum.*

TERTIO, nec posse omnes fideles in vniuersum aliquem articulum fidei ignorare. Id probatur ex illa promissione, Ioannis 14. *Docebit vos omnem veritatem.* Item, *Ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis.* Est enim sensus, Spiritum sanctum minimè passurum, vt cognitio alicuius fidei veritatis penitus in Ecclesia extinguatur.

QVARTO, ostendit rectè Melchior Canus libro 4. de locis Theolog. cap. 4. eam etiam vim prædictarum promissionum esse, vt nequeat Ecclesia tota persuadere sibi sententiam aliquam erroneam, etiam in materia, quæ non pertineat ad fidem. Nam hoc quidem pati, alienum esset ab illo Spiritu veritatis, quo semper Ecclesia regitur.

QVINTO, quod dictum est, omnes fideles, neque omnino, neque partim aut errare à fide, aut ignorare fidei articulum aliquem, aut persuadere sibi quidquam falsi in vllo genere posse, hoc idem de Ecclesiæ Pastoribus atque Doctoribus omnibus dicendum est: vt rectè demonstrat ille idem auctor. Primùm, quoniam Pastores & Doctores, quum sint in Ecclesia primarij: tota quasi censentur Ecclesia. Itaque cùm Scriptura commemorâsset, congregatos esse omnes principes filiorum Israël: perinde ac si nemo prorsus de Ecclesia defuerit, subiunxit (3. Reg. 8.) *Tunc conuersus Rex benedixit vniuersæ Ecclesiæ; Omnis enim Ecclesia*, inquit, *astabat.* Qua etiam ratione Aristoteles 9. Ethic. capite nono scripsit, ciuitatem id esse, quod est in ciuitate præcipuum.

Deinde huc accedit, quod si Pastores & Doctores omnes à veritate aberrare possent, consequenter omnes fideles in vniuersum possent errare. Ab illis enim isti eruditiuntur in Ecclesia. Quãobrem hoc ipso, quod errare fideles omnes non possunt; necessariò fatendum est, neq; posse Pastores omnes atq; Doctores errare. Immo idcirco fideles omnes errare non possunt, quia Pastores omnes & Doctores omnino errare nequeunt. Ipsos enim ad eam rem esse datos affirmat Apostolus ad Ephes. 4. vt alij *non circumferantur omni vento doctrinæ in circumuentionem erroris.*

Cùm verò hoc loco dico Pastores & Doctores omnes: non tantùm omnes omnino intelligo, sed etiam ita maiorem & illustriorem eorum partem, vt reliqui penè nulli sint (id est, nullius auctoritatis) si cum illis comparentur. Vnde sæpè fit, vt cum aliquis, aut etiam aliqui Doctores errant, rectè & infallibiliter possint aliorum Doctorum consentiente auctoritate refelli & premi. Quod magis postea declarabimus, cùm regulas quasdam ostendemus, quas oportet ab Ecclesia consuli cùm sunt res fidei definiendæ.

Nunc OBIICIAT aliquis; Cùm quilibet fidelis, & quilibet Doctor per se, immo quælibet Ecclesia particularis errare possit: consequens videri, vt possint errare in vniuersum omnes Doctores & fideles, atque adeo Ecclesia ipsa tota.

RESPONDEO. Vitium est in omni argumenti materia maximum, quod de singulis dicitur, id velle transferre per consequentiam ad omnes. Adest ita Spiritus sanctus Ecclesiæ, vt non possint

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem errare omnes: sed (quod singulis certè, non autem ipsi Ecclesiæ, vtilius esset) iustis rationibus non vult sic adesse, vt nequeat errare hic aut ille: *Oportet enim hæreses esse, vt qui probati sint, manifesti fiant, 1. Corinth. 11.*

Rursus OBIICIES, quod olim Ecclesia Israëlitica omnis errauit, cùm adorauit vitulum in deserto, 3. Reg. 18. Quod idem euenisse videtur Eliæ temporibus: cùm is relictum esse se solum conquereretur. Cur non igitur & Christi Ecclesia similiter errare posit? Sed & ipse Christus Lucæ decimo octauo dicit: *Cùm venerit filius hominis, putásne inueniet fidem in terra? Quasi diceret: Non inueniet.*

RESPONDENDVM est, morem esse Scripturę interdum, vt quod in paucis reperitur, negetur vniuersim. Sic in Psalmo 13. dicitur: *Non est, qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Quod nemo tamen ita, vti sonat, intelligit. Sic Eliæ temporibus; quia pauciſsimi rectum cultum retinebant; omnes quasi damnantur infidelitatis: Et se solum relictum esse Elias queritur, 3. Regum 19. cùm tamen seruasset Deus septem hominum millia, *qui non curuauerant genua ante Baal*, ad Roman. 11.

Quod verò attinet ad cultum illum vituli in deserto, Exodi 32. constat certè non ab omnibus illum fuisse adoratum. Non enim adorauit Moyses, non Iosue, quibus erat demandata inprimis cura illius populi. Sed & alij multi ab illo scelere abstinuerunt. Itaque ibidem legimus filios Leui ad vnam Moysis vocem sese illi adiunxisse, & *consecrauisse manus suas Domino, vnumquemq; in fratre suo, & in proximo suo.*

Quod autem Christus inquit: *Putásne inueniet filius hominis fidem in terra?* suprà ex Augustino interpretati sumus. Significat enim, pauciſsimos certè fore postremo illo tempore fideles: Non autem nullos fore. Item indicat, rem esse omnino difficilem, fidem integram conseruare. Quare maneat, Ecclesiam vniuersam à veritate aberrare non posse.

Quod cùm certiſsimum sit, turpiter errauit Montanus, qui, vt refert Eusebius lib. 5. histor. cap. 15. discipulis suis, vt Ecclesiæ per orbem diffusæ auctoritatem tanquam fallibilem contemnerent, præcipiebat. Item Donatistæ ac Rogatiani, quos similiter contempsisse auctoritatem Ecclesiæ, commemorat diuus Augustinus epist. 48. & 50.

OCTAVA Eccl. Proprietas.

EST & illud in Ecclesiæ Catholicæ prærogatiuis vel maximum, quod, vt ex numeratis hactenus eius proprietatibus est consequens, *extra ipsam nemini patet salus.* Quæ ratio est, cur B. Petrus, 1. epist. cap. 3. Ecclesiam cum Arca Noë rectiſsimè comparârit. Hinc illa sententia D. AVGVSTINI lib. 4. de Symbolo, cap. 10. apud omnes vsu trita est: *Non habebit Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere matrem.* Quod certè tam verum est, quàm est verum, sine fide neminem placere Deo posse, Hebr. 11. Nam qui extra Ecclesiã est, recta fide caret: cùm Ecclesia sit congregatio fidelium. Qui autem infidelis est, hostis est Dei, non adoptiuus filius.

Ac præclarè D. AVGVSTINVS libro de vnitate Ecclesiæ, cap. 16. *Ad ipsam*, inquit, *salutem ac æternam vitam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum: habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in corpore eius fuerit, quod est Ecclesia.*

Sed cùm hæc res apud omnes sit in confesso, non est prolixius hoc loco confirmanda. Sed illud ad extremum, quod ad summam hanc Ecclesiæ prærogatiuam attinet, animaduertẽdum: non eos modò in Ecclesiæ corpore, vt salutem quidem assequi possint, hoc loco censeri, qui actu Baptiſmum suſceperunt, sed etiam eos, qui illum habent in votis. Tales sunt Catechumeni. Qui, si in diuina quidem sint gratia; secundùm meritum sanè dici solent ad Ecclesiam pertinere: licet non actu omnino secundùm numerum, vti Doctores loqui consueuerunt.

QVINAM hominum cœtus sit vera Ecclesia, & ex quibus notis id discernendum sit. §. 17.

HAEC cùm ita sint, QVÆSTIO restat huius loci grauiſsima, quænam hominum cõgregatio sit illa, ex qua constat vera Ecclesia. Hoc enim cùm constiterit, etiam cõstabit, apud quosnam sit veriſsimum atque infallibile de doctrina iudicium, quod non est (vt suprà posuimus) nisi in vera Ecclesia. Item etiam inde perspicuum erit, qui sint hæretici, secundùm præceptum Apostolicum ad Titum tertio deuitandi, quorum videlicet proprium est ex Ecclesia exiuisse, 1. Ioan. 2.

Quæ causſa est, vt quoniam nulli vnquam hæretici pro hæreticis agnosci voluerunt, inuisa illis omnibus hæc quæstio fuerit, sicut iam est maximè vniuersis Sectariis. Eos enim, ne deuicti videantur, hæc controuersia compellit, causſam ex desperatione quadam, vt mihi persuadeo, suscipere, quam sentiunt ipsi parùm esse probabilem: nimirum vt doceant, se cùm à Christi Ecclesia semetipsos segregauerint, tamen de Ecclesia Christi non esse egressos, immo se solos esse Christi Ecclesiam. Nam cùm sint soli ac singulares in ratione doctrinæ, necesse est, vt demonstrent, se solos Ecclesiam esse, si nobis persuasuri sunt, omnino se esse in Ecclesia.

Hoc etiam fruſtrà egisse veteres hæreticos annotauit LACTANTIVS lib. 4. instit. cap. 10. *Singuli*, inquit, *hæreticorum cœtus se potiſsimum esse Christianos, & apud se veram Ecclesiam esse contendunt.* Item B. CYPRIANVS in epistola ad Iubaian. *Nouatianus*, inquit, *Simiarum more, quæ cùm homines non sint, homines tamen imitantur; Ecclesiæ auctoritatem*

sibi vendicauit. Et cùm in Ecclesia non esset, sed Ecclesiæ rebellis, reliquos hæreticos faciens, apud se Ecclesiam esse præsumpsit. Ideo etiam diuus AVGVSTINVS libro de vnitate Ecclesiæ contra epist. Petil. cap. 2. hac ipsa de re cum suis & Ecclesiæ aduersariis Donatistis acerrimè pugnauit. *De hoc*, inquit, *inter nos quæstio versatur, vtrũ apud nos, an apud illos vera Ecclesia sit.* Determinanda nunc est igitur, & nobis Ecclesia Christi vera.

Sed importunitas atque etiam astutia quædam Sectariorum nos cogit, vt prius indicemus, ex quibus *notis* idipsum discerni debeat, nempe quæ sit Ecclesia vera. Nam postquam hanc illi de vera Ecclesia quæstionem omnino defugere (quod maximè vellent) non possunt: Saltem facere studeant, vt nunquam illa finiri possit: dum *notas* Ecclesiæ constituunt vsque adeo non notas, vt multò magis in iis cognoscendis laborandum sit, quàm in inuenienda ea ipsa vera Ecclesia, quæ quæritur.

Has *notas* ferè dicunt duas coniunctim esse: *Veritatem* doctrinæ fidei secundùm sacram Scripturam; & legitimum *vsum* Sacramentorum; qui tamen ipse ex doctrina etiam diiudicari debet. Itaque cùm ad iudicandum quis hominum cœtus sit Ecclesia, prius constitui velint, quinam teneant veram doctrinam; consecuturos hac calliditate se putant, vt quæstione proposita de vera Ecclesia; nunquam tamen ad eiusmodi quæstionem propius accedatur, sed de veritate solum doctrinæ quæstio sit primò infinita. Atque etiam isto modo subdolè id agunt, vt ne in quæstionibus de doctrina ipsis vnquam opponi possit Ecclesiæ veræ auctoritas, cùm constare prius de hac nolint, quàm fuerit de veritate doctrinæ constitutum.

Qua ratione laxiſsimum isti sibi faciũt ad pertinaciam locum. Nam cùm difficilis per se (vt suprà docuimus) atq; obscura disputatio de veritate doctrinæ sit; quis erit finis contendendi, nisi auctoritas Ecclesię aliunde cognita, tanquam iudex in doctrinæ quæstionibus interponatur? Facillimè enim *ad imagines phantasmatum suorum*, vt præclarè inquit D. Augustinus lib. 3. de Baptiſmo contra Donatistas, cap. 19. *carnales atq; seductores hæretici conuertunt omnia Sacramenta & verba librorum sanctorum.*

Ergo nostri Sectarij à veteribus quidem hæreticis, quorum pertinaciam imitati sunt, hunc etiam astum didicerunt, vt Ecclesiæ veræ *notas* esse velint doctrinam & Sacramenta. *Omnes enim seductores*, vt D. Augustinus eodem in loco notauit, *non aliter populos fefellerunt, nisi prætextu Sacramentorum & Scripturarũ, quæ tenent*, inquit, *ad speciem, non ad salutem.*

Refutantur euidenter Ecclesiæ notæ, quas Sectarij assignant. §. 18.

NOS autem fatemur, neq; veritate doctrinæ, neq; legitimo Sacramentorũ vsu Ecclesiam Christi carere posse; & apud quos hæc omnino sint salua, ex iis cõstare veram Ecclesiam. Sed negamus tamen, veritatem doctrinæ, & legitimum Sacramentorum vsum idoneas *notas* esse discernendæ Ecclesiæ. Id probamus hoc modo:

Quod neq; vniuersæ doctrinæ fidei, neq; singulariter alicui parti illius cõuenit; id minimè conuenit doctrinæ fidei. Sed neq; vniuersæ doctrinæ fidei, neq; verò alicui parti singulari illius, etiam accedẽte legitimo Sacramentorũ vsu, conuenit, vt sit sufficiens Ecclesiæ discernẽdæ *nota*. Non est igitur Ecclesiæ sufficiens *nota* fidei doctrina, etiam cum legitimo Sacramentorum vsu.

Huius argumentationis partes cùm cõfirmate fuerint; locus omnino tergiuersandi præcludetur Sectariis. Quod enim dicunt, veram doctrinam fidei esse *notam* Ecclesiæ, necesse est intelligant vel de doctrinæ aliqua singulari *parte* (voco autem hîc doctrinæ partem, quidquid dogmatum non sit tota ipsa atque integra summa doctrinæ) vel de doctrina *vniuersa* secundùm omnem sui partem. Nam ne fingi quidem aliquid tertium potest: vt scilicet doctrinæ tribuatur aliquid, neque tamen tribuatur ipsi vel secundùm se totam, vel non secundùm se totam, id est, secundùm partem.

Et non esse quidem Ecclesiæ *notam*, fidei doctrinam, secundùm aliquam tantùm sui partem, probatur euidentiſsimè huiusmodi argumento. Si quid esse posit Ecclesiæ veræ commune cum hæreticis: id non est per se sufficiens nota seu Symbolum veræ Ecclesiæ. Potest autem quæuis doctrinæ pars (vnà cum recto Sacramentorum vsu) communis esse Ecclesiæ veræ cum hæreticis, id est, cum iis, qui sine controuersia sunt extra Ecclesiam. Quare nulla doctrinæ pars potest ipsa per se, etiam cum Sacramentorum vsu sufficiens atque certa esse nota Ecclesiæ. Id confirmatur. Quoniam ex Scriptura diuina constat, hæreticos eos esse, qui vel vnicam fidei sententiam pertinaciter inficiantur, vt ostendemus quæst. 2. p. 6. Potest autem euenire, vt retenta quauis singulari parte doctrinæ, & vsu etiam legitimo Sacramentorum, negetur tamen hæreticè atque pertinaciter vna quædam alia vel altera fidei sententia. Ita fit, vt quæuis doctrinæ pars & vsus Sacramentorum legitimus, possit esse communis Ecclesiæ veræ cum aliquibus hæreticis. Ex quo efficitur, vti concluſimus, non esse id certum ac proprium Symbolum veræ Ecclesiæ.

Quocirca pleniſsima vanitatis opinio est quorundam Sectariorum, qui Sectarios alios, quantumuis de maximis hodie rebus à se diſsidentes, ab Ecclesia vera, in qua se falsò esse putant, propterea excluſos esse non volunt, quoniam teneant illi, vt isti loquuntur, fidei nescio quod *fundamentum*, etſi fidei repugnent alioqui in nonnullis quasi secundariis rebus. Credo autem (nõ enim satis ipsi se declarant) hoc fundamentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

continere intelligunt ea doctrinæ dogmata, in quibus communiter illi omnes conspirant aduersus Ecclesiam Catholicam. Vt, non comparari (scilicet) ipsis bonis operibus vitam æternam: Fas nobis non esse, quidquam boni ad obsequium Dei vltro facere, præter id quod lege iubeamur: Id si faciamus, idololatriam à nobis committi. Omnia etiam iustorum opera, quantumuis bona, esse per se horribilia peccata damnatione digna: Per Christi gratiam non prorsus peccata tolli: Vota castitatis & paupertatis Euangelicæ non esse necessariò seruanda: Et cætera huiusmodi nefaria placita, in quibus arx istorum perfidiæ, tanquam in fundamento est constituta.

Sed vtcunque nobis istud fundamentum interpretentur; certè statuunt illud non in doctrina fidei vniuersa: sed in aliqua tantùm parte doctrinæ, quæ sit ipsis quasi præcipua. Nam si fundamentum hoc illis esset tota fidei doctrina, nõ sanè concederent, eos etiam qui contra doctrinam fidei in aliquibus rebus sentiunt, retinere tamen illud fundamentum, & ob id, vt dicunt, esse in Ecclesia. Atqui iam probatum est, nullam doctrinæ partem sufficere, vt non sis hæreticus extra Ecclesiam, si præterea quid aliud pertinaciter contra doctrinam fidei sentias. Quare nec illud istorum, qualecunque sit, fundamentum sufficiet: cùm illud esse ponant partem tantùm doctrinæ.

Accedit, quod sanctus Apostolus ad Hebræos vndecimo, non fidei aliquam partem, sed ipsam fidem vniuersam nobis descripsit atque commendauit, cùm eam asserit esse sperandarum rerum, id est, salutis nostræ, quasi basim atq; fundamentum. Hoc illud fundamentum est, quod ad Ecclesiæ structuram est initio diuinitus positum, *prater quod nemo potest aliud ponere, quod est Christus* IESVS, *1. Corinth. 3.* per fidem nimirum nulla ex parte falsam aut fictam, sed vndequaque integram atque absolutam & viuam, inhabitans in cordibus nostris. Ab huiusmodi igitur firmissimo fundamento, si vel secundùm minimam eius partem quis decidat; etiamsi in aliis doctrinæ partibus persistat; omnium fiet reus (vt diuus Iacobus de transgressore legis loquitur) excidetque hoc ipso à fidei atque adeo etiam ab Ecclesiæ vnitate.

Quam rem præclarè, vt omnia, sancti Patres intellexerunt. Nempe Gregorius Nazianzenus in Tractatu de fide, Ruffino interprete, Hieronymus lib. 3. Apolog. contra Ruffin. Basilius apud Theodoret. libro quarto histor. Ecclesiast. cap. 17. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, capite 51. Athanasius in Symbolo fidei; quorum hac de re clarissima testimonia infrà quæst. secunda, punct. 6. recitabimus.

Concludo ex iis igitur, nullam doctrinæ singularem partem (quod fuit mihi probandum) certam esse *notam* veræ Ecclesiæ: siquidem quàm libet teneas doctrinæ partem, aut fundamentum; hæreticus esse potes, si quacunq; alia in parte pertinaciter fidei refrageris.

Atque hoc ita esse, ipse etiam Sectariorũ omnium pater Lutherus (vt cæterorum erga se mutuò conuitia omittam) apertè confessus est, tomo 7. operum Luther. in defens. verbor. Cœnæ. Quamuis enim Zuingliani & alij Sacramentarij in doctrinæ multis capitibus, & vt hodie quidam istorum loquuntur, in fundamento (perfidiæ) cum Lutheranis consentiant: tamen quia non per omnia cum iis sunt concordes, ita scriptum reliquit Lutherus: *Hæreticos*, inquit, *scriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zuinglianos & Sacramentarios omnes.*

Tum etiam Petrus Martyr, non ignobilis Sacramentarius, in præfatione libri contra Stephanum Vintonienſem: *Improbamus*, inquit, *nouam quorundam opinionem, qui affirmant, de controuersia Sacramentaria quemlibet posse absque fidei atque salutis periculo, quam velit, amplecti sententiam.* Vel ipsorum igitur Sectariorum testimonio constat, vnicum etiam in fide errorem, si pertinacia accesserit, obstare, quo minus salutem aliquis tanquã Ecclesiæ membrũ adipiscatur, atq; adeo nullam singularem *partem* doctrinæ, sufficientem ac propriam notam esse Ecclesiæ dignoscendæ.

DEINCEPS probo, neque eiusmodi *notam* esse doctrinam fidei *vniuersam*, id est, omni ex parte incorruptam: id quod etiam in argumentatione nostra paulò antè sumpsimus, vt euinceremus, veritatem doctrinæ fidei nullo modo, sicut Sectarij contendunt, proprium atq; sufficiẽs Symbolum esse ad cognoscendam Christi Ecclesiam. Id verò cùm multis argumentis ostẽdi possit, ego tantùm subiungam, quæ mihi maxima, clarissimaq; videntur.

PRIMO. Nota sufficiens ac propria ad dignoscendam Ecclesiam omnino necesse est, vt sit omni hominum generi atque conditioni accommodata. Omnes enim, vt ex Scriptura sacra planissimum est, ad Ecclesiam diuinitus euocantur, neque vllus est, qui non diuina lege debeat, atque adeo qui non etiam prudenter possit vel ad eam aggregare se, si est extra, vel in ea permanere constanter, si ipsius iam est membrum. Quam ad rem procul dubio opus est, vt propriam atq; sufficientem Ecclesiæ dignoscendæ *notam* omnes possint dispicere, quò inter veram Ecclesiã Christi, & hæreticorum aliorumq; infidelium cœtus discernere valeãt. At vniuersa fidei doctrina minimè quidẽ eiusmodi nota est, quæ omnium hominum conditioni, id est, ad omnium captum, sit accommodata. Non est igitur ipsa idonea atque propria Ecclesiæ dignoscendæ nota.

Quid enim? An in Ecclesia Christi omnes sunt, aut etiam esse possunt (1. Cor. 12.) oculi, qui veritatis lumen in omnibus doctrinæ partibus ipsi peruideant? Anne omnes Doctores? Non certè. Sed *quosdam*, inquit ad Ephes. 4. *dedit Doctores.*

Neq;

Neq; quisquam omnino potest satis prudẽter de doctrinæ ipsius veritate, in tam multis quęstionibus hodie cõtrouersis, iudicium ferre, nisi errore penitus animaduerso cõtrariorum argumentorum sciuerit, quemadmodum fides saluberrima, quæ ad beatitudinẽ ducit, defendatur. Atqui *hac scientia*, inquit verissimè D. AVGVSTINVS lib. 14. de Trin. cap. 1. *non pollent fideles plurimi, quãuis polleant ipsa fide plurimùm. Aliud enim*, inquit, *est, scire tantummodò quid homo credere debeat, propter adipiscendã vitam æternam: aliud autem, quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, et cõtra impios defendatur: quã proprio appellare vocabulo scientiã videtur Apostol⁹.*

Quid quod bene cum ipsis etiam huius scientiæ Doctoribus agitur, si non aliqua in parte doctrinæ hallucinentur, à veritateq; aberrẽt. Quod si illis tamen quandoque id accidit, qui professione Doctores aut certè Theologi sunt, & vitam in sacræ doctrinæ studio cõsumpserunt; quis tam demens est, vt omnibus hominũ ordinibus, id est, rudibus etiam, illiteratis, agricolis, opificibus & id genus, tantum cognitionis atq; intelligentiæ tribuat, vt eos censeat vniuersam fidei doctrinam non aliorum tantum auctoritate cõmotos veram esse sibi persuadere posse, sed intelligere quoque & diiudicare ac videre in omnibus illam suis partibus esse veram?

Cogitet tantùm hîc Lector ea doctrinæ capita, de quibus hodie Sectarij partim nobiscum, partim etiam inter se cõtendunt: Nempe de originis peccato, de iustificatione hominis, de operibus, de cultu, de Sacramentis, deq; aliis omnibus locis hodie controuersis, qui cõtinent porrò singuli varias admodum atque multiplices fidei quæstiones. Profectò desipiat, qui à vulgo putet lucem ipsam veritatis in his omnibus doctrinæ partibus controuersis discerni ipsam per se satis atque videri posse. Et tamen non dubium est, quin aliæ etiam sint ac esse possint innumerabiles de fide quæstiones, cùm pateat vniuersa doctrina fidei multò latius, quàm illi loci, qui sunt his temporibus controuersi.

Ac sanè mihi venit in mentem hoc loco admirari vehementer, cur non timeant Sectarij, futurum, vt illico populi, quos seduxerũt, deceptos se esse animaduertant, cùm ab illis audiunt, veritatem incorruptam doctrinæ, de capitibus cõtrouersis, *notam* esse propriã & quasi tesseram, cuius indicio necesse sit ad Ecclesiam se adiungere eos, qui prudenter saluti suæ voluerint esse consultũ. Ratiocinabitur enim hîc secum facillimè homo Lutheranus vel Sacramentarius illiteratus, seu Princeps ille sit, seu nobilis, seu mercator, seu aliquis opifex, seu etiã rusticus in hũc modum: Qui consultè ac prudenter in Ecclesia Christi sunt, ij notitia veræ doctrinę de locis cõtrouersis ad Ecclesiam sunt adducti; vti me docẽt mei Prędicantes. At ego mihi euidenter conscius sum, non intelligere me, neq; satis diiudicare ac videre ipsam fidei veritatem, in illis omnibus doctrinæ partibus; nõ enim studui literis, neq; Theologus sum, neq; adeo res ipsas (licet nomina quidẽ audiam) ita mente comprehendo, vt ad iudicandum de veritate doctrinæ controuersæ oporteret: non, inquam, comprehendo satis, quid omnino peccatum sit naturæ, siue originis, quid redemptio generis humani, quid vnio personalis duarum naturarum in Christo, quid transubstantiatio, quid ESSE circumscriptum vel incircumscriptum corporis Christi, quid iustificatio formalis, quid opus operatum, quid meritum, aliaque sexcenta, de quibus hodie maxima contentione disceptatur. Sed neq; disputationes & argumenta dissentientium partium cõferre atq; momentis suis ponderare mihi facilè est, vt necesse haberem ad iudicandum in tot cõtrouersiis, de veritate ipsa doctrinæ. Non igitur ego sum consultò atque prudenter in Christi Ecclesia, sed aut sum extra illam, aut sum in ea non nisi temerè, nempe motus humana auctoritate (sicut in rei veritate sum) meorum Prædicantium, quos puto, licet ipse non intelligam, habere veram ac cõsentaneam Scripturæ sacræ doctrinam. Quod si ita est, certè decipiunt me, cùm eiusmodi viam ad Ecclesiam, nempe cognitionẽ veræ doctrinæ, mihi ostendunt, per quã sum mihi sat conscius, & ipsi etiã sciunt, incedere me non posse. Hîc quomodo, quæso, expedient se Prædicantes?

SECVNDO. Non modò, vt dictũ est, omnibus facilis ad cognoscendum esse debet *nota* ipsa Ecclesiæ, sed cognitu etiam facilior, quàm id ipsum, quod quæritur, nempe vtrum hic aut ille cœtus hominum vera sit Ecclesia. Ideo enim alicuius rei *notam* appellamus, quòd facilius ipsa in hominum notitiam incurrat, atque adeo perspicuum indicium sit rei magis abditæ, quam inquirimus. At omnium iudicio æquè difficile, immo difficilius esse putatur, statuere, vtrum homines hi vel illi complectantur sanam omnino doctrinã, quàm, vtrum ex his aut illis vera Christi Ecclesia, in Scripturis sanctis descripta, constet. Quare sana atque incorrupta omnino fidei doctrina non potest idonea esse *nota* dignoscendæ Ecclesiæ. Nam si Ecclesiam ex aliquo alio indicio cognoscere facilius non esset, quàm ipsam per se doctrinæ veritatem intelligere, non ipsa Ecclesia tanquam magistra & custos ipsius veritatis omnibus ac præsertim cognitione paruulis proponeretur, vt illi tanquam firmamento & columnæ innitentes non circumferantur omni vento doctrinæ.

Quod præclarè intelligens D. Augustinus lib. 13. contra Faustum, cap. 13. Catechumenum, de ratione cauendi doctrinæ errores, his verbis non frustrà interrogantem alicubi facit: *Quo ergo*, inquit, *signo manifesto adhuc paruulus & nondum valens liquidam à tot erroribus discernere veritatem; quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem iam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor?* Hîc certè minimè dubium est, quin Au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gustinus persuasus fuerit, faciliùs à rudi Catechumeno, quæ sit Ecclesia Christi, in qua doctrinæ errores debeant vitari, cognosci posse, quam ipsam per se liquidam veritatem à tot erroribus segregatam.

Itaque longè aliud Catechumeno sic percontanti Augustinus respondit, quàm opinione Sectariorum debuisset respondere. Interroganti enim Christiano Catechumeno, quo manifesto indicio (vt Augustinus inquit) ad euitandum errores Ecclesiam possit tenere, cùm alioqui paruulus ipse non valeat liquidam veritatem discernere à tot erroribus, respondendum Sectarij putant, non alio indicio Ecclesiam ab eo esse dignoscendam, nisi illo ipso, quod se non posse discernere verissimè ille asseuerat; nempe liquida, neque vllis erroribus contaminata, doctrinæ veritate. Augustinus verò id responsum, quoniam est stultissimum, Catechumeno dandum non censuit: Sed ex Propheta Hieremia, cap. 17 ei respondet: *Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet & apparet. Ipsa est enim* (vt ait Propheta) *sedes gloriæ: de qua Apostolus dicit: Templum enim Dei quod estis vos. Vnde iste Propheta dicit: Sedes autem gloriæ exaltata est.* Sed quemadmodum ex claritate, & aliis (eiusdem Augustini quoque sententia) manifestis indiciis Ecclesia dignosci possit, postea dicemus. Nunc non eam esse *notam* Ecclesiæ, quam Sectarij volunt, scilicet doctrinæ veritatem, ea ratione probamus, quia non est notior hominibus, quàm ipsa Ecclesia.

Cui argumento non satisfecit nuper quidam Sectarius, nempe Antonius Sadeel in refutatione Thesium Posnanienſium, de Ecclesia, cùm respondit indoctè, vt doctrinæ veritas sit Ecclesiæ *nota*, satis esse, quod naturâ sua sit notior quàm Ecclesia, etsi non sit eâ notior secundùm nos. Hoc imperitissimè dici nemo dubitare poterit, qui rationem teneat Notioris *secundùm naturam*, & item Notioris *secundùm nos*. Naturâ enim notius id dicimus, quod habet in se plus rei atque perfectionis. Nam cùm intelligentia nostra, in re ipsa atque rei perfectione perspicienda versetur, illud, naturâ quidem sua, notius seu magis cognoscibile est, quod naturâ plus habet perfectionis intelligibilis. Notius autem secundùm nos illud dicitur, quod spectata nostræ intelligentiæ imbecillitate, humanaq; conditione, facilius à nobis cognosci potest. Vnde fit, vt quia rebus perfectissimis perspiciendis, ob exiguum mentis nostræ lumen, impares sumus; illa secundùm nos minus nota sint, quæ sunt notissima suâ naturâ. Quod appositè Philosophus libro secundo Metaphys. cap. 1. textu 1. declarauit, vbi breuiter dixit: ita se habere intellectum nostrum ad ea, quæ sunt manifestissima naturâ, vt oculus noctuæ se habet ad lumen solis: quod etsi natura sua maximè omnium visibile sit, à noctua tamen vix videri potest.

Iam verò cùm rei *notam* appellemus non id, quod in se plus habet, vnde cognosci possit, sed quod nobis inprimis ad rem obscuriorem facilius ex nostra parte cognoscendam adiumento est; profectò non est satis, vt rei *nota* sit notior naturâ suâ, sed oportet, vt inprimis nobis ipsis seu *secundùm nos* sit notior. Quare si doctrinæ veritas non secundùm nos, vt iste fatetur, sed naturâ tantùm notior quàm Ecclesia est; nequaquam Ecclesiæ *nota* esse potest. Si enim naturæ atque intelligentiæ nostræ modo, & conditione spectata, notior nobis ad cognoscẽdum veritas doctrinæ non sit, vt eius tanquam lumine, in videndo vbi sit Ecclesia, iuuemur; quid, obsecro, nobis ad Ecclesiæ cognitionem ea *nota* valebit? Non plus certè (vt exemplum vrgeam Aristotelis) quàm lumen solis ad cernendum adiuuat oculos noctuæ. Verùm hi homines lynces in Scripturis videri volunt; cùm tamen repudiata Ecclesiæ luce, quæ ad intelligentiam Scripturarum necessaria est, vix tantum in illis videant, quantum noctuæ & vespertiliones in lumine Solis.

Tertio. Valdè absurdum est, illud assignare pro sufficienti rei alicuius nota, quod ipsum tanquam abditum atq; obscurum, vnà cum ipsa re vel maximè inquiritur. Exempli causſa, si quæram, in quonam loco Germaniæ cælum sit salubre, vt talem locum inuenire, & ad eum me conferre possim: Certè ineptè atque etiam ridiculè respondebis, si tantummodò dicas, in eo Germaniæ loco salubre esse cælum, vbi rarissimum est, vt homines propter aëris intemperiem ægrotent. Id enim ipsum est, quod quæro, vbi nam scilicet sit talis locus: cuius proinde necesse est, vt aliquam aliam *notam* mihi ostendas, cuius indicio talem locum salubrem inuenire, & ad eum me conferre possim: Vt, si dicas salubrem locum esse qui est patẽs, & expositus ventis, nec paluſtris, &c.

Sic cùm quærimus, quisnam hominum cœtus sit Ecclesia; certè etiam inprimis quærimus, quis hominum cœtus incorruptam teneat doctrinæ fidei veritatem: vt si ad eum nos aggregemus, de veritate securi simus. Itaque assignare oportet aliam Ecclesiæ *notam* præter ipsam veritatem doctrinæ, quam simul inquirimus. Videmus enim veritatem omnes sibi Sectarios summa contentione arrogare; ideoque cùm audimus Ecclesiam esse firmamentum & columnam veritatis, & ea de re præclaras habere à Deo promissiones, quæ nequeunt fallere; Ecclesiam inquirimus, vt in illa quoque certò inueniamus doctrinæ veritatem. Item scimus, doctrinæ fidei veritatem ad ipsam Ecclesiæ substantiam (vt suprà quoque notauimus) pertinere: Describitur enim Ecclesia esse congregatio profitentium veram fidem, & aliquorum saltem verè fidelium, id est, qui in ea congregatione fidei doctrinam inuiolatam tenent. Ex quo etiam necessariò

sariò efficitur, vt si cum iudicio, quinam cœtus Ecclesia sit, inquirimus: inprimis etiam quæramus, apud quosnam sit incorrupta doctrinæ fidei veritas. Quare respondere hîc, eum cœtum hominum Ecclesiam esse, qui fidei veritatem tenet; minimè satis erit.

Quam ad rem declarãdam (quoniam vel hoc vnum argumẽtum satis Sectariorum cæcitatem redarguit) vtar altero exemplo ex hac ipsa quæstione sumpto. Quæro enim à Sectariis, vtrum nõ sentiant, illam quoque, non minus certò quàm constantiam in veritate doctrinæ, esse Ecclesiæ prærogatiuam, quòd extra ipsam videlicet nemini contingat æterna salus? Opinor in ea re Apostolo Petro non repugnabunt, qui eam ob causſam Ecclesiam cum arca Noë comparauit, 1. Petr. 3. Neq; etiam reiicient peruulgatum illud dictum Augustini lib. 4. de Symbolo, cap. 10. atq; aliorum Patrum: *Non potest Deum in calis habere Patrem, qui non habuerit Ecclesiam in terris matrem.* Rursus ab eis interrogo, num percontanti, quis hominum cœtus sit vera Ecclesia; satis fuerit respondere, eum hominũ cœtum veram Ecclesiam esse, extra quem nemini vnquam cõtingit salus? Negabunt procul dubio satis esse. Quam ob rem verò? Quia nimirum hoc ipsum vel maximè quis quærit, cùm de Ecclesia quærit; in quonam videlicet hominum cœtu, tanquam in vera Christi Ecclesia, sit certa salutis spes, vt ad eum tanquam ad arcam in diluuio sese recipiat. Quare alia *nota* ipsi opus est, ex qua vtrumque intelligat, scilicet & aliquem hominum cœtum esse veram Ecclesiam, & in eo solo proinde posse sperari salutem. Cùm igitur (vt dictum est) pari modo doctrinæ veritatem, qui de Ecclesia inquirunt, vnà cum Ecclesia, immò in ipsa substantia Ecclesiæ quærant; profectò non rectius iis respondebitur, Ecclesiam esse eum cœtum hominum, qui veritatem tenet doctrinæ, quàm si respondeas eum cœtum esse Ecclesiam, in quo sola est certa salutis spes.

Nam (quod sæpè repetẽdum est) veritatem inuenire cupimus, cùm Ecclesiam indagamus, in eiusq; quasi gremio contineri volumus. *In ventre enim Ecclesiæ*, inquit elegantissimè D. Avgvstinvs in Psalm. 57. *veritas manet. Quisquis ab hoc vẽtre separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur. Necesse est, inquam, vt falsa loquatur, quisquis aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.* Sic Augustinus, qui maximè certè hac oratione argumentum nostrum confirmat.

Ex quo planè intelligitur, crassissimam esse quorundam Sectariorum ignorãtiam, cùm nunc garriunt, ideo Ecclesiam ex veritate doctrinæ dignosci oportere, quia doctrinæ veritas sit illi intima & substantialis. Ita Sadeel in refutatione Thesium Posnanienſium. Atqui inde potius perspicere isti deberent, doctrinæ veritatem nõ esse idoneam ac sufficiẽtem Ecclesiæ *notam*, siquidem ipsa etiã in Ecclesiæ substantia, & tãquam in eius ventre (vt loquitur Augustinus) abdita, simul quæritur ab iis, qui inquirunt Ecclesiam. Ideo aliis notis opus omnino est, quæ eam substantiæ rationem in vera Ecclesia nobis demonstrent.

Tales autem notæ, vt paulo pòst ostendemus, sunt Ecclesiæ quædam manifesta accidẽtia. Quæ tantùm abest, vt quia accidentia Ecclesiæ sunt, ideo esse nequeant (sicut imperitè isti ratiocinantur) Ecclesiæ *notæ*, vt vel eo nomine maximè illis *notæ* ratio conueniat. Sunt enim ferè accidentia rei ipsa re clariora, faciliusque in hominum cognitionem incurrunt. Quæ ratio est, cur etiam Philosophus in vniuersum verissimè senserit, vniuscuiusque rei accidentia ad ipsius essentiam siue substantiam cognoscendam conferre.

Quod si necdum hoc sibi persuadent Sectarij, sed doctrinæ veritatem eo ipso, quod de Ecclesiæ substantia est, sufficientem Ecclesiæ *notam* esse putant; obsecro, mihi dicant, si Deus talem aliquam naturam indiuiduam hominis conseruaret, in qua nec humana figura, neque hominis vlla operatio, neque aliquod omnino humanum accidens, præter humanam substantiam esset, quod percipi posset: dicant, inquam, vtrum ex sola substantiæ hominis definitione (nempe animal rationale) quæ nihilominus illi naturæ tunc conueniret, posset omnino aliquis hominum deprehendere, naturam hominis illam esse? Nullus profectò, nisi Deus vel Angelus, id cognoscere posset. Sunt enim nobis essentiæ ipsæ per se rerum obscuræ & abditæ; neque ad eas intelligentia nostra nisi per accidentia, penetrare vllo modo potest. Quocirca doctrinæ veritas non eo ipso, quod essentia seu ratio Ecclesiæ sit, sufficiens est Ecclesiæ nota: sed vt aliarum rerum, sic etiam Ecclesiæ accidentibus quibusdam ratio *notæ* competit.

Qvarto. Vniuersa fidei doctrina incorrupta atque integra non potest esse necessaria & idonea nota eius rei, quæ vna quædam pars est doctrinæ fidei. Esset enim tunc, secundùm eam quidem partem, *nota* suiipsius: & sic seipsa quo ad eam quidem partem, deberet esse magis & minus, prius & posterius nota, quod est planè absurdum. At vna quædam fidei doctrinæ pars est, quòd ille cœtus hominum sit vera Ecclesia, qui reuera est. Non est igitur vniuersa fidei doctrina eius rei dignoscendæ necessaria atque idonea *nota*.

Sed neque fidei doctrina tota, hoc vno excepto fidei dogmate (nempe illum cœtum esse veram Ecclesiam, qui reipsa est) pro idonea Ecclesiæ nota, assignari potest. Fac enim, aliquem hominum cœtum de omnibus aliis fidei dogmatibus rectè sentire, & in illo solo articulo fidei errare: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*: certè vel ob hunc solum errorem cœtus ille non vera Ecclesia fidelium: sed Synagoga esset hæretico-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum. Ita fit, vt ne ex veritate quidem doctrinæ in reliquis omnibus fidei partibus, tanquam ex certa & sufficienti *nota*, statui possit, aliquem determinatè cœtum esse veram Ecclesiam. Quanquam iam quidem, secùdùm partitionem, quam suprà fecimus, probationis nostræ contra Sectariorum notas, inprimis illud confirmamus, vniuersam omnino fidei doctrinam nō esse idoneam notam Ecclesiæ. Quod autem neq; sit secundùm aliqua dogmata (quæcunq; illa fuerint) antea quoq; est à nobis probatum.

QVINTO. Neque verisimilis, neque diuinæ erga homines prouidentiæ consentanea res est, vt inde dignoscere atque discernere oporteat Ecclesiam, quod, etsi falsò quidem, tamen summa cum facilitate singuli quique hæreticorum cœtus sibi arrogant. Immo verò, siquid tale est, id profectò non modò secundùm Dei prouidentiam non est *conueniens* Ecclesiæ nota, sed ne *nota* quidem: cùm adeo parum ipsum sit notum, vt in eo falli atque errare tam sit omnibus iis procliue, qui in fidei rebus falluntur. At quàm facile vniuersi hæretici de doctrinæ veritate, atque bono Sacramentorum vsu glorientur, quis est, qui ignoret? Certè & videmus id non absque dolore ipsi in omnibus huius ætatis Sectariis (quod ne ipsi quidem diffiteri possunt) & de hæreticis similiter temporum superiorum idem cognoscimus sanctorum Patrum testimoniis. *Facillimè enim*, inquit AVGVSTINVS libro tertio de bapt. contra Donat. cap. 19. *ad imagines phantasmatum suorum, carnales atque seductores hæretici conuertunt omnia Sacramenta, & verba librorum Sanctorum.* Quod idem aliis verbis Irenæus libro primo aduersus hæreses, capite primo, & Tertullianus lib. de præscript. testatum reliquerunt.

At enim, inquiunt Aduersarij, falsò sibi hæretici verbum Dei, id est, fidei doctrinam arrogant. Certè. Nam à sententia & intelligentia ipsa, in qua verbum Dei propriè consistit, aberrant, tantumque Scripturæ sacræ literis, tanquam melle oblitum venenum opinionum suarum, pro cælestis doctrinæ succo venditant populis, quos miserè decipiunt. Sed quia tam facile est vniuersis hæreticis doctrinam veram falsò sibi arrogare, & eiusmodi prætextu Ecclesiam se esse cum multorum exitio persuadere: ideo rectè cōcludimus, non esse credibile, quod aliæ non sint Dei beneficio clarissimæ notæ, quarum perceptione paruuli etiam ac simplices, qui non *valent ipsi liquidam* (vt ait Augustinus lib. 13. contra Faustum, cap. 13.) à tot erroribus discernere veritatē, possint ad Ecclesiam Christi, tanquam ad salutis tutissimum portum, sese recipere.

Quid enim, quæso? alioqui faciat seu rusticus, seu mercator, seu artifex, seu nobilis illiteratus, qui suæ salutis cupidissimus diligenter atque sollicitè interrogat, apud quosnā Ecclesia sit, quorum cœtui aggregare se debeat? Obit eius rei caussa Germaniam & Galliam totā; interrogat Zuinglianos, Lutheranos, Husitas, Anabaptistas & harum omnium Sectarum quascunq; factiones, in quas vnaquæque rursus multipliciter, varieque diuiditur. Audit ab omnibus huiusmodi Sectariis pari contentione sibi dici, Ecclesiam Christi eam esse, quę veritatem doctrinæ retinet, & rectum vsum Sacramentorum: Se autem omnino eos esse, qui veram doctrinam & Sacramentorum rectum vsum retineant: Proinde suum ipsorum cœtum esse Christi Ecclesiam, cui aggregare vnusquisque se debeat. Hæsitat hīc animo miser ille; cùm omnes eiusmodi Sectarios videat æquè sibi auctoritatem Ecclesiæ vēdicare: neque ipse satis ex differentia doctrinæ (quæ pro *nota* ei proponitur) diiudicare valeat, quinā potius ex illis sint vera Ecclesia. Quod si de peccato, de iustificatione, de meritis, de Sacramētis, dūq; aliis doctrinæ capitibus hodie controuersis explicare ipsi velis, quæ sententia sit verior: obsecro quid ipsum iuuas? An enim hominē illiteratum de iis rebus rectè iudicaturū arbitraris, quas vix Theologi multorum annorum spatio in scholis discere potuerunt? Audiet verba, quę proferes, & nonnihil etiam fortasis intelliget: sed nisi demēs quoq; & non tantum illiteratus eiusmodi homo sit, euidenter sibi conscius erit, se res illas (etiam quod attinet tantum ad ipsa pūcta his temporibus cōtrouersa, vt nihil de exactiori cognitione Theologicorū dogmatum dicamus) non ita certè intelligere, vt valeat ipse liquidam à tot erroribus discernere veritatē. Quid igitur talibus facies? Ad scholásne omnes ducendi sunt, vt inde, cùm intellexerint doctrinæ veritatē, deduci demum eius *notæ* beneficio, ad veram Ecclesiā possint? Profectò fuisset crudele, & est adeo incredibile, Deum non per alias notas Ecclesiæ clariores, minusque fraudi hæreticorum expositas, voluisse hominum saluti consulere.

SEXTO. Maximum pondus in fidei controuersiis, Ecclesiæ veræ auctoritatem habere, & eam idcirco rectissimè ad reuincendos errores in eiusmodi quæstionibus interponi, extra omnem controuersiam est. At nec valeret Ecclesiæ auctoritas in eiusmodi quæstionibus aliquid, nec in illis iure interponi posset, si veritas doctrinę fidei integra atq; incorrupta, esset *nota* necessaria ad dignoscendam Ecclesiam. Non ea igitur Ecclesiæ *nota* debet statui.

Iam confirmo quæ sumpsi singula. Ac primùm quòd Ecclesiæ auctoritas in fidei quæstione valeat, interponiq; posit, ne ipsi quidem Sectarij negant. Nam etsi disputant perfidè, hanc Ecclesiæ auctoritatem non esse ipsam infallibilem, non iudicant tamen nullam esse, quin potius confitentur ad eam rem omnino valere, vt instituta per Ecclesiam diligēti inquisitione doctrinæ, diiudicentur atque notentur errores, & hæreticorum audacia comprimatur: *Neque enim* (inquit è præcipuis Sectariis quidam, nimirum Kemnitius in præfatione 2. p. examin. Concilij Tridentini) *Ecclesia Dei, motis præsertim de religione controuersiis, talis cœtus est, vbi nulla fiat de controuersiis ex verbo Dei inquisitio, nulla sententiarum collatio, nulla dogmatum diiudicatio. sed quisque fingat et præsumat sibi peculiarem, quam amplecti & tueri velit, sententiam. Sed ideo Deus voluit esse communionem & consociationem, vt institutæ de controuersiis inquisitione doctiores in verbo Dei fundamenta veræ sententiæ aliis ita præmonstrent, vt ipsi agnoscere possint, quæ sententia vt orthodoxa sit amplectenda, quæ verò opiniones vt falsæ sint damnandæ, vt ita errantes in viam reuocentur.*

Et habemus pro auctoritate, quæ est in Ecclesia iudicandi de rebus fidei (si maximè eam Sectarij nullo modo concederent) illustria Scripturæ sacræ sanctorumque Patrum testimonia. Si enim *columna & firmamentum ipsa est veritatis*; *1. Timoth. 3.* cur non in quæstionibus de veritate, ad confirmationē nostram audiri debeat, *ne omni circumferamur vento doctrinæ? ad Ephes. 4.* Si diuina *veritas*, vt testatus etiam est Dauid Psal. 88. *in Ecclesia est Sanctorum*, & tanquam *in eius ventre*, vt Augustinus in Psal. 57. interpretatur, delitescit; nonne iure ac meritò explicationem veritatis de ore ipso Ecclesiæ requiremus? Ibi est enim diuinitus *positum*, (Isaię 59.) id est, ibi sonat ipsius Dei verbum: neque tam ipsa est, quæ loquitur, quàm spiritus ipse diuinus, qui *suggerit illi omnia*, quem proinde iudicem audimus, cùm audimus Ecclesiam de fidei quæstionibus pronunciantem.

Atque hoc ipsum etiam veteres Patres de Ecclesiæ auctoritate præclarè intellexerunt & testati sunt. Quam tanti fecit D. Augustinus libro contra epistolam fundamenti cap. 4. vt *ne Euangelio ipsi quidem* (quod caput est doctrinæ fidei) *crediturum* se fuisse dixerit, nisi haberet Ecclesiæ auctoritatem. Qui rursus ibidem pluribus verbis contestatur, eadem Ecclesiæ *celeberrima* auctoritate, *retentum* etiam in Ecclesia fuisse se, nempe vt pergeret credere: magna profectò, vt fuerit impudentia Kemnitij in exam. sess. 4. Concilij Tridentini, & Caluini lib. 1. institut. cap. 7. quòd Augustinum motum initio Ecclesiæ auctoritate fuisse, vt fidem Euangelio adhibere inciperet, non autem postea, vt in ea item fide perseueraret, finxerunt.

Item Augustino antiquior sanctus IRENÆVS lib. 3. cap. 4. *Non oportet*, inquit, *quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis, quicunq; velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus. Omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos: Quæ autem sunt Ecclesiæ, magna diligentia diligere & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim si aliquibus vel de modica quæstione disceptatio esset; nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis sumere quod certum & de re liquidum est?*

Item Tertullianus libro de præscript. *Quid*, inquit, *Christus Apostolis reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.*

Quod autem præterea in argumento sumpsimus: Si veritas doctrinæ fidei integra atq; incorrupta, esset *nota* necessaria dignoscendi, quæ sit Apostolica, atque adeo vera Christi Ecclesia; nihil omnino in quæstionibus de doctrina fidei valere posse Ecclesiæ auctoritatem; id verò probo manifesta ratione. Nam si quis eam interponeret, illico tunc liceret obiicere; cum Ecclesia vera ex incorrupta prorsus doctrina dignoscenda sit, non antè constare, vtrum cœtus ille hominum, cuius sententia & auctoritas interponeretur, sit vera & Apostolica Ecclesia, quàm fuerit de illa ipsa sententia eius cętus aliis argumentis constitutum, vtrum vera sit: proinde cum adhuc ea de re disceptetur; minimè licere in aliquam eius quæstionis partem, auctoritatem atq; sententiam vllius cœtus hominum tanquam Ecclesiæ veræ interponere. Atqui constat ex iis testimoniis, quæ attulimus, plurimum sine controuersia in fidei quibusque quæstionibus auctoritatem Apostolicæ veræque Ecclesiæ valere debere, atque adeo iure optimo, tum ad probandum, tum ad reuincendum interponi posse. Non est igitur doctrinæ veritas necessaria atque idonea *nota* Ecclesiæ veræ dignoscendæ: si enim esset; auctoritas Ecclesiæ, vt probatum est, nihil omnino tunc valeret: Quod absurdissimum est.

Quoniam igitur veram doctrinam fidei neq; *in vniuersum* integram atque incorruptam, neq; etiam secundùm vllam eius *partem*, aut partes, idoneam atque necessariam Ecclesiæ *notam* esse, demonstratum est: coguntur pati Aduersarij, vt ex aliis *notis*, quæ sit vera Ecclesia diiudicemus. Et dico, coguntur, quoniam non possunt non inuiti eam rationem de Ecclesia vera disputandi admittere, quæ ipsos euidenter ostendit esse planè extra Ecclesiam veram. Nam, vt suprà dicebamus, veritatem doctrinæ *notam* Ecclesiæ esse contendunt, non tam, vt ex illa ipsi ostendant (quod planè desperant) esse se in Ecclesia vera, quam vt infinita quæstione primùm de veritate doctrinæ instituta, nos impediant atque retardent, quo minus ex aliis idoneis Ecclesiæ *notis*, à quibus omnibus defecerunt, clarè videamus, eos ex Ecclesia Christi exiuisse, quod hæreticorum est proprium.

VERAE Ecclesiæ notæ stabiliuntur. §. 19.

SEd quænam tādem ad Ecclesiam cognoscendam idoneæ sunt notæ? Omnino in Ecclesia, quemadmodum neque in vlla alia re, præter ipsius essentiam & accidentia nihil ineſt. Ostendimus autem euidenter paulò antè, essentiam ipsam Ecclesię, ad quam veritas doctrinæ fidei pertinet (est enim congregatio verè fidelium) ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quaquam esse satis, vt aliquem hominum cœtum Ecclesiam veram esse dignoscamus. Si enim ad probationem aliud nihil sumas, quàm quòd hic vel ille cœtus sit congregatio verè fidelium baptizatorum, &c. (hæc enim est ratio & essentia christianæ Ecclesiæ) nihil omnino effeceris. Hoc enim ipsum aliis ex notis volo mihi confirmes, sicut paulo antè contra nimis arrogãtem Aduersariorum insciti am, Sadeelis, &c. argumentati sumus.

Restat igitur vt accidentia alia quædam, seu proprietates Ecclesiæ, sint illius *notæ*. Sed quia multa ac varia, vt suprà docuimus, sunt Ecclesiæ accidentia siue proprietates, intelligendum est, & quid in iis *requiratur*, vt sint Ecclesiæ notæ, & quid etiam, quo minus sint, *non impediat*.

Requiritur ergo PRIMVM, vt omnino Ecclesiæ veræ conueniant; atque etiam vt illi soli, quatenus assignabuntur quidem pro Ecclesiæ *notis*. Nam si aut Ecclesiæ veræ non competunt, aut in aliis cœtibus, qui Ecclesia non sunt, reperiuntur, non poterit ex illis certò atque propriè dignosci ille cœtus hominum, qui solus est Ecclesia Christi vera.

DEINDE etiam necesse est, vt sint eiusmodi accidentia cognitu facilia omnibus, & quidem clariora ea ipsa re, quæ quæritur, nempe vtrum hic aut ille cœtus sit Ecclesia, id est, congregatio eorum, qui veram fidem habent. Nam id est de ratione *notæ*, sicut demonstrauimus paulo superiùs.

Non impedit verò neque tollit rationem *notæ*, quòd quædam ex eiusmodi Ecclesiæ accidentibus non iam inde ab eius exordio ipsi conuenerunt. Satis enim est, si secũdùm certissimas Scripturas ei competant in eo statu, quem iam habet, quemque habitura fuit post disseminatum Euangelium in orbe per prædicationem Apostolorum. Quæritur enim iam post Apostolorum tempora in eo velut ætatis suæ statu, quem habet, & fuit habitura post ea tempora; non autem in illo, quem vel in ortu suo, vel in primo progressu habuit ad breue tempus tanquam in infancia. Quare illa accidentia, quæ in hoc statu ipsi competunt, illius sunt in hoc statu *notæ*, licet non illis prædita fuerit etiam initio, cùm primùm oriretur.

Sicut contra quoque, ex aliis quibusdam accidentibus, tanquam ex notis in suo primordio cognosci Ecclesia potuit ac etiam debuit, quibus nũc quidem post Euangelij propagationem non perinde est prædita. Erant enim illis temporibus Ecclesiæ *notæ* non modò quædam eius proprietates, quas nunc habet, & tunc etiam habebat (vt quod erat vna, Apostolica, &c.) sed etiam mira quædam prodigia & signa visibilia, quæ tũc cernebantur in Ecclesia, id est, in cœtu fidelium. Quas notas ipse miraculorum auctor Dei filius assignauit atque ostendit hominibus. *Nam signa*, inquit, *eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c. Marci decimo sexto.* Atque etiam descendebat visibiliter Spiritus sanctus super iis, qui manuum impositione ab Apostolis confirmabantur. Actor. 8. Hæc signa non perinde nunc in Ecclesia fiunt: neque tamen id impedit, quo minus tunc, cùm illis ornaretur Ecclesia, fuerint *notæ* ipsius, vt erat quidem in illo statu. Ita vicissim, post propagatum Euangelium, alia quædam Ecclesiæ accidentia, quæ statim exponemus, Ecclesiæ *notæ* sunt in hoc Ecclesiæ statu: tametsi non etiam illis initiis fuerint in Ecclesia.

Quæ explicatio ignorantiam erroremq; quorundam Sectariorum perspicuè redarguit, qui putant nunc aliquid se dicere, cùm argumentantur, claritatem & diffusionem, & similes prærogatiuas Ecclesiæ, de quibus statim dicemus, ideo Ecclesiæ *notas* esse non posse, quoniam illis aliquando caruit Ecclesia: quæ tamen tunc etiam cognosci debuit ac potuit. Non enim cogitant, cum differentia status Ecclesiæ, vt explicatum est, differentiam *notarum* eiusdem Ecclesiæ optimè congruere. Quocirca perperam etiam atque insciter concludunt, idoneam atque necessariam Ecclesiæ *notam* omni tempore esse doctrinæ veritatem, quia ea nunquam Ecclesia caruerit, cùm sit de eius essentia.

Contrarium enim, vt suprà demonstraui, concludere deberent. Nam quia de Essentia est Ecclesiæ, doctrinæ veritas, inde fit vt inprimis ipsa quæratur, cum quæritur Ecclesia, atque adeo vt ex aliis notis indicari ipsa in Ecclesiæ quasi *ventre* (vt in Psalmum quinquagesimum septimum loquitur Augustinus) tum antè in illis initiis debuerit, vt explicatum est, tum etiam nunc debeat. In Ecclesia enim sicut *depositorium*, vt Irenæus libro tertio, capite quarto, inquit, cælestis doctrinæ veritas custoditur, atque adeo non satis ipsa per se patet, nisi Ecclesia, quæ custos & depositaria eius est, auctoritatem suam, tãquam clauem, ad Scripturã admoueat & aperiat. Prorsus, vt non minus absurdum sit, veritatem facere *notam* Ecclesiæ, quàm si ex re deposita, bene ac arcanè custodita, cognoscere velles, quis & qualis sit depositarius, & non potius ex depositario quæreres de re ipsa deposita. Sed quemadmodum Ecclesia non ex essentia sua, ad quam spectat veritas, sed ex eius accidentibus, tanquam ex notis, cognosci debeat: & qua id ratione possit accidentibus conuenire, satis hactenus expositum est.

Nunc assero, secundùm eam doctrinam, *notas* dignoscendæ Ecclesiæ esse priores sex proprietates, ex illis octo, quas suprà §. 16. ostendimus, Ecclesiæ Christi conuenire: videlicet, quòd sit *vna, Catholica, sancta, Apostolica, rectè ordinata, visibilis.* Has sex proprietates siue prærogatiuas Ecclesiæ, simul saltem atque coniunctim consideratas, affirmo necessarias atq; sufficientes illius *notas* esse, secundùm eum quidem statum, quem post disseminatum in orbe Euangelium habet, & habitura est vsque ad tempus consummationis seculi.

Nulla est enim harum Ecclesiæ prærogatiuarum, quæ secundùm aliquam saltem notionem ipsius (vt explicabimus) facilior cognitu apud omnes non sit, quàm ipsa ratio Ecclesiæ. Et præterea omnes conueniunt Ecclesiæ, vt suprà probatum est, atque etiam soli ipsi, saltem si coniunctim, ac simul omnes illæ, vel etiam pleræque earum considerẽtur. Quòd ideo sic dico, quia fieri fortè posset, vt aliqua prærogatiua illarum per se sola, & separatim ab aliis, reperiretur in aliquo cætu hominum, qui non sit vera Ecclesia (vt *claritas* per se, verbi gratia) sed vt aliqua illarũ prærogatiuarum simul atque coniunctim cum omnibus reliquis, aut illarum plerisque, in alio cætu, nisi in Ecclesia vera reperiatur, fieri secũdùm legem quidem Dei ordinariam nõ potest. Quoniam via & ratione omnino tunc careremus, Ecclesiam Dei certò internoscendi (vti etiam iubemur) secernendiq́ue ab aliis hominum conuenticulis, qui Ecclesia non sunt. Quod diuinæ erga nos prouidentiæ nullo modo consentaneum esset.

Non enim ex ipsa alioqui Ecclesiæ essentia, atque adeo neque ex doctrinæ fidei veritate, aut ex officiis seu ritibus, de quibus ex doctrina iudicandum est, satis ab omnibus Ecclesia dignosci potest, vt suprà euicimus. Neque verò præter doctrinæ veritatem, & ritus ex doctrina pendentes, aliquid aliud ipsâ Ecclesiæ essentia clarius ordinariè in Ecclesia animaduertere licet, nisi iam numeratas sex illas eius prærogatiuas. Quare restat omnino, vt ex illis saltem coniunctim consideratis, tanquam ex suis propriis notis dignosci Ecclesiam oporteat.

Et certè Scriptura sacra manifestè hoc ipsum indicat, dum propriè per hæc ipsa accidentia Ecclesiam nobis, qualis ea post Euangelium disseminatum futura fuit, describit, vt suprà §. 16. perspicuis testimoniis, pro vnaquaque earum proprietatum adductis, docuimus. Inde enim fit, vt qui sibi persuadeat, eam congregationem esse Ecclesiam, in qua omnes eiusmodi proprietates (quæ quidẽ ab omnibus facilè cognosci queant, sicut Ecclesia debet cognosci ab omnibus) animaduertit: is planè Scripturam sacram, tanquam Ducem Ecclesiam indicantem, sequatur. Quamobrem ne in errorem homines à Scriptura ipsa per se, cùm ita de vera Ecclesia ratiocinantur, induci possint; necesse prorsus est, eiusmodi accidentia seu prærogatiuas (saltem coniunctim) esse proprias ac certas Ecclesiæ *notas*, quæ nequeãt proinde secundùm legem quidem Dei ordinariam in alio cętu hominum, qui non sit Ecclesia, reperiri.

Atque hoc ipsum præclarè sanctos Patres intellexisse, inde perspicuum est, quòd non nisi ex iis proprietatibus (vt videbimus) contra hæreticos suis temporibus Ecclesiã veram asseruerũt, illosq́ue ab ea desciuisse conuicerunt. Hæc vis illius D. AVGVSTINI sententiæ est libro de vnitate Ecclesiæ cap. 3. *Nolo*, inquit, *humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Quia nimirum Scriptura est, quæ quibusdam in locis clarissimè (non enim vbique planè obscura est) nobis eas Ecclesiæ proprietates indicat, ex quibus illa tanquam ex *notis* probari debeat.

Porrò septimam & octauã proprietatem Ecclesiæ suprà §. 16. numeratas, nempè assistentiam & directionem Spiritus sancti perpetuam, ne vnquam aberret *à veritate*; & certam in ea sola spem comparandæ æternæ *salutis*: ideo in Ecclesiæ notis non etiam pono, quia licet illi quoque proprietates istę, vt suprà probauimus, maximè conueniant, tamen sunt cognitu difficiliores, quàm ipsa Ecclesia, vt ex iis patet, quæ antè sunt à me disputata.

Demonstratur ex legitimis notis, Ecclesiam solam Romanam esse veram Ecclesiam. §. 20.

PRobo igitur ex notis iam assignatis solam illam congregationem seu cætum hominum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti paret, esse veram Christi Ecclesiam, hoc modo: Illa hominum congregatio sola est Ecclesia Christi, quæ eadem est & vna, & sancta, & Catholica, & Apostolica, & rectissimè ordinata, & visibilis, hoc est, in luce hominum perpetuò constituta. Sola autem ea congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, & nulla alia, est talis. Igitur ipsa Sola est Ecclesia Christi.

Prior propositio, scilicet illam solam hominum cõgregationem esse Christi Ecclesiam, quæ est vna, sancta, &c. satis hactenus probata est tum iis testimoniis, quibus eas Ecclesiæ proprietates suprà §. 16. asseruimus, tum etiam iis rebus, quæ de Ecclesiæ notis disputatæ iam sunt.

Posterior autem propositio, scilicet, solã congregationẽ, quę Romano Pontifici pro tempore existẽti paret, esse talem, nempe vnam, sanctam, Catholicam, &c. id verò nunc ordine probandum est. Neque verò in hac probatione omnes eas notiones persequemur, quas suprà §. 16. docuimus spectare ad huiusmodi Ecclesiæ proprietates, sed illas duntaxat, quas cognitu facillimũ fit alicui hominum cætui competere.

Ecclesiam Romanam solam esse VNAM. §. 21.

TAlis notio (nempe cognitu facillima) est potissimùm in *vnitate* Ecclesiæ, doctrinæ fidei *consensio*. Hanc in sola congregatione, quæ Romano Pontifici paret, nunc reperiri, facilè probatur. Nam ea sola rationem habet accommodatam ad retinendam in doctrina concordiam:

Universidad de Deusto
Biblioteca

in qua re suprà §. 16. euicimus, hanc doctrinæ fidei vnitatem propriè consistere. Ipsa enim vnum Pastorem rectissimè (vt infra probabitur) agnoscit, cuius iudicio in fidei controuersiis acquiescit. Vel, (vt Cypriani verbis vtar, libro quarto, epistola nona, quibus Ecclesiam definit) *ipsa est plebs sacerdoti* ADVNATA, *& pastori suo grex adhærens*. Itaque quàm facilè est in Ecclesia cognoscere, quid summus Pontifex de fidei quæstionibus cum auctoritate, hoc est, vniuersam Ecclesiam obligando, decernat: tam est Ecclesiæ facilè retinere in doctrina fidei consensum.

Contrà verò, hæreticorum omnium conuenticula, dum Scripturarum atque adeo fidei explicationem alicui certæ auctoritati, tanquam diuina assistentia infallibili non committunt; sed vnicuique Scripturam solam, vt vnicam ac sufficientem fidei magistram & Iudicem proponunt; necesse est, vt in tot sententias de fide diuersas distrahantur, quot sunt ferè capita. Quod & experientia plus satis profectò docet. Itaque non retinent fidei doctrinæ vnitatem, quoniam non sequuntur in doctrina rationem accommodatam ad consensum, sed eiusmodi prorsus quæ sectas ipsa varias identidem pariat, vt variè à variis Scriptura ipsa intelligitur.

Nam quod dicunt, Scripturam esse cognitu facilem; suprà ostẽdimus, qui sibi id persuadent, eos propemodum etiam insanire. Quid enim esse causæ censebimus, quam ob rem Lutheri doctrina, dum Scripturam tantùm, id est, Lutheri de Scriptura sensum, est secuta, tot sectas differentes ipsa protulerit, quot passim etiam in tabulis depictæ monstrantur? Nempe quia Scriptura, quam solam proposuit discipulis suis Lutherus, facillimè potuit diuersis modis intelligi, cùm sit ea hominibus ipsis quidem, ob multas causas superiùs expositas, ad intelligendum difficilis.

Neque verò aliqua ex illis ipsis sectis, quæ ex Lutheri quasi prima disciplina prodierunt, magis iam vna & suapte ratione consentiens secundùm doctrinam fidei, quàm illa prima disciplina Lutheri, dici potest. Nam cùm similiter vnaquæque sectarum Scripturam solam sequendam sibi nunc proponat; illarum quælibet est similiter suapte ratione (vt ita dicam) dissolubilis porrò atque disipabilis: siquidem nihil procliuius est, hominibus præsertim æquè imperitis ac superbis, quàm varias admodum de Scripturæ sensu opiniones comminisci.

Quod si nobis isti respondeant, sẽ satis hoc ipso doctrinę vnitatem retinere, quòd tamdiu quidem omnes consentiunt, quamdiu in vna aliqua secta (vt Sacramentaria, vel Vbiquitaria, vel Illyricana, &c.) numerantur: iam suprà §. 16. docui, non propriè in *actuali* consensu, sed potissimùm in *ratione accommodata* ad retinẽdum consensum ponendam esse necessariò hanc prærogatiuam vnitatis, quæ propriè tribuitur Ecclesiæ veræ. Non enim alioqui Ecclesia Dei ab hæreticorum cætibus vnitate doctrinæ differret: cùm (vt suprà docui) nullus vnquam hæreticorum fuerit cætus tam exiguus, in quo non *actu* fuerint in quæstionibus fidei consentientes, qui ad ipsum pertinuerunt, quamdiu pertinuerũt ad eum quidem. Et tamen sancti Patres antiquis etiam nihilominus hæreticorum sectis diuisionem atq; doctrinæ schismata & varietatẽ rectissimè obiecerunt: quia cum omnibus hæreticis commune fuerit Scripturis solis, id est, suo de scripturis sensu niti velle; in ipsa sectarum omnium ratione radix fuit & causa dissensionum.

Hinc Donatistarum secta seu *pars*, vt AVGVSTINVS libro primo de Baptismo, cõtra Donatistas capite sexto, inquit, *in minutissima frusta concisa fuit*. Quod similiter de aliis hæreticis IRENÆVS libro primo aduersus hæreses, capite quinto, CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesiæ, memoriæ prodiderunt. *Variant enim*, vt inquit TERTVLLIANVS, libro de præscriptione, *hæretici inter se, dum vnusquisq; pro suo arbitrio modulatur quod accepit: quemadmodum ea pro arbitrio composuit ille, qui tradidit. Quare idem licuit*, inquit, *Valentinianis quod Valentino* (sicut & Lutheranis quod Luthero) *Marcionistis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspecta omnes hæreses, in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Ergo doctrinæ vnitas in Ecclesia vera, inprimis etiam ratione accommodata ad retinẽdum doctrinæ consensum continetur. Qua ratione, quia carent, vt ostendi, omnes sectæ; nulla illarum vera Ecclesia est: sed sola Ecclesia Romana. Hæc enim, vt ex Cypriano libro quarto, epistola nona repetam, *plebs est sacerdoti adunata, & grex pastori suo adhærens*. Quem quidem dum audit, vnitatẽ doctrinæ retinet: sicut contrà, *non aliunde hæreses obortæ sunt aut natæ sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex, vice Christi cogitatur*, vt idem inquit Cyprianus libro primo, epistola tertia ad Cornelium, contra hæreticos.

Solam Ecclesiam Romanam esse CATHOLICAM. §. 22.

PRÆTEREA, quòd sola congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, sit *Catholica*, eodem modo probamus, quo probauerunt id olim sancti Patres, vt hæreticos sui temporis ostenderent exiuisse ex Ecclesia. Ille enim cætus inprimis Catholicus est, qui communicat in fidei & religionis Christianæ instituto cũ omnibus per orbem gentibus; vt ex instituto etiam suscepit AVGVSTINVS probandum in peculiari libro, quem de *vnitate Ecclesiæ* conscripsit. Solus autem cætus, qui Romano Pontifici nunc paret, ita communicat cum omnibus gentibus, hoc est, credit, quod vbique, quod ab omnibus nationibus creditur: igitur ille solus Catholicus est.

Sed præstat audire AVGVSTINVM, qui contrà Donatistas maximè, argumẽtum hoc ita tractat, vt planè etiam videatur contra Sectarios hodie propugnare causam Ecclesiæ Romanæ, sicut tũc etiam propugnabat: Sic igitur ait libro de vnitate Ecclesiæ cap. 3. *Cum Christi Ecclesia catholica canonicarum Scripturarũ diuinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata sit: quidquid attulerint, aut vndecunq; recitauerint, qui dicunt; Ecce hic est Christus, ecce illic; audiamus potius, si oues eius sumus, Pastoris nostri vocem ibidem dicentis; Nolite credere, Matth 24. Singulæ quippe hæreses in multis gentibus vbi Ecclesia Catholica est, non inueniuntur. Hæc autem quæ vbiq; est, etiam vbi illæ sunt, inuenitur.*

Item lib. 4. de Symbolo cap. 10. *Audite*, inquit, *hæretici quid scriptum sit: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Lucæ 24. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro accepit in dote. Quæcunq; congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.* Nonne videtur cum Sectariis hodie loqui? Hoc enim est *in angulis sedere*, & tanquã *concubinam* esse, in paucis prouinciis (vt hodie euenire Sectis omnibus cernimus) locum habere; in plerisq; aliis omnibus aut omnino non esse, aut latere, non se prodere, non manifestè per orbem dilatari. Quod perinde est, ac omnino nõ esse. Nam Ecclesia Christi continuò *succrescit vsq; ad messem*, Matth. 13. *& palmites suos vsq; ad mare extendit*, Psal. 79. neq; sub modio delitescit, sed *Domini luce perfusa*, vt CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesiæ inquit, *per totum orbem radios suos porrigit*: vt videmus nunc etiã facere vberrimè in immensis illis Orientis atque Occidentis plagis. Contrà Sectarij, in *penetralibus sunt*, Matth. 24. & vbera habent arentia. Oseæ 9.

Sed audiamus adhuc pro nobis contra Sectarios loquentem D. AVGVSTINVM in epist. 171. ad Honoratum Donatist. *Quoniam Ecclesiam Dei*, inquit, *quæ Catholica dicitur, sicut de illa prophetatum est, per orbem terrarum diffusam videmus: arbitramur nos non debere dubitare de tam euidentissima impletione sanctæ prophetiæ. Nam & in capite sacrosancti Psalterij scriptum est de Filio Dei, Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ.*

Item lib. 2. contra literas Petiliani cap. 16. *Obiicio*, inquit, *tibi* (Lutherane vel Caluinista) *Schismatis crimen: quod tu negabis, ego autem statim probabo. Neq; enim communicas omnibus gentibus, & illis Ecclesiis Apostolico labore fundatis.*

Item contra epistolam fundamenti cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ipsum Catholicæ nomẽ, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Velint enim nolint*, inquit idem Augustinus libro de vera religione cap. 7. *ipsi quoq; hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant, non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.*

Exemplum planè huius rei hodie habemus in iis etiam regionibus, in quibus aliquis sectis locus est, vt in Germania. Quamuis enim Ecclesiæ Catholicæ *variæ hæreses* (ait idem Augustinus libro de vtilitate credendi cap. 7.) *diuersa nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ propriis vocabulis appellentur*, tamen apud ipsos etiam hæreticos nomen potissimùm Catholicæ ea Ecclesia obtinuit, quę verè Catholica est, nempe quæ sequitur fidem Romanam. Quod vel ipsi certè librorum Catalogi, qui conficiuntur in nundinis Francfordiæ singulis annis bini ab ipsismet hæreticis, declarant. Libros enim qui à Catholicis auctoribus scribuntur, libros vocant *Catholicorum, qui Romanæ*, inquiunt, *Ecclesiæ subiiciuntur*. Quo nomine & titulo eiusmodi libros ab aliis libris discernunt, qui sunt à Sectariis hominibus compositi, quos illi *Protestantes* Theologos appellant, Catholicos autem appellare non audent: non enim intelligerentur, vt inquit Augustinus.

Sed & alios Patres præter Augustinum audire operæprecium est, qui hac eadem *nota* Ecclesiæ, cætum eorum, qui veram fidem amplectuntur, id est, Ecclesiam Christi ab hæreticorum conuẽticulis discernunt. *State*, inquit magnus BASILIVS epist. 72. *in fide: Ipsum orbem inspicite, & videte, quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat.* Reliqua *verò vniuersa Ecclesia, quæ ab orbis finibus vsq; ad fines Euangelium recepit, sanam hanc & rectam fidem sectatur; à cuius communione, vt ne excidatis, petimus.*

Item TERTVLLIANVS in præscript. *Nos*, inquit, *communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, id est, ab Apostolis fundatis, quod nulla doctrina aduersa facit. Hoc est testimonium veritatis.*

Item HIERONYMVS contra Luciferian. *Poteram*, inquit, *omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.*

Item OPTATVS Mileuitanus lib. 2. cõtra Parmenianũ, ante medium: *Cùm manifestum*, inquit, *sit & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot nobiscum prouincias; iam videtis vos in parte vnius aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.*

Item CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesiæ ea ratione probat, Nouatianos *hæreticos* esse, & ab Ecclesia alienos; quia cõstat, inquit, *eos cum corpore Ecclesiæ non conuenire, &c.*

Et Vincẽtius LYRINENSIS aduersus prophanas hæresum nouitates: *In Ecclesia*, inquit, *Catholica*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lica, ad quam nõ vna natio, non vnus angulus, sed multitudo maris conuertitur, id teneamus quod ab omnibus, quod vbiq; quod semper creditum est.

Præclarè igitur, vt alios omittam, PACIANVS epist. 1. ad Sympron. annotauit, *Christiani* nomine à Paganis & Iudæis, *Catholici* autem cognomine ab hæreticis fideles distingui: *Ne æstues*, inquit, *frater, Christiani mihi nomen est, Catholicus verò cognomen; Illud me nuncupat, istud ostendit, hoc probor, inde significor.*

Hæc omnia iure suo certè Ecclesia Catholica nunc etiam sibi vendicat, nec ad vllam accommodari possunt sectam recentium hęreticorum. Sola enim Ecclesia, quæ Romano paret Pontifici, per vniuersum orbem pertinet, vel certè in dies per eum diffunditur. Itaque ipsa sola est hæreditas illa (Psal. 2.) ac possessio Christi, quæ non angustioribus, quàm totius terræ terminis continetur. Quam quò Sectarij quidem vehementius oppugnant, eò magis in Oriẽte & Occidente propagatam esse videmus. Prorsus vt in istos pulchrè conueniat, quod de sui temporis hæreticis commodè dixit D. BERNARDVS serm. 66. in Cantica: *Ipsi*, inquit, *potius se subtrahunt huic hæreditati, qui illam Christo conantur subtrahere.*

Neque verò hîc obstat, quod apud illas ipsas gentes, in quibus doctrina Romanæ Ecclesię disseminatur, multi etiam inueniuntur, qui illam repudient. Nam & illud oportet impleri, quod item scriptum est Lucæ 21. *Eritis odio omnibus hominibus propter me.* Itaque Ecclesiam Christi esse Catholicam, minimè quidem est, eius doctrinam ab omnibus & singulis vbiq; gentium recipi; sed esse certè vbique, qui illam indies recipiant: vt diligenter etiam Ioannes Driedo, lib. 4. de variis dogmatibus cap. 2. parte 2. sententia 9. annotauit. Quod cùm in eum cætum duntaxat, qui Romano Pontifici, tanquam pastori grex adhæret, conueniat; ille solus Ecclesia catholica est.

Quamobrem siue arbitremur, prophetiam illam Dauidis Psal. 18. de Apostolis: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:* per Apostolos ipsos omnino impletam fuisse, sicut placuit quibusdam è sanctis Patribus; siue continua indies Euangelij propagatione per orbem vsque ad seculi consummationem impleri, vti Augustinus & alij sentiunt; perspicuum est, in solam Ecclesiam, quæ fidem amplectitur Romanam, eiusmodi prophetiam competere, atq; adeo eam Ecclesiam solam esse Catholicam.

Nam (quod obseruatione dignissimum est) sicut à nulla vnquam hæreticorum Secta legitur Christi fides apud vllas gentes fuisse plantata: ita nulla vnquam gens Christianam complexa est fidem, nisi eorum opera, qui cum Ecclesia Romana communionem habuerunt, eiusq; membra fuerunt. Lege histor. Ecclesiast. Socrat. lib. 4. cap. 29. & lib. 7. cap. 8. & 30. Sozom. lib. 2. cap. 23. Niceph. lib. 14. cap. 40. Bedam lib. 1. & 2. histor. Anglican. Platinam in vitis Pontif. Steph. VII. & Adriani IV. AEneam Sylu. de origine Bohem. cap. 16. &c. Hodie quoque in amplissimis Orientis & Occidentis regionibus non nisi ab Ecclesiæ Romanæ ministris Euangelium diffunditur. *Negocium enim*, inquit Tertullianus lib. de præscript. *est hæreticis non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captat, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.* Qua in re quàm illi sint Apostolorum dissimiles, pulchrè idem Tertullianus ibidem ostendit his verbis: *Apostoli enim*, inquit, *de mortuis viuos suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.*

Neque verò Christi fidem Ecclesia Romana tantummodo propagauit, sed etiam perpetuò illam ipsa conseruauit; auctoritate nimirum sua hæreses, quæcunque olim exortæ sunt, damnando & proscribendo, vt ex variis historiis & Conciliorum actis cognosci potest. Lege Niceph. lib. 4. cap. 36. & lib. 6. cap. 29. Tertullianum lib. 1. contra Praxeam, & libro de pudicitia, Hieronymum ad Pamach. & Oceanum, Cyprianum lib. 1. epist. 4. Augustinum lib. 2. de peccat. orig. cap. 21. &c.

Solam Ecclesiam Romanam esse SANCTAM. §. 23.

SAnctitatis Ecclesię illa inter cæteras notio est facillima cognitu, qua per id etiam nomen (vt notauimus §. 16.) Ecclesiæ firmitas atque constantia declaratur, contra quam nec portæ inferi prævalebunt, vt superiùs à nobis in huius proprietatis assertione demonstratum est. Hoc modo solam congregationem, quæ Romano Pontifici paret, sanctam esse, planissimum est. Nempe quæ nullis vnquam aut persecutionibus aut erroribus opprimi potuit, sed illis est potius illustrior multò facta. *Improbatio enim hæreticorum*, inquit ad Dominum D. Augustinus lib. 7. confess. cap. 19. *facit eminere quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina.*

At hæreticorum conuenticula nulla fuerunt diuturna vnquam. Sed neque erunt recentium Sectariorum, cùm & illa ipsa, quæ ab illis defenduntur, nefaria dogmata, iam olim etiam ab Ecclesia reiecta fuerint: vt minimè existimandum sit, eam inposterum doctrinæ deprauationẽ perpetuò duraturam. Etenim fidem solam satis esse ad salutem volunt, cum Simone Mago, vt patet ex Iren. lib. 1. cap. 20. & cum Eunomio, vt patet ex Augustin. hæres. 54. Cum Aërianis sacrificium & orationes pro defunctis improbant, vt patet ex Damasc. lib. de hæresi. Niceph. lib. 16. cap. 6. Epiphan. lib. 3. Tom. 1. hæres. 75.

Sanctorum atque imaginum cultum cum Vigilantio reiiciunt, vt patet ex Hieronym. contra Vigilantium; & cum Iconoclastis, vt patet ex secunda Synodo Nicæna.

Matrimonium virginitati anteponunt ex sententia damnati Vigilantij, vt patet ex Hieronym. contra eundem.

Episco-

Episcopos superiores presbyteris non agnoscunt, quæ fuit hęresis Aërij, vt patet ex Epiphan. loco citato.

Originis peccatum tegi tantùm, non tolli baptismatis gratia, docent cum Messalianis, vt patet ex August. hæres. 53.

Execrantur Euangelicam paupertatem cum Vigilantio, vt patet ex Hieronymo contra eundem.

Item Ecclesiam errare posse putant, vt ante illos Donatistæ & alij hęretici opinati sunt, vt patet ex August. passim contra Donatistas.

Traditiones non scriptas repudiant, soliscque Scripturis niti volunt, quod illis est cõmune cum Arianis & Eunomianis & quotquot vnquam extiterunt hæretici, vt patet ex Basil. libro de Spiritu sancto cap. 27.

Et ne omnia enumerem, quidquid ferè aduersus Ecclesiam Catholicam *pernicioſa animoſitate*, vt Augustini verbis lib. 1. contra Maximin. Arian. vtar, *defendunt*, non nisi ex veterum fece hæreticorum hauserunt, vt in plerisque quæstionibus controuersis facilè ostenditur. Quod cùm ita sit, omnino sperandum est, non multò post fore, vt quorum errores isti imitantur, eorum quoq; habeant exitum, *deficientésque quemadmodum fumus deficiant*. Psal. 36.

Solam Ecclesiam Romanam esse APOSTOLICAM & quomodo id probetur. §. 24.

DEinceps sequitur, vt illam ipsam congregationem, quæ cum Ecclesia Romana communionem habet, *Apostolicam* item esse, id est, fidem atque dogmata Apostolorum sequi, ab iisdemque originem ducere, probemus. Hoc, Episcoporum omnium continua successione, & doctorum ac populorum, per quos doctrina ab Apostolis accepta ad nos vsque perpetua temporum serie peruenit, rectissimè probatur. Vt enim aliquis tum optimè probat, se patrimonium aliquod aut nobilitatem antiquam à maioribus suis, qui multò ante vixerunt, accepisse, cùm ostendit, id se accepisse à parente, & hunc rursus à patre suo, & illum item à suo, sicque deinceps, donec ad familiæ caput perueniatur: ita nos rectè probamus, doctrinam, quam hodie tenemus, à maioribus nostris, Apostolis, atque adeo ab ipso Christo, tanquam hæreditatem accepisse, cùm defendimus, hanc ipsam doctrinam fuisse eorũ, qui nos proximo seculo antecesserunt, & rursus illos à maioribus suis, qui similiter proximè illos præcesserunt, eandem ipsam accepisse, & ita deinceps, donec successionis series continua ad Apostolos ipsos perducatur, qui Ecclesiam Christi plantauerunt.

Hãc probandi rationem aptissimam esse sanctissimi Patres etiam indicârunt, eamq; ipsi contra sui temporis hæreticos passim vsurpauerunt. Quo quidem in genere maximè est illustris illa D. IRENÆI sententia lib. 3. cap. 3. *Traditionem*, inquit, *ab Apostolis, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsq; ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.*

Sed vt hanc argumentandi formã nobis competere doceamus, confirmandum iam est, nos hanc ipsam doctrinam, quam Romana nunc tenet Ecclesia, ab iis qui proximo seculo præterierunt, & illos similiter ab antecedentibus proximè suis maioribus, & sic deinceps vsque ad Apostolorum tempora accepisse. Quod his modis certissimè ostendimus.

PRIMO. Quotiescunque in Ecclesia aliqui ab Apostolica doctrina discesserũt, constat eos tandem à Catholica Ecclesia, iuxta diuinas promissiones, quas habet, Isaiæ 59. Matth. 16. Ioan. 14. & 17. &c. notatos primùm, deinde repressos & proscriptos esse; idque cum personarum ac temporum notatione, vt variis historiis est proditum, præsertim in auctorum orthodoxorum Chronicis. Quo autem tempore vel à quibus Ecclesiis primùm, post Apostolorum tempora, doctrina ea, quam nunc Ecclesia Romana tenet, contra doctrinam Apostolicam introducta fuerit, doceri non potest; multoque minus constat, illi vnquam reclamatum & repugnatum esse ab Ecclesiis Catholicis: ab Ecclesiis Catholicis inquam, non ab vno vel altero, vel paucis hæreticis, qui & ipsi communi Ecclesiarũ sententia damnati fuerint, vt Hus, VViclephus & similes. Dum autem Sectarij, qui Ecclesiam accusandi partes sceleratè sibi sumpserunt, id non ostendunt; iure optimo possessionem huius doctrinæ Apostolicæ, tanquam hæreditatis à nostris maioribus acceptæ, nobis vendicamus.

Nam quod quidam ex Sectariis dicunt, (vt VVolfgangus Muscul. in locis communibus cap. 12. de Ecclesia) abhinc annis circiter quadringentis doctrinam Apostolicam in Ecclesia palam corruptam esse; alij, (vt Lutherus in supput. annorum mundi) abhinc ferè sexcentis; alij abhinc ferè mille, (vt Illyricus in catalo. testium verit. in præfatione, & alij passim) circa tempora videlicet D. Gregorij; nónne satis hac opinionum varietate declarant, habere se nihil ea de re compertum? Et certè vanissimum figmentum est quod de Gregorij temporibus dicunt. Nam fuit temporibus Gregorij cõmunis in orbe terrarum ea fides, quam defendit Gregorius; vt qui cum omnibus Ecclesiis earumq; Episcopis communionem habuit, vt apparet satis ex epistolis eius. Eandem autem fidem Gregorij, post Gregorij tempora vsque ad nos, in orbe communem atque Catholicam fuisse fidem, cõstat de omnibus hodie doctrinæ capitibus cõtrouersis. Quomodo igitur aut Gregorij temporibus, aut post Gregorij tempora doctrina illa, quæ sola erat v-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bique terrarum eadem, corruptela doctrinæ Apostolicæ fuit? *Quod enim apud multos*, & multò magis quod apud omnes, *vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum*, inquit verissimè Tertullianus libro de præscript. post medium. Et impossibile est, vt in orbe toto contra legitimam Christi Ecclesiam portæ inferorum prævaleant, Matth. 16. corruptelaque Apostolicæ fidei vbique obtineat, sicut obtinuit à tempore Gregorij, atque adeo Apostolorum vsque ad nos, fides ipsa Gregorij.

Quod autē Sectarij quidam hoc loco respondent, vt Sadeel contra Theses Posnanienſ. & alij iam vsque ab Ecclesiæ exordio Apostolicam doctrinam corrumpi cæpisse; id verò nihil quidem pertinet ad rem, de qua nunc agimus. Quærimus enim, quando Apostolica doctrina adulterari cæperit, non per eos errores quos sine controuersia constat sub initium Ecclesiæ serpere cæpisse, sed per eam doctrinam, quam hodie Romana Ecclesia profitetur; neque id quidem tantùm priuata vnius aut paucorum opinione, sed auctoritate & decreto summorum Pontificum, & communi eius cœtus consensu, qui vera Christi Ecclesia antea fuisset, quique proinde, deficiens communiter à vera fidei doctrina, vera etiā esse Christi Ecclesia desierit.

Hæc enim est summa eius accusationis, quam Ecclesię Romanæ non ita pridem Sectarij intentârunt: eam, cum aliquando esset cœtus verè fidelium, hoc est, cùm fuisset aliquando legitima Christi Ecclesia, ab ipso Apostolo Paulo ad Roman. 1. aliisque permultis Apostolicis, sanctissimisque viris, magnificè etiam ob integritatem fidei laudata; demùm errore communi ab Apostolica veraque doctrina fidei degenerâsse, adeoque legitimā Christi Ecclesiam esse desiisse. Hoc autem quando factum sit, iure nos optimo percunctamur Sectarios; quando, inquam, vel omnino, vel ex parte, Apostolica doctrina corrumpi in Ecclesia Romana communi (communi, inquam) errore cæperit. Etenim priuatis erroribus, non dubium est, quin iam inde ab Ecclesiæ primordio seductores aliqui veritatem fidei adulterare tentauerint, quos passim suis in epistolis confutauit Apostolus. Qui etiam idcirco ad Thessalonicenses scribens aiebat, iam suo tempore *mysterium iniquitatis operari*. Quando autem communi eius cœtus cōsensu, qui vera fuit Christi Ecclesia, corrumpi Apostolica doctrina per doctrinam Ecclesiæ Romanæ vel omnino vel ex parte cæperit; hoc verò est, quod expedire nobis nequeūt Sectarij, iure ac meritò à nobis de ea re interrogati.

Accedit, quòd de auctoribus, per quos ea communis corruptela sit inuecta, & quomodo deinde ab Ecclesia vera fuerint illi repressi, nihil isti proferre possunt. Nisi quod planè incredibiliter, & admodū etiam ridiculè quandoq; solent (ne videantur ipsi esse hæretici) nobis affingere errores quorundam veterum hæreticorum; qui tamenà nulla alia Ecclesia, neq; secundùm vllam aliam doctrinam nisi nostram, damnati & profligati ex Christi castris sunt. Verbi gratia: Dixerunt Ebionitæ, non solam Christi fidem (quatenus ea vox pro tota lege Christi accipitur) ad salutem sufficere: putarunt namque etiam requiri cæremonias & obseruationē veteris legis, vt patet ex Niceph. lib. 3. hist. c. 13. Quia verò nos docemus, non sola fidei virtute, sed aliis etiam animi bonis motibus, vt charitatis, &c. & obseruatione aliorum mandatorum Christi, salutem comparari: Nugantur isti, doctrinam illam Ebionitarum nos defendere. Quis non videt discrimen? Ac ratione æquè facili similes istorum in hoc genere leuissimas nugas confutaui lib. 5. de Idololatria cap. 10.

Sed aiunt præterea se ex libris ipsis Apostolicis, id est, ex Scriptura sacra, probare, contraria nos Apostolicæ doctrinæ sentire. Id verò nō modò falsò, sed etiam admodum ineptè ab illis in hac controuersia obiicitur. Cùm enim quæstio aliàs de Scripturæ sententia & interpretatione in variis doctrinæ capitibus inter nos agitetur; eaque sit propter istorum pertinaciam penè interminabilis: postulamus ab ipsis duo: Primùm, vt quādoquidem Ecclesiæ accusatores sunt, quibus incumbit ex officio probare, planum nobis ex Scriptura faciant, doctrinam suam esse Apostolicam potius quàm nostram. Hoc verò cum præstare non possint, eoque nomine (sicut est accusatorum lex) caussa cadant: nec videant tamē, vt sunt cœci, se à nobis potius in quæstionibus omnibus tanquam corruptores Apostolicæ doctrinæ reuinci: Petimus deinde, vt compendio historiarum, notatis temporibus & personis, testimoniisq; contrariis Catholicorum, doceant, nostram doctrinam post Apostolorum tempora contra Apostolos, aut eorum in doctrina successores, inuectam in Ecclesiam fuisse. Hìc autem dico, ineptè ipsos facere, si ad quæstionē de Scripturæ sententia infinitam regredi velint. Quod nostri quidem non ideo in hac de Ecclesia controuersia detrectāt, quia de doctrina ipsa ex Scripturæ fundamentis disputare nolint (faciunt enim id in singulis doctrinæ locis controuersis satis copiosè, & voce quotidie in templis & scholis, & scriptis etiam libris, pluribus fortè, quàm est necesse) sed vt quæstio de vera Ecclesia, atque adeo de veritate in vniuersum doctrinæ, finem aliquando habere, compendioque diiudicari possit ex iis notis, quibus Ecclesiam suam Deus discerni voluit, quarum vna est hæc originis Apostolicæ.

Postulamus igitur ab Aduersariis, vt si Ecclesia Romana ab ea fide Apostolica communiter defecit, quæ de ea per vniuersum mundum, vt Apostolus inquit ad Roman. 1. cum laude aliquando annunciabatur; nobis tempora, auctores & modum indicent eius defectionis. Cùm enim hę-

reſes

reses in vtilitatem Ecclesiæ diuinitus permittantur, *vt qui probati sunt* (sicut Apostolus 1. Cor. 11. inquit) *manifesti fiant*; cumque maneat Spiritus veritatis cum Ecclesia in æternum: certè fieri nequit, vt doctrina vera atque Apostolica, vel simul vel sensim per partes, palam adulteretur, quin idipsum in Ecclesia manifestissimum fiat, præsertim si error approbatus fuerit auctoritate communi.

Non enim Ecclesia (vt perperam & ineptè disseruit Sadeel contra Theses Posnanienses de Ecclesia) tanquam singulare alicuius hominis corpus est, quod nemine animaduertente labefactari sensim potest, donec totū appareat tabidum. Neq; etiam ideo nauicula Petri nominatur, quia vt nauicula potest nemine attēdente rimas paulatim facere, donec fluctibus tandem obruatur: sic sensim etiā Ecclesia ipsa possit inquinari eiusmodi erroribus, qui neque sciantur, neque notentur, neque damnentur ab Ecclesiæ cœtu. Non est in hoc comparatio, sed in eo, quod vt corpus, sic etiam Ecclesia variis ex membris constat, & tentationibus variis sicut nauis fluctibus, quatitur, dum ad portum patriæ cęlestis appellit. Cùm verò ciuitas sit etiam supra montem posita, Matthæi 5. & luce solis clarior; necesse est, vt sensim in ea notentur errores, si sensim in illam irrepunt.

Itaque cùm multas ac varias doctrinæ corruptelas iam inde ab Apostolorum temporibus diuersi hæretici, tanquam zizania, tentauerint superseminare in agro Ecclesiæ contra fidem Apostolicam: nulla tamen ex illis est, cuius auctorem, originem, progressum, exstirpationem, notatis temporibus assignare ipsi nō possimus. Imo verò ex qua hæresum fæce doctrina Lutheri aliorumque Sectariorum sit hausta, clarè & distinctè eiusmodi obseruatione docemus. Potestnè igitur isto modo indicari, quo tempore, à quibus, qua ratione, ea quæ hodie est doctrina Ecclesiæ Romanæ, contra doctrinam Apostolicam inuecta sit, & rursus à Catholica Ecclesia reiecta? profectò non potest. Quare alterutrum fatendum est, vel doctrinā, quam hodie tenet Ecclesia Romana, esse planè eam, quam ab Apostolis initio sine cōtrouersia accepit; vel si corruptela potius illius doctrinæ Apostolicæ est, Spiritum sanctum Ecclesiam suam deseruisse, qui de ea inquinatione doctrinæ nullis seculis præteritis ante Lutherum ipsam admonuerit; atque etiam orbem vniuersum perpetuo quasi lethargo laborauisse, qui non animaduerterit, neq; literarum monumentis prodiderit tantam in religione Romana mutationem: At hoc incredibile est: alterum illud igitur est verum, nempe doctrinam Ecclesiæ Romanæ esse incorruptam, planeque Apostolicam.

Quæ ratio eò apud me maioris est ponderis, quòd illa similiter video veteres Patres refutâsse, hæreticos suorum temporum, Ecclesiæque doctrinam in vniuersum Apostolicam esse probauisse, cùm illi veteres hæretici æquè atque iam Sectarij à doctrina Apostolica eam desciuisse cōminiscerentur. *Videamus*, inquit Tertvllianvs libro de præscript. *ne Apostoli simpliciter & plenè omnem regulæ ordinem omnibus ediderint: Ecclesiæ autem suo vitio aliter acceperint, quàm Apostoli præferebant. Omnia enim*, inquit, *ista scrupulositatis incitamenta inuenias prætendi ab hæreticis.* Et plus satis, Tertulliane, eum hodie prætextum impium notamus in nostris Sectariis. Sed subiungit deinde eiusmodi calumniæ refutationem. *Hoc*, inquit, *si ita est; neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius Spiritus sanctus, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat. Quomodo*, inquit, *verisimile est, vt tot ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? nullus inter multos euentus, vnius est exitus: variâsse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Caterùm quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum sed traditum.* Hactenus ille, & rectissimè quidem. *Vbi enim Ecclesia*, inquit diuus Irenævs lib. 3. contra hæres. cap. 40. *ibi & Spiritus Dei, & vbi Spiritus Dei, ibi & Ecclesia, & omnis gratia; spiritus autem veritas.*

Neq; facere possum, quin hìc propter loci opportunitatem adscribam pulcherrimam, ac Spiritu Dei plenam, Campiani nostri, non ita pridem fortissimi in Anglia Christi Martyris, orationem, quæ figmentum Sectariorum de corrupta doctrina in Ecclesia Romana, mirificè redarguit. *Quando* (inquit in libello decem rationum pro doctrina Ecclesiæ Romanæ, ratione 7.) *fidem tantoperè celebratam Roma perdidit? Quando esse desiit, quod antè fuit? Quo tempore? Quo Pontifice? Qua via? Qua vi? Quibus incrementis vrbem & orbem religio peruasit aliena? Quas voces, quas turbas, quæ lamenta, ea res progenuit? Omnesne orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, noua Sacramenta, nouum sacrificium, noua religionis dogmata procuderet? Nullus exstitit historicus neq; Latinus, neq; Græcus, neq; remotus, neq; citimus, qui rem tantam vel obscurè iaceret in commentarios?*

Atque, vt ego quidem aliqua ratione exprimam, quantam apud animum certè meum hæc oratio Campiani vim habeat: hoc vtar exemplo. Censent Sectarij, institutum sacrificandi Eucharistiam, moremque sanctos inuocandi, & alios eiusmodi cultus, turpissimam esse idololatriam, atq; adeo rem non minus, sed multò etiam magis peruersam, Apostolicæque doctrinæ contrariam, quàm siquis nunc vellet ritu gentilium aut Iudæorū, oues & boues, aliasq; pecudes immolare Deo, aut pro Diis venerari volucres & serpentes. Obsecro, quis nunc credat, fieri his temporibus posse, vt vel Pontifex aliquis Romanus, vel alius quisquam, eiusmodi ritus immolandi animalia, vel adorandi serpentes; contra Christi, Apostolorūq; doctrinam in Ecclesiam inducat, tùm Spiritu sancto conniuente: tum eadem ipsa Ecclesia Catholica per cunctum orbem & consentiente & planè dissimulante, neq; notāte quidem ad memoriam posterorū talem Christianæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

atq; Apostolicæ doctrinæ deprauationem? Profectò insanus est, ac mẽte omnino caret, qui hoc existimet in Christi Ecclesia posse euenire. Quod si hoc accidere posse incredibile est: quomodo credi potest, idipsum iam antè euenisse? Quomodo, inquam est verisimile, & sacrificium Missæ v. g. atq; adeo ritum vestium sacrarũ & templorum; & morem venerandi imagines, ac Diuos inuocandi; æquè (vt æstimant Sectarij) Apostolicæ doctrinę contrarium esse, atq; ritum immolandi animalia; & tamen in Ecclesiam per cunctum orbem sic esse introductum, vt neq; repugnauerint in ea re vnquam Christiani populi, neq; posterorum quidem memoriæ, cum obseruatione personarum & temporum, talem corruptelam religionis prodiderint?

Porrò si hoc in vno etiam vel altero dogmate factum esse, incredibile apparet: quanto id videri debet incredibilius, si res omnes cumules hodie controuersas, in quibus Sectarij criminãtur, Ecclesiam Catholicã communi errore ab Apostolorum institutis doctrinaq; recessisse? Me quidem hæc consideratio certissimè apud animum meum statuere facit, aut nullam omnino esse in orbe incorruptam doctrinam Apostolorũ, quod existimare nefarium esset, aut eam esse, quam retinet Ecclesia Romana, quæ proinde verisimè est Ecclesia Christi Apostolica.

SECVNDO. Id ipsum probamus, quia, vt maximè consuetudines aliquæ pro ratione temporum, vt fit, variæ fuerint: tamen quod attinet ad doctrinã ipsam de auctoritate statuẽdi, quod in Ecclesia conuenit, aliisque doctrinæ locis hodie controuersis, sæpè nostri ostenderunt, Patres & Doctores illustres, qui ab Apostolorum temporibus ad hæc vsque tempora diuersis seculis scripserunt, nobiscum esse consentientes. Ac nominatim hanc continuationem doctrinæ ostendit per singulas annorum centurias à Christo nato, Genebrardus Theologus Parisiensis in docta illa sua Chronologia non ita pridem edita: Et Sanderus in libro de visibili Monarchia Ecclesiæ: Et non ita pridem Bellarminus noster in suis controuersiis. Quod ipsum profectò ab iis facilè deprehenditur, qui non sectariorũ more pauculas quasdam sententias obscuriores hinc inde in monumentis Patrum venantur, sed locos ipsos perlegunt & cum iudicio conferunt. Consensus autem iste diuersarum ætatum in doctrina Ecclesiæ Romanæ manifesto argumento est, continua serie successionis eam doctrinam iam inde ab Apostolico seculo ad nos vsq; peruenisse.

TERTIO. Non tantùm Patres ac Doctores illustres per omnes ætates ad hæc nostra vsq; tempora in doctrinæ capitibus hodie controuersis nobiscum consentiunt: sed disertis etiam verbis passim cõfitentur, Ecclesiam Romanam, cui, similiter vt iam, Pontifices Romani variis temporibus præfuerunt, legitimam & Apostolicam esse Ecclesiam. Irenæus lib. 3. cap. 3. Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 4. & aliâs passim. Ambrosius serm. 47. de fide Petri. Hieronymus in epistola ad Damasum, de verbo Hypostasis. Cyprianus lib. 1. epist. 1. ad Cornel. & lib. 4. epist. 9. ad Puppianum, & alij.

Neq; verò hîc obstat, quod veteres Patres non videantur de hac ipsa numero congregatione, quæ hodie paret Romano Pontifici, paruitq; Põtificibus recentioribus, esse locuti. Huic enim Congregationi quoq; testimonium re ipsa perhibuerunt, eo ipso, quod non alia de causa fatebantur, eam hominum Congregationem, quæ cum Romana Ecclesia communionem illis temporibus habebat, esse Apostolicam, nisi quia successione Episcoporum ac populorum, atq; adeo etiam ipsius doctrinæ, cum illa ipsa Ecclesia primitiua coniungebatur, quæ fuit ab ipsis Apostolis plantata, sicut hodie planè coniũgitur Ecclesia, quę nunc est Romana. Lege præsertim Irenæũ & Augustinũ locis citatis, & Tertullianum libro de præscript. & Optatũ lib. 2. contra Parmen. &c.

QVARTO. Cùm Aduersarij cõtrà, testimoniis veterũ, tum alibi, tum maximè in historia Magdeburgensi probare voluerint, nõ retineri à nobis, sed instaurari à se potius doctrinam ab Apostolis traditam; hoc adeo non præstiterũt, vt tanquam laborâssent ipsi pro nobis, non suam, sed nostram omnino originem ostẽderint esse Apostolicam. Etenim (vt optimè Turrianus noster annotauit in præfatione lib. pro epist. Pontif. & canonibus Apost. cõtra Magdeburg.) præcipuus illorũ labor in eo consumptus est, vt ex omnibus Ecclesiæ ætatibus testes colligerent & accerserẽt, qui pro nobis nostraq; doctrina, contra se testimonium dicerent, vt id ipsi testimonium non aliter refellerent, quàm auctoritate sua (magna scilicet) affirmando, nęuos atq; errores esse eiusmodi Patrum, quòd nobis fuerint suffragati. Qua quidem re non minus stultè fecerunt, quàm reus quispiam faceret, si dum nullum innocentiæ suæ idoneũ testẽ inuenire potest, laboraret tamen in testibus accersendis, qui ipsum condemnarẽt, vt corã iudicibus deinde diceret, illos oẽs mentiri.

Atq; hoc idem iudicium est aliorũ omnium, qui cum iudicio aliquo historiam illam Centuriatorum Magdeburgensium legunt. Nulla enim annorũ centuria est ex tredecim, in quas memoriam temporis à Christo nato ad annum vsq; circiter 1300. partiti sunt, in qua non ipsi apertè indicauerint, Orthodoxos, qui vnaquaq; centuria floruerunt, doctrinæ nostrę, vel more institutoq; religionis, vel fidei dogmatibus explicandis, vel damnandis hæreticis (quorum isti nunc discipuli sunt) suffragari: nisi ꝙ inclinationem doctrinę, næuos, superstitiosos cultus, erroresq; Doctorũ (scilicet) appellant. Id maximè animaduertere licet in vnaquaq; cẽturia. cap. 4. cuius inscriptio vbiq; est, *de doctrina*, & cap. 5. cuius inscriptio est, *de hæresibus*, & cap. 6. cuius inscriptio est, *de cærimoniis & ritibus*, & cap. 7. cuius inscriptio est, *de gubernatione Ecclesiæ*, & ca. 10. cuius inscriptio est, *de Doctoribus & Episcopis*. Item quandoq; in præfationibus ipsarum cẽturiarum. Item sæpe etiam in cap. 2. quod est de *Ecclesia*; & in cap. 3. quod est de *Ecclesiæ persecutione*. Lutherus etiam lib. de abrogãda Missa priuata sub initium, & in proœmio assertionis suorũ art. & Caluinus lib. 3. instit. cap. 4. sect. 38. & cap. 5. sect. 10. & lib. 4. cap. 17. sect. 39. & Kemnitius in Examine Concilij Trident. sess. 14. ca. 8. & sess. 25. & alij Sectarij passim agnoscũt doctrinam Ecclesię Romanę, quam oppugnant, doctrinam fuisse veterum Patrum, quorum auctoritatẽ hoc nomine impudenter contemnunt.

Solam Ecclesiam Romanam esse rectè ORDINATAM, *& habere legitimam ministrorum successionem. §. 25.*

ALia Ecclesiæ proprietas, ex qua item, tanquã ex nota, dignosci illam debere dicebamus, rectus est ORDO. In quo maximè illustris est auctoritas atq; dignitas Ecclesiastici ministerij, cõtinua serie successionis Episcoporũ ac Ministrorum Ecclesiæ constans, quos Deus vsq; ad seculi consummationem esse voluit, vt tanquã Pastores & Doctores in vera solidaq; doctrina contineant atq; confirmẽt fideles alios, ne falsarum opinionum *vento circumferantur*, ad Ephes. 4. Hinc verò propterea firmissimũ ad veram Ecclesiam comprobandam argumentũ ducitur, quia ex eo loco ad Ephes. 4. perspicuum est, doctrinam fidei veram, atque adeo communicationẽ cum legitima Christi Ecclesia, ab huiusmodi pastorũ atq; Doctorum ministerio disiungi non posse. Nam ibi Apostolus nobis declarat, consilium Dei fuisse perpetuò, vt in Ecclesia sint Pastores, à quibus Christianus populus Christiana solidaq; doctrina rectè informari possit. Cuius quidem consilij, cùm totum ad Christiani populi salutem accommodatũ sit, ea certè vis est, vt nunquam nõ idem populus, in Ecclesiæ legitimis Pastoribus doctrinam veram reperturus sit, si ab iis eam requirat. Id autem vt consistat, omnino fatendum est, secundùm legem quidem ordinariam Dei, neutiquam fieri posse, vt legitima perseueret in Ecclesia successio Pastorum, & tamen apud eos non sit vera atque solida fidei doctrina.

Quod & illa etiã ratione manifestissimè patet. Si enim fieri posset, vt oẽs legitimi Ecclesiæ ministri à vera fide aberrarẽt, posset quoq; euenire, vt aberrarent item cũ illis reliqui fideles omnes. Sequuntur enim hi, imò sequi debent, vocem Pastorum. At vt oues oẽs & Pastores errent, id est, vt erret Ecclesia vniuersa, quæ constat omnis (vt D. Gregorius NAZIANZENVS in orat. de moderat. in disput. habenda, ait) ex ouibus & pastoribus, supra probatum est, nullo modo fieri posse. Ergo neque potest fieri vt errent omnes Ecclesiæ ministri legitimi.

Hoc cùm præclarè olim intelligerent sanctissimi Patres, ipsi quoq; contra sui temporis hæreticos vehementer premebant istud argumentũ, quod pro Ecclesia vera, ex legitima Episcoporũ auctoritate, continua successione ab Apostolis proueniente, ducitur. *Edant*, inquit TERTVLLIANVS lib. de præscript. *origines suarum Ecclesiarum: euoluant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquẽ ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerârit, auctorem habuerit vel antecessorem.*

Item AVGVSTINVS in Psalmo contra partem Donati post mediũ: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes primò ab ipsa sede Petri: & in ordine illorum Patrũ quis cui successerit, videte.* Et contra epistolam fundamenti cap. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia Catholica ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopũ successio sacerdotum.* Atq; eodem modo idem Augustinus argumentatur in epist. 165. ad literas cuiusdam Donatistę, in qua Pontifices omnes enumerat vsque ad Anastasium.

Hoc aũt argumento Augustinus nunquã esset permotus, nisi ex sacris literis didicisset à manifesta continuataq; Pastorũ Ecclesiæ successione, doctrinæ veritatem atq; adeo legitimam Christi Ecclesiam diuelli nõ posse. Quod enim ait: *Tenet me in Ecclesia Catholica, sacerdotũ successio*: tantundem valet, ac si dixisset: Ideo in huius cœtus communione permaneo, quoniã in eo existimo esse cũ successione veritatem coniunctã, quæ tanquã anima est Ecclesiæ. Prætereo Irenæum lib. 3. ca. 3. Epiphanium contra hæres. 27. Cyprianum lib. 1. epist. 6. Optatũ lib. 2. contra Parmen. & alios, qui similiter ex eiusmodi successione, tanquã ex certa nota, dignosci legitimam Ecclesiã voluerunt.

Hanc notam ORDINIS in manifesta Pastorũ atq; Doctorũ successione, in solam Ecclesiã, quæ Romano Pontifici paret, conuenire, clarius est, quàm vt ab ipsis Sectariis negari vllo modo possit. Constat enim à D. Petro vsq; ad Pontificẽ præsentem, qui nam Pontifices in Ecclesia Romana, successionis serie præfuerint, itemq; in aliis etiã Ecclesiis omnibus constat, qualis itidem fuerit à sua cuiusq; Apostolica origine successio Pastorũ.

Contrà verò Sectarum magistri, quibusnam ipsi Apostolicis viris loco atq; ministerio Ecclesiastico successerint, demonstrare non possunt. Imò ne volunt quidẽ cum iis aliquid esse sibi cõmune, qui in illo externæ successionis ordine suũ locum ministrorũ tenent. Itaq; quod OPTATVS Mileuitanus lib. 2. contra Parmen. de Victore hæretico Donatista inquit, eum Romæ fuisse *filium sine patre, discipulũ sine magistro, &c.* hoc idem rectè de Luthero dici potest, itemq; de Zuinglio, Caluino & aliis Sectariis, qui primi variis in vrbibus nostra Patrũq; memoria errores disseminauerũt.

Hi enim *nemini succedentes* (vt de Nouatiano CYPRIANVS lib. 1. epist. 6. scripsit) *à se ipsis Episcopi ordinati sunt*, & tanquam *de se prodigiosè nasci voluerunt*, vt inquit de hæreticis aliis OPTATVS lib. 1. contra Parmen. Quod cùm ita sit, non sunt Ecclesia

Universidad de Deusto
Biblioteca

clesia Christi illi cœtus, qui ab eiusmodi Sectariis
sunt eruditi.

Cæterùm hîc isti respondent dupliciter: PRIMO, externam successionem Pastorũ & Doctorum in ministerio tantùm externo & loco, minimè ipsam per se indicium esse veræ Ecclesiæ, nisi sit coniuncta cum successione in eadem doctrina Apostolica. Ab hac autem desciuisse Pastores & Doctores, qui adhærent Romano Pontifici. Proinde quamuis in locum illi successerint Apostolorum, tamẽ nihil minus quàm Apostolicam esse eam Ecclesiam, quæ ipsis adhæret. DEINDE aiunt, se quantumuis careant ordinaria illa successione, tamẽ legitimos esse Pastores & Doctores, quoniam diuinitus sint ad instaurandam doctrinam Apostolicam excitati *extraordinaria* vocatione: non minùs quàm olim Prophetæ, aut ipsi etiam Apostoli: qui auctoritatem docendi minimè sunt consecuti ordinaria successione.

Sed quis non videat vtrumq; ab istis vanissimè dici? Quod enim ad PRIMVM attinet, paulo antè ex Scriptura & Patribus probauimus, à successione legitima & ordinaria Pastorum omniũ & Doctorum Ecclesiæ, neutiquam separari posse veritatẽ Apostolicæ doctrinæ. Quare fatemur, si successio legitima Pastorum & Doctorum absq; doctrinæ veritate staret, nõ ex illa satis posse veram Ecclesiam demonstrari. Sed pernegamus (secũdùm legem quidẽ Christi ordinariam) doctrinæ veritatẽ ab illa successione penitus seiungi posse; ita nimirum, vt nulli aliquando supersint in illa successione Doctores atq; Pastores, qui doctrinã incorruptam retineãt, sed omnes à vero aberrẽt.

Quid enim si Augustino, Irenæo, Cypriano & aliis Patribus, à successione Pastorum & Doctorum, Ecclesiam Christi, atque adeo veritatem in ea doctrinæ, quasi compendio quodam demonstrãtibus, Lutherus aliquis vel Caluinus, vel quiuis alius recens Sectarius, obiecisset, ex successione ipsa ministrorum per se, veram Ecclesiam demonstrari non posse, nisi cum ea successione veritatem doctrinæ coniunctam esse, argumentis aliis comprobetur? An non hoc fuisset stultitiæ sanctissimos atq; eruditissimos Patres arguere, quòd ex successione pro vera Ecclesia argumentarentur, cùm potius deberent argumentari ex vnica veritate doctrinæ? Atqui illi veritatem doctrinæ, vnà cũ legitima Ecclesia, rectè ex ordinaria illa successione, probari posse, putauerunt, quia nec Ecclesiã, neq; adeo veritatẽ doctrinæ ab illa Doctorũ successione seiungi posse existimabant.

Hac verissima persuasione fret⁹ D. Gregorius NAZIANZENVS epistola 2. ad Chelid. hunc in modum sui temporis hæreticos Arrianos exagitabat: *Absconditam post Christum sapientiam nobis annunciãt. Rem lachrymis dignam. Si enim triginta his annis fides originem habuit; cùm quadringenti ferè anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est; inane tanto tempore fuit Euangelium. Inanis etiam fides nostra. Et Martyres quidem frustrà martyrium subierunt. Frustrà etiam tales tantiq; Antistites populo præfuerunt.*

Itẽ HIERONYMVS in epist. ad Pamach. & Ocean. de erroribus Origenis: *Cur post quadringẽtos annos docere nos niteris, quod antè nesciuimus? Vsq; in hunc diem sine ista doctrina mũdus Christianus fuit.* Et TERTVLLIANVS in præscriptionibus contra hęreticos: *Qui estis*, inquit, *vos? Vnde aut quando venistis?*

Num verò illi hæretici, quos ita sanctissimi Patres refutabant, nouam & ab Apostolica traditione diuersam doctrinam proferre se fatebãtur? Minimè. Sed id tamen Patres eo argumento conuincebant, quod secus illi docerent, quàm ordinarij ministri ante illos docuissent, à quorũ ordinaria vocatione & successione doctrinam Apostolicam separari non posse Patres illi sanctissimi meritò persuasi erant.

Quod ipsum euidentissimis illis verbis affirmat D. IRENÆVS lib. 4. aduersus hæreses cap. 4. *Oba udire oportet iis, qui successionem habent ab Apostolis, qui* (id est, quia) *cũ Episcopatus successione charisma veritatis acceperunt.* Et rursus eodem libro cap. 45. *Vbi charismata Domini posita sunt, ibi oportet discere veritatem: apud quos est ea, quæ est ab Apostolis successio. Hi* ENIM *eam, quæ est in vnũ Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiũt, & Scripturas sine periculo nobis exponũt.* Vides quemadmodũ ex successione, certo quasi vinculo colligit veritatem.

Quod autem isti aiunt, *se extraordinario* modo diuinitus esse vocatos, atq; missos, vt olim Prophetæ & Apostoli fuerũt: id verò nonnisi vanissimè ab ipsis fingi, demonstraui in oratione quadã de veris ac falsis Doctoribus. Vbi primũ aiebam, vix me credere, sic illos esse psuasos. Quãta enim temeritas est, homines & vẽtri plerumq; & mundo deditos, nec magnis aliquib⁹ aut eruditionis, aut pietatis insignibus ornatos, hunc in modum apud se statuere: Ego neq; vocatus ad Ecclesiasticũ ministeriũ, neq; missus modo ordinario sum, videlicet per seriem successionis: sed sum tamen vocat⁹ & missus ab ipso Deo, vel certè à Martino Luthero & similibus, qui sine successione fuerũt ipsi diuinitus tanquam Prophetæ atq; Apostoli, ad id ministerium excitati. Profectò dubitant isti saltem vtrum ita sit, nisi planè insaniunt.

Denique neq; Lutherum neque vllum Sectarium extraordinario modo fuisse à Deo missum, hac ratione manifestissimè probatur: Siqui vnquam extraordinariè ad docendũ diuinitus mitterentur: ij sic etiam ad persuadendum, diuinitus instructi erant, vt spectatis omnibus rerum circumstantiis, prudenter possent fideles, etiam vulgares, illis potius quàm ordinariis ministris fidem adhibere. Non sunt autem ita ad persuadendum diuinitus instructi Sectarij. Quare extraordinariè ad docendũ missi diuinitus nequaquam sunt.

Maior propositio patet. Quoniam quos extraordinariè Deus ad docẽdum contra doctrinam ab ordinariis ministris traditam mitteret: iis vt

potius

potius fideles omnes etiam vulgares crederent, procul dubio vellet: immo ad eam rem mitteret, vt ab iis omnes de veritate aduersus receptos errores docerentur. Neq; verò Deus vult aut etiam velle potest, vt iis Doctoribus homines fidem habeant, quibus fides haberi prudenter nequeat re tota circumspectè deliberata. Vult enim Deus, vt nihil nisi rectè ab hominibus agatur. Rectè autẽ non creditur, nisi quod prudenter creditur. Atq; ideo diuina *testimonia* dicũtur à Psalmista, Psal. 92. *credibilia nimis*, quia doctrina cælestis eo modo, quo ex voluntate Dei hominum ministerio proponitur, dignissima est fide ac assensione prudentum. Quin sit igitur vera nostri argumenti Maior dubitandũ non est; nempe, qui extraordinariè ad docendũ diuinitus mitterentur, eos ita etiam ad persuadẽdum diuinitus oportere esse instructos, vt omnes etiam vulgo fideles prudenter possint ac debeant illis potius, quàm ordinariis ministris, fidem adhibere.

Nunc probo propositionem alterã argumenti *Minorem*, videlicet nullos Sectarios ita diuinitus ad persuadendũ esse instructos. Hi enim quò hominibus persuadeant, doctrinã quam proferunt, esse illam ipsam, quæ in Scripturis contenta, quæ ab Apostolis tradita, quæ miraculis olim confirmata, & in summa quæ vera sit, nulla re alia præterquam vnica pollicitatione doctrinæ veræ nituntur. Non multitudine, non antiquitate, non integritate vitę, non vllo eiusmodi titulo, qui auctoritatem alioqui doctrinæ cõciliare posset, extraordinarij isti Prophetę cum Ecclesię ministris ordinariis certare volũt. Quin propterea tantùm postulant, vt sibi potius credatur, quoniam verissimam, vt dicitant, ostendunt doctrinam. At ipsa per se veritate doctrinæ, quomodo ad credẽdum prudẽter induci poterunt ij, qui nõ queunt ipsi satis diiudicare & perspicere doctrinæ veritatem? Quid opifices? Quid rustici? Quid ad vnũ omnes literarum ignari faciant? Debent, inquiũt Sectarij, nobis potius quàm Papisticis ministris ordinariis credere, sibiq; persuadere à Deo nos esse ad repurgãdam fidei doctrinam missos. Cur ita verò? Quoniã nihil in vlla fidei quæstione hodie controuersa, nisi ipsissimam Scripturæ sanctę doctrinam docemus. At maior hominum pars, iudicare de ipsa per se veritate doctrinæ in quæstionibus controuersis nequit, vt suprà conuicimus. Nam etsi sententiam fortasse vnius partis vtcunq; possint vulgares fideles percipere: non possunt tamen eam cum alia contraria accuratè conferre, non argumenta vtrinq; suis momentis satis prudenter ponderare, non deniq; ita intelligere, vt necesse est ad iudicandũ de ipsa ratione doctrinæ; quod sine doctrina, qua pleriq; carent, fieri minimè potest. Quomodo igitur ij prudenter animum inducẽt, vobis potius credere, si nihil aliud, quàm doctrinæ veritatẽ, vt vobis assentiantur, proponitis? Quid quod nõ minus ab ordinariis ministris promitti veritatẽ animaduertunt homines quoq; vulgares? Certè est manifestum, eos, qui obiecto tantum veritatis titulo opiniones suas aliis persuadere student, nõ esse diuinitus ad persuadendum ita instructos, vt prudẽter omnes homines, etiã vulgares, facturi sint, si illis potius crediderint. Solam autem doctrinę veritatem prætendunt Sectarij: Non sunt igitur diuinitus ad persuadendum omnibus instructi: atque adeo neque missi diuinitus ad docendum extraordinariè, vt ante conclusimus.

Hoc vt clarius intelligeretur, in oratione illa de Doctoribus suprà citata, hominem mihi proponebam aliquem prudentem, neq; tamen rerũ Theologicarum peritum, secum ratiocinantem hunc in modum: Audio, Catholicos & Sectarios contrarias mihi sententias de fidei quæstionibus proponentes. Vtri verò parti potius adhæream? Certè illi debeo, cui si re circumspectè deliberata potius credidero, prudenter sim facturus. Vult enim Deus, vt non nisi prudenter credam. Sed quosnã potius veritatem proponere, mihi prudenter persuasero? Catholicosne an Sectarios? Omnino duplex ratio supperetere potest ad id diiudicandum. Vna, si ex ipsa *doctrinæ* ratione veritatem apud hos potius, quàm illos esse ipse perspiciam. Altera, si horum potius *auctoritate* mouear, vt ab his potius, quàm ab illis veritatẽ (tametsi eam ego nõ satis intelligam) doceri statuam. Priori modo, nempe vt ipse ex ratione doctrinæ de veritate iudicem, nequaquam prudenter definire possum, vtri potius veram doctrinam profiteantur. Neq; verò vt hac ego via ad veram fidei cognitionẽ perueniam, Deus à me requirit. Non enim res ipsas cõtrouersas satis intelligo: nec me Deus obligat, vt quò fidem incorruptam tenere possim, in studium incumbam Theologię. Restat igitur, vt auctoritate me induci oporteat, quò demùm statuam, apud hos potius, quàm apud illos esse doctrinæ veritatem. Quod si auctoritate hominum me duci oportet: certè est necesse, vt quorum auctoritas, cõsideratis omnibus, maior & fide dignior est, iis potius assentiar. Porrò eorũ hominũ, qui docent, auctoritas partim existit ex rebus naturalibus, quæ fidem conciliare solent, partim aliquando ex mirabilibus signis, quibus doctrinæ veritas nõnunquam solet diuinitus cõprobari. *Naturalia* quasi ornamenta, quæ ad auctoritatem faciunt, sunt, ingenium, studia, antiquitas, multitudo, & id genus prærogatiuæ eorũ, qui in eadẽ doctrina consentiunt. *Supernaturalia* sunt, miracula, qualia ediderũt olim Prophetæ & Apostoli & alij, qui ad doctrinã supernaturalem aduersus errores inueteratos hominibus persuadendam, diuinitus missi aliquando fuerunt. Iam igitur vt maioris pondere auctoritatis prudẽter impellar, ad assentiendũ alterutri parti; videlicet Catholicorum vel Sectariorum: cõparatio mihi auctoritatis horum & illorũ facienda est; vt quorum, omnibus cõsideratis, maior & fide dignior videbitur esse auctoritas, eos potius credam ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum docere. Considerabo autem atque comparabo in vtraque parte sigillatim tum naturales, tum supernaturales caussas auctoritatis. Certè quod ad *naturales* attinet, nihilo sunt Catholici atq; ordinarij ministri Sectariis extraordinariis (sicut se volunt nominari) inferiores, quin immo multis partibus eis antecellunt. Quis enim ita desipiat, vel censeat eos, qui fuerunt post Lutherum, Sectarios, vel ingenio, vel studiis, vel multitudine, vel antiquitate, vel integritate vitæ aut superiores aut pares esse iis omnibus Catholicis ministris atque Doctoribus, quos illi oppugnãt, id est, omnibus qui à tot seculis sunt ac fuerunt in Germania, Gallia, Hispania, Italia, in toto orbe Catholici? Quod si verò me ad caussas *supernaturales* auctoritatis conuerto, planè reperio, ne comparari quidem vllo modo cum ordinariis ministris Catholicis Sectarios extraordinarios posse. Quod enim, aut quale, aut quãdo miraculum ediderunt, quo diuinitus probaretur, digniores esse ipsos fide? De nullo prorsus constat. Cùm tamen apud Catholicos nullo non ferè tempore variis in locis admirabiles cõtingant euẽtus, beatissimæ præsertim Virginis, aliorumque Sanctorum intercessione. Si igitur extraordinarij Sectarij neq; naturalibus ornamentis, aut superiores, aut pares Catholicis & ordinariis Doctoribus, neque supernaturalibus vllo modo cum iis comparandi sunt; consequitur certè, Catholicorum auctoritatem, cõsideratis omnibus, præpõderare apud me debere. Cumq; auctoritate ipse in hac varietate sententiarum de doctrina fidei (vt antè conclusum est) duci debeam: neque prudenter moueri possim, nisi à maiore auctoritate: statuo prorsus, Catholicis potius, quàm Sectariis assentiri. Hos doctrinã fidei verissimam proponere: hos legitimos esse Doctores & ministros: ab his doctrinam diuinitus reuelatam, & à Christo traditam, & ab Apostolis verbo, scriptis, miraculis confirmatam doceri credo: Sectarios autem omnes, non extraordinariè diuinitus ad docendum missos, neque adeo vera docere, sed hæreticos planè extraordinarios esse (quales à Catholicis iudicantur) mihi persuadeo.

Ex his certò concludebam, omnino nihil Deum habiturum, quod in illo tremendo tribunali opponat huic opifici, huic mercatori, huic nobili, huic homini illiterato, qui hunc in modum apud se ratiocinatus, doctrinã potius Catholicorum de multiplicibus atq; variis illis quæstionibus hodie cõtrouersis veram esse crediderit. An enim is conuinci poterit minus prudẽter credidisse? Certè non poterit. *Vna est enim auctoritas*, inquit verissimè Avgvstinvs lib. de vtilitate credendi, cap. 16. *qua stultos*, hoc est, indoctos, *ad sapientiam peruenire oportet*. Neq; minori, sed maiori auctoritate hominem moueri par est, vt animum inducat credere. Antecellunt aũt auctoritate Catholici longè Sectariis, qua meritò atque prudenter mouentur, præsertim ij, qui non sunt docti. Hoc igitur cùm ita sit, nõ sunt diuinitus instructi ad persuadendum omnibus Sectarij: vnde sequitur, neq; esse eos extraordinariè missos ad docendum, sicut ante sumus argumentati.

Atq; id probabam rursus hoc modo: Quotiescunq; Deus voluit, vt paucis & in speciem minus fide dignis aduersus reliquam multitudinem, tanquã extraordinariè missis, crederetur, toties supernaturalibus signis, quæ naturalibus omnibus aliis ornamentis præpõderarent, eorũ auctoritatẽ hominibus cõprobauit. Hoc animaduertere licet in Moyse, in Prophetis, in Apostolis, quorũ doctrinæ veritatẽ signis mirabilibus, atq; prodigiis Deus cõtestatus est, vt inquit D. Paulus ad Hebr. 2. Hoc etiam modo Ioãnis Baptistæ auctoritatẽ populo Iudæorum Deus cõmendauit. Nam quamuis ipse quidem *signum fecerit nullũ*, vt testatur Euangelista Ioan. cap. 10. tamen multa & magna miracula circa illius personã & parentes, diuinitus contigerunt, ob quæ in iis etiã, quæ singulariter prædicabat, fidẽ merebatur. Vt quod de anu sterili natus est; quod exultauit in materno vtero; quod cùm parens ipsius primò mirabiliter obmutuisset, postea in eius natiuitate nõ minus admirabiliter locutus est, &c. Hoc etiã ipsa ratio diuinæ prouidentiæ reqrit. Si enim supernaturalibus saltẽ virtutibus ij, qui naturæ alioqui ornamẽtis inferiores auctoritate sunt, superiores esse non videantur, quomodo poterũt homines, præsertim indocti, qui sola auctoritate cõmoueri debent, prudẽter illis assentiri? Aut quomodo rectè ab hominib⁹ exigeretur, vt id crederẽt, quod nõ possent prudẽter credere. Itaq; meritò cẽsuit D. Avgvstinvs lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. necessaria fuisse miracula, vt mũdus Christianæ prædicationi fidẽ adhiberet. Atqui nullis Deus mirabilibus ac supnaturalibus signis auctoritatẽ nobis istiusmodi prædicantium extraordinariorũ commendauit; & sunt alioqui Catholicis, si cætera spectemus ornamenta, impares. Nequaquã sunt igitur diuinitus ad eam rem missi, vt doctrinã à Catholicis ministris ordinariis, traditam, ipsi refellant.

At illis ipsis miraculis (inquit Caluinus in Epistola ad Regem Galliæ Francisc̃um) freti sumus, quæ Apostoli ediderunt, quandoquidem nõ nisi illam ipsam doctrinam proponimus, quæ ab ipsis Apostolis est explicata. Quid verò magis ineptè respondere potuit? Quæstio enim omnis inter nos est, vtri potius doctrinã illam Apostolicam sequantur? Catholicine atque ordinarij Doctores, an verò Sectarij extraordinarij? Quod cùm quæritur, simul quæritur, vtrine nitantur illis miraculis, quibus est Apostolica doctrina diuinitus probata. Ita fit, vt ea quæstio minimè ex illis ipsis miraculis Apostolorũ determinari debeat aut possit. Vtraque enim pars illa miracula vnà cum ipsa doctrina Apostolica sibi vendicat: Et quæruntur præterea indicia, ex quibus cõstet, ad quam partem illa potius pertineant, Catholicorúmne an Sectariorum? Hìc igitur si Sectarij

respon-

respondeant, ad se pertinere, quia ipsi doctrinam Apostolorum miraculis confirmatam tradant; quis non videat eos ludere, & principium petere, hoc est, id ad probandam suam caussam sumere quod est in quæstione positum, & aliunde deberent probare?

Veritate, inquiunt, ipsa doctrinæ id probamus. At hanc veritatem non omnes intelligunt, vt ante dictum est. Auctoritatis igitur ponderè necesse est homines impellatis ad vobis assentiendum. Hac cùm non excellatis; vtpote neque præstantioribus naturæ ornamentis, neque vllis supernaturalibus indiciis diuinitus commendati: concludimus, non fuisse vos extraordinariè à Deo missos, vt mũdum id doceretis, *quod* (vt inquit Hieronymus) *ante nesciuerat*.

Huc accedit, quod ne iis quidem, qui ad oppugnandam Ecclesiæ doctrinam miracula ederent, nunc credi debet: cùm necesse sit ea esse falsa miracula, facta in astutia Satanæ, quæ opiniones confirment pugnantes cum certissima veritate diuinitus iam pridem nobis testata. Id autem cùm ita sit, quantò minus credendum Sectariis est, qui nullis neque veris, neque apparentibus miraculis confirmant doctrinam pugnantem cum orbis vniuersi consensione?

Sed quàm non sint isti diuinitus ad docendum extraordinariè missi, satis hactenus demonstratum esse puto. Cùm autem neque sint Doctores & Pastores ordinarij, vt ipsimet fatentur: restat vt ascenderint aliunde in ouile ouium, atque adeo vt (Christo ipso iudice, Ioan. 10.) *sint fures & latrones*, qui non pastum doctrinæ salutarem præbeant Christi ouibus, sed eas furentur, hoc est, abstrahant ab Ecclesiæ ouili, perdant & mactent. Quod cùm ita sit, nõ sunt Christi Ecclesia illi cœtus, qui adhærẽt Sectariis. Nam Ecclesia, vt ante argumentabamur, sine ordine legitimorum Ministrorum, Pastorum & Doctorum, nunquam est. Tales autem, vt ostensum est, non sunt Sectarij, sed Catholici ministri, vt probauimus. Cœtus igitur ille, in quo Catholicorum Doctorum atque Pastorum ordo conspicitur, id est, qui Romano Pontifici paret, est vera Christi Ecclesia. Et hactenus quidem hoc modo ad eam assertionem confirmandam argumentum duximus ab ea Ecclesię prærogatiua, quæ in ordine consistit.

Eminet etiam Ecclesiæ *ordo* maximè in differentia atque veritate vitæ statuum & officiorum seu administrationum, quæ in illa cernũtur. Quæ differentia partim nascitur ex differentia obligationum, quibus alij atque alij fideles ad alia & alia genera vitæ adstringuntur; partim ex differentia gratiarum & potestatum, quæ ad varias functiones in Ecclesia obeundas, diuinitus distribuuntur: *Diuisiones enim*, inquit Apostolus, 1. Cor. 12. *gratiarum sunt; & diuisiones operationum, & diuisiones administrationum*.

Atq; pro differentia quidem obligationum ad alia & alia genera vitæ, tres in vniuersum *status* fidelium maximè insignes in Ecclesia distinctos animaduertere licet, quorũ quilibet in Scriptura sacra noui Testamenti commendatur. Vnus *Coniugatorum*, qui sola cõmuni obligatione seruandę legis diuinæ tenentur, quo ad beatitudinem peruenire possint. Quæ vitæ ratio satis ab ipso etiam Christo Domino probata est, Matth. 19. & Marci 10. Alter status est *Episcoporum* & Presbyterorum, à quibus & officij & dignitatis ratio singularem vitæ perfectionem requirit. De quorum obligatione sæpè verba facit Apostolus, 1. Tim. 3. & 4. & ad Titum 1. & apud Lucã, Actor. 20. Tertius est *Religiosorum*, quorum vitæ institutum sperni non potest, nisi obedientię, & castitatis, & paupertatis professio, in Scripturis sanctis luculenter commendata & proposita, impiè vituperetur. *Obedientia* namque institutum commendatur, Lucæ 9. 2. Corint. 2. Hebr. 13. *Castitatis*, Matth. 19. 1. Cor. 7. *Paupertatis*, Matth. 19. Lucæ 9. &c.

Porrò ex differentia etiam earum operationũ, quę secundùm legem Dei ordinariam in Ecclesia necessariæ sunt, vt ad beatitudinẽ peruenire possint fideles; differentia etiam nascitur *officiorum* Ecclesiasticorum. Sunt autẽ tria genera eiusmodi operationum. Nempe diuini verbi *prædicatio*. Sacramentorũ *administratio*. Gubernatio seu *regimẽ* animarum. Quæ tria genera actionum D. Dionysivs Areopagita aliis verbis expressit, cùm actus hierarchicos tripartitò diuisit in lib. de Eccles. hierarch. cap. 5. & 6. Docet enim ad Ecclesiasticum ministerium tria pertinere, nempe *purgare, illuminare, et perficere*. Fit enim *purgatio* prædicatione diuini verbi, *illuminatio* administratione Sacramẽtorum, quibus animus splendore gratiæ exornatur, vt D. Dionysius interpretatur. *Perficere* autẽ ad eos maximè spectat, qui regunt alios; vt ad Episcopos: quos idcirco D. Dionysius appellat *perfectores*. Iam cõcionandi muneri destinãtur propria quadam ratione quidã in Ecclesia cum delectu: neq; cuiuis id munus vsurpare licet. Administrationi autem Sacramẽtorum varij ministri destinati sunt, secundùm varios gradus, qui continentur Ordinis Sacramento. Item regendi auctoritas multis, neq; omnibus vno modo conuenit: sed aliis amplior, vt Episcopis; aliis angustior cõcessa est; vt Presbyteris Pastoribus animarum. Qui oẽs vni Pastori, summo secũdùm Christum, subiecti sunt, cui est omnis Ecclesiæ cura (sicut postea videbimus) commissa.

Hac varietate tum vitæ statuum, tum officiorum, tum graduum, tanquã *vestitu deaurato* (Psal. 44.) *circumamicta* Ecclesia summam obtinet dignitatem. Hunc ordinem & hierarchiam insigne Christi Ecclesiæ ornamentum esse, passim sancti Patres, integris etiam voluminibus de hoc argumento editis, testificantur. Quin & Scriptura sacra multis modis significat ex huiusmodi varietate Ecclesiam esse cõstitutam. Ideo enim Ecclesiam appellat *corpus* (vt superius quoq; notauimus)

uimus) ideo *regnum*, ideo *ciuitatem*, ideo *domum*; & ne omnia nomina id genus persequar, ideo *castrorum aciem ordinatam* Ecclesiam vocat: in quibus rebus magnam officiorum ac munerũ varietatẽ animaduertere licet. Et *alios*, inquit D. Paulus ad Ephes. 4. *dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Doctores & Pastores, &c. in cõsummationẽ Sanctorum*, & vt *efficiatur* (sicut ad Colos. 1. inquit) *omnis homo perfectus*: qui finis atque scopus est huius Ecclesiæ varietatis atque hierarchiæ. Et quemadmodũ bonitas & perfectio Dei variis admodum creaturis, & varia multiplicíq; ratione communicatur, vt eo magis in illis omnibus emineat: ita etiam conuenit in Ecclesia, vt multiplex Christi gratia, tãquã à capite in membra, varie deriuetur in varios fideles, quò magis pateant diuitiæ gratiæ & donationis ipsius.

Hac verò varietate & ordine hierarchico Ecclesiam Romanam insignem esse, nemo est qui dubitet. Carent autem prorsus illa cœtus Sectariorum. Non illi igitur, sed Ecclesia Romana est ea Christi Ecclesia, quæ in Scripturis sanctis, corpus, regnum, ciuitas, & domus Dei propter eiusmodi varietatem nominatur. Quid enim aliud in Sectariorũ Synagogis, præter Babylonicam confusionem, & velut orbitatem quandam atq; desolationem tristissimã, apparet? Reiiciunt varietatem vitæ statuum: oderunt obedientiæ, castitatis, paupertatis professionem: nullam ministrorum differentiam, quæ quidem auctoritate aliqua seu potestate peculiari ad munus rectè obeundum (præter meram ad id deputationem seu designationem) agnoscunt: Omnes apud eos, quod ad muneris auctoritatẽ attinet, sunt sacerdotes & Euangelij ministri: iidẽ pastores & oues: nulli qui certa professione virtutum præstantissimarũ, obedientiæ, castitatis, paupertatis, secundùm cõsilia Christi, ad beatitudinẽ contendant, per *viam* (vt Apostoli vocabulo 1. Cor. 12. vtar) *excellentiorem*: nulla fermè cultus cæremonia: Deniq; talia apud eos omnia, vt in eorum religionis ratione vix aliquod Christianæ disciplinæ signũ reliquũ sit, quo eos possis ab ethnicis, nulla veri Dei cognitione imbutis, discernere. Sed de probatione ab Ecclesiæ ordine satis hactenus multa.

Solam Ecclesiam Romanam perpetuò fuisse VISIBILEM, *ac proinde eam solam esse Ecclesiam legitimam. §. 26.*

POSTREMO, quod sola Ecclesia Romana perpetuò fuerit *visibilis* (hæc enim vltima prærogatiua est, ex qua supra conuicimus, probari etiã debere veram Ecclesiam Christi) ne ipsi quidem Sectarij diffiteri possunt. Quare in eo magis laborant, vt Ecclesiam inuisibilem nobis faciant: ne si visibilem esse concedant, fateri cogantur à vera Ecclesia se defecisse tum, cùm defecerunt ab Ecclesia Romana, quæ sola, ante desertorem Lutherum, fuit in orbe cognita.

Quando enim aut vbi ante annos circiter septuaginta Lutheri Synagoga fuit, hoc est, hominum aliquis cœtus, qui doctrinæ, qui cultus rationem à Luthero traditam sequerentur? *Audemus*, inquit ipse Lutherus in præfatione corporis doctrinæ Lypsiæ editæ anno 61. *gloriari, Christum primò à nobis vulgatum.* Et VVigandus in libro de bonis & malis Germaniæ: *Secundum*, inquit, *Germaniæ beneficium est, articulorũ fidei illustratio, qualis ab Apostolorum temporibus hucusq; in mundo non est cognita.* Si igitur doctrina Lutheri tam multis illis seculis ante Lutherum non fuit: qui nam esse potuerunt ante Lutherum cœtus, qui sequerentur doctrinam Lutheri?

Sed instaurauit (inquiunt) Lutherus omnino doctrinã veterem, adeoq; veritatem in tenebris per tot secula delitescẽtem in lucẽ protulit. Hoc verò est, quod ostendimus esse incredibile; vt tot seculis veritas atq; adeo Ecclesia Christi latuerit: vt nulli fuerint cogniti, & successione aliqua cõstantes Pastores & Doctores, ad quos communiter oues Christi recurrerent pro salutari pastu doctrinæ. Ecclesia enim Christi, qualis ea quidẽ in Scripturis descripta est, omnino talis est, nempe conspicua, in qua vsus legitimus vigeat Sacramentorum, in qua sonet & audiatur vox veræ doctrinæ, vt superiùs abunde probatũ est. Talis igitur Ecclesia si aliquot seculis non fuit; prorsus Ecclesia Christi nulla tunc fuit: quod sine ingenti blasphemia dici non potest.

Ac multò nos sanè meliore iure Sectariis ita tergiuersantibus possumus idem obiicere, quod olim TERTVLLIANVS in libro de præscript. hæreticorum, ducentorum tantùm annorum præscriptione fretus, nec tam latè, quàm modò propagata Ecclesia, sic hæreticis obiiciebat: *Quid?* inquit, *Verisimilẽne est, vt tot ac tantæ Ecclesiæ in vnã fidem errauerint? Scilicet, aliquos Marcionitas & Valentinianos* (dicamus nos, Lutheranos & Caluinianos) *liberanda veritas exspectabat? Interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperã tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotes, tot ministeria perperã functa.* Item; *Hoc*, inquit, *si ita est, neglexit officium Dei villicus, Christi Vicarius, Spiritus sanctus, sinens Ecclesiam aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat.*

At enim veteres ita cõtra eiusmodi hæreticos ratiocinabantur, qui manifestos errores contra Scripturas defendebãt. Nos aũt, inquiunt Sectarij, nihil docemus, nisi quod cõtinetur in scriptis Apostolicis. Ego verò quin hæc à Patribus cõtra errores disputarentur, minimè dubito. Sed hoc vrgeo, eo demùm argumẽto, tanquam cõpendio quodã, veteres ostẽdisse, erroneam & à Scriptura alienam fuisse doctrinam illam veterum hæreticorum, quoniam à doctrina multis seculis in Ecclesia recepta discreparet, nec verisimile esset, tot Ecclesias, tot Sacerdotes, tot Christi fideles tanto tempore in errore fuisse versatos.

Hoc idem argumentum, cùm nobis aduersus Sectarios eò etiam magis nunc competat, quò diuturniore tempore fuisse Ecclesiam sine doctrina Lutheri constat; rectè similiter concludimus, nihilo minus istos, quàm veteres hæreticos à vera & Apostolica fide aberrare. Vanissimè igitur nobis doctrinam talem venditant, quæ vera fuerit & Apostolica; & tamen cum ea doctrina, quæ tot seculis palam apud fideles sonuit, pugnârit, ipsaque latuerit in inuisibili Ecclesia, qualem Christus certè nullam instituit, vt suprà probatum est.

Quæ cùm ita sint, rectè initio cõclusimus, solam Ecclesiam, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, esse veram Ecclesiam; quoniam (vt hactenus demonstratum est) sola vna, sancta, Catholica, Apostolica, rectè ordinata & visibilis est. Hanc, inquam, solam Ecclesiam, rectè ex iis *notis* concluſimus, veram illam atq; legitimam esse Christi Ecclesiam, in qua vnica demum quæri debeat, atque inueniri possit auctoritas illa infallibilis, iudex & magistra fidei in omnibus quæstionibus controuersis. Deinceps quæ sunt reliqua prosequamur.

QVÆSTIO QVINTA.

In quonam, vel in quibus fidelibus de ipso cœtu Ecclesiæ, resideat auctoritas illa infallibilis, iudex & magistra fidei, quæ in sola vera Ecclesia Romana quæri debet? In omnibúsne fidelibus? aut in aliquibus? aut in vno aliquo, putà in Romano Pontifice tanquã in Ecclesiæ capite? §. 27.

RESPONDEMVS per hanc assertionem: *Pontifex Romanus est is, in quo tanquam in diui Petri successore & totius Ecclesiæ capite auctoritas illa residet.*

Hanc assertionem prius quàm probemus, ita declaramus: Cùm varij sint ordines fidelium in Ecclesia Christi; alius eorum, qui docent & præsunt, quales in primis sunt Episcopi; alius eorum, qui ab iis reguntur ac pascuntur doctrina salutari atque vsu Sacramẽtorum; cuiusmodi sunt vulgò ipsi fideles: hîc non iam disputamus, an illa auctoritas infallibilis: cuius definitione oportet in Ecclesia diiudicari posse quæstiones fidei omnes, sit etiam in Episcopis & Doctoribus, adeoque in Conciliis, aut in cœtu ipso vulgarium fidelium (quorum ordinum quatenus certa sit sententia in fidei controuersiis, infrà dicemus) neque vllam etiam comparationem huius aut illius ordinis iam instituimus; sed affirmamus nunc absolutè, eiusmodi auctoritatem in Romano Pontifice, qui pro tempore existit, residere. Quam assertionem satis ipso iudicio legitimæ Christi Ecclesiæ confirmare possemus. Ita enim persuasus est ille hominum cœtus, qui Romano Pontifici paret. Quem cœtum & veram esse Christi Ecclesiam, neque falli posse, hactenus à nobis demonstratum est. Sed vtemur præterea iis probationibus, quæ sunt huius loci propriæ. Atque vt via & ratione de re latissimè patẽte disseramus, placet hanc totam disputationem huiusmodi argumẽtandi forma concludere:

Cui Ecclesia tota obtemperare tenetur in iis rebus, quæ ad spiritualem animæ salutem pertinent, siue illa fidem, siue cultum, siue mores concernant; in eo auctoritas est infallibilis ad fidei quæstiones omnes diiudicandas.

Sed Romano Pontifici, pro tempore existenti, ita prorsus vniuersa Ecclesia obtemperare tenetur.

Igitur in Romano Pontifice est eiusmodi auctoritas infallibilis.

Prima istius argumenti propositio facilè probatur ex his promissionibus, quæ de doctrinæ veritate sunt diuinitus factæ ipsi Ecclesiæ. Quod enim vniuersa Ecclesia credere tenetur: id infallibiter verum esse oportet. Alioqui falsum illa quandoque obligaretur credere. Quod plurimùm abhorret ab illarum certitudine promissionum: Isaiæ 59. *Hoc fœdus meum cum eis: Spiritus meus qui est in te, & verba, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui amodò & vsq; in sempiternum.* Item Ioan. 14. *Alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis: vt maneat vobiscum in æternum.* Item: *Ille vos docebit omnia, &c.* Vt alia nunc præteream, quæ suprà §. 16. cùm de ea Ecclesiæ prærogatiua ageremus, disputata à nobis sunt. Si alicuius igitur in rebus ad salutem pertinentibus, atque adeo in fidei controuersiis, iudicium sequi debent omnes fideles: is quin auctoritatem infallibilem ad fidei controuersias omnes determinãdas habeat, dubitari non potest: vt in illa priori propositione nostri argumenti posuimus.

Illud maius est, & accuratiore demonstratione indiget, quod in altera propositione assumpsimus, Pontificem Romanum esse eum, in quo talis ac tanta dignitas præemineat, vt in iis, quæ ad animi spectant salutem, adeoq; ad ipsam fidem, omnes fideles ei obtemperare pareréq; teneantur. Quæ sanè assertio illùm in Ecclesia Primatũ Romano tribuit Pontifici, quem Sectarij omnes cumprimis reuocant in dubium, immo verò inficiantur. Neque enim aliud nomine eiusmodi *Primatus* intelligimus, quàm talem auctoritatem, cui omnes fideles in vtroq; foro interno & externo parere debeant in iis, quæ spectãt vel ad mores, vel ad cultum, vel ad fidem, id est, in salutis negotio.

Ac sanè Romanum Pontificem hunc principatum obtinere, demonstratum luculenter est à quàm plurimis Catholicis auctoribus: è quorum numero sunt Thomas VValdensis lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 29. & deinceps: Turrecremata lib. 2. de Ecclesia ferè per totum: Rossensis art. 25. contra Lutherum. Ioannes Driedo lib. 4. de variis dogmatibus, cap. 4. parte 2. & 3. Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis per totum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

totum, vt eos nunc omittam, qui doctissimè etiam de hoc ipso argumẽto posterius scripserunt: vt Sanderum, Stapletonum, Franciscum Turrianum, Bellarminum, &c.

Nos quidquid in eius assertionis confirmatione præcipuè disputari solet, ad hanc rationem commoda methodo reuocare posse videmur.

Auctoritas illa in Ecclesia, primaria, prorsus à Christo tributa est B. Petro, & eius successoribus, vsque ad consummationem seculi.

Sed Romanus Pontifex, pro tempore existens, B. Petri est successor.

Igitur Romano Pontifici pro tempore existenti illa auctoritas à Christo tribuitur.

In hoc argumento tria ponimus. PRIMVM. Auctoritatem illam primariam diuo Petro esse à Christo collatam. SECVNDVM. Non illi solùm, sed etiam eius successoribus. TERTIVM. Romanum Pontificem pro tempore existentem beati Petri successorem esse. Quæ tria cùm ordine probauerimus, locus hic erit expeditus.

Primariam in Ecclesia auctoritatem fuisse à Christo collatam D. Petro, probatur inprimis testimonio Christi, Matth. 16. §. 28.

PRIMVM illud, quoniam omnis hæc quæstio est *facti*, probandum est ex historia Euangelica, vbi Christi Domini gesta narrantur. Et quia mihi C in hac tractatione, propositum est, non tam proferre noua, quàm & explicatione nonnihil illustrare & argumentis communire vetera, quæ solent esse ferè firmiora: vtar iam etiam ad probationem illis potissimùm Euangelij locis, ex quibus vniuersi Ecclesiæ Doctores (quos etiam allegabimus) eiusmodi *primatum* Petri collegerunt.

PRIMVS igitur locus valdè illustris est apud D. Matthæũ, cap. 16. vbi Christus Dominus eam auctoritatem verbis amplissimis D. Petro promisit. Cùm enim is Christo, communiter ex omnibus Apostolis percontanti: *Vos autem quem me esse dicitis? tanquam os omnium Apostolorum, & vertex totius consortij* (vt inquit D. Chrysostomus D homil. 55. in Matthæum) respondisset: *Tu es Christus Filius Dei viui*: vicissim Christus ad eum ita loquitur: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Ex quo sanè loco ad confirmandam illam Petri auctoritatem totidem penè argumẽta duci possunt, quot sunt in illa Christi oratione verba. Expendamus igitur singula, quò demum intelligatur non perperam eruditissimos Ecclesiæ Patres hoc inprimis testimonio Christi, singularem illum D. Petri *primatum* (vt pòst videbimus) asseruisse.

I. *Beatus es*, inquit, *Simon Bariona*. Quemadmodum ex omni illo numero Apostolorum Petrus solus respondérat, & vsque adeo præclaram de Christo professionem ediderat: ita Christus prætermissis cæteris, nomine proprio eum compellat, parentis etiam nomine indicato, vt ea re facilius intelligeretur ad quemnam propriè atque singulariter sequentes promissiones referendæ essent.

II. *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*. Nempe declarauit etiam iis verbis, quantam certitudinem habitura esset ea doctrina fidei, quæ à Petro traderetur ex præcipua illa auctoritate, quam deinde illi promittit, vt iamiam videbimus. Non enim sensu (qui sæpè fallit) carnis & sanguinis, sed cælestis Patris inspiratione fides de Christo atque adeo de aliis omnibus mysteriis (vt quæ ad Christum omnia reuocantur) concipienda à Petro atque explicanda erat.

III. *Et ego dico tibi*: MERCEDEM, inquit beatus HIERONYMVS lib. 3. cõment. in Matthæum, *recepit vera confessio*. Et B. CYRILLVS lib. 4. dialog. de Trinitate cum Hermia, paulo pòst initium: *Tam veræ*, inquit, *sententiæ, remunerationem Petrus reportauit*, id est, donum aliquod atque prærogatiuam singularem, vicissim Christus Petro pollicetur in præmium illius verissimæ confessionis, quam ipse solus præ aliis de Christo fecerat. Quod similiter D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Hilarius in commentariis eius loci intellexerunt.

IV. *Quia tu es Petrus*. Hæc nominis commutatio, promissæ etiam in omnes fideles auctoritatis, indicium est. Quod primùm apparet ex Scripturæ analogia in aliis locis. Vbi enim aliâs similis commutatio nominis diuinitus facta perhibetur, singularis alicuius dignitatis symbolum eam fuisse intelligimus. Id videre est in Abraham, Sara, & Iacob, & aliis. De qua re sic diuus CHRYSOSTOMVS homil. 18. in Ioannem: *Ipse Deus est, qui nomina aptè imponit. Qui Abram, Abraham, & Sarai Saram, & Iacob Israël vocauit. Multis à natiuitate nomina imposuit. Vt Isaac & Samson, & iis, quorum meminit Isaias & Osee. Quibusdam quam acceperunt à parentibus appellationem mutauit, vt prædictis, & Iesu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi. Quod & Elias fecit. Hoc autem non temerè fit: sed vt ea appellatio imponatur, qua sit diuini beneficij perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur.*

Deinde idem in proposito confirmat ipsa ratio impositi nominis. Petrus enim Latinè; Græcè Πέτρος, & Syriacè atque Hebraicè (qua lingua Christus tunc vsus est) כאפא Cephas est. Quod vocabulum significat saxum firmum & magno ponderi sustinendo aptum. Eum igitur qui in-

primis

primis doctrinæ cælestis soliditate ac firmitudine totam Ecclesiæ fabricam sustentaturus erat; aptissimo vocabulo Christus Petrum appellat: nempe qui *tanquam saxum immobile* in ædificio Ecclesiæ futurus esset, quod *totius operis Christiani molem atque compagem contineret*, vt diuus AMBROSIVS, serm. 47. de fide Petri, disertis verbis interpretatur.

Accedit quòd multò etiam antea eam appellationẽ Petro Christus promiserat. Cùm primùm enim Petrus ab Andrea est adductus ad Christum. Intuitus eum Iesus dixit: *Tu es Simon filius Iona, Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur* (inquit Euangelista) *Petrus*, Ioann. 1. Quorsum tanto antea hæc tam seria appellationis promissio, si vacabat mysterio? Equidem hic mihi subaudire videor Christum, rationem eius nominis ab officij auctoritate, quam erat Petro aliquando collaturus, reddentem: perinde ac si apertè subiunxisset: ideo Cephas vocaberis, quoniam instar firmissimi saxi totam molem ædificij Ecclesiæ sustentaturus es. Hoc enim procul dubio illud est, quod animo Christus voluebat tum, cùm minimè ociosè intuens in Petrum, aiebat: *Tu vocaberis Cephas*.

Sic hunc locum interpretatur D. CYRILLVS lib. 1. in Ioannem, cap. 11. *Respicit*, inquit, *vt Deum decet, qui corda & renes scrutatur, videtq;, qui nihil ignorat, ad quantam fidem & virtutem discipulus peruenturus sit, &c. nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus, prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in petra lapideq; firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Quamuis *non omnia quidem*, inquit CHRYSOSTOMVS homil. 38. in Ioannem, *quæ euentura ei erant, hoc primo congressu prædixit. Non enim tum dixit: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Illud enim maioris erat potestatis, nec non & auctoritatis.* Quemadmodum igitur Deus Abrahæ dicens: Tu vocaberis Abraham, Geneseos decimo septimo, rationem eius appellationis ab eius futura dignitate, subiunxit: Quia Patrem multarum gentium constitui te: ita Christus Petro dicens: Tu vocaberis Cephas, futuram illius dignitatem & principatum in ædificio Ecclesiæ insinuauit, etsi nondum tum quidem penitus id expresserit, sed postea demum cùm is est confessus Christi diuinitatem, vt aitidem Chrysostomus homil. 38. in Ioannem.

V. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quam non explicârat rationem appellationis cùm Petro id nomen promitteret; eam tandem his verbis apertissimè exponit, in ipsa nominis attributione. *Tu es*, inquit, *Petrus*. Quamobrem verò? & quî tandem eiusmodi appellatio tantùm valet, vt mercedem illam contineat, quam (vt Patres asseuerant) recepit vera cõfessio? Nempe quia *super hanc*, inquit, *petram*, id est, super te Petre (vt statim probabimus) *ædificabo Ecclesiam meam*.

His autem verbis quemadmodum Dominus Petro promiserit primariam illam in Ecclesia auctoritatem, quam diximus, ita declaramus & confirmamus: Ex multis nominibus, quibus Ecclesiæ dignitas atque status propter varietatem & ordinem qui in ea cernitur, commodè significari potest, vnum est, *Domus*, vt suprà notatum est, cùm de prærogatiua ordinis Ecclesiæ ageremus. Quod vocabulum ideo etiam in Ecclesiam bene conuenit, quia vt domus ab inquilino, ita cœtus fidelium à Spiritu sancto inhabitatur. Hanc domum Deus per Filium eius Iesum Christum ædificat, vt Apostolus inquit, prima ad Corinth. tertio: *Dei ædificatio estis*. Nec verò B diuinitus hanc domum ædificari aliud est, quàm fide, cultu & moribus aptari diuino beneficio atque perfici fideles, vt postquam gratia demum expoliti, ac tum inter se, tum cum Christo quàm optimè coniuncti fuerint, ex illis quasi construatur dignum Deo habitaculum, secundùm gratiam quidem in hac vita, & secundùm æternam etiam beatitudinem in altera, quò spectat hæc omnis Ecclesiæ fabrica. Hæc illa ædificatio est, cuius Apostolus præsertim 2. Corint. 10. 12. 13. & ad Ephesios secundo meminit; quam ad Ephesios quarto dicit esse cum primis in charitate & in fide; ad quam omnia quæ fiunt, referri vult, & in qua perficienda suorum opera ministrorum Deum vti docet, hoc est, Doctorum & Pastorum, quos *dedit Deus*, inquit, *in ædificationem corporis Christi, ad consummationem Sanctorum, vt euadamus omnes in virum perfectum*. Cùm Christus igitur singulariter supra Petrum se Ecclesiam suam ædificaturum dixit; Petrum constituit facere huius domus atque ædificationis singulare fundamentum: vt ei videlicet post Christum tanquam firmæ petræ tota illa fabrica spiritualis innitatur. Id verò aliud non est, quàm auctoritatem prorsus solidam ac firmam Petro promissam esse, quà certò niti oporteat omnes fideles, in iis rebus, quæ ad fidem, cultum & mores, hoc est, quæ ad ædificationem Ecclesiæ (vt explicatum est) pertinent.

Quod autem eandem Petri personam (secundùm officij alicuius prærogatiuam) intelligere D debeamus, æquè hoc loco significatam à Christo esse nomine petræ (super quam ædificaturum se Ecclesiam dicit) atque nomine Petrus; multis modis confirmari potest.

Primò. Quia Christus non duobus illis vocabulis, *Petrus & petra*, sed vno & eodem, nempe *Cephas* (cùm Syriacè loqueretur) vtrobique vsus est. Quod vocabulum, vt beatus HIERONYMVS in caput secundum epistolæ ad Galatas notat, absolutè significat saxum: sicut etiam Πέτρος Græcè indifferenter significat, & Petrum & petram. Vt igitur, si Christus Latinè dixisset: Tu es saxum, & super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam; non dubitaremus, quin vtrobique illo eodem vocabulo (saxum) vnam & eandem per-

sonam

Universidad de Deusto
Biblioteca

sonam significâsset: ita sentiendum est illum fecisse, cùm Syriacè loquens vtrobiq; similiter vocabulo Cephas vsus est, quod saxum significat. Neque quidquam impedire nos in ea re debet, quòd primò quidem vbi magis expressè ad ipsam Petri personam vocabulum Cephas & Πέτρος refertur, interpresè Græco, *Petrus* verterit, postea autem *petra*. Hoc enim ille fecit, non quia diuersæ res vocabulo Petrus & petra in eo loco significentur, sed vt commodiùs loqueretur secundùm vocum formationem latinam.

Secundò. Idem ostendit ipsa series orationis Christi, & maximè vis illius demonstratiui pronominis, *Hanc*. Super quam enim petram dicit ædificaturum se Ecclesiam? *Super hanc*, inquit; nempe quam proximè antecedẽtibus verbis demõstrârat, inquiens: Tu, tu es Cephas, id est, petra seu Petrus. Alioquî quorsum tũc attinebat ipsum *Petrum*, seu *saxum* appellare, nisi illud etiã, quod de petra subiunxit, ad eundem retulit? Certè id fecit, vt aptè ostẽderet, rem illius nominis in Petri personam conuenire. Vt cum Dominus dixit ad Abraham: *Tu vocaberis Abraham*, Genes. 17. ad ipsum accommodat rem etiam nominis, illud subiungens: *Quia patrem multarum gentium constituite*. Sic etiã Angelus de ipso Christo, Lucæ 1. *Vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum. Ipse enim*, inquit, *saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Vt iam alia exempla similia præteream.

Tertiò. Si non eundem Petrum fidem profitentem eam petram esse Christus significauit: quem igitur aut quam rem ibi nomine petræ intellexit? Seipsum, inquiunt (vt postea videbimus) plerique Sectarij. At hoc multis argumentis refelli potest. Primùm enim, qualis obsecro tunc esset illa orationis consequentia? Tu Petrus es: Ego super me ædificabo Ecclesiam meam. Deinde, cur dicit *hanc*? Num digitum in se intendit, aut manu sublata sese indicauit, vt commodè *hanc* diceret? Tertiò accedit, quòd rem illis verbis facturum se promittit, planè futuram, quam nondum aut fecisset tunc, aut etiam inchoâsset. At ipse Christus iam inde ab origine mundi erat fundamentum Ecclesiæ, ac super illum iam tum bona ex parte Ecclesia exædificata. Quartò, si se, non Petrum ibi petram esse intellexit; quam, obsecro, mercedem illis verbis Petro propter factam ab eo confessionem promisit? Non enim Petri prærogatiua est, quòd super Christum ædificetur Ecclesia. At rectè sentiunt veteres, Petri confessionem illis Christi verbis atque promissione singulariter remunerari, vt ante dictũ est. Necesse est igitur, vt intelligamus Christum, ibi ipsum Petrum fidem profitentem appellâsse petram, super quem adeo promiserit Ecclesiam se suam ædificaturum.

Quartò. Ita locum illum vniuersi Patres interpretati sunt, neq; prorsus dubitauerunt, quin Petrus ibi petra dictus à Christo sit. Etsi vnus quidem excipiendus est Augustinus, qui cùm vtroque modo locum interpretetur, lib. 1. Retract. cap. 21. scilicet & de Petro & de Christo, iudicium ad extremũ permittit liberum Lectori, vt quam interpretationem probabiliorem putet, eam sequatur. Sed cùm ipse Augustinus nihil hac de re certi definiat, atque etiam permittat per petram ibi Petrum intelligere: Sequi nos oportet cõmunem sententiam aliorum Patrum, qui in eiusmodi interpretatione consentiunt. Maximè cùm ratio ipsa loci eum sensum præferat, vt ostensum est, nec ex contrario sit firma ea ratio, quæ Augustinum de eiusmodi interpretatione addubitare fecit. *Non enim*, inquit ipse, *dictum est Petro: Tu es petra, sed tu es Petrus*. Atqui si de vocabulis quærimus; ne *Petrus* quidem à Christo dictum est illi, sed *Cephas*. Quod vocabulum petram seu saxum significat, vt suprà notatum est. Quare nihil impedit, quo minus petram à Christo Petrum esse appellatum intelligamus, quamuis secundariam quidem post Christum, vt paulò post docebimus.

Nunc Patres eum locum ita interpretãtes audiamus. Tertvllianvs libro de præscript. hæreticorum: *Latuit ne*, inquit, *aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?* Clemens epistola 1. ad Iacobum: *Simon Petrus fundamentum Ecclesiæ definitus est. Qua de caussa etiam Domini ore cognominatus est Petrus*. Origenes homil. 5. in Exod. *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei quare dubitâsti?* Cyprianvs in epistola ad Quintum de baptismo hæreticorum: *Petrum*, inquit, *primum Dominus elegit, super quem ædificauit Ecclesiam*. Atque idem disertè quoque asserit libro primo epist. 3. & 12. & lib. 4. epist. 9. & in epistola ad Iubaianum, & libro de vnitate Ecclesiæ. Hippolytvs de consummat. mundi: *Princeps Petrus fidei petra*. Ambrosivs in hymno, teste Augustino lib. 1. Retract. cap. 21. *Hoc* (gallo gallinaceo) *ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Qui sensus* (inquit Avgvstinvs loco citato) *multorum ore cantatur in versibus beatissimi Ambrosij*. Item Ambrosius in alio loco serm. 47. de fide Petri: *Petrus pro soliditate deuotionis Ecclesiarum, petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; petra enim dicitur eò, quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat*. Ac tursus serm. 68. de Natali Petri & Pauli, de claudo illo homine, qui diuinitus à Petro sanatus est, loquens: *Si Petrus*, inquit, *petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet*. Gregorius Nazianzenvs in oratione de moderatione in disput. habenda: *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic* (Petrus) *petra vocetur*

atque Ecclesiæ fundamenta (nempe intelligit reliquos Christi Apostolos) *fidei suæ credita habeat*. Hieronymvs libro tertio comment. in Matthæum, in cap. 16. *Secundùm metaphoram*, inquit, *petræ, rectè dicitur ei* (Petro) *ædificabo Ecclesiam meam super Te*: Atque idipsum expressè affirmat in cap. 2. Isai. & 16. Ierem. & 41. Ezech. & 7. Amos & 1. Abdiæ, & libro primo contra Iouinianum circa medium, & libro primo Dialog. contra Pelagian. ante medium. Basilivs in concione de pœnitentia, quæ est numero 28. *Petrus cùm dixisset: Filius Dei es altissimi; & audisset, petra es; encomiis celeber factus est. Etiamsi autem petra est, non vt Christus petra est, sed vt Petrus petra. Christus enim reuera petra inconcussa est, Petrus verò propter petram. Largitur enim Iesus suas dignitates & non euacuatur, sed habens dat*. Hilarivs canone decimo sexto in Matthæum: *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges dissolueret. O beatus cæli ianitor, &c.* Pavlinvs epistola quarta ad Seuerum: *Petra est Christus. Etiam discipulo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dicit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Chrysostomvs homil. 17. ex variis Matthæi locis (Idem in Psal. 50. & homil. 2. de encomio Petri & Pauli, & homil. 55. in Matthæum) *Princeps Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra & firma confessio*. Prosper Aquitanicus libro 2. de vocatione gent. cap. 9. *Hæc fortissima petra ab illa principali petra* (Christo) *communionem & virtutis sumpsit & nominis*. Epiphanivs in libro Anchoratus, non longè ab initio: *Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est*. Maximvs sermone de Petro & Paulo, qui incipit, Glorioſissimos. *Per Christum Petrus factus est petra: dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Concilio Chalcedonense Actione tertia: *Petrus Apostolus est petra & crepido Ecclesiæ Catholicæ*. Theodoretvs libro tertio in Cantica, ex Psello: non longè à fine: *In Petro Apostolorum principe Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam ædificaturum promisit*. Eadem sententia (ne simus prolixi) reliquorum Patrum est. Optati libro secundo contra Parmen. Leonis serm. 3. de passione Domini. Cyrilli lib. 2. in Ioannem, cap. 12. Isidori libro de Patribus noui Testamenti. Euthymij in cap. 16. Matth. Gregorij in Registro, lib. 6. epist. 37. & aliorum.

Quin & ipse Avgvstinvs multis in locis Petrum à Christo dici petram & fundamentum Ecclesiæ interpretatus est. Vt cùm inquit sermone de Cathedra Petri, q est decimus quintus de Sanctis: *Petrum fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit*. Item in Psalm. 69. *Petrus Christum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia*. Item tract. 11. in Ioannem: *Respondit Petrus, petra illa, voce omnium: Domine ad quem ibimus?* Etsi autem in aliis quibusdam locis petram Christum interpretatus sit (tract. vlt. in Ioannem, & serm. 13. de verbis Apostoli) tandemque, vt antea diximus, dubitauerit, vtro modo potius ille quidem locus Matth. 16. intelligi debeat, libro primo Retract. cap. 21. tamen de ipso principatu alioqui, quem habuerit Petrus in Ecclesia, quemque vocabulo petræ, capitis, fundamenti, ianitoris cæli, metaphoricõs significare Orthodoxi solent, nullo pacto dubitauit vnquam Augustinus. Eius enim sunt illa verba tract. 56. in Ioannem: *Quis nesciat, primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum?* Item quæst. 75. ex nouo Testamento: *Ipsum*, inquit, *constituit Dominus esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici*. Item enarratione prima in Psalm. 108. *Primatum in discipulis habuit*. Item libro secundo de baptismo contra Donatistas, capite primo: *Quis nesciat illum Apostolatus Petri principatum cuilibet Episcopatui præferendum?* Ac exstat locus Augustini in epistola 86. ad Casulanum; ex quo satis apparet, minimè illum improbare, quo minus Petrus etiam *Apostolorum caput, cæli ianitor, & Ecclesiæ fundamentum* nominetur. Tot enim ac talibus nominibus, Augustino referente, & minimè reprehendente, Petrum (ex vulgatissima procul dubio Ecclesiarum omnium sententia) appellauit is, contra quem ibi Augustinus de ieiunio Sabbathi disputat. Sed reliqua argumenta, quæ continentur in illo loco Matthæi pro primatu Petri persequamur.

VI. *Et tibi*, inquit, *dabo claues regni cælorum*. Illustrat his verbis Christus alia metaphora vim auctoritatis illius primatiæ, quam Petro ad constituendum de iis rebus, quæ pertinent ad salutem fidelium, pollicebatur. Namque claues regni cælorum eam potestatem vocat, propterea quod eius vsu multiplici cælum fidelibus vel clauditur vel aperitur. Quid enim aliud est, doctrinam fidei certò explicare; peccata remittere; leges salutares condere; ea quæ ad sanctissimum cultum pertinent, constituere; aliisque id genus rationibus, hominum saluti consulere; quàm iisdem cælum, hoc est, aditum ad æternam beatitudinem aperire? Contrà verò, cùm beneficium remissionis peccatorum iusta ex caussa negatur; cùm alicuius aut vita, aut doctrina condemnatur; cùm excluditur ex communione fidelium; huic nimirum quasi clauditur cælum.

Itaque intelligendum est, cùm soli Petro in hoc loco claues regni cælorum singulariter promittuntur, summam illi post Christum in Ecclesia promitti potestatem. Nempe eiusmodi, qua & omnibus aliis (atque adeo etiam ipsis Apostolis) & omnibus modis aperire potuerit regnum cælorum. Non enim Apostolis item reliquis claues ipsas cæli aut promisisse aut tradidisse Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stum legimus. Etsi attribuit illis quidem quandam auctoritatem vsus eiusmodi clauium; vt scilicet clauderent cælum, aut aperirent, retinendo vel remittendo, seu quod idem est, soluendo vel ligando peccata. Matth. 18. & Ioann. 20. Claues autem ipsæ, hoc est, plena atque summa potestas id omni ratione faciendi, Petro soli promissæ, atque adeo tributæ sunt, quæ est Christi promissionum fidelitas.

Quod sanè discrimen inter Petrum & reliquos Apostolos, quod attinet ad potestatē eam clauium, præclarè veteres Patres animaduerterunt. Nam AVGVSTINVS, quoniam ad vtilitatem ipsius Ecclesiæ, principatus eius auctoritatis Petro tributus est, ideo scribit Ecclesiam illum repræsentâsse, cùm ei à Christo diceretur: Et tibi dabo claues regni cælorum: *Quādam*, inquit in Psalmum 108. *dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille cognoscitur in figura gestâsse personam propter primatum, quem in discipulis habuit: sicuti est: Tibi dabo claues.* Et rursus tract. 124. in Ioannem: *Quod ad Petrum*, inquit, *proprie pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus primusq; Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claues; vniuersam significabat Ecclesiam.* Item tract. 134. in Ioannem: *Petrus*, inquit, *Apostolus propter Apostolatus sui primatum totius Ecclesiæ gerebat figurata generalitatē personam.* Consentit cum Augustino OPTATVS Mileuitanus libro primo contra Parmen. circa medium, qui ob eam amplitudinem auctoritatis Petri, qua cæteris Apostolis antecelluit; disertis verbis inquit: *Solus Petrus claues accepit.* Item ORIGENES tract. 6. in Matth. ferè in medio: *Quoniam oportebat*, inquit, *aliquid maius habere Petrum, ideo illi quidem sic dicit; Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis. Non ergo modica differentia est, quòd Petro quidem sint datæ claues non vnius cæli, sed multorum cælorum, vt quæcunque ligauerit super terram, sint ligata non tantùm in vno cælo, sed in omnibus cælis, & quæ soluerit super terram, sint soluta non sólum in vno cælo, sed in omnibus cælis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores & sólutores in terra, sic dicit, vt sóluant & alligent, non in cælis, sicut Petrus, sed in vno cælo; quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus.* Item beatus LEO epistola 89. ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos: *Petro*, inquit, *præ cæteris est tradita sóluendi atque ligandi potestas.* Neque verò præeminentiam hanc auctoritatis clauium in Petro HIERONYMVS & CYPRIANVS ignorauerunt, cùm ille lib. 1. contra Iouin. circa medium scripserit, *inter duodecim vnum eligi, vt capite constituto schismatis tollatur occasio:* hic autem libro de vnitate Ecclesiæ non longè ab initio: *primatum Petro dari, vt vna Christi Ecclesia, & vna cathedra monstretur.*

Huc præter auctoritatem sanctorum Patrum accedit analogia Scripturæ; eiusque phrasis in aliis locis. Etenim *clauium* nomine summa potestas designari in Scriptura sacra solet. *Dabo* (inquit Dominus Isai. 22. Eliachim summo Sacerdoti, qui typum Christi gessit) *clauem domus Dauid super humerum eius. Et aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Quid verò hęc clauis significat? Nempe potestatem talem in domo Dauid, hoc est, in Ecclesia, vt quod ab ea rectè ac legitimè constitutū sit, ratum apud omnes ac firmum esse debeat, nec posit à quoquam rescindi. Hoc enim est quod ait: *Aperiet & nemo claudet, & claudet, & non erit qui aperiat.* Hanc clauem, hoc est, potestatem in Ecclesia, quæ & dicitur regnum cælorum, Christus præstantissima ratione habet. Ipse enim est *sanctus ille & verus* (inquit Ioannes Apostolus Apocalypsis tertio) *qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Petro igitur vices suas in hac vsurpanda claue, hoc est, summam post ipsum, auctoritatem in terris promisit, cum se illi claues regni cælorum traditurum pollicitus est. *Largitur enim Christus* (inquit Basilius in cōcione de pœnitentia, quæ est 28.) *suas dignitates, & non euacuatur, sed habens dat.*

Ac sanè in politicis etiam id similiter obtinuisse videmus, vt cui regendæ ciuitatis summa auctoritas attribuitur, huic tanquam eius dignitatis Symbolum quoddam, claues ciuitatis tradantur. Ab hac igitur antiquissima atque receptissima consuetudine existimare debemus, Christum (qui solitus fuit ex rebus ferè vulgo vsitatis sermonis rationē ac modum petere) illam metaphoram mutuatum esse: vt amplitudinem eius potestatis, quam Petro promittebat, quàm aptissimè exprimeret.

VII. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Portæ inferorum, inquit EPIPHANIVS in libro Anchoratus, non longè ab initio, *sunt hæreses, & hæresiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipso Petro firmata est fides, qui accepit claues regni cælorum.* Quo pacto & alij Patres portas inferorum hoc loco interpretantur. Si igitur ita super Petrum Ecclesia fundata est, vt posit operā Petri ac ministerio aduersus omnes hæreses, & omnem vim inferorum firma stare: confiteri necesse est, talem auctoritatem Petro tributam esse, qua is potuerit tum in omni fidei quæstione, quod verissimum est certò docere, tum quæ essent fidelibus aut in cultu aut in moribus salutaria, sanctè constituere. Quod enim Christus subiunxit: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, id ad antecedentia referri debet, vt inde præstantiam atque firmitudinem illius potestatis intelligamus, quam Petro pollicebatur, affirmans se super illum Ecclesiam fundaturum, eiúque traditurum claues regni cælorum. Nam & ad explicandam etiam vim atque vsum eius auctoritatis adiunxit illud quod ad extremum sequitur.

VIII. *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque sólueris super terram, erit sólutum et in cælis.* Quibus verbis non qualicunque modo eum significat soluere atque ligare posse, sed tanquam eum nimirum, qui auctoritatem ipsam clauium regni cælorum absolutam atque plenam habet: vt ex verbis antecedentibus, quę hactenus exposita sunt, didicimus. Quo sanè pacto cæteri Apostoli clauium auctoritatem non acceperunt; vt testimoniis Patrum, quæ partim adduximus, partim postea adducemus, perspicuum fit.

Hîc verò quò minus ex hoc Euangelij loco primatum illum Petri colligamus, tria potissimum nobis OBICIVNT Aduersarij. PRIMO. Non Petrum, sed Christum ipsum nomine petrę, super quam Ecclesia ædificanda fuerit, intelligi hoc in loco debere: vel certè confessionem ipsam fidei de Christi diuinitate à Petro editā. Atq; hîc vrgent illud 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus* IESVS.

SECVNDO. Quicquid hîc Petro promissum est, aliis etiam Apostolis esse tributum. Nam & omnes fundamenta appellantur, Apocalyp. 21. & omnibus Christus dixit, Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque sólueritis super terram, erunt sóluta & in cælo.* Et illud item omnibus, Ioan. 20. *Ite, ego mitto vos, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.* Quò accedit auctoritas Patrum, qui pares omnes Apostolos fuisse, testari videntur. Cyprianus enim libro de vnitate Ecclesiæ dicit: *Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.* Quod ipsum similiter affirmant Anacletus distinct. 21. c. in nouo. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. Leo epistola ad Anastasium Tharsens.

TERTIO. Quòd Petro peculiariter videatur Christus claues regni cælorum promisisse: id, inquiunt, ad confirmandum illius principatum non valere: Non enim ipsi Petro peculiariter, sed Ecclesiæ, cuius figuram ibi Petrus, auctore Augustino, præferebat, esse promissas atque datas claues.

Ad PRIMVM respondemus: Etsi Christus alioquî petra angularis & fundamentum præcipuum sit, quo Ecclesia omnis nititur, tamen in eo quidem loco apud Matthæum decimo sexto, petræ nomine non posse ipsum intelligi, sed Petrum significari. Quod cùm antea perspicuis argumentis ex ipso loco ductis, & consentiente auctoritate sanctorum Patrum confirmauerimus, nihil est necesse idem denuò probare. Nam quod Augustinus (vt diximus) subdubitârit, Petrúsne an potius Christus ibi petra nominetur; cùm aliorum omnium Patrum sententia per petram Petrum intelligentium, tam sit concors & constans, nihil nobis præiudicare debet.

Vt autem ibi per petram confessio fidei etiam, à Petro facta, intelligatur, non impedimus. Nam quod ad rem ipsam attinet, nihil interest, vtrum supra Petrum, fidem certò confitentem atq; docentem, vel supra certam Petri confessionem, Ecclesiam fundatam esse dicas. Eodem enim res redit. Nam neque nos, cùm ex sententia Patrum, supra Petrum fundatam Ecclesiam esse affirmamus, personam Petri cogitamus nudam, sed explicantem certam de Filio Dei fidem: neque etiam illo loco vel nuda fidei confessio per se ipsa, vel alterius hominis, præterquam Petri, potest intelligi. Dicit enim Christus: Super *hanc* petram, id est, super te, Petre, confitentem, atq; adeo super confessionem fidei tuam certam ac immobilem.

Itaque vtrumque videmus à veteribus explicatum esse, & supra Petrum, & supra Petri confessionem Ecclesiam esse fundatam. Quoniam nihil re ipsa inter vtrumque interest, vt dictum est: *Princeps*, inquit CHRYSOSTOMVS homilia viceſima septima, ex variis locis Matthæi, *Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio.* Ac rursus homil. 55. in Matthæum, posteaquam supra fidem Petri Ecclesiam ædificatam esse dicit; vt magis explicet, hoc tantundem esse ac supra Petrum certò de fide pronunciantem ædificari, hæc verba subiungit: *Id Christus agit, vt homo piscator quauis petra firmior reddatur, vniuerso terrarum orbe reluctante.* Atque ibi ad extremum super ipsum Petrum Ecclesiam ædificatam esse, disertis verbis testatur.

Item D. CYRILLVS libro quarto dialog. de Trinitate paulò post initium. Insignem remunerationem atque honorem ipsius Petri maximum fuisse asserit, quòd *inconcussam & firmissimam illius fidem petram Christus vocârit.*

Et HILARIVS libro sexto de Trinitate post medium: *Hæc*, inquit, *fides Petri Ecclesiæ fundamentum est.* Cuius tamen illa etiam sunt verba canone 16. in Matthæum: *O in nuncupatione noui nominis félix Ecclesiæ fundamentum: O beatus cæli ianitor.*

Sic etiam diuus CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesiæ paulò post initium: *Super illum vnum*, inquit, *ædificat Ecclesiam suam.* Qui tamen eodem loco, paulò post dicit; *Super Cathedram*, id est, supra doctrinam Petri, *Ecclesiam esse fundatam.*

Et ob id etiam diuus BASILIVS libro secundo contra Eunomium paulò post initium, Petri nomine prærogatiuam Simonis, filij Ionæ, intelligi docet; *Qui de piscatoribus*, inquit, *ad Apostolatus functionem vocatus, propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit.* Quibus verbis an non Basilius clarissimè significauit, nec Petrum sine fide, nec fidem sine Petro, ædificio Ecclesiæ, quasi fundamentum, subesse?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porro illud quod vrgent Sectarij, solum Christum esse fundamentum, facillimè expeditur. Ita enim Christus solus est Ecclesiæ *fundamentum*, sicut solus est *mundi lux*, sicut solus est noster *Pontifex, Episcopus, Doctor, & Pastor* animarum. Et tamen sunt præter Christum alij etiam in Scripturis lux mundi, Episcopi, Doctores, Pastores, verisimè appellati. Nempe non eadem, sed alia ratione. Ita quoque *fundamenta* in Apocalypsi Ioannis, cap. 21. appellantur Apostoli. Num verò id impedit, quo minus verè dictum sit; prima ad Corinth. tertio: *Fundamentum aliud neminem posse ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus?* Minimè. Non enim absurdum est, vt quæ primariò & principaliter, hoc est, præstanti quadam & singulari ratione Christo conueniunt, eadem aliis cõueniant secundariò. Lux ipse solus est, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioannis primo. Item solus ipse est ille Pastor, qui *posuit animam pro ouibus suis*, Ioannis decimo, seque dedit *redemptionem pro omnibus*, 1. Timot. 2. Et ipse est Pontifex solus, ad Hebræos quarto, *qui penetrauit cælos, introiuitq; per sanguinem suum in sancta, æterna redemptione inuenta*, ad Hebr. 9. Itē Doctor est vnicus, Isai. 30. in quo, vt in alio nullo, absconditi fuerint *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, Coloss. 2. Denique fundamentum est primum Ecclesiæ & maximum, 1. Corinth. 3. & vt Augustinus, enarratione in Psalm. 86. non longè ab initio appellat *fundamentum fundamentorum*, quod videlicet seipso consistat, neque vlli alteri innitatur, sustineatq; quidquid omnino pertinet ad Ecclesiæ ędificium, adeoque ipsum etiam confirmet Petrum. Sed vt alij post Christum suo quodā modo lux mundi sunt. Itemq; Episcopi, Pastores & Doctores: sic etiam Petrus est secũdarium ac præcipuum, post Christum, Ecclesiæ fundamentum. Nempe cuius fidei etiam *Ecclesiæ fundamenta commissa sunt* (vt ait Gregorius Nazianzenvs in oratione de moderat. in disputatione habēda) id est, Apostoli ipsi, qui, vt alios in religione confirmārunt, fundamenta etiam quædam fuerunt.

Atque hoc ipsum item & veteres ipsi, qui Petrum fundamentum Ecclesiæ constitutum esse affirmauerunt, luculenter notārunt. *Sicut ipse*, inquit Hieronymvs libro tertio comment. in Matth. circa caput 16. *lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraq; ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen: & secundum metaphoram petra rectè dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meam super te.*

Et Basilivs in concione de pœnitentia: *Christus verè est petra inconcussa, Petrus verò propter petram, largitur enim Deus suas dignitates & non euacuatur, sed habens dat. Lux est, & dicit: Vos estis lux mundi. Sacerdos est; facit sacerdotes. Oiucula est, & inquit: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Petra est, & petram facit.*

Nec opus est prolixius referre, quæ in eandem sententiam dicit Ambrosivs libro sexto in Lucam, capite secundo. Leo sermone secundo in Natali Petri & Pauli. Prosper libro secundo de vocatione gentium, capite nono, & alij. Ac potest, qui plura de hoc discrimine fundamentorum Ecclesiæ cognoscere volet, legere inter cæteros doctissimum Turrecrematam in erudito illo suo opere, quod summā Ecclesiæ nominauit, lib. 2. cap. 17. & seq.

Ad Secvndam obiectionem Sectariorum, de Apostolorum omnium æqualitate, doctè sanè à multis Catholicis auctoribus iam pridē secundùm doctrinam Orthodoxam responsum est, vt à Ioanne Driedone, libro quarto de variis dogmatibus, capite quarto, parte secunda, à Caietano in tract. de compar. Papæ & Concil. capite tertio, à Melchiore Cano, lib. 6. de locis Theologicis, cap. vlt. ad 11. argumentum, à Dominico Soto in 4. sent. dist. 20. quæst. 1. art. 2. & 3. &c. Res autem, vt summatim, & aliquantò planius eam complectar, sic habet:

Ad Apostolatus prærogatiuam atque dignitatem duo pertinuerunt. Vnvm est, quod ab ipso Christo proximè auctoritatem Ecclesiastici ministerij Apostoli acceperunt. Quamobrem & ab eo missi, sicut ipse missus erat à Patre, dicuntur. Altervm est, quod eam auctoritatem sic à Christo acceperunt, vt non tantùm in hac vel in illa orbis parte, sed vbique prorsus possent ritè ac legitimè fungi muneribus Ecclesiasticis: *Euntes enim*, inquit Matth. 28. *docete omnes gentes*. Et: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marci 16. In his duabus rebus, atque adeo in huiusmodi dignitate atque prærogatiua Apostolatus, pares omnes Apostoli fuerunt. Atque hæc duntaxat æqualitas Apostolatus probari potest iis testimoniis vel Scripturæ, vel Patrum, quæ nobis obiiciuntur.

Cæterùm aliæ duæ res sunt, in quibus Petrus Apostolus antecelluit reliquis Apostolis, non quidem propriè vt Apostolus, sed vt singulare fundamentum, & caput Ecclesię & pastor ouium Christi, & cæli ianitor constitutus. Vna est, quòd illam Apostolatus auctoritatem in vniuerso orbe, accepit ipse à Domino tanquam ordinariam & duraturam, suisque adeo successoribus relinquendam: eò quòd vniuersæ Ecclesiæ, quæ *vnquā* futura esset, fundamentum est constitutus (sicut infrà ostendemus) nec talis fundamenti locum ipse perpetuò, nisi per suos etiam successores tenere potuit. Reliqui verò Apostoli eam auctoritatem nō eo modò acceperunt: sed eorum quasi extraordinarium priuilegium fuit, quòd & in orbem vniuersum, & à Christo proximè illam auctoritatem Apostolatus acciperent. Itaque illis è vita decedētibus, dignitas etiam eiusmodi Apostolatus esse desiit, neque est ad vllos eorum successores deriuata. Quod cùm ita dicimus, minimè volumus, nullam iam peruenire Apostolatus

auctori-

auctoritatem ad Episcopos, qui sunt (vt Anacletus explicat dist. 21. Can. in nouo) Apostolorum successores. Habent enim hi, in suis quiq; Ecclesiis, vicem atq; functionem Apostolorum: estque adeo perpetuum illud Dei in Ecclesiam beneficium, quo inter cæteros ministros ei attribuuntur Apostoli *ad consummationem sanctorum*, vt D. Paulus ad Ephes. 4. disputat. Hoc igitur tantùm dicimus, si & *modum*, quo Apostolicam auctoritatem reliqui præter Petrum acceperunt, & acceptæ auctoritatis *amplitudinem*, in totum scilicet orbem, spectemus; non transiisse eiusmodi dignitatem Apostolicam ad eorum successores. Nam neque auctoritatem ex æquo in vniuersum orbem habent; neq; eam quam habent, habent ita proximè à Christo, sicut habuerunt Apostoli, cùm Christus nimirum illam ipsis Apostolis per se tribuit, eaq; re officium ordinarium Petri (id est, vniuersalis Pastoris, à quo nimirum potestas aliorum Pastorum ordinariè alioqui deriuanda est) sua quadam excellenti potestate quasi præuenit.

Altera res, in qua Petrus reliquis Apostolis antecelluit, est, quòd ipse quidem potestatem accepit etiam quandam in ipsos Apostolos: tanquam omnium videlicet (nemine excepto) qui ad Ecclesiæ ædificium & ad Christi gregem pertinent, fundamentum & pastor (vt pòst ostendemus) singulariter constitutus. Itaq; regere ipsos atq; in fide confirmare cum auctoritate potuit, iisq; præscribere & modum & locum ad fungendum ministerio Apostolico, quatenus ad Ecclesiæ bonum id expediret. Quam sanè rem doctè mihi videtur Caietanus loco suprà citato expediuisse, vbi scribit, Apostolos reliquos, quatenus *Apostolos*, fuisse quidem D. Petro pares: tamen, qua ratione erant *oues* Christi, fuisse Petro subiectos.

Porrò, hanc Petri præeminentiam inter reliquos Apostolos minimè negauerunt veteres Patres. Quin imò ex loco Matthæi hactenus à nobis exposito, & ex aliis, quos deinceps adducemus, luculētissimè eam asseruerunt: etiam illi ipsi, qui pares alioqui in Apostolatus dignitate omnes fuisse affirmauerunt. Etenim D. Cyprianvs libro de vnitate Ecclesiæ non longè ab initio, in eo ipso loco, vbi dixit, *pari consortio præditos reliquos Apostolos fuisse & honoris & potestatis*, mox subiungit: *Sed exordium ab vnitate proficiscitur, Petro primatus datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna cathedra monstretur.* An non in pari consortio Apostolatus, primatum Petri agnoscit?

Legat, cui otium est, locum illum integrum Cypriani, & satis impudentiam Sectariorum mirari non poterit, quod ex ea Cypriani disputatione probare velint, ita fuisse Apostolatus dignitate pares Apostolos, vt Petrus illis præpositus à Christo non fuerit. Dicit 1. *compendio veritatis* facilè fidem probari posse, *si caput teneatur*, ac illud consideretur, quòd *Dominus loquitur ad Petrum: Tu es Petrus, &c.* Dicit 2. *Super* Vnvm *Petrum Ecclesiam esse fundatam*. Dicit 3. *Quamuis & alij Apostoli pastores constituti sint; tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram Christum constituisse, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuisse.* Dicit 4. *Super Cathedram Petri Ecclesiam esse constitutam*. Et 5. illud item, quod ante recitatum est; *Primatus Petro datur, vt vna cathedra monstretur.* Denique 6. causam, quam ob rem hæretici *perfidiam sub prætextu fidei, & Antichristum sub vocabulo Christi mentiantur*, esse, *quia ad veritatis illam & vnitatis originem* (de qua dictū est) *non reditur, nec caput*, inquit, *quæritur.* Quid hæc omnia sibi volunt, si nullum habuit Petrus principatum auctoritatis?

Nec minus profectò clarè Hieronymvs libro primo contra Iouinianum, circa medium: *Super Petrum*, inquit, *fundatur Ecclesia. Et licet idipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo* (quod attinet quidem ad prærogatiuam Apostolatus) *super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* An verò ab Hieronymo vel amplius aliquid ad æqualitatem in Apostolatu declarandam, vel clarius ad Petri nihilominus præeminentiam in auctoritate regiminis tuendam dici potuit?

Et D. Leo epistola ad Anastasium Tharsensem Episcopum. *Inter beatissimos*, inquit, *Apostolos in pari honoris consortio fuit quædam discretio potestatis. Et cùm omnium par esset electio* (nempe ad Apostolatum) *vnitas tamen datum est, vt cæteris emineret.*

Et Anacletvs dist. 21. can. in nouo: & clarissimè epist. 3. vbi pari etiam consortio honorem & potestatem Apostolicam reliquos accepisse dicit; perspicuè nihilominus asseuerat, *à Petro post Christum in nouo Testamento, sacerdotalem ordinem cæpisse, & ipsum Apostolos reliquos habuisse pro principe.*

Mitto, quòd auctor alioqui eruditissimus Ioannes à Turrecremata loco superiùs citato contendit, in hoc etiam Apostolos cæteros D. Petro fuisse inferiores, quòd à Christo acceperint Apostolici muneris auctoritatem non nisi per ipsum Petrum. Id quod etiam probat ex Anacleto 67. dist. can. porro. qui affirmat, Iacobū fratrem Domini fuisse ordinatum Episcopum Hierosolymitanum à Petro, & Ioanne, & altero Iacobo. Sed hæc quidem sententia minus communis est, neque etiam ad Petri primatum asserendum necessaria. Nam etsi demus, à Christo proximè omnes Apostolos auctoritatem Apostolicam, vt ante docuimus, accepisse; satis nihilominus defensum iam est, quod ad auctoritatem quidem regiminis attinet, fuisse illos ipso Petro inferiores. Ex qua re fiebat, vt in modo quidem exercendi munus illud Apostolicum possent à Petro cum auctoritate dirigi. Quod verò de ordina-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione Iacobi dicit Anacletus: id ad solam desi-
gnationem quandam loci referri potest.

Denique ad id quod TERTIO aduersus probationem nostram, ex illo Matthæi loco sumptam, obiiciunt Sectarij, claues regni cælorum nec promissas nec datas Petro esse, nisi in persona Ecclesiæ, facilis responsio est. Nam id ipsum planè nobis potius suffragatur & istos redarguit. Ideo enim de Petro peculiariter Augustinus scripsit, eum in persona Ecclesiæ claues accepisse: quoniam non vt priuata persona, neque vt qualiscunque alius Ecclesiæ minister, sed vt Ecclesiæ totius præfectus, qui singulariter proinde totam Ecclesiam repræsentauerit, eatenusque in vtilitatem Ecclesiæ, eas accepit; vt suprà quoque exposuimus, & diligéter etiam à Caietano in tract. de Roman. Pontif. institut. cap. 3. & ab Eckio in locis communibus cap. 3. notatum est. Sed satis, vt arbitror, de loco Matthæi 16. dictũ est, ex quo certè est perspicuum, præcipuam illam in Ecclesia auctoritatem fuisse Petro promissam.

Probatur SECVNDO Petri Primatus ex loco Euangelij, Lucæ 22. §. 28.

SECVNDVS Euangelij locus, valdè etiam illustris, quo auctores Catholici primatum Petri probare consueuerunt, est apud Lucam cap. 22. Vbi Christus contentione exorta inter discipulos, *quis eorum videretur esse maior*: primùm ambitionem eam atq; superbiam, vtpote secularium ferè principũ ambitioni similem, refutat, & suo exemplo proposito modum humilitatis præscribit ei, qui maior esset futurus, inquiens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic. Sed qui maior* EST *in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit an qui ministrat? Nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrùm sum, sicut qui ministrat.* Deinde conuersus ad Petrum, eiq; imperans vsum illius primariæ auctoritatis in confirmandis in fide fratribus; satis profectò indicauit, eum ipsum Petrum esse, cui antecedentibus verbis *modum* in supremo dignitatis gradu tenendum proposuerat. Ait enim è vestigio ad ipsum solum: *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Ex hoc loco Primatum Petri confirmari, facilè animaduertet lector, si quatuor apud se diligenter expendat. I. Primùm enim in illa discipulorum contentione minimè Christus negauit, aliquem in Ecclesia superiorem reliquis fuisse futurum. Quin potius id planè affirmat: *Qui maior*, inquit, *est in vobis*: quia videlicet iam erat Christo decretum, aliquem præficere, & caput cæterorum facere. Itaque hunc monet, vt in maximo gradu dignitatis pòst constitutus, nõ mundanorum principum arrogãtiam, sed suam moderationem atque submissionem imitetur: *Ego enim*, inquit, *sum inter vos, sicut qui ministrat.*

II. Quis autem ille maior futurus est? Nempe Petrus, pro cuius videlicet fide, vt ad communem aliorum vtilitatem sit firma, orat: quem iubet fratres aliquando, hoc est, accepta pòst lapsum & resipiscentiam cura pastorali, confirmare in fide. Quo sanè confirmandi vocabulo, auctoritatem in docendo significari, ex aliis Scripturæ locis intelligi potest. Actor. 15. vers. 41. & cap. 16. vers. 5. & 1. ad Thessal. 3. vers. 2. &c.

III. Atque Petrum *maiorem* reliquis significari hoc loco futurum, non propriè in vitæ sanctimonia aut virtute, sed in muneris auctoritate; tum ex eo confirmãdi præcepto, quod illi deinde tanquam Maiori datur, tum ex ipsa ratione huius Christi sermonis apparet. Monuit enim, vt is qui maior futurus esset, fieret virtute humilitatis & submissionis sicut minor. Qua monitione non magnopere iam eget, qui in maximo virtutis atque sanctitatis est gradu, adeoque perfectionem humilitatis consecutus est. Sed is demũ ita cum primis admonendus est, qui in alio aliquo genere excellit; nempe potestatis, quæ nimirum cum importunitatis atque superbiæ vitio facilè coniungi solet; vt est videre in regibus gentium, quorum voluit Christus eum esse dissimillimum, qui maior inter Apostolos futurus erat.

IIII. Nec verò putare in hoc loco possumus, sermonem Christo fuisse de potestatis alicuius temporalis principatu, quem moderatè ab aliquo Apostolorum sustineri vellet. Perspicuum enim est de eiusmodi auctoritatis præstantia eum ibi agere, cuius maximè proprius sit vsus confirmare in fide fratres. Quæ auctoritas, spiritualis est. Quanquam nec indignum est, vt qui *spiritualia seminant, temporalia etiam metant*. 1. Corinth. 9. vnusquisque quantum opus habet, spectata temporum ratione, & sui cuiusque in Ecclesia gradus.

Sed ipsos etiam sanctos Patres audire operæprecium est, qui etiam ex hoc loco Petri in Ecclesia principatũ rectissimè collegerunt. D. LEO serm. 3. de die anniuersario assumpt. suæ (idemq; habet serm. 2. de Natali Petri & Pauli) *Commune*, inquit, *erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur. Tanquam aliorum status certior sit futurus, si mẽs principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cum itaq;, dilectissimi, tãtum nobis videamus præsidium diuinitus institutum: iustè in ducis nostri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem fecit.*

Et

Et D. AMBROSIVS in Psalm. 43. aliquãtò pòst medium. *Petrus*, inquit, *Ecclesiæ præponitur. Itaque antè significat Dominus, quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit Dominici gregis. Nam huic dixit: Tu autem conuersus confirma fratres tuos.* Lucæ 22.

Item THEOPHYLACTVS in cõment. eius loci: *Planus*, inquit, *huius loci intellectus hic est: Quia te habeo vt principem discipulorum, postquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui pòst me Ecclesiæ petra & fundamentum es.*

Tum D. AVGVSTINVS quæst. 75. ex nouo Testamento: *Quid ambigitur?* inquit, *Pro Petro rogabat, & pro Iacobo & Ioanne non rogabat? vt cæteros taceam. Manifestum est, in Petro omnes contineri: Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogâsse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur aut laudatur.*

Et tamen vsq; adeo miserabilis cœcitas Sectariorum est, vt contra Petri potius principatũ ex hoc ipso Lucæ loco, quo ille vel maximè stabilitur, argumentum petant. Vrgent enim admodũ inconsideratè illud: *Vos autem non sic*: Si non sic: ergo nemo, inquiunt, debet in Ecclesia cæteris omnibus imperare, id quod faciunt Reges gentium. Quantò rectius contrarium isti concluderent, hoc modo: Si non sic, id est, si non *eo modo* dominari seu imperare aliquis Apostolorum debuit, *sicut* dominantur Reges gentium: Ergo debuit quidem aliquis ex Apostolis imperare (de quo inter eos fuit contentio quis esset) sed *alio* quodam modo. Quo tandem? *Qui*, inquit, *maior* EST *in vobis, fiat sicut minor*. Non dicit: Nullus erit in vobis maior. Nemo imperabit. Nec: Qui maior est, fiat aut sit minor, aut omnino non imperet. Quorsum enim tunc esset *maior?* Sed: *Fiat*, inquit, SICVT *minor*, hoc est, in mansuetudine; sine superbia; sine importunitate imperet. Non igitur summam auctoritatẽ hîc Christus remouet: sed modum in auctoritate summa requirit, eumq; longè diuersum ab eo, quem Reges gentium tenent.

Idipsum confirmamus rursus hoc modo: Qui inter Apostolos maior sit, eum ita vult Christus erga reliquos se gerere, sicut ipse Christus se gessit erga Apostolos. Exemplum enim suum proponit eis, inquiẽs: *Ego autem in medio vestrùm sum sicut qui ministrat*. Sed Christus ita fuit, sicut qui ministrat, vt non ideo tamen potestate caruerit. Igitur nec vult potestate carere eum, quem esse vult vt minorem cùm sit maior, sed *modum* in vsu potestatis ei præscribit, vt dictum est.

Quid multa? Ipse Apostolus Petrus, quò pertinuerit illud Christi magistri sui præceptum, diserte explicat, quum iisdem propè verbis id repetens, ac alios etiam Ecclesiæ pastores de eo commonefaciens: *Pascite*, inquit 1. Petr. 5. *qui in vobis est gregem: prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neq; turpis lucri gratia, sed voluntarie. Neq; vt* DOMINANTES *in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Probatur TERTIO Petri Primatus ex loco Euangelij, Ioan. 21. §. 29.

TERTIVS locus clarissimus est apud Ioannem cap. 21. Vbi Christus Dominus ascensurus in cælum, *Vicarium amoris sui erga gregem* (vt inquit B. AMBROSIVS lib. 10. in Lucam cap. 24.) diuũ Petrum relinquens; *omnibus eum Apostolis antetulit*, eiq; summam tandem auctoritatem Ecclesiam suam regendi, toties anteà promissam, attribuit. *Erant* (inquit Euangelista) *Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo, &c.* Et dicit Simoni Petro Iesus: *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi, etiam Domine: tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? (contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: amas me? Et dicit ei: Domine tu omnia scis, & scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas.*

Hunc autem in modum ex hoc tam illustri loco, pro Petri principatu in Ecclesia, ratiocinamur. Si Petro singularis aliqua regendi vniuersam Ecclesiam auctoritas à Christo tributa est, qualem cæteri Apostoli non habuerũt; certè Petrus habuit regiminis in Ecclesia principatum. Nam quæ maior in Ecclesia regendi auctoritas sit quàm ea, quæ antecelluit auctoritati alioquî Apostolicæ? At singularis Ecclesiam vniuersam regendi auctoritas, qualem cæteri Apostoli non habuerunt, Petro est à Christo tributa. Habuit hic igitur regiminis in Ecclesia principatum.

Id probatur perspicuè ex circumstantiis eius loci apud Ioannem. I. Simon, inquit, Ioannis diligis me *plus his?* Cur de præstantiori charitate eum, præ cæteris tum præsentibus, interrogasset, nisi maioris etiam atq; præstantioris muneris auctoritatem ipsi attribuere voluisset?

II. *Pasce agnos meos.* Vel vt est Græcè, *Rege oues meas.* Et denique: *Pasce oues meas.* Nempe commisit ei curam omnium Ecclesiæ ordinum; vt regeret non modò vulgares atq; imperfectiores fideles, qui quasi agni sunt, & velut paruuli lacte pascendi: sed etiam perfectos, adeoque Pastores ipsos Ecclesiarũ, qui vèlut oues ac matres sunt cæterorum. Sic enim D. AMBROSIVS lib. 10. in Lucam cap. 24. hanc Christi sermonis varietatem in hoc loco interpretatur: *Tertiò*, inquit, *Dominus interrogauit. Et iam non agnos lacte pascendos, vt primò, neque ouiculas, vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.*

III. Neq; inter has aut illas oues distinxit: Sed absolutè: *Pasce*, inquit, *oues meas.* Quo ipso apertè significauit, alienum fore à suo ouili, quicunque Petrum pastorem non agnosceret; vt scitè atque eleganter concludit D. BERNARDVS lib. 2. de

consider.

Universidad de Deusto
Biblioteca

considerat. ad Eugenium, paulo post medium. Quam ob rem nec Apostolos quidem à Petri cura exemit. Nisi fortè non etiam illi fuerunt Christi oues.

IIII. Deniq; vis verbi, *pasce*, consideranda est. Quod vsum auctoritatis salutarem in subditos, in regendo & docendo, secundùm Scripturæ sacræ consuetudinem, significare, dubium nullum est; 2. Reg. 5. Ezechiel. 34. &c. quidquid Caluinus lib. 4. institut. cap. 7. contrà obganniuerit. Quare Ioannes in recitanda ea Christi sententia, tali verbo Græco (ποιμαίνειν) vsus est, quod & pascere & regere significat, vt à sanctissimo Roffensi art. 25. contra Lutherum & ab aliis ex Scriptura etiam sacra passim est notatum. Psal. 2. & 79. Actor. 10. Matth. 2. &c. Nec aliter AVGVSTINVS tract. 123. in Ioannem sub finem, & CHRYSOSTOMVS lib. 2. de sacerdotio, in initio, & alij Patres eius verbi significationem hoc in loco intellexerunt.

SED quemadmodum hîc Christus auctoritatem in Ecclesia primariâ Petro attribuerit, quâ anteà tot modis eidem erat pollicitus, præstat vt Lector ex ipsis verbis sanctorum Patrum quàm ex nostris intelligat. CHRYSOSTOMVS homil. vlt. in Ioannem: *Cæteris*, inquit, *omissis, solum Petrũ alloquitur, curam ei committens fratrum suorum*. Et rursus lib. 2. de sacerdotio, initio: *Interrogat*, inquit, *discipulum magister, num ab eo ametur? Non quòd id ipse edoceatur; verum vt nos doceat, quanta curæ sibi sit gregis huius præfectura*. Item ibidem paulo pòst: *Illum*, inquit, *auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere. Petre enim, ait, amas me plus quàm hi omnes?* Ac rursus homil. 1. de pœnitentia: *Ecclesiæ*, inquit, *primatus gubernatio, quo per vniuersum mundum ei à Christo concreditus est*.

AMBROSIVS lib. 10. in Lucam cap. 24. *Interrogabat*, inquit, *Dominus, non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in cælum amoris sui velut vicarium nobis relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me? &c. Petrus testificatur affectum, & ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur*. Et paulo pòst: *Oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret*.

CYPRIANVS in libro de vnitate Ecclesiæ sub initium: *Petro*, inquit, *post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas, super illum VNVM ædificat Ecclesiam suam* (en, sententiâ Cypriani, quando Christus impleuerit promissionem illam: super hanc petram, &c.) *& illi pascendas mandat oues suas*.

Et ORIGENES in caput 6. ad Romanos: *Quũ Petro*, inquit, *summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut terram, fundaretur Ecclesia* (en etiam, quando impleta promissio) *nullius confessio virtutis alterius, nisi charitatis ab eo exigitur*.

THEOPHYLACTVS in locum illum Ioan. 21. *Petro*, inquit, *non alij præfecturam ouium per vniuersum mundum tribuit*.

GREGORIVS lib. 4. Registri epist. 32. *Totius, inquit, Ecclesiæ curam Petro dominica voce commissam esse, cunctis scientibus Euangelium liquet*.

Item ARNOBIVS in Psalm. 138. Petrum Episcopum Episcoporũ esse inde ostendit, quod *nullus*, inquit, *Apostolorum nomen pastoris accepit* (intellige, ita singulariter & ab ipso Christo) *solus enim Dominus dicebat: Ego sum Pastor bonus. Hoc nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus, negatori suo hanc, quã solus habuit, tribuit potestatem*.

Nec multò aliter hoc idem expresit D. AVGVSTINVS tract. 123. in Ioannem, vbi ita eleganter scripsit: *Sit amoris officium pascere dominicũ gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem*. Quibus verbis, quis maximè sit sensus illius loci literalis, quòd toties tamque acuratè de singulari amore Petrus examinatus fuerit, Augustinus significauit. Nempe vt intelligeretur, quantopere charitas in subditos, & eorum Dominum, in Præposito necessaria sit.

Quod ipsum Chrysostomus significare voluit, vbi suprà lib. 2. de sacerdotio, cùm dixit: Dominum interrogâsse, *vt nos doceret, quanta curæ sibi sit gregis huius præfectura*. Et homil. 87. in Ioãnem: *Ter*, inquit, *interrogat, & semper idem præcipit, inquiens: Pasce, vt demonstret, quanti ouium suarum curam faciat*.

Neque tamen idcirco id improbamus, quod AVGVSTINVS in illo ipso tract. 123. in Ioannem etiam de hoc loco ita commentatus est: *Redditur*, inquit, *negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quàm timori: & plus vocis elicuisse videatur mors imminens quàm præsens*.

Quod & CYRILLVS lib. 12. in Ioannem cap. 64. notat in eundem locum; simul ibi Petrum appellans *& principem, & caput cæterorum Apostolorum*.

Neque tamen illa Augustini interpretatio (de trina interrogatione ob præteritam trinam negationem) impedit, quò minus maximè etiam propter præfecturam gregis Petro committendam, ita sæpe illum Christus interrogauerit, vt CHRYSOSTOMVS & alij Patres locis ante citatis exponunt.

SED aliud est, inquit Caluinus lib. 4. instit. cap. 7. pasce oues meas, quàm habeto auctoritatem in eas omnes. Accedit, quòd non dicit, *omnes*. Et ipse Petrus aliis Episcopis inquit: *Pascite, qui in vobis est, gregem*, 1. Pet. 5. Tanquam habeant omnes ex æquo curam Dominici gregis sibi commissam. Atque hæc ferè sunt, quæ aduersus pondus tanti tamque illustris testimonij, quo Petri principatum confirmant Catholici, leuissimè OBIICIVNT Sectarij.

Quibus RESPONDEMVS, & vsum alioquî sacræ Scripturæ, & huius loci circumstãtias; & collationem eius cũ locis aliis, in quibus antè summa auctoritas Petro promissa est; & (quod magni momenti apud nos esse debet) consentientem interpretationem sanctorum Patrum, satis

super-

superque comprobare, pascendi vocabulo in eo loco, metaphoricè significari etiam regendi auctoritatem. Significat enim ea vox officium eiusmodi erga oues Christi, quo bene atque conuenienter illæ possint & in spirituali vita sustentari, & omnino ad illa vsq; pascua vberrima vitæ sempiternæ dirigi atq; deduci. Hoc autem, si spectemus hominum naturæ conditionem, sufficienter præstari nequit, sine auctoritate etiam atque vi præcipiendi, adeoque obligandi ipsas oues ad eum doctrinæ & religionis quasi pastum sumendum, qui iudicetur salutaris à pastore. Quare, in quo Ecclesiæ Præposito Christus significauit esse plenam auctoritatem pascendi, in eodem auctoritatem quoque spiritualiter esse regendi intelligere debemus: vt auctoritate Scripturæ & sanctorũ Patrum, & ipsa illius loci ratione satis hactenus demonstratum est.

Nec nobis illud quidquam obstat, quod Aduersarij obiiciunt, Christum non dixisse: Oues *omnes*. Etenim loci circumstantiæ iam commemoratæ, & sententia communis Patrũ cogit (nisi velimus esse impudentes) intelligere *omnes*. Obsecro enim, quænam, & quot, & quales oues intelligendæ ibi sunt, si non oportet omnes intelligi? Certè Christus non distinxit inter has & illas, sed absolutè: *Pasce*, inquit, *oues meas*. Vnde sic sanè (præter ea, quę prius à nobis allata sunt) licet ratiocinari:

Dubium nullum est, quin Christus ita diligẽter commendans Petro oues suas, voluerit ab eo satis intelligi, de quibus ouibus loqueretur. At nisi de *omnibus*, quæcunq; essent suæ, sit locutus; non satis potuit Petrus, de quibusnam diceret, intelligere. Confitendum est igitur, illum de ouibus suis *omnibus* in eo loco locutum esse. Non enim de iis aut illis determinatè, locutus est; nec verò de nullis; nec, si indeterminatè & confusè de aliquibus locutus esset, satis illæ à Petro potuissent distinctè cognosci. Quod rectè etiam ante nos doctissimus Caietanus in eruditissimo suo tractatu de Romani Pontificis institutione cap. 10. concluſit.

Iam verò Petrus Episcopos item alios, vt gregem pascerent, admonuit; non quia pàr illis esset commissa cura totius Christi gregis in vniuerso orbe pascẽdi: sed quia illi etiam certè, sub Petro, pascere oues Christi debuerũt, & hodie debent: vnusquisque in assignato sibi loco. Ita quo nec dicit Petrus absolutè: Pascite *gregem*, sicut ipsi à Christo generatim atq; absolutè dictum est; Pasce *oues meas*. Sed: Pascite, inquit, qui IN VOBIS est, gregem; id est, vnusquisque illum, quem fidei atque curæ suæ habet commendatum. Vt si Rex ad Consules diceret: Regite prudenter commissas vobis ciuitates: nunquid propterea significaret, auctoritate regendi esse consules sibi ipsi pares?

Alia quædam Euangelij testimonia, ex quibus itidem D. Petri primatus confirmatur

QVARTO. §. 30.

ATque hæc quidem testimonia, quæ pro Petri primatu hactenus ex Euangelio proposuimus, potissima sunt, quibus etiam sancti Patres ad eam rem maximè sunt vsi. Sed illis tamen ita positis atque confirmatis, non minimi ponderis ad eam assertionem stabiliendam alia quædam Euangelij testimonia videri debent, quæ solent huc etiam auctores Catholici non immeritò referre. Huius generis est, quod Christus Dominus soli Petro Matth. 17. nominatim iusserit, vt pro se & pro illo iis, qui tributum exigebant, solueret staterem, id est, duo didrachma, vt exponit eo loco D. HIERONYMVS. Quare primatum Petri significari Christum voluisse Patres non absurdè intellexerunt. Genus enim illud tributi, quidam erat census capitis, id est, vel patrisfamilias, vel certè primogenitii ac præcipui in familia post ipsum, vt D. CHRYSOSTOMVS homil. 59. in Matthæum initiò interpretatur. Qui & propterea inquit: *Cum primogenitus esset Christus; Petrus quoq; discipulorum primus esse videretur, ipsum adeunt, etc.* Ac post aliqua: *Hunc locum*, inquit, *Marcus, qui discipulus Petri fuit, ideo nõ scripsisse videtur; quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur*. Item paulo post: *In illa hora*, inquit, *Petrum omnibus discipulis prætulit*.

Item AVGVSTINVS quæst. 75. ex nouo Testamento: *Saluator, cùm pro se & Petro dari iubet; pro omnibus exsoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erat omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici*.

Hinc factum est, vt occasione huius honoris Petri, in illa ipsa hora, sicut Euangelista narrat, discipuli adirent Iesum dicentes: *quis putas maior est in regno cælorum?* Quia viderãt, inquit HIERONYMVS in commentariis eius loci, *pro Petro & Domino idem tributũ redditum; arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse Prælatum*. Item CHRYSOSTOMVS homil. 59. in Matthæum: *Veriti*, inquit, *turbationem profiteri suam, non aperte quare Petrum ipsis præponeret, sed confuse: Quis ergo maior est, interrogarunt?* Et rursus ibidem: *Cum ad vnum*, inquit, *delatus honor est; tunc nimirũ doluerunt. Quanquam non ex hac re solum, sed ex aliis multis inflammati fuerunt. Tum quia dixit illi: Dabo tibi claues regni cælorum: Tum quia: Beatus es tu Simon, &c. Tum etiam hic: Da illis pro me & pro te*. Eodem ferè modo loquitur in illum locum Origenes tract. 5. in Matthæum.

Huc addunt etiam Doctores Catholici, quòd Matthæus cap. 10. cùm Apostolorum nomina recẽsere constitueret: *Nomina*, inquit, *Apostolorum hæc sunt: PRIMVS Simon, &c.* Vbi apparet, illum ad ordinem dignitatis respexisse, non ad ordinem temporis, quo essent Apostoli à Christo vocati. Ita enim Andream primum dicere debuisset:

Universidad de Deusto
Biblioteca

buisset: quem primum vocatũ esse constat. Quare AMBROSIVS, in 2. Corinth. capite 12. *Prior*, inquit, *secutus est Andreas Saluatorem quàm Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Et animaduertatur contra Sectariorum cauillationes, Doctores Catholicos non inde argumẽtari, quòd Matthæus *primò* nominauerit Petrum, sed quod disertè dixerit: PRIMVS Simon, &c.

Nec obscurè idem Petri primatus significatur etiam illius generis locis, quibus perhibetur ipse nomine omnium Apostolorum vel interrogasse Christum, vel eidem respondisse, vel ab eo, de necessaria doctrina pro omnibus peculiariter fuisse instructus. *Per vnum* (inquit D. CYRILLVS lib. 4. in Ioannem cap. 28.) *qui præerat, omnes respondent. Sanctam profectò disciplinam optimè conseruantes, & posterioribus prudentiæ atque modestiæ relinquentes exempla. Decet enim non omnes confusè prosilire, sed credere iis, qui & cõsilio & ordine præpositi sunt.* Hæc Cyrillus in eum locum, vbi Christo interroganti Ioan. 6. *Nunquid & vos vultis abire?* Respondit Petrus: *Domine, quò ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

Accedit quòd vbi in historia sacra mẽtio collegij Apostolici facienda fuit, passim videas nominari solum Petrum, cæteris non nominatim expressis, planè tanquam ipsorum caput. *Prosecutus est eum* (inquit Marcus cap. 1.) *Petrus, & qui cum eo erant.* Item Lucas cap. 8. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Et rursus Actor. 2. *Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, &c.* Nónne modus ipse narrationis indicat ex omnibus Petrum fuisse præcipuum, cui reliqui tanquam præposito suo adhærerent?

Hoc ipsum & ea re significatum est, quòd ad illum primò Christus lauaturus omnium pedes accedit. Ioan. 13. quòd illi nominatim suam resurrectionem nunciari voluit, Marci 16. &c.

Atque inter cætera eiusdem generis indicia, quæ ex Euangelio pro primatu Petri, diligenter etiam à Ioanne Turrecremata lib. 2. de summa Ecclesiæ cap. 5. & 15. collecta sunt: illud mihi videtur à D. BERNARDO lib. 2. de consider. ad Eugenium, post medium, pulchrè notatũ esse, quod apud Ioannem cap. 21. legimus, Petrum se mari commisisse, vt ad Christum in littore consistentem perueniret, cæteris discipulis nauigio venientibus. *Quid istud est?* ait Bernardus: *Nempe signum singularis Pontificij in Petro, per quem nõ vnam Ecclesiam, vt cæteri quiq; suam, sed seculum ipsum gubernandum susceperat. Mare enim seculum est, naues Ecclesiæ. Hinc est*, inquit, *quod altera vice, Matth. 14. instar Domini, gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi sunt multi,*
Apocalyp. 17.

Probatur QVINTO D. Petri primatus ex rebus ab eo gestis. §. 31.

PRæterea colligitur Petri primatus ab Orthodoxis ex rebus ab eo gestis, quæ in actis præsertim Apostolicis commemorantur. Ille enim post Christi resurrectionem Actor. 2. publicè ad multitudinẽ ex omni natione congregatam primus cõcionẽ habuit, adeoq; *in nationibus* (inquit AMBROSIVS serm. 47. de fide Petri) *fidei fundamenta posuit.* Ille omniũ primus in curatione claudi mirabiliter fidem confirmat. Actor. 3. *Si enim Petrus petra est* (inquit Ambrosius serm. 68.) *super quam ædificatur Ecclesia; rectè primus pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.* Ille exurgens in medio fratrum, Actor. 1. statuit aliquem in locum Iudæ fuisse eligendũ. Qua de re CHRYSOSTOMVS homil. 3. in Acta: *Vide*, inquit, *feruorem. Quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro princeps est, & vbiq; primus omnium incipit loqui? Ad hunc enim inquit Christus: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ille præ cæteris Anania & Saphira condemnandis auctoritate vsus est. Actor. 5. Ille Simonem Magum, hæreticorum primũ, ex Ecclesia eiecit, deinde Romæ palam reuicit, vt plerique veteres testes sunt. Ambrosius serm. 66. Hieronymus in Catalog. scriptorum Ecclesiast. vbi agit de D. Petro. Maximus homil. 5. de Natali Petri & Pauli. Egesippus lib. 3. cap. 2. de excidio Hierosol. & alij plures apud D. Augustinum epist. 86. Ille, mota cõtrouersia de obseruatione legalium, primus in Apostolico Concilio loquitur, Actor. 15. remque definit tanquam *princeps decreti*, vt affirmat HIERONYMVS in epistola quadam ad Augustinum, quæ est 11. inter epistolas Augustini. *Vos enim scitis*, inquit in eodem Concilio Petrus, *quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis per os meum* (nempe singulari cum auctoritate) *elegit audire gentes verbum Euangelij, & credere.* Vnde & ipsi omniũ primò visione cælesti monstratum est, gentes etiam in Ecclesiam Christi debere recipi, Actor. 10.

In summa *vbique*, inquit CHRYSOSTOMVS homil. 21. in Acta, *Petrus primus inuenitur. Quando eligendus Apostolus, hic primus: Quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios; quãdo curandus claudus; quando concionandum; quando agendum contra principes; quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum, hic; et vbi moderatio. Vbi autem tranquillitate res erant plenæ; communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem.*

Atque vt hîc Chrysostomus Petrum à facilitate & submissione commẽdat, quod vbi opus auctoritate non fuit, cæteris Apostolis minimè se antetulit: ita vicissim reliquis Apostolis laudi dat, quòd sine controuersia Petrum, post Christi resurrectionem superiorem suũ in omnibus illis actis, de quibus iam dictum est, agnouerunt. *Considera*, inquit homil. 3. in Acta, *quo pacto concedunt*

ei solium (cùm de successore Iudæ eligendo ageret) *nec amplius ambigunt disceptantes inter se, quis futurus esset eorum maior.* Et clarissimè homil. 51. in Matthæum: *Nondum*, inquit, *gratia Spiritus sancti corroborati, facilè mouebantur; gratia verò accepta nõ tales nempe fuerunt, sed vbiq; primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur.* Tractat hoc argumentum à Petri rebus gestis eruditè inter cæteros Roffensis, articulo 25. aduersus Lutherum.

Verùm hîc Lutherus, & Caluinus, & Sectarij reliqui clarissimæ luci tenebras offundere nitũtur. OBIICIVNT enim impudenter, Petrum nequaquam exercuisse aliquando eiusmodi in Ecclesia primatum. I. Non enim constat, inquiunt, eum in reliquos Apostolos auctoritate esse vsum. II. Quin imò ipse cum Ioanne missus est ab illis in Samariam, Act. 8. III. Deinde cùm electio Matthiæ, Actor. 1. & septem Diaconorum, Acto. 6. facienda fuit, non à Petro est facta, sed ab omnibus æquè Apostolis iactæ sunt sortes. IV. Nec solus etiam controuersiam de religione definiuit, sed in Concilio res decernitur. Vbi & Iacobus quidem cũ auctoritate dicit Actor. 15. *Ego iudico, &c.* V. Sed & D. Paulus disertè ad Gal. 2. ait: *Mihi autem qui videbantur esse aliquid* (loquitur de Petro, Iacobo, & Ioanne) *nihil contulerunt. Sed contrà, cùm cognouissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis* (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes) *& cùm cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis: vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* VI. Accedit quod Paulus etiam in faciem Petrum reprehendit.

Ad hæc omnia ordine sic RESPONDEO. Ad I. Aliud est; Petrum non habuisse auctoritatem in reliquos Apostolos: Aliud; propter eam modestiam atq; submissionem, quæ ipsi à Christo Lucæ 22. commendata fuit, eiusmodi auctoritate in illos non fuisse vsum. Illud primum omnino falsum est; Hoc vltimum absque incommodo dari potest. Atque id tantùm ea ferè probare possunt, quæ sunt obiecta. Nam cùm reliqui Apostoli ipsi per se quàm decentissimè omnia facerent, quid opus habuerunt Petri imperio? Rectissimè enim D. GREGORIVS lib. 7. Registri epist. 64. *Si qua*, inquit, *culpa in Episcopis reperitur; nescio quis Episcopus sedi Apostolicæ subiectus non sit: Cùm verò culpa nõ exigit; omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.* Huius igitur moderationis seruandæ exemplum suis Petrus successoribus præbuit.

Ad II. Quod ab aliis Apostolis, vt Samaritanis manus imponeret, cùm Ioanne missus fuerit; id verò nihil obstat. Sæpè enim, qui præcipui sunt de collegio, mittuntur. Nam & filij Israël miserunt ad filios Ruben, Phinees, filium Eleazari sacerdotis, & *decem principes cum eo.* Iosuæ 22. Fuit autem Phinees *Dux eorum coram Domino*, vt historia sacra testatur, 1. Paral. 9. Ac sanè si *mittendi* vocabulum nimis hoc loco premere velint Sectarij; non modò Petrum superiorem cæteris nõ fuisse, concludere debebunt, sed ne parem quidem: quod illi tamen non contendunt. Etenim vulgò & communiter, vt inferior non mittit superiorem, ita neque æqualis æqualem. Peculiari autem modo missionis, videlicet rogatu potius, & conuentione, quàm imperio; constat & pares & superiores etiam quandoque solere mitti, præsertim à toto aliquo collegio, sicut tunc Petrus & Ioannes missi fuerunt.

Ad III. Quod ad electionem Matthiæ & Diaconorũ attinet, respondit pro nobis luculenter D. CHRYSOSTOMVS homil. 3. in Acta. *Quid?* inquit. *An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat ei quidem maximè. Verùm id nõ fecit, ne cui videretur gratificari.* Non igitur, quia non potuit, sed quia expedire non putauit, ipse non elegit. Et tamen in eo ipso genere satis ea re primatum suum ostendit, quòd de electione facienda reliquos ipse cum auctoritate admonuit; vt CHRYSOSTOMVM etiam annotauisse suprà intelleximus. *Oportet enim*, inquit Actor. 1. *ex his viris, qui nobiscum sunt, vnum eligere, &c.*

Ad IV. Idem de congregato Concilio Apostolico, ob controuersiam de obseruatione Legalium, sentiendum est. Quid enim auctoritati suæ Petrus derogauit, quòd ex aliorum etiam consensu rem decerni voluerit? Nec verò in ea ipsa re auctoritas Petri non eminuit. Ipse enim primus sententiam pronunciauit, *quo etiam loquente, tacuit omnis multitudo*, cæteriq; deinde illius sententiam sunt sequuti. Nam quod Iacobus dixit: *Ego iudico*; quid obstat? Nempè iudicauit idem quod caput cæterorum Petrus. Et expediebat, vt de Iacobi sententia iudicioq; constaret; quia Hierosolymis quæstio mota fuit, vbi ille (inquit CHRYSOSTOMVS homil. 33. in Acta) Episcopus erat, & vt in ore duorum vel trium testium staret omne verbum.

Ad V. Iam verò D. Paulus significat quidem, Apostolatus dignitate parem se Petro & reliquis Apostolis fuisse: Quod minimè sanè impedit, quo minus, vt ipse etiam ouis Christi erat, Petro inferior fuerit; quemadmodum hoc idem communiter de cæteris Apostolis ex Patrum sententia superiùs §. 27. à nobis expositum, atq; defensum est. Itaque D. GREGORIVS homil. 18. in Ezechiel. Paulum cum Petro comparans, *minorem fratrem* eum appellat: Itemque D. AVGVSTINVS lib. 2. de baptis. contra Donatistas cap. 1. *posteriorem Petro.* Quin & Paulus ipse hunc primatus honorem D. Petro non obscurè detulit. Quorsum enim post annos tres prædicationis suæ (vt in eadem epistola ad Galat. 1. legimus) *venit Hierosolymam videre Petrum?* Nempe, inquit CHRYSOSTOMVS homil. 87. in Ioannem, *quia os Apostolorum Petrus erat, princeps & vertex ipsius cætus: propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis.* Et AMBRO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sivs in caput 1. ad Galatas; vel quisquis fuit ille vetus auctor; *Dignum*, inquit, *erat vt vellet videre Petrum, cui delegauerat Dominus curam Ecclesiarum.* Et D. Hieronymvs in commentariis illius loci: *Iuit*, inquit, *non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi.* Item Tertvllianvs in libro præscript. circa medium: *Ascendit*, inquit, *Hierosolymam Petri cognoscendi causa ex officio & iure, scilicet eiusdem fidei & prædicationis.* Et Theodoretvs in illum locum ad Galat. 1. *Principi*, inquit, *Apostolorum, quem par erat, honorem tribuit.*

Quod verò ibidem Paulus dicit, nihil sibi à Petro & ab aliis collatum esse; significat quidem, nihil se ab illis didicisse, quod pertineret ad fidem: vt qui erat ab ipso Christo satis in eo genere eruditus, quemadmodum ipse initiò etiam eiusdem epistolæ declarat. Quanquam approbationem quidem Euangelij sui petiit à Petro, vt à principe, & ab aliis, qui videbantur (vt inquit) aliquid esse, hoc est, ab Ecclesiæ auctoritate, cui Petrus præsidebat; Adeo vt neget apertè D. Avgvstinvs lib. 28. contra Faustum cap. 4. fideles fuisse ei Euangelio, quod Paulus prædicauit, credituros, nisi cum illis Apostolis contulisset. Quod idem affirmant D. Hieronymvs epistola ad Augustinum, num. 11. inter Augustini epistolas, & Tertvllianvs libro 4. contra Marcion. paulo post medium. Atque id clarissimè significant illa eiusdem Apostoli verba ad Galat. 2. *Contuli*, inquit, *cũ illis Euangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Iam verò quod *dexteram ei societatis dederunt*, aliud nihil quàm æqualitatem in Apostolatu significat: quę nõ pugnat cum D. Petri principatu, quatenus illius curæ singulariter ipsa fidei fundamenta (vt inquit Nazianzenvs, oratione de moderatione in disputatione habenda) commissa sunt, hoc est, ipsi etiam Apostoli; vt auctoritate Scripturæ & Patrum suprà confirmatum est §. 26.

Nec quod ait illic Paulus: *sibi in gentibus, Petro autem in circumcisione Euangelium commẽdatum fuisse*, ita intelligi debet, quasi nec Petro licuerit Gentibus, nec Paulo Iudæis prædicare Euangelium. Contrarium enim constat ex Actis, cap. 10. Vbi legimus, viso linteo cælitus mõstrato; in quo essent omnia reptilia & quadrupedia terræ, Petrum cognouisse, ad se pertinere, vt Gẽtes etiam ad Ecclesiam aggregaret. Quare & postea quoq; disertis verbis pronunciat Actor. 15. Deum elegisse se, vt ad eius prædicationem gentes crederent Euãgelio. Ac de D. Paulo vicissim scriptum est; quòd *ingressus in Synagogas prædicabat Iesum, affirmãs, quoniam hic est Christius, & cõfundebat Iudæos.* Actor. 9. Est igitur illa distributio præputij & circumcisionis inter Petrũ & Paulum facta per accommodationem tantùm quandam: vt illo videlicet tempore (quoniam ita expedire videretur) Paulus Gentibus, Petrus Iudęis singulari cura nunciaret Euangelium, quemadmodum rectè exponit Ioannes à Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 13. Neque verò qualiscunq; hæc distributio præputij & circumcisionis quidquam obstitit, quò minus & in præputio, & in circumcisione, hoc est, Iudæis & Gentibus singulari Petrus auctoritate eminuerit, vt suprà probatum est.

Ad VI. Quod Paulus Petrum reprehẽdit (si maximè illud ab eo sit factum non simulatè (vt Hieronymus contendit epistola ad Augustinum 11. inter Augustini epistolas) sed ex animo, (vt vult Augustinus epist. 19. ad Hieronymum) argumẽto esse non debet Paulum, vel parem, vel superiorem auctoritate Petro fuisse. Quando enim ita res postulat (præsertim publica) fas etiam est inferioribus superiorũ peccata debito cum modo redarguere, vt à D. Gregorio luculenter est explicatum. Vide 2. quæst. 7. can. Si quis, & can. Lator.

Probatur SEXTO D. Petri primatus peculiari quadam, eaq; firmissima argumentandi forma ex præcipuis, qui ea de re exstant, Euangelij locis. §. 32.

Et hactenus sanè illustria testimonia pro Petri primatu à nobis allata, & confirmata, & ab Aduersariorum cauillationibus defensa sunt. Sed vt clarius adhuc ipsorum pertinacia, quòd tanta mole testimoniorum non moueantur, ante omnium oculos constituatur; Probemus rursus hanc Primatus assertionem iisdem ex testimoniis hoc modo:

Si posteaquam Christus & Petro, & reliquis omnibus Apostolis auctoritatem Apostolici muneris communiter attribuit, inquiens: *Ite, ego mitto vos: quorum remiseritis peccata, &c.* Ioan. 20. Et: *Prædicate Euangelium, &c.* Marci 16. nihilominus singulariter Petro eum ita dixisse legeremus: *Petre, non ædificabo super te Ecclesiam meam: Non tibi dabo claues regni cælorum. Non quodcunq; tu solueris aut ligaueris super terram, erit solutum aut ligatum in cælis: Non confirmes tu in fide fratres tuos: Non pascas tu oues meas.* Item: *Petrus non est primus Apostolorum, &c.* Si, inquam, hæc in Euangelij historia sic legerem: obsecro, quis ex Sectariis dubitaret; quin in eiusmodi enunciationibus negatiuis, *ædificatio* Ecclesiæ super Petrum; *claues* regni cælorum; cura singularis *pascendi* oues; auctoritas fratres in fide *confirmandi*; *primatus*, & similia vocabula potestatem in Ecclesia post Christum summam significarent? An clariora (dicerent) testimonia contra Petri primatum requirimus? Eu, verbum habemus ipsius Christi manifestum. *Non ædificabo, ô Petre, super te Ecclesiam meam. Non tibi claues regni cælorum dabo. Nõ pascas tu oues meas. Non confirmes tu in fide tuos fratres, &c.* Quid vos Papistæ? An non videtis hìc à Christo disertis verbis negari primatum? Quid enim aliud *claues* regni cælorum? Quid Ecclesiæ *fundamentum*? Quid cura singularis oues *pascendi & confirmãdi* fratres,

nisi primatum in Ecclesia significat? Et tamen hæc omnia (dicerent) Christus negat Petro, &c. Equidem minimè dubito, quin pluribus etiam verbis, si quæ talia testimonia ex Euangelio recitare possent, nobis isti insultarent, vt qui nec iam verentur, nullis, ne probabilibus quidem, testimoniis aut argumentis freti iactare, eius primatus assertionem & commentitiam, & cum Euangelio pugnantem esse. Nunc igitur ita concludo: Quod in enunciationibus illis negatiuis: *Non super te, ô Petre, ædificabo Ecclesiam meam. Non tibi dabo claues regni cælorum. Non confirmes fratres tuos, &c.* Itaq; principatum propriè aliquẽ auctoritatis Apostolicæ eiusmodi verbis Christus significâsset, Petroq; negauisset: Non autem communem Apostolatus auctoritatem, quam aliâs concesisset eidem, vt ponimus. Quandoquidem igitur Christus vtitur iisdem illis vocabulis in affirmatiuis enũciationibus contradicentibus, quæ in Euangelio exstant; profectò eundem à Christo auctoritatis principatum inibi significari, Petroque attribui confitendum est.

Probatur etiam SEPTIMO D. Petri primatus ratione. §. 33.

Svppetit etiam Catholicis ad eandem confirmandam assertionem præter testimonia ratio, quæ partim ex Scriptura, partim ex ipsa natura Ecclesiæ, & diuina prouidentia erga illam duci potest hoc modo: Si Christus voluit Ecclesiæ regimen esse monarchicum, quod ab vno videlicet penderet, in quo principatus auctoritatis post Christum esset, necesse est fateri, D. Petrum esse, quem huic rei præfecerit. Nam quem, obsecro, potius existimare possumus? cùm tantùm non expressis verbis legamus in Euangelio Christum dicentem: Volo, vt Petrus summa post me auctoritate in Ecclesia polleat, vt ex allatis suprà testimoniis apparet. Atqui Christus Ecclesiæ suæ regimen monarchicum esse voluit. Petrum igitur illi præfecit. Id confirmamus. Nam constat Christum conuenientissimo atque optimo modo voluisse prouidere, vt Ecclesia, quæ varia atq; multiplici conditione hominum continetur, vna esset vnitate doctrinæ, charitatis, pacis, &c. vt suprà §. 16. demonstratum est, cùm de eiusmodi Ecclesiæ proprietate, quæ est vnitas, inter cætera ageremus. Nec enim fuisset alioquî Christus Dominus vtilitatum Ecclesiæ sponsæ suæ satis prouidus: Siquidem experientiâ cognitum est, perniciem ac pestem communitatum omnium esse disidia: contrà verò optimum illarum esse statũ, cùm est omnium partium consensio stabilis atq; firma pax. Est autem eius vnitatis in Ecclesia cõseruandæ modus sanè optimus, si omnes pendeant ex vnius auctoritate in terris post Christum suprema.

Quod dupliciter probamus. Primo ab ipsa ratione *vnitatis*. Nam quod potest accommodatius esse quasi principium & causa vnitatis, quàm vnitas? Etenim contrà videmus, omnia disidia & quascunq; controuersias in communitatibus non nisi ex aliqua tandem diuersitate proficisci vel opinionum vel voluntatum. Deinde idipsum intelligi debet ex iis omnibus rebus, quas videmus ab auctore ipso mundi Deo quàm optimè factas atque constitutas esse. Quæcunque est enim in omni genere multitudo sic est ab eo cõdita, instituta que, vt quoad eius fieri potest, ex vnitate pendeat, ab eaq; contineatur. Satis vt appareat bene esse multitudini eo modo, quisum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc licet animaduertere in corpore humano; cuius oēs partes vim suam percipiūt ab vna quadam præcipua, nēpe à capite vel corde; in quo sit vitæ quasi principatus. Hoc in arboribus, quarū omnes ramusculi per ramos, & omnes rami per truncum pertinēt ad vnam radicem, ex qua succum attrahunt. Idem cernere possumus in bestiis etiam minimis, quæ quidem congregari soleant. Vt in gruibus, in apibus, quæ ducem vnum & tāquam regem suum sequuntur. Deniq; ne singula persequar, id in ipsa cernitur vniuersitate rerum, quæ quidem res, quoniam (vt ait in duodecimo libro primæ Philosophiæ Aristoteles) nolūt malè disponi, sed bene, hoc est, quia rectissima quadam inclinatione omnes in optimum sui statum propendent; non plura principia, sed vnicum habent, à quo velut à principe vno regūtur, vt concludit etiam in illo loco Philosophus.

Ac sanè Respublicas quàm optimè constitui monarchico ordine, idem Philosophus libro octauo Ethicorum, & tertio Politicorum euincit. Itaq; & in veteri lege vnus sacerdos summus præficiebatur, Deuter. 17. cuius auctoritate finirentur omnes controuersiæ: quādiu Synagoga quidem finem nondum fuit habitura, sicut habuit temporibus Christi. Quin & Sectarius quidam, non infimi inter Lutheranos nominis, palam aliquando affirmauisse fertur, nisi vnus aliquis Archisectarius, reliquis omnibus Sectariis in causa religionis præsit, Synagogam ipsorum neutiquā posse consistere. Id de Schmidelino publicè nuper testati sunt Heidelbergenses in epistola consolatoria ad eundem. Nempe quia & isti experiuntur, nullam aliquam disciplinam religionis facilè conseruari posse, nisi contineatur vnius auctoritate. Ac multa præterea, quæ illustrant confirmantq́; hoc argumentum, tractata sunt inter cæteros à D. Thoma lib. 4. cōtra Gentes, cap. 76. & à Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 2. & 4. & plura non ita pridem à Nicolao Sandero in accurato illo suo opere de visibili Ecclesiæ monarchia in quinque libris prioribus. Nos breuiter tantùm voluimus ostendere, nequaquam defuisse rationem, quamobrem Christus regimen Ecclesiæ voluerit esse monarchicum, cui Petrum præfecerit, vt inprimis constat ex propositis anteà Euangelij testimoniis, si maximè nulla nobis eius institutionis ratio perspecta esset.

Verùm hoc etiam loco nobis obstrepit Calvinvs lib. 4. inst. cap. 7. Arbitratur enim ille nequaquā expedire, vt vnus Ecclesiæ toti præficiatur: vt nec expedit, inquit, vnum orbi toti in temporalibus dominari. Quin & exempla nostra aduersus nos retorquet. Nam quod ad apes attinet, singuli, inquit, Reges suis aluearibus contenti sunt. Cur non igitur sit contētus Romanus Pontifex Romana sua diœcesi? Præterea, vt maximè oporteat Ecclesiæ totius esse vnum caput, illud certè est Christus, non alius.

Respondeo. Primùm assertio nostra non illa ratione præcipuè nititur, sed Christi instituto, quod constat ex Euangelij perspicuis testimoniis. Deinde & illam quoque rationem congruentem esse defendimus. Nec enim, si nō expediret, vnum præesse vniuerso mundo in temporalibus, illico sequeretur, neque in spiritualibus vnū præponi omnibus debere. Gubernatio enim temporalis plus multò habet negotij, ac proinde nō æquè commodè potest per vnum administrari. Præterea longè difficilius est, pœna temporali quàm spirituali eos coërcere, qui longissimè distant. Animaduersio enim spiritualis, vt excommunicatio, &c. nullo locorum interuallo impeditur, quo minus efficax esse possit. Denique reliqua omnia, quę ad gubernationem spiritualem pertinent, facilè ab vno Pontifice administrantur, modò Episcopis & aliis ministris inferioribus tantam pro ratione locorum, & rerum, & aliarum circumstantiarum impertiat auctoritatem, quāta satis sit ad commodam omnium expeditionem. Neque enim qui vniuersæ Ecclesiæ Præfectus est, debet omnia per se ipse conficere.

Quod autem Caluinus deinde nobis obiicit, singulos quosque apium reges contentos esse suis aluearibus: id sanè rationem nostram confirmat. Cogitare namq; Caluinus debuit, non modò vnamquamque Ecclesiam aut diœcesim particularem, sed Ecclesiam etiam vniuersam tanquam vnum esse alueare. Itaq; vt quælibet aluearia suum habent regem; sic tota Ecclesia, quæ vna item est vnitate totius, vnū etiam, quasi regem, id est, vniuersalem pastorem habeat oportet: nō minus, quàm vt quælibet Ecclesia particularis habeat etiam particularem Prępositū suum. Caluini verò cauillatio procederet, si particulares duntaxat Ecclesias voluisset Christus vnitatem retinere, & non etiam statuisset, vt vniuersa quoque Ecclesia, quæ ex particularibus, tanquam ex partibus, constat, vnica esset. Nunc verò quia Ecclesia etiam tota, instituto atq; voluntate Christi, est vnica, necesse Caluinus habet, huic quoq; magno alueari suum quasi regem concedere.

Neque obstat quòd Christus nunc etiam sit omnis Ecclesiæ caput. Nam vt fidelium congregatio visibilis est, sic oportet, vt, quò suauiter gubernetur, caput etiam habeat in terris visibile, id est, vnum pastorem: licet is ipse quidem ab illo pastore primario (Christo) pendeat, vt supra satis ex sententia Patrum explicatum est.

Nec ideo, vt Aduersarij nugantur, Ecclesiam monstrosum corpus facimus. Ratio enim metaphoræ animaduerti debet. Christus regit Ecclesiam primò & principaliter. Vicarius eius etiam id facit in terris summa secundùm ipsum auctoritate. *Omnes enim hic propriè regit* (inquit D. Leo sermon. 3. de die anniuersario assumptionis suæ) *quos principaliter regit et Christus.* Hoc solum, quod ad rem ipsam attinet, significare volumus, cum & Christum & eius Vicarium caput Ecclesiæ appellamus. Quemadmodū etiam & Petrus petra fundamentalis Ecclesiæ est à Christo appellatus, cùm ipse Christus maximè sit petra & fundamētum. *Communicat enim Christus aliis sua nomina & potestatem, et habens dat*, vt suprà §. 17. ex sanctis Patribus audiuimus.

Probatur OCTAVO D. Petri primatus testimoniis Patrum. §. 34.

Qvæ cùm ita sint, meritò sanctissimi Ecclesiæ Patres (quorum sententias magna ex parte hactenus recitauimus) Euangelij testimoniis suprà citatis, adducti sunt, vt Petro primatum in Ecclesia fuisse à Christo tributum assererent. Ambrosivs libro 10. in Lucam capite 24. affirmat, D. Petrum à Christo *omnibus prælatum fuisse, tanquam vicarium in terris relictum*. Hieronymvs lib. 1. contra Iouinianum, fuisse *caput omnium Apostolorum*. Avgvstinvs in Psalm. 108. *primatum in discipulis habuisse*. Gregorivs lib. 4. Registri, epist. 32. *Cunctis Euangelium scientibus liquere, voce Dominica Petro Apostolorum principi totius Ecclesiæ curam commissam esse.*

Hoc ipsum quod ij quatuor Ecclesiæ Doctores, asseuerant æquè luculentis verbis cæteri Patres Latini. Hilarius can. 16. in Matthæū. Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ. Optatus lib. 2. contra Parmen. Prosper libro sententiarum sen. 359. & lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. Maximus serm. 3. in Natali Petri & Pauli, Arnobius in Psalm. 138. Beda in cap. 1. Ioannis. Bernardus lib. 2. de consider. ad Eugenium, &c.

Nec minùs clarè Doctores Ecclesiæ Græcæ vetustiores, à quibus recentes Schismatici degenerārunt. Dionysivs cap. 3. de diuin. nominibus vocat Petrum *summum & verticalem*. Basilivs in oratione de Dei iudicio circa finem, tomo tertio ait: *Omnibus discipulis fuisse prælatum*. Gregorius Nazianzenvs in oratione de moderatione in disputatione habenda: *Vnum ex omnibus discipulis fuisse electum, & eius curæ fundamenta ipsa fidei, hoc est, reliquos Apostolos, fuisse commissa.* Chrysostomvs homil. 55. in Matthæum: *Pastorem & caput fuisse, & vniuersō terrarum orbi à Christo præpositum*. Cyrillus Alexandrinvs libro duodecimo in Ioannem, cap. 64. *Principem caputq́; catorum*. Cyrillus Hierosolymitanvs catechesi 2. 17. 21. *Principem discipulorum & regni cælorum clauigerum*. Epiphanivs hæresi 51. *Ducem discipulorum*. Evsebivs libro secundo historiar. capite 14. *Christianorum primum Pontificem*. Idem, Origenes super caput primū Ioannis, Theophylactus in caput 27. Lucę. Euthymius & OEcumenius in cap. 21. Ioannis, vt reliquam vtriusque Ecclesiæ Doctorum turbam iam omittam, *quam dinumerare nemo potest*, inquit appositè Caietanus in tractatu de institutione Romani Pontificis, capite vltimo.

Neque paruipendi in hac quæstione debent antiqui Pontifices sanctissimi, iidemque maiore ex parte insignes Christi Martyres, qui & ipsi Petri primatū ex Euangelio confirmauerunt; quasi testimoniū in propria causa perperam dicerent, vti calumniantur impudentissimè Sectarij. Nam præterquam quòd eos & sanctitatis & doctrinæ singularis existimatio, & martyrij gloria, iure ac merito apud prudentes omnes ea suspicione liberat, obsecro, quī fieri potuit, vt ad vnum omnes tam multi, tamque & natione & ætate varij, ad causam propriam iniquè tuendam conspirauissent?

Igitur ex eo numero summorum Pontificum non tanquam priuatam causam, sed tanquā Ecclesię Christi communem, viri & zelo religionis, & studio veritatis vsq; ad vitæ profusionem (magna ex parte) insignes, diui Petri primatum plerique asseruerunt; præsertim Clemens epist. 1. ad Iacobum, Anacletus epist. 2. & 3. Euaristus epist. 1. ad Episcop. Afric. Alexander epistola ad omnes orthodoxos, Pius I. in epistola ad omnes Ecclesiasticos, Victor in epistola ad Theophil. Episcopum Alexandrinū, Zepherinus in epistola ad Episcopos per Siciliam constitutos, Marcellus epistola 1. ad Episcopos per Antioch. prouinciam constitutos, Eusebius epistola tertia ad Episcopos Campaniæ & Tusciæ, Melchiades epistola ad Episcopos Hispaniæ, Iulius I. in epistola ad Orientales pro causa D. Athanasij, Felix II. in epistola ad diuum Athanasium & reliquos Alexandriæ congregatos, Damasus in epistola ad Stephanum Archiepiscopum Mauritaniæ, & reliquos Episcopos African. Innocentius I. epistola prima ad Decentium, Leo I. epistola ad Anastasium & aliās passim, Gelasius in decreto de scriptis Apocryphis, Anastasius in epistola ad Anastasium Augustum. Vigilius in epistola ad Eutherum, Pelagius primus in epistola ad Vigilium Episcopum, Gregorius libro quarto Registri, epistola 32. & aliās sepè, & reliqui omnes his posteriores.

Quibus adde grauissima sanctissimaq́; iudicia Patrum in OEcumenicis Conciliis; In *Nicæno primo*, teste Iulio I. in epistola ad Orientales Episcopos, & in epistola ad Episcopos Antiochiæ, citatque ad eam rem can. 18. & 19. qua de re lege præsertim Melchiorem Canum libro 6. de locis Theologicis cap. 4. Item in *Chalcedonensi* actione 1. 2. & 3. Item in quinta Synodo, in sententia Mennæ contra Anthymū. Et in Synodo sexta, in suggest. Synodica Agathonis, approbata act. 8. 13. & 17. Et in Synodo septima, in epistola Synodica Adriani I. approbata, act. 2. Et in Synodo octaua, in epistola Ignatij Patriarchæ Constantinopol. ad Adrianū II. approbata in eadē Synodo. Et in Synodo Romana sub Symmacho, vt refertur 96. d. c. Bene. Et in alia sub Nicolao, vt refertur 25. q. 2. c. Si quis. Et in alia Lateranensi sub Innocentio III. vt refertur cap. Damnamus, de summ. Trinit. I. 6. Et in Florentina, vbi Græci tandem in ea sententia cum Latinis conuenerunt. De prouincialibus autem Conciliis longum esset dicere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare habentes tantam nubem testium, tamque firma ad hãc rem Scripturæ sanctæ testimonia, iure ac merito hunc in modum cum D. LEONE concludimus epist. 89. ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos: *Quisquis Petro*, inquit, *principatum æstimat denegandũ, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.* Atque hactenus probauimus id, quod erat PRIMVM è tribus, quæ suprà §. 27. confirmanda proposuimus in hac quæst. de Primatu Romani Pontificis. Nunc sequitur vt probemus SECVNDVM.

Primariam illam in Ecclesia auctoritatem SVCCESSORIBVS etiam D. Petri à Christo conferri. §. 35.

HAEc vis atque sententia huius propositionis est, voluisse Christum, vt Petro vita defuncto aliquis perpetua serie successionis in locum Petri ab Ecclesia reciperetur, cui Christus ipse auctoritatem supremam sicut Petro conferret, de fide & aliis rebus ea constituendi, quæ ad salutem fidelium pertineãt. Hanc autem Catholicam assertionem Ioannes VViclephus hæreticus negauit, cuius error vigesimus septimus (vnà cum aliis in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. damnatus) fuit talis: *Non est*, inquit, *scintilla apparentiæ, quòd oporteat in spiritualibus esse vnum caput regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conuersetur & conseruetur.* Quem errorem Lutherus, & Caluinus, & reliqui Sectarij recentiores sequuti sunt.

Contra hos omnes probatur assertio nostra: PRIMO ex cõsensu Conciliorum & Patrum præcedente §. citatorum, atque adeo totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ verba illa: *Tu es Petrus*, id est, solidus in fide; *& super hanc Petram, &c.* Itemque illa: *Confirma fratres tuos.* &: *Pasce oues meas*; ad Petri etiam successores pertinere intellexit. Quod vnũ aduersus omnes hæreticorum corruptelas & varias interpretationes satis esse nobis deberet. Nã quod sæpè dicendum est, ille est certissimus Scripturæ sensus, quem Ecclesia esse intelligit. Peculiariter autem ad eius rei confirmationem valent ea sanctorum Patrum testimonia, quæ etiam nominatim confirmant, Romanos ipsos Pontifices, illos Petri successores esse, ad quos item ea Christi verba, diuo Petro dicta, pertinuerint. De quibus testimoniis postea etiam suo loco dicemus.

DEINDE eadem assertio probatur tum ex ipsis Christi *verbis* ad D. Petrum, tum etiam ex eo *fine*, cuius causa Petrum vniuersæ Ecclesiæ præfecerat. Ex *verbis* quidem. Nam dum ait absolutè: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* procul dubio de Ecclesia illa loquitur, quę iuxta certissimas promissiones ad finem vsque mundi duratura est: Isaiæ 59. Matth. vltimo, &c. Hæc enim est omnino illa Ecclesia ipsius. Hanc autem Ecclesiam ita perpetuò duraturam ædificare supra Petrum ipsum solum nõ potuit. Intellexit igitur ibi Petrum & successores eius, vt optimè D. Thomas libro aduersus Gentes tertio, cap. 26. est argumentatus.

Item ex eo, quod Christ⁹ dicit: *Pasce oues meas*, dupliciter eadem veritas colligitur, vt eruditè à Caietano in tract. de institutione Romani Pontificis cap. 12. notatum est. PRIMO, quoniam instituit ibi officium Pastoris *ordinarium*: vt vel ex ipso *Pastoris* nomine (quod ordinariũ quoddam officium significat) intelligi potest. Necesse autem est, vt Pastoris officium ordinarium tandiu duret, quandiu ipsum ouile duraturum est. Fuit autem Christi ouile in finem vsque mundi duraturum; neq; illud solus Petrus sine successoribus perpetuò pascere potuit: Est igitur auctoritas eius officij non Petro tantùm, sed etiam eius successoribus à Christo commissa. SECVNDO, quia *oues meas* itidem absque exceptione dicit: proinde oues omnes intelligit, quæ vsque ad consummationem seculi efficient vnum ouile serie perpetua. Has autem omnes solus Petrus, vt iam dictum est, pascere non potuit. Quare tradita est etiam eius successoribus auctoritas illas pascendi.

Ex ipso autem *fine*, cuius causa Petrus eiusmodi accepit auctoritatem, idem probatur. Is enim finis fuit, vt *vno pastore atq; capite constituto, schismatis tolleretur occasio*, inquit HIERONYMVS lib. 1. contra Iouinianũ, & vt *vna Ecclesia & vna Cathedra esse monstraretur*; inquit CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesię; & vt in illa *vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur*, inquit OPTATVS lib. 2. contra Parmen. & in summa, vt Ecclesiæ ipsi toti quàm rectissimè Christus ipsius sponsus consuleret, sicut suprà ostensum est. Atqui non minus voluit Christus Ecclesiæ suæ consultũ esse defuncto Petro, quàm eo viuente, siquidẽ eam perpetua charitate diligit. Voluit igitur vnum aliquem Petri successorem, illo defuncto, perpetua serie in Ecclesia præesse.

ACCEDIT, quòd non minus Ecclesiam suam modò Dei filius diligit, quàm olim Synagogam, de qua per Isaiam cap. 5. dixit: *Quid est, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & nõ feci?* Sed Synagogæ Pastorem vnum prouidit Deut. 17. (omni tempore, quo stare certè illa debuit) vt illius auctoritate controuersiæ omnes exortæ definirentur. Igitur & iam Ecclesiæ suæ Petrum pastorem præficiens, perpetuò eum in successoribus suis præesse illi voluit. Quod autem Sectarij quidam comminiscuntur, vnum illum sacerdotem in veteri Synagoga tantummodò debuisse iudicare de controuersiis politicis; nónne ex ipsius Scripturæ verbis manifestissimè redarguitur? Etenim cùm absolutè dixisset Moyses: *Venies ad sacerdotes, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, &c. & facies* QVODCVNQVE *dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, &* DOCVERINT *te* (quia nimirum consilio aliorum etiam illi sacerdoti erat vtendum) *iuxta legem eius, sequeris q; sententiam eorum, nec declinabis*

ad dexteram, neq; ad sinistram: continuò subiungit: *Qui autem superbierit nolens obedire* SACERDOTIS *imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo, ex decreto iudicis morietur homo ille.* In omnibus igitur omnino, atq; adeo multò maximè in materia *religionis*, dicto audiẽtes sacerdoti esse oportebat.

At, inquit Caluinus, lib. 4. instit. cap. 7. dispar ratio est. Nam Synagoga atq; etiam Ecclesia quo tempore viuebat Petrus, angustis terminis continebatur: postea per vniuersum orbem diffusa est. Itaque si maximè expediuisset tunc temporis illi præficere pastorem vnum: tamen non etiam expediret, vt postea quoq; vnus ei Pastor præsit. Quemadmodum nec si commodè posit alicui colono vnius vel alterius agri cura committi, illico sequitur, perinde expedire, vt agrorum totius orbis cultura vni committatur. Sed non vidit hîc Caluinus, illâ, quam obiicit, rationis disparitate, nostro argumento vim addi, nõ minui. Etenim quò maiore ouium varietate & numero existente, maius est periculum dissidiorũ, quibus Ecclesia scindatur; eò maior nunc necessitas est vnius Pastoris, cuius auctoritate & officio cõtrouersiæ componi possint. Cuius rei argumento esse possunt, vel ipsę dissensiones Sectariorum, irrecõciliabiles, eò quòd extra ouile Christi oberrantes, Pastorem vnum minimè agnoscunt.

Neq; verò Caluini exemplum nobis obstat. Pontifici enim vniuersalis quædã cura, eademq; spiritualis incumbit, quam ille, attributa ministris inferioribus tanta potestate quanta satis sit, haud difficulter sustinere potest, vt suprà à nobis explicatum est. Muneris autem agrorum colendorum alia est ratio. Ex qua, si libeat Caluino argumentum ad propositum petere, lõgius quàm ipse etiã volet, progrediatur necesse est. Nempe vt similiter probet, ne vnius quidẽ diœcesis paulò amplioris curam vni Episcopo rectè committi posse. Nam nec vnus potest colonus omnes vnius prouinciæ agros conuenienter colere.

Atq; eiusdem farinæ sunt reliquæ cauillationes, quibus Sectarij conãtur perperam ostendere, Euangelij locos, qui sunt de Petri auctoritate, minimè pertinere ad aliquos eius successores. Ad omnes autem id genus cauillatiunculas refutandas hæc quasi *regula* adhibenda est.

Quæ D. Petro à Christo Domino dicta esse Euangelium commemorat, ea duplicis sunt generis. Quædam ad *ordinarium* Pastoris officium spectant. Vt illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Et Luc. 22. *Confirma fratres tuos.* Et Ioan. 21. *Pasce oues meas, &c.* Alia ad Petri *priuatam personam* pertinuerunt: vt illud Matth. 16. *Vade post me Satana.* Et Ioan. 21. *Alius cinget te, & ducet quò non vis.* Et illud Luc. 22. *Tu aliquando conuersus.* id est, postquã à peccato resipueris per pœnitentiã. Nec enim necesse est, oẽs, qui officio summi Pastoris in Ecclesia functuri sunt, prius quàm fratres cum auctoritate confirment, in peccatum illud Petri aut aliud incidere, à quo resipiscant.

Iam verò quę sententiæ sunt *prioris* generis, eas ad successores etiam Petri rectè cẽset Ecclesia referri debere. *Posterioris* generis non item. Qua de re plura Lector (si necesse esse putat) videre potest apud Turrecrematã, lib. 2. de Ecclesia, cap. 35. & Thomam VValdensem, lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 30. & Caietanũ in tract. de institutione Romani Pontificis, cap. 12. & Melchiorem Canum, lib. 6. de locis Theologicis, cap. vltimo.

Ego, quæ à me sunt iam breuiter explicata, satis esse iudicio, vt intelligatur, rectissimè à diuo LEONE serm. 2. de die anniuersario assumptionis suæ, de auctoritate successorũ D. Petri illud scriptum esse, quod in huius rei cõclusione oportunè poni potest: *Soliditas*, inquit, *illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata,* PERPETVA *est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans, suscepta Ecclesia gubernacula non reliquit.* Hæc de secundo, quod iuxta methodum suprà §. 27. propositam, fuit probandum. Nunc superest, vt cõfirmemus etiã TERTIVM; nempe D. Petri successorem esse Pontificem Romanum.

Romanum Pontificem pro tempore existentem D. Petri SVCCESSOREM *esse. §. 36.*

HOc vt probemus, inprimis demõstrandum est, quid propriè sit, aliquẽ esse D. Petri *successorem* in Ecclesiæ principatu. Quamuis enim is, qui D. Petro succedit, à Christo ipso certissimè accipiat illam in Ecclesia auctoritatẽ, quam habuit D. Petrus: tamen si rationes ipsas vocabulorum, atq; adeo rerum etiam significatarum propriè consideremus, non idem significamus, cùm dicimus, hunc esse D. Petri successorẽ; & hunc à Christo recipere eandẽ auctoritatem, quam habuit Petrus. Patet: Nam hoc secundum ex priori rectè concluditur, tanquã ex eo quod est clarius. Itaque suprà, vt efficeremus, Romanum Pontificem habere in Ecclesia primariam à Christo potestatem, quam habuit Petrus, sine vllo vitio argumentationis assumpsimus, eum esse Petri successorem; vt inde demùm eius in Ecclesia principatum euinceremus.

Quemadmodum igitur in ciuilibus aliud est propriè, Ioannem v. g. esse successorem Petri; & aliud, Ioãnem legitimè possidere patrimonium à Petro relictum (nam ex illo probari hoc solet) ita in proposito, aliud propriè est, aliquem esse D. Petri successorem; & aliud, eum à Christo habere illam potestatem, quam habuit D. Petrus. Meritò itaq; propria huius successionis ratio explicanda est, vt eam demùm ostendamus in Romanum Pontificem pro tempore existentem competere: vnde tandem efficitur id, quod suprà §. 27. concluſimus: Romanum Pontificem in Ecclesia obtinere Petri principatũ, quasi patrimonium quoddam à Christo constitutum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Affirmamus igitur, aliquem esse D. Petri successorem, nihil aliud esse, quàm eum ab Ecclesia in locum D. Petri legitimo modo recipi ac veluti Christo offerri, vt is illi conferat supremam auctoritatem, quam Petrus habuit, hoc est, vt certa lege statuat, peculiari quadam assistentia cum eo concurrere ad ea in doctrina & moribus rectè constituenda, quæ ad bonũ Ecclesiæ statum pertineant. Hoc enim est, aliquem habere supremam illam in Ecclesia potestatem atque principatum, quem Petrus habuit. Porrò modus legitimus recipiendi aliquem in locum Petri, omninò is est, quem Ecclesia ipsa præscribit & adhibet pro ratione cuiusque temporis & aliarum omnium circumstantiarum.

Quod vt melius intelligamus, expendenda diligenter est vis illarum promissionũ: *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi*, Matth. vlt. Et; *Vt maneat vobiscum in æternũ, &c.* Ioan. 14. Ex his enim & similibus intelligitur, curam & charitatem Christi erga sponsam suam Ecclesiam perpetuò eam esse, quæ ad Ecclesiæ statum suauiter & conuenienter hominũ naturæ conseruandum accommodatissima sit. Dubitari autem minimè potest, quin hominum natura atq; conditione considerata expediat, vt qui Ecclesiã vniuersam, accepta à Christo auctoritate, gubernaturus sit, is ab eadẽ Ecclesia ad id muneris recipiatur approbeturq;. Proinde volẽs Christus Dominus, in Ecclesia perpetuò esse (vt §. præcedente probatum est) Petri successores, quibus ille attribueret supremam in terris auctoritatẽ, quam Petro cõtulerat; necesse fuit, Ecclesiæ suę hoc dare, vt eum ipsa deligeret in talem Pastorem, quem pro ratione temporis & circumstantiarũ iudicaret esse ad id muneris aptissimum. Quod ipsum confirmatur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine circa successionẽ in sede tum Petri tum aliorum Episcoporum. Is enim habitus est semper Episcopi alicuius successor legitimus, quem in eius locum Ecclesia recepit ea forma & modo, qui pro ratione circumstantiarum in vnoquoq; loco maximè conuenire existimatus est.

Iam cùm hoc ita sit, facilè intelligitur, qua ratione probari oporteat, Romanũ Pontificẽ pro tempore existentem, D. Petri successorem esse. Nempe non hîc aliquibus argumentis à ratione ductis opus est; vt cùm de rebus agitur, quæ non sunt in facto positæ; sed satis superq; id probamus testimoniis omnium ætatum locupletissimis, ex quibus planè constat, Pontifices Romanos continua serie successionis in D. Petri locum (absque vlla potestatis restrictione) fuisse ab Ecclesia receptos, atq; ad eos, tanquã ad Petri in eadem potestate successores, per omnes Ecclesiæ ætates fuisse relatas maiores Ecclesiæ causas, vt persequitur diligenter Turrecremata, lib. 2. de Ecclesia, cap. 36. 37. & 38. & Caietanus de institutione Romani Pontificis, cap. 13. & Canus lib. 6. de locis Theologicis, cap. 4. 5. & 6. & admodum copiosè ac luculenter Nicolaus Sanderus, in suo opere de visibili Ecclesiæ Monarchia, libro 7. vt alios iam omittam.

Qua de re hæc in specie testimonia antiquitatis notentur. Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphanius hæresi 27. Avgvstinvs epistola 165. ad literas cuiusdam Donatistæ. Optatvs libro 2. contra Parmen. fuì temporis Romanos Pontifices (quorum & posteriores Pontifices constat successores fuisse) ad Petrum ipsum cõtinua serie successionis ordine deducunt. Innocentivs I. in epistola ad Concilium Mileuitanum, quæ est 93. inter epistolas diui Augustini, Evlogivs apud D. Gregorium, epistola 37. libro 6. Registri, Petrus Chrysologvs epistola ad Eutych. quæ exstat inter epistolas alias sub initium Concilij Chalcedonensis tomo 1. Concil. fol. 227. Leo serm. 2. de die anniuersario assumptionis suæ; & alij, *Petrum in sua adhuc cathedra* (ministerio Romanorum Pontificum ipsius successorum) *præsidere asseuerant*. Tertvllianvs libro de præscription. Avgvstinvs contra epistolam fundamenti, cap. 4. & aliâs, Hieronymvs ad Damasum, Gregorivs lib. 6. Registri, epist. 37. Evsebivs lib. 3. hist. cap. 4. & alij infiniti, eosdem Romanos Pontifices successores esse D. Petri, apertè asserunt. Anacletvs epist. 3. Marcellvs epist. 1. ad Antiochenos, Sozomenvs lib. 4. histor. cap. 14. Theodoretvs in epistola ad Leonem, Cyprianvs libro quarto, epistola secũda, Avgvstinvs epistola 157. & libro secũdo contra literas Petiliani, cap. 51. &c. & alij Patres, idcirco etiam sedem Romanam, *Petri locum & cathedram*, seu *Apostolicam sedem* vocant. Quocirca Romano Pontifici, non nisi tanquam Petri legitimo successori, principatum auctoritatis in Ecclesia tribuit omnis antiquitas, Concilia, Patriarchæ, Patres vniuersi.

In Concilio Nicæno I. Ivlivs I. epistola 1. & 3. (de quo vide Canum libro sexto de locis, capite quarto, & Alanum Copum in dialogis, dialogo primo) testatur, decretum fuisse, ne Concilia præter sententiam Romani Pontificis celebrarentur, itemque ad eum liceret Episcopis aliis ex toto orbe appellare, confirmatque solenni iuramento, eos Canones in sacro sedis Apostolicæ scrinio asseruatos fuisse. Quod itidem in eo Concilio Nicæno fuisse sic statutum, testatur diuus Athanasius & alij Episcopi Thebaidis & Libyæ, (qui ei Concilio Nicæno interfuerunt) in epistola ad Felicem II. Pontificem, qui Pontifex in rescripto ad eosdem Episcopos, conqueritur fuisse plurima decreta Concilij Nicæni ab hæreticis suppressa. Exstant hæ epistolæ tomo 1. Concil. inter decreta Felicis II. Fuerunt autem huius Iulij epistolæ receptæ in Concilio Ephesino, vt Vincentius Lyrinensis in libro aduersus hæresum nouitates, sub finẽ, ante annos mille testatus est. Item illius primam epistolam recitat in Apologia sua secunda D. Athanasius.

Nec

Nec sanè obstat, quod Africani Episcopi in epistola ad Pontificem Cælestinum, quæ habetur tomo 1. Conciliorũ, fol. 520. negãt eiusmodi Canonem de appellationibus ad Roman. Pontificẽ reperiri inter Concilij Nicæni Canones, quos à Patriarchis Constãtinopolitano, Alexãdrino, & Antiocheno petierãt. Certũ enim est, longè plures Cõcilij Nicæni Canones fuisse, quàm illos viginti & vnum, quos illi Patriarchæ ad Africanos miserunt, vt luculentissimis veterum testimoniis à nonnullis demõstratum est. Lege Alfonsum Pisanum de Cõcilio Nicæno, & Sanderum de Monarchia Eccles. lib. 7. circa annum Domini 336. Itaq; ex illis Canonibus Concilij Nicæni, qui desiderantur, quiq; hæreticorum fraude (vt cõqueritur etiam Fælix II.) interierunt, procul dubio illi etiam fuerunt, quos ab Iulio I. & ab Athanasio commemorari diximus.

Ac licet Patres illi Africani apud eundem Pontificem Cælestinum egerint, ne appellationes vllas ab Africanis ad sedem Apostolicam factas admitteret, aut de causis eiusmodi ipse vel per se, vel per legatos suos constitueret, sed iudicium omne prouincialibus Episcopis permitteret, vt rectiùs cognita causa in eo ipso loco, vbi criminis delatio instituta esset, ipsi litem finirent: tamẽ nihil minus illi Patres ea re agebant, quàm vt supremam alioquĩ in Ecclesia potestatẽ, adeoq; auctoritatem in iudicio etiã quarumcunq; causarum Ecclesiasticarum, Romanæ sedi competere negarẽt: Sed putabant certè nõ expedire, vt eiusmodi auctoritate Pontifex Romanus vellet vti in litigiosis controuersiis, quæ in transmarinis illis prouinciis inciderẽt: cùm existimarent eiusmodi causas personarũ & criminum, melius in proprio loco posse cognosci & definiri.

Alioquì, quàm illi Patres Africani Romanæ sedis primatum agnouerint, suspexerintque, vel ex vna epistola Mileuitani Concilij ad Innocentium I. quæ est epistola 92. inter epistolas diui Augustini (cui Concilio plerique ex illis ipsis Patribus Africani Concilij paulò antè interfuerãt) clarissimè licet intelligere: *Quia te*, inquiunt, *Dominus, gratiæ suæ præcipuæ munere, in sede Apostolica collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam veneranionem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu posis vel fastidiosè vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorũ Christi* Pastoralem *diligentiam quæsumus adhibere digneris. Noua enim hæresis* (Pelagianorum) *surgere cœpit, &c.* Et post aliqua: *Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo, non opus habemus tantam impietatem verbis exaggerare, cùm procul dubio te ita moueant, vt ab eis* Corrigendis *ne latiùs serpant, multósque contaminent, vel potius interimant, omnino dissimulare non posis.* Et sub finem epistolæ: *Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginenses prouinciæ Cœpiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicam, quam beni-*

gnus illustras, de hac causa scripsisse comperimus.

Certè luce clarius ostendit hic locus, Romanum Pontificem ab Africanis Episcopis & pastorem Ecclesiæ summum, cui aliarum etiam Ecclesiarum præter Romanam, cura pastoralis sollicitudoq; incumbat, & iudicem causarum religionis ac fidei agnitum fuisse.

Carthaginensis autem prouinciæ Episcopi, quorũ in ea epistola mentio facta est, hũc in modum ad eundem Innocentium in ea causa scripserant: epistola 90. inter epistolas diui Augustini: *Hoc gestum charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorundam peruersitate etiam corrigenda.* Et infrà: *Error ipse & impietas, quæ tam multos assertores habet etiam auctoritate sedis Apostolicæ anathematizanda est. Consideret ergo sanctitas tua & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, &c.*

Et certè ex epistolis quibusdã D. Cypriani ad Pontificem Cornelium, lib. 1. epist. 3. & lib. 4. epist. 8. apparet, antiquam etiam fuisse Africanorum consuetudinem ad Apostolicam sedem appellandi: vt mirum sit, hoc ab illis Patribus Africanis cogitatum non fuisse: sicut etiam in antiqua Synodo Sardicensi, can. 3. 4. & 7. eiusmodi appellationes ex omni loco ad sedem Apostolicam disertissimis verbis & concessæ & probatæ fuerant, vt paulò post dicemus.

Sic etiam neq; testimonio illi Cõcilij Nicæni, quod pro Romanæ sedis primatu, ex Iulio I. & Athanasio cõmemorauimus, auctoritatem detrahunt vllo modo Sectarij, cùm ex Canone sexto eiusdem Concilij hæc verba (sicut ea Ruffinus lib. 10. hist. cap. 6. refert) nobis obiiciunt: *Apud Alexandriam & in vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur, vt ille* (Episcopus Alexandrinus) *Ægypti; hic* (Episcopus Romanus) *suburbicariarũ sollicitudinẽ Ecclesiarum gerat.* Primùm enim Canon hic sextus in exẽplo à tribus Patriarchis (sicut ante cõmemoraui) ad Episcopos Africanos misso, nõ omnino ita habet, vti refert Ruffinus: sed quædã verba ibi adduntur, ex quibus clarius apparet nihil ibi minus, quàm supremam in omnes auctoritatem Rom. Pontificis negari. Sic enim dicitur in Concilio VI. Carthag. vbi Canones illi Nicæni recitãtur: *Antiquiores* (Episcopi) *obtineant* (id est, honore præcedant, vt colligitur ex can. 8. Nicæno apud Ruffinum vbi suprà) *qui apud Ægyptum sunt, & Libyam & Pentapolim: ita tamen, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat sollicitudinem; quia & vrbis Romæ Episcopo similis mos est. Similiter autem & circa Antiochiã, & in cæteris prouinciis priuilegia propria seruentur* Metropolitanis *Ecclesiis.*

Non igitur negat hic Canon Romano Pontifici primatus auctoritatem, quã habet is alioquĩ tanquã successor D. Petri in omnes Ecclesias, sed significat certè, habere eum quoq; specialẽ quãdam Metropolitani auctoritatem in adiacentes diœcesis Romanæ Ecclesias; quã quidem

auctorita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

auctoritatem *similiter* & aliis Archiepiscopis Metrapolitanis, vnicuique in sua prouincia, Concilium Nicænum voluit constare.

Accedit deinde, quòd in Concilio Chalcedonensi, act. 16. Canon hic sextus Nicænæ Synodi (recitante Paschasino & nemine prorsus contradicente) sic incipit: *Ecclesia Romana semper habuit primatum, &c.* Ac tunc subiunguntur reliqua de auctoritate Metrapolitanorum, quæ ex illo Canone iam à nobis expositа sunt.

Deniq; in eadem actione Concilij Chalcedonẽsis, post recitatum illum Nicænum Canonẽ, & omnium sentẽtias auditas, Iudices ita dixerunt: *Ex his quæ gesta sunt, vel ab vnoquoq; deposita, perpendimus, omnem quidem primatũ et honorem præcipuum secundùm Canones* (nempe secundùm illum etiam Nicænum) *antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.* Ac tunc ipsi Patres Concilij dixerunt: *Hæc iusta sententia, hæc omnes dicimus, &c.* Sed de Canone Nicæni Concilij satis.

Item in Sardicensi Concilio, (quod generale etiam fuisse testantur Socrates, lib. 2. hist. cap. 16. & Athanasius qui id Concilium vocat *magnum*, per illudq; dicit Arrianos eiectos fuisse ex Ecclesia, oratione 1. cõtra Arrianos,) appellationes ex toto orbe factæ ad Romanum Pontificem approbantur. Et Iulio Pontifici ius competiuisse euocandi cum auctoritate alios Episcopos, non obscurè agnoscitur apud Theodoretum, lib. 2. histor. cap. 8.

Item in Constantinopolitano I. capite quinto (generali II.) post Romanum Pontificem primatus honor tribuitur Patriarchæ Constantinopolitano. Atque etiam eius Concilij Patres testantur, se Damasi Romani Pontificis literis monitos conueniisse Constantinopoli, in epistola ad eundem Damasum, cuius meminit Theodoretus, lib. 5. cap. 9. Vicisimq; Damasus apud eundem Theodoretum eodem libro, cap. 10. reuerentiam ab illis in ea re exhibitam sedi Apostolicæ collaudat.

Item in Ephesino (generali III.) Cyrillus, teste Euagrio, lib. 1. hist. cap. 4. locum Cælestini Romani Pontificis tenens, eius mandato dicit, se (vnà cum aliis Patribus) compulsum fuisse, vt Nestorium damnaret. Itemque Patres eiusdem Concilij ad eundem Cælestinum hoc modo scribunt: *Ioannis Antiocheni temeritatẽ* (quòd Cyrillum deposuerat) *reseruauimus tuæ pietatis iudicio.*

Item in Chalcedonensi porrò Concilio (generali IV.) actione 16. itidem probatur iudicium illud Synodi Constantinopolitanæ, quod Constãtinopolitano Patriarchæ secundę cõcedantur post Romanum Pontificem. Et rursus ibi, actione 1. Marciano Imperatore præsente, sine vlla controuersia, *caput omnium Ecclesiarum* Romana Ecclesia appellata est. Atq; etiam ipse Imperator Marcianus ibidem Leonem, tum Põtificem Romanũ, *Apostolicum thronũ gubernare*, dicit. Itemq;

A Concilij Patres eundem Pontificem his modis compellant, act. 3. in relatione facta eidem Pontifici ab ipsa Synodo: *Tu sicut caput mẽbris, præeras. Dioscorus cõtra te, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam. Tuis decretis nostrũ honora iudicium: & firmitas tua filiis quod deest adimpleat.* Itaq; in eo Cõcilio Paschasinus cum Lucentio & Bonifacio, loco Leonis sic præfuit, vt inter cætera, quæ cum auctoritate ibi gesserit, etiam prohibuerit, teste Euagrio, lib. 2. cap. 4. ne Dioscorus cum reliquis Episcopis Orthodoxis sederet.

Item in Concilio II. Constãtinopolitano (generali V.) actione 4. in sententia Synodi contra Anthymum, Patres profitentur, se per omnia sequi velle sentẽtiam summi Pontificis Agapeti in caussa Anthymi hæretici, quem idem Agapetus ex sede Constantinopolitana, & à cõmunione fidelium eiecerat, vt patet ex loco citato: Itemque ex constitutione Iustiniani Imperatoris contra eundem hæreticum, quæ exstat in eadem Synodo. Cuius etiam sententiæ vi Synodus eundem quoq; eiecit ex sede Trapezuntina.

Item in Constantinopolitano III. (generali VI.) actione 18. sub finem dicitur: *Per Agathonem Romanum Pontificem loquutus esse princeps Apostolorum Petrus*, cuius nimirum ille *& imitator fuisset & successor.*

Item in Constantinopolitano IV. (generali VIII.) can. 21. Patriarchas omnes honorandos, *præcipuè verò sanctissimum Papam senioris Romæ.*

Item in Nicæno II. (quod fuit septimũ generale) actione 2. *Romanam sedem, primatum per orbem totum obtinere, omnium Christi Ecclesiarum caput existere, &c.*

Similia in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. titulo 2. c. 3. & 4. & Lateranensi, item sub Innocentio III. cap. 5. Lugdunensi II. vt patet lib. 6. decret. cap. vbi periculum, de electione & electi potestate, & Viennensi, vt patet ex Clementina 1. de S. Trinit. & Constantiensi, sessione 8. & 15. & Lateranensi sub Iulio II. & Leone X. sessione secunda & tertia, & Tridentino, sessione 14. cap. 3. Quibus adde prouincialia, Arelatense, canone 1. Aurelianense IV. can. 1. Toletanum I. in assertione fidei in fine, Africanum, capite 35. Mileuitanum apud Augustinum, epistola 92. & 93. &c.

Nec minus perspicuè Patriarchæ quatuor. Certè Athanasius Patriarcha Alexandrinus, ad Iulium I. Romanum Pontificem, in sua caussa cõtra Arrianos appellauit, vt patet ex Sozomeno, lib. 3. cap. 7. & ex ipso Athanasio in Apologia ad Constan. Itemq; in epistola ad Felicem II. Papam, ab Athanasio & aliis missa ex Synodo Alexandrina, ita Athanasius cum illis Episcopis Felicem alloquitur: *Vos, præcessores q; vestros, Apostolicos videlicet præsules in summitatis arce Deus constituit: omniumq; Ecclesiarum curam habere præcepit.* Item in epistola ad solitariam vitam

agentes idem Athanasius: *Romanus*, inquit, *Episcopus Iulius Synodum iussit fieri, vt tutò & crimina obiicerent, & inuicem sibi oblata refutarent.*

Item D. Cyrillus & ipse Alexandrinus Patriarcha, ad Cælestinum Romanum Pontificem in caussa Nestorij scribens, epist. 18. (Similiter quoque loquitur epist. 10. & 11.) *Ab illius*, inquit, *communione cum fiducia nos non exemimus, donec ista pietati tuæ communicaremus. Quapropter quid videatur, exprimere dignare, an aliquando illi communicare debeamus.*

Item Calandio Antiochenus Patriarcha, teste Liberato in Breuiario, cap. 18. Ioanni Talaię Patriarchæ Alexandrino suasit, vt contra Petrum Moggum, quem Achatius intruserat, ad Simplicium Romanum Pontificem appellaret. Item Flauianus, vt videre est apud Theodoretũ, lib. 5. hist. cap. 23. eiusdem sedis Patriarcha, à Romano Pontifice, vt caussam diceret euocatur, pro eoq; apud Damasum, teste Sozomeno, libro octauo hist. capite tertio, & Socrate libro quinto, capite 15. intercedunt Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, & Theophilus Patriarcha Alexandrinus.

Item Petrus Patriarcha Hierosolymitanus in Synodo quinta, actione quarta, in sententia eiusdem Petri Hierosolymitani, affirmat, Agapetum Papam diuinitus fecisse, quod Anthymum, Constantinopolitanum aliquando Patriarcham, de sede deiecisset.

Denique D. Chrysostomus, Constantinopolitanus Patriarcha, in epistola ad Innocentium, tomo 5. ad Romanum Pontificem appellauit. Macedonius item eiusdem sedis Patriarcha, vt refert Theodorus Lector, lib. 2. Collectaneorum circa medium, (qui libri exstant post historiam Sozomeni,) Anastasio Imperatori vehementer vrgenti & mandanti, vt Episcopos sibi subiectos ad Synodum conuocaret, nihil omnino se ea in re facturum respondit, absque vniuersali Synodo, cui *magnæ Romæ Episcopus præsideret.* Item Menas in Synodo quinta, actione prima, Seuero, Petro & Zoaræ, vitio vertit, quòd contempserint Ecclesiam Romanam, quæ *Apostolis*, inquit, *succedens*, contra ipsos sententiam protulit.

Longum verò est aliorum Patrum sententias referre. Irenæus lib. 3. cap. 3. *ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse affirmat omnem aliam Ecclesiam conuenire.* Cyprianus lib. 4. epist. 8. ad Cornelium Papam, eandem esse *Ecclesiam matricem.* Ambrosius lib. 10. epist. 81. initiò, Siricium Papam *Christi ouile custodire, dignumq; esse, quem oues Domini audiant.* Hieronymus epist. 57. ad Damasum, eundem *piscatoris*, id est, diui Petri, *successorem esse in eadem fidei cathedra, super quam sit ædificata Ecclesia.* Augustinus epistola 162. *in Romana Ecclesia Apostolicæ cathedræ semper viguisse principatum.* Idem obsecrat Innocentium I. epistola 92. ad eundem missa ab Augustino & aliis Patribus Concilij Mileuitani, vt *pastoralem diligentiam adhibeat magnis periculis infirmorum in Africa* propter hæresim Pelagianam imminẽtibus. Quod eius studium laudat idem Innocentius epistola 93. inter epistolas D. Augustini, quòd *antiquæ regulæ formam secutus, opem implorârit ab ea sede, cui maneat sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Isidorus præfatione in opus Concilij, *nullam se Synodum reperisse, nisi vel cõgregatam, vel fultam Romanæ sedis auctoritate.* Prosper libro de ingratis, cõtra Pelagianos, *Romam pastorali honore factam esse caput mundi.* Vincentius Lyrinensis libro aduersus hæreses, *Romanum Pontificem esse caput orbis.* Beda libro 2. hist. Anglorum, Gregorium *in toto orbe* Pontificatum gerere. Origenes, teste D. Hieronymo epist. ad Pamachium & Oceanum, libellos pœnitentiæ de suis erroribus offert Fabiano Papæ. Basilius in epist. 52. ad Athanasium, ad Romanum Pontificem referendum iudicat, *vt iudicij sui decretum interponat.* Chrysostomus postulat ab Innocentio in epistola ad eundem, tomo 5. vt *decreta Theophili rescindantur, & vt pœnis Ecclesiasticis*, qui iniquè agerent, *coërcerentur.* Theodoretus in epistola ad Leonem, in fine tomi 2. ad Romanam sedem appellat, & illius dicit *se expectare sententiam.* Socrates libro secundo hist. capite vndecimo: *Romanam Ecclesiam priuilegium præ cæteris obtinere.* Et quid omnes seu Latinos seu Græcos commemorem?

Iam verò Pontifices ipsi Romani, sanctissimi & antiquissimi, successores se esse D. Petri in cura vniuersalis Ecclesiæ, iisdem in locis palam protestati sunt, quos pro ipsius D. Petri primatu superius magno numero allegauimus. Quorum testimonia quamobrẽ in hac quæstione & caussa minimè suspecta esse debeant, suprà caussas exposui. Clarissima verò grauissimaq; sunt in hoc genere illa verba Iulii I. epistola 1. ad Orientales, de caussa Athanasij: *Semper*, inquit, *maiores Ecclesiæ caussæ ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt; Ipsa namq; omnibus prælata est Ecclesiis, quæ non solùm canonum & sanctorum Patrum decretis, sed Domini voce singularem obtinuit principatum, cùm inquit: Tu es Petrus, &c.* Atque illa quoque Innocentij I. ad Patres Concilij Mileuitani, epistola 93. inter epistolas diui Augustini: *Per omnes*, inquit, *prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coëpiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere; velut nunc retulit vestra dilectio; quòd per totum mundum posit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.* Item ibidem: *Diligenter ergo & congruè Apostolico consulitis honori, honori, inquã, illius, quem solicitudo manet omniũ Ecclesiarum, super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecũ nostis esse seruatam.* Et Leo ad Anastasium

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thessalonicensem Episcopum epist. 84. *Sicut præ-* A
cessores mei (inquit) *præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuersis Ecclesiis principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares.*

Sed exstant multa testimonia similia Pontificum in locis suprà citatis. Quorum sanè in Ecclesia, tanquam successorum Petri, primatum agnouerunt, non Patres tantùm, sed etiam ipsi IMPERATORES Maximi, & disertissimis verbis protestati sunt. Valentinianus in epistola ad Theodosium ante Concilium Chalcedonense, affirmat, Romano Pontifici *principatum sacerdotij collatum.* Marcianus in epistola ad Leonem, *principatum in Episcopatu fidei obtinere.* Iustinianus in nouel. constit. 131. *primum omnium esse Sacerdotum secundùm quatuor Synodorum definitionem.* Quibus Imperatoribus posterior fuit Phocas, à quo tamen Romanum Pontificem primatum accepisse Caluinus lib. 4. instit. cap. 7. ineptissimè nugatus est. Carolus Magnus, teste Cranzio in historia Eccles. Metrapolit. Saxon. libro primo, capite septimo, Romanum Pontificem *vniuersalem Papam* compellat.

Sed & hæretici, cùm principatum Romani Pontificis à nemine ignorari probè intelligerent se idem cum illo de rebus fidei sentire, vt facilius latérent, subdolè simulauerunt: Cælestinus Pelagianus cum Innocentio, referente Augustino, libro 2. de peccato originali, cap. 7. Meletius & Vitalis cum Damaso, apud Hieronymum epist. 2. ad Damasum.

His accedit, quòd Romanus Pontifex perpetuò in Ecclesia earum quæ essent fidei cõtrouersiarum *iudex* agnitus est: Testimonia & exempla multa eius rei petere licet ex Eusebio, lib. 4. hist. cap. 13. & 22. & lib. 5. cap. 27. & lib. 6. cap. 35. & libro 7. cap. 8. & ex Augustino epist. 90. & 92. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 1. & ex Optato lib. 1. contra Parmen. & Irenæo libro 3. cap. 3. &c. & passim ex actis Concil. quòd ipse hæreses *condemnauit*: vt videre est apud Eusebium, lib. 5. cap. 27. & lib. 6. cap. 35. Cyrillum epist. 10. & 11. Tertullianum libro contra Praxean. &c. quòd *leges* cum auctoritate sanciuit: vt est videre apud Eusebium in Chronicis, de Telesphoro & Pio I. & lib. 5. hist. cap. 24. & passim in ipsis decretis antiquissimorum etiam Pontificum: quòd Conciliis generalibus *præfuit*, eademque *confirmauit*, vt infrà in loco de Conciliis ostendetur: quòd ad eum vndique in grauissimis causis Ecclesiasticis *appellatum* est: vt est videre apud Sozomenum, lib. 3. cap. 7. & 9. Euagr. lib. 3. cap. 15. Athanasium epistola ad solitariam vitam agentes. Basilium epist. 74. Chrysostomum epistola ad Innocentium tomo 5. Epiphanium hæresi 68. quòd alios Episcopos auctoritate sua in varias mundi partes *misit*: vt apparet ex Augustino epistola 157. & Posidonio in vita eiusdem Augustini, cap. 14. & Beda lib. 1. vitæ sanctorũ Patrum: quòd eos *vicarios* suos constituit, vt apparet ex D. Leone, epist. 84. & D. Gregorio, lib. 4. epist. 51. 52. 53. quòd eos *creauit*, apud Socratem, lib. 7. hist. cap. 35. & Metaphrastem in vita Gregorij Agrigentini; quod eos *confirmauit*, vt apparet ex Concilio Chalcedonensi, actione 7. & ex D. Gregorio, lib. 4. epist. 9. & ex Cedreno in Compendio historiarum de Irenæo, fol. 387. &c. quòd eos pallio *inuestiuit*, vt est videre apud D. Gregorium, libro 4. epist. 15. & 55. Bedam lib. 2. hist. Anglorum, &c. quòd eos *deposuit*, vt patet ex Synodo quinta, actione quarta. Gregorio libro quarto, epistola 50. & in actis Sixti III. tomo primo Concil. &c. quòd eos *restituit*, vt apparet ex Sozomeno, lib. 3. cap. 7. Basilio epist. 74. &c. B

Hunc vsum auctoritatis tam varium, tamque latè patentem, eundemq; Romano Pontifici per omnes rectè sentientes in Ecclesia semper integrum atque liberum, quis non videat indicem atque testem locupletissimum esse, quòd diuo Petro in cura Ecclesiæ vniuersali, ad constituendum de iis rebus, quæ ad fidem & salutem spectent, Romani Pontifices succedant?

Quoniam igitur probatum est, & primariam in Ecclesia potestatem, atque adeo infallibilem auctoritatem, de rebus fidei omnibus controuersis iudicandi, D. *Petro* datam esse; nec illi solùm, sed etiam illius *successoribus* esse datam; & eius in eo genere successorẽ *Romanum Pontificem* pro tempore existentem esse: verè ac rectè §. 27. concluſimus atque posuimus, Romanum Pontificem esse eum, in quo auctoritas illa primaria, de quæstionibus fidei omnibus infallibiliter statuendi, resideat. C

VTRVM diuino an Ecclesiastico iure ille idem sit D. Petri successor, qui est Episcopus Romanus. §. 37.

SED cùm Romanum Pontificem D. Petri successorem in vniuersali Ecclesiæ cura esse dicimus, sciscitabitur aliquis, ecquonam iure successor talis D. Petri sit is qui Pontifex est Romanus? Vtrum scilicet *diuino?* ita vt Christus Dominus non modò voluerit in Ecclesia esse perpetuò eiusmodi successorem Petri, cui ipse supremam auctoritatem, quam habuit D. Petrus, conferret, sed etiam statuerit, vt hic successor esset perpetuò Romanus Episcopus, An verò id obtinuerit in Ecclesia solum iure *humano*, hoc est, ipsius Ecclesiæ instituto, quæ non nisi Romanos Episcopos in diui Petri locum, quod ad vniuersalem Ecclesiæ curam attinet, recipiendos esse putârit. D

Refert autem non parum hoc scire. Nam si solùm ex iure humano Ecclesiastico ratio hæc successionis cum Romanæ diœcesis Episcopatu coniuncta est; posset fieri, eiusdem Ecclesiæ, atq; adeo ipsius etiam Pontificis auctoritate, vt aliquando

quando is, qui vniuersalis Ecclesiæ Pastor est, non idem sit Romanæ diœcesis Episcopus, sed vel alterius diœcesis; vt cùm Petrus Antiochiæ sedebat, erat Episcopus non Romanus, sed Antiochenus; vel etiam nullius particularis determinatè; sicut eo tempore, quo nondum diuus Petrus Antiochiæ sedebat, cùm tamen nihilominus esset tunc Pastor vniuersalis Ecclesiæ, à Christo constitutus. Sin autem diuino iure constitutum est, vt non alius, præterquam Romanus Pontifex, sit Petri successor, non erit in Ecclesiæ potestate id institutum mutare. Item etiam ex hac quæstione pendet, vt postea patebit, quomodo illud Ecclesiæ Romanæ priuilegium intelligendum sit, cùm dici solet recta atque Apostolica fides non posse à Romana Ecclesia deficere: sicut iam defecit exempli caussa ab Ecclesia Constantinopolitana. B

Ego verò hac de re varias reperio sententias Doctorum. Nam Canus libro 6. de locis Theologicis, capite 4. 5. & 6. & Driedo libro quarto de variis dogmatibus, cap. quarto, parte tertia, & Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap. 40. & alij communiter, sine dubitatione affirmãt, ex Christi Domini institutione Romanum Episcopum fuisse, & futurum esse semper diui Petri successorem in cura vniuersalis Ecclesiæ. Fundamentum ipsorum præcipuum est in modo loquendi Patrum ac Conciliorum, cùm passim asseuerant, Romanum Pontificem ab ipso CHRISTO Domino potestatem obtinere. Item Romanam sedem à Christo Domino priuilegium habere, vt sit peculiariter Apostolica, à qua fides recta nequeat deficere. Denique ex Romana sede definitionem certam in controuersiis fidei petendam esse, atque illos Catholicos esse, qui illius sequuntur doctrinam: illos cõtrà hæreticos, qui reiiciunt. Ex quibus & id genus aliis Ecclesiæ Romanæ elogiis, quæ magno numero superius recitauimus, colligi videtur, institutionẽ Christi esse, vt qui successor Petri futurus est, sit Romanus Episcopus. C

Accedit, quod D. Ambrosius in oratione ad Auxentium, quæ exstat lib. 5. epistolarum, post epistolã 32. & Egesippus lib. 3. excidij Hierosol. capite 2. referunt, Christum Dominum Petro ex vrbe decedenti occurrisse, ac interrogãti quô pergeret, respondisse: Eo Romã iterum crucifigi. Ex qua historia coniici potest, Petrum ex voluntate atque præcepto Christi Romam reuersum esse, ibique morientem reliquisse Romanum Episcopum successorem. D

Alia sententia est Dominici de Soto, lib. 4. sent. d. 24. q. 2. ar. 5. qui contrà existimat, Apostolicam sedem, hoc est, dictæ successionis rationem iure Ecclesiastico tantùm annexam esse Episcopatui Romano: ac proinde fieri pósse auctoritate Ecclesiæ, vt Petri successor nõ sit Romanus Episcopus, sed vel Episcop⁹ alterius diœcesis, vel nullius determinatè, sed dũtaxat Pastor vniuersalis. Fundamentum eius auctoris est, quòd Christus Dominus instituens Petrum vniuersalem Pastorem, nulli eum Ecclesiæ particulari addixit; neq; aliũde institutio Christi circa hoc satis constat; quare videtur potius totum hoc reliquisse Christus dispositioni Ecclesiæ, vt scilicet illa pro ratione circumstantiarum ac temporum variè statuere posset de conditione personę eligendæ, quod expedire maximè videretur; sicut constat, vt postea videbimus, mutâsse illam quandoq; circumstantias electorum summi Pontificis, & modum eundem eligendi. A

Hanc verò opinionem vt Sotus defenderet, sanè oportuit eum inprimis dicere, Concilia & Patres neutram partem huius quæstionis apertè satis determinauisse. Quod enim dicunt, Romanum Pontificem habere potestatem à Christo, eiusque institutione primatum obtinere; id verò non nisi ex quadam hypothesi ab illis dictum esse, nimirum, vt id intelligatur, quandiu Romanus Episcopus est ille, quem Ecclesia ipsa successorem Petri constituit, siue hoc illa faciat propria auctoritate siue institutione Christi. Nihil verò Concilia vel Patres determinare circa hanc hypothesim, vtrum scilicet illa sit ex institutione Christi vel tantùm ex Ecclesiastica traditione. Quidquid enim horum dicatur, manere ex fide certum id, quod ipsi asserunt, Romanum Pontificem, quandiu in Petri successorem (sicut fit) eligitur, ab ipso Christo accipere auctoritatem vniuersalis Pastoris. Quod verò attinet ad illam historiam ex Egesippo; licet Christus Dominus præceperit tunc Petro, vt Romæ maneret vsque ad mortem, inde tamen non necessariò sequi, præcepisse etiam eum, vt successor illius in cura Ecclesiæ vniuersalis esset perpetuò Romanus Pontifex; sed bene inde consequi, institutionem ipsius Petri & Ecclesiæ, qua cautum est, vt Romanus Pontifex sit Petri successor, habuisse fundamentum in Christi voluntate statuente, vt Petrus Romæ permaneret, & suo martyrio Ecclesiam illam decoraret. Quod nisi accidisset, non fuisset dispositum, vt Romanus Episcopus diuo Petro in vniuersali cura Ecclesiæ succederet. Quod ipsum etiam Caietanus tractatu 2. de compar. Pontif. & Concil. cap. 22. & in opusculo de Romani Pontificis institutione capite decimo tertio, tantummodò voluisse videri potest, cùm ait, caussam ob quam Romanus Pontifex sit is, qui Petro succedat, fuisse (vt ille inquit) appropriationem Romanæ Ecclesiæ ad Petri vniuersalem Pontificatum firmatam Christi auctoritate volentis, vt Petrus Romę maneret, ac ibi moreretur: nõ autem Euangelicam institutionem.

Cæterùm vtcunque ista subtiliter pro Soti opinione disputari possint: mihi certè videtur ea opinio in re tam graui nimium esse singularis, nec verò satis tuta. Quæ enim testimonia Patrum & Conciliorum pro contraria sententia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Driedonis, Cani, & Turrecrematæ allegari possunt, maius omnino pondus habent, quàm vt tam subtilibus distinctionibus eludi possint. Quin prorsus arbitror, cùm Patres tot modis asseuerant, Romanam sedem à Christo obtinere auctoritatis in Ecclesia primatum, non aliam institutionem nisi ipsius Christi, à quo totum id priuilegium sedis Romanæ pendeat, cogitauisse. Penderet autem id priuilegium etiam ex Ecclesiæ ipsius humana institutione, si posito tantùm, quòd Ecclesia auctoritate sua velit in Petri successorem eligi Romanum Pontificem, Romana sedes diceretur habere à Christo primatum. Atqui Patres hoc minimè putauerunt: sed absolutè, Romanæ Ecclesiæ *ex diuina institutione* curam incumbere aliarũ omnium Ecclesiarum, affirmat diuus LEO epistola 84. item ad Ecclesiam Romanam, cuius fides sit ab Apostolo Paulo laudata, *non posse perfidiam habere accessum*, ait D. CYPRIANVS ad Cornelium, lib. 1. epistola 3. post medium: Item ad Romanã Ecclesiam propter potentiorem principalitatẽ *oportere* omnes alias Ecclesias conuenire, censet Irenæus libro 3. cap. 3. *Quæ semper* (inquit Hieronymus aduersus Ruffinum) *immaculata permansit, & Domino prouidente, ac B. Apostolo ferente opem, in futuro manebit.* Et clarissimè S. Anacletus epist. 3 (sicut Sixtus II. epistola 1.) *Hæc*, inquit, *sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, &c.* Et IVLIVS huius nominis Primus, in epist. ad Episcopos congregatos Antiochiæ: *Sanctam*, inquit, *Romanam Ecclesiam ipse Dominus allocutus est, inquiens: Tu es Petrus, &c.* Atque vt alia antiquitatis testimonia (quæ sunt magno numero collecta, etiam à Cano libro sexto de locis Theologicis, capite quarto, quinto & sexto) præteream, in magno certè Lateranensi Concilio, de summa Trinitate, cap. Damnamus, ex certissima Ecclesiæ sententia, disertis verbis Ecclesia Romana dicitur, *Deo ipso disponente, mater esse & magistra omnium Ecclesiarum*.

Itaque verus Patrum traditio indicare videtur, Christi etiam institutionem esse, vt qui Petro successurus est, atque adeo qui est à Christo accepturus primatum, is alius non sit, nisi Episcopus Romanus; vt copiosè etiam ac diligẽter disputat Ioannes Driedo loco suprà citato. Qua sanè ex re sequitur, nũquam omnino futurum, vt ij à recta fide desciscant, qui fidem sequentur eius, qui legitimus erit atque permanebit Episcopus diœcesis Romanæ, siue is in illius diœcesis loco morabitur, siue alibi. Nam idem ex institutione Christi erit successor Petri in cura Ecclesiæ vniuersalis, ac proinde errare minimè poterit in fidei doctrina proponenda, vt postea etiam sumus probaturi. Nunc satis fuerit ita breuiter explicauisse, quod est à nobis tertio loco probatum. Nempe Romanum Pontificem diuo Petro in cura Ecclesiæ vniuersalis succedere. Videamus modò quid contra id soleant aut possint etiam hæretici obiicere.

Confutatio argumentorum, quibus Sectarij contendunt, Romanum Pontificem non esse diui Petri successorem. §. 38.

PRINCIPIO, Petrum Romę fuisse, nedum Romæ mortuum esse, Velenus quidam, & Sebastianus Francus, & alij eiusdem farinæ hæretici negant: Quin etiam dubitat ea de re Caluinus. Falsum igitur aut certè minus exploratum est, quòd Romanus Pontifex succedat Petro defuncto.

RESPONDEO, quòd hoc isti negẽt vel in dubium vocent, facere eos stultissimè atq; pueriliter, cùm sit res confirmata omnium historiarum & Patrum testimonio, & ipsius Petri in vrbe vestigiis. Id enim affirmant Eusebius libro secundo, capite decimo quarto, & decimo quinto, & 25. & lib. 3. cap. 2. & 25. Egesippus libro tertio de excidio Hierosolym. cap. 2. Sulpicius libro 2. hist. Orosius libro 7. histor. cap. 6. Eutropius libro itidem histor. 7. Irenæus libro 3. cap. 3. Tertullianus libro quarto contra Marcion. & libro de præscriptionibus. Epiphanius hæresi 27. Ambrosius in oratione contra Auxentium, quæ habetur libro quinto epistolarum, post epistolam 32. Augustinus libro primo contra Iulianum, capite secundo, & aliàs passim. Hieronymus in Catalogo, vbi agit de diuo Petro, & innumeri alij. Qua de re quoniam non nisi leuissimas ratiunculas pro suis somniis Sectarij illi afferunt, quæ nemini prudenti persuadent, non opus esse iudico iam à me repeti, quæ sunt ab aliis sufficienter, vel potius dicam, penè superuacaneè (quis enim sanus de hoc dubitet?) tractata. Lege potissimùm Nicolaum Sanderum de visibili Monarchia Ecclesiæ libro sexto, capite decimo, Horantium libro sexto Cathol. locorũ, capite duodecimo, Lindanum libro quarto Panopl. capite 82.

Huc accedit, quod si maximè dubitari posset, vtrum diuus Petrus Romæ fuisset (quæ tamen ipsa dubitatio nihil profectò differret ab insania) adhuc tamen non id haberent Sectarii, quod volunt. Nam inde solum sequeretur, non esse Romanum Pontificem successorem diui Petri etiam in cura diœcesis Romanæ (sicut iam ex omnium traditione esse constat) posset tamen adhuc ille diuo Petro succedere in cura vniuersalis Ecclesiæ, quam potuisset Petrus annectere Romanæ sedi, tametsi ille fuisset alibi Episcopus, aut etiam nullius fuisset particularis Ecclesiæ Episcopus. Quemadmodum etiam manens Romæ potuisset alterius diœcesis Episcopo vniuersalem curam Ecclesiæ demandare, si

coniun-

coniunctio illa quidem Romanæ sedis cum successione D. Petri in vniuersalis Ecclesię cura non esset de iure diuino.

SECVNDVM argumentum Sectariorum est, quòd Concilia & Patres veteres, quorum auctoritate vtimur, non de huius temporis Pontificibus loquuntur, cùm affirmant illos esse Petri successores legitimos ac proinde in Ecclesia tenere primatum, sed de illis, qui priscis temporibus Ecclesiæ Romanæ prefuerunt; Nihil ergo eorum Patrum auctoritas Pontifici Romano præsenti, & aliis pro tempore futuris suffragari videtur.

RESPONDEO, veterum Patrum & Conciliorum testimonia omnino etiam ad hunc præsentem Pontificem Romanum & alios, qui pro tempore, tanquam Petri successores, ab Ecclesia recipientur, pertinere. Nam ratio, ob quam Patres illi suorum temporum Pontifices Romanos, Petri successores esse agnoscebant, alia propriè non erat, nisi quia illi legitimo modo ab Ecclesia Catholica in locum Petri recipiebantur, in qua re (vt suprà §. 36. diximus) consistit hæc ratio successionis. Sed hic etiam Pontifex, qui nunc est, legitimè item ab Ecclesia eadem in locum diui Petri receptus est, & alij quoque, qui succedent, similiter (vt pono) recipientur. Ergo huic item Pontifici & futuris, veteres illi Patres testimonium successionis legitimæ perhibuerũt. Quemadmodum simili quoque ratione suprà concluſimus, testimonia veterum Patrum, qui congregationẽ Romanis Pontificibus, suis illis temporibus adhærentem legitimam esse Ecclesiam asseruerunt, ad hanc quoque numero congregationẽ pertinere, quæ Pontifici maximo hodie obtemperat.

TERTIVM argumentum est propriè contra hoc ipsum, quod nunc ponebamus, eos Pontifices Romanos, qui antecesserunt vsque ad præsentem, esse legitimè receptos ab Ecclesia. Etenim à tempore Vrbani VI. qui Gregorio XI. demortuo, Anno 1378. electus fuit in mense Aprilii, vsque ad præsentem Pontificem, nullus videtur legitimè successisse. Nam, vt videre est apud D. Antoninum tertia parte histor. tit. vicesimo secundo, capite secundo, & initio Concilij Constantiensis, eodem anno 1378. in mense Iulio, ex Cardinalibus quidam, quòd Pontificis electi mores difficiles non ferrent, Roma discesserunt, & in sequenti mense Septembri elegerunt alium Põtificem, qui nominatus est Clemens VII. Porrò Vrbanus Romæ manebat, Clemens Auennione. Et vterque suos assecias habebat. Quod schisma vsque ad annum 1417. quo, vndecimo die mensis Nouembris, Martinus V. electus est, ita continua successione vtriusque Pontificis, & Cardinalium ab ipsis creatorum, continuatum est, vt non posset satis dignosci, vter illorum esset verus Pontifex. Immo & alius etiam tertius Pontifex anno 1408. accesit, dictus Ioannes XXIII. quem aliqui Cardinales ex vtraq; factione ad eam rem designati creârunt, vt refert Turrecremata libro quarto, capite nono. Tandem Martinus V. à Cardinalibus multis ex illis dubiis & schismaticis, anno, vt dictum est, 1417. creatus est in Concilio Constantiensi. Itaque nec præcedentes Pontifices, nec ipse Martinus V. & consequenter neq; alij Pontifices posteriores, qui Martino deinceps successerunt, legitimo modo videntur ab Ecclesia recepti. ACCEDIT etiam, quòd post Martinum V. tempore Eugenij IV. fuit aliud schisma. Amadeus enim quidam in Concilio Basileensi, à quibusdam electus est, & vocatus Felix; Is postea Nicolao V. cesit, à quo & Cardinalis creatus est. Neque tamen videtur satis compertum, vter istorum habuerit maius ius ad Pontificatum, atque ita propter hoc etiam schisma dubij videntur Pontifices illi omnes, qui Nicolao vsque ad Pontificem præsentem successerunt.

RESPONDEO, tempore illo, quod ab Vrbano VI. vsque ad Martinum V. intercesit, illos sanè Pontifices censeri posse legitimè fuisse receptos, qui in huius Vrbani locum successionis serie recepti sunt; alios verò fuisse Schismaticos. Nam de electione ipsius Vrbani non videtur dubitandum, quin fuerit legitima. Qui proinde de modo, rationeque eligendi suos successores, poterat id statuere, quod in illa schismatum difficultate magis expedire iudicabat, donec aliquid aliud, ipso defuncto, Ecclesia ea de re decernendum putaret. Sed siue hi, siue illi, durante eo schismate, fuerint legitimi Pontifices, siue nullus eorum, qui in schismate electi sunt, sed tunc sedes quasi vacauerit; nihil hoc quidem interest; modò cõstet ipsum tandem Martinum V. in Concilio postea Constantiensi legitimo modo receptum fuisse in locum illius Vrbani, & antecessorum, atque adeo etiam in locum ipsius diui Petri.

Id autem ita esse, hoc modo probamus: Nam, vt suprà §. 36. dictum est, modus legitimus recipiendi aliquem in Petri successorem ille prorsus est, quem Ecclesia pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum præscribit, rectumque esse iudicat; siue is modus præscribatur ab ipsomet Pontifice (in quo tanquam in capite residet primaria auctoritas Ecclesiæ, atque adeo ius etiam constituendi modum in electione Pontificis, vt colligitur ex multis Canonibus septuagesima nona distinctione, & rectè ostendit inter cæteros Caietanus in Apologia de auctoritate Pontificum & Conciliorũ, parte secunda, capite vicesimo secundo) siue præscribatur ab Ecclesia in Concilio vel aliter decernente; quando sedes quidem Apostolica vacaret, aut illius possessio nó esset admodum certa, & graues

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquæ circumstantiæ postularent eligendi modum aliquem extraordinarium; sicut intelligi potest ex his, quæ eruditè Turrecremata, libro quarto de Ecclesia, capite decimo, scripsit de decem viis sedandi schismata in electione Pontificis. Nunquam enim deest Christus Ecclesiæ suæ, quin in omni casu possit illa ex schismatum difficultatibus emergere, indubitatum & certum Pontificem pacificè & absq; scandalis recipiendo in diui Petri locum. Nunc certum est, Martinum V. electum in Concilio Constantiensi fuisse eo modo, qui omnibus circumstantiis illorum temporum consideratis, iudicatus est ab Ecclesia in Concilio tunc congregata optimus. Nam Gregorio XII. qui tum erat Vrbani successor, suo iuri (propter Ecclesiæ pacem atque bonum) cedente & aliis duobus Antipapis, scilicet Benedicto XIII. & Ioanne XXIII. depositis; omnibus Cardinalibus, qui Concilio quidem interfuerunt, siue illi veri essent, siue falsi, & sex præterea ex qualibet natione, qui Concilio interessent, delectis, ius suffragij actiui & passiui datum est, quorum demùm suffragiis Martinus V. est electus. Qua quidem ratione nihil prudentius tunc temporis ad tantas schismatum difficultates & scandala sedanda, constitui potuit. Itaque perspicuum certè est, Martinum V. legitimum fuisse Petri successorem, & consequenter etiam alios Pontifices sequentes, quia omnes recepti sunt eodem modo, quem habita temporis ratione Ecclesia legitimè præscripsit: quamuis pro ratione temporis modus ille quidem, quo Martinus electus est, fuerit à solito diuersus. Ordinariè autem iam ea ratio seruatur, vt qui à duabus partibus Cardinalium eligitur, ille Pontifex legitimus habeatur, vt patet extrà de electione, cap. licet de euitanda.

Ex quibus intelligitur, quàm turpiter VViclephus, quem & alij Sectarij sequuntur, errauerit, cùm propositione nona damnata in Concilio Constantiensi asseruit, à tempore Vrbani VI. nullum esse recipiendum tanquam Pontificem, sed more Græcorum propriis legibus esse viuendum. Errant isti turpissimè: quoniam via ac ratio fuit, ac erit semper in Christi Ecclesia, vt schismate sedato, vnicus, verus & indubitatus Pontifex ab omnibus agnoscatur. Neq; enim illud schisma primum fuit in Ecclesia, sed schismata omnino viginti illud præcesserunt, vt Turrecremata etiam lib. 4. de Ecclesia, cap. 9. commemorat. Nec ideo tamen nullus ante Vrbanum VI. fuit verus in Ecclesia Pontifex.

Iam verò ad illud, quod in confirmationem eius argumenti de schismate Amadei addebatur, facilis est responsio. Nihil enim huiusmodi casu successio Pontificum dubia redditur, cùm constet Amadeum illum cum suis electoribus apertè schismaticum fuisse, maxima Ecclesiæ parte Eugenium IV. (legitimum sine cõtrouersia successorem Martini V.) & successorem Eugenij, Nicolaum V. pro legitimis Pontificibus cognoscente.

Quartvm argumentum fieri porro potest contra hoc quod nunc dictum est, eum esse legitimum Petri successorem, quem Ecclesia recipit modo, quem iudicat conuenientissimum. Nam qui legitimus Petri successor est, is à Christo Domino certò & infallibiliter accipit supremam in terris potestatem, qualem habuit Petrus, vt suprà probatum est. At non semper, qui ab Ecclesia legitimo modo in locum Petri recipitur, eam potestatem à Christo Domino accipit. Ergo non illico legitimus Petri successor is est, qui ab Ecclesia recipitur modo legitimo. Id patet in casu, quo per errorem eligeretur mulier, quod saltem posse accidere non admodum dubitare videntur quidam, etsi falsa atque commentitia omnino sit alioqui historia illa de Ioanne fœmina, vt Onuphrius in annotat. ad Platin. & etiam Alanus Cop. dialogo primo, capite octauo, & alij demonstrârunt. Præterea idem patet, si errore eligeretur infidelis quispiam non baptizatus. Talis enim non reciperet verè à Christo primariam potestatem, neque verè esset Pontifex, vt ex communi orthodoxorum sententia ponit Turrecremata, lib. 4. de Ecclesia, parte 2. cap. 20.

Respondeo. Quod dictum est, illum esse legitimum diui Petri successorem, atque adeo primariam auctoritatem à Christo accipere, quem Ecclesia modo legitimo recipit in locum D. Petri; id non aliter intelligendum est, nisi posito, quòd Eccesia legitimo modo eum eligat ac recipiat, qui sit alioquî capax pontificatus. Mulier autem & infidelis, pontificatus minimè sunt capaces. Quare argumentum hoc non euertit ea, quæ sunt dicta.

Sed hinc rursus nascitur alia difficultas, de qua non inutiliter tractari solet à Catholicis Theologis in scholis. Nam si casus isti, in quibus incapaces Pontificatus eligantur, possibiles sunt; sequitur, non posse nos penitus esse certos; vtrum hic vel ille electus, sit verus Pontifex? Nam licet simus omnino certi, Ecclesiam veram, modo cõuenienti, tum ex parte electorum, tum ex parte modi in eligendo, hunc aut illum legitimè recepisse: at dubitare poterimus, vtrum ille baptizatus sit, atque adeo num sit capax Pontificatus. Itaque nec poterimus esse certi omnino de iis, quæ ille tanquam de fide definierit: Eodemque res recidet, atque si liceret dubitare, vtrum Deus voluerit esse aliquem omnino successorem Petri in Ecclesia perpetuò, qui sit regula fidei & morum, infallibilis. Illud enim idem incommodum, quod ex hac dubitatione sequeretur; videlicet incertitudo eorum, quæ Romanus Pontifex decerneret; perinde sequeretur ex illa etiam dubitatione, vtrum videlicet hic sit verus successor Petri nec ne.

Ad hanc expediendam difficultatem, libenter illud solum responderem, quòd multi docti ac pij viri meritò credunt, atque ipse mihi persuadeo: nempe nunquam futurum, vt incapax eligatur; Deo, ad auertendum ab Ecclesia sua periculum, facilè (vt potest) id prohibente. Sed quia graues etiam Doctores eiusmodi casum tãquam possibilem admittunt; consequenter sanè concedendum est ab illis, non ex hoc ipso tantùm, quòd aliquis ab Ecclesia in diui Petri locum electus est, penitus esse certum, quòd is sit verus Pontifex; quandoquidem incapax eius muneris eligi posset, vt admittunt. Cæterùm non inde sequitur illud incommodum, quod obiiciebatur, nempe vt necesse sit de certitudine definitionum siue decretorum electi Pontificis dubitare. Hoc, inquam, incommodum dico non sequi, idque ostendimus duplici ratione.

Prima, quia certa fide cõpertum est, firmum esse ac ratum quicquid circa vniuersam Ecclesiam statuit is, qui existimatur ab omnibus fidelibus Pastor Ecclesiæ vniuersalis; nam illud Ecclesia tota, quæ decipi nequit, tenetur recipere, vt paulò post probabitur. Atqui Pastor vniuersalis ab omnibus fidelibus is existimatur, qui ab Ecclesia in locum diui Petri legitimè est receptus. Igitur si is aliquid erga vniuersam Ecclesiam decernat, à nemine dubitari potest, quin illud sit ratum & firmum: siue id quidem infallibiliter decernat tanquam verus Pontifex, cuius videlicet ministerio Deus, ex certa & ordinaria lege in Ecclesia gubernanda, tanquam instrumento vtatur; siue Deo tantummodo in particulari casu non permittente, vt erret, in errorem; adeo inducat vniuersam Ecclesiã, cui se Deus nunquam defuturum promisit. Procedit enim perinde hæc prima ratio, siue concedamus fieri etiam posse, vt falsus Pontifex statuat aliquid circa vniuersam Ecclesiã, siue id non concedamus, vt concedi reuera non debet, sicut iamiam videbimus.

Secvnda ratio quare non sequatur illud incommodum, quod obiiciebatur, est, quia cumprimùm is, qui est electus Pontifex, statuit aliquid in fide aut moribus, quod ad vniuersam Ecclesiam pertineat, eo ipso est nobis certum de fide, quod ille sit Pontifex legitimus; qui à Deo videlicet acceperit potestatem illam iurisdictionis primariam. Quæres autem vnde hæc fidei certitudo tunc eliciatur? Respondeo, ex duabus propositionibus de fide, hoc modo: Quem Christus Dominus in iis, quæ vel ad fidem, vel ad mores pertinẽt, ab vniuersa Ecclesia audiri vult; is verus ac legitimus est pastor Ecclesiæ vniuersæ. Sed Pontificem ab Ecclesia legitimo modo electum, cùm is aliquid ad vniuersam Ecclesiã pertinens in fide aut moribus statuit, audiri vult Christus Dominus ab vniuersa Ecclesia. Ergo verus ille Pastor est vniuersæ Ecclesiæ.

Prior propositio patet ex illis Scripturæ testimoniis, quibus superiùs §. 27. probauimus, Christum Dominum super Petrum determinatè & eius successores (quorum vnusquisque, cõmunione quidem eiusdem auctoritatis, esset in Ecclesia futurus quasi alter Petrus) voluisse, vt exurgeret totum ædificium Ecclesiæ. Nam *super te*, inquit Matth. 16. *ædificabo Ecclesiã meam*. Et Ioan. 21. *Pasce* (tu Petre) *oues meas*. Et Lucæ 22. *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Quarum certè sententiarum ea vis est, vt intelligere debeamus per neminem alium hominem singularem, nisi qui cõmunione eiusdẽ auctoritatis reuera sit tanquam ipse Petrus, quique habeat præceptum illud pascendi oues Christi vniuersas, Ecclesiam regi, ac proinde, obligari ad recipiẽdum fidei & morum institura, quibus illius ædificium cõtinetur. Ideo enim cæteris Apostolis præteritis solum Petrum ex nomine toties tamque singulariter Christus compellauit, dum eam illi auctoritatem vel promitteret vel tribueret, vt ea re clarè significaret, per neminem alium hominem singularem, velle se spiritu suo sancto ita instruere Ecclesiam, sicut per Petrum & eos, qui in eadem auctoritate futuri essent, tanquam ipse Petrus, vt suprà disputatum est.

Iam probatur illa altera propositio *posterior*: nempe velle Christum, vt is in rebus fidei atque morum ab vniuersa Ecclesia audiatur, qui ab Ecclesia est legitimè in Pontificẽ electus. Nam cùm in Scriptura datur præceptum subditis ad Hebr. 13. vt *Præpositos suos audiant*; de iis Præpositis omnino sermo est, quos subditi suos esse Præpositos agnoscunt, & pro talibus habent; alioquî frustra prorsus id præceptum daretur. Quare certum ex fide est, velle Christum, vt quem Ecclesia vniuersa Pastorem suum esse agnoscit, eum de rebus fidei & morum docentem audiat. Agnoscit autem omnino eum esse suum Pastorem, quem ipsa legitimè elegit ac recepit. Hunc igitur ex Christi voluntate tenetur audire. Certa igitur ex fide est quoque posterior illa propositio. Atq; ita patet, conclusionem etiam, quam ex vtraq; propositione deduximus, certam ex fide esse: videlicet, electum legitimè in Põtificem, & aliquid postea erga vniuersam Ecclesiam definientem, verum esse Pontificem: ac proinde minimè de certitudine illius decretorum esse dubitandum.

Ex quibus rebus consequitur, si quis fortè in Põtificem, huius auctoritatis incapax (quod minimè vereor futurum) eligeretur, nunquam tamen fore, vt is aliquid erga Ecclesiam vniuersam decerneret, sed vel discederet è vita, priusquam ad id ventum esset, vel illius certè vitium & incapacitas Deo prouidente detegeretur. Neque verò hoc foret aliquod miraculum, sed quiddam omnino consequens ex ordinaria illa Christi lege, qua is voluit Ecclesiam suam vniuersam non per ministerium alicuius alterius hominis singularis, præterquam legitimi Pastoris, gubernare.

Erga particularem verò Ecclesiam aliquam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut aliquas etiam personas, non esset vsque adeo incommodum concedere, posse aliquid statuere eum, qui verus non esset Pontifex. Quo casu Deus per se (sicut in similibus casibus piè credi posse, notat ex sententia diui Thomæ & aliorum Theologorũ, Turrecremata libro quarto de Ecclesia, part. 2. cap. 20.) suppleret, ad aliorum vidélicet necessarias vtilitates, ministerium Pastoris veri. Vt confirmando per se (exempli caussa) eos Episcopos, quos ille Pontifex confirmâsse verè putaretur.

Sed QVÆRET hic aliquis: cuiusmodi debeat esse illud, ad vniuersalem Ecclesiam pertinens, quod cùm Pontifex statuit, intelligitur sine vlla dubitatione esse verus Pontifex. Nam si opus est, vt aliquid circa fidem definiat; cùm eiusmodi definitiones à paucis Pontificibus & rarò fiant; rarò etiam ex fide constabit, aliquem esse Pontificem verum.

RESPONDEO primò, quamdiu Pontifex quidem nihil erga vniuersam Ecclesiam statuit, nihil vel parum admodum imminere periculi, si diu aut etiam omnino non constaret ex fide, illum esse verum Pontificem, sed certitudine tantùm morali. Plus enim quiddam est, sedem Apostolicam omnino vacare, quàm non prorsus ex fide constare, num is, qui in ea præsidet, legitimè ac verè præsideat. Et tamen vacat quandoque sine magno Ecclesiæ incommodo sedes Apostolica aliquandiu. Minus igitur incommodum erit, si is, qui in ea præsidet, morali tantùm certitudine existimetur ritè præsidere, non autem indubitata fide.

Deinde dicimus, non modò ex definitione fidei, sed etiam ex aliqua institutione circa mores, ad vniuersam Ecclesiam pertinente (quales sæpe fiunt à Pontificibus) colligi posse de fide, quòd aliquis sit verus Pontifex. Immo etiam ex dispensatione Thesauri Ecclesiæ per generalem indulgentiam siue iubilæum. Nec enim his etiam modis Christus Ecclesiæ suæ prospicit per alterius ministerium præterquã veri Pastoris. Quare non ita rarò accidit, vt per fidem constet de vero Pontifice.

POSTREMO à nobis illud breuiter refellendum est, quod vaniloqui hæretici obiiciunt, aliquos Romanos Pontifices à nonnullis principibus, aut etiam ab aliis grauibus viris, vehementiùs quandoque reprehensos fuisse, atque etiam eo loco habitos, quasi non Petri successores & Christi Vicarij, sed Antichristi essent. Quo in calumniæ genere eò etiã nostri Aduersarij processerunt impudentię, vt eam communem fuisse Ecclesiæ existimationem de Pontificibus Romanis suadere quidam vanissimè & mendacissimè conentur. SED hanc de Antichristo contumeliam varij Theologi, nec ita pridem sufficientissimè & doctissimè refutârunt; Vt Sanderus toto libro octauo de visibili Monarchia Ecclesiæ. Et Bellarminus libro tertio de Romano Pontifice. Et A quo loco Romanus Pontifex in Ecclesia semper sit habitus ex allatis suprà §. 36. testimoniis aduersus istorũ vanitatẽ, satis superq; iam constat. Itaq; breuiter iam pro instituto nostro RESPONDEMVS: Si qui ex orthodoxis acrius aliquãdo in Romanum Pontificem inuecti sunt; ij non ad locum & auctoritatem, sed ad priuata vitia personæ, seu conficta, seu vera, respexerunt. Quod nobis nihil sanè obstat. Nec enim, vt illi sedi auctoritas sua cõstet, defendi necesse est, omnes & singulos, qui in ea sederunt, fuisse innocentissimos.

Quin immo schismaticis istis Romanorum Pontificum obtrectatoribus, qui mendaciis ferè *diaboli voce conflictis aduersus sacerdotes Dei* (vt de sui B temporis hæreticis grauissimis verbis scripsit Cyprianus) Catholicæ vnitatis cõcordiam rumpere conantur, fidenter idem respõdemus, quod ad similes criminationes (sunt enim omnes hæretici, quod ad odium sedis Apostolicæ attinet, similes) olim respondit D. AVGVSTINVS Donatistis hæreticis, lib. 2. contra literas Petil. cap. 51 *Cathedra* (inquit) *tibi quid fecit Ecclesia Romana? in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius* (dicamus nos Clemens) *sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, et à qua vos nefario furore separâstis. Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathedram Apostolicã? Si propter homines, quos putas legem loqui & non facere: nunquid Dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus dixit Matth. 23. Dicunt enim & non faciunt;* C *cathedræ in qua sedebant, vllam iniuriam fecit? Nonne illam cathedram Moysi cõmendauit, & illos tamen, seruato cathedræ honore, redarguit? Ait enim: Super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, quæ autẽ faciunt, facere nolite. Dicunt enim et non faciunt. Hæc si cogitaretis* (nõne Sectarios hodie etiã alloqui videtur?) *nõ propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedram Apostolicam, cui non cõmunicatis.* Tum etiã idem Augustin. lib. 2. contra lit. Petil. cap. 72. *Cùm tales* (Pharisæi) *sederint super cathedrã Moysi, cui Dominus honorẽ seruauit: quare vos propter eos, quos istis siue iustè, siue iniustè comparatis, cathedram Apostolicã blasphematis?* Hęc Augustinus. Quę à nobis hoc tẽpore similiter, aduersus Sectariorũ maledicta in Romanos Pontifices, iure optimo vsurpantur.

D Ex quo etiam intelligi potest, qua ratione & illud accipi debeat, quod D. Gregorium libro 4. Regiſtri, epistola 32. scripsisse legimus: *Antichristi præcursorem eum esse, quisquis se, contemptis reliquis Episcopum vniuersalem appellare audet.* Non enim locum ipsum & dignitatem vniuersalis Episcopi Gregorius exagitat, sed superbiam & arrogantiam in eo nomine temerè vsurpando, quasi nullus alius Episcopus esset. Quod vitium iure optimo reprehẽdere potuit Gregorius in illo Ioanne Constantinopolitano, schismaticè primatum affectante, aduersus quem eo loco scribebat.

Ac sanè maximam esse Sectariorum vanitatem, quòd illud etiam Gregorij dictum aduersus Pontificis Romani primatum obiicere soleant, ex ea re perspicuum est, quòd in eo ipso

loco,

loco, vbi Gregorius vocabulum illud exagitat, simul etiam Petri primatum, cuius ipse successorem se profitetur, agnoscit, ac luculenter asserit; nempe lib. 4. epist. 32. *Cunctis*, inquit, *Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, sancto & omnium Apostolorum principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est, &c.* Et infrà vocabulum etiam ipsum vniuersalis Episcopi Romano Pontifici à Chalcedonensi Synodo delatum esse memorat; quãuis illud Pontifex modestè detrectauerit: *Certè*, inquit, *pro beati Petri Apostolorum principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est* (nomen vniuersalis) Idem lib. 4. epist. 38. scribens ad illum ipsum Ioannem: *Nunquid non, sicut vestra sanctitas nouit, per venerandum Chalcedonense Concilium huius Apostolicæ sedis Antistites, cui, Deo disponente, deseruio, vniuersales, oblato honore, vocati sunt?*

Tria igitur à nobis hactenus probata atq; defensa sunt, ex quibus certissimè cõcludimus, Romanum Pontificem suprema in Ecclesia auctoritate ad constituẽdum infallibiliter de rebus fidei & morum præditum esse. PRIMO, auctoritatem eiusmodi D. Petro à Christo tributam esse. SECVNDO, non Petro solùm, sed eius etiam vsq; in seculi finẽ legitimis successoribus eam à Christo auctoritatem tribui. TERTIO, Romanos omnino Pontifices esse in eo genere legitimos D. Petri successores. Quare manet profectò Romanũ Pontificem pro tempore existẽtem eum esse, cui tanquam successori D. Petri, vniuersalis Ecclesiæ cura, quod ad fidem moresque spectat, commissa sit, & in quo proinde de quæstionibus omnibus fidei decernendi auctoritas resideat.

QVÆSTIO SEXTA.

An ab omnibus fidelibus ex diuino præcepto recipiendum sit, quod Romanus Pontifex definit esse fidei sententiam. §. 39.

RESPONDEMVS per hanc assertionem: *Quoties cũq; Romanus Pontifex in fidei quæstionibus definiẽdis, illa qua est præditus auctoritate vtitur; ab omnibus fidelibus tanquam doctrina fidei recipi diuino præcepto debet ea sententia, quam ille decernit esse sententiam fidei. Toties autem eum ipsa auctoritate vti credendum est, quoties in controuersia fidei sic alterutram sententiam determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam.*

PRIOR huius assertionis pars facilè probatur ex his, quæ hactenus sunt constituta. Nam si diuo Petro, tãquam vniuersali Ecclesiæ Pastori, Christus auctoritatem tribuit, infallibiliter cõstituendi de quæstionibus fidei: & hæc eadem auctoritas Romanis Pontificibus D. Petri successoribus diuinitus confertur (quę duo hactenus à nobis confirmata sunt) dubitari non potest, quin etiam Christi oues teneantur tunc salutarem pastum doctrinæ fidei acceptare, cum vsu illius auctoritatis à Romanis Pontificibus ipsis ostenditur. Omnes enim inprimis hãc obedientiam suo Pastori atque Præposito debent, vt siquid ille in quæstionibus fidei infallibiliter verum tradiderit, id sibi verisimum esse persuadeant, nec possint assentiri contrario.

Ac nisi eiusmodi auctoritatem docendi Christus diuo Petro (atque adeo etiam successoribus eius) attribuisset, sanè quidem nec absolutam curam pascendi Dominicum gregem Petrus suscepisset (cùm pascatur ille inprimis veritate doctrinæ) neque omnino claues regni cælorum accepisset, cùm aperiantur inprimis cæli, vera doctrina fidei, sine qua *impossibile est placere Deo* ad Hebr. 11.

Huc apertissimè quoque spectat illud Christi: *Ego*, inquit Lucæ 22. *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquãdo conuersus, confirma fratres tuos.* Quod rectè inprimis ad officium docendi sancti Patres referunt. Hoc & ipse Petrus etiam illis verbis testatus est: *Viri fratres*, inquit, *vos scitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum audire gentes Euangelium & credere*, Actor. 15. Atq; eam etiam D. Petri auctoritatem D. AMBROSIVS in caput 5. Lucæ, pulchrè colligit, ea re à Christo significatam esse, quod aliis Apostolis præsentibus soli tamen Petro dixit Lucæ 5. *Duc in altum, id est, in profundum disputationum.* De quo multa etiam superius à nobis dicta sunt, circa locum præsertim Matth. 18. pro D. Petri primatu, § 27. & multa quoque disputantur eruditè tum ab aliis scriptoribus, tum præcipuè à Ioanne Turrecremata lib. 4. de Ecclesia cap. 107.

Cùm igitur constet, id ab omnibus in materia fidei recipi debere, quod Romanus Pontifex diui Petri successor vtens ea docendi auctoritate, qua est præditus, infallibiliter tradit; ALTERA nunc pars assertionis à nobis confirmanda est, nempe toties Romanum Pontificem illa docendi auctoritate vti, hoc est, infallibiliter Spiritu sancto assistẽte docere, quoties de rebus fidei controuersis alterutram sententiam ita determinat, vt ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam. Nisi enim etiam de hoc constet, dubitare liceret; num ob eam rem fortasis Pontificis definitio in fidei quæstionibus falsa sit, quòd non sit in definiendo vsus illa infallibili auctoritate docendi, qua est præditus.

Id autem vt probemus, distinguendi sunt modi, quibus potest contingere, Pontificem aliquid asserere. PRIMO enim potest sibi persuadere aut asserere aliquid, vt priuata persona quædam, vel Doctor alius quispiam. Vt, si nollet Ecclesiam vniuersam ad recipiendam suam assertionem obligare, sed tantùm sententiam ipse suam reputaret veram. Hoc modo Innocentius III. & nonnulli alij Pontifices opuscula varia ediderunt. Ac illa quidem, quæ sic Pontifex asseuerat, communis sententia omnium Theologorum est, non oportere esse omnia vera & infallibilia, quasi à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pontificia auctoritate profecta. Quin imò à pleriſque auctoribus conceditur, fieri poſſe, vt Pontifex tanquam quædam priuata perſona in hæreſim labatur.

Quod & quandoq; euenisſe, ex ſexta & ſeptima Synodo generali, itemq; ex nonnullis Pontificum epiſtolis nonnulli colligunt, nimirum ex epiſtola Adriani, vt habetur in octaua Synodo, actione 7. & ex epiſtola Agathonis, vt habetur in ſexta Synodo, actione 4. in quibus commemoratur, Honorium Pontificem, defunctum, condemnatum eſſe, tanquam infectum errore Eutychetis, de vna voluntate & operatione Chriſti. Et quanquam Albertus Pyghius Campẽſis lib. 4. Eccleſiaſt. hierarch. cap. 8. & ante eum Ioannes à Turrecremata libro 2. de Eccleſia cap. 93. piè conentur hunc Pontificem (ſicut & nonnullos alios, de quibus minor difficultas eſt) à nota hæreſis vindicare, defendantq́e, eum aut omnino damnatum ab Eccleſia non fuiſſe, aut non niſi ſecundùm falsò allegata & probata fuiſſe damnatum: tamen (quicquid de ea quæſtione, particularis facti ſtatuatur) videtur ſaltẽ in illis Conciliis & epiſtolis Pontificum, atq; etiam in Concilio quinto Romano ſub Symmacho, can. 3. admitti tãquam poſsibilis eiuſmodi caſus, quo ſcilicet Romanus Pontifex in hæreſim priuatim labatur.

SECVNDO modo poteſt Pontifex aliquid aſſerere obligando vniuerſam Eccleſiam, vt illud recipiat, nec quiſpiã audeat ſibi perſuadere contrarium. Et quæcunque Pontifex in aliqua de religione controuerſia ſic aſſerit, certa fide credendum eſt, illum infallibiliter, ac proinde ex auctoritate Pontificia, hoc eſt, ex diuina aſsiſtentia, id aſſerere.

Atq; hoc ipſum eſt, quod ponimus in SECVNDA parte illius noſtræ aſſertionis. Quæ ſic probatur. Quidquid eo modo Pontifex determinat, id ſine contradictione Eccleſia vniuerſa tenetur recipere. Sed quidquid Eccleſia vniuerſa, vno aliquo homine docente, tenetur recipere, id eſt veritas infallibilis, quam Spiritus ſanctus miniſterio legitimi Paſtoris illi ſuggerit. Ergo quidquid eo modo Pontifex determinat, id ſuggerẽte Spiritu ſancto, tanquam legitimus Paſtor, ac proinde ex Pontificia auctoritate infallibiliter determinat.

Maior propoſitio probatur. Nam cùm Chriſtus dedit Petro & ſucceſſoribus (vt ſuperiùs probatum eſt) auctoritatem regendi totum Eccleſię ouile, atque adeo illud paſcendi verbo doctrinæ; dubium non eſt, quin etiam oues vniuerſas obligârit, ad ſui Paſtoris atque Præpoſiti vocem audiendam: idque tunc præcipuè, cùm Paſtoris cura & ducatus maximè illis neceſſarius eſt, videlicet in rebus de fide ac religione controuerſis. Quin imò D. Petrum habuiſſe, & ſucceſſores eius Romanos Pontifices nunc habere poteſtatem à Chriſto cum auctoritate docendi vniuerſam Eccleſiam (quod abundè ſuperius probatũ eſt) hoc ipſum ſanè eſt; ita docendi munus illis commiſſum à Chriſto eſſe, vt eorũ vocem audire vniuerſi fideles teneantur. Quod præclarè intelligens D. CYPRIANVS lib. 1. epiſt. 3. veriſsimè illud ſcriptum reliquit: *Non aliunde hæreſes oriri, quàm quod ſacerdoti Dei nõ obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tẽpus iudex vice Chriſti cogitatur.* Vt iam cætera teſtimonia veterũ ſuperius pro D. Petri & ſucceſſorum auctoritate citata, nõ repetam. Certa eſt igitur illa propoſitio maior.

Minor autem eiuſdem argumenti propoſitio patet ex promiſsionibus diuinis, quas habet Eccleſia de doctrinæ veritate certiſsimas, ne vnquã tota in errorem induci poſsit, ſicut ſuprà §. 16. in loco de vera Eccleſia circa proprietatem ſeptimam vidimus: itemq́e ex Scripturæ teſtimoniis ſuprà §. 38. allatis, quibus ſanè conſtat, lege ordinaria Spiritum ſanctum, non per aliquem alium hominẽ ſingularem, veritatẽ ſuggerere vniuerſæ Eccleſiæ (cum obligatione acceptandi) niſi per legitimum Paſtorem, cui nimirum traditæ ſunt oues Chriſti paſcendæ; & ſuper quem eſt ædificata ipſa Eccleſia.

Ac ſanè inſtar petræ firmiſsimas, maximeq́e infallibiles eiuſmodi Pontificum Romanorũ definitiones eſſe, paſsim eſt à ſanctis Patrib⁹ & Conciliis conſtitutũ, vt videre eſt in pleriſq; teſtimoniis ex iis, quæ ſuprà non paruo numero pro primatu Petri & ſucceſſorũ citauimus. Præſertim in iis, quæ allata ſunt ex antiquis Conciliis & Pontificibus, & aliis circa locum Matth. 16. Lucæ 22. & Ioan. 21. ſuprà paragraphis præcedentibus. Prorſus vt iure ac meritò Leo X. articulum etiam Lutheri vigeſimum octauum damnauerit, qui continebat, nõ obſtante determinatione Pontificis, poſſe quẽpiam contra eam ſentire: in Bulla damnationis Lutheri. Ac eandem propoſitionem tanquã hæreticam damnauit Sixtus IV. in Concilio Complutenſi cõtra Petrũ quendam Oxoniẽſem.

POSTREMO idipsũ probare poſſumus ex perpetua praxi Eccleſiæ. Si enim iam vſq; ab exordio Eccleſiæ memoriã temporis ordine repetamus, conſtat profectò cõtrouerſias omnes de religione motas, ex D. Petri cathedra fuiſſe iudicatas, eoſq; tãdem & ſolos, communi Eccleſiæ iudicio, hæreticos eſſe habitos, qui repugnârint definitioni eius cathedræ. Etenim ortam quæſtionem de obſeruatione legaliũ, inprimis ipſe D. Petrus in Apoſtolico Concilio Actor. 15. terminauit.

DEINDE qui volebant Paſcha nõ niſi decima quarta luna, etiamſi Dominicus dies tunc non eſſet, celebrari debere, tãdem obtinente ſententia atq; definitione Romani Pontificis Victoris, hæretici ſunt habiti, vt patet ex Euſebio lib. 5. ca. 23. & 24. & à propria ſecta (vt fit) nominati Quartadecimani, vt patet ex Epiphanio hæreſ. 50.

Item Cornelius in Concilio Romano Nouatianorum damnauit errorem, vt patet ex Euſebio lib. 6. cap. 33.

Item

Item damnauit idem Cornelius (teſte Euſebio lib. 7. cap. 2.) atq; etiam Stephanus, errorem rebaptizantium hæreticos, teſte D. Auguſtino lib. 5. de bapt. contra Donatiſtas cap. 23. Idq; apparet etiam ex D. Cypriano, in epiſtola ad Pompeium, quam epiſtolam diuus etiam Auguſtinus illic commemorat.

Item damnati ſunt Arriani, in Concilio Nicęno (vt patet ex actis eius Concilij) Syluestri Legatis, Vito & Vincentio & Hoſio, in eo præſidentibus, & eodem poſtea Syluestro, ad Patrum petitionem, Concilium id confirmante.

Item Macedoniani in Concilio primo Conſtantinopolitano, quod Damaſus Pontifex ad eũ finem ſuis literis mandauit congregari, vt appareret ex Theodoreto lib. 5. cap. 9.

Item Neſtoriani in Concilio Epheſino, Cælestini Pontificis vices gerente D. Cyrillo, vt patet ex Euagrio lib. 1. cap. 4.

Item Eutychiani in Concilio Chalcędonenſi, Paſchaſino & Lucentio, locum Leonis tenentibus, vt patet ex actis eius Concilij.

Item Pelagiani ab Innocentio & Zozimo, vt patet ex Auguſtino lib. 2. Retract. cap. 50.

Item Monothelitæ in Synodo ſexta, & Iconomachi in ſeptima, ſimiliter præſidentibus Romani Pontificis Legatis, vt patet ex actis illorum Conciliorum.

Item error Berengarij à Leone IX. in Concilio Vercellenſi, & Nicolao II. in Concilio Romano, & ab aliis etiam Pontificibus.

Et Petri Abailardi ab Innocentio II. epiſt. 195. inter epiſtolas D. Bernardi.

Et Gilberti Porretani ab Eugenio III. in Concilio Remẽſi, teſte D. Bernardo, ſerm. 80. in Cantica circa finem.

Et Abbatis Ioachimi ab Innocẽtio III. in magno Concilio Lateranenſi ſub eodem Pontifice.

Et Begardorum ac Beguinarũ à Clemente V. in Clementina ad noſtrum, de hæreticis.

Et Ioannis Viclephi, & Ioannis Huſs à Martino V. in Concilio Conſtantienſi.

Et Græcorũ ab Eugenio IV. in Concilio Florentino: Vt dubitare iam nemo poſsit, quin ſententiæ quoque noſtri temporis Sectariorum, ſimiliter à diuerſis hoc noſtro ſeculo Pontificibus condemnatæ, hæreticæ ſint.

Refutantur ea, quæ contra infallibilem auctoritatem Pontificis obiici poſſunt. §. 40.

CAEterùm vt magis etiam huiuſmodi aſſertio confirmetur, nonnullæ iam expediendæ ſunt hoc in loco difficultates. Quod faciam breuiter ad ea ipſa reſpondendo, quæ contra conſtituta hactenus de Pontificis auctoritate infallibili, opponi poſſunt. Poteſt autem opponi PRIMO, quod non ſatis compertum eſſe videatur, vtrum Pontifex in canonizatione Sanctorum errare nequeat. Cùm enim ille teſtimoniis hominum & probatione neceſſariò in ea re nitatur; vt hoc teſtimonium fallibile eſt, ſic videtur Pontifex falsò poſſe pronunciare, aliquem reuera eſſe ſanctum. Item in approbandis Religionibus ſimiliter errare poſſe videtur. Nam ex iure Canonico conſtat, aliquas Religiones prius approbatas, poſtmodum improbatas & exploſas eſſe, vt patet in libro ſexto Decretalium, Titulo de religioſis domibus, capite vnico, & in Extrauaganti, Sancta Romana, quæ eſt Ioan. 22. Nõn igitur ea, quæ Põtifex determinat, omnia ſunt infallibilia.

RESPONDEO. Non eſt negãdum, quin quod dictum eſt de infallibili certitudine definitionũ Pontificis, inprimis locũ habeat in iis, quæ Pontifex ad doctrinæ controuerſias finiendas, errorեſque exterminandos, fidelibus proponit, tanquam à Deo reuelata & credenda ex fide. Cæterùm quoniam Paſtorem ſuum ſemper audire tenetur Eccleſia; & Eccleſiam diuina Scriptura abſolutè prædicat, eſſe columnam & firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. ideoq; nunquam errare tota poteſt; dubiũ eſſe non debet, quin in aliis quoque rebus omnibus afferendis, quæ ad pietatem ſpectent, & Eccleſiam totam concernant, infallibilis ſit Pontificis auctoritas. Neque ſanè arbitror, hoc abſque errore negari poſſe. Vt enim aliis omnibus Eccleſiæ Miniſtris, ita etiam inprimis ſummo Eccleſiæ Paſtori attributa eſt poteſtas auctoritaſq; ſui muneris ad ea, quæ pertinent ad Eccleſiæ ædificationem. Talia autem cùm ſint quæcunque ſpectant ad pietatem; dubitari non debet, quin in iis conſtituendis Pontifex officio ſuo fungatur. Cumq; in vſu ſui muneris ille, ſiquid pro Eccleſia vniuerſa ſtatuit, errare (vt antea probatum eſt) non poſsit: fit vt in omnibus, quæ ad pietatem religionemq; ſpectent, ſit infallibilis illius auctoritas, quemadmodum dixi.

Itaq; quod ad CANONIZATIONEM Sanctorum attinet, omnino nego id, quod communiter Doctores Catholici iure optimo negant, videlicet poſſe Pontificẽ hac in parte errare. Quãuis enim teſtimonia, quæ pro alicuius hominis ſanctitate afferuntur, ſint humana, ideoq; naturâ ſua fallibilia: tamen poſito quòd Pontifex illis inducatur tandem ad pronũciandum, quempiam ſanctum atq; beatum iam eſſe, certa fide credendum eſt, teſtimonia illa (quatenus in genere ſaltem probant piè atque ſanctè quenquam ex hac vita exceſsiſſe) vera eſſe, & hominem eiuſmodi ex eorũ eſſe numero, quos per reuelationes Scripturæ generales in communi conſtat, diuinæ gratiæ beneficio conſequi æternæ vitæ beatitudinem.

Quæ ſanè certitudo iiſdẽ illis Dei promiſsionibus nititur, ex quibus compertum habemus, nũquam eſſe futurum, vt vniuerſa Eccleſia in rebus Religionis fallatur. Falleretur autẽ grauiter in negotio Religionis, ſi ſanctũ reputaret, ac pro tali veneraretur eum, qui ſanctus non eſt. Hîc autem illud, quod aliâs ab orthodoxis probatum atque defenſum eſt, tanquam ex fide certum po-

no,

Universidad de Deusto
Biblioteca

no, nempe rem eſſe omnino, quæ ad Eccleſiæ ædificationem, adeoq; ad officium Pontificis pertineat, vt Sancti quidam aliquãdo canonizẽtur: ac proinde vniuerſam Eccleſiam debere, vt ſanctum, venerari illũ, quem ſummus Pontifex numero Sanctorum adſcribit; ſicut etiam vſus ipſe perpetuus atq; traditio Eccleſiæ confirmat. Qua de re videri plura poſſunt apud Thomam VValdenſem, tomo 2. de Sacramental. cap. 122. & de inceps, & Alfonſum à Caſtro, lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione cap. 6. itemq; apud D. Thomam quodlib. 9. art. 16.

Ad aliud, quod de RELIGIONVM approbatione in argumento obiiciebatur, ita RESPONDEO. Cùm Pontifex Religionem aliquam, hoc eſt, certum aliquod vitæ inſtitutũ approbat, duo in eiuſmodi facto Pontificis conſiderari debent. VNVM eſt in ipſa definitione Pontificis atq; iudicio poſitum: nimirum quòd is aſſeuerat, inſtitutum illud vitæ malum non eſſe, ſed Euangelicæ potius perfectioni omnino conſentaneum. ALTERVM verò ſpectat ad quandam Pontificis prudentiam in gubernando: nempe quòd tali vitæ inſtituto, tali tempore, &c. ſuum quendam in Eccleſia concedit locum.

Iam in primo illo quidem nullo modo Pontifex errare poteſt. Deciperetur enim tunc Eccleſia tota non parum, ſi is hominum ordo eaq; religio à Pontifice commẽdaretur ei vt ſancta, quæ non eſſet ſancta, ſed profana potius ac perperam inſtituta. Quocirca in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. damnatur vltimo loco error quidam VViclephi impudentiſsimè aſſerentis, *omnes Religiones indifferenter eſſe introductas à diabolo*. Neque ob aliam certè rationẽ hic error damnatur, niſi quia multæ ſunt Religiones per ſedem Apoſtolicam approbatæ. Quare prorſus errare cenſendus eſt is, qui hanc vel illam Religionem, à ſede Apoſtolica approbatam, diceret eſſe aut malam aut pugnantem cum doctrina Euangelij.

Quod verò attinet ad Pontificis *prudentiam* in admittenda hac vel illa Religione, quibuſdam ſanè viſum eſt, errari poſſe à Pontifice, ſic vt Religionem aliquam admittat, quam circumſtantiis omnibus ſpectatis oportuiſſet reiicere. SED ea tamen opinio iure ac meritò reprehenditur. Neque enim debet vllo modo concedi, poſſe Pontificem vniuerſam Eccleſiã ad rem aliquam obligare, quæ ipſa tamen non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem (quacunque tandem ratione) pertineat Eccleſiæ, vt ſatis ſuperq; iam ex dictis intelligi poteſt. At cùm Pontifex locum concedit in Eccleſia alicui Religioni; certè vniuerſam Eccleſiam eatenus etiam ea re obſtringit & obligat, vt nequeat illa obſiſtere, quo minus talis Ordinis Religioſi inter fideles ipſos verſari poſſint. Hoc igitur ſi incommodum ipſi Eccleſiæ eſſe poſſet, iam illam Pontifex obligaret ad rem, quæ nõ ad fidelium ædificationem ſpectaret, ſed ad deſtructionem potius. Et tamẽ quoniam & rerum & temporum & perſonarum circumſtantiæ ſæpe mutantur, concedendum nihilominus eſt euenire poſſe, vt quæ Religio prius bene ac prudenter approbata, atq; recepta fuit, poſtea item bene ac prudenter reiiciatur.

Quod igitur in argumento obiiciebatur, Religiones quaſdam anteà probatas, poſtea explosas eſſe, id non ita factum eſt, quaſi aliquando fuerit probata religio, quæ eſſet malè ac imprudẽter inſtituta: ſed quòd poſtea progreſſu temporis viſum fuerit, magis ad ædificationem Eccleſiæ cõuenire, vt ex Religionibus antè probatis quædam exploderentur. Cauenda autem in hoc genere præſumptio atque temeritas eſt in arrogando ſibi iudicio, quòd Pontifex in hac aut illa Religione prius admittenda vel poſt retinenda & fouenda minus faciat conuenienter. Non enim ad quoſcunq; pertinet hoc iudicium, ſed ad Pontificem tantùm, vel ad eos, quorum ille opera vtitur in iis rebus inſtituendis, quæ ad commune Eccleſiæ bonum ſpectant. Qua ſanè in re dicendi libertas auctoris cuiuſdam & Catholici alioqui, & bene eruditi, meritò ab aliis eſt notata atq; reprehenſa.

Sed DICET modò aliquis: Si certum infallibiliter eſt, hominem illum in cælis eſſe, quem Pontifex canonizat: Item illud Religionis inſtitutum Euangelio conſentaneum eſſe, quod ipſe approbat: erit igitur fidei aſſenſus ille, quo nobis Sanctum aliquem in cælis eſſe, & Religionem aliquã eſſe bene inſtitutam, perſuademus. Quod ſi ita eſt, PRIMVM oportebit reuelationem aliquam aſsignare diuinam, qua eiuſmodi veritas contineatur, id quod videtur difficile. DEINDE falſum erit, quod Theologi tradunt, nunquam aliquid per Pontificis definitionem fieri nobis ex fide certum, quod ſit omnino nouum, hoc eſt, quod fuerit Apoſtolis & veteribus Patribus incognitum. Quid enim Apoſtoli de D. Franciſci (v. g.) & Ordinis ab ipſo inſtituti ſanctitate nouiſſent? POSTREMO ex ea re ſequetur, hæreticum eſſe eum, qui neget D. Franciſcum (v. g.) eſſe in cælo: at talis à Doctoribus hæreticus non putatur apertè, vt videre eſt nominatim apud Melchiorem Canum lib. 5. de locis, cap. 5.

Hæc paucis expediri poſſunt. Quod enim ad PRIMVM attinet, dico ſatis eſſe in propoſito generalem illam reuelationem, qua conſtat, quidquid Pontifex determinat ad vniuerſam Eccleſiam pertinens: id eſſe veriſimum. Item ad Sanctos canonizatos, illæ etiam (vt ſuprà attigi) reuelationes Scripturæ pertinent, quibus generatim iis, qui piè viuunt, beatitudo cœleſtis promittitur. Per determinationem enim Pontificis cognoſcimus, contineri Sanctum canonizatum in eiuſmodi propoſitionibus Scripturæ vniuerſalibus: atque ita poſſumus ſanè propter eiuſmodi propoſitiones elicere fidei aſſenſum, quo nobis perſuadeamus eiuſmodi Sanctum æternam beatitudinem adeptum eſſe.

Ad

AD SECVNDVM verò quod de nouitate aſſenſus fidei obiiciebatur, reſpondeo, id nec incommodum habere vllum, neque doctrinæ Theologorum repugnare. Etenim cùm illi aiunt, nullam fidei veritatem nouam in Eccleſia definiri; id intelligunt de veritate dogmatũ, quæ controuerti poſsint circa noſtræ Religionis capita: vt circa Deum, circa Sacramenta & ſimilia. Nihil autem obſtat, quò minus de particularibus & contingentibus materiis, quales ſunt illæ in noſtro propoſito, aliquid per definitionem Pontificis innoteſcere nobis de nouo poſsit. Quod poteſt confirmari hoc exemplo: Communiter enim dici ſolet, eum qui debita cum intentione infantem baptizat, credere ex fide debere (propter reuelationem Scripturę ea de re vniuerſalem) talem infantem eſſe in gratia. Quod ipſum tamen ab Apoſtolis certè non fuit ita determinatè creditum de eiuſmodi infante.

Ad illud aũt, quod POSTREMO obiiciebatur, negari debet conſequentia. Non enim eſt hæreticus, quicunque negat aliquid, quod reuera pugnat cum ſententia fidei, ſed is qui negat, quod ſcit vel debet ſcire eſſe contra ſententiam ab Eccleſia traditam, tanquam de fide, ſine vlla apud orthodoxos controuerſia. Non eſt autem ita prorſus ab Eccleſia tradita hæc doctrina, qua ponimus, Pontificem non poſſe etiam errare in canonizatione Sanctorum, & proinde ex fide credi ſanctum canonizatum eſſe in cælo: Sed cum Theologi nõnulli (vt Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5.) ſentiant, certum quidem eſſe, nõ poſſe in eo genere Pontificem errare; non eſſe id autem certũ ex fide: opinamur nos ſanè, id etiam verè eſſe certũ de fide propter promiſsiones factas Eccleſiæ de omni veritate, quæ ad illius ædificationem ſpectet. Et conſequenter etiam putamus, vel hoc ipſo ab Eccleſia id eſſe nobis propoſitũ, quòd proponit nobis Scripturas, in quibus ſunt tales promiſsiones. Id quod nobis quidem ſatis eſt, vt conemur ipſi elicere aſſenſum fidei circa eiuſmodi veritatem; atque adeo etiam eum omnino eliciamus, ſi noſtra ſentẽtia, quem admodum exiſtimamus, eſt vera.

Alij autem, cùm non teneantur quidem ſibi perſuadere, veritatem eiuſmodi ex fide eſſe certam; non illico ſunt hæretici, ſi eam negent; quamdiu Eccleſia quidem non apertè declarat, certam illam ex fide eſſe. Sed eſſent tamen illi ſine controuerſia temerarij & ſcandaloſi, atque adeo digni, qui ab Eccleſia puniantur, vt rectè notat Melchior Canus lib. 5. cap. 5. Atque hactenus de iis, quę primo loco aduerſus certitudinem definitionum ſummi Pontificis opponebantur.

SECVNDO, opponi poteſt, quòd aliquorum Patrũ ſcripta ab Eccleſia ſunt approbata, vt Cypriani, Chryſoſtomi, Gregorij Nazianzeni, Baſilij & Ambroſij, quæ approbantur à Gelaſio Papa 15. d. Can. *ſancta Romana*: neque tamen omnes iſtorum Patrum ſententiæ, infallibiles exiſtimãtur. Non igitur quidquid Pontifex decernit verum eſſe, id infallibiliter verum eſt.

RESPONDEO breuiter, Pontificem eiuſmodi approbatione non vtique decernere verum eſſe, quidquid illi Patres ſcripſerunt; ſolùm affirmat, illos bene atque vtiliter, addo etiam ſanè de Religione ſcripſiſſe; ſed vt homines tamen, qui non ita fuerint Spiritu Dei prediti, ſicut fuerunt Scriptores Canonici, quique proinde in illis rebus, quæ ſuo tempore non erant adeo expreſsè de fide, errare interdum potuerunt. Qua de re eruditè mihi ſcripſiſſe videtur Canus libro 7. de locis Theologicis cap. 3. concl. 2.

TERTIO mouere fortè poteſt, quod nonnulli Scriptores Catholici negauerunt, oportere verum eſſe infallibiliter, quicquid Pontifex determinat. Non ergo vſque adeo id eſt certum, quod de infallibilitate Pontificiæ auctoritatis ſtatuimus.

RESPONDEO. Quid eiuſmodi auctores voluerint, non ſatis illi perſpicuè (vt mihi videtur) declarauerunt. Itaque non eſt mirum, ſi non ſatis etiam conſtet, illos contra fidem errauiſſe. Nam ſi tantummodò voluerunt, Pontificem, vt priuatam perſonam, errare poſſe, aut etiam priuatum aliquem ſuum errorem in fide manifeſtum peruersè velle Eccleſiæ ipſi, aduerſus exploratam alioquî in eadem Eccleſia fidem, obtrudere; rem illi opinantur non penitus improbabilem. Nam Pontificem poſſe priuatim in hæreſim incidere, multi, vt ſuprà vidimus, concedunt: (de quo lege Melchiorem Canum lib. 6. de locis Theologicis, cap. vlt. ad 11. argumentum:) & poſſe eum præterea fruſtrà velle priuatam ſuam hæreſim manifeſtam aliis etiam obtrudere, auctores etiam graues admittunt. Vt Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 112. ad 7. argumentum, & lib. 4. parte 2. capite 16. modo 17. conuincendi aliquem de pertinacia. Et idem ſubindicat Sylueſter, in Summa, verbo Opinio, in fine. Neque eſſet id ſanè coniunctum cum Eccleſiæ periculo: vtpote quæ iam agnoſcens, per hæreſim manifeſtam, Pontificem eiuſmodi de auctoritate ſua decidiſſe, & contra compertam in Eccleſia fidem docere, minimè tunc eum tanquam paſtorem audire, ſed tanquã lupum manifeſtum fugere teneretur. Sin autem auctores illi volunt, Pontificem in rebus alioquî omnino controuerſis, hoc eſt, non ſatis expreſsè in Eccleſia compertis ac determinatis, definire poſſe, vt perſonam publicam, errorem reipſa cõtra fidem; errant ipſi in fide grauiſsimè. Poſſet enim, imò teneretur tunc Eccleſia vniuerſa Pontificem de re controuerſa docentem, ac nõdum hæreſi manifeſta notatum, pro Paſtore ſuo agnoſcere, atq; adeo ipſum omnino audire. Ita fieret, vt ſi tunc ille errare poſſet, Eccleſia etiam vniuerſa poſſet, imò teneretur errare, quę eſt hæreſis intolerabilis, vt ſatis ſuprà diſputatum eſt.

Atque hinc intelligi debet, multum intereſſe, cuiuſmodi ſit ea quæſtio fidei, quam Pontifex

determi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

determinat. Aut enim est vel esse potest controuersia omnino, etiam inter ipsos orthodoxos: aut tantùm est cum hæreticis certè controuersa, ipsis autem orthodoxis explorata. Si quæstio apud omnes, etiam orthodoxos sit aut posit esse cõtrouersa; fieri nullo casu potest, vt alterutram talis quæstionis partem Pontifex recipi velit ab vniuersa Ecclesia, & tamen in ea re erret. Quoniam consequẽter etiam errare tunc posset, imò errare teneretur vniuersa Ecclesia: cùm nullo alioquì posset niti certo præiudicio, quò minus propositam à suo alioquì Pastore in tali quæstione doctrinam ipsa reciperet.

Si autem quæstio tantùm cũ hæreticis sit controuersa & aliàs iam definita in Ecclesia; porro distinguendum est. Nam vel controuersia peculiaris ab hæreticis rursus de illa mouetur, ita vt peculiare scandalum oriatur in Ecclesia, cui per clariorem Pontificis definitionẽ occurri ad confirmandos in fide fideles, expediat: vel nulla denuò peculiaris cõtrouersia de eiusmodi quæstione mouetur. Si nulla cõtrouersia talis rursus mouetur; tunc quidem illud posset habere locum, quod non improbabiliter quidam (vt antè diximus) admittunt, nempe fieri posse, vt Pontifex tãquam priuata persona in hæresim ante ab Ecclesia damnatam lapsus, eam etiam frustra vellet Ecclesiæ obtrudere: quę res cum nullo esset coniuncta ipsius Ecclesiæ periculo, vt paulo antè expositum est. Sin autem de eiusmodi quæstione fidei, rursus controuersia moueretur; nulla tunc ratione fieri posset, vt Pontifex sententiam hæreticam de ea quæstione vellet recipi ab Ecclesia vniuersa: quin imò simpliciter & absolutè eam quoque fidei controuersiam infallibiliter determinaret, nec posset nisi sententiam veram, in Ecclesia prius definitam, fidelibus credendam proponere. Omnino enim earum promissionum, quas vel D. Petro & successoribus, vel ipsi etiam Ecclesiæ Christus fecit, ea etiam vis atque ratio est, vt motis controuersiis nunquam non infallibiliter summus Ecclesiæ Pastor cõfirmaturus sit fideles in veritate, etiam si antè in Ecclesia haberetur eiusmodi veritas manifestè præiudicata.

Porrò & illud hinc etiam intelligi debet, cùm à Pontifice Romano vel per se, vel vnà cum Concilio, definitiones eiusmodi quęstionum fidei instituuntur, quæ apud orthodoxos quidem sunt alioquì exploratæ, & cum hæreticis tantùm (vt ferè fit) controuersæ, nõ idcirco institui, vt quasi de re per se dubia & ancipiti disceptetur; sed vt re alioquì certa rursus diligenter discussa, & argumentis contrariis, quæcunque possint opponi, confutatis, illustriori quadam cum auctoritate, & veritas ipsa fidei commendetur fidelibus, & damnetur atque proscribatur heresis contraria. Quo fit, vt minimè mirum videri debeat, si per eiusmodi Ecclesiæ definitiones rarò vel nunquam ij hæretici aduersus quorum pertinaciam illę institui solent, in viam reuocentur. Cùm enim id genus definitiones à præiudicata Ecclesiæ sententia, qua tales alioquì hæretici damnati etiã sunt, minimè discrepent; æquè demùm pertinaciter solent ab illis contemni, atque ipsa Ecclesiæ sententia præiudicata. Et de tertia quidẽ obiectione satis.

QVARTO, posset item aliquem fortasse perturbare, quod Doctores aliqui etiam Catholici, cùm concedũt, Pontificem in rebus controuersis infallibiliter definire: addere tamen solent; si res illæ ad saluté sint *necessariæ*. Quasi aliquæ controuersiæ sint, de quibus Pontifex, non semper verè constituat. Quæ si sunt, non igitur est vniuersim verum, quod hactenus docuimus.

RESPONDEO. Si Pontificis auctoritas infallibilis esse dicatur in iis tantùm rebus, quæ per se ad pietatem & religionem (& eatenus quidem ad salutem) spectare possunt, non autem in aliis; cuiusmodi sunt res (v. g.) Mathematicæ aut Physicæ: rectè id dicitur. Non enim ad scientiarum cognitionem, sed ad Ecclesiæ ædificationem, quæ in pietate est, & ad salutem animarum spectat, omnis auctoritas Pontifici attributa est. Si autẽ præterea in earum rerum genere, quæ ad religionem pertinent, dicat aliquis, Pontificem tum demum infallibiliter definire, si res illæ ad salutem sint necessariæ; videri certè potest loquendi modus non satis expeditus. Nam si *necessaria* ad salutem hoc loco intelligantur ea esse, quæ à fidelibus cunctis explicitè sunt credenda: immeritò infallibilis auctoritas Pontificis ad hæc tantùm coarctabitur. In aliis enim ferè rebus definiendis illa exercetur, quas videlicet non omnes fideles explicitè scire tenentur; vt, quod essentia diuina non generat (v.g.) quòd sumus iusti per inhærentem iustitiam, & id genus alia. Sin verò *necessaria* ad salutem in proposito appellentur illa, quæ nemini certè absque salutis periculo negare licet; tunc quidem omnia simpliciter, quæ Pontifex in rebus de Religione controuersis, tanquam persona publica, determinat, necessaria hoc modo ad salutem efficit hoc ipso, quòd vniuersam Ecclesiam obligat ad illarum determinationem recipiendam; si non explicitè credendo, necessitate, vt vocant, *quoad actus exercitium*, certè non ea negando cùm fuerint proposita, atque adeo credendo ea necessariò, *quoad actus* (vt dicitur) *specificationem*. Ita absque vlla restrictione dicendum est, quicquid Pontifex in rebus controuersis ad pietatem spectantibus determinat, infallibiliter illum determinare, quando, vt expositum est, vniuersam Ecclesiam obligat.

QVINTO, obiici posset, quod sicut potest Põtifex (multorum quidem sententiâ) errorem aliquem in fide manifestum sibi vt priuata persona persuadere, ita etiam errorem contra fidem quidem, sed non manifestum. Rursus sicut liberè potest (vt admittunt Turrecremata & Syluester locis paulo superiùs citatis) velle quantum in se est obtrudere Ecclesiæ priuatum errorem suum manifestum: ita etiam videtur posse eadem libertate velle ipsi obtrudere errorem aliquem non manifestum. Fieri igitur potest aliquo casu, vt de re alioquì controuersa, nec satis apud Catholicos explorata, errorem definiat.

Atque id rursus ea re CONFIRMATVR. Nam potest accidere, vt quo tempore Pontifex errore non manifesto imbutus esset, eodem tẽpore necesse esset in Ecclesia determinari cõtrouersiam circa materiã illius erroris. Quo casu, vt apparet, Pontifex erroneam sententiam suam definiret.

RESPONDEO ad hoc argumentum, fidelitatem Dei, qua is ex promissione tenetur communem Ecclesiæ errorem impedire, tunc obstare, quo minus Pontifex errore nõ manifesto imbutus, vellet Ecclesiam ad illum recipiendum obligare. Teneretur enim illa tunc errorem eiusmodi recipere, si res esset planè controuersa; atq; ita teneretur errare, quod est absurdissimum. Hæc verò Dei fidelitas nõ perinde obstat, quo minus posit Pontifex iam apertè hæreticus atque adeo non amplius aut reipsa, aut etiam fidelium existimatione Pontifex, velle frustrà errorem manifestum Ecclesiæ obtrudere. Nam, vt suprà diximus, ex tali conatu Pontificis nullum periculum errandi immineret toti Ecclesiæ; vt quæ statim agnoscerer, non iam eum esse reuera Pontificem atque Pastorem suum, quem audire oporteat, sed lupum manifestum ab ouili arcendum.

Ad CONFIRMATIONEM autem illius argumenti respondeo, similiter ad fidelitatẽ Dei erga Ecclesiam spectare, vt impediret in eo casu, quo minus per Pontificem illum controuersia falsò definiretur. Id quod facere Deus posset, aut Pontificem de medio tollendo, ne ipse, sed successor potius rem decerneret: aut interna mentis illustratione, vel alio aliquo modo Pontificem ab errore reuocando. Neque verò huiusmodi prouidentia Dei in similibus casibus miraculosa esset cẽsenda, sed esset potius quidam effectus eius legis ordinariæ, qua Deus per promissiones de veritate factas, sese obstrinxit Ecclesiæ.

Ac sanè huius rei exemplũ illud profertri potest, quòd cùm Ioannes XXII. existimaret, Sanctorum animas ante diem Iudicij diuinam essentiam non videre, idq; eo tempore, quo in Ecclesia (sicut Canus etiam lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. ad 1. argument. notauit) nondum erat satis explicata hæc controuersia, & ad rem definiendam sese compararet; priusquam id faceret, è vita excesit. Quod & illius successor Benedictus XI. refert in Extrauaganti *Benedictus*, de qua Extrauag. lege Alfonsũ à Castro lib. 3. aduersus hæreses, verbo Beatitudo, hæres. 6. Qui tandem Benedictus (Deo Ecclesiæ suæ prospiciẽte) contrariam sententiam definiuit: nimirum, Sanctorum animas ante diem extremi Iudicij Deum videre.

SEXTO obiici potest, quòd, vt postea dicturi sumus, vt Pontifex in definiendo auctoritate sua rectè vtatur, studio & diligentia in inquirenda veritate opus habet. Nihil autẽ obstare videtur, quo minus posit interdũ ille eiusmodi diligentia prætermissa, controuersiam definire. Poterit igitur tunc saltem errare.

RESPONDEO. Siue Pontifex in definiendo studium adhibeat, siue non adhibeat: modò tamen controuersiam definiat; infallibiliter certè definiet, atq; adeo reipsa vtetur auctoritate sibi à Christo concessa. Quod ex promissionibus diuinis de veritate per magisteriũ vnius pastoris Ecclesiæ factis certissimè colligimus, vt sæpius argumentati sumus. Itaq; studiũ ac diligentia Pontifici necessaria est, non vt omnino definiat, atq; infallibili sua auctoritate vtatur, sed vt conuenienter ac rectè (hoc est sine peccato) ea vtatur: sicut patebit etiam ex iis, quæ pòst dicemus.

HVC accedit, quod si maximè diligentia Pontifici necessaria esset, vt omnino definiat; tamen eâdem fide credere deberemus, illũ quando rem controuersam definit, sufficiẽtem adhibuisse diligentiam; qua suprà demonstratum est, debere nos credere, quod tunc ille infallibiliter ac verè definiat. Ratio est, quoniam eo ipso, quòd Christus promisit Ecclesię, nunquam futurum, vt ipsa fallatur, atq; adeo neque vt Pontifex controuersiam falsò definiat; etiam promisisse censendus esset, nunquam futurum, vt is prętermissa debita diligentia definiat; si eiusmodi quidem diligentia necessaria omnino Pontifici esset ad definiendum. Quemadmodum si Deus nobis promitteret, futuram anno sequenti magnam frugum copiam; promittere hoc ipso quoque censeretur aëris temperiem, quæ ad eum effectum necessaria esset, vt appositè ad hanc rem inquit Melchior Canus libro 5. de locis Theologicis capite 5. Cæterùm non est ratio vlla firma, quam ob rem existimare debeamus, studij diligentiam Pontifici necessariam esse non modò vt conuenienter ac sine culpa, auctoritate sua infallibili vtatur, verùm etiam vt omnino illa vtatur. Quare quod à nobis antè responsum est, abundè sufficit ad id explicandum quod obiiciebatur.

POSTREMO ad probãdum fieri posse, vt Pontifex erret, opponi hoc loco nõnulli casus solent, quibus Pontifices aliqui ipso facto videtur erraiisse. Summa autem rei est. Qui Pontificum tanquã errores obiiciuntur, eos vel errores non esse; vel falsò Pontificibus imponi; vel certè Pontifices non ita definiuisse, sed ita sensisse tantùm vt priuatas personas, aut aliquid aliud agendo, aut etiã obiter inter probãdum id, quod ex instituto determinare voluerunt. Neque enim omnia, quæ Pontifices ad rem confirmandam asserũt, volunt illi definire, hoc est, obligare ad ea etiam recipienda vniuersam Ecclesiam, sed illa tantùm, quæ ex instituto determinant. Quæ autem sint huiusmodi, colligi potest, aut ex erroribus contrariis, aduersus quos Pontifices aliquid definiũt, aut ex asseuerandi modo atq; forma; vt si aliquid *sub anathemate* statuant, aut si ex fide *certum* esse affir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ment, &c. id quod rectè notauit Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. & lib. 6. cap. vlt. Quod & Caietanus in comment. 1. p. D. Thom. q. 61. art. 3. ante Canum attigerat.

I. Vt igitur casus illos, qui solent obiici, breuiter percurramus: minimè Cælestinus III. definiuisse existimandus est, matrimonium dissolui, si alter cõiugum in hæresim labatur. Etsi enim Innocentius III. in cap. Quanto, de diuortiis, significat Cælestinum ita visum esse sentire; tamen nõ dicit ipsum ita determinasse. Et certè in cap. Laudabilem, de conuersione infidelium, vbi Cælestinus perhibetur illud dixisse, nequaquã de ea quæstione, sed de alia diuersa interrogabatur: satis vt appareat, siquid ille tale ibi dixit (non enim eiusmodi Cælestini sententia amplius iam reperitur) id non nisi obiter ex priuata sua opinione interseruisse, cùm res adhuc nondum esset satis explicata in Ecclesia.

II. Itẽ, cùm Alexander III. cap. Licet, de sponsa duorum, definit, matrimoniũ non irritari per secundum matrimonium consummatũ, additq; id ita tenendũ esse, quamuis aliqui sui Præcessores aliter iudicauerint: minimè asserit absolutè, tales aliquos fuisse Pontifices, qui contrariũ iudicauerint; de nullis enim omnino id cõstat. Imò expressè Innocentius III. in cap. vlt. eiusdem tit. de sponsa duorũ, contrariam sententiam ita definit, vt planè significet, eam fuisse perpetuã sententiã sedis Apostolicæ. Sed loquitur Alexander per exaggerationem, significatq; vsq; adeo certã esse illam suã definitionem, vt quamuis contrarium Præcessores etiam sui iudicâssent, tamẽ ita tenendum sit. Quo modo loquendi Apostolum imitatus est, cùm is dicit ad Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam q̃ euangelizauimus vobis, anathema sit.* Atq; est Alexander ita locutus, quoniã, vt coniicere licet ex glossa in illo cap. Licet, itemq; ex cap. vlt. eiusdem tit. contraria illi consuetudo diuturna, atq; adeo veluti à Pontificibus aliquibus approbata, obiiciebatur.

III. Item cùm idem Alexander III. cap. Cùm esses, de testam. ait, à sanctorum Patrũ institutis, & ab Ecclesiæ consuetudine generali, & à diuina lege esse alienum, vt in testamentis plures quàm duo vel tres testes requirantur (cùm in ore duorum vel trium stet omne verbum) iubetq; vt rata habeantur, si sint adhibiti duo vel tres testes coram Parocho: cùm hoc, inquam, dicit, nihil ille sanè errat in ipso decreto siue definitione. Primùm, quoniam quicquid illud sit tandem, quod significat cùm dicit, illum morem esse *à diuina lege alienum*: id tamen non dicit nisi in ratione, quã affert pro decreto. Nõ autem à Pontifice definiri putandum est, quod ab eo pro ratione affertur; vt antea ex sententia etiam Caietani & Melchioris Cani notatum est. Deinde, quia nõ significat, id institutũ legum ciuilium esse diuinæ legi contrarium, sed non satis illi *consentaneum*, aut etiam consuetudini Ecclesię in aliis causarũ generibus.

A Nec id institutum abrogat, nisi in testamentis (vt vocãt) piis, sicut rectè Doctores colligunt ex eiusdem Alexandri decreto, quod in eodem titulo proximè sequitur, vt videre est in glossa illius capituli, *Cùm esses*.

IV. Item, cùm Innocentius I. in epist. 22. ad Rufum, & Eusebiũ, & reliquos Episcopos Macedoniæ, cap. 1. qui viduas acceperũt vxores, sacerdotes fieri non debere, præceptum vocat *diuina lege Mosaica subnixũ*: minimè quidem ille vult, legem Mosaicam nunc etiam vim obligandi habere, sed significat, legem Ecclesiasticam, quæ bigamis sacerdotio interdicit, exemplum & quasi fundamentum habere in illa lege antiqua.

V. Atq; eodem modo Innocentius III. in cap. B Per venerabilem, titulo *qui filij sint legitimi*, intelligi debet, cùm cõtrouersias in Ecclesia per summum Pontificem definiri oportere, ea re confirmat, quoniam in Deuter. cap. 17. præceptũ fuit, vt obediretur sacerdotis imperio. Et *cùm Deuteronomium*, inquit, *secunda lex ex vi vocabuli sit, inde comprobatur, vt q̃ ibi decernitur, in nouo Testamento debeat obseruari.* Quod minimè sanè eruditissimus alioquî Pontifex ita intelligi voluit, quasi illa ipsa per se, quæ in Deuteronomio præcipiebantur, nunc sint necessariò facienda, sed quia illa certè figura fuerunt eius, quod nunc ex nouę legis præscripto fieri debet. Quod proinde cùm fit, illa lex Deuteronomij quasi seruatur quodammodo in suo prototypo: vt ipsemet Innocentius pluribus verbis in eo loco declarat.

C VI. Præterea nec in definitione errauit Nicolaus de consecr. d. 4. Can. A quodam Iudæo, cùm ad consulta Bulgarorum respondit, baptizatum à quodam Iudęo, etiã in nomine tantùm Christi, rebaptizandũ non fuisse. Hæc enim vis definitionis est, non fuisse illum rebaptizandum, ꝓpterea, q̃ baptizatus esset à quodam Iudæo; de quo propriè Pontifex interrogabatur. Valere aũt Baptismũ in nomine tantùm Christi, obiter ipse ex opinione sua (quæ etiam fuit aliquorum) adiunxit.

VII. Item Ioannes XXII. quamuis, vt retulit Benedictus XI. in Extrauag. Benedictus, opinatus sit, animas iustorum ante extremum Iudicij diem non videre Deum (qui sanè error non fuit semper in Ecclesia manifestus) tamen nunquam id definiuit, vt prædictus illius successor Benedictus XI. in dicta Extrauag. disertis verbis testatur.

VIII. Item, Nicolaus III. in Extrauag. *exiit qui seminat*, de verborũ significat. cùm inquit, Christum abdicationem ꝓprietatis rerũ tum in communi, tum in Particulari, exemplo etiam suo docuisse; minimè vult, Christum omnino nũquam habuisse proprium in particulari vel in communi (quod asserere esset hæreticum, vt Ioannes postea XXII. in Extrauag. cùm inter nonnullos, definiuit) sed significat certè, quãdoq; etiam Christum abdicando se in communi, & in particulari à proprietate aliquarum rerum, vitæ etiam perfectioris exemplũ præbuisse: vt suam ipse Nico-

laus

laus sententiam satis declarat, & repetit quoq; ex A eius mente Ioannes XXII. in dicta Extrauag.

IX. Item neq; errârunt Gregorius I. in epistola ad Augustinum Cantuariensem Episcopũ, & III. in epistola ad Bonifacium Episcopum, cùm definierunt, si mulier ob infirmitatem debitum reddere non possit, licere viro alteram ducere. Loquuntur enim illi planè in casu, quo eiusmodi aliqua infirmitate ante matrimonium initũ mulier correpta fuerit; vt minimè proinde fuerit matrimonium validum.

X. Item Pontifex Gelasius minimè sensit (vt Sectarij obiiciunt) substantiam panis manere post consecrationem in Eucharistia. Non enim huius Gelasij Pontificis est fragmentũ illud libri, quod Gelasij nomine, de duabus naturis contra Eutychetem, circumfertur, vt lib. 2. Apolog. de idololatria cap. 5. diximus, & à Melchiore etiam Cano lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. ad 9. argumẽtum, & ab aliis bene animaduersum atq; probatum est. Quanquam nec prorsus asserit ille liber, substantiam ipsam panis remanere, vt in dicta Apologia, vbi suprà expositum.

XI. Deniq; ꝓ Honorius & nonnulli alij Pontifices in errorem lapsi fuisse dicuntur (quanquam de nullo prorsus satis compertũ est, pertinaciter errauisse) id quidem vtcunq; res habeat, non nisi ad priuatum attinet personarũ vitium: atq; adeo nihil nobis obstare potest, vt qui tam non ipsas personas, quàm auctoritatem illam Apostolicæ sedis in definiendo defendimus, sicut suprà, Augustini etiam exemplo, respondebamus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum aliquæ regulæ sint consulendæ à Romano Pontifice, vt legitimè vtatur auctoritate illa sua in explicanda & definienda doctrina fidei: & quænam regulæ illæ sint; & quomodo illis in ea re Pontificem vti oporteat. §. 41.

QVM hactenus expositum atq; defensum sit, toties Põtificem auctoritate sua vti, atq; adeo Spiritu sancto assistẽte infallibiliter decernere, quoties in rebus cõtrouersis alteram partem definit, & ad eam recipiendam D obligare vult vniuersam Ecclesiam: meritò quæritur hoc loco, quidnã illud sit, quod Pontificem præstare oporteat, vt illa auctoritate non modò vtatur, sed etiam rectè, hoc est, sine culpa vtatur. Nec enim existimandum est, nullum modum in eius auctoritatis vsu Pontificem seruare debere.

Ac principio quidem illud extra omnem controuersiam est, Pontificem in vnaquaq; re decernenda iis argumentis vel testimoniis niti oportere, ex quibus veritas, quã determinaturus est, pro ratione materiæ, possit colligi quàm certissimè. Hoc primùm patet ex ipsius Pontificis officio, q̃ est (vt patet ex orthodoxa doctrina, quam passim etiam Vincentius Lyrinensis in libro adA uersus hæreses inculcat) non noua fidei dogmata constituere, sed eruere vetera. Quam ad rem inquisitione aliqua pro rei subiectæ natura, opus est. Deinde id etiam patet ex perpetuo Pontificũ vsu, iam vsq; ab Apostolo Petro, qui sanè controuersiam de cessatione legaliũ nonnisi facta prius magna conquisitione in Concilio Hierosolymitano, Act. 15. cõstituit. Deniq; ob eam rem etiam hæc Pontificis diligẽtia necessaria est, vt quæ ille, tãquam regula doctrinæ quædam nobis notior, constituit, ea facilię nobis psuadeamus vera esse, si adhibita etiam studij diligentia sint constituta.

Diximus verò debere Pontificẽ ea argumenta conquirere, quæ ad veritatem, pro *ratione vniuscuiusq; materiæ*, indagandam sint aptissima; quoniam vt materiæ, quæ possunt in controuersiam venire, sic etiam argumẽta, quæ Pontifici consulenda sunt, latè patent. Verbi gratia, si de sancto canonizando, aut de Religione approbanda agitur; humana informatione & historia vtatur necesse est. Si verò determinaturus est dogma aliquod vt diuinitus reuelatum; illa consulat oportet, quibus diuina reuelatio pura atq; integra custoditur. Cuius generis est primò, *Scriptura sacra*, vt quæ tota est reuelatio diuina. Secũdò, *Traditio Apostolica*, quę & ipsa, vt dicemus, diuina quædam reuelatio est, tametsi non consignata literis. Tertiò, *definitio priorum Pontificum et Conciliorũ*. Quartò, *concors sententia Patrũ* atq; Doctorũ omnium. Quintò, quadam etiam ratione, *consensus fidelium*. C De quibus rebus consentaneum erit hoc in loco quædam generatim, cum delectu & nonnulla explicatione, breuiter annotare, vt quis sit in Pontificũ definitionibus istorũ locorũ vsus, & quàm rectè ipsis inniti illæ soleant, plenius intelligatur.

Prius tamen explicanda est hîc breuiter quædam DVBITATIO, quæ ex dictis oritur. Nam si regulę infallibiles ad controuersiam fidei constituendam tam multæ sunt, tamq; latè patent, dubium esse potest, vtrũ Pontifex determinatè debeat illas omnes consulere, vel certè aliquam aut aliquas. Item vtrum determinatè debeat in eiusmodi inquisitione & studio, aliorum quoque vti opera; vt Episcoporum, vel Cardinalium, &c. an verò omnia ista sint planè in illius arbitrio posita: nimirum vt in adhibenda diligentia eum ipse modũ teneat, quem expedire magis putauerit.

RESPONDEO. Primùm, vt alios etiam, qui in diuinis literis, rebusque Theologicis exercitati sint, consulat, eorumq; opera vtatur, omnino est consentaneũ. Hoc enim & ipsa rei conditio postulat, quæ sanè est grauissima, & perpetuus etiã Pontificum vsus declarat, quandocunq; illis fuit aliquid in materia fidei constituendum. Cætera verò, quę attinẽt ad diligentiæ modum in definiendo adhibendum planè pendent ex libero Pontificis arbitrio: nempe vt opera horum vel illorũ Doctorum potius vtatur, siue Cardinales illi, siue Episcopi, siue alij sint: Item vt hanc vel illam vel illas regulas cõsulat, quatenus requiret ratio sub-

Universidad de Deusto
Biblioteca

iectæ materiæ. Satis enim ad rectè definiendum fuerit, si eam ille diligẽtiam adhibeat, quæ ad ipsam rem, qua de agitur, iudicari possit sufficiens. Vt enim in aliis negotiis, ita etiam in hoc necessaria & sufficiens diligentia latè patet.

Id quod etiam ex Pontificũ more in definiendis controuersiis confirmare possumus. Multæ enim ac varię illorũ definitiones exstant in Ecclesia, quæ oẽs habentur infallibiles; neq; tamen illi semper ratione eadẽ ad definiendũ processerũt. Aliquando enim ad id conuocârunt Episcoporũ Conciliũ (nam & Concilij definitionis auctoritas non ex multitudine, sed ex Pontificis auctoritate potissimùm pẽdet, sicut infrà docebimus) aliquando sine Concilio ipsi definierunt. Quare sicut in hoc, arbitrio suo sunt vsi, sic etiã in aliis, quę ad modum diligentię spectant, illo citra culpam aliquam vti posse videntur.

Ex quo nouitia cuiusdã auctoris, eaq; minimè tolerabilis opinio reuincitur. Qui Pontifici in vtenda sua auctoritate vsq; adeo angustos limites præscribit, vt censeat, illum infallibiliter non definire, nisi de consensu Cardinalium definiat. Itaque distinguit hoc loco inter Romanam Ecclesiam seu Apostolicam sedem, & ipsum Romanũ Pontificem. Apostolicam sedem ait non Pontificem modò, sed etiam collegium Cardinaliũ continere. Hanc proinde dicit errare in definiendo non posse. Pontificẽ verò, si absq; consensu & approbatione Cardinalium definiat, errare posse. Hæc sententia meritò viris doctissimis displicet, ac nominatim Cano lib. 6. de locis Theologicis cap. vlt. In alterutrũ enim incommodũ incurrit, quorum vtrumq; est maximum, neq; vllo modo ferendum; videlicet, aut auctoritatẽ infallibiliter confirmandi fratres in fide non Petro tantùm, & illius successoribus à Christo Domino collatam fuisse, sed etiã Cardinalibus; qui est error in fide manifestus: aut certè auctoritatem hanc Pontificis, ꝙ attinet ad eius vsum infallibilẽ, esse Cardinaliũ sententiæ quasi alligatam; Ita vt si Pontifex sine illorũ consensu aliquid in fidei controuersia definiat, nõ obligetur Ecclesia ad ipsum audiendum iure diuino, siquidẽ ita errare posit. Quod etiam planè commentitium atq; absurdum est, cùm semper teneatur Ecclesia Pastori suo assentiri, quem solum fidei magistrum infallibilem ab ipso Christo accepit, vt ex suprà dictis patet.

Neq; verò nego, quin Pontifices conueniẽtissimè faciãt, quòd Cardinalium de controuersiis fidei iudicia consulunt in definiẽdo. Solum assero, nõ esse hoc ita necessarium, vt nisi fiat, errare Pontifex posit, aut etiam contra officiũ suum sit peccaturus in definiẽdo. Quin imò dicimus, posse illũ pro negotij conditione aliorum duntaxat Doctorũ opera ad eam rem vti: sicut sine controuersia posset, quando Cardinales ipsi inter se minimè consentirent, & oporteret quæstionem à Põtifice definiri. Quare rectissimè Melchior Canus vbi suprà notat, in iudicio fidei non esse inter Apostolicam sedem seu Romanam Ecclesiam, & Romanum Pontificem ita distinguendum, quasi iudiciũ sedis siue Ecclesię Romanæ sit infallibile, iudicium verò Romani Pontificis nõ item: quin potius esse hæc reipsa vnum & idem. Propterea enim sedes Apostolica seu Romana Ecclesia infallibilis dicitur, quia is, qui præest illi, auctoritatem habet per se infallibilem.

QVÆSTIO OCTAVA.

Quænam sit ratio & vis singularum Regularum, quæ à Romano Pontifice in explicanda doctrina fidei, pro ratione cuiusq; cõtrouersiæ, consulendæ sunt; hoc est; sacræ Scripturæ: Traditionum Apostolicarum: Conciliorum: Consensus Doctorum: Consensus fidelium: Vbi primò disserendum est de

SCRIPTVRA SACRA.

§. 42.

VT à Scriptura sacra exordiamur, quinq; potissimùm, quô rem omnẽ fusissimè ab aliis tractatam paucissimis complectamur, de ea sunt annotanda. I. Quid sit. II. Quibusnam libris contineatur. III. Quantam habeat auctoritatem. IV. Vtrum ij etiam numero Bibliorum libri, quos hodie habemus, suppeditare omnino possint argumentum infallibile ad concludendum aliquid siue definiendum tanquam certũ ex fide: in quo est sanè huius loci præcipua quædam difficultas. V. Quibus rationibus vti oporteat, vt vera sententia ex Scripturæ locis obscurioribus elici possit. Nam Scripturam obscuram esse, suprà §. 4. opportuno loco probauim⁹.

I. Quod ad PRIMVM caput attinet, constat inter omnes, Scripturam diuinam esse doctrinam, quam Spiritu sancto inspirante atq; dictante auctores sacri literis mandauerũt. Itaq; & Apostolus 2. Tim. 3. eam nominauit doctrinam *diuinitus inspiratam*, & idcirco etiam *Dei verbum* literis expressum dicitur. Etenim cognitio illa sacris expressa literis, quã Deus Canonicis Scriptoribus indidit, quamque per illos voluit cæteris scripto patefieri, velut sonorum quoddam verbum Dei est, quo is videlicet conceptũ æternæ mentis suę, notitiamque verissimam hominibus eloquitur atque manifestat.

Cæterùm cum doctrinam hanc *Spiritu sancto dictante* esse à sacris auctoribus exceptam, literisque mandatam dicimus, non vtcunq; significare volumus, Spiritu sancto dirigente, sacros auctores illam infallibiliter scripsisse. Nam & Pontifices summi certam quandam Spiritus sancti assistentiam habent, cùm definiũt controuersias fidei, vt antè ostensum est; neq; tamen illorum definitiones, quantumuis ab ipsis conscriptæ, Scriptura sacra sunt, aut esse dicuntur, sicut nũc quidem loquimur de Scriptura sacra. Auctores igitur Canonicos scribere Spiritu *sancto dictante*, ob eam rem propriè dicimus, quoniam in doctrina

scripto tradenda sic illorũ operâ Spiritus sanctus vtitur, vt in eo quidẽ negotio, non tam illi agant, quàm agantur à Spiritu sancto; planè instar calami, cùm vsurpatur à Scriptore. Quo & illud Dauidis Psal. 44. spectat: *Lingua*, inquit, *mea, calamus Scribæ velociter scribẽtis*. Nec enim alium hoc loco Scribã significat, præterquam ipsum Deũ: quem & alibi Psal. 147. ait: *Emittere eloquiũ suum terræ, & velociter currere sermonẽ eius*. Itaq; pulchrè D. GREGORIVS præfatione in lib. Iob cap. 1. de eo, qui librũ Iob scripserit, disputans. *Si magni*, inquit, *cuiusdã viri, susceptis epistolis, verba legeremus; eaq; quo calamo fuissent scripta quæreremus; ridiculum profectò esset, si non epistolarum auctorem scire, sensumq; cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare studeremus. Cùm ergo rem cognoscimus, eiusq; rei Spiritum sanctum auctorem tenemus; cùm scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legẽtes literas de calamo perscrutamur?*

Porrò sacrũ Scriptorem *agi potius à Spiritu sancto, quàm agere*, asserimus, PRIMO propter facilitatem, qua is, Spiritu sancto docente ac dirigente, cognoscit ac scribit omnia etiã minutissima verissimè: cùm tamẽ Pontifex, vt rectè, hoc est, sine culpa definiat, & studio ac diligẽtia maiore opus habeat, nec etiã omnia sint certa ac infallibilia, quæ obiter ille inter definiendum asserit, vt suprà notauimus. Hãc autem auctoris sacri facilitatem in cognoscendo atq; scribendo certissimè, velocitas illa significat, quam Dauid locis proximè citatis diuino tribuit eloquio. Itaq; cùm Baruch à Principibus Israël interrogatus esset, qua ratione Ieremias ipsi librũ dictauisset: *Loquebatur*, inquit, *ex ore suo, quasi legens oẽs sermones istos*. Ierem. 36. Quo loco significat, perinde fuisse facilè Ieremiæ, Spiritu sancto suggerente, illa omnia pnunciare, atq; est omnino, aliquam Scripturam simpliciter legere.

DEINDE ob eam causam quoq; Scriptorem sacrum agi potius à Spiritu sancto asserimus, quia etsi sponte quidem scribat, at scribit tamen omnino necessariò, ita vt (Spiritu sancto sic efficaciter volente) minimè in ipsius arbitrio sit positũ aut non scribere, aut alio modo, alio tempore, aliis verbis scribere: cùm tamẽ summus Pontifex (quod ad eas quidẽ attinet definitionis circumstantias) arbitrio suo libero in definiẽdo vtatur. Atq; hoc ipsum propriè est, auctorem sacrũ esse quasi Spiritus sancti calamum, in cuius videlicet potestate non est, vt eo scriptor vtatur, vel alio modo vtatur. Ex quibus non modò Scripturarũ sacrarum *ratio*, sed etiã *discrimen* inter illas & alias Scripturas humanas, perspicuũ est. Qua sanè de re & de Scripturarum nomine, argumento, antiquitate, &c. eruditè inter cæteros tractat Ioannes Driedo lib. 1. de Scripturis, cap. 1.

II. De SECVNDO aũt capite, breuiter statuendum est, Scripturã sacram illis omnibus ac solis contineri libris, qui communiter nũc exstant in Bibliis sacris, excepto tertio & quarto libro Esdræ. Quæ assertio ex fide est certissima. Nã libros hos Ecclesiæ Canon ex veteri traditione probauit. Est enim Ecclesiæ officiũ, ea quæ sunt diuinitus reuelata, fidelibus credẽda, pponere, ac proinde etiã quinam sint libri sacri inprimis determinare. Id ꝙ etiam docuit D. Augustinus lib. 13. contra Faustũ cap. 5. & lib. 23. cap. 9. & lib. 33. cap. 6. & lib. 1. de consensu Euangel. cap. 1. Et Irenæus lib. 3. cap. 4. quatenus asserit, veritatem fidei non nisi ab Ecclesia petendam esse. Item Patres Concilij Toletani I. in assertione fidei, & D. Athanasius in Synopsi, &c. & passim alij Patres confirmant: vt non immeritò idem sit definitũ in Concilio etiam Tridentino sess. 4.

Porrò libri iam dicti tanquã sacri & Canonici non modò in Concilio Florentino sub Eugenio IV. in vnione Armen. & in Tridentino sess. 4. numerantur, sed iidem etiam probati olim fuerunt à Cõcilio Carthaginensi III. cap. 47. (à Leone IV. Pontifice confirmato) & ab Innocẽtio I. Et eosdem tanquam Canonicos numerauit Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium, & Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8. qui Concilio illi Carthaginensi interfuit. Quanquam fatendũ est, ante Concilium Florentinum non fuisse in locis citatis factam libri Baruch expressam mentionẽ. Sed vtà pluribus rectè notatum est (vt videre est apud Melchiorem Canum lib. 2. de locis Theologicis cap. 9.) causa cur hic liber in Catalogo olim præteriretur, non fuit, quòd pro Canonico non haberetur (est enim illius etiam prophetia planè diuina, vt iam olim Eusebius Cæsariensis lib. 6. de demonstr. Euangel. cap. 19. & Clemens Alexãdrinus lib. 2. pædagogi. cap. 3. disertè testati sunt) sed quòd Baruch scriptor fuerit Ieremiæ, vt constat Ierem. 36. Itaque librum illius ad Ieremiæ librum veteres Patres retulerunt.

Atq; auctoritas quidem eorum etiam librorũ nominatim, quos huius tempestatis Sectarij pro Canonicis non habent, præterquam quòd hi etiam libri inter Canonicos ab Ecclesia locis citatis numerati sunt, passim quoque ab antiquis Patrib⁹ agnoscitur, atq; vt sacrosancta vsurpatur.

Libri quidem *Tobiæ*, à Clemente I. epist. 1. & 2. ab Anacleto, epist. 1. ab Alexãdro I. epist. 1. à Marcello I. epist. 1. à Gelasio, in Concilio 70. Episcop. quod refertur inter eius decreta.

Libri *Iudith* ab iisdem Patribus, itemque teste D. Hieronymo, in præfatione in lib. Iudith, à Nicæna Synodo. Libri *Sapientiæ & Ecclesiastici* ab Euaristo, epist. 1. à Fabiano I. epist. 2. à Sixto I. epist. 1. ab Augustino, lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8. & libro de prædestinatione Sanctorũ, cap. 14. quin etiam in ipsa Scriptura noui Testamẽti, Rom. 11. & Iacobi 1. ex eiusmodi libris, sicut ex aliis Canonicis, testimonia citantur.

Librorum *Machabæorum* ab Origene, in caput 5. ad Romanos, ab Augustino, lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 36. & lib. 2. de doctrina Christiana, ca. 8.

ab Isidoro, lib. 6. Etymolog. cap. 2. (sicut & libri omnes iam commemorati) & ab aliis.

Epistolæ *ad Hebræos*, à Concilio Nicæno, teste D. Thoma, in præfatione super epistolam ad Hebræos, item à Concilio Ephesino, cap. 10. grauissimis sanè verbis; ab Athanasio, in Synopsi sub finem enumerationis epistolæ Pauli, & Apocalyp. & in dialogo de Trinitate, cum Anom. pag. 660. operum Athanasij; ab Origene, apud Eusebium lib. 6. histor. Ecclesiast. cap. 18. à Theodoreto, in præfatione epistolæ ad Hebræos, ab Augustino, lib. 3. de Trinit. cap. 11. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. ab Hieronymo, in epist. ad Dardan.

Posterioris Epistolæ D. Petri, ab Hieronymo, in epistola ad Paulinum, ab Augustino libro 2. de doctrina Christiana, cap. 8. ab Isidoro lib. 6. Etymolog. cap. 2. à Damasceno lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 18.

Secundæ & tertiæ epistolæ Ioannis, ab iisdem Patribus, itemque à D. Dionysio libro de cælesti hierarchia cap. 3.

Epistolæ Iacobi à Concilio Laodiceno, cap. 59. à Clemente Romano, epist. 2. ab Anacleto, epist. 1. ab Alexandro I. epist. 1. ab Vrbano I. epist. 1. ab Hieronymo, in Catalogo script. Eccles. ab Augustino libro 2. de doctrina Christiana, cap. 8. ab Isidoro, lib. 6. Etymolog. cap. 1. à Damasceno, lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 18.

Epistolæ Iudæ ab Anacleto, epist. 1. à D. Dionysio, libro de diuin. nomin. cap. 4. parte 4. ab Hieronymo, epistola ad Paulinum, ab Isidoro, lib. 6. Etymolog. cap. 2. à Damasceno, lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 18. & passim aliis.

Apocalypsis denique D. Ioannis, à Concilio Ancyrano, cap. 24. à Concilio Toletano IV. cap. 16. à Tertulliano lib. 4. contra Marcion. ab Origene, apud Eusebium libro 6. cap. 18. ab Epiphanio, hæres. 51. à Chrysostomo, teste Suida, vbi agit de Ioanne Euangelista, à Hieronymo, epistola ad Paulinum, à Damasceno lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 18. passimq; ab omnibus aliis.

Nec verò Sectarij vt hos libros Canonicos esse negent, iustè ea ratione mouetur, quòd à nonnullis olim fuerit de horum auctoritate librorũ addubitatum. Quid tum? An non etiam pleraq; fidei Decreta, motis præsertim cõtrouersiis, tandem clarè definita in Ecclesia atque ad credendũ sine vlla dubitatione fidelibus proposita sunt, de quibus antea tamen obscurata nonnihil fidei veritate (vt hominum interdum conditione innataque caligine fit) dubitari potuit? Nónne & ipsi etiam veteres, eos libros, de quibus aliquando dubitatum fuisset, tandem vsu atque Decreto Ecclesiæ certam auctoritatem obtinuisse agnouerunt? Hieronymus in Catalog. scriptor. Ecclesiast. de Iacobo & Iuda. D. Augustinus libro 2. de doctrina Christiana, cap. 8. Athanasius in Synopsi, &c.

Sed *Ecclesiæ*, inquit Kemnitius, in examine sess. 4. Concilij Tridentini, *quæ nunc est, & post Apostolorum tempora fuit, auctoritatem asserenti aliquorum librorum tum demum credendum est, si possit proferre certa testimonia eorum, qui acceperant & nouerant testificationem primæ Ecclesiæ de Germanis scriptis.* Agnoscunt atque fatentur isti igitur, posteriorem Ecclesiam in eo ipso quidem, quod de primæ Ecclesiæ testificatione documenta quædam atque testimonia proferat, non posse nos fallere. Nam si illa ipsa testimonia atq; documẽta potest comminisci, non esset illi credendum. Quid igitur? An in proferẽdis antiquæ primæq; Ecclesiæ testimoniis de libro aliquo sacro fallere Ecclesia non potest, & in ipsa assertione auctoritatis libri sacri, potest fallere? Quid autem, si veterum documenta de alicuius libri sacri antiqua testificatione interirent? Ideóne dubiã oporteret esse semper in posterũ auctoritatem eiusmodi libri, nec posset aliquid de illa certi, Spiritu sancto suggerente, Ecclesia statuere? Accedit, quod ex allatis testimoniis veterum pro auctoritate illorum librorum apparet, ita tandem fuisse pro maiori & potiori parte in Ecclesia eos olim pro Canonicis habitos, vt si qui illorum auctoritatem reiecerũt (ferè enim in genere tantum perhibetur, à quibusdam illos nõ fuisse receptos, vel de illis fuisse dubitatum, &c.) fidem non mereantur: meritóque habeantur ab Ecclesia testimonia contraria pro certis.

Et nihilominus tamen rectè monuit Augustinus libro secundo de doctrina Christiana, cap. 8. (ex mente etiam aliorum veterum) in ipsis Scripturis Canonicis illas primo loco habendas esse, quæ vel auctoritate communi, vel certè plurium Ecclesiarum, sint olim receptæ: nõ quòd aliquas ex iis, quas Augustinus in Canone numerauit, putârit ipse non esse infallibiles (vocat enim absolutè eas omnes *Scripturas diuinas* loco citato) sed quoniam illæ certè, quæ vel à nullis, vel à paucioribus in dubium reuocatæ fuerunt, quodammodo, ex parte quidem ipsorum hominum, sunt certiores, magisq; adeo idoneæ ad auctoritatem dogmatum in controuersis quæstionibus confirmandam. Quod est diligenter aduersus Kemnitij & aliorũ Sectariorum cauillationes in hac quæstione notandum. Itaque licet memoret diuus Augustinus libro primo de prædestinatione Sanctorum, cap. 14. Sapientiæ librum à quibusdam receptum non fuisse; tamen disertis verbis eodem libro confirmat, eum esse diuinum: *Non, debuit*, inquit, *repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi, de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi tã longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab Episcopis vsq; ad extremos Laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, eũ veneratione* DIVINÆ *auctoritatis audiri.* Et infrà: *Qui sententiis*, inquit, *tractatorum instrui volunt, oportet vt istum librũ sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eũ anteposuerunt, etiam temporibus proximi Apostolorum, egregij tractatores, qui testem istum adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt.*

Et

Et tamen tam perfrictæ frontis fuit Kemnitius, in examine Concilij Tridentini, sess. 4. vt dissimulatis, fraude qua solet, his omnibus Augustini verbis, scribere non erubuerit, *non defendi* (vt ortor istius verbis) *ab Augustino in eo loco, librum Sapientiæ esse verè Canonicum:* quia scilicet ibi Augustinus dicit, sententiam illam, Sapient. 4. (*Raptus est, ne malitia mutaret intellectum*) quam ex eo libro estârat, etiam sine libri huius attestatione per se esse alioqui certam. Atqui D. Augustinus non ideo hoc dixit, quòd ipse putaret, hunc librum non esse Canonicum, sed vt iis, qui auctoritatem eius libri in dubium reuocabant, aliunde quoq; sententiam illam comprobaret. Sed neque institutum meum postulat, nec patitur breuitas mihi proposita, vt argumentum hoc à pluribus aliàs copiosè tractatum, prolixius hîc ego persequar: quod ipsum tamen satis mihi videtur hac explicatione, & illis, quæ commemoraui, Ecclesiæ antiquitatisque testimoniis, esse firmatum.

Illud fortasse DICET nunc aliquis: Scriptura quædam quasi regula est (vt in hac disputatione ponimus) qua debet Ecclesia, adeoque summus Ecclesiæ pâstor niti in fidei controuersiis determinandis. Non igitur ad Ecclesiam spectat constituere, quænam sit Canonica Scriptura. Nam si ad eam id spectat, primùm Ecclesia potius iam erit regula Scripturæ, nõ autem Scriptura, regula Ecclesiæ. Deinde, perinde nobis erit, si Ecclesia ex Scriptura tanquam ex regula definiat; atque si absq; vlla regula definiret: siquidem ipsa Ecclesia sibi auctoritate propria constituit ad definiendum regulam. Itaque definitiones illius non esse debebunt apud nos magni ponderis.

Ego verò ad hoc breuiter ita RESPONDEO. Si Ecclesia in determinandis libris Canonicis humano Spiritu duceretur, omnino incõmodum esset, quòd ad Ecclesiã pertineret determinatio Scripturæ Canonicæ, ex qua sunt ab ipsa Ecclesia definiendæ fidei quæstiones. Modò verò, cùm à Spiritu sancto in ea determinatione, sicut & in aliis omnibus (vt suprà demonstratũ est) Ecclesia dirigatur; nullum omnino est incommodũ, quòd ipsa etiã Ecclesia regulam illam infallibiliter diiudicet, ex qua oporteat fidei controuersiã certò determinare. Habet enim Ecclesia de vtroq; certam à Deo promissionem, videlicet, & quod cõtrouersiam fidei certò definiet, & quòd infallibiliter adeo cognoscet, quænam sit Scriptura diuinitus reuelata, cui tanquam regulæ oporteat esse consentaneam illam fidei definitionem.

Hoc ex ea potissimùm Christi promissione colligitur, quæ exstat in Euangelio Ioan. *Ille*, inquit, *vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero (seu dixi) vobis*, Ioan. 14. Hoc enim vel maximè propriè est, Spiritum sanctũ Ecclesiæ suggerere, quę Christus dixit: docere nimirũ illam, quęnã sit cælestis doctrina, quã Christus per Apostolos suos, vel scripto, vel viua voce locutus est. Itaq; si hanc auctoritatẽ Ecclesiæ tribuimus; nullum incõmodum cõsequitur ex iis, quæ obiiciebantur. Primùm enim non ideo concedendũ est, Ecclesiam esse regulam ipsius per se Scripturæ (vt Sectarij nos existimare, vel malitiosè vel ignorãter cauillantur) sed nobis ipsis potiùs auctoritatẽ Ecclesiæ pro certa regula propositã esse, vt quænam sit diuina doctrina sine errore cognoscamus. Deinde cùm Spiritu sancto docẽte, atq; adeo infallibiliter Ecclesia etiam determinet, quænam sit Scriptura diuina, nihilo minoris põderis apud nos esse debent Ecclesiæ definitiones consentaneæ huic Scripturarum regulæ, quàm si nõ ipsius Ecclesiæ auctoritate, sed aliunde quænam sit diuina Scriptura certò nobis constaret. Quid enim omnino certius eo esse potest, quod Spiritu sancto suggerente ab Ecclesia decernitur?

Quibus rebus ita explicatis, facilè id etiam patet, quod tertio loco declarãdum proposuimus: nempe *quanta sit Scripturæ auctoritas.* Est enim diuina prorsus ac proinde omnino infallibilis, vt magis capite sequente explicabitur & defendetur. Quod ipsum quidem ex fide nobis constat, tum ob reuelationem diuinam in eadem Scriptura contentam, tanquã obrationem, in quam propriè ipsa fides respicit: tum etiam ob Ecclesiæ Propositionem, tanquam ob cõditionem quandam requisitam, vt id ipsi Christiana fide credamus, tum postremò ob communia fidei motiua, tanquam propter argumenta videlicet, quibus animum inducimus credere non modò quæ in Scripturis continentur, esse omnia verissima, sed inprimis etiam Scripturas ipsas esse diuinas. De quibus rebus, cùm in hac quæst. 1. huius disputationis, punct. 1. & 4. satis à nobis dictum sit, nihil est hoc loco repetendum.

Tantùm ad QVÆSTIONEM illam, quam nõnulli (nescio an satis vtiliter) hîc mouerunt, vtra videlicet sit maior auctoritas, Scripturæne an Ecclesiæ; Breuiter mihi videtur tribus pronunciatis responderi posse. PRIMO, auctoritatẽ Ecclesiæ latiùs quidem patere, atq; ita *extensiuè* quidem (sicut in scholis loquimur) posse dici maiorem. SECVNDO, reipsa sanè neutram per se seu *intensiuè* esse altera maiorẽ absolutè, pariq; adeo per se veneratione vtramq; esse dignã. TERTIO, si ad vtriusq; auctoritatis quendam quasi *modum* respiciamus, maioris cuiusdã esse dignitatis auctoritatẽ Scripturæ, hoc est, meritò à nobis eam tanquam diuinius aliquid suspici.

PRIMVM probo. Quoniam Ecclesia auctoritatem habet infallibilem & asseuerandi directò ipsam veritatem fidei (in quo cum Scriptura, quoad infallibilitatem quidem conuenit, etsi non quoad modum asseuerandi) & præterea proponẽdi fidelibus ad credendum tum ipsam Scripturam, tum etiam clarè & expressè quamcunque fidei veritatem in omnibus omnino controuersiis, quæ oriri possunt, id quod nõ perinde Scriptura præstare potest, vt satis suprà §. 2. docuimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDVM autem pronunciatum ea ratione probo, quòd tam Ecclesia, quàm scriptor Canonicus eodem Dei Spiritu suggerente pronunciant. Itaque quod attinet quidem ad asserendi infallibilitatem & certitudinem, paris sunt per se auctoritatis.

TERTIVM denique probo ex diuerso modo, quo, vt suprà docuimus, aliter atq; aliter Ecclesia, & Scriptor Canonicus, Spiritus sancti instinctu pronunciant. Habet enim modus ille Scriptoris Canonici nescio qd maioris dignitatis, propterea quòd non tam ipse Scriptor agit in ea re quàm agitur, nec videatur proinde nisi Deus ipsemet per Scripturã loqui. Accedit, quòd Ecclesia ipsa etiam nititur in suis definitionib⁹ Scripturæ auctoritate, tanquã fidei quodam fundamẽto ob diuinam reuelationem, quæ sacris ipsis literis continetur. Quæ omnia efficiũt, vt secundùm nos quidem, & secundùm modum vtriusq; auctoritatis, maior quędam in Scriptura, quàm in Ecclesia dignitas esse videatur. Qua explicatione adhibita, non erit difficile auctorum hac de re varias sententias in concordiam redigere. Et certè oportet conueniat reipsa inter orthodoxos de hac quæstione, modò rectè illius ambiguitas distinguatur.

IV. QVARTVM, quod de Scriptura explicandum proposueramus, difficultatem propterea non exiguam habet, quòd vt ex iis numero libris sacris, qui circumferuntur, argumentum infallibile ducatur, necesse est cõstet, illos ipsos prorsus esse sacros, qui veritatem videlicet infallibilem contineant. At hoc non satis constare posse videtur.

PRIMO, quoniam non sunt latini isti libri illi ipsi, qui Spiritu sancto dictante à Canonicis auctoribus partim Hebraicè partim Græcè excepti sunt, sed alij certè vel interpretum vel impressorum opera descripti; qui quidem errare potuerunt negligenter ex alio idiomate vertendo, aut imprimendo typis. Cuius rei argumento etiam esse videtur impressionum atq; versionum tanta varietas.

SECVNDO, quoniam si maximè constaret, hos libros nullo modo, quod ad sententiã attinet, ab originalibus discrepare, ac proinde esse diuinos; at non satis cõstare videtur, omne illud esse infallibile, quod diuinitus est dictatum. Cur enim nõ posset Deus, potentia saltẽ sua absoluta, per se aut per hominis ministerium generare in hominum mentibus conceptum falsum? Et accedit ad hujus rei confirmationem, quòd non semel videtur Deus iam falsum per se aut per aliũ dixisse. Quod probari posset ex nonnullis Scripturæ locis, de quibus disseruimus suprà in puncto tertio principali huius primæ quæstionis de fide.

TERTIO, nam dato quòd hoc ipsum satis cõstaret, videlicet verum esse id omne, quod Spiritu sancto dictante scriptum est; at non videtur satis item constare, id omne, quod in his libris cõtinetur, Spiritu sancto dictante esse scriptum: imo quædam videntur Scriptores Canonici de suo Spiritu interseruisse, præsertim quæ sunt minoris momẽti: quale videtur illud, quod Apostolus, 2. Tim. 4. scribit: *Lucas mecum est.* Et ibidem: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*; & alia horum similia. Itaque cùm non possit facilè discerni, quo loco Scriptor Canonicus infallibiliter loquatur suggerente spiritu diuino; ex nullo Scripturæ loco argumentum infallibile duci posse videtur.

QVARTO, dato quòd etiam constaret, sententias oẽs horum librorum profectas esse ex Spiritu diuino; at sensus illarum verus admodũ obscurus est, nec satis in cõtrouersis materiis exploratus. Quapropter cùm ex sensu Scripturæ (quæ, vt inquit D. Hieronymus in caput 1. ad Galatas, nó in verbis, sed in sensu est) argumentãdum sit; argumenta, quę ex dubio & incerto sensu ducẽtur, non poterunt esse ad controuersias determinandas penitus certa atque infallibilia. His igitur rationibus probari videtur, non posse hosce libros, quos habemus, infallibile argumentum suppeditare ad definiendum.

Cæterùm hæc quidem nullo modo vel possunt vel debent mouere eos, qui grauissimis nostræ fidei motiuis, à nobis p. 4. expositis, prudentissimè ac necessariò adducti iam (Dei beneficio) sunt, vt doctrinam Christianam, atq; adeo Scripturam sacrã (quæ nunc videlicet in Ecclesia habetur) verissimam esse sibi persuadeãt. Quo fundamento iacto facilè fuerit aduersus obiectas rationes defendere, infallibile prorsus argumentum ad definiẽdum peti posse ex his ipsis Bibliorum libris, quos Ecclesia hodie vsurpat: Id quod certissimum est ex fide.

Nam primum ex ipsa Scriptura sacra (quam veram esse euincunt illa fidei motiua, de quibus dixi) constat, Christum Dominum sufficienter prouidere Ecclesiæ suæ, ne tota erret. Errare autem tota posset, si libri illi numero, quibus vt sacris vtitur, non essent sacri. Certum igitur ex fide est libros huiusmodi veram & infallibilem veritatem continere, sacrosque esse.

Deinde hoc idẽ confirmatur auctoritate ipsius Ecclesiæ, quæ hos ipsos libros tanquã Canonicos recipit. Vt enim suprà dictum est, Ecclesiæ commissa est custodia librorũ sacrorũ. Vnde non minus debemus ei credere proponẽti nobis hos libros, quàm si ipsos originales seruaret. Nam ne tunc quidem aliunde compertũ haberemus, tales esse libros Canonicos, nisi ex Ecclesiæ testimonio, vt bene ac prudenter hoc loco à Ioanne Driedone, lib. 1. de Script. cap. 1. notatum est.

Ad PRIMVM igitur argumentum contrarium respondetur, potuisse quidem vnum aut alterum interpretem vel impressorem errare, aut etiam aliquos, sed vt omnes omnino errarent, fieri nequaquam potuisse; diuina nimirum prouidentia, propter Ecclesiæ bonum, id prohibente.

Quam-

Quamobrem omnes illi codices (quocunque idiomate conscripti fuerint) quibus Ecclesia Catholica, tanquam authenticis in materia fidei, aliquando vsa est, certi & indubitati fuerũt, quod attinet ad illa omnia, in quibus eiusmodi libri concordârunt. Nam de locis quidem aliquibus minutioribus non pertinentibus ad ipsa dogmata fidei, aliqua potuit esse controuersia quamdiu Ecclesia nullam editionem Bibliorum speciali definitione approbauit.

Iam verò post Concilium Tridentinum dubitare non licet, quin editio vulgata vetus, quæ in primis à D. Hieronymo partim conscripta, partim emendata est, diuinam doctrinam conti-neat, sitque per omnia in sensu quidem concors illi Scripturæ, quæ primò ab auctoribus sacris Spiritu sancto dictante est excepta. Etenim eiusdem Ecclesiæ auctoritate (nempe Romanæ, quæ sola vera & Catholica est, vt suprà conuicimus) qua omnino etiã aliquam esse Scripturam Canonicam constat, in eo Concilio, sess. 4. definitum est, editionẽ hanc authenticam esse, grauiterque præceptum, vt pro authentica in concionibus, lectionibus, disputationibus, & expositionibus, habeatur, nec vllus eam reiicere quouis prætextu audeat vel præsumat. Esse autem versionem aliquam *authenticam*, nihil hoc loco aliud est, quàm esse eam omnino in sententia conformem Scripturæ originali, ac proinde doctrinam diuinam continere, ex qua certò possint controuersiæ fidei determinari.

Quod autem Concilium addit: ne vllus illam *quouis prætextu* audeat reiicere, id profectò euidenti argumento est, in omnibus omnino locis, & quod attinet ad omnes Scripturæ sententias, esse hanc editionem vt authenticam à Concilio approbatã. Secùs enim prætextus aliquis superesset, quo, non obstante hac definitione Concilij, posset aliquando hæc editio in disputationibus reiici; nempe si diceretur, in hoc certè aut in illo loco non esse huius editionis auctorem assecutũ Spiritus sancti mentem. At, ne vllo vnquam prætextu hæc editio reiiceretur, omnino voluit Cõcilium prohibere. In omnibus igitur locis eam haberi voluit pro authentica.

Neq; tamen contendimus, errores etiam Typographorum (vt Kemnitius in examine Concilij Tridentini sess. 4. & alij Sectarij calumniantur) si qui in aliqua exemplaria irrepserunt, à Concilio Tridẽtino probari: vt quod obiiciunt isti, cap. 11. Iudicum, pro *Altera matre*, lectum fuisse, *Adultera matre*, & similes quasdam nugas. Sed probauit Concilium veterem eam editionem bene atque correctè typis impressam. Hanc nimirum definiuit habendam esse pro authentica.

Et certè quod ad rem ipsam attinet, nihil aduersus hanc editionem obiiciunt Sectarij, quod alicuius sit ponderis. Nam quod illã ab Hebraicis aut Græcis exemplaribus discrepare dicũt, id vel falsum est, si correctiora exemplaria inspiciãtur, vel certè quod ad ipsam sententiam attinet nihil interest. Vt quod obiiciunt, Genesis 3. dici: *Ipsa* conteret caput tuum; cum dicendum esset iuxta vim verbi Hebraici, *Ipse*. Eõdem enim res redit. Nam si Filius Virginis Christus Iesus cõtriuit caput serpentis; ipsa Virgo quoque suo modo contriuit, quatenus genuit nimirum Iesum Saluatorem. Quare non malè etiam interpres, propter contextus Latini commoditatem, Ipsa, vertit, vt sequentia cum antecedẽtibus melius Latinè cohærerent. Item, quod obiiciunt, Matth. 9. iuxta Græcam dictionem, dici debere: non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, eamq; postremam voculam in vulgata editione esse omissam; obsecro quid interest? An non enim satis per se intelligitur, peccatores à Christo cùm vocantur, ad pœnitentiam vocatos fuisse? Sed nolo reliqua omnia persequi, quæ perinde facilè expediri possunt. Explicauit autem ea copiosè Bellarminus noster in opere suo Controuersiarum, lib. 2. de Verbo Dei scripto.

Porrò ex dictis intelligitur, nullo modo auctores illos audiendos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum contendunt, posse etiam nũc editionem vulgatam per Hebraicos & Græcos codices, tanquam per fontes (vt aiunt) in locis aliquibus, quod ad ipsam sententiam attinet, emẽdari. Non licet hoc facere. Quin potius Græci & Hebraici codices, sicubi à nostra editione dissideant, per nostram corrigendi & emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia peculiari definitione per omnia probauit, non illos: Quanquam nec illos reiecit, nisi vbi huic nostræ editioni fortè contradicerent.

Neque verò possunt illi codices potiori iure *fontes* iam appellari, quàm editio hæc nostra. PRIMO, quia neque illi, originales ipsi libri sunt, sed variorum Typographorum opera excusi. DEINDE, quoniam magna est etiam horum voluminum varietas, magna etiam eorum interpretum inconstantia, qui illos Latinè ad veritatem fontium, vt ipsi dicunt, vertere conantur: prorsus vt, quemadmodum Melchior Canus libro secundo de locis Theologicis, cap. 13. argutè ait; non tam fontes vertere, quàm ipsi circa fontes verti videantur. TERTIO, quoniam vel Rabinorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ hostiũ fraude, vel negligentia operarum sæpè potuerunt deprauari. Itaque minimè illi in sua origine purè tanquam fontes scaturiunt: sed per varia loca, hoc est, per hominum operas, à quibus infici potuerunt, ad nos deriuati sunt.

Quocirca satius multò est huic vulgatæ editioni per Ecclesiam approbatæ fidem adhibere. Quemadmodum etiam quandoque melius est ex nitido fontis riuulo, quàm ex turbido ipso fonte aquam ad bibendum haurire. Qua de re eruditè sanè scripsit inter alios Canus, lib. 2. de locis Theolog. cap. 12. 13. 14. & 15. Qui nihilominus bene docet, varium ac multiplicé esse linguarum

vsum

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsum ad Scripturã diuinam, & ad hãc ipsam vulgatam editionem intelligendam: non quidem vt illa quoad sensum emendetur, sed vt proprietas originalium, quã ipsa (ob idiomatis diuersitatẽ) obscurius interdũ exprimit, melius percipiatur. Verùm de primo argumento hactenus.

Ad SECVNDVM respondeo, ne per potentiam quidem suam absolutam posse omnino Deum, qui prima atque summa veritas est, fallere, vel per se, vel per alium: vt nec potest ipse, cùm summa atque infinita sit bonitas, vel peccare, vel ad peccandum impellere. Quam rem totã abunde suprà puncto tertio confirmauimus, explicatis locis Scripturæ, quæ contra obiici possent.

Ad TERTIVM argumentum respondetur. Nihil omnino in Scripturis esse, quod peculiari Spiritus sancti instinctu scriptum non sit. Quod patet profectò ex communi etiam consensu fidelium, manifesteque probatur ex eo, quòd si aliquid humano Spiritu auctores sacri scribere potuerunt, magna ex parte Scripturarum labefactaretur auctoritas. Poterit enim quis dubitare, vbinã Spiritu proprio, vbi diuino auctor loqueretur. Neque facilè esset discernere in hoc genere, quæ leuioris, quæ grauioris essent momenti: vt optimè Canus libro secundo de locis Theologicis, cap. 10. differit ad coarguendum tum Erasmi, tum aliorum quorundam veterum errorem, quos Hieronymus, in caput 5. Micheæ, sensisse commemorat, Scriptores Canonicos in rebus maioris momenti Spiritu sancto afflatos scripsisse, in leuioribus autem potuisse hallucinari. Certè D. Paulus, 2. Timoth. 3. *Omnem* Scripturam diuinitus inspiratam, vtilem esse pronunciat. Itaque nihil est in ea, quod vel per se, vel ad alia relatum, non sit magni momenti. Petrus quoq; absolutè sine omni exceptione ait: *Spiritu Dei inspiratos, locutos esse sanctos Dei homines*, 2. Petri 1. Quare dubium esse non debet, quin omnes & singulæ particulæ Scripturarũ sint Spiritu sancto dictante exaratæ. Id quod meritò etiã in Concilio Tridentino, sess. 4. sub anathemate definitur.

Ad QVARTVM argumentum quid respondendum sit, facilè patet ex dictis. Vtcunq; enim Scriptura difficilis ad intelligẽdum sit, tamen ille sine omni dubitatione verus atq; genuinus Scripturæ est sensus, quẽ Ecclesia Spiritu sancto suggerente asserit. Atque ita non deest modus ex Scriptura depromendi infallibilia argumenta ad definiendas controuersias. Fatendum tamen est, multos esse locos Scripturæ, ex quibus, quoniam eorum sententia neque euidenter per se patet, neque auctoritate Ecclesiæ satis declarata est; nõ potest argumentum firmum duci ad faciendam fidem. Sed & nonnullę quoq; controuersiæ sunt, quæ per Scripturam solam definiri satis ac determinari nequeunt, vt suprà §. 3. demonstrauimus, atque etiam paulò post necessariò repetetur.

De postremo Capite, quod circa Scripturam proposuimus, scilicet de ratione inuestigandi veram sententiam Scripturæ, videnda sunt varia documenta, quæ potissimùm ex sancto Augustino ad eam rem tradidimus tomo 1. disput. prima, q. 1. p. 5.

DE TRADITIONIBVS APOSTOLICIS, §. 43.

DEINCEPS dicendum est de Traditionibus Apostolicis. Sunt autem explicanda tria. I. quæ sit ipsarum ratio & differẽtia. II. quanta auctoritas, quamque certum sit illas exstare. III. quomodo sint internoscendæ.

I. Quod ad PRIMVM attinet, Traditiones in proposito dicuntur doctrinæ quædam dogmatã, aut etiã morum institutа, quæ Apostoli vel ex ipsius Christi ore, vel ex Spiritus sancti suggestione, accepta, viua voce tradiderunt Ecclesiæ, quæque illi aut omnino non scripserunt, aut certè nõ nisi obscurè scripto insinuârunt.

Ita duplex (in vniuersum loquendo) Apostolicarum Traditionum genus est. QVÆDAM *ad doctrinam* tantùm pertinent. Vt, quòd mater Dei fuerit perpetuò Virgo: quòd veteris & noui Testamenti libri omnes & singuli Spiritu sancto dictãte sint scripti: quòd distinctio diuinarum personarum sit per relationes: quòd Christus Dominus in cœna eleuatis oculis in cælum benedixerit & fregerit panem: quòd etiam illa verba in consecratione calicis dixerit. Mysterium fidei. Et alia id genus, quæ colligit Innocẽtius III. in cap. Cùm Marthæ, de celebratione Missarum. ALIÆ verò Traditiones sunt practicæ, quæ proinde *ad mores* siue ad vsum propriè pertinent. Quanquam vix quidem vlla est Traditio ad praxim pertinẽs, quæ nõ etiam veritatem aliquam ex fide credendam contineat: nempe rectum id esse omnino, quod circa vsum à Traditione instituitur. Cuius generis passim in materia Sacramentorum Traditiones multæ occurrunt; vt paruulos esse baptizandos; Illam esse materiam & formam Ordinis, Confirmationis, Extremæ vnctionis à Christo institutam, qua Ecclesia vtitur; Sacramenta quædam iteranda non esse. Huius generis est etiam Sanctorum, & Imaginum veneratio, vt habetur in Synodo septima. Item templorum vsus, luminarium, & aliarum similium rerum, quæ ad cultum & cærimonias Ecclesiasticas pertinent.

Ac est præterea in hoc genere practicarum Traditionum, quatenus practicæ sunt, discrimen aliud obseruandum. Nam quædam eiusmodi instituta Apostoli tradiderunt ad certum duntaxat *tempus* duratura. Tale fuit Decretum illud de sanguine & suffocato, quod commemorat diuus Lucas in Actis, capite decimo quinto. Item etiam institutum illud Baptismi in nomine Christi. De quo etiam legimus in eadem Historia, Actorum octauo. Si tamen solius Christi (vt multorum sententia est) mentio in eo Baptismo fiebat, & non etiam exprimebatur Trinitas. Alia verò *absque vlla limitatione* temporis tradiderunt Apostoli.

Inter

Inter quæ rursum est differentia, quòd QVÆDAM huiusmodi sunt, vt ne ab ipsis quidem Apostolis ex officio & auctoritate sua propria, atque adeo nec ab Ecclesia vnquam mutari posse credantur, secluſa extraordinaria aliqua & peculiari reuelatione Christi. Huiusmodi sunt ea, quæ Apostoli ex ore ipsius Christi Domini acceperunt: vt illa, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum. Itaque si aliquando Apostoli Baptismum in solius Christi nomine contulerunt, id D. Thomas 3. p. q. 66. art. 6. ad primum argumentum, & alij Theologi aiunt fecisse eos ex peculiari Christi Domini reuelatione pro eo tempore, quo nomen ipsius celebrari quàm maximè oportebat. ALIA fuerunt ab Apostolis tradita absque certa quidem temporis determinatione, sed quæ illi tamen ex auctoritate & officio proprio, Spiritu sancto suggerẽte, ad vtilitatem Ecclesiæ, circumstantiis temporum ac rerum omnibus consideratis, instituerunt. Et quæ huiusmodi sunt, quemadmodum Apostolica auctoritate, sic requirentibus temporum circumstantiis, constitui potuerũt, ita etiam postmodum ab eo, qui Apostolica auctoritate fungitur, hoc est, à Romano Pontifice, mutari & aboleri, sicut & alia quoque de nouo instituì possunt. Vt enim circumstantiæ rerum progressu temporis variantur, sic etiam oportet rationem Ecclesiasticæ gubernationis esse in quibusdam rebus alio atque alio tempore variam.

Atque ad hoc sanè genus multi ritus Ecclesiæ veteris pertinuerunt, qui modò non sunt in vsu. Vt communio Laicorum sub vtraque specie, & aliquando quidem omnium, quicunq; sacrificio Missæ interessent, & alia id genus, quæ in variis materiis Theologicis commemorantur.

Hæc igitur Traditionum Apostolicarum varietas est. De quibus tamen hoc loco præcipuè tractamus, non quatenus ad praxin pleræque illarum pertinent: sed quatenus, vt suprà diximus, omnes illæ ad fidei veritatem quadam etiam ratione spectant; nempe vt credi certè debet eas omnes esse rectas. Quæ quidem ratione immutabiles omnes sunt. Nam quod semel verè per fidem credimus, ita esse aut non esse, sic rectè fieri aut non fieri, ad tempus, siue perpetuò, &c. id semper manet de fide verum. Non enim, vt gubernationis, sic etiam veritatis ratio cum tempore & rerum circumstantiis mutatur. De primo igitur capite hæc sint satis, quæ fusiùs Melchior Canus libro 3. de locis Theologicis, & alij multi Theologi persequuntur.

II. Quod ad SECVNDVM attinet, non dubitatur, quin si quæ sint dogmata ab Apostolis, Spiritu sancto suggerente, vel Christo auctore, tradita viua voce, perinde illa infallibilem auctoritatem habeant, ac si scripta fuissent. Neque hoc propriè vlli hæretici negauerunt. Intelligunt enim, doctrinam sacram infallibilem esse, nõ quia literis & atramento expressa est, sed hoc ipso, quod est diuina, siue literis, siue viua voce declaretur. Sed controuersia omnis est, vtrum aliqua eiusmodi dogmata Apostoli viua voce tradiderint sine scripto, quæ nunc etiam in Ecclesia suppeditent ad fidei controuersias finiendas argumentum infallibile.

Ac negant eiusmodi aliquas Traditiones esse hæretici non modò recentiores nostri, sed etiam veteres penè omnes. Omnibus enim hæreticis hoc ferè in more fuit positum, vt ad Scripturas solas prouocarẽt, nec vllum præterea fidei principium admitterent. Sic Arrius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus fecerunt, vt Basilius Ancyranus Episcopus refert, in confessione, quam exhibuit septimæ Synodo, anathemate 7. Idem refert de Arrianis Augustinus lib. 1. contra Maximin. Sic etiam Iconomachi, vt ex eadem Synodo patet. Sic Aëriani, vt auctor est Epiphanius, hæresi 75. Sic Marcion & Valẽtinus, vt videre est apud Tertullianum libro de præscriptionibus. Sic VViclephus apud VValdensem, lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 19. Sic denique Lutherani, Caluinianique omnes. Fundamenta verò illorum eiusmodi sanè sunt, vt etiam ex illis ipsis, aduersus eos optimo iure retortis, Catholicam Traditionum assertionem, quemadmodum videbimus, facilè simus probaturi.

PRIMVM autem est tale: Traditiones esse aliquas Apostolicas, quæ nõ etiam scriptæ sint, tum demum concedi oporteret, si non omnis doctrina diuinitus reuelata mandata est sacris literis. At omnis prorsus eiusmodi doctrina sacris literis consignata est. Perperam igitur tales asseruntur Traditiones. Id confirmant ex Apostolo 2. Tim. 3. qui Scripturam affirmat vtilem esse, *vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quo loco peculiariter Kemnitius in examine, sess. 4. Concilij Tridentini, vrget, quòd pluribus etiam verbis Apostolus eam Scripturæ vim atque vsum declarauit. Ait enim, *vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia.* Vnde concludit Kemnitius, sufficere ipsam posse etiam Euangelij ministro, vt omnes partes sui muneris explere possit. Et accedit huc sanè quod Deuteron. 17. non iubebantur fideles credere, nisi quæ sacerdos docuisset *iuxta legem Domini*, hoc est, secundùm ipsum Dei Verbum; tanquam hoc videlicet ad omnia diiudicanda sufficeret. Quod cùm ita sit, sine causſa (inquiũt) recipi doctrinas alias, & mandata hominum. Id quod Pharisæis Dominus in Euangelio Matthęi, cap. 15. exprobrauit. Quin etiam contra præceptum illud ea re committi. Deuter. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.*

SECVNDO, ostium ea ratione peruersis ac phanaticis erroribus aperitur. Facilè enim cuiuis est, cùm Scripturarum testimoniis destitutus fuerit, Traditionem comminisci Apostolicam.

Sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic Papias, apud Eusebium, lib. 3. hist. capite vltimo, errorẽ illum suum de mille annis regni Christi in terris post resurrectionem futuri, commentitia Traditione Apostolica tueri conabatur. Quin immo Kemnitius contendit (vt postea videbimus) Traditionum prætextu errores alios, qui vnquam in populo Dei fuerunt, sparsos fuisse, eoque consilio & vetus & nouum Testamentum diuinitus fuisse mandatum literis, vt commentitiis Traditionibus scripto occurreretur. Adde quòd hæreticorum quidem morem & institutum Traditiones illæ redolent auriculares & clancularie. Cùm contrà Christus, Ioan. 18. *Palam mundo locutus sit*: Et; si quid in tenebris dixit Apostolis, certè iussit, *vt in lumine id dicerent*. Matthæi 10. itemq; *vt quod in aure audierunt supra tecta prædicarent*. Non igitur sapiunt hæ Traditiones Christi doctrinam.

TERTIO, doctrinæ, inquiunt, cælestis capita eo modo Apostoli Ecclesiæ tradiderunt, qui cõuenientissimus esset, vt illa perpetuò pura atq; integra in Ecclesia seruarentur. Sed talis modus non est, vt viua voce tantùm sine scripto illa tradiderint. Ergo credendum non est, illos sic aliqua fidei capita tradidisse. Id confirmant. Quia impossibile vel difficile admodum est, vt quod auditione tantùm accipitur, integrum retineatur & conseruetur. Aut enim qui audit non satis assequitur, aut certè postmodum obliuiscitur, aut aliis minus deinde fideliter tradit. Quo facilè fit, vt paulatim ea ratione immutetur & corrumpatur tandem doctrina. Itaq; (quòd maximè Kemitius inculcat) & Apostoli idcirco scripserunt, vt cælestis doctrina memoria retineri à fidelibus posset.

QVARTO, auctoritatem Patrum obiiciunt. Nam Augustinus tract. 49. in Ioannem, inter cætera ait: *Etsi multa Christi verba & gesta scripta non sint: illa tamen scripta esse, quæ credentium saluti sufficerent*. Et rursus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, capite vltimo: *Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus claris Scripturæ testimoniis, cohibere se debet humana præsumptio*. Et HIERONYMVS in caput 1. epistolæ ad Titum: *Sine Scripturarum*, inquit, *auctoritate garrulitas nõ haberet fidem*. Et aliàs quoque, in caput 1. Aggæi, ea dogmata damnat, quæ absque Scripturarum auctoritate & traditione Apostolica proferuntur. Itaque Traditionem veteris cuiusdam historiæ, quòd Zacharias Ioannis Baptistæ pater, fuerit is, quem Iudæi inter templum & altare occiderunt, idcirco etiam idem Hieronymus, in caput 23. Matthæi, reiicit, quia *de Scripturis non habet auctoritatem*. Origenes item, homil. 26. in Matthæum, ait: *Sine Scripturæ testimoniis sensus nostros non habere fidem*. Item Constantinus in Concilio Niceno, vt Theodoretus lib. 1. hist. cap. 7. refert; *In disputationibus*, inquit, *rerum diuinarum habetur Spiritus sancti doctrina præscripta. Euangelici enim & Apostolici libri, cum Prophetarum antiquorum oraculis, plane nobis ostendunt sensum numinis, proinde sumamus ex dictis diuini Spiritus explicationes quæstionum*.

Verùm his nihil obstantibus contrariam nos omnino veritatem ex iis ipsis principiis, quæ ad suum hæretici errorem peruersè accommodant, ostendemus, eademq; opera & sententiam Catholicam confirmabimus, & eas quas adduximus argumentationes hæreticorum refellemus.

Atque vt eodem ordine ea nos principia aduersus hæreticos pro veritate vsurpemus, quo sunt ab ipsis pro mendacio perperam assumpta, sit hæc PRIMA probatio. Apostolicæ Traditiones non scriptæ, omnino concedendæ sunt, si doctrina diuinitus reuelata non omnis est consignata sacris literis. At planè non est. Igitur Traditiones eiusmodi prorsus concedi debent.

Etenim multa tanquam à Deo reuelata, ex fide credenda sunt, quæ in Scriptura aut omnino non sunt, aut non ita sunt, vt ex illa tantùm persuaderi queant, non dicam contentiosis, sed ne moderatis quidem hominibus. Id autem suprà §. 3. D. Augustini aliorumque Patrum auctoritate probaui, nuncque etiam confirmo exemplis paulò antè adductis, cùm de Traditionum differẽtia & ratione dicerem. Credimus enim & credidit semper Ecclesia, libros noui ac veteris Testamenti sacros esse; quod tamen ex Scriptura discere non possumus, sed ex Ecclesiæ Romanæ Traditione, à qua vel ipsi etiam Lutherani aliiq; hæretici libros sacros acceperunt. Vt (quemadmodum suprà §. 3. ex D. Augustini sententia istis obiiciebamus) mirum sit eos fidem Ecclesiæ Romanę in re tanti momenti adhibuisse & eidem in cæteris negauisse tam facile.

Quòd si respondeant, diuina prouidentia factum esse, vt libri sacri apud Romanam Ecclesiam seruarentur incorrupti, ac proinde non potuisse illam supposititios ac falsos obtrudere: Accipio sanè quod dicunt. Neque enim aliquid auctoritatis Ecclesiæ tribuendum est, exclusa Spiritus sancti cura & prouidentia. Sed cùm id ita sit, cur non etiam in dogmatibus aliis, quę Ecclesia eadem Romana tradit, regi illam ac protegi à Spiritu sancto concedunt, ac proinde nõ posse errare? Sed, inquit Kemnitius, in examine sess. 4. Concilij Tridentini, ostendant prius Ecclesiam Romanã esse verè Apostolicam, vt credamus ei. Optimè verò. Iam enim euidentissimè suprà id ostendimus, §. 20. & seq.

At dicent istorum aliqui fortassis, nec se, nec maiores suos (Lutherum videlicet, Caluinum, & similes hæresiarchas) ob Ecclesiæ Romanæ traditionem & testimonium Scripturam sacrã pro diuina recepisse. Vnde nam igitur illam habent? An in ipsamet Scriptura vsquam legerunt, hos libros ad numerum omnes esse sacros? Aut id habent ex reuelatione diuina sine vllo vel Scripturæ, vel Ecclesię præsentis testimonio, cuius ex auditu fides de istorum auctoritate librorum concipiatur? At suprà conuicimus, Deum sine ministerio

sterio auctoritatis humanę nequaquam de rebus fidei docere.

Sed neque dicere possunt, Scripturam recepisse se propter solum testimonium antiquioris Ecclesiæ, quæ longè antè præteriit. Non enim eius Ecclesiæ testimonium auditu ipsi percipere potuerunt. Fides autem (de tali præsertim articulo, qui quasi caput est omniũ) necesse est, vt ex auditu, hoc est, ex ministerio legitimo veræ Ecclesiæ, omni tẽpore (iuxta Christi promissiones) perdurantis, concipiatur: maximè cùm ne testificationem quidem Ecclesiæ antiquioris, nisi ab Ecclesia præsenti habere possimus. A quanã igitur Ecclesia presente Sectarij Scripturam tanquã certam & infallibilem acceperunt, si nõ eam acceperunt ab Ecclesia Romana? An ab Ecclesia illa sua inuisibili, à qua, cùm inuisibilis esset, nihil accipi potuit?

SED quandàm cauillationem potissimùm inculcat Kemnitius, vt persuadeat; nõ illico reliqua dogmata ab Ecclesia Romana accipienda esse, si ab ea Scripturas ipsas oportuit accipere. Quid enim? inquit. An ideo Synagogæ Traditiones, cõtra mandata Dei, vel olim à Iudæis fidelibus, vel etiam ab ipsis Christianis recipiendæ fuerunt, quoniam ipsas quoque Scripturas veteris Testamenti ab eadem illi Synagoga acceperunt?

Ego verò ad cauillationem istam hunc in modum RESPONDEO. Primùm, quod ad Christianos attinet, certissimum est, eos nec debuisse vnquam, neq; debere iam ob Traditionẽ aliquam ac decretum Synagogæ recipere libros veteris Testamẽti veluti Canonicos ac infallibiles. Nulla enim nos illius Synagogæ sanctione legéue tenemur, quin imo ne testimonio quidem ipsius opus habemus, vt libros illos Testamenti veteris sacros esse nobis persuadeamus, cùm abundè nobis ad eam rem sufficiat ipsum per se testimonium Christi & Apostolorum, quo eorum est auctoritas librorum commendata. Itaque hos quidem libros non propter Synagogæ Traditionem nos Christiani (nam Sectarij, ipsi viderint, vtrum Iudæi esse malint) recipimus, sed quia de illorum vsu atque auctoritate (vt etiam disputat D. Augustinus libro quarto contra Faustum, capite 2. & libro secundo de peccatorum meritis, cap. 7.) à Christo ipso & Apostolis, atque à Christi Ecclesia sumus eruditi. Id autem cùm ita sit, nondum nobis quidem monstrant Sectarij aliquam eiusmodi auctoritatem, à qua libros sacros, & non etiam alia dogmata similiter, recipere ipsi debeamus.

Quod autem attinet ad fideles ipsos, qui fuerunt ex illo populo Iudaico, itidem planè affirmo, qua ratione illi ex auctoritate Synagogæ debuerunt recipere libros sacros, consequenter etiam debuisse ex eadem auctoritate recipere eas quidẽ Traditiones, quæ similiter atq; libri sacri à Synagoga commendarentur. Hoc autem ita declaro ac probo: Libri illi sacri ea ratione ritè traditi debantur à Synagoga, quia & communi planè consensu fidelium omnium, atq; adeo totius illius Ecclesiæ, & legitimo iudicio sacerdotis, qui pro tempore in cathedra Moysis præsidebat, cõmendabantur. Et voco legitimum iudicium sacerdotis illud, quod neque ex præiudicata planè sententia illius Ecclesiæ & sacerdotum antecessorum, neque ex euidenti vitio electionis personæ, neque etiam ex diuina planè prædicatione Prophetarum, aut Christi & Apostolorum (quæ manifestè erat fide & assensione digna) clarè deprehendi posset, non iam à Pastore reuera ex auctoritate ipsi diuinitus attributa decernendi de causis etiam religionis, sed à lupo, mactante & dispergente oues, proficisci. Quodcunque enim sacerdotis iudicium tale esse manifestè aliquo modo ex dictis deprehendi non potuit, ei omnes fideles illius Ecclesiæ tanquam sententiæ Superioris sui & Præpositi ex Mosaica cathedra profectæ, acquiescere atque obtemperare oportuit, iuxta præceptum Domini, Deuter. 17. & consequenter iudicium fuit legitimum Pastoris veri, cuius videlicet opera & auctoritate Ecclesiam quoque illam Deus regi voluit.

Iam igitur, si quæ etiam Traditiones communi illius Ecclesiæ consensu & legitimo Mosaicæ cathedræ iudicio, similiter atque libri illi sacri commendabantur, eas etiam consequenter fuisse à fidelibus item recipiendas affirmo: quales profectò fuerunt quædam bonæ ac sanctæ Traditiones illius populi, quæ vel ad interpretationem ipsius scriptæ legis, vel etiam ad quendam quoque vsum (vt in confutatione secundi argumenti hæreticorum, videbimus) spectabant. Etenim vt tota illa Ecclesia erraret, sententiamque sequens ex Moysis cathedra prolatam, quam ipsa amplecti deberet (in re nimirum dubia, aut non aliter diuinitus ac manifestè præiudicata) falleretur, diuina promissio, Deut. 17. Malach. 2. obstabat. Quamobrem & Christus ipse, quęcunque dicerent Pharisæi & Scribæ ex sententia ipsius Cathedræ, fieri imperabat, Matth. 23. *Nam de malis etiam Præpositis* (inquit D. Augustinus, epist. 166.) *plebem securam faciebat, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua* (cùm scilicet agitur de re dubia, nec aliter manifestè ab ipsa Ecclesia præiudicata) *cogũtur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis*.

Atque inde etiam est, quòd licet olim Prophetæ diuinitus missi, multa contra vitia & errores, quibus subinde obstringebãtur in illo populo, cùm alij, tum etiam (vt apparet) ipsi quandoque sacerdotes, vt priuatæ personæ, qui proinde ex auctoritate illius sacerdotij & cathedræ Moysis ob infidelitatem decidebant, illiusque adeo titulum non nisi perperam sibi ad defensionem erroris vendicabant: tamen nunquam eiusmodi Prophetæ in gradum ipsum auctoritatis sacerdotum, certitudinemq; per se Mosaicę illius

Universidad de Deusto
Biblioteca

cathedræ sunt inuecti, nec aliam ipsi cathedram tanquam altare contra altare erexerunt: vt verissimè etiam Donatistis hæreticis ab Augustino, tomo 7. operum D. Augustini, cap. 4. illius libri, non longè ab initio, & ab aliis Catholicis iam olim est responsum. Sic enim in breuiculo collationis Augustini & aliorum Catholicorum cum Donatistis, legimus: *De Prophetis etiã, quia dixerãt Donatistæ non eos communicare illis, in quos mala tanta dixerunt: Responderunt Catholici, quòd vnum templum fuerit, quo vniuersi vtebantur, nec* QVEMQVAM *Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos, constituisse sibi* (audiant Sectarij) *aliud templum, sacrificia, aut* SACERDOTES.

Quæ autem dogmata seu traditiones non erant probatæ communi consensu illius Ecclesiæ, nec iudicio Mosaicæ cathedræ ita legitimo, vt antè explicaui; eæ quidem minimè idcirco debuerunt recipi ab Iudaico populo, quoniam libros sacros ab illa Ecclesia traditos, recipere is debuit; non enim illæ similiter, atque ipsi libri, neque eadem auctoritate proponebantur. Ac tales omnino fuerunt Traditiones illæ contra mandata Dei, quas Christus etiam ipse manifestè ostendit nequaquam defendi posse tanquam ex Moysis cathedra, quæq; procul dubio etiã vel manifestè ex præiudicata sententia Ecclesiæ erãt dãnatæ, vel ante ipsam certè testificationẽ Christi, legitimorum sacerdotũ iudicio minimè receptæ, sed tantùm toleratæ; sicut multæ tales corruptelæ in illo populo, præsertim ad interitũ Synagoga propius tendente, corrigi satis per sacerdotum auctoritatem non potuerunt. Item etiam eius generis fuit maximè sententia Synagogæ de Christi & Apostolorũ doctrina; siquidem propter testimonium Christi & Apostolorum, manifestè diuinum, non eam sententiam ex cathedra Moysis proficisci, sed illi potius repugnare, & quasi euanidam esse (iuxta diuinas prædictiones) iamiam moriẽtis Synagogæ vocem, omnes prudenter poterant & debebant credere.

Quæ cùm ita sint, firma prorsus nostra argumentandi forma manet, ab auctoritate videlicet Ecclesiæ Catholicæ in tradendis libris sacris ad certitudinem aliorum dogmatum, quæ eadem Ecclesia similiter tradidit: Quin imo magis etiam id argumentum nostrum, Sectariorum illa cauillatione, quam ex Traditione Synagogæ petunt, confirmatum iam est. Ostendimus enim, Iudaici etiam populi temporibus, firma quoque consequentia rationis probari potuisse, illa dogmata fuisse certa, quæ ex eadem auctoritate, & similiter atque ipsi libri Canonici, tradebantur. Quantò igitur nunc magis ea consequentia, in quæstione de auctoritate Traditionũ Ecclesiæ Catholicæ valebit, quæ & illustriores longè quàm Synagoga, de veritate promissiones habet, nec est porrò vnquam ipsa defectura vel antiquanda (sicut Synagoga) per aliquam aliam formam legitimæ religionis?

Verùm vt *alia* Traditionum non scriptarum exempla (præter ipsam Traditionem Scripturæ) de quibus suprà etiam dictum est, nunc præteream, certè quædam ob diuinam reuelationem credi debere, quæ scripta non sint, vel Lutheranorum testimonio conuincere possumus. Nam, vt Ioannes quidam Gastius, & ipse Lutheranus, in libro de erroribus Anabaptistarum, commemorat, cùm Basileæ à Lutheranis & Anabaptistis aliquando fuisset instituta disputatio: ex maleq; intellectis Scripturis Anabaptistæ colligerent, paruulos baptizandos non esse, & alia quædam id genus peruersa dogmata; non habuerunt tandem Lutherani quod contrà obiicerent, nisi communem Patrum atque adeo Ecclesiæ consensum, quæ illos Scripturæ locos aliter intellexerit, atque Anabaptistæ interpretarentur. Et certè D. Augustinus libro decimo de Genesi, ad literam, capite 23. sentit, consuetudinem baptizandi paruulos Traditione non scriptã niti.

At enim, possunt tandem (inquit Kemnitius) eius etiam generis dogmata (quod ad rem ipsam attinet) ex Scripturis confirmari, sicut etiam sunt confirmata à Patribus. Quanam obsecro ratione tandem? Nunquid clarè & euidẽter? Non certè: sed bene quidem, vt res quæ sint ipsi Scripturæ analogæ & consentaneæ, & quarum ratio atque vis, adhibita forma cuiusdam argumentationis, magis aut minus propè (vt est conditio subiectæ materiæ) ex Scriptura ipsa deduci possit. Hoc autem modo, quænam obsecro Traditio Ecclesiæ Catholicæ per Scripturam etiam confirmari non potest? At sunt etiam earum Traditionum quædam à Scriptura abhorrentes, imo pugnantes cum Scriptura. Ita quidem Sectarij ipsi iudicant. Sed Ecclesia ipsa Christi vera & Catholica, cuius iudicio qui repugnant, hæretici sunt, secus iudicat.

ACCEDIT, quòd Scriptura ipsa non obscurè declarat, verbo tenus Apostolos multa tradidisse, quæ certè omnia ipsos literis mandâsse, nunquam poterunt probare Sectarij. *Quæ audisti* (inquit Apostolus, 2. Tim. 2.) *à me per multos testes, hæc commenda fidelibus.* Et rursus 1. Tim. 6. *O Timothee, depositum custodi*, hoc est, vt pluribus verbis persequitur vetus auctor Vincentius Lyrinensis, libro contra hæreses, doctrinam quam à me audiuisti. De qua item doctrina iterum eum sic admonet: *Formam* (inquit) *habe sanorum verborum, quæ à me audisti, bonum depositum custodi.* Atq; etiã ad Thessalonicenses: *State*, inquit, *& tenete traditiones, quas accepistis, siue per epistolam, siue per sermonẽ.* 2. Thes. 2. Quo ex testimonio luculenter sanè D. Basilius, libro de Spiritu sancto, cap. 29. & Chrysostomus, homil. 4. in epistolam 2. ad Thessalon. & alij Patres, vt postea videbimus, auctoritatem Traditionum non scriptarum confirmant. Item 1. Cor. 11. *Laudo*, inquit, *vos, quòd sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis, &c.* Et ibidem: *Cætera, cùm venero, disponam.*

disponam. Ex quo etiam loco D. Augustinus, epistola 118. ad Ianuar. cap. 6. constare putat, quæ cæremoniæ in sanctæ Eucharistiæ celebratione passim, atque vbiq; similiter, in Ecclesia adhiberi sint solitę, eas à D. Paulo sine scripto traditas esse. Præterea D. Ioãnes epist. 2. versu 12. *Plura*, inquit, *habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentũ: Spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui.*

Neque dubium est, quin toto illo tempore, quo post resurrectionem Christus cum discipulis suis versatus est, & locutus *de regno Dei* (vt Lucas Actor. 1. refert) plurima Ecclesiæ salutaria eos docuerit, ex quibus pauca tamen illi literis prodiderunt. Neque verò tacuisse illos prorsus credendum est, sed viua voce pleraque ex illis Ecclesiæ tradidisse. Ioannes rursus capite vltimo ait: *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.* Sicut autem multa Christi facta scripta non sunt, ita procul dubio multa verba atque præcepta illius; quæ Apostoli minimè quidem negligenda putârint, sed ad vtilitatem Ecclesiæ viua voce tradiderint. Vnde etiam D. Paulus dictum illud Christi commemorat, ab Euangelistarum nemine scriptum: *Beatius est dare quàm accipere.* Actor. 20. Neque verba hæc solùm, sed etiam ipsa sententia planè (quidquid Kemnitius & alij Sectarij fingant) in Euangelica historia desideratur. Vbinam enim illa cõparatio in Euangeliis perspicuè significata est, nõ modò bonum esse in alios esse munificum, sed etiam melius, quàm beneficium accipere?

IAM verò, quæ ad infirmandas has Traditionũ probationes ex Scriptura à Catholicis duci solitas, Sectarij disputant, nullius profectò sunt ponderis. Contendunt, singulos quosq; Scriptores sacros noui Testamenti, eo consilio, ac in eum vsum fidei dogmata mandâsse literis, vt doctrina cælestis custodita scriptis tutior esset à commentitiarum Traditionum corruptelis.

Nos verò, quin pleraq; ab Apostolis (præsertim à D. Paulo) aduersus adulterinas Traditiones hominum, scripto disputata sint, minimè quidem negamus. Oportuit enim etiam absentes, vt & res postulabat, & occasio dabatur, ab ipsis Apostolis quandiu superstites fuerũt, scripto doceri, & de erroribus, qui erãt vitandi commonefieri, quò ita demum auctoritate Apostolica, partim scriptis, partim prædicatione Ecclesia Christi facilius coalesceret. Cęterùm id fuisse consiliũ Apostolorum, vt quidquid esset fidei dogmatũ, hoc totum scriptis mandarent, nec nisi Traditione ab ipsis scripta in Ecclesia deinceps custodiretur; planè commentum est Sectariorum vanissimum, quod probare non possunt. Quis enim locus in Scriptura noui Testamenti est, vbi vel vnus vel aliquis Apostolorum, vel omnes illi omnia fuisse scribenda significauerint? Non certè vel omnes simul, vel aliqui illorum id asseuerârunt. Quisnam illorum igitur?

Sanè discussit Kemnitius in examine sess. 4. Concilij Tridentini scripta omnia & libros noui Testamenti, vt tale aliquod testimonium de consilio eiusmodi Apostolorum inueniret, sed nihil omnino in eo genere inde proferre potuit, quo planè concludatur, omnia prorsus dogmata fidei mãdata literis fuisse, nisi quod præstigiis quibusdam, & nescio qua prolixa verbositate Lectori fucum videtur facere. Etenim cogitur ipse tandem agnoscere, nullum aliquem noui Testamẽti Scriptorem omnia fidei dogmata fuisse in aliquo libro complexum, ne ipsum quidem D. Paulum in epistola ad Romanos, quam tamen illi alioquî, propter doctrinæ copiam, appellare solent *Christianæ fidei methodum.* Hoc autem concesso (quod certè est euidentissimum) manifestè consequitur, nullum Apostolorum vel Euangelistarum vnquam significauisse omnia omnino fidei dogmata fuisse scribenda. Quicunq; enim illorum aliquid fuisse scribendum dixit, non nisi de iis fidei dogmatibus, quæ ipse scripserat aut instituebat scribere, id dixit: Sicut ex omnibus eiusmodi locis noui Testamenti, in quibus scriptionis fit mentio apparet. Lucæ 1. Ioannis 21. Actorum decimo quinto, ad Romanos 15. 1. Corinth. 5. 2. Corinth. 1. ad Galat. 1. ad Philippẽses 3. 2. Thessal. 3. ad Ephesios 3. ad Hebræ. 13. 1. Petri 5. 2. Petri 3. 1. Ioannis 1. 2. 5. &c. Ita fit, vt nullus omnino eorum Scriptorum significârit, aut dixerit, omnia dogmata fidei fuisse scribenda, sed quædam, nempe illa, quæ ipse instituit scribere. Quid igitur est, quòd ex Scriptura noui Testamenti conatur nobis persuadere Kemnitius omnia fuisse scribenda, si neque omnes, neque aliqui Scriptores noui Testamenti, neque vllus illorum id significauit, aut dixit?

At vrget Kemnitius. I. Propterea scripsisse illos sacros auctores, ne habere locum possent cõmentitiæ Traditiones, Coloss. 2. II. Significare etiam, se illa eadem scribere, quæ antea voce tradiderant, 2. Corinth. 1. & 2. III. Id fecisse vt credentes salui esse possint, Ioan. 20. IV. Non satis esse putauisse, si aliquos mitterent, qui verbo doctrinam explicarent, sed adiunxisse etiam literas, vt absentes illi, quænam esset doctrina Apostolica, certò cognoscere possent, Actor. 15. 1. Corinth. 4. 1. Petri vlt. V. Voluisse ad eos scribere, qui ab ipsis quidem Apostolis viua voce coram non erudiebantur, Coloss. 2. quales nos etiam sumus, & reliqui omnes fideles, quibus videre & audire ipsos Apostolos non contigit. VI. Si ipso tempore Apostolorum, scriptis Apostolorum aduersus fictitias Traditiones opus fuit: multò magis postremis his temporibus. VII. Vocâsse Apostolum Scripturam suam Canonẽ & Regulam, quam qui sequerentur, pacem essent habituri, ad Galatas 6. VIII. Scripsisse illum ita, vt intelligi posset mysterium Christi, atq; etiam illa, quæ extruenda essent super id fundamẽtum, ad Ephes. 3. præter quæ nihil amplius est desiderandum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

randum, &c. Hæc enim præcipua capita probationis Kemnitianæ sunt, ad quæ reuocantur omnia, quæ prolixè & verbosè de hac ille re frustrà inculcat & repetit. Quibus nos breuiter & ordine sic respondemus.

Ad I. Quòd voluerint Apostoli scriptis etiam suis confutare commentitias priuatorum hominum Traditiones; id sanè non idem est, atq; voluisse, vt nullæ exstarent cómuni Ecclesiæ auctoritate ꝓbatæ atq; custoditæ Traditiones nō scriptæ. Multum enim inter has & illas Traditiones differt: nec nos illas, sed has defendimus: nec Sectarij disputationem vllius Apostoli, aut Euāgelistæ, aut orthodoxi alicuius Patris proferre possunt, institutam aduersus communem aliquam ipsarum Ecclesiarum Traditionem; sicut iam ipsi Sectarij contra receptas à cuncta Christi Ecclesia Traditiones, ex insolentissima insania (vt postea ex Augustino audiemus) disputant. Quin imo & ipse D. Paulus communem vsum & Traditionem Ecclesiarum opponendam contentiosis hominibus existimauit.

Ad II. Frustrà isti laborant, vt ostendant illa eadem, quę ante Apostoli viua voce tradiderant, postea etiā scripsisse. Quis enim hoc negat? Quòd autem OMNIA prorsus, quæ voce tradiderunt, mandârint etiam literis, id verò est, quod nusquam (vt ante ostendi) in Scriptura noui Testamenti Sectarij legunt. Itaq; D. IRENÆVS, lib. 3. cap. 1. cùm ante dixisset, Euangelium quod *prius Apostoli præconiauerunt, postea ipsos per Dei voluntatem nobis in Scripturis tradidisse fundamentum & columnam fidei nostræ futurum*: tamen paulò post, eodem libro, cap. 2. nihilominus disertis verbis docet, solitos fuisse orthodoxos ad Traditionem Apostolicā *præter Scripturam* prouocare hæreticos, sicut suprà etiam illius verba recitauimus. Vnde perspicuè apparet nō omnia omnino dogmata, quæ ad Euangelicam doctrinam pertinent, significâsse ibi Irenæum fuisse mandata literis (vt perperam Kemnitius cōtendit) sed præcipua quædā eius capita, qualia sunt de vita & morte Christi & redemptione generis humani per ipsum facta, & reliqua, quæ ipsi certè quatuor Euangelistæ literis consignauerunt. De horum enim Scriptura duntaxat se ibi loqui declarat Irenæus (quam etiam verisimè columnam nostræ fidei atq; fundamentum appellat) non autem de omni doctrina fidei, neque etiam de tota Scriptura noui Testamenti, vt Kemnitius, in examine sess. 4. Concilij Tridentini, comminiscitur, Irenæi sententiam suo modo deprauans.

Ad III. Nec sequitur, illos libros continere omnia fidei dogmata, qui ideo scripti dicuntur, vt credentes salui fiant. Non enim vniuersa solùm fidei doctrina, sed quæcunque etiam eius pars ad eum finem traditur, atque adeo scribitur: nempe, vt credendo illam, & (quatenus id quidem necesse sit) reliquas omnes partes doctrinæ, salutem consequi valeamus. Vt pręteream plerosque Scripturæ libros ferè continere præcipuos illos articulos, quos absolutè quidem & explicitè satis est fideles scire, & credere, vt salutem consequi possint. Sed patere tamen doctrinam fidei multò, quàm illos articulos, latiùs, suprà explicauimus, §. 2.

Ad IV. Literas ad nūcios ideo Apostoli quandoq; etiam addiderūt, quoniam vel homines nimirum mittebant priuatæ auctoritatis, quā proinde Apostolico quasi sigillo communire oportuit, vt fidem certiorē mereretur; vel quia exemplum etiam Decreti, Apostolici Cōcilij, cùm pluribus absentibus cómunicandum fuit, Actor. 15. At Ecclesiæ auctoritas, qua nobis Traditiones Apostolicæ quædam non scriptæ commendantur, non priuata, sed communis & infallibilis auctoritas est, & tanquam columen firmum veritatis, cui etiam sine sigillo & literis Apostolicis fidem necesse est adhibere.

Ad V. Iam ante diximus, in illis quidem Ecclesiæ initiis, superstitibus adhuc Apostolis, omnes oportuisse, ad maiorem conciliandam doctrinæ auctoritatem, Apostolico ministerio vel voce in præsentia vel scripto in absentia erudiri. Apostolis autem vita defunctis, ipsius etiam Ecclesiæ per illos plantatæ auctoritatem clarissimā satis fidelibus esse debuisse, vt quoque crederent viuæ vocis Traditiones Apostolicas ab Ecclesia propositas atque commendatas. Itaque accipio sanè, quod profitetur Kemnitius, si tam certò cōstaret, eas, quæ nunc proponuntur Traditiones Apostolico titulo, doctrinam Apostolicam continere, quàm ipsam Scripturam, quæ pro Apostolica iam habetur, ab omnibus tales Traditiones ęquè atq; Scripturam ipsam esse recipiendas. Accipio hoc, inquam, atq; ita deinde subsumo: Omnino æquè certò vtrumq; constat: nempe eiusdem Ecclesiæ auctoritate, à qua sola similiter certò & infallibiliter accepimus, libros illos, qui Apostolorum nomine sunt inscripti, esse planè Apostolicos. Cōsequitur igitur, vel ipsis Sectariis iudicibus, Traditiones, quas Ecclesia Catholica, vt Apostolicas cōmendat, ęquè ab omnibus recipiendas esse, atq; Scripturas ipsas Apostolicas.

Ad VI. Verum quidem est, multò etiam nunc magis vsum esse posse Scripturæ Apostolicæ aduersus cōmentitias Traditiones particulariū seductorum, quæ cum vera Traditione Apostolica scripta, & non scripta pugnent. Sed vt tempore ipso Apostolorum nullus vnquam vsus fuit Scripturæ Apostolicæ contra Traditiones aliquas communi Ecclesiæ sententia & auctoritate receptas, ita neque vllis futuris temporibus esse aut potuit aut debuit: cùm eodem spiritu veritatis, omni tempore Ecclesia regatur.

Ad VII. Non modò Scriptura vniuersa, sed etiā illius pars rectè dicitur Regula fidei, & Canon, modo suo sufficiēs ad id quidē infallibiliter credendū quod tradit. Cæterùm Apostolus nusquā dixit, vel suam aliquā, vel etiam totam Scripturā

esse

esse SVFFICIENTEM fidei Regulam seu Canonem in omnibus omnino quæstionibus. Sed dogma quoddam certè quod aduersus Galatarum errorem confirmârat, rectè dixit esse fidei quandam Regulā & Canonem: nempe illud, quod his verbis expresserat: *In Christo* IESV *neq; circumcisio aliquid valet neq; præputiū, sed noua creatura*, ad Galat. 6. Tum subiunxit: *Quicunq; hanc regulā sequuti fuerint, pax super illos & misericordia.* Nempe quia & eum etiam articulum de salute per solum Christum parta vel maximè tenere necesse est, ad veram animi pacem atque iustitiam beneficio diuinæ misericordiæ comparandā. Cùm igitur Kemnitius contendit, non posse regulam fidei id appellari, quod ad omnes omnino quæstiones fidei non sufficiat: non tam contra nos contendit, quàm contra ipsum Apostolum Paulum, qui vnū quoddam fidei dogma (sicut iam dictum est) vocat etiam suo modo credēdi Regulam: quæ proinde, si materia quidem, de qua propriè est id dogma, spectetur, additamento non indiget, vt de *amussi & regula* ratiocinatur diuus Basilius libro primo contra Eunom. à Kemnitio non intellectus.

Ad VIII. Sanè, si nō ita & D. Paulus & reliqui Apostoli scripsissent, vt intelligi tandem posset, quid de Christi mysterio & reliquis fidei dogmatibus, quæ scripto tractârunt, dicerent, frustrà scripsissent. Sed qua tandem ratione hinc sequitur, omnia prorsus dogmata, quæ quomodocunque pertinerent ad structuram fidei, Apostolos tractauisse? Certè nusquam hoc illi dicunt, vt antea demonstratum est. Neque verò, si quædam intelligibiliter satis Apostolus scripsit de ipso mysterio Christi, ideo omnia omnino, quæ in Scriptura sunt illius, & aliorum Apostolorum, putare debemus esse prorsus clara & intellectu facilia. Quin imo quædam sunt, & in diui Pauli epistolis, & in aliis libris sacris intellectu difficilia, *quæ instabiles homines deprauant ad suam perditionem*, vt superiùs ex diui Petri sententia conuincimus, 2. Petri 3.

Est igitur planè commentitium, quod Sectarij dicunt, absoluto atq; perfecto iam vniuerso Scripturæ noui Testamenti Canone, nihil præterea de dogmatibus fidei superesse, quod illo nō fuerit comprehēsum, ideoq; non licere iam ad Traditionum probationem vsurpare, quod D. Paulus ad Thessalonicēses, de Traditionibus per sermonem acceptis, scripsit, cùm nōdum esset Scripturarum Canon completus. Defendimus enim hactenus, probari nulla ratione posse, quòd in ipsa etiā tota Scriptura cōprehendantur omnia.

Quæ cùm ita sint, falsissimum illud est, quod hæretici putant, Dei verbum vniuersum *sacris libris* contineri. Rectius ac verius multò de reuelata doctrina siue de verbo Dei orthodoxi docent, cùm aiunt: Dei verbum duplex esse, siue potius dupliciter illud existere; impressum & expressum. *Impressum* dicitur, vt continetur interna notitia Prophetæ vel Apostoli, quem Spiritus sanctus inspiratione sua primò docuit. *Expressum* autem, vt idem per Prophetas & Apostolos est hominibus aliis patefactum.

Hoc rursus verbū expressum esse item duplex; *Vnum*, quod dictante Spiritu sancto Apostoli aut Prophetę literis consignârunt. *Alterum*, quod viua voce tradiderunt. Proinde doctrinam reuelatā siue Dei verbum latiùs multò patere, quàm Scripturam, neque illud esse ad mutas literas alligatum.

Itaque & ante legem scriptam per Moysen, in Ecclesia fuit procul dubio doctrina reuelata aliquarum Propositionum fidei, atq; adeo Dei verbum, quod proinde viua vocis Traditione custodiebatur. Sed & Ecclesia ipsa Christiana, Apostolorum & Euangelistarum scriptis est antiquior: neque tamen illa vnquam verbo Dei siue doctrina reuelata caruit. Prius enim Apostoli Euangelium viua voce quàm scriptis tradiderunt. Vt videre est apud Eusebium, lib. 3. hist. cap. 24. & Hieronymum in Catalogo script. Ecclesiast. de Matthæo & de Ioanne, itemque apud D. Chrysostomum, homil. 1. in Matthæum. Quod ipsum diuus Lucas capite primo initio Euāgelij sui apertè indicat, cùm sic præfatur: *Quoniam multi*, inquit, *conati sunt, ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum, sicut* TRADIDERVNT *nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis; visum est mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Qua ratione igitur verbum Dei aliquando totum traditione consistebat, eadem nunc etiam quadam ex parte in Ecclesia (vt probaui) viuæ vocis Traditione conseruatur: vt eo verius sit illud, quod de Ecclesia Dominus prædixerat per Isaiam, capite 59. *Verba mea, quæ posui in* ORE *tuo, non recedent de* ORE *tuo, & de* ORE *seminis tui, amodò & vsque in sempiternum.*

Quibus rebus explicatis, nullo iam negotio conuellitur PRIMVM illud hæreticorum fundamentum suprà positum. Nam quod ex Apostolo assumunt, Scripturam, doctrinam vtilem omnia continere, id non ita intelligi debet, quasi ipsa sola propriè & per se omnia distinctè tradat, quæ vel credenda vel facienda sunt, sed quoniam quæ sunt credenda & facienda, aut ipsamet tradit, aut certè regulam indicat, ex qua ea sint discenda, nempe Ecclesiæ & Traditionum auctoritatem, quam ipsa quoque Scriptura commendat. Hoc modo Apostolus vult, & orthodoxi etiam docent, Scripturam continere quæ sunt ad salutem necessaria; vt superiùs etiam explicauimus, §. 2. Ita fit, vt suus etiam Traditionibus sit locus: atque etiam, vt ea quidem ratione, ministro Euangelij (quod vrgebat Kemnitius) vtilis Scriptura sit ad munus suum absolutè explendum: siquidem eum ipsa admonet, esse vtendum Ecclesiæ quoque & Traditionum auctoritate in functione muneris Ecclesiastici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod verò in primo illo fundamento Sectariorum ex Deuteronomio addebatur, credendum esse sacerdoti iudicanti secundùm legem & non aliter, libenter sanè id damus Sectariis. Sed duo tamen hîc eos meminisse oportet. Alterum, quod, vt paulò ante dicebamus, lex siue Dei verbum latiùs multò quàm lex siue Dei *verbum scriptum* patet. Alterum, quod nemini subditorum tamen fas erat iudicium sibi de Iudicis sui sacerdotisque definitione arrogare (cùm res aliter manifestè præiudicata non erat) num diuinæ legi esset consentanea; quin simpliciter omnes iubebantur sacerdoti de rebus controuersis aliquid statuenti acquiescere. *Qui enim*, inquit Deuteron. 17. *superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Itaque cùm sine contradictione vlla obedire homines iussi sunt sacerdoti iudicanti secundùm diuinam legem: persuadere sibi etiam diuinitus iussi sunt, eum cum de rebus controuersis iudicabat, omnino iudicare secundùm diuinam legem. Quod ipsum multò etiam maximè persuadere nobis nunc iubemur de summo Ecclesiæ Pastore, cùm ex Traditione Ecclesiastica controuersias religionis definit.

Neque verò (quod in eodem argumento addebatur) si Traditiones Ecclesiasticas sequimur, ea hominum instituta sequimur, quæ Christus repudiari vult, nempe quæ pugnent cum lege diuina. Non enim eiusmodi nos Traditiones tuemur, sed eas quæ rectissimæ sunt, & auctoritatem etiam habent diuinam. Quare neque in illud etiam præceptum: *Non addetis, &c.* Deuteron. duodecimo, ea ratione quicquam committimus. Non enim addere & detrahere, hoc & similibus locis intelligitur, nisi is, qui aliquid *contra* Dei legem vel doctrinam aut agit, aut agere prætermittit. Aliàs nec Prophetis post Moysen, nec Apostolis post Euangelistas scribere quicquam licuisset. Qua de re quoniam aliis etiam in locis multa contra Sectarios ad explicationem eius præcepti, de non addendo, disputauimus, præsertim in libro secundo & tertio de Idololatria, capite secundo, & libro primo & secundo de sacrificio Missæ, cap. 4. prob. 3. non est operæpretium hîc plura dicere.

SECVNDA probatio orthodoxæ nostræ assertionis sit huiusmodi: Si fidei ac religionis negotium doctrina tantùm scripta contineretur, magnum hæreticis ad errores in Ecclesiam inuehendos pateret ostium. Sed, vt argumento suo secundo hæretici ipsi sumunt, credendum non est, Apostolos vsque adeo apertum ostium erroribus reliquisse. Ergo minimè existimandum est, eos tradidisse omnia scripto. Id confirmatur. Nam doctrina Scripturæ, cùm (vt suprà §. 2. conuicimus) obscura sit, & multis literis inclusa, quæ neque declarare palam seipsa, neque in controuersia tueri aduersus nouarum interpretationum corruptelas potest; facillimè à contentiosis callidisque ingeniis adulteratur. Contra verò Traditio successione continua viuit in animis fidelium semper, inprimisque Catholicorum Doctorum, qui à maioribus illam acceperunt. Proinde ab hæreticis reiici quidem nequiter Traditio Ecclesiæ communis potest: adulterari autem & corrumpi, sicut Scriptura, non potest.

Cuius rei argumentum clarissimum est, quod Egesippus, referente Eusebio lib. 3. hist. cap. 32. scribit, quo tempore superstitibus adhuc Apostolis viuæ vocis Traditio magis vigebat, *eo virginem mundam & immaculatam mansisse Ecclesiam; verbi Dei temeratoribus aut nusquam omnino exstantibus, aut certè delitescentibus. Vbi verò Apostolorum chorus, et omnis ætas illa, quæ à Domino susceperat viuæ vocis auditũ, de hac luce decessit, tunc, velut in vacuam domum, falsæ doctrinæ impium se immersisse errorem; & tanquam nullus iam diuini sensus defensor existeret, nudato, vt aiunt, capite corripientes verba mẽdacij, oppugnare Apostolicam veritatem hæreticos cœpisse.*

Item huic rei argumento est omnium hæreticorum institutum, quibus nisi Ecclesiastica Traditio tam esset contraria, tamq; Scriptura facilis ad corrumpendum, non illi tantoperè oẽm Traditionem execrarẽtur, & amplecterentur solam Scripturam. *Videas*, inquit Vincentius Lyrinẽsis, *illos volare per singula quæq; sacræ legis volumina, per Moysis, per Regnorũ libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos, siue priuatim, siue publicè, siue in sermonibus, siue libris, siue cõuiuiis* (videtur de nostris in Germania Sectariis loqui) *siue in plateis, nihil vnquã de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur.* Et paulò post: *Sciunt enim fœtores suos nulli ferè placituros, si nudè & simpliciter exhalentur. Atq; idcirco illos cælestis eloquij verbis velut quodã aromate aspergunt.* Et post aliqua: *Quonam modo igitur Catholici, in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Diuinum*, inquit, *Canonem secũdum vniuersalis Ecclesiæ Traditiones, & iuxta Catholici dogmatis Regulas interpretentur.* In eãdemq; sententiã multa præclarè D. Hilarius ad Constantium, & Irenæus libro primo, capite 1. & lib. 3. cap. 2. & 3. scripta reliquerunt. Quocirca meritò Tertullianus in lib. de præscription. hæreticorum monet, aduersus illos Traditione magis quàm Scriptura agendum esse. Et Ignatius apud Eusebium libro tertio, capite 36. ea ratione docet hæreticorum vitari posse cõtagia, si diligentius Traditioni inhæreamus. Quod idem pluribus argumentis Vincentius Lyrinensis, in libro illo suo pulcherrimo sapienter admodum ostendit.

Ex quibus SECVNDVM hæreticorum argumentum facilè refutatur. Nam sine comparatione vlla plures hæretici sunt atque fuerunt, qui Scriptura ad errorem abuterentur, quàm qui cõminiscerentur falsas Traditiones. Et nos non vanas atque Apocryphas tuemur Traditiones, sed illas tantùm, de quibus legitima via rationeque (iudicio Ecclesiæ) constiterit.

Ac est planè vanissimum figmentum, quod Kemnitius, in examine sess. 4. Concilij Tridentini contendit, errores eos, qui ante scriptam legem circa verum Dei cultum religionemq; irrepserunt, prætextu Traditionum susceptos ab hominibus, atq; defensos fuisse. Vbinam enim hoc iste legit? Certè in libro Sapientiæ origo idololatriæ, quæ temporibus illis longè lateq; serpsit, nõ aliqua ementita Traditio, tanquam à primis Patriarchis accepta, esse dicitur, sed aliæ causæ eius erroris fuisse narrãtur. Quanquam si maximè homines illi Traditionem etiam maiorum, ad erroris prætextum commenti sint, quid hoc obsecro, nobis obstat? An indè statim consequitur, pari modo posse cõmuni errore ab Ecclesia ipsa probari, & retineri commentitias Traditiones?

Sic & illud etiam est Kemnitij figmentum, loco citato, quòd ait, eo consilio à Moyse & ab aliis deinceps doctrinam cælestem diuinitus mandatam literis fuisse, vt Scriptura sola vnoquoque tempore esset fidei norma, neq; vllus locus Traditionibus relinqueretur, ex quo homines occasionem sumere possent commentitias Traditiones fingendi: itemque vt non foret opus præter Scripturam ipsam peculiaribus porrò reuelationibus. Hæc dico à Kemnitio non probari, sed fingi.

Primùm enim, quod post scriptã legem nullæ fuerint, communi iudicio illius Ecclesiæ veteris, bonæ ac probatæ Traditiones, quæ vel ad cultũ, vel ad sententiam & interpretationẽ legis de fide præsertim in Christum, pertinerent; prorsus falsum est. Suppetebat enim procul dubio remediũ aliquod fœmininæ proli, etiam post scriptam legem, ad expiationem peccati originalis: neq; vsquam tamẽ id remedium scriptum in veteri Testamento reperitur. Item commemorat (vt alia omittamus) & laudat Scriptura Traditiones plures non scriptas Rechabitarum, Ierem. 35. Neque certè etiam dubitandum est, quin orandi institutum pro defunctis & maiorum Traditione Machabæi acceperint, 2. Machab. 12. cũ in lege quidem nihil ea de re sit scriptum. Deinde si libri veteris Testamenti eo consilio scripti fuerunt, vt præterea non esset opus reuelationibus; qui factum est, vt post scriptam etiam legem nunquam Prophetæ & Prophetiæ defuerint?

Scripturæ igitur veteris aliæ, pcul dubio causæ fuerunt. I. Vt ea etiam ratione, per se quoque optima, hominum saluti consuleretur. II. Vt ad plures cognitio cælestis doctrinę, propius immineute tempore gratiæ, facilius deriuari posset. III. Vt quia latissimè patebat ratio eius legis, quã Deus per Moysen sancire stabilireque voluit, de scripta esset in promptu. IV. Vt, vel ipsis Iudæis inuitis, Christianus populus aliquando copiam eius doctrinæ haberet ad comprobandam illius etiam auctoritate atq; antiquitate rationẽ Christianę doctrinæ, tanquam ex suo quodam teste & typo, &c.

Quod verò alij hæretici in illo secundo argumento addebant, Traditiones nimirũ Ecclesiasticas clãculariam, ac proinde falsam doctrinam redolere; id vanissimè ab illis dicitur. Aliud enim est, celari omnino doctrinam (quod hæretici interdum faciunt, ne illorum errores à doctioribus redarguantur) aliud, non passim vulgari totam scripto, sed apud doctiores capita quædam conseruari, aliisq; non nisi habita ratione personarũ & loci & tẽporis patefieri: id quod iam iam probabimus, plurimum expedire.

TERTIA probatio orthodoxæ assertionis: Doctrina cælestis eo modo fuit ab Apostolis Ecclesię tradenda, quo pura conseruari commodissimè posset, vt ipsi etiam vrgent hæretici. Sed talis omnino modus erat, vt nõ omnia Apostoli scripta traderent, sed quædam tantũmodo viua voce. Ergo confitendum est, sic ab Apostolis factum esse. Id verò & exemplis & ratione confirmamus. Exempla sanè quàm plurima refert Canus lib. 3. de locis Theologicis, cap. 3. ex quibus illud memorabile satis esse videtur, quod toto tempore legis naturæ ante Moysen, Ecclesia fidelium viuæ duntaxat vocis Traditionibus conseruata & gubernata est. Quod profectò Dei consiliũ optima & congruentissima ratione carere non potuit.

Sententia præterea non Hebræorũ solùm, sed etiam D. Hilarij, in Psal. 2. & Origenis, homil. 5. in Numer. est; Moysen non modò legem à Domino in monte accepisse, verùm etiam arcana quędam mysteria, quæ ad legis interpretationem & expositionem pertinerent; iussumq; fuisse, vt legẽ quidem ipsam scriberet, illius autem interpretationem viua tantùm voce ministro suo Iosue secretò traderet, vt is deinceps cum sacerdotibus aliis similiter eam communicaret, perpetua vt Traditione apud illos conseruaretur. Cui sententiæ consentaneum est, quod de Deo legimus in libro 4. Esdræ cap. 14. *Enarraui*, inquit, *Moysi mirabilia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.* Quod certè diuinum Consilium (verum enim ab illis Patribus, atque etiam in eo libro Esdræ, licet non planè Canonico, narrari videtur) ratione similiter carere minimè potuit. Nec, si occasione diuini eius cõsilij Hebræi Thalmudici ad fingendum postea falsas Traditiones quasdam abusi sunt, idcirco sua veris Traditionibus, quæ essent cõmuni iudicio populi Dei probatæ, periit (illo tempore) auctoritas. Vt neque ideo Scriptura suam amittit auctoritatem, quoniam sine cõparatione plures illius nomine quã Traditionũ titulo ad patrocinium erroris sunt abusi: magna profectò vt sit impudentia Kemnitij, quod similiter ad Traditiones communi Ecclesiæ Catholicæ iudicio probatas pertinere illa velit, quæ in commentitiis quibusdam Thalmudicorũ Traditionibus meritò reprehẽdi possunt.

Sed omissis veteribus exemplis, ostendamus rationibus, quã ob rem oportuerit, vt aliqua per Apostolos viua duntaxat voce traderentur. PRIMO, id oportuit, pterea quòd maiori in pretio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac veneratione habetur doctrina sacra, dum non omnia illius capita quibusuis de media plebe hominibus scripto euulgantur, sed aliqua apud doctiores, velut thesauri quidam reconditi custodiuntur, vt ea, quæ scripta sunt, facilius illi, vbi, & quando, & quibus opus est, exponere possint.

Hac ratione diuus BASILIVS, libro de Spiritu sancto, cap. 27. atque etiam Origenes, homil. 5. in Num. auctoritatem Traditionum Apostolicarũ non scriptarum probant, eandemque exemplo Moysis confirmant, qui nec omnibus loca omnia templi patere olim voluerit, *Probè gnarus*, inquit Basilius, *ei quod conculcatum est, & per se apprehendi potest, imminere contemptum: quod verò remotũ est ac rarum; ei naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem*.

Sic etiam D. Paulus 1. Corint. 2. delectum non mediocrem habebat earum personarum, quibus esset exponẽda diuina mysteria, ne omnia promiscuè omnibus euulgarentur. *Non iudicaui*, inquit, *me scire aliquid inter vos, nisi Christum & hunc crucifixum: SAPIENTIAM autẽ loquimur inter perfectos*. Quam etiam in docendo discretionem Timotheo commendat, 2. Timoth. 2. *Et quæ audisti*, inquit, *à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui IDONEI erunt & alios docere*. Atque idipsum diligenter monet D. Dionysius cap. 1. Eccles. Hierarch.

Neque tamen idcirco volumus, vt doctrinæ cælestis Traditiones perpetuò vulgatis hominibus ignotæ sint: sed ne, si omnis doctrinæ ratio exposita scripto atq; in promptu passim sit omnibus, contemptui pateat. Alioqui, vt postea dicemus, neminem sanè, cùm id est opportunum, celat Ecclesia Traditionum mysteria.

SECVNDO accedit, quòd Scripturam, sicut superius §. 2. demonstrauimus, obscuram esse voluit Spiritus sanctus, nec id sine magna ratione: nec verò expediebat, vt iidem sacri auctores in suos ipsi libros scriberent commentarios clariores. Oportuit igitur, vt Scripturæ sensus genuinos & proprios, Apostoli saltem viua voce traderent, vt de aure in aurem ad posteros quoque fideles deriuarentur.

Deniq; & hac ratione ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ longè melius conseruatur, si quod ad doctrinam adeoq; religionem attinet, inferiores à Maiorum & doctiorum Traditione pendeant. Quæ mihi satis esse videntur ad congruentiam quidem Traditionum ostendendam.

Ex quibus etiam facilè TERTIVM hæreticorum fundamentũ refellitur. Nam quod aiebant, vix fieri posse, vt Traditione non immutetur atque corrumpatur tandem doctrina, id profectò friuolum est. Non enim putandum est, humana tantùm industria & cura conseruatum iri in Ecclesia Traditiones Apostolicas, sed eâdem inprimis Spiritus sancti prouidentia singulari, qua regitur Ecclesia. Quocirca minimè timendum est, ne Traditionum doctrina intereat: non magis certè quàm ne Scripturam aliquãdo amittat Ecclesia. Quæ tamen ipsa, si humanam prouidentiã tantùm cogitaremus, facilè etiam ita posset interire, quomodo pleraq; veterum tum Philosophorum, tum Ecclesiasticorum etiam auctorum monimenta interierunt.

Ergo Deus, qui Traditionem fidei toto tempore legis naturæ absque vllis Scripturis conseruauit, nunc etiam & Scripturam & Traditionem haud difficilius conseruabit in Ecclesia perpetuò. Vt interim taceam, eas Traditiones fidei, quas habemus non omnino nullis in Scripturis modò conseruari. Exstant enim sparsim in veterum libris & Conciliorum voluminibus, definitionibusq; Pontificum, vt postea dicemus. Sed tamen dicuntur viuæ vocis duntaxat Traditiones, quia ab ipsis quidem Apostolis ita scriptæ non fuerunt, vt cæteri libri Canonici, sed solùm viua voce pronunciatæ. Quod autem Kemnitius inculcat, memoriæ etiam causa scripsisse Apostolos: id verò nihil planè Sectariorum causam contra Traditiones iuuat. Quid enim obstat, quò minus & ad vsum memoriæ certiorem quædam Apostoli scripserint, & quædam etiam propter alias causas (de quibus dictum est) viua tantùm voce tradiderint?

QVARTO loco, Patrum pro asserẽdis Traditionibus, auctoritas hæreticis opponenda est, vt illorum etiam fundamentum postremũ, quod ex Patribus malè intellectis constituebant, ex iisdem Patribus refellamus. Diuus DIONYSIVS Areopagita initio libri de Ecclesiastica Hierarchia expositurum se, quæ ad Hierarchicum Ecclesiæ ordinem spectant, præfatur, *secũdum sacratissima eloquia & Traditiones*. Ex quo quidem genere pleraq; de ritu & administratione Sacramentorum in illo deinceps libro docet, quæ nusquã sunt in sacris Bibliis scripta.

CLEMENS Romanus literas ad Corinthios scripsit: *Annuncians, quam in recenti ab Apostolis acceperat Traditionem*, vt de illo diuus Irenæus libro tertio capite tertio distertis verbis testatur.

Ignatius apud Eusebium lib. 3. histor. cap. 36. Facilius, existimauit, posse confutari hæreses, si diligentius ac tenacius inhæreatur Traditionibus Apostolicis. *Quas Traditiones* (inquit de Ignatio idem Eusebius) *cautionis gratia, etiam scriptas se asserit reliquisse*.

Et tamen vsq; adeo Kemnitius Traditionum odio obcæcatus fuit, vt negauerit, Ignatium eo ipso sensisse aliquas Apostolorũ Traditiones præter Scripturam necessarias esse ad perfectionem Christianæ religionis, in examine sess. 4. Concilij Tridentini. Quomodo autẽ id non sensisse Ignatium probat? Cùm enim, inquit, sub titulo Traditionum nõ scriptarum multa peregrina & falsa obtruderentur Ecclesiis, Ignatius iudicauit, necessariam

cessariam esse scriptam demonstrationem, quæ Traditiones veræ essent Apostolicæ. Hactenus tantùm de eo testimonio Ignatij Kemnitius.

Qui an non euidentissimè potius sese ipse redarguit, & testimonium Ignatij confirmat à nobis adductũ pro Traditionibus? Si enim illæ Traditiones ab ipsis Apostolis iam scriptæ exstabãt: quorsum Ignatius iudicauit necessarium esse, vt cautionis gratia, etiam scriberentur? Porrò sæpè quoq; idem Ignatius, in epistola ad Philadelph. & in epistola ad Heronem, à Traditionibus est argumentatus.

TERTVLLIANVS similiter, in libro de præscriptionibus affirmat, potius Traditione quàm Scripturis contra hæreticos agi oportere, ipseq; multas in libro de Corona militis, Traditiones Apostolicas (præsertim de Baptismo & Eucharistia) non scriptas asserit & enumerat.

IRENÆVS lib. 3. cap. 3. initiò: *Traditionem*, inquit, *Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire*. Loquitur autem de Traditione, quam paulo antè eodem libro cap. 2. in fine dixerat obiiciẽdam quoq; præter Scripturam hæreticis esse, vt suprà etiam notauimus. Item lib. 3. cap. 4. inquit: *Quid autem si neque Scripturas quidem Apostoli reliquissent nobis? Nónne oportebat ordinem sequi Traditionis, quã tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* Quo certè loco de Traditione tantùm illa, quæ est in ipsa Scriptura sacra, minimè loquitur Irenæus. Siquidem apud quoscunque hereticos etiam reperire licet ipsam Scripturam, atq; adeo Traditionem, vt in Scriptura cõtinetur. At veritatis Traditionem, quam Irenæus hîc dicit esse in Ecclesia; in ea tantummodo (quasi in quodam depositorio diuiti) vt antea ibi dicit, ab Apostolis relictam esse censet.

Ac est contra Kemnitij aliorumque Sectariorum cauillationes hoc loco obseruandũ, ad Traditionum auctoritatem testimonio Irenæi, Tertulliani, & aliorum Patrum confirmandam, omnino nihil interesse, in quibus quæstionibus hi Patres putârint Traditiones Apostolicas hæreticis opponi debere: postquàm certè constat, eos à Traditione argumentandum esse censuisse, non modò vt illa in ipsis Scripturis continetur, sed maximè etiã, vt conseruatur testificatione communi Ecclesiarum & ministrorum Ecclesiasticorum, qui legitima serie in Apostolorum locũ succedunt. Inde enim euidentissimè consequitur, sententiâ Irenæi, Tertulliani, & aliorum Patrum, ea omnia dogmata necessariò recipiẽda esse, quę communi illa testificatione ministrorum & Ecclesiarum, tanquam ab Apostolis accepta tradũtur, siue illa quidem alioquí demonstrari etiam possint ex Scripturis, siue non possint.

Nam si testificatio eiusmodi communis Ecclesiæ, iudicio istorum Patrum, per se quoq; ipsa est infallibilis, idoneaque, vt inprimis præter Scripturã hæreticis opponatur: necesse est profectò, vt eorundem Patrum iudicio, certa sint atque infallibilia quæcunq; dogmata, quæ tradantur ab illa eadem communi Ecclesiæ testificatione. Qua re diligenter animaduersa, cauillationes Sectariorum, quibus se in hac quæstione à quibusdam Patrum testimoniis expedire conantur, facilè omnes refutari possunt.

Porro CYPRIANVS lib. 2. epist. 3. ad Cęcilium, aquam miscendam vino esse in calice ex Christi institutione probat: quæ tamen institutio nusquam scripta reperitur: licet Kemnitius (fortè somnians) in examine sess. 4. Concilij Tridentini, affirmet, mixtionis huius Traditionem scriptam exstare.

ORIGENES homil. 5. in Numer. *Eucharistiæ*, inquit, *percipiendæ, vel eo ritu quo geritur, explicandæ, & eorum quæ geruntur in Baptismo, verborum gestorumq; & ordinum, atq; interrogationum, & responsionum, quis facilè explicet rationem? Et tamẽ hæc omnia*, inquit, *implemus & exequimur, vt à magno Pontifice* (Christo) *& eius filiis* (Apostolis) *tradita & commẽdata suscepimus*. Ac rursus, Tract. 29. in Matthæum: *Quoties hæretici*, inquit, *Canonicas proferunt Scripturas, videntur dicere: Ecce in domibus est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica TRADITIONE, neq; aliter credere, nisi quemadmodũ per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis*.

Item D. BASILIVS, libro de Spiritu sancto, capite 29. *Apostolicum*, inquit, *arbitror esse, etiam in nõ scriptis Traditionibus perseuerare. Laudo enim, inquit Apostolus 1. Cor. 11. vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis Traditiones continetis & obtinetis Traditiones, quas accepistis siue per sermonem siue per epistolam, 2. Thessal. 2.*

Nec minus sanè vel luculenta, vel grauis in eundem locum Apostoli est oratio D. CHRYSOSTOMI, homil. 4. in 2. epistolam ad Thessalonicenses: *Hinc patet*, inquit, *quod non omnia per Epistolam Apostoli tradiderint, sed multa etiam sine literis. Eadem fere fide digna sunt tam illa quàm ista. Itaq; Traditionem Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est: nihil quæras amplius*. Hactenus Chrysostomus.

Item D. AVGVSTINVS lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 7. *Multa*, inquit, *non inueniuntur in literis Apostolorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiã non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur*. Quod & sæpissimè Augustinus aliâs repetit.

Item HIERONYMVS passim contra Vigilantium Traditione non scripta nititur. Itemq; contra Luciferianos: vbi inter cætera hæreticos non esse rebaptizandos ait; *Quoniam ita*, inquit, *nostri tradidêre maiores*. Ibi etiam Aduersario concedit, *multa in Ecclesia per Traditionem, quæ scripta nõ sunt, auctoritatem sibi præscriptæ legis vsurpare posse*.

AMBROSIVS quoq; idem omnino agnoscit, serm. 34. qui est de Quadragesima. Et orthodoxa est planè (ne omnes recenseam) illa D. Ioannis DAMASCENI sententia, lib. 4. fidei orthodoxæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. 13. *Multa*, inquit, *sine scripto nobis Apostoli tradiderunt*.

Huc & Conciliorum auctoritas accedit, quorum quidem definitiones magna ex parte Ecclesiastica Traditione nituntur: vt præsertim videre est in septima Synodo generali. Cuius in actione septima Traditiones Ecclesiasticæ probãtur. Itaque non immeritò huiusmodi etiam Traditionum assertio in Concilio Tridentino, sess. 4. sub anathemate confirmata est.

Nunc breuiter ad auctoritates Patrum, quas pro hæreticis QVARTO loco opposuimus, RESPONDENDVM est, quod facilè à nobis iam fieri poterit, quandoquidem eorundem ipsorum Patrum, quos perperam nobis obiiciunt Sectarij, testimonia pro Traditionum auctoritate clarissima protulimus. Igitur quod ad priorem locum AVGVSTINI attinet, de his ille rebus ibi loquitur, quæ ad personã Christi, & gesta pertinebant, non de omnibus omnino Christianæ doctrinæ capitibus. In posteriori autem loco non est intelligẽdus excludere Traditiones, quas aliàs passim commendat, sed sensus verborum Augustini est, in rebus fidei controuersis argumentandum esse ex Scripturis, vel ex iis principiis certè, quæ eandem cum Scriptura, hoc est, quæ diuinam habẽt auctoritatem, non ex aliis vanis aut rationibus aut coniecturis.

Atq; eadem D. HIERONYMI mens est. Nam si is Traditiones aliquas, præter vanas, quæ cum veritate Scripturarum & doctrinæ Ecclesiasticæ pugnant, reiicere voluisset, nunquam Ecclesiastica Traditione aduersus Luciferianos & Vigilantianos passim, vt fecit, egisset.

Tantundem de ORIGENE dictum sit. Non enim is de earum Traditionũ fide dubitat, quas Scriptura etiam commẽdat, hoc est, quas Ecclesia legitimè recipit, sed de aliis argumentis, quæ diuina non nituntur auctoritate.

Atque vt superius etiam notabam, quemadmodum Theologi dicere solent, cùm in Scriptura vni tantùm diuinæ personæ attribuitur aliqua absoluta perfectio, non excludi ab ea perfectione personas alias eiusdem naturæ, sed tãtummodo creaturas: ita Patres, si quando solius Scripturæ auctoritatem idoneam esse ad fidem faciendam pronunciant; Traditiones ab Ecclesia receptas, quæ eiusdem sunt cum Scriptura auctoritatis, nempe diuinæ, minimè excludi volunt, sed alia humana priuatæq; auctoritatis vel testimonia vel argumenta.

In hanc sententiam Augustinus, libro de vnitate Ecclesiæ, cap. 3. inquit: Non audiamus: Hoc DICO, Hæc DICIS. Sed audiamus: Hæc dicit DOMINVS. Similiter loquuntur Hieronymus in Psal. 86. Chrysostomus homil. 13. in 2. Corint. &c.

Atq; eo sanè modo accipi debet Constantini testimonium, quod in illo quarto hæreticorum fundamento referebamus, & à Caluino inprimis vrgetur. Cum enim per Traditionem Ecclesiasticam definitur quæstio, vtique etiam per Scripturæ quoque auctoritatem definitur, hoc ipso quod Scriptura nobis luculenter commẽdat auctoritatem Ecclesiæ & Ecclesiasticæ Traditionis. Itaque Constantinus solum voluit à regula fidei definiendæ excludere humanas duntaxat ratiocinationes.

Vbi tamẽ obseruandũ est, quòd textus Theodoreti, lib. 1. cap. 7. non habet, *plenè*, per Scripturas definiri fidei quæstiones, sicut Caluinus recitat, sed *planè* (σαφῶς) Quin etiã, vt rectè Melchior Canus lib. 3. de locis Theologicis, cap. vlt. notat, licet Constantinus aliquid illa oratione asseruisset falsum, tamen nõ propterea debuisset illico à Concilij Patribus interpellari. Dissimulant enim illi prudenter aliqua, quæ non sunt definitionibus fidei factura aut detractura fidem.

OPPONIT præterea Kemnitius, in examine sess. 4. Concilij Tridentini, alia nõnulla veterum testimonia: sed eiusmodi tamen, quæ aut solùm continent simplicem Scripturæ commendationem, aut illam quidem sufficere significãt in quibusdam historicis narrationibus, certisque quæstionibus, ac in aliquibus fidei articulis, qui ab omnibus explicitè sciri atq; credi debent; aut fidem tantum detrahũt erroribus à Scriptura ipsa alienis, vel propriis opinionibus, quæ non modò Scripturæ, sed etiam Ecclesiæ, & Doctorum auctoritate destituantur; non autem probatis Ecclesiæ Traditionibus: sicut ex ipsa sententia Patrum iam explicatum est.

Neq; tamen quædam eius generis testimonia Kemnitius rectè citat. Verbi gratia. Dixit (secundùm veram & vulgatam iam pridem interpretationem) D. Athanasius, in oratione contra Idola, aduersus Gẽtes, initiò: Sufficere Scripturas ad veritatis *indicationem*: in articulis nimirũ illis de vno Deo, & de Incarnatione verbi, quos aduersus errores Ethnicorum Macario confirmare instituebat. Kemnitius autem nunc citat, D. Athanasium ibi dixisse, sufficere Scripturas AD OMNEM instructionem veritatis.

Item recitat hæc verba ex D. Augustino lib. 19. de ciuit. Dei, ca. 18. *Ciuitas Dei credit Scripturis sanctis, veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quandiu peregrinamur à Domino.* Dissimulat autẽ quod in eadem periodo continẽter D. Augustinus ita subiungit: *Qua* (fide) *salua atq; certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neq; ratione percipimus, neq; nobis per Scripturã Canonicam claruerunt, nec per* TESTES, QVIBVS NON CREDERE ABSVRDVM EST, *in nostram notitiã peruenerunt, sine iusta reprehensione dubitamus.* Ex quibus verbis an non clarissimũ est, ita D. Augustinũ Scripturæ sacræ suam auctoritatem tribuere, vt tamẽ etiam censuerit, communi Ecclesiæ Traditioni credendum, cuius testimonio nõ credere nõ modò absurdum, sed etiam (vt idem epist. 118. affirmat) insolentissima insania est?

Item

Item citat HIERONYMVM, quasi ita dixerit, in caput 23. Matthæi: QVIDQVID *de Scripturis sacris auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Hieronymus autem non dicit generatim, *Quod*, aut *Quidquid*, quasi etiam illud quod habeat Ecclesiæ quidem, non autem Scripturæ auctoritatem reiiciendum sit. Sed nominatim disputans contra eorum opinionem, qui *ex quibusdam*, inquit, *Apocryphorum somniis* Zachariam illum, inter templum & altare occisum, patrem ipsum Ioannis Baptistæ esse contenderunt; ita subiungit: HOC, *quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Nempe, quia Apocryphum alioqui commẽtum id est, quod neque Ecclesiæ, neq; adeo Scripturæ vllo modo habet auctoritatem.

Item redarguens idem Hieronymus in commentar. in epistolam ad Titum 1. hæreticorum in vsurpanda Scriptura impudentiam, idcirco eius testimoniis illos vti solitos esse dicit: quia *sine auctoritate*, inquit, *scripturarũ* GARRVLITAS (nempe eorundem hæreticorum) *nõ* HABERET *fidem*: Nempe quoniam alioqui auctoritate etiam Ecclesiæ, quam Scriptura commendat, tales seductores inprimis destituuntur. Kemnitius autem absolutè & præcisè citat Hieronymum ita dixisse: *Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non* HABET *fidem*. Ex qua sententia, ita præcisè posita, facile quispiam posset colligere, Hieronymũ sensisse, illud omne, quod sine Scripturæ testimonio profertur, quantumcunque alioquî Ecclesiæ auctoritate confirmatũ sit, esse velut garrulitatem quandam inanem reiiciendum, nec in materia Religionis fidem vllam mereri. Quod est alienissimum à Hieronymi sententia: vt patet ex eodem in libris contra Vigilantium, & Luciferianos supra citatis.

Item citat illa verba Epiphanij, hæresi 65. *Nos vniuscuiusq; quæstionis inuentionem nõ ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.* Et tamẽ idem ipse Kemnitius, in examine eiusdem sess. 4. Concilij Tridentini, vbi agit de Traditionibus Epiphanij, hæresi 61. paulo pòst medium, adeo agnoscit Epiphanij mentem eo loco non esse, excludere Traditiones Apostolicas non scriptas, quæ à Scriptura ipsa commendantur, vt etiam Epiphanium fugillet, quòd plus nimio eiusmodi Traditionibus *delectatus* (hoc enim iste vocabulo vtitur) *fuerit*.

Exstat enim de auctoritate Traditionum non scriptarum luculentissimum hoc Epiphanij testimoniũ hæresi 61. *Oportet & Traditione vti. Non enim omnia a diuina Scriptura accipi possunt. Quædam aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione, sancti Apostoli tradiderunt.*

Quod igitur idem Epiphanius ait, ex Scripturarum *consequentia* quæstionũ explicationem esse petendam, non sic accipi vult, quasi non liceat ex legitima Traditione, quæ parem etiam cum ipsa Scriptura auctoritatem habet, argumentari, sed quia non sunt certè ex proprio ingenio determinandæ fidei quæstiones sine infallibili aliqua auctoritate in Scripturis etiam commendata.

Item D. BASILIVS in Moralibus, summa 80. cap. 22. ita inquit: *Omne quod extra diuinitus inspiratam Scripturam non ex fide est, peccatum est.* Intelligit autem, quod ita est extra Scripturam, vt nõ sit ei consentaneum, sed potius repugnãs, quodque adeo non est ex fide, sed potius peccatũ contra fidem, dignum illo anathemate, de quo Apostolus, ad Galat. 1. inquit: *Si nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit*: Quem locum idẽ D. Basilius, eodẽ libro, summa 72. cap. 1. ad hoc ipsum propositum antea vsurpauerat. Kemnitius aũt hunc D. Basilij locũ sic recitauit: *Omne, quod extra Scripturam diuinitus inspiratam,* QVIA *non ex fide est, peccatum est.* Assuit autẽ ipse de suo illud, QVIA, vt verisimilius Lector decipi posset, quasi Basilius significauisset, hoc ipso aliquid non esse ex fide, quia non contineatur in Scriptura. Basilius autem non hoc voluit: sed dicit simpliciter, illud quod extra Scripturam non est ex fide (cùm scilicet & à Scriptura & à Traditione etiam, quæ in Scriptura commendatur, cuiq; assentiri, secundùm eundem Basilium, vt suprà vidimus, Apostolicum est) peccatum esse. Græcè Basilius eodem modo habet τὸ ὃν ἐκ πίστεως οὐ. Sed quis vbiq; enumerare facilè possit Kemnitij corruptelas, & impostũras omnes aduersus doctrinam Catholicorum?

III. RESTAT nunc, vt breuiter expediamus POSTREMVM caput de Traditionib⁹ initio propositum, qua videlicet ratione certò dignosci queat Apostolica Traditio. Quam ad rem quatuor quasi viæ certissimæq; Regulæ communiter tradi solent.

PRIMA est in Ecclesiæ auctoritate sita. Nam siquid illa tanquã Apostolicam Traditionem recipit; idque fidelibus omnibus, vt credatur, proponit, sine vlla dubitatione pro Apostolica Traditione recipiendum est. Sic Patres in septima Synodo, actione 6. imaginum venerationem, vt ab Apostolis traditam probauerunt.

Quod si verò obiicias: Ecclesiam ex Apostolica Traditione iudicare debere, tanquam ex vna quadam definiẽdi Regula; ac proinde illius munus non esse, determinare quæ sit Apostolica Traditio: facillimè id quidem expeditur. Sicut enim Ecclesia ex Scriptura iudicat, nec tamẽ ideo (vt suprà declarauimus) incommodum est, illam ipsam quoque determinare, quæ sit Scriptura sacra; ita etiam nullum incommodum censeri debet, quod eadem Traditiones Apostolicas diiudicet, ex quibus fidei controuersias determinet. Vtrumque enim Spiritu sancto suggerente certissimè facit.

SECVNDA Regula sumitur ex Patrum sententia concordi, idque dupliciter. VNO modo, si illi omnes recipiant dogma aliquod, tanquam de fi-

de, con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

de, contrariumq; damnent vt hæreticum. ALTERO modo, si expressè etiam asserant, sententiam aliquam, seu institutum, esse Apostolicam Traditionem. Quod enim alterutro modo aut vtroque illi asseuerant, nec in Scripturis alioquî est expressum; credendum est, ex Traditione manare Apostolica. Non enim possunt omnes errare, vti paulo pòst ostendetur. Ac priori quidem modo sententiâ Patrũ per Traditionem constat perpetua virginitas sanctissimæ Dei matris Mariæ. Posteriori autem veneratio imaginum, Apostolicum Symbolum, & id genus alia.

TERTIA Regula est, communis consensus fidelium, si quid illo approbari constat, quod alioquî Scriptura nõ tradit; præsertim si maius quiddam & excellentius id est, quàm vt humana auctoritate constitui potuerit. Quæ enim eiusmodi sunt, credendum est, Apostolos diuinitus inspiratos Ecclesiæ tradidisse. Quo sanè pacto per Traditionẽ probari potest auctoritas, quam habet Ecclesia dispensandi in votis, & relaxandi iuramenta. Itemq; diremptio matrimonij rati per votum solenne religionis, &c.

QVARTA, eaque latissimè patens Regula est, quam D. Augustinus, lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 24. magno orthodoxorum omnium consensu, tradit: *Quod vniuersa*, inquit, *tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolica auctoritate traditum, rectissimè creditur.* Vide etiam epist. 118. ad Ianu. cap. 5. vbi *insolentissimam insaniam* esse dicit de iis rebus disputare, quas vniuersa Ecclesia vsurpat. Ac ratio est manifesta. Quia si ante quemcunque vel Patrem vel Concilium mentio alicuius vel dogmatis vel instituti facta in Ecclesia est, initium sine dubio habuerit oportet ab Apostolis. Huius generis sunt ordines minores, Ieiunium quadragesimæ, & similia, de quibus rebus rectè mihi inter cæteros Melchior Canus lib. 3. de locis, cap. 4. scripsisse videtur.

Illud tantummodo hoc loco addam: quum dicimus, quatuor has esse Regulas cognoscendarum Traditionum, non hoc ita intelligendum esse, quasi velimus aliquas esse Traditiones, quæ tantùm ex vna vel ex altera eiusmodi Regularũ constent (constãt enim ferè omnes ex illis omnibus) tantùm volumus, quamlibet earum Regularum esse per se sufficiẽtem ad Traditionem Apostolicam cognoscendam. Quo fit, vt eo certiores sint Ecclesiæ Traditiones, quòd ex illis Regulis ferè omnibus sunt compertæ. Atque hæc quidem de Traditionibus nunc sufficiant.

DE CONCILIIS.

§. 44.

DEinde dicendum est de Conciliis. I. quæ illorum sit ratio & varietas. II. quanta auctoritas in definitione fidei.

I. SYNODI vel Concilij nomine intelligimus generatim loquendo Episcopos vel Sacerdotes in vnum locum conuenientes ad constituẽdum de negotiis Ecclesiasticis, quæ ad religionẽ pertinent, hoc est, de fide, aut cultu, aut moribus. Porro Conciliorum triplex genus est. Alia sunt OEcumenica siue vniuersalia. Alia prouincialia. Alia Episcopalia.

VNIVERSALIA Concilia dicuntur ea, quæ coguntur summi Pontificis auctoritate, præcipuos Ecclesiæ Prælatos, hoc est, Episcopos, & iis superiores Antistites conuocantis. Nec verò est opus, vt omnes omnino euocet; multoq; minus, vt omnes veniant. Satis fuerit magnam partem illorum euocari atq; congregari, vt rectè Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 2. & Ioãnes à Turrecremata lib. 3. de Ecclesia, cap. 16. declarant.

Potest autem ac solet Pontifex etiam accersere alias graues personas Ecclesiasticas (cuiusmodi sunt Generales religionũ) vt in Concilio sententiam dicant, tametsi Episcopi non sint. Itemque adhibentur alij docti viri Ecclesiastici, tantùm vt de rebus tractandis differant.

De quibus & aliis id genus rebus, quæ ad formam ac modum Concilij vniuersalis pertinent, copiosè sanè ac diligenter scriptum est à Turrecremata libro 3. de Ecclesia, cap. 6. & sequenti, & nuper à nostro Bellarmino, tomo primo, cõtrouersia quarta.

Quod autem volũt Sectarij Laicos etiam homines sacrarum literarum peritos in Concilio vniuersali adhibendos esse, id quidem prolixa refutatione non indiget. Quid enim à ratione magis alienum sit, quàm si vbi agitur de discernendis doctrinæ pascuis salutaribus à noxiis, iudicium ea de re ipsis ouibus committatur? Pastorũ hoc certè proprium munus est. Quamobrem diuus Paulus, ad Ephes. 4. officium Pastoris & Doctoris coniũxit: *Alios dedit*, inquit, *Pastores & Doctores.* Et ipse Dominus per Ieremiam, cap. 3. *Dabo*, inquit, *Pastores, & pascent vos scientia et doctrina.* Itemq; in Deuteronomio, cap. 17. *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes* (ad sacerdotes inquit) *Leuitici generis, etc.* Denique perpetua quoque fuit in Ecclesia Christiana consuetudo, vt Prælati tantùm maiores ad Concilium euocarentur, quemadmodum erudite ostendit Turrecremata lib. 3. de Ecclesia, capite duodecimo.

Porro Concilia PROVINCIALIA sunt, quæ congregãtur auctoritate Metropolitani vel Primatis euocantis Episcopos vnius prouinciæ aut regni. EPISCOPALIA verò, quæ auctoritate Episcopi conuocantis sacerdotes suæ diœcesis.

His ita breuiter positis QVÆSTIO huius loci propria ac præcipua est, qualem & quantam auctoritatem habeant Concilia in iis rebus, quæ ad fidem spectant, determinandis. Cui quæstioni breuiter duabus assertionibus respõderi potest. PRIMA. Nullum Concilium infallibilem auctoritatem definiendi per se habet secluſa Romani Pontificis approbatione. SECVNDA. Accedente

Romani Pontificis confirmatione Concilium quoduis est infallibile.

PRIMAM assertionẽ ea ratione manifestè probamus, quòd aliqua Concilia etiam vniuersalia per Pontificem non confirmata, quandoque errauerunt. Vt Ephesinum II. cum Dioscoro, à Leone quidem indictum, sed non confirmatum. Item Basileense sub Eugenio IV. vt infrà videbimus. Item Ariminẽse, sexcentorum Episcoporum cum Arrio; & Constantinopolitanum sub Leone Imperatore, trecentorum Episcoporum. Quanquam neque duo hæc postrema, Romani Pontificis auctoritate congregata sunt; vt neque quoddam aliud Pisanũ, quod à Schismaticis quibusdam Cardinalibus congregatum fuit anno Domini 1511. Atque ita ex ea etiam parte facilius eiusmodi Concilia errare potuerunt. Concilium enim vniuersale, quod à Pontifice, vniuersalis Ecclesiæ Pastore, non indicitur, ne Concilij quidem nomine dignum est, sed Conciliabulũ potius est appellandum, vt ait Pelagius, dist. 17. Can. Multis. Etenim ab omni ratione alienissimũ est, vt de iis rebus, quæ ad vniuersam Ecclesiam pertinent, cum auctoritate agatur, nisi ex eius præscripto, qui præest Ecclesiæ vniuersæ.

Ac exstant præterea pro eadem illa assertione plurima testimonia non modò veterum Pontificum, sed etiam ipsorum Conciliorum ac aliorũ Patrum, quorũ plerasq; sententias suprà in confirmatione Primatus Romani Pontificis allegauimus. Peculiariter id asserunt, Alexander I. epistola 1. Sixtus I. epist. 2. Anicetus, epist. 1. Zepherinus, epist. 1. Calixtus, epist. 1. Marcellus, epistola 1. Melchiades, in epistola vnica decretali. Iulius I. epist. 1. & 2. Damasus, epist. 3. cap. 2. & alij eiusmodi antiqui Patres, vel gloria martyrij, vel sanctitatis atq; doctrinæ laude ita clari, vt illorum hac de re testimonium, quasi ambitiosè atq; falsò & temerè propriam tantùm causam egerint, à nemine sine summa leuitate reiici possit: maximè cum illis id palam docentibus nullus illis temporibus Scriptor Catholicus, tanquam falsam sibi dignitatem arrogarent, contradixerit.

Idemq; asseritur in septima, actione 6. tomo 1. & octaua Synodo generali, actione 1. & 7. & in Synodo Romana sub Symmacho, d. 96. cap. Bene, item in alia Romana sub Damaso lib. 5. hist. trip. cap. 29. & in Concilio Florentino, in Decreto super vnione Iacobinor. &c.

Et verò Concilium Nicænum à Syluestro Pontifice: Constantinopolitanum I. à Damaso: Ephesinum à Cælestino: Chalcedonense à Leone: Omnia denique quæcunque in Ecclesia habuerunt auctoritatem, à Romano Pontifice confirmata sunt, vt superiùs etiam confirmauimus. Quod etiam testatur Paschalis Papa, ad Archiepiscopum Panormensem, & refertur, de electione, cap. Significâsti: *Omnia*, inquit, *Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt.* Et Symmachus, dist. 17. Can. Concilia, de prouincialibus Conciliis à Pontifice non confirmatis ait: *Quod quia non habent præsentiam, id est, auctoritatem Pontificis, valetudinem perdiderũt.* Qua de re multa sanè eaq; luculentissima testimonia congesit in sua summa de Ecclesia Ioannes à Turrecremata, lib. 3. cap. 32. 33. 34.

POSTREMO eadem assertio facilè probatur ex his, quæ suprà de Romani Pontificis primatu constituimus: ex quibus ita formo rationẽ: Eius tantùm est controuersias fidei cum auctoritate infallibili determinare, cuius est in Ecclesia suprema post Christum potestas spiritualis. Sed suprema hæc potestas, Romani duntaxat Pontificis est, non autem vllius Concilij etiam vniuersalis secluso Pontifice. Ergo solius Pontificis siue per se, siue conuocato ad id etiam Concilio, est infallibiliter determinare controuersias fidei, non autẽ vllius Concilij per se, secluso Pontifice.

Maiorem huius rationis propositionem confirmo tripliciter. PRIMO. Nam Christi promissiones, quibus ille pollicitus Ecclesiæ est cognitionem omnem veritatis, satis superq; adimplebuntur, si per supremam in Ecclesia potestatem, controuersiæ omnes fidei cum auctoritate infallibili definiri possint. Frustra igitur & sine fundamento in alio vel aliis, qui potestatem eiusmodi in omnes fideles supremam non habeant, infallibilis ea auctoritas assereretur. Deus enim, vt nõ deficit in necessariis rebus, ita nec illius prouidentia superuacaneè abundat. SECVNDO, probatur eadem propositio. Quoniam infallibilis definitio fidei vniuersam obligat Ecclesiam, hoc est, omnes omnino fideles. Ergo munus infallibiliter definiendi solius potestatis in Ecclesia supremæ est. TERTIO. Quia definitionem fidei infallibilem etiam ille debet recipere, qui supremâ in Ecclesia potestatem habuerit; ergo non potest illa fieri per aliquẽ vel per aliquos inferiores, qui scilicet potestatem eiusmodi supremam non habeant. Perabsurdum est enim, vt superior teneatur id decretũ acceptare, quod nec ipsemet, nec aliquis se superior faciat, sed is potius, qui illo inferior sit, & de cuius proinde facto iudicandi auctoritatem ipse habeat.

Iam confirmo similiter propositionem alteram minorem, videlicet solum Pontificem Romanũ præditum esse suprema post Christum potestate in omnes fideles. Nam quod ipse certè Romanus Pontifex supremã potestatem habeat, suprà probatum est, cùm & Euangelij & omnis antiquitatis testimoniis ostendimus, Christum præfecisse Petrum, eiusq; successores vniuersæ Ecclesiæ. At non sunt nec esse possunt in Ecclesia duæ supremæ potestates tales; hoc est, nequeunt esse quasi magistratus duo, quorum quilibet per se supremam in oẽs omnino fideles potestatem habeat. Solum igitur Romanũ Pontificem habere eiusmodi potestatem supremam, confitendum est.

Etenim, si duæ tales essent potestates supremæ, quælibet illarum, & neutra illarum esset su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prema: quod ne intelligi quidem potest. Quælibet: quoniam ita tu poneres. Neutra: quoniam vnaquæq; haberet alteram se superiorem, siquidem altera etiam esset simpliciter suprema, hoc est, super omnes omnino oues pertinentes ad Christi ouile, qualem certè potestatem superiùs probatum est Petrum & eius successores habere.

Atque hinc profectò illorum auctorum sententia manifestè reuincitur, qui Concilium vniuersale Pontifice superius faciunt. Pugnant enim illi reuera (licet non aduertentes) cum certissima fide de D. Petri ac Romani Pontificis in Ecclesia primatu. Refellunt autem eam opinionem copiosiùs Ioannes Turrecremata lib. 3. de Ecclesia, cap. 28. & 44. & Franciscus Turrianus, libris tribus de eo argumento. & Caietanus, in Tractatu de authoritate Pontificis & Concilij, cap. 7. & seq. qui mihi quidem his de rebus admodum eruditè scripsisse videtur.

Nunc prima assertione probata, facilè ex eodem fundamẽto confirmari poterit SECVNDA, videlicet quodlibet Concilium, accedente approbatione Pontificis, esse infallibilis auctoritatis. Nam auctoritas Pontificis ad definiendum, infallibilis est, vt suprà copiosè ostendimus. Sed Concilium, quod Pontificis auctoritate confirmatum est, Pontificis auctoritatem habere censetur; siue illud generale, siue prouinciale, siue Episcopale sit. Ergo quoduis Concilium à Pontifice confirmatum infallibile est, siue infallibilem auctoritatem habet. Atque hoc ipsum ostendit perpetua Ecclesiæ traditio & vsus. Etenim illi semper in Ecclesia hæretici sunt habiti, qui Conciliis à Pontifice confirmatis (cuiuscunque generis ea fuerint) damnati sunt.

Porro ex hac assertione sequitur, verum omnino esse illud, quod suprà de Ecclesia §. 16. circa septimam eius proprietatẽ diximus, & animaduertit rectè Melchior Canus lib. 5. de locis, cap. 5. videlicet, eandem prorsus auctoritatem infallibilem ad definiendum esse illam, quæ Pontifici summo, & quæ Ecclesiæ Catholicæ, & quæ Conciliis tribuitur. Neq; enim putandum est, auctoritatem vnam infallibilem habere Pontificem; alteram, Ecclesiam; alteram Concilium. Id non ita est. Quin imò illa ipsa auctoritas, quæ in vno Pontifice residet; auctoritas etiã dicitur esse Ecclesiæ; quippe cùm Ecclesia nimirum quoddam quasi corpus sit, cuius caput est Pontifex, vt proinde in ea quoque esse meritò censeatur illa auctoritas, quę in ipsius est capite. Atq; eadem item Pontificis auctoritas, Conciliorum auctoritas esse dicitur, quatenus eorum acta & determinationes ille confirmauit. Itaque Conciliorum auctoritas, vt est quidem infallibilis, non alia quædam auctoritas est per se distincta ab auctoritate Pontificis, sed eadem planè, vno quodam modo vsurpata ex multis, quibus, vt postea docebimus, potest Pontifex suam infallibiliter definiendi auctoritatem exercere.

QVÆRET autem aliquis hîc, Ecquæ sint Concilia per Pontifices confirmata? RESPONDEO, ex vniuersalibus quidem illa cõfirmata sunt, quæ in Tomis ipsis Conciliorum referũtur, Basileensi excepto. Cuius vitia & defectus demõstrati sunt à Turrecremata libro 3. de Ecclesia, cap. 100. & à Caietano, in Tractatu de auctoritate Pontificis & Concilij, cap. 8. Præterea pleraq; Concilia Romana sunt Romæ per Pontifices ipsos celebrata, quæ proinde Pontificis quoq; auctoritatem habent. Quin etiam licet non conuenerint in eiusmodi aliquibus Romanis Conciliis Episcopi variarum prouinciarum, tamen ratione Pontificiæ auctoritatis, quæ vniuersalis est, vniuersalia quodammodo dici possunt: vt notauit Turrecremata lib. 3. de Ecclesia, cap. 3.

Quod verò attinet ad alia PROVINCIALIA Concilia Episcoporum, primùm quædam ex illis sunt expresè per Pontifices confirmata. Vt Concilia Carthaginensia, & Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Sardicense, Africanum, à Leone IV. distinct. 20. Can. de libellis. Sicut etiã Trullana quoque Synodus, quæ aliâs *quinisexta* dicitur, quædam Concilia prouincialia probauit, in Canonibus additis ad VI. Synodum, Can. 2. De quibus Canonibus lege Franciscum Turrianum, in tractatu de sexta & septima Synodo, & Canum lib. 5. de locis, capite vltimo, ad quintum argumentum, & Bartholomæum Carranzam in summula Conciliorum, de Canonibus Trullanis.

Deinde reliqua Concilia prouincialia antiqua, quæ ad communem quidem Ecclesiæ notitiam peruenerunt, neq; reprobata sunt, sed potius in vsu ac veneratione apud omnes habẽtur; tacitè hoc ipso ab Ecclesia approbata cẽseri possunt, vt rectè Canus libro quinto de locis, capite quarto notat. Iam verò ex Episcopalibus vnum illud Concilium fertur per sedem Apostolicam expresè confirmatum esse, nimirum Complutense sub Alfonso Carillo Archiepiscopo Toletano, in quo errores damnati sunt cuiusdam Petri Oxoniensis, qui de clauibus & de pœnitentiæ Sacramento falsò docebat. Fuit autem Synodus hæc per Sixtum IV. confirmata.

His ita explicatis, argumenta quædam diluenda sunt, quæ contra PRIMAM assertionem probare videntur, Concilium saltem vniuersale per se infallibiliter posse sine Pontificis auctoritate definire.

PRIMVM argumentum. Concilium vniuersale Ecclesiam totã repræsentat, vt definiuit Martinus V. in fine Concilij Constantiensis; hoc est, tenet veluti vicem totius Ecclesiæ, quæ non potest videlicet alio modo congregari, nisi quatenus Prælati conueniunt, vice atq; loco fidelium omnium. Sed vniuersalis Ecclesia errare non potest. Ergo nec vniuersale Concilium, quod virtute nimirum est quasi tota Ecclesia.

Atque

Atque id rursus CONFIRMATVR. Nam saltem quando Concilio intersunt Legati Pontificis, nihil videtur deesse, quo minus Concilium habeat tanquam totius Ecclesiæ auctoritatem. Tunc igitur certè confirmatio Pontificis necessaria non erit.

RESPONDENDVM est, secluso Pontifice Concilium ἀκέφαλον non repræsentare perfectè totam Ecclesiam, ac proinde errare illud posse. Deinde, si maximè concederemus, Concilium ἀκέφαλον Ecclesiam simpliciter repræsentare, tamen ex ea re solum consequetur, omnes Patres Concilij ad vnum vsq; errare non posse, sicut nec errare possunt simul omnes fideles. At posset tamen nihilominus errare maior illorum pars, atque adeo ipsum etiam Concilium, quippe cùm ex sententia maioris partis congregatorum decreta Concilij confici soleant. Ita sanè respondet ad hoc argumentum Melchior Canus libro quinto de locis Theologicis, capite quinto. Sed prior mihi responsio magis placet, quæ est doctissimi Caietani, in Tractatu de auctoritate Pontificis & Cõcilij, cap. 9.

Ad CONFIRMATIONEM verò eius argumẽti cum distinctione respondendum est. Nam si Legati sequũtur instructionem & quasi conceptam iam ante definitionem Pontificis, quam ab ipso prius acceperint; tunc sanè eo ipso, quod Concilium habeat auctoritatem Legatorum, habet etiam ipsius Pontificis, ac proinde errare nequit: Si autem talem à Pontifice instructionem nondũ illi acceperunt, aut eam non sequuntur, errare Concilium ipsis etiam consentientibus, potest. Quia vt Turrecremata, lib. 3. de Ecclesia, cap. 6. 8. & 38. & Canus, lib. 5. de locis Theologicis, cap. 5. rectè docent, potestas ipsa Pontificis ad infallibiliter definiendum delegari aliis nequit. Quare ante Pontificis confirmationem minimè constat esse rata Concilij decreta.

SECVNDVM argumẽtum: Si infallibilitas omnis Conciliorum à Pontifice pendet; frustrà igitur illa coguntur; siquidem æquè certò ab ipso Pontifice solo posset res definiri.

RESPONDETVR, nequaquam propterea frustra institui Concilia. Quò enim maior in illis inquisitio firmamentorũ veritatis fit, ex pluriumque sentẽtia decernitur, eò in iis rebus, quas cum Concilio definit Pontifex, plus est momenti ac ponderis, vt ipsi certè homines sibi persuadere possint, verum atque ratum id esse, quod tanto studio atque diligentia adhibita, tantoque consensu definitur. Quare omnino est *saluberrima in Ecclesia* (vt præclarè D. AVGVSTINVS inquit epist. 118.) *Conciliorum auctoritas*, sapienterq; facit Pontifex, si cum ita vel hæreticorum pertinacia, vel alia grauis causa postulare videtur, non nisi conuocato Concilio rem esse definiendam existimat.

TERTIVM argumentũ. Christus ait, Matt. 18. *Vbi fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Ergo multò magis vbi tam multi congregantur.

HOC facillimè expeditur. Non enim ad infallibilem certitudinem alicuius sentẽtiæ, in quam plures in nomine Christi consentiant, locus hic Euangelij propriè accommodari debet, sed ad efficaciam consensionis plurium ad id impetrãdum, quod vnanimiter in Christi nomine petũt, si id quidem ad eorum salutem expediat. Secùs enim, non modò ex illo loco probabitur, infallibilem esse sine Pontificis assensu definitionem Concilij vniuersalis, sed etiam prouincialis, imò & Episcopalis, imò & aliorum quorumque duorum aut trium in nomine Christi conueniẽtium ad aliquid statuẽdum. Quod si ad Concilij etiam congregationem, quæ maximè fit in Christi nomine, eum Euangelij locum accommodare velimus; dicam equidem, eatenus Concilij Patribus Christum sua prouidentia adesse, vt eorum doctrina atque definitio per Pontificem confirmetur, si vera fuerit, sin autem falsa, per eundem corrigatur.

QVARTVM argumentum. Patres Concilij vniuersalis pronunciant de rebus fidei tanquam iudices: Nempe cùm dicunt: *Ita statuit sancta Synodus. Qui aliud dixerit, anathema sit, &c.* Infallibiliter igitur pronunciant. Quod ea ratione confirmari potest; quia Ecclesia vniuersa tenetur eos audire, si vt iudices in vniuersali Concilio (quod iam ostensum est) pronunciant; ac proinde, si nõ illi infallibiliter pronunciarent, tota Ecclesia ipsos audiendo posset imò teneretur errare. Quod absurdissimum est. Item, quia si vt iudices pronunciant de fide; ergo ex auctoritate diuina pronunciant. Humana enim auctoritas non videtur per se tantum valere, vt fidei materiam determinare ipsa possit. Quod si auctoritate diuina Concilij vniuersalis Patres pronunciant; consequitur certè, infallibiliter eos pronunciare: Siquidem nõ potest ab auctoritate diuina prodire vlla falsitas. Accedit quòd si Patres per se non definiunt infallibiliter, minimè censeri debebunt Iudices esse controuersiarum, sed quasi quidam tantùm Pontificis Consiliarij, quorum munus videlicet sit Pontifici proponere quidnam esse definiendũ videatur. At sunt omnino Iudices, vt antè probatum est. Infallibiliter igitur ipsi definiunt.

RESPONDEO. Quod Patres statuant in Concilio vt Iudices, non est negandum. Hinc tamen non illico sequitur, ipsos infallibiliter per se definire. Nam quod primò ad eius rei confirmationem obiiciebatur, Ecclesiam vniuersam debere eos audire, id verò non ita est, donec per confirmationem Pontificis innotescat, eos verè definiuisse. Ea verò Pontificis confirmatio cùm accesserit, iam tum vniuersa Ecclesia debebit Concilij decreta recipere, non modò quatenus Pontificis decreta sunt, sed etiam quatenus Concilij quoque auctoritatem habent. Porro auctoritas hæc Patrum Concilij, per quam scilicet de fide

Universidad de Deusto
Biblioteca

pronunciant, non est (vt deinde obiiciebatur) propriè diuina, quæ scilicet in assistentia peculiari Spiritus sancti ad definiendum, quam ipsi per se Patres habeant, consistat: sed est humana Ecclesiastica, deriuata quidem à diuina & concessa illis à Pontifice, vt ipsi nimirum solum possint ritè atque ex ordine ad totius bonum Ecclesiæ iudicare de rebus fidei, atq; adeo ita demum ad credendum Ecclesiam vniuersam obligare, si iudicium suum confirmatũ fuerit Pontificis approbatione. Vt verò ita dependenter à sententia summi Pontificis, definiant illi res fidei, satis ipsis est auctoritas illa Ecclesiastica, nec per se opus habent infallibili assistentia diuina.

Quod si propterea, quod Pontifex huiusmodi Patrum opera atque iudicio in determinanda fidei sententia vtitur, idcirco quis putet Pontificis Consiliarios eos appellari posse, non est de vocabulo magnoperè laborandum. Nam neque eiusmodi certè appellatio fundamento prorsus careret: siquidem sæpè dicitur Pontifex hoc aut illud statuere sancto approbante Concilio. Quæ cum ita sint, facilè conciliari hoc in loco possunt opiniones duæ, quas Canus, libro quinto de locis Theologicis, capite quinto, quasi dissidentes commemorat. Vna est, Concilij Patres esse Pontificis Consiliarios in fidei negotio. Altera, eosdem esse Iudices. Vtrumq; enim verum est diuersa ratione, vt ex dictis intelligi potest.

QVINTVM argumentum. Concilij Patres asserunt se in Spiritu sancto legitimè congregari: itemq; statuunt sub anathemate, &c. At nisi infallibiliter per se definiũt, arroganter id quidem ab illis vel dici vel fieri videri posset. Aut sunt igitur arrogantes, quod putandum non est, aut infallibiliter profectò definiunt.

RESPONDEO. In Spiritu sancto legitimè congregari Concilium non aliud est, quàm omnino placere Deo, vt ex præscripto Pontificis conueniant Patres ad decernendum, eisq; proinde Spiritum sanctũ assistere, vt per Pontificem postea, vel confirmantem vel emendantem eorum decreta, infallibiliter de veritate doceantur. Quod verò statuunt sub anathemate, faciunt quidem hoc illi, vt quãtum est in se, astringant hac ratione magis obligationem eam, quàm sperant per Pontificis futuram confirmationem, robur habituram. Et verò Concilia olim nisi prius accepissent sedis Apostolicæ decretum, cõtrouersias fidei non definiebant, vt ostendit Turrecremata, libro tertio de Ecclesia, capite trigesimo tertio. Quod ipsum magno argumento est, verissimum id esse quod docemus, Concilij vniuersalis decreta ante Pontificis confirmationem non habere certitudinem infallibilem.

SEXTVM argumẽtum. Suprema potestas clauium non Pontifici, sed Ecclesiæ ipsi propriè collata à Christo est. Ergo Concilium vniuersale, quod est vice Ecclesiæ, infallibiliter potest definire sine Pontifice.

Antecedẽs multis modis probari potest. PRIMO, auctoritate diui AVGVSTINI, qui sæpè affirmat Ecclesiæ datas illas claues esse, cùm datæ sunt D. Petro.

SECVNDO, quia in Euangelio Matthæi, capite decimo octauo Apostolis, qui repræsentabant Ecclesiam, sine exceptione dicit Christus: *Quodcunque ligaueritis, &c.* Quare videtur Ecclesia etiam in Pontificem ipsum habere ligandi & soluendi potestatem.

TERTIO, quia ibidem quoque Christus omnem illum, qui frater censeri potest, subiecit Ecclesiæ, atque adeo etiam ipsum D. Petrum cùm dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Et tandem: *Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

QVARTO, quia ipsum etiam Petrum remittit ibi ad Ecclesiam, cùm non minus illi, quàm discipulis aliis præcepit: *Dic Ecclesiæ.* Itaque ipse postmodum interrogat: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?*

QVINTO, quia Ecclesia potest Conciliũ congregare sine Pontifice. Vt si quando Pontifex aliquis non sine controuersia pro Pontifice haberetur. Quemadmodum euenit tempore Concilij Constantiensis: vel si fortè esset hæreticus. Quo casu posset ille etiam ab Ecclesia deponi.

SEXTO, quia cùm Pontifex sit vnus quidam homo, qui proinde videretur errare posse; consentaneum sanè erat, vt Ecclesiæ in illum auctoritas daretur, vt siquid fortè peccaret, ab ea corrigeretur.

SEPTIMO, quia id etiam est definitũ in Concilio Constantiensi, sess. 5. cuius Concilij Decreta ad fidem pertinẽtia confirmauit Martinus V. Itemq; postea in Basileensi.

OCTAVO, quia non obstat, quod Pontifex à Christo acceperit in Ecclesia primatum. Habet enim illum respectu singularum personarũ, aut etiam respectu quarumcunq; prouinciarũ, non tamen respectu totius Ecclesiæ, vt est vnũ quoddam corpus ex omnibus suis partibus simul coniunctũ: atq; adeo nec respectu vniuersalis Concilij, quod est vice Ecclesiæ totius.

NONO, quia non bene aliàs Christus Ecclesiæ suæ prouidisset, si cogeretur illa nimirum ferre Pontificem quantumuis impium, nec haberet in eum aliquam potestatem.

Atque hæc ferè sunt, quæ quosdam mouerũt, vt & Concilia esse per se infallibilia, & in ipsum etiam Pontificem auctoritatem habere disputarent. Sed ea tamen omnia mouere nos minimè debent, vt à verissima sententia superiùs probata desistamus.

Quare RESPONDENDVM ad argumentum est, omnino falsum esse Antecedens, quod in illo assumebatur, nempe non ipsi Pontifici propriè, sed Ecclesiæ toti claues à Christo datas esse. Pugnat enim hoc prorsus cum certissima fide, de

primatu

primatu diui Petri, quæ suprà multis & testimoniis & argumentis confirmata est.

Ad PRIMAM verò eius Antecedentis probationem respondetur, sententiam diui Augustini nõ esse, nisi quod accepit Petrus singulariter claues in persona Ecclesiæ tanquam illius Præpositus, in eiusdemq; vtilitatem, vt suprà §. 27. satis à nobis explicatum est.

Ad SECVNDAM probationem respondet optimè Caietanus, in Tractatu de auctoritate Põtificis & Concilij, cap. 9. potestatem illam à Christo datam esse Apostolis, vt eam quidem exercerent in quibuscunque sibi subiectis: Papa autem nõ est subiectus vlli alteri potestati, cùm ipse habeat potestatem supremam, vt suprà probatum est. Quamuis ipsemet etiam lege diuina teneatur id credere, quod in materia fidei determinat, sicut etiam illius successores.

Ad TERTIAM probationem similiter respondetur, agi nimirum ibi de fratribus subiectis. Quę profectò expositio vel ea ratione apertè confirmatur, quòd ibi nomine Ecclesiæ intelligitur etiam quicunque Prælatus, qui peccantem possit excommunicare, & quem possumus statim adire: vt auctoritate sanctorum Patrum confirmat Caietanus. Certum autem est, Prælatum non habere potestatem, nisi in sibi subiectos. Quare nõ nisi de subiectis fratribus ille locus intelligi debet; ac proinde, si quis est nulli omnino potestati in Ecclesia subiectus (vt Pontificem non esse suprà ostendimus) is ab eo loco prorsus excipiendus necessariò est.

Ad QVARTAM probationẽ respondeo, Christum ibi non cum persona Petri, vt erat futurus summus Ecclesiæ Pastor, loquutum esse; sed doctrinam tradidit in communi pro fidelibus omnibus, qui Ecclesię Prælati vnquam futuri essent, quique ab illo collegio discipulorum, cum quibus Christus agebat, repræsentabantur.

Ad QVINTAM probationem respondeo, posse quidem in illis duntaxat casibus Ecclesiam id facere, sed non ex auctoritate, quam habeat supremam & ordinariam ad omnia, quæ sint eius generis, faciẽda, sicut habet Pontifex, sed ex quadam imperfecta auctoritate, quam habet tãtùm in illis duobus casibus, ad personã videlicet Pontificis vel eligendam peculiari modo, vel deponendam, seu potius ad declarandũ, quòd à Christo deponitur, vel sit iam ante depositus à Christo propter hæresin, sicut plerique Theologi volunt. Vt neque ipsa Ecclesia propriè constituit Pontificem, sed determinat duntaxat personam, & offert illam Christo, vt ab eo demum accipiat supremam regendi potestatem. Quã de re dicemus nonnulla infrà, disp. 3. q. 13. de Schismate. p. 3.

Ad SEXTAM probationem respondetur, Pontificem in fidei quidem iudicio non posse errare, vt suprà ostensum est. Nec verò minꝰ potest Christus assistere ipsi per se Pontifici, quàm toti Ecclesię, ne aberret. Imò toti Ecclesię assistit, quatenus assistit semper Vicario suo, ne in regendo erret. Itaque minimè profectò decuit, vt Vicarij sui curam alteri alicui potestati Christꝰ committeret; sicut nec decet, vt princeps aliquis quempiam alium præficiat Vicario suo, si ei ipse præsens adsit.

Ad SEPTIMAM probationem respondetur, decreta illius quidem sessionis Concilij Constãtiensis non habere certam auctoritatem. Nam ea tantùm Martinus V. probauit, quæ essent circa fidem determinata (vt inquit) conciliariter, hoc est, adhibita prius disputatione; & sententiarum collatione instituta rectè atque sedatè, sicut fieri in Conciliis assolet. Illa verò sessio quinta Concilij Constãtiensis edita fuit importunitate tantùm quorundam Schismaticorum nõ nisi admodum tumultuariè, vt ex actis Concilij constat, & bene à Caietano, in tractatu de auctoritate Pontificis & Cõcilij, cap. 9. & ab aliis animaduersum est. Porrò Concilium Basileense nunquam fuit confirmatum: licet ante apertum sanè schisma fuerit habitũ pro legitimo, quod ad inchoationem quidem & prosecutionem eius Concilij attinebat, vt rectè quoq; notauit Caietanus, in illo Tractatu de auctoritate Pontificis & Concilij, cap. 8.

Ad OCTAVAM probationem respondetur, primatũ Petri vel maximè etiam esse erga Ecclesiam totam consideratam *collectiuè*, sicut in schola loquimur. Hoc inde patet, quòd Ecclesiæ nomen, *collectiuum* est, sicut etiã nomen *ouile*. Quare loca Euangelij, quibus Christus tradidit Petro & successoribus potestatem supremã in Ecclesiam suam, in suumq; ouile, inprimis de tota Ecclesia collectiuè intelligi debent, quomodo etiam intellexerũt semper Concilia & Patres magno numero suprà citati.

Ac discrimen diligenter perpẽdi debet, quod est inter potestatem Ecclesiasticam Christi Vicarij, & potestatem cuiuspiam alterius monarchæ seu principis secularis. Princeps enim secularis, potestatem ab ipsa cõmunitate, cui præest, mediatè vel immediatè obtinuit. Vnde fit, vt quibuslibet partibus communitatis superior sit; nõ perinde autem tota ipsa communitate coniunctim spectata, saltem in omnibus casibus. At verò Christi Vicarius supremam potestatem accepit propriè ab ipso Christo, nõ ab Ecclesiæ communitate; qua proinde non solum diuisim, sed etiam coniunctim spectata in omni casu superior est, quandiu quidem verus Pontifex manet. Iraq; quod Deus per Isaiam promisit Eliachim, filio Helchiæ, futuro veteris Synagogæ Pontifici, inquiens: *Et dabo illi clauem domus Dauid supra humerum eius* (quod est Symbolum supremæ potestatis) *& aperiet & nemo claudet: claudet & nemo aperiet. Isaiæ 22.* hoc certè D. Petrus, eiusq; successor Romanus Pontifex à Christo accipere existimãdus est, cui longè etiam luculentius claues regiminis Ecclesiastici promissæ sunt; nempe, vt quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

auctoritate eiusmodi clauiũ ipse Pontifex in Ecclesia aperuerit vel clauserit, nulla alia potestas in terris, contrà claudere vel aperire possit, quẽ-admodum eruditè persequitur Franciscus Turrianus, lib. 1. de auctoritate Pontificis, de qua re etiam suprà à nobis copiosè disputatum est.

Ad NONAM probationem respondetur, alia superesse remedia in eiusmodi casu, etiamsi non habeat Ecclesia auctoritatem coërcendi Pontificem. Primùm enim, qualiscunque sit ipse Pontifex, quod ad suam personam attinet; nunquam tamen Deus permittet, vt aliquid efficiat, quod cum Ecclesiæ pernicie sit coniunctum. Deinde variis rationib⁹ admoneri officij sui posset. Itemque assiduè esset orandus Deus, qui Ecclesiæ suæ, præsertim afflictæ, nunquam non est adfuturus. De quibus & aliis id genus remediis copiosè à Turrecremata, libro 2. de Ecclesia, capite 106. est scriptum.

VNVM ad extremum in hoc loco argumẽtum superest, quo non iam solùm videatur probari, Concilium sine auctoritate summi Pontificis errare posse (vt hactenus à nobis concessum atque defensum est) sed etiam si maximè fuerit à Pontifice summo confirmatum, putari posse fallibile (quod in assertione altera negauimus) *Scriptura enim affirmat* (inquit superbissimus ille Sectarius Kemnitius in præfat. 1. p. exam. Concilij Tridentini) *esse quædam Concilia malignãtium, quædam vanitatis, quædam impiorum. Habemus autem seuerissimum mandatum, 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Rectè igitur & necessariò is facit, qui non statim atque aliquid à Concilio quantumuis Pontificia auctoritate munito definitũ est, id putat esse infallibile, sed illius decreta potius ad normã sacræ Scripturæ exigit.*

RESPONDEO, nullum Concilium improborum tam esse plenũ vanitatis impietatisq;, quàm est hæc istius ratiocinatio vanitatis, impietatis, atque superbiæ plenissima. Quando enim est aliquis controuersiarũ exitus futurus, si etiam tum, cùm illæ ab Ecclesia, Ecclesiæque Pastore Christi Vicario in Cõcilio OEcumenico cõstitutæ sunt, priuato cuiuis liceat ad Scripturæ normam, hoc est, ad propria somnia de Scriptura, Concilij decreta reuocare? Cæterùm, ne rursus repetam, quę sunt suprà satis abundè pro auctoritate Pontificis siue per se, siue vnà cum Concilio definientis disputata, ad id nunc propriè quod est obiectum respondeo; cùm à legitimo Ecclesiæ Pastore Concilium aliquod confirmatur, satis hoc ipso nobis probari, non illud esse vanitatis aut impietatis Concilium, sed Ecclesiæ Christi legitimæ, quæ columna & firmamentum est veritatis. Nec enim cùm Deus omnes iubet probare spiritus atque doctrinam, vtrum ex Deo sit, tam ex ratione ipsa per se doctrinæ, quàm ex conditione, auctoritateque Doctorum, eius rei iudicium vult fieri. Pertinet enim id præceptum ad omnes: Ex *ratione* autem ipsa per se doctrinæ diiudicare num ea sit à Deo, quàm pauciss imi possunt: Ex *vocatione* verò, ex auctoritate atque conditione Doctoris omnino omnes possunt. Itaq; modum Christus ostendens de doctrina iudicãdi ad Doctores ipsos attendi vult: Matth. 7. *Attendite*, inquit, *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos* (vltro scilicet, sine ordinatione vocationeq; diuina) *in vestimentis ouium, &c.*

Tum igitur doctrinæ spiritum ex Deo esse satis (vt dixi) intelligimus, cùm à legitimo Ecclesiæ Pastore, præsertim Concilio inferiorum etiam Antistitum assentiente, proponi eam animaduertimus. Hìc quisquis non acquiescit, sed vlterius iudicium sibi in suos Iudices arrogare vult, in disputationemque reuocare veráne sint, quæ definita sunt ab Ecclesię Præpositis, per quos nos Spiritus sanctus doceri voluit, non vtique exequitur, sed transgreditur superbè ac contumaciter modum probandi Spiritus à diuina lege præscriptum, planeq; conuincitur esse hæreticus, nisi omnino negandum sit, vllos vnquam in mundo exstitisse hæreticos. Quis enim aliquando hæreticorum fuit, qui non vteretur hoc ipso prætextu & modo, nempe ad Scripturæ normam (vt isti dicunt) exigendo, quæ ab Ecclesiæ Prælatis essent proposita fidelibus ad credendum.

At illi veteres hæretici (inquiunt nunc isti noui) falsò ac perperam id examen doctrinæ instituebant. Cuiusnam obsecro id iudicio? Certè nó nisi eorundem Ecclesiæ Prælatorum, aliorumq; Orthodoxorum, quibus contradicebant. Ipsi enim hæretici, quicunque olim exstiterunt, non minus profectò pertinaciter, quàm hodie Sectarij, in sententia persistebant, perpetuoq; contendebant, se id ipsum docere planè, quod in Scriptura contineretur. Cùm igitur hodie etiam Sectarij, iudicio similiter Ecclesiæ Præpositorum, aliorumq; omnium quibus contradicũt, perperam etiam iam examen instituant eorum, quæ in OEcumenico Cõcilio definita sunt, pfectò consequitur, illos eodem ipso modo atq; ratione esse hæreticos, qua fuerunt vnquã ij hæretici, qui sine controuersia olim hæretici fuerunt.

Nam quod rursus ex desperatione quadam dicunt, non esse legitimam Ecclesiam illam, cuius à Præpositis ipsi condemnantur: Similiter hic interrogandi sunt, quorumnam illa iudicio Ecclesia legitima nõn sit? Certè non nisi ipsorum Sectariorum. Atqui similiter etiam Ecclesia illa vetus, cuius à Præpositis hæretici veteres condemnabãtur, iudicio quidem ipsorum hæreticorum, legitima Ecclesia non erat. Et tamẽ quoniam ab illa Ecclesia damnabantur, quæ ante ipsos in orbe pro legitima Ecclesia habita fuerat, & adhuc à cæteris omnibus præter ipsos habebatur, verissimè illi fuerũt hæretici. Cùm igitur similiter hodie Sectarij ab eius Ecclesiæ Præpositis in Concilio damnati sint, quæ ante ipsos in orbe pro legitima Ecclesia habebatur, & etiamnum ab omnibus præter ipsos habetur; profectò consequitur,

eos si Concilio repugnare pergant, illo eodẽ modo ex omni parte esse hæreticos, quo hæretici olim veteres, hæretici fuerunt. Tantummodo enim iudicio suo proprio hæretici non sunt; quo quidem pacto nec vlli vnquam in mũdo hæretici fuerunt: nec tamen propterea satis illi ab hæresis nota absoluti sunt, sed multò etiam magis *iudicio suo proprio cõdemnati*, (hoc est, ob eam pertinaciã) sicut inquit Apostolus, ad Tit. 3.

Quæ sanè omnia sapienter admodum cõsiderata olim esse apparet, tum à religiosissimo Imperatore Martiano, tum etiam ab iis, qui suasores ei fuerunt; vt seuerissima lege, quę & hodie exstat in Codice, de summa Trinitate & fide Catholica, lege *Nemo*, caueret: *Ne quis*, inquit, *in Synodo semel iudicata & rectè disposita, disputando reuoluat, tumultus aut perfidiæ occasionem inde quærens.* Cuius Imperatoris & illa etiam in actis Concilij Chalcedonensis, actione 3. referuntur hac de re verba: *Cessset iam*, inquit, *prophana cõtentio: Nam verè impius et sacrilegus est, qui post tot sacerdotũ sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit* (examẽ Kemnitij) *mendacium quærit.*

At *religiosissimus Imperator* (inquit Examinator ille Concilij, in præfatione primæ partis examinis) *quæ rectè disposita sunt*, non esse in disputationem reuocanda dicit. Item ait: *Post veritatem repertam. Inter nos verò* (inquit iste) *ardua illa quæstio cõtrouertitur, an ea, quæ in Synodo Tridentina iudicata sunt, rectè sint disposita? An de cõtrouersiis horum temporum veritas sit ibi reperta? Et de his*, inquit, *disputationibus non quærimus tumultus & perfidiæ occasionẽ, quod Imperator Martianus rectè prohibet.*

SED quæro ego nunc ab egregio isto examinatore, vel si illum respondere pudebit, ab iis, qui examen illud ipsius passim in Germania legunt, quæro, inquam, vtrum post repertam in Synodo veritatem, iudicio etiam quorumuis aliorum, an verò iudicio quidem ipsius Synodi, Martianus ibi prohibuerit, præterea de rebus definitis disputationem instituì? Certè nisi velimus ridiculum planè Martiani decretum facere, confiteri oportet, eum post repertam veritatem, iudicio quidem ipsius Synodi, disputationes eiusmodi prohibuisse. Eas enim procul dubio disputationes prohibere voluit, quas solent nimirum hæretici contra iudicium Synodi præterea instituere, dum ipsi quidem non iudicant veritatem in Synodo repertam esse, aut omnia ibi esse rectè disposita. Ac propterea Martianus addidit (quod falsariè, in illa præfatione secundæ partis examinis Kemnitius suo more, in recitatione illius decreti prætermisit) *Impium & sacrilegum esse, qui post tot* SACERDOTVM *sententiam* OPINIONI SVÆ *aliquid tractandum relinquit.* Item: *Extremam dementiã esse in medio die* (hoc est, in luce doctrinæ per Synodum monstrata) *commentitium lumen* (per vlterius videlicet EXAMEN) *inquirere.*

Si enim tantummodo Martianus prohibuisset, ne quis, postquam ipse etiam iudicet, veritatem in Synodo repertam esse, de rebus ibi definitis disputaret, nemo nõ videt, quàm fuisset Martiani decretum non modò ridiculum, vt ante dixi, sed planè etiam nullum. Quotus enim quisque hæreticorum (quorum ibi Martianus coërcere voluit audaciam) est, qui iudicans ipse verum id esse, quod in Concilio definitum sit, de eo præterea contentiosè disputet?

Cùm igitur examinator Cõcilij Kemnitius negare non possit, quin contra ea disputet, quæ iudicio quidem eius Synodi, quam oppugnat, vera sunt rectèq; disposita; fateri etiã prorsus & ipse & quotquot habet sibi assentiẽtes coguntur, legem se planè religiosissimi (vt appellat) Martiani Imperatoris violare, eiusq; adeo Imperatoris, aliorumq; Patrum veterum iudicio, tam verè se hæreticos esse, quàm fuerunt illi, quorum pertinacissimã contumaciam seueritate illius legis coërcendam esse antiquitas exstimauit.

Atque eadem omnino ratione euidentissimè demonstramus, non nisi *mendacium* istos, *occasionemq; perfidiæ* (vt Martianus inquit) post definitionem Concilij disputando quærere. Hoc enim quærunt ij, qui contra veritatem, sententiâ quidem Synodi, repertam disputant, vt ostensum est: id quod isti nunc pertinacissimè faciunt. Cuius rei cõsideratio certè vel sola sufficere prudentibus hominibus deberet, vt tandem euigilarent aliquando, apertisq; oculis clarissimè hæresum laqueos intuerentur, quibus Sectariorum Prædicantium fraude atq; perfidia implicati tenentur. Sed satis hactenus, vt arbitror, pro instituto nostro, de Conciliis dictum est.

DE CONSENSV DOCTORVM, §. 45.

IN definiendis controuersiis fidei, concordis etiam sententię Patrum siue Doctorũ omnium, idcirco habèri ratio debet, quia quod illi vnanimi cõsensu circa religionẽ tradunt, infallibiliter verum est. Sunt namq; illi diuinitus Ecclesię dati, *vt non circumferamur omni vẽto doctrinæ*: sicut Apostolus docet, Ephes. 4. Ex quo loco formare possumus hanc rationem: Quod vniuersi Doctores vnanimi consensu tradunt, id sibi vniuersa potest ac debet persuadere Ecclesia; vt colligitur ex eo loco Apostoli. Sed quod vniuersa Ecclesia potest ac debet credere, id infallibiliter verum est, vt suprà sæpè probatum est. Ergo quidquid vniuersi Doctores tradunt, id est infallibile.

Accedit quod id sunt (propter doctrinæ lumen) Doctores in Ecclesia, quod sunt oculi in corpore humano. Sed quod oculus videt, aut nõ videt, id corpus ipsum videre, aut non videre meritò cẽsetur. Ergo similiter quod vniuersi Ecclesiæ Doctores sentiũt, id Ecclesia ipsa sentire con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

senda est. Nihil autem Ecclesia vniuersa sentire potest, nisi verum, cùm habeat illa perpetuò veritatis spiritum sibi assistentem. Nihil igitur nisi verum vniuersi Ecclesiæ Doctores docent.

Vnde & ipsa Scriptura (Eccles. 39.) censet, sapientis esse, non modò *in Prophetis vacare*, sed etiã *antiquorum omnium sapientiã exquirere, & narrationem virorum nominatorum conseruare*. Et sapienter etiam ac piè S. AVGVSTINVS lib. 2. contra Iulian. sub initium, de S. Patribus pronunciat, *oportere vt populi Christiani potius eligãt eis adhærere*, quàm aliis, qui contrà doceant. Nam vt idem Augustinus de iisdem Patribus in illo libro circa finẽ ait: *Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt*. Itaque non est vllo modo ferenda arrogantia Sectariorum, si vbi constiterit, sanctos Patres Catholicis hodie in fidei cõtrouersiis contra Sectarios suffragari, velint isti, populum Christianum sibi potius assentiri, quàm sanctis Patribus. Nec propterea tamen sententiam Patrum anteponendam censemus Scripturę sacræ (vt cauillantur Sectarij,) sed sentẽtiæ ac interpretationi Sectariorum de Scripturæ sensu.

Non enim quæritur, an si Sectarij, consentiente ipsis Scriptura sacra, asserant aliquid, sit eis potius assentiendum, quàm Patribus si contrarium pronuncient sine Scriptura sacra, aut etiam ea repugnante. Quis enim nescit maiorem esse auctoritatem Scripturę, quàm Patrum? Sed quęstio est, an si Sectarij asserant aliquid, iudicantes id esse Scripturæ sacræ consentaneum, & sancti Patres contrarium pronunciant, itidem iudicantes se Scripturæ sacræ consentanea loqui (vt vtique iudicant, non enim voluerunt vnquã Scripturæ aduersari) debeat populus Christianus eligere, sanctis potius Patribus adhærere, quàm Sectariis. In hac quæstione pronunciat & ipsa Scriptura, & S. Augustinus, & ipsa etiam naturalis prudentiæ ratio, potius vtique assentiendum & adhærendum esse sanctis Patribus, qui Catholicis suffragantur, quàm Sectariis.

Neq; verò obstat, quòd hic aut ille Pater potuit errare, aut etiã aliquãdo errauit. Nam primùm, Catholicis, in quæstionibus quidem hodie controuersis non vnius vel alterius tantùm, sed communes omnium Patrum sententiæ suffragantur, in quibus scilicet illi omnes apertè consentiunt, aut nemo illorum repugnat; quod certè fecisset eorum aliquis in re singulari & falsa. Consentiens autem omnium Patrum seu Doctorum sententia infallibilis est, vt iam probatum est.

Deinde non sequitur, si hic aut ille Pater potuit errare, aut etiam errauit, iam quoque ipsum errâsse in hac etiam vel illa quæstione, quæ nobis sit hodie controuersa cum Sectariis. Nam etiam ipsi Sectarij sunt homines, & possunt ac potuerunt errare, & fuerunt aliquando falsi (nisi fortè Deo se æquiparant, qui nunquam fallitur) & tamen nolunt de se putari, quòd in hac etiam vel illa quæstione nunc controuersa fallantur.

Quæritur itaque an hodie in controuersiis fidei Christianus populus debeat potius assentiri S. Cypriano v. g. aut S. Augustino, iudicanti sententiam suam esse sententiam Scripturæ, quàm Luthero vel Caluino, aut cuiuis alij Sectario idem de sua sententia existimanti; non obstante, quod tum Lutherus & Caluinus, tum Cyprianus & Augustinus potuerint falli, & fuerint aliquando in aliis rebus falsi. Hìc ex iudicio tum Scripturæ, tum Augustini, tum ipsius naturalis prudentiæ rursum pronunciamus assentiendum potius S. Cypriano v. g. & S. Augustino aliisq; Patribus; Atque etiam arbitramur, magnam esse tum Sectariorum ipsorum arrogãtiam, quod à Christiano populo sibi potius credi postulent, tum illorum stultitiã, qui existimant istos melius quàm sanctos Patres Scripturam intellexisse.

Si enim hodie Lutheranus etiam vel Caluinianus aliquis prudenter facere iudicaretur, in controuersia quapiam iuniorum Sectariorũ de Scripturæ sententia, credendo potius Sectario alicui seniori & celebriori; quanto quæso meliori iure quisq; crèdet potiꝰ antiquis & sanctis & celeberrimis Patribus, quàm vel Luthero, vel Caluino, vel vlli ex Sectariis? Certè hæc ipsa cõsideratio nõ immeritò oẽs cuiuscunque ordinis Protestantes pmouere posset, vt in controuersiis fidei inquirerent saltẽ, à qua parte staret sentẽtia Patrum (Catholicorúmne an Sectariorum) vt ea re cognita, statim absq; alio examine amplecterẽtur doctrinam eam, quã iam olim sanctissimi Patres iudicâssent & verã, & Scripturæ sacræ consentaneam esse: Pręsertim quando, vt dictum est, concors esse in hac re dignoscitur sentẽtia Doctorum omnium Ecclesiæ, ac proinde infallibilis.

Sed vt penitus intelligatur hoc quod asserimus, infallibilem esse sententiam concordẽ Doctorum omnium Ecclesiæ; & proinde eâ Pontificem in definiendis fidei rebus niti posse; duo præterea explicare oportet. PRIMO, quinam omnino in proposito censeri debeant Ecclesiæ *Doctores*. SECVNDO, quinam quoque censeri debeant Doctores *omnes*.

Et quod ad PRIMVM attinet, assero inprimis eos censendos esse in ꝓposito Ecclesię Doctores, quos iam inde à tempore Apostolorũ variis ætatibus Ecclesia tanquã Patres venerata est, ac fidei magistrorum loco habuit, quorũ exstant illustria doctrinæ monimẽta. Deinde etiam illos omnes, quos habet quauis ætate præsentes. Ac priorum quidem illorum sententiam cõcordem à Spiritu sancto esse profectã, atq; adeo esse infallibilem, eò certius apud nos esse debet, quò minus videtur potuisse humanitus fieri, vt tot talesque viri doctissimi & sanctissimi, qui tam variis locis ac temporibus vixerunt, in eandem sententiã conuenirent, quemadmodum rectè expendit D. Augustinus lib. 1. & 2. contra Iulianum.

Ac de his quidem loquitur D. HIERONYMVS, cùm super illa verba Apostoli ad Philemonem: *Audiens fidem, quam habes in Domino Iesu, & in omnes Sanctos*; sic inquit: *Non est in Deum perfecta fides illa, quæ infidelitate erga ipsius ministros extenuatur*. Ad illos quoque idem Hieronymus accommodat illud ex libro Ecclesiastis, cap. 12. *Verba sapientum, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorũ consilium data sunt à Pastore vno: iis, fili mi, ne amplius requiras*.

Itaque meritò in Pontificum & Conciliorum deliberationibus, cùm aliquid fuit definiendum, concors Patrum sententia, verissima atq; infallibilis semper est habita. Qua de re plurima testimonia diligenter sanè collegerunt Thomas VValdensis, lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 22. & 23. Canus lib. 7. de locis Theologicis, cap. 3. Et exstat demum hac de re post aliorum Conciliorum decreta, Concilij Ephesini definitio, teste Vincentio Lyrinensi in libro aduersus hæreses. Et in sexta Synodo, actione 17. & 18. Et Concilij quoque Tridentini, sess. 4. Quod vetat Scripturam exponere contra vnanimem consensum Patrum, vt qui sit prorsus infallibilis.

Addidi verò, cùm dicimus, concordem sentẽtiam omnium Doctorum esse infallibilem; intelligẽdos etiam in proposito esse Doctores omnes Catholicos, quos *vnoquoque tempore præsentes* habet Ecclesia. Quod ita probo: Ecclesia quouis omnino tempore, quasi corpus quoddam perfectum atq; absolutũ est, quod suos ꝓinde oculos omni tempore habet, suumq; spiritum veritatis, instar animæ, perpetuò secum manentem, membraq; ipsius, pro conditione cuiusq; illorũ vegetãtem. Sed, vt probatum est, Ecclesiæ quasi oculi sunt Doctores, quorum conditio ea est, vt nunquam omnes circa religionem errare possint. Ergo quouis tempore in Ecclesia Doctores esse existimandum est, qui à Spiritu sancto eum quasi vitæ influxum percipiant, vt nunquam omnes à superiorum Patrum & Doctorum concordi sententia, atque adeo nec à vera doctrina fidei, vel ipsi aberrent, vel alios auertant.

Quanquam fatendum est tamen, rarò accidere posse, vt quę sit Doctorum omnium, vno tempore viuentium, de religione sententia, satis cognoscatur. Sunt enim Catholici Doctores in Ecclesia vbique diffusa plurimi, qui proinde oẽs nec facilè congregari, nec interrogari possunt, quid sentiant. Illud solùm assero, vbi contingeret, notam esse Doctorum huiusmodi omnium de re aliqua controuersa concordem sententiam, posse ac debere Pontificem in fidei definitione illa niti.

Fit autem frequentius, vt in definiendo nitatur Pontifex sententia concordi eorum Doctorum, qui variis ætatibus religionem suis scriptis illustrauerunt: eo quòd hi, & celebriores, nec ita multi sunt. In quorum sanè numero scholasticos Doctores omnino ponẽdos iudico, quod attinet ad propositum. Nam & hi quoq; fuerunt Catholici ac celebres, & idẽ quod Patres illi alij, tametsi diuersa ratione, de Religione tradiderunt.

Solùm est in eo discrimẽ, quòd si quid vniuersi Patres de Religione tradunt concorditer, id statim, tanquam dogma commune Doctorum omnium, qui variis ætatibus vixerũt, recipitur, quoniam illud etiam scholastici Doctores (saltem pro maiore parte) recipiunt, vt qui in materia fidei atq; religionis sanctos Patres duces sequuntur. At non vicissim quicquid scholastici Doctores concorditer tradunt, id existimandum est Ecclesiæ alios Doctores omnes, qui variis ætatibus vixerunt, tradidisse. Multa enim Scholastici ad doctrinam Patrum explicatius addiderunt. Atq; hæc caussa est, cur sanctorum Patrum omnium dogma illico censetur esse infallibile; dogma verò omnium Scholasticorum non item, nisi quoque omnium Patrum fuerit. Etsi negare quidem commune placitum Doctorum scholasticorum valde sit temerarium.

SED RESTAT præterea exponendũ, quinam in proposito existimandi sint *omnes* omnino Doctores; cùm illorum etiam concordi sententia Põtificem niti posse asserimus. Nam qui sint *Doctores* hoc loco intelligẽdi iam diximus. Quinam igitur *omnes* esse censeri debẽt? Quod sanè perinde quæri potest, siue de iis sermo sit, qui variis ætatibus de Religione scripserunt, siue de iis, qui vnoquoq; tempore in Ecclesia viuunt.

RESPONDEO, Doctores omnes in proposito dici, non omnes mathematicè tantùm loquẽdo, id est, nullo planè excepto, sed etiam moraliter. Quo quidem pacto omnes esse censentur ij, quorum auctoritatis pondus tãtum est, circumstantiis omnibus consideratis, eruditionis, pietatis, multitudinis, &c. vt à prudentibus certè eorum solũmodò ratio haberi debeat, cæteris neglectis, quasi nihil sint, si cum illis conferantur.

Atq; hoc rectè mihi videtur Vincentius Lyrinensis, libro contra hęreses, attigisse, cùm inquit: *Consensionem verò Doctorum sequemur, si in ipsa vetustate, sacerdotum omnium, aut penè omnium, & magistrorum iudicium atq; sententiam sectemur*. Ita via nobis patebit vrgendi errantẽ Doctorem vnum aut alterum, aut etiam plures auctoritate reliquorũ. Quod si per sententiam Doctorum aliqua fidei controuersia non satis cõmodè componi posset (eo quòd de illorum consensu non apertè cõstaret) sua tunc cõstat auctoritas Pontifici, vt cõsultis aliis ad definiẽdum regulis, de quibus ante est dictum, Ecclesiæ proponat quid sit sentiendum. Quod munus ad nullũ alium prꝫterquã ad legitimũ Ecclesię Pastorẽ spectat, vti suprà ostẽsum est.

Neq; verò, quòd Patres, atq; Doctores Catholici, homines sint, obstare debeat, quo minus à Spiritu sancto ita dirigãtur, vt errare omnes quidem non possint in materia religionis. Nam & Prophetę, & Euangelistæ, homines fuerunt: & tamen illorum sentẽtia meritò habetur infallibilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nempe, quia etſi homines eſſent, tamẽ cùm Spiritu ſancto dictãte ſcriberent, errare minimè potuerunt. Quanquam eſt quidem inter Scriptores ſacros & alios Eccleſiæ Doctores diſcrimen. Attamen id diſcrimen ad rem, de qua nunc quidem agimus, prorſus nihil pertinet. Solum enim volumus, ſicut ſcriptores Canonici, tametſi homines eſſent, Spiritu veritatis dirigi ſuo modo potuerunt, ne vnquam erraret illorum aliquis: ita etiam ab eodem Spiritu dirigi Doctores modo quodam ſuo, ne illi omnes errent.

Quod verò addunt hæretici, Patres interdum errauiſſe, ac inter ſe pugnare, id nihil nobis obſtat. Nec ſingulorum Doctorum auctoritatem vt infallibilem aſſerimus, ſed concordem omnium. Ac quãtum etiam ſingulorum ac plurium auctoritati tribui debeat, partim antea oſtẽdimus, aduerſus Sectariorum in hoc genere arrogantiam atq; temeritatem, partim etiam contra eoſdem, lib. 2. apologet. de ſacrificio Miſſæ, initio explicuimus. Maneat nunc igitur, in his regulis, quas Pontifex, vt infallibiliter definiat, conſulere debet, Doctorum etiam ſentẽtiam concordem eſſe numerandam.

DE CONSENSV FIDELIVM, §. 46.

EST etiam in definitionibus fidei, ſicut ſuprà diximus, habenda ratio, quoad fieri poteſt, conſenſus fidelium, quoniam & ij ſanè, quatenus ex ipſis conſtat Eccleſia, ſic Spiritu ſancto aſſiſtente diuinas reuelationes integrè ac purè conſeruant, vt omnes illi quidem aberrare non poſſint, ſicut patet ex ſuperiùs dictis, §. 16. circa ſeptimam Eccleſiæ proprietatem. Neque tamen id circo volo, debere Pontificem, de quauis controuerſia, fidelium omnium ſententiam inquirere. Hoc enim neq; fieri poteſt, neq; ſi poſſet, expediret. Ferè enim eiuſmodi ſunt, quæ in controuerſiam fidei adducuntur, vt captum vulgarium fidelium longè ſuperent. Illud ſolum contendo: Si quando de re aliqua in materia religionis controuerſa conſtaret, fidelium omnium concordem eſſe ſententiam (ſolet autem id conſtare vel ex ipſa praxi alicuius cultus, communiter apud Chriſtianos populos recepta, vel ex ſcandalo & offenſione communi, quæ ex opinione aliqua oritur, &c.) meritò poſſe ac debere Pontificem illâ niti, vt quæ eſſet Eccleſiæ ſententia infallibilis. Atque hoc mihi tantum voluiſſe Thomas VValdenſis videtur, libro ſecundo doctrinalis fidei, capite viceſimo, cùm ait; Eccleſiam, cuius eſt determinare doctrinam fidei, teſtimonium communium fidelium non excludere, ſed includere, tametſi non ſoleant (inquit) interrogari, quòd minus commodè valeant ſententiam explicare ſuam. Quare minimè debuit Canus, libro ſecundo de locis Theologicis, capite ſeptimo, hanc VValdenſis ſententiam reprehendere.

ATQVE HACTENVS ſatis copiosè & perſpicuè, vt arbitror, à nobis explicata ſunt ea, quæ nobis in hoc puncto ſeptimo quæſtionis primæ de Fide, ad diſſerendum propoſueramus. Oſtendimus enim PRIMO, non ſufficere ipſam per ſe diuinam reuelationem, vt fidei obiectum, per veram & Chriſtianam fidem credatur: ſed præterea exſtare infallibilem aliquam auctoritatem magiſtram & iudicem fidei, per quam oporteat fidelibus proponi obiecta fidei, tanquam à Deo reuelata, & ideo credenda. SECVNDO, hanc auctoritatem non eſſe tantùm diuinam, nec tantùm humanam, ſed humanam diuinitus inſpiratam. TERTIO, ſupereſſe illam & vigere præſentem inter ipſos fideles, hoc eſt, in vera Chriſti Eccleſia; nec alibi quærendam eſſe aut inueniri poſſe. QVARTO, veram Chriſti Eccleſiam, in qua eiuſmodi auctoritas quærenda eſt, & inuenienda ſit, non aliam eſſe niſi congregationem eorum fidelium, qui parent Romano Pontifici pro tempore exiſtenti. QVINTO, non tamen in quibuſcunque fidelibus de Eccleſia auctoritatem eam reſidere, ſed in Romano Pontifice tanquam in diui Petri ſucceſſore & Eccleſiæ capite. SEXTO, quotieſcunque Romanus Pontifex auctoritate illa ſua in explicanda fide vtitur (id eſt, quoties vult in re controuerſa obligare ad aliquid credendum vniuerſam Eccleſiam) ab omnibus fidelibus diuino præcepto recipiendam eſſe, quod ille definit, eſſe fidei ſententiam. SEPTIMO, debere Pontificem conſulere quaſdam fidei Regulas, vt illa auctoritate rectè vtatur; nempe Scripturam; Traditiones Apoſtolicas: Concilia, &c. OCTAVO, quæ ſit ratio & vis eiuſmodi Regularum ad explicandam infallibiliter doctrinam fidei.

Hæc enim omnia diſſerenda & explicanda fuerunt, vt plenè intelligeretur, veriſsimum & omnino orthodoxum eſſe, quod quæſt. 1. art. 10. aſſerit ſanctus Thomas, ad ſummum Pontificem, tanquam ad diui Petri ſucceſſorem, pertinere in Eccleſia fidem cum auctoritate explicare. Quo fundamento conſtituto, ſponte ruunt omnes hereſes. Nam vt initio huius puncti ex ſancto Cypriano, libro de vnitate Eccleſiæ, aiebamus, *probatio eſt ad fidem facilis illo compendio veritatis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Neq; enim alia de cauſſa *hæreſes oriuntur* (vt idem Cyprianus ait) *niſi quia ad hanc veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec doctrina cælestis magiſtri ſeruatur*, qui ſcilicet Petrum & eius ſucceſſorem Romanum Pontificem voluit eſſe caput & fundamentum Eccleſiæ, atque adeo fidei magiſtrum, vt eſt à nobis probatum, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Interno actu fidei, qui eſt credere.

D. Thomas 2. 2. q. 2.

SEPTEM SVNT EXPLICANDA. PRIMO, QVID SIT CREDERE, & quot modis id contingat. SECVNDO, quidnam ſit neceſsariò credendum, generatim loquendo. TERTIO, quonam modo ſit credendum, an ſcilicet neceſſarium ſit ad ſalutem credere aliquid explicitè, vel ſufficiat implicitè credere. QVARTO, an in ſpecie neceſſe ſit explicitè credere myſterium incarnationis. QVINTO, an ſimiliter in ſpecie neceſſe ſit explicitè credere myſterium Trinitatis. SEXTO, an ſufficiat ad ſalutem credere vnum aut alterum ex eiuſmodi præcipuis fidei myſteriis, etiamſi circa alia quis erret, vel requiratur fides vndequaq; ſana & integra. Nam & hoc propter horum temporum Sectas neceſſariò diſputandum eſt, etiamſi à D. Thoma diſcuſſum non fuerit. SEPTIMO, an & quomodo actus credendi ſit meritorius.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit credere, & quot modis id contingat.

D. Thomas art. 1. & 2.

SANCTVS AVGVSTINVS LIBRO de prædeſtinatione Sanctorum, capite 2. ſic definit actum credendi: *Ipſum*, inquit, *credere nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit: cùm ideo cogitent plerique ne credant: Sed tandò credit, qui credendo cogitat, & cogitando credit.*

Hanc deſcriptionem Auguſtini ex ſententia ſancti Thomæ hic art. 1. ita declaramus & defendimus: Credere in propoſito eſt, veritati diuinitus reuelatæ aſſentiri ineuidenter quidem, ſed certò & firmiter, vt patet ex dictis quæſtione ſuperiori. Hoc autem ipſum eſt, quod Auguſtinus ait, *cum aſſenſione cogitare.* Nam quod dicitur *cum aſſenſione*, certitudinem aſſenſus indicat: altera verò particula (*cogitare*) declarat imperfectionẽ inuidentiæ. Illa enim cognitio propriè dicitur cogitatio, vt vocabulũ hoc ad intellectiuam partem ſpectat, quæ imperfecta eſt, eò quòd nondum peruenitur ad claram viſionem eius veritatis, quæ indagatur.

Ob quam cauſſam S. AVGVSTINVS libro 15. de Trinit. cap. 16. negat, Dei verbum nominari debere cogitationem. *Cogitatio quippe noſtra*, inquit, *perueniens ad id, quod ſcimus, atq; inde formata, verbum noſtrum verum eſt. Et ideo verbum Dei ſine cogitatione debet intelligi.* Atque eandem imperfectionem cogitationis probat idem Auguſtinus ex Poëta: *Bene quippe*, inquit, *nouerat verba, & vim cogitationis inſpexerat, locutor egregius, qui dixit in carmine: Secumque volutat euentus belli varios; id eſt, cogitat* (ait Auguſtinus.)

Nec tamen nego, quin poſſet ad quæſtionem propoſitam facilius reſponderi, actum credendi nihil aliud eſſe, quàm aſſenſum obſcurum quidem, ſed certiſsimum ob diuinã reuelationem, quam reſpicit, vt formale obiectum, cui innititur, ſicut ipſe habitus fidei. Quod ex ſuperiori quæſtione ſatis perſpicuum eſt: Sed D. Auguſtini auctoritate non immeritò adducimur, vt etiam dicamus, credere eſſe cum aſſenſione cogitare. Eius enim hæc deſcriptio actus credendi eſt libro de prædeſtin. Sanctor. cap. 2. Neque verò attinet hanc Auguſtini deſcriptionem prolixius examinare. Non enim poteſt eſſe controuerſia, niſi de vſu illorũ verborum. Satis nobis eſt, quòd hoc quidem loco *cum aſſenſione cogitare* aliud non eſt, quàm elicere aſſenſum iam dictum. Quòd fortè Caietanus animaduertens nihil hac de re ſcripſit.

Porrò Sectarij minimè ſunt contenti hac deſcriptione actus credendi, quandoquidem contendũt, fidei actum eſſe potius fiduciam, vel certè cum fiducia certa & indubitata de remiſſione peccatorum in particulari, vt vidimus quæſtione præcedenti, p. 1. Sed illis meritò opponimus ſanctum Auguſtinum, qui ait, credere NIHIL aliud eſſe, quàm cum aſſenſione cogitare. Item illis opponimus alia argumenta & teſtimonia, quibus loco citato confutauimus id ipſorum commentum.

NVNC videndum eſt, quot modis contingat credere. Et dicendum eſt ex ſententia ſancti AVGVSTINI ſerm. 181. de tempore, & 61. de verbis Domini, & tract. 29. in Ioannem, & Magiſtri

Universidad de Deusto
Biblioteca

sent. in 3. dist. 23. & aliorum Theologorum ibi, & D. Thomæ hic art. 2. tribus modis contingere, vt quis credat, seu triplicem esse actum credendi secundùm diuersas rationes seu modos, qui possunt in credendi actu considerari. Potest enim quis credere *Deo*, & credere *Deum*, & credere *in Deum*.

Hanc diuisionem actuum credendi ex sententia S. Thomæ hic art. 2. & Magistri in 3. dist. 23. & Alberti Magni ibidem art. 7. & aliorum Theologorum ead. dist. atque etiam Augustini locis citatis, ita declaro & probo: Actus aliquis rectè eatenus diuiditur, quatenus diuersimodè respicit obiectum potentiæ vel habitus, à quo elicitur: sed per hæc tria significamus tres respectus siue habitudines, quas fidei actus habet ad obiectum: Ergo actus fidei rectè diuiditur penes hæc tria.

Maior probatur. Nam essentia siue ratio actus in eo est, vt obiectum respiciat: Ergo sicut diuersimodè illud respicit; ita rectè diuidetur. Minor ita declaratur. Nam cùm dicimus, Credere *Deum*, significamus habitudinem actus fidei, ad materiale obiectum fidei præcipuum, quod est Deus, & illa, quæ habent ordinem ad Deum: Cùm dicimus, Credere *Deo*, significamus ordinem eiusdem actus ad obiectum formale, id est, ad diuinam veritatem reuelantem, cui credimus, cuique proinde assensus fidei innititur: Demum cùm dicimus, Credere *in Deum*, significamus habitudinem aliam, quam idem fidei actus, vt est à voluntate & dilectione Dei excitatus, habet ad Deum, vt ad finem vltimum, propter quem volumus credere, referentes actum fidei ad ipsum.

Hæc ipsa est doctrina S. Avgvstini serm. 181. de tempore, vbi ponderans verba illa Symboli: *Credere in Deum*: ita scribit: *Non dicit: Credo Deum, vel, Credo Deo, quamuis & hæc saluti necessaria sunt. Aliud est enim credere in illum, aliud credere illi, aliud credere illum. Credere illi, est credere, vera esse, quæ loquitur. Credere illum, credere, quia ipse est Deus. Credere in illum, diligere illum. Credere vera esse, quæ loquitur, multi & mali possunt. Credere autem ipsum esse Deum, & damones possunt. Credere verò in Deum, soli nouerunt, qui diligunt illum; qui non solùm nomine Christiani sunt, sed & factis & vita: quia sine dilectione fides inanis est.*

Et tract. 29. in Ioannem: *Dominus* (inquit) *dicit: Hoc est opus Dei, vt credatis in Deum. Vt credatis in eum, non vt credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei. Non autem continuò qui credit ei, credit in eum, &c. Credenti autem in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare. Credendo in eum ire, & eius membris incorporari.* Vide etiam serm. 61. de verbis Domini.

Ex hac declaratione apparet, diuisionem hãc non esse actuum fidei re ipsa diuersorum, sed solùm ratione penes diuersas habitudines actus credendi ad obiectum, vt diuus Thomas notauit artic. 2. ad 1. Quocirca vt rectè hîc Caietanus ait, distinctio hæc non tam efficit multos actus fidei, quàm multiplicat eundem actum. In vno enim & eodem actu fidei possunt illa tria considerari.

Atque eodem modo distinctionem hanc Durandus accepit in 3. sent. dist. 23. q. 7. num. 6. Nam quod is ibidem notat, per verba illa: *Credere in Deum*, non significari præcisè actum fidei, sed etiam actum charitatis, per quem à voluntate dirigitur actus fidei in Deum tanquã in finem vltimum, hoc, inquam, minimè obstat doctrinæ D. Thomæ hoc loco. Verum enim nihilominus manet, quod is docet. Per omnes illos tres loquendi modos, vnicum reipsa fidei actum significari, non plures; sic nimirum, vt actus, qui significatur, cùm dicimus: Credere in Deum, ille idem sit, qui significatur, cùm dicimus: Credere Deum & Deo, quod non negat Durandus: tametsi in hoc velit esse discrimen, quod cùm dicimus, Deo & Deum credere, actus vnicus præcisè consideratur, videlicet fidei: cùm autem dicitur: Credere in Deum, sic significatur ille idem fidei actus, vt simul etiam significetur alius actus charitatis in voluntate dirigente actum fidei in Deum. Quare immeritò reprehenditur Durandus hic à Caietano, tanquam voluerit D. Thomæ repugnare, & astruere, quòd verbis illis: Credere in Deum significentur duo actus fidei. Non enim hoc vult Durandus.

Sic declarata diuisione illa, Qvæstio est: Vtrum ad hoc, vt aliquis verè credat in Deum, necessariò debeat per charitatem referre fidei actum in Deum: ân verò satis sit, referre per motum alium imperfectum voluntatis. De hac quæstione solent hoc loco nonnulli pluribus disputare, quàm necesse est. Est enim illa tota de nomine. Nam si credere in Deum significet actum fidei relatum perfectè & meritoriè in vltimum finem, constat, neminem credere in Deum, nisi iustus sit, & præditus charitate. Atque hoc modo intelligendum est, quod D. Avgvstinvs vbi suprà ait, Credere in Deum esse, *credendo ipsum amare, & in ipsum tendere, &c.* Item quod D. Thomas quæstione præcedenti art. 9. ad 3. exponit: Articulum illũ Symboli: *Credere in Deum*: ea formã positum esse, qua pertinet ad fidem charitate formatam, qualis est fides Ecclesiæ, licet nõ semper singulorum fidelium.

Sin autem Credere in Deum tantummodo significet actum fidei relatum ad vltimum finem quocunque motu voluntatis; sic extra controuersiam est, peccatores etiam fideles absque charitate verè credere in Deum. Nam & hi quoq; per spem verè tendunt in Deum, vt in vltimum finem, adeoq; excitant se ad credendum propter illum, quem vtique sperant se adepturos gratia Dei, & meritis aliquando propriis futuris: tametsi practicè quidem illum iam non habeant pro

vltimo

vltimo fine, quem cæteris anteponant. Iuxta hoc procedit, quod D. Avgvstinvs alibi concedit, fideles omnes etiã peccatores credere in Deum, videlicet lib. de fide & oper. cap. 14. & vltimo. Et Bernardus serm. 24. in Cantica.

Et sanè fideles singuli etiam peccatores cùm Symbolum recitant, verba illa: *Credo in Deum*: nõ solùm in persona Ecclesiæ, sed etiam propria, dicere videntur: nec tamen mẽtiuntur propterea, quòd careant charitate. Adde quòd ad hunc loquendi modũ verè vsurpãdum, sufficere videtur, quòd potest quis charitatem vel acquirere vel recuperare, per quam demùm tendat in Deum vt vltimũ finem. Hoc possumus confirmare ex modo loquẽdi Scripturę. Nam Ioan. 12. dicitur: *Multi ex principibus crediderunt in eum*: quos tamen ex eodem loco constat fuisse tunc charitate destitutos: subditur enim: *sed non audebant eum confiteri propter Pharisæos, ne extra Synagogam eiicerẽtur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam Dei.*

Potest præterea hoc loco Qværi, Vtrum non modò mali homines (vt Augustinus ait) verè dicãtur credere Deum, sed etiam infideles. Ratio dubitandi est, quia si non negant Deum esse (vt supponimus) nihil obstare videtur, quò minus dici possint Deum credere, accipiendo vocabulum credendi latius, vt significat quamcunq; persuasionem. Contra verò D. Thomas, hic art. 2. ad 3. ait, infideles quia nõ cognoscunt omnia de Deo, quæ fideles credunt, simpliciter non cognoscere Deũ, sed totaliter eum ignorare. Probat ex Philosopho 9. Metaphys. tex. 22. dicente: In simplicibus aut totum cognosci, aut totum ignorari.

Videtur autem mihi ex illa sententia Philosophi in proposito tantummodo sequi, quòd notitię illi verę, quam infideles de Deo habent, non correspondeat obiectiuè aliquid, quod sit pars rei illius, quæ est Deus, quasi illi per vnum conceptũ partim attingant verè Deum reipsa: secundùm alios verò conceptus, quos vel non habent de Deo, vel falsò habent, partim non attingant, vel falsò attingant. Atq; hoc quidẽ modo exponit etiam Caietanus sentẽtiam illam Philosophi. Cæterùm ex hoc non efficitur, quod D. Thomas infert: infideles eiusmodi totaliter ignorare seu non cognoscere verè ipsum Deum. Potest enim stare nihilominus, quòd illi per conceptum verum, quem habent, attingant rem illam, quæ est Deus, non quidem secundùm partem ipsius aliquam, sed secundùm se totam, quanquam non attingant ita totaliter & adæquatè, vt fideles attingunt per fidei cognitionem: Itemque quamuis secundùm alios conceptus falsos de Deo, vel etiam secundùm ignorantiam aliorum conceptuum verorum de eodem, iidem infideles, aut non attingant, aut falsò attingant illam ipsam eandem rem totam, quæ est Deus. Vtrumque namque verum est: Et quòd eandem illam rem totam obiectiuè secundùm vnum conceptum verum attingunt verè, & secundùm alium falsum, vel ignorantiam alterius, attingunt falsò, vel non attingunt. Idem enim Deus obiectum est istorum trium, videlicet conceptus veri de Deo, & conceptus falsi de Deo, & ignorantiæ eiusdem.

Hinc intelligitur, falsò Caietanum hîc dixisse, eum, qui cognoscit Deum esse sapientem, & putat tamen, eum non esse omnipotentem, per conceptum illum priorem verum non attingere Deum. Falsum est: nam attingit totum illud obiectiuè, quod est Deus, tametsi illud idem totum falsò attigerit per conceptum falsum. Aliud enim est, talem non attingere partem Dei reipsa: aliud nihil attingere Dei: attigit enim totum, licet non totaliter verè.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quidnam sit necessariò credendum.

D. Thomas art. 3. & 4.

In Dvplici genere sunt res, de quibus generatim quæri potest, an necessariò per fidem Christianã credi debeant. Quædam enim sunt suprà rationem naturalem, vt Deum esse trinum & vnum: Alia nõ item, sed ratione naturali cognosci possunt, vt Deum esse, & esse vnum. Dicemus igitur sigillatim de vtroque genere.

Et quod attinet ad res, quæ sunt *supra naturalem rationem*, ex communi sententia Theologorum in 3. dist. 25. & D. Thomæ hic art. 3. ponimus hanc certã assertionem: Omnibus adultis ratione vtentibus necessarium ad salutem est, & omni tempore fuit, credere aliquod obiectum fidei supernaturale: ac proinde non satis est, neq; vnquã fuit ad salutem actus fidei supernaturalis, ex parte duntaxat principij (puta procedens à supernaturali auxilio gratiæ) & ex parte medij seu rationis credendi (puta qui nitatur diuina reuelatione) sed etiam est, & semper fuit necessarius fidei actus supernaturalis ex parte obiecti. Ac loquimur in hac assertione de necessitate non *præcepti* tantùm, sed etiam *medij*. Item de necessitate non modò ad vltimam salutem, verùm etiam ad primam.

Porro necessarium necessitate *medij* appellant Theologi illud, quod ex lege ordinaria Dei, sic ad salutem necessarium est, vt quicunque etiam ob ignorãtiam inuincibilem, vel quacunque alia de caussa id nõ fuerit assecutus, is nequeat etiã consequi salutem. Necessarium verò necessitate *præcepti* tantùm, vocant illud, quod quidẽ necessariò exequendum est, vbi facultas suppetit & occasio, non tamen ita, vt ob ignorantiam, vel ob defectum occasionis prætermissum impediat salutis consecutionem. Et sunt quædam vtroque modo necessaria, vt Pœnitentia post peccatum, votum Baptismi. Et hic fidei actus in adultis, de quo

diximus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diximus. Alia alterutro modo tantùm, vt prædestinatio, auxilium Dei, quæ sunt necessaria duntaxat necessitate medij.

Salutem autem *primam* appellant Theologi iustificationẽ, quo pacto salus accipitur ad Ephes. 2. *Gratiâ estis saluati per fidem, &c.* Et ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Vltimam* autem salutem dicunt beatitudinem, quo pacto accipitur, Marci vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et sunt aliqui Theologi, qui dicunt, fidem in certo gradu necessariam esse ad vltimam salutem, non ad primam, sicut postmodum videbimus. Itaq; vtiliter in præsenti distinguimus has duas salutes.

His positis cõclusio nostra sic intellecta statuitur à nobis contra hæreticos, & nonnullos etiam Catholicos, qui in hac parte errauerũt, vt postea dicemus. Est autẽ hæc assertio cõmunis sententia Theologor. in 3. sent. d. 25. vt diximus. Et eam rectè inter alios cõfirmauit Sotus in 4. sent. d. 1. q. 2. artic. 3. Et Canus in relect. de Sacram. in genere, p. 2. q. 2. concl. 1. vbi asserit, oppositã sententiam esse erroneam, & fortè hæreticam.

Probatur hæc assertio PRIMO ex Scriptura. Nam imprimis scopus Apostoli per totã epistolam ad Romanos hic ipse est, ostẽdere huius fidei necessitatem. Vnde & cap. 2. adducit illud Abacuc 2. *Iustus autem ex fide viuit.* Item cap. 3. 4. & 5. Et ad Galat. 3. & Ephes. 2. & 3. & aliàs passim iustificationem adscribit fidei tãquam fundamento. Illustris verò inprimis locus est ad Hebræ. 11. vbi idem ostendit commemorandis iis per ordinem, qui olim iusti fuerunt ex fide. Quo loco illud maximè aduertendum, quòd tametsi Scriptura nusquam expressè Enoch à fide commendet, tamen illâ præditum fuisse Apostolus certissimè concludit ex eo, quod Scriptura testatur Enoch placuisse Deo. *Nam,* vt inquit, *impossibile est sine fide placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, &c.*

Quæ sanè Apostoli argumẽtatio infirma esset, nisi esset à Deo lata communis lex, vt nemo nisi per fidem possit cõsequi salutem. Etenim, si eiusmodi lex non exstat, facilè Apostolo respondere potuisset, Enoch fuisse vnum ex illis, qui absque fide potuerunt placere Deo.

Huc illud etiam pertinet, Sap. 9. *Per sapientiam placuerunt tibi Domine omnes, quicunq; ab initio placuerunt.* Intelligitur enim apud Salomonem Sapientia interdum etiã esse fides. Vnde & AMBROSIVS in illud, 1. Tim. 3. Qui vult omnes homines saluos fieri, nonnulla testimonia de Sapientia ad fidem refert. Deniq; eadem veritas manifestè cõuincitur testimonio ipsius Christi Domini, Ioan. 3. *Qui nõ credit, iam iudicatus est.* Et Marci vltimo: *Qui non crediderit, condemnabitur.*

SECVNDO probatur ex Conciliis, vbicunq; asserunt, fidem ad salutem necessariam, esse donũ Dei, quia scilicet sit cognitio supernaturalis ex parte obiecti. Vt in Concilio Mileuitano, can. 4. & in Arausicano, can. 5. vbi id probatur illo testimonio Apostoli ad Ephes. 2. *Gratiâ saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, donũ enim Dei est.* Et illo ad Philip. 2. *Vobis datum est pro Christo non solùm, vt in eum credatis, &c.* Exstant quoque in Concilio Trident. sess. 6. duæ hac de re sententiæ præclarę. Altera cap. 7. vbi dicitur: *Caussa instrumẽtalis nostræ iustificationis est Baptismus, quod est Sacramentũ fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.* Altera in cap. 8. vbi fides dicitur esse *humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis.*

TERTIO probatur ex Patribus: S. IRENÆVS lib. 5. cap. 20. propter huius fidei supernaturalis necessitatem affirmat, extra Ecclesiam, in qua hæc fides traditur, non esse viam salutis: *Huic enim,* inquit, *creditum est lumen Dei* (supernaturale) *& propter hoc sapientia Dei, per quam saluat homines:* Scilicet illa sapientia, de qua inquit Apostolus, 1. Corinth. 2. *Sapientiam loquimur non huius sæculi, sed loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, etc.* quia scilicet est cognitio rerum supernaturalium.

S. BASILIVS concione in Psalm. 115. circa illud: *Credidi, propter quod locutus sum,* posteaquam commendauit fidem, quæ *supra rationales methodos* (vt inquit) *animam ad assensum trahit,* id est, fidem supernaturalem; de eadem fide interpretatur illud Apostoli, ad Hebr. 11. *Accedentẽ ad Deum oportet credere, &c.*

S. CHRYSOSTOMVS homil. 32. in Ioannem: *Fides,* inquit, *nobis opus est dilectissimi, fides, inquam, bonorum matre, salutis medicina.* Et paucis interpositis: *Qui suis,* inquit, *nituntur rationibus ante cognitã veritatem naufragium faciunt.* Vbi clarè indicat, fidem quoq; de rebus supra naturalem rationem esse ad salutem necessariam.

S. AMBROSIVS lib. 2. de Cain & Abel, cap. 2. *Ante omnia,* inquit, *fides nos cõmendare Deo debet.* Et enarratione in Psalm. 37. censet, fidem *esse salutis nostræ pretium.*

S. AVGVSTINVS lib. 13. de Trin. cap. 20. *Necessaria est,* inquit, *fides, vt beatitudinem consequamur omnibus humanæ naturæ bonis, id est, & animæ & corporis.* Vbi fidem necessariam distinguit à naturæ bonis, tanquam aliquid videlicet vndequaq; supernaturale. Et serm. 38. de tempore: *Fides,* inquit, *est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire, quia sinè ipsa nec in hoc sæculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, neq; in futuro vitam possidebit æternam.*

Sanctus LEO sermone quarto de natiuitate Christi: *Sine fide,* inquit, *impossibile est placere Deo, & nihil sine illa sanctum, nihil castum, nihil viuum.* Nec dubium est, quin similiter omnes alij Patres, quando affirmant, fidem esse necessariam ad salutem, loquantur de fide vndequaque supernaturali, qualem Apostolus definiuit, esse *donum Dei,* & substantiam rerum sperandarum, argumentum *non apparentium,* ad Ephes. 2. & ad Hebræ. 11. &c.

TERTIO

TERTIO probatur (quod attinet præsertim ad vltimam salutem) ratione D. Thomæ hic art. 3. quam ita formo: Salus hominis in præcipua perfectione supernaturali, quam homo participat à Deo, consistit, hoc est, in visione clara diuinæ essentiæ: Sed ad hanc non potest homo peruenire, nisi Deũ ipsum audiat supernaturaliter docentẽ, eiq; credat: Ergo credere aliquid supra naturalẽ rationem est necessarium ad salutem.

Maiorem propositionem D. Thomas partim supponit ex dictis 1. p. q. 12. & 1. 2. in tractatu de Beatitudine, partim declarat huiusmodi ratione cõgruenti. Perfectio naturæ inferioris superiori alteri naturæ subordinatæ nõ solùm continetur ipsius proprio motu, sed etiam motu, quem participat à superiori natura. Vt aqua v. g. non tantùm mouetur suo motu ad centrum, sed etiam fluxu & refluxu ex motione Lunæ. Et perfectio cælorum inferiorum in motu etiam, quem habent ex primo mobili, cõsistit: Sed homo immediatum ordinem habet erga Deum, cùm vniuersalem rationem veri & boni possit apprehẽdere: Ergo ipsius perfectio non solùm consistit in iis, quæ sunt ipsi naturalia & propria, sed etiam, (idque præcipuè) in perfectione, quã habet ex Deo supernaturaliter; atq; cùm salus hominis sit præcipua hominis perfectio, posita illa erit in præcipua perfectione supernaturali, quæ est clara Dei visio. Sic patet Maior.

Minor autem probatur tum ex illo Ioann. 6. *Omnis, qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Itẽ ex eo, quod Deus nõ perducit hominem ad beatitudinem, nisi secundùm modum cõuenientem naturæ ipsius. Natura autem hominis est, vt ad claram visionem veritatis, qualis est beatitudo, non perueniat, nisi prius audierit, & didicerit, & crediderit, iuxta illud Philosophi: *Oportet addiscentem credere.*

Sed præcipuum fundamentum assertionis nostræ situm est in testimoniis Scripturæ & Patrum allatis. Quibus omnino conuincitur, necessariam esse ad salutem (vt diximus) fidem vtrinque supernaturalem, scilicet ex parte principij, & ex parte obiecti, & necessitate non solùm præcepti, sed etiam medij. Nam quòd fides quidem supernaturalis ex parte *principij* necessaria sit, inde patet, quoniam adducta testimonia, de fide Theologica procedunt, quæ ad iustificationem valet; Quam fidem Theologicam infrà q. 6. art. 10. aduersus Pelagium euincemus, donũ Dei esse supernaturale. Quod verò requiratur fides supernaturalis ex parte *obiecti*, patet, quoniã fides, sine qua Apostolus & Patres citati aiunt impossibile esse placere Deo, illa vtiq; fides est, quam eodem loco Apostolus definiuit, esse substantiam sperandarum rerum, argumentum *nõ apparentium*, hoc est eorum, quæ sunt suprà rationem naturalem & ineuidentia. Ac de hac similiter fide loquuntur Patres & Concilia locis citatis. Quod verò necessitate *medij* requiratur hæc fides, constat ex communi Patrum ac Conciliorum traditione. Ita enim strictè in Ecclesia semper intellecta sunt Scripturæ loca, quæ requirunt fidem ad salutem.

Porrò ex dictis satis apparet, erroneam fuisse Manichæorum sententiam, qui contendebant, nihil amplius esse credendum, quàm quod possit euidenti ratione demonstrari. Itaq; Catholicos, quod alia crederent, irridebant, se autem posse omnia demonstrare, quæ ad salutem necessaria essent, profitebantur. Qua ratione D. AVGVSTINVS libro de vtilitate credẽdi, cap. 1. narrat, se per aliquot annos ab illis fuisse deceptum.

Cæterùm eodem libro, præsertim cap. 10. & 12. eruditissimè illorum errorem atq; stultitiã coarguit. Nam si nihil omnino præter illa, quæ sunt euidentia, est credendum; neq; amicitia, neq; pietas, neque prorsus societas humana posset apud homines consistere. Hæc enim omnia fide nituntur eorum, quæ euidentia nõ sunt, ac secus se habere possunt. Vt quod hic sit illius pater, quòd alter alterum diligat, &c. Sed hunc errorem Manichęorum, in quo etiam fuit Petrus Abailardus, suprà refutauimus, q. 2. p. 4.

Reuincitur etiam ex dictis error quorundam auctorum recentiorum, qui negant ex lege ordinaria Dei assensum fidei ex obiecto supernaturalem sic esse necessarium, vt nequeat quis absq; illo consequi salutem. Existimant enim ad suauem Dei prouidentiam & benignitatem pertinere, vt si quis aliqua ratione cognoscat legẽ naturalem & quæ nouit facienda, faciat quoad potest modo humano; is absq; alia cognitione supernaturali salutem primam & vltimam consequi possit, dummodo reliqua inuincibiliter ignoret. Ex his est Vega, lib. 6. super Conciliũ Tridentinum, cap. 17. & 20. qui adeo hanc sententiam probat, vt admittat illam etiam in casu, quo quis inuincibiliter ignoraret esse vnum Deum. Eiusdem sententiæ fuit aliquando Sotus, sed post in 4. vbi suprà & aliis in locis illam retractauit. Dicitur & Victoria idem sensisse. Iam verò ab omnibus reiicitur vt erronea.

Nam PRIMO testimonia allata superiùs contra illam faciunt. DEINDE, sicut infrà p. 4. videbimus, ex fide certum est, quod ad primam & vltimam salutem requiratur necessitate medij fides Christi saltem implicita. Implicita verò fides Christi à Patribus semper intellecta est contineri in aliquo alio actu supernaturali fidei, ratione cuius censeatur quis paratus, ad credendum explicitè mysteriũ Christi, cùm fuerit propositum. Neque cognitio naturalis Dei aut legis naturalis potest in proposito cẽseri fides, quæ ad iustificationem spectet, hoc est, quæ sit donum Dei supernaturale, id quod requirit traditio Ecclesiastica.

SECVNDO fundamentum, quo illi Doctores vtuntur, infirmum est. Nam primò eadem facilitate posset Deus per se, vel per alium supernaturaliter illuminare eum, qui iuxta cognitionem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam haberet, faceret quod posset, atque posset illum saluare absq; alia cognitione: quare perinde posset Deus benignitatem exercere in saluandis hominibus ferendo legem illam ordinariã, vt videlicet nemo saluté consequatur sine fide, quæ ex parte obiecti sit supernaturalis. Itaq; nihil fuit causſæ, cur hi Doctores, vt facerent Deum benignum, ordinariam illam legem negauerint.

TERTIO accedit, quod etsi asserant isti auctores, posse aliquem consequi salutem absque fide supernaturali, negãt tamen (idq; necessariò propter Scripturæ testimonia & Cõcilij Tridentini) vlli vnquam de facto contigisse salutem, præsertim vltimam, absq; supernaturali actu fidei, vt videre est apud Vegam vbi suprà, cap. 21. Quo quidem posito nõ est necesse propter benignitatem & misericordiam Dei, negare legem illam ordinariam de necessitate fidei, quandoquidem misericordia & benignitas Dei nunquam exerceretur in saluãdo aliquo homine absq; fide supernaturali. Est igitur simpliciter traditioni Ecclesiasticæ inhærendum circa necessitatem supernaturalis fidei, ad vtramque salutem ex lege Dei ordinaria.

Sed argumentabitur quis contra dicta PRIMO ex illo Apostoli ad Rom. 1. Quia *cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, &c.* Videtur enim Apostolus hîc insinuare, Gentes illas, quæ Deum naturaliter cognouerunt, saluas fuisse futuras, si opera cognitioni respondissent. Itaq; nõ videtur supernaturalis cognitio necessaria.

RESPONDEO ex hoc Apostoli loco tantùm colligi, iure fuisse Ethnicos condemnatos, quòd cognitioni & legi naturali conuenienter non vixerint. Cæterùm Apostolus non ait, quòd per illam cognitionem solam, sine supernaturali fide fuissent saluati. Sed insinuat quidem, Deum fuisse suppeditaturum illis lumen fidei & reliqua supernaturalia auxilia necessaria, quibus salutem consequi possent, si illi præuenti ab aliquali gratia excitante, (quæ nemini adulto deest, vt tomo 2. disput. vltima, q. 3. p. 3. docuimus,) rectè vsi fuissent ratione naturali, vti inferius attingemus.

SECVNDO, opponet quis illud eiusdem Apostoli ad Roman. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt.* Vbi de Gentibus, quæ essent iustitiam consecutæ, loqui videtur. Præmiserat enim: *Non auditores legis iusti erunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Naturaliter igitur seruando legem potest acquiri salus sine alia fide.

RESPONDEO ex D. AVGVSTINO lib. 1. de spiritu & litera, cap. 27. verbo illo, *Naturaliter*, non excludi illo loco supernaturalem cognitionem & gratiam, quam ex gentibus nonnulli fuerunt assecuti, sed tantùm legem *scriptam* Iudæorum. Et eodem modo hanc Apostoli sententiam interpretatur D. Thomas, 1. 2. quæst. 109. art. 4. ad 1. Vt enim peccatum dicitur esse contra naturam, sic etiam gratia & supernaturale donum fidei potest interdum naturale dici, quatenus est naturæ consentaneum.

Est & alia expositio Caietani in illum locum Pauli: Apostolum ibi non de iis Gentibus loqui, quæ præsidio gratiæ totam legem naturalem seruarunt, sed de iis, quæ cognitione naturali ductæ seruarunt saltem aliqua præcepta naturalia; id enim putat Caietanus satis fuisse ad propositum D. Pauli, quod erat in eo loco exprobare Iudæis præuaricationem Legis exemplo gentium, quarum aliquæ non ita essent procliues vt ipsi ad violandam legem.

TERTIO est argumentum ex eodem Apostolo ad Hebr. 11. Vbi ab eo, qui accessurus ad Deum est, solùm requirit, vt credat *Deum esse, & remuneratorem esse.* Possunt autem hæc per cognitionem naturalem sciri. Non est igitur necessaria alia cognitio necessitate medij.

RESPONDEO, Apostolum ibi non agere de cognitione naturali duntaxat, qualis est, quòd Deus sit auctor naturæ, & remunerator bonorum operũ naturalium, sed de illa inprimis, qua vtcunque cognoscatur Deus esse auctor supernaturalium donorum, & remunerator supernaturalium, per modum aliquem contemplationis ipsius supra naturam. sic notauit rectè Canus in relect. de Sacram. parte secunda, ad postremum argumentum contra 2. concl. Et idem colligitur ex eo, quod Apostolus in eodem loco, illam ipsam fidem, quam postea requirit, definierat esse substantiam *sperandarum rerum, argumentum non apparentium*.

QVARTO obiici potest etiam illud Christi, Matthæi decimo nono. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, vbi, vt apparet, agebat de præceptis naturalibus Decalogi. Illa ergo seruare satis erit.

RESPONDEO, præcepta naturalia omnia seruari non posse, nisi gratiæ atque adeo fidei subsidio, quam proinde Christus Dominus ibi non excluſit. Id probauimus tomo secundo disputat. 8. quæst. 1.

QVINTO, potest obiici hoc argumentum: Quocunq; temporis momento potest quis consequi salutem, vt patet, Ezechiel. 18. & 33. & aliâs: sed non potest quis quouis momento erudiri de fide supernaturali: Ergo non est illa necessaria necessitate medij. Minor probatur. Nam vt quis credat, prædicatore opus habet, vt patet ex illo Apostoli ad Rom. 10. *Quomodo audient sine prædicante, &c.* sed non potest quouis tempore quis in promptu habere prædicatorem, si in remotissimis locis degat. Ergo, &c.

CONFIRMATVR. Nam posito, quod quis apud gentes barbaras, præuentus ab aliquali gratia excitante, præstiterit, quidquid humano & morali modo potest, & iamiam moriturus sit; quæro an is sine fide consequetur salutem, aut non? Si consequetur, habeo intentum. Si non,

vel damnabitur, & hoc durum videtur; vel per hominem instruetur, quod humano modo non potest fieri sine miraculo: aut Deus per se, aut per Angelum debebit ipsum circa fidem instruere, quod etiam erit miraculum. Itaque eiusmodi homini ex lege ordinaria citra miraculum via salutis non patebit. Quod absurdum videtur.

Ac eadem difficultas videtur esse in casu, quo puer cùm primùm incipit ratione vti conuertatur ad Deum eo modo, quo naturaliter tunc Deum cognoscit, nimirum in communi saltem, sub ratione boni. Ex sententia namque sancti Thomæ in 1. 2. quæst. 89. articulo sexto, talis illico consequitur gratiam, qua remittitur ipsi peccatum originale. Itaque vel concedendum est, naturalem illam cognitionem & conuersionem ad Deum tunc puero sufficere ad salutem; vel admittẽdum erit miraculum, si quis dicat, puerum tunc diuinitus illustratum iri lumine fidei: sed hoc secundum minimè admittendum videtur: Ergo admittendum est illud primum.

RESPONDEO ad hos & similes casus, Deum tunc temporis per se, aut per Angelum, aut per hominem, illuminaturum talem, vt possit, quantum est ex parte Dei, salutem consequi quouis momento per supernaturalem actum fidei & sufficientem dispositionem ad gratiam. Nec id futurum miraculum, sed quiddam consequens ad legem ordinariam ipsius Dei, qua is statuit, nullum adultum in gratiam recipere sine fide supernaturali, id quod inter alios rectè aduertit Durandus in 3. dist. 25. quæstione prima, numero nono. Sic etiam respondendum est ad propositum casum de puero, si quis velit sententiam illam D. Thomæ sustinere, de qua disputauimus tomo 2. disput. 6. quæst. vltima.

Ad illud verò quod peculiariter obiiciebatur ex Apostolo: Fidem debere à Prædicatore *audiri*, ac proinde non posse quouis tempore suscipi, responderi solet PRIMO, sententiam illam habere locum ordinariè loquendo, & vt plurimum, ita scilicet, vt nihil obstet, quo minus etiam in aliquo particulari casu Deus per se, aut per Angelum doceat.

Ita exponit eum Apostoli locum sanctus HIERONYMVS in caput tertium epistolę ad Galatas: *Qui simplici*, inquit, *responsione contentus est, dicit, Apostolum non generaliter dixisse: Fides omnium ex auditu est, sed Fides ex auditu. Quod & in parte, & in toto accipi potest. Eorum, scilicet fides ex auditu, qui audiunt, qui credunt.* Addit etiam hoc: *Deinde, cui nihil surdum est* (obiecerat enim surdorum fidem non posse esse ex auditu) *ad eas magis loquitur aures, de quibus ait in Euangelio, Lucæ 8. Qui habet aures audiendi audiat. Et in Apocalypsi, cap. 2. Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Et Isaias: Dominus aperuit mihi aurem.*

SECVNDO possumus respondere cum Cano vbi suprà, ibi agere Apostolum de Fide in Christum explicitè, sicut patet ex eo, quod subiungit: *Auditus autem per verbum Christi.* Fides verò, quam nos nunc quidem asserimus, necessariam esse ad salutem, vniuersalior quædam fides est, per quam saltem cognoscatur Deus, vt auctor supernaturalium, & remunerator supernaturaliter, etiamsi hæc notitia non sit admodum distincta, qualem habent peritiores, sed vtcunq; confusa. De fide verò in Christum, quomodo sit necessaria, videbimus punct. 4.

POSTREMVM argumentum est, quòd sicut Marci vltimo dicitur: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ita Ioannis tertio dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c.* Sed hoc non obstante dicunt Theologi, satis esse ad salutem, Baptismum in voto & quasi implicitè: Ergo satis etiam erit fides supernaturalis in voto, qualem dici posit habere is, qui legem naturaliter cognitam seruaret quoad posset, ita vt cognitio illa Dei naturalis, vel boni debiti necessaria ex vi aliorum præceptorum, censeatur quodammodo fides implicita, sufficiens ad salutem.

RESPONDEO, per hoc argumentum solùm probari, quòd, quantum est quidem ex necessitate *præcepti*, non magis requiritur fides in re, quàm Baptismus. Nam præceptum quidem fidei nõ obligat strictius, quàm præceptum suscipiendi Baptismum in re. Atque ita fides, quatenus necessaria est ex necessitate præcepti formaliter loquendo, non est magis necessaria quàm Baptismus. At est aliunde disparitas, quòd nimirum fides præterea est necessaria in re, necessitate medij: Baptismus verò *in re*, non item.

Id autem colligimus ex Ecclesiastica traditione, quæ non obstante illa simili forma, qua in Scriptura fit mentio baptismi & fidei, intellexit & collegit ex Scripturis, fidem aliquam supernaturalem in re esse prorsus necessariam necessitate medij. Imo id hoc ipso, quòd Baptismus in voto necessitate medij necessarius est, colligitur. Nam cùm Baptismus supernaturalis ordinis sit, non satis intelligitur illud haberi in voto, donec actus aliquis fidei supernaturalis habeatur, per quam quis censeatur ferri in Baptismum secundùm ipsius saltem genus. Et pari ratione cognitio duntaxat naturalis, quoniam similiter alterius ordinis est, remotior est & imperfectior, quàm vt sit censenda in proposito fides implicita sufficiens ad salutem. Maneat itaque necessariam ad salutem esse adultis fidem supernaturalem ex parte etiam *obiecti*, sicut asseruimus. Quæ nam autem obiecta supernaturalia, & quo modo, & à quibus credi & cognosci debeant, dicemus punctis sequentibus.

NVNC supereſt, vt breuiter videamus, an sit etiam ad salutem necessarium per fidem credere aliquas res, quæ naturaliter sciri possunt, vt Deum esse, & esse vnum, &c. Ad quam quæstionem aliter respondendum est ex sententia illorum Theologorum, qui putant cognitionem euidentem, & cognitionem fidei posse esse de eo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem: & aliter ex sententia sancti Thomæ, & aliorum, qui id negant.

Nam secundùm priorem illam sententiam, quam nos quæstione præcedéte, punct. 4. defendimus, statuendum est, omnibus & singulis esse necessariò credenda, quædam etiam, quæ naturaliter sciri possunt, vt Deum esse, &c. qui sanè articuli non modò necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij sunt cognoscendi, vt patet ex illo Apostoli ad Hebræos vndecimo: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.* vbi vel maximè etiam lóquitur de Deo, vt est auctor rerum naturalium.

Secundùm alteram autem illam sententiam sancti Thomæ dicendum esset, fidem eorum, quæ naturaliter cognoscuntur de Deo, esse necessariam, non quidem singulis sigillatim, sed generi humano, vt omnes collectiuè possint consequi salutem, & quidem statim quouis tempore, absque diuturno labore, qui necessariò ponendus esset in scientiis acquirendis. Ac probat id sanctus Thomas hic artic. 4. quoniam alioqui non possent omnes consequi salutem. Nam propter humanas occupationes necesse est sint plures, q nequeât acquirere huiusmodi cognitionem naturalem. Item si qui illam acquirere possunt: at non possunt statim, sed indigent ad id tempore ac labore diuturno. Et denique necessarium est huiusmodi credere ob maiorem certitudinem. Est enim cognitio naturalis fallax ex suo genere, multisq; permista erroribus.

Atque eadem ob causas diximus tomo 1. disputat. 1. quæst. 1. p. 2. Theologiam esse necessariam, scilicet humano generi, vt nullus sit, qui nó possit subsidio Theologorum consequi salutem. Neque verò D. Thomas vult, necessariam esse huiusmodi fidem necessitate medij, quoad illa omnia, quæ possunt de Deo naturaliter demonstrari: sed tantùm quoad illam veritatem, nimirum Deum esse. Nam quod ad alia attinet, infrà artic. 7. & 8. videbimus non esse eam fidem necessariam nisi necessitate præcepti. Hæc tamen dicta sint ex mẽte D. Thomæ. Alioqui, vti probabilius est, posse omnes credere veritates de Deo naturaliter scibiles, etiamsi eas euidenter cognoscãt, sic etiam est probabilius, omnibus & singulis necessarium esse credere veritates huiusmodi.

Quin etiam, secundùm certitudinem quidem apparet ex ratione D. Thomæ omnibus & singulis necessariam esse fidem veritatum istarum, quatenus nimirum hoc ipso quod habitu fidei intellectus confirmatur, minus potest aliquis de iis veritatibus dubitare, quas negare esset contra fidem. Cæterùm quoniam certitudo hæc fidei respectu talium veritatum quiddam habituale est, non est illa necessaria singulis necessitate præcepti, ex sententia quidem D. Thomæ. Præceptum enim non datur nisi de actibus. Est tamen dicta certitudo singulis necessaria necessitate medij (in opinione etiam diui Thomæ) saltem concomitanter; hoc ipso, quòd inseparabiliter coniuncta est hęc certitudo cum habitu fidei, qui necessitate medij necessarius est. Secundùm nostram autem sententiam actualis quoque certitudo fidei circa eiusmodi veritates, omnibus & singulis necessaria est, sicut & ipsa fides actualis, iuxta dicta quæst. præced. punct. 4.

PVNCTVM TERTIVM.

Quonam modo sit credendum: An scilicet necessarium sit ad salutem credere explicitè omnia, quæ fidei sunt, vel sufficiat aliqua credere implicitè.

D. Thomas art. 5. & 6.

EXPLICATIO huius quęstionis & aliarum, quas punctis sequentibus præterea ponemus de necessitate fidei, magna ex parte cõtinetur distinctione fidei implicitæ & explicitæ. Itaque inprimis oportet distinctionẽ eam bene intelligere. Igitur fidem *explicitam* de aliqua veritate habere dicimur, cùm elicimus assensum immediatè circa ipsam. *Implicitam* verò cùm assensum alicuius veritatis non habemus secundùm se ipsum, sed habemus illum quasi implicitum in alio actu nostro, qui habet aliud immediatum obiectum.

Potrò duplex actus noster potest is esse, in quo assensus aliquis censeatur esse implicitus. VNVS est *intellectus*: puta ipsius fidei supernaturalis, quo videlicet credimus veritatem aliquam fidei vniuersaliorem, atque ita prompti & parati sumus ad explicitè credendam aliam veritatem magis particularem, quę in illa vniuersali tanquã *in potentia* contineatur, vel ad eam aliquo modo spectet, sicut q. 1. p. 5. diximus. ALTER actus est *voluntatis*, quo videlicet paratus sit quis ea credere, quæ alij sapientiores in Ecclesia explicitè credunt.

Est autem hæc distinctio sancti AVGVSTINI, libro decimo nono contra Faustum, capite decimo quarto, vbi ait fidem mysteriorum, quæ clarius reuelantur tempore gratiæ, fuisse occultam (id est, implicitam) in fide illorum, qui vixerunt tempore legis veteris: *Tunc*, inquit, *& OCCVLTA erat fides: nam eadem credebant, eademque sperabant omnes iusti & sancti etiam temporum illorum; & promissiua erant illa omnia Sacramenta, omnisq; ritus ille sacrorum. Nunc autem* REVELATA *est fides, in quam conclusus erat populus, quando sub lege custodiebatur.*

Insinuatur etiam eadem distinctio à S. Gregorio lib. 2. moral. cap. 25. in illud Iob. *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos.* Boues namque interpretatur esse *Doctores*, qui in explicanda fide laborant, asinas autem esse simpliciores *fideles*, qui iuxta doctiores pascuntur doctrina & fide, implicitè

implicitè credentes, quod illi credunt explicitè. Quam Gregorij interpretationem tacito Gregorij nomine ponit Magister in 3. d. 25. vbi eandem tradit distinctionem, sicut & ibi etiam alij Theologi communiter.

Nunc præmissa hac distinctione fidei explicitæ & implicitæ, aliquot statuam assertiones ex communi sentẽtia Theologorum, de quæstione proposita. PRIMA: Omnibus tum necessitate præcepti, tum necessitate medij necessarium est, & semper fuit, credere explicitè, quòd Deus sit; & quòd sit remunerator, & auctor etiam donorum supernaturalium. Hæc assertio satis patet ex dictis p. præced. & ex illo Apostoli testimonio: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit*, ad Hebr. 11.

SECVNDA assertio: Necessitate quidem præcepti, & hoc quidem gratiæ tempore, omnibus necessarium est explicitè credere articulos illos fidei, qui continẽtur in Symbolo Apostolorum. Ita docent communiter Theologi in 3. dist. 25. & D. Thomas hic art. 5. Et probabitur à nobis hæc assertio fusius in duobus sequentibus punctis, in quibus differemus de necessitate fidei explicitæ circa mysteria incarnationis & Trinitatis, ad quę pertinent omnes illi articuli. Vbi videbimus, an etiam necessitate medij sit necessarium aliquos eiusmodi articulos explicitè credere: Et vtrum id etiam fuerit necessarium necessitate præcepti, vel medij omni tempore.

Nunc probatur breuiter assertio nostra argumento diui Thomæ sic: Ille actus virtutis est ex præcepto necessarius, qui respicit primariũ obiectum per se ipsius virtutis: Sed actus fidei circa illos articulos respicit primarium obiectum fidei: Ergo est necessarius ex præcepto. Maior probatur: quia præceptum datur de actu virtutis vtique vt respicit primarium obiectum. Minor patet. Nam vt docet D. Thomas suprà quæst. 1. art. 6. ad 1. & art. 8. articuli fidei, cùm contineant ea, quibus efficimur inprimis beati, sunt primaria obiecta fidei. Ac potest hoc ipsum confirmari ex illa sententia Apostoli: *Fides est substantia sperandarum rerum*, ad Hebr. 11. Hinc enim apparet, fidem præcipuè respicere beatitudinem, quã speramus, atque adeo illa, quibus efficimur beati, quæ proinde oportebit explicitè credere.

SED tunc est argumentum Caietani hîc: Nam sequitur, non debere nos explicitè credere articulos spectantes ad Christi humanitatem. Sola namque diuinitate clarè conspecta beati efficiemur. RESPONDET Caietanus: etiam per humanitatem Christi Domini esse nos beatos futuros, vel saltem beatiores, quatenus ex perfectione visionis diuinæ essentiæ consequenter videbimus clarè humanitatem Christi, & alios effectus Dei. SED contra hãc solutionem facit, quòd ea ratione quæcunque alia pertinentia ad doctrinam fidei, essent necessariò credẽda explicitè. Nam per illa quoq; possumus similiter esse consequenter beatiores, quatenus videbimus plura ex illis pro maiore perfectione luminis gloriæ.

Aliter ergo RESPONDEO, S. Thomam in præsenti intelligere ea, quibus efficimur beati: aut formaliter siue obiectiuè (sicut diuinitate) aut efficienter seu instrumentaliter, sicut per humanitatem Christi & eius mysteria. Hoc constat ex D. Thoma infrà art. 7. & suprà quæst. 1. art. 8. Vbi propterea ait, illa esse explicitè credẽda, per quæ *adducimur* ad beatitudinem, seu per quæ illã consequimur. Quod potest dici etiam de iis mysteriis, per quæ efficienter seu instrumentaliter assequimur beatitudinem.

TERTIA assertio: Alias fidei veritates, quæ præter articulos illos in sacris literis, vel in Ecclesiæ definitionibus continentur, non est necessariũ necessitate medij aut præcepti explicitè credi à vulgaribus fidelibus, quibus in Ecclesia non incumbit ex officio alios erudire & confirmare in fide; sed satis est iis, credere implicitè eiusmodi veritates. Ita docent communiter Theologi in 3. distinct. 25. & D. Thomas hic art. 5. Quos tamẽ Caluinus impudenter sanè & imperitè ob id reprehendit lib. 3. institut. cap. 2. sect. 2. Ita enim de Theologis Scholasticis scribit: *Commentum fabricárunt implicitæ fidei, quo nomine crassissimam ignorãtiam ornantes, miserã plebeculã cum magna pernicie illudunt. Imò vt verius & apertius dicam, quod res est, commentum hoc veram fidem non modò sepelit, sed penitus destruit. Hoccine credere est, nihil intelligere, modò sensum tuum obedienter Ecclesiæ submittas?*

SED nescit hic hæreticus, quid dicat. Nam distinctio hæc fidei, prsus necessaria est, & assertio nostra verissima. Probatur PRIMO ex Scriptura. Nam Dominus in Euangelio indicat, sufficere fidelibus ad salutem credere mysteria, quæ ad diuinitatem & humanitatem suam pertinent. Vt Ioan. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Et Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deũ verum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi etiam de cognitione fidei sermo est, sicut exponit S. Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 16. Apostolus quoque ad Rom. 12. & 1. Cor. 12. describens membrorum varietatem, quæ sunt in Ecclesię corpore: *Omnia*, inquit, *membra non eundem actum habent.* Et rursus 1. Cor. 12. *Si*, inquit, *totum corpus oculus, vbi auditus? etc.* At si omnes fideles æquè explicitè deberent omnia per fidem cognoscere, omnes deberent esse oculi.

SECVNDO probatur testimonio S. AVGVSTINI lib. contra epistolam fundamenti cap. 4. *Turbam*, inquit, *non intelligẽdi viuacitas sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Et lib. de fide & symbolo, cap. 1. ait in Symbolo comprehensa esse ea, *quæ satis* (explicitè quidem) *sit credere incipientibus atq; lactentibus eis, qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum diuinarũ diligentissima & spirituali tractatione atq; cognitione roboratis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item testimonio S. Cyrilli HIEROSOLYMITANI, catechesi 5. qui similiter ait, *paucis versibus in Symbolo vniuersam fidei doctrinam* (creditu scilicet omnibus necessariam) *comprehendi. Cùm non omnes*, inquit, *possint Scripturas legere, & alios quidè inscitia, alios verò occupatio impediat à cognitione.*

Item testimonio S. Gregorij lib. 2. moral. cap. 25. suprà citato, circa illud Iob 1. Boues arabant, & asinæ pascebãtur iuxta eos. Vbi ait: *Quid aliud per asinas, quàm quosdam simpliciter viuentes accipimus? Quæ bene iuxta boues pasci referuntur, quia mentes simplicium etiam cum alta capere nõ possunt, eo magis vicinæ sunt quo & fraterna bona, sua per Charitatem credunt: cumq; inuidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minimè diuidunt.* (quia scilicet credũt implicitè illud idem quod alij, licet expresè id non sciant) *Simul ergo se asinæ cum bobus reficiũt, quia prudentibus coniuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur.*

TERTIO probatur manifesta ratione. Nam si omnes tenerentur explicitè credere, quęcunque sunt de fide in Scripturis tradita, multi essent obligati ad id, ꝙ nullo modo assequi possunt. Certum enim est, plerosque ex fidelibus esse, qui non habent id iudicium & ocium, quod requireretur ad omnia cognoscenda, quæ sunt in sacris literis.

Sed OBIICIT Caluinus, quòd fides *nõ in ignorantia, sed in cognitione est posita.* Quod confirmat illo testimonio Apostoli ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem fit confessio ad salutem.* RESPONDEO, Theologos Scholasticos minimè dicere, quòd fides implicitè simplicium consistat in mera ignorantia omnium veritatum fidei: & si hoc ipsis Caluinus affingere voluit, manifestè mentitus est. Tradunt enim, aliqua explicitè debere ab omnibus credi, nempe articulos propositos in Symbolo: & hæc quæ credere debent explicitè, debent etiam suo tempore ore confiteri. Atq; in iis ipsis creduntur implicitè alia omnia, sicut initio huius puncti à nobis explicatum est.

QVARTA assertio: Illi, quibus ex officio incumbit, alios erudire & confirmare in fide, vt Pastores & Doctores, non solùm articulos in Symbolo propositos, sed alias etiam veritates fidei plures vel pauciores pro cuiusque officio & gradu, tenentur explicitè credere, & illos ipsos articulos fidei distinctius & explicatius, quàm fideles alij, ita vt illos etiam tueri aduersus impugnãtes possint. Assertio est apud Theologos indubitata in 3. d. 25. & ponitur quoq; à D. Thoma hic art. 6.

Probatur PRIMO ex Scriptura. Nam alioqui non poterunt huiusmodi Pastores & Doctores id præstare, ad quod diuinitus positi sunt in Ecclesia, vt scilicet alij *non circumferantur omni vento doctrinæ*, sicut dicitur ad Ephes. 4. Debent enim, præcipuè Episcopi, fidem & explicare & aduersus hæreticos defendere. Quod, nisi de rebus diuinis plus cæteris cognoscant, præstare nequeunt.

Hoc idem rectè deducit Durandus in 3. d. 25. q. 1. ex illo Apostoli ad Titum 1. *Oportet Episcopum esse amplectentem fidelem sermonem, qui secundùm doctrinam est, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Qua de re infrà disp. vltima disseremus pluribus. Illud verò quod Durandus ibidem addit, Doctoribus & Prælatis qui sunt inferiores Episcopis, satis esse, vt substãtiam articulorum intelligant, & in reliquis difficultatibus ad superiores suos recurrant; non videtur mihi satis exploratum. Nam etsi Episcopi maiori obligatione adstringãtur, nihilominus alij etiam Doctores & Prælati pro ratione sui officij tenentur suo modo fidè explicare & defendere, ac proinde cognoscere mediocriter saltem ea, quę pertinent ad fidei controuersias. Vnde nec D. Thomas hic art. 6. neq; Bonauentura art. 1. neq; Scotus in 3. dist. 25. quæst. vnica, neque alij Theologi ibidem cum de hoc disserunt, adhibent illam distinctionem Durandi.

SECVNDO probatur assertio nostra argumẽto diui Thomæ ex doctrina S. Dionysij sumpto. Nam sicut reuelatio diuina innotescit Angelis inferioribꝰ per superiores, & hominibus per Angelos: sic etiam innotescit inferioribus hominibus per superiores. Sed propterea Angeli superiores clariorem notitiam habent, de mysteriis diuinis, quàm inferiores: Ergo similiter qui inter homines sunt aliis superiores, explicatiorem notitiam de fidei rebus habere debebunt. Maior est D. Dionysij cap. 4. & 7. de Cælesti Hierarchia, & Minor quoque eodem libro cap. 12.

Porrò diuina reuelatio innotescere potest hominibus per Angelos, vel *directè*, si ab iis homines in aliquo casu de fide illuminentur & doceantur, vel etiam *indirectè*, per hoc quòd ipsis custodiæ sunt, & sensum commouent, vt prædicationẽ fidei attendant, eamq; percipiant: iuxta dicta tomo 1. disp. vltima, quæst. 6. de modo, quo potest homo per Angelum illuminari.

QVINTA assertio: Cùm constiterit vulgaribus fidelibus, pertinere ad doctrinã fidei ea, quæ Doctores & Pastores tenentur credere explicitè, ipsi quoque debent illa explicitè credere. Hæc assertio ponitur à D. Thoma hic artic. 5. nec tam probatione, quàm explicatione indiget. Asserit igitur S. Thomas, debere quẽlibet necessariò *quoad specificationem* actus, credere explicitè quicquid ipsi constiterit spectare ad doctrinam fidei, hoc est, non posse illum licitè id negare, sed si actum intellectus circa tale obiectum elicere vult, eum debere esse assensum, non dissensum.

Neque enim vult S. Thomas in illa assertione, quod talia teneatur quilibet *quoad exercitiũ ipsum* credere, vbi cognouerit esse de fide. Nam si ita esset, deberet etiam illa inquirere & addiscere, sicut articulos fidei, quod alienum est à mente D. Thomæ, & aliorum Doctorum. Nec potest esse dubium de hac assertione sic explicata. Nam nemini est integrum negare id, quod per Ecclesiæ declarationem & propositionem cõstat esse doctrinam fidei.

PVNCTVM

PVNCTVM QVARTVM.

An & quomodo sit necessarium credere mysterium Incarnationis.

D. Thomas art. 7.

DVOBVS modis intelligi potest Fidem de mysterio Christi, seu de articulis ad Christi humanitatem siue ad Incarnationem pertinẽtibus esse ad salutem necessariam. PRIMO, necessitate non modò præcepti, sed etiam medij. SECVNDO, necessitate tantùm præcepti.

Si de necessitate *medij* loquamur, hæ duæ propositiones sunt tenendæ. PRIMA, Necessitate *medij* nullo tempore ante aduentum quidem Christi fuit necessaria explicita fides Christi ad primam vel vltimam salutem. SECVNDA, Nec post aduentum Christi, antequam Euangelium quidem satis in Orbe diuulgatum esset, fuit necessaria necessitate medij fides explicita in Christum, ad primam vel vltimam salutem. TERTIA, Post Euangelium sufficienter in orbe diuulgatũ, ad vtramque salutem necesitate medij necessaria fuit & nunc est fides explicita in Christũ Dei filium, verum Deum & hominem, tanquam in Redemptorem generis humani. QVARTA, Fides hæc, saltem implicita, etiam ante aduentũ Christi fuit necessaria ad vtramq; salutem necessitate medij, post peccatum.

PRIOR propositio, extra controuersiam est apud Theologos in 3. distinct. 25. hoc ipso, quod omnes concedunt, potuisse tũc simpliciores saluari per fidem implicitam de Christo, nec fuisse illis necessariam explicitam. Vt Albertꝰ Magnus in illa distinct. artic. 6. & Bonauentura articulo primo, quæst. 2. & Scotus quæst. 1. & Richardus artic. tertio, quæst. 1. & Durandus quæst. 1. & alij. Si autem fides explicita de Christo fuisset tunc necessitate medij necessaria, nemo vnquam potuisset sine illa saluari. Et colligitur eadem assertio ex diuo AVGVSTINO apertè libro decimo nono contra Faustũ, capite decimo quarto, probaturque bene à Dominico Soto libro secundo de natura & gratia, cap. 11. & 12. & in 4. distinct. 1. quæst. 2. artic. 3. & à Cano in relect. de Sacram. in genere, p. 2. concl. 1. Sed sufficit ad probationem testimonium Apostoli ad Galat. 3. *Antequam veniret fides, sub lege custodiebamur* CONCLVSI *in eam fidem, quæ reuelanda erat.*

SECVNDA verò propositio, scilicet neq; post aduentum Christi, ante sufficientem diuulgationem Euangelij, fuisse ad primam vel vltimam salutem necessitate medij necessariam fidem explicitam in Christum, inprimis est ex mẽte multorum auctorum, qui ne post sufficientem quidem diuulgationẽ Euangelij putant, explicitam fidem Christi ita necessariam esse ad salutem; Vt Sotus vbi suprà, & in 4. dist. 5. quæst. vnica, artic. 2. & Canus vbi suprà concl. 3. (quod ad primã quidem salutem) & Vega lib. 6. super Concil. Tridẽt. cap. 20. & (vt videtur) quoq; S. Thomas 3. p. q. 69. art. 4. ad 2. & Richardus in 3. d. 25. art. 4. q. 1. & alij.

Et probatur hæc assertio facilè exemplo Cornelij, qui antequam explicitè crederet in Christũ iam reuelatũ, dicitur fuisse *vir religiosus & iustus, cuius preces & eleemosynæ ascendissent coram Deo*, vt patet Actor. 10. Nec his nominibꝰ ipsum Scriptura afficeret, nisi verè iustus fuisset, quod de ipso concedit D. Thomas infrà q. 10. art. 4. ad 3. & sanctus Augustinus q. 84. in Leuiticũ, & lib. de prædestin. Sanctor. cap. 7. vbi tantummodò ait, habuisse *aliquam fidem in Deum, quem inuocabat*, postea autẽ fuisse instructũ à Petro de fide in Christum, vt per obseruationẽ videlicet præcepti de fide etiam explicita in Christum saluaretur. Magister tamen sententiarum in 3. d. 25. sentire videtur, habuisse illũ fidem explicitam de Christo vt de venturo, solumque fuisse edoctum à Petro de Christi aduentu iam præterito. Sed id neque sententiæ Augustini, neque narrationi Scripturæ Actor. 10. satis consentaneum est.

ANIMADVERTENDVM est autem, quòd etsi in hac & præcedenti assertione negemus, ante sufficientem Euangelij diuulgationem fuisse vllo tempore fidem explicitam Christi necessariã necessitate medij, semper tamen apparet illam viguisse apud aliquem vel aliquos. Nam & Adam ante peccatum Christum explicitè cognouit ea ratione, qua D. Thomas hic art. 7. docet, scilicet in ordine ad beatitudinis consummationem, vt etiam nos asseruimus, tomo 1. disp. 7. q. 2. Et post peccatum etiam videtur illum cognouisse, vt per ipsum erat obtinẽda remissio peccati: Sicut etiã cognouerunt alij in lege naturæ. Vt Enoch, de quo ait Apostolus Iudas in sua Canonica: *Prophetauit autẽ de iis septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce veniet Dominus cũ sanctis millibus facere iudicium, etc.* Hinc enim apparet, illũ cognouisse explicitè aduentum Christi ad Iudicium. Et consequẽter ipsum Christum explicitè. Sic etiam Iob in lege naturæ eũdem cognouit, vt patet ex illo Iob 19. *Scio quòd redemptor meus viuit.* Sic & alij similiter ex Gentibus cognouerunt aliqua de Christo, vt Sybillæ, quæ multa de illo prænunciauerunt, sicut memorat Lactantius lib. 1. cap. 6. & lib. 7. cap. 18. & August. lib. 13. contra Faustum cap. 15. de quo legendus est D. Thom. hic art. 7. in solutione ad 3.

Item in lege scripta dubium non est, quin pleriq; maiorum Christum explicitè cognouerint, vt apparet passim ex Scripturis Propheticis, quæ multa de Christo tradunt. Vnde & ipse Dominus Lucæ 24. *Necesse est*, inquit, *impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & psalmis de me.* Et Ioan. 5. *Si crederetis Moysi: crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit.* Et hactenus de Prima & Secunda assertione.

TERTIA verò assertio: scilicet post Euangelium sufficienter diuulgatum, fidem Christi explicitam necessariã esse necesitate medij ad primam

Universidad de Deusto
Biblioteca

mam & vltimam salutem, (id est, ad obtinendam iustificationem & beatitudinem) posita est à nobis contra duas opiniones. ALTERA est Richardi, Vegæ, Soti, locis suprà citatis, & aliorum qui censuerunt neque ad primam, neque ad vltimã salutem esse nunc necessariam necessitate medij fidem explicitam Christi. ALTERA est Cani vbi suprà, & Bannis 2.2. quæst. 2. artic. 8. qui arbitrati sunt esse quidem eo modo necessariam ad vltimam salutem, sed non ad primam.

Nostra autẽ assertio, quòd scilicet ad vtramque salutem fides Christi explicita, post Euangelium sufficiẽter diuulgatum, sit necessaria necessitate medij, inprimis est ex sententia Durandi in 3. distinct. 25. quæst. 1. num. 9. vbi affirmat, si quis neque habeat neq; humanitus habere posit vllam notitiam fidei in Christum, & tamen viuat bene moraliter quantum posit per naturales vires & (vt puto addẽdum) per aliqualem gratiam præuenientem & excitantem, (quæ nemini deest) tunc Deum vel per se vel per alium, siue hominem, siue Angelum, commonefacturum talem hominem de fide in Christum, vt per eam inprimis iustificari, atque adeo primam & vltimam salutem consequi posset: quia nimirum nemo posit sine hac fide esse saluus. Quod idem subindicat etiam Albertus in 3. distinct. 25. art. 2. ad 6. & Gabriel eadem distinct. quæst. vnica, ar. 2. post. 3. concl. Item est nostra assertio ex mente multorum aliorum Theologorũ qui planè sentire videntur, fidem explicitam Christi omni eo modo esse nũc necessariã fidelibus, quo non fuit necessaria fidelibus vulgaribus ante aduentum Christi; ac proinde necesitate tum præcepti tum medij, siquidem neutro modo istorum fuit necessaria hæc fides vulgaribus fidelibus ante Christi aduentum. Ita planè sentire videtur Hugo Victorinus libro primo de sacram. parte 10. cap. 6. & Magister sent. in 3. distinct. 25. & Alexand. Hall. 3. parte quæst. 82. membro 3. art. 1. & Albertus in 3. distinct. 25. art. 1. ad 2. & art. 2. Et D. Thomas hîc art. 7. & Bonauentura in 3. distinct. 25. art. 1. quæst. 3. & Marsilius in 3. quæst. 14. art. 3. concl. 4. & Gabriel in 3. distinct. 25. quæst. vnica art. 2. in declaratione 3. concl. &c.

Probatur autem hæc nostra assertio PRIMO ex Scriptura noui testamenti: In qua quinque potissimum generibus sententiarum indicatur fidem explicitam in Christũ, quam & ipse Christus & Apostoli prædicarunt, sic planè esse necessariam vt absque ea nemo posit iustificari, atque adeo nec primam neque vltimam salutem consequi.

Nam PRIMO quibusdam in locis Scripturæ requiritur ea fides tãquam initium, radix & fundamentum totius salutis post Euangelium euulgatum. Quod autem requiritur ad salutem tanquam *fundamẽtum*, id certè secundùm se & explicitè requiritur; sicut in fundamento per se consistente subsistit totum ædificium. Nihil enim est fundamẽto ipso & quasi radice prius, in quo cẽseri possit fundamentum rei & initium contineri implicitè. Eius generis sunt hi loci: Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Fidẽ exigit primò, tanquam initium nempe & fundamẽtum salutis. Et Ioan. 6. *Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille:* quia scilicet in hac fide tanquam in radice totum continetur. Actor. 26. Idem ipse Dominus perhibetur dixisse Paulo cum ei in via apparuit, mittere se eum ad gentes, *vt accipiãt*, inquit, *remissionem peccatorum & sortem inter sanctos, per fidem, quæ est in me.* Vbi summa totius salutis adscribitur fidei in Christum tanquã radici & fundamento. Et ad Rom. 11. *Tu autem fide stas: noli altum sapere.* Loquitur autem ad Christianos, quos indicat, fide in Christum stare tanquam fundamento nixos. Et ad Galat. 2. *In fide viuo filij Dei.* Et 1. Corinth. 3. *Vt sapiens architectus fundamentum posui*; nempe docendo fidem in Christum, iuxta id quod ibi sequitur, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus* IESVS, *&c.* Neque dubium est quin hanc ipsam fidem in Christum, quam Apostolus prædicabat, nominauerit etiam *substãtiam* (id est, basin & fundamẽtum) *sperandarum rerum*, ad Hebræos 11. Vt iam alia huius generis loca præteream.

SECVNDO, quibusdam aliis in locis significatur, fidem hanc in Christum explicitam, qualem Apostoli prædicabant, planè esse connexam inseparabiliter cum salute in iis omnibus qui salui fiunt. Vt Ioan. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et Ioan. 11. *Omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.* Et ad Roman. 1. *Non erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Et Actor. 15. *Deus testimonium perhibuit, dans illis* (gentibus) *Spiritum sanctum sicut & nobis: & nihil discreuit inter nos & illos,* FIDE *purificans corda eorum*; nimirum fide Euangelica in Christum, de qua ibi sanctus Petrus loquitur.

TERTIO, Nec solum per eiusmodi propositiones affirmatiuas exprimitur in Scriptura noui testamenti inseparabilis illa coniunctio fidei in Christum, & salutis in iis omnibus qui salui fiũt, sed etiam per alias quasdam negatiuas quibus significatur minimè iustos ac saluos fore, qui careant ea fide. Vt Marci 16. *Qui non crediderit condemnabitur.* Et Ioan. 3. *Qui credit in eum* (in filium Dei) *non iudicatur: Qui autem nõ credit, iam iudicatus est.* Et ad Galat. 2. *Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem* IESV *Christi.* Et ad Galat. 5. *Nam in Christo* IESV *neque circumcisio aliquid valet neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur, &c.*

QVARTO, Ioan. 3. Luculẽta instituitur à Christo domino comparatio inter se & serpentem illum quem exaltauit Moyses in deserto: quod sicut omnes omnino qui in deserto morsũ à serpẽtibus, non respiciebant serpentem illum moriebãtur, ita planè necesse sit, fidem nostrã in Chri-

stum redemptorem intueri ne pereamus, sed salui esse posimus. *Sicut Moyses*, inquit, *exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

QVINTO, in aliis denique locis eodem modo requiritur ad salutem fides in Christum sicut fides in Deum; sed fides in Deum explicita requiritur necesitate medij, vt vidimus p. 2. Ergo etiã fides explicita in Christum. Id autem patet ex iis locis: Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Et Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christũ.* Qui locus de cognitione etiam fidei intelligitur, vt docuimus tomo 2. q. 3. de Beatitudine p. 4. ex sententia sancti Cyrilli lib. 11. in Ioan. cap. 16. Certè ex his omnibus tam variis scripturæ locis, effici videtur, necesitate medij esse necessariam fidem explicitam Christi, saltem vt est Dei filius, verus Deus & verus homo redemptor hominũ, de quo nimirum secundum has rationes considerato absolutè fit mentio in plerisque allatis testimoniis.

Probatur præterea SECVNDO loco nostra assertio ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 8. Nam explicans quemadmodum asscribatur Iustificatio fidei in Christum, de qua Apostolus ad Rom. 3. docet per eam & gratis hominem iustificari; affirmat sine hac fide impossibile esse placere Deo. *Cum*, inquit, *Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis Iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo & ad filiorum eius consortium peruenire.*

Probatur TERTIO ex sanctis Patribus, qui similiter vt scriptura, omnibus illis quinque modis (de quibus in prima probatione diximꝰ) passim indicant fidem Christi esse necessariam ad salutem, atque adeo & explicitam, & necesitate medij. Nominatim autem obseruentur hæc Patrum testimonia: S. IRENÆVS lib. 3. cap. 21. *Ignorantes*, inquit, *eum qui ex Virgine est Emanuel, priuantur munere eius quod est vita æterna.*

S. IVSTINVS in dialogo cum Tryphone, circa finem, ita significat non posse homines saluari sine fide Christi, sicut non potuerũt viuere homines in diluuio nisi beneficio arcæ Noë. *Christus*, inquit, *qui primogenitus est omniũ quæ condita sunt, principium etiam alterius generis fuit hominum qui ab eo iterum generati sunt per aquam, fidem, & lignum, quod crucis mysterium habebat: quemadmodum etiam Noë in ligno vna cũ suis insidens aquis seruatus est, etc.*

S. Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catechesi 5. agens de Symbolo fidei: *Cùm alios*, inquit, *insciitia, alios verò occupatio quædam impediat à cognitione: ne ob* INSCITIAM, *animam* PERDAS, *in paucis versibus vniuersam fidei doctrinam comprehendimus.*

Vbi satis insinuat, eos planè perituros qui omnino Christum nesciant.

S. AMBROSIVS lib. 1. offic. cap. 29. *Iustus*, inquit, *iustitiam supra fidem collocat. Et Dominus per Isaiam (cap. 28.) Ecce, inquit, mitto lapidem in fundamentum Sion, id est, Christum in fundamentum Ecclesiæ. Fides enim omnium Christus.* Et paulo post: *Ideo Paulus fundamentum posuit Christum, vt supra eum opera Iustitiæ collocaremus; quia Fides fundamentũ est.*

S. AVGVSTINVS libro de bono perseuer. cap. 2. perpendens illud Apostoli ad Philip. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro eo patiamini: Horum*, inquit, *vnum pertinet ad initium* (nempe fides in Christum) *alterum ad finem, &c. Quod enim verius est* INITIVM *Christiano quàm credere in Christum?* Et libro de Spiritu & lit. cap. 29. *Fide igitur* IESV *Christi impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quatum perficienda exspectatur in spe.* Vbi ad primam & vltimam salutem indicauit necessariam esse fidem Christi tanquam initium & fundamentum primum salutis, atq; adeo explicitè, vt suprà in probatione prima diximus.

S. HIERONYMVS in caput 1. ad Ephes. circa illud, *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Non ante*, inquit, *filij esse possumus nisi filij eius Iesu Christi fidem & intelligentiam recipiamus.* Et in cap. 3. eiusdem epistolæ: *Fiducia*, inquit, *atq; accessus ad Deum, principium & origo fides in Christum est.*

S. GREGORIVS lib. 7. epist. 47. ad Anastasium episcopum Antiochenum, expẽdens illud Apostoli 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, &c.* Sic inquit: *Quisquis cum dilectione Dei & proximi fidei quæ in Christo est, firmitatem tenet, eundem* IESVM *Christum Dei & hominis filium apud se posuit fundamẽtum.* Et paulo pòst: *Ipsa quoque*, inquit, *per se veritas dicit, Qui non intrat per ostium in ouile ouiũ, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui paulo pòst subiicit dicens: Ego sum ostium. Ille ergo ad ouile ouium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodem creatore & redemptore humani generis vera sentit, &c.* Et in caput 16. libri 1. Regum: *Singuli*, inquit, *debent credere Christũ & per diuinitatem æterno Patri æqualem, & per humanitatem naturæ nostræ participem.*

QVARTO probatur ratione. Nam Deus non impartitur hominibus salutem nisi volentibus & in eam gratiam ac donum consentientibus, cum conferat supernaturalia dona modo apto naturæ hominum, quæ arbitrij & voluntatis est particeps. Velle autem & consentire in suæ propriæ salutis donum nõ satis censeri possunt homines, nisi eum saltem cognoscant & fidẽ complectantur, qui suo merito est eis reipsa etiam salutis auctor. Is autẽ est Christus Dominus, iuxta id quod Apostolus ait, *Decebat eum propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ACCEDIT quod omnis salus hominum ordinatur tanquam in finem in Christi etiam gloriã; iuxta illud Apostoli ibidem: Videmus IESVM propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Et ad Philip. 2. Propter quod Deus exaltauit illum & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, &c. Non igitur contingit vlli hominũ salus sine agnitione Christi per quam eius innotescat & celebretur honor & gloria.

Et hæc quidem argumẽta hactenus allata assertionem nostram absolutè probant, tum contra Canum qui fidem explicitam Christi ad vltimam quidem, sed nõ ad primam salutem requirebat; tum cõtra illos alios, qui neque ad vltimã salutem censuerunt eam esse necessariam necessitate medij. Possumus autem præterea peculiaribus argumentis euertere id quod Canus ait, fidem explicitam non esse necessariam ad primam salutem, & tamen esse necessariam ad salutem vltimam. Non enim bene hæc cohærent.

PRIMO. Nam vt quis de lege ordinaria possit beatitudinem consequi, satis est, si habeat ius ad beatitudinem, tanquam filius Dei adoptiuus & *cohæres Christi*, sicut Apostolus ad Rom. 8. loquitur: Sed ad hoc ius habendum non esset necessaria necessitate medij fides explicita Christi: si nõ esset necessaria ad Iustificationem: Ergo neque ad beatitudinem consequendam. Maior probatur. Nam eo ipso debetur alicui beatitudo, nec potest fieri, vt quis habeat id ius, & simul impedimentum, quod est peccatũ mortale. Minor probatur. Nam ius illud ex lege ordinaria coniunctum est cum gratia & iustificatione, sicut patet ex Apostolo ad Roman. 8. & in materia de gratia fusè explicatur. Ergo si ad gratiam & iustificationem, vt Canus concedit, non est fides explicita Christi necessaria necessitate medij: non esset etiam ad illud ius necessaria.

SECVNDO. Nam propterea reiicitur tãquam vanum, Pelagianorum dogma, requirẽtium Baptismum, vt paruuli ingrediantur regnum cælorum, non verò vt iustificentur & liberentur à peccato, quoniam vt D. Thomas contra illos 4. contra Gentes cap. 50. optimè argumentatur, absurdum & contra Ecclesiasticam traditionem est, amplius aliquid requirere, vt quis ingrediatur regnum cælorum, quàm quòd habeat gratiã Dei, & sit immunis à mortali peccato, quod solùm impedit, quo minꝰ quis assequatur salutem. Incurrit ergò Canus in idem absurdum, cùm fidem explicitam Christi, ad gratiam non requirit, & eam tamen requirit ad beatitudinem. ACCEDIT, quòd (vt rectè Sotus in 4. d. 5. q. vnica, artic. 2. obseruauit) antiqui Patres, quantum ad necessitatem fidei attinet, nunquam distinxerunt inter primam & vltimam salutem.

SED obiiciet aliquis contra nostram assertionem duo. PRIMO, quod Apostolus ad Hebr. 11. vt quis ad Deum accedat, solùm postulat, vt credat, *quia Deus est, & quia remunerator est*. Satis ergo simpliciter fuerit ad vtramq; salutem necessitate quidem medij, hæc duo credere illo assensu supernaturali, quem asseruimus p. 2. SECVNDO, quòd multi sunt aut esse possunt, etiam nũc post sufficientem Euangelij, qui nihil prorsus audierint de Christo. Quibus tamen salus non est impossibilis.

Ad PRIMVM respondeo cum Marsilio in 3. q. 14. art. 3. in responsione ad rationem 1. prioris dubij, Apostolum ibi memorare quidẽ ea quæ sunt creditu necessaria, sed non quæ sufficiat credere. Vel potest dici cum Alberto in 3. d. 25. art. 2. ad 1. loqui ibi Apostolum de Esse Dei non quomodocumque sed determinatè, prout est reuelatum in quibusdam articulis.

Ad SECVNDVM respondeo cum Durando vbi suprà, Talibus si ab aliquali gratia Dei præuẽti quæ nemini deest, faciant quod possunt, Deũ aut per se aut per aliquẽ hominem vel Angelum patefacturum fidem Christi: sicut diximus p. 2. de fide alicuius obiecti supernaturalis. Neque id fore miraculum; vt illic explicaui.

Præterea oportet respondere ad præcipuum argumentum Melchioris Cani, Nam Cornelius Actor. 10. iustus erat per fidem Christi implicitam, & tamen missus ad Petrum est, vt ab eo præterea fidem explicitam doceretur. Ex quo apparet, illam necessariam esse non ad primam sed ad vltimã salutem necessitate medij. CONFIRMATVR ex D. AVGVSTINO, qui libro de prædestinatione Sanctorum cap. 7. dicit, *si Cornelius potuisset consequi salutem absque fide Christi*, futurum non fuisset, *vt ad Petrum, tanquam ad fidei architectum mitteretur*.

RESPONDEO, hinc non colligi, fuisse Cornelio explicitam fidem Christi tũc necessariam necessitate medij ad vltimam tantum salutem: sed licet ad neutram salutem fuerit ei tunc necessaria necessitate medij (eo quod nondum erat Euangelium sufficienter euulgatum, vt in secũda assertione diximus) tamen necessitate præcepti, necessariam ei fuisse ad vtramque salutem; cum iam in Palestina quidem Euangelium esset promulgatum: Et propterea fuisse missum ad Petrũ, ne si accideret, ipsum vincibiliter ignorare Christum, salutem consequi non posset: Item quia non ita multo post, erat etiam futura ea fides illi necessaria necessitate etiam medij, post euangelium sufficienter diuulgatum. Hactenus de TERTIA assertione.

Iam probatur QVARTA nostra propositio, qua asseruimus, fidem saltem implicitam Christi etiã ante illius aduentũ fuisse semper necessitate medij necessariam post peccatum ad vtramq; salutem. Id autẽ certissimè probatur, PRIMO ex omnibus Scripturæ testimoniis, vbi fides in Christũ tanquam omnibus modis ad salutem hominibus necessaria commendatur. Vt ad Roman. 3. 4. 5. ad Galat. 2. & 3. & 1. Cor. 10. & 2. Cor. 4. & aliàs passim. Quo in genere clarus inprimis est ille locus, 1. Cor.

1. Cor. 10. vbi propterea, quod etiam prisci fideles omnes aliquo modo (scilicet implicitè) in Christũ crediderunt, ait Apostolus, illos *eandem escam spiritualem manducauisse, eũdemq; spiritualem potum bibisse: bibisse autem de spirituali consequente eos petra, petram autem fuisse Christum*. Et ille quoque locus Actor. 4. *Non est aliud nomen, &c.* Etenim cùm in his Scripturis fides Christi tanquam prorsus necessaria prædicetur, neque id ita oporteat intelligi, quasi explicita Christi fides ante eius aduentum fuerit necessaria necessitate medij, relinquitur, implicitam saltem illam fuisse hoc modo necessariam.

SECVNDO probatur eadem assertio auctoritate Patrum, qui similiter atq; Scriptura passim asseuerãt, fidem in Christum esse ita necessariam, vt nemini vnquã potuerit salus contingere sine illa. Nec tamen debent intelligi, quoad tempus quidem antecedens aduẽtum Christi, de fide explicita loquendo de necessitate medij. Itaque oportet eos intelligere de fide in Christum saltem implicita. Vt cùm ait AVGVSTINVS epist. 89. ad Hilarium quæst. 3. *antiquos iustos quicunq; esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, per fidem scilicet incarnationis Christi*. Et lib. 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 21. *Quãlibet*, inquit, *fuisse virtutis antiquos prædices iustos, non eos saluos fecit, nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Ipsorũ enim vox est: Credidi, propter quod locutus sum Psal. 115. Vnde ait & Apostolus Paulus, 2. Cor. 4. Habentes autem eundem spiritum fidei, secundùm quod scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Quid est autem, eundem spiritum, nisi quem illi quoq; habuerunt, qui ista dixerunt?*

TERTIO probatur ratione. Nam omni tempore debuerunt omnes aliquo modo credere id, per quod oportuit illos consequi beatitudinem: Tale est mysterium Incarnationis. Ergo, &c. Maior probatur. Quia illud inprimis cadit sub fidem, vt suprà dictum est. Minor patet Actor. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, etc. in quo oporteat nos saluos fieri*.

Sed in promptu habendum est, quod diximus p. 2. fidem hãc implicitam Christi, aliquo supernaturali actu debuisse contineri, quo videlicet supnaturaliter & explicitè crederetur Deus esse, & remunerator esse, tanquã auctor etiam donorum supernaturaliũ, ad remedium videlicet peccatorũ & corruptelæ in nostra natura insitæ, quę etiam naturaliter cognosci potest. Id quod est in vniuersali saltem credere Redemptorem & liberatorem, tametsi non in specie, quòd is sit Deus & homo, &c. quemadmodum rectè præ cæteris annotauit Alexander Hall. 3. parte quæst. 82. m. 3. art. 1. & Albertus in 3. d. 25. art. 1. & Bonauentura in 3. d. 25. art. 1. q. 2. & Scotus eadem d. q. 2. & Gabriel eadem d. q. vnica, art. 2. in confirmatione 3. conclusionis. Qui mihi videntur satis probabiliter sentire, necessariam fuisse semper fidem explicitam de Redemptore, hoc modo *in vniuersali*. Nam ea fides continetur in fide de Deo vt auctor & remunerator supernaturalis. Atque hactenus disseruimus de necessitate fidei in Christum, loquendo de necessitate *medij*.

Nũc verò si loquamur de necessitate *præcepti*, distinguendũ est inter tempus antecedẽs legem gratiæ; & ipsum gratiæ tempus. Et quod attinet quidem ad tempus antecedens, vera & communis sententia Theologorũ in 3. distinct. 25. & diui Thomæ hic artic. 7. continetur his duabus assertionibus.

PRIMA assertio: In statu naturæ integræ ante legem gratiæ, maiores explicitè debebant credere mysterium Incarnationis Christi, etiam qua ratione erat per mortem & resurrectionem redempturus genus humanum: minores verò, id est, vulgares, satis fuit, vt implicitè illud crederent hoc ipso, quòd persuadebant sibi esse diuinitus instituta sacrificia, quibus illud significabatur. PRIOR pars assertionis probatur. Nam alioqui *maiores* non satis commodè & decẽter per sacrificia illa Christũ significassent. POSTERIOR pars assertionis probatur, tum quia difficillimũ erat tunc vulgaribus cognoscere explicitè mysterium in illis duntaxat sacrorũ ritibus adumbratum: tum quia fides Christi implicita & relata apud vulgares, congruebat statui illius legis, qui adumbratꝰ & ænigmaticus erat, iuxta illud Apostoli ad Galat. 3. *Antequam veniret fides, sub lege custodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat*. Vnde etiam AVGVSTINVS libro 19. contra Faustum, cap. 14. ait, *occultam fuisse tunc fidem, nunc autem reuelatam, in quã concluſus erat ille populus, quando sub lege custodiebatur*.

Neque obstat, quod si minoribus de illo põpulo proposita fuissent aliqua mysteria Christi, non licuisset ipsis ea negare: Ergo debuerũt credere. Inde enim solùm efficitur, quòd necessariò debebant illa credere quoad *specificationem* actus; non autem quoad exercitium, ex vi præcepti affirmatiui fidei, ita scilicet, vt debuerint illa inquirere & discere, &c. quo pacto in præsenti disputatione loquimur de obligatione ad aliquid explicitè credendum.

SECVNDA assertio: Hoc tempore gratiæ reuelatæ per Christum, omnes tam minores quàm maiores debent explicitè credere mysterium Incarnationis Christi quoad eos articulos humanitatis, qui publica aliqua solennitate aut ritu in Ecclesia celebrãtur. In hac etiam assertione omnes Theologi communiter conueniunt. Vt diuus Thomas hic & Alexander Hall. par. 3. q. 82. mem. 3. art. 1. initio, vbi generatim etiam ait, omnes articulos, qui sunt in Symbolis fidei, debere explicitè credi. Et Albertus Magnus in 3. d. 25. art. 6. in fine, & S. Bonauentura ead. d. art. 1. q. 3. & Scotus ead. d. q. 2. vbi generatim id affirmat de omnibus etiam articulis fidei, qui sine controuersia tanquam veri & indubitati prædicantur & propo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuntur omnibus ab Ecclesia, quales sunt omnes articuli Apostolici Symboli; & Richardus eadem dist. art. 4. quæst. 1. & Durandus eadem dist. quæst. 1. num. 9. & Gabriel quæst. vnica, art. 2. in declaratione concl. 5. & 6. vbi id etiam generatim affirmare videtur de omnibus articulis Symboli Apostolici. Quod idem affirmat etiam Marsilius in 3. sentent. quæst. 14. art. 3. concl. 5. & 6. & Adrianus quodlib. 3. non longè ab initio.

Est autem hæc assertio contra Summam Rosellam, quæ ex sententia cuiusdam alterius auctoris citati à Sylvestro, verbo Fides q. 3. censuit, vulgares fideles nullum articulum debere explicitè credere, sed sufficere credere omnes implicitè; credendo, quod credit Ecclesia: quam opinionem Dominicus Bannes, 2. 2. quæst. 2. artic. 7. tribuit etiam Guilhelmo Parisiensi in Tractatu de fide: & Altisiodorensi lib. 3. Tract. 3. quæst. 5. sed falsò.

Nam Guilhelmus Parisiensis in illo Tractatu fol. 5. & sequent. multis potius argumentis probat, omnes, qui *credulitatis*, vt inquit, *capaces sunt*, teneri ad credendos articulos, qui in Symbolo proponũtur, quamuis rectè addit, eos *qui propter ruditatem* non possunt hos articulos in particulari & explicitè capere, excusari à peccato contra illam obligationem, si saltem illos implicitè & in vniuersali credant; credendo nimirum explicitè, vera esse omnia, quæ tradit Ecclesia, id quod à quocunq; quantumuis rudissimo ait capi posse. Itaque Guilhelmus hic potius suffragatur nostræ assertioni.

Altisiodorensis quoque libro tertio, Tract. 3. capite primo, quæst. 5. vbi de hac re disserit, solùm ait, sufficere simplicibus si aliquos articulos credant explicitè, & alios implicitè & in vniuersali, ita *vt nulli eorum* (inquit) *contradicant in particulari*: prælatos autem teneri credere omnes explicitè, *quia tenentur*, inquit, *reddere rationem de ea, quæ in ipsis est fide*. Vbi per articulos, quos sufficit credi explicitè à simplicibus, omnino videtur intelligere articulos illos præcipuos, qui proponuntur in Symbolo: per alios autem, qui debent explicitè credi à prælatis, videtur intelligere articulos alios, seu veritates fidei, quæ in Scriptura, vel in definitionibus Ecclesiæ continentur, & debent defendi contra hæreticos ab iis, quorum id interest. Itaque etiam Altisiodorensis stat potius pro nostra assertione.

Probatur autem ea assertio nostra manifesto argumento. Nam omnes tenentur amplecti & explicitè credere summam doctrinæ Euangelicæ. Sed hæc præcipuè continetur in articulis illis, qui publico ritu in Ecclesia celebrantur: Ergo omnes tenentur articulos illos explicitè credere. Maior patet ex illo testimonio Christi Matthæi vltimo: *Docete omnes gentes.* & Marci vltimo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quod enim per Euangelicos ministros doceri & prædicari omnibus hominibus oportet, tanquam creditu necessarium ad salutem; explicitè certè credi necesse est, sicut & ipsa prædicatio explicita & manifesta esse debet.

Quod si aliqui rudiores sint, quàm vt explicitè capere summam Euãgelicæ doctrinæ possint, ij excusantur quidem à peccato, si tantùm implicitè credant, vt bene dixit Guilhelmus Parisiensis loco citato; sed non propterea non obligantur ad explicitè credendum: imò hoc ipso quòd excusantur à peccato, apparet eos alioqui esse ad explicitè credendum obligatos: nemo enim propriè censetur excusari à pecccato, in re, ad quam alioqui nõ est obligatus. Ex quo intelligitur, meritò in Scholis explosam esse tanquam erroneam suprà dictam illam opinionem summæ Rosellæ, quam memorat Sylvester vbi suprà.

Sed cùm hæc ita sint, duo DVBIA hoc in loco explicanda restant: VNVM est, an etiam teneantur vulgares fideles credere explicitè omnes omnino articulos Symboli Apostolici ad humanitatem Christi pertinentes, & non solùm eos, qui publico ritu & solennitate in Ecclesia celebrantur: Vt v. g. quòd Christus ex Maria natus sit salua eius integritate; quòd sit communio sanctorum, & futura resurrectio, &c. quæ propriè non celebrantur aliqua solennitate in Ecclesia. ALTERVM est, quàm explicitè & distinctè debeant credi à fidelibus ij articuli fidei, qui ab illis explicitè credi debeant, siue illi sint omnes in Symbolo comprehensi, siue aliqui.

Et quod ad PRIMVM dubium attinet, discrepant sententiæ Theologorum. Nam Albertus Magnus, Bonauentura, Richardus & Durandus locis anteà citatis censent non obligari vulgares fideles, vt explicitè credant omnes illos articulos, sed illos, qui vt dictum est, celebrãtur ab Ecclesia. Et argumentum illorum videtur esse, quia difficile est alios explicitè credere.

SED probabilior est sententia D. Thomæ hic articulo septimo, & Alexandri Hallensis, & Scoti, & Gabrielis, & Marsilij, & Adriani vbi suprà, qui censent, omnes eiusmodi articulos esse explicitè ab omnibus credẽdos, licet præcipuè eos, qui in Ecclesia publicè celebrantur, vt notat sanctus Thomas. Quinimò Hallensis vbi suprà videtur sentire, quòd omnes etiam, qui sunt explicati in aliis Symbolis, puta Niceno & Athanasij. Quãquam hoc nimis durum videtur.

Itaque quidquid sit de aliis Symbolis, probatur debere explicitè credi à fidelibus omnes articulos contentos in Apostolico Symbolo ad humanitatem Christi pertinentes, de quibus nunc agimus. Nam PRIMO in omnibus illis continetur summa Euangelicæ doctrinæ, quam omnes tenentur explicitè credere, vt anteà Christi testimonio Matthæi & Marci vltimo probauimus.

SECVNDO, ita etiam indicant sancti Patres, cùm affirmant, ab Apostolis compositum esse illud fidei Symbolum, vt omnes haberent breuem summam eorum, quæ sunt credenda, & sparsim continentur in Scripturis, quas non omnes possunt legere & intelligere; sicut ait nominatim sanctus Cyrillus HIEROSOLYMITANVS, catechesi 5. & sanctus AVGVSTINVS libro de fide & Symbolo, capite primo. Et hoc ipsum planè supponi videtur in Catechismo Romano, & in multis decretis, quæ collegit Gratianus de Consecrat. distinct. 4.

TERTIO, nam cùm articuli fidei sint veluti prima principia disciplinæ Christianæ; consentaneum est, omnes Christi discipulos debere illos scire.

QVARTO, quia cùm dubium sit apud Doctores, omnésne an aliquos tantùm articulos teneantur singuli fideles explicitè credere, aliquam oportet esse regulam probabiliorem huius controuersiæ constituendæ: nulla autem probabilior esse videtur, quàm ipsa Ecclesiæ propositio publica. Nã si ex *solennizatione* vellemus colligere, quænam propositio fidei esset credenda: ad aliqua alia fideles obligarentur credenda præter articulos; vt ad Circumcisionem Christi, ad Aduentum Spiritus sancti, &c. Item si id esset definiendum ex *facilitate* maiori ad credendum, non deberent omnes credere mysterium Trinitatis, quia hoc est difficillimum. Et tamẽ debent omnes id mysterium credere, vt videbimus p. sequent. Videtur ergo nulla esse alia probabilior ad hoc regula, quàm publica Ecclesiæ propositio. Et sic cùm omnes articuli, sicut continentur in Symbolo Apostolorum, semper fuerint in Ecclesia proposíti omnibus, etiam pueris, ad credendum; videtur esse communis traditio, quòd omnes teneantur ad credendum omnes huiusmodi articulos.

Denique suauitatem, ob quam prior illa opinio nõ obligat omnes ad credendum omnes articulos, eam hæc secunda sententia quoque potest retinere, concedendo (sicuti concedi debet) sæpenumerò accidere, vt aliquis rudior inuincibiliter ignoret aliquos articulos, atque ita excusetur à peccato. Quanquam vt bene aduertit Durandus vbi suprà, in locis, quibus Christianæ religionis cultus viget, vix potest aliquis reperiri, qui inuincibiliter ignoret præcipuos articulos in Ecclesia celebrari solitos, vt de passione, resurrectione Christi, &c. Et per hoc patet responsio ad argumentum contrariæ opinionis.

Nunc superest illud ALTERVM dubium, scilicet quatenus debeant singuli fideles explicitè credere articulos Incarnationis & humanitatis Christi? Respondeo, satis fuerit illorum substantiam simpliciter tenere, sicut continetur in Symbolo Apostolorum: ita videlicet, vt sensus verborum proprius vtcunq; intelligatur, etiamsi non admodũ distincta notitia. Proprius inquam sensus. Non enim sufficit hærere in cortice verborum. Vnde quod dicitur v. g. Christus sedere ad dextrã Patris, sic credi debet, vt intelligatur perfrui eum summa beatitudine, &c. Ex quo sequitur, abundè illum satisfacere præcepto explicitè credendi articulos, qui substantiam illorum ita intelligit, vt exponuntur in aliquo Catechismo Catholico ad captum rudium composito: licet ordinem illorum non bene teneat memoriter; vt communiter Theologi notant.

PVNCTVM QVINTVM.

An sit necessarium ad salutem credere explicitè mysterium Trinitatis.

D. Thomas art. 8.

SENTENTIA hac de re verior & probabilior, eorum Theologorũ, quos circa mysteriũ Incarnationis p. præced. secuti sumus, & diui Thomæ hic art. 8. continetur duabus assertionibus. PRIMA. Explicitè credere Trinitatem eodem modo ad salutem est necessariũ necessitate præcepti, quo necessarium est explicitè credere mysterium Incarnationis: Ita scilicet vt ante tempus gratiæ, maiores duntaxat debuerint istud mysteriũ Trinitatis explicitè credere: minores verò implicitè in fide maiorum, tempore verò gratiæ omnes debeant illud credere explicitè.

Probatur PRIMO, quoniam non potest mysterium Incarnationis explicitè credi, nisi etiam credatur explicitè Trinitas. Consistit enim illud in hoc, quod filius Dei Patris sumpserit naturam humanam, & per gratiam Spiritus sancti mundum renouauerit, & ex Spiritu sancto conceptus fuerit, &c.

SECVNDO, probatur iisdem argumentis, quibus p. præced. probauimus, debere credi explicitè mysteriũ Incarnationis. Nam similiter mysterium Trinitatis spectat ad summam doctrinæ Euangelicæ, cùm præsertim in eius nomine Baptismus conferri debeat. Matth. 28. Et similiter articuli de hoc mysterio proponuntur omnibus fidelibus in Symbolo Apostolico.

SECVNDA assertio: Eodem etiam modo necessitate medij est huius mysterij fides necessaria, quo p. præcedente diximus necessariam esse fidem Christi; ita scilicet vt post sufficientem Euangelij diuulgationẽ requiratur explicita; præcedentibus autem temporibus sufficerit implicita. Probatur PRIMO, nam similiter fides huius mysterij pertinet ad fundamentum salutis; iuxta illud Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* SECVNDO quia sine hac cognitione non potest Christus satis cognosci, cùm sit filius Patris & sanctificatus Spiritu sancto. Vnde S. IRENÆVS libro 3. cap. 20. *In Christi*, inquit, *nomine subauditur qui vnxit, et ipse qui vnctus est, & ipsa vnctio. Vnxit quidem Pater, vnctus est filius in Spiritu, qui est vnctio. Vt ait in Isaia*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. 61. Spiritus Domini vnxit me, &c. Et ideo etiam S. CYRILLVS lib. II. in Ioan. cap. 16. ait, *non sufficere cognitionem Dei absq; cognitione Patris & Filij & Spiritus sancti.* TERTIO, quia est principale fidei obiectum, expresè iam reuelatum Matth. 28.

Alij autem necessitate quidem medij satis esse putant credere quòd Deus sit, & quòd remunerator sit, vt auctor etiam supernaturalium. Ad quod tamen pertinet, vt intelligatur anima humana esse immortalis & æterna. Alioqui enim non potest explicitè credi remuneratio æterna post hanc vitam; neque hæc ipsa vita rectè institui, vt peruenire homo possit ad finem vltimum, qui est beatitudo æterna. Sed nostra sententia est probabilior; sicut illa etiam quam p. præcedenti defendimus de fide Christi.

Itaque mysterium Trinitatis, sicut etiam alij articuli ad diuinitatem spectantes, de necessitate tum medij, tum præcepti credendum est iam singulis fidelibus, ita scilicet, vt substantia eius intelligatur, quæ nimirũ consistat in vnitate eiusdem diuinitatis & essentiæ, & distinctione personarum, quarum vna non sit alia. Neque tamen necessum est, hoc admodum distinctè intelligere, sed sufficit aliquem confusum saltem conceptũ formare de vnitate essentiæ & Trinitate personarum, & remittere se ad Ecclesiam, quod attinet ad distinctiorem cognitionem huius mysterij, sicut etiam aliorum.

Nec sanè puto aliud voluisse Scotum in 3. d. 25. quæst. 1. §. *sed posito*, circa finem, cùm dixit, rudem aliquem, qui non posit concipere, quid sit natura, & quid persona, non obligari vt habeat actum explicitum de hoc mysterio distinctè, *sicut habet*, inquit, *clerici literati*. Non enim negat hic Scotus debere talem habere actum vllum explicitũ, sed actum explicitè *distinctum* sicut docti habẽt. Vnde infra §. *sed hic occurrit*, affirmat generatim, teneri simplices ad explicitè credendũ ea, quæ tanquam certa & indubitata communiter prædicãtur, & proponuntur vbiq; omnibus in Ecclesia: qualia sunt nimirum omnia, quæ continentur in Symbolo Apostolico.

Maneat itaque, fideles omnes necessitate præcepti debere explicitè credere substantiam articulorum omnium, qui continentur in Symbolo; & aliquorum etiam necessitate medij, iuxta dicta hactenus in hoc & præcedenti puncto. Tametsi nõ est necessum scire illos articulos per ordinem memoriter, sicut in Symbolo continentur; Satis enim est, siquis quãdo esset necesse, aut interrogaretur, sciret ipsam substantiam articulorum quocunque ordine, vt notant communiter Theologi.

Sed cùm hæc ita sint, duo præterea hoc in loco quæri possunt. PRIMVM est, an omnino ad salutem sufficiat credere explicitè omnes fidei articulos. SECVNDVM est, quonam tempore obliget præceptum credendi.

AD PRIMVM respondeo, quantum est ex vi ipsius præcepti fidei per se loquẽdo, id quidem sufficeret. Verùm quia præterea tenetur quis aliqua præstare, quæ commodè nõ potest, nisi alia quædam sciat; credere vel scire debent præterea fideles alia quædam.

Nam PRIMO omnes fideles tenentur explicitè credere seu cognoscere ea, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum illorum, quæ sunt omnibus necessaria: vt quòd Baptismus sit quædam spiritualis regeneratio per gratiam, habeatq; adiunctam obligationem ad fidem & Christianam religionem. Item quòd per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur peccata commissa post Baptismum. Item quòd in Eucharistia contineatur verè & substantialiter Christus Dominus, nec sit iam in illis speciebus panis, sed Christus, qui proinde sit ibi adorandus.

PRÆTEREA qui suscipit Matrimonium, debet etiam intelligere Sacramentum esse significans ac conferens gratiam ad coniugalem vitam rectè instituẽdam. Ille etiam, qui suscipit *ordines*, nosse debet, conferri sibi potestatem spiritualem ad munus cuiusq; ordinis subeundum. Quod ad *Confirmationem* verò & *Extremam vnctionem* attinet, non est certum, quòd sit necessarium ex præcepto fidelibus, vt eorũ substantiam sciant. Nam & suscipi possunt absque vsu rationis, & præterea multi putant non esse de necessitate.

ITEM ex eodem fundamento sequitur, debere omnes & singulos fideles explicitè scire *precationem* Dominicam. Nam tenentur interdum petere illa, quæ sunt necessaria, quæ in ea oratione continentur. Non tamẽ est necesse illam memoriter tenere per ordinem. Similiter omnes tenẽtur scire præcepta *Decalogi*. Item quinque *præcepta Ecclesiæ*. Denique opera *misericordiæ* saltem pro tempore, quo debeant illa exercere.

Superest SECVNDA quæstio, quonam scilicet tempore præceptum affirmatiuum de actu fidei interiori obliget? De qua quæstione nihil video tradi à Doctoribus hoc loco. Videtur autem posse dici, quòd præceptum de actu fidei interiori *per se* obliget PRIMO, quando fides ipsa sufficienter alicui primum proponitur. Nam non est ratio, cur debeat aliquis aliud tempus vt credat expectare, quandoquidem absolutè credere tenetur, & sufficienter iam illi fides explicatur. SECVNDO, etiam videtur aliquis teneri ad credendum, quando patitur grauiorem aliquam tentationem contra fidem. Est enim tunc tempus resistendi per contrarios actus, ac confirmandi se in fide. DENIQVE etiam in articulo mortis: vt se quis tunc muniat contra tentationes, & coniungat cum Deo per huius virtutis Theologicæ actum, quæ prima est & quasi fundamentum reliquarum omnium.

Per accidens etiam tenetur aliquis habere actum fidei internum, quando tenetur aliquid exterius

terius facere, quod non potest commodè præstari sine interno actu fidei, vt fi debeat ipsam fidem profiteri, &c. de quo disseremus quæstione sequenti.

Sed est diligenter hîc illud ADVERTENDVM, quod quæstione præcedenti, p. 4. attigimus, nimirum præceptum fidei affirmatiuum (atque adeo iudicium, quo quisque sibi persuadere debet, esse credendum) ad hoc impellere, vt quis cum auxilio gratiæ, quod est præstò, conetur, quãtum est in se, elicere ipsum fidei assensum supernaturalem; siue reipsa accidat, ipsum talem assensum elicere siue non. Nam vt infrà quæstione vndecimæ docebimus, quandoq; potest contingere, vt quis teneatur conari ad eliciendum assensum fidei supernaturalem circa id, cuius cõtrarium reipsa est verum.

Vt si v. g. Synodus Episcopalis, aut etiam communis consensus plurium Theologorum statueret, aliquam propositionem esse propositam ab Ecclesia & de fide, atq; ideo iuberetur quis præbere illi propositioni assensum fidei. Tunc talis teneretur conari ad eliciendum talem assensum ex præcepto fidei, & aliàs incurreret peccatum hæresis, quod ad voluntatem suam attinet. Et tamen cùm Synodus Episcopalis, & plures etiam Theologi, errare possint; posset contingere, vt quod ab Episcopis vel Doctoribꝰ aliquibus proponitur tali credendum, falsum reipsa esset, cui proinde nequeat reipsa adhiberi assensus fidei supernaturalis. Sed de hoc inferius quæstione vndecima.

PVNCTVM SEXTVM.

An sufficiat ad salutem credere explicitè vnum aut alterum præcipuum mysterium fidei, aut omnia quæ sunt in Symbolo, etiamsi circa alia fidei dogmata quis erret. Vel requiratur fides vndequaq; sana & integra.

Potest referri ad art. 5. D. Thomæ.

SVNT non pauci, qui posteaquam Sectariorum fraude ab Ecclesia Catholica abducti, nullo se firmo fundamento ad veritatem in tanta doctrinarum varietate cognoscendam niti posse, nisi ad Ecclesiam redeant, animaduertunt: pernicioſissima opinione conscientiis exulceratis mederi, & desperationi, à qua non longè absunt, obstere student. Sibi enim persuadent, modò aliquis Deum, & Christum, & præcipua fidei capita fateatur, nihil interesse præterea, qd credat, aut quorum disciplinam sequatur, vt adipiscatur salutem.

Quod idem nonnulli hæretici Donatistę olim in Aphrica sibi similiter persuaserunt, vt ex diuo AVGVSTINO epistola quadragesima octaua, ad Vincentium intelligi potest: *Multi*, inquit AVGVSTINVS, *nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atque ad Catholicam transire, nemo cogebat.* Et paulò inferius ita illis profuisse terrorem legum testatur, vt conuersi postea dicerent: *Putabamus quidem, nihil interesse, vbi fidem Christi teneremus: Sed gratias Deo, qui nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, ostendit.*

Quin etiam eò nonnulli progrediuntur, vt putent, sine fide etiam Christi, secundùm quamlibet omnino religionem posse hominem saluari, modò nihil agat contra propriam conscientiam. Id quod similiter asserit Turcicum Alcoranum capite secundo, & asseruerunt etiam olim Ethnici, vt AVGVSTINVS testatur libro decimo octauo de ciuitate Dei, capite quinquagesimo primo.

Aduersus hos igitur errores confirmandum nobis est, non sufficere ad salutem, qualemcunque fidẽ, sed requiri prorsus fidem Christianam vndequaquè sanam & integram.

AC PRIMO quidem demonstrari hæc assertio potest hoc modo: si de aliquibus omnino fidei capitibus contra sententiam veram aliorũ Christianorum, quod velis credas; non vna & eadem fides erit apud te, quæ est apud verè Christianos omnes, sed alia diuersa: non enim *idipsum quod alij sapies*, nec *in eadem permanebis regula*, sicut ad vnitatem fidei requirit Apostolus ad Philip. 3. Si autem non vna & eadem fides est apud te, quæ sit etiam apud verè Christianos omnes, non habebis fidem Christianam; hæc enim vbique est *vna*, sicut *vnum* Baptisma, ad Ephesios quarto. Si autem fidem Christianam non habebis, Deo gratus esse non poteris. *Sine fide enim* (vtiq; Christiana) inquit Apostolus Hebræ. vndecimo, *impossibile est placere Deo.* Quod si Deo gratus non eris; certè nec poteris saluus esse. Igitur vt hoc vltimum ex primo concludamus, si quod velis credas, nequaquam poteris consequi salutem. Hoc certè probationis filum omni ex parte ferreum est, neque potest disrumpi vllo modo.

DEINDE: Nemo hæreticus, nemo Sectarius, nemo infidelis, nemo incredulus, nemo falsus Propheta, aut Magister mendax, aut lupus rapax, docens peruersa, &c. nisi ante mortem resipuerit, salutem consequi poterit. Hoc enim manifestè Scriptura declarat, cùm vniuersè de iis omnibus absque vlla vel personarum vel erroris (qui quidem cum doctrina fidei pugnet) exceptione hunc in modum pronunciat: *Docete omnes gentes, Matthæi vigesimo octauo. Qui non crediderit* (non dicit, hoc aut illud, sed absolutè, Qui non crediderit) *condemnabitur*, Marci decimo sexto. *Attendite à falsis Prophetis, qui sunt lupi rapaces,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matthæi septimo. Obseruetis eos, qui dissensiones, præter doctrinam, quam vos accepistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro nõ seruiunt, ad Romanos decimo sexto. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, ad Hebræos decimo tertio. Hæreticum hominem post vnam aut alteram admonitionem deuita, quoniam est proprio iudicio condemnatus, ad Titum tertio. Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit, ad Galatas primo. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere, nec aue ei dixeritis. 2. Ioan. 2. Manifesta sunt opera carnis, fornicatio, inuidia, dissensiones, sectæ, &c. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, ad Galatas quinto. Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, superinducẽtes sibi celerem perditionem, 2. Petri 2. Nunc ne sim sententiis similibus recẽsendis prolixior, ita rationem concludo: Omnis qui obstinatè & contumaciter contra veram fidei sententiam arbitratu suo aliquid omnino credit, est hæreticus, infidelis, incredulus, sectarius, atque etiam, si alios quidem doceat, falsus Propheta, magister mendax, lupus rapax, &c. Igitur cùm nemo, qui est talis, salutem consequi possit, vt probatum est, nemo quoque poterit consequi salutem, qui pro libito contra sententiam fidei aliquid obstinatè & contumaciter credat.

SED & contra eos etiam, qui arbitrantur vnumquemq; non prorsus Atheum (siue is Christi doctrinam recipiat, siue non recipiat) secundùm sectam viuendo suam, modò nihil contra conscientiam admittat, saluari posse: licet nobis vti huiusmodi firma argumentatione: Si quilibet secundùm sectam suam salutem consequi potest, causa necessariò erit, quia vel omnes omnino sectæ, quæ possint esse, placent atque probantur per se ipsæ Deo: vel quia omnes, qui sectis addicti sunt, excusari per inuincibilem ignorantiam poterunt: vel certè quia ipsa opinio, quantumcunque vincibilis, omnes excusabit qui secundùm conscientiam suam, id est, congruẽter cum eo, quod ipsi putant, viuant & sentiant. Sed neque omnes sectæ per se placent Deo: neque omnes, qui sectis addicti sunt, excusari per inuincibilem ignorantiam poterunt: ac multò etiã minus opinio qualiscunque, si sit vincibilis, excusabit. Igitur non omnes secundùm quamlibet sectam consequi poterunt salutem.

Iam confirmo singula. Ac primùm, non omnes certè sectas per seipsas placere Deo, planissimum est. Nam cùm plerasque opiniones differentium sectarum, atque adeo etiam nata ex opinionibus actionum studia, oporteat inter se pugnare: fieri nequit, vt quælibet sectæ per se sint diuinæ voluntati consentaneæ. Inde enim (quod est perabsurdum) sequeretur, eundem ipsum Deũ auersari quod approbat, & id vetare, quod sibi tamen placet. Etenim ex omnibus contrariis ac repugnãtibus actionibus necesse est quasdam esse cum recta ratione congruentes, ac proinde probari, vel etiam imperari à Deo: eas autem quæ ex contrario his repugnant, necesse est item esse hoc ipso à recta ratione auersas, ideoque peccata, Deo inuisa, ab eoque prohibita. Itaque si opiniones omnes & actiones quarumlibet sectarum diuinæ voluntati consentaneæ essent: cùm quædam ex illis, vt ostensum est, Deo sint exosæ & ab eo prohibitæ: consequetur, vt dicebamus, aliquid auersari Deum, quod ipse tamen approbet, & idipsum vetare, quod sibi tamen placet.

Accedit, quòd si propius etiam disciplinas inspicimus earum sectarum, quarum notitiam tenemus, vt Gentilium, Iudæorum, Turcarum, Hæreticorum, in singulis prauos errores, atque adeo actionum instituta peruersissima facilè animaduertimus, quæ esse quidem media salutis consequendæ, ipsi grata Deo, neque cogitari sine summo scelere, neque dici sine atroci blasphemia potest. Commemorat autem multa de erroribus absurdissimis Gentilium diuus AVGVSTINVS toto libro septimo de ciuitate Dei: & de erroribus antiquorum Philosophorum, atq; etiam hæreticorum, Theodoretus libro de Legibus, & libro de fabulis hæreticorum: & de erroribus Iudæorum Sixtus Senensis libro secundo Bibliothecæ sanctæ. Erroribus autem Turcarum liber ipse Alcorani plenus est. Nam inter cætera, capite vigesimo octauo, quadragesimo septimo, quadragesimo octauo docet, summam fælicitatem consistere in cibo & potu, & multarum vxorum vsu: item capite quadragesimo tertio, Deum ipsum & Angelos orare pro Mahumete.

Iam verò quòd per *inuincibilem ignorantiam* aliqui quandoq; excusentur, fieri quidem potest: vt autem ita excusentur omnes, non est vllo modo probabile. Quis enim credat, omnino nullos esse ex omnibus Sectariis, qui & idoneo iudicio præditi sint, & opportunitatem aliquando habeant, ad cognoscendam veritatem? Quòd si multis (vt sanè fit) facultas hæc suppetit: multi profectò possunt verâ scientia comparanda vincere ignorantiæ errorem. Quare non omnes Sectarij per ignorantiam inuincibilem excusabũtur.

Multò etiam minus ipsa *opinio falsa* excusabit (nam hoc erat in partitione nostra postremum) si voluntaria sit, hoc est, si in ea peruicaciter persistas, cùm veritatem cognoscere bene possis. Inest enim vel maximè in ipsis etiam prauis opinionibus, cùm alioqui deponi possunt, turpitudo: à qua proinde non magis honestari opus aliquod improbum potest, quàm illustrari (v.g.) obscurus locus à tenebris. Itaque & hæresis, quoniam error est peruersæ de rebus diuinis opinionis, peccatum est maximum: nec ipsis etiam priscis Philosophis, qui modò rationem sequerentur, ignotum fuit, summam esse impietatem in falsis atq; improbabilibus sententiis de Deo. Denique nullũ omnino esset peccatũ in falsi cultus superstitione

stitione, si opinio ipsa falsa per se, tum etiam cùm deponi potest, à peccato excusaret. Quis enim in eo genere delinquit, qui non falsò arbitretur obsequium se præstare DEO? Quocirca falsa opinio, cùm est quidem voluntaria & vincibilis, non modò non omnes Sectarios, sed ne vllum quidem à peccato excusare ipsa potest. Quod quidem non modò ratio recta, vt ostensum est, docet, sed etiam Scriptura diuina cõfirmat multis in locis, vbicunq; significatur esse aliqua peccata ex ignorantia, vt Psalmo decimo octauo, Ioannis decimo sexto, versu secundo, & 1. ad Corinth. secundo, &c.

Huc ACCEDIT, quòd si maximè vel inuincibilis ignorantia, vel opinio qualiscunque eos omnes (quod fieri non potest) à peccato excusaret, qui Sectis quibuscunque dediti sunt: tamen inde non statim consequitur, vt quisque possit secundùm sectam quamlibet adipisci salutem. Nam vt salutem consequaris, satis tibi non est, vt à peccato in prauis alioqui actionibus excuseris: sed præterea etiam necesse est, vt præterea vtaris aliquibus mediis consequendæ salutis, per se rectis, & à diuina prouidentia ad eam rem institutis. Cuiusmodi sunt, fides, pœnitentia, &c. Vt enim DEVS ipse hominibus præstituit finem vltimum, id est, summam beatitudinem: sic etiam ad ipsum pertinuit, media etiam aliqua & bona & necessaria constituere ad perueniendum in eum finem. Quòd si terminum tantùm & non etiam viam hominibus ostendisset, non illius esset prouidentia perfecta. Non est autem consequens, si per ignorantiam aut opinionem in prauis actionibus à peccato excusaris, vt etiam vtaris eiusmodi mediis, quæ per se sunt bona & necessaria ad salutem.

Quoniam igitur (vt demonstratum est) neque omnes *Sectæ* per se placent Deo: neque omnes Sectarij per *ignorantiam* inuincibilem aut *opinionem* excusabuntur: nec, si maximè excusarentur, ideo futurum esset, vt omnes adhiberent *media* per se necessaria ad salutem: perspicuum est, eos desipere, qui in vniuersum omnibus, secundùm quamlibet Sectæ disciplinam, salutem pollicentur.

POSTREMO huc accedit, quod etiam sanctissimi & eruditissimi Patres, si minimum aliquid contra fidem credatur, eo ipso fidem atque salutem amitti constanter tradiderunt. Ita enim scriptum reliquit beatus Gregorius NAZIANZENVS in tractatu de fide, Ruffino interprete, non longè ab initio: *Nihil*, inquit, *periculosius his hæreticis esse potest, qui cùm integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo, tanquam veneni gutta, veram illam ac simplicem fidem Dominicam, & exinde Apostolica traditionis, inficiunt.*

Ac diuus HIERONYMVS libro tertio Apolog. aduersus Ruffinum, non multò post mediũ, vbi de Origenis erroribus agit, disertis verbis affirmat, *propter vnum etiam verbum aut duo, quæ contraria essent fidei, multas hæreses ejectas esse ab Ecclesia.*

Hinc quoque D. BASILIVS apud Theodoretum lib. 4. histor. Ecclesiast. cap. 17. *Qui sunt*, inquit, *in sacris literis educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodisinunt, sed pro istius defensione, si opus est, nullum non mortis genus libenter amplectuntur.*

Atque ideo etiam D. AVGVSTINVS cùm finem imponeret libro, quem ad Quoduultdeum scripsit de hæresibus, ita concludit: *Non omnis qui ista nõ credit, debet se Christianum Catholicum iam putare. Possent enim & aliæ hæreses, quæ in hoc opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse vel fieri, quarum* ALIQVAM *quisquis tenuerit, Christianus Catholicus non erit.*

Et lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 51. hæreticum hominem & ab Ecclesia alienum ita describit: *Qui in Ecclesia*, inquit, *Christi morbidum, aliquid prauumq; sapiunt* (non dicit, qui de omnibus doctrinæ partibus prauè sentiunt; sed: Qui morbidum ALIQVID) *si correpti vt sanum rectumq; sapiant resistunt contumaciter: hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in inimicis.*

Et præclarè hoc idem ante Augustinum ita confirmauit diuus CYPRIANVS libro primo, epistola sexta ad Magnum: *Neque enim*, inquit, *Dominus noster IESVS Christus, cùm in Euangelio suo testaretur, Aduersarios suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designauit; sed omnes omnino hæreticos, qui secum non essent, & secum non colligentes, gregem suum spargerent, Aduersarios suos esse ostendit, dicens: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui mecum non colligit, spargit, Lucæ 11. Item beatus Ioannes Apostolus, nec ipse vllam hæresim aut schisma discreuit, sed vniuersos, qui de Ecclesia exissent, Antichristos appellauit, dicens: Audistis, quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum, 1. Ioan. 2. Vnde apparet, Aduersarios Domini Antichristos omnes esse, quos constet à charitate atq; ab vnitate Ecclesia Catholica recessisse.*

Nec quicquam potest ad hanc rem illa diui ATHANASII in Symbolo sententia proferri clarius: *Quicunque vult*, inquit, *saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisq; INTEGRAM inuiolatamq; seruauerit, absq; dubio in æternũ peribit.* Sic ille in fidei Symbolo, quod apud Aduersarios etiam obtinuit auctoritatem.

Quod enim ibidem Athanasius subiungit: *Fides autem Catholica hæc est, &c.* non significat, illos duntaxat articulos, quos de mysterio sanctissimæ Trinitatis atque incarnationis commemorat, continere in vniuersum ipsam fidem integrã: sed eos certè vel maximè etiã ad fidem integram pertinere: id quod ibi D. Athanasius ex instituto agebat. Itaque si quis negaret (v.g.) Baptismum esse Sacramentum vel aliam eiusmodi sententiam fidei sine controuersia certã, neq; tamen ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

Athanasio propositam in eo Symbolo, in æternum profecto, ex mente quoque sententiaq; Athanasij, esset periturus, cò quòd fidem integram non seruaret.

Quæ cùm ita sint, non est profectò cur sine illa fide vndequaq; incorrupta atq; integra, quam Apostolus Hebr. 11. *Sperandarum substãtiam rerum* (hoc est, quasi basim atq; fundamentum spei vitæ æternæ) *esse*, verissimè definiuit, salutem sibi quisquam apud Sectarios polliceatur. Neq; enim aliquis vllam excusationẽ perfidiæ suæ ob difficultatẽ inueniendæ sinceriſsimæ veritatis prętẽdere poterit, *cùm facilè alioqui sit* (inquit præclarè diuus Irenæus, lib. 3. ca. 4.) *veritatem ab Ecclesia sumere, nempe in quã, tanquam in depositoriũ diues, plenissimè Apostoli contulerunt omnia, quæcunq; sunt veritatis, vt omnis, Qvicvnqve velit, sumat ex ea potũ vitæ. Hæc est enim* (inquit) *vita introitus, omnes autẽ reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos. Quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, ab eâq; accipere veritatis traditionem.*

Ac sanè mihi D. Avgvstinvs lib. de vtilitate credẽdi, cap. 8. saluberrimis verbis adhortari videtur, non modò Honoratum Manichæum (cui ille scribebat) sed etiã vnum quemq; eorũ, qui in indaganda nũc veritate extra Ecclesiam Catholicam inani labore se defatigãt: *Siiam*, inquit, *satis tibi iactatus videris, finemq; huiusmodi laboribus vis imponere, sequere viam* (Catholicæ *disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsq; manauit, et abhinc ad posteros manatura est.*

PVNCTVM SEPTIMVM.

An & quomodo actus credendi sit meritorius.

D. Thomas art. 9. & 10.

Qvod actus fidei suapte ratione possit esse meritorius, si is, qui credit, sit in gratia, æquè certum ex fide est, atque est certum bona iustorum opera esse meritoria, vt probauimus tomo 2. disputat. vltima, q. 6. Nam & fidei actus est quoddam bonum opus, dicente Domino, Ioann. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille*. Vnde Apostolus ad Hebræ. 11. ponit multorum Patrum catalogum, qui *per fidem adepti sunt repromissionem*, vtique meritoriè.

Et notat bene Caietanus hic circa solutionem tertij, rationes siue motiua fidei non obstare, quo minus actus fidei meritorius sit simpliciter ex omni parte, qua est liber, scilicet & quoad *exercitium* & quoad *specificationem*. Non enim illæ rationes idem efficiunt, quod rationes demonstratiuæ quibus concluduntur veritates scientiarum. Hæ namque quoniam conuincentes sunt, efficiunt assensum scientiæ necessarium quoad specificationem: & ita non est ille meritorius, nisi vt liber quoad exercitium: Motiua verò fidei quia non demonstrant ipsam fidei veritatẽ, sed tantùm inducunt ad prudenter credendum id, quod alioqui est obscurum, vtramq; libertatem in actu relinquunt, scilicet quoad *specificationem* & quoad *exercitium*.

Qvæstio autem est, an motiua & rationes, quibus aliquis inducitur ad credenda, quæ sunt fidei, diminuant saltem meritum fidei, licet illud non prorsus tollant. Ad quam quæstionem diuus Thomas hîc articulo nono ita respondet, vt non tam quod dicit, quàm quod voluit dicere, verum esse videatur. Ait enim, si rationes *antecedant* voluntatem credendi, meritum minuere: si autem eam voluntatem *consequantur*, non item, sed potius augere.

Contra quam assertionem si tantùm attendamus id, quod diuus Thomas dicit, & non potius, quod vult dicere, illico occurrit argumentum, quod videtur valde manifestũ: Sic enim argumentabor: Nolle credere, nisi prius intelligantur rationes atq; motiua nostrę fidei, est prudentiæ; & contrà, velle credere absq; præcedenti ratione est leuitatis: igitur ratio *antecedens* voluntatem credendi in proposito non minuit meritum fidei, sed potius ratio consequens. Assumptum satis patet ex his, quæ suprà quæst. 1. punct. 1. & 4. de illo processu fidei disseruimus, quo causæ possunt inquiri non ipsius fidei secundùm se, sed cur aliquis applicauerit animum ad credendum siue ad suscipiendam fidem. Consequentia probatur. Nam fieri nequit, vt id minuat meritum, quod necessarium est ad exercendum prudenter virtutis alicuius actum, atque adeo ad merendum.

Respondendvm est igitur planius ad quæstionem propositam, & quidem in eam sententiam, quam diuus Thomas illo suo modo dicendi significare voluit. Sic autem respondeo. Dupliciter aliquis ad credendum potest moueri rationibus. Vno modo ita, vt propter rationes quoque *immediatè* assentiatur propositæ veritati fidei, & non tantùm propter diuinam auctoritatem, sed partim etiam propter rationes, & nõ aliter. Altero modo ita, vt propter rationes non nisi *mediatè* quis assentiatur veritati fidei, quia scilicet rationes eò solùm refert, vt per alium quendam assensum, scilicet prudentiæ sibi persuadere possit veritatem talem esse à Deo reuelatam, & vt talem eam credit per fidei assensum propter solam diuinam auctoritatem: iuxta ea, quæ suprà quæst. 1. punct. 1. notauimus de duplici progressu in inquirendo, quare quis credat.

Priori Modo rationes mouentes ad credendum minuunt meritum fidei, & eiusmodi rationes appellauit sanctus Thomas rationes antecedentes voluntatem credendi, quæ scilicet inquirantur ex quadam cordis duritia ac pertinacia, qua fic aliquis comparatus sit, vt etiam postquam ipsi sufficienter probatum fuerit, veritates

fidei

fidei niti diuina reuelatione, nolit tamẽ iis assentiri, propter solam auctoritatem diuinã, sed partim propter illam, partim propter rationem humanam, ita vt nisi actu etiam de ratione humana cogitet, non eliciat fidei assensum.

Quod autem talis minus mereatur, facile probari potest. Nam cùm ita quis est animo diuisus, vt ad assensum ipsum fidei non moueatur auctoritate diuina sola, sed etiam simul ratione humana, fieri nequit, quin assensus ipse fidei remissior sit. Siquidem aliquid humanum admiscetur, quod non potest mentem ita firmare, atque si pura auctoritate diuina aliquis niteretur, cogitatis prius sufficienter rationibus & motiuis fidei. Hinc enim à fidei merito maiore laudantur Samaritani, qui responderunt mulieri: *Iam non propter tuam loquelam credimus, sed quia ipsi vidimus*, Ioan. 4. Mulierem enim illã testificantem Christum, esse interpretamur humanam rationem, propter analogiam fæmineę imbecillitatis.

Porro hanc esse diui Thomæ mentem facilè apparet ex probatione qua vtitur. Credere enim propter rationem præcedentem interpretatur idem esse quod credere, non propter solã auctoritatem diuinam, sed etiã propter rationem humanam; intellige non vtcumq; præcedentem, sed concurrentẽ simul immediatè ad fidei assensum, idq; ex quadam animi pertinacia, vt est dictum. Ac de rationibus isto priori modo ad assensum mouẽtibus intelligi potest, quod Gregorius homil. in Euang. & Auctor libri de operibus Christi Cardinalibus Cypriano asscripti, sermone de Christi natiuitate, aiunt, *Fidem nõ habere meritum* (nempe tam magnum) *vbi humana ratio præbet experimentum*. Quanquam habet sanè aliam quoq; interpretationem hæc sententia: nempe assensum eum, qui euidenti fundamento nititur, nullum habere fidei meritum, quatenus euidens est, quia reuera vt talis, non est fidei assensus, iuxta dicta quæst. 1. p. 4.

Posteriori autem modo rationes mouentes ad credendum non minuunt fidei meritum, sed potius augent, cùm scilicet eò referuntur, vt inprimis sibi quis prudẽter persuadeat, veritates fidei esse diuinitus reuelatas, & tũc demùm propter solam diuinam auctoritatem eis per fidem assentiatur. Tunc enim rationes faciunt, vt intentius & firmius nitamur auctoritate diuina & credamus.

Ac de rationibus isto modo mouentibus ad fidem & stabilientibus eius meritũ, loquitur sanctus Petrus 1. epist. cap. 3. monens nos, *vt simus parati semper ad satisfactionem omni poscẽti nos rationem de ea, quæ in nobis est spe & fide*. Item S. Avgvstinvs libro de vera religione, cap. 24. cùm pulchrè dixit: *Ratio auctoritatem non deserit, cùm consideratur cur sit credendum*. Quia scilicet rationes ad fidem mouentes eò spectare debent, vt nobis prudenter persuadeamus, doctrinam fidei diuina auctoritate niti, & vt tunc propter solã diuinam auctoritatem credamus.

Rationes autem ita ad fidem mouentes, appellauit D. Thomas rationes *consequentes* voluntatem credendi, quia ea scilicet non principaliter ex illis pendeat. Cùm tamen reuera possint etiam eiusmodi rationes (imò debeant, vt vitetur leuitas) antecedere credendi voluntatem. Quæ causa est, cur initio dixerim, non tam id, quod dixit S. Thomas hoc loco, quàm id, quod voluit dicere, verum videri posse.

(:)

QVÆSTIO TERTIA.

De Fidei actu externo, hoc est, de Fidei Confessione.

D. Thomas 2. 2. q. 3.

VO SVNT EXPLICANDA, QVAE ETIAM DISPVTAT DIVVS Thomas. Primo, *An & quomodo exterior Confessio fidei, sit fidei actus.* Secvndo, *An & quomodo Confessio hæc fidei, sit ad salutem necessaria.*

PVNCTVM PRIMVM.

An & quomodo exterior Confessio fidei sit fidei actus.

D. Thomas art. 1.

Dvpliciter Actvs aliquis censeri potest esse actus alicuius virtutis. Vno modo *Physicè*, quia scilicet producatur ab ipso habitu virtutis. Et isto modo solus internus fidei actus, est actus virtutis Fidei: nam is solus actus physicè producitur ab aliquo habitu, qui est in eadem potentia, in qua habitus, & solus internus actus fidei est in intellectu, in quo est fidei habitus.

Altero modo actus aliquis censetur esse actus alicuius virtutis, nõ physicè sed *moraliter* tantùm: quia scilicet habet laudem ex obiecto formali

Universidad de Deusto
Biblioteca

mali virtutis & in illud tanquam in finem ordinatur. Et isto modo Confessio quoq; exterior fidei est actus virtutis fidei.

Probatur id PRIMO ex obiecto formali fidei: nam moraliter (vt dictũ est) actus aliquis ad eam virtutem pertinet, ad cuius obiectum vt ad finem ordinatur: sed confessio fidei exterior ordinatur vt ad finem in ipsum obiectum virtutis fidei: ergo moraliter est actus virtutis fidei. Minor probatur. Nam veritatem quam per virtutem fidei actu interiori credimus, eandem exteriori confessione significamus, cùm exterior locutio ad interiorem mentis notitiam ordinetur. Vnde Apostolus, 2. ad Cor. 4. cap. *Habẽtes eundem Spiritum fidei credimus, propter quod & loquimur.*

SECVNDO probatur ex formali ratione *sub qua* obiecti fidei. Nam exterior confessio fidei vt vera est, & vt ex ea parte habet laudem, eâdem diuina reuelatione nititur, qua interior ipse actus fidei, quem significat: Ergo ad eandem virtutem fidei pertinet.

HINC intelligitur, non esse absurdum, si concedamus, hanc ipsam confessionem fidei consideratam alia ratione, posse simul ad aliquam aliam virtutem pertinere: Nimirum ad virtutem Religionis, quatenus parit honorem Deo, & ad virtutem Fortitudinis, quatenus interdum ob imminens inde periculum, est ardua & difficilis. Patet, quoniam in genere moris, de quo loquimur, sicut vnus & idem actus potest diuersis rationibus ad diuersa pertinere vitia, sic etiam ad diuersas virtutes.

Quanquam vt tomo 2. disput. 1. q. 1. & disput. 2. q. 2. diximus, actus moralis semper est in ea specie primariò, ad quam ex natura & cõditione sua est accommodatior. Itaque in proposito confessio fidei quoniam inprimis est oratio quædam significatiua veritatis à Deo reuelatæ, primariò spectat sub hac ratione ad virtutem fidei. Si verò eadem consideretur, quatenus exhibet honorem Deo, & quatenus in multis casibus est actio quædam ardua & difficilis ob periculum ex ea impendens (vt accidit Martyribus) sic possumus dicere, quod pertineat ad virtutem Religionis & Fortitudinis, per se quidem & verè etiam, sed tamen *secundariò*.

Sed OBIICIET aliquis, quod ait D. Thomas, hic artic. 1. ad 2. fortitudinem quatenus remouet metum, qui est impedimento confessioni, non per se, sed per accidens esse causam confessionis, iuxta doctrinam Philosophi, qui 8. Phys. tex. 32. docet, id quod remouet prohibens, non esse causam per se, sed per accidens. Ergo falsò videmur asserere, quòd fidei Confessio per se sit etiam actus Fortitudinis.

RESPONDEO, D. Thomam ibi Confessionem fidei considerare, vt est significatiua veritatis: sub qua ratione verissimum est, eam non per se, sed per accidens esse actum Fortitudinis, vt rectè probat diuus Thomas ex illa doctrina Philosophi. Nos autem cùm dicimus, Confessionem fidei per se etiam (licet secundariò) esse actum Fortitudinis, consideramus illam sub alia ratione, scilicet vt est ardua & difficilis ob periculum imminens. Quo pacto per se omnino spectat ad Fortitudinem, non obstante quòd sub alia ratione spectet per se ad aliam virtutem, scilicet ad fidem. Quemadmodum iustum bellum (v. g.) licet sub quadam ratione spectet per se ad virtutem Iustitiæ vindicatiuæ, tamen vt est actus arduus, spectat etiam per se ad virtutem Fortitudinis.

PVNCTVM SECVNDVM.

An & quomodo externa Confessio fidei sit necessaria ad salutem.

D. Thomas art. 2.

CONFESSIONEM fidei esse pro aliquo tempore ex præcepto necessariam, certum est ex fide, contra veteres quosdam hæreticos, dictos Elcesaitas, quos Eusebius Cæsariensis libro sexto histor. Eccles. cap. 28. ex Origene refert, putauisse, sufficere ad salutem, vt fides animo retineatur, proindeque nec persecutionum tempore, nec aliàs peccatum esse, illam verbo negare, multò minus celare. In quo errore fuerunt etiam Priscillianistæ: qui teste Augustino in libro de hæres. capite 70. etiam peierando existimabant fas esse celare mysteria suæ fidei. Item Bogomiles, teste Zonara in vita Alexij Imperatoris. Item Anabaptistæ, teste Staphilo in epitome Theologiæ Lutheri, parte 3. Item Libertini hæretici huius tempestatis, vt refert Caluinus in libro cõtra eosdem.

Aduersus hos omnes hæreticos est manifesta Christi Domini sententia, Matthæi decimo: *Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* Et Lucæ nono: Cùm omnes ad tolerandas persecutiones animauisset verbis illis: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam*, paucis interiectis subiecit: *Nam qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in maiestate sua, &c.* Item Apostolus ad Romanos decimo: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & corde credideris, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.*

Quod testimonium expendens S. AVGVSTINVS in libro de fide & symbolo, cap. 1. *Fides*, inquit, *officium à nobis exigit & cordis & linguæ: Ait enim Apostolus, Corde creditur ad iustitiã: Ore autem confessio fit ad salutem. Oportet nos esse & iustitiæ mo-*

res

res & salutis: quandoquidem in sempiterna iustitia regnaturi, à præsenti sæculo maligno salui fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes ore etiam profiteamur fidem, quam corde gestamus. Et præclarè etiam S. Gregorius NAZIANZENVS oratione in nouam Dominicam, admonet *non esse in fide vtroque poplite claudicandum, nec dispensatione vtendum.*

Hoc posito, duo tradit D. Thomas hic de *modo* quo est necessaria ad salutem hæc confessio fidei. PRIMO, confessionem hanc necessariam esse ex præcepto non negatiuo, cùm sit actus quidam virtutis, sed *affirmatiuo*, ac proinde non pro omni tempore, sed pro aliquo esse necessariam.

SECVNDO, ex huiusmodi præcepto necessariam illam esse in duobus casibus, scilicet cùm alioqui subtraheretur *honos* debitus Deo, aut *vtilitas* proximo. Et hoc quidem D. Thomas in corpore articuli non probat, sed declarat posse contingere; si, dum quis de fide interrogatus tacet, crederetur non habere fidem, aut certè putaretur fides esse falsa, aut etiam alij auerterẽtur propterea à fide.

Hæc doctrina D. Thomæ verissima est, eamq; possumus ex sententia eiusdem in responsione ad argumentum primum confirmare sic: Tunc actus alicuius virtutis est necessarius seu debitus ex præcepto, quando necessarius est ad finem charitatis erga Deum aut proximum: Sed in illis duobus casibus confessio fidei est necessaria ad charitatis finem: Ergo necessaria est ex præcepto in illis duobus casibus.

Maior probatur. Nam finis cuiuslibet virtutis ordinatur ad finem charitatis; hoc est, vsus cuiuslibet alterius virtutis, siue actio, qua illa attingit suum obiectum, ordinatur ad coniunctionem mentis cum Deo, quæ est (vt notat rectè hic Caietanus) finis charitatis, non quidem vt res seu obiectum, sed vt adeptio siue vsus rei & obiecti charitatis: quo etiam modo loquitur D. Thomas hic de fine virtutis, videlicet vt est actio ipsius virtutis, per quam illa attingit obiectum. Itaq; cùm finis virtutum aliarum, vt dictum est, sit ob charitatis finem, consequens est, vt quando hic charitatis finis consistere non potuerit sine fine aliarum, hoc est, sine vsu & actione illarũ circa proprium obiectũ, actus illarum sit debitus ex præcepto. Atque ita vera est illa Maior, quæ etiam potest confirmari testimonio illo Apostoli, *Finis præcepti est charitas*, 1. ad Tim. 1.

Minor autem probatur. Nam cum quis potest per fidei confessionem consulere Dei honori aut proximorum vtilitati alioqui periclitanti; si id non faciat, non potest censeri charitatem Dei aut proximi retinere; quandoquidem charitas amicitia quædam est, cuius est consulere amico.

His constitutis dubia quædam explicanda supersunt circa hãc ipsam doctrinam: PRIMVM est, Quid sit hoc loco subtrahere *honorem* debitum Deo, non confitendo fidem?

RESPONDEO, Non est solùm merè negatiuè abstinere ab eo, ex quo potuisset ad Deum redũdare honor, sic enim semper confessio fidei, & actus aliarum virtutũ essent debiti ex præcepto: quandocunq; enim illi exerceantur, possunt parere gloriam Deo. Subtrahi ergo honorem debitum Deo in proposito est, Deum vel affici ignominia, vel etiam in aliquo casu negligi magnum aliquem honorem Dei, qui ex fidei confessione potuisset ad illum peruenire. Quocirca illud verbum *subtrahendi* accipiendum est hoc loco vel *contrariè*, vel etiam *priuatiuè*, in casu quo opportunitas suppetebat augendi maximè Dei honorem. Quando autem alterutrum istorum cõtingat ex omissione confessionis fidei, iudicio prudentum in particularibus casibus est decernendum.

ALTERVM dubium est, quid sit etiam hoc loco subtrahi proximis *vtilitatem* debitam, nõ confitendo fidem?

RESPONDEO, Esse illos aut priuari magno commodo spirituali, quando per confessionem alicuius facilè traherentur ad fidem, in casu quo aliàs non potest illis opportunè prouideri: aut etiam illos peruerti, nisi quis fidem sua confessione tueatur & confirmet. Quando autem hoc accidat, similiter iudicio prudentum est iudicandum.

TERTIVM dubium est, quomodo sententia illa D. Thomæ, quæ explicat duos illos casus, cohæreat cum ipsis casibus? Ratio dubitandi est PRIMO, quia ait in duobus casibus esse necessariam fidei confessionem, nempe cùm alioqui vel *honor* Deo, vel *vtilitas* proximis subtrahitur; Postea verò declarans istos casus, videtur ponere tres casus distinctos. Ait enim honorem Deo, vel vtilitatem proximis subtrahi. I. si propter omissionem confessionis putetur aliquis non habere fidem. II. vel fides putetur non esse vera. III. vel alij auertantur à fide.

SECVNDO, quia primum membrum istius declarationis pugnare videtur cum assertione ipsa priori duorum illorum casuum, qui declarantur. Nam ex eo, quòd quis interrogatus de fide taceat, & propterea putetur non habere fidem, plerumq; nihil aliud sequetur, quàm quod decipietur interrogans, putans alterum non habere fidem. Per hoc autem neq; honor Deo debitus, nec vtilitas proximis, quod ad fidem attinet, subtrahitur.

TERTIO, quia videtur illud primum membrum esse per se falsum. Nam sæpè licet negligere deceptionem alterius, quando sine causa interrogat, aut etiam iniquè. Vt patet cùm quis in iudicio licitè deludit verba Iudicis iniquè interrogantis. Quod igitur aliquis de fide interrogatus putetur fidem non habere dum tacet, non efficit vt confessio fidei tunc sit necessaria: neq; id pertinet ad vllum illorum duorum casuum, in quibus asseritur confessio fidei esse necessaria.

RESPON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

RESPONDEO ad PRIMAM rationem dubitandi, D. Thomam non ponere in declaratione tres casus. Nam duo illa priora membra declarationis ad primum casum explicandum spectant, scilicet ad subtractionem honoris Deo debiti; sic tamen, vt quod in primo membro ponit, scilicet putari aliquem non habere fidem, non semper, sed aliquando tantùm possit pertinere ad subtractionem debiti honoris diuini. Vt si v. g. redundaret magnus honor in Deum, ex eo, quod putatur quis tenere fidem. Id quod euenit, cùm quis de fide sua interrogatur ab aliqua publica potestate, siue ea sit illius superior, siue non; & plerumque etiam quando is, qui interrogatur, est alioqui persona grauis à quocunque demùm interrogetur. Tunc quidem si is, qui de fide interrogatur, tacet & putatur non habere fidem iam hoc pertinebit ad primum casum (quo scilicet subtrahetur honor debitus Deo) in quo proinde debuisset illa persona fidem confiteri.

Hinc patet solutio ad SECVNDAM & TERTIAM rationem dubitandi. Optimè namque illud primum membrum declarationis cohæret cum primo casu assertionis, non quidem semper (hoc enim bene refellitur per argumenta facta) sed aliquando vt dictum est. Atq; etiam per se est verisimum primum illud declarationis membrum isto modo intellectum, nempe nõ semper, sed aliquando, vt est dictum.

Quocirca deceptus est Caietanus hoc loco, cùm ex litera D. Thomæ colligit debere aliquem confiteri fidem quotiescunque de illa interrogatur. Falsum est hoc, vt meritò censent recentiores aliqui Theologi. Nam vt dictum est, ex eo quod aliquis interrogatus taceat; solùm quandoque sequetur, vt interrogans decipiatur: Quam proximi deceptionem in multis casibus, cùm bona causa subest, licet negligere. Vel certè illud etiam inde sequetur, vt ex confessione nõ redundet ad Deum honor ille qualis qualis, qui potuisset ipsi inde accedere. Sed vt antea attigimus in responsione ad 1. dub. non semper tenetur quis dare qualemcumque honorem Deo, per virtutis exercitium.

QVARTVM dubium est, quanam ratione liceat fidem propriam cælare extra prædictos casus, quibus instat præceptum confitendi? vtrum scilicet abstinendo duntaxat à verbis seu factis illam significantibus, an etiam vsurpando simulatè verba vel facta contrariam religionem significantia?

In dubitatione hac Adrianus in 4. sent. q. 1. de baptismo in responsione ad 5. argumentum sentire videtur, licitum esse extra casus etiam illos supradictos, quacunq; ratione fidem propriam cælare, etiam per simulationem quandam falsæ religionis. Quin etiam asserit, licitum esse extrinsecus simulare Idololatriam in casu quo scãdalum absit, nec instet præceptum confitendi fidem.

Probat autem Adrianus in illo argumento 5. sententiam hanc PRIMO ex S. HIERONYMO, qui in Com. supra 2. caput epistolæ ad Galatas, & aliâs sæpè, vt videre est apud D. Thomam 1. 2. q. 103. art. 4. ad 1. apertè sentit, etiam in materia religionis licitam atque vtilem esse simulationem verbo aut facto; idque Hieronymus confirmat exemplis. Nam etsi sentiat cæremonias veteris legis post passionem Christi fuisse statim non solùm mortuas, sed etiam mortiferas, nihilominus ait, per simulationem excusatos fuisse Apostolos Petrum & Paulum, qui vt patet ad Galat. 2. & Actor. 16. & 21. aliquoties seruârunt legis cæremonias. Ac memorat etiam & commendat ibi Hieronymus, quod 4. Reg. 10. habetur, Iehu Israëlitarum Regem dixisse, velle se præcipuo sacrificio idolum Baal venerari, vt ea ratione opportunè posset interficere eius idoli cultores in templo congregatos. Quod factum Iehu excusat & laudat Hieronymus vbi suprà, eo quòd vtili (vt ait) simulatione vsus fuerit. *Vtilem*, inquit, *simulationem esse assumendam in tempore, Iehu regis nos doceat exemplum, &c.* Adducit quoq; exemplum Dauidis, quando immutauit faciem suam coram Achis, 1. Reg. 21. & addit, *Nec mirum iustos homines aliqua simulare pro tempore ob suam & aliorum salutem: cùm & ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpserit, vt condemnans in carne peccatum, nos in se faceret iustitiam Dei.*

SECVNDO argumentatur Adrianus ex eo, quòd ipse Deus videtur probasse illam Iehu simulationem, 4. Reg. 10. Dixit namque ad illum, *quia studiosè egisti, quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo, feciſti contra domum Achab, &c.*

TERTIO argumentatur ex eo, quòd Prophetа Elisæus similem in causa religionis approbasse videtur simulationem. Nam cùm Naaman, 4. Reg. 5. cognita licet Deorum vanitate, vellet nihilominus ob Domini sui respectum in templo Remnon adorare, hancq; voluntatem suam Prophetæ explicaret, rogaretque vt pro se, si in hoc genere peccaret, dominum deprecaretur, Propheta tanquam illius approbans simulandi propositum, respondit: *Vade in pace*; quasi diceret, si animo non es idolum Remnon adorandi, sed adorationem simulandi tantùm, nihil est quòd verearis.

QVARTO pro eadem sententia videtur esse ratio perspicua. Nam simulatio falsæ religionis extra illos casus, quibus obligat præceptum affirmatiuum confitendi fidem; nec est contra id præceptum *affirmatiuum* fidei, vt patet: nec cõtra *negatiuum*; quia vt suppono, non intendit aliquis per verba aut cæremonias falsæ religionis fidem suam negare; tunc enim mentiretur, quod nunquam licet; neque profiteri alienam, sed tantùm in ea re spectat vtilitatem aliquam suam vel aliorum. Neque etiam huiusmodi simulatio est tunc

contra

contra charitatem Dei aut proximi, quia vt suppono, abest scãdalum infirmorum, & causa subest, propter quam meritò sit negligẽda deceptio alterius, qui putet simulantem esse infidelem.

QVINTO accedit, quòd in omnibus aliis materiis, quando non instat præceptum confitendi veritatem, licet vti simulatione, sicut videbimus infrà disput. 5. in quæstione de iustitia Iudiciorũ. Cur igitur non etiam secluso scandalo licebit in materia religionis?

Hæc sententia videri potest non improbabilis, propter auctoritatem non modò Adriani, sed etiam sancti Hieronymi, atq; etiam propter allata argumenta. Nec potest negari, quin plurimùm hæc opinio differat ab hæresi Elcesaitarum, & Priscillianistarum, & aliorum quos memorauimus. Nam hæc opinio procedit, vt diximus, extra omnem casum, quo alioqui obliget præceptum affirmatiuum confitendi fidem; & cùm abest omne scandalum infirmorum, nec mendacium vllum, sed duntaxat simulationẽ defendit. Illi autem hæretici contendebant, in omni casu licitum esse tacere & negare fidem, & vt aiebant Priscillianistæ, profiteri alienam fidem etiam per mendacium, vt memorat de illis Augustinus libro contra mendacium ad Consentium, cap. 2. & etiam per periurium, vt idem memorat hæresi 70.

Nihilominus CONTRARIA sententia mihi videtur non modò tutior, sed etiam longè probabilior: videlicet quamuis extra prædictos casus necessitatis liceat celare, seu non confiteri verbo aut facto, veram fidem, tamen nunquam omnino licitum esse simulare seriò falsam fidem & religionem vllo verbo aut facto, quod vel lege, vel consuetudine sit propriè institutum ad significandam aut profitendam ipsam fidem & religionem falsam. Ita sentit Alexander Hall. 3. parte quæst. 183. membro secundo, vbi ait semper id esse peccatum mortale, nec licere etiam pro tuenda vita. Et S. Antoninus 2. parte Theolog. tit. 12. cap. 6. & Summa Angelica, verbo Infidelitas, num. 9. & Armilla, verbo Fides, nu. 9. & Syluester verbo Fides, q. 5. & Caietanus hic art. 2. & Nauarrus in manuali, cap. 11. num. 25. & Dominicus Bannes hic art. 2.

Dixi autem, nunquam licere falsam religionem simulare *seriò*, quia si solùm repræsentationis causa id fiat (vt in Comœdiis) extra controuersiam est, id non esse illicitum. Dixi etiam, per factum *propriè institutum* ad significandam fidem & religionem falsam: Nam si habitus aliquis non propriè esset signum fidei falsæ, sed tantùm esset proprius alicuius gentis, licet alioqui à vera religione alienæ, non esset illicitum talem habitum aliquando vsurpare citra scandalum, vt notat Syluester & Dominicus Bannes, & alij. Si tamen habitus aliquis sit proprius aliquorum, non vt pertinent ad hãc vel illam prouinciam aut Rempublicam politicam, sed vt complectuntur hanc vel illam religionem (sicut color flauus Romæ in pileis Iudæorum) is habitus etiam significat religionem saltem mediatè, ratione personarum, vt rectè hîc attigit Caietanus, & de eo etiam intelligitur hæc sententia, quam sequimur.

Probatur autem hæc sententia PRIMO ex Scriptura. Nam 2. Machab. 6. planè indicatur, ipsam per se simulationem externam falsæ religionis esse illicitam, cùm improbatur tanquam iniquum, consilium quod quidam dabant Eleazaro, vt simulans se comedere de carnibus sacrificij gentilium, mortem effugeret. Sic enim ibi legimus: *Hi qui astabant*, INIQVA *miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum, secreto rogabant adferri carnes quibus vesci ei licebat, vt simularetur manducasse, sicut Rex imperabat de sacrificij carnibus.* Vnde ipse Eleazarus, *respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere.* Quibus verbis indicauit, per se quoque illicitam esse simulationem in hoc genere. Apostolus etiam 1. Corinth. 10. clarè disputat non licuisse fidelibus vesci de iis, quæ essent immolata idolis: nec sanè ob aliud, nisi quia per se malum sit communicare cum infidelibus in externa etiam professione falsæ religionis. Hanc enim vim habet, quod ait: *Nolo vos fieri socios dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Et infrà: *Si quis dixerit, Hoc immolatum est dæmoniis, nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: Conscientiam autem dico nõ tuam sed alterius*: quia scilicet meritò poterit alter scandalizari propter talem actum externum tanquam per se malum, etiamsi alioqui non fiat cum cõscientia & intentione per eum actum colendi idolum. Et 2. ad Cor. 6. *Nolite*, inquit, *iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Vbi omnem planè communicationem cum infideli, vt infidelis est, damnat: Sicut etiam ad Ephes. 5. cum ait: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.*

SECVNDO probatur ex Patribus. Sanctus IRENÆVS, lib. 1. cap. 1. circa medium, de hæreticis Valentinianis loquens, eo etiam nomine eos damnat, quod in externo actu vescendi de idolothytis, & dies quosdam festos obseruãdi, communicarent cum infidelibus: *Intimoratè*, inquit, *omnia quæ vetantur, ij qui sunt ipsorum perfecti, operantur, de quibus Scripturæ confirmant, quoniam qui talia agunt, regnum Dei nõ hæreditabunt. Etenim idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes, & in omnem diem festum ethnicorum pro voluntate in honore eorum factum, primi conueniunt.*

ORIGENES lib. 8. contra Celsum, cùm Celsus Christianis exprobraret, quòd vanè & superstitiosè vitarẽt externos ritus gentilium in festis, sacrificiis, esu idolothytorũ, &c. id ab iis merito

Universidad de Deusto
Biblioteca

debere fieri defendit, & auctoritate etiam Apostoli probat: *Etiamsi*, inquit, *nihil sint idola* (id est, non credantur esse Dij) *tamen graue piaculum est, eorum interesse epulo.* Item: *Non debemus eorum sacrorum fieri participes, cùm sciamus differentiam inter mensam Domini & mensam dæmoniorum, et hoc scientes nihil non faciamus, vt semper participantes mensæ Domini, modis omnibus caueamus à communicatione mensæ dæmonum.*

TERTVLLIANVS in libro de Idololatria, similiter damnat omnem cõmunicationem cùm infidelibus in externo ritu religionis: *Hoc loco*, inquit, *retractari oportet de festis diebus & aliis extraordinariis solennitatibus, quas interdum*, inquit, *lasciuiæ, interdum timiditati nostræ subscribimus aduersus fidei disciplinam communicantes nationibus in idolicis rebus.* Et mox ponit quæstionem, *An cum nationibus communicare in huiusmodi seruus Dei debeat, siue habitu siue victu, vel quo alio genere, &c.* Et tandem respondet licere cum infidelibus communicare in iis, quæ sunt naturæ vel politiæ, non religionis: *Conuiuamus*, inquit, *cum omnibus, colletemur ex cõmunione naturæ, non superstitionis. Pares anima sumus, non disciplina. Compossessores mundi, non erroris.* Et aliquantò inferius distinguens inter vestes eas, quæ sunt insignia nationis, & eas, quæ insignia sunt religionis: *Poterit*, inquit, *& pueris prætexta concedi* (vestis quædam puerilis vsq; ad annũ decimum septimũ) *& puerilis stola* (puellarum) *natiuitatis insignia, non potestatis: generis, non honoris: ordinis, non superstitionis. Cæterùm purpura vel cætera insignia dignitatum, & potestatum, inserta dignitati & potestatibus idololatriæ ab initio dicata, habent prophanationis suæ maculam.*

Sanctus CYPRIANVS in sermone de lapsis, quantum sit peccatum cum infidelibus in actu aliquo externo religionis communicare, satis declarat, cùm de iis, qui in esu idolothytorum cum infidelibus communicabant, ita loquitur: *Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & CONTAGIA funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt.* Ad idque inducit testimonium illud Apostoli: *Non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ dæmoniorum.*

Denique sanctus AVGVSTINVS libro contra Mendacium, capite secũdo, simulationem illam regis Iehu, qua nititur contraria opinio Hieronymi & Adriani, prauam fuisse censet, siquidem eam appellat *impium mendacium.* Atque ibidem etiam, *doctrinam mendaciloquorum* esse iudicat, asserere *quòd liceat diaboli cultum mentiri in corpore, quando Dei cultus seruatur in corde.* Quo loco etsi inprimis disserit Augustinus contra Priscillianistas, qui & tempore necessitatis confitendi fidem & per mendacium quoque formale aiebant licitum esse fidem propriam negare & simulare alienã; tamen planè videtur improbare omnem in religione simulationem, eamq; appellare *mendacium*: alioqui distinxisset, quãdonam aliqua talis simulatio liceret. Vnde etiam idem AVGVSTINVS libro de bono coniugali, capite 16. affirmat, *satius esse mori quàm idolothytis vesci*: quia scilicet nũquam licet communicare vllo modo cum infidelibus in externo actu, vel signo falsæ religionis, quale est esus idolothytorum.

TERTIO probatur eadem sententia ratione. Nam qualis est ordo & habitudo externæ professionis veræ fidei ad internum veræ fidei assensum, talis est ordo & habitudo externæ professionis falsæ fidei ad internum falsæ fidei assensum: Sed propter illam habitudinem assensus interni & externæ professionis veræ fidei, eodem præcepto affirmatiuo, quo imperatur assensus internus veræ fidei, imperatur etiam externa veræ fidei confessio: Ergo pari modo propter habitudinem interni assensus & externæ professionis falsæ fidei, eodem præcepto negatiuo, quo prohibetur internus falsę fidei assensus, prohibetur etiam externa falsæ fidei professio, ac proinde semper erit illicita, cùm præcepta negatiua obligent pro semper.

ACCEDIT, quòd ipsa maiestas & dignitas verę religionis ac fidei, tanta ac talis esse videtur, vt eam violari putandum sit, non modò cùm contraria religio asseritur ex animo, sed etiam cùm id fit externo aliquo signo. Quocirca illicitum est id semper ex præcepto negatiuo, vetante ea quæ sunt contraria veræ fidei atque religioni.

Neque verò conuincunt argumenta contrariæ opinionis. Ad PRIMVM enim respondeo, auctoritatem aliorũ Patrum, quos citauimus, meritò anteponi posse in hac re auctoritati Hieronymi: maximè cùm exempla illa, quibus is confirmat sententiam suam, parum vel nihil probare videantur in proposito. Nam quod ad Iehu attinet, meritò cum Augustino vbi suprà arbitrari possumus, eum per illam simulationem peccâsse. Quod confirmare licet ex eo, quod eodem loco, 4. Regum 10. legimus, eum *non ambulâsse in lege Domini Dei Israël, in toto corde suo*, vt etiam memorat Augustinus. Neque Dauid coram Achis simulauit religionem falsam, sed stultitiam seu dementiam quandam. Ac multò minus Christus assumens naturam humanam: Aliud enim fuit assumere veram naturam qualem habent homines peccatores, siue fideles sint siue infideles; aliud autem, simulare infidelitatem.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, Dominum non approbâsse, quòd Iehu simulauerit Baaliticam religionem, sed quod omnes sacerdotes Baal occiderit, & domum Achab funditus deleuerit: Hoc enim significat, quod dixit ei Dominus: *Quia studiosè egisti, quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo, feciſti* CONTRA *domum Achab: filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.* Vnde etiam AVGVSTINVS libro contra Mendacium, capite secundo affirmat, Iehu, non

non pro illa simulatione, sed pro *nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepisse.*

Ad TERTIVM argumentum respondeo, per illa verba Helisæi ad Naaman *(Vade in pace)* non approbationem consilij Naaman, quòd in templo Remmon cum suo Domino idololatricè voluit adorare, sed permissionem quandam posse ac debere intelligi: cùm scilicet Propheta non speraret se posse tunc ab illo obtinere, vt Domino suo contempto, vitaret illam simulationem.

Ac potest hoc confirmari ex eo, quòd cùm Naaman esset alioqui persuasus sibi id non licere, ipsum reliquit Helisæus in ea opinione, nec docuit (vt alioqui decuisset) licere simulationem illam in tali casu. Sic enim in illo loco, quarto Regum quinto legimus, dixisse Naaman ad Helisæum: *Hoc sõlùm est de quo deprecaris Dominum pro seruo tuo; Quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace*, id est, permisit ei vt id faceret; contentus videlicet pro illo tempore, quòd iam agnouerat DEVM verum, & idolorum vanitatem, iuxta id quod ante ibidem dixerat: *Non faciet vltra seruus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino.*

Ad QVARTVM argumentum respondeo, simulationem illam (vt vidimus) omnino esse contra præceptum negatiuum, quo vetatur negatio veræ fidei, & professio falsæ, non solùm interna, nec solùm externa coniuncta cum interna, sed etiam externa per se, vt actio quædam externa voluntaria, per se significatiua falsæ religionis & fidei: Sicut contrà, præcepto affirmatiuo fidei imperatur non solùm internus fidei assensus, nec solùm confessio eius externa, vt coniuncta cum interno assensu, sed etiam vt actio quædam exterior voluntaria, per se significatiua veræ fidei, quamuis debeat semper habere ordinem ad assensum internum.

Ad QVINTVM argumentum respondeo, non esse eandem rationem in aliis materiis. Nam simulatio in aliis materiis non est per se significatiua alicuius sententiæ, quæ per se sit semper falsa, & repugnans alicui alteri sententię perpetuò veræ, sed æquè est per se significatiua veri, & idcirco nullo præcepto negatiuo per se prohibetur. At simulatio in materia fidei & religionis per se est significatiua sententiæ, quæ semper est falsa, & repugnans sententiæ perpetuò veræ legitimæ fidei & religionis: & idcirco per se est prohibita præcepto negatiuo. Exempli caussa: Si quis verbo aut facto simulat se non scire aliquid, cùm tamen sciat: Ea simulatio non magis est per se significatiua falsi quàm veri; posset enim verum esse, quòd talis nesciret id, quod se nescire simulat: neque etiam actu significat falsum ea simulatio (tunc enim non esset simulatio, sed mendacium, quod nunquam est licitum) sed significat (vt suppono) aliam quandam veritatem quàm animo concipit simulator præter cogitationem & intentionem eius, qui deluditur: Quo fit, vt talis simulatio non sit prohibita per vllum præceptum negatiuum. Si quis autem verbo aut facto simulet, idolum, verbi gratia, esse Deum, simulatio hæc per se est significatiua eius, quod semper est falsum, & repugnans sententiæ fidei perpetuò veræ, scilicet nullam creaturam esse Deum. Et idcirco tales simulationes in materia religionis & fidei per se sunt prohibitæ per negatiuum præceptum, vt diximus.

Est autem diligenter ANIMADVERTENDVM, nos de simulatione loqui per talia verba aut facta, quæ tantummodo soleant vsurpari ad significandam seu protestandam fidem seu religionem falsam. Nam si sint communia, & indifferentia tum ad eum finem, tum ad aliquem alium, non erunt propriè & per se significatiua fidei falsæ, & sic nec per se erunt prohibita per negatiuum præceptum, sed sõlùm quatenus actu & ex intentione determinabuntur ad significandam potius fidem falsam; non autem si determinentur ad finem alium, cuius gratiâ etiam vsurpari soleant.

Et per hoc videntur excusari posse ij Catholici, qui in locis, vbi Catholici & hæretici promiscuè versantur (vt in multis Germaniæ ciuitatibus) nonnunquam hæreticas conciones audiunt, non vt hæreticam fidem eo actu profiteantur, sed vt notent errores hæreticorum concionatorum. Hos dico excusari, si in talibus ciuitatibus soleant etiam quandoque à multis audiri conciones hæreticæ ad eum finem, & non tantummodo, vt fiat professio falsæ fidei. Ac similiter poterit hæc doctrina applicari ad similes casus particulares.

QVINTVM dubium est, an liceat aliquando *omittere* externam cõfessionem fidei per signum aliquod, quod publica lege aut consuetudine habente vim legis, institutum sit ad significandam professionem veræ fidei, vt per vestem aliquam v. g. ad eum finem lege præscriptam Christianis hominibus. Caietanus hic art. 2. quædã respondet verè, & aliquid etiam falsò.

PRIMO dicit, licitum id esse, quando lex vel consuetudo talis non esset in *viridi obseruantia*, sed à quibusdam seruaretur, & à quibusdam non. Et hoc verum est. Nam libera tunc esset vnicuiq; professio fidei per tale signum.

SECVNDO dicit, id etiam esse licitum, si signum illud non esset per se & primariò institutum ad fidem protestandam, sed ob finem politicum, vt scilicet dignoscantur ab aliis, ij qui fidem Christianam habent. Ad modum quo nũc Iudæi Romæ propter finem præcipuè politicum

Universidad de Deusto
Biblioteca

debent portare quoddam signum flauum in pileo, vt dignoscantur & caueantur, &c.

Et hoc etiam Caietani dictum verum est. Nam etsi non liceat Christiano vsurpare tale aliquod signum, quando mediatè saltem & consequenter esset signum religionis falsæ (vt rectè hîc Caietanus ait, & nos etiam diximus in præcedenti dubio) tamen non tenetur Christianus ex vi legis aut consuetudinis vsurpare pro omni tempore tale aliquod signum fidei veræ. Huiusmodi enim leges, vt Caietanus ait, non obligant nisi regulariter & vt plurimum, quando scilicet non subest aliqua grauis caussa, ob quam in aliquo casu possit illarum obseruatio negligi.

TERTIO dicit Caietanus id non esse licitum B in vllo casu, si lex aut consuetudo sit in viridi obseruantia, & ab omnibus seruetur, & ad id propriè instituta, vt professio veræ fidei significetur. Fundamentum Caietani est, quia talis lex seu consuetudo habens vim legis plus aliquid est, quàm interrogatio facta singulis de propria fide: Omnes autem tenentur confiteri fidem, quando interrogantur: Ergo etiam quando est talis consuetudo vel lex, etiamsi esset tyrannica, inquit Caietanus; quia tunc etiam tyrannus per talem legem interrogat vnumquemque de propria fide.

Hoc dictum Caietani falsum est, & nõn immeritò reiicitur à Dominico Bannes hîc & ab aliis Theologis recentioribus. Si enim tenetur C tunc aliquis pro omni tempore fidem profiteri per tale signum (vt vult Caietanus) caussa erit, vel quia lex vel cõsuetudo ad id obligat; vel quoniam alij credent alioqui nõ habere fidem eum, qui omittat aliquando tale signum, propter quod Caietanus dicit, interuenire ibi plusquam interrogationem de propria fide, quæ cum adhibetur, necessariò fides confitenda est, ne alioqui putetur quis non habere fidem, vt Caietanus ratiocinatur: At ob neutram istarum caussarum tenetur aliquis semper profiteri fidem per signum lege aut consuetudine ad id institutum: Ergo falsum est id dictum Caietani.

Minor quoad *priorem* partem probatur. Nam vel lex aut consuetudo talis est iusta vel iniusta: si iniusta, clarum est eam per se ad nihil obligare. Si autem est iusta, non obligabit nisi regulariter, & vt plurimum; quando caussa grauis illam negli- D gendi non subest, vt ipsemet Caietanus de aliis iustis legibus humanis hîc fatetur. Itaque extra casum alioq, quo ex præcepto diuino est necessaria confessio fidei, licebit talem legem humanam non seruare secluso scandalo, & cùm subest aliqua grauis caussa, vt pro saluanda vita.

Quoad *posteriorem* verò partem probatur eadem Minor. Nam non propterea tenetur semper aliquis confiteri fidem, quoniam alioqui existimabitur fidem non habere, sed tunc cùm ea existimatio subtrahet Deo notabilem honorem, vel proximis vtilitatem: Vt si persona, de qua id existimabitur, sit alioqui grauis, vel si quis de fide interrogetur à publica potestate, iuxta ea, quæ diximus in responsione ad 3. dub. Vnde ipsemet Caietanus hîc fatetur, sæpè fieri posse, vt nõ teneatur quis impedire quo minus alij putent ipsum esse infidelem; idq; confirmat exemplo S. Sebastiani, qui aliquandiu celauit se esse Christianum, vtens nimirum eadem, qua prius, chlamyde militari, vt de illo etiam memorat vbi suprà Syluester.

Nec est verum quod ait Caietanus, à publica potestate singulos de propria fide interrogari per legem aut consuetudinem communem præscribentem tale aliquod fidei signum; Lex enim vel consuetudo talis nihil interrogat, sed solùm præscribit modum confitendi fidem vt plurimum & regulariter, sicut dictum est. Itaque si caussa subsit omittendi aliquando tale signum, nec vigeat alioqui necessitas ex præcepto diuino confitendi fidem, non videtur negandum, quin liceat fidem celare non vsurpando eiusmodi signum lege aut consuetudine præscriptum.

Atque ex iis patet responsio ad argumentum Caietani. Vt enim quis teneatur certo aliquo modo confiteri fidem, non satis est qualicunque modo eum interrogari de fide, vel quod alioqui existimabitur non habere fidem, perinde aut magis quàm si interrogaretur (vt in proposito) sed oportet instare alioqui casum aliquem necessitatis confitendi fidem, aut ex diuino præcepto, aut humano, obligante regulariter, quando non subest iusta & rationabilis caussa omittendi illius obseruationem: sicut est dictum.

QVÆSTIO QVARTA.

De ipsa Virtute Fidei secundùm se.

D. Thomas 2. 2. q. 4.

EXPLICANDA SVNT OCTO: PRIMO, QVID SIT FIDES. SECVNDO, In quo subiecto sit. TERTIO, An perficiatur per Charitatem tanquam per formam quandam suam. QVARTO, An possit etiam esse separata à Charitate & informis. QVINTO, An & quomodo sit Virtus. SEXTO, An sit vna Virtus. SEPTIMO, An sit prima inter omnes Virtutes. OCTAVO, An sit certior aliis omnibus virtutibus intellectualibus.

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam sit Fides.

D. Thomas art. 1.

QVÆSTIO HÆC EXPLICATVR A Theologis in 3. sentent. distinct. 23. Qui omnes asserunt, Fidem esse definitam ab Apostolo ad Hebræos vndecimo istis verbis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Tametsi nonnulla quæstio est, Vtrum hæc sit definitio fidei quoad eius substantiam, vel quoad accidentia. Qua de re dicemus paulò pòst, cùm hanc sententiam Apostoli declarauerimus.

Pro verbo igitur sperandarum in Græco textu est verbum ἐλπιζομένων, quod propriè significat *speratarum*; quanquam non malè interpres vertit *sperandarum*, cùm sint etiam speranda ea, quæ rectè sperantur. Sanctus autem AVGVSTINVS libro secundo de peccatorum meritis & remiss. cap. 31. pro illo verbo ponit verbum *sperantium*. Et quidem prædictum verbum Græcum non modò passiuè, sed etiam actiuè accipi potest. Sed tamen verbum substantiuum, quod sequitur πραγμάτων, rerum, ostendit verbum illud ἐλπιζομένων debere accipi adiectiuè & passiuè, sicut interpres vulgatus accepit. Quamuis etiam si actiuè acciperetur, non multùm differret sensus, vt statim patebit.

Nominatur autem fides ab Apostolo, substantia, ὑπόστασις, rerum sperandarum, quia vt exponit sanctus CHRYSOSTOMVS homilia vicesima prima in epistolam ad Hebræos, & sanctus HIERONYMVS in caput quintum epistolæ ad Galatas, atque etiam Magister sententiarum in tertio, distinctione vicesima tertia, & alij Theologi, per illam quodammodo subsistunt iam in nobis res, quæ sperantur, scilicet per firmam cognitionem & spem, licet nondum re etiam ipsa à nobis possideantur: Item quia vt Magister & alij communiter etiam interpretantur, fides est fundamentum & quasi basis subsians toti ædificio spirituali salutis humanæ. Quo ipso etiam est fundamẽtum ipsorum *sperantium*, vt Augustinus legit: *Id*, inquit Hieronymus, *quod speramus esse venturum, & necdum est in præsenti, fide possidemus sperantes nos tenere, quod credimus*. Et Chrysostomus: *Quoniam enim*, inquit, *ea quæ sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis tribuit substantiã, &c.*

Item nominatur fides ibi ab Apostolo ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, *argumentum*, seu conuictio (vt Augustinus vbi suprà inquit) non conspectarum, seu non apparentium rerum; quia instar firmi argumenti facit firmiter assentiri propter diuinam auctoritatem veritatibus à Deo reuelatis, quæ non videntur.

Porrò Erasmus in annotationibus ad eum Apostoli locum, dupliciter dissentit ab omnibus Theologis. PRIMO, quia non putat ipse fidem eo loco definiri ab Apostolo, sed tantummodo laudari. SECVNDO, quia neque arbitratur Apostolum ibi loqui de Fide Theologica, quæ est in intellectu, sed de fiducia, quæ est in voluntate. Sed in vtroq; errat Erasmus.

Etenim quod primò dicit, ibi non definiri ab Apostolo, sed tãtùm laudari Fidem, nimis temerè & audacter dicit. PRIMO, quia non modò Theologi omnes, sed etiam sancti Patres eam sententiam Apostoli accipiunt tanquam Fidei definitionem. Vt sanctus BASILIVS concione in Psalm. 115. & sanctus Gregorius NYSSENVS in libro de vita Moysis ante medium, & S. CHRYSOSTOMVS homil. 21. in epistolam ad Hebræos, & alij expositores ibidem. Et expressissimè S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. ca. 21. *Fides*, inquit, *ita* DEFINITA *est: Fides est sperantium substantia et conuictio rerũ, quæ non videntur*. De qua lectione Augustini iam ante diximus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et æquè clarè sanctus HIERONYMVS in caput quintum epistolę ad Galatas, circa illud: *Fructus autem Spiritus, &c. Nec mirum*, inquit, *si spes in hoc catalogo* (fructuum spiritus) *nō referatur, cùm in fide sit quod sperat ur, & ita eam Apostolus ad Hebræos scribens*, DEFINIAT, *Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum necdum apparentium*.

Et sanctus BERNARDVS epist. 190. ad Innocentium de erroribus Petri Abailardi, perinde ac si temeritatem Erasmi nominatim redargueret: *Ego*, inquit, *securus in Magistri Gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide* DEFINITIO, *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.*

SECVNDO, ratione quoque probare possumus, fidem illic esse ab Apostolo definitā. Nam, vt optimè differit hìc sanctus Thomas, quamuis Apostolus illo loco, quod ad verba attinet, non seruauerit formam definitionis, tamen si ad rem ipsam attendamus, quam verbis ipsis expresit, omnia ille attigit, quæ pertinent ad rationem fidei. Nam ad rationem fidei pertinet primò, vt tanquam virtus quædam intellectualis firma & certa, sit initium & quasi fundamentum salutis, adeoque inchoatio quædam vitæ æternæ. Hoc indicatur verbo illo *substantia*. Secundò, vt ex motione voluntatis eliciat assensum circa vltimum finem, id est, Deum, qui nondum possidetur, sed speratur: & hoc significatur verbo illo *sperandarum*, item illo *non apparentium*. Tertiò, vt assensus, quem elicit, sit ineuidens; id quod significat verbum illud *non apparentium*. Quartò, vt nihilominus assensus hic ob diuinam reuelationem, qua nititur, sit certissimus. Hoc denotat verbum illud, *argumentum*.

Ex qua declaratione apparet, optimè defendi posse, definitionem hanc Apostoli esse etiam, quod ad rem attinet, *quidditatiuam*, vt sentit hìc sanctus Thomas, & Bonauentura & Richardus, & alij in tertio, distinctione vicesima tertia. Quāuis si ita exponantur illa verba huius definitionis, vt significent solùm, fidem esse initium salutis, & id, per quod iam nunc quodam modo possidentur ea, quæ sperantur, & eam actu efficere firmum assensum ineuidentem; potest etiam hæc definitio censeri *accidentalis*, & per effectum, vt senserunt Alexander Hallensis, tertia parte, quæst. 78. membro quinto, articulo secundo, & Albertus in tertio sentent. distinctione vicesima tertia, articulo 18. Sed parùm hoc refert, cùm vtroque modo hæc definitio posit exponi, sicut etiā fecit Hugo Victorinus in Summa de Sacramentis Christianæ fidei, parte 10. capite 1.

TERTIO, fidem ibi non laudari, sed definiri ab Apostolo, manifestè probari potest contra Erasmum ex eo, quòd aliquid ibi dicit Apostolus, quod propriè non ad laudem fidei pertinet, sed ad eius naturam declarandam: Nimirum quod sit de rebus non apparentibus. Hæc enim fidei ineuidentia propriè non ad laudem spectat. Adde quòd postea primùm incipit Apostolus fidem laudare adductis exemplis Sanctorum, qui in ea excelluerunt.

ALTERVM verò dictum Erasmi, scilicet Apostolum illic non loqui de Fide Theologica, sed de *fiducia*, seu spe: planè erroneum est. Tum quia non solùm Patres communiter, sed etiam Concilia vniuersalia ad comprobandam necessitatem fidei, afferunt ex eo loco Apostoli testimonia, tanquam verè is loquatur de Fide Virtute Theologica, quæ necessaria est. Tum quia de ea fide Apostolus ibi tractat, qua superiori capite decimo ex Abacuc affirmauerat *iustum viuere*. Hanc autem constat esse Fidem, quæ est Virtus Theologica, non in voluntate, sed in intellectu existens, vt multis testimoniis Scripturæ & Patrum probauimus, quæstione prima, puncto primo. Tum quia manifestè Apostolus ibi Fidem distinguit à fiducia siue spe, cùm eam vocat *argumentum* seu conuictionē, quia facit assensum firmum, id quod non conuenit spei. Quocirca Magister in tertio, distinctione vicesima tertia, licet primò dixisset, posse etiam accommodari hanc definitionem spei, tamen meritò postea addit, rectè dici conuenire soli fidei.

Sed relicto Erasmo respondendum est iam ad argumenta quædam, quæ possunt obiici contra definitionem illam Apostoli: PRIMVM est, quòd per fidem aliqua credimus, quæ non speramus, vt Infernum v. g. Item Christum esse natum, & similia: Ergo definitio illa minus latè patet, quàm fides.

SECVNDVM est, quòd quædam commemorat accidentalia, quę non sunt de essentia illius fidei, vt quod est fundamentum salutis.

TERTIVM est, quòd solùm videtur conuenire fidei *formatæ* per charitatem; & tamen, vt infrà videbimus, fides informis vera fides est: Ergo non est bona definitio. Prior assumpti pars probatur: quoniam sanctus Thomas infrà articulo septimo in solutione 4. ait, fidem non esse fundamentum ædificij spiritualis, nisi per charitatem formata sit: sed Apostolus hìc ait, Fidem esse substantiam seu fundamentum: Ergo hæc definitio est fidei formatæ tantùm.

QVARTVM est huiusmodi: In fidelibus, qui desperant de salute, est vera fides, & tamen non est in eis substantia sperandarum rerum: Ergo non rectè in ea definitione dicitur fides esse substātia rerum sperandarum.

Ad PRIMVM respondeo, Fidem definitam esse ab Apostolo per assensum ipsius præcipuum ac primarium, qui est de obiecto beatifico, vt patet ex superioribus. Itaq; per hunc assensum voluit etiam reliquos secundarios subintelligi, etiamsi non sint de rebus speratis.

Ad SECVNDVM Respondeo, propterea sanctum Thomam dixisse ab Apostolo non penitus seruari formam definiendi quidditatiuè. Satis enim est, quòd illa etiam essentialia fidei attigerit, ex quibus potest virtus hæc artificiosè definiri; Vt si dicamus esse illam habitum certum & ineuidentem, quo veritatibus supernaturalibus assentiamur ob diuinam reuelationem, id quod attigit Apostolus, vt vidimus.

Ad TERTIVM Respondeo, diuum Thomam in eo loco agere de fundamento perfecto, quod videlicet habeat connexionem, cum aliis etiam ædificij partibus: in definitione autem Apostoli Fides fundamentum esse intelligitur imperfectum, prout est inchoatio quædam & initium salutis: quare etiam competit ea definitio fidei informi.

Ad QVARTVM Respondeo, Apostolum non dixisse, Fidem esse rerum, quas speret is, qui credit, sed *sperandarum* siue speratarū (vt est in Græco textu) id est, quas fideles sperant, & omnes sperare debent.

Porrò cùm definitio illa Apostoli hactenus explicata & defensa, verisima ac sufficiens sit, non sunt addendæ fidei definitiones aliæ, quas huius tempestatis hæretici sunt commenti: Vt illa, quam libro tertio institutionum, capite secundo, sect. 7. affert Caluinus, vbi ait: *Iusta fidei definitio nobis constabit, si dicamus, esse diuinā erga nos benenolentiæ firmam certamq; cognitionem, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundatæ per Spiritum sanctum, & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur.*

Et illa Kemnitij in Examine Concilij Tridentini, circa caput quintum & sequentia, sessione sexta: *Fides est instrumentum, per quod in voce Euangelij misericordiam Dei remittentis peccata, & acceptantis nos propter filium mediatorem ad vitam æternam, quærimus, apprehendimus, recipimus, & nobis applicamus.*

Hæc commenta definitionū ex illa hæresi profecta sunt, quam tomo secundo, disputatione vltima, quæstione quarta, puncto quinto, & suprà quæstione prima, puncto primo, confutauimus, scilicet per fidem debere vnumquemque firmiter sibi persuadere, sibi iam esse remissa peccata propter Christum, seque ad vitam æternam acceptari, idque esse proprium & principale fidei obiectum. Quod cùm falsissimum esse ostenderimus locis citatis, sponte sua corruunt istæ hæreticę definitiones. Ac meritò nos in definienda Fide sequimur potius sententiam (vt Bernardus loquitur) Doctoris Gentium, sancti Pauli.

PVNCTVM SECVNDVM.

In quo nam subiecto sit Fides.

D. Thomas art. 2.

ASSERTIO est explorata apud omnes Theologos, Fidem esse in intellectu, tanquam in subiecto. Est enim facultas quędam, per quam intellectus assentitur iis, quæ diuinitus reuelata sunt, vt quæstione prima, puncto primo, multis testimoniis tum Scripturæ, tum Patrū confirmauimus contra Sectarios asserentes, Fidem, de qua agimus, esse potius fiduciam quandam, quę propriè est in voluntate.

Est autem ex Caietano ADVERTENDVM, fidem sic in intellectu esse, vt eadem sit habitus eminenter practicus & speculatiuus. Nam quatenus veritatibus purè speculatiuis assentitur, vt Deum esse trinum & vnū, est habitus *speculatiuus*: *Practicus* autem, quatenus etiam de practicis iudicat, vt hoc aut illud esse faciendum. Simili ratione tomo primo, quęstione prima, puncto tertio, cum eodem Caietano docuimus, Theologiā esse habitum speculatiuum & practicum. Ac in secundo tomo, disputatione prima, quæstione tertia, puncto tertio, diximus idem de Beatitudine, vt est visio diuinæ essentiæ.

Porrò quamuis Fides sit solùm in intellectu sicut in subiecto, tamen rectè docet sanctus Thomas hìc, quòd vt fidei actus sit perfectus, necessarius est in voluntate etiam habitus aliquis, à quo ipsa voluntas perficiatur. Probatur: cùm aliquid à duobus procedit principiis, id vt perfectum sit, necesse est, vtrumque quoq; principium sit perfectum: Sed vt quæstione prima, puncto quarto, dictum est, assensus fidei procedit ab intellectu ex motione voluntatis: Ergo etiam voluntatem oportet perfectam esse habitu, vt perfectus sit huiusmodi assensus. Maior patet exemplo. Nam vt sectio perfecta sit, oportet rectam dispositionem esse tum in serra, tum etiam in artifice, quoniam ab vtroque principio sectio procedit.

Censet autem verè Caietanus hìc, habitum istum, quem diuus Thomas in voluntate requirit ad assensum fidei perfectum, esse habitū charitatis. Quin etiam in solutione secundi, ipse diuus Thomas insinuat, requiri etiam habitum obedientiæ, ex quo promptè suscipiatur verbum Fidei. Quocirca non est putandus diuus Thomas requirere eiusmodi habitus ad qualemcunq; perfectionem assensus fidei, sed ad perfectionem eius omnibus numeris absolutam; qualem sanè non habet assensus fidei, vt nec alterius virtutis actus, nisi per charitatem formetur, atque ita valeat ad meritum vitæ æternæ, sine quo Theologi non solent dicere, actum aliquē esse virtutis simpliciter, quæ scilicet ad vltimū finem consequendum valeat.

Vnde AVGVSTINVS libro decimo quinto de Trinitate, capite decimo octauo: *Ipsam*, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidem non facit vtilem nisi charitas: sine charitate quippe fides potest esse, sed non prodesse. Et libro quarto contra Iulianum, capite tertio: *Si ad consequẽdam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est, vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Itaque vt hoc modo actus fidei sit perfectus actus virtutis, requirit S. Thomas charitatem in voluntate.

Sic etiam Caietanus hoc loco rectè intellexit sanctum Thomã, qui proinde facilè refellit quædam argumenta Scoti in 3. sent. dist. 25. quæst. 2. Probant enim solùm, non requiri habitum charitatis ad perfectionem assensus fidei propriam, & quasi gradualem: id quod libẽter damus. Nam hæc ab ipso habitu fidei solo procedere potest. Sicut etiam ad perfectionem temperantiæ gradualem satis est habitus temperantiæ, qui est in appetitu sensitiuo; quantumuis appetitus hic à voluntate etiam moueatur ad actum temperantiæ: Requiritur autem in voluntate charitas, vt temperantiæ actus sit omnino perfectus, qui scilicet ad beatitudinem consequendam valeat. Ac similiter, vt sectio quomodocunque perfecta sit, non requiritur ars in secante, sed vt sit artificiosè etiam perfecta. Ita in proposito: charitas non requiritur ad qualemcunque perfectionem assensus fidei, quod solummodò probat Scotus: requiritur tamẽ ad perfectionem eius absolutam, vti dictum est.

Ex quibus apparet, propositionem illam assumptam à D. Thoma in probatione, scilicet requiri perfectionem in vtroque principio ad perfectionem effectus ex vtroque principio procedentis, similiter intelligendam esse de perfectione effectus non qualicunque, sed absoluta, alioqui haberet ea propositio instantias aliquas, vt patet ex dictis.

Et hæc quidem dicta sint, quod attinet ad necessitatem habitus in voluntate, quantum est ex parte assensus fidei, vt scilicet omnino sit perfectus. Alioqui enim quantum est ex parte ipsius voluntatis, vt scilicet hæc absolutè loquẽdo possit intellectum impellere ad fidei assensum, iam suprà q. 1. p. 4. in solutione cuiusdam argumenti diximus, requiri in voluntate aliam quandam peculiarem virtutem, scilicet *studiositatem*, cuius est intellectum mouere, vt præbeat assensum rebus difficillimis atque ineuidentibus.

PVNCTVM TERTIVM.

An Fides perficiatur per charitatem tanquam per suam quãdam formam.

D. Thomas art. 3.

THEOLOGI in tertio sententiarum, distinctione vigesima tertia, cũ Magistro ibidem affirmãt, Fidem à charitate tanquam à forma perfici. Nec tamen sentiunt, quòd charitas propriè sit forma fidei, aut essentialis, vt anima dicitur forma hominis, aut accidentalis & extrinseca, vt albedo corporis. Hoc enim falsum esse ex eo perspicuũ est, quòd charitas & fides sunt duæ virtutes specie distinctæ, quæ duas diuersas potentias perficiunt. Solùm igitur volũt Theologi, charitatem, quoniam perfectionem aliquam addit fidei, metaphoricè dici posse formam ipsius; secundùm analogiam videlicet ad formam propriè dictam, quæ suo modo subiectum perficit.

Sic autem intellecta hæc Theologorum assertio, quod ad rem ipsam significatam per illam attinet, certa est secundùm fidem Catholicam. Multis enim Scripturæ locis significatur apertè, fidem à charitate præcipuam vim & dignitatem accipere, vt Iacobi secundo: *Sicut corpus sine spiritu mortuũ est: ita fides sine operibus* (charitatis) *mortua est*, quo ipso significat fidem per charitatem viuere, atque adeo perfici, tãquam per formam. Item Apostolus ad Galatas quinto: *In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per charitatem operatur.* Et 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, &c. charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Vnde sanctus AVGVSTINVS in Enchiridio, capite octauo: *Apostolus Paulus*, inquit, *fidem, quæ per dilectionem operatur, approbat atque commendat.* Et tract. 9. in primam Epistolam Ioannis: *Adde*, inquit, *fidei dilectionem, vt fiat fides, qualem dicit Apostolus Paulus, Fides, quæ per dilectionem operatur.*

Sed QVÆRET aliquis, quænam sit ea perfectio, quam charitas tribuit fidei? RESPONDEO duplicem esse: VNA est, quòd per charitatem valet ad beatitudinem consequendam, hoc est, ad meritum, sicut disputauimus tomo secundo, disputatione octaua, quæstione vltima. Et quidem quod hanc perfectionem fides ex charitate accipiat, certum est ex fide. Patet ex Scripturæ locis proximè allatis, quæ huc inprimis spectant. Atque hanc vim charitatis ponderans sanctus AVGVSTINVS libro decimo quinto de Trinitate, capite decimo octauo: *Quantum*, inquit, *bonum est, sine quo ad æternam vitam neminẽ bona tanta perducunt?* hoc est, Fides & alia, de quibus ibi Augustinus memorat, Apostolum 1. Corinth. 13. pronunciâsse, quod nihil valeant sine charitate.

ALTERA perfectio est, quòd quatenus fidei actus per imperium charitatis refertur ad vltimum finem, hoc est, quatenus credit aliquis propter Deum, vt summum bonum, pertinet actus fidei ad eandem speciem rectitudinem, ad quam ipsa charitas, atque adeo est eiusdem speciei, cuius est charitas ipsa. Hoc tamen est discrimen, quòd rectitudo hæc est essentialis ipsi charitati, vt quæ secundùm suam rationem non habet aliam laudem, quàm quòd respicit in summum bonum, quod est Deus: fides verò non est hæc rectitudo nisi accidentalis, quatenus fidei accidit, vt ipsius actus voluntariè per charitatem referatur in summum bonum.

Quod tamẽ iuxta dicta à nobis tomo secũdo, disputatione secunda, quæstione secunda, & suprà quæstione tertia, puncto primo, non obstat, quo minus actus fidei secundùm hanc habitudinem ad summũ bonum, pertineat etiam ad speciem charitatis, quamuis non nisi secundariò & accidentaliter. Docuimus enim ibidem, actum aliquem pertinere ad aliquam speciem in genere moris, nihil aliud esse, quàm esse volũtarium secundùm id, quod ad specialem aliquam rectitudinem & laudem pertineat. Tale autem est in proposito habitudo illa, quam ex imperio voluntario charitatis, considerare possumus in actu fidei erga summum bonum, quod est obiectũ charitatis.

Doctrina hęc tota elicitur ex diuo Thoma hîc articulo tertio, ex qua sequitur, pari ratione cuiuslibet alterius virtutis actum pertinere posse ad speciem charitatis, quatenus ab illa referri potest ad vltimum finem. Neq; hoc habet vllum omnino absurdum, sed prorsus consentaneum est doctrinæ diui Thomæ hîc, cùm asserit, accipere fidei actũ à charitate perfectionem per hoc, quod specificatur & formatur proinde ab obiecto charitatis, id est, à summo bono, siue vltimo fine, in quem charitas refert actum fidei.

PVNCTVM QVARTVM.

An Fides possit etiam consistere seiuncta a charitate, atque adeo informis.

D. Thomas art. 4.

VTHERVS, & quotquot ex illi⁹ schola prodierunt, ac maximè Caluinus libro tertio institutionum, capite secundo, distinctionem hanc fidei formatæ & informis, quam Scholastici Doctores in tertio, distinctione vigesima tertia, ex doctrina Scripturæ & Patrum collegerunt, velut vanam irridենt. Negant enim fieri posse, vt vera fides à charitate separetur.

Fundamentum illorum PRIMO est: Quoniam existimant veram fidem præcipuè sitam esse in persuasione, qua certò sibi quis persuadeat atq; confidat, sibi propter Christum iam esse peccata remissa, & donatam gratiam & charitatem. Quare cùm hæc persuasio, illorum iudicio verissima sit, non putant hanc fidem posse à gratia & charitate seiungi. Item quia (vt etiam docent) nemo potest persuadere sibi, se esse in gratia, si habeat aliquam conscientiam peccati mortalis. Quare cùm eam persuasionem dicant esse fidem, consequenter negant fidem posse cum peccato mortali consistere, adeoq; posse destitutam esse charitate.

SECVNDO, Ad eandem rem probandam putat Caluinus libro tertio institutionum, capite secundo, validissimum esse argumentum hoc, quod summatim sic colligit: Fides in Christi notitia sita est: Christus autem nisi cum Spiritus sui sanctificatione cognosci nequit: Ergo fides nullo modo distrahi potest ab effectu, id est, à charitate. Atque huc inprimis illud Apostoli ad Romanos decimo spectare dicit: *Corde creditur ad iustitiam. Si expenderent*, inquit, *hunc locum, intelligerent, assensionem ipsam fidei affectus esse magis, quàm intelligentiæ, cordis quàm cerebri.*

TERTIO idem Caluinus in Antidoto contra Concilium Tridentinum, circa caput decimum quintum, & canonem vigesimum octauum, sicut & alij hæretici, plura scripturarũ testimonia pro eadem re colligunt, quibus fidei, tanquam effectus asscribitur iustificatio & gratia: adeóque etiam charitas, quæ est cum gratia coniũcta. Hinc enim illi colligunt, gratiam & charitatem nunquam à fide separari, vtpote à qua apprehenduntur.

QVARTO obiiciũt quod diuus Iacobus in sua epistola, capite secundo, Fidem sine operibus, atque adeo sine charitate, appellat *mortuam*: Ergo non est vera fides: sicut homo mortuus non est verus homo.

QVINTO obiiciũt quod idem Iacobus fidem sine operibus censet esse fidem dæmonum, qui certè non habent veram & Christianam fidem. Id quod potest confirmari ex AVGVSTINO libro quinquaginta homiliarum, homilia decima septima, vbi planè distinguit inter fidem dæmonum & fidem Christianam tanquam inter res diuersas. *Fides*, inquit, *debet esse Christianorum, non dæmoniorum.* Atq; ibidem, & libro decimo quinto de Trinitate, capite decimo octauo ait, per *adiunctam dilectionem* Apostolum distinxisse fidem à fide dæmonũ, cùm ad Galatas quinto ait: *In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.*

SEXTO accedit, quòd & alij etiam Patres sæpe dicunt, fidem sine operibus nõ esse veram fidem, vt diuus Cyprianus libro de simplicitate Prælatorum, & Gregorius homilia vigesima nona in Euangelia, & Beda in caput secundum Iacobi.

Doctrina verò ORTHODOXA est, veram fidem, hoc est, Theologicam, quam definiuit Apostolus ad Hebræos vndecimo, quæq; vnà cum aliis virtutibus in Scripturis requiritur ad salutem, cum charitate & sine charitate posse constare: ac proinde quod ad rem ipsam attinet, optimam esse distinctionem illam Theologorum fidei informis & formatæ. Sic in Concilio Tridẽtino aduersus hos hæreticos definitum est sessione sexta, capite decimo quinto, & canone vigesimo octauo.

Probatur autem hæc assertio PRIMO ex variis Scripturæ locis. Vt Matthæi septimo: *Multi di-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cent mihi in illa die, Domine, Domine, etc. & tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos: discedite à me omnes operarij iniquitatis. Vbi HIERONYMVS, & Theophylactus in suis Commentariis, & Basilius in regula Monachorum capite nonagesimo quarto, affirmant de illis sermonẽ esse, qui à beatitudine excludentur ob solum charitatis & operum defectum, tametsi fuerint instructi vera fide. Ac eosdem dicit CHRYSOSTOMVS homilia quinquagesima quarta, in Matthæum, significari per virgines illas fatuas, Matthæi vigesimo quinto: *quæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum.* Et GREGORIVS homilia vigesima octaua in Euangelia ait eosdem repræsentari per illum, qui intrauit ad conuiuium Regis *nõ habens vestem nuptialem*, Matthæi vigesimo secundo. Itaq; ait istos intrare quidem in Ecclesiam, ac manere per Baptismum, & fidem, sed sine veste nuptiali, id est, sine charitate.

Huc illud quoque spectat, quod Matthæi vigesimo quinto scribitur, futurũ, vt multi excludantur à regno cælorum, quòd charitatis operibus non studuerint: idque nulla facta mentione defectus fidei. Præterea Ioannis duodecimo: *Ex principibus autem multi crediderunt in illum, sed non audebant illum confiteri, ne extra Synagogam eiicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm Dei.* Ex quo apparet, hos tametsi in Christum verè crederent, mortali peccato obstrictos fuisse, adeóque destitutos charitate. Et 1. Corinth. 13. *Si habuero*, inquit Apostolus, *omnem fidem, charitatem autem non habuero, &c.*

NEQVE est verum, quod hæretici, & nominatim Caluinus vbi suprà dicunt, Apostolum hic non de fide Catholica, sed de fide miraculorum loqui, hoc est, de fiducia ad patranda miracula. Contra hoc enim commẽtum est PRIMO, quòd Apostolus dicit *omnem* fidem. SECVNDO, quòd cùm in fine Capitis concludit: *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas tria hæc: maior autem horum charitas.* De illa ipsa fide, pcul dubio loquitur, cuius antea in eodem capite meminerat, sicut etiã loquitur de eadẽ charitate, de qua prius agebat. Constat autẽ ipsum in ea conclusione fidẽ Theologicam cum charitate comparâsse. TERTIO, quòd, vt diuus Anselmus in Commentar. in hunc locum notat, Apostolus hîc ad illam sententiam Christi alludit, Matthæi decimo septimo: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c.* Constat autem illic Christum fidem Catholicam inprimis commendare. Nam etsi partim agat quoque de fiducia: attamen non excludit veram fidem, quã eius fiduciæ oportet esse veluti radicem, & in cuius confirmationem fiduciam illam, atque adeo ipsa miracula initio Ecclesiæ referri oportuit: iuxta illud Marci vltimo: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c.* Quamuis ergo demus hæreticis, Apostolũ illic etiam agere de fide miraculorum, id est, fiducia, hoc ipso necesse est locum etiam intelligere de fide Theologica, quæ quasi fons est eius fiduciæ, quam Scripturæ commendant: adeóque cum illa perpetuò connexa.

Aequè vanum etiã est, quod alij hæretici comminiscuntur, Apostolum per exaggerationem eâ loquendi formula fuisse vsum, vt iste sit sensus: Si, quod fieri nequit, haberem omnem fidem sine charitate, nihil mihi prodesset. Ac proinde minimè ex hoc loco colligi, quòd fides aliquando à charitate separetur. Obstat huic figmento PRIMO, modus ipse loquendi familiaris: *Si habuero omnem fidem, &c.* quasi de re agat Apostolus, quæ soleat contingere. SECVNDO, scopus sermonis, qui erat (vt Haymo in Commentar. eius loci annotauit) quorundam Corinthiorum insolentiam reprimere, qui de sola fide nimis gloriabantur. Itaque eos hortatur, vt charismata meliora, id est, charitatem sectentur. Cui expositioni consonat extrema oratio capitis præcedentis. Quare fatendum est, Apostolum omnino de eo casu, qui soleret contingere, locutum esse.

Præterea idem Apostolus ad Galatas quinto commendat inprimis eam fidem, quæ *per charitatem operatur.* quo ipso, vt diuus Augustinus aduertit, libro de Spiritu & litera, capite vigesimo secundo insinuat, interdum esse fidem charitate vacuam, quæ otiosa sit, & non nisi per timorem seruilem operetur.

Exstant quoque hac de re luculenta inprimis testimonia diui Iacobi: *Quid proderit* (inquit capite secundo) *fratres mei, si quis dicat, fidem se habere, opera non habeat?* Item: *Fides sine operibus mortua est in semetipsa.* Et inferius: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus.* Ex quo possumus formare huiusmodi argumentum: Quale est corpus sine spiritu, talis est fides sine operibus: sed corpus sine spiritu eiusmodi est, vt mortuum sit quidem, hoc est, non viuum, sed verum corpus tamen: Ergo similiter fides sine charitate mortua quidem est, id est, nihil valens ad vitam æternam, sed tamen vera fides. Et hactenus de Scripturis.

SECVNDO probatur eadem assertio orthodoxa testimoniis Patrum, ex quibus præter ea, quæ hactenus attulimus, hæc sunt notanda: Sanctus IRENÆVS libro quarto, capite vigesimo quinto, planè supponit fidem non minus quàm prophetiam, & quamuis aliam gratiam gratis datam, seiungi posse à charitate. Nam ex sententia Apostoli affirmat, *neque agnitionem* (vt scribit) *sine dilectione, quæ est erga Deum, præstare aliquid, neque mysteriorum comprehensionem, neque fidem, neque prophetiam, sed omnia vacua & frustrata esse sine dilectione.* Si enim vera fides sine dilectione omnino esse non posset, non diceret sanctus IRENÆVS, illam etiam sine dilectione esse vacuam & frustratam: quod enim omnino non est, id ne vacuum quidem & frustratum esse dici potest.

Sanctus CYPRIANVS in sermone de zelo & liuore idem supponit, cùm ait, Apostolum *firmiter asseuerâsse & docuisse, nec fidem sibi, nec eleemosynas, nec*

nec passionem quoq; ipsam Confessionis & Martyrij profuturam, nisi charitatis fœdera integra atque inuiolata seruâsset.

Sanctus AMBROSIVS lib. 2. officiorum, cap. 2. fidem à bonis operibus, atque adeo à charitate separatam esse posse, declarat his verbis: *Habet vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum. Habent & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur. Nam etsi exercitatus sit in sermonibus & desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit: & grauius est scire quid facias, nec feciſſe quod faciendum cognoueris.*

Et enarratione in Psal. 1. explicans illum versum: *Ideo non resurgent impij in iudicio, neq; peccatores in Consilio iustorum*: tres ordines distinguit iudicandorum: Vnum Iustorum, qui & credunt & bene operantur: Alterũ Impiorum, qui nec credunt, nec bene operãtur: Tertium Peccatorum, qui credunt, sed non bene operantur. *Vides*, inquit, *quia surgunt impij, & non surgunt in iudicio iustorum: quia peccatores etsi non resurgunt in consilio iustorum, resurgunt tamen in iudicio. Vnde videntur qui bene crediderunt, & fidem suã etiam operibus exequuti sunt, ipsi non iudicari, sed surgere in consilio iustorum. Peccatores autem, qui non possunt inter iustos surgere, surgent in iudicio. Habes duos ordines. Tertius superest impiorum, qui quoniam non crediderunt, iam iudicati sunt: & ideo non resurgunt in iudicium, sed ad pœnam.*

Sanctus HIERONYMVS in caput 32. Hieremiæ: *Qui habet*, inquit, *notitiam Dei, & recedit ab eo, solus peccat in oculis Dei. Qui verò increduli permanserint, quasi illo non videnti & negligenti delinquunt. Vnde & Dauid vir sanctus, quia corruerat in peccatum vxoris Viæ Bethsabee, agens post eam pœnitentiam loquitur; Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, id est, in conspectu tuo.* Vbi vides ex sententia Hieronymi accidere interdum, vt quis habẽs fidei notitiam, qua carent increduli, recedat à Deo, atque adeo excidat à charitate.

Sanctus AVGVSTINVS lib. 6. cõtra Iulianum, capite 17. *Qui rectè*, inquit, *amat, procul dubio rectè credit, & sperat. Qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit.* Et clarissimè lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Sine charitate*, inquit, *fides potest esse, sed non & prodesse.* Et præfatione in Psal. 31. *Si fides*, inquit, *sine dilectione sit, sine opere erit. Ne autẽ multa cogites de opere fidei, adde illi Spem & Dilectionem, & noli cogitare quid opereris. Ipsa dilectio vacare non potest.*

TERTIO probatur eadem assertio ratione diui Thomæ quam formo sic: Illa, quæ non pertinent ad essentiam rei, sed rei accidunt, non multiplicant ipsam; cùm posit eadem res variis accidentibus subesse: sed quod fides per charitatem sit formata, aut non sit, accidit ipsi, nec ad ipsius essentiam per se pertinet: Ergo eadem fides potest esse tum formata per charitatem, tum informis. Minor probatur. Nam quòd fides formata sit aut non sit, hoc habet ex voluntate, in qua charitas inest: Ita fit, vt id non per se pertineat ad fidem, quæ non est nisi in intellectu.

Est autem OBSERVANDVM, per testimonia quidem Scripturæ & Patrũ à nobis allata solùm probari, vt ex fide certum, quòd eadem fides vera secundùm speciem constare posit cum charitate, & sine charitate. Quod verò eadem etiam numero, non est ex fide certum. Neque fuit in Concilio Tridentino de hoc cõtrouersia aduersus hæreticos; sed solùm voluerunt Patres statuere, quòd fides etiam vera Catholica & Theologica posit esse sine charitate, & reipsa sit in peccatoribus fidelibus. Non autẽ definierunt, quòd etiam eadem numero.

Vnde Ruardus Tapper tomo 2. art. 8. pag. 64. cùm ex definitione Concilij Tridentini conclusisset tanquam de fide certum, quòd eadem fides secundùm speciem maneat sine charitate; addidit, *verisimilius etiam esse, quòd eadem quoque numero maneat*: quasi diceret, hoc non esse de fide. Est tamen id iam adeo certũ, vt communiter Theologi sentiant, oppositum esse temerariũ, eò quòd repugnet in re graui communi Doctorũ sententiæ. Idque satis probatur argumento, quod duximus ex ratione. Quanquam olim, vt videre est apud Magistrum in 3. dist. 23. & apud Albertum Magnum ibidem art. 9. & D. Thomam hîc, probabiliter aliqui videntur putauisse, non esse eandem numero fidem informem & formatã. Contra quos bene & perspicuè D. Thomas disserit.

Superest vt respondeamus ad argumenta initiò proposita pro contrario errore Sectariorum. Ad PRIMVM respondeo, naturam illam fidei, quam describunt hæretici, esse commentitiam & vanam, vti probauimus fusè tomo 2. disput. vltima, quæst. 5.

Ad SECVNDVM respondeo, falsum esse, quod Caluinus assumit, videlicet Christum cognosci non posse sine Spiritus sanctificatione, quæ charitatem includat. Nam quod affert ex Apostolo ad Rom. 10. *Corde creditur, &c.* id duobus modis exponere possumus: PRIMO, vt particula illa, Corde, significetur affectus voluntatis, hoc est, pia illa affectio, quàm suprà quæst. 1. p. 4. disputauimus necessariam esse ad fidem. Sed vt illic etiã docuimus, & D. Thomas infrà art. 7. huius quæstionis ad vltimum, expressè notat, pia hæc affectio necessaria ad credendum, neque necessariò nec semper est actus charitatis. SECVNDO, si per particulam illam, Corde, designetur charitatis affectus. Et tunc sensus illius sententiæ erit, fidem, vt reipsa ad assequendam iustitiam valeat, cum charitate coniunctam esse debere. Ex quo non habetur, quòd semper illa cũ charitate coniuncta sit, atque adeo semper reipsa ad assequendam iustitiam valeat.

Ad TERTIVM argumentum respondemus, ex illis omnibus locis Scripturæ, quibus iustificatio asscribitur fidei, solùm colligi, quòd fides naturâ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sua ad iustitiam conferat, adeoque reipsa illam A
consequatur, si fuerit coniuncta cum charitate,
quæ etiam necessaria est. Non tamen docemur
illis locis, fidem semper esse cum charitate coniunctam, ac proinde semper consequi iustitiam.
Quemadmodum etsi Ecclesiastici 1. Iustitia tribuatur timori; & ad Rom. 8. ac. 1. Ioan. 3. spei; inde tamen non licet colligere, timorem & spem
semper à charitate informari, atq; adeo semper
esse hæc cum iustitia & gratia coniuncta. Sensus
enim tantùm est, timorem & spem per se valere
ad iustificationē, adeoq; illam reipsa consequi,
si adfuerint reliqua necessaria, vt charitas, &c. sic
& in proposito de fide dicendum.

Ad Qvartvm argumentum respondeo, dupliciter aliquid posse dici mortuum. Vno modo B
per defectum animæ, quæ est forma intrinseca
hominis. Et quod isto modo mortuum dicitur,
non est amplius verè tale: Vt homo mortuus, nō
est verè homo. Altero modo dicitur aliquid
mortuum per defectum formæ extrinsecæ: sicut
corpus quoque dicitur mortuum per defectum
animæ viuæ, quæ est quid extrinsecum corpori,
vt corpus est. Et quod isto modo dicitur mortuum, verè nihilominus est; vt corpus mortuum,
verè nihilominus est corpus, quamuis nō viuum
corpus.

Iam verò cùm sanctus Iacobus fidem sine operibus appellauit mortuam, non priori modo,
sed hoc posteriori locutus est. Non enim dixit,
fidem sine operibus esse mortuam, sicut *homo* est C
mortuus sine spiritu, sed sicut *corpus* est mortuū
sine spiritu: quod tamē nihilominus verum corpus est, quamuis non viuum. Vnde ex hoc loco
Iacobi potius ducitur firmum argumētum contra Sectarios pro separabilitate charitatis à fide:
sicut suprà vidimus.

Ad Qvintvm argumētum respondeo, fidem
dæmonum non per omnia comparari cum fide
separata à charitate, sed in hoc, quòd sicut fides
dæmonum caret merito & vtilitate ad salutem
assequendam: ita etiam fides sine charitate. Est
autem aliunde discrimen, quòd fides sine charitate in homine est Dei donum supernaturale, atque adeo vera virtus Theologica; in dæmonibus
autē non item, vt quæstione sequenti videbimus. D

Nec tamen cùm Avgvstinvs & ipse etiam
Iacobus Apostolus, distinguūt inter fidem Christianorum, & fidem dæmonum, considerant fidem Christianorū ea solùm ratione, qua est donum Dei, & vera fides, etiam seiuncta à charitate, sed vt est vtilis & meritoria, nempe in bonis &
iustis Christianis. Vnde Avgvstinvs in illo loco (scilicet homil. 17. lib. 50. homiliarum) quam
antea nominauerat fidem Christianorum, dicēs,
debere esse fidem *Christianorum non dæmoniorum*,
paulo pòst nominat fidem *Sanctorum*, inquiens:
Discernēda est ergo fides dæmonum à fide Sanctorum,
quam ibidem ait esse illam, quæ *per charitatem operatur*, vt Apostolus inquit ad Galat. 5.

Ad Sextvm argumentum respondeo, Patres,
cùm dicunt fidem sine operibus non esse veram
fidem, tantùm velle significare, quod non sit viua
& perfecta, qualis reuera deberet esse. Nam & hic
loquēdi modus est vsitatus, vt rem, quæ in aliquo
genere imperfecta est, dicamus non esse veram
in eo genere, sicut gaudium aut dolorem v.g. imperfectum, aut non ita magnum, dicere solemus
non esse verum gaudium aut dolorem, tametsi
reuera aliquod gaudium sit aut dolor.

Atque eodem modo de fide viua & perfecta
intelligi potest, quod sanctus Hieronymvs in
caput 5. Epistolæ ad Galatas scribit, *cùm dilectio procul abfuerit, & fides pariter abscedit*, id est, desinit
esse fides viua & perfecta, qualis debet esse. Et similiter exponendū est, quod idem Hieronymus
proœmio in lamentationes Hieremię scribit, *nudari etiam fide animam fidelem cùm à Deo recedit per peccatum*. Nisi dicamus, loqui ibi Hieronymum
de anima fideli cùm peccat peccato infidelitatis. Vt potest colligi ex illis Hieronymi verbis:
Melior erat anima quondam fidelis, in qua Deus inhabitabat, &c.

PVNCTVM QVINTVM.

An & quomodo Fides sit Virtus.

D. Thomas art. 5.

Magister sententiarum in 3. dist. 23.
& D. Thomas hîc artic. 5. & Albertus
Magnus in 3. dist. 23. artic. 5. & Bonauentura eadem dist. art. 2. quæst. 1. &
Richardus art. 4. quæst. 1. & alij ferè Theologi ibidem (excepto Durando, de quo posteà dicam)
per distinctionem respondent ad propositam quæstionem. Dicunt enim Primo, Fidem charitate
informatam esse propriè & simpliciter virtutem.
Secvndo, Fidem informem non esse propriè &
simpliciter virtutem.

Primvm probatur ab illis sic: Virtus est habitus, per quem actus humanus redditur bonus seu
perfectus: sed fides formata est huiusmodi habitus: Ergo. Minor probatur, quoniam actus fidei
formatæ, quatenus est ab intellectu, habet perfectionem infallibilitatis seu certitudinis: quatenus autem procedit ex motione voluntatis, habet etiam charitatis perfectionem, per quam refertur ad vltimum finem: Ergo actus fidei formatæ vndequaque est perfectus.

Secvndvm autem probatur cōtraria ratione. Nam fides informis non reddit actum perfectum. Etsi enim actus fidei informis habeat perfectionem ex parte intellectus, videlicet infallibilitatem; at caret illa perfectione charitatis ex
parte voluntatis, cuius imperio mouetur intellectus ad credendum etiam per fidem informem.

Ac potest hæc doctrina confirmari auctoritate sancti Avgvstini libro 4. contra Iulianum,
capite 3. vbi fusè probat, nullam esse posse veram

virtutem

virtutem sine gratia Dei charitate, eò quòd alioqui nulla virtus prodest ad consequendum vltimum finem. *Si ad conseqūedam*, inquit, *veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est, vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo vera possunt esse virtutes.* A

Sed occurrit illico aduersus hanc Theologorum & Augustini doctrinam argumētum quoddam, cuius respōsio continebit veram huius doctrinæ explicationem. Sic enim licet argumentari: Omne prædicatum essentiale alicuius speciei
conuenit æquè propriè & simpliciter omnibus
contentis essentialiter in illa eadem specie (alioqui non conuenirent in eadem specie essentialiter) sed hoc, quod est *esse virtutem*, est prædicatum
quoddam essentiale illius speciei vltimæ habitus
intellectualis, in qua est fides formata (virtus enim essentialiter tāquam genus proximum prædicatur de *tali* virtute) & fides informis est essentialiter habitus eiusdem speciei vltimæ, cuius est
fides formata (vt quæst. præced. probatum est)
Ergo æquè propriè & simpliciter conuenit fidei
informi, vt sit virtus, atque fidei formatæ. B

Respondeo veram quidem esse Maiorem,
si prædicatum essentiale consideretur præcisè secundùm suam essentiam: non autem si consideretur simul secundùm aliquam adiunctam perfectionem accidentalem. Sic autem considerā-
tur in proposito. Nam cùm Theologi asserunt,
Fidem formatam propriè & simpliciter esse virtutem, non autē fidem informem; virtutem con- C
siderant non tantùm secundùm *essentiam* virtutis, sed etiam secūdùm quendam perfectum virtutis *statum*, qui præcipuè consideratur à Theologis, & quem non habet fides informis.

Itaque sensus eius assertionis Theologorum
est, Fidem formatam esse perfectā virtutem, quæ
scilicet non solùm habeat essentiam virtutis, sed
etiam virtutis statum & perfectionem consistentem in hoc, vt valeat ad consequendam beatitudinem, in quam vt in vltimum finem omnes virtutes referuntur. Fidem verò informem censent
virtutem quidem esse, sed non perfectam virtutem. Nam habet quidem essentiam virtutis, quatenus actū intellectus reddit infallibilem, adeóq; D
bonum; statum tamē illum virtutis ac perfectionem, quam iam diximus, non habet. Similis loquēdi modus esset, si diceremus, *puerum* esse quidem hominem, sed non perfectum; *virum* autem
esse hominem perfectum, quoniam habet quasi
statum hominis & perfectionem.

Porrò hanc ipsam esse mentem diui Thomæ,
apparet ex solutione secundi argumenti, & idem
voluerunt Albertus, Bonauentura, & Richardus, vt patet ex locis suprà citatis. Hoc etiam Caietanus hîc vult, cùm dicit, fidem informem virtutem esse *secundùm quid*, id est, quoad essentiam
tantùm: formatam verò simpliciter, quoniam etiam secundùm *statum*, qui in proposito indicatur etiam nomine Virtutis.

Sed Dicet aliquis, si fides informis secūdùm
essentiam virtus est, deberent potius Theologi
affirmare, simpliciter illam esse virtutem, quàm
negare, ob defectum status seu perfectionis accidentalis: Illud enim simpliciter res est, quod est
secundùm suam essentiam.

Respondeo, à Theologis perfectionem virtutis præcipuè æstimari ex valore, quem illa habeat ad beatitudinem consequendam, in quam
omnis illorū consideratio refertur. Proinde neque fides, nec vlla alia virtus, *simpliciter* ab ipsis
censetur virtus, nisi valeat secundùm meritum
ad obtinendam beatitudinem: Ac proinde nisi
sit coniuncta cum charitate. Hæc igitur ratio est,
cur S. Thomas, & alij Theologi dicere solent, Fidem informem non esse virtutem.

Ex his apparet, in duobus consistere sententiam Theologorum hactenus explicatam, si rem
ipsam spectemus, & non insistamus in vocabulis:
Vnvm est, Fidem secundùm essentiam quidem
suam specificam, atque adeo etiam fidem *informem*, verè esse virtutem, spectata quoque præcisè
virtutis essentia. Altervm est, Fidem *formatam*,
modo quodam perfectiori esse virtutem, cùm
habeat etiam virtutis statum iam explicatum.

Vtrumque verò impugnat Durandus in 3. distinct. 23. quæst. 6. Primvm sic: Virtus est habitus
eliciens actum vltimatè perfectum: Habitus fidei
non est huiusmodi: Ergo secundùm essentiam
suam non est verè virtus. Maior patet: quoniam
ideo dicitur virtus esse *vltimum potentiæ*, quia scilicet perficit secūdùm vltimū perfectionis, quod
potest esse in actu. Minor probatur. Quoniam fides caret euidentia, quæ est maxima perfectio
intellectus.

Secvndvm, scilicet quòd fides formata sit
perfectiùs & magis virtus per charitatem, ex eo
impugnat, quòd fides in intellectu est: charitas
in voluntate: Ergo Fides perinde elicit assensum
suum charitate in voluntate existente, & non existente. Et consequenter cùm oporteat illam esse
virtutē (si est) quatenus elicit assensum: non magis vel minus, inquit Durandus, est virtus cū charitate, quā sine charitate. Ex quibus tādem concludit, fidem posse quidē dici virtutem *impropriè*,
vt virtus dici potest habitus inclinans ad actum
vtcumq; bonum seu perfectum: *propriè* verò neq;
formatam, nec informem esse virtutem.

Etsi autem hæc controuersia videatur esse de
nomine, cùm præter appellationem propriam virtutis, nihil propterea Durandus neget reipsa fidei, quod ab aliis eidem fidei concedatur: tamē
neque rectè, neq; verè is loquitur, negans fidem
propriè loquendo esse virtutem. Et Primo hac
in parte repugnat communi sententiæ, & modo
loquendi Doctorum. Imò & Scripturæ, in qua
passim maximis laudibus effertur fides, vt proinde simpliciter virtus dicenda sit.

Deinde hanc Durandi sententiam refutare
possumus retorquendo illius argumentum hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo: Virtus propriè loquendo est habitus perficiens potentiam ad actum vltimatè perfectum, attenta quidem naturâ potentiæ, & conditione obiecti, atque etiam status huius vitæ, &c. (ad has enim circumstantias omnes Philosophi attenderunt, cùm sic virtutem definiêrunt) sed fidei habitus est huiusmodi: Ergo est verè ac propriè virtus.

Maior est ipsius Durandi. Minor probatur. Quoniam obiecta supernaturalia, de quibus est fides, non possunt à nobis in hac vita perfectius cognosci, quàm per fidei habitum, vt qui tametsi euidens non sit, at est infallibilis ex natura sua & certissimus, propterea quòd nititur ratione formali obiecti *sub qua*, maximè omnium certa, videlicet diuina reuelatione, iuxta dicta quæstione prima, p. 1.

Quod autem deinde Durandus addit: Fidem non esse magis virtutem cum charitate, quàm sine illa, distinguendum est. Nam verum est, loquendo de fide secundùm suam essentiam, & de virtute quoq; secundùm essentiam virtutis præcisè. Falsum autem est loquēdo de fide, & de virtute, secundùm statum etiam & perfectionem, qua profit perfectè ad beatitudinem consequendam.

Ad PRIMVM ergò argumentum Durandi iam patet responsio ex ratione nostra. Nam etsi fides careat euidentia, atque adeo non sit eiusdem rationis cum virtutibus illis intellectualibus, quas numerauit Philosophus 6 Ethicorum, nihilominus tamen censeri debet (attenta conditione obiecti, &c.) perficere potentiam secundùm vltimum, ac proinde esse veram virtutem. Atque hoc ipsum est, quod rectè (tametsi obscurius) dixit hîc Caietanus, Fidem non esse quidem virtutem *intellectualem* propriè (intelligit ex illis, quæ fuerunt notæ Philosophis) sed tamē verè & propriè esse virtutem *intellectiuam*, quatenus illum etiā perficit secundùm vltimum, licet aliter, vt explicauimus.

SECVNDVM argumentum Durandi tantùm probat, quòd fides secundùm essentiam non sit magis virtus per charitatē, quàm sine illa, si spectemus præcisè essentiam virtutis. Non autem si spectemus etiam virtutis statum, vt iam dictum est.

Porrò cùm fides sit vera virtus (vt probatum est) rectè Caietanus hîc artic. 5. disputat contra Scotum in 3. dist. 23. quæst. vnica, Fidei habitum ex natura sua, & nō tantùm ratione obiecti, reddere assensum suum infallibilem. Omnino enim fatendum est, ex natura habituum ipsorum prouenire, vt assensus intellect⁹ qui ab habitu virtutis proficiscitur, sit tantum verus, nec possit esse falsus. Nam ex eo, quòd habitus quidam naturâ sua tales sunt, & alij, tales; fit, vt vel non possint inclinare ad assensus falsos, eò quòd nitantur ratione infallibili: vel possint tales assensus falsos elicere, quia ratio, qua nituntur, non est infallibilis. Ex priori autē genere est fidei habitus; quoniam vt quæst. 1. p. 1. explicatum est, talis naturæ est, vt non possit actum elicere, nisi diuinam reuelationem imitando, quoad certitudinem & infallibilitatem; id quod est fidem niti diuina reuelatione, vt ratione *sub qua*. Posterioris generis sunt habitus opinatiui, quia nitūtur ratione probabili, quæ interdum est falsa. Et propterea Fides est verè virtus, nō autem habitus opinatiuus.

PVNCTVM SEXTVM.

An Fides sit vna Virtus.

D. Thomas art. 6.

VERA & communis Theologorum in 3. dist. 23. assertio est, Fidem esse virtutem *vnicam* ex parte obiecti, atque adeo vnicam specie, quanquam ratione subiecti multiplicetur numero in singulis hominibus. Probatur id à D. Thoma hîc & ab aliis, quoniam omnibus assentitur fides sub ratione primæ veritatis. Et præterea obiecta materialia illius, tametsi diuersa sunt, omnia tamen reducuntur ad vnicum obiectum principale, videlicet ad Deum.

Nec tamē volunt negare Theologi, fidem accipi posse illis modis diuersis, de quibus diximus quæst. 1. p. 1. sed docent, fidem, vt accipitur pro fide Catholica, quæ est Theologica virtus, quam definiuit Apostolus ad Hebr. 11. esse vnicam specie, & multiplicari solùm numero. In quo sensu assertio hæc certa est ex fide, ad Ephes. 4. *Vna Deus, vna fides.*

Vnde etiam S. AVGVSTINVS libro 13. de Trinit. cap. 2. affirmauit, Fidem specie esse vnam. Ita enim scribit: *Fides*, inquit, *in animo credentis est, ei tantùm conspicua, cuius est, quamuis sit & in aliis, non ipsa, sed similis. Non enim numero est vna, sed genere* (accipit genus pro specie) *propter similitudinem tamen & nullam diuersitatem, magis vnam dicimus esse, quàm multas.*

Hoc posito, OCCVRRIT circa rationem huius assertionis difficultas, quam mouet Scotus in 3. dist. 25. Etsi enim Deus tanquam causa contineat reliqua obiecta omnia materialia fidei: at non videtur ea continere vt obiectum: Ergo ad probādam vnitatem fidei, malè assumitur, quòd obiecta reliqua materialia reducantur ad Deum, vt ad primarium obiectum. Probatur antecedēs. Nam neque ex assensu fidei circa Deum colligimus assensus alios circa reliqua fidei obiecta materialia, neq; rursus mouemur ad illis assentiendū ex illo obiecto primario fidei, quod est Deus.

Ad hoc RESPONDETVR ex mente Caietani hîc, præteritum esse à Scoto modum alium, quo reliqua obiecta materialia fidei dici possunt contineri in primario illo obiecto, quod est Deus. Qui modus positus est in eo, quòd actus fidei naturâ sua talis est, vt præcipuè respiciat obiectum illud, quod est Deus, & secundariò ea, quæ habēt aliquem respectum ad Deum, ita vt his nō assentiretur fides, nisi quia habent aliquem ordinem ad Deum, quem illa primò respicit. Hoc enim ipso potest censeri Deus etiam, vt obiectum est, continere reliqua obiecta materialia: quo pacto procedit ratio nostræ assertionis.

Quomodo autem fidei *vnitas ex parte obiecti* retineri debeat, & quomodo ab ea desciscant hæretici; cùm, spreta Ecclesiæ auctoritate, Scripturis solis inniti volunt; demonstrauimus q. 1. p. 10. §. 21.

PVNCTVM SEPTIMVM.

An Fides sit prima Virtutum omnium.

D. Thomas art. 7.

RECTE notat Caietanus, quæstionem hanc institui de comparatione fidei & aliarum virtutum, quatenus absolutè disponunt ad *optimum* simpliciter, id est, beatitudinem. Quo pacto considerantur à Theologo. Sed ex hoc simul apparet, malè Caietanum ab hac comparatione excipere virtutes intellectuales merè, cùm hæ etiam disponant suo modo ad optimum, tametsi ad id necessariæ nō sint, sicut morales. Vnde quæstio hæc de omnibus virtutibus simpliciter potest procedere.

Hoc posito sentiēdum est, Fidem quibusdam modis non esse priorem reliquis virtutibus, & aliquo modo esse priorem illis. Nam non est prior prioritate *dignitatis*, sic enim prior est charitas, vt infrà Disput. 3. contra hæreticos videbimus. Nec prioritate *temporis*, sic, vt necessariò fides quoad habitum vel actū debeat præcedere reliquas virtutes. Experimur enim, contrarium sæpè accidere. Nec prioritate *ordinis* consistentis in hoc, vt necessariò quis debeat ex actu fidei moueri ad reliquos actus virtutum vtcunque exercendos, vel simul, vel posterius tempore. Non enim apparet huius ordinis necessitas, & experientia est contraria: maximè quod attinet ad virtutes morales.

Est autem Fides prior cæteris virtutibus ordine quodam *originis* consistentis in hoc, quòd cùm fides ostendat finem vltimum supernaturalem, ad quem virtutes reliquæ disponunt; talis est habitudo fidei ad alias virtutes, vt qui ex actu fidei ostendentis finem supernaturalem, moueretur ad reliquarum virtutum actus simul tempore vel posterius exercendos, hic aptissimè virtutibus omnibus vteretur, attēta natura virtutum, quatenus disponunt ad optimum simpliciter.

Atq; hoc ipsum est, quod vult S. Thomas cùm hîc asserit, Fidem per se loquēdo esse *primam* omnium virtutum. Et eodem spectat ratio, qua id confirmat D. Thomas sic: Fides est prima inter virtutes Theologicas, & hæ sunt reliquis omnibus virtutibus priores: Ergo simpliciter fides est prior omnibus. *Prior* pars antecedentis probatur: Quia cognitio vltimi finis, quæ pertinet ad fidem, prior est actibus voluntatis, atque adeo charitatis & spei circa eundem vltimum finem. *Posterior* autem, quia virtutes Theologicæ versantur circa vltimum finem, qui est principium in genere agibilium.

Hoc ipsum confirmare possumus auctoritate Apostoli, qui 1. Cor. 13. Fidem primo loco numerat, tanquam originem reliquarum virtutum. *Nunc autem*, inquit, *manent Fides, Spes, Charitas.* Atq; etiam sanctorum Patrum. S. AMBROSIVS, lib. 2. de Cain & Abel, cap. 9. *Quid miraris*, inquit, *si pietatem non agnouit* (Cain) *qui non agnouit auctorem? Et ideo doceris has serie Scripturarum, fidem esse radicem virtutum omnium. Vnde & Apostolus ait: Quia fundamentum nostrum Christus est.* 1. Cor. 3.

S. AVGVSTINVS, libro de Agone Christiano, cap. 13. *Fides*, inquit, *est prima, quæ subiugat animam Deo, deinde præcepta viuendi, &c.*

S. PROSPER, libro 1. de vocatione Gentium; cap. 8. *Fides*, inquit, *bonæ voluntatis & iustæ actionis est genitrix.* Similia scribunt alij.

Ac posset etiā Fides prior aliis virtutibus censeri, quatenus necesse est aliquem actū fidei circa Deum tempore vel naturâ præcedere, vt reliquarum virtutum actus disponāt ad vltimum finem per meritum. Sed hæc explicatio quamuis vera sit, & certa ex fide (quia sine aliquo actu fidei, vt non datur adultis gratia, sic nec potest esse meritum) tamen nō videtur intenta à D. Thoma, cùm hîc dicit, Fidem esse priorem. Nam videtur comparare fidem ad reliquas virtutes secundùm naturam suam tantùm consideratas; vt videlicet secundùm essentiam suam, prius quàm consideretur in illis ratio accidentalis meriti, disponunt ad *optimum* hominis simpliciter, id est, ad beatitudinem supernaturalem.

ADDIT autem rectè S. Thomas, quamuis *per se* (vt dictum est) Fides sit prior aliis virtutibus, tamen *per accidens* quandoque priores esse virtutes alias quàm fidem. Nam interdum potest contingere, vt per aliquam aliam virtutem oporteat prius remouere id, quod est homini impedimēto, quominus credat; Vt timorem per fortitudinem, & per humilitatem, superbiam non cedentem difficultati credendi. Tunc enim origine essent priores istæ virtutes, siquidē commodè tunc aliquis per fortitudinis aut humilitatis act⁹ moueretur prius ad beatitudinem.

Quanquam tunc quidem, vt D. Thomas docet hîc ex D. Augustino, lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. virtutes tales, quæ præcederent fidem, non haberēt absolutam & completam perfectionem virtutis, sic vt sufficienter valerent (id est, meritoriè) ad vitam æternam consequendam: disponerent tamen adhuc vtcunq; ad illam, quatenus naturâ sua sunt conformes rationi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM OCTAVVM.

An Fides sit certior quàm aliæ Virtutes intellectuales.

D. Thomas art. 8.

QVAMVIS in respondendo ad hanc quæstionem nō prorsus eodem modo loquantur omnes Theologi, tamē quod ad rem ipsam attinet, pleriq; conueniunt in duabus assertionibus; vt diuus Thomas hìc, & Albertus Magnus in 3. dist. 23. art. 17. & D. Bonauentura eadem dist. art. 1. quæst. 4. & Richardus art. 7. quæst. 1. & alij.

PRIMA assertio: Simpliciter & secundùm se certior est Fides omnibus aliis virtutibus intellectualibus, atque adeo etiam, quandiu ipsa quidem in intellectu nostro viget, certiores nos reddit, quàm vlla alia virtus intellectualis.

Probatur PRIMO ex Scriptura, in qua doctrina fidei tāquam diuina, & ideo firmissima & certissima, præfertur omnibus aliis humanis doctrinis. Vt 1. Corinth. 2. *Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neq; principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, &c.* Et ad Galat. 1. *Notum vobis facio Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem* IESV *Christi.* Et 1. ad Thessal. 2. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus fidei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei.* Et 2. Pet. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Et infrà: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, &c.*

SECVNDO probatur ex Patribus. S. DIONYSIVS Areopagita cap. 7. de diuinis nominibus: *Eum,* inquit, *qui in veritate credit iuxta Scripturæ fidem, nihil remouebit à veræ fidei auctore, in quo constantiam immobilis atq; immutabilis identitatis habebit. Nouit enim penitus is, qui veritati coniunctus est, quàm bene se habeat, etiamsi plures illum corripiant, quasi amentem & extra se factum.*

Vbi Dionysius non modò fidem ipsam secundùm se certissimam esse asserit, sed etiā per eam quoque reddi certissimum eum, qui verè credit, id est, quamdiu fides in intellectu viget, sicut in assertione posuimus. Non enim potest à forma in subiecto existente separari effectus formalis; atque adeo à fide secundùm se certissima, separari non potest hic eius effectus formalis, qui est, hominem per ipsam reddi certissimum, quamdiu illam quidem retinet.

Item S. BASILIVS epistola 43. ad Gregorium Nyssenum suum fratrem. *Quemadmodum,* inquit, *in iis, quæ oculis apparent, potior videtur experientia, quàm ratio causæ; sic in sublimibus dogmatibus potior est ratiocinationum comprehensione ipsa fides.* Et concione in Psal. 115. *Fides,* inquit, *præeat, ac ducat sermones de Deo. Fides & non demonstratio. Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens.*

Item S. CHRYSOSTOMVS, homil. 12. in Epistolam ad Hebræos: *Neque circa ea,* inquit, *quæ videntur, incredulitas locum habet: neq; fides dici potest, nisi cùm circa ea, quæ non videntur, amplius quàm circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit.* Vbi apertè affirmat, hominem quoque ipsum reddi certiorem per fidem, quàm per vllam cognitionem euidentem.

Item S. AMBROSIVS, enarratione in Psal. 40. *Sicut sunt,* inquit, *qui oculos habent, & non vident, ita sunt qui oculis non videntibus plus videre* (id est, certius cognoscere) *creduntur. Vnde & Prophetæ dicebantur videntes, etiam qui oculis non viderent.*

Item S. HIERONYMVS, epist. 61. ad Pammachium, cap. 3. *Vis scire,* inquit, *quantus sit ardor bene credentium? Audi Apostolum: Etsi nos, aut Angelus de cælo aliter euangelizauerit vobis, anathema sit.* Et in caput 1. Epistolæ ad Galatas: *Apostolus,* inquit, *firmitatem fidei suæ ostendit dicens: Scio quia neq; mors, neq; vita, &c.*

TERTIO probatur ratione ducta ex *causa* certitudinis: Nam ille habitus secundùm se est certior omnibus aliis, qui nititur causa siue ratione magis infallibili: Talis est fides: Ergo est habitus omnium certissimus. Maior probatur. Quia perfectio causæ redundat in effectum secundùm se. Minor item probatur. Quia fides nititur reuelatione diuina: aliæ verò virtutes lumine naturali, aut ratione humana. Vel si qui sunt alij habitus, qui nitantur lumine diuino, vt Donum intellectus, sapientiæ, scientiæ, &c. ij sunt effectus fidei, vt infrà dicetur.

QVARTO probatur ex ipsa *ratione* certitudinis. Nam certitudo habitus vel assensus intellectus, vt est accidens distinctum ab euidentia & aliis, in hoc propriè consistit, quòd quamdiu certus habitus aut assensus in Intellectu viget & retinetur, nequit aliquis deliberatè vereri, ne non sit verum, quod per talem habitum siue assensum sibi persuadet, vt tomo 1. disput. 1. quæst. 1. p. 4. vidimus. Sed qui verè fidelis est, id est, in quo fidei habitus viget, multò minus de veritatibus fidei dubitare potest, quàm de vllis aliis veritatibus euidentibus, & facilius quascunque eiusmodi veritates negaret quàm veritates fidei, quamdiu quidem fidei habitum retinet, vt rectè Albertus & Bonauentura vbi suprà, notârunt. Ergo fidei habitus multò secundùm se est certior, nosque reddit certiores, quàm vllus alius habitus quantumcunque euidens.

Atque hoc est, quod Albertus, & Bonauentura & alij Theologi significare voluerunt, cùm affirmarunt, fidem esse certissimam certitudine

quadam *adhæsionis*, licet non certitudine *cognitionis* siue speculationis, cùm careat euidentia.

SECVNDA assertio: Quoad nos quidem, Sapientia, Scientia, & Intellectus principiorum, vna quadam ratione sunt habitus certiores quàm fides: nimirum quatenus possumus absolutè quidem negare doctrinam fidei propter eius ineuidentiam, atque ita minus certi aut omnino incerti esse de illius doctrina; non possumus autem negare veritates, quæ cognoscuntur per sapientiam, scientiam, & intellectum, cùm sint euidentes, sed cogimur eis certò assentiri. Nec opus est aliter confirmare assertionem hanc ita declaratam, cùm per se pateat. Atque hoc est, quod volunt Theologi suprà citati, cùm dicunt, fidem non esse certiorem certitudine *cognitionis* seu speculationis; quatenus scilicet caret euidentia, & quoad nos.

Et eodem modo intelligendus est Hugo Victorinus, lib. 1. de Sacramentis parte 10. capite 1. cùm definit, *Fidem esse certitudinem animi de rebus absentibus suprà opinionem, & infra scientiam constitutam.* Et S. AVGVSTINVS, libro de vtilitate credendi, cap. 4. vbi disputans contra Manichæos, post enumerata argumenta, quibus ipse ad credendum mouebatur, subiungit: *Apud vos autem, vbi nihil horum est, quod me inuitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio: quæ quidem si tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodò promittitur, & non exhibetur, nemo me mouebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstrinxit.* Vbi significat Augustinus ea, quæ sunt euidentia & indubitabilia, certiora esse *quoad nos*, quatenus scilicet ea nullo modo negare possumus.

Sic etiam intelligi debet S. Thomas, cùm hìc ait, Fidem quoad nos esse minus certam, quàm Intellectum, Sapiētiam, & Scientiam. Non enim vult, fidem etiam tum quando in intellectu nostro viget, minus certos nos reddere, quàm habitus alios. Patet ex ipso D. Thoma in solutione secundi, concedēte, hominem per fidem *multò certiorem reddi de eo, quod audit à Deo, quàm de eo, quod videt propria ratione per alios habitus.* Itaque solùm vult, fidem quoad nos, siue ex parte *subiecti* esse minus certam, quatenus illam propter ineuidentiam abiicere possumus, adeoque illâ destituti possumus multò minus esse certi de veritatibus, quas illa docet, quàm de aliis, quæ per habitus euidentes scimus, & ideo nō ita immobiliter reddimur certi per illam, atq; per alios habitus, qui simul sunt euidentes. Quanquam dum illam retinemus certiores actu sumus per illam, quàm per alios habitus, hoc est, maiorem causam habemus, cur non dubitemus, neq; deliberatè formidemus de illius veritatibus, quàm de aliis veritatibus euidentibus.

Quæ cùm ita sint, absque ratione Durandus in 3. dist. 23. quæst. 7. refragatus est hac in re diuo Thomæ & aliis Theologis, cùm docet, ipsas veritates fidei esse quidem secundùm se certiores aliis, sed non quoad nos: habitum verò ipsum & assensum fidei vt quoad nos est minus certus, sic etiam secūdùm se. Explicauimus enim iam quomodo habitus ipse & assensus fidei secundùm se possit dici certior, quatenus ita perfectus est, vt dum ineſt in nobis magis remoueat deliberatam formidinem de oppositō, quàm alij habitus aut assensus. Est autem quoad nos minus certus, quia non ita immobiliter reddimur certi per illam.

Agit etiam hìc contra Durandum Caietanus. Sed hæc quæ diximus sufficiunt, & ad rem ipsam intelligendam, & ad mentem atque sententiam diui Thomæ à Durando defendendam, quam is non est assecutus. Et sanè Durandi opinio temeraria videtur, quòd absolutè neget, fidem esse certiorem. Repugnat enim in ea re non modò Theologis aliis, sed etiam Scripturæ & Patribus, vt intelligi potest ex testimoniis, quæ citauimus.

QVÆSTIO QVINTA.

De iis, qui Fidei participes esse possunt, seu de Fidei subiecto.

D. Thomas 2. 2. q. 5.

QVATVOR SVNT EXPLICANDA. PRIMO, NVM HOMO ET Angelus in prima sui conditione habuerint fidem. SECVNDO, An etiam damnati & beati illam habeant. TERTIO, An etiam hæretici, qui scilicet quædam credunt. QVARTO, An ex iis, qui habent fidem, alij maiorem aliis habeant, vel omnes æqualem.

PVNCTVM PRIMVM.

An Homo & Angelus in prima sui conditione habuerint fidem.

D. Thomas art. 1.

DVRANDVS in 3. distinct. 23. quæst. 9. num. 11. in eam sententiam propendet, vt existimet, Angelum in statu suæ conditionis, ante confirmationem scilicet in gratia, vel ante lapsum, non habuisse fidem. Cui videtur suffragari Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis, parte 5. capite 14. vbi nō meminit alicuius alterius cognitionis, quam tunc habuerit Angelus, præterquā naturalis triplicis, qua scilicet cognouerint, *quod facti* erant, & *à quo* facti erant, & *cum quo* facti erant, id est, suam obligationem & perfectionē ac potētiam, vt ibidem Hugo declarat. Et ex eodem Hugone refert D. Thomas hic artic. 1. quòd dixerit, Angelum tunc habuisse *oculum contemplationis Dei apertum* (tametsi id non reperio in Hugone) Ex quo videtur consequens, Angelum tunc non opus habuisse velata fidei cognitione.

Videtur quoque idem Hugo in illo lib. 1. parte 6. cap. 14. sentire, quòd neque homo habuerit fidem ante peccatum. Sic enim scribit: *Primam cognitionem hominis, quam de Creatore suo habuit, maiorem & certiorem illâ cognitione, quæ nunc in sola fide constat, veraciter dicimus.* Et paulo antè: *Cognouit ergo*, inquit, *homo creatorem suum non ea cognitione, quæ foris ex auditu solo percipitur, sed ea potius, quæ intus per aspirationem ministratur: Non ea qua Deus modò à credentibus absens fide quæritur, sed ea, qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestus cernebatur.* Quam sententiam Hugonis amplectitur etiam Magister sent. in 2. dist. 23.

Argumentum autem, quo Durandus loco citato probat suam opinionem, est huiusmodi: Quidquid Angelus in sui creatione cognouit de obiectis fidei, id totum cognouit euidenter: Ergo nihil per fidem, & consequenter fidem non habuit. Consequentia probatur, quoniam tunc frustra habuisset. Antecedens verò probatur: quoniam potuit ex euidentibus præmissis per euidentem consequentiam colligere quoduis obiectum materiale fidei (vt quòd Deus v. g. sit trinus & vnus) hoc modo: Quidquid est reuelatum à Deo, est verum: sed quòd Deus sit trinus & vnus, est à Deo mihi reuelatum: Ergo est verum. Hîc consequentia est euidens, & Maior quoque; & Minor fuit etiam Angelo euidēs, quod sic probatur. Nam sciebat, se id obiectum (scilicet quòd Deus esset trinus & vnus) non cognoscere naturaliter ex creaturis, neq; etiam discere ex aliqua alia creatura docente: siquidem constabat ipsi, se cognoscere omnes alias creaturas, & perfectionem naturalem earum, & nullam videbat sibi proponentem id obiectum, atque ita poterat euidenter colligere, se ex diuina reuelatione illud accepisse.

Sed statuendum est cum D. Thoma, & communi sententia Theologorum, tum Angelum tum hominem in illo primo statu fidem habuisse. Id inde probatur, quod tum Angelus tum homo in illo statu habuerunt gratiam. Sed hæc non potest alicui contingere sine fide: Ergo. Maior est probata à D. Thoma 1. p. quæst. 62. artic. 1. de Angelo, & quæst. 95. artic. 1. de homine, & à nobis quoque tomo primo, disputatione quarta, quæstione decima tertia, p. 1. & disput. 7. quæst. 2. p. 2. & patet Ezech. 28. vbi Angelus dicitur fuisse *plenus sapientia & decore*, & Esaiæ 14. vbi comparatur propterea cum aurora matutina. Quod verò attinet ad hominem, patet, Eccles. 17. vbi dicitur fuisse *repletus disciplina, & accepisse scientiam spiritus, & cor excogitandi, &c.* quæ indicant, illum tunc habuisse gratiam.

Minor probatur. Nam Apostolus ad Hebr. 11. cum pronunciat: *Sine fide impossibile est placere Deo*, neminem excipit, atque ita referenda illa sententia est ad omnem creaturam, & ad omnem statum, excepto beatifico. Quare Durandus, qui alioqui concedit, vt omnino concedendum est, Angelum habuisse gratiam ante cōfirmationem vel lapsum, nonnihil temerarius est, cùm negat illum habuisse fidem.

Neq; verò Hugo Victorinus, & Magister sententiarum locis antea citatis suffragātur Durando. Nam quod ad Angelum attinet, quāuis Hugo non meminerit nisi trium illarum cognitionum, tamen non ideo negauit illum habuisse quoque fidei cognitionem. Ac potuit etiā Hugo dicere, quòd habuerit Angelus *apertum contemplationis oculum*, non quia nullam cognitionem fidei habuerit, sed quia clarius & perfectius multò, quàm homo, cognouit naturaliter Deum.

Ac similiter quod Hugo & Magister aiunt, hominē in primo statu cognouisse Deum per *altiorem* cognitionem, quàm sit cognitio fidei, intelligi debet de cognitione naturali Dei per sapientiam & scientiam infusam, qua multò clarius & perfectius, quàm nos, cognouerit Deum; ita vt non omnino tanquam absentem eum quæsuerit per cognitionem fidei sicut nos.

Hoc pacto exponit Hugonem quoq; D. Thomas hic art. 1. ad 1. Quæ expositio inde confirmari potest, quòd eodem loco Hugo asseuerat, cognitionem illam perfectiorem, quam homo tūc habuit, minorem fuisse ea, *quæ postmodum* (vt inquit) *in excellentia contemplationis diuinæ manifestè reuelabitur*, hoc est, cognitione beatifica, quæ sola, vt videbimus puncto sequenti, excludit cognitionem fidei.

Ad argumentum Durandi respondet hîc Caietanus negando consequentiam. Ratio illius est. Quoniam etsi Angelus habuerit euidentiam articulorum fidei, quatenus à Deo erant reuelati: at non habuit euidentiā illorum *secundùm se*, hoc est, vt tales, ac proinde potuit habere fidem de illis ea ratione. Nam non pugnat (inquit) cum fide quæuis euidentia rei, secundùm communem aliquam rationem: sed euidentia rei, quātenus talis res est in se. Quemadmodum euidentia articulorum fidei, vt credibiles sunt, non pugnat cum fide de eisdem, quatenus tales secundùm se sunt. Vnde suprà quæstione prima vtrumque docuit diuus Thomas, scilicet quòd articuli fidei sunt euidenter credibiles, & tamen obscuri nobis secundùm se, atque adeo apti vt credantur. Sic ait Caietanus in Angelo euenisse, vt nimirum haberet euidentiam Trinitatis v. g. quatenus attestata & reuelata à DEO, quæ est ratio quædam communis: fidem tamen de eadem secundùm se, seu secundùm propriam rationem.

Hæc solutio mihi non placet. Nam cùm dicit Caietanus, Angelum habuisse euidentiam veritatis fidei in attestante, seu quatenus erant testatæ à Deo, quæro quid est, quod concedit Durando? An solùm concedit fuisse Angelo euidens, quòd illi articuli fuissent testati à DEO, quemadmodum nobis euidens duntaxat est illos esse credibiles, hoc est, dignos qui credantur? Si hoc solùm concedit, obstat syllogismus ille, per quem argumentabamur, Angelum posse euidenter concludere veritatem articulorum secundùm se etiam, ex eo, quod quidquid est à Deo reuelatum, est euidenter secundùm se verum: Et euidens erat Angelo, esse sibi à Deo reuelatos articulos fidei. Hinc enim concludit Durandus, esse etiam ipsam veritatem articulorum in se euidentem Angelo. Si autem vult etiam Caietanus dare Durando, quòd ipsi articuli in se sint Angelo euidentes, quamuis non nisi propter attestationem seu reuelationem diuinam; Satis hoc erit Durando, vt simpliciter concludat, articulos fidei etiam secundùm propriam rationem fuisse euidentes Angelo, & propterea illum fide caruisse.

Propterea, si Caietanus concedat, fuisse Angelo euidens, quòd Deus articulos fidei reuelârit, non potest non concedere, quòd fuerint Angelo etiam euidentes articuli, quatenus tales & in se. Nam poterat sic Angelus colligere: Quod est reuelatum à Deo, verum est non solùm quatenus reuelatum, sed etiam quatenus tale est in se, sed Deum verbi gratia, esse trinum & vnum, est ab ipso reuelatum: Ergo id, vt tale etiam, est verum.

Vbi cùm Maior & Minor secundùm Caietanum fuerit euidens Angelo; sequitur fuisse quoq; ei euidens ipsum consequens.

Deniq; Caietanus hîc apertè fatetur, euidentiam reuelationis diuinę, quam concedit habuisse Angelum, effecisse vt non posset ille non assentiri articulis fidei secundùm se, & vt tales. Sed hoc est articulos fuisse Angelo euidentes etiam vt tales: Ergo malè hoc negat. Minor patet, quoniam euidentia consistit in illa determinatione assensus, vt tomo primo, disput. 1. quæst. 1. puncto quarto diximus.

Omissa ergo Caietani responsione potest aliter responderi ad argumentum Durandi, & quidem dupliciter: PRIMO, negando quidem similiter cōsequentiam, sed aliam rationem reddendo. Etsi enim Angelus habuerit euidentiam, nō ideo fuit illi fides superuacanea de eodem obiecto. Profuit enim ei, vt pluribus nominibus esset certus de veritatibus supernaturalibus. Nam suprà quæst. 1. punct. 4. & 5. & 8. docuimus, neq; impossibile, neque superuacaneum esse, vt homo, qui de aliquibus articulis demonstrationem habet, habeat etiam de eisdem fidem. Secus verò *cùm venerit, quod perfectum est*, 1. Corinth. 13. id est, cùm creatura rationalis videbit iam clarè Deum visione beatifica. Nam tunc superuacanea erit fides. Cùm igitur Angelus ante termi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num suæ viæ, non viderit clarè essentiam diuinam; potuit supernaturali fide etiam esse certus de articulis fidei, tametsi simul habuerit euidentiam de illis in attestante.

SECVNDO responderi posset negando antecedens, id est, quòd Angelus talem euidentiam habuerit. Ad probationem dico, potuisse Angelum vereri seu dubitare, vtrum esset aliqua creatura superior, ipsi ignota, cuius virtute fieret, vt ipse conceptum illum fidei formaret in intellectu suo, sic, vt à tali creatura deciperetur, atque ita non habuit euidentiam penitus de veritate articulorum. Nam etsi probabilius sit & verius, quòd Angelus naturaliter cognoscat omnem creaturam factam à Deo, omnemque illius virtutem seu efficaciam: at non est euidens ipsi Angelo, quòd tam latè pateat sua cognitio; atque ita, vt dictum est, potuit dubitare, num esset aliqua creatura superior, à qua falleretur.

Sed prior solutio videtur esse magis expedita. Et ADVERTENDVM est, quòd difficultas hæc potissimùm est de supremo Angelo. Nam de reliquis, cùm diuus Dionysius doceat, illos à superioribus Angelis illuminari circa res supernaturales; clarius est, eos non habuisse illam euidentiam articulorum in attestante. Cùm enim aduerterent singuli, superiorem Angelum sibi articulos fidei proponentem, dubitare potuerunt, vtrum doctrina illa esset diuinitus accepta, an à superiori Angelo conficta. Illud tamen constat, omnes Angelos vehementer fuisse persuasos, quòd illa doctrina esset à DEO, atque adeo magnam habuisse euidentiam credibilitatis fidei: sed non veritatis illius secundùm se.

Ex his potest obiter intelligi, Apostolos omnino habuisse fidem de diuinitate Christi, dato etiam quòd habuerint euidentiam in attestante, propterea quòd videbant vera miracula fieri in confirmationem doctrinæ Christi, qui se Deum esse profitebatur; vt in suscitatione Lazari: & consequenter sciebant, Deum (qui solus est auctor verorum miraculorum) testificari Christi diuinitatem, qui non potest confirmare falsum, vt suprà quæstione prima, puncto tertio probauimus.

Quanquam ego quidem probabilius esse existimo, Apostolos non habuisse talem euidentiam in attestante. Nam licet vera illa miracula fierent ad imperium Christi, & eo asseuerante illa fieri in confirmationem suæ doctrinæ (iuxta illud: *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me*) tamen non erat planè euidens Apostolis aut aliis, ea miracula cernentibus, quòd ad nullum alium occultum finem Deus faceret tunc illa miracula, sed ad illum, quem dicebat Christus.

Addit diuus Thomas de Angelo & homine in primo illo statu, quòd etsi habuerunt cognitionem aliquam fidei, tamen ex obiectis materialibus fidei quædam illi euidenter cognouerunt, quæ nos cognoscere non possumus nisi per fidem. Atque ita ex sententia quidem D. Thomæ, qui negat, fidem & cognitionem euidentem de eodem posse simul consistere, fides nostra & Angelorum non conueniunt in omnibus obiectis materialibus, sed in ratione formali obiecti, videlicet in diuina reuelatione, qua illi quoque nitebantur in assentiendo aliquibus aliis obiectis fidei.

Nec tamen constat, quænam obiecta fidei materialia fuerint Angelo, & primo homini euidentia, vt docet sanctus Thomas. Sed nec quòd aliqua omnino fuerint ipsis euidentia conuinci penitus potest. Nisi quòd probabile id videtur, & consentaneũ dignitati vtriusq;. Illud tamen certum est, potuisse fieri, vt de obiectis aliquibus supernaturalibus euidentiam haberẽt; hoc ipso videlicet, quòd Deus ipse donum aliquod impartiret, quo intellectus eorũ adigeretur necessariò ad assentiendum. Aut etiam potuit Deus voluntate sua sine peculiari dono, intellectus eorum ad id necessariò impellere, id est, ad assensum. Consistit enim euidentia in hac determinatione intellectus, vt aliàs est dictum.

Quænam autem mysteria supernaturalia homo in illo primo statu per fidem cognouerit, docuimus tomo 1. disput. 7. q. 2. p. 1. Atque eodem tomo disput. 4. q. 9. p. 4. explicuimus, quatenus quoq; Angeli per fidem cognouerint mysterium Incarnationis: neque est dubitandum, quin etiam mysterium Trinitatis cognouerint, cùm sit primarium obiectum fidei.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Damnati & Beati habeant fidem.

D. Thomas art. 2.

QVOD attinet ad *damnatos*, seu dæmones illi sint, seu homines, de duobus conuenit inter Theologos, & de vno est nonnulla quæstio. PRIMO conuenit in damnatis, atque adeo in dæmonibus esse fidem aliqualem. Id patet ex illo Iacobi secundo: *Dæmones credunt & contremiscunt*. Item, quia dæmones & alij damnati non minorem, sed maiorem habent cognitionem motiuorum fidei quam nunc nos habemus: ac proinde etiam illi habent euidentiam magnam credibilitatis fidei veritatum, ita vt ferè cogantur eis assentiri.

SECVNDO conuenit, dæmones & alios damnatos non credere ex affectu ad bonum, vt rectè ait D. Thomas, sed quia conuincuntur pondere argumentorum fidei, sicut dictum est. Ac notat rectè Caietanus hîc articulo secundo, quod diuus Thomas ait, dæmones non credere ex affectu ad bonum, intelligendum esse de affectu voluntatis

luntatis ad bonum *supernaturale gratuitum*, gratiæ videlicet & gloriæ: ex quo alioqui fideles etiamsi sint charitate & gratia destituti, credunt, aut saltem possunt credere. Ex affectu verò ad bonum *naturale*, hoc est, ad veritatem ipsam, quæ bonum quoddam intellectus est, dæmones credere possunt, sicut etiam reliqui damnati, tametsi adiungant malam aliquam circumstantiam propter obstinationem voluntatis ad malum. Ex quo fit, vt malè credant. Atque hinc sequitur, non esse concedendum, dæmones credere ex pia affectione. Per hanc enim intelligitur affectus ille voluntatis ad bonum gratuitum, ex quo fideles credunt.

QVÆSTIO autem est, an dæmones, & alij damnati, qui dum hîc viuerent, fideles fuerunt, habeant reuera fidem Theologicam seu *infusam*; quæ, vt videbimus quæstione sequenti, est donum Dei; an verò solùm fidem quandam *acquisitam* propter motiua fidei.

Durandus in 3. dist. 23. quæst. 9. existimat, in damnatis manere fidem infusam, atque adeo in dæmonibus, posito, inquit, quòd habuerint illam aliquando ante lapsum. Probatur PRIMO auctoritate diui Iacobi, qui vt in superioribus vidimus, fidem peccatorum hominum cum fide dæmonum comparat: sed constat fidem peccatorum esse infusam: Ergo.

CONFIRMATVR hoc argumentum PRIMO, quia si inter fidelium existẽtium in peccato mortali fidem, & fidem dæmonum est id discrimen, quòd illa donum Dei sit, hæc non item: sequitur, Apostolum Iacobum non satis eorum excusationem refutare, qui cùm opera negligant, de fide sola gloriantur. Cùm enim illis obiicit, quòd dæmones similiter credant, respondebunt illi, disparitatem esse, quòd fides sua donum sit Dei: dæmonum autem fides non item: atque ita meritò posse se in ea fide confidere, non item dæmones in sua.

Confirmatur SECVNDO eadem ratio auctoritate Patrum, qui passim fidem peccatorum, quæ tamen fides Theologica & infusa est, comparant cum fide dæmonum, iuxta illam sententiam Apostoli Iacobi, quasi nihil differat à fide dæmonum; ac nominatim sanctus AVGVSTINVS lib. 15. de Trinit. cap. 18. & in Enchirid. cap. 8. & lib. 50. homiliarum, homil. 17. & serm. 16. de verbis Apostoli, & luculenter lib. de fide & operibus, cap. 14.

SECVNDO est argumentum pro eadem opinione. Nam damnati, siue dæmones, siue homines, qui nullum actum infidelitatis exercuerunt, nihil admiserunt contrarium fidei: Ergo non amittunt illam.

TERTIO occurrit argumentum peculiariter pro damnatis hominibus. Nam si hi non retinent fidem, nihil haberent quo à cæteris damnatis, qui fideles nunquam fuerunt, distinguerentur. ACCEDIT, quod D. Thomas infrà quæst. 18. art. 2. ad 3. sententiam videtur mutauisse. Ait enim expressè, quòd damnati magis possint habere fidem, quàm spem.

Probabilis sanè videtur hæc sententia Durandi, neque à sanctorum Patrum, atq; adeo à Scriptura aliena. Nihilominus sententia D. Thomæ hîc artic. 2. ad 2. vt quæ communior est in re graui, est amplectenda, scilicet in damnatis non esse fidem infusam. Ac FVNDAMENTVM huius sententiæ debet esse, quòd fides infusa est quoddam donum Dei suapte natura inprimis ordinatum ad beatitudinem comparandam. Itaque cùm damnati exciderint omni spe beatitudinis assequendæ, sentiendum est, illos ex ipsa natura ac ratione sui status, fide huiusce modi expoliari, nam frustrà illam retinerent. ACCEDIT, quòd indignum est, vt tantum in illis ornamentum perseueret.

Ad PRIMVM ergo dicendum, comparationem Iacobi Apostoli in eo solùm esse, quòd homines peccatores veritatibus supernaturalibus fidei assensum præbent sine vtilitate & merito vitæ æternæ, sicut faciunt dæmones, licet non per eiusdem naturæ fidem.

Et ad PRIMAM confirmationem respondeo, non posse adhuc eiusce modi homines satis Apostolo respondere. Nam quòd ipsi fide infusa veritatibus supernaturalibus credant, hoc non ipsis, sed Deo est inprimis adscribendum, qui illos eo dignatur dono. Hoc autem illorum quasi proprium est, quòd liberè veritatibus fidei assentiuntur (abstrahendo iam à dono, per quod assentiuntur) in quo cum dæmonibus similes sint, vt qui etiam assentiuntur eisdem veritatibus, non est quod glorientur. Ita ergo ratiocinatio Apostoli procedit. Et similiter sententiæ Patrum, quæ in SECVNDA confirmatione obiiciebantur, sunt accipiendæ.

Ad SECVNDVM argumentum respondetur. Ratione status damnationis fide expoliari eos, qui antea fidem habuerunt, tametsi nihil contrarium fidei admiserint.

Ad TERTIVM respondet Caietanus, damnatos fideles distingui ab aliis damnatis per characterem Baptismi. Hunc enim in ipsis manere nõ est perinde absurdum, cùm non ita proximè ille ordinetur ad beatitudinem comparandam. Potest etiam fortè dici facilius, quòd distinguantur quia fideles fuerũt: alij non item: nec requiri maiorem distinctionem. Item fidem acquisitam retinere.

Ad diuum Thomam respondeo, sensum eius esse, non tam statui damnatorum repugnare fidem, quàm spem, tametsi vtraque certè repugnet.

Hactenus de damnatis. Quod autem attinet ad BEATOS, tomo 2. disputat. 5. quæst. 7. puncto quarto docuimus cum D. Thoma & communi sententia Theologorum, fidem in illis non esse. Sed difficultatem in hac assertione parit, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

non desunt ex veteribus Ecclesiæ Scriptoribus, qui censuerint, fidem permansuram quoque in vita beata, & ad illud etiam tempus respexisse Apostolum, cùm dixit, 1. Cor. 13. *Nunc autem manet Fides, Spes, Charitas tria hæc, &c.* Sic enim scribit sanctus IRENÆVS lib. 2. cap. 47. differens de quibusdam, quę sunt obscura in Scripturis: *Quædam*, inquit, *commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro: vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à Deo: sicut & Apostolus dixit; reliquis partibus destructis, hæc tunc perseuerare, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas.* Et libro quarto, cap. 25. rursus ait: *Paulus inquit, omnibus cæteris euacuatis manere Fidem, Spem, Dilectionem.* Item TERTVLLIANVS in libro de patientia, circa finem: *Meritò*, inquit, *Charitas nunquam excidet; nam cætera euacuabuntur, consummabuntur. Exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ: Permanent Fides, Spes, Dilectio.*

Respondeo PRIMO, quidquid sit de sententia horum veterum, tamen certissimum esse, quòd Apostolus illo loco minimè voluit significare; Fidem etiã & Spem mansuras in beatitudine. Est enim euidentissimum, quòd loquatur ibi Apostolus non de tempore futuræ vitæ, sed huius præsentis: PRIMO, quia Aduerbium *vvῦ* pro quo interpres rectè ibi vertit *nunc*, aduerbium est præsentis temporis. SECVNDO, quia antea ibi dixerat, euacuandam cognitionem fidei, quæ est *ex parte* (vtpote imperfecta) *cùm venerit, quod perfectum est.* TERTIO, quia non nisi illo eodem tempore manere illa tria dicit, quo ibi dixerat, *videri nunc Deum per speculum in ænigmate, et cognosci ex parte*, quod tempus nõ est nisi tempus huius vitæ. Ait enim: *Videmus nũc* (ἄρτι, id est, adhuc) *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Et mox subiungit: *Nunc autem manent Fides, &c.* id est, hoc eodem tempore. QVARTO, quia particula illa, *autem* (δὲ) hoc ipsum significat. Quia enim dixerat: Tunc aliter quàm per ænigma fidei nos cognituros Deum in beatitudine: subiungit quasi per Antithesin, nunc autem manere non solùm Charitatem, sed etiam *Fidem & Spem.* QVINTO, quia de sola charitate, tanquam eius prærogatiua, affirmauit eo loco, quod *nunquam excidet.* SEXTO, quia non loquitur nisi de tempore, quo manet etiam Spes: certissimum autem est, Spem non mansuram in beatitudine: *Quod enim videt quis, quid sperat?* vt ait idem Apostolus ad Roman. 8. ADDE, quòd ita hunc locum Apostoli intellexerunt omnes alij Scriptores. Vnde S. AVGVSTINVS lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 37. scribit, *quòd Fide & Spe decedentibus, charitas augebitur. Sic enim*, inquit, *credendo diligimus, quod nondum videmus, quantò magis cùm videre cœperimus?*

Respondeo SECVNDO, Irenæum & Tertullianum locis citatis non sensisse, quod Fides & Spes mansuræ sint in beatitudine secundùm suas proprias rationes, sed solùm secundùm quandam rationem communem etiam visioni & fruitioni beatificæ: Nempe manebit Fides, vt est firma quædam & indubitata Dei cognitio, & Spes, vt est inhæsio quædam erga rem amatam: In quibus quidem rationibus Fides & Spes cum visione & fruitione conueniunt. Id autem patet ex Irenæo, vbi suprà libro secundo, capite 47. Nam quomodo tunc manebit Fides, explicat his verbis: *Semper enim Fides, quæ est ad Magistrum nostrum, permanet* FIRMA (id est, secundùm communem rationem firmæ cognitionis) *asseuerans nobis, quoniam solus verè Deus*; id quod etiam per visionem beatificam cognoscitur.

Tertullianus quoque vbi suprà, explicat mansuram fidem, *quam Christi*, inquit, *patientia induxit, cum nobis* FIRMAM *Dei cognitionem comparauit, & spes, quam patientia hominis expectat*, vt erit scilicet firma inhæsio in Deo. Sed quamuis sub his rationibus censeri possint mansuræ fides & spes, tamen non satis aptè id confirmârunt Irenæus & Tertullianus illo testimonio Apostoli, 1. ad Corinth. decimo tertio, cùm Apostolus ibi nõ nisi pro tempore huius vitæ affirmet manere illa omnia tria, scilicet Fidem, Spem, & Charitatem, sicut probaui.

PVNCTVM TERTIVM.

An hæretici habeant fidem.

D. Thomas art. 3.

PROBABILE visum est Durando in tertio, distinctione vicesima tertia, quæstione nona, numero octauo, ꝙ maneat in hæreticis fides Theologica. Tum quia experiuntur se eadem facilitate, qua ante, credere ea, quæ non negant. Tum quia potest vnus habitus consistere simul cum *actu* aliquo contrario, licet non cum contrario *habitu*, sicut habitus scientiæ cum actu erroneo circa aliquod scibile per illum. Ergo etiam habitus fidei cum actu erroneo hæresis circa aliquod credibile.

SED contraria sententia diui Thomæ hîc & aliorum Theologorum est habenda pro certa. Probatur PRIMO ex Apostolo, qui qualescunque hæreticos censet, naufragium facere in fide, atq; adeo ab ea excidere, cùm 1. ad Tim. 1. monet, vt *habeamus fidem & bonam conscientiam, quam quidam*, inquit, *repellentes naufragauerunt à fide.* Et ad Ephes. 4. affirmat veram fidem nõ esse, nisi *vnam*, id est, per quam ab omnibus credantur eædem veritates diuinitus reuelatæ, & ab Ecclesia propositæ.

SECVNDO probatur ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 15. vbi simpliciter asseritur, per infidelitatem, qualis est quælibet hæresis, amitti fidem. Tametsi cùm non de hoc ibi ex professo ageretur, non debemus putare hanc veritatem illic expressè definitam esse. Vt enim suprà q. 1. punct. 7. §. 40. diximus, illa solùm definiri dicuntur, quæ ex instituto determinantur ab Ecclesia. Nihilominus supponitur hæc veritas in Concilio tanquam certissima.

TERTIO probatur ex Patribus, qui hoc ipsum asserunt cùm affirmant, hæreticos quoslibet esse extra Ecclesiam, ita vt nullam saltem cõiunctionem internam habeant cum illa; atque adeo minimè retinere fidem, vt vidimus suprà quæst. 1. punct. 7. §. 14. ac nominatim S. AVGVSTINVS libro de fide & symbolo, cap. 10. *Hæreticus*, inquit, *non pertinet ad Ecclesiam Catholicam.* Et quæst. 11. in Matthæum: *Qui falsa*, inquit, *de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationẽ, hæreticus est, & foris est animo, quamuis intus esse videatur.*

QVARTO probatur ratione, hoc modo: Habitus aliquis non remanet in eo, apud quem ratio formalis obiecti eius habitus non viget: Sed ratio formalis obiecti fidei, id est, prima veritas, seu diuina reuelatio, non viget apud hæreticum, qui vel vnum articulum negat: Ergo in ipso non manet fides. Maior est per se clara. Nam frustra maneret habitus in eo, qui non potest proximè moueri à ratione formali obiecti ipsius, hoc est, qui non potest elicere actum, qui nitatur tali ratione obiecti habitus.

Minor ita probatur: Diuina reuelatio non viget in eo, apud quem non viget etiam propositio Ecclesiæ, tanquam illa, quam credat esse infallibilem: sed in hæretico non viget eo modo Ecclesiæ propositio: Ergo nec viget diuina reuelatio. Maior assumpta patet ex dictis, q. 1. p. 1. Ibi enim disputatum est, persuasionem de infallibilitate propositionis Ecclesiæ, esse necessariam cõditionem ad hoc, vt quis moueatur à diuina reuelatione eliciendo assensum fidei, qui diuinam reuelationem naturâ sua imitetur quoad infallibilitatem & certitudinem. Itaq; si in aliquo hæc persuasio non vigeat, neque vigebit in ipso diuina reuelatio, hoc est, non poterit moueri ab illa eliciendo assensum fidei, qui ipsam imitetur in certitudine, id quod est, assensum fidei niti diuina reuelatione, tanquam ratione formali obiecti. Iam probatur Minor assumpta. Nam si hæreticus persuaderet sibi propositionem Ecclesiæ veræ, id est, Romanæ (quæ sola est vera Ecclesia, vt probatũ est suprà q. 1. p. 7.) esse infallibilem; cùm omnes alios fidei articulos pariter illa proponat, nullum articulum hæreticus negaret.

Hinc PRIMO sequitur, hæreticos amittere etiam habitum Theologiæ, si quem habuerunt. Ratio est, quia vt tomo 1. q. 1. p. 3. contra Caietanum disputauimus, habitus fidei, *per se*, & nõ per accidens, connexus est cum habitu Theologico, tanquam ei qui illi suppeditat per se principia. Quare habitu Fidei sublato, consequenter tollitur habitus Theologicus. Itaque hæreticus nec de propositionibus Fidei, nec de conclusionibus Theologicis habet nisi fidem acquisitam.

SECVNDO intelligitur, quomodo si quis per inaduertentiam sine pertinacia cõtra Ecclesiam, incidat in aliquem errorem contrarium veritati fidei, non ideo tamen amittat fidem. Ratio est, quia adhuc apud illum viget propositio Ecclesiæ vt infallibilis, & consequenter reuelatio diuina, atque adeo in eo manet habitus fidei, tametsi nõ exerceat assensum fidei circa obiectum illud materiale, cuius contrarium per errorem sibi persuasit.

Ad argumẽta verò Durandi facile est respondere. Ad PRIMVM dico, illam facilitatem in hæretico assentiendi iisdem assertionibus, quibus antea, prouenire non ex habitu fidei, sed ex pristina consuetudine. Ad SECVNDVM respondeo, esse peculiare in fidei habitu, quòd non possit consistere cum actu contrario hæresis: eò quòd respuitur per quamcunque hæresin cõditio quædam necessariò requisita ad assensum fidei, atque adeo redditur irritus habitus, vt ostendimus nostra ratione.

PVNCTVM QVARTVM.

An alij maiorem habeant fidem quam alij.

D. Thomas art. 4.

NON est dubitandum, quin contingat, alium alio maiorem habere fidem: tum ex parte *obiecti* materialis fidei, vt scilicet aliquis explicitè credat alio plura: tum etiam *subiecti*, & id quidem tam secundùm intensionem maiorem in assensu ipso intellectus, quàm secũdùm maiorem voluntatis deuotionem, seu promptitudinem in credendo.

Est assertio certa ex fide. Patet ex illo Matth. 14. *Modicæ fidei quare dubitasti.* Et Matth. 15. *O mulier magna est fides tua:* & ex aliis multis locis. Peculiariter autem quòd fides ex parte *obiecti* reperiatur maior & minor in diuersis hominibus, colligitur ex illo Apostoli ad Roman. 12. *Vnicuique sicut diuisit Deus mensuram fidei; sicut enim in vno corpore multa membra, &c.*

Neq; verò in diuersis hominibus solùm contingit reperiri fidem inæqualem, sed etiam in eodem homine potest augeri & minui. Hinc illa Apostolorum oratio ad Christum, Lucæ 15. *Domine adauge nobis fidem.* Et Apostolus 2. ad Cor. 10. *Spem*, inquit, *habentes crescentis fidei vestræ.* Item 2. ad Thessal. 1. *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres, quoniam supercrescit fides vestra.*

Sed existit hoc loco nonnulla quæstio, Vtrum accidat, fidem etiam informem in peccatoribus augeri. Ratio dubij est: quoniam ex vna parte doctrina Theologorum est, supernaturales virtutes infusas non augeri nisi meritoriè; Sed peccatores nihil merentur à Deo: Ergo non augetur in eis fides, cùm sit virtus supernaturalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pro altera verò parte facit, quòd nihil obstet, quo minus peccatores interdum cum auxilio Dei conentur elicere actum fidei intensiorem, quàm fuerat antea ipse habitus fidei. Quo posito, ad suauem Dei prouidentiam videtur pertinere, vt augeat in eiusmodi peccatoribus habitum fidei, supplens in hac parte benignitate sua id, quod actus ille fidei intensior effecisset, si habitus fidei fuisset naturalis. Item facit ad idem confirmandum, quòd peccatores interdum experiuntur se ad credendum esse alacriores, firmiusq; assentiri veritatibus fidei, quàm antea.

RESPONDEO, posse etiam fidem informem augeri. Id præter rationes allatas ex eo etiam confirmatur, quòd plus est fidem augeri, quàm augeri: sed interdum infunditur fides diuinitùs peccatori: Ergo etiam potest in peccatore augeri. Minor probabitur quæstione sequenti p. 2. ex sententia S. Thomæ.

Ad rationem autem in contrarium respondeo, doctrinam illam Theologorum intelligendam esse de merito non tantùm ex condigno, quod non est sine gratia, sed etiam ex congruo, quale est in peccatore hoc ipso, quòd conetur elicere actum fidei intensiorem.

QVÆSTIO SEXTA.

De Caussa efficiente Fidei.

D. Thomas 2. 2. q. 6.

DE CAVSSA formali fidei actum est suprà q. 1. hoc ipso quòd est disputatum de illius obiecto. De Caussa autem Finali, q. 2. & 3. vbi expositum est, quanam ratione actus fidei tum interior tum exterior sit ad salutem necessarius, constat enim caussam finalem fidei esse animi salutem, & Dei gloriam, iuxta illud 1. Pet. 1. reportantes finem fidei vestræ salutem animarum: & illud Apostoli ad Ephes. 1. In quo credentes signati estis, &c. in laudem gloriæ ipsius. In quæstione autem quarta dictum est de ipsa Fide secundùm se. In quinta verò de Caussa materiali, id est, de fidei subiecto. Itaque solùm de Caussa efficiente Fidei disserendum hoc loco est.

Sunt autem duo explicanda. PRIMO, *Vtrum Fides sit donum infusum à Deo.* SECVNDO, *An etiam Fides informis sit tale Dei donum.*

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum Fides sit donum à DEO infusum.

D. Thomas art. 1.

APRIPLICITER FIDES CONSIDERARI potest, cùm quæritur, an sit donum Dei. PRIMO, vt est quidam *habitus* virtutis Theologicæ supernaturalis. Et sic non potest esse dubium, quin sit Dei donum. Quàm autem sit certum, eiusmodi habitum fidei esse, explicuimus tomo 2. disputat. 4. q. 3. p. 4. & disput. 8. q. 3. p. 2.

SECVNDO potest considerari fides quoad suum *obiectum*. Et quoad illud, Fidem non esse supernaturalem, sed obiectum fidei naturaliter cognosci posse, censuerunt Sectatores Basilidis antiqui hæretici, vt memorat de illis Clemens Alexandrinus, lib. 2. Stromatum, paulò post initium. In quo errore videntur quoque fuisse Manichæi, siquidem aiebant, nihil esse credendum, nisi quod sciri posset euidenter, vt vidimus q. 1. punct. 4.

TERTIO potest considerari fides quoad eius *assensum*. Et sic quoq; Basilidei hæretici eam censuerunt esse naturalem, vt intelligi potest ex Clemente Alexandrino, vbi suprà. Pelagiani quoque licet agnoscerent, Dei gratiam esse, quòd per diuinam reuelationem doceantur homines de iis, quæ sunt fidei, atque adeo fidem esse Dei donum ex parte obiecti (vt patet ex Augustino in libro de hæresibus, cap. 88.) tamen censebant, hominem non indigere auxilio supnaturali, vt ea, quæ diuinitus reuelata sunt, crederet. Nã, vt cõstat ex Augustino loco citato, omnia omnino præcepta per solas vires naturales seruari posse existimabant, atque adeo etiam præceptum credendi.

In eodem errore, quod ad fidem quidem attinet, fuerunt quidam in Gallia, qui *reliquiæ Pelagianorum* sunt nominati: vt testimoniis S. Augustini, & Prosperi, & Hilarij Arelatensis docuimus, tomo 1. disput. 1. q. 23. p. 4. cùm exponeremus tertiam sententiam falsam de caussa prædestinationis.

nis. Idem quoq; de fide sensit aliquando ipse Augustinus, vt videre est in libro expositionis quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos, propositione 60. 61. 62. Sed postea hunc errorem retractauit, lib. 1. retract. cap. 23.

Est autem ASSERTIO ex fide certissima, Fidem tum ex parte obiecti, tum ex parte assensus esse Dei donum. Et quidem quòd fides sit à Deo ex parte obiecti, pluribus verbis confirmauit ex instituto Apostolus, 1. ad Corinth. 2. vbi inter alia ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius sæculi, neq; principum huius sæculi, qui destruuntur, sed sapientiam in mysterio absconditam, &c.* Et ad hoc propositum repetit illud Isaiæ 64. *Oculus non vidit, Deus absq; te, &c.* Idem confirmatur Christi testimonio, Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, &c.* Huc etiam illud Apostoli spectat, 1. ad Thessal. 2. *Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Fidei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.* Et eodem pertinent alia, quæ attulimus quæst. 1. punct. 4. atque etiam tomo 1. disput. 2. quæst. 5. cùm ageremus de cognitione præcipui obiecti fidei, quod est mysterium Trinitatis.

Quod verò etiam ad *assensum* fidei requiratur supernaturale auxilium, probatur contra Pelagianos, PRIMO ex Scriptura, ad Ephes. 2. *Gratiâ estis saluati per fidem. Et hoc non ex vobis, donum enim Dei est.* Item ad Ephes. 6. *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre, &c.* Et ad Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Item 1. ad Cor. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? &c.* Quo testimonio, vt D. Augustinus refert, libro de prædest. Sanctorum, capite tertio, maximè vtebatur D. Cyprianus ad hanc rem confirmandam. Et Augustinus ipse fatetur, se illo inprimis adductum esse, vt sententiam suam in hac parte retractaret.

SECVNDO probatur ex Cõciliis, in quibus hæc veritas definita est. Vt in Concilio Mileuitano, cap. 4. & Arausicano, can. 5. & Tridentino, sess. 6. can. 3. vbi diligenter modus ille dicendi notandus est: *Si quis dixerit, Hominem sine præueniente gratia Dei, & eius auxilio credere, diligere, & sperare posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia cõferatur, anathema sit.* Verbo enim illo *(sicut oportet)* indicârunt Patres, non esse negandum, quin fide alterius generis, nempe *acquisita*, posset quis veritatibus reuelatis assentiri sine supernaturali auxilio. Solùm ergo definiũt, requiri huiusmodi auxilium ad credendum fide Theologica illa, quam Apostolus ad Hebr. 11. definit, quæq; in Scripturis ad salutem requiritur, & ex sua natura infallibilis est. De hac enim agimus.

TERTIO probatur ex Patribus. CLEMENS Alexandrinus lib. 2. Stromatum: *Fides*, inquit, *est gratia, quæ ex iis, quæ demonstrari nequeunt, deducit ad id, quod est simplex, &c.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS homil. 4. in epistolam ad Ephesios: *Postquam*, inquit, *Deus ita voluit, saluauit fides. Hoc ipsum Dei donum est, ne quis glorietur.* Et paulò superius: *Neque quod fidem*, inquit, *concernit, nostrum est.*

Sanctus HILARIVS in Psalmum 143. circa illud: *Quid est homo quod innotuisti ei? Confessio*, inquit, *ista pulcherrima est, vt indignum se homo tanto munere ipse testetur. Et cùm se indignum confitetur, gratiam eius, qui sibi hæc largitur, extollit. Quod enim meritum hominis est, vt ei se* DEVS *cognoscibilem præstet?*

S. AMBROSIVS lib. 1. de pœnitentia, cap. 10. *Fides*, inquit, *DEI donum est, sicut habes scriptum. Quia à Deo vobis datum est, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt pro illo patiamini*, ad Philipp. 1.

S. HIERONYMVS in caput 6. epistolæ ad Ephesios, circa illud: *Pax fratribus & charitas cum fide, &c. Paci*, inquit, *similis est charitas cum fide, quam & ipse simul Deus Pater donat & Filius, &c.*

S. AVGVSTINVS epistola 105. *Fides*, inquit, *ad Christum nos trahit, quæ nisi desuper gratuito munere nobis daretur, non ipse diceret: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, Ioan. 6. Et idem, libro de prædestinatione Sanctorum, per multa capita probat ex instituto contra reliquias Pelagianorum.

Sanctus PROSPER libro primo de vocatione Gentium, capite octauo: *Fides*, inquit, *quæ bonæ voluntatis & iustæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur, Apostolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens: Primùm quidem gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annũciatur in vniuerso mundo, &c.* ad Romanos 1.

Quibus & aliis sanctis Patribus addendi sunt Theologi Scholastici in 3. dist. 23. qui omnes in eadem assertione consentiunt. Nec enim rectè à nonnullis citatur Scotus in 3. dist. 23. quæst. vnica, & Durandus ibidem quæstione sexta, & in secundo, distinctione 28. quæstione prima. Et Gabriel in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 2. quasi hi cum Pelagianis negent requiri supernaturale auxilium ad Fidem Theologicam: Tantum enim volunt, posse hominem vtcunq; credere illa, quæ reuelata sunt, sine gratiæ auxilio, per fidem acquisitam, qualem sine controuersia habent v. g. hæretici de multis propositionibus fidei.

Quod autem iidem Doctores solent dicere, actum credendi ea, quæ sunt reuelata, quoad *substantiam* quidem esse naturalem: quoad *modum* verò, scilicet vt est à gratia, & habitu fidei infuso, esse supernaturalem; sensus non est, quòd ille idem actus specie, qui ab habitu fidei elicitur, sit secundùm substantiam suam naturalis; sed quòd secundùm rationem quidem genericam actus credendi, potest circa reuelata elici assensus aliquis, qui secundùm substantiam suam sit naturalis, nec requirat gratiæ auxilium. Talis est

Universidad de Deusto
Biblioteca

assensus fidei acquisitæ circa aliqua credibilia, quem habent v.g. hæretici.

Itaq; falluntur, qui ex sententia prædictorum auctorũ defendere conantur, actum fidei Theologicæ esse naturalem quoad substãtiam; & multò magis, qui hoc idem secundùm mentem diui Thomæ tueri volunt. Cùm ille expresè in ratione 2. conclus. huius articuli asserat, hoc ipso, quòd assentimur veritatibus fidei propter diuinam reuelationem, eleuari nos suprà naturam nostram. Ex quo perspicuè colligitur, assensum huiusmodi secundùm se esse supernaturalem.

QVARTO probatur ratione D. Thomæ. Nam quòd aliquis assentiatur iis, quę superant rationẽ humanam, aliquid supra naturam est: quare vt id homo præstet, supernaturali auxilio opus est. Quin etiam hoc idem putat præterea Caietanus euidenti experientia cõfirmari. Nam cùm assentimur articulis fidei, nitẽtes diuina reuelatione, quatenus per Ecclesiam proponitur, euidenter experimur hoc non præstare nos viribus nostris, cùm ex nullo principio naturali huiusmodi veritates fidei deducantur. Ac potest hæc sententia Caietani auctoritate D. Augustini confirmari. Ait enim is lib. 13. de Trinit. cap. 2. *Vnumquemq; in corde suo videre fidem, si credit.*

SED verius hac in parte sentiunt Scotus in 3. sent. dist. 23. quæst. vnica, & Gabriel ead. dist. q. 2. art. 2. concl. 2. cùm docent, *sola fide* probari sufficienter posse, quòd assensus fidei Theologicæ sit supernaturalis, qui requirat Dei auxilium. Hoc demonstrat euidenter Scotus. Nam de ratione assensus fidei est, vt sit infallibilis, atque adeo vt versetur duntaxat circa verum: sed cùm assentimur articulis fidei, non cognoscimus euidenter, quòd assentiamur veris: Ergo nec quòd habeamus assensum fidei Theologicæ. Minor probatur: quoniam non est nobis euidens, articulos fidei esse veros.

Præterea idem patet alia ratione: Nam cùm credimus articulos fidei, nihil aliud experimur, quàm quòd firmiter adhæremus illis veritatibus, idque consideratione diuinę reuelationis, & motiuorum fidei adducti: At non est nobis euidens, vtrum hoc proueniat ex ipsa natura assensus, qui nimirum secundùm se infallibiliter respiciat veritatem primam, vti respicit fidei Catholicæ assensus: an verò id proueniat ex nostra dispositione, quòd videlicet consideratione motiuorum fidei ad assentiendum talibus veritatibus, per fidem solam acquisitam moueamur ad eum modum, quo mouentur hæretici.

Confirmatur. Nam aliqui sine fide Catholica adeo firmiter assentiuntur & adhærent suis erroribus, vt potius mortem oppetant, quàm à sententia moueantur: Ergo non est nobis euidens, quòd firmitas, quam experimur in assentiendo rebus fidei non sit illius generis, scilicet ex dispositione subiecti, &c.

Quod verò attinet ad testimonium Augustini, respondetur intelligendum esse de fide secundùm communem quandam assensus rationem, abstrahendo à fide Theologica. Sic enim, vt rectè ait Scotus vbi suprà, cuilibet euidens est, credat nec ne; non tamen vtrum credat fide Theologica. Conatur etiã Scotus aliter exponere dictum Augustini, sed minus commodè.

CONSEQVENTER apparet, quòd etsi quilibet fidelis est certus, se credere per aliqualẽ assensum fidei, qui nitatur auxilio aliquo supernaturali, eò quòd euidenter scit, se credere omnia proposita ab Ecclesia, & ex Scriptura constat sine aliquo Dei auxilio supernaturali non posse omnia eiusmodi credi: tamen nemo est ex fide certus, quòd habeat assensum fidei quidem Theologicæ. Probatur. Quoniam id neque est per se reuelatum in Scriptura aut alibi, neque sequitur euidenter ex propositionibus reuelatis: Ergo neq; per fidem, neq; per Theologicum discursum est certum.

Quòd autem hoc non sit *per se* reuelatum, patet; quoniam de hac vel illa persona in particulari, vtrum credat, nihil constat per doctrinam reuelatam. Atque ita nemini potest esse id certum immediatè ex fide, vt bene disserit hic art. 2. Dominicus Bannes. Quod autem non posit aliquis *per discursum* euidentem id elicere ex reuelatis, probatur. Nam eiusmodi discursus hic esse deberet: Quicunque omnibus propositis ab Ecclesia assentitur tanquã diuinitùs reuelatis, ita vt assensus ex natura sua sit infallibilis, assentitur per actũ fidei Theologicæ: Sed ego ita assentior: Ergo habeo assensum fidei Theologicæ. At in hoc discursu tametsi Maior sit de fide; Minor tamen est ineuidens, vt probatum est: Ergo Conclusio non infertur euidenter ex propositione reuelata, & consequenter non est certũ per discursum Theologicum ei, qui credit omnia per Ecclesiã proposita, quòd habeat assensum fidei Theologicæ.

Confirmatur. Nam æquè incertum est cuilibet, vtrum ipse habeat assensum illius naturæ, cuius est assensus fidei Theologicæ, atq; vtrum habeat omnia requisita ad gratiam Dei: sed quia hoc incertum est cuiuis, ideo nemini ex fide constat, quòd sit in gratia: Ergo neque quod habeat fidem Theologicam.

Neque obstat in proposito discrimen inter fidem & gratiam: quòd hæc pendeat ex acceptatione diuina, quæ est occulta: fides non item. Nam etsi non pendeat fides ex acceptatione eiusmodi: at pendet ex certo quodam auxilio supernaturali Dei, quod perinde est alicui occultum, atque illa acceptatio gratiæ. Est quidem certum ex fide, quòd sint aliqui semper in Ecclesia, qui habeant fidem Catholicam, ad quam est necessarium certum quoddam auxilium supernaturale, quia Ecclesia fidelium non potest deficere: sed nemini ex fide certum est, quòd ipse in particulari habeat eiusmodi fidem.

QVÆRET autem aliquis, qualenam sit illud supernaturale auxilium, quod hactenus probaui requiri ad assensum fidei? Vtrum *actuale* tantùm, quod cõsistit in instinctu quodam & actuali concursu Dei speciali ad credendum: an etiam sit *habituale*, ita vt certum sit, fidem Catholicam consistere etiam in habitu, quo adiuuemur ad assensum eliciendum.

RESPONDEO, inter omnes conuenit, illud auxilium esse etiam habituale, sic, vt certum sit, fidem consistere quoque in habitu, qui propriè dicatur ipsa virtus Fidei, iuxta ea, quæ suprà q. 4. constituta sunt. Sed controuersia est inter nonnullos, quòd aliqui, ex quibus videtur esse Sotus libro secundo de Natura & Gratia, cap. 18. volunt, non esse hoc ita certum, vt sit de fide: quanquam id negare sit temerarium. Alij verò, vt Scotus, Durandus, Gabriel, vbi suprà, & Vega libro septimo super sess. 6. Concilij Tridentini, capite 24. volunt simpliciter, hoc esse certum ex fide.

Atque hoc est multò probabilius, vt etiam diximus tomo 2. disput. 4. quæst. 3. punct. 4. & disput. 8. q. 3. p. 2. generatim agendo de habitibus infusis. Et fundamentum præcipuum est, quòd in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 7. expresè dicitur in iustificatione *infundi* fidem, quod non potest commodè intelligi, nisi quoad habitum, cùm ibi sit etiam sermo de iustificatione paruulorum, qui non sunt capaces actus fidei. Vide tomo 2. locis citatis.

PVNCTVM SECVNDVM.

An etiam Fides informis sit Dei donum.

D. Thomas art. 2.

RESPONDEMVS cum diuo Thoma, & communi Theologorum sentẽtia affirmatiuè. Id ita probamus: Fides informis non differt secundùm se à fide simpliciter dicta: Sed fides simpliciter est donum Dei, vt probatum est puncto præcedenti: Ergo etiã fides informis. Maior probatur. Quoniam tantùm differt ab illa per informitatem, quę cùm nihil aliud sit, quàm priuatio charitatis, extrinseca est ipsi fidei secundùm se, vt vidimus quæst. 4. punct. 3.

Ex hac ratione colligitur PRIMO, sensum huius nostræ assertionis non esse, quòd fides informis sit donum Dei formaliter, quatenus informis est, sed materialiter, hoc est, ipsa fides, quæ est informis. Patet. Quoniam informitas illa non est à Deo, cùm sit quidam defectus. Neque hoc obstat, quo minus verè dicamus absolutè fidem informem esse donum Dei. Nam informitas illa est extrinseca fidei, vt est in ratione dicta.

Sequitur SECVNDO, assertionem hanc iuxta dictum sensum, esse certam ex fide. Omnia enim testimonia, quæ puncto præcedenti adduximus ad probandum, quòd fides secundùm se sit donum Dei, pertinent etiam ad fidem informem materialiter acceptam, sicut hic loquimur. Nam fides informis sic accepta nihil aliud est, quàm fides secundùm se.

Hoc posito, QVÆRI solet hoc loco, Vtrum fides informis ita sit donum Dei, vt etiam aliquando Deus illã homini peccatori tribuat, sine gratia & charitate? Scotus in 3. dist. 36. quæst. vnica, art. 4. censet, nunquam fidem infundi diuinitus sine charitate. Probat. Quoniam proprium Dei est tribuere perfectam sanitatem spiritualem animæ, sicut etiam corporis, & nõ ex parte. Quare non est censendus vnquam fidem solam infundere. Eiusdem sententiæ est Durandus in 3. dist. 23. quæst. 6. num. 9. Ratio eius est: quoniam fides homini confertur, vt contendat ad beatitudinem. Itaque non datur illi sine Charitate & Spe, quæ ad beatitudinem necessariæ etiam sunt. Hos sequitur Vega lib. 7. supra sess. 6. Concilij Tridentini, cap. 28. Non enim existimat probabile, vt Deus tam præclaro dono afficiat inimicum suum. Denique Sotus lib. 3. de Natura & Gratia, cap. 8. etsi concedat, in Baptismo reipsa suscepto posse conferri fidem informem, negat tamen hoc fieri posse extra eum casum. Ratio eius est, quoniam fides non confertur nisi homini Christiano. Christianus autem non est, nisi Baptismũ suscipiat actu.

CONTRARIA sententia est diui Thomæ hîc in solutione 3. & Caietani & aliorum, qui simpliciter concedunt, posse diuinitus infundi alicui fidem sine charitate. Ego, cùm sententia vtraque videatur mihi probabilis, probabiliorem tamen censeo posteriorem D. Thomæ & Caietani: quoniam potest fieri, vt peccator aliquis velit ex animo credere omnia, quæ sunt diuinitus reuelata; & proposita ab Ecclesia, tametsi peccatum non deserat. Quo casu videtur satis dispositus ad suscipiendam fidem diuinitùs.

Neque contrarium huius sufficienter probat vlla ratio allata à contrarię sententię auctoribus. Nam ad rationem quam Scotus adfert, respõdet D. Thomas hîc in solutione 3. quòd peccator suscipiens fidem solam non perfectè sanetur, id ex parte ipsius accidere. Quod verò dicitur, Deum perfectè sanare, intelligendum est, quantum est in ipso. Nihilominus accommodat se ad hominis dispositionem, atque adeo paulatim sanat. Exemplo etiã esse potest illius cæci curatio, de quo Marci octauo, qui primùm videre cœpit homines, nonnisi imperfectè, id est, tanquam arbores ambulantes; postea demùm iterum vnctus perfectè vidit.

Ad alteram rationem Durandi respondetur, fidem solam etiam pertinere ad beatitudinem consequendam, quatenus initium quoddam salutis est, atque ideo valet ad salutem. Itemque vtiliter potest dari sine charitate & spe, sicuti vtiliter conseruatur in peccatore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad rationem Vegæ respondeo, non esse mirum, si donum fidei detur peccatori, quandoquidem idem donum in peccatore diuinitus conseruatur, vt est dictum. Et magnum etiam Christi Domini beneficium fuit, quod cùm inimici essemus, reconciliauit nos Deo.

Ad rationem, qua probat Sotus, fidem solam non dari saltem extra Baptismum, respondeo, falsum esse quod assumit, hominem, qui nondum est baptizatus, absolutè loquendo non esse Christianum: Est enim aliqua ratione, si credat, atque adeo habeat aliquo modo votum Baptismi, vt patet in Catechumenis, etiamsi sint in peccato. Quicquid autem de hoc sit, (nam quæstio videtur de nomine) dicimus quoad rem ipsam posse aliquem habere fidem, tametsi nõ sit Christianus per actualem professionem in Baptismo.

Ex dictis sequitur PRIMO, virtutes Theologicas non esse secundùm se necessariò connexas etiam quoad infusionem, sed tantùm esse connexas secundùm esse virtutis perfectæ, quæ valeat ad beatitudinem per meritum, vt rectè notat Caietanus hîc, atque etiam secundùm quandam congruentiam, attendendo ad id quod maximè decet naturam & rationem istiusmodi virtutum Theologicarum.

SECVNDO, quod dici solet, gratiam gratum facientem habere se ad tres illas virtutes Theologicas, sicut se habet in naturalibus natura ad potentias, hoc non ita intelligendum esse, quasi nunquam fides & spes conferantur sine gratia; vti non producitur potentia sine sua natura: sed similitudo est in alio: nempe quòd vt natura, sic & gratia est primum principium actionum, proximum autem sunt ipsæ virtutes Theologicæ, &c. Item quòd gratia in ordine supernaturali est id, per quod primò reddimur participes diuinæ naturæ, & habemus ius ad gloriam. Vide tomo 2. disputat. 8. quæst. 2. punct. 2. Vbi quod in respõsione ad quoddam primum argumentum diximus, Deum initio non infundere fidem sine gratia, intelligendum est per se & ordinariè & quantum est ex parte ipsius Dei & attendendo ad id quod aptius & congruentius cõuenit ipsi naturæ tum fidei tum gratiæ. Per accidens tamen potest contingere interdum, vt propter hominis dispositionem (qui scilicet sit dispositus ad fidem & indispositus ad gratiam) infundatur fides sine gratia, vt ex sententia D. Thomæ probauimus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Effectibus Fidei.

D. Thomas 2. 2. q. 7.

EFFECTVS FIDEI PROPRIE, QVOS SCILICET FIDES PRODucat vnà cum intellectu effectiuè, non sunt nisi assensus fidei, de quibus supra disputatum est q. 2. Sed hîc latius vsurpamus vocabulum Effectus; vt scilicet effectus alicuius rei dici solet, quidquid ex re ipsa consequitur spectata ipsius rei ratione, & natura. Itaq; EXPLICANDVM est, quinam sint isto modo effectus Fidei.

PVNCTVM VNICVM.

Quinam sint Effectus Fidei.

D. Thomas art. 1. & 2.

DIVVS THOMAS DVOS TANTVM Effectus fidei breuiter explicat, scilicet *timorem*, & *purificationem* cordis, occasione duarum sententiarum Scripturæ: scilicet Iacobi secundo: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Et Actor. 15. *Fide purificans corda eorum.* Sed cùm fides sit principium & fundamentum totius salutis humanæ, omnia ferè reliqua, quæ ad humanam salutem, eiusq; progressum pertinẽt, censeri possunt Fidei effectus, eo modo quo de effectibus nunc loquimur, scilicet per quandam ex re consequentiam.

Itaque Patres multa, imo omnia ferè adscribunt Fidei tanquam radici & caussæ. Vt sanctus Cyrillus HIEROSOLYMITANVS catech. 5. vbi inter cætera de Fide dicit: *Oculus omnium illuminans conscientiam est fides, & intelligentiam efficiens: Scutum incorporeum aduersus hostem inuisibilem, quemadmodum Apostolus ait, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo omnia tela inimici ignea extinguatis: Obsignat iustitiam & adoptionem, &c. Hanc,* inquit, *fidem si custodierimus irreprehensibiles erimus, &*

omni virtutum genere ornabimur. Et infrà: *Tantam autem habet virtutem fides, vt non solùm ille, qui credit, saluetur, verùm etiam aliis credentibus alij seruentur; vt paralyticus ille in Capharnaum, &c.*

Et S. AVGVSTINVS serm. 10. de verbis Apostoli: *Nulla,* inquit, *sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mũdi huius maior substantia, quàm est Catholica fides: quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas, ac coniuges casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis cælestibus præparat: in æterna hæreditate cum Angelis sanctis communicat.*

Et S. AMBROSIVS serm. 8. in Psalm. 118. *Vbi,* inquit, *fides est, principium & finem habemus* (id est, omnia) *vbi perfidia, neq; initium, nec finis est. Ecclesiæ enim principiũ est primogenitus ex mortuis. Habet & finẽ, quia ipse est primus & notissimus. Ipse est enim finis legis ad iustitiam omni credenti.* Et enarrat. in Psalm. 37. *Abundant,* inquit, *nobis diuinarum testimonia Scripturarum, quibus instruimur, nihil esse in homine pretiosius fide, &c.*

Quin etiam quanta sit vis & efficacia Fidei, Apostolus ad Hebr. 11. multis & luculentis exemplis ostendit; vt appareat, verissimum esse, quod ibi cap. 10. ex Abacuc affirmat Apostolus, *iustum ex fide viuere,* ac proinde totam vitam spiritualem censeri posse effectum fidei.

Peculiariter autem D. Thomas (vt diximus) ostendit PRIMO, effectum fidei esse *timorem* tum seruilem, id est, pœnarum, tum filialem, quo quis ex charitate erga Deum veretur, ne ab ipso per peccatum desciscat, vel ex reuerentia diuinæ maiestatis horret, exæquare se illi. Hunc enim effectum habet hæc Virtus, per cognitionem tum grauitatis peccati, tum tremendæ illius diuinæ maiestatis.

Addit autem diuus Thomas, timorem filialem effectum esse fidei formatæ: seruilem verò fidei informis. Quod non ita intelligendum est, quasi timor pœnæ, atq; adeo aliqua ratione seruilis, nequeat consistere cum charitate: Hoc enim hæreticum dogma est, vt infrà disputat. seq. quæst. 2. quæ de Timore est, probabimus contra Lutherum. Sed indicat per hoc D. Thomas, timorem seruilem plerumq; quidem oriri ex fide informi: Filialem verò ex fide formata per charitatem, tametsi hic etiam timor filialis possit imperfectè haberi sine charitate.

Porrò ex ratione huius timoris filialis à diuo Thoma hîc tradita bene colligit Caietanus, qua ratione intelligendum sit, quòd cælestes potestates, hoc est, aliquæ ex beatis mentibus tremunt, vt dicitur in præfatione Canonis Missæ, nimirum quoniam diuinam maiestatem clarè conspiciunt, & præterea intelligunt, quantæ prauitatis fuerit, appetere Dei æqualitatem, vti dæmones fecerunt. Hinc exhorrescunt eam impietatem, idque cum quadam reuerentia maiestatis diuinæ.

SECVNDO, docet diuus Thomas, *puritatem* cordis, id est, immunitatem à contagione peccati esse etiam effectum fidei. Nam expellit errorem intellectus, atque adeo est initium affectus charitatis in Deum, quo penitus deletur illa peccati macula & contagio. Quomodo autem fides per se sola non sufficiat ad hanc puritatem, disputauimus tomo 2. disput. 8. quæst. 5. punct. 4.

QVÆSTIO OCTAVA.

De dono Intellectus, quod est annexum Virtuti Fidei.

D. Thomas 2. 2. q. 8.

DE RATIONE, ET NVMERO, ET SVFFICIENTIA, ET NECESSItate omnium donorum Spiritus sancti, generatim disseruimus tomo 2. disput. 5. quæst. 8. Itaq; hoc loco summatim tantummodo explicandum est, quid sit Donum Intellectus, & quomodo se habeat ad fidem, & ad alia dona.

PVNCTVM VNICVM.

Quid sit donum Intellectus, & quomodo se habeat ad Fidem, & ad alia dona.

D. Thomas art. 1. & seq.

DICO PRIMO, donum Intellectus est habitus quidam supernaturalis in intellectu hominis, quo is facilè mobilis redditur à Spiritu sancto ad sic percipiendas veritates fidei, vt fidei cognitione adductus inhæreat prorsus ipsi Deo, nec ab illo deflectat per peccatum. Ita fit, vt habitus hic optimè consistat cum habitu fidei. Vnde sanctus

Universidad de Deusto
Biblioteca

GREGORIVS libro primo moral. capite 32. loquens de hoc dono intellectus: *Intellectus*, inquit, *in die suo conuiuium parat, quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illustrat.* Vide tomo secundo, disputatione quinta, quæstione octaua, puncto secundo, & diuum Thomam hîc artic. 1. & 2.

Dico SECVNDO, donum intellectus partim conuenit cum fide, partim ab ea differt. *Conuenit* cum illa PRIMO, quoniam ad omnia illius obiecta pertinet. SECVNDO, quia vt habitus fidei speculatiuus & practicus est, sic etiam donum hoc intellectus, vt docet diuus Thomas, hîc articulo tertio. Atque hæc conuenientia sequitur ex prima: Ratio enim illius est, quoniam obiecta tum fidei, tum doni intellectus, quæ, vt dictum est, sunt eadem, partim sunt speculatiua, partim practica, vt superius visum est.

Differt autem donum intellectus à fide in hoc, quòd fides intellectum perficit immediatè ad eliciendum assensum: donum verò intellectus non ad hoc directè, sed ad percipiendum Spiritus sancti instinctum, quo impellimur ad assensum fidei. Considerandum enim est, hominem ad vtrumque perfici supernaturaliter, id est, & vt credat, quod præstat fides, & vt diuinitus moueatur ad credendum, quod præstat hoc donum. Vt enim in rebus naturalibus apparet Deum ordinatè agere cum causis secundis, & mouere illas, præuiis videlicet dispositionibus conuenientibus, &c. sic de ratione, quam in ordine supernaturali idem Deus seruat, ratiocinari debemus. Vide tomo secundo, vbi supra puncto primo.

Dico TERTIO, cum sancto Thoma hîc articulo quarto, donum hoc intellectus esse in omnibus, qui habent gratiam, & in his solis. In *omnibus*, quoniam necesse est, vt per charitatis affectum inhæreant Deo: huius autem origo est illa Dei cognitio, ad quam dictum est, donum intellectus conferre. In his autem *solis* est, quoniam alij non sic percipiunt res diuinas, vt Deo inhæreant, id quod diximus prouenire ab hoc dono. Vide tomo secundo, vbi supra, puncto tertio, vbi probauimus, necessitatem omnium donorum, explicatis quibusdam testimoniis Augustini & Gregorij, quæ videri possent contraria, & diuum Thomam hîc articulo quarto & quinto.

Dico QVARTO, discrimen inter hoc Spiritus sancti donum, & reliqua, ita colligitur: Donum fortitudinis, *pietatis*, & *timoris* ad vim appetitiuam pertinent: donum verò *intellectus* ad intellectiuam: donum autem sapientiæ, scientiæ, & consilij, etsi ad eandem partem intellectiuam spectent, at differunt nihilominus à dono intellectus, quoniam donum *sapientiæ* confert ad iudicium quoddam vniuersale de diuinis rebus, quo statuimus ipsis esse inhærendum, & recedendum à vitiis contrariis. Donum *scientiæ* continet simile iudicium de rebus creatis, quo scilicet animaduertimus, quibusnam ex illis inhærendum sit, & à quibus recedendum: itemque præcipuè, quid credendum, quid non credendum sit. Donum *consilij* continet iudicium practicum particulare, quo scilicet in determinatis casibus conuenienter illis vniuersalibus iudiciis doni sapientiæ & scientiæ concludimus, quid agendum sit, aut fugiendum. Donum verò *intellectus* pertinet ad omnia obiecta tum diuina, tum creata, tum speculatiua, tum practica: atque ita latius patet, quàm donum sapientiæ, scientiæ, vel consilij; quoniam, vt dictum est, extendit se ad omnia, ad quæ ipsa fides.

Hinc patet, donum sapientiæ & scientiæ prioriè loquendo magis esse practica, quàm speculatiua: de dono verò consilij clarius est, quòd sit practicum. Nihilominus sapientia & scientia possunt dici speculatiua, quatenus iudicium, ad quod conferunt, versatur circa res speculatiuas: sed hoc ipsum iudicium tamen practicum est, quatenus immediatè habet pro obiecto adhæsionem in rebus, quibus est inhærendum. Vide tomo secundo, vbi supra puncto secundo.

Dico QVINTO, munditia cordis, quæ est vna ex beatitudinibus, ac certitudo fidei, quæ est vnus ex fructibus Spiritus sancti, peculiari ratione sunt effectus doni intellectus. Patet ex ipsa ratione doni intellectus antea posita. Nam illustrat mentem & firmat in Deo, atque adeo mundat ab iis, quæ à Deo separant, & disponit ad clariorem Dei cognitionem, redditque intellectum certiorem. Vnde sanctus AVGVSTINVS libro primo de sermone Domini in monte, capite nono, de dono intellectus dicit: *Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Vide diuum Thomam hîc articulo septimo & octauo.

QVÆSTIO NONA.

De dono Scientiæ, quod est etiam annexum virtuti Fidei.

D. Thomas 2. 2. quæst. 9.

Positis his, quæ partim tomo 2. disp. 5. quæst. 8. p. 2. partim quæstione præcedenti, tum de aliis donis, tum etiam de dono scientiæ, dicta sunt, pauca admodum hîc dicenda restant. Quare solùm hîc est videndum, Quomodo Scientiæ donum se habeat ad fidem, & quale Donũ sit.

PVNCTVM VNICVM.

Quomodo Scientiæ Donum se habeat ad Fidem, & quale donum sit.

D. Thomas artic. 1. & seq.

DICENDVM EST PRIMO, PER DONUM Scientiæ peculiari quadam ratione muniri & conseruari fidem. Id patet ex ratione huius Doni. Nam per hoc donum redditur homo facilè mobilis à Spiritu sancto, vt discernat ac diiudicet, quid circa res creatas & humanas sit agendum, aut non agendum, & maximè quid credẽdum sit, & quid non credẽdum; vt patet ex dictis, quæstione præcedenti, & ex D. Thoma hic art. 1. & 2.

Nec tamen hinc sequitur, non differre istud donũ ab illa gratia gratis data, quæ 1. Corinth. 12. dicitur *sermo scientiæ*, per quam scilicet munitur & conseruatur Fides, eam explicando & confirmando atq; defendendo contra aduersarios: aut ab ipsa sciẽtia Theologiæ humano studio acquisita, cuius idem est munus. Aliter enim munitur Fides per donum scientiæ, de quo iam agimus, aliter autem per eam sciẽtiam, quæ est gratia gratis data, & per Theologiam. Nam per hæc munitur fides, ratiocinando & conferendo inter se res fidei, & ea, quæ ex iis consequuntur, iuxta ea, quæ de Theologiæ munere tradidimus tomo 1. disp. 1. quæst. 1. p. 1. & 2. Per donũ autem scientiæ, de quo nunc loquimur, munitur fides simpliciter, solùm diiudicando ex instinctu quodam & lumine diuino, quidnam sit credendum.

Vnde istud donum omnibus fidelibus iustis quantumuis indoctis commune est, vt patet ex dictis tomo 2. disput. 5. quæst. 8. p. 3. & notat etiam D. Thomas hîc artic. 1. ad 2. Scientia verò gratis data, ac scientia Theologiæ, non est omnibus communis. Verè enim S. AVGVSTINVS lib. 4. de Trinitat. cap. 1. *Hac scientia*, inquit, *non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum. Aliud enim est, scire tantummodò, quid credere debeamus* (quod scitur per fidem & scientiæ donum) *aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & piis opitulentur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.*

Dicendum SECVNDO, donum hoc, similiter atque de dono intellectus quæstione præcedenti diximus, censeri posse tum speculatiuum, tum practicum: sicut & ipse habitus fidei, qui per illud munitur, habet obiecta tum speculatiua, tum practica. Et quidem D. Thomas hic art. 3. docet, donum hoc esse speculatiuũ præcipuè, quoniam habet assensum fidei pro obiecto, qui quidem est speculatio quædam, secundariò autem esse practicum, quatenus per illud etiam iudicatur de aliis agendis.

Qua de re non potest esse quæstio nisi de nomine, vt cùm quæritur, An Logica sit speculatiua, quoniam habet pro obiecto cognitionẽ, quæ est speculatio: an practica potius, quoniam ea ipsa cognitio simpliciter est quædam actio nostra. Fortè probabilius dicitur hoc donum scientiæ esse principaliter practicum: id quod asseruit diuus Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 4. Quanquam hoc loco videtur retractare sententiam, vt notauit Caietanus quæstione præcedenti art. 6. Res parui momenti est.

Dicendum TERTIO cum D. Thoma artic. 4. luctũ de peccatis, qui est vna ex beatitudinibus, peculiariter esse effectum huius doni scientiæ. Nam innotescunt per illud ea mala, quæ consequuntur prauum vsum creaturarum, cùm per illud, vt dictum est, cognoscatur quid sit bonum, & quid tanquam malum & homini noxium, vitandum.

Vnde sanctus AVGVSTINVS libro primo de sermone Domini in monte, capite nono: *Scientia*, inquit, *congruit lugentibus, qui iam cognouerunt in Scripturis, quibus malis vincti teneantur, quæ tanquam bona & vtilia, ignorantes appetierunt*: decepti nimirum specie voluptatis vel vtilitatis, quæ apparet in rebus creatis: iuxta illud Sapient. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMA.

De Infidelitate, quæ est vitium Fidei contrarium.

D. Thomas 2.2. quæst. 10.

CIRCTO SVNT EXPLICANDA. PRIMO, AN INFIDELITAS SIT peccatum & quale. SECVNDO, An cum Infidelitate possit consistere vlla bona actio; an verò omnis actio Infidelis sit peccatum. TERTIO, Quotuplex sit Infidelitas. QVARTO, An liceat cum Infidelibus publicè disputare. QVINTO, An liceat aliter cum illis communicare. SEXTO, An liceat eos compellere ad fidem. SEPTIMO, An licitè permittantur & tolerentur illorum ritus. OCTAVO, An licitè permittatur illis dominium & prælatio in fideles. Vtrum autem liceat illorum filios ipsis inuitis baptizare, de quo disserit D. Thomas hic art. 12. non est cur hic disputemus, cùm ea quæstio tractanda sit in materia de Sacramento Baptismi, vbi etiam repetitur à D. Thoma.

PVNCTVM PRIMVM.

An Infidelitas sit peccatum & quale.

D. Thomas art. 1. 2. 3.

EXPLICANDVM EST, QVATENVS Infidelitas sit aut nō sit peccatum, & quanam potentia animi hoc peccatum committatur, & quàm magnum sit peccatum. A

Ac inprimis quidem inter omnes conuenit, Infidelitatem eorum, qui apertè repugnāt fidei, vel eam contemnunt, peccatum esse. Nam talis Infidelitas aduersatur præcepto fidei, & ideo nominari solet Infidelitas *contrariè*. De qua intelligitur illud: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ioan. 8. & illud Marci vltimò: *Qui non crediderit, condemnabitur*, & alia, quæ posteà adferemus.

Quæstio autem est PRIMO, An etiam sit peccatum Infidelitas *negatiua* (vt vocant) id est, ea, qua quis nominatur Infidelis, ob hoc solū, quòd careat fide, etiamsi nihil vnquam de fide audiuerit. Et appellatur *negatiua* hæc Infidelitas, non simpliciter per puram negationem fidei: quo pacto possemus etiam dicere, lapidem esse infidelem, quia non habet fidem (sic enim extra omnem controuersiam est, quòd infidelitas negatiuè peccatum nullum sit) sed per negationem in subiecto ad credendum apto: quæ infidelitas aliqua ratione simul dici potest infidelitas priuatiuè. Talis enim Infidelitas negatiua est eorum, qui nihil prorsus acceperunt de fide. Nam hi, si rem physicè consideremus, possunt quidem habere fidem, atque ita infidelitas in ipsis priuatio quædam est, hoc est negatio in subiecto apto, ex natura rei ac physicè loquendo. Quanquam in genere moris infidelitas in huiusmodi hominibus meritò à Theologis dicitur purè negatiua, quoniam nō possunt moraliter loquendo ipsi fidem consequi: sed ideo tantùm dicuntur infideles, quia fide carent. Quæstio igitur est, Vtrū omnino in eiusmodi hominibus, qui nihil audiuerunt de fide, infidelitas etiam hæc negatiua sit peccatum, ita vt omnes infideles hoc ipso, quòd non credunt, peccent? B

Adrianus quodlib. 4. art. 1. existimat, ignorantiam eorum omnium, quæ immediatè sunt omnibus scitu necessaria ad salutem, in omni homine ratione vtente, esse vincibilem, atq; adeo per se peccatum; idemque in specie affirmat de ignorantia fidei. Ac pro se adfert Hugonem de S. Victore, VVilhelmum Parisiensem, & alios. Idem sentire videtur Gabriel in 2. sentent. distinct. 22. quæstione secunda, articulo tertio, dub. 1. vbi hāc eandem sententiam refert ex Hallensi, nec tamē improbat. Deniq; Sotus lib. 2. de Natura & Gratia, cap. 12. sub finem, in hanc sentētiam propendet magis.

Pro hac opinione adferri possunt PRIMO quædam testimonia Patrum. Nam diuus AVGVSTINVS libro de Gratia & libero arbitrio capite tertio, agens de hac ipsa fidei ignorantia in his, qui nihil de fide audiuerunt, inquit: *Non sic illos per eam excusari, vt non sint æternis pœnis obnoxij, sed sic, vt leuius saltem illis torqueantur.*

Et D.

Et D. PROSPER lib. 2. de vocatione Gentium, cap. 5. in eandem sententiam ait: *Nullas omnino nationes excusari posse ob hanc ignorantiam. Nam omnibus*, inquit, *hominibus adhibita semper est superna quædam mensura doctrinæ, quæ tametsi occultioris atq; minoris gratiæ fuerit* (quam iam suppetit fidelibus) *sufficerit tamen quibusdam ad remedium, & omnibus ad testimonium*, id est ad cognoscendum Deum. A

D. Thomas etiam ait quodlib. 3. art. 10. in his, quæ pertinent ad fidem & mores, non excusari aliquem, propterea quòd sequatur opinionem aliquam, si illa est erronea. Itaque in his non videtur admittere casum, quo ignorantia sit inuincibilis. Et possunt hæc testimonia confirmari ex Apostolo ad Roman. 10. Quo loco repetens illud ex Dauide: *In omnem terram exiuit sonus eorum, &c.* docet, omnibus innotuisse doctrinam fidei. Itaque nullus videtur excusari posse. B

SECVNDO, argumentantur suprà dicti Doctores hoc modo: Quicunque ratione vtens, potest & tenetur cognoscere doctrinam fidei: Ergo peccat, si non cognoscit. Consequentia patet ex doctrina de Voluntario & Inuoluntario tradita tomo 2. disput. 2. quæst. 1. p. 1. Antecedens quoad alteram partem, scilicet quòd quilibet teneatur cognoscere doctrinam fidei, est extra controuersiam. Nam constat, præceptum fidei Euangelicæ ad omnes omnino homines pertinere. Quoad alteram verò partem probatur idem Antecedens. Nam etsi non possit quilibet per ministerium hominum cognoscere doctrinam fidei, si nihil vnquam de illa audiuit, at potest auxilio Dei, si viuat secundùm naturæ legem, quantum moraliter potest. Tunc enim Deus ei succurret, vel per se, vel per alium (siue hominem, siue Angelum) proponendo fidem. Vt enim in naturalibus, ita etiā in supernaturalibus suppeditat Deus gratiam, quando homo sibi non deest.

CONFIRMATVR hoc argumentum. Nam si aliquis homo non posset consequi notitiam fidei, consequenter non posset consequi salutem. Item in multis casibus non posset vitare peccata contra legem naturæ. Sed hæc absurda minimè sunt admittenda: Ergo neque illud vnde hæc sequuntur. Maior probatur. Nam fides est adultis necessaria ad salutem. Item vt in materia de Gratia docuimus, tam vehementibus tentationibus agitatur animus interdum, vt sine gratia Dei nequeat resistere: gratiam autem non potest quis habere sine fide: Ergo si nequit habere fidem, nō poterit aliquando vitare peccatum.

TERTIO proponitur tale argumentum ab Adriano vbi suprà: Si aliquis à peccato Infidelitatis excusaretur, maximè quia caret reuelatione seu propositione fidei: Sed hoc non excusat à peccato. Ergo. Minor probatur. Nam ille defectus est quædam pœna diuinitus inflicta ob peccata: Sed pœna huiusmodi non excusat à peccato, quod propter illam admittitur: Ergo nec ille defectus reuelationis & propositionis rerum fidei. Minor hæc patet tum ratione, tum auctoritate. Ratione, quoniam vt peccata ipsa, sic etiam pœna illa est homini voluntaria, nempe in sua causa, atque ita non excusat à peccato consequente. Auctoritas autem habetur Isaiæ 6. & 29. & Ezechielis 14. & 2. ad Thessal. 2. & aliis locis, ex quibus constat, Deum permittere interdum homines propter peccata incidere in errorem aut ignorantiam, ex qua postea in alia peccata labantur, quæ itidem imputentur ipsis. C

CONFIRMATVR hoc ipsum argumentum. Nam D. Thomas hoc loco concedit, Infidelitatem huiusmodi, esse pœnam peccati primi parētis: Ergo est aliquo modo hominibus voluntaria; siquidem peccatum illud etiam dicitur voluntarium esse his, qui ab Adamo descendūt per generationem.

His non obstantibus CONTRARIA sententia tenenda est, videlicet his, qui nihil cognouerunt de fide, Infidelitatem per se non esse peccatum, quamuis, vt ait rectè D. Thomas hic, propter alia peccata damnantur. Sic expresè docet diuus Augustinus Tractat. 89. in Ioannem, vbi ex instituto tractat hanc quæstionem. Ita postea docuit Sotus lib. 4. sentent. distinct. 5. quæstione vnica, art. 2. dub. vlt. concl. 2. Sic Vega lib. 6. super Concilium Tridentinum cap. 18. Et communiter Doctores supponunt hoc vt certum.

Et probatur PRIMO, ex illo Ioan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Ex quo colligit D. AVGVSTINVS vbi suprà, eos, quibus Christus nec per se, nec per suos Ministros loquitur de doctrina fidei, non admittere speciale peccatum Infidelitatis: De quo existimat egisse Christum apud Ioannem in illo loco. Et sanè quadrat hic sensus textui. Nam etsi CYRILLVS Alexandrinus lib. 10. in Ioannem, cap. 30. existimet egisse ibi Christū de peccato speciali, quod commiserunt Iudæi procurando mortem Christo, tamen potest vterq; esse literalis sensus illius loci, vt patet ex his, quæ generatim disseruimus de scripturæ sensu tomo primo, disputat. 1. quæstione prima, p. 5. D

SECVNDO, eadem sentētia sic probatur: Qui nihil audiuit de doctrina fidei, non potest humano modo, id est, deliberatè & *ex intentione* acquirere vlla ratione notitiam fidei: Ergo non peccat hoc ipso, quòd ea notitia caret. Consequentia est clara. Antecedens probatur inprimis testimonio illo Apostoli ad Roman. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Deinde probatur idem Antecedens ratione. Nam veritates fidei neque sunt per se notæ, neque ex per se notis colligi possunt, neque rursum eiusmodi sunt, vt possit homo humanitus aliquo motiuo induci ad illas inuestigandas per se aut per alium: Ergo nulla ratione prorsus potest homo, qui nihil de his rebus audiuit, consequi cognitionem illa-

rum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum. Assumptum probatur, quoniam doctrina fidei excedit prorsus rationem, atque adeo est supra naturam hominis, etiam facientis secundùm legem naturæ, quicquid in ipso est moraliter: Ergo nullo modo potest homo cogitare, quòd faciendo quod in se est, vel adhibendo aliquod aliud medium, posit in cognitionem fidei venire. Et consequenter impossibile est (vti diximus) hominem, qui nihil de doctrina fidei audiuit, deliberatè & *ex intentione*, atque adeo humano modo huiusmodi cognitionem acquirere.

Ad PRIMVM igitur argumentum ex auctoritate sanctorum Patrum respondeo, sententiam D. Augustini & Prosperi in illis locis solùm esse, quòd damnabũtur illæ Gentes propter alia peccata, admissa contra legem naturæ, neque ab his prorsus per infidelitatem excusabantur. Hanc esse mentem D. Augustini patet ex Tractatu illo 89. in Ioannem. Nec aliud voluit loco citato diuus Prosper. Nam per *mensuram* supernæ doctrinæ, quæ nullis defuerit, intelligit solùm aliquas illustrationes per gratiam Dei vocantem, quibus si Gentes, Deo iuuante, fuissent rectè vsæ, potuissent peruenire ad salutem, Deo præterea suppeditante reliqua necessaria: iuxta ea, quæ tomo 2. disputat. 8. quæst. 3. p. 4. disseruimus de sufficiente gratia. Ad dictum verò S. Thomæ respondeo, accommodãdum esse duntaxat ad casum in quo opinio erronea, seu ignorantia de fide, aut moribus humano studio aliunde vinci posset, sicut potest vinci error & ignorantia hæreticorum.

Ad CONFIRMATIONEM ex testimonio Apostoli responderi PRIMO potest cum Augustino & aliis, sententiam illam: *In omnem terram exiit, &c.* Prophetice intelligendam esse, quæ scilicet paulatim cõpleatur. SECVNDO, dato, quòd per Apostolos fuerit Euangelium in vniuerso mundo prædicatum, vt alij volunt, tamen in aliquibus locis adeo est vel iniuria, vel malitia hominũ obruta illius notitia, vt quod attinet ad propositum, perinde sit, ac si nunquam illis in locis fuisset prædicatum. Itaque inuincibiliter illic ignoratur: sicut aduertit rectè Vega lib. 6. super Concilium Tridentinum, cap. 18.

Ad SECVNDVM argumentum respõdeo, posse quidem absolutè loquẽdo infideles huiusmodi consequi notitiam fidei, suppeditante nimirum illam Deo, si præuenti à gratia excitante & vocante (quæ nemini deest) faciant quod in ipsis est, Deo adiuuante. Cæterùm non possunt modo humano, id est, *ex intentione*, sed id illis accideret, vel vt à casu, quantum est ex parte ipsorum.

Hoc primò patet ex ratione, quam attulimus pro nostra sententia. Deinde confirmatur auctoritate Apostoli ad Roman. 10. qui planè hoc videtur significare, cùm inquit: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* quasi dicat: non possunt. Quod quidem cùm falsum sit absolutè loquendo, si respiciamus potentiam Dei, qui per se, vel per Angelum potest facilè homines de fide instruere; restat, vt intelligatur, quãtum est ex parte ipsorum hominum, vt sensus sit: non posse illos *ex intentione* & humano modo assequi doctrinam fidei, nisi illam audiant ab aliquo. Porrò ignorantia non debet imputari ad culpam, nisi cùm homo potest ex intentione, atq; adeo humano modo consequi notitiam veritatis. Atque adeo neque fidei ignorantia in nostro casu.

Hoc idem potest confirmari variis exemplis. Nam Iacob, cùm ipsi esset data Lia, potuit quidem absolutè loquendo cognoscere, non esse vxorem suam, si intulisset lumẽ in cubiculum; sed quoniam non potuit id cognoscere ex intentione, hoc est, quia moraliter loquendo nullum habebat motiuum, quo induceretur ad eam notitiam inquirendam, ideo communiter à Doctoribus censetur illius ignorantia fuisse inuincibilis; neque peccâsse accedendo ad Liam. Similiter siquis fortè ebrietate correptus, idq; semel, hominem interficeret, potuisset is quidem absolutè loquendo abstinere ab homicidio: si, quemadmodum potuit, abstinuisset ab ebrietate: nihilominus quia nullum habebat morale motiuum (vt pono) propter quod vellet eo fine ab ebrietate abstinere, vt scilicet vitaret homicidiũ, non censetur voluntariè occidere.

Itaq; vt omissio alicuius actus, vel etiam commissio reputetur voluntaria, & culpabilis, necesse est, vt homo ex intentione potuerit exercere actum debitum, vel etiam abstinere à prohibito. Atque hoc est habendum quasi pro REGVLA ad varios casus in materia morali diiudicandos. Quod quia non aduerterunt Adrianus, & reliqui in proposita quæstione, ideo aberrârunt.

Ad CONFIRMATIONEM illius secundi argumẽti respondeo, neutrum illorum absurdorum sequi. Nam quod attinet ad salutem, etsi nõ possint illi infideles consequi illam ex intentione, sicut nec fidem possunt: at possunt illam absolutè loquendo consequi, quantum est ex parte prouidentiæ diuinæ, quæ præsto est, modò ipsi ab aliquali gratia vocante (quæ nemini deest) præuenti, Deo adiuuante, faciant quantum est in ipsis moraliter. Neque ad tuendam suauitatem diuinæ prouidentiæ necesse est, vt omnes homines quocunque statu & tempore, possint ex intentione contendere ad supernaturalem beatitudinem; satis est, quòd omnes possint vel ex intentione, vel succurrente Deo, præter ipsorum intentionem, si faciant alioqui ex intentione quod possunt & debent.

Quod ad alterum absurdum attinet, dico non esse eiusmodi infidelibus necessariã gratiam iustificantem ad hoc, vt vincant graues tentationes, sed satis esse gratiam aliquam actualem, hoc est, auxilium aliquod peculiare Dei, quod nemini deest, quantum est ex parte Dei, vt vidimus tomo 2. disputat. 8. quæst. 3. p. 4. Itaque quamuis non possunt illi infideles ex intentione consequi

gratiam

gratiam Dei iustificantem, tamen imputatur ipsis ad culpã, si non vincant illas tentationes, quoniam cognitione infirmitatis suæ & prouidentiæ diuinæ ducti, & excitante gratia præuenti, possunt à Deo implorare auxilium, atque ita ex intentione consequi adiuuantem gratiam actualem, quæ sufficiat ad vincendas eiusmodi tentationes.

Ad TERTIVM argumentum respondeo, solùm probare, quòd nulla pœna peccati, hoc ipso, quòd pœna est formaliter, excusat à peccato consequenti: neque hoc nos volumus, cùm dicimus, infideles illos excusari à peccato infidelitatis, propterea quòd non habeant qui se doceant. Attamẽ fieri potest, vt illud, quod est pœna peccatorum, excuset à peccato consequenti, quando causa, vt omissio vel commissio sequens est simpliciter inuoluntaria. Atq, ita accidit in proposito. Nam vt deductum est, hoc ipso quòd illi infideles nihil audiunt de fidei doctrina, fit vt nõ possint ex intẽtione & humano modo illam cognoscere: Et consequenter, vt inuoluntariè id ignorent.

Neque sequitur, pœnam illam esse voluntariam, hoc ipso, quòd peccata, ex quibus sequitur, fuerint voluntaria. Nam præterea requiritur, vt qui commiserunt illa peccata, potuerint præuidere, consecuturam esse huiusmodi pœnam. Quod in proposito non accidit. Nam cùm infideles committunt peccata contra naturam, nihil possunt cognoscere de defectu prædicatorum doctrinæ fidei, qui vt pœna consequatur.

Quod verò attinet ad illa loca Scripturæ, quæ in argumento obiiciebãtur, respondeo, accommodanda esse ad casus, in quibus error, vel ignorantia, quæ est pœna peccati, potest aliqua ratione humano modo vinci, id quod non habet locum in proposito.

Ad CONFIRMATIONEM eiusdem tertij argumenti respondeo, posse quidem aliqua ratione dici, infidelitatem illam esse voluntariam voluntate primi parentis; sed non ita, vt propterea censeri ipsa possit esse peccatum vllum in posteris: ne illo quidem modo, quo priuatio iustitiæ vt voluntaria voluntate primi parentis, est in posteris peccatum originale. Ratio est, quoniam primo homini, vt totius humani generis capiti, in quo omnes posteri continebantur, non fuit specialiter impositum præceptum de conseruanda, & simul transmittenda fide ad posteros. Quare etsi voluntate primi parentis censeantur posteri vtcunque voluisse priuari fide, quatenus hoc fuit effectus illius prauæ voluntatis Adæ, attamẽ quoniam non voluerunt hoc contra speciale præceptum impositum illis, quatenus in Adamo continebantur, idcirco infidelitas non habet in eis rationem peccati, hoc ipso, quòd est effectus prauæ voluntatis Adæ. Quare maneat Infidelitatem negatiuam, hoc est, eorum, qui de fide nihil audierunt, non esse peccatum: sed solùm Infidelitatem contrariè, id est, eorum, qui de fide audierunt.

Sed quæritur tunc SECVNDO, quãm latè patere censenda sit hæc Infidelitas, quam Theologi vocant contrariam, & quæ est peccatum? Et breuiter respondendũ est, cùm Theologi affirmant, Infidelitatem contrariè esse peccatum, non solùm loqui de Infidelitate illius, qui actu negat aliquam propositionem fidei, aut sentit aliquid contra fidem, sed etiam illius, qui cùm percipiat auditu doctrinam fidei, omittit credere. Itaque particulã illam *contrariè*, vsurpant latius, vt comprehẽdit etiam infidelitatem priuatiuè, hoc est, eius, qui cum debet & potest credere, non credit, atque adeo interpretatiuè contemnit fidem, & veluti aduersatur illi.

Sic exponendam esse hanc doctrinam satis insinuat D. Thomas, cùm Infidelitatem contrariè dicit esse eius, qui repugnat fidei, vel contemnit illam: quasi dicat, vel negligit credere, cùm possit & debeat. Et secundùm vtrumque sensum doctrina hæc est de fide, Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.* & 15. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et Marci vltimo: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et ad Titum 3. *Eramus aliquando errantes, increduli, idolis seruientes, &c.* Quo loco infidelitatem numerat inter alia peccata, sicut etiã numeratur Apocalypsis 21. & alibi. Præterea idem patet ex eo, quod suprà quæst. 2. & 3. disputatum est, obligari homines præcepto diuino ad credendum. Ex quo efficitur, Infidelitatem peccatum esse.

Sed argumentatur CAIETANVS contrà: Nemo tenetur suscipere, quod est supra conditionem suam & statum: sed fides est supra statum atque naturam hominis: Ergo nemo tenetur illam suscipere. Maiorem probat exemplo. Nam ciuis v. g. non tenetur obedire principi iubenti, vt ascendat ad statum nobilium, &c.

Ad hoc argumentum bene idem Caietanus RESPONDET, licet prolixè. Breuiter est neganda Maior, si id expediat ad bonum communitatis, cuius curam gerit is, qui imperat. Atque ita accidit in proposito. Nam expedit ad finem vniuersi, cuius curam Deus gerit, vt homines ascendant ad ordinem supernaturalem. Maximè cùm homo naturâ sua creatus sit capax eius ordinis; quo fit, vt præcepta supernaturalia non penitus abhorreant à natura hominis, sed consentanea illi sint, quatenus est capax supernaturalium, vt rectè deducit hoc loco Caietanus.

TERTIO quæritur, In quonam subiecto sit peccatum hoc Infidelitatis: nam & hoc spectat ad cognoscendam naturam huius peccati. Ratio dubitandi est, nam ex vna parte, D. Thomas hîc art. 2. affirmat, peccatũ Infidelitatis esse quidem in voluntate tanquam in vniuersali principio omnium peccatorum, in intellectu autem, vt in subiecto proximo. Primum probatur, quoniã omne peccatum est voluntarium, atq; adeo etiã

Infideli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Infidelitas. Posterius probatur sic: quod est proximum principium peccati, id etiam est subiectum proximum illius: sed intellectus est principium proximum infidelitatis: Ergo & subiectum proximum. Maior est asserta 1.2. quæst. 74. Minor probatur, quoniam idem est principium contrariorum actuum: sed principium assensus fidei est intellectus: Ergo etiam est principium dissensus, atque adeo Infidelitatis.

Ex alia verò parte occurrunt contra doctrinam hanc duo argumenta. PRIMVM est tale: Qui demonstratione inductus persuadet sibi, Deum v.g. esse vnum, sic vt nisi demonstrationem haberet, vellet omnino id negare, infidelis est: Sed hęc infidelitas nullo modo est in intellectu: Ergo nõ omnis infidelitas est in intellectu, tanquã in proximo subiecto. Maior communiter conceditur. Minor patet. Quoniam ille non negat veritatem fidei, sed potius credit.

SECVNDVM argumẽtum est huiusmodi: Qui deliberatè dubitat, Vtrum verbum diuinum v.g. sit incarnatum, infidelis est, modò cognouerit de reuelatione diuina per propositionem Ecclesiæ, vti pono: Sed infidelitas huius non est in intellectu: Ergo. Maior communiter conceditur, vt dicemus quæstione sequenti. Minor probatur. Nam nihil possumus in intellectu eius hominis aduertere, quod sit contra fidem. Non enim negat, verbum esse incarnatum, sed hæret dubius, in neutram partem inclinans. Neque rursus eo ipso peccat contra fidem, quod abstinet tunc ab assensu veritatis. Pono enim dubitare eum eo tempore, quo minimè tenetur ex præcepto affirmatiuo assentiri. Itẽ nec peccat propterea, quòd in illa dubitatione expendit rationes vtriusque partis: hoc enim per se nõ est contra fidem. Nam fit sæpè hoc bene atque vtiliter ab his, qui disputant. Postremò nec necesse est, vt ideo talis peccet, quoniam existimet reuelationem diuinam aut propositionem Ecclesiæ incertam esse. Potest enim fieri, vt non hoc existimet, sed de eo etiam dubitet, aut certè vt ab eo cogitationẽ abstrahat, illamque totam defigat in expendendis vtrinque rationibus eius propositionis, de qua dubitat: quod ipsum per se non est contra fidem, vt dictũ est. Apparet igitur in intellectu eius, qui de fide dubitat, nihil cerni posse, quod sit contra fidem: quare vera videtur illa Minor.

RESPONDEO, doctrinam illam D. Thomæ verissimam esse: sed debere intelligi de infidelitate *completa*, quæ nimirum progrediatur ad assensum contrarium fidei, vel ad negationem veritatis fidei, vel ad omissionẽ assensus fidei, tempore, quo est debitus. Argumenta verò proposita procedunt de infidelitate incompleta, quæ nimirum sola voluntate contradicendi doctrinæ fidei continetur, vt mox patebit magis. Quare non obstant doctrinæ D. Thomæ.

Id possumus hoc exemplo illustrare. Intemperantia peccatum esse dicitur, quod in appetitu sensitiuo vt in subiecto sit; nihilominus fieri potest, vt sola voluntate committatur peccatum intemperantię, quod proinde non sit in appetitu sensitiuo, sed in volũtate: Vt si quis velit quidem concupiscere aliquid contra temperantiam, sed nondum concupiscat. Hic tametsi verè reus sit peccati intemperantiæ, quia tamen non committit intemperãtiam completè, ideo peccatum hoc non est in appetitu sensitiuo, sed in voluntate sola. Ita in proposito rem se habere, facilè iam declarabimus.

Et quidem in casu prioris argumenti satis patet, infidelitatem sola voluntate admitti. Vult enim ille conditionaliter saltem repugnare fidei, si nimirum non haberet demõstrationem, quòd Deus sit vnus. In casu autem secundi argumenti non æquè clarum est, quomodo is, qui deliberatè dubitat de propositione fidei, admittat infidelitatem sola voluntate. Nihilominus quoniam efficaciter probatum in eo argumento est, nihil omnino esse in intellectu eius, qui in illo casu dubitat, quod per se aduersetur præcepto fidei, arbitror planè infidelitatem eiusmodi in voluntate sola consistere. Nam qui deliberatè dubitat, hoc ipso (saltem tacitè) vult repugnare fidei, si vnquam ratio contra fidem magis ipsi placuerit, atque adeo ipsum mouerit ad sentiendum contra fidem. Itaque cernitur etiam in hoc casu voluntas conditionata repugnandi fidei: quæ voluntas aduersatur præcepto negatiuo, quod vetat non modò sentire contra fidem, sed etiã velle vlla ratione sentire.

Atque hinc intelligi potest, quomodo amittat habitum fidei is etiam, qui deliberatè de fide dubitat. Sicut enim apud eũ, qui fidei repugnat, non viget amplius reuelatio diuina & propositio Ecclesiæ, sic nec apud eum, qui deliberatè dubitat. Sed suprà quæst. 5. p. 3. ostensum est, non manere fidem in eo, apud quem reuelatio diuina & propositio Ecclesiæ tanquam certa & infallibilis non viget: Ergo nec manet in eo qui deliberatè de fide dubitat. Maior probatur. Nam propositio Ecclesiæ vt infallibilis in eo vigere censetur, qui ita comparatus est, vt semper (quoad specificationem) velit illa moueri tanquam infallibili: atque adeo qui non habet illam pro incerta, neque habere vnquam vult: Sed qui deliberatè dubitat, vult, vt dictum est, in aliquo casu sentire contra fidem, neglecta propositione Ecclesiæ, si videlicet ratio in contrarium magis ipsum mouerit aliquando: Ergo apud hunc non viget Ecclesiæ propositio, & consequenter nec reuelatio diuina, atque ita amittit fidem.

Animaduerti autem volo, me de eo, qui priè dubitat, hoc loco agere. Nam si quis actu contra fidẽ opinetur vel suspicetur aliquid tanquam verũ, & ideo dicatur dubitare de fide, quia non est omnino certus de opposito, sed habet aliquam oppositam formidinem de veritate fidei, hic sanè infidelitatem completè admitteret in

intellectu. Quicunque enim assensus deliberatus contra fidem, infidelitas est completa, vt hîc loquimur. Et Caietanus quidem in præsenti infidelem esse dicit non solùm eum, qui actu contradicit fidei, sed etiam eum, qui dubitat, vel per opinionem & suspicionem, vel per neutralitatem, vt ipse inquit. Ceterùm propriè is solùm dubitare videtur, qui in neutram partem inclinat. Ac de hoc procedit, quod diximus: Infidelitatem eius, qui in casu illius secundi argumenti dubitat, esse solùm in voluntate.

QVARTO quæritur, Vtrum infidelitas contrariè sit peccatum, non qualecunque, sed etiam maximum omnium peccatorũ? Respondemus cum D. Thoma art. 3. per hanc assertionem: Infidelitas maximum est omnium peccatorum, quæ admittuntur contra virtutes morales; minus autem est iis peccatis, quæ admittũtur contra alias duas virtutes Theologicas, videlicet Odio Dei & Desperatione. Posterior huius assertionis pars infrà suis locis probabitur. Priorem sic probat D. Thomas: Eò peccatum aliquod est grauius, quò per illud magis recedit aliquis à Deo: Sed per infidelitatem magis recedit aliquis à Deo, quàm per vllum aliud contra virtutes morales: Ergo Infidelitas maius peccatum est omnibus eiusmodi peccatis. Maior patet. Nam peccatum formaliter consistit in auersione à Deo, vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 71. art. 6. & 73. art. 3. Minor probatur. Quoniam infidelis ne cognoscit quidem Deum: Ergo maximè ab illo distat. Antecedens probatur. Quia per opinionem falsam nec cognoscit Deum simpliciter, vt patet, nec secundum quid. Nam quod ille opinatur, nõ est Deus.

Procedit autem hæc assertio de Infidelitate ex genere suo considerata. Nam potest nihilominus fieri, vt attentis circumstantiis alia peccata moralia maiora sint. Hoc patet ex D. Thoma in solutione 2. & 3. Ratio est. Nam peccatum infidelitatis potest per circumstantias ita minui, & è contrà, peccatum aliud ita per illas aggrauari, vt omnibus consideratis magis peccet, qui aliud peccatum admittit, quàm qui infidelitatem.

Porrò sic intellecta ista assertio, facilius posset à D. Thoma probari ex præstantia fidei. Nam vt hęc virtus excellentius coniungit hominem cum Deo, quàm vlla virtus moralis, sic infidelitas deterior est, quàm vitium quodcunque virtuti morali contrarium.

Nihilominus ratio D. Thomæ procedit bene, si animaduertantur hæc tria: PRIMO, quod ait infidelem nõ cognoscere Deum, intelligendum esse formaliter, quatenus infidelis est. Nam materialiter bene potest per alium conceptum cognoscere aliquid, quod reuera conuenit Deo. Sic notat Caietanus, qui melius hac de re loquitur hoc loco, quàm suprà quæst. 2. art. 2. ad 3. vbi p. 2. aliquid circa hoc attigimus.

SECVNDO, quando D. Thomas probat, per infidelitatem recedi magis à Deo, quoniam infidelis ne cognoscit quidem Deum: vis probationis non est in hoc, quòd infidelis careat initio appropinquandi Deo, id est, cognitione, atq; adeo magis distet à Deo, quàm qui peccat contra virtutes morales. Si enim ita procederet ratio diui Thomæ, probaret quoque, infidelitatem maius peccatum esse, quàm Odium Dei. Nam prius acceditur ad Deum per fidem, quàm per charitatem. Et multò magis à termino distat, qui ne incipit quidem accedere. Vis ergo probationis nõ est in hoc, quòd infidelis careat ea cognitione, per quam prius, sed per quam magis acceditur ad Deum, quàm per aliquã virtutem moralem, quia cognitio fidei præstantior est, quàm vlla actio virtutis moralis. Quo fit, vt cùm actio charitatis sit similiter præstantior, quàm cognitio fidei, perfectius accedatur ad Deum per charitatem, quàm per fidem, licet non prius.

TERTIO, quod D. Thomas in illa eadem ratione sumit, peccatum formaliter consistere in auersione à Deo, intelligendum est de auersione à Deo, quæ includitur in ipsa auersione & defectione à perfectione debita oppositæ virtutis, quæ defectio est etiam auersio quædam à Deo, tum vt à legislatore, tum vt est summum bonũ, in quod perfectio virtutis ordinatur. Nam auersio à Deo vt ab vltimo fine, quæ formaliter continetur in priuatione diuinæ gratiæ, potius est quidam effectus peccati actualis; de quo hîc loquitur diuus Thomas. Vide tomo secundo, disput. 6. quæst. 16. p. vnico.

PVNCTVM SECVNDVM.

An cum Infidelitate possit consistere vlla bona actio; vel, vtrum omnis actio Infidelis sit peccatum.

D. Thomas art. 4.

HOc loco extra controuersiam est, actiones eas omnes esse malas, quas ex Infidelitate quidem exercent infideles. Nam hæ referuntur ab iis ad prauum finem Infidelitatis. Sed quæstio est, an omnes omnino actiones infidelium hoc ipso, quòd sunt Infidelium actiones, sint malæ.

Affirmant Sectarij huius temporis. Vt Lutherus artic. 36. ex damnatis à Leone X. Et Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ, & Bucerus in libro de Concordia controuersiarũ, & Caluinus lib. 2. institut. cap. 3. & Kemnitius in Examine Concilij Tridentini sess. 6. canone 7. & alij.

Probant PRIMO ex Scriptura, Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Et Ioan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Et ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et ad Tit. 1. *Omnia munda mundis: Coinquinatis autem & Infidelibus nihil est mundum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO adferunt quædam testimonia Patrum. Vt sancti AVGVSTINI, libro de prædestinatione Sãctorum, capite decimo, & libro quarto contra Iulianum capite tertio & aliâs, dicentis, nõ esse bona vlla opera in Infidelibus. Et sancti CHRYSOSTOMI, qui idem affirmat in sermone de Fide & lege, & Spiritu sancto.

TERTIO idem probant ratione. Nam omnia opera infidelium inficiũtur à labe originalis peccati: Ergo sunt peccata. Quo argumento etiam mouentur, vt putent omnia etiam opera fideliũ & iustorum peccata esse, cùm in iis quoque peccatum originale perpetuò hærere sentiant, vt vidimus tomo secundo, disputatione sexta, quæstione decima quarta, & disputatione octaua, quæst. 1. p. 5.

Præterea Gregorius ARIMINENSIS libro secundo sententiarum, distinctione quadragesima prima, quæst. vnica, articulo secundo, coroll. 3. contendit, omnem actionem eius infidelis esse malam, qui simpliciter ignoret verum Deũ; non autem hæreticorum, aut aliquorum infidelium, qui Deum saltem cognoscunt, vt patet etiam ex eodem Gregorio in secundo, distinctione vigesima sexta, quæstione prima, in responsione ad argumenta. Sententiam suam probat PRIMO, quoniam talis infidelis non potest operari propter Deum summè dilectum: cùm non cognoscat Deum esse diligendum summè propter se, & reliqua propter ipsum.

SECVNDO adfert auctoritatẽ Augustini, qui variis in locis negat, vllum esse bonum opus sine fide. Item ait, totam vitam infidelium esse peccatum: Neque illos habere veras virtutes. Vt patet, libro quinto de ciuitate Dei, capite quarto, & libro quarto contra Iulianum, capite decimo nono, & in Psal. 31. & 67. & libro primo retract. capite tertio, vbi inquit: *Displicet mihi quòd dixerim, Philosophos sine vera pietate virtutis luce fulsisse.* Et peculiariter in libro de Continentia sub finem ait: *Continentiam sine fide non esse veram continentiã, quoniam est peccatum: iuxta illud ad Rom. 10. Omne quod non est ex fide, peccatum est.*

TERTIO, ex doctrina eiusdem Gregorij articulo primo eiusdem quæstionis, concl. 2. possumus pro eo sic formare rationem: Diligere creaturam aliquam propter se, peccatum est: sed infidelis, qui ignorat verum Deum, in omni actione sua diligit aliquam creaturam propter se: Ergo in omni actione peccat. Maior probatur. Nam illud duntaxat est diligibile propter se, quod est summè diligibile, nempe Deus: Si enim aliqua creatura est propter se diligibilis, cùm nõ sit maior ratio de vna, quàm de alia, quælibet esset propter se diligibilis, si huic non obstat, quòd creatura non sit summè diligibilis: Atque ita posset etiam gloria & honor humanus propter se diligi, & sic liceret aliquid agere propter gloriam humanam, vt propter finem per se intentum, quod tamen est falsum. Minor autem probatur, nam cùm talis Infidelis non cognoscat Deum, non diligit creaturam propter Deum, ac proinde eam diligit propter se.

POSTREMO, possumus sic argumentari pro Gregorio: Sicut se habet fidelis ad vltimũ finem suum bonum, id est, Deum; ita infidelis ad finem suæ infidelitatis malum: Sed fidelis se & omnia sua refert ad finem vltimum bonum: Ergo similiter infidelis refert sua omnia ad finem malum: & consequenter in omni actu peccat. Confirmatur. Nam infidelis adhæret alicui creaturæ tanquam fini vltimo, quem super omnia diligit: Ergo omnia facit propter eiusmodi rem creatam tanquam propter vltimum finem. Et consequẽter in omnibus peccat.

Capreolus quoque in secundo, distinctione quadragesima prima, quæstione vnica, articulo tertio, sub initium, conuenit cum Gregorio in hoc, quòd putat, omnem saltem actionem diuina lege præceptam esse peccatum in Infideli, si exerceatur eo tempore, quo ex præcepto debet. Nam arbitratur Capreolus, actionẽ præceptam pro tempore, quo præcepta est, debere actu vel virtute (per priorem scilicet actum) referri in verum Deum; quod non faciunt ij infideles, qui verum ignorant Deũ; ac proinde putat Capreolus eos tunc peccare per defectum huius circumstantiæ in actionibus præceptis.

Sed CONTRARIA sententia est habenda pro certa, scilicet posse fieri à quibuscunque infidelibus aliqua opera bona moraliter, etiamsi nec Deum verum cognoscant, & siue sint præcepta, siue non: Ita docet sanctus Thomas hìc, & Durandus in secundo, distinctione quadragesima prima, quæstione prima & alij.

Probatur PRIMO ex Scriptura, in qua opera quædam eiusmodi infidelium tanquam moraliter bona laudantur. Vt Exodi primo: Laudantur obstetrices AEgyptiæ, quia contra Regis mandatum non interficiebant, sed conseruabãt mares, qui ex Hebræis nascebantur, ad quod erant diuina lege obligatæ. Et tamen Obstetrices illæ infideles erant, nec verum cognoscebant Deum. Nam quod ibidem dicitur, *timuisse illas Deum*, nõ est necesse intelligere de Deo vero, sed potest intelligi de suo aliquo Deo vel Diis, in quibus ipsæ falsò putabãt esse verum numen diuinum, quod offendere metuebant per infanticidium, ipso lumine rationis naturali ductæ. Vnde in textu Hebraico est ibi nomen *Eloim*, quod nomen solet etiam in Scriptura vsurpari ad significandũ Deos falsos, vt Deuter. 12. & aliâs. Nec est etiam verisimile peccasse in ea actione obstetrices per aliquã circumstantiam malam: maximè cùm ibi legamus, fuisse hanc illarum actionem à Deo remuneratam. *Quia timuerunt*, inquit, *obstetrices Deum, ædificauit eis domos.*

Item 2. Reg. 17. commemoratur bonum opus, quod Bercellai Galaadites, & alij alienigenæ infideles fecerũt Dauidi, & eius exercitui, suppeditantes ei necessaria ad vescẽdum, id quod ex naturali quadam charitate sine mala vlla circumstantia fecisse videntur, vt colligere licet ex illis Scripturæ verbis: *Suspicati enim sunt populum fame & siti fatigari in deserto.* Vt iam præteream alia huius generis.

SECVNDO probatur ex Patribus. S. AMBROSIVS libro primo de Abraham, capite secundo, Regem AEgypti laudat, quòd tametsi barbarus cognouerit & executus fuerit legem naturæ, restituendo Saram Abrahæ, idq; adeo bene & cumulatè fecerit, vt etiam benignè & non sine custodum præsidio Abrahamũ à se dimiserit. *Maior*, inquit, *lex naturæ quàm legũ præscriptio est. Non mirum ergo, si & iste Ægyptius Rex Deum timuerit, qui hominem non timebat, & pœnam soluit adulterij, qui nullis tenebatur legibus: statimque vbi alienam esse cognouit vxorem, non solùm marito reddidit, verùm etiam prosecutores dedit, qui deducerent eum, ne quis de populo barbaro irrogaret violentiam vel peculio viri, vel vxoris pudori.*

Sanctus HIERONYMVS in fine libri secundi commentariorum in Epistolam ad Galatas, circa illud ad Galatas quinto: *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*, manifestè indicat, tam verè posse esse aliqua opera bona moraliter sine fide, atq; verè fides potest esse sine charitate, vt suprà quæstione sexta, puncto tertio probauimus: Ita enim scribit Hieronymus: *Quomodo iuxta Apostolum fides absque operibus mortua est, sic absque fide, quamuis BONA opera sint, mortua computantur.* Et addit: *Qui igitur in Christo non credunt, & sunt probis moribus, aliud quid magis habent quàm opera virtutum.*

Sanctus AVGVSTINVS libro de Spiritu & litera, capite vigesimo septimo: *Impiorum*, inquit, *nec Deum verum veraciter iustéq; colentium, quædam facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundùm iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectéque laudamus.* Vbi de operibus ex omnibus etiam circumstantiis moraliter bonis loquitur: nam quæ ex circumstantiis mala sunt, non possunt secundùm iustitiæ regulam laudari. Tametsi addit quidem ibi Augustinus, vix eiusmodi opera exerceri ob bonum finem. Quo ipso indicat, aliquando propter bonum etiã finem fieri; nam quod vix fit, interdum solet fieri.

Et eodem libro capite vigesimo octauo: *Sicut iustum*, inquit, *non impediunt à vita æterna quædam peccata venialia, sine quibus hac vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis* (etiam infidelis) *inuenitur.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS homilia sexagesima septima, ad populum Antiochenum generatim de malis hominibus, siue fideles, siue infideles sint, affirmat ita eos non posse carere aliquibus bonis operibus, sicut non possunt boni carere aliquibus peccatis. *Non potest*, inquit, *malus, omnino malus esse, sed euenit, vt & aliquid habeat boni: neque bonus esse bonus omnino, sed & nonnulla solet habere peccata.* Similia scribunt alij.

TERTIO probatur ratione hoc pacto: Si omnis actio infidelium peccatũ est, causa erit, quia vel *notitia fidei* carent: vel quia *gratia* iustificante priuati sunt ob ipsam infidelitatẽ, aut aliud peccatum: vel quia carent *auxilio actuali* gratiæ: vel denique quia alicui creaturæ vt *vltimo fini* adhærent: Sed ob nullam istarum causarum oportet omnem actionem infidelium esse malam: Ergo, &c.

Minor sigillatim probanda est. Et PRIMO quòd non ideo omnis actio infidelium sit mala, quia ij careant *notitia fidei*, probatur, quoniam notitia fidei, si necessaria est ad bonitatem actionis, maximè propterea, quòd oporteat actionẽ referri in Deum per fidem cognitum: At hoc minimè requiritur. PRIMO, quia, vt rectè Caietanus hic disputat contra Ariminensem, nulla relatio actualis in Deum necessaria est ad bonitatem moralem actus; sed satis est, si referatur virtualiter, hoc ipso, quòd aliquis tendat in obiectum bonum secundùm ipsius conditionem & naturam, atque adeo vt est referibile (inquit Caietanus) in summũ bonum, quod est Deus. Omne enim particulare bonum naturâ suâ est propter summum bonum, atq; ita qui fertur in rem iuxta naturam eius, eo ipso virtualiter refert ipsam in Deum.

SECVNDO, quia dato, quòd requireretur actualis relatio, ea certè, ad bonitatem moralem actus, nõ est necessaria propter Deum cognitum per fidem: Hęc enim relatio fidei solùm est necessaria ad opera meritoria, vt asserit rectè Durandus vbi suprà numero nono. Sed satis est ad bonitatem moralem referri actionem in Deum cognitum cognitione naturali, saltem sub ratione summi boni in communi. Quo posito etiam ab iis, qui ignorant verum Deum, in particulari potest referri actus reuera in Deum tanquam summum bonum. Vt patet ex his, quæ diximus tomo secundo, quæstione prima, puncto quinto, vbi explicauimus, quomodo conceptui, quem aliquis format de summo bono in genere, obiectiuè correspondeat ipse Deus.

Quod autem non ideo omnis actio infidelis mala sit, quia careat ille *gratia iustificante*, patet ex Concilio Tridentino sessione sexta, canone septimo, vbi sub anathemate damnatur is, qui dixerit, omnem actionem hominis ante iustificationem esse peccatum. Hinc enim apparet, gratiam iustificantem non esse necessariam ad bonitatem moralem actus.

Quod præterea actio infidelis omnis mala nõ sit, quia careat is auxilio Dei actuali, patet PRIMO, quoniam vt dictum est puncto primo huius quæstionis, etiam infidelis potest habere id auxilium, si consideratione diuinę prouidentiæ ductus, & aliquali gratia excitante (quæ nemini de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

est) præuentus, illud postulet in necessitate, saltem sub communi ratione auxilij. Nam etsi sub ratione particulari auxilij supernaturalis nō possit de illo naturaliter cogitare, tamen Deus illi eiusmodi auxiliū nihilominus daret. SECVNDO, quoniam ne auxilium quidem actuale necessarium est semper ad actionem moralem bonam exercendam, vt fusè ostendimus contra eundem Gregorium tomo secundo, disputatione octaua, quæst. 1. p. 3.

Denique quòd omnis actio infidelis non ideo sit mala, quia infidelis prauè adhæret creaturæ *vt vltimo fini*, patet ex eo, quod tomo secundo, quæstione prima, puncto quinto ostendimus, non esse necessarium, vt omnia quis referat ad finem vltimum malum in particulari, vt referat (inquā) ita, vt satis sit ad peccandum: sicut illic diximus, & dicemus hic in solutione vltimi argumenti Gregorij Ariminensis.

Neque erit difficile nunc respondere ad contraria argumenta Sectariorum, & Ariminensis, & Capreoli. Ad PRIMVM argumentum Sectariorum ex Scripturæ testimoniis ductum respōdeo, arborem malam Matthęi septimo, nominari malam voluntatem, quatenus malè aliquid vult, vt ex AVGVSTINO docuimus tomo primo, disputatione tertia, quæstione sexta, puncto primo. Etsi autē ex huiusmodi mala voluntate non possit prodire opus bonum, tamē non est necesse, vt infidelis in omni opere habeat huiusmodi malam voluntatem.

Quod autem ait Dominus Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, solum significat, non posse sine fide & gratia fieri aliquod opus salutare, quod scilicet valeat conciliare homini salutem, iuxta ea quæ disseruimus tomo secundo, disputatione octaua, quæst. 1. p. 3.

Illud autem: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, intelligitur tum de eo, quod ita non fit ex fide, vt fiat etiam ex infidelitate propter malum finem: tum inprimis de omni eo, quod fit contra conscientiam, vt exponit sanctus CHRYSOSTOMVS homilia vigesima sexta in Epistolam ad Romanos, & alij; & patet ex loci illius circūstantiis.

Item quod ad Titum 1. ait Apostolus, *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum*, non significat, nihil boni in eis esse, aut ab eis fieri posse, sed eadem ratione & superstitione, qua putabant infideles quidem creaturas quasdam esse immūdas, & ab eis abstinebant, facile potuisse reputare reliquas etiam omnes creaturas immundas esse. Ita hunc locum exponit sanctus CHRYSOSTOMVS homilia tertia, in Epistolam ad Titum. Vbi inter cætera ostendit, quomodo etiam cerui, & gallinæ, & vinum, & aqua, & alia huiusmodi possent videri immunda, si perperam & superstitiosè ista disquirantur. *Qui animo*, inquit, *infirmus est, omnia inquinat. Nam si ista discutiat, & quid sit mundum & immundum requirat, nihil penitus tanget, omnia enim, vt suprà monstrauimus, immunda erunt.*

Ad SECVNDVM argumentum Sectariorū ductum ex auctoritate Patrum, Respondeo, Patres cùm negāt vlla esse bona opera infidelium, loqui de operibus, quæ bona sint, non quomodocunque, sed ita, vt ad salutem valeant. Sic enim opera censentur à Theologis & Patribus bona, iuxta Scripturæ etiam phrasin, vt ostendimus quæst. 1. de Gratia p. 3.

Ad TERTIVM respondeo, opera infidelium, quæ alioqui nullam malam circumstantiam habēt, minimè à peccato originali inquinari. Tum quia non procedunt ab illo, sed à naturæ bono; tum quia rectitudo iustitiæ originalis, cuius priuatio est peccatum originale, non est perfectio debita ipsis operibus ex diuina lege, vt ostendimus quæstione sexta de Legibus, puncto quarto. Quamuis est quidem iustitia originalis naturæ hominis debita, quatenus mentem Deo subiiciebat, vt docuimus quæstione duodecima, de Peccatis, puncto vnico. Quo loco demonstrauimus etiam contra Sectarios, peccatum originale minimè remanere in hominibus iustis.

Deinde ad argumenta quoq; Gregorij ARIMINENSIS respondendum est. Ad PRIMVM respōdet bene Caietanus, relationem illam actualem, ad quam requiritur cognitio veri Dei, non esse necessariam ad bonitatem moralem; sed sufficere relationem virtualem.

Ad SECVNDVM respondeo, Augustinum intelligendum esse de virtutibus & actionibus bonis Theologicè loquendo, & secundùm Scripturæ phrasin, secundùm quam nihil solet dici bonum, nisi quod valeat ad gratiam Dei & beatitudinem acquirendam. Atque hanc quidem expositionem Augustini rectam esse, quęstione prima de Gratia, pūcto tertio, probauimus, ipsius quoque Augustini testimoniis. Et sanè ita ipse Ariminensis quoque intelligere debuit Augustinum. Alioqui cùm concedat infideles, qui cognoscunt verum Deum, posse opera aliqua bona exercere, ipse etiam Augustino repugnaret. Procedunt enim præcipuæ sententiæ Augustini, quas Gregorius adfert, de infidelibus Philosophis, quorū plerosq; constat verum agnouisse Deum, qui sit super omnia diligendus & colendus.

Peculiariter verò ad illud quod Augustinus ait; totam vitam infidelium esse peccatum, dicimus sensum esse: Infideles cùm fidei lumine destituti sint, frequentissimè peccare; sicut solemus dicere: vitam eius hominis, qui literarum studio addictus est, totam consumi in eo studio, tametsi permulta alia faciat. Illud etiam quod Augustinus ait, continentiā sine fide non esse veram continentiam, sed peccatum, intelligendum est de continentia, quæ vsque adeo fide est destituta, vt etiam suscipiatur ex infidelitate, atque adeo repugnet veræ religioni & fidei. Qualis erat v.g. Castitas Virginum Vestalium.

Atque de operibus, quæ ita non procedunt ex fide, vt etiam repugnent illi, & ad finem malum

infidelitatis

infidelitatis referantur, intelligendum vniuersaliter est illud quod D. Augustinus subiungit ex Apostolo: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, vti exponit hîc D. Thomas in solutione primi, & colligitur ex ipso Apostoli contextu. Neque modus hic loquēdi, vt scilicet quod repugnat alicui virtuti, dicatur simpliciter non procedere ex ipsa, inusitatus est. Nam & opus, quod contra præceptum est diuinum, & charitati repugnat, solemus interdum dicere, non esse secundùm charitatem & legem Dei factum: præsertim cùm aliquem familiariter corripimus. Sic igitur locus ille Augustini & Apostoli intelligendus est in proposito. Quanquam habet etiam illa sententia (vt antè diximus) alium sensum, videlicet quicquid non fit secundùm conscientiam, malè fieri, vt exponit quoque D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 5. sed plures esse possunt vnius loci sensus.

Ad TERTIVM argumentum. Negatur Maior. Quamuis enim summum bonum duntaxat diligendum sit ita vltimatè & propter se, vt neque actualiter, neque virtualiter in alium finem referatur: possunt tamen aliqua quæ non sunt summum bonum, diligi propter se: ita vt actu & expresè non referantur ad aliud, quamuis tacitè siue virtualiter referātur ad vltimum finem, vt rectè hic docet Caietanus. Eiusmodi sunt virtutes, &c.

Neque hinc sequitur, quòd omnia bona creata possint, ppter se diligi. Vt enim quædam creaturæ sunt, quæ per se non habent perfectionem causæ efficientis, sed tantùm sunt instrumenta causarum, ita, inquit rectè Caietanus, quædam bona creata sunt, quæ per se nō sunt apta ad hoc, vt tanquam finis propter se secūdùm rectam rationem diligantur, sed tantùm vt diligantur propter aliquid aliud: cuiusmodi sunt honor & gloria humana. Quæ quidem quo pacto debeant referri ad aliud, vt vitetur peccatum in eorum appetitu, declarat rectè Caietanus infrà quæst. 131. artic. 1. qui præterea in Summa, verbo, Ambitio, docet, Appetitum honoris per se non esse peccatum mortale, nisi quando talis est, vt in honore constituatur vltimus finis. Quod fit, cùm aliquis propter honorem vult peccare mortaliter transgrediendo aliquod præceptum diuinum, sicut illic notat Caietanus.

Ad QVARTVM concessa Maiori in bono sensu, negatur Minor. Nam fideles etiam iusti aliqua opera mala faciunt, quæ nō referunt in vltimum finem bonum. Patet, quia venialiter interdū peccāt. Et sic contrà quoque, potuerunt etiam infideles facere aliqua opera bona, quæ similiter nō referant in suum finem malum, vt rectè aduertit hîc D. Thomas.

Ad CONFIRMATIONEM respondeo, non esse necesse, vt quis omnia referat ad finem vltimū malum; satis enim est, quòd ita sit comparatus, vt nulli alteri rei finem suum malum postponeret, casu quo alterutrum esset ei negligendum. Item quòd si opus esset, & in mentem veniret, omnia in finem vltimum malum referret. Quæ quidem non sufficiunt, vt aliquis censeatur omnia opera sua ita referre in vltimū finem malum, vt in omni opere peccet, sicut explicauimus q. 1. de Beatitudine p. 5.

Quod si aliquis infidelis actu retulisset omnia opera sua vnquam facienda in finem malum infidelitatis; ne tunc quidem necessarium esset ipsum in omni opere postea peccare. Dicunt enim aliqui satis probabiliter, vim eiusmodi relationis moraliter loquendo non pertinere ad opera moraliter alioqui bona, quæ infidelis ille diu post exerceret. Nam bonitas illorū operum ex se vinceret relationem illam diu antè præteritam; atque ita moraliter loquendo eiusmodi opera censenda potius essent tacitè referri in vltimum finem bonum, id est, in Deum, quàm in finem malum infidelitatis.

DENIQVE ad argumētum Capreoli respondemus, vt impleatur quidem sine peccato illa lex diuina, quę opus aliquod præscribit, non esse necesse, opus præscriptum referre in Deum actu vel virtualiter per priorem aliquam relationem actu, sed satis est, illud in Deum referre eo modo virtualiter, quo in probatione tertia nostræ sententiæ declarauimus cum Caietano. Vide quæ diximus quæst. 1. de beatitudine p. 5.

Mouet præterea Caietanus hic quæstionem, Vtrum liceat suppeditare infidelibus eas res, quibus cōstet ad superstitionem illos esse abusuros: Vt v.g. vendendo agnum Iudæo, instante Paschate, aut idolum Gētili. Sed hac de re opportunius disseremus p. 5. vbi est videndum, quatenus liceat communicare cum Infidelibus.

PVNCTVM TERTIVM.

Quotuplex sit Infidelitas.

D. Thomas art. 5. & 6.

DVAS hac de re statuimus assertiones ex sententia diui Thomæ hic & aliorum Theologorum. PRIMA assertio: Secundùm diuersitatem errorū cum fide pugnantium nullæ sunt determinatæ species infidelitatis: pro diuersa verò ratione, qua infidelitas potest aduersari fidei, tres possunt distingui species illius, nimirum Paganismus, Perfidia Iudæorum, & Hæresis.

PRIOR pars huius assertionis probatur. Quoniam errores, qui cum fide pugnant, infiniti esse possunt, vt indicat AVGVSTINVS in fine libri de Hæresibus. POSTERIOR item probatur. Nam si vitium consideretur, quatenus aduersatur virtuti, tot ex hac parte assignari possūt species illius, quot *modis* cōtingit ipsam virtuti repugnare: Sed infidelitas repugnare potest fidei tribus modis, quorum vnus efficit Paganismū: Alter Perfidiam Iudæorū: Tertius Hæresin: Ergo tres istæ species

Universidad de Deusto
Biblioteca

assignandæ sunt infidelitatis, quatenus fidei aduersantur. Maior patet. Nam ideo virtuti morali contraria sunt duo vitia extrema, quia duobus modis contingit, vitium repugnare virtuti, nempe per excessum, & per defectum. Minor ita explicatur. Nam vel quis aduersatur fidei nondum susceptæ, & tunc est Gentilis seu Paganus: aut fidei susceptæ in figura, & tunc est perfidus Iudæus: aut susceptæ secundùm ipsam manifestationem veritatis, & tunc est Hæreticus.

Porrò circa priorem huius assertionis partem notat Caietanus, errores illos, qui possunt esse infiniti circa fidem, nõ pertinere ad diuersas species propriè dictas. Quoniam ideo solùm dicuntur aduersari fidei, quia deficiunt à rectitudine ipsius fidei; qui defectus (inquit Caietanus) potius est priuatio speciei, quàm species. Ipse etiam addo, neque in latitudine priuationis posse huiusmodi errores censeri diuersæ speciei propriè, ad eum modum, quo cæcitatem dicimus esse diuersæ speciei à surditate. Ratio est, quoniam priuant perfectione virtutis eiusdem speciei.

Posterior autem pars assertionis intelligenda est de infidelitate *contrariè*; & sensus est, quòd si illæ tres infidelitates considerentur, quatenus diuersimodè tendunt ad suum obiectũ, secundùm quendam ordinem positiuum ad illud, sic differunt specie: Si autem considerentur, vt priuant rectitudine fidei, non differunt specie, sed potius sunt priuationes eiusdem speciei. Hoc facilè intelligetur ex his, quæ quæst. 13. de humanis actibus p. 5. generatim notauimus, duplicẽ speciem considerari posse in peccato seu vitio. Alteram positiuam, prout est quoddam Ens morale: Alteram priuatiuam, prout priuat perfectione virtutis. Et priorem quidem illam esse diuersam etiam in vitiis oppositis eidem virtuti: posteriorem non item.

Quæ doctrina etiam ponitur hîc à D. Thoma in solutione primi, qui præterea addit, vitium, vt priuat virtute, nõ propriè pertinere ad speciem, sed esse potius priuationem speciei. Nihilominus potest dici habere speciem priuatiuã ad modum, quo dicimus cæcitatem esse priuationem determinatæ speciei. Ex eo autem, quòd præcipua species vitij sit illa, quæ cõsistit in ordine positiuo ad obiectum, ne colligas dari aliquod malum morale positiuum. Hoc enim tomo secundo, vbi suprà, confutauimus dissentes contra Caietanum.

His ita explicatis, quod ad *praxim* quidem attinet, extra controuersiam est, Paganismum, & Iudæorum perfidiam, & Hæresim, adeo multum inter se differre, vt necessariò debeat quis in confessione explicare, ad quamnam infidelitatem ex istis deflexerit. Quinimò arbitror, qualitatem erroris etiam particularis, in quem quis incidit, exponendam esse in confessione. Multùm namque interest, Vtrum negaueris Mysterium v. g. SS. Trinitatis; an solùm quòd Paulus fuerit Hierosolymis. Item vtrum ad Mahumetismum, an ad superstitionem idololatricã deflexeris: quamuis hæc duo notat Caietanus hîc pertinere ad eandem speciem infidelitatis, nempe ad Paganismum.

Et hæc quidem adnotâsse satis fuerit, quod ad mores & praxin attinet. Quo posito non videtur necessarium, Metaphysicè (vt Caietanus hîc facit) disputare, Vtrum reuera Paganismus, Perfidia Iudæorum, & Hæresis propriè sint diuersæ species infidelitatis, an solùm differant secũdùm conditiones diuersas ipsorum infidelium, sic vt discrimen istorum trium oriatur duntaxat ex diuersa circumstantia personæ, quæ fidem anteà vel nõ susceperit, vel susceperit, hoc aut illo modo. Illud tamen aduertatur, Catechumenos, qui ante Baptismum deficiunt à fide, ad eam speciem infidelitatis censendos esse deflectere, ad quam magis se conuertant ex illis tribus. Item illos, qui cùm fuerint infantes baptizati, posteà infideles sunt, numerandos esse in hæreticis, quoniam aduersantur fidei susceptæ per professionem Baptismi.

Sit nunc SECVNDA assertio: Ex his tribus speciebus Infidelitatis simpliciter loquẽdo, Infidelitas hæreticorum est deterrima, & Iudæorũ deterior quàm Gentilium, vt rectè docet D. Thomas hic art. 6. Quoniam pessimum est aduersari fidei susceptæ secundùm manifestationem veritatis, quod faciunt hæretici; & aduersari susceptę in figura, est peius, quàm aduersari fidei nullo modo susceptæ, quorum illud faciunt Iudæi, hoc ethnici Gentiles.

Concedit tamẽ S. Thomas è contrario se rem habere, si agatur de quantitate vitij extensiuè. Nam Gentiles circa plura errant, quàm Iudæi: & Iudæi quàm Hæretici. Hoc intelligendum est regulariter. Nam vt ipse D. Thomas notat, contingit aliquãdo, hæreticos circa plura errare, quàm Gentiles, vt Manichæi, inquit D. Thomas. Quod nos possumus verè dicere de nostri temporis Sectariis, qui culpabiliter in pluribus videntur errare.

Præterea est notandum, certum ex fide esse, quòd magis peccet is, qui repugnat fidei prius susceptæ: iuxta illud 1. Pet. 2. *Melius erat eis viam iustitiæ non agnoscere, etc.* Qua de re videndus diuus Chrysostomus homilia 50. ad populum Antiochenum, vbi multis exaggerat infidelitatem hæreticorum, & S. Hieronymus in caput 18. Isaiæ, circa illud: *Væterræ, cymbalo alarum, quæ est trans flumina, etc.* Vbi affirmat, hæreticos *impietate sua omnes vincere.*

PVNCTVM QVARTVM.

An liceat cum Infidelibus publicè disputare.

D. Thomas art. 7.

RECTENE an secus, disputatio publica de fide suscipiatur, omnes asserũt iudicandum ex circumstantiis esse, hoc est, ex *fine*; ex cõditione *disputantium*; ex conditione *auditorum*; & deniq; ex disputandi *modo*. Statuemus igitur aliquot assertiones secundùm has omnes circumstantias.

PRIMA assertio: Cùm finis bonus est, non est dubium, quin ex ea parte disputatio sit licita, vt docet hîc D. Thomas. Vt si quis disputet ad defendendam fidem, vel etiã exercitationis gratia.

Malus autem potest esse finis in disputando dupliciter: PRIMO, si quis disputationem suscipiat ex voluntate conditionata repugnandi fidei, casu, quo rationes contra fidem magis ipsum mouerint: hinc ex parte finis illicitè disputat is, qui ex dubitatione disputat. Nam is, quãtum est ex ipsa natura dubitationis, expresse vel tacitè saltem vult repugnare fidei, si rationes contrariæ magis placuerint iuxta ea, quæ supra puncto primo diximus.

Hoc verò prõcedit, quando is, qui dubitat, intelligit alioquin rationes aliquas & motiua fidei, propter quæ meritò debet illam amplecti. Nam si nondum illi fides sufficienter proposita est, licitum est illi & dubitare, & ex dubitatione inquirere veritatẽ. Quod est aduertendum propter infideles, & eos, qui parentibus hæreticis nati incipiunt primò instrui circa fidem.

ALTERO modo contingit finem disputationis esse malum, cùm quis ex perfida voluntate absolutè repugnandi fidei, adducit in disputationem, & examen, ea quæ sunt definita ab Ecclesia, id est, à summo Põtifice per se, vel vnà cum legitimo Concilio.

Hac ratione improbè de fide disputant, cùm Lutherani omnes, tum præcipuè Martinus Kemnitius in eo Examine sacrilego, quod aduersus sacrosanctam Tridentinam Synodum instituit. Qua in re ille nõ solùm diuinam legem violauit, quæ iubet; Ex ore Sacerdotis sciẽtiam requirere, ipsumq; audire, sed etiã humanam Martiani Imperatoris, qui in Lege, *Nemo*, Codice de summa Trinitate & fide Catholica, prohibet, ne quisquã disputando de his, quæ semel à Synodo rectè cõstituta sunt, nouos tumultus reuoluat, & occasionem perfidiæ inde quærat.

Nec satisfacit huic obiectioni Kemnitius. Nam vt doceat, institutum à se examen non repugnare ei decreto, duo summatim dicit in præfatione: PRIMO, Imperatorem solùm vetare, ne quis disputet de illis, quæ sunt *rectè & verè definita* à Synodo: se autem non disputare de veritate, quæ sit per Concilium Tridentinum determinata, sed illud tantùm agere, Vtrum quæ ab eo Concilio determinata sunt, *verè & rectè* sint determinata. SECVNDO addit, Imperatorem prohibere, ne quis ad reuoluendos tumultus, & quærendam occasionem perfidiæ disputet: se autem hoc non spectare in eo Examine, sed tantùm velle Euangelium ab erroribus Concilij Tridentini (vt ille blasphemat) vindicare.

Est plane non solùm impia, sed etiam puerilis & stulta elusio Imperatorij decreti. Quæro enim ex Kemnitio, quemnam omnino existimet violare posse Decretum illud Martiani? Illúm ne qui in disputationem adducit ea, quæ iudicio atque sententia *ipsius Synodi* rectè & verè determinata sunt? an illum solum, qui cùm *ipse fateatur*, illa quæ Concilium seu Synodus determinauit, verè & rectè determinata esse, nihilominus ea in disputationem & examen adducit? Si hoc secundum Kemnitius respondeat, planè faciet Decretum illud Imperatoris ridiculum. Nemo enim tam insanus est, qui, quod ipse *fatetur* rectè esse à Synodo determinatum, velit in examen adducere, Synodo repugnante. Itaque Imperator vt aditum tumultibus ac dissensionibus præcluderet, non debuisset hoc prohibere, sed illud potius, ne quisquam prætextu veritatis defendendæ inquirat disputando, veráne an falsa fuerit Concilij determinatio. Apparet igitur euidenter Martianum voluisse prohibere, ne quis illa disputando examinaret, quæ à Synodo, iudicio & sententia *ipsius Synodi*, rectè & verè determinata essent: quod cum Kemnitius fecerit, elabi non potest, quin fateri cogatur, se contra illud etiam decretum Imperatoris deliquisse. Atque simili ratione refellendum est, quod SECVNDO addebat Kemnitius, se non ideo disputare, vt tumultus excitet, & quærat occasionem perfidiæ. Vetat enim Imperator, ne quis hoc quærat iudicio quidem ipsius Synodi. Quare cùm iudicio quidẽ ipsius Synodi & Catholicorum, Kemnitius illo suo Examine quærat occasionem perfidiæ, & quantum in ipso est, tumultus ea ratione exciet, reus est illius legis Imperatoriæ. Sed hæc obiter de Kemnitio.

Fit quoque illicita disputatio de fide ex parte circumstantiæ *finis*, quando nullus bonus finis ex illa sperari potest, sed tempus teritur, & fatigatur in altercando frustrà tum animus, tum corpus. Hac de causa plerumque est illicitum disputare cum ipsis hæreticis de Scripturis, ad quas illi prouocant. Quoniam, vt rectè ait Tertullianus libro de Præscriptionibus hæretic. præterquam quòd ipsi non habent ius ad agendum de Scripturis, *ad nihil id prodest*, inquit, *nisi vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri.* Videtur autem hæc circumstantia sola per se non efficere peccatum mortale, nisi aliæ concurrant. Quod si conuenientes iudices disputationi interessent, posset vtiliter huiusmodi disputatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum hæreticis suscipi, saltem propter alios, vt rectè notauit Eckius in loco communi de Disput. cum Hæreticis. A

Secvnda assertio: Ex conditione porrò *disputantis* redditur disputatio de fide illicita dupliciter: Primo, si ille indoctus sit, & disputet cum hæreticis. Plus enim nocet tunc quàm prodest disputare. Hoc attigit S. Thomas hic, requirens sufficientem doctrinam in disputante. Et idem colligitur ex Apostolo ad Tit. 1. cùm docet, Oportere Episcopum tenere eum, qui secúdùm doctrinam est, fidelem sermonẽ, *vt possit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Secvndo, si is, qui disputat, Laicus sit. Prohibentur enim Laici disputare, & quidem sub excommunicatione, cap. *Quicunque. §. inhibemus quoque*, de hæreticis, libro sexto. Cæterùm Caietanus notat hîc intelligendum hoc esse, si Laicus disputet formaliter, id est, cum hæretico ad persuadendam veritatem fidei directè, vel etiam, vt mihi videtur, adducendo hæreticorum argumenta, vt veritatem fidei magis persuadeat fidelibus. Nam hæc paria videntur esse; quare vtrobique videtur esse disputatio de fide formalis, iuxta mentem Caietani. Si verò quis disputet tantùm materialiter, hoc est, inquit Caietanus, non persuadendi caussa, sed exercitij tantùm, vel honoris, &c. vti fit sæpè in actibus publicis apud Catholicos, tunc non intelligitur Laicus ita disputans, incurrere illam excommunicationem. B C

Alij etiam limitant illam prohibitionem, vt non habeat locum in casu necessitatis, vel magnę vtilitatis, posito tamen quòd Laicus sit doctus: atque ita textus ille videtur intelligendus regulariter tantùm. Adde, quòd in locis, in quibus hæretici grassantur, præterquam quod ferè est vtile, vt Laici si docti sint, concurrentibus aliis circumstantiis, disputent, videtur illa prohibitio iuris positiui, eneruata per contrariam consuetudinem. Sed neque in locis, vbi illa vigeret, statim ipso facto incurreret Laicus ob id excommunicationem. Non enim ait illic Pontifex, vt excommunicatus *sit*, sed vt excommunicationis laqueo *innodetur*; atque ita est hæc excommunicatio inferenda, non autem ipso iure illata. Ita annotauit etiã Syluester in summa verbo *Disputare*, vbi rectè etiam probat, per *Laicos* in dicto capitulo *Quicunque*, non intelligi illiteratos, vt putauit ibi Glossa (licet dubitanter) sed intelligi propriè Laicos. Nam vt omnibus Laicis in communi lege prohiberetur disputatio de Fide, sufficit quòd vt plurimum Laici solent esse indocti. Leges enim respiciunt ad id, quod euenit vt plurimùm.

Tertia assertio: Ex parte *auditorum*, si sunt sapientes, nullum periculum est, vt ait diuus Thomas, de fide disputare. Sapientes autem esse intelligo ad hoc propositum, nõ modò Theologos, sed alios etiam ita cordatos & prudentes, vt iudicentur futuri capaces ipsius veritatis, & animaduersuri facilè errorem. Quinam verò auditores tales sint, prudentiâ quadam est iudicandum.

Sin autem auditores fuerint simpliciores, illicita est plerumque disputatio ex hac parte, vt rectè probat D. Thomas, adeo vt neque formaliter, neq; materialiter (exercitij videlicet aut honoris caussa) coram his disputandum sit. Nam semper imminet periculum ex relatione argumẽtorum erroris, maximè cùm ferè eorum vim simpliciores facilius percipiant quàm solutiones, vt rectè hic Caietanus aduertit. Qui consequenter bene admonet, cauendum esse ab huiusmodi disputationibus in Conuentibus Religiosorum, & in Concionibus, ad quas solent etiam simpliciores venire. Nisi fortè, inquit Caietanus, aliquis esset Doctor adeo excellens, vt posset omnia commodissimè soluere, & explicare etiam simplicibus: sed tales rari admodum sunt. D

Si tamen simpliciores ab infidelibus vel seducti vel solicitati sunt, vel facilè solicitari possunt, vt communiter in locis Hæreticorum accidit, tunc quidem nõ modò licitum est coram talibus de Fide disputare, sed etiam hoc facere debent illi, qui vtiliter præstare id possunt. Tenentur enim succurrere proximorum spirituali necessitati, vel defendendo fidem: iuxta illud 1. Petri 1. *Parati semper satisfactionem reddere omni poscenti vos, de ea, quæ in vobis est, fide*: vel oppugnando aduersarios, iuxta illud ad Titum primo: *Vt sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Atque huius quidem officij extat exemplum Heliæ, 3. Reg. 18. qui redarguit Prophetas Baal, & D. Stephani, Actorum 6. & 7. qui coram Iudæis disputauit de Fide, & D. Pauli, de quo scribitur, Actorum 9. *Quod inualescebat & confundebat Iudæos, & loquebatur Gentibus, & disputabat cum Græcis.*

Quod si quis casu, quo ipsius disputatio opportuna esset, taceat, silentium non vacabit culpa. Nam vt D. Gregorius in 2. p. Pastoralis, cap. 4. ait: *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit.* Quò spectat illud B. Ambrosij lib. 1. offic. cap. 3. *Si pro otioso verbo ratio poscitur, videndum ne pro otioso silentio etiam reddatur.*

Qvarta assertio: Ex *modo* disputandi redditur disputatio illicita, quando magis contentione verborum, quàm argumẽtorum & sententiarum pondere transigitur, vt ait D. Thomas in solutione 1. Vnde Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Noli*, inquit, *verbis contendere.* Ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Quod quidem vitium in aliis etiam disputationibus Catholicis facilè admittitur, vt infrà disputatione tertia, in quæstione de Contẽtione attingemus. Sed multò facilius, quando disputatio suscipitur cum hæreticis.

Ex dictis

Ex dictis apparet, regulariter loquendo, illicitam esse disputationem cum hæreticis ipsis, præsertim iis, qui aliquo modo fuerint Magistri erroris, vt rectè notauit Ioannes Driedo, lib. 2. de Scrip. cap. 3. & Eckius in loco cõmuni hac de re. Ratio est, quoniam tales ita obstinati sunt, & ita impudenter se gerunt, vt communiter desideretur aliqua circumstantia ex illis multis, quas diximus esse necessarias, vt rectè disputatio de Fide transigatur. A

Atq; hinc Tertullianus in libro de Præscript. putauit, Apostolũ simpliciter prohibuisse omnẽ disputationem cum hereticis, cùm ad Tit. 3. dixit: *Hæreticum hominem post vnam vel alteram admonitionem deuita.* Non enim ait, post vnam vel alterã *disputationem*, sed admonitionem. *Fides nostra* (inquit Tertullianus) *obsequium Apostolo debet prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem conuenire, non, post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans caussam hæretici conueniendi. & hoc vnam: scilicet quia non est Christianus.* Cæterùm hoc intelligendum est *vt plurimum*, sicut Driedo, tractans hanc sentẽtiam Tertulliani, exposuit. Discretione igitur opus erit ad iudicandum in casibus particularibus, quando, & quomodo, & cum quibus disputare de Fide liceat. B

PVNCTVM QVINTVM.

An & quatenus liceat communicare cum Infidelibus in conuersatione & conuictu. C

D. Thomas art. 9.

Distingvendvm est hoc loco tum de *Infidelibus*, tum etiã de *modo* communicandi cum illis. Nam Infideles alij sunt tales, qui nunquam in Ecclesia fuerunt, vt Gentiles: alij fuerunt aliquando in ea, & in illos habet quoddam ius Ecclesia ratione Baptismalis characteris, vt Hæretici & Schismatici.

Deinde etiam *Communicatio* aut est in aliis vitæ actionibus, quæ nõ spectant propriè ad Infidelitatẽ, vt Politica conuersatio, & cõuictus, &c. Aut est in ipsius actionibus Infidelitatis, quæ spectant ad cultum superstitiosum; idque vel directè, vt simul cum Infidelibus sacrificando idolis; aut indirectè aliquo modo; vt suppeditando Infidelibus materiam ad cultum superstitiosum. D

Hoc posito quædam sunt certa circa propositam quæstionem, & de aliquo est controuersia.

Certum est Primo, cum nullo Infideli licitam esse communicationem vllam in aliquo opere Infidelitatis *directè*. Nam omnia eiusmodi opera sunt *per se* mala. Vt vidimus puncto secundo. Dico autem *per se*. Nam per accidens posset ignorantia inuincibilis in aliquo casu excusare opus factum ex infidelitate. Patet si quispiam homo rudissimus pro aliquo saltem breui tempore laboraret ignorantia inuincibili vnius veri Dei: quod quidem accidere aliquando posse insinuat Andreas Vega libro sexto in Conciliũ Tridentinum, cap. 20. Neq; sanè fallitur. Nam statim cognoscere vnitatem Dei, res est, quæ non prorsus difficultate vacat, vti colligere licet ex Philosophorum disputationibus hac de re.

Certum est Secvndo, non licere extra casus necessitatis communicare vllo modo cum Infidelibus hæreticis & apostatis, cùm sint ab Ecclesia excommunicati. Quod tamen intelligi debet iuxta tenorem Extrauagantis *Ad euitanda*, in qua declaratum est, tunc solùm esse vitandum excommunicatum vel alia censura irretitum, quando sententia est publicè denunciata, & nominatim contra illum: vel quando crimen, propter quod incurritur excommunicatio, est notorium, vt nulla tergiuersatione celari possit; quod secundum tamen, vt multi sentiunt, & Nauarrus cap. 27. Manual. num. 35. putat probabile, non est vsu receptum, nisi quoad crimen percussionis clerici.

Itaque iuxta hanc Extrauagantem, non erunt vitandi hæretici etiam notorij, nisi fuerit in illos nominatim sententia lata. Dato etiam quòd Extrauagans illa haberet locum in quouis crimine (nam vt Nauarrus ait, percussio Clerici non fuit specificata in illa) nihilominus in Germania & similibus locis non est illicita communicatio cum notoriis hæreticis, quoniam vt Nauarrus vbi supra notat, *multitudo* hæreticorum, & *necessitas*, in huiusmodi locis excusat. Quod idem repetit libro primo Consiliorum, consilio primo, quæst. 24.

Certum est Tertio, cum Infidelibus aliis, qui neque sunt hæretici, neque apostatæ, licitè posse politicè communicare eos qui sunt in fide ita solidi, vt possint illos conuertere ad fidem potius, quàm ab illis peruerti. Patet, quoniam tales infideles non sunt excommunicati ab Ecclesia, cùm sint extra illam, seu foris, & aliunde nullum tunc impendet periculum ex illorum conuersatione. Qui autem infirmi sunt, non debent cum huiusmodi infidelibus communicare. Nam exponerent se periculo, vt docet hic diuus Thomas art. 9.

Controversia autem est, an liceat aliquo modo *indirectè* communicare cum infidelibus in opere aliquo Infidelitatis, suppeditando videlicet illis res, quibus constat eos abusuros esse ad superstitiosum cultum: Vt v. g. vendendo Iudæis agnum instante festo Paschatis, aut Idolum alicui Gentili. Videtur enim id illicitum esse. Nam est cooperari ad actionem ex Infidelitate profectam, quæ, vt dictum est, semper est mala.

In Contrarivm est, quod non magis ad malum cooperari videtur, qui eiusmodi res donat vel vendit Infidelibus quàm qui ab vsu-

rario

rario mutuum petit: Sed hoc non est per se illicitum: Ergo nec illud.

Quæstionem hanc mouet Caietanus, art. 4. Et primò extra controuersiam est, peccatum esse, res eiusmodi suppeditare Infidelibus, ea *intentione*, vt ad superstitionem suam illis abutantur. Nam hoc est directè cooperari, quod constat per se illicitum esse. Sed controuersia potissimùm est, cùm quis caret ea intentione, quãquam certò sciat, vt ponimus, infidelem abusurum esse re, quæ ipsi suppeditatur.

Tunc verò Caietanus distinguit. Nam aut res, inquit, ex se determinata est ad malum vsum infidelitatis; vt Idolum, vestis Sacerdotalis superstitiosa, & fana superstitiosis vsibus accommodata, &c. Aut res non sunt huiusmodi, sed potius indeterminatæ ad bonũ & malum vsum, vt herbæ, flores, animalia, &c. Res prioris generis censet Caietanus, illicitum esse infidelibus vendere aut suppeditare. Probat ex S. Thoma infrà quæst. 169. artic. 2. ad 4. vbi simpliciter affirmat, quòd suppeditare huiusmodi res, directè sit cooperari ad malũ, ac proinde illicitum. Res verò posterioris generis dicit Caietanus, non esse illicitũ infidelibus vendere: Probat. Quia cùm indeterminatæ sint ad bonum vel malum vsum, suppeditare illas non est *directè* cooperari ad malum: neque *indirectè*, quoniam non tenetur quis impedire, seu prohibere alterum, quo minus re alioqui indifferenti malè vtatur. Aliàs oporteret eos, qui aliqua mercimonia vendunt, semper esse sollicitos, vtrum emptor sit bene an malè eis vsurus: quod non est verum.

Hæc sententia Caietani mihi non probatur. Videtur enim non attingere id, ex quo quæstio est explicanda. Nam cùm ait, res ex sua ratione determinatas ad malum vsum, illicitum esse vendere infidelibus: indeterminatas verò licitum, aut loquitur de determinatione ex natura ipsius rei: & tunc nulla res prorsus est ad malum vsum determinata; Nam & Idolo potest infidelis rectè vti; ad comburendum nimirum, vel ad memoriam, &c. Aut loquitur de determinatione morali, quæ nimirum oritur ex proposito voluntatis humanæ destinantis rem ad malum vsum. Et tunc res omnis, qua certũ sit infidelem esse abusurũ (sicut ponimus in casu) dici potest ad malum vsum determinata. Nam quod res quædam non solùm per voluntatem ipsius, cui conferuntur, sed etiam per voluntatem aliorum eas instituentium determinatæ sint ad malum vsum, vt Idolum, &c. quod ad præsentem quæstionem attinet, prorsus est per accidens. Satis namque est quòd res ex proposito voluntatis alicuius, vel aliquorum sit destinata ad malum vsum. Nam si illicitum est suppeditare infideli rem ex instituto aliorum determinatam ad malum vsum, ideo illicitum est, quoniam inde fit certum, quod sequetur malus illius vsus. Hoc autem cùm etiam certum sit, vt ponimus, quando ex sola voluntate accipientis, res destinatur ad malum vsum, illicitum quoque erit, rem in eo casu suppeditare, si vt Caietanus vult, explicanda quæstio est ex illa determinatione.

Aliter ergo ad quæstionem propositã respondendũ est ex sententia Syluestri verbo *Infidelitas*, q. 4. vbi rectè distinguit de caussa, qua inducitur aliquis vt rem suppeditet infideli. Nam vel illa est rationabilis propter necessitatem aliquã, &c. vel non. Si est rationabilis, licitũ erit suppeditare infideli rem quamcunq;, quouis modo destinatam ad malum vsum. Ratio est, quoniã non tenetur quis cum notabili detrimento suo consulere spirituali indemnitati alterius, sed potest commoditatem suam spectando, negligere lapsum alterius spiritualem. Atque adeo tunc non cooperabitur alteri ita indirectè, vt peccet. Nam etsi potuisset vitare alterius lapsum, tamen tunc non debet.

Si verò quis non habeat caussam rationabilẽ, cur suppeditet rem infideli, qua is est abusurus, peccabit suppeditando, cuiuscunq; conditionis res fuerit. Ratio est: quoniam ex charitate tenetur quilibet, quantum in se est, impedire peccatũ proximi, si hoc potest absque notabili detrimento suo. Atque ita in proposito casu tenetur abstinere à tali suppeditatione, &, si nõ faciat, cooperabitur indirectè, & peccabit.

Est verò hęc doctrina Sylueſtri pro aliis etiam casibus notanda, in quibus dubitatur, vtrũ præbere materiam peccandi sine intentione, vt peccatum cõsequatur, sit illicitum. Distinctio namque illa rationabilis caussæ & irrationabilis habenda est pro regula in huiusmodi, vt rectè admonet Sylueſter. Atq; ex eodem documento iudicandum est, quando licebit ab vsurario petere mutuũ, & quando non, vt patebit infrà disput. 5. Ex his etiam patet responsio ad argumentum cõtrarium in quæstione propositum, & ad alterum pro alia parte.

Ad rationẽ verò Caietani pro primo illius dicto respondetur ex Sylueſtro vbi supra, doctrinã S. Thomæ intelligendam esse de eo, qui eiusmodi res suppeditat ea intentione, vt alter ipsis abutatur. Quę quidẽ intentio, vt ait idem Sylueſter, cõmuniter præsumitur esse in iis, qui res eiusmodi suppeditant, siquidem cõmuni ritu ad malum vsum ordinantur, & non ad alium. Et confirmatur hæc expositio verborũ D. Thomæ. Nam ait tales *directè* cooperari ad malum. Nequit autem intelligi directè hæc coopatio sine prędicta intẽtione.

Ad rationẽ pro altero dicto eiusdem Caietani respondeo, quamuis non oporteat esse sollicitos, qui res communi ritu destinatas ad malũ suppeditant, si nihil sciant de praua voluntate & intentione alterius, cui res conferuntur, at debere tamen ex charitate res eiusmodi negare iis, quos sciunt (vt in præsenti supponimus) abusuros esse illis, si caussam rationabilem non habeant, cur res illis vellent suppeditare.

PVNCTVM

PVNCTVM SEXTVM.

An liceat compellere Infideles ad Fidem.

D. Thomas art. 8.

TRia sunt certa de hac re apud Catholicos, & vnum controuersum. PRIMO certum est, eos infideles, qui antea fidem professi sunt, compelli posse, vt adimpleant quod promiserunt, & perseuerent in vera fide, quam professi sunt; sicut hæretici & apostatæ. Habet enim ius Ecclesia inferendi vim huiusmodi infidelibus ad finem duplicem: Nempe vt vel cogat eos protestari fidem, quam susceperunt, vel vt simpliciter eos puniat ob desertam fidem. Vtrumque negauit Lutherus, vt videre est in art. 33. illius apud Roffensem. Sed quòd vtròq; modo Ecclesia id facere possit certum ex fide est, vt patet ex Bulla Leonis X. per quam illi articuli sunt damnati.

Et quidem quòd priori, scilicet vt cogat, ostẽdit variis exemplis B. Augustinus in epistola 50. ad Bonifacium comitem, & in epistola 44. ad Donatum. Ac suadet id ratio. Nam conuenit in omni Republica, ac proinde etiam in Christiana, potestatẽ esse, qua timore pœnæ ad officium præstandum cogantur hi, qui sponte nolunt; vt apparet quoque ex diuinæ prouidentiæ ratione. Quod verò posteriori modo, scilicet vt puniat, possit Ecclesia eiusmodi Infidelibus vim inferre, ostendemus infrà quæstione sequenti, vbi ea de re disserit quoque D. Thomas.

SECVNDO certum est, compelli posse quoscunque infideles, ne obsistant fidei aut blasphemiis, aut malis persuasionibus, aut apertis persecutionibus. Ita perpetuò sibi persuasit Ecclesia, vt colligere licet ex pluribus decretis 23. q. 8. vbi laudi datur Christianis Principibus, quòd eiusmodi infideles bello compescuerint. Ac ratio huic veritati suffragatur. Nam vt res naturales vim habent non solùm vt sese tueantur, sed etiam vt repellant contraria; ita necesse est, Rempublicam bene constitutam hac potestate prædi-
tam esse, vt scilicet obsistat repugnantibus. Constat autem Christianam Rempublicam inprimis esse rectè institutam, qua de re copiosius disputabimus infrà disput. 3. in materia de Bello, aduersus Lutherum.

Illud autem ADVERTENDVM est; quod diuus Thomas hic dicit, licitum esse compescere illos, qui etiam blasphemiis obsistunt fidei nostræ, intelligendum esse de blasphemiis propriè & formaliter, quæ nimirum consistunt in verbis contumeliosis contra Deum, de quo genere agendum est infrà q. 13. Non est autem intelligendum de blasphemiis materialiter. Nam vt D. Thomas infrà q. 94. artic. 3. ad 2. docet, Idololatria etiam censeri potest continere materialem blasphemiam, quatenus facto ipso diuinã gloriam, eiusque singularitatem trãsfert ad creaturam, quod est contumeliosum Deo. Sed quoniam huiusmodi materialis blasphemia non per se aduersatur Christianæ religioni & promotioni fidei, non debet censeri sufficiens caussa ad inferẽdam vim Gentibus, vt attingemus infrà punct. 7. Neque huic obstat, quod Nicolaus de Lira in caput 32. Numer. inter varias caussas propter quas Israëlitæ iustè debellârunt Gentiles, numeret etiã blasphemiam Idololatriæ. Fecerunt enim hoc illi ex peculiari præcepto & voluntate Dei, vt vindices iustitiæ diuinæ: quare non est hoc trahendum in exemplum.

TERTIO certum est, Infideles eos, qui neque Ecclesiæ, neque Christianis Principibus subiecti sunt, non posse compelli ad eum finem, vt fidem suscipiãt. Nam in tales nullam planè potestatem habet Ecclesia aut Christiani Principes, iuxta illud Apostoli, 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare?* Ergo non possunt ab Ecclesia, vel à Christianis Principibus vlla vi adigi ad officium suscipiendæ fidei. An autem propter alium finem possit eis vis inferri, vt scilicet cessent à cultibus superstitiosis & peccatis contra legem naturæ, quibus offenditur Deus, videbimus puncto sequenti.

Neque est difficile respondere ad argumenta quædam, quæ possent contra hoc obiici. PRIMO ex illo Lucæ 14. *Exi in vias & sepes, & compelle intrare.* Ex quo loco videtur Patres colligere, quòd omnes Infideles compellendi sint, vt veniant ad Ecclesiam. SECVNDO, quia Infideles præcepto diuino tenentur suscipere fidem: Ergo Principes, qui sunt legis diuinę quasi custodes & propugnatores, adigere illos poterunt, vt faciant quod tenentur. TERTIO, quia Deus ipse terroribus sæpè mouet homines, vt suscipiant fidem: Ergo nihil mali Principes committent, si hoc exemplum imitentur. Antecedens patet ex D. Augustino epistola 48. ad Vincentium, & 50. ad Bonifacium, vbi ad hoc commemorat conuersionem Pauli, qui, vt dicitur Actor. 9. *tremens atq; stupens dixit: Domine quid me vis facere.* Idem patet ex D. Gregorio homil. 16. super illud Lucæ 14. *Compelle intrare.* QVARTO, quia si id non licet, maximè ob rationem D. Thomæ, quia nimirum credere voluntatis est: Sed hæc ratio non valet: Ergo. Probatur Minor. Nam tunc neque Ecclesia posset compellere hæreticos & apostatas, vt seruent, quod professi sunt, seu teneant fidem; quoniam credere est voluntatis.

Ad PRIMVM respondeo *primò*, per eos, qui iubentur compelli intrare, solos hæreticos & schismaticos intelligi; alios autem, qui fidem nõ sunt professi, intelligi per illos, qui primò à seruis illis simpliciter vocati sunt ad cœnam. Atque ita hunc locum exponit B. AVGVSTINVS in epistola 50. ad Bonifacium, vbi hæreticos & schismaticos ait esse illos, qui in viis & sepibus, quas

ipsi

ipsi construxerunt, inuenti, compellendi sunt intrare rursus in Ecclesiam Catholicam. *Secundò*, si per illos, qui compelli iubentur intrare, intelligimus omnes infideles cuiuscunque generis, dicendum cum S. Thoma q. 22. de Veritate, art. 9. ad vltimum, sermonem esse de vi, quam rationes ipsæ fidei per se afferunt, non de armorum vi, vel metus incussi.

Ad SECVNDVM respondeo, Principes esse diuinæ legis custodes, sic tamen vt debeant recta ratione, modoq; consentaneo, illius obseruationem tueri ac promouere: non est autem in proposito recta ratio ea, quæ est per vim, &c. cùm hoc potius alienum sit ab ipsa lege diuina, & modo, quo Christus voluit Euangelium prædicari.

Ad TERTIVM respõdeo discrimen esse. Nam si Deus metum incutiat, ipse quoque simul potest inclinare cor hominis ad fidem, vt volũtariè prorsus eam suscipiat, tametsi à metu excitatus. Hoc verò nõ perinde sperare possumus, si metus ab hominibus incutiatur.

Ad QVARTVM respondeo *primò* discrimen esse. Nam qui fidem profiteri & conseruare tenentur, non solùm ex ipsa lege diuina, sed etiam ex ipsius Ecclesiæ præscripto, cui se per Baptismi professionem subiecerunt, maiorem rationem habent, vt excitati primùm per pœnæ metum ab Ecclesia incussum, voluntariè demùm credant, atque adeo sine sacrilegio Christiana sacra vsurpent. *Secundò* respondeo, Ecclesiam non ad hoc formaliter & per se primò vim illis inferre, vt credant & profiteantur fidem, sed ad hoc, vt protestando fidem exterius, adimpleant quod professi sunt in Baptismo. Quare cùm Ecclesia habeat ius, vt eos ad hoc formaliter compellat, nõ censebitur indirectè concurrere ad sacrilegium eorum, si quod inde sequatur. Nam non tenetur Ecclesia illud sacrilegium impedire, sed potest vti iure suo & adigere illos, vt adimpleant illud, quod tenentur ex vi professionis Baptismi: quandoquidem in hac re Ecclesia bonum commune Reipublicæ Christianæ spectat, redundãs ex hoc, quòd non liceat impunè decedere ab instituto & professione Baptismi. Secundariò autem etiam spectat Ecclesia bonum vniuscuiusque priuatum consistens in hoc, vt sit verè Christianus. Atque ita indirectè etiam adhibet Ecclesia vim, propter actum interiorem voluntariæ fidei, qui necessarius est, vt protestatio exterior recta sit, & non sacrilega. Et hæc quidem hactenus certa sunt.

CONTROVERSIA autem est, an saltem Infideles, qui sint alioqui subditi Christianis Principibus, possint compelli ad professionem fidei. Nam Scotus in 4. sent. dist. 4. & quæst. vltima existimat, rectè facturos Christianos Principes, si huiusmodi infideles omnino cogãt ad suscipiendum Baptismum. Et illum sequitur Gabriel in eadem dist. quæst. 2. dub. 5. in fine, & Alfonsus à Castro libro secundo de iusta hæreticorum punitione, cap. 14.

PRIMVM argumentum Scoti est. Nam minus malum esset, vt tales infideles etiam animo ficto vsurparent Christiana sacra, quàm vt impunè vtantur superstitiosis suis institutis: Ergo prudenter fieret, si à maiori malo ad minus adducerentur: Dato quòd nõ conuerterentur, & fidem susciperent sincero animo.

SECVNDO, Nam saltem sperari posset, futurum, vt eorum filij post tertiam aut quartam generationem essent sinceri Christiani, quod commodum non videtur esse negligendum.

TERTIO inducit textum ex capite *de Iudæis*, 45. dist. quod est Concilij Toletani IV. vbi Sisebutus Rex dicitur fuisse religiosissimus, qui tamen, vt ibidem commemoratur, Iudeos compulit ad suscipiendum Baptismum.

Et præter hæc tria argumenta, quæ ipse Scotus adfert, posset addi QVARTO exemplum aliorum optimorum Principum, qui variis modis videntur infideles sibi subditos compulisse ad fidem. Vt Constantinus Imperator, qui iussit omnia templa Paganorum claudi, vt patet ex Lege, *Nemo*, Codice de Paganis, laudata ab Ambrosio, epist. 30. & ab Augustino, epist. 48. Et Ferdinandus Rex Hispaniæ, qui ante annos centum Iudæos, qui non conuerterentur, iussit excedere ex Hispania.

CONTRARIA tamen sententia est communis Theologorum, vt agnoscit etiam Gabriel vbi supra: nempe nullos omnino infideles, etiamsi Christianis Principibus subditi sint, esse cogendos ad fidem. Ita docet D. Thomas hîc artic. 8. præsertim ad 2. & Richardus in 4. dist. 6. artic. 3. quæst. 3. & Paludanus dist. 4. quæst. 4. art. 3. & Durandus ead. dist. quæst. 6. & Sotus dist. 5. quæst. vnica, art. 10. & alij Theologi communiter. Quæ sententia vsque adeo est certa, vt ferè videatur niti Ecclesiastica traditione.

Hoc patet PRIMO, si inspiciamus rationem & modum, quem Christus Dominus Apostolis seruandum præscripsit in persuadenda fide. Nam Matth. 10. & Lucæ 10. illis dixit: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Deinde iussit, vt vbique primùm precarentur hominibus pacem, & si contingeret, ipsos alicubi non recipi, nihil aliud eos facere voluit, quàm *vt excuterent puluerem de pedibus suis.* Præterea Matth. vltimo: *Docete*, inquit, *omnes gentes.* Et Marci vltimo: *Prædicate Euangeliũ, &c. qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò nõ crediderit, cõdemnabitur.* Ex quibus satis apparet, alienissimum fuisse à voluntate Christi, vt aliqua vis ad persuadendam fidem adhiberetur, præter illam, quæ inest in ipsa prædicatione verbi diuini, & doctrina fidei. Huc quoque spectat illud Apostoli, 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi est de his, qui foris sunt*, id est, qui nõdum professi sunt fidem in Ecclesia, vt Patres communiter interpretantur. Si igitur in Ecclesia non est

auctoritas

auctoritas directiua erga tales, neque coactiua erit. Nam hæc consequitur directiuam.

SECVNDO idem patet ex eo, quod nunquam legimus, Ecclesiæ prælatos sæcularibus Principibus suasisse hoc genus per vim persuadendi fidem, cùm tamen illorum aliqui maximè valerẽt gratia & auctoritate apud huiusmodi Principes, vt Syluester Papa apud Constantinum, & Ambrosius apud Theodosiũ, & alij apud alios. Quod si hæc ratio propagandi fidem per metum Euangelio consentanea esset, procul dubio proceres illi Ecclesiæ illam non neglexissent.

TERTIO, quia exstant pleraque decreta in iure Canonico, quæ omnino prohibent, eiusmodi infideles cogi ad fidem, vt in capitulo *Maiores*, Extra de Baptismo & eius effectu, & in capitulo *Sicut Iudæi*, Extra de Iudæis & Saracenis, & 45. d. Capitulo *de Iudæis*, citato in priori argumento, & Capit. *Qui sincera*. Hæc si simul expendantur omnia, apparebit, sententiam diui Thomæ niti Ecclesiastica traditione, quæ probabiliter existimari potest ab ipso Christo Domino & Apostolis descendisse.

QVARTO probari potest eadem sententia ratione. Durandus in 4. sent. dist. 4. quæst. 6. art. 1. inde illam probat: quia quod est supra naturalem rationem & captum hominis, ad id nemo debet vi compelli: Sed fides superat captum hominis: Ergo, &c. SED hoc argumentum infirmum videtur. Nam etsi veritas ipsa fidei atque adeo assensus illius superet naturalem rationem, potest tamen naturali ratione euidẽter cognosci, quòd doctrina fidei sit digna creditu, posito quòd rationes illius atq; motiua explicentur, vt patet ex dictis supra q. 1. p. 4. atque ita etiamsi aliquis compelleretur ad fidem suscipiendam, minimè compelleretur ad aliquid, quod prorsus à ratione naturali abhorreat.

Rectius igitur argumentatur Caietanus hic, vt eandem sententiam probet, hoc modo: Impellere aliquem ad sacrilegium concurrendo saltem indirectè ad illud, illicitum est: sed inducere metu pœnæ ad professionem fidei eos, qui illam non susceperunt, est compellere & concurrere saltem indirectè ad sacrilegium: Ergo est illicitum. Maior probatur. Nam quod aliquis ex metu efficit extrinsecus iniecto, moraliter loquendo id facit voluntariè quidem simpliciter, sed inuoluntariè tamen secundùm quid, hoc est, ita vt nisi propter metum minimè vellet facere: Quare in proposito illi, qui metu compulsi Christianæ religionis sacra vsurparent, moraliter loquendo ita vsurparent, vt nollent id alioqui facere, nisi propter metum. Constat autem sacrilegium esse hoc animo Sacramenta fidei tractare.

Et confirmatur hæc ratio. Nam credere est actus, quẽ oportet esse omnino volũtarium. Ergo illicitum est ad hũc finem metum incutere. Nam vt ait Caietanus hîc, medium hoc minimè est ad hunc finem accommodatum. Siquidem efficit inuoluntarium secundùm quid. Neque obstat quòd posset contingere, vt aliquis metu ad fidem compulsus, faceret (sicut Caietanus inquit) ex necessitate virtutem, id est, profiteretur fidem omnino voluntariè. Res enim existimanda est, inquit rectè Caietanus, ex his, quæ moraliter & vt plurimum contingunt, non ex his, quæ rarò & per accidens.

Ad PRIMVM igitur argumentũ Scoti respondetur, maius malum esse moraliter loquendo, vt tales inuiti vsurpent Christiana Sacramẽta; committunt enim plurima sacrilegia, & animo perinde manent infideles atque antea.

Ad SECVNDVM respondeo, quod etsi maximè filij post tertiam & quartam generationem susciperent ex animo fidem, tamen non propter id commodum tam multa mala, quæ antecederent, permittenda essent. Maximè cum id etiam incertum sit, futurum videlicet, vt filij sint postea veri Christiani. Quinimo, vt ait rectè hic Caietanus, existimandum esset, illos futuros parentum similes, vti aliquibus in locis experientia docuit.

Ad TERTIVM argumentum respondet Caietanus hîc & alij communiter, in eo Concilio bonam intentionem & zelum illius Regis laudari, factum non laudari: siquidem ibidem prohibet Concilium, ne vi adigantur Iudæi ad fidem.

Ad QVARTVM argumentũ respondeo, Constantinum Imperatorem illo facto non compulisse ad fidẽ Paganos sibi subditos, sed ad seruandam legem naturæ, abstinendo à cultibus Idololatricis. Quam ad rem quilibet Princeps habet potestatẽ erga eos, qui sibi sunt politicè subditi. Nam rectus ordo politicus, cuius curã Princeps gerit, tanquam fundamento innititur recto statu Reipublicæ secundùm legem naturæ; ac proinde in primis etiam legum naturalium custos & vindex est Princeps.

Ferdinandus autem Hispaniæ Rex vim illam exilij primaria quidem intentione non adhibuit Iudæis, vt conuerterentur, sed vt auerteret à Republica Christiana contumeliam fidei, & perturbationem, quæ temporibus illis & locis imminebat ex Iudæorum in Hispania conuictu & conuersatione. Nec tamen est negandum, quin posito, quòd ob hunc finem licitè legem illam exilij in Iudæos sanxit, potuerit simul hoc totum Consilium ad eum quoque finem referre, vt Iudæi verè conuerterentur. Nam quando medium aliquod per se est alioqui licitum, non vitiatur propterea, quod ad aliquem alium finem simul referatur, qui & per se sit bonus, & qui ex tali medio bene sequi possit, cuiusmodi finis tunc fuit vera conuersio illorum Iudæorum.

Ac eadem ratione patet, licitè posse Christianos Principes imponere suis subditis Infidelibus tributa & onera alioqui iusta (qualia scilicet possent etiam imponi aliquibus Christia-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis) ea quoque intentione, vt ad redimendam A
molestiam, licet iustè alioqui illatam, conuertantur ad fidem. Neque hoc erit propriè ad fidem compellere. Nam compellere ad aliquid propriè est adferre vim non ob alium finem, nisi vt id fiat, ad redimendam molestiam. Itaque maneat, non esse licitum vllos infideles, seu subditos, seu non subditos, ad fidem propriè compellere.

Sed QVÆRET aliquis, Vtrum licitum sit compellere huiusmodi Infideles ad audiendam saltem prædicationem verbi diuini? Ratio dubitãdi est PRIMO, nam cùm audire nolunt, videntur impedimentum fidei opponere: Sed licet, vt ante dictum est, remouere per vim impedimenta fidei: Ergo, &c. B

SECVNDO, quia Ecclesia habet ius prædicandi Euangelium omnibus Gentibus, Matthæi & Marci vltimo: Ergo potest omnes compellere ad audiendum. Consequentia probatur. Nam frustra alioqui haberet id ius. Et CONFIRMATVR. Nam ex eo, quod Ecclesia habet ius remittendi peccata, Ioannis 20. *Quorum remiseritis, &c.* colligunt rectè Doctores, posse illam quoque homines compellere, vt confiteantur peccata sua: Ergo pari ratione ex iure, quod habet, prædicandi Euãgelij, possumus colligere, quòd posit etiam compellere ad audiendum.

Hoc loco citatur Ioannes Maior in 2. dist. 44. quæst. 3. quasi dicat, licitum esse infideles compellere ad audiendam fidem: Sed non videtur hoc dicere, tametsi censet, licitum esse Infideles barbaros bello infestare, & in potestatem redigere propter illorum Infidelitatem, de quo dicemus punct. seq.

Quidquid autẽ Maior senserit, RESPONDEO, nequaquam Ecclesiam posse cogere Infideles ad audiendam fidem. Patet ex ratione & modo, quem supra vidimus Christum Dominum præscripsisse Apostolis, quando ad prædicandum misit illos. Et peculiariter huc pertinet, quod Lucæ 9. cùm Christus à Samaritanis non reciperetur, interrogauissentque discipuli: *Domine vis dicamus, vt descendat ignis de cælo, qui consumat illos,* respondet: *Nescitis cuius Spiritus estis.* Vbi satis ostendit, procul abesse debere vim à ratione prædicandi Euangelium, ac proinde neque vt fidem suscipiant, neque vt fidei prædicationem audiãt, homines cogendos esse. D

CONFIRMATVR hoc ipsum ratione: Nam auditus fidei est medium per se ordinatum ad fidei susceptionem, vt patet ex illo ad Romanos decimo: *Ergo fides ex auditu:* Sed non licet adhibere vim, vt fides suscipiatur: Ergo neq; vt audiatur. Debet enim esse proportio ac ratio similis inter medium & finem.

Ex hoc potest colligi ALTERA ratio. Nam si vis adhiberetur, vt audiatur prædicatio fidei, hoc non esset per vim remouere impedimenta fidei, sed potius per vim velle iam persuadere. Non enim dicitur apponi alicui rei impedimentum, nisi quando alioqui suppetunt omnia requisita ad illam. Itaque in proposito tunc solum apponitur impedimentum fidei, quãdo sunt qui velint de illa audire, & ij ab aliis prohibentur. Quare tunc solum posset Ecclesia tales per vim coërcere, ne impediant propagationem fidei. Vt v. g. si Princeps alicuius populi nollet prædicatores admittere, quando saltem probabiliter cõstaret aliquos de populo esse, qui fidem audituri essent & suscepturi forsan, id quod rectè attigit Caietanus hìc art. 8.

Ad PRIMVM autem argumentum cõtrarium iam patet, quomodo id non esset remouere impedimentum.

Ad SECVNDVM respondetur, traditionem & vsum Ecclesiæ declarasse, eatenus tantùm Ecclesiam habere ius prædicandi Euangelium, vt posit iis, qui voluerint sua sponte audire, illud nunciare, atque adeo compescere eos, qui obstiterint.

Ad confirmationem respondeo, discrimen esse, quòd ius Ecclesiæ ad remittenda peccata per absolutionem est ius erga subditos sibi per professionem Baptismi, quæ debet præcedere confessionem; ac proinde rectè colligunt Doctores, cum eo iure coniunctam esse auctoritatem cogendi subditos. Nam hoc pertinet ad rectam Ecclesiæ rationem. At verò ius prædicandi primò Euangelium, quod Ecclesia habet, est ius non erga subditos, sed erga illos, qui nondum Ecclesiæ se per professionem fidei subiecerunt. Quare non licet perinde colligere, quòd cum eo iure coniuncta sit auctoritas cogendi homines, vt audiant prædicationem fidei. Nam vt Apostolus inquit, 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt?* C

PVNCTVM SEPTIMVM.

An licitè permittantur & tolerentur Infidelium ritus.

D. Thomas art. 11.

DE TRIBVS conuenit hac in re inter Doctores, & de vno est controuersia. PRIMO conuenit, ritus eorum Infidelium, qui Christianis Principibus subiecti non sunt, licitè tolerari & permitti ab Ecclesia & Christianis Principibus. Nam nó incumbit illis peculiaris cura eiusmodi Infidelium, iuxta illud Apostoli, 1. Corint. 5. *Quid enim mihi est de his, qui foris sunt?* D

SECVNDO conuenit, ritus etiam eorum Infidelium Gentilium, qui sunt subiecti Christianis Principibus, posse ab eis licitè tolerari caussa vitandi maioris mali, vt scandali & perturbationis Reipublicæ: vel ne impediatur maius bonum, vt si speretur illorum conuersio per ipsam eorum tolerantiam. Nam vt rectè argumentatur

D. Tho-

D. Thomas, hic articulo vndecimo, Deus etiam A
permittit hęc & alia mala propter eiusmodi causas: Cuius prouidentiam debet imitari regimen humanum.

Ex qua doctrina colligit Caietanus REGVLAM ad discernendum, recténe an secus permittantur per potestatem humanam, Ecclesiasticam, vel sæcularem, aliqua mala, vt vsuræ, &c. Nam cùm permissio hæc non sit per se mala moraliter, habenda est, inquit Caietanus, consideratio caussæ propter quam mala permittantur. Potest autem ea permissio esse rationi consentanea, vel ex parte boni præpõderantis, ne scilicet impediatur, vt ait Caietanus, iuxta illud, Matthæi 13. *Sinite vtraque crescere, ne fortè evradicetis cum eis & triticum:* vel ex parte mali etiam præponderantis, ne videlicet fiat: iuxta illud D. Augustini, libro secundo de ord. cap. 4. tomo 1. *Auser à rebus humanis meretrices, turbaueris omnia libidinibus.* B

Vbi autem neutra caussa istarum concurrit (scilicet præponderantis aut mali vitandi, aut boni consequendi) minimè sunt tolerandi à Christianis Principibus ritus superstitiosi Infidelium Gentilium ipsis subditorum. Nam sunt contra legem naturæ, cuius custodiendæ diligentiam & curam debent Magistratus gerere, vt puncto præcedenti vidimus. Cuius rei exemplum exstat in Lege *Nemo*, Codice de Paganis, & templis, & sacrificiis eorum, qua Constantinus iussit eorum templa claudi, & sacrificia aboleri; id quod laudi datum est ipsi ab Augustino epistola quadragesima octaua, & Ambrosio epistola tricesima. Item Clemens V. Clementina vnica de Iudæis & Saracenis, iussit Christianis Principibus, vt certos quosdam ritus Saracenorũ ipsis subditorum non permitterent. C

TERTIO, conuenit inter Doctores, ritus Infidelium Iudæorum, qui Ecclesiæ subditi sunt, ob eam quoq; caussam peculiarem licitè posse permitti, quoniam confirmant veritatem nostræ fidei, cuius figuram continent: & ideo suppeditant nobis argumentum contra ipsos Iudæos. Atque ita determinatum est à Gregorio, 45. dist. can. *Qui sincera.* D

Et ob eandem caussam dicit sanctus AVGVSTINVS libro 18. de ciuitate Dei, capite 46. non fuisse Iudæos ab ipso DEO extinctos, sed permissos dispergi per mundum: vt scilicet ab inimicis nostris quoque testimonium fidei nostræ haberemus. *Propter hoc,* inquit, *testimonium, quod nobis inuiti perhibent, eosdem codices suadendo atque seruando, agnoscimus per omnes Gentes etiam ipsos esse dispersos, quaqua versum Christi Ecclesia dilatatur. Nam prophetia in Psalmis, quos etiam legunt, de hac re præmissa est, vbi scriptum est: Deus meus misericordia eius præueniet me: Deus meus demonstrauit mihi de inimicis meis, ne occideres eos, ne quando obliuiscantur legem tuam: Disperge illos in virtute tua, Psalm. 58. Demonstrauit igitur Deus Ecclesiæ in inimicis eius Iudæis gratiam misericordiæ suæ: quoniam sicut dicit Apostolus ad Romanos vndecimo: Delictum illorum salus est in Gentibus.* Hactenus Augustinus.

DVBITAT autem hic artic. 11. Caietanus circa permissionem hãc rituum & sectæ Iudæorum, an etiam Iudæorum libri sint tolerandi ab Ecclesia. Et RESPONDET rectè, tolerandos esse illos libros, qui cõtinent simpliciter expositionem veteris Testamenti. Nam de his eadem ratio est ac de ritibus ipsis Iudæorum. Siquidem declarant ac defendunt figuram veritatis nostræ fidei, atque adeo perhibent illi testimonium.

Libros verò, quos scribunt Rabini contra Christum & nostram fidem, ait rectè Caietanus, tolerandos non esse, sed comburendos, si facultas suppetat. Qua in re vtetur Ecclesia iure, quod habet ad remouenda obstacula nostræ fidei, iuxta doctrinam, quam puncto præcedenti tradidimus. Nam ob eandem caussam rectissimè facit Ecclesia, quòd fidelibus lectione librorum hæreticorum communiter interdicit; nec sine delectu permittit eorũ vsum, vt videbimus quæstione sequenti.

Nunc his constitutis, de quibus, vt diximus, conuenit inter Doctores, CONTROVERSIA inter illos est, an liceat Principibus Christianis vi & armis inuadere quoscunque infideles Gentiles sibi non subditos, & eorum terras occupare, propterea solùm, quia infideles, & barbari, & scelerati sunt. Nam hoc esse licitum, senserunt Hostiensis in Capitulo, *Quod super his*, Extra de voto, & Panormitanus ibidem, & ex Theologis Aluarus Pelagius in libro de planctu Ecclesiæ, libro primo artic. 37. circa medium, vbi refert opinionem Hostiensis, & eam videtur approbare, & Ioannes Maior in 2. sentent. distinct. 44. quæstione tertia, & Genesius Sepulueda Caroli V. historiographus, cuius meminit hìc articulo vndecimo, Dominicus Bannes. Atque etiam nonnulli sentiunt, auctoritate Papæ vel Imperatoris posse huiusmodi Infidelibus inferri bellum propter peccata contra legem naturæ. Vt Antoninus tertia parte, tit. 22. capite quinto, §. 8. & Syluester verbo Papa, quæst. 7. & Alfonsus à Castro, libro 2. de iusta hæreticorum punit, cap. 14. vbi censet, posse bellum inferri propter peccatum Idololatriæ.

Argumenta huius primæ sententiæ præcipua sunt hæc: PRIMVM ducitur ex Scriptura. Quia propter Infidelitatem videntur tales infideles post Christi aduẽtum amisisse rerum suarum dominium, idque translatum esse in Christianos: iuxta illud Ecclesiastici decimo: *Regnum à Gente in Gentem transferetur propter iniustitias, iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Quo argumento vtuntur peculiariter Hostiensis, & Aluarus Pelagius vbi supra.

SECVNDVM argumentum ducitur ex auctoritate Sedis Apostolicæ. Nam sanctus Gregorius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pontifex, libro primo Regiſtri, epiſt. 73. laudat Gennadium Exarchum Aphricæ, quòd aduerſus infideles bella gereret, vt apud eos in poteſtatem redactos poſſet prædicari & propagari fides Chriſtiana. Et Alexander VI. ſummus Pontifex conceſsiſſe perhibetur Regibus Hiſpaniæ Ferdinando & Eliſabethæ dominium inſularum Occidentalium maris Oceani, quæ ab illis eſſent tunc repertæ, aut deinceps reperirentur. Quo ipſo approbaſſe & conceſsiſſe videtur, vt illarum Inſularum incolæ Infideles vi & armis opprimerentur.

TERTIVM argumentum ducitur ex auctoritate ſanctorum Patrum. Nam ſanctus CYPRIANVS in tractatu de Exhortatione ad Martyrium, capite quinto, commemoratis ex Teſtamento veteri præceptis aliquot diuinis, quibus infideles Idololatræ iubebantur interfici, ſubiungit: *Si ante aduentum Chriſti circa Deum colendum & Idola ſpernenda hæc præcepta ſeruata ſunt, quanto magis poſt aduentum Chriſti ſunt ſeruanda?* Et ſanctus AVGVSTINVS epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem: *Omnes*, inquit, *Reges qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant inſtituta, culpantur: & qui prohibuerunt & euerterunt, ſuper aliorum meritis laudantur.*

QVARTVM argumentum ducitur ab exemplo populi Iſraëlitici, qui multorum Gentilium regna & prouincias vi & armis occuparunt: idq; Deo approbante propter Infidelitatem & ſcelera illarum Gentium. Vt patet Deuter. 32. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentes, quas poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos, &c.* Quo argumento vtitur Alfonſus à Caſtro vbi ſupra.

QVINTVM ducitur ex auctoritate Philoſophi, qui lib. 1. Politic. cap. 1. ita ſcribit: *Quod poteſt mente proſpicere, naturâ imperat & dominatur: Quod autem poteſt corpore hoc facere, paret naturâ & ſeruit.* Et infrà: *Apud barbaros*, inquit, *fœmina & ſeruus eodem gradu habentur: Quoniam quod natura dominetur, non habet, ſed ſit eorum ſocietas ex ſeruo & ſerua: Quamobrem aiunt Poëtæ, Græcos barbaris dominari oportere, quòd idem ſit naturâ Barbarus & ſeruus.* Eſt igitur naturæ conſentaneum & licitum, Infideles Barbaros vi & armis in poteſtatem dominiumq; redigi à fidelibus, qui mente & ratione valent.

SEXTVM ducitur ex ratione per locum *à minori ad maius*, quo vtitur Alfonſus à Caſtro vbi ſupra: Nam eſt licitum, bello & armis infeſtare Infideles ad vlciſcendam iniuriam propriam, & ad conſulendum vitæ & incolumitati proximorum; ſi qui apud illos iniuſtè tractentur aut occidantur, aut cogantur ad cultum Idololatricum, &c. Ergo multò magis ad auertendam iniuriam grauiſsimam, quæ fit Deo ab Infidelibus per Idololatriam & alia peccata contra legem naturæ. Antecedens patet ex lege charitatis, & ex illo Pſalmi 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.*

SEPTIMVM argumentum ducitur ab abſurdo, quod alioqui ſequeretur: Nam non eſſet tunc via, qua puniri poſſent auctoritate humana tot grauiſsima crimina, quæ committuntur ab Infidelibus.

Nihilominus CONTRARIA ſententia longè verior eſt, & communiter in ſcholis Theologicis recepta: Nempe non eſſe licitum, Infideles eiuſmodi vlla vi inuadere, propterea quòd Infideles ſint & barbari, aut peccata committant contra legem naturæ; ſed tunc ſolùm, cùm aut obſiſtunt prædicationi fidei, aut aliqua iniuria fidem & fideles affecerint, aut aliquos, qui conuerti velint, impediunt, vel iniuriis & cædibus opprimunt homines Innocentes, &c. iuxta ea, quæ partim tradidimus puncto præcedenti, partim poſtea in reſponſione ad ſextum argumentum dicemus. Ita docet egregiè Caietanus 2. 2. quæſtione 66. articulo octauo, circa reſponſionem ad ſecũdum, & Franciſcus Victoria in relectione de Indis, parte prima, & Didacus Couarruuias in Relectione ſuper Regulam *Peccatum*, parte ſecunda, §. 10. & Bartholomæus Caſſanus in Apologia pro Indis, & Dominicus Bannes hic articulo decimo. Et nominatim quòd titulo quidem Infidelitatis non poſsit Infidelibus bellum inferri, cenſuit diuus Thomas 2. 2. quæſt. 12. art. 2. & Caietanus, & Sylueſter vbi ſupra, & alij.

Probatur autem hæc ſententia iiſdem generibus argumentorum. Et PRIMO ex Scriptura. Nam ex ea conſtat, Infideles huiuſmodi non obſtante Infidelitate & aliis criminibus ipſorum, eſſe veros dominos rerum ſuarum: Ergo non poſſunt eis per vim priuari ab iis, qui ipſorum ſuperiores nullo titulo neque politico, neque ſpirituali ſint, neque vllo modo vel in ſe, vel in proximis ſunt ab eis læſi.

Antecedens patet ex his teſtimoniis: Danielis ſecundo, Regem Nabuchodonoſor infidelem & impium nihilominus Daniel ita alloquitur: *Tu Rex regum es, & Deus cæli regnum & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia, in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri, volucres quoque cæli, dedit in manu tua, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit.* Et Matthæi 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Et Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum, &c.* Et ad Romanos decimo tertio: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, &c.* Et prima Petri ſecundo: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſiue Regi quaſi præcellenti, &c.*

Vnde in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 8. abſolutè damnatur inter alios articulos VViclephi, articulus 15. quod ſcilicet *nullus eſt dominus ciuilis dum eſt in peccato mortali.* Vbi Concilium non fecit vllum diſcrimen inter mortale peccatum Infidelitatis, & alia peccata, ſed per nullum peccatum cenſuit dominium amitti; ſicut contrà VViclephus falsò putabat amitti per quodlibet,

atque

atque adeo etiam per Infidelitatem, qui fuit etiam error Armacani in libro, quem appellauit *defenſorium pacis.*

SECVNDO, probatur eadem ſententia auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Nam Alexander II. 23. quæſt. 8. Canone *Diſpar*, affirmat, iuſtè bellum geri contra Sarracenos propterea quòd Chriſtianos perſequuntur: non autem contra Iudæos, *cùm ſint*, inquit, *ſeruire parati.* Quo ipſo ſatis apertè cenſuit Pontifex, non licere bello infeſtare eos Infideles, qui nihil mali Chriſtianis inferunt, Sicut etiam dicitur in Lege *Chriſtianis*, Codice de Paganis & ſacrificiis & templis eorum. Item Paulus III. definiuiſſe fertur, Infideles Indos Occidentales non eſſe vi priuandos ſuarum rerũ dominio, vt memorat Dominicus Bannes.

TERTIO probatur eadem ſententia ex ſancto Cypriano, & ſancto Auguſtino. Nam ſanctus CYPRIANVS in tractatu de Exhortatione ad Martyrium, capite quinto cenſuit, infideles Idololatras non poſſe vi coërceri, quatenus vtcunque infideles, ſed quatenus infideles *apoſtatæ.* Nam eſſe interficiendos, qui ſacrificare idolis ſuaſerint, aut ſacrificauerint, confirmat ex præcepto quod datum eſt Deuteron. 13. de Iſraëlitis ipſis interficiendis, quando *ad Deos alienos* ſe conuertere vellent, & exemplo Mattathiæ, qui interfecit *Iudæum*, qui ad aram ſacrificaturus acceſſerat, 1. Machab. 2. Quod etiam patet ex Cypriani inſtituto & ſcopo, qui erat deterrere Chriſtianos in illo tractatu ab Apoſtaſia, & adhortari ad conſtantiam martyrij.

Sanctus item AVGVSTINVS ſermone ſexto de verbis Domini, in fine, diſertè affirmat, neceſſariam in primis eſſe *poteſtatem & auctoritatẽ* in eos infideles, qui vi compeſcendi ſunt. Idq; confirmat teſtimonio illo Deuteron. ſeptimo: *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingredieris, &c. tradideritq; Gentes Dominus Deus tibi, percuties eas vſque ad internecionem, &c. Cùm data*, inquit Auguſtinus, *vobis fuerit terra in poteſtatem. Prius ait in poteſtatem, & ſic dixit quæ facienda ſunt. Aras eorum deſtruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis. Cùm acceperitis poteſtatem, hoc facite: Vbi nobis non eſt data poteſtas, non facimus, vbi data eſt, non prætermittimus. Multi pagani habent iſtas abominationes in fundis ſuis; nunquid accedimus & confringimus? Prius enim agimus, vt idola in eorum cordibus confringamus. Quando Chriſtiani & ipſi facti fuerint, aut inuitant nos ad tam bonum opus aut præueniunt nos. Modò orandum eſt pro illis; non iraſcendum illis.* Nihil certè de hac quæſtione luculentius dici poteſt.

QVARTO probatur exemplo veterum Principum Chriſtianorum, qui nunquam leguntur bello infeſtâſſe infideles non ſubditos, eo ſolùm nomine quòd eſſent infideles; cùm tamen multùm apud eos gratia & auctoritate ſancti Patres valuerint, qui haud dubiè fuiſſent Principibus illis eius rei ſuaſores, ſi licita eſſet, vt puncto etiam præcedenti ratiocinabamur.

QVINTO probatur auctoritate Philoſophi, libro ſeptimo Politic. capite decimo quinto, vbi planè indicat, ad iuſtum bellum inprimis requiri, vt ij, quibus bellum ac vis infertur, *id meriti ſint*, aliquibus nimirum iniuriis in eos vel eorum ſocios, qui bellum inferunt: *Non per hoc*, inquit, *ciuitas felix eſt exiſtimanda, neque legiſlator laudandus, quòd vincere docuerit, & finitimis dominari. Hæc enim magnum continent nocumentum.* Et infrà: *Neque exercitatio rerum bellicarum ob id eſt meditanda, vt in ſeruitutem adigant immerentes: ſed primùm, ne ipſi ſeruire aliis cogantur. Deinde, vt imperium quærant gratia vtilitatis ſubiectorum, non ante omnia dominationem* (id enim pertinet ad rectam intentionem) *tertiò, vt eis dominentur, qui ſeruire ſunt digni, id eſt, qui non ſunt id immerentes* (vt ante dictum eſt) *ſed ſubiectionem ſeu ſeruitutem promeriti*, propter iniurias aliis illatas, ſicut eſt dictum. Quod autem Philoſophus non exiſtimet, barbaros alioqui hoc ipſo, quòd mente hebetes ſunt, ſeruitutem mereri, ita, vt ob eam ſolã cauſſam iuſtè poſsint per vim in ſeruitutem redigi, poſtea in reſponſione ad quintum argumentum defendemus.

SEXTO probatur ratione ducta ex titulis, quibus licere poteſt vim aliis inferre. Nam duo ſunt tituli, quibus id liceat: nempe vel *charitatis* erga ſe vel proximos: vt cùm quis ſe vel proximum iuſtè defendit tuendo vitam aut bona propria vel proximi: Vel *iuſtitiæ vindicatiuæ* ſeu punitiuæ; vt cùm iuſtè Superior aliqua poteſtas vlciſcitur iniuriam alicui illatam, vel à ſubditis, vel ab alia ſuperiore poteſtate, vt fit per bellum iuſtum, quando neutra pars ſubeſt alicui vni Superiori, vt trademus infrà diſputatione tertia, in quæſtione de bello: Sed in noſtro caſu neuter titulus ex iſtis ſuppetit ad inferendam vim Infidelibus, hoc ipſo quòd Infideles & barbari ſunt: Ergo non poteſt illis eo ſolùm nomine iuſtè vis inferri.

Minor patet. Nam tales infideles (vt in propoſito ſupponimus) nullam inferunt Chriſtianis aut aliis innocentibus iniuriam. Iniuria verò, qua per peccata contra legem naturæ afficiunt Deum, ſufficienter poteſt & ſolet ab ipſo Deo vel in hac, vel in altera vita puniri & vindicari: vt planè ſit ſuperuacaneum, iniuriam eam vindicari per homines, qui neque Superiores Ordinarij eiuſmodi infidelium ſint, neque peculiariter ab ipſo Deo moniti & iuſſi, vt id faciant.

Alioqui planè ſequeretur aliquid, quod nemo concedit; nempe non ſolùm Idololatriam, & alia eiuſmodi peccata contra legem naturæ, ſed etiam odium Dei, quod eſt peccatum omnium grauiſsimum, item furta & libidines, & omnia

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnino peccata contra naturalem legem, esse sufficientes causas inferendi bellum infidelibus non subditis: quandoquidem huiusmodi omnibus peccatis Dei maiestas offenditur, & quidem omnium maximè per ipsius odium, quod tamen nemo existimat posse iustè per vim & bellum puniri in Infidelibus, qui non sint Christianis subiecti. Imo vlterius sequeretur, licitum esse quoque Principibus Christianis mouere bellum aliis populis Christianis nulla alia de causa, quàm vt in eis vlcisceretur iniuriam Deo ab eis factam per huiusmodi peccata. Quod non potest absq; maximo absurdo concedi.

Nec sanè respondet sufficienter ad hoc argumentum Alfonsus à Castro vbi supra. Dicit enim duo: PRIMO, discrimen esse inter odium Dei & Idololatriam; quòd odium Dei licet sit maius peccatum, tamen de eo non constat aliis, cùm animo solo suscipiatur & geratur: De Idololatriæ autem crimine constare solet, cùm sit externum peccatum. SECVNDO, aliam quoque rationem esse de furto & aliis peccatis. Nam de iis non dedit Deus mandatum, vt ab hominibus punirentur in aliis non subditis: de Idololatria autem dedit tale mãdatum, Deuter. 32. cùm imperauit filiis Israël, vt subuerterent Gentes, quæ Deos falsos coluerunt.

Sed illud PRIMVM subterfugium inualidum est. Nam saltem sequetur, quòd posset infidelibus non subditis, aut etiam aliis Christianis populis iustè inferri bellum propter solum odium veri Dei & Christi, quando de hoc odio sufficienter constaret per publicam & constantem asseuerationem ipsorum populorum. Et tamen nemo concederet, solum Dei odium ita manifestatum & cognitum, esse tunc sufficientem belli causam.

Neque plus etiam valet SECVNDVM subterfugium. Nam præceptum illud datum tunc ea de re filiis Israël, fuit peculiare, ad eos solos pertinens, & nominatim respectu illarum Gentium, quas Deus iusto suo iudicio volebat ita puniri, non autem pertinet id præceptum ad Christianos respectu quarumcunque Gentium infidelium. Neque id voluit Cyprianus (à Castro etiam citatus) vt dicemus in responsione ad argumẽtum tertium, & iam ante in nostra tertia probatione vidimus.

SEPTIMO probatur ex absurdo, quod alioqui sequeretur. Nam si propter Infidelitatem licet inferre vim & bellum aliis, maxima esse posset perturbatio in tota vniuersitate generis humani. Nam cùm omnes, qui sectantur aliquam religionem, sibi persuadeant, falli, & errare, & infideles esse quoscunque alios, qui non idem de religione sentiant; vnaquæque gens posset putare, habere se iustã causam belli aduersus quamcunq; aliam Gentem, diuersum de religione sentientem, ac proinde totus mundus posset conflagrare bellis.

Neque est difficile ad argumenta illa septem contrariæ sententiæ respondere. Ad PRIMVM respondeo, testimonio illo Ecclesiastici nõ contineri vaticinium translationis dominij ab Infidelibus ad Christianos ex Dei voluntate, sed euentus, qui sæpè solet contingere, nempe vt propter peccata transferantur regna de Gente in Gentem, Deo ita volente vel permittẽte, ac proinde vel peccantibus vel non peccantibus iis, qui per vim occupant aliorum regna.

Ad SECVNDVM respondeo, Sanctum Gregorium laudare bella Gennadij contra infideles, qui erant hæretici & apostatæ, vt apparet ex eodem Gregorio in illo libro, epistola septuagesima secunda ad eundem Gennadium. Alexander autem Sextus (si in eo facto particulari, ad Reges illos tantùm, & ad illas Insulas pertinente, non errauit) solùm concesit illis regibus ius quoddam superintendentiæ & patrocinij in Infideles illos, postquam debito modo essent ad fidem conuersi. Nec enim potuit Infideles illos dominio suo priuare propterea solùm quòd essent Infideles, vt patet ex nostra prima probatione.

Ad TERTIVM respondeo, Sanctum Cyprianum loqui de Idololatris à fide Apostatis, vt ostendimus in nostra tertia probatione. Ac de eisdem loquitur etiam sanctus Augustinus, vt apparet ex eius verbis. Dicit enim laudatos fuisse Reges, qui euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerunt instituta IN POPVLO DEI, vt inquit, nimirum ab apostatis.

Ad QVARTVM respondeo, filios Israël id fecisse ex peculiari voluntate & mandato Dei, vt diximus in probatione sexta. Quare non est imitandum id factũ sine peculiari voluntate & mandato Dei.

Ad QVINTVM respondeo, Philosophum tantummodo velle, quòd deceat quidem & consentaneum sit, vt mente hebetes pareant & seruiant, ratione autem præpollentes dominentur; non autem quòd sint planè incapaces dominij, qui sunt mente hebetes & barbari, si modò tamen mentis inopes non sint.

Hanc fuisse sententiam Philosophi patet *primò* ex illo ipso loco, qui obiiciebatur. Ait enim barbaros esse seruos NATVRA, & NATVRA non esse dominos. Quod non potest intelligi de seruitute & dominio secundùm *actum*, sed secundùm quandam decentiam & *aptitudinem*. Nam actu quidem nullus naturâ est alterius seruus vel dominus: cùm dominium & seruitus sint introducta nõ naturâ (per quam omnia fuerunt principio omnibus communia) sed instituto hominum per ius Gentium, vt & diuisio ac proprietas aliarum rerum. *Secundò* idem patet ex eodem Philosopho, lib. 3. Polit. cap. 10. vbi apertè indicat, esse apud barbaros ius regiminis, quod more & consensu populi competat aliis illorum in

alios:

alios: idq; eos solere vsurpare per quandam formam & speciem monarchiæ, quæ sit similis Tyrannidi: *quia enim*, inquit, *magis aptæ sunt naturâ ad seruiendum nationes barbarorum quàm Græcorum, & eorum qui incolunt Asiam, quàm eorum qui Europam; perferunt seruile iugum æquo animo*, nimirum à suis regibus similibus tyrannorum. Quo loco satis etiam declarauit ipse Philosophus, quomodo accipiendum sit, quòd idem dixerat lib. 1. Polit. capite primo, barbaros esse *naturâ* seruos, nimirum secundùm quandam decentiam & aptitudinem, vt diximus.

Ad SEXTVM argumentum respondeo, non esse bonam illam consequentiam. Disparitas namque rationis est, quòd Deus ipse potest & solet vel in hac vel in altera vita sufficienter vindicare iniurias sibi factas: proximi autem qui ab aliis iniustè opprimuntur, non possunt sibi sufficienter consulere (vt supponimus) nisi ipsis ab aliis suppetiæ ferantur; nec quisque sibi ipsi, nisi se defendat vim vi repellendo. Quapropter licitũ est propter incolumitatem propriam aut proximorum inferre vim aliis, qui subiecti non sint, non autem propter vlciscendam Dei iniuriam.

Ad SEPTIMVM respondeo, satis esse quòd eiusmodi infidelium crimina possint & soleant à Deo vel in hac, vel in alia vita puniri: & quòd etiã absolutè possint puniri per auctoritatem humanam quatenus absolutè possunt quicunq; Principes Infideles per ipsum naturale lumen rationis cognoscere turpitudinem eiusmodi criminũ, & iustis pœnis ea coërcere in subditis. Quòd autem non omnia crimina per humanam auctoritatem in hac vita puniantur actu, neq; mirum, neq; absurdum est, quandoquidem videmus neque omnia puniri in hac vita per auctoritatem diuinam.

Maneat itaq;, Infideles, qui Principibus Christianis subiecti non sunt, non posse bello infestari propterea solùm, quòd infideles, & barbari, & scelerati sunt, propter alias tamen causas quandoque id est licitum, vt rectè Couarruuias vbi suprà, & alij communiter notant. Vt si occupant regiones, quæ iure pertinẽt ad Christianos Principes; vel Christianos aliquibus iniuriis afficiunt; vel Fidei prædicationem & susceptionem impediunt; vel Fidem apertis blasphemiis oppugnãt; vel generi mortaliũ pernicioſi sunt, vt ij qui carnes humanas vorant, vel homines Idolis sacrificant, &c. Quæ omnia patent ex dictis partim hoc puncto, partim præcedente.

Quid autem ex hac doctrina possit iudicari de bellis gestis à Christianis Principibus nostra & Patrum memoria contra Infideles barbaros, non erit difficile, ex iis quæ disseruimus, statuere, consideratis etiam facti circumstantiis particularibus.

PVNCTVM OCTAVVM.

An licitè permittatur Infidelibus dominiũ & prælatio in Fideles.

D. Thomas art. 10.

QVÆSTIO hæc institui potest vel de dominio *antiquo* Infidelium; an scilicet sit illis hoc permittendũ in subditos, quando hi conuertuntur ad fidem: Vel de dominio *nouo*; an scilicet sit permittendum Infidelibus, vt illud de nouo acquirant erga fideles.

Si quæstio sit de dominio *nouo*, certum est id, quod asserit S. Thomas, quoad eius fieri possit, non esse permittendum Infidelibus, vt acquirant illud in fideles. Id patet PRIMO ex multis canonibus in Decreto. 45. d. & in Decretalibus lib. 5. Extra de Iudæis & Sarracenis per multa capita. DEINDE etiã ratione. Nam cederet hoc in scandalum & periculum fidei. Facilè namq; superiorum infidelium auctoritate peruerterentur fideles subditi. Item fieret, vt superiores infideles facile cognoscerent peccata subditorum fidelium, atque ita contemnerent ipsorum fidem. Quæ ratio mouit Apostolum, vt prohiberet, ne fideles in *iudicio contẽderent coram Iudice infideli*. 1. Cor. 6.

Si autem quæstio sit de dominio *antiquo*, inprimis certum etiam est, non hoc ipso quidem infideles amittere antiquum dominium & ius in subditos, quòd subditi ad fidem conuertantur. Nam vt rectè ratiocinatur hic diuus Thomas, ius dominij vel prælationis introductũ est iure humano Gentium: distinctio verò fidelium & infidelium est secundùm legem gratiæ, quę non tollit illud ius humanum, quod ratione naturali nititur.

Deinde certum etiam est, Ecclesiam posse eiusmodi dominio antiquo priuare infideles, si sint Ecclesiæ aut eius membris subiecti. Id patet ex praxi Ecclesiæ. Nam vt ait hic D. Thomas, statuit Ecclesia, vt Iudæorum serui (siue vernaculi sint, id est, in seruitute nati, siue ad seruitutem empti) liberi sint eo ipso, quòd ad fidem conuertuntur. Quod si fuerint empti ad mercationem, vt inquit D. Thomas, iubet, vt intra tres menses venum exponantur. Vnde in Concilio Toletano IV. cap. 60. iubetur generatim, vt nulla communicatio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis cum iis, qui adhuc in veteri ritu persistant, ne eorum participatione subuertantur.

QVAESTIO autem est, vtrũ Ecclesia potestatem habeat priuandi quoscunq; infideles (etiam non subiectos) dominio antiquo erga subditos, qui conuertuntur ad fidem. Ad quam quæstionem D. Thomas hic art. 10. respondet affirmatiuè. Probat, quoniam merito Infidelitatis merentur illi priuari eo iure, ne scilicet dominentur iis, qui iam sunt in libertatem filiorũ Dei translati: Ergo poterit id Ecclesia exequi, cùm locum Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

teneat. Tametsi, vt idem D. Thomas ait, ad vitandum maius scandalum, non vtitur Ecclesia auctoritate prædicta erga infideles eos, qui nec ipsi, nec membris ipsius subiecti sunt. Qua in re exemplum Christi sequitur, qui etsi ostenderet nō teneri se tributum pendere, quoniam liberi sunt filij, voluit tamen hoc facere ad vitandum scandalum. Matth. 17.

In CONTRARIVM autem possent nonnulla argumenta obiici. PRIMO, quoniam ex vna parte infideles non subditi Ecclesiæ, reuera sunt domini rerum suarum; & ex altera nō habet Ecclesia auctoritatem in illos, cùm sint foris, &c. Ergo non habet Ecclesia auctoritatem eos priuādi vllo dominio. SECVNDO, Nam Ecclesia non potest ad fidem cogere eos, qui fidem professi non sunt: Sed si illos priuaret dominio erga subditos, cogeret illos quodammodo ad fidem: Ergo. Minor probatur, quoniam priuatio dominij quædam pœna est, cuius timore adigerentur huiusmodi infideles ad suscipiendam fidem potius, quàm vt priuētur iure, quod habent in subditos.

Accedit TERTIO, quòd ratio S. Thomæ pro illa sua sententia videtur infirma. Nam primùm fieri potest, vt infideles huiusmodi non sint culpabiliter infideles, sed tantùm negatiuè, ac proinde tales non merebūtur propter infidelitatem priuari dominio. Deinde dato, quòd infidelitas ipsis peccatum sit propter quod mereantur priuari dominio à Deo, tamen nō habemus certum argumentum aut reuelationem, ex qua constet, Ecclesiam habere auctoritatem idipsum exequendi.

RESPONDEO, si periculum salutis imminet fidelibus, ex eo quòd Domino infideli subiecti sint, dubium non est, quin Ecclesia possit illos ea subiectione liberare. Nā habet illa ius consulendi saluti spirituali suorum filiorum. Neque verò hac ratione exerceret directè auctoritatē suam in Dominum infidelem, sed in ipsos fideles, qui illi erant subditi, id quod iure suo potest. Et quoniam communiter huiusmodi periculum impēdet subditis fidelibus, qui infideli Domino parent, potest Ecclesia regulariter siue communiter loquendo id facere.

CONFIRMATVR. Nam non minus, imò maius vinculū est matrimonij, quàm seruitutis aut subiectionis: sed ob infidelitatem alterius coniugis, si alter ad fidem conuertatur, dissoluitur vinculū matrimonij, quando coniugi ad fidem conuerso imminet salutis periculum ab altero coniuge infideli: Ergo poterit Ecclesia in proposito eximere quoq; fideles à dominio infidelium ob eandem rationem.

Si verò contingeret, nullum tale esse periculum, putat probabiliter Durandus in 2. sentent. distinct. 44. quæst. 3. artic. 2. non posse Ecclesiam id facere, quoniam circa temporalia non habet illa potestatem, nisi quatenus expedit ad spirituale bonum: Sed in eo casu nō esset ad spirituale bonum necesse priuare infideles dominio erga fideles: Ergo, &c.

Et posset hoc idem confirmari auctoritate D. AVGVSTINI expositione in Psalm. 124. circa illud: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum*; vbi ita scribit: *Non vult te facere superbum Christus. Contigit tibi, vt Christianus esse cœperis, & habères Dominum hominem: Non ideo Christianus factus es, vt dedigneris seruire.* Et infrà: *O quātum debent diuites Christo, qui illis componit domum: vt si fuit ibi seruus infidelis, conuertat illum Christus, & non ei dicat: Dimitte Dominum tuum, iam cognouisti eum, qui verus est Dominus: ille fortè impius est & iniquus, tu iam fidelis & iustus. Indignum est, vt iustus & fidelis seruiat iniquo & infideli. Non hoc ei dixit; sed vt magis seruiat. Et vt corroboraret seruum hoc dixit, Exemplo meo serui, quia prior ego seruiui iniquis, &c.*

Nihilominus etiam probabiliter D. Thomas in ratione sententiæ suæ insinuat, quòd etiā tunc, quando nō immineret periculum fidelibus subditis domino Infideli, Ecclesia id posset, vt tueretur nimirum dignitatem filiorum Dei, quę accedit iis, qui ritè profitentur fidem. Et fundamentum huius potest peti probabiliter ex illo loco Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, vt etiam indicat sanctus Thomas in art. 10. Sanctus autē AVGVSTINVS solùm vult, quòd non liberantur tales à seruitute iure diuino: non autem negat, quòd possint liberari iure humano Ecclesiastico. Nam postea dicit idem de seruo infidelis apostatæ à fide: de quo dubium nō est, quin possit per Ecclesiam liberari à Domino.

Ad PRIMVM igitur argumentum iam patet, quomodo Ecclesia non exerceret auctoritatem suam directè in infideles dominos, sed consuleret filiis suis aut auertēdo ab ipsis periculum, aut tuendo dignitatem eorum, vt sunt filij Dei adoptiui: neque possent hoc Domini infideles rationabiliter iniquè ferre, quandoquidem Ecclesia vteretur sic iure suo erga suos subditos, quod cùm sit spirituale, maioris est momenti.

Ad SECVNDVM patet solutio ex eodem fundamento. Cùm enim Ecclesia hoc faceret, vteretur suo iure: atque ita etiamsi infideles Domini compellerentur ea ratione ad fictam professionem fidei, non tamen cooperaretur Ecclesia indirectè huiusmodi sacrilegio, siquidem non teneretur illud prohibere, sed posset vti iure suo.

Ad TERTIVM respondeo, siue infidelitas in huiusmodi Dominis sit peccatum, siue non, decere tamē filios Dei adoptiuos liberari à Dominio infidelium ob rationem suprà dictam. Deinde moraliter loquendo infidelitas eius, qui subditos haberet fideles, semper esset peccatum. Nam ab illis posset cognoscere fidem.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Hæresi, quæ est vna species Infidelitatis.

D. Thomas 2. 2. quæst. 11.

DE Hæresi disputant Theologi in 4. sentent. distinct. 13. & Canonista 24. quæst. 3. & in titulo de Hæreticis in Decretalibus, & in 6. Ac inter alios tractat hac de re diligenter Turrecremata lib. 4. Summæ, parte secunda, & Alfonsius à Castro in libris tribus de iusta Hæreticorum punitione, & Bellarminus noster lib. 3. de Laicis. Sunt autem quatuor explicanda. PRIMO, *quid sit Hæresis.* SECVNDO, *quænam sit Hæresis materia, siue obiectum.* TERTIO, *an sint hæretici puniendi.* QVARTO, *an sint recipiendi ab Ecclesia, cùm ad fidem redeunt.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Hæresis.

D. Thomas art. 1.

HAERESIS, SI VIM EXPENDAMVS verbi, latissimè patet. Dicitur enim ab electione, vt notauit S. HIERONYMVS in caput quintum Epistolæ ad Galatas, & TERTVLLIANVS in libro de præscriptionibus. Itaque omnis sententia, siue vera sit, siue falsa, quam aliquis deligit, potest communiter dici hæresis, sicut etiam *secta*, quo vocabulo idem significatur, vt notat S. Thomas hic ad 3. Et Marcus Tullius in Paradoxis, Stoicorum sectam *hæresim* hac ratione vocauit.

Sed vt rectè attigit Tertullianus, ne secundùm hanc quidem significationem communem doctrina fidei nostræ, ppriè diceretur hæresis. Quoniam nō propriè illa suscipitur electione humana: sed magis gratia Dei, iuxta illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit illū.* Et 15. *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.* Vnde Apostolus Actor. 24. recusasse videtur appellare hoc nomine doctrinam fidei. Non enim ipse eam appellauit hæresin, sed dixit ab aliis ita nominari. *Confiteor*, inquit, *quia secundùm sectam, quam dicunt hæresim, etc.* Quidquid autem sit de significatione nominis communi, & eius natura, tamē vsu iam factum est, vt hæresis tantùm à Doctoribus dicatur error contra fidem in eo, qui profitetur religionem Christianam.

Est igitur Hæresis error, fidei Catholicæ contrarius, cui pertinaci animo inhæreat is, qui est fidem in Baptismo professus. Sic definit Turrecremata libro quarto Summæ, parte secunda, capite primo, ex communi mente Doctorum in 4. distinct. 13. & S. Thomæ articulo sequenti ad 3. Hæc definitio declaranda nunc & confirmanda est explicando nonnullas difficultates, quæ circa illam moueri possunt.

PRIMA difficultas est, quòd videtur ex ea definitione sequi, Apostasiam non esse speciem infidelitatis distinctam ab hæresi. Consequēs est falsum: Ergo non est bona ea definitio. Maior probatur. Nam in errorem etiam eius, qui postquam fidē Christi professus est in Baptismo, eam prorsus deserit, omnes particulæ datæ definitionis conueniunt, vt patet consideranti.

Minor autem probatur tripliciter. PRIMO, nam hæreticus intendit assentiri Christo, vt sanctus Thomas in prima conclusione ait: Apostata verò à fide, renunciat illi penitus. SECVNDO, nam Apostata admittit infidelitatem Paganorū, vel Iudæorum, vt ad aliquam istorum sectam cōuertitur: Sed infidelitas Paganorum vel Iudæorum differt specie ab infidelitate hæreticorum: Ergo & Apostasia. Minor patet ex diuo Thoma quæst. præced. art. 5. Maior probatur ex doctrina D. Thomæ hic. Nam docet, eum, qui non vult assentiri Christo, admittere infidelitatem paganorum vel Iudæorum; Sed apostata non vult assentiri Christo: Ergo. TERTIO, nam doctores agere solent de Apostasia & Hæresi tanquam de distinctis, eo quòd hæresis nō totaliter repugnet doctrinæ fidei: Apostasia verò totaliter: Vnde & D. Thomas ponit peculiarem quæstionem de Apostasia, videlicet proximè sequentem.

RESPONDEO, duas esse hac de re opiniones. Nam Syluester verbo Hæresis dub. 2. & nonnulli alij putant, Apostasiam specie differre ab hæresi. Caietanus verò hic & quæstione præcedenti articulo quinto, & Alfonsus à Castro libro primo de iusta hæreticorum punitione, capite septimo, & libro primo Summæ de Hæresibus capite nono, in postrema editione, & Bannes quæst. 12. artic. 1. & alij negant differre specie.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mihi primò videtur verum id, quod notauit Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 9. nempe controuersiam hanc esse de nomine. Nam quidquid discriminis inter Apostasiam & Hæresim assignabunt ij, qui asserunt infidelitates has esse differentes specie, hoc totum, quod ad rem attinet, concedunt ij, qui negant illas specie differre. Et è contrario, id in quo isti aiunt vtramque infidelitatem conuenire, priores illi quoque admittunt. Itaque diſsidium videtur esse solùm de nomine: Vtrum scilicet propter conuenientiã Hæretici & Apostatæ in profesione baptismi, hæresis & Apostasia debeant dici eiusdem speciei, an verò diuersæ propter differentiam in modo recedendi ab ea professione, quia nimirum apostasia recedit ab ea totaliter, hæresis autem non nisi quoad aliquid.

Et quidem videtur secunda sententia (scilicet non differre specie has Infidelitates) in quæstione hac de nomine melius & conuenientius mentiS. Thomæ loqui. Nam is quæstione præcedenti art. 5. enumerans infidelitatis species; ad speciem hæresis simpliciter docuit pertinere infidelitatem eius, qui fidei, quam professus est, repugnat. Hoc autem facit etiam apostata, tametsi magis quàm hæreticus.

Nihilominus tamen extra controuersiam debet esse, Apostasiam vsq; adeo moraliter loquendo differre ab Hæresi, vt necessariò sit declaranda in confesione: non solùm, quia intra eandem speciem grauior multò est, quàm hæresis, sed quoniam materialiter etiam includit alterã speciem infidelitatis, nẽpe Paganismi aut Iudaismi, ad quem apostata se conuertit. Nam quantum est in intentione Apostatæ situm, vult is Paganismum vel Iudaismũ sectari, sicut Pagani & Iudæi, atque ita infidelitatem illius speciei admittit.

Et huius quidem videtur consideratione habuisse S. Thomas, cùm quæstione sequenti art. 1. ad 3. ait, Apostasiam non esse *determinatam* infidelitatis speciem, sed pertinere ad illam infidelitatem, quam Apostata sectatur. Verum enim hoc est, si consideremus Apostasiam non solùm formaliter, qua parte repugnat fidei susceptæ, & est eiusdem speciei cum hæresi, sed etiam materialiter, vt incidit in infidelitatem alterius speciei. Ex hac enim parte, non est determinatæ speciei.

Ad illam igitur primam difficultatem concedenda est sequela, quæ infertur, & neganda est Minor. Ad probationem eius PRIMAM respondeo, sensum esse, quòd hæreticus ꝓfitetur Christum, vel in actu secundo, vel saltem in actu primo, per charitatem videlicet acceptam in Baptismo, quo pacto etiam Apostata Christũ profitetur. Sic Caietanus hîc exponit dictum illud S. Thomæ.

Ad SECVNDAM probationẽ similiter respondeo, infidelitatem eius, qui nec actu secundo, nec actu primo profitetur Christum, dici à S. Thoma hîc pertinere ad Paganismum vel Iudaismum: Apostata autem profitetur illum in actu primo, & sic pertinet ad speciem hæresis, quanquam etiam incurrat in aliam speciem, vt dictum est.

Ad D. Thomam autem respondeo, distingui ab illo eas quæstiones propter magnam diuersitatem intra eandem speciem. Quanquam in Iure quidem idem titulus est de Hæreticis & Apostatis, & iisdem pœnis vtraque punitur infidelitas, quod ipsum est signum, Apostasiam formaliter esse eiusdem speciei cum hæresi.

Ad TERTIAM probationem dico, ideo à Doctoribus separatim disputari de Hæresi & Apostasia, quia licet sint eiusdem speciei, tamen multum nihilominus inter se differũt, vt est dictum.

SECVNDA difficultas est circa priorem illam particulam, qua in definitione Hæresis dicitur ea esse *error*. Dubius namque in fide infidelis est, & consequẽter post illius professionem hæreticus: & tamẽ nondum admittit eo ipso errorem, cùm in neutram partem inclinet. Ergo nõ omnis hæresis est error.

RESPONDEO, certum in primis est, quòd deliberatè dubitans de fide, quã nouit propositam esse ab Ecclesia Catholica, contra fidem peccet, & sit infidelis. Ita enim est determinatum à Stephano Papa in Capitulo primo, Extra de Hæreticis, vbi ait, *dubius in fide infidelis est*. Et asseritur etiam à sancto HIERONYMO in illud Abacuc 2. Ecce qui incredulus est, nõ erit recta anima eius in semetipso.

Sed CONTROVERSIA est aliqua inter Doctores Theologos & Iuristas, qualisnam sit hæc infidelitas dubitantis? Vtrum scilicet *contrariè* opposita fidei, atque adeo *hæresis*, in eo, qui fidem est professus: an verò solum *privatiuè* opposita, quæ nequeat hæresis censeri. Et quidem Canus libro duodecimo, capite nono, eruditissimos quosdam Doctores esse dicit, qui illum posteriorem modum dicendi tueantur, scilicet, quòd dubitatio non sit hæresis contrariè opposita fidei, quos Canus illîc potius videtur sequi.

Sed verior & communior est apud Theologos altera sententia, nimirum quòd contrariè opponatur fidei, atq; adeo sit hæresis, in eo, qui fidem est professus. Ita Antoninus 3. p. titulo vigesimo tertio, capite vltimo, Adrianus quodlib. 2. Gabriel in 3. distinct. 23. quæst. 2. & Turrecremata libro quarto Summæ, parte secunda, capite duodecimo & alij. Nec tamen hæc sententia est ita defendenda, quasi dubitans habeat eo ipso errorem contra fidem actu, sed quia virtualiter saltem habet. Nam vt suprà quæstione præcedenti p. 1. dicebamus, qui deliberatè vult de propositione fidei dubitare, eo ipso censetur velle repugnare fidei, si rationes contra illam magis aliquã do placuerint: id quod etiam est (vt illic dicebamus) contra præceptum negatiuum fidei, de non habendo assensu contrario.

Per hunc modum facilè est vtramque sententiam concordare. Nam hoc modo, scilicet virtualiter,

tualiter, neq; Canus, neque alij possunt negare, dubitationem esse contrariam fidei. Quin imò apertè Canus id attigit, cùm illic dixit, ex parte quidem voluntatis dubitationem opponi contrariè fidei: ex parte autem intellectus non nisi inchoatiuè & imperfectè. Itaque maneat, dubitationem fidei in eo, qui fidem est professus, hæresim esse (si tamen adsit pertinacia, de qua statim) quamuis non ita perfectam, vt eius, qui actu errat. Etsi loquendo moraliter, vt rectè ait Canus vbi suprà, communiter cum dubitatione coniunctus soleat esse aliquis error actualis, quo quis putat, doctrinam Ecclesiæ Catholicæ non esse omnino certam.

Ad SECVNDAM igitur difficultatem respondeo, errorem, qui in assignata definitione nominatur hæresis, intelligendum esse actualiter, vel virtualiter.

TERTIA difficultas est, quòd siquis deliberatè neget cõclusionem aliquam Theologicam, quæ secundùm se non sit de fide, hæreticus censetur: Ergo malè in definitione dicitur hæresis esse error contra fidem.

RESPONDEO, illũ qui deliberatè negat conclusionem Theologicam, hoc ipso, virtualiter habere errorem contra fidem. Nam consequenter cogitur ex natura rei propter euidẽtiam consequentiæ, negare præmissam de fide. Hæc autem animi dispositio voluntaria ad repugnandum fidei, etiam est contra præceptum fidei negatiuũ, quo prohibetur assensus repugnans fidei. Quare si adsit pertinacia, erit hæresis, tametsi non directè, sed indirectè, & reductiuè, vti rectè Canus notauit lib. 12. de locis Theologicis, cap. 9. circa quartum argumentum: sicut etiam ipsa propositio Theologica non est secundùm se & directè de fide, sed mediatè.

QVARTA difficultas oritur ex particula illa definitionis, scilicet *pertinaci* animo. Quæritur enim qualis debeat esse ista pertinacia?

Sentẽtia communis, quam declarat rectè Caietanus hîc & Canus vbi suprà, est, eum duntaxat habere pertinaciam requisitam ad hæresim, qui cùm animaduertat dogma aliquod esse contrarium communi fidei Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ, quia scilicet videt illud in Scriptura contineri, aut ab Ecclesia Romana esse determinatum, nihilominus asserit vel persuadet sibi illud.

Hoc patet PRIMO, quoniam in Iure illi solent censeri hæretici, qui præsumunt aliquid sentire aduersus fidem Ecclesiæ Catholicæ, vt constat ex Capitulo vnico, de Summa Trinitate lib. 6. & in Clementina etiam vnica, de Summa Trinitate. Præsumere autem hoc ille dũtaxat censendus est, qui cùm animaduertat subesse conditionem requisitam & sufficientem ad credendum aliquid ex fide (id est, ꝓpositionem seu approbationem Ecclesiæ Romanæ Catholicæ) nihilominus illud negligit & contrà sentit.

SECVNDO idem confirmatur auctoritate B. AVGVSTINI lib. 4. contra Donatistas, capite 6. *Constituamus*, inquit, *aliquẽ sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam fidem; nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Ecclesiæ maluerit, q̃ tenebat, eligere.* Idem ex eodem Augustino Epistola 164. docet S. Thomas articulo sequenti ad 3.

TERTIO probatur idem à Caietano & Cano bona ratione. Nam hæresis nomine, communiter intelligitur vitium quàm maximè contrariũ fidei Catholicæ. Quare sicut ad assensum fidei requiritur notitia propositionis Ecclesiæ, & consensus voluntatis inclinantis intellectum ad assentiendum doctrinæ Catholicæ; sic è contrario ad hæresim requiretur similis notitia, & præterea deliberata voluntas repugnandi iis, quæ sunt ab Ecclesia proposita.

Hinc sequitur PRIMO, pertinaciam requisitam ad hæresim non esse existimandam ex diuturnitate seu quantitate temporis, quo quis hæret in errore contra fidem. Nam vt peccatum adulterij vel odij, exempli causa, admittitur, siue breui siue longo tempore duret consensus prauus voluntatis: sic & peccatum hæresis. Atq; hæc est doctrina communis.

Cui quidem non repugnat Syluester, vt aliqui putant, verbo Hæresis 1. dub. 2. Nam cùm dicit, hæreticum pertinacem existimari posse, qui diu vel tota vita in errore perstitit, id non ideo dicit, quia existimet, eam diuturnitatem necessariam esse ad pertinaciam, sed quia præsumi tunc ille potest habuisse pertinaciam, hoc est, vt ipse Syluester declarat, prudentem & scientẽ repugnasse fidei Catholicæ, non autem ex ignorantia.

SECVNDO sequitur, si quis à Theologis vel etiam ab Episcopo admoneretur, quòd sentiat aliquid contra fidem Ecclesiæ Romanæ, & tamen ipse non sibi hoc persuadeat, nõ esse censendum hæreticum; etiamsi res sit eiusmodi vt non possit ille probabiliter iudicio Episcopi & Theologorum repugnare, sed verè peccet contra fidem obligãtem ipsum, suppositatali monitione, ad sententiam mutandam. Sic notauit Canus lib. 12. de Locis Theologicis cap. 9. & indicauit etiam satis Caietanus hîc. Et est communis sententia etiam aliorum. Ratio est, quoniam talis nõ est verè pertinax, donec aduertat se Ecclesiæ Romanę repugnare.

Sed occurrunt quædam argumenta, quibus probari videtur, non requiri prædictam pertinaciam ad peccatum hæresis. PRIMO, quoniam ad hæresim satis est, vt aliquis voluntariè repugnet fidei, quam est professus: Sed hoc potest facere quis, etiamsi non iudicet se aduersari Ecclesiæ Romanæ: Ergo non requiritur ad hæresim huiusmodi pertinacia. Maior patet. Nam sicut admittitur peccatum contra iustitiam, cùm quis voluntariè facit contrà illam: ita videtur in proposito peccatum hæresis admitti, cùm voluntariè quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

triè quis repugnat fidei, quam est professus. Minor probatur. Nam qui ignorans vincibiliter aliquid esse propositum ab Ecclesia, secus opinatur, saltem indirectè repugnat voluntariè fidei catholicæ.

Confirmatur. Nam in quacunq; alia materia, vt homicidij, furti, &c. indirecta voluntas satis est ad committēdum peccatum in illius materiæ specie. Ergo etiam in proposito.

SECVNDO, si illa cognitio requireretur, maximè quoniam ad hęresin requiritur, vt quis prudens & sciens, atque adeo directa voluntate aduersetur fidei Catholicæ: Sed hoc non: Ergo. Minor probatur. Nam Lutherani hæretici v.g. non arbitrantur, se veræ fidei repugnare, neq; etiam veræ ac legitimæ Ecclesiæ, sed ex ignorantia videntur peccare, qua putant se repugnare errori potius, & pro vera fide certare.

TERTIO, qui admonitus ab Episcopo, & grauibus Theologis, quibus probabiliter repugnare non potest, in errore persistit; is, vt antea dicebamus, & concedit Canus & alij, contra fidem peccat. Pono autē quòd sit illam professus. Tum sic: Iste peccat peccato infidelitatis, & non Paganismi, neq; Iudaismi: Ergo peccato hæresis, quia non sunt plures species.

QVARTO, in Capitulo *Ad abolendam* Extra de Hæreticis, innodantur vinculo excommunicationis hi, qui vel ab Ecclesia Romana, vel etiā à singulis Episcopis in suis diœcesibus cum Concilio Clericorum, aut si opus est, vicinorum Episcoporum, iudicantur hæretici: Ergo siue quis existimet se Ecclesiæ Catholicæ repugnare, siue non, hæreticus erit, si ab Episcopo vel ab aliis iudicetur, quòd repugnet Ecclesiæ Catholicæ.

Ad PRIMVM respondetur, satis quidem illud esse, vt aliquis censeatur vtcunq; admittere peccatum hæresis, scilicet indirectè & reductiuè, nō tamen vt censeatur hæreticus talis, qualis ab Ecclesia punitur, & communiter à Doctoribus nominatur. Ita respondet Canus vbi suprà, qui etiā notat, ignorantiam propositionis Ecclesiæ, si sit affectata æquialere in proposito notitiæ. Nam qui ignorare directè vult, vtrum aliquid sit propositum ab Ecclesia, directè vult Ecclesię Catholicæ repugnare, atque ita moraliter loquendo est perinde, atque repugnare Ecclesiæ propositioni cognitæ. Dominicus tamen Bannes hic art. 1. ne affectatam quidem ignorantiam putat ad hæresim sufficere. Sed puto verius opinari Canum.

Ad CONFIRMATIONEM respondeo, quidquid sit in aliis generibus peccatorum, tamē hæresim absolutè non censeri, nisi quis pertinaciter, vt dictum est, repugnet Ecclesiæ. Id quod rectè notat Canus vbi suprà. Itaque non est quæstio nisi de nomine, Vtrum qui per ignorantiam vincibilem repugnat Ecclesiæ Catholicæ, sit dicendus hæreticus. Nam in re constat illum peccare contra fidem: sed non est talis hæreticus, qualis à Theologis censetur ille, de quo agimus, & cuius hæresim definimus.

Ad SECVNDVM, concessa Maiori, negatur Minor. Ad probationem ita respondeo: Vt quis directè prudens & sciens repugnet fidei Catholicæ, non est necessarium, vt de industria velit repugnare ei doctrinæ, quam ipse putat esse veram & fidei consentaneam: hoc enim quod attinet ad actum interiorem, in quo est propriè hæresis, non est posibile: Satis igitur est, vt cùm agnoscat fundamentum requisitum & sufficiens ad assentiendum fidei, nempe propositionem Ecclesiæ Romanæ de veritate fidei reuelata, velit nihilominus adhærere contrariæ doctrinæ, quamuis non putet se contra fidem sentire: sicut vt aliquis censeatur directè velle rem iniustam, atque adeo directè repugnare iustitiæ, non est necesse, vt voluntas ipsius feratur in rem iniustam, quatenus iniusta est & mala; non enim hoc est posibile, sed satis est vt velit rem, quā nouit esse iniustam, licet nō vt iniustam. Quod autem in hoc casu est nosse iniustitiam rei, est in nostro proposito cognoscere, quòd aliqua doctrina sit cōtraria fundamento siue motiuo sufficienti ad fidem, id est, propositioni Ecclesiæ Romanæ.

Ad TERTIVM iam patet, illum peccare quidem contra fidem, & peccato hæresis indirectè ac reductiuè, sed non eius hæresis, de qua communiter agitur. Vnde vt dixi, non est in hoc controuersia nisi de nomine, vt satis insinuauit Canus vbi suprà.

Ad QVARTVM respondeo, sensum illius Decretalis nō esse, quòd ille sit hæreticus, & excommunicatus, quem Episcopi iudicent sensisse contra Ecclesiam Romanam, siue hoc ipsum ille scierit, siue non: sed quòd ille sit hæreticus censendus & excommunicatus, quem Episcopi, discussa controuersia Iuris & facti, tāquam Iudices determinauerint habuisse pertinaciā in aliquo errore contra fidem, hoc est, prudentem & scientem repugnasse Ecclesiæ Romanæ fidei.

Est autem discutienda breuiter in hac parte sententia quędam Soti in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. qui expresè dicit, ad pertinaciam requisitam in hæresi sufficere ignorātiam crassam. Si enim per ignorantiam crassam intelligat eam, quæ facillimo negotio vinci potuit, cùm scilicet aliquid est facillimum ad cognoscendum, quòd sit ab Ecclesia propositum, non valde repugno: Vt si v.g. quod à mediocriter in sacra Scriptura eruditis scitur esse ab Ecclesia propositum, hoc aliquis Theologus ignoraret, atque ita contrarium sentiret. Nam cùm ignorantia vsque adeo crassa est, moraliter loquēdo parùm distat à voluntate repugnandi directè. Quanquam Canus quidem libro 12. de locis Theologicis, cap. 9. probabiliter negat, ignorantiam crassam ad hæresim sufficere. Si autem Sotus (vt sanè videtur) per ignorantiam crassam illic intellexerit quamcunque vincibilem, quæ non excusat à peccato; doctrinæ communi planè aduersatur, neq; est illi vllo modo assentiendum.

Ex dictis patet solutio illius QVAESTIONIS, qua solet quæri: Vtrum propositio contraria fidei, eo ipso quod est fidei contraria sit dicenda hęretica, non habito respectu ad pertinaciam asserentis. Controuersia enim hæc non potest esse nisi de nomine, vt Canus notauit vbi suprà. Et dicendum est ex sententia illius & Caietani hic nō esse eo ipso hæreticam, nisi prēterea habeatur respectus ad pertinaciam, quam aliquis vel actu habuerit, si quæstio sit particularis, Vtrū illius propositio fuerit hæretica, vel quæ saltem ab aliquo potuerit haberi, si quæstio tantùm sit, Vtrū propositio secundùm se, abstrahendo ab hoc vel illo asserente, sit hæretica secundū se, siue ex obiecto.

Hoc probat Canus optima ratione. Nam propositio aliqua eatenus hæretica est, quatenus significat hæresim: Sed non significat hæresim sine respectu ad pertinaciam asserentis: Ergo neque est hæretica abstrahendo à tali respectu. Maior patet: quia non dicitur hæretica nisi tanquam signum hæresis. Minor quoq; ex dictis patet. Nam hæresis includit pertinaciam.

Confirmatur. Quia vt Caietanus rectè ait, eadem propositio contraria fidei, si à Iudæo proferatur, Iudaica est; & si à Pagano, Ethnica; & si à Christiano, Hæretica. Quare hoc ipso quòd propositio est contra fidem, si à respectu ad proferentem abstrahamus, erronea quidem dici poterit, non hæretica alioqui à quocunque prolata, esset hæretica, quod falsum est. Denique in Concilio Constantiensi sess. 8. ex propositionibus Ioannis Huss, quædam dicuntur erroneæ, quædam hæreticæ, &c. Et tamen hæc differentia sine respectu ad proferentes non constat.

Solet etiam hîc QVAERI: quænam sit propositio temeraria, scandalosa, malè sonans, offensiua piarum aurium, &c. Verùm hoc ex ipsa ratione vocabulorum considerata intelligi potest. Videatur Canus lib. 12. de locis, cap. 11. & Turrecremata lib. 4. p. 2. cap. 11.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam sit materia siue obiectum Hæresis.

D. Thomas art. 2.

INTER omnes conuenit, materiam siue obiectum Hæresis esse duntaxat doctrinam Fidei. Nam vt ait hîc rectè D. Thomas, nomine Hæresis in proposito intelligitur vitium corrumpens fidem: Fides autem non corrumpitur opinionibus circa res alias pertinētes ad alias disciplinas, vt ad Mathematicas, sed solùm circa res fidei. Addit autē D. Thomas: Sicut Fides versatur circa Symboli articulos primariò: circa alias verò propositiones secundariò: ita hæresis etiam.

Contra hanc autem doctrinam possent obiici duo: PRIMO, quòd si quis audiens propositionem aliquam contra fidem, adhæreat illi, eamq; approbet, hoc ipso hæreticus est, etiamsi nōdum directè eliciat assensum falsum circa rem ipsam fidei: Ergo hæresis non tantùm versatur circa res fidei, tāquam circa obiectū, sed etiam circa propositionem contra fidem. SECVNDO, quòd vt ex Hieronymo dici solet, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis: Ergo hæresis circa verba quoque versatur.

Ad PRIMVM concedo cum Caietano hîc, illum, qui propositionem hæreticam approbaret, hæreticum esse; sicut ille etiam verè committit peccatum adulterij, qui animo fertur in consensum adulterij, vt rectè ait Caietanus. Cæterum cùm quis adhæret propositioni hæreticæ, iam eo ipso errat quoq; circa rem fidei significatam tali propositione.

Quod ad SECVNDVM attinet, animaduersum à Cano est lib. 12. de Locis Theolog. cap. 9. & ab aliis, sententiam illam non esse, sicut fertur, Hieronymi; quanquā vt ipsius citetur à Magistro sententiarum lib. 4. dist. 13. Cuiuscunq; verò illa sit, verissimè docet Canus vbi suprà, hæresim nunquam admitti ex solo verborum vsu incommodo, nisi etiā error admittatur quoad sensum. Vnde neque auctoritas illa habet, quòd verba inordinatè proferre sit hæresis, sed quod inde possit facilè incurri hæresis, vt D. Thomas quoque declarat in solutione secundi argumenti.

Porro illud hoc loco obseruandum est, quamuis hæresis præcipuè admittatur, cùm quis errat circa articulos Symboli, tamen etiam esse hæresim quemcunq; alium errorem circa quamcunque aliam partem doctrinæ fidei, vt probauimus suprà quæst. 2. p. 6. Quamcunque enim hæresim *quisquis tenuerit, Christianus Catholicus non erit*, vt orthodoxè affirmat S. AVGVSTINVS in fine libri de hæresibus.

PVNCTVM TERTIVM.

An sint hæretici puniendi.

D. Thomas art. 3.

APVD Orthodoxos quidem sine controuersia constat, iure optimo puniri hæreticos, siquidem hæreses non minus Reipublicæ Christianæ perniciosæ & exitiales sunt, quàm alia scelera, quæ iure puniuntur. Sed id negant quidam hæretici: vt videbimus. Itaque hoc Ecclesiæ institutum in multandis hæreticis nunc defendendum est.

Est autem sciendum, pœnarum, quibus hæretici afficiuntur, triplex esse genus. Afficiuntur enim pœna *mortis*: & *amissionis* famæ, honorum, & bonorum temporalium: & pœna *excommunicationis*, quod colligitur ex Iure Extra de Hæreticis per multa Capitula, & lib. 6. eodem titulo, & Co-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dice de Hæreticis. De singulis igitur his pœnis aliquid dicendum.

Et primùm fuerunt aliqui hæretici, qui suam causam agentes negârunt, Ecclesiam posse licitè animaduertere pœna mortis in hæreticos. Sic censuerunt Donatistæ, vt patet ex Augustino epist. 50. & Ioannes Huss, vt apparet ex Concilio Constantiensi sess. 15. art. 14. & Lutherus cum suis sequacibus, vt videre est apud Rossensem art. 33. Pro quo errore multa proponunt hi hæretici argumenta, sed pleraque nullius momenti. Præcipua sunt inprimis illa tria; quæ D. Thomas hîc ex Scripturis affert, & soluit optimè.

Deinde ad id sumi potest PRIMO argumẽtum ex suaui ratione, qua in Scripturis docetur, Ecclesiam Christianam regi oportere. A qua ratione alienum videtur, vt hæretici extremo supplicio afficiantur: *Ecce*, inquit Dominus per Isaiam, cap. 32. *seruus meus, &c. dedi spiritũ meum super eum, arundinem quassatam non infringet, & lignũ fumigans non extinguet, &c.* Et cap. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, &c.* vsq; ad illud: *non nocebunt neque occident in vniuerso monte sancto meo*, id est, in Ecclesia. Huc pertinet, quod Christus Dominus Matth. 16. & Ioannis 18. idcirco iubet Petrum *mittere gladium in vaginam:* Et lucæ 9. discipulis excandescentibus ait Christus: *Nescitis cuius Spiritus estis.* Apostolus quoque 1. ad Cor. 10. idem significare videtur cùm ait: *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Dei*, quasi dicat: solo verbo Dei ac prædicatione est agendum. Ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnã aut alteram admonitionem deuita*, non dicit: occide.

SECVNDO potest formari sic argumentum: Hæretici non sunt membra Ecclesiæ: Sed Ecclesia nõ habet ius puniendi eos, qui foris sunt, præsertim morte: Ergo nõ potest sic procedere contra hæreticos. Maior patet ex dictis suprà quæst. 1. p. 7. §. 15. Minor etiam patet ex illo 1. ad Corint. 5. *Quid mihi de his, qui fŏris sunt?*

TERTIO, in primitiua Ecclesia hæretici non puniebantur pœna tẽporali: & procedente tempore non alia pœna illis decernebatur, quàm exiliũ aut mulcta pecuniaria: Ergo non est ad mortem progrediendum, vt iam fit.

QVARTO, credere est liberum: Ergo non debet quis puniri, quia nõ credat: Item est donum Dei: Ergo non est imputandum vitio & pœnæ, quòd quis non credat.

HIS non obstantibus, ex fide certum est, Ecclesiam licitè & conuenienter hoc facere posse, sicut latè probat D. AVGVSTINVS in Epist. 48. ad Vincentium, & 50. ad Bonifaciũ, & lib. 2. contra duas Epistolas Gaudẽtij cap. 17. & 26. tametsi aliquando senserit non esse vllam vim hæreticis inferendam, vt patet lib. 1. contra partem Donati, quod retractauit lib. 2. retract. cap. 5.

Probatur PRIMO ex Scriptura. Nam in veteri Testamento falsi Prophetæ, & à vera fide recedẽtes iubebãtur occidi, vt patet Deut. 13. & 17. & 18.

Ergo meritò etiam nunc occiduntur hæretici & apostatæ à fide, cùm etiam à recta fide recedant, tantò culpabilius, quantò nunc fidei veritas est illustrior. Nam & hac ipsa consequẽtia vtitur planè sanctus CYPRIANVS in libro de exhortatione ad Martyriũ, cap. 5. vbi commemoratis illis Dei præceptis, mox subiungit: *Si ante aduentum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda, hæc præcepta seruata sunt; quantò magis post aduentum Christi sunt seruãda, quando ille veniens non verbis tantùm nos hortatus sit, sed & factis, &c.* Item in Scriptura noui testamenti non alio loco habentur hæretici, quã lupi rapaces, & fures, & latrones, vt pater Matth. 7. Ioan. 10. Actor. 20. qui sine dubio licitè interficiuntur, ne noceant.

SECVNDO probatur ex Ecclesiæ definitione & decreto in Concilio Constantiensi sess. 15. vbi contrarium errorem Ioannis Huss damnauit. Et in Capitulo *Ad abolendum* Extra de Hæreticis, & in capitulo *super eo*, de Hæreticis lib. 6. & in Bulla damnationis articulorũ Lutheri per Leonem X.

TERTIO probatur ex sanctis Patribus, qui hæreticos à fide recedentes morte mulctandos esse censent. Vt sanctus CYPRIANVS loco citato. Et sanctus HIERONYMVS in illud ad Galat. 5. *modicum fermentũ totam massam corrumpit*, vbi non modò id asserit, sed etiam accommodatissimis exemplis confirmat: *Doctrina*, inquit, *peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores: sed paulatim vt cãcer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium; Vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur & scintilla statim vbi apparuerit, extinguenda est: & fermentum à massa vicina semouendum: secanda putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne totã domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria vna scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.*

Et sanctus AVGVSTINVS epist. 50. ad Bonifacium Comitem: *Si aliter*, inquit, *non meruit pacem habere domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, &c. quid ei restitit, nisi perditum flere, & sui regni pace acquisitam mœstitiam consolari? Sic ergo Catholica mater* (Ecclesia) *bellantibus aduersus eam* (hæreticis) *quid aliud quàm filiis suis (quia vtiq; ex ipsa magna arbore, quæ ramorum suorũ porrectione toto orbe diffunditur, iste in Aphrica ramusculus fractus est) cùm eos charitate parturiat, vt redeant ad radicem, sine qua veram vitam habere non possunt; si aliquorum perditione cæteros tam multos collegit, præsertim quia isti non sicut Absalon casu bellico, sed spontaneo magis interitu pereunt, dolorem materni doloris lenit, & sanat tantorum liberatione populorum.*

Et in Epist. 146. ad Donatistis: *Nabuchodonosor*, inquit, *miraculo salutis trium puerorũ commotus atq; mutatus, pro veritate contra errorem edictũ proposuit, vt quicunque blaphemarent Deum Sidrac, Misac, & Abdenago in interitum irent, & domus eorũ in diffusionem*

sionem: & non vultis, vt tale aliquid contra vos iubeant Imperatores Christiani?

Idem exemplo eodem Nabuchodonosor cõfirmat tract. 9. in Ioannem. Vbi de hæreticis inter cætera ait: *Videte qualia faciunt, & qualia patiũtur. Occidunt animas, & affliguntur in corpore: Sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur.* Et lib. 1. contra literas Parmeniani cap. 7. & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 83. ex instituto probat, Magistratum auctoritatem habere animaduertendi gladio in hæreticos: iuxta illud Apostoli ad Rom. 13. *Non enim sine causa gladium portat.*

Item DIOSCORVS Episcopus Alexandrinus in Concilio Chalcedonensi actione 1. *Si Eutyches*, inquit, *præter dogma Ecclesiæ sapit, non solùm pœna dignus est, sed & igne.* Vide etiam sanctum LEONEM in Epist. 91. vel. 93. ad Torribium Episcopum Asturicensem cap. 1. & BERNARDVM homil. 66. in Cantica, qui idem asserunt.

QVARTO probatur ex Legibus Christianorũ & laudatissimorum Principum, quibus pœnam mortis hæreticis decreuerunt. Vt Valentinianus, & Marcianus, lege *Quicunque*, Codice de Hæreticis. Et Michaël Imperator apud Paulum Diaconum cap. 24. Aliqui etiam ex ipsis Hæreticis docent Hæreticos iure optimo puniri, nam Caluinus postquam Seruetum extremo supplicio tanquam Hæreticum affici curasset, & apud nõnullos malè ob id audiret, libellum edidit, in quo demonstrat licitũ esse gladio in Hæreticos animaduertere. Idem copiosius docet Beza libro de Hæreticis à Magistratu puniendis. Et Benedictus Aretius in historia de supplicio Valentini Gentilis, eundẽ Gentilem ob hæresin iure occisum à Bernensi Magistratu, ostendit.

QVINTO probatur exẽplis huius rei, quæ partim ex Scriptura, partim ex antiquis historiis depromi possunt. Nam Moyses Exodi 32. multos Idololatras, qui à fide vnius Dei recesserant, occidit. Ozias, Iehu, & alij falsos Prophetas interfecerunt 3. Reg. 18. & 4. Reg. 10. & 23. Et Mathathias 1. Mach. 2. quendam Iudæum sacrificantem idolis. Et Prisc illianus hæreticus occisus est ab Imperatore Maximo, teste Hieronymo in libro de viris illustribus. Et quidam Basilius Magus, combustus est Romæ, teste sancto Gregorio lib. 1. dialogorum cap. 4. Et sub Innocentio III. fuerunt combusti centum & octoginta hæretici Albigenses, vt refert sanctus Antoninus 3. parte histor. tit. 19. cap. 1. §. 4. Et in Concilio Constantiensi combusti sunt Ioãnes Huss, & Hieronymus de Praga.

SEXTO probatur ratione. Nam constat, ad commune bonum cuiusq; Reipublicæ inprimis pertinere, vt flagitiosi, qui cæteris pnicioſi sunt, de medio tollantur, sicut ex corpore abscinduntur membra putrida, ne totum intereat: Sed hæretici maximè suo vel exemplo, vel cohortatione nocent, cùm religionẽ corrumpant, in qua est salus animæ: Ergo non esset rectè instituta Ecclesia, nisi possent hæretici extremo supplicio affici: Et confirmatur hæc ratio. Nam si iustè puniũtur alia crimina minora in Republica, quia proximũ lædunt, multò certè æquius est, vt puniatur hæreticorum sacrilega perfidia, quæ propriè offendit Dei maiestatem.

Vnde AVGVSTINVS lib. 2. contra duas epistolas Gaudentij Donatistæ: *Clamate*, inquit, *si audetis, puniantur homicidia, puniantur adulteria: sola sacrilegia volumus à regnantium legibus impunita. Hæc cum dicitis, quid aliud dicitis? nisi: Nulla hominum potestas contradicat & obstrepat libero arbitrio, quando iniuriam facimus Deo.*

Accedit, quod ab omnibus Gentibus, ratione ipsa docente, hoc vsurpatum fuit, vt qui religionem, quam illi veram existimabant, violarent, acerbissimis suppliciis mulctarentur, vt videre est apud Platonem lib. 10. de Legibus. Natura igitur ipsa docet, hęreticos, qui verissimam religionem peruerterunt, morte esse afficiendos.

Igitur ad testimonia Scripturæ PRIMO loco obiecta, respondeo, quædam ex illis tantummodò pertinere ad rationem, quæ seruanda est, cùm primùm alicui Genti proponitur Euangelium: vt illud Lucæ 9. & 1. ad Corint. 10. Tunc enim nequaquam est vi agendum, sicut quæstione præcedẽti disputatum est. Suauis verò ratio & mansuetudo, quam oportet Christi Ecclesiam tenere, satis seruatur erga Hæreticos, cùm non nisi prius sufficienter admoniti, atque adeo pertinaces vel relapsi, extremo supplicio afficiantur. Et hoc tantùm ex illis Scripturæ testimoniis adductis colligi potest. Peculiariter verò ad illud Matthæi 26. *Mitte gladium tuũ, etc.* Solet rectè responderi, Christum eo loco tantummodò studiũ inordinatum vindictæ prohibuisse, id est, priuata auctoritate.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, hæreticos, etsi propriè non sint membra Ecclesiæ, cùm ne influxum quidem fidei à Christo capite accipiant, iuxta dicta superius q. 1. p. 7. §. 15. esse tamen propter characterem & professionem baptismi verè subiectos Ecclesiæ, ac proinde posse per ipsam puniri. Auctoritas autem Apostoli adducta loquitur de iis, qui omnino sunt foris, id est, qui nunquam Ecclesiæ se subiecerunt. Quos bene AVGVSTINVS inquit in Epist. 50. ad Bonifacium, intelligi per illos, qui similiter absq; vlla vi à famulis patrisfamilias vocati sunt ad nuptias: Hęreticos autem esse illos alios, qui iusti sunt per vim adduci & compelli intrare, quia cùm antea intus essent, fecerũt sibi vias & sepes, hoc est, suas opiniones prauas secuti sunt, aberrantes à recta fidei via, quæ vnica est & simplex.

Ad TERTIVM respondeo, rationem puniendi hæreticos pro temporum diuersitate diuersam fuisse in Ecclesia, vt experientia docuit esse necessarium. Nam *primò* in Ecclesia primitiua pœna temporali non afficiebantur, quòd Ecclesia vel non posset id facere, vel etiam iudicaret non

Universidad de Deusto
Biblioteca

expedire propter scandala, quæ facilè tunc ea ratione orta fuissent. *Deinde* tempore Constantini pœna illis decreta est exilij, vt apparet ex procemio Cócilij Nicæni, & ex Sozomeno lib.1. histor. cap.20. Atque fuit hæc pœna vsitata vsq; ad tempora Pontificis Anastasij I. vt patet ex illius Epistola ad Episcopos Germaniæ. Cùm verò hæretici exilium parui facerẽt, addita pœna pecuniaria est Theodosij Imperatoris tempore, videlicet decem librarũ auri, vt patet 23.quæst.3. Can. *Ipsa pietas*. Atque etiam Martianus & Valentinianus decreuerunt in illos pœnam capitalem, vt patet in Lege *Quicunq;*, Codice de hęreticis. Tum deinde *excommunicatio* ipso iure lata est in illos, vt patet ex titulis suprà citatis. Tandem cùm omnia hæc contemnerent, decretum est, vt pertinaces & relapsi post semel abiuratã hæresim traderentur brachio sæculari ad extremum supplicium, vt patet in capitulo *Ad abolendam*, Extra de Hęreticis. Sed & multò etiã ante Honorius ac Theodosius Imperatores pœnam mortis decreuerunt in Anabaptistas, vt patet Codice, ne sanctum Baptisma iteretur, Lege *si quis rebaptizaret*.

Vide AVGVSTINVM epist.50.ad Bonifacium, paulò ante medium, vbi respõdet ad hanc ipsam obiectionem. *Quod dicunt*, inquit, *qui contra suas impietates leges iustas constitui nolunt, nõ petiisse à Regibus terræ Apostolos talia; non considerant aliud fuisse tũc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christũ crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret, quando adhuc illud propheticum implebatur, Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania: Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, Psal.2. Nondum autem agebatur, quod paulò post in eodem psalmo dicitur: Et tũc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges Domino seruiunt in timore, nisi ea, quæ contra Domini iussa fiũt, religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo?*

Ad QVARTVM argumentum respondeo, ex libertate in credendo potius sequi, quòd sit dignus pœna, qui non credit: Nam inde apparet, culpam esse nõ credere, ac proinde eam iustè puniri, sicut adulteria iustè puniuntur, quia liberum est ab iis abstinere, & ideo culpabiliter committuntur. Rectè enim S. AVGVSTINVS epist.50. ad Bonifaciũ, paulò ante medium: *Cur*, inquit, *cùm datum sit homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permitantur? An leuius est fidem non seruare animam Deo, quàm fœminam viro?* Et lib.3. contra Cresconium Grammaticum, capite 51. *Frustrà dicis, Relinquas libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis & in stupris, & in quibuscunque aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia iustis legibus comprimi vtilissimum et saluberrimũ est.* Et adiungit: *Dedit quidem Deus homini liberã voluntatem: sed nec bonã infructuosam, nec malam voluit esse impunitam.*

Quod autem fides sit donum Dei, non obstat, quo minus in libera potestate hominis situm sit adiuuante Deo credere, vt egregiè ostendit sanctus AVGVSTINVS in libro de prædestinatione Sanctorum, cap.11. Quocirca qui non credit, liberè in hoc ipso peccat, ac proinde iustè ab Ecclesia punitur (vt iam dictum est) si fidem anteà professus est. Hactenus de primo genere pœnæ hæreticorum, scilicet *mortis*.

Nunc quod attinet ad SECVNDAM hæreticorum pœnam suprà dictam, scilicet amissionem bonorum & famæ, constat inprimis hæreticos ipso facto priuari dominio *bonorum temporalium*, vt patet ex Capitulo cum secundum, de hæreticis lib.6. & ex iis, quæ latè disserit Sylvester verbo Hæresis 1. num.12.13.14. & Alfonsus à Castro lib.2. de iusta hæreticorum punitione cap.5. & 6. Quo posito QVAERI solet: Vtrũ ante sententiam condemnationis latam per Iudicem teneantur hæretici bona sua in fiscum cõferre, cui alioqui obueniunt ex determinatione Iuris, in Capitulo *Excommunicamus. §. Damnati*, Extra de hæreticis.

Sententia aut verior & communior est: quòd non teneantur. Nam Leges pœnales, quæ requirunt aliquem actum ad sui exequutionem, qualis ista est, vt per eam non modò priuantur hæretici dominio bonorum suorum, sed etiam hæc bona cedunt fisco, nõ obligant Reum ad executionem ante Iudicis sententiam, vt docet S. Thomas infrà quæst.62.art.3. & Caietanus ibi, & Sylvester vbi suprà, & Alfonsus à Castro vbi suprà ca.6. cum aliis, de quo, vt proprio loco, disputauimus tomo 2.quæst.5. de legibus p.6.

In Germania verò & aliis locis hæreticorum, ne per sententiam quidem Iudicis consueuit illa pœna mandari executioni. Atque ita hæretici tametsi alienent bona sua contrahendo cum aliis, non faciunt illis iniuriam, siquidem timendum talibus non est, (propter consuetudinem) vt fiscus ab illis repetat.

TERTIA pœna, scilicet *excommunicatio*, lata est ipso Iure & facto in hæreticos à Lucio III. in Capitulo *Ad abolendam*, Extra de Hæreticis, & ab Innocentio III. in capitulo *Excommunicamus* eodem titulo. Quæ etiam excommunicatio repetitur à Summis Pontificibus in Bulla Cœnæ Domini singulis annis. Cùm autẽ tempore S. Thomæ iam exstaret excommunicatio illa Iuris lata à Lucio III. & ab Innocentio III. tanquam ipso facto incurrenda, mirum videri potest, quòd diuus Thomas hîc ar.4. affirmat, Ecclesiæ benignitate & spe conuersionis illorum fieri, vt non nisi post vnam aut alteram admonitionem excommunicentur, & tradantur brachio fœculari morte afficiendi, quando nimirum spes non supereſt resipiscentiæ illorum.

Sed solet ad hoc responderi, alterutro modo S. Thomam hoc loco intelligendum. PRIMO, vt explicet tantũ Ecclesiæ primitiuę morem, in qua hæretici ipso facto nõ erant excommunicati, sed excom-

excommunicabantur post admonitionẽ, secundùm illud Pauli ad Tit.3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*. SECVNDO, quòd mens D. Thomæ non sit, post admonitionem hæreticos primùm esse excõmunicãdos, sed eorum pertinaciam publicè prodendam, & tradendos brachio sæculari.

Porrò pœna excommunicationis hæreticos iure ac meritò plecti; patet PRIMO ex his Scripturæ testimoniis: Matth.18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Et ad Rom. 16. *Rogo autem vos, fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam didicistis, faciunt, & declinate ab eis: nam per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*. Et 2.ad Timoth.2. *Prophana & inaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit*. Et 2.ad Timoth.3. *Hos deuita*. Et ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*; sic enim legitur hic locus non modò iam in omnibus exemplaribus Græcis & Latinis, sed etiam ab Athanasio oratione 5. contra Arrianos, & in Epistola ad Serapionem, & à Chrysostomo, & à Theodoreto, & Hieronymo, & Primasio in eundem locum, & à sancto Leone in sermone contra hæresim Eutychetis: quamuis alij quidam ex veteribus citant hunc locum sine illa particula, *secundam*. Vt Irenæus lib.3. cap.3. & Tertullianus in libro de præscriptionibus, & Cyprianus lib.3. ad Quirinum, cap.78. & Ambrosij Commentarius. Item 2. Ioan.1. *Siquis venit ad vos, & hãc doctrinam non adfert, nolite recipere in domum, neq; aue ei dixeritis*.

Ex his testimoniis non quidem sequitur, hæreticos iure diuino esse excommunicatos, vt Ioannes Eckius in Enchiridio, & alij nonnulli putârunt, quos refellit hîc Dominicus Bãnes. Nam hæc testimonia vel non continent præceptũ, sed admonitionem, & consilium de hæreticis vitandis, vel certè non prohibẽt talem & tam seueram communicationem cum hæreticis, atque prohibet censura excommunicationis Ecclesiasticæ. Sed tamẽ sequitur omnino ex eiusmodi Scripturæ testimoniis, rectè Ecclesiam facere, quòd hæreticos excommunicat: quãdoquidem Scripturæ adeo grauiter admonet hęreticos esse vitãdos.

SECVNDO, idẽ patet ex sanctis Patribus, qui & ipsi hæreticorum consortia cauenda esse grauissimè monuerunt. Vide IRENÆVM lib.3. cap.3. vbi narrat, sanctum Ioãnem cùm esset in balneo, & intelligeret ibi esse Cherintum hereticum, *exiuisse de balneo non lotum; timuisse namq; ne concideret balneum*. Item narrat ibi Ireneus, Polycarpũ Marcioni aliquando occurrenti sibi & dicenti: *Cognosce nos: respondisse, Cognosco te primogenitum Sathanæ;* Et tunc subiungit Ireneus: *Tantum Apostoli Domini, & eorum discipuli habuerunt timorem, ne verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem*. Et S. Antonius moriens, sicut refert in eius vita ATHANASIVS, ad suos ait: *Hæreticorum & Schismaticorum venena vitate, meumq; circa eos odium sectamini: Scitis ipsi, quòd nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis vnquam fuerit*. Idem monet CYPRIANVS lib.1. epist.3. & S. LEO serm.18. de passione Domini.

Quod si iure ac merito hæretici & eorum colloquia ac sermones tanquam pestilentes vitantur: certè consequitur, etiam rectissimè vitari, & prohiberi, & comburi ipsorũ LIBROS. Plus namque libri mali, quàm mali sermones nocẽt. Nam diuturniores sunt: & ad plura loca, & ad plurium manus perueniunt: & magis quæ leguntur, quàm quæ audiuntur, in animo hærẽt, & facilius etiam persuadentur, cùm sint meditatè & accuratiùs composita.

Vnde in Ecclesia iam inde ab antiquissimis temporibus vsitatum fuit, vt pernicios libri aborlerentur. Id patet Actor.19. vbi legimus: *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerũt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorũ, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*. Et ex decreto Nicæni Concilij Constantinus iussit libros Arrij comburi, pœna capitis iis constituta, qui libros illos occultarent. Item iussu Theodosij & Valentiniani Imperatorũ combusti sunt libri Nestorij in Concilio Ephesino damnati, teste Liberato in Breuiario ca.10. quod idem patet ex Lege *Damnato*, Codice de hæreticis & Manichæis. Et similiter Valentinianus & Marcianus iusserunt comburi libros Eutychetis damnatos in Cõcilio Chalcedonensi, vt patet ex Lege *Quicunque*, Codice eodem titulo. Vt iam alia multa huius rei exempla prætereamus, quæ sunt notata ab Alfonso de Castro lib.2. de lege pœnali, & à Bellarmino nostro lib.3. de Laicis capite 20.

Restat autẽ hoc loco circa illam tertiam pœnam hæreticorum (scilicet excõmunicationem) QVAESTIO: Vtrum hæreticus purè mentalis incurrat ipso facto excommunicationem latam à Iure? Quidam, vt refert Caietanus hîc, arbitrati sunt, illos incurrere. Et ita sensit Adrianus in 4. quæst.2. de Confessione, & quodlib.8. quæst.1. post Glossam in Clementina 1. de Hæreticis, & alios Canonistas ibidem.

Sed contrarium sensit Paludanus in 4. dist.13. quæst.3. artic.1. & Antoninus 3.p. tit.24. cap.4. & Sylvester verbo Excõmunicatio 3. num.3. & Caietanus hîc, & Sotus in 4. dist.22. quæst.2. art.3. & Nauarrus in Manuali cap.27. circa paragraphum 1. Bullæ Cœnæ. Quæ sententia communior & verior est. Nam quãuis talis perfectè admittat peccatum hæresis (cùm hæresis sit peccatum Infidelitatis, quæ in interiori actu completur, vt hîc ait Caietanus) Ecclesia tamen cùm non habeat potestatem in actus purè interiores, non intelligitur punire eiusmodi peccatum hæresis.

Sed animaduertendum est, id quod rectè aduertit Caietanus, hęresim exteriorem, quam Ecclesia punit, in proposito nõ solum esse eam, quæ

posset per testimonium humanum probari, sed etiam illam, quam aliquis etiam solus in loco secreto exprimit aliquo signo externo. Tunc enim etsi huiusmodi hæresis sit occulta per accidens quod ad probationem attinet, tamen est manifesta per se ex natura actus.

Nec tamẽ per hæc negamus, quin Ecclesia statuere possit secundariò & indirectè circa actus interiores, quatenus nimirum sunt actiones siue conditiones exteriorum actuum, vt rectè inquit hîc Caietanus. Sic enim Clericis Ecclesia iniungit preces, ad quas requiritur intentio interior. Sic excommunicat inquisitores, qui ex odio vel amore inordinato malè vtuntur officio suo.

PVNCTVM QVARTVM.

Vtrum si hæretici conuertantur, sint ab Ecclesia recipiendi.

D. Thomas art. 4.

DVo breuiter hac de re dicenda sunt. PRIMO. Ad pœnitentiam quidem semper sunt hæretici recipiendi cùm conuertuntur. Ratio est, quia conuenit, vt Ecclesia illos charitate huiusmodi spirituali complectatur, neque in eo est aliquod incommodum aut periculum.

SECVNDO. Non semper tamen ita recipi debent, vt donentur vita corporis, sed prima tantùm vice, vt patet ex Capitulo *Ad abolendam*, Extra de Hæreticis. Et tunc aliquando ad dignitates & officia, quæ prius habebant, recipi possunt, vt receptus fuit quidam Gregorius Neocæsariensis Episcopus, in secunda Synodo Nicæna actione 3. Si autẽ relapsi fuerint in hæresim semel abiuratam, traduntur brachio sæculari, vt morte mulctentur. Ratio est, quoniam Ecclesia non potest sperare futurum, vt tales sint constantes in fide. Et præterea nocent aliis, &c. atq; ita non esset ordinata charitas, si tales cum periculo salutis aliorum permitterentur viuere. Dicitur enim Ecclesiastici 8. *quoniam sententia mortis non citò profertur in impios, ideo absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala.*

Sed aduersus PRIMAM assertionem obiici potest; quod D. Thomas artic. 4. in solutione 2. ait, Ecclesiam non præsumere, quòd illi ex animo conuertantur, qui in hæresim abiuratam relapsi fuerint: Ergo talibus non solùm vita, sed etiam beneficium absolutionis Sacramentalis negandum est.

RESPONDETVR, sensum esse, quòd præsumantur tales non ita verè conuerti, vt sint constantes futuri, si in vita permanserint. Hæc verò præsumptio non impedit, quo minus tunc absoluantur, quando præsentis contritionis signa in Confessione præbent.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Apostasia, quæ est etiam quædam Infidelitas.

D. Thomas 2. 2. quæst. 12.

DVO SVNT EXPLICANDA: PRIMO, QVID SIT PECCATVM APOstasiæ. SECVNDO, An propter illud amittatur dominium, & prælatio in subditos. Quæ duo tractat etiam hîc D. Thomas.

PVNCTVM PRIMVM.

In quo consistat peccatum Apostasiæ.

D. Thomas art. 1.

SCIENDVM INPRIMIS EST, Apostasiam, vt notat D. Thomas, tot modis contingere, quot cõtingit, vt quis recedat à Deo, id quod denotat nomen Apostasiæ. Retrocedere autẽ à Deo tot modis contingit, quot coniungi Deo. Coniungitur autem quis Deo quadrupliciter.

PRIMO, per fidem, quæ est fundamentum salutis: SECVNDO, per obediẽtiam præceptorum ipsius: TERTIO, per statum clericalem: QVARTO, per statum religionis. Quare omnibus etiam his modis contingit Apostasia à Deo.

Et quidem Apostasia à Deo, secundo, tertio, & quarto modo, scilicet secundùm obediẽtiam præceptorum, vel statum clericalem, vel statum religionis; peccatum est in voluntate. Apostasia verò à Deo primo modo, scilicet secundùm fidem, de qua nunc agimus, peccatum est in intellectu, & ad infidelitatem spectat. Vnde Ioannis sexto, de apostatis discipulis Domini, de quibus ait

ait Ioannes, quòd multi discipulorum eius abierunt retrò, dixerat ibi Dominus: *Sunt ex vobis quidam, qui non credunt.*

Porrò circa Apostasiam hanc propriè dictam, quæ pertineat ad infidelitatem, animaduertenda sunt duo. PRIMO, in ea duo posse considerari: Vnum est, quòd apostata recedit penitus à fide, quam est professus. Alterum, quòd cõuertitur ad sectam aliquam superstitiosam. Et primum quidem est veluti proprium & essentiale Apostasiæ. Secundum verò, accidẽtale. Nam posset contingere, vt quis prorsus desereret fidem, neque tamen ad sectam aliquam superstitiosam cõuerteretur. Iam, considerando Apostasiam penes illud primum, atq; adeo per se & essentialiter, diximus quæstione præcedenti p. 1. illam non differre specie ab hæresi. Cùm verò S. Thomas hîc art. 1. in solutione 3. negat, Apostasiam pertinere ad aliquã determinatam speciem Infidelitatis, considerat illam materialiter & per accidens, vt potest habere conuersionem ad varias sectas, vt Paganismum vel Iudaismum. Et hoc modo considerata ratione Apostasiæ dicit etiam D. Thomas, recessum totalem à fide, qui in ipsa cernitur, esse circumstantiam, ex qua illa aggrauatur.

SECVNDO notandũ est, Apostatis easdem pœnas iure decretas esse, quæ decernũtur hæreticis, vt patet singulariter ex Bonifacio VIII. in Capitulo, *Contra Christianos*, de Hæreticis, lib. 6. Et idem patet manifesta ratione. Nam omnis apostata à fide, est etiam hæreticus, licet non contrà: vt rectè notauit Syluester verbo Apostasia, n. 4.

Est autem DVBIVM, Vtrum apostata merè exterior incurrat excommunicationem iuris? Vt si quis metu compulsus, exteriori solùm actu sacrificaret idolis, in animo retinẽs veram fidem. CAIETANVS hîc & infrà q. 94. art. 1. putat, Apostatã exteriorem incurrere excõmunicationem. Probat. Quoniam actus ille exterior Apostasię est per se illicitus, cùm cadat suprà materiam indebitã: Ergo excommunicatio lata simpliciter in Apostasiam, illum etiam actum comprehendit. CONFIRMATVR. Nam si esset lata excõmunicatio in homicidam, nõ minus illam incurreret (ait Caietanus) qui ex metu hominẽ interficeret, quàm qui simpliciter voluntariè: Ergo qui ex metu sacrificaret idolis, æquè incurreret excommunicationem, ac ille, qui voluntariè sacrificat.

Cæterùm CONTRARIA sententia est cõmunior & verior, quam tuetur Nauarrus in Manuali cap. 11. n. 25. & Syluester verbo *Apostasia*, num. 4. & Summa Tabiena, verbo, *Hæreticus*, num. 2. & verbo, *Apostasia*, num. 3. Ratio est, quoniam vt rectè Nauarrus argumẽtatur, Apostata merè exterior non verè committit peccatum apostasię, cùm nõ simpliciter recedat à fide: sicut nec is verè admittit peccatũ hæresis, qui verbotenus dicit aliquid contrarium fidei: Ergo talis non est censendus in foro conscientiæ incurrere excõmunicationem latam in apostatas, sicut nec hæreticus exterior.

Fundamentum autem Caietani solùm probat, quòd posset Ecclesia ferre excommunicationem in eos, qui peccant huiuscemodi actu exteriori, nõ verò quòd tales incurrant excommunicationem iam latam in apostatas. Et quod attinet ad CONFIRMATIONEM, clarũ est discrimen. Nam qui metu occidit, voluntariè occidit, & verus homicida est, cùm homicidium peragatur inprimis actu exteriori: qui autem exterius tãtùm sacrificat idolo, non est verus apostata, quia nõ verè recedit à fide, cùm hoc fiat inprimis per actũ interiorem, quem nõ potest ille metus extorquere.

PRÆTER hæc, quæ de Apostasia propriè dicta à fide, hactenus cõstituta sunt, solent hîc quædam incidenter quæri de Apostasia à statu Clericali, & à statu Religionis. De quibus tamen breuiter hîc dicendum est, ne anteuertamus disputationes instituendas suis locis infrà, præsertim in materia de Statibus.

QVÆRITVR ergo circa Apostasiam *ab ordine*: Quatenus sit Apostasia mortalis retrocedere à statu Clericali? Et præcipua difficultas est, si quis tantum retrocedat à prima tonsura, vel Ordinibus Minoribus. Si quis enim à sacris ordinibus retrocedat, constat Apostasiam esse mortalem, vt patet ex Clementina vnica, *de Consanguinitate & Affinitate*, vbi fertur excommunicatio in eos, qui sacris ordinibus initiati contrahunt matrimonium. Item esset mortale, si quis cõtemptu quodam sacrorum Ordinum, nollet se esse ipsis initiatum, atque adeo voluntate apostataret eatenus, seu retrocederet ab iis Ordinibus.

Quod autem ad Clericos in Minoribus attinet, distinguenda sunt in ipsis tria. PRIMO, status ipse siue Ministerium, quo sunt in Dei sortem asciti. SECVNDO, Exercitium ipsius Ministerij, ad quod tenentur. TERTIO, signa exteriora, quæ debet præ se ferre talis, vt Tonsura & Habitus.

Iam dicenda sunt cum Caietano duo: PRIMO, non esse Apostasiam mortalem, si quis recedat ab huiusmodi statu quoad secundũ & tertium. Ratio est, quoniam in Iure permittũtur tales cõtrahere Matrimonium, vt patet de Clericis Cõiugatis, in Decretalibus, & in Sexto. Cùm autẽ Matrimonium contraxerunt, nõ videntur sub mortali saltẽ obligati ad eiusmodi ordinum Officia, Tonsurã, & Habitum. Imo anteq̃ contrahant Matrimonium, sine scrupulo cõmuniter tales solent omittere huiusmodi officia, vt aduertit Caietanus.

SECVNDO, si omnino tales absq; rationabili caussa retrocedant ab eiusmodi statu quoad omnia illa tria, tum quidẽ putat Caietanus, quòd esset criminalis Apostasia. Casus est, si aliquis in eo statu constitutus sine caussa rationabili duceret viduam, atq; ita redderet se inhabilẽ propter irregularitatem ad exequenda officia huiusmodi Ordinum. Cæterùm idem Caietanus in Summa, verbo, *Apostasia*, retractat hãc sententiam, & putat, q̃ nec in hoc casu esset mortalis ea Apostasia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Id quod etiam alij quidam sentiunt. Quoniam A status, qui huiusmodi Ordinibus cõtinetur, non videtur tanti momenti, quandoquidem licet sine peccato mortali ducere vxorem, & nunquam exercere statum eiusmodi ordinum.

Nihilominus si quis per internum contemptum huiusmodi status, retrocederet ab eo, non est dubium, quin esset mortalis Apostasia. Citra contemptum verò recessus ab hoc statu, præsertim quoad illa duo posteriora, scilicet Officium & Signa, non videtur plus quàm veniale. Imo de hoc adhuc dubitare videtur Caietanus: qui proinde rectè declarat sanctum Thomam, quando in articulo significat, retrocessionem ab ordine esse Apostasiam, quæ per se sit mortalis, intelligendum de Ordine sacro. B

Circa Apostasiam à *Religione* disputat etiam Caietanus hic, Vtrum Religiosus recedens absq; facultate, sed tamen retinens habitum, sit verus Apostata? Et respondet rectè, esse verum Apostatam, si habeat animum excutiendi obedientię iugum; nec excusari ab Apostasia retinendo habitum. Si tamen habeat animum manendi in suo statu ac redeundi; fugitiuum quidem ac vagum esse, sed non Apostatã. Quod si exiret animo conferendi se ad alteram Religionem, non esset, inquit Caietanus, verus Apostata à Religione. Siquidem non omnino recedit à statu Religionis, quamuis à statu huius: peccaret tamẽ mortaliter, & esset excommunicatus, si esset ex Ordine Mendicantium. Idem est de nostra Religione Societatis, nisi quis velit ad Carthusianorum ordinem transire. C

Solet etiam QVÆRI, Vtrum Religiosus hoc ipso, quòd deserit habitum suæ Religionis, sit Apostata? Et respondetur cõmuniter negatiuè, nisi habeat animum eximendi sese ab obedientia. Quanquam aliunde, si temerè relinquat habitum, incurrit excommunicationem latam à Bonifacio VIII. in Capitulo *Vt periculosa*, titulo Ne Monachi vel Clerici, lib. 6.

Vbi tamen duo sunt notanda: VNVM est, non propter quamcunq; dimissionem habitus Religiosum incurrere hanc excommunicationem latam in dicto Capitulo *Vt periculosa*: sed propter D eam, quæ habeat tres conditiones, vt rectè notauit Caietanus in Summa verbo, *Excommunicatio*, cap. 61. explicans illud Caput, *Vt periculosa*: *Prima*, vt verè quis cẽseatur dimittere habitum proprię religionis, vel in perpetuum, vel ad tempus: ita scilicet vt versetur in alio habitu, sic, vt ex habitu non cognoscatur esse religiosus talis Ordinis: *Secunda*, vt temerè dimittat, id est, absque caussa rationabili: *Tertia*, vt talis sit dimissio, quæ attentis circumstantiis sit apta ad periculosè vagandum; hoc enim voluit impedire Põtifex per eam excommunicationem.

ALTERVM est, quod ad effectum incurrendi hanc excommunicationem attinet, idem esse dimittere habitum proprium, & illũ ita occultare superinduendo alium, vt nequeat quis cognosci tanquam Religiosus talis Ordinis. Nam vt optimè inquit Caietanus, qui eo modo tegit habitũ, quamuis nõ dimittit eum quidem materialiter, tamen eum dimittit formaliter, id est, in ordine ad notitiam hominum: quem modum dimissionis voluit inprimis Pontifex prohibere sub illa excommunicatione, vt patet ex fine, quem sibi proposuit, scilicet vt periculosa vagandi occasio Religiosis subtrahatur, &c. Ita etiam sensit Glossa in Clementina de vita & honestate Clericorum, cap. 2. & Bannes hîc art. 1. quanquam contrarium sensit Panormitanus in Capitulo *Deus qui*, Extra de vita & honestate Clericorum: sed sine firma ratione. Ex iis facilè diiudicari poterunt quædam alia minutiora circa huiusmodi Apostasias.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum propter peccatum Apostasiæ à fide amittatur temporale dominium & prælatio in subditos.

D. Thomas art. 2.

QVÆSTIO hæc, vt rectè notauit Bannes, non solùm mouetur de peccato Apostasiæ perfectæ, quo scilicet quis recedat prorsus à tota fide, sed etiam de peccato cuiuscunque Apostasiæ & defectionis à fide, siue totalis siue partialis, qualis est hæresis, quæ idcirco nominari etiam solet quædam Apostasia. Quoniam autem quæstio hæc grauissima est, nec sine variis distinctionibus explicari potest, & multa atque perspicaci indiget attentione; ponam figillatim & cõfirmabo nonnullas assertiones.

PRIMA assertio: Solo iure naturali & diuino non priuatur aliquis dominio & prælatione in subditos propter peccatum Apostasiæ à fide. Ita docet D. Thomas hîc, & cõmuniter alij Theologi. Probatur manifesta ratione: Nam fundamentum dominij & prælationis non est fides, sed aliquis alius titulus politicus, robur habens exiure gentium, scilicet vel successionis hæreditariæ, vel electionis, vel iustæ acquisitionis per iustum bellum, &c. Qui tituli possunt etiam manere sine fide: neque vsquam extat ius aliquod diuinum, quo eiusmodi tituli eneruentur propter defectionem à fide.

Quare sanctus AVGVSTINVS expositione in Psalmum 124. circa illud: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum*, affirmat, Iulianum Imperatorem, etiam tum cùm erat à fide apostata, fuisse verum dominum & superiorem, cui meritò milites obtemperauerint: *Aliquando*, inquit, *potestates bonæ sunt & timent Deum; aliquando non timent Deum. Iulianus extitit infidelis Imperator: Nonne extitit apostata, iniquus, idololatra? Milites*

Milites Christiani seruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad caussam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cælo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent; præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum à domino temporali, & tamen subditi erant, propter Dominum æternum etiam Domino temporali. A

SECVNDA assertio: Iure Ecclesiastico, atque adeo per Summi Pontificis auctoritatem atque sententiam, omnino potest quis dominio & prælatione erga subditos priuari propter peccatum apostasiæ à fide. Ita docet quoque S. Thomas hic, neque est de hac assertione dubium vllum apud verè orthodoxos. Eam tamen negant hæretici, nec si hoc ipsi approbent, in seipsos sententiam proferre videantur. B

Probatur autem hæc assertio PRIMO & quidem irrefragabiliter, illis omnibus argumentis, quibus quæst. præced. punct. 3. conuicimus, posse hæreticos & apostatas à fide priuari etiã ipsa vita per Ecclesiæ auctoritatem. Nam si vita possunt priuari, multò magis omnibus aliis bonis, atque adeo etiam prælatione in alios, cùm omnibus eiusmodi bonis temporalibus vita præponderet, & ea sublata, reliqua omnia tollantur.

SECVNDO probatur ex Scriptura veteris Testamenti, ducto argumẽto ab auctoritate, quam tunc habuerunt Summi Sacerdotes. Nam non habent modò Summi Ecclesiæ Pontifices minorem auctoritatem in eos, qui fidem profesi sunt, quàm habebant tunc Synagogæ Pontifices: Sed illi tum præditi erant auctoritate ad priuandum dominio & prælatione eos, qui à fide recederẽt: Ergo nunc etiam Summi Ecclesiæ Pontifices hac auctoritate sunt præditi. C

Maior est perspicua ex præstantia Ecclesię noui Testamenti, comparatione Ecclesiæ illius veteris. Erat enim illa Ecclesia vetus tanquam *vmbra & figura*, hæc autem est tanquam *corpus, & veritas*, 1. Cor. 10. ad Hebr. 10. & alibi. Non est autem plus vigoris in vmbra & figura, quàm in corpore & veritate. Et illustriora multò argumenta & testimonia habet Ecclesia de beneuolentia & prouidentia Dei erga se, quàm olim habebat Synagoga: vt vel ex vnico illo testimonio Apostoli abundè patet: *Nunc autem melius sortitum est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est, &c.* ad Hebr. 8. D

Minor autem probatur. Nam 2. Paral. 23. Ioiada Summus Sacerdos & vita & regno exspoliauit Reginam Athaliam, non solùm quia tyrannicè occupauerat regnum, sed ideo maximè, quoniã idololatriæ addicta erat: sic enim ibi legimus: *Egressus Ioiadà Põtifex ad Centuriones & Principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio.* Et paulò post: Caussa huius facti, scilicet vt apostasia, à fide coërceretur, & stabiliretur rectus cultus diuinus, verbis illis indicatur: *Pepigit autẽ Ioiada fœdus inter se, vniuersumq; populũ et regem, vt esset populus Domini. Itaq; ingressus est omnis populus domũ Baal, & destruxerunt eam, & altaria ac simulacra illius confregerunt: Mathan quoq; Sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.* Et additur: *Constituit autem Ioiada præpositos in domo Domini sub manibus Sacerdotũ et Leuitarum, quos distribuit Dauid in domo Domini, &c.* Ex qua narratione liquet manifestè, habuisse tunc Pontificẽ summã auctoritatẽ extirpandi impium regimẽ illius populi, & de eo disponendi, prout expediebat ad finẽ spiritualem, & ad rectam rationem colendi Deum.

Item 2. Paral. 26. Ozias rex Iudæ alioqui legitimus, & diu optimus, adeo vt *direxerit eũ Dominus* (sicut ibi dicitur) *& auxiliaretur ei, & corroboraret eum*; tamen quia postea, bona licet intẽtione colendi Deum, errauit circa cultus rationẽ (volens ipse nimirum in templo Domini adolere incensum super altare) & ideo lepra diuinitus percussus est; ab Azaria Pontifice aliisq; Sacerdotibus è templo expulsus est, & habitare iussus in domo separata, succedente ei in regno Ioathan filio eius: per auctoritatem videlicet Summi Sacerdotis, de qua Leuit. 13. sic legimus: *Quicunq; maculatus fuerit lepra, & separatus est ad* ARBITRIVM *Sacerdotis, solus habitabit extra castra.* Est igitur & nunc multò magis in potestate Summi Pontificis, propter spiritualem lepram hæresis, impium Principem separare à communione fidelium, & priuare etiam regno.

TERTIO probatur eadẽ assertio ex Scriptura noui Testamẽti quatuor in locis: Nempe Matth. 16. & Ioan. 21. & 2. Cor. 5. & 2. ad Thessal. 3. Nam Matth. 16. Dominus promisit *ædificaturum se Ecclesiam suam* super Petrum & successores eius, vt demonstrauimus q. 1. p. 7. §. 28. & §. 35. & 36. Alioqui non satis aptè & perfectè Dominus super Petrum & successores eius Ecclesiam suã ędificasset. At vnus modus maximè necessarius stabiliendi & conseruandi bonum & incolumitatem Ecclesiæ, est, vt Princeps impius & hæreticus exspolietur sua auctoritate, ne vel exemplo suo (vt fit) vel etiam aperta vi noceat subditis fidelibus. Igitur cõfitendum est, Pontificem Summum, successorem Petri, præditum esse potestate hoc faciendi.

Atq; id ipsum patet ex illo altero loco Ioan. 21. Nam ibi Dominus Petro & eius successorib⁹ plenam potestatem regendi Ecclesiã vniuersam tradidit his verbis: *Pasce oues meas*, sicut in dicta q. 1. p. 7. §. 29. cõfirmauimus. Igitur quemadmodum ad munus Pastoris pertinet non modò eas pecudes, quæ de grege sunt, quãdo aliis pecoribus petulanter nocent, coërcere, sed etiã lupos, qui de grege nõ sunt, arcere ac prohibere modis omnibus, ne gregẽ dilanient & perdant: ita ad munus Summi Ecclesiæ Pastoris spectabit non modò in ipsos fideles, quando malè se gerunt, cõuenienti modo animaduertere, sed etiam hæreticos quoscunq; qui lupi & prædones animarum sunt, quibuscunq; modis prohibere & arcere ne noceant

Universidad de Deusto
Biblioteca

spirituali animarum gregi, atq; adeo etiam hunc ad finem eos priuare omni auctoritate, quam in subditos habeant.

Item 2. Cor. 5. Apostolus: *Auferte*, inquit, *malũ ex vobis ipsis*. Quo loco (vt AVGVSTINVS notauit q. 39. in Deuter.) non ait τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignum, sed τὸν πονηρὸν, id est, hunc malignũ. Vult igitur esse fugiendum & vitãdum decreto Ecclesiastico quandoq; crimino sum aliquẽ, atq; adeo ei minimè obediendum, quo ipso amittit is certè ius & auctoritatẽ aliis imperandi; siquidem ij nõ tenentur ipsi obedire & conuiuere. Et eodem pertinet quod ait, 2. Thessal. 3. *Si quis*, inquit, *non obedit verbo nostro, per epistolam, hunc notate: & ne commisceamini cum illo.*

QVARTO probatur eadẽ assertio ex sententia sanctorũ Patrum, qui variis modis indicârũt potestatem Ecclesiasticã ita esse superiorẽ quacunq; politica potestate, vt exerceri ab Ecclesia queat non solùm ordinariè quoad spiritualia, sed etiam extraordinariè quoad temporalia, si nimirũ quo casu ad Ecclesiæ bonũ expediat, aliquid circa tẽporalia quoq; statui per Ecclesiasticã potestatẽ, præsertim summam, qualis est Christi Vicarij.

Etenim S. CYPRIANVS in libro de Vnitate Ecclesiæ generatim affirmat, quoscunq; hæreticos pertinaces, tanquam lupos, per Ecclesiasticã potestatem separãdos & arcendos à cœtu fidelium, vt etiã nequeant cum eis versari communi conuictu; quo ipso certè priuatur quis auctoritate aliis imperandi, vt quæ exerceri nequit sine communi conuictu: *Quid facit*, inquit, *in pectore Christiano luporũ feritas? & canum rabies? & venenũ letale serpentum? & sæuitia bestiarum? Gratulandum est cùm tales de Ecclesia separãtur, ne columbas, ne oues Christi, venenata sua contagione prædentur.*

Item S. AMBROSIVS, teste Theodoreto, lib. 5. ca. 17. non modò Theodosium Imperatorẽ excõmunicauit propter cẽdem factã Thessalonicę, sed ipsius politicæ auctoritati modum quendã præscripsit: Iussit enim vt legẽ sanciret, ne de cætero robur haberent sententię capitis aut expoliationis bonorũ, nisi post dies triginta à die quo essent latæ: vt interea scilicet reuocari possent, si temerè forsitan ferrentur ex aliqua iracundia.

Atq; etiam idem Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 14. ita scribit: *Sequestrari*, inquit, *oportet grauiter lapsum, ne modicũ*, inquit, *fermentum totã massam corrumpat*. Et serm. 11. in Psal. 118. *Scriptum est*, inquit, *in Canticis Canticorum: Prehendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, & vineæ nostræ floreant. Quo ostenditur quòd vel Dominus IESVS, vel Ecclesia fraudulentorum hæreticorum dolos à vineis suis exterminandos esse præcipiant.*

Item S. AVGVSTINVS in libro cõtra Donatistas post collationem, cap. 4. & 20. similiter agnoscit in Ecclesia potestatem separandi impios à cœtu & cõuersatione fidelium, *iuxta præceptum*, inquit, *Apostoli, qui dixit: Si quis autem non obedit verbo nostro, per epistolam, hunc notate, & nolite commisceri cum eo, &c.* 2. ad Thessalon. tertio.

Item S. Gregorius NAZIANZENVS in oratione ad ciues Naziãzenos timore perculsos & Principem irascentem, Ecclesiasticã potestatẽ agnoscit esse superiorem politica, etiã vt politica est, atq; adeo de politica vt politica est, posse statuere ad suum finem, nempe spiritualẽ. Sic enim Principem sæculariter alloquitur: *Vos quoq; potestati meæ meisq; subsellijs lex Christi subiicit. Imperium enim ipsi quoq; gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius: nisi verò æquum est, Spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.*

Quo loco tribus modis indicat Nazianzenus subiectam esse potestatem politicã potestati Ecclesiasticę, vt hęc de illa cum auctoritate statuere possit, quod expediat ad spirituale bonũ Ecclesiæ, qui est finis Ecclesiasticæ potestatis. PRIMO, cùm dicit, Principes quoq; esse potestati Ecclesiasticę *subiectos*. Non enim solùm significare vult, eos esse subiectos Ecclesiasticæ potestati, vt sunt fideles, atq; adeo quoad spiritualem ipsorũ salutem (hoc enim per se notũ erat, neq; oportuisset cum tanta emphasi à Naziãzeno dici) sed significat, esse etiam subiectos Ecclesiasticæ potestati tanquam Principes, atq; adeo secundùm politicã ipsorum potestatem, vt de hac etiã posit Ecclesia in certis casibus statuere quod propter bonũ spirituale expediat. SECVNDO idẽ agnoscit Nazianzenus, cùm Imperium Ecclesiasticum & Imperium politicum ita cõparat, vt Ecclesiasticum dicat esse *præstantius & perfectius* politico, vt postea argumentabimur. TERTIO, cùm eam censet cõparationem esse potestatis Ecclesiasticæ, & potestatis politicæ, quę est Spiritus & Carnis. Certum enim est, Spiritum (hoc est, rationem & voluntatem in homine) esse superiorem carni; hoc est, sensui, & ei secundùm ea quoque, quæ sunt carnis ꝓpria, debere imperare & præscribere: siue eam cohibendo, ne quædam vsurpet, quæ obsunt spiritui; siue iubendo, vt quædã amplectatur etiam sensui contraria propter emolumentum spiritus, vt ieiunia & alia corporis incommoda, imo etiam mortem ipsam quibusdam in casibus, sicut eam oppetiuerunt Martyres.

Item S. CHRYSOSTOMVS homil. 4. de verbis Isaiæ in eandem sententiam dicit: *Maior est Sacerdotis, quàm Regis principatus.*

Item S. Gregorius MAGNVS lib. 12. Regist. post epist. 31. in priuilegio, quod cõcessit Gairaldo, Abbati Monasterij S. Medardi, planè agnoscit, se habuisse auctoritatem etiã Reges priuandi propter aliqua crimina, regia dignitate. Ita enim ait: *Si quis Regum, Antistitum, Iudicum vel quarumcunq; sæcularium personarũ huius Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit, &c. cuiuscunq; dignitatis vel honoris sit, honore suo priuetur.*

Item sanctus BERNARDVS lib. 4. de consideratione ad Eugenium, asserit Ecclesiasticam potestatem, non solùm spiritualis, sed etiam temporalis gladij ius habere: in eos scilicet, qui non

possint nisi temporali quoque animaduersione prohiberi ne noceant fidelibus, tametsi gladius hic temporalis non sit exercendus immediatè per ipsos prælatos Ecclesiasticos, sed per manum laicorum Magistratuum, qui Ecclesiæ subsidium ferant. Sic enim cum Eugenio Papa loquitur ibi Bernardus: *Quid tu*, inquit, *denuò vsurpare gladium tentas* (immediatè scilicet) *quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen*, inquit, *qui TVVM negat, non satis mihi videtur attendere ad verbum Domini dicentis: Conuerte gladium TVVM in vaginam. TVVS ergo & ipse: tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioqui, si nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hic, non respondisses Dominus, Satis est, sed, Nimis est, &c.* Atq; idem ferè totidẽ verbis scribit Bonifacius VIII. in Extrauaganti, *Vnam sanctam*, de Maioritate & Obedientia.

QVINTO probatur eadem assertio ex vsu ipso Ecclesiæ. Nam sæpè Pontifices Romani exauctorârunt sæculares Principes, nemine Catholicorum reprehendente id eorum factum tanquam excedens limites Pontificiæ auctoritatis, vt fusè persequitur Sixtus Senensis, lib. 6. Bibliothecæ sanctæ, annotatione 72. & Bellarminus noster, lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 8. Nam Zacharias Pontifex deposuit Childericum Galliæ Regem, tanquam regno ineptum, vt narrat Cedrenus in vita Leonis Isauri, & Paulus Diaconus, libro 6. hist. Longobardorum, cap. 5. Item Gregorius VII. deposuit Imperatorem Henricum IV. idq; iure optimo, vt constat ex Mariano Scoto in Chronico anni M.LXXV. & Dodechino in additione ad id Chronicon, anno M.XC. & anno M.XCIII. & M.C.VI. Item Innocent. III. deposuit Imperatorẽ Othonem IV. vt refert Blondus, Decade 2. lib. 6. Item Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi deposuit Imperatorẽ Fridericum II. vt patet ex Capitulo, *Ad Apostolicæ*, de sententia & re iudicata, lib. 6. Decretal. Item Clemens VI. deposuit Imperatorem Ludouicum VI. vt narrat Robertus Arboricensis, tomo 2. theomate 7. & Pighius Campensis, lib. 6. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 14. & 15.

Atque etiam aliis modis Pontifices Summi auctoritatem suam circa temporalem administrationem Principum exercuerunt. Nam Gregorius II. prohibuit solui vectigalia Leoni Imperatori Iconomacho, vt patet ex Cedreno & Zonara in vita Leonis Isauri. Item Leo III. Pontifex transtulit Imperium à Græcis ad Germanos, vt patet ex Cap. Per *venerabilem*, Extra de electione, & ex Zonara & Cedreno in vita Irenæi, & ex aliis historicis, qui de illo tempore scripserunt, vt ostendit accuratè Bellarminus in libro peculiari de translatione imperij. Item Gregorius V. statuit vt Imperator eligeretur per septem illos Germaniæ Principes, qui & hodie sunt electores, vt narrat Blondus, lib. 3. Decad. 2. lib. 3. & Naucle-rus genen. 34. & Platina in vita Gregorij V. Item Innocentius IV. adiunxit Regi Lusitaniæ Coadiutorem in Administratione, vt patet ex Capit. *Grandi*, de supplenda negligentia prælatorum, lib. 6. Decretalium.

SEXTO probatur eadem assertio manifestissima argumentatione, quam ita propono: Si potestas Ecclesiastica est superior potestate politicâ etiam vt politica est, consequens est, vt posit Ecclesia statuere circa politicæ potestatis subiecta vel vsum, quod ad spirituale bonum, Christianæ Reipublicæ iudicauerit conducibile, nempe vni eam potestatem detrahendo, & alteri dando; vel modum illi aliquem præscribendo: Sed antecedens est verissimum: Ergo etiam consequens verissimum est.

Veritas Antecedentis probatur tripliciter: PRIMO, ex fine Potestatis Ecclesiasticæ: SECVNDO, ex fine Potestatis politicæ: TERTIO, ex Ordine vtriusque.

PRIMO igitur probatur ex fine Potestatis Ecclesiasticæ. Nam cuius Potestatis finis est superior fine alterius Potestatis, ea quoque potestas superior est quàm altera, vt potest intelligi ex Philosopho I. Ethic. cap. 1. Habent enim potestates & facultates omnes vim atque dignitatem suam ex fine. Est autem finis Ecclesiasticæ potestatis superior fine potestatis politicæ: nam est ipsa salus spiritualis fidelium, ad quam referri & ordinari debet temporalis tranquillitas & commoditas Rerumpub. quæ est finis politicæ potestatis.

SECVNDO idem probatur ex proprio fine potestatis politicæ. Nam is non est humanæ vitæ vltimus, siquidem est temporalis, & ideo debet omnis actio potestatis politicæ, vt recta & prudentiæ consentanea sit, in vlteriorem quoque aliquem finem referri, scilicet in salutem spiritualem animæ & æternam beatitudinem. Quos fines cùm potestas Ecclesiastica suapte vi institutioneque respiciat; ipsam esse oportet superiorem atque directricem potestatis politicæ.

Ex quo (vt id obiter annotemus) euidenter apparet, quantoperè à vero aberrent, qui hac ætate censent, ratione status politici fas esse veram fidem atque religionem negligere. Falluntur & fallunt hi vehementer. Non enim potest rectus esse status politicus, nisi eius actiones tanquam fundamento nitantur recto ordine ad vltimum finem, qui est salus animarum spiritualis & beatitudo æterna. Qui ordo, sublata vera fide & religione erga Deum funditus tollitur.

TERTIO idem probatur ex ordine, quem oportet esse inter vtramque potestatem, scilicet Ecclesiasticam & politicam. Nam vtraque potestas est vnius & eiusdem corporis Ecclesiæ: *Sumus enim*, vt Apostolus ait ad Rom. 12. *vnum corpus in Christo*. Itaque aliquam necesse est esse subordinationem inter has duas potestates; nec tamen ea potest talis esse, vt Ecclesiastica potestas subiecta sit potestati politicæ. Nam vt sanctum Gre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gorium Nazianzenum dicentem audiuimus, minimè æquum est, *Spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere*. Quare reliquum est, vt potestas politica potestati Ecclesiasticæ subsit. Quod cùm ita sit, poterit certè Ecclesia propter hæresim & apostasiam à fide priuare Principem politica potestate, vt statuimus in prima nostra assertione, quam hactenus probauimus.

Nunc sit TERTIA assertio. Hanc pœnam, scilicet priuationem politicæ potestatis, de facto etiam incurrunt ij, qui propter hæresin seu apostasiam à fide, nominatim excommunicãtur per sententiam Iudicis Ecclesiastici. Ita docet sanctus Thomas hic art. 2. & Caietanus, & Bannes, & alij communiter. Et probatur PRIMO ex Gregorio VII. in Can. *Nos Sanctorum*. 15. quæst. 6. & ex Vrbano II. ibidem Can. *Iurator*. Qui etiam absoluunt subditos iuratos, ne teneantur Dominis suis excõmunicatis obsequium præstare, & prohibent etiam ne præstent, si nimirum negare obsequium Dominis suis possint absq; notabili suo detrimẽto; ita enim hoc est intelligendum, sicut rectè notauit Bannes.

SECVNDO probatur ex Extrauaganti Martini V. quæ incipit *Ad euitandam*. Vbi habetur, debere vitari à fidelibus eos, qui sint nominatim excommunicati.

TERTIO probatur ex ipsa ratione Excommunicationis. Nam hoc ipso quòd alicui inhibetur communicatio cum aliis: priuatur is iure & facultate communicandi, atque adeo imperandi aliis & consequenter prælatione & auctoritate in alios. Notant autem rectè hoc loco Caietanus & Bannes, non esse opus ad effectum incurrendi hanc pœnam, declarari ipsum quoque per sententiam Iudicis; sed sufficere, si per sentẽtiam declaretur cẽsura Ecclesiastica (puta excommunicatio) vel crimen ipsum, cui ea censura & pœna sunt annexæ.

QVARTA assertio: Si crimen hæresis siue apostasiæ à fide ita sit notorium, vt nulla possit tergiuersatione celari; etiam ante Iudicis sententiam incurritur ex parte prædicta pœna; nimirum eatenus vt subditi quidem *licitè possint* negare obsequium Domino hæretico aut apostatæ à fide: nõ tamen ita, vt etiam *teneantur* id ei negare. Ita docent Caietanus hîc & Bannes.

Et quidem PRIOR pars huius assertionis etiam est Panormitani in Cap. *Cùm non ab homine*. Extra de Iudiciis, & Felini, in Capit. *Rudolphus*. Extra de Rescriptis. Probatur autem hæc assertionis pars: Nam de eo, qui ita est notoriè hæreticus & apostata à fide, certò constat quòd sit excommunicatus, per censuram scilicet excommunicationis, quam tales incurrunt ipso iure: Sed excommunicati, vi ipsius excommunicationis priuantur quoq; auctoritate & iure aliis imperandi, vt ante dictum est: Ergo alij non tenentur talibus manifestè excõmunicatis obsequium præstare. Secus autem si crimen hæresis non esset ita notorium, quin aliquo modo celari posset. Nam tunc in re dubia tenerentur subditi obtemperare Domino (tanquam existenti in possessione) donec sufficienter cõstaret de crimine atque adeo de annexa excommunicatione.

POSTERIOR autem pars assertionis statuitur hic à Caietano contra Panormitanum & Felinum locis citatis. Et probatur PRIMO ex prædicta Extrauaganti *Ad euitandam*, per quam iuxta interpretationem cõmunis saltem praxis Ecclesiæ, in duobus tantùm casibus tenentur alij vitare excommunicatum: Nempe si quis *nominatim* sit excommunicatus (iuxta tertiam nostram assertionem) vel *notorius* percussor Clerici, ita vt nulla possit tergiuersatione celari hoc crimen: Sed neuter casus habet locum in nostro proposito: Ergo non tenebuntur subditi in proposito nostro vitare Dominum hæreticum & apostatam à fide, atque adeo neque ei obsequium negare.

SECVNDO, probatur argumento Caietani: Nam non est rationi consentaneum, vt iis, quos Ecclesia, quæ omnium superior est, ita tolerat, vt nolit in eos nominatim sententiam ferre, teneantur subditi obsequium negare, atque adeo nominatim eos habere pro excommunicatis.

Est autem OBSERVANDVM, pœnam hanc priuationis auctoritatis in subditos iuxta tenorem tertiæ & quartæ nostræ assertionis incurri per excommunicationem non solùm ob hæresim & apostasiam à fide, sed etiam ob quamcunq; aliam causam, vt patet ex dictis canonibus, *Nos Sanctorum*, & *Iuratos*, in quibus ea pœna generatim decernitur quibuscunque excommunicatis excommunicatione maiore. Quamuis peculiari quadam ratione (vt notat hic Caietanus) censeantur à Theologis ea pœna digni, qui excommunicantur ob hæresim. Qui enim negat fidem Deo, dignus est, cui negetur fides à subditis. Et vt notat etiam Bannes, hoc est discrimen inter alios excommunicatos & excommunicatos propter hæresin & apostasiam à fide, quòd hi absolutè amittunt auctoritatem in subditos; & ideo si resipiscant, indigent nouo cõsensu Ecclesiæ (expresso vel tacito) vt eam auctoritatem recuperent, vt patet ex Ecclesiæ praxi: Alij autẽ excommunicati non amittunt auctoritatem in subditos, nisi quamdiu non resipiscunt, iuxta tenorem duorum illorum canonum, quos citauimus, in quibus excommunicati exauctorantur *quoad resipiscant*.

Quomodo autem hæretici incurrant quoque priuationem dominij bonorum *temporalium*, docuimus quæst. præced. punct. 3. & tomo 2. quæst. 5. de legibus, punct. 6. De qua quidem re non satis verè & constanter videtur Bannes disserere hoc loco. Nam negat (planè contra communem sententiam) amitti ipso facto per hæresim dominium ipsorum bonorum; & tamen verè cum Caietano concedit, incurri ipso facto eas pœnas iuris, quæ possunt per se incurri sine aliqua Rei executione, vt excommunicatio, &c. Non animaduertens, huius planè generis esse quoque pœnam illam priuationis dominij bonorum: Desinit enim aliquis esse Dominus sine vlla etiam executione aut actione: neque ad id requiritur etiam, vt tradat quis ea bona fisco: quod quidem non tenetur facere ante Iudicis sententiam, vt quæst. præced. diximus, & etiam tomo 2. loco citato.

Nec valet argumentum Bannis, quod scilicet si hæreticus non est Dominus eorum bonorum, sed fiscus, teneretur hæreticus fisco statim ea tradere: Non enim id sequitur. Nam non tenetur nisi cum illa circumstantia id facere, nempe vt sententia præcedat: vt nec tenetur quis restituere alienum nisi pro opportunitate, &c.

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

De Blasphemia generatim, quæ est peccatum contrarium confessioni Fidei.

D. Thomas 2. 2. quæst. 13.

DVO SVNT EXPLICANDA. PRIMO, QVODNAM PECCATVM *sit Blasphemia.* SECVNDO, *Quomodo se habeat ad Infidelitatem.* *Ad quæ duo possunt quatuor articuli D. Thomæ reuocari.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quodnam peccatum sit Blasphemia.

D. Thomas art. 1. 2. & 4.

SI TANTVM SPECTEMVS VIM nominis, Blasphemia appellari potest quodcumque maledictum, quo detrahatur de dignitate & honore alterius. Est enim βλασφημία quasi nocẽs dictum, vt Budæus annotauit. Vnde βλάσφημος dicitur is, qui lædit famam alterius.

Sed vt S. AVGVSTINVS lib. 2. de moribus Manich. capite 11. annotauit, *vulgò etiam Blasphemia non dicitur, nisi cùm quis mala verba de Deo dicit.* Vnde etiam sanctus ATHANASIVS oratione in illud Christi dictum: *Quicunque dixerit verbum contra Filium, &c.* Matth. 12. *Qui blasphemat*, inquit, *contra ipsam Deitatem impiè agit.*

Itaque iam obtinuit Theologorum vsus, vt Blasphemia dicatur esse peccatũ, quo aliquid de excellentia diuinæ bonitatis detrahitur, dicendo falsè aliquid Deo inesse, quod non ineſt illi, vel non inesse, quod ineſt; idque voluntate quadam derogandi hac ratione diuinæ maiestati, sicut rectè docet D. Thomas art. 1.

Hoc posito, quatuor sunt hîc notanda circa hanc Blasphemiæ rationem, quibus ea complectemur, quæ pertinent ad praxin. PRIMO, vt potest variis modis aliquid falsi de Deo significari, ita etiam latè patere peccatum Blasphemiæ. Potest enim quis significare aliquid falsi de DEO non solùm verbo *externo* vocis, sed etiam verbo *interno* mentis, concipiendo videlicet per simplicem quandam apprehensionem Deum esse quod non est, aut non esse quod est. Nam hoc etiam modo intellectus mentaliter significat & dicit: Et hæc ipsa significatio & dictio est mala & blasphema, quando fit cum quadam propensione voluntatis in eiusmodi aliquam falsitatem de DEO.

Item potest hęc significatio interna aut externa fieri non modò *enunciatiuè*, sed etiam *optatiuè seu imperatiuè*. Vt si quis internè aut externè dicat, *Sit miser Deus*, vel aliquid eiusmodi.

Item potest fieri talis aliqua significatio non modò in actu *signato*, expresse scilicet exprimendo aliquid falsi de Deo, sed etiam in actu *exercito*. Quod fit in proposito, vt rectè notat Caietanus articulo primo, cùm quis etiamsi aliquid verè significet de Deo aut de Christo, tamen ipso *modo* significandi irrisorio vel contemptiuo indicat simul Deum vel Christum esse despicabilem, quod est falsum: vt cùm nominantur indignè certa membra, &c.

Item potest aliquis significare quippiam falsi de Deo, atque adeo blasphemare, etiamsi mentionem Dei non faciat, sed tantum creaturæ aliquid tribuat, quod est Dei proprium; vt Omnipotentiam, &c. Nam hoc ipso etiam in actu exercito indicat, eiusmodi attributa non esse Dei propria, quod est blasphemum.

Quocunque igitur modo ex dictis significetur quidquam falsi circa Deum, blasphemia erit propriè & formaliter, quatenus ea significatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

derogat aliquid diuinæ maiestati atque gloriæ, quando fit nimirum cum quadam propensione voluntatis in eiusmodi falsitatē. Et quidem omnibus his modis est blasphemia eiusdem speciei, vt Caietanus bene annotauit.

SECVNDO aduertendum est, non vno modò contingere, vt quis eiuscemodi significatione voluntariè deroget diuinæ gloriæ, sed esse in hoc quosdam gradus. Nam summa peruersitas in hoc genere est *directa intentione* id velle, præsertim si etiam eiusmodi intentio procedat ex odio & detestatione quadam diuinæ bonitatis. Quo pacto blasphemant Damnati, vt docet diuus Thomas articulo quarto. Minus autem graue est id velle tantummodo *indirectè*, quando nimirum iis circumstātiis & eo modo aliquis blasphemiam vsurpat, vt quamuis ipse directè non velit detrahere diuinæ maiestati, meritò tamen ac verè iudicetur ea significatio blasphemiæ habere diuinæ gloriæ contemptum, atq; adeo continere rationem illam formalem blasphemiæ, scilicet imminutionem, (quantum est ex sua natura) diuinæ gloriæ & honoris.

VT autem variis in casibus diiudicari possit, quando hoc accidat, nulla videtur posse vniuersalior *regula* assignari, quàm vt animaduertatur, an quis seriò & ex quadam indignatione, quæ à prudentibus iudicetur quodammodo pertinere ad DEVM, vsurpet blasphemiam. Sin autem vel ioco, vel alio fine (vt ad docendum, &c.) vsurpet aliquis verba significantia aliquid falsi de Deo, constat non esse blasphemiam: quamuis potest id aliunde esse peccatum leuitatis, vel etiam vanitatis contra præceptum de non vsurpando nomine Dei in vanum: vel etiam scandali, &c.

TERTIO notandum, quando aliquis plenè animaduertit verba aliqua pertinere ad blasphemiam, neque tamen abstinet ab illis, semper esse peccatum mortale ex sententia S. Thomæ articulo 2. ad 3. Neque arbitror in hac parte excusare à mortali paruitatem materiæ. Nam si quid falsi cum illa indignatione pertinente aliquo modo ad Deum, circa eundem significetur, grauem iniuriam Dei continet hæc significatio, vt Caietanus & Bannes hoc loco meritò iudicant.

Sed tamen illud, vt diximus, diligenter considerādum, vtrum spectatis omnibus circumstantiis, illa indignatio pertineat ad Deum: nam si ex circumstantiis iudicaretur solùm pertinere ad aliquem alium, cum quo aliquis indignabundè agit, nō esset vera blasphemia. Atq; ex hoc etiam capite iudico esse verū, quod Caietanus in Summa, verbo *Blasphemia*, notat, illos qui indignabundè in iurgio, sanguinem Dei, vel Dei corpus appellant, non esse verè blasphemos. Hoc enim puto verum esse, non solùm quia corpus & sanguis Dei verè potest dici post Verbum Dei incarnatum, sicut illīc ait Caietanus: sed quoniam interdum verba hæc dicuntur tantùm ex indignatione circa illum, cum quo aliquis contendit: alioquin si habeant etiam indignationē erga Deum, blasphema erunt illa verba, etiamsi sint vera; quoniam in actu exercito falsè significabitur, Deum mereri indignationem.

QVARTO notandum, pertinere quoque ad rationem blasphemiæ, vt Theologi notāt, & docet sanctus Thomas art. 1. ad 2. maledicta in Sanctos, vt sunt Dei amici & serui. Nā hoc ipso quòd ita detrahitur de honore ipsorum, derogatur etiam aliquid gloriæ Dei, cuius munere consecuti sunt Sancti suam dignitatem.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo se habeat Blasphemia ad Infidelitatem.

D. Thomas art. 1. & 3.

RECTE docet Caietanus articulo primo, Blasphemiam propriè & essentialiter non esse infidelitatem. Ratio est aperta. Quoniam infidelitas consistit propriè tum in assensu aliquo interno falso de Deo, tum in externa asseueratione falsi ex tali interno assensu procedente; idque siue affirmatiuè siue negatiuè. Blasphemia autem propriè non consistit in ipso assensu vel asseueratione falsi, sed in dictione seu significatione falsa de Deo, quæ longè differt ab assensu vel asseueratione falsa.

Potest enim quis etiam deliberatè velle significare & dicere aliquid falsi, tametsi nihil falsi ipse sentiat aut assenseat. Et id quidem, non solùm verbo exteriori, sed etiam interiori mentis, si videlicet concipiat tantùm apprehēsione quadam simplici ipsam falsitatem. Tunc enim verbo interiori dicit ac significat falsum. Patet igitur Blasphemiam essentialiter ab infidelitate differre; alioqui non posset esse aliquis blasphemus, nisi esset quoque infidelis, quod cōstat experientia esse falsum.

Sed DICET tunc aliquis: Si Blasphemia infidelitas non est, cuinam virtuti opponitur? RESPONDEO, Religioni, cuius munus est Dei honorem tueri. Loquor autem de Blasphemia propriè, vt versatur circa Deum, vel circa Sanctos, vt habent respectum quendam ad Deum. Nam si quæ contumelia irrogetur Sanctis, non vt habent respectum ad Deum, sed vt homines quidam sunt excellentes; ea propriè non Religioni opponitur, sed singulari cuidam Obseruantiæ, quæ est peculiaris quædam virtus inter alias adnexas Religioni, afferens Sanctis congruentem reuerentiam, & appellari solet dulia. Siquis autem Sanctos blasphemaret, quatenus sunt amici Dei, &c. tunc quidem talis blasphemia ad Deum propriè pertineret, vt siquis etiam blasphemaret alias res sacras, quatenus sunt institutæ diuinitus: vt Sacramenta, &c. sic quidem vt vel expressè, vel tacitè,

tacitè, iudicio prudentum detrahere vellet gloriæ diuinæ, significando aliquid falsi circa res eiusmodi.

Porrò etsi Blasphemia, vt diximus, differat ab infidelitate, tamen S. Thomas & alij Theologi de illa hoc loco disserunt ob quandam similitudinem & affinitatem, quam cum infidelitate habet, hoc ipso quòd etiam versatur circa falsum aliquid de Deo, & quia proficisci potest, ac interdum solet, ex infidelitate. Atque eatenus intelligendum est, quod solet dici, Blasphemiam oris opponi confessioni fidei: Blasphemiam autem cordis siue mentis interiori actui fidei.

Ex his apparet, Blasphemiam propriè loquendo non esse tam magnum peccatum, quàm Infidelitatem, vt rectè notauit Bannes art. 3. Maior enim virtus est Fides, vtpotè virtus Theologica, cui opponitur infidelitas, quàm Religio, cui propriè opponitur Blasphemia. Et nihilominus tamen quadam consideratione non malè dicit sanctus Thomas artic. 3. Blasphemiam habere in se malitiam Infidelitatis, & eam aggrauare. Habet enim Blasphemia malitiam Infidelitatis secundùm aliquid, puta secundùm falsitatem de Deo, circa quam versatur ipsa quoq; suo modo; & Infidelitatem aggrauat, addendo scilicet peculiarem suam malitiam imminutionis gloriæ diuinæ, vt est propriè contra virtutem Religionis. Quò fit, vt secūdùm quid possit censeri Blasphemia maximum peccatum, sicut censetur ipsa infidelitas, modo superius declarato, quæst. 10. puncto primo. Dico autem, *secundum quid*, nam simpliciter odium Dei est maius peccatum, imo ipsa Infidelitas, vt ante diximus.

QVÆSTIO DECIMA QVARTA.

De Blasphemia in Spiritum sanctum.

D. Thomas 2. 2. q. 14.

TRIA sunt explicanda. PRIMO, *Quidnam sit Blasphemia in Spiritum sanctum.* SECVNDO, *Quotuplex sit.* TERTIO, *Sitne remissibile hoc peccatum.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam sit Blasphemia in Spiritum sanctum.

D. Thomas artic. 1. & 4.

TRIVS PECCATI MENTIO FIT Matth. 12. Marci 3. Lucæ 12. & refert D. Thomas hîc art. 1. tres sententias de huius peccati ratione. Quibus possunt annumerari aliæ duæ.

PRIMA sententia est Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Chrysostomi in illa loca, qui accipiunt ad literam quod locis allatis Euangelistæ significāt, peccatū hoc esse Blasphemiam in Spiritum sanctum. Itaq; censent hoc peccatum consistere in hoc, vt verbis detrahatur de Spiritus sancti honore; siue nomen *Spiritus sancti* accipiatur essentialiter prout significat Diuinitatem, atque adeo vt cōmune est omnibus tribus personis diuinis, siue notionaliter, vt attribuitur tertiæ personæ.

SECVNDA sententia est Augustini, serm. 11. de verbis Domini, qui vult peccatum in Spiritum sanctum esse *finalem impœnitentiam*, hoc est, perseuerantiam in peccato vsq; ad mortem.

TERTIA est Magistri sententiarū in 2. d. 43. & aliorum Theologorum, qui peccatum in Spiritum sanctum interpretantur peccatum, in quo peculiariter cernitur quædam malitia, non quidem consistens in eo, vt quis ex habitu, vel etiam prudens & sciens eligat rem, quam videt esse malam; sed in eo, vt peculiari quodam consensu abiiciat atque aspernetur ea, quibus solent homines retardari à peccato; vt sunt Dei dona, quæ quoniam peculiariter attribuuntur Spiritui sancto, cui appropriatur bonitas, ideo istud peccatum dicitur esse peculiariter in Spiritum sanctū. Quemadmodum qui peccant ex infirmitate, dicuntur peccare peculiariter contra Patrem æternum, cui attribuitur fortitudo: & qui ex ignorantia, contra Filium, cui attribuitur Sapientia.

Inter has tres sententias hoc interest, quòd iuxta primam peccatum in Spiritum sanctū *propriè* est Blasphemia: Iuxta alias duas non propriè, sed *extenso vocabulo*: sicut alia peccata, quatenus per se tandem repugnant diuino honori, possent dici impropriè Blasphemia, ea ratione, qua è contrario quodlibet bonum opus, vt pertinet ad diuinam gloriam, potest extenso vocabulo dici confessio quædam fidei: sicut rectè aduertit Caietanus hîc articulo primo. Item iuxta primam sententiam peccatum in Spiritum sanctum continetur vnica specie simplici, vt patet: Iuxta secundam verò & tertiam, non item; sed iuxta se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cundam continetur omnibus omnino peccatis, A quatenus possunt esse cum perseuerantia finali in malo, quæ nihil aliud est quàm modus quidã seu conditio generalis omnium peccatorum, cum quibus quis è vita excedat: Iuxta tertiam autem, continetur peccatis, non quidè omnium specierum, sed aliquarum, sicut postea patebit.

Cùm verò omnes istæ tres sententiæ sint probabiles, & prima valdè cõsentanea textui Euangelico, vt patet ex doctrina D. Thomæ art. 1. ille tamen tertiam videtur præ aliis amplecti, vt scilicet peccatum in Spiritum sanctum consistat in illa malitia, quam exposuimus.

His tribus sentẽtiis possunt addi aliæ duæ, quarum alteram meritò reiicit, alterã valdè probabiliter amplectitur S. Athanasivs oratione ad Serapionem in dictum illud: *Quicunque dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei, &c.* B

Est igitur Qvarta sentẽtia Origenis & Theognosti, qui vt refert illic Athanasius, senserunt Blasphemiam hãc in Spiritum sanctum esse peccatum quodcunq; commissum post acceptã gratiam Spiritus sancti in baptismo: omne enim tale peccatũ esse irremissibile, vt Christus dicit de illa blasphemia; iuxta illud etiam testimonium Pauli ad Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, iterum renouari ad pœnitentiam.*

Hanc sententiam refellit optimè S. Athanasius ibi duobus potissimùm argumẽtis. Primo, quia Dominus illic de aliquo peccato loquitur, cuius iam essent rei Pharisæi, qui tamen Baptismum C non susceperant; quod argumentum etiam valet contra secundã opinionẽ Augustini. Secvndo, quia falsum & hæreticũ dogma Nouatiani fuit, asserere quòd peccata post Baptismũ sint irremissibilia. Contrariũ enim rectè probat ibi S. Athanasius, ex S. Paulo, qui pœnitẽti (baptizato) communionem restituit, 2. Corinth. 2. & Galatas retorsum abeuntes *parturit, donec iterum* formaretur Christus in illis: *In hoc enim vocabulo*, inquit Athanasius, Itervm, *deprehendere licet primam eorum in Spiritu sancto initiationem.*

Neq; verò Apostolus ad Hebr. 6. negat omnino posse baptizatos renouari ad vllã pœnitentiam, sed ad peculiarem illam, quę fit in baptismo, sicut D rectè interpretatur illic S. Athanasius, & nos etiã docuimus, tomo 2. q. 3. de Gratia, p. 3.

Qvinta sentẽtia est ipsius S. Athanasii in illa oratione circa finem, Blasphemiam in Spiritum sanctum esse peccatum, quo quis malitiosè negat agnitam fidei veritatem à Christo per Spiritum sanctum contestatam, sicut Pharisæi negabant Christi diuinitatem adeo clarè elucentem in ipsius diuinis operibus, quæ per Spiritum sanctum patrabat: furiosè ea adscribentes Beelzebub principi dæmoniorum.

Pro qua sententia sanè probabilissima adduximus aliorũ quoq; Patrum testimonia, tomo 2. vbi supra. Nec differt omnino hæc quinta sentẽtia ab illa tertia, quam amplectitur D. Thomas: quandoquidem hæc etiã abnegatio veritatis, est quoddam peccatum ex malitia in respuendo dona Spiritus sancti salutaria, qualis est inprimis fidei doctrina diuinitus patefacta.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Blasphemia in Spiritum sanctum.

D. Thomas art. 2. & 4.

Blasphemia in Spiritum sanctum, iuxta tertiam illam sententiã de peccati huius ratione, quã puncto præcedenti diximus probari D. Thomę, in sex quasi species diuidi solet, vt videre est apud Magistrum sententiarum, lib. 2. d. 43. & S. Thomã hîc art. 2. scilicet Desperationem, Præsumptionẽ, Impugnationẽ veritatis agnitę, Inuidentiam fraternæ gratiæ, Impœnitentiam, Obstinationẽ. His enim peccatis abiiciuntur diuersa, quibus homines deterreri possunt à peccato. In quo diximus cõsistere hoc peccatũ secundùm illam sententiã.

Nam *Desperatio* abiicit diuinam misericordiam: *Præsumptio* Dei iustitiã: *Impugnatio veritatis agnitæ* cognitionem veram fidei, cuius quidè peccati in Spiritum sanctum Hæresiarchæ videntur rei, siquidem conantur impugnare fidem nefario studio, quam possunt & debent agnoscere veram esse. Hoc enim etiam est impugnare in proposito veritatem agnitam, id est, sufficienter propositam. Quanquam is quidem maximè veritatẽ agnitã oppugnat, qui quod videt esse verum, conatur probare & persuadere esse falsum, vt sic licẽtius peccet, sicut ait D. Thomas art. 2. Similiter *Inuidentia* fraternæ gratiæ est dolere, quòd gratia Dei, per quam extirpãtur peccata, cõmunicetur aliis, id quod est auersari gratiæ diuinæ cõmunicationem: *Impœnitẽtia* verò in proposito non est illa cõditio generalis peccatorum, scilicet perseuerantia finalis in malo, sed peculiare quoddam propositum non pœnitendi: quo ipso respuitur gratia & benignitas Dei ad pœnitentiam peccatores inuitans. Denique obstinatio in proposito consistit in quadam voluntate adhærendi peccato, quatenus aliquam rationem boni delectabilis vel vtilis continet, non obstante quòd id bonum sit breue & parui momenti: quo ipso respuuntur maiora bona spiritualia.

Porrò cùm ex rationibus istorum peccatorum constet, illa diuersis virtutibus aduersari; perspicuum est etiam, peccatum in Spiritum sanctum, quod his peccatis continetur, non esse aliquam simplicem speciem, quæ his differentiis propriè contrahatur, vt species subalterna: Sed dici speciale peccatùm secundùm illam tertiam sententiam, quoniam est aliquid commune non omnibus omnino peccatis, sed certis quibusdam speciebus peccatorum iam enumeratis: id quod rectè notauit Caietanus, art. 2.

Atque

Atq; ex his facilè patet solutio quæstionis, quã mouet S. Thomas art. 4. Vtrum possit homo primò peccare peccato in Spiritum sanctum? Nam si peccatum in Spiritum sanctum interpretemur iuxta D. Augustini sententiam citatam puncto 1. quæstio non habet locum, cùm Impœnitentia finalis supponat peccatum, in quo perseuereturIuxta primam verò & tertiam sententiam illic memoratam, cùm peccatum hoc sit speciale, vel omnino, vel secundùm certam latitudinem; potest quidem fieri, vt homo primò illud committat, cùm sit liberi arbitrij. Quãquam vix contingat hoc hominibus, qui anteà fuerint perfecti. Quadoquidem vt rectè notat D. Thomas art. 4. ex Origene lib. 1. periarch. cap. 3. tales viri non solent initio in aperta & grauia scelera, quale hoc B inprimis est, prorumpere, sed *paulatim decidunt*, vt Origenes loquitur.

PVNCTVM TERTIVM.

An Blasphemia in Spiritum sanctum sit irremissibilis.

D. Thomas art. 3.

Si Blasphemiam in Spiritum sanctum nominemus cum Augustino (citato p. 1.) peccatum finalis impœnitentię, certũ est esse penitus irremissibilem in hoc & in futuro sæculo, vt Matthæus loquitur, A posito enim quod quis finaliter ad mortem perseueret in peccato, ex hypothesi non potest ei remitti etiam in hac vita. Si verò peccatũ in Spiritum sanctum interpretemur iuxta primam & tertiam sententiam, constat non dici irremissibile propterea, quòd nullo modo remitti possit, sed quia difficillimè & raro remittitur, eò quòd ex sua ratione habet peculiarem causam cur non remittatur. Nam peculiariter est cõtra Spiritum sanctũ, cui attribuitur peculiariter remissio peccatorum, tanquam amori.

Et præsertim procedit hoc de peccato in Spiritum sanctum secundùm tertiam sententiam. Nam sic directè illud repugnat spiritualibus remediis peccatorum, vt rectè interpretatur hîc Caietanus, atque ita peculiari ratione dicitur irremissibile sua natura. Sicut morbus ille dicitur præcipuè insanabilis, qui ex sua ratione obstat, quò minus operetur medicina, quo oporteret ipsum curari. Cætera verò peccata non obstant gratiæ diuinæ & aliis remediis, nisi indirectè & ex consequenti; ac proinde non dicuntur illa adeo ex natura sua irremissibilia, sicut hoc. Vide quæ de hac ipsa re tradidimus tomo 2. quæst. 3. de Gratia, p. 3. in responsione ad 4. argumentum contra secundam assertionem de Gratia sufficiente.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De vitiis Oppositis Scientiæ & Intellectui, quæ sunt dona annexa Fidei.

D. Thomas 2. 2. quæst. 15.

Hoc loco satis fverit explicare rationem et cavsas huiusmodi vitiorum, quod breuiter fieri poterit. Nam de Ignorantia quæ opponitur Scientiæ, tomo 2. disputatum est.

PVNCTVM VNICVM.

Quænam peccata opponantur Dono Scientiæ & Intellectus, & vnde illa oriantur.

D. Thomas art. 1. 2. 3.

Svpra q. 8. explicauimus, donum *intellectus* esse habitũ supernaturalem, quo intellectus perficitur, vt facilè à Spiritu sancto moueatur ad cognoscẽdas res spirituales fidei, sic, vt homo inhæreat vltimo fini. Et, quæstione nona item docuimus donum *scientiæ* esse habitum, quo perficitur intellectus, vt rectè iudicet de rebus creatis, quibus sit inhærendum, & præcipuè de actu credendi. Hinc patet ignorantiam rerum, quibus inhærendum est, esse vitium oppositum dono scientiæ, de quo vitio hîc non agit diuus Thomas, sed egit C prima secundæ, quæstione sexta, & quæstione septuagesima sexta. Quare nec nos hic de hoc peccato disseremus, cùm satis à nobis de eo disputatum sit tomo secundo, disputatione secunda, & disputatione sexta.

Dono autem intellectus cum D. Thoma hîc art. 1. & 2. dicimus aduersari duo vitia, nempe *cæcitatem* mentis, & *hebetudinem* sensus. Mentis cæcitas, quod ad propositũ attinet, consistit in eo, vt quis voluntariè abstrahat mentẽ à veritatibus spiritualibus, quarũ consideratio retrahit à peccatis: Volũtariè inquam, siue expresè & directè,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuxta illud Psal. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret:* siuè implicitè & indirectè, cùm aliquis dat se variis cupiditatibus, quæ abstrahunt à consideratione diuinarum rerum. Quo refert D. Thomas art.1.illud Psal.57. *Supercecidit ignis*, id est, concupiscentiæ, *& non viderunt Solem*, hoc est, nō attenderunt ad rerum diuinarum lucem.

Porrò istius vitij originem ex sententia D. Gregorij lib.31.moral.cap.31.docet D.Thomas art.3. esse peccatum Luxuriæ, quatenus delectatio, quę in illo inest vehemens, applicat totam intentionem animi ad res carnales, atq; ita abstrahit eam penitus à consideratione diuinorū siue spiritualium, quod est inducere cæcitatem mentis.

Iam verò *hebetudinem* sensus in proposito asserimus cum S. Thoma art.2. consistere in quadam difficultate ac debilitate mentis siue intelligentiæ in penetrandis, & distinctè percipiendis spiritualibus rebus. Quæ quidem debilitas atq; adeo hebetudo, quando est similiter voluntaria, siue expresè, siue implicitè, peccatum est (inquit diuus Thomas) repugnans dono intellectus, quo homo redditur habilis ad perfectè percipienda spiritualia, discernendaq; subtiliter: non tamen adeo repugnat hebetudo dono intellectus, atq; cæcitas mentis, vt patet. Siquidem cæcitas tollit cognitionē: hebetudo aūt solum eam debilitat.

Origo autem huius habetudinis, vt docet ibidem S. Thomas, propriè est intemperantia circa ciborum vsus, quod idem docet S. Gregorius loco citato. Quanquā non est dubium quin ex aliis vitiis ac cupiditatibus variis hebetudo ac cæcitas mentis oriri possit. Sed maximè quidem oriri solent ex peccatis carnalibus. Vnde Danielis 13. legimus de illis impudicis senibus, quod *cùm exarsissent concupiscentia euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.*

Constat etiam ex Scriptura, solere à Deo grauissima alia peccata puniri permittēdo vt homo incidat in huiusmodi cęcitatē mentis, quæ & ipsa præcipitat in omnis generis peccata, vt in Idololatriam, ad Rom.1. *Propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniūt, etc.*

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De præceptis Fidei, Scientiæ, & Intellectus.

D. Thomas 2. 2. quæst. 16.

DVO BREVITER EXPLICANDA SVNT. PRIMO, AN ET QVATENVS extet præceptum de Fide. SECVNDO, An & quatenus extet præceptum de Dono Scientiæ & Intellectus.

PVNCTVM PRIMVM.

An & quatenus extet præceptum de Fide.

D. Thomas art.1.

DOCTRINA D. THOMAE DE HAC re nonnulla indiget explicatione. Sentit enim neq; in veteri lege, neq; in noua, datum esse expressum præceptum de tota fide, sic, vt comprehendamus etiam veram cognitionem vnius Dei; de aliis verò credibilibus specialibus datum quidem esse præceptum in noua lege; nō autem in veteri. Cognitionem verò vnius Dei ait D. Thomas supponi in vtraque lege, vt quoddam præambulum illius. Probat hoc ex eo, quòd præceptum expressum non datur, nisi ei, qui est legislatori subiectus: sed homo primùm accedit, atq; adeo subiicitur vni Deo per fidē erga ipsum, vt patet ex illo ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, etc.* Ergo de huiusmodi fide non erat dandum præceptum, sed supponenda illa fuit tanquam præambulum legis diuinæ.

Hæc doctrina, q attinet ad vnius & veri Dei cognitionē duobus modis intelligi potest: PRIMO, vt sensus sit: Fideles veteris Testamenti nullo præcepto diuino obligatos fuisse reipsa ad credendam vnitatem Dei: neque etiam fideles noui Testamenti ad id obligari: Et hic sensus omnino falsus est, & alienus à mente D. Thomæ. Nam docuit ille suprà q. 2. id quod est certissimū, omnes homines teneri ad fidem explicitā veri Dei, magis vel minus pro diuersitate temporum vel status, prout illic copiosius explicauimus. Quanquam ex sententia quidem D. Thomæ, qui putat fidem & euidentiam non posse simul consistere, non omnes tenentur credere propriè (id est, per fidem) verum Deum, sed vel per fidem, vel per aliqualem quidem certum assensum, puta euidentem. Quam tamen opinionem nos suprà quæst.1. p.4. impugnauimus.

ALTERO modo potest ea doctrina intelligi, vt sit sensus: non esse in Scriptura expressis verbis datum præceptum de fide in vnum Deum. Et hoc modo aliqui rectè interpretantur mentem diui Thomę hoc loco. Atque ad hoc explicandū congruenter, valet illa ipsius ratio, scilicet quòd antè fidem vnius Dei non intelligatur homo omnino esse subiectus Deo, vt sic debeat ab illo accipere scripta atque expressa præcepta. Alioqui titulo creationis non est dubium, quin homo sit satis Deo subiectus, vt intelligatur iure ab illo obligari posse, etiam vt per fidem accedat ad ipsum,

sum, & subiiciat se ea ratione illi. Quod præceptum satis colligitur ex aliis Scripturæ locis, atq; adeo ex doctrina reuelata, tametsi directè non ponatur in Scriptura per modum legis, sed tanquam legis præambulum, vt S. Thomas hîc declarat. Nam Deuteron. 6. ante præcepta ipsa, quę ibi traduntur modo imperatiuo, præmittitur enunciatiuè doctrina de vno & vero Deo illis verbis: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.*

Præterea circa id etiam quod ait S. Thomas, nec de specialibus aliis credibilibus esse præcepta tradita in veteri lege, animaduertit bene Caietanus, esse hoc intelligendū de specialibus credibilibus quoad secretiora quædam mysteria, de quorum fide in lege demùm noua sunt expresè data præcepta: nec sensisse D. Thomam, quòd de nullo prorsus speciali credibili extet in illa lege præceptum. Nam concedit art.1. ad 5. extare præceptum de fide diuinæ remunerationis Eccles. 2. illis verbis: *Qui timetis Dominum credite illi, & non euacuabitur merces vestra.*

PVNCTVM SECVNDVM.

An & quatenus extet præceptum de Dono Intellectus & Scientiæ.

D. Thomas art.2.

RECTE sentit D. Thomas, esse datum præceptum Deuter. 4. & 6. de vsu doni intellectus & scientiæ, quatenus nimirum ibi præcipiuntur fideles diuinam legem, quæ istiusmodi donorum materia est, memoriæ mandare, atque adeo discere: item docere illam alios, vnūquemq; pro suo gradu, & demùm frequenter illam meditari. Quod præceptum quoad substantiam quidem actus cogitandi res diuinas ad salutis negocium pertinentes, morale præceptum est, & ideo nunc etiam obligat.

Ac dicit quoq; S. Thomas id ipsum præceptū in Scriptura etiam noui Testamenti Euangelica & Apostolica extare. Et quanquam nullum inde testimonium ad hanc rem citat, tamen satis hoc præceptū colligitur ex verbis Domini Matth. 6. vbi iubet *thesaurizare thesauros in cælo*, atque adeo ibi cor defigere, & ante omnia *quærere regnum Dei & iustitiam eius.* Non enim possumus hoc facere, nisi ea, quæ ad salutis negocium pertinent, sciamus atque meditemur. Atque ita demùm verum erit, quod S. AVGVSTINVS lib.1. de sermone Domini in monte, initio, & lib.2. cap. 40. ait, contineri omnia Christianę vitæ præcepta illo sermone Domini in monte, si nimirum neque hoc præceptum ibi desit.

Nec tamen improbabiliter præceptum istud interpretaretur, qui diceret, non ipsos actus donorum intellectus & scientiæ formaliter præcipi, quia ratione videlicet homo per illos inhæret vltimo fini, atq; adeo vt à solis iustis eliciuntur, sed materialiter, vt videlicet quis meditetur, & discat, & doceat pro suo gradu spirituales res absolutè & simpliciter eo modo, quo potest etiā hoc facere ille, qui est in peccato.

Quam expositionē si admittimus, consequenter dicendum erit, cæcitatem mentis & hebetudinem sensus, quæ sunt peccata contra huiusmodi dona, non opponi ipsis donis formaliter, sed materialiter, quatenus is, qui spirituales res aut non considerat, aut debiliter considerat, absolutè prætermittit officium illorum donorum, etiamsi voluntas illius non abhorreat ab illis formaliter, quatenus donorū sunt, hoc est, vt coniungunt hominem cum Deo. Ratio est, quoniam iuxta eam sentētiam vsus illorum donorum materialiter solùm est præceptus: ac proinde intermissio eius vsus non est peccatum nisi quatenus est opposita ei vsui materialiter. Quanquā si quis tam peruersa volūtate esset, vt vsum illorum donorum intermittere vellet etiā formaliter, contemnens illum quatenus ad dona illa pertinet, & hominem Deo coniungit; non est dubium, quin is etiam peccaret, & multò grauius contra præceptum negatiuum annexū illis donis, videlicet de nō despiciendis ipsis & eorum vsu formaliter.

Sed tamen probabilius videtur præcepto illo, etiam præcipi vsum istorum donorū formaliter. Neque obstat, quòd peccatores quamdiu hęrent in peccato, nequeant ex hypothesi id præceptum formaliter adimplere: satis enim est, quòd simpliciter possint, recuperando nimirum gratiam; sicut omnes tenentur præcepto supernaturali charitatis, quod tamē sine gratia impleri nequit, sicut aliquando oportet.

Porrò, quo nam tempore præceptum illud affirmatiuum de vsu istorum donorū, siue formaliter, siue materialiter, instet, nō ita facilè determinari potest, sicut neq; præceptum aliarum legum affirmatiuarum. Videtur autem id tempus esse præcipuè, quando quis est in periculo notabili prævaricādi legem Dei ob rerum diuinarum obliuionem, &c.

Quòd si absit contemptus, vix videtur intermissio vsus istorum donorū (saltem formaliter, vt vsus talium donorum est) *per se* esse peccatum mortale. Quod videtur Caietanus insinuare voluisse, cùm hoc loco notauit præceptum huiusmodi posse consistere, quamuis aliquis sine peccato mortali ipsum violet. Dixi *per se*, quoniam materialiter & inadæquatè, inconsideratio diuinæ Legis aliquando pertinet ad illud ipsum peccatum mortale, quod quis committit, quando violat aliquod præceptum diuinum culpabiliter, non considerans rationem illius.

FINIS PRIMAE DISPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO SECVNDA GENERALIS.

DE SPE ET EI ANNEXIS ET VITIIS CONTRARIIS.

DIVISA IN QVATVOR QVAESTIONES.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM SECVNDAE DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Virtute Spei.

PVNCT. I. *Quid sit propriè Spes, & quodnam eius obiectum.*
II. *Quomodo se habeat Spes ad fidem & charitatem.*
III. *Quodnam sit subiectum Spei.*
IV. *Qualis sit Spes.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De dono Timoris, quod est annexum Spei.

PVNCT. I. *Quidnam sit Timor in proposito.*
II. *Quotuplex sit Timor.*
III. *Qualisnam sit Timor quoad bonitatem & malitiam.*
IV. *Quænam sit causa, & qui item effectus Timoris.*
V. *Quodnam sit subiectum Timoris, seu quinam esse possint participes Timoris.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Desperatione & Præsumptione, quæ sunt vitia contraria Spei & Timori.

PVNCT. I. *Quale peccatum & quantum sit Desperatio.*
II. *Quale & quantum peccatum sit præsumptio.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Præceptis Spei & Timoris.

PVNCT. I. *An extet aliquod præceptum de Spe.*
II. *An extet aliquod præceptum de Timore.*

DISPVTATIO SECVNDA GENERALIS.

DE SPE ET EI ANNEXIS, ET VITIIS CONTRARIIS.

D. Thomas 2. 2. à quæstione 17. vsque ad quæstionem 22.

DISSERVNT THEOLOGI DE SPE in 3. sent. dist. 26. ac videtur quatuor quæstionibus posse comprehendi tota hæc disputatio. PRIMA erit de ipsa Virtute Spei. SECVNDA, de Dono Timoris, quod est annexum Virtuti Spei. TERTIA, de Desperatione & Præsumptione, quæ sunt vitia opposita Spei & Timori. QVARTA, de præceptis Spei & Timoris.

QVÆSTIO PRIMA.

De Virtute Spei.

D. Thomas 2. 2. quæst. 17. & 18.

QVAE D. THOMAS HAC ET SEQVENTI QVAESTIONE ET Doctores alij in 3. sent. dist. 26. de hac virtute disserunt, quatuor punctis videmur breuiter & commodè posse comprehendere. PRIMVM est, quid sit propriè Spes, & quod eius obiectum. SECVNDVM, quomodo illa se habeat ad fidem & charitatem. TERTIVM, quodnam sit illius subiectum, atque adeo in quibus reperiatur hæc virtus. QVARTVM, qualis sit.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit propriè Spes, & quodnam eius obiectum.

D. Thomas quæst. 17. art. 1. vsque ad 5.

NOMEN SPEI VARIAS HABET SIgnificationes, quas oportet distinguere, vt constet cuiusnam Spei rationem inuestigemus hoc loco. Nam PRIMO Spes communissimo significatu dicitur quæcunq; expectatio futuri euentus seu boni seu mali. Nam Cicero lib. 1. ad Atticum, *Spem malorum* dicit. Et apud Virgilium ait Dido: *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Quam tamen significationem horum nominũ impropriam esse censet S. AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 8. Idq; probat auctoritate Grammaticorum, qui ex eo loco

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virgilij petunt exemplũ locutionis impropriæ, *eo quòd sperare dixit* (ait Augustinus) *pro timere*.

Itaque SECVNDO dicitur propriè Spes expectatio futuri boni. Sic eam describit Cicero q. 4. Tusculana. Atq; id etiam confirmat Augustinus illic testimonio Lucani, qui Spem à timore per hoc distinguens dixit: *Liceat sperare timenti*. Vnde concludit ibi Augustinus, *Spem propriè non esse, nisi bonarum rerum, nec nisi futurarum*. Sed neque hoc modo tam generali accipimus in proposito nomen Spei.

TERTIO accipitur pro expectatione boni futuri sensibilis; quo pacto Spes est vna quædam passio appetitus sensitiui, de qua egimus tomo 2. disput. 3. quæst. 7. Itaque neq; hoc modo accipimus nomen Spei in proposito.

QVARTO accipitur à Theologis hoc nomen pro virtute quadam peculiariter ad fideles pertinente, qua hi sperant bona supernaturalia aliqua futura, atque inprimis æternam beatitudinem. Et hæc est Spes, de qua instituimus disputationem hoc loco.

Ac primo quidem extra controuersiam est, esse omnino aliquam Spem, iuxta hanc eius nominis acceptionẽ. Hoc patet ex Apostolo ad Rom. 8. *Si*, inquit, *quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*. Et ex diuo Petro 1. epist. cap. 1. *Regenerauit*, inquit, *nos in Spem viuam per resurrectionem* IESV *Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in cælis*. Et ex multis aliis Scripturæ locis, quibus virtus hæc fidelibus commendatur.

Sic igitur posito *quid nominis* Spei, atque adeò quid Spes sit, quærimus hoc loco, iuxta propositum ordinem, quænam sit ratio Spei, propriè & distinctè. Hoc vt explicemus, proderit meminisse eorũ, quæ tomo 2. quæst. 7. de passionibus circa Spem, vt est quædam passio disputauimus. Etenim vt appetitus sensitiuus duplici ratione fertur in bonum suum futurum, scilicet & absolutè per desiderium, & deinde ita, vt appetens reddatur habile ad consequẽdum bonum futurum arduum & difficile, quod, vt illic diximus, est tendere in bonum vt arduum: Ita etiam volũtas potest vtroq; modo ferri in bonum futurum supernaturale. Vno modo absolutè: q̃ facit per charitatem amãdo & desiderando. Altero modo cum quodam tali conatu, quo homo redditur facilis & expeditus ad id bonum consequẽdum, quantumuis arduum. Id quod facit per Spem, de qua nunc agimus. Nec tamen differentia hæc sufficit ad diuidendam (vt ita dicam) voluntatem in duas potentias Specie distinctas, sicut sunt appetitus concupiscibilis & irascibilis, vt tomo 2. loco citato declarauimus.

Igitur cùm Spes, de qua agimus, intelligatur esse circa bonum aliquod futurum, quod sit propriè obiectum voluntatis; breuiter possumus illam ex mente Doctorum sic definire, vt sit virtus Theologica, qua voluntas fertur in Deum, vt est beatitudo nostra, difficilis ad consequẽdum, sed quæ obtineri tamen queat diuino auxilio, atque adeo mediis diuinitus ad eum finem institutis. Huius definitionis particulæ oẽs sigillatim modò declarandæ sunt.

Prima particula est, quòd Spes hæc sit *Virtus*. Id probat D. Thomas art. 1. quæst. 17. hac ratione: Virtus sentẽtia Philosophi 2. Ethic. cap. 6. est, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum: Hoc autem præstat hæc Spes: Ergo est Virtus. Minor probatur: quoniam illius actus attingit primam regulam bonitatis, quæ est Deus: siquidem illum vt finem nostrum respicit, & præterea ipso etiam vt causa efficiente, id est, adiuuante nos ad ipsius consecutionem nitimur. Hoc autem ipso aliquis actus est bonus, quòd attingit regulam bonitatis. Est dicere: consentaneum esse dictamini rationis diuinæ, atque adeo etiam nostræ per fidem illuminatæ, quòd per Spem ratione iam dicta feramur in Deum, vt est beatitudo nostra. Quod cùm simpliciter bonum sit; efficitur, Spe nos reddi bonos, atque adeo ipsam verè esse virtutem.

Itaque non est audiendus Durandus, qui in 3. distinct. 26. quæst. 1. cùm concedat inesse in Spe hanc bonitatem, quam diximus, negat tamen illam propriè esse virtutẽ, sed solùm concedit Virtutem esse largè accipiendo vocabulum Virtutis; sicut suprà quæst. 4. vidimus eũ sentire, quòd Fides etiam non sit propriè Virtus: atque ita hoc in loco dicit esse eandem rationem de Spe, neque aliter probat. Sed planè fallitur. Nam vt Fides specialiter & propriè est virtus, quoniam (vt q. 4. explicaui) considerata natura obiecti & potentiæ, & conditione huius vitæ status, habet actum optimum, & maximè perficientem intellectum: ita nunc dicimus Spem propriè esse Virtutem, quoniã considerata ratione beatitudinis nostræ, & virium nostrarum, optimo modo tendit in illam, licet non nisi vt auxilio diuino & supernaturaliter consequendam.

SECVNDO addidimus in definitione, Spem esse Virtutem *Theologicam*. Hæc definitionis particula duplicem habet vim: PRIMO, Spem versari circa Deum, tanquam obiectum excedens facultatem naturalem voluntatis, id est, ea ratione consideratum, qua neque cognosci, neq; appeti naturaliter à nobis aptè possit, nempe vt potest beatitudine supernaturali attingi. Id quod Apostolus 1. Cor. 2. indicauit, cùm ex Isaia capite 64. repetiuit illud: *Oculus non vidit, &c. neq; in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*. Et apertius ad Hebr. 6. vbi asseruit habere nos Spem *incedentem vsq; ad interiora velaminis*, id est, ad ea, quæ nobis sunt occulta. Et ad Hebræos itẽ cap. 11. cùm fidem dixit esse substantiam *sperandarum rerum non apparentium*.

DEINDE significat ea definitionis particula, Spem diuini ordinis ac supernaturalis esse, quæ actum etiam habeat supernaturalem, ratione suprà dicta, vt rectè explicauit Caietanus art. 5. Atque hoc ipsum diuinæ literæ etiam significant. Nam Apostolus spem cùm charitate & fide conferre consueuit, quas virtutes constat esse Dei donum supernaturale, vt 1. Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, &c.* Et 1. Thessal. 5. *Nos autem quia diei sumus, sobrij sumus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam Spei*. Et Roman. 15. non obscurè significat, Spem esse Dei donum, cùm ita precatur: *Deus autem Spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in Spe & Virtute Spiritus sancti*. Et D. Petrus 1. epist. cap. 1. cùm inquit: *Qui secundùm misericordiam suam regenerauit nos in Spem viuam*, id est, donum supernaturale.

Neque tamen ideo negamus, posse aliquem naturæ viribus habere imperfectam quandam Spem vitæ æternæ acquisitam, adeoque naturalem, sicut etiam imperfectam fidem, posita diuina reuelatione, eademq; cognita. Id enim Concilij Tridentini Patres insinuarunt, cùm sess. 6. can. 3. spem, fidem & charitatem donum Dei esse, ita definierunt: *Si quis dixerit hominem sine Spiritus sancti gratia & eius adiutorio, posse credere, sperare, & diligere* SICVT *oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit*: Quasi dicerent, sine adiutorio Spiritus sancti posse fieri, vt homo aliam qualemcunq; spem habeat: sed non vt speret sicut oportet, &c. Quare solùm volumus, spem propriè Christianam, quæ scilicet ad iustificationem & vitam æternam valeat, & aptè Deum vt obiectum supernaturale respiciat, esse donum supernaturale, sicut etiam Patres illius Concilij definierunt.

Cui quidem doctrinæ non arbitror aduersari Durandum, cùm in 3. dist. 26. q. 1. inquit, Spem vt est habitus à Deo infusus, non esse necessariam ad sperandum simpliciter, sed ad sperandum facilè, promptè, &c. Potest enim hoc ita accipi, vt intelligatur Durandus velle, Spei habitum non esse necessarium ad sperandum qualicunq; modo, nimirum per actum aliquem imperfectum: esse autem necessarium Dei auxilium & donum ad sperandum Christianè & aptè ad obtinendam iustificationem. Nam eodem modo sumus interpretati suprà quæst. 6. p. 1. quod idem auctor dixit, posse naturæ viribus haberi etiam aliqualem fidem acquisitam.

Et sicut illic probauimus esse certum de fide, quòd ad credendum Christianè requiratur donum etiam habituale, quod scilicet sit ipsa virtus fidei: ita nunc de Spe idem asserendum est. Nam ex æquo etiam Patres Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. definierunt, in iustificatione *infundi* diuinitus Spem, sicut & Fidem & Charitatem: quod nisi de habitu nequit bene intelligi, vt generatim quoque de his habitibus diximus tomo 2. q. 3. de habitibus p. 4.

Restat autem circa eandem definitionis particulam quædam DIFFICVLTAS propter Durandum, qui in 3. distinct. 26. quæst. 2. putat, spem ita esse Virtutem Theologicam, vt non versetur tamen circa Deum, tãquam circa obiectum immediatè, sed circa nostrã beatitudinem formalem, id est, circa ipsius Dei fruitionem, quæ est quædam nostra actio creata; circa Deum autem mediatè.

Probat PRIMO, quoniam spes pertinet ad amorem concupiscentiæ: sed Deus non potest esse immediatum obiectum amoris concupiscentiæ: Ergo neque Spei. Maior patet: nam qui sperat aliquid, tendit in illud vt à se obtinendum, adeoque amat illud sibi. Quod ipsum est amare aliquid per amorem concupiscentiæ. Minor probatur: quoniam obiectum amoris concupiscentiæ referimus ad nos ipsos: Deum autem nõ possumus ad aliud referre, sed oportet in illum propter se tantùm, vt in finem tendere.

SECVNDO, nam quod erit in beatis obiectum immediatum delectationis, idem est nunc obiectum immediatum Spei: Sed obiectũ immediatum delectationis in beatis non est ipsa beatitudo obiectiua, scilicet Deus, sed beatitudo formalis, scilicet operationes beatorũ, quibus ille possidetur: Ergo neque Spei. Maior ponitur vt clara. Minor probatur; quoniam amor concupiscentiæ, ad quem delectatio pertinet, non potest esse immediatè de re subiecta distincta à concupiscẽte, sed de aliquo, quod sit in ipso. Id quod probatur etiam à Durando in 1. dist. 1. quæst. 2. variis argumentis, quæ memorat Caietanus quæst. 17. art. 5.

Nos verò in eo persistimus, quod iam asseruimus, scilicet Spem cùm sit Virtus Theologica, propriè & immediatè habere pro obiecto etiam Deum ipsum, vt est beatitudo nostra obiectiua. Nam etiam si respiciat quoque inadequatè ipsam beatitudinẽ formalem, at non respicit hanc præcipuè & primò, sed vt est adeptio summi boni, adeoq; vt adæquatè efficit vnum vltimum finem cum ipso bono summo, iuxta doctrinam communiter receptam, & à nobis tomo 2. q. 1. de beatitudine explicatam, scilicet quod ad appetitum attinet, pro eodem reputandum esse finem, qui est *res*, & *adeptionem* eiusdem, ita quidem vt intelligatur nihilominus appetitus primò ferri in rem ipsam, adeoque immediatè etiam tanquã in finem: in adeptionem autem rei non nisi propter rem. Quemadmodum quia agens vt agens præcipuè intendit effectum ipsum, tametsi non assequatur illum, nisi per actionem, dicitur tamẽ immediatè producere effectum: sic in proposito res, quæ est finis, licet non moueat obiectiuè appetitum circumscripta adeptione ipsius, immediatè tamen censenda est obiectiuè mouere appetitum vt finis, sicut rectè disserit contra Durãdum Caietanus. Et confirmari hoc potest ex vsu loquendi. Nam dicimus, auarum immediatè appetere pecunias vt finem, & ebriosum vinum, licet simul hi amant adeptionem quoq; siue vsum pecuniarum & vini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad PRIMVM autem argumentũ Durandi concessa Maiori ex mente D. Thomæ q. 17. art. 8. negatur Minor. Et ad probationem dicimus, non pugnare hæc duo, scilicet vt appetitus tendat in Deum motu quodam voluntatis pertinente ad amorem concupiscentiæ, scilicet appetendo illũ sibi; & vt simul tendat in illum vt in vltimum finem. Nam vt rectè attigit Caietanus loco citato, latius patet modus, quo vnũ refertur in aliud per amorem concupiscentiæ, quàm modus, quo refertur in aliud tanquam in finem illius. Hoc ostẽdit Caietanus exemplis. Nam Deus, inquit, amore concupiscentię erga nos donauit nobis filium suum, id est, voluit illum nobis, adeoq; retulit ad nos, neque tamen ideo retulit illum ad nos, tanquam in finem ipsius.

Possumus autem nos idem confirmare ratione. Nam referre aliquid per amorẽ concupiscentiæ ad aliud, nihil aliud est, quã appetere aliquid alicui, præcisè loquendo: referre verò vnum ad alterum tãquam ad finem, præterea addit vt appetitus appretiatiuè anteponat vnũ alteri, nempe illud, ad quod aliquid refertur. Nos autem per Spem ita concupiscimus nobis Deũ, vt simul anteponamus ipsum nobis eo affectu, adeoque nos potius in ipsum, vt in vltimum finem referamus: quia non nisi vt vltimum finem nostrum concupiscimus ipsum nobis.

Itaque fallitur Durandus vbi suprà, cùm idem esse reputat, cõcupiscere aliquid, & referre illud ad aliud tanquam ad finem. Si enim hoc idem esset, nunquã amore concupiscentię appeteremus finem aliquem. Et tamẽ ratio eius actus humani, qui est *intentio* finis, prorsus ad amorem concupiscentiæ pertinet: nam intentio hoc addit suprà simplicem voluntatem, quod tendit in rem vt consequendam à nobis per aliqua media, adeoq; ad amorem concupiscentiæ pertinet.

Ad SECVNDVM argumentũ Durandi negatur Minor. Etsi enim delectatio sit etiam de beatitudine formali, atq; adeo de operatione nostra, tamen verè quoq; habet pro obiecto ipsum Deũ, & quidem immediatè suo modo, scilicet tanquam summum bonum, ꝙ beatus adipiscitur. Id quod Scripturarũ phrasi etiam est consentaneũ. Nam ex illis apparet, verè animum delectari de Deo. Esaiæ 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo.* Et Abacuc 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* IESV *meo.*

Deinde posset etiam dici, nõ esse omnino eandem rationem delectationis & spei, quod attinet ad propositum. Nam delectatio propriè est quædam quies appetitus; atque ita magis videtur respicere operationem, per quam adipiscimur bonum, quàm Spes; quæ cùm sit quidam motus in rem nõdum acquisitam, facilius intelligitur versari etiã circa rem ipsam immediatè. Nihilominus verum est, quod diximus, delectationem etiam habere suo modo immediatè rem pro obiecto: nam & ebriosus delectari etiam dicitur ipso vino, & non solùm vsu illius.

DISPVTAT etiam Caietanus art. 5. Vtrum spes acquisita, cùm versetur etiam circa Deũ immediatè, censenda sit quoque virtus Theologica? Et refert Scotum in 3. d. 26. q. vnica, tãquam ita sentiret. Sed primum quæstio est de nomine. Nam si nomine virtutis Theologicæ intelligeretur tantum habitus bonus habens pro obiecto Deum; spes acquisita virtus Theologica dicenda esset. Si autem, quod est magis vsu receptum, virtutem Theologicam interpretemur habitum bonum, qui aptè & supernaturaliter attingat Deum, tanquam obiectum supernaturale; sic spes acquisita non est virtus Theologica, sed ea, quæ est infusa, de qua prius est dictum. Neq; verò Scotus determinatè illo loco asseruit, Spem acquisitam esse virtutem Theologicam, sed cum conditione locutus est, si scilicet virtus Theologica non deberet esse necessariò habitus infusus, de quo agi solet, vt in proprio loco 1. 2. q. 62.

TERTIA particula definitionis fuit, quòd per Spem *voluntas* nostra tendit in Deum tãquam in nostram *beatitudinem*. Et quidem quòd Spes sit in voluntate, probabitur postea in puncto 3. Quòd autem circa Deũ vt beatitudinem nostram versetur, ita intelligendum est, vt simul concedatur posse tanquam circa secũdarium obiectum versari circa alia, quę ad beatitudinem requiruntur, vt circa auxilium diuinum, sicut docet D. Thomas quæst. 17. ar. 2. Item vt posit etiam respicere beatitudinem non tantùm propriam, sed etiam proximi, quatenus ob vnionem charitatis reputatur tanquam bonum proprium, sicut etiam diuus Thomas optimè explicat art. 3. eiusdem quæstionis. Atque hoc sensu exponendum est, quod S. AVGVSTINVS in Enchiridio cap. 8. dixit, *Spem non esse nisi rerum ad eum pertinentium, qui earũ spem gerere perhibetur.* Omnino enim beatitudo vnius ad alterum quoque pertinet, propter charitatis & amicitiæ Christianæ vinculum.

QVARTA particula definitionis est, Spei obiectum esse beatitudinem vt *difficilem* ad obtinẽdum. Hoc non sic accipiendum est, quasi ipsa difficultas obiectiuè etiam terminet motum Spei: sed nihil aliud est, quàm voluntatem per Spem reddi habilem & expeditam ad procurationem beatitudinis, superandis difficultatibus, &c. Sicut etiam diximus tomo 2. quæst. 7. de passionibus in hoc consistere, quod dici solet, passionem Spei versari circa bonum vt *arduum*.

In QVINTA particula, scilicet Spei obiectum esse beatitudinem vt *possibilem* ad consequẽdum auxilio diuino & mediis diuinitus institutis; primùm annotandum est, possibilitatem hanc debere cogitatione apprehendi, alioqui non posset homo sperare, sicut docet D. Thomas quæst. 18. ar. 3. Deinde, vt media instituta diuinitus ad consequendam beatitudinem, latè patent, sic etiam latè patere ea, quibus spes nostra nititur, diuersa tamen ratione. Nã primariò quidem nostra Spes nititur

nititur donis diuinis, atq; adeo Deo, vt adiuuante nos: secundariò autẽ aliis etiam mediis; vt bonis operibus, auxiliis humanis, &c. vnoquoque pro suo gradu, quo magis vel minus confert quodq; ad beatitudinem consequendam.

Ex qua doctrina facilè cõfutari potest ERROR huius temporis Sectariorum, qui nullo modo putant hominem debere spem salutis collocare in vllis bonis operibus suis, sed in sola Dei gratia. Ita passim docuit Lutherus, quẽ Caluinus quoq; lib. 3. instit. cap. 14. sect. 16. & seq. & alij Sectarij secuti sunt.

SED ex his, quæ diximus, perspicuum est, operibus etiam bonis, vt à gratia procedunt, posse quoq; ac debere niti nostræ salutis spem hoc ipso, quòd ea conducunt suo modo ad salutem. Probatur id PRIMO apertis Scripturæ testimoniis. Tobiæ 4. *Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Et Psalm. 17. *Retribuet mihi Dominus secũdum iustitiam meam & secundum puritatem manuum mearũ retribuet mihi: Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me.* Et Prouerb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Et ad Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patiẽtiam operatur: patientia verò probationem: probatio verò spem, spes autem non confundit.* Et 2. Cor. 3. *Fiduciam autẽ talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Vbi Apostolus disertè explicuit, quatenus sit nobis fiducia collocanda in cogitationibus & actionibus nostris, nempe non vt sunt *ex nobis* secluſa Dei gratia, sed vt sufficientia nostra & valor actionum ad salutẽ comparandam *ex Deo est.* Et 2. ad Tim. 4. *Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consumaui, fidẽ seruaui; de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die Iustus iudex.* Quibus verbis satis declarat, se conscientia bona cõfirmasse suam spem. Et 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud* DEVM.

SECVNDO idem probatur ex Patribus. Sanctus CYPRIANVS in tractatu de Mortalitate: *Gratulari*, inquit, *oportet & temporis munus amplexi, quòd dum nostram fidem firmiter promimus, & labore tolerato ad Christum per anguſtam Christi viam pergimus, præmium vitæ eius & fidei ipso iudicante capiamus.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS homilia in Psalm. 117. circa illud: *Aperite mihi portas iustitiæ*, ita scribit: *Iis qui castigantur, portæ aperiuntur, iis qui peccata deponunt. Qui disciplinam suscepit, potest confidenter dicere: Aperite mihi portas iustitiæ.* Hoc dictum enim sumendum est analogicè, & cælorum portæ sunt intelligendæ, quæ sunt clausæ improbis: Quæ sunt pulsandæ per virtutẽ, per eleemosynam, per iustitiam.

Sanctus AMBROSIVS serm. 3. in Psal. 118. circa illud: *Retribue seruo tuo, &c. Hæc*, inquit, *vox bene sibi conscia est, qui præmia boni operis exposcat.* Et infrà: *Quod vtiq; non insolentis arrogantiæ, sed innocentis est conscientiæ, ab ipso cui seruieris petere mercedem, quam desperare segnitiei materia, sperare autem innocentium laboris est. Pete igitur* CONFIDENTER SI MERITA *suffragantur, vt talia petendo studiosè labores, quo tali petitione sis dignior.*

S. HIERONYMVS in Psalmum 4. sententiam illam: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*, hisce verbis interpretatur: *Sacrificium Deo immolate iustitiã, &* CONSEQVENTER *sperabitis in Domino.*

S. AVGVSTINVS præfatione in Psalmum 31. *Ipsa*, inquit, *charitas bene operantis dat ei spem bonæ conscientiæ. Spem enim gerit bona conscientia. Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.*

Sanctus GREGORIVS lib. 8. in Iob, explicans illud Iob septimo: *Sicut dies mercenarij dies eius*, præclarissimè de hac ipsa re scribit: *Electus quisq;*, inquit, *vitam suam quasi dies mercenarij pensans, tantò fidentius spe tendit ad præmium, quantò nunc robustius perdurat ad laboris incrementum. Qui si decursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat: ne à labore vacua transeant vitæ momenta, formidat. Aduersis gaudet, passione reficitur, mœrore resuetur, quia subsequentis vitæ præmiis tantò se remunerari largius conspicit, quantò pro amore illius quotidianis se mortibus verius impendit. Hinc namq; est, quod ciues supernæ patriæ, conditori eius, psalmistæ vocibus* (Psalm. 43.) *dicunt: Propter te mortificamur tota die. Hinc diuus Paulus* (1. Cor. 15.) *ait, Quotidie morior propter vestrã gloriã, fratres. Hinc iterum* (2. ad Tim. 1.) *dicit, Ob quã causſam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Sancti igitur viri quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis pignora intra Spei cubiculum clausa tenent.* Hæc sanctissimus Gregorius sanctissimè.

Sanctus ANSELMVS in caput 5. ad Roman. *Probatio*, inquit, *operatur spem, quia vnusquisque ex eo, quòd per tribulationes insuperabilis probatus est, incipit habere spem, id est, certitudinem diuinæ gloriæ, quæ humanæ rationi vana videtur, sed testimonio virtutis firmatur.*

Sanctus BERNARDVS in libro moralium sententiarum circa medium: *Spem*, inquit, *nostram triplex ratio discutit & roborat: Humilitas collatæ sapientiæ: Firmitas constantis patientiæ, Veritas inspirationis occultæ.*

TERTIO probatur manifesta argumentatione sic: Rectè possumus spem nostram aliquo modo collocare in iis rebus, quę nos meritò mouere possunt aliquo modo ad sperandũ nos consecuturos esse salutẽ. Sed bona opera vt fulciuntur Dei auxilio atque gratia, meritò possunt nos mouere aliquo modo ad sperandũ nos consecuturos esse salutẽ. Ergo rectè p ossumus spem nostram aliquo modo collocare in bonis operibus vt Dei auxilio atq; gratia fulciuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maior propositio euidenter patet ex ipsa notione vocabulorum. Nam si quę res ad bene sperandũ nos excitat & mouet, eâ re dicimus spem nostram niti.

Minor autẽ probatur. Nam quæ sunt nobis aliquo modo causſa consequendæ salutis, ea certè meritò nos aliquo modo possunt mouere vt speremus consecuturos nos salutem. Sunt autẽ bona opera nobis aliquo modo causſa cõsequendæ salutis, nimirũ non præcisè vt sunt ex nobis, quasi independenter à Dei gratia & auxilio, sed vt gratia & auxilio Dei fulciuntur. Igitur meritò sic nos mouent ad sperãdam salutem. Quòd autem bona opera sic considerata sint nobis causſa consequendæ salutis, probauimus multis testimoniis tomo 2. disput. 1. q. 5. p. 5. Idq; patet abũdè ex illo testimonio D. Pauli ad Philipp. 2. *Cum tremore & timore salutem vestrã operamini.* Et illo etiã D. Petri 2. epist. cap. 1. *Satagite vt per bona opera vestra certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Neq; obstat, quòd Scriptura & Patres nõnunquam monent, vt non confidamus in nobis, aut in vllo homine, sed in solo Deo. Vt Ierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Et 2. ad Cor. 1. *Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, &c.* Non obstãt hæc & similia. Nam sensus est, non debere nos ponere spem in vlla alia re præter Deum tanquam in causſa quidem nostræ salutis principali, aut quæ possit nobis adferre veram saluté & fælicitatem sine recta subordinatione ad Deum. Solus enim Deus est, qui independenter ab vlla alia causſa principaliori possit nos saluos & fælices facere.

Nihilominus tamẽ & in nostris operibus, & in proximorum etiã auxiliis, possumus aliquo alio modo ponere spem, scilicet cum subordinatione quadã ad Deum, vt ad causſam salutis principalem, sicut docuit rectè D. Thom. q. 17. art. 4. Vnde etiam S. Gregorius lib. 1. Dialogorum, capite 8. circa finem, censuit prædestinationem iuuari precibus Sanctorum. Quod qua ratione sit intelligendum, explicauimus tomo 1. in quæstione de prædestinatione, p. 4. non longè ab initio. Atq; etiã S. Avgvstinvs serm. 18. de Sanctis, eo sensu cum B. Virgine ita loquitur: *Tu es spes vnica peccatorum: Per te speramus delictorum veniam: & in te, beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo se habeat Spes ad Fidem & Charitatem.

D. Thomas q. 17. art. 6. 7. 8.

Dicendvm est breuiter tum de distinctione, tum de ordine, tum de connexione Spei, respectu Fidei & Charitatis. Et quod ad *distinctionem* attinet, certum est, Spem virtutem esse, specie distinctam à Fide & Charitate, ob diuersam scilicet rationem formalem, quam illa propriè respicit in Deo. Nam Fides versatur circa Deum, vt testificãtem *verum*: Charitas circa eundem, vt est per se summè *bonus*: Spes autem vt potest per beatitudinem formalem intellectu & voluntate perfectissimè attingi tanquam *finis vltimus*. Hoc ipsum confirmari potest perspicuo testimonio Apostoli, 1. Cor. 13. vbi de his tribus virtutibus tanquam planè diuersis loquitur: *Nunc autem*, inquit, *manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.*

Potest quoq; eadem distinctio quod ad Spem & Fidem attinet, confirmari testimonio sancti Avgvstini in Enchiridio, cap. 8. Vbi eruditè docet, cõmune quidem esse Spei & Fidei, vt sint de iis rebus, quæ nondum videntur: ex sententia nimirum Apostoli, qui ad Rom. 8. ait, *Quod videt quis quid sperat?* & ad Hebr. 11. affirmat Fidem esse argumentum *non apparentium*. Sed tamen aliis multis modis differre: Nam *Fides*, inquit ibi Augustinus, *& malarum rerum & bonarum est, item q; præteritarum, præsentium & futurarũ. Credimus enim mortuum Christum, quod iam præteriit. Credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est. Credimus venturum ad iudicandũ, quod futurum est. Item q; Fides & suarum rerũ est & alienarum. Nam & se quisq; credit aliquãdo esse cœpisse, nec fuisse vtiq; sempiternum, et alia atq; alia: nec solùm de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, sed etiã de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarũ, & ad eum pertinentium, qui earũ spem gerere perhibetur.*

Ex qua verissima doctrina refellitur error Sectariorum huius temporis cõfundentium imperitè Fidẽ cum fiducia seu spe. Quem errorẽ suprà disput. præced. q. 1. p. 1. satis coarguimus. Et hactenus de distinctione Spei à Fide & Charitate.

Quod autem attinet ad eius *ordinem* respectu earundem virtutum, dicẽdum est Spem tum ordine originis, tum ordine dignitatis, mediam esse inter Fidem & Charitatem. Nam *origine* quidẽ prima est Fides, quæ bona supernaturalia ostendit; proxima Spes, quæ cùm respiciat supernaturalia beneficia, quibus diuinitus in hac & in altera vita afficimur, Charitatem excitat, qua Deum secundùm se diligamus. Est enim communicatio bonorum incitamentum Charitatis.

Et quidem quòd Fides, vt dicimus, sit prior origine quàm Spes, etiam asseruit sanctus Avgvstinvs in Enchiridio, cap. 8. *Quid enim*, inquit, *sperari potest, quod non creditur?* Quòd autem Spes sit etiam prior origine quàm Charitas, docet quoq; S. Thomas art. 8. & ratio allata id ostẽdere videtur. Quanquam negandum nõ est, quin aliqualis rei amor antecedat Spem, saltem ordine quodam rationis. Nemo enim propriè sperare dicitur, quod nullo modo amat: maximè cùm amor aliqualis sit primus motus appetitus humani. Vnde etiam Avgvstinvs in Enchiridio, cap. 8. *Spes*, inquit, *sine amore esse non potest.* Sed si loquamur de amore *perfecto* Virtutis Charitatis, dicimus eum gigni ex Spe.

Quanquam

Quanquam non dubium est, quin vicissim quoq; roboretur Spes hoc amore perfecto Charitatis. Nam de iis, quos maximè diligimus, maximè speramus. Quo pacto interpretatur artic. 8. D. Thomas, quod S. Ambrosivs in cap. 17. Lucæ circa illud: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, ait: *Ex fide esse Charitatem, & ex Charitate Spem*, nempe quoad Spei quoddã robur & perfectionẽ.

Porrò cùm dicimus, ordine originis Fidem esse priorem Spe, & Spem charitate, minimè volumus esse omnino necesse, vt tempore prius eliciatur actus Fidei, deinde Spei, postremò Charitatis; sed tantũ indicamus, quo ordine actu vnius virturis istarum, ad actum alterius incitemur, etiamsi in eodem instanti contingat omnium illarũ actus exerceri, vt fit in pũcto iustificationis, siue explicitè siue implicitè: non. n. est necesse, vt actus etiã Spei sit tunc explicitus, vt explicauimus tomo 2. q. 5. de Gratia, p. 4. Ordo igitur originis inter Spem, Fidem & Charitatem sic se habet.

Ordine autem *dignitatis* constat primùm, Charitatem perfectiorẽ esse Spe, sicut & Fide, secundùm illud, 1. Cor. 13. *Maior autem horum est Charitas.* Quòd autem Spes sit perfectior Fide, adeoque media etiam in hoc ordine dignitatis, nõ est adeo quidem exploratum, sed tamẽ videtur etiam insinuatum ab eodem Apostolo, qui illam in eõ loco proximè coniunxit Charitati. Itaq; non solùm origine, sed etiam dignitate significasse videtur, illam esse mediam.

Et ratione quoq; id potest ostendi: quoniam voluntas nostra in hac vita hoc habet, vt possit virtutibus supernaturalibus perfectius tẽdere in Deum secũdùm se, quàm intellectus, eò quòd intrat voluntas quodammodo in rem vtcunq; cognitam: conceptus autẽ siue notitia fertur in rem (vt dicitur) prout est in intellectu, adeoq; imperfectè, nisi intelligẽdi principium sit absolutum & perfectum, vt erit in patria cælesti. Quanquã non est negandum, quin etiam voluntas beati perficiatur attinget Deum, quàm voluntas viatoris, ea quidẽ virtute qua poterit, scilicet charitate. Nam Spes non manet in beatis, vt p. seq. dicemus. Accedit quòd Fides potest consistere sine vlla alia virtute Theologica: pendet autem Spes ex Fide: itaque cùm ad sui consistentiam plus requirat, videtur esse perfectior.

Nunc superest, vt dicamus de *connexione* Spei cum Fide & Charitate. Et statuendum est breuiter, illam sine Fide quidem esse non posse, vt ante audiuimus ex Augustino: posse autem esse sine Charitate. Id patet in peccatoribus fidelibus, qui etsi destituti Charitate, sperant per futurã pœnitentiam se adepturos salutem, vt colligitur ex Concilio Tridẽtino, sess. 6. cap. 6. & ex cap. 21. Ecclesiast. *Fili peccasti, nõ adiicias iterum, sed de priſtinis deprecare* (cum spe scilicet) *vt tibi dimittantur.*

Quare quod S. Avgvstinvs in Enchiridio, cap. 8. scribit, *Spem sine amore esse non posse*, exponi debet vel de Spe formata & perfecta, qualis non est sine Charitate, vel certè de amore aliquali rei, quæ speratur, seu de charitate nõ secundùm propriam rationem suam, qua est virtus Theologica, sed secundùm communem amoris rationem. Quia nequit sperari, quod nullo modo amatur, iuxta ea, quæ paulò ante notauimus.

Item quod idẽ Augustinus præfatione in Psal. 31. ait, *Malam conscientiã totam esse in desperatione*, non significat, actu esse semper coniunctã desperationem cum mala conscientia, sed facilè posse ac solere ex mala conscientia subsequi: *Præsumit enim sæua, perturbata cõscientia*, vt dicitur Sap. 17. Vide quæ diximus tomo 2. q. 9. de passionibus, p. 2.

PVNCTVM TERTIVM.

Quodnam sit subiectum Spei.

D. Thomas q. 18. art. 1. 2. 3.

Svbiectvm quidem propinquum Spei sine controuersia ponitur Voluntas. Nam per Spem tendimus in beatitudinem, quatenus summũ bonum, id quod est obiectum voluntatis. Item quia vt intellectus indiget habitu supernaturali ad attingendũ Deum, quatenus obiectum supernaturale est, scilicet vt trinus, &c. sic etiam voluntas vt se extendat ad illum, quatenus supernaturalibus auxiliis obtineri potest, vt finis vltimus.

Cæterùm cùm obiectum Spei sit, vt dictũ est, beatitudo vt ardua & possibilis ad obtinendum; sit, vt neq; in beatis, neque etiam in damnatis illa reperiatur, quemadmodũ docet D. Thom. q. 18. art. 2. & 3. Nam beatis non est ardua beatitudo, siquidem illam iam possident: neq; damnatis possibilis, quãdoquidem ad grauitatem illorum miseriæ ac pœnæ spectat, vt intelligant se nulla ratione amplius posse ad beatitudinem peruenire: sicut etiam securitatis beatorum est intelligere, nõ posse beatitudinem semel partam amitti, sed *vbi ceciderit lignum*, vt Scriptura ait, *ibi mansurum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem*, vt tomo 2. disput. 1. quæst. 4. docuimus.

Sed contra argumentabitur aliquis Primo, beatos etsi ipsi beatitudinem habeãt, posse tamẽ sperare aliis, quos diligunt, beatitudinem.

Secvndo, quòd quamuis certi sint, se futuros semper beatos, at quoniam hoc supernaturaliter fiet, atq; adeo arduè & difficulter, ideo posse eos habere Spem circa continuationẽ suæ beatitudinis: quemadmodũ confirmati in gratia, vt B. Virgo & Apostoli, tametsi peculiari reuelatione certi essent, futurum, vt adipiscerentur beatitudinẽ, tamen quia hoc ex auxilio supernaturali pendebat, adeoque simpliciter arduum erat, spem procul dubio habebant beatitudinis.

Tertio, quod ad damnatos attinet, potest etiam obiici, satis illis esse ad actũ Spei, quòd beatitudo cogitetur esse possibilis absolutè, quãtum est ex prima ordinatione & voluntate Dei, tametsi ex accidente, ob finalem scilicet impœniten-

tiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam iudicent damnati impossibile sibi esse ad illam beatitudinem peruenire.

Ac potest hoc argumentum ita CONFIRMARI: Faciamus enim quòd aliquis sit reprobus hoc solo quòd admittet peccatum desperationis, neq; ab eo per pœnitẽtiam resipiscet; tum nihil videtur obstare, quò minus Deus tali reprobo reuelet ipsius peccatum desperationis futurum, propter quod reprobetur: hac autem data hypothesi, eiusmodi reprobus licet postea iudicabit impossibile sibi esse peruenire ad beatitudinem, tamen tenebitur, adeoq; poterit sperare beatitudinem hoc ipso, quòd intelligere poterit nihilominus, beatitudinem, quantum est ex parte Dei, esse omnibus hominibus, adeoq; etiã sibi absolutè possibilem: Ergo ad sperandum satis est, vt obiiciebamus, hoc iudiciũ de absoluta possibilitate beatitudinis. Probatur assumptũ: Nam ponimus ex casu, talem reprobum peccaturũ ideo, quia desperabit, & ideo esse reprobũ: Ergo tenebitur præcepto Spei, adeoque poterit sperare.

Ad PRIMVM respondetur, Spem non posse elicere actum vllum, nisi moueatur à primario obiecto suo, quod est beatitudo propria sperantis: Ideo enim inprimis alicui Deus infundit Spem, sicut & alias virtutes Theologicas, vt ad vltimum finem ipse perueniat.

Ad SECVNDVM posset primùm responderi ex D. Thoma quæst. 18. art. 2. ad 2. continuationem beatitudinis propterea non esse beato obiectum Spei, quia beato quidem non est secundùm se futura, eò quòd beatitudo continuata mensuratur æternitate, quæ est tota simul. De ratione autem obiecti Spei est, vt sit futurum, hoc ipso, quòd debet esse possibile ad consequendum, &c. Itaque in hoc est disparitas, quòd beatitudo Apostolis & beatę Virgini non solùm fuit ardua, sed etiam futura; beatis autem continuata beatitudo non est aliquid futurum.

SED hæc responsio nõ caret difficultate. Nam etsi beatitudo continuata, non sit respectu beati futura secundùm aliquam sui partem intrinsecã, quæ scilicet aliquãdo desit beato, & postea accessura sit, tamen censeri potest futura per extrinsecam denominationem, quatenus scilicet potest coëxistere alicui conceptui futuro vero, atque adeo per illum apprehẽdi, & iudicari esse in beato, cùm nondum per talem conceptum futurum hoc iam iudicetur. Neq; videtur alia ratione obiectum Spei, debere esse futurum. Alioqui neque ipsum Deum viatores sperare possent vt beatitudinem suam futurã: Nam pari ratione Deus non est aliquod bonum secundùm se & intrinsecè futurum, sed extrinsecè tantùm, quatenus cõceptu aliquo poterit aliquãdo verè iudicari, quòd possidebimus ipsum per fruitionem perfectam.

Possumus ergo aliter respondere, cõtinuationem beatitudinis ideo non esse beatis obiectum Spei, quia nõ est eis ardua & difficilis, ac proinde disparitatem esse inter beatos & confirmatos in gratia, quòd beatis perseuerantia beatitudinis non modò est certa, sed etiam facilis: non enim possunt ab illa per naturam suam desciscere, cùm necessariò atque adeo sine vlla difficultate ipsi inhæreant, vt dictum est tomo secundo, disputat. 1. quæst. quarta, neque etiam actione Dei; obstante Dei immutabilitate. Confirmatis autem in gratia, qui reuelationem de futura beatitudine habuerunt, etsi fuerit certa beatitudinis consecutio, tamen fuit illis simul ardua & difficilis, quoniam operibus illam adepturi erant naturæ difficilibus. Itaque cùm obiectum Spei debeat esse aliquid arduum, consequitur, beatos non habere Spem perseuerantiæ beatitudinis; eiusmodi autem confirmatos in gratia habuisse spem beatitudinis absolutè.

Ad TERTIVM posset primò responderi esse etiam discrimen, quòd damnati ex diuina lege, adeoque ex conditione sui status, ad beatitudinem peruenire nequeunt: reprobus autem ille ex natura status, cùm adhuc viator esset, posset ad beatitudinem peruenire.

SED hæc responsio non omnino tollit difficultatem. Nam primò, reprobatio diuina quædam etiam lex est: quare qui reuelatione Dei accepisset certò se esse reprobum, etiam intelligeret, diuina lege constitutum esse, vt ad beatitudinem ipse peruenire non posset, supposita reprobatione. Deinde, quia certum esse videtur, neminem sperare posse beatitudinem, qui aliqua ex parte persuasum habet, non posse se ad beatitudinem peruenire. Ratio est, quoniã actus Spei est motus quidam in rem vt obtinendam tanquam possibilem ad consequendum omnibus consideratis. Cùm autem ex aliqua parte certò persuadet sibi quis, esse sibi impossibile adipisci beatitudinẽ, fieri nequit, vt appetitus illius excitetur ad motum, qui tendat in beatitudinem, vt possibilem omnibus consideratis, id est, ad motum, quo reddatur habilis & expeditus ad procurandam beatitudinem, & difficultates superandas, quæ occurrunt in illius perseuerationc. Frangitur enim animus illa consideratione impossibilitatis, vt in materiis aliis experientia quotidiana docet. Et hanc planè vim habet, quod AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 8. dixit: *Quid sperari potest, quod non creditur?* scilicet esse ad obtinendum possibile.

Quare aliter ad illud TERTIVM argumentum respondendum est, nempe casum illum non esse possibilem neque admittendum. Nam hoc ipso quod ponitur aliquem esse reprobum ob peccatum desperationis, ponitur etiam, antequam committat id peccatum, nõ fieri ipsi absolutam & determinatam reuelationem eius peccati futuri, & futuræ etiam damnationis. Quare implicat simul ponere, quòd Deus absolutè reuelet illi id peccatum futurum. Si enim hoc faceret, desperatio futura non posset esse peccatum, quia omnibus consideratis iudicaret ille impossibile

sibi

sibi esse adipisci beatitudinem: & sic iuxta dicta non posset sperare, atque adeo nec peccare desperando. Secùs, si reuelatio illa non esset absoluta, quæ scilicet redderet hominem omnino certum de damnatione futura. Sed nos loquimur de reuelatione absoluta, & quæ penitus innotescat, non de conditionata aut obscura.

Remota igitur hunc in modum Spe à beatis & damnatis; quod ad *viatores* attinet, extra controuersiam est, Spem reperiri posse in omnibus illis, qui modo habeant fidem; siue sint in gratia Dei, siue illa careant, siue adhuc hanc vitam viuant, siue existãt in purgatorio. Et ratio est: quoniam omnes eiusmodi viatores possunt habere illud iudicium fidei, scilicet esse sibi possibilem beatitudinem cum auxilio Dei & aliis mediis, quod iudicium sufficit etiam ad actũ Spei Theologicæ.

Ex his sequitur, in hæreticis non esse hanc Spem; quia carent fide infusa, à qua omnino Spes dependet. Rectè enim & orthodoxè sanctus AVGVSTINVS in Enchiridio, capite septimo, æquè Spem atque Charitatem negat posse consistere sine Fide. *Fides*, inquit, *credit, Spes & Charitas orant. Sed sine Fide esse non possunt.* Et capite 8. *Neque amor*, inquit, *sine Spe est, nec sine amore Spes* (eo modo, quo explicaui puncto præcedenti) *neq; vtrumq; sine fide.*

Quocirca vt ea, quæ credunt hæretici, nõ credunt per supernaturalem & Christianam fidem, sed per naturalem quandam fidem acquisitam (vt disput. præced. quæst. 5. explicauimus) ita neque ea, quæ sperant (si quidquam sperant) sperant per Spei virtutem Christianam & supernaturalem, sed per Spem quandam desperabundam, naturalem duntaxat & vsu quodam acquisitam, à qua vtpotè infirma & debili facilè decidunt in desperationem.

PVNCTVM QVARTVM.

Qualis sit Spes.

D. Thomas q. 18. art. 4.

POTISSIMA difficultas est in explicãdo, an & quomodo Spes sit CERTA in omnibus hominibus viatoribus. Est autem notandum, certitudinem si propriè loquamur, essentialiter solùm reperiri in potentia cognoscente: sed per quandam participationem & redundantiam attribuitur quoque hoc nomen actibus vel habitibus potentiæ appetitiuę, quatenus attingunt obiectum aliquod infallibiliter, ea scilicet ratione, qua propositum est à potentia cognoscente, id quod rectè notauit diuus Thomas, quæst. 18. articulo quarto, & post eum Durandus in 3. dist. 26. quæst. 3. num. 5.

Hoc posito ex fide constat, Spem per se loquendo esse certam ratione iam dicta, id est, attingere beatitudinem ea ratione, qua per iudicium fidei verè illa proponitur vt possibilis omnibus ad consequendum, quantum est ex parte Dei; sic, vt nemo vanè ac perperam ad actum Spei excitetur, quo scilicet reddatur habilis ad vincendas difficultates, quæ occurrunt in beatitudinis procuratione. Ad hoc enim satis est, per Deum non stare, quo minus quilibet consequatur beatitudinem. Tunc enim solùm propriè & per se loquendo dicere solemus alicuius spem non esse certam, sed vanam & fallacem, quando aliquo fundamento inefficaci ad rem cõsequendam nititur, atque adeo falso iudicio de possibilitate adipiscendi rem per id medium: Quod in proposito non habet locum: Siquidem constat auxilium Dei, quod est omnibus præsto, sufficientissimum esse ad consequendam beatitudinem.

Esse igitur Spem isto modo per se certam, patet ex eo, quod Apostolus ait ad Roman. quinto: *Spes autem non confundit.* Et ad Hebræos sexto: *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam habemus tanquam ancoram animæ tutam & firmam & incedentem ad interiora velaminis.* Item ex eo, quod statuunt Patres Concilij Tridentini, sess. 6. capite 13. *Vnumquemque in Dei auxilio firmissimam spem reponere debere.*

Si verò de Spe *per accidens* loquamur, quatenus illa scilicet potest etiam proficisci ex iudicio fidei acquisitæ, quo aliquis probabiliter etiam putet actu futurum, vt reipsa consequatur beatitudinem; sic quidem Spes in reprobis dici potest per accidens esse incerta. Quod vt rectius intelligatur, duo sunt hîc annotanda.

PRIMO notandum est, Spei motum neque in electis, neque in reprobis per se sequi nisi ex illo iudicio, quo æstimatur beatitudo diuino auxilio, & aliis diuinæ prouidentiæ mediis, *posse* obtineri. Hoc enim tantùm iudicium circa futuram beatitudinem certum est, & ex fide vnicuiq; exploratum. Nam illud, quo quispiam cogitare potest se reipsa *consecuturum* beatitudinem, nequaquam est iudicium fidei, sed omnino incertum, vt probatur ex illo Ecclesiast. 9. *Non scit homo, vtrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Qui locus inprimis ad diuinam electionem pertinet. Vnde tomo primo in quæstione de prædestinatione satis Sectariorum errorem confutauimus, qui censent vnumquemque sibi debere certò persuadere, se esse prædestinatum. Quam hæresim Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 12. damnauit. Itaque cùm iudicium hoc sit incertum; Spes, vt dicebamus, per se non proficiscitur nisi ex illo altero iudicio fidei, de *possibilitate* consequendæ beatitudinis. Est enim fides fundamentum atque initium Spei, vt colligi etiam potest ex illo diui Pauli testi-

monio

Universidad de Deusto
Biblioteca

monio ad Hebræos vndecimo: *Fides est substantia sperandarum rerum.*

SECVNDO notandum est, cum motu Spei alium motum voluntatis, vel realiter, vel formaliter ab illo distinctum, communiter solere esse coniunctum circa beatitudinem. Est autem hic motus quædam voluntatis *Intentio*, qua tendit aliquis in beatitudinem, non solùm vt existimat se *posse* ad illam peruenire, sed etiam vt probabiliter cogitat se ad eam *peruenturum*. Quod iudicium si falsum sit, vt est in reprobis; efficitur, intentionem etiam voluntatis, quæ ex isto iudicio consequitur, incertam esse, quatenus non attingit beatitudinem verè sub ea ratione, qua apprehenditur, scilicet vt reipsa consequendam. Et ratione huius intentionis incertæ, quæ potest esse coniuncta cum motu Spei, dici potest ipse motus Spei per accidens esse incertus, id est, quatenus habet voluntatis motum adiunctum, qui est incertus, etiamsi ipse motus Spei in se semper sit certissimus, quoniam attingit verè beatitudinem ea ratione, qua per iudicium fidei (ex quo, vt diximus, Spes proficiscitur) infallibiliter proponitur, scilicet vt potest beatitudo diuino auxilio obtineri.

Patet igitur quomodo intelligendum sit, quod dicebamus, Spem in reprobis per accidens dici posse incertam: quoniam in illis intentio beatitudinis coniuncta cum motu Spei incerta est, vt sequitur ex illo falso iudicio, quo putant se adepturos beatitudinem. Et tamen in illis etiam ipse motus Spei secundùm se certissimus est, quoniam sequitur ex illo altero iudicio fidei, (de *possibilitate* consequendæ beatitudinis) quod in reprobis etiam est certissimum. Ac iuxta hanc doctrinam potest admitti, quòd Durandus in 3. distinct. 26. numero 5. & 7. & 8. ait, certitudinem Spei posse *deficere*, nimirum per accidens, modo explicato. Quanquam non satis rem hanc videtur explicasse Durandus.

Porrò ex hac doctrina duo consequuntur. PRIMO sequitur, quòd etsi quilibet diuino præcepto teneatur sperare beatitudinem, non ideo tamen quilibet obligatur ad existimandum se *consecuturum* esse beatitudinem. Hoc enim iudicium, vt ex dictis patet, nō est per se necessarium ad Spem excitandam, neque verò sufficiens, cùm non sit profectum ex fide.

SECVNDO sequitur, non peccare quempiam, si tantum quadam speculatione suspicetur vel opinetur ob aliquas coniecturas, quas habet, futurum se ex damnatorum numero, atque adeo se esse reprobum. Patet hoc: quoniam non tenetur contrarium iudicare, & sicut aliquis potest id de altero coniicere interdum, ita etiam de seipso.

Secus verò dicendum est, si ea opinio vel suspicio esset non tantùm speculatiua, sed etiam practica, ita scilicet, vt afferret homini torporem in studio bonorum operum, vel etiam periculum desperationis. Tunc enim ratione praui effectus esset illicita, atq; adeo teneretur quis illam deponere.

Quin imo semper ferè consultissimum est, vt quisque hac in parte de se bene existimet. Nam & per Scripturam quoque crebrius ad hanc existimationem de consequenda beatitudine, quæ Spem fouet, homines incitantur quàm ad timorem damnationis; tamesi communiter ita sit hominum natura deprauata, vt sæpenumerò sint etiam homines concutiendi formidine æternæ damnationis. Vnde etiam Apostolus ad Philippen. 2. iubet, vt *cum timore & tremore salutem nostram operemur.* ET1. Corinth. 10. etiam iustos monet, vt *si stant, videant ne cadant.*

Hactenus de ipsa Virtute Spei.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

De Dono Timoris, quod est annexum Spei.

D. Thomas 2. 2. quæst. 19.

VINQVE PVNCTIS COMPLECTEMVR ET EXPLICABIMVS ea, quæ de Timore traduntur hîc à D. Thoma, & ab aliis Theologis in 3. sent. d. 34. PRIMVM erit, quidnam sit Timor in proposito. SECVNDVM, quotuplex sit. TERTIVM, quænam sit causa, & quis item effectus Timoris. QVARTVM, qualisnam sit Timor quoad bonitatem & malitiam. QVINTVM, quodnam sit eius subiectum, seu quinam esse possint participes huius Timoris.

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam sit Timor in proposito.

D. Thomas art. 1.

TRIBVS MODIS VSVRPARI SOLET A à Theologis nomen Timoris, ex quibus tertius dūtaxat pertinet ad propositum. PRIMO, pro fuga quadam mali futuri sensu apprehensi. Et sic est passio quędam appetitus sensitiui, de qua disseruimus tomo 2. q. 9. de Passionibus.

SECVNDO, pro fuga cuiuscunque mali futuri apprehensi ab intellectu. Et sic est actus quidam voluntatis respondens quodam modo passioni Timoris, quæ est in appetitu sensitiuo, iuxta doctrinam à nobis traditam tomo 2. in illa disputatione de pass. q. 11. vbi egimus de actibus, qui in voluntate respondent passionibus appetitus sensitiui. Et neq; isto modo tam generali instituitur B de Timore disputatio in proposito.

TERTIO, pro fuga (vel voluntatis, vel appetitus) alicuius mali futuri, quæ habeat peculiarem aliquem respectum ad Deum. Et de tali Timore disseritur in proposito à Theologis, sicut intelligi potest ex D. Thoma art. 1. & artic. 2. ad 1. Sic enim maximè conuenit, Timorem considerari à Theologo, qui nimirum habet Deum pro obiecto Theologicarum disputationum. Ac talis etiam Timor, vt infrà videbimus, est annexus Spei, quæ etiam tendit in Deum.

Sed vt planè intelligatur ratio istius Timoris, quatuor sunt adhuc diligenter animaduertenda. PRIMO animaduertendum est, quatuor modis accidere in proposito, vt Timor aliquis habeat peculiarem respectum ad Deum, PRIMO tanquam *ad auctorem* eius mali, quod mens auersatur & refugit, tanquam posibiliter futurum. Vt si quis timeat pœnas à Deo decretas impiis. SECVNDO, tanquam *ad prohibentem* mandato suo id malum, quod timetur. Vt si quis timeat malum culpæ, vt est offensa Dei illud prohibentis. TERTIO, tanquam ad finem seu terminum, *ad quem* homo timore alicuius mali impulsus conuertatur, vt id malum vitet. Vt si quis timens inferni pœnas conuertatur ad Deum per salutarem pœnitentiam. QVARTO, tanquam ad finem seu terminum, *à quo* homo auertatur, timore impulsus alicuius mali, vt illud vitet. Vt si quis timens mortem ab Ethnico Tyranno propositam, auertatur à Deo per Idololatriæ peccatum, vt effugiat mortem.

SECVNDO animaduertendum est, ita esse distinctos respectus illos tertij & quarti modi, vt sint etiam in homine incompatibiles pro eodem tempore. Non enim potest quisquam ita timere idem malū, aut mala diuersa, vt ex timore B conuertatur ad Deum, & simul auertatur ab eodem. Et similiter etiam sunt incompatibiles respectus secundi & quarti modi: Siquidem fieri nequit, vt simul quis timeat & horreat auerti à Deo per culpam, & auertatur ab eodem. Non sunt autem inter se incompatibiles respectus primi, secundi & tertij modi. Nihil enim impedit, quò minus is, qui timet pœnas à Deo propositas, simul timeat etiam culpam à Deo prohibitam, & conuertatur ad ipsum ex tali aliquo timore, vel ex vtroque.

TERTIO animaduertendum est, peculiare quoddam esse discrimen inter respectus timoris ad Deum secundi & tertij modi, ex vna parte; & respectus timoris ad Deum tertij & quarti modi, ex altera parte. Nam cùm quis tertio modo ex timore alicuius mali ad Deum cōuertitur, vel quarto modo à Deo auertitur; non hoc ipso quòd ex tali timore ad Deum conuertitur, vel à Deo auertitur, timet etiam ipsum Deum, sed solùm est in tali Timore respectus ad Deum quodammodo mediatè, quatenus scilicet talis Ti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mor est causſa, vt homo conuertatur ad Deum, vel à Deo auertatur. Cùm autē quis primo modo timet pœnam vt à Deo propoſitam, vel ſecundo modo timet culpam vt à Deo prohibitam, atque adeo vt Dei offenſam, hoc ipſo etiā timet quoq; ipſum Deum, tametſi non primariò quidem vt ipſum malum pœnæ & culpæ, ſed ſecundariò; nimirum vt habet Deus reſpectum quendā ad pœnam, quam decernit, & ad culpam, quam prohibet, & per quam offenditur & alienatur ab homine.

Nihil enim impedit, quo minus iſto modo, ſcilicet ſecundariò per reſpectum ad malum, poſsit quoq; bonum eſſe obiectum Timoris, vt patet ex doctrina D. Thomæ art. 1. & art. 5. ad 2. Vbi non repugnat huic noſtræ explicationi, quod D. Thomas ait, per timorem culpæ timeri Deum vt terminum, *à quo* homo per culpam ſeparatur. Nam hæc ipſa conſideratio cōſiſtit cum noſtra, qua dicimus per timorem culpæ timeri Deum, vt per culpam, quam prohibet, offenditur & ideo à nobis alienatur, nosque amare deſinit.

Hoc modo debent intelligi ſacræ Scripturæ loca, in quibus tantoperè nobis commendatur ipſius Dei timor. Vt Prouerb. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Et Eccleſiaſt. 19. *Oculi Domini ſuper timentes eum.* Et Ierem. 10. *Quis non timebit te, O Rex gentium?* Et Malach. 1. *Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?* Et Matthæi decimo: *Illum timete, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam.* Et in aliis multis locis. Quo etiam pertinet illud AVGVSTINI libro primo contrà aduerſarium legis & prophetarum, cap. 16. *Salubriter*, inquit, *non ſolùm bonitatem, verùm etiam ſeueritatem Dei ſancta Scriptura commendat: quoniam & amatur Deus vtiliter & timetur.* Quomodo autem culpa, licet ſit voluntaria, poſsit timeri, declarauimus tomo 2. quæſt. 9. de Paſsionibus, punct. 1.

QVARTO animaduertendum eſt, cùm Timor hic, de quo agimus, ſcilicet qui habeat aliquem reſpectum ad Deum, tot modis contingat, quot ante declarauimus; conſequens eſſe, vt nomen Timoris ſic acceptum, minimè ſit nomen vniuocum, conueniens ſcilicet in propoſito timoribus pluribus, qui habeant vnam & eandem rationem, prout habent reſpectum ad Deum: ſed eſt nomen *analogum* conueniens prædictis illis pluribus timoribus ſecundùm quandam proportionalitatem, quæ poteſt cerni in diuerſis illis rationibus illorum timorum penes diuerſos eorum reſpectus ad Deum, quos iam explicauimus.

Quare cùm hoc loco generatim quærimus, quænam ſit ratio huiuſmodi Timoris, de quo in præſenti diſſeritur à Theologis, ſufficit reſpondere id, quod iam explicauimus, nempe rationem eam conſiſtere in hoc, vt Timor habeat reſpectum aliquem ad Deum modo aliquo ex prædictis. Quæ ratio cùm non ſit vniuoca, ſed analoga, non eſt aliter explicanda, niſi deſcendendo per diuiſionem ad diuerſas quaſi ſpecies huius Timoris, quibus illa ratio analogica conuenit. Id autem faciemus puncto ſequenti.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex ſit Timor.

D. Thomas art. 2. 5. 8.

TIMORIS, vt eſt paſsio quædam, ſex quaſi ſpecies diſtinximus, & explicauimus tomo 2. quæſt. 9. de Paſsionibus ex ſententia S. DAMASCENI, libro ſecundo fidei orthodoxæ, capite 15. Sed hic non agimus de eiuſmodi Timore. Timor autem, de quo nunc diſſerimus, ſcilicet habens aliquem reſpectum ad Deum, quadripartitò diuiditur hic à D. Thoma, & ab aliis Theologis in 3. ſentent. diſtinct. 34. nempe in Filialem, Seruilem, Initialem, Mundanum. Quorum timorum rationes iam ferè ſine his nominibus expoſuimus puncto præcedenti, vt rationem communem huiuſmodi timoris nonnihil illuſtraremus. Dicemus igitur de his Timoribus ſigillatim.

Timor FILIALIS dicitur is, quo quis timet offendere DEVM, & ab eo per peccatum ſeparari. Nominatur autem hic Timor *filialis* propterea, quòd naſcitur ex amore Dei, ſicut timor quo filij vereri ſolent, ne offendant parentes ſuos, naſcitur ex filiali amore, quo parentes complectuntur. Ac appellatur etiam *caſtus* hic idem Timor à ſancto AVGVSTINO ſerm. 25. in Pſalmum 18. circa illud: *Confige timore tuo carnes meas.*

Cuius appellationis ratio eſt, quia per amorem Charitatis, ex quo hic Timor oritur, affectum habet anima fidelis ad Deum tum vt erga Patrem, tum vt erga ſponſum. Vt erga *Patrem* quidem, iuxta illud Apoſtoli ad Roman. octauo: *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Vt erga *Sponſum* autem, iuxta illud, ſecunda ad Corinth. vndecimo: *Deſponſi vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto* vt optimè obſeruauit diuus Thomas articulo ſecundo ad tertium, & poſt eum Durandus in tertio, diſtinctione 34. quæſtione quarta, numero quinto.

Quomodo autem hic Timor habeat pro obiecto formali & primario ipſum malum culpæ patet ex dictis puncto præcedente, animaduerſione tertia. Itaque falsò id negat Durandus in 3. diſtinct. 34. quæſt. 4. num. 7. & 8. Neque enim eſt verum, quod ait, fugam peccati eſſe actum imperatum timoris filialis: ac proinde peccatum non eſſe immediatum obiectum huius timoris, ſed pœnam damni ſeu ſeparationem à Deo. Hoc non rectè dicitur. Nam vt bene notauit Caietanus articulo ſecundo, quamuis fuga peccati in *executione* quidem ſit actus imperatus huius timoris, tamen in *appetitu* (prout hic de ea loquimur) actus elicitus ipſius timoris filialis eſt, qui

proinde

proinde immediatè habet pro obiecto ipſam culpam, vt dictum eſt, tanquam cauſſam ſeparationis à Deo.

Timor SERVILIS dicitur is, quo quis timet pœnas à Deo conſtitutas peccatoribus, & quo proinde mouetur ad rectè agendum, vt eas pœnas effugiat. Ac naſcitur hic Timor propriè non ex amore Dei, ſed ex amore ſui, quo ſcilicet quiſque amat incolumitatem & commoditatem ſuam, atque adeo timet mala pœnæ his contraria, & ſtudet ea effugere. Atque ideo hic Timor nominatur *ſeruilis*. Mos enim ferè ſeruorum eſt, obſequi Dominis non ex amore ipſorum, ſed ex amore ſui, ne alioqui dent pœnas, quas timent. Vnde ſanctus AVGVSTINVS concione 25. in Pſalmum 118. *Timor*, inquit, *iſte quo non amatur iuſtitia, ſed timetur pœna, ſeruilis eſt.* Quatenus autem hic Timor ſit bonus vel malus, videbimus puncto ſequenti.

Timor INITIALIS, vt ait articulo octauo ſanctus Thomas, quidam timor filialis imperfectus eſt. Nam eſt is, quo ita timet quis Dei offenſam, vt ſimul etiam timeat pœnam, & hoc quoque timore ſeruili moueatur & adiuuetur ad bene agendum. Quem timorem ſeruilem pellit filialis timor perfectus, vtpotè manās ex charitate perfecta, de qua S. Ioannes 1. epiſt. cap. 4. dicit: *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

Cuius rationem reddit ſanctus AVGVSTINVS tract. 9. in 1. epiſt. Ioannis: *Quid*, inquit, *dicimus de illo, qui cœpit timere diem Iudicij? Si perfecta in illo eſſet charitas, non timeret. Perfecta enim charitas faceret perfectam iuſtitiam; & non haberet quare timeret; imo haberet quare deſideraret, vt tranſeat iniquitas & veniat regnum Dei. Ergo timor non eſt in Charitate. Sed in qua Charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Perfecta, inquit, Charitas foras mittit timorem.* Vbi vides in quo differat inchoata charitas, atque adeo ex ea manans initialis timor, à perfecta charitate, & filiali timore perfecto; quòd ſcilicet cum initiali timore & imperfecta charitate coniunctus eſt ſeruilis timor pœnæ, non autem cum perfecta charitate, & filiali timore perfecto: idque propter rationem, quam reddidit Auguſtinus.

Quocirca Timor hic Initialis, vt diuus Thomas articulo ſecundo ait, medius eſt inter timorem filialem perfectum, & timorem ſeruilem: non quia ipſe habeat pro obiecto malum culpæ & malum pœnæ, vt falsò contendit Durandus in 3. diſtinct. 34. quæſt. 5. refutatus hic art. 8. à Caietano, ſed quia, vt docet diuus Thomas artic. 8. ad 2. ita habet pro obiecto ſolum malum culpæ, vt ſimul habeat adiunctum timorem pœnæ. Itaque tanquam medium quiddam participat & de amore filiali perfecto per hoc quòd ſimiliter, vt ille, habet pro obiecto ſolum malum culpæ; & de timore ſeruili per affinitatem illam cum eo, qua ſcilicet eſt cum eo compatibilis in eodem ſubiecto.

Nec valet quod obiicit PRIMO Durandus, non poſſe in appetitu eſſe duos actus ſimul, quorum alter ſit timor culpæ tantùm, alter pœnæ: ſicut non poſſunt in Intellectu eſſe ſimul duo actus. Nec quod obiicit SECVNDO, fugam peccati in executione, propter pœnam eſſe actum imperatum Timoris initialis, ac proinde ipſam quoque pœnam eſſe obiectum actus eliciti timoris initialis.

Ad PRIMVM enim reſponderi poteſt PRIMO, vt doctrina hæc diui Thomæ conſiſtat, non eſſe opus, vt ſimul omnino ſint actus timoris culpæ, & actus timoris pœnæ, ſed ſatis eſſe, vt eodem tempore in eodem homine vigeat alternatim ſaltem vterque actus. Id enim ſufficit, vt in tali homine actus timoris culpæ ſit timor initialis, per talem ſcilicet coniunctionē alternatim cum timore pœnæ. SECVNDO poteſt negari, quòd nequeant ſimul eſſe duo actus in appetitu, & etiam in intellectu, vt patet ex iis, quæ diſſeruimus tomo 1. quæſt. 7. de Anima, punct. 1. & quæſt. 9. de Angelis, punct. 3.

Ad SECVNDVM reſpondeo, fugam peccati in executione, propter pœnam, non eſſe actum imperatum à Timore Initiali, quatenus eſt fuga peccati propter pœnam; ſed quatenus eadem fuga eſt ſimul propter malum ipſum culpæ, quod horret ſimul idem homo per Initialem timorem.

Supereſt Timor MVNDANVS ex illa quadripartita diuiſione Timoris, quam propoſuimus. Eſt autem is, quo quis ita timet aliquod huius vitæ incommodum, vt ob id effugiendum offendat Deum mortaliter. Ab hoc Timore deterruit nos Dominus, Lucæ duodecimo, illis verbis: *Ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quod faciant. Oſtendam autem vobis, quem timeatis; Eum timete, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittendi in gehennam.*

Quam Domini ſententiam perpendens ſanctus AVGVSTINVS libro de Gratia & libero arbitrio, cap. 18. *Hoc dixit*, inquit, *ne illo timore negaremus eum, quo turbatus eſt Petrus*, cùm ſcilicet is Chriſtum negauit.

Ob hunc etiam timorem reprehenduntur ij, de quibus ita legimus, Ioann. 12. *Multi principes crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne extra Synagogas eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI.*

Ab hoc Timore liberari petebat Propheta, Pſalm. 16. his verbis: *A timore inimici eripe animam meam*, vt præclarè ſcribit S. BASILIVS concio. 9. in Pſalm. 33. Notabimus autem puncto ſequenti quædam de malitia huius Timoris ad praxim pertinentia.

Porrò ex iam dictis poteſt intelligi verum eſſe, quod aſſerit ſanctus Thomas, articulo quarto, diuerſos omnino actus eſſe timorem filialem & timorem ſeruilē, & quod ait articulo octauo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

timorem filialem & timorem initialem non differre, nisi vt timorem perfectum & imperfectum circa idem obiectum, vt antea explicauimus cõtra Durandum. Item apparet ex dictis, Timoris nomen, vt à Theologis hic vsurpatur, non nisi analogicè dici de prædictis Timoribus, sicut attigimus puncto præcedenti: ac fortè primariò est dictum de Timore seruili, quamuis hoc quidem ad praxin parùm refert.

PVNCTVM TERTIVM.

Qualisnam sit Timor quoad bonitatem & malitiam.

D. Thomas art. 3. & 4.

DE TRIBVS conuenit hoc loco inter omnes tum Catholicos tum hæreticos, & de vno est cõtrouersia. Conuenit PRIMO, Timorẽ filialem semper esse bonũ, cùm ex Charitate procedat. Itemque Timorem initialem; cùm non differat à filiali nisi tanquam imperfectus filialis à perfecto, vt dictum est puncto præcedenti.

SECVNDO conuenit, Timorem mundanum semper esse malum, vt patet ex dictis, & puncto præcedenti satis declaratum est, & docet quoq; D. Thomas art. 3.

Sunt autem circa Timorem hunc mundanum annotanda hîc quædam pertinentia ad praxin: antequã progrediamur ad id, de quo tertio conuenit inter omnes, & ad id de quo est controuersia.

PRIMO notandum, Timorem hunc mundanum, prout de eo nunc loquimur, semper esse peccatum mortale. Nam timetur per illum peruersè temporale malum, vt summum malum, id est, vt maius quàm malum culpæ mortalis, quod est reuera summum, cùm per illud negligatur summum bonum, quod est Deus, atque adeo omnia bona, prout in Deo quidem eminenter continentur. Item quia oritur ex amore peruerso, quo bonum temporale oppositum temporali malo anteponitur Deo per peccatum mortale, atque adeo diligitur tanquam vltimus finis, iuxta ea quæ docuimus tomo secundo, quæst. 1. de Beatitudine, punct. 6. Vnde sanctus Gregorius NAZIANZENVS oratione prima de pace, quanta sit huius mundani timoris peruersitas intelligens: *Nihil*, inquit, *perinde timendum est, quàm vt ne quid magis quàm Deum timeamus, ob eamq; causſam fidei veritatisq;, cuius serui sumus, doctrinam perfidè deseramus.*

SECVNDO notandum, licet hic Timor peccatum mortale sit, tamen moraliter loquendo non reputari peccatum diuersum ab ipso peccato, quod committitur in amore peruerso oppositi boni temporalis tanquam vltimi finis, vt rectè notauit Bannes art. 3. Eiusdem enim vituperij vel laudis est amare bonum aliquod, & auersari ac timere malum eidem bono contrarium. Itaque non oportebit in Confessione vtrumque specificare, sed satis erit vel de peruerso amore, vel de peruerso timore confiteri, quando alterutrum quidẽ specificare oportebit, iuxta id, quod iam iam dicemus.

TERTIO notandum, peccatum hoc peruersi amoris & timoris aliquando esse distinctum moraliter à peccato illo, quod ex eo cõmittitur, ac proinde esse distinctè in Confessione specificandum; aliquando autem non esse distinctum. Et *distinctum* quidem peccatum est hic timor & amor, quando absolutè aliàs abstrahendo ab occurrente occasione alterius peccati est inordinatus. Quod ipsum duobus modis accidit. Primo, si ametur bonum temporale (quodcunque illud sit) tanquam vltimus finis, ita scilicet, vt propter illud consequendum vel retinendum sit aliquis paratus quiduis facere, atque adeo committere quodcunque peccatum mortale. Tunc enim per se talis amor est speciale peccatum mortale contra ordinem charitatis, quo solus Deus debet amari, vt vltimus finis. Secundo, si sit de obiecto prohibito sub speciali peccato mortali. Vt est amor auari vel adulteri, v. g. qui interdum ex amore superfluarum pecuniarum & adulterij, & ex timore hæc amittendi, committunt alia etiam peccata. Quo pacto intelligi debet sanctus Thomas articulo secundo ad quintum, vbi docet, pro diuersitate obiectorum esse diuersum specie peccatum eius timoris, ex quo peccatur. Vt timorem amittendi pecunias in auaro diuersum esse peccatum à timore amittendi voluptatem in libidinoso & intemperante.

Non est autem distinctum peccatum hic amor & timor mundanus ab eo peccato, quod ex eo committitur, quando non aliàs absolutè, sed solùm occurrẽte occasione peccandi est inordinatus, per comparationem scilicet ad aliqd aliud, quod deberet tunc magis amari & curari, scilicet præceptum prohibens tunc tale peccatum. Tunc enim amor ille boni temporalis alioqui non mali, vt vitæ vel honoris v. g. & timor oppositi mali, nõ est inordinatus nisi per hoc, quòd ex illo committitur tale peccatum, puta adulterium v. g. quo negligitur præceptum diuinum, atque adeo postponitur creaturæ Deus: id quod non est aliquod peculiare peccatum, sed conditio quædam communis omnibus peccatis mortalibus, quatenus per illa omnia constituitur vltimus finis in creatura, iuxta dicta tomo secundo, quæstione prima, de Beatitudine, puncto sexto. Itaque tunc amor talis vel timor non addit peculiarem speciem peccati: imo quò est de bono alioqui magis amabili & malo magis horribili (vt de vita & morte) eò magis minuit grauitatem ipsius peccati, quod ex illo committitur, vt notauit etiam hîc art. 2. Caietanus.

Atque ex his poterunt intelligi ea, quæ de hac re tota in hanc nostram sententiam scribit subtiliter

tiliter hîc articulo secundo Caietanus, atque etiam diiudicari, quæ ibidẽ scribit Dominicus Bannes. Et hactenus de eo, quod dicebamus SECVNDO conuenire inter omnes.

TERTIO conuenit, Timorem quoque seruilem pœnæ tunc esse malum, quando oritur ex peruerso amore oppositi boni temporalis tanquam vltimi finis; atque adeo cùm est de pœna, vt de summo malo. Ac tunc quidem timor est maximè propriè seruilis. Nam tunc est similis timori seruorum non modò ex parte subiecti, quatenus serui scilicet solent timere pœnam, sed etiam ex parte obiecti, quatenus ferè solent serui ita quoque timere pœnam, vt illam horreant velut maius malum, quàm offensam & indignationem Domini: ac proinde solent pœnam timere ex amore sui, quo se suamque indemnitatem diligunt plus quàm Dominos. Itaque timor ita seruilis, scilicet ex parte etiam obiecti, semper malus est. Atque hoc modo debet intelligi, quod obscurè sanè dicit diuus Thomas articulo quarto, semper esse malam ipsam quidem *seruilitatem* Timoris, nimirum quæ consideratur (modo dicto) ex obiecto, atque adeo malum esse timorem seruilem vt seruilem formaliter ex obiecto. Et de his quidem, vt dixi, inter omnes conuenit.

CONTROVERSIA verò est, an omnis timor pœnæ à Deo constitutæ, atque adeo omnis timor quomodocunque seruilis, sit semper malus. Nam Lutherus articulo sexto, ex damnatis à Leone X. ita sensit. Ibi enim horrorem istum pœnarum, ex quo aliqui concipiunt pœnitentiam, appellat *affectum capitalem & pessimum.* Neque id ipse alio argumento probat, quàm quòd quicunque horret pœnas à iustitia diuina propositas, videtur eo ipso execrari quoque iustitiam & legem diuinam, ac malle eam non esse, vt impunè peccare liceret. Et posset pro hac sententia adferri, quod Ioannes epist. 1. capite 3. ait, *Timorem* (nimirum pœnæ) *non esse in charitate*. Ex quo videtur esse consequens, vt Timor hic sit malus. Potest enim cum charitate cõsistere quicquid est bonum.

SED ex fide certum est, timorem seruilem pœnarum talem posse esse, vt sit bonus & salutaris: si nimirum procedat ex amore propriæ indemnitatis, non vt vltimi finis, sed vt rei, quæ suapte natura potest per charitatem referri & ordinari ad Deum vt ad vltimum finem bonorum omnium, sicut docuit optimè diuus Thomas articulo sexto, & etiam artic. 4. licet ibi quidem minus clarè. Atque hoc ipsum est, quod diuus Thomas in eodem artic. 4. affirmat, Timorem seruilem quoad substantiam quidem suam esse bonum, prout scilicet modo, quo nunc diximus, est absolutè timor pœnæ, quam solent timere serui; licet non sit bonus secundùm *seruilitatem*, quæ quidem ex obiecto etiam attendatur eo modo, quo declaraui paulò ante.

Probatur autem esse hoc modo bonum Timorem seruilem pœnarum; PRIMO ex Scriptura, quæ illum passim vt vtilem & salutarem commendat. Vt Exodi 20. *Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis & non peccaretis.* Vult igitur Deus homines terrore mortis (quam ille populus formidabat videns montem fumigantem) & aliarum pœnarum, absterreri à peccatis. Et Psalm. 89. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Vbi Dauid tanquam rem præclaram & raram commẽdat hunc timorem. Et Ecclesiast. 25. *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. Qui timet illum, cui assimilabitur? Timor Dei initium dilectionis illius.* Ex quibus postremis verbis apparet, Timorem Dei seruilem, scilicet pœnæ, hîc commendari. Nam timor filialis non *initium*, sed *effectus* dilectionis est. Et Matthæi tertio, Ioannes Baptista hunc ipsum timorem proposuit hominibus, vt eos moueret ad pœnitentiam: *Progenies*, inquit, *viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Et clarissimè ipse Dominus, Matthæi decimo: *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Et Apocalysis decimo quarto, Angelus clamat magna voce: *Timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Vt iam præteream alia loca, quæ possent fortè de filiali timore intelligi.

SECVNDO probatur ex Patribus. Sanctus IRENÆVS libro quarto, cap. 31. *Auxit*, inquit, *timorem:* (Deus in nouo Testamento) *filios enim plus timere oportet quàm seruos, & maiorem dilectionem habere in Patrem.* Et, PROPTER *hoc ait Dominus, Omnem sermonem otiosum, quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die* IVDICII.

Sanctus ATHANASIVS ex sancto Antonio in vita eius non longè ab initio: *Formido*, inquit, *iudicij & pœnarum timor horridus, simul & lubricæ carnis incentiua dissoluit, & ruentem animam, quasi ex aliqua rupe sustentat.*

Sanctus BASILIVS concione octaua in Psalmum 32. *Necessariò*, inquit, *velut introductorius ad pietatem timor assumitur. Dilectio verò deinceps succedens à Timore scientifico adaptatos perficit.* Et luculenter concione nona in Psalmum 33. *Timor*, inquit, *salutaris, & timor sanctificationem faciens, qualis sit, vis exponam? Cùm ad peccatum*, inquit, *aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud & non ferendum Christi iudicium. In quo præsidet quidem iudex in alto ac elato throno: astat autem omnis creatura tremens ob glorioſum ipsius conspectum: adducemur autem singuli ad perscrutationem vitæ nostræ sigillatim faciendæ. Deinde ei, qui multa mala in vita perpetrauit, horrendi quidam & tristes astant Angeli igneam faciem præ se ferentes, ignem spirantes propter propositi amarulentiam, nocti vultu similes propter mœrorem & hominum odium. Deinde baratrum est profundum & tenebræ impenetrabiles, & ignis non splen-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dens in tenebris, vstoriam quidem vim habens, luce verò priuatus. Deinde vermium quoddam genus, venenum iaculans ac carniuorum, inexplebiliter edens, & nunquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores per corrosionem inducens. Postremum supplicium illud grauissimum, opprobrium illud & confusio aterna. Hæc Time, & hoc timore eruditus animam à concupiscentia ad hæc mala velut freno quodam relide.

Sanctus Gregorius Nazianzenvs oratione in sancta lumina: *Neque enim*, inquit, *ea nobis ratio ineunda est, vt à contemplatione auspicantes in timorem desinamus (effrænis enim contemplatio in præcipitia quoque fortasse nos impulerit) verum vt timoris rudimentis imbuti & purgati, atque vt hoc verbo vtar, extenuati, in altum feramur.* Et infrà: *Verendum nobis est, ne vt Centurio ille medicinam ita expetamus, vt tamen laudabili timore perterriti medicum in ædes nostras non admittamus, &c.*

Sanctus Cyprianvs in tractatu de laude Martyrij post medium: *Nos*, inquit, *ad hunc gloriæ titulum* (Martyrij) *metus excitet futurorum. Etenim quibus magna promissa sunt, magis magna sunt, quæ metuenda ipsis videantur.* Et infrà: *Sauiens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure & gemitu & eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem sæua semper incendia camini fumantis expirat, globus ignium atratus obstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur, &c.*

Sanctus Ambrosivs lib. 7. in Lucam, circa illud Lucæ 12. *Nolite timere, &c. Pulchrè*, inquit, *addidit, animæ tantum formidabile esse supplicium, pœnam corporis non esse metuendam. Mors enim naturæ finis, non pœna, est. Et ideo mortem supplicij corporalis esse defectum: pœnam verò animæ esse perpetuam: eoq; Deum solum esse metuendum.*

Sanctus Hieronymvs in epist. 127. ad Fabiolam de diuersis mansionibus, mansione 23. *Timor*, inquit, *virtutum custos est: securitas ad lapsum facilis. Vnde & quodam Psalmo postquam Propheta dixerat: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit; iungit timorem, qui custos est beatitudinis, & infert: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Et est sensus: Dum tormenta formido, seruaui gratiam quam acceperam.*

Sanctus Avgvstinvs libro de catechizandis rudibus, cap. 5. *De ipsa*, inquit, *seueritate Dei, qua corda mortalium saluberrimo timore quatiuntur, charitas ædificanda est: vt ab eo, quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, eiusq; in se dilectioni, etiamsi impunè posset, tamen displicere vereatur. Rarissimè quippe accidit, imo verò nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo modo Dei timore perculsus.* Vnde etiam de hoc eodem timore tract. 9. in primam epistolam Ioānis pulchrè ita scribit: *Si nullus timor, nō est quà intret charitas. Sicut videmus per fetam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat. Sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor* (cùm scilicet charitas est perfecta) *quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem.*

Sanctus Gregorivs homil. 7. in Ezechielem: *Redemptorem*, inquit, *electi terribilem non videbunt, quia modò terrorem illius considerare non cessant. Studiosè enim considerant, quam terribilis ad iudicium veniat. Culpas anteactas deflent, imminentes declinant. Pauorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt: atque quotidie timendo agunt, ne quando venerit, pertimescant.*

Sanctus Ioannes Cassianvs collati. 11. capite octauo: *Est*, inquit, *gradus cuiusdam profectus, vt dum vel pœnarum metu vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad charitatis gradum transire possimus, &c.*

Tertio probatur ratione manifesta. Nam de bonitate vel malitia timoris iudicandum est ex bonitate amoris, à quo oritur: Sed amor, ex quo oritur timor hic, quem defendimus, scilicet proprij boni & incolumitatis, non vt vltimi finis, sed vt boni cuiusdam, quod ad Deum ordinari possit, per se est bonus, cùm habeat bonum & amore dignum obiectum: Ergo etiam est bonus timor ex eo amore ortus, quo scilicet quis metuit pœnas illi bono proprio contrarias, non vt summum malum, sed vt malum certè quoddam meritò formidandum.

Quocirca rectè in Concilio Tridentino, sess. 6. can. 8. error ille Lutheri his verbis damnatus est: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse aut peccatores peiores facere, anathema sit.*

Neque est vllius momenti argumentum Lutheri. Negamus enim, eum qui pœnas à diuina iustitia constitutas timet, hoc ipso auersari ordinem ipsum iustitiæ diuinæ. Potest enim quis simul approbare ordinem ac legem ipsam per se diuinæ iustitiæ, & simul tamen horrere & formidare, ne in ipso quoque mandetur executioni hic ordo & lex diuinæ iustitiæ. Sicut potest quis approbare leges humanas, & simul timere ne fortè ipse aliquando contra eas leges peccans incurrat pœnas per eas constitutas.

Ad Confirmationem autem ex testimonio Ioannis respondendum est cum sancto Avgvstino tract. 9. in 1. epistolam Ioannis, timorem hunc non excludi absolutè à charitate, sed solùm à perfecta charitate: vt ipse etiam Ioannes declarauit inquiens: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ex quo rectè colligit illic sanctus Augustinus, non nisi de perfecta charitate intelligendum esse, quod ibidem Ioannes ait, *Timor non est in charitate.* Quomodo autem bona quoque sit pœnitentia concepta ex hoc timore, probauimus contra Lutherum in nostro opere Controuersiarum, id quod etiam in quarto tomo in materia de Pœnitentia asserendum est.

PVNCTVM

PVNCTVM QVARTVM.

Quænam sit causa, & qui item effectus Timoris.

D. Thomas art. 7. 9. 12.

Vod ad causam quidem Timoris attinet, quatuor sunt asserenda. Primo assero, Timorem quidem mundanum, solùm oriri ex peruerso sui amore, nullo autē modo ex aliquo impulsu Spiritus sancti. Nam est semper malus, vt pūcto præcedenti dictum est. Vnde sanctus Avgvstinvs libro de gratia & libero arbitrio capite decimo octauo, loquens de hoc Timore: *Hunc*, inquit, *timorem auferri voluit Dominus à nobis, cùm prius dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & post hæc non habent amplius quid faciant. Huius timoris non accepimus Spiritum.*

Secvndo assero, Timorem seruilem cùm est bonus, esse à Spiritu sancto per impulsum aliquē internum mentis. Nam pertinet ad pietatem, & nihil tale ad pietatem pertinens possumus ex nobis cogitare, quasi ex nobis, vt tomo secundo, quæstione prima de Gratia, puncto tertio docuimus, et docet hīc quoque peculiariter de hoc timore sanctus Thomas articulo nono, ex sententia sancti Augustini loco citato, vbi de hoc timore sic ait: *Illius timoris Spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: Eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam.*

Tertio assero, Timorem hunc seruilem, etiamsi bonus sit & à Spiritu sancto, tamen ordinariè quidem nō esse effectum peculiaris illius Doni Timoris, quod inter alia Spiritus sancti dona numeratur. Nam ab illis donis non proficiscuntur nisi heroici quidam & præstantissimi actus, vt vidimus tomo secundo, quæstione octaua de Virtutibus. Non est autem ordinariè vsque adeo præstans actus timor seruilis, cùm sit actus suapte natura facilis, vtpotè profectus ex sui amore, in quem quisque natura sua propensus est. Si tamen contingat aliquando timorem seruilem bonum esse aliunde præstantem & rarum actū (vt si moueat ad singulare aliquod & arduum opus pietatis) non video cur non possit esse actus Doni, in homine quidem iusto. Nam in peccatore nullus potest esse actus doni, quandoquidem dona sunt connexa cum charitate, vt probauimus tomo secundo loco citato.

Quare quod diuus Thomas ait articulo nono, Timorem seruilem non esse à Dono Spiritus sancti, quoniam potest esse cum voluntate peccandi, intelligendum puto *ordinariè*, excepto casu, de quo nos loquimur. Et certè sanctus Avgvstinvs in libro de natura & gratia capite quinquagesimo septimo, ex quo sanctus Thomas probat, Timorem seruilem posse esse cum voluntate peccādi, non videtur loqui de timore seruili bono (quanquam neque est negandum, posse hunc consistere cum peccato) sed de Timore seruili malo, qui neque explicitè neque implicitè refertur in Deum tanquam in vltimum finem, sed solùm respicit malum pœnæ cum animo alioqui peccandi, nisi pœna obstaret: quem Timorem seruilem satis constat non esse à dono Spiritus sancti, cùm sit malus, vt vidimus puncto præcedenti.

Sic enim loquitur ibi Avgvstinvs: *Sub lege est, qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore iustitiæ* (vllo modo, explicitè aut implicitè) *se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccādi: in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, vt liberè faciat, quod occultè desiderat.*

Qvarto assero, Timorem filialem cùm est præstans & heroicus, sine dubio esse non modo ab impulsu aliquo Spiritus sancti, sed etiam ab ipso Dono Spiritus sancti, iuxta doctrinam diui Thomæ hic articulo nono. Vnde sanctus Avgvstinvs concione vigesima quinta, in Psalm. 118. hunc timorem arbitratur petiisse à Deo Prophetam illis verbis: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Hoc est* (inquit ibi Augustinus) *da mihi castum timorem, ad quem petendum me tanquam pædagogus timor ille legis* (seruilis) *perduxit, quo timore à iudiciis tuis timui.* Quanquam non malè etiam de timore bono pœnarum interpretantur hanc petitionem Prophetæ sanctus Basilius concione nona in Psalm. 33. & sanctus Ambrosius in Psalm. 118. serm. 16. in fine & alij. Atque hactenus de causa Timoris.

Quod verò attinet ad Timoris *effectum*, dicendum est Primo, Timoris quidem seruilis boni effectum censeri posse quæcunque opera pietatis, quæ ex hoc timore tanquam ex prima quadam dispositione deinde consequuntur, vt docet sanctus Thomas articulo septimo. Ac propterea de hoc etiam Timore sanctus Avgvstinvs tractat. 9. in primam epistolam Ioannis, & sanctus Prosper libro secundo de Vocatione gentium capite nono, & alij interpretantur illud Psal. 110. & Prouerb. 9. *Initium Sapientiæ est timor Domini*: quia scilicet est initium piorum operum, quæ diriguntur à Sapientia per rationes diuinas.

Ac eodem modo potest intelligi illud Prouerbiorum decimo quarto: *Timor Domini fons vitæ*: Et illud Ecclesiastici primo: *Radix Sapientiæ est timere Deum*. Atque etiam Timor filialis potest censeri initium Sapientiæ tanquam primus effectus, in quo ipsa se ostendit, vt per illum mens reueretur Deum, & ei se subiicit: id quod est primum in vsu sapientiæ, cuius est nimirum dirigere humanæ vitæ actiones, secundùm rationes diuinas, vt diximus tomo secundo, quæstione octaua de Virtutibus, puncto secundo, & docet hīc diuus Thomas articulo septimo.

Dicendum Secvndo, peculiari quadam ratione posse censeri vtriusque Timoris effectum beatitudinem illam, quæ dicitur Paupertas Spi-

ritus, de qua egimus tomo 2. quæst. 9. de Virt. p. 2. A Siue enim hanc Spiritus paupertatem interpretemur esse perfectam quandam humilitatem, vt exponit sanctus Augustinus libro 1. de sermone Domini in mõte cap. 2. siue contemptum rerum temporalium, vt exponunt Ambrosius libro 5. in Lucam circa caput 6. & Hieronymus in caput 5. Matthæi, siue esse vitæ innocentiam & inopiam quandam à peccatis, vt exponit sanctus Gregorius Nyssenus oratione 1. de beatitudinibus; clarum est, plurimum ad hæc omnia conducere vtrumque timorem: ac præcipuè filialem, cui proinde peculiariter attribuit hunc effectũ D. Thomas hîc art. 12. Vnde sanctus AVGVSTINVS lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 9. *Timor*, inquit, *Dei congruit humilibus, de quibus dicitur: Beati* B *pauperes Spiritu.*

PVNCTVM QVINTVM.

Quodnam sit Subiectum Timoris, seu quinam esse possint participes Timoris.

D. Thomas art. 6. 10. 11.

DVAS hac de re statuam assertiones. PRIMA. Timorem filialem omnes ij habere possunt, qui habent charitatem, atque adeo etiam beati, vt docet D. Thomas art. 11. Probatur PRIMO ex Scriptura. Iob 26. *Columnæ cæli* (id est, Angeli) *contremiscunt & pauent ad nutum eius.* Et Psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Et Ierem. 10. *Quis non timebit te, ô Rex gentium?*

SECVNDO probatur ex Patribus. Nam sanctus GREGORIVS lib. 17. Moralium, cap. 15. ita asserit, explicans prædictum locum Iob 26. vt citat hîc quoque D. Thomas. *Ipsa*, inquit, *virtutes cælestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscũt.* Et sanctus BERNARDVS epist. 190. inter alios errores Petri Abailardi memorat, quòd senserit *non futurum timorem in altera vita.*

TERTIO probatur ratione: Nam timor ille oritur ex charitate, quæ *nunquam excidit*, vt Apostolus 1. Corint. 13. ait. Et quanquam spectata ratione status beatifici nequeant beati separari à Deo per peccatum, tamẽ quia id possent spectata præcisè natura sua; hoc illis satis est, vt queãt per timorem filialem timere eam separationem tanquam absolutè possibilem. Quãquam Timor hic quidem cùm non sit de malo omnibus consideratis possibili, minimè affligit aut angit beatos, sicut angit iustos in hac vita, quibus nimirum ea separatio à Deo possibilis est spectata quoq; ratione sui status.

Atq; hoc sensu dixit Gregorius vbi suprà, tremorem illum cælestium virtutum *non esse timoris* (nimirum angentis) *sed admirationis*, diuinæ scilicet excellentiæ & Maiestatis, cui tanto affectu adhærẽt, vt etiam reformident possibilem illam separationẽ ab eo, spectata præcisè ratione creatæ naturæ. Ac similiter intelligi debet, quod sanctus AVGVSTINVS libro decimo quarto, de ciuitate Dei capite nono, de Timore illo loquens ait: *Vbi boni adepti amor immutabilis est; profectò si dici potest, mali cauendi timor securus est.* Et denique hac etiam ratione verum est, quod propter has Augustini & Gregorij sentẽtias ait sanctus Thomas articulo nono, Timorem filialem non esse eiusdem rationis in hac & futura vita. Ac per eundem modum fuit hîc Timor in Christo, vt videbimus in quarto tomo, eodem adiuuante.

Porrò etsi hæc assertio verissima sit & communis Theologorum in tertio, distinctione trigesima quarta, tamen non est omnino certa secundum fidem. Nam vt sanctus Thomas hîc notat, dubitauit loco citato Augustinus, an Timor vllus in cælo futurus sit, & quomodo aliter intelligi possit, Timorem sanctum esse perpetuum docuit, nempe secundùm suum effectum seu fructum. *Si*, inquit, *nullius omnino generis Timor esse poterit in illa certissima securitate perpetuorũ, felicium & gaudiorum, sic dictum est; Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi, quemadmodum dictum est; Patientia pauperum non peribit in æternum, Psalm. 9. Neq; enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi vbi toleranda sunt mala, sed æternum erit, quo per patientiam peruenitur. Ita fortasse timor castus in æternum dictus est permanere, quia id permanebit, quo* C *timor ipse perducit:* nempe beatitudo. Nihilominus tamen illa nostra assertio adeo certa est, vt eam iam negare sit erroneum vel certè temerarium propter communem sententiam Theologorum: maximè cùm etiam in præfatione Canonis Missæ dicantur Deum *tremere Angelicæ potestates.*

Sit nunc SECVNDA assertio. Timorem bonũ seruilem pœnarum inferni (atq; adeo etiam initialem, qui hunc seruilem adiunctum habet) ij omnes & soli habere possunt, qui vitam hanc degunt, & pœnarum à Deo propositarum notiam habent. Probatur, quòd ij *omnes*. Nam potest hic Timor optimè consistere tùm cum fide, vt patet, tùm etiam cũ spe & charitate; Cum spe quidem, nam spes non habet adiunctum iudicium certũ, quòd actu quidem sit quis assecuturus beatitudinem, sed quòd possit assequi, vt quæstione præcedenti, puncto vltimo vidimus. Itaq; relinquit D Spes locum Timori; imo Timore tanquam vna quadam pia actione fouetur & excitatur: iuxta illud Prouerb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Vnde sanctus Cyprianus libro 3. ad Quirinum cap. 20. affirmat, *Timorem esse fundamentum ac firmamentum Spei ac Fidei.*

Item potest optimè hic timor seruilis consistere cum Charitate, quandoquidem est quidam bonus actus, vt p. 3. vidimus. Itaq; S. Thomas artic. 6. & 10. malum duntaxat timorem seruilem ait excludi à Charitate tãquam cum ea planè incompatibilem. Bonum autem solùm dicit ar. 10.

crescẽte charitate *minui*: & maximè quoad vsum siue actum: Quia scilicet qui perfectam habent charitatem, non solent timere pœnam, vt notauimus ex Augustino p. 3. tametsi absolutè quidẽ hi quoque eam timere possunt. A

Quòd autem illi *soli*, qui degunt hanc vitam, non autem beati, timere possint pœnas inferni (vt etiam in assertione posuimus) facilè probatur. Nam beati ratione sui status sunt securi de perpetuitate suæ fœlicitatis, vt docuimus tomo 2. q. 4. de Beatitudine. Et quamuis spectata præcisè natura sua possent incurrere illas pœnas, sicut & à Deo per culpam (vt antè diximus) separari, tamen cùm sint toti defixi in Deo non adeo intenti sunt amori suæ propriæ incolumitatis, cui pœnæ illæ sunt contrariæ, vt absolutam eam & remotam possibilitatem incurrendi eas pœnas reformidẽt. Separationem autem à Deo per culpam, licet similiter remotè tantum possibilem, tamen per filialem timorem reformidant propter maximum affectum, quo diuinæ Maiestati adhærent, vt antè declaraui.

Atque hactenus de tota hac quæstione.

QVÆSTIO TERTIA.

De Desperatione & Præsumptione, quæ sunt vitia contraria Spei & Timori.

D. Thomas 2. 2. q. 20. & 21.

EXPLICANDVM EST PRIMO, QVALENAM ET QVANTVM PECcatum sit Desperatio. SECVNDO, Quale item & quantum peccatum sit Præsumptio: Vbi etiam declarabitur, ex quibus causis hæc peccata soleant oriri.

PVNCTVM PRIMVM.

Quale peccatum & quantum sit Desperatio.

D. Thomas quæst. 20.

DESPERATIONEM ALIQVALE peccatum esse dubitari non potest, cùm in Scriptura sacra vt mala & pernicioſa vituperetur. Ierem. 18. *Reuertatur vnusquisque à via sua mala & dirigite vias vestras & studia vestra: Qui dixerunt desperauimus,* post *cogitationes nostras ibimus.* Et ad Ephes. quarto: *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, &c.* Sed quænam sit huius peccati ratio nunc explicandum est.

Et breuiter statuendum est, Desperationem in hoc consistere, vt quis voluntate refugiat beatitudinem, tanquam bonum quoddam arduum sibi impossibile ad consequendum, & ideo desistat ab eius procuratione. Est namque Desperationis motus contrarius motui Spei, vt patet etiam ex iis, quæ tomo secundo, quæstione septima de Passion. diximus de passionibus Spei & Desperationis. Itaque vt sperare in proposito est animo tendere in beatitudinem tanquam in bonum quoddam arduum, quod possit quis diuina ope consequi, & quod proinde procurare & assequi enitatur: sic è contrario desperare est (vt dixi) animo refugere eandem beatitudinem tanquam bonum arduum, quod quis nequeat diuina ope assequi, & ideo segnis reddatur ad eius boni procurationem. B

Ex hac Desperationis ratione illico intelligitur prauitas huius peccati. Nam vt optimè ratiocinatur diuus Thomas articulo primo, motus appetitus, qui conformes sunt iudicio intellectus falso, eo ipso sunt praui. Sed ille motus Desperationis est conformis iudicio intellectus falso, nempe quòd quis nequeat, Deo iuuante, consequi beatitudinem, obtinendo à Deo gratiam & peccatorum remissionem, vt facilè ostendemus ex ratione Desperationis iam expositа: Ergo omnino est prauus hic motus Desperationis. C

Maior patet ex subordinatione, quæ est inter voluntatem & intellectum, à quo scilicet voluntas mouetur & dirigitur in suis actionibus; ob quam subordinationem Philosophus libro sexto Ethicor. capite secundo dixit, eodem modo se habere in appetitu prosecutionem & fugam, quo se habet in intellectu affirmatio & negatio. Ex hac enim subordinatione sequitur, vt si actus aliquis intellectus affirmatiuus vel negatiuus sit deformis & falsus, consequenter etiam motus prosecutionis vel fugæ in appetitu, conformis ei actui intellectus, sit etiam deformis & prauus.

Minor autem patet, vt dixi, ex ratione ipsa Desperationis iam expositа. Nam motus ille Desperationis consistens in fuga appetitus, qua quis refugit beatitudinem vt sibi ad obtinendum impossibilem, est conformis iudicio negatiuo falso, nempe quòd nequeat quis obtinere diuina ope beatitudinem. Quare hoc ipso Desperatio est quidam appetitus motus deformis & prauus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed oritur hinc non exigua DIFFICVLTAS. Si enim res ita habet: conſequens videtur, vt nequeat aliquis peccare peccato Deſperationis, quin ſimul peccet peccato Infidelitatis, per illud ſcilicet iudicium falſum, cui diximus cõformem eſſe motum Deſperationis. At iſtud conſequens manifeſtè eſt falſum, cùm conſtet deſperare interdum eos, qui alioqui manent in ipſa Fide conſtantes. Ergo falſum eſt etiam id, quod cum diuo Thoma diximus, Deſperationis motũ eſſe conformem iudicio illi falſo, quod ſcilicet nequeat aliquis ope diuina conſequi beatitudinem, ſiquidem conſtat, hoc iudicium eſſe contra veram fidem.

Ad hanc difficultatem diuus Thomas articulo ſecundo, vt defendat quod certum eſt, ſcilicet non oportere eſſe quoq; infidelem eum, qui deſperat, reſpondet, habere quidem eum, qui deſperat, iudicium falſum *in particulari*, quòd ſcilicet ſibi in tali ſtatu non ſit ſperanda venia, atque adeo nec beatitudo: retinere tamen *in vniuerſali* iudicium verum, quòd ſcilicet eſt remiſsio peccatorum in Eccleſia; ac proinde talem non peccare contra fidem. Vt neque is peccat contra fidem, qui iudicans in vniuerſali fornicationem eſſe malam, æſtimat tamen in particulari caſu ſibi eſſe bonam, & fornicatur.

SED hæc explicatio non planè ſatisfacit propoſitæ difficultati. Nam qui negat particularem aliquam veritatem incluſam in veritate vniuerſali, hoc ipſo etiã negat vniuerſalem. Quare qui deſperans iudicat ſe non poſſe ſperare veniam, hoc ipſo negat in vniuerſali poſsibilem eſſe peccatoribus omnibus in Eccleſia veniam; & ſic illud quoque iudicium falſum in particulari videtur eſſe contra fidem.

Neque exemplum illud D. Thomæ de eo, qui fornicatur, videtur eſſe ſimile. Nam is per iudiciũ particulare, quo iudicat ſibi fornicationem eſſe bonam, non contradicit iudicio vniuerſali ex fide vero, quòd ſcilicet fornicatio nulli ſit bona, bonitate nimirum licita & honeſta, ſed omnibus per ſe mala. Non enim hoc eodem genere bonitatis (ſcilicet honeſtæ) iudicat ſibi in particulari fornicationem eſſe bonam (tunc enim infidelis eſſet) ſed alio quodam genere bonitatis, nempe delectabilis, id quod verè iudicat. In noſtro autẽ propoſito, qui deſperans iudicat in particulari, ſe non poſſe remiſsionem peccatorum impetrare, omnino contradicit iudicio fidei vero in vniuerſali, ſcilicet quòd omnibus peccatoribus ſit poſsibile in Eccleſia obtinere remiſsionem peccatorum, & ita videtur talis peccare contra fidem.

Nec dici poteſt, iudicium illud fidei in vniuerſali non eſſe, quòd omnibus omnino peccatoribus in hac vita ſit poſsibile cõſequi remiſsionem peccatorum, ſed quòd pleriſque certè ſit poſsibile (cùm non deſint auctores, qui ſentiant quibuſdam peccatoribus negari gratiam ſufficientem, qua poſsint conuerti) ac proinde eum qui deſperans iudicat, ſe quidem non poſſe remiſsionem peccatorum conſequi, minimè contradicere illi iudicio vniuerſali fidei. Hoc aio non rectè dici poſſe.

Nam primò, ſi ita eſt, non modò ſequeretur non peccare contra fidem eum, qui deſperans iudicat, ſe nõ poſſe impetrare remiſsionem peccatorum, ſed ne peccare quidem contra Spem. Si enim probabile eſt, quoſdam propter ſingularem ſuam improbitatem nõ poſſe remiſsionem impetrare, quid ni probabiliter & verè hoc ipſum de ſe iudicet ſceleratiſsimus aliquis, qui deſperat? Quòd ſi id probabiliter & verè iudicat, non erit iam mala, ſed bona eius deſperatio, ſiquidem conformatur iudicio intellectus nõ falſo, ſed probabili & vero: vt enim docet veriſsimè ſanctus Thomas articulo primo, motus appetitus per conformitatem cum iudicio intellectus vero vel falſo bonus vel malus eſt.

Deinde, quia diuus Thomas articulo ſecundo, planè ſupponit eſſe ex fide verum iudicium illud vniuerſale eo ſenſu, quo diximus, ſcilicet quòd omnibus in Eccleſia per diuinam miſericordiam ſit poſsibile obtinere remiſsionem peccatorum, atque adeo ſalutem.

Denique tomo ſecundo, quæſtione tertia de Gratia, puncto tertio, ſatis oſtendimus, opinionem eorum, qui ſentiunt aliquibus peccatoribus interdum negari gratiam ſufficientem, eſſe prorſus intolerabilem. Quod certè vel hoc vnico argumẽto euincitur, quo iam vſi ſumus; nempe conſequens ex ea opinione eſſe, vt poſsit aliquis inſignis peccator ſine vllo prorſus peccato deſperare.

ALITER igitur ad propoſitam à nobis difficultatem reſpondendum eſt, & quidem ex mente quoque diui Thomę. Itaque rem totam ſic declaro. Quod diximus, deſperationis motum eſſe conformem iudicio falſo intellectus, quo aſſecutio beatitudinis putetur impoſsibilis, optimè poteſt conſiſtere, licet hoc iudicium non ſit actu in eo ipſo homine, qui deſperat, atque adeo liceat is non peccet ſimul contra fidem. Nam hoc ipſo etiam, quod motus deſperationis ſuapte ratione poſſet ex tali iudicio proficiſci, eſt tali iudicio conformis, atque adeo prauus, iuxta doctrinam diui Thomæ articulo primo. Itaque quamuis is, qui deſperat, non actu iudicet ſibi eſſe impoſsibilem aſſecutionẽ beatitudinis, tamen peccat propterea, quòd ita volũtate refugit beatitudinem, atque ſi iudicaret ſibi eſſe impoſsibilem eius aſſecutionem. Et hoc ipſo, tali iudicio falſo (licet ipſe illud actu non habeat) motus hic Deſperationis conformis eſt, atque adeo malus.

Neque verò eſt neceſſe ad eliciendum huiuſmodi Deſperationis motũ actu habere illud falſum iudicium: ſed ſatis ad id eſt, vt quis & per actum practicum imperij voluntati ſuæ intimet talem Deſperationis motum, & per iudicium etiam practicum ſtatuat & æſtimet ſibi talem actum Deſperationis eſſe eliciendum; ſiue vt iucundum & aptum præſenti diſpoſitioni ſuæ, ſiue vt vtilem ad alios fines ſuos prauos, nempe ad perpetrãda liberiùs alia peccata, &c. Hoc ipſum mihi videtur inſinuaſſe diuus Thomas articulo ſecundo, quatenus nunquam dixit, eum qui deſperat, iudicare & æſtimare eſſe ſibi impoſsibile in tali ſtatu impetrare veniam & ſalutem, ſed, eſſe *ſibi deſperandum*. Et certè miror Caietanum articulo ſecundo, nõ diſcuſsiſſe & enodâſſe hanc difficultatem.

Porrò ex dictis poteſt intelligi PRIMO, deſperationem eſſe omnino ex ſe peccatum mortale, niſi abſq; plena deliberatione, aut ex ſurreptione, concipiatur. Nam & grauiter offendit miſericordiam diuinam, & omnium ferè peccatorũ deinde eſt mater, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſios quarto: *Deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, &c.*

SECVNDO intelligitur, eſſe grauiſsimum peccatum mortale, cùm ſit contra vnam ex virtutibus Theologicis, quæ omnium ſunt præſtantiſsimæ. Quanquam vt diuus Thomas docet articulo tertio, grauius eſt peccatum Odij Dei & Infidelitatis: eo quòd ab ipſo Deo ſecundùm ſe per ea receditur; per deſperationem autem nonniſi vt participatur à nobis: ſicut contrà, Spes in Deum tẽdit, vt participatur à nobis per beatitudinem, Fides autem & Charitas in ipſum Deum ſecundùm ſe tendunt, quatenus Charitas illum ſecundùm ſe diligit, & Fides illum ſecundùm ſe credit, vt obiectum *quod creditur*, ſicut bene declarat in illo art. 3. Caietanus.

TERTIO facilè quoque ex dictis intelligitur quod docẽt ſanctus Gregorius libro tertio moralium capite trigeſimo primo, & ſanctus Thomas hic articulo quarto. Deſperationem tùm ex luxuria, tùm ex acedia facilè ſolere naſci, præcipuè autem ex acedia. Nam & minuitur affectus ad bona ſupernaturalia per carnalia oblectamẽta luxuriæ, & per acediam inducitur torpor quidam ad ſalutem procurandã; cùm acedia ſit quædam triſtitia, deiiciens animũ & reddens ſegnem ac ineptum ad operandum, vt vidimus tomo 2. quæſt. 6. de Paſsionib. p. 2.

derelinquis præſumentes de te. SECVNDO, pro coniectura quadam, quomodo ſolet à Iuriſperitis frequenter accipi; ſicut etiam ita accipitur Sapientiæ decimo ſeptimo vbi dicitur: *Semper præſumit ſæua, perturbata conſcientia.* TERTIO, pro vitio oppoſito per exceſſum virtuti Magnanimitatis: cùm ſcilicet quis molitur & aggreditur ea, quæ longè excedunt ſuam facultatem; de quo vitio infrà agemus diſputatione octaua, vbi differendum eſt de fortitudine, & ei annexis virtutibus & vitiis contrariis. Ac de præſumptione quoq; hac diſputat ſanctus Thomas infrà quæſtione centeſima trigeſima. QVARTO, accipitur id nomen pro peccato cõtrario Virtuti Spei per exceſſum; cùm ſcilicet quis aliquid tanquam poſsibile ſperat de Deo, quod ſecundùm eius legem ordinariam non eſt poſsibile; vt remiſsionem peccatorum ſine pœnitentia; vel gloriã ſine propriis meritis, vt docet ſanctus Thomas articulo primo. Et ſic loquimur hîc de Præſumptione. De qua breuiter ſunt dicenda tria.

PRIMO diço, Præſumptionem hanc ex ſe eſſe peccatum mortale, niſi ſuſcipiatur indeliberatè, ſiue ex ſurreptione quadam, vt diximus de peccato Deſperationis puncto præcedente. Nam vt motus Deſperationis conformis eſt iudicio falſo de Deo, quòd ſcilicet per eius miſericordiam nõ poſsit aliquis obtinere ſalutem, & ideo grauiter lædit miſericordiam diuinam: ita etiam motus hic Præſumptionis conformis eſt falſo iudicio de Deo, quòd ſcilicet poſsit obtineri ſalus ſine mediis ordinatis à diuina prouidentia & iuſtitia, & ita grauiter Dei prouidentiam & iuſtitiam lædit.

Et ſicut puncto præcedenti docuimus, non eſſe neceſſe, vt iudicium illud falſum circa Dei miſericordiam ſit actu in eo ipſo, qui deſperat; ita nunc intelligendum eſt, non eſſe neceſſe, vt in eo ipſo, qui præſumit, ſit actu iudicium illud falſum circa Dei prouidentiam & iuſtitiam: ſed ſufficere, vt ita tendat quis voluntate ſua in ſalutem, atque ſi poſſet ſine pœnitentia & meritis obtineri. Quæ magna quidem peruerſitas eſt, oppoſita nimirum Spei per exceſſum, ſicut eidem opponitur Deſperatio per defectum.

Atque vtrumq; peccatum ob ſui grauitatem numeratur inter ea peccata, quæ peculiariter dicuntur eſſe contra Spiritum ſanctum, vt vidimus ſuprà quæſtione decima quarta. Ita tamen, vt quemadmodum diuus Thomas articulo ſecundo ait, maius peccatũ ſit Deſperatio quàm Præſumptio, eò quòd Deſperatio lædit diuinam miſericordiam, quæ eſt maximè Deo naturalis & propria.

SECVNDO dico, Præſumptionem hanc non ſolùm Spei, ſed etiam Timori opponi, magis autem Spei, quàm Timori, vt docet ſanctus Thomas articulo tertio. Vtrumque probatur & declaratur ſic: Cùm Præſumptio ſit motus circa Deum, conſiſtens in quadam appetitus proſecu-

PVNCTVM SECVNDVM.

Quale & quantum peccatũ ſit Præſumptio.

D. Thomas quæſt. 21.

PRÆSVMPTIONIS vocabulum non quouis modo accipitur à nobis in propoſito. Nam quadrupliciter ſolet ſpe. Vt Iudith ſexto: *Oſtende Domine quoniam non*

tione;

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione; & timor item sit motus circa Deum consistens in quadam appetitus fuga; cõsequitur, Præsumptionem & Timorem opponi inter se secundùm suas quasi *genericas* rationes *appetitus & fugæ*. Item cùm Spes ex ratione sua specifica sit motus consistés in ordinata appetitus prosecutione erga Deum, vt erga bonum arduum; & Timor contrà in praua & inordinata prosecutione appetitus erga Deum, item vt bonum arduum; consequens est, vt Spes & Præsumptio opponantur secundùm rationes suas *specificas*, atque adeo magis quàm Præsumptio & Timor: siquidem maior est oppositio secundùm rationes specificas, quàm oppositio secundùm rationes genericas, qualis est illa Timoris & Præsumptionis, vt ante diximus ex sententia D. Thomæ art. 3. ad 2. & ad 3.

TERTIO dico, Præsumptionem hanc, de qua agimus, solere facilè oriri ex Superbia. Nã si quis pluris, quàm conuenit, se ipsum æstimat, facilè eò delabitur, vt appetitu prauo tendat in beatitudinem tanquam sibi absque meritis etiam tribuendã, vt docet sanctus Thomas articulo quarto. Illa autem alia Præsumptio opposita Magnanimitati, oriri solet ex cupiditate vanæ gloriæ, & præsertim circa res nouas, quæ pariant admirationem, vt docet diuus Thomas in eodem articulo quarto, ex sententia sancti Gregorij libro trigesimo primo moraliũ, capite trigesimo primo, vbi origines diuersorum peccatorum ostendit.

QVÆSTIO QVARTA.

De Præceptis Spei & Timoris.

D. Thomas 2. 2. q. 22.

DICENDVM EST PRIMO, DE PRÆCEPTO SPEI. SECVNDO, DE præcepto Timoris. Quæ duo præcepta breuiter explicantur à diuo Thoma in duobus articulis huius quæstionis.

PVNCTVM PRIMVM.

An extet aliquod præceptum de Spe.

D. Thomas artic. 1.

NON EST DVBITANDVM, QVIN extet præceptum affirmatiũ de speranda beatitudine supernaturali. Probatur PRIMO ex his locis Scripturæ, 1. Paral. 10. inter alias iniquitates Saul recensetur etiam, quòd *nec sperauit in Domino, propter quod interfecit eum, etc.* Et Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Vbi vt indicatur præceptum operandi iustè, ita etiam sperandi. Et Psal. 61. *Sperate in eo omnis cõgregatio populi.* Et Prouerb. 24. *Non habent futurorum spem mali.* Tenentur igitur omnes eam habere. Et Sap. 2. Impiis vitio datur, quòd *neque sperauerunt mercedem iustitiæ.* Et 1. ad Timoth. 6. *Præcipe non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Et ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiẽs nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, etc.* Vnde sanctus AVGVSTINVS Tract. 83. in Ioannem: *Quàm multa*, inquit, *nobis mandata sunt de Spe? Quis potest omnia colligere? Quis enumerando sufficere?*

SECVNDO idem probatur certissimo argumento Theologico sic: Omnis actus virtutis ad salutem homini necessarius est à Deo præceptus: Sed actus Spei est homini necessarius ad salutem: Ergo est à Deo præceptus. Maior probatur. Nam nullus alius actus est homini ad salutem necessarius, præter eos, qui sunt præcepti: Ergo si quis actus est ad salutem necessarius, erit præceptus. Antecedens patet euidenti testimonio Christi Matthæi decimo nono. Nam adolescenti interroganti: *Quid faciendo vitam æternam possidebo*, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quo responso declarauit, ad salutem satis esse facere quæ præcepta sunt, neque præterea esse necessarium aliquem alium actum non præceptum.

Minor autem nostri argumẽti probatur quoque testimonio diui Pauli ad Romanos octauo: *Spe salui facti sumus.* Et 1. Corint. 9. *Propter nos scripta sunt, quoniam debet in Spe qui arat arare; & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Et ad Hebr. 9. *Confugimus*, inquit, *ad propositum spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et certè nemo sectaretur pietatis studia ad salutem necessaria sine spe futuræ vitæ beatæ: propter quod idem Apostolus ad Hebr. 11. affirmat, oportere eum, qui ad Deum accedit, *credere & quòd est, & quòd inquirentibus se remunerator sit*, quia scilicet spes quoque remunerationis firmamentum pietatis esse debet.

Itaque dubium nullum est, quin extet diuinũ præceptum affirmatiuum de Spe: quamuis illud quidem non sit in ipso Decalogo expressum propter rationes, quas adfert diuus Thomas articulo primo. Huic autem affirmatiuo præcepto coniunctum est quoque præceptum negatiuum vetans actum contrarium Spei, nimirum Desperationem. Quod præceptum (vt alia omnia negatiua) pro omni tempore obligat. Núquam enim desperare fas est.

Sed de præcepto *affirmatiuo* Spei dubium est, pro quo tempore obliget? Dominicus Bannes 2. 2. quæst. 22. artic. 1. & alij quidam Thomistæ sentiũt, obligare sub initium vsus rationis, quia scilicet tunc teneatur homo se in Deum conuertere ex sententia sancti Thomæ. Sed hanc sententiam esse falsam, ostendimus tomo secũdo, quæstione decima nona de Peccatis, puncto tertio.

Dicam igitur hac de re duo, quorum alterum puto certum, alterum probabile. PRIMO dico, tempus, quo *per se* obligat præceptum Spei, esse, quando aliquis infestatur grauiori aliqua tentatione desperationis, vt notat etiam Bannes vbi suprà, & alij; quod præcipuè euenire solet immineute morte. Ratio est: nam tunc vel maximè necessarium est animum contrario motu spei confirmare. Dixi autẽ, *per se*, nam per accidens quandoque etiam tenebitur quis spe munire animum ad vincendas alias tentationes in aliis materiis. Sed tunc non sperare minimè erit speciale peccatum distinctum ab eo, quod committetur succumbẽdo tentationi, sed pertinebit hoc ad idem peccatum, vt notauit Bannes, quia spes non requiretur tunc per se, sed propter aliud peccatum vitandum.

Dico SECVNDO, probabiliter quoque tempus, quo obligat præceptum Spei, esse, quando quis primò vel per se, vel ab alio monitus, cogitat de vtilitate & necessitate Spei ad piè viuendum. Nam si tenetur quis semper piè viuere; certè tenetur, quàm primùm potest, facere, quod ad piè viuendum necessarium est, atque adeo sperare: siquidem sine spe non potest pietas consistere, vt apparet ex allatis testimoniis diui Pauli. Rectè autem mihi videtur notare Bãnes, cùm quis studet subinde se exercere in sperando, ferè semper putare posse, se adimplere hoc præceptum, quãtum satis est, ne hac in re peccet.

De quæstione autem illa, quæ hîc moueri solet, an scilicet is etiam sperare teneretur, cui diuinitus reuelatum esset se reprobum esse, suprà quæstione prima, explicauimus nostram sententiam, scilicet in tali casu nec posse nec debere aliquem sperare. Quæ est quoque diui Thomæ sententia quæstione vigesima tertia, de Veritate artic. 8. ad 2. vbi propterea dicit, non posse de lege ordinaria fieri talem reuelationem, quia de lege ordinaria quilibet tenetur sperare; in tali autem casu non posset homo sperare.

Neque tamen est negandũ, quin absolutè posset talis reuelatio fieri. Nam nihil impedit, quò minùs possit Deus alicui reuelare id, quod est verum. Altisiodorensis tamen libro tertio, tract. 5. capite sexto, quæstione quinta, in quæstiuncula quadam incidenti negat, posse alicui reuelari suam damnationem. Sed potest intelligi secũdùm legem Dei ordinariam.

PVNCTVM SECVNDVM.

An extet aliquod præceptum de Timore.

D. Thomas art. 2.

ASSERENDVM est breuiter cum diuo Thoma, extare præceptum diuinũ, tùm de Timore filiali, tùm de Timore bono seruili pœnarum. De Timore *filiali*. Deut. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, &c.* De Timore autem *seruili*, Matthæi decimo, & Lucę duodecimo. *Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem & corpus & animam perdere in gehẽnam.* Et de vtroque timore potest intelligi, quod sanctus AVGVSTINVS ait libro de correptione & gratia, capite decimo tertio, ideo occultũ esse hominibus mysterium prædestinationis, *ne quis*, inquit, *extollatur, sed omnes etiam qui bene currũt, TIMEANT, dum occultum est, quò perueniant.*

Sed DVBIVM est, an præcepta de istis timoribus sint specialia, ita vt aliquãdo ex defectu istiusmodi timorum cõtingat committi speciale peccatum: an verò sint ipsamet præcepta charitatis & aliarum virtutum, quæ censeantur consequẽter exigere timorem filialem & seruilem, quatenus per hos timores retrahatur homo à peccatis contra charitatem & alias Virtutes; ita vt defectus huiusmodi timorum non sit speciale peccatum distinctum ab aliis.

RESPONDEO, probabile est, vt censet etiam hîc Bannes, non distingui hæc præcepta ab aliis. Nam neque à Doctoribus mentio vlla fieri solet specialis peccati ob defectum huiusmodi Timorum, neque homines timoratæ etiam conscientiæ solent se accusare de speciali aliquo peccato distincto ab iis, quæ alioqui committuntur in variis materiis ex defectu huiusmodi Timorum, sed satis putant esse confiteri eiusmodi alia peccata. Atque etiam ad iustificationem satis est Timoris actus implicitus, vt continetur nimirum in ipso actu pœnitentiæ vel charitatis, sicut tomo 2. q. 5. de Gratia docuimus.

Potest etiam probabiliter asseri, quòd extent quoque præcepta specialia, quæ obligent per se pro aliquo tempore ad hos timores, nempe ad Timorem filialem, quando quis est in periculo

peccandi propter occurrentes aliquas peccandi occasiones. Ad Timorem autem pœnarum, quãdo quis vt abstineat à peccatis, nõ mouetur alioqui virtutis amore. Atque hanc sententiam Bannes (vt videtur) magis probat.

Sed mihi videtur scrupulosa, & nõ satis etiam consentanea fideliũ existimationi & praxi. Nam etiam cùm in huiusmodi casibus aliquis peccat oblitus omnis Timoris diuini, putatur solùm committere vnum peccatum, & satisfacere, si in Confessione se accuset de peccato eo, quod aliâs committit, vt v. g. de furto vel adulterio, aut etiã quòd se exposuit huiusmodi peccatorum periculo. Itaque annexus defectus Timoris diuini, solùm videtur esse communis quædam conditio omnium peccatorum, à quibus quis non deterretur per timorem. Sicut etiam non est speciale peccatum, sed conditio omnium peccatorum, defectus considerationis rerum diuinarum, & aliorum remediorum, quæ possunt retrahere à peccando, & negliguntur ab iis, qui peccant.

FINIS SECVNDÆ DISPVTATIONIS.

DISPVTATIO TERTIA GENERALIS.

DE CHARITATE ET EI ANNEXIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES VIGINTI.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM TERTIAE DISPVTATIONIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipsa Charitate secundum se.

PVNCT. I. *Quid sit Charitas, an scilicet sit virtus aliqua & qualisnam virtus.*
II. *Vtrum Charitas verè quoq; ac propriè sit quædam amicitia.*
III. *Quænam sit Charitatis cum cæteris virtutibus comparatio.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Subiecto & Causa efficiente, augente, minuente, vel corrumpente Charitatem.

PVNCT. I. *Quodnam sit subiectum, & quæ causa efficiens Charitatis.*
II. *An accipiat Charitas à sua causa efficiente aliquam perfectionis quantitatem, secundum quam possit esse vel maior vel minor, & vnde sit æstimanda ea perfectionis quantitas.*
III. *An & quomodo possit Charitas augeri secundum aliquam perfectionis suæ quantitatem.*
IV. *An & quomodo iam habita possit amitti.*
V. *Vtrum possit diminui.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Obiectis Charitatis.

PVNCT. I. *Quæ sint diligenda ex Charitate & quomodo.*
II. *Vtrum ob aliquam circumstantiam fieri possit, vt res aliquæ, quæ essent alioqui diligendæ ex Charitate, minimè debeant ex Charitate diligi.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Ordine Charitatis, quo scilicet debet ea tendere in diuersa sua obiecta.

PVNCT. I. *Vtrum sit aliquis ordo Charitatis, secundum quem magis debemus diligere vnam rem, quàm aliam, & qualis sit eiusmodi ordo.*
II. *Vtrum teneamur magis diligere Deum, quàm vel nos ipsos, vel quemcunq; proximum.*
III. *Vtrum nos ipsos magis teneamur, quàm proximos diligere.*
IV. *An teneamur magis diligere vnum proximum, quàm alium.*
V. *Quas ob causas vnus proximus magis quàm alius debeat diligi, seu quænã in proximis considerandæ sint, vt alter altero magis diligi debeat.*
VI. *Vtrum in cælesti patria futurus sit etiam aliquis ordo Charitatis.*

QVÆSTIO QVINTA.

De actu Charitatis proximo, qui est amor siue dilectio.

PVNCT. I. *Quidnam sit propriè amor Charitatis.*
II. *Quomodo possimus ac debeamus Deum actu amoris prosequi.*
III. *Vnde potissimũ sit æstimãda perfectio amoris, atq; adeo etiã meriti dignitas in eo.*

QVÆSTIO SEXTA.

De duobus effectibus internis Charitatis, nempe de gaudio & pace.

PVNCT. I. *De Gaudio.*
II. *De Pace.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Misericordia, quæ est item effectus quidam internus Charitatis.

PVNCT. I. *Quid propriè sit Misericordia.*
II. *Vtrum misericordia sit actus virtutis peculiaris, quæ itẽ nominetur misericordia.*
III. *Qualisnam virtus sit Misericordia, an scilicet sit præstantior Charitate.*

QVÆSTIO OCTAVA.

De Beneficentia, quæ est externus effectus Charitatis.

PVNCT. I. *Quæ sit ratio Beneficentiæ in proposito, & quomodo sit benefaciendum.*

QVÆSTIO NONA.

De Eleemosyna, quæ est item Effectus externus Charitatis mediante misericordia.

PVNCT. I. *Quid sit Eleemosyna.*
II. *Quotuplex sit Eleemosyna.*
III. *Quanta sit eius præstantia & vtilitas.*
IV. *De necessitate Eleemosynæ.*
V. *Ex quibus rebus Eleemosyna sit facienda, seu quæ sit materia eleemosynæ.*
VI. *Quinam possint facere Eleemosynam.*
VII. *Quibus facienda sit Eleemosyna.*

QVÆSTIO DECIMA.

De Correctione fraterna, quæ est quidam effectus externus Charitatis, & Eleemosynæ spiritualis.

PVNCT. I. *Quidnam sit Correctio fraterna.*
II. *An ex Diuino præcepto correctio fraterna sit adhibenda, & quando.*
III. *A quibus adhibenda sit correptio fraterna.*
IV. *Quibusnam sit correptio adhibenda.*
V. *Quomodo adhibenda sit correptio.*

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Odio quod est vitium contrarium Charitati.

PVNCT. I. *An & quatenus contingat aliquando Deum aut proximum odio haberi.*
II. *Quantum & quale peccatum sit odium Dei & proximi.*

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Acedia, quod est vitium contrarium gaudio Charitatis.

PVNCT. I. *Quale & quantum peccatum sit Acedia.*
II. *De eius remedio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Inuidia, quæ est item contraria gaudio Charitatis.

PVNCT. I. *Quid sit inuidia.*
II. *De prauitate inuidiæ.*
III. *De Inuidiæ remedio.*

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

De Discordia & Contentione, quæ sunt duo vitia contraria paci Charitatis in corde & ore.

PVNCT. I. *Quale & quantum peccatum sit discordia.*
II. *Quale & quantum peccatum sit contentio.*

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Schismate, quod est vitium contrarium Charitatis paci in opere.

PVNCT. I. *Quale peccatum sit Schisma.*
II. *Quantum peccatum sit Schisma.*
III. *Quænam sint pœnæ Schismaticorum.*

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De Bello, quod est item contrarium paci Charitatis.

PVNCT. I. *An bellum aliquod possit esse iustum ac licitum.*
II. *Quænam requirantur conditiones, vt bellum sit licitum.*
III. *Quonam modo sit gerendum bellum.*
IV. *A quibusnam bellum geri possit.*
V. *Quonam tempore bellum geri possit.*

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Rixa & Seditione, quæ sunt item contra pacem Charitatis.

PVNCT. I. *Quid sit rixa, & an semper sit peccatum & quale.*
II. *Quid & quale peccatum sit seditio.*

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De Scandalo quod est contrarium beneficentiæ Charitatis.

PVNCT. I. *Quid & quotuplex sit scandalum.*
II. *An scandalum sit peccatum & quale.*
III. *An scandalum cadat etiam in viros perfectos.*
IV. *Quidnam oporteat facere vel omittere ad vitandum scandalum.*

QVAESTIO DECIMANONA.

De præceptis Charitatis.

PVNCT. I. *Quomodo & quando obliget præceptum de Dilectione Dei.*
II. *Quomodo & quando obliget præceptum de Dilectione proximi.*
III. *An etiam ordo Charitatis sit in præcepto.*

QVAESTIO VIGESIMA.

De Dono Sapientiæ, quod est Charitati annexum, & de Stultitia quæ est ei dono contraria.

PVNCT. I. *Quale donum sit donum Sapientiæ, & quam affinitatem habeat cum Charitate.*
II. *Qualenam peccatum sit Stultitia.*

IHS

DISPVTATIO TERTIA GENERALIS.

DE CHARITATE ET EI ANNEXIS.

D. Thomas 2. 2. à q. 23. vsque ad 46.

DISSERVNT DE HAC MATERIA *Theologi cum Magistro lib. 3. sent. dist. 27. vsq; ad 37. & nonnihil etiam in 1. sent. dist. 17. & in 2. dist. 27. sed omnium accuratissimè D. Thomas in 2. 2. à quæst. 23. vsque ad 46. Patres etiam suis in scriptis frequenter disserunt de Charitate: Ac peculiariter sanctus* AVGVSTINVS *in libro de perfectione Iustitiæ tomo 7. Et extat in eiusdem operibus tomo 4. liber alius, de Substantia Dilectionis, & tomo 9. alius, de diligendo Deum, & item alius de quatuor virtutibus Charitatis. De quibus tamen libris incertum est, num sint Augustini. Sanctus etiam* BERNARDVS *librum scripsit de diligendo Deum. Extant quoque in Appendice Bibliothecæ sanctorum Patrum centuriæ quatuor capitulorum de Charitate, S.* MAXIMI *Confessoris, antiqui auctoris Græci.*

Nos autem, quæ pertinent ad hanc materiam, quæstionibus viginti complectemur. PRIMA *quæstio erit, de ipsa Charitate secundùm se.* SECVNDA, *de illius caussa materiali seu subiecto, itemq; de caussa efficiente, à qua scilicet gigni Charitas, augeri, minui vel corrumpi possit.* TERTIA, *de illius obiectis, id est, de rebus, quæ per Charitatem diligi possint aut debeãt.* QVARTA, *de ordine illius, quo scilicet debet tendere in diuersa sua obiecta.* QVINTA, *de illius actu proximo, qui est amor.* SEXTA, *de duobus effectibus internis Charitatis, nempe de Gaudio, & Pace.* SEPTIMA, *de Misericordia, quæ est etiã internus effectus Charitatis.* OCTAVA, *de Beneficentia, quæ est Charitatis effectus externus.* NONA, *de Eleemosyna, quæ est etiam effectus externus Charitatis.* DECIMA, *de Correctione fraterna, quæ est item quidam externus effectus Charitatis, & velut eleemosyna spiritualis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

UNDECIMA, de Odio, quod est vitium contrarium ipsi Charitati. DVODECIMA, de Acedia, quæ est vitium contrarium Gaudio Charitatis. DECIMATERTIA, de Inuidia, quæ similiter est eidem Gaudio cõtraria. DECIMAQVARTA, de Discordia & Contentione, quæ sunt duo vitia contraria Paci Charitatis. DECIMAQVINTA, de Schismate. Quod est etiam contrarium Paci. DECIMASEXTA, de Bello, quod etiam est contrarium Paci. DECIMASEPTIMA, de Rixa & Seditione, quæ sunt item alia vitia Paci Charitatis contraria. DECIMAOCTAVA, de Scandalo, quod opponitur Beneficentiæ Charitatis. DECIMANONA, de ratione ac forma eorum præceptorum Charitatis, quæ in Scriptura extant. VIGESIMA, de dono Sapientiæ, quod respondet virtuti Charitatis, itemq; de Stultitia, quæ est ei dono contraria.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipsa Charitate secundùm se.

D. Thomas 2. 2. quæst. 23.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, QVID SIT CHARITAS, an scilicet sit virtus aliqua, & qualisnam virtus. SECVNDO, Vtrum Charitas verè quoque ac propriè sit quædam amicitia. TERTIO, Quænam sit eius cum cæteris virtutibus comparatio.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Charitas, an scilicet sit virtus aliqua, & qualisnam virtus.

D. Thomas art. 2. 3. 4. 5.

QVÆ PERTINENT AD COGNOscendam essentiam Charitatis, nonnisi per partes explicantur in aliquot articulis à D. Thoma: qui etiam prius quærit, an Charitas sit amicitia, quàm sitné essentialiter virtus, & quænam virtus. Sed expediet, omnia inprimis quæ ad essentiam Charitatis secundùm se spectant, simul declarare & tanquam in vnum conspectum subiicere.

Porrò essentia & ratio Charitatis ab ipsa nominis notatione commodissimè duci poterit. Latinum igitur hoc vocabulum *Charitatis*, siue id à Græco nomine χάρις, id est, gratia, ductum sit, vt quidam volunt, siue aliam originé habuerit: apud Latinę linguę auctores generatim significat amorem honestum in eos, qui & per se amẽtur gratuitò, & vicissim redamare possint. Ita hoc nomen passim vsurpatur cùm ab aliis, tum à Cicerone. Vt cùm lib. 1. de natura Deorũ sub finem inquit, *Prata, & arua, & pecudum greges di-*

A *ligũtur isto modo quòd fructus ex eis capiuntur. Hominum charitas & amicitia gratuita est.* Et lib. de Amicitia cùm ait, *Charitatẽ, quæ est inter parentes & liberos, dirimi nisi detestabili scelere non posse.* Ex qua postrema sententia apparet, hoc vocabulo Latinè significari nõ modò amorem actualem, qui momento euanescit, sed etiam habitualem, qui consistentiam quandam habet durabilem. Hunc enim inprimis vult Cicero inter parentes & filios non posse dirimi sine scelere.

B In eadem significatione vsurpatur in Scriptura passim hoc vocabulum à vulgato interprete, cùm vel Dei Charitas erga nos commendatur, vel nostra erga illum, & etiam inter nos requiritur. Vt Hierem. 31. *In Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Quo loco sicut in aliis veteris Testamenti, pro vocabulo *Charitatis*, in Hebræo est nomen Habaa, quod significat similiter gratuitum amorem. Item ad Ephesios secundo: *Deus propter nimiam Charitatem suam, qua dilexit nos,*

A *nos, & cùm essemus mortui peccatis, vinificauit nos Christo.* Et ad Colossen. 3. *Super omnia autem hæc Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et ad Romanos duodecimo: *Charitatem fraternitatis diligentes, &c.* In quibus & aliis noui Testamenti locis pro hoc vocabulo in Græco est nomen ἀγάπη, quod significat dilectionẽ illam Charitatis. Atque eodem modo vocabulum Charitatis vsurpatur à Theologis & Ecclesiasticis Scriptoribus passim.

Hinc per Metaphoram accommodari etiam solet hoc vocabulum ad res quasdam significandas, quæ habeãt respectum aliquem ad amorem illum Charitatis. Nam Deus appellatur à D. Ioanne, 1. epist. cap. 4. *Charitas* non modò quia ipse propriè & essentialiter est sua Charitas, sicut sua iustitia & sua bonitas; nec ideo tantum, quia ipse est Spiritus sanctus, qui personaliter est amor seu charitas, sed etiam quia charitatem erga se nobis impertit, iuxta illud ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, de quo loco postea dicemus.

B Sic etiam Sacramentum Eucharistiæ seu Cœnæ Dominicæ, quoniam est Symbolum charitatis, qua Christiani inter se & cum Christo vniti esse debent, olim appellatum fuisse videtur ἀγάπη, quod latinè est dilectio; vt potest intelligi ex TERTVLLIANO in Apolog. contra Gentes, cap. 39. vbi de hoc mysterio videtur loqui, cùm ita scribit: *Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est.* Quibus verbis indicat, eò mysterium Cœnæ Dominicæ spectare, vt Charitas & dilectio inter nos & erga Christum magis coalescat. Quanquam Apostolus quidem 1. ad Cor. 11. vbi legimus: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare*, pro cœna nõ dixit ἀγάπην, sed δεῖπνον.

C Atq; etiam ex S. AVGVSTINO lib. 20. contra Faustum Manichæum, capite 20. apparet, quædam quoque alia conuiuia seu refectiones, ad quas admittebantur pauperes, fuisse olim inter Christianos nominatas ἀγάπας, eâdem metaphora; quia scilicet instituebantur ex dilectione Charitatis. Sic enim AVGVSTINVS illo loco scribit: *Agapes nostræ, pauperes pascunt, siue frugibus, siue carnibus.*

Nec dissimili ratione apud Romanos olim conuiuium quoddam consanguineorum et affinium, ad id institutum, vt inter eos instauraretur animorum mutua beneuolentia & concordia, χαριστία nominabatur, vt memorat Valerius Maximus, lib. 2. cap. 1. Quod vocabulum à vocabulo Charitatis videtur deductum fuisse.

D Porrò Theologi in hac materia nõ metaphoricè, sed propriè accipiunt id vocabulum, pro amore scilicet honesto & gratuito, quo Deum non quomodocunque consideratum, sed etiam vt est auctor donorum supernaturalium gratiæ, & obiectum futuræ beatitudinis, supernaturaliter diligimus, & consequenter proximum etiam propter Deum. Ac inprimis de hoc amore loquuntur in hac disputatione Theologi, vt est quiddam in animis nostris permanens & durabile, atque adeo principium actualis amoris, quo Deum & proximum dicto modo prosequimur.

Quocirca iuxta hanc vocabuli notionem à Theologis vsitatam, breuiter potest describi charitas ex sententia D. AVGVSTINI libro de moribus Ecclesiæ, cap. 11. sic: *Charitas est virtus coniungens nos Deo, qua ipsum diligimus.* Sed vt huius descriptionis vis atque adeo tota essentia Charitatis penitus à nobis percipiatur, QVATVOR assertiones de Charitate sunt hoc loco confirmandę, quas ponit etiam D. Thomas in quatuor articulis huius quæstionis.

PRIMA est, Charitatem hanc non esse essentialiter ipsum Deum, sed aliquid creatum in nostra anima.

SECVNDA, esse verè virtutem.

TERTIA, esse certam quandam virtutẽ Theologicã ab aliis virtutibus tum Theologicis, tum moralibus distinctam.

QVARTA, esse virtutem vnicam specie.

Charitatem esse quiddam creatum.

PRIMAM assertionem statuimus cum D. Thoma, art. 2. contra Magistrum sententiarũ, qui motus quibusdam Scripturæ & Augustini testimoniis, ad quæ postea facilè respondebimus, sibi persuasit in 1. sent. d. 17. charitatem, qua Deum & proximum diligimus, non esse virtutem aliquam creatam, sed ipsum Spiritum sanctũ. Sic enim in illa d. 17. litera B. loquitur: *Ipse idem Spiritus sanctus est amor siue charitas, qua nos diligimus Deum & proximum.* Et infrà litera S. sententiã suam magis declarans: *Alios*, inquit, *actus atq; motus virtutum operatur Spiritus sanctus mediantibus virtutibus, quarum actus sunt; Vt actũ fidei fide media, & actum spei media spe. Per fidem enim & spem prædictos operatur actus. Diligendi verò actum per se tantum sine alicuius virtutis medio operatur.* Hactenus ille.

Sed assertio nostra, nempe Charitatem esse aliquid creatum in anima, est communis Theologorum in 1. dist. 17. & iam post Concilium maximè Tridentinum certa ex fide. Nec in hac assertione instituimus nunc probare, charitatem esse virtutem (id enim ostendemus in confirmatione assertionis secundæ) sed esse, vt dixi, aliquid creatum. Idque affirmo esse certum ex fide.

Probatur PRIMO ex Scriptura, quæ non rarò distinguit inter Spiritum sanctum & Charitatem, vt inter caussam & effectum, seu datorem & donum. Vt ad Romanos quinto: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vbi de Charitate Dei est sermo, non qua Deus nos diligit, sed qua Deum

diligimus, vt ipse Magister sententiarum vbi suprà agnoscit litera N. & exponunt Patres Concilij Tridentini, sessione sexta, capite septimo, ac ante illos disertè quoque diuus AVGVSTINVS libro de spiritu & litera, cap. 32. his verbis: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos, sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere simus, & Domini salus. Psalm. 3. qua nos saluos facit; & fides Iesu Christi, qua nos fideles facit.* Si igitur Charitas tribuitur nobis ab ipso Spiritu sancto, seu quod idem est, per Spiritum sanctum, non est illa ipse Spiritus sanctus. Item ad Galatas quinto: *Fructus autem Spiritus est Charitas.* Et prima Ioannis quarto: *Diligamus nos inuicem, quia Charitas ex* DEO *est*, vtique vt quidam effectus, & non essentialiter ipse DEVS.

Huc adde etiam Scripturæ loca, in quibus planè significatur, Charitatem ipsam per se ordinari; maiorem vel minorem esse; perfectam vel imperfectam; crescere; minui; amitti; recuperari, &c. Quæ certè de ipsa Spiritus sancti persona non nisi ineptè dici possent. Vt Cantic. secundo: *Ordinauit in me charitatem*; & Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* vbi Græcum vocabulum est, ἀγάπην, quod charitatem significat. Et prima Ioannis secundo: *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Et ad Philip. 1. *Hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet.* Et Apocalyp. 2. *Habeo aduersùs te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor itaque esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, &c.*

Nec est solida responsio Magistri sententiarum vbi suprà, cùm de vno vel altero testimonio ex his dicit, debere illa accipi de Charitate, quæ est Spiritus sanctus, non prout est in se, sed prout est in hominibus iustis, quomodo etiam quarto Regum secundo, Helisæus petiuit, vt Spiritus, qui erat in Helia, fieret in ipso *duplex*. Hæc inquam responsio non sufficit. PRIMO, quia Scriptura in his locis planè loquitur de ipsa per se charitate, vt est charitas. DEINDE, quia ex hac ipsa responsione Magistri potest clarissimè illius sententia redargui. Nam Spiritus sanctus non est in iustis hominibus præcisè per id, quo est Spiritus sanctus absolutè: (tunc enim semper & in omnibus esset tanquam in iustis, cùm ipsa substantia Spiritus sancti sit semper eadem & inuariabilis) sed per aliquod donum gratiæ ab ipso distinctum; cuius mutatione fiat, vt homo vno tempore habeat in se inhabitantem Spiritum sanctum, alio verò non item, idque sine vlla Spiritus sancti ipsius mutatione: Ergo si Spiritus sanctus, quatenus est in nobis, est illa charitas nostra, de qua Scripturæ citatæ sint accipiendæ; non est, nec dici debet ipse per se nostra charitas, sed per aliquod gratiæ donum à se distinctum, atque adeo creatum.

Spiritus autem ille, quem Helisæus optabat in se fieri duplicem, donum aliquod erat ipsius Spiritus sancti. Nam & Spiritus sancti donum, Spiritus solet in Scriptura appellari. Vt cùm ait Apostolus ad Romanos octauo: *Non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex* DEO *est, vt sciamus quæ à* DEO *donata sunt nobis.*

SECVNDO probatur assertio ex Conciliis. Nam in Concilio ARAVSICANO, can. 25. ita dicitur: *Prorsùs donum Dei est diligere Deum, diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filij, quem cum Patre amamus & Filio.* Nec potest hoc intelligi de Charitate solùm actuali, sed inprimis etiam de habituali, quæ est principium actualis. Loquitur enim ibi Concilium, vt patet ex sequentibus, de charitate, quæ infunditur omnibus baptizatis, atque adeo etiam paruulis, in quibus non est actualis charitas; bene autem ea, quæ est principium actualis; sicut etiam eo modo loquitur Apostolus ad Roman. 5. suprà citatus, ad cuius testimonium alludit hìc Concilium. Ac suprà etiam canone quarto & sexto, declarauerunt huius Concilij Patres, idem esse communicari nobis aliquid *per infusionem Spiritus sancti*, & id communicari *per inspirationem & operationem Spiritus sancti*. Ex quo est consequens, vt charitas, quam per Spiritum sanctum infundi nobis asserunt, sit planè effectus distinctus ab ipso Spiritu sancto.

Item in Concilio VIENNENSI, vt refertur in Clementina vnica *de Summa Trinitate*, approbatur ea sententia Theologorum, quæ asserit, omnibus in baptismo tam paruulis, quàm adultis conferri informantem gratiam & virtutes, puta fidem, spem, & charitatem. Quo loco saltem supponitur vt certum, charitatem esse aliquid creatum non minus quàm spem & fidem.

Præterea in Concilio TRIDENTINO, sessione sexta, capite septimo, cùm Patres definiunt modum iustificationis impij, inter cætera sic dicunt: *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.* Quod idem sub anathemate repetunt eadem sess. canone 11. Est igitur charitas aliquod accidens creatum, siquidem Spiritus sanctus minimè in cordibus inhæret.

TERTIO probatur ex Patribus, qui similiter de Charitate loquuntur, vt de dono aut virtute ab ipso Spiritu sancto distincta. Sanctus AVGVSTINVS libro de spiritu & litera, cap. 32. *Vnde*, inquit, *est dilectio, id est, charitas, per quam fides operatur, nisi vnde illam ipsa fides impetrauit? Non enim esset in nobis, nisi diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Charitas quippe Dei dicta est diffundi, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos:* At Spiritu sancto nos DEVS Pater diligit, cùm ipse sit amor: Ergo ex sententia Augustini, charitas, qua nos diligimus Deum, non est Spiritus

sanctus,

sanctus, siquidem est alia quædam ab ea, qua nos Deus diligit, vt ait ibi Augustinus.

Præterea D. AMBROSIVS libro 10. epistolarum, epistola 84. æquè aliquid creatum censet esse charitatem atque humilitatem: de vtraque enim loquens ita scribit: *In nullo ha virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earum constituitur, simul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas.* Certè Spiritus sanctus nullo modo censeri potest pars humilitatis.

Item D. HIERONYMVS in caput 5. epistolæ ad Galatas: *Quæ alia*, inquit, *inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas, sine qua virtutes cæteræ non putantur esse virtutes, & ex qua nascuntur vniuersa, quæ bona sunt?*

Item D. GREGORIVS lib. 1. in Iob, cap. 28. apertè docet, charitatem, æquè atque fidem & spem, esse non Spiritum sanctum, sed effectum, & quasi fœtum quendam Spiritus sancti in animis nostris. Vnde ait, has tres virtutes significari per tres filias, quæ natæ sunt Iob, præter septem filios; per quos dicit quoque significari septem dona seu virtutes Spiritus sancti: *Habent*, inquit, *in nobis septem hi filij, tres procul dubio sorores suas, quia quicquid vtile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei, charitati, coniungunt.*

QVARTO probatur optima ratione D. Thomæ, artic. 2. quam ita formo: Si homo voluntate sua est vera causa non instrumentalis, sed principalis secunda per charitatem efficiens dilectionem eam, qua Deum supernaturaliter amamus; consequens est, vt charitas sit aliqua perfectio creata attributa diuinitus ipsi voluntati: Sed verum est antecedens: Verum igitur & consequens. Maior probatur. Nam id quo causa principalis secunda efficit verè aliquid, debet esse quiddam in ipsamet causa, cùm per id oporteat causam principalem esse aptam in actu primo ad producendum effectum, ipsique effectui proportionatam. Quare cùm dilectio charitatis sit secundùm substantiam quoque suam quidam actus supernaturalis, vt habet verior sententia Theologorum, & quæstione sequenti probabimus, atque ideo voluntas naturâ sua sola minimè sit sufficienter apta ad eam dilectionem efficiendam; consequens est, vt charitas, per quam voluntas ad id apta & sufficiens redditur, sit aliqua perfectio creata ipsius voluntatis, non minus quàm fides & spes, per quæ supernaturaliter credimus & speramus. Minor autem patet ex Scriptura, vbi dilectionem charitatis requirit Deus à nobis, tanquam actum quendam nostrum proprium, vt Deuteronom. sexto, & Matthæi 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.*

Quæ autem adfert Magister sententiarum pro sua sententia, facilè refelli possunt. PRIMO obiicit illud ex Scriptura: *Deus charitas est*, 1. Ioan. 4.

RESPONDEO cum D. AVGVSTINO, libro 15. de Trinitate, cap. 17. loqui his verbis Apostolum nõ de charitate, qua nos formaliter & immediatè Deum diligimus, sed qua Deus diligit nos, eaque personali, hoc est, de ipso Spiritu sancto, qui est amor. Quam charitatem vult Augustinus ibi à Ioanne dici esse ex Deo Patre. Quanquam etiam hoc dictum potest intelligi de dilectione nostra, quæ est Dei effectus, vt suprà ex hoc etiam loco confirmaui.

Neque obstat huic responsioni, quòd Ioannes ideo dicit, charitatem esse Deum, vt ea commendatione charitatis cõmoueat nos ad Deum & proximum diligendum, per nostram vtique charitatem. Nam non tunc solùm charitas nostra commendatur, cùm ipsa in se extollitur, sed etiam cùm extollitur charitas illa diuina, quæ est ipsa persona Spiritus sancti, atque adeo Deus; quandoquidè charitas nostra est peculiaris quidam effectus & participatio illius diuinæ charitatis, atque adeo ipsius Spiritus sancti. Itaq; non absurdè Ioannes iuxta illam expositionem Augustini ipsam diuinam charitatem prædicat, affirmans eam esse Deum, vt hoc ipso nostram nobis charitatem commendet.

SECVNDO, obiicit Magister quędam testimonia AVGVSTINI. Vt quod lib. 8. de Trinitate, cap. 7. ita scribit: *Qui proximum diligit, consequens est, vt ipsum præcipuè dilectionem diligat: Deus autem dilectio est: Consequens ergo est, vt præcipuè Deum diligat.* Et cap. 8. eiusdem libri, explicans locum illum Ioannis: Deus charitas est; *Apertè*, inquit, *declarat Ioãnes, eandem ipsam fraternam dilectionem, qua diligimus inuicem non solùm ex Deo, sed etiam Deum esse, quam videmus tanta auctoritate commendari.*

RESPONDEO, in vtroque loco Augustinum intelligere dilectionem, quæ est ipse Spiritus sanctus, non autem eam, qua nos immediatè & formaliter Deum diligimus, sicut ipsemet lib. 15. de Trinitate, cap. 17. apertè exponit, non nisi dilectionem illam diuinam à Ioanne ibi intelligi. Neque obstat, quod hanc dilectionem in posteriori loco vocat *fraternam, qua diligimus inuicem.* Nam ipsa quoque diuina dilectio personalis, quæ est Spiritus sanctus, vocatur ab Augustino fraterna dilectio, qua nos diligimus, non quia per illam proximè & formaliter nos diligamus, sed quia dilectio atque charitas nostra, qua proximè & formaliter diligimus nos, est quædam peculiaris participatio illius diuinæ. Quo fit, vt mediatè quidem per illam etiam diuinam nos diligamus. Quemadmodum isto etiam sensu dicimur boni bonitate diuina, scilicet mediatè, quatenus nostra bonitas est quædam participatio diuinæ bonitatis, vt notat diuus Thomas hic articulo secundo ad primum.

Quin etiam ipse Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 17. ita seipsum explicat his verbis: *Spiritus sanctus cùm datus fuerit homini, accendit eum in*

dilectio-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

dilectionem Dei & proximi, & ipse dilectio est. Non enim habet homo, vnde Deum diligat, nisi ex DEO; quasi dicat, ideo Spiritum sanctum dici nostram dilectionem, quia ipsius participatio est illa dilectio, per quam ipsum diligimus.

Quanquam rectè nihilominus ibidem Augustinus probauerat, propriè item à Ioanne dictum esse, quòd Deus sit charitas, qua ipse scilicet immediatè nos amat, & nos etiam inuicem amamus mediatè: non autem id à Ioanne dici tantum impropriè, sicut Psalmo 70. dicitur impropriè solùm: *Tu es patientia mea*, quoniam à Deo est patientia nostra, iuxta illud Psalmi 61. *Quoniam ab ipso est patientia mea.* Quem Augustini locum frustra etiam Magister pro se adfert. Neque enim aliud ex eo sequitur, quàm quòd Deus propriè quoque sit charitas (vt iam dictum est) cùm non sit item propriè patientia nostra; non autè quòd sit Deus illa ipsa charitas, per quam immediatè & formaliter eum nos diligimus.

Ac per hanc explicationem possunt conciliari duo loca Augustini de hac re, quæ videntur cõtraria. ALTER locus est ille lib. 8. de Trinitate, cap. 8. vbi ait, dilectionem, qua inuicem diligimus nos, appellari Deum à Ioanne. ALTER est lib. 15. de Trinitate, cap. 17. vbi postmodum diserte verbis ait, id à Ioanne dictum esse, *cùm Dei*, inquit, *dilectionem commemoraſſet, non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos.* Vtrumq; enim diuerso sensu est verum, scilicet quòd dilectione diuina, quæ est Spiritus sanctus, diligimus nos, puta mediatè; & non diligimus, puta immediatè & formaliter.

TERTIO conficit Magister rationem quandam ex alio quodam Augustini loco hunc in modum: Charitate nostra nullum est bonum melius, secundùm Augustinum libro de moribus Ecclesiæ, cap. 11. Ergo charitas nostra est Deus. Nam solus Deus est, quo nihil est melius. Sic enim ibi Augustinus loquitur: *Si nulla res à Dei charitate nos separat, quid esse non solùm melius, sed etiam certius hoc bono potest?*

RESPONDEO primò Augustinum his verbis non de ipso bono charitatis loqui, sed de bono, cui per charitatem ita inhæremus, vt nulla res ab eo nos separare debeat; (sicut patet ex antecedentibus & sequentibus Augustini verbis) quod bonum est ipse Deus, quem per charitatem diligimus. Deinde rectè etiam charitas nostra dici potest bonum summum & optimum non simpliciter, sed inter omnes virtutes, quas in hac vita assequimur.

Posset QVARTO obiici pro Magistro tale argumentum ex Augustino: Per nullam creaturam possumus *à vanitate separari & Deo conformari & connecti*, vt ait Augustinus libro de moribus Ecclesiæ, cap. 14. cùm omnis creatura *vanitati subiecta sit*, vt inquit Apostolus ad Roman. 8. *neq; nos*, ait Augustinus, *possit à vanitate separare, veritatiq; connectere, quod subiectum est vanitati*: Sed separamur à vanitate, & Deo conformamur ac connectimur per charitatem, vt ibidem affirmat Augustinus: Ergo charitas non est creatura.

RESPONDEO, Maiorem propositionem ex sententia Augustini non de omnibus omnino creaturis, sed de omnibus, quæ sint ordinis naturalis veram esse. Nam de his solùm intelligitur, quod Apostolus ait, *creaturam esse vanitati subiectam*; charitas autem non est creatura eius ordinis, sed est creatura supernaturalis & noua. Cuius generis creaturam minimè vanam censuit Apostolus; sed summam potius nostræ salutis ei adscribit, cùm ad Galat. 6. ait; *In Christo* IESV *neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.* Et 1. ad Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest, &c.*

POSTREMO posset obiici, quòd Charitas, vt concedit D. Thomas hîc art. 2. in solutione tertij, habet effectum infinitum in animis nostris, dum coniungit nos Deo: Ergo ipsa etiam est infinita, ac proinde Deus; maximè cùm habeat hûc effectum tanquam caussa formalis, sicut ibidem D. Thomas concedit, nec effectus formalis distinguatur re à sua caussa.

Ad hoc argumentum omissis iis, quæ de hac re scribit hîc intricatè Caietanus, breuiter RESPONDEMVS distinguendo antecedens. Nam effectus formalis charitatis non est infinitus simpliciter, sed tantummodo secundùm quid, si videlicet respicias terminum ac finem, in quem per charitatis habitudinem ordinamur, qui est Deus infinitus. Neque aliter hunc effectum charitatis D. Thomas vult esse infinitum, vt patet ex collatione illius solutionis cum argumento. Ita fit, vt hic effectus charitatis non arguat infinitatem simpliciter in ipsa charitate, sed in Deo, à quo tanquam à caussa efficiente habet suam vim omnem & perfectionem charitas, sicut quælibet alia forma à suo efficiente, vt rectè dicit diuus Thomas. Atque huc etiam redit summa eorum, quæ hîc disserit Caietanus.

Charitatem verè virtutem esse.

SEquitur vt SECVNDAM assertionem probemus, scilicet charitatem esse verè *virtutem*. Cùm autem duo sint de virtutis ratione, nempe vt & sit *habitus* aliquis permanens, & vt sit *bonus* ac rectus habitus: vtrumque de charitate facilè probabimus. Et quidem eam esse HABITVM, nõ habent aliqui pro vsque adeo certo, vt id negare sit hæresis, vel expressus error contra fidem. Ex quibus est Dominicus Sotus lib. 2. de natura & gratia, cap. 17. & 18. & Dominicus Bannes in Cõmentario suo ad secundam secundæ D. Thomæ, quæst. 23. artic. 2. Quod potest inde confirmari, quia in Clementina vnica *de summa Trinitate* ex Concilio Viennensi, & in Capitulo *Maiores*, de Baptismo & eius effectu, quod est Innocentij III. commemoratur, iam olim inter Doctos fuisse controuersiam, vtrum sint aliqui huiusmodi habitus

infusi diuinitus hominibus iustis; nec tamè sententia, quæ id affirmat, definitur ibi tanquam certa & indubitata, sed solùm eligitur & anteponitur contrariæ, *tanquam probabilior*, vt diserte verbis in illa Clementina dicitur.

Sed quamuis ob hanc Doctorum controuersiam nondum in Ecclesia satis expresè determinatam, ego quoque censeo, cum Soto & Banne, non esse expressum errorem, aut hæresim, negare, charitatem (vt etiam spem ac fidem) esse habitum; tamen inter omnes conuenit, id esse valde temerarium & errori proximum. Quin etiam opinor, id esse reuera contra fidem, atque adeo assertionem nostram esse ex fide certam, vt sensit quoque Gabriel in 3. distinct. 23. quæstione 2. artic. secundo, propos. 3. licet hoc ipsum, quod ita sentio, non satis in Ecclesia sit exploratum, propter quam caussam, vt dixi, contrarium sentire non esset hæresis, aut expressus error contra fidem.

Probatur autem PRIMO ex Scriptura, quæ de Charitate planè loquitur, vt de habitu permanente, 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ euacuabuntur, sive linguæ cessabunt, &c.* Vbi certè indicatur, charitatem suapte ratione esse quiddam durabile. Neq; enim de actu quopiam seu motu momentaneo aut illico desinente, dici potest, quòd nũquam excidat; cùm naturâ suâ momento elabatur. Item ibidem: *Nunc autem manent fides, spes, charitas tria hæc*: quibus verbis satis etiam permanẽtia & durabilitas horum trium ab Apostolo indicatur.

Item 1. Ioann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ex quo loco apparet, æquè durabiliter & permanenter iustos persistere in charitate, atq; Deus manet in illis, qui certè nõ momentaneè est aut interruptè, vt durat actus quispiam, sed cõtinenter in eis manet, dum iusti sunt: vt patet ex illo testimonio Christi, Ioann. 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Deniq; nisi charitas esset quiddam naturâ sua permanens & durabile, non satis aptè illud diceretur, quod legimus Apocal. 2. *Habeo aduersum te pauca, quòd primam charitatem reliquisti. Memento igitur vnde exciderit.* Neque enim ex actu vel motu aliquo duntaxat rectè diceretur quis excidere.

SECVNDO probatur ex Patribus suprà citatis in confirmatione assertionis primæ, qui de charitate, vt vidimus, loquuntur tanquam de habitu quodam, qui rectè possit adnumerari cæteris virtutum habitibus.

TERTIO probatur duplici ratione, qua vtitur D. Thomas hîc artic. 2. & huc propriè vtraque spectat. PRIMAM ita formo: Si charitas ea, quæ est principium dilectionis, non esset habitus; consequens esset, vt per eam non tam perfectè mens inclinaretur in charitatis actum, puta in dilectionem, quàm per alias virtutes in actus earum: At falsum est istud consequens: Ergo & id ex quo sequitur.

Maior probatur. Nam post rei potentiã & eius essentiam, à qua fluit potentia, maximè res inclinatur in actum aliquem per habitum; siquidem nulla alia res habet cum actu tam intrinsecam & essentialem connexionẽ atq; habitus, vt qui suapte ratione non ad aliud institutus est, quã vt vnà cum potentia sit comprincipium actus. Igitur, si Voluntas in suum actum dilectionis inclinaretur per charitatem nõ tanquam per habitum; minus perfectè per eam in suum actum inclinaret, quàm per alios virtutum habitus in actus earum.

Minor autem probatur: quia cùm charitas secundùm rationem suam, qua est nimirum aliquis amor, sit suapte naturâ quædam propensio siue inclinatio; per ipsam maximè inclinatur mens in eiusdem charitatis actum, qui est item amor; atque ita falsum est, quòd non tam perfectè mens inclinetur per charitatem in charitatis actum, quàm per alias virtutes in actus earum. Etsi enim proportionaliter quælibet virtus æquè inclinatur in suum actum atq; charitas in suum; tamen absolutè, & quasi arithmeticè (non autẽ Geometricè) comparando inclinationes virtutum aliarum cum inclinatione charitatis, hæc est omniũ maxima; siquidem, vt dictum est, charitas suapte ratione est quædam inclinatio, cùm sit quidam amor, vt rectè Caietanus hîc annotauit art. 2. explicans vim eius rationis D. Thomæ.

SECVNDAM autem rationẽ ita formo: Si charitas non esset habitus; voluntas per eam non amaret facilè & delectabiliter: At istud cõsequens est falsum: Ergo id ex quo sequitur. Maior probatur. Nam facilitas quædam & delectatio potẽtiæ in operando est modus quidam operationis, quẽ non cõsequitur potentia nisi beneficio habitus, per quem scilicet vehementius propendeat in actum. Minor autem probatur. Nam nihil est Dei amore delectabilius. vt abundè patet ex descriptione affectuum animæ Deum amantis, quæ extat tum alibi in Scriptura, tum maximè in Canticorum libro.

Posset huc addi tertia ratio eorum, qui censent adeo charitatem oportere esse habitum, vt sit planè impossibile, voluntatem nostram elicere actum dilectionis supernaturalis sine eiusmodi habitu: ex quibus est Dominicus Bannes, 2. 2. q. 23. art. 2. Nam oportet caussam alicuius effectus esse illi sufficienter proportionatam in actu primo, si sit caussa non instrumentalis, sed principalis secunda, vt est voluntas in proposito: At voluntas nostra non esset sufficienter proportionata supernaturali dilectionis actui, nisi perficeretur à charitatis habitu: Ergo fatẽdum est, charitatem esse habitum.

Cæterùm quamuis ratio hæc ducta ex proportione necessaria inter caussam & effectum, bene cõcludat, oportere charitatem esse saltem formam aliquã creatam superadditam diuinitus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsi voluntati, vt in cõfirmatione assertionis primæ nos argumentati sumus; tamen iudicio meo non planè conuincit oportere charitatem esse quoque formam habitualem. Non enim video, cur nõ posset Deus aliquam aliam formam creatam suppeditare voluntati in modum auxilij actualis, quæ supplere posset vim habitus, & æquè reddere voluntatem aptam ad eliciendũ actum dilectionis supernaturalis, licet non esset natura sua aliquid durabile, ac proinde neq; habitus, sed tantisper duraret, dum actus ille dilectionis eliceretur, vel etiã diutius, Deo nimirum eiusmodi formam præter aut supra illius naturam diutius conseruante in voluntate. Quo pacto in primo tomo disput. 1. q. 12. p. 3. explicuimus, posse etiam suppleri per Dei potẽtiam absolutam, habituale lumen gloriæ in intellectu beati.

Itaque assentior Capreolo in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 1. ad 3. qui ex mente D. Thomæ in multis locis ab eo citatis arbitratur, non esse impossibile absolutè, vt voluntas habeat actũ dilectionis supernaturalis sine habitu charitatis. Idq; etiam sensit Dominicus Sotus lib. 1. de natura & gratia, cap. 22. & lib. 2. cap. 16.

Neq; obstant verba D. Thomæ, cùm hîc art. 2. ait, necesse esse superaddi formam aliquam habitualem voluntati ad hoc, vt diligat Deum supernaturaliter. Loquitur enim de necessitate nõ absoluta, sed iuxta legem Dei ordinariam & suauem diuinæ prouidentiæ modum, quo Deus consueuit nonnisi per huiusmodi habituales formas perficere potentias ad actus excedentes earum facultatem naturalem, iuxta illud Sapien. 8. *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: quod ad hoc ipsum propositum citat ibi diuus Thomas. Charitatem igitur esse habitum ex lege Dei ordinaria, prioribus rationibus à nobis allatis satis superque probatur, nec est opus vti illa tertia.

Quòd autem Charitas sit habitus Rectvs, atque adeo vera virtus, patet primò ex eius amplissimis laudibus, quæ extant in Scriptura, tum aliàs, tum præcipuè, 1. ad Cor. 13. & ad Coloss. 3. vbi appellatur *vinculum perfectionis*. Secundò ex Patribus & Conciliis suprà citatis in confirmatione assertionis primæ. Tertiò ratione D. Thomæ hîc articulo tertio, quæ sic formari debet:

Omnis habitus, per actum suum contingens Deum eo modo, quo spectata hominis conditione & ipsius Dei, conuenit; est rectus, ac proinde virtus: Sed huiusmodi habitus est Charitas: Ergo, &c. Maior probatur: quia omnis rectitudo habitus & actus consistit in cõformitate quadam cum regula rectitudinis: quæ regula in primis est ipse Deus, & deinde recta hominis ratio, vt est subordinata Deo. Itaque cùm habitus contingens Deum per suum actum ita vt conuenit, sit cum Deo conformis; eo ipso est rectus, & proinde virtus. Minor autem probatur: quia cùm Deus vt obiectum supernaturalis beatitudinis, sit summum quoddam bonum hominis per se amabilissimum; nihil est conuenientius, quàm vt hoc summum bonum ametur ab homine, & eatenus contingatur; quod fit per actum proprium habitus charitatis. Atq; ita omni ex parte est confirmata iam secunda illa assertio.

Neque verò Obstat illi secundæ assertioni, quòd omnis habitus seu virtus, cùm sit quoddam accidens, est ignobilius quiddam, quàm anima nostra, quæ est substantia: Charitas autem est quiddam nobilius animâ, & omnibus aliis substantiis creatis, cùm sit supernaturalis res, altioris cuiusdam & diuini ordinis, vt patebit quæstione seq.

Ad hoc enim rectè diuus Thomas Respondet articulo secundo ad tertium, quòd etsi omne accidens secundùm communem rationem accidentis sit ignobilius quàm substantia creata, tamen quædam sunt accidentia, quæ secundùm rationem suam specificam seu peculiarem, sunt nobiliora quàm creata substantia, nempe illa, quæ non producuntur ex principiis naturalibus substantiæ creatæ, sed à superiori substantia, puta à Deo, communicantur, cuius naturæ videlicet sunt peculiaris quædam & excellentissima similitudo ac participatio: Huiusmodi autem accidens est charitas. Vnde diuus Petrus, 2. epist. capite primo, de huiusmodi supernaturalibus accidentibus loquens: *Magna*, inquit, *& pretiosa nobis donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ, &c.*

Nec valde probo, quod notat in illo articulo secundo Caietanus, doctrinam hanc D. Thomæ intelligi debere de maiore nobilitate charitatis quàm substantiæ, non simpliciter, sed *secundùm quid*. Non enim video cur propria & peculiaris ratio charitatis, vt est *tale* accidens, puta supernaturale, per quam veluti contrahitur & determinatur communis ratio accidentis, nequeat esse perfectius quiddam simpliciter (id est, omnibus consideratis) quàm propria ratio cuiuscunque naturalis substantiæ creatæ. Vt enim tomo primo disputat. 1. quæst. 3. punct. 6. disseruimus, nihil impedit, quò minus vna ratio communis imperfectior, quàm alia item communis, contrahatur per rationem inferiorem, quæ simpliciter sit perfectior, quàm ratio contrahens rationem communem perfectiorem. Hinc enim fit, vt quamuis communis ratio corporis *non viui*, sit imperfectior, quàm communis ratio corporis *viui*, tamen aliquod corpus non viuum, puta cælum, habeat propriam rationẽ perfectiorem, quàm sit ratio propria quorũdam corporum viuorum, vt plantarum & animalium, sicut tom. 1. loco citato ex mente D. Thomæ dicebamus.

Adde, quòd si D. Thomas voluisset tantum significare, charitatem esse perfectiorem *secundùm* quid, quàm substantiam animæ nostræ, spectando videlicet solùm vnam quandam rationem illius, vt quòd sit peculiariter diuinæ naturæ similis; non autem esse simpliciter perfectiorem, ob istam scilicet peculiarem & excellentem diuinæ naturæ similitudinem, quæ consideratis omnibus præponderet omni perfectioni substantiæ creatæ: si, inquam, hoc solum voluisset D. Thomas, minimè tunc fuisset opus, ad illam distinctionem rationis communis & specificæ accidentis adeo studiosè recurrere, vt hîc fecit diuus Thomas ad præstantiam charitatis explicandam.

Quare existimo, posse exponi de maiore perfectione *simpliciter*, quod D. Thomas hîc absolutè affirmat, charitatem esse perfectiorem secundùm rationem suam propriam, quàm substantiam quamlibet creatam, ac proinde quàm substantiã animæ nostræ. Nam & rectè hoc intelligi potest, & pertinet ad maiorem cõmendationem donorum gratiæ, magisq; cõsentaneum est sacris literis, in quibus passim ea dona cæteris rebus omnibus anteferũtur, sicut etiam à sanctis Patribus, vt ostendi tomo 2. q. 4. de Gratia, punct. 1. Et certè vel hæc vna consideratio meritò posset quemq; deterrere vehementer à peccando mortaliter. Nemo enim adeo insanus esset, vt peccare mortaliter auderet, si ob id esset illico amissurus ipsam substantiam propriæ suæ animæ: & tamen longè excellentius aliquid & maius iam amittit, qui peccat mortaliter, nempe donum illud charitatis & gratiæ.

Charitatem esse specialem virtutem Theologicam.

Posthæc nobis assertio Tertia probanda est, nempe charitatem esse certam quandam virtutem Theologicam, ab aliis tum Theologicis tum moralibus distinctam. Et quidem quòd sit virtus Theologica, patet ex eius obiecto. Nam virtutem Theologicam nominamus eam, quæ habet directè pro obiecto Deum ipsum: Habet autem directè charitas pro obiecto suo Deum, vt est in se summum bonum.

Quòd autem sit peculiaris virtus Theologica à cæteris distincta, patet Primo ex Apostolo, 1. ad Corinth. 13. vbi eam aliis virtutibus annumerat, eisque anteponit, vt ab illis distinctam, inquiens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas tria hæc, maior autem horum est charitas.* Item ad Colossen. 3. vbi postquam alias virtutes fidelibus commendauit, subiungit de charitate tanquam à cæteris distincta: *Super omnia autem hæc charitatem habete, &c.*

Secvndo probatur id rectè à diuo Thoma ex ea ratione formali, quam respicit charitas in Deo, vt in suo obiecto. Nam ea est virtus specialis, quæ habet peculiare obiectum formale: Sed talis virtus est charitas: Ergo, &c. Minor probatur, quia tendit in Deum, quatenus is est in se summum illud bonum, quod est obiectũ supernaturalis beatitudinis, atque adeo quatenus est bonum supernaturale, quod scilicet naturaliter non possumus consequi, vt eo perfectè fruamur. Hanc autem rationem formalem obiecti nulla alia virtus respicit, neque moralis, vt patet, neq; Theologica. Nam Fides & Spes, quæ sunt virtutes Theologicæ, sub aliis rationibus respiciũt Deum, Fides enim respicit eum, vt est prima & summa Veritas; Spes autem, vt est formaliter bonum quoddam supernaturale, & obiectum beatitudinis nostræ, nõ qualecunque, sed arduum ad consequendum, etiam accedente auxilio supernaturali.

Neque Obstat, quòd D. Thomas hic art. 4. dicit, charitatem habere pro obiecto bonum diuinum *in quantum*, inquit, *est obiectum beatitudinis*. Non enim vult D. Thomas hoc intelligi formaliter: quasi bonum diuinũ sit obiectum charitatis sub ea propriè ratione, qua est nobis obtinẽdum per beatitudinem. Sic enim nõ nisi spes tendit in illud; charitas autẽ præcisè in Deum tendit, vt est summum illud bonum in se, quod est obiectum beatitudinis, vt dixi. Itaq; vult D. Thomas id intelligi materialiter, vt sensus sit, bonum diuinum esse obiectum charitatis, non secundùm vnã aliquam vel alteram perfectionem suam, sed secundùm omnem prout est in seipso, quomodo etiam attingitur à beatis, iuxta illud, 1. Ioan. 2. *Videbimus eum sicuti est*: & illud, quod dicitur de fideli seruo: *Super omnia bona sua constituet eum*, Matth. 24. quæ testimonia citat non ineptè ad hoc propositum Caietanus hîc art. 4.

Qui etiam rectè notat, rationem illam totius bonitatis diuinæ, quam in obiecto suo respicit charitas, esse ac dici à D. Thoma *specialem* rationem obiecti, quia distinguitur ab alia quacunque particulari, non vt ratio particularis à particulari (vt ratio v. g. obiecti iustitiæ à ratione obiecti fortitudinis) sed vt ratio communis & vniuersalis, puta totius bonitatis diuinę, quæ omnia bona continet, distinguitur à particularibus aliis rationibus bonitatis, quas respiciunt in suis obiectis aliæ virtutes.

Ex his consequuntur duo: Primo, non satis fuisse intellectum D. Thomam à Scoto, cùm is in 3. distinct. 27. quæst. vnica, artic. 2. impugnat, quod D. Thomas ait, bonum diuinum *in quantum* est obiectum beatitudinis, esse obiectũ charitatis: quasi hoc voluerit diuus Thomas intelligi formaliter, & ita confunderet obiectum spei & charitatis. Alienum enim hoc est à mente diui Thomæ, vt diximus. Quapropter sua sponte corruunt obiectiones Scoti, quibus respondet Capreolus in 3. dist. 27. quæst. vnica.

Secvndo sequitur, non perinde ad diligendum Deum naturaliter, vt naturaliter cognitum tanquam auctorem naturæ, indigere nos aliqua peculiari virtute, atque ad diligendum ipsum supernaturaliter, vt cognitum fide supernaturali, prout est in se summum bonum & obiectum supernaturalis beatitudinis. Etenim ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

diligendum Deum vt naturaliter cognitum, & quidem magis etiam quàm nos ipsos, aut vllum aliud bonum; ita sumus naturâ propensi, vt in ea re nullam per se difficultatem sentiamus, cùm sit ipse vel maximè bonum quoddam naturale nostrum, ex quo totum esse nostrum dependet, vt rectè id probat D. Thomas, 1. punct. quæst. 60. art. 5. hic quæst. 26. artic. 3. sicut & nos infrà quæstione 4. idem confirmabimus. Quare cùm virtus sit circa per se difficile, non indigemus ad diligendũ Deum naturaliter vlla peculiari virtute, sicut nec alicuius eiusmodi virtutis vllus Philosophorum meminit. Per accidens autem ad id quidem indigemus aliis virtutibus; ne videlicet iis passionibus & vitiis succumbamus, quibus per accidens impedimur, quo minus Deum vt auctorem etiam naturæ præ cæteris rebus diligamus.

Diligere autem supernaturaliter Deum, vt non solùm naturæ nostræ auctor, sed summum bonum in se ex vnitate essentiæ & trinitate personarum constans, quomodo per fidem cognoscitur, & est obiectum beatitudinis; sic, inquam, eum diligere est per se difficile. Quare ad id speciali virtute charitatis indigemus. Disputant autem hoc loco quidam, Vtrum hæc charitas non solùm sit virtus, sed etiam perfecta virtus in quocunque gradu etiam remisso. Sed hoc infrà puncto tertio facillimè expediemus, cùm exposuerimus peculiarem quandam perfectionis prærogatiuam, quam habet virtus charitatis præ cæteris virtutibus.

Nunc restat, vt confirmemus assertionem QVARTAM, scilicet charitatem esse virtutem VNICAM specie specialissima. Id autem patet PRIMO ex Scriptura, quæ charitatem annumerare solet fidei, & spei, & aliis virtutibus tanquam vnicam specie specialissima, sicut est fides & spes, 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas.* Itaque vt fides est vna, iuxta illud ad Ephesios quarto; *Vna fides*: sic etiam charitas.

SECVNDO ex Patribus suprà citatis in confirmatione assertionis primæ, qui similiter de charitate loquuntur, vt de vnica virtute. Quanquam interdum quidem indicant, charitatem continere virtutes omnes, non quia non sit vna specie, sed quia virtutes omnes adiunctas habet, & omnibus imperat. Vt cùm diuus AVGVSTINVS epist. 29. volens definire generatim omnes virtutes ait: *Virtus est charitas, qua diligitur Deus & proximus.* Quo etiam sensu Apostolus, 1. ad Corinth. 13. virtutum aliarum munera charitati adscribit, inquiens: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* iuxta illud etiam 1. ad Corinth. 10. *Omnia nostra in charitate fiant.*

TERTIO probatur ratione. Nam vt fides respicit Deum vt primam veritatem, ita charitas eundem vt bonitatem summam: Sed quia prima veritas est vna, fides quoq; est vnica virtus specie: Ergo cùm summa bonitas nõ minus sit vna; charitas etiam erit vnica virtus specie.

Neque OBSTAT, quòd etiam proximum per charitatem diligimus. Non enim diligimus illum, nisi propter diuinam bonitatem, atq; adeo vt obiectum quoddam, non formale, sed materiale charitatis; quatenus scilicet proximus habet quendam ordinem ad Deum, vt illius effectus, & vt particeps diuinæ naturæ per dona gratiæ & gloriæ, sicut infrà videbimus. Quomodo autem charitas non ideo sit duplex virtus, quia sit quoque verè & propriè amicitia, de quo diuus Thomas disserit etiam hîc art. 5. patebit facilius ex his, quæ trademus punct. seq.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum charitas verè quoq; ac propriè sit quædam amicitia.

D. Thomas art. 1.

DIVVS Thomas, vt punct. præced. monuimus, prius quæsiuit, Vtrum charitas sit amicitia, quàm quid sit ipsa secundùm se charitas; nos autem postquam naturam charitatis præced. punct. explicauimus, facilius nunc quæstionem istam exponemus. Certum enim est, quædam esse, quæ prius competunt essentialiter ipsi charitati secundùm se, quàm hoc quod est eam esse amicitiam, nempe illa, quæ superiore puncto tradidimus, & quæ sunt inprimis ipsi charitati essentialia.

Est autem definitio huius quæstionis, scilicet Vtrum charitas sit amicitia, petenda ex ipsa ratione veræ amicitiæ, de qua disserit accuratè Aristoteles toto libro octauo Ethicorum. Atq; vt penitus amicitiæ ratio intelligatur, duo sunt notanda: PRIMO notandum, amicitiæ vocabulum dupliciter vsurpari posse, vt notauit hîc artic. 1. Caietanus; VNO modo, vt significat relationem quandam, quæ est inter amicos. Amicus enim amici est amicus. Et sic non vsurpamus id vocabulum in proposito, cùm quærimus, An charitas nostra erga Deum sit amicitia; ALTERO modo, vt significat fundamentum proximum huius relationis, quod est nimirum certus quidam amor mutuus, tum habitualis, tum actualis, vt iam iam exponemus, præsertim autem habitualis. *Amicitia enim habitui similis est*, inquit Aristoteles 8. Ethic. cap. 5. Et sic in proposito accipitur id vocabulum. Itaque quæstio est, An charitas seu amor, qui est inter hominem & Deum, sit talis, vt verè sit amicitia inter vtrumque, accipiendo hoc vocabulum pro fundamento relationis amicitiæ inter hominem & Deum.

SECVNDO notãdum, quatuor oportere conditiones esse eius amoris, qui sit vera amicitia, vt licet colligere ex doctrina Philosophi 8. Ethic. cap. 2. 3. 4. 5. & 9. & D. Thomæ hîc artic. primo.

PRIMA

PRIMA est, vt sit amor non concupiscentiæ, sed beneuolentiæ, id est, vt sit amor rei per se, quo scilicet ipsi rei amatæ velimus bonum, non autem eam diligamus ob solam vtilitatem nostram vel voluptatem, quæ ex re capiatur. Ob defectum enim huius conditionis scribit Aristoteles libro octauo Ethic. capite secundo, *ridiculum esse dicere, quòd habeamus amicitiam erga vinum*, v. g. Non enim illud per se amamus amore beneuolentiæ, sed solùm concupiscentiæ, vt scilicet illo vtamur. Ac propterea etiam dicit idem Philosophus, cap. 3. & 4. eius libri, solam amicitiam, quæ continetur amore beneuolentiæ, esse *per se & propriè amicitiam*; quia per hanc scilicet amicus ipse secundùm se amatur. Amicitiam autem, quæ continetur amore non ipsius amici per se, sed vt est vtilis aut delectabilis, ac proinde, quæ continetur potius amore ipsius vtilitatis, vel voluptatis, quæ ex amico capitur, non esse propriè & per se amicitiam, sed *ex accidenti*, quia non amicus ipse, sed accidens aut effectus eius, pura vtilitas vel voluptas, amatur. Ex quo præterea sapienter infert, capite quarto, amicitiam vtilem vel delectabilem facillimè *solere dissolui*, quia multis modis potest facillimè accidens illud voluptatis vel vtilitatis mutari: veram autem amicitiam, quæ scilicet continetur amore beneuolentiæ, *constantem esse*. Nam amicus, qui secundùm se, aut etiam propter virtutes, amore beneuolentiæ diligitur, non facilè mutatur. Est enim virtus habitus constans, &c.

SECVNDA conditio est, vt sit amor mutuus, siue vt sit cum redamatione, & quidem vtrinque ex electione quadam, id est, certa cum ratione & iudicio, vt patet ex eodem Philosopho, libro octauo Ethicor. capite quinto. Ob defectum namque huius conditionis non dicimur habere amicitiam erga bruta, ac multò minus erga res inanimas, vt patet ex Philosopho ibidem. Atque in hac ipsa secunda conditione amicitiæ, continetur etiam quædam *æqualitas* inter amicos, saltem secundùm proportionem quandam, quæ etiam requiritur inter amicos, vt scilicet amicus amico vicem rependat, eum redamando: vt patet ex Philosopho in illo libro, capite octauo, vbi de amicis ita scribit: *Vterque quod sibi bonum est amat, & æqualem vicem voluntati & iucunditati refert. Æqualitas enim amicitia dicitur.*

TERTIA conditio est, vt mutuus hic amor nitatur aliqua bonorum communione, qua vterque amicus participet; nempe aut communione sanguinis, vt amicitia inter consanguineos; vel eiusdem instituti siue officij, vt amicitia inter commilitones; vel virtutis, vt amicitia inter probos; vel aliquorum bonorum huiusmodi, vt patet ex Philosopho in illo libro, capite nono, vbi propterea *conuictores* etiam & *commilitones* amicos appellari dicit, *ac pari modo*, inquit, *qui in aliis societatibus versantur.* Quatenus enim inter se commercium habẽt, eatenus amicitiam inter ipsos esse.

QVARTA conditio est, vt hic amor mutuus non lateat ipsos amicos, sed aliquibus vel officiis vel signis vtrique illorum sit cognitus. Nam vt cap. 2. illius libri ait Philosophus, *amicos eos, qui quomodo inter se affecti sint, ignorant, appellare quis posset?* Et capite quarto: *Amicitia*, inquit, *est redamatio non latens.*

His præmissis omnino statuendum est cum D. Thoma hîc artic. primo, charitatem esse verè ac propriè amicitiam, qualem iam descripsimus ex sententia Philosophi. Probatur hæc assertio ex Scriptura, idque duobus certissimis modis: PRIMO, quia ille amor habitualis est vera amicitia, cui conueniunt conditiones illæ quatuor amicitiæ iam expositæ: Sed ex Scriptura diuina constat, eas omnes conditiones conuenire charitati nostræ erga Deum: Ergo est vera amicitia. Minor probatur de singulis illis conditionibus sigillatim.

Nam quòd PRIMO charitas nostra erga Deum sit amor cum beneuolentia, patet ex illa forma præcepti, qua iniungitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Deuter. 6. & Matth. 22.

Quòd etiam SECVNDO vicissim redamentur à Deo ij, qui ipsum diligunt, patet ex Psalmo 145. *Dominus diligit iustos*: & Ioann. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, &c.*

Quòd TERTIO nitatur hic mutuus amor inter nos & Deum communione alicuius boni, patet. Nam ex eadem Scriptura constat, participare iustos quodammodo ipsum bonum infinitum diuinum; tum per dona gratiæ, quibus excellenti quodam modo redduntur *consortes diuinæ naturæ*, vt ait Petrus 2. epistola, capite primo, tum per ius adoptionis filiorum, quod habent ad futuram beatitudinem tanquam ad paternam hæreditatem, qua fruentur eodem summo bono, per cuius fruitionem ipsemet Deus quoque beatus est, puta bono ipso, quod est Deus. Id patet tum ex illo testimonio diui Petri: *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*: tum ex illo diui Pauli ad Roman. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, &c. Si autem filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Quòd QVARTO denique, Deo de amore iusti in illum, & iusto de amore Dei erga ipsum constet, quantum satis est ad rationem amicitiæ, patet item ex Scriptura. Et de Deo quidem non est dubium, quin amorem iusti erga eum cognoscat. *Cognouit enim Dominus, qui sunt eius*, vt ait Apostolus secunda ad Timotheum secũdo. De iusto autem, quòd agnoscat dilectionem Dei paternam in ipsum, probatur ex Apostolo ad Romanos octauo: *Ipse*, inquit, *Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd filij Dei sumus.* Quibus verbis significat Apostolus, fieri beneficio ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

efficacitate Spiritus sancti, vt iusti ad consolationem suam, coniectura facta ex suis rectis actionibus, & animi affectu erga Deum, sibi persuadeant, se in gratia & amicitia Dei esse; persuasione quidem vera, & vt est quidem à Spiritu sancto infallibili, non tamen euidenti aut etiam infallibili ex suo quidem genere, quæ scilicet omnem formidinem oppositi expellat, sed tamen admodum probabili, qualis etiam haberi potest de amicitia humana (quæ neque ipsa est planè euidens) id enim sufficit, vt valeat animum iusti in ea re, quantum satis est, securum atque pacatum reddere, vt tomo 2. quæst. 4. de Gratia, punct. 5. explicauimus.

Quò etiam pertinet illud Psalm. 100. *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Cui non repugnat illud Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum*; quæ videtur alioqui sententia contradicens priori. Vtrumque enim verum est; & quod intelligit iustus Dei in se aduentum per gratiam, persuasione, vt dictum est, probabili; & quod eum tamen non videt, vt ait Iob, persuasione nimirum euidenti, & ex suo genere infallibili.

Ac denique huc etiam spectat illud Apocal. secundo: *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit nisi qui accipit.* Nam hîc etiam significatur, eum certè nosse quantum satis est Dei erga se gratiam, eiusque suauitatem, qui diuinæ gratiæ donum accipit. Cùm itaque ex Scriptura diuina constet, charitati nostræ erga Deum conuenire omnes conditiones veræ amicitiæ; perspicuum est ex eadem Scriptura, illam esse verè amicitiam.

Præterea potest SECVNDO modo, vt diximus, probari idipsum ex Scriptura hoc pacto: Quod Scriptura diuina simpliciter & absolutè affirmat, id propriè vt sonat intelligendum est, si ex propria Scripturæ interpretatione non consequatur aliquod manifestum absurdum: Sed Scriptura in multis locis simpliciter & absolutè affirmat, iustos qui Deum ita vt oportet, diligunt, esse Dei amicos, atque adeo illorum erga Deum charitatem esse amicitiam; neque id propriè intelligere, est vllum absurdum: Ergo charitatem esse verè ac propriè amicitiam confitendum est.

Maior patet ex verissima quadam doctrina de interpretatione Scripturarũ, quã D. AVGVSTINVS tradit, lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. & 11. Et probatur facilè ex eo, quod alioqui nihil certi posset ex Scriptura colligi. Minor patet ex his testimoniis, Iudith 8. *Abraham Dei amicus effectus est.* Et Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et Cantic. 5. *Comedite amici.* Et Sapient. 7. *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui sunt vsi participes facti sunt amicitiæ Dei.* Et Isaiæ 41. *Et tu Israël serue meus, Iacob quem elegi, semen Abrahæ amici mei.* Et Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis.* Et Ioannis 15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Et rursus: *Vos amici mei estis, si feceritis, &c.* Et Iacobi 2. *Abraham amicus Dei appellatus est*, nimirum Iudith 8. & Esaiæ 41. Atque eodem modo de charitate passim loquuntur sancti Patres.

Neque est difficile respondere ad quædam argumenta, quæ contra assertionem istam obiici possunt. PRIMVM argumentum: Deus non diligit hominem propter ipsum, sed propter se potius, sicut & *omnia propter semetipsum operatur*, Prouerb. 16. Ergo charitati hominis erga Deum non correspondet redamatio beneuolentiæ, sed potius concupiscentiæ. Et sic ea charitas non erit verè amicitia, ex defectu scilicet primæ conditionis amicitiæ.

RESPONDEO, amorem beneuolentiæ rectè posse consistere, etiamsi res amata referatur ad aliquid aliud tanquam ad finem; modò ipsi quoque rei amatæ velit quis bonum per amorem. Alioqui neque nos ipsos, neque proximos nostros possemus amare amore beneuolentiæ, siquidem & nos & proximos amare debemus propter Deum, tanquam propter finem. Etsi igitur Deus amet hominem propter semetipsum, tamẽ quia homini etiã multa & magna bona vult per eiusmodi amorem, non est dubitandum, quin amet illum amore beneuolentiæ.

SECVNDVM argumentum: Amicitia non est nisi inter æquales, vt suprà ex Aristotele 8. Ethic. cap. 5. notauimus: At inter Deum & hominem summa est inæqualitas, cùm infinitè distent: Ergo non potest esse inter illos vera amicitia. Et CONFIRMATVR hoc argumentum ex Aristotele, qui idcirco dicit in illo libro, cap. 6. & 7. *Dei ad homines non esse amicitiam.*

RESPONDEO PRIMO, nõ requiri æqualitatẽ simpliciter, sed sufficere secundùm quandã proportionem, vt suprà etiam notauimus ex eodem Aristotele. Vnde ipse etiã Aristoteles in illo libro cap. 7. disserit de quodam genere amicitiæ inter inæquales, quam vocat amicitiam *supereminentis*; qualem tradit esse inter parentes & liberos, & inter Principes & eorum Subditos.

SECVNDO respondeo cum D. HIERONYMO in caput 7. Micheæ, amicitiam vel esse inter æquales, vel ipsam certè reddere aliqua ratione æquales. Facit autem aliquo modo æqualitatem inter Deum & hominem amicitia, quæ inter vtrumq; intercedit. Idq; duplici ratione: Primò, quoniam charitas Dei erga hominem effecit, vt Deus ipse quodammodo ad hominem se demitteret iuxta illud ad Philipp. 2. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*: Secundò, quoniam eadem Dei charitas exaltauit hominem, & quodammodo euexit ad diuinam dignitatem, iuxta illud 2. Petri 1. *Magna & pretiosa nobis donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Cui cõsonat id, quod Cicero præcipit in libro de Amicitia, vt scilicet amicus quantum opus sit ad amicum sese demittat, eique se exæquet.

TERTIVM

TERTIVM argumentum: Qui verè & propriè sunt serui alicuius, non sunt etiam verè & propriè amici eiusdem: Sed iusti verè ac propriè sunt serui Dei: Ergo non sunt verè ac propriè Dei amici. Maior probatur ex illa antithesi, quã fecit Christus inter seruos & amicos. Ioan. 15. inquiens: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Item ex communi vsu loquendi. Nemo enim seruũ diceret esse propriè amicum sui heri. Minor autem probatione non indiget, cùm constet Deum esse omnium verissimum Dominum.

RESPONDEO, falsam esse Maiorem, quicquid sit de consuetudine loquendi apud homines, inter quos dominium & seruitus non solent coniungi cum eiusmodi amore beneuolentiæ, qui mereatur amicitiæ nomen. Nihil enim alioqui obstat, quo minus mutuus amor inter Dominũ aliquẽ & seruum, posit habere omnes illas quatuor conditiones supradictas, quibus continetur vera amicitia.

Ad testimonium autem Christi respondeo, illum nõ per antithesin ita locutum esse, quasi seruitus & amicitia respectu eiusdem contraria planè & incompatibilia sint; sed voluisse illa oratione explicare magnitudinem amoris sui erga discipulos, quòd scilicet non tantum vellet eos habere loco seruorum, ac seruos nominare, sed etiam amicorum loco, eaque potissimùm appellatione illos dignaretur.

QVARTVM argumentum: Ad amicitiam requiri videtur communicatio aliqua bonorum eiusmodi, quæ vicissim alter amicorum impertiat alteri: Sed talis communicatio bonorum nõ est inter Deum & hominem, cùm homo nihil Deo tribuat: iuxta illud Micheæ 6. *Quid dignum offeram Domino, &c.* Ergo non est inter Deum & hominem vera amicitia.

RESPONDEO, essentialiter & per se ad amicitiam solùm requiri, vt amici communicent in aliquo vel aliquibus bonis. Vt autem eiusmodi bona ab altero in alterum vicissim deriuentur, non est per se requisitum ad amicitiam, quamuis foueatur quidem amicitia inter homines mutuis largitionibus. Alioqui consequens esset, vt neque inter duos homines virtuosos, qui ob solam in virtutibus communicationem se mutuò diligunt, vera amicitia posset consistere. Constat enim virtutem non esse donum, quod alter amicorum alteri impertiat. Satis igitur est ad amicitiam inter Deum & hominem illa bonorũ communicatio, quam suprà exposuimus esse inter vtrumque, tametsi sit absque mutua vtrinque largitione. Adde, quòd etiam homo impertit Deo honorem & obsequium, seseque totum illi potest offerre: quod munus ab homine inprimis Deus requirit; iuxta illud: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Prouerb. 23.

QVINTVM argumentum: Ex Aristotele lib. 8. Ethic. ca. 5. colligitur, maximè ad amicitiam pertinere, quasi conuictum & societatem quandam amicorum. Ideo enim Aristoteles ibi ait, *absentiam & inaffabilitatem solere multas amicitias dissoluere*: Sed inter Deum & hominem non est in huius vitæ statu talis societas & conuictus, siquidem *peregrinamur à Domino, dum sumus in corpore.* 2. Corinth. 5. Ergo non est iam inter hominem & Deũ vera amicitia.

RESPONDEO, conuictum illum & præsentiam mutuam amicorum non esse conditionem essentialem amicitiæ, tametsi non parum amicitiam fouere soleat. Nam & contingit, aliquos, qui nunquam se viderunt, colere veram amicitiam, modò per literas, vel alia ratione constet vtrique de mutuo amore. Constat autem homini, quantum satis est, Dei erga ipsum amor, vt suprà explicuimus. Adde, quòd iusti & amici Dei sic à Domino, dum sunt in corpore, peregrinantur, vt tamen illorum *conuersatio* magna ex parte sit *in cælis* cum Deo, vt ait D. Paulus ad Philip. 3.

VLTIMVM argumentum: Si charitas est verè amicitia, consequens erit, vt charitas non sit vna & simplex virtus, sed duplex: At est vna & simplex virtus, vt puncto præcedenti constituimus: Igitur non est verè & propriè amicitia. Maior probatur. Nam amicitia secundùm rationem propriam suam videtur esse quædam peculiaris virtus, quandoquidem & suam laudem habet, & est aliquid habituale.

RESPONDEO negando Maiorem. Ad probationem dicendum, vt aliqua ratio formalis constituat peculiarem virtutem, non esse satis, si habeat laudem, & sit aliquid habituale, sed requiri præterea, vt ex se habeat peculiarem difficultatem, aut sit peculiariter supra naturalem facultatem potentiæ, ita vt etiam is, qui aliquam aliam virtutem iam habet, posit habere circa rationem eiusmodi difficultatem peculiarem. Talem autem difficultatem non habet ex se illa ratio amicitiæ, quæ conuenit etiam charitati. Nam qui Deum supernaturaliter amat, non habet præterea difficultatem in hoc, quòd Deum amat formaliter amore amicitiæ, sed est istud quiddam connexum cum ipso amore charitatis.

Itaque charitas ex hac formali ratione amicitiæ non habet, nisi quendam modum seu conditionem per se connexam cum ipsa ratione formali virtutis charitatis, & sic non ideo est duplex virtus. Est autem hic modus seu conditio nihil aliud, quàm formalis quædam ratio, per quam virtus ipsa charitatis est fundamentum proximũ Relationis amicitiæ inter nos & Deum, iuxta ea, quæ initio huius puncti notauimus de vsu vocabuli, *Amicitia*.

Sed occasione huius solet hoc loco QVAERI, Vtrum amicitia humana, id est, amor mutuus inter homines, cui conueniant quatuor illæ supradictæ conditiones amicitiæ, sit aliqua peculiaris virtus moralis. Et ratio dubitandi est, quia nec D. Thomas hic art. 3. ad 1. hanc quæstionem definit, sed vtramq; eius partem probabiliter expli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cat, neque etiam Philosophus lib.8. Ethic. cap.1. vbi per distinctionem inquit, amicitiã *vel esse virtutem, vel esse cum virtute*.

Itaque duæ sunt hac de re sententiæ: PRIMA est Henrici Gandauensis quodlib.10. quæst.12. & Paludani in 3.dist.27.quæst.1.& Aureoli apud Capreolum eadem distinct.quęst.vnica,& Buridani quæst.3. super librum octauum Ethicorum, qui affirmant, amicitiam humanam esse peculiarem virtutem. Cuius opinionis fundamentum præcipuum est, quòd amicitia & versatur circa alterum, & habet peculiarem difficultatem, & suam etiam laudem: Igitur est peculiaris virtus. Consequentia probatur. Nam ad actiones, quæ versantur circa alterum cum difficultate & laude, peculiares virtutes requiruntur, vt patet etiam ex doctrina D. Thomæ 1.2. quæst.56. art.6. Antecedens autem patet. Nam & laudantur amici boni, nec paruæ difficultatis res est amicitias inire & conseruare.

SECVNDA sententia est Capreoli in 3. dist.27. q.vnica, & Caietani hîc artic.3. & Dominici Bannes, & aliorum etiam sectatorum D. Thomæ, in quam & ipse D. Thomas hîc artic.3.ad 1. magis videtur propendere, eamque asseruit in 3. dist. 27. q.2. art.2. scilicet amicitiam humanam ex se non esse peculiarem virtutem; sed cùm ea quidem habet laudem, vt inter bonos, esse quiddam coniunctum cum aliis virtutibus, & quasi accidens illarum. Atque hæc sententia est probabilior.

Probatur PRIMO, quoniam nisi amicitia sit inter bonos, atque adeo fundetur in communicatione aliarum virtutum, non habet laudem; si autem sit inter bonos, & fundata in aliis virtutibus, laudem non tam habet ipsa ex sua ratione, quàm ex virtutibus, in quibus fundatur. Et sic potius est quoddam accidens aliarum virtutum, quàm peculiaris virtus. Atque hac ratione vtitur hîc D. Thomas art.3.ad 1.

SECVNDO probatur. Nã amor amicitiæ propriè quidem & formaliter non est erga alterũ, vt alter est, sed vt est velut vnũ quiddam cum amico, per illam scilicet communicationem boni, in qua fundatur. Et sic per se quidem nõ habet maiorem difficultatem, quàm vt quis amet seipsum, sed solùm per accidens concurrunt quædam difficultates in amicitia humana, quæ sunt per alias virtutes superandæ.

TERTIO probatur. Nam virtute non potest aliquis inuitus priuari per voluntatem alienam: Sed potest aliquis priuari amicitia inuitus per alienam amici voluntatem: Ergo amicitia per se non est virtus. Minor patet. Si amicus alter desistat alterũ vicissim amare ipso etiam inuito. Hoc enim casu licet alter in amando perseueret, tamẽ eius amor non erit amicitia, cùm non amplius sit amor mutuus, & ad amicitiam redamatio requiratur.

Ad argumentum autem contrariæ sententiæ iam patet RESPONSIO ex prima & secunda propatione sententiæ nostræ. Nam neque amicitia humana est propriè erga alterum, neque ex sua ipsius ratione laudem habet, sed ex virtutibus, in quibus fundatur.

PVNCTVM TERTIVM.

Quænam sit charitatis cum cæteris virtutibus comparatio.

D. Thomas art.6. 7.8.

QVÆNAM sit comparatio charitatis cum virtutibus aliis, per tres assertiones commodè explicabimus.

PRIMA assertio est, Charitatem esse præstantissimam virtutum omnium.

SECVNDA est, Esse illam veluti formam cæterarum omnium virtutũ; si in virtutibus quidem spectetur peculiaris quædam perfectio, quæ illis conuenit, vt sunt virtutes hominis Christiani, sicut explicabimus.

TERTIA est, Si spectetur etiam peculiaris ea perfectio virtutum, nullam virtutem esse veram virtutem hominis Christiani sine charitate.

PRIMA assertio statuitur hîc à D. Thoma artic.6. Et probatur PRIMO ex Scriptura Matt.22. vbi de præcepto charitatis ait Christus: *Hoc est primum & maximum mandatum*, vtique quoniam de maxima virtute. Et 1.ad Cor.12. locuturus Apostolus de charitate: *Adhuc*, inquit, *excellentiorem viam vobis demonstro*. Et 1.ad Cor.13. eandem cæteris omnibus virtutibus anteponit, & quidẽ ita, vt sine illa cæteræ nihil sint. Et ad Colos.3. *Super omnia*, inquit, *hæc charitatẽ habete, quod est vinculum perfectionis*. Et 1.ad Timot.1. *Finis præcepti est charitas*.

Neq; est audiendus vllo modo Caluinus, qui lib.3.instit.cap.18. sect.8. contendit, in huiusmodi locis prædicari ab Apostolo non charitatem erga Deum, quam alioqui fatetur ibi Caluinus esse simpliciter perfectiorem fide & virtutibus aliis, sed charitatem erga proximum, quam dicit fidei & cæteris virtutibus anteponi non simpliciter, sed extẽsiuè, quoniam habeat vberiores fructus & latius pateat, vtpote mouens ad actiones virtutum reliquarum. Fallitur turpissimè. Nam præterquam quòd nullus Patrum existimauit Apostolum in illis locis minimè agere de charitate, quę sit etiam erga Deum; hoc ipso quòd Apostolus ibi agit de charitate etiam erga proximũ, agit etiam de charitate erga Deum. Etenim vna & eadem charitas est erga Deum & proximum, cùm proximus non nisi propter Deum sit amandus. Neque Scriptura de charitate agit, nisi tanquam de vna virtute, qua & Deum propter se, & proximum propter Deum, diligere debeamus, vt infrà patebit: Licet alius quidem sit actus, quo diligimus Deum, & alius, quo diligimus proximum, & alio atq; alio modo vtrumque diligere teneamur. Quæ causa est, cur Christus Matth.22. distinxerit

distinxerit duo mãdata de dilectione Dei & proximi, subiungens: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

Ac probatur manifestè D. Paulum prædicare in illis locis eam inprimis charitatem, quæ sit etiam erga Deum. Nam prædicat eam charitatẽ, quæ *nunquam excidit*, vt ipse inquit 1.Cor.13. Hæc autem charitas inprimis est erga Deum, quem in regno cælesti perfectissimè diligẽt homines beati, euacuata iam fide & spe, iuxta doctrinam diui Pauli loco citato. Non est igitur dubitandũ, quin de charitate erga Deum quoq; agat ibi Apostolus, & eam simpliciter anteponat cæteris virtutibus.

SECVNDO probatur assertio ex Patribus, qui & ipsi passim charitati tribuunt principatum. Vt AMBROSIVS epist.74. HIERONYMVS in cap.5. ad Galatas. AVGVSTINVS libro 15. de Trinitate cap.18.& serm.35. de tempore, & tract.5. in 1.epistolam Ioannis, vbi ait, *solam esse charitatem, quæ distinguat inter filios regni & filios perditionis*, illamque esse *margaritam illam pretiosam Euangelicam*, Et alij passim, maximè cùm explicant parabolam nuptiarum filij Regis. Matth.22. Vbi aiũt, vestem nuptialem esse charitatem; & rectè aiũt: Ineptissimè namque dixerunt Sectarij quidam, vestem illam esse potius fidem. Neque enim verè dixeris, id esse vestem nuptialem, quod neq; sponsus Ecclesię Christus vnquam habuit aut habiturus est, neq; etiam Ecclesia sponsa est habitura, cùm fuerit in thalãmo cum sponso, nempe triumphans in regno cælesti. Nam neq; Christus vnquam habuit fidem aut habiturus est, cùm semper fuerit & sit futurus beatus; neque etiam Ecclesia triumphans habebit, quum scilicet adueniente visione Dei clara cessabit fides, iuxta doctrinam Apostoli Pauli 1. Cor.13. Item præstantiam charitatis solent Patres declarare, cùm aiunt, eam significari per *oleum*, quod defuit fatuis Virginibus in suis lampadibus, Matth.25.

TERTIO probatur assertio ratione D. Thomæ hîc art.6. quam ita formo: Illa virtus est omnium præstãtissima, quæ cùm habeat Deum pro obiecto, respicit illum sub ratione quadam formali præstantissima, saltem secundùm nostrum modum intelligendi: Talis virtus est charitas: Ergo charitas est omnium virtus præstantissima. Probatur Maior: Nam id est indicio claro, quòd eiusmodi virtus præstantissimo modo tendat in obiectum perfectissimum, puta in Deũ: Omnis autem perfectio virtutis posita est in modo, quo tẽdit in suum obiectum. Minor autem probatur. Nam charitas respicit Deum non vt ipse aliquid nobis confert, sicut fides tendit in illum, vt nobis veritatem testatur, & spes, vt nos reddet beatos, sed vt est in seipso summè bonus; quæ ratiõ formalis obiecti præstantior est, quàm aliæ, saltem secundùm nostrum modum intelligendi Deum. Quod ideo addo, quia cùm Deus vt testificans infallibiliter, & vt faciẽs beatos, & vt summè bonus, vnum & idem reipsa sit; dici nõ potest, quòd aliqua ratio ex his tribus sit reipsa in Deo cæteris præstantior. Est tamen, vt dixi, ratio bonitatis præstantior secundùm nostrum modum intelligendi, & hoc ipsum arguit, attingi Deum à charitate perfectiori modo, & proinde esse eam perfectiorem virtutem, sicut conclusimus.

Sed possunt aduersus hanc assertionem obiici quædam, quibus est breuiter respondendũ. PRIMA obiectio. Scriptura pręcipuè videtur fidei tribuere vim iustificandi: Ergo est perfectior, quàm charitas. Antecedens probatur ex Apostolo in epistola ad Romanos, & ad Galatas passim.

RESPONDEO primò, in eare nõ excludi charitatem, neq; spem & pœnitentiam, sed fidei potissimum fieri mentionem ab Apostolo, quia illa præire in iustificatione debet charitati & aliis Virtutibus, vt expositum tomo 2. quæstione 5. de Gratia p.4. Quo sensu etiam à Patribus Concilij Tridentini sess.6. cap.8. vocatur fundamentum & radix iustificationis.

SECVNDO respondeo, quamuis sola fides, vt Sectarij contendunt, apprehenderet seu conciliaret nobis gratiam iustificationis, tamen inde non fore consequẽs, vt ipsa sit perfectior simpliciter, quàm charitas. Nam id faceret nõ ob suam dignitatem, qua præstaret simpliciter charitati, sed ob suam peculiarem rationem, quia scilicet per illam creditur in Christum salutis nostræ auctorem, sicut Sectarij ratiocinantur.

Sed quòd sola fides apprehẽdat gratiam, omnino falsum est. Nam vt tomo 2. loco citato disputatum est, non minus charitas & spes & pœnitentia apprehendunt & conciliant nobis gratiam iustificationis quàm fides: si quidem apprehendere gratiam per aliquam virtutis actum nihil aliud est, quàm illum & requiri & sufficere vnà cum aliis requisitis ad gratiam obtinẽdam: quod æquè verificatur de quouis actu virtutis requisito ad iustificationem, atque de actu fidei, vt loco citato latius est probatum. Nunc solùm volui monere, quòd neque exillo errore Sectariorum, scilicet solam fidem iustificare, sequitur, fidem esse simpliciter perfectiorem quàm charitatem. Quare Caluinus etiam libro tertio instit. capite 18. sect. 8. fatetur, charitatem erga Deum esse simpliciter perfectiorem, licet ibidem non ipsam sed solam fidem apprehendere iustificationem dicat.

SECVNDA obiectio. Fides appellatur à D. Paulo ad Hebr.11. substantia rerum sperandarũ: Quo ipso facit illam veluti basim & fundamentum totius nostræ salutis: Ergo est perfectior quàm charitas.

RESPONDEO, fidem censeri fundamentum, non quia sit dignior, sed quia sit prior, vt antè dictum est, sicut fundamentum in ædificio. Nam neq; fundamentũ oportet esse in ædificio quiddam ex se præstantissimum. Alibi autem charitas reputatur radix & fundamẽtum ab eodem Apo-

stolo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

stolo, propter illius præstantiam, ex qua virtutes reliquæ pendent. Vt cùm ait ad Ephes. 3. *In charitate radicati & fundati.*

TERTIA obiectio. Ad Galat. 5. dicitur *fides per charitatem operari*: Ergo fides erit præstantior.

RESPONDEO non esse intelligendum, quòd fides operetur per charitatem tanquam per instrumẽtum, sed tanquam per formam suam potius, ex qua scilicet & fides & reliquæ virtutes valorem habent, vt nobis prosint ad salutem, sicut rectè interpretatur D. Thom. hîc ar. 6. ad 2. Neq; enim illa particula, *Per*, denotat semper in Scripturis causam instrumentalem, sed frequenter etiam principalem, vt notauit D. BASILIVS libro de Spiritu sancto cap. 5. & patet ex illo Genes. 3. vbi Eua ait: *Possedi hominem per Deum*, scilicet cùm genuisset Cain.

QVARTA obiectio. Illa est virtus perfectior, quæ potest habere actum perfectiorem: Sed fortitudo potest habere actum perfectiorem quàm charitas: Ergo est perfectior. Probatur Minor. Nam actus Martyrij est actus fortitudinis, qui est omnium excellentissimus, vt docet D. Thomas infrà quæst. 124. art. 3.

RESPONDEO, actum Martyrij posse dupliciter considerari; Vno modo præcisè, vt elicitur à fortitudine, & sic non est excellentissimus; Alio modo vt simul etiam imperatur à charitate, & sic est actus præstantissimus, sed beneficio charitatis, iuxta illud Christi Ioan. 15. *Maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Itaq; respondendum est ad argumenti Minorem in forma per hãc distinctionem. Nam si procedat illa Minor de actu fortitudinis, vt est præcisè fortitudinis, falsa est; si autem, vt imperatur simul à charitate, vera est, sed tunc non concluditur, fortitudinem ipsam per se esse præstantiorem charitate.

VLTIMA obiectio posset esse, quòd D. Thomas infrà quæst. 30. artic. 4. dicit, Misericordiam esse virtutem præstantissimam. CÆTERVM hoc non vult intelligi simpliciter & absolutè, sed secundùm quid, videlicet vt potest ratio quædam considerari peculiariter in misericordia, quatenus est effusiua & communicatiua boni, quo subleuetur aliena miseria, in quo maximè Deũ imitatur misericordia, qui vt est summè bonus, ita etiam maximè sui effusiuus, sicut infrà etiam dicetur.

Sequitur vt confirmemus SECVNDAM assertionem, quæ facilè patebit, si fuerit declaratum, quo sensu in ea asseramus, charitatem esse formã aliarum virtutũ, vt sunt virtutes hominis Christiani. Sciendum est igitur, bonitatem atque perfectionem virtutis ex fine bono æstimari, in quẽ per virtutem ordinamur, iuxta illud Philosophi 7. Phys. tex. 17. & 18. *virtus est dispositio perfecti ad optimum.* Hinc fit, vt quemadmodum est duplex finis bonus, in quem ordinat virtus; Alter scilicet immediatus; Alter vltimus: ita etiam duplex posit distingui bonitas seu perfectio virtutis. PRIOR est ea, quam habet virtus per ordinem ad finem suum immediatum, qui est rectè agere secundùm rationem propriam cuiusq; virtutis. POSTERIOR est ea, quam habet virtus per ordinem ad vltimum finem, qui scilicet est fælicitas æterna, quatenus nimirum vnaquæque virtus ad hunc finem assequendum conducit, vt in hominibus Christianis.

Quod igitur in assertione secunda dicimus, charitatem esse velut formam virtutum reliquarum, intelligi debet secũdùm posteriorem illam bonitatem seu perfectionem, quam habent virtutes in ordine ad vltimum finem, non autem secundùm priorem, quam habent ex propria ratione sui obiecti. Nam hanc non ex charitate, sed ex se habent, vt rectè notauit etiam Caietanus hîc art. 8.

Sic autem exposita hæc assertio facilè probatur. Nam cùm vnaquæque res à forma sua principaliter habeat vim atque valorem suum omnem; rectè statuitur velut forma virtutum ea virtus, à qua virtutes cæteræ vim & valorem suum habent in ordine quidem ad vltimum finem: Sed talis virtus est charitas respectu cæterarum: Ergo rectè charitas statuitur forma cæterarum virtutum. Minor probatur primò ex Apostolo 1. ad Corint. 13. vbi sine charitate omnia reliqua pronunciat esse inutilia, & quasi nihil. Item ad Colos. 3. vbi propterea vocat charitatem *vinculum perfectionis*; & ad Galat. 5. vbi ob eãdem rationem dicit *fidem operari per charitatem*, tãquam per formam scilicet, vt rectè D. Thomas hîc art. 3. interpretatur. Secundò idem patet ex Patribus, qui similiter eam vim tribuunt charitati, vt HIERONYMVS in caput 5. ad Galat. GREGORIVS lib. 1. Moralium cap. 28. & alij.

Hinc sequitur charitatem quantumcunq; in aliquo remissa sit secundùm intensionem, tamen esse perfectam virtutem, si perfectio & bonitas virtutis consideretur illo posteriori modo, scilicet per ordinem ad vltimum finem. Nam ipsa ex se valet ad vltimum finem consequẽdum, & præstat aliis virtutibus, vt ad id ipsum valeant. Si autem consideretur alia quædam perfectio virtutis, quæ in quadam quantitate intensionis eius consistit; sic clarum est, charitatem non esse virtutem perfectam, si habeat remissum & imperfectum intensionis gradum. Atque ita soluitur illa quæstio, quam p. 1. huc reiecimus, vtrum scilicet charitas non solùm sit virtus, sed etiam perfecta virtus in quocunque gradu.

Porrò non diximus in illa secunda assertione, absolutè charitatẽ esse formam reliquarum virtutum, sed *velut* formam. Nam propriè quidem non est forma illarum, cùm neque sit illarum essentia, aut pars essentiæ, ac multò minùs illarum aliquod accidens, sed virtus ab illis essentialiter distincta. Sed est quasi aliarum virtutum forma propter illam similitudinem, quam habet cum

forma

forma rei propriè dicta, vt in probatione huius nostræ assertionis explicuimus. Atq; hoc ipsum voluit D. Thomas significare hîc art. 8. ad 1. cùm dixit, charitatem non esse formam aliarum virtutum essentialiter, sed *effectiuè*, quatenus nimirum confert illis imperio suo valorem ad consequendum vltimum finem.

Restat vt confirmemus TERTIAM assertionẽ, scilicet absq; charitate virtutes reliquas non debere censeri veras virtutes in homine Christiano, vt considerantur inprimis virtutes à Theologo. Ratio huius assertionis facilè iam ex dictis patet. Nam virtutes in hominibus Christianis præcipuè æstimantur ex illa bonitate seu perfectione, quam habent per ordinem ad vltimũ finem, qui est æterna fælicitas: Sed hanc bonitatem seu perfectionem non habent vllæ virtutes, si sint à charitate seiunctæ: Ergo non debent tunc in homine quidem Christiano, & vt considerantur à Theologis, censeri veræ virtutes. Minor probatur ex Apostoli testimoniis iam antè citatis.

Et confirmatur hæc ratio clarissimis testimoniis sanctorum Patrum, qui simpliciter pronunciant, nullas esse sine vera pietate virtutes. Vt AVGVSTINVS lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Absit*, inquit, *quod sit vera virtus, nisi in homine iusto.* Et libro 1. Retract. cap. 3. vbi improbat, quod libro 3. de Ordine dixerat, *Philosophos non vera pietate præditos virtutis luce fulsisse.* Idem HIERONYMVS in caput 5. ad Galat. & alij.

Vtrum autẽ virtutes à charitate seiunctæ possint nihilominus ac debeant censeri veræ virtutes, si considerentur quidem secundùm illam aliam perfectionem, quam habent in ordine ad finem suum immediatum, aut etiam ad aliquem alium finem naturalem, quomodo possunt & solent considerari à moralibus Philosophis; nõ potest esse quæstio, nisi de nomine. Et Caietanus quidem hîc artic. 7. rectè dicit; sic esse accensendas posse veras virtutes. Nam sic etiam habent suam quandam bonitatem. Quemadmodũ etiam sunt quædam morales actiones, quæ licet non imperentur à gratia & charitate, tamẽ sunt & verè dicuntur bonæ moraliter, vt sæpe etiam loquitur D. Thomas, & præsertim in 1. 2. q. 109. art. 2. licet non sint quidem bonæ ea bonitate, quę inprimis consideratur à Theologis, & à sanctis Patribus, iuxta Scripturæ etiam phrasin, quæ non solet reputarę bona, nisi ea, quæ ad salutem valent, vt patet maximè ex Apostolo 1. Corinth. 13. & ad Galat. 6.

Dominicus tamen Bannes hîc contẽdit contra Caietanum, ne sic quidem virtutes à charitate seiunctas esse iam censendas veras virtutes in isto statu naturæ corruptæ, quæ debet per gratiã & charitatem instaurari. Sed non nititur firmis argumentis, & vt dixi, non potest esse de hoc quæstio nisi de nomine.

QVAESTIO SECVNDA.

De Subiecto, & Causa efficiente, augente, minuente, vel corrumpente Charitatem.

D. Thomas 2. 2. quæst. 24.

QVINQVE SVNT EXPLICANDA, AD QVAE REVOCABIMVS duodecim articulos D. Thomæ. PRIMO, *Quodnam sit subiectum, & quæ causa efficiens charitatis.* SECVNDO, *An charitas à sua causa efficiente accipiat aliquam perfectionis quantitatem, secundùm quam possit esse vel maior, vel minor, & vnde sit æstimanda ea perfectionis quantitas.* TERTIO, *An & quomodo possit charitas augeri secundùm aliquam perfectionis suæ quantitatem.* QVARTO, *An & quomodo charitas iam habita possit amitti.* QVINTO, *An possit etiam minui.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quodnam sit subiectum, & quæ causa efficiens charitatis.

D. Thomas artic. 1. & 2.

QVOD SVBIECTO QVIDEM CHARITATIS inter omnes conuenit esse voluntatem, vt docet hîc D. Thomas art. 1. Ratio est clara. Nam habitus aliquis in eadem potentia est tanquam in subiecto, in qua est actus, cuius principium est habitus vnà cum potentia: Sed actus dilectionis est in potentia voluntatis: Ergo & charitatis habitus, qui

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est principiũ huius actus. Minor probatur. Nam vt D. Thomas rectè explicat, dilectio charitatis non est amor appetitus sensitiui, sed appetitus intellectiui, id est, voluntatis, cùm sit circa Deũ, qui non potest sensu percipi.

De causa etiam efficiente charitatis summo consensu docent quoq; Orthodoxi omnes contra Pelagianos eam esse Deum, qui gratuitò in animis nostris infundat donum charitatis; non autem gigni charitatem per aliquos nostros actus naturales, sicut gignuntur habitus virtutum moralium, vt volebant Pelagiani.

Probatur PRIMO hæc assertio ex Scriptura. Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et. 2. ad Timoth. 1. *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis.* Et 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater.* Et 1. Ioan. 4. *Charitas ex Deo est.*

SECVNDO probatur ex Conciliis: Ex MILEVITANO can. 4. sub Innocentio I. à quo & eius definitiones contra Pelagianos sunt confirmatæ, in quo canone probatur illa assertio nostra ex illo loco 1. Ioan. 4. iam citato. Item ex Concilio ARAVSICANO iussu Leonis I. contra reliquias quasdam Pelagianorum celebrato, can. 25, & ex TRIDENTINO sess. 6. cap. 6. & can. 3.

TERTIO probatur ex Patribus, qui ita passim asserunt, & maximè AVGVSTINVS libro de gratia & libero arbitrio cap. 19. vbi contra quosdam ex Pelagianis, qui fatebantur, fidem esse ex Dei dono, negabant autem hoc ipsum de charitate, ita scribit: *Non audiunt Apostolum dicentem, 1. Corinth. 8. Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quid enim est ineptius, & ab ipsa charitate alienius, quàm confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat, & ex nobis esse charitatem, qua facit, vt scientia inflare non possit.* Quæ sententia Augustini totidem penè verbis repetitur in illo Concilio Mileuitano capite 4. Addit etiam præclarè ibi Augustinus, *cùm dicat Apostolus ad Ephes. 3. supereminentem scientiæ charitatem Christi; quid est insanius, quàm putare ex Deo esse scientiam, qua subdenda est charitati; & ex hominibus charitatem, quæ supereminet scientiæ.*

TERTIO probatur ratione D. Thomæ hîc artic. 2. quam sic formo: Talis virtus est charitas, qualis est actus ipsius charitatis, puta dilectio, atque etiã quale est illud bonum, super cuius communicatione fundatur: Sed dilectio charitatis est supernaturalis, & illud etiam bonum est item supernaturale nobis, vtpote ipse Deus, prout est in se obiectum supernaturalis beatitudinis, sicut patet ex dictis quæst. præced. p. 1. assertione 3. Ergo etiam charitas erit virtus supernaturalis, ac proinde non poterit à nobis acquiri per vires naturales, sed per Dei gratiam illam infundentis nobis. Minor quod ad dilectionem attinet, patet ex Scripturis suprà citatis: & quod attinet ad bonum, in quo fundatur charitas, patet etiam ex dictis quæst. præced. p. 2. vbi explicauimus, quomodo charitas erga Deum sit amicitia. Adde, quòd cùm obiectũ ipsum charitatis, puta Deus vt est in se, sit aliquid supernaturale nobis, vtpote per solam fidem cognoscibilis; consequens est, vt & charitas, & actus eius sint aliquid supernaturale.

Atq; ex his quidem apparet, dilectionem charitatis non solùm quoad aliquem modum eius, sed etiam quoad suam substantiam esse omnino supernaturalem, si substantia illius consideretur propriè & formaliter, vt est circa tale obiectum supernaturale, puta Deum, vt summum bonum in seipso, sicut rectè annotauit hîc artic. 2. Dominicus Bannes. Nam ita planè sonant Scripturæ testimonia citata.

Si tamẽ substantia dilectionis charitatis consideretur materialiter, seu secũdùm communiorem quandam rationem dilectionis, quæ etiam inuenitur in amore Dei naturali, sic quidem dici posset dilectio charitatis non esse supernaturalis quoad suam substantiam. Et hoc modo possent intelligi quidam Theologi, qui sic loquuntur. Vt ipse D. Thomas in 2. 2. quæst. 171. art. 2. ad 3. & Caietanus ibidem, & Capreolus in 3. distinct. 17. quæst. 1. ad 1. 2. & 3. argumentum Aureoli, & Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 22. sicut notat etiam Dominicus Bannes.

Porrò non obstat huic assertioni illud 1. ad Timoth. 1. *Charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta*; & quod ait AVGVSTINVS tract. 9. in 1. epistolam Ioannis: *Timor introducit charitatem*; & quod ait Glossa interlinearis Matth. 1. *Fides generat spem, & spes charitatem.* Neque enim huiusmodi sententiæ sic intelligi debent, quasi per huiusmodi virtutes seu illarum motus, efficiamus nos ipsi & acquiramus charitatem, sed quia motus huiusmodi virtutũ cum auxilio Dei concurrunt dispositiuè quidem ad ipsam infusionẽ charitatis, quæ est effectiuè ex Deo, vt asseruimus. Ita respondet D. Thomas art. 2. ad 3.

PVNCTVM SECVNDVM.

An accipiat charitas à sua causa efficiente aliquã perfectionis quantitatem, secundùm quam possit esse vel maior vel minor, & vnde sit æstimanda ea perfectionis quãtitas.

D. Thomas art. 3. 8. 9.

QVADRVPLEX quantitas perfectionis potest considerari in charitate, sicut & ipsa charitas potest à nobis quatuor modis cõsiderari, quod ad propositum attinet. PRIMO enim potest considerari charitas ex parte suorum *obiectorum*, ac inprimis Dei, qui vt summè bonus, est præcipuum & formale charitatis obiectum. Et sic charitas habet quandam perfectionis quantitatẽ, per quam censetur esse præstantissima omnium virtutum, quandoquidem attingit obiectum optimum & sub optima ratione, sicut quæst. præced. p. 3. explicuimus. Atque vt D. Thomas notat hîc art. 4. ad 1. & 2. ista quantitas perfectionis charitatis, semper est eadem, nec contingit illã esse aut maiorem aut minorem in vno quàm in alio; vel in eodem, alio & alio tempore. Omnis enim charitas in quocunque sit, habet hanc vim essentialiter, vt possit tendere in Deum & in proximum propter Deum. Constat etiam, hanc perfectionem charitatis acceptam referri debere eidem Deo, qui est causa efficiens ipsius charitatis, neq; ex nobis aut ex actibus vllis nostris esse æstimandam.

SECVNDO potest considerari charitas ex parte *subiecti*. Et sic habet secundò quandam aliam perfectionis quantitatem, per quam contingit eam esse aut magis aut minus intensam. Quo fit, vt hæc charitatis quantitas latitudinem quãdam habeat, sicut quantitas aliarum formarum accidentalium, quæ in subiectis suis magis aut minus intenduntur. Docet autem rectè D. Thomas hîc artic. 3. istam quantitatem charitatis ex gratuita Dei voluntate & gratia in primis esse æstimãdam; iuxta illud ad Ephes. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia* (& charitas) *secundum mensuram donationis Christi.* Nam etsi actus, quibus cum auxilio Dei disponimur ad recipiendam gratiam & charitatem, prosint & valeant ad maiorem vel minorem charitatem recipiendam secundùm hanc intensionẽ, pro vt ipsi videlicet sunt vel magis vel minus intensi; tamen istum valorem primò & principaliter obtinent ex ipso gratiæ diuinæ auxilio, cum quo eliciuntur. Et sic patet, intensionem illam charitatis maiorem vel minorem, quę nobis diuinitus communicatur, referendam inprimis esse gratuitæ Dei voluntati & gratiæ, sicut diximus.

Et nihilominus tamẽ possumus dicere, intensionem hanc charitatis secundariò posse quoq; æstimari ex nostris dispositionibus ad charitatẽ, pro vt sunt etiam actus nostri liberi arbitrij. Neque huic repugnat D. Thomas, cùm in illo art. 3. dicit, charitatem non infundi nobis secundùm proportionem capacitatis naturalis. Considerat enim tunc D. Thomas naturam nostram, non vt iam elicit cum auxilio diuino dispositionem ad charitatẽ, sed vt in actu primo ipsa est magis aut minus perfecta indiuidualiter in vno quàm in alio. Et ratio cur dicat charitatem nõ infundi nobis secundùm proportionem naturæ nostræ ita consideratæ, est quoniam vt rectè idem D. Thomas ait in responsione ad 3. argumentum, Deus non dat nobis primum gratiæ auxiliũ secundùm proportionem naturæ nostræ, sed secundùm beneplacitum gratuitæ voluntatis suæ. Idque præterea quòd non sumus nos ita naturâ comparati, vt in vtendo auxilio diuinæ gratiæ conemur tantum, quantũ per naturam possumus, sed possumus etiam conari minus: & sic non suppetit ratio, cur Deus in donãdo gratis primo suæ gratiæ auxilio debuerit respicere ad proportionem perfectionis nostræ naturalis.

Diuersa verò ratio fuit in Angelis, vt ibi notat D. Thomas. Nam illi cùm sint prediti natura simplici, neq; vllis passionum perturbationibus impediantur, tanto conatu vtuntur diuino auxilio oblato, quanto per naturam suam possunt. Quocirca congruum fuit, vt Deus secundùm proportionem perfectionis naturæ illorum ipsis gratiã conferret, vt etiam docuit D. Thomas 1. p. q. 62. Tametsi neque illis secundùm eam naturæ proportionem gratiam dedit tanquam debitam illi perfectioni naturali, sed ex gratuita liberalitate. Atque huc redit summa eorum, quæ circa hoc etiam differit hîc Caietanus art. 3. ex sententia diui Thomæ.

TERTIO potest considerari charitas ex parte sui actus *eliciti*, puta diuini amoris. Et sic habet tertiam quandam quantitatem perfectionis, in qua possunt distingui tres quasi gradus charitatis, de quibus agit hîc D. Thomas art. 8. PRIMVM ac summum gradum ex his tenet illorum charitas, qui ita Deum amore prosequuntur, vt continenter sine vlla intermissione inhæreãt ipsi per amorem. Quæ perfectio charitatis solis beatis competit, qui cùm diuinam bonitatem clarè intueantur, non possunt ab illius amore desistere. Ac de hac perfectione charitatis loquebatur Apostolus ad Philip. 3. cùm aiebat: *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem si quo modo comprehendam.* Quô fit, vt quemadmodum docet D. Thomas hîc art. 6. ad 3. nullius charitas in hac vita quantumcunque augescat, possit pertingere ad istum perfectionis gradum proprium charitatis beatorum. Vnde Christus de Ioanne Baptista, quem omnibus alioqui mortalibus anteponebat: *Qui minor est*, inquit, *in regno cælorum, maior est illo.* Matth. 11.

SECVNDVM gradum, quasi medium, tenet charitas illorum, qui sic amore Deum prosequũtur, vt quamuis propter huius vitæ necessitates cogantur interdum intermittere Dei amorem, & vacare aliis, tamen quoad fieri potest, nituntur frequentissimè diuino amori actualiter vacare, posthabitis rebus ac curis aliis. Et ad hunc gradum perfectionis charitatis tenentur contendere homines Religiosi, quisque iuxta institutum suum; quamuis nõ teneantur etiam in illo excellere, sicut tenentur alioqui illo esse prediti ij, qui sunt Episcopi, cùm illorum ordo sit altior, quàm ordo Religiosorum, vt infrà in materia de Statibus trademus cum D. Thoma, & aliis Theologis.

TERTIVM & infimum gradum tenet illorum charitas, qui ita Deum amore prosequuntur, vt licet, nec semper, neque etiam valde assiduè inhæreant Deo actualiter per amorem, tamen nul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lam rem Deo & eius amicitiæ anteponunt, sed illum habent sibi propositum tanquam vltimum finem, quem omnibus aliis rebus anteferunt, atque adeo semper illum plus quàm cætera omnia habitualiter quidem amant. Et hanc perfectionem charitatis omnes tenētur habere, cùm omnes teneantur cauere peccata mortalia, per quæ Deo creatura peruersè anteponitur. Ac de ista perfectione charitatis loquitur Ioannes, cùm dicit in prima sua epistola: Qui seruat mandata eius, in hoc charitas Dei perfecta est. Item per hãc charitatis perfectionem seruatur, quantum satis est in hac vita, ad vitandum peccatum mortale, præceptum illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* vt disserit D. AVGVSTINVS in libro de perfectione iustitiæ. Exigitur enim per hoc præceptum, vt quis totam mẽtem suam ita quidem per amorem Deo impendat, vt illum solùm tanquam vltimum quidem finem amet, neque aliquid aliud vt finem vltimum diligat, sicut explicauimus tomo secundo, quæst. 6. de Legibus p. 4. & trademus infrà quæst. 16.

QVARTO potest considerari charitas ex parte *actuum* ipsius, siue quos ipsa eliciat, siue quos imperet. Et sic habet quartam quandam quantitatem perfectionis, in qua distingui solent alij quidam tres gradus, de quibus agit D. Thomas hîc art. 9. PRIMVM gradum ex his tenet charitas illorum, qui ita Deum diligunt, vt facilè resistant passionibus & tentationibus incitãtibus ad peccandum mortaliter. Qui gradus dicitur *incipientium*.

SECVNDVM gradum tenet illorum charitas, qui ita Deum diligunt, vt non solùm facilè recedant à peccatis, sed etiam in studio virtutum alacriter progrediantur. Qui gradus dicitur *proficientium*.

TERTIVM gradum tenet illorum charitas, qui sic Deum diligunt, vt etiam ardenter optent dissolui ex corpore, & esse cum Deo, vt sine intermissione tunc possint actu semper ipsi inhærere per amorem. Qui gradus dicitur *perfectorum*. Ac ponit istam distinctionem trium graduum non solùm D. Thomas hîc art. 9. sed etiam D. AVGVSTINVS tract. 5. in tertiam Canonicam Ioannis, vbi ait, *Charitas nata nutritur* (quod est incipientium) *nutrita roboratur* (quod est proficientium) *roborata perficitur*.

Est autem hîc diligenter notandum, differentiam hanc istorum trium graduum non ita intelligendam esse, quasi officium incipientium minimè pertineat ad proficientes, nec proficientiũ officium ad perfectos. Nam & ij, qui proficiunt, debent quoque resistere tentationibus cùm insurgunt, quod est officium incipientium; & ij, qui sunt perfecti, debent quoque progredi in studio virtutum, quod est officium proficientium, ne si in via Domini non progrediantur, retrocedant, iuxta sententiã D. Gregorij. Nec minus ipsi quoque debent repugnare tentationibus & cauere peccata.

Itaque discrimen illud penes hæc diuersa officia idcircò solùm assignauimus, quoniam *incipientes* quidem præcipuè in id studium incumbunt, vt caueant sibi à peccatis; & *proficientes*, vt in virtutibus progressus faciant; & *perfecti*, vt anhelent ad Christum; tametsi omnes hæ exercitationes charitatis possint esse, ac sint interdum omnibus istis communes. Ita rem hanc intelligi debere, indicauit etiam D. Thomas hîc art. 9. in solutionibus argumentorum.

Ex qua declaratione facilè apparet, hæreticos quosdam, scilicet Begardos & Beguinas meritò fuisse in Concilio Viennensi sub Clemente V. damnatos, vt patet ex Clementina, *Ad nostrum*, de hæreticis, propterea quòd iis, qui gradum perfectorum assecuti essent, tãtam securitatem policebantur, vt assererent, posse ipsos sibi concedere quicquid liberet, neque amplius illos debere operam dare macerandæ carni, ieiuniis, & aliis eiusmodi operibus. Contra quos vel vnicum D. Pauli exemplum satis esse debet, qui etsi maximè consecutus esset perfectorum gradum, vt qui dissolui, & esse cum Christo cupiebat, tamen nihilominus aiebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9.

NOTETVR postremò, quantitatem illam tertiam & quartam perfectionis charitatis, quam explicauimus, connexam esse solere cum quantitate secunda, scilicet intensionis, ita quidem, vt eò maior vel minor soleat esse perfectio charitatis secundùm illam tertiam & quartam quantitatem, quò est maior vel minor charitatis intensio, vt rem consideranti facilè patebit. Hactenus de secundo puncto principali.

PVNCTVM TERTIVM.

An & quomodo possit charitas augeri secundùm aliquam perfectionis suæ quantitatem.

D. Thomas art. 4. 5. 6. 7.

PRIMA assertio. *Charitas non potest augeri secundùm illam primam quantitatem perfectionis, quam habere diximus p. præced. nempe si consideretur ex parte suorum obiectorũ.* Ita diuus Thomas hîc art. 4. Probatur. Nam illa perfectio est charitati essentialis, & semper eadem, vt suprà diximus. Quãquam actualiter quidem vno quodam sensu dici possit charitas augeri ex parte obiectorum *extensiuè*, cùm scilicet quis ex charitate incipit diligere actu aliquod obiectũ, quod antè non diligebat, vt puta proximũ suum aliquem.

Sed tamen ne tunc quidem augetur charitas ex parte obiecti habitualiter. Nam & ad illud obiectum diligendũ erat anteà vis sufficiens in charitate; neque ad id opus erat accessione alicuius alterius principij habitualis, sicut opus est accessione specierum intelligibilium nouarum, vt habitus alicuius scientię extensiuè augeatur ex parte obiecti seu noui assensus alicuius conclusionis. Quam ob causam habitus scientificus dici solet augeri etiam habitualiter, quodammodo ex parte obiecti.

Ac per istam explicationẽ facilè intelligi potest esse solùm de nomine disputationem Dominici Bannes hîc art. 5. cùm contendit, charitatem ne extensiuè quidem augeri ex parte obiecti, ex sententia D. Thomæ, etiamsi quis de nouo aliquid actu diligat. Si enim velit non augeri habitualiter, verissimum est. Cæterùm dici potest augeri nihilominus actualiter extensiuè, vt diximus.

SECVNDA assertio. *Charitas omnino augeri potest secundum quantitatem intensionis semper in hac vita, atq; adeo etiam secundum varios alios gradus perfectionis, qui solent esse connexi cum maiori vel minori intensione charitatis, vt puncto præcedenti diximus. Imò etiam secundum se quidem augeri potest sic charitas in infinitum.* Hanc assertionem quoad priorem eius partem statuo cum D. Thoma hîc ar. 4. aduersus Begardos illos & Beguinas p. præced. memoratos, qui censebant charitatem habere in hac vita certum quendam terminum, quem interdum posit attingere, & vltra quem nõ possit augeri. Item statuo eandem assertionem quoad posteriorem eius partem (scilicet quòd possit sic charitas augeri in infinitum) cum D. Thoma hîc art. 7. contra Henricum Gandauẽsem quodlib. 5. quæst. 22. vbi ait, *se neq; capere, neq; probare posse hanc doctrinam D. Thomæ*, motus infirmo valde argumento, vt posteà videbimus. Item contra Richardum, qui id etiam negat in 1. distinct. 17. art. 2. quæst. 4. propter quoddam argumentum, quod etiam soluemus.

Est autem assertio nostra quoad priorem partem certa secundùm fidem. Probatur PRIMO ex Scriptura. Ad Ephes. 4. *In charitate crescamus in illo.* Et ad Philip. 1. *Hoc oro, vt charitas vestra magis abundet.* Et 1. ad Thessal. 3. *Vos*, inquit, *Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate.* Quæ omnia similiter possumus ex sententia Apostoli precari quibuscunque iustis, quantumcunque in charitatis perfectione sint progressi, iuxta illud etiam Apocalyp. 2. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Est enim charitas, vel ipsa iustitia, vel cũ iustitia connexa.

SECVNDO probatur ex Ecclesiæ definitione in Clementina *Ad nostrum*, de hæreticis, & ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 10. vbi ita dicitur, *iustitiæ incrementum petit S. Ecclesia, cùm orat: Da nobis Domine fidei & charitatis augmentum.*

TERTIO probatur ex Patribus, qui & augeri charitatem, vt & fidem, & alias virtutes asserunt, & vt in illa proficere nitamur admonent. Vt AVGVSTINVS tract. 5. in primam Canonicam Ioannis: *Charitas*, inquit, *meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici*, putà in beatitudine. Et idem asserit de Virtutibus omnibus HIERONYMVS libro secundo contra Iouinianum, vbi ad hoc institutum vrget illud Apostoli ad Philip. 3. *Quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, &c.* Et GREGORIVS homilia decima quinta in Ezechielem, perpendens illud Psalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* Vbi ita scribit: *Nec mirum, si de virtute in virtutem gradus sunt; quando vnaquæq; virtus quasi quibusdam gradibus agitur; & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Alia namque sunt virtutis exordia; aliud profectus; aliud perfectio.* Item quia fides semper augeri potest: iuxta illud Lucæ decimo septimo: *Adauge nobis fidem.* Ex quo loco id probant AMBROSIVS epistola septuagesima quarta, sub finem, & HIERONYMVS libro secundo contra Iouinianum, & GREGORIVS loco citato. Eadem est autem ratio de charitate & aliis Virtutibus.

QVARTO probatur assertio ratione D. Thomæ. Et quidem eam quoad priorem partem, scilicet quòd absolutè posit augeri charitas, probat sic articulo quarto. Illud augeri potest, per quod homo dum viuit, constituitur quasi in via quadam ad vltimum terminum, qui est beatitudo: Sed per charitatem constituitur homo in eiusmodi via: Ergo charitas augeri potest. Maior patet. Nam ad viatorẽ maximè pertinet, vt possit vlterius progredi, donec veniat ad vltimum viæ terminum. Minor probatur ex Apostolo 1. ad Corinth. 12. vbi dicturus sequenti capite de charitate, ait: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Atque idem patet ex ipsa ratione charitatis. Neq; enim vlla commodiori via potest quis peruenire ad Dei fruitionem, quàm ipsum impensè amando, dum est in hac vita. Ac potest hæc ratio confirmari ex illo Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendet, procedit & crescit vsque ad perfectum diem.*

Quod autem attinet ad POSTERIOREM assertionis partem, scilicet quòd possit charitas, dum sumus in hac vita, augeri semper magis ac magis sine vllo termino, atq; adeo in infinitum, probatur ratione diui Thomæ hîc articulo septimo, quam ita propono: Nam quòd aliqua forma habeat terminum sui augmenti, vltra quem progredi non possit, vel prouenit ex parte *agentis*, quòd scilicet nequeat vlterius formam perficere; vel ex parte ipsius *formæ*, quæ scilicet ex natura sua habeat certam mensuram, vltra quam progredi nequeat, quin in aliam formam mutetur, vt v. g. pallor qui si nimium tẽdat ad albedinem, tandem fiet albedo; vel denique ex parte *subiecti*, quòd scilicet non sit capax vlterioris gradus: Sed ex nullo istorum capitum prouenire potest, vt charitas nequeat vlterius augeri, dum in hac vita sumus: Ergo, &c. Minor probatur. Nam causa *efficiens* charitatem, est Deus, qui est infinitæ virtutis ad charitatem perficiendam. Natura quoque

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsius *formæ*, id est, charitatis est eiusmodi, vt ipsa quidem nullam habeat terminatam mensuram, cùm sit peculiaris & excellens quædam participatio infinitæ charitatis, quę est Spiritus sanctus. Capacitas denique *subiecti*, id est, nostræ mentis, quò plus charitas augetur, eò etiam ipsa est maior ad vlterius suscipiendam perfectionem charitatis in maiori gradu.

Sed possunt OBIICI tria aduersus istam assertionem. PRIMO, quòd charitas nullã habet qualitatem contrariam, per cuius remissionem intendatur ipsa in eodem obiecto: sicut intenditur v. g. calor in aqua per remissionem frigiditatis, & aliæ similiter qualitates: Ergo charitas intendi non potest.

SECVNDO, quòd, vt argumentatur Richardus vbi suprà, si charitas potest augeri in infinitum, dum sumus in hac vita; consequens erit, vt possit aliquis in hac vita consequi perfectiorem charitatem & gratiam, quàm sit charitas & gratia ipsius Christi, cùm charitas & gratia Christi creata, non sit simpliciter infinita, sed actu finita, tametsi maxima, vt docent Theologi, & nominatim diuus Thomas 3. p. in materia de Incarnatione, quæstione septima. At istud consequens est absurdum: Ergo illud, ex quo sequitur. Hoc enim erat argumentum Begardorum & Beguinarum, vt refertur in illa Clementina, *Ad nostrum*, suprà citata.

TERTIO, quòd si potest charitas absolutè augeri in infinitum, posset aliquando esse actu infinita: Et hoc est argumentum Gandauensis loco citato, scilicet quodlib. 5. quæstione vigesima secunda.

Ad PRIMVM respondeo, non esse necesse, vt omnis forma, quę intendi potest, habeat contrarium. Nam potest intendi ex parte agentis, vel ex parte subiecti, cùm scilicet illud magis dispositũ sit ad participandam ab agente maiorem formæ perfectionem; vel cùm agens alio quodam modo erga subiectum se habet, quo illi magis sese communicet; præsertim si sit agens liberum, vt est in proposito. Hoc totum patet exemplo luminis. Nam etsi lumen non habeat vllam qualitatem sibi contrariam, tamen videmus illud in aëre magis magisque intendi, vt magis ac magis Sol oriens ad illum appropinquat. Sic igitur Sol iustitiæ Deus potest magis ac magis perficere in nostris animis splendorem charitatis, licet charitati nulla sit contraria qualitas.

Ad SECVNDVM respondeo, charitatem dupliciter posse considerari; VNO modo absolutè secundùm se, vt scilicet est talis naturæ, & habet talem efficientem causam, putà Deum, & est in tali subiecto, putà in anima nostra, quæ vt antè dictum est, per augmẽtum ipsum charitatis redditur magis magisq; illius capax; ALTERO modo potest considerari cum relatione quadam ad legem ordinariam Dei, qua is statuit, vt gratia & charitas Christi Domini esset omnium summa, tametsi actu finita; quod Deus facere potuit, si ab æterno videns quousque esset peruentura vniuscuiusque tùm Angeli, tùm puri hominis charitas & gratia, decreuit Christo Domino cõferre gratiam & charitatem maiorem, quàm esset futura vllius alterius gratia & charitas, atq; adeo etiam quàm futura esset gratia & charitas Beatissimæ Virginis, quæ secundùm Christum omnes alios tùm homines, tùm Angelos perfectione charitatis & gratiæ superauit.

Hoc posito respondemus ad argumẽtum negando consequentiam Maioris. Nam quod dicimus, charitatem posse augeri in infinitum, dum sumus in hac vita, intelligendũ est præcisè, quantum est ex parte ipsius charitatis priori illo modo absolutè consideratæ: non autem si consideretur etiam cum relatione ad legem illam, qua Deus Christum ad maximam gratiam & charitatem de facto futuram prædestinauit. Et sic non est metuendum, ne de facto aliquis consequatur perfectiorem gratiam & charitatem, quàm sit illa Christi. Atque huc spectat, quod in explicatione huius difficultatis dixerit aliquantulum obscurè, licet verè, Caietanus hìc art. 7.

Ad TERTIVM argumentum (quod est Henrici) respondeo, minimè sequi, charitatem posse actu & categorematicè esse infinitam, si potest in infinitum esse maior & maior, ita vt nequeat tam intensa esse, quin absolutè possit esse intensior; semper enim ea, quæ actu esset, esset actu finita. Et quàm infirmum sit id genus Consequentiæ, satis explicauimus tomo primo, disputatione prima, quæstione vigesima quinta, de Dei potentia.

TERTIA assertio. *Charitas augmento illo intensionis non solùm augetur secundùm ipsius feruorem aut radicationem in subiecto, sed etiam secundùm suam essentiam.* Hãc assertionem statuimus cum D. Thoma hìc articulo quinto, & articulo quarto ad tertium, contra quosdam, qui aiebant, augeri solùm secundùm intensionem seu radicationem in subiecto.

Sed est obseruãdum, charitatis essentiam dupliciter posse considerari. PRIMO, Secundùm rationem suam specificam. SECVNDO, Secundùm rationem suam indiuidualem. Iam quod dicimus, charitatem augeri secundùm essentiam, non debet intelligi secundùm essentiam consideratam priori modo. Nam sic essentia charitatis, sicut & cuiuslibet alterius formæ consistit in indiuisibili. Vnde ipse diuus Thomas in 1. 2. quæstione quinquagesima secunda, articulo primo, eo sensu negauit in vniuersum habitus augeri secundùm suam essentiam. Sicut etiam Aristoteles in Capite de Qualitate tex. 6. & 7. eodem sensu negat, qualitatem recipere magis & minus essentialiter. Debet igitur intelligi assertio hæc nostra de essentia charitatis considerata posteriori modo, scilicet secundùm rationem suam indiuidualem.

Quo

Quo pacto intellecta facilè probatur hìc à diuo Thoma. Nam augetur charitas prout est & radicatur in suo subiecto, vt illi etiam concedebãt, aduersus quos disputamus: sed essentia charitatis secundùm rationem suam quidem indiuiduam considerata, in hoc ipso consistit, quod inest & radicatur in subiecto: Ergo ipsa secundùm suam essentiam indiuiduam augetur. Minor probatur. Nam accidentis esse est inesse; quod quidem si de essentia accidentis secũdùm rationem specificam considerata dicatur, debet intelligi aptitudinaliter; si autem de essentia accidentis secundùm rationem indiuiduam considerata, & vt habet modum existendi ordinarium & naturalem, debet intelligi actualiter. Nam per hoc forma accidentalis est hæc & indiuidua, quòd est in tali subiecto.

Atq; isto modo puto debere intelligi doctrinam hanc totam D. Thomæ, cùm hìc art. 4. & 5. affirmat absolutè charitatem intendi secundùm suam essentiam. Neque enim id ipse satis declarat. Propterea enim D. Thomas ait illos, contra quos agimus, ignorasse propriam vocem, cùm scilicet dicerent, augeri charitatem, vt est in subiecto, & negarent augeri secundùm suam essentiam. Quia idem est vtrumque, vt ostendit ratio, quam fecimus, & qua vtitur hìc D. Thomas. Hic autem discursus D. Thomæ non procederet, nisi loqueretur de essentia charitatis considerata secundùm rationem indiuiduam, vt nos explicuimus.

QVARTA assertio. *Augmentum istud charitatis non fit secundùm additionem alicuius entitatis seu gradus charitatis realiter distincti à gradu seu entitate, quam prius habuerit charitas, quæ intenditur.* Ita docet D. Thomas hìc art. 5. Et idem explicat atque confirmat rectè Caietanus ibi contra quosdam, qui & charitatis & aliarum formarum accidentalium intensionem volunt fieri per talem additionem gradus ad gradum. Diuus autẽ Thomas censet non ita fieri.

Et probatur ea ratione. Nam illa entitas distincta, quæ accederet, vel esset per se essentialiter charitas, vel non, sed modus quidam charitatis ab ea realiter distinctus: Si esset charitas, tunc plures numero charitates essent in eodem subiecto, & sic non tam charitas ipsa fieret perfectior, quàm multiplicaretur numero. Præterquã quod absurdum etiam est, in eodem subiecto numero ponere plures numero formas eiusdem speciei. Si autem entitas illa, quæ accederet, nõ esset charitas, sed modus quidã charitatis ab ea distinctus realiter, tunc frustrà talis modus accederet. Nam id ipsum quod ille modᵘˢ distinctus realiter à charitate præstaret, potest etiam præstare aliquis alius modus charitatis, qui ab ipsa non realiter distinguatur, vt patebit ex assertione sequenti. Accedit, quòd non satis intelligi potest, qualis esset illa entitas, quę essentialiter neque esset charitas, neque vlla alia forma, sed modus quidam charitatis, & tamen realiter ab ea distinctus. Nam alij modi formarum, qui formæ non sunt, nõ solent esse realiter distincti à suis formis.

QVINTA assertio. *Augmentum istud charitatis fit per hoc, quòd charitas acquirit nouũ quendam modum seu perfectionem nouam realiter à se nõ distinctam, sed solùm ratione formali: qui modus consistit in hoc, quòd subiectum magis ac magis subiicitur formæ charitatis: atq; adeo ipsa charitas magis ac magis subiectum actuat, ita quidem, vt iam per ipsam formam charitatis facilè possit homo elicere actum feruentiorem.* Ita docet D. Thomas in dicto articulo quinto, & Caietanus ibidem.

Probatur. Nam quòd charitas intendatur, facilè intelligi potest per hoc, quòd nouo aliquo modo se habeat, ita vt iam possit elicere perfectiorem actum, sicut dictum est, & patet ex doctrina D. Thomæ artic. 4. ad 3. Sed potest nouo modo sic se habere, etiamsi nullam acquirat entitatem distinctam realiter: Ergo, &c. Minor probatur. Nam facilè intelligi potest, inhærentiam charitatis in subiecto habere quandam latitudinem, ita vt possit magis vel minus perfectè illud actuare, & quasi sibi subiicere, prout causa efficiens charitatem magis aut minus vniuerit, & coniunxerit ipsam charitatem cum subiecto. Cùm autem effectus proficiscatur à subiecto per formam, vt hæc in subiecto ineat, fiet hac ratione, vt charitas magis vnita subiecto, possit esse principium actus feruentioris. Et sic patet illa Minor.

Nec obstat, quòd actio, per quam charitas augetur, est actio noua. Non enim est necesse, vt nouæ actionis sit nouus effectus distinctus etiam realiter, sed satis est, si nouus effectus distinguatur formaliter à re, cui aduenit. Patet hoc, quando res mouetur localiter. Nam tunc ille motus nouus, aliquis effectus est in re mobili, qui tamen secundùm probabiliorem sententiam nõ est realiter distinctus à mobili, sed solùm ratione formali, & sic in multis aliis.

SEXTA assertio. *Causa huius augmenti charitatis principalis quidem est ipse Deus, minus autem principalis & secundaria est etiam homo iustus per suos actus charitatis, tametsi alio quodam modo quàm Deus, vt sequenti assertione dicemus.* Probatur hæc assertio quoad PRIOREM partem ex Scripturæ locis citatis in confirmatione secũdæ assertionis, in quibus ipsum augmentum charitatis Deo acceptũ fertur, vt vidimus. Vnde AVGVSTINVS libro de gratia & libero arbitrio capite decimo octauo, inde probat contra Pelagianos, charitatem esse à Deo, quoniam in illis Scripturæ locis tribuitur Deo augmentũ etiam ipsius charitatis. Item probatur. Nam eiusdem causæ est augere aliquam formam, cuius est illam producere: Sed Deus est causa producens charitatem, vt suprà vidimus: Ergo etiam augens.

Quoad ALTERAM verò partem (scilicet hominem quoque esse causam augmenti charitatis minus principalem) probatur item assertio ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scriptura, quæ idcirco nos etiam hortatur, vt conemur progredi in charitate, atque etiam eos laudat, qui in illa progressum fecerunt. Vt ad Ephes.4. *In charitate crescamus in illo.* Et Lucæ septimo Laudi tribuitur Magdalenæ, quòd *dilexerit multum, &c.*

SEPTIMA assertio. *Iustus per actus suos charitatis non concurrit ad charitatis augmentum effectiuè, sed solùm meritoriè et moraliter: effectiuè autem concurrit solus Deus.* Ita docent communiter Theologi in 1.sentent.distinct.17. Et facilè id probatur. Nam vt rectè disserit Caietanus hîc articulo sexto, eadem est causa effectiua augmenti rei, & ipsius rei: Sed solus Deus est causa effectiua charitatis: Ergo, &c. Minor patet ex Augustino libro secundo de libero arbitrio capite decimo octauo & decimo nono, vbi loquens de virtutibus infusis, ex quibus est inprimis charitas, ita Virtutem definit: *Virtus est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur.*

Occurrit autem hoc loco DVBIVM, an saltem per Dei potentiam absolutam posset homo suis actibus charitatis effectiuè augere charitatis habitum. Quod dubium discutit hîc etiam Dominicus Bannes. Est autem distinguendum. Nam, vt causa instrumentalis, posset omnino, sicut & producere quoq; ipsum habitum charitatis. Nec propterea sequeretur, creaturam tunc esse instrumẽtalem causam creationis, quod fieri posse negat rectè diuus Thomas prima parte, quæstione quadragesima quinta. Non enim gratia aut charitas creatur, sed educitur de potẽtia subiecti, cùm sit quoddam accidens, vt tomo secundo, quæstione quarta de Gratia, puncto secundo explicauimus.

Tanquam causam verò principalem secũdam negat Dominicus Bãnes, posse hominem etiam per potentiam Dei absolutam effectiuè augere habitum charitatis. Probat: quia quod non potest effectiuè rem producere, non potest eam effectiuè augere: Sed nullo modo posset homo effectiuè producere habitum charitatis: Ergo, &c. Minorem probat. Nam vel homo esset iam præditus ipso habitu charitatis, vel non; si esset, non posset igitur illum in se amplius producere; si non, neque tunc posset. Nam nihil in se haberet, quod esset æquè vel magis perfectum quàm ipse habitus charitatis; causa autẽ principalis & iam secũda necesse est, vt sit vel æquè perfecta vel perfectior, quàm effectus.

Cæterùm non video sufficientem rationem, cur sit negandum, posse hominem per potẽtiam Dei absolutam effectiuè augere habitum charitatis tanquam causam principalem secundam, aut etiam illum effectiuè producere. Nam posset Deus non solus infundere cum habitu gratiæ habitum etiã charitatis, sed ipso homine simul concurrente ad eum effectiuè per ipsum habitũ gratiæ, qui est perfectior quàm habitus charitatis, cùm comparetur ad illum sicut essentia seu natura ad potentiam, iuxta doctrinam D. Thomæ 1.2. quæst.110. art.1. & ideo sit in ipsa essentia animæ, charitas autem in voluntate.

Neque tunc obstaret, quòd non etiam per aliquid existens in ipsa potẽtia voluntatis, esset homo causa perfectior quàm effectus, puta quàm habitus charitatis. Non enim oportet, vt causa principalis sit perfectior effectu etiam secundùm principium proximum actionis, puta secundùm potentiam actiuam, cùm hæc semper sit accidẽs, & ideo imperfectior quàm effectus substantialis; sed satis est, si sit perfectior vel æquè perfecta secundùm principium primum, & quasi radicale, quod se habeat per modum essentiæ aut naturæ. Hoc autem modo in illo etiam casu esset homo perfectior secundùm habitum ipsum gratiæ (qui est quasi natura siue essentia quædam in ordine supernaturali) quàm effectus, puta habitus charitatis.

Adde quòd non videtur etiam imposibile, vt Deus per suam potentiam absolutam perficiat voluntatem quoque per aliquem supernaturalem habitum, qui non sit minus perfectus quàm habitus charitatis, & eam vim habeat, vt per illum posit ab homine etiã produci effectiuè charitas.

Adde postremò, quod attinet quidem ad augmentum charitatis, quòd licet secundùm legem ordinariam, res non posit effectiuè augeri, nisi à causa, à qua etiam produci posit; tamen cùm rem augeri minus quiddam sit, quàm produci, non videtur negandum, quin saltem posit augeri charitas effectiuè ab homine per ipsum merit habitum charitatis secundùm potentiam Dei absolutam; quicquid sit de ipsa productione charitatis.

Atq; ex his facilè patet responsio ad argumentum Dominici Bannes. Potest enim primùm negari Maior, si intelligatur secundùm potentiam Dei absolutam. Deinde etiam potest negari Minor, & ad probationem iam patet ex dictis, quid sit dicendum.

OCTAVA assertio. *Charitas statim augetur meritoriè per quemlibet suum actum, siue intensum, siue remissum, qui eiusmodi sit, vt vel eum antecesserint alij plures charitatis actus, per quos potentia voluntatis sit sufficienter exercita ad suscipiendum charitatis augmentum, vel certè per eum ipsum vehementer exerceatur potentia voluntatis, atque adeo sufficienter disponatur ad suscipiendum id augmentum: vt si sit actus multò intensior proportionaliter, quàm habitus charitatis præexistens.*

Hanc assertionem pono ex sententia Alberti Magni in 1.dist.17.artic.10.in fine, vbi non distinguens inter actus charitatis intensos aut remissos, affirmat augeri eam quoad operandi facilitatem, ex consuetudine illorum, id est, cùm sufficienter exercetur. Item ex sententia Richardi in 1.dist.17.art.2. quæst.3. quatenus ibi censet augeri charitatem per exercitium & multiplicationem

actuum etiam remissorum; atq; etiam per vnum actum valde intensum, quem voluntas eliciat toto conatu charitatis; licet non credam requiri conatum planè summum, quo non posit esse maior, vt Richardus vult. Item ex sententia Gabrielis in 1. distinct. 17. quæst. 4. art.3. dub.2. vbi plus etiam concedit, nimirum augeri Charitatem per quoscunque actus bonos ex gratia procedentes, quam sententiam Franciscus Victoria in Relectione de augmento Charitatis, initio, affirmat esse cõmunem recentiorum Theologorum.

Alij autem contrà sentiunt, charitatem non augeri per remissos suos actus, sed tantummodo per actum feruentiorem seu intensiorem, quàm fuerit antea ipsa charitas. Vt exempli caussa: Si quis habeat charitatis habitum intensum vt quatuor, & eliciat actum charitatis intensum vt tria, putant aliqui, non augeri statim charitatis habitum, sed bene si eliciat actum charitatis intẽsum vt quinque vel sex, &c. Ita docet D. Thomas hîc art.6. & Caietanus ibidem, & Durãdus in 1. d.17. quæst. 4. (vbi ad augmentum charitatis requirit actum intensiorem habitu, vel æquè intensum) & Dominicus Bannes hîc artic.6. & alij communiter D. Thomæ sectatores.

Sed probatur assertio nostra, sumpta quadam verissima propositione diui Thomæ sic: Deus in augenda intensiuè charitate propter meritum actuum ipsius ita proportionaliter se habet, sicut habet se tanquam caussa prima principalis in augendis intensiuè aliis habitibus virtutum moralium, ad quarum augmentum concurrit etiã effectiuè homo per earundem actus, tanquã caussa secunda principalis: Sed in augẽdis eiusmodi habitibus virtutum ita se Deus habet, vt concurrat ad illorum augmentum, cùm homo ad idem per actus suos concurrit effectiuè, sufficienter exercendo potẽtiam aliquo modo ex dictis in nostra assertione: Ergo eodem modo proportionaliter putandum est, Deum augere intensiuè habitum charitatis, cùm homo per eiusdẽ charitatis actus concurrit meritoriè ad charitatis augmentũ aliquo modo ex dictis in nostra assertione.

Maior est S. Thomæ, art. 6. & probatur dupliciter: PRIMO, quia cùm de supernaturalibus non possimus aliunde certò iudicare, consentaneum est, vt tale aliquid existimemus circa supernaturalia fieri, quale secundùm proportionem fit circa naturalia; siquidem ordo rerum naturalis per supernaturalem ordinem perficitur, & ideo est inter vtrumque ordinem quædam analogia. SECVNDO, quoniam id ipsum pertinet ad illam diuinæ prouidentiæ suauitatem, qua disponit Deus omnia, vt scilicet modo dispositionis rerum naturalium, quæ sunt nobis notæ & proportionatæ disponat etiam supernaturalia in nobis.

Minor autem probata est à nobis tomo 2. disput. 4. q. 4. punct. 3. vbi disseruimus generatim de augmento habituum. Et cõfirmari potest eadem Minor ab experientia. Nam quotiescunq; potentia per actus nostros est sufficienter exercita aliquo modo ex dictis in nostra assertione, experimur nos deinde esse promptiores ad vtendum habitu.

Dixi autem in assertione, augeri charitatem *per vnum actum quoque multò intensiorem ipsa, &c.* quia nõ quilibet actus intensior habitu auget statim habitum, vt docuimus tomo 2. vbi suprà, & sensit etiam bene Richardus loco citato.

Sed contra hanc assertionẽ possunt tria argumenta obiici. PRIMO, quòd vt argumentatur hîc art.6. S. Thomas: Agẽs naturale nõ intendit & auget qualitatẽ in passo, nisi principiũ, quo agit, sit intensius illa (vt calidũ v. g. vt quatuor, nõ intendit calorem intensum vt quinq;, sed calidum vt sex, vel etiã intensius) Ergo neq; potentia intendet habitum, nisi per actum habitu intensiorem.

SECVNDO, nam vt argumentatur hîc etiã art. 6. Caietanus ex doctrina Philosophi 2. de anima & aliâs, oportet agens esse dissimile passo in principio actionis, ita videlicet, vt habeat aliquã formam, vel formę gradum, quem subiectũ, in quod est acturum, non habeat ante, sed in illo primùm introduci debeat per agẽtis actionem: Est autem potentia caussa augmenti suí habitus per actum etiam suum, tãquam per formam quandã: Igitur necesse est actum esse proportionaliter intensiorem habitu, vt per illũ augeatur habitus, acquirendo scilicet vlteriorẽ aliquem intensionis gradum, in quo actus fuerit ei dissimilis, & quem habitus nõ habuerit ante. Minor patet ex eo, quòd actus immanentes potentiarum animę sunt quędam qualitates, vtpote dispositiones quædam pertinentes ad primam qualitatis speciem: Ergo etiam vt formæ quędam concurrunt cum potentiis ad habituum augmentum.

TERTIO potest etiam obiici. Nam quantumcunq; aliquis in actibus alicuius habitus sese exerceat, tamen si actus, quos elicit, sint semper tepidi & remissi, minimè experietur se propter tale exercitium habitus reddi promptiorẽ & alacriorem ad vsum eius, sed potius ineptiorem, propter quod D. Thomas 1.2. q.52. art.3. & hîc art. 6. dicit, actus remissiores dispònere potius ad diminutionem habitus: Igitur non augetur habitus, nisi per actus, qui sint eo intensiores.

Sed hęc omnia facillimè refelli possunt per ea, quæ disseruimus tomo 2. vbi suprà. Itaq; ad PRIMVM respondeo, oportere quidem esse intensius qualitate augenda id quo agens agit tanquam principio vniuoco principali *quo* (cuiusmodi principium est calor in calefactione, qua intẽditur qualitas caloris in passo) non autem id, quo agit solum tanquam instrumento quodam seu organo; siquidem qualecunq; actionis organum aut instrumentum nõ oportet esse perfectius aut æquè perfectum quàm effectus. Agit autem potentia per actum in augmento habitus non tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam principio vniuoco principali *quo*, sed tanquam organo quodam. Vt patet ex eo, quod etiam per actum producitur habitus, qui est entitas multò perfectior, quàm qualiscunque actus, cùm sit naturâ sua durabilis & caussa actus, & ideo in specie qualitatis perfectiori. Item patet ex eo, quòd neque actus intensior habitu est perfectior aut æquè perfectus quàm habitus, vt per eum ex sententia quoque diui Thomæ augetur: sicut tomo 2. loco citato argumentabamur.

Ad SECVNDVM respondeo per eandem distinctionem. Nam quod docet Philosophus, oportere vt agens sit dissimile passo illud excedendo in aliqua forma seu formæ gradu, quo passum careat; intelligi debet de agẽte secundùm id, quo agit vt principio principali *quo*; nõ autem secundùm id, quo agit tantùm vt quodam instrumento seu organo, sicut iam ostendi.

Posset etiam alicui fortè videri absolutè falsum, quod sumebatur in his argumentis; scilicet non posse ab agente remissiori intendi formam in passo. Nam si illuminato aliquo loco à candela, quæ sit v. g. lucida vt quatuor, inferatur in eundem locum alia candela non magis lucida, locus ille fiet lucidior, vt experientia patet. Et tamen non erit vllum agens lucidius quàm antea erat. SED ad hoc optimè respondet Franciscus Victoria in relectione de augmento Charitatis, nimirum id per accidens fieri, quoniam propter multitudinem materiæ in illis duabus candelis, quæ in ordine quidem ad spacium in quod sine obstaculo possint immittere radios directos, sunt veluti vnum agens luminosum, dilatatur sphæra actiuitatis illarum, ita vt si antea vna poterat illuminare vsque ad viginti passus, possit iam vtraque illuminare simul vsque ad quadraginta. Quare cùm agens quodlibet intra sphæram suæ actiuitatis fortius agat in propinquiori, quàm in remotiori loco; inde fit, vt in loco æquè distanti à candela, quę prius illuminabat, plus luminis ab vtraq; simul candela producatur, in illo casu, quàm antea ab vna tantùm. Itaque satis est ad primum illud & secundum argumentum respondere, quod antea respondimus.

Ad TERTIVM autẽ argumentum ita respondeo. Dupliciter potest contingere, vt quis ex habitu exerceat plures actus remissos. Vno modo ita, vt interim exerceat quoque plures actus contrarios intensiores, qui præponderent, & per quos ideo minuatur aut etiam corrumpatur habitus: Et tunc quidem verum est, quod in argumento sumitur, & ab experientia confirmatur, scilicet per plures actus remissos ac tepidos non augeri habitum. Altero modo ita, vt interea vel rarò vel nunquam exerceantur actus contrarij intensiores. Et tunc falsum esse dicimus, quòd per plures actus suos remissos non intendatur habitus. Experientia enim docet, nos tunc per plures etiam actus remissos reddi ad operandum promptiores. Quod autem dicit sanctus Thomas, actus remissos disponere potius ad diminutionem habitus, intelligendum est per accidens, quatenus solent insurgere contrarij motus animi validiores, quibus diminuatur habitus, vt diximus tomo secundo, vbi suprà. Itaque maneat, veram esse octauam nostram assertionem.

Porrò ex ea assertione & eius probatione atque defensione sequitur PRIMO, habitum charitatis augeri secundùm totam latitudinem intensionis actus, per quem augetur; ita scilicet, vt si actus charitatem augens sit intensus vt octo, & habitus charitatis vt sex, augeatur habitus secundùm octo gradus, atque adeo reddatur intensus vt quatuordecim. Ratio est, quia cùm non sit necesse actum augentem esse intensiorem habitu, nihil cogit vt dicamus habitum solùm augeri secundùm illum excessum, quo actus excedit proportionaliter habitum, puta vt duo in exemplo posito: vt docet alioqui Dominicus Bannes hic art. 6. dub. 4.

Et quod dicimus de habitu charitatis, debet etiam similiter intelligi de habitu gratiæ connexo cum charitate, scilicet illum augeri intensiuè non modò secundùm excessum actus intensioris, quo augeatur charitas, vt sentit idem Dominicus Bannes, sed etiam secundùm totam latitudinem talis actus, vt sentit Franciscus Victoria in Relectione sua de augmento charitatis, Quanquam non bene Victoria opinatur augeri quidem gratiam secundùm totam latitudinem actus intensioris, licet non charitatem. Hoc enim non satis probabiliter dicitur, cùm habitus gratiæ & charitatis sint connexi & proportionati inter se, quandoquidem gratia ad charitatem se habet vt essentia seu natura quædam ad potentiam iuxta doctrinam diui Thomæ, 1. 2. quæstione 100. Itaque vtramque dicendum est augeri secundùm totam latitudinem actus augentis.

SECVNDO sequitur, augeri charitatem eò magis, quò actus illam augens diutius continuetur, etiamsi non fuerit intensior, quicquid dicat Bannes. Nam vt rectè docet Gregorius Ariminẽsis in 1. d. 17. q. 5. art. 2. in probatione tertia conclusionis primæ, experientia constat, eò nos reddi promptiores ad vsum alicuius habitus, quò diutius continuamus eius actum, vt cùm diu (v. g.) perduramus in actu mansuetudinis, promptiores reddimur ad vsum mansuetudinis. Sed augmentum charitatis per eius actus, sit per modum augmenti habituum naturalium, vt antè dictum est: Ergo, &c.

TERTIO sequitur, similiter augeri magis charitatem per hoc, quòd actus ipsam augens ex aliqua alia circumstantia ad præstantiam charitatis pertinente (vt ex digniori obiecto materiali, &c.) fit absolutè magis meritorius apud Deum, aut æquè meritorius, atque esset alius charitatis actus, qui esset intensior. Patet eadem ratione, quoniam tunc etiam talis actus erit præstantior & efficacior intra latitudinem charitatis. Et eatenus assentior in hac re Victoriæ, qui in illa Relectione putat compensari in proposito intensionem actus Charitatis per meriti dignitatem.

QVARTO sequitur, si charitatis actus ipsam augens sit magis meritorius ex aliqua circumstantia pertinente ad præstantiam & laudem non propriè ipsius charitatis (vt diximus) sed alterius virtutis (vt Religionis v.g. aut fortitudinis) tunc non ideo augeri magis per illum charitatẽ. Nam vt rectè docet D. Thomas in 1. senten. distinct. 17. quæst. 2. artic. 3. actus charitatis ipsam statim augens, duplicem habet respectum siue habitudinẽ ad charitatis augmentum; vnam tanquam meritum ad præmium; alteram tanquam causa etiam quædam moralis ad suum effectum. Quare licet cõsiderando tantùm priorem habitudinem, videri possit sufficere ad maius augmentum charitatis maior illa dignitas meriti in actu charitatis præstantiori ex circumstantia ad aliam virtutẽ pertinente; tamen non sufficit, si consideretur simul illa altera habitudo actus, quâ habet ad charitatis augmẽtum, vt caussa ad effectum. Quia vt ex hac parte augeatur magis charitas per actum aliquem, oportet in illo esse analogiam ad actus morales, per quos augentur effectiuè virtutũ habitus, vt suprà posuimus ex sententia quoq; diui Thomæ. Huiusmodi autem morales actus non magis augent habitum, si sint quomodocunque meliores, sed si sint meliores atq; adeo efficaciores ex præstantia aliqua pertinente ad eandem speciem habitus, quem augent. Nam vt absolutè habitus, ita etiam augmentum habitus maius vel minus fit ab actu simili habitui, quoad speciem.

QVINTO sequitur, nõ augeri charitatem per actus aliarum virtutum, licet à charitate imperẽtur, quantumuis illi fuerint intensi, nisi interueniant etiã charitatis actus, per quos propriè charitas augeatur. Ita docet Dominicus Bãnes art. 6. dub. 5. Et ratio est eadem. Nam actus virtutum aliarum non habent respectum ad augmentũ charitatis tanquã causæ ad effectum, cùm secundùm essentiam suam sint charitati dissimiles.

Non probo autẽ, quod dicit Bannes, quotiescunq; eliciũtur actus aliarum virtutũ moralium infusarum intensiores proportionaliter, quàm habitus charitatis, & per actum charitatis imperantur, tunc illum etiam actum charitatis esse intensiorem, quia scilicet nequeat aliquis intensiori actu ferri in media, qualia sunt obiecta virtutum moralium infusarum, quàm in finem, qui est obiectum charitatis. Hoc, inquam, non approbo. Nam nulla ratio conuincit esse necesse, vt pari intensione tendat aliquis in finem & in media, maximè si in finem tendat prius tempore quàm in media. Tunc enim nihil prohibet, quo minus possit aliquis remisso actu prius ferri in finem, & postea intensiori actu in media ob aliquam occurrentem circumstantiam, vel etiam pro mera libertate sua.

NONA assertio: *Etsi charitas non statim augeatur, nisi per talem aliquem suum actum, qui eiusmodi sit, vt vel eum antecesserint alij plures, per quos potentia voluntatis sit sufficienter exercita, vel per eum ipsum vehementer exerceatur, vt præcedenti assertione positum est, tamen quilibet actus charitatis quantumuis primus & remissus meretur secundùm suam proportionem augmentum charitatis, accipiendum postea cùm homo per actum charitatis ad augendam charitatem idoneum (iuxta præcedentem assertionem) se ad id augmentum recipiendum disposuerit, vel certè post hanc vitam, cùm pro mercede meritorum recipiet æternam gloriam.* Ita docet D. Thom. hîc art. 6. ad 1. & 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. Et est etiam hæc assertio ex mente aliorum Theologorum communiter, quos in eius confirmatione iam citabimus.

Probatur autem quoad PRIOREM partem hæc assertio sic: Quilibet actus charitatis quantumuis primus aut remissus meretur augmẽtum gloriæ essentialis: Ergo etiam meretur augmentum charitatis. Antecedens communiter conceditur à Theologis, vt à Scoto in 4. d. 22. q. vnica, art. 2. & à Richardo in 1. dist. 17. art. 2. q. 3. ad 1. & à Durando in 1. dist. 17. q. 8. ad 1. & ab Almaino in Moralibus, tract. 2. cap. 10. & à Caietano hîc, & à Francisco Victoria in Relectione de augmento charitatis, num. 11. & ab aliis. Et probatur idem antecedens ex iis Scripturę locis, quibus constat, hominem per omne opus bonum factum ex gratia & charitate, atque adeo maximè per quemlibet actum charitatis mereri gloriam, & quidem secundùm vlteriorem & vlteriorem gradum, prout quis per vlteriores actus bonos meretur magis ac magis. Id patet ex illo Matthæi decimo: *Si quis dederit potum aquæ frigidæ in nomine meo, accipiet mercedem, &c.* Et Matth. 25. *Percipite regnum, quod vobis paratum est, &c. Esurivi enim, &c.* Et 2. ad Corinth. 5. *Vnusquisque mercedem accipiet, prout in corpore gesserit, sive bonum, sive malum*, & aliis huiusmodi locis. In quibus certè de mercede gloriæ essentialis sermo est. Alioqui enim non possemus ex eiusmodi locis probare, quòd per vllum omnino actum mereamur præmium essentiale secundùm vlteriorem gradum, etiamsi sit actus feruentissimus charitatis. Neque enim id aliter probare possumus ex Scriptura, quàm adferendo huiusmodi testimonia, in quibus merces vitæ æternæ absolutè promittitur piis hominũ operibus, vt fit in locis iam citatis.

Consequentia autem illius nostri argumenti probatur. Nam oportet esse proportionẽ inter qualitatem illam, quę est lumen gloriæ essentialis & habitum charitatis, sicut etiam gratiæ: Igitur quæ actiones merentur lumen illud gloriæ secũdùm vlteriorem gradum, eædem etiã merebuntur augmentum charitatis. Et sic patet nostra assertio quoad priorem partem.

Quoad POSTERIOREM verò partem, scilicet quòd

cet quòd augmentum istud charitatis detur etiam in hac vita, cùm quis habuerit actum idoneum ad augẽdam alioqui charitatem, quo proinde se disponat ad recipiendum quoque istud alterum augmentum, de quo loquimur: Victoria quidem loco citato putat, dici voluntariè sine ratione; sed tamen potest assertio nostra etiam quoad hanc partem (quæ est, vt vidimus, diui Thomæ) optima ratione confirmari. Nam cùm & homo ipse sit capax illius augmenti charitatis in hac vita, & per actum idoneum alioqui ad augendam charitatem se quoad potest ad istud quoque augmentum suscipiendum disponat, & multum eo incremento charitatis in via salutis adiuuari possit, & præterea Deus ad benefaciendum propensissimus sit; valde consentaneum rationi videtur existimare, quod tunc Deus impertiat homini augmentum istud, vt asseruimus. Quanquam fatendum est, rem hanc nõ esse planè certam; est tamen longè probabilissima.

Porrò ex his sequitur PRIMO, non esse bonam opinionem quandam Dominici Bannes, qui hìc articulo 6. dub. 2. existimat actus charitatis remissiores, atque etiam actus aliarum virtutum, qualescunq; sint, non mereri præmium essentiale gloriæ independẽter ab actu feruentiori charitatis, sed tantùm præmium accidentale; ac proinde futurũ, vt si quis in hac vita post exercitos actus remissiores charitatis, vel etiam qualescunque actus aliarum virtutum, non exerceat quoque actum charitatis feruentiorem, is minimè sit accepturus propter eiusmodi actus præmium essentiale, sed tantùm accidentale, atque adeo neq; augmentum etiam charitatis.

Hanc opinionem dico non esse bonam. Nam PRIMO vt aliquis actus bonus sit meritorius gloriæ essentialis, nihil aliud requiritur, quàm vt fiat in gratia & charitate, & virtualiter antea relatus fuerit aliquo modo in Deum ex charitate, vt ex doctrina Scripturæ & Theologorum tradidimus tomo secundo in materia de Gratia, quæst. vltima. Non igitur bene dicitur dependere etiam eius meriti rationem ex actu futuro charitatis feruentiori.

SECVNDO, quia cùm dicit Bannes accepturum aliquem propter eiusmodi actus præmium etiã essentiale, si charitatis actus feruentior consecutus fuerit; vel vult accepturum præmium essentiale secundùm peculiarem aliquem eius gradum respondentem illis actibus; vel non nisi secundùm illum eundem gradum, qui respondebit ipsi actui charitatis feruentiori, ita scilicet, vt ille idem gradus tãquam pluribus nominibus seu propter plura merita debitus reddatur.

Si PRIMVM velit, tunc manebit nihilominus illud, quod Bannes habet pro maximo incommodo, scilicet vt proportio gloriæ seu præmij essentialis sit non solùm secundùm proportionem intensionis charitatis & eius actuum intensiorum in vita, sed etiã secundùm proportionem & valorem actuum remissorum charitatis, itemque actuum virtutum aliarum. Nam vt effugeret hoc ipsum, quòd ille reputat absurdum, dixit, actus remissos & actus aliarum virtutum non mereri præmium essentiale independenter ab actu feruentiori charitatis. Quòd autem maneat nihilominus istud, quod opinatur Bannes esse absurdũ, patet si dicatur, eum qui habuerit postea actum feruentiorem charitatis, accepturum in altera vita peculiarem gradum præmij essentialis respondentem per se actibus remissis charitatis & aliarum virtutum.

Si autem velit SECVNDVM, tunc videtur planè repugnare Scripturis eius opinio. Nam ex Scriptura constat, accepturum hominem seu præmium essentiale seu pœnam, secundùm proportionem eorum omnium, quæ vel bene vel malè gesserit, qualescunq; fuerint actiones bonæ vel malæ, seu paruæ seu magnæ, vt patet ex locis Scripturæ antea citatis, atque etiam ex illo, 2. ad Corinth. 4. *Quod momentaneum est & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ex quo certè apparet, quantumcunque sit minimum, quod quis bene operatur existens in gratia & charitate, renumeratum iri peculiari præmio essentiali.

ACCEDIT quòd sequeretur tunc ex illa opinione Bannes, duos, qui v. g. ex hac vita migrent cum æquè intensa charitate, alter autem multò plura opera bona gesserit quàm alter, aut etiam pro Christo mortem oppetiuerit, habituros tamen æquale præmium essentiale; quod mihi sanè videtur absurdissimum & maximè pugnans cum Scriptura, quæ affirmat redditurum Deum vnicuique iuxta opera sua mercedem vitæ æternæ.

DENIQVE inutile esset illud meritum actum remissorum charitatis, & aliorum bonorum operum, quod attinet quidem ad præmium essentiale, si non nisi idem gloriæ gradus propter illud conferretur, qui alioquin erit debitus actui charitatis feruentiori, quique propter illum reddetur.

Neque verò nititur firmo fundamento Dominicus Bannes. Solùm enim adfert quedam loca D. Thomæ, in quibus putat, D. Thomam asserere, quòd proportio gloriæ essentialis futura sit tantummodo secundùm proportionẽ intensionis solius charitatis in hac vita. SED primùm, vt maximæ hæc esset sententia diui Thomæ, tamen minimè illa probari deberet, vt ex dictis patet. Verisimè enim Victoria vbi suprà asserit, sententiam nostram, quam hactenus confirmauimus, scilicet actus etiam remissos charitatis mereri suum præmium essentiale, esse sententiam ipsius Scripturæ.

Deinde si rectè expendantur omnia illa loca D. Thomæ, nihil aliud is vult, quàm quod secundùm proportionem charitatis, præcipuè quidem erit proportio gloriæ essentialis, & ita quidem, vt si cætera non sint admodum disparia, perfectio charitatis in ea re præponderet: non autem vult, quòd nullo modo respondebit gloria essentialis proportioni & valori actuum remissorum charitatis, & aliorum bonorum operum. Quanquam vbi agit quidem de proportione illa gloriæ, solius charitatis mentionem solet facere, quoniam præcipuè secundùm illius intensionẽ, vt dixi, erit gloriæ proportio. Nec certè aliud colligi potest ex Scripturæ locis, in quibus Charitas anteponitur omnibus aliis virtutibus in negotio salutis nostræ.

SECVNDO sequitur ex dictis, non solùm per actus charitatis remissos, sed etiam per actus aliarum virtutum mereri nos, si in gratia simus, augmentum illud Charitatis, suo tempore dandum, vt est explicatum. Probatur: nam per actus etiam aliarum virtutum meremur peculiarem gradum gloriæ essentialis, vt probauimus: Ergo consequenter etiam illud augmẽtum charitatis.

TERTIO sequitur, cùm quis post actus qualescunq; charitatis elicit etiam actum idoneum ad charitatem augendam; duplex augmentum charitatis illi dari: nempe vnum respondens propriè ei actui; & alterum etiam illud, quod tanquam præmium respondet prioribus illis actibus secundùm proportionem totius valoris illorum in ratione meriti. Patet, quia augmentum istud respondens eiusmodi actibus datur tunc vt præmium: in præmio autem conferendo, sine controuersia habetur ratio totius valoris meriti.

Sed superest tantum, vt breuissimè refellamus tria argumenta, quæ occurrunt contra illam nonam assertionem. PRIMVM est Durandi in 1. dist. 17. quæst. 8. Is enim quamuis concedat per actus remissos charitatis mereri nos præmiũ essentiale vitę æternæ: negat tamen mereri etiam nos per eosdem augmentum vllum Charitatis. Nam ille solùm est dignus accipiendis, qui bene vtitur acceptis: Sed qui charitate vtitur eliciendo remissiorem actum, non bene vtitur dono ipso Charitatis antea accepto, sed is solùm, qui elicit actum feruentiorem: Ergo non est dignus, qui accipiat nouum charitatis augmentum.

RESPONDEO per distinctionem Maioris. Nam si *bene vti* idem sit, quod non vti malè aut indebito modo, vera est Maior; sed tunc falsa est Minor. Qui enim elicit actum remissiorem, non aliquo malo aut indebito modo charitate vtitur, sed bono, siquidem actus Charitatis remissus etiam est bonus. Si autem *bene vti* idem sit, quod excellenti aliquo & optimo modo vti, tunc quamuis vera sit Minor, tamen Maior est falsa. Ita etiam respondet ad hoc argumentum Caietanus hìc art. 6.

SECVNDVM argumentum peti potest ex dicto Thomæ, qui hìc articulo sexto dicit, actum remissiorem disponere potius, quantum in se est, ad diminutionem habitus, id quod generatim etiam pronunciat de omnibus actibus remissioribus, 1. 2. quæst. 52. articulo tertio. Ergo actus remissus non meretur vllum augmentum Charitatis.

RESPONDET Caietanus art. 2. actum remissiorem posse considerari, & vt est actus talis virtutis, & vt est remissus. Iam verò etsi consideratus, vt est remissus, disponat potius ad diminutionem, non tamen vt est actus talis virtutis, quin imo potest sic mereri augmentum illius, cùm sit actus bonus. DEINDE dico, id dictum D. Thomæ debere intelligi per accidens: quatenus scilicet qui non strenuè & feruenter, sed remissè vtitur habitu, solet plerumque dare locum contrariis actibus intensioribus, quibus minuatur aut corrumpatur habitus, sicut suprà diximus, & etiam tomo secundo, quæstione quarta, de habitibus, puncto tertio. Hoc autem non impedit, quo minus actus remissus Charitatis per se sit bonus & meritorius augmenti tum gloriæ tum charitatis.

TERTIVM argumentum est, quòd si detur propter præteritos actus qualescunq; augmentum aliquod illis correspondens, præter augmẽtum correspondens præsenti actui idoneo ad augendam Charitatem, vt est explicatum, non seruabitur in augenda charitate proportio illa siue analogia ad modum, quo per actus morales augentur naturaliter habitus virtutum aliarum acquisitarum; quam tamen proportionem suprà seruari diximus in confirmatione octauæ assertionis. Id autem probatur, quia habitus moralis solùm augetur secundùm proportionem presentis actus ad eum augendum idonei.

RESPONDEO, analogiam illam tantùm oportere seruari, quatenus augmentum charitatis datur, vt quidam effectus moralis eius actus, qui charitatem auget, sicut illic explicuimus. Et sic in proposito etiam seruatur, quod attinet ad augmentum respondens propriè actui præsenti Charitatis idoneo ad eam augendam. Hoc enim augmentum tantummodo datur secũdùm proportionem eius actus. Illud autem augmentum aliud respondens præteritis actibus, datur duntaxat vt præmium, sicut ante diximus. Hactenus de isto puncto.

PVNCTVM QVARTVM.

An & quomodo Charitas iam habita possit amitti.

D. Thomas art. 11. & 12.

IOVINIANVS, teste D. HIERONYMO, lib. 1. & 2. contra eundem, arbitratus est, iustitiam atque adeo gratiam & charitatem semel habitam non posse amitti, quod ipsum est, Charitatem non posse corrumpi. In eadem sententia fuit

etiam

etiam Pelagius, vt ex AVGVSTINO apparet in libro de hæresibus, cap. 88. Item Begardi & Beguinæ, qui vt patet ex Clementina, *Ad nostrum*, de hæreticis, censuerunt, reddi homines in hac vita per gratiam impeccabiles: item VViclefus, vt notat Andreas Vega, lib. 12. super Concilium Tridentinum, cap. 22. Item Caluinus, lib. 3. instit. cap. 4. quem, & asseclas in hac re breuiter confutaui nuper in Redargutione inscitiarum Geneuensium & Fortunati Crellij, cap. 1. num. 10. inter inscitias Fortunati.

Fundamentum huius erroris constituunt isti in aliquot Scripturæ locis, quibus videtur significari, non posse eos, qui verè iusti sunt, & per gratiam Dei filij, excidere ex diuina amicitia. Vt Ioan. 10. *Oues meæ non peribunt in æternum.* Et; *Nemo rapiet eas de manu Patris mei.* Et ad Rom. 8. *Si filij & hæredes.* Et 1. Ioan. 2. *Si fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum.* Et 1. Ioan. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare.*

Sed assertio est secundùm fidem certissima, posse amitti & corrumpi per peccatum mortale charitatem & gratiam, vt docet D. Thomas hîc art. 11. Probatur PRIMO ex Scriptura, quæ multis in locis apertè id declarat. Vt Ezech. 18. *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea.* Et Ezech. 33. *Si iustus confisus in iustitia sua fuerit, omnes iustitiæ ipsius tradentur obliuioni, & in iniquitate sua morietur.* Et Ioan. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes & arescet, &c.* Et ad Rom. 11. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Et infrà; *Vide autem bonitatem Dei & seueritatem; seueritatem quidem in eos, qui ceciderunt.* Et rursus: *Si tamen permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Et 1. ad Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et 1. ad Corinth. 11. *Timeo ne sicut serpens seduxit Euam, corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Et Apocal. 2. *Habeo aduersus te pauca, quia primam Charitatem reliquisti. Memento igitur vnde excideris, &c.*

SECVNDO probatur ex definitione Ecclesiæ in Concilio VIENNENSI, vt refertur in Clementina, *Ad nostrum*, de hæreticis; & in Concilio TRIDENTINO, sess. 6. cap. 12. & 13. & etiam can. 23. vbi ita dicitur: *Si quis dixerit, hominem semel iustificatum, amplius peccare non posse: atque ideo eum, qui labitur & peccat, nunquam fuisse verè iustificatum, anathema sit.*

TERTIO probatur ex Patribus, qui idipsum pro certissimo habent. Vt D. CYPRIANVS libro de lapsis: *An*, inquit, *ingemiscit & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, neque indumentum Christi, quod* PERDIDIT, *cogitare?*

Et sanctus AMBROSIVS in Exhortatione ad pœnitentiam: *Baptizatus*, inquit, *homo, si postea desertor violatorq; Sacramenti fuerit, peccat & Deum repellit à se.*

Et sanctus AVGVSTINVS libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 14. *Quare*, inquit, *aliis concedatur, vt ex huius vitæ periculis dum iusti sunt, auferantur; alij verò iusti donec à iustitia cadant in eisdem periculis vitæ productiore teneantur, quis cognouit sensum Domini?*

Et sanctus HIERONYMVS lib. 2. contra Iouinianum, sub initium: *Si*, inquit, *susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus Diabolum: Si peccauerimus, & per peccati ianuam ingressus fuerit Diabolus, illico Christus recedit. Vnde & Dauid post peccatum: Redde mihi ait* (Psalm. 50.) *lætitiam salutaris tui, scilicet quam peccando amiserat.*

Et sanctus GREGORIVS lib. 1. moral. cap. 42. *Dona*, inquit, *quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt, &c. In illis formido nos terreat, ne pereant.*

Et sanctus CHRYSOSTOMVS homi. 24. in Matthæum, circa illud Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, &c. Excidere*, inquit, *à Dei gratia omnium est profectò miserrimum.* Similia scribunt alij.

QVARTO probatur ratione, ducta ab exemplo eorum, quos ex Scriptura constat peccasse & amisisse gratiam & charitatem, cùm illam antea habuissent, vt ipse Adam, & Saul, & Dauid, & Salomon, & Petrus, & Iudas.

POSTREMO probatur ratione diui Thomæ hîc art. 11. Nam etsi iustus per gratiam & charitatem inhæret bono summo & infinito, quod est Deus, tamen quia id summum bonum, dum est in hac vita, minimè clarè videt, non ita immobiliter ei inhæret, sicut inhærent beati, qui cùm Deum esse summum animæ bonum clarè intuentur, non possunt ab illius dilectione desistere, aut rem vllam illi anteponere peccãdo, ob quod excidant ex gratia diuina, & charitatem amittant.

Neque est difficile respondere ad testimonia Scripturæ, quę pro contrario errore fuerunt obiecta. Ad PRIMVM dico, esse intelligendum illud de his, qui sunt Christi oues secundùm æternum propositum diuinæ prædestinationis. Itaque sensus est, certissimè futurum, vt ij tandem saluẽtur beneficio infallibilis prædestinationis.

Ad SECVNDVM testimonium respondeo, eos, qui sunt filij Dei per gratiam, habere quidem ius ad vitam æternam, sed si filij permanserint, nec fuerint ex filiis facti inimici per peccatum mortale.

Ad TERTIVM testimonium respondeo sicut ad primum. Loquitur enim ibi Ioannes de iis, qui non erant ex numero electorum secundùm propositũ prædestinationis æternæ. Nam si fuissent, mansissent vtique, saltem ad extremum, nec defecissent finaliter, sicut illi, de quibus loquitur Ioannes.

Ad QVARTVM respondeo sensum esse, quòd iustus per ipsam quidem gratiam & charitatem, non

non potest peccare, atque adeo nec per motum Spiritus sancti, quo inspiratur & confouetur in iusto gratia & charitas. Potest autem nihilominus peccare per arbitrij sui libertatem, si illa abutatur. Sic exponit illum locum D. AVGVSTINVS libro de gratia Christi, cap. 21. & D. Thomas hîc art. 11. Vnde rectè inquit Caietanus, sententiam illam Ioannis: *Qui ex Deo est, peccare non potest, etc.* intelligendam esse formaliter, id est, quatenus ex Deo est natus.

Atq; ista mihi videtur expositio commodior, quàm quædam aliæ, quas adhibet etiam illi loco Augustinus, licet & illæ quoq; sint bonæ. Nam libro 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 7. & 8. interpretatur illum locum de impeccabilitate, quâ habeant iusti per gratiam in hac vita nõ iam actu & in re, sed in spe, quia scilicet habeant iam ius ad æternã vitam, in qua erunt prorsus impeccabiles. Præterea libro de natura & gratia, cap. 14. docet, sensum illius testimonij esse, quòd iustus nõ possit iure quidẽ peccare, id est, quòd peccare minimè debeat. Nam id dici solemus nõ posse facere, quod non possumus rectè ac licitè facere.

Et certè oportere aliquo ex istis modis, vel potius omnibus illis, ac maximè primo intelligi locum illum Ioannis, non autem eo, quo voluerũt suprà citati hæretici, manifestè conuincit diuus AVGVSTINVS in illo libro de natura & gratia, cap. 14. ex eo, quod idem Ioannes, qui sine dubio erat natus ex Deo, dicit de se & de aliis iustis eadem epistola, cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c.*

Porrò eodem modo, quo exposuimus primò istum locum, potest etiam & debet exponi illud, 1. Cor. 13. *Charitas nunquã excidit*, quod alioqui videri posset suffragari errori illorũ hæreticorum. Sensus namq; est, charitatem nunquam excidere quantum est quidem ex ipsa natura charitatis, cum tamen fides & spes ex natura etiam sua abolendæ sint, *cùm venerit quod perfectum est*, vt loquitur ibi Apostolus, id est, cùm fuerit aliquis assecutus ipsam visionem Dei claram.

Deniq; similiter intelligi potest, quod in Scriptura nonnunquam significatur, nihil posse præualere charitati. Vt illud Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Et illud ad Rom. 8. *Neq; mors, &c. neq; vlla creatura alia poterit nos separare à charitate.* Sensus enim est, eam vim esse in charitate, vt si ipsi velimus, posimus facilè per illam & Dei auxilium, quod est præsto, quibuscunque contrariis resistere ac permanere in charitate & amicitia diuina.

SED cùm sit certum, posse gratiã & charitatem amitti & corrumpi per peccatum mortale, QVÆRENDVM restat hoc loco, quonam modo charitas corrũpatur per mortale peccatũ? an solùm moraliter & demeritoriè, an verò etiam effectiuè ex natura ipsius peccati mortalis? Et respondẽdum est breuiter cum D. Thoma hîc art. 10. corrumpi charitatem per peccatum mortale, tum demeritoriè, qa scilicet peccans mortaliter meretur priuari charitate, tum etiã effectiuè, vt rectè quoq; defendit hîc & explicat art. 10. Caietanus.

Id autem probamus & declaramus hoc pacto: Forma aliqua ab eo corrumpitur effectiuè, quod efficiendo aliquid in subiecto formæ contrarium & repugnans aliquo modo ipsi formæ, expellit illam ex subiecto: sed homo per peccatum mortale efficit aliquid in subiecto charitatis, hoc est, in mente & voluntate, quod est aliquo modo cõtrarium & repugnãs ipsi charitati: Ergo per peccatum mortale corrumpitur effectiuè charitas.

Maior probatur tum ratione, tum etiam inductione quadam, quæ potest colligi ex variis exemplis. *Ratione* quidem. Nam cùm corrumpere effectiuè aliquã formam non sit positiuè attingere seu efficere ipsam, sed inducere potius priuationem ipsius: hoc ipso satis intelligitur formam ab aliquo corrumpi effectiuè, quod ab eo inducitur priuatio formæ, efficiendo aliquid ipsi formæ contrarium aliquo modo & repugnãs, quod sit cum ea incompatibile. *Inductione* autem idem probatur. Nam ignis v. g. per calorem corrumpit effectiuè frigiditatẽ in aliquo subiecto, hoc ipso, quòd effectiuè inducit in illud calorẽ, qui est naturâ sua repugnans & cõtrarius frigiditati, & quidem immediatè & directè. Item idem ignis corrumpit etiam effectiuè formam substantialem aquæ per calorem summum, hoc ipso, quòd effectiuè inducit in aquam ipsum calorẽ summum, qui etsi directè quidem & immediatè nõ sit contrarius formę substantiali aquę, tamen est ei contrarius indirectè & mediatè, hoc ipso, quòd repugnans & contrarius est dispositioni necessariæ in subiecto ad formam substantialem aquæ, puta frigiditati in requisito gradu. Et similiter etiam potest ignis effectiuè corrumpere formam animalis corruptibilem, inducẽdo scilicet calorem repugnantem dispositioni necessariæ ad talem formam, hoc est, certo temperamento qualitatum. Quin etiam eodem modo posset ignis corrumpere animam hominis, si hæc esset natura corruptibilis, vt bene notauit Caietanus. Ac propterea, quòd modus contrarietatis, quo aliquid effectiuè corrumpatur, tam latè patet, idcirco in illa Maiore sumpsimus generatim, ab eo corrumpi formam effectiuè, quod effectiuè inducit in subiecto aliquid repugnans & contrarium formæ *aliquo modo*, scilicet immediatè vel mediatè, vt est explicatum.

Minor autem probatur. Nam qui peccat mortaliter, effectiuè ponit in mente sua, quæ est subiectum charitatis, ipsum peccatũ mortale, quod vt habet quidem auersionem à Deo tanquam ab vltimo fine, est contrarium & repugnãs cuidam animi dispositioni, à qua dependet charitas. Vt enim aliquis retineat beneficio diuino charitatẽ, oportet illum in modum habitus esse conuersum ad Deum tanquã ad vltimum finem, ita scilicet vt nullam rem Deo anteponat, quod fit peccando

Universidad de Deusto
Biblioteca

cando mortaliter. Quapropter hoc ipso quòd peccatũ mortale contrarium est huic dispositioni, est etiam mediatè contrarium ipsi formę charitatis, quæ idcirco per illud effectiuè corrumpitur.

Cæterùm est obseruandum, doctrinam hanc procedere de peccato mortali, quod consistat in commissione aliqua. Nam per peccatũ omissionis, cùm illud nõ admittatur faciẽdo aliquid, sed potius non efficiendo, charitas nõ corrumpitur effectiuè, sed solùm demeritoriè & moraliter.

Porrò ex hac doctrina sequitur, per quoduis omnino peccatum mortale corrumpi charitatem, siquidem omne peccatum mortale habet illam auersionem à Deo, quæ non consistit cum charitate, nisi quòd illa solùm per peccata commissionis inducitur in animum efficiendo aliquid: propter quod dixi, per ea sola peccata effectiuè etiam corrumpi charitatem. Absolutè autem per omne peccatum mortale corrumpitur saltem demeritoriè.

Id quod est notandum aduersus Lutheri ERROREM, qui censuit solùm amitti gratiam, atque adeo charitatem & salutem per peccatum infidelitatis, quo scilicet quis non certò credat se esse in Dei gratia (hæc enim est Lutherana fides, vt scilicet id quisque certò apud se statuat) nec posse alias hominem per vllum peccatum damnari.

Contra quam vesaniam præter rationem iam allatam possũt obiici manifestissima testimonia Scripturæ, q̃ generatim affirmãt, per qualecunq; peccatum mortale amitti diuinã gratiam, atq; adeo charitatem. Vt Ezech. 18. & 33. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Et 1. ad Corinth. 6. *Neq; adulteri, neq; auari, &c. regnum Dei possidebunt.* Et Iacobi 2. *Qui deliquerit in vno, factus est omnium reus, &c.*

Nec dissimiliter loquuntur passim sancti Patres. Vnde S. AVGVSTINVS libro de fide & operibus, cap. 15. *Non video,* inquit, *cur Dominus dixerit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & commemorauit ea, quæ ad bonos mores pertinent: si etiam his non seruatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est, Iacobi 2.* Vnde meritò damnatus est ille Lutheri error in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 15.

Nec suffragatur Luthero Scriptura, cùm pollicetur salutem credentibus. Non enim excludit alia virtutum opera ad salutem necessaria. Sicut neque excludit fidem, quando charitati item spei & pœnitentiæ salutem promittit. Adde, quòd illa fides Lutherana minimè est ea, quam Scriptura commendat, vt quæst. 4. de Gratia, punct. 4. contra Sectarios disputauimus tomo 2.

Nunc satis sit ita breuiter demonstrâsse, per quoduis peccatum mortale corrumpi charitatem, vt docet etiam diuus Thomas hîc articulo duodecimo.

PVNCTVM QVINTVM.

Vtrum charitas possit diminui.

D. Thomas art. 10.

NON dubitatur à Theologis, quin charitas per potentiam Dei saltem absolutam posset diminui in anima, quoad ipsius etiam intensionem habitualem. Hoc enim omnes concedunt, vt notauit Durandus in 1. dist. 17. quæst. 10. Nam omnis forma, quę habet aliquam latitudinem intensionis, sicut potest augeri, potest etiam minui: & sic charitas posset etiam à Deo minui, sicut & ab ipso effectiuè augetur. Sed QVÆSTIO est, Vtrum secundùm legem ordinariam minuatur interdum, id promerente ipso homine per aliquos actus suos malos, aut etiam minus bonos, scilicet remissiores.

Et quidem quòd non minuatur per actus bonos remissiores, patet ea ratione, quòd illi etsi sint minus boni, tamen non sunt demeritorij apud Deum, cùm non sint mali, sed potius meritorij, cùm sint boni, vt vidimus punct. 3. Quòd etiam non minuatur per actus malos, qui sint peccata mortalia, facilè conuenit inter Theologos. Nam peccata mortalia funditus corrumpunt habitum charitatis, vt vidimus puncto præcedenti, ac proinde non minuunt, sed abolent penitus charitatem, vt argumentatur rectè D. Thomas hîc art. 10.

Vtrum autem diminuatur charitas per peccata venialia, de eo nonnulla inter Theologos CONTROVERSIA est. Nam Altisiodorensis libro 3. suæ summæ, tract. 5. cap. 5. non longè ab initio, visum est, charitatem minui per peccata venialia. Sed contraria sententia est D. Thomæ hîc artic. 10. & Henrici Gandauensis quodlib. 5. quæst. 23. & communis Theologorum in 1. dist. 17. eademque verissima.

Probatur PRIMO, argumẽto D. Thomæ. Nam qui peccat venialiter, non auertitur à Deo, tanquam ab vltimo fine, in quem est ordinatus per ipsam charitatem: sed tantùm offendit nonnihil Deum, saluo nihilominus recto illo ordine charitatis in ipsum, vt ad finem vltimum: Ergo non meretur puniri vllo modo in ipso dono charitatis, per quod est in Deum tanquam in vltimum finem ordinatus. Consequentia probatur. Nam qui delinquit in minori, non iustè punitur in eo, quod maius est, præsertim à Deo, qui ad benefaciendum & remunerandum, quàm ad puniendum multò propensior est.

SECVNDO probatur. Nam si charitas minueretur per peccata venialia, sequeretur posse illam per ea etiam corrumpi: At istud consequens est absurdum: Ergo illud etiam vnde sequitur. Sequela Maioris probatur. Nam possent adeo multiplicari venialia, vt tandem charitas, quæ intensionem habet actu finitam, funditus interiret; siquidem omne finitum per continuam detractionem

tractionem finitarum partium potest corrumpi, vt patet. Minor autem probatur. Nam certum est, sola peccata mortalia cum charitate pugnare, ita vt non sit cum eis compatibilis; alioqui nemo frequenter peccans venialiter, sicut plerumque fit, posset in hac vita diu perseuerare in gratia & charitate, cùm constet, neminem quantumuis iustum posse secundùm legem ordinariam diu viuere sine peccatis venialibus.

Hoc argumento ad hanc rem probandam, vsus est etiam Durandus in 1. distinct. 17. quæst. 10. & vtuntur communiter alij. Quanquam non defuerunt, qui existimarent illud esse inefficax, ac posse reddi rationes aliquas, ob quas consequentia Maioris posit negari, vt est videre apud Durandum loco citato, & Franciscum Victoriam in Relectione de charitate, parte secunda, qui & ipse arbitratur, argumentum istud non esse firmum. Quas rationes decreui examinare, vt intelligi possit an illud argumentum sit firmum.

PRIMA ratio fuit quorundam, qui vt refert Durandus, ideo negabant illam consequentiam, quia existimârunt per peccata venialia frequenter commissa produci tandem in animo prauam quãdam dispositionem siue habitum, per quem si vlterius homo pergat peccando, sit peccaturus non iam venialiter, sed mortaliter, & per eiusmodi peccatum mortale dicebant corrumpi denique charitatem, non autem per antecedentia peccata venialia.

Sed hæc ratio prorsus est commentitia, PRIMO, quoniam vnus aliquis habitus seu dispositio non producitur in anima per actus diuersarum specierum, sed per actus similes. Contingit autem aut certè potest contingere, vt peccata venialia, quæ frequenter committat aliquis, sint specierum diuersissimarum, sicut rectè argumentatur vbi suprà Durandus. SECVNDO, nam dato quòd talis dispositio seu habitus per peccata venialia produceretur, tamen incredibile videtur, quòd oporteret tunc necessariò hominem cùm præterea peccaret, peccare illo peccato mortali, ad quod inclinaret ille habitus. Cur enim pro sua libertate non posset dicere aliquod verbum otiosum, aut committere aliquod aliud peccatum veniale, sicut anteà?

SECVNDA ratio fuit aliorum, qui dixerunt, ideo consequentiam illam esse negandam, quia cùm iam in diminutione charitatis ventum esset ad tam exiguum charitatis gradum, vt accedente alio peccato interitura esset charitas, teneretur homo sub peccato mortali vitare etiam peccatum veniale, ne per illud corrumperet charitatem. SED hæc ratio æquè commentitia est.

Nam PRIMO non tenetur aliquis conseruare gratiam & charitatem, nisi per illa ipsa præcepta, quibus tenetur quisque vitare peccata mortalia, quæ alioqui ex se corrumpunt charitatem, vt per præceptum de non furando, de non occidendo, &c. Non enim datur præceptum immediatè de habitu, sed de exercendis aut vitandis actibus: Ergo vanè abistis fingitur præceptum illud peculiare, quo teneretur quis in illo casu diminutionis charitatis, conseruare habitum charitatis nullo modo peccando. SECVNDO, quoniam absurdè asseritur, tale aliquod præceptum, de quo nemo posit scire, an & quando instet tempus, quo illud adimplere teneatur. Nemo autem scire potest, quando habeat tam exiguum charitatis gradum, vt si vlterius charitas minuatur, sit funditus interitura.

TERTIA ratio fuit aliorum, qui dixerunt, ideo consequentiam illam esse negandam, quia quamuis per quoduis peccatum veniale detrahatur aliqua particula de intensione charitatis, tamen semper detrahitur minor per sequẽs peccatum, propterea quòd peccatum antecedens semper est grauius, atque adeo sequens minus est graue. Maius enim esse peccatum illius, qui habens intensiorem charitatem peccat; & minus graue illius, qui peccat, quando iam est in illo diminuta charitas per antecedentia peccata. Non corrumpi autem totaliter aliquod finitum, si continua detractio ex illo ita fiat, vt semper detrahatur de illo minus & minus, sicut patet in aliquo corpore continuo, ex quo possunt in infinitum detrahi minores & minores partes.

Sed neque hæc ratio valet. Nam PRIMO falsum est, illum qui habet maiorem charitatem, peccare magis cæteris paribus; imo nisi peculiaris aliqua circumstantia ex ea parte augeat peccatum, videtur talis cæteris paribus minus peccare, quia subiectum est minus alioqui malum. Deinde quicquid sit de hoc, tamen fieri posset in illo casu diminutionis charitatis, vt circumstantiæ aliquæ subsequentium peccatorum venialium sic præponderarent, vt omnibus consideratis mererentur illa subsequentia peccata maiorem diminutionem charitatis quàm antecedentia.

QVARTA ratio fuit Francisci Victoriæ vbi suprà, propterea scilicet consequentiam illam posse negari, quia cùm sit actu finitus numerus peccatorum venialium, quem quisque iustus commissurus est, & illum Deus præuideat, nunquam est futurum, vt per peccata venialia minuatur charitas in aliquo iusto vsq; ad ipsius etiam corruptionem. Semper enim esse maiorem charitatem eam, quam Deus dat iusto, quàm vt per illius peccata venialia futura minui queat vsq; ad corruptionem.

Sed hæc ratio non eluit totam absurditatem, ad quam deducebat illud nostrum argumentum. Neque enim tantummodo est absurdum, vt per peccata sola venialia actu minuatur charitas vsque ad corruptionem, sed etiam vt per ea sola possit quidem charitas vsque ad corruptionem minui, quantum est ex natura ipsius charitatis, & venialium peccatorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVINTA ratio fuit eiusdem Victoriæ ibidem, scilicet ideo negandam esse consequentiam illam, quia semper fieret diminutio per detractionem minorum & minorum partium, non ob illam rationem, quæ tertio fuit assignata, sed quoniam habenti minorem charitatem (ob imminutionem scilicet præcedentem) maior pœna est detractio minoris particulæ de Charitatis intensione, quàm habenti maiorem charitatem detractio particulæ maioris. Sicut possidenti v. g. duas tantùm oues, incommodius est priuari vna illarum, quàm possidenti quinque vel sex priuari duabus.

SED hæc ratio eodem modo refutari potest, quo illa, quæ fuit tertio loco assignata. Nam possent circumstantiæ subsequentium peccatorum adeo præponderare, vt nõ obstante ista speculatione Victoriæ mererentur subsequẽtia peccata detractionem maioris particulæ de intensione charitatis quàm antecedentia.

SEXTA & vltima ratio fuit eiusdem Victoriæ ibidem, nempe consequentiam illam idcirco negari posse, quia iustus aliquamdiu perseuerans in charitate, etsi interdum peccat venialiter, tamen simul auget etiam interdũ charitatem per suos charitatis actus. Et sic quamuis ex vna parte minueretur charitas propter peccata venialia, ex alia tamen augeretur, ita vt non esset interitura per peccata venialia.

SED neque ista ratio est sufficiens. Nam PRIMO non est necesse, vt iustus augeat etiam charitatem intra tempus illud, quo ipsum contingat frequentissimè peccare venialiter, maximè si charitas non augetur nisi per actus intensiores, vt sentit diuus Thomas. DEINDE quia saltem posset iustus charitatem suam tunc non augere, aut certè non ita augere, vt augmentum compensaret satis diminutionem, quæ fieret per venialia, sic videlicet, vt impediret corruptionem. Itaque posset charitas, quantum est saltem ex natura sua, corrumpi per peccata venialia, quod etiam est absurdum, vt ante diximus. Quare maneat firmum esse quoque secundum illud argumentum pro nostra assertione.

TERTIO ac postremò potest eadem assertio probari alio quodam argumento bono, quo est vsus Victoria, vbi suprà. Nam si charitas minueretur per peccata venialia, accidere posset, vt simul in aliquo instãti miueretur & augeretur: At istud est impossibile: Ergo, &c. Maior patet in casu, quo simul eliciat aliquis actũ charitatis, per quem alioqui possit charitas augeri statim, & in eodem instanti peccet venialiter. Id quod posse contingere Victoria non dubitat, nec putat à quopiam dubitari.

Verùm Dominicus Bannes 2. 2. quæst. 24. artic. 6. in annotationibus quibusdam suis ad illam relectionem Victoriæ, quam ibi describit, non probat istud Victoriæ argumentum. Negat enim, quod Victoria indubitatum esse arbitratur, scilicet posse aliquem simul mereri per actum Charitatis, & peccare venialiter. Nam vt actus sit meritorius, necesse est illum vndequaque esse bonum simpliciter, & ex nulla circumstantia malum. SED hæc obiectio parùm valet contra argumentum Victoriæ. Nam potest alio quodam modo contingere, quod Victoria ponit, scilicet vt quis simul habeat actum charitatis meritorium, & peccet venialiter.

Non enim vult Victoria hoc posse contingere ita vt vnus & idem actus sit meritorius & peccatum veniale; sed quia simul in eodem instanti potest cum actu meritorio vndequaque bono concurrere peccatum aliquod veniale, quod saltem consistat in aliqua omissione venialiter culpabili. Vt si quis v. g. eo tempore eliciat actum charitatis in suo cubiculo, quo teneretur sub peccato saltem veniali adire templum ob aliorum ædificationem, caussa vitãdi alicuius exigui scandali.

Adde, quòd etiam posset concurrere cum actu charitatis aliquod peccatum veniale consistens in commissione iuxta opinionem aliquorum Theologorum, qui putant, posse intellectum, atque adeo etiam voluntatem ferri simul in plura obiecta vt plura. Falsò enim Dominicus Bannes vbi suprà dicit, istud ab omnibus negari, vt patet ex iis quæ disseruimus tomo 1. quæst. 8. de Angelis, punct. 4. Sed quicquid sit de hoc, satis est ad firmitatem illius argumenti tertij, quod saltem potest cõcurrere cum actu charitatis peccatum aliquod veniale omissionis.

Nunc tantum supereſt, vt breuissimè respondeamus ad quoddam argumentum præcipuum, quod fieri solet pro contraria sententia Alcisiodorensis. Est autem huiusmodi. Qui peccat venialiter, eo ipso redditur ineptior ad elicendum actus charitatis, vt experiẽtia videtur comprobare: Igitur per peccata venialia minuitur principium ipsum actuum charitatis, nimirum ipsa charitas.

RESPONDEO negandam esse consequentiam. Nam quòd aliquis post peccata venialia, præsertim frequentia, ineptior sit ad vsum charitatis, ex aliis caussis prouenit, nempe quia per peccata venialia succrescunt & roborantur prauæ animi passiones, quæ contrariæ sunt vsui charitatis. Item quia per illa opponit quis impedimentum, quo minus moueatur ad exercitium charitatis per quædam auxilia gratiæ actualia, quibus Spiritus sanctus solet eorum mentes ad bonum frequẽtius instigare, qui diligentius student vitæ puritati. Atque ob has causſas dici solet imminui feruorem quidem charitatis per peccata venialia, licet non ipsum charitatis habitum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

De Obiectis Charitatis.

D. Thomas 2. 2. quæst. 25.

DVO SVNT EXPLICANDA, AD QVAE REVOCABIMVS ARTICULOS D. Thomæ, qui ex vno vel altero fundamento pendent omnes. PRIMVM est, Quænam sint diligenda, & quomodo. SECVNDVM, Vtrum ob aliquam circumstantiam fieri possit, vt res aliquæ, quæ essent alioqui diligendæ ex charitate, minimè debeant ex charitate diligi.

PVNCTVM PRIMVM.

Quæ sint diligenda ex charitate, & quomodo.

D. Thomas art. 1. 2. 3. 4. 5. 10. 11. 12.

QVÆNAM DEBEANT EX CHARITATE diligi, & quonam modo, facilè intelligi poterit duobus fundamentis positis. PRIMVM est; Dupliciter aliquid potest ex charitate diligi, vt patet ex doctrina D. Thomæ hîc art. 2. & 3. VNO modo tanquam id, quod secundùm se diligitur, id est, tanquam id, cui per charitatem volumus bonum: sicut diligimus amicum; ALTERO modo tãquam id, quod per charitatem volumus illi rei, quam secundùm se diligimus: sicut diligimus id bonum, quod volumus amico, vt sanitatem, gratiam, &c.

Iam verò vt PRIORI modo aliquid per charitatem diligatur, quædam sunt necessaria: PRIMO, vt aliquo modo in eo reluceat bonum ipsum diuinum, quod est obiectum formale charitatis, vt q. 1. vidimus. SECVNDO, vt etiam sit capax supernaturalis beatitudinis, in cuius videlicet communicatione fundatur dilectio charitatis, sicut quæst. illa 1. vidimus, & patet ex doctrina D. Thomæ hîc art. 8. & 9.

Vt autem POSTERIORI modo aliquid diligatur per charitatem, satis erit, illud habere aliquem ordinẽ ad id, quod priori modo per charitatem diligitur secundùm se, ita nimirum, vt ad id aliquo modo pertineat, spectando scilicet ad eius dignitatem vel vtilitatem, &c.

SECVNDVM fundamentum. Quæ res debent per charitatem diligi secundùm se, scilicet vt diligitur amicus, dupliciter debent diligi. PRIMO, quatenus non licet eas contrario actu prosequi, scilicet odio. SECVNDO, quatenus oportet etiam pro loco & tempore actu item charitatis eas prosequi. Quod ipsum aliis verbis est oportere eas in specie & quoad exercitium diligere pro loco & tempore, sicut patet ex doctrina diui Thomæ hîc articulo octauo & nono. Priori autem modo debere diligi, est debere eas ex præcepto charitatis necessariò diligi, quoad actus specificationem, ita scilicet, vt non liceat exercere erga illas actum, qui sit odium, sed tantùm actum, qui sit dilectio: quod ipsum est etiam eas debere diligi in quadam animi preparatione ad diligendum etiam actu, quãdo erit opus, vt patet ex eodem D. Thoma art. 8. & 9.

Cùm autem dicimus, nunquam licere velle malum ei rei, quæ est ex charitate diligenda, & oportere aliquando ei etiam actu velle bonum; non de quouis malo & bono id intelligendum est; sed de malo & bono simpliciter, quod scilicet consideratis omnibus censeri possit secundùm rectæ rationis regulam esse bonum aut malum. Nam si quis aut sibi aut proximo velit aliquod bonum, quod tantummodo *secundùm quid* bonum sit, vtputa secundùm sensum, is minimè verè aut se aut proximum amat, sed potius odit, si id iuxta regulam rectæ rationis sit aut sibi aut proximo simpliciter malum. Contrà verò si quis velit aliquid sibi aut proximo, quod tantummodo secundùm quid sit malum quoddam, bonum autem simpliciter secundùm rectam rationem; is non verè ac simpliciter propterea odit seipsum vel proximum, sed potius diligit; iuxta illud Christi, Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo* (scilicet *secundum quid*) *in vitam æternam custodit eam, vtique eam verè diligendo.*

Atque hinc est, quod vt rectè diuus Thomas docet hic articulo septimo, peccatores cùm sibi ea volunt, quæ sunt bona secundùm quid, non autem simpliciter, minimè seipsos verè diligunt, sed potius oderunt: iuxta illud etiam Dauidis, Psalm. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Id quod puto non modò esse verum, si spectemus solam hominis animam, sed etiam si spectemus hominis corpus, quatenus est humanũ. Etenim

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpori humano, vt humanum est, non est simpliciter bonum, nisi quod est bonum secundùm rectam etiam rationem, à qua regi debent appetitus corporis. Item quoniam censeri non potest bonum corporis simpliciter id, quod præparat corpus ad sempiternum illud incendium, quo punientur peccata, quibus quis vsurpat bona sensibilia contra regulam rectæ rationis, si diuina quidem gratia destitutus ex hac vita migret.

Iam verò ex doctrina PRIMI fundamenti consequuntur SEPTEM pronunciata, quod attinet ad obiecta charitatis. PRIMO sequitur, præcipuum obiectum charitatis esse ipsum Deum, vt patet ex doctrina diui Thomæ articulo primo. Et ratio est perspicua ex illo primo fundamento; siquidem in eo relucet diuina bonitas, non quouis modo, sed per essentiam, & est quoque per essentiam in eo capacitas ad illam beatitudinem, quæ consistit in fruitione ipsius, in qua etiam nos nostro modo cum Deo communicamus, sicut patet ex dictis, quæstione prima, puncto secundo.

SECVNDO sequitur, nos ipsos quoque esse obiectum diligẽdum à nobis ex charitate, vt docet D. Thomas hîc artic. 4. Nam & in nobis relucet illa diuina bonitas, tanquam in sui imagine, & sumus capaces beatitudinis. Quanquam vt rectè notat idem diuus Thomas in illo articulo quarto, non diligimus ipsi nos amore charitatis, vt est amor amicitiæ, sed vt est absolutè dilectio charitatis: siquidem amicitia propriè non est nisi ad alterum. Atque hoc pacto D. Thomas interpretatur illic, quod ait diuus GREGORIVS homil. 17. in Euangelia, *Charitatem minus quam inter duos esse non posse.* Intelligendum est enim de charitate, non vt est præcisè charitas, sed vt habet quoque rationem cuiusdam amicitiæ, iuxta dicta suprà quæstione prima, puncto secundo. Secundariò tamen & tanquam rem, quam volumus amico, censeri possumus nos diligere per charitatem, vt est etiam amicitia, non quidem erga nosipsos, sed erga Deum, quatenus scilicet per charitatem volumus nosipsos esse ac viuere tanquam rem quandam amici, nimirum ad Dei gloriam, vt notat in illo articulo quarto diuus Thomas.

TERTIO sequitur, proximos omnes esse etiam obiecta ex charitate diligenda, qui scilicet sint capaces beatitudinis, vt docet D. Thomas, articulo primo & sexto. Et diuus AVGVSTINVS libro primo de doctrina Christiana, cap.30. vbi ait; *Cùm Dominus dicit: Diliges proximum tuum: Omnem hominem esse reputandum proximum.* Quod tamen intelligi debet, si spectemus naturam hominis; non autem si spectemus culpam. Sic enim peccator, vt peccator est, odio potius haberi debet, vt notat diuus Thomas artic. 6. etiamsi esset pater aut mater; iuxta illud, Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, &c. non potest meus esse discipulus.*

QVARTO sequitur, Angelos quoq; bonos esse numerandos inter obiecta, quæ sunt ex charitate diligenda, vt docet D. Thomas art. 10. & D. AVGVSTINVS lib.1. de doctrina Christiana, cap.30. vbi Angelos esse etiam nostros proximos ex eo pulchrè confirmat, quòd ab eis multa & magna beneficia accipimus. Proximus enim est is, de quo aut bene meremur, aut qui de nobis bene meretur: sicut ille Samaritanus, qui misericors fuit erga hominem vulneratum, & ideo proximus eius reputatus est, Lucæ 10. Idipsum patet etiam ratione. Nam & Angeli sunt capaces eiusdem beatitudinis, cuius nos, vt patet Matth. 22. *Erunt sicut Angeli Dei.* Et Apocal. 21. *Mensura hominis erit mensura Angeli:* ac denique in eis etiam relucet tanquam in imagine diuina bonitas, & quidè perfectius, quàm in homine, vt docuimus tomo 1. disput. 7. quæst. 3. punct. 1. ex sententia D. Thomæ, 1. part. quæst. 93. art. 3. & diui Gregorij homil. 34. in Euangelia contra Theodoretum, quæst. 20. in Genes.

QVINTO sequitur, Dæmones non esse ex charitate diligendos, vt rectè docet D. Thomas, articulo 11. Nam dupliciter considerari possunt. PRIMO vt Dæmones: quo pacto considerantur, vt sunt deprauati per peccatum. Et sic satis constat, eos nullo modo debere ex charitate diligi. SECVNDO, vt retinent nihilominus naturam secundùm se bonam, vtpote à Deo cõditam. Et nec ita quidem debent ex charitate diligi secundùm se, cùm non sint amplius capaces beatitudinis, sed ex illius spe prorsus exciderint, ob naturam & conditionem status damnationis, in quo sunt. Possunt tamen secundùm naturam diligi vt res, quas ad Dei gloriam (in iustitia relucentem) esse & conseruari velle debemus, atque adeo tanquam res quasdam amici, puta Dei ipsius, sicut notat diuus Thomas in illo artic. 11. Atque idem dicendum est de aliis damnatis. Nam si considerentur vt deprauati per culpam, nullo modo diligendi sunt: secundùm naturam autem diligi possunt tanquam ad Dei gloriam pertinentes, vt Dæmones.

SEXTO sequitur, quamcunque etiam rem aliam, quæ vllo modo pertinere possit ad Deum vel proximum, diligendam esse ex charitate tanquam rem quidem amici, puta Dei vel proximi, ac proinde res irrationales, vt docet D. Thomas, art. 3. Item gratiam ipsam & charitatem, quam nimirum debemus velle & nobis & proximis, vt docet art. 2. Item corpus proprium & proximi, vt docet art. 5. Quãquam hoc quidem aliqua ratione potest & debet secundùm se etiam ex charitate diligi: idq; duplici titulo; PRIMO, quia inadæquatè quidem est de ratione hominis tanquam eius pars; SECVNDO, quia est aliquo modo capax beatitudinis secundùm illas gloriæ dotes, quæ ex beatitudine animæ ad ipsum redundabunt, vt notat diuus Thomas, articulo duodecimo.

SEPTIMO

SEPTIMO sequitur, non malè ab AVGVSTINO lib.1. de doctrina Christiana cap.23. & 26. omnia, quæ sunt diligenda ex charitate, fuisse comprehensa quatuor generibus obiectorum. PRIMVM est, quod est *supra* nos, scilicet ipse Deus. SECVNDVM, quod *nos* ipsi sumus. TERTIVM, quod *iuxta* nos est, scilicet proximi, quo nomine intelligendi sunt etiã Angeli, vt antè notauimus ex eodem Augustino ibi cap.30. QVARTVM, quod *infrà* nos est, scilicet corpus proprium, & eadem ratione res aliæ quantumuis irrationales, quæ possint & debeant expeti tanquam res pertinentes ad dignitatem vel vtilitatem amicorũ. Quæ quatuor explicat etiam D. Thomas breuiter ex sententia D. Augustini art. 12.

Porrò ex doctrina etiã SECVNDI fundamenti suprà à nobis positi, sequuntur quædam, quod attinet ad modum diligendi ea, quæ sunt ex charitate diligenda. PRIMO enim intelligi potest ex ea doctrina, quatenus liceat ob vtilitatem spiritualem inferre aliquod detrimentũ proprio corpori sine peccato contra charitatem. Pro REGVLA enim ad hoc diiudicandum statui debet, illud detrimentum licitè posse ob eum finem corpori inferri, quod omnibus consideratis iudicetur nõ esse malum simpliciter ipsi homini, etiam secũdùm corpus, sed potius simpliciter bonum. Si quod autem detrimentum sit eiusmodi, quod iudicio sapientis consideratis omnibus censeatur esse simpliciter malum homini, non licebit illud corpori inferre vllius spiritualis vtilitatis prætextu.

Quocirca minimè licebit ob vtilitatem spiritualem orbare seipsum aliquo membro, & multò minus occidere. Probatur. Nam iudicio sapientum tale detrimẽtum corporis est simpliciter malum homini, & contra præceptum de conseruanda vita & incolumitate propria, quod nõ potest violari charitate salua. Deinde idipsum patet ex communi sententia sanctorum Patrum, qui propterea asserunt, non propriè, sed metaphoricè esse interpretandum illud Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue illum & proiice à te.* Et illud Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Et alia huiusmodi.

Atque eadem ratione etiam esset illicitum aliis modis ita corpus affligere, vt ex ea re iudicio eorum, qui rectè de hoc iudicare possunt, secuturã certò mors videatur, consideratis omnibus circumstantiis. Dico autem certò. Nam si id ita incertum est, vt non debuerit aliquis abstinendo à tali genere exercitationis præcauere mortis euentum; non esset talis iudicandus peccâsse contra charitatem, etiamsi fortè contingat mortem sequi ex tali genere exercitationis. Per quem modum possunt & debent à peccato excusari multi homines pij, & religiosi, quos interdum accidit ob corporis macerationem immaturam mortem oppetere.

Sin autem detrimentum non admodum graue sit, & conducat ad subiugandum rationi corpus; non est vllum dubium, quin salua charitate possit tale detrimentum corpori inferri, atque etiam iure optimo inferatur. Probatur PRIMO ex Scriptura, 1.ad Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c.* Et ad Colos. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terrã.* SECVNDO probatur ab exemplo Sanctorum, quibus omnibus in more fuit pium hoc & salutare genus exercitationis. TERTIO probatur ex instituto Ecclesiæ, quæ ob eiusmodi spiritualem finem rectissimè sancit leges ieiuniorum, quibus nonnullum detrimentum corporibus inferatur, vt spiritus illud melius regere possit. VLTIMO probatur etiam manifesta ratione. Nam licet inferre corpori detrimentum aliquod minoris momenti propter salutem & vtilitatem ipsius corporis maiorem, vt videmus ex præscripto medicorum fieri: Igitur etiam id licebit ob spiritualem vtilitatem, quæ longè anteferri debet vtilitati corporis.

SECVNDO ex doctrina illius SECVNDI fundaměti potest intelligi, quomodo Iudices & alij iustitiæ administri non peccent contra charitatem erga proximum, cùm à malefactoribus exigunt meritas pœnas, atq; adeo etiam illos morte mulctant quando oportet. Nam vt rectè notat D. Thomas hîc art. 6. ad 2. malũ illud pœnę, quod ea ratione inferunt malefactoribus, simpliciter quidem bonum quoddam est, nimirum iustitiæ, & sub ea ratione cadit in iudicũ, & aliorum ministrorum iustitiæ voluntatem: tum quoniam ita conseruatur commune Reipub. bonum: tum etiam quia vel per illud ipsi malefactores corrigũtur, & ad meliorem mentem reuocantur, vel eis certè adimitur facultas præterea delinquendi; q̃ ipsum nõ exiguum bonum illorum est, vt asserit illic D. Thomas. Ac similiter poterit eadem doctrina ad plures alios eiusmodi casus particulares accommodari.

Supereſt autem, vt hoc loco expediamus quãdam DIFFICVLTATEM, quæ continetur in his, quæ deduximus ex fundamento primo. Nam si charitas tam latè patet, vt non tantũmodo Deum, sed etiã nos ipsos, & proximos complectatur; consequens videtur, vt nõ sit vnica virtus specie; quod sic probatur: Actus specie differentes nõ sunt ab vnica virtute secũdùm speciem: Sed dilectio Dei & dilectio proximi sunt actus specie differentes: Ergo, &c. Probatur Minor. Nam actus dilectionis Dei est *Intentio*, cùm Deus diligatur tanquã finis: actus autem dilectionis proximi est *Electio*, cùm proximus diligatur propter Deum, tanquã medium propter finem: Sed Intentio & Electio differunt specie, cùm differant etiam genere, vt patet ex his, quæ tradidimus tomo 2. quæst. 7. & 8. de actibus humanis: Ergo, &c.

RESPONDEO nihilominus pro certo habendum esse, charitatem esse vnicã virtutem specie, sicuti suprà asseruimus q.1. p.1. Patet. Nam Scri-

ptura vbique de illa loquitur tanquam de vnica virtute specie, quam aliis virtutibus annumerat, vt illic vidimus. Item peculiariter probatur ex illo testimonio Ioannis 1. epist. cap. 4. *Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est.* Ex quo apparet adeo non esse diuersam virtutem, qua diligimus nos inuicem ab ea, qua diligimus Deũ, vt hoc ipso potius charitas erga Deum perficiatur, quod studiosè nos diligimus inuicè, quia scilicet vna & eadem virtute & nos & Deum diligamus.

Ad argumentum verò contrarium respondeo per distinctionem Maioris. Nam si actus diuersi specie non sint etiam alia quadam ratione eiusdẽ speciei; vera est illa Maior; si autem sint, falsa est. Nam vt sunt nihilominus eiusdem speciei, poterunt ab vna & eadem virtute proficisci; & sic fit in proposito. Etsi enim dilectio Dei & dilectio proximi, quatenus illa est Intentio, & hæc Electio, pertineant ad diuersa genera & species actionũ, tamen quatenus vtraque nihilominus habet proscopo & ratione formali obiecti diuinam ipsam bonitatẽ, sic sunt eiusdem speciei. Nam vt docuimus q. 1. proximus ex charitate diligitur tanquã obiectum quoddam materiale, habens ordinem ad bonitatem diuinã, quæ est formale Charitatis obiectũ. Quòd autem possint iidem actus secundùm diuersas rationes esse simul & diuersarũ specierum & eiusdem speciei, prout volũtas scilicet hominis ferri potest in diuersas rationes obiectorũ, patet ex his, quę tradidimus tomo 2. disp. 1. q. 1. p. 3. Nam vt illic explicuimus totũ genus moris in actibus pendet ex ipsa hominis voluntate.

Porrò quamuis dilectio Dei & dilectio proximi, prout illa est Intentio, & hæc Electio, pertineant, vt diximus, ad diuersa genera & species actuum, tamen ex hac parte non requiruntur ad has dilectiones diuersæ virtutes aliquæ. Ratio est: quoniã dilectio Dei, & dilectio proximi, vt sunt Intentio & Electio, non habent peculiarem aliquam difficultatem, distinctam ab ea, quam habent, vt sunt dilectiones absolutè talium obiectorum. Itaque vna & eadem virtus Charitatis sufficit ad hos actus consideratos quoque secundùm rationem intentionis & electionis. Hactenus de primo puncto.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vtrum ob aliquam circumstãtiam fieri possit, vt res aliquæ, quæ essent alioqui diligẽdæ ex charitate, minimè debeant ex charitate diligi.

D. Thomas art. 6. 8. 9.

DOTISSIMA difficultas est in duabus circumstantiis; quarũ altera est proximi *peccatum*; altera *inimicitia*. Itaq; PRIMO quæritur, an propter peccatum proximi excusemur, quo minus illũ ex charitate diligere teneamur. Et est respondendum negatiuè cum D. Thoma hîc art. 6. Itaq; non obstante peccato proximi tenemur illum diligere, eo quidem modo, quo ex charitate diligendum esse explicuimus puncto pręcedenti in fundamẽto secundo.

Probatur id PRIMO ex Scriptura sic: Omnem proximum debemus ex charitate diligere: Matthæi 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: Sed peccator est etiam proximus noster, vt patet Lucæ 10. vbi Samaritanꝰ ille (qui procul dubio propter falsam fidem illius sectæ hominũ, peccator erat) à Christo est proximus iudicatus: Ergo peccatorem etiam tenemur ex charitate diligere.

SECVNDO probatur. Nam tota ratio diligendi proximum subsistit etiam in eo, qui est peccator: Ergo is nõ obstante peccato debet etiam ex charitate diligi. Antecedens probatur. Nam peccator quoque est secundùm naturam capax beatitudinis, & habet peculiarem ordinem ad Deũ, qui est obiectũ præcipuum charitatis. Quæ duo sunt ratio diligendi ex charitate, vt patet ex dictis puncto præcedenti.

Sed OBIICIET aliquis, quòd licitum est imprecari mala quædam peccatoribus, quæ nõ immeritò magna putantur, vt mortem & pœnam etiam damnationis. Ergo videtur hoc ipso licitũ esse eos odio prosequi. Antecedens probatur ex aliquot Scripturę locis. Vt Psal. 9. *Conuertãtur peccatores in infernum.* Et 108. *Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris eius, cùm iudicatur, exeat condemnatus, &c.* Et ad Galat. 5. *Vinam abscindantur, qui vos perturbant.*

RESPONDEO inprimis, pro certo habendum esse, nũquam licere eiusmodi mala optare & velle peccatoribus per verum odium illorum, secundùm eorum naturam; ita scilicet, vt quis velit ipsis eiusmodi mala euenire, vt mala sunt; spectando tantummodo in illis malis, quòd sit iucũdum propter vindictam propriã, aut ob aliam rationem ei, qui ea mala aliis optat, vt alij illa incurrant quatenus mala sunt. Hoc inquã modo nunquam licet, aut velle, aut imprecari mala peccatoribus. Nã id esset verè prosequi illos odio contra charitatem, quod nunquam licet. Neq; etiam sic Deus vnquã odio prosequitur ipsos homines peccatores, aut vllam aliam creaturam. *Non enim delectatur in perditione impiorum.* Sap. 1. *Et nihil odit eorum, quæ fecit.* Sap. 11. Id ꝙ etiam ostendit D. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 95. & 96. Quãquam impietas quidẽ ipsa, & impius, vt impius est, odio & abominationi est Deo, quatenus is nimirum impietatem ipsam execratur: sicut & nos debemus facere, vt notat D. Thomas hîc art. 6.

Licitum est tamen eiusmodi mala velle & imprecari peccatoribus sub ea quidem ratione boni, qua iustè illis infliguntur à Deo, aut etiam à Magistratu, nimirum vt sunt quoddam bonum iustitiæ, per quam debito modo ab eo, qui habet legitimã potestatem, peccata vindicãtur. Quanq; vt non licet homini priuato mala eiusmodi auctoritate

ctoritate sua propria infligere peccatoribus, ita etiam non licet optare ea illis, tanquam subeunda ex alicuius priuati auctoritate. Nam quod nõ licet facere, non licet etiã optare eo quidem modo, quo non licet facere.

Et quamuis velle aut imprecari eiusmodi mala peccatoribus, vt bonum iustitiæ sunt, possit quodammodo censeri quoddam odium, quatenus nimirum illa voluntas & imprecatio tendit in malum, etsi vt obiectum tantummodo materiale; tamen non est odium tale, quale est odium illud propriè dictum, quod pugnat cum charitate, scilicet quo quis vult alteri malum vt malum, considerãdo solùm, quòd ipsi propter vindictam ita placeat, aut ob aliam rationem, sicut anteà dixi. Et hinc est, quòd Deus dicitur etiam odio prosequi homines peccatores, quatenus eos punit, quia scilicet volũtas puniendi est aliquo modo odium, licet nõ propriè & simpliciter, vt iam explicaui.

Ad formam igitur illius argumẽti respondendum est per distinctionem antecedentis. Nam si illud intelligatur de odio propriè & simpliciter, negandum est; si de odio secundùm quid, concedatur, & tunc negetur consequentia. Nam imprecationes illæ, quæ obiiciuntur ex Scriptura, non debent intelligi de imprecatione malorum, vt mala sunt, sed vt sunt bonum iustitiæ. Quo pacto illa Scripturæ loca interpretatur D. Thomas hîc art. 6. ad 3. & D. Hieronymus in caput 1. Threnorum, & Euthymius in Psalmũ 34. super illud: Obscurẽtur oculi eorum, ne videant. Et Bernardus serm. 8. super Psalmum *Qui habitat*.

Quanquam vt idem D. Thomas docet, aliis etiam duobus modis possent istæ imprecationes exponi: VNO modo, vt intelligamus nõ esse tam imprecationes quàm prædictiones futurorum malorum, quæ impij sint incursuri, nimirum si modus ille Optatiuus, vsurpatus sit in Scriptura pro modo Indicatiuo per figuram Enallagæ: vt cùm dicitur, *Conuertantur peccatores, &c.* sensus sit, *convertentur*: quæ permutatio modorum alias etiam est frequens in Scriptura. Et sic eiusmodi loca Scripturæ interpretatur Iustinus quæst. 125. ad Gentes, & Anacletus epist. 2. & Augustinus super Psalmum 108. & Hieronymus quoque in caput 1. Threnor. & in Psalm. 11. super illud: *Dispergat Dominus, &c.* & D. Gregorius lib. 15. moraliũ cap. 23. ALTERO modo vt imprecationes illæ referantur ad peccatores secundùm culpam duntaxat, vt scilicet sensus sit, vt pereant, secundùm culpam nimirum, id est, desinãt esse peccatores, permaneãt autem secundùm naturam. Quo pacto etiam eiusmodi loca exponit Hieronymus in caput 3. Ezechielis, & in caput 4. Danielis, & Origenes libro 8. in epistolam ad Romanos, super caput 11. & Euthymius in Psalm. 43. Sed expositio, quã prius adhibuimus, videtur commodior, vt scilicet imprecationes istæ referantur ad mala quatenus sunt bonum quoddam iustitiæ.

SECVNDO quæritur de circumstantia *inimicitiæ*, an scilicet ob odium & inimicitiam, quam proximus erga nos gerat, excusemur, quò minus teneamur illum ex charitate diligere. Et respondendum est etiam negatiuè cum D. Thoma hîc art. 8. & 9. & D. AVGVSTINO libro 1. de doctrina Christiana cap. 22. & tract. 8. in primam epistolam Ioannis, & aliis Patribus ac Theologis communiter. Nam debemus erga inimicos etiam sic esse affecti, vt neque vnquam illos odio vero prosequamur, & cùm necesse fuerit, actu quoq; eos diligamus, eisq; ex charitate benefaciamus: Sed hoc ipsum est teneri nos ad eos ex charitate diligendos: Ergo tenemur illos ex charitate diligere. Minor patet ex dictis puncto præcedenti in fundamento secundo.

Maior quoad PRIOREM partem probatur ex Scriptura. Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, &c.* Ex quibus postremis verbis apparet, in ea Christi sententia esse vim præcepti. Nam ex præcepto necessarium est quod est necessariũ, vt per gratiam simus Dei filij. Sicut etiam idem præceptum patet ex eo, quod ibidem ait: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Pharisæorum & Scribarum, non intrabitis in regnum cælorum.* Inter cæteras namq; peruersas traditiones Pharisæorum erat illa, quam Christus ibi corrigit, inquiens: *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, &c.* Item patet hoc ipsum ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et 1. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis.*

Quoad ALTERAM verò partem, scilicet quòd teneamur diligere inimicos, & eis benefacere tempore necessitatis, probatur quoque eadem Maior ex Scriptura. Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, & si sitierit, potum da illi.* Quod præceptum repetit etiam D. Paulus ad Rom. 12. Item ex prima epistola Petri, cap. 3. vbi iubemur etiã *benedicere è contrario inimicis*, sicut paulò antè citaui.

Præterea probatur eadẽ Maior, quoad vtramque partem ratione: Nam omnis proximus, vt sæpè dictum est, est ex charitate diligendus: Sed inimicus est etiam proximus, cùm habeat capacitatem ad beatitudinem, atque adeo etiam ordinem quendam ad diuinam bonitatem, quæ est obiectum formale Charitatis: Ergo inimicus etiam est ex Charitate diligendus.

Sed cùm dicimus, inimicos esse etiam actu diligendos tempore necessitatis, atq; adeo in præparatione quadam animi, vt D. Thomas inquit art. 9. obseruandum est, dupliciter incidere posse tempus illud necessitatis; VNO modo *per se*, quantum est ex natura ipsius Charitatis, scilicet cùm ipse inimicus indiget ope nostra & beneficio;

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALTERO modo *per accidens*, ratione videlicet scandali, aut ipsius inimici, aut aliorum, si quo casu ob concurrentes circumstantias tale scandalum secuturum videatur, nisi inimicũ aliquibus beneuolentiæ aut charitatis argumẽtis prosequamur. Et vtroque necessitatis tempore sine dubio ex charitate inimicus diligendus est etiam actu.

Hinc sequitur PRIMO debere salutari inimicum, aut etiam salutatione præueniri, si alioqui ob circumstantias scandalo aliis futura sit huius officij prætermissio. Qua in re iudicio prudentum, & maximè sapientis Confessarij est decernendum, quid facto sit opus. Nam si v.g. ij, inter quos inimicitiæ intercedunt, tales sunt, vt alter alterum propter conditionis inæqualitatem soleat salutatione aliâs præuenire, tũc non obstante etiam inimicitia debebit idem facere. Et sic de aliis beneuolentiæ indiciis est iudicandum.

SECVNDO sequitur, debere etiam cum beneuolentia & vera charitate admitti pœnitentiam inimici, cùm is ostendit se verè & ex animo dolere, quòd alterum offenderit, vt rectè ex communi sententia notat Syluester in Summa, v. *Charitas*, quæst. 6. & patet ex illo Matth. 18. *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris, &c.* Et Lucæ 17. *Si reuersus fuerit ad te, dicens: pœnitet me; dimitte illi.* Ac probatur idem ratione. Nam alioqui grauissimum scandalum dabitur proximo veniam petenti, & aliis etiam, si de eiusmodi alterius rancore & difficultate in ignoscendo cognoscant.

Nec tamẽ tenetur aliquis inimico veniam petenti sic iniuriam remittere, vt etiam prætermittat actionem iniuriarum coram competenti Magistratu aduersus illum, vt rectè notauit Syluester vbi suprà, & etiam Glossa in Can. *Siquis contristatus*, 90. d. Nam vt potest Magistratus nihilominus meritam à tali pœnam repetere, ita idipsum pars læsa potest licitè procurare & petere.

Videtur autem sentire Syluester loco citato, quòd si is, qui læsit, non modò humiliter petat veniam, sed offerat etiam sufficiẽtem satisfactionem pro illata iniuria, alter non possit instituere contra illum actionem iniuriarum coram Iudice. Dicit enim ibi Syluester, quòd non tenetur quis remittere actionem iniuriarum, nisi, inquit, alter offerat sufficientem satisfactionem. Sed tamen verius mihi videtur, quòd absolutè affirmat Glossa in illo Canone *Si quis contristatus*, nõ teneri læsam partem omittere actionem iniuriarum, etiamsi teneatur alioqui deponere odium & rancorem. Et ratio est, quoniam non tenetur aliquis determinatè acceptare potius hanc quàm illam satisfactionem pro iniuria, sed potest petere à Iudice, vt sibi iuridicè compensatio debita fiat.

Neque Sylueſtro suffragatur, quod ait in illo Canone citato Fabianus Papa, nempe si quis ob iniuriam contristatus satisfactionẽ oblatam noluerit admittere, grauissimis pœnis ad id adigatur. Loquitur enim de satisfactione, quæ continetur in ipsa petitione venię & humiliatione inimici ad effectũ sibi reconciliandi læsam partem. Quam quidem satisfactionem omnino tenetur quis admittere, ita nimirum, vt rancorem & odium ex animo deponat erga inimicum.

TERTIO sequitur, siquis aliqua beneficia velit conferre in totam communitatem, cuius inimicus sit pars quædam, debere illum facere eiusmodi quoque beneficiorum participem inimicum, nec posse eum excludere, vt rectè determinat D. Thomas hic art. 9. Nam meritò sequeretur scandalum ex tali exclusione inimici. Quòd si constaret voluisse aliquem impertiri beneficium non toti communitati, sed aliquibus partibus, tunc fieri potest, vt absque scandalo, atque adeo licitè excludatur inimicus à participatione talis beneficij, & maximè si etiã aliqui ex amicis eius, qui beneficium facit, excluduntur, vt rectè notauit hic art. 9. Dominicus Bannes, sed tamẽ hac in re opus est magna circumspectione & prudentia ad diiudicandum in casibus particularibus, quando in hoc genere sit aut non sit timendum scandalum.

Atque hæc de tempore necessitatis. Extra illud autem non est præceptum, sed consilium, diligere etiam actu inimicum, ac beneuolentiæ signa ei ostendere, vel etiam cum eo loqui, vt rectè definit D. Thomas hîc art. 9. ex Glossa in caput 5. Matth. In qua eo sensu dicitur, dilectionem inimicorum esse cumulum quendam perfectionis.

Atque ita communiter omnes alij Theologi tradunt. Hactenus de ista quæstione.

QVÆSTIO QVARTA.

De Ordine Charitatis, quo scilicet debet ea tendere in diuersa sua obiecta.

D. Thomas 2.2. quæst. 26.

EXPLICANDA SVNT SEX PVNCTA. PRIMO, VTRVM SIT aliquis ordo charitatis, secundùm quem debeamus magis diligere vnam rem quàm aliam, & qualis sit eiusmodi ordo. SECVNDO, *An teneamur magis Deum diligere, quàm vel nosipsos, vel quemcunq; proximum.* TERTIO, *Vtrum nos ipsos magis diligere debeamus quàm proximum.* QVARTO, *An teneamur magis diligere vnum proximum quàm alium.* QVINTO, *Quas ob causas vnus proximus magis, quàm alius diligi debeat.* SEXTO, *An erit etiam aliquis ordo charitatis in cælesti patria. Differunt autem de ordine Charitatis Theologi in 3. dist. 27. & 29.*

PVNCTVM PRIMVM.

Vtrum sit aliquis ordo Charitatis, secundùm quem magis debemus diligere vnam rem, quàm aliam, & qualis sit eiusmodi ordo.

D. Thomas art. 1.

NON QVÆRIMVS IN PROPOSITO, an sit aliquis ordo Charitatis secundùm executionem, quo scilicet vnũ obiectũ charitatis debeat prius diligi quàm aliud. Nam talis ordo nullus est in charitate certus. Sed quærimus, vtrum sit aliquis ordo Charitatis secundùm perfectionem, ita scilicet, vt teneamur magis & perfectius diligere obiectum vnũ charitatis quàm aliud, & in quo consistat eiusmodi ordo.

Et quidem talem aliquem ordinem charitatis esse, certum est. Patet Cantic. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Quo testimonio confirmat hoc diuus Thomas hîc art. 1. Item Matth. 22. *Hoc est primum & maximum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Maximum enim mandatum appellat Christus Dominus propter præstantiam eius actus dilectionis, qui per illud iniungitur. Ac potest idipsum probari ratione D. Thomæ hîc art. 1. quã ita formo: In quibus est habitudo ad aliquod principium, in his est etiam ordo aliquis prioris & posterioris secundùm rationem eius habitudinis: Sed in obiectis charitatis, vt per charitatem diliguntur, siue quod idem est, in charitate prout tẽdit in sua obiecta, est habitudo quædam perfectionis ad aliquod principium: Ergo etiam aliquis ordo prioris & posterioris secũdùm perfectionem. Maior patet ex doctrina Philosophi 5. Metaph. tex. 26. cuius testimonio vtitur ad hoc diuus Thomas. Minor patet etiam ex suprà dictis. Nam Deus est ratio & principium diligendi ea, quæ diliguntur per charitatem, vt vidimus quæstione 1. & 3.

Sed vt præterea intelligatur, in quo propriè cõsistat iste charitatis ordo, sciendum est tripliciter posse rem vnam magis & perfectius ex charitate diligi, quàm aliam. PRIMO modo obiectiuè. SECVNDO appreciatiuè, vt Theologi loquũtur. TERTIO intensiuè. *Obiectiuè* diligitur ea res magis, cui volumus maius bonũ; *appreciatiuè* ea, quam ita diligimus, vt illam anteponamus aliis rebus, quas dicamur minus diligere: quod quidem vt verè fiat, necesse est duobus modis maiorem hanc dilectionem ostendere. PRIMO sic, vt rem alteram, quam dicamur minus diligere, non præferamus ei, quam magis dicimur diligere appreciatiuè, seu eius amori ex charitate; vt fieret, si aliquid committeremus, quod non posset consistere secundùm rectæ rationis iudicium cum vera charitate & amicitia erga rem ita dilectã. ALTERO modo ita etiam, vt si tempus siue occasio incidat, in quo non possis ex actuali dilectione succurrere aut benefacere ei, quem magis appreciatiuè diligis; & ei, quem minus; succurras potius aut benefacias ei, qui magis diligendus est appreciatiuè. *Intensiuè* verò illud magis diligitur, quod diligitur actu perfectiori secundùm intensionem gradualem, atq; adeo secundùm feruorem quendam actus dilectionis. Ac potest contingere, vt quod magis diligitur intensiuè, diligatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

gatur minus appretiatiuè, vel obiectiuè; & è contrario, vt quod magis obiectiuè vel appretiatiuè diligitur, diligatur minus intensiuè.

Iam verò cùm hæc ita sint, QVAESTIO est, an omnibus his tribus modis, vel quibusnam debeat magis & perfectius diligi, quod est magis ex charitate diligendũ, iuxta rectum ordinem charitatis. Et est sententia Theologorum ferè communis in 3. dist. 27. & 29. debere quidem quod est magis ex charitate diligendum, diligi magis appretiatiuè, atq; etiam obiectiuè, si ipsum sit magis bonum & diligibile; non autem requiri necessariò, vt etiã diligatur magis intensiuè, quamuis omnino congruum sit, vt etiam hoc modo, scilicet intensiuè magis diligatur.

Ita docent, vt dixi, communiter Theologi, excepto Scoto, qui in 3. dist. 27. §. *De primo dico*, videtur velle, quod Deus, qui scilicet est magis diligendus quàm reliqua alia, vt sequenti puncto videbimus, ex præcepto charitatis debeat etiam intensiuè magis diligi. Sed sententia communis facilè probari potest contra Scotũ PRIMO, quoniam sufficit seruare præceptum de ordine charitatis eo modo, qui satis sit, vt charitas re & opere sit efficacior (cùm oportuerit) erga illud obiectum, quod est magis ex charitate diligendum: Sed ad hoc satis est, vt obiectum, quod est magis ex charitate diligendum, diligatur magis appretiatiuè & etiam obiectiuè, si sit magis bonum; nec præterea ad id requiritur, vt etiam magis intensiuè diligatur: Ergo ad implendum præceptum de ordine charitatis satis erit ita appretiatiuè & obiectiuè magis diligere, quod est magis diligendum.

Maior probatur. Nam præcipuum est in charitate, vt sit efficax erga dilectum, quãdo & sicut oportet; iuxta illud 1. Ioan. 3. *Non diligamus verbo vel lingua, sed opere & veritate.* Minor autem probatur. Nam quæuis intensio actus dilectionis, quantumuis parua, sufficiet ad efficiẽdum quicquid oportebit causa eius obiecti, quod est magis ex charitate diligendum, si illud vt assumpsimus, ametur magis appretiatiuè & obiectiuè.

SECVNDO probatur. Nam non est credibile extare aliquod tale præceptum, quod vtrum adimpleas nec ne, aut vix aut nullo modo satis probabiliter scire possis: Sed tale esset præceptum de diligendo magis secundùm gradualem etiam actus intensionem: Ergo non est credibile extare tale præceptum. Maior patet. Nam aliâs oporteret hominem perpetuo anxiũ esse, num sit reus violati præcepti. Nec posset satis certa & efficaci intentione eniti ad obseruationem præcepti; sed quasi in incertum curreret. Minor autem probatur, quia nihil minus homini perspectũ est, quàm gradus intensionis, quo elicit internum actum; maximè cùm ad vnumquemque effectum externum sufficiat quicunque intensionis gradus in actu interno dilectionis, vt paulò antè diximus, & sic ex effectu aut indicio externo nequeat capi satis certa coniectura de intensione actus interni; præsertim si concurrant simul ad eundem effectum aliqui motus passionum appetitus sensitiui, in quos ex parte possit etiã referri effectus.

TERTIO probatur. Nam asserere tale præceptũ de diligendo magis intensiuè, esset non necessariis scrupulis mentes etiam piorum implicare. Nam sæpè fit, vt pij & boni homines, qui mallent mortem oppetere, quàm mortaliter peccare, videantur tamen intensius amare aliquid quàm Deum, vt filios, &c. qui tamen nihilominus diligunt Deum super omnia quantum satis est ad vitandum peccatum mortale. Neq; enim satis firmiter dici potest, quod subindicat Scotus loco citato, tales scilicet intensius & tenerius amare aliquid, quàm Deum, non per actum ipsius charitatis, ex qua est necesse Deum magis diligere, sed per amorem appetitus sensitiui, aut per actum voluntatis naturalem. Quamuis enim negari nõ possit, quin per amorem naturalem & appetitus sensitiui sæpè id fiat, tamen nihilo magis videtur negãdum, quòd interdum possit fieri per actum charitatis, præsertim si parens aliquis filium ita diligat in ordine ad finem etiã supernaturalem, nimirum actu cogitans eum esse beatitudinis capacem, & eam illi vehementissimè optans.

Sed potest OBICI pro sententia Scoti PRIMO, quòd cùm charitas ipsa secundùm se multo magis inclinet ad amãdum vnum obiectũ, quàm aliud, vt puta Deum; peruersum esse videtur, si quis illa vtatur ad diligendum intensius id, quod minus ex charitate diligi debet.

SECVNDO, quòd D. Thomas hîc art. 6. ad 1. & art. 7. & sequentibus, aliquoties dicit, esse magis *secundùm intensionem* actus diligenda ea, quæ magis ex charitate diligi debent.

Ad PRIMVM quidam dicunt, maiorem illam intensionem actus charitatis, qua magis intensiuè diligitur id, quod minus debet ex charitate diligi, non effici actu ab ipsa charitate, sed solùm à quibusdam causis extrinsecis concurrentibus, vt puta à passione, vel amore naturali, &c. Et ita sentit Dominicus Bannes hîc art. 2. SED non videtur hoc rectè dictum. Nam cùm intẽsio actus, ex sententia præsertim D. Thomæ, nõ distinguatur realiter ab ipsomet actu in indiuiduo; sine ratione dicitur, quòd intensio actus non sit ab eodem habitu charitatis, à quo est & actus. Et præterea quicquid sit de distinctione intensionis & actus, tamen cùm intensio actus sine controuersia sit quædam actus perfectio, non est probabile intensionem actus charitatis effici ab his causis effectiuè, à quibus non efficitur ipse actus.

Ideo aliter ad argumentum RESPONDEO, verum quidem esse, quòd ipsa charitas, quantum est ex se, inclinat ad magis ea diligenda etiam intensiuè, quæ ex charitate magis diligi debent; sed tamen non ita, vt ad ea magis intensiuè quoque diligenda teneamur ex necessitate præcepti, ita vt alia magis intensiuè diligere per charitatem, sit

sit deforme & peruersum: sed est tantummodo minus decens & congruum, quãdoquidem non ex ipsa natura charitatis sit, vt charitate vtamur ad eiusmodi magis intẽsiuè diligenda, sed ex impulsu amoris alterius, puta naturalis vel appetitus sensitiui. Neque hoc sine ratione ita respondemus, sed adducti argumentis, quibus probauimus nostram sententiam.

Ad SECVNDVM respondeo, D. Thomam in illis locis *intensionem* actus extenso vocabulo appellare perfectionem illam actus, secundùm quã magis appretiatiuè diligatur, quod est magis ex charitate diligendum, vt facilè colligi potest ex doctrina D. Thomæ ibidem. Itaq; vtitur aliquantò latius vocabulo intẽsionis. Nam alioqui constat ex aliis D. Thomæ locis, illum in nostra quoque sententia fuisse. Eam enim supponit in 4. distinct. 17. quæst. 2. artic. 5. ad tertiam quæstiunculam.

PVNCTVM SECVNDVM.

Anteneamur magis diligere Deum, quàm vel nosipsos, vel quemcunque proximum.

D. Thomas art. 2. & 3.

EX fide certum, & apud omnes indubitatum est, debere nos ex charitate quidem supernaturali diligere magis Deum, quàm vel nos, vel quemcunque proximum. Probatur PRIMO ex modo, quo præceptũ de diligendo Deo traditur in Scriptura: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Deuter. 6. Matth. 22. Qua forma præcepti satis indicatur, Deum debere diligi simpliciter plus quàm cætera omnia. Atque idipsum passim asseuerant quoque sancti Patres.

SECVNDO loco potest eadem assertio probatur tribus manifestis rationibus, quæ duci possunt ex triplici Dei consideratione in proposito. PRIMA ratio ducitur ex consideratione Dei, quatenus is est bonus *bonitate* sua diuina. Nam illud, in quo essentialiter est ratio formalis obiecti charitatis, magis debet ex charitate diligi, quàm ea, in quibus est illa ratio solùm participatiuè: Sed ratio formalis obiecti charitatis, puta bonitas ipsa diuina, est in Deo essentialiter, in aliis autẽ omnibus, quæ ex charitate diligenda sunt, solùm est participatiuè: Ergo magis debet Deus ex charitate diligi quam alij omnes.

SECVNDA ratio ducitur ex consideratione Dei, vt est is, non qualitercunque bonus bonitate sua diuina, sed *summè & infinitè* bonus, ac proinde bonus vt quoddam perfectissimum totum, in quo continetur eminẽter quasi quædam pars, quicquid est boni in vlla creatura. Nam quod est ex charitate diligendum vt quoddam totum, in quo est, & à quo pendet veluti pars, quicquid aliud est boni, quod per charitatem diligi debeat; magis est ex charitate diligendum, quàm reliqua omnia: Sed Deus debet ex charitate diligi, vt tale quoddam totum: Ergo, &c. Minor patet: quia debet diligi, vt summè & infinitè bonus, in quo proinde omnia bona continentur. Maior autem probatur ex inclinatione, quam habet pars vel naturalis vel politica ad suum totũ. Magis enim in illud & eius incolumitatem, quàm in seipsam propẽdet. Cuius rei indicium est, quòd videmus partem naturalem, vt manum v. g. exponere se periculo ad auertendum ictum pro conseruatione totius. Et similiter ciuem bonum secundùm inclinationem virtutis politicę se periculo exponere pro conseruatione totius ciuitatis.

Atque hoc argumento vtitur ad hanc rem diuus Thomas hîc art. 3. & etiam 1. p. quæst. 60. art. vlt. vt probet, omnem creaturam naturaliter amare magis suo modo Deum, quàm seipsam, siue in illum magis, quàm in se propendere; quia scilicet pendet omnino in suo esse à Deo, tanquam à quodam toto, in quo est omne bonum: cùm autem charitas supernaturalis perficiat humanam mentem ad diligendum Deum proportionaliter & accommodatè ad ipsam inclinationem naturæ; fit, vt charitas etiam inclinet magis ad diligendum Deum, quàm quoduis aliud bonum particulare, quod in Deo eminenter contineatur. Et sic vera est illa Maior nostræ rationis. Quã rationem rectè etiam defendit Caietanus hîc artic. 3. contra Durandum in 3. dist. 29. quæst. 2. atq; etiam 1. p. quæst. 60. artic. vlt. contra Scotum in 3. distinct. 27. quæst. vnica. De qua & nos tomo 1. quæst. 11. de Angelis p. 3. disputauimus contra obiectiones Scoti.

TERTIA ratio ducitur ex consideratione Dei, vt is est *beatus* cognoscendo & amando seipsum, sicut cognoscunt etiã illum & amant beati. Nam illud ex charitate magis diligi debet, in quo essentialiter est id bonum, quod est veluti fundamentum huius amicitiæ & dilectionis, quod est nimirum ipsa beatitudo supernaturalis, in qua cum Deo communicamus, vt vidimus quæst. 1. Sed hoc bonum beatitudinis est in ipso Deo essentialiter, in aliis autem creaturis rationalibus per quãdam deriuationem seu participationem: Ergo Deus magis ex charitate diligi debet, quàm vlla alia creatura rationalis, atq; adeo quàm cætera omnia. Minor patet. Nam ipse Deus per essentiam suam seipsum cognoscit, & se fruitur: beati autem illum cognoscunt, & eo fruũtur per accidentia quædam, quæ sunt quædam participationes illius beatitudinis diuinæ; nimirum per lumen gloriæ & per visionem beatificam creatam.

Neq; tamen his argumentis efficitur, debere Deum diligi magis quàm omnia *etiam intensiuè*. Satis enim fuerit ad præceptum quidem de ordine charitatis implendum diligere Deum magis obiectiuè & appretiatiuè, iuxta ea, quę p. præced.

de hoc præcepto ordinis charitatis generatim definiuimus. Nec obstat illa forma, qua præcipimur Deũ diligere *ex tota anima, ex toto corde, &c.*. Non enim per hæc requiritur à nobis summa etiam intensio actus dilectionis, sed vt appretiatiuè quidem summè Deum diligamus: id quod fit, cùm nulla alia res anteponitur Deo, tanquam vltimus noster finis, vt patet etiam ex his, quæ de forma illa huius præcepti tradit D. Thomas infrà quæst. 44. art. 4. & 5.

Est autem hoc loco QVÆSTIO, an etiã amore *naturali* diligatur Deus magis quàm cætera omnia secũdùm inclinationem nostram naturalem? ita scilicet, vt quis non solùm secundùm charitatem supernaturalem, sed etiam secundùm inclinationem naturæ, magis inclinetur ad diligendum Deum, quàm ad diligẽdum seipsum. Et sunt hac de re duæ Theologorum sententiæ.

Nam quidam censent, secundùm inclinationem naturæ vnumquemque magis diligere seipsum quàm Deum, & solùm secũdùm inclinationem charitatis supernaturalis debere diligere magis Deum. Ita sensit Altisiodorensis lib. 3. suæ summæ tract. 5. cap. 3. quæst. 1. circa finem, & Albertus Magnus in 3. dist. 29. art. 1. & Bonauentura eadem distin. quæst. 2. & quæst. 4. ad vltimum, & Gabriel eadem dist. quæst. vnica, art. 1. notabili 3. qui proinde non mouentur illa ratione, quæ ex inclinatione partis ad totũ ducitur (vt vidimus) ad probandum magis esse diligendum Deum, quàm nos ipsos.

Altera sententia affirmat, Deum esse magis diligendum, quàm nos ipsos etiam secundùm naturæ inclinationem. Ita D. Thomas hic artic. 3. & 1. p. quæst. 60. art. vlt. & 1. 2. quæst. 109. artic. 3. & Scotus in 3. dist. 27. quæst. vnica, & alij communiter ex sectatoribus D. Thomæ. Atq; hæc sententia est verissima.

Probatur hęc sententia PRIMO. Nam si homo secundùm inclinationem naturalem propenderet ad diligendum seipsum magis quàm Deum; inde sequeretur, inclinationem charitatis, qua est propensus ad diligendum Deum magis, atq; adeo præceptũ charitatis de hoc ipso, repugnare inclinationi naturali: Sed istud consequens est absurdum: Ergo & illud, ex quo sequitur. Sequelam Maioris concedunt quidem Bonauentura & Gabriel; sed malè. Probatur enim, id consequens esse absurdum. Nam quod est institutum ad perficiendum hominem, vt est præditus natura intellectuali, nequaquam repugnat illi secundùm naturam intellectualem, & eius inclinationem. Tunc enim non tam id perficeret naturam intellectualẽ hominis, quàm peruerteret & quodammodo destrueret: Sed inclinatio charitatis ad magis diligendum Deum quàm seipsum, itemq; præceptum charitatis de Deo magis diligendo, sunt instituta ad perficiẽdum hominem, vt is est præditus natura intellectuali: Ergo minimè repugnant inclinationi naturali ipsius, sed addunt potius aliquid perfectionis ad eam.

SECVNDO, probatur hoc modo: Nulla inclinatio naturalis hominis est ad id, quod simpliciter est malum homini: Sed diligere seipsum magis quàm Deum, est simpliciter malum homini: Ergo nulla est ad hoc inclinatio naturalis hominis. Maior probatur. Nam omnis inclinatio naturalis cùm sit à Deo bono naturæ indita, est conueniens & conducibilis homini, atque adeo bona & recta: si quæ autem inclinatio esset ad id, quod secundùm se simpliciter est malũ homini, ea profecto censeri non posset conueniens & bona ipsi homini; propter quod etiam verè dici solet peccatum omne esse contra naturam hominis, quia scilicet homo secundùm naturam suam minimè in id propendeat, quod per se sit simpliciter illi malum, atque adeo peccatum. Itaque malè omnino Gabriel vbi suprà concedit, etiam esse in homine inclinationẽ naturalem ad malum, scilicet illam, quæ vt Gabriel falsò putat, est in homine ad diligendum seipsum magis quàm Deũ. Minor autẽ probatur. Nam hoc ipso, quòd aliquis magis appretiatiuè diligat se quàm Deum, anteponendo videlicet amorem sui, quo sibi rem aliquam ad vtendum vel fruendum velit, amori & amicitiæ Dei, qui vsum vel fruitionem rei talis graui præcepto inhibeat: hoc ipso, inquam, offendit aliquis mortaliter Deum, iuxta illud Matthæi 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam propter me, non potest meus esse discipulus*: Ergo hoc ipsum, quòd est diligere magis seipsũ quàm Deum, est homini malum simpliciter. Et hæc fuit nostræ rationis Minor; sequitur ergo conclusio.

TERTIO probatur sic: Nullus actus, qui prohibeatur per dictamen ipsum legis naturalis est secundùm inclinationem naturalem hominis: Sed actus diligendi seipsum magis quàm Deum, prohibetur dictamine legis naturalis: Ergo hic actus non est secundùm inclinationem naturalem. Maior probatur. Nam lex naturalis non euertit, sed statuit inclinationem naturæ hominis. Nam & ex ipsa inclinatione naturæ intellectualis colligitur potius, quodnam sit rectum dictamen rationis, quo scilicet continetur ipsa lex naturæ. Minor autem probatur. Nam lex naturalis iniungit contrarium actum, scilicet diligendi Deum appretiatiuè magis quàm seipsum: Ergo vetat actum diligendi magis seipsum quàm Deum.

Antecedens probatur tripliciter. PRIMO. Nam præceptum de diligendo Deo super omnia, atq; adeo super seipsum, est præceptum Decalogi: Ergo est naturale; præcepta enim Decalogi, quæ etiam Ecclesiæ sunt à Christo commendata, præcepta legis naturalis sunt, vt docent communiter Theologi, ad quæ Christus solũ addidit præceptum quędam fidei & Sacramentorũ. SECVNDO probatur idem Antecedens. Nam dictamen legis naturæ iubet omnino id facere, quod est necessariò faciendum ad vitandam grauem Dei offensam: Est autem ad hoc necessarium diligere Deum appretiatiuè plus quàm seipsum. TERTIO probatur idem Antecedens. Nam lex naturalis iubet, diligere Rempub. v. g. plus quàm seipsum, oppetendo etiã mortem, si opus sit, pro Repub. atque adeo postponẽdo Reipublicæ bono, summum etiam bonũ, quod possit homo negligere ob amorẽ alterius, scilicet ipsam vitam: Ergo etiã iubet lex naturalis diligere Deum magis quàm seipsum. Probatur consequentia. Nam iudicio etiã naturalis rationis multò maius & amabilius bonum est Deus, & eius honor quàm Respublica, & multò etiam plus debet vnusquisque Deo quàm Reipublicæ. Assumptum autem probatur. Nam laudantur meritò à Philosophis ij, qui pro Repub. mortem oppetiuerunt: tanquam fuerint videlicet executi id, ad quod tenebantur ex lege naturæ, iuxta illud quod ait Cicero in libris de Officiis, *Charitatem patriæ omnium charitates complecti.*

POSTREMO probari etiam potest hæc assertio argumento illo D. Thomæ, ducto ex inclinatione partis, quę est maior erga totum, quàm erga se. Firmum est enim id argumentum & rectè defensum à Caietano, vt antè diximus.

Sed operæpreciũ est respondere ad argumenta quædam, quæ partim fiunt, partim fieri possunt pro opinione illa prima, quam refutauimus.

PRIMVM argumentum sumitur ex auctoritate Philosophi, qui 9. Ethic. cap. 9. inquit, *amicabilia, quæ sunt ad alterũ, prouenire ex amicabilibus, quæ sunt ad se*, id est, maximè amandum esse bonum proprium, & propter illud deinde bonum alienum: Ergo secũdùm inclinationem naturæ magis debet quisque amare se, quàm quodcunq; bonum alienum, ac proinde quàm Deum.

RESPONDEO cum D. Thoma hîc art. 3. ad 1. testimonium illud Philosophi debere intelligi de bonis alienis, quę sint bona particularia, non autem de bono vniuersalissimo & totali, in quo bona omnia continentur: eiusmodi bonum est ipse Deus, vt antè declarauimus.

SECVNDVM argumentum. Illud bonum magis est diligendum ex inclinatione naturæ, quod est magis coniunctum ipsi diligenti: Sed nihil est homini coniunctius, quàm ipsemet sibi: Ergo ex inclinatione naturæ magis debet homo seipsum diligere, quàm quiduis aliud, atque adeo quàm Deum. Maior sæpè supponitur à D. Thoma in ista quæstione, & etiam quæst. præced. vbi propterea docuit, hominem erga seipsum non habere quidem amorem amicitiæ, cùm hic versetur erga alterum: Sed complecti seipsum amore quodam excellentiori, quàm sit amicitia, quippe cùm se amet, vt est non vnitus sibi, sed maximè vnus & idem. Minor autem patet, nam vt dictũ est, vnusquisq; est vnum & idem sibi, quod est plus, quàm esse coniunctum.

RESPONDEO, Maiorem veram esse, quando cætera non sunt valde disparia: in proposito autem valde disparia sunt, cùm Deus sit bonum vniuersalissimum, in quo bonum vniuscuiusque proprium continetur tanquam quædam particula, vt antè est dictum.

TERTIVM argumentum. Homo in diligendo Deo magis quàm se, experitur maximam difficultatem, vt patet: Ergo secundùm inclinationem naturæ non propẽdet magis ad diligendum Deum, quàm se ipsum.

RESPONDEO consequentiã esse negandam. Nam aliæ sunt causæ illius difficultatis; nempe circumstantiæ, ob quas in casibus particularibus est difficile seruare Dei mandata, atque adeo illum diligere super omnia; non autem prouenit ea difficultas ex ipsa inclinatione naturæ per se, quasi hęc sit magis ad diligendum seipsum, quàm Deum.

QVARTVM argumẽtum. Non obstante, quòd quis acceperit esse suum à patre, tamen secũdùm inclinationem naturæ magis propendet ad seipsum diligendum, quàm ad diligendum suum patrem: Ergo similiter propendet quisque naturaliter ad diligendum seipsum magis quàm Deum, non obstante, quòd acceperit totum suum esse à Deo, tanquam ab vniuersali omnis boni principio.

RESPONDEO esse discrimen: nam à parente suo non pendet quis tanquam à toto etiã aliquo, in quo ipse contineatur: item nec pendet ab illo quoad sui esse conseruationem; pendet autem his modis vnusquisque à Deo, vt antè est explicatum.

QVINTVM argumentum. In vnoquoque est naturalis inclinatio ad bona sensibilia, quæ repugnant bono rationis, atque adeo sunt homini mala, non obstante, quòd secundùm naturam intellectualem, atque adeo ipsam naturæ legem propendeat quisque magis ad bonum rationis: Ergo similiter fieri potest in proposito, vt etsi supernaturalis lex & inclinatio charitatis inclinet hominem ad diligendum magis Deum, quàm seipsum, tamen secundùm inclinationem naturæ magis propendeat quis ad diligendum seipsum, quàm Deum, atque ita repugnet naturalis inclinatio inclinationi & legi charitatis, vt illi auctores ponunt.

Antecedens probatur ex illis Scripturæ locis: ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati.* Et ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus Spiritum.* Quibus addi potest illud Genes. 6. *Cuncta cogitatio hominis intenta est ad malum ab adolescentia sua.*

Consequentia verò probatur à paritate rationis dupliciter. PRIMO quia hic etiam videmus esse aliquam naturæ inclinationem ad malum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quare immeritò videmur id obiecisse authoribus primæ opinionis, tanquam absurdum. SECVNDO, quia hîc etiam esse videtur aliqua naturæ inclinatio repugnans alicui legi diuinæ superiori, scilicet naturali dictamini rationis.

RESPONDEO falsum esse Antecedens intellectum de inclinatione naturali, quæ sit per se ad malum aliquod, vt malum homini, atq; adeo quæ repugnet per se legi naturali. Bonum enim sensibile, ad quod est in sensitiua parte inclinatio naturalis, dupliciter considerari potest; VNO modo, vt est absolutè bonum quoddam sensitiuæ parti conueniens; ALTERO modo, vt ob aliquas circumstantias concurrētes in casibus particularibus contingit esse illud quandoque contrarium bono rationis, scilicet considerādo circumstantiam personæ, loci, temporis, quantitatis, &c. Priori modo bonum sensibile cadit quidem in naturalem inclinationem sensitiuæ partis, non autem consideratum posteriori modo, sed sic potius est contra omnem inclinationem naturalem hominis etiam sensitiuam; siquidem hæc debet etiam naturaliter esse conformis rationi superiori in homine. Itaque quod de contrarietate appetitus sensitiui & rationis dicitur in citatis Scripturæ locis, intelligendum est tantummodo materialiter & per accidens, vt scilicet sit sensus, inclinationem naturalem appetitus sensitiui esse ad ea bona, quæ per accidēs contingit quandoque esse mala & contraria bono rationis: non est autem intelligendum formaliter & per se, quasi naturalis inclinatio sensitiuæ partis tendat in illa bona, prout sunt coniuncta cum his circumstantiis, ob quas in casu particulari sunt quandoque mala & contraria rectæ rationi.

At verò in proposito nostro, si esset inclinatio naturæ ad diligēdum seipsum magis quàm Deū, esset ea naturæ inclinatio per se & formaliter ad id, quod est homini simpliciter malum. Nam diligere seipsum magis quàm Deum hoc ipso propriè est malum simpliciter (id est, habet intrinsecè annexam malitiam) vtpote peccatum, seclusis aliis circumstantiis, sicut aduersus illam primam opinionem sumus argumentati.

VLTIMVM argumentum. Si secundùm naturæ inclinationē magis est diligēdus Deus, quàm cætera omnia; consequens esset vt per solas vires naturæ possemus id præceptum seruare: At istud consequens est absurdum, vt ostēdimus tomo 2. q. 1. de Gratia: Ergo & illud, ex quo sequitur. Maior probatur. Nam id, ad quod natura inclinatur, sine difficultate exequimur per vires naturæ; alioqui latius pateret naturæ inclinatio, quàm naturæ facultas; id quod esset quodāmodo monstrosum.

RESPONDEO per distinctionē Maioris. Nam si solùm ad naturam hominis respiciamus, & ad nihil aliud vnde possit oriri difficultas seruandi illud præceptum; verum est quòd possemus illud per naturæ vires seruare: Si autem respiciamus ad difficultates etiam aliunde existentes, scilicet ex passionibus & illecebris variis peccatorum, ob quas res creatæ interdum anteponuntur amori diuino, non possumus præceptum illud per solas naturæ vires seruare, sed indigemus ad id auxilio supernaturali, per quod superemus eiusmodi difficultates. Et hoc quidem affirmo de obseruatione præcepti dilectionis Dei super omnia, etiam vt est author naturalis, atque adeo per executionem præceptorum naturalium. Nam quòd dilectione supernaturali non possimus Deum diligere super omnia sine supernaturali auxilio, per se clarum est.

PVNCTVM TERTIVM.

Vtrum nosipsos magis teneamur quàm proximos diligere.

D. Thomas art. 4. & 5.

DVo sunt initio præmittenda. VNVM est, quòd cū diligere vel nos vel proximos, sit aut nobis aut proximis bonum velle; dupliciter quæri potest, vtrum quis teneatur se magis diligere quàm proximum; VNO modo secūdùm bona, quæ nec sibi, nec proximo velle teneatur, aut absolutè aut in casu; ALTERO modo secundùm bona, quæ & sibi & proximo velle alioqui teneatur. Etrursus vtroque modo potest id quæri; vel secundùm bona *eiusdem ordinis*, vt sunt bona spiritualia inter se comparata; & etiam temporalia bona inter se; vel secundùm bona *diuersi ordinis*, vt sunt bona spiritualia comparata cum temporalibus, & è contrario.

ALTERVM est, proximum posse esse aut æqualem, vt puta si sit persona priuata; aut inæqualem, vt puta si sit persona publica, vel priuata quidem, sed talis, vt magnum emolumētum adferat Reipublicæ.

His suppositis ponam aliquot assertiones, ex quibus facilè diiudicari poterunt multi casus, de quibus hîc prolixè & perturbato ordine disputari solet. PRIMA assertio. *Secundùm bona, quæ non teneatur quis aut sibi aut proximo velle, non tenetur ex ordine charitatis diligere magis seipsum quàm proximum, aut proximum quàm seipsum, qualiscunque tandem sit ipse aut proximus, aut qualiacunq; sint eiusmodi bona, scilicet vel eiusdem vel diuersi ordinis.*

Probatur hæc assertio PRIMO, quia præceptū de ordine charitatis supponit tāquam prius præceptum absolutum de ipsa dilectione charitatis. Si enim quis non tenetur ex charitate absolutè velle hoc bonum sibi aut alteri (vtputa dignitatem aliquam temporalem, aut etiam perfectionem spiritualem aliquam, quæ non sit necessaria ex præcepto, sed vtilis tantùm ex consilio) certè nec tenebitur eo modo se magis quàm aliū, aut alium magis quàm se, diligere.

SECVNDO,

SECVNDO, quia secūdùm ea bona licitum est mihi, nec me, neq; alterum diligere: Ergo etiam erit licitum diligere tantummodò alterū, & non me; aut me tantummodo, & non alterum diligere: id quod est magis diligere vel me, vel alterum, Neque obstat, quòd si consideretur ipsa inclinatio charitatis, magis est illi consentaneū, vt quis secundùm ea etiam bona non debita, magis seipsum quàm alterum diligat. Etsi enim id magis congruat cum inclinatione charitatis, tamē non ita quasi etiam sit necessarium ex præcepto charitatis. Quemadmodum absolutè quoque diligere aut seipsum aut proximum secūdùm ea bona, magis consentaneum est inclinationi charitatis, quàm absolutè non diligere se aut proximū secundùm ea bona, nec tamen ideo est hoc etiam necessarium ex præcepto charitatis; siquidem licitè possum nec me, nec proximum secundùm ea bona diligere.

Ex hac assertione sequitur, minimè facere cōtra ordinē charitatis ex præcepto charitatis necessarium, eos, qui propter vtilitatem aliquā vel temporalem vel spiritualem proximorum vltrò suscipiunt aliquod detrimentum spirituale proprium, negligendo perfectionem aliquam spiritualem, ad quam absolutè non teneantur ex præcepto; vt non ingrediendo religionem v. g. Imo fieri potest, vt quis teneatur etiam tale detrimētum spirituale pati propter vtilitatem aliorum; vt si filius parentibus existentibus in magna necessitate possit subuenire manēs in sæculo, & nō aliàs. Tenetur enim tunc ex pietate id facere, vt infrà explicabitur in materia de Virtute Pietatis: quo loco videndum est, quibusnam circumstantiis concurrentibus id sit necessarium. Nam si filius ingrediens etiam religionem id possit nihilominus præstare, aut alij sint, per quos parentibus subueniatur, nō tenebitur propter illos prætermittere ingressum religionis.

Probatur autem istud Corollarium testimonio etiam & exemplo Apostoli ad Philip. 1. *Coarctor*, inquit, *è duobus desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò autem magis necessarium manere in corpore propter vos.* Vbi patet, Apostolum voluisse carere ad tempus ipsa etiam beatitudine animæ propter vtilitatem proximorum, cùm scilicet minimè ex charitate erga seipsum, teneretur velle sibi beatitudinem pro illo etiam tempore. Atq; huc etiam pertinet illud quod legimus, dixisse D. Martinum instante iam morte; *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Atque similiter possunt ex hac doctrina varij alij casus particulares diiudicari.

SECVNDA assertio. *Secundùm bona spiritualia, quæ quis & sibi & proximo teneatur velle ex charitate, magis debet quis diligere seipsum quàm quemuis proximū etiam se superiorem, ac proinde quàm totam communitatem.* Probatur hæc assertio ex doctrina diui Thomæ hîc art. 4. Nam ratio cur debeat quis seipsum diligere secundùm spiritualia præsertim bona, de quibus loquimur, est, quoniam est ipse capax beatitudinis supernaturalis; ratio autem cur secundùm ea bona debeat quoque proximū diligere est, quoniam proximus est ei societate quadam coniūctus per eiusdem beatitudinis capacitatem. Sed multò maior & vrgentior est illa ratio seipsum diligendi, quàm illa altera diligendi proximum; sicut vnitas multò arctius est vinculum quàm vnio siue coniunctio, vt rectè diuus Thomas inquit: Ergo multò magis debet quisq; seipsum diligere secūdùm eiusmodi bona, quàm quemlibet proximum, atque adeo etiam quàm communitatem, siquidem neque cum communitate intercedit ei amplius quàm coniunctio & societas in eiusmodi capacitate beatitudinis.

SECVNDO probatur eadē assertio ex illa forma præcepti Leuit. 19. & Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vbi quasi pro norma diligendi proximum proponitur dilectio sui. Cuius ratio est ea, quā iam antè vsi sumus: Igitur debet quisq; magis diligere se secundùm illa bona debita, de quibus loquimur.

Porrò ex hac doctrina sequuntur quatuor hîc obseruanda: PRIMO sequitur, non esse licitum diligere magis vllum proximum aut totam communitatem quàm seipsum secundùm bonū illud spirituale debitum, quod consistit in incolumitate seu immunitate quadā à peccato; id est, nunquam licere vllum peccatum committere propter salutem alterius, aut etiam communitatis, quantumuis in aliquo casu videretur ad alienam salutem peccatum aliquod proprium posse conducere. Ita tradunt communiter Theologi omnes, & nominatim D. Thomas hîc art. 4. & infrà q. 43. art. 7. ad 5. vbi ait, nec licere venialiter peccare ad eum finem. Quod ipsum asserit D. AVGVSTINVS in Psalm. 5. vbi probat, non esse vnquam licitum propter alienam salutem aut vllum aliū finem, dicere mendacium, quantumuis leue; tametsi licet interdum occultare quidem veritatē, quod aliud est, vt ibidem diuus Augustinus rectè tradit.

Probatur aūt PRIMO istud corollarium. Nam implicat contradictionē, vt liceat vnquā ex charitate committere vllum peccatū. Nam q licet, non est peccatum, & quod est peccatū, non licet.

SECVNDO id confirmatur ex illo testimonio Christi Matth. 18. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimētum patiatur.* Patitur autem quis istud detrimentum maximè quidem per peccatum mortale, & deinde etiam per peccatum veniale, quod ex natura sua disponit ad mortale, & verè quoque offendit suo modo Deum, vt notauit D. Thomas infrà q. 43. art. 7. ad 5.

POSTREMO id probatur. Nam omnis inclinatio charitatis ad amorem sui vel alterius licitum, præsupponit tanquam fundamentum sui in anima rectum hominis habitū erga bona spiritualia, quæ sibi velle tenetur, atque adeo erga illam

Universidad de Deusto
Biblioteca

spiritualem immunitatẽ à peccato. Alioqui tenderet inclinatio charitatis in destructionem, & non in perfectionem suiipsius, siquidem nequit ipsa consistere sine bonis spiritualibus his, quæ quisque sibi ex charitate velle tenetur.

SECVNDO sequitur, non esse licitum, velle carere gratia ipsa & charitate, vel in perpetuum, vel ad tempus, etiamsi id absq; peccato fieri posset, & in aliquo casu videretur conducibile ad salutem alterius, aut etiam totius communitatis. Hoc assero contra Capreolum in 3. d. 27. q. vnica art. 3. ad argumenta Durandi contra tertiam cõclusionem. Vbi putat, posse aliquẽ licitè id velle.

Probatur autem nostrum corollariũ PRIMO ex illo testimonio Christi, Matth. 18. *Quid prodest homini, si vniuersum mũdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Vbi Christus apertè videtur indicare esse peruersum anteponere saluti propriæ, hoc est, gratiæ & charitati, salutem etiã totius mundi, quam quis aliis comparet seu lucretur.

SECVNDO probatur, quia esset id contra inclinationem charitatis: siquidem tenderet quis per eiusmodi voluntatem in destructionem charitatis & gratiæ propriæ.

TERTIO, quia semper tenetur aliquis (saltem mediatè) habere & retinere gratiam & charitatem: Ergo nunquam licet ne ad tempus quidem velle illa carere. Consequẽtia patet: & Antecedẽs probatur, quia semper tenetur aliquis abstinere à peccatis, per quæ amittitur gratia & charitas: Ergo saltẽ mediatè tenetur semper retinere gratiam & charitatem.

TERTIO sequitur, non licere quoq; propter salutem proximi, aut totius communitatis, velle carere beatitudine in perpetuum, etiam absque peccato, & in casu, quo id videretur ad alienam salutem posse conducere. Hoc assero item contra Capreolum vbi suprà.

Probatur autẽ id PRIMO, quoniam repugnaret hoc inclinationi & naturæ charitatis, quæ tãquam fundamentum sui præsupponit in animo hominis rectam habitudinem & ordinem erga beatitudinem tãquam erga finem vltimũ, quem possit aliquis assequi, & ad quem teneatur etiam contẽdere; siquidem beatitudo ipsa est finis omnium aliorum præceptorum & actionum bonarum.

SECVNDO probatur idem ex illo testimonio Christi iam antè citato. Nam dubiũ non est, quin carere beatitudine in perpetuum sit maximum quoddam detrimentum spirituale, imò verisimum detrimentum salutis, cuius iacturam non licet facere pro salute etiam totius mundi, vt patet ex illa sentẽtia Christi. Vt enim salus maximè consistit in ipsa beatitudine, ita quoq; perpetua carentia beatitudinis verisimè est detrimentum & iactura salutis propriæ.

Neque OBSTAT PRIMO illud Exodi 32. *Aut dimitte populo tuo noxã hanc, aut dele me de libro vitæ.* Vbi videtur Moyses optauisse carẽtiam beatitudinis in perpetuum pro salute aliorũ. RESPONDEMVS enim cum D. AVGVSTINO q. 147. super Exodum, Moysen per exaggerationem fuisse ita locutum ex certa fiducia, quam habebat fore vt ad eius intercessionẽ remitteret Deus illud peccatum populo. Itaque non id dixit, quasi verè optauerit propter eum finem deleri de libro vitæ, sed vt eo dicendi modo significaret, quantopere cuperet veniam impetrare illi populo, quãtumque confideret se impetraturum. Perinde namque fuit ita loqui, ac si dixisset: Scio te non deleturum me ex libro vitæ; sed tam certò spero, & tantopere cupio, vt parcas populo, ac si alterutrum oporteat facere, scilicet vel delere me de libro vitæ, vel illi populo parcere: Ergo cùm alterum facturus non sis, nempe vt me de libro vitæ deleas, facies vtique alterum. Quemadmodum solet quispiam amico dicere ex fiducia erga illũ: Vel facias hoc mea causa, vel non habeas me in posterum pro amico, quod secundum scio te minimè commissurum.

Nec SECVNDO OBSTAT illud Micheæ 2. *Vtinam non essem vir habens Spiritum, & mendacium potius loquerer.* RESPONDEMVS enim, similiter locutum fuisse Prophetã per exaggerationem, non tam intuendo in mendaciũ & in carentiam Spiritus, quàm in id, quod fuisset cum tali mendacio coniunctum, vt scilicet nõ euenirent illa mala, quæ prædicebat.

Nec deniq; TERTIO OBSTAT illud Apostoli ad Rom. 9. *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c.* Nam vt rectè notat D. CHRYSOSTOMVS in illum locum, minimè optabat Apostolus ab ipso Christo separari, sed à commercio & conuersatione cum ipsius membris, id est, Ecclesia, si id fuisset vtile ad salutem fratrum. Anathema enim dicebantur, qui erant aliis abominationi, & vt tales à reliquo cœtu seiungebantur, vt ibi notat D. Chrysostomus. Vel etiam respondere possumus, sensum verborum Apostoli esse, quòd optauerit post Christũ, siue exemplo Christi, addici etiam morti pro salute fratrũ, si id esset necesse. Nam & anathema dicebantur olim, qui se morti deuouerant pro salute Reipub. vel alia de causa. Neq; est absurdum, illud quod ait, *à Christo*, sic interpretari, id est, *post Christum*, eo scilicet modo, quo solemus dicere, à meridie cõtigisse, quod post meridiem contigit.

QVARTO sequitur, licitum esse velle carere ad tempus beatitudine propter salutem aliorũ. Nam non tenetur aliquis velle sibi beatitudinem pro quouis tempore, & sic potest licitè secũdùm eiusmodi bonum diligere magis alterum, iuxta ea quæ tradidimus in prima assertione.

TERTIA assertio. *Secũdùm bona temporalia, quæ quis & sibi & proximo teneatur velle, & æqualia etiam inter se sint, semper tenetur quis magis seipsum diligere, quàm quemlibet proximũ sibi parem aut se inferiorem.* Probatur hæc assertio ex eodẽ fundamento, quo

secundam

secundam probauimus. Nam quisque tenetur se diligere secundùm hæc etiam bona, quatenus illorum adminiculo potest ipse cõsequi beatitudinem, cuius est capax; proximum autem quatenus in hoc ipso est ei quadam societate coniunctus: Sed multò maior ratio est illa diligendi seipsum, quoad hæc etiam bona, quàm illa altera ratio diligendi proximum, cùm arctius sit vinculum vnitas & identitas, quàm vnio seu coniunctio, vt suprà dictum est: Ergo, &c.

Hinc sequuntur duo: PRIMO nunquam licere exponere vitam pro vita alterius priuati ex amore quidem charitatis, quo scilicet quis alterius vitam magis amet, quàm propriam. Et in hoc sensu vera est sententia plerorumque Theologorum, qui in 3. distinct. 27. vel 29. agentes de ordine charitatis, inter illa, quæ sunt magis amanda, ponunt primo loco Deum, secundo seipsum, quoad salutem spiritualem, tertio salutem spiritualem proximi, & quarto corpus proprium, & quinto corpus proximi. Quo ipso satis indicant non licere per charitatem anteponere vitam corporalem proximi vitæ propriæ. Item sententia D. Thomæ, qui infrà quæst. 64. artic. 6. affirmat, plus teneri vnumquemque ad prouidendum vitæ propriæ, quàm vitæ alienæ. Item Paludani in 4. dist. 15. quæst. 3. artic. 2. & Durandi in 4. distinct. 17. quæst. 6. ad 2. qui omnino negant, licere vnquam ponere vitam propriam pro vita alterius.

Ac probatur istud Corollarium ex D. AVGVSTINO libro de Mendacio, cap. 6. vbi ait; *Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum sicut seipsum, sed plus quàm seipsum, quod*, inquit, *doctrinæ regulam excedit.*

Dixi autem non id licere *ex amore quidem charitatis anteponendo vitam alienam vitæ propriæ.* Nam est alius duplex modus, quo posset nihilominus quispiam licitè oppetere mortem pro seruanda vita alterius. VNVS modus est, si id fiat non propriè ex amore vitæ alterius, sed amore potius virtutis, & ad aliorum exemplum, cùm scilicet eiusmodi circumstantiæ concurrunt, vt meritò censeri quis possit propter virtutis dignitatem id facere. Vt exempli causa si fuerint duo arctissimæ & honestissimæ amicitiæ vinculo antea cõiuncti, & alterutri moriendum sit; tunc enim ad commendationem & præclarum exemplum virtutis amicitiæ pertinet, quòd alter pro altero velit mori. Qua in re is, qui mortem oppetet, non magis amabit vitam corporalem alienam quàm propriam, sed potius magis seipsum quàm alterum secundùm bonum illud spirituale cõsistens in dignitate ipsa virtutis amicitiæ, in qua volet eo facto excellere.

Atque isto sensu vera est quoq; sententia aliorum, qui affirmãt licitum esse mori pro vita corporali alterius, vt D. Thomæ in 3. dist. 29. quæst. vnica, art. 5. ad 3. & hîc artic. 4. ad 2. vbi sine exceptione ait licere pati detrimentum corporale propter amicum, & Francisci Victoriæ in Relectione de homicidio, num. 24. & Soti lib. 5. de iustitia & iure, quæst. 1. art. 6. Idque probatur ex D. HIERONYMO in caput 7. Micheę, & AMBROSIO lib. 3. Offic. cap. 12. qui laudant id officium amicitiæ: atque etiam ex AVGVSTINO libro de Amicitia, cap. 10. vbi ait, *pro amicis esse moriendum*, id est, posse cum laude mortem oppeti, *vt sanxit*, inquit, *diuina auctoritas*: alludens nimirum ad illud Christi, Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et deniq; id confirmatur auctoritate Philosophi 9. Ethic. cap. 8. Vbi ait: *Verum est quod de probo viro dicitur, eum amicorum caussa & patriæ multa agere, etiam si pro ipsis mors oppetenda.* Et infrà: *Qui pro aliis mortem obire consueuerunt, eligunt magnum quoddam honestum sibi ipsis.*

ALTER modus, quo posset quis licitè mortem oppetere pro vita alterius, est, quoniam præceptum affirmatiuum de conseruanda vita propria non obligat cum tanta difficultate, quanta est occidere alterum in casu, quo id esset necessarium ad vitam propriam conseruandam, aut etiam pati, vt proximus in tali casu moriatur. Itaque si quis non ex amore proprię, quo vitam alienam suæ vitæ anteponat, sed quia nolit cum tanta difficultate conseruare vitam propriam, ipse potius mortem velit oppetere, quàm vt alter moriatur, licitè faciet. Tantummodo enim tunc non exequetur præceptum affirmatiuum de conseruanda vita propria, quod vt dixi, non obligat cum tanta difficultate. Quemadmodum potest etiam quis negligere licitè vitam propriam, quando eam conseruare non potest, nisi cum tanta difficultate & molestia doloris, quanta est subeunda in abscisione alicuius membri v. g. cùm illa iudicatur à Medicis ad cõseruandam vitam necessaria.

Ac per istam doctrinam possunt facilè conciliari opiniones Doctorum variæ & diuersæ, quæ sunt de illa quæstione, qua solet QVÆRI, Vtrum liceat mortem oppetere pro vita alterius priuati. Nam licet & non licet, diuerso modo & ratione, vt iam explicatum est.

SECVNDO sequitur, licitum esse ex charitate ad impediendam mortem alterius certò imminentem exponere vitam propriam, non quidem certæ morti (hoc enim non licet, vt ante dictum est) sed periculo probabili mortis. Ita docet, & rectè Durandus, vbi suprà. Et probatur manifesta ratione. Nam vita alterius, quæ eo modo conseruabitur, maius bonum est, quàm incolumitas à periculo probabili mortis propriæ; sicut & certa mors alterius maius malum est, quàm periculum probabile mortis propriæ. Quare qui id faciet, nihil committet contra ordinem charitatis, si quidem ex præscripto charitatis maius bonum proximi præferendum est

Universidad de Deusto
Biblioteca

minori proprio, nō autem æquale, vt tradidimus in illa tertia assertione. A

Sed occurrit argumentum contra tertiam hanc, & præcedentem quoque assertionem. Si enim quis tenetur magis diligere seipsum, quàm quemcunque proximum, secundùm bona tum spiritualia, tum temporalia, quæ & sibi & proximo velle debeat; consequens erit, vt etiam teneatur quis magis diligere seipsum secūdùm vitam, tum spiritualem, tum naturalem, quàm Christum Dominum vt hominem: At istud cōsequens videtur absurdum: Ergo, &c.

RESPONDEO minimè id sequi. In Christo enim homine & nunc & etiam tunc cùm in terris degebat, considerari debet quædam dignitas & B ratio peculiaris, ob quam quisque tenetur, & tunc tenebatur magis diligere Christum quàm seipsum. Nam cùm sit persona diuina, est caput & auctor nobis vitæ, tum spiritualis, tum etiam naturalis secundùm personalitatem diuinam, quæ fuit etiam aliquid de substantia illius hominis. Et sic secundùm inclinationem charitatis magis debemus diligere illum quàm nosipsos, siquidem ab illo tanquā ab auctore & caussa principali pendet in *esse* & *fieri*, quicquid sumus spiritualiter & naturaliter. Nam amando illum magis tendit quoq; nostra charitas perfectiori quodam modo in seipsam, quatenus scilicet tendit in illud, per quod illa inprimis subsistit. Sicut cùm pars tendit in esse & conseruationem to- C tius, tendit hoc ipso maximè in esse suum, quatenus illud pendet ex toto. Itaque Christus nón est tantùm proximus noster, vt alij. De aliis autem cùm tantùm sint proximi, verisimum est quod asseruimus, debere vnumquemque magis seipsum diligere, quàm quemlibet alium secundùm illa bona.

QVARTA assertio. *Quoad bona temporalia, quæ teneatur quis & sibi & communitati, cuius est pars, velle, & quæ sint eiusdem rationis, magis tenetur vnusquisque diligere communitatem quàm seipsum.* De hac assertione non est controuersia. Nam bonum communitatis est multò præstantius, & ideo debet quisque pro salute illius vitam propriam exponere in casu necessitatis, vt agnouerunt etiam Philosophi. Item quia, vt D. Thomas art. 3. argumentatur, sicut se habet pars naturalis ad totum naturale, ita pars politica ad totum politicum: Sed pars naturalis exponit se secundùm naturę inclinationem manifesto discrimini pro incolumitate totius naturalis: Ergo etiam id debet facere pars politica pro toto politico. Ac potest Maior inde confirmari, quòd vt pars naturalis pendet in suo esse à naturali toto: ita etiam pars politica pendet in esse vitæ humanæ, vt humana est, id est, sociabilis, ab ipsa communitate, & quidem tanquam à caussa principali in suo ordine, à qua scilicet bonum ipsius vitæ politicæ ad vnumquemque priuatum deriuatur.

Nec licet similiter hinc argumentari, quòd teneatur quis magis diligere communitatem quàm seipsum, quoad spiritualia bona, quę & sibi & communitati velle debeat. Est enim discrimē, quòd priuati homines secundùm bona sua spiritualia non pendent à communitate tanquam à caussa quidem principali. Ministri enim Ecclesiæ solùm vt caussæ instrumentales sunt aliis caussæ bonorum spiritualium: Sed solum pendet quis secundùm huiusmodi bona à Deo, ac proinde etiam à Christo, vt ante dictum est, tanquā à caussa principali. Et ita verum id manet, quod in secunda assertione tradidimus, scilicet quoad bona quidem spiritualia debita teneri vnumquemque magis seipsum diligere, quàm totam etiam communitatem.

Porrò ex ista quarta assertione sequitur, debere vnumquemq; secundùm eiusmodi bona temporalia, de quibus in assertione loquimur, magis quoq; diligere quàm se illum proximum, ex quo bonum aliquod Reipub. necessarium redundat ad communitatem. Nam idipsum erit diligere magis communitatem.

QVINTA assertio. *Si sermo sit non iam de bonis eiusdem ordinis, quæ quis & sibi & proximo velle teneatur (vt locuti sumus hactenus) sed de bonis diuersi ordinis, vt scilicet quæratur, an debeat quisque magis diligere seipsum secundùm bona temporalia, quæ sibi velle tenetur, vt vitam & cætera, quàm proximum secundùm bona spiritualia, quæ in aliquo casu velle illi & procurare teneatur; sic dicendum est, magis debere vnumquemque diligere proximum, quàm seipsum in casu quidem necessitatis spiritualis proximi.* Ita docet diuus Thomas hîc articulo quinto, ad iúncta responsione ad tertium, & alij communiter Theologi in 3. distinct. 27. vel 29. Itaque tenetur quisque in casu necessitatis proximi ponere vitam temporalem suam pro vita spirituali proximi.

Probatur PRIMO hæc assertio ex illo prima Ioannis tertio: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*, nempe pro salute spirituali illorum, sicut fecit Christus, cuius exemplum in hac re ibi Ioannes proponit, alludens nimirum ad ex- D pressum illud ipsius Christi præceptum, Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, SICVT ego dilexi vos.*

SECVNDO probatur ex D. AVGVSTINO, qui libro de mendacio, capite sexto, ex orthodoxa Ecclesiæ doctrina ita scribit: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Quod ibi Augustinus confirmat ex illo Christi præcepto, Ioan. 15.

TERTIO probatur. Nam cùm simus inuicem membra eiusdem corporis Christi mystici ad Ephes. 4. ratio ipsa dictat, vt membrum vnum expendat id, quod est incomparabiliter minus quàm id, cùm nemo teneatur aliquid conari frustrà.

QVARTO

QVARTO probatur id ratione D. Thomæ hîc art. 5. Nam ratio cur ex charitate debeamus diligere proximum secundùm vitam spiritualem eius, est, quoniam cōiungitur nobis societate quadam per capacitatem eiusdem beatitudinis supernaturalis: ratio autem, cur ex eadem charitate debeamus diligere corpus proprium, est, quoniam ad illud deriuabitur per redundātiam quādam beatitudo animæ, secundùm dotes nimirum quasdam, quæ ex animę beatitudine in corpus manabunt: Sed multò est maior & coniunctior illa ratio diligendi proximum quoad vitam eius spiritualem, quàm altera illa diligendi corpus proprium, atque adeo propriam vitam corporalem: Ergo magis est diligendus proxi- B mus quoad spiritualem vitam, quàm corpus & vita propria temporalis. Minor patet, quia plus quiddam est esse socium in participanda eadem ipsa beatitudine formali, quàm habere quasdam alias distinctas dotes, tametsi redundantes ex illa beatitudine.

Sed cùm dicamus debere sic vnumquemque magis diligere proximum in casu quidem necessitatis eius spiritualis; videndum modò supereſt, quisnam debeat in proposito censeri casus necessitatis spiritualis proximi.

Est igitur sciendum, necessitatem spiritualem proximi, sicut & corporalem, triplicē esse posse. PRIMA est non grauis, cùm scilicet potest ipse proximus sine magna difficultate sibi prouidere. C SECVNDA est grauis, cùm scilicet non potest sibi prouidere sine magna difficultate. TERTIA est extrema, cùm scilicet prouidere sibi non potest sine summa quadam & penè insuperabili difficultate, ita vt moraliter loquendo censeri possit res impossibilis.

Item sciendum, quosdam esse, quibus non solùm ex præcepto charitatis incumbit cura & obligatio prospiciendi saluti proximi existentis in necessitate spirituali, sed etiam ex officio suo peculiari, vt Pastoribus animarum, scilicet Prælatis, Parochis, &c.

Deniq; aduertēdum, cùm proximus est in necessitate spirituali, considerandum esse quoque, quænam aut quāta sit spes, quòd sis illi opera tua certò & efficaciter prospecturus. D

His positis dico quatuor. PRIMO dico: Si nulla sit probabilis spes, fore vt saluti spirituali proximi (in quacunque necessitate is existat) per alienam operam efficaciter subueniatur, nemo tenetur cum discrimine propriæ corporalis vitæ illi ex charitate opem ferre. De hac assertione non potest esse controuersia. Nam imprudenter tunc id fieret, non solùm si mors ad eum finem opperenda esset, sed etiam si aliquod aliud leuius detrimentum incurrendum, imo etiam si nullum, cùm nemo teneatur aliquid conari frustrà.

SECVNDO dico: Si est spes, quòd aliena opera erit vtilis & efficax proximo, & is non laboret A extrema necessitate spirituali; erit quidem perfectionis cuiusdam Christianæ, si quis priuatus exponat vitam propriam corporalem pro salute illius; nemo autem priuatus ad id etiam tenebitur ex præcepto charitatis. De PRIORI parte huius assertionis nulla est etiam controuersia; constat enim id fore laudabile, vt etiam notat diuus Thomas hîc articulo quinto. Quoad POSTERIOREM verò partem eadem assertio insinuatur à diuo Thoma ibidem in responsione ad 3. & statuitur à Nauarro in Manual. cap. 24. num. 12. Et probatur PRIMO, quoniam aliud asserere esset valde durum. Sequeretur enim sæpissimè accidere multis hominibus priuatis, vt mortali terpeccent, propterea quòd aliorum necessitatibus spiritualibus cum periculo vitæ non succurrant. SECVNDO probatur, quia si extra casum extremæ necessitatis tenerentur priuati homines cum vitæ propriæ dispendio consulere saluti spirituali aliorum; sequeretur æquè illos ad id obligari, atque eos, quibus ex officio etiam incumbit cura salutis alienæ, id quod minimè est sentiendum.

TERTIO dico: Si priuatus quispiam absq; discrimine vitæ propriæ & alio notabili detrimēto, succurrere possit necessitati spirituali proximi, omnino teneri illum ex charitate id facere. Nam quisque etiam tenetur, quando sine incommodo suo potest, succurrere proximo in necessitate temporali: Ergo multò magis in necessitate spirituali. Antecedens probatur ex illo Exod. 23 *Si videris bouem aut asinum proximi tui iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* In quo præcepto videtur contineri explicatio quædam obligationis, qua sibi sunt homines deuincti ex fraterna charitate.

QVARTO dico: Si proximus sit in extrema necessitate spirituali, quilibet etiam priuatus tenetur cum dispendio vitæ propriæ illi subuenire, si efficaciter possit. Atq; etiam citra necessitatem extremam tenentur id facere ij, quibus alienæ salutis cura ex officio incumbit.

Probatur hæc assertio quoad PRIOREM partem. Nam præceptum illud charitatis, quo tenetur quisq; magis diligere proximum secundùm illius salutem spiritualem, quàm seipsum secundùm vitam corporalem, in aliquo casu obligat, cùm non sit superuacaneum; nec est vllus casus, in quo verius obligare censeri possit, quàm in casu extremæ necessitatis proximi.

Quoad ALTERAM verò partem probatur eadem assertio. Nam certū est, eos, quibus incumbit cura alienæ salutis, multò strictius obligari ad subueniendum aliis cum dispendio vitæ propriæ, quàm eos, quibus id non incumbit ex officio: Sed isti obligantur ad id in casu extremæ necessitatis: Ergo illi extra hunc etiam casum, videlicet in casu necessitatis grauis aut etiam ordinariæ. Item quia ij, qui habent curam aliorum ex officio communiter recipiūt ad id stipendium à

subditis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

subditis, vel certè ex natura ipsius officij ad id obligantur. Itaque si in necessitate etiam non extrema subditis non succurrerent, infideliter agerent.

Sed illustrabitur tota hæc doctrina magis, si illam accommodemus ad aliquos casus particulares, explicando præsertim, quãdo possit iudicari extrema necessitas spiritualis proximi. Ac in primis dici potest in quatuor casibus, ex quibus de reliquis similibus iudicari poterit, censendã esse extremam necessitatem proximi spiritualem.

PRIMVS casus est, si aliqui v.g. seducantur ab hæretico Concionatore, ita vt illi vincibiliter ignorent veritatem, atque adeo sint in peccato mortali, nec facilè pateat aliis aditus ad eos rectè B informandos. Tunc si ij indocti alioqui sint, qui non videantur per se posse diiudicare veritatem, omnino censeri debent esse constituti in extrema necessitate spirituali. Quare si quis vtiliter & efficaciter possit subuenire illis etiam cum discrimine propriæ vitæ, id tenebitur facere ex charitate.

SECVNDVS casus est: Si quis exerceat aliquem iniustum contractum, quem vincibiliter ignoret esse iniustum, nec sit ita intelligens, vt videatur per se cogniturus iniquitatem contractus, nec sit alius, qui eum doceat. Vt si omnes in aliquo loco probent talem cõtractum, &c. Tunc censeri potest talis esse in extrema necessitate spirituali, quandoquidem est in peccato mortali propter C vincibilem ignorantiam, vt suppono, nec potest ipse moraliter loquendo sibi consulere.

TERTIVS casus est: Si quispiam velit filiam prostituere, & tales sint circumstantiæ, vt moraliter loquendo videatur filia peritura spiritualiter, si prostituatur; tunc enim laborare extrema necessitate spirituali censeri potest eiusmodi filia. Itaque tenetur ei subuenire, qui potest, etiam cum detrimento vitæ propriæ.

QVARTVS casus est: Si quis sit in articulo mortis, & timẽs ob morbi circumstantias fore, vt nisi sibi per absolutionẽ Sacramentalẽ subueniatur, nequeat habere sufficientem cõtritionem, petat Confessarium. Talis censeri etiam debet cõstitutus in extrema necessitate spirituali. Itaque tenetur Cõfessarius, qui potest, illum audire & absoluere, etiam cum discrimine vitæ propriæ. D

Sed est obseruandum in his & aliis huiusmodi casibus extremæ necessitatis spiritualis proximi, qui vel ob ignorantiam vincibilẽ, vel ob nimiam infirmitatẽ ad vincendas illecebras peccati, concurrentibus item aliis circumstantiis possunt accidere, non censeri à Doctoribus laborare proximum necessitate extrema, si quomodocunq; ad tempus sit futurus extra gratiã, sed si putetur vel certò vel probabiliter moriturus etiã extra gratiam, atque adeo incursurus quoque damnationem æternam. Id quod dupliciter potest accidere. PRIMO, Si iamiam mors quoque corporalis immineat. SECVNDO, Si ob rei circumA stantias putetur saltem proximus longo tempore in malo statu permansurus, atque adeo etiam ex hac vita migraturus, vt quæ est incertissima. Ita colligitur ex doctrina, quam ponit Nauarrus ex mente etiam aliorum in Manuali, cap. 24. numero 9. & 10.

DEINDE etiam obseruandum, non teneri hominem priuatum sollicitè etiam inquirere de eiusmodi necessitatibus spiritualibus proximorũ. Item excusari eum, si ipse opem nõ ferat, quando est aliquis alius, qui putetur opem extremè laboranti laturus, vt colligitur etiam ex doctrina à Nauarro tradita loco citato. Ac per istas explicationes poterunt facilè eximi multi scrupuli, quibus alioqui possent in hoc genere priuati homines vexari, propterea quòd non ita frequenter consulant etiam cum vitæ discrimine saluti aliorum spirituali.

Porrò eorum, qui sunt pastores animarũ, longè alia est ratio. Nam ij & tenẽtur pro officio suo saluti alienæ subditorum inuigilare, atque adeo etiam sollicitè inquirere de illorum necessitatibus spiritualibus, & præterea cum vitæ etiam dispendio tenentur citra extremam quoque necessitatem opem spiritualem ferre subditis, vt bene item Nauarrus indicauit vbi suprà, & nos ante probauimus.

Ex quo sequitur PRIMO, Pastores animarum non posse licitè fugere tempore pestis, sed debere eos manere apud suas oues, & eis Sacramenta & alia subsidia spiritualia impendere etiam cum discrimine propriæ vitæ. Probatur ex illo Ioann. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, etc. Mercenarius autem fugit.* Per accidens enim est, qua de caussa fugiat, vt meritò Mercenarius & nõ bonus habeatur; an propter lupum venientem, an ob aliam rationem, dummodo fugiat certè caussa sui proprij commodi & incolumitatis neglecta salute spirituali ouium.

SECVNDO sequitur, nec posse illos licitè renũciare tunc temporis officio suo vel in alia eiusmodi populi calamitate, nisi fortè sit alius idoneus, qui ad illud tunc suscipiendum & exequendum sponte se offerat. Probatur. Nam Pastores animarum vel maximè ex officio suo obstringuntur ad fungendum suo munere & prospiciendum saluti subditorum in tali aliqua necessitate, & propterea etiam accipiũt à subditis stipendium, vt scilicet hi habeant in tali maximè necessitate subsidiũ spirituale à suis pastoribus. Quare vt non licet militi ad bellum conducto tunc muneri suo renunciare, cùm hostes ingruunt & inuadunt, quandoquidem pro eo maximè tempore illorum officium requiritur; ita nec pastoribus animarum in nostro casu. Quòd si verò aliquis idoneus, vt dixi, ad suscipiendum tunc & obeundum pastorale munus se offerret; non poterunt rationabiliter subditi iniquo animo ferre, quòd alter suo muneri renunciaret, & sic excusaretur tunc talis.

Et hæc

Et hæc quidem ita se habent, sed restat breuissimum DVBIVM, An si filius alicuius Christiani nondum baptizatus, esset in articulo mortis apud infideles, teneretur quispiam priuatus cum dispendio vitæ propriæ illum, si posset, baptizare, & ei tanquam in extrema necessitate spirituali constituto subsidium id ferre. Sunt enim de isto casu diuersæ sententiæ. Nam Dominicus Sotus in libro de tegendo & retegendo secreto, membro secundo, quæstione secunda, post sextam conclusionem, non arbitratur. Ratio eius est, quoniam illa paruuli necessitas accidit ab extrinseco, scilicet ob malitiam infidelium, qui nolunt illum baptizari.

Sed multò verior est sententia Nauarri vbi suprà, qui censet talem paruulum verè tunc laborare extrema necessitate spirituali, in qua teneatur quisque etiam cum dispendio propriæ vitæ opem illi ferre eum baptizando. Per accidens enim est, vnde proueniat spiritualis necessitas, vtrum ab extrinseco vel intrinseco. Imo videtur necessitas illius pueri eo etiam nomine esse tunc maior, quoniam prouenit ab aliena malitia infidelium, quæ difficilius reprimi in illo casu potest. Hactenus de tertio principali. B

PVNCTVM QVARTVM.

An teneamur magis diligere vnum proximum quàm alium.

D. Thomas art. 6.

VIT quorundam opinio, vt refert Magister sententiarum in 3. dist. 29. & D. Thomas hîc artic. 6. quoad affectum quidem internum omnes proximos esse æqualiter diligendos; quoad effectum autem externum alios magis quàm alios; id est, omnes esse æqualiter prosequendos amore interno, sed non esse omnibus æqualiter benefaciendum ex charitate, sed aliis potius, quàm aliis.

Quam opinionem Dominicus Bannes hîc articulo 6. tribuit etiam Glossę in Can. 1. dist. 30. & Raimundo apud Syluestrum V. Eleemosyna, q. 3. Sed neque Glossa, neque Raimundus ita dicunt, sed potius aliquid cõtrarium. Nam aiunt affectu interno magis esse diligendum eum, qui est sanctior; effectu autem externo magis parẽtem proximum in casu, quo vterque laboret extrema necessitate, neque possit vtrique succurri: igitur non sentiunt, omnes esse affectu interno æqualiter diligendos: quanquam fateor eos in hoc conuenire aliquo modo cum illa opinione, quòd putant aliam posse esse obligationem ad diligendum affectu interno, quàm ad diligendum effectu externo, vt patet in illo casu. D

Sed quorumcunque tandem illa opinio fuerit, meritò dicit D. Thomas, eam esse irrationabilem & falsam. Itaque simpliciter statuendum est, quosdam proximos esse magis diligendos quàm alios tum affectu interno, tum etiam effectu externo in casu necessitatis, secũdùm ea quidem bona, quæ proximis ex charitate velle tenemur.

Probatur PRIMO ex Scriptura. Nam odium quorundam proximorum est maius peccatum, quàm odium aliorum: Ergo magis tenemur ex charitate quosdam proximos quàm alios diligere, quoad affectum etiam internum. Consequentia patet per locum à cõtrario. Antecedens probatur ex illo Leuit. 20. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Quæ pœna non perinde decernitur iis, qui aliis proximis maledicunt, & eos odio prosequuntur. Quare id argumento est, quòd sit multò maius peccatum maledicere parentibus, id est, malum illis imprecari, id quod est malum eis velle, ac proinde odio prosequi.

SECVNDO probatur ex Patribus, qui idem confirmant ex illo Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Vt ORIGENES homil. 3. in Cantica perpendens quod Apostolus ait: *Quoniam sumus inuicem membra*; ad Ephes. 4. *Puto*, inquit, *quòd pro membrorum meritis & honore, etiam dilectionis libram debeat modus.*

Et Gregorius NYSSENVS homil. 4. in Cant. *Oportet*, inquit, *scire ordinem charitatis, quam per legem exponit, nempe quemadmodum Deum oporteat diligere, & vxorem, & inimicum, ne fortè inordinata & à charitate separata sit legis adimpletio.* C

Et HIERONYMVS in caput 44. Ezech. circa illud: *Et Sabbatha mea sanctificabunt*: expendens eundem illum locum Cant. 2. *Naturæ*, inquit, *super hoc probatur affectus, vt ordine charitatis post rerum parentem Deum, carnis quoq; pater diligatur & mater, filius & filia, etc.*

Et S. GREGORIVS Magnus in eundem Cant. locum: *Per Scripturam*, inquit, *charitas ordinatur, quia in eius doctrina manifestè dicitur, qualiter Deus & proximus ordinatè diligantur.*

TERTIO probatur ex ipsa ratione dilectionis. Nam secundùm Philosophum 2. Rhetor. cap. 4. diligere aliquem non aliud est, quàm ei bonum velle: Sed debemus magis velle quibusdam bonum, quàm aliis: Ergo debemus alios magis quàm alios diligere, ac proinde interiori affectu prosequi. Minor probatur, tum ex S. AVGVSTINO, tum etiam ex eo, quòd illa ipsa opinio concedit. Nam D. AVGVSTINVS libro 1. de doctrina Christiana, cap. 28. ita scribit: *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus cõstrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.* Vbi S. Augustinus apertè docet, debere nos talibus potius, quàm aliis bonum illud velle, per quod eis succurratur; id quod etiam illa opinio fatetur, cùm ait, non omnes esse æqualiter diligendos, quoad effectum externum, sed alios magis quàm alios. Itaque vera est illa rationis nostræ

Minor;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Minor; cumque idipsum sit diligere, vt ex Philosopho sumpsimus, sequitur debere alios affectu etiam interno magis quàm alios diligi.

Ac per hoc ipsum argumentum satis refellitur illud, quod Glossa & Raimundus censuerunt, videlicet in illo casu ab ipsis proposito, quo extremè indigeat proprius parens & alius, qui sit sanctior, esse magis diligendum parentem proprium quoad effectum externum, non autem quoad affectum internum. Hoc enim dicere est ignorare propriam vocem, vt patet ex ratione, qua sumus vsi.

QVARTO probatur nostra assertio ex inclinatione naturæ, quam perficit inclinatio charitatis vt illi apta & proportionata. Nam secùdùm inclinationem naturæ magis diligimus & debemus diligere eos, qui nobis naturâ coniunctiores sunt, vt consanguineos, quàm extraneos, & inter ipsos consanguineos, qui sunt propinquiores: Ergo etiam debemus ex charitate magis diligere coniunctiores nobis quoad affectum item internum.

POSTREMO idem probatur. Nam vt rectè D. Thomas argumentatur hîc art. 6. illud magis est ex charitate diligendum affectu etiam interno, quod propinquius est principiis ipsis dilectionis ex charitate: Sed quidam proximi sunt propinquiores huiusmodi principiis dilectionis: Ergo quidam sunt magis diligendi affectu etiam interno. Maior probatur. Nam vbicunq; est aliquis ordo, illud est potius in ordine, quod magis accedit ad id, quod est ordinis principium. Minor autè probatur. Nam duplex est principium dilectionis, quod attinet ad propositum; Alterum est ipse diligens; Alterum est Deus vt summè bonus, qui est videlicet obiectum formale charitatis, & ratio diligendi. Constat autem, quosdam proximos esse coniunctiores vel ipsi diligenti, vel etiam Deo per gratiam quàm alios: Igitur quidam sunt propinquiores principiis dilectionis, quàm alij. Et hæc fuit Minor, sequitur ergo conclusio.

Nec est difficile confutare argumenta contrariæ opinionis relata à Magistro vbi suprà. PRIMVM erat ex auctoritate Augustini, qui lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 28. ita scribit: *Omnes homines æquè diligendi sunt, sed cùm omnibus prodesse non possis, his potißimùm consulendum est, etc.* quæ paulò ante recitauimus.

SECVNDVM erat, quod ad id indicandum videtur Deus in Decalogo non dixisse: *Dilige* patrem tuum, sed *honora, &c.* vt scilicet intelligeremus, ne parentes quidem esse magis diligendos, quoad affectum internũ, sed solum quoad externum effectum, vt honoris, sustentationis, &c.

Ad PRIMVM respondeo cum D. Thoma hîc art. 6. sensum verborum Augustini esse PRIMO, quòd omnes sint ex charitate sine exceptione diligendi; id enim solet etiam significare particula illa, *æquè* siue *æqualiter*. SECVNDO, omnes esse etiam æqualiter diligẽdos secundùm præcipuum obiectum, quòd omnibus tenemur ex charitate velle, scilicet secundùm beatitudinem æternam, quæ essentialiter quidem ex parte sui obiecti primarij, scilicet Dei clarè visi, est eadem in omnibus. Atque eodem modo potest intelligi ORIGENES homil. 2. in Cantica, cùm ait: *Secundùm quod omnes membra inuicem sumus, æqualiter ad omnes, similemq́, dilectionem habere conueniet.* Qui tamen mox subiungit: *Secundùm hoc verò quòd sunt in corpore aliqua membra honorabiliora, alia verò inferiora, puto quòd rursus pro membrorum meritis & honore, etiam dilectionis librari debeat modus.* Quod quanam ratione in variis casibus fieri debeat luculenter ibi explicat.

Ad SECVNDVM respondeo, verbum illud (*Honora* patrem tuum, &c.) indicare etiam dilectionem, ex qua & honore, & aliis beneficiis externis parentes sunt prosequendi. Neque enim significat illud verbum tantummodo honorem, sed complectitur quoduis officium ex charitate & pietate impendendum parentibus à filiis, vt interpretatur rectè diuus Hieronymus in cap. 15. Matthæi. Porrò qui nam ex proximis magis sint diligendi quàm alij, explicandum est puncto sequente.

PVNCTVM QVINTVM.

Quas ob causas vnus proximus magis quàm alius debeat diligi, seu quænam in proximis considerandæ sint, vt alter altero magis diligi debeat.

D. Thomas. art. 7. & sequentib. vsque ad 12.

RECTE docet D. Thomas hîc artic. 7. generatim loquendo ex maiori vel minori propinquitate ad alterutrũ vel vtrumque principium dilectionis, scilicet ad diligentem, vel ad Deum, diiudicari oportere, quisnam proximus sit magis diligendus quàm alius, vt patet ex his, quæ diximus punct. præced.

Hoc igitur cùm ita sit, TRES iam regulas ex hoc generali documento constituemus, ex quibus varij & multiplices casus diiudicari poterunt, cùm dubium fuerit, quisnam proximus sit per dilectionem charitatis alteri præferendus.

PRIMA regula. *Dilectione quidem maiori obiectiuè ille proximus est magis diligendus, qui fuerit melior.* Ita docet D. Thomas hîc art. 7. Et patet hæc assertio ex his, quæ tradidimus in hac quæst. punct. 1. Ratio etiam est perspicua. Nam qui est melior, est magis cõiunctus cum obiecto præcipuo charitatis, quòd est Deus, & plus boni in se habet: igitur obiectiuè magis est diligendus.

Sed est animaduertendum, illum magis obiectiuè diligi censendum esse in proposito, cui amore quodam approbationis & complacentiæ volumus illud maius bonum inesse & competere, quod ipse iam habet: nec præterea est etiam necesse, vt nulli alteri optemus bonum maius, quàm illud, competere in futuro. Nam vt rectè D. Thomas docet hîc art. 7. licitum est velle & optare consanguineo, verbi gratia, maius bonum aliquod pro tempore futuro, quàm sit illud, quo nunc sit præditus quispiam alius illo nunc sanctior & melior; nempe vt habeat posteà maiorem gratiam & gloriam, quàm alter, qui est nunc sanctior. Id quod optimè confirmat hîc artic. 7. Caietanus contra Durandum in 3. d. 29. q. 1. qui id negat.

Nam cùm maiorem gradum gratiæ vel glorię non tencatur quis absolutè velle & optare, vel ei, qui nunc est melior, vel etiam suo consanguineo (siquidem hoc non est aliquod bonum debitum & necessarium ex præcepto) poterit arbitratu suo secundùm eiusmodi bonum diligere magis vel meliorem vel suum consanguineum. Præceptum namque de ordine charitatis in diligendo quoad aliquod bonũ, præsupponit præceptum de diligẽdo etiam absolutè quoad illud, sicut p. 3. tradidimus.

Itaque quod D. Thomas ait hîc art. 7. debere meliorem magis diligi obiectiuè, intelligendum est, vt diximus, secundùm id bonum maius, quod in præsenti quis habet, & de dilectione quadam approbationis seu complacentiæ; ita scilicet, vt minimè licitum sit velle, vt quis careat aut priuetur illo suo bono, per quod in præsenti est melior. Nam vt esset contra charitatem, illum eiusmodi bono priuare, ita etiam velle, vt non habeat illud.

SECVNDA regula. *Maiori dilectione appretiatiua (de qua est potißimùm difficultas) ille proximus magis diligendus est, qui cæteris paribus vel diligenti ipsi, vel Deo, vel vtrique fuerit coniunctior.* Hæc regula ex dictis patet. Nam in tali erit multò maior ratio diligendi.

TERTIA regula. *Quando in coniunctione ad hæc duo dilectionis principia, scilicet ad diligentem & ad Deum, fuerit inter aliquos disparitas, ita scilicet, vt vnus sit coniunctior diligenti, alter autem Deo; ille magis diligendus est appretiatiuè quoad bona debita & eiusdem rationis, qui consideratis omnibus circumstantiis coniunctior fuerit ipsi diligenti, quoad illa quidem bona, quæ per se pertineant ad eam coniunctionem cum diligente.*

Hæc regula colligitur ex verißima doctrina D. Thomæ hîc art. 7. & 8. & ex his, quæ docent etiam alij Theologi in 3. d. 27. & 29. Et probatur PRIMO ex illo Leuit. 24. *Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.* Vnde per locum à contrario colligitur, maiorem esse obligationem diligendi patrem & matrem, quàm vllum alium, qui non ita sit coniunctus diligenti ac pater & mater. Item ex illo 1. ad Tim. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

SECVNDO probatur testimonio illo D. AVGVSTINI lib. 1. de doctrina Christiana cap. 28. *cùm omnibus prodesse non possis, his potißimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.* Vbi simul indicat Augustinus, ex circumstantiis iudicandum esse, quisnam sit coniunctior diligenti, quando variis in casibus de hoc dubium fuerit, sicut in regula diximus. Nam vt colligitur etiam ex Philosopho lib. 9. Ethic. cap. 2. vix aliquid determinatè & certò tradi potest, quod valeat pro omnibus eiusmodi casibus, sed multa prudenter sunt perpendenda in circumstantiis rerum & personarum & temporis, vt intelligi poterit ex resolutione nonnullorum casuum particularium, quam posteà ad hanc doctrinam illustrandam subiungemus.

TERTIO probatur eadem regula ratione D. Thomæ hîc art. 8. Nam omnis motus accipit intensionem suam & quasi pondus, quo tendit in terminum, ex ipso sui principio præcipuè, à quo scilicet procedit; ex termino autem siue obiecto accipit præcipuè non nisi specificationem seu determinationem quandam ab extrinseco. Igitur necesse est similiter motum charitatis maiori quodam quasi pondere ferri in illud, quod est coniunctius principio illi, à quo procedit is dilectionis motus, scilicet ipsi diligenti.

QVARTO probatur idem. Nam vt rectè etiam argumentatur D. Thomas in illo art. 8. coniunctio cum diligente plerumq; est immutabilior, quàm sit coniunctio cum obiecto principali dilectionis, scilicet cum Deo; & maximè si coniunctio cum diligente continetur naturali vinculo, scilicet consanguinitatis. Etenim gratiæ bonitas, per quam proximus est coniũctus cum Deo, non est ita firma & immutabilis, atq; est ipsa necessitudo naturæ.

Dixi autem in illa tertia regula *quoad bona debita*, nam quoad bona, quæ quis absolutè alioquin non tenetur velle coniunctiori sibi, aut minus coniuncto; poterit diligere magis quem maluerit, vt patet ex dictis. Dixi etiam quoad bona *eiusdem rationis*, nam quoad bona diuersæ rationis quandoque tenebitur quis diligere magis eum, qui sibi minus est coniunctus: magis enim debebit eum diligere quoad bona spiritualia, quàm sibi coniunctiorem quoad bona temporalia. Itaque in casu, quo non possit simul coniunctiori succurrere quoad temporalia, & minus coniuncto quoad spiritualia, debebit potius minus coniuncto subuenire, posito quòd alioqui absolutè vtrique sic succurrere teneatur. Dixi etiam, quoad bona *per se pertinentia ad ipsam maiorem coniunctionem cum diligente*, vt etiam docet D. Thomas hîc art. 8. Nam quoad bona alia per accidens se habebit eiusmodi maior coniun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctio. Eſt tamen OBSERVANDVM, quòd bona quidem ſpectantia ad naturam ipſam, & etiam bona ſpiritualia ad omne genus coniunctionis cenſenda ſunt pertinere, quandoquidem bonum naturæ & bonum gratiæ eſt quaſi fundamentum, quo res omnes humanæ niti debent. Quanquam fatendum eſt bona naturæ magis ad vnum genus coniunctionis pertinere, quàm ad aliud, & ſimiliter etiam bona ſpiritualia, ſicut ex ſequentibus patebit.

Porrò ex hac doctrina multi caſus particulares definiri poterũt, qui etiam illuſtrabunt hanc doctrinam. PRIMO enim ex dictis ſequitur, conſanguineos magis eſſe diligendos, tum quoad bona temporalia, tum quoad bona ſpiritualia, quàm extraneos cæteris paribus, etiamſi extranei aliqui meliores ſint. Nam conſanguinei magis ſunt coniuncti diligenti, & vtraque eiuſmodi bona pertinent ad coniunctionem conſanguineorum, vt paulò antè dixi. Addidi autem, cæteris paribus, propter id quod dicemus in tertio Corollario.

SECVNDO ſequitur, quoad temporalia quidem bona magis eſſe diligendos propinquiores inter conſanguineos, quàm minus propinquos, vt parentes & filios magis quàm alios: atq; etiam quoad bona ſpiritualia magis quoque quàm alios, qui ſecundùm aliqualem gratiam coniunctiores ſint. Probatur. Nam omnibus conſideratis ſunt tales cenſendi coniunctiores, ipſi diligenti, vt patet ex doctrina D. Thomæ art. 8.

TERTIO ſequitur, quoad bona quidem ſpiritualia magis diligendos eſſe eos, qui ita peculiariter coniuncti ſunt ſecundùm gratiam cum diligente, vt ſint eius filij ſpirituales vel parentes: ſequitur, inquam, hos magis eſſe diligendos quoad ſpiritualia, quàm quoslibet conſanguineos, vt docet D. Thomas hîc art. 8. ad 2. ex ſententia D. AMBROSII lib. 1. officior. cap. 7. Ratio eſt, quia quoad bona quidem ſpiritualia cenſeri debent tales multò coniunctiores ſimpliciter loquendo. Quod ipſum docet ORIGENES homil. 3. in Cantica: *Si quis*, inquit, *laboret in verbo Dei, atque animas noſtras inſtruat & illuminet, viam ſalutis doceat, viuendiq; ordinem tradat; non tibi videtur multò amplius alio proximo diligendus, qui horum nihil egerit?* Quoad bona tamen temporalia conſanguinei ſunt magis coniuncti quàm iſti, atque adeo magis diligendi, vt docet ibidem D. Thomas.

QVARTO ſequitur, magis eſſe diligendum inſignem aliquem amicum, à quo ſcilicet quis eximia quædam beneficia acceperit, quàm aliquem conſanguineum non valde propinquum; idque tum quoad bona temporalia, tum etiam quoad ſpiritualia. Ratio eſt, quoniam omnibus circumſtantiis conſideratis meritò amicus talis cenſeri poteſt coniunctior ſimpliciter, vt patet ex his, quæ ex communi doctrina docet hîc bene Dominicus Bannes art. 8. Atque eadem ratione videntur etiam fratres ſpirituales præferendi conſanguineis non valde propinquis.

QVINTO ſequitur, nullum vnquam amicum eſſe magis diligendum, quàm proprium patrem aut matrem, ſiue quoad temporalia, ſiue quoad ſpiritualia, etiamſi maximum aliquod beneficium contulerit, vt ſi à morte liberauerit, &c. Ita colligitur ex Ariſtotele 8. Ethic. cap. vlt. vbi ait, *quòd Diis parentibuſq; non poſſint reddi æqualia*, atque ita præfert beneficium à parentibus acceptum omnibus aliis. Et 9. Ethic. cap. 2. vbi affirmat, *filium honeſtius ſubuenire parenti, quàm ſibiipſi.* Atque ita etiam docet D. Thomas infrà q. 31. art. 3. ad 3. vbi ait, omnibus eſſe parentes præferendos. Et Buridanus 9. Ethic. q. 3. vbi refellit quendam Gerardum, qui contrarium eſt opinatus, Idem quoq; videtur abſolutè docere S. HIERONYMVS in cap. 44. Ezechielis, cuius verba p. præced. recitauimus. Ac ratio eſt perſpicua. Nam cùm filius acceperit à parente ipſum eſſe abſolutè, arctior illi coniunctio cum parente intercedit, quàm cum vllo amico.

Nihilominus tamen poſſet per accidens contingere, vt liceret præferre inſignem aliquem amicum parenti, ſi videlicet parens fuiſſet erga filium inſigniter crudelis aut impius, vt notauit etiam Dominicus Bannes hîc art. 8. Quanquam ne in eo quidem caſu teneretur etiam præferre amicum, ſed licitè tantùm poſſet præferre, quia ſcilicet illa circumſtantia inſignis crudelitatis aut impietatis parentis obſtaret, quo minus teneretur filius illum præferre eximio & beneficentiſsimo amico.

SEXTO ſequitur, parentes magis eſſe diligendos quàm filios, quoad ea, quæ pertinent ad reuerentiam & honorem quendam debitum. Nam ſecundùm hæc coniunctior eſt homini pater, quàm filius; quandoquidem habet ad patrem reſpectum tanquam ad principium & cauſam, cui nimirum debetur ſubiectio & reuerentia, vt optimè D. Thomas docuit art. 9. ad 1.

SEPTIMO ſequitur, magis etiam eſſe diligendum patrem quàm filium, tum quoad bona temporalia, tum quoad ſpiritualia in caſu quidem extremæ neceſsitatis, vt docet D. Thomas hîc art. 9. ad 3. & infrà q. 31. art. 3. ad 4. & Magiſter ſententiarum in 3. d. 29. vbi ad id adfert teſtimonia Hieronymi & Ambroſij; & indicat etiam Philoſophus 9. Ethic. cap. 2. cùm inquit, filium honeſtius ſubuenire parenti proprio quàm ſibi etiam ipſi. Et probatur. Nam quoad ea, quæ pertinent ad ipſum *eſſe* abſolutè (quibus ſcilicet quis indiget in extrema neceſsitate) eſt ſumma coniunctio filij erga patrem. Item quoniam præceptum pietatis in caſu neceſsitatis extremę, maximè vrget ad ſubueniendum parenti, atque adeo etiam præceptum charitatis, vtpote quæ imperat & mouet ipſa reliquas virtutes.

OCTAVO ſequitur, extra caſum quidem extremæ neceſsitatis magis eſſe diligendum filium quàm

quàm parentem, quoad bona quidem, tum temporalia, tum ſpiritualia, quæ ſpectant ad promouendum & perficiendum bonum, quod habet homo vltra ſui ESSE. Ita docet D. Thomas hîc art. 9. & idem colligitur ex Ariſtotele 8. Ethic. c. 12. imò etiam ex Apoſtolo 2. ad Cor. 12. cùm ait: *Non debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis.* Et ratio eſt. Nam quoad eiuſmodi bona & extra caſum neceſsitatis extremæ, cenſeri poteſt & debet coniunctior filius quàm pater. Coniungitur enim quis filio ſuo per reſpectum ad illum tanquam ad effectum ſuum quendam: pertinet autem ad cauſam, vt influat & communicet bonum effectui ſuo, & illum promoueat & perficiat, ſicut rectè D. Thomas hîc art. 9. ad id argumentatur.

Item quia pater coniungitur filio tanquam cuidam ſuæ parti, ſiquidem filius eſt quaſi pars parentis; ac proinde extra caſum quidem extremæ neceſsitatis, vbi præceptum pietatis & charitatis magis vrget erga parentem, debet quis potius tutari & confouere ſuum filium, ſicut pars fouetur in ſuo toto.

Item quia, vt D. Thomas etiam ait, parentes diutius amant filios, quàm contrà: ſiquidem amant illos ab eorum natiuitate, illi autem parentes ſuos non niſi aliquanto poſt amare incipiunt. Quod autem diutius amatur, id ſecundùm inclinationem ipſam naturæ, atque adeo charitatis magis amatur, ſi cætera in aliquo caſu non ſint valde diſparia. Nam ob hanc cauſam dicitur Eccleſ. 9. *Non derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit ſimilis illi*; quia ſcilicet amicus antiquus, cùm diutius amauerit, firmius & promptius amat.

Et habent quidem hæc, quæ in hoc & præcedenti corollario diximus, locum, non modò ſecundùm inclinationem naturę, ſed etiam ſecundùm inclinationem ſupernaturalem charitatis. Id quod obſeruari debet contra Bonauenturam in 3. d. 29. q. 4. & Gabrielem ibidem q. 1. qui aiunt, ſemper eſſe magis diligendum filium quàm patrem ſecundùm inclinationem naturæ, licet pater ſecundùm inclinationem charitatis debeat aliquando plus diligi quàm filius, iuxta dicta in ſeptimo corollario. Falluntur autem iſti. Nam cùm charitas perficiat ipſam inclinationem naturæ, nunquam eius inclinatio eſt contraria inclinationi naturæ, vt ſuperius etiam diſputauimus p. 2.

NONO ſequitur, magis eſſe diligendum patrem quàm matrem, vt docet D. Thomas art. 10. Nam pater eſt filio coniunctus tanquam eius principium actiuum & principale, & ſic multo arctius quàm mater. Quod ipſum poteſt confirmari ex D. HIERONYMO, qui in cap. 44. Ezech. affirmat, *poſt Deum omnium patrem, diligi debere patrem naturalem, deinde matrem, &c.*

DECIMO ſequitur, in iis quidem, quæ pertinent ad Oeconomicam rationem, & extra extremam neceſsitatem, magis eſſe diligendum coniugem quàm parentes. Ratio eſt, quoniam quod attinet ad id genus rerum, arctior eſt coniunctio coniugalis: iuxta illud Chriſti Matth. 19. *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro*: & illud Gen. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* In extrema verò neceſsitate magis ſunt diligendi parentes, quia maius eſt debitum erga illos, & maior etiam cum illis coniunctio, quoad eſſe abſolutè, cui in extrema neceſsitate ſubuenitur, vt inſinuat D. Thomas art. 11. ad 1. & docet in eo articulo Dominicus Bannes. Quinimò filius quoque magis diligi debet, quàm coniunx in extrema neceſsitate, vt docet in eodem art. 11. Caietanus. Item in his, quæ pertinent ad honorem & reuerentiam, magis diligendi ſunt parentes, quàm coniunx, vt docet quoq; D. Thomas in eodem articulo. Nam quoad hæc maior eſt cum illis coniunctio.

VNDECIMO ſequitur, magis eſſe diligendum benefactorem, quàm eum, cui beneficium impertiueris, quoad bona quidem, quæ ex debito præcepti impendenda ſint, vt patet ex D. Thoma art. 12. ad 2. Ratio eſt, quoniam cum benefactore ſuo intercedit alicui coniunctio, quatenus benefactor ſecundùm ſuam alioqui facultatem eſt cauſa ſiue auctor impenſi beneficij: cum illo autem, cui impertiuit aliquis beneficium, coniunctio intercedit benefactori non niſi vt in eo ineſt effectus quidam ſuus, ſcilicet ipſum beneficium. Maior autem eſt coniunctio ea, quæ reſpicit alterum abſolutè, quàm ea, quæ reſpicit alterum non niſi vt ab alio quippiam accepit.

Etſi autem hoc ita ſit, tamen rectè nihilominus D. Thomas docet art. 12. facilius eſſe diligere eum, cui benefeceris, quàm illum, à quo acceperis beneficium. Idque confirmat quatuor rationibus ſumptis ex Philoſopho 9. Ethic. cap. 7. PRIMA eſt. Nam eum, cui aliquis benefecit, diligit tanquam opus ſuum quoddam. Ideo enim qui ab aliquo promoti ſunt appellari conſueuerunt *factura ſeu creatura eius*, inquit D. Thom. Eſt autem procliuè diligere opus ſuum. SECVNDA eſt. Nam benefactor diligit eum, cui beneficium impertiuit, quatenus in illo relucet quoddam bonum honeſtum ipſius benefactoris, ſcilicet opus illud gratiæ ſeu liberalitatis: benefactorem autem diligit aliquis propter bonum vtile, quod ab illo accepit; mouet autem magis ex ſe bonum honeſtum ad diligendum. TERTIA eſt. Quoniam benefactor habet ſe vt agens; eſt autem procliuius agere, quàm pati. QVARTA eſt. Quoniam eſt operoſius benefacere quàm beneficium accipere. Solent autem ea magis diligi, quæ maiori nobis labore conſtant.

Procedunt autem hæc omnia, ſi quæſtio ſit, quinam magis diligi debeant, quàm alij inter proximos, qui ſint perſonæ priuatæ. Nam perſona publica magis diligi debet, quàm quilibet priuatus;

Universidad de Deusto
Biblioteca

priuatus; quandoquidem illam diligere est perinde atq; diligere ipsam communitatem, vt patet ex dictis p.3. Vbi idcirco docuimus, personam talem, ex qua magna vtilitas redundet ad communitatem, magis esse diligendam, quàm nos etiam ipsos. Atq; ex his facilè alij casus particulares poterunt diiudicari. Hactenus de 5. puncto principali.

PVNCTVM SEXTVM.

Vtrum in cœlesti patria futurus sit etiam aliquis ordo charitatis.

D. Thomas art. 13.

STATVENDVM est cum D. Thoma ar. 13. mansurum aliquem ordinem charitatis in cœlesti patria. Id potest ex Apostolo confirmari 1. ad Cor. 13. vbi ait: *Charitas nunquam excidit.* Si enim non excidit charitas, non excidet penitus eius ordo, qui scilicet possit quoque habere locum inter beatos.

PRIMVM igitur manebit in cœlo ille ordo charitatis, quo oportet amore quidem complacentiæ & approbationis eos magis diligere, qui meliores & sanctiores sint iuxta ea, quæ docuimus p. præced. Nec licebit in cœlo his, qui minus sancti & beati pro præsenti fuerint, optare pro futuro maiorem beatitudinem & sanctitatem. Nam id esset contra infallibilem ordinem diuinæ legis, ob quam erit immutabilis vniuscuiusque beatitudo: *Vbi enim ceciderit lignum, ibi erit.* Eccles. 11.

SECVNDO manebit etiam in cœlo ille ordo charitatis, quo appretiatiuè debet Deus magis diligi, quàm cætera omnia.

TERTIO ille quoque, quo debet vnusquisq; magis seipsum diligere, quàm quemuis aliũm appretiatiuè.

QVARTO ille denique, quo magis diligendi sunt appretiatiuè quidam, quàm alij, ob maiorem videlicet cum illis coniunctionem.

Vbi tamen cum D. Thoma est obseruandum, coniunctionem maiorem in cœlo non ex vlla alia necessitudine quantumuis naturali, sed solùm ex præstantiori similitudine secundùm gratiam & beatitudinem esse æstimandam. Nam in illa societate beatorum coniunctio istiusmodi præponderat omnibus aliis. Itaque illi simpliciter magis diligendi tunc erunt, qui erunt beatiores & coniunctiores cum Deo, ac proinde Deo similiores.

Præterea est etiam obseruandum, quoad effectus quidem charitatis externos nullum locum futurum ordini charitatis in cœlo. Nam vt rectè D. AVGVSTINVS asserit serm. 27. de verbis Domini, sicut non erunt illic vlla incommoda quibus sit per charitatem subueniendum, ita etiam nulla charitatis ministeria. *Non enim esurient, neq; sitient amplius,* Apocal. 7. Hactenus de tota quæstione.

QVÆSTIO QVINTA.

De actu Charitatis proximo, qui est amor siue dilectio.

D. Thomas 2. 2. quæst. 27.

QVAE D. THOMAS HIC DE HOC ACTV CHARITATIS DISPVtat, possunt omnia reuocari ad tria puncta. PRIMVM est, quid nam propriè sit amor charitatis. SECVNDVM, quonam modo possimus ac debeamus hoc actu amoris Deum prosequi. TERTIVM, vnde sit potissimum æstimanda perfectio huius actus, atque adeo etiam meriti dignitas in eo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam sit propriè amor charitatis.

D. Thomas art. 1. & 2.

QVOD ad primum attinet, statuendum est in primis cum D. Thoma hìc art. 9. amorem eum qui est charitatis actus non propriè consistere in hoc, vt quis ametur, sed vt quis amet. PRIMO, Quia charitas est habitus quidam operatiuus; amari autem non est agere, sed potius actum amoris terminare. SECVNDO, Quoniam amatur aliquis propter eius charitatem, non propriè & formaliter, vt charitas est, sed vt est bonum quoddam quod reddit hominem amabilem. TERTIO, Quia charitas est quædam amicitia, vt q. 1. huius disputationis vidimus. Docet autem Aristoteles 8. Ethicor. cap. 8. Amicitiam magis consistere in *amare* quam in *amari*.

SECVNDO statuendum est, amorem hunc charitatis vt est actus quo quis amat, non esse nudè ac simpliciter beneuolentiam, sed beneuolentiam cum quadam affectus vnione erga rem amatam, quæ vnio consistit in hoc quod velimus bonum rei dilectæ, illud æstimantes tanquam aliquo modo ad nos pertinens, ac proinde vt nostrum quodammodo. Ita docet D. Thomas art 2.

Et probatur primò ex D. DIONYSIO cap. 4. de diuinis nominibus dicente, quod amor est vnio quædam. Deinde ex Aristotele 9. Ethicorum cap. 4. vbi ait, *beneuolentiam neque esse amicitiam, neque amationem, sed amicitiæ principium.* Tertiò, Quia contingit velle nos beneuolentia quadam simplici bonum aliquod iis, quos necdum amare propriè dicimur; vt si accidat, duos æquè nobis ignotos dimicare inter se, & simpliciter (vt fit) velimus alterum potius quàm alterum euadere victorem; nec enim illum propterea censemur propriè amare. Quo exemplo vtitur ad hãc rem explicandam D. Thomas.

Neque obstat quod Aristoteles 2. Rhetoricorum cap. 4. tradit, amare esse velle alicui bonum. Non enim censeri debet tradere hoc loco adæquatam & plenam descriptionem amoris, sed explicat quandam eius rationem quasi generi-cam. Est enim amor beneuolentia, non tamen solum beneuolentia, sed cum illa præterea vnione affectus erga rem amatam, vt explicauimus.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo possimus ac debeamus Deum actu amoris prosequi.

D. Thomas art. 3. 4. 5. & 6.

VOD ad secundum attinet dicenda sunt quatuor. PRIMVM est, posse ac debere Deum amari à nobis secundum se immediatè, vt docet D. Thomas art. 4. Probatur, quia debemus illum amare conuenienter ipsi naturæ amoris: amor autem tendit in rem, prout est in se ipsa, cùm cognitio tendat in illam vt est in cognoscente aliquo modo. Neque obstat quod nihil possit amari incognitum, vt ait Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 1. & 2. Deus autem non perfectè & secundum se cognoscitur iam à nobis. Etsi enim oporteat rem ipsam cognosci vt ametur; tamen potest secundum se amari, etiamsi imperfectè cognoscatur; vt probatur exemplo eius qui etsi nondum perfectè cognoscat, verbi gratia, scientiam Theologiæ, tamen ob aliqua generatim, quæ de illius dignitate prædicari audiuit, eam diligit, & proinde ad eam perdiscendam animum applicare statuit. Atque hinc est, quod vt ait Apostolus 1. ad Corinth. 13. Charitas illa erga Deum, quam in hac etiam vita habemus, *nunquam excidit*; quia scilicet est suo modo perfecta & circa Deum, prout est in seipso, tametsi illum in hac vita non cognoscamus nisi admodum imperfectè quasi per speculum & in ænigmate, vt ait idem Apostolus.

SECVNDVM est, posse item ac debere Deum totaliter à nobis amari, tum ex parte ipsius Dei, quia & ipse totus & omnia quæ ad illum pertinent, sunt diligenda ex charitate, vt vidimus quæst. 3. tum ex parte diligentis, quia ex tota anima & toto corde diligendus est eo modo quo suprà exposuimus. Non autem ex parte modi etiam diligendi, ita vt quantum Deus diligibilis est, tantum à nobis ametur: Sic enim solus ipse potest se totaliter amare, cum sit infinitè diligibilis & ille solus se amet amore infinito, vt docet diuus Thomas art. 5.

TERTIVM est, sic esse à nobis diligendum Deum, vt sine mensura illum amare conueniat; ita vt nunquam tam perfectè, quin perfectius amare conemur. Id probatur primò ex D. BERNARDO qui in libro de diligendo Deo sub initium, cũ esset interrogatus propter quid & quomodo esset Deus diligendus: *Causa,* inquit, *diligendi Deum, Deus est; modus, sine modo diligere.* Secundò, Idem probatur ratione D. Thomæ art. 6. Nam Deum diligimus tanquam finem, & quidem vltimum. Actio autem ea, qua finem attingimus, non habet mensuram, sed ea quæ est circa media. Nam finis vt finis non mensuratur per aliquid aliud, sed ipse potius est mensura mediorum ad illum: vt rectè hanc rem explicat in illo art. 6. Caietanus.

QVARTVM est, debere à nobis diligi Deum propter se tanquam propter vltimum finem rerum omnium. Hoc inde probatur, quia vt docuimus quæstione præcedenti, debet diligi super omnia appreciatiuè. Ex quo sequitur non esse licitum Deum diligere propter rem aliquam, ad quam Deum ordinemus tanquam ad finem. Id enim esset peruersè vti re fruenda & vtenda frui, vt docet D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 4.

Sed sunt hic obseruanda tria. PRIMVM, posse Deum diligi hoc modo propter se, etiamsi diligatur simul propter mercedem vitæ æternæ, tanquam propter finem non ipsius Dei, sed dilectionis nostræ, vt rectè inter cæteros explicauit Durandus in 3. dist. 29. quæst. 3. & sentiunt communiter eadem distinct. Theologi alij. Probatur autem id primò ex Scriptura, quæ sæpe nobis proponit vitam æternam, vt propter illam adipiscẽdam rectè & piè viuamus, atque adeo etiam diligamus Deum. Vt Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et Matth. 4. *Pœnitentiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Et 1. ad Corinth. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic currite, vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Et ad Philipp. 3. *Ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis.* Et ad Coloss. 1. *Gratias agimus Deo & patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cælo.* Et 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & æternæ.* Et ad Hebr. 11. *Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus.* Et ibidem de Moyse: *respiciens in remunerationem.* Et ad Hebr. 12. *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum.* SECVNDO probatur ex definitione Ecclesiæ in Concilio Tridētino contra Sectarios, sess. 6. cap. 11. & can. 36. *Si quis dixerit iustum peccare, dum intuitu diuinæ mercedis operatur, anathema sit.*

TERTIO probatur ex Patribus: CYPRIANVS lib. 2. epist. 4. *Vbi non nisi præcepta Dei,* inquit, *& Christi præmia cogito, voluntas est illic Dei.* D. AVGVSTINVS in Psal. 14. *Non faciamus,* inquit, *aliquid nisi spe cœlestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo non hic quærere mercedem, sed cursum.* HIERONYMVS lib. 2. contra Iouin. ait: *Apostolum Paulum ideo plus laborasse, vt plus placeret Deo, & maiorem mercedem acciperet.* Sentiunt idem Hieronymus & Augustinus, atque etiam Hilarius & Ambrosius in Psalm. 118. super illud: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Itemque Chrysostomus, Theophylactus, & alij interpretes in caput 11. & 12. epist. ad Hebr.

QVARTO probatur ratione. Nam cum dilectio charitatis & omnia opera nostra bona, sint ex se ordinata in beatitudinem tanquam in finem; licitum est nobis per voluntatem nostram, sic ea suscipere, sicut inter se sunt ordinata ad illum finem, ac proinde ipsius intuitu illa exercere.

SECVNDO obseruandum, non licere tamen dilectionem aut opera nostra pia referre in beatitudinem nostram, tanquam in finem simpliciter vltimum; aut etiam tanquam in finem non vltimum, sic tamen vt nisi beatitudo illa esset nobis proposita, nollemus hęc exercere. Nam tunc esset talis amor mercenarius, reprehensus passim à SS. Patribus, & nominatim à D. Chrysostomo lib. de compunct. cordis in fine, vbi hoc sensu damnat eos, qui seruiunt Deo propter mercedem. Sed licitum est quidem, dilectionem & alias pias actiones exercere propter beatitudinem vt finem, porrò ordinatum in Deum tanquam in finem simpliciter vltimum; & ita, vt, quamuis non esset expectanda beatitudo, vellet quis nihilominus hæc eadem facere prout ex diuinis præceptis tenetur.

TERTIO obseruandum, licere quoque propter rem aliquam temporalē, tum dilectionem, tum etiam alias actiones pias exercere, modò res temporalis non spectetur tanquam finis vel Dei vel ipsius dilectionis (vtrumque enim esset peruersum, vt rectè vbi suprà confirmat Durandus) sed tanquam motiuum quoddam, & quasi dispositio ad bona spiritualia, vt colligitur etiam ex doctrina D. Thomæ hîc art. 3. Probatur autem licere isto modo proponere sibi in vsu dilectionis & pietatis rem temporalem. Nam cum expetere quoque bona temporalia per se licitum sit, & multo etiam magis dilectioni & pietati studere; licebit quoque in alterum istorum tendere, tanquam in motiuum & circumstantiam quandam alterius: maximè cum bona temporalia sint adminicula quædam spiritualium, & ad ea procuranda & petenda Deus nos hortetur.

PVNCTVM TERTIVM.

Vnde potissimum sit æstimanda perfectio amoris, atque adeo etiam meriti dignitas in eo.

D. Thomas art. 7. & 8.

IN PRIMIS sciendum est, maiorem perfectionem & dignitatem meriti in dilectione charitatis non debere æstimari ex eo, quod in omni dilectione charitatis est idem & vniforme, siue æquale; sed ex aliquo, quod possit varium & inæquale esse, vt patet. Quare non est metienda ex ratione formali obiecti charitatis, id est, ex hoc quòd ratio diligendi ex charitate est diuina bonitas: Nam hæc ratio est vna & eadem in omni dilectione, quæ quidem sit dilectio charitatis.

Hoc posito statuendum est, maiorem perfectionem & dignitatem meriti in dilectione charitatis potissimum esse metiendam ex perfectione obiecti materialis ipsius, vt colligitur ex doctrina D. Thomæ artic. 7. & 8. Ratio est, nam post formalem rationem obiecti charitatis præcipuè respicit dilectio ipsum obiectum materiale, siquidem ex illo potissimum accipit suam rationem, & quasi substantiam indiuidualem, qua scilicet continetur discrimen & inæqualitas actuum charitatis.

Hinc sequitur PRIMO, esse perfectiorem & magis meritoriam dilectionem amici quàm inimici, per se loquendo, vt tradit D. Thomas art. 7. & alij Theologi communiter in 3. dist. 30. Licet contrarium ibi sentiat Durandus q. 2. Probatur: Quoniam dilectio amici est de obiecto materiali præstantiore, & magis coniuncto ipsi diligenti atque etiam Deo. Item: quia maius peccatum est, odio prosequi amicum, quàm inimicum. Ergo à contrario melius & magis meritorium erit diligere amicum.

Neq; sunt firma argumenta Durandi. PRIMO obiicit,

obiicit, quòd dilectio inimici est minus debita: Ergo magis meritoria. RESPONDEO non esse bonam consequentiam: Nam potest id quod est perfectius & magis meritorium, esse etiam magis debitum. Etenim actus charitatis est perfectior & magis meritorius, quàm actus cuiusque alterius virtutis: & tamen simul est magis debitus, id est, arctiore præcepto imperatus.

SECVNDVM argumentum est, quòd diligere inimicum est opus difficilius, atque adeo requirit maiorem conatum. RESPONDEO cum diuo Thoma artic. 8. ad 3. rationem boni multo plus facere ad perfectionem actus & dignitatem meriti, quàm rationem difficultatis. Quare cum dilectio amici habeat obiectum melius, licet non etiam difficilius, ipsa quoque est per se melior & magis meritoria. Nec tamen est negandum, quin etiam ex difficultate existat bonitas quædam & dignitas meriti in actu. Sed dicimus inde existere minus principaliter, quàm ex obiecti bonitate.

TERTIVM argumentum est, quòd amor inimici includit etiam amorem amici, non autem è contrario. Qui enim diligit inimicum, diligit etiam amicum; non omnis autem qui diligit amicum, diligit etiam inimicum. RESPONDEO cum Caietano hîc art. 7. per distinctionem antecedentis: nam si intelligatur de inclusione in actu, falsum est antecedens. Si autem intelligatur de inclusione in habitu, verum est antecedens, sed tum contrarium potius sequitur. Nam sic habitus dilectionis respicit primò dilectionem amici tanquam quiddam sibi propinquius: Igitur perfectius inclinatur in illam: sicut omne agens perfectius agit in propinquum, quam in remotum, vt argumentatur bene hîc Caietanus.

QVARTO posset etiam obiici illud Christi, Matt. 5. *Diligite inimicos vestros. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? &c.* Quibus verbis videtur indicari, penè nullius meriti esse dilectionem amicorum, si cum inimicorum dilectione conferatur. Sed ad hoc dupliciter RESPONDERI potest. PRIMO, vt respōdet D. Tho. hîc ar. 7. ad 1. Nimirū postponi eo loco dilectionem eam amicorū, quę est purè naturalis quoniā amicitiæ, & non etiam ex charitate propter Deum: Quæ charitas etiam ad inimicos debet se extendere. SECVNDO, vt sit sensus non habiturū mercedem, qui ita diligit amicum, vt non diligat simul etiam inimicum, pro loco & tempore, quo ex charitate tenetur, & proinde vtramque dilectionem esse necessariam ad charitatis perfectionem debitam, quam scilicet negligebant illi antiqui, qui dicebant: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Aduersus quorum traditionē falsam Christus eo loco ita præcepit: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.*

Etsi autem hoc ita sit, tamen non est negandum, quin soleat amor inimicorū esse indicium maioris & perfectioris charitatis habitualis, & aliquando etiam per accidens esse intensior ob difficultatem quæ superatur, adhibito maiori charitatis conatu: Quæ causa est cur interdum dilectio inimicorū meritò magis laudetur. Nam & hinc Apostolus commendat charitatem Christi, quia *pro inimicis mortuus est.* Id enim fuit argumentum intensissimæ erga genus hominum charitatis habitualis.

Sequitur SECVNDO, dilectionem eam, qua diligitur Deus, non solum vt ratio diligendi, siue vt obiectum *Quo*, sed simul etiam vt obiectum *Quod* (scilicet in seipso) perfectiorem & magis meritoriam esse, quàm dilectionem proximi, tametsi in illo simul diligatur Deus vt obiectum *Quo*. Probatur: Nam illa dilectio Dei habet obiectum *Quod* indiuiduum perfectius; & simul etiam cum illa altera dilectione proximi, in eo conuenit, quòd habet pro obiecto *Quo* seu ratione diligendi eandem ipsam Dei bonitatem.

Si quis autem simul & proximum propter Deum & etiam Deum non modò vt obiectum *Quo*, sed etiam vt obiectum *Quod* diligat, perfectior & magis meritoria erit hæc dilectio, quàm dilectio qua solus Deus & non simul etiam proximus diligatur. Probatur, quoniam habebit obiectum perfectius, saltem extensiuè, vt patet, & sic est intelligendus D. Thomas hîc artic. 8.

QVÆSTIO SEXTA.

De duobus effectibus internis Charitatis, nempe de gaudio & pace.

D. Thomas 2.2. q. 28. & 29.

PRIMO DICENDVM EST DE GAVDIO. SECVNDO DE PACE. Possunt enim commodè explicari simul ea, quæ spectant ad vnumquemq; effectum internum charitatis ex his duobus.

PVNCTVM PRIMVM.

De Gaudio.

D. Thomas quæst. 28.

GAVDIVM in proposito idē est quod delectatio: nisi quod id quod in brutis appellatur duntaxat delectatio, nominatur etiam gaudium in hominibus, sicut explicauimus tom. 2. q. 5. de passionibus. Est autem gaudium, vt illic etiam docuimus, actus quidā appetitus, quo quis ita fertur in bonum, vt in illo conquiescat, tanquam in eo, quod iam aliquo modo possideat. Quo fit, vt gaudium istud non sit actus alicuius peculiaris virtutis, sed potest esse actus cuiuscunq; virtutis circa bonum vt iam præsens seu habitum. Nam vt rectè docet hic D. Thomas art. 4. vnius & eiusdem virtutis est ferri in obiectum suum bonum, tum actu *amoris* absolutè, tum actu *desiderij*, quatenus nondum possidetur, tum actu *gaudij*, seu delectationis, quando iam possidetur. Quemadmodum vnius & eiusdem rei est inclinari in suum locum naturalem, & moueri in illum, & in eo conquiescere, cum ad eum peruenit. Atque huiusmodi actus gaudij, tum in appetitu sensitiuo esse potest, sicut & ibi sunt quædam virtutes; tum etiam in voluntate, quatenus in illa saltem sunt quidam actus similes passionibus appetitus sensitiui, vt tomo 2. q. vlt. de passionibus tradidimus.

Hæc cum ita sint, apparet hinc PRIMO aliquod gaudium esse actum atque adeo effectum internum charitatis, vt docet D. Thomas hic art. 1. Nam non solum actu amoris possumus ferri per charitatem in ipsum bonum diuinum prout est bonum absolutè & secundum se, sed etiam vt est aliquo modo bonum iam à nobis habitum; id quod est in eo per gaudij actum conquiescere. Potest autem bonum diuinum considerari, vt à nobis iam aliqua ratione habitum dupliciter: PRIMO, prout ipse Deus in se obtinet plenum suum ipsius bonum, quod reputare possumus quodammodo nostrum, siquidem est bonum nostri vltimi finis. SECVNDO, vt illud bonum diuinum possidemus quodammodo per gratiam & spem. Quemadmodum vtrumque bene docet D. Thomas art. 1. & 2.

Cæterum neutro modo tendimus in Deum per alicuius gaudij actum, quod sit in appetitu sensitiuo; cùm hic appetitus nullo modo possit attingere obiectum illud, quod est Deus. Sed est gaudium istud charitatis quidam actus in voluntate ab eadem virtute charitatis elicitus, & similis ei passioni appetitus sensitiui, quæ gaudium appellatur, vt intelligi potest ex iam dictis. Ac de istiusmodi gaudio intelligi debet Scriptura, cum insinuat gaudium esse fructum siue effectum charitatis. Vt cum ait D. Paulus ad Rom. 14. *Regnum Dei esse inter catera gaudium in Spiritu sancto*, mediante scilicet charitate, quæ *per Spiritum sanctum diffusa est in cordibus nostris*, ad Rom. 5. Et cum ad Gal. 5. numerat gaudium istud inter fructus Spiritus sancti, qui scilicet prodeunt ex charitate.

SECVNDO sequitur, gaudium istud nunquam posse in nobis esse plenum ex parte ipsius boni diuini, de quo gaudemus, ita scilicet vt quantum de Deo meritò potest capi gaudium, tantum gaudeamus. Sic enim non est plenum gaudium, nisi sit infinitum, sicut bonum ipsum diuinum infinitum est. Charitas autem nostra non potest habere vllum actum infinitum, vt ait D. Thomas artic. 3. Sed neque potest esse in hac vita plenum gaudium ex parte gaudentis, ita scilicet, vt quantum ipse cupiuerit in bono diuino conquiescere, tantum iam quiescat: nullus namque in hac vita terminus est desiderij, quo quis expetit magis ac magis bonum diuinum possidere, vt rectè ait D. Thomas art. 3.

Erit autem isto modo plenum gaudium nostrum in beatitudine, scilicet ex parte gaudentis. Nam ibi habebit quisq; desiderij sui terminum: atque adeo quisque plenè gaudebit de bono diuino pro mensura gloriæ qua afficietur. Iuxta illud Christi: *Et gaudium vestrum impleatur.* Ioan. 15.

Imo

Imo erit etiam tunc gaudium superplenū, quatenus erit de eo bono iam possesso, quod excedit naturale desiderium; iuxta illud Apostoli, 1. Cor. 2. *Neq; in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus se.* Vnde est illud Christi Lucæ 6. *Mensuram bonam & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Atque idcirco non tam gaudium illud intrare in cor hominis, quàm ipsa hominis mens intrare in illud, tanquam in quoddam ipsum excedens, dici potest. Iuxta illud etiam Christi Matt. 25. *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Sicut hoc ipsum rectè notat diuus Thomas hic art. 3.

TERTIO sequitur, posse cum isto gaudio simul stare in hac vita aliquam tristitiam de malo oppositio illi bono diuino; non quidem vt Deus obtinet bonum illud secundum se, quo modo etiam de illo diuino bono gaudemus; sed prout nondum perfectè possidetur à nobis. Iuxta illud psalmi. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Et illud 2. ad Cor. 5. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino.* Quamuis vt possidemus bonum illud diuinum iam aliquo modo, scilicet per gratiam & beatitudinis spem, gaudemus ea ratione de illo. Iuxta illud ad Romanos 12. *spe gaudentes.*

Item possumus simul habere tristitiam de malo, quod vel nos vel proximos nostros quos tanquam alteros nos reputamus, vt ait D. Thomas art. 2. impedit, quo minus diuinum bonum possideamus. Sicut facit inprimis peccatum: iuxta illud Isai. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter me & vos:* vt optimè D. Thomas docet art. 2. Hactenus de gaudio.

PVNCTVM SECVNDVM.

De pace.

D. Thomas quæst. 29.

VIDENDVM est quid propriè sit pax, de qua est sermo in proposito, & quo nam modo sit effectus charitatis. Pax igitur est aliquid oppositum repugnantiæ cuidam ac dissensioni appetitionum & conatuum: vt patet ex illa antithesi verborum Apostoli 1. ad Cor. 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Atque idem docet D. AVGVSTINVS lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 12. Vbi probat *pacis intentione geri bella, Quia qui bella,* inquit, *volunt, nihil aliud quàm vincere volunt; Victoria autem est subiectio repugnantium: quod cum factum,* inquit, *fuerit, pax erit.* Nempe quia quod est oppositum paci tunc tollitur, scilicet repugnātia & bellum. Hinc patet pacem consistere in cōsensione quadam appetitionum & studiorum, vt D. Thomas rectè docet hic art. 1.

Sed est OBSERVANDVM cum eodem D. Thoma, pacem propriè dictam consistere in consensione appetitionum omni modo. Quod vt rectè intelligatur, sciendum est, tot modis posse esse consensionem appetitionum, quot modis esse potest illarum dissensio. Potest autem dissensio hæc accidere tribus modis. PRIMO, Cùm quis habet appetitionem dissentientē ab appetitione alterius hominis.

SECVNDO, cùm habet dissentientem appetitionem ab appetitione alterius cuiusdam sui appetitus. Vt cùm *caro concupiscit aduersus spiritum,* sicut Apostolus ait ad Galatas 5. seu, quod idem est, cùm *lex membrorum repugnat & aduersatur legi mentis,* vt idem Apostolus docet ad Romanos septimo,

TERTIO, cùm quis per vnum & eundem appetitum appetit diuersa & incompatibilia, quæ scilicet simul assequi non potest, vt D. Thomas ait art. 1. Quod, vt rectè ibidem notat Caietanus, non ita debet intelligi quasi possit idem appetitus ferri in diuersa, quæ per se sint incompatibilia: vt quòd sit simul dies & nox, aut quòd simul quis viuat, & sit mortuus: sed quia potest ferri in incompatibilia per accidens ob aliquem defectum facultatis in appetente. Vt si quis simul cupiat opes, sanitatem & pulchritudinem, qui tamen ea sit conditione, vt hæc omnia simul obtinere non possit.

Nec tamen huiusmodi appetitiones incompatibilium censendæ sunt dissentientes & repugnantes, quatenus absolutè sunt appetitiones quædam: sic enim potius suapte natura & ratione consentiunt; sed quatenus sunt de incompatibilibus, & eatenus oppositis; item quatenus vna illarum est cum quiete, putà ea quæ est de bono, quod quis assequi potest, aut iam obtinet: alia verò cum anxietate & inquietudine appetitus; putà ea quæ est de bono, quod obtineri non potest.

Iam igitur vt quis habeat pacem propriè dictam, de qua est sermo in proposito, oportet vt nullo modo ex his tribus habeat dissensionem aliquam & repugnantiam appetitus, sed consentiat in appetendo, tum cum aliis, tum etiam secum ipse per vtrumque appetitum, scilicet intellectiuum & sensitiuum, & per quemlibet illorum; ita vt per neutrum appetat incompatibilia per accidens.

Et hoc ipsum videtur indicasse D. Augustinus lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 13. cùm generatim describens pacem dixit esse *tranquillitatem ordinis:* Tunc enim verè & absolutè est ordinis tranquillitas, cùm omnes illæ res inter se consentiunt, quæ sic sunt inuicem ordinatæ, vt & consentire & dissentire inter se possint. Idipsum etiam voluit S. Dionysius cap. 11. de diuin. Nominibus, cùm dixit, pacem esse *omnium vnitiuam, & consensus operatiuam;* debet enim hoc dictum intelligi, non effectiuè, quasi ex pace consequatur vnio & consensio, sed formaliter, quia scilicet in ipsa vnione omnimoda & consensu ratio pacis consistit, sicut est dictum.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod si quis cum aliis quidem appetitu consentiat, sed non ipse secum; propriè dicetur habere concordiam, sed non pacem. Siquidem pax, vt docet D. Thomas art. 1. Concordiam quidem includit, & aliquid præterea addit, scilicet consensum appetitionum in eodem homine. Quanquam minus propriè illa etiam concordia erga alios potest & solet nominari pax. Vt cùm ait Christus Dominus Marci 9. *Pacem habete inter vos.* Et Apostolus ad Rom. 12. *cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et D. Avgvstinvs lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 13. *Pax*, inquit, *hominum est ordinata concordia.*

Porro non quæuis consensio omnimoda & vnio appetitionum est pax, de qua loquimur: sed consensio in vero bono. Quæ enim est consensio in apparente duntaxat bono, non est vera, sed apparens pax, vt docet rectè D. Thomas art. 2. ad 3. Et patet ex illo Sap. 14. *In magno viuentes inscientiæ bello tot & tam magna mala pacem appellant.* Et Esaiæ 57. *Non est pax impiis.* Et Hierem. 7. *Dicentes pax pax, & non erat pax.* Atque vt bonum verum est duplex, quoddam perfectum & plenum, quali sancti fruuntur in altera vita; alterum imperfectum, quale in hac vita consequi licet: Ita pax iustorum in hac vita est imperfecta; perfecta autem est illa demum, quam habent Beati perfruentes eodem summo & perfectissimo bono: quę quidem pax est vltimus finis noster, vt pulchrè ostendit D. Avgvstinvs lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 11. ex illo Psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem.* Itemq; ex eo quod propterea cœlestis patria vocatur Hierusalem; *quod mysticum nomen*, inquit Augustinus, *visio pacis interpretatur.*

Ex his quædam consequuntur. Primo sequitur, pacem rectè numerari inter effectus charitatis: vt docet D. Thomas hîc art. 3. Nam inclinamur per charitatem ad diligendũ omnia eo modo quo oportet, scilicet Deum vt vltimum finem, & proximos ac reliqua propter Deum. Ex quo est consequens, vt in appetitionibus nostris, ita ordinatis, non sit malum dissensionis & repugnãtiæ, sed bonum contrarium pacis, iuxta illud Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.*

Est autem hic Dvbivm circa modum quo pax est effectus charitatis. Num sit effectus ipsius tanquam actus quidam eius, an verò tanquam relatio quædam consequens charitatis actum. Nam Caietano hîc artic. 4. videtur effectus charitatis tanquam relatio potius consequens charitatis actum vt vnientem appetitiones: quæ relatio nimirum sit illa appetitionum vnio & consensio, siue tranquillitas, vt vocat D. Avgvstinvs lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 33. cuius testimonio confirmat hanc suam sententiam Caietanus.

Diuus autem Thomas art. 4. ad primum, omnino sentire videtur, pacem verè esse charitatis effectum, tanquam eius actum. Affirmat enim de pace duo, quæ non nisi in verum actum conueniunt. Vnvm est, quòd est actus meritorius. Alterum est, quòd de illa extet præceptum Mar. 9. illis verbis, *pacem habete inter vos.* Nec videtur fanè D. Thomas solum causaliter loqui, cum ait; pacem esse actum charitatis, quasi tantum sit sensus, illam consequi ex causa, quæ sit actus quidam charitatis, sicut interpretatur D. Thomam Caietanus. Sed planè videtur illo loco D. Thomas loqui de pace formaliter.

Cæterum quæstio hæc mihi solum videtur esse de nomine. Et potest dici pacem vtroque modo esse effectum charitatis, scilicet & vt actum, & vt relationem. Quod nihil aliud est, quàm dicere, dupliciter vsurpari vocabulum pacis. Primò pro illa relatione vnionis appetitionum consequente actum charitatis. Secundò pro ipso actu charitatis, vt est sine vlla repugnantia appetitus. Quin etiam quælibet alia appetitio boni, vt est consentiens cum aliis, potest nominari pax. Quocirca pax, vt est quidam actus, non differt re ab ipso actu charitatis, scilicet ab amore Dei & proximi ordinato, vel etiam ab aliis appetitionibus bonis, quæ sint sine repugnantia. Sed differt ab his actibus solum ratione formali, vt patet quoque ex doctrina D. Thomæ art. 4.

Secvndo sequitur, nõ esse necessariam præter charitatem, peculiarem aliquam virtutem, cuius actus sit pax, secundum illam suam rationem formalem iam dictã: vt bene docet D. Thomas art. 4. Probatur. Quoniam non quæcunque ratio formalis distincta actus, siue obiecti sufficit ad fundandam peculiarem virtutem, nisi habeat etiam ex se peculiarem difficultatẽ. Non est autẽ peculiaris & distincta difficultas in pace ab ea, quę est in ipsis actibus charitatis ordinatis. Nam qui Deum diligit tãquam vltimum finem, & alia propter Deum, consequenter habet facilè appetitiones omnes vnitas. Quare pax ad eandem ipsam virtutem charitatis pertinet, tum vt actus eius, tum vt relatio quædam consequens illius actum, sicut est dictum.

Tertio sequitur, pacem diuersis rationibus rectè numerari, tum inter beatitudines Matt. 5. tum inter fructus spiritus ad Galat. 5. Est enim quædam beatitudo, quatenus est actus virtutis perfectæ, puta charitatis; fructus autem quatenus est quoddam bonum vltimum, quod habet iucunditatem siue delectationem, vt rectè declarat D. Thomas artic. 4. ad 1. & patet etiam ex doctrina eiusdem 1. 2. q. 69. & 70.

Qvarto sequitur, nullam rem esse quæ suo modo non expetat pacem, vt docet D. Thomas art. 2. Et ostendit fusè D. Avgvstinvs lib. 19. de ciu. Dei, cap. 12. Ratio est, quoniam omnis res modo conuenienti naturę suæ expetit bonum & perfectionem sibi congruentẽ obtinere sine vlla repugnantia, atque adeo etiam nullo repugnante appetitu. Quod ipsum est pacem habere. Atque hanc rationem, qua D. Thom. vtitur hîc ar. 2. insinuauit quoq; D. Avgvstinvs lib. 19. de ciuit. cap. 12. cum dixit: *Sicut nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est qui nolit habere pacem*; nimirum quia tunc aliquis gaudet, quando bonum possidet cum quiete & tranquillitate atq; adeo cum pace.

Postremo sequitur, non sine causa in Scripturis tantopere commendari pacem. Nihil enim expetibilius est, quàm bonum tranquillè possidere. Quamobrem Angeli in Christi Natiuitate cum vellent maximum bonum hominibus nunciare, illo modo annunciarunt: *Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus.* Hinc etiam illa formula salutandi non solum ab Apostolo sæpe, sed etiam à Christo vsurpata. *Pax vobis.* Quin etiam discessurus ex hoc mundo pacem tanquam præcipuum legatum suis relinquere testatus est: *Pacem*, inquit, *meam do vobis, pacem relinquo vobis*, Ioan. 14.

Vnde ex contrario, pro maximo malo in Scriptura ducitur, dissensio & repugnantia appetitionum seu desideriorum, quibus scilicet solet vehementer excruciari animus cùm variis & multiplicibus desideriis agitatur. Quæ idcirco Apostolus 1. ad Timoth. 6. vocat *desideria multa, inutilia & nocina, quæ mergunt*, inquit, *homines in interitum & perditionem.* Atque ideo etiam D. Petrus 1. epist. ca. 4. *desideria* annumerat *luxuriis, vinolentiis, comessationibus, & idolorum cultibus.*

Porro rationem obtinendi magnum illud bonum pacis ostendit Apostolus ad Gal. 6. exemplo suo, quasi quadam ad id regula, nobis proposita: *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Et quicunque*, inquit, *hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.* Sed de his hactenus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Misericordia, quæ est item effectus quidam internus Charitatis.

D. Thomas 2. 2. quæst. 30.

TRIA SVNT EXPLICANDA. PRIMO, QVID PROPRIE SIT MISERICORDIA. SECVNDO, an sit virtus. TERTIO, qualis virtus.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid propriè sit Misericordia.

D. Thomas artic. 1. & 2.

Ratio Misericordiæ tum à Philosopho lib. 2. Rhet. cap. 8. tum à D. Avgvstino lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 5. describitur; sed non planè vno modo. Nam aliquid in ea descriptione ponit Philosophus, quod omittit Augustinus, & aliquid Augustinus, quod omittit Philosophus. Quin etiam vltra ea, quæ vterq; ponit, addit aliquid D. Thomas hîc art. 1. Sed tamen ex doctrina horum trium licebit colligere bonam & plenam Misericordiæ descriptionem.

Aristoteles igitur loco citato sic describit Misericordiam: *Commiseratio*, inquit, *est dolor quidam ex apparente malo corruptiuo, ac dolorem inferente, in indignum pati, quod ipse putabit se pati, vel suorum aliquem, idq; sic vt propinquum videatur.*

Diuus autem Avgvstinvs vbi supra describit hoc pacto: *Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua vtique si possumus, subuenire compellimur.* Vbi quod Augustinus in hac descriptione ponit, Misericordiam esse compassionem talem, ex qua si facultas suppetat *compellamur subuenire*, omissum est à Philosopho: sicut contra, quod Philosophus in sua descriptione posuit, Misericordiam esse *de malo inferente dolorem in indignum*, itemque de malo quod *propinquum* videatur, omissum est ab Augustino: atque etiam illud quod Aristoteles ibidem ait debere miserentem putare, seipsum pati; id est, misericordiam esse de malo vt proprio, præteriuit Augustinus. Addit quoq; præter ista omnia D. Thomas hîc art. 1. Misericordiam esse de malo inuoluntario.

Quæ quidem omnia vera sunt. Si tamen illud quod Philosophus ait, Misericordiam esse de malo, quod videatur *propinquum*, non ita intelligatur, quasi necesse sit semper malum de quo est Misericordia apprehendi, vt iam vrgens vel instans, & vicinum, Sed quia ordinariè quidem non solet esse, nisi de præsente vel propinquo malo. Nam constat alioquin concitari animum quandoque Misericordia erga mala, quæ multis ante seculis

Universidad de Deusto
Biblioteca

seculis contigerunt. Vt cùm Christo Domino patienti, & Martyribus compatimur, quorum passiones ante 1000. vel 1500. annos contigerunt.

Ac non aliter quàm hoc modo, quo diximus intelligendum esse Philosophum colligi potest ex eius verbis. Sic enim in illo lib. 2. Rhet. cap. 8. dicit: *Afflictiones tunc miserabiles sunt quando præsentes cernuntur: quæ à mille annis ante fuerunt, vel futuræ sunt, vel omnino non miserantur, vel non similiter*: id est, ordinariè non ita vehementer, sicut solent præsentes.

Iam igitur ex doctrina ista D. Augustini & Philosophi, & D. Thomæ, colligamus misericordiæ descriptionem plenam hoc modo: *Misericordia est dolor siue tristitia, de malo alieno inuoluntario æstimato vt proprio, & aliquo modo contra personæ miserabilis dignitatem, cui subuenire velit miserans quantum in ipso sit, & commodè possit.* Huius definitionis particulæ sigillatim iam asserendæ & explicandæ sunt.

PRIMO dicimus Misericordiam esse *dolorem*. Hoc patet. Nam vt docet D. Damascenus lib. 2. Fid. Orthod. cap. 14. Et D. Thomas hîc art. 1. & nos etiam **tradidimus tomo 2.** in disput. de passionibus, **Misericordia est** quasi quædam species doloris siue tristitiæ. Tristitia enim est dolor de malo proprio: Misericordia verò est dolor de malo proximi æstimato vt proprio. Cùm autem huiusmodi dolor seu tristitia, quam dicimus esse Misericordiam, possit esse actus tum appetitus sensitiui, vt est scilicet vna ex passionibus, tum etiam voluntatis, vt in voluntate sunt quidam actus passionibus similes; in proposito potissimũ quidem loquimur de Misericordia, vt est actus voluntatis. Nam loquimur de illa vt est consequens ex charitate, atque adeo vt tam latè patet erga proximos, quàm ipsa charitas, quæ est item in voluntate.

SECVNDO dicimus, Misericordiam esse de *malo*. Cùm autem omne malum consistat in defectu aliquo; inde fit vt obiectum siue motiuum Misericordiæ sit semper defectus: vt docet diuus Thomas hîc art. 2.

TERTIO dicimus esse de malo *inuoluntario*, sicut tradit D. Thomas art. 1. Nam est de tali malo & defectu, qui meritò censeatur esse quædam miseria, siquidem Misericordia circa miseriam tanquam circa obiectum versatur. Miseria autem est aliquid inuoluntarium. Sicut contrà Beatitudo, cui miseria omnis opponitur, consistit in hoc vt quis habeat ea bona quæ vult, iuxta illud Augustini lib. 13. de ciuit. cap. 4. *Beatus est qui habet quicquid vult, & nihil mali vult.*

Nec tamen oportet defectum illum seu miseriam, quæ est motiuum Misericordiæ, esse omni ratione inuoluntarium, sed sufficit si aliqua ratione: Possumus namque misereri alicuius propter peccatum, vt docet D. Thomas art. 1. ad 1. ex sententia D. GREGORII qui hom. 34. in Euangelia dicit, veram iustitiam non habere indignationem contra peccatores, sed compassionem. Et tamen peccatum non omni ratione est inuoluntarium, sed vt habet respectum quendam, siue habitudinem ad pœnam. Et ea ratione potest de illo esse misericordia.

Quam verò latè pateant ea mala inuoluntaria, quæ possunt esse motiua misericordiæ, fusè declarat Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 8. vbi docet in vniuersum esse vel naturæ vel fortunæ mala. Naturæ mala in proposito dicit esse ea, quæ sunt naturæ corruptiua: *Vt mortes*, inquit, *verbera, corporis afflictiones, senectus, morbi, cibi inopia.* In malis autem fortunæ numerat imprimis: *Si*, inquit, *neminem quis habeat amicum, aut quam paucissimos. Hinc enim diuelli*, inquit, *à sociis atque amicis miserabile est.* Item ponit in hoc numero *turpitudinem, imbecillitatem, mancum esse, Et si, vnde oportebat*, inquit, *bonum quidpiam contigisse, inde malum accideret.*

QVARTO dicimus, Misericordiam esse de malo alieno æstimato *vt proprio*. Nam vt docuimus in materia de passionibus, & repetit hîc artic. 2. D. Thomas, tristitia & dolor non est propriè erga alterum, sed erga seipsum. Est autem misericordia quidam dolor siue tristitia, vt est dictum. Vnde defectus ille qui sit motiuum misericordiæ, non modò dicitur esse defectus personæ miserabilis, sed etiam aliquo modo ipsius personæ miserentis, vt docet D. Thomas hîc art. 2. Et Aristoteles 2. Rhet. cap. 8.

Potest autem dupliciter fieri, vt defectus personæ miserabilis sit etiam aliqua ratione personæ miserentis, sicut docet D. Thomas eodem art. 2. VNO modo per solam vnionem affectus; quę nimirum facit, vt malum alterius amicorum reputetur quoq; alterius malum: propter quod dixit Aristoteles 9. Ethic. cap. 3. *amici officium inter cætera esse condolere de malo amici sicut de proprio.* Id quod similiter indicauit Apostolus ad Romanos 12. cum iussit *flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus.* ALTERO modo potest id fieri per communicationem realem eiusdem mali actu vel potentia; si videlicet miserans sit obnoxius eidem malo quo afficitur persona miserabilis; aut certè possit illud incurrere. Neque tamen requiritur, vt vtroque modo defectus personæ miserabilis sit etiam personę miserentis: Sed sufficit vt sit eius secundum vnionem saltem affectus.

Et quidem vtroque modo defectus proximi, cùm eius miseremur, est quodammodo noster, videlicet per vnionem affectus & per communicationem eiusmodi defectus realem, saltem potentia. Quandoquidem quoduis malum proximi possumus etiam ipsi incurrere. Cum autem Deus hominis miseretur, defectus personæ miserabilis, non reputatur etiam miserentis, nisi secundum vnionem affectus; idque sufficit, vt patet ex doctrina D. Thomæ art. 2.

Non

Non est tamen negandum, quin quando est etiam communicatio realis actu vel potentia eiusdem affectus, multo vehementius Misericordia concitetur. Hinc enim Deus vt magis ac magis suam erga nos charitatem & misericordiam commendaret, nostram induit naturam, vt per ipsam posset re ipsa quoque fieri particeps nostrorum defectuum, & eo vehementius nostri misereretur. Atque hæc est vis illius sententiæ Apostoli de Christo ad Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi: In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est, & iis qui tentantur auxiliari*: nimirum per quendam misericordiæ modum, qui existat quoq; ex propria experientia.

Ac multum quidem concitari misericordiam ex reali communicatione defectus alieni, siue actu siue potentia, inde manifestè patet, quod, vt D. Thomas art. 2. post philosophum 2. Ethicor. cap. 3. docet, illi sunt procliuiores ad miserendum, qui in statu & conditione vitæ sunt similiores personæ miserabili: quia scilicet reputant se similiter in illud malum posse incurrere, sicut eadem ratione senes & sapientes, qui humanæ vitæ pericula perspectiora habent, solent facilius misereri. Contrà autem, qui putant se felices nec vsque adeo timent vitæ incommoda, difficilius miserentur. Atque etiam ij qui ob aliquam animi passionem tendentem in ardua, sunt animo maiori & elatiori, minimè aliorum (eo quidem tempore) miserentur. Vt irati videlicet, de quibus idcirco D. Thomas articulo 2. intelligendum esse putat, quod Aristoteles ait 2. Rhetor. cap. 8. *Eos qui sunt in contumeliandi dispositione siue affectu, non esse solitos misereri*: cui sententiæ consonat illud Prouerb. 27. *Ira non habet misericordiam*. De quo genere pulchra tradit Philosophus loco citato.

QVINTO diximus misericordiam esse de malo, quod reputetur aliquo modo contra personæ miserabilis *dignitatem*. Hoc non ita intelligendum est, quasi oporteat malum miserabile esse absolutè contra dignitatem personæ miserabilis, spectatis omnibus rei circumstantiis. Sic enim non contingeret misereri eorum, qui iustè plectuntur; id quod est contra manifestam experientiam. Neque etiam id ita intelligendum est, quasi oporteat, cùm quis miseretur, cogitare quòd miserabile malum sit contra dignitatem personæ miserabilis ex aliqua parte seu ratione consideratæ: Experientia enim docet interdum misericordia erga aliquem nos incitari solo ipso spectaculo alieni mali, etiam cùm actu non cogitamus illud esse vllo modo contra dignitatem hominis miserabilis.

Satis igitur fuerit, vt & miserabile malum sit contra dignitatem personæ miseræ aliqua ratione consideratæ; vt putà præcisè saltem quatenus est homo: quo modo etiam supplicium iustum potest censeri contra dignitatem hominis; Et vt hoc ipsum vel expressè vel virtualiter & implicitè cogitetur. Implicitè autem cogitabitur eo ipso, quod est facilè venire actu in mentem, neque actu contrarium cogitetur, scilicet ob alias rationes esse dignum & iustum, vt persona miserabilis tale malum sustineat: Nam dum id actu cogitatur, experientia docet non concitari misericordiam. Hanc enim ob causam D. Thomas art. 2. ad tertium notat, superbos non solere misereri aliorum, quia cum contemnant alios, putant, inquit D. Thomas, quòd dignè patiantur quidquid patiuntur. Vnde D. GREGORIVS homil. 34. in Euangel. dicit: *Falsam iustitiam*, id est, superborum, *non habere compassionem sed dedignationem.*

POSTREMO diximus pertinere ad Misericordiæ rationem, vt miserans velit, quantum in ipso est, & commodè possit, *subuenire* malo miserabilis. Quod non ita intelligendum est, quasi oporteat eum qui miseretur velle explicitè subuenire malo: Sed quia dolor ille de malo alieno in quo misericordiæ ratio sita est, talis esse debet vt per eius efficaciam atque vim is qui miseretur, reddatur promptus & alacer ad subueniendum miserabili malo, si commodè possit, id est, si & facultas ad id suppetat, & id facere liceat ac deceat omnibus consideratis.

Si autem vel facultas deest, vel non decet, aut non licet subuenire, vt plerumque accidit, cùm iustum supplicium de aliquo sumitur, nihilominus censetur quis per hoc verè misereri, quòd per ipsum non stat quominus subueniat, atque adeo ad id paratus est quantum est in ipso, idque vi illius doloris, qui est misericordia. Quænam igitur sit natura & ratio actus misericordiæ, ex his perspicuum est.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Misericordia sit actus virtutis peculiaris, quæ item nominetur Misericordia.

D. Thomas art. 3.

QVRITVR ex ratione actus Misericordiæ explicata, puncto præcedente quæstio, an extet peculiaris aliqua, & à charitate differens virtus, cuius proprius actus sit misericordia. Ratio dubitandi est, quoniam ex vna parte videtur sola charitas sufficere ad Misericordiam. Nam ad vnam & eandem virtutem pertinet velle bonum & auersari malum oppositum: Sed velle bonum proximi pertinet ad charitatem: Ergo etiam auersari oppositum malum illius, & dolere de illo; quod est misereri: alioquin non videtur satis rectè misericordia numerari posse inter charitatis effectus. Ex alia verò parte, cùm miseri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cordiæ actus respiciat peculiarem obiecti rationem, nempe miseriam alienam vt subleuabilem, videtur exigere peculiarem virtutem.

RESPONDENDVM est autem esse peculiarem virtutem misericordiam, vt affirmat D. Thomas artic. 3. Probatur PRIMO ex Apostolo ad Col. 3. vbi charitatem ita distinguit à misericordia sicut ab humilitate & patientia & modestia, quæ sunt peculiares virtutes. Postquam enim dixit: *Induite viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, &c.* deinde subiungit; *super omnia autem hæc charitatem habete.*

SECVNDO probatur ex D. AVGVSTINO qui lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 5. reprehendens Stoicos, quòd misericordiam tanquam passionem, quandam & morbum animi in vitio ponerent; ex contrario laudat Ciceronem, quòd eam inter alias virtutes numerârit: *Longe*, inquit, *melius & humanius, & piorum sensibus accommodatius Cicero in Cæsaris laude locutus est, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior nec gratior misericordiâ est.*

TERTIO probatur ratione. Nam actus qui habet peculiarem tum rationem formalem obiecti, tum difficultatem, peculiarem virtutem exigit. Talis est autem actus misericordiæ: Ergo, &c. probatur minor. Nam vt docet D. Thomas hic artic. 3. & quæst. sequent. artic. 1. ad tertium, ratio formalis obiecti misericordiæ est malum alienum, vt subleuabile per nostram operam. Hæc autem ratio & peculiaris est, & in executione ipsa efficaci, peculiarem difficultatem parit in actu Misericordiæ. Non enim Misericordia est dolor de malo alieno proximi præcisè, vt malum est oppositum bono; quo pacto dolere de proximi malo pertinet ad charitatem: Sed est dolor de malo proximi, vt est miseria quædam efficaciter in executione ipsa subleuabilis, circa quam certè executionem peculiaris restat superanda difficultas, etiam ei qui proximum propter Deum amat.

Etenim ex ipsa ratione miseriæ, & ex modo quo variis in casibus oportet eam subleuare, emergunt interdum variæ difficultates: vt nonnunquam etiam propter horrorem personæ, aut casus miserabilis, vel ob alias rei & loci & personarum circumstantias; ad quas difficultates superandas opus est virtute peculiari. Quemadmodum, quia in aliis materiis virtutum, quę sunt erga alterum, vt iustitiæ & liberalitatis, existunt peculiares difficultates connexæ cum rationibus formalibus obiectorum eiusmodi virtutum, minimè sufficit virtus charitatis ad benefaciendum proximis in illis virtutum generibus, Sed præter charitatem, opus est ad id virtutibus peculiaribus, scilicet iustitia, liberalitate, &c. Pari igitur modo opus erit in proposito virtute misericordiæ ad superandas eas difficultates, quæ coniunctæ sunt propriè cum malo proximi, vt est quædam miseria efficaciter subleuabilis.

Quare ad argumentum in contrarium RESPONDENDVM est, si malum proximi consideretur præcisè, vt malum quoddam est oppositum bono, non requiri ad miserendum peculiarem virtutem præter charitatem. Vt neque ad benefaciendum proximo, si bonum quod proximo impendendum est, consideretur præcisè vt quoddam bonum. Propter quam causam negat rectè diuus Thomas quæst. seq. artic. 4. beneficentiam esse actum distinctæ virtutis à charitate.

Si autem malum proximi consideretur, vt est quædam miseria subleuabilis, omnino requiri ad illud remouendum peculiarem virtutem misericordiæ, propter peculiares in ea re difficultates. Sicut etiam ad impendendum bonum proximo requiritur peculiaris virtus, id est, iustitia aut liberalitas, &c. si id bonum consideretur, non præcisè vt bonum proximi, sed vt tale vel tale bonum, sicut ante probaui: Ex qua re patet explicatio difficultatis, quæ torsit non parum in commentario illius art. 3. quæst. 3. Dominicum Bannes.

Ad id autem quod præterea obiiciebatur, misericordiam, si sit peculiaris virtus, non rectè numerari inter effectus charitatis: RESPONDENDVM est breuiter nihilominus censeri posse charitatis effectum, quia ordine quodam est consequens, vt, qui diligit, etiam misereatur.

PVNCTVM TERTIVM.

Qualis nam virtus sit Misericordia; an scilicet sit pars præstantior charitate.

D. Thomas art. 4.

DIVVS Thomas art. 4. duo dicit. PRIMO. Si misericordia & charitas considerentur *secundum se*, misericordiam esse perfectiorem, quàm charitatem: quia est communicatiua boni, & subleuatiua defectus alieni; quod perfectius quiddam est quàm amare. SECVNDO. Si considerentur in ordine ad habentem siue ad *subiectum*, misericordiam non esse perfectiorem nisi in eo qui nullum superiorem habet, sed omnes sub se, vtputà in Deo; cuius proinde dicitur esse proprium misereri, & *miserationes eius super omnia opera eius*. In eo autem qui superiorem habeat, vtputà, in homine, perfectiorem esse charitatem: Nam ei qui superiorem habet, præstabilius est coniungi cum suo superiore (id quod fit per charitatem) quàm supplere defectum inferioris.

Hæc doctrina D. Thomæ dupliciter potest ad

VNO

VNO modo vt sunt quidam habitus boni, id est, virtutes, quæ secundum rationes suas adæquatè quidem inueniuntur in homine; inadæquatè etiam in Deo, si nimirum aliquid in ipsis præcisè consideretur abstrahendo à ratione habitus siue qualitatis. Et sic comparatio ista expositа à D. Thoma quoad vtramque eius partem, non est nisi *secundum quid*, si nimirum hi habitus considerentur, non simpliciter & absolutè, sed secundum quasdam rationes suas; vtputà quod charitatis actus est amare, misericordiæ autem defectum subleuare & bonum communicare. Secundum has enim rationes, quas D. Thomas appellat charitatis & misericordiæ *secundum se*, id est, abstrahendo ab obiecto & subiecto, & solum considerando rationem actus; perfectior est misericordia. Nam communicare bonum, & subleuare defectum, per se est perfectius; respectu autem habentis siue subiecti non est id præstabilius nisi is careat superiore, vt ait D. Thomas.

Simpliciter autem & absolutè, non potest nec debet dubitari, quin habitus charitatis sit perfectior & præstabilior, quàm habitus misericordiæ tum *per se*, tum etiam *habenti*. Per se quidem quoniam habet simpliciter perfectius obiectum, putà bonum ipsum diuinum; Habenti autem, quia simpliciter quidem præstabilius est habenti id habere, quod est simpliciter melius & præstabilius. Cùm enim virtus formaliter reddat bonum habentem, implicat contradictionem, vt virtus sit per se melior, & non sit etiam melior habenti; vel, vt habens non sit melior per illam. Quo circa Apostolus ad Coloss. 3. manifestè indicat habitum charitatis esse simpliciter præstabiliorem habitu misericordiæ, tum per se, tum habenti. Postquam enim dixit: *Induite viscera misericordiæ benignitatem, &c.* subiungit: *Super omnia autem hæc charitatem habete* (habete, inquit) *quod est vinculum perfectionis.*

ALTERO modo potest illa doctrina diui Thomæ intelligi de charitate & misericordia, non vt sunt quidam habitus boni, sed vt abstractissima quadam ratione misericordia est perfectio seu facultas quædam subleuatiua omnis miseriæ seu defectus: Charitas autem est perfectio, & facultas quædam diligendi Deum & alia propter Deum. Ac de misericordia & charitate isto modo acceptis putat Caietanus hìc articulo 4. intelligendum esse quod diuus Thomas ait misericordiam secundum se quidem, id est secundum id quod exigit ad sui perfectionem, abstrahendo ab obiecto & subiecto, esse perfectiorem charitate. Idque probat esse verum. Nam sic misericordia suapte perfectione est actus purus carens omni potentialitate, atque adeo est ipse Deus. Cùm enim sit subleuatiua omnis defectus & miseriæ, debet ipsa carere omni defectu. Sicut perfectio subleuatiua miseriæ in aliquo genere, vt verbi gratia, paupertatis, debet carere eiusmodi miseria & defectu: Sed omnis potentialitas est in latitudine Entis quædam miseria & defectus. Ergo misericordia illo modo accepta debet carere omni potentialitate. Quod autem caret omni potentialitate, est actus purus & infinitus, ac proinde Deus. Et in hoc sensu putat Caietanus de Deo dici, quòd sit eius proprium misereri, & quòd miserationes eius sint super omnia opera eius. Atque istam interpretationem D. Thomæ & doctrinam Caietani magis probat hìc Bannes. Licet priorem quoque interpretationem admittat.

Mihi verò, quod ait Caietanus, verum per se videtur, scilicet misericordiam ita abstractè consideratam esse simpliciter perfectiorem charitate; cùm re vera ex abstractissima illa ratione sua vendicet sibi infinitam perfectionem, vt bene Caietanus ratiocinatur. Sed tamen non puto speculationem istam Caietani esse ad mentem D. Thomæ. Itaq; repudio posteriorem hanc interpretationem.

PRIMO, quoniam D. Thomas vtique loquitur in ea comparatione de misericordia & charitate, secundum eas vtriusque rationes, quarum homo est etiam particeps, vt patet ex toto discursu articuli quarti. Illius autem abstractissimæ misericordiæ, quæ sit subleuatiua omnis miseriæ & defectus in tota latitudine Entis, homo minimè est capax.

SECVNDO, Quia loquitur diuus Thomas de misericordia secundum eam rationem, quæ si consideretur in ordine *ad habentem*, minus sit præstans in eo qui habet superiorem; Talis autem misericordiæ ratio, nequaquam est ratio illius misericordiæ Caietani, siquidem ratio illius misericordiæ abstractissimæ, quam Caietanus speculatur, nunquã reperitur in aliquo, qui habet superiorem, cùm ipsa sit actus purus, ac proinde Deus.

TERTIO, Quia comparat D. Thomas charitatem & misericordiam vt sunt virtutes, ac proinde quidam habitus: postquam enim definiuit, misericordiam esse virtutem quandam, deinde instituit illius comparationem cum charitate, id est, vt vtraque conuenit in genere virtutis, & sub eo genere differunt. Vnde & addit in illo articulo quarto, misericordiam esse virtutem perfectiorem virtutibus aliis moralibus quę versentur erga alterum. Illa verò misericordia abstractissima Caietani neque est virtus huius generis, neque habet rationem conuenientem vlli virtuti creatæ, cùm ex se sit actus purus & infinitus.

Quare doctrinam illam diui Thomæ priori modo existimo debere intelligi. Sed præterea notetur, cùm diuus Thomas ait, charitatem esse meliorem misericordiâ, si consideretur in ordine ad habentem qui habeat superiorem, intelli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gendum esse secundum bonitatem quandam vtilitatis cuiusdam maioris: non autem secundum bonitatem per se & absolutè consideratam. Nam per se & absolutè, sicut misericordia est secundum se quidem melior (vt dicit diuus Thomas) sic etiam est melior habenti, quandoquidem ab illa formaliter habet subiectum perfectionem & bonitatem illam quæ est in ipsa secundum se.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Beneficentia, quæ est externus effectus Charitatis.

D. Thomas 2. 2. quæst. 31.

EXPLICANDVM EST PVNCTVM VNICVM: NIMIRVM QVAE sit ratio beneficentiæ in proposito, & quomodo sit benefaciendum. Huc enim reuocatur doctrina D. Thomæ in hac quæstione.

PVNCTVM VNICVM.

Quæ sit ratio beneficentiæ in proposito, & quomodo sit benefaciendum.

D. Thomas quæst. 31.

BENEFICENTIAE vocabulum, vt colligitur ex D. Thoma art. 4. ad 2. dupliciter potest vsurpari. PRIMO generatim, vt significat quemcunq; actum externum per quem sub quacunque ratione boni fiat beneficium alteri. Et sic tam latè patet beneficentia, quàm omnis actus virtutis, quæ versetur erga alterum, vt iustitiæ, liberalitatis, &c. SECVNDO modo, vt significat actum externum quo impenditur bonum alteri sub peculiari illa ratione boni, quam respicit charitas; id est, propter Deum ad quem potest vnumquodque bonum per charitatem referri. Et sic vsurpamus hoc vocabulum in proposito.

Itaque beneficentia hoc loco ex sua propria ratione non aliud est quàm executio quædam actus interni & eliciti charitatis erga alterum. Nam actus internus charitatis erga alterum est, velle alteri bonum, vt patet ex supradictis q. 5. Huius autem actus executio est bonum alteri facere.

Quocirca rectè docet D. Thomas artic. 1. & 4. Beneficentiam esse proprium actum charitatis, non autem alicuius alterius virtutis peculiaris. Nam actus externus per quem interior actus alicuius virtutis est efficax, & ad executionem perducitur, ad eandem virtutem pertinet, ad quam actus internus, quatenus vterque actus respicit eandem rationem obiecti. Ac potest hoc ipsum confirmari ex D. Ioan. epist. 1. cap. 3. *Non diligamus*, inquit, *verbo atque lingua, sed opere & veritate.* Vbi satis indicat, ipsum benefacere, esse diligere efficaciter, ac proinde esse actum charitatis. Item potest id confirmari ex Philosopho, qui 9. Ethicorum, cap. 4. docet actum amicitiæ esse, etiam benefacere amicis, Est autem charitas quædam amicitia, vt vidimus q. 1.

Ex hac doctrina tria quędam sequuntur. PRIMO sequitur, ita esse benefaciendum omnibus pro loco & tempore, sicut sunt omnes diligendi, vt docet D. Thomas art. 2. & patet ex Apostolo ad Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes.* Quomodo autem sint omnes diligendi disputauimus satis supra quæst. 3. huius tractatus. Peculiariter autem notetur quod dicit circa hoc D. Thomas hîc artic. 2. ad tertium non teneri quempiam benefacere alicui in extrema necessitate constituto, ipsi subueniendo, si secundum ordinem iustitiæ pateretur per defectum rei necessariæ. Vt, verbi gratia, si quis esset adiudicatus morti obeundæ per inediam. Etsi autem tunc non teneatur quis ei subuenire, sed possit quisquam voluntatem suam cum voluntate & ordine iustitiæ ac iudicis conformare; tamen qui non esset minister iustitiæ licitè posset ei subuenire, vt & ipse met sibi, comedendo cibum oblatum, sicut bene resoluit Bannes hîc artic. 2. post Caietanum, quæstione 69. articulo 3. & 4. Qui etiam ibi docet, damnatum ipsum non solum tunc posse comedere cibum oblatum, sed etiam ad id teneri. Qua de re infra latius in materia de iustitia in iudiciis.

SECVNDO sequitur, eodem ordine magis aut minus benefaciendum esse ex præcepto charitatis aliis atque aliis, quo sunt alij atque alij magis diligendi ex ordine charitatis: ac proinde, vt docet D. Thomas hîc art. 3. coniunctioribus nobis potius est benefaciendum secundũ illud bonum in quo sunt coniunctiores, nisi cætera sint imparia: Id quod iudicio quodam prudentiæ in particularibus casibus perpendendum est, vt rectè tradit in eodem articulo D. Thomas. De qua re tota nos egimus supra q. 4. huius tractatus.

Solum hîc notetur casus ille particularis quem ex doctrina D. Thomæ in illo art. 3. in responsione ad tertium resoluit Caietanus; videlicet potius esse subueniendum personæ, ex qua reipub. salus pendet existenti in extrema necessitate, quam soluendum debitum creditori non ita reipub. vtili, etiam in extrema necessitate constituto: Neque tamen putat Caietanus licere tunc etiam eripere rem necessariam, creditori illi in extrema necessitate constituto ad subueniendum personæ præponderanti, vt loquitur Caietanus, id est, vtiliori Reipub. Nam id esset positiuè malefacere; cùm priuatus ille habeat ius tunc ad vtendũ re sua in extrema illa necessitate, nec sint facienda mala propter bonum finé. Tametsi possit interdum omitti bonum propter finem bonum; sicut cum non solueretur in illo casu debitum Creditori, ad subueniendum personæ præponderanti, vt dictum est. Quæ eadem docet quoque hic Dominicus Bannes, qui præterea concedit posse in simili casu extremæ necessitatis præferri creditori patrem, matrem, filium, vxorem, &c. Tametsi, vt dictum est, non licebit etiam eripere illi rem necessariam ad subueniendum eiusmodi propinquis.

Neque obstat quod creditor tenetur in illo casu extremæ necessitatis subuenire potius ex charitate personæ præponderanti, ex qua scilicet pendeat salus Reipub. Etsi enim hoc ita sit, tamen non quiuis alius potest eum ad id faciendum cogere: vt fieret si per vim illi tunc res necessaria eriperetur. Quemadmodum neque ad alios actus virtutum, ad quos quispiam teneatur potest à quouis licitè compelli. Cæterum supra q. 4. varias regulas tradidimus, ex quibus possunt definiri in hac materia multi particulares casus, circa ordinem & modum, quo est aliis benefaciendum.

TERTIO sequitur, cuiusque virtutis actum, quo fiat bene alteri, vt puta iustitiæ, liberalitatis, &c. posse simul esse actum charitatis: si videlicet quis in eo actu proponat quoque sibi rationem formalem obiecti charitatis, à quo simul moueatur ad bonum alteri impendendũ. Tunc enim talis actus sub ea ratione erit beneficentia illa, de qua loquimur, quæ est, vt vidimus, actus charitatis.

QVÆSTIO NONA.

De Eleemosyna, quæ est item Effectus externus Charitatis mediante Misericordia.

D. Thomas 2. 2. q. 32.

DE ELEEMOSYNA, NON PAVCA SVNT PRAECLARE SCRIpta à sanctis Patribus. Vt ex Græcis à D. Basilio concione in illud: Destruam horrea mea & faciam maiora, *Lucæ 12. Et concione ad Diuites. Et à D. Gregorio Nysseno Basilij fratre, oratione de pauperibus amandis, & oratione in illud.* Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, *Matth. 5. Et à D. Gregorio Nazianzeno in oratione de pauperum amore. Et à D. Chrysostomo in lib. de Eleemosyna & Misericordia tomo 5. Itemq; ex Latinis à D. Cypriano in lib. seu tractatu de opere & eleemosyna. Et à D. Ambrosio lib. 1. de officiis cap. 30. Vbi de Eleemosyna disserit, sub vocabulo beneficentiæ & liberalitatis, latius sumptis his nominibus. Et à D. Augustino in Enchir. cap. 69. & aliquot sequentibus.*

Disputant etiam de Eleemosyna Theologi schol. in 4. sent. d. 15. & 16. & 41. Et iuris pontificij Doctores in Decretis 45. distinctione. Canone Et qui. *ex Augustino. Et can.* Tria, *& aliquot sequentibus. Et d. 86. Can.* Non satis, *ex Ambrosio & aliquot sequentibus. Scripsit & Innocentius III. de Eleemosyna librum vnum. Et de eadem materia tractarunt quidam recentiores. Vt Ioannes Medina in Codice de Eleemosyna. Et Nauarrus in Can.* Quiescamus. *d. 42. Et in Can.* Si agamus, *de pœnitentia d. 1. Et in Manuali cap. 4. Et Theodorus Peltanus Societatis nostræ in lib. de tribus operibus satisfactoriis, & Bellarminus noster tomo 3. lib. 3. de bonis operibus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nos ad septem puncta materiam hanc ordine reuocabimus. PRIMO *enim explicandum est, Quid sit Eleemosyna.* SECVNDO, *Quotuplex.* TERTIO, *Quanta sit eius præstantia & vtilitas.* QVARTO, *Quanta & qualis eiusdem faciendæ necessitas.* QVINTO, *Ex quibus rebus facienda sit, seu quæ sit materia Eleemosynæ.* SEXTO, *Qui possint & debeant illam facere.* SEPTIMO, *Quibus facienda sit.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Eleemosyna.

D. Thomas art. 1.

A

EVCTVM est Eleemosynæ vocabulum à verbo Græco ἐλεεῖν, quod significat misereri, vnde & ἐλεημοσύνη, id est, misericordia, & ἔλεος, id est, miseratio. Itaque Eleemosynæ nomine in proposito actum misericordię intelligimus. Nec tamen quiuis actus misericordiæ Eleemosyna dicitur, Sed is quo subleuamus aliquam miseriam subuenientes necessitati. Et latius quidem sumpto vocabulo etiam actus misericordiæ, quo quis suæ ipsius necessitati subuenit, dici potest quædam Eleemosyna. Sic enim scribit AVGVSTINVS in Enchir. cap. 76. *Qui vult Eleemosynam ordinatè dare, à se ipso debet incipere, & eam sibi primò dare. Est enim,* inquit, *Eleemosyna opus misericordiæ; verissimèque dictum est, Miserere animæ tuæ placens Deo,* Ecclesiastici 30. sic ille. Sed tamen in hac materia communiter sumitur vocabulum Eleemosynæ pro actu misericordię, quo subuenitur alienæ necessitati proximi.

B

Ac isto modo acceptum id vocabulum solet adhuc dupliciter vsurpari. Scilicet vel pro re ipsa, qua subuenitur alienæ necessitati, vt pro cibo aut veste; vel pro actu, per quem ei subuenitur. Pro *re ipsa* accipitur Lucæ 12. illis verbis: *Vendite quæ possidetis, & date Eleemosynam.* Et Actorum 3. *Rogabat autem vt Eleemosynam acciperet.* Pro *actione* autem ipsa accipitur in aliis locis cum laudatur opus ipsum Eleemosynæ. Vt Tobiæ 12. *Eleemosyna à morte liberat.* Et Ecclesiastici 17. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.*

C

Cæterùm magis propriè accipitur id vocabulum pro ipsa actione. Et sic vsurpatur hîc à diuo Thoma & ab aliis Theologis in 4. d. 15. & 16. & 45. Quocirca sic à D. Thoma articulo 1. & ab aliis Theologis Eleemosyna describitur: *Eleemosyna est opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.*

Quibus verbis Eleemosyna describitur non solum vt est actus quidam misericordiæ, sed etiam vt est actus meritorius vitæ æternæ, quatenus proficiscitur ex charitate erga Deum: ac proinde vt est actus virtutis, eo modo, quo de virtutibus loqui solent Theologi, qui scilicet non æstimant virtutem nisi id quod valet ad consequendum vltimum finem seu beatitudinem beneficio charitatis, iuxta dicta à nobis q. 1. huius Disputationis p. 3.

Alioqui si de virtute loquamur moraliter, sicut Philosophi solent, non est negandum quin Eleemosyna possit esse actus virtutis moralis, putà misericordiæ, etiamsi non fiat ex charitate. Quare cùm D. Thomas hîc art. 1. ad 1. dicit, Eleemosynam sine charitate, non formaliter, sed solum materialiter esse actum virtutis, Theologicè loquitur. Sicut & Apostolus cùm 1. ad Cor. 13. nullam laudem tribuit Eleemosynæ sine charitate; inquiens: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Ex his apparet, Eleemosynam non esse actum charitatis immediatè, sed mediante virtute misericordiæ, vt docet D. Thomas art. 1. Quod nihil aliud est, quàm actum misericordiæ, qui est Eleemosyna, ordine quodam consequi proximè actum charitatis erga eum, qui subest miseriæ & defectui oppositio illi bono, quod ei vult charitas. Propter hanc causam misericordiæ actus censetur peculiariter effectus charitatis mediante virtute misericordiæ: licet alioqui omnium virtutum aliarum actus possint generali quadam ratione censeri quoque effectus charitatis, quatenus charitas imperat omnibus virtutibus, iuxta illud 1. ad Corinth. 13. *Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, etc.* Ob eandem etiam causam D. Ioannes 1. epist. cap. 3. dixit: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Quia scilicet cùm Eleemosyna peculiari ratione sit actus charitatis; qui negligit Eleemosynam, eo ipso negligit charitatem.

Sed circa hanc doctrinam supersunt duo dubia breuiter explicanda. VNVM est; cùm Eleemosyna sit actus quidam externus, per quem proximo bonum aliquod suppeditatur; actus autem virtutis misericordiæ sit interior, putà dolor & tristitia habens pro obiecto non bonum, sed potius malum ipsum & miseriam alienam; qui fieri possit, vt Eleemosyna sit actus virtutis misericordiæ? Videtur enim absurdum, vt eadem virtus habeat tam diuersos actus, scilicet circa bonum, & circa malum, internos & externos.

ALTE-

ALTERVM dubium, motum hic etiam à Caietano, est, an non modò charitas, quę est virtus superior misericordiâ, possit misericordiæ imperare, eamque mouere ad actum misericordiæ, vt iam dictum est; sed etiam aliqua alia virtus moralis inferior, quàm misericordia; vt putà virtus Iustitiæ, seu pœnitentiæ. Ratio dubitandi est: nam D. Thomas art. 1. ad 2. concedere videtur, posse inferiorem quoq; virtutem imperare misericordiæ, cum ait, Eleemosynam numerari inter opera satisfactoria, *quatenus ordinatur ad satisfaciendum pro culpa*; quæ certè ordinatio fit per virtutem iustitiæ aut pœnitentię, quę sunt virtutes inferiores misericordia. Ex alia verò parte, cùm imperare sit superioris, non videtur fieri posse, vt virtus inferior imperet superiori.

Ad primum dubium RESPONDEO, non obstante illa diuersitate actuum, esse vnam quandam rationem formalem obiecti, propter quam omnes illi pertinent ad vnam & eandem virtutem misericordiæ. Et ratio est remotio siue sublatio miseriæ: ad hanc enim rationem ordinantur omnes illi actus misericordiæ, tum interni, tum externi, tum circa bonum, tum circa malum: Et ideo omnes verè sunt actus misericordiæ. Quemadmodum dolor internus de peccato, & confessio exterior, & satisfactio, licet materialiter quidem æquè diuersi actus sint atq; illi misericordiæ, tamen quia ad eandem formalem rationem obiecti ordinantur, scilicet ad destructionem siue abolitionem peccati, quæ est obiectum formale virtutis pœnitentiæ, omnes sunt actus vnius & eiusdem virtutis pœnitentiæ. Hanc vim habet, quod rectè dixit D. Thomas hîc art. 1. exteriores actus ad eam virtutem spectare, ad quam pertinet illorum motiuum.

Ad secundum dubium RESPONDET Caietanus, actum virtutis superioris, vt putà misericordiæ, dupliciter posse in proposito considerari. VNO modo formaliter, vt scilicet respicit obiectum proprium seu finem intrinsecum illius virtutis: ALTERO modo materialiter, vt scilicet versatur circa talem materiam eiusmodi obiecti, abstrahendo iam à ratione formali, quam in illa materia propriè respicit virtus. Priori modo dicit virtutem inferiorem, vtputà iustitiam, seu pœnitentiam, non posse imperare actui superioris virtutis, id est, misericordiæ: formaliter scilicet considerato actu superioris virtutis; sed solum posse sic imperare virtutem inferiorem superiori. Ratio Caietani est, quia imperans debet habere finem vlteriorem quendem ad quem ordinet finem eius quod imperatur: Virtus autem inferior non habet finem vlteriorem respectu finis virtutis superioris, sed potius contrà, virtus superior habet finem vlteriorem respectu finis virtutis inferioris.

Hanc doctrinam Caietani inprimis puto esse alienam à mente D. Thomæ art. 1. ad 2. Nam cum ibi dicit D. Thomas, Eleemosynam numerari inter opera satisfactoria quatenus ordinatur (à Iustitia videlicet & pœnitentia) ad satisfaciendum pro culpa, sine dubio loquitur de Eleemosyna non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, prout est actus virtutis misericordiæ. Per Eleemosynam namque materialiter tantùm consideratam minimè satisfit pro culpa, cùm sic non habeat rationem virtutis: sed satisfit per illam formaliter, vt est actus virtutis. Itaque sentit diuus Thomas, virtutem inferiorem, putà Iustitiam & pœnitentiam, posse aliquo modo imperare actum superioris virtutis, id est, misericordiæ, etiam formaliter consideratum, ordinando scilicet illum ad suum finem nempe ad satisfaciendum pro culpa.

Deinde arbitror etiam doctrinam illam Caietani non esse omnino per se veram. Nam vnam virtutem ab alia imperari in proposito nil aliud est, quàm hominem ex vsu & exercitatione vnius virtutis moueri & impelli ad vsum alterius tanquam aliquo modo conducentis ad actum aliquem virtutis eius, quæ dicitur imperare. Nihil autem obstat quo minus isto modo ab vsu virtutis inferioris moueatur quis ad vsum superioris. Vt, verbi gratia, vult aliquis soluere debitum creditori, & ideo vt certius & melius ei satisfaciat, concitat in se ipso affectum charitatis erga illum tanquam erga suum proximum, vt hoc amore impellatur magis ad impertiendum illi, quod ei debet. Hoc casu Iustitia quæ est virtus inferior, imperat charitati illo modo iam exposito.

Ad illud igitur SECVNDVM dubium potest breuiter responderi per distinctionem. Nam ordinando actum superioris virtutis ad actum & obiectum inferioris, sicut medium ad finem præstantiorem, quomodo charitas ordinat ad suum actum & obiectum actus virtutum aliarum; perspicuum est, non posse virtutem inferiorem imperare superiori. Sic enim imperare est tantummodo superioris, & eatenus est verum id quod dicit Caietanus. Ordinando autem actum virtutis superioris ad actum aliquem inferioris, tanquam quiddam quocunque modo conferens ad eum; bene potest virtus inferior imperare superiori, sicut antea est probatum. Et hoc modo Iustitia & Pœnitentia imperant misericordię, quatenus misericordiæ actus, etiam formaliter vt sunt actus talis virtutis, conferunt ad actum illum Iustitiæ & Pœnitentiæ, qui est satisfactio; induendo scilicet rationem quoque formalem ipsius iuxta doctrinam D. Thomæ hîc art. 1. ad 2. Nihil enim impedit quo minus iidem actus secundum diuersas rationes sint actus diuersarum virtutum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Eleemosyna.

D.Thomas art.2.& 3.

QVOD ad secundum punctum attinet, sicut est duplex genus alienę miserię, scilicet corporalis & spiritualis, sic etiam duo sunt genera Eleemosynarum; Aliæ enim sunt Eleemosynæ *corporales*, aliæ *spirituales*. Vtræque autem à DD. memoriæ causa solent comprehendi duobus versibus, quos memorat hîc D.Thomas art.2. Et Durandus in 4.d. 15.q.7. & alij ibidem. Et Syluester verbo *Eleemosyna*, Et Ioannes Medina in Codice de Eleemosyna q.1. Et Nauarrus in Man.c.24. n.4.& alij communiter. Alter versus complectitur Eleemosynas corporales sic.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Alter spirituales sic.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

In quo versu verbum *Consule* non tantum significat Eleemosynam eam spiritualem, qua datur consilium indigenti, sed etiam eam qua docetur ignorans. Et sic in vniuersum continentur his versibus quatuordecim Eleemosynę seu quatuordecim opera misericordiæ, ex quibus septem sunt corporalia, septem spiritualia, quæ etiam vulgo traduntur in Catechismis Catholicis.

Sunt autem hîc duo obseruanda. PRIMO, non esse putandum hæc solum opera in specie esse Eleemosynam, sed ideo potissimum hæc numerantur, quòd ad ea possunt reliqua omnia facilè reuocari, vt ostendit D. Thomas hîc artic. 2. Alioqui tum in Scriptura, tum à SS. Patribus fit quoque mentio aliorum operum misericordiæ, quæ in specie quidem & expresè non comprehenduntur illo numero. Vt cum Iob cap. 29. inquit: *Oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adiutor, &c. Oculus fui cæco & pes claudo.*

Et D. AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 72. *Ad omnia*, inquit, *quæ vtili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait, Luca 11. Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti; verum etiam & qui dat veniam peccanti Eleemosynam dat, &c.* Vbi Augustinus quasdam Eleemosynas corporales numerat præter illum etiam septenarium numerum.

Sic etiam GREGORIVS hom. 29. in Euangelia, quædam opera misericordiæ commendat præter illum numerum. *Ex quibus vnum est*, inquit, *vt qui habet loquendi locum apud diuitem, dam-*

nationem pro retento talento timeat, si, cum valeat, non apud eum pro pauperibus intercedat.

SECVNDO obseruandum, sicut quædam sunt Eleemosynæ præter illum numerum, vt iam dictum est; ita quoque certissimum esse ex fide, quodlibet opus in illo numero comprehensum esse verè Eleemosynam, atque adeo bonum & rectum opus virtutis misericordiæ. Nam ex septem corporalibus sex prima à Christo Domino numerantur, & adeo commendantur, vt affirmet Matth. 25. se iuxta illorum studium vel negligentiam in extremo iudicio sententiam damnationis vel salutis pronuntiaturum. Septem autem spiritualia diuersis in locis Scripturæ passim vel iniunguntur vel laudantur.

De vltima autem Eleemosyna corporali scilicet SEPVLTVRA posset alicui videri, nõ esse eam virtutis opus. Tum quia illam Christus Matt. 25. prætermisit. Tum quia nihil videtur ipsa ad hominẽ iam mortuum pertinere. Iuxta illud Christi Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius quod faciant*, scilicet quod ad vos spectet.

SED tamen sepulturam quoque esse laudabile opus atque adeo veram Eleemosynam, ex fide certissimum est. Probatur PRIMO ex Scriptura, in qua laudantur homines sancti, qui vel de sua post mortem sepultura solliciti fuerunt, vel sepulturæ aliorum diligentiam habuerunt. Vt Genesis 49. Iacob præcepit filiis suis dicens: *Sepelite me cum patribus meis.* Et Gen. 50. Ioseph adiurans fratres suos ait: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Et Tobię 12. Raphael Angelus ad Tobiam inquit: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos & derelinquebas prandium tuum, & abscondebas mortuos in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino; & quia acceptus eras domino, &c.* Et ipse Dominus de Magdalena Matt. 26. *Opus*, inquit, *bonum operata est in me; mittens enim hæc vnguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Et contra etiam vituperat Scriptura eos qui mortuorum corpora insepulta relinquunt. Vt Psal. 78. *Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effundemus sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret.*

SECVNDO probatur ex Patribus & antiquissima Ecclesiæ consuetudine cuius, illi sunt testes. D. DIONYSIVS Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 7. part. 3. prolixè describit ritum Christianæ sepulturæ, & inter cætera inquit: *His peractis Pontifex condit in loco dignissimo corpus cum aliis sui ordinis corporibus sacris: Si enim in anima & corpore vitam sanctam qui defunctus est, duxit, honorabile erit cum sancta anima quod sacris sudoribus cum illa decertauit corpus.*

CLEMENS Romanus lib. 6. constitut. Apost. ca. 30. *Conuenite*, inquit, *in cœmeteria, sacros libros in iis legentes & psallentes pro his qui dormierunt.* Vocabantur autem à veteribus cœmeteria seu κοιμητή-

ρια loca in quibus sepeliebantur fidelium corpora, Ductum est enim id vocabulũ à verbo κοιμάομαι, quod significat dormire seu cubare ad dormiendum: dormire namque censentur fideles in sepulchris propter futuram resurrectionis vigiliam quam certissimè exspectant.

D. CYPRIANVS lib. 1. ep. 4. Martialem quendam reprehẽdit quòd filios suos exterarum gentium more *apud profana sepulchra deposuerit*; quo ipso indicat fuisse iam tum alia pia & sacra sepulchra in quibus deponi & condi debuerint fideles Christiani. Vnde & lib. 5. epist. 9. meminit Cæmeterij, in quo passus sit S. Pontifex Sixtus: *Sixtum*, inquit, *in Cæmeterio animaduersum* (id est, plexum) *sciatis quinto Iduum Augustarum die.*

D. AMBROSIVS lib. de Tobia c. 1. laudans Tobiam quòd mortuos sepeliret, *si vinentes*, inquit, *operire nudos lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctorum corpora?* Et infrà: *Nihil hoc officio præstantius: ei conferre qui tibi iam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem natura.*

D. AVGVSTINVS lib. 1. de ciu. Dei, cap. 13. *Non*, inquit, *contemnenda & abiicienda sunt corpora defunctorum, maximeq; iustorum & fidelium: Si enim paterna vestis aut annulus, aut si quid huiusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtiq; multo familiarius atq; coniunctius quam quælibet indumenta gestamus, &c. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa.* Idem asserit lib. de cura pro mortuis agenda cap. 3. vbi cap. 2. & 3. ad verbum repetit, quod prolixè de hac tota re disseruerat lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 12. & 13.

TERTIO probatur ratione quadam præter illas quas Dionysius, Ambrosius & Augustinus assignarunt, vt vidimus. Nam vt rectè D. Thomas hîc ar. 2. ad 1. argumentatur, omnino pertinet ad defuncti animam sepulturæ officium. Tum quia viuit in memoria hominum, apud quos illius honor obscuratur, si corpus cui fuit vnita insepultum maneat; tum quia gratũ est ipsi, vt affectum quem antea habuit erga suum corpus, illiusque bonum statum post mortem futurum, imitentur viui impendendo illi piè officium sepulturæ. Quam rationem attigit quoq; D. AVGVSTINVS lib. de cur. pro mort. agenda cap. 7. *Ex illo*, inquit, *humani cordis affectu, quo nemo vnquam carnem suam odio habet, ad Ephes. 5. Si cognoscat homines aliquid post mortem suam suorumq; defunctorum de esse, quod in sua cuiusq; gente vel patria posset solennitas sepulturæ, contristantur vt homines, & quod ad eos post mortem non pertinet ante mortẽ suis corporibus timent; ita vt inueniatur in regnorum libris, 3. Reg. 13. Deum per Prophetam minari alteri Prophetæ, qui eius transgressus est verbum, quòd non inferretur cadauer eius in sepulchrum patrum eius.*

Ex quibus sanè testimoniis & probationibus apparet esse verum id, quod Bannes hîc ar. 2. sentit, videlicet esse peccatum mortale negligere hoc officium erga proximum, cum quis absque suo incommodo potest illud impendere aut curare impendi, & alius non est qui id faciat. Res namque est grauis: Et certè talis negligentia non vacaret singulari crudelitate seu feritate animi.

Neq; obstant ea quę in contrariũ obiiciebantur. Ad PRIMVM enim respondemus cum D. Thoma hîc ar. 2. ad 1. ideo Christum Dominum prætermissa sepultura commemorasse reliquas Eleemosynas corporales, quia illæ sunt euidentioris necessitatis. Fortè etiam noluit sepulturæ mentionem facere, vt eo silentio indicaret reprehensibilem quoque esse excessum in pompis sepulchrorum, sicut etiam dicit D. CHRYSOSTOMVS hom. 84. super Ioannem.

Ad SECVNDVM respondeo, quamuis sepultura pertineat ad defunctum secundũ eas rationes quas Dionysius, Ambrosius, Augustinus assignant, & nos etiam in probatione tertia ostendimus: tamen triplici alia ratione verè dici posse quòd nihil ad defunctũ pertineat, & ideo verissimum esse quod ait Christus non habere amplius quod faciant qui occidunt corpus. PRIMO, Quia nil potest circa corpus mortuum fieri quod impediat aut imminuat aut retardet defuncti fælicitatem quoad animam. SECVNDO, Quia nihil etiam quod sensu à defuncto percipiatur. TERTIO, Quia nihil etiam quod impediat aut deformet futuram corporis resurrectionẽ. Secundam rationem ex his tribus reddit quoq; D. Thomas hîc art. 2. ad 3. & omnes tres D. Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda, c. 6. vbi explicans illam Domini sententiã: *Nolite timere eos qui occidũt, etc.* ait, ideo illũ hoc dixisse, *quoniam quidquid facere*, inquit, *permissi essent, nihil quo minueretur Christiana fælicitas fieret, nihil inde ad sensum post mortem viuentium peruenire, nihil ad detrimentum ipsorum corporum quo minus integra resurgerent pertineret.*

Quocirca meritò D. Augustinus eodem libro ca. 2. isto Christi testimonio sic intellecto refutat errorem gentilium, qui putabant non posse animas fælices esse quãdiu corpora inhumata manerent: *Sicut apud Maronem 6. Æneidos*, inquit Augustinus, *legitur insepultos à nauigando atq; transeundo inferni amne prohiberi*; quia scilicet

Necripas datur horrendas nec rauca fluenta
Transportare prius quam sedibus ossa quierunt.

Et subiungit Augustinus, *Quis cor Christianum inclinet his poëticis fabulosisq; figmentis, cum Dominus Christianos exhortetur, ne timeant eos qui occidunt corpus, & postea non habent amplius quod faciant.*

Etsi autem hoc ita sit, tamen vt idem Augustinus eo libro capite quarto & quinto disputat, potest per occasionem quandam sepultura & sepulturæ locus prodesse defunctis: excitando scilicet apud viuos illorum memoriam, vt eos, si necdum satis expiati sint, commendent intercessioni sanctorum in quorum Basilicis sunt sepulti: *Si nonnulla*, inquit Augustinus, *religio est,*

Universidad de Deusto. Biblioteca

vt corpora sepeliantur, non potest nulla esse, quando, vbi sepeliantur attenditur. Sed cum talia viuorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quæ sunt adiumenta mortuorum, nisi adhoc vt dum recolunt, vbi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tanquam patronis apud Dominum adiuuandos orando commendent.

Ex qua sententia Augustini potest etiam intelligi quatenus reputari debeat error, an secùs, sententia VValdensium, quos Aeneas Syluius lib. de origine Bohemorum c. 35. memorat inter cætera asseruisse, nihil referre quonam loco corpora sepeliantur, sacro ne, an profano. Nam si per hoc voluerunt significare non posse defunctos subsidium vllum à viuis accipere, dum hi sacrorum locorum religione excitati, pro illis orant, qui in eiusmodi locis sepulti sunt; certum est hæreticos illos in eo erasse, vt & errât hodie omnes Sectarij purgatorium & suffragia mortuorum negantes. Contra quem errorẽ est insignis ille Augustini locus iam à nobis recitatus. Vt prætereamquòd idem error iam olim in Aërio hæretico ab Ecclesia damnatus fuit, teste Epiphanio hæresi 75. & Augustino hæresi 13.

Si autem VValdenses illi solum voluerunt non ita referre in quo quis sepeliatur loco, vt si sacer non sit necessariò debeat defunctus pati ob eam rem aliquod detrimẽtum: in eo quidem minimè errarunt, vt bene etiam notauit Alfonsus de Castro in summa de hæresibus, verbo *sepultura*, Idq; patet ex iam dictis. Nam neque ex sepultura aut sepulturę loco pẽdet defuncti felicitas, & si fortè subsidiis adhuc viuorum indiget, ea potest etiam insepultus percipere, vt notauit quoq; D. Augustinus in dicto lib. de cura pro mort. agenda c. 4.

PVNCTVM TERTIVM.

Quanta sit præstantia & vtilitas Eleemosynæ.

D. Thomas art. 4.

PRINCIPIO sciendum est, Eleemosynam quasdam habere præstantias & vtilitates communes illi, & aliis actibus virtutum; & quasdam ei proprias. PRIORIS generis præstantiæ & vtilitates sunt triplices. PRIMA est. Quòd habet rectitudinem & laudem virtutis cuiusdam, id est, misericordiæ. SECVNDA. Quòd habet vim merendi si ex charitate fiat. TERTIA. Quòd habet etiam vim satisfaciendi pro pœna peccato debita post remissam culpam, vt in materia de Sacramento pœnitentiæ traditur: vbi tria potissimum opera satisfactoria numerari solent à Theologis scilicet Oratio, Ieiunium, Eleemosyna. Ex quibus Eleemosynam habere præcipuè eam vim affirmat D. Thomas in 4. d. 15. q. 2. art. 2.

Atq; in his ipsis perfectionibus & vtilitatibus quas Eleemosyna communes habet cũ aliis virtutum actibus, eo magis præeminet, quo virtus misericordię est præstantior aliis virtutibus moralibus, iuxta ea quæ dicta sunt q. 7. p. vlt. Ac inter ipsas rursus Eleemosynas, quo aliæ aliis præstantiores sunt, eo aliæ aliis magis in prædictis perfectionibus antecellunt.

Etenim à toto genere Eleemosynę spirituales præstantiores sunt quàm corporales cæteris paribus, vt D. Thomas art. 3. ostendit. Primò, Quoniam beneficium spirituale, quod per Eleemosynam spiritualẽ impenditur, præstantius est quàm corporale. Secundò, Quia spiritus cui videlicet subuenitur per spiritualem Eleemosynam, antecellit corpori cui subuenitur per Eleemosynam corporalem. Tertiò, Quia etiam ipse actus spiritualis Eleemosynæ (vt cum quis docet) est perfectior naturâ sua q̃ actus Eleemosynæ corporalis.

POSTERIORIS autem generis vtilitates & perfectiones Eleemosynæ, scilicet ipsius *propria*, sunt potissimum duæ, quas tum Scriptura tum Patres tribuũt Eleemosynę, & frequẽtius ferè corporali. De quibus videndum est, quomodo debeant intelligi. ALTERA est, Quòd per illã quis consequatur remissionem peccatorũ. ALTERA, Quòd illius etiã beneficio conseruetur gratia diuina, & præseruetur quis à malo & à morte spirituali.

PRIMA vtilitas tribuitur Eleemosynæ his Scripturæ locis Tob. 12. *Eleemosyna est quæ purgat peccata.* Et Eccl. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis.* Et Dan. 4. *Peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et Lucæ 11. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

SECVNDA verò vtilitas tribuitur Eleemosynę his locis, Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et Eccles. 29. *Eleemosyna viri gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.*

Patres etiam has eadẽ vtilitates tribuunt Eleemosynæ passim in locis, quos p. 2. initio indicaui. D. Ambr. serm. 30. qui est de Eleemosyna, perpendens illud testimonium Christi Luc. 11. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: Quamuis ergo,* inquit, *pollutus, quamuis multis criminibus circumseptus, si Eleemosynam feceris, innocens esse cœpisti: Abstergit enim Eleemosyna quod anuaritia polluebat: & maculas, quas res alienas diripiendo contraxeris tuas erogando purificas.* Et addit. *Vide ergo quæ sit misericordiæ gratia, quæ vna & sola virtus cunctorũ est redẽptio peccatorum.* Similia aut etiã maiora dicit serm. 31. qui est de Eleemosyna & muliere Samaritana.

Item GREGORIVS NYSSENVS in orat. de pauperibus amandis, loquens de beneficentia erga illos: *Hæc,* inquit, *est quæ continet vitam.* Et infrà: *Hæc omnium actionum est præstantissima.*

Et D. CHRYSOSTOMVS hom. 33. ad pop. Antioch. *Eleemosyna,* inquit, *ex mortis manibus eripit, & lamentabiles nostras non sinit extingui: Nec sordidis indutos vestibus in nuptiis videri, sed lauat & niue mundiores reddit; si namq; fuerint peccata nostra vt coccinũ, velut nix dealbabuntur, Isaiæ 1. Nec sinit nos eo decidere vbi diues ille, nec audire verba tremenda, sed in Abrahæ sinum*

sinum deducit. Et infrà: *Hæc,* inquit, *Christi ad stat tribunali, non tantum patrocinans, verum & ipsi persuadens iudici, vt reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat, & licet millies peccauerit, coronat & victorem promulgat, & sit enim, Date Eleemosynam & omnia erunt munda.* Similia leguntur apud alios.

Sed cùm variis modis possit intelligi, gratiam remissionis peccatorum, & perseuerantiam in illa, ac præseruationem à morte æterna esse effectum Eleemosynæ; videndum est quonam modo oporteat id intelligere. Posset enim quatuor modis intelligi.

PRIMO ita, vt quemadmodum Sacramentum Baptismi siue pœnitentię ex institutione diuina, ac proinde *ex opere operato,* vt Theologi vocãt, habet vim dimittendi peccata & conferendi gratiã ei, qui nõ habet obicem per affectum ad aliquod peccatum mortale: Ita etiam Eleemosyna ex opere operato habeat effectus illos spirituales.

SECVNDO modo ita vt habeat eam vim tanquã dispositio saltem, quæ ex certa Dei lege conciliet homini certò & infallibiliter illos spirituales effectus; ad eum modum quo spiritualis dilectio Dei super omnia, vel contritio perfecta, tanquam dispositiones quædam conciliant homini gratiam & remissionem peccatorum ex certa lege misericordiæ diuinæ, iuxta illud Ezech. 18. *In quacunque hora ingemuerit peccator, amplius peccatorum eius non recordabor, etc.* Et illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, pater meus diliget eum, &c.*

TERTIO modo ita, vt eatenus solum dicatur Eleemosyna habere illos effectus spirituales, quatenus impetrat à Deo, cum rectè fit, quędam auxilia siue incitamenta diuinæ gratiæ actualis, quibus plerumque soleant homines efficaciter moueri ad resurgendum à peccato, vel perseuerandum in bono, & quæ idcirco, quantum est in ipsis liberent hominem à peccatis, & in gratia conseruent, nisi quis nimis prefractè resistat eiusmodi auxiliis ac incitamentis illaque negligat.

QVARTO modo ita, vt illi effectus tribuantur Eleemosynæ non per se sed per accidens, si inimicum procedat ex actu supernaturali dilectionis erga Deum & proximum, cui scilicet propter Deum datur Eleemosyna. DETERMINANDVM igitur est, quonam modo aut quibus ex his quatuor debeat res hæc intelligi.

Et quidem D. AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 75. & sequentibus, insinuat, ac lib. 25. de ciuitate Dei, cap. 22. & 27. expresse refert, fuisse suo tempore qui per solas Eleemosynas certam sibi remissionem peccatorum & impunitatem post hanc vitam pollicerentur, quantumuis flagitiosè alioqui viuerent. Qui proinde vel primo vel secundo modo ex supradictis effectus eiusmodi spirituales tribuisse videntur Eleemosynis: Sic enim in illo cap. 22. lib. 25. de ciuit. scribit Augustinus: *Comperi quosdam putare eos tantummodo arsuros illius æternitate supplicij, qui prò peccatis suis facere dignas Eleemosynas neglexerint. Iuxta illud Iacobi 2. Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Qui ergo fecerit,* inquiunt, *quamuis mores in melius non mutauerit, sed inter ipsas suas Eleemosynas nefariè ac nequiter vixerit, iudicium illi cum misericordia futurum est, vt aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tempus, sine paruum, sine prolixum, ab illa damnatione liberetur.* Et infrà: *Putant etiam eis qui perditè vixerint, donec claudant diem extremum, per hanc orationem, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c. qualiacunque & quantacunque fuerint, omnia quotidie peccata dimitti sicut ipsa quotidie frequentatur oratio, si hoc tantummodo custodire meminerint, vt quando ab eis veniam petierint, qui eos peccato qualicunq; læserunt, ex corde dimittant.* Nam vt ex eorundem sententia Augustinus paulo ante refert, *Quisquis illi qui in eum peccauit dimittit, indulgendo procul dubio Eleemosynam facit.*

Hanc suam sententiam probabant isti, PRIMO ex Scripturis supra citatis, quę tribuunt Eleemosynis vim remittendi peccata & liberandi à morte, & maximè ex illo Luc. 11. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

SECVNDO, ex eo quòd videtur Christus id promisisse Matth. 6. tradens illam precandi formulam: *Dimitte nobis, &c.* sicut iam retulimus ex Augustino. Id quod illi confirmabãt ex eo, quod ibidem ait Christus. *Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet & vobis pater vester peccata vestra.*

TERTIO, Quia Dominus in iudicio non nisi ob Eleemosynarũ studium vel neglectum proferet sententiã salutis & damnationis, vt patet Mat. 25.

QVARTO, Potest addi in huius sententię confirmationem, quòd ita planè videntur sensisse quidam Patres, & maximè D. CYPRIANVS in serm. de opere & Eleemosyna, sub initium vbi ita scribit: *Dicit Spiritus sanctus; sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemosyna extinguit peccatum, Ecclesiast. 3. Hic,* inquit, *ostenditur & probatur, Quia sicut lauacro aquæ, gehennæ ignis extinguitur, ita Eleemosynis & operibus bonis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & iugis operatio Baptismum imitata Dei rursus indulgentiam largitur.* Et infra tractans illum locum Esaiæ 58. *Annuncia populo meo peccata ipsorum, &c.* hæc subiungit: *Cum peccata eis tunc exprobrare cœpisset, cumque dixisset eos nec si orationibus & ieiuniis vterentur satisfacere pro delictis posse; nec si in cilicio & cinere volnerentur, iram Dei posse lenire, in nouissima tamen parte demonstrans solis Eleemosynis Deum posse placari, addidit dicens: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; introduc in domum tuam, & carnem tuam ne despexeris; tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, &c.*

Et D. AMBROSIVS serm. 31. de Eleemosyna & muliere Samaritana, ita scribit: *Eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua Baptismi gehennæ extinguit incendium;* Et subiungit: *Ergo Eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauacrũ, vt si quis forte post Baptismum humana fragilitate deliquerit, superest ei, vt iterũ Eleemosynis emundetur; dum dicit, Date Eleemosynam*

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ecce omnia munda sunt vobis. Nisi, quod A *dixerim, Eleemosyna indulgentior est, quàm lauacrum: lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur. Eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Huc adde testimonia quoque Chrysostomi supra citata.

Sed hæc sententia manifestè est hæretica & aliena, vt videbimus, à mente istorum Patrum. Itaq; asserimus nec PRIMO, nec SECVNDO modo ex illis quatuor supra expositis, sed tantum TERTIO & QVARTO Eleemosynam habere supradictos illos effectus spirituales: vt communiter Theologi sentiunt in 4. d. 15. Et peculiariter D. Thomas ibi q. 2. art. 2. Et hîc art. 4. vbi QVARTO modo id interpretatur.

Et quidem quod non habeat Eleemosyna eam B vim PRIMO modo, scilicet ex opere operato, patet. Nam quod aliqua res habeat vim talem, oportet constare ex Ecclesiæ iudicio Scripturam interpretantis, cum de eo expresè quidem nihil Scriptura pronunciet, ne de Sacramentis quidem. Id autem minimè tradit Ecclesia de Eleemosyna, sed de Sacramentis septem; & vt summum permittit aliquid simile opinari de martyrio; quia est tanquam Baptismus quidam sanguinis; tametsi de eo ipso vtrum scilicet martyrium conciliet gratiam ex opere operato, adhuc sub iudice lis est, vt inquit hoc loco Bannes. de qua re aliàs.

Quod autem neq; habeat illos effectus Eleemosyna SECVNDO modo, scilicet tanquam dispositio animi certò cum illis connexa; Probatur PRIMO ex Scriptura, Nam tunc seclusis aliis piis actibus internis, quicunq; faceret Eleemosynam assequeretur illos effectus, sicut quicunq; habet actum legitimum charitatis vel pœnitentiæ, assequitur certò gratiam: At id est manifestè contra Scripturam. Nam in primis Luc. 11. ostendit Christus, Pharisæos fuisse extra Dei gratiam, quamuis decimam partem fructuum quorundam suorum in Eleemosynam erogarēt, cum inquit: *Væ vobis, quia decimatis mentam & rutam & omne olus & præteritis iudicium & charitatem Dei; Hæc autem oportuit facere & illa non omittere.* Sic enim D. AVGVSTINVS hunc locum interpretatur in Enchirid. cap. 76. Deinde Lucæ 13. *Nisi*, inquit, *pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis.* Et 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, quod est sanè clarissimum testimonium aduersus eum errorem quem modò impugnamus. Item 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*; Quanquam non est negandum, quin ad gratiam quidem consequendam sufficiat habere vel expressam pœnitentiam in qua virtualiter contineatur hæc dilectio charitatis, vel expressam dilectionē charitatis in qua virtualiter contineatur pœnitentia, vt patebit ex his quæ postea dicemus.

SECVNDO probatur ex Patribus. Nam diuus Cyprianus in serm. de lapsis sub finem, vbi affirmat, Eleemosynis redimj peccata, & ad id hortatur lapsos, requirit tamen pœnitentiam tanquam necessariam. *Si precem*, inquit, *quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum iustis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest, qui etiam misericordiam suam protulit dicens, Cum conuersus ingemueris tunc saluaberis, Ezech. 18. & 33. Et item. Nolo mortem peccatoris dicit Dominus, sed vt reuertatur, &c. potest ille indulgentiam dare pœnitenti, supplici-* C *ter roganti potest ignoscere.*

Similiter D. AMBROSIVS in lib. ad Virginem lapsam cap. 8. affirmat pœnitentiam esse vnicum & solum remedium post Baptismum ad obtinendam remissionem peccatorum. *Ego*, inquit, *secundum diuinam sententiam dabo consilium* (virgini lapsę) *Solum enim & VNICVM tentandum est remedium illud, quod diuina vox per Ezech. cap. 33. misericorditer porrigit: Nolo, inquit, mortem peccatoris, sed tantum vt conuertatur & viuat. Et iterum: Conuertere ad me, nunquid non est resina in Galaad & medicus non est ibi? &c. Hæ sententiæ vocant ad pœnitentiam peccatores, pœnitudo enim necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamina.* D

Et D. CHRYSOSTOMVS hom. 32. in 1. ad Cor. super illud Pauli. *Si distribuero, &c. Quòd bona*, inquit, *prodesse sine charitate non putat, non est hoc mirum, cum sint ea longe quàm vita posteriora: Multi enim qui his donis claruerunt, cum essent reprobi grauiter sunt mulctati.*

Et D. AVGVSTINVS in Enchir. cap. 75. *Qui*, inquit, *sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam moresq; corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua Eleemosynas frequentare non cessant, frustrà sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait: Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et cap. 67. *Non ergo*, inquit, *se fallant, qui per Eleemosynas quamlibet largissimas fructuum suorum vel cuiuscunque pecuniæ, impunitatem se emere existimant, in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendo: Non solum enim hæc faciunt, sed ita ea diligunt, vt in eis opterit, si possint, impunè versari. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, Psal. 10. Et qui odit animam suam non est misericors sed crudelis: Diligendo quippe eam secundùm seculum, odit eam secundùm Deum.* Similia scribit lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 27.

Et D. GREGORIVS lib. 19. moralium, cap. 20. in illud Iob 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Multi*, inquit, *proximis quasi opera misericordiæ impenderant, sed iniustitiæ facta non deseruerunt. Qui si veraciter proximis misericordiam facere student, sibi ipsis prius debuerant misereri: Scriptum est enim, Miserere animæ tuæ placens Deo: Qui ergo misereri vult proximo, à se trahat necesse est originem miserendi: Scriptum est enim: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc iniustè viuendo sit impius sibi etiam ipsi? Scriptum enim est per quendam sapientem, Qui sibi nequam est, cui bonus erit? Ad exhibendam quippe misericordiam, vt indi-*

gentibus

gentibus plene exterius valeat impendi, duo sibi necessariò congruunt; scilicet homo qui præbeat, & res quæ præbeatur; sed longè incōparabiliter melior est homo quàm res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato; hoc quod minus est, obtulit auctori, & hoc quod maius est, seruauit iniquitati. A

Et in Pastorali p. 3. cap. 21. eosdem monet: *Ne*, inquit, *venalem Dei iustitiam æstiment, si, cum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrantur se posse inultè peccare: Melior quippe est anima quàm esca, Matth. 6. & melius corpus quàm vestimentum, Luc. 12. Qui ergo escam aut vestimentum pauperibus largitur, sed tamē animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus est, obtulit iustitiæ; & quod maius est culpæ commisit: sua enim Deo dedit, & se Diabolo.* B

TERTIO probatur ratione sic: Nullus actus cum quo posit cōsistere affectus aliquis ad peccatum mortale, est per se certa dispositio ad gratiam: Sed actus Eleemosynæ est talis, vt cum eo posit consistere affectus ad peccatum mortale: Ergo actus Eleemosynæ non est per se certa dispositio ad gratiam.

Maior probatur dupliciter. PRIMO, Quia oportet in actu, qui sit certa dispositio ad gratiam contineti perfectam auersionem à peccato mortali & conuersionem ad Deum, vt in materia de gratia docetur. Et patet ex illo Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum, &c.* Et Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: In actu autem cum quo affectus ad peccatum mortale posit consistere nequaquam continetur perfecta auersio à peccato mortali & ad Deum conuersio. SECVNDO, Quia si cum aliquo actu potest consistere affectus ad peccatum mortale: Ergo potest accidere, vt qui illum exercet, non obtineat gratiam tanquam rectè ad eam dispositus, si videlicet simul habeat affectum illum ad mortale peccatum; & sic talis actus non erit per se certa & infallibilis dispositio ad gratiam; vel si nihilominus certa & infallibilis dispositio ad gratiam esse dicatur, poterit contingere vt simul quis habeat gratiam & affectum ad peccatum mortale; ac proinde vt simul sit impius per eiusmodi affectum, & ametur à Deo per gratiam: Quod est contra illud Sap. 14. *Odio est Deo impius & impietas eius.* C

Atq; hinc patet, cur contrà, Certa & infallibilis dispositio ad gratiam sit, tum actus charitatis, tum actus pœnitentiæ. Nam & actus charitatis cùm sit dilectio Dei super omnia, continet perfectam conuersionem ad Deum, atq; adeo etiam auersionem (saltem implicitam) à peccato mortali; & actus pœnitentiæ cùm sit dolor super omnia de peccato, vt de offensa Dei, continet perfectam auersionem atque adeo etiam conuersionem (saltem implicitam) ad Deum. D

Et rursus hinc patet, satis esse ad acquirendam gratiam iustificationis habere explicitè alterutrum actum ex his duobus, vel pœnitentiæ vel charitatis in quo alter implicitè contineatur, vt supra etiam diximus.

Item potest obiter hinc intelligi, quàm absurdè Sectarij contendant solum actum fidei sufficere ad acquirendam gratiam: Certum enim est in actu fidei per se non contineri auersionem illam à peccato mortali & conuersionē ad Deum tanquam ad vltimum finem. Firma est igitur illa Maior nostri argumenti.

DEINDE probatur Minor: scilicet cum actu Eleemosynæ posse consistere affectum ad peccatum mortale. Idq; confirmatur tripliciter. PRIMO, Quoniam id indicat clarè Apostolus 1. ad Corinth. 13. illis verbis: *Si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam meam, charitatem autem non habuero, etc.* Et Patres quoq; supra citati. SECVNDO, Quia actus Eleemosynæ ex sua ratione non continet illam auersionem à peccato & conuersionem ad Deum supradictam. TERTIO, Quia idipsum plus satis comprobat experientia multorum, qui vt Gregorium dicentem audiuimus, *sua dant pauperi, & se diabolo per peccata.*

Nec est difficile ex dictis respondere ad argumenta contrarij erroris supra posita. Ad PRIMVM respondeo, Scripturas illas non primo vel secundo modo ex supradictis, sed tertio, vel quarto, vel vtroque oportere intelligi. PRIMO, Quia id conuincunt probationes sententiæ nostræ orthodoxæ. SECVNDO, Quia etiam Scriptura in aliis locis indicat, eleemosynam illo tertio modo ad remissionem peccatorum prodesse, scilicet impetrando à Deo vt auxiliis ac incitamentis peculiaribus misericorditer inuitet animum ad pœnitentiam. Vt Prouerb. 19. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Et Eccles. 29. *Conclude Eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Et Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* TERTIO, Quoniam ita etiam rem hanc intellexit D. AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 72. *Multa*, inquit, *sunt genera Eleemosynarum, quæ cum facimus adiuuamur*, inquit, *vt dimittantur nobis nostra peccata.* QVARTO, Quia non raris experimentis compertum est, solere homines ad Dei amorem & pœnitentiam peccatorū diuinitus tunc maximè excitari cum sunt misericordes erga pauperes, sicut habemus exemplum in D. Francisco, & in aliis.

PECVLIARITER autem ad illud Luc. 11. *Date Eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.* RESPONDET Augustinus in Enchirid. cap. 76. & sequentibus, intelligendum id esse de Eleemosyna quam homo sibi ipsi facit per internam pœnitentiam & pietatem, iuxta illud Eccles. 32. *Miserere animæ tuæ timens Deum, Cum Christus* (inquit Augustinus) *increpasset Pharisæos quod forinsecus se lauarent, intus autem rapina & iniquitate pleni essent, admonens quandam Eleemosynam quam sibi homo primitus debet dare, & interiora mundare. Verumtamen,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Deinde vt ostenderet quid admonuisset, & quid ipsi facere non curarent, ne illum putarent Eleemosynas eorum ignorare, Sed væ vobis, inquit, Pharisæi, qui decimatis mentam & rutam & omne olus. Has enim noui Eleemosynas vestras, ne de illis me vos nunc admonuisse arbitremini; & præteritis iudicium & charitatem Dei; qua Eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mundari, vt vobis munda essent omnia, interiora scilicet & exteriora, sicut alibi dicitur, Matth. 23. Munda prius quod intus est, vt fiat id quod deforis est, mundum. Sic Augustinus. Sed tamen quamuis id Christi testimonium intelligatur etiam de Eleemosyna quæ sit aliis facienda; tamen nihil aliud eo probari potest, quàm quod Eleemosyna talis habet vim mundandi à peccatis tertio & quarto modo supra explicatis.

Ad Secvndvm argumentum respondemus primò cum D. Augustino lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 27. per orationem illam cum animo dimittendi peccata proximis, non obtineri certò remissionem grauium peccatorum quæ mortifera sint, sed solùm leuiorum, quæ scilicet sint venialia in quæ iusti etiam cadunt, Ac de his peccatis intelligenda esse verba Christi & promissionem eo loco. *Vigilanter* (inquit Augustinus) *intuenda sunt ipsa verba tanti Magistri & Domini nostri, Non enim ait, Si dimiseritis peccata hominibus & pater vester dimittet vobis qualiacunque peccata, sed ait: peccata vestra; quotidianam quippe orationem docebat, & iustificatis vtique discipulis loquebatur. Quid est ergo, peccata vestra, nisi peccata sine quibus nec vos estis, qui iustificati & sanctificati estis? Vbi ergo illi qui per hanc orationem occasionem perpetrandorum quotidie scelerum quærunt, dicunt, Dominum significasse magna peccata, quoniam non dixit, dimittet vobis peccata parua, sed peccata vestra, ibi nos considerantes quibus loquebatur, & audientes dictum peccata vestra, nihil aliud debemus existimare quàm parua, quoniam talium iam non erant magna.*

Deinde etiamsi demus, Christum ibi locutum esse cum discipulis, non propriè, vt iam iustis, qui habent solum venialia peccata, sed vt fidelibus qui possunt, tametsi fideles maneant, habere mortalia, ac proinde illum qualiacunque peccata seu parua seu magna eo loco intellexisse: tamen possumus respondere loqui eum de dimissione peccati quæ fit proximo ex supernaturali dilectione erga Deum & proximum: Qui enim ita ignoscit proximo, veniam & ipse atq; gratiam certò obtinet à Deo, beneficio illius dilectionis: iuxta quartum illum modum quo exposuimus supra Eleemosynam habere eum effectum spiritualem. Et potest confirmari hæc explicatio ex eo, quod agit vtique Christus eo loco de vera & sincera remissione ex corde, iuxta illud quod Matth. 18. ait: *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Vera autem sinceraque remissio ex corde illa inprimis censeri debet, quæ fit ex Dei amore.

Ad Tertivm respondeo, Christum in iudicio ob alia etiam peccata procul dubio damnaturum multos. Siquidem constat alia etiam excludere è cœlesti regno, vt patet ex Apostolo ad Galatas 5. vbi de fornicatione, & aliis operibus carnis pronunciat, quòd *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Nec Christus Matth. 25. dixit, se non ob alia peccata nisi ob negligentiam Eleemosynæ damnaturum, sed id tantùm peccatum commemorauit, vt magis commendaret opera misericordiæ.

Ad Qvartvm respondeo, ex eorundem Patrum testimoniis supra recitatis constare, quòd oporteat illas eorum sententias intelligi non nisi tertio & quarto modo; sicut etiam testimonia Scripturæ; & maximè quarto modo. Solent etiam Patres loqui non nisi de Eleemosyna pia informata per charitatem: vt loquitur sanè Chrysostomus vbi supra, scilicet homil. 32. in 1. ad Corinthios.

Ac de tali etiam Eleemosyna loquitur Cyprianus, cum, vbi supra, ait, *solis Eleemosynis peccata redimi:* tantundem enim hoc est, ac si dixisset, remitti peccata solo affectu pio erga Deum, ex quo fiant Eleemosynæ. Nam quod requirantur ad remissionem peccatorum alia, nec sufficiat sola per se Eleemosyna; patet ex illo ipso loco Isai. 58. quo vtitur Cyprianus. Ibi enim paulo post interremedia ad obtinendum remissionem peccatorum illud additur: *Si abstuleris de medio tui catenam* (videlicet peccati) *& desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest, &c. orietur in tenebris lux tua, &c.*

Neqve Cyprianus & Ambrosius æquiparant Eleemosynam Baptismo quoad vim certam remittendi peccata; sed cum illo eam comparant ob nonnullam similitudinem in hoc, quòd sicut Baptismus suo modo remittit peccata & mundat animam, ita quoque Eleemosyna suo modo videlicet illo tertio & quarto modo supra explicatis. Atque id patet ex eo, quòd Ambrosius ait Eleemosynam non absolute sed *quodammodo* efficere Eleemosynam.

Quod autè ait Ambrosius, Eleemosynam esse indulgentiorem quàm Baptismum, intelligi vult tantummodo *secundum quid*. Eo quod sæpius suo modo prodest, cum Baptismus tantummodo prosit semel, suo modo, sicut ipse Ambrosius satis ibi declarat.

PVNCTVM QVARTVM.

De necessitate Eleemosynæ.

D. Thomas art. 5. 6. & 10.

Vod ad quartum punctum attinet, principio non est dubitandum, quin Eleemosyna sit necessaria ex diuino præcepto obligante ex suo genere sub peccato mortali. Quanquam hoc ipsum per summam dementiam videntur olim negauisse Manichæi. De quibus S. Avgvstinvs lib. 20. contra Faustum Manichæum, ita scribit: *Artes & disciplinæ tuæ vetant porrigi panem homini mendicanti.* Et rursus in libro contra Adimantum Manichæum cap. 17. *Displicet,* inquit, *istis, quòd Deus populo suo interficiendos tradidit inimicos, & ipsi panem mendicanti dare prohibent, non inimico sed supplici.*

Probatur autem assertio nostra Primo ex Scriptura, idque quadrupliciter. Primo. Quia in Scriptura dicitur, Eleemosyna esse debita, & defraudari pauperes si illis negetur. Ecclesiast. 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes.* Et infrà: *Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine.* Secvndo. Nam dubium non est, quin ex præcepto obligante sub mortali sit necessarius is actus ob cuius negligentiam damnabuntur aliqui in extremo iudicio: Constat autem ex Scriptura talem actum esse Eleemosynam: vt patet Matth. 25. *Esuriui enim,* etc. Tertio. Quia ex eadem Scriptura compertum est, per negligentiam Eleemosynæ abalienari Deum homini: iuxta illud Prouerb. 21. *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.* Qvarto. Quia constat denique ex eadem Scriptura non posse cum negligentia Eleemosynæ consistere charitatem hominis erga Deum & proximum: iuxta illud 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Vt autem ibidem dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.* Igitur sub mortali peccato necessarium est facere Eleemosynam.

Secvndo probatur ex Patribus, qui idipsum tanquam ex fide certissimum ponunt. Dicit enim Cyprianvs in serm. de opere & Eleemosynis: *Neq; enim,* inquit, *promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit, neq; impetrabit de diuina misericordia aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.*

Et D. Ambrosivs in libro de Nabute Israëlita cap. 12. Diuites ad Eleemosynæ largitionem hortans: *Non sitet,* inquit, *thesaurus tuus, ne ignis tuus sitet: sitabit in te, nisi eum operibus tuæ miserationis auerteris.* Et infra: *Debitum igitur reddis, non largiris indebitum, ideoq; tibi dicit Scriptura: Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum.*

Et D. Basilivs concione in illud dictum diuitis: *Destruam horrea mea & faciam maiora, Luc. 12. Non,* inquit, *memor hic fuit communis naturæ; non putauit oportere superfluum in egenos distribuere; nullam præcepti habuit rationem: Ne abstineas benefacere inopi; Et, Eleemosyna & fides ne deserant te, Tob. 4. Et, Frange esurienti panem tuum, Isaiæ 58.*

Et D. Gregorivs Nazianzenvs oratione de pauperum amore: *Mandato,* inquit, *diuino atque exemplo ad Eleemosynam moueri debemus, &c.* Similiter loquuntur passim alij Patres.

Tertio probatur ratione ducta ex natura charitatis, cuius actus est Eleemosyna intercedente virtute misericordiæ, vt puncto primo explicauimus: Nam ad charitatem pertinet non modò bonum velle proximo, sed etiam bonum ei facere: iuxta illud 1. Ioan. 3. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Et præterea charitas est etiam quædam amicitia, vt supra quæst. 1. tradidimus, cuius leges violantur si non sit inter amicos mutua beneficiorum communicatio, cùm alter alterius ope indiget. Ergo hoc ipso quod charitatis actus erga proximum est necessarius ex præcepto, necessarius est etiam actus Eleemosynę per quem subleuetur efficaciter miseria proximi eiusque succurratur necessitati. Quo argumento efficitur, præceptum diuinum Eleemosynæ non modò esse positiuum ob Scripturæ testimonia citata, sed etiam naturale, sicut est præceptum dilectionis proximi.

Quænam sint certa de tempore quo obligat præceptum Eleemosynæ.

Sed cum præcepta de actibus virtutum qualis est actus Eleemosynæ sint affirmatiua, quæ, vt Theologi rectè tradunt, non obligant pro omni tempore, sicut præcepta negatiua quæ vetant actus vitiosos; sed pro certo tempore, concurrentibus certis quibusdam circumstantiis: Videndvm iam est, quandonam oporteat Eleemosynam facere ex præcepto obligante ex suo genere sub peccato mortali: Qua de re primò exponam quædam quæ apud omnes sunt ac debent esse certa; deinde disseram de his quæ sunt controuersa. Sunt autem certa septem, & duo controuersa.

Primo certum est, non obligari quempiam ad Eleemosynam faciendam tunc cum aliqua ex his tribus circumstantiis concurrit: nempe Primo si facultas eam faciendi non suppetit, vel absolutè ob rei penuriam vel propter circumstantias obstantes quo minus iste illi, tali tempore, tali modo, &c. possit succurrere. Secvndo, si quamuis facultas ea suppetat, tamen ignoret quis proximi necessitatem: cùm scilicet aut nemo necessitate oppressus ei occurrit, aut de nemine tali scit, cui ipse possit succurrere. Tertio, si quamuis & facultas suppetat & proximi necessitatem quis nouerit; tamen simul vel certò vel probabiliter scit, per alium aliquem tali necessitati subuentum iri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMAE circumstantiæ ratio est in promptu: Nemo enim obligatur ad id faciendũ quod non potest, & quidem morali modo. Vnde D. Ioannes 1. epist. cap. 3. non reprehendit negligentiam Eleemosynæ, nisi in eo, *qui habuerit*, vt inquit, *substantiam huius mundi*. SECVNDAE autem circumstantiæ ratio est, quoniam non potest quis necessitatem subleuare quam nescit. Neq; verò obligat præceptum Eleemosynę, vt de necessitate proximi quis inquirat. Etenim scientia necessitatis proximi, non est scientia alicuius iuris vniuersalis quam quilibet acquirere teneatur, sed cuiusdam particularis facti ad personam proximi pertinentis. Cuiusmodi scientiam seu cognitionem hi soli tenentur procurare, quibus ratione officij incumbit peculiaris aliqua cura proximi, vt prælatus, paterfamilias, &c. Quod inde confirmatur. Nam cum non sit maior ratio cur quispiam priuatus debeat potius de vnius quam de alterius proximi necessitatibus inquirere; deberet inquirere de necessitatibus omnium qui saltem essent in eodẽ vel vicino loco, &c. id quod esset intolerabile; vix enim tunc liceret aliis rebus & actionibus vnicuique necessariis vacare.

Adde quòd satis esse, si quis subueniat ei de cuius necessitate sciat, indicauit quoq; D. Ioannes in dicta epist. cap. 3. inquiens: *Si quis habuerit substantiam huius mundi, &* VIDERIT *proximum suum necessitatem habere, &c.* Quasi dicat, fore aliquem excusatum, si non viderit vel sciuerit proximi necessitatem. Denique idem ex communi sententia notat Ioannes Medina in tract. de Eleemosyna q. 33. §. Ad id autem. Et Caietanus hic artic. 5. Et Nauar. in Man. c. 24. n. 9. & alij, quamuis huius rei non adeo exactã rationẽ reddiderunt.

TERTIAE deniq; circumstantię ratio est: Nam cum aliquis alius est subuenturus proximo, non eget is alterius ope, & sic in ordine quidẽ ad hunc alterum, non est is in necessitate constitutus. Quare D. Thomas hîc ar. 5. ad 3. affirmat, tunc esse necesse sub mortali Eleemosynam facere *quando apparet*, inquit, *euidens & vrgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subueniat*. Atq; idem docent communiter alij Doctores.

Neq; verò idem iudicandum est, si *possit saltem* per aliquem alium vel alios subueniri necessitati. Nam inde solum sequitur posse quidem talem proximum non indigere ope & subsidio tuo, non autem quòd non indigeat & tuo & cuiusq; alterius subsidio, qui ei subuenire possit: Quamuis non quidem indiget omnium subsidiis copulatiuè, sed subsidio cuiuslibet *diuisiuè*, id quod est satis vt quilibet per se teneatur ei subuenire, quando nondum aliquis determinatè putatur ei subuenturus. Itaq; tu non excusaris non subueniendo, nisi intelligas per alium aut alios non modò subueniri posse tali necessitati, sed etiam subuentum iri. Atque hactenus de eo quod diximus esse PRIMO certum.

SECVNDO certum est, quamuis possit quis facere Eleemosynam, & necessitatem proximi sciat, & ignoret ab aliquo alio subuentum iri; tamen non teneri eum ad Eleemosynã faciendam duabus quibusdam circumstantiis simul concurrentibus. VNA est, si necessitas proximi non sit extrema: ALTERA est, si necessitati proximi non extremę nequeat quis subuenire nisi subtrahendo sibi necessaria ad sustentandam vitã, vel tuendam decentiam status sui & suorum; ita vt vel maius vel par incommodum incursurus sit, si alteri non extremè laboranti subueniat, atque est incommodum eius qui eget non extremè.

Ratio est: Quia ne licitum quidem est in tali casu, & tali modo, Eleemosynam facere, vt docet D. Thomas hîc art. 6. & alij communiter: Esset enim id PRIMO contra ordinem charitatis, ex quo tenetur quilibet cæteris paribus magis se & suos diligere quàm alios, vt patet ex dictis suprà q. 4. SECVNDO esset contra fidelitatem: iuxta illud Apostoli 1. ad Tim. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior*. TERTIO esset quoque contra ipsam rationem: Nam peruersum est citra vrgentem præcepti necessitatem id facere, ex quo sit consequens, vt indecenter & incommodè in statu tuo viuas.

Dixi autem, *Si vel maius vel par incommodũ, &c.* quia quæstio controuersa est, vt postea videbimus, An teneatur quis ex necessariis ad suum & suorũ statum subuenire alteri, grauiter licet non extremè egenti, quando id possit facere incurrendo minus incommodum, quàm alioqui sustinebit is qui eget.

Hîc autem tria obseruanda sunt. PRIMVM est, Habere locum hoc quod iam diximus (scilicet non debere aliquem ex necessariis ad statum facere Eleemosynam) posito quod quis velit retinere pristinum statum: Nam si studio maioris perfectionis velit illum mutare: licitè ac laudabiliter faciet erogando in Eleemosyna necessaria suo statui (quamuis non etiam suorum) etiam extra casum extremæ necessitatis proximi, vt verisimè docet D. Thomas hîc art. 6. Et patet ex illo consilio Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me.*

SECVNDVM est, extremam necessitatem proximi, extra quam dicimus non teneri aliquem facere Eleemosynam de necessariis ad statũ, non tunc solum esse, cùm aliquis statim est exhalaturus animam, nisi ei succurratur; sed etiam tunc cùm alioqui vel certo vel probabiliter incurret graue vitę discrimen, vt rectè notat Ioannes Medina in tract. de Eleemosyna q. 3. & Nauarrus in Man. cap. 24. num. 5.

TERTIVM est: Necessaria ad decentiam status, ex quibus dicimus non esse faciendam Eleemosynam citra extremã proximi necessitatem, nequaquam consistere in *indiuisibili*, sed habere quandam latitudinem: vt rectè docet D. Thom. hîc ar. 6. Et Syluester verbo Eleemosyna, num. 2. Et Caietanus in tract. de præcepto Eleemosynæ c. 6. Et Nauarrus in Man. c. 24. num. 6. & alij. Ita videlicet, vt quibusdam pluribus vel paucioribus pro ratione status cuiusq; detractis, censeri possint adhuc remanere necessaria ad statũ. Et quibusdam etiam pluribus vel paucioribus pro ratione status additis, videri etiam possint non superflua statui sed necessaria.

Qua in re iudicanda, ratio habenda est, non soli præsentis necessitatis, sed etiam *futuræ* probabiliter, secundùm ea quæ solent accidere, rem moraliter æstimando. Item ratio habenda est *personæ* ipsius, non modò vt his aut illis rebus ad præsentem statum suum eget, sed etiam vt est, ac esse potest prudens dispensator sui status rerumque suarum, atq; adeo vt habet etiam ius ad procurandum statum altiorem.

Quo fit, vt si quis probabiliter speret se assecuturum altiorem statum, minimè debeant iudicari ei superflua esse, quę ad altiorem illum statum acquirendum, eumq; postea decenter tuendum nunc reseruat, vt optimè tradidit & confirmauit hîc art. 5. Caietanus.

Quapropter cùm necessaria ad status decentiam, tam latè pateant: non est quocunq; modo intelligendum id, quod illo pronunciato secundo asseruimus, nempe non debere, nec licitè possę quempiam de necessariis ad decentiam status sui & suorum Eleemosynam facere, citra extremam proximi necessitatem; sed oportet id intelligere de iis quæ adeo sint ad decentiam status necessaria, vt illis detractis non possint amplius censeri remanere necessaria secundum latitudinem suprà dictam, sed indecentia notabilis in præsenti quidem statu apparitura sit. Et hæc de eo quod diximus SECVNDO esse certum.

TERTIO certum est, eum qui & possit subuenire necessitati proximi, & eam norit, & alium ei subuenturum nesciat, debere illi subuenire duabus aliis circumstantiis simul concurrentibus. PRIMA est, vt proximi necessitas sit extrema eo modo, quo paulo ante explicauimus extremam necessitatem debere intelligi. SECVNDA est, vt præter illa quæ vitæ suæ & suorum sustentandæ necessaria sunt, habeat quis alia superflua naturę per quę subuenire possit extremę alterius necessitati, siue ea sint etiam ei superflua considerata decentia status sui & suorum, siue non, sed quocunq; modo, etiam strictissimo ad statum tuendum necessaria. Ita docet D. Thomas hîc art. 5. in corp. Et Ioannes Medina tract. de Eleemosyna q. 3. §. *Verum*. vbi ait esse communem & certam sententiam Doctorum.

Probatur hoc pronunciatum ex ordine charitatis: Nam quisque tenetur plus diligere proximum quoad vitam eius corporalem, quàm se & suos quoad alia bona temporalia non necessaria ad sustentandam vitam, vt vidimus suprà q. 4. Atq; in hoc casu maximè habet locum quod ait

D. AMBROSIVS lib. 1. de officiis, cap. 31. *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, erumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat.* Cui etiam Gratianus 86. dist. can. Pasce, & D. Thomas hîc art. 5. tribuunt illam sententiam in eodem opere de officiis: *Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti.* Sed hæc sententia nec in eo opere, neque in aliis Ambrosij quæ extant inuenitur.

Neque sanè est probabilis opinio Antonini in 2. p. Theolog. tit. 1. c. 25. Et summæ Rosellæ in verbo, *Eleemosyna*, qui contrà putant de necessariis ad statum nõ esse ex præcepto dandam Eleemosynam laboranti extrema necessitate. Nec rectè ad hoc mouentur auctoritate D. Thomæ hîc artic. 6. cum ait *esse laudabile* dare Eleemosynam de necessariis ad statum, quando proximus est in extrema necessitate: Nam vt rectè animaduersum est à Caietano ibidem, & à Ioanne Medina tractat. de Eleemosyna q. 3. §. *Verum*, non propterea negare voluit D. Thomas esse quoque id necessarium, sed solum dixit, esse id quidem licitum & laudabile, quia in illo art. 6. non quęrebat in quibusnam casibus esset *necessarium* dare Eleemosynam; id enim quæsierat art. 5. sed in quibus casibus esset *licitum*, aut secus, dare Eleemosynam de eo quod sit alioqui necessarium: interdum enim non est id licitum, vt ante diximus.

QVARTO certum est, debere etiam aliquem de necessariis non modò ad decentiam status, sed etiam ad vitam suam & suorum, Eleemosynam facere in extrema necessitate eius ex cuius vita pendeat notabiliter salus Reipublicæ aut Ecclesiæ. Ita Caietanus hîc art. 6. & alij communiter, idque patet ex ordine charitatis, quo bonum commune præferri debet priuato, vt vidimus suprà q. 4. Neque obstat quod D. Thomas ait, in tali etiam casu facere Eleemosynam de necessariis ad statum esse *laudabile*. Vt enim ante cum Caietano & Ioanne Medina notauimus, laudabile appellat D. Thomas eo loco non id quod non est etiam ex præcepto debitum, sed quod non est illicitum.

QVINTO certum est, in casibus quibus præceptum Eleemosynę obligat, multo strictius obligari Ecclesiasticas personas, quæ scilicet habent redditus Ecclesiasticos, quàm Laicos, vt fusè id persequitur Dominicus Bannes. Ratio est, Quoniam sunt in perfectiore statu, & ita cæteris paribus deformius peccarent, si communia præcepta charitatis & misericordiæ negligerent. Itẽ quia illorum bona inprimis sunt oblata à fidelibus Christo Domino, cuius illi sunt ministri & qui peculiariter vult in pauperibus agnosci per officia Eleemosynæ, iuxta illud Matth. 25. *Quandiu fecistis vni ex meis minimis, mihi fecistis.*

Ac inter ipsos Ecclesiasticos eo strictius obligatur quisque hoc præcepto, quò habet gradum altiorem dignitatis, & Episcopi maximè, & alij pastores animarum quos oportet peculiariter

Universidad de Deusto
Biblioteca

eſſe tanquam Patres pauperum ſubditorum: ſiquidem adeo illis obſtricti ſunt, vt etiam teneantur vitam pro eis exponere nedum bona temporalia. iuxta illud Chriſti Ioan.10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.*

Quod perpendens D. GREGORIVS hom.14. in Euangelia: *Oſtenſa*, inquit, *nobis eſt via quam ſequamur. Appoſita eſt forma, cui imprimamur. Primum noſtrum eſt, exteriora noſtra miſericorditer ouibus eius impendere; poſtremum verò ſi neceſſe ſit etiam mortem noſtram pro eiſdem ouibus miniſtrare. Sed cum incomparabiliter longè ſit melior anima qua viuimus, quàm terrena ſubſtantia quam exterius poſſidemus, qui non dat pro ouibus ſubſtantiam ſuam, quando pro iis daturus eſt animam ſuam? Et ſunt nonnulli qui plus terrenam ſubſtantiam quàm oues diligunt, qui nomẽ paſtoris protinus perdunt, de quibus ſubditur: Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, &c.*

SEXTO certum eſt, ex præcepto quidem charitatis & miſericordiæ neminem vnquam adeo ſtrictè obligari ad eleemoſynam, vt ſi eam non faciat, teneatur poſtea reſtitutionem pauperi facere, ſicut rectè ex communi ſententia notauit Nauarrus in Man. c.24. n.7. poſt Alex. Halenſem 3.p. q.47. & Adrianum in 4. q.1. de reſtitutione: Obligatio enim reſtitutionis non naſcitur niſi ex præcepto iuſtitiæ, vt notum eſt.

Dixi autem ex præcepto quidem *charitatis & miſericordiæ* neminem teneri ad reſtituendũ pauperi. Nam fieri poteſt, vt ad Eleemoſynam faciendam fuerit aliquis obligatus, non modò ex præcepto charitatis & miſericordiæ, ſed etiam ex præcepto iuſtitiæ; quo caſu dubium non eſt, quin teneatur ad reſtitutionem ſi Eleemoſynam non faciat. Vt ſi aliqua bona deſtinata prorſus in vſus pauperum committerentur fidei alicuius, vt ea illis diſtribueret, & is hoc non faceret. Vel ſi aliquis accepiſſet ſtipendium ad eum finem peculiariter, vt occurrentibus pauperum neceſsitatibus aliquo modo curaret prouideri, & id facere negligeret: teneretur enim tunc talis ex iuſtitia pauperibus reſarcire damna illis ſubſecuta ex eiuſmodi negligentia. Sicut etiam qui ex officio tenetur res aliorum curare & tueri, & id in caſu quo poſſet, non faceret: Vt ſi, cum poſſet non impediret furtum rei alterius aut incendium, ſicut notat vbi ſupra Nauarrus poſt Adrianum.

QVIN etiam nonnulla quæſtio eſt, an non ex iuſtitia quoque teneantur Eccleſiaſtici facere Eleemoſynam ex Eccleſiaſticis redditibus, ita vt ſi non faciant reſtituere teneantur. Quæ quidem quæſtio infra determinanda eſt in materia de ſtatibus, vbi diſcutiemus ſententiam Nauarri & aliorum, qui contendunt, Eccleſiaſticos non eſſe veros Dominos reddituum Eccleſiaſticorum, ſed ſolum diſpenſatores, ita vt de illis debeant ex iuſtitia etiam quantum ipſis ſuperat erogare in Eleemoſynam pauperum; quam opinionem refellit hic Dominicus Bannes.

SEPTIMO certiſsimum quoque mihi videtur, in iis caſibus quibus aliquis ex præcepto Eleemoſynæ tenetur eam facere, minimè eum ſatisfacturum, ſi eam rem qua tunc proximus verè indiget, det ei mutuò tantum, ſed oportere gratis donare per verã & formalem Eleemoſynam. Dico autẽ *re, qua tunc proximus verè indiget*: Nam fieri poteſt, vt quis non verè indigeat ipſa re, vt gratis donanda, ſed tantum rei mutuatione; Vt ſi alibi habeat vnde poſsit eam compenſare; quo caſu ſatis eſſet loco Eleemoſynæ ei mutuare rem gratis, ſicut infra dicemus. Itaque iam ſolum dicimus, non ſufficere loco Eleemoſynæ, mutuare eam rem qua verè & ſimpliciter proximus indiget.

Probo autem euidenter iſtud pronunciatum. Nam præcepto obliganti ad determinatum aliquem virtutis actũ, minimè ſatisfit niſi per vſum eius ipſius actus: ſed ſi quis in caſu quo præceptũ Eleemoſynæ obligat ad determinatum & formalem actum Eleemoſynæ, tantummodo det mutuò eam rem qua proximus indiget, is minimè exercet actum Eleemoſynæ circa eiuſmodi rem, ſed quendam alium diuerſum actum: Ergo minimè facit ſatis præcepto Eleemoſynæ.

Maior prorſus eſt euidens. Nam quando actus ille qui eſt præceptus non exercetur cùm poteſt & debet, culpabiliter omittitur, & eo ipſo violatur præceptum. Et oppoſitum planè implicat contradictionem. Minor autem æquè eſt certa & euidens: Nam Eleemoſyna eſt actus virtutis miſericordiæ, ac proinde largitio gratuita; mutui autem ſcilicet largitio retento iure redimendi tantundem, eſt actus iuſtitiæ: Itaque multum inter hos actus intereſt. Et certè tam verum mihi videtur hoc pronunciatum, quàm eſt verum & certum illud primum quod ſupra vidimus eſſe ex fide certum, ſcilicet extare præceptum de erogando in Eleemoſynam pauperi eam rem qua indiget.

Quod ſi dicas Præceptum Eleemoſynæ non obligare niſi diſiunctiuè ad alterutrum, ſcilicet vt quis vel faciat Eleemoſynam vel det mutuò; hoc certè nihil aliud eſt quàm negare Eleemoſynæ præceptum. Nam *diſiunctum hoc*, ſcilicet vel dare Eleemoſynam vel dare mutuò, non idem eſt, atq; Eleemoſynam dare; quandoquidem poteſt illud diſiunctum verificari nullam Eleemoſynam dando, ſed tantum dando mutuò.

Quod cum ita ſit, non parum ſoleo mirari Adrianum in 4. in materia de reſtitut. & Nauarrum in Man. c.17. nu.61. & c.24. nu.5. quòd ſenſerint, in caſibus quibus præceptum Eleemoſynæ obligat, ſatis fore vel eam facere, vel ſubuenire proximi neceſsitati mutuando: Nihil enim aliud eſt hoc, quàm contra certiſsimam & communem ſententiam Patrum & Theologorum omnium negare præceptum quod vllo tempore obliget ad Eleemoſynam, vt ex dictis patet.

Nec tamen improbo id quod Sotus lib.4. de iuſtit. & iure, q.7. art.1. circa finem, & Bannes hic art.6. ainunt, ſatisfacere aliquem mutuando ei, qui licet in vno loco egeat extremè, tamen alibi habet bona, vnde ſoluere poſsit. Etenim in tali caſu proximus non verè & ſimpliciter indiget ipſa re, vt gratis danda, ſeu rei ipſius Eleemoſyna, ſed mutuatione rei, ſeu (quod idem eſt) Eleemoſyna *mutui*, vt ante diximus. Nos autem in noſtro pronunciato loquimur, cùm proximus verè & ſimpliciter indiget ipſa re tanquam verè & ſimpliciter pauper; vt ordinariè ſolet accidere.

Nec ſunt firma ea argumenta quæ Adriano & Nauarro ſuffragari videntur. Colligo autem ex ipſis argumenta tria. PRIMVM eſt, quòd finis Eleemoſynæ eſt, vt ſubueniatur proximi neceſsitati: Ergo in caſu quo id fieri poteſt per mutuum aut alium eiuſmodi contractum, vt per venditionem, verbi gratia, credita pecunia, hoc erit abundè ſatis. Atque hoc argumentum eſt præcipuum Adriani & Nauarri.

SECVNDVM argumentum eſt, quòd ipſum mutuum poteſt reputari in tali caſu quædam Eleemoſyna.

TERTIVM eſt, quòd ſequeretur alioqui, ſicut Nauarrus in Manuali c.17. n.61. ratiocinatur, teneri aliquem donare etiam veſtem ei, qui in frigore extremè illa eget; nec ſufficere ſi eam illi commodato det, nec debere poſtea eum reſtituere eam illi, à quo in tali caſu accepit; quæ omnia ſunt abſurda.

Ad PRIMVM nego conſequentiam: Non enim ſi finem præcepti poſsit quis conſequi per aliquod aliud medium, deſinit ideo obligare præceptum: oportet enim per illud ipſum medium determinatè quod à præcepto præfixum eſt, finem præcepti procurare, ob alias nimirum vtilitates, quæ ex vſu cuiuſque virtutis determinatæ ſolent redundare ad operantem, vel certè ad communitatem & ad Dei gloriam, quæ eſt communis finis præceptorum omnium. Alioqui ſimili argumento probaretur, nunquam eſſe neceſſarium habere actum pœnitentiæ formalem ex pœnitentiæ præcepto; cùm ſemper poſsit aliquis finem eius præcepti, qui eſt remiſsio peccatorum, conſequi per aliud medium, ſcilicet per ſolum actum formalem charitatis ſupernaturalis. Item pari modo probaretur, nunquam eſſe neceſſarium ex præcepto ieiunare: cùm poſsit quis per alias macerationes carnis reddere corpus ſpiritui ſubiectum, qui eſt finis eius præcepti, quod Eccleſia de ieiunio ſancit.

Ad SECVNDVM reſpondeo, præceptum Eleemoſynæ non ad qualemcunque Eleemoſynam obligare in caſu neceſsitatis proximi, ſed ad eam per quam gratis ſuppeditetur ei illud ipſum quo tunc opus habet. Itaque cùm proximus periẽs fame, neque omnino vſquam quidquam habet; non ſatis eſt gratis ei facere Eleemoſynam eam quæ conſiſtit in ipſo contractu mutui, aut in contractu qui conſiſtit in venditione ciborum credita pecunia; ſed neceſſe eſt gratis ei erogare ipſos cibos, aut æquiualentem illis pecuniam, ſiue aliquid aliud, quo poſsit eos ſibi comparare, cum id ſufficiat ad ſubleuãdam neceſsitatem; tali enim Eleemoſyna tunc indiget.

Ac per hoc patet reſponſio ad TERTIVM argumentum: Negamus enim illa abſurda ſequi: ſi enim proximus non ipſa re egeat, ſed vſu tantum eius; cùm ſcilicet res eſt non vſu conſumptibilis; tunc quidem ſatis erit ei gratis concedere rei vſum, quatenus eo indigebit ad ſubueniendum præſenti neceſsitati: Neq; acquirit is dominium rei talis, ſed eam poſtea tenebitur reſtituere. Vt ſi quis, verbi gratia, indigeat ſuperflua ſocij veſte in maximo frigore. Nam vt iam dictum eſt, illam ipſam Eleemoſynam neceſſe eſt gratis facere qua proximus indiget; aliam autem tunc facere, ſicut non ſufficit, vt iam dictum eſt, ita etiam non eſt neceſſe.

Quocirca ſententia communis Theologorum in 4. d.15. qua dicunt non eſſe reſtituendam poſtea rem eam, quam quis in extrema neceſsitate accepit, intelligenda eſt de re prout ad ſubleuandam neceſsitatem fuit neceſſaria; non aliter. Et ſic intellecta ea ſententia omnino eſt veriſsima, quam quidem Nauarrus in Manual. c.17. n.61. nec ſatis aſſecutus videtur, nec bene ac meritò refutaſſe.

Quæ ſint controuerſa circa tempus quo obligat præceptum Eleemoſynæ.

HACTENVS expoſuimus ea quæ in quæſtione de neceſsitate Eleemoſynæ diximus eſſe *certa*. Nunc ſupereſt vt expediamus alia duo quæ ſunt *controuerſa*. PRIMVM eſt, vtrum habens ſuperflua naturæ & ſtatui eo modo, quo ſupra explicauimus ſuperflua, teneatur ſub peccato mortali illa erogare in Eleemoſynam pauperum, citra extremam quoque proximi neceſsitatem, nempe in communibus neceſsitatibus pauperum, quales in omni Republica ſemper ſunt aliquæ.

Qua de re duæ ſunt contrariæ ſententiæ, & vtraque illarum habet magnos auctores. PRIMA negat; quæ ſententia eſt Ioannis Gerſonis parte 2. alphabeto 32. litera O. Et Alexandri Halenſis 4.p. quæſt.113. membro 1. Et Panormitani in caput: Si verò. Extra, de Iureiurando: Et Ioannis Turrecrematę in caput: Sicut hi. diſt.47. Et D. Antonini 2.par. theologica, titul.1. cap.24. Et Summæ Roſellæ & Piſanæ, verbo, Eleemoſyna. Et Gabrielis in 4. diſt.16. quæſt.1. concl.5. Et in eam etiam propendet magis Durandus in 4. diſtinctione 15. quæſtione 6. Et Ioannes Medina in tractatu de Eleemoſyna, queſt.3. vbi concludit neminem teneri Eleemoſynam facere ex ſuperfluo, niſi neceſsitas proximi ſit extrema vel quaſi extrema.

Fundamenta potiſsima huius ſententiæ poſ-

sunt esse quinque. PRIMO, Quoniam ita videtur docere D. Thomas hîc art.5. in fine corporis: vbi sic ait: *Dare Eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare Eleemosynam ei qui est in extrema necessitate; aliàs autem*, inquit, *Eleemosynam dare est in consilio.* Quo testimonio D. Thomæ vsi sunt pro ea sententia Antoninus, Panormitanus, Gabriel, Summa Rosella & Pisana, vbi supra.

SECVNDO, Quoniam oporteret alioqui plurimos diuites damnare qui habent superfluum, & consequenter etiam illorum confessarios.

TERTIO, Quoniam nemo tenetur sibi ipsi procurare ea quæ non sunt sibi necessaria ad sustentandam vitam: Ergo neq; alter tenetur ea ipsi suppeditare; ac proinde nemo tenetur subuenire proximi necessitati nisi ea fuerit extrema, ita vt aliàs periclitaretur de vita. Antecedés probatur. Nam potest quis rebus omnibus se abdicare quæ ad vitam necessariæ non sint; cùm id Christus consuluerit Matt.19. commendans voluntariam paupertatem: quam suo etiam exemplo ita commendauit vt non *haberet vbi caput reclinaret.* Cui paupertati cõparari non potest paupertas eorũ qui solum patiuntur iam communes necessitates, vt in nostra quæstione loquimur.

QVARTO, Quòd si quis teneretur pauperibus erogare superflua, consequens erit, vt non possit talis ea donare cui velit, aut ex eis pios aliquos sumptus ad diuinum cultum facere, vt Ecclesiam ædificando, &c. nec amicos conuiuio excipere, &c. Quæ sine dubio non possunt affirmari sine absurditate.

QVINTO, Quòd etiam erit alioqui consequens, vt nequeat aliquis vltra ea quæ sibi & suo statui necessaria sunt, alia præterea dono accipere aut vllo modo acquirere, nisi fortè eo animo vt ea det pauperibus: sed istud consequens absurdum etiam est; Ergo, &c. Maior probatur: Nam quod non potest licitè retineri, non potest etiam licitè acquiri: Non possent autem superflua retineri licitè, si ea sub peccato mortali sunt erogãda ordinariis pauperibus quales nunquam desunt.

SECVNDA sententia est contraria: scilicet teneri diuites sub peccato mortali in ordinariis necessitatibus pauperum dare Eleemosynam ex superfluis naturæ & statui suo ac suorum. Ita docet omnino D. Thomas hîc artic.5. cum ait: *Dare Eleemosynam de superfluo esse in præcepto, & dare Eleemosynam in extrema necessitate.* Nam, vt Caietanus ibi & in opusculo de præcepto Eleemosynæ, rectè ostendit, hæc verba D. Thomę accipi debent, non copulatim, sed copulatiuè; ita vt intelligamus indicari ab eo duos distinctos casus, in quibus ex præcepto sit necessarium Eleemosynam facere; scilicet, vel cùm habet quis superfluum; (quo casu citra extremam etiam necessitatem in communibus necessitatibus Eleemosyna danda sit) vel cum est extrema necessitas proximi; quo casu de necessariis etiam ad statum Eleemosyna sit danda. Quod ipsum clarissimè idem D. Thomas declarat, eodem artic. in responsione ad secundum, & infra q.66.ar.7.vbi affirmat, res quas habet quispiam superfluas ex naturali iure deberi pauperum sustentationi. Et idem docet in 4.d. 15.q.2.art.1.quæstiunc.4. Eandem sententiam asserit Richardus in 4.d.15.art.2. q.2. & Paludanus ead.dist.q.3. Et Abulensis in cap.6.Matth. q.34. Et Nicolaus Lyranus in c.3.primæ Ioannis, super illud: *Qui habuerit substantiam huius mundi, &c.* Et Carthusianus in eundem locum. Et Caietanus hîc artic.5. & in opusc. de præcepto Eleemosynæ. Et Adrianus in 4.in materia de restitutione; vbi disputat clarius: An Clericus præter victum & vestitum teneatur dare reliqua pauperibus. Et Nauarrus in Man.c.24.n.5. Et Bannes hîc art.5. Quæ sententia communiter est iam recepta in scholis. Ac mihi etiam videtur longè verissima.

Probatur primò ex sacra Scriptura, in qua sunt ad hanc rem confirmandam tria genera testimoniorum. PRIMVM est eorum in quibus ipsum præceptum de dando Eleemosynam *de superfluis* directè contineri aut indicari videtur. Vt Luc.3. Interrogatus à turbis Ioannes Baptista, Quomodo quis possit facere fructus dignos pœnitentiæ, de quibus ibi dixerat: *Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*, Respondit: *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet, similiter faciat.* Cuius sententiæ vim rectè D. HIERONYMVS in epist.ad Hedibiam q.1.eam esse interpretatur, vt necessarium sit superflua erogare indigentibus: superfluum enim aliquid significatur per *duas* tunicas, itemque per *escas*, quòd ferè sufficiat homini vna esca, sicut etiam vna tunica. Et Lucæ 11. reprehendens Christus Pharisæos quòd essent intus pleni rapina & iniquitate, subiungit: *Veruntamen, quod superest date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vbi planè videtur ostendisse remedium quo necessariò tenerentur vti ex diuino præcepto, vt essent liberi ab iniquitate.

Nec videtur negandum quin hoc loco verbum illud, *quod superest*, significet tum id quod suppetit, tum etiam id quod abundè suppetit, & est superfluum; non autem idem quod dici solet *de cætero*, vel *quod reliquum est*: Nam in græco textu nõ est verbum quod significet *de cætero*, sed est participium illud τὰ ἐνόντα, quod tantundem significat, atq; *inexistentia* seu *quæ suppetunt*, & ex quibus possit quis facere Eleemosynam sine suo incommodo, vt potest ex his quæ sibi superfunt vltra necessaria. Atque ita eum locum intellexit etiam Beda: sicut proculdubio quoque vulgatus interpres.

Item 2.ad Tim.vlt. *Diuitibus huius seculi præcipe, facilè tribuere, communicare, etc.* Diuites autem appellari consueuerũt qui habent etiam superflua. Itaque videtur etiam Apostolus ibidem monere Tim.vt eiusmodi diuites commonefaciat de diuino præcepto, quo teneantur superflua in Eleemosynam erogare.

SECVN-

SECVNDVM genus est eorum testimoniorum quę indicant debere hominem ex diuino præcepto subuenire proximo indigenti, etiam citra extremam necessitatem, quãdo hoc potest quis facere sine vllo suo incommodo, vt potest maximè in proposito is qui habet superfluum: Nullũ enim incommodum est, erogare superfluum. Huius generis testimonia sunt hęc: Exodi 23. *Si occurreris boui inimici tui aut asino errãti, reduc ad eum: si videris asinum odientis te iacere sub onere, nõ pertranseas sed subleuabis cum eo.* Quo loco non aliquod præceptum iudiciale aut ceremoniale datur, sed explicatur ipsa lex naturalis & diuina. Et Matth. 25. *Sitiui & non dedistis mihi potum: In carcere eram, & non visitastis me, &c.* quæ certè non sunt extremæ necessitates proximi; sed quia plerunq; sine suo incommodo potest quis potum dare sitienti & consolari & visitare captiuũ, tenetur id facere.

TERTIVM genus est eorum testimoniorum, quibus damnantur & vituperantur ij qui abundant opibus superfluis & illas cumulare student; quia scilicet id ipsum per se illicitum sit, cùm debeant superflua in eos qui indigent erogare. Vt Matth.6. *Non potestis seruire Deo & Mammonæ.* Et Matt.9. Et Luc.18. *Facilius est Camelum ingredi per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Vbi THEOPHYLACTVS significari dicit, esse impossibile, vt ij diuites possint intrare in regnum Dei, qui superflua habent, nec illa erogant in pauperes, sicut est impossibile naturaliter camelum per foramen acus intrare.

Et Luc.12. diuiti, *cuius ager uberes fructus tulerat, & qui dicebat: Destruã horrea mea, & faciam maiora, & illuc cõgregabo omnia, quæ nata sunt mihi & bona mea* (mea, inquit, non aliena) *& dicam animæ meæ; habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Huic inquam diuiti qui nihil alioquin iniustè possidebat, sed sua reseruare cogitabat, tamen propterea quòd superflua conseruare studebat, dixit Deus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autẽ parasti, cuius erunt? Sic est*, inquit Christus, *qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Quasi diceret, inopem diuinæ gratiæ esse qui superflua retinet.

Propter quod etiam Apostolus vbi supra, monet Timotheum, vt *præcipiat diuitibus facilè tribuere, & ea re thesaurizare sibi*, vt inquit, *bonum fundamentum in futurum, & diuites fieri in bonis operibus.* Item Luc.16. *Dives qui epulabatur quotidie splendidè, & negligebat pauperem Lazarum, sepultus legitur in inferno.* Item D. Iacobus in sua can.c.5. Diuites eos damnat, & his hoc nomine propriè insultat qui superflua recondunt: *Agite*, inquit, *nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis: Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, aurum & argẽtum eruginauit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis, etc.* Ex quibus omnibus patet non solum damnari auaros, qui scilicet vltimum finem ita in diuitiis ponunt, vt illarum cumulandarum causa nihil vereantur offendere Deum mortaliter, diuitias ei anteponendo; sed etiam eos diuites, qui superfluas opes etiam iustè habeant, & absque peccato alio cumulare studeant non eas pauperibus communicantes.

SECVNDO probatur eadem sententia ex Patribus, qui similiter hoc ipso nomine passim dãnant diuites habẽtes superflua. Vt D. BASILIVS hom. in illud Luc.12. *Destruam, &c. Cur*, inquit, *tu abundas, ille verò mendicat, nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brauiis decoretur? Est panis famelici quem tu tenes; nudi tunica quam in conclaui conseruas; discalceati calceus qui penes tẽ marcescit, indigentis argentum quod possides inhumatum. Quocirca tot iniuriaris quot dare valens es.*

Et D. GREGORIVS NYSSENVS oratione de pauperibus amandis: *Omnia*, inquit, *voluptatibus nostris metimur; & alia quidem vitæ nostræ delitiis elargimur, alia recondimus hæredum auiditati* (non dicit necessitati) *miserorum verò nulla habetur ratio, nulla pauperum idonea cura; nulla sollicitudo. O crudeles animos, ô mentes ab omni semotas humanitate, &c.* Et infrà: *Duplex in turpi domo exercetur peccatum, alterum propter ebriorum satietatem, alterum propter expulsorum pauperum famem; Si Deus hæc aspicit, vt profectò aspicit, quem exitum vitæ fore cogitatis? O pauperum inimici; an nescitis horum causa commemorari in Euangelio exempla horrenda & terribilia?* ac deinde subiungit exempla duorum diuitum, Luc.12. & 16. Et lib. de beatitudinibus orat.1. *opes reconditas* vocat *diabolicas*, quia scilicet opes superfluæ illicitè retinentur.

Et D. GREGORIVS NAZIANZENVS orat.in nouam Dominicam, inter alia præcepta necessaria, vt quis *à recta doctrina non excidat, & in mortem prolabatur*, ponit etiam illud: *Egenti*, inquit, *tectũ, cibum, vestem suppedita qui his ad luxum & vltra necessarium vsum delectaris; diuitiarum amor non te afficiat.* Et in orat.de pauperum amore, eos *qui in aliorum egestate abundant*, affirmat *laborare miserabili animi morbo, & odio esse dignos apud eos qui mentis compotes sunt.* Ac tum subiungit: *Cur in fratrum calamitatibus delitiis circumfluimus? absit hoc à me vt opibus abundem, his inopia rerum laborantibus.* Similia CHRYSOSTOMVS hom.55.in Gen.&34.ad pop.

Et D. AMBROSIVS in lib. de Nabute Iesraëlita, ca.11. *Aqua*, inquit, *statitia cito vermes facit: Non stet thesaurus tuus, ne ignis tuus stet; stabit autem in te nisi eum operibus misericordiæ tuæ auerteris.* Et serm. 81. *Plusquam sufficit sumptum, violenter*, inquit, *obtentum est.* Et infrà: *Quis*, inquit, *tam iniustus, tam auidus, tam auarus, quàm qui multorũ alimenta suum non vsum, sed abundantiam & delicias facit? neq; enim maius est crimen habenti tollere, quàm cum possides & abundas indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines, &c.*

Et D. HIERONYMVS in regula monacharum cap.6. Et refertur à Gratiano in decretis: *Alienum*, inquit, *rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur*: id est, perinde peccat.

Et

Et in eandem planè sententiam D. AVGVSTINVS in exposit. Psalmi 147. ante medium: *Quære*, inquit, *quantum tibi Deus dederit & ex eo tolle quod sufficit: Cætera quæ superflua iacent, aliorum sunt necessaria: superflua igitur necessaria sunt pauperum; res alienæ possidentur* (id est, quæ ex præcepto deberent aliis dari) *cum superflua retinentur*. Et serm. 219. de tempore in fine: *Quidquid*, inquit, *excepto victu mediocri & vestitu rationabili superfuerit, non luxuriæ reseruetur, sed in thesauro cœlesti per Eleemosynam pauperum reponatur: Quidquid enim Deus nobis plus quàm opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit; quod si non dederimus, res alienas invasimus.* Similia BEDA super cap. 11. Lucæ & alij passim.

TERTIO probatur ratione optima, quam indicat D. Thomas infrà q. 66. art. 7. & insinuauit quoq; D. Basilius & D. Ambrosius vbi supra; eam verò ita formo: Si diuisio rerum, cùm initio essent omnia communia, rectè facta est; consequens est, vt qui abundât rebus, debeant ex præcepto superflua erogare egentibus: sed verum est antecedens; Verum igitur & consequens. Maior probatur: Nam si diuisio illa rectè facta est, debuit meritò videri vel commodior generi humano, quàm erat dominium rerum commune, vel æquè commoda, vel certè non incommoda, & detrimentosa mortalibus. Non potuit autem talis videri ea diuisio, si post illam futurum erat, vt quidam egerent rebus necessariis & alij sic abundarent superfluis, vt ne ex præcepto quidem charitatis & misericordiæ tenerentur impertiri egentibus superflua. Hoc enim maiori parti generis humani quæ nimirum ex egentibus constat, valde incommodum & damnosum fuisset; siquidem habuissent omnes alioqui par dominium & ius in omnia. Minor autem, scilicet diuisionem illam rectè fuisse factam, facilè potest probari. Nam in eam diuisionem consenserunt omnes gentes, ratione naturali ductæ; vnde & dicitur esse de Iure gentium. Quare recta & iusta fuit, siquidem iure quodam & lege iusta, fuit firmiter constituta; alioqui enim fuisset rescindenda.

Hanc rationem insinuauit D. AMBROSIVS serm. 81. ita scribens: *Nunquid iniquus est Deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia? vt tu quidem esses affluens & abundans, aliis verò deesset, & egerent?* Fuisset igitur iniquum Ius gentium, diuisionem rerum instituens, si ea conditione instituisset, vt aliis egentibus, integrum esset aliis abundare.

Eadem ratiocinatio fuit item BASILII homil. in illud Lucæ 12. *Destruam horrea mea, &c.* A quo videtur diuus Ambrosius, sententiam illam suam accepisse: *An*, inquit Basilius, *iniustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens?* Ex quibus verbis Ambrosij & Basilij potest rursus confirmari argumentum nostrum hoc pacto: Si diuisionem illam rerum Deus approbauit, ipseque fuit eius auctor; consequens est, eam non ita fuisse factam, vt aliis egentibus alij possent abundare sine obligatione erogandi superflua in egentes: sed verum est Antecedens; Verum igitur & Consequens. Maior patet, Quoniam alioqui Deus esset iniquus, vt Basilius & Ambrosius sentiunt. Minor patet, Quia vt ante dictum est, diuisio illa fuit recta & iusta: Igitur Deus fuit eius auctor & approbator, sicut & aliorem omnium bonorum.

QVARTO & postremò potest ista sententia probari ex ipsa lege charitatis & officij, qua debent omnes proximi esse deuincti. Nemo enim non videt violari officium amicitiæ & charitatis ab eo qui ne superflua quidem sibi velit impertiri amico, vt subueniat eius necessitati. Meritò enim amicus hoc indignissimè ferret. Vnde D. Ioan. 1. epist. c. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi & viderit fratrem suum necesse habere* (non dicit, necesse *extremè*, sed absolutè *necesse*) *quomodo charitas Dei manet in illo?*

Sed superest, vt respondeamus ad quinque illa argumenta opinionis contrariæ initio proposita. Ad PRIMVM ex auctoritate D. Thomæ dictum iam ante responsum est. Ostendimus enim stare omnino à nostra sententia D. Thomam si rectè intelligantur eius verba, quemadmodum exposuimus.

Ad SECVNDVM respondeo, multas esse causas, cur non adeo facilè damnandi sint diuites habentes superfluum, eorumque confessarij, etiamsi nostra sententia verissima sit. PRIMO, Quia in his quæ reputari possunt necessaria ad statum & non superflua, magna est latitudo, vt ostendimus supra in secundo pronunciato. Itaque non admodum multi sunt hi de quibus certò constet quòd habeant superflua. SECVNDO, Nam qui superflua habent non tenetur ea omnia simul in pauperes effundere, sed per partes: habita etiam ratione loci, temporis & aliarum circumstantiarum, sicut solent plerique diuites facere, quibus alioqui est cura conscientiæ. Cùm enim hoc Eleemosynę præceptum sit affirmatiuum, non nisi prudenter impleri debet pro ratione circumstantiarum. TERTIO, Quia nec cuilibet pauperi occurrenti tenentur diuites de superfluo aliquid erogare, sed quibus ipsi Eleemosynam erogandam iudicauerint. Nam vt rectè inquit D. Thom. infrà q. 66. ar. 7. Cùm multi sint necessitatem patientes, nec possit ab vno omnibus necessitatibus communibus subueniri, commissa est arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat aliorum communibus necessitatibus prout ipse faciendum esse iudicauerit.

Atque huius rei potest etiam *à priori* reddi ratio ea, quòd obligatio erogandi superflua in ordinariis necessitatibus non nascitur ex ipsis ordinariis necessitatibus præcipuè, sed ex eo quòd quis habet superflua, vt ex dictis patet. Ergo is qui

qui habet superflua non tenetur subuenire cuiuis communi necessitati proximi, sed cui ipse arbitratu suo voluerit. Nam dummodo in alios quos voluerit, dispenset superflua, hoc ipso satisfaciet obligationi suæ, ortæ, vt dixi, ex ratione superflui.

Et hoc ipsum patet etiam à contrario, Nam quia obligatio succurrendi extremæ vel quasi extremæ necessitati proximi, nascitur inprimis ex ipsa necessitate proximi, idcirco is qui potest, tenetur subuenire cuicunque extremæ vel quasi extremæ necessitati proximi occurrenti. Cum igitur in proposito nostro obligatio non ex ipsa necessitate præcipuè, sed ex superfluo nascatur, non tenetur quis de superfluo subuenire quibuscunque occurrentibus ordinariis necessitatibus proximi, sed quibus arbitratu suo voluerit.

Itaque patet ex his causis, non oportere secundùm nostram sententiam vsq; adeo multos diuites eorumque confessarios damnare. Quod si qui sint diuites adeo salutis suæ negligentes, vt pro ratione suarum facultatum non curent pro loco & tempore in ordinariis pauperum necessitatibus Eleemosynam de superfluo erogare; meritò tales eorumque confessarij erunt damnandi & vtrisque illud inculcandum: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent*, Matth. 15.

Ad TERTIVM argumentum respondeo PRIMO, Non valere consequentiam: nam alia est quoad hoc conditio & circumstantia personæ cuius quæ habet superfluum, alia verò proximi. Nam proximus non tenetur ex charitate ita se diligere, vt sibi procuret vltra necessaria ad vitam, sed potest studio perfectionis se omnibus abdicare. Qui autem habet superfluum, tenetur id erogare alicui proximo, qui id acceptare velit, non quidem præcisè ex charitate erga illum, sicut nec ipse proximus tenetur ex charitate præcisè erga se illud sibi procurare; sed ex virtute misericordiæ, ad cuius tunc vsum & officium erga proximum obligat illa circumstantia *superfluí*. Quemadmodum quamuis creditor aliquis non teneatur acceptare & procurare quod sibi debetur, sed possit se iure ad illud abdicare, tamen debitor ex iustitia tenetur illud ei soluere si acceptare velit. Est enim quoad hoc alia conditio & circumstantia debitoris quàm creditoris. Debitor enim tantundem accepit, vt suppono; ex qua peculiari circūstantia debitoris nascitur ei obligatio iustitiæ ad soluendū creditori si is acceptare velit. Ita in nostro proposito ratiocinandū est de obligatione misericordiæ, qua est obstrictus pauperibus is qui habet superfluum propter circumstantiam *superflui*; licet ipsi pauperes patiantur ordinariam necessitatem non teneantur sibi procurare illud superfluum alterius.

SECVNDO respondeo, per illud argumentum solùm probari quòd quemadmodum quisque sibi non tenetur procurare vltra necessaria ad vitam ex præcepto charitatis præcisè, ita neque alius ei suppeditare; tenetur tamen ex misericordia ratione circumstantiæ superflui.

TERTIO respondeo, solùm probari eo argumento quòd ratione superflui non tenetur quis erogare Eleemosynam determinatè huic vel illi egenti, sicut neque hic vel ille sibi tenetur procurare vltra vitæ necessaria; tenetur tamen qui habet superfluum erogare alicui pro arbitrio suo qui acceptare velit, vt patet ex dictis in responsione ad præcedens argumentum. Omnes hæ tres responsiones sunt bonæ & vtiles ad rem demonstrandam, licet in idem redeant.

Ad QVARTVM argumentum, nego absurda illa sequi. Nam si habens superflua velit ex eis honestos illos sumptus facere, de quibus obiicitur in argumento, iam eo ipso reputari illa poterunt non superflua, sed pertinentia ad talis hominis statum, quatenus is est rerum suarum liber administrator; nostra autem sententia procedit quando quis retinere apud se vult planè superflua.

Ad QVINTVM negatur Maior, scilicet illud absurdum sequi, vt nequeat quis acquirere superflua. Ad probationem respondeo per distinctionem: Nam verum quidem est, non posse licitè acquiri ea quæ nequeunt retineri sine peccato contra iustitiam, vt quæ furto auferuntur; nam hæc nunquam vt propria retineri possunt. Possunt tamen licitè acquiri ea, quæ, si quis postea semper retineat, peccabit quidem, sed non contra iustitiam, sed solùm contra misericordiam. Nam hæc possunt aliquandiu licitè retineri, dum scilicet offert se oportunitas prudenter ea dispensandi pro ratione circumstantiarum, aut etiam insumendi ad pios vel honestos vsus: iuxta dicta in responsione ad primum & ad tertium. Hactenus de PRIMO quod in quæstione de necessitate Eleemosynæ diximus esse controuersum.

SECVNDO controuersum est in eadem quæstione, An teneatur quis aliquando facere Eleemosynam de necessariis ad statum extra extremam necessitatem proximi. Qua de re duæ sunt sententiæ. PRIMA est Caietani in tractatu de præcepto Eleemosynæ; Et in summa, verbo, *Eleemosyna*, qui negat.

Probatur hæc sententia PRIMO ex D. Thom. hîc art. 5. vbi tantum ponit duos casus in quibus obliget præceptum Eleemosynæ; scilicet ratione *extremæ* necessitatis proximi, & ratione *superflui*: Et subiungit, *alias autem Eleemosynas dare est in consilio*.

SECVNDO, Quia cum multæ sint proximorum necessitates non extremæ, multi essent damnandi, si etiam de necessariis ad statum oporteret subuenire in necessitatibus non extremis: nam multi etiam sunt qui habent necessaria ad suum statum.

TERTIO,

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIO, Nam talis obligatio faciendi Eleemosynam de necessariis ad statum, in necessitate proximi non extrema, vel nasceretur ex ipsis bonis necessariis quæ quis habet pro suo statu; vel ex necessitate proximi non extrema: sed neutrum dici potest: Ergo nulla est talis obligatio. Minor quoad ipsa bona necessaria probatur. Nam cùm vnusquisq; habeat Ius, vt quæ sibi sunt necessaria retineat, non potest dici ex eiusmodi necessariis oriri obligationem, illa in alios erogandi; sicut supra dicebamus oriri talem obligationem ex superfluis. Quoad necessitatem verò proximi nõ extremam probatur eadem Minor: nam cùm sint multæ necessitates non extremæ, & vnus ex his quæ statui suo necessaria sunt non possit subuenire omnibus eiusmodi necessitatibus; minimè videtur quis teneri subuenire cuicunque necessitati non extremæ; teneretur autem si obligatio faciendi Eleemosynam ex necessariis oriretur præcipuè ex necessitate non extrema, sicut supra diximus subueniendum esse cuicunq; necessitati extremæ, propterea quòd ex illa inprimis oritur obligatio faciendi Eleemosynam.

SECVNDA sentẽtia est aliorum qui affirmant in graui etiam necessitate proximi, licet non extrema oportere facere Eleemosynam de necessariis ad statum, quando quis scilicet minori suo incommodo potest auertere proximi incommodum notabiliter graue. Vt si, verbi gratia, oporteat alioqui proximum vna cum suis miserabiliter excidere ex suæ dignitatis atq; status gradu; aut si alioqui incurrat grauem aliquam calamitatem, vt captiuitatis, vel diuturni ac tetri carceris, &c. Ita sentit Paludanus in 4. d. 15. quæst. 3. Et Adrianus quodlib. 12. art. 2. conclus. 2. Et Dominicus Bannes hîc art. 6. dub. 4. qui ait eandem sententiam docuisse alios Theologos huius tempestatis, vt Victoriam, Sotum, Canum. Ac videtur hæc eadem sententia esse D. Thomæ hîc art. 5. ad 3. vbi ait, obligationem faciendæ Eleemosynæ ex parte quidem recipientis oriri, *quando apparet*, inquit, *euidens, & vrgens necessitas, neque est in promptu qui ei subueniat*, Sic ille.

Atq; ego etiam puto veriorem esse hanc sententiam, ita intellectam, vt obliget quidem in eiusmodi necessitatibus præceptum misericordiæ ad faciendam ex necessariis statui Eleemosynam talem quali proximus tunc indiget, considerata ratione sui status suæq; facultatis. Quod addo, quia fieri potest, vt non indigeat Eleemosynâ ipsius rei, sed tantum Eleemosyna *mutui*, vt sic dicam, aut alterius contractus pro quo possit absq; vllo suo incommodo postea satisfacere. In quo sensu facilè assentior Dominico Bannes dicenti, necesse esse in talibus casibus dare Eleemosynam ex necessariis, vel mutuare: iuxta ea nimirum quæ disseruimus supra p. 5. in pronunciato septimo.

Iam probatur hæc sententia PRIMO ex Scriptura: quæ variis modis indicat, etiam de non superfluo, sed necessario, esse nonnunquam subueniendum proximo indigenti, licet non extremè. Vt Exodi 22. *Si pecuniam tuam dederis populo meo pauperi, non vrgebis eum quasi exactor; si pignus acceperis vestimentum, ante occasum solis reddes ei; ipsum enim solum habet indumentum carnis suæ, & non habet aliud in quo dormiat.* Reddere autem pignus debitori, & non vrgere eum ad solutionem, quædam Eleemosyna est, cùm sit aliquid ei remittere de eo quod solet esse creditori necessarium, vt sit certus circa res suas, & eis quando vult, vtatur. Et Psal. 36. *Mutuabitur peccator & non soluet, Iustus autem miseretur & tribuet.* Et infrà: *Tota die miseretur & commodat.* Et Psal. 111. *Iucundus homo qui miseretur & commodat.* Mutuum autem plerunq; etiam solet fieri de necessariis & non sine aliquo incommodo mutuantis. Et Eccles. 29. *Fenerare proximo tuo in tempore necessitatis ipsius.* Et infrà: *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum.* Quæ certè sententiæ non intelliguntur solùm in extrema necessitate fratris & amici, sed etiam in his necessitatibus grauibus quæ frequentius quàm extremæ solent contingere. Et Isaiæ 58. *In die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* In quem locum D. HIERONYMVS: *Qui repetit*, inquit, *non habentem Deo facit violentiam.* Hoc ipsum autem non repetere quod alicui debetur, quædam Eleemosyna ex necessario plerunque est.

Maximè autem illustris locus in hoc genere est Matt. 18. vbi seruo, quia conseruum suum qui debebat ei centum denarios suffocabat dicens: *Redde quod debes, & noluit misereri illius sed abiit & misit eum in carcerem*: huic inquam seruo, quia non est misertus conserui sui remittens ei quæ debebat, dicit Dominus: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* & tamen huic seruo illa quæ alter debebat, necessaria erant, siquidem minimè opibus abundabat; nã de eo paulo ante ibi legimus, quòd *non habebat vnde redderet Domino suo quod ei debebat.*

Pertinet huc etiam illud 1. Ioan. 3. *Si quis habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Non enim dicit, qui habuerit substantiam *superfluam*, sed absolutè *substantiam*, vt neq; etiam dicit, qui viderit fratrem suum *extremè* necesse habere, sed *necesse* habere.

SECVNDO probatur ex Patribus, qui cùm affirmant, oportere eos qui abundant opibus, subuenire aliorum necessitatibus, non certè videntur de his tantum loqui qui abundant superfluis ad suum statũ, sed de iis etiam qui abundant secundum suum statum. Nam ij etiam quibus multa suppetunt, & ideo honestum aut etiam splendidum & amplum statum habent, dici solent abundare opibus, licet nihil habeant superfluum considerata amplitudine sui status. Affirmant autem

autem id BASILIVS in illud Lucæ 12. *Destruam horrea mea.* Et GREGORIVS NYSSENVS orat. de pauperibus amandis. Et GREGORIVS NAZIANZENVS orat. de paup. amore. Et Ambrosius serm. 81. quorum hac de re testimonia supra recitauimus.

Quibus nunc addo D. AVGVSTINVM tract. 5. in 1. epist. Ioannis circa illud: *Qui habuerit substantiam, &c. A creditore*, inquit, *angustatur frater tuus; non habet ille, habes tu; frater est, ambo sanguine Christi redempti estis, vide si misereris, si habes facultates mundi. Fortè dicis, Quid ad me pertinet? Ego daturus sum pecuniam meam ne ille molestiam patiatur? si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet: Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo: Quomodo ergo gloriaris te esse Christianum?*

TERTIO probatur ex ratione charitatis & amicitiæ Christianæ, quæ certè violabitur si amicus amici incommodum insigniter magnum nõ auertat, quando id potest facere cum minori aliquo suo incommodo. Argumenta verò contrariæ opinionis facilè dilui possunt.

Ad PRIMVM respondeo, Alterutro ex duobus modis oportere intelligi verba illa D. Thomæ: nimirum vel vt sit sensus, frequenter quidem, & vt plurimum in ordinariis scilicet necessitatibus, esse tantum de consilio Eleemosynam facere extra illos duos casus, secus autem, si necessitas proximi non extrema, sit magna & notabilis. Vel vt interpretemur necessitatem extremam eo loco à D. Thoma nominari non solum eam quæ in rigore est extrema, sed etiam eam, quæ est vrgens & grauis, & eiusmodi, cui non possit occurrere is qui eam patitur, & quæ idcirco possit dici extrema, saltem in tali genere negocij; Licet non simpliciter & absolutè. Quod autem alterutro modo ex his oporteat D. Thomam intelligere, patet ex verbis eiusdem in responsione ad 3. illius art. 5. quæ recitauimus: Ibi enim affirmat *in vrgente etiam* necessitate, esse necessariò Eleemosynam faciendam ex præcepto.

Ad SECVNDVM respondeo, vrgentes huiusmodi necessitates de quibus loquimur, non esse adeo multas; quæ quidem aliis constent; quare non oportet secundùm nostram sententiam vsque adeo multos damnare.

Addit etiam ad minuendam huius sententiæ feueritatem Bannes vbi supra, non esse ex præcepto necessarium in nostro casu ei succurrere, qui iam incidit in aliquam talem calamitatem quales proposuimus, sed tunc solùm cùm nondum aliquis in talem calamitatem incidit, & immineat alioqui periculum incidendi.

Hoc tamen ipse non arbitror vniuersaliter esse verum; sed tunc solùm, cùm posteaquam aliquis in calamitatem incurrit, existunt tales aliquæ circumstantiæ ob quas meritò videri possit, non æquè indigere alieno auxilio, nec æquè vtiliter & efficaciter illo vti posse, atque si nondum in calamitatem incidisset. Id quod sæpe potest contingere, præsertim cùm malum calamitatis existit magna ex parte ex ignominia, cui iam non sit integrum sufficienter occurrere. Vt quãdo quis, nisi ei subueniatur cogitur mutare statum, &c. Sæpe autem potest etiam contingere, vt ei qui iam in calamitatem incidit, oporteat quoque subuenire.

Vnde D. AMBROSIVS lib. 1. de officiis cap. 30. scribit, in benefaciendo, atque adeo in Eleemosynis largiendis inter cætera considerandum esse, *an quis ex diuitiis*, vt inquit, *in egestatem cecidit sine vitio suo.* Quo loco satis indicat Ambrosius nonnunquam etiam obligare præceptum Eleemosynæ tum vel maximè cùm iam aliquis incidit in calamitatem. Sed ad hanc rem totam in particularibus casibus diiudicandam non mediocri prudentia opus est.

Ad TERTIVM respondeo, obligationem illam ex ipsa vrgente necessitate oriri, vt docet diuus Thomas art. 5. ad 3. Neque tamen esse admodum frequentes huiusmodi vrgentes necessitates, de quibus nunc loquimur; vel certè non ita vt sæpe cognoscantur, cum sæpius illas celent, qui eas patiuntur. Quare cuicunque tali necessitati occurrenti tenetur subuenire is, qui potest. Neq; est par ratio communium & ordinariarum necessitatum. Nam illæ, cùm multæ sint, & passim cognoscantur, non pariunt ipsæ ex se obligationem faciendi Eleemosynam, & ita non tenetur quis cuicunque ordinariæ necessitati occurrenti subuenire: sicut supra explicuimus.

Hactenus explicatum est quibus in casibus necessarium sit Eleemosynam facere. Nunc superest breuiter explicandum QVANTAM Eleemosynam oporteat facere in eiusmodi casibus. Et statuendum est cum D. Thoma hîc art. 10. Oportere facere tantam Eleemosynam quanta sufficiat ad subleuandam proximi necessitatem: Id quod ex ipsa ratione & fine præcepti Eleemosynæ satis patet: Non esse autem laudabile facere Eleemosynam ad superfluitatem etiam eius qui indiget; sed melius esse impertiri etiam Eleemosynam aliis de eo quod alicui erogaretur superfluè.

Hoc probatur ex D. Ambrosio lib. 1. de Officiis, cap. 30. vbi ait: *Ne propinquioribus quidem ita esse faciendam Eleemosynam, vt ditiores inde fieri valeant.* Item: *Non esse opes effundendas, sed dispensandas*, nimirum habita ratione necessitatis eorum qui egent.

DEINDE idipsum confirmatur ex glossa interlineari in illud 1. ad Cor. 13. *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, &c.* Vbi ait glossa *Cautelam Eleemosynæ doceri, vt non vni sed multis detur, vt pluribus prosit.*

Ac ratione idem facilè probari potest. Nam cùm sint multi qui indigeant, multo satius est de pluribus quoad fieri possit bene mereri per Eleemosynam. Quare illud Tob. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue*, non ita intelligendum est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi sit tribuendum ad superfluitatē; sed sensus est, cum qui abundat debere subuenire aut pluribus aut maioribus necessitatibus, plura scilicet impartiendo, sed non vltra id quod est cuique necessarium.

Item docet etiam rectè D. Thomas abundanter quoque faciendam Eleemosynam, secundùm proportionem facultatum eius qui eam largitur. Quo nomine fuit laudata vidua Euangelica, quę misit duo minuta in Gazophylacium, quia scilicet habita ratione facultatum ipsius *plus omnibus dedit.*

Sed QVAERIT meritò in illo art.10. Caietanus, Vtrum dare Eleemosynam ad superfluitatem eius qui indiget, ita non sit laudabile (sicut diuus Thomas ait) vt etiam sit peccatum. Et respondet ad id optimè Caietanus per distinctionem: Nam dupliciter potest quis dare Eleemosynam ad superfluitatem recipientis. Vno modo intendendo vt habeat & retineat superflua; & sic constat esse peccatum ratione mali finis. Altero modo, non intendendo vt alter habeat superflua, sed vt habeat vnde possit non modò suæ necessitati prospicere, sed etiam aliis elargiri pro loco & tempore, &c. Et sic non est quidem peccatum Eleemosynam ad superfluitatem recipientis facere; sed tamen meritò videtur Caietano esse minus bonum & eatenus non laudabile. Nam melius esset si quis per seipsum bona sua ad subueniendum aliorum necessitatibus rectè dispensaret, quandoquidem id esset certius. Ac tale scilicet minus bonum putat esse Caietanus legare abundantissimè, vt inquit, Ecclesiis, vt illæ habeant etiam vnde possint aliis dare. Hactenus de quarto puncto principali.

PVNCTVM QVINTVM.

Ex quibus rebus Eleemosyna sit facienda, seu quæ sit materia Eleemosynæ.

D. Thomas art.7.

DISTINGVENDVM est inter res de quibus quæri potest, Vtrum ex eis possit aliquis Eleemosynam facere, atque adeo etiam teneatur in casibus explicatis puncto præcedenti. Nam vel sunt res manifestè *alienæ*; vel possidentur *in communi*, ita scilicet vt earū dominium competat in communi pluribus, vt sunt bona Collegiorum: vel possidentur ab aliquo vt *propria*. Et rursus quæ vt propriæ possidentur, contingit vel *honestè*, vel *turpiter* esse acquisitas. Dicemus igitur ordine de his omnibus generibus rerum.

PRIMVM igitur quod attinet ad res ALIENAS, constat inter omnes de eis non debere Eleemosynam fieri, nisi in casu extremę necessitatis proximi; cùm scilicet omnia sunt communia, vt docet D. Thomas artic.7.ad 3. Ratio est, quoniam Eleemosyna est largitio gratuita, vt ex supra dictis patet: Nemo autem potest alteri largiri & donare quod suum non est. Vnde etiam improbantur in Scriptura oblationes quæ de alieno fiunt ipsi etiam Deo. Vt Prouerb.3. *Honora*, inquit, *Dominum de tua substantia*, quasi dicat, non de aliena. Et Eccles.34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu Patris.* Quin etiam D. Ioannes 1. epist. cap.3. non nisi de propriis facultatibus Eleemosynam faciendam esse indicat, cum ait: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, &c.*

Nec verò licet argumentari, posse aliquem de rebus alienis Eleemosynam facere propterea quod Dominus illarum eam negligit facere cùm tenetur. Non enim est cuiusq; alterum adigere ad id quod facere tenetur, vt rectè in hoc proposito asseruit Ioannes Medina in tractatu de Eleemosyna quæst.4. Vnde AVGVSTINVS in lib.50. homiliarum homil.7. Et refertur à Gratiano in Decretis 14. quæst.5. can. Fortè, ita scribit: *Fortè aliquis cogitat & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi: Non habebo peccatum si suum illis abstulero & pauperibus dedero: Unde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero. Sed huiusmodi cogitatio ei, Diaboli calliditate suggeritur. Nam si tribuatio ei, etiam totum pauperibus quod abstulerat, addit potius peccatum quàm minuat*; quia scilicet de nouo peccat, alienando quod furto abstulerat, & ideo restituere potius tenebitur: itaque addit peccatum peccato, vt ait Augustinus.

Hoc tamen intelligendum est, quando quis de alieno facit Eleemosynam sine vllo consensu Domini. Nam ex consensu Domini expresso aut rationabiliter præsumpto, non est dubium quin possit fieri Eleemosyna de alieno. Et hoc modo interdum possunt quidam licitè de alienis facere Eleemosynam. Vt filij de bonis paternis, & vxor de bonis viri, & seruus de bonis heri, & religiosus de bonis monasterij: per consensum scilicet rationabiliter præsumptum, vt rectè notauit Medina vbi supra. Hæc de primo.

SECVNDO, Quod attinet ad res eas quæ in COMMVNI possidentur distinguendum est: Nam vel possidentur in communi *particulariter*, ita scilicet, vt certæ illarum portiones distribuendæ sint inter singulos: Vel possidentur in communi *collegialiter*, id est, non in singulos de communitate distribuendæ, sed dispensandæ ab ipsa communitate, vel eius, qui illius curam gerit; vt sunt quædam bona capitulorum, & bona monasteriorum, &c.

Prioris generis bona communia quæ scilicet possidentur *particulariter* non possunt in Eleemosynam dari nisi de consensu expresso vel rationabiliter præsumpto singulorum de communitate quorum interest, vt potest intelligi ex cap. Cum omnes, extra de Constitutionibus. Et ratio est,

est, quia fieret alioqui singulis iniuria, cum quilibet habeat certum & determinatum ius ad portionem aliquam cuiuscunque partis bonorum, quæ in Eleemosynas sine consensu singulorum daretur.

Posterioris autem generis bona communia, quæ scilicet possidentur *collegialiter*, possunt in Eleemosynam dari sine consensu omnium; ex consensu scilicet maioris partis communitatis vel eorum qui eius curam gerunt: vt colligitur ex cap. Cum in cunctis, Extra de iis, quæ fiunt à maiore parte capituli. Ratio est, Quoniam ad bonam administrationem eiusmodi bonorum pertinet etiam, vt in Eleemosynam aliquid ex eis distribuatur pro loco & tempore, &c. Ergo potest id facere vel ipsa communitas, id est, maior ipsius pars, vel is qui alias legitimè curam gerit communitatis; cùm ad hos pertineat ipsa bona administratio eiusmodi bonorū communium. Quam rem totam bene etiam asseruit Ioannes Medina vbi supra. Hæc de secundo.

TERTIO quod attinet ad res eas, quę vt PROPRIAE possidētur & honestè acquisitæ sunt, rursus est distinguendum. Nam si quis habeat illarum tum dominium, tum liberam & plenam administrationem, non est dubium quin de illis possit facere Eleemosynam, & debeat etiam in casibus puncto præcedenti explicatis. Si autem quis aut illarum administrationem plenam non habet, aut etiam ob aliquam causam amisit illarum dominium, & solum potest eis vti quantum opus est ad prouidendum suæ & suorum necessitati; non potest ex illis Eleemosynam facere, sicut nec eas donare aut aliter alienare.

Et quidem ob defectum plenę administrationis rerum suarum, mente capti, & minores, nequeunt Eleemosynam facere, vt ex communi doctrina notat rectè Medina in dicta quæst.4. Ob defectum autem dominij non possunt item Eleemosynas facere ij qui ob crimē lęsę maiestatis diuinę vel humanę, dominium rerum suarum ipso facto amiserunt à tempore scilicet commissi criminis, vt idem Medina loco citato notat, & pater ex communi & recepta doctrina quam tradit Syluester in summa, verbo Hæresis 1. num.13. & 14. Qui enim ob eiusmodi crimina dominium rerum suarum amiserunt, solummodo possunt eis vti ad necessitatem, tantisper dum eis actu non priuantur per sententiam iudicis competentis. Non possunt autem vltra necessitatem suam eiusmodi res distrahere. Quod adeo verum est, vt etiam contractus ab eis initi à tempore commissi criminis sint irriti, sicut Medina & Syluester notant locis citatis.

Hoc tamen intelligendum est procedere, vbi leges eiusmodi pœnam amissionis bonorum decernentes, retinent adhuc suum vigorem, nec sunt quoad hæc eneruatæ propter aliquas circumstantias vel consuetudines regionis, &c. Quando autem pœna amissionis bonorum ipso facto non incurritur, sed solum est incurrenda per condemnationem iudicis, vt in criminibus aliis capitalibus; potest is qui talis pœnæ est reus Eleemosynas facere dum non condemnatur, quandoquidem retinet interim dominium rerum suarum, vt rectè notauit Medina vbi supra. Hæc de tertio.

QVARTO. Quod denique attinet ad res eas, quæ vt propriæ possidentur, sed tamen TVRPITER sunt acquisitæ, distinctione similiter vtendum est. Nam potest acquisitio esse turpis dupliciter ex sententia D. Thomæ hic art.7. & aliorum communiter, quam bene & subtiliter explicat ibi Caietanus. PRIMO modo ob aliquam solùm circumstantiam actus, & quasi *accidentaliter*. Quo pacto acquiritur turpiter id, quod acquiritur ex meretricio; aut per negotiationem exercitam loco aut tempore prohibito, aut initam cum persona cum qua non licet, vt cum aliquo excommunicato nominatim: Vel per aliquam aliam eiusmodi actionem, quę habeat turpem aliquam circumstantiam. SECVNDO modo potest acquisitio esse turpis *per se*, vt acquisitio est, vel vt est talis acquisitio, puta per venditionem, aut ludum aut donationem, &c. Quia scilicet considerata natura actus vt acquisitio est, vel vt est talis acquisitio, itemque materia & obiecto eius, est illegitima & illicita: Quo secundo modo turpiter acquiritur, quòd acquiritur, verbi gratia, per *furtum*; quia scilicet eiusmodi acquisitio vt acquisitio est, est illegitima, cum sit acquisitio rei alienæ inuito domino.

Item quod acquiritur per *vsuram* vel aliquam aliam fraudem contra iustitiam; quia scilicet eiusmodi acquisitio considerata in specie, vt talis acquisitio est, nempe sine iusto titulo qui possit & debeat meritò compensari ex iustitia, est illegitima acquisitio.

Item quod acquiritur per donationem non plenè voluntariam & liberam, sed aliquo modo *extortam*, Vt quod acquirit meretrix per donationem extortam blanditiis, vt notat hîc Caietanus. Nam eiusmodi etiam acquisitio, vt talis est, scilicet per donationem quam oportet esse plenè voluntariam & liberam, est illegitima.

Item quod acquiritur per ludum, ad quem is qui lucratur, alterum aliquo modo *compulerit* ex cupiditate lucri: nam hæc etiam acquisitio, vt talis acquisitio est, scilicet per ludum, est illegitima. Quia vt D. Thomas & Caietanus hîc rectè docent, vt dominium legitimè transferri possit per actum ludendi, debet is actus esse plenè voluntarius & liber, & ordinari in primis ad ludentium recreationem per virtutem Eutrapeliæ, de qua agit D. Thomas infra q.168. Itaque si actus ludi non sit talis, vt non est in exemplo posito, acquisitio lucri per illum non erit legitima: maximè cùm lucrum ex ludo factum habeat alioqui nonnullam per se turpitudinem, vt diuus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thomas hîc artic.7.ad3. ex sententia Philosophi notat; quia scilicet lucratur quis ab amico cui potius largiendum esset.

Item acquiritur illo secundo modo turpiter id, quod acquiritur per *simoniacam* collationem alicuius rei spiritualis, quæ scilicet detur pro re temporali: Nam considerando acquisitionem talis rei temporalis, vt est in specie acquisitio per modum venditionis, habet omnino materiam indebitam, & sic est acquisitio per se illegitima; cùm res spiritualis sublimior sit quàm vt possit vendi pro re temporali. Atque eodem modo turpiter acquiritur id quod acquiritur ob sententiam iniustam vel falsum testimonium; quandoquidem iniusta sententia & falsum testimonium, non sunt res quæ possint meritò æstimari & compensari mercede aut pretio.

His positis statuam nunc aliquot Assertiones, ex quibus constet, quandonam liceat facere Eleemosynam ex rebus turpiter acquisitis, & quando non. PRIMA assertio. Ex rebus turpiter acquisitis priori modo, scilicet quando acquisitio ob aliquam solùm circumstantiam fuit turpis, licitè fieri potest Eleemosyna. Ita D. Thomas hîc artic.7. Et Caietanus ibidem. Et Ioannes Medina in tract. de Eleemosyna q.5. & alij Doctores communiter.

Probatur hæc assertio: Nam talium rerum, quę scilicet tantum ob illicitam circumstantiam turpiter acquiruntur, verè acquiritur dominium, licet ex causa turpi aut turpi modo, &c. vt patet in exemplis supra allatis. Nam etiamsi mulier (verbi gratia) turpiter agat prostituendo pudicitiam, tamen non agit iniustè accipiendo mercedem prostitutionis suæ, vt rectè D. Thomas hîc articulo septimo argumentatur. Quare poterit de eo quod acquirit, facere Eleemosynam. Item quamuis mercator negotians in sacro loco peccat contra virtutem religionis ob circumstantiam loci sacri, in quo exercetur negotiatio indecenter; tamè iustè acquirit id, quod per iustum alioqui contractum acquirit. Et idem iudicandum est de similibus.

Si tamen in aliquo casu esset scandalosum de huiusmodi rebus turpiter acquisitis Eleemosynam facere, illicitum id esset ratione scandali. Et ob hanc causam non licet de acquisito per meretricium facere Deo oblationem: vt docet D. Thomas hîc artic.7.ad secundum, iuxta Deuter.23. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Dei tui*, id quod nimirum prohibebatur solum propter scandalum ob sacrorum reuerentiam, vt ait D. Thomas.

SECVNDA Assertio. De rebus turpiter acquisitis posteriori modo, scilicet cùm acquisitio *per se* fuit turpis; si largitio ex parte eius qui dedit, non fuit turpis & illicita, sed licita; minimè licebit facere Eleemosynam, sed oportebit id quod acquisitum est, restituere ei qui illud dedit. Vt cum aliquis acquisiuit aliquid per vsuram. In hac assertione omnes etiam conueniunt. Pro cuius explicatione antequam probetur, annotandum est, quòd vt patet ex illis exemplis acquisitionis per se turpis, quæ antea attulimus, dupliciter contingit in variis casibus acquisitionem esse per se turpem: VNO modo ita, vt *largitio* tamen, non fuerit turpis, sed licita sicut accidit in casu nostræ secundæ assertionis. ALTERO modo ita, vt largitio quoque fuerit illicita & turpis; sicut vsu venit in casu quo quis acquirit aliquid per simoniacam collationem rei spiritualis. Nam tunc is etiam qui pecuniam aut aliam rem temporalem pro spirituali re dedit, turpiter & illicitè dedit. Et similiter is etiam, qui dedit aliquid pro sententia iniusta aut pro falso testimonio.

Atque hæc causa est, cur D. Thomas hîc articulo 7. & Ioannes Medina in dicta quæst.5. cum distinguunt modos turpis acquisitionis, vnicam solum diuisionem trimembrem faciant, nempe cum aiunt: Aliam esse acquisitionem turpem solum ob circumstantiam; aliam autem turpem per se, ita vt largitio seu datio sit quoque turpis; aliam denique ita turpem per se, vt largitio tamen non sit etiam turpis sed licita. Sed tamen commodius fit solùm illa diuisio bimembris, quam nos adhibuimus ex mente etiam eorundem auctorum, vt scilicet alia dicatur esse acquisitio turpis ex circumstantia, alia per se. Etenim illa alia duo membra, scilicet quòd contingat largitionem etiam esse turpem aut non turpem, non sunt propriè mẽbra diuidentia ipsam turpẽ acquisitionẽ, sed potius circumstantiæ quædam quæ possunt simul concurrere in casibus turpis acquisitionis. Verùm quidquid sit de modo ista diuidendi, ad institutum nostræ secundæ assertionis, satis nunc sit intelligere, illam à nobis statui de acquisitione turpi per se in eiusmodi casibus, in quibus contingit largitionem non esse etiam turpem, sed licitam.

Quo posito, probatur PRIMO illa nostra secunda assertio ex D. AVGVSTINO serm.35. de verbis Domini: *De iustis*, inquit, *laboribus fecit Eleemosynas: non enim corrupturi estis iudicem Christum, vt non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis: nolite velle Eleemosynas facere de fœnore & vsuris fidelibus dico, quibus corpus Christi erogamus.*

Neque obstat illud Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Vt enim ait Augustinus loco citato, *istud verbum Domini quidam male intellegendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere id quod ibi præceptum est: Intellectus iste*, inquit, *corrigendus est. Hæc ille.* Itaque *iniquitatis* dixit Dominus, vel quia non sine iniquitate eorum qui in eis spem constituunt, possidentur diuitię, & à talibus pręcipuè pro diuitiis habentur, sicut exponit Augustinus lib.2. quæstionũ Euangelicarum, quæst.34. Vel quia variis illecebris nostros tentant affectus & impellunt ad iniquitatem, vt Ambrosius illic interpretatur. Vel quia plerunque ab aliquibus antecessoribus iniquè acquisitæ sunt, vt exponit Basilius in sermone de diuite. Vel dicuntur diuitiæ *iniquitatis*, id est, inæqualitatis, quia inæqualiter contingunt hominibus, vt ait D. Thomas art.7.

TERTIA Assertio. De turpiter acquisitis posteriori modo, id est, cũ ipsa acquisitio est per se illegitima, tunc licet facere Eleemosynam, quando largitio etiam fuit prohibita & turpis, ita vt is qui dedit mereatur amittere id quod dedit, sicut contingit in acquisitione simoniaca. Ita docet D. Thomas hîc artic.7. Et Medina & Caietanus, vbi supra, & alij communiter. Probatur. Quia in casibus in quibus largitio etiam fuit illegitima, is qui dedit meretur amittere quod dedit, vt in illo casu simoniaco, vt ait D. Thomas artic.7.ad 2. in pœnam scilicet delicti: Ergo non debet id cedere ei qui dedit, sed Ecclesiæ, in cuius iniuria simonia commissa est, in pios vsus, atque adeo poterit dari pauperibus, vt docet etiam D. Thomas infra quæst.100. de simonia artic.6.ad 4.

Hoc tamen dupliciter intelligi potest. VNO modo vt hoc liceat facere non nisi interueniente sententia iudicis. Et sic putat hoc intelligendum Sotus lib.9.de Iustit. & Iure, quæst.9. art.1. Et Victoria in relectione de simonia. Ante sententiam enim iudicis putât restituendum ei qui dedit. Nam quòd res temporalis simoniacè acquisita debeat cedere Ecclesiæ, atque adeo possit distribui pauperibus, est lex Ecclesiastica pœnalis, quam non putant isti auctores obligare ante iudicis condemnationem; in quo supponunt legem illam esse de pœna amissionis illius rei temporalis infligenda, non autem incurrenda ipso facto.

ALTERO modo potest ita id intelligi, vt liceat statim rem illam temporalem dare Ecclesiæ, & non ei qui dedit, atque adeo possit distribui pauperibus. Quia scilicet illa lex pœnalis sit de amissione talis rei ipso facto incurrenda; atq; ita, cùm iam sit extra possessionem eius qui dedit, liceat illam statim dare Ecclesiæ, quippe cùm is qui dedit non habeat ius ad illam acquirendam, quandoquidem iam illam amisit. Et hoc modo D. Thomas hîc art.7. id videtur accepisse. Nam ait expresè, non debere fieri restitutionem ei qui dedit, sed pauperibus, nimirum per Prælatum Ecclesię. Atque etiam infra quæst.100.art.6. ad 4. vbi ait similiter pecuniam simoniacè acceptam debere restitui Ecclesiæ in cuius iniuriam data fuit. Medina etiam q.5. dicit pauperibus esse eroganda quæ accepta sunt simoniacè.

Et hanc posteriorem D. Thomæ sententiam puto esse probabiliorem; nam lex illa pœnalis illum potius sensum posteriorem videtur habere, vt videbimus infra in materia de simonia. Ac similiter asserit Medina in illa quæst.5. dandum esse pauperibus, quod turpiter est acquisitum pro iniqua sententia aut testimonio falso, vbi etiam largitio est per se turpis & illegitima. Hactenus de quinto puncto.

PVNCTVM SEXTVM.

Qui nam possint facere Eleemosynam.

D. Thomas art.8.

CONSTAT ex dictis puncto præcedenti, illos omnes & solos posse facere Eleemosynam, qui & *substantiam huius mundi habent*, vt loquitur Ioan. epist.1.cap.3. & liberam dispensationem rerum suarum; vel certè consensum expressum aut rationabiliter præsumptum eorum, qui habeant dominium rei, & liberam administrationem.

Quod cum ita sit, rectè D. Thomas hîc art.8. & alij communiter docent, nec filiumfamilias, nec vxorem, nec religiosum, nec seruum posse facere Eleemosynam sine suorum maiorum consensu expresso vel rationabiliter præsumpto, vt idem D. Thomas ibi in solutionibus argumentorum magis declarat. Quod potest confirmari etiam ex AVGVSTINO in epist.199. ad Ediciam, vbi ait: *Mulieri coniugatæ non licet dicere, facio de meo quod volo: nam & ipsa non est sui, sed capitis sui, id est, viri sui.*

Hoc tamen quoad filios, vxores, & seruos attinet, intelligendum est in rebus in quibus sunt subditi maioribus: nam si quid proprium habeant, vt si vxor habeat bona vt vocãt paraphernalia, & filius castrensia, vel quasi castrensia, poterunt ex iis absque consensu maiorum Eleemosynas moderatas facere, vt hîc art.8. ad 2. D. Thomas docet de vxore. Et Sylvester verbo Eleemosyna 5. & verbo Paraphernalia. Quod idem ait de filio, verbo Peculium, & verbo, Filius: nisi fortè peculiari lege alicuius prouinciæ interdicta vxori sit dispensatio bonorum etiam propriorum absque consensu viri, vt in Hispania lege peculiari interdictam esse dicit Bannes art.8.

Quæ lex fortè est illa cuius facit mentionem Didacus Couarruuias in Epitome libri 4. Decretalium, parte 2.cap.7.§.1. num.1. cum ait lege regni in Hispania prohibitum esse vxoribus, ne vllum contractum faciant sine consensu virorum.

Deinde etiam notandum, non esse parem rationem de ea, quæ non est coniunx, sed solum sponsa. Sponsa enim potest sine consensu sponsi Eleemosynam facere, vt D. Thomas art.8. ad 2. confirmat exemplo D. Luciæ, quæ inscio sponso perhibetur solita fuisse Eleemosynam facere, ex consensu nimirum matris, vt ait D. Thomas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SEPTIMVM.

Quibus facienda ſit Eleemoſyna.

D. Thomas art. 9.

GENERATIM dicendum eſt omnibus illis quos tenemur ex charitate diligere, poſſe ac debere in caſibus puncti quarti fieri Eleemoſynam, quando ea indigent, & quatenus indigent, atque adeo omnibus proximis indigentibus, ſiue iuſti, ſiue peccatores, ſiue qualeſcunque ſint. Nam primùm ita conuenit imitari Deum, qui etiam improbis neceſſaria affatim ſuppeditat; iuxta id quod legimus Iob. 12. *Abundant tabernacula prædonum & audacter prouocant Deum: cùm ipſe dederit omnia in manibus eorum.* Et Matt. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Deinde habemus de hoc ipſo præceptum illud Prouerb. 25. & Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus* (quantumuis peccator) *ciba illum, & ſi ſitit, potum da illi.*

Quod eſt obſeruandum contra VViclephum, qui apud Thomam VValdenſem tomo 3. lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 81. cenſuit, non eſſe peccatoribus dandam eleemoſynam. Cui errori videtur ſuffragari illud Eccleſ. 12. *Da miſericordi, & non ſuſcipias peccatorem.* Ad quod tamen rectè D. Thomas hìc art. 9. ad primum, reſpondet intelligendum eſſe quatenus homo eſt peccator; ſicut neque vt talis eſt amandus, bene autem vt proximus.

Sunt autem hìc præterea obſeruanda tria. PRIMVM eſt, Eo ordine Eleemoſynam faciendam eſſe quibuſcunque proximis, vt cæteris paribus præferantur ij, qui ſunt nobis coniunctiores: iuxta D. Thomam hìc ar. 9. & ea quæ fusè tradidimus quæſt. 4. de ordine charitatis. Quod poteſt confirmari ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 5. dicente: *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, &c.* Et ex D. Ambroſio lib. 1. offic. cap. 30. vbi ait: *Eſt illa probanda liberalitas, vt proximos ſanguinis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas; melius eſt enim, vt ipſe ſubuenias tuis quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere.*

SECVNDVM eſt: Non ſolum in propoſito reputari debere pauperes & egenos eos qui ob alicuius caſus vel infortunij neceſsitatem, inopiam patiuntur, ſed etiam eos, qui voluntariam paupertatem complexi ſunt, ſecuti conſilium Euangelicum; Nam id ſtudium perfectionis facit, vt non debeant tales acquirere proprium, etiamſi alioqui poſſent, atque adeo vt verè egeant, & licitè poſsint ſuſtentari de Eleemoſyna. Sicut infra in materia de ſtatibus defendemus contra impugnantes paupertatem & mendicitatem religioſorum.

TERTIVM eſt: In caſibus quibus pro arbitrio diſpenſantis Eleemoſynæ debent fieri, id eſt, in ordinariis neceſsitatibus ratione ſuperfluj, &c. integrum eſſe eas largiri quibus diſpenſator voluerit, & magis expedire iudicauerit, atque adeo quoſdam pauperes determinatè ab illis excludere ob aliquas circumſtantias, ſecluſo tamen ſcandalo: vt patet ex dictis puncto quarto. Secus autem, quando Eleemoſyna fieri debet propter extremam vel quaſi extremam neceſsitatem ipſorum pauperum, vt patet ex eodem puncto quarto.

Atque hinc poteſt facilè diiudicari, quatenus liceat vel non liceat ciuitatibus excludere peregrinos pauperes. Sunt enim in ea re diligenter ponderandæ circumſtantiæ pauperum & boni communis Rerumpublicarum. Et in primis etiam in eo genere cauendum eſt ſcandalum. Quæ omnia pendent ex circumſtantiis caſuum particularium. Hæc de Eleemoſyna.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMA.

De Correctione fraterna, quæ eſt quidam effectus externus Charitatis, & Eleemoſyna ſpiritualis.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 33.

DISSERVNT de hac materia Theologi in 4. d. 19. & Doctores Iuris Canonici in Decreto, 2. q. 1. Can. Si peccauerit, & 23. q. 4. & q. 5. & in Decret. Extra, de Accuſationib. Cap. Si quis Epiſcopus, & Extra. de Iudiciis, Cap. Nouit. Et Summiſtæ, Verbo, Correctio fraterna. Et quædam ad eandem materiam pertinentia ſcribunt ſancti Patres, cùm exponunt illud Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. ac nominatim ſanctus GREGORIVS NYSSENVS in Orationibus duabus: altera in eos, qui ægrè ferunt reprehenſiones: altera in eos, qui durius alios iudicant atque condemnant. Et S. AVGVSTINVS ſerm. 16. de verbis Domini, & in lib. de Correptione & Gratia; vbi concordare præcipuè nititur neceſsitatem & vtilitatem Correctionis proximi cum neceſsitate diuini auxilij ad pias actiones.

Nos omnia complectemur his quinque punctis. PRIMO, *Quid ſit Correctio fraterna.* SECVNDO, *An ex diuino præcepto adhibenda ſit, & quando.* TERTIO, *A quibus adhibenda ſit.* QVARTO, *Quibus adhibenda ſit.* QVINTO, *Quomodo adhibenda ſit.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam ſit Correctio fraterna.

D. Thomas art. 1.

NOMINE Correctionis fraternæ cómuniter à Theologis intelligitur qualiſcunq; ſermo, quo quis vel monendo, vel reprehendendo, vel hortando, vel rogando, vel quidpiam indicando, vel alia huiuſmodi ratione nitatur proximum à peccato reuocare, & ad officium, virtutemq; traducere, ſpectando in hoc propriè bonum particulare ipſius proximi. Atq; huiuſmodi actum erga proximum Theologi quidē indifferenter nominare ſolent tum *correctionem* tum *correptionem*. Quamuis hęc Latina vocabula, ſi eorum vis attendatur, non planè idem ſignificent. Nam *corrigere* proprièeſt ita ſermone impellere proximum ad bonum, & à malo deterrere, vt reipſa quoq; & efficacitèr ad frugem meliorem reducatur; iuxta illud Eccleſ. 1. *Peruerſi difficile corriguntur*; id eſt, à malo reuocantur: Et illud Terentij in Andria:

Corrigere mihi gnatum porro enitere.

Corripere autem eſt tantummodo id eniti, proximum reprehendendo; ſiue id reipſa quis conſequatur, vt ſcilicet proximus emendetur, ſiue non. Quam horum vocabulorum differentiam indicauit quoque S. AVGVSTINVS lib. 1. de ciu. Dei, cap. 9. vbi arguit homines alioqui bonos, ſed ita meticuloſos, vt licet improbos & facinoroſos *non in tantum metuant, vt ad ſimilia perpetranda, quibuslibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant, ea ipſa tamen, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cùm fortaſſe poſſint*, inquit, *aliquos corripiendo corrigere.* Et ſerm. 16. de verbis Domini · *Debemus*, inquit, *amando corripere, non nocendi auiditate, ſed ſtudio corrigendi.*

Sed, vt dixi, vſu Theologorum indifferenter Correptio & Correctio nominatur qualiſcunq; ſermo, quo quis nitatur proximū emendare; ſiue illius emendatio ſequatur ſiue non. Itaq; Correctio ſeu Correptio fraterna ſic accepta, ex mente D. Thomæ hìc art. 1. & aliorum Theologorum in 4. diſt. 19. poteſt hoc modo definiri: Correctio fraterna eſt actus Miſericordiæ, atq; adeo etiam charitatis, quo quis ſubuenit neceſsitati ſpirituali proximi, enitens eum à peccati malo ad virtutis bonum reuocare per conuenientem aliquem & idoneum ad id ſermonem.

Explicemus nunc ſingulas huius definitionis particulas. PRIMO diximus, Correctionem fraternam eſſe *actum Miſericordiæ*. Id patet, quoniam reſpicit obiectū formale virtutis Miſericordiæ, ſcilicet ſubleuationem alienę miſeriæ ſpiritualis, conſiſtentis in peccato proximi; & ideo eſt quædam Eleemoſyna ſpiritualis, vt patet ex dictis q. præced. p. 2. Et quamuis ſit actus quidā exterior, tamen ſub hac ratione, qua eſt ſubleuatiuus neceſsitatis proximi, elicitiuè eſt ab ipſa interna virtute Miſericordiæ in genere moris, vt generatim de omni eleemoſyna explicaui q. præced. p. 1. Atq; eſſe Correctionem Miſericordiæ actum, indicauit etiā Propheta Dauid illis verbis Pſal. 140. *Corripiet me iuſtus in Miſericordia & increpabit me: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vbi correctionem præfert blandæ adulationi.

SECVNDO diximus, esse etiam actum *charitatis*, nimirum mediante misericordia, eo modo quo in dicta q.præced.p.1. generatim explicauimus omnem eleemosynam sic esse actum charitatis. Propter quam causam dicit hîc Caietanus art.1. Correctionem esse actum misericordiæ *elicitiuè*; charitatis autè *imperatiuè*: & ita intelligendum esse ibi D.Thomam, cùm asserit esse actum charitatis, nam sic etiam ipse D.Thomas q.32. a.1. explicauit, actum eleemosynę generatim esse actum charitatis, scilicet mediatè & imperatiuè.

Atq; hoc quidem verum est, si Correctio consideretur, vt formaliter est subleuatiua miseriæ spiritualis proximi; Sic dicimus, eam non nisi imperatiuè & mediatè esse actum charitatis, mediante scilicet misericordia, cui charitas proximè imperat. Quemadmodum sic etiam est directiuè à virtute prudentię, quę præscribit & statuit modum omnibus actibus virtutum, vt notauit rectè hîc Caietanus, & ipse D.Thomas art.1.ad 1.

Si autè quis per Correctionem intendat quoque formaliter & immediatè liberare proximũ à peccato, vt peccatum est malum quoddam contrarium bono spirituali, quod per charitatẽ vult proximo; non est negandum, quin Correctio sit etiam elicitiuè actus charitatis. Potest namque idem actus moralis diuersa ratione pertinere immediatè & elicitiuè ad diuersas simul species & virtutes in genere moris, vt patet ex iis, quę disseruimus tomo 2.q.1.de Beatitudine p.3.

Porrò aliquo tandem modo Correctionem esse charitatis actum, indicauit Dominus Matth. 18. illis verbis: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum, &c.* Fratrem enim appellauit eo loco proximum, vt commoneret, corrigendum esse ex dilectione fraterna. Sicut etiam Apostolus 2.ad Thess.3. cùm de homine inobediente scribit: *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.* Ac propterea quoque significat aliâs Scriptura magnum impędi beneficium proximo per Correctionem, quia scilicet est præcipuus quidam effectus beneuolentiæ & charitatis. Vt Prou.27. *Melior est manifesta correptio quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Et Eccles.7. *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.*

Hinc S. GREGORIVS NYSSENVS oratione in eos, qui ægrè ferunt reprehensiones, eo etiam nomine tales insectatur, quòd negligant & aspernentur præclarum hoc beneficium, vtpote *munus non manuum, sed rationis & orationis, quæ sunt in homine pulcherrima*, cùm in his excellat propriè reliquis animantibus. Et ideo etiam S. AMBROSIVS lib.3. de officiis, cap.16. affirmat honestæ & laudabilis amicitiæ officium esse quoque correptionem: *Sunt enim, inquit, bonæ correptiones, & plerumque meliores, quàm tacita amicitia. Et si lædi se putat amicus, tu tamen corripe, &c.* Ac de Deo ipso legimus Prouerb.3. *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi.*

TERTIO diximus, per actum fraternę Correctionis *subueniri necessitati spirituali proximi, &c.* Quibus verbis indicatur differentia Correctionis fraternæ, à Correctione iuridica. Nam vt rectè docet D.Thomas ar.1. Correctio iuridica per se & primariò spectat bonum non ipsius delinquentis, sed aliorum, qui per peccatum vnius lædumtur aut scandalizantur, & bonum commune, quod etiam turbatur per cuiusq; peccatum, quatenus vnusquisque est pars quędam communitatis. Et ideo hæc iuridica Correctio est propriè actus iustitię vindicatiuę, quę tuetur bonum commune & bonum iustitiæ inter partes communitatis: propter quod bonum aliquãdo etiam proceditur ad punitionem delinquentis. Correctio autem fraterna, de qua nunc agimus, fit propriè & per se propter bonum proprium ipsius delinquentis, cuius nimirum spirituali necessitati per hanc Correctionem subuenitur: & ideo, vt dictum est, propriè est actus misericordię & charitatis.

POSTREMO diximus, Correctionem fraternam fieri per sermonem *conuenientem & aptum ad eum finem, vt proximus emendetur.* Variis enim modis ad hunc finem sermo institui potest: scilicet vel monendo, vel reprehendendo, vel hortando, vel docendo, vel indicando etiam peccatum alicui alteri; iuxta ea quæ p.3. trademus. Quain re considerandum est, quid status & conditio delinquentis exigat, ad quem nimirum Correctio quàm accommodatissima esse debet, vt sit fructuosa.

Rectè namque S. GREGORIVS NYSSENVS oratione in eos, qui reprehensiones ęgrè ferunt: *Perunicacem*, inquit, *oratione in alium traducemus habitum, vsui præsenti congruentem: Et quomodo obsoniis parum adhibeatur condimẽti in contrarias transeunt qualitates, mutata ab acerbo in dulce, & à dulci in acerbum: Ita etiam nostra oratio adiectis figuris in vsum diuersum transformatur; vt cogitetur, quod est aptum ad vnumquemque alendum.* Quid igitur sit Correctio seu Correptio fraterna, ex his patet.

PVNCTVM SECVNDVM.

An ex diuino præcepto Correctio fraterna sit adhibenda, & quando.

D. Thomas art.2. & 6.

FERVNT quidam tempore S. AVGVSTINI, qui existimabant Correctionem non modò non esse ex diuino præcepto necessariam, sed neque posse vllum habere locum; siquidem homo piè viuere non potest absque diuinæ gratiæ auxilio. Sic enim (referente Augustino lib. de Correptione & Gratia, cap.3.) ex hac gratię necessitate colligebant: *Ergo*, inquiunt, *præcipiant tantummodò nobis quid facere debeamus, qui nobis præsunt, & faciamus, pro nobis orent: Non autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus.*

Atque

Atque eundem planè errorem coguntur admittere Sectarij huius temporis, hoc ipso quòd sentiunt hominem in piis & salutaribus actionibus merè passiuè se habere, nõ autem actiuè per liberũ arbitrium, quo simul cum gratia concurrat ad eas actiones, sed à sola gratia eas proficisci. Nam si ita est, frustrà quis conabitur per correptionem suadere proximo, vt piè viuat: si id non est vllo modo in libera hominis potestate.

Sed ex fide certissimum est, Correctionem fraternam non modò vtilem esse, sed etiam necessariam ex diuino præcepto obligante sub peccato mortali concurrentibus iis circumstantiis, de quibus postea dicemus. Ita docet D.Thomas hic art.2. & communiter omnes Theologi in 4.d.19. & Canonistæ super cap.Nouit. Extra. de iudiciis, & super Can. Si peccauerit 2.q.1.

Probatur hæc assertio PRIMO ex Scriptura. Leuit.19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè* (id est, apertè) *argue eum.* Vbi præceptum morale de corripiendo datur, sicut de non odiendo. Quod apparet clariùs ex textu Hebraico, qui sic habet: *Corripiendo corripies proximum tuum, & ne feras super illo peccatum.* Et Eccles.11. *Cùm interrogaueris, corripe iustè.* Et cap.19. *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat: Non feci: aut si fecerit, ne addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit; & si dixerit, ne forte iteret; Corripe amicũ: sæpè enim fit commissio, &c. Corripe proximum antequam commineris; Et da locum timori altissimi.* Quo loco tam crebrà eiusdem rei repetitio præceptum indicat: Atq; id etiam, quod similiter additur postremò; *Da locum timori altissimi.* Vbi nõ est dubium quin proponatur diuinum præceptum. Et Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum, &c.* Quod idem legitur apud Lucam cap.17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, &c. Et si pœnitentiam egerit, dimitte ei.* Quibus vltimis verbis sine dubio indicatur ignoscendi præceptum; atq; adeo etiam illud alterum de corripiendo est præceptum sicut illud de dimittendo. Vnde S. AVGVSTINVS serm.16. de verbis Domini, recitata hac Christi sententia: *Hoc*, inquit, *audiuimus Dominum monentem, & tanta cura præcipientem.*

Quod autem in eo præcepto ait Dominus: *Si peccauerit in te, &c.* dupliciter exponi solet; VNO modo, in te, id est, contra te. Qui sensus patet ex eo, quod ibidem subiungit Petrus: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Mat.18.* Et sic exponit HIERONYMVS & CHRYSOSTOMVS ibi. & AMBROSIVS in cap.17. Luc. & HILARIVS can.18. in Matth. ALTERO modo, in te, id est, te sciente, siue peccet alioqui contra te, siue non; nam eo ipso peccat quis aliquo modo contra aliquem, quòd eo sciente peccat, quasi testem & approbatorem eum faciens suæ iniquitatis: item quia eo ipso scandalizat, quantum in ipso est, conscium criminis.

Et hoc etiam modo exponit eum locum sanctus AVGVSTINVS serm.16. de verbis Domini: *Peccauit*, inquit, *in te frater tuus, si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccauit. Nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis fecit.* Et paulo post: *Quando me*, inquit, *audiente fratri meo quisquam iniuriam facit, prorsus & mihi fecit: imò mihi plus fecit, cui putat placere quod facit.* Ita etiam id exponit Lyranus in eum locum, & S. Thomas quodlib.11.art.12.

Et iuxta hanc expositionem (quæ tamen primam minimè excludit) præceptum ibi datur de corripiendo proximum quomodocunque peccantẽ, siue contra nos, siue contra Deum solùm peccet. Id quod pro certo supponunt omnes Doctores, & nominatim S. AVGVSTINVS in dicto sermone, concludens ex ea Domini sententia sic: *Non solum quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, nesciente altero, in secreto debemus corripere, &c.*

Dato etiam quòd hic locus intelligi deberet tantùm priori modo (scilicet de peccato contra fratrẽm) tamen duplici ratione possemus manifestè colligere ex hoc loco præceptum diuinum de corripiendo proximum qualitercunque peccantẽ, siue contra nos, siue contra solum Deum. PRIMO *à paritate* rationis: Nam peccantem contra nos iubemur ibi corrigere, non ideo propriè, quia peccat contra nos, sed quia omnino peccat, & offendit Deum, & perdit animã suam; id quod facit etiam is, qui peccat mortaliter contra solum Deum. Debemus ergo corripere quemcunque ita peccantem, non nostra causâ, sed causa salutis ipsius. Huc enim spectat, quod Dominus ibi subiunxit: *Si te audierit, lucratus eris fratrẽ tuum.* Et rectè in hanc sententiam S. AVGVSTINVS serm.16. de verbis Domini: *Quare*, inquit, *fratrem corripis? Quia sic dolet quòd peccauerit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis; si amore illius facis, optimè facis.* Et infrà: *Quando ergo*, inquit, *in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis*, inquit, *nam gloriosum est iniurias obliuisci; sed obliuisci iniuriam tuam, non vulnus fratris tui.* SECVNDO idipsum colligitur etiam *à fortiori.* Nam si debemus ex charitate corripere eum etiam peccatorem, qui nobis iniuriam facit; ergo multo magis peccatorem, qui nihil nobiscum inimicè agit; siquidem magis tenemur ex charitate diligere amicos, atq; etiam non inimicos, quàm eos qui nobis inimicè aduersantur. Et hactenus de prima probatione ex Scriptura.

SECVNDO probatur assertio nostra auctoritate duorum summorum Pontificum, scilicet Innocentij III. & Anacleti. Nam Innocentius III. in capit. Cùm ex iniuncto. Extra de hæreticis, ita dicit: *Aliud est, fratrem in se peccantem occultè corripere, quod quisq*, inquit, *tenetur efficere secundum regulam Euangelicam, &c. Aliud, fratrem suum delinquentem manifestè reprehendere, &c.* Anacletus etiam 24.quæst.3. canon. Tam Sacerdotes, sic ait: *Tam Sacerdotes quàm reliqui fideles omnes summam curam habere debent de iis, qui pereunt; quatenus eo-*

rum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum redargutione corrigantur à peccato, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.

TERTIO probatur ex Patribus. ORIGENES homil.3.in Leuiticum: *Vis*, inquit, *scire quia consentiant hæc Euangelicis præceptis? Dominus inquit, Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te, & ipsum solum, &c.*

S. BASILIVS in Moralibus, summa 52. cap.2. inter alia diuina præcepta ponit etiam, *quòd non oportet silere dum peccantes vides*; idque confirmat testimonio Domini Luc.17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa ipsum.* Et Apostoli Ephes.5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, imò etiam redarguite.*

S. CHRYSOSTOMVS hom.60. in Matthæum: *Nam si*, inquit, *non est nobis satis ad salutem, quòd virtuosè viuamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare; cùm neque nos rectè viuamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? quæ nobis spes salutis reliqua erit? &c.*

S. HIERONYMVS in Psal.140. circa illud: *Corripiet me iustus, &c.* eum qui fratrem non corripit, comparat cum medico, *qui si videat*, inquit, *in corpore carnes putridas, & dicat, quid ad me pertinet? sciat*, inquit, *quia crudelis est, &c.*

S. AVGVSTINVS serm.16. de verbis Domini: *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum. Si neglexeris, peior es. Ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo graui seipsum vulnere percussit; Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, & negligis? Peior es tacendo, quàm ille conuiciando.*

S. GREGORIVS lib.12. Registri epist.31. ad Felicem Episcopum Siciliæ: *Saluator*, inquit, *inter cætera de peccante in se fratre præcipiendo ait: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, &c.* Matth.18. & Luc.17. Quod Domini præceptum passim etiam alij Patres agnoscunt.

QVARTO probatur assertio ratione, idque quadrupliciter. PRIMO ex ipsa *natura* charitatis & amicitiæ, qua debeat proximi omnes esse inter se deuincti. Nam ea postulat, vt qui proximo in re tanta, quanta est salus animi, subuenire potest, id facere non negligat. Quæ ratio ostendit præceptum Correctionis esse etiam naturale, vt illud etiam agnouit Philosophus lib.9. Ethicor. cap.3?

SECVNDO ex eo, quòd omnes sumus inuicem *membra* eiusdem corporis Ecclesiæ, cuius caput est Christus. Est autem naturale membris, vt se mutuò foueant & iuuent, quoad fieri potest.

TERTIO ex eo, quòd omnes sumus etiam tanquam *commilitones* in hac vita, quæ est quædam spiritualis militia, iuxta illud Iob 7. *Militia est vita hominis super terram.*: & illud Apostoli ad Ephes.6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, sed aduersus principes & potestates, &c. contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Pertinet autem ad commilitones, vt se inuicem quoq; iuuent ad propulsandas machinationes hostium: sicut ad hoc proposition rectè argumentatur Durandus in 4. d.19. q.3. num.7.

QVARTO per locum *à minori ad maius.* Nam extat præceptum diuinum de facienda eleemosyna corporali, vt ostendimus q.præcedent.p.4. Ergo multo magis de facienda eleemosyna spiritali, qualis est ista Correctionis fraternæ. Siquidem multò præstabilius & magis necessarium proximo est bonum spirituale animi, quàm temporale corporis.

FVNDAMENTVM verò illorum, qui tempore Augustini (vt initio memoraui) contendebant, non esse homines corripiendos, si absque gratiæ auxilio nequeunt piè viuere, facilè euerti potest. Nam auxilium gratiæ ad id sufficiens nemini deest, & culpa hominis est, si cãreat auxilio etiam efficaci, quo piè viuat; vt fusè probauimus tomo 2.q.3.de Gratia p.4. Quare nõ tantùm *præcipienda* pietas hominibus est, & pro eis *orandũ* (vt illi obiiciebant) sed etiã *corripiendi* sunt, si non piè viuant.

Id quod Apostoli exemplo & auctoritate pulchrè S. AVGVSTINVS confirmat lib. de Correptione & Gratia, cap.3. PRAECIPIT, inquit, *Apostolus dicens, 1.Cor.16. Omnia vestra in charitate fiant.* CORRIPIT *dicens, 1.Cor.6. Iam quidem delictum est in vobis, quia iudicia habetis vobiscum.. Quare enim non magis iniquitatẽ patimini? Quare non potius fraudamini? &c.* ORAT *cùm inquit, 1.Thess.3. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate in inuicem & in omnes. Præcipit vt habeatur charitas: Corripit quia non habetur charitas: Orat vt abundet charitas.* Tum addit Augustinus: *O homo, in* PRAECEPTIONE *agnosce, quid debeas habere: In* CORRECEPTIONE *agnosce quid debeas habere: in* ORATIONE *agnosce TVO te vitio non habere: in* ORATIONE *agnosce VNDE accipias, quod vis habere.* Quo locus Augustini multum sanè confirmat ea, quæ de possibilitate obtinendæ gratiæ efficacis diximus tomo 2.loco citato.

Quòd autem Sectarij censent, hominem impiis actionibus merè passiuè sese habere (ex quo etiam esset consequens, neminẽ debere corripi vt initio diximus) illic etiam q.7. de Gratia p.5. satis superq; refutauimus. Quare maneat extare omnino præceptũ diuinũ de Correctione fraterna obligans ex suo genere sub peccato mortali.

SED cùm præceptum istud sit ex genere præceptorum *affirmatiuorum*, quæ vt notat D. Thom. hîc art.2.& alij Theologi communiter, non obligant pro omni tempore (sicut præcepta negatiua, vtpotè vetantia actus malos, qui nunquam licent) sed solùm pro loco & tẽpore, concurrentibus quibusdam circumstantiis: QVAESTIO iam est, quonam tempore & quibusnam circumstantiis concurrentibus teneatur quis præceptũ illud fraternæ Correctionis adimplere sub peccato mortali vel veniali. Sunt autem in hac quæstione quædam apud Doctores certa, & quædam etiam controuersa; de quibus ordine dicendum est.

PRIMO certum est, non teneri aliquem sub mortali ad corripiendum proximum concurrente aliqua ex his septem circumstantiis. PRIMA est, si quis nec certò nec probabiliter sciat peccatum proximi. Nõ enim obligat præceptum correptionis, nisi eum; qui peccatum fratris nouit: contra illud: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* id est, te sciente, vt antè explicauimus. Neque tenetur is qui priuata persona est, indagare & inquirere aliorum peccata, ad eum finem, vt corripiat; sicut rectè docet S. Thomas hic art.2. ad 4. & Caietanus in summa, verbo, Correctio fraterna. Et Syluester eodem verbo, num.3.& alij communiter. Tum quia non cuiuis integrum est explorare, & agere vitæ alienæ; Esset enim contra illud Proverb.24. *Ne quæras impietatem in domo iusti, & vastes requiem eius.* Tum quia scientia peccati alieni non est aliqua scientia iuris communis, quam omnes acquirere teneantur, sed cuiusdam particularis facti, ad quam idcirco procurãdam non nisi ij tenentur, quibus peculiariter incumbit ex officio cura aliorum; vt neque ad indagandam necessitatem corporalem proximi, sicut suprà ratiocinabamur q. præced. de Eleemosyna p.4. Tum denique quia esset priuatis hominibus planè intolerabilis ea obligatio, cùm sint innumerabiles proximi, de quibus æquè inquiri posset, num aliquo peccato sint obstricti, quod correptione indigeat. Accedit huc etiam expressa auctoritas S. AVGVSTINI serm.16. de verbis Domini: Vbi præceptum illud correptionis explicaturus ita sermonem suum inchoat: *Admonet, cat a nostra; non quærendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas.* nos Dominus noster non negligere inuicem pec-

SECVNDA circumstantia est, si constet, proximum iam resipuisse à peccato. Nam vt notat Syluester verbo Correctio, num.2. & alij omnes supponunt, correptio non est necessariò faciendà nisi de peccato, in quo quis perseueret, aut quod alioqui commissurus videatur. Si autem sit planè præteritum, neque eo amplius sit obstrictus proximus, potest quidem corripi iuridicè & puniri à prælato propter bonum commune & aliorum exemplum; non autem fraternè correptum bonum proximi, remouendo ab eo culpæ malum; id quod non habet locum, quando proximus resipuit. Atq; isto sensu potest accipi quod Glossa in Can. Si peccanerit 2.q.1. asserit, correptionem *de peccato præterito* ad solos Prælatos spectare; id quod etiam dixit Glossa in ca. Qui alios, extra, de hæreticis. Quam isto modo non immerito intellexit vbi suprà Syluester.

TERTIA circumstantia est, Si quis vel certò vel probabiliter sibi persuadeat, se nihil effectum correptione sua apud proximum, vt notat Richardus, in 4. d.19. art.2. q.1. & Durandus ibidem q.3. art.3.& alij communiter. Nam vt intelligi potest ex doctrina D. Thomæ hîc art.6. quòd non est ex præcepto necessarium; nisi vt conducat ad aliquem finem; minimè est necessarium

cessante tali fine: Hanc enim vim habet, quod D. Thomas ait, quæ sunt ad finẽm, esse regulanda prout exigit ratio finis. Sed correptio fraterna non est ex præcepto necessaria, nisi prout conducit ad emendationem fratris, tanquam ad finem scilicet, quem sibi proponat is, qui corripit: Ergo non erit correptio ex præcepto necessaria, cùm talis finis cessat, id est, cùm meritò quis non sperat talem finem, quia scilicet certò aut probabiliter iudicat eum non secuturum.

Nec valet argumentum, quod posset contra hoc ita OBIICI: Cessante fine legis in aliquo particulari, non propterea cessat in eo legis obligatio. Nam tenetur aliquis ieiunare in Quadragesima, verbi gratia, etiamsi ipse alioqui non indigeat macerationecarnis, quæ est finis legis de ieiunio: Ergo neque in proposito cessat obligatio legis de correptione, etiamsi in casu particulari non speret quis emendationem proximi, atque ita cesset hic finis eius legis.

RESPONDENDVM est enim per distinctionem Antecedentis. Nam verum id est, intellectum de fine *extrinseco & mediato* actus imperati, atque adeo legis: cuiusmodi finis est carnis maceratio, respectu ieiunij; siquidem ieiunium habet alium quoque finem sibi intrinsecum & immediatum, nempe ipsum obiectũ formale suum, vt est actus virtutis temperantię. Falsum autem est illud Antecedens intellectum de fine *immediato & intrinseco* actus imperati, atque adeo legis; cuiusmodi finis respectu actus correptionis est emendatio proximi saltem moraliter & in intentione corripientis. Nam vt correptio est actus virtutis misericordiæ, pro obiecto formali habet subleuationem miseriæ proximi existentis in peccato, id est, proximi emendationem saltem moraliter in intentione corripientis: quod obiectum non habet in intentione & voluntate hominis vllum locum, quando is iudicat, minimè secuturam proximi emendationem.

QVARTA circumstantia est, quando quis non modò nihil se effecturũ apud proximum iudicat, sed etiam euasurum eum deteriorem si corripiatur. Tunc enim multo clariùs apparet, nõ teneri quempiam corripere proximum, sed potius debere correptionem intermittere, vt docet diuus Thomas art.6. & alij omnes. Atque hanc ob causam dicitur Prou.9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te*; & fiat nimirum deterior per id odium, sicut exponit Glossa ordinaria citata hîc à D. Thoma.

Idem docuit S. AVGVSTINVS lib.1. de ciuitate Dei, cap.9. vbi affirmat, ad charitatem potius pertinere, vt quis *corripiendis malè agentibus parcat, quia ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur.* Monet autem Caietanus ar.6. non parum in hoc genere solitos esse peccare eos, qui sæpius expertifilios aut domesticos suos à se correptos, deteriores & contumaciores fieri, pergunt tamẽ eos arguere non habentes rationem charitatis, quæ iubet tunc (vt diximus) desistere à correptione.

Est

Est autem hæc doctrina intelligenda, quando absolutè putatur proximus futurus deterior propter correptionem. Nam si tantùm putatur futurus deterior ad breue aliquod tempus, ægrè scilicet ferens correptionem, postea autem omnino ad se rediturus, & beneficium correptionis cogniturus, & se planè emendaturus; corripiendus esset, vt colligitur ex doctrina D. Thomæ in 4.d.19.q.2. art.2. quæstiuncula 2.ad 5. & notat ex ipso Adrianus in 4. sub finem materiæ de Indulgentiis, in quæstione de Correctione fraterna. §. *Et quoad secundam partem.* Nec tunc is qui corripit, cooperabitur nouo peccato proximi, sed tantum illud negliget ob maius bonum postea secuturum, scilicet ob seriam conuersionem & iustificationem eius, quæ postea speratur.

QVINTA circumstantia est, si quis certò aut probabiliter sciat, proximum vel per correptionem alicuius alterius, vel sua sponte se emendaturum; Tunc enim non teneberis ipse eum corripere, vt notat Caietanus in summa, Verbo, Correptio, ex communi sententia. Et ratio est aperta, nam talis non indiget tua correptione: ac proinde nec tu teneris eum corripere. Quemadmodum nec tenetur aliquis exhibere eleemosynam corporalem ei, cui nouit ab alio subuentum iri, vt docuimus quæstione præcedente p.4.

SEXTA circumstantia est, si quis expectet opportunitatem alterius temporis, quo possit fructuosius proximum corripere. Tunc enim non tenetur statim eum corripere, sed laudabiliter in illud aliud tempus id differet. Ita docet apertè S. AVGVSTINVS lib.1. de ciuitate Dei, cap.9. & D. Thomas hîc art.2. ad 3. & Syluester in summa, verbo Correctio num.2. & Nauarrus in Manuali cap.24. num.13. & Theologi communiter in 4.d.19. Ac ratio est in promptu. Nam cùm Correptio fraterna referri debeat ex charitate ad vtilitatem spiritualem proximi: minimè violatur ipsius præceptum, si ea differtur in tempus, quo omnibus consideratis futura sit proximo vtilior.

SEPTIMA circumstantia est, si peccatum proximi nec sit mortale, nec tale veniale, ex quo immineat ei periculum peccandi mortaliter, sed sit tantùm simplex veniale. Tunc enim non tenebitur quis sub peccato quidem mortali proximum corripere: vt notat Caietanus in summa, verbo Correctio fraterna, & Syluester, & Nauarrus, vbi suprà, post Antoninum 2.par. tit.16. cap.6. & alij communiter. Nam neque esset peccatum mortale cohortari proximum ad committendum simplex peccatum veniale: Ergo multò minus erit peccatum mortale non corripere ob simplex veniale. An autem teneatur quis sub peccato saltem veniali corripere proximum de veniali; dicemus posteà; est enim id controuersum. Nunc solùm dicimus, non esse id necesse sub peccato saltem mortali.

Nec sunt firma quædam duo argumenta, quæ contra hoc ipsum obiici possunt. PRIMVM est, quòd præceptum de correptione à Christo datum, Matth.18. obligat sub mortali; sicut omnes intelligunt: Sed id præceptum solùm videtur fuisse de correptione circa peccata venialia: Ergo maximè ad hæc in proximo corrigenda tenetur quis sub mortali. Minor probatur dupliciter. PRIMO ex ipso contextu Matth.18. Ait enim Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Frater autem non videtur esse nisi is, qui expers peccati mortalis nobiscum coniungitur vinculo charitatis; per quam scilicet sumus filij Dei, atq; adeo inuicem fratres. SECVNDO probatur eadem Minor auctoritate ORIGENIS, qui tract.6. in Matthæum, arbitratur ibi sermonem tantum esse de peccatis venialibus; adductus ratione, quam iam duximus ex contextu: quia scilicet qui peccat mortaliter, non sit reuera frater, sed nomine tenus, iuxta illud Apostoli 1.ad Cor.5. *Si quis frater nominetur in vobis; sit autem fornicator aut auarus, etc.* Quod ad hoc propositum citat ibi Origenes. Videtur enim Apostolus eo loco per antitheſin opponere fratribus veris eos, qui vllo modo deliquunt mortaliter, quasi hi nimirum non sint, sed duntaxat nominentur fratres.

SECVNDVM argumentum est huiusmodi: Quilibet tenetur sub peccato mortali auertere à proximo, si potest, damnum, quod alioqui is incurret per amissionem famæ, aut bonorum omnium temporalium: Ergo multo magis tenetur quisque sub peccato mortali auertere à proximo per correptionem damnum, quòd ille incurrit per peccatum veniale. Antecedens sine controuersia verissimum est. Consequentia probatur per locum à minori ad maius. Nam multo maius malum & damnum est peccatum veniale, quàm amissio famæ & omnium bonorum, atq; etiam vitæ; siquidem pro nullo huiusmodi malo temporali auertendo licet peccare venialiter. Sic ergo sub peccato mortali obligat charitas, vt auertamus à proximo malum amissionis eiusmodi bonorum: multo magis sub mortali obligabit, vt auertamus ab eo malum peccati venialis, si id facere possumus per correptionem.

Ad PRIMVM argumentum respondeo, falsam esse minorem. Omnino enim loquitur ibi Dominus de correptione mortalium. Quod ex ipso contextu tripliciter ostendi potest. PRIMO ex eo, quòd ait: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, nimirum qui antea perierat, vtiq; per peccatum mortale. SECVNDO ex modo, quem tam accuratè ibi præscribit seruandum esse in correptione, vt scilicet primò fiat secretò; deinde si opus sit, coram vno vel duobus testibus; & denique vt res deferatur ad Ecclesiam, si frater contumax fuerit. Quæ omnia facere non esset necesse propter peccatū duntaxat veniale. TERTIO ex eo, quòd addit, vt si ne Ecclesiæ quidem authoritate corrigatur, sit nobis *tanquam Ethnicus & Publicanus.* Quæ pœna grauior est, quàm vt ob cōtumaciam in peccato solùm veniali infligenda videatur.

Nec

Nec satis releuat huius pœnæ grauitatem, quod vt Origenes ait, non ibi dicitur, futurum reuera talem vt Ethnicum & Publicanum coram Deo etiam, sed vt à nobis quidem habeatur vt Ethnicus & Publicanus. Non est hoc satis. Nam & hoc ipsum grauior pœna est, quàm vt videatur debere incurri propter contumaciam in peccato solùm veniali.

Denique alij expositores non dubitant, quin ibi sit sermo de Correptione circa peccata mortalia; & nominatim S. AVGVSTINVS serm.16. de verbis Domini, vbi inter cætera sic ait: *Si te, inquit, ille, in quem peccasti, corripuerit, inter te & ipsum solum, & audieris illum, lucratus es te. Quid est lucratus es te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo lucratus es te?* Et infrà: *Peccasti*, inquit, *in fratrem, fac satis, & sanatus es. Citò fecisti mortiferam rem: sed remedium citò inuenisti.*

Falsa est itaque, vt dixi, primi illius argumenti Minor, scilicet non esse illic sermonem de peccatis mortalibus. Ad PRIMAM autem eius probationē respondeo, quamuis is, qui peccat mortaliter, non sit perfectè frater, per gratiam scilicet & charitatem, qua iusti sunt perfectiori quodam modo filij Dei, & inter se fratres; tamen ratione naturæ (quam omnes acceperunt à Deo, vt à communi omnium parente) esse aliquo modo fratrem, præsertim si habeat etiam fidem. Nam omnes etiam peccatores verè vsurpant illa verba orationis Dominicæ: *Pater noster qui es in cœlis, &c.* Et Apostolus quoque de eo etiam qui mortaliter peccaret, scribit 2.ad Thes.3. esse corripiendum vt fratrem: *Si quis*, inquit, *non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo vt confundatur; & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.* Et ibidem etiam dixerat: *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.* Quin etiam in illo alio loco 1.ad Corint,5. citato ab Origene loqui videtur de eo, qui non modò nominetur frater, sed etiam reuera sit, saltem per communionem etiam fidei, quantumuis sit peccator. Vel si loquitur de fratre peccatore, qui nō sit, sed nominetur tantùm frater, intelligi debet de fratre perfectiori illo modo per gratiam. Est autem alio modo frater etiam is, qui peccat mortaliter, vt iam ostendimus ex ipso etiam Apostolo. Ad SECVNDAM autem probationem petitam ex auctoritate ipsius Origenis, respondeo anteponendam esse illi in hac re auctoritatem S. Augustini & aliorum, qui locum illum intelligunt de Correptione ob mortalia peccata.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, negandam esse consequētiam. Ad eius autem probationem ita respondeo: Si causa, propter quam tenemur sub mortali auertere à proximo malum amissionis famæ & fortunarum omnium, esset propriè & præcisè posita in magnitudine huius mali, bene valeret illa ratiocinatio. At secus res habet. Non enim ob id propriè & præcisè tenemur à proximo auertere id malum, quia est tam magnum malum, sed in primis etiam ob talis mali qualitatem; nempe quia in vno quodam genere rerum, quæ per charitatem quoque expetendę sunt proximo, videlicet in genere rerum temporalium, est tam magnum & graue malum, vtpote priuans bonis in eo genere valde necessariis homini, quæ idcirco per legem mutuæ charitatis & amicitiæ, tenemur proximo procurare & conseruare, si possumus.

Hoc cùm ita sit, minimè licet hinc colligere, quoduis etiam malum & damnum spirituale, quod absolutè maius sit quàm temporale illud, debere nos multo magis sub mortali auertere à proximo; non enim est maius in illo eodem genere rerum: sed solùm potest inde colligi, debere nos magis sub mortali auertere à proximo malum spirituale, quod proportionaliter in genere quidem rerum spiritualium sit ita magnum & graue, atque est malum illud amissionis famæ & fortunarum in genere temporalium rerum. Tale autem malum in genere rerum spiritualium non est malum peccati venialis, cùm sit malum minimum in eo genere, nec priuet bono aliquo ad salutem simpliciter necessario; sed malum peccati mortalis, quod est malum in eo genere grauissimum, vtpote priuans hominem diuina gratia, sine qua non est salus. Quapropter de peccato mortali, non autem de veniali tenemur sub peccato mortali corripere proximum. Hæc doctrina satis dilucidè declarat infirmitatem illius consequētiæ secundi argumenti, quam dixi negandam.

Et certè si illa forma consequentiæ valeret, æquè, imo multo magis probaret, vnumquemque teneri sub peccato mortali fugere & vitare quoduis peccatum veniale, ac proinde quotiescunque aliquod veniale peccatum quis admittit, peccare illum eo ipso mortaliter. Formabo enim similis formæ consequentiam hoc pacto: Vnusquisque tenetur sub mortali à se amoliri & auertere malum amissionis famæ & vitæ, &c. & quidem multo magis quàm teneatur alius erga suum proximum id facere, cùm quisque debeat se magis diligere, quàm alius ipsum: Ergo tenebitur quisque multo magis sub mortali amoliri à se & fugere malum peccati venialis, quod est absolutè malum maius. Sed neque hîc valet hæc forma consequentiæ: vt patet ex ratione, quam reddimus.

Itaq; maneat, nec teneri aliquem sub mortali corripere proximum concurrente illa circumstantia septima, quam diximus, scilicet si peccatum proximi sit tantummodo simplex veniale: vt neq; etiam concurrente aliqua alia ex illis septē, quas hactenus exposuimus. Atq; hoc est id, quod diximus apud omnes esse PRIMO certum.

SECVNDO certum est, obligari sub mortali aliquem ad corripiendum proximum tunc, cùm simul concurrerint circumstantię septem oppo-

o sitæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitæ prædictis illis septem, ob quarũ vnamquamque ostendimus eam obligationem cessare. Itaq; tenebitur quis sub mortali corripere, si PRIMO, sciat certò aut probabiliter peccatum proximi. SECVNDO, & ab eo peccato proximus non resipuerit. TERTIO, & spes sit emendationis. QVARTO, & non timeatur proximus euasurus propter correptionem absolutè deterior. QVINTO, nec putetur per se aut per alicuius alterius correptionem se alioqui emendaturus. SEXTO, nec expectetur opportunitas commodior proximum fructuosius corripiendi. SEPTIMO, & deniq; peccatum proximi non sit simplex veniale, sed mortale, aut veniale periculosum. His omnibus circumstantiis simul concurrentibus, certum est teneri nos sub mortali proximum corripere. Nam vel nunquam, vel tunc certè proximus censeri potest premi spirituali necessitate & indigere nostra Correptione: Præcepta autem affirmatiua obligantia sub mortali (quale esse vidimus istud de Correptione) obligant pro tempore necessitatis, vt ex communi doctrina constat.

TERTIO certum est, si sumamus aliquanto latius Correctionis vocabulũ, vt significet quamcunq; commonitionem, qua proximus simpliciter in re aliqua doceatur veritatem; corrigi debere etiam eũ, qui ex ignorantia inuincibili iuris diuini aut naturalis aut humani, committit vel omittit aliquid, & alioqui committere aut omittere sit peccatũ mortale, & maximè si id cedat in præiudicium tertij: dummodò tamen talis cõmonefactio profutura putetur, & non obfutura, nec putetur alius id officium præstiturus. Patet: nam ignorantia etiam inuincibilis legum obligãtium sub mortali, præsertim diuinarum & naturalium, graue malum est, nec periculo vacat, cùm sæpè contingat, ignorantiam eiusmodi fieri vincibilem ex inuincibili, atq; adeo non amplius excusare à peccato. Item, quia habet etiam non mediocrem infamiam, si sit legum præcipuarum. Item, quia quędam talis ignorantia posset esse de actu necessario ad salutem necessitate medij, vt de fide Christi Redemptoris, aut sanctissimæ Trinitatis, iuxta ea quæ disput. 1. q. 2. tradidimus. Et denique quoniam talis etiam indicatio legum, & eruditio errantium, est quædam eleemosyna spiritualis, quæ pro l'oco & tempore & aliis circumstantiis proximo impendenda est, vt patet ex iis, quæ disseruimus q. præced. p. 2. 4. & 5. Maximè autem ad hoc tenentur ij, quibus ex officio incumbit aliorum cura, vt patet ex S. GREGORIO hom. 11. in Ezech. vbi adducit illud Pauli Act. 20. *Mundus sum à sanguine omnium: Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis.*

Eum autem, qui ex inuincibili ignorãtia non iuris sed facti, in particulari casu committit vel omittit, quod alioqui committere vel omittere esset mortale; si non id redundet in damnum tertij, aut non continuetur; non est necesse commonefacere, præsertim in materia iuris humani. Vt si quis, verbi gratia, omittit die aliquo festo interesse sacro, inuincibiliter ignorans esse festum diem. Nam vt rectè ait Nauarrus in Manuali cap. 24. nu. 12. talis nec peccat, neque est propterea in periculo peccandi: cùm ex illo facto particulari non sit consequens, talem peccaturum aliàs.

Dixi autem, si ignorantia facti non redundet in *damnum tertij*; Nam tunc omnino deberet quis commoneri, si spes esset fructus. Vt si quis vellet accusare innocentem tanquam reum homicidij, inuincibiliter putans esse nocentem, &c. Item dixi, si factum *non continuetur*; nam tunc etiam oporteret monere, propter periculum ne ignorantia fiat vincibilis, & tunc proximus peccet. Si tamen spes sit profuturam & non potius obfuturam talem admonitionem: aliàs minimè.

Propter cuius spei defectum plerumque fit, vt non expediat monere de inuincibili ignorantia facti in matrimonij materia. Vt si qui inuincibiliter ignorantes matrimonium inter ipsos fuisse inualidum, diu in eo vixerint, aut filios etiam procreauerint. Rarò enim talis admonitio potest fieri fructuosè, vt dicemus, Deo dante, in Disputatione de Sacramento Confessionis, tomo 4.

QVARTO certum est, si quis in casu, quo iuxta supradicta teneatur sub mortali fratrem corripere, omittat id facere, tamen excusari à peccato mortali, si id omittit facere, non ex amore sui vel timore prædominante tunc fraternę charitati, videns nimirum se posse & debere alioqui emendare fratrem; sed solùm ex quadam negligentia & tepiditate, ob quam nõ cogitet se tunc posse fratrem iuuare. Tunc enim solùm peccaret talis venialiter.

Ita docet D. Thomas communiter receptus art. 2. ad 3. ex mente S. AVGVSTINI lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 9. & explicat bene ibidem Caietanus, & in Summa, Verbo, Correctio fraterna. Vbi tamen notat fore tunc nihilominus mortale, si necessitas proximi esset valde grauis, siue extrema; vt si esset in periculo mortis, & obstrictus peccato aliquo mortali ex ignorantia culpabili, quam ipse tunc præsertim non facilè posset per se superare. Tũc enim hæc magnitudo necessitatis proximi ita præponderaret, vt omissio Correptionis etiam ex illa tepiditate orta, esset peccatum mortale. Nec dissentio in hoc à Caietano.

Atque hactenus quidem exposuimus QVATVOR pronunciata, quæ vt diximus, sunt certa apud omnes. Nunc antequam progrediar ad ea, quæ in hac re sunt controuersa, respondendum est ad nonnulla argumenta, quæ possunt fieri contra secundum pronunciatum, ad probandum ne in illo quidem casu, quo omnes illæ circumstantiæ concurrant, teneri aliquem sub mortali ad proximum corripiendum.

PRIMVM argumentum est, quòd rarò vel nunquam solent Confessarij interrogare, aut pœnitentes se accusare de hoc peccato. Itaque vel non extat præceptum de Correptione obligans sub mortali, vel omnes ferè sunt eius peccati Rei.

RESPONDEO, rarò etiam concurrere simul omnes illas circumstantias, quæ requiruntur vt id præceptum obliget, præsertim homines vulgares, & minoris apud alios auctoritatis, quàm vt ex eorum correptione sperari possit emendatio aliorum. Quòd si qui interdum (præsertim auctoritate præpollentes) corripere intermittant, cùm omnes illæ circumstantiæ subsunt; sine dubio grauiter peccant, & accusare se de hoc tenentur; sicut etiam Confessarij de hoc ipso interrogare debent pœnitentem, quando probabilem aliquam coniecturam habent, quòd huius peccati sit reus, neque ipse id declarat. Hoc fiab vtroq; negligatur, vterq; malè facit, & cæcus cæco ducatum præbens ambo in foueam cadunt.

SECVNDVM argumentum: Non semper tenetur proximus ipse sibi salutem procurare in illo casu concurrentium omnium illarum circumstantiarum, sed solùm pro tempore, quo obligat præceptum affirmatiuum de agenda pœnitentia, aut charitatis de diligendo se ipso & suam salutem: Ergo neque alter tenetur in illo casu procurare proximo salutem per correptionem. Probatur Consequentia. Nam non magis est aliquis obligatus proximo, quàm ipsemet sibi: cùm nemo teneatur magis proximum diligere, quàm ipse se.

RESPONDEO nullam esse argumenti Consequentiam. Nam vt actus Correptionis de alieno peccato proximi, differt ab actu simplicis dilectionis sui, & ab actu pœnitentię de peccato proprio, ita habet etiam suum quoddam tempus, quo est necessarius ex peculiari suo præcepto, diuersum à tempore, quo præcepta de dilectione sui & de pœnitentia obligant. Id autem tempus, quo præceptum Correptionis obligat, affirmatiuus esse, cùm concurrunt omnes illæ circumstantiæ positæ in secundo nostro pronunciato. Ex eo autem, quòd tunc non tenetur proximus sibi procurare salutem se diligendo & pœnitendo de suis peccatis, solùm sequitur, quòd neq; alteri teneatur ei eam tunc procurare præcisè quidem per actum dilectionis & pœnitentiæ. Quod verò ait emur; nam per pœnitentiam ne potest quidem alter alteri subuenire. Minimè autẽ inde sequitur, quòd ad id non teneatur quis per alium quendam actum: nimirum per Correptionem, quæ tunc suam habet opportunitatem obligatoris, vt est dictum. Si enim tunc quis corripere ãum negligat, fortè postea non poterit. Semper autem quis potest & diligere seipsum & pœnitere.

Ac est notanda hæc doctrina pro aliis etiam materiis, in quibus non valet illa forma Consequentiæ ductæ ab obligatione, qua quis est sibi ipsi obstrictus, ad obligationem, qua alter est obstrictus proximo. Per quam doctrinam etiam soluimus quoddam simile argumentum q. præced. p. 4. circa obligationem faciendæ eleemosynæ in ordinariis quoq; necessitatibus non extremis.

TERTIVM argumentum: Nunquam contingit vt proximus verè indigeat nostra Correptione propter peccatum, quod commiserit, aut sit commissurus: Ergo nunquam tenebimur eum corripere propter peccatum. Consequentia patet: quia eleemosynam corporalem vel spiritualem (qualis est Correptio) non tenetur quis impertiri nisi indigenti & in necessitate constituto. Antecedens verò probatur, nam potest vnusquisque absque aliena ope peccatum vitare, & à peccato resurgere per suum liberum arbitrium & auxilium Dei, quod omnibus est præstò: siquidem liberè peccat, & in peccato manet.

RESPONDEO, falsum esse Antecedens. Ad probationem dico, eum qui peccare, aut in peccato permanere vult, posse quidem absolutè secus facere, sed non nisi difficulter, ob peccati nempe illecebras & determinationem prauæ suæ voluntatis: & eatenus est constitutus talis in necessitate, ac indiget Correptionis beneficio, vt per eam ipsius liberũ arbitrium flectatur tandem à malo in bonum.

Et quidem siquis peccat ex ignorantia culpabili vel passione, satis hoc patet. Nam ignorantiam & passionem vincere difficile est. Si quis autem peccat ex sola malitia, difficile quoque est resipiscere: propter prauam nimirum determinationem voluntatis, quæ difficulter quoque reuocatur, & aliquando etiam difficilius superatur quàm passio, si videlicet quis in malitia sit valde obstinatus. Quare vt rectè sentit Bannes hîc ar. 2. dub. 1. ad 3. peccanti quoque ex malitia subueniendum est per Correptionem, si absque incommodo nostro notabili id facere possumus, & spes fructus sit. Vt quemadmodum S. GREGORIVS NYSSENVS aduersus ægrè ferentes reprehensiones ait, *oratione eum in alium traducamus habitum*. Quanquam verum est quidem, peccantem ex sola malitia nunquam censeri posse laborare extrema quidem necessitate spirituali, vt patet ex iis, quæ de spirituali necessitate annotauimus q. 4. de ordine charitatis. Cęterùm vt præceptum Eleemosynæ corporalis obligat quoque citra extremam necessitatem (vt vidimus quæst. præced. p. 5.) ita etiam præceptum Eleemosynæ spiritualis, qualis est correptio.

QVARTVM argumentum: Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit, vt dicitur Eccles. 7. Sed omnem peccantem Deus despicit, cùm *odiat omnes, qui operantur iniquitatem*, Psalm. 5. Ergo nemo potest corrigere vllum peccantem mortaliter, ac proinde nemo debebit id eniti per Correptionem.

RESPONDEO per distinctionem Maioris. Nam illa sententia Ecclesiastæ non debet intelligi de eo, quem Deus quomodocunque despexit &

Universidad de Deusto
Biblioteca

oderit, sed de eo quem despexerit & oderit tanquam perseueraturum sua culpa finaliter in peccato, atq; adeo tanquam reprobum. Talis enim, posito quidem quòd sua culpa non corrigetur (vt per diuinam præscientiam est certum) non potest corrigi in sensu *composito*; id est, non possunt simul stare hæc duo, scilicet vt & certum sit talem non corrigendum: & talis corrigatur. Hoc autem cùm de nemine nobis in hac vita constet; de omni peccante debemus meliora sperare, atque adeo quemlibet corripere, vt per suum liberum arbitrium & efficax Dei auxilium (quod nemini nisi sua culpâ deest) corrigatur; sicut explicat quoque D. Thomas artic. 2. ad 1. ex sententia S. Augustini lib. de Correptione & Gratia cap. 15. tametsi obscurius. Itaque verum & certum est omnino illud nostrum pronunciatum, & alia quæ ex communi sententia statuimus.

NVNC superest, vt de iis dicamus, quę circà obligationem Correptionis sunt apud Doctores CONTROVERSA. Sunt autem TRIA, quæ breuiter expediri poterunt. PRIMO, an non modò cùm quis emendationem proximi secuturam putat, sed etiam cùm de hoc dubitat, teneatur corrigere. Et solet pro parte negatiua citari Caietanus, Verbo, Correctio fraterna, & pro affirmatiua Adrianus in 4. q. de Correctione fraterna, quam addidit post materiam de Indulgētiis.

Sed si attentè legantur hi auctores, facilè apparebit eos reipsa non dissentire, neq; hanc tam esse quàm videri controuersiam. Nam dupliciter potest quis dubitare, num Correctio sit profutura. VNO modo ita, vt simul etiam dubitet, num sit potius obfutura. Et tunc sentit verissimè Caietanus (nec dissentit Adrianus) Correptionem non esse necessario adhibēdam: *Vtpote* (inquit Caietanus) *dubito quòd alter ægrè ferat Correptionem & blasphemabit, vel nihil prodero.* Ratio est aperta. Nam sicut est bonum spe dubia consulendi proximo eum corripere, ita etiam timore dubio ei nocendi abstinere à Correptione: Ergo qui de vtroq; euentu dubitat, poterit arbitratu suo bene ac licitè vtrumlibet facere, scilicet aut corripere, aut non corripere. Nec puto debere tunc potius corripere, si saltē minus dubitet de Correptionis emolumento. Nam si de eiusdem noxæ mēto qualitercunq; etiam dubitat, hoc ipsum videtur obstare, quo minus corripere teneatur, siquidem neque opinatur saltem correptionem profuturam, sed de hoc ipso etiam dubitat, licet minus.

Non improbo tamen, quod sentit hic Bannes art. 2. sub finem, & ante eum quoque Adrianus in 4. in q. de Correctione fraterna, §. *Et quoad secundam*. Nempe in casu quidem extremæ necessitatis proximi, si nimirum mors instet, atq; adeo ei immineat mors etiam æterna, debere eum corripi, durante etiam illo dubio, de vtroq; conatu Correptionis, scilicet an proderit, an obeſit. Ratio est, nam si correptio tunc prosit, nō quomodocunq; proderit, sed plurimum quidem; quandoquidem proximum non modò à peccato, sed etiam ab æterna morte reipsa liberabit. Si autem obsit, eatenus solùm oberit, quatenus erit occasio, vt is qui alioqui propter alia peccata damnādus erat, damnetur etiam propter nouum illud peccatum commissum per impatientiam correptionis. Id quod non est vsq; adeo magnum malum comparatione illius magni boni, quod per emendationem sequi posset. Itaq; ob spem quantumuis incertam & dubiam tam magni boni, quàm est liberatio reipsa nō modò à peccato, sed simul etiam à morte æterna alioqui imminente; deberet omnino correptio adhiberi neglecto periculo noui peccati, quod fortè proximus committeret. Quemadmodum prudentis quoq; Medici est, quando salus ægri alioqui est desperata, adhibere remedium, de quo dubium est, an aliquanto magis morbum augebit, an verò penitus sanabit. Tunc enim habet locum, quod ex Galeno fertur: *Interfice audacter*, vt inquit Adrianus.

ALTERO modo potest quis ita dubitare, num correptio profutura sit, vt non etiam simul dubitet, an sit potius obfutura, sed solùm an sit profutura, nec ne; existimans alioqui saltem non obfuturam. Et tunc verissimè sentit Adrianus (nec dissentit Caietanus) debere Correptionem adhiberi. Nam illa etiam possibilitas profectus sufficit, vt teneatur quis ea ratione saluti proximi consulere, cùm id potest facere absque proximi incommodo. Sicut etiam Medicus tenetur ægro id remedium adhibere, quod scit non obfuturum, vtrum autem profuturum sit dubitat.

SECVNDO controuersum est, vtrum in casu quo tenetur quis proximum corripere, teneatur sub mortali id facere cum periculo vitæ propriæ, aut alterius magni detrimenti temporalis. Quidam tres sunt sententiæ. PRIMA simpliciter negat, quæ est Francisci Maironis super lib. 1. Aug. de ciuit. Dei, cap. 9. veritate 7. Nam ibi ait Augustinus *quosdam iustos* amore vitę propriæ omittere interdum correptionem aliorum: Non igitur id est peccatum saltem mortale. Et idem videtur sensisse Franciscus Victoria. Concedit tamen Maironis Prælatos ad id teneri sub mortali.

SECVNDA sententia simpliciter affirmat, quæ est Adriani in dicta quæstione de Correctione fraterna, §. *Ad primam confirmationem*, & Lyrani & Caietani in cap. 3. epist. 1. Ioannis, & vt videtur etiam D. Thomæ hic art. 2. ad 3. Et probatur: Nam est contra ordinem charitatis præferre vitam propriam corporalem vitæ spirituali proximi.

TERTIA sententia est media, quam ego puto veram: nempe esse id sub mortali necessarium, quando proximus est in necessitate spirituali extremā, non autem in casu necessitatis non extremæ; nisi quis sit spiritualis superior, cui ex officio cura proximi incumbat. Ita docet Sotus in Relectione de Secreto, membr. 2. q. 2. concl. 6. & Nauarrus in Manuali cap. 24. n. 12. & Dominicus Bannes

Bannes hîc ar. 3. & sic etiam posset intelligi diuus Thomas hîc art. 3. Hanc sententiam probaui & defendi suprà q. 4. de ordine Charitatis, p. 3. quò remitto lectorem ne repetam.

Nec valet fundamentum primæ sententiæ. Nam Augustinus loquitur in casibus ordinariis citra extremam necessitatem. Neque etiam fundamentum secundæ sententiæ. Nam cùm metu mortis omittitur Correptio citra extremā proximi necessitatem, non fit positiuè contra præceptum negatiuum de non præferenda actu vita propria corporali vitæ spirituali proximi (hoc enim nō liceret) sed tantummodò habet se quis negatiuè erga vitam corporalem suam & spiritualem proximi, non mandando tunc executioni præceptum affirmatiuum de præferenda vita spirituali proximi vitæ propriæ corporali, eò quòd tunc non obligat cum tanta difficultate. Sicut etiam non obligat, quando proximus non est in vlla necessitate; quo casu etiam si eius vitam spiritualem negligas, neque eam anteponas tuæ corporali: tamen non ideo facis contra ordinem charitatis. Vt si occidas cum moderamine inculpatæ tutelæ improbum te vltrò inuadētem, non curans mortem sempiternam eius, quam etiam incurret.

TERTIO controuersum est, an saltem sub veniali peccato teneatur quis corripere proximū ob simplex peccatum veniale. Negat Bannes art. 2. Nam peccata venialia innumera sunt, & fieri nequit, vt iustus non in aliqua subinde labatur: Ergo nō est necesse illum corripere de hoc vel illo, cùm nequeat omnino à venialibus liberari. Et in eandem sententiam videtur satis propendere Nauarrus in Manuali c. 24. n. 13. quatenus solum ibi dicit esse laudabile corrigere de venialibus: quamuis neq; expresè quidem neget esse veniale id omittere, sed solùm esse mortale; sicut etiam Syluester, Verbo, Correptio fraterna, n. 2.

Caietanus verò in Summa, Verbo, Correctio fraterna, indubitatè affirmat esse peccatum veniale omittere Correptionem de peccatis non mortalibus, sed venialibus. Ac mihi etiam videtur hoc probabilius. Nam PRIMO, sicut læditur charitas & amicitia erga proximum, si ei fis auctor mali: ita etiam si cùm potes, non amoueas abeo malum: Sed esse proximo auctorem mali culpæ venialis per consilium aut cooperationē, est peccatum veniale, quia sic etiam etsi leuiter læditur amicitia & charitas erga illum: Ergo etiam est veniale peccatum non amouere à proximo per correptionem malum culpæ venialis, si possis. SECVNDO, quia non impedire paruum damnum temporale proximi, si possis, est peccatum veniale, sicut etiam tale aliquod paruum damnum ei inferre, per leue furtum, verbi gratia. Ergo multo magis erit veniale non impedire, si possis, paruum proximi damnum spirituale, nimirum culpæ venialis. TERTIO, nam quisq; tenetur proximum in effectu etiam diligere, sicut seipsum, volendo scilicet proximo eadem, quæ tenetur velle sibi: Sed tenetur quisque sub peccato veniali velle in effectu & procurare sibi immunitatem à quouis determinato peccato veniali: Ergo etiam proximo.

Atque hinc facilè RESPONDETVR ad argumentum opinionis contrariæ. Nam sicut non obstante multitudine venialium & facilitate ac necessitate incurrendi in aliquod ex illis, tenetur quisque sub veniali cauere illorum quoduis determinatè, ita etiā amouere illud à proximo, si tamen spes sit emendationis, & absque incommodo id facere possit, neque ipse alioqui proximus satis sibi ipse attendat, neque à suo superiore aut ab alio corrigendus putetur. Quæ omnes circumstantię non ita facilè simul concurrunt, & præsertim prima; Nam vt venialia minus nocent & facilius patrantur, ita difficilius emendantur. Sed de necessitate Correptionis, & tempore, quo ex diuino præcepto sit necessariò adhibenda, hactenus satis. Nunc ad reliqua puncta proposita transeamus.

PVNCTVM TERTIVM.

A quibus adhibenda sit Correptio fraterna.

D. Thomas art. 3. & 5.

VIDAM sunt ea conditione homines, vt videri possint non esse obligati ad fraternam correptionē: Nimirum ij, qui aut nullam habent in alios auctoritatem, aut peccato mortali sunt ipsi obstricti. Nā munus alios corripiendi proprium Superiorum videtur esse, & eorum, qui non sint ipsi reprehensibiles.

Sed tamen vera & consentiens omnium Theologorum hac de re ASSERTIO est, omnes omnino esse obligatos ad corripiendum proximū pro loco & tempore, iuxta dicta p. præced. licet magis eos, qui prælati ac superiores sunt, aut propter virtutem plus cæteris auctoritate valent.

Probatur hæc assertio quoad PRIOREM partem iisdem argumentis, quibus p. præced. conuicimus, Correptionem fraternam esse necessariam ex diuino præcepto: omnia enim illa argumenta pertinent ad omnes homines.

Nam PRIMO in Scripturæ locis ibi citatis sine exceptione commendatur hoc officium omnibus, & præsertim Matth. 18. illis Domini verbis: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Omnes namque sunt fratres, ratione naturæ saltēm.

SECVNDO Anacletus Pontifex 24. q. 3. Can. Tam Sacerdotes, expresè affirmat, omnes debere proximo impendere hoc officium.

TERTIO, Patres p. præced. citati cum omnibus sine discrimine loquuntur commendantes fraternam Correptionem; ac nominatim S. AVGVSTINVS lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 9. vbi ait: *Nec*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen ab huiusmodi culpa non corripiendi alienus est, qui licet præpositus non sit, in eis tamen, quibus vitæ huius necessitate coniungitur, multa monenda vel arguenda nouit & negligit.

A

Qvarto, obligatio charitatis, ex qua oritur obligatio Correptionis, sicut etiam eleemosynę corporalis, omnes similiter adstringit.

Qvinto, peculiariter quod attinet ad peccatores idem patet: tum quia peccatum neminem liberat ab vlla obligatione præceptorum diuinorum, vt rectè notauit ad hoc propositum Nauarrus in Manuali cap.24. nu.12. Tum quia si peccatum obstat, quo minus correptio vel licitè vel efficaciter fiat, quia scilicet vel est publicum & scandalosum, vel ei saltem notum, qui corripiendus est, potest per pœnitentiam tolli cum diuino auxilio, quod præsto est; vel certè tolli exterius scandalum publicum aut priuatum. Tum quia si absit scandalum potest quis manens in peccato corripere alterum, modò id humiliter faciat *non obiurgando sed congemiscendo* (vt ait sanctus Augustinus libro 2. de sermone Domini in monte cap.30.) *& non illum ad sibi obtemperandum, sed ad pariter cauendum inuitando*: quem Augustini locum citat hic quoque licet paulo aliter diuus Thomas art.5.

Neq; obstat, quod asserit ibi D. Thomas, tres ob causas peccatum proprium impedimento esse homini ne corripiat. *Primò*, quia peccator indignus est, vt fungatur eo munere, præsertim si maiori peccato quàm alter obstrictus sit. Iuxta illud Matt.7. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides*; sicut Hieronymus ibi interpretatur. *Secundò*, propter scandalum, si peccatum sit manifestum. Nam tunc non videtur fieri Correptio ex charitate, sed ad quandam vanam ostentationem, vt notauit auctor operis imperfecti in Matth. homil.17. citatus hîc à D. Thoma art.5. *Tertiò*, propter superbiam, qua peccator corripiens proximum, pluris se faceret quàm illum, ac si ipse esset iustus. Hæc inquam doctrina D. Thomæ non obstat assertioni positæ, scilicet quòd etiam peccator obligetur ad Correptionem proximi.

B

C

Non enim vult S. Thomas significare, quòd propter has causas non debeat peccator vllo modo corripere proximum, quasi iam idcirco liber sit à corripiendi obligatione: sed quòd non debet corripere modo illo prauo & peruerso, quo alioqui corriperet, si obstrictus ipse peccato corripiat temerè non prius sublato scandalo (si peccatum sit publicum) & amota suspicione superbiæ & vanitatis, temperataque sua indignitate per humilitatem illam, quam ex Augustini sententia diximus esse à peccatore adhibendam in corripiendo. Itaque absolutè quidem peccator quoque debet corripere, imo vt notat rectè Caietanus art.5. & ante illum quoque S. Avgvstinvs lib. de catechizandis rudibus, cap.14. exponit, per hoc etiam præstantissimum genus eleemosynæ peccator se comparat ad obtinendã per Dei misericordiam peccatorum remissionem. Sed non debet tamen corripere peccator modo peruerso, nimirum tanquam peccator, non adhibitis dictis cautionibus.

D

Hoc est, quod D. Thomas & alij Theologi in 4. d.19. volunt, quando vtcunque obscurè dicere solent, peccatorem non debere corripere alios. Imo etiam Scriptura cùm reprehendit peccatores corripientes alios. Vt Psal.49. *Quare tu enarras iustitiam meam, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam.* Et Matt.7. *Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.*

Neque aliter etiam intelligi debent sancti Patres cùm similiter loquuntur. Vt S. Ambrosivs enarratione in Psal.37. vbi ait: *Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris in alienum? Et si veritatis est quod retorques, temporis non est. Peccatori enim dixit Deus, quare tu enarras, &c.* Isidorvs lib.3. de summo bono, cap.32. *Non debet aliorum vitia corrigere, qui vitiis est ipse subiectus, &c.*

His & similibus sententiis minimè significatur, peccatorem esse planè liberum ab obligatione corripiendi, sed (vt dixi) non debere peruersè corripere, vt faceret si non prius per pœnitentiam aut saltem per sufficientem humilitatem, ad bene & vtiliter corripiendum se compararet. Quod S. Chrysostomvs homil.24. in Matthæum declarauit, explicans illud: *Eiice primùm trabem, &c.* vbi ait: *Vides certè quòd non voluit iudicare, sed iussérit eiicere primùm de oculo proprio trabem, & tunc aliorum peccata corrigere.*

Eiicitur autem trabs ex oculo, quod ad effectum licitè corripiendi attinet, non modò per pœnitentiam, qua peccatum tollatur, sed etiam per humilitatem, qua peccatum proprium agnoscatur, vt ante diximus ex Augustino. Habere enim trabem in oculo, quæ correptioni sit impedimento, non tam est peccatum habere, quàm non humiliter illud videre & agnoscere: vt intelligi potest ex illis verbis Domini, *quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides.* Et ex verbis etiam, quibus præcipit vt eiiciatur, inquiens: *Hypocrita, eiice, etc.* Cùm primùm enim quis agnoscit peccatum suum, nec se iustum simulat, definit esse hypocrita, & potest vtiliter quoque alterum ad bonum hortari non quasi imperando sed *inuitando ad simul cauendum*, vt dixit vbi suprà Augustinus.

Vnde verè asserunt Sotus in Relectione de sigillo secreti, membr.2. quæst.3. conclus.6. & post eum Bannes hîc art.5. peccatorem vt adimpleat præceptum Correptionis, non teneri ad pœnitentiam proprij peccati agendam. Nam potest nihilominus modo dicto implere id præceptum quoad substantiam actus; id quod est satis vt vitetur nouum peccatum contra præceptum istud. Quemadmodum ad vitandum nouum peccatum contra præceptum corporalis eleemosynæ satis est illam facere quoad substantiam actus, etiamsi non sis in gratia. Secus si peccatum eius, qui posset & tenetur alterum corripere, sit publicum & scandalosum, nec possit tolli id scandalum nisi per publicam pœnitentiæ actionem: Tunc enim oporteret ad eum finem pœnitentiam agere, & quidem verè & ex animo, siquidem non licet vnquam simulatè agere pœnitentiam. Quare maneat, omnes omnino esse obligatos pro loco & tempore ad fraternam correptionem, vt statuimus in Priori parte nostræ assertionis.

Quoad Posteriorem verò partem, certa est quoque & indubitata eadem assertio, scilicet quòd alij magis quàm alij sint ad corripiendum proximum obligati. Nam quemadmodum pro diuersa conditione personarum & necessitudine mutua earum, alij magis quàm alij vinculo charitatis inter se obstricti sunt (vt suprà quæst.4. disputauimus) ita etiam vinculo & obligatione operum misericordiæ, quorum vnum est Correptio fraterna: siquidem obligatio Misericordiæ ex obligatione charitatis nascitur.

Hinc Primo certum est, prælatos & superiores habentes curam animarũ multo magis quàm alios obligatos esse ad corripiendum suos subditos. Nam habent peculiarem necessitudinẽ cum illis ratione officij, & ideo debent illorum salutis singularem curam gerere tanquam pastores & patres. Id confirmatur ex Scriptura, vbi idcirco grauissimæ comminationes fiunt prælatis & superioribus negligentibus suos. Vt patet potissimum Ezechiel.33. & 34. vbi inter cætera eis illud exprobratur. *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, no sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, &c.*

Vnde S. Avgvstinvs lib.1. de ciuitate Dei, capite 9. de obligatione differens, qua tenentur omnes ad corripiendum proximum: *Quainre, inquit, non vtique parem, sed longè grauiorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur (Ezechiel.33.) Ille quidem in peccato suo morietur; sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant obiurgando peccata.*

Ac propter hanc maiorem obligationem, qua prælati tenentur ad corripiendum, tenentur ad id etiam cum periculo vitæ, vt diximus p. præced. Atque etiam sunt ipsi obligati ad inquirendum de subditorum peccatis, vt docet D. Thomas art.2. ad 3. cùm tamen alij solùm teneantur corripere peccata quæ nouerint, neque ea teneantur inquirere, vt ex communi doctrina traditimus p. præced. Sunt enim prælati pastores & vigiles animarum constituti, & ideo ad id tenentur ratione officij. Vt enim inquit S. Gregorivs lib.2. Registri epist.52. ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, *quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit?*

A

Monet autem prudenter Caietanus hîc artic.2. prælatis in hac inquisitione opus esse maxima prudentia, *ne multa*, inquit, *suspicio præcipitem & exosum prælatum reddat; néue contra incuria multiplicationem pariat peccatorum occultorum, &c.*

Porro hanc obligationem maiorem, qua ad corripiendum tenentur prælati, ob quam debeant etiam inquirere, existimat Caietanus ibi non propriè oriri ex charitate, sed ex adiuncta obligatione iustitiæ, qua etiam tenetur prælatus ratione officij consulere non modò bono communi, sed etiam bono priuato subditi, quantum saluo bono communi potest. Qua in re Caietano assentitur hîc art.3. Bannes. Ego verò potius assentior Soto, qui in Relectione de Sigillo Secreti, memb.2. quæst.3. concl.3. arbitratur contra Caietanum, oriri eam maiorem obligationem non propriè ex illa obligatione iustitiæ, qua etiam tenetur prælatus, sed ex obligatione charitatis. Ratio mea est, quia obligatio illa iustitiæ, & obligatio maior ad correptionem in prælato, quamuis simul in prælato concurrant, tamen disparatæ sunt, ita vt neutra sit ab altera, sed vtraque oriatur ab alia quadam priori radice, nempe ab ipsa conditione & officio personæ prælati. Nam abstrahendo etiam ab illa obligatione iustitiæ, ob illam conditionem officij & status tenetur ex charitate prælatus multo strictiùs quàm alij consulere saluti subditorum. Atque etiam strictius tenetur id facere per misericordiam & per Correptionem fraternam (seu potius paternam) & ob id quoq; inquirere de subditorũ peccatis, non modò vt puniat tanquã Iudex, cùm id expediet, sed etiam vt corrigat tanquam pater.

B

C

Neque hoc erit nouum præceptum charitatis obligans hominem postquam fit prælatus, cùm anteà eũ non obligauerit, vt argumentatur Caietanus, sed idem charitatis præceptum obligans postea strictius eum, qui fit prælatus: idq; ob accedentem nouam conditionem personæ ratione officij, vt est dictum. Hęc enim officij ratio (quod non videtur animaduertisse Caietanus) prius quiddam est quàm obligatio iustitiæ; siquidem hęc ex illa oritur. Et vt est quiddam prius, parit ex se non modò obligationẽ iustitiæ (quatenus per vtilitatem vel dignitatem officij censetur iustè compensari peculiaris illa cura, quam prælatus subditis suis debet) sed etiam maiorem illam obligationẽ charitatis, atq; adeo misericordiæ, qua dicimus prælatum teneri strictius ad corripiendum, atq; adeo obligari quoq; ad paternè inquirendum. Quapropter neq; istud est nouum præceptum charitatis, sed idem strictius obligans, neque ista strictior obligatio oritur ex illa altera obligatione iustitiæ, sed ex conditione personæ ob prælati officium, vnde ipsa quoq; iustitiæ obligatio nascitur. Ideo enim prælatus obligatur ex iustitia curare salutẽ subditi, quia est ei prælatus, & habet auctoritatem talis officij. Itaque officij ratio est prius quiddam & causa obligationis.

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed hæc fortè speculatiua obseruatio est. Ad praxin quidem illud obseruare sat est, prælatum duplici nomine teneri peculiariter consulere & inuigilare saluti subditorum, scilicet *Iustitiæ* (vt dictum est) & stricta etiam obligatione *charitatis*; vndecunque hæc stricta obligatio oriatur. Quò fit, vt prælatus si subditi salutem sua culpa neglexerit, minimè satisfacturus in Confessione sit dicendo: Se neglexisse salutem proximi, quam curare poterat & debebat, sed debere explicare, quòd is fuerit suus subditus, si id alioqui Confessarius nesciat: Vt nimirum intelligere is queat peccatum in ea re fuisse tum grauiter contra misericordiam & charitatem, tum etiam contra iustitiam.

SECVNDO ex fundamento posito est consequens, eos etiam Religiosos, qui ex vitæ instituto profitentur se in negotio salutis opem laturos proximis, peculiariter esse obligatos ad spiritualia misericordiæ opera erga proximos, vt ad docendum, corripiendum, &c. sicut rectè annotauit hîc art.3. Bannes. Nam ob vitæ & professionis suæ conditionem sunt ex charitate magis quàm alij ad hæc opera obligati: vtpotè destinati peculiariter ad hunc finem. Quanquam subditi quidem huic obligationi peculiari satisfacere censendi sunt, si eatenus in eiusmodi operibus sese exerceant, quatenus iuxta instituti sui rationem præscribitur eis à suis superioribus.

Tenentur autem superiores eorum prouidere, vt hæc exercitia apud eos in vsu sint, quoad commodè fieri possit. Et ipsi etiam subditi tenentur saltem se comparare, vt hæc opera rectè obire possint, & ad id idoneos se reddere, per studium scilicet virtutum & literarum iuxta instituti sui rationem: vt notat quoque Bannes, & patebit ex iis, quæ in Disputatione vltima disseremus de obligatione, qua tenentur Religiosi contendere ad vitæ perfectionem sibi propositam.

TERTIO certum est, ex aliis eò alios magis quàm alios obligari ad corripiendum proximum, quò maiorem cum eo coniunctionem habent, & magis ideo vinculo charitatis inter se deuincti sunt, iuxta ea, quæ hac de re disputauimus quæstione 4. p.3. differentes de ordine charitatis.

POSTREMO non est dubium, quin Confessarij teneantur ratione officij peculiariter corripere pœnitentem in ipsa quidem Confessione. Quomodo autem non possint extra Confessionem postea id facere; & alia quæ circa officium Confessarij obseruanda sunt, explicabimus in quarto tomo Deo dante, in materia de Sacramento Confessionis.

PVNCTVM QVARTVM.

Quibusnam sit Correptio adhibenda.

D. Thomas art. 4.

HAc de re apud orthodoxos quidem non est aliqua controuersia, sed certa sunt apud eos hæc tria. PRIMO correptione quidem iuridica (quæ scilicet adhortatione vel reprehensione consistat) proximi bono inprimis propter bonum commune & aliorum exemplũ, & ex qua in eum finem possit procedi ad punitionem, siue proximus emendetur, siue non) nequaquam posse aut debere corripi eos, qui prælati & superiores sint, sed solùm subditos à suis prælatis, vt D. Thomas docet articul. 4. Nam ea correptio proficisci debet ab auctoritate, quæ habeat quoque vim coactiuam: quam soli superiores in subditos habent.

Vnde in Concilio Constantiensi meritò damnatus est error 17. VViclephi, qui vt legitur ibi sess. 8. sic habet: *Populares possunt ad sumum arbitrium dominos delinquentes corrigere*, nimirum etiam puniendo. Quia scilicet per quoduis peccatũ mortale putabat excidere prælatos ex officij auctoritate: Qui sunt errores explorati. Nam Apocal. 2. *veri etiam Episcopi iubentur diuinitus redargui ob mortalia peccata, per quæ esset amissa diuina gratia & charitas.* Vt cùm ibi legimus de Angelo (id est, Episcopo) Ephesi: *Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem: venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, &c.* Vbi non iam propter peccata amouendus esse dicitur ab Episcopali officio, sed amouendus fuisse, nisi ageret pœnitẽtiam. Verùm de hoc aliàs.

SECVNDO certum est, Correptione fraterna charitatis prælatos etiam debere à subditis coripi pro loco & tempore, nimirum concurrentibus circumstantiis illis, de quibus diximus p. pronunciato 2. Id patet primò, ex Apostolo ad Coloss. 4. vbi eos sic monet: *Dicite Archippo* (prælato) *Vide ministerium, quod accepisti in Domino, vt illud impleas.*

Secundò ex S. AVGVSTINO in epist. 109. ad Monachas quasdam, quibus ibi præscribit regulam, vt meminit etiam Posidonius in Indiculo operum Augustini. In fine namque eius epistolæ ita de præposita seu prælata earum scribit Augustinus: *Plus à vobis amari appetat quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis reddituram esse rationem. Vnde vos magis obediendo non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini, qua inter vos quanto in loco superiori, tanto in maiori periculo versatur.* Est autem Correptio actus Misericordiæ: Ergo si prælatorum miserendum est, etiam erunt pro loco & tempore corripiendi. Ac extat quoque hæc Augustini sententia in 3. eius regula cap. 43. tomo primo, qui locus citatur hîc articulo 4. à D. Thom.

Item epistol. 19. ad Hieronymum differens de facto Pauli, qui Petro in faciem restitit: *Ipse Petrus, inquit, quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: atque ita rarius ac sanctius exemplum posteris præbuit (quo non dedignarentur siculbi fortè recti tramitem reliquissent etiam à posterioribus corrigi) quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores maioribus pro defendenda Euangelica veritate salua fraterna charitate resistere. Nam cùm satius multo sit in tenendo itinere in nullo quàm in aliquo declinare, multo est tamen mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentẽ quàm audacter corrigere deuiantem.* Idem sentiunt alij Patres, cum memorant & laudant illud Pauli factum.

Tertiò idem probatur manifesta ratione. Nam eos omnes tenemur pro loco & tempore corripere, quos tenemur diligere ex charitate: Sed Superiores tenemur etiam ex charitate diligere, & quidem magis quàm alios, vt patet ex dictis q. 4. p.3. Ergo etiam corripere, & quidẽ magis quàm alios: sicut etiam Augustinus vbi suprà indicauit.

Quartò accedit, quòd prælati duplici nomine magis etiam quàm alij correptione indigent. Nam & versantur in maiori periculo, vt ait Augustinus in epist. 109. suprà citata, & pauciores esse solent, qui eos corripere audeant.

TERTIO certum est, in corripiendo prælato peculiarem quandam moderationem adhibendam esse. Nam non debet id fieri obiurgando, sed humiliter rogando: iuxta præceptum illud Apostoli: 1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Quam rem pulchrè S. GREGORIVS lib. 5. Moral. cap. 10. confirmat exemplo D. Pauli, qui etiam subditos humiliter corripiebat inquiens ad Ephes. 4. *Obsecro vos fratres, ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis, &c.* Hinc, ait Gregorius, *colligat discipulus, si quando aliquid rectè sentit, quanta humilitate debeat Magistro loqui, si ipse Magister gentium in iis, quæ cum auctoritate prædicat, tamen se fecit discipulos rogat.* Et in Pastorali p. 3. cap. 1. admonit. 5. *Pie subditorum mentes præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cùm de imperfectione reprehendunt.*

Deinde ferè debet id fieri non nisi ab iis, qui præcipuæ cuiusdam auctoritatis vel existimationis sint, & ideo putentur aliquid effecturi. Item si peccatum prælati secretum sit, constat secretò corripi debere. Si autem sit publicum potest corripi publicè, præsertim si sit in fide aut moribus pernicioſum, vt explicat hîc Caietanus art. 4. & patet exemplo D. Pauli, de cuius hac in parte facto differuimus fusè tomo 2. quæst. 7. de Legibus p. 7.

Atque etiam suprà q. 1. p. 7. §. 28. docuimus, quemadmodum Paulus quod ad fidei defensionem Petro æqualis fuerit, vt ait D. Thomas hîc artic. 4. ad 2. Nempe fuit ei æqualis, quatenus vt Apostolus habuit à Christo infallibilem auctoritatem docendi & defendendi fidem in toto orbe. Fuit autem Petro inferior, quatenus in vsu quidem huius auctoritatis (sicut & reliqui Apostoli) erat subiectus auctoritati Petri, qui poterat ei præscribere, vt hoc vel illo loco & tempore doceret, &c. Item quia non habuit ipse eam auctoritatem Apostolicam in orbe toto per officium ordinarium transmittendũ in aliquos successores (sicut accepit auctoritatem suam Petrus) sed fuit prærogatiua quædam personalis eorum, qui fuerunt Christi Apostoli. Et hoc idẽ est, quod Caietanus hîc art. 4. ait, Paulum in fidei defensione fuisse Petro æqualem executiuè: non autem ex officio ordinario.

PVNCTVM QVINTVM.

Quomodo adhibenda sit Correptio.

D. Thomas art. 7. & 8.

BIPARTITA sunt ea, quæ tradi possunt de modo, quem oportet seruare in corripiendo proximo. Quædam enim tradi possunt de hoc *in communi* & in genere, quæ perpetuò seruari debent in modo corripiendi, nec sunt variabilia. Quædam autem *in specie* seu magis in particulari, quæ non semper, sed quandoque seruari debent, concurrentibus nimirum quibusdam circumstantiis, quæ variari possunt. Et in iis quidem, quæ sunt prioris generis, nulla est difficultas. In iis autem, quæ sunt posterioris generis est sanè difficultas non exigua propter modum & ordinem correptionis in specie à Domino præscriptum Matth. 18. Dicemus igitur de vtrisque.

AC PRIORIS quidem generis, scilicet communia & inuariabilia, sunt hæc: PRIMO, vt quandoquidem Correptio est actus Misericordiæ & Charitatis, ea non ex odio aut nimium acerbè, & ob prauum finem fiat, sed ex intima quadam benuolentia, & quoad fieri possit cum lenitate & humilitate potius, & propter bonum atque salutem ipsius proximi. Rectissimè namq; S. GREGORIVS NAZIANZENVS in oratione de moderatione in Disputationibus habenda, modum præscribens corripiendi proximum: *Hanc*, inquit, *rationem tene, vt partim illum corrigas, idq; leniter & humanè, non vt hostis neque vt durus & rigidus Medicus, neque vt sectionibus tantum & cauteriis aduersus morbum sciens grassari; partim te ipsum accuses infirmitatis, tua tibi conscius sis.* Et S. LEO epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cap. 1. *Plus*, inquit, *erga corrigentem agat benuolentia quàm seueritas, plus cohortatio quàm commotio, plus charitas quàm potestas.*

SECVNDO, vt omnibus circumstantiis consideratis, eo modo correptio instituatur, quo prudenter iudicari possit & profutura proximo

ad salutem animi, & nullum alioqui detrimentum allatura in fama aut fortunis, vel certè quàm minimum fieri possit. Hoc probant communiter Theologi exemplo boni Medici, quem nimirum debet imitari in spirituali curatione proximi is qui corripit.

Nã debet Medicus saluti & incolumitati corporis curationem sua sic prospicere, vt quoad fieri possit, id faciat sine detrimento vllius membri, nisi fortè opus sit membrum aliquod minus precipuum resecare pro tuenda salute ægri. Igitur pari modo qui proximum corripit, debet procurare salutem spiritualem eius sine detrimento vllius boni ipsius etiam inferioris ordinis, vt famæ, fortunarum, &c. quoad fieri possit, nec cum maiori dispendio alicuius eiusmodi boni proximum sanare spiritualiter, quàm ad eum fortè finem sit opus. Ita ratiocinantur & meritò Theologi, ac nominatim D. Thomas hic art. 7. & Durandus in 4. d. 19. q. 4. & Adrianus in q. de Correptione fraterna, §. *Pro huius decisione.*

Potest autem idipsum probari quoque ratione absq; exemplo. Nam præceptum Correptionis ita seruari debet, vt in modo illud obseruandi nó etiam simul peccetur contra proximum: Sed si corripiendo proximum læderetur eius fama absque iusta necessitate (cùm scilicet id non esset necesse ad salutem spiritualem proximi, quæ est finis Correptionis) peccaretur eo ipso contra proximum: Ergo præceptum Correptionis ita seruari debet, vt non lædatur proximi fama absque iusta necessitate, scilicet si ea illæsa possit obtineri Correptionis finis, nempe salus proximi spiritualis.

Maior patet. Nam peccare contra fratrem nunquam licet. Et vt non præcipitur nisi bonus actus per vllum præceptũ, ita neq; modus actus nisi bonus, & expers omnis peccati. Minor autẽ probatur. Nam fieret tunc contra præceptũ negatiuum de non infamando proximo. Infamare enim, vt est peccatum contra id præceptum, propriè est lædere famam proximi indebito modo siue absq; iusta & rationabili causa. Sicut homicidium vt est peccatum contra præceptum de non occidendo, propriè est occidere, non quomodocunque, sed modo indebito, id est, absque debita auctoritate & causa. Itaque si is, qui alterum corripit, lædat eius famam sine iusta causa, hoc est, si non sit necesse eam postponere spirituali saluti illius, procul dubio peccat eo ipso contra proximum.

Et hactenus de illis conditionibus PRIORIS generis, quæ vt dixi, perpetuò & inuariabiliter in modo corripiendi obseruandæ sunt, tanquam quædam nimirum generalia, quæ in omnibus particularibus casibus quantumuis variis locum habere debent: nimirum vt beneuolè, humaniter, bene ac prudenter & accommodatè ad finem, & sine læsione fratris, quoad fieri possit, Correptio instituatur.

POSTERIORIS autem generis conditiones, in modo corripiendi seruandæ, scilicet magis speciales, quæ nimirum non perpetuò & vniformiter, sed variabiliter pro ratione concurrentium circumstantiarum seruari debent; procul dubio nequeunt vna aliqua & eadẽ regula comprehendi, sed iudicio prudentiæ in variis casibus definiri & determinari debent. Nam vt verissimè docuit Philosophus lib. 2. Ethic. cap. 6. rectitudo virtutum moralium & actuum earum, quibus scilicet debito & conuenienti modo implemus moralia præcepta (quale istud etiam Correptionis est) *in mediocritate ea consistit, quam prudens* inquit, *præfiniret*, nimirũ in casibus particularibus.

Quam Philosophi doctrinam omnes Theologi magno consensu, nec sine ratione euidenti complectuntur. Nam sicut Ratio voluntatem ac appetitum in agendo dirigit, ita virtus Rationis, quæ est prudentia, virtutes voluntatis & appetitus in rectè agendo; & idcirco prudentia non nisi natur & est directrix atque regina aliarum virtutum. Vnde, vt ait Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 13. *omnes cùm definiunt virtutem, vbi habitum eam esse dixerunt, & ad quæ est, adiungunt secundùm rectam rationem. Recta autem*, inquit, *ratio est, quæ secundùm prudẽtiam existit.* Et ob id approbat eo loco quod Socrates asserebat: *Virtutes sine prudentia esse non posse*, & tandem concludit, *neminem absq; prudentia esse hominem bonum.*

SED quamuis hoc ita sit, tamen modũ quendam specialem Correptionis præscripsit Dominus Matth. 18. qui in plerisque casibus, iuxta rectam quoque prudentiæ rationem est planè idoneus & necessarius ad assequendum finem correptionis, cùm nulla vel certè cum minima iactura famæ proximi: Qui proinde modus in corripiendo debebit in eiusmodi casibus seruari ex præcepto diuino naturali, etiamsi nunquam fuisset à Domino explicatus. Hunc modum exposuit Dominus loco citato illis verbis: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Porro de sensu atq; vi huius præcepti Domini variè & perplexè sanè scribunt auctores. Nos primùm proponemus ea, quæ apud omnes vel penè omnes sunt certa in hac re, & deinde discutiemus & definiemus ea, quæ sunt controuersa. Sunt autem OCTO certa, & QVATVOR controuersa.

Certum est PRIMO, Dominum hoc loco non tulisse præceptum aliquod de modo corripiendi distinctum à præcepto diuino naturali, sed illum ipsum modũ explicasse & imperasse, qui in quibusdam casibus ex præcepto naturali seruandus est tanquam idoneus & necessarius iudicio prudentis, vt & Correptio assequatur suum finem, nempe vt emendetur proximus, & id fiat cum minima vel nulla iactura famæ ipsius.

Hoc probamus tripliciter. Primò, nam Christus Dominus, vt apud omnes Theologos in confesso est, nullum nouum præceptum ad præcepta naturæ addidit, præter ea, quæ sunt de fide ipsa Christiana, aut de Sacramentis, quale istud non est.

Secundò, quia dubium non est, quin tales esse possint personarum & peccati circumstantiæ in aliquibus casibus, vt ipsa prudentiæ ratio, atque adeo naturæ lex dictet, illo ipso modo instituendam esse proximi Correptionem, quo Dominus præcipit; nempe vt prius vel semel vel aliquoties etiam quamdiu spes emendationis est (vt ait diuus Thomas art. 8. ad 1.) fiat secretò: ne apud vllum frater diffametur, *& sic verecundiam amittens permaneat potius in peccato*, vt ait S. HIERONYMVS in caput 18. Matth. Deinde si id non prosit, adhibeatur etiam vnus aut alter, vt & correptio sit efficacior, & quàm minimum diffametur frater. Et denique si ne id quidem prosit, deferatur res ad prælatum ob eundem finem, nempe vt emendetur frater etiam cum qualicunque iactura famæ. Siquidem vt rectè ait D. Thomas art. 7. præferenda est conscientia famæ.

Tertiò id probamus auctoritate sanctorum Patrum & Theologorum omnium, qui omnes præceptum istud Domini seruandum esse ita asseuerant, vt illud simul ex ratione ipsa naturali prudentiæ confirment & defendant. Igitur sentiunt omnino illud esse naturale præceptum. Nominatim ex Patribus S. AMBROSIVS serm. 8. super Psalm. 118. circa illud: *Cogitaui vias meas, &c.* satis indicat, hunc modum seruandum esse secundùm normam quoque rectæ cogitationis & rationis. *Si agere*, inquit, *aliquid velim, ante cogitem, vtrum agendum sit illud, quod desidero, aut quo agendum modo. Similiter si alloquendum, vtrum alloqui debeam: deinde publicè an secretò loqui; præsentibus aliquibus aut nullis. Sicut illud est, vt si velis fratrem corripere; primò solus corripias, secũdò præsentibus duobus aut tribus testibus* (scilicet computando etiam ipsum corripientem; sicut in sententia Domini corripiendus quoque computatur in numero duorum vel trium testium) *tertiò si non audierit, coram Ecclesia. Atque si prætermisso ordine velis coram Ecclesia fratrem increpare, quem ante monere debueras, erratum ipse agnoscis.*

Item S. AVGVSTINVS serm. 16. de verbis Domini, ratione similiter ostendit congruitatem huius præcepti: *Corripe*, inquit, *inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis correctiorem, facis peiorem. &c.*

Similiter Theologi Scholastici rationibus passim confirmant hoc præceptum, vt D. Thomas hic, & Albertus Magnus in 4. d. 19. art. 21. vbi affirmat seruandum esse hoc Domini præceptum, sicut iacet, & illud deinde in solutionibus argumentorum ratione defendit. Et similiter Richardus ead. d. art. 3. q. 1. & 2. & Paludanus q. 4. & Durandus q. 4. & Adrianus in 4. ante materiam de Matrimonio in posteriore parte, q. de Correctione, & alij.

Ex quibus patet, non minus intolerabilem, quàm singularem fuisse opinionem cuiusdam Bernardini Arealensis, qui in tractatu suo de Correctione fraterna, contendit, non tradidisse Dominum illic vllum præceptum naturale aut diuinum de modo corripiendi. Aduersatur enim communi sententiæ Patrum & Theologorum, neque vllis nititur firmis argumentis.

Nam quod inprimis obiicit, Ecclesiam non cognosci ratione naturali; ac proinde non esse præceptum naturale, vt peccatũ proximi, quando alia non prosunt, denuncietur Ecclesiæ, sicut ibi etiam dicitur; facilè expediri potest. Nam posito quòd per fidem saltem constat esse Ecclesiam & Ecclesiæ prælatos, naturalis ratio & lex naturæ dictat esse quædam erga illos agenda; Vt quòd sit eis obediendum, quòd sit à subditis labor eorum iustè compensandus, &c. Inter quæ etiam hoc est, vt ad eos peccatum proximi deferatur, cùm ad eius emendationem vtile ac necessarium futurum prudentia dictauerit.

Item per incommoda, quæ deinde obiicit, ex illo modo & ordine correptionis posse sequi, sólùm probat, illum ordinem & modum non esse ex præcepto seruandum semper, sed solùm quibusdam concurrentibus circumstantiis, & in casibus, quibus & carere incommodis & vtilis ac necessarius ad finem correptionis videatur, vt paulo post trademus. Et certè si propter incommoda, quæ nonnunquam posset afferre ille modus, negandum esset, illum pro vllo vnquam tempore esse præceptum, æquè deberet etiam negari, datum fuisse à Domino consilium de eo modo; id quod auctor ille non negat. Nam vt diuinum præceptũ non datur de re inutili & incommoda, ita neq; diuinum consilium. Quòd si non obstantibus incommodis, quę aliquando adferre posset ille corripiendi modus, potuit esse de illo consilium pro aliis casibus, quibus cessarent ea incommoda, certè etiam potuit de illo dari præceptum, vt rectè Bannes contra illum auctorem ratiocinatur art. 8. dub. 2. vbi etiam particulatim diluit illius argumenta: quæ omnia per ea, quę diximus, sua sponte corruunt. Progrediamur igitur ad alia, quæ sunt certa.

SECVNDO certum est, per istud Domini præceptum non solùm præscribi modum, quo debeat corripi peccatũ, quod sit commissum contra proximum, sed etiam qualecunq; fratris peccatum, quo offendatur Deus. Nam etsi maximè locutus sit ibi Dominus de peccato contra proximum, tamen illud iussit corripi non propriè vt est contra proximũ, sed vt per illũ perditur frater peccans; quę ratio cómunis est ei etiã peccato, ꝙ non sit contra proximũ, sed solùm cótra Deum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque ad eiusmodi etiam peccata extendit se id præceptum, vt p.2. probaui ex ipsa Domini sententia, & Augustini auctoritate serm.16. de verbis Domini. Ac per hoc etiam sua sponte concidunt ea, quibus prædictus ille auctor Areualensis nititur contra communem sententiam Theologorum probare, sententiam illam Domini solùm pertinere ad peccata contra proximum, & nullo modo ad alia.

TERTIO certum est, præceptum istud de illo corripiendi modo non obligare pro omni tempore, & in omni casu, sed quando necessarius futurus videbitur ad finem correptionis sine iniusta læsione famę fratris, vt iam sæpè indicauimus. Sed nunc etiam idem suo loco repetere ac ex instituto probare placuit. Probatur autem quadrupliciter. *Primò* S. AVGVSTINI testimonio perspicuo. Siquidem serm.16. de verbis Domini differês de illo modo corripiendi à Domino imperato, ita scribit: *Discernere*, inquit, *debemus, aliquando illud, aliquando illud esse faciendum; aliquando corripiendo fratrem inter te & ipsum solum; aliquando coram omnibus, &c. Secundò* ex natura præceptorum affirmatiuorũ, quale istud est. Nam non obligant nisi pro certo tempore & concurrentibus certis circumstantiis, vt notum est. *Tertiò* ex conditione peculiari huius præcepti affirmatiui. Non enim quomodocunq; est affirmatiuum, sed etiam valde speciale, vtpote præscribens quendam corripiendi modum valde determinatum; qui proinde vt bene & accommodatè ad correptiones adhibeatur, requirit quoq; determinatas quasdam circumstantias, quæ facilè deesse solent quibusdam in casibus. *Quartò*, quia constat esse aliquos casus, in quibus modus ille non est seruandus, vt iamiam dicemus.

QVARTO certum est, in sex casibus non esse modum illum seruandum. PRIMVS casus est, si peccatum proximi sit publicum. Censetur autem in proposito *publicum* peccatũ, quod vel publica infamia diuulgatũ est, vel in iudicio conuictum, vel in aliqua vicinia, aut collegio, aut communitate compertum, vt notat ex communi doctrina Nauarrus in Manuali cap.24.n.14. & Sotus in Relectione de Sigillo secreti, memb.2.q.6.dub.3. & ex parte Couarruuias in Epitome lib.4. Decret. p.2.cap.6.n.13. Contrà autem peccatum *occultum* dicitur illud, quod non est aliquo ex his modis notum, siue id alioqui sciatur à duobus, tribus, aut quatuor, aut etiam pluribus, & per eos probari possit, siue tantùm sciatur ab vno, nec possit probari.

In corripiendo itaq; peccato publico non est necessariò seruandus ille modus, vt scilicet propter seruandam famam proximi, primò correptio fiat secretò, deinde corã vno aut altero, &c. quandoquidem iam tunc fama proximi perdita est. Quare licebit statim prælato indicare, si is emendaturus fratrem videatur. Ac de peccante publicè exponit S. Augustinus serm.16. de verbis Domini, quod Apostolus 1.ad Tim.2.ait: *Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.*

SECVNDVS casus est, si quamuis occultum sit peccatum, tamen cedat in damnum communitatis, & periculum sit in mora, nec speret quis se sua priuata monitione statim impediturum malum. Vt si quis machinaretur proditionem ciuitatis. Tunc enim licebit statim ad superiorem deferre, vt efficaciter fratrem corrigat, & malum auertat à communitate: sicut docet D. Thomas art.7. & Richardus, & Paludanus, & Durandus, & Adrianus vbi suprà & alij. Imò teneretur etiam quis tunc tale crimen deferre, licet esset Clericus & mors Rei esset subsecutura; nec incurreret irregularitatem, modò tamen protestaretur, se non intendere sanguinem. Vt optimè resoluit hic artic.7. Caietanus. Nam non est putandum, vllo præcepto Ecclesiastico sub irregularitate prohiberi hominem id facere, quod alioqui iure naturali facere tenetur. Non enim Ius Ecclesiasticum est contrarium Iuri naturali, sed illud perficit, sicut gratia quoque non destruit, sed perficit naturam, vt rectè Caietanus ratiocinatur.

TERTIVS casus est, quando similiter peccatum proximi, licet occultum, cedit in alicuius vel aliquorum detrimentum maius, quàm sit iactura illa qualiscunq; famæ proximi apud superiorem; si ad eum statim illius peccatum deferatur, vt is certius & efficacius prospiciat aliorum etiam indemnitati. Vt si quis, verbi gratia, machinaretur necem alicui alij. Tunc enim vita illius anteponenda esset alterius famæ, vt notauit rectè Paludanus in 4. d.19. q.4.

QVARTVS casus est, quando peccatum naturâ sua est ita contagiosum & exitiale, vt nisi efficacissimè remedia & cautelæ per superioris auctoritatem adhibeantur, ordinariè soleat serpere & pestilenter inficere communitatem. Tunc enim vt plenius & securius prospiciatur communitati, licitum est ordinariè, imò etiam necessarium, statim deferre ad superiorem tale peccatum.

Atq; huiusmodi inprimis peccatum est hæresis, de qua verissimè affirmauit Apostolus quod *vt cancer serpit.* 2.ad Tim.2. Ordinariè enim qui in hæresim incidit, ab alio eam discit, & alium eam docet; vel certè ad eam vbicunque posit dissereminandam vehementer procliuis est omnis hæreticus. Hoc enim est primum studium hæreticorum, vt quemadmodum ait Apostolus Act.20. *abducant discipulos post se.* Vnde etiam TERTVLLIANVS in lib.de præscriptionib. *Negotium est*, inquit, *hæreticis, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi.*

Itaque tum quia peccatum istud naturâ sua adeo certò serpit, tum quia exitialissimum est, cùm quidem euellat & euertat ipsum fundamentum salutis, id est, fidem rectam: nunquam aut rarissimè potest quis adeo certò sperare emendationem hæretici per suam priuatam correptionẽ, quin prudenter possit

possit vereri, non satis ita consultum fore bono tum ipsius proximi, tum communitatis: maximè cùm vix sperari queat, admissurum priuatam socij admonitionem eum, qui Ecclesiam totam per hæresin contemnit. Quare vt certius & efficacius in tãta re prospiciatur bono tum priuato tum communi, ordinariè oportebit peccatum hæresis ad superiorem in fidei causis deferre, vt rectè sensit Dominicus Sotus in Relectione de Sigillo secreti, memb.2.q.4. & Alphonsus à Castro lib.2. de iusta hæreticorum punitione cap.25. & Bannes hîc art.8.dub.2.ad 4.argumentum. Nec dubitandum est, quin rectissima & saluberrima sit sanctæ Inquisitionis lex, per quam præscriptum est, vt ita fiat.

Neque obstat, quod D. Thomas hîc art.7. affirmans, in peccatis, quæ nocent aliis, *vt in proditione*, inquit, *& hæresi*, oportere statim denunciare superiori; addit, *nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire.* Hoc, inquam, non obstat huic nostræ assertioni. Nam debet intelligi, posito quòd satis certò & efficaciter (spectata natura peccati) & statim posint aliquando huiusmodi mala perniciosa aliis impediri per secretam admonitionem. Quod vt rectè notant suprà citati auctores, in peccato quidem hæresis, vel nunquam, vel rarissimè satis prudenter sperari potest propter causas, quas exposui. Vnde hæc limitatio addita est à D. Thoma & ab aliis Theologis non tam ob crimen hæresis, quàm ob alia, quæ sint quidem eiusdem generis, scilicet pernicioſa aliis, sed in aliis materiis, vt proditionis, &c. In iis enim facilius fortè posset aliquando contingere, vt per secretam monitionem sufficienter caueretur aliorum indemnitati: tametsi non nisi rarò. Propter quam causam ordinariè quidem omnia peccata aliis pernicioſa oportebit statim denunciare superiori, iuxta ea quæ diximus de secundo & tertio casu.

Neque obstat etiam, quod ait Apostolus ad Tit.3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* Nam vt rectè notat Castro libro 1. de punit. hæret. cap.10. non indicat Apostolus esse ordinariè monendum semel aut iterum eum, de quo iam constet esse verè hæreticum pertinacem; sed eum, de quo dubium sit, an non hæreticè fortè, sed potius ex ignorantia erret, præsertim alicuius veritatis fidei obscurioris. Vnde Græcè pro correptione est νουθεσίαν. νουθεσία verò, vt ibidem S. Hieronymus annotauit, commonitionem magis & doctrinam absque increpatione significat. Postquam verò satis constiterit, aliquem esse hæreticum pertinacem, potius ostendit ibi Apostolus non esse vllum fructum ex priuata eius correptione sperandum, subiungens talem esse deuitandum, *sciens*, inquit, *quia peruersus est qui eiusmodi est & delinquit: cum sit proprio iudicio condemnatus.* Quocirca Tertullianus in lib.de præscriptionibus expressè asseruit, præceptum illud Domini de ordine correptionis nõ habere locum in hæreticis.

QVINTVS casus est, si cui constaret, proximum ob maiorem spiritualem profectum velle aliâs, vt peccatum quodcunq; ipsius extra Confessionem cognitum, statim indicetur superiori, vt paternè saluti illius consulat: præsertim si eam esse voluntatem atq; animum proximi constaret non per qualemcunque persuasionem de ratihabitione ipsius, sed per manifestã aliquam declarationem ab ipso factam. Tunc affirmo, licitum & laudabile esse rem illicò indicare superiori, prætermissa secreta monitione, & inductione testium, nec de hoc quisquam ex Theologis dubitat, aut meritò dubitare potest. Probatur sex argumentis clarissimis.

PRIMO, nam licitum est emendationem fratris procurare cooperando ei ad bonum: Sed indicare statim superiori peccatum proximi in isto quinto casu, scilicet ex ipsius consensu, est procurare eius emendationem cooperando ei ad bonum: Ergo omnino est licitum. Maior probatione non eget. Minor probatur. Nam siue homo sit Dominus propriæ famæ, vt censuit Sotus lib.4. de Iustitia & Iure, q.2. art.3. & Bannes hîc artic.8. dub.2. siue tantum fidelis ac prudens dispensator & custos, vt putant alij: tamen certum est, licitè posse vnumquemq; per se aut per alium velle facere aliqualem iacturam suæ famę, propter maius aliquod bonum suum, nimirum spirituale: Ergo cooperari ei ad hoc ipsum, indicando ipsius peccatum statim superiori ob eius bonum spirituale, aliud nihil est, quàm emendationem proximi procurare cooperando ei ad bonum: Id quod omnino est bonum.

Et potest hoc ipsum confirmari luculento testimonio D. Thomæ. Is enim infrà q.73. art.4. ad 1. nemine Theologorum refragante affirmat, in hominis arbitrio esse, detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum. Certè si hoc vnquam licet, maximè licebit in nostro casu: vbi scilicet nec maximã quis subit iacturam suæ famæ, cùm soli superiori, ac secretò res indicatur, nec id cedit in detrimentum aliorũ, & præterea qualiscunque illa famæ particula quæ perditur, postponitur multo maiori bono spirituali: nimirum maiori submissioni & humilitati, & vtiliori atque efficaciori directioni, quam quis accipit paternè à superiore, & maiori cuidam securitati à recidiua. Quæ maior securitas tanti est facienda, vt Richardus in 4.d.19.art.3.q.1. asseuerauerit, licere semper propter illam indicare Prælato peccatum proximi, etiamsi is per correptionem secretam emendatus fuerit. De qua tamen opinione postea disseremus. Satis nunc nobis sit, quòd ob eam etiam maiorem securitatem à recediua, omnino debet videri esse licitum indicare statim Prælato peccatum proximi, quando ipse quidem proximus ad id fecerit potestatem, vt nunc asserimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO idem probatur. Nam si is ipse, qui deliquit, vltrò patefaceret suo Prælato peccatum suum, ab eo tanquam à patre remedium quærens, propter maiorem suum profectum spiritualem, & ad maiorem submissionem & humilitatem propriam; nemo certè dubitaret, quin talis sanctè & laudabiliter faceret: Ergo rectè quoque & laudabiliter indicabit Prælato peccatum proximi alter ex eiusdem consensu & voluntate, & ob eundem finem.

TERTIO, nam sanctum & laudabile est dispendium facere maximarũ etiam opum & fortunarum pro maiori profectu spirituali, vt patet in iis, qui ex consilio Christi renunciant omnibus, quæ possident, & amplectuntur institutum vitæ religiosę, sectantes Christi paupertatem: Ergo etiam licitum est tum per se, tum altero cooperante, dispendium facere aliqualis famæ apud Prælatum pro maiori profectu spirituali, vt asserimus in nostro casu.

QVARTO, nam ob eundem finem licuit aliquibus publicè etiam manifestare omnibus sua peccata non sine aliquali dispendio famæ tametsi præterita; vt fecit S. AVGVSTINVS in suis Confessionibus & alij: Ergo non minus licebit per se & per alterum indicare statim Prælato peccatum proprium ob profectum maiorem spiritualem, sicut iam asserimus.

QVINTO, nam si proximus ob peccatum à se commissum amisisset iam famã apud suum Prælatum, nemo teneretur ex Christi præcepto corripere prius secretò talem proximum, sed posset statim cum Prælato de illius emendatione agere: Ergo etiam quando ipse proximus non vult seruari suam famam apud Prælatum, quod ad commissum peccatum attinet, sed iusta de causa facit alteri potestatem id ei indicandi, propter maiorem scilicet profectum suum spiritualem.

SEXTO, nam nemo tenetur propter famam proximi aliquid facere, nisi quamdiu proximus habet & retinet ius ad famam: sed in nostro casu proximus non amplius retinet ius ad famam apud Prælatum quoad peccatum commissum; siquidem eo iure se licitè abdicauit, faciens alteri potestatem id Prælato indicandi propter suum maius bonum: Ergo in tali casu non tenebitur quis ex Domini præcepto præmittere secretam admonitionem ob seruandam proximi famam, sed poterit statim peccatum Prælato indicare. Neque enim in tali casu obligat præceptum illud; siquidem non obligat nisi propter seruandam proximi famam, vt omnes exponunt. Denique hîc planè locum habet quod dici solet: Volenti (iustè nimirum) non fit iniuria.

Porro his ipsis argumentis EVIDENTER conuincitur, licitè etiam posse in aliqua tota religione, more atq; instituto recipi, vt religiosi omnes propter maiorem profectum spiritualem, & ad maiorem humilitatem & submissionem, & ob securitatem maiorem à recidiua, faciant potestatem sociis indicandi statim superiori quodcunque eorum peccatum extra Confessionem notum: neque in hoc socios vllo modo peccaturos contra illud præceptum Domini. Probatur manifestè. Nam quod vni aut alteri homini, atque etiam cuilibet, facere licet, etiam licet pluribus, atq; adeo omnibus, qui sint religiosi eiusdem ordinis. Sed id omnino est licitum vni, aut alteri, & cuilibet, vt euidentibus argumẽtis probauimus: Ergo etiam licet pluribus, atque adeo omnibus qui sint religiosi alicuius eiusdem ordinis.

Itaq; rectè Dominicus Bannes hîc art. 8. dub. 2. in responsione ad Confirmationes septimi argumenti, loquens de Religiosis, quorum tale sit institutum: *Non video*, inquit, *quare non possint suo iuri renunciare. Nam cùm vnusquisq; sit Dominus suæ famæ, licitum est illi pro suo bono spirituali illam amittere, apud quem voluerit, secluso scandalo. Hoc enim*, inquit, *non est dispensare in præcepto Euangelico, aut potius naturali seruandi illum ordinem, sed est mutare materiam præcepti. Nam tota ratio illius ordinis est, vt fiat iniuria fratri corripiendo, infamando ipsum plus quàm oportet, vt corrigatur & emendetur. At vero scienti & volenti non fit iniuria, quoniam ipse est Dominus propriæ famæ, &c.*

Hactenus optimè hic auctor. Addit tamen de hac ipsa re duo, quorum alterum ipse etiam approbo, alterum minimè, cùm neque id sufficienter hic auctor probet. VNVM est, tale aliquod Religionis institutum, *quod secundum se*, inquit, *iustum esse potest ratione prædicta, non esse etiam defendendum alia quadam ratione falsa, videlicet quasi alio modo nulla communitas possit bene gubernari.* Hoc dictum huius auctoris omnino est verissimũ. Nam vt rectè colligit, nihil aliud id esset quàm asserere pernicioſum esse Communitatibus ordinem illum Euangelicum, atque adeo neque imperatum, neque suasum per consilium, quod est dictu erroneum.

ALTERVM quod dicit, est, quamuis institutum illud ob illam alteram rationem *sit per se licitum* (quia scilicet potest quis pro maiori suo commodo facere dispendium famæ) *tamen quia multa sunt licita, quæ non expediunt, durum sibi videri, vt tota Communitas Religionis profiteatur tantum rigorem, in cuius executione postea qui non fuerint valdè perfecti, facilè perturbabuntur, videntes passim sua delicta occulta nota esse Prælato.* Ita quidem hic auctor. Sed nullam rationem sufficientem ab eo adferri video, cur debeat iudicari non expedire tale aliquod institutum in Communitate tota alicuius Religionis.

Tres enim rationes ad id suadendum adfert seu potius insinuat, quarum nulla est firma. PRIMA, quia videtur id institutum nimis rigidum. SECVNDA, quia in eius executione facilè postea perturbabuntur, qui non fuerint valdè perfecti. TERTIA, quia habebunt eius perturbationis non leuem causam, videntes scilicet passim nota esse

esse Prælato delicta sua occulta. At hæ rationes tales non sunt, vt vel quælibet earum, vel omnes simul habeant in proposito aliquid ponderis.

Nam quod ad PRIMAM attinet, scilicet de rigore, certè multa alia Religiosorum ordinum instituta sunt rigidiora, nec ideo tamen non expediunt. Quis enim non videat molestius & durius esse, verbi gratia, voluntatem propriam perpetuò abnegare, omnibus carnis voluptatibus per totam vitam abstinere, fortunis omnibus renunciare, spem honorum & dignitatum omnium mundanarum abiicere, statis ieiuniis & abstinentiis & aliis corporis macerationibus carnem suam crucifigere, &c. quàm semel fortè aut iterum vel aliquoties ferre, vt etiam cùm contingit, aliquid committere, quod nonnihil possit de fama detrahere, id secretò indicetur superiori, vt paternè de remedio conuenienti prospiciat? Nunquid igitur ipsam etiam perpetuam obseruationem trium votorum essentialium Religionis (vt nihil iam de aliis Religiosorum quorundam consuetis vitę asperitatibus dicam) censebimus non esse expedientem toti communitati, quia multo etiam durior est, quàm tolerantia tantilli, & tam rari, & tam non ineuitabilis dispendij famæ? Neque enim frequens, sed rarum imo insolitum planè plerisque bonis Religiosis est, & omnibus qui in Religione viuunt, debet esse, vt committant aliquid graue, quod cognitum à superiore lædat apud eum ipsorũ famam. Vnde etiam perspicitur, non tam rigidum esse hoc institutum, de quo agimus, quàm huic auctori visum est. Quanquam si maximè esset rigidum, quid tum postea? Nonne ardua & difficilia, quæ salutaria & pulchra?

Nihilo firmior est SECVNDA ratio illius auctoris, quod scilicet in eius instituti executione facilè postea perturbantur, qui non sunt valde perfecti. An non etiam multo & facilius & frequentius perturbantur qui valde perfecti non sunt in aliarum religiosarũ obseruationum executione, quæ quotidianæ & necessariæ & non minus quandoque graues ac duræ sunt: Vt in ieiuniis, abstinẽtiis, corporis afflictationibus, &c? Et tamen sunt nihilominus non modò licitæ, sed etiam toti Communitati Religionis expedientes, propter alios videlicet aut perfectos, aut non valde imperfectos, quibus eiusmodi obseruationes salutares sunt. Idem igitur iudicium debet esse de eo instituto, quod defendimus.

Ac per hæc etiam corruit ratio TERTIA eiusdem auctoris. Primùm enim falsum est, ex eo institutо fore consequens, vt imperfecti videant passim occulta sua delicta esse nota Superiori. Non enim est necesse, vt passim contingat ab eis committi eiusmodi delicta; neque etiam vt passim socius sciat, quando quis fortè tale aliquid committit; sed rari omnino sunt, & rariores, imo nulli esse debent huiusmodi casus, sicut ante dixi. Deinde, si ipsam per se rei difficultatem ponderemus, certè non leuior est difficultas & causa perturbationis pro infirmis animis, in executione obseruationum aliarum religiosarum, quàm in tolerantia illius dispendij aliquantulæ famæ, quando peccatum indicatur superiori. Nec tamen propterea obseruationes eiusmodi sunt inutiles.

Quare maneat, institutum illud indicandi peccatum Superiori ex consensu delinquentium esse non modò licitum, sed etiam vtile. Quod certè institutum posteaquam per sedem Apostolicam in Constitutionibus alicuius Religionis fuerit approbatum, non potest sine magna temeritate inutile reputari. Nam certum est, Religionum instituta per sedem Apostolicam approbata, esse Ecclesiæ salutaria, atque adeo ipsis Religiosis vtilia, vt tradidimus suprà disput. 1. q. 1. p. 7. §. 40. Et hactenus de QVINTO casu ex illis sex, in quibus diximus non esse necessariò seruandum in Correptione modum illum & ordinem præscriptum Matth. 18.

SEXTVS casus, isque latè patens, est, quando ob concurrentem aliquam circumstantiam prudenter iudicari potest, modum illum vel omnino vel ex parte futurum inutilem ad finem correptionis, scilicet ad emendationem proximi. Ita docet D. Thomas art. 8. ad 1. & Richardus, Paludanus, Durandus, Adrianus vbi suprà, & communiter omnes alij. Itaque si putas monitionem secretam, aut inductionem testium nihil profuturam, poteris hæc intermittere aut aliquid horum; sicut etiam omnino à Correptione desistere, si nec per te, nec per alios, nec per Superiorem speres proximum emendatum iri. Nam vt rectè dicit Adrianus vbi suprà §. pro huius decisione, *frustra niti, & nihil aliud laborando quàm odium quærere, extremæ dementiæ est.*

Hac de causa potest omitti secreta monitio, aut etiam inductio testium, quando persona est talis, vt meritò timeatur falsò simulaturus tãtùm emẽdationem priuatim monitus, vt postea cautius & impunè peccare possit. Atq; etiam Ioseph Genes. 37. ob similem rationem omisit fortè admonere secretò prius fratres, quos *accusauit de crimine pessimo* apud patrem, nimirum non sperans fore, vt admonitione sua proficeret apud eos, præsertim cùm alieni essent ab eo, & odio ipsum prosequerentur: Vel fortè, vt D. Thomas art. 7. ad 2. & Richardus in 4. d. 19. art. 3. q. 1. ad 3. & alij dicunt, publicum erat illud peccatum: Vel licet ibi non legatur, præmisit secretam monitionem.

Item ob similem causam Christus Dominus ante secretam admonitionem publicauit peccatum Iudę, Ioan. 13. quia sciebat illum esse incorrigibilem, vt ait Durandus in 4. d. 19. q. 4. ad 2. Vbi similiter arbitratur D. Petrum Actor. 5. sine præuia admonitione euulgasse & puniuisse peccatum Ananiæ & Sapphiræ, quia nimirum sciret ex reuelatione diuina eos esse incorrigibiles. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt multa alia huiusmodi facta similiter definiri. Quare maneat in illis sex casibus, quos exposuimus, non esse necessariò seruandum modum Correptionis præscriptum Matth.18. Et hoc est quod affirmauimus QVARTO esse certum.

QVINTO certum est, extra hos sex casus, quando circumstantię sunt tales, vt modus ille & ordo correptionis prudenter iudicetur futurus vtilis & necessarius, vt cum nulla aut minimâ iactura famæ proximus corrigatur, omnino esse seruandum ex præcepto Domini, atq; adeo ex præcepto naturali (vt suprà diximus) quatenus quidem ad eum finem sit aptus & necessarius. Quod addò, nam non vno modo, sed quatuor posset videri necessaria & opportuna ad finem Correptionis inductio testium, ex quibus modis tres explicat S.Thomas art.8. ad 3. & quartum præterea addit Adrianus in citata q. de Correptone fraterna, §. *Responsio.*

Posset enim *primò* contingere, vt inductio testium videatur futura efficax & necessaria, vt ipsi etiam confirmarent esse peccatum id, quod proximus facit, vt insinuat S.HIERONYMVS in cap.18. Mat. & colligitur ex eo, quod ait ibi Dominus, *vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, etc.* *Secundò* ad conuincendũ postea de actu, si à proximo iteretur, neq; is per inductionem etiam testium emẽdetur, sed oporteat ad eum finem deferre totam rem ad Superiorem. Vt habet AVGVSTINVS in regul.3.cap.23.& epist.109.vnde est desumpta illa tertia regula. *Tertiò* ad approbandum & testificandum officium eius qui corripit; vt scilicet *quia is solus imbecillior visus est, adiectione duorum fortior factus arguat delinquentem,* sicut ait sanctus CHRYSOSTOMVS hom.61.in Matt. Et vt habeat is testimonium, quòd minimè defuerit officio suo, vt ait ibidem Chrysostomus. Quod ei valebit ad eum finem, vt non repellatur à denunciatione facienda Prælato, vt alioqui repelleretur, si non præmisisset monitionem, sicut patet ex cap. Cùm dilectus. Extra de accusationib. *Quartò*, vt & ipsi etiam corripiant delinquentem, sicut colligitur ex illis verbis Domini; *Si eos nõ audierit, etc.* Et notat etiam ibi D.HIERONYMVS. Quocunq; igitur modo, vel quibuscunq; ex his quatuor videatur profutura inductio testium, & ob circumstantias casus necessaria ad corrigendum proximum, oportebit illam adhibere ex præcepto Domini.

SEXTO, quod attinet peculiariter ad hanc ipsam testium inductionẽ, certum est, eam in casu nunc posito necessariam omnino esse ex præcepto Domini ad aliquẽ vel aliquos ex prædictis quatuor finibus, si alioqui delictum fratris sit notum illi alteri vni vel duobus, qui à corripiente accersiri possint. Tunc enim non est vlla ratio dubitandi, quin tales, qui alioqui delictum norunt, possint ac debeant adhiberi. Quandoquidem apud eos iam frater amisit famam. Itaque in hoc omnes Doctores concordant. Est tamen de eo controuersia, quando fratris delictum nullis aliis præterquam corripienti notum est; quam controuersiam postea definiemus.

SEPTIMO certum est, quando in Correctione fraterna peruenitur ad tertium & vltimum gradum eius ordinis & modi, quem Christus præscripsit, vt scilicet Prælato Ecclesiastico non nisi posit adhibitos testes peccatum fratris aperiatur; debere illi peccatum id indicari tum vt Iudici, tum vt Patri, sed præcipuè vt Patri, vt quòd legitimè fieri possit, vtroq; nomine prospiciat bono fratris. Ita passim supponunt pro certo Doctores. Quam ego assertionem, quoniam ab aliis non satis distinctè & dilucidè proponitur, hunc in modum sigillatim probo & explano.

Tria igitur asserimus. *Primò* quòd illo tertio gradu Correptionis debeat indicari peccatum Prælato, vt est etiam Iudex. Hoc tripliciter patet. PRIMO ex verbis Christi. Nam cùm ait: *Dic Ecclesiæ*, significat Prælatum, vt repræsentat Ecclesiam tanquam persona publica, atq; adeo vt iudex, sicut exponit CHRYSOSTOMVS & alij. Item quia significat ita debere Prælato dici, vt possit res pervenire in notitiam Ecclesię, si ita expediet, & alia ad id requisita interueniant, iuxta ea quæ post dicemus. Vnde S.HIERONYMVS in Commentario eius loci, interpretatur, illud *dic Ecclesiæ*, tantundẽ esse, ac si dixisset Dominus: *Dic multis*, id est, Iudici, per cuius sententiam, si ita res tulerit, omnibus postea innotescat. Item quia per illa etiam verba: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; significauit Dominus, debere dici Prælato tanquam ei, qui possit etiam præcipere sub pœna Excommunicationis, vt Ecclesiasticus Iudex.

SECVNDO idem patet ex eo, quod communiter Theologi vocãt denunciationem hanc, *publicam* denunciationem, quia scilicet fit personæ publicæ. Vide peculiariter D.Thomam hìc art.8. vbi expresè in responsione ad 4. docet, denunciationem hanc, quę debet tertio loco fieri, post inductionem testium, fieri prælato *sicut in loco Iudicis residenti.* Quod idem eisdem verbis affirmat Richardus in 4.d.19.art.3.q.2.ad 2. & Durandus q.4.n.4.in fine, & n.6. & Adrianus in fine quæstionis de Correptione fraterna. Et Gabriel lect. 74.in Canonem, Lit.T. Et Syluester, Verbo, Correptio, n.4.& alij.

TERTIO idem patet ex ipsa ratione & scopo correctionis fraternæ. Nam eo spectare debet, vt quantum fieri possit, prospiciatur bono particulari fratris: Ergo quando ad tertium illũ Correctionis gradum peruentum est, vt scilicet ad Prælatum res deferatur, procurandum est fratris bonum per illum, quatenus etiam vt Iudex debet ex iustitia procurare non modò bonum commune, sed etiam priuatum cuiusq; subditi saluo communi, vt rectè explicuit Caietanus art.2.

Quod autem *secundò* ponimus in illa assertione, debere quoq; peccatum fratris indicari tunc

Prælato tanquam Patri, probatur similiter PRIMO ex verbis Domini. Nam quod ait: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: apertè declarat in omnibus Correctionis partibus debere tanquã finis esse propositum bonum fratris, quod ei nimirum ex charitate velle debet tum priuatus quisque, tum maximè prælatus tanquam pater ratione sui officij, vt explicauimus p.3. Igitur in illo quoque tertio gradu correptionis adhibendus est prælatus, vt est etiam pater, & vt delinquentem in viam reuocare studeat tanquam pater filium.

SECVNDO, nam petitur tunc in primis à Prælato, vt ipse corrigat delinquentem, sicut patet ex Cap. Nouit, Extra de iudiciis: Igitur petitur ab illo officium paternæ charitatis; siquidem Correctio est charitatis actus, vt p.1.traditum est. Ita etiam supponunt communiter Doctores, idque animaduertit optimè Dominicus Bannes hìc ar. 8.dub.4.in responsione ad 2.argumentum.

Quod deniq; *tertiò* ponimus, denunciationem illam debere fieri Prælato *præcipuè* vt is est pater, probatur PRIMO ex ratione Correptionis fraternæ, cuius illa denunciatio est quidam gradus seu pars. Correptio enim fraterna cùm sit actus misericordiæ & charitatis, pro suo obiecto formali & præcipuo habet particulare bonum fratris, quo liberetur à miseria peccati: Ergo quando ad hunc ipsum finem per hunc actum Correptionis fraternæ, qui est denunciatio, quæritur auxilium Prælati, cum Prælato agitur præcipuè vt cum patre, qui scilicet peculiariter tenetur ex charitate & misericordia procurare bonum fratris. Tametsi vt ante ostendimus, etiam tunc agitur cum Prælato vt cum iudice, sed minus præcipuè & quasi materialiter. Vt cum Patre autẽ præcipuè & formaliter. Ob quam differẽtiam solent interdum Doctores absolutè dicere, quòd per Correptionem fraternam peccatum indicatur Prælato non vt iudici (scilicet præcipuè & formaliter) sed vt Patri seu priuatæ personæ; vt nominatim loquitur Syluester, Verbo Denunciatio nu.1. Cùm tamen, Verbo, Correctio, nu.4. dicat, per viam Correctionis indicari peccatum Prælato etiam vt iudici, sicut aiunt alij auctores à nobis citati paulo ante.

SECVNDO idem patet ex differentia, quam omnes Theologi assignant inter denunciationem hanc *fraternam*, seu Euangelicam, seu pœnitentialem (vt aliqui appellant) & denunciationẽ *iridicam*: quòd fraterna hæc denunciatio habet pro scopo principali particulare bonum fratris procurandum illi à Prælato ex paterna charitate. Denunciatio autem iuridica pro scopo principali habet bonum commune, quod redundat ex coercitione improborum per pœnas inflictas à iudice; quamuis etiam materialiter & secũdariò ordinetur ad bonum particulare proximi, quod tenetur etiam procurare iudex quantum potest saluo bono communi, vt ante asseruimus ex Caietano. Itaq; verissimum est totum illud SEPTIMVM pronunciatum. Ex quo quidnam sit consequens pro praxi, nunc subiungemus.

OCTAVO igitur certum est, Prælatum per notitiam eam quidem, quâ ex hac fraterna denunciatione acceperit, non posse delinquentem punire per pœnas à iure constitutas: posse autem & debere omni alia ratione idonea eum vt emendetur corripere: atque adeo ipsum etiam punire ad eum finem per alias pœnas arbitrarias instar patris animaduertentis in filium, & auctoritate sua, quam vt iudex etiam habet, præcipere seuerè, vt à peccato abstineat sub pœna Excommunicationis ipso facto alioqui propter cõtumaciam incurrendæ, si ita expediret, & attendere diligentius illi, & remouere ab illo efficaciter, quoad posit, occasiones peccandi, &c. Hoc totum pronunciatum patet euidenter ex pronunciato præcedenti.

Nam PRIOR pars huius pronunciati sequitur ex eo quod per correptionem fraternã delictum indicatur Prælato, nõ vt iudici formaliter & præcipuè, nec per viam iudicialem (vt accusationis vel denunciationis iuridicæ, &c.) sed vt Patri & per viam charitatis, vt dictum est in præcedenti pronunciato. Non enim potest iudex legitimè condemnare reum ad pœnas lege constitutas, nisi delictum ad se deferatur per viam iudicialem & legitimam à iure communi vel particulari præscriptam, vt docebimus disput.5.

POSTERIOR autem pars huius pronunciati (scilicet posse & debere nihilominus Prælatum punire delinquentem, ad se delatum via Correptionis, per alias pœnas arbitrarias, & seuerè illi emendationem imperare sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & auocare eũ à peccato, quacunq; alia ratione idonea, quâ vt est etiam iudex, efficaciter adhibere posit) sequitur ex eo, quod per correptionẽ fraternã denunciatur delictum Prælato principaliter ac formaliter vt patri, & minus principaliter vt iudici quoque. Nam certum est, ad auctoritatem etiam patris spectare, vt conuenientibus etiam pœnis coerceat filios. Vnde 1.Reg.2.& 3.vitio vertitur Heli, quod non etiam puniuerit filios, quantũuis verbis quidem illis eos increpauerit, vt legimus ibi cap.2. *Quare facitis res huiusce modi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite fily mei, non enim est bona fama, quam ego audio, &c.* Et tamen quia non etiam puniuit eos, punitus est ipse grauissimè à Deo, sicut de illo ad Samuelem dixit Deus ibi cap.3. *prædixi ei quod iudicaturus essem domũ eius in æternum propter iniquitatẽ, eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Incumbit igitur Prælato vt patri, punitio etiam aliqualis eius, quem debet corripere eo modo & eo tempore, quo ita expediet pro ratione circumstantiarum. Non potest tamen eum punire de facto per pœnam Excommunicationis propter delictũ præteritum, etiam dignũ alioqui sententia Excommunica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

municationis; vt rectè ait Sotus in Relectione de Secreto, mem. 2. q. 4. concl. 8. quandoquidem ea pœna est iure constituta: Nisi prælato de nouo rursus cõstaret de crimine per viam iudicialem, iuxta ea quæ pòst dicemus.

Item ex eo quòd Prælato delatum est crimen tanquam iudici quoq;, licet minus principaliter; apparet debere eum auctoritate sua iudiciali, vt per charitatẽ imperata vti ad emendandum fratrẽ illis aliis modis, quibus in ea posteriore parte nostri pronũciati diximus. Et peculiariter quòd id possit & debeat (si expediat ad finẽ Correctionis facere) imperando emendationem sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, patet ex illo præcepto Christi *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Hoc enim nõ debet ita intelligi, quasi iam iure diuino talis propter contumaciam sit excommunicatus: nullam enim Excommunicationem iure diuino latam agnoscunt Doctores. Neque etiam id debet ita intelligi, quasi per notitiam illam criminis quam Prælatus via correctionis accepit, possit delinquentem ob delictum præteritum excommunicare; cùm id fieri non possit, vt ante dictum est, nisi rursus ad Prælatũ deferatur id crimen via iudiciali: vel certè nisi in præsentia duorum aut trium de nouo contumax esset, & propter eam manifestam contumaciam à iudice excommunicetur sine alia delatione; qui casus est rarus. Quare supereſt, vt quod Dominus præcipit ordinariè fieri, nempe vt contumax Prælato corripienti, haberetur vt Ethnicus & Publicanus (id est, excommunicationem incurreret) debeat ita intelligi, vt si opus sit teneatur Prelatus ordinariè (nisi id ad finem correptionis non expediat) imperare delinquenti emendationem sub pœna excommunicationis incurrẽdæ alioqui ipso facto propter contumaciam.

Neque verò hoc ipsum erit actu iam infligere pœnam excommunicationis (quod vt ante diximus, non licet) sed seuerè imperare; nimirum sub tali pœna, quæ potest postea ipso facto absq; alia sententia & processu incurri, nisi quis (vt liberè potest) eam caueat. Ac prout quis postmodum manifesta aut occulta contumacia eam pœnam incurrat, ita debebit manifestè aut occultè se gerere tanquam excommunicatum, & ab aliis vitari aut non vitari, prout id sciuerint aut non sciuerint: in casibus tamen Extrauagantis *Ad euitanda.*

Sic intelligo vera esse, quæ Bannes hìc art. 8. dub. 4. disputat, cùm asserit, posse Prælatum in proposito præcipere emendationem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrẽdæ (quod nec Sotus aut alius quisquam negat) non autem punire pœna excommunicationis publicæ & forensis, id est, quæ actu infligatur delinquenti ob peccatũ delatum per viam Correctionis fraternè, vt ante diximus. Nã denunciato per eam viam nulla pœna iuridica potest infligi, vt ex communi doctrina notauit Sotus in Relectione de Secreto, memb. 2. q. 4. concl. 7.

Atq; hactenus exposuimus & confirmauimus OCTO pronunciata, quæ circa modum corripiendi præscriptum à Domino sunt certa, vt dixi. Nunc supereſt, vt disseramus breuiter de aliis QVATVOR, quæ in hoc sunt aliquantulum controuersa.

PRIMO controuersum est, an si frater per primam secretam monitionem emendetur, liceat nihilominus secretò peccatũ eius indicare Prælato, vt eo sit tutior à recidiua? Affirmat enim Richardus in 4. d. 19. art. 3. q. 1. *si Prælatus, inquit, sit talis, qui nõ videatur apud alios infamaturus fratrem.* Neque id aliter probat, nisi *quia valet, inquit, ad præcauendum fratrem à recidiua.* Et Richardum in hac re sequitur Gabriel lection. 74. in Canonem Litera V.

Sed rectiùs hoc negant alij: nempe Adrianus in q. de Correctione. §. *pro huius decisione*, vbi fusè confutat Richardum. Et Paludanus in 4. d. 19. q. 4. vbi ait, non debere indicari fratris peccatum Prælato nescienti, quando per alios corrigi potest: *quòd si correctioni aliorum acquiescat, ibi, inquit, sistetur.* Et Sotus in Relectione de Secreto, memb. 2. q. 4. concl. 4. & Nauarrus in Manuali c. 24. n. 14. Probatur *primò* ex illis verbis Domini: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum:* quasi dicat, nihil interest amplius, sed ibi erit sistendum, vt conseruetur fama fratris. *Secundò*, nam vt rectè censet Adrianus, sicut grauius est diffamari apud grauem & honestum virum, quàm apud alium: ita etiam apud Prælatum. Quisque enim magni facit bonam existimationẽ sui apud suum Prælatum: Igitur minimè debet lædi fama proximi apud Prelatum, quando id ad finem Correctionis non est necessarium, cùm scilicet iam est emẽdatus per secretam admonitionem.

Neque fundamentum Richardi est firmum. Non enim pro qualicunq; bono spirituali proximi licitum est damnum ei inferre in bonis temporalibus, sed pro eo, quod sit ad salutem necessarium, qualis non est ordinariè illa maior securitas à recidiua. Neq; enim esset licitum eripere, verbi gratia, alicui bona sua, & dare pauperibus, vt orent pro ipso, sicut rectè ait Adrianus, & patet ex aliquot sententiis Augustini relatis à Gratiano XIIII. quæstione 5. præsertim Canone Licet, Ex homilia 7. Augustini libri 50. homiliarum.

Quòd si casus aliquis esset talis, vt certò vel probabiliter existimetur proximus relapsurus, nisi præteritus eius lapsus indicetur superiori ad eum præseruãdum à recidiua, negari non debet, quin id esset licitum; sicut concedit quoq; D. Thomas & Sotus vbi suprà, & insinuat quoq; D. Thomas quodlib. 11. art. 13. Nam etiam ad eundem finem liceret rem indicare cuiuis alteri priuato, sine cuius ope non putaretur quis futurus immunis à relapsu. Cæterum hi casus non sunt ordinarij. Quocirca ordinariè quidem falsa est illa Richardi opinio.

SED argumentabitur fortè pro ea quisquam hoc pacto: Ipse proximus potest licitè propter qualemcunque maiorem securitatem suam à recidiua, indicare Prælato peccatum suum, de quo iam est emendatus, postposita iactura propriæ famæ: Ergo idem poterit alter pro proximo facere ob eandem illam proximi vtilitatem spiritualem.

RESPONDEO per distinctionem Consequentis. Nam si ad id habeat quis proximi consensum, verum est id consequens & bona consequẽtia: vt patet ex iis, quæ disseruimus in quinto casu pronunciati quarti. Si autem desit proximi ad id consensus, falsum est id consequens, nec valet consequentia. Nam cùm vnusquisque sit vel dominus vel dispensator famæ suæ, potest arbitratu suo illius iacturam facere pro qualicunque bono proprio spirituali; alter verò minimè absq; ipsius consensu. Quemadmodum potest quisq; de bonis suis facere eleemosynam pauperibus, vt orent pro ipso; non autem alter absque eius consensu.

SECVNDO controuersum est, an teneatur quis pòst secretam monitionem adhibere vnum vel duos, vt postea si neque id profuerit, fiat denunciatio Prælato (sicut iubet Dominus) quando nullus alius nouit crimen, præter ipsum & reum. Nam quando alij sciunt, certum est teneri, vt posuimus ex omnium sententia in sexto pronunciato. Controuersia autem nunc est, an quis teneatur etiam id facere, quando nemo alius crimen nouit. Sunt enim hac de re tres opiniones.

PRIMA est, non teneri, sed simpliciter esse tunc desistendum à correptione, quando priuata monitio non prodest. Hanc opinionem refert hìc S. Thomas art. 8. ad 1. & eam apertè sequitur Durandus in 4. dist. 19 quæst. 4. num. 4. licet non valde constanter, vt videbimus. Tribuit illam quoque Altisiodorensi Sotus in Relectione de Secreto, membr. 4. quæst. 4. concluſ. 5. sed falsò. Nam Altisiodorensis omninò fuit in alia opinione, sicut pòst dicemus.

Huius opinionis (cuiuscunque sit) tria potissimùm sunt argumenta: PRIMO, quia id videtur illicitum: cùm prodere peccatum fratris nescienti, sit eum diffamare. SECVNDO, quia videtur etiam superuacaneum: Non enim tunc poterit magis probari crimen per illos duos aut tres, quàm per illum solum qui sciuit; *os enim omnium illorum non erit nisi os illius vnius*, inquit Durandus. TERTIO, quia videtur etiam id periculosum corripienti: Poterit enim REVS testimonio illorum duorum conuincere, quòd ei coram illis crimen obiecerit, quod non posit probare, atque adeo eum iniustè diffamauerit, & de hoc illum coram iudice poterit accusare. Hæc opinio nec vera est, neque sufficienter probatur his argumentis, vt postea ostendemus.

SECVNDA opinio distinguit de fratris crimine. Nam si duntaxat præteritum sit, nec præterea iteretur aut continuetur, negat oportere testes inducere; & in hoc concordat cum prima opinione propter argumenta eius. Si autem crimen continuetur vel iteretur (vt continuatur furtum verbi gratia, retinendo rem alienam, & iteratur fornicatio cum occulta pellice, &c.) affirmat ea opinio, adhibendum esse vnum aut duos vt crimen obseruent, & postea coram Prælato illud possint testari, si necesse fuerit.

Ratio est, quia tunc non subest vlla causa prætermittendi illum secundum gradum correptionis à Domino præscriptum, scilicet per inductionem testium. Ita opinatur Adrianus in quæstione sæpè citata de Correctione. §. *pro huius decisione*, circa finem, & §. *ad rationes ante oppositum*, sub finem totius quæstionis. Et eadem videtur fuisse opinio Paludani in 4. dist. 19. quæst. 4. §. *Si autem*. Imo etiam Caietanus hìc art. 8. videtur omnino existimasse in eo solùm casu esse adhibẽdos testes, si peccatum scilicet iteretur aut continuetur. Sed neque hæc sententia est vera quoad priorem sui partem, in qua concordat cum opinione prima.

TERTIA igitur sententia vera, & à nobis defendenda, est, quantumcunque sit peccatum aliis occultum, ita vt neque sciatur, neque per obseruationem iterationis aut continuationis sciri possit, esse vlterius procedendum ad inductionem vnius vel duorum ex præcepto Domini, si id ad finem Correptionis profuturum videatur per aliquem modum ex variis illis, quibus in pronunciato quinto docuimus, inductionem hanc testium prodesse posse ad eum finem. Ita sentit diuus Thomas hìc artic. 8. ad 1. & ad 3. & Albertus Magnus in 4. distinct. 19. articul. 21. ad 1. & Richardus in 4. distinct. 19. artic. 3. quæst. 2. ad 1. & expresse etiam Altisiodorensis libro 3. tract. 25. cap. 2. in fine, & Gabriel lectione 74. in Canonem, Litera Y. Et Sotus de Secreto, membro 2. quæstione 4. concluſ. 4. & Bannes artic. 8. dub. 3. &c.

Probatur hæc sententia PRIMO ex eo, quod Dominus tradens illud præceptum, principio non dixit: Adhibe tecum adhuc vnum vel duos *testes*, sed præcisè, vnum vel *duos*: nimirum vt indicaret, non tunc tolùm esse adhibendos, quando sunt aut possunt esse testes peccati fratris scientes illud, sed etiam quando alio modo ex dictis in pronunciato quinto possunt prodesse ad finem correptionis. Quod autem subiungit, vt in ore duorum vel trium *testium* stet omne verbum: ideo adiecit, vt subindicaret, quòd semper saltem possint ij testari officium præstitum à corripiente, quo admittatur etiam denunciatio, & sæpè etiam ipsum fratris peccatum, quando eis aliàs fuerit notum, vel ab eis continuatum aut iteratum obseruabitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO probatur etiam ex eo, quod ait Dominus: *Si non audierit eos, etc.* Hinc enim apparet, ad alium etiam finem posse & debere interdum alios adhiberi; nempe vt ipsi etiam corripiant, vel sua præsentia & auctoritate addant maius pondus correptioni, iuxta ea quæ diximus in quinto pronunciato.

TERTIO ex eo, quod ait: *Dic Ecclesiæ.* Nam hoc etiam verbo insinuat posse & debere similiter in hoc secundo correptionis gradu peccatum fratris dici vni aut alteri nescienti, atque in tertio gradu potest & debet dici Ecclesiæ siue Prælato alioqui nescienti.

QVARTO probatur ex Patribus. Nam S. BASILIVS in quæstionibus fusè explicatis, q. 46. affirmans peccatum fratris esse *deferendum Prælato, si iuxta ordinem à Domino præscriptum non possit per alios remedium adhiberi*, grauiter monet, non esse occultandum fratris peccatum, in illo scilicet ordine correptionis Euangelico, atque adeo nec testibus in secundo eius gradu. *Malitia enim*, inquit, *occulta morbus animæ putris est.*

Item S. AVGVSTINVS in regula 3. cap. 23. & epist. 109. similiter affirmat peccatum fratris *esse vni vel alteri demonstrandum* (qui scilicet alioqui nesciat) *ne*, inquit, *deterius putrescat in corde.*

Neq; obstat, quòd Augustinus ibi loquitur de peccato, quod iteratur. Nam certè quod attinet ad famam fratris, perinde est indicare vni aut alteri peccatum illius iteratum, quod alioqui nescirent, & peccatum occultum non iteratum.

Neque etiam est verum, quod ait Durandus, Augustinum ibi loqui non tam de eo, quod est peccatum, quàm de eo, quod est occasio peccandi. Nam loquitur ibi Augustinus de libidinosa *fixione oculorum* in mulierem, per quam, vt ibi Augustinus dicit, iam sit quis *vulneratus, & ideo sanandus.* Quæ certè fixio oculorum peccatū est, iuxta sententiam illam Domini: *Qui viderit mulierem ad concupiscendū eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Atq; etiam addit Augustinus, idem esse faciendum circa quæcunque alia fratrum peccata.

Item S. CHRYSOSTOMVS, & S. HIERONYMVS in cap. 18. Matt. adhibendum vnum aut alterum dicunt ad alios etiam fines, quàm vt de peccato postea cōuincant, vt vidimus in quinto pronunciato; ac proinde poterunt & debebunt adhiberi, quamuis alioqui peccatum nesciant, neq; scire possint per iterationis obseruationem.

QVINTO probatur ratione. Nam si ad eum solum finem valere deberent testes, vt crimen postea coram Prælato posset probari, & ideo nō essent adhibendi, nisi qui aliàs illud scirent, aut ex iteratione cognoscerent; Tunc nec oporteret quidē illos à corripiente adhiberi in correptione fratris, seu accersiti, antequam coram Prælato comparendum esset; quia tunc eos aduocari satis esset ad comprobandum crimen. At hoc est contra præceptum illud Domini: *Adhibe tecum vnum aut duos: Quòd si eos non audierit, &c.* Igitur adhibendi sunt ad alios etiam fines, qui possint habere suum vsum, quamuis ille vnus aut duo nesciant alioqui nec deprehendere ac probare possint crimen: iuxta ea quę diximus in pronunciato quinto.

POSTREMO probatur eadem sententia peculiariter contra Durandum. Nam in casu etiam, quo nemo alius peccatū fratris sciat, præter eum qui frustra iam fratrē monuit, concedit Durandus, posse illud indicari alicui alteri, qui secretò & sine infamia fratris putaretur remedium adhibiturus, siue is sit Prælatus (cui indicaretur tunc peccatū illud vt priuatæ personæ) siue alius quispiam priuatus: Ergo etiam erit licitum & ex præcepto Domini necessarium in tali casu vni aut alteri alioqui nescientibus indicare, iuxta prædictum ordinem, peccatum fratris cum eadem spe vtilitatis ipsius. Sine hac enim spe iam suprà aliquoties diximus nullam partem illius ordinis præscripti in corripiendo esse necessariò seruandam. Neque verè igitur, neque satis cohærenter & constanter disserit Durandus, vt antea etiam dixi.

Ad illa verò tria argumenta, quibus nititur prima opinio, & etiam secunda quoad priorem eius partem falsam, in qua cum prima (vt dixi) concordat, non est difficile respondere. Ad PRIMVM respondet luculenter S. AVGVSTINVS in regula vbi suprà. Summa est, indicationem eam quando fit pro salute fratris, non esse diffamationem, nimirum illicitam: *Nec vos*, inquit, *indicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis.* Et q. 1. in Leuiticū, disputans an liceat indicare periurium proximi: *Videtur*, inquit, *mihi quòd se homo soluat a peccati vinculo, etiam si indicet talibus, qui magis possunt prodesse, quàm obesse periuro, siue ad corrigendum eum, siue ad Deum pro illo orandum, &c.*

Ad SECVNDVM respondeo, manifestationem illam factam vni aut alteri, habere quoque posse alios vsus præter probationem seu conuictionem criminis, vt patet ex dictis in quinto pronunciato, præsertim ex sententia D. Hieronymi in cap. 18. Matth. vbi apertissimè hoc ipsum declarauit. Sic enim ait: *Corrigendus est frater seorsum, &c. Sin autē audire noluerit, adhibeatur frater: Si neq; illum audierit, adhibeatur & tertius: VEL corrigendi*, inquit, *studio* (en alium finem) *VEL conueniendi sub testibus.* Vbi etiam obseruetur, quòd ex sententia Hieronymi non pro libito adhibendi sunt statim duo, nisi id necesse videatur, sed gradatim est in hoc etiam procedendum: adhibendo primò vnum, deinde alterum prout expedit, vt sic magis famæ proximi consulatur. Hoc enim modo intelligendum est, quod ait Dominus: *Si te non audierit, adhibe tecum vnum aut duos, &c.* vt bene quoque notauit Sotus in Relectione de Secreto, memb. 2. q. 4. ante 6. concl.

Ad TERTIVM respondeo, nullum esse illud periculum.

riculum. Nam nihilo magis tunc illi duo scient, falsò te arguisse & eis indicasse peccatum fratris; cùm equè ignorent, illum non id commisisse atq; commisisse. Arguere autem & indicare vni aut duobus per viam correptionis fraternæ peccatum fratris, quod non possis sufficienter probare, nullum est crimen, sed officium charitatis, vt patet ex argumentis nostræ sententiæ. Itaq; licet frater in eo casu possit cōuincere per illos duos, quòd ipsis ea via peccatū tale indicaueris, quod probare non possis, tamē non propterea te conuincet alicuius criminis. Et hactenus de eo, quod diximus esse SECVNDO controuersum.

TERTIO controuersum est, an possit quis vel debeat post secretā admonitionē frustrà factam, peccatum fratris indicare Prælato, non vt Iudici vllo modo, sed solùm vt Patri, priusquam illud manifestet vni illi aut alteri, qui etiam sunt adhibendi. Dixi autem Prælato *non vt Iudici, sed vt Patri*: nam certum est alioqui adhibendos esse prius vnum aut duos, quàm res deferatur ad Prælatum vt Patrem simul & Iudicem. Hoc enim modo nō debet ei indicari, nisi in tertio gradu illius ordinis à Domino præscripti, atque adeo non ante quàm vnus aut alius vel duo fuerint adhibiti: vt patet ex iis, quæ asseruimus in septimo pronunciato. Controuersia igitur nunc non est, nisi an Prælato tanquam Patri tantùm, possit aut debeat peccatum fratris indicari prius quam alij, post admonitionem primā secretam frustra factam.

Video enim hac de re nō idem sentire omnes. Nam D. Thomas hìc art. 8. ad 4. arbitratur, prius quàm testibus debere dici Prælato, *vt est quædam singularis persona, quæ magis*, inquit, *potest prodesse quam alij*, nimirum tanquam pater: non autem debere ei dici prius tanquam Iudici. Fundamentum D. Thomæ est solùm quidam locus Augustini in regula 3. sub finem, seu cap. 23. vbi videtur Augustinus ita planè dicere. Atq; hanc ipsam sententiam D. Thomæ, tanquam Augustini in illo loco, secuti sunt quidam alij vtentes iisdem penè verbis, quibus D. Thomas. Vt Richardus in 4. d. 19. ar. 3. q. 2. ad 2. & Adrianus in fine quæstionis de Correctione fraterna, & Gabriel lect. 74. in Canonem, Lit. T. & Sotus in Relectione de Secreto, membr. 2. q. 4. ad 3. principale argumentum, & Syluester, Verbo, Correctio, n. 4. Idé etiam sensit ante hos Vmbertus, quintus Generalis ordinis Prędicatorum, in commentariis suis ad regulam Augustini cap. 97. quamuis non admodum conuenienter cum iis, quę initio ibi dixerat & cap. 93.

Alij autem simpliciter & absolutè sentiunt, oportere omnino iuxta ordinem à Christo præscriptum indicare prius vni aut duobus, antequā indicetur Prælato, quomodocunq; considerato. Ita sentit grauissimus auctor Hugo de S. Victore (qui tanquam alter Augustinus celebris fuit suo tempore, vt testatur in Catalogo Tritemius) in commentariis suis ad regulam Augustini cap. 6. vbi Augustini locum à D. Thoma citatum interpretatur in hanc planè sententiam, vt patebit ex eius verbis, quæ postea recitabo. Item Albertus Magnus in 4. d. 19. artic. 21. vbi primò ait, præceptum Domini de ordine correptionis *esse seruandum vt iacet*; & deinde in responsione ad primum argumentum, in quo quæsiuerat etiam, an post secretam admonitionem posset peccatum indicari Prælato, vt *cuidam ex eorum numero, qui possint prodesse & non obesse*, id est, tanquam patri; dicit, prius esse indicandum alicui vel aliquibus *ex numero sociorum.* Neq; aliter loquuntur alij antiquiores auctores. Item ex recentioribus Nauarrus in Manuali cap. 24. num. 14. improbans opinionem Richardi, qui putauit, post fratris etiam emendationem licitum esse indicare eius peccatum Superiori tanquam patri tantum, vt præseruet à recidiua; affirmat non modò id esse illicitum, sed etiam peccare eum, qui non seruato ordine Euangelico reuelat peccatum Superiori, etiam ad eum finem prę seruandi à recidiua, atque adeo considerando quoq; Superiorem tantummodò vt patrem, sicut considerabat Richardus. Item propendet magis in hanc ipsam sentētiam Bannes hìc art. 8. dub. 2. in responsione ad 6. vbi post sententiam illam D. Thomæ addit, *non negare Augustinum in regula, quin quando id ad finem correctionis expediet* (non enim aliter obligat Domini præceptum) *oporteat fratrem corrigere adhibendo vnum aut duos testes, secundùm ordinem Euangelij, vt his assistentibus corripienti, admonitio & correptio sit efficacior*: quo ipso certè prius isti intelligent peccatū fratris quàm Prælatus; quicquid hic auctor præterea dicat, nescio an non sibi contradicens.

Etsi autem prior illa sententia propter auctoritatem D. Thomę & sequacium, sine dubio probabilis sit, tamē si ponderentur rationes, quibus sententia posterior Hugonis & aliorum probari potest, verisimilior mihi videtur hæc posterior sententia PRIMO. Nam Domini præceptum obligat ad seruandum illum ordinem in omni correptione fratris, per quam ex charitate agatur de emendatione fratris apud Superiorem vt Superior est: Ergo etiam obligat ad seruandū eum ordinem in correptione, per quam agatur cum superiore de emendatione fratris tanquam cum Patre tantùm. Antecedens patet: tum quia omnis correptio ex charitate suscepta debet simul, quoad fieri potest, tueri famam fratris, quæ fuit ratio præscribendi illum ordinem. Consequentia verò probatur. Nam etiam cum ex charitate defertur fratris peccatum ad Superiorem vt ad patrem tantùm, defertur ad illum vt ad Superiorem. Pater enim vt Pater, Superior est.

Nec dici potest, priorē illā sententiam D. Thomæ non intelligi de Superiore vt patre, sed vt *singulari persona*, vt ipse D. Thomas loquitur. Nō potest hoc dici: tum quia ipse D. Thomas declarat, se ibi superiorem nominare singulare personam, non vt distinguitur contra patrem, sed vt distinguitur contra iudicem: tum quia loquitur de Superiore,

Universidad de Deusto
Biblioteca

periore, vt potest *plus prodesse quàm alij*, sicut ipse met inquit: Nō potest autem Superior plus prodesse nisi velut Iudex, vel certè vt Pater: tum denique quia si solùm vellet D. Thomas debere prius indicari rem Prælato vt singulari personæ præcisè, vt singularis persona est, & non vt est pater, falsò prorsus & improbabiliter diceret. Nam considerando tantùm rationem singularis personæ, non magis quis tenetur aliquid dicere vni quàm alteri, cùm omnibus æquè conueniat ratio singularis personæ.

SECVNDO probatur eadem sententia testimonio S. Basilij & S. Augustini. Nam S. BASILIVS in quæstionibus fusè explicatis q. 46. loquens de Superiore vt patre, cui nimirum quisque interdum debeat *proprium suum peccatum indicare pro accipienda institutione paterna*; tunc demùm affirmat peccatum *referendum esse ad Præfectum abiis, qui sunt conscij*, cùm *ipsi* (vt inquit) *mederi nō possint, inxta id*, inquit, *quod à Domino præceptum est*, nimirum Matth. 18. Debet ergo dispici, num per alios frater corrigi possit priusquàm eius peccatum ad Præfectum deferatur.

Item S. AVGVSTINVS in Regula 3. eodem ipso loco, quem D. Thomas citat, statim ac præcepit, vt peccātem fratrem post secretam admonitionem, *quit ung, nouerit, tanquam vulneratum sanandum prodat Superiori*; mox subiungit; PRIVS *tamen & alteri vel tertio demonstrandū, vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri.* Quid clarius? Nam quòd agat ibi de prodendo & denunciando fratre Superiori per viam correctionis fraternæ, etiam tanquam patri, patet tum ex eo quod ait: Velut vulneratum *sanandum*: tum quia si de sola iudiciali denunciatione ad fratrem publicè condemnandum intelligeret, non fuisset opus præcipere, vt prius testibus indicaretur; cùm constet talem denunciationem sine testibus non posse fieri.

TERTIO probatur eadem sententia ratione petita *ex fine*, ob quem Dominus præscripsit in corripiendo illum ordinem. Nam ideo eum præscripsit, vt quàm fieri posset gradatim & suauiter procederetur in lædenda fama pioximi ob illius salutem: ita, vt ad læsionem, quæ grauior & molestior proximo esset, non veniretur nisi tentata prius læsione tolerabiliori: Sed dubium non est, quin multo grauior & acerbior sit vnicuique læsio propriæ famæ apud suum superiorem, etiam vt apud patrem, quàm apud vnum vel alterum ex aliis, vt rectè etiam notauit Adrianus in q. de Correctione. §. *pro huius decisione*, circa finem: Ergo oportebit ex præcepto Domini peccatum fratris ne vt ad patrem quidem deferre prius ad Superiorem, quàm sint alij illi duo correptionis gradus tentati, scilicet secreta admonitio, & indicatio facti vni aut alteri.

Maior patet ex sententia omnium Patrum & Doctorum, qui ita præceptum exponunt. Minor patet etiam ex communi hominum sensu: quem nō solum Adrianus illic, sed etiam Sotus expressit in Relectione de Secreto, memb. 2. q. 4. dub. 3. post 4. concl. vbi ita de se scribit: *Optarem ego magis peccata mea nota esse tribus aut quatuor, quàm vni grauissimo & mihi coniunctissimo viro: Sanè cuius bonam de me æstimationem pluris facio quàm si quatuor alij bene de mè opinentur.* Et infrà: *Fama*, inquit, *subditi apud Prælatum magni æstimanda est: & ideo sine extrema necessitate non est prodigenda.*

QVARTO & potissimum probatur hæc sententia ex eo, quòd locus Augustini in Regula illa 3. in quo vno prior opinio D. Thomæ fundatur, planè potest aliter intelligi, ita vt omnino consonet cum hac posteriori sententia. Id confirmabo tum aliquot rationibus ex ipso contextu Augustini ductis, tum auctoritate grauissima Hugonis Victorini Abbatis Augustiniani, & illius Augustini Regulæ expositoris, & qui tantæ fuit auctoritatis, vt tanquam alter Augustinus celebraretur suo tempore, vt ante ex Tritemio commemoraui.

Sic autem habet ille Augustini locus in Regula 3. sub finem, & in ep. 109. vnde est desumptus, commutatis duntaxat nominibus viri & fœminæ: *Si hanc*, inquit, *de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne cæpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem post admonitionem, iterum vel alio quocunque die id ipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum, sanandum prodat* (Prælato nempe) *quicunq; hoc potuerit inuenire.* PRIVS *tamen & alteri vel tertio demonstrandum* (vel, vt aliàs, demonstratum) *vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri* (nimirum publicè coram omnibus aliis) Ac paucis interiectis, quibus probat, hanc manifestationem peccati fratris non fore crudelem nec maleuolam, sed misericordem; explicās modum & ordinem, quo ad illam conuictionem per testes, quibus iam crimen sit monstratum, & animaduersionem publicam coram aliis perueniendum sit, hæc subiungit: *Sed antequam* ALIIS *demonstretur, per quos conuincendus est si negauerit, prius Præposito debet ostēdi, si admonitus neglexerit corrigi; ne fortè possit secretius correptus* (seu correctus) *non innotescere cæteris. Si autē negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij, vt iam coram* OMNIBVS *possit non ab vno teste argui, sed à duobus vel tribus conuinci. Conuictus verò secundum Præpositi vel etiam Presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet, arbitrium debet emendatoriam subire vindictam.*

In hoc Augustini loco, si nō solum contextum Grammaticum, sed rem ipsam & antecedentia & sequentia consideremus, obscurum sanè est, qui nam sint illi ALII, de quibus dicit, quòd antequam *aliis* demonstretur, prius Præposito debet ostendi, &c. An scilicet sint illi ipsi testes, per quos postea conuincendus & condemnandus est coram omnibus aliis, si negauerit; an verò sint illi *alij omnes* præter ipsos testes: ita vt sensus non sit, ostendendum esse Præposito peccatum fratris prius quàm *aliis illis testibus*, sed prius quàm *aliis illis omnibus*, coram quibus conuincendus sit postea à testibus, si negauerit.

Et quidem D. Thomas, & qui eum secuti sunt, priori modo hæc verba Augustini intellexerunt, vt sit sensus, ante quàm aliis, id est, testibus, demonstretur peccatum fratris, debere ostendi Præposito, &c. Quia nimirum ipsa verborum series videtur hunc sensum indicare: nam post illa verba: *antequam aliis demonstretur*; sequitur, *per quos conuincēdus est, prius Præposito debet ostendi, etc.* Videtur enim illud relatiuum, *per quos*, referre aliosillos testes, per quos frater sit conuincendus, si negauerit.

Hugo autem Victorinus (sicut apparet ex eius verbis, quę postea recitabo) intellexit hæc Augustini verba posteriori modo, vt sit hic sensus: antequam ostendatur *aliis omnibus* coram quibus postea frater testibus adhibitis conuincēdus est, debet prius *per eos, per quos est conuincendus* (id est, per corripientem & illum alium vnum vel duos testes) ostendi adhuc Præposito secretò, si per eos in secundo gradu correptionis admonitus, neglexerit corrigi: idque ad eum finem, vt si fortè tunc tandem per secretam admonitionem Prælati corrigatur, parcatur eius famæ, neque innotescat eius peccatum cæteris omnibus. Si autem ne tunc quidem corrigatur, sed neget; tunc publicè adhibendi sunt testes, qui antea rem iam sciunt, vt ab eis coram omnibus conuincatur, & ad pœnam condemnetur.

Hic verborum Augustini sensus planissimè etiam salua Grammatica ex ipsis Augustini verbis colligi potest, si modò in Augustini contextu verba illa, *per quos, &c.* non habeant vim simplicis Relatini: sed tantundem significent, ac si dixisset, *per eos, per quos conuincendus est* (nimirum per corripientem & testes) debet prius secretò ostendi Prælato, &c. sicut iam exposui ex Hugonis sententia.

Sed probemus iam hunc sensum aliquot argumentis ductis ex ipso loco Augustini. Occurrunt autem mihi hæc sex argumenta. PRIMO, quia aliàs contradiceret sibi Augustinus, cùm paulo ante dicat, *prius quàm* peccatum prodatur Prælato, esse alteri vel tertio demonstrandum, &c. SECVNDO, nam quod postea subiungit: *Sed antequam aliis demonstretur, etc.* continuatur cum eo, quod dixerat, esse prius quàm Prælato monstrandum alteri aut tertio, vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri, nimirum publicè coram *omnibus aliis*, vt postea præcipit. Itaque optimè quadrat, vt per illud: *Sed antequam aliis, etc.* intelligamus *aliis omnibus*, præter ipsos testes. TERTIO, quia dicit prius Præposito debere ostendi, *si admonitus neglexerit corrigi*, nimirum si admonitus rursus per tertium vel duos, qui iam ante sciant, post primam negligentiam ad secretam monitionem, de qua negligentia iam ante Augustinus dixerat. QVARTO, quia non haberet aliàs locum ratio illa, cur debeat prius ostendi Prælato, quam subiungit illis, *ne fortè* SECRETIVS *correptus possit non innotescere cæteris.* Non enim secretius quis corripietur à Prælato, si ab illo corripiatur prius quàm res deferatur ad vnum alium vel alterum testem, à quo etiam vel quo præsente corrigatur (cùm vtique Prælatus sit etiam vnus quidam tertius, & quidem apud quem mallet quisque habere illæsam famam quàm apud quemuis alium vel etiam duos) bene autem si corripiatur prius à Prælato quā res innotescat omnibus aliis. Nec dicit rectè Sotus in Relectione de Secreto, memb. 2. q. 4. ad argumentum 3. principale, quòd ideo secretius & cum minori dispendio famæ dicitur prius Prælato, quia si frater à Prælato corrigatur, non oportebit dicere alij. Tum quia si hæc ratio valet, sequitur, Dominum non rectè consuluisse famæ fratris præcipiendo, vt prius dicatur vni aut alteri quàm Prælato. Tum quia similiter dicam quòd secretius dicetur vni alij, præsertim prudenti & graui viro: eò quòd si per illum corrigatur, non oportebit dicere Prælato, apud quem multo maior iactura famæ fit, quàm apud quemcunque alium aut etiam duos, ipso etiam Soto iudice, in dicta quæst. 4. dub. 3. post 4. concl. vt paulo superius retulimus. Itaq; firmum est quoq; illud quartum argumentum nostrum petitum ex Augustini ratione. Accedit QVINTO, quòd particula illa *cæteris*, vsurpata ab Augustino in ea ratione, indicat loqui illum ibi de aliis præter testes. SEXTO, id ipsum manifestè colligitur ex eo quod addit: *si frater negauerit*, adhibendos esse alios, *vt iam coram omnibus* conuincatur à testibus, & condemnetur. Loquitur igitur de cæteris præter testes; vt quemadmodum exposuimus, sit sensus, debere per corripientem & testes, qui iam norint, & frustra corripuerint, indicari Prælato prius quàm diuulgetur aliis, vt prius Prælatus etiam secretò corripiat in tertio gradu ordinis Euangelici.

Hoc modo (vt ante dixi) intellexit quoque Augustinum Hugo Victorinus in Commentariis suis ad illam Augustini regulam cap. 6. Primò enim dicit, quæ Augustinus illic præcipit, *concordare cum verbis Euangelicis* de ordine corrigendi, quem ibi ex cap. 18. Matthæi refert. Deinde recitato summatim hoc Augustini loco, de quo agimus, ab illis nimirum verbis, *Sed antequam aliis demonstretur*; vsque, *non innotescere cæteris. Si autem negauerit, &c.* illum interpretatur in hæc, quæ subiungit, verba: *Culpa cùm occultè committitur, ab aliis fratribus, qui eius culpæ conscij sunt, hic qui deliquit frater, secretè debet corrigi: quos si neglexerit audire, Patri Monasterij debet indicari, vt & ipse fratrem secretò corrigat; quatenus culpa, quæ adhuc latens est, si fortè secretius corrigi poterit, non* OMNIBVS *innotescat. Si autem negauerit, tunc testes adhibeantur, vt conuictus districtius iudicetur. Et hoc est*, inquit, *quod Augustinus ait; si autem negauerit, vsque debebit emendatoriam subire vindictam.*

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex his igitur patet, non habere firmum fundamentum in Augustino priorem illam opinionem D. Thomæ. Nec certè videtur probabile, quod ait Vmbertus cap. 97. *Augustinum in Religiosis quia non sunt sui iuris, restrinxisse ad Prælatum immediatè illam secundam correptionem, quæ ex præcepto Domini deberet prius fieri coram vno aut duobus.* Non rectè hoc dicitur. Nam quamuis Religiosi non sint sui iuris, quoad ea, quæ vouent; sunt tamen sui iuris quoad conseruationem proprię famæ, & quoad ea proinde, quæ in famæ fauorem Dominus mandauit. Vnde S. Thomas art. 7. ad 5. docet, inter Religiosos etiam esse seruandum illud præceptum Domini. Quod verisimum est, nisi qui ex peculiari instituto vellent in hoc cedere iuri suo, iuxta ea quæ diximus pronunciato quarto casu 1. Multo igitur rectius dixit Hugo *concordare cum verbis Euangelicis ea, quæ Augustinus hic præcepit*, vt explicuimus.

QVARTO controuersum est, an & quando liceat Prælato via quoque iudiciali procedere aduersus fraternè denunciatum, quando crimen eius probari potest iuridicè per duos vel tres testes, aut certè cùm super eo potest iuridicè inquiri, quia præter denunciantem sint indicia criminis aut fama, &c. iuxta ea, quæ de requisitis ad legitimè inquirendum trademus infrà disput. 5. in materia de iustitia iudiciorum. Sunt autem hac de re tres sententiæ.

PRIMA est Soti in Relectione de Secreto, memb. 2. q. 4. post concl. 7. vbi negat posse Prælatum infligere pœnas iuris ei, qui fraternè denunciatus conuincitur per propriam Confessionem aut per testes, *si proponat*, inquit, *se corrigere*. Et paulo inferius concedit id fore licitum, si denunciatus sit pertinax & incorrigibilis: *& in hoc articulo*, inquit, *desinit via correctionis fraternæ, & incipit via iudicialis*. Quod ideo addit, quia vt asseruimus in pronunciato octauo, certum est non posse procedi iuridicè contra fraternè denunciatum, vt denunciatum fraternè, nisi denuò denuncietur iuridicè aut accusetur, aut propter rei infamiam liceat (sine alio denunciante) de eo inquiri, iuxta ea, quæ dicenda sunt infrà in materia de iudicio. Itaque quando primò Sotus ait, non posse iuridicè puniri denunciatum fraternè, si velit se corrigere; intelligit non posse tunc iuridicè puniri incipiendo etiam contra illum viam iudicialem: id quod postea dicit licitum esse, si denunciatus sit pertinax & incorrigibilis.

Probat autem Sotus illud suum primum dictum, *quia in Euangelio*, inquit, *non præcipitur vt habeatur talis pro ethnico, nisi quando Ecclesiam non audierit: Ergo si Ecclesiam audierit, neque est excommunicandus, neque alia pœna plectendus*. Secundum autem dictum suum (scilicet id licere, quando quis est incorrigibilis) probat Sotus ex illo: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*.

SECVNDA sententia est Caietani hîc art. 8. in fine: qui contra videtur sentire, quòd erit quidem id licitum, si spes sit fore, vt reus per pœnas eiusmodi legales tandem corrigatur: illicitum autem si non sit spes correctionis; *nisi*, inquit, *peccatum esset quoque pernicioſum aliis*. Videtur namque Caietanus non solùm velle, quòd cùm non est spes correctionis, & peccatum aliis non nocet, sit illicitum procedere contra reum vt fraternè tantùm denunciatum (in quo sensu Caietano Sotus etiam assentitur loco citato; id enim certum est) sed quòd neque id liceat transeundo ex via correptionis fraternę ad viam iudicialem: Idque propterea, quia cùm tota res fuerit primò incepta ex charitate propter bonum particulare ipsius fratris; ibi erit prorsus cessandum, vbi cessat spes emendationis ipsius, vt argumentatur Caietanus.

Sed est alia TERTIA de hac re sententia commodior & probabilior, quam asserit hîc Bannes art. 8. dub. 4. Eam igitur ego sine ambagibus exponam breuiter & confirmabo per has duas assertiones. PRIMA assertio: Quotiescunque non interuenięte aliâs correptione fraterna, licitum esset propter aliorum exemplum & bonum commune, quod spectat iustitia, procedere via iuridica contra reum, accusando, vel iudicialiter denunciando, vel inquirendo, & condemnando eum; licitum quoque id erit, non obstante quod cum eo sit actum per viam correptionis fraternæ: ac proinde siue per eam viam correctus fuerit, siue non; atque etiam siue sit spes siue non sit emendationis. Probatur, quia virtus charitatis, cuius est actus Correptio fraterna; & virtus iustitiæ, cuius actus est processus ille iuridicus, non sibi præiudicant, nec se mutuò impediunt, cùm habeant diuersos ac proprios suos fines: Ergo ficut potest functio alterius virtutis harum esse licita sine functione alterius, ita etiam ea concurrente.

Quâ forma argumenti rectè quoque probat Sotus in dicta Relectione membr. 2. quæst. 4. post concl. 9. eum qui fraternè denunciauit, posse nihilominus esse testem, cùm post finitum processum fraternę correptionis incipit iudicialis processus. Id quod etiam colligit ex eo quod ait Dominus: *Adhibe tecum vnũ aut duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*. Nam si denunciator adhibuerit vnum, erũt testes duo: si duos, erunt tres, vt dicitur quoque in capit. In omni. Extra, de Testibus.

SECVNDA assertio: In duobus casibus id, quod dictum est in præcedenti assertione, erit non modò licitum, sed etiam debitum ex præcepto. PRIMVS casus est, quando alioqui non modò liceret, sed etiam oporteret accusare vel denunciare iuridicè aut inquirere crimen. Vt si esset pernicioſum Reipublicæ, &c. iuxta ea, quæ trademus infrà in materia de iudicio. Vbi videbimus aliquãdo *teneri* quempiam ad accusandum, aliquando verò *posse licitè* accusare, quamuis non teneatur, vt etiam hîc asserit Bannes art. 8. dub. 4. post 4. concl.

SECVNDVS casus est, quando sit spes, fore, vt per iudicialem processum corrigatur quoque & ad cor redeat Reus. Tunc enim, vt rectè illic dicit Bannes, charitas, per quam processus fraternæ correctionis institutus fuit, debet imperare virtuti iustitię, vt inchoet etiam processum iudicialem, quo etiam finis charitatis obtineatur, scilicet emendatio fratris.

Ad argumentum verò Soti pro suo primo dicto, quod aduersatur nostræ primæ assertioni, RESPONDEO, per illud solùm probari, quòd is, qui se vult emendare, nequeat quidem puniri pœna Excommunicationis propter contumaciam erga Ecclesiam, quasi illam tunc non audiat (audit enim, vt ponimus) potest tamen nihilominus iudicialiter puniri propter illud ipsum peccatum, à quo resipiscit; nimirum ob aliorum exemplum & bonum commune: qui iustitiæ finis potest per iudicialem viam procurari, & habere suum locum, etiam quando Reus per pœnitentiam resipiscit, vt ostendit ratio nostræ primæ assertionis.

Ad argumentum verò Caietani RESPONDEO, solùm probare, quòd quando cessat spes emendationis Rei, non debeat tunc vlterius procedi contra illum per viam quidem correptionis fraternę, & spectando bonum Rei proprium: potest tamen nihilominus tunc contra eum procedi inchoando viam iudicialem (vt Sotus etiam in suo secundo dicto concedit) idque propter aliorum exemplum & bonum commune, quod tunc nihilominus per iustitiam procurari potest & habere suum locum, quantumcunque desperetur priuata Rei correctio.

Ac si hoc quidem tantummodò voluisset Panormitanus super Caput, Nouit, Extra de Iudiciis, vbi arbitratur procedendum esse ad denunciationem Prælato faciendam, etiamsi non speretur emendatio delinquentis, nihil absurdi contineret eius opinio. Sed quia voluisse videtur, quòd per viam etiam correptionis fraternæ sit tunc ad denunciationem procedendum, meritò reiicitur eius opinio à Dominico Soto, vbi suprà in declaratione 6. concluſ. & ab aliis. Quanquam eum explicat priori modo Antonius Cordubensis in Annotationibus suis ad prædictam Relectionem Soti de Secreto, memb. 2. q. 4. circa conclusionem illam 6.

Et hactenus hæc sufficiant de Correptione fraterna. Nam si quæ alia sunt, ea vel facilè ex dictis definiri possunt, vel ad alias potius materias spectant: Vt quomodo iudex in sui muneris functione niti non debeat actione iniqua contra Reum, in qua peccetur contra ordinem iuris (quod spectat ad materiam de iudiciis) Et quomodo Confessarius non debeat vel extra Confessionem corripere pœnitentem de iis, quæ in Confessione audiuit (vt suprà p. 3. attigimus, & monuit Sotus in prædicta Relectione memb. 2. quæst. 2. post concluſ. 4.) vel ex pœnitente scisciari aliena peccata, vt ea corripiat, aut ea corripere, si quo casu in Confessione nouit (vt disserit hîc Bannes art. 8. quamuis contrarium, licet malè, sentit Gabriel super Canonem lect. 74. in fine) Hæc enim omnia ad materiam de sigillo Confessionis spectant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Odio, quod est vitium contrarium Charitati.

D. Thomas 2. 2. quæst. 34.

QVAESTIO HAEC SVPPOSITIS IIS, QVAE DE DILECTIONE & Odio in aliis locis tradidimus, facilè expediri potest. Nam quæ prolixè hoc loco disputat Caietanus (præsertim propter obiectiones Martini de Magistris) pleraque sunt eiusmodi, vt neque vtilem aliquam speculationem habeant, neque vllum vsum in praxi. Et articuli sex D. Thomæ ad pauciora puncta reuocari poterunt. Itaque satis erit breuiter ac solidè explicare duo. PRIMO, An & quatenus contingat aliquando Deum aut proximum odio haberi. SECVNDO, Quantum & quale sit hoc peccatum.

PVNCTVM PRIMVM.

An & quatenus contingat aliquando Deum aut proximum odio haberi.

D. Thomas artic. 1. & 3.

EXPLICABO hanc rem totam per aliquot propositiones, præmissa tamen breuiter Odij notione. Est autem Odium, vt ait S. GREGORIVS NYSSENVS homil. 8. in Ecclesiasten, *alienatio & auersio appetitus seu voluntatis ab eo, quod est iniucundum aut molestia afficit*; siue vt ait D. Thomas 1.2.q. 29. art. 1. *ab eo, quod æstimatur vt noxium & malum*. Atque hoc est odium propriè dictum, quod solet appellari odium *abominationis*. Est enim aliud etiam odium, quod vocant *inimicitiæ*, per quod vult quis aut absolutè aut conditionaliter (si posset) aliquod malum euenire rei, aut eidem inferre tanquam malę. Quam Odij distinctionem ponit hìc Caietanus art. 1. & nos eam explicauimus tomo 2. q. 3. de passionibus, p. 1. Quæ enim illic diximus de Odio appetitus, debent similiter intelligi de Odio voluntatis, de quo inprimis nunc disputabitur.

Hoc posito sit PRIMA propositio: Ex fide certum est, aliquo modo posse fieri, & fieri quoque interdum, vt Deus ipse in se, & proximus etiam in se, odio habeatur: Ita vt non modò effectus aliquis Dei, & effectus aut defectus aliquis proximi, sed etiam ipse Deus in se, & proximus in se, sint obiecta terminatiua actus Odij, sicut animaduertit hìc art. 1. rectè Caietanus. Vbi etiam monet, non id negari ibi à D. Thoma, licet eius verba ita intelligi possent.

Probatur hæc propositio ex his Scripturæ testimoniis. Numer. 10. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te* (te, inquit) *à facie tua*. Et Deut. 32. *His, qui oderunt me, retribuam*. Et Psal. 138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam*.

A Et Ioan. 15. *Oderunt me & patrem meum*. Et de proximo. Leuit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*. Et 1. Ioan. 2. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est, &c.* Neque obstat, quòd Deus in se sit bonum quoddam, & etiam proximus. Nam etiam bonum in se potest peruersè odio haberi eo modo quo iam explicabimus. Vnde S. GREGORIVS NYSSENVS homil. 8. in Ecclesiasten, pulchrè dicit, *Odium fieri arma peccati, quando bono resistit*.

SECVNDA assertio: Deus & proximus in se, vt tales sunt, vel vt boni sunt, non sunt obiecta Odij *formalia* (quasi sub his rationibus odio habeantur) neque etiam qualicunq; modo materialia; sed *materialia per se*, non per accidens. Hanc propositionem quoad singulas eius partes ita declaro & probo.

Quòd Deus & proximus in se, vt sunt tales, vel vt sunt boni, non sint Odij obiecta formalia, inde patet; quòd nulla res est obiectum formale Odij, nisi sub ea ratione, qua potest illam appetitus seu voluntas refugere & auersari per actum, qui est *nolle*, seu fuga quædam & detestatio: Sed voluntas non potest auersari & refugere Deum & proximum in se, vt tales sunt, vel vt sunt boni; sed solùm sub aliqua ratione mali veri vel apparentis, ad quod Deus & proximus habeant aliquem ordinem: Ergo sub eis rationibus Deus & proximus in se non sunt obiecta formalia Odij, sed sub aliqua ratione mali, ad quam habeant aliquem ordinem.

Maior patet ex notione Odij primò exposita. Nam Odium abominationis continetur illa ipsa fuga & detestatione: Odium autem inimicitiæ illam

illam supponit, vt potest intelligi ex D. Thoma 1.2.q.29.art.1.& q.46.art.2.& 6.& ex iis, quæ diximus tomo 2. disput. 3. q. 3. Minor autem probatur: quia voluntas nihil potest auersari & nolle formaliter, nisi sub ratione mali: sicut neque contra, velle aliquid formaliter, nisi sub ratione boni: vt conuicimus tomo 2. disput. 2. q. 3. p. 1. Est igitur fatendum, Deum & proximum in se, vt sunt tales, vel vt sunt boni, non esse Odij obiecta formalia. Quod idem asserit peculiariter de Deo Caietanus hìc art. 1. cùm ait, illum in se non esse obiectum *motiuum* Odij, quamuis sit obiectum Odij *terminatiuum*, vt diximus in prima propositione.

Quòd autem Deus & proximus in se vt tales vel vt boni, sint obiecta materialia Odij non qualicunque modo, sed *per se*, non per accidens; facile patebit si res intelligatur. Nam quædam sunt obiecta materialia actus alicuius solùm per accidens, propter qualemcunque duntaxat accidentalem coniunctionem eorum cum obiecto formali. Vt dulce, verbi gratia, potest dici obiectum materiale per accidens actus videndi, quatenus idem quod est coloratum, atque adeo formale obiectum visionis, est simul dulce. Substantia vero rei coloratæ est obiectum materiale per se visionis, quia per colorem quidem tendit per se visio in ipsam quoque rei substantiam eo modo, quo potest. Certum autem est, non tantùm per accidens illo modo (quo dulce est obiectum visionis) Deum & proximũ esse obiecta eius Odij, de quo nunc loquimur, quod scilicet est malum & contra charitatem, vt ostendemus p. sequent. Nam eo modo scilicet per accidens, tunc etiam est proximus materiale obiectum Odij, quando odio habetur tantùmodò vt peccator, id quod omnino est bonũ & licitum odium, vt p. seq. videbimus. Quanquam Deus quidem ne isto quidem modo possit rectè odio haberi, cùm non habeat coniunctum sibi vllum malum, quod per se sit dignum odio, sicut quandoque habet proximus: Nisi fortè rudissimus aliquis per magnam aliquam ignorantiam inuincibilem (quæ tamen vix videtur possibilis) putaret Deum esse subiectum alicui defectui aut malo, quod proinde auersaretur sine peccato, nimirum excusante tali ignorantia.

Sed quicquid sit de hoc, certum est, posse proximum illo modo rectè odio haberi tanquam obiectum materiale per accidens. Itaque non eo modo tantum, sed per se (vt in propositione nostra asserimus) Deus & proximus, vt sunt in se tales & boni, sunt obiecta materialia & terminatiua eius Odij, quod similiter erga Deum & erga proximum est malum; de quo nunc agimus. Id autem fit, quando animus & intentio odientis est, non præcisè sistere in malo, quod formaliter & primariò odit, sed odium etiam extendere ad ipsum quoque Deum, & proximum in se, tametsi non nisi vt habent ordinem aliquem ad malum.

Quod fieri tum clarissimè perspicitur, quando ex odio abominationis peruenitur etiam ad odium inimicitiæ, quo velit quis proximum non viuere aut non assequi beatitudinem; aut Deum ipsum etiam non esse (si fieri posit) aut non esse beatum, vel omnipotentem, &c. in quo odio inimicitiæ, vt inquit Caietanus hìc art. 2. *completur summa iniquitatis*.

TERTIA propositio: In hoc ipso modo, quo & Deus & proximus in se sunt obiecta per se materialia Odij, animaduerti debet quoddam discrimen. Nam malum ratione cuius Deus est eo modo obiectum Odij, non est, nec verè concipi potest esse in ipsomet Deo, sed in aliquo Dei effectu, qui habeat ordinem ad Deum. Malum autem ratione cuius proximus est eo modo obiectum Odij, potest esse, & interdum est in ipsomet proximo. Hæc propositio solùm indiget declaratione. Adhibeamus igitur exempla.

Odit aliquis proximum, quia contra eum aliquid peccauit; vel quia vitio aliquo laborat corporis vel animæ. Huiusmodi aliquod malum in ipso proximo est. Odit autem aliquis Deum, quia infligit hominibus propter peccata malum pœnæ, aut quia iubet ea, quorum executio est ardua & difficilis, & ideo habet adiunctum malum consistens in priuatione quietis aut voluptatis aut vtilitatis cuiuspiam, quæ debeant postponi obseruationi præceptorum diuinorum. Hæc mala non sunt in ipso Deo, sed in ipsius effectibus, & ipso Deo auctore; nempe in hominibus quos ipse punit, aut in obseruatione mandatorum ipsius, quam ipse præscribit. Nec potest omnino vllum aliud esse malum in ipso Deo, quod moueat ad Dei odium. Nam est summè & infinitè bonus. Itaq; nullo potest carere bono. Ex quo efficitur, neque posse ipsum subiacere vlli malo, cùm malum nihil sit aliud, quàm carentia boni.

Quæ causa est, vt qui clarè vident ipsam Dei essentiam, non possint vllo modo auersari & odisse Deum, vt docet art. 1. D. Thomas, sed necessariò & continenter eum diligant; vt fusè explicauimus tom. 2. q. 4. de Beatitudine p. 1. Item hæc est causa, cur Deus numeretur inprimis inter ea obiecta, quæ naturaliter & necessariò voluntas nostra expetit, ita vt nequeat illa auersari secundùm se, hoc est, secundùm aliquem defectum in ipsis existẽtem, qui possit nos ad illorum odium excitare, vt explicuimus tomo 2. disput. 2. q. 5. p. 1. & 2. Quo loco expediuimus ea, quæ hìc art. 1. disputat Caietanus cum Martino de Magistris, circa appetitionem vitæ & aliarum perfectionum hominis naturalium. Ex iis igitur patet, quomodo contingat & Deum & proximum odio haberi (vt propositione prima & secunda exposuimus) aliter tamen & aliter, vt exposui propositione tertia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SECVNDVM.

Quantum & quale peccatum sit Odium Dei & proximi.

D. Thomas art.2.& reliquis.

PRincipio dubium nullum est, quin sit peccatum id Odium, cuius obiectum per se materiale sit Deus aut proximus, eo modo quo explicuimus p. præced. Id patet ex testimoniis Scripturæ ibi citatis. Et de Odio Dei peculiariter ex illo Deut.32. *Reddã vltionem hostibus meis, & iis, qui oderunt me, retribuam.* Et de odio proximi ex illo ad Tit.3. *Eramus aliquando nos insipientes, &c. odientes inuicem.* Et 1.Ioan.3. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est*; per similitudinem nimirum quandam cum Cain, qui per grauissimum Odij peccatum occidit fratrem, cuius paulo ante meminerat ibi Ioannes. Vnde AVGVSTINVS tract.5. in 1. epistolam Ioannis: *Ne puteris fratres leue esse odisse: Non mouit manum ad occidendum hominem, homicida iam tenetur à Domino: Viuet ille & iste iam interfector indicatur, &c.* id est, quoad grauitatem quidem peccati mortalis, quę est etiam in homicidio. Iuxta id, quod subiungit ibi Ioannes: *Et scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam.*

Dixi autem peccatum esse id odium, cuius obiectum *per se materialiter* sit Deus aut proximus: Nam æquè certum est non esse peccatum, sed actum potius charitatis id odium, cuius proximus sit obiectum per accidens tantum, quatenus est scilicet peccator, vt explicuimus p. præced. Id patet primùm ex eo, quod isto modo Deus etiam odio habet peccatores: iuxta illud Psal. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et Luc.14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, etc.* si nimirum obstent diuino obsequio, vt exponit hîc D. Thomas art.3. ad 1. Et ad Rom.1. *Detractores Deo odibiles.*

Deinde ex eo, quòd eiusmodi odium in Scriptura commendatur. Vt Psal.138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam: perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Itaq; est perfectum & bonum odium istud, multum differens ab illo alio malo, de quo idem Propheta Psal.24. *Retribuerunt mala pro bonis, & odio iniquo oderunt me.*

Tertiò idem patet ratione. Nam vt argumentatur D. Thomas art.4. eiusdem rationis & laudis est velle bonum, & auersari contrarium malum. Ergo hoc ipso, quod ad rationem & laudem charitatis & amoris fraterni spectat velle ei bonum, cui est contrarium peccatum, pertinet etiam ad eundem odio prosequi & auersari in proximo malum peccati.

Vnde etiam id Laudi ducunt Philosophi ratione ipsa naturali ducti. Hinc enim Aristoteles lib.5. politic. affirmat, *oportere vt existat odium in Tyrannos.* Et Plutarchus in libro de differentia inter odium & inuidiam: *Odio*, inquit, *complures iustè habentur: sicut ij, quos odio dignos appellamus.* Et infrà: *Odium*, inquit, *malorum laudabile est. Idcirco fratris Lycurgi filium Charillum Spartæ Præfectum, vt probum & perfectum virum laudantibus quibusdam; Collega eius: Et quomodo, inquit, probus est Charillus, cum ne in malos quidem acerbus sit:* Subiungit etiam ibi Plutarchus exemplum Pelidis & Vlyssis, quibus laudi dat, quòd Thersitem propter morum peruersitatem oderint, inducens illud Poëtæ de eodem:

Odit & hunc magnus Pelides, odit Vlysses.

Non igitur huiusmodi odium peccatum est, sed illud alterum, cuius obiectum materiale non per accidens, sed *per se* sit vel Deus vel proximus, vt ante explicuimus. Quo posito, quædam præterea dicenda sunt de quantitate & qualitate istiusmodi peccati.

PRIMO dico: Odium Dei omnino esse maximum omnium peccatorum, vt rectè affirmat diuus Thomas art.2. Probatur primò. Nam in Scriptura ab isto odio solent denominari peccatores præcipui: tanquam odium istud nimirum sit scelus omnium detestabilissimum. Vt damnati Psal.73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Et obstinati Iudæi Ioan.15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt me & patrem meum.*

Secundò. Nam vt ait Philosophus lib.8. Ethicorum, cap.10. illud est pessimum, quod optimo est contrarium: Et in nostro proposito illud est pessimum in ratione peccati, quòd optimo & maximè imperato est contrarium. Est autem hoc odium contrarium optimæ & præstantissimæ & inprimis imperatæ virtuti, nempe charitati: Ergo est pessimum ac deterrimum peccatum.

Tertiò. Nam illud est maximum peccatum, quod excedit reliqua in eo, quod est in peccatis pessimum. Tale est istud odium: Ergo est maximum. Minor probatur. Nam pessimum in peccatis est auersio hominis à Deo tanquam ab vltimo fine, propter quod peccata mortalia quæ hanc auersionẽ habent sine comparatione sunt maiora venialibus, quæ eam non habent. Excedit autem omnia peccata mortalia multum in hac auersione odium Dei. Nam per illud formaliter & per se & quasi de industria auertit se homo à Deo, vt ait rectè D. Thomas artic.2. siquidem ipsum odium est formaliter quædam auersio. Per alia verò peccata mortalia auertitur homo à Deo non per se sed per aliud & quasi consecutiuè: quatenus nimirum peruersè contra Dei præceptum amans aliquid (puta illiciram delectationem vel vtilitatem, &c.) id anteponit amicitiæ diuinæ, atque adeo desinit habere illum pro vltimo fine, quem omnibus rebus anteponit, & eo ipso auertitur à Deo. Quod autem est

per se tale, semper antecellit ei, quod est tale *per aliud*, vt rectè ait D. Thomas.

Atq; hinc duo consequuntur. PRIMO, Odium Dei contineri virtualiter & participatione quadam in omnibus peccatis mortalibus hoc ipso, quòd in illis est auersio illa à Deo: Imo ex illo reliqua peccata habere vt sint mortalia, quatenus ita participatione continetur in omnibus. Ex quo facilè expediuntur omnia ea, quæ disserit hîc Caietanus artic.2. ad 2. propter obiectiones quasdam Martini de Magistris. SECVNDO inde sequitur, Odium Dei verè esse peccatum in Spiritum sanctum, quatenus per peccata in Spiritum sanctum respuuntur dona diuina efficientia nostram salutem, iuxta doctrinam suprà à nobis traditam disputat.1.quæst.14. Nam eiusmodi dona vel maximè etiam tunc respuuntur, cùm per Odium respuitur & repudiatur Deus ipse illorum donorum auctor.

Item quoq; odium istud est peccatum in Spiritum sanctum, quatenus peccatum ex deliberata malitia dicitur in Spiritum sanctum. Nam ferè semper odium Dei ex deliberata malitia oritur. Et ita intelligendus est D. Thomas artic.2. ad 1. Vbi addit, propterea supra non esse speciatim numeratum istud odium inter peccata in Spiritum sanctum, quia continetur in omnibus peccatis in Spiritum sanctum, quatenus nimirum per illa respuitur aut Dei misericordia, aut Dei iustitia, aut Dei veritas, &c. iuxta ea quæ diximus suprà in illa quæst.14. disput.1. Neque est alicuius ponderis contra hanc D. Thomæ doctrinam quædam ineptula obiectio prædicti Martini, ad quam respondet facilè Caietanus art.2. ad 2.

SECVNDO dico, Odium proximi esse quidem grauissimum peccatorum, quæ committuntur contra proximum, si odium proximi & alia eiusmodi peccata considerentur præcisè, vt sunt quidam actus praui, qui proinde sunt mali & noxij ipsi operanti: Non autem si odium & eiusmodi peccata considerentur formaliter vt sunt contra proximum. Sic enim alia eiusmodi peccata sunt maiora: vt homicidium, furtum, &c. Est sententia D. Thomæ hîc art. 4. sed paulo clarius hoc modo proposita.

Probatur autem PRIOR huius pronunciati pars. Nam ex parte actus, atque adeo ipsius operantis; illud est grauius peccatum, quod formaliter & primariò lædit nobiliorem facultatem seu potentiam hominis: Sed odium internum proximi lædit formaliter & primariò nobiliorem potentiam hominis, quàm alia peccata externa, quæ fiunt contra proximum: Ergo ex parte actus & ipsius operantis, grauius peccatum est, quàm alia. Maior patet tum ex se, tum ex sancto AVGVSTINO in Enchiridio, cap.12. vbi ait: *Malum dici aliquid quia nocet.* Hinc enim sequitur, vnumquodque esse magis vel minus malum, prout magis vel minus nocet: ac proinde peius esse id peccatum ex parte actus & operantis, quod ipsi operanti plus nocet, lædendo nimirum nobiliorem facultatem hominis, vt sumpsimus in illa maiori.

Minor autem probatur: nam Odium proximi per se & primariò lædit ipsam voluntatem, cuius est nimirum actus: alia verò peccata externa contra proximum, per se & primariò lædunt alias potentias, per quas peraguntur, nempe motiuam & executiuam; quanquam secundariò etiam voluntatem, sine cuius consensu non sunt peccata. Est autem voluntas potentia nobilior; vt ex eo etiam patet, quod ex eius consensu habent actus externi omnem suam malitiam & rationem peccati, sicut tomo 2. disput.2. q.15. p.4. explicuimus ex doctrina D. Thomæ 1.2.q. 20. art.4. de quo superuacaneè disserit hîc denuò Caietanus art.4.

POSTERIOR autem pars secundi nostri pronunciati, scilicet maiora peccata esse alia, quæ committuntur contra proximum, quàm proximi odium, vt considerantur quatenus sunt contra proximum; probatur ex eodem fundamento. Nam ex ea parte maiora sunt ea peccata, quæ magis nocent proximo; cùm ideo dicatur aliquid malum, quia nocet, vt ex Augustino audiuimus: Sed constat plus nocere proximo alia peccata, quæ contra illum committuntur, quàm odium, vt homicidium, verbi gratia, & furtum: Ergo maiora sunt hæc peccata ex ea parte, scilicet vt sunt contra proximum.

Si autem QVÆRAT aliquis, quid simpliciter & absolutè loquendo censendum sit de comparatione Odij in proximum, & aliorum peccatorum contra ipsum; an scilicet illud sit maius quàm hæc, vel contra: videtur sanè dicendum, quòd etsi ex genere suo hæc non sint simpliciter maiora, tamen vndequaque considerata simpliciter sunt maiora, quando notabiliter nocent proximo, vt homicidium, furtum, &c. Præponderant namque eiusmodi nocumenta proximi, ita vt ob illa multo seuerius ea peccata sint diuinitus prohibita.

Neque obstat, quòd vt docet D. Thomas articul.5. amor non modo Dei, sed etiam proximi (cui opponitur proximi odium) est maximè secundùm naturam hominis, atque adeo quiddam perfectius, quàm actus aliarum virtutum, quibus opponuntur alia peccata contra proximum. Item, quòd præceptum de dilectione proximi tenet inter alia secundum locum post præceptum de dilectione Dei, vt patet Matth.22. Ex his enim solùm sequitur, quòd Odium proximi est simpliciter maius peccatum ex genere suo, quàm alia, si ipsa similiter spectentur præcisè secundùm genus suum, vt sunt contra iustitiam aut aliam virtutem inferiorem charitate; non autem si spectentur secundùm illam quoq; peculiarem rationem suam, qua notabiliter nocent proximo, vt homicidium, furtum magnum, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porro ex eo, quòd Odium tum Dei, tum etiam proximi (ex genere suo quidem) est maius peccatum, quàm alia, vtpote contrarium dilectioni boni diuini & proximi, quæ est maximè secundùm naturam hominis; infert D. Thomas artic. 5. Odium non debere numerari inter vitia capitalia. Nam capitalia vitia nominantur ea, quæ solent esse tanquam origines aliorum (vt idem D. Thomas docet 1.2. q.84. art.3. & 4. & nos explicuimus tomo 2. disputat. 6. q.14. p.3.) atque adeo prima in executione: Odium autem cùm sit maximum peccatum, vtpote corrumpens amorem, qui est maximè secùdùm naturam, non solet esse primum, sed ex aliis ad illud peruenitur. In iis enim quæ fiunt contra naturam, paulatim proceditur ab eo, quòd est minus contra eam, ad id, quod est ei magis contrarium, vt rectè docet D. Thomas in dicto art. 5.

Vnde D. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 31. numerans vitia capitalia, non ponit inter illa odium, sed affirmat, illud solere oriri ex Inuidia, vno è vitiis capitalibus. Quod idem docet diuus Thomas art. 6. vbi in responsione ad 3. concedit quoque solere odium oriri ex ira. Neque videtur operę precium in his excutiendis diutius immorari, vt facit art. 5. & 6. Caietanus, defendens quoque D. Thomam contra inutiles obiectiones Martini. Maximè cùm hæc omnia facilè intelligantur ex iis, quæ de passione Iræ & Inuidiæ, & vitiis capitalibus disseruimus tomo 2. suis locis.

Tertio dico: Odium Dei & Odium proximi, quatenus illud est peculiariter contra Deum, & hoc peculiariter contra proximum, peccata sunt non vnius speciei, sed omnino diuersæ, imo etiam diuersi generis. Ita Caietanus hìc art. 6. & Bannes. Et ratio est, quia peccata contra Deum, & peccata contra proximum genere differunt. Et quamuis hęc quidem differentia peccatorum sit accidentalis peccatis, vt in defectu quidem seu priuatione consistunt, iuxta ea quæ disseruimus tomo 2. quæst. 2. de peccatis p. 1. & 2. tamen essentialis est illis, vt habent præterea species suas morales ex suis obiectis, quæ tamè non sunt malæ nisi denominatiuè & materialiter, iuxta ea quæ disputauimus ibidem q. 1. p. 1. contra Caietanum. Atq; eodem modo illic q. 2. p. 2. diximus, peccatum commissionis & omissionis differre essentialiter secundùm genus quidem & speciem moralem positiuam, quæ etiam consideratur materialiter in peccato, & debet etiam sine controuersia detegi in confessione, vt videbimus Deo fauente in tomo 4.

Quarto dico: Peccatum Odij Dei, & peccatum Odij proximi, quatenus formaliter consistunt in defectu & priuatione perfectionis debitæ, nimirum charitatis; eiusdem speciei sunt, vt supponit Caietanus art. 6. quamuis rectè ait, nefas esse dicere quòd Odium Dei & Odium proximi sint eiusdem speciei, secundùm considerationem pronunciati præcedentis, id est, vt vnum est contra Deum, & alterum contra proximum; propter quam differentiam sine dubio oportet in confessione aperire, an odium fuerit Dei vel proximi. Nunc autem dicimus esse eiusdem speciei, vt consistunt in defectu & priuatione debitę perfectionis charitatis. Id autem probatur. Nam priuationes accipiunt speciem ab opposita perfectione, cuius sunt priuationes: Sed charitas erga Deum & erga proximum est virtus vnius & eiusdem speciei, sicut vidimus q. 1. huius disputationis p. 1. & quæst. 3. p. 1. Ergo peccata Odij Dei & Odij proximi, quatenus in priuatione quidem perfectionis debitæ charitatis consistunt, eiusdem sunt speciei.

Et quidem quando quis odit proximum consideratum etiam secundùm ordinem ad Deum & ad bona supernaturalia (vt abhorrendo ab illo, vt est capax supernaturalis beatitudinis, & optando vt beatitudine & gratia careat, &c.) Satis apparet aduersari vni & eidem charitati supernaturali, atque adeo esse peccatum eiusdem speciei cum odio Dei. Nam constat, proximum ea ratione consideratum, omninò esse diligendum eadem virtute charitatis, qua est Deus diligendus.

Sed idem quoq; verum est cùm quis odit proximum consideratum secundùm bona naturalia; vt abhorrendo ab eo propter naturalem aliquem aut moralem defectum, & optando ei mortem, vel infamiam, &c. Nam secundùm hæc etiam bona tenetur quis ex charitate amare proximum, referendo ea formaliter aut virtualiter ad Deum & ad finem supernaturalem: Vt patet ex iis, quæ de obiectis charitatis disseruimus q. 3. p. 1. Itaque cùm quis contra odit proximum secundùm hæc bona, omnino etiam peccat contra charitatem, per defectum scilicet perfectionis charitatis tunc debitæ, posito quòd quis eliciat actum circa proximum, qui est charitatis obiectum. Hoc enim posito, debet elicere actum charitatis & non Odij: iuxta doctrinam, quam tomo 2. quæst. 2. de peccatis p. 2. generatim tradidimus de modo, quo sit intelligendum, in omni etiam peccato commissionis esse priuationem perfectionis debitæ.

An autem tunc cùm quis odit proximum secundùm bona naturalia, hoc peccatum Odij, vt consistens in defectu, sit non solùm in illa specie quam habet eandem cum Odio Dei, vt opposito charitati, sed etiam simul in alia quadam peculiari, vt opponitur quoq; naturali dilectioni proximi, ad quam naturali lege teneretur homo, etiamsi non esset datum præceptum de dilectione supernaturali charitatis: Dvbivm esse potest. Et quidem ita videtur sentire hìc artic. 6. Bannes. Nam dilectio naturalis, & supernaturalis, specie, imò plus quàm specie differunt, & vtraq; est debita: Ergo fundant in Odio proximi duas priuationes seu defectus differentes specie, atque adeo duo peccata.

Neque

Neque obstat, quòd dilectio naturalis, vt naturalis est, non pertinet ad peculiarem virtutem, sed ad amicitiam naturalem, quæ non est peculiaris virtus, sed aliquid consequens omnes virtutes, vt vidimus q. 1. p. 2. & q. 3. p. 1. Potest enim defectus aliquis habere specialem rationem peccati, non modò si sit priuatio perfectionis virtutis alicuius specialis, sed etiam si sit priuatio qualiscunque alterius perfectionis peculiaris debitæ, quæ non sit minor quàm perfectio actus virtutis specialis, vt non est vtique minor illa perfectio dilectionis naturalis.

In contrarium autem est *primò*, quòd formaliter per odium proximi qualecunque illud sit, communiter censetur vnum tantum committi peccatum, vt peccatum consistit in priuatione. *Secundò*, quòd pari ratione oporteret dicere cõmitti duplex tale peccatum in Odio Dei, vt est naturæ auctor: cùm etiam debeat diligi naturaliter vt talis. *Tertiò*, quòd tunc pluribus peccatis peccaret, qui proximum odio prosequeretur secundùm bona naturę, quàm is, qui odio eum haberet secundùm bona supernaturalia, cùm hic vnius tantum speciei odio peccaret. Et similiter is, qui Deum vt auctorem naturalem odio prosequeretur, pluribus peccatis peccaret, quàm qui eundem odio haberet vt auctorem supernaturalem; cùm constet hunc tantum peccare vnico peccato Odij. Hæc autem absurda videntur. *Quartò*, quòd si quis, quandocunq; tenetur lege naturali amare proximum secundùm bona naturalia, eum amaret secundùm illa per charitatem supernaturalem, & nunquam per solam naturalem, procul dubio abundè satisfaceret obligationi naturali; nec peccaret, quia non per solam dilectionem naturalem proximum diligeret: Ergo defectus dilectionis naturalis non est per se peccatum peculiare & distinctum ab eo, quod est in defectu dilectionis supernaturalis debitæ, quoad bona etiam naturalia (vt ante diximus) æquiualentis abundè hac ratione dilectioni purè naturali.

Videtvr itaq; mihi propter hæc argumenta probabilior pars negatiua dubij propositi. Neq; est difficile per hęc ipsa respondere ad fundamentum contrariæ opinionis. Nam posito, quòd homo habet simul præceptum de charitate quoq; dilectione supernaturali, complectente etiam naturalia bona proximi, dilectio proximi naturalis non est ex naturali lege debita vt est determinatè dilectio purè naturalis, sed absolutè vt est dilectio proximi secundùm bona naturalia, qualiscunq; sit ea dilectio. Cui proinde legi satisfit etiam per supernaturalem dilectionem charitatis secundùm ea bona. Vnde Odium proximi vt habet defectum illius dilectionis, quatenus debitæ, non est peculiare & distinctum peccatum à peccato, quod est in eiusmodi odio, vt habet defectum dilectionis debitæ ex charitate secundùm ea quoque naturę bona relata formaliter vel virtualiter ad Deum & ad finem supernaturalem, vt ante diximus. Et eodem modo ratiocinandum est de Odio Dei vt auctoris supernaturalis & naturalis; scilicet esse vnicum specie peccatum ob defectum perfectionis debitæ ex charitate, quæ vtroque nimirum modo debet Deum complecti.

Quinto dico; Omnia Odia proximi vt Odia sunt (id est, vt habent pro obiecto proximi malum; vt malum proximi) esse eiusdem speciei, vt rectè declarat Caietanus hìc art. 6. Nam habent eo modo vnicam rationem formalem ex vnico formali obiecto, nempe ex malo vt est malum proximi. Etsi enim hæc ratio obiectiua in se est quiddam commune & indeterminatum, tamen potest actus Odij per ordinem peculiarem ad illam habere specificam quandam rationem peccati, vt facilè explicat Caietanus illic in Dubio, quod vocat Nouitiorum.

Addit tamen rectè Caietanus, solere istiusmodi Odium proximi habere adiuncta peccata diuersarum specierum, quibus imperat, commouendo nimirum hominem ad maleuolentias diuersarum specierum; vt ad nocendum proximo per homicidium, verbi gratia, vel detractionem, &c. Quæ diuersæ maleuolętiæ ad easdem species huiusmodi peccatorum pertinent: sicut actus nimirum interior & exterior circa idem obiectum sunt eiusdem speciei.

Sexto dico; Odium proximi sine dubio esse peccatum mortale ex suo genere. Et quidem si sit Odium abominationis semper erit mortale, nisi desit plena deliberatio, & ideo sit tantùm veniale ob imperfectionem actus. Si autem sit Odium inimicitiæ, non tantùm ob imperfectionem actus non plenè deliberati, sed etiam ob exiguitatem mali, quod quis proximo velit, potest esse veniale, vt notat Caietanus in Summa, Verbo, Odium. Quatenus autem non liceat proximo ostendere signa Odij & inimicitiæ, explicuimus suprà q. 3. p. 2. Et hactenus de tota ista quæstione.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Acedia, quod est vitium contrarium gaudio Charitatis.

D. Thomas 2. 2. q. 35.

EXPLICANDVM EST PRIMO, QVALE ET QVANTVM PECCATVM sit Acedia. SECVNDO, Quodnam sit eius remedium.

PVNCTVM PRIMVM.

Quale & quantum peccatum sit Acedia.

D. Thomas artic. 1. & seq.

ACEDIA Græcum est vocabulum, ἀκηδία, quod inprimis quidem significat incuriam seu negligẽtiam quandam. Deinde etiam tristitiam ita aggrauantem & opprimentem animum, vt adferat incuriam illam & negligentiam operis, & quasi quendam animi torporem. Et in hac posteriori significatione vsurpatur in proposito id vocabulum, etsi non quouis modo, sed tertio è tribus, quibus præterea accipi solet in ea significatione.

PRIMO enim, vt ex DAMASCENO patet lib. 2. cap. 14. Acedia nominatur quædam tristitiæ passio in appetitu sensitiuo, adeo animum opprimentis, vt adferat torporem etiam membris & negligentiam operis; siue ea tristitia sit de malo vero, siue de apparente. De qua passione diximus tomo 2. quæstione 6. de Passionibus p. 2. Neque de hac sola Acedia propriè nunc agimus.

SECVNDO Acedia nominatur tristitia voluntatis vel appetitus, de qualicunque bono spirituali virtutis æstimato vt malo proprio, quatenus requirit laborem à nobis, atque adeo habet adiunctam aliquam molestiam animi aut corporis. Et neque hoc modo agimus de huiusmodi Acedia. Nam Acedia ita generatim considerata non est aliquod speciale vitium, sed praui-
C tas quædam communis vitiis omnibus. Vt enim docet D. Thomas artic. 2. ad vnumquodque vitium spectat, non modò expetere malum contrarium virtuti tanquam proprium bonum apparens, sed etiam refugere bonum virtutis contrarium tanquam proprium malum apparens, & de eo tristari. Itaque Acedia eo modo accepta commune quiddam est omnibus vitiis: Sicut Acedia accepta pro tristitia de bono spirituali earum virtutum, quæ determinatè habent adiunctam molestiam corporis & priuationem voluptatum carnis, est commune quiddam vitiis carnalibus, vt ibidem ait S. Thomas.

TERTIO modo Acedia nominatur tristitia voluntatis adferens incuriam & negligentiam operis, cùm est de bono spirituali diuino ad charitatem pertinente. Et de hac Acedia sermo nobis est in præsenti. Quæ potest ex sententia diui Thomæ hic artic. 2. & Caietani ibidem plenè describi sic: *Acedia est tristitia voluntatis seu appetitus, de bono aliqualiter diuino & nostro, existimato vt malo proprio, propter adiunctam difficultatem illud obtinendi, adferens proinde incuriam & negligentiam actionum piarum & salutarium.* Huius descriptionis particulæ nunc explicandæ sunt, vt ex ea & ratio & grauitas huius vitij intelligatur.

PRIMO diximus, Acediam hanc esse tristitiam *voluntatis vel appetitus*, vt indicemus sermonem hîc esse non tantùm de Acedia, quæ est passio appetitus sensitiui, sed de Acedia secundùm communiorem quandam rationem; quæ scilicet secundùm similitudinem quandam & analogiam est communis tristitiæ tum voluntatis, tum appetitus sensitiui, iuxta ea, quæ de ordine passionum ad actus voluntatis docuimus tomo 2. quæst. vlt. de passionibus p. 3. Vnde D. Thomas hîc communiter etiam agit de Acedia, vt est quoque in appetitu sensitiuo, sicut apparet ex art. 1. & 3.

SECVNDO diximus, Acediam esse de bono *aliqualiter diuino*. Nam est de eodem bono diuino supernaturali circa quod versatur virtus charitatis. Hoc autem bonum diuinum latè patet: Aliud namque est diuinum per essentiam, nempe ipse Deus vt summè bonus; Aliud autem per singularem participationem, vt dona gratiæ & gloriæ, per quæ assequimur ipsum bonum diuinum per essentiam, nimirum Deum. Itaque Acedia, de qua loquimur, est tristitia de bono diuino qualicunque modo existis. Quod ipsum subindicauit sanctus Thomas articulo quarto ad secundum cùm dixit, Acediam esse *de spiritualibus bonis, quæ sunt finis, & id quod est adfruantium impinguabitur.* Et Ecclesiast. 6. *Subiice humerum tuum & porta illam* (spiritualem disciplinam) *& ne acedieris vinculis eius.* Et Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et ad Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus, &c.* Vide in eandem sententiam S. IOANNEM CASSIANVM lib. 10. de institutis cœnobiorum cap. 7. & S. GREGORIVM in Pastorali parte 3. capite 1. admonitione 16. & S. BERNARDVM serm. 3. & 6. de Ascensione Domini.

SECVNDO sequitur, peccatum istud omnino esse contrarium virtuti charitatis. Nam directò opponitur gaudio ipsius de bono diuino vt nostro, saltem per apprehensionem spei: quod gaudium actus est charitatis, vt vidimus suprà quæst. 6. Neque obstat, quòd cùm Acedia sit tristitia de bono diuino vt proprio, videtur opponi amori concupiscentiæ; actus autem charitatis est amor amicitiæ. Vt enim rectè declarat Caietanus articulo secundo, quamuis charitas primariò feratur per amorem amicitiæ in bonum diuinum, vt est in se, tamen secundariò etiam fertur in illud per honestum amorem concupiscentiæ, vt est scilicet bonum etiam nobis. Quo pacto est de illo gaudium, quod est, vt diximus, actus charitatis, & cui directò contraria est Acedia.

TERTIO sequitur, peccatum istud ex genere suo esse peccatum mortale, nisi ob imperfectionem actus non plenè deliberati sit tantum veniale, vt docet D. Thomas hîc art. 3. cùm ait, esse veniale, *quando est tantum in sensualitate & non in ratione*, id est, quando non adest plena deliberatio, quæ præcipuè asscribitur rationi superiori, iuxta ea, quę tradidimus tomo 2. quæst. 4. de Peccatis p. 2. Hoc autem intelligi debet, quando Acedia est de bono diuino, vt per actiones pias sub mortali peccato necessarias obtineri & procurari debet. Sicut patet ex D. Thoma art. 3. ad 2. Nam quando esset de bono diuino vt potest obtineri per actiones non nisi sub veniali necessarias, tantùm esset veniale; Et nullum omnino quando esset de bono diuino præcisè, vt potest obtineri per actiones quidem, sed nullo præcepto necessarias, sicut patet ex D. Thoma art. 3. ad 2. & ex iis quæ rectè docet Caietanus in Summa, Verbo, Acedia.

QVARTO sequitur, peccatum hoc Acedię diuersum esse specie ab Odio & Inuidia, vt docet D. Thomas art. 2. & ibidem Caietanus. Nam Odium refugit bonum diuinum in se. Inuidia bonum proximi, vt est bonum illius: Illud autem peccatum Acediæ, bonum diuinum, vt est bonum proprium. Quæ tres rationes sufficiunt ad distinguenda hæc peccata, licet omnia opponantur eidem charitati. Nam vt ait hîc art. 2. Caietanus, malum ex quocunque defectu & facilè existit; & ideo diuersi modi aduersandi charitati constituunt diuersa peccata, licet ipsa charitas non sit nisi vna virtus.

Quanquam fatendum est in appetitu quidem sensitiuo non esse Acediam, nisi de bono diuino per participationem cogitato in particulari, iuxta ea, quæ tomo 2. q. 3. de passionibus p. 2. de passionibus sensitiuis diximus, vt existunt ex apprehensione potẽtiæ cogitatiuæ hominum propriæ. Nam Deum ipsum non videtur vllo modo attingere posse operatio sensitiua. Sed tamen de illo etiam potest saltem esse Acedia voluntatis, vt patebit ex iis, quæ nunc addemus.

TERTIO diximus, Acediam esse de bono diuino *aliqualiter etiam nostro*. Nam Acedia ita est de bono diuino, sicut est de eodem gaudium charitatis, cui est contraria. Istud autem gaudium est de bono diuino, vt est aliquo modo nostrum: sicut patet ex iis, quæ diximus suprà quæst. 6. p. 1. Item quia in hoc differt Acedia ab Inuidia, quæ est tristitia de bono alieno, vt videbimus p. seq. Et hoc ipsum asserit rectè Caietanus hîc artic. 2. cùm docet ex sententia D. Thomæ, Acediam esse tristitiam de *bono diuino in eo, qui contristatur.*

Porro *nostrum* censetur in proposito bonum diuinum, quatenus nobis propositum est ad obtinendum per exercitationẽ piarum actionum. Quod optimo exemplo declarauit Caietanus in Summa, Verbo, Acedia, cùm dixit, eum peccare propriè hoc Acediæ peccato circa bonum diuinum vt proprium, qui adeo est alienus ab amore cœlestis patris & patriæ, vt cùm audit aut cogitat, propositum sibi à Deo esse, vt sit ciuis Sanctorum & domesticus Dei (per gratiam scilicet & gloriam, quibus bonum ipsum infinitũ, quod est Deus, assequatur) de hoc tristatur.

QVARTO diximus, Acediam esse de bono diuino nostro *æstimato vt malo proprio* ob difficultatem illud obtinendi, &c. Nam omnis tristitia est de malo proprio (vero vel apparente) vt affirmat D. Thomas hic quæst. 36. art. 1. & patet ex iis, quæ diximus tomo 2. quæst. 6. de passionibus p. 1. Nec ob aliam causam tale bonum diuinum solet ab hominibus cogitari vt ipsis malum, nisi quia ob difficultatem illud assequendi per pias actiones reputatur acerbum & insuaue. Quo fit, vt ita consideratum pariat tristitiam afferentem incuriam & negligentiam actionum piarum & salutarium, quæ est effectus Acediæ, vt diximus in vltima particula descriptionis ipsius.

Ex iis autem consequuntur quinque. PRIMO, actum huiusmodi Acediæ omnino esse peccatum: Tum ex se, cùm tristari de bono sit malum: Tum ratione effectus, cùm sit mala illa incuria & negligentia actionum piarum & salutarium. Vnde in Scriptura passim reprehenditur tepiditas illa & otiositas Acediæ. Vt Psalm. 72. *In labore hominum non sunt, & ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.* Et Prouerb. 6. *Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo?* Et cap. 6. *Vult & non vult piger; anima autem operantium impinguabitur.* Et Ecclesiast. 6. *Subiice humerum tuum & porta illam* (spiritualem disciplinam) *& ne acedieris vinculis eius.* Et Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et ad Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus, &c.* Vide in eandem sententiam S. IOANNEM CASSIANVM lib. 10. de institutis cœnobiorum cap. 7. & S. GREGORIVM in Pastorali parte 3. capite 1. admonitione 16. & S. BERNARDVM serm. 3. & 6. de Ascensione Domini.

SECVNDO sequitur, peccatum istud omnino esse contrarium virtuti charitatis. Nam directò opponitur gaudio ipsius de bono diuino vt nostro, saltem per apprehensionem spei: quod gaudium actus est charitatis, vt vidimus suprà quæst. 6. Neque obstat, quòd cùm Acedia sit tristitia de bono diuino vt proprio, videtur opponi amori concupiscentiæ; actus autem charitatis est amor amicitiæ. Vt enim rectè declarat Caietanus articulo secundo, quamuis charitas primariò feratur per amorem amicitiæ in bonum diuinum, vt est in se, tamen secundariò etiam fertur in illud per honestum amorem concupiscentiæ, vt est scilicet bonum etiam nobis. Quo pacto est de illo gaudium, quod est, vt diximus, actus charitatis, & cui directò contraria est Acedia.

TERTIO sequitur, peccatum istud ex genere suo esse peccatum mortale, nisi ob imperfectionem actus non plenè deliberati sit tantum veniale, vt docet D. Thomas hîc art. 3. cùm ait, esse veniale, *quando est tantum in sensualitate & non in ratione*, id est, quando non adest plena deliberatio, quæ præcipuè asscribitur rationi superiori, iuxta ea, quę tradidimus tomo 2. quæst. 4. de Peccatis p. 2. Hoc autem intelligi debet, quando Acedia est de bono diuino, vt per actiones pias sub mortali peccato necessarias obtineri & procurari debet. Sicut patet ex D. Thoma art. 3. ad 2. Nam quando esset de bono diuino vt potest obtineri per actiones non nisi sub veniali necessarias, tantùm esset veniale; Et nullum omnino quando esset de bono diuino præcisè, vt potest obtineri per actiones quidem, sed nullo præcepto necessarias, sicut patet ex D. Thoma art. 3. ad 2. & ex iis quæ rectè docet Caietanus in Summa, Verbo, Acedia.

QVARTO sequitur, peccatum hoc Acedię diuersum esse specie ab Odio & Inuidia, vt docet D. Thomas art. 2. & ibidem Caietanus. Nam Odium refugit bonum diuinum in se. Inuidia bonum proximi, vt est bonum illius: Illud autem peccatum Acediæ, bonum diuinum, vt est bonum proprium. Quæ tres rationes sufficiunt ad distinguenda hæc peccata, licet omnia opponantur eidem charitati. Nam vt ait hîc art. 2. Caietanus, malum ex quocunque defectu & facilè existit; & ideo diuersi modi aduersandi charitati constituunt diuersa peccata, licet ipsa charitas non sit nisi vna virtus.

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex quo eodem fundamento patet, diſcrimen A
eſſe inter Acediam de bono ſpirituali alicuius alterius virtutis, & Acediam de bono diuino charitatis. Nam illa vt verè Caietanus cenſet in Summa, Verbo, Acedia, & D. Thomas art. 2. & art. 4. ad 3. non eſt ſpeciale peccatum diſtinctum ab eo, quod alio qui committitur contra virtutem, ſed communis quædam conditio pertinens ad omnia peccata: Acedia verò de bono diuino charitatis eſt ſpeciale peccatum diſtinctum ab aliis contra eandem charitatem: eò quòd circa bonum vſque adeo præſtans, modus ille diuerſus, quo diximus lædi per Acediam charitatem, ſufficit ad conſtituendum diuerſum peccatum. Facilius enim diuerſo peccato ſpeciei peccatur circa bonum valde excellens, quale eſt illud diuinum.

Quinto ſequitur, meritò peccatum iſtud Acediæ numerari inter vitia capitalia, tanquam id, ex quo alia peccata oriantur, vt facilè explicat D. Thomas hîc artic. 4. Nam vt dicit Philoſophus lib. 8. Ethicor. cap. 6. *Nemo diu permanere poteſt in triſtitia ſine delectatione.* Itaq; qui triſtitia vexantur, præterea aliquid aliud faciunt, vt quærant aliquam delectationem, qua triſtitiam pellant, vel vt remoueant triſtitiæ cauſas, aut conuenienter ipſi triſtitiæ agant & quaſi ei ſatisfaciant. Vnde ſex numerari ſolent quaſi Acediæ filiæ ex ſententia S. Gregorij lib. 31. Moral. cap. 31. nempe *malitia* (id eſt, odium & deteſtatio ipſorum ſpiritualium bonorum) *& rancor* erga eos, qui ad ſpiritualia bona hortantur; & *puſillanimitas* erga bona ſpiritualia, vt ſunt ardua; & *deſperatio* beatitudinis conſequendæ, quam quis nimirum refugit per Acediam; & *torpor* in obſeruatione diuinorum præceptorum; & *euagatio* mentis ad alias res illicitas, quæ oblectent; vt explicat S. Thomas art. 4. ad 2. Vbi in reſponſione ad tertium reuocat ad hæc peccata, alia quædam, quæ Iſidorus lib. 2. de ſummo bono, cap. 37. recenſet tanquam effectus Acediæ.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Acediæ remedio.

D. Thomas art. 2.

Triuus vitij remedium non eſt conſtituendum in fuga (ſicut remedium peccatorum carnis) ſed potius in pugna, vt rectè docet S. Thomas art. 2. ad 4. Quod idem monuit quoque Cassianvs lib. 10. de inſtitutis cænobiorum cap. vlt. vbi ita de ſe narrat: *Cùm incipiens in Eremo commorari Abbati Moyſi, omnium Sanctorum ſummo dixiſſem, me ægritudine Acediæ heſterno die grauiſſimè fuiſſe conflictum, neque ab ea potuiſſe aliàs liberari, niſi ad Abbatem Paulum protinus cucurriſſem; Ille: Non te (ait) ab ea liberaſti, ſed magis ei te deditum ac ſubditum prabuiſti. Grauius enim te vt deſertorem ac fugitiuum debinceps aduerſarius impugnabit, quem de conflictu ſuperatum protinus aufugiſſe conſpexit: niſi de cætero commiſſa congreſſione, non deſertione Cellæ, vel ſomni, ingruentes æſtus eius ad horam euaporare malueris, ſed tolerantia potius & conflictu didiceris triumphare. Vnde,* inquit Caſsianus, *experimento probatum eſt, Acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam.*

Eſt autem remedium vtiliſsimum: vt, quantumuis animo reluctante, ſine mora quis inchoet ſaltem opus quod inſtat. Nam ipſum operis initium ſolet neſcio quo pacto reddere hominem ad operandum alacriorem; vel certè aliqualis in opere perſeuerantia. Vnde Bernardvs ſerm. 3. de Aſcenſione: *Cùm inceperis, inquit, triſtitia implebit cor tuum; ſed ſi perſeueraueris, triſtitia tua conuertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vel potius noua creabitur, vt omnia quæ primò difficilia, imo impoſſibilia videbantur, cùm multa currantur dulcedine & auiditate.*



QVAE-

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Inuidia, quæ eſt item contraria gaudio Charitatis.

D. Thomas 2. 2. q. 36.

De invidia mvlta svnt praeclare scripta a ſanctis Patribus, ac nominatim à S. Cypriano in ſermone de zelo & liuore, & à Basilio homil. 11. & 21. inter homilias de variis argumentis, & à Chryſoſtomo homil. 44. & 45. ad populum Antiochenum, & à Ioanne Caſſiano collat. 18. cap. vlt. & à Proſpero lib. 3. de vita contemplatiua cap. 9. & ab Iſidoro lib. 3. ſententiarum de Summo bono cap. 25. Et ex Philoſophis ſcripſerunt de eodem argumento pulchrè Ariſtoteles lib. 2. artis Rhetoricæ cap. 9. & 10. & Plutarchus in libro de differentia inter Odium & Inuidiam.

Scripſit quoque de Inuidia pulchrè D. Thomas hîc q. 36. & ibidem Caietanus prolixè ac ſubtiliter. Sed vtiliora, & quæ inprimis pertinent ad praxin, poſſunt expediri paucis. Itaque dicemus Primo, de ipſius Inuidiæ natura. Secvndo, de illius prauitate. Tertio, de illius remedio.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Inuidia.

D. Thomas art. 1.

Invidia (ex ſententia omnium eorum, quos memorau) triſtitia eſt quædam de bono alieno proximi, æſtimato ab inuidente vt malo proprio, quatenus per comparationem quandam obſcurat & imminuit proprij boni excellentiam ſeu gloriam. Vt quando Saul, verbi gratia, inuidit laudi Dauidis, quatenus præſtantia ſua obſcurabat illius laudem. Iuxta illam eiuſdem Sauli querimoniam aduerſus mulieres cantantes & applaudentes Dauidi: *Dederunt Dauidi decem millia, & mihi mille dederunt.*, 1. Reg. 18. A

Genus huius affectus explicatur in hac deſcriptione per particulam, *triſtitia*: Reliquę verò particulæ declarant differentiam eius ab aliis affectibus; & præcipuè à Tribvs, qui ſunt Inuidiæ ſimiles, quatenus & ſunt triſtitiæ quædam, & aliquo modo circa bonum proximi, ſed longè aliter quàm Inuidia. Hoc nunc oſtendendum eſt, vt deſcriptionem illam Inuidiæ illuſtremus. B

Primvs ex eiuſmodi tribus affectibus eſt, Triſtitia quædam de bono alterius quatenus timetur allaturum perniciem aliquam: Vt ſi quis triſtetur ob auctã potentiam & opes inimici, quem ideo timeat plus nociturum aut ſibi aut aliis bonis. Hic affectus non eſt Inuidia, ſed quidam potius effectus timoris, vt patet ex Philoſopho lib. 2. artis Rhetoricæ cap. 9. & aſſerit etiam D. Thomas hîc artic. 1. & 2. Nam per Inuidiam triſtatur quis de bono alieno, non vt poteſt id præterea eſſe cauſa mali & damni proprij (ſicut per affectum prædictum) ſed vt ſuapte ratione putatur iam bonũ proprium imminuere per ſolam comparationem ſeu relationem ſui ad illud, ſicut in deſcriptione diximus. Quam rem non ſatis perſpexit Martinus de Magiſtris, confutatus meritò à Caietano hîc art. 1.

Atq; hoc ipſum ſignificauit Philoſophus lib. 2. artis Rhetoricæ cap. 9. cùm definiens *Inuidiam eſſe dolorem perturbantem propter res ſecundas, ſed non indigni, verum æqualis atque ſimilis*, addidit; *Oportet autem ne quid ipſi* (inuidenti) *accidat aliud, ſed propter ipſum proximum æqualiter omnibus ineſſe*, id eſt, propter hoc ipſum quod eſt, alterum ſibi non inferiorem, ſed æqualem aut ſimilem aut propinquum eſſe. *Nam ſi*, inquit, *propterea dolor atque perturbatio ineſt, quoniam ab aliena fœlicitate mali quicquam ſibi futurum ſit, non erit amplius inuidia, ſed timor*, & dolor etiam atque perturbatio orta ex timore. Itẽ ſignificauit hoc idem in capite ſequente ita dicens: *Inuidia eſt dolor quidam, quoniam ſimiles, boni aliquid adepti videantur; non* (inquit) *vt quidquam ſibi* (mali nimirum inde metuant) *ſed propter illos*; quia ſcilicet ij, qui ſunt alioqui ſimiles, ſint adepti aliquid boni, cuius comparatione ſola ſine alia damni illatione videatur imminui & obſcurari propria gloria.

Ex qua declaratione patet, quã turpiter Martinus aberrauerit à ſententia Philoſophi, & à veritate, cùm ex eo quòd Philoſophus dicit, inuidum dolere, non quia ab aliena fœlicitate mali quidquam ſibi futurum ſit, *ſed propter ipſum proximum æqualiter, &c.* argumentatur pueriliter contra D. Thomam & omnes, Inuidiam non eſſe de bono alieno, vt malo proprio, ſed vt bono ipſius proximi. Philoſophus enim non excluſit ab Inuidię obiecto rationẽ mali proprij, quod exiſtat ex ſola cõparatione boni alterius, ſed quod inferatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab alieno bono tanquam à causa efficiente vel occasionali, &c. Et ineptè etiam iste putauit ab Aristotele illic nomine *proximi* intellectam fuisse personam alterius: non enim intellexit nisi *neutraliter* qualitatem alterius, per quam sit similis vel æqualis vel propinquus inuidenti, vt Caietanus etiam contra istum obseruauit art.1. Quanquam etsi maximè intellexisset personam alterius, voluisseteque dicere, inuidum non dolere propter malum proprium, sed propter bonum alterius (sicut etiam dixit cap.10.) tamen nihil inde haberet Martinus. Solùm enim per hoc excluderetur Philosophus ab obiecto inuidiæ malum proprium ortum ex bono alterius vt ex causa; non autem malum proprium existens ex sola comparatione boni alterius, vt iam diximus.

Porro isto modo bonum alterius non tantùm quando excedit bonum proprium, imminuit & obscurat illud, sed etiam quando illud adæquat, vel propius ad id accedit. Nam sic etiam excellentia propria minus præstans & clara videtur; quia nimirum aut non antecellat alteri, aut non magis antecellat. Et ideo his omnibus modis potest bonum alterius esse obiectum inuidiæ. Ita omnino videtur docuisse Philosophus lib.2. artis Rhetoricæ cap.9. cùm dixit, causam inuidiæ esse *æqualitatem, vel similitudinem, & propinquitatem*, vt notauit etiam Caietanus vbi suprà contra Martinum.

Ita etiam docuit apertè S. Avgvstinvs lib. 11. super Genesin ad literam cap.14. vbi inuidiam ita describit: *Amando*, inquit, *quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quòd ei coæquentur: vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quòd eis non coæquetur.* Vnde etiam Lucanus:

Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quenquam iam ferre potest Cæsárue priorem
Pompeiúsue parem.

Quanquam non est negandum, quin tunc maximè & clarissimè in bono alieno eluceat ratio commouens inuidiam, quando id per excessum imminuit propriam excellentiam. Quæ causa est, cur D. Thomas articulo 2. per *excessum alieni boni* explicet rationem obiecti Inuidiæ: quia scilicet in eiusmodi excessu clarius apparet ea ratio (scilicet diminutio propriæ excellentiæ) quæ est per se ratio obiecti Inuidiæ, vt patet ex eodem D. Thoma artic.1. vbi per eam obiecti rationem Inuidiam describit.

Quare non simpliciter vt sonat, accipiendum est quod S. Gregorivs lib.5. Moral. cap.33. super illud Iob.5. *Paruulum occidit Inuidia*, ita scribit: *Inuidere non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Parulus ergo est, qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd eo minor sit, cuius inuidia torquetur.* Considerauit enim hoc loco Gregorius *meliores* non propriè vt meliores sunt (quasi nullo modo inuidia esse posit, nisi erga meliores) sed vt imminuunt excellentiam alterius, ac proinde faciunt alterum minorem, & respectiuè paruulum. Id quod fieri potest, non modò per excessum, sed etiam per æqualitatem & accessum seu propinquitatem, vt explicuimus ex sententia Philosophi & S. Augustini.

Secvndvs affectus tristitiæ è tribus illis, quos diximus esse Inuidiæ similes & tamen ab ea differre, est, cùm quis tristatur non propriè de ipso bono alterius, sed de suo potius defectu, quòd scilicet non etiam ipse bonum illud habeat. Hic affectus non est inuidia, sed *zelus & æmulatio*, vt docet Philosophus lib.2. artis Rhetoricæ cap.11. & D. Thomas art.2. Nam per Inuidiam tristatur quis non de defectu alieni boni, sed de ipso bono alieno, quatenus minuit excellentiam propriam, vt posuimus in descriptione. Vnde S. Ioannes 1. epistola capite 3. ait, *propterea Cain occidit fratrem ex inuidia, quia fratris opera erant iusta.* Eodem pertinet quod ait S. Gregorivs Nyssenvs in lib. de vita Moysis: *Inuidus fœlicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet.* Vnde eos comparat *miluis, quos*, inquit, *cadaueribus pasci, & preciosis vnguentis emori aiunt.*

Et quod ait S. Chrysostomvs hom.44. ad populum Antiochenum: *Cur*, inquit, *doles ô homo proximi bonis? Dolere nos oportebat iis, quæ patimur malis; non bonis, in quibus alios probabiles haberi videmus. Propterea omni venia caret istud peccatum.*

Et quod ait Isidorvs lib.3. sententiarum de summo bono, cap.25. *Nulla est*, inquit, *virtus, quæ non habeat contrarium Inuidiæ malum: sola miseria caret inuidia.*

Ac verè etiam ac præclarè Plutarchus in libro de differentia inter Odium & Inuidiam: *Homines*, inquit, *his maximè inuident, quos ad virtutem rectiore tramite prodeuntes intuentur. Quocirca Themistocles cùm adhuc esset adolescens nihil splendidum à se fieri dicebat; neminem enim adhuc se inuidum habere. Etenim quemadmodum cantharides lætioribus frumentis & viridioribus rosis maximè innascuntur: ita inuidia eos præcipuè tangit, qui boni sunt, quique ad virtutem gloriamq; grassari videntur.*

Itaque quia non nisi virtutem inuidia insectatur, præclarum virtutis testimonium eam esse Philosophi existimarunt; & contrà, exiguæ aut nullæ virtutis indicium, habere inuidum neminem. Ex quo est illud etiam Martialis:

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas liuide, NEMO *tibi.*

Tertivs affectus similis Inuidiæ, & ab ea tamen differens, est tristitia de alieno bono, quatenus contingit ei, qui eo est indignus. Hic affectus appellatur à Philosopho lib.2. artis Rhetoricæ, cap.9. *nemesis* siue *indignatio*, neque est Inuidia. Nam Inuidia est tristitia de bono alieno non vt de bono indigni, sed vt de bono minuente per sui comparationem bonum proprium, vt est dictum.

Et ab istis quidem tribus affectibus ad hunc modum Inuidia differt. Ab Odio verò non modò differt per hęc ipsa, sed etiam per suum genus, quatenus

quatenus est tristitia. Tristitia enim est de malo vt proprio, sicut diximus tomo 2.q.6. de Passionibus. Odium autem est circa malum absolutè, vt etiam præcedenti p. notauimus. Ex qua differentia aliæ multæ inter Inuidiam & Odium nascuntur, quas pulchrè persequitur vbi suprà Plutarchus. Præcipua illarum ferè est, quòd quem quis odit, etiam odit ad extremam calamitatem redactum, quia scilicet calamitas non facit, vt quis videatur minus malus. Nemo autem est qui misero inuideat: quia scilicet miseria minuens alienam excellentiam, facit, vt ea nostram minuere non videatur, ac proinde vt non cogitetur esse nostrum proprium malum.

Ex his igitur quid sit Inuidia patet. Sed quædam præterea ex hac Inuidiæ descriptione consequuntur, quæ valent quoque ad eius naturam perspiciendam. Primo sequitur, non habere locum Inuidiam inter eos, qui statu, aut conditione, aut loco, aut tempore plurimum inter se distant, sed inter eos, qui in aliquo genere sunt alioqui ferè pares, & similes, & propinqui, vt Aristoteles docet lib.2. artis Rhetoricæ cap.10. Nam inter hos tantum per vnius præstantiam excellentia alterius obscurari putatur ac minui: *Qui proximi* (inquit ibi Philosophus) *sunt tempore, loco, ætate, gloria, iis inuident. Vnde illud dictum est: Propinquitas inuidere solet. Et quibuscunque de honore contendunt: contendunt autem quibus cum diximus.* Vnde colligit mortuis, & iis, qui loco remotissimi sunt, neminem inuidere: *Quia cum iis*, inquit, *qui ante mille annos fuerunt, & cum mortuis, nemo contendit; nec cum iis, qui apud columnas Herculis habitant.* Hæc est causa, cur vt ait Ouidius:

Scripta placent à morte fere: quia lædere viuos
Liuor, & inuiso carpere dente solet.

Et idem rursus:

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit:
Tunc suus ex merito quemq; tuetur honos.

Et Horatius:

Clarus post genitis; quatenus, heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Non igitur inter eos, qui multum conditione ac distant, existit inuidia, sed inter *proximos & riuales* (vt Aristoteles illic ait) *& inter eos, qui eadem cupiunt & intendunt. Vnde dictum est* (ait Philosophus) *Figulus figulo inuidet, Faberq; fabro.*

Secvndo sequitur, eos (vt ait ibi Philosophus) cæteris paribus, esse procliuiores ad inuidendum, *qui in aliqua re valde honorantur, ac maximè in sapientia & fœlicitate: & maxima gerentes, & fœliciter: Cùm putent*, inquit, *sua ab omnibus auferri:* Id est, quia quantum accedit aliorum præstantiæ, tantum reputant decedere ac decerpi ex sua, eò quòd soli penè & singulariter volunt haberi excellentes.

Tertio sequitur, pusillanimes etiam solere facilè inuidere. *Quoniam eis*, inquit Philosophus, *magna omnia videntur.* Cum quo illud consonat Iob 5. *Paruulum occidit inuidia*, quod in hanc sententiam explicat Gregorivs, vt paulo ante audiuimus. Contra verò, vt ait Silius Italicus:

Magnanima inuidia virtus caret.

Item sunt inuidi, *malitiosi, & senes*, vt ait Philosophus, quia propter imbecillitatem carent quibusdam commodis & ornamentis, quæ aliquando habuerunt, & vident aliis suppetere. *Et vniuersaliter*, inquit, *qui ex re aliqua gloriam quærunt, de illa sunt inuidi.* Vide totum illud Philosophi caput. Atque hæc sint satis de natura & ratione Inuidiæ, quam Primo loco explicandam nobis proposuimus.

PVNCTVM SECVNDVM.

De prauitate Inuidiæ.

D. Thomas art.2. & seq.

Quod ad Secvndvm attinet, scilicet ad prauitatem Inuidiæ, ponam breuiter quatuor propositiones. Prima: Dubitari non potest, quin Inuidia sit peccatum, & quidem mortale ex suo genere, vt docet D. Thomas artic.2. & 3. Id patet Primo ex Scriptura. Ad Rom.1. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, &c. plenos inuidia, homicidio, &c.* Et ad Galat.5. inter opera carnis, numerantur etiam *inuidiæ*: de quibus subiungit ibi Apostolus: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et infrà: *Non efficiamur*, inquit, *inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.*

Secvndo, idem patet ex sanctis Patribus initio citatis, & ex aliis passim, qui magnitudinem huius peccati summè exaggerant. In quo genere hæc pauca notentur: Cyprianvs in sermone de zelo & liuore: *Quale*, inquit, *malum est fratres, quo Angelus cecidit, quo circumueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est is, qui decepit?*

Basilivs homil.11. *Fugiamus ergo fratres intolerabile malum. Serpentis id est præceptum, diaboli inuentum, inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum priuatio. Nam & ipso fatentur ore hoc vitium inuidi. Aspectus illis est aridus & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa, prudentiam in dignoscenda veritate ac rebus agendis minimè habens, &c.*

Chrysostomvs hom.45. ad populum Antiochenum: *Huius quæso vitij pestem fugiamus. Omnium enim vitiorum hoc est perniciosissimum, & ipsam salutem nostram super omnia vastat: improbi namque diaboli est inuentum. Et propterea sapiens dicebat: Inuidia diaboli introiuit mors in orbem terrarum Sap.2.*

Gregorivs Nyssenvs in libro de vita Moysis: *Inuidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, &c.*

Gregorivs Magnvs lib.5. Moral. cap.34. *Quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano*

Universidad de Deusto
Biblioteca

antiqui hostis virus infunditur; in hac tamen nequitia (inuidiæ) *tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit.*

TERTIO patet idem ratione. Nam omne id est malum, quod est alicui virtuti contrarium: siquidem bono non est contrarium nisi malum: Sed Inuidiæ affectus est contrarius virtuti misericordiæ & virtuti charitatis: Ergo est omnino malus & peccatum; neque illud qualecunque, sed mortale ex suo genere, cùm aduersetur virtutibus præstantissimis & maximè necessariis. Minor autem declaratur & probatur sic: Duo possunt considerari in tristitiæ affectu, quatenus est tristitia de bono proximi tanquam de suo obiecto; Vnum est ordo ipsius ad bonum proximi; Alterum est ipsum bonum proximi; quod est obiectum & terminus illius ordinis. Ratione primi est contraria actui charitatis, qui est delectatio & gaudium de eodem bono proximi, iuxta dicta q.6. ordo enim gaudij & tristitiæ ad idem obiectum contrarij sunt in specie, sicut ipse affectus gaudij & tristitiæ in genere sunt contrarij. Ratione secundi verò Inuidia est contraria actui misericordiæ, qui est nimirum tristitia de contrario obiecto, nempe de malo proximi.

Sed prior contrarietas est præcipua, cùm sit per id, quod est Inuidiæ planè intrinsecum: nimirum per ordinem sui ad idem obiectum gaudij & charitatis; ac propterea Inuidia intrinsecè & essentialiter non est nisi vnum peccatum specie, vt contraria gaudio charitatis, sicut asseruit D. Thomas initio quæstionis 34. & explicat etiam ex formali eius obiecto Caietanus articul. 4. Quanquam hoc ipso, quòd per contrarietatem quidem obiecti opponitur etiam misericordiæ, est etiam consequēter & alio quasi nomine contraria quoque charitati, prout misericordia est quidam charitatis effectus, vt docet D. Thomas art.3. ad 3. Vbi solùm meminit huius posterioris contrarietatis, non quia prior illa non sit præcipua, sed quia huius tantum posterioris meminerat Philosophus lib.2. artis Rhetoricæ cap.9. cuius sententiam ibi D. Thomas explicabat.

SECVNDA propositio: Inuidia non solùm est peccatum, & peccatum mortale ex suo genere, sed rectè etiam numeratur à S. GREGORIO lib. 31. Moralium, cap.31. inter peccata capitalia & à D. Thoma art.4. Nam etsi ipsa alioqui ex superbia & inanis gloriæ cupiditate oriatur, vt affirmat S. AVGVSTINVS lib.11. super Genesin ad literam cap.14. tamen est quoque aliorum peccatorum origo & mater, nempe odij, susurrationis, detractionis, exultationis in aduersis proximi (quod est peccatum propriè & intrinsecè contrarium misericordiæ, quæ est tristitia de aduersis proximi) & afflictionis in prosperis, non vt imminuunt gloriam propriam (sic enim hæc afflictio est ipsa Inuidia) sed vt eueniunt contra conatum inuidentis, qui cupiuerit ea impedire, vt explicat D. Thomas art.4. ad tertium. Vbi etiam D. Thomas disertè affirmat, exultationem in prosperis proximi non esse directè idem, quod Inuidia, sed ex ea sequi. In quam sententiam oportet interpretari, quod Caietanus ibidem ait, exultationem eam eiusdem rationis esse cum inuidia; nempe vt intelligatur, non omnino identicè, sed consecutiuè: alioqui non est verum.

TERTIA propositio: Fieri potest, vt Inuidia aliquando sit tantùm peccatum veniale. Probatur: nam potest fieri, vt non sit plenè deliberata; sicut notat D. Thomas art.3. Vel vt sit de exiguo aliquo proximi bono: In quo etiam casu solùm erit peccatum veniale, vt rectè censuit Caietanus in Summa, Verbo, Inuidia.

QVARTA propositio: Nunquam fieri potest, vt Inuidia vera sit bona, sed semper est mala mortaliter aut venialiter. Et in hoc etiam differt ab illis tribus affectibus, quos ante vidimus Inuidiæ esse similes, scilicet à tristitia orta ex timore potentiæ alterius ad nocendum; & à zelo siue æmulatione; & ab indignatione seu nemesi.

PRIOR pars huius propositionis satis patet ex argumentis, quibus confirmauimus secundam propositionem. Neque obstat, quòd imminutio propriæ excellentiæ per bonum alterius, verè est quoddam malum proprium, de quo proinde videtur licitè posse suscipi tristitia. Non inquam hoc obstat. Nam Inuidia vera non sistit præcisè in eo malo, sed extendit se ad ipsum etiam bonum proximi, vt ad obiectum quidem materiale, sed per se & non per accidens, sicut quæstione præcedenti docuimus suo modo de Odio boni diuini aut proximi. Tristari autem sic de bono proximi semper est malum, cùm sit contra charitatem, quæ de proximi bono gaudet, vt in quarta probatione secundæ propositionis explicaui. Et per hoc patet ad pueriles quasdam obiectiones Martini, de quibus disserit art.2. Caietanus.

POSTERIOR autem pars nostræ propositionis probatur de singulis illis tribus affectibus. Nam tristitia de potentia & facultate alterius orta ex timore nocumenti, bona esse potest, vt ait D. Thomas art.2. si nimirum tristitia sit tunc solùm de iniusto nocumento, quod iam vt præsens cogitetur: iuxta ea, quæ disserit in illo art.2. Caietanus. Et hoc est, quod vult S. GREGORIVS lib.22. Moralium, cap.11. citatus hìc à D. Thoma artic.2. cùm ita scribit: *Euenire plerumque solet, vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætiscet, & rursum eius gloria sine inuidiæ culpa contristet, cùm & illo plerosque iniustè opprimi formidamus.*

Item zelus siue æmulatio (id est, tristitia, quòd ipsi bonis proximi careamus) circa spiritualia quidem bona laudabilis est. Iuxta illud Apostoli 1.ad Corinth.14. *Æmulamini spiritualia.* Atque etiam circa quodcunque bonum virtutis honestum; iuxta illud HIERONYMI in epistola ad Letam, de institutione Eitiæ: *Habeat socias cum quibus discat, quibus inuideat,* (id est, æmuletur) *quarum laudibus mordeatur.* Atq; etiam potest huiusmodi æmulatio esse licita circa bona temporalia, quæ & per se alioqui licita sint, & sine alterius iniuria obtineri possint.

Irem indignatio seu nemesis (id est, tristitia, quòd bona quæpiam suppetant indigno) circa bona quidem temporalia, vna quadam ratione est licita, alia verò quadam non item, vt explicat Caietanus hìc articul.2. ex sententia D. Thomæ. Nam si præcisè considerentur ea bona vt contingunt indignis, & vt aliàs secundùm humanam distributionem solent dignis distribui iustè; licitum est de hoc tristari, tanquam de re, quæ habet quandam rationem mali, non quidem moralis, quod scilicet sit aut culpæ aut pœnæ; iuxta dicta tomo 1. disput.3. quæst.5. p.4. (cùm sine culpa aut pœna possideantur sæpè ab indignis quædam temporalia bona, vt opes, honores, &c.) sed potius naturalis per defectum conuenientis proportionis rerum; quomodo sunt mala quoque naturæ nostra. Atque hoc dicit Caietanus esse tristari tantùm secundùm quid de huiusmodi bonis indignorum, id est, considerando tantùm illam improportionem. Sicut proiectio mercium in mare ad effugiendum mortis periculum dicitur inuoluntaria solùm secundùm quid, quia solùm est inuoluntaria spectando precisè iacturam ipsam mercium.

Si autem bona temporalia indignorum considerentur vndequaque absolutè & simpliciter, atque adeo prout eis contingunt ex ordinatissima dispositione prouidentiæ diuinæ ob illorum correctionem vel damnationem; item vt respectu bonorum spiritualium & æternorum sunt quasi nihil; sic quidem non licet tristari, propterea quòd indigni possideant eiusmodi bona. Nam id consideratis omnibus his circumstantiis absolutè & simpliciter est bonum, de quo potius est gaudendum. Sicut proiectio mercium in mare ad euadendum periculum, simpliciter est ac esse debet voluntaria, tanquam conducibilis simpliciter, consideratis omnibus circumstantiis.

Hoc modo intelligi debet D. Thomas (sicut notat rectè Caietanus) quando art.2. asserit contra Philosophum (temporalia solùm considerantem) lib.2. artis Rhetoricæ, capite 9. non esse simpliciter licitam eiusmodi indignationem. Id quod etiam probat ex illo Psalm.36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem, quoniam tanquam fenum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Vbi æmulandi & zelandi vocabulo significatur propter similitudinem illa indignatio, de qua loquimur. Et ex illo Psal.72. *Pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Per quam explicationem facilè diiudicari & expediri possunt ea, quæ prolixè Caietanus disserit occasione tum suarū, tum Martini obiectionum.

Circa bona verò spiritualia non potest habere vllum locum huiusmodi indignatio, vt rectè D. Thomas dicit artic.2. Ratio huius (quam non reddit D. Thomas) est, quoniam huiusmodi bona non solent alioqui per humanam aliquam dispensationem iustè distribui, sed à Deo conferuntur, idque nunquam nisi optimè & conuenientissimè: nimirum aut liberaliter iis, qui ea non merentur, vt bonum gratiæ vocantis & iustificantis; aut iustè iis, qui merentur, vt bonum gloriæ. Hactenus de SECVNDO quod proposueramus, scilicet de Inuidiæ prauitate.

PVNCTVM TERTIVM.

De Inuidiæ remedio.

SVPEREST vt dicamus de TERTIO, scilicet de Inuidiæ remedio. Et quidem S. IOANNES CASSIANVS collat.18. cap.vlt. reputare videtur hoc vitium non esse curabile, nisi ferè à solo Deo: *Eum,* inquit, *quem Inuidia semel veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio. Ipsa namque est lues, de qua figuraliter dicitur per Prophetam Ierem.8. Ecce ego mittam ad vos serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, &c. Sicut enim Diabolus, qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fimentum vllius curationis admisit; ita & ij, qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, opem omnem sancti Incantatoris excludunt: quia cum vtiq; non culpis aliorum quibuslibet, sed prosperitate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecus sibi quasdam superfluas & ineptas causas offensionis inquirunt: quarum, quia omnimodis falsæ sunt, vana curatio est, cùm illud mortiferum virus, quòd nolunt prodere, lateat in medullis.* Et infrà: *Quapropter ne totum quicquid in nobis viuidum est, & quasi vitali sancti Spiritus vegetatione animatur, vno tanto huius mali morsu basiliscus interimat; diuinum, cui nihil impossibile est, iugiter imploremus auxilium.*

Cæterùm non vult hìc CASSIANVS, non esse hoc vitium curabile (cum auxilio Dei) ab ipso quidem, qui eo laborat; sed difficillimè illud posse aliena ope spiritualis Patris curari: eò quòd (vt ait) præ verecundia celari solet. Quod idem annotauit S. BASILIVS homil.21. inter homilias variorum argumentorum, iis verbis: *Malum hoc est* (inuidia) *quod satis exprimi nequit, quod medicinam spernit. Qui caput aut membrum aliquod dolent, medico morbum aperunt: at qui ægrotat inuidia, quid dicet? Angunt me proximi bona? Veritas hæc est: Attamen hæc quisque verba fateri erubescit.* In quam etiam sententiam S. CYPRIANVS sermone de zelo & liuore: *Calamitas,* inquit, *sine remedio est odisse fœlicem.*

Potest tamen is ipse etiam, qui hoc laborat morbo, variarum considerationum & remediorum vsu sibi ipsi (Deo iuuante) mederi. Ac PRIMO quidem ad id iuuabunt omnia illa remedia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ tomo 2. q. 6. de Paſsionibus p. 3. monſtrauimus valere ad curandam triſtitiæ ægritudinem. Siquidem Inuidiæ morbus triſtitia quædam eſt, vt ante tradidimus.

SECVNDO, attenta cogitatio animi, & commentatio ſecum, quòd non modò inutilis planè inuidia ſit ad amoliendũ malum imminutionis propriæ excellentiæ, quod excruciat, ſed etiam ipſi inuidenti exitialis & perniciosiſsima, plurimum momenti ad hanc curationem habebit. Perpendendi enim animo ſunt effectus inuidiæ perniciosiſsimi, quos poſſumus ex iis teſtimoniis cognoſcere.

BASILIVS homil. 11. inter varias: *Nihil*, inquit, *mortalium animis inuidiæ perturbatione perniciosius contingit: quæ ante omnia ipſi nocet auctori; aliis verò quàm minimum. Quemadmodum enim venenum ferrum, ſic inuidia hos, qui eam poſsident, conſumit atque vaſtat. Et ſicuti viperas dicunt abrupto ventre matris naſci, ſic & inuidia concipientem ſe animam errodere ſimul actabeſacere ſolet.*

CYPRIANVS ſermone de zelo & liuore: *Pernicies intus incluſa eſt, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captiuus es, neque ſolatia tibi vlla ſubueniunt.*

CHRYSOSTOMVS hom. 45. ad populum Antiochenum: *Talis*, inquit, *eſt inuidia malitia, vt prius ſe parientem offendat. Et ſicut vermis de ligno naſcens ipſum prius abſumit: ſic & inuidia illam prius, quæ ſe peperit, animam corrumpit.*

HIERONYMVS in cap. 5. epiſtolæ ad Galatas: *Pulchrè*, inquit, *quidam de Neotericis græcum verſum transferens Elegiaco metro, de Inuidia lusit dicens:*

Iuſtius inuidia nihil eſt, quæ protinus ipſum
Auctorem rodit, excruciatq; animum.

S. AVGVSTINVS ſerm. 83. de tempore: *Sicut ærugo*, inquit, *ferrum: ita Inuidia illam ipſam animam, in qua eſt, interimit & conſumit. Et ſicut aiunt viperas dilacerato & dirupto illo ipſo materno vtero, in quo concepta ſunt, naſci: ita & inuidia natura illam ipſam animam, à qua concepta eſt, conſumit & perdit. Qualis hæc anima tinea eſt? Quæ cogitationum tabes pectoris? Zelare in homine donum Dei? &c.*

S. GREGORIVS lib. 5. Moralium cap. 34. *Nam cùm denictum cor liuoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum veſania inſtigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigeſcunt, ſit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor: cumq; in latebris cordis creſcens abſconditur odium, dolore caco tenebrat conſcientiam vulnus incluſum. Nil latum de propriis libet, quia tabeſcẽtem mentem ſua pœna ſauciat, quam fœlicitas torquet aliena, &c.* Conuenit cum his omnino, quod ille ait:

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſsibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quiſque furit, inuidet, ſorti,
Vt debes ſibi pœna ſemper ipſe eſt.
Teſtatur gemitu graues dolores,
Suſpirat, gemit, incutitq; dentes,
Sudat frigidus, intuens quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum:
Pallor terribilis genas colorat:
Infœlix macies renudat oſſa.
Non lux, non cibus eſt ſuauis illi, &c.

Quæ incommoda indicauit etiam Ouidius, deſcribens graphicè illis verſibus domum conuenientem tali incolæ:

Protinus inuidiæ nigro ſqualentia tabo
Tecta petit, domus eſt imis in vallibus antri
Abdita, Sole carens, non vllis pervia vento,
Triſtis & ignaui pleniſsima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.

Verè igitur Horatius:

Inuidia ſiculi non inuenêre Tyranni
Maius tormentum.

TERTIO, minuent etiam atque extinguent in animo hoc malum omnes illæ conſiderationes, quæ nos mouere poſsint ad huius mundi fallacem & perituram gloriam aſpernandam, & expetendam veram & ſempiternam gloriam in cœlis. *Omnino enim* (inquit S. BASILIVS hom. 11.) *quis res humanas rationi ſubiecerit, & ad veram pulchritudinem laudemq; ſe conuerterit, multum abfuerit ab eo, vt in rebus terrenis & fluxis quenquam putet eſſe fœlicem & æmulandum.*

Et S. GREGORIVS lib. 5. Moral. cap. 34. *Qui ergo*, inquit, *liuoris peſte plenè carere deſiderat, illam hæreditatem diligat, quam coheredum numerus non anguſtat, quæ & omnibus vna eſt, & ſingulis tota: quæ tantò largior eſſe oſtenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur.* Nempe hoc modo fiet quis magnanimus, vt eum iam minimè tanquam paruulum occidat inuidia. Iob 5. Nam vt ibidem GREGORIVS ait, *magnus eſt, qui æterna & magna concupiſcit; paruulus autem qui terrena, cùm ea omnia ſint exigua.* Et vt ait BASILIVS vbi ſuprà: *qui ita fuerit animatus, vt nihil humanum admiretur, huic procul dubio dominari inuidia nullo modo poterit.* Sed de Inuidia hactenus.



QVAE-

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

De Diſcordia & Contentione, quæ ſunt duo vitia contraria paci Charitatis in corde & ore.

D. Thomas 2. 2. q. 37. & 38.

EXPLICANDVM EST PRIMO, QVALE ET QVANTVM PECCATUM ſit Diſcordia. SECVNDO, Quale & quantum peccatum ſit Contentio. Quæ duo breuiter expediri poterunt.

PVNCTVM PRIMVM.

Quale & quantum peccatum ſit Diſcordia.

D. Thomas quæſt. 37.

DISCORDIA in propoſito aliud nihil eſt, quàm diſſenſio voluntatis à voluntate proximi, circa bonum diuinum vel proximi, quod quis teneatur ex charitate velle. Itaque omnino eſt peccatum ex ſuo genere mortale, ex parte eius diſſentientis, qui tale aliquod bonum non vult. Nam eſt contra peculiarem illum actum charitatis, qui eſt pax & concordia cum proximo, vt patet ex dictis ſuprà q. 6. p. 2.

Neque de hoc dubitari poteſt. Nam Apoſtolus ad Galat. 5. numerat *diſſenſiones* inter ea opera carnis, de quibus ibi dicit: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt.* Et Prouerb. 6. poſt *ſex, quæ odit Dominus*, additur ſeptimò is, *qui ſeminat inter fratres diſcordias*, de quo ibi dicitur: *Et ſeptimum deteſtatur anima eius.*

Atq; eadem prauitas diſcordiæ patet tum ex cauſa, tum ex effectibus ipſius. Nam oriri ſolet ex ſuperbia, ſiue inani gloria, vt docet Gregorius lib. 31. Moral. cap. 31. & D. Thomas art. 2. vel etiam ex inuidia, vt docet idem D. Thomas ibidem ad 2. & Caietanus. Et plurima parit mala, iuxta illud Matth. 12. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.*

Vbi HIERONYMVS: *Quomodo*, inquit, *concordia res parnæ creſcunt, ſic diſcordia maximæ dilabuntur.* Et S. GREGORIVS NAZIANZENVS in oratione 3. de Pace, loquens de Antichriſto: *Neque enim*, inquit, *ſanos aggreditur, nec charitate ſeptos atque firmatos, ſed regnum in ſeipſum prius diuidi neceſſe eſt, ac tunc vaſa diripi, nobisq; eadem accidere, quæ nunc hoſti noſtro accidiſſe perſpicimus.* Et in oratione de Moderatione in diſputationibus habenda: *Quid*, inquit, *in noſtra doctrina præſtantiſsimum eſt? Pax. Addam etiam vtiliſsimum. Contrà, quid turpiſsimum & perniciosiſsimum? Voluntatum diſsunctio.* Ac licet etiam huius vitij damna & turpitudinem cognoſcere ex illo eius habitu deſcripto per poëtam Petronium:

ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperos ſtygium caput: huius in ore
Concretus ſanguis: contuſáq; lumina ſtebant,
Stabant irati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora,
Atq; inter toto lacerata pectore veſtem
Sanguineã tremula quatiebat lampada dextra.

Diximus autem in deſcriptione, Diſcordiam eſſe diſſenſionem *circa bonum, &c.* nam diſcordare in malo bonum eſt; ſicut contrà, malum eſt concordia in malo. Vnde Dominus Matth. 10. *Non veni*, inquit, *pacem mittere, ſed gladium, &c.* Quia ſcilicet reuocauit hominum voluntates à malo, in quo per malam concordiam & pacem conſentiebant. Rectè namque S. GREGORIVS NAZIANZENVS orat. 1. de Pace: *Non omnem pacem*, inquit, *amandam eſſe exiſtimo: nam vt optimam quandam diſſenſionem* (in malo ſcilicet) *ita quandam perniciosiſsimam concordiam eſſe perſpectum habeo. Sed de ea demùm pace loquor, quæ bona eſt, bonique cauſâ nititur.*

Diximus etiam diſcordiam eſſe diſſenſionem circa bonum, *quod quis velle teneatur, &c.* Nam vt rectè notat Caietanus in Summa, Verbo, Diſcordia, diſcordare à proximo circa bonum aliquod ſupererogationis, ad quod non tenetur, non eſt peccatum. *Vt ſi quis*, inquit, *nolit concordare cum ſocio circa ingreſſum Religionis.*

Porro quamuis iuxta deſcriptionem poſitam, vt dictum eſt, Diſcordia ſit peccatum mortale ex ſuo genere, tamen per accidens fieri poteſt, vt aut nullum ſit peccatum, aut tantummodò veniale. Nullum peccatum erit, ſi quis probabiliter exiſtimet, non eſſe bonum, quod alter vult, ſed quod ipſe. Quo pacto excuſat S. Thomas hîc art. 1. ad 4. diſſenſionem, quæ Actor. 15. fuiſſe memoratur inter Paulum & Barnabam. Item erit nullum peccatum, ſi quis inuincibiliter ignoret bonum eſſe id, quod alter vult. Erit autem pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum veniale si sit dissensio non plenè deliberata, aut circa bonum exiguum, vt rectè docuit Caietanus in Summa, Verbo, Discordia.

Qualenam igitur & quantum peccatum sit Discordia, ex his perspicuum est. Quod quidem etsi virtuti charitatis opponitur (vt dictum est) tamen distinctum peccatum est ab aliis contra charitatem, eò quod longè diuerso modo morali eidem charitati est contrarium, vt ex dictis patet.

Cùm autem Discordia peccatum sit; sequitur, omnino esse quoque peccatum, auctorem aliis esse discordiæ, iuxta diuinum testimonium Prouerb.6. ante citatum. Dum tamen id fiat ex intentione formali vel virtuali. Nam si per accidens tantùm ex rationabili alioqui facto alicuius sequatur dissensio aliorum, nullum erit peccatum. Tunc enim discordia aliorum non est vllo modo intenta, licet sit permissa & præuisa, vt optimè resoluit Caietanus hic art.1. circa factum Pauli, qui sciens dissentire Pharisæos & Saduceos de resurrectione, coram eis tamen verba fecit de illa, dicens se esse Pharisæum. Actor.23.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quale & quantum peccatum sit Contentio.

D. Thomas art.38.

CONTENTIONIS nomen varios habet significatus. Interdum enim significat animi studium seu conatum: Sicut etiam contendere idem est atque conari & eniti. Vt Lucæ 13. *Contendite intrare per angustam portam, lata enim & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* Interdum etiam significat vim quandam orationis, præsertim ex contrariis compositæ, vt notat hic etiam D. Thomas artic.1. ex Cicerone. Interdum etiam significat quamcunque disputationem, &c.

In proposito verò Contentio nominatur altercatio quædam verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam. Itaque est peccatum contrarium charitatis paci, cum sit quoddam dissidium à proximo in quodam bono, nempe in bono veritatis, quod tenemur etiam ex charitate sic proximo velle, vt nunquam liceat eum ab illo dimouere velle, & aliquando pro ratione circumstantiarum oporteat illud ei communicare. Pax autem vt est charitatis actus complectitur omnimodam cum proximo consensionem in bonis, quæ ei velle teneamur, vt patet ex dictis q.6. p.2.

Quapropter contentio sic accepta non modò est peccatum, sed etiam mortale ex suo genere, sicut alia, quæ sunt contra charitatem. Et nascitur ex superbia siue inani gloria, vt facilè ostendit D. Thomas art.2. ex Gregorij sententia lib.31. Moral. cap.31. Vnde in Scriptura aliis peccatis mortalibus annumeratur. Vt ad Galat.5. sub vocabulo *dissensionum*. Et ad Rom.1. *Plenos inuidia, homicidio, contentione, &c.* Et 1.Cor.1. *Sitis autem perfecti* (per charitatem nimirum) *in eodem sensu, & in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, quia contentiones sunt inter vos, &c.*

Dixi autem, Contentionem in proposito esse altercationem *contra veritatem*. Nam si sit contra falsitatem, laudabilis est. Dixi etiam, ad veritatem *impugnandam*. Nam si altercatio non suscipiatur ex animo contra ipsam veritatem, sed exercitij causa, vel ad explorandam alterius eruditionem; etiam est laudabilis. Nam tunc solùm materialiter est contra veritatem, vt ait hìc art.1. Caietanus. Quanquam in his etiam altercandi seu disputandi modis potest interuenire peccatum ex parte modi inordinati, & aliquàdo mortale, ratione scandali, vt docet D. Thomas art.1. Qui modus inordinatus si etiam concurrat in contentione praua contra veritatem, iam pluribus nominibus erit ea contentio peccatum mortale, vt D. Thomas ibidem docet ex Glossa ordinaria ad Rom.1. in qua Contentio ita inordinata, dicitur esse *impugnatio veritatis cum confidentia eius moris*. Commendat tamen D. Thomas in disputatione *debitum quendam acrimoniæ modum*, vt inquit.

Porro per contentionem oppugnare veritatem censendus est *primò*, qui vel contendit aduersus agnitam veritatem, id quod ait Caietanus esse formaliter oppugnare veritatem. *Secundò* qui rem propositam, qualiscunque sit, ita oppugnat, vt non curet, veráne sit, an falsa; id quod ait Caietanus esse oppugnare virtualiter veritatem; quia scilicet vult eam oppugnare, etiamsi sit vera. *Tertiò*, qui potest & debet scire, veram esse rem propositam, quam oppugnat: quo modo veritatem fidei oppugnant hæretici. Nam sic etiam censetur quis tacitè & virtualiter veritatem oppugnare voluntariè. Quem modum impugnationis incogitanter prætermisit hìc Caietanus, recensens solùm primum & secundum modum ex his tribus, & illum alterum impugnandi veritatem solùm materialiter exercitij causa, qui nó est malus, vt diximus.

Etsi autem omnibus his modis impugnatio veritatis per contentionem sit peccatum mortale ex suo genere: tamen potest esse veniale, si aut non sit plenè deliberata, aut sit circa veritatem aliquam exigui momenti, vt an festuca fuerit nec ne, hoc vel illo loco, sicut inquit Caietanus: non autem circa veritates vniuersales, aut fidei, aut morum, aut singulares pertinentes ad famam aut fortunas proximi, sicut rectè docet Caietanus in eodem ar.1. & in Summa, Verbo, Contentio.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Schismate, quod est vitium contrarium Charitatis paci in opere.

D. Thomas 2.2. quæst.39.

TRIA SVNT EXPLICANDA, PRIMO, QVALE PECCATVM *sit Schisma.* SECVNDO, *Quantum peccatum sit.* TERTIO, *Quanam pœna puniatur.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quale peccatum sit Schisma.

D. Thomas art.1.

SCHISMATIS vocabulum à Græco verbo σχίζω deductum est, quod significat scindere. Vnde σχίσμα scissionem significat. Ex hac vocabuli notatione incipit lucere ratio Schismatis in proposito. Est enim schisma disiunctio, qua quis separat ab vnitate Ecclesiæ, vt Ecclesia est vnum quoddam corpus mysticum, constans ex diuersarum conditionum fidelibus tanquam ex membris inter se connexis, & præcipuè cum Capite, nimirum cum Summo Pontifice Christi Vicario.

Hanc vim habet, quod aiunt Patres, per Schisma *separari hominem ab Ecclesia*, vt ait HIERONYMVS in caput 3. epistolæ ad Titum: vel *scindi Ecclesiæ vnitatem*, vt ait IRENÆVS lib.4. cap.43. & CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesiæ, vbi ait: *Possidere non potest indumentum Christi* (gratiam) *qui scindit & diuidit Ecclesiam Christi.* Quod non deberet fieri, ait fuisse significatum per hoc, quòd tunica Christi inconsutilis non fuit diuisa à militibus: *Hoc*, inquit, *vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in Euangelio tunica Domini IESV CHRISTI non diuiditur omnino nec scinditur, sed sortientibus quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur & incorrupta, atque individua tunica possidetur*, Ioan.19.

Quomodo autem quis schismaticè separet se ab illa vnitate corporis Ecclesiæ, atque adeo illam scindat, facilè intelligetur perspecta ratione *illius vnitatis*. Consistit enim ea vnitas in apto quodam ordine membrorum omnium Ecclesiæ inter se iuxta conditionem cuiusque; vt scilicet in actionibus spiritualibus, pertinētibus ad istud mysticum & spirituale corpus, puta in fidei doctrina, in cultu, in aliarum virtutum vsu, in spirituali regimine, caput habeat in membra reliqua quendam principatum, & illa ex eo cum debita subordinatione & mutua communicatione pendeant. Hoc enim ipso tum caput cum aliis membris, tum alia membra cum capite, & inter se (vt eidem subiecta capiti) rectè nectuntur, atque adeo constituunt vnum Ecclesiæ corpus: quod nimirum est vnum non aliqua entitate & vnitate absoluta (sicut aliqua vna res naturalis) sed entitate & vnitate prædicti ordinis & relationis mutuæ; sicut vna domus, vna ciuitas, vnum regnum, &c. vt pluribus verbis explicuit hìc Caietanus art.1.

Atque hanc ipsam vnitatem corporis Ecclesiæ descripsit etiam in aliquot locis Apostolus. Vt ad Rom.12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et 1.Corint.13. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus*, nimirum in suo mystico Ecclesiæ corpore. Et infrà loquens de hoc ipso corpore: *Non potest*, inquit, *oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum* CAPVT *pedibus, non estis mihi necessarij.* Vbi de visibili capite, quod sit vice Christi, loquitur, & quod nunc etiam in terris cum aliis Ecclesiæ membris versetur, & per quod tanquam per Vicarium coniungitur totum Ecclesiæ corpus cum Christo principali capite. Iuxta illud Ephes.4. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iunctúram subministrationis secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate.*

Hoc cùm ita sit, facilè iam intelligitur, quidnam sit per Schisma separare se ab hac vnitate corporis Ecclesiæ. Est enim nolle segetere vt membrum huius corporis, in aliqua vel aliquibus spiritualibus actionibus ad hoc

Eccleſiæ corpus pertinentibus; atque adeo nolle ſubeſſe viſibili huius corporis capiti, neque aliis eius membris communicare, vt illi capiti ſubiecta ſunt, ſed velle agere ſeorſim ab hoc corpore, & independenter ab eius capite. Hoc enim ipſo ſcindit quis huius corporis vnitatem, non abſolutè (quaſi nulla in aliis maneat) ſed prout ex ipſo etiam conſtabat, ſicut rectè notauit hîc art.1. Caietanus. Qui bene etiam in hanc ipſam ſententiam ait, illos eſſe ſchiſmaticos, *qui ex quacunque* (vt inquit) *diuerſitate vel ſententiarum vel affectionum adeo exorbitent, vt velint ſanctificare vel ſanctificari* (per cultum ſcilicet & vſum Sacramẽtorum) *docere vel doceri, prouidere vel prouideri, non vt pars Eccleſiæ Catholicæ, ſed tanquam ipſimet ſint velut quoddam totum ſeorſim.*

Nunc ita poſita & declarata deſcriptione Schiſmatis, aliquot ſtatuam & confirmabo propoſitiones, vt intelligatur, qualis ſit eius prauitas. PRIMA propoſitio: Dubitari non poteſt, quin Schiſma omnino ſit peccatũ ex genere ſuo mortale. Patet tum Apoſtoli teſtimonio 1.Cor.1. grauiſſimis verbis *obſecrante per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum*, inquit, *dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata.* Tum euidenti ratione. Nam recedere ab eo, quod eſt homini neceſſarium ad ſalutem, omnino eſt peccatum mortale: Sed hoc fit per ſchiſma: Ergo ſchiſma peccatum eſt mortale.

Probatur Minor. Nam nemo poteſt ſalutem conſequi extra Eccleſiæ communionem & vnitatem, vt probauimus ſuprà q.1. de Fide, p.7.§.16. ex Scriptura & Patribus.

Quibus nunc addi poteſt pulchrum illud teſtimonium CYPRIANI in lib. de vnitate Eccleſiæ: *Stare tu & viuere putas poſſe de Eccleſia recedentem? Sedes ſibi alias & diuerſa domicilia condentem? Cùm dictum ſit ad Rahab, in qua præformabatur Eccleſia: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam, in domum tuam, & omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit. Ioſuæ 2. Item cùm Sacramentum Paſchæ nihil aliud contineat, quàm vt agnus, qui in figura Chriſti occiditur, in domo vna edatur, &c. Exod.12.*

SECVNDA propoſitio: Peccatum iſtud ſchiſmatis, ſpeciale quoddam peccatum eſt contrarium charitati, vt rectè affirmat D. Thomas ar.1. Probatur PRIMO ex Apoſtolo, qui apertè in nonnullis locis ſignificat, vnitatem illam corporis Eccleſiæ, quæ per ſchiſma diſcinditur, conſiſtere per mutuam membrorum Eccleſiæ charitatem & pacem, quæ eſt actus charitatis: ac proinde charitatem, eiusque pacem violari, cùm illa vnitas violatur & ſcinditur. Vt 1.Cor.12. *Non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum pro inuicẽ ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra:* per charitatem nimirum, de qua capite ſequenti prædicat: *Non gaudet ſuper iniquitate; congaudet autem veritati.* Et ad Epheſ.4. *Supportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis; Vnum corpus & vnus ſpiritus.* Et infrà: *Totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram vnius cuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.*

SECVNDO probatur ex Patribus, qui per ſchiſma aſſeuerant violari propriè charitatem & pacem. S. CYPRIANVS libro de vnitate Eccleſiæ: *Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, aduerſus Chriſtum facit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit.* S. AVGVSTINVS libro de fide & ſymbolo, cap.10. *Schiſmatici diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſiliunt.* Et lib.2. de Baptiſmo contra Donatum, cap.6. *Vos ergo quare ſeparationẽ ſacrilega pacis vinculum dirupiſtis?*

TERTIO probatur ratione. Nam quiſque & ſibi & proximo tenetur ex charitate velle bonum illud communionis & vnitatis in eodem Eccleſiæ corpore, & eatenus cum aliis Eccleſiæ membris habere conſenſionem & pacem, quæ eſt actus charitatis, vt ſuprà vidimus q.6. Ergo contra charitatem & contra pacem eſt, priuare ſe illo vnitatis & communionis bono, ſicut fit per ſchiſma. Antecedens probatur ex eo, quòd vt ante diximus, id vnitatis bonum omnino eſt neceſſarium cuiq; ad ſalutem, cùm extra Eccleſiam nemo ſaluetur. Adde, quòd ſicut charitatis & amoris eſt vniri & cõcordare in bono: ita contra charitatem eſt diuelli & ſeiungi, quod fit per ſchiſma.

Hinc ſequitur, peccatum ſchiſmatis non propriè idem eſſe, quod peccatum infidelitatis aut hæreſis. Nam quamuis omnis hæreticus ſit etiam ſchiſmaticus, hoc ipſo quòd ſeparat ſe ab aliorum communione in fide; poteſt tamen aliquis eſſe ſchiſmaticus, qui non etiam ſit hæreticus: ſi nimirum credens omnia, quæ ſunt credenda, ſeparet ſe ab Eccleſiæ vnitate per hoc ſolùm, quòd nolit ſubeſſe illius capiti, aut communicare in aliis piis actionibus cum reliquis Eccleſiæ membris. Neque etiam is, qui & hæreticus & ſchiſmaticus eſt, committit eadem ratione vtrumque peccatum, ſed alia & alia. Nam formaliter eſt hæreticus, quatenus refragatur fidei, non credens quæ à Deo ſunt reuelata: Schiſmaticus, quatenus repugnat charitati, ſcindens & diſſipans bonum illud vnitatis & communionis, quod (vt dictum eſt) tenetur quiſque ex charitate velle ſibi & aliis.

Vnde non ſolùm D. Thomas hîc art.1. ſed etiam Patres agnoſcunt diſcrimen hoc inter hæreſim & ſchiſma, cum agnoſcunt, poſſe aliquem eſſe ſchiſmaticum, qui non idem ſit hæreticus. Vt S. IRENÆVS libro 4. capite 43. cùm de hæreticis primò ait: *Qui exurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur aduerſus Eccleſiam Dei, remanentes apud inferos, voragine terræ abſorpti: quemadmodum qui circa Chore, Datan & Abiron.* Et deinde de ſchiſmaticis addit: *Qui autem ſcindunt & ſeparant vnitatem*

vnitatem Eccleſiæ, eandem, quam Ieroboam pœnam percipiunt à Deo.

Et S. CHRYSOSTOMVS hom.11. in epiſtolam ad Epheſ. vbi poſtea quam ſchiſmatis prauitatem variè exaggerauit, diſtinguit ſchiſma ab hæreſi illud ſubiungens: *Dico & obteſtor, Eccleſiam ſcindere non minus eſſe peccatum, quàm in hæreſin incidere.*

Et clariſſimè S. AVGVSTINVS libro de fide & ſymbolo, cap.10. *Hæretici*, inquit, *& ſchiſmatici congregationes ſuas Eccleſias vocant: Sed hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant: Schiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſiliunt, quamuis ea credant, qua credimus.*

Et S. HIERONYMVS in cap.3. epiſtolæ ad Tit. *Inter hæreſin*, inquit, *& ſchiſma hoc intereſſe arbitramur, quòd hæreſis peruerſum dogma habeat, ſchiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet.* Quanquam verè ibi addit, quòd *etſi ſchiſma in principio aliqua ex parte poſſit intelligi diuerſum ab hæreſi, tamen nullum ſchiſma non ſibi aliquam confingit hæreſin, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur.*

TERTIA propoſitio: Peccatum iſtud ſchiſmatis variis admodũ modis committi poteſt. Probatur & declaratur hæc propoſitio. Nam *primò* poteſt quis ab Eccleſiæ vnitate & communione ſeparare ſe voluntate ſola, per hoc ſcilicet, quòd animo deliberet atque ſtatuat non ſe gerere vt membrum Eccleſiæ, nec tamen faciat adhuc aliquid tanquam non membrũ: ſicut quoduis aliud peccatum poteſt interdum committi ſolo interiori actu voluntatis. *Secundò* poteſt hoc peccatum committi ipſo etiam opere, in quo nimirũ cõſummatur, ſicut alia externa peccata: propter quod dixit D. Thomas initio q.37. & 39. Schiſmatis peccatum eſſe contrarium paci charitatis *in opere.* Vt ſi quis ex interna illa voluntate & quaſi rebellione non obediat Summo Eccleſiæ paſtori, ſicut ait D. Thomas art.1. ad 2. Quod rectè interpretatur ibi Caietanus debere intelligi de inobedientia orta ex rebellione, quæ ſit propriè erga ipſum officium paſtoris, cui ſcilicet nolit ſubiectus eſſe: nõ autem ſolùm erga præceptum, vt cùm quis ſimpliciter eſt in aliquo inobediẽs ei ſuperiori, qui alioqui vult eſſe ſubiectus, vt quotidie fit: neq; ſolùm erga perſonam ſuperioris, ſi probabiliter quis putet eam non eſſe ritè ad tale officium aſſumptam. In his enim caſibus inobedientia non eſſet verè & formaliter ſchiſma, vt rectè notauit Caietanus in Summa, Verbo, Schiſma, in fine: quamuis materialiter ſoleat id quoq; nominari ſchiſma; vt ſi accidat plures eſſe Pontifices dubios, ſicut quandoq; vſu venit, vt videre licet apud Turrecrematam lib.4. Summæ de Eccleſia p.1. cap.9. & 10. vbi etiam agit de eiuſmodi ſchiſmatum remediis. *Tertiò* poteſt quis ipſo opere magis vel minus plenè committere iſtud peccatum, prout magis vel minus ſeparauerit ſe ab vnitate & communione corporis Eccleſiæ.

Nam qui ſeparant ſe non modò quoad ſubiectionem & obedientiam, ſed inprimis quoque quoad fidem, multò magis ſchiſmatici ſunt; vt hæretici. Item qui directa intentione ſe à ſubiectione & obedientia Eccleſiæ ſubtrahit, deterior ſchiſmaticus eſt, quàm qui ſe ab ea ſubtrahit indirecta ſolũ intentione, ſiue effectu ipſo & operis voluntate, vt Caietanus art.1. ait. Quod ſententiâ eiusdẽ Caietani tum fit, cùm aliquis potius quàm vt à proposito deſiſtat, vult ita ſe gerere, ac ſi non eſſet Eccleſiæ pars. *Quod* (inquit Caietanus) *videtur contingere iis, qui præſumunt abſq; debita auctoritate congregare Synodos vniuerſales, vel eas poſt quam per legitimam auctoritatem diſſolutæ ſunt, proſequi.* Nã & hoc etiam modo verè incurritur peccatum ſchiſmatis. Quemadmodum non ſolùm is incurrit peccatum homicidij, qui directa intentione vult hominem occidere, ſed is etiam, qui potius vult id agere & proſequi, vnde mors hominis ſequitur, quàm à proposito opere deſiſtere.

Item qui expreſſa intentione vult ſe & à capite Eccleſiæ, & à membris ſeparare, deterior Schiſmaticus eſt, quàm qui expreſsè quidẽ ſolùm vult ſe ſeparare à mẽbris, vel ſolùm à capite; qui ſunt duo modi ſchiſmatis aſsignati à D. Thoma art.1. in fine corporis, & à Caietano. Quanquam tacitè quidem & virtualiter, à membris etiam ſe ſeparatis, qui expreſsè ſolùm vult ſe ſeparare à capite; & ſimiliter à capite, qui expreſsè ſolùm vult ſe ſeparare à membris. Nam cùm membra & caput ſint inter ſe nexa & ſubordinata; conſequens eſt, vt qui diſſidet à capite, etiam diſſideat eo ipſo à membris, & è contrario, vt etiam D. Thomas illic apertè indicauit, & aſſeruit S. CYPRIANVS libro 4. epiſtola 9. cuius verba paulo poſt recitabo. Atque hæc cauſa eſt, cur ſuprà deſcripſerimus ſchiſma per diſiunctionem ab vnitate ipſius *corporis* Eccleſiæ. Nã omnis Schiſmaticus ſeparat ſe aliquo modo à toto Eccleſiæ corpore; quamuis quoad expreſſam quidem intentionem fieri hoc poſsit aliter & aliter, nempe aut ſeparando ſe expreſsè quidem à ſolo capite, aut à ſolis membris, iuxta prædictam doctrinam D. Thomæ & Caietani, quæ ſic intelligi debet.

Item eadem ratione deterior Schiſmaticus eſt is, qui expreſsè vult ſe à Summo Pontifice vel ab omnibus aliis vniuerſalis Eccleſiæ membris ſeparare, quàm is, qui expreſsè quidem ſolùm vult ſeparare ſe à ſuo Epiſcopo reſpuẽs ſubeſſe auctoritati Epiſcopali, vel à reliquis fidelibus Epiſcopo ſubiectis: Quamuis hic etiam aliquo modo ſeparat ſe à Summo etiam Pontifice, & reliquis omnibus fidelibus, nempe tacitè & virtualiter, quatenus quiſque Epiſcopus & Epiſcopatus habent ſubordinationem & connexionem cum Summo Pontifice, & reliqua Eccleſia vniuerſali, vt quædam pars nimirum cum capite & cum toto & cum aliis eius partibus.

Vnde S. CYPRIANVS lib.4. epiſt.9. ad Florentium Puppianum, manifeſtè cenſet, fieri ſchiſma ab Eccleſia per diſiunctionem à quauis legitima Eccleſia & Epiſcopo: *Scire*, inquit, *debes, Epiſcopum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; & frustrà sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, cùm Ecclesia, quæ Catholica & vna est, scissa non sit, neque diuisa, sed sit vtique connexa & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata. Itaq; dubitandum non est, quin variis admodum modis schismatis peccatum committi possit, vt in illa tertia propositione nostra dictũ est.

QVARTA propositio: Si spectemus rationem ipsam Schismatis, nullum est membrum Ecclesiæ, quod non possit aliquo modo ex prædictis committere istud Schismatis peccatum; atque adeo ipsa etiam persona summi Pontificis potest illud incurrere, quantum est quidem ex natura Schismatis. Ita affirmat Ioannes à Turrecremata lib.4. Summæ de Ecclesia p.1.cap.11.& Caietanus hîc artic.1.& Bannes ibi, quamuis nonnulli contrarium senserunt, vt memorat Turrecremata.

Probatur PRIMO auctoritate S. CYPRIANI qui ita omnino videtur supponere. Nam lib.4. epist.2.ad Antonianum, loquens de Nouatiano, qui in schismate cum Cornelio volebat esse Papa; de Episcopo quouis, atque adeo etiam de Episcopo Summo ita pronunciat: *Episcopatum tenere non posset, si etiam Episcopus prius factus* (qualis nempe volebat, videlicet Summus) *à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ vnitate descisceret: Cùm Apostolus moneat, vt inuicem nosmetipsos sustineamus, ne ab vnitate, quam Deus constituit, recedamus.* Et paulo post generatim ait: *Qui ergo neque vnitatem Spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo atque à Sacerdotum Collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, neque honorem; qui Episcopatus nec vnitatem voluit tenere, nec pacem.*

SECVNDO probatur manifesta ratione sic: Omne membrum Ecclesiæ, atque adeo etiam persona Pontificis potest se aliquo modo separare ab vnitate corporis Ecclesiæ: Ergo potest committere aliquo modo peccatum Schismatis. Consequentia est euidens ex ratione Schismatis. Antecedens probatur dupliciter: *Primò*, Nã vt optimè ratiocinatur hîc Caietanus: Omne illud membrum potest seiungi & diuelli ab vnitate corporis Ecclesiæ, sine cuius coniunctione potest ipsa vnitas Ecclesiæ manere: Sed hæc potest manere sine coniunctione cuiuscunq; membri cum illa, atque adeo etiam sine coniunctione personæ Papæ, vt patet, quando sedes vacat: Ergo, &c. *Secundò*, Nam posset Papæ persona nolle vllo modo, neque vt Papa, neq; vt alia pars communicare cum reliquo Ecclesiæ corpore, sed solùm viuere & gerere se vt Dominum temporalem, sicut ait Caietanus. Item posset nolle se cum aliis fidelibus conformare in ritibus Ecclesiæ vniuersalis; vt si nollet celebrare in vestibus & locis sacris, aut cum luminaribus, aut signare se signo crucis, &c. vt ait vbi suprà Turrecremata. In quibus casibus sine dubio ab Ecclesiæ vnitate se aliquo modo separaret, sicut etiam si totam Ecclesiam excommunicaret, vt ait Caietanus, eo enim ipso nollet quicquam communionis habere cum illa.

Nec valent argumenta contrariæ opinionis, quæ referunt & refellunt Turrecremata & Caietanus. PRIMVM est, quòd Schisma est desciscere ab Ecclesiæ capite: Sed hoc non potest Papa, cùm nequeat desciscere à se ipso, & ipse sit Ecclesiæ caput: Ergo nec potest esse Schismaticus. SECVNDVM est, quòd consequenter videtur nec posse ab Ecclesia desciscere, cùm Ecclesia sit in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia, vt affirmat Cyprianus in citata epist.2. lib.4. ad Antonianum, relatus etiam à Gratiano VII.q.1.Can. Scire debes.

Hæc facilè refelluntur. Ad PRIMVM enim respondeo, Schisma etiam esse desciscere à reliquo Ecclesiæ corpore; itemq; à Christo primario Ecclesiæ capite: quod posset Papa facere prædictis modis. Ad SECVNDVM respondeo cum Turrecremata & Caietano; dictum illud Cypriani habere locum tamdiu, quamdiu Episcopus vult se vt Episcopum erga Ecclesiam gerere: non autem si id nolit, ac se ab Ecclesia separet.

Itaque maneat, Papam etiam posse Schismaticum fieri, quantum est quidem ex natura schismatis, sicut in quarta nostra propositione statuimus. In qua ideo addidi, *quantum est quidem ex natura Schismatis.* Nam vt est probabile, personam Pontificis neque commisisse vnquam, neq; commissuram esse peccatum Hæresis, Deo id malum ab Ecclesia auertente, ita etiam probabiliter & piè credi potest, nunquam commisisse aut commissuram esse peccatum Schismatis etiam sine hæresi; Deo nimirum singulari cura id malum ab Ecclesia amoliente.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quantum peccatum sit Schisma.

D. Thomas art.2.

QVOD Schisma sit peccatum mortale ex suo genere, ostensum est iam præced. Nec videtur esse posse venialem ex parte quidem materiæ, sed solùm fortè ex imperfectione voluntatis non satis deliberatæ. Nam id, in quo formaliter consistit peccatum Schismatis, scilicet diuulsio ab Ecclesiæ vnitate; per se est quiddam, quod semper est valde graue, qualiscunque demùm sit ea actio, in qua hæc ipsa separatio exerceatur. Sicut periurium, verbi gratia, in quacunque materia committatur, semper est mortale, nisi ob imperfectionem actus non plenè deliberati: quia nimirum ratio formalis periurij, scilicet vt Deus adhibeatur tanquam testis falsi, per se est quiddam, quod semper est valde graue. Vnde neque sanctus Thomas hîc art.1. neque Caietanus in Summa, Verbo, Schisma, neque alij, solent circa hoc peccatum excipere quicquam ob exiguitatem materiæ, sed absolutè pronunciat, esse mortale peccatum.

Nec est quomodocunque peccatum mortale, sed grauissimum fortè inter omnia, quæ committuntur contra proximum. Nam lædit præclarissimum quoddam bonum commune, nempe ipsam Ecclesiæ vnitatem, quæ bonum est omnium fidelium non modò absolutè, sed etiam vt constans ex vnoquoque eius membro, quo pacto per Schisma destruitur, vt diximus p. præcedenti. Vnde Patres hoc nomine peccatum Schismatis tanquam grauissimum exagitant, quia scilicet per illud scindatur & dilaceretur Ecclesiæ vnitas, commune & maximũ omnium bonum, iuxta illud Prophetæ: *Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Psal.132.* Et illud Apostoli ad Ephes.4. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.*

Hinc IRENÆVS lib.4.cap.34. *Qui scindunt*, inquit, *& separant vnitatem Ecclesiæ, eandem quam Ieroboam pœnam percipiunt à Deo.* Et grauissimè etiam S. CHRYSOSTOMVS homil.11.in epistolam ad Ephesios: *Nihil*, inquit, *ita Deum irritat, sicut Ecclesiæ diuisio. Etsi innumera bona operati fuerimus, non minores tamen pœnas dabimus, quàm qui corpus eius prosciderunt, si plenitudinem & dignitatem Ecclesiasticam discerpserimus.* Vbi nota verbum illud *plenitudinem*, &c. significat enim, quonam modo per Schisma discerpatur vnitas Ecclesiæ; nimirum non per se, quasi funditus tollatur, neque maneat amplius, sed secundùm sui plenitudinem, vt scilicet constat etiam ex hoc & illo membro, vt ante diximus. Ac ibidem inducit CHRYSOSTOMVS dictum S. Cypriani (tacito eius nomine) scilicet peccatum *istud ne Martyrij quidem sanguine deleri.*

Et S. AVGVSTINVS lib.2. de Baptismo contra Donatist.cap.6. *Tempore*, inquit, *illo, quo Deus priora delicta recentibus pœnarum delictis cauenda monstrauit, idolum fabricatum & adoratum est, & propheticus liber ira Regij contemptoris incensus (Hieron.36.) & schisma tentatum; Idololatria gladio punitur, Schisma hiatu terræ sepultis auctoribus viuis, & caeteris cœlesti igne consumptis. Quis iam dubitabit, hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius vindicatum?*

Disputat autem art.2. D. Thomas, an peccatum Schismatis sit etiam grauius, quàm peccatum hæresis siue infidelitatis. Et respondet ex obiecto quidem grauius peccatum esse hæresin. Nam aduersatur diuinæ veritati, cui non credit, ac proinde ipsi Deo in se: Schisma verò aduersatur bono diuino, non in se, sed vt participato in bono creato Ecclesiasticæ vnitatis. Quô fit, vt quamuis Schisma aduersetur virtuti præstantiori, nimirum charitati, tamen quia non ei aduersatur immediatè secundùm obiectum eius formale, nempe bonum diuinum in se (sicut ei aduersatur Dei odium, quod ideo est peccatum maximum) minus peccatum sit quàm infidelitas & hæresis, quæ aduersantur virtuti fidei immediatè secundùm ipsius formale obiectum, scilicet diuinam veritatem. Addit autem D. Thomas, secundùm circumstantias quidem & damna, quæ solet Schisma importare Ecclesiæ, quandoque Schisma esse posse grauius peccatũ quàm hæresin.

Et de hoc quidem vltimo dicto S. Thomæ dubium nullum est. Vt neque de eo etiam, quòd hæresis, vt includit quoque peccatum Schismatis, grauius peccatum est, quàm nudum Schisma. Sed aduersus prius D. Thomæ dictum, quòd scilicet formaliter etiam ex obiecto sit grauius peccatum hæresis, possunt obiici duo.

PRIMO, quòd per hæresis peccatum non magis videtur quis aduersari ipsi diuinæ veritati *in se*, quàm per peccatum Schismatis bonitati diuinæ; immediatè enim hæreticùs solùm videtur aduersari ei veritati, quam non credit; quæ plerumque non est ipsa veritas diuina, sed aliqua veritas creata; vt quando hæresis est circa humanitatem Christi, vel circa cultum & Sacramenta, & gratiam, &c.

SECVNDO, quòd S. CHRYSOSTOMVS homil.11. super epistolam ad Ephesios, videtur sentire, hæc peccata omnino esse paria, ita vt Schisma non debeat iudicari minus; sic enim ait: *Dico & obtestor, Ecclesiam scindere, non minus esse peccatum, quàm in hæresin incidere.*

Sed potest ad PRIMVM responderi, hæreticum omnem aduersari quoque diuinæ veritati in se, non quidem præcisè, quatenus non credit verum esse, quod de humanitate Christi aut gratiæ aut Sacramentis fides tradit, sed quatenus simul etiam non credit id esse à diuina veritate testatum & reuelatum.

Ad SECVNDVM dici potest, sensum verborum Chrysostomi esse, quòd non minus Schisma sit grauissimum quoddam peccatum suo modo, quàm hæresis suo: quamuis si inter vtrumque instituatur accuratè comparatio, hæresis sit aliquanto grauius peccatum.

PVNCTVM TERTIVM.

Quænam sint pœnæ Schismaticorum.

D. Thomas art.3. & 4.

DE Schismaticorũ pœnis, quas Deus iustissimè ab eis interdum solet repetere, non est necesse in præsenti dicere. Extant in Scripturis aliquot earum exempla. Vt Numer.16. Vbi legimus, Datan & Abiron propter illud peccatum fuisse absorptos à dehiscente terra. Et constat ex libris Regum, quantis cladibus affectæ fuerint vndecim tribus Israel, eò quòd à domo Dauid discessionem fecerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De aliis autem pœnis, quibus vel ipso facto, vel per sententiam iudicis possunt affici Schismatici; quædam sunt certa apud Doctores, & aliquid est controuersum. PRIMO certum est, eos non ita puniri, vt vel amittant ipso facto, vel possint amittere spiritualem aliquam potestatem consistentem in spirituali charactere Baptismi, vel Confirmationis, vel Ordinis. Nam hæc est indelebilis, vt docet hîc artic. 3. D. Thomas, & confirmat Turrecremata lib. 4. Summæ, p. 1. cap. 7. & Syluester Verbo Schismatici, & patet ex VRBANO Papa Can. Ordinationes 9. q. 1. qui ordinatos ab Episcopis Schismaticis censet verè fuisse ordinatos. Et ex AVGVSTINO lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 5. vbi ait: *Potest Sacramentum tradere separatus, sicut habere.* Qua de re in materia de Sacramentis dicendum est, vbi disputatur de Sacramentali charactere, & de ministro Sacramentorum.

SECVNDO certum est, priuari tamen ipso facto Schismaticos facultate vtendi rectè & legitimè eiusmodi potestate characteris, seu priuari eiusmodi potestate, non quoad eius essentiam, sed quoad vsum, nimirum legitimum, vt ait diuus Thomas art. 3. Non enim possunt Schismatici rectè & absque peccato vti eiusmodi potestate.

Quo sensu asserit D. Thomas & Turrecremata vbi suprà debere intelligi quædam Patrum seu Pontificum testimonia, quibus indicari videtur amitti per Schisma potestatem etiam Ordinis siue Consecrationis: Oportet enim id intelligi quoad vsum legitimum. Vt quando Patres Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. 1. Extra. de Schismaticis aiunt. *Ordinationes ab Otiano & Guidone Hæresiarchis factas irritas esse censemus.* Quod etiam dicit Vrbanus in Can. Ordinationes 9. q. 1. Debet enim intelligi quoad executionem earum legitimam, vt ibi etiam exponit Glossa, addens, *nisi cum eis fuerit dispensatum, vel nisi ordinatus probare posset, nesciuisse se fuisse Schismaticum eum Episcopum, à quo accepit ordinem, aut habuisse legitimam dispensationem accipiendi ordines à Schismatico*, vt ait Innocentius III. in Cap. Fraternitate Extra. de Schismaticis.

Item debet similiter intelligi, quod ait Pelagius Pontifex in Can. Pudenda 24. q. 1. *Qui diuisus est ab Apostolicis sedibus, execrat ipse potius, & non consecrat. Iure ergo execratus tantum & non consecratus poterit dici.* Quia scilicet cùm & is, qui ordinat in Schismate, & is qui à Schismatico scienter ordinatur peccet, non accipitur nec vsurpatur per talem ordinationem potestas quoad legitimum & pium ac sanctum eius vsum.

Quanquam in necessitate licitum est à Schismatico etiam accipere Sacramentum Baptismi, vt docet D. Thomas art. 4. ad 1. & confirmat Caietanus ibi ex eo, quòd petitur tunc à Schismatico id quod ipse potest rectè exhibere desistendo à Schismatis peccato: sicut qui ob suam necessitatem licitè petit mutuum ab vsurario; quia non petit vt vsurariè mutuet, sed vt mutuet; id quod potest, si velit absque vsuræ peccato facere.

TERTIO certum est, ipso facto incurri à Schismaticis pœnam Excommunicationis latę à iure, in Can. Nulli d. 19. secundùm Syluestrum Verbo Schismatici num. 5. post Archidiaconum, Hugonem, Innocentium, & Ioannem Andream; & etiam in Cap. Excommunicamus, de hæreticis, si simul sint hæretici. Item expresè etiam in Bulla Cœnæ Domini, cuius excommunicationes sunt reseruatæ Papæ. Non autem in Can. de Liguribus 23. q. 5. neque in cap. 2. Extra de Schismaticis, quos duos textus ad hoc citat malè Turrecremata lib. 4. summæ p. 1. cap. 8. Nam in Canone de Liguribus, Pelagius non excommunicat Schismaticos, sed præcipit vt excommunicentur, & afficiantur etiam aliis competentibus pœnis. In capite autem 2. de Schismaticis Innocentius III. nihil dicit de Excommunicatione.

Item nominatim excommunicatur in Cap. Licet, Extra. de Electionibus, is schismaticus, qui sine legitima electione gerit se pro Papa, & omnes etiam illi adhærentes. Quod tamen limitant rectè Panormitanus & Syluester, quando probabilis error vel ignorantia non excusat. Et intelligenda sunt hæc de Schismaticis, qui prodeunt in aliquem actum externum. Nam Schismatici purè mentales non incurrunt excommunicationem, vt neq; purè mentales hæretici, quemadmodum suprà vidimus disput. 1. q. 11. de Hæresi p. vltimo.

QVARTO certum est, per Schismatis peccatum consequenter quoque amitti ipso facto potestatem iurisdictionis, ab iis quidem, qui propter schisma ità incurrût excommunicationem, vt prius naturâ eam incurrant, quàm excidant suâ potestate. Quales sunt omnes, qui non habent potestatem supremam, sed subiectam supremæ, atque adeo vt subditi possunt ipsi incurrere excommunicationem, vt Episcopi & alij Prælati infra Papam. Probatur. Nam in excommunicatis non manet ius & potestas iurisdictionis, cùm liberentur subditi ab illorum subiectione, quamdiu sunt excommunicati, vt notat ex communi doctrina Caietanus in tractatu de auctoritate Papæ cap. 22. & patet etiam ex Gregorio VII. in Can. Nos sanctorum 15. q. 6. & ex iis, quæ suprà disp. 1. quæst. 12. de Apostasia diximus, exceptis actibus iurisdictionis, qui sint in fauorem subditorum extra casus Extrauagantis. Ad euitandam, scilicet quando quis non est nominatim excommunicatus, aut notorius percussor Clerici.

Dixi autem hoc habere locum in iis, qui *prius natura quàm excidant* ex sua potestate incurrunt excommunicationem, quales sunt omnes inferiores Papa: Nam Papa nisi alio nomine prius excidat ex potestate Papali (de quo paulo post videbimus) non potest incurrere excommunicationem.

tionem, cùm nemini sit subiectus, & excommunicatio solùm incurri possit ab iis, qui sint subiecti potestati illi, per quam ipsa fertur. Quo fit, vt Papa nunquam possit per excommunicationem amittere Papalem potestatem, si quidem iam ante (saltem secundùm prioritatem naturæ) oportet ipsum excidisse alio nomine ex sua potestate, vt excommunicationem incurrat, iuxta ea, quæ paulo post dicemus. Quæ omnia patent per ea, quæ ex communi doctrina notat Caietanus in tractatu de auctoritate Papæ & Concilij cap. 22. 5. Illud demum: quamuis de hoc minus rectè loquatur Glossa in Can. Achatius 24. q. 1. vt nec per omnia Sotus in 4. d. 22. q. 2. art. 2.

QVINTO certum est, Schismaticos si per excommunicationem non resipiscant, posse vlterius puniri aliis modis. Nimirum per censuram depositionis, vt patet ex Can. In nomine Domini 23. d. & notat vbi suprà Turrecremata. Et si nec per depositionem emendêtur, pœnis etiam corporalibus auxilio brachij secularis, vt fieri iubet Pelagius Pontifex in Can. de Liguribus 23. q. 5. & docet D. Thomas hîc artic. 4. ad 3. Atque etiam possunt priuari à Pontifice potestate & dignitate temporali, eo modo quo suprà disput. 1. quæst. 12. ostendimus posse sic puniri Apostatas à fide & Hæreticos. Et hæc quidem certa sunt.

CONTROVERSVM autem est PRIMO, An Schismatici non modò per excommunicationem, quam incurrunt, si sint Papâ inferiores, sed etiam ex vi ipsius peccati Schismatis, amittant ipso facto potestatem iurisdictionis: Ac proinde, an ipse etiam Pontifex si committat peccatum Schismatis, excidat ipso facto ex potestate Papali; & eadem ferè quæstio est de peccato hæresis: an scilicet per illud amittatur ipso facto potestas iurisdictionis etiam Papalis.

Sunt autem hac de re tres sententiæ. PRIMA est, neque per hæresin, neque adeo per Schisma (cùm sit minus peccatum) amitti vnquam potestatem iurisdictionis (præsertim Papalis) ipso facto, siue hæc peccata sint occulta, siue manifesta: Sed amitti primùm hanc potestatem per depositionem & sententiam Ecclesiæ, quæ vel tanquam superior ipso delinquente etiam vt prædito tali potestate, priuet subditum suum illum, vt fit quando deponitur Episcopus, aut alius inferior Papâ; vel certè vt superior ipsa solùm coniunctione talis officij & potestatis cum tali persona: Vt quãdo deponeretur Papa in hæresin aut schisma lapsus; quo ipso Ecclesia non esset censenda in tali casu superior ipso Papa, sed ipsa tantùm coniunctione Papatus cum tali persona. Videtur enim habere Ecclesia quandam ministerialem auctoritatem in eam coniunctionem, tum dissoluendam, Deo vt causa principali ad id cooperante, vt in prædicto casu; tum etiam constituendam, vt patet quando Pontifex eligitur. Illi enim personæ Deus vt causa principalis, tunc confert auctoritatem Papalem, quam ad hoc munus eligit, & quasi præsentat Deo Ecclesia. Quo ipso Ecclesia per quandam ministerialem siue instrumentalem auctoritatem concurrere videtur ad illam coniunctionem Papatus cum tali persona.

Hanc primam sententiam sequitur & propugnat Caietanus in tractatu de auctoritate Papæ & Concilij cap. 20. 21. & 22. Et idem videtur sentire Sotus in 4. d. 22. q. 2. art. 2. Et Canus lib. 4. de locis cap. 2. & cap. vlt. ad argum. 12. (saltem quando hæresis non est manifesta) Et eandem fuisse opinionem aliquorum refert Turrecremata libro 4. Summæ, parte 2. cap. 19. Et quamuis Caietanus expresè quidem solùm ob crimen hæresis dicat posse prędicto modo deponi Papam ab Ecclesia; tamẽ cùm dicat c. 25. & 26. illius tractatus, posse etiam sic deponi, quando ipse renunciat & non vult esse Papa, satis ostendit posse quoq; deponi propter peccatum Schismatis: siquidẽ Papa in schisma lapsus non vult esse caput, nec pars Ecclesiæ, vt idem Caietanus declarat hîc artic. 1. ac proinde nec vult esse Papa. Quare cùm in illo cap. 26. dicit Caietanus non posse Papam deponi propter alia crimina, nisi propter hęresin, loquitur solùm de aliis criminibus, per quæ Papa non desinat esse & velle esse membrum Ecclesiæ; non autem de Schismate, per quod definit quis esse membrũ Ecclesiæ vnione interna, & quod proinde quoad hoc æquialet hæresi.

Porro argumẽta huius opinionis multa sunt, vt videre licet apud Turrecrematam vbi suprà cap. 19. qui ea prolixè recitat. Sed præcipua sunt tria. PRIMO, quia si quis ipso facto amitteret potestatem iurisdictionis per peccatum Schismatis aut Hæresis, non posset absq; noua electione recuperare suam dignitatem: At de aliquibus contrarium constat, vt patet 1. q. 7. Can. Maximum, & 2. q. 1. Can. Causas cuiuslibet, &c. Ergo non ipso facto amittitur dignitas & potestas iurisdictionis per peccatum Hæresis aut Schismatis.

SECVNDO, nam ad eundem spectat rei abolitio seu destructio, ad quem spectat eius institutio, vt patet ex Capit. Cum ex iniuncto, Extra. de Hæreticis: Sed potestas Iurisdictionis, siue Papalis, siue non, non acquiritur ab aliquo, nisi etiam concurrente voluntate Ecclesię eligentis vel conferentis, &c. Ergo nec nisi eadem concurrente amittitur.

TERTIO, quia aliâs solo iure diuino potestas eiusmodi tunc amitteretur: At non apparet, ex quonam Scripturæ loco tale ius diuinum colligi possit: Ergo non videtur ipso facto potestas illa amitti per hæc peccata.

SECVNDA sententia est in alio extremo, nimirum per peccatum hæresis & Apostasiæ, siue manifestum, siue occultum, amitti ipso facto potestatem Iurisdictionis, etiam Papalem; ac proinde per sententiam posteà Ecclesiæ, non propriè hæreticum & schismaticum deponi, sed declarari iam à Deo esse depositum. Ita omnino vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

detur sentire D. Thomas hîc art. 3. vbi ita ait: *Potestas iurisdictionis non immobiliter adhæret. Vnde in schismaticis & hæreticis non manet. Vnde non possunt, nec absoluere, neque excommunicare, neque indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi. Quòd si fecerint, nihil est actum.* Vbi satis apparet, D. Thomam non solum velle, quòd in schismaticis & hæreticis non manet hæc potestas, quantum est quidem ex merito illorum & dispositione Iuris, sicut Caietanus in dicto tractatu cap. 22. interpretatur. Vult enim D. Thomas plane de facto non manere in eis hanc potestatem: vt patet tum ex eius verbis iam recitatis: tum ex eo, quod eodem modo ibi dicit non manere in istis potestatem iurisdictionis quoad essentiam, quo ibidem dicit non manere in eis potestatem ordinis quoad vsum legitimum; id quod sine dubio intelligi vult ipso facto.

Eandem sententiam defendit & confirmat hoc testimonio D. Thomę Turrecremata lib. 4. Summæ p. 2. cap. 20. & Syluester, Verbo, Schismatici num. 3. vbi dicit, hanc esse sententiam non solùm D. Thomæ, sed aliorum etiam Doctorum concordem, & Verbo Papa, n. 4. Et idem asserit Paludanus in libro de Ecclesiastica potestate, citatus ibi à Turrecremata, quod attinet ad Papam hæreticum; quia nimirum sit præcisus ab Ecclesiæ corpore: quæ ratio similiter habet locũ in Schismatico. Item Augustinus Anconitanus in lib. de Ecclesiastica potestate quæst. 5. art. 5. & Vlricus in Summa Theolog. lib. 6. tract. 4. cap. 22. quos etiam citat Turrecremata, & Alphonsus à Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 23. & 24. Et denique hanc sententiam, saltem quod ad hæresin attinet, fatetur ipsemet Caietanus in dicto tractatu cap. 18. esse *illustrium virorum, & videri communem.*

Argumenta verò pro hac sententia refert plurima Turrecremata vbi suprà cap. 18. & ex eo Caietanus cap. 17. Præcipua sunt duo. PRIMO, quia qui non est membrum Ecclesiæ, non potest habere in Ecclesia iurisdictionis potestatem, præsertim Papalem, per quam quis est Ecclesiæ caput: non enim potest esse caput, qui non est membrum, vt omnes fatentur: Sed Hęreticus & Schismaticus, ipso facto desinit esse membrum Ecclesiæ: Ergo ipso facto amittit omnem potestatem iurisdictionis. Minor, quod attinet ad hęreticum patet ex Scriptura passim indicante, fidem esse fundamentum primum totius ædificij spiritualis, & structuræ corporis Ecclesiæ. Quod attinet autem ad Schismaticum, patet ex definitione Schismatis, quo nimirum separat se quis à communione & vnitate corporis Ecclesiæ.

SECVNDO, quoniam ita planè videntur asserere sancti Patres, scilicet Hæreticos & Schismaticos nullam prorsus habere iurisdictionis potestatem. CYPRIANVS lib. 1. epist. 6. ad Magnum: *Dicimus*, inquit, *omnes omnino Hæreticos & Schismaticos nihil habere potestatis ac iuris.* AMBROSIVS lib. 1. de pœnit. cap. 2. de hæreticis Nouatianis loquens: *Ecclesiæ*, inquit, *vtrum q; licet*, (ligare & soluere) *hæresi vtrum q; non licet.* Et S. AVGVSTINVS in Enchiridio, cap. 65. loquens de criminibus, ob quæ quis à corpore Ecclesiæ separetur: *Rectè*, inquit, *constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittantur ipsa peccata. Extra Ecclesiam quippe non remittuntur.* (per potestatem scilicet iurisdictionis) *Ipsa namque propriè Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur vlla peccata.* Et OPTATVS lib. 1. contra Parmenian. ait: *Hæreticos & Schismaticos non posse habere claues regni cœlorum, nec ligare aut soluere.* Idem dicit BEDA in cap. 18. Matt. Et COELESTINVS Papa I. in epist. ad Clerum Constantinopolitanum, affirmat *Nestorium & asseclas, posquam suas hæreses prædicare cœperunt, non potuisse vllum excommunicare, aut suo loco mouere, quia potestatem ad id non amplius habuerint.*

TERTIA sententia media, & quasi ex prioribus duabus composita, est, Schismaticũ & Hæreticum manifestum ipso facto amittere potestatem iurisdictionis; occultum autem non item, donec vel manifestus fiat (vt si apertè oppugnet Ecclesiam, &c.) vel per Ecclesiæ sententiam declaretur. Ita sentire videntur, quicunq; arbitrantur, non omnino desinere esse membra Ecclesiæ, eos, qui externa saltem professione fidei & Sacramentorum communicant cum aliis fidelibus. Vt VValdensis tomo 1. lib. 2. cap. 9. & 11. Driedo lib. 4. de Ecclesiasticis dogmatibus & Scripturis cap. 2. parte 2. sent. 2. & sent. 7. & Canus lib. 4. de locis cap. 6. ad 12. & Bellarminus noster lib. 3. de Ecclesia cap. 12. & lib. 2. de Romano Pontifice cap. 30.

Et videtur hęc sententia probabilior. PRIMO, quia facilius vitat confusionem & pericula, quæ alioqui sequi possent in Ecclesia, si actiones schismaticorum & hæreticorum occultorum essent ipso facto inualidæ. Dico autẽ *facilius*, nam etiam per sententiam secundã possunt ea incommoda vitari, si dicatur, in occultis Hęreticis & Schismaticis quamdiu titulum officij retinent, & communi fidelium opinione legitimi ministri existimantur, Deum per se suppleturum defectum eorum potestatis ministerialis in iis actionibus, quę pertinent ad salutem subditorum; vt respondet Turrecremata vbi suprà cap. 20. ad rationem 4. & quidem ex sententia S. Thomę in 4. d. 24. idem respondentis de eo, qui non ritè ordinatus, Episcopus postea crearetur. Sed vt dixi, non est dubium, quin tertia opinio declinet hæc incommoda facilius.

SECVNDO, ideo etiam videtur hęc tertia opinio probabilior, quia etsi vnione quidem interna hæreticus occultus non sit verè pars aut membrum Ecclesiæ, neque etiam absolutè & simpliciter occultus Schismaticus (sed fortè solùm secundùm quid, si retineat fidem) tamen est adhuc verè membrum Ecclesiæ externa quidem vnione, per externam nimirum professionem fidei & cultus Sacramentorum; iuxta ea, quę disseruimus suprà q. 1. de fide, p. 7. §. 14. Itaque potest talis intelligi aliquo modo cohærere cũ reliquo corpore Ecclesiæ, sic vt retineat in alios potestatem iurisdictionis: nec enim videtur ad vsum huiusmodi potestatis necessaria vnio etiam interna vera aut perfecta: quandoquidẽ secundùm mentes quoque videntur, saltem mediatè vniti ij, qui secundùm operationes humanas, propriè pertinentes ad eandem religionem Christianam (tametsi externas) vniuntur.

TERTIO, quia Patres citati pro secunda opinione loqui videntur de Hæreticis & Schismaticis manifestis, qui palàm repugnant Ecclesiæ: quales erant nimirum Nouatiani, aduersus quos disputabant Cyprianus & Ambrosius locis citatis. Iremq; Nestoriani, contra quos agebat Cœlestinus in illa epistola citata, sicut in alia etiam ad Ioannem Antiochenum, vbi eadem dicit.

Et confirmatur hoc ex eo, quod Cœlestinus ait, eiusmodi hęreticos caruisse potestate excommunicandi alios, *postquam talia*, inquit, *prædicare cœperunt*, id est, suas hæreses. Quod idem dicitur de quocunque Episcopo in Can. Audiuimus 24. q. 1. scilicet *neminem posse damnare, ex quo hæresin à se confictam prædicare cœperit.* Et fortè potest etiam D. Thomas similiter intelligi, vt scilicet loquatur de Hæreticis & Schismaticis manifestis, sicut loquebatur Cyprianus, quem ibi sequitur.

Itaque maneat, eos Schismaticos & Hæreticos tantùm amittere ipso facto potestatem iurisdictionis, qui manifesti sunt, vel euidentia facti, vel per Ecclesiæ sententiam & declarationem. In qua re tamen Ecclesia, quod ad Papam quidem attinet (si is in hæresin aut schisma laberetur) potius se haberet vt adhibens conditionem quandam requisitam, sine qua Papa hæreticus alioqui non notorius, non deponeretur à Deo, & qua adhibita, à Deo solo deponeretur, quàm vt exercens in hoc aliquam auctoritatem suam deponendi Papam etiam ministerialiter, eo modo quo ex sententia Caietani diximus in declaratione primæ sententiæ.

Videtur enim in re tam practica & graui nimis tenuis illa speculatio Caietani, quòd scilicet possit Ecclesia deponere Papam per auctoritatem, qua solùm sit superior *coniunctione* Papatus cum tali persona Papę, non autem *ipso Papa*. Certè enim hoc ipso puniret eum, qui est Papa, atq; adeo eum, qui aliqua ratione, scilicet per potestatem Papalem, est Ecclesiâ superior, licet non vt talis persona. Cùm autem communiter & verè dicitur, parem vel inferiorem non posse punire superiorem se, non solùm dicitur, quòd non possit punire superiorem, quatenus formaliter superior est; sed omnino non posse inferiorem punire eum, qui vndecunque tandem superior est. Alioqui non faceret contra hoc axioma iudex aliquis & minister Principis, si suum Principem morte puniret, verbi gratia, propter homicidium: non enim illum morte mulctaret formaliter vt Principem, sed vt hominem vita præditum, in qua ratione formali omnes homines sunt pares.

Porrò argumenta secundæ sententiæ ad hanc potius tertiam probandam retorqueri possunt, vt patet ex dictis. Argumenta verò sententię primæ, quatenus probant, nullum omnino Hæreticum aut Schismaticum amittere de facto potestatem iurisdictionis, atque adeo nec manifestum; facilè refelli possunt. Ad PRIMVM dico, hoc ipso quòd restituuntur suis dignitatibus, eligi rursus eos qui resipiscunt, sicut bene respondet Turrecremata. Ad SECVNDVM respondeo, non omne id requiri ad destructionem rei, quod requiritur ad eius constructionem, cùm malum sit ex quocunque defectu, bonum autem ex integra causa. Ad TERTIVM dico, satis manifestè id colligi ex Scriptura, hoc ipso quòd ex ea patet, tales manifestos Hæreticos & Schismaticos non esse Ecclesiæ membra. Neque obstat, quòd habent baptismalem characterem (vt dicit Caietanus) character enim non vnit, sed discernit tanquam signum eos, qui ad Ecclesiæ societatem pertinent aut pertinuerunt, etiamsi procul ab ea aberrent. Alioqui damnati quoq; essent membra Ecclesiæ, cùm retineant baptismi characterem indelebilem. Et de his ista sint satis. Nam alia plura argumenta, quę possemus discutere circa has sententias, non sunt magni momenti, & videri possunt apud Turrecrematam vbi suprà.

§§

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De Bello, quod eſt item contrarium paci Charitatis.

D.Thomas 2.2.quæſt.40.

QVINQVE SVNT EXPLICANDA. PRIMO, AN BELLVM aliquod iuſtum & licitum eſſe poſſit. SECVNDO, Quænam requirantur conditiones, vt bellum ſit iuſtum & licitum. TERTIO, Quomodo gerendum ſit bellum. QVARTO, Quo tempore poſſit geri. QVINTO, A quibuſnam geri poſſit.

PVNCTVM PRIMVM.

An Bellum aliquod poſſit eſſe iuſtum ac licitum.

D.Thomas art.1.

A BELLVM Latinè, ſicut Græcè πόλεμος, non tantùm nominatur ipſe armorum conflictus, ſeu prælium, ſed etiam voluntas illa durabilis & quaſi profeſsio nocendi vi & armis aduerſariæ parti; cuius voluntatis quaſi effectus eſt conflictus ipſe ſeu prælium. Dicitur autem bellum vel à belluis, vt voluit Feſtus, quia in illo imitantur homines, feroces & violentas pugnas beſtiarum: Vel per antiphraſin, vt Seruio placet, & etiam D.HIERONYMO epiſt.127.ad Fabiolam de 42. manſionibus, manſione 33. quia ſcilicet bellum nihil habeat *bellum*, ſed plenum ſit acerbitate: Sicut Parcæ dictæ ſunt à Poëtis per antiphraſin, propterea quòd non *parcerent*; & lucus, quia minimè *luceat*.

Porro de bello, licitum ſit nec ne, triplex fuit B errantium opinio, ſeu hæreſis potius. PRIMA Manichæorũ, qui in vniuerſum damnabant omnia bella, vt patet ex S.Auguſtino lib.22. contra Fauſtum, cap.74. Vbi indicat Auguſtinus propterea illos improbaſſe & horruiſſe etiam bella geſta per Moyſen. In eadem hæreſi fuit VVicleph us, vt memorat Thomas VValdenſis tomo 3. de Sacramentalibus tit.24.cap.169. num.3.

SECVNDA fuit aliorum, qui ſaltem Chriſtianis omne bellum illicitum eſſe exiſtimárunt. Ita inprimis videtur exiſtimaſſe Iulianus Apoſtata, vt licet colligere ex S. GREGORIO NAZIANZENO orat.1. in eundem Iulianum non procul à C fine, vbi memorat, Iulianum vt Chriſtianos deterreret à propulſandis à ſe & vindicandis iniuriis, ſolitum fuiſſe eis obiicere illud ex Euangelio: *Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe & alteram*.Matth. 5. Et illud ad Rom.12. *Nulli malum pro malo reddentes, &c.* In hac etiam ſententia fuerunt Cornelius Agrippa in lib. de vanitate ſcientiarum cap.79. vt meminit quoq; Alphonſus à Caſtro in ſumma de hæreſibus, Verbo Bellum, hæreſi 1. Et Eraſmus chiliade 4.cent.1. adagio 1. & in Annotationibus ad cap.3.& 22.Lucæ. Et Anabaptiſtæ, vt refert Melanchthon in locis communibus, tit. A de Magiſtratu, & Ioannes Ferus lib.4. in Matth. circa illud Matth.26. *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit*.

TERTIA hæreſis fuit ſingulariter Lutheri in articulis à Leone X. damnatis, art.34. & in aſſertione eiuſdem articuli. Vbi etſi nõ damnet omne bellum, quaſi illicitum aut omnibus aut Chriſtianis, damnat tamen bellum contra Turcas; ductus vno vel altero inſaniſsimo argumento, de quo poſtea videbimus. Poſtea tamen idem bellum contra Turcas approbauit & commendauit Chriſtianis Principib. in lib. Viſitationis Saxon. Chriſtianis Principib. in lib. Viſitationis Saxon.

Doctrina autem Orthodoxa contraria his erroribus continetur duabus aſſertionibus, quæ nunc à nobis confirmandæ ſunt. PRIMA aſſertio: Non omne bellum eſt iniuſtum, ſed quædam iuſta & licita bella eſſe poſſunt.

Probatur PRIMO ex Scriptura; idque multis modis. PRIMO, quia ex quibuſdam Scripturę locis conſtat, Deum quædã bella imperaſſe; quem mali aliquid inbere nõ poſſe, nemo qui ei ſeruit, ignorat, inquit veriſimè S. AVGVSTINVS lib.22. contra Fauſtum, c.75. Eius autem generis loca ſunt hæc: Num.25. *Locutuſq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos, quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos, &c.* Et 1.Reg.15. *Hæc dicit Dominus exercituum: Recenſui quæcunque fecit Amalec Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniverſa eius, &c.*

SECVNDO, quia ex quibuſdã etiam Scripturæ locis conſtat, Deum ſingularem opem tuliſſe pręliantibus, & pro eis ipſum pręliatũ eſſe, quem tamen conſtat non ſuffragari peccatis. Vt Exodi 17. *Cùm leuáſſet Moyſes manus, vincebat Iſraël.* Et Deuter.1. *Nolite metuere, neq; timeatis eos. Dominus Deus qui ductor eſt veſter, pro vobis ipſe pugnabit.* Et Deut.32. *Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia. Nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* Et 2.Paralip.20. *Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere nec pauescatis hanc*

hanc multitudinem. Non enim eſt veſtra pugna, ſed Dei. Et infrà: *Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodò confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos, ô Iuda & Ieruſalem.* Et Pſal.17. *Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea, &c.*

TERTIO, quia in quibuſdam etiam Scripturæ locis apertè indicatur, ipſam belli profeſsionem eſſe quandoq; bonam & placentem Deo. Vt 1.Reg.25. cùm Abigail ad Dauid inquit: *Faciens Dominus faciet tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, Domine mi, tu prælіaris.* Et Luc.3. *Interrogabant autem eum* (Ioannem Baptiſtam) *& milites dicentes: Quid faciemus & nos?* Et ait illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.*

Quem locum expendens S. AVGVSTINVS lib.22. contra Fauſtum, cap.74. hinc probat non omne bellum eſſe illicitum: *Alioqui*, inquit, *cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? Reſponderet eis: Arma abiicite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, vulnerate, proſternite nemінem. Sed quia ſciebat, eos, cùm hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non vltoſpondit eis, neminem concutiatis, &c.*

Neq; tunc certè loquebatur Ioannes Baptiſta pro ſolis Iudæis, ſed pro iis etiam, qui Chriſtianã religionẽ ſuſcepturi erant, ad quã ille auditores præparabat. Neq; tantùm in eiuſmodi militibus bellicam profeſsionẽ permittebat & tolerabat, ſed etiam bonam & minimè malã eſſe ſentiebat: quandoquidem interrogantibus illis, quid opus eis eſſet, vt facerent fructus dignos pœnitẽtiæ, & ſugerent ab ira ventura (quod Ioannes ibi faciendum prædicabat) non monuit, vt à militia deſiterent tanquam mala & iram Dei prouocãte, & cum vera pœnitentia pugnante; ſed vt neminem immerentem aut vi vel fraude vexarent, aut exſpoliarent, ſed eſſent contẽti ſuis ſtipendiis. Quarefirmus omnino eſt ad hanc rem probandã hic locus, quidquid fruſtra Eraſmus vbi ſuprà in annotatione ad eum, eludere ipſum conetur, dicẽs, ad Iudæos ſolos ſententiam Baptiſtæ pertinuiſſe, neque in eis approbaſſe, ſed permiſiſſe militiam.

Itẽ huc pertinet, quod vt argumentatur quoq; S. Auguſtinus lib.22. contra Fauſtum cap.74. ipſe Chriſtus Dominus Matt.22. in quiens: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, approbauit militiam iubens vt darentur tributa & cenſus Cęſari, quibus milites contentos eſſe voluit Baptiſta: *Audiant*, inquit, *Manichæi ipſum Dominum Ieſum Chriſtum hoc ſtipendium iubentem reddi Cæſari, quod Ioannes dicit debere ſufficere militi: Reddite, inquit, Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo. Ad hoc enim tributa præſtantur, vt propter bella neceſſaria militi ſtipendium præbeatur.* Et clariſsimè in hanc ipſam ſententiam S. Paulus ad Rom.13. de ſæculari Magiſtratu loquens: *Dei, inquit, miniſter eſt, vindex in iræ ei, qui malum agit. Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.* Et S. Petrus epiſt.1. cap.2. non minus clarè militiam probat, cùm iubet *ſubiectos eſſe propter Deum non modò Regi quaſi præcellenti, ſed etiam ducibus tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

QVARTO, quia etiam laudantur nonnunquam in Scriptura, qui bella geſſerunt. Vt Geneſ.14. Abrahę reuertẽti ex cæde Chodorlahomor & Regum, qui cum eo erant, Melchiſedech benedixit, & ait: *Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cœlum & terram. Et benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt.* Atq; etiam Dominus Matt.8. *illius Centurionis fidem laudauit, non militiæ deſertionem imperauit* (inquit vbi ſuprà Auguſtinus) *dicentis: Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alij, veni huc, & venit, &c.* Et Act.10. *Vir autem erat Cornelius Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religioſus ac timens Deum.* Qui & ibi dicitur vocâſſe ad ſe militẽ *metuentem Deum, ex his, qui illi parebant, &c.* Et Apoſtolus ad Hebr.11. *Sancti per fidem fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorũ.* Et alibi iubet in militia ſpirituali imitari induſtriam & ſtudium bonorum militum in bello ſæculari. Vt 2.ad Timoth.2. *Labora, vt bonus miles Chriſti Ieſu, &c.*

SECVNDO probatur eadem aſſertio ex Summis Pontificibus etiam antiquis & ſanctis, qui vel Chriſtianos Principes propter bella geſta contra Chriſti hoſtes laudárunt, vel ad ea illos hortati ſunt, vel ipſi etiam auctores bellorum fuerunt. C S. DAMASVS apud Theodoretum lib.5. cap.23. Imperatori Theodoſio laudi dat, *quòd tyrannos ſibi aduerſantes euerterit*, eaque laude eum ſtimulat, vt ne impunitos relinquat eos, *qui in ipſa Eccleſia repugnent Chriſti legibus.*

S. GREGORIVS li.1.ep.72. Gennadium Imperatorem ad compeſcendũ bello hæreticos his verbis initio eius epiſtolę hortatur: *Sicut excellẽtiam veſtram hoſtilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Eccleſiæ eius omni viuacitate mentis & corporis obuiare, quatenus eius ex vtroq; triumpho magis ac magis enitęſcat opinio, cùm & forenſibus bellis aduerſariis Catholicæ Eccleſiæ pro Chriſtiano populo vehementer obſiſtitis, & Eccleſiaſtica prælia ſicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notũ eſt enim hæreticæ religionis viros, ſi eis ſuppetit nocendi licentia contra Catholicã fidem vehementer inſurgere, etc. Sed eminentia veſtra conatus eorũ cõprimat, & ſuperbas eorũ ceruices iugo rectitudinis premat.*

Item Leo I V. vt refertur in Can. Igitur 23. q. 8. *Quia quidam*, inquit, *in Romanorum portum Sarracenos clam furtimq; venturos eſſe dicebant, noſtrum congregari præcepimus populũ, maritimumq; ad littus deſcendere decreuimus.* Atq; alia huius generis multa teſtimonia & exempla Pontificum recenſet Roſſenſis in refutatione articulorum Lutheri ar.34.

TERTIO probatur ex aliis ſanctis Patribus. S. BASILIVS in homilia *quòd Deus non eſt auctor malorum*, apertè ſatis oſtendit, bellum non eſſe peccatũ, quod ibi ait *propriè malum eſſe, & maximè*

Universidad de Deusto
Biblioteca

appellatione mali dignum: sed bellum numerat inter alia mala pœnę, quæ simpliciter bona sunt, & à Deo inferuntur. Et inter cætera inquit: *Aliquando iusta belli mala dignis inferuntur.*

Et S. Chrysostomvs in Psal. 45. circa illud: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella, &c.* institutum vitæ militaris in Ecclesia tanquam minimè malum, sed necessarium ad reliquorum salutem tuendam his verbis commemorat: *Nunc maior pars terræ degit in pace. Sunt autem pauci milites, qui pro aliis omnibus aciem instruunt.* Sicut etiam hom. 7. in ep. ad Tim. vbi ait, esse *quoddam belli genus commune, sicut cùm exercitus,* inquit, *nostri aduersus barbaros pugnant.*

Et S. Gregorivs Nazianzenvs orat. 3. de Pace circa finem: *Quanquam,* inquit, *Salomonis illud laudem, qui vt aliis omnibus rebus, ita bello etiam ac paci tempus suum veluti lata lege decernit: hoc vnum tamen adiiciam, quòd licet vtriusq; temporis habẽda sit ratio, quandoquidem iuxta illius* (Salomonis) *legem atque auctoritatem præclarè interdum bellum suscipitur; quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus. Hoc enim sublimius est & diuinius.*

Et S. Ambrosivs postquam lib. 1. officiorum ca. 40. multis exemplis probat excelluisse quoq; in populo Dei multos fideles laude fortitudinis bellicæ; deinde in cap. 41. his verbis concludit: *Habes,* inquit, *fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti ac decori forma est; quòd mortem seruituti præferat ac turpitudini.*

Et S. Hieronymvs in cap. 4. Michææ, explicans illud: *Et concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones;* apertè indicat, esse quandoque bellum rem necessariam, atq; adeo licitam, cùm prophetiam hanc tempore aduentus Christi implendam fuisse declarat his verbis: *Gens bellare desinet contra gentem. Nemo pugnare discet, pugnandi,* inquit, *necessitate deposita.*

Et S. Avgvstinvs in ep. 5. ad Marcellinum: *Si terrena,* inquit, *Respublica præcepta Christiana custodiat, ipsa bella sine beneuolentia non gerentur, vt ad pietatis iustitiaq; pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur.* Et infrà: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis pœnitentibus in Euangelio diceretur, vt abiicerẽt arma, seq; militia omnino subtraherent. Dictum est autem eis Luc. 3. Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipẽdium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtiq; non prohibuit.* Ac similia dicit lib. 22. contra Faustum, cap. 74. & seq. vt antea vidimus. Et epist. 207. ad Bonifacium Comitem.

Qvarto probatur ratione. Nam lege ipsa naturæ competit hominibus ius propulsandi à se iniurias aliorum, vel defendẽdo & prohibendo, ne inferantur, vel aliquo modo vlciscendo & amouendo illatas, vt sic demum satis tuti & incolumes esse possint. Sed accidit quandoq;, vt id nõ aila ratione, nisi vi bellica efficere possint, cùm scilicet non est aliquis vtriq; parti communis superior, ad quem recurratur pro obtinenda compensatione & vindicta iniuriæ, vt dicemus puncto seq. Ergo iure ac meritò tunc suscipietur bellum, secundùm ipsam naturæ legem.

Itaq; hoc ipsum naturali ratione duce Philosophi cognouerunt, & nominatim Philosophorum princeps Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 14. vbi bellum numerat inter ea agibilia, quæ vitæ humanæ vtilia & necessaria sint. *Diuisa est,* inquit, *vita tota in negotium & otium, bellumq; & pacem.* Et paulo post: *Bellum,* inquit, *gratiâ pacis, negotium autem gratia otij, necessaria & vtilia gratiâ honestorũ.* Et rursus: *Oportet,* inquit, *posse & in negotio versari & in bello, præferẽda est tamen pax & otium,* quia scilicet hæc sunt fines, illa media. Et eodem lib. cap. 2. *Patet igitur,* inquit, *quòd rei bellicæ studia bona sunt existimanda, sed non vt finis supremus, sed gratiâ illius.*

Qvinto probatur. Nam si bellum per se est illicitũ, maximè esset propter cædes & alia damna, quæ adfert: At hæc omnia incommoda merito postponuntur communi bono & incolumitati Reipub. cuius gratia bellum geritur: Igitur propter ea incommoda horrere & damnare bellum non virtutis, sed cuiusdam potius vanę timiditatis est, pugnantis cum vera virtute fortitudinis, ad quam nimirum spectat, contemptis vitæ & fortunarũ periculis, aggredi & suscipere propter bonum præstantius actiones arduas. Rectissimè enim S. Avgvstinvs lib. 22. contra Faustum, hanc ipsam rationem indicans: *Quid enim,* inquit, *culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum.* Quæ verba Augustini referuntur etiam à Gratiano 23. q. 1. Can. *Quid culpatur?*

Postremo accedit, quòd interdum stupendis etiam miraculis Deus conatus præliantium adiuuit, atq; adeò bonos esse cõtestatus est. Vt cùm ad solum clangorem tubarum corruerunt muri ciuitatis Iericho. Iosue 6. Et cùm Assyrij soluerũt obsidionem Samarię, & fugerunt audientes diuino miraculo strepitum exercitus, qui nullus erat 4. Reg. 7. Et cùm Angelus Domini percussit vna nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia. 4. Reg. 19. Et cùm apparuerunt aduersariis Machabæorum in prælio quinq; de cœlo equites pro Iudęis pugnantes. 2. Machab. 10. Et cùm Constantinus Imperator signo Crucis viso in cœlo, vidit etiam & audiuit Angelos sibi adstantes dicere: Constantine, ἐν τούτῳ νίκα, id est, in hoc vince, vt narrat Eusebius lib. 9. cap. 9. Et cùm S. Ioannes & S. Philippus Apostoli Theodosio contra Eugenium tyrannum pugnaturo, & post orationem obdormiscenti victoriam polliciti sunt, & postea mirabiliter eam ipsi pepererunt, vt narrat Theodoretus lib. 5. cap. 24. vt iam alia huius generis prætereamus.

Sed supereſt, vt breuiter quædam argumenta contraria refellamus. Primvm est, quòd per Prophetas prædictum est fuisse futurũ, vt in aduentu Christi cessarent bella. Vt Isai. 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Et Michææ 4. *Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltrà belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.*

Respondeo, his & similibus prophetiis prædictum quidem esse, non fuisse futura bella sub illud tempus aduẽtus Christi; id quod etiam impletum est; vt esset nimirum peruius orbis peregrinationibus & prædicationibus Apostolorum in toto mundo, sicut notat Hieronymvs in illud cap. 4. Michęę, & Ambrosivs enarratione in Psal. 45. Non est autem prædictum, bella nunquam omnino aut futura, aut futura licitè post aduentum Christi. Aliud enim est, sub tempus aduentus Christi non fuisse illa futura, quod est prædictum; aliud autem, nunquam post futura, quod non est prædictum, sicut neque impletum, vt satis ipsa experientia testatur.

Secvndvm est, quòd in nouo etiam Testamento videntur bella prohiberi. Matt. 5. *Ego autem dico vobis: Non resistere malo. sed si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* Et Matt. 26. *Quicunque acceperit gladium, gladio peribit.* Et ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et infrà: *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Et rursus: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

Respondeo primò ex sententia S. Avgvstini epist. 5. ad Marcellinum, & lib. 22. contra Faustum, cap. 76. & D. Thomæ hîc art. 1. huius. est, quòd debeamus iniurias illatas patienter tolerare, ita vt illas non velimus vlcisci priuata auctoritate. Quod quidem neque in bello fit. Nam bella insta non auctoritate priuata, sed communi & publica, atq; adeò diuinitus accepta suscipiuntur, vt videbimus puncto sequenti. Huc pertinet illud: *Scriptum est enim: Mihi vindictam, &c.* Vt illud: *Quicunque acceperit gladium, &c.* Vt enim optimè interpretatur D. Thomas hîc artic. 1. ille dicitur eo loco *accipere* gladium, qui sua auctoritate propria illum accipit, & non diuina auctoritate sibi datum. Vnde quemadmodum iudex & carnifex non violant hæc præcepta, quando secundùm iustitiæ normã, atq; adeò auctoritate diuina vtuntur gladio aduersus malefactores, ita neq; hi, qui publica, atq; adeò diuina auctoritate coërcent & mulctant bello improbos. Nam hoc etiam rectè fit propter bonum tum commune, tum etiam illorum, qui debellantur, vt probat D. Thomas art. 1. ad 2. testimonio D. Augustini in epist. 5. ad Marcellinum, vbi ait: *Agenda sunt multa cum inimicis benigna quadam asperitate plectendis. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil est infœlicius fœlicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.*

Altera vis illorum præceptorum est, vt simus etiam animo præparati ad tolerandas patienter iniurias, quæcunq; inferantur. Ita vt illud: *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe illi & alteram;* non significet, alteram esse re ipsa præbendã. Sed tum infligtam alapam patienter esse ferendam, tum debere quoq; animũ esse paratum ad patienter quoq; ferendam alterã, si quis rursus percusserit.

Hoc modo sufficienter seruari id præceptum probat S. Avgvstinvs in illa ep. 5. ad Marcellinum, exemplo Christi Domini & Apostoli Pauli. Nam Christus Dominus percussus in facie. Ioan. 18. minimè violauit id præceptum, sed singulare documentum patientiæ dedit, *tametsi non præbuit,* inquit Augustinus, *percutienti alteram partem, sed potius phibuit, ne qui fecerat, iniuriam augeret, dicens: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis?* Sed impleuit tamen cumulatissimè id præceptũ, quia vt ait idem Augustinus, *paratus venerat non solùm in faciem percuti, sed etiam pro his, à quibus ista patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Item Apostolus Paulus per similẽ animi præparationem procul dubio impleuit idem præceptum, licet ipse quoq; *percussus in facie.* Actor. 23. non præbuerit alteram maxillam, sed principem Sacerdotum, qui se percuti iusserat, increpauit, dicens: *Percutiet te Deus, paries dealbate.*

Secvndo potest responderi ad illa testimonia cum S. Gregorio Naz. orat. 1. contra Iulianũ, circa finẽ, illis non contineri præceptum obligans, sed consilium, q̃ non est necesse sub peccato exequi. Quod discrimen inter præceptũ & consilium luculẽter asserit ibi Gregorius his verbis: *In legibus,* inquit, *nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti solent: alia non necessitate constringunt, sed in electione & voluntate posita sunt.*

Sed prior responsio est melior. Nã negari non potest, quin de patientia & de præparatione ad illam extet diuinum præceptũ, neq; est vlla ratio, cur non debeamus existimare, significari id præceptum in locis illis, eo modo quo explicuimus. Si quis tamẽ putet, simul etiam in illis significari, omnino etiam ignoscendum esse aduersariis, ita vt non priuata neq; publica auctoritate sumatur vindicta de illis, tunc habet locum secunda responsio Nazianzeni. Ita tamen, vt intelligamus id suaderi per consilium, tanquã id, quod frequenter quidem est melius, non autem semper. Nam quandoque quidem sunt tales circumstantiæ, vt neque melius, neque bonum sit, vindictam non sumere iniuriarum, per publicam auctoritatem.

Tertivm est, quòd vt obiicit Erasmus, arma Christianorum nõ carnalia, sed spiritualia sunt, nempe vt describit ea Apostolus ad Ephes. *6. lorica iustitiæ, scutum fidei, galea salutis, gladius spiritus, quod est verbum Dei.*

RESPONDEO, hæc obiectio ineptissima est. Nam primũ hæc arma ibi proponuntur ab Apostolo ad pugnandum in spirituali militia *contra spiritualia*, vt inquit, *nequitiæ in cœlestibus*. Quæ militia non tollit militiam aliam, neque eius arma. Deinde fatemur, his quoq; spiritualibus armis, ac præcipuè oratione ad Deum humanos etiam hostes debellandos esse, exẽplo Moysis, qui continenter orando adiuuabat præliantes ad vincendum. Sed tamen orationibus etiam addendũ est ferrum, vt per idonea & efficacia media victoria procuretur, nec videamur tentare Deum.

Rectè namque Augustinus epist.194. ad Bonifacium: *Graui*, inquit, *de pugna conquereris. Dubites nolo. Vtile tibi tuisq; dabo consilium. Accipe arma. Oratio aures pulsat auctoris. Quia quando pugnatur, Deus spectat, & partem quam inspicit iustam ibi dat palmam.* Quod consilium quàm fœliciter Theodosius pugnaturus contra Eugenium tyrannum vsurpauerit, Theodoretus narrat lib.5.cap.24.

Et habemus luculentum huius rei exemplum in Machabæis, de quibus li.2. Machab.cap.15. ita legimus: *Inuocato Deo per orationes, congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati.*

QVARTVM est, quòd à Patribus Concilij Nicẽni can.11. videtur professio militaris fuisse damnata. Sic enim ibi dicitur: *Si qui per Dei gratiam vocati primò ostenderunt fidem suam deposito militiæ cingulo, posthæc autẽ ad proprium vomitum reuersi sunt, vt & pecunias darent, & ambirent rursus redire ad militiam, isti decem annis sint inter pœnitentes, etc.* Quod etiam refertur à Gratiano de consecr.d.5.Can.Si qui verò.

RESPONDEO, esse sermonem de iis, qui rursus volebant militare Imperatori infideli, Diocletiano scilicet aut Licinio, parati rursus ad profitendam fidem Ethnicam & Christianam abnegandã, vt patet ex eo, quòd dicitur: *Post hæc autem ad proprium vomitum reuersi sunt*; & notauit Theodorus Balsamon in eum Can. pag.134. in editione Parisiensi anno 1561. apud Guilhelmum Morell.

QVINTVM est, quòd alij etiam Patres militiam in Christianis videntur damnare. Vt S. LEO epist. 90. ad Rusticum, vbi ait: *esse contrarium Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem*: id quod refertur de consec.d.5.Can. *Contrarium*. Et ORIGENES (quem obiicit Erasmus) lib.2. contra Celsum, ait Christum *sustulisse omnia bella*. Et tract.7. in Matt. dicit, *non esse illud carnaliter, & ad literam intelligendũ: Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat illum*; quod idem præter Origenem asseruerunt Basilius, Chrysostomus, & alij, vt obiicit Erasmus ex Cathena D. Thomæ in cap.22. Luc. Item AMBROSIVS in eundem locum (vt idem Erasmus obiicit) ait, *licuisse vsque ad Euangelium ferire gladio, iam autem esse perfectionem id non facere*. Et AVGVSTINVS in Psal.37. vbi ait: *Non orare debemus, vt moriantur inimici, sed vt corrigantur*. Item S. MARTINVS apud Sulpicium in ipsius vita, Imperatori Iuliano dicit: *Christi ego miles sum, mihi pugnare non licet*; id quod etiam Erasmus obiicit. Deniq; S. ATHANASIVS (quod testimonium non obiicit Erasmus) in tractatu de Incarnatione verbi Dei, eiusq; corporali ad nos aduentu, prope finẽ ita scribit: *Certè illi, qui Christi disciplinis initiati sunt, bellorum abstinentes contra dæmones moribus & viribus in acie consistunt, & hos quidem infesti petunt*.

RESPONDEO ad hæc omnia testimonia ordine. S. LEO loquitur de iis, quibus bellum ob circumstantias aliquas ita fuerit ante pœnitentiam occasio peccandi, vt morali modo sint certi, se non posse absq; peccatis mortalibus in bello versari. His post pœnitentiam ad bellum redire non licet. Id quod etiam eodem sensu dicit Leo VII. in Can. *Falsis*, de pœnit.d.5.

ORIGENES verò cùm ait, Christum *sustulisse omnia bella*: non aliter id intelligit, quàm sicut à Prophetis dictum est, sub Christi quidem aduentum fuisse cessatura bella, vt in responsione ad 1. diximus. Ex eo verò, quod Origenes & alij à diuo Thoma citati in cap.22. Lucæ dicunt, Christum non iussisse discipulis, vt venderent tunicam, & emerent gladium, sed significasse hoc dicẽdi modo, futuros illos in Christi passione in tanto discrimine, in quãto esset aliquis, qui haberet opus vendere tunicam ad emendum gladium, quo se defenderet; nihil minus sequitur, quàm bellum esse illicitum. Nam vt nõ præcepit, ita etiam nec prohibuit ibi Dominus emere gladium, & multo minus illum vsurpare modo alio qui iusto, atque adeo nec in bello.

AMBROSIVS autẽ solùm vult, nunc esse quidem consilium à gladio abstinere, iuxta id, quod in responsione ad 2. diximus ex sententia S. Gregorij Nazianzeni.

Item AVGVSTINVS tantùm prohibet priuatum odium inimici, quo quis mortẽ aut aliquod aliud malum ei optet. Non autem damnat vindictam eam, quę seruato iustitiæ ordine, tum in iudicio, tum in bello de inimicis sumitur, spectãdo non ipsorum malũ, sed commune bonum Reip. Hoc enim licere alibi Augustinus ex instituto probat, nempe li.22. contra Faustum, cap.74. & seq. & epist.5. ad Marcellinum, vt suprà vidimus. Itaq; temerè admodũ & imperitè dixit Erasmus, Augustinum in hac re sibi contradicere.

S. autem MARTINVS non dicit absolutè, militiam esse Christianis illicitam, sed *sibi*; quia nimirum peculiariter Christi miles erat per vota & professionem vitæ monasticæ, vt patet ex Sulpicio, qui & ibidem narrat, biennium adhuc post baptismum militasse Martinum Iuliano; quod certè non fecisset, si Christianis, & non tantum Monachis bellum esse illicitum existimãsset.

Deniq; S. ATHANASIVS solùm significat, Christianos quidem ex præcepto diuino, aut ex professione sua non militare, vt faciebant Gentes, atq;

atq; etiam Iudæi, qui Dei iussu debuerunt armis occupare terram promissionis; sed abstinere à militia, quantum fieri potest, & solùm contra spirituales animi hostes gerere bellũ spirituale: non autem negat, eis esse licitum bellum, quãdo propter aliorum malitiam, id est necessarium ad bonum Christianæ Reipublicæ.

Atque eodem modo intelligi debet Origenes hom.17. in Iosue, vbi loquitur similiter atq; Athanasius. Et S. HIERONYMVS in epist.11. ad Ageruchiam viduam, vbi comparans tempus veteris legis cum hoc tempore gratiæ, sic ait: *Illo tempore bellatoribus dicebatur: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. Psal.44. Modò audit Petrus: Conde gladium tuum in vaginam. Matth.26.*

POSTREMO potest obiici, quòd omne bellum est contrarium paci charitatis: Ergo omne bellũ est illicitum & malum. Consequentia videtur per se clara. Antecedens patet ex S. Thoma, qui initio q.37. & 39. proponit, disputaturũ se de bello, tanquam de re contraria paci charitatis, non secus quàm discordia, schisma, seditio & rixa. Imò etiam idcirco appellat bellum *peccatum & vitium*.

RESPONDEO per distinctionem antecedentis. Nam materialiter quidẽ & secundùm rem, omne bellum censeri potest contrarium paci charitatis, quatenus habet dissensionem quandam voluntatũ & conatuum inter eos, qui sibi inuicem armis repugnant. Non autem formaliter secundùm eam rationem moralem actuum humanorum, qua bellum & pax sunt subiectum bonitatis vel malitiæ moralis, id est, vt habent ordinem quendã ad vltimum finem, conducendo vel nocendo homini in assecutione illius. Nam secundùm eam rationem, quædam bella, nimirũ iusta minimè contraria sunt paci charitatis, sed ei potius similia, quatenus vt pax charitatis, ita etiam illa (vtpote spectantia ad virtutẽ fortitudinis & iustitiæ vindicatiuę) conducunt ad assequendum vltimum finem. Atq; etiam propterea quòd ordinantur ad pacem, quo ipso ad pacem spectant potius, quàm vt ei contraria iudicari debeant.

Rectè namq; S. AVGVSTINVS epist.207. ad Bonifacium Comitem: *Non*, inquit, *pax quæritur, vt bellum excitetur; sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiam bellãdo pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem bellando perducas.* Et in eandem sententiam Philosophus lib.7. Politic. cap.15. *Finis*, inquit, *belli, vt sæpè diximus, est pax.*

Porro prior illa contrarietas, materialis nimirum & secundùm rem, non arguit in altero contrariorum malitiam; sed posterior illa, quæ hîc locum non habet, scilicet secundùm moralem rationem per ordinem ad vltimum finem. Secundùm hanc enim rationem, humani actus sunt proximum subiectum bonitatis vel malitiæ, vt docuimus tomo 2.q.13. de actibus humanis p.1.

Diuus autem Thomas ideo ait bellũ esse contrarium paci charitatis, quia vel formaliter & moraliter est ei contrarium, quando nimirum est illicitum, atque adeo peccatum & vitium, vt etiam D. Thomas appellat, vel saltem materialiter, quando est iustum & licitum. Ob quam causam non immeritò hîc etiam de bello iusto agitur, vbi disputatio est de iis, quæ sunt contraria paci. Et hactenus quidem de PRIMA assertione.

Sit nunc SECVNDA assertio propriè contra Lutherum. Omnino iustum & licitũ Christianis est bellum contra Turcas. Probatur hæc assertio PRIMO omnibus illis argumentis, quibus probauimus assertionem priorem. Si enim quædam bella sunt iusta, maximè certè iustum erit istud. Siquidem contra immanissimos Christianæ Reipublicæ hostes geritur, & ad vindicandas & propulsandas grauissimas iniurias, quas Christianis per vim & rapinas, & direptiones florentissimorum regnorum & prouinciarum intulerunt, & quotidie inferre conantur.

DEINDE idem confirmari potest ex clarissimis victoriis, quàs sæpe Christiani de Turcis non sine manifesto indicio diuini patrocinij retulerunt, tẽporibus superioribus, vt confirmat multis exemplis Rossensis art.34. contra Luthetum.

ACCEDIT, quòd non solùm Pontifices multi probârunt & promouerunt huiusmodi bellum; vt Vrbanus II. ante annos ferè 500. in Concilio Claramontano, & successor eius Paschalis II. & alij multi, quos recẽset Rossensis, sed etiam Concilia Generalia, Lateranense sub Innocentio III. Lugdunense, Viennense, &c. Quin etiam D. BERNARDVS ad id bellum adhortatus est, vt ex ipso intelligi potest lib.2. de Consideratione ad Eugenium, initio.

At obiicit Lutherus vbi suprà PRIMO, quòd pugnare contra Turcas est repugnare ac resistere Deo, qui per illos nimirum iustè nos punit: Ergo est illicitum; sicut esset illicitum Reo repugnare ministro iustitię, per quem punitur à Magistratu.

RESPONDET Rossensis art.34. & Alphonsus à Castro, Verbo *Bellũ*, hæresi 2. & alij communiter, non magis sequi esse illicitum repugnare Turcis, ex eo, quòd per illos Deus nos punit, quàm sequitur esse illicitum adhibere remedia contra pestem & famem, & alia huiusmodi mala, propterea quòd similiter per hæc Deus punit nos.

Sed quamuis hoc rectissimè dictum sit, & satis hæc exempla ostendant, nihil valere Lutheri argumentum; tamẽ oportet præterea perspicuam rationem reddere, cur non sequatur illicitum esse resistere Turcis aut morbis, & aliis huiusmodi malis, licet per ea à Deo puniamur.

Ratio autem huius est, quia Deus non ita per Turcas & eiusmodi mala nos punit, vt velit ipse nos à Turcis interimi aut exspoliari, & per alia eiusmodi mala consumi (sicut vult Magistratus occidi Reum per carnificem, cui idcirco non est fas resistere) sed ita duntaxat, vt velit nos subire quidem per ea flagella mortis & aliorum malorum *discrimen* (quod per se est magna pœna) & permittat quoq; nos mortem & alia eiusmodi

mala

Universidad de Deusto
Biblioteca

mala incurrere, quando ea ipsi à nobis non satis propulsamus. Ita fit, vt quando iure, quod alioqui habemus ad nostri tutelam, resistimus & remedia adhibemus eiusmodi malis, minimè repugnemus diuinæ voluntati. Non enim per hoc impedimus, quominus & subeamus *discrimen* illorum malorum, & illa etiam incurrere permittamus, nisi sufficienter cauerimus; per quæ duo duntaxat vult Deus nos punire, vt diximus.

Id quod etiam inde patet, quòd *non vult Deus mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat*, vt ait per Ezechielem cap.18. Vel certè, quòd aliter, quàm isto modo, velit Deus per hæc flagella nos punire, minimè nobis constat. Itaq; quando aliud non scimus, ius habemus ad tuendum nos & nostra, in quorum possessione sumus.

Secvndo obiicit Lutherus, quòd nihil hactenus Christiani contra Turcas suis conatibus profecerunt, vt planè videatur voluntas Dei esse, ne illis frustrà repugnetur.

Respondeo, falsum omnino sumi à Lutherо. Nam vt taceam præclarissimas victorias, quas sæpè de Turcis hactenus Christiani reportârunt, tamen satis magnus fructus bellorum aduersus illos est, quòd sunt impediti, quo minus alia omnia regna Christianorum in Europa occupârint, vt iam pridem fecissent, nisi eorum esset sæpè per nostrorum victorias fracta superbia.

Tertio obiicit, quòd Pontifices Romani, in quorum gratiam, & quorum auspiciis & indulgentiis geruntur contra Turcas hęc bella, Turcis ipsis peiores sunt, & Turcissimi (vt inquit) Turcę. *Adhuc*, inquit, *peiores hi Turcæ nos insensatos præstigiis suis incitant aduersus meliores Turcas, tantùm vt interim omnia nostra confiscentur sub titulo belli Turcici. Nec dum intelligimus manum Dei percutientis nos in corpore & anima per hos Romanos Turcissimos Turcas.*

Sed hæc & alia, quæ deinceps ibi contra Romanos Pontifices & indulgentias Lutherus deblaterat, non argumenta, sed conuitia plena furoris & stultitiæ sunt. Et possent retorqueri contra Lutherum, & eius asseclas. Nam si per Pontifices Romanos, tanquam per turcissimos Turcas Deus punit in anima & corpore Lutheranos; &, auctore Propheta Luthero, iis, per quos Deus nos punit, repugnandum non est: Non erit igitur fas Lutheranis repugnare Pontificibus Romanis, vt iste Propheta in illo ipso art.34. Cæsari & Principibus faciendum suasit, inquiens, *melius futurum, si Idolo illi*, inquit, *Romano Cæsar & Principes modum ponerent tyrannidis. Nam vt ego*, inquit, *prophetem semel, licet non audiar: Nisi Romanus Pontifex redigatur in ordinem, actum est de omni re Christiana*, Lutherana videlicet. Sed bene habet, quod in libro postea Visitationis Saxonicę idem Propheta Lutherus adeo bellum contra Turcas suasit, vt temerarios vocârit eos, qui clamant, non esse resistendum Turcæ, vbi seipsum inprimis temeritatis condemnauit, qui id, vt vidimus, magna contentione egerat art. 34.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam requirantur conditiones vt bellum sit licitum.

D. Thomas art.1.

Scripsit hac de re breuiter, sed præclarè admodum D. Avgvstinvs lib.22.contra Faustum, cap.74. & aliquot sequentibus, & aliquid etiam epist.5. & 207. à quo ferè acceperunt reliqui auctores ea, quæ de hac ipsa re tradiderunt. Vt sanctus Thomas hîc art.1. Et Alexander Hallensis 3. parte q.76.m.3. & Henricus Gandauensis quodlib.15.q.16. & Gabriel in 4.d.15.q.4. & Franciscus Victoria in Relectione de Iure belli, & Alphonsus à Castro lib.2. de iusta hæreticorum punitione cap.14. Et Didacus Couarruuias Relectione in capit. *Peccatum*, de regulis Iuris, parte 2.§.9. & 10. Et Bannes hîc & Caietanus hîc, & in Summa, Verbo *Bellum*, & Sylvester, & alij Summistæ ibi, & Canonistæ 23.q.1.2.&3. Apud quos omnes pleraque in hac re sunt certa, & pauca controuersa. Explicabimus igitur ordine singula.

Primo igitur certum est, tres requiri conditiones, vt bellum sit licitum, nempe legitima *auctoritas* indicentis, *causa* iusta, & *intentio* recta. Has omnes conditiones requirit S. Avgvstinvs vbi suprà lib.22.contra Faustum. Primas quidem duas cap.75. cùm inquit: *Interest, quibus causis, quibusq; auctoribus homines gerenda bella suscipiant.* Tertiam autem cap.74. cùm ait: *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur.* Modus autem idoneus pugnandi & vtendi victoria, non tam belli liciti, quàm liciti prælij seu conflictus bellici conditio est. Itaque de eo dicemus p.sequenti. Nunc de illis aliis tribus conditionibus prætereà dicendum est.

Itaq; Secvndo certum est, legitimam *auctoritatem* indicendi bellum esse solùm penes Remrepublicam perfectam, id est, penes Magistratum, à quo illa gubernatur, siue is sit vnus aliquis princeps, siue senatus aliquis optimatũ, pro ratione regiminis cuiusq; Reipublicæ. Ita etiam docuit S. Augustinus vbi suprà cap. 75. his verbis: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atq; consilium, penes principem sit; exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci salutiq; communi.*

Diximus verò auctoritatem legitimam *indicendi* bellum esse solùm penes Rempublicã perfectam, &c. quia ad indicendum & inferendum bellum offensiuum requiritur Reipublicę auctoritas, non autem ad bellum, quod sit duntaxat defensiuum. Siquidem defendere se quisq; etiam priuata auctoritate potest. Rempublicam autem *perfectam* appellamus eam, quæ in gubernatione politica est per se quoddam totum, & non quasi alicuius totius pars. Omne enim totum est in suo genere perfectum; cùm totum sit, cui nihil deest, vt singulariter ad hoc propositum notauit Franciscus Victoria vbi suprà, & docuit etiam luculenter Philosophus lib.3.Phys.tex.63. Talis autem perfecta Respub. est ea, quæ in Iurisdictione sua non habet Superiorem aliquem, ad quem sit recursus, sed ea finit lites: cuiusmodi sunt regna, & quidam Ducatus in Italia, & quædam Respublicæ liberæ, vt Veneta: Non autem Principatus in Germania, siquidem ita recognoscunt Imperatorẽ, vt habeant recursum ad vnum commune tribunal Imperiale, vt etiã annotauit Alphonsus à Castro li.2. de iusta hæreticorũ punitione c.14.

Asserimus igitur, penes perfectam Rempublicam seu eius Magistratum esse auctoritatem indicendi belli, nõ autem apud Rempublicam imperfectam, quæ scilicet vt pars alicuius perfectæ Reipublicæ habeat Superiorem, ad quem possit recurrere, & eius auctoritatẽ implorare ad compensationem acceptæ iniuriæ. Bellum enim cùm multa alioqui incommoda mortalibus adferat, non est suscipiendum, nisi sit necessarium ad iniuriæ compensationẽ; dicente etiam Avgvstino epist.207. ad Bonifacium comitem: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace.* Non est autem bellum necessarium, quando alia viâ compensatio iniuriæ procurari potest, scilicet auctoritate Superioris, sed quando non est Superior, ad quem recurratur. Tunc habet auctoritatem Magistratus vlciscendi iniurias Reipublicæ illatas ab aliis, siue subditis eidem, siue non subditis.

Nam in tali casu quicunq; iniurias Reipublicę inferunt, fiunt ei ita subditi, vt saltem puniri ab ea possint per iustitiam vindicatiuam. Nam puniuntur auctoritate Dei omniũ Superioris, cuius nimirũ minister est legitimus Magistratus in iis, quæ ad bonum & salutem Reipublicæ pertinent, atq; adeo in propulsandis & vindicandis iniuriis & damnis illatis Reipublicę & eius membris, non modò à subditis (sicut compensantur in iudicio) sed etiam ab alienis, eis inferendo bellum.

Hanc etiam vim habet, quod Apostolus ad Rom.13. ait: *Non est potestas nisi à Deo. Quæ autẽ sunt à Deo, ordinata sunt. Itaq; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et infrà: *Principes*, inquit, *non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Si autem malũ feceris, time. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.*

Tertio certum est, omnem causam iustam belli debere cõtineri aliqua iniuria, quæ per bellum iustè vindicanda & cõpensanda sit. Est enim bellum iustum actus quidam iustitiæ vindicatiuæ, quę virtus in vindicanda & compensanda iniuria tanquam in proprio obiecto versatur. Atq; hoc etiam docuit S. Avgvstinvs lib.22.contra Faustum, cap.74. *Aduersus violentiam*, inquit, *resistentium, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente.* Et q.10. in librum Iosue: *Iusta*, inquit, *bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si quæ gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniurias ablatum est.* Nec sufficiet ad bellum iustè inferendum qualiscunq; iniuria, sed quę vel absolutè, vel ob aliquas circumstãtias sit vel maior, vel certè non minor, quàm damna, quæ solet bellum adferre, vt communiter Doctores colligunt ex illo Deut.25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.*

In specie autẽ colligit ex sacris literis Alphonsus à Castro lib.2. de lege pœnali cap.14. & post eum Couarruuias vbi suprà, §.9. multa genera iniuriarum, ob quæ licitum sit inferre bellũ. Quorum aliqua extra controuersiam sunt, & quædam in controuersia.

Extra controuersiam enim est Primo, licitum esse inferre bellum, propterea quòd negetur id, quod iure debitum sit. Sicut filij Israël debellarunt Reges Amorrhæorum, quia eis innoxium transitum negârunt, qui iure naturæ ipsis debebatur. Num.21. Quod perpendens Avgvstinvs q.43. in librum Numerorum: *Notandum*, inquit, *est, quemadmodum iusta bella gerantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat.* Cui simile iusti belli causam videtur Alfonso & Couarruuiæ vbi suprà habuisse Iulius Cæsar contra Romanos ciues, eò quòd ipsum tuto vrbis aditu prohibebant. In quam sententiam ipse etiam Cæsar apud Lucanum ait:

Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.

Secvndo, licitum quoque esse bellum pro rebus propriis recuperandis, quæ ab hostibus iniquè detineantur. Sicut bellum Dauidis contra Isbosethi filium Saulis pro regno Israël diuinitus Dauidi concesso. 2.Reg.2.

Tertio, pro defensione Reipublicæ aduersus hostes iniquè eam inuadentes. Sicut pugnârunt sæpè filij Israël contra Philistæos, & Machabæi aduersus Antiochum & Demetrium.

Qvarto, aduersus eos quoque, qui ferunt suppetias inimicis. Sicut pugnauit Dauid contra Siriam Damasci, eò quòd ferebat opem Adarezer Regi Soba. 2.Reg.8.

Qvinto, ad vlciscendam publicam contumeliam Principi factam. Sicut Dauid pugnauit aduersus Hanon Regem Ammonitarũ, eò quòd nuntiis ab Dauide missis mediam barbæ partem & vestes ignominiosè abscindi curauit. 2.Reg.10.

Sexto, aduersus rebelles subditos, & eorum fautores, & qui auctores rebellionis ipsis sunt. Sicut Dauid pugnauit contra Seba filium Bochri, quoniam populum sollicitauit, vt à Dauide ad se deficeret. 2.Reg.20. Ex quo colligit optimè Castro vbi suprà, esse omnino iustum & licitum bellum contra pertinaces hæreticos Ecclesiæ rebelles, sicut illud etiam suasit S. Gregorius Gennadio lib.1.Regist., epist.72. cuius verba p. præced. recitauimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEPTIMO, contra eos, qui improbos & malefactores defendunt, quo minus iustas dent pœnas. Sicut vndecim tribus Israël pugnarunt ideo contra tribum Beniamin & ciuitatem Gabaæ, quia tradere noluerunt eos, qui in Gabaa per summam libidinem occiderant vxorem cuiusdam Leuitæ. Iudic. 20. Vnde etiam Augustinus q. 10. in librum Iosuæ definit iustum esse bellum aduersus ciuitatem, *quæ vindicare etiam neglexerint, quod à suis improbè factum est.*

OCTAVO, propter violatum pactum & fœdus. Sicut Ioram adiuuante iusto Iosaphat Rege Iuda pugnauit contra Messam Regem Moab, quia nolebat reddere tributum agnorum & arietum, quod pendere quotannis debebat ex antiquo fœdere cum Achab patre Ioram. 4. Reg. 3.

CONTROVERSIA autem hîc nonnulla est, an propter infidelitatem etiam, vel certè propter Idololatriam & alia peccata contra legem naturæ, possint bello imperi, ij etiam qui veram fidem nunquam professi sint. Affirmat enim illic Castro & nonnulli alij. Sed contrariam sententiam, quæ & verior & communior est, confirmauimus suprà & defendimus suprà disputat. 1. q. 10. p. 7.

QVARTO certum est, quando causa iusta belli subest, non modò illud posse licitè suscipi ab iis, quorum interest (id est, qui iniuriam acceperunt) sed etiam adiuuari & promoueri ab aliis, qui velint esse iusti belli socij. Sic enim Abraham Genes. 14. iustè pugnauit contra quatuor Reges in gratiam fratris Loth, quem illi exspoliauerant & captiuum ducebant. Et Iosaphat quoque contra Messam Regem Moab pro Ioram, vt paulo ante diximus, & quidem consulto etiam prius Domino, vt patet 4. Reg. 3. Vt enim ait rectè Caietanus hîc art. 1. Charitas facit, vt socij pro vno & eodem reputentur. Et sicut exercere opus bonum non potest nisi bonum esse, ita etiam adiuuare in bono opere, quale est iustum bellum.

Atque eadem ratione licitum etiam est, alios quoq; in subsidium iusti belli aduocare & accersere etiam alioqui infideles, si scandalum & periculum fidei absit. Nam quod alij possunt sponte sua rectè facere, licitè quoque ab eis potest peti. Vnde Machabæi petierunt auxilium à Romanis infidelibus. Et etiam Carolus V. vsus est militibus etiam hæreticis aduersus subditos rebelles.

Ratione autem scandali Rex Galliæ Franciscus minimè laudatus fuit, quòd Turcas in subsidium accersiuerit contra ipsum Carolũ V. Sicut etiam ob eandem fortè rationem, 2. Paral. 16. reprehensus est Rex Asa, eò quòd aduocauerit in subsidium exercitum Syriæ contra Regem Israël. Nisi fortè ideo potius, quia magis confidit in eo exercitu, quàm in Domino, qui tamen ipsum paulo ante liberauerat ab exercitu Aethiopum, 2. Paralip. 14. Vt notauit AMBROSIVS in oratione de obitu Theodosij & Abulensis, q. 17. in caput 16. 2. Paralip. Et Bannes hîc art. 1. dub. 3.

QVINTO certum est, ad iustum bellum non sufficere qualemcunque persuasionem de iusta eius causa, sed requiri certam, vel valdè probabilem, in eo, qui bellum indicit; re nimirum diligenter considerata per se & per alios, prout res ipsa postulauerit. Alioqui temerè & iniustè bellum inferet.

Quòd si post diligentem inquisitionem res adhuc sit dubia, distinguendum est. Nam si res sit in possessione alterius, non licet eum debellare, cùm in dubio melior sit conditio possidentis, & idcirco iure rem is retineat, vt docet ex communi sententia Franciscus Victoria vbi suprà nu. 27. & sequentibus. Et Adrianus quodlib. 2. p. 1. in responsione 2. ad primam rationem, & Ioannes Medina quæst. 17. de rebus restit. & Sotus lib. 4. de iust. & iure art. 1. & Couarruuias, Relect. in regulam Possessor. parte 2. §. 7. n. 4. Quanquam vt Victoria notat, tenetur is etiam, qui est in possessione rei dubiæ, diligenter examinare rem, & permittere, vt conuenienti modo examinetur. Vt admittendo ad eum finem legatos, si opus esset, &c. Quòd si nollet, iniuriam alteri parti faceret, & eo ipso nomine posset bello infestari.

Si autem res in neutrius adhuc partis sit possessione (vt si controuersia esset de iure hæreditario ad regnum aliquod, mortuo Rege) tunc in dubio quidem neutra pars posset alteram oppugnare pro obtinenda re tota, sed bene pro eius obtinenda parte æquali vel inæquali, prout dubium esset vtrinque æquale aut inæquale, vt bene resoluit hîc Bannes artic. 1. dub. 5. Qui idem etiam censet, licet altera pars esset in possessione, si de iustitia partis, quæ non possidet, minus dubium esset: Nimirum posse tunc hanc à parte, quæ est in possessione, repetere compensationem aliquam illius minus dubiæ actionis, quam habet ad rem, & compensationem eam, si opus sit, bello quoque extorquere.

SEXTO certum est, militibus ipsis non eandem obligationem incumbere examinandi & cognoscendi iustitiam belli, atque ipsi Principi bellum indicenti, eiusque Consiliariis. Nam iis militibus, qui alioqui Principi sunt subditi, aut eius stipendiarij, satis fuerit nõ scire, causam belli esse iniustam, etiamsi de hoc ipso dubitent. In dubio enim, superiori, qui est tanquam in possessione, parendum est. Et quanquam dubitent speculatiuè, num bellum sit iustum, tamẽ non debent dubitare practicè, quin sibi liceat in tali dubio parere superiori suo, atque adeo ei militare.

Ita docent omnes ac nominatim Victoria vbi suprà, & Bannes hîc dub. 6. nec videtur mihi dissentire Adrianus in quodlib. 2. p. 2. ad 1. quem hi citant tanquam opinantẽ contrarium; nam tantùm negat, licitum esse facere contra conscientiam dubiam practicè. Vt si miles, verbi gratia, non modò dubitaret, an bellum sit iustũ, sed an etiam in tali suo dubio liceat sibi parere & militare suo superiori. Tunc enim non posset agere contra

contra conscientiam dubiam, vt patet ex iis, quę disseruimus tom. 2. q. 14. de actibus humanis p. 4. quamuis fateor, videri Adrianum confundere istos diuersos modos dubitandi, vt Victoria notauit.

Neque etiam dissentit Syluester, Verbo Bellum 1. §. 9. à Victoria citatus, sed idem potius sentit, sicut etiam Verbo Conscientia q. 4. affirmat, esse communem sententiam, quòd in dubio debent subditi parere suis superioribus.

Deniq; ita etiam docet expresè S. AVGVSTINVS lib. 22. contra Faustum, cap. 75. vbi ait: *Vir iustus si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare ciuicæ pacis ordinem seruans: cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est* (nempe etiam cùm de hoc dubitat) *ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Qui locus Augustini cùm clarissimus sit, frustra laborat Adrianus vbi suprà in eo interpretando; planè enim asserit ibi Augustinus id quod volumus, vt Victoria vbi suprà & alij rectè iudicârunt.

Si autem miles non sit aliàs Principi subiectus, vel eius stipendiarius, sed liberè & sponte sua ad bellum accedit; omnes dicunt, non posse eum licitè suum nomen militię dare, si dubitat de iustitia belli, quandoquidem nulla ei necessitas incumbit in ea re obtemperandi. Itaque vt apud se posit statuere licitum sibi esse in tali bello nauare suam operam, cùm id iudicare non possit ob necessitatem parendi (quæ nulla ei incumbit) oportet bi eum saltem probabiliter reputare bellum esse iustum. Ad quam persuasionem satis illi esse poterit opinio bona, quam alioqui de iustitia & æquitate Principis habeat, quem idcirco credat, non esse bellum iniustum fusceturum, vt notat rectè Caietanus in Summa. Non enim tenentur ipsi milites valde accuratè iustitiã belli examinare, cùm id munus sit potius Principis & Consiliariorum eius. Quòd si aliquis eo animo sit, vt nihil curans iustitiam vel iniustitiam belli, paratus sit ad militandum cuiuis, qui modò stipendium pendat, siue *ad solum pecuniæ sonitum*, vt loquitur illic Caietanus; nullũ est dubium, quin talis sit in statu peccati mortalis, vt Caietanus ibi & alij communiter notant.

SEPTIMO certum est, non statim atq; Principi constat habere se iustam belli causam, posse illum indicere bellum, sed debere prius ab aduersaria parte petere condignam satisfactionem, & eam si offeratur, acceptare. Quòd si eam non impetret, tum demum poterit bellum indicere. Hoc patet primò ex illo Deut. 20. *Si quando accesseris ad oppugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem: si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Deinde, quia vt in secundo pronunciato posuimus, bellum non est licitum nisi necessarium sit ad finem obtinendi debitam iniurię satisfactionem. Verè enim AVGVSTINVS epist. 207. ad Bonifacium Comitem: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.* Non potest autem ad eum finem iudicari bellum necessarium, nisi postquam petita prius pacificè ab aduersaria parte satisfactio non impetratur. Vnde in illo loco Deut. 20. iam citato, omnino videtur præceptum diuinum morale contineri, quod etiam nunc ex ipsa naturæ lege sit seruandum.

Hîc autem CONTROVERSIA est, An si aduersarij offerant satisfactionem post inceptum iam bellum, debeat pars læsa illam acceptare, & ab incepto bello desistere. Caietanus enim in Summa arbitratur nõ debere, si bellum ita inceptum est, vt sit iam quasi in fine vel in medio, cùm scilicet iam confligi cæptum est, & non tantummodò est indictũ. Probat eo argumento, quia quando eousque processum est, non sunt amplius aduersarij in statu (vt inquit) satisfaciendi, sed *satisfatiendi* à parte læsa tanquam à suo iam legitimo iudice: & culpa illorum est, quòd quando erant adhuc in statu satisfaciendi, nempe ante indictum bellum, vel in eius initio, cùm scilicet tantummodò indictum erat, noluerunt satisfacere.

Contrariam sententiam videtur supponere vt certam Syluester, Verbo, Bellum 1. q. 10. concl. 5. cùm affirmat, debere hostibus post bellum iustum resarciri omnia damna eis illata vltra condignam satisfactionem ab eis acceptam vel oblatam. Quo ipso satis indicat Syluester debere acceptari satisfactionem, quandocunque oblatam ab hostibus in bello, sicut etiam Sylueſtrum intellexit hîc Bannes dub. 8.

Et hæc sententia videtur mihi probabilior. Nam quandocunq; hostis offert sufficientem satisfactionem læsæ parti, & hæc illam acceptare potest, iam eo ipso desinit bellũ esse necessarium, atque adeo licitum, iuxta ea, quæ diximus paulo ante, & in secundo pronunciato. Dico autem, quando læsa pars *potest acceptare* oblatam satisfactionẽ; **quia quando** non posset, clarum est tunc non **teneri**. Vt si offerretur non modò quando iam cõflictus aliquis esset factus, sed etiam in tali aliquo ardore conflictus, à quo difficillimè possent milites statim reuocari. Itaque sufficit oblatam satisfactionem acceptare, & à bello desistere, cùm primùm id fieri potest.

Nec est firmum Caietani argumentum. Non enim probat, quod pro fundamento sumit, nempe hostes, postquam conflictum aliquando est, non esse amplius in statu satisfaciendi, sed solùm in statu satispatiendi. Hoc non rectè & perspicaciter à Caietano dictum est. Nam causa propria, ob quam hostes aliquando iudicari debeant, esse solùm in statu satispatiendi, non est quia sit iam conflictum, sed quia ipsi nolint pacificè satisfacere sine bello. Quæ causa perinde habere locum potest in initio belli ante conflictum, atque post. Et sicut potest etiam initio belli deesse, ita in me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dio & in fine. Quare quandocunq; hostes mutauerint eam voluntatem, definent esse in statu solùm satisfaciendi: Nam definet eo ipso bellum esse necessarium, atque adeo licitum, & consequenter etiam pars lęsa definet esse iudex aduersariæ partis; siquidem non est iudex eius ordinarius, sed in extraordinario illo casu, quo scilicet aduersaria pars nolit satisfacere, & per hoc sit in statu solùm satisfaciendi, quamdiu scilicet perdurat in illa voluntate non aliter compensandi iniuriam illatam. Aliud autem censendum est de iudice ordinario. Nam is nunquam tenetur acceptare à Reo compẽsationem oblatam, sed potest ordinaria auctoritate officij sui eum punire propter aliorum exemplum, & bonum commune, cuius ei cura incumbit.

OCTAVO certum est, quandoque etiam fieri posse per accidens ratione circumstantiarum, vt etsi causa iusta belli subsit, & hostis nolit prębere condignam compensationem, tamen illicitum sit bellum aggredi. Vt si ex tali bello secutura sint magna scandala, & damna multò maiora in Republica Christiana. Hoc annotauit optimè Franciscus Victoria vbi suprà nu. 33. Nec de hac re dubitari potest. Nam si ad occupandam vnam ciuitatem, verbi gratia, oporteat multas vastari, & ad maiora bella in perniciem Ecclesiæ irritari Principes, opportunitatemq; dari hostibus Ecclesiæ Christianæ inuadendi & occupandi nostra; omnino tunc teneretur Princeps læsus intermittere bellum eiusmodi ad auertendũ maiora hæc mala. Etsi enim tale bellum tunc non esset contra iustitiam, tamen esset contra charitatem, qua quisque tenetur anteferre suis commodis maius bonum communitatis.

NONO certum est, non posse *per se* vtrinq; esse bellum iustum circa vnam & eandem rem, posse autem *per accidens*, propter inuincibilem nimirũ ignorãtiam alterius partis. Probatur PRIOR pars huius pronunciati. Nam fieri nequit, vt actus seu conatus verè contrarij, scilicet circa idem, (vt, verbi gratia, conatus defendendi aliquam ciuitatem, & conatus eandem occupandi; aut conatus vlciscendi factum aliquod, & conatus prohibendi vindictam & vltionem eiusdem facti) pertineant per se & ex natura rei ad vnam & eandem virtutem, puta iustitiæ. Non enim vlla virtus est sibi ipsi contraria per suos actus. Nã omnes actus virtutis sunt boni moraliter, & nullũ bonum est bono contrarium, sicut nec vllum verum vero.

POSTERIOR autem pars eiusdem pronunciati, scilicet *per accidens* ob inuincibilem ignorantiam alterius partis, posse vtrinq; bellum esse iustum, probatur. Nam fieri potest, vt vna pars pugnet, verbi gratia, pro vsurpanda re, quæ verè est sua; & altera pars pro eadem retinenda inuincibiliter ignorans esse alienam, sed bona fide putans esse suam. Quo casu, ex parte quidem illius, qui verè est dominus, bellum est iustum per se, & ex natura rei, id est, secundùm intentionem consequentem veram cognitionem rei ipsius, vt ipsa est cognoscibilis: ex parte autem alterius est etiam iustum id bellum per accidens, id est, secundùm intentionem consequentem cognitionem rei falsam, sed minimè culpabilem, atq; adeo minimè impedientem, quo minus secundùm intentionem quidem tale bellum pertineat ad virtutem iustitiæ, licet non etiam verè secundùm cognitionem & iudicium verum de re.

Quem casum putat Abulensis super cap. II. Iosue, fam eueniſſe in bellis filiorum Israël contra Amorræos. Nam Amorræi inuincibiliter ignorâsse videntur, quòd Israëlitæ pugnarent iustè ex mandato Dei tribuentis eis ius in vitas & fortunas Amorræorum. Itaque per accidens videntur quoque iustè pugnâsse Amorræi pro defensione sui & rerum suarum.

Item esset casus similis, si duo Principes quacunq; alia de causa ita inter se pugnarẽt, vt vterq; in ea re sequeretur opinionẽ probabilem & consilium doctorum & prudentum hominum. Nam ille etiam, qui reuera nõ haberet causam iustam, pugnaret iustè per accidens propter opinionem probabilem. Sicut is etiam per accidens contendit iustè in iudicio, qui sequitur opinionem probabilem, quamuis falsam.

Sed occurrunt hoc loco argumenta tria, quibus aduersus hanc doctrinam communẽ & eius fundamenta videtur probari, quòd posit esse bellum vtrinq; iustum etiam per se ex rei natura. PRIMO, quoniam Philosophus 2. Ethic. cap. 6. docet, illud esse per se medium & obiectum virtutis, *quod prudens iudicat seu præfinit*: Sed fieri potest, vt prudens vnus iudicet esse iustum belli obiectum seu materiam, & alter contrarium iudicet item prudenter & probabiliter esse iustum belli obiectum: Ergo per se quoque potest vtrinq; esse iustum bellum.

SECVNDO, nam falsum videtur, quòd nequeant ad eandem virtutem pertinere actus per se contrarij. Actus enim, quo quis velit, verbi gratia, abstinere à tali cibo tali tempore, &c. & actus, quo velit illum sumere, sunt contrarij: Et tamen vterq; actus potest pertinere ad eandẽ virtutem temperantiæ, vt patet: Ergo etiam in proposito actus ita contrarij circa rem eandẽ poterunt per se pertinere ad eandem virtutem iustitiæ; & sic bellum poterit esse iustum per se ex vtraq; parte.

TERTIO, nam etiam secluſa ignorantia inuincibili posset esse bellum iustum vtrinq;: Ergo per se. Antecedens patet in duobus casibus. Primus est; Si quis oppugnet innocentes, qui sint, verbi gratia, in aliqua arce, quam quis iure alioqui oppugnet, nec nisi oppugnet simul eiusmodi innocentes, expugnare posit; & contrà, innocentes repugnẽt pro sui defensione. Secundus casus est; Si verè innocens repugnet magistratui violenter conanti ab eo pœnam repetere, ad quam secundùm allegata & probata sit legitimè damnatus, etiam cognita à magistratu per scientiam priuatam illius innocentia. In quibus duobus casibus bellum videtur vtrinq; iustum sine vlla ignorantia, vt concedit quoque Bannes hîc dub. II.

Ad hæc ita respondeo. Ad PRIMVM. Intelligi debet Philosophus, quando prudens verè secundùm ipsam intellectualem virtutem prudentiæ (quæ non iudicat nisi verum) præfinit medium seu obiectum virtutis; non autem quando solùm probabiliter & apparenter: quamuis & tunc etiam auctoritas prudentis excusat quidem à peccato, sed non facit, vt actus per se sit virtutis.

Ad SECVNDVM. Illi duo actus physicè quidem secundùm ipsam rem, sunt contrarij; non autem moraliter in ordine ad virtutem temperantiæ: cuius nimirum medium (cùm sit virtus circa passiones) non solùm attenditur secundùm rem ipsam, sed inprimis secundùm eius ordinem ad operantem. Vnde fit, vt quandoq; quis possit temperatè & edere & abstinere. Medium autem proprium iustitiæ (cùm hæc virtus sit circa operationes erga alterum, cui operans exæquatur) attenditur solùm ex ipsa re, vt docuimus tomo 2. q. 7. de virtutibus, p. I. Vnde fit, vt in materia iustitiæ, actus contrarij secundùm rem, semper sint etiam contrarij moraliter in ordine ad iustitiæ virtutem, ac proinde nequeant per se pertinere ad illam. Ex quo efficitur non posse vtrinque per se esse iustum bellum, sicut ante probauimus.

Ad TERTIVM. In illis duobus casibus bellum non est vtrinque circa *vnum & idem* sub eadem ratione, ac proinde conatus illi diuersarum partium non sunt propriè contrarij, sed potius disparati. Et sic nõ est mirum, si per se possint pertinere ad eandem iustitiæ virtutem. Nam in primo casu innocentes illi defendunt se vt innocentes, oppugnantur autem non vt tales, sed vt sunt in arce, quę iure oppugnatur, & vt non potest arx expugnari, nisi consequenter etiam illi oppugnentur & expugnentur. In secundo etiam casu innocens defendit se vt innocentem; oppugnatur autem vt testimoniis publicis probatus nocens & reus. Itaque manet nihilominus, bellum non posse circa eandem rem & sub eadem ratione esse vtrinque iustum, nisi per accidens, ex aliqua inuincibili ignorantia, vt diximus in nostro nono pronunciato, & censuit etiam rectè Franciscus Victoria vbi suprà num. 32.

DECIMO certum est, vt bellum sit licitum, præter legitimam auctoritatem indicentis illud, & causam iustam (de quibus hactenus dictum est) requiri quidem *rectam intentionem*; vt scilicet suscipiatur studio boni communis & pacis, & non ob alios sinistros fines, quos suprà cum Augustino lib. 22. contra Faustum, cap. 74. diximus fere in bellis culpari: sed aliter tamen huiusmodi rectam intentionem requiri, quàm requirantur illæ aliæ duæ cõditiones, scilicet *auctoritas & iusta causa*. Nam auctoritas & causa requiruntur, ita vt sine illis bellum sit non modo illicitũ, sed etiam iniustum. Vnde cuiuslibet illarum defectus inducit obligationem restitutionis iis, qui in bello iniusto pugnant, aut eius sunt auctores, iuxta communes regulas restituendi, sicut infrà disp. 5. quæstione de Restitutione videbimus. Intentio autem recta ita requiritur, vt sine illa bellum sit quidem illicitũ pro natura sinistri finis, ad quem referetur; non autem ita, vt sit etiam iniustum. Vnde defectus rectæ intentionis in bello si alioqui neque auctoritas, neque iusta eius causa defuerit, nõ parit obligationem restituendi damna illata aduersariis, vt omnes communiter notant.

Quòd si bellum fuerit per se quidem iniustum, per accidens autẽ iustum ob inuincibilem ignorantiam, tunc postea quidem cognita veritate solùm ea restituenda erunt, quę supersunt adhuc salua, aut in quibus sit factus quis ditior; non autem ea, quæ bona fide destructa aut cõsumpta sunt, vt docet Syluester, Verbo Bellum, q. 9. & 10. Et Caietanus hîc art. I. & Victoria vbi suprà n. 33. & Sotus lib. 4. de iustitia & iure, q. 7. art. 2. & communiter alij omnes, & patebit ex generali doctrina de Restitutione, quam infrà trademus.

Interim tamen obseruetur, illud etiam bellum in proposito debere reputari iniustum annexam habens obligationem restituendi, quod gestum est repudiata condigna satisfactione oblata ab aduersariis, vt etiam sentit hîc Bannes dubio 8. Nam verè tunc deest causa iusti belli; cùm bellum nõ possit esse iustum, nisi sit necessarium, & tunc necessarium non sit, iuxta dicta in septimo pronunciato. Et hæc sint satis pro isto puncto de iustitia ipsius belli. Nam alia, quæ his addi possunt, pertinent potius ad debitum modum, quo est gerendum bellum, cuius defectus quandoq; parit etiam obligationem restituendi. Itaque de illis dicemus puncto sequente.

PVNCTVM TERTIVM.

Quonam modo sit gerendum bellum.

D. Thomas art. 3.

DE modo, quo sit bellum gerendum, ideo etiam differendũ est, quia fieri potest, vt bellum iustè & licitè alioqui susceptum, scilicet per legitimam auctoritatem, & ex iusta causa, & bona intentione, tamen geratur postea iniusto ac pęruerso modo. Porrò modus rectus gerẽdi bellum, tum in ipso conflictu & præparatione ad illum, tum etiam postea parta Victoria tenendus est: & vtroq; tempore continetur iis actionibus, quas vel iure naturæ, vel iure Gentium licet exercere in hostes, & in res eorum. Reuocabimus ergo ad nonnullas assertiones & consectaria illarum, ea quæ de eiusmodi actionibus consentienter ferè, licet interdum non satis expeditè, à Doctoribus tradi solent.

PRIMA assertio: Omnia illa tum in ipso conflictu & præparatione ad illum, tum postea parta

Universidad de Deusto
Biblioteca

victoria, licet facere aduersus hostes (occidendo, exspoliando, destruendo, redigendo in seruitutem seu captiuitatem, &c.) quæ necessaria siue apta & accommodata media sint ad assequendũ aliquem è tribus belli finibus, vel illos omnes; nimirum. Primò, ad obtinendam iustã rei ablatæ compensationem, seu ad rem ipsam recuperandam. Secundò, ad iniuriam iustè vindicandam, secundùm culpæ videlicet proportionem. Tertiò, ad stabiliendam & firmãdam pacem. Si quid autem ad nullum finem istorum, necessarium vel accommodatum medium sit, id minimè licebit facere; & si fiat, obligationem pariet restituendi & resarciendi hostibus illata damna.

In sententia huius assertionis omnes Doctores conueniunt. Nam eam, saltem per partes, vbiq; ferè pro fundamento huius materiæ statuunt; ac nominatim Henricus Gandauensis quodlib. 15. q.16. Adrianus in 4. in materia de Restitutione, §. *Sed anné etiam*, Franciscus Victoria in Relectione de Iure belli n.37. & seq. Syluester, Verbo Bellum 1. concluſ. 2. & 3. Et ex hac assertione tanquam ex communi quadam & certissima REGVLA definiuntur in hac materia (vt statim videbimus) plurimi casus, de quibus nonnulli disputant propositis hinc inde argumentis, quæ isto fundamento constituto sua sponte corruunt.

Patet autem hæc assertio ex eo, quòd bellum iustum est actus iustitiæ vindicatiuæ, ordinatus ad compensationem iniuriæ per debitam nimirum satisfactionem, & vindictam iniuriæ, atque adeo etiam ad pacem, vt ex sententia Augustini & aliorum omnium Doctorum constituimus p. præced. Sed certum & euidens est, licere in actione iusta ad aliquẽ finem seu fines ordinata, vsurpare media necessaria & apta ad eum finem vel fines; non autem alia, quæ ad eum finem vel fines necessaria non sint, & alioqui sint damnosa proximo. Ergo nullo modo dubitari potest de hac nostra assertione.

Porrò ex hac assertione multa inferri possunt. PRIMO, licitum esse in bello iusto, non modò palàm & apertè, sed etiam per insidias & stratagemata varia procurare Victoriã, vt docet D. Thomas hìc art.3. Nam insidiæ quoque sunt medium accommodatum ad victoriam obtinendam, atque adeò ad assequendum prædictos illos fines belli. Nec tenetur quis alioqui mentem & consilia sua aperire aliis, præsertim hostibus. Vnde Iosue 8. Deus præcepit Iosue, vt insidiis vteretur ad expugnandam ciuitatem Hai: *Pone*, inquit, *insidias vrbi post eam*. Quod perpendens S. AVGVSTINVS q.10. in Iosue: *Hinc*, inquit, *admonemur non fieri hoc iniustè ab iis, qui bellum iustum gerunt; Vt nihil homo iustus præterea cogitare debeat in his rebus, nisi vt bellum iustum suscipiat, cui bellare fas est; non enim omnibus fas est. Cum autem iustum bellum susceperit, vtrum aperta pugna, vtrum ex insidiis vincat, nihil ad iustitiam interest.*

Hoc autem intelligendum est, quando non est fides hostibus data de nõ extruendis insidiis, vt docet D. Thomas eodem art.3. Nam vt ait sanctus AMBROSIVS lib.1. de officiis, cap.29. *fides etiam hostibus seruanda est. Vt si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies prælio, aduersus iustitiam putetur aut loco præuenire aut tempore.*

Quæ tamen Ambrosij doctrina tripliciter limitanda est ex communi doctrinâ. *Primò*, vt non procedat, quando promissionem extorsit hostis per metum cadentem in constantem virum. Vt si Princeps in magno discrimine vitę constitutus promitteret hosti aliquam ciuitatem, sicut ait Bannes art.3. & patet per ea, quæ tradit Syluester Verbo Metus, §.8. de contractibus requirentibus liberum consensum, qui redduntur nulli per eiusmodi metum. Quanquam si accessisset iuramentum propter illud oporteret implere promissum. *Secundò*, si adimpleri promissum non posset sine grauissimo detrimento boni communis, etiam si esset iuramento firmatum. *Tertiò*, si hostis frangeret ex toto aut ex parte datam vicissim fidem; nam hæ promissiones etiam iuramento firmatæ, non intelliguntur fieri nisi conditionaliter, si hostis similiter stet promissis. Promissiones autem & iuramenta sub conditione facta, non obligant deficiente conditione, vt patet ex iis, quæ tradit Syluester, Verbo Iuramentum 4. nu.13. & ex cap. Peruenit, Extra de Iureiurando.

SECVNDO ex eadem assertione infero, non solum in bello offensiuo, sed etiam in defensiuo, quod quidem auctoritate publica geratur, licitum esse vltra conseruationem, vel recuperationem, vel iustam compensationem rerum, inferre alia damna hostibus ad vindicandam etiam iniuriam illatam, vel pacem in posterum firmandam, &c. vt optimè notauit Adrianus in 4. in materia de Restitutione, §. *Sed anné etiam*.

Probatur: quia in omni bello iusto, quod publica auctoritate geritur, possunt esse propositi hi etiam fines (scilicet vindicta, & pax) & ad eos vsurpari accommodata media, vt est dictum: ac proinde bellũ defensiuum, quod publica auctoritate geritur, potest simul esse offensiuum. Secus autem iudicandum est, si bellum defensiuum geratur priuata alicuius vel aliquorum auctoritate cum moderamine inculpatæ tutelæ, vitæ & fortunarũ. Nam in tali bello non licet plus damnorum inferre inuasoribus, quàm ad se & sua tuendum necesse est; cùm priuati non habeant auctoritatẽ ad iniurias vlciscendas, neq; ad firmandam communẽ pacẽ, illius perturbatores puniendo.

Et de huiusmodi bello defensiuo priuatorum posset admitti, quod ait Syluester, Verbo Bellũ 1.q.9. concl.1. debere restitui, quod in bello iusto vltra iustam rerum ablatarum compẽsationem acceptum est. Quanquam ipse quidem Syluester de bello etiã auctoritate publica gesto hoc asserere videtur, quia in re minimè est illi assentiendũ.

TERTIO infero, minimè esse per se licitum in conflictu

conflictu bellico aut post, occidere eos, qui sunt aut præsumi debent esse innocentes. Vt infantes, mulieres, religiosos, &c. nisi constaret cõtrarium de aliquibus istorum. Vt si mulier aliqua, vel religiosus, aut clericus pugnans inueniretur. Probatur, nam tales innocentes ob nullum finem belli ex illis tribus, quos diximus, rectè per se occidi possunt. Non enim ob satisfactionem vel recuperationem rei ablatæ, vt patet. Neq; etiam propter iniuriæ vindictam. Nam neque aliqua culpa ipsorum innocentum propria *vindicari* eorum morte potest, cũ sint innocentes vt supponimus; neque etiam culpa aduersariæ Reipublicæ, cuius innocentes sunt partes. Nam Respub. non debet puniri in suis partibus, nisi secundùm id, quod subest dominio (saltem vniuersali) & ordinario iuri Reipublicæ; Tale autem non est ciuium vita, cùm de illa non possit Respublica statuere, nisi forte in aliquo rarissimo casu pro salute communi. Neque etiam possunt per se occidi innocentes ad firmandam in futuro *pacem*.

Nam si hæc per illos aliquando turbanda timeatur; poterit huic periculo aliter occurri, redigendo nimirum eos in seruitutem vel captiuitatem. Quod saltem iure Gentium in bello licet, vt postea videbimus. Ob quam rationem meritò dixit Franciscus Victoria in Relectione de Iure belli, n.38. intolerabile sibi videri, si in bello contra Sarracenos ideo interficiantur eorum infantes, ne fortè postea adultiores facti repugnent Christianis exemplo maiorum suorum. Potest enim aliter huic periculo occurri, vt dictum est.

Itaq; apparet, ex nulla causa posse in bello licitè per se occidi innocentes. Vnde etiam Deut.20. extat de hoc diuinum præceptũ morale illis verbis, *Cùm tradiderit Dominus Deus tuus ciuitatem in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, absq; mulieribus & infantibus.* Nec obstat, quòd aliter quandoque id factum est iussu Dei, vt Iosue 6. in Iericho, & 1. Reg.15. in Amalech. Fuit enim ea peculiaris & extraordinaria volũtas Dei, qui est Dominus vitæ omnium.

Qui nam autem præter pueros & mulieres deceant quoq; præsumi innocẽtes, declarauit Pontifex Alexander III. in cap. Innouamus, Extra de Treuga & pace, vbi dicit, *Innouamus, vt Presbyteri, Monachi, Cõuersi, Peregrini, Mercatores, Rustici, euntes & redeuntes, & animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum securitate congrua lætentur*; quibus addunt etiam *Legati siue Oratores* in Can. Paterarum 24. q.3. Nec tamen per Mercatores putat Caietanus in Summa, Verbo Bellum, debere hìc intelligi eos, qui sint ciues in hostium Repub. sed qui transeunt, importantes aliqua mercimonia. Nã Mercatores incolæ non sunt quoad hoc melioris conditionis, q̃ artifices, vt rectè inquit Cai. Diximus autem non posse PER SE occidi innocentes. Nam per accidens & præter intentionem certũ est occidi posse. Vt si v.g. nequeat arx quæpiam aut ciuitas expugnari, nisi diruatur aut incendatur, & ideo etiam aliqui innocẽtes, qui sint in illa, pereant. Quanquã vt rectè monet Victoria vbi suprà n.37. si nõ multum referret ad finem belli sic expugnare aliquam arcẽ, vbi essent multi innocentes & pauci nocentes, non liceret id facere. Nam malum, quod ex morte tot innocentum sequeretur, præponderaret exiguo illi emolumento ad finẽ belli consequendum, quod afferret talis expugnatio arcis; & semper est cauendum, ne maiora damna per bellum inferantur, quàm bonum sequatur.

QVARTO infero ex eadem assertione, licitum esse tamen exspoliare innocentes etiam, qui sint partes Reip. aduersariæ. Nam id potest esse medium accommodatum ad duplicem belli finem. Nimirum *primò* ad vindicandam iniuriam in rebus, quę subsunt vniuersali dominio Reipub. quę iniuriam intulit, quales res sunt bona ciuium ipsius, etiam innocentum, vt bene notauit Bannes art.1. dub.11. ad 4. *Deinde* etiam ad magis stabiliendam pacem, debilitando hoc modo vires aduersariæ Reipublicę, si videatur vsura rebus & facultatibus suorum ciuium ad inferendam iniuriam redintegrando vel continuando bellum.

Quam ob causam quando bellum cum aliquibus hostibus perpetuum est, semper licet eis & eorum ciuibus eripere quæcunq; ipsis eripi possunt, ne illis contra nos vtantur; vt rectè notauit Franciscus Victoria vbi suprà num.39. Vt in bello contra Turcas & Sarracenos perpetuos hostes nominis Christiani. Quanquam hos alio etiam nomine exspoliare rebus omnibus licet, quia scilicet omnia illorum fuerunt nostra, & nunquam pro acceptis satisfaciunt Ecclesiæ.

Hic autem excipiendi sunt Clerici & Ecclesię. Nam propter immunitatem Ecclesiasticam non licet hos vel has per se expoliare: bene autem per accidens, quando aliter non potest comparari victoria, vt patet ex iis, quæ ex cõmuni doctrina tradit Syluester, Verbo Bellum 3.q.6. & 8. vbi docet, posse per accidens comburi etiam Ecclesias; atq; etiã ex eis extrahi hostes, vel in eis exspoliari & occidi, si ipsi Ecclesiã prius tanquam castello ad repugnandum abusi sunt; nam tunc amittunt beneficium immunitatis. Quin etiam ea omnia facere licebit, quando id sit necessarium ad firmandam pacem, etiamsi hostes Ecclesiã nõ sunt abusi, vt sentit Bannes art.2. dub.vlt.

QVINTO infero, licitum esse hoc etiam nomine exspoliare innocentes aduersariæ Reipub. quòd ex nostris aliqui iniustè exspoliati sint ab eius ciuibus, & id ipsa vindicare negligit. Nam hoc ipso habemus nos ius, vt Rempub. talem puniamus similiter faciendo eius ciuibus tametsi innocentibus. Item quia habet ius nostra Respublica, vt vel hoc modo recuperet bona suorum ciuium.

Propter quas causas Syluester, Verbo Repressalia, q.1. in fine, & Franciscus Vict. vbi suprà n.41. & Couarruuias Relectione in cap. Peccatum, §.9. n.4. sub finẽ, & alij multi ab his citati, cẽsent iure

Universidad de Deusto
Biblioteca

dari à Principe literas, quibus concedit suis ciuibus potestatem exspoliandi quoscunq; ciues alterius Reip. pro compensatione rerum sibi ab eius Reip. ciuibus iniustè ablatarũ. Quas literas vocãt *Repressalia*, quia vigore illarum potest quis rursus prehendere, quod sibi ablatum est, vel ei æquiualens. Quamuis nõ faciunt hæc Repressalia ius exspoliandi etiam Clericos, vt notat vbi suprà Syluester, & Verbo Excõmunicatio 9. n. 62. & patet ex capit. vnico, de Iniuriis lib. 6. Decretalium.

Sexto infero, nõ esse licitum pro paruo damno illato, vt v.g. pro capta vna ciuitate, adferre vastitatem integrę aduersariorum prouinciæ aut regno. Nam id neq; ad obtinendam iustam compensationẽ, neq; ad puniendam iniuriam secundùm proportionem culpę, neq; ad stabiliendam pacem, esset medium aptum, sed excedẽs omnino mensurã rectę rationis. Contrà verò, aliquando pro iniuriis illatis integræ prouinciæ vel regno, licitũ esse posset ad dictos fines vastare prorsus, aut in prædam militibus dare aliquam, vel etiam aliquas ciuitates, iuxta id, quod ex communi sententia notat Syluester, Verbo Bellum 1. q. 10. concl. 3. in fine. Quanquam id quidem non nisi rarò & ex grauissimis causis faciendũ est, vt notauit Victoria nu. 52. cùm in eiusmodi direptionibus ciuitatum communiter patrari soleant innumera flagitia & iniustæ cædes eorum, qui nec sunt, nec meritò præsumi possunt esse nocentes.

Septimo infero, licitum esse ipsos quidem hostes, qui iniquè pugnant, omnibus supradictis incommodis, exspoliationis, cædium, captiuitatis, &c. tum in ipso conflictu, tum post partam victoriam afficere, quatenus id aptum medium videbitur ad aliquem belli finem ex tribus prædictis. Vbi tamen quædam sunt annotanda, quæ tradit optimè Fran. Vict. vbi suprà n. 44. & nõnullis seq.

Primò, nomine quidẽ solius vindictę non semper licere parta iam victoria occidere omnes nocentes. Nam aliquando id cederet in magnum detrimentum commune. Vt si essent valde multi, vt integra ciuitas vel prouincia, &c. Vnde & Theodosius reprehensus fuit ab Ambrosio propter communem cædem, quam fieri iussit Thessalonicæ. Licere tamen posset id quandoque ob alium finem, scilicet ob stabiliendam pacem, si aliter firmari non posset. Quod etiam insinuauit S. Avgvstinvs epist. 207. ad Bonifacium Comitem cùm dixit: *Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur: ita victo vel capto misericordia iam debetur, maximè*, inquit, *in quo pacis perturbatio non timetur*; quasi dicat, posse sine dubio occidi tunc omnes, qui timeãtur futuri perturbatores pacis.

Secundò, non obstare, quòd victi fuerint ante victoriam obsides, aut se sponte dediderint, quo minus ob prædictos fines possint affici prædictis malis, si fuerint nocentes, nisi fortè illis de salute fides data sit.

Tertiò, posse etiam quando iniurię fuerint grauissimæ, aut ob pacem stabiliendam, &c. mutari regimen in Repub. hostium, constituto alio Principe, aut etiam ex toto vel ex parte occupari à victoribus, & multo magis imponi ei tributa, &c. Patet, nam hęc omnia possunt esse media apta ad prædictos fines belli pro ratione circumstantiarum, & sunt quædam genera exspoliationis, quæ sine controuersia est iure belli licita. Et hoc ipso nomine videntur fuisse legitima dominia multa veterum Romanorum, quia scilicet illa iniuriarum nomine acquisiuerunt, & videntur probata à Domino Luc. 20. cùm dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Et ab Apostolo ad Rom. 13. & ab Augustino & aliis Patribus.

Quartò, si quid tamen de agro aut ditione aliena propter obtinendam tantùm Victoriam occupatum fuit, id postea parta Victoria & rebus compositis esse restituendum, cùm scilicet non ipsum, sed eius duntaxat vsus ad Victoriam consequendam fuerit necessarius.

Quintò, Christianos quidẽ hostes non ita posse capi in bello, vt in seruitutem redigantur, sed vt detineantur tãtisper, donec pretio se redimant, vt postea dicemus in tertia assertione, quando agemus de iis, quæ iure quidem gentium in bello licent. Nunc enim de iis solùm agimus, quæ in eo licent, aut non licent iure ipso naturę; quod quomodo differat à iure gentium, tomo 2. explicauimus q. 5. de Legibus. Ac ex his, quæ ex hac prima nostra assertione ad hunc modum deduximus, possunt diiudicari multi alij casus particulares, prout his similes fuerint vel dissimiles.

Sit iam Secvnda assertio. Iure etiam naturæ modus talis in toto belli progressu seruandus est, vt neq; à Ducibus, neq; ab inferioribus militibus quidquã committatur contra Leges, vel iustitiæ vel fortitudinis, cuius est etiam actio functio bellica. Hæc assertio explicatione tantùm indiget.

Contra Ivstitiam enim peccarent Duces, si stipendia sua non soluerent militibus. Et ipsi etiam milites, si non contenti stipendiis suis rapiant res rusticorum & aliorum. Quod vetuit Ioannes Baptista Lucæ 3. inquiens: *Estote contenti stipendiis vestris*. Imò etiam si hoc facerẽt propterea, quòd Duces eis non soluant stipendia. Non enim rustici tenentur propterea alere milites; nisi per legitimam auctoritatem aliquid eis oneris in hoc genere quasi per modum tributi impositum sit.

Item peccarent contra iustitiam, si absq; licentia expressa vel rationabiliter præsumpta aliqua damna hostibus inferrent; nam absque facultate legitima superioris non potest bellum iustè geri. Et multo magis, si alios petulanter læderent, qui non sunt hostes. Quod Baptista etiam illis prohibuit inquiens: *Neminem concusseritis*. Item si alios apud superiores Duces iniquè calumniarentur, dicente etiam Baptista: *Nemini iniuriam faciatis*.

Item peccarẽt contra *Fortitudinem*, si per aliud extremum temerariè absq; vlla vtilitate se exponerent euidenti periculo. Vt si vnus solus frustra irrueret in hostes sine vlla probabili spe, quòd vel

vel suo exemplo, vel per notabile damnum aut cædem alicuius vel aliquorum ex hostibus, esset magnum operæprecium facturus, & sui possint adipisci Victoriam. Nam quãdo aliqua eiusmodi spes esset, non sine laude insigni fortitudinis se quis exponeret vitæ discrimini etiam certo. Vt fecit Eleazarus Elephanti se supponens lib. 1. Machab. quem eo nomine egregiè laudat S. Ambrosius li. 1. officiorum: Et faciunt etiam alij, in quos maximè conuenit, quod scribit Vegetius lib. 3. de re militari, cap. 22. *Victoria*, inquit, *per paucos stare consueuit, & maximè per eos, qui sint virtute præditi*.

Item peccaret similiter Dux contra fortitudinem interdum exponẽdo sine causa & temerè totum exercitum maximo periculo. Vt enim ait idem Vegetius eodem lib. cap. vlt. *Boni Duces publico certamine nunquam nisi ex occasione aut nimia necessitate confligunt*. Qua de re plura videre licet apud Henricum Gandauensem quodlib. 15. q. 16. Ita que omnia ista caueri debent iure naturæ, vt rectus in bello modus teneatur.

Tertia assertio. Iure *gentium*, quæcunq; res mobiles captæ in bello iusto, etiamsi excedant compensationem damnorum, efficiuntur ipsorum militum capientium, & ab eis iustè possideri possunt. Ita cõmuniter omnes tradunt, ac nominatim D. Thom. li. 3. de regimine Principum, cap. 11. & Adrianus in 4. in materia de Restitutione. §. *Aggredior casus speciales*, & Franc. Vict. in Relectione de Iure belli, n. 51. & Alphonsus à Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 14. & Couarruuias Relectione in cap. Peccatũ, §. 11. n. 1. &c. Idque patet ex cap. Ius gentium, 1. d. & ex lege Hostes, & lege Si quid in bello. ff. de captiuis, & in Instit. de rerum diuisione, §. Item ea quæ ab hostibus. Et ex Aristotele lib. 1. Polit. cap. 4. & 5. vbi dixit, *bellicam artem secundùm naturam esse acquisitiuam*. Et ex S. Ambrosio lib. 1. de Abrahã cap. 3. vbi ait, ad illum iure pertinuisse res illorum Regum, quos deuicit, licet noluerit accipere. Gen. 14. & refertur 23. q. 5. Can. Dicat aliquis.

Ita tamen hæc assertio vera est, vt putet nihilominus Couarruuias cum nõnullis aliis, vbi suprà nu. 6. res mobiles in bello captas distribui debere iudicio Ducũ inter milites pro dignitate cuiusq;. Quod quidem si ita est, capientes non acquirunt earum dominium ante Ducis distributionẽ, nisi quoad aliquam illorum partẽ indeterminatam, prout scilicet Dux postea secundùm cuiusq; dignitatem eas distribuerit. Addit tamen meritò Couarruuias sequendas esse quoad hoc receptas & probatas consuetudines, & Principũ decreta.

Et quidem videtur ferè vsu iam receptum, vt absq; alia Ducum distributione huiusmodi bona mobilia in bello capta statim ab ipsis acquirantur. Quod ipsum mihi videtur planè consentaneum luribus iam citatis, & præsertim dicto §. Item ea quæ ab hostibus. Instit. de rerum diuisione, vbi dicitur iure gentium fieri *statim* capientium ea, quæ ab hostibus in bello capiuntur.

Quarta propositio. Iure gentium non fiunt quorumcunq; capientium res *immobiles* in bello captæ, sed Principi cedunt indicenti bellum. Ita statuit communis Doctorum opinio, vt affirmat Couarruuias loco citato, vt patet ex lege Si captiuus. §. 1. ff. de captiuis. Quæ tamẽ assertio limitari debet, vt non procedat in casu, quo res immobilis fuerit in bello erepta alicui ab hostibus. Nã tunc priori Domino est restituenda, vt notat idem Couarruuias ibi nu. 7. per legem Captiuis, §. expulsis hostib. ff. de Captiuis, & legem Pomponius. ff. de acquirendo rerum dominio. Cùm tamen probabilem quorundam opinionẽ relatam ibi ab eodem auctore n. 7. & 8. res *mobilis*, etiamsi ab hostibus fuerit alicui erepta in bello, minimè fit restituenda priori Domino, sed fiat capientis eam de manu hostium, iuxta præcedentem assertionem, saltem postquã interuallum intercesit, & iam res ad hostium castra delata erat.

Quinta assertio. Iure gentium capti etiam in iusto bello fiunt serui capientium; & quidẽ etiam filij eorum, quantumuis innocentes & alij (exceptis iis, qui immunes iubentur esse in cap. Innouamus, de Treuga & pace suprà recitato) capi & in seruitutem redigi possunt. Excipiuntur tamen *Christiani*. Hi enim & eorum filij capi quidem & detineri iustè possunt, quoad precio redimantur, sed non in seruitutem redigi.

Prior pars huius assertionis patet ex lege Naturalem, & lege Si hostes ff. de acquirendo rerum dominio, & §. Item ea, quę ab hostib. Instit. de rerum diuisione. Et ita tradunt Couarruuias vbi suprà n. 1. & communiter alij omnes. Atq; etiam Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 5. vbi affirmat, seruitutem, quę ex bello prouenit, iustam esse, *quando belli principium* (id est, causa) *est iustum*; iniustum autem, quando belli principium *iustum non est*. Quin etiam *origo vocabuli seruorum* (vt ait S. Avgvstinvs lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 15.) *in latina lingua inde creditur ducta, quòd ij qui iure belli possent occidi; à victoribus cùm seruabantur, serui fiebant, à seruando sic appellati*.

Atq; eandem assertionem probat Franc. Vict. in Relectione de Iure belli, nu. 42. Nam libertas inter bona fortunæ reputatur: Ergo eodem modo licet in bello iusto exspoliare libertate victos, tum nocentes, tum innocentes, sicut licet vtrosque exspoliare aliis bonis fortunæ; iuxta ea, quæ diximus in corollario 4. assertionis 1.

Sed hęc ratio non mihi probatur. Nam siue libertas sit numerãda inter bona fortunæ, siue nõ; tamen in hoc differt ab aliis fortunę bonis, quòd vt vita ciuium, ita eorundẽ libertas minimè subest ordinario iuri & dominio Reip. subsunt autẽ ei alia fortunæ bona: Non enim ordinariè potest aut solet quis sine sua culpa priuari libertate sua à Republica, sicut per modũ tributi priuatur interdum aliis bonis, saltẽ ex parte. Ergo stando in solo iure naturæ, sicut propter eam causam non potest hostium Respub. puniri in morte ciuium

Universidad de Deusto
Biblioteca

suorum innocentũ (vt vidimus coroll.3.assertionis 1.) ita neq; in priuatione libertatis eorundẽ.

Quare fundamentũ illius prioris partis nostrę assertionis nõ videtur esse situm in nuda ratione & lege naturæ, sed in iure gentium, quod robur habet ex communi etiam consensione & placito hominũ, iuxta dicta à nobis tom.2.q.5.de Legib. p.2. Nec tamen inde sequitur, seruitutẽ hanc esse contra ius naturæ, vt ius naturæ nominatur *lex naturæ obligans*, sed tantummodò esse aliquid additum ad eiusmodi ius naturæ, iuxta ea, quæ in prædicta quęstione disseruimus, & notauit optimè Couarruuias vbi suprà n.3. corollario 5.

Posterior autem pars assertionis, scilicet quòd ab eiusmodi seruitute bellica excipiantur Christiani & eorum filij, tradunt communiter Doctores, vt est videre apud Couarruuiam in dicta relectione, §.11.nu.6. Idq; vsu communi receptum est in fidei fauorem.

Sed hìc occurrunt duo dubia. Primvm est, an gaudeant hoc priuilegio & exceptione Christiani apostatæ à fide? Et respondendum est breuiter cum Dom.Bannes ar.1.dub.12. non gaudere ipsos per se. Nam quod in fauorem fidei constitutum est, minimè suffragari debet iis, qui violârunt & eiurârunt Christianam fidẽ. Item quia tales possunt iure interfici, in pœnam apostasiæ, per suprà dicta disp.1.q.12. Ergo etiã priuari libertate. Dixi autem, *ipsos per se*. Nam infantes eorum baptizati, & alij innocentes apud ipsos, qui à fide minimè apostatâssent, procul dubio gauderent eo priuilegio, ita quidẽ, vt ideo solùm, quia sunt in bello capti, neutiquã possint in seruitutẽ redigi. Quod propterea ita dico, quia nõ puto esse negandum, quin aliis quidẽ titulis id fieri possit. Vt si v.g. tales apostatæ promisissent Principi constãtiam in fide Christiana sub pœna seruitutis filiorum, si à fide deficerent, & sub ea conditione Princeps eos vita donasset. Vel si opus esset illorum filios vendere ad subueniendum communi alicui & maximæ necessitati Reipublicæ: ad eum modum, quo licet parenti in necessitate grauissima constituto proprium filium vendere. In his casibus non videtur negandum, quin tales innocentes Christiani in seruitutem redigi possint, vt ex quorundam sententia disserit Bannes loco citato.

Alterum dubium est, an seruis iure belli factis liceat fugere, si habeant opportunitatem. Negat Turrecremata in caput Ius Gentium, 1.d.art.4. ad 5. & Syluester, Verbo Seruitus, q.3. Atq; etiam Nauarrus in Manuali cap.17.n.104. censet Christianum in bello captum ab infideli, & fugientem ab eo, debere saltem precium aliquod ad eum mittere, licet non etiam redire, propter periculum, ne fortè ab illo peruertatur.

Sed contraria sententia, scilicet licere in bello captis fugere, extra ditionem saltem & fines Dominorum, nec teneri ad aliquam restitutionem, defenditur à Couarruuia in dicta Relectione, §.11.n.6. & lib.1.variarum resolutionum cap.2.n.10. & à Dominico Bannes hìc art.1.dub.penultimo. Et hæc sententia est probabilior.

Nam in §. Item ea, quæ ab hostibus. Instit.de rerum diuisione, dicitur, eos, qui in bello capiuntur, fieri seruos iure gentium, & addicur: *Quòd si nostram potestatem euadant, & ad suos redeant, pristinum statum recipiunt*. Item quia genus istud seruitutis est quadam ratione honestũ & ingenuum; vnde fit, vt nõ obliget ad subiectionẽ, nisi quamdiu quis est in ditione Domini, vt colligitur ex dicto §. Item ea. & docet Couarruuias locis citatis. Denique ita iam vsu receptum est. Quanquam si quis etiam mansurum se apud Dominũ promisisset, manere teneretur peculiari ac nouo titulo fidelitatis, & multo magis, si id etiam iurasset.

Neq; his obstat Primo Concilium Gangrense c.3. vbi prohibetur dari consilium seruo fugiendi etiam prætextu religionis. Tũ quia potest intelligi id Cõcilium de aliis seruis. Tum quia disparest ratio in consulendo eiusmodi fugam. Ipse enim seruus iure belli factus, habet ius, vt pro suo proprio commodo libertatis, negligat ius alienum Domini fugiẽdo. Non autẽ habet hoc ius aliquis alius tertius, vt id consulendo negligat ius Domini, cùm non agat ipse de suo proprio commodo, nec possit alioqui vnius bonum procurare cum damno alterius. Atq; ob similem rationem videbimus infrà disp.4. in quæst. de Reo, posse Reum licitè fugere ex carcere, & tamẽ non posse alium hoc ei consulere, vt docet quoque rectè Caietanus q.69.art.4.ad 5.dub.

Neq; obstat Secvndo, quòd Dominus potest castigare talẽ seruum conantẽ fugere. Non enim id potest, quia talis seruus per eum conatũ peccet, sed vt sibi de dãno proprio caueat; & ita castigat illum sine culpa quidem, sed non sine causa, vt ait Bannes ex reg.16. de regulis Iuris, in sexto.

Ex his igitur, quæ in progressu belli licere aut non licere, tum iure *naturæ*, tum iure *gentium* hactenus explicuimus, satis iã liquet, quonã modo bellum gerendum & prosequendum sit, id quod nobis fuit explicandum in hoc tertio puncto.

PVNCTVM QVARTVM.

A quibusnam bellum geri possit.

D. Thomas art.2.

Qvædam sunt certa in hac re apud Doctores, & quædam controuersa. Primo certum est, Clericos in sacris ordinibus constitutos, & quoscunq; Monachos, etiam Laicos, iure Ecclesiastico prohiberi, quo minus licitè pugnare possint, vt patet de Monachis ex Can.Eos qui.20.q.3. & de Clericis ex multis Canonib.23.q.8. præsertim in Can. Clerici, & Can. Quicunque, vbi priuantur executione ordinum, si id faciant, & iubẽtur recludi in monasterium, atq; etiam suffragiis orationum & oblationum orbantur, si fuerint mortui in bello. Quæ quidem prohibitiones aut non intelliguntur etiam de Clericis in minoribus ordinibus; aut non ita, vt hi si pugnent, peccent mortaliter; aut certè quoad illos quidem per contrariam consuetudinem sunt eneruatæ. Itaque Couarruuias in Relectione super Clem. Si furiosus par.2.§.3.n.2. pro certo ponit, Clericos in minoribus perinde atq; laicos posse in bello pugnare propria manu absq; peccato.

Secvndo certum est, posse nihilominus Monachos & Clericos in sacris pugnare ex licentia Summi Põtificis in casu necessitatis; cùm scilicet aliter peritura esset Respublica vel exercitus; atq; etiam propter consequẽdam insignem aliquam victoriam redundantem in maximum communem bonum Reip. Imò etiam possent & tenerẽtur lege naturæ tales pugnare in huiusmodi casibus, non expectata licẽtia Summi Pontificis, vt docet optimè Caietanus hìc ar.2.& post eum Couarruuias Relectione in Clem. Si furiosus p.2.§.3.n.2.& Dominicus Bannes in dicto art.2. Tum quia sine dubio in talibus casibus Pontifex præsens dispensaret. Tum quia in illis casibus quilibet tenetur lege naturali charitatis defendere & promouere commune bonum Reipub. Contra quam legem nullam potest habere vim lex Ecclesiastica, atq; adeò nec prohibere Clericis aut Monachis pugnam in eiusmodi casibus. Nam sicut gratia non destruit naturam: ita lex Ecclesiastica ad ordinẽ gratiæ pertinens, minimè tollit obligationẽ legis naturalis, vt doctè asseruit Caietanus q.33.ar.7.

Tertio certum est, in casibus, quibus de licentia aut sine licentia Summi Pontificis, Clericis & Monachis pugnare licet, consequenter etiam eis licere occidere & exspoliare hostes, & alia facere, quæ iure belli possunt facere alij milites, iuxta ea, quæ tradidimus p.præced. Quòd autem vicissim non possint per se occidi aut exspoliari Clerici & Ecclesiæ, etiam in bello iusto, bene autem per accidens, docuimus p.præced. assertione primã, corollario quinto.

Qvarto certum est, non prohiberi per prædictos Canones Ecclesiasticos, quo minus possint Clerici ad bellum suscipiendũ hortari alios, aut etiam de licentia expressa vel tacita Superioris, bello iusto interesse causa ferendi militibus subsidia spiritualia; atq; etiam cohortandi in genere ad fortiter pugnandum, sine vlla specifica intentione sanguinis, id est, vt hic aut ille de numero hostium occidatur; vt patet partim ex optima doctrina D.Thomæ hìc art.2.in corpore, & ad 2. & 3. partim ex iis, quę ex communi opinione tradit Nauarrus in Manuali ca.27.n.211. quoad illud vltimum, quod diximus de cohortatione ad fortiter pugnandũ sine specifica intentione sanguinis. Id quod etiam affirmat Gratianus in Can. Quicunq; ex clero 23.q.8. Vnde quod ait Innocentius III. in cap. Quod in dubiis, Extra de pœnis, *enormiter peccare Clericum, qui alios incitat ad pugnam*, intelligi debet vel de pugna iniusta, vel cum illa specifica intentione sanguinis, vt exponit Nauarrus in Manuali, cap.27.num.216.

Qvinto certum est, non prohiberi etiam per illos Canones, quominus Clericus, qui habeat dominium etiam temporale in Republica perfecta, possit ex iusta causa indicere bellum, vt alius Princeps temporalis, vt patet per ea, quæ tradit Syluester, Verbo Bellum 3.q.1. Non enim est deterioris conditionis, quàm alius Dominus temporalis, nec habet minus ius ad suam Rempublicam bello tuendam, cùm id est necesse.

Sexto certum est, Clericos illicitè pugnantes, hoc est, vel in bello iniusto, vel iusto sine licentia, aut sine magna necessitate vel vtilitate Reipublicæ, incurrere irregularitatem; siue occidant aliquem, siue nõ occidant, modò aliquis in tali pugna occidatur: quia etiam tunc sunt illicitè concausa mortis, vt sunt pars exercitus; & ita incurrunt irregularitatẽ delicto homicidij annexam, vt colligitur ex cap.de cætero. Extra de homicidio. Imò etiam si ipsi in bello quidem iniusto nõ pugnent, sed ei intersint, hortãdo, &c. incurrunt eiusmodi irregularitatem, vt colligitur ex capit. Quod in dubiis, Extra de pœnis, & cap. Clericos, Extra de homicidio, & tradit Couarruuias Relectione in Clem. Si furiosus par.2.§.3.n.2.& Nauarrus in Manuali, cap.27.n.216. & patet ex iis, quæ disseruimus tomo 2.q.3.de Peccatis p.3.

Septimo certũ est, Clericos, qui in bello iusto de licentia Summi Pontificis pugnant, nõ incurrere irregularitatẽ, etiamsi quempiam occidant. Patet ex iis, quæ tradit Syluester, Verbo Homicidium 3.q.8.dicto 2.post Panormitanũ; & Couarruuias in dicta Relectione loco proximè citato. Hoc enim ipso, quòd Papa concedit Clerico eam licentiam, censetur cum eo super irregularitate annexa cuilibet homicidio dispẽsare. Neq; enim est credibile quòd dans licentiam eam, velit nihilominus Clericum incurrere impedimentum exequendi suam potestatem Clericalem propter exercitium actus, ad quem ei licentia conceditur; vt rectè etiam annotauit Bannes art.2.dub.4. Et hæc quidem certa sunt.

Controversia autem est de duobus. Primo, An non solùm prædicto iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali, illicitum sit Clericis & Monachis pugnare. Secvndo, An quando sine expressa licentia Summi Pontificis licitè pugnant & occidunt in casibus secundi pronunciati, pro necessitate scilicet, aut magna vtilitate Reip. incurrant nihilominus irregularitatẽ ob defectũ perfectæ lenitatis, sicut alij non Clerici, qui sunt causa iusti homicidij, vt iudices, & alij ministri iustitiæ.

Et quod ad Primam controuersiam attinet, sententia est plurimorum solo iure Ecclesiastico illicitũ esse Clericis & Monachis pugnare: quam sententiam amplectitur hìc Bannes articul.2. Et probatur Primo. Nam aliàs non posset Pontifex in ea re dispensare. Secvndo. Quia non est minus aliena à statu illo negociatio sæcularis quàm militia: sed negociatio solùm prohibetur eiusmodi personis iure Ecclesiastico: Ergo etiam

militia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

militia. TERTIO. Quia non omnia, quę dedecent aliquam personam, sunt etiam ei illicita iure naturæ.

Contrariam tamen sententiam asserit Turrecremata super Can. Clerici, 50. dist. & aliqui alij Canonistæ. Et idē sentit Gratianus 23. q. 8. Can. de Episcopis, siquidem ibi affirmat, ne per dispensationem quidem posse Episcopos & Clericos pugnare. Atq; hęc sententia posterior mihi videtur valde probabilis, si tamen non ita intelligatur, quasi iure naturæ nunquam omnino pugnare eis liceat, sed quia non eis licet ordinariè, extra illos nimirum casus necessitatis & magnæ vtilitatis, de quibus in secundo pronunciato diximus.

Quo pacto intellecta hæc sententia videtur etiam esse D. Thomæ hîc ar. 2. Nam in corpore articuli ait, bellica exercitia *maximè repugnare officiis*, quibus eiusmodi personæ sacræ deputantur. Et in respōsione ad 2. dicit, ne ex auctoritate quidem superioris posse eiusmodi personas interesse bellis, ita *vt propria quidem manu pugnent* (intellige extra cāsus illos in secundo pronunciato positos, quibus etiam ad id tenentur iure naturę) *sed tantùm vt iustè pugnantibus spiritualiter subueniant absoluendo, hortando, &c.* Et addit: *Quod autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est.*

Ac idem ex sententia D. Thomæ videtur censuisse Caietanus hîc artic. 2. cùm dicit, verum esse *regulariter* quidem seu ordinariè loquendo, quod docet D. Thomas, nulli licere id, per quod ad suū officium incongruus redditur, ac proinde nec militiam sacris personis. Quod planè ex natura ipsa rei videntur D. Thomas & Caietanus pronunciare. Vndè Caietanus postea in Sūma, Verbo, Clericorum peccata, inter illorum peccata contra solum ius Ecclesiasticum non numerat etiam dimicationem bellicam, sed solùm gestationem armorum, quę extra bellum quoque habet locum.

Probatur autem absolutè hæc posterior sententia. PRIMO ex illo Apostoli 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Quibus verbis videtur significare ex ipsa rei natura esse deforme & illicitum, vt persona Deo peculiariter dedicata, ordinariè exerceat negotia valdè sęcularia, quæ inquietudinem magnam habeant, vt habent maximā functiones bellicę. Adfert etiam D. Thomas in argumēto *sed contrà*, & Gratianus, illud Domini dictum ad Petrum: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Matt. 26. Quod non est omnino alienum à proposito. Nam quāuis præcipuè per eam sententiam Dominus prohibuerit omnibus vindictam sumere priuata auctoritate, tamen nihil impedit, quominus simul etiam his verbis indicare voluerit, illicitum & deforme quiddam ex ipsa rei natura esse, vt personæ sacratæ vterentur gladio in tumultibus publicis & bellis. Nam ex hoc ipso loco probat D. BERNARDVS lib. 4. de consideratione ad Eugenium, competere quidem Pontifici gladium quoque materialem, sed non *eius manu, licet eius nutu, euaginandum.*

SECVNDO probatur ex antiquis Patribus, qui ante eos Ecclesiasticos Canones, qui de hac re extant 23. q. 8. censuerunt, ex ipsa rei natura & diuino præcepto esse illicitum pugnare. S. MARTINVS apud Sulpitium in vita ipsius: *Hactenus* (inquit ad Iulianum Imperatorem) *tibi militaui: nunc miles Christi sum, mihi pugnare non licet*: postquam nimirum biennio post suam conuersionem (quo nihilominus in militia sæculari manserat) professus fuit vitam monasticam, vt apparet ex eodem Sulpitio.

S. AMBROSIVS li. 5. epist. orat. in Auxentium, quæ extat post epist. 32. *Dolere*, inquit, *potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoq;, lachrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere.*

S. AVGVSTINVS q. 10. in lib. Iosue, apertè dicit, non omnibus fas esse bellum gerere; quod sine dubio propter personas sacras dixit, cùm nullis aliis id sit illicitum: *Homo*, inquit, *iustus nihil præcipuè in his rebus* (insidiis bellicis) *cogitare debet, nisi vt bellum iustum suscipiat, cui bellare fas est. Non enim*, inquit, *omnibus fas est.*

Item S. BERNARDVS vbi suprà, sic Eugenium Papam alloquitur: *Quid tu*, inquit, *denuò vsurpare gladium tentes, quē semel iussus es ponere in vaginam?* Et infrà: *Vtrq; ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus est: ille Sacerdotis, is militis manu; sed sanè ad nutū Sacerdotis, & iussum Imperatoris.*

TERTIO probatur, nam in illis etiam Canonibus, quibus 23. q. 8. prohibetur militia personis sacris, prohiberi videtur eis tanquā iam aliàs iure naturali & diuino ipsis prohibita. Vt Can. Quicunq;, qui est Concilij Meldensis. Vbi ratio eius prohibitionis redditur ex iure naturali & diuino illis verbis: *Quia non possunt simul Deo & sęculo militare.*

Et Can. Reprehensibile, vbi Nicolaus Papa ad Carolum Imperatorem ita scribit: *Reprehensibile valde constat esse, quod subintulisti, dicendo maiorem partem omnium Episcoporum diu noctuq; cum omnibus aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos inuigilare, & ob id Episcopi impediantur venire: cùm militum Christi sit Christo seruire, milites verò sæculi seruiant sæculo, secundùm quod scriptum est: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, &c.*

Et Can. Si in mortem. Vbi S. GREGORIVS sic ait: *Si in mortem Longobardorum me immiscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Ducem nec Regem haberent. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido*, nimirum in bello pugnādo per se & alios Ecclesiasticos sibi subditos. Nam adhortando quidem non censuit Gregorius illicitum sibi & aliis Ecclesiasticis esse, se bellis iustis immiscere; cùm ipsemet ad cas Principes Christianos non semel hortatus fuerit, vt constat eadem distinct. & quæst. Canone Vt

Vt pridem, & Canone Suppliciter; Et ex eiusdem Gregorij testimonio, quod inter alia Patrum testimonia pro iure belli recitauimus p. 1. Quod idem fecit Papa Ioannes VIII. scribens ad Demagum Ducem, vt patet illic, Canon. Præterea. Vbi eum hortatur ad debellandum piratas.

QVARTO probatur ratione. Nam id censetur iure naturę esse prohibitum, quod secundùm rectæ rationis iudicium habet quandam deformitatem minimè congruentē homini, vt est ratione præditus, & consideratis omnibus circumstantiis pro cuiusq; rei materia; sicut patet ex iis, quæ tradidimus tomo 2. q. 4. de Legibus p. 1. Sed si personę sacrę ordinariè vt alij milites sęculares in bello versarentur, planè appareret in ea re talis deformitas, secūdùm rectæ rationis iudicium minimè congruens eiusmodi personis, vt & ratione prædita & sacratæ sunt: Ergo iure naturali id est prohibitum. Minor cuiuis certè rem attentè consideranti videbitur vera. Itaq; propter hæc argumenta mihi videtur probabilissima posterior illa opinio, vt antea dixi.

Nec verò nihil ad praxin refert, vtrum hæc opinio vera sit: Nam si vera est (vt esse opinor) non modò non erit licita dispensatio cum personis sacris, vt pugnent in casu aliquo ordinario, vbi scilicet illorum opera in hoc genere neq; necessaria ad salutem Reipublicæ, aut magnū aliquod eius bonum, neq; singulariter vtilis sit aut videatur; sed etiam erit inualida eiusmodi dispensatio ad excusandum eiusmodi pugnantes à peccato. Nam pugnabunt tunc in vno ex ordinariis casibus, in quibus pugna est eis prohibita iure etiam naturæ, contra quod nulla dispensatio valet.

Ad argumenta verò prioris sententiæ facilè per hæc respōderi potest. Ad PRIMVM respondeo, nihilominus posse in hac re habere locum dispēsationem Pontificis: nempe in casu aliquo extraordinario propter aliquam peculiarem vtilitatem, in quo scilicet nō nisi solo iure Ecclesiastico prohibita sit militia personis sacris. Et etiam in casibus, in quibus esset dubiū, an etiam personis sacris iure naturæ licitum & necessarium esset pugnare. Vt si dubitaretur, vel non planè euidenter constaret, vtrum eorum opera esset necessaria ad auertendam communem Reipublicę stragem, vel consequendam insignem aliquam victoriam coniunctam cum maximo bono communi, iuxta casus positos à nobis suprà in secundo pronunciato certo.

Ad SECVNDVM respondeo primùm, minus congruere personis sacris militiam, quàm negociationem. Deinde potest idem concedi de negociatione, scilicet eam *ordinariè* quidem esse similiter prohibitam iure naturæ personis sacris.

Ad TERTIVM dico, militiam non quomodocunq; dedecere homines sacratos, sed cum quadā etiam deformitate, ita vt planè eis repugnet, sicut affirmat D. Thomas art. 2. Et ideo quamuis secundùm se quidem non sit illicita, neque sæcularibus, est tamen *ordinariè* illicita iure naturæ hominibus sacratis ob circumstantiam personę, vt est dictum.

Quod ad SECVNDAM controuersiam attinet, Caietanus hîc art. 2. censet, Clericos tunc etiam incurrere irregularitatem, cùm in casibus positis suprà in secundo pronūciato licitè & necessariò pugnant. Argumentum eius est: quia etiam sine peccato incurritur per homicidium voluntarium irregularitas quædā, ob defectum, vt vocant, perfectæ lenitatis: Idem sentit Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 213. & Bannes hîc art. 2. dub. 4. Qui etiam citat cap. 9. & 13. Extra, de homicidio, ex quibus patere dicit, quòd secundùm iura antiqua solum homicidium omnino casuale non inducebat irregularitatem.

Sed contraria sententia videtur mihi probabilior. Quam asserit Syluester, Verbo Bellum 3. quęst. 2. circa finem, & Couarruuias relectione in Clem. Si furiosus, parte 2. §. 3. n. 9. vbi post Paludanum in 4. d. 35. q. 1. art. 4. & Alphonsum à Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. 14. affirmat, irregularitatem illam ob defectum perfectæ lenitatis nō incurri per licitum homicidium ab vllis personis priuatis, sed solùm à personis publicis, vt à iudicibus & aliis iustitię ministris. Et parte 3. eiusdem relectionis, §. vnico, n. 5. in fine, vbi affirmat, irregularitatem à nemine priuato incurri, qui in defensionem sui aut aliorum licitè occidat. Ex quo infert, opinionem illam Caietani esse valde dubiam, vt inquit. Ac in specie quoque parte 2. eiusdem Relectionis, §. 3. n. 2. citat contra Caietanum Panormitanum & alios pro dicta opinione Syluestri.

Probatur autem hæc sententia PRIMO, quia irregularitas non incurritur nisi in casibus iure expressis, vt etiam fatetur Nauarrus in Manuali cap. 27. nu. 194. In iure autem ratione homicidij solùm fiunt irregulares expresè, qui vel illicitè occidunt, aut dant operam rei illicitæ, ex qua illud sequatur (iuxta definita à nobis tomo 2. q. 3. de Peccatis p. 3.) vel licitè occidunt tanquam ministri publici iustitiæ; vt patet si quis percurrat Canones, qui ad hanc rem citantur à Nauarro vbi suprà n. 212. & 219. & seq. & ab aliis, vt videbimus, Deo fauente, in 4. tomo in materia de claibus, vbi agemus etiam de irregularitate.

Neque licet ea iura ad alios etiam extendere propter paritatem rationis; quia scilicet neque alij perfectè repręsentare potuerūt mansuetudinem Christi. Nam secundùm regulam Iuris odia restringenda sunt, & non amplianda ob paritatem rationis.

SECVNDO, quia in Clem. Si furiosus, de Homicidio, dicitur non esse irregularis, qui iustè occidit alium in defensione sui. Et in c. Si verò, de sententia excommunicationis, eū qui ob defensionem proximi percutit Clericū non incurrere excommunicationē. Et in c. Dilecto, de sententia excōmunicationis, in sexto, ex naturali illo principio:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vim vi repellere licet, infert Pontius ex, licere etiam
A à proximo non minus quàm à se vim vi repellere:
Ergo cùm iuxta regulam Iuris fauores sint ampliandi; licebit ex iis inferre; non incurri irregularitatem vim vi repellendo iustè in nostris casibus ab ipsa Republica, cuius commune bonum est maius quàm proprium aut cuiuscunque alterius proximi.

TERTIO, quia planè est incredibile & omnino absurdum, quòd propter actum, ad quem iure naturę quis tenetur, incurrat Canonicum impedimentum licitè exercendi suum proprium officium, ad cuius etiam executionem iure naturæ tenetur. Hoc autem fieret, si Clericus in casibus illis, in quibus iure naturæ pugnare tenetur, incurreret irregularitatem, propterea quòd
B pugnat, cùm Clericus irregularis nequeat licitè vti suo clericali officio: Ergo planè est id incredibile & absurdum. Maior probatur. Nam teneretur tunc iure naturæ pugnare (vt in illis casibus ponimus) & non pugnare, ne se reddat inhabilem ad officij sui vsum debitum; quod quilibet iure naturæ cauere tenetur. Est autem impossibile, vt in eodem tempore & casu teneatur quis ex iure naturę ad contradictoria, qualia sunt pugnare & non pugnare. Tunc enim vtrumuis & neutrum esset peccatum; quod manifestam inuoluit contradictionem.

Neque est simile quod Bannes in dicto dub. 4. in responsione ad 1. obiicit, nempe ob actum etiam virtutis & eum quandoque debitum, reddi
C hominem inhabilem ad suscipiendum officium ipsum clericale; vt iudex ob actum iustitiæ punitiuæ, quò Reum occidit; ac proinde non esse mirum, si etiam Clericus ob actum pugnandi, ad quem teneatur, reddat se inhabilem ad executionem officij Clericalis. Non est simile. Nam susçipere officium Clericale nemo iure naturæ tenetur: Et ita non est absurdum aut mirum, si per aliquem actum virtutis debitum possit aliquis reddere se inhabilem ad id officium susçipiendum. Exercere autem Clericale officium tenetur is, qui est Clericus. Et ideo absurdum & impossibile est, vt Clericus reddat se ad exercitium eius officij inhabilem per actum aliquem, ad quem iure naturæ teneatur, vt sumus argumentati.
D

Quare omnino est probabilius, Clericos cùm teneantur iure naturæ pugnare, non incurrere vllam irregularitatem. Maximè cùm habeant tunc etiam facultatem interpretatiuam Pontificis, vt concedit ipse etiam Caietanus, & certum sit Clericum pugnantem ex licentia Pontificis non incurrere irregularitatem, vt diximus in pronunciato septimo.

Quòd si etiam daretur aliquis casus, in quo Clerici iure naturę pugnarent quidem licitè, sed ad id non tenerentur, ne tum quidem incurrerent irregularitatem, vt patet ex prima & secunda probatione nostra, & ex iis, quæ tradit vbi suprà Couarruuias. Itaq; falsò quidam, quos Bannes memorat, contrarium senserũt. Quanquam reuera casus iste non est possibilis, vt scilicet Clericus aliquis aliquando possit licitè pugnare sine licentia Pontificis (sic enim nunc loquimur) neque tamen ad id iure naturæ teneatur. Quandocunque enim pugnare iure naturæ non tenetur, est illi iure Ecclesiastico id prohibitum, ac proinde illicitè tunc pugnabit, si absque licentia pugnet.

Porro non est firmum argumentum Caietani. Nam sine culpa non incurritur irregularitas ob defectum perfectæ lenitatis, nisi à publicis iustitiæ ministris, vt iam ante ex sententia Couarruuiæ & aliorum diximus. Neque etiam est verum, quod ait Bannes, patere ex cap. 9. & 13. de Homicidio, quòd solum homicidium omnino casuale non inducat irregularitatem. Patet quidem ex his capitibus, quòd homicidium eiusmodi irregularitatem non inducat, sed non quòd illud solum.

PVNCTVM QVINTVM.

Quonam tempore bellum geri possit.

D. Thomas art. 4.

HAEC quæstio præcipuè mouetur propter dies festos. Sed habet exiguam difficultatem. Nam certum est PRIMO licitum esse bellare in die festo, si id sit necessarium ad salutem Reipublicæ vel exercitus, in bello nimirum defensiuo. Patet ex illo 1. Machab. 2. *Cogitauerunt laudabiliter dicentes: Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus aduersus eos.* Item quia licet in die festo Medicis cum quantacunque mentis distractione laborare pro salute corporali vnius hominis; imò etiam cuiq; pro conseruandis suis rebus: Ergo multo magis pro salute Reipublicæ. Antecedens patet ex illo Christi sermone ad Iudæos Luc. 14. *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum in die Sabbathi?* & Ioan. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in Sabbatho?* Denique idem asserit Nicolaus Papa Can. Si nulla 23. q. 8.

SECVNDO certum etiam est, idem quoque licere, quando id est necessarium ad finem belli, nempe ad consequendam victoriam, præsertim valde vtilem Reipublicæ. Probatur primò. Nam vt rectè argumentatur Caietanus hic art. 4. licitum est die festo laborare piscãdo, quando tunc est opportunitas capiendi multos pisces, vt patet ex Capit. Licet. Extra de Feriis: Ergo multo magis pro communi vtilitate Reip. consequente ex victoria. Item quia licet etiam laborare in festis pro notabili aliqua vtilitate priuata: Ergo multo magis pro vtilitate communi.

Neque obstat, quòd Nicolaus Papa vbi suprà respondens ad Consulta Bulgarorum ait: *Si nulla vrget necessitas, non solùm Quadragesimali tempore, sed*

etiam omni tempore est à prælijs abstinendum, &c.
A Loquitur enim quando nulla vrget necessitas vel *absolutè*, sicut in bello defensiuo (cuius deinde in specie ponit exemplum) vel *ad finem* belli consequendum, sicut rectè interpretatur hîc art. 4. Caietanus. Verissimum enim est, omni tempore esse abstinendũ à bello, quando id non est necessarium ad finem, propter quem bellum licet: scilicet ad propulsandam, vel vlciscẽdam, vel compensandam iniuriam; cùm bellum debeat esse *necessitatis* non *voluntatis*, vt docuimus p. 2. ex Augustino in epist. 207. ad Bonifacium Comitem.

Neque obstat etiam, quod D. Thom. art. 4. solùm dicit, licitum esse bellum in die festo, *exposcente necessitate, & protuitione*, vt inquit, *Reipublicæ*. Nam vt ait Caietanus, vltio etiam iniuriarum,
B & recuperatio rerum per bellũ offensiuum, non-nulla quoque Reipub. tuitio est. Saltem D. Thomas non negat, quin liceat quoq; pugnare die festo, quando id ad hos fines necessarium est.

TERTIO certum quoque videtur esse, quod ait item Caietanus, non esse peccatum, saltem
A Mortale, pugnare in die festo, extra prædictos etiam Casus necessitatis, modò Missa audiatur. Ratio Caietani est: quia pugnare non est alioqui opus seruile, cùm à Principibus etiam exerceatur, nec multò magis distrahit mentem à diuinis, quàm alia quædam, quæ absque peccato mortali fieri solent diebus festis in celebratione nuptiarum, vt hastiludia, choreæ, &c.

DVBIVM autem esse posset, an aliquibus aliis certis temporibus sit mortale peccatum pugnare extra casus illos necessitatis. Nam Alexander III. in cap. *Treugas*, de Treuga & pace, sub grauibus pœnis & comminatione excommunicationis præcipit abstinere à pugna, à quarta feria post occasum Solis vsq; ad secundam feriam in ortu Solis, & ab aduentu Domini vsq; ad octauam Epiphaniæ, & à septuagesima vsq; ad octauam Paschæ. SED respondemus, licere etiam his temporibus extra casus illos necessitatis pugnare. Nam hoc decretum Alexandri non fuit vsu receptum, vt notat etiam Glossa in dicto cap. *Treugas*. Et hîc sit finis huius nostri belli.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Rixa & Seditione, quæ sunt item contra pacem Charitatis.

D. Thomas 2. 2. q. 41. & 42.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, QVID SIT RIXA, ET AN semper sit peccatum, & quale. Vbi etiam differendum erit de DVELLO, *quod est Rixa quædam, vt videbimus.* SECVNDO, *Quid & quale peccatum sit seditio.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Rixa, & an semper sit peccatum, & quale.

D. Thomas q. 41.

RIXAE VOCABVLVM, VT NOTAT ISIDORVS lib. 10. Ethymolog. cap. 17. à verbo *Ringor* ductum est. Et significat pugnam priuatarum personarum ex mutua excandescentia & ira concitatam, qualis esse solet pugna canum, quorum proprium est ringi cùm irritantur. In hac significatione vsurpatur hoc vocabulum non modò in sacris literis, vt Prouerb. 10. *Odium suscitat rixas*, & alibi frequenter, sed etiam à Latinæ linguæ auctoribus. Vt à Cicerone in Verrem: *Ecce noua turba & rixa.* Itaque vt D. Thomas inquit art. 1. Rixa quoddam bellum inter priuatas personas est.
C

Est autem ex fide certum, Rixam ex parte eius, qui solùm est inuasor, semper esse peccatum mortale ex suo genere. Tum quia ad Galat. 5. numeratur ab Apostolo inter opera carnis, de quibus subiungit: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Tum quia repugnat paci charitatis, & spectat eò, vt inferat damnum corporale proximo; quod ipsum est etiam contra charitatem & contra iustitiam, atque etiam contra ius superioris, quatenus is solus potest legitimè per iustitiam vindicatiuam vlcisci iniurias, si quæ sint illatæ à personis priuatis, quæ superiorem habent. Nec tamen multiplex, sed vnicum specie peccatum Rixa reputatur, secundùm eã videlicet malitiam, quam primariò habet, vt est contraria paci charitatis per illum modum peculiarem pugnæ priuatæ: quamuis materialiter quidem & velut consequenter habet quoque prauitatem illis aliis nominibus iam explicatis.

Dixi autem ex parte eius, qui solùm est *inua-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſor, &c. Nam ex parte eius, qui ſe defendit, fieri A
poteſt, vt Rixa vel nullum ſit peccatum, vel tantũ veniale, vel quandoq; etiam mortale, vt optimè docet D. Thom. art. 1. Nullum peccatum erit, ſi non plus quis repugnet aut lædat inuaſorem, quã ſit neceſſariũ, vt ſe defendat; neq; id ex odio inuaſoris, aut ira inordinata, ſed ordinato amore ſui ipſius faciat. Nam licitũ eſt vim vi repellere cũ moderamine, vt dicitur, inculpatæ tutelæ. Erit aũt veniale tantùm, ſi in alterutro modicè excedat. Mortale aũt ſi in alterutro vel vtroq; excedat multùm.

Dixi autem, qui *ſolùm* eſt inuaſor. Nam qui inuadit prior, nõ vt inuadat & vlciſcatur, ſed vt ſeipſum defendat, cùm ſcilicet ad ſe defendendum in aliquo caſu præuenire alterum neceſſe eſt; is B
non tam inuaſor alterius, quã defenſor ſui eſt: tãtùm enim materialiter & per accidens inuadit; formaliter aũt & per ſe tãtummodò ſeipſum defendit. Eſt autẽ licitum ſe defendere iſto modo inuadẽdo, quando id nimirum ad defenſionem eſt neceſſe, vt tradunt optimè Caiet. infrà q. 95. ar. 8. circa finem, & Sotus lib. 5. de iuſtitia & iure, q. 1. art. 8. in reſponſione ad obiectionem quandam contra 3. concluſ.

Dixi etiam, Rixam ex parte eius, qui ſolùm eſt inuaſor, eſſe peccatum mortale *ex ſuo genere*: quia poſſet eſſe tantummodò veniale; vel propter imperfectionẽ actus, quamdiu non eſſet plenè deliberatus; vel propter exiguitatem materiæ; cùm C
ſcilicet Rixa eſſet eiuſmodi, vt non niſi paruũ detrimentũ per eam poſſet proximo inferri, cuiuſmodi ſolent eſſe Rixæ puerorũ, qui idcirco ordinariè in eiuſmodi puerilib. pugnis tantũ peccant venialiter. Quod eſt notandũ propter excõmunicationẽ, quę incurritur alioqui ob percuſsionẽ Clerici. Nam ſi percuſsio Clerici exigua ſit, atq; adeò tantummodo peccatum veniale, nõ incurretur ob illam hæc excommunicatio, cùm excõmunicatio maior, qualis hęc eſt, non incurratur, niſi propter peccatum mortale.

Porrò quamuis remotè & occaſionaliter Rixę peccatũ ſoleat oriri ex variis cauſis, tamẽ proximè quidẽ eius cauſa eſt ira. Nã hæc expetit apertã vindictã iniurię veræ vel exiſtimatæ, ſicut ipſa Rixa apertè inſtituitur, & ideo eſt eius proxima cauſa, vt rectè docet D. Tho. hîc ar. 2. & Caiet. ex eius mente. Sic etiam docuit S. Gregorivs lib. 3. Moral. ca. 31. Et ſic intelligi debet quod dicitur Prouerb. 17. *Vir iracundus prouocat rixas.* Quod etiam repetitur c. 29. vbi & additur: *Qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum procliuior.*

In aliis autẽ Scripturæ locis aſsignantur cauſæ Rixarum remotę vel occaſionales. Vt Iac. 4. *Vnde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis, quæ militant in membris veſtris?* Et Prou. 10. *Odium ſuſcitat Rixas.* Et cap. 18. *Labia ſtulti immiſcent ſe Rixis.* Et cap. 28. *Qui ſe iactat & dilatat, iurgia concitat.* Sic enim D. Thom. explicat hæc loca art. 2. in ſolutionibus argumentorum. Vbi etiam in reſpon. ad 4.

docet, odium & animorum diſcordiã non modò ſolere eſſe cauſam Rixæ, ſed etiam effectum quãdoq;, quia quodlibet peccatũ poteſt hominem incitare ad peccatum quodlibet. Et ſic putat intelligendum illud Prouerb. 17. *Qui meditatur diſcordias, ſeminat Rixas.* Sed tamen ex hoc quidem loco probari potius videtur, quòd odium & diſcordiæ ſint cauſa & tanquam ſeminarium Rixarum.

Eſt autem opportuna hîc Qvæstio de Duello, quod eſt Rixa quædam ſeu bellum duorũ ex condicto; an ſcilicet illud ſemper ſit illicitum, vel aliquando licitum, & quomodo. Diſputat de hac re Syluester verbo Duellum. Sed multò quã ille melius & perſpicacius Caietanus infrà q. 95. ar. 8. cuius ſententiã ſummatim ſequitur Nauarrus in Manuali, cap. 11. num. 39. & cap. 15. num. 9.

Eſt autem aſſertio certa, iure naturali illicitum eſſe omne duellum, niſi in aliquo caſu illud vel acceptare vel indicere neceſſe ſit ad effugiendam iniuſtam mortem certò imminẽtem; quod rariſsimè accidet. Ita docent auctores citati, præſertim Caietanus & Nauarrus ex aliorum etiam ſententia. Sunt autem à nobis duo probanda, vt hæc aſſertio omni ex parte conſtet. Primo, licere duellum iure naturæ, quando eſt neceſſarium ad euitandam iniuſtam mortem certò alioqui imminentem, vt eſt dictum. Secvndo, in omni alio caſu eſſe iure naturæ illicitum.

Primvm probatur. Nam in caſu, quo quis ab altero iniuriam patitur, licitum eſt cum diſcrimine alterius ſeipſum & ſua tueri, quoad fieri poſsit, atque adeò ſubire minus malum ad auertendum à ſe maius, quod ſibi paratur per iniuriam alterius: Sed mors per iniuriam alterius certò imminens eſt multò maius malum, quàm incertum periculum mortis propriæ, quod incurritur per duellum: Ergo licitum eſt cum alterius diſcrimine ſecundùm ordinem charitatis incurrere per duellum hoc minus malum ad auertendum illud maius.

Minor patet. Maior probatur, tùm ex illo principio legis naturæ, *Vim vi repellere licet*, vt habetur. Lege. Vt vim. ff. de iuſtitia & iure, & cap. Si verò 1. Extra, de ſententia excommunicationis, vbi dicitur, *Leges et omnia iura hoc permittere*: Tũ ex ex ordine charitatis. Nam ſubire minus malum pro auertendo maiori, aliud nihil eſt, quàm bonum maius, cuius priuatio eſt malum maius, anteferre bono minori, cuius priuatio eſt minus malum. Quod ſit omnino ſecundùm ordinem charitatis, etiam cum detrimento & periculo alterius, qui per iniuriam inferre molitur malum; ſiquidem eum nõ tenemur tunc deligere & ſeruare, cùm non ſit in neceſsitate conſtituti, ſed ſpontanea malitia ſua nobis faciat ius, vt eum noſtræ defenſionis cauſa lædamus, neglecto nimirum illius bono pro noſtro. Itaq; licebit in eiuſmodi aliquo caſu cum diſcrimine alterius ſubire per duellum periculum mortis incertum

tanquam

tanquã minus malum ad auertendã mortẽ certò A
alioqui imminentem, atq; adeò immunitatem à mortis periculo tanquam minus bonum poſtponere ipſi vitæ, certò alioqui amittendæ.

Talis aũt caſus poſſet eſſe Primo, quando Aduerſarius certò alioqui eſſet p fraudẽ oppreſſurus in iudicio innocentẽ & impetraturus iniuſtã eius condemnationem ad mortem. Tunc. n. ſi innocens poſſet per duellũ cum aduerſario auertere id malum, licitè illud iniret, vt cenſent Caiet. & Nauarrus vbi ſuprà. Secvndo, ſi aliquis dux belli certus eſſet fore alioqui, vt ab hoſtib. ſuperetur, & cum toto exercitu pereat. Tunc enim licitũ eſſet ad auertendã quoad poſſet cõmunem cladem ſui & ſuorũ, per duellum cum aliquo ex hoſtibus B
controuerſiam bellicam dirimere: vt iidem auctores ſentiunt. Et addit rectè Caietanus, licere tunc indifferẽter ad eum finẽ non modò duellũ acceptare, ſed etiã *indicere*, ſi id quoq; eſſet neceſſarium & opportunũ ad auertendam cladem cõmunẽ. Nihil enim inter vtrumq; intereſt, quando non aggrediendi & vindicandi gratia, ſed defendendi ſit, vt generatim antea diximus de Rixa licitâ defenſionis causâ.

Ponunt etiam quidam aliũ caſum, vt Caiet. vbi ſuprà memorat, nempe ſi quis innocens, eſſet ab iniquis iudicibus damnatus, vt vel in duello pugnaret, vel mortẽ ſubiret. Qui caſus non videtur omnino improbabilis, nec in ſpecie à Caietano reiicitur. Nam etſi in eo caſu innocens nõ patiatur iniuriã ab illo tertio, cum quo ei offertur duellum, ſed à iudicibus, tamẽ videtur habere tunc ius, vt aduerſus iniuriam iudicum nitatur per incertum duelli periculum euadere certam alioqui mortem, etiam cum detrimento tertij: ſiquidem magis ſeipſum quàm illum in eo caſu diligere poteſt. Maximè cùm iniqui iudices tertio illo tanquam quodam inſtrumento vtantur ad exequendã iniquam ſententiã, quoad vnam eius partem. Itaq; vt poſſet innocens iniquè obiectus ſicario, v. g. ſe tueri illum occidendo, vel etiam cõſtringendo quodlibet inſtrumentum, quo iniquè necaretur: ita etiam in illo caſu videtur licitè ſe poſſe à certa morte defendere occidendo illum certium, per quem iniqui iudices eum morti exponerent in duello.

Ponit etiam Nicolaus Lyranus in cap. 1. lib. 1. Regum alium caſum generalẽ, in quo liceat duellum: nempe quando aliter non poſſet terminari controuerſia ciuilis vel criminalis. Sed hic caſus meritò reiicitur à Caietano vbi ſuprà, vt patebit ex iis, quæ iam ſubiungemus. Et hactenus de Primo.

Secvndvm autem illud, ſcilicet iure naturæ illicitum eſſe duellum in omni caſu, quo id ad effugiendam iniuſtam mortem certò alioqui imminentem neceſſarium non ſit, probatur Primo auctoritate Canonum Eccleſiaſticorũ, in quibus omne eiuſmodi duellum tanquam alioqui iure naturæ & diuino prorſus illicitum damnatur, vt

affirmat Syluester verbo Duellum, numer. 2. Id patet ex Can. Monomachiam. 2. quæſt. 5. vbi Nicolaus Papa dicit, *videri Deum tentare, qui monomachiam exercent*, nec factum Dauidis eſſe trahendum in exemplum, qui cùm Goliath pugnauit ſingulari certamine, peculiari ſcilicet inſtinctu Spiritus ſancti, vt ait Gloſſa in cap. Cura. Extra de purgatione vulgari.

Item in cap. Henricus. Extra, de Clericis in duello pugnantibus, Cœleſtinus III. appellat *prauam conſuetudinem* huiuſmodi ſingularium certaminũ, affirmatq; in eis committi peccatum homicidij, quod eſt ſine dubio cõtra ius naturæ. Et in Concilio Trid. ſeſſ. 25. in Decret. de Reformatione generali, cap. 19. appellatur *conſuetudo deteſtabilis*, & B
ſub grauiſsimis pœnis de nouo prohibetur, in ordinariis ſcilicet caſib. quibus iure naturæ grauia & deteſtabilia ſunt eiuſmodi duella. Non. n. videntur ibi damnari ea etiam duella, quæ ad effugiendam mortem certò imminentẽ, licita eſſent iure naturæ, vt neq; in aliis Canonib. Eccleſiaſticis, ſicut bene ait Syluester. Maximè cùm leges humanæ ordinariè & per ſe non obligent cum vitæ diſcrimine, iuxta ea quę diſſeruimus ex probabiliori ſententia tom. 2. q. 5. de Legibus, p. 7. circa finem.

Secvndo probatur idem ex iure Ciuili, vbi ſimiliter hæc certamina ſingularia tanquam per ſe atrocia improbantur. Vt in Lege vnica, Codice de Gladiatoribus lib. 11. vbi Imperator Conſtantinus ait: *Cruenta ſpectacula in ocio ciuili & domeſtica quiete non placent. Quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus.*

Tertio probatur ratione. Nam nulla cauſa ex iis, ob quas eiuſmodi duella videri poſſent licita, eſt idonea, vt doctè oſtendit Caietanus vbi ſuprà. Primo enim non eſt licitum indicere duellum propter vindicandam iniuriam aliquam. Nam auctoritate quidẽ priuata minimè id licet, cũ munus iuſtitiæ vindicatiuæ ſpectet ſolũ ad auctoritatem publicam. Neq; etiam licet indicere duellum auctoritate publica. Nam qui iniuriam vindicat, debet eſſe velut agens reſpectu alterius, quẽ punire intendit. Et ideo inſtar agentis naturalis oportet eum eſſe multò fortiorẽ altero tanquam paſſo, ita vt certum vel quaſi certum ſit, eũ præualiturum. Quod in ſingulari duorum certamine nõ poteſt certum vel quaſi certũ eſſe. Nam vel eſt par vtriuſq; conditio & facultas, vel multa poſſunt & ſolent in ſingulari certamine accidere, ob quæ is etiã, qui valentior videtur, ſuccumbat. Quò fit, vt neque bellum ad vindictam ſuſcipi poſsit, niſi certa vel quaſi certa humanitus victoria ſit, vt optimè ratiocinatur Caietanus.

Qui & hinc infert, nõ modò propter hanc rationẽ illicitum eſſe reuocare iuſtũ bellum offenſiuum ad duellũ (extra caſum ſuprà poſitũ ineuitabilis alioqui cladis) ſed etiã defenſiuum. Nam etiã in defenſione imitari oportet, quantũ fieri poteſt, agẽtia naturalia, quæ optimo & efficaciſsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo modo, quo possunt, resistūt cōtrariis. Est aūt A inefficax & debilis nimis resistēdi modus per vnū, quē vinci & superari facillimè potest contingere. Itaque perperam communis defensio Reip. vni committeretur, quando à pluribus per commune bellum fortius & efficacius suscipitur.

Nec SECVNDO licet acceptare duellum propter defendendum proprium honorem. Tum quia apud sapientes & probos in repudiādo duello, ne temerè vita alterius & propria periculo exponatur, & ideo peccetur cōtra legem diuinam, non perditur, sed acquiritur magnus honor, qui re vera prepōderat illi falso & mundano honori, qui apud vanos homines & filios huius seculi eare perditur. Tū quia si ob defendendū honorem esset licitū acceptare duellū, eadē ratione liceret ob eundem finem illud indicere, quando iudicio seculi id necessariū videretur: siquidem vtrumq; est eiusdem rationis, quādo fit necessariæ defensionis causâ, vt antè dictum est. Id aūt nemo Christianus cōcedet. Tū deniq; quia etiā apud homines mūdanos satis multū tuebitur suum honorē, qui ad duellū prouocatus respōderit aduersario, se quidem paratum esse ad se defendendū, quandocunq; ab eo inuadatur: acceptare tamen illud ex condicto contra legem diuinam & humanam nolle, vt annotauit Bannes q. 40. ar. 1. in fine.

Neq; est simile, quod pleriq; auctores concedunt, licere militi ad vitandam fugæ ignominiā occidere inuasorem, etiamsi fuga posset suæ vitæ cōsulere, vt videbimus disp. 5. in q. de Homicidio. Nam homini fortitudinem bellicā profitenti fuga ex ipso cōflictu turpissima est, etiā apud quoscunq; probos & sapientes. Repudiatio aūt duelli non ex hominis, sed ex Dei timore, apud probos & sapientes, quorum inprimis ratio habēda est, nullam turpitudinē, sed maximam habet laudē.

Nec TERTIO licet duellum indicere vel acceptare, vt per eius euentū innotescat veritas & iustitia alterius partis, quando aliter videtur cōstare nō posse. Nam duellū non est medium aptum ad eum finē, cùm quandoq; accidat succumbere in duellis eos, qui habent iustā causam, sicut patet ex cap. Significasti, Extra de purgatione vulgari. Vnde ibi & cap. Cū suscepti, eodem tit. damnantur in omni casu huiusmodi duella inita manifestādæ veritatis causa, tanquā vana & superstitiosa sortilegia, vt notat quoque Caietanus q. 95. artic. 8. ex doctrina D. Thomæ ibidem ad 3.

Nec QVARTO id licet finiendarum litium ciuilium aut criminalium causa, vt falsò sensit Lyranus in ca. 17. primi Regum. Nam neq; ad hunc finem est aptum medium duellum cum tāto periculo vitæ propriæ & alienę: sed alia sunt ad eum finem media, nempe aut cōuentio partium, aut sententia iudicis, aut commune bellum, si causa postulet, cuius & duelli quemadmodum non sit eadem ratio, iam antè explicatum est in refutatione primæ causæ.

Neq; est simile, quod à plerisq; conceditur, licitum esse alterum interficere pro defensione etiam rerum, vt videbimus infra in dicta q. de Homicidio. Nam cùm alter inuadit actu res tuas, ipsa iniuria tū flagrans (vt dicitur) & ex continenti, facit tibi ius, vt possis postposita vita alterius teipsum armare cōseruando efficaciter res tuas. Aliud aūt est post illatam iniuriam in rebus, aut lite pendēte, & iniuria existente dubia, alterum ex condicto velle occidere in duello. Hoc enim non tam esset res defendere, quā vindicādo iniuriam eas vel earum compensationem repetere; quæ vindicta non nisi ad Superiorem pertinet, & quidem extra duellum, per viā scilicet bellicam aut iudicialem, quando certa vel quasi certa sit spes B futuræ vindictæ, vt diximus in refutatione primæ causæ.

Nec QVINTO liceret duellum ostentandarū virium causa. Nam vanè & perperam adhibebitur mediū tam periculosum propter talē & tam non necessarium finem. Vnde singulare certamē Dauidis cum Goliath 1. Reg. 17. quod ad hunc finem videtur fuisse institutum, cōmuniter omnes excusant per peculiarem instinctum diuinū; sicut etiā Glossa in Capit. Cura suscepti, de purgatione vulgari.

Quamquam habuit etiam certamen illud nō exiguū fructū, si quidē victoria Dauidis animos hostium fregit ac debilitauit, non secùs quàm si decem millia illorum occidissent, vt etiam mulierum chorus Dauidem excipiens illo cantico significauit: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* 1. Reg. 18. Vnde etiam *videntes Philisthiim, quòd mortuus esset fortissimus eorum fugerunt*, & insignem plagam ab insequētibus filiis Israël acceperunt, vt ibi cap. 17. narratur.

Nec SEXTO licitum est duellum spectaculi & voluptatis gratia. Nam similiter est mediū nimis atrox ad finē tam parui momenti, iuxta id, quod ex Constantino in Lege vnica, Codice de Gladiatoribus antè recitauimus. Atq; eadem ratione meritò damnat vbi suprà Caietanus velitationes quasdam, quæ etiam ex consensu Ducum fiunt in bellis inter paucos ex vtraque parte spectaculi tantùm vel ostentationis causa. Quanquam si opportunè instituantur ad debilitandas D vires hostium, minimè sunt improbandæ; vt satis indicauit postea idem Caietanus in Summa, verbo Duellum, & explicuit Nauarrus in Manuali, cap. 15. num. 27. inducto exemplo Dauidis. Vbi etiam concedit, posse eiusmodi certamina oblata ab hostibus acceptari ad conseruandam existimationē bonam exercitus nostri apud hostes, siquidem ea etiam non parum momenti habet ad victoriam.

Nec POSTREMO pro causa licita duelli potest prætexi defensio vitæ propriæ, quādo aliter defendi potest. Siquidē aliud est vim illatā vi repellere, se ab inuasore defendēdo; aliud, spōte indicere aut acceptare duellum, quo vita nimirum non defendatur, sed exponatur potius periculo.

Ex qui-

Ex quibus sequitur, peccare etiam eos, qui A quomodocunque consilio vel auxilio cooperantur huiusmodi duellis, quibus & grauissimæ pœnæ in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. decernuntur, vbi & spectatores excommunicantur. Itaque Principes præsertim semper peccant & incurrunt eas pœnas assensum præbendo his duellis, siue ea concedendo: quamuis in aliquo casu extraordinario ad vitanda maiora mala & scandala putat Caietanus vbi suprà post Nicolaum de Lyra in caput 17. primi Regum, posse à Principibus permitti eo modo, quo permittuntur quandoque alia peccata ad euitandum maius malum. Non enim idem est, facultatem ad aliquid concedere, & id permittere.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quid, & quale peccatum sit Seditio.

D. Thomas q. 42.

SEDITIO, vt notant auctores boni ex Cicerone lib. 6. de Republica, dissensio ciuium est; sic nimirum dicta, quoniam seorsum tunc ciues alij aliò eant, ducto vocabulo à vocula, *Seorsum*, & vocula, *Itio*. Nec dubitari potest, quin ex parte illorum, qui per huiusmodi dissensionem aduersantur bono pacis politicæ, sit peccatum mortale ex genere. Bonum namque illud politicæ pacis & vnitatis ciuium in eodem corpore Reipublicæ, magnum quoddam bonum est, cùm ciuitas seu populus sit cœtus non quilibet, sed iuris consensu & vtilitatis communione sociatus, vt ex *Sapientum sententia* definit sanctus AVGVSTINVS lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 21. & lib. 19. cap. 21. & ex illo quoque S. Thomas ar. 1.

Ex parte autem illorum, qui in seditione defendunt pacem & vnitatem hanc Reipublicæ, resistendo perturbatoribus illius, constat non esse peccatum dissensionē ciuium, vt docet D. Thomas ar. 2. & optimè etiam Caietanus in Summa, verbo Seditio. Vnde neque hi propriè seditiosi vocantur. Nam vt iustè quis ab alio iniquè inuasus seipsum defendit: ita etiam boni ciues Rempublicam aduersus seditiosos bonum eius perturbantes, & eatenus eam inuadentes. D

Nec solùm seditio est peccatum ex suo genere mortale, sed etiam speciale cōtra charitatem. Nam diuerso modo eius paci repugnat, atque alia, quæ habent similitudinem cum illa: Vt Discordia, Schisma, Bellum, Rixa. Ab his enim omnibus peccatis repugnantibus item paci charitatis, seditio differt, vt docet D. Thomas art. 2.

A *Discordia* quidem, nam discordia propriè est tantùm in animis, & inter quoscunque: Seditio autem est etiam in opere & pugna, & inter partes multitudinis, quæ ex pluribus ciuibus constient.

A *Schismate* etiam, quia schisma aduersatur vnitati spirituali Ecclesiæ, & est præcipuè spiritualis dissensio voluntatum: Seditio autem aduersatur vnitati politicæ Reipublicæ, & est æquè in opere pugnæ, & in præparatione ad illud.

Item à *Bello*, quia hoc est inter integras Respublicas, & præcipuè consistit in opere: Seditio autem est inter partes eiusdem Reipublicæ, & æquè etiam consistit in ipsa præparatione animorum ad pugnæ opus.

Item à *Rixa*, quia hæc est inter duos aut paucos, & ideo solū infert proximo priuatum damnū: Seditio est inter partes multitudinis, & ideo est perniciosa communitati ipsi politicæ, vt est B dictum. Vnde Apostolus 2. ad Corinth. 12. seditiones annumerauit aliis specialibus peccatis tanquam ab iis distinctum. *Timeo*, inquit, *ne forte cùm venero, non quales volo, inueniam vos, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos.*

Est itaque Seditio speciale peccatum contra pacem charitatis formaliter, vt notat etiam Caietanus in Summa: quamuis materialiter quidem etiam est contra iustitiam, quatenus infert damnum Reipublicæ & eius ciuibus, sicut p. præcedente diximus, Rixam quoque aduersari iustitiæ. Et sic intelligo, quod ait D. Thomas hic ar. 2. seditionem aduersari iustitiæ. Nam certum est eam propriè & formaliter non esse nisi vnicum C specie peccatum contra pacem charitatis, vt nō solùm Caietanus loco citato, sed etiam ipse D. Thomas sensit initio q. 37. & q. 39.

Porrò qui auctor etiam seditionis est, maximè est reus huius peccati. Quod ipsum etiam maius est, quando non tantùm in præparatione animorum ad pugnam, sed in pugna iam ipsa cōmittitur. Quæ quantam habeat peruersitatem, potest intelligi ex illa descriptione Virgilij lib. 1. Aeneidos:

--- magno in populo cùm sæpè coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile vulgus,
Iamq; faces & saxa volant; furor arma ministrat.



QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De Scandalo quod est contrarium beneficentiæ Charitatis.

D. Thomas 2.2. q.43.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, QVID, ET QVOTVplex sit Scandalum. SECVNDO, An sit peccatum, & quale. TERTIO, An in viros etiam perfectos cadat. QVARTO, Quid faciendum vel intermittendum sit propter illud vitandum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid & quotuplex sit Scandalum.

D. Thomas art. 1.

QVID significetur vocabulo Scandali, S. HIERONYMVS interpretatus est in cap.15.Matth. circa illa verba discipulorum Domini: *Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* vbi Hieronymus ita scribit: *Quia crebro teritur in Ecclesiasticis Scripturis scãdalum; breuiter dicamus, quid significet.* Πέσσομμα *et* σκάνδαλον, *nos offendiculum, vel ruinam, & impactionem pedis, possumus dicere.*

Itaq; scandalũ dicitur quicquid in via obiectũ est, in quod possit quis pede impingere, itemque impactio siue offensio ipsa pedis; atq; etiã ruina & casus, quatenus hæc omnia solent effectus esse alicuius eiusmodi offendiculi. Atq; eadem vis est vocabuli πέσσομμα: nisi quòd per illud propriè ista significãtur: per vocabulum aũt σκάνδαλον non nisi metaphoricè. Nam propriè σκάνδαλον apud Græcos significat paruulũ illud lignum in muscipula, ex cuius motu, cũ mus escã attigit, sequitur casus asserculi muscipulã concludẽtis. Atq; inde per metaphorã nominatur scandalũ omne offendiculum in via, ex quo impendet casus seu offensio pedis, & sic etiam ipse casus & offensio, sicut dictum est.

Hinc rursus Scandalũ à Theologis & in Scriptura sacra nominatur, quod in hac vita, tãquam in via, qua contendimus ad beatitudinem, sic ab aliquo fit aut dicitur, vt sit alteri occasio ruinæ spiritualis, nimirũ peccati. Quod etiam S. Hieronymus vbi suprà declarauit, post recitata verba mox subiungens: *Quando ergo legimus; Quicunque scandalizauerit quenquam, hoc intelligimus: Qui dicto factoue occasionem ruinæ cuiquam dederit.*

Ex quibus Hieronymi verbis cõmuniter Doctores hanc Scandali descriptionẽ confecerunt: *Scandalum est dictum vel factũ minus rectum præbens occasionem ruinæ.* Ita D. Thom. hîc ar.1. & Alexander Hallensis parte 2.q.189.mem. 1. & Richardus in 4.d.38.artic.vlt.q.1.& Durandus ibidem q.3.& Maior ead.d.q.vlt. & Adrianus quodlib.1.ar.1.& Syluester & alij Summistę, verbo *Scandalũ*, & Couarruuias Relect. in ca. *Peccatũ*, de reg. Iur. p.1.n.5.

Dicitur aũt tantummodò *dictum vel factũ*; quia actus duntaxat exterior alteri notus (cuiusmodi est dictũ vel factum) potest habere rationẽ scandali, tanquã obex nimirum in via obiectus; non autẽ actus interior, sicut notauit rectè Adrianus quodlib.1.ar.1. in responsione ad 4. & ante illum D. Thomas in 4.d.38.q.2.ar.1.ad 3.

Dicitur etiã *minus rectum*, & nõ absolutè, malũ, aut, non rectũ, ad denotandũ, posse etiam scandali rationem esse in actu, qui nõ sit vndequaque prauus, sed tantũ habeat specię mali; aut qui dũtaxat ratione effectus, scilicet ruinæ alterius, malus sit, licet alioqui per se omnino sit bonus. Itaq; quamuis per illam particulã, *minus rectum*, significetur in prædicta definitione actus, qui ex aliquo capite careat debita rectitudine, atq; adeo simpliciter sit non rectus, sed prauus: tamẽ propter dictam rationem meritò hoc ipsum significatur illo modo dicendi, scilicet *minus rectum*.

Non. n. id duntaxat minus rectũ appellari solet, quod simpliciter rectũ est, licet non adeò, cõparatione alterius; sed etiã id, quod propter aliquẽ defectũ est minus rectũ, quã simpliciter debet, & quod ideo est absolutè & simpliciter malũ. Iuxta illud D. Dionysij ca. 4. de diuinis nominibus: *Bonũ consurgit ex integra causa, malum aũt ex quocunq; defectu.* In quã sententiam dixit quoq; Philosophus lib.2.Ethic.ca.6. *Peccare multis modis possumus: recte verò agere, vno modo tantũ licet; atq; ideo illud facile, hoc verò difficile est. Facile siquidẽ est à scopo aberrare, sicut ipsum attingere difficile.* Qua de re vide quæ disseruimus tom.2.q.15. de actibus humanis p.6.

Dicitur deniq; in illa definitione, *præbẽs occasionẽ ruinæ*, nõ aũt causam, &c. Tũ ad significandũ à nulla re extrinseca, tanquã ab efficaci causa posse humanã voluntatem induci ad peccandũ, sed sola tũ tãquam ab occasione, si ipsa sponte velit. Tũ vt ea definitione cõprehendatur etiã scandala, quæ cõtinentur quandoq; actib. alioqui bonis, & solũ ob circũstantiam effectus (scilicet ruinę alterius) prætermittẽdis, vt postea dicemus: Qui actus nõ tã causa quã occasio alienæ ruinæ dici possunt.

Porro

Porrò Scandalum variè DIVIDITVR. PRIMO in actiuum & passiuũ. ACTIVVM est illud, quod iã definiuimus, & de quo inprimis instituitur hęc disputatio, scilicet factum vel dictum minùs rectum, quod est alteri occasio ruinæ. PASSIVVM nominatur ipsa spiritualis ruina alterius. Vnde hęc diuisio Scandali analogica est, quatenus Scãdali vocabulum primariò conuenit Scandalo actiuo, & deinde etiam attribuitur Scandalo passiuo, propter ordinem, quem ad actiuum habet, sicut effectus ad aliqualem sui causam.

SECVNDO diuiditur vel subdiuiditur potius Scandalum actiuum in Scandalum per se, & Scãdalum per accidens. Scandalum *per se* hoc loco appellamus, cùm ex certa & expressa intentione datur alteri occasio peccandi. Vt si quis hortetur alterum, vt peccet, intendens formaliter ruinam ipsius; vel quando facit aut dicit aliquid, quod per se & ex natura sua est inductiuum ad peccandum, sicut ait D. Thom. ar. 1. ad 4. ponens exemplũ in eo, qui publicè facit actum malũ vel habẽtem speciem mali. Scandalum autem *per accidens* nunc nominamus, cùm præter intentionem prędictam, & præter naturam ipsius actus sequitur alterius ruina. Quod fit, quando quis accipit occasionẽ peccandi ex actu alterius bono secundùm ipsius quidem naturã, licet non hîc & nunc; vel etiam malo, aut habẽte speciem mali, sed per quem quis non expressa & formali intẽtione intenderit ruinam alterius, sed tantummodò satisfacere suæ voluntati, vt ait S. Thomas art.3. & patebit magis ex puncto sequenti.

TERTIO Scandalum quoq; passiuum subdiuiditur in Scandalum datum & acceptum. Scandalum *datum* dicitur id, quod verè oritur ex actiuo Scandalo alterius: & solet etiam appellari Scandalum *pusillorum*, seu *infirmorum*, quod est cauendum: iuxta illud Christi Matth.18. *Quicunque scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria, &c.* Scandalum autem *acceptum* dicitur ruina alterius, non verè orta ex Scandalo actiuo alicuius alterius, sed ex malitia propria: & solet etiam appellari Scandalum *Pharisæorum*, neque est curandum. Iuxta illud Christi Matth.15. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.*

PVNCTVM SECVNDVM.

An Scandalum sit peccatum, & quale.

D. Thomas art.2.3.4.

QVÆDAM sunt certa de hac re apud Doctores, & aliquid controuersum. Certum est PRIMO, omne Scandalum actiuum, in eo quidem, qui scãdalizat, esse ex suo genere peccatum mortale; siue illud sit scandalum actiuum per se, ex parte formalis & expressæ intẽtionis, aut ex parte ipsius operis, iuxta dicta puncto præcedenti; siue per accidens, cùm scilicet quis licet neq; expressa intẽtione velit ruinam alterius, neq; exerceat opus natura sua ad illam ordinatum, tamen potest & tenetur illam impedire abstinendo ab opere, ex quo alter ruinæ occasionem accipit, & non abstinet.

Probatur PRIMO testimonio Domini, qui Mat. 18. generatim de omnibus scandalizantibus pronunciat: *Væ homini illi, per quem scandalum venerit.* DEINDE manifesta ratione. Nam esse alteri causam vllo modo voluntariam ruinæ spiritualis, est omnino contra charitatem, & illum eius actum, qui est proximo *benefacere*, de quo disseruimus suprà q.8. Ergo ex suo genere est peccatũ mortale.

Et confirmatur hæc ratio ex Apostolo. qui ad Rom.14. declarauit, contra charitatẽ esse etiam Scandalum per accidens, quale est eius, qui non abstinet à cibo, propter quẽ proximus scandalizatur. *Si propter cibũ*, inquit, *frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, propter quem Christus mortuus est.* Et. 1. Cor. 8. *Sic autem*, inquit, *peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrẽ meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Neq; obstat, quòd ait Dominus Matth. 18. *necesse esse, vt veniant scandala.* Non enim significat, esse necessaria necessitate absoluta, ac proinde non libera, neque peccata; sed loquitur de necessitate ex hypothesi præscięntiæ suæ diuinæ, vt exponit D. Thomas hic art.2. Vel sensus est, vtile & expediens esse, vt diuinitus permittantur Scandala propter bona, quæ ex illis, sicut ex malis omnibus elicit. Quò pacto dixit etiam Apostolus 1. ad Corint. 11. *Oportet hæreses esse, vt qui probati*, inquit, *sunt, manifesti fiant.*

Neque obstat quoq;, quod S. HIERONYMVS super illud Matth.16. quod dixit ad Petrum Dominus: *Scandalum mihi es*, ait, eum Petri errorem natum fuisse ex pietatis affectu. Nihil enim impedit, quo minus bono affectu & intentione, quędam peccata committantur; vt bene notauit in hoc proposito Adrianus quodlib.1.art.1. in fine, post Richardum in 4.d.38.ar.10.q.1. ad 2. qui concedit Petrum tunc aliquo modo peccasse, Christum quantum in ipso fuit scandalizando & retrahendo illum ab eo, quod erat ipsi à suo patre imperatum; præsertim cùm necdum tantam Christi notitiam haberet, vt illicò aduerteret esse impossibile Christum desistere à professione Hierosolymitana contra præceptum patris. Quanquam D. Thomas ar. 2. ad 2. non videtur admittere, quòd Petrus tum peccauerit, & ideo dicit, Scandalum appellâsse Dominum non propriè, sed latius sumpto vocabulo, prout Scandalum nominari potest quodcunque boni operis impedimentum.

Sed probabilius est, Petrum tunc saltem veniaIiter peccâsse peccato Scandali. Alioqui nec

fuisset tam asperè increpatus à Domino, nec eius factum Hieronymus appellaret *errorem*, vt bene Adrianus argumentatur. Et vt dictum est, bona quoq; intentione potest peccari. Imo vt ait Philosophus lib. 6. Eth. cap. 13. facillimè eos peccare contingit, qui aut naturâ aut bono affectu bonâ intentionem habẽt, si eis prudentia & perspicacia deest. *Sicut in corpore valido*, inquit Philosophus, *quod sine visu mouetur, contingit, vt vehementer erret, propterea quòd visu caret. Ita quoq;*, inquit, *hic euenit.* Vnde etiam Apostolus ad Rom. 10. *Testimonium perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, &c.*

A

Secvndo certum est, scandalum passiuũ in eo, qui scandalizatur, semper quoq; esse peccatũ mortale vel veniale, prout mortale vel veniale fuerit peccatum, in quod occasione accepta ab alterius facto vel dicto labitur. Patet. Nam scandalum passiuũ est ipsa spiritualis ruina per peccatum, vt dictum est puncto præcedenti. Et sicut fieri potest, vt vnus, quantum est in se, scandalizet alterum, & alter non scandalizetur; & vicissim, vt quis perperam accipiat occasionem ruinæ ex facto alterius, qui verè ipsum non scandalizat: ita constat fieri posse, vt sit peccatum scandali actiui in vno, sine peccato scandali passiui in altero, & vicissim peccatum scandali passiui in vno sine peccato scandali actiui in altero, sicut clarè docet D. Thomas ar. 1. ad 4.

B

Hinc de scandalo actiuo sine passiuo intelligitur illud Matt. 16. *Scandalum mihi es.* De scandalo aũt passiuo sine actiuo, illud Matth. 15. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* Et illud Simeonis de Christo Lucæ 2. *Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum, et in signum, cui cõtradicetur.* Atq; etiam illud Apostoli de eodem ad Rom. 9. & ex Isaia: *Ecce pono in Sion lapidẽ offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.* Et quod scribit Tertvllianvs in libro de velandis virginibus paulò post initium, aduersus eos, qui perperam ex aliorum continentia & religiosa vita scandalizantur, & eam impiè improbant. Vbi quemadmodum horum scandalum passiuum sit absque actiuo in continentibus, his verbis declarat ibi Tertullianus: *Scandalum, nisi fallor, nõ bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ, soli Deo captans placere; agnoscant malum suum, qui de tali bono scandalizantur. Quid enim si & incontinentes dicant se à continentibus scandalizari, continentia renouanda est?*

C

Tertio certum est, scandalum quidem passiuum non esse peccatum alicuius certæ speciei, sed posse esse diuersarum, prout potest quis in diuersarum specierum peccata labi accepta occasione ex alterius dicto vel facto. Neque hoc ipsum, quod ex alieno dicto aut facto occasio sumatur peccandi, est aliquid, quod per se constituat peculiarem aliquam speciem peccati: Vtneque per alias occasiones seu incitamenta peccatorum aliqua peculiaris species peccati constituitur. Ita docet diuus Thomas articulo 3. & alij omnes.

Qvarto certum est, scandalum actiuum per se, quòd sit cum expressa & formali intentione ruinæ & peccati proximi, vt peccatum & malum eius est, esse peccatum speciale scandali distinctum ab omnibus aliis. Nimirum si quis ea intentione alteri suadeat actum malum, vt per eum peccet, aut ad eum ipsum finem faciat, vel dicat aliquid coram eo. Etenim hoc directè esset contrarium illi beneficentiæ charitatis, quæ est correctio fraterna; & consequenter speciale peccatum est. Nam cõtraria sunt, proximum deterrere & liberare à malo peccati, quod est officium correctionis fraternæ; & proximum velle inducere in ipsum malum peccati. Et hæc quidem certa sunt.

D

Controversia autem inter Doctores est, An quoduis etiam aliud scandalum actiuum, quantumuis per accidens, & præter illam formalem & expressam intentionem ruinę proximi, sit speciale peccatum? Sunt enim hac de re duæ opiniones; Vna negat, excepto casu, quo actus scandali actiui non est alioqui per se malus: nam tunc non habet aliam peccati speciẽ, ad quam pertineat præterquam scãdali. Ita videtur sentire sanctus Thomas artic. 3. vbi ait, scandalum actiuum per accidens, & præter intentionem agentis, *reputa*, inquit, *cùm aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinæ, sed tantùm suæ satisfacere voluntati*, non esse speciale peccatum. Ita etiam expressè docet ibi Caietanus, atque etiam in Summa, verbo *Scandalum*, quem sequitur in hoc Couarruuias Relectione in Cap. *Peccatum*, parte 1. num. 5. & Bannes hic art. 4. & eadem fuit sententia Durandi in 4. d. 38. q. 3. & Paludani in 4. d. ead. q. 6. concl. 2.

Argumentũ huius sententiæ est Primo, quia species in moralibus non sumitur ab eo, quod est per accidens & præter intentionem, sed ab eo, quod est per se intentum, vt ait diuus Thomas in dicto art. 3.

Secvndo, quia accidentalis videtur esse differentia actus, qui fit manifestè, & ideo est scandalosus, ab eo qui fit occultè, vt ait etiam D. Thomas illic in responsione ad 3.

Tertio, nam qui sollicitat fœminam ad fornicationem, non ruinæ spiritualis illius, sed suæ voluptatis causa, tantùm videtur committere peccatum fornicationis, non autem scandali.

Qvarto, potest etiam pro hac opinione fieri hoc argumentum: Ex hoc quod aliquis per accidens, & præter formalem & expressam intentionem sit sibi ipsi causa voluntaria ruinæ propriæ spiritualis, cùm scilicet vult committere id, quod est peccatum, vt furtum vel adulterium, non peccat speciali peccato scandali, distincto

distincto ab ipso peccato furti vel adulterij: Ergo neque ex hoc, quòd similiter per accidens sit voluntaria causa alicuius similis ruinæ proximi. Cõcedit tamen nihilominus Bannes, circũstantiam Scandali actiui per accidens, esse necessariò confitendam, quia notabiliter aggrauat.

A

Altera sententia affirmat, omne scandalum actiuũ, quod scilicet sit vera causa siue occasio voluntaria ruinę proximi, esse peccatũ speciale scãdali, & vt tale in Confessione aperiendũ, quamuis sit per accidens & præter intentionẽ formalẽ & expressam ruinæ alterius. Ita docet Adrianus in 4. in materia de Confess. q. 4. §. *Venio nunc ad inuestigandum de circumstantiis*, & Syluester verbo *Scandalum*, q. 2. & Ioan. Maior in 4. d. 38. q. vlt. §. *Tertiò principaliter*, & Antonin. 2. part. tit. 7. §. 4. cap. 4. Et Nauarrus Relectione in Capit. *Consideret*, de pœnitentia, d. 5. §. *Animaduertere*. num. 9. & in Manuali, cap. 6. num. 19. Qui hanc sententiam amplectitur in casibus, quib. probabiliter putari potest, inordinatum dictum vel factũ vnius manifestum, futurum occasionẽ alteri ruinæ, etiam si forrè non ruat, vel ruat præter intentionem scandalizantis.

B

Quo pacto sine dubio hæc sententia ab aliis etiã auctoribus intelligitur. Nam quando attentis etiã omnibus circumstantiis actus inordinatus vnius nõ est talis, vt probabiliter putari possit alteri futurus occasio ruinæ, nõ erit peccatum scandali, nec distinctum, nec non distinctum, vt sentit etiam Bannes hic art. 4. in fine. Nam tunc non potest quis censeri causa moralis ruinæ alterius. Videtur quoq; in hac posteriori sententia fuisse omnino Alexander Hallensis part. 2. q. 189. mem. 2. in fine, vbi expressè dicit, *constitui alterum peccatum per hoc, quòd actus malus fiat in publico, & ideo sit scandalosus.*

C

Hæc posterior sententia mihi probabilior videtur. Primo, quia in omni alia materia morali, in qua peccatum specificatur à nocumento vel iniuria illata, intentio & volũtas tacita & indirecta seu virtualis æquiualet intentioni expressæ & formali seu directæ, saltem vt per illam etiam cõmittatur verè peccatum talis speciei, licet non adeo grauiter: Ergo etiam in hac materia scandali. Antecedens patet. Nam verè committit peccatum *Detractionis*, qui temerè dicit aliquid, ex quo sequitur detrimentum famæ proximi, quãuis hoc detrimentum expressè & directè non intendat, sed solùm indirectè, quatenus poterat & tenebatur illud impedire, abstinẽdo à sermone, ex quo illud sequitur, & non impediuit. Item paritèr modo verè committit peccatum *furti*, qui rapit rem alienam non formali & expressa intentione nocẽdi proximo, sed commodandi sibi. Item qui committit fornicationem in loco sacro, verè cõmittit etiam peccatum *sacrilegij*, licet expressè & directè non intendat inferre iniuriã & irreuerẽtiam loco sacro, sed solùm indirectè & tacitè, quia non eam impedit abstinendo à tali actu, cùm posit & teneatur. Similiter igitur in proposito per voluntatem etiam indirectam ruinæ alterius committitur verè peccatum scandali. Cuius sanè argumenti nodum fatetur infrà Caietanus quæstione 53. artic. 2. ad 3. se nescire dissoluere.

D

Secvndo. Nam qui præter expressam intentionem scandalizat proximũ per actum alioqui bonũ, verè committit speciale peccatũ scandali, vt cõcedit Caietanus, & etiam Paludanus vbi suprà: licet is solùm indirectè & tacitè vult proximi ruinam: Ergo etiam qui similiter scandalizat proximum per actum alioqui malum. Non enim is est melioris conditionis, quàm ille alter: nec quòd actus eius sit alioqui malus, obstat, quò minus alia ratione posit esse in alia simul specie peccati, vt patet ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 18. artic. 10. Nec puto planè hoc argumentum posse solui.

Tertio, quia circumstantia, quæ ex actu alioqui bono facit malum in specie aliqua determinata, vbicunq; in actu reperiatur, constituit peculiarem speciem peccati, si saltem indirectè sit voluntaria, vt concedit etiam Bannes artic. 4. dub. 11. in fine: Sed circumstantia scandali est talis, vt concedit Caietanus, & Paludanus, & idem Bannes, & patet in casu præcedentis argumenti: Ergo in quocunq; actu siue bono siue malo reperiatur, cõstituet eum in peculiari specie scandali, cùm saltem indirectè est voluntaria. Maior patet tum ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 18. art. 11. Tum ratione, quia vbique talis circumstantia retinet suam moralem rationem, per quam semper constituet speciem, si aliquando eam constituit.

Qvarto accedit, quòd si formalis illa intentio ruinæ alterius ad speciale scandali peccatum necessaria est, rarò aut nunquam peccatum scandali ab hominib. committeretur. Quotus enim quisq; tam improbus est, vt per malitiã planè diabolicam velit ipsam ruinam spiritualẽ proximi? Et tamen in Scriptura non semel mentio huius peccati fit, tãquam eius, quod nõ rarò ab hominibus perpetretur. Vt cùm ait Dominus Mat. 18. *Qui susceperit vnum talem paruulum in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria, etc.* Vbi indicat æquè posse frequentem esse vsum scãdali atq; operum charitatis. Et cùm ait deinde: *Væ mundo à scandalis: necesse est enim vt veniant scandala. Veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venerit.* Et; *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te:* Id est (interprete ibi Hieronymo) *si ita est quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, et est vtilis atq; solicitus & acutus ad perspiciendum, scãdalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennã, melius est, vt & propinquitate eius & emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causas habeas ruinarum.* Et cùm Apostolus 1. Cor. 8. de

scanda-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scandalo loquens ait: *Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.* Certè in iis locis non est sermo de peccato, quod rarò aut nunquã contingat. Quare cùm in eis sermo sit de speciali peccato scãdali; consequitur, ad id non requiri formalem illam intentionem ruinæ fratris, quæ, vt diximus, apud homines rarissimè vel nunquã contingẽs est.

Ad PRIMVM verò argumentum prioris sententiæ respõdeo primò, quod dicit sanctus Thomas, speciem in moralibus nõ sumi ab eo, quod est præter intentionem & per accidens, verum aliquo modo esse de specie directa. Nam quod est præter intentionem expressam, non nisi reductiuè pertinet ad actus speciem. Deinde dico, debere id intelligi de eo, quod est præter omnem intentionem, scilicet directam & indirectam, & eatenus planè per accidens; qualis non est in proposito ruina fratris, vt patet ex dictis.

Et quòd ita debeat intelligi sanctus Thomas, patet PRIMO ex iis, quæ tom. 2. q. 13. de actibus humanis, p. 4. ex ipsius D. Thomæ sententia explicuimus de modo, quo debent esse voluntariæ eæ circumstantiæ, quæ dant actui speciem. DEINDE ex eo, quòd hîc D. Thomas in illo ipso artic. 3. subiungit, ita debere intendi nocumentum proximi, vt scãdalum sit speciale peccatum, sicut in furto, quod est speciale peccatum, intenditur nocumentum speciale proximi. Quam certè intentionem in furto non oportet esse directam, sed satis est esse indirectam, vt diximus in prima nostra probatione. TERTIO idem patet ex eo, quod art. 1. ad 4. dicit esse etiam scandalum per se, quando ipsum opus naturâ sua est ordinatum ad fratris ruinam, etiamsi nimirum intentio ruinæ sit tantùm indirecta.

Nec vult tantùm, esse tunc scandalum per se ratione *operis*, non autem ratione *intentionis*, sicut explicat Caietanus. Quod enim nullo modo est per se ratione intẽtionis, nullo etiam modo est per se ratione operis, vt est opus humanũ, sicut de eo hîc loquitur D. Thomas. Vnde Syluester vbi suprà reprehendit summam Pisanellam, quod iudicauerit esse diui Thomæ illam priorem opinionem. Fateor tamen diuum Thomam obscurè esse locutum. Et quicquid sit de eius mente, res est ea, quam declaraui.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, differentiam illam seu circumstantiam actus *manifesti*, accidentalem quidem esse actui, vt is est in alia specie peccati, nec sic dare actui speciem: non autem actui absolutè, vt est moralis actus, & vt ea circumstantia transit in peculiare obiectum volitum saltem indirectè; quo pacto dat actui speciem, iuxta ea, quæ ex D. Thomæ doctrina tradidimus tomo 2. quæst. 13. de actibus humanis p. 4.

Ad TERTIVM respondeo, eum qui solicitat fœminam aliâs non paratam, peccare quoque speciali peccato scandali, vt patet ex argumentis posterioris sententiæ: nam est tunc verè causa ruinæ illius spiritualis. Vnde secundùm omnes debet hoc in Confessione aperire.

Ad QVARTVM nego consequentiam. Nam ruina spiritualis propria, est quædam conditio generalis omnium peccatorum mortalium, quæ quasi contrahitur per speciales rationes singulorum eiusmodi peccatorum, vt omnia illa sunt, mediatè saltem, contra charitatem: iuxta illud Psalm. 8. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ruina verò proximi, vt ab altero profecta, non est talis conditio communis peccatorum, sed peculiare quiddam; & ideo peculiaris peccati speciem constituit, nempe scandali, siue directè, siue indirectè sit volita.

PVNCTVM TERTIVM.

An scandalum cadat etiam in viros perfectos.

D. Thomas art. 5. & 6.

ABSOLVTE quidem non est negandum, quin etiam perfecti possint interdum cõmittere peccatum scãdali actiui, atque etiam passiui. Cùm nemo sit in hac vita, qui non possit ruere in quoduis peccatum, nisi sit in gratia confirmatus. Et videmus huius rei exempla. Quale fuit Dauidis, cuius cor erat alioqui perfectum. De cuius ruina spirituali scribit ideo diuus AVGVSTINVS in Psalm. 50. hunc in modum: *Sit casus maiorum, tremor minorum. Ad hoc propositum est tanti viri peccatum: non tacetur, prædicatur in Ecclesia.* Et infrà; *Attende securus, si non habes vnde mouearis; sed respondes, fortis teneor. Nunquid tu fortior quàm Dauid?*

De Salomone quoque, prius sanctissimo & sapientissimo, legimus 3. Regum 11. *quod deprauatum fuerit cor eius per mulieres*, atque adeò inciderit in passiuum scandalum. Atque etiam Petrus, ex Augustini sententia, peccauit, abstrahendo se à gentibus ad Galat. 2. neque aliter quàm eas per hoc aliqualiter scandalizando, vt ferè omnes sentiunt, licet hoc D. Thomas hic art. 6. ad 2. non concedat; qua de re egimus tomo 2. q. 7. de Legibus.

Denique sanctus ATHANASIVS in vita sancti Antonij, non longè ab initio, de eodem iam assiduo multarũ virtutũ vsu & crebris contra dæmones victoriis perfecto, nihilominus scribit: *Sed quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Cõfirmat hoc ipsum D. Thom. art. 7. ex ordine charitatis. Nam quisque debet magis seipsum diligere quàm alterum, atque adeò sibi potius quàm alteri velle immunitatem à peccato mortali.

Ex hac regula sequitur PRIMO, non posse nec debere vnquam propter vitãdum alterius scandalum fieri quicquam cõtra præceptum aliquod negatiuum legis naturalis: vt occidendo in casibus, quibus iure naturali est prohibitum, nimirum priuata auctoritate, & sine moderamine inculpatæ tutelæ, &c. Nam hæc omnia per se sunt semper mala, & ideo prohibita, quia secundùm se mala.

Et eadem ratione ei, qui bonorum aliquorum temporalium nõ Dominus, sed dispensator tantùm est, minimè licet propter scandalum vitandum malè dispensare eiusmodi bona temporalia aliena, ea donando propria auctoritate, aut ea penitus negligendo & permittendo aliis sine rationabili causa. Nam id quoque esset contra præceptũ negatiuum iuris naturalis de non malè dispensando aliena.

Et in hac doctrina fundatur, quod asserit D. Thomas ar. 8. Prælatos Ecclesiarum non posse aliis donare aut permittere propter scandalum vitandum ea bona Ecclesiastica, quorum ipsi nõ Domini, sed duntaxat dispensatores sunt; qualia sunt saltem deputata ad fabricam, & ad stipendia ministrorum, & ad subsidia pauperum, iuxta ea quæ trademus infrà in materia de Statibus. Vnde sanctus Thomas Cantuariensis, sicut notat illic D. Thomas, repetiit & tutatus est bona Ecclesiæ, cum magno etiam Regis Angliæ scandalo.

Qua tamen in re duo potissimũ docte & prudenter admonet in illo articulo Caietanus. VNVM est, Ecclesiam quidem ipsam, quæ eiusmodi bonorum dominium habet, rectè posse aliquando illa donare aut aliis permittere propter vitãdum scandalum. ALTERVM est, Prælatos quoq; posse & debere interdum repetitionem illorum differre ad vitandum scandalum, & calamitatem pauperum; si eiusmodi bona & iura Ecclesiæ sine magno saltem detrimento sui status non possint reddere. Maximè cùm Ecclesia propter vitandum pusillorum scandalum in totum etiam dimittat quandoque iura sua, vt postea dicemus. Dicit quoque Caietanus, cùm Prælati non sint domini bonorum Ecclesiæ, teneri ad restitutionem eos, quibus illi sine causa rationabili, pro libito suo tantùm, ea donant.

SECVNDO sequitur ex eadem regula, non posse quoq; ad vitãdum scandalum fieri aliquid contra præcepta negatiua iuris diuini positiui: quale esset credere, siue docere aliquid contra veritatem aliquam supernaturalem fidei, aut desperare beatitudinem supernaturalem, aut Sacramenta tractare sacrilegè, &c. Nam id etiam per se & intrinsecè esset peccatum mortale.

Atq; hoc modo intelligi debet, quod ait sanctus GREGORIVS homil. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, vtilius scandalum permittitur, quàm veritas relinquatur*, nimirũ ita, vt doceatur cõtra veritatem. Nam veritatẽ cælare tantũ, seu non patefacere, aliud est, & aliquando licitum & necessariò faciendum ad vitandum scandalum; vt docet D. Thomas ar. 7. ad 3. & postea etiam docebimus. Neq; aliter debet intelligi BEDA in caput 9. Marci, vbi totidem verbis ponit illam eandem sententiam Gregorij: quæ etiam

firmiter adhærent Deo. Ex quo sequitur, eos nõ facilè, atque adeò rarò dimoueri ab eo, & in peccatum cadere per passiuum scandalum, iuxta illud Psalm. 124. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Et Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

Ac similiter procedit illa altera ratio D. Thomæ de actiuo scandalo, quòd scilicet scandalum actiuum est dictum vel factum inordinatum. Viri autem perfecti nil solent facere inordinatè, ex quo alij scandalizari possint, quamuis quandoq; ipsi etiam ex occulta carnis infirmitate peccent. Hæc quidem vera sunt, intellecta ordinariè & vt plurimùm, sicut etiam Bannes hîc annotauit.

PVNCTVM QVARTVM.

Quidnam oporteat facere vel omittere ad vitandum scandalum.

D. Thomas art. 7. & 8.

EX DOCTRINA D. Thomæ art. 7. & 8. & aliorum Doctorum, quos sub initium puncti primi citauimus, possunt colligi nonnullæ regulæ generales ad diiudicandum in variis casibus, quidnam sit faciendum vel omittendum tum circa spiritualia, tum circa temporalia, ne proximus scandalizetur.

PRIMA regula. Propter vitandum proximi scandalum, nec debet nec potest fieri aut omitti aliquid, quod facere aut omittere per se seu intrinsecè sit peccatum mortale: id est, stantibus alioqui illis omnibus circumstantiis, quibus positis commissio vel omissio est per se mala mortaliter. Hæc regula certissima est. Et eandem ponit D. Thomas ar. 7. & alij Doctores, cùm dicunt, nõ esse omittenda propter alterius scandalum vitandum bona spiritualia, quæ sint necessaria ad propriam salutem. Bona enim spiritualia necessaria ad propriam salutem sunt ea, quæ nõ amittuntur nisi per aliquod peccatum mortale; vt gratia, charitas, actiones bonæ, vel omissiones mali, sub peccato mortali debitæ.

Probatur autem hæc regula. Nam non sunt facienda mala, vt eueniant bona; quod damnat Apostolus ad Rom. 3. Et vt ait Dominus Matt. 16. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Cõfirmat hoc ipsum D. Thom. art. 7. ex ordine charitatis. Nam quisque debet magis seipsum diligere quàm alterum, atque adeò sibi potius quàm alteri velle immunitatem à peccato mortali.

Ex hac regula sequitur PRIMO, non posse nec debere vnquam propter vitãdum alterius scandalum fieri quicquam cõtra præceptum aliquod negatiuum legis naturalis: vt occidendo in casibus, quibus iure naturali est prohibitum, nimirum

refertur tanquam Bedæ in Decretalibus titulo de Regulis Iuris, cap. Qui scandalizauerit.

TERTIO sequitur ex eadem regula, neque contra præcepta affirmatiua iuris naturalis & diuini, neque etiam contra negatiua vel affirmatiua iuris humani obligantia sub mortali, licere ad vitandum scandalum aliquid omittere vel facere, verè violando eiusmodi præcepta; id est, non exequendo illa in casu, quo omnibus circumstantiis consideratis, obligent ad sui executionem. Nam omnis eiusmodi vera violatio cuiuscunq; præcepti obligantis sub peccato mortali, est peccatum mortale, vt ex ipsis terminis patet. Nunquam autem propter vitandum scandalum licet committere peccatum mortale, vt statuimus in prædicta regula.

Dixi autem, non licere ad scandalum vitandum aliquid omittere vel facere contra eiusmodi præcepta *verè violando illa*. Nam aliud est *non exequi* aut *non seruare* illa pro tempore, quo obaliquam circumstantiam concurrentem non obligent. Id quod aliquando licet & est faciendum scandali vitādi causa, vt paulò pòst dicemus. Neque tunc violabuntur.

SECVNDA regula. Ad vitandum scandalum proximi, similiter non potest nec debet fieri aut omitti, quod fieri aut omitti non potest sine peccato veniali, vt optimè docet D. Thomas artic. 1. ad 5. Nam implicat contradictionem, vt quod verè peccatum est posit propter vllum finem licitè fieri aut debeat fieri.

Nec sanè continget vnquam aliquis casus, in quo peccatum veniale sit reuera medium necessarium ad vitandum scandalum. Nam vel non erit tunc peccatum veniale, vel aliter scandalum impediri poterit. Vt, v. g. verbum aut factum iocosum, quod aliàs sine rationabili causa ad id monēte esset peccatum veniale, nullum peccatum erit, si adhibeātur causâ vitandi scandali, cū quis fortè alioqui scādalizaretur ex nimia alicuius grauitate siue austeritate. Item quando ad impediendum scandalum videri posset esse necessarium mendacium, poterit æquè scandalum eiusmodi vitari sine mendacio per aliquam verborum amphibologiam, & sic in similibus casibus.

TERTIA regula. Ad vitandum proximi scandalum, quod ex illius ignorantia aut infirmitate secuturum alioqui videatur, & quod ideo nominari solet scandalum *pusillorum*, omnia illa ex obligatione charitatis oportet facere vel omittere, quæ sine peccato fieri vel omitti possunt. Statuit hanc regulam sanctus GREGORIVS in dicta homil. 7. super Ezechielem. Vbi ait: *In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus.* Quod idem iisdem verbis affirmat Beda super cap. 9. Marc. & repetitur in dicto capitulo, Qui scandalizauerit, Extra de Regulis Iuris. Atque idipsum cōmuniter Doctores asserunt, cùm in hac materia approbant & amplectuntur sententiam Glossæ ordinariæ super illud Matth. 15. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* In qua dicitur, *dimittendum esse propter scandalum omne quod potest prætermitti salua triplici veritate, scilicet vitæ, iustitiæ, & doctrinæ.*

Nam per hanc triplicem veritatem intelligitur omnis rectitudo & immunitas à peccato in actionibus humanis. Veritas namque *vitæ* continetur in actionibus rectis, quas quis in seipso exercet conuenienter rectæ rationi & appetitui recto, atque adeò verè veritate quadam practica. Veritas autem *iustitiæ* rectis actionibus, quæ exercentur erga alterum, similiter conuenienter rationi rectæ, prout verè & absque peccato oportet. Veritas denique *doctrinæ* continetur fide vera & minimè erronea. Quæ tamen omnes veritates possent reuocari ad veritatem *vitæ*, sic nominando quicquid rectè in humana vita fit & creditur, sicut latius deducit Adrianus quodlib. 1. ar. 2. §. *Ex qua conclusione.*

Probatur autem hæc regula PRIMO ab exemplo Christi Domini, quo, ad hanc ipsam rem confirmandam vtitur sanctus GREGORIVS in dicta hom. 7. super Ezechielem. Nam Dominus Matth. 17. ad vitandum aliorum scandalum soluit tributum, quia sine peccato solui poterat, licet illud alioqui soluere ipse minimè teneretur, vt ibi probat, quia scilicet *liberi sunt filij. Vt autem, inquit, non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & pro te.*

SECVNDO probatur ex natura charitatis. Nam quisque tenetur prospicere saluti proximi in necessitate spirituali constituto, si potest, vt patet ex iis, quæ tradidimus suprà q. 4. de Ordine charitatis p. 3. Sed qui alioqui ex infirmitate aut ignorantia videtur peccati scandalum passurus, est in necessitate spirituali constitutus, vt patet ex dictis illo eodem loco: Ergo quilibet tenetur ei prospicere faciendo vel omittendo, quod sine peccato facere aut omittere ad eum finem potest. Et confirmatur ex illo Leuit. 19. *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.* Quem admonitione 36. ita interpretatur: *Surdo maledicere est, absenti & non audienti derogare: coram cæco ponere offendiculum est, discretam quidem rem agere, sed ei qui lumen discretionis non habet scandali occasionem præbere.* Tenetur igitur quisque ex Domini præcepto hoc cauere, quando sine peccato potest.

Est autem ANIMADVERTENDVM, regulam hanc intelligi debere de omni eo, quod sine peccato fieri aut omitti possit, non quomodocunque, sed *moraliter*, attenta suauitate, quæ est in iugo legum diuinarum; id est, quod sine peccato possit, sine maxima etiam aliqua & penè intolerabili difficultate, spectata quoque in hoc conditione personæ: cuiusmodi difficultas esset, si citra extremā necessitatem spiritualem ad liberandum hominem à scandalo, deberet aliquis particularis homo, qui Prælatus aut Pastor spiritualis alterius non est, facere vitæ aut fortunarum iacturam. Non enim cum tanto rigore tenetur quisque prospicere saluti spirituali alterius, vt etiam notauimus in dicto p. 3. q. 4. & in q. etiam de Correctione fraterna, p. 3.

Itaque oportet prædictam regulam intelligere de omni eo, quod sine peccato possit fieri aut omitti, salua suauitate legum diuinarum, vt dixi. Id quod etiam subindicat sanctus Thomas hic articulo septimo, ad 4. vbi ait, non teneri aliquem abstinere perpetuò à bonis spiritualibus, quæ sunt tantum posita in consilio (vt ab ingressu Religionis) propter vitandum proximi scandalum; quia scilicet id esset magnum detrimentum, etiam si possit incurri sine peccato. Atque etiam articulo 8. ad 3. vbi affirmat, non teneri aliquem propter alterius scandalum abstinere omni cibo in perpetuum; quod esset vitam propriam negligere.

Porrò ex hac regula hunc in modum confirmata & explicata, quædam sequuntur, quod ad casus particulares attinet. PRIMO sequitur, omittenda esse illa propter vitandum scandalum ex infirmitate vel ignorātia, quæ omittenda docet rectè diuus Thomas articulo 7. in solutionibus argumentorum. Vt *punitionem* peccati quando inde timeretur scandalum schismatis, sicut AVGVSTINVS ait libro 3. contra Parmenianum, capite 2. Et *actum docendi* veritatem (quamuis non ipsa veritas) iuxta illud Matthæi 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargatis ante porcos, ne conuersi disrumpant vos.* Et correctionem *fraternam*, quando ex ea timetur perturbatio & scandalum.

Horum ratio est, quia hæc omnia possunt omitti sine peccato in casu, quo ex illis oriretur infirmorum seu pusillorum scandalum. Nam nō sunt imperata, nisi per affirmatiua præcepta, quæ non obligant pro omni tempore, sed pro certo tempore, in quo spectatis omnibus circumstantiis, & inprimis sine ipsorum, possint rectè impleri. Non possunt autem eiusmodi præceptain proposito rectè impleri, quando ex illorum executione imminet infirmorum scandalum.

Tum quia sequeretur tunc finis contrarius finali illorum; siquidem *punitio* debet etiam esse medicinalis, atque adeò non inducere maius malum schismatis; & *actus docendi*, atque *correctio*, cum sint eleemosynæ quædam spirituales, debent adferre commodum spirituale, non autem perturbationem & scandalum proximi. Tum quia negligeretur in primo illo casu punitionis præceptum aliud affirmatiuum maius, scilicet charitatis de impediendo scandalo proximi, quod est præceptum maius, quàm præceptum iustitiæ vindicatiuæ de puniendo, sicut & charitas est præstantior virtus quàm iustitia vindicatiua. Quando autem videntur concurrere duo præcepta, quæ non possunt simul seruari, maius est seruandum, & consequenter illud solùm tunc obligat, non autem alterum; vt communiter Theologi tradunt, ac nominatim Adrianus quodlib. 1. art. 2. §. *Ad nonum*, vbi hoc ipsum pro certissima regula ad iudicandos in hac materia, & in aliis varios casus, meritò ponit, addens id se etiam à quodam Præceptore suo audiuisse.

SECVNDO sequitur, debere etiam fieri aut omitti aliquid contra præceptum iuris humani, quando id est necessarium ad vitandum scandalum infirmorum. Vt si mulier, v. g. vadens die festo ad templum audiendi sacri gratia, præberet alicui infirmo occasionem scandali; teneretur manere domi. Ratio est eadem. Nam id tunc absque peccato fieri potest, cùm præponderet præceptum alterum naturale charitatis de impediendo scādalo, quod ideo tunc est potius seruandum. Non tamen teneretur perpetuò etiam, aut per vnum annum, carere propterea sacro; nam id esset intolerabile, atque adeo minimè cum tanta difficultate & detrimento spirituali teneretur implere præceptum de impediendo scandalo, iuxta ea quæ notauimus in declaratione illius tertiæ regulæ.

TERTIO sequitur, debere etiam ad vitādum scandalum infirmorum differri quoque ingressum religionis. Vt v. g. si aliqui in seculo auctoritate & conuersatione alicuius grauis & pij viri in officio continerentur, lapsuri alioqui facile in aliqua peccata, illo ab eis discedente, & religionem ingrediente. Teneretur tum differre ingressum, quandoquidem sine peccato potest.

Non tamen teneretur perpetuò à religionis ingressu abstinere, vt rectè sentit D. Thomas artic. 7. ad 4. Nam esset grauissimum detrimentum spirituale. Nisi fortè sequeretur alioqui grauissimum & commune scandalum in fide aut moribus alicuius totius cōmunitatis. Tunc enim putarem, durante periculo talis scandali non posse ingredi.

Nam ad tuendum bonum commune strictissimè tenemur, etiam cum quocunq; detrimento spirituali ad salutem non necessario, & cum vitæ quoque corporalis certo discrimine. Vt patet exemplo Eleazari, qui ne communis scandali occasionem præberet suis, maluit potius mori quā simulare esum carnium lege prohibitarū. 2. Machab. 6. Quanquam illa quidem simulatio in religione alio quoque nomine per se mala fuisset, vt patet ex iis, quæ diximus disput. 1. q. 3. per quod obiter possunt resolui quædam, de quibus disserit Adrianus quodlib. 1. artic. 2. §. *Ad octauum.*

QVARTO sequitur, debere quoque fieri aliqualem iacturam bonorum temporalium, quādo id esset necessarium ad impediendum infir-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

morum scandalum, sicut docet D. Thomas ar. 8. Ratio est eadem. Nam id fieri potest sine peccato. Et ita Ecclesia in quibusdam locis ad vitandum infirmorum scandalum non exigit à fidelibus decimas, vbi scilicet id nõ est vsitatum, sicut in Italia, vt ibi notat Caietanus. Sicut eadem ratione Apostolus non accipiebat stipendium ab iis, quos docebat 1. Corinth. 9. vt D. Thomas notat art. 8. ad 5.

Dixi autem *aliqualem iacturam*. Nam facere iacturam omnium aut penè omnium fortunarum, ob vnius aut paucorum scandalum impediendũ, nimis durum esset. Dixi etiam, *si id esset necessarium* ad impediendum scandalum. Nam si posset scandalum aliter impediri, vt puta docendo eum qui ex ignorantia scandalizandus putatur, non esse necesse iacturam bonorum temporalium facere donando illa vel non exigendo, vt docet D. Thomas art. 8. ex sententia S. Augustini libro 1. de serm. Domini in monte, cap. 40. (non 4. vt mendosè habetur apud D. Thomam). Vbi AVGVSTINVS interpretans illa verba Domini: *Omni petenti da.* Matth. 5. *Id*, inquit, *dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest: & cum iustè negaueris quod petit, indicanda est ipsa iustitia, vt non eum inanem dimittas. Ita omni petenti dabis, quamuis non semper id, quod petit dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cum petentem iniustè, correxeris.*

Quod si adhuc post admonitionem alter scandalizetur, iam videtur huiusmodi scandalum ex malitia esse, vt inquit D. Thomas art. 7. propter quod neque temporale neq; spirituale vllum detrimentum est subeundum, vt paulò post dicemus. Dicit autem D. Thom. *videtur*, quia vt notat ibi Caietanus, posset aliquis ea conditione & simplicitate esse, vt etiam post admonitionem & rationem redditam, rem non satis caperet, ac proinde nõ ex malitia, sed ex infirmitate scandalizaretur.

QVINTÒ sequitur, meritò sanctum Paulum ad Rom. 14. & 1. Corin. 8. docuisse, propter infirmorum scandalum vitandum, abstinendum esse à quibusdam cibis, atq; adeo etiam à carne; sicut ait ipse 1. Cor. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Potest enim hoc absque peccato fieri, vt explicat D. Thomas ar. 8. ad 3.

QVARTA regula. Ad vitandum scandalum, quod ex alterius malitia oriatur, & quod ideo nominari solet scandalum *Pharisæorum*, non est necesse aliquid facere vel omittere cum aliquo detrimento spirituali vel temporali; etiam si id absque peccato fieri vel omitti possit. Ita docet S. Thomas ar. 7. & 8. & communiter alij omnes.

Et probatur PRIMO exemplo Domini, qui scandalum Pharisæorum non curauit, Matth. 15. inquiens: *Sinite illos cæci sunt, et duces cæcorum.* Quo testimonio confirmat hoc ipsum sanctus GREGORIVS homil. 7. in Ezechielem. SECVNDO idem probatur ratione. Nam qui non ex ignorantia aut infirmitate, sed ex malitia scandalizatur, non laborat tali aliqua necessitate spirituali, cui non possit ipse sine ope alterius proximi facilè prospicere mutando prauam suam voluntatem. Ergo alter nõ tenetur tunc cum aliquo suo detrimento prospicere.

Imo vt docet D. Thomas art. 8. aliquando esset pernicioſum bono cõmuni, temporalia bona dimittere seu condonare eiusmodi improbis ad vitandum eorum scãdalum Pharisaicum: *Daretur enim*, inquit, *malis rapiendi occasio, & nocaret hoc ipsis rapientibus, qui retinendo aliena remanerent in peccato.* Vbi tamen notat optimè Caietanus, interdum posse & debere dimitti & condonari bona temporalia eiusmodi improbis propter vitandum scandalum non quidem ipsorum, sed aliorum pusillorum, qui ab ipsis pendent, & ab eis in hæresi aut aliis flagitiis retinentur, ne amittant bona aliqua temporalia, quæ iniustè occupârunt. *Vnde si Princeps aliquis* (inquit Caietanus) *potius induceret populum in infidelitatem aut in ea retineret, quàm pateretur sibi auferri bona temporalia, quæ Ecclesiæ vel alicui alteri Principi iniustè eripuit (vt Ieroboam fecit in populo Israël, ne perderet regnum) dimittẽda essent bona eiusmodi temporalia, non propter Principem, sed propter populi salutem.* Ita ibi arbitratur, & quidem verissimè Caietanus.

Existimo etiam, si quis cum nullo suo, vel penè nullo detrimento posset impedire scandalum proximi Pharisaicum, aliquid faciendo vel omittendo, debere ipsum facere. Nam vt tradidimus suprà in quæst. de Correctione fraterna, p. 2. in responsione ad quoddam tertium argumẽtum, etiam is, qui ex malitia peccaturus alioqui est, est in aliquali necessitate spirituali, ac proinde (vt illic vidimus) debet ex charitate corrigi, vel aliter à peccati scandalo impediri, quando id sine detrimento proprio fieri potest. Sed quia talis non est in necessitate notabili, ideo statuimus cum aliquali quidem detrimento proprio alicuius momenti, ipsius scandalum impediatur.

Ex hac autem regula consequitur, nunquam posse quempiam impedire scandalum huiusmodi Pharisaicum faciendo vel omittendo aliquid contra vllum præceptũ etiam humanum. Nam contra præceptum humanum tunc solùm licet facere propter vitãdum alterius scandalũ, quando præceptum maius charitatis, vtpote naturale & diuinum, ad id obligat, iuxta dicta in tertia regula. Præceptum autem hoc charitatis non obligat ad impediendum scandalum Pharisaicum in casu, quo ad id oporteat negligere humanum præceptum: siquidẽ præceptum humanum bonum & salutare non negligitur sine aliquo detrimento, cum quo minimè quis teneretur impedire tale scandalum alterius Pharisaicum, vt in hac regula quarta constitutum est.

Quare si aliquis neglecto præcepto humano niteretur impedire tale scandalum, is verè violaret tale præceptum humanum, vtpote quod non cessat nisi in casibus, quibus præponderet præceptum maius; ac proinde verè is peccaret, cùm nunquam liceat verè & propriè violare vllum præceptum etiam humanum, propter vitãdum scandalum alterius, vt ostendimus in sectario tertio primæ regulæ. Quocirca oẽs tradunt debere mulierẽ adire ad sacrum audiendũ die festo, non obstante scandalo alterius, si illud ex malitia & non ex infirmitate oriatur.

Ac per hanc doctrinam in his quatuor regulis contentam poterunt similiter alij multi casus diiudicari, quos persequuntur, vbi suprà Adrianus & Couarruuias, sed digrediendo ferè ad difficultates aliarum materiarum, quæ sunt alibi explicandæ & determinandæ ex fundamentis hîc iactis.

QVÆSTIO DECIMANONA.

De præceptis Charitatis.

D. Thomas 2. 2. quæst. 44.

MVLTA QVAE AD VIM PRAECEPTORVM CHARITATIS PERtinent, sunt à nobis disputata supra q. 3. & 4. Quare tria tantùm hoc loco sunt explicanda. PRIMO, *Quomodo & quando obliget præceptum de dilectione* DEI. SECVNDO, *Quomodo & quando obliget præceptum de dilectione proximi.* TERTIO, *An etiam extet præceptum de Charitatis siue Dilectionis ordine.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quomodo & quando obliget præceptum de Dilectione Dei.

D. Thomas art. 1. 4. 5. 6.

QVM quærimus, Quomodo & quando præceptum de Dilectione DEI obliget, pro certo ponimus, illud extare. Id enim constat manifestè tũ ex Scriptura, tum ex ratione. Ex SCRIPTVRA quidem Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et Deu. 10. *Nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominũ Deum tuũ, & ambules in viis eius, & diligas eum.* Et Matth. 22. *Hoc est primum & maximum mandatum.*

RATIONE autem idem patet tripliciter. PRIMO, quia in Deo maximè reperiũtur cõditiones, ob quas aliquid est ex charitate diligendum, vt perspicuè docuimus q. 3. de obiectis charitatis p. 1. ad quem locum nunc remittimus Lectorem.

SECVNDO, quia cùm aliqui actus circa media ordinata ad aliquem finem sunt ex præcepto necessarij, multo magis est ex præcepto necessarius actus circa talem finem, si ita liber sit, vt negligi possit: Sed actus aliarum virtutum, qui versantur circa media ordinata ad Deum tanquam ad finem, sunt ex præcepto necessarij: Ergo multò etiam magis actus dilectionis charitatis, circa Deum tanquam circa finem, cùm sit alioqui in hac vita ita liber, vt negligi possit, & ideo præcepto opus habeat. Atque hæc est vis rationis D. Thomæ artic. 1. Quanquam etiam insinuat S. Paulus 1. ad Tim. 1. inquiens: *Finis præcepti est Charitas.* Vbi propterea Charitatem ipsam appellat *finem* aliorum præceptorũ, quia versatur circa Deum tanquam circa finem; Sicut finis etiam appellatur non modò res, quæ est finis, sed etiam actio, qua illud attingitur.

TERTIO, quia vt verissimè tradunt Theologi, omnis actus ad salutem necessarius est in præcepto. Alioqui aliquis alius actus præter obseruationem mandatorum esset ad salutem necessarius, contra illud Christi Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* Sed actus diligendi Deum est ad salutem necessarius, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte:* Ergo est præceptus.

Neque obstat, quòd hoc præceptum non est expressè positum in Decalogo: pertinet enim nihilominus ad Decalogum *antecedenter*, & virtute in omnibus illis includitur, quatenus ex illo omnia Decalogi præcepta deducũtur, vt docuimus tom. 2. q. 7. de Legibus p. 4. & docet hîc etiam D. Thomas ar. 1. ad 3. Et ideo in Decalogo non fuit expressum, quia per se est satis manifestum, iuxta ea, quæ generatim tradidimus de præceptis Decalogi tom. 2. loco citato.

Hoc igitur supposito, scilicet extare omnino præceptũ de diligẽdo Deo: explicandũ est in hoc puncto, vt proposuimus, quo nam *modo*, & quo nam *tempore* præceptũ istud obliget. Et quod ad MODVM quidem attinet, dicenda sunt tria.

PRIMO dico, obligare istud præceptum, vt Deum diligamus, non quomodocunq;, sed tanquã vltimum nostrum finem, atque adeò summè *ap-*

preciatiuè, seu (quod idem est) super omnia, non autem vt summè etiam intensiuè. Hoc declarauimus & confirmauimus suprà quæst. 4. de ordine charitatis p. 1. & 2. Et quoad priorē huius assertionis partē possunt nūc addi hę probationes.

PRIMO, quia ita colligitur ex forma verborū, quib. variè in Scriptura traditur id præceptum. Nam Deu. 6. dicitur: *Diliges Dominū Deum tuū, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et Matt. 22. *ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Et Marc. 12. *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* Et Luc. 10. *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, et ex tota mente tua.* Quibus locis idem (licet aliquātulum diuersis verbis) significatur; nempe vt diligatur Deus summè appreciatiuè, nimirum tanquam vltimus finis, ad quem quis referat omnia, quæ *vel corde*, id est, voluntate expetit; *vel mente*, id est, intellectu, concipit aut decernit; *vel anima*, id est, sensu & sensitiuo appetitu complectitur; *vel fortitudine, seu virtute, seu viribus*, id est, facultate executiua, per membra corporis operatur: vt optimè declarat D. Thomas art. 5.

SECVNDO, quia per præceptum de actu alicuius virtutis, modus etiā intrinsecus eius actus imperatur. Sed vt Deus super omnia diligatur tanquam vltimus finis, est modus intrinsecus eius actus charitatis, qui est Deum diligere: Ergo hic modus dilectionis imperatur etiam per præceptum de diligendo Deo.

Maior probatur ex optima quadā doctrina D. Thom. & Caiet. hīc art. 4. ad 1. Nam tria possunt considerari in actu virtutis, de quo præceptū datur: *Primum est* ipsa substantia actus; vt quod quis honoret v.g. parentes & eis subueniat, sicut iubetur in quarto Decalogi præcepto. *Secundum est* modus intrinsecus actus; vt scilicet illa honoratio fiat secundum circumstantias requisitas, vt talis actus verè queat esse actus pietatis parentibus debitæ: nempe vt tantum reuerentię vel subsidij eis impendatur, quantum pro loco & tempore necesse est, &c. quo ita demum actus virtutis non modò habeat debitam materiam seu obiectum, ex quo ratio eius & quasi substantia consideratur, sed etiā sit ei materię & obiecto suo debitè proportionatus. *Tertium est* modus extrinsecus, qui continetur perfectione aliqua aduentitia actui ex alia virtute, per quam in aliū quoq; bonum finem referatur; vt cùm honoratio parētum refertur ex charitate in Deum, &c.

Ex his tribus *primū & secundum* præcipitur eodem ipso præcepto, quo imperatur actus alicuius virtutis, hoc ipso nimirum, quòd imperatur talis virtutis actus, qui vtiq; non consistit sine suo modo intrinseco; non autem tertium, vt latius docuimus tom. 2. q. 8. de Legibus, p. 2. Vbi etiam ex recepta sententia Theologorum asseruimus, non præcipi etiam per idem præceptum extrinsecum illum modum actus, qui cōsistat in vacuitate (vt sic dicam) ab omni peccato proueniente in actu ex aliqua circumstantia ei extrinseca, vt ex relatione v.g. ad malum finem, ad quem extrinsecè referatur honoratio parentum. Modus autem *intrinsecus* actus omnino etiam præcipitur eodem præcepto, vt est dictum. Et sic patet illa secundæ probationis Maior.

Minor autem eiusdē probationis patet. Nam cùm Deus sit vltimus finis, nō erit ei proportionatus actus dilectionis, nisi super omnia diligatur, tanquam vltimus nimirum finis. Quare hoc ipsum pertinet ad modum intrinsecum eiusmodi dilectionis.

TERTIO probatur eadem assertio ex eo, quòd per præceptū charitatis imperatur dilectio Dei, *quæ sit ex corde puro, & conscientia bona*, vt Apostolus 1. ad Tim. 1. ait, per quę duo, vt explanat Caiet. hīc ar. 1. significātur duæ partes iustitiæ, quæ sunt declinare à malo & facere bonum, cum quibus debet coniuncta esse talis dilectio: Sed hæ duæ partes iustitiæ expleri non possunt, nisi quis diligat Deum super omnia: Ergo neque præceptum illud dilectionis Dei adimpleri poterit, nisi Deus super omnia diligatur, atq; adeò summè appreciatiuè, vt est dictum. Quod aūt non sit necesse, diligere eum summè quoq; intensiuè, sufficiēter probauimus suprà contra Scotum q. 3. p. 1.

Dico SECVNDO, obligare quoq; istud præceptū charitatis, vt diligatur Deus super omnia dilectione *supernaturali*, in quibusdā casibus, de quibus postea dicemus; & supernaturali, vel certè naturali, in quibusdā aliis casibus, in quibus vel supernaturaliter, vel naturaliter Deū super omnia diligerē sufficiet, vt postea declarabimus. PRIOR pars huius assertionis probatur primò, ex eo, quod dilectio charitatis debet etiā esse *ex fide non ficta*, vt Apostolus quoq; 1. ad Tim. 1. ait, ac proinde debet Deus diligi, quatenus per fidem supernaturalē cognoscitur, quo pacto diligitur dilectione supernaturali. Secundò ex eo, quòd hæc dilectio Dei supernaturalis est actus necessarius ad salutē, vt patet ex iis, quę disseruimus tom. 2. q. 1. de Gratia. p. 4. Sed omnis actus ad salutē necessarius est præceptus, vt antea diximus: Ergo etiā hæc supernaturalis dilectio Dei super omnia.

POSTERIOR aūt assertionis pars, scilicet indeterminatè præceptam esse dilectionē Dei super omnia supernaturalē, vel naturalem, in quibusdā casibus, probatur. Nam vt postea dicemus, Dei dilectio super omnia quibusdam in casibus obiid solùm requiritur, vt defendatur Dei honor, aut vitetur Dei offensa, quatenus is est naturę auctor & naturaliter cognoscibilis: Ergo satis tunc erit Deū super omnia diligere, vel supernaturali charitatis dilectione, quę Deum vt authorem quoq; naturalem complectitur (vt vidimus suprà q. 4. p. 2.) vel dilectione naturali, quæ scilicet in Deū tendat, vt auctorem naturæ, & sit super omnia, quæ obstaculo esse possint obseruationi præceptorum omnium naturalium: quāuis neq; hæc ipsa naturalis dilectio Dei super omnia absq; speciali Dei auxilio haberi possit, vt vidimus tomo 2. q. 1. de Gratia, p. 1.

Dico TERTIO, obligare istud præceptum ad diligendum aliquādo super omnia Deum ex ipso habitu charitatis, atque adeò ex gratia cum eo habitu connexa. Probatur ex præcedenti assertione. Nam obligat hoc præceptum aliquando ad dilectionem Dei supernaturalem, vt est dictum: Sed dilectio supernaturalis non potest de lege ordinaria haberi sine charitatis habitu, vt ostendimus suprà q. 1. p. 1. Ergo præcepta est Dei dilectio supernaturalis ex charitatis & gratię habitu.

Ex quo sequitur, præceptū istud reuera nunquā impleri sine gratia & charitate. Tametsi excusatur homo à peculiari peccato contra illud, si conetur illud ex gratia & charitate implere (id est, eo modo quo debet) etiamsi cōtingat ipsum non habere gratiam, neq; adeò illud reuera implere, iuxta ea, quæ de hac ipsa re tradidit bene Nauarrus in Manuali, cap. 11. nu. 10. Et hactenus de MODO, quo præceptum istud dilectionis Dei est implendum.

Quod autem attinet ad TEMPVS, quo impleri posit & debeat, dicenda sunt item tria. PRIMO dico, secundùm perfectionem quandam, quam Deus pro fine & cōplemēto dilectionis, sibi propositam habuit in tradendo hoc præcepto, non posse præceptum istud impleri in hac vita, sed in altera demùm implendū esse. Ita docet D. Thomas hic ar. 6. & expressè quoq; S. AVGVSTINVS in lib. de Spiritu & litera, cap. 36. & lib. de perfectione iustitiæ in Responsione ad 16. ratiocinationem, vt statim ex eo audiemus.

Probatur aūt hæc assertio. Nam duplicē perfectionem tanquā finem spectauit Deus tradens præceptum illud de sui dilectione per illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Vnam, vt homo cōtinenter inhęreret aliquando Deo per actualem amorem ex toto animi sui conatu: Alteram, vt tali eū amore complecteretur, quo promptus redderetur ad omnia omnino referenda in ipsum, ita vt nihil planè ageret vnquā vel expeteret nisi propter Deū. Quamdiu enim deest in dilectione Dei vtraq; hæc perfectio, non omnibus modis est ea ex *toto* corde, & ex *tota* mēte, &c. qualem aliquādo esse Deus voluit, vt pateret ex illa forma huius præcepti. Certum aūt est, secundùm neutram perfectionē harum posse in hac vita hoc præceptum impleri. Nam neq; nunc possumus continenter inhærere Deo per actualē amorē, cùm multa cogant eiusmodi actum quādoq; intermittere, neque vitare omnia peccata venialia, quæ minimè in Deum referuntur, licet neq; omnino auertant ab eo.

Et hoc est, quod AVGVSTINVS in illo lib. de perfectione iustitię ait illis verbis: *Fidei*, inquit, *et spei, iam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed qua videatur, teneaturq; succedet. Charitas autem quæ in his tribus maior est, non auferatur, sed augeatur & impleatur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta. In qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mēte tua. Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus.*

SECVNDO dico, posse nihilominus præceptū istud in hac vita impleri secundùm aliam quandam dilectionis Dei perfectionē, quam dūtaxat exigit per id præceptum à nobis Deus pro tempore quidem huius vitæ. Ita quoq; docet D. Augustinus in lib. de perfectione iustitiæ vbi suprà, & D. Thomas in dicto art. 6.

Probatur hæc assertio. Nā possumus cum gratia Dei in hac vita diligere Deum secundùm eam perfectionem dilectionis, quæ satis nobis sit, vt per eam maneamus & progrediamur in directa via ad illam alteram perfectionem dilectionis, quæ erit in cœlo, tanquam ad dilectionis finē seu terminum & complemētum: sed hanc duntaxat perfectionē dilectionis, per quam simus & progrediamur in via ad illum terminū, exigit à nobis Deus per id præceptum, pro tempore quidē huius vitæ: Ergo secundùm quandam dilectionis perfectionem, quam solùm per id præceptū pro tempore quidem huius vitæ à nobis Deus exigit, possumus id præceptum in hac vita implere.

Maior probatur, nam vt maneamus & simus in directa via ad illum beatitudinis terminum, sufficit ita Deum diligere, vt illi soli tanquam vltimo quidem fini perpetuò adhæreamus, atque adeò prompti reddamur ad vitanda quidem omnia peccata mortalia; quæ sola obstant, quo minus simus & progrediamur in via ad beatitudinem, & per quæ duntaxat aliquid anteponimus Deo, auertentes nos ab eo, & in alio constituentes nostrum vltimum finem, iuxta ea, quæ disseruimus tomo 2. q. 1. de vltimo fine. Hoc autem pacto posse à nobis in hac vita Deum diligi, ac proinde vitari peccata omnia mortalia, probauimus contra Sectarios tomo 2. q. 1. de Gratia, p. 3. & 4.

Minor autem probatur. Tum quia tempus huius vitæ non est tempus *termini*, sed *viæ* ad beatitudinem, iuxta illud Apostoli ad Philippen. 3. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem, si comprehendam.* Igitur non est credibile, quòd Deus pro tempore huius vitæ requirat ab homine per id præceptum dilectionis, perfectionem termini, sed solùm perfectionem viæ. Tum quia absurdum esset, pro tempore huius vitæ per id præceptum imperari homini, quòd ne per gratiam quidem præstare potest in hac vita, vt ostēdimus contra Sectarios tomo 2. q. 6. de Legibus, p. 4. Tum quia si pro tempore huius vitę amplius quàm perfectio illa dilectionis viæ per id præceptū requireretur, nemo iam posset censeri perfectus secundùm dilectionem, cùm nemo in hac

vita illam aliam perfectionem vitæ futuræ assequatur. Et tamen Scriptura perfectionem dilectionis tribuit aliquibus, qui scilicet habēt illam perfectionem vitæ.

Vt 3. Reg. 8. cùm ait Salomon Deo: *Qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.* Et Psal. 118. *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Et ad Philipp. 3. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Et 1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est*, si nimirum ita seruet, vt vitet omnia peccata mortalia, etiamsi interdū in venialia cadat, iuxta illud eiusdem Ioan. *Si dixerimus, quia peccatū non habemus, ipsi nos seducimus.*

Eandem assertionem, vt dixi, tradit S. Avgvstinvs in lib. de perfectione iustitiæ vbi suprà, cū præclarè ait: *Quamdiu peregrinamur à Domino, per fidem ambulamus, non per speciem. 2. Cor. 5. vnde dictum est: Iustus ex fide viuit. Abac. 2. hac est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illā perfectionem plenitudinemq; iustitiæ, vbi in specie decoris eius iā plena & perfecta charitas erit, ipsius cursus rectitudine et perfectione tendamus.* Et infrà: *Hac est nunc nostra iustitia, qua currimus esurientes & sitientes ad perfectionē plenitudinēq; iustitiæ.* Et rursus: *Quot quot ergo*, inquit, *perfecti sumus, hoc sapiamus. Id est*, inquit, *quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quod nōdum perfecti sumus, vt illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus.*

Idem docuit & declarauit præclarè D. Thom. art. 6. cùm dixit, ita seruari nunc præceptum illud dilectionis, quamuis non assequamur perfectionem illam charitatis, quæ erit in cœlo, & quā Deus in hoc præcepto vt finem propositam habuit; sicut seruatur à milite præceptum Ducis de pugnando, quādo strenuè pugnat, etiamsi victoriā non assequatur, quæ fuit finis eius præcepti.

Ex quibus sequitur Primo, impleri à nobis in hac vita hoc præceptum, secundùm illud totum, quod immediatè & per se in illud cadit, tanquam res nobis imperata. Nam perfectio illa charitatis futura in cœlo non cadit in hoc præceptum, tāquā res immediatè per illud imperata, sed tanquam finis eius, quod immediatè per illud imperatur. Non enim immediatè præceptum est datum de dilectione futura in cœlo; cùm ea omnibus modis sit futura necessaria, & minimè sita in arbitrio nostro, sicut ostendimus tomo 2. q. 4. de beatitudine, p. 1. quamuis mediatè quidem dici potest aliquo modo in id præceptum cadere, quatenus consequitur ex eo, quod immediatè per illud imperatur.

Itaq; cū Avgvstinvs vbi suprà ait, in altera vita *implendum esse hoc præceptum*, non intelligit secundùm id, quod immediatè per illud imperatur, sed secundùm illius finem, qui tunc demùm, tanquam dilectionis, atque adeò illius præcepti complementum quoddam accedet. Quo etiam modo dici potest, præceptum Ducis de rectè pugnando tunc à milite perfectè impleri, cùm is nō solùm strenuè pugnat, sed etiam assequitur pugnæ finem, nimirum victoriam, vt optimè dicit sanctus Thomas in dicto art. 6.

Secvndo sequitur, per peccata venialia, quæ à iustis etiam quandoque committuntur, minimè violari hoc præceptum, ne venialiter quidem. Tum quia, vt dictum est, præceptum istud non obligat ad ita diligendum Deum in hac vita, vt nunquam in ea peccetur venialiter. Neque etiam vllum aliud præceptum est de hoc datum, vt scilicet nunquam venialiter peccetur; cùm hoc sit planè impossibile, quamuis possibile sit vitare peccata venialia singula, quæ per singula præcepta prohibentur, vt explicauimus tomo 2. quæst. 1. de Gratia, p. 4. Tum quia ne per mortalia quidem peccata contra alia præcepta violatur per se & immediatè præceptum istud dilectionis Dei, sed solùm alia, per quæ prohibentur. Quamuis nec potest istud præceptum quidem ab eo seruari, qui obstrictus sit aliquo peccato mortali, quamdiu eo fuerit obstrictus; cùm is aliquid anteponat Deo tanquam finem vltimum, & proinde nequeat simul Deum vt vltimum finem diligere super omnia, & eatenus *totaliter*, sicut obligat istud præceptum.

Dico Tertio, præceptum istud non modò posse in hac vita impleri (sicut explicatū est) sed etiam debere quibusdam in casibus, quos ex veriori sententia nunc breuiter determinabimus, licet hac de re nec D. Thom. aut Caietanus hic aut alij ferè quidquam tradiderint præter Sotum lib. 1. de natura & gratia, cap. 22. & libro 2. capite 12. & lib. 2. de iustitia & iure, quæst. 3. art. 10. & Nauarrum in Manuali, cap. 11. num. 7. & sequentibus.

Primvs casus est, cùm primùm aliquis rationis vsu iam præditus animaduertit, & secum reputat rationes, quas habet, amandi Deum super omnia, eique seruiendi, se suaque ad ipsum, tanquam ad finem vltimum referendo. Nam tum vel maximè est opportunum & necessarium homini sese coniungere per amorem cum suo fine vltimo, vt ad illum, sicut tenetur, dirigat suæ vitæ cursum. Item quia per talem considerationem rationum diligendi super omnia Deum, & ei seruiendi, tunc quasi promulgatur lex diuini obsequij, & homo ad Dei famulatum euocatur & inuitatur. Itaq; cùm tā facile & tanto suo commodo possit se tunc per prædictum amorem mancipare diuino obsequio, omnino est putandum, tunc debere id facere.

Denique cùm opinio sancti Thomæ 1. 2. q. 89. art. 6. & Nauarri vbi suprà numer. 8. & aliorum, qui etiam in primo instanti qualiscunque vsus rationis putant, hominem obligari ad conuersionem sui in Deum, censeatur non improbabilis: multò minus de probabilitate huius nostræ assertionis dubitari potest; siquidem non in primo instanti vsus rationis dilectionem Dei requirimus (eam enim opinionem, vt nimis du-

ram, refutauimus tomo secundo, quæstione vltima de peccatis) sed cùm primùm saltem quis vel per se, vel altero proponente, animaduertit & secum reputat causas, quas habet ad diligendum Deum super omnia, eiusque per eam dilectionem se profitendi seruum. Ac tenebitur tum homo Deum diligere super omnia dilectione naturali vel supernaturali, prout eum considerauerit sic amandum esse, vel tanquam auctorem naturæ, vel tanquam auctorem supernaturalem.

Secvndvs casus est, cùm quis adultus suscipit Baptismum, vt rectè censuit Sotus libro 1. de natura & gratia, capite 22. Nam tunc dat quis suum nomen Christianæ militiæ ad inseruiēdum Deo. Igitur tunc vel maximè etiam tempus est, vt per Dei amorem firmet animi propositum ad placendum & famulandum per omnia Deo.

Neque Obstat, quod contrà obiicit Nauarrus vbi suprà, satis esse attritionem ad suscipiendum ritè Baptismum, ipso etiam Soto assentiente. Respondemvs enim, attritionem quidem satis esse, vt homo censeatur rectè dispositus ad suscipiendum Sacramentum Baptismi, neque eo quidem nomine, scilicet necessariæ dispositionis, requiri quoque dilectionem Dei super omnia. Requiri autem alio titulo, nempe vt quis ritè & firmiter tum profiteatur se Dei seruum in Ecclesia Christiana, cui tunc se aggregat.

Vnde crediderim, satis esse eā dilectionē tunc habere vel paulò ante Baptismū, vel paulò post. Nam cùm non requiratur tanquam dispositio, non est necesse vt præcedat vel sit simul, sed sufficiet, vt habeatur sub illud Baptismi tempus. Debebit autē tunc esse dilectio Dei supernaturalis, ex supernaturali nimirum fide, cuius professio fit in Baptismo.

Tertivs casus est, cùm quis tenetur habere contritionem, vt asserit Nauarrus vbi suprà post Caietanum 1. 2. quæstione 89. articulo 6. Nam contritio supernaturalis ex supernaturali Dei dilectione super omnia debet proficisci, saltem necessitate præcepti. Quando autem obliget præceptum contritionis, in materia de Pœnitentia est definiendum.

Qvartvs casus est, quando quis accipit à Deo singulare aliquod beneficium, vt valde probabiliter censet Sotus libro secundo, de Iustitia & iure quæst. 3. art. 10. Nam lex amicitiæ videtur tunc exigere, vt homo vicissim redamet Deum benefactorem suum, eo modo quo amare illum debet, scilicet super omnia; dilectione vel naturali, vel etiam supernaturali, si supernaturale fuit beneficium. Si enim fuit naturale, alterutra dilectio sufficiet. Neque obstat, quòd pro hac assertione non est textus vel ratio planè conuincens, vt Nauarrus obiicit. Sufficit namque ratio probabilis pro assertione probabili.

Qvintvs casus est, quando alicui imminet necessitas subeundi martyrium, vt idem Sotus censet. Nam consentaneum est, vt tunc etiam teneatur quis se per dilectionem Dei super omnia communire, cuius nimirum opus est martyrium, vt patet Ioan. 15. Immo addit Sotus, simili ratione debere Deum super omnia diligi, quādo egregium aliquod aliud opus & arduum pro Dei obsequio suscipiendum est.

Sextvs casus est, quando Dei honor defendendus est aduersus violantes illum blasphemiis aut alio modo; præsertim si ea defensio vacatura non sit magno periculo. Nec puto tunc sufficere ipsum opus dilectionis externum (vt arbitratur Sotus loco citato, quem Nauarrus in hoc non probat vbi suprà numer. 7.) sed requiri etiam affectum internum dilectionis, ex quo opus externum prodeat. Nam lex veræ amicitiæ officium externum erga amicum exigit profectum ex interna beneuolentia. Sufficeret tamen tunc affectus dilectionis Dei vt naturaliter cognoscitur; quo pacto est etiam dignissimus omni reuerentia & honore.

Septimvs casus est instante morte. Nam tunc vel maximè opus est, cū Deo se coniungere per internum vsum virtutum præcipuarum fidei, spei, charitatis, &c. eoque præsidio se communire aduersus tentationes & machinationes dæmonum, qui tunc acerrimè hominum mentes infestant. Atque hoc pro certo ponunt Sotus & Nauarrus locis citatis, cùm refellunt quosdam, non quia dicerent, tempore mortis obligare hoc præceptum (id enim non est dubium) sed quia putarent, obligare *solùm* eo tempore. Quod apertè falsum est. Nam est datum præceptum hoc ad rectam institutionem vitæ per relationem actionum omnium in Deum tanquam in vltimum finem nostrum super omnia dilectum: Ergo non in morte solùm, sed etiam cum vita degenda est, obligat, in casibus nimirum antea dictis.

Præter hos autem casus Scotus in 3. distinct. 27. aliud quoddam tempus ponit, in quo ipse putat obligare istud præceptum: nempe in quolibet die festo. Sed hæc eius opinio meritò reiicitur ab Adriano quæst. 4. de Confessione, & à Soto & Nauarro locis citatis. Nam festa satis coluntur per ea, quæ in illis ab Ecclesia præscripta sunt, hoc est, per vacationem à seruilibus operibus, & auditionem Missæ, &c. Quæ fieri possunt sine actuali & expressa Dei dilectione.

Porrò licet in tā variis aliis casibus, vt iam dictū est, præceptum istud obliget, tamē variis etiā modis cōtingere potest, vt quis à speciali peccato cōtra hoc præceptum excusetur. *Primò*, si putet, non in omnibus eiusmodi casibus illud obligare; vt de quibusdam est probabile ob contrarias opiniones Doctorum. *Secundò*, si per inculpabilem incogitantiam aliquis in casu, quo

obligat, non aduertat se teneri ad illud implendum. Quod facillimè accider, præsertim in casib. inopinatæ mortis, quando variis modis aliquis præpeditur, quo minus cogitet, quod tunc est opportunum. *Tertiò*, si (quod est cõsultissimum) studeat quis assiduè se exercere in eiusmodi actu diligendi Deum, etiam quando non tenetur. Ita enim fiet, vt saltè per antecedentè paulò antè, vel sequentem dilectionem impleat id præceptum, quando tenetur.

Consultũ tamen est aliquando in confessione se accusare sub dubio, si fortè præceptum istud sit neglectum; sicut & de omissione aliorum præceptorum affirmatiuorum, de quibus nõ satis certò constat quando obligent, & quando violẽtur. Quamuis absolutè quidem non teneamur confiteri de eo, in quo nec scimus, neq; ob aliquam peculiarem rationem dubitamus, nos peccâsse.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo & quando obliget præceptum de dilectione proximi.

D. Thomas art. 2. 3. 7.

HOc etiam loco supponimus pro certo id, de quo nullum dubium est, nimirum præter præceptum de dilectione Dei extare quoq; aliud charitatis præceptũ de dilectione proximi. Id enim patet PRIMO ex Scriptura. Leuit. 19. *Diliges amicum tuũ, sicut teipsum.* Vbi per *amicum* intelligitur quicunq; proximus, sicut optimè docet D. Tho. art. 7. Et Matth. 22. *Hoc est maximum & primum mandatum* (de dilectione Dei) *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vbi etiam Dominus interpretatus est, præceptum illud Leuitici intelligendum esse de omni proximo. Citantur enim ibi hæc præcepta ex Scriptura veteris Legis. Et Ioan. 13. *Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* Et 1. Ioan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, id est, quemcunque proximum.

SECVNDO idem patet ratione. Tum quia cõditiones requisitæ in eo, quod est ex charitate diligendum, habent locum in omni proximo, etiam inimico, vt ostẽdimus suprà q. 3. p. 1. & 2. Tum quia dilectio proximi est actus ad salutem necessarius; cùm nequeat eo neglecto haberi dilectio Dei, iuxta illud 1. Ioann. 4. *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo pòtest diligere?* Et de dilectione etiam proximi dixerat cap. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Omnis autem actus ad salutẽ necessarius est præceptus, vt vidimus puncto præcedenti.

Nec satis fuit extare præceptum de dilectione Dei, licet ex eo sit consequens debere quoq; diligi proximum, vt rẽ quandam Dei; sed etiam oportuit expressè dari alterum præceptum de dilectione proximi, propter rudiores nimirum, qui non satis quid sit cõsequens animaduertunt, vt facile docet D. Thomas ar. 7. Qui etiam art. 3. ipsicuè declarat, satis fuisse dari explicitè de interno affectu charitatis ista duo præcepta. Quãquam de externis quidẽ charitatis actibus, vt de beneficẽtia, pace, &c. extant quoq; in Scriptura quædam præcepta, vt idem D. Thomas pulchrè ibi tradit in responsione ad 2.

Hoc igitur posito, scilicet extare præceptum affirmatiuum de dilectione proximi, videndum est, quonam modo & quo tempore diligi debeat proximus ex vi huius præcepti. Est autem MODVS seruandi hoc præceptum subindicatus per formam illam verborũ, quibus est traditũ Leuit. 19. & Matt. 22. *Diliges proximum tuum* SICVT *teipsum.* Vbi per illam particulam SICVT, quemadmodũ docet optimè D. Thomas art. 7. non significatur debere hominem diligere suum proximum *æquè* ac seipsum: debet enim quisque seipsum magis quã alium diligere, vt docuimus suprà q. 4. de ordine charitatis p. 3. Sed significatur debere hominem diligere suum proximum *similiter* ac seipsũ: vt & alibi in Scriptura particula hæc (Sicut) non æqualitatem, sed similitudinem significat, vt ostendit pulchrè S. ATHANASIVS serm. 4. contra Arrianos non multò ante medium, tum aliis testimoniis, tum illo Matth. 5. *Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.*

Debet autem tribus maximè modis homo diligere suum proximum similiter ac seipsum ex vi eius præcepti, vt docet D. Tho. in dicto ar. 7. PRIMO ex parte *finis:* Vt quemadmodum quis ex charitate seipsum diligit propter Deum, & secundũ bona etiã supernaturalia; ita quoq; diligat proximum. Et sic proximi dilectio erit *sancta*, vt ait D. Thomas. Quem modum dilectionis proximi imperauit etiam Dominus illo præcepto Ioann. 13. & 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem* SICVT *dilexi vos.*

Nam vt interpretatur S. AVGVSTINVS tract. 95. in Ioannem, hæc verba (*sicut dilexi vos*) addit Dominus, vt dilectionem proximi, quam hîc præcepit, à *carnali dilectione distingueret*, quæ est propter rationes alias mundanas. Itaque præcipit, vt diligamus inuicem, *non sicut se diligunt homines* (inquit Augustinus) *quoniam homines sunt, sed sicut se diligunt, quoniam dij sunt & filij altissimi omnes; vt sint filij eius vnici fratres, ea dilectione inuicem diligẽtes, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illũ finẽ, qui sufficiat eis vt satietur in bonis desiderij eorum. Tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit.* Ac propterea etiam vocauit hoc præceptum *nouum.* Ioan. 13. Quia scilicet secundum imitationem quidem dilectionis Christi nouus fuit iste proximorum dilectio; vel quia cùm sit sancta & supernaturalis, *innouat* hominem, vt Augustinus illic exponit.

SECVNDO

SECVNDO debet quis proximum suum similiter ac se diligere ex parte *obiecti seu regulæ* bonæ dilectionis. Nimirum non expetens proximo aliquid, quod reuera sit ei malum, sed quod sit bonum, sicut sibi ipsi bona tantùm velle debet: Et sic erit dilectio iusta. Qui etiam modus præceptus est à Domino per illa verba supradicta (*sicut dilexi vos*) per quæ etiam distinxit dilectionem, quã præcepit, *à dilectione* (vt Augustinus vbi suprà inquit) *culpabili atq; damnabili, qua diligunt inuicem adulteri & adulteræ, scortatores & meretrices; & quoscunq; alios non humana necessitudo, sed humanæ vitæ noxia turpitudo coniunxit.*

TERTIO ex parte *rationis diligendi*, vt scilicet diligat quis proximum propter ipsius proximi commodum, vt exigit lex veræ amicitiæ, & vt se quisque propter se diligit: Et sic erit dilectio proximi *vera.* A quo amore differt amor, quo proximum quis diligit, propriæ tantum delectationis vel vtilitatis causa. Quo amore non propriè quis alium, sed seipsum reuera diligit. Itaque oportet, vt his modis dilectio proximi sit & sancta, & iusta, & vera. Et hæc de MODO huius dilectionis.

TEMPVS verò quo proximus debet diligi est, quandocunque ei amicè benefacere tenemur, corporaliter aut spiritualiter; iuxta ea, quæ de dilectione proximi necessaria tradidimus suprà q. 3. p. 1. & 2. & q. 4. p. 3. 4. & 5. id quod etiam notauit summatim Sotus lib. 1. de natura & gratia, capite 22. post medium. Item obligaret hoc præceptum eo tempore, quo ad vitanda peccata aliqua contra proximum, & præsertim eius odium, iudicio prudentis videretur necessarium adhiberi esse, se exercere in dilectione illius; quæ nimirum facile efficit, vt erga proximum in omnibus nos geramus, sicut debemus, neque quidquam contra ipsum peccemus: iuxta illud Apostoli ad Roman. 13. *Qui diligit proximum, legem implenit. Nam non adulterabis, Non occides, &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

PVNCTVM TERTIVM.

An etiam ordo Charitatis sit in præcepto.

D. Thomas art. 8.

SSE quoque ordinem aliquem in dilectione Charitatis ex præcepto seruandum, & in quo consistat, & quisnã sit iste ordo, fusè docuimus suprà q. 4. Itaq; solùm hîc superest annotandum, non modò ex ipsa natura charitatis, & conditionẽ obiectorum eius colligi hoc præceptum, vt patet ex iis, quæ in illa quæstione disseruimus, sed etiam in Scriptura contineri, vt docuit sanctus Thomas ar. 8.

Nam quòd Deus sit magis diligendus, quàm aut nos ipsi, aut quidquam aliud, præceptum est illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex* TOTO *corde tuo, &c.* Quòd autem quis debeat seipsum magis diligere, quàm proximum, indicatur hoc ipso, quòd præcipitur, vt quis diligat proximum *sicut* seipsum: non enim dilectio sui proponeretur vt norma dilectionis proximi, nisi esset potior. Quòd etiam debeat quis spiritualem salutem proximi magis diligere quàm corpus proprium, præcipitur 1. Ioann. 3. illis verbis: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quòd autem inter proximos debeant illi magis diligi, qui sunt meliores, & nobis magis propinqui, indicatur ab Apostolo illis verbis ad Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes, & maximè ad domesticos fidei.* Et illis 1. ad Timoth. 5. *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Qui omnis ordo charitatis quomodo intelligendus & seruandus sit, ex instituto declarauimus quæst. 4. per totam, vt minimè nunc repetitione sit opus.

Quæ autem disserit Caietanus hîc articulo 8. partim patent ex iis, quæ tradidimus in hac quæstione, puncto 1. de modo actus intrinseco, qui in præceptum cadit, partim etiam ex eo, quod suprà quæst. 4. punct. 2. & sequent. docuimus, ordinem charitatis non esse ex præcepto seruandum nisi secundùm ea bona, quæ & nobis & proximis tenemur alioqui ex charitate velle: non autem secundùm alia non necessaria, quæ nec nobis nec aliis velle tenemur. Hinc pendent omnia illa, quæ minutim disserit Caietanus, non tam de re ipsa, quàm de sententia quorundam verborum diui Thomæ in eodem articulo octauo, in responsione ad 1.



QVAE-

QVAESTIO VIGESIMA.

De Dono Sapientiæ, quod est Charitati annexum, & de Stultitia quæ est ei dono contraria.

D. Thomas 2.2. quæst. 45. & 46.

DOSITIS IIS, QVAE TVM DE DONO SAPIENTIAE, TVM DE aliis Spiritus sancti donis disseruimus tomo 2. q. 7. de Virtutibus, breuiter expediri poterunt, quæ spectant ad hunc locum. Itaq; PRIMO dicendum est, quale donum sit Donum Sapientiæ, & quam affinitatem habeat cum charitate. SECVNDO, Quale peccatum sit stultitia.

PVNCTVM PRIMVM.

Quale donum sit donum Sapientiæ, & quam affinitatem habeat cum Charitate.

D. Thomas q. 45.

SAPIENTIÆ vocabulũ variis modis vsurpari solet, vt notauimus tom. 1. q. 1. p. 4. Hîc accipitur vt significat donum quoddam Spiritus S. ex illis septem, quorũ fit mentio Isa. 11. Hoc aũt sapientiæ donũ, vt docuimus tom. 2. q. 7. de virtutibus p. 2. aliud nihil est, quàm habitus quidam, quo mens humana redditur facile mobilis à Spiritu sancto, vt firmiter iudicet inhærendum sibi esse rebus diuinis, aut etiam rebus creatis rationi rectæ consentaneis, propter rationes diuinas & supernaturales. Nam vt hæc sapientia *desursum est* (sicut loquitur S. Iacobus in epistolę suę cap. 3.) ita nõ nisi excelsa & diuina, postpositis terrenis & imis rebus, intuetur. Vt verè in illam quadrare videatur illud Boëthij lib. 4. de Consolatione metro 1.

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli,
Quas sibi cùm velox mens induit,
Terras perosa despicit.

Itaq; donum hoc sapientiæ partim conuenit cum donis intellectus & scientię, de quibus disseruimus suprà disput. 1. q. 8. & 9. partim ab eis differt. *Conuenit* cum illis, quia est in eodẽ subiecto, id est, in intellectu, vt docet D. Thom. hîc ar. 2.

Differt autem à dono quidẽ *intellectus*; quia donum intellectus tantummodò est habitus speculatiuus; eò quòd est solùm ad eum finẽ, vt intellectus facilè à Spiritu S. moueatur ad percipiendũ subtiliter res diuinas, prout in se sunt tales. Donum aũt Sapientię reddit intellectum facile mobilem à Spiritu S. tum vt perspicaciter contempletur diuinas res, vt sunt bonę & expetibiles (sic enim interpretor D. Thom. hîc art. 3.) & eatenus est habitus speculatiuus: Tum etiã vt firmiter iudicet esse illis inhærendũ, sicut dictum est; & eatenus est etiã simul habitus practicus, iuxta doctrinã D. Tho. hîc ar. 3. & etiã ar. 2. ad 3. Vbi quod legitur donũ intellectus esse ad actũ, qui est *percipere*, mendosè positum est; debet. n. legi ad actum *intellectus*, qui est *percipere*, scilicet res diuinas: sicut patet ex doctrina eiusdẽ suprà q. 8. & ex his, quæ bene tradit Caiet. infrà q. 46. in breui quadã annotatione super quæstionem illam.

Differt etiã donum Sapientiæ à dono *Scientiæ*, nam per donum Scientię redditur intellectus facile mobilis, vt iudicet, esse inhærẽdum iis rebus creatis, quibus oportet, & quomodo oportet, idque per rationes etiam creatas: Donum autem Sapientiæ, vt iudicet esse inhærendum diuinis vel creatis etiam per rationes diuinas, sicut dictũ est.

Similiter etiam conuenit donum Sapientiæ cum dono Consilij, & ab eo differt. *Conuenit* ratione subiecti, scilicet intellectus: differt, quia donum consilij reddit intellectum mobilem à Spiritu sancto, vt in particulari iudicet, quid hic & nunc sit agendum. Iudicium autem doni Sapientiæ est vniuersale, sicut & doni Scientiæ.

Quæ omnia facilè patent ex his, quæ de numero & ratione donorum; itemque de differentia eorundem à virtutibus, tradidimus tomo 2. q. 7. de virtutibus p. 1. & 2. Ex quibus etiam constat rectè inter illa dona numerari quoq; istud donũ Sapientiæ, sicut facile docet hîc D. Thomas ar. 1. Qui etiam ar. 6. pulchrè declarat ex sententia S. Augustini lib. 1. de serm. Dom. in monte, cap. 9. quẽadmodum huic dono peculiariter respondeat inter beatitudines illa: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth. 5.

Porrò AFFINITAS, quam habet donum Sapientiæ cum charitate, duplex est. VNA est per talem connexionem cum illa, vt illi omnes & soli, qui sunt prædíti charitate, id est, omnes & soli iusti, habeant donum istud, sicut & reliqua Spiritus

Spiritus sancti dona. Quemadmodum probauimus ex sententia D. Thomæ tomo 2. q. 7. de Virtutibus, p. 3. & repetit D. Thomas hîc art. 4. & 5.

ALTERA affinitas est, quòd donum istud Sapientiæ, ac præcipuè ipsius vsus, charitati tanquam fundamento nititur. Nam quia mens per charitatem rectè affecta est erga Deum & res diuinas, idcirco facile etiam à Spiritu sancto mota iudicat firmiter sibi esse inhærendum rebus diuinis; iuxta illud Philosophi 3. Ethic. *Qualis vnusquisq; est, talis ei finis videtur*: & iuxta doctrinam optimam D. Thomæ hîc artic. 5. Neque est opus hæc fusius nunc dilatare, cùm sit nobis properãdum ad materias alias.

PVNCTVM SECVNDVM.

Qualenam peccatum sit Stultitia.

D. Thomas q. 46.

STVLTITIA, vt dono Sapientiæ opponitur, defectus quidam est recti iudicij, quo statuatur firmiter esse inhærendum rebus diuinis: Aut etiam iudicium huic iudicio cõtrarium, quo scilicet postpositis diuinis rebus statuat quis adhærere rebus mundanis. Quæ nimirum stultitia cõmunis est omnibus iis, de quibus Scriptura pronunciat: *Stultorum esse infinitum numerum.* Eccles. 1. Et sicut vera sapientia apud Deum (de qua dictum est puncto præcedente) appellatur ab Apostolo 1. Cor. 1. *Stultitia* apud mundum: ita vera hæc stultitia mundi appellatur ab eodem ibi *Sapientia huius mundi.* De qua mundi sapientia Iacobus Apostolus ca. 3. inquit: *Non est enim ista Sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem*, inquit, *desursum est Sapientia, primum quidem pudica est, etc.* quem locum totum declarauit pulcherrimè D. Thomas hîc artic. 2. Neque absurdè ad hanc ipsam mundi stultitiam accommodabit aliquis, quod Horatius ait:

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse - -

Est autem stultitia eiusmodi coniuncta cum quadam hebetudine mentis erga res diuinas, orta ex iis peccatis, per quæ homo se mundanis voluptatibus immergit, ac præcipuè ex peccatis luxuriæ, vt explicat D. Thomas art. 3. Et quidem quando stultitia ista continetur non iudicio illo contrario sapientiæ veræ, sed eius omissione seu defectu, ipsa etiam est quædam hebetudo mentis, sicut eam appellat hîc S. Thomas art. 1. atque etiam Caietanus: Nec tamen sic est idem, quod illa hebetudo mentis, quæ opponitur dono intellectus, de qua dictum est disput. 1. q. 15. Nam vt rectè declarat Caietanus hîc, illa est hebetudo opposita dono ad *percipiendum* res diuinas: hæc autem stultitia est hebetudo opposita dono ad *iudicandum* rectè de diuinis rebus, scilicet dono Sapientiæ.

Ex his patet, non posse dubitari, quin stultitia sit peccatum; & quidẽ contra illa eadem præcepta, quæ extant de vsu doni intellectus, & doni scientiæ, vt vidimus disputat. 1. quæst. 16. Nam illis iisdem præceptis iubetur etiam vsus doni Sapientiæ, vt docet D. Thomas hîc art. 2. ad vltimum: & consequenter prohibetur quoque stultitia.

Quomodo autem istiusmodi peccatum stultitiæ sit peccatum mortale vel veniale, iudicandum est ex obiecto. Nam si sit circa rem diuinam, quam deberet homo sibi sectandam proponere sub mortali, tunc peccatum erit mortale: Et similiter si sit circa rem mundanam, quam homo teneatur respuere sub mortali: quãquam non semper distinctum à peccato mortali, quod alioqui per negligẽtiam rei diuinæ, vel per vsum rei mundanæ committitur: nisi in peculiari aliquo casu deberet quis ex præcepto diuino de vsu Sapientiæ peculiariter se in bono firmare per iudicium illud doni Sapientiæ, de quo diximus puncto præcedenti.

FINIS TERTIÆ DISPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO QVARTA GENERALIS.

DE PRVDENTIA ET EI ANNEXIS.

DIVISA IN SEX QVÆSTIONES.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM QVARTAE DISPVTATIONIS GENERALIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Prudentia secundùm se.

PVNCT. I. *Quidnam propriè sit prudentia in proposito.*
II. *An prudentia sit virtus & qualis virtus.*
III. *Quàm latè pateat prudentiæ functio.*
IV. *Quinam sint participes prudentiæ.*
V. *Quomodo acquiratur & amittatur prudentia.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Prudentiæ partibus generatim.

PVNCT. VNIC. *Quales nam partes habeat Prudentia.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Prudentiæ partibus in specie.

PVNCT. I. *De integralibus prudentiæ partibus.*
II. *De prudentiæ partibus subiectiuis.*
III. *De partibus prudentiæ potentialibus.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Dono Consilij, quod est annexum Prudentiæ.

PVNCT. VNIC. *Quodnam & quale donum sit Donum Consilij.*

QVÆSTIO QVINTA.

De Peccatis contrariis Prudentiæ.

PVNCT. I. *De peccatis Prudentiæ contrariis per defectum.*
II. *De peccatis contrariis Prudentiæ per excessum.*

QVÆSTIO SEXTA.

De Præceptis Prudentiæ.

PVNCT. VNIC. *Quænam sint præcepta Prudentiæ.*

IHS

DISPVTATIO QVARTA GENERALIS.

DE PRVDENTIA, ET EI ANNEXIS, ET VITIIS CONTRARIIS.

D. Thomas 2. 2. à quæst. 47. vsque ad quæstionem 56.

DE virtute Prudentiæ multa tradidit ARISTOTELES lib. 6. Ethic. cap. 5. & 8. & sequentibus, vsque ad finem libri. Et non pauca etiam inter Ecclesiasticos Scriptores CASSIANVS Collat. 2. Abbatis Moysis, quæ est de Discretione. Ac potest tota hæc materia SEX quæstionibus principalibus comprehendi. PRIMA erit de ipsa Prudentia secundùm se. SECVNDA, de eius partibus generatim. TERTIA, de eius partibus in specie. QVARTA, de dono Consilij, quod est Prudentiæ annexum. QVINTA, de vitiis contrariis Prudentiæ. SEXTA, de præceptis ad Prudentiam pertinentibus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Prudentia secundùm se.

D. Thomas 2. 2. quæst. 47.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, QVIDNAM PROPRIÈ sit Prudentia in proposito. SECVNDO, An sit virtus, & qualis nam virtus. TERTIO, Quàm latè pateat eius functio. QVARTO, In quibusnam sit. QVINTO, Quonam modo acquiratur & amittatur.

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam propriè sit Prudentia in proposito.

D. Thomas art. 1. 2. 3.

VOCABVLVM PRVDENTIÆ Latinè, sicut etiam φρονήσεως Græcè, varios animaduerto habere significatus. Quorum distinctio & annotatio multum lucis adferet huic toti disputationi, vt intelligi possit, de qua inprimis Prudentia instituatur, & quomodo accipi debeant varia admodum, quæ de Prudentia dici solent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMO igitur hoc prudentiæ vocabulum significare solet quamcunque veri cognitionem, quæ humano studio comparari possit, siue ea sit practica, siue speculatiua: cuiusmodi cognitio solet etiam Sapientia nominari. Sic accipi videtur id prudentiæ vocabulum à S. AMBROSIO lib. 1. de Officiis cap. 24. cùm ait: *Prudentia in veri inuestigatione versatur, & scientia plenioris infundit cupiditatem.* Et à Cicerone lib. 1. de Officiis, cùm ait: *Prudentia, quæ in veri cognitione consistit, maximè naturam attingit humanam.* Et lib. 2. de Inuentione, non longè à fine, cùm ait: *Prudentia est rerum bonarum & malarum, & vtrarumq; scientia.* Sicut etiam notauit D. Thomas art. 2. ad 2. Atque eodem modo Xenocrates in libro περὶ φρονήσεως accipit Græcum hoc vocabulum, respondens illi Latino, cùm scripsit, φρόνησιν esse duplicem; Vnam practicam; & aliam theoricam, vt obseruauit in Encomiis virtutum Henricus Stephanus. Itaque strictius sumpsit Prudentiæ vocabulum D. Thomas artic. 2. ad 3. cùm dixit; Prudentiam non esse speculatiuam: Idque propterea, quia non est tam latè patens Prudentia ea, de qua nunc loquimur; quàm ea, de qua locutus est Xenocrates.

SECVNDO id vocabulum significat cognitionem tantùm practicam rerum, quæ vel expeti vel repudiari debent. Sic illud accipit sanctus AVGVSTINVS lib. 1. de libero arbitrio cap. 13. & lib. 83. qq. quæst. 31. in quibus locis ait: *Prudentiam esse rerum appetendarum & vitandarum scientiam.* Et neque isto modo hîc loquimur de Prudentia: cùm sic vel non differat à morali scientia, vel tantùm ad illâ addat cognitionem quoque particularem eius, quod in casibus particularibus expetendum vel fugiendum est. Quo pacto prudentia accepta, in iis etiam esse potest qui nõ rectè ipsi agunt, licet cognoscant tum in vniuersali tum in particulari quid sit agendum. Prudentia verò, de qua nunc loquimur, non sunt prædicti ij, qui tantum cognoscunt, quid sit agendum, sed qui rectè etiam agunt, vt videbimus.

TERTIO significat hoc vocabulum omnes simul perfectiones seu facultates intellectus practici, quæ ad rectè instituendas humanæ vitæ actiones conducunt, aut etiam sunt necessariæ. Sic accipitur frequenter à Philosopho libro 6. Ethic. cùm diuersa admodum assignat prudentiæ seu prudentis munera. Vt consultare, contemplari, iudicare, præcipere, &c. quæ per diuersos habitus intellectui conueniunt, vt videbimus in quæstionibus sequẽtibus. Nam cap. 5. ait: *Prudentis viri esse proprium, posse rectè consultare.* Et infra: *Propterea Periclem atque huiusmodi viros prudentes esse existimamus; quia & quæ sibi, & quæ aliis hominibus sunt bona, possint contemplari.* Et capite 10. *Prudentia*, inquit, *præceptiua est.* Et cap. 11. *In eo*, inquit, *quod ad iudicandum idoneus quispiam est, de iis quæ egit, prudens, perspicax & bene sentiens seu consentiens erit.* Et neque sic hoc loco de Prudentia disputationem instituimus.

QVARTO, Prudentia maximè propriè nominatur facultas quædam intellectus practici ad rectè statuendum per actum imperij (de quo egimus tomo 2. disput. 2. quæst. 12.) quid agendum sit in quouis casu particulari. Sic accepit Philosophus hoc vocabulum Prudentiæ tum aliàs, tum 6. Ethic. cap. 12. & 13. cùm affirmat; *Non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit.* Quia scilicet rectè statuere per imperium illud in omni casu, quid agendum sit, hominum duntaxat bonorum est proprium, qui & bene agunt: cùm tamen consultare bene, & iudicare, mali possint. Propter quod ait Philosophus in illo cap. 13. Prudentiam circa ea versari, *quæ iusta, & honesta, & bona homini sunt, ea autem esse huiusmodi, quæ agere* (inquit) *viri boni est.* Atque hæc ipsa prudentia est in intellectu illud principium agendi practicum, cuius veritatem affirmat Philosophus eodem libro cap. 2. consistere in conformitate cum appetitu recto, sicut docuimus tomo 2. quæst. 3. de virtutibus p. 2.

Et de huiusmodi Prudentia inprimis hîc disputamus, sicut etiam D. Thomas, vt ex sequentibus punctis & quæstionibus patebit. Vbi etiam ex Philosophi & D. Thomæ sentẽtia videbimus, quanam ratione censeri debeat Prudentia hæc habere quasdam suas partes.

Porrò hanc Prudentiam ita definit Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 5. *Prudentia est habitus intellectus vera cum ratione actiuus, circa ea, quæ & bona & mala homini sunt.* Quam definitionem sufficienter explicauimus tomo 2. quæst. 3. de Virtutibus. p. 2. Vbi etiam docuimus, quomodo hic habitus Intellectus differat ab aliis habitibus intellectualibus; explicatis aliquot difficultatibus, quæ circa Philosophi doctrinam hac de re occurrebant. Ex quibus facilè patet quoque doctrina D. Thomæ hîc in tribus articulis prioribus, vbi docet, Prudentiam esse in Intellectu practico, & versari circa singularia, vt docet quoque Philosophus 6. Ethic. cap. 5. In qua tamen doctrina duo breuiter sunt obseruanda. PRIMO, minimè hæc quæ Philosophus & diuus Thomas tradunt, inter se pugnare, scilicet vt Prudentia sit in Intellectu, & tamen versetur circa singularia. Nam certum est Intellectum etiam, & non solùm sensum, cognoscere & attingere singularia: quamuis de modo quidem quo id fiat non nulla controuersia sit; an scilicet fiat indirectè tantum, per quandam Intellectus conuersionem ad sensibilia phantasmata, quibus singularia repræsentantur; an verò etiam directè; quod probabilius esse defendimus tom. 1. disp. 6. q. 7. punct. 1. SECVNDO obseruandum, licet hæc Prudentia sit in Intellectu, tamen aliquando nomen huius Prudentiæ tribui impropriè aliquibus motibus appetitiuæ partis, qui sint vel causa vel effectus Imperij (quod est proprius actus eius) vt amori & electioni, sicut perspicuè declarat diuus Thomas artic. 1. in solutionibus argumentorum.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Prudentia sit Virtus, & qualis Virtus.

D. Thomas art. 4. & 5.

DONAM aliquot assertiones. PRIMA. Prudentia, quam punct. præced. definiuimus, omnino est virtus. Hæc assertio nõnihil propterea difficultatis habet, quòd prudentia (vt punct. præced. diximus) versatur circa singularia & contingentia, quæ cum variè se habeãt, sæpe cognoscuntur falsò ab Intellectu. Omnis autem Virtus Intellectus versatur tantummodo circa verum, vt docet Philosophus 6. Ethic. cap. 3.

Nihilominus probatur PRIMO assertio nostra ex Scriptura, vbi Prudẽtia annumeratur aliis virtutibus, & tanquam res optima, & laude digna cõmendatur hominibus. Vt Sap. 8. *Sobrietatem* (id est, temperantiam) *& prudentiam docet, Iustitiã & Virtutem*, id est, Fortitudinem. Vbi sermo est de prudentia illa, quæ est connexa cũ his aliis tribus Virtutibus. Et Prouer. 3. *Beatus vir, qui inuenit sapientiã, & qui affluit prudentia.* Et cap. 4. *Posside prudentiam.* Et Matth. 10. *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Et 1. Petr. 4. *Estote itaq; prudentes, &c.*

SECVNDO probatur ex Patribus, qui sæpe Prudentiam in Virtutibus numerant, & ei tribuunt quendam principatum. S. AMBROSIVS lib. 1. de Officiis cap. 27. *Primus*, inquit, *officij fons prudentia est.* Et S. AVGVSTINVS lib. 1. de morib. Ecclesiæ, capite 15. vbi *quadripartitam esse virtutem* dicit, prudẽtiam scilicet, iustitiam, fortitudinẽ & temperantiam; ac infrà cap. 24. affirmat, si desit prudentia, nullum esse posse cæterarum virtutum vsum. Et addit: *Huius autẽ excubiæ atq; diligentissima vigilatia est, ne subrepente paulatim mala suasione falsamur.* Et S. GREGORIVS lib. 2. Moral. cap. 36. vbi ait; *Solidũ mentis nostræ ædificium* sustineri his quatuor virtutibus, inter quas primò *prudentiam* numerat. Et CASSIANVS collat. 1. cap. 23. ex sententia Abbatis Moysis de Discretione seu Prudentia loquens: *Hæc*, inquit, *inter cunctas virtutes arcẽ ac primatũ tenet.* Et collat. 2. cap. 2. *Hæc namq; est*, inquit, *quæ oculus & lucerna corporis in Euangelio nuncupatur, secundum illam sententiam Saluatoris: Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c.* Matth. 6. *Eò quòd*, inquit, *ipsas cogitationes hominis vniuersas, actusq; discernens, cuncta quæ agenda sunt, peruideat atq; perstringet.* Similia alia passim.

TERTIO probatur ex Philosophis, & aliis Scriptoribus prophanis, qui & ipsi agnouerũt naturali rationis luce, prudẽtiam Virtutem esse valdè præstantẽ, & vt talem suis encomiis celebrârunt. Vt Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 5. *Prudentiam*, inquit, *virtutem quandam esse manifestũ est.* Et cap. 13. *Constat*, inquit, *neque propriè bonum esse sine prudentia, neq; prudẽtem sine morali virtute quempiam esse.* Et Cicero lib. 1. Tuscul. qq. *Prudentia*, inquit, *nihil dulcius, quam vt cætera auferat, adfert certè senectus.* Et lib. 2. *Sine prudentia ne intelligi quidem vlla virtus potest.* Et Seneca epist. 68. *Sine prudentia*, inquit, *nullum initur consilium.* Et Plutarchus in libro de Virtute morum, non longè ab initio: *Agendi*, inquit, *virtus est prudentia. A sapientia autem differt in eo, quòd à contemplandi genere ad actiuum, affectionibusq; agitatum, conuersione & respectu quodam facto, secundum rationem prudentia subsistit.* Cuius virtutis laudes omnes illo Encomio complecti voluit Iuuenalis, Satyra 10.

Nullum numen abest, si sit prudentia.

QVARTO, eadem assertio patet ex Virtutis ratione. Nam omnis habitus bonus, & conueniens homini est Virtus: Sed habitus ille Prudentiæ, quẽ punct. præced. definiuimus, sine dubio est bonus, & cõueniens homini: Ergo est Virtus. Maior patet. Nam *Virtus est, quæ bonum facit habentem, & actum eius reddit bonum*, vt docuimus ex sententia Philosophi tomo 2. q. 1. de Virtutibus, punct. 2. Siue vt definit AVGVSTINVS lib. 83. qq. q. 31. *Virtus est habitus naturæ, modo, atq; rationi consentaneus*; & ante Augustinum Cicero lib. 2. de Inuentione, sub finem, ex quo loco tota illa quæstio Augustini ad verbum descripta est. Non est autem dubium, quin istæ Virtutis definitiones cõueniant omni habitui bono. Minor autem patet. Nam optimum & conueniẽtissimum est naturæ homini ratione cõstituere, & sibi præfigere ad expetendum vel fugiendum, ea, quæ secundùm rectam rationem sunt expetẽda vel fugienda; id quod est officium Prudentiæ. Sicut contrà, illud est malum & vitiosum homini, quod est contra rationem, vt verissimè censuit sanctus DIONYSIVS cap. 4. de diuinis nominibus parte 4. ante medium.

Ad id autẽ, quod initio obiiciebatur, Prudentiam versari circa singularia, quæ possunt aliter se habere & falsò cognosci, ac proinde non esse Virtutem; facilè responderi potest. Actus enim illi intellectus practici circa singularia, quos per difformitatem cum re ipsa, vel cum appetitu recto, contingit falsos esse, non sunt reuera actus prudentiæ vel alicuius partis eius, sed illi duntaxat, qui re ipsa sunt veri, vel per cõformitatem cum re (vt actus veri Iudicij practici, qui est actus partis cuiusdam prudentiæ, puta Synesis, sicut quæst. 3. videbimus) vel per conformitatem cum appetitu recto; vt actus veri, & recti Imperij qui maximè propriè est actus ipsius Prudentiæ: Alij autem actus falsi, non prudentiæ actus sunt sed solius Intellectus errantis. Itaque manet, Prudentiam ipsam versari duntaxat circa verum, ac proinde Virtutem esse, vt statuimus in prima assertione.

SECVNDA assertio. Prudentia diuersâ ratione est Virtus, tum Intellectualis, tum Moralis; magis autem propriè intellectualis. Probatur PRIOR huius assertionis pars. Nam vt prudentia est in Intellectu, est Virtus intellectualis. Et de ea, vt de Intellectuali Virtute disserit Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 3. & 5. & D. Thomas 1. 2. quæst. 57. Vt autem habet pro obiecto agibile rationi rectę consentaneum, atque adeo bonum & conueniens appetitui recto & ipsi homini, est etiã virtus moralis, & moralibus Virtutibus annumeratur: quemadmodum docet D. Thomas art. 4. in fine corporis.

POSTERIOR autem pars assertionis probatur. Nam quòd Prudentia sit Virtus Intellectualis, habet ex proprio subiecto suo, scilicet Intellectu, & ex proprio ac immediato suo obiecto formali, scilicet ex agibili, quatenus hoc per conformitatem cum appetitu recto est formaliter verum. Quòd autem sit etiam Virtus moralis, habet quasi ab extrinseco, scilicet vt ab appetitu recto per inclinationes moralium virtutum, mouetur & excitatur Intellectus, vt per Prudentiam consectetur agibile bonum & appetitui recto consentaneum, vt est bonum homini. Igitur Prudentia magis propriè est virtus Intellectualis, cùm sit talis ex propriis: moralis autem sit tantùm ab extrinseca motione appetitus, in quo ipsa immediatè non est.

Vnde etiam Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 3 & D. Thomas 1. 2. quæst. 57. simpliciter & absolutè numerant Prudentiam inter Virtutes Intellectuales. Atque etiam 1. 2. quæst. 58. articulo tertio ad primum, affirmat, eam secundùm essentiam esse Virtutem Intellectualem; conuenire autem cum Moralibus secundùm materiam. Et hîc artic. 5. eam distinguit à Virtutibus Moralibus. Quia, vt ibidem dicit in responsione ad 3. Prudentia versatur circa agibile formaliter sub ratione veri: aliæ autem Virtutes morales versantur circa illud formaliter sub ratione boni.

Cum quo non pugnat, quod idem D. Thomas artic. 4. in fine corporis dixerat, Prudentiam versari circa agibile, vt bonum formaliter. Vtrumque enim verum est diuersimodè considerando Prudentiam. Nam secundùm se quidem, vt est scilicet in Intellectu, circa agibile versatur non vt bonum, sed vt verum formaliter. Si autem consideretur, vt mouetur semper in suo Exercitio ab appetitu per inclinationes Virtutum moralium recto (iuxta illud Philosophi: *Qualis vnusquisque est, talis ei finis videtur*) sic formaliter respicit agibile vt bonum, sicut etiam explicuit Caietanus artic. 5. Vbi per hanc distinctionem remouet apparentem illam repugnantiam in verbis D. Thomæ.

TERTIA assertio. Prudentia Virtus est specialis, ab omnibus aliis Virtutibus, tum Intellectualibus, tum Moralibus distincta. Probatur PRIMO ex testimoniis suprà ad assertionem primam citatis, tum Scripturæ, tum Patrum, tum Philosophi; in quibus Prudentia aliis Virtutibus specialibus, tanquam & ipsa specialis annumeratur. SECVNDO probatur ex ratione formali sui obiecti, quæ est ratio agibilis, vt conformis appetitui recto, atque adeo vt practicè veri. Hanc enim rationem obiecti per imperium Intellectus practici attingere, peculiarem habet, tum laudem, tum difficultatem. Ergo habitus, ad quem hoc pertinet, nimirum prudentia, peculiaris atque adeo specialis est Virtus.

Vtrum autem sit Prudentia virtus specialis specie vltima; an verò solùm specie subalterna (vt Ars & Scientia, quæ ab Aristotele 6. Ethicor. capite tertio, vnà cum prudentia, inter virtutes intellectuales numerantur) pendet ex iis, quæ trademus quæst. 3. de partibus prudentiæ; vbi declarabitur doctrina quoque diui Thomæ articulo vndecimo huius quæstionis. Nunc satis sit constituisse illam esse virtutem specialem, siue subalternam, siue vltimam specie; per illam scilicet peculiarem obiecti sui rationem iam dictam.

Quæ doctrina magis illustrabitur dilutis duobus argumentis, quæ occurrunt contra illam. PRIMVM est, quòd agibile ideo est conforme appetitui recto, quia est conforme rationi rectæ iuxta normam prudentiæ: Ergo agibile, per aliquid prius est obiectum formale prudentiæ, quàm per hoc, quod est, ipsum esse conforme appetitui recto. Antecedens probatur. Nam rectitudo appetitus, atque adeo congruentia obiecti cum appetitu recto, ex rectitudine rationis tanquam ex sua regula æstimari debet; non autem contrà, rectitudo rationis & conformitas obiecti cum illa, ex appetitu recto. Ratio enim rectificat appetitum, non appetitus rationem. Alioqui dabitur in hoc vitiosus quidam circulus.

SECVNDVM argumentum est, quòd ratio agibilis, vt est verum practicè per conformitatem cum appetitu recto, tam latè patet, & tam communis est, quàm ratio agibilis, vt est bonum morale per conformitatem cum ratione recta seu cum appetitu recto: Sed hæc ratio boni, ob suam communitatem, minimè cõstituit specialem aliquam virtutem moralem in appetitu, sed solùm genus ipsum moralis virtutis: Ergo neque illa ratio veri constituet specialé Virtutem prudẽtiæ in intellectu, sed genus duntaxat aliquod Virtutum practicarum intellectualium circa agibile; quod genus deinde tribuatur in tot species prudentiæ, in quot species Virtutum moralium tribuitur genus moralis Virtutis. Ex quo rursùs est consequens, vt sicut alia Virtus moralis est Iustitia, alia Temperantia, &c. ita alia quædam virtus Prudentiæ sit circa materiam Iustitiæ, alia circa materiam Temperantiæ, &c.

Ad PRI-

Ad PRIMVM argumentum respondeo, rationem formalem obiecti Prudentiæ inprimis etiam reuera esse conformitatem cum recta ratione, vt Ratio est recta, non quomodocunque, sed per habitum Synderesis, quo est nobis per se nota bonitas obiectorum formalium Virtutum, quæ sunt earum intrinseci fines. Sed quia clarior nobis est in quopiam homine appetitus rectus erga obiecta formalia seu fines intrinsecos virtutum moralium (cùm luceat hæc appetitus rectitudo in manifestis operationib. bonis) quàm rectitudo illa rationis per Synderesin (cùm hæc lateat demersa in intellectu, & quandoque per nullas operationes bonas monstretur) ideo veritatem illam practicam agibilium, vt sunt obiectum prudentiæ, explicauit à posteriori Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 2. per cõformitatem obiecti cum appetitu recto.

Dixi autem, veritatem practicam obiecti prudentiæ consistere etiam in conformitate cum Ratione recta, *non quomodocunque, sed recta per habitum Synderesis circa fines virtutum intrinsecos, &c.* Nam duplex est Rationis rectitudo. Vna, circa prædictos virtutum fines, qui sunt per se noti per Synderesin, vt est dictum. Altera, circa media ad attingendos reipsa, & in executione eos fines; quæ media non sunt per se nota; sed in casibus particularibus, attentis omnibus circumstantiis, determinantur per ipsam prudentiam, vt punct. seq. trademus. Quapropter cùm declarantes rationem formalem obiecti prudentiæ dicimus, eam consistere in conformitate agibilis cum appetitu recto, atque adeo inprimis etiam cum Ratione recta; oportet rationem rectam intelligere, vt est recta per Synderesin, non autem vt est recta per ipsam prudentiam circa media ad Virtutum fines: Nam hoc vltimum dicere, perinde esset, ac dicere, obiectum formale Prudentiæ esse agibile, vt est conforme ipsi prudentiæ, quod esset declarare obscurè & ineptè idem per idem. Dicendo autem obiectum formale Prudentiæ esse agibile, vt conforme cum Ratione per Synderesin recta circa Virtutum intrinsecos fines, aliquid clarius de obiecto formali prudentiæ explicamus, nimirum esse illud tale, quale conuenit ad attingẽdum re ipsa Virtutum fines, vt videbimus etiam punct. seq.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo per distinctionem Maioris. Nam communitate quidem solius prædicationis seu vniuersalitatis, æquè communis est ratio illa Veri practici, atque ratio boni moralis: Non autem communitate ordinis cuiusdam ad potentiam animę, tanquam ad Virtutis subiectum, neque etiam veritate quadam modorum, quibus ex parte potentiarum animæ difficile sit per eas tendere in ipsarum obiecta. Nam *verum practicum* solum habet ordinem ad vnicam animæ potentiam tanquam ad Virtutis subiectũ, scilicet ad Intellectum practicum. *Bonum* autem morale habet ordinem ad plures animę potentias, tanquã ad Virtutis subiectum, nempe ad voluntatem, & ad appetitum sensitiuum, eumque duplicem, scilicet concupiscibilem & irascibilem.

Item, Verum practicum attingere per intellectus imperium in aliis & aliis materiis agibilibus, ex parte quidem ipsius Intellectus nõ nisi vno & eodem modo difficile est; nam si quæ est in hoc difficultatis diuersitas, ea prouenit ex variis affectionibus appetituum, quæ impedinnt rectum illud Intellectus imperium, vt patebit ex iis, quæ punct. 4. & 5. trademus. Bonum autẽ morale diuersis valde modis est difficile attingere per potentias appetitiuas, quantũ est ex parte ipsarum, vt experientia patet. Nam quidam habent maiorem difficultatem in sectando bono morali quibusdam in materiis, quàm in aliis.

Quapropter cùm his modis, scilicet ex parte ordinis ad potentias animæ, vt ad subiecta virtutum, & ex parte difficultatis, multò latiùs pateat & communior sit ratio boni moralis in agibili, quàm ratio Veri practici in eodem: nil mirum si ratio boni non nisi per plures species Virtutes morales attingatur, ratio autem Veri practici attingatur per vnicam specie Virtutem intellectualem, videlicet per prudẽtiam, vt est præceptiua: Quæ ipsa tamen an sit vnica virtus specie vltima, vel solùm subalterna, ex quæst. 2. & 3. patebit, vt anteà dixi.

PVNCTVM TERTIVM.

Quàm latè pateat Prudentiæ functio.

D. Thomas art. 6. vsque ad 10.

QVÆRIMVS, quęnam sit functio Prudentiæ propriè dictæ, vt scilicet est præceptiua: quomodo de Prudentia hîc disputatur, vt annotauimus puncto 1. Ponam igitur de huius Prudentiæ functione nonnullas assertiones.

PRIMA assertio: Prudentiæ munus non est proponere virtutibus moralibus fines earum intrinsecos, quatenus sunt formaliter fines, sed solùm proponere ipsis media, per quæ attingãt eiusmodi fines. Hanc assertionem statuimus cum D. Thoma hîc art. 6. contra Scotum in 3. dist. 36. quæst. vnica, art. 2. vbi contendit fines ipsos præfigi virtutibus moralibus à Prudentia.

Probatur autem assertio nostra, PRIMO ex Philosopho libro sexto Ethicor. cap. 12. vbi affirmat, ab ipsa Virtute morali intendi finem eximpulsu Rationis, nimirum per Synderesin; à Prudentia verò dirigi & recta effici ea, quę sunt ad finem: *Opus*, inquit, *& ex Prudentia, & ex morali Virtute perficitur, Virtus enim proposítum scopum: Prudentia, quæ ad ipsum tendunt, recta efficit.* Et eodem libro cap. 13. *Virtus*, inquit, *finem: Prudentia, quæ ad finem tendunt, vt agamus facit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO probatur ratione ducta ex differentia Syndereſis & Prudẽtiæ. Nam munus Syndereſis minimè competit prudentiæ (tunc enim alteruter iſtorum habitus eſſet ſuperuacaneus) ſed munus Syndereſis eſt præfigere Virtuti ſuum finem formaliter, vt v. g. temperantiæ, eſſe delectationibus tactus temperatè vtẽdum; ſeu quod idem eſt, eſſe in eiuſmodi delectationibus tenendum mediũ inter extrema exceſſus & defectus: & ſic ſuo modo in aliis quibuſq; virtutibus: Ergo non eſt hoc munus prudẽtiæ, ſed tantum de mediis ſtatuere, quibus attingatur à Virtute huiuſmodi ſcopus. Minor probatur. Nam ad Syndereſin pertinet præfigere appetitui omnia eiuſmodi bona, quæ naturaliter & per ſe ſunt nota, cùm ſit habitus principiorum practicorum. Talia autem bona ſunt ea, quæ ſunt fines formaliter moralium Virtutum.

TERTIO probatur ex connexione Conſilij & Prudentię. Nam prudẽtia erga illa ſolùm propriè verſatur, de quibus eſt cõſultatio: Sed cõſultatio tantum eſt de mediis ad fines, non autem de ipſis Virtutũ finibus formaliter: Ergo etiã Prudentia. Maior patet ex Philoſopho lib. 6. Ethic. cap. 5. & 7. vbi ait: *Prudentia circa humana bona verſatur, atq; ea, quæ in conſultationẽ cadunt. Prudẽtis enim id maximè opus eſſe dicimus, vt rectè conſultet.* Minor probatur. Nam Conſultatio tantùm eſt de rebus dubiis, & quæ in variis caſibus aliter & aliter habere ſe poſſunt ſecundùm bonitatem & prauitatem: Cuiuſmodi ſunt nõ ipſi fines formaliter virtutũ, cũ ij inuariabiliter ſint ſemper p ſe boni, ſed media ad attingendum hos fines. Vnde Philoſophus in dicto cap. 7. libri 6. Ethic. cùm dixiſſet, prudentiam eſſe de iis, quæ in conſultationem cadunt, mox ſubiunxit: *De illis autem conſultat nemo, quæ euenire aliter nequeunt; neque de iis, quorum finis aliquis non eſt.*

Sed ad pleniorem huius aſſertionis intelligẽtiam, obſeruandum eſt, quòd quamuis Prudẽtia non reſpicit finẽ formalem Virtutis, vt eum, quẽ ipſa formaliter præfigat, tamen quibuſdam aliis duabus rationibus habet reſpectũ ad illum hoc ipſo, quòd præfigit & decernit media ad illum. PRIMO, quia præfigit media accommodatè ad illum, atq; adeo intendit & reſpicit illum, vt id, cuius gratia; & (vt Caietanus hìc art. 6. ait) applicat illũ ad media, dirigendo ſcilicet media in ipſum. Sicut habitus ſcientiæ reſpicit & vſurpat principia indemonſtrabilia, nõ vt aſſentiens ipſis (cùm id ſit munus habitus principiorum ſpeculatiuorum) ſed vt applicans illa ad Concluſiones, quatenus iis propter illa aſſentitur, vt inquit Caietanus.

SECVNDO, quia non ſolùm præfigit prudentia ea media, quæ Virtutibus moralibus tãquam viam parant, qua ad propoſitos fines perueniãt, ſed etiã definit ac determinat res eas ſiue actiones, in quibus tanquam in ſubiecto ineſt ipſa formalis ratio ac bonitas eiuſmodi finium virtutum: determinando nimirum in caſibus particularibus, in quanam actione vel quãtitate & qualitate rei, ſit cuiuſq; virtutis mediocritas ſeu medium inter extrema exceſſus & defectus, vt docet Philoſophus lib. 2. Ethic. cap. 6. & lib. 6. cap. 13. & D. Thomas hìc art. 7. Quo ipſo præfigit & determinat media *coniuncta* (vt ſic dicam) finibus virtutum, quatenus vt ait rectè Caietanus art. 6. ſubiectum ſeu materia ordinatur ad formã ſuam tanquam in finem, propter quem eſt, vt quoddã medium. Nam bonitas obiecti, atque adeo finis formaliter cuiuſq; virtutis moralis, cõtinetur illâ mediocritate, vt Philoſophus & D. Thomas illic docent. Itaq; licet prudentia non præfigat ipſum finem formalẽ virtutis, vt in aſſertione noſtra poſitum eſt: præfigit tamen & attingit illum materialiter & ſubiectiuè (vt ſic dicã) determinãdo ſcilicet rem eam, in qua eſt: ac pinde hoc ipſo etiam reſpicit materialiter ipſum virtutis finem.

Per quam doctrinam poſſunt conciliari duo loca D. Thomæ, in quibus videri is poſſet contradicentia ſtatuere. Nam hìc art. 6. aſſerit, prudentiam nõ præſtituere finem virtutibus moralibus, vt vidimus. In præcedẽti verò libro, ſcilicet 1. 2. q. 66. art. 3. ad 3. videtur contrarium planè aſſerere, cùm in hæc verba ſcribit: *Prudentia non ſolùm dirigit virtutes morales in eligendo ea, quæ ſunt ad finem, ſed etiam in præſtituendo finem. Eſt autem finis vniuſcuiuſque virtutis moralis attingere medium in propria materia, quod quidem medium determinatur ſecundum rectam rationem prudentiæ.* Sed non pugnat ſecum D. Thomas in his locis. Nam hìc in dicto artic. 6. loquitur de Virtutis fine *formaliter*, quem dicit non præfigi à prudentia. In loco autem recitato ex 1. 2. loquitur de fine virtutis *materialiter*, quo pacto verum eſt præfigi illum à Prudentia, vt iam dictum eſt. Nam vt ibi dicit ſanctus Thomas non modò dirigit Prudentia alias virtutes in eligendo media (nimirum extrinſeca) ad finem, ſed etiam determinando eam rem, in qua eſt mediocritas, atque adeo finis virtutis, vt iam explicaui.

Neque eſt difficile his poſitis reſellere argumenta, quibus conatur Scotus vbi ſuprà probare, prudentiam præfigere finem ipſum formaliter virtuti morali. PRIMO, quia omnis, inquit, virtus moralis præſupponit dictamen prudentię. SECVNDO, quia niſi prudentia præfigat finem virtuti, non poterit eſſe vna prudentia in materia cuiuſq; moralis virtutis. Nam hęc vnitas prudentiæ non poteſt ſumi ex mediis ad virtutis finem, cùm ea ſint valde multa; ſed oportet ſumi ex vno virtutis cuiuſque fine.

Ad PRIMVM reſpondeo cum Caietano art. 6. Virtutem moralem præſupponere in ſuo actu dictamen prudentiæ, non circa ſuum finem, ſed circa media: circa finem autem præſupponere dictamen Syndereſis, vt ſuprà diximus. Quòd ſi obiicias, Syndereſin non eſſe efficaciter præceptiuam (cùm ſit etiam in improbis) ac proinde ad prudentiam pertinere dictamen quidem præceptiuum circa virtutis etiam finem: reſpondendum eſt, præceptiuum dictamen circa finem nõ requiri propter ipſum finem (cùm ſit per ſe notum, ipſum eſſe proſequendum) ſed ſolùm propter exercitium actus circa illum; quatenus ſcilicet in dubitationem & conſultationem venire poteſt, an expediat hìc & nunc quoad exercitium actus proſequi talis virtutis finem. Quo pacto non negamus, prudentiam vt eſt præceptiua verſari circa virtutis finem, non immediatè & ſecundùm ipſam in ſe rationem finis, ſed quaſi mediatè, per exercitium ſcilicet actus Virtutis circa finem.

Ad SECVNDVM argumentum Scoti reſpondeo, inprimis quod ad rem ipſam attinet, nequaquam eſſe vnam ſingularem prudentiam in vnaquaque materia moralis virtutis, ſed eſſe vnam communem prudentiam in materiis omnium virtutum, vt oſtendimus tomo 2. quæſt. 7. de Virtutibus, punct. 2. Ratione verò non negamus poſſe diſtingui tot prudentias, quot ſunt diuerſæ materiæ morales pro diuerſitate moralium virtutum. Vt autem in vnaquaque materia virtutis moralis ſit iſto modo ſecundùm rationem vna prudentia, non eſt neceſſaria vnitas finis, quem prudentia reſpiciat tanquam illum præfigens, ſed ſatis eſt, vnitas finis cuiuſque virtutis, quem prudentia reſpiciat tanquam illum intendens in præfixione mediorum, & applicans ad media, vt rectè Caietanus art. 6. reſpondet Scoto: Item quem reſpiciat quoque, vt illum materialiter quidem determinans & præfigens, iuxta ea, quæ iam diximus. Et hactenus de PRIMA aſſertione circa functionem prudentiæ.

SECVNDA aſſertio: Prudentiæ illud munus in præfigendo virtutibus moralibus media ad fines earum, tum per *conſilium*, tum per *iudicium* ſeu conclusionem conſilij, tum etiam per rationis, *imperium* exercetur; ſed maximè propriè per imperium. Ita colligitur ex doctrina Philoſophi 6. Ethic. & D. Thomæ hìc art. 8. Et probatur PRIOR pars huius aſſertionis. Nam in actu ſeu vſu prudentiæ præfigentis media virtutibus moralibus omnes illi tres actus concurrunt, vt patet ex Philoſopho 6. Ethic. cap. 8. 9. 10. Propterea quòd prudentia de iis eſt, quæ aliter ſe habere poſſunt, vt antea dictum eſt, & ideo opus habet circa hæc conſilio, & iudicio ſeu concluſione conſilij, & denique imperio efficaciter impellente appetitum & potentiam executiuam ad opus, iuxta ea, quæ de iis actibus humanis diximus tomo 2. diſp. 2.

POSTERIOR autem aſſertionis pars, ſcilicet præcipuè ac maximè propriè illud munus prudentiæ in præfigendo media Virtutibus exerceri per actum imperij, probatur dupliciter: PRIMO, quia per conſilium & iudicium exercetur munus illud non niſi mediatè & antecedenter: cùm hi actus non ſint immediatè eliciti ab ipſa prudentia propriè dicta (vt eſt ſolùm præceptiua, iuxta Philoſophi ſententiam 6. Ethic. cap. 10.) Sed ab aliis quibuſdam virtutibus prudentiæ huic annexis, de quibus dicemus quæſt. 3. Per imperium autem exercetur illud prudentię munus immediatè, cùm hoc imperium ſit actus prudentiæ proprius & ab ea elicitus. Cuius ſignum eſt, quòd vt docet Philoſophus 6. Ethic. cap. 5. & D. Thomas hìc art. 8. ſiquis contra prudentiam peccat ſciens & volens, magis peccat: contrà verò, ſi quis contra artem aliquam, ſciens & volens peccat, minus contra illam peccare cenſetur, quàm ſi peccaret ignorans: Quia ſcilicet actio propria artis eſt in iudicando, cui magis opponitur ignorantia: Prudentiæ autem actio non niſi in imperando rectè, cui recto imperio magis opponitur electio praua ex malitia, quàm ex ignorantia.

SECVNDO, quia cùm prudentia ſit habitus *cum vera ratione actiuus* (vt Philoſophus ait 6. Ethic. cap. 5.) per illum actum rationis præcipuè exercetur eius munus, qui eſt propinquior operi. Eſt autem propinquior operi actus imperij, quàm actus conſilij aut iudicij, cùm per illum conſultatio ipſa, & iudicium ſeu definitio eius, applicentur ad opus, vt rectè D. Thomas art. 8. ratiocinatur: Ergo præcipuè per imperium exercetur munus illud Prudentiæ.

TERTIA aſſertio: Imperium iſtud, per quod dicimus exerceri præcipuè prudentiæ munus, non eſt qualecunque, ſed cum quadam *ſolicitudine* ſolet eſſe coniunctum, vt eſt quidem à virtute prudentiæ. Ita docet D. Thomas art. 9. Eſt autem declaranda hæc aſſertio prius quàm probetur. Nominamus enim in propoſito *ſolicitudinem*, celeritatem quandam in imperando & exequendo id, quod eſt conſultatum & definitum à ratione per iudicium. Vnde non re, ſed ratione tantùm differt hæc ſolicitudo ab ipſo actu imperij, vt eſt celer & expeditus; propter quod ſanctus Thomas quæſt. ſeq. art. vnico ad 5. dicit; *Solicitudinem includi in ratione prudentiæ.*

Neque ineptè hæc imperij celeritas ſolicitudo nominatur, ſi attendamus ad huius vocis etymologiam. Nam ſiue ſolicitus dicatur, quaſi *ſolers citus*, vt vult Iſidorus lib. 10. Etymol. cap. 18. ſiue ducta ſit hæc vox à *ſolo* & à Participio paſſiuo verbi *Cieo* (citus) vt vult art. 9. Caietanus, vt ſolicitus idem ſit, atque ſolo motus, & proinde inquietus: rectè dicitur cum ſolicitudine fieri id, quod cum celeri quodam motu & inquietudine fit. Quare celeritas illa imperij, quo præfigit prudentia media Virtutibus, rectè ſecundùm has etymologias vocis appellatur ſolicitudo; ſicut contrà tarditas & pigritia eſt quid contrarium ſolicitudini, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 12. *Solicitudine non pigri.*

Hac declaratione præmiſſa probatur nunc noſtra aſſertio, ſcilicet imperium virtutis prudentiæ eſſe coniunctum cum hac celeritate

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu solicitudine. PRIMO ex diuo Petro 1. epist. cap. 4. vbi promptitudinem quãdam & vigilantiam cum prudentia coniungit, inquiens: *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.*

SECVNDO, ex Philosopho lib. 6. Ethic. cap. 9. vbi ait: *Citò agenda esse, quæ consultaueris; tardè verò ac diu consultandum.* Quod etsi ex aliorum sententia ponat, tamen minimè improbat.

TERTIO, ex S. AVGVSTINO, qui libro de moribus Ecclesiæ cap. 24. hanc ipsam celeritatem Prudentiæ tribuit, cùm ait: *Prudentiæ esse excubias, atque diligentissimam vigilantiam, ne surrepente paulatim mala persuasione fallamur.* Quibus testimoniis vtitur etiam ad hoc probandum D. Thomas art. 9.

QVARTO probatur idem manifesta ratione. Nam quando rectè iam consultatum & iudicio definitum est, quid in particulari casu sit agendum, nihil superest nisi vt fiat. Quare ad munus laudemque Prudentiæ omnino pertinebit sine superuacanea mora id per imperium efficaciter proponere voluntati & executiuæ potentiæ ad perficiendum.

ACCEDIT postremò, quòd nisi hæc imperij celeritas pertineret ad laudem & vim prudentiæ, minimè contraria tarditas & pigritia vituperaretur, vt videmus passim fieri tum à sacris tum à prophanis auctoribus. Vt Prouerb. 13. *Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* Et Prouerb. 24. *Vsquequo piger dormies? Vsquequo de somno surges? Parum inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres vt quiescas, & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas tua quasi vir armatus.* Et Matth. 25. *Serue male & piger, &c.* Cùm quibus congruit Persianum illud:

Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid quasi magnum,
Nempe, diem donas? sed cùm lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus: Ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit vltrà.

Et Plautus:

nimis homo nihili est, qui piger est,
Nimisq; id genus odi ego malè.

Neque tamen diffitendum est, quin sit aliqua solicitudo vituperabilis, si nimirum sit inquietudo mentis circa superflua & inutilia, erga quæ potius tarditas quædam & cunctatio est laudanda: iuxta id, quod Philosophus 4. Ethic. cap. 3. ait, pertinere ad magnanimum, vt sit *otiosus atq; cunctator.* Quia scilicet (vt ait D. Thomas art. 9. ad 3.) *non est solicitus de multis, sed confidit in iis, in quibus confidendum est, & circa illa non superflue solicitatur.* Sed cùm hîc dicimus, imperium prudentiæ cum solicitudine esse; de solicitudine loquimur circa ea, quæ agere expedit secundùm rectam rationem.

QVARTA assertio: Per imperium istud cum solicitudine coniunctum, quo dicimus exerceri munus prudentiæ, non modò præfiguntur Virtutibus moralibus media, vt hæc sunt priuata bona & conducibilia homini operanti; sed etiam vt sunt bona & conducilia communitati hominum; siue ea sit communitas Regni aut Prouinciæ, siue Ciuitatis, siue Exercitus, siue Familiæ. Hanc vim habet quod D. Thomas affirmat art. 10. *Prudentiam non solùm se extendere ad bonum priuatum, sed etiam ad bonum commune multitudinis.* Quam assertionem dicit se ponere contra quosdam, qui, teste Philosopho 6. Ethic. censuerunt non esse curandum bonum commune, sed solùm priuatum. Cuius tamen erroris non inuenio à Philosopho vel 6. Ethic. vel alibi mentionem fieri. Et certè est error exploratus, cuiuscunq; fuerit.

Probatur enim assertio posita manifestè sic: Ad prudentiam pertinet decernere atque præfinire Omnia agibilia, quæ sint media ad fines virtutum moralium sub quacunque ratione virtutis consideratarum: Sed media virtutum, vt sunt etiam bona & conducibilia communitati alicui ex prædictis, sunt agibilia media ad fines virtutum moralium sub aliqua virtutis ratione consideratarum: Ergo sic etiam media virtutum decernere ac præfinire pertinet ad Prudentiam.

Maior probatur. Nam cùm Philosophus 6. Ethic. cap. 5. definit, Prudentiam esse *rectam rationem agibilium*, generatim loquitur de Omni agibili, quod quacunque ratione conferat ad finem Virtutis assequendum. Sicut etiam quando 2. Ethic. cap. 6. generatim de omni Virtute affirmat, Virtutem *consistere in mediocritate, quam Prudens* (inquit) *præfinierit*, in omni scilicet materia virtutis quomodocunq; consideratæ.

Minor etiam probatur ex eodem Philosopho 5. Ethic. cap. 2. vbi affirmat, quamlibet virtutem moralem, quatenus refert sua media & obiecta ad bonum commune, habere rationem cuiusdam generalis Virtutis, nempe Iustitiæ Legalis, de qua in sequenti disputatione dicemus. Quapropter media virtutum moralium, vt conducunt etiam bono communi sunt media agibilia ad fines virtutum sub aliqua ratione Virtutis consideratarum, scilicet Iustitiæ Legalis. Et hæc fuit nostræ rationis Minor. Sequitur ergo Conclusio: Scilicet præfigi per Prudẽtiam media virtutibus moralibus, non modò vt priuatim sunt bona & conducibilia ipsi operanti, sed etiam vt sunt conducibilia bono communi, sicut posuimus in quarta assertione.

Sed est in hoc ipso diligenter considerandum, dupliciter posse conducere communitati alicui medium Virtutis moralis. VNO modo mediatè, & quasi ex consequenti; hoc ipso nimirum, quòd priuatim conducit ipsi operanti, & consequenter ei communitati toti, cuius operans est pars. Bonum enim partis non potest non esse etiam bonum totius, quatenus pars est in toto. ALTERO modo immediatè & per se, cùm scilicet spectata necessitate vel vtilitate communitatis ipsius, actio aliqua seu medium virtutis per se conducit communitati; siue simul etiam conducat priuatim ipsi operanti, siue non, sed fiat alioqui cum aliquo particulari dispendio ipsius; iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Non quærens quod mihi vtile sit, sed quod multis, vt salui fiant.* Et illud 1. Corinth. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Quanquam generali quadam ratione, quicquid est per se conducibile communitati, est etiam conducibile cuicunq; eius parti: cùm bonum totius sit bonum partis.

Qua consideratione ducti olim Romani ex Aeliana familia (vt memorat Valerius Maximus lib. 4. cap. 4.) bonum commune tanquam sibi etiam conducibilius priuato præferebant: *Patriæ enim rem vnusquisq;* (ait Valerius) *non suam, augere properabat, pauperq; in diuite, quàm diues in paupere Imperio versari malebat.* Et rectè quidem. Nam vt inquit Philosophus lib. 1. Ethic. cap. 2. *Etiam si & vni hominum & ciuitati bonum, idem sit; bonum tamen ciuitatis & acquirere & conseruare, maius quid ac diuinius videtur. Ac contentus quidem esse etiam vnusquisque potest, si vni soli: pulchrius tamen ac diuinius, si genti ac ciuitatibus bonum efficiatur.*

Porrò ad præfiniendum Virtutibus moralibus media, vt PRIORI modo sunt conducibilia Communitati (scilicet mediatè & cõsequenter, hoc ipso quod sunt conducibilia operanti, atque adeo etiam communitati cuius operãs est pars) minimè requiruntur diuersæ speciei prudentiæ, pro diuersitate communitatum, quibus ea media possunt esse conducibilia, scilicet Regni, Ciuitatis, Domus, &c. Nam non aliter illo modo prospicitur Communitati, quàm præfiniendo rectum agibile, quod sit conducibile ipsi operanti in materia cuiusque moralis virtutis: ad quod munus sufficit vna Prudentia, vt diximus in responsione ad 2. cõtra primam assertionem. Quam Prudentiam Philosophus lib. 6. Ethic. capite 8. dicit, communi nomine *Prudentiam* appellari, *qua*, inquit, *circa seipsum quispiam vtitur.* Atque etiam D. Thomas hîc art. 11. cùm ait, prudentiam quæ versatur circa bonum proprium (scilicet immediatè) esse *prudentiam simpliciter dictam.* Et de hac scilicet in hac disputatione inprimis differimus, vt punct. 1. explicauimus.

Vt autem POSTERIORI modo præfiniantur media Virtutum, vt sunt conducibilia communitati (scilicet per se, spectata inprimis vtilitate vel necessitate totius communitatis, quidquid sit de cuiusque priuata) plures specie prudentiæ assignantur hîc art. 11. à D. Thoma, & infrà quæst. 50. distinctæ tum à prudentia simplicitèr dicta, tum inter se, pro diuersitate Communitatum suprà dictarum; ita vt alia sit prudentia *Regalis seu Legislatiua* in Communitate Regni; alia *Politica* in Ciuitate; alia *Oeconomica* in domo; alia *Militaris* in exercitu. Id quod etiam videtur docere Philosophus libro 6. Ethicor. capite 8.

Quæ doctrina quonam modo vera sit & intelligi debeat, videndum est quæst. 3. vbi agemus in specie de partibus Prudentiæ simpliciter dictæ; nam eius etiam prudentiæ sunt partes istæ prudentiæ quadam ratione, vt illic declarabimus. Nunc satis sit admonuisse diuersitatem hanc Prudentiarum non assignari à D. Thoma, vel à Philosopho, ad præfiniendum media Virtutum, vt sunt conducibilia Communitati mediatè, & ex cõsequenti, hoc ipso quòd sunt priuatim conducibilia ipsi operanti vt parti Communitatis; sed vt per se sunt conducibilia Communitati; quicquid sit de cõmodo priuato, vt explicaui.

PVNCTVM QVARTVM.

Quinam sint participes Prudentiæ.

D. Thomas art. 12. 13. 14.

VARIÆ conditionis sunt ij, de quibus dubitari potest, an & quomodo sint Prudentiæ participes. Dubitari namque id potest *primò* de iis, qui aliorum sunt subditi, an omnino ij habeant vllam prudentiam. *Secundò*, de peccatoribus, an vlli ex iis sint prudentia præditi. *Tertiò*, de Iustis, an omnes illi prudentiam habeant. *Quartò*, de Iuuenibus, vtrum illi etiam huius virtutis possint esse compotes. Dicemus igitur ordine de singulis.

Ac de SVBDITIS quidem id addubitare facit auctoritas Philosophi, qui lib. 3. Ethic. cap. 3. ita scribit: *Prudentia propria virtus est præsidentis. Nam cætera quidem virtutes videntur communes tam eorum, qui præsunt, quàm eorum, qui subsunt: at prudentia non est virtus eius, qui subsit.* In contrarium autem est, quòd prudentia connexa est cum cæteris virtutibus moralibus, vt vidimus tomo 2. quæst. 7. de Virtutibus, punct. 2. Sed dubium non est, quin Virtutibus moralibus præditi esse possint ac soleant ij etiam, qui sunt subditi. Ergo etiam possunt habere prudentiam.

RESPONDENDVM est cum D. Thoma hîc art. 12. absolutè quidem in subditis quoque esse posse prudentiam: Sed non esse in eis formaliter, vt subditi sunt, quatenus est quidem præceptiua, quomodo est formaliter in Principibus & Superioribus. Nam subditis, vt subditi sunt, non conuenit formaliter actus imperandi (sicut Superioribus) sed actus obtemperandi. Vt autem subditi sunt ratione præditi, etiam ipsis conuenit per rationem, atque adeo per prudentiam imperare appetitiuæ & executiuæ facultati animæ id quod facto opus est.

Philosophus autem cùm in subditis prudentiam negat, loquitur de eis formaliter, vt subditi sunt, & de prudentia, vt est præceptiua. Nam vt est quidem iudicatiua & consiliatiua (per suas scilicet potentiales partes, de quibus dicemus, quæst. 2. & 3.) etiã competit subditis formaliter.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod Philosophus vbi suprà indicauit, subiungens post verba recitata, esse in subditis tamen *opinionem veram*, id est, verum iudicium & consultationem circa particularia & contingentia. Quod iudicium Philosophus appellare solet opinionem, quia non nisi opinio soleat haberi de particularibus & contingentibus.

Ac putat quidem Caietanus art. 12. hanc doctrinam Philosophi, & D. Thomæ, debere tantùm intelligi de ea specie prudentiæ, quæ nominatur *politica particularis*, & est actiua eorum, quæ propriè & per se spectant ad bonum commune, de qua dicemus quæst. 2. & 3. Sed arbitror Philosophum & D. Thomam posse & debere intelligi de prudentia etiam *simpliciter dicta*, quæ versatur circa bonum proprium. Nam loquuntur simpliciter de Prudentia, quæ conuenit homini, vt ratione prædito, qualis est inprimis prudentia simpliciter dicta, siue (vt vocant) *monastica*, eò quòd versatur per se circa bonum vniuscuiusque proprium. Item, quia huic quoque prudentiæ conuenit, vt quemadmodum Philosophus in dicto cap. 3. lib. 3. Polit. (& 6. Ethicor. capite 8.) ait, sit in subdito tanquam in artifice manuali (*vt qui facit*, inquit, *fistulam*) in Principe autem tanquam in artifice architectonico, qui opere facto vtitur propter finem altiorem, *vt qui*, inquit, *fistula vtitur*. Neque enim solùm secundùm prudentiam politicam Legislatiuam Princeps regit subditum, & hic secundùm prudentiam politicam particularem ab eo regitur; sed etiam secundùm prudentiam monasticam seu simpliciter dictam, cùm hæc vel maximè etiam pertineat, tum ad bonum virum, vt docet Philosophus libro sexto Ethicor. capite 12. tum etiam ad bonum Principem, vt idem docet libro tertio Ethicor. capite tertio, & videbimus infrà quæst. 3.

Neque obstat, quòd D. Thomas in argumentis articuli videtur loqui solùm de prudentia politica, vt argumentatur pro sua interpretatione Caietanus. Etenim in corpore articuli & solutionibus argumentorum (vnde potius sententia & mens D. Thomæ colligi debet) apertissimè declarat, se vel maximè etiam de prudentia simpliciter dicta loqui, & de ea intelligere doctrinam illam Philosophi. Denique quidquid sit de mente Philosophi & D. Thomæ, tamen non est inutile intelligere, quod ad rem ipsam attinet, prudentiam tum politicam, tum etiam simpliciter dictam, esse etiam maximè in subditis, licet non formaliter, vt subditi sunt, sicut declarauì. Vnde etiam prudentia & discretio in iis vel maximè, qui sub obedientia religiosa viuunt, præcipuè commẽdatur, vt videre licet apud S. Ioannem Cassianvm in collatione 2. quæ est Abbatis Moysis. Hæc de *subditis*.

De Peccatoribvs etiam dubitari potest, an prudentiam habere queant. Nam Philosophus lib. 6. Ethic. extremis verbis capite 12. concludit. *manifestum esse* (vt inquit) *non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit.* In contrarium autem est, quòd quidam quantumuis improbi, valent multum consilio & iudicio, quod est munus prudentis, vt idem Philosophus docet cap. 5. eiusdem libri.

Ad hoc per distinctionẽ Respondendvm est. Nam ex peccatoribus quidam sunt obstricti peccatis Mortalibus, alij solùm Venialibus (ob quæ nimirum nemo in hac vita, quantumuis iustus, non etiam est peccator.) Item alij frequenter, alij rarius peccant. Atque etiam Prudentia alia est diuinitus *Infusa* (circa bonum scilicet proprium cuique ad salutem necessarium) iuxta ea, quæ de Virtutibus infusis tradidimus tomo 2. q. 7. de Virtutibus, punct. 2. ad vltimum: alia est *Acquisita*. Et rursus Prudentia Acquisita alia est *vera* prudẽtia, quæ scilicet est Virtus, de qua agimus: alia est *falsa*, quæ scilicet non ad bonum, sed ad malum aliquẽ finem, per imitationẽ veræ prudentiæ, solerter & prouidè idonea media adhibet. Et denique vera prudentia acquisita alia est *perfecta*, tum ex parte actus, quia nõ sistit tantùm in Consilio, & Iudicio (qui sunt actus potentialium prudentiæ partium, vt videbimus quæst. 2. & 3.) Sed progreditur ad imperium efficax (quod est proprius actus prudentiæ) tum etiam ex parte boni finis, qui sit scilicet rectitudo actionum non in aliquo tantum negocij genere, sed in toto instituto humanæ vitæ: alia verò est prudentia *imperfecta*, quia vel solùm sistit in consilio & iudicio, nec progreditur ad imperium efficax, vel solùm adhibet media ad bonum finem in negocio aliquo particulari.

Quibus suppositis distinctionibus, dicendum est Primo, *falsam* quidem prudentiam in peccatoribus quibuslibet posse & solere esse. Quantumuis si sit in materia quidem peccati Mortalis, in illis solis peccatoribus est, qui peccato Mortali se obstringunt. De qua nimirum Prudentia falsa Apostolus ad Rom. 8. locutus est, cùm ait: *Prudentia carnis mors est*. Et ipse Dominus Luc. 16. inquiens: *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*. Ac de eadem etiam loquitur D. Thomas hic art. 13. cùm absolutè affirmat, prudentiam falsam seu carnis, esse in solis peccatoribus. Appellat enim absolutè peccatores eos, qui perfectè peccatores sunt, delinquentes mirum contra finem etiam præceptorum (scilicet Dei charitatem) per peccatum Mortale, vt ibidem explanat Caietanus.

Secvndo dicendum, prudentiam *veram Infusam* non esse in peccatoribus Mortali peccato obstrictis, sicut nec est in eis gratia & charitas, cum qua est connexa, vt vidimus tomo 2. quæst. 7. de Virtut. punct. 2.

Tertio dicendum, prudentiam *veram acquisitam & perfectam* non esse in iis, qui valde frequenter peccant; posse autem esse in iis, qui peccant rarius. Vtrumq; patet ex duobus simul pronunciatis

nunciatis, quæ tomo 2. probauimus. Alterum est, habitus bonos morales, id est, Virtutes, non corrumpi per vnum aut alterum actum malum contrarium, sed duntaxat per plures & frequentes, vt tradidimus quæst. 5. de habitibus. Alterum est, prudentiæ Virtutem perfectam esse connexam cum Virtutibus moralibus, vt docuimus quæst. 7. de Virtutibus, punct. 2.

Quarto dicendum, prudentiam *veram acquisitam imperfectam* (quæ scilicet consistat in solo consilio & iudicio, aut respiciat finem duntaxat particularem) posse esse in quibuslibet peccatoribus. Nec de hoc dubitari potest, cùm experientia ipsa constet.

Sequitur vt dicamus de Ivstis, an scilicet illi omnes sint prudentiæ compotes. Et respondendum est primò affirmatiuè, si loquamur de *prudentia Infusa* circa bonum proprium. Nam hęc est cõnexa cum gratia & charitate, qua omnes Iusti sunt prædìti, vt patet ex dictis tom. 2. q. 7. de Virtutibus, pũct. 2. & ex doctrina D. Thomæ hic art. 14. & S. Gregorij lib. 2. Moral. cap. 33. quem diuus Thomas ibi citat. Dixi autem circa bonum proprium: nam prudẽtiam gubernatiuam circa bonum aliorum non est necesse infundi cuilibet iusto, vt pareat ex iis, quæ docuimus in dicta q. 7. de Virtutibus, punct. 2. ad vltimum, & ex D. Thoma hic art. 14. ad 1. vbi ait, infundi prudentiam circa ea quidem, quæ sunt de necessitate salutis, id est, circa bonum proprium.

Si autem loquamur de *prudentia acquisita*, certum est, nõ esse ea præditos omnes, qui sunt Iusti. Nam interdum acquirunt gratiam iustificantem ij, qui habent prauos habitus acquisitos, nec se exercuerunt in contrariis actibus bonis, quibus Virtutes morales acquisitę generantur, iuxta ea, quæ tradidimus tomo 2. quæst. 4. de habitibus

Restat dicendum postremò de Ivvenibvs. Atq; est circa illos eadem distinctione vtendum. Nam *prudentiam Infusam*, etiam iuuenes habere possunt, & habent, si sint iusti, vt docet D. Thomas art. 14. ad 3. Siquidem est connexa cum gratia & charitate, vt est dictum. Prudentiam autem *acquisitam* absolutam & perfectam habere non possunt. Quod Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 8. recte confirmat his verbis: *Iuuenes licet Geometrici & Mathematici, atq; in his rebus sapientes euadant: prudentes tamen euadere non videntur. Causa autem*, inquit, *ea est, quòd particularium est prudentia, quæ experientia nobis innotescunt: Iuuenis autem expertus non est, experientiam enim temporis adfert longitudo.* Sic Philosophus.

Et quamuis prudẽtum ac seniorum eruditione multa possint Iuuenes addiscere, iuxta ea, quæ trademus punct. seq. tamen longo etiã tempore opus est ad hanc ipsam disciplinã, vt sit perfecta, in plerisq; nimirũ casibus particularibus, prout requiritur ad absolutam & perfectã prudentiã. Quare ne per disciplinam quidẽ in parua ætate potest absoluta prudentia comparari.

PVNCTVM QVINTVM.

Quomodo acquiratur, & amittatur Prudentia.

D. Thomas art. 15. & 16.

Quod ad Prudentię acquisitionem attinet, ponendũ inprimis est, prudentiæ virtutem nõ esse hominibus insitam à natura, cùm cõstet plerosq; inueniri, qui prudentiæ sint expertes. Quanquã est quidem in aliquibus dispositio quædã naturalis ad prudentiam, vt docet D. Thomas art. 15. Tum ratione naturalis *Synderesis* circa vniuersalia principia practica, quibus etiã vtitur prudentia. Tum ratione *temperamẽti*, quod in quibusdã est aptius quàm in aliis, & ad cõsultandum & iudicandum, & etiam ad quasdam virtutes morales (iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 63. art. 1.) atq; adeo etiã ad prudentiã, vtpote cum Virtutibus moralibus connexam, & ab eis etiam quadam ratione pendentem, vt docuimus tomo 2. q. 7. de Virtutibus, p. 2. Tum deniq; ratione *status naturalis* prouectæ ætatis, vt in senibus, qui ob diuturnã & multam experientiam, magnũ habent ad prudentiã præsidium, & ideo ferè etiam prudentes esse solent, iuxta illud Iob 12. *Et in multo tempore prudentia.*

Porrò cùm prudentia à natura insita nõ sit (licet in natura quasi semina quædã habeat) restat vt frequẽti exercitatione intellectus in prudentię actibus acquiri eam oporteat, vt & alias virtutes morales. Qua in re quoniã circa particularia, quæ magnam varietatem habent, prudentia versatur, duæ inprimis res plurimũ momenti habẽt.

Altera est, experientia, quæ de similibus aut dissimilibus casibus, docet similiter aut dissimiliter iudicare, vt patet ex Philosopho 6. Ethi. cap. 8. & 11. vbi idcirco affirmat de senibus, quòd eorum ætas *intellectu & sententiâ prædita est*.

Altera est, exemplum bonum & eruditio seniorum & sapientum, qui nimirũ supplent quoq; ipsam experientiã, & idcirco audiendi & imitandi sunt ab eis, qui velint euadere prudentes. Rectissimè enim ob hanc causam in capite illo 11. Philosophus: *Peritorum*, inquit, *hominum & seniorum seu prudentum pronunciationibus & opinionibus, absq; demonstratione non minus quàm demonstrationibus attendendum est. Quia namq; ex ipsa experientia visum habent, principia intuentur.*

In quam sententiam præclarè quoq; S. Gregorius Nazianzenvs oratione ad Nicobulũ: *Prudentis*, inquit, *& cordati viri est, magna ex parte suam vitam suam metiri, atq; ad excellentium virorum imitationem sese comparare.* Nec minus sapienter S. Ioannes Cassianvs collat. 2. cap. 10. ex sententia Abbatis Moysis: *Vera*, inquit, *discretio non nisi vera humilitate acquiritur. Cuius humilitatis hæc erit prima probatio, si vniuersa non solùm quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reseruentur examini. Vt nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia definitionibus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionibus acquiescat, & quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat.

Idem quoq; in literis sacris præceptum nobis traditur. Prouer. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne sis sapiens apud temetipsum.* Et Ecclesiast. 6. *Si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientia illorum ex corde cõiungere, vt omnem narrationẽ Dei possis audire. & prouerbia laudis nõ effugiant à te. Et si videris sensatũ, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Et ad Rom. 12. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, &c.* Vide Cassianum vbi suprà, & aliquot capitibus sequẽtibus, qui multis testimoniis & exemplis vtilitatẽ huius præcepti luculenter admodum ostendit.

Quod verò attinet ad AMISSIONEM prudentiæ, dicendum breuiter, eam partim per obliuionem, partim per prauos affectus appetitus solere amitti. Per *obliuionem* quidem, quatenus pendet ex experientia, & hæc ex memoria, vt docet Philosophus lib. 1. Metaph. cap. 1. Per prauos autem *affectus*, quatenus est præceptiua, atq; adeo secundùm proprium ipsius actum, qui est imperium. Nam pendet sic prudentia ab appetitu recto, vt docuimus tomo 2. q. 7. de Virtutib. punct. 2. Quæ rectitudo appetitus tollitur per prauos affectus, & cõsequenter etiam per eos corrumpitur prudentia. Iuxta illud Exodi 23. *Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudẽtes.* Et Dan. 13. *Species decepit te, et cõcupiscentia subuertit cor tuũ.* Et ad Rom. 1. *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c. & obscuratum est insipiens cor eorum.*

Atq; hoc posteriori modo cõsiderauit Philosophus prudẽtiam (scilicet secundùm ipsius proprium actũ, qui est imperium) lib. 6. Ethic. cap. 5. cùm dixit, *obliuionem non esse prudentiæ, sed artis*; quia scilicet ars est essentialiter iudicatiua, prudentia verò præceptiua, quo modo non amittitur per obliuionem, sed per prauitatem appetitus: iuxta id quod ibidem affirmat Philosophus; *Iucundum & molestum corrumpere æstimationem, non quamcunque, sed prudentiæ.* Ita quoq; docet D. Thomas art. 16.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Prudentiæ partibus generatim.

D. Thomas 2. 2. q. 48.

EXPLICANDVM est, *Qualesnam partes habeat Prudentia, de quo etiam disserit D. Thomas articulo vnico huius quæstionis.*

PVNCTVM VNICVM.

Qualesnam partes habeat Prudentia.

D. Thomas art. vnico.

QVOD PRVDENTIA HABEAT aliquas partes, receptissimum est apud Philosophos, & apud alios omnes. Vnde Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 8. & sequentib. quasdam illi partes assignat: Et quasdam Cicero lib. 2. de Inuentione, & ex eo, Augustin. lib. 83. qq. q. 61. Et quasdam etiam Macrobius lib. 1. in somnium Scipionis, cap. 8.

Sunt autem triplicis generis prudẽtiæ partes, conuenienter sententię istorum auctorum, vt optimè declarat S. Thomas. Quædam sunt INTEGRALES, nõ propriè, sed per similitudinẽ quandam. Nam vt partes integrales alicuius corporis propriè dicuntur eæ, sine quibus nõ constat perfectum corpus: ita partes integrales prudentiæ dici possunt eæ mentis functiones, sine quibus non est perfectus vsus prudentiæ.

Atq; hæ partes integrales Prudẽtiæ sunt octo: scilicet 1. *Memoria*, quæ est cognitio præteritorũ. 2. *Intelligentia*, quæ est cognitio præsentiũ. 3. *Docilitas*, quæ est cognitio per alterius eruditionem seu doctrinam. 4. *Solertia*, quæ est cognitio per propriam inuentionẽ bene coniectãdo. 5. *Ratio*, quæ est cognitio per illationem vnius ex alio. 6. *Prouidentia*, quæ est ordinatio aptorũ mediorũ ad finem. 7. *Circumspectio*, quæ est animaduersio circumstantiarum negocij. 8. *Cautio*, quę est machinatio quædã aduersus ea, quæ obstare, & impedimento esse possunt. Ex quibus Memoria ponitur à Cicerone vbi suprà, & solertia ab Aristotele lib. 6. Ethic. cap. 10. Reliquæ omnes à Macrobio, & partim etiã à Cicerone & Aristotele.

Aliæ partes prudentiæ sunt SVBIECTIVÆ, eum modum, quo species subiectæ generi dicuntur partes subiectiuę generis; vt homo & leo partes animalis, quia scilicet Animal de illis tãquam de subiecto prædicatur. Huiusmodi partes prudentiæ generatim sunt duæ: Altera est *prudentia particularis*, quæ scilicet versatur circa bonum particulare proprium. Altera est *prudentia gubernatiua* multitudinis, quæ scilicet versatur per se circa bonum commune aliorum.

Et hæc rursus gubernatiua prudentia habet quatuor species subiectas: scilicet prudentiam *militarem*, quæ versatur circa bonum commune Exercitus: & *œconomicam*, quæ versatur circa cõmune bonum domus; & *politicam regnatiuã*, quæ est in Principe circa bonum commune Ciuitatis vel Regni; & *politicam simpliciter dictam*, quæ est in subditis circa idem bonum cõmune Ciuitatis vel Regni. Quę tota diuisio colligitur ex Philosopho lib. 6. Ethic. cap. 8. excepta prudẽtia militari: quã tamen rectè à D. Thoma asseri, videbimus q. seq.

Hic solùm de hac diuisione est notandũ, quòd quamuis omnes istæ prudẽtiæ verè inter se specie differunt (vt D. Thomas definiuit quæst. præced. art. 11. & quæst. seq. ostẽdemus) ac proinde possit ab eis abstrahi vna prudẽtia generica, cuius propriè sunt species: tamen Prudentiæ quidem simpliciter dictæ, scilicet circa bonum ipsius operãtis (de qua in hoc tractatu diximus initio nos agere, & cuius etiam integrales partes ante assignauimus) non nisi impropriè sunt partes subiectiuæ istę prudentię. Tum quia vna ex iis prudentiis est secundùm rem hæc ipsa prudentia, paulò contractiùs considerata; scilicet vt est circa bonũ operantis tanquam circa obiectum particulare ipsius proprium. Tum quia hæc prudẽtia simpliciter dicta, species quędã vltima est complectens quoq; materialiter obiecta illarum aliarum prudentiarum, vt videbimus quæst. seq. Propter quã causam illæ aliæ prudẽtię dici possunt impropriè partes subiectiuæ illius, sicut sensus particulares impropriè dici possunt partes subiectiuæ sensus cõmunis, quatenus is complectitur materialiter sub obiecto suo obiecta omniũ illorum, licet nõ sit propriè genus eorũ, sed species condistincta ab eis. Quã de re dicemus quoq; in quęst. sequenti.

Aliæ denique sunt Prudentiæ partes POTENTIALES, per similitudinem partium potentialium animæ. Nam vt Intellectus, & Voluntas, vocantur partes animæ potentiales, quia sunt quædam actiuum principia, quæ in operando subseruiunt animæ: ita quædam virtutes intellectuales subseruientes Prudentiæ in suo proprio actu, qui est præcipere, nec tamen habẽtes ipsam vim prudentiæ ad præcipiendum, dicuntur partes prudentiæ potentiales.

Et hæ sunt Virtutes intellectuales tres: Scilicet *Eubulia*, cuius actus est consultare: *Synesis*, cuius actus est iudicare secundùm leges communes & ordinarias: *Gnome*, cuius actus est iudicare præter communes leges ex ipsa ratione naturali propter circumstantias, vt docuimus etiã tom. 2. q. 3. de Virtutib. punct. 7. ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 57. art. 6. & patet ex Philosopho lib. 6. Ethicor. cap. 9. 10. 11. & ex D. Thoma infrà q. 51. art. 4. Hæ tres Virtutes, quatenus earum actus prærequiruntur ad actum proprium prudentię, qui est imperium, subseruiunt vt potentiæ seu organa quædã ipsi virtuti Prudentię, quæ præceptiua est, & eatenus prudentię partes potẽtiales nominari possunt; vt pręteream aliam quandam huius nominationis rationem obscuriorẽ, quam reddit hîc D. Thomas, quæque in idem recidit.

Ac possent simili modo nominari quoq; prudentiæ partes potentiales Physica, Dialectica & Rhetorica, vt indicat hîc D. Thomas. Quatenus nimirum ratiocinatio ex demonstratione (quæ pertinet ad Physicam generatim dictam) & ratiocinatio ex probabilibus (quæ pertinet ad Dialecticam) & ratiocinatio ex coniecturis (quæ pertinet ad Rhetoricam) conducunt quandoq; ad actum prudentiæ, id est, ad Imperium. Quanquam si vocabulum Prudentiæ non propriè sumatur pro virtute intellectuali practica (vt hîc de prudentia disputamus) sed pro facultate Intellectus speculatiua & vtente ratiocinatione, partes eius subiectiuæ dici possent Physica, Dialectica, & Rhetorica sic acceptæ, vt indicat etiam diuus Thomas.

QVÆSTIO TERTIA.

De Prudentiæ partibus in specie.

D. Thomas 2. 2. q. 49. 50. 51.

DICENDVM est PRIMO *de Partibus Prudentiæ Integralibus. SECVNDO, de eius partibus Subiectiuis. TERTIO, de eiusdem partibus potentialibus.*

PVNCTVM PRIMVM.

De Integralibus Prudentiæ partibus.

D. Thomas quæst. 49.

CTO ESSE PARTES INTEGRALES Prudentiæ, & quare vocentur integrales, cùm propriè tales non sint, dictũ est quæst. præced. Nunc breuiter de singulis sunt quædam annotanda. Prima est MEMORIA. Ab hac ideo pendet vsus perfectus prudentiæ, quia pendet is ab experientia, & hæc ab experimentis, & experimẽta à multis memoriis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

moriis, vt docet facilè D. Thomas art. 1. ex doctrina Philosophi lib. 1. Metaphys. cap. 1.

Sunt autem obseruanda præcepta quatuor, quæ ibi tradit D. Thomas ad corroborandā memoriam. I. Nempe vt res, quarū meminisse velis, affigas aliquibus simulachris seu imaginibus à te ipso in animo informatis, quę & inusitatę sint (quò magis animum moueant) & rerum sensibilium, quæ nimirum magis hærent animo, vtpote illis magis assueto. Ita enim fiet, vt res imaginibus huiusmodi tanquam literis quibusdam consignatæ, facilè occurrant animo, veluti in imaginibus illis eas legenti. Quod præceptum etiam est traditum à Cicerone libro 2. de Oratore, sub finem.

II. Vt bene res ipsas cogitatione ordines, quò ex vna in aliam facilè progrediatur animus. Ad quam rem iuuabit, vt quemadmodum præcipit illic Cicero ex Simonide, certis in locis per imaginationem colloces res ipsas suis imaginibus consignatas. Quò fiet, vt imagines pro literis, loca pro cera vel papyro sit, in qua res veluti legendo videas. Nam ideo etiam Philosophus in libro de Memoria & Reminiscentia cap. 3. inquit, *à locis homines solere reminisci. Causa autem*, inquit, *est, quia veleciter ab alio in aliud veniunt.*

III. Vt solicitè cupias & satagas meminisse eius, quod velis. Sic enim magis magisque per hanc solicitudinem & affectum imprimetur animo.

IIII. Vt sæpius pertractes animo & mediteris id, quod est tibi memorandum. Nam vt ait Philosophus in libro de Memoria cap. 2. *Meditationes memoriam conseruant reminiscendo.* Et cap. 3. *Consuetudo tanquam natura est. Vnde*, inquit, *quæ sæpe intelligimus, citò reminiscimur, &c. Ipsum namq; SÆPE naturam facit.*

DICET aliquis: Si ex memoria tanquam ex parte integrali pendet perfectus vsus prudentiæ: Ergo minimè prudentes erunt senes; contra id, quod constituimus q. 1. punct. 5. Patet hæc consequētia. Nam de senibus iuxtà & de iuuenibus asseuerat Philosophus in dicto libro de Memoria cap. 2. esse malè memores: *Valde*, inquit, *iuuenes & senes immemores sunt. Fluunt enim*, inquit, *illi quidem propter augmentum, hi verò propter decrementum.* Quod idem repetit cap. 4. Sed RESPONSIO est perfacilis. Non enim id affirmat Philosophus vniuersè de quibuscunq; senibus, sed de *valdè senibus* & quasi decrepitis, vt clarius patet ex cap. 4. Quos negari non potest solere esse, vt minus memores, ita minus prudentes.

SECVNDA pars Prudentiæ Integralis est INTELLIGENTIA seu Intellectus. Quo nomine non intelligimus hoc loco cognitionem principiorum vniuersalium, quæ est ab illo habitu, qui *Intellectus* vocatur, sed cognitionem particularium, circa quæ versatur Prudentia. Quæ cognitio partim est ab Intellectu, vel indirectè solùm per conuersionem sui ad sensibilia phantasmata, vt vult S. Thomas, vel etiam directè, vt ex sententia aliorum nos docuimus tomo 1. disput. 6. quæst. 7. punct. 1. Partim etiam est à sensu Interiori, scilicet à potentia cogitatiua in homine, quæ participatione quadam nominatur etiam Intellectus, vt docet diuus Thomas artic. 2. ad 3. ex sententia Philosophi 6. Ethic. cap. 11. & patet ex iis, quæ tomo 1. disputat. 6. quæst. 4. punct. 2. tradidimus.

TERTIA est DOCILITAS, quæ quare meritò numeretur inter ea, à quibus pendet vsus perfectus prudentiæ, patet abundè ex iis, quę de modo acquirendi prudentiam docuimus quæst. 1. punct. 5. ex quibus aliqua memorantur hîc etiam à diuo Thoma artic. 3. Vbi etiam rectè affirmat Caietanus; *Negligentiam & contemptum audiendi viuos, vel vita functos* (per lectionem scilicet) *matrem esse imprudentiæ.* Addit quoque ibi diuus Thomas in responsione ad 3. ipsos etiam maiores & seniores oportere esse dociles quoad aliqua: *Nullus enim*, inquit, *in iis, quæ subsunt prudentiæ, sibi quantum ad omnia sufficit.*

Deniq; quantum emolumenti ad prudētiam sit in docilitate, qua quis vel audiendo vel legendo sine vsu assequatur *in docilem vsus disciplinam*, vt Cicero initio libri 2. quæstionum Academicarum acutè appellat (quia scilicet nemo, quantumcunq; doceatur, expertus erit, nisi fuerit expertus) declarat exemplum M. Luculli, de quo ibidem scribit Cicero, quòd *proficiscens in Asiam, cùm totum iter & nauigationem, partim percunctando à peritis, partim legendo consumpsisset, in Asiam factus Imperator venit, cùm esset Roma profectus rei militaris rudis.*

QVARTA est SOLERTIA, id est, bona & celeris coniectatio, vt docet Philosophus libro 6. Ethicor. cap. 9. Huius quantum emolumentum sit ad perfectum vsum Prudentiæ, intelligi potest ex iis, quæ tradit illic Philosophus & D. Thomas hîc art. 4. Nam quamuis differt à Consultatione, eò quòd (vt ait ibi Philosophus) *qui consultat, quærit & ratiocinatur: bona autem coniectatio absque ratiocinatione, & citum quid est*: tamen multum sua luce celeri iuuat rectam cōsultationem, quæ caput est prudentis definitionis. Cùm enim particularia, circa quæ versatur prudentia, minimè satis nota sint, coniecturis quoque in illorum diiudicatione est vtendum.

QVINTA est RATIO, id est, cognitio vnius ex alio per argumentationem seu illationem, vt diximus quæst. præced. Ab hac vel maximè pendere perfectum vsum prudentiæ, patet ex duobus: PRIMO, quia versatur prudentia circa res particulares minimè per se notas; quas idcirco oportet per alia notiora agnosci. SECVNDO, quia consultatio, ex qua pendent decreta prudentiæ, omnino est cū ratiocinatione, vt docet Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 10. & D. Thomas hîc art. 5.

SEXTA est PROVIDENTIA, id est, ordinatio mediorum idoneorum ad finē. De hac minimè omnium

omnium dubitari potest, quin pertineat ad vsum prudentiæ, cùm prudentia versetur circa agibilia propter finem, vt q. 1. constitutum est. Quam rem abundè D. Thomas declarat art. 6.

SEPTIMA est CIRCVMSPECTIO, id est, accurata consideratio circumstantiarum. Neq; est dubium, quin ab hac etiam vel maximè pendeat vsus prudentiæ. Nam versatur prudentia circa particularia agibilia vndequaque bona & rectæ rationi consentanea. Pendet autem bonitas humanarum actionū etiam ex circumstantiis; adeo vt quod alioqui bonum secundùm se est, quandoq; reddatur malum ob circumstantias. Sicut ostendere alicui signa amoris (inquit artic. 7. D. Thomas) per se est bonum ad conciliandam eius benevolētiam; malum autem ex circumstantia, si ob id ille superbiat, aut suspicaturus videatur te id solùm facere adulandi causa. Itaque necessaria est circumspectio ad prudentiam, vt homo id quod ordinatur ad aliquem finem comparet etiam cum iis, quæ circumstant actum.

OCTAVA est CAVTIO, id est, prouisio quædam & machinatio aduersus mala contraria, quę obstare bonis consiliis possint. Hanc requiri ad perfectum vsum prudentiæ, inde liquidò apparet, quòd alioqui non esset is satis efficax in decernendo eo, quod est bonum & factu dignum. Vnde etiam vulgatus interpres sēnsit Apostolum ad Ephes. 5. cautionem huiusmodi, tāquam pertinentem ad perfectionem boni & prudentis operis, commendauisse, cùm dixit: *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes.* Quo testimonio vtitur etiam D. Thomas art. 8. Quanquā Græcè est ἀκριβῶς, id est, accuratè. Sed cautio etiā vocabulo *accuratè* comprehenditur. Et certè ambulare quidem accuratè vel maximè est ambulare cautè; vt minimè sit dubitandum, quin rectè Apostoli sententiam verterit eo loco Interpres.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Prudentiæ partibus Subiectiuis.

D. Thomas quæst. 50.

HOc loco, vt intelligamus, quasnam habeat Prudentia partes Subiectiuas & quomodo; diligēter animaduertendum est, Prudentiā eam prę dictam, quæ vt vidimus quæst. 1. punct. 1. & 2. habet pro obiecto rectum agibile, & est specialis virtus distincta ab aliis moralibus & intellectualibus, & de qua in primis hac in disputatione loquimur, tripliciter considerari posse. PRIMO abstractè, vt est præcisè circa agibile appetitui recto conforme, siue illud sit proprium ipsius operantis, siue alienum; siue sit circa bonum particulare, siue circa bonum alicuius communitatis. SECVNDO, vt est circa agibile rectum ipsius operantis, siue illud habeat pro obiecto bonum commune aliorum etiam, siue particulare tantum ipsius operantis. TERTIO, vt est circa agibile rectum, & ipsius duntaxat operantis, & de obiecto particulari eiusdem.

PRIMO illo modo Prudentia considerata non est virtus specialis specie vltima, sed subalterna. Quæ primò diuiditur in duas species seu partes suas subiectiuas, nempe in Prudentiam *gubernatiuam* circa agibile, quod ita sit bonum operātis, vt primariò & per se habeat pro obiecto bonum aliorum seu multitudinis; & in prudentiam *particularem*, circa agibile, quod ita sit bonum operantis, vt per se habeat pro obiecto bonum duntaxat particulare proprium.

Ex quibus duabus subiectiuis partibus prudētiæ *prior*, scilicet *gubernatiua*, est tantùm species subalterna, quæ rursus diuiditur in quatuor species Prudentiæ vltimas, scilicet *Regnatiuam seu Legislatiuā*, quæ est in Principe circa bonū commune Ciuitatis vel Regni; & *Politicam*, quæ est in subditis circa idem bonū Regni vel Ciuitatis; & *Oeconomicam* circa bonū familiæ; & *Militarem* circa bonū exercitus. *Posterior* autē, scilicet prudentia particularis, est vna secundùm speciem vltimam, & eadem in materiis omnium virtutum moralium, vt docuimus quæst. 1. punct. 2.

Atq; ita PRIMO illo modo cōsiderata prudentia, scilicet abstractè, vt præcisè est circa quodcunq; rectū agibile, omnino habet sub se quinq; species prudentię, tanquam partes verè subiectiuas, vt species sub genere, scilicet prudentiā particularem, & illas alias quatuor gubernatiuas. Quas omnes quatuor prudētias verè inter se differre specie, rectè & conuenienter Philosopho 6. Ethic. cap. 8. sentit D. Thomas q. 47. ar. 11. & in articulis quatuor, quæst. 50. (quidquid contra, sine firmis argumentis refragetur Buridanus lib. 6. Ethic. quæst. 14. & 15.) Nam consultare, & iudicare, & præcipere quid sit agēdum circa bonum *particulare proprium*; vel circa bonum *Regni aut Ciuitatis*, iubendo, seu obtemperando; vel circa bonum familiæ; vel circa bonum exercitus; non est vnius & eiusdem laudis & difficultatis, sed omnino diuersarum.

SECVNDO autem modo cōsiderata prudentia, scilicet vt est circa rectum agibile, tanquam circa bonum *ipsius operantis, siue id sit bonum particulare tantum illius siue commune etiam aliorum*; sic, inquam, prudentia, vnica virtus est specie specialissima, quæ sub formali ratione boni ipsius operantis cōplectitur materialiter obiecta omnium quatuor prudentiarū prædictarum. Nam ad omnia illa obiecta sub ea ratione hæc prudentia se extendit. Cuius signum est, quòd per hanc eandem prudentiam obiecta eiusmodi aliarum prudentiarū inter se quandoq; comparari oportet, vt decernatur cuinam potius agibili hîc & nunc sit vacandum, particularine, an communi, regni seu ciuitatis, vel domus, vel exercitus; quatenus vacare cuiuis agibili ex his potest esse vel bonum

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel melius ipſi operanti attentis circumſtantiis perſonæ & temporis, &c.

Itaque iſto modo Prudentia conſiderata non propriè, ſed per ſimilitudinem quandam habet ſub ſe prudẽtiam particularem, & illas alias quatuor prudentias gubernatiuas, tanquam ſubiectiuas partes; quatenus ſcilicet obiecta omnium illarum materialiter amplectitur, & ideo latiùs patet, quàm quælibet illarum; ſicut genus patet latiùs quàm quælibet eius ſpecies. Quo etiam pacto ſenſus particulares dici poſſent per ſimilitudinem partes ſubiectiuæ ſenſus communis, licet re vera nõ ſint eius ſpecies, vt diximus quæſtione præced.

TERTIO modo conſiderata prudentia, ſcilicet vt determinatè eſt circa agibile particulare proprium, nullo modo habet ſub ſe partes aliquas ſubiectiuas nec propriè neque impropriè: ſed ipſa eſt ſpecies quædam prudentiæ vltima (vt ante dictum eſt) neque tamen diſtincta à ſpecie prudentiæ ſecundo modo conſideratæ; ſed eadem paulò contractius conſiderata, vt etiam diximus quæſt. præced. Ac per has diſtinctiones poterit facilè intelligi, tum res ipſa, tum doctrina D. Thomæ, quam quæſt. 50. tradit de ſubiectiuis partibus prudentiæ. Poteſt enim accipi de Prudentia conſiderata primo aut ſecundo modo: & maximè ſecundo; ſic enim potiſsimùm conſideratur prudentia ſimpliciter dicta, cuius ratio & partes in hac diſputatione explicantur, iuxta ea quæ notauimus quæſt. 1. punct. 1. Et ſic etiam de prudentia locuti ſumus tomo 2. quæſt. 3. de Virtut. punct. 2.

PVNCTVM TERTIVM.

De partibus Prudentiæ potentialibus.

D. Thomas quæſt. 51.

PARTES Prudentię potentiales ſunt tres Virtutes intellectuales, annexę & ſubſeruientes prudentiæ, ſcilicet Eubulia, Syneſis, Gnome. Quarum quænam ſit ratio, & cur nominentur potentiales partes, expoſuimus quæſt. præced. Ac *Eubuliam* quidem, quæ eſt rectè conſiliatiua, aſſerit Philoſophus 6. Ethic. cap. 9. *Syneſin* autem, quæ eſt rectè iudicatiua per communes regulas; & *Gnomẽ*, quæ eſt rectè iudicatiua ex naturali ratione præter communes regulas, quando hæ deficiunt ob circumſtantias caſus particularis, aſſerit etiam idem Philoſophus ibi capite vndecimo.

Differre autem has Virtutes ſpecie, tum inter ſe, tum à prudẽtia, quæ eſt rectè præceptiua, inde patet, quòd diuerſam tum laudem tum difficultatem habet *conſultatio; & iudicium per regulas communes; & iudicium præter communes regulas; & imperium efficax.* Cui rei argumento eſt quòd quidam ſunt bene conſiliatiui, qui tamen non ſint *euſyneti*, id eſt, bene iudicatiui, ſed *aſyneti*, id eſt, malè iudicatiui, vt notat D. Thomas articulo tertio. Atque etiam ſunt qui poſtquam rectè conſultarunt, & iudicarunt, tamen minimè procrediuntur ad efficax imperium operis. Quæ omnia abundè diuus Thomas explicat quæſtione 51.

Sed illud tamen addendum eſt, vnamquamq; Virtutem harũ trium diuidi quadripartitò ſpecie vltima eodem modo, quo ipſam prudentiam quadripartitã ſpecie eſſe vidimus punct. præced. ita vt alia ſit ſpecie Eubulia, Syneſis & Gnome, *particularis*, reſpõdens prudẽtiæ particulari; Alia *legislatiua ſeu regnatiua*, reſpondens prudentię regnatiuæ; Alia *politica in ſubditis* reſpondens politicæ prudẽtiæ; Alia *Oeconomica*, reſpondens prudentiæ Oeconomicæ; Alia *Militaris*, reſpondens militari prudentiæ. Ratio eſt, nam vt præcepti actus habet diuerſam, tum laudem, tum difficultatem circa obiecta iſtarum diuerſarum prudẽtiarum, ita etiam & multò magis actus conſultandi, & iudicandi *per*, & *prater* regulas communes: Ergo æquè aut magis penes hanc diuerſitatem laudis & difficultatis conſultandi, & iudicandi, diſtinguentur ſpecie circa illa obiecta Eubulia, Syneſis, & Gnome, vt eſt dictum. Alia quæ circa has Virtutes diſſerit hîc Caietanus parui vel nullius ſunt momenti.

QVÆSTIO QVARTA.

De Dono Conſilij, quod eſt annexum Prudentiæ.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 52.

PRO MATERIA QVAESTIONIS HVIVS ILLA FERE POSSENT ſufficere, quæ diſſeruimus tomo 2. diſput. 5. quæſt. 8. Itaq; breuiſsimè eſt explicandum, *Quodnam & quale donum ſit Donum Conſilij.*

PVNCTVM

PVNCTVM VNICVM.

Quodnam & quale donum ſit Donum Conſilij.

D. Thomas art. 1. 2. 3. 4.

CONSILII DONVM, VNVM EST E ſeptem donis Spiritus ſancti. Id patet Iſaiæ 11. Ratio ipſius conſiſtit in hoc, vt reddat mentem hominis facilè mobilem à Spiritu ſancto ad conſilium capiendum diuino quodam & ſupernaturali lumine, de eo quòd ſit præclarè & heroicè agẽdum in aliquo caſu particulari, iuxta ea quæ diximus tomo 2. diſput. 5. q. 8. punct. 1. & 2. Vbi punct. 1. poſuimus aliqua exempla deprompta ex Scriptura, in quibus eluxiſſe videtur vis huius Doni.

Ex hac ratione huius Doni poſſunt duo intelligi. PRIMO, congruenter naturæ hominis tribui ei diuinitus hoc donũ inter alia dona Spiritus ſancti. Nam mouetur & agitur mens humana à Spiritu ſancto per hæc dona, vt vidimus tomo 2. loco citato. Vnumquodque autem à Deo mouetur conuenienter modo & naturæ ipſius; propter quam cauſam AVGVSTINVS notat lib. 8. ſuper Geneſin ad literam, cap. 26. creaturam corporalem moueri à Deo non modò per tempus, ſed etiam per locum, creaturam autem ſpiritualem ſolùm per tempus, quia ſcilicet ipſa nõ eſt propriè in loco. Eſt autem modus & natura hominis, vt cum cõſilio agat. Conuenienter igitur naturæ ſuæ mouetur & agitur à Deo per hoc etiam Conſilij donum.

SECVNDO intelligitur ex prædicta ratione huius doni, aptè illud reſpondere Virtuti Prudentiæ, quandoquidem & verſatur circa particulare agibile propter finem, ſicut Prudentia; & vſus eius conſiſtit in Conſultatione, quę prudentiæ ſubſeruit.

Porro inter beatitudines, quinta (ſcilicet, *Beati miſericordes, &c.*) peculiarem habet cum hoc dono cognationem, vt docet ſanctus AVGVSTINVS lib. 1. de ſermone Domini in monte, cap. 9. & ex eo D. Thomas artic. 4. Nam verſatur hoc donum circa ea, quæ ſunt vtilia ad finem vitæ æternæ. Ad quem finem conſequendum maximè valet Miſericordia, vt patet ex illa Domini ſententia: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Manet etiam hoc donum & eius vſus in beatis, ſed ſine imperfectione, quæ in hoc vitæ ſtatu ſolet admiſceri humanis conſultationibus, id eſt, ſine dubitatione & ignorantia eius quod debeat ſciri, vt rectè docet D. Thomas articulo tertio. Et habet huius doni vſus in beatis maximè locum in miniſteriis Angelorum, & interceſsionibus Sanctorum pro nobis. Quomodo autem differat hoc donum à Virtute Prudentiæ (de quo hîc aliquid attingit Caietanus) patet abundè ex iis, quæ generatim diſputauimus tomo ſecundo, diſputat. 5. quæſtione octaua, puncto primo, de diſcrimine donorum à Virtutibus. Progrediamur igitur ad alia.

QVÆSTIO QVINTA.

De Peccatis contrariis Prudentiæ.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 53. 54. 55.

DICENDVM EST PRIMO DE PECCATIS CONTRARIIS PRVDENtiæ per quendam defectum à mediocritate, in qua conſiſtit rectitudo actuum Prudẽtiæ. SECVNDO, de peccatis Prudentiæ cõtrariis per exceſſum prædictæ mediocritatis Prudentiæ.

PVNCTVM PRIMVM.

De peccatis Prudentiæ contrariis per defectum.

D. Thomas quæſt. 53. & 54.

QVATVOR SVNT SPECIES PECcatorum, quę per defectum ſunt oppoſita Prudentiæ, ſcilicet Præcipitatio, Inconſideratio, Inconſtantia, Negligentia.

PRÆCIPITATIO eſt conſilium non ſatis maturum & circumſpectum pro qualitate negocij, aut etiam definitio planè inconſulta eius, quod ſit agendum. Quæ præcipitatio ſi ex contemptu aliquo regulæ agendi procedat, peculiariter dicitur in propoſito *temeritas*. Si autem ex ſolo impetu voluntatis, dicitur ſolùm præci-

pitatio. Vt docet diuus Thomas articulo tertio ad secundum.

Quam doctrinam monet ibi Caietanus esse notandam, vt intelligamus, quando incurratur pœna alicuius Legis seu Canonis, decreta in facientes aliquid *temerè*. Non enim eam incurrent facientes id quomodocunq; præcipitanter, sed facientes temerè ex contemptu. Docet quoque Syluester post alios, Verbo *Temerè* seu *Temeritas*, eos etiam censeri temerè facere & incurrere talem pœnam, qui scienter sub prætextu aliquo fraudulento exercent actum à Iure prohibitum, vt patet ex cap. Venerabilem, Extra, qui filij sint legitimi.

Solet etiam Temeritas appellari quæuis audacia circa malum, vt patet L. Iubemus C. de sacrosanctis Ecclesiis, & notat Syluester vbi suprà post Turrecrematà in Clem. 1. de sacrosanctis Ecclesiis. Sed hæc temeritas nõ prudentię propriè, sed fortitudini opponitur. Nunc autem agimus de præcipitatione & temeritate opposita Prudẽtiæ ratione Eubuliæ illi annexæ, cuius actus est bene consultare, vt rectè declarat S. Thomas q. 53. ar. 2. & 3. Comprehendũtur autem sub hoc ipso peccato Præcipitationis peccata Indocilitatis, vel Obliuionis, vel defect' Ratiocinationis, eo quòd Memoria, Ratio, & Docilitas, propter rectam consultationem requiruntur, & ad eam peculiariter ordinantur, vt docet D. Thomas art. 1.

Inconsideratio est incogitãtia, vel non satis attenta cogitatio earum veritatum, ex quibus esset rectè iudicandum, vt tradit D. Thomas q. 53. art. 4. & confirmat ibi Caietanus ex Etymologia vocabuli. Nam consideratio dicitur ab attenta inspectione syderum, quam debet imitari inspectio & cogitatio veritatis. Itaque peccatum hoc Prudentiæ est oppositum ratione Synesis, & Gnomæ, virtutum Prudentiæ annexarum, quæ sunt rectè iudicatiuæ. Nam attenta illa veritatis consideratio non nisi propter rectum Iudicium requiritur.

Quam ob causam sub hoc ipso peccato Incõsiderationis comprehenduntur Incautela, & Incircumspectio, quæ cõmittuntur aduersus Cautionem, & Circumspectionem, partes integrales Prudentiæ inter alias suprà q. 2. & 3. numeratas. Ordinantur enim Cautela & Circumspectio ad rectum Iudicium, vt docet D. Thomas q. 53. ar. 2. Itaque duo peccata hæc non differunt specie vel inter se, vel ab Inconsideratione.

Inconstantia est peruersum Rationis imperium circa malum contrarium ei bono, quod anteà rectè electum erat; vel cessatio ab eo prudentiæ imperio & decreto, quod continuari & vigere adhuc debebat, vel improbatio eius; vt patet ex doctrina D. Thomæ quæst. 53. artic. 5. Itaque opponitur hoc peccatum Prudentiæ secundùm essentialẽ Prudentiæ actum, qui est rectum imperium. Et sub hoc peccato comprehenduntur Improuidentia, & defectus Intelligentiæ, & Solertiæ; cùm Prouidentia, Solertia & Intelligentia (quæ sunt oppositæ partes potentiales prudentiæ) ad rectum imperium ordinentur & propter illud peculiariter requirantur, vt patet ex doctrina diui Thomæ quæstione 53. articulo primo.

Negligentia in proposito est Rationis cunctatio seu tarditas in efficaciter imperando eo, quod est iam bene consultatum & iudicatum. Itaque Prudentiæ opponitur ratione solicitudinis, vt patet ex D. Thoma quæst. 54. art. 1. & 2. Quæ solicitudo nihil est aliud quàm actus imperij, vt debet esse celer, sicut suprà quæst. 1. punct. 3. docuimus. Et quatenus id quod est contra imperium, est etiam contra solicitudinem, vt hæc imperium includit; eatenus comprehenduntur etiam sub negligentia (quæ est contra solicitudinem) illa etiã peccata, quæ antè diximus comprehendi sub Inconstantia (quæ est contra Imperium) scilicet Imprudentiam, & defectum Solertiæ, & Intelligẽtiæ, vt etiam sentit D. Thomas in fine corporis articuli 2. q. 53. Aliis autẽ modis Negligentia solet etiã accipi: nimirum pro quacunque omissione voluntaria actus debiti vel circumstantiæ ipsius, vt notat Syluester, Verbo Negligentia. Sed hìc de prædicta solùm Negligentia, prudentiæ opposita agimus.

Porrò circa hæc omnia peccata per defectum oppositæ Prudentiæ, sunt adhuc quinque notanda. Primo, omnia illa comprehendi sub vna generica ratione peccati Imprudentiæ, quæ vt notat D. Thomas quæstione 53. articulo secundo, primò quidem tanquam in species diuiditur in peccata Imprudentiæ diuersa pro diuersitate specifica quatuor prudentiarum, scilicet partitularis, Regnatiuæ, Politicæ, Oeconomicæ, Militaris, de quibus suprà quæst. 3. punct. 2. dictum est. Deinde quælibet porrò istarum quatuor specierum Imprudentiæ diuiditur in prædictas species peccatorum Imprudentiæ nunc enumeratas.

Secundo notandum, prædicta peccata, contra prudentiæ actus tum omissiuè, tum commissiuè admitti posse, vt v. g. Præcipitatio potest admitti *omissiuè*, decernendo aliquid sine omni consultatione; & *commissiuè*, decernendo aliquid cum imperfecta & nimis perfunctoria cõsultatione. Aut etiam sine vllo decreto potest peccari cõtra consultationem prudentiæ omittendo simpliciter eam cùm adhiberi deberet, vel eam leuiter & perfunctoriè instituendo. Quæ causa est, cur non putem esse verum quod Caietanus quæstione 53. articulo primo, sine sufficienti fundamento affirmat, non posse peccari contra prudentiam priuatiuè, quin peccetur etiam contrariè. Quanquam quæstio est hæc tantùm de facto, de qua proinde non multùm interest, quid dicatur.

Tertio notandum, hæc peccata tum verè differre inter se specie, & esse specificanda in Confessione, quando *per se & ex directa intentione* sunt voluntaria, vt sunt cõtra prudentiam. Nam si tantum indirectè & per accidens sint voluntaria, ratione duntaxat operis, quod cùm ex prudẽtia deberet suscipi & prædefiniri per rectos prudentiæ actus, voluntariè negligitur, neglectis simul aut malè institutis prudentiæ actibus, per quos opus dirigendum erat, aut quod debebat ex prudentia omitti & non omittitur, sed suscipitur per prauos actus rationis prudentiæ contrarios; tunc, inquam, defectus circa prædictos actus prudentiæ indirectè solùm isto modo & per accidẽs voluntarij non sunt specialia peccata, sed quasi generales quædam cõditiones peccatorum. Nam vt docet D. Thomas q. 53. art. 2. ad 3. in peccatis omnibus (indirectè & per accidens) peccatur etiam cõtra prudentiam; sicut etiam contra charitatem Dei & sui, in omnibus peccatis mortalibus.

Atque hoc subindicauit Caietanus hìc quæst. 53. artic. 2. in fine, cùm dixit, malum consilium, malum iudicium, malum imperium de percutiendo v. g. Clerico, licet relata quidem ad prudentiam, sint diuersa specie peccata (si scilicet per se & directè in voluntatem cadant) tamen relata ad percussionem Clerici (vt scilicet per accidens sunt voluntaria ratione duntaxat percussionis per se volitæ) tantum esse vnum & idem peccatum specie; scilicet sacrilegij, neq; esse per se in Confessione specificanda. Vnde nec Casistæ solent facere mentionem istorum peccatorum Imprudentiæ.

Quarto notandum, dupliciter fieri posse, vt huiusmodi peccata contra prudentiam sint mortalia, distincta aut non distincta ab eo, quod alioqui imprudenter committitur, prout per se aut per accidens fuerint voluntaria, iuxta id quod tertiò notauimus. *Primò*, ex parte obiecti, si sint circa aliquid ad salutem necessarium sub Mortali. *Secundò*, ex parte causæ, si committantur ex tali incuria propriæ salutis, vt nihil curet quis Dei amicitiam, aut etiam ex contemptu. Ita docet diuus Thomas quæstione 54. artic. 3. nominatim de Negligentia. Quæ doctrina æquè ad alia omnia peccata cõtra prudentiam iam dicta, potest ac debet accommodari, & eam approbat quoque Syluester, Verbo Negligentia.

Quinto notandum, peccata hæc cùm sint Rationis, maximè solere oriri ex Luxuria; quæ nimirum propter vehementiam delectationis vehementer obtenebrat mentem, vt facilè docet diuus Thomas quæstione 53. articulo sexto, ex sententia sancti Gregorij lib. 31. Moral. capite 31. Quanquam vt notat ibidem Caietanus, negari non potest, quin ex aliis etiam peccatis oriantur: vt patet ex iis, qui ex auaritia vel ambitione, inconsiderati, præcipites, & inconstantes sunt.

Et hæc quidem de huiusmodi peccatis annotasse nunc sufficiat. Nam alia quædam quæ disserit hìc Caietanus, non sunt magni momenti. Vt quod disputat quæstione 53. articulo primo circa responsionem ad tertium, quod planè locum non habet, si in contextu D. Thomæ, pro *tollitur habitus*, legatur *tollitur actus*, vt videtur potius legendum. Quod autem differit articulo secundo circa ad tertium, suprà à nobis expeditum est disputat. præced. quæst. 19. de Scandalo, puncto 2. Vbi etiam meminimus huius loci Caietani.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Peccatis contrariis Prudentiæ per excessum.

D. Thomas quæst. 55.

Peccata per excessum contraria Prudentię, quę idcirco falsam quandam speciem habent prudentiæ, sex sunt. Prudentia carnis; Astutia; Dolus; Fraus; Solicitudo temporalium; Solicitudo futurorum.

Prvdentia Carnis est machinatio rationis solers & accommodata ad consequendum prauum aliquem finem conformem deprauato appetitui carnali. Et est peccatum vel Mortale, si eiusmodi prauum finem proponat sibi aliquis, vt vltimum finem simpliciter (vt fit in omni peccato Mortali, iuxta dicta tomo secundo, quæstione prima de vltimo fine, puncto sexto) vel solùm Veniale, si prauus eiusmodi finis sit tantùm finis particularis, atque adeo non vltimus: vt fit in omni peccato Veniali; per quod scilicet non desciscit quis à Deo tanquam ab vltimo fine. Ita docet D. Thomas articulo primo & secundo.

Et de prudentia carnis, quæ sit peccatum Mortale intelligitur illud Apostoli ad Romanos octauo: *Prudentia carnis inimica est* Deo. *Legi enim* Dei *non est subiecta, neque enim potest.* Quod perinde dictum est ac si diceretur, Iniustitiam non posse esse Iustitiam: licet Iniustus possit fieri Iustus, vt interpretatur optimè diuus Thomas articulo tertio ad secundum, atque etiam luculenter admodum diuus Avgvstinvs libro contra Fortunatum, post medium, tomo sexto. Neque tamen peccatum istud est distinctum ab eo, quod committitur ipso prauo opere, nisi fit per se voluntarium, quatenus est peculiariter contra prudentiam, vt de aliis puncto præcedente annotatione tertia diximus.

Astvtia est excogitatio mediorum, quæ ad finem aliquem seu bonum seu malũ consequendum sint ita idonea, vt videantur quidem verè bona, sed re vera sint falsa & simulata. Ita colligitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitur ex Philosopho lib. 1. magnorum Moralium cap. 33. Vbi ait; *Astuti & astutiæ esse coniectare, ex quibusnam fiant singula.* Et lib. 6. Ethic. cap. 12. vbi ait; *Calliditatis esse, vt quæ ad suppositum scopum conducunt, agere posit atque assequi.* Ita etiam docet D. Thomas art. 3. Et sic quidem accipitur Astutia propriè, & est peccatum Mortale vel Veniale pro ratione falsorum & simulatorum mediorum, quæ astutè ad finem aliquem ordinantur.

Latiùs autem sumpto vocabulo ipsa etiam Prudentia solet astutia appellari propter similitudinem, quam astutia cum Prudentia habeat. Vt Prouerb. 1. *Vt detur paruulis astutia.* Nam vt ait AVGVSTINVS lib. 4. contra Iulian. capite 3. *Omnibus Virtutibus non solùm sunt manifesta discretione vitia contraria, sicut Prudentiæ Temeritas, verùm etiam vicina quodammodo, nec veritate, sed quadam specie fallente similia; sicut ipsi Prudentiæ,* inquit, *non temeritas vel imprudentia, sed astutia: Quæ tamen vitium est; quamuis in Scripturis sanctis, & in bono accipiatur, quod dictum est, Astuti vt serpentes,* Matthæi 10. Quamuis ib. quidem *prudentes* legitur, etiam Græcè, φρόνιμοι.

Propriè autem astutia vitium est, vt est dictum, iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 4. *Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei.* Et illud Philosophi lib. 1. magnorum Moralium, cap. 33. *Astutia,* inquit, *& astutus non est quidem prudentia neq; prudens.* Neque tamen astutia videtur distinctum peccatum à peccato ipsius praui operis, ad quod ordinatur: nisi fortè per se sit voluntaria, vt est contra prudentiam, iuxta dicta punct. præced. annotatione 3.

DOLVS est quædam executio astutiæ, vt rectè docet D. Thomas art. 4. tum per verba, iuxta illud Psalm. 5. *Linguis suis dolosè agebant,* tum per facta, iuxta illud Psalm. 105. *Et dolum facerent in seruis eius.* Astutia enim quidam dolus interior est per excogitationem voluntariam mediorum ad finem, quæ sint falsa & simulata, & ideo decipiant alios. Iuxta illud Psal. 37. *Dolos tota die meditabantur.* Et Ecclesiast. 19. *Interiora eius plena sunt dolo.* Solet autem & in bonam partem doli vocabulum accipi, sicut & astutiæ; propter similitudinem nimirum prudentiæ; quomodo diuus Thomas interpretatur illud Apostoli 2. Cor. 12. *Cùm essem astutus, dolo vos cœpi.*

FRAVS executio est etiam astutiæ, sed determinatè per facta, vt docet S. Thomas art. 5. & in hoc differt à dolo, qui est executio astutiæ per verba vel per facta. Est autem fraus peccatum Mortale vel Veniale pro ratione materiæ, vt notat Caietanus in Summa, Verbo, Fraus. Vide etiam Sylvestrum eodem Verbo, vbi notat, quibusnam modis fraus fieri aut non fieri censeatur secundùm iura.

SOLICITVDO *temporalium* in proposito est studium immoderatum circa res temporales; vel quia in illis constituatur vltimus finis (quo pacto peccatum Mortale est) vel quoniam habeat adiunctum superfluum timorem eis carendi; quo pacto potest esse peccatum Mortale vel Veniale, pro ratione effectus magis vel minus praui, quem in nobis hæc studij superfluitas habeat. Atque hanc solicitudinem prohibuit Dominus Matth. 6. illis verbis: *Nolite esse soliciti dicentes: Quid manducabimus, &c.* Iubens nos bene de Dei erga nos prouidentia sperare, cùm addit: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis: Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Quam spem & aliis etiam argumentis ibi corroborat, ductis à Dei beneficentia erga nos, & erga res etiam irrationales, vt optimè explicat diuus Thomas articulo sexto.

SOLICITVDO *futurorum* in proposito est cura & studium circa futura, non quoduis, sed intempestiuum: cùm scilicet anteuertitur tempus, quo illa opportunè essent curanda. Vt si quis in æstate, imminente messe esset anxius & solicitus non modò de messe, sed etiam de vindemia (vt ait artic. 7. sanctus Thomas) de qua satis esset solicitum esse in autumno. Hanc igitur intempestiuam solicitudinem futurorum prohibuit Dominus Matth. 6. inquiens: *Nolite soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua,* id est, non est frustrà addenda afflictio ad afflictionem, quam tempestiua cuiusque diei cura adfert.

Tempestiua verò & moderata cura futurorum non prohibetur, sed commendatur in Scriptura. Vt patet Deuter. 32. *Vtinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent.* Et Prouerb. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.*

Est autem illa alia intempestiua solicitudo futurorum peccatum Mortale vel Veniale pro ratione effectus magis vel minus mali, quem in nobis habeat: nam si nos retrahat & retardet ab eo, quod sub Mortali deberemus in præsenti facere, peccatum Mortale erit. Explicat etiam diuus Thomas artic. 8. ex sententia sancti Gregorij lib. 31. Moral. cap. 31. quemadmodum fraus & alia huiusmodi vitia, de quibus in hac quæstione diximus, oriri soleant ex Auaritia.

QVÆSTIO SEXTA.

De Præceptis Prudentiæ.

D. Thomas 2. 2. quæst. 56.

VIDENDVM EST BREVITER, QVAENAM EXTENT PRAECEPTA Prudentiæ, tum affirmatiua, quæ iubeant Prudentiæ actus, tum negatiua, quæ vetent actus imprudentiæ. Quam rem breuiter quoq; expedit hîc D. Thomas.

PVNCTVM VNICVM.

Quænam sint præcepta Prudentiæ.

D. Thomas art. 1. & 2.

VM CERTVM SIT, TENERI NOS iure naturali & diuino prudenter agere (tum in genere, tum in specie) quidquid agendum est; & contrà etiam debere vitare omnem actum imprudètem: non potest dubitari, quin extent naturalia & diuina præcepta prudentiæ, tum in genere, tum in specie, tum affirmatiua, tum negatiua. Etenim omnia alia præcepta affirmatiua de actibus virtutum præsupponunt præcepta affirmatiua prudentiæ circa tales actus, hoc ipso quòd prudenter vtiq; illi fieri debent, ex recta nimirũ electione præfinita per prudentiam: Et similiter omnia præcepta negatiua vetantia contrarios actus viriorum, præsupponunt negatiua præcepta prudentiæ inhibentia imprudentiæ actus, à quibus actus vitiosi prauè dirigerentur.

Atque hinc (præter rationem, quam adfert D. Thomas) potest reddi præcipua ratio, cur non oportuerit in Decalogo dari expressa præcepta de Prudentia. Habent enim se præcepta Prudentiæ ad præcepta omnia Decalogi *antecedenter*, ac proinde non oportuit ea in Decalogo exprimi, sed satis intelligi possunt ex ipsis præceptis Decalogi, iuxta ea, quæ de ratione Decalogi annotauimus tomo 2. q. 7. de Legibus, punct. 4.

In aliis autem Scripturæ locis quædam prudentiæ præcepta naturalia & diuina, eaque tum affirmatiua, tum negatiua, proponuntur. Vt Leuiti. 19. *Non facies calumniam proximo tuo*; per astutiam scilicet, dolum, & fraudem. Et Deuter. 25. *Non habebis in sacculo tuo diuersa pondera maius & minus.* Et Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ,* id est, ne nimiũ sis tenax tui proprij iudicij; quod est contra prudentiam, vt patet ex dictis quæst. 1. punct. vltimo. Et Prouerb. 4. *Acquire prudentiam, arripe illam*; Et cap. 9. *Ambulate per vias Prudentiæ.*

Et in nouo etiam Testamento Matt. 10. *Estote ergo prudẽtes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* In quem locum HIERONYMVS: *Vt per prudentiam,* inquit, *deuitent insidias, per simplicitatem non faciant malum. Et serpentis astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, vt illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus, id est, fidem integram & incorruptam.* Quæ est etiam interpretatio HILARII can. 10. in Matthæum, & EPIPHANII hæresi 37.

Item in eundem locum REMIGIVS: *Pulchrè,* inquit, *Dominus prædicatores serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per serpentem deceptus est: Ac si diceret: Quia hostis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes sitis ad liberandum; ille laudauit lignum, vos laudate crucis virtutem.*

Et RABBANVS: *Solet,* inquit, *serpens eligere strictas rimas, per quas transiens veterem pellem exuat. Similiter prædicator transiens per angustam viam veterem hominem omnino deponat.*

Est & illud quoq; præceptum ad prudentiam pertinens, ad Rom. 12. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Iuxta illud videlicet Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et ad Tit. 2. *Vt sobrij sint, pudici, prudentes.* Et 1. Petri 4. *Estote itaq; prudentes, & vigilate in orationibus.*

Sed de Prudentia hactenus.

FINIS QVARTAE DISPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO QVINTA GENERALIS.

DE IVSTITIA, ET EIVS SPECIEBVS, AC VITIIS CONTRARIIS, TVM IN IVDICIO, TVM EXTRA IN VARIIS PRÆSERTIM CONTRACTIBVS.

DIVISA IN QVÆSTIONES VIGINTISEX.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM QVINTAE DISPVTATIONIS GENERALIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De Iure quod est obiectum Iustitiæ.

PVNCT. I. *An Ius sit obiectum Iustitiæ.*
II. *Quàm latè pateat id Ius quod est obiectum Iustitiæ.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De ipsa Iustitia secundum se.

PVNCT. I. *Quid sit Iustitia.*
II. *An Iustitia sit virtus specialis an generalis.*
III. *In qua materia versetur Iustitia.*
IV. *In quo subiecto sit Iustitia.*
V. *An Iustitia sit virtus præstantissima inter omnes virtutes morales.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Iniustitia.

PVNCT. I. *Quale & quantum peccatum sit Iniustitia.*
II. *Quonam modo Iniustitia committi possit.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Iudicio vt est quidam actus Iustitiæ.

PVNCT. I. *Quidnam in proposito sit Iudicium, & quomodo sit Iustitiæ actus.*
II. *Quatenus sit licitum vel illicitum Iudicium in Iudice.*
III. *Quatenus sit licitum vel illicitum Iudicium de altero in quolibet homine priuato.*
IV. *Quatenus licitum vel illicitum sit dubitare de proximo.*

QVÆSTIO QVINTA.

De duabus Iustitiæ speciebus, scilicet Iustitia Commutatiua & Distributiua.

PVNCT. I. *Quæ sit ratio & differentia Iustitiæ Commutatiuæ & Distributiuæ ex parte obiecti formalis.*
II. *Quænam sit ratio & differentia Iustitiæ distributiuæ & commutatiuæ, ex parte materiæ vtriusque.*

QVÆ-

QVÆSTIO SEXTA.

De Restitutione, quæ est actus Iustitiæ commutatiuæ.

PVNCT. I. *Quidnam sit Restitutio.*
II. *An Restitutio sit necessaria ad salutem.*
III. *Quisnam debeat restituere.*
IV. *Cuinam fieri debeat restitutio.*
V. *Quidnam debeat restitui.*
VI. *Quantum sit restituendum.*
VII. *Quando sit restituendum: & quas ob causas Restitutio differri, aut omnino etiam prætermitti possit.*
VIII. *Vbi sit restituendum.*
IX. *Quomodo sit restituendum.*
X. *Quo ordine sit restituendum.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Acceptione personarum.

PVNCT. I. *Quid sit acceptio personarum & quale peccatum.*
II. *An acceptio personarum habeat locum in distributione officiorum & dignitatum.*
III. *Vtrum acceptio personarum habeat locum in exhibitione honoris & reuerentiæ.*
IV. *An acceptio personarum habeat etiam locum in sententiis Iudicum.*

QVÆSTIO OCTAVA.

De Homicidio.

PVNCT. I. *An & qua ratione hominem occidere sit illicitum; & num etiam licitum esse possit.*
II. *Qua ratione sit licita vel illicita hominis occisio, ex parte hominis occisi.*
III. *Qua ratione licitum aut illicitum sit hominem occidere ex parte occidentis.*
IV. *Qua ratione sit licitum vel illicitum hominem occidere ex parte causæ occidendi.*
V. *Quænam sint homicidarum pœnæ.*

QVÆSTIO NONA.

De Mutilatione membrorum.

PVNCT. VNIC. *Quatenus mutilatio membrorum, vel verberatio, &c. sit licita vel illicita.*

QVÆSTIO DECIMA.

De Furto & Rapina.

PVNCT. I. *Quid sit Dominium, & quænam res in illud cadant.*
II. *Sitne licitum habere proprium & peculiare Dominium rerum externarum, atque adeo sitné licita rerum diuisio.*
III. *Quibusnam modis proprium dominium acquiratur.*
IV. *Quid sit Furtum, & quomodo differat à rapina.*
V. *An Furtum semper sit peccatum & quale.*
VI. *An Rapina sit semper peccatum & qualenam.*

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Iustitia & Iniustitia iudicis.

PVNCT. I. *Possitne iudex iudicare non subditum.*
II. *An iudex debeat semper ferre sententiam secundum allegata & probata.*

III. An Iudex possit aliquem damnare nemine accusante.
IV. An possit Iudex decretam pœnam relaxare.

QVAESTIO DVODECIMA.

De Iustitia & Iniustitia Accusatoris.

PVNCT.I. An quis teneatur alterum aliquando accusare.
II. Quomodo sit instituenda accusatio.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

De Iustitia & Iniustitia Rei accusati.

PVNCT.I. An Reus possit sine peccato mortali celare veritatem, ob quam condemnabitur.
II. An possit Reus eludere Iudicis interrogationem, dicendo quidpiam per quod Iudex decipiatur, putans eum esse innocentem.
III. An liceat Reo ad alium Iudicem appellare.
IV. An possit Reus per vim se defendere, ne sententia lata mandetur executioni.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

De Iustitia & Iniustitia Testium.

PVNCT.I. An aliquando quis teneatur ferre testimonium in Iudicio.
II. An requiratur plurium testimonium in Iudicio.
III. An quilibet possit in Iudicio testimonium ferre.
IV. An falsum testimonium semper sit peccatum mortale.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Iustitia & Iniustitia Aduocati.

PVNCT.I. An quilibet fungi possit officio Aduocati.
II. An teneatur aliquando Aduocatus patrocinari gratis.
III. An possit Aduocatus pro precio patrocinari.
IV. An peccet mortaliter Aduocatus defendendo causam iniustam.

QVAESTIO DECIMASEXTA.

De Contumelia quæ est iniuria verborum extra Iudicium.

PVNCT. I. Quid sit contumelia & ex qua causa oriatur.
II. An Contumelia seu conuitium sit peccatum mortale.
III. An sint tolerandæ Contumeliæ.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Detractione.

PVNCT.I. Quid sit Detractio & quotuplex.
II. An Detractio sit peccatum mortale.
III. An detractio sit maius peccatum, quàm alia quæ contra proximum committuntur.
IV. An is etiam peccet peccato detractionis, qui detractionem audit.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De Susurratione & Derisione.

PVNCT.I. Quid sit susurratio, & quale peccatum.
II. Quid sit derisio & quale peccatum.

QVAESTIO DECIMANONA.

De Maledictione.

PVNCT.I. Sit ne semper illicitum maledicere alicui, vel aliquando licitum.
II. Quale peccatum sit illicita maledictio.

QVAESTIO VIGESIMA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Emptionis & Venditionis.

PVNCT.I. Quæ sit ratio, & vtilitas, contractus Emptionis & Venditionis.
II. Quando contractus Emptionis & Venditionis sit iustus vel iniustus ex parte precij.
III. Quando sit iusta vel iniusta Venditio aut Emptio peculiariter ex parte ipsius rei venditæ aut emptæ.
IV. Quando sit iusta vel iniusta Venditio ex parte Venditoris, nõ indicantis rei defectum, aut aliquam eius circumstantiam.
V. Quando sit iusta vel iniusta Venditio & Emptio ex parte Emptoris, per negotiationem rursus vendentis rem cum lucro.

QVAESTIO VIGESIMAPRIMA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Mutui, atque adeo de Vsura.

PVNCT.I. An violetur per Vsuram Iustitia contractus Mutui.
II. An sit Vsura, accipere vltra sortem qualecunque etiam aliud emolumentum præter pecuniam.
III. An & quomodo restituendum sit lucrum acquisitum per Vsuram.
IV. An etiam accipere mutuum sub Vsura sit illicitum.

QVAESTIO VIGESIMASECVNDA.

De Iustitia & Iniustitia Emptionis & Venditionis censuum.

PVNCT.I. Quid sit Census, & num licitè vendi ac emi possit.
II. Ex quibus rebus vendi possit Census.
III. Quarum rerum Census siue pensio vendi possit.
IV. Ad quantum temporis spatium Census vendi queat.
V. Vnde sit æstimanda Iustitia precij quorumcunque Censuum.
VI. Quænam Conditiones licitè addi possint Emptioni & Venditioni Censuum per alios contractus.
VII. Quænam Conditiones in Emptione & Venditione census addi debeant.

QVAESTIO VIGESIMATERTIA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Cambiorum.

PVNCT.I. Quid sit Cambium & quotuplex.
II. De Iustitia & Iniustitia Cambij simplicis propriè dicti (in quo scilicet fit solùm Commutatio diuersarum pecuniarum) quod solet etiam nominari Cambium Minutum.
III. De Iustitia & Iniustitia Depositi pecuniæ apud numularium; quod dicitur Cambium custodiæ.
IV. De Iustitia & Iniustitia Cambij mixti; id est, quasnam ob causas possit Cambio similium vel dissimilium pecuniarum, alius Contractus iustè admisceri, vi cuius Campsor lucretur aliquid vltra sortem.
V. Quænam sint consideranda ad cognoscendum iustum pretium prædictorum Cambiorum.
VI. Quinam possint esse Campsores.

QVAESTIO VIGESIMAQVARTA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Societatis.

PVNCT.I. *In quo consistat ratio contractus Societatis, & quænam requirantur, vt sit iustus, consideratа ipsius propria ratione.*

II. *An & quomodo salua Iustitia contractus Societatis, possint cum illo simul coniungi contractus alij.*

QVAESTIO VIGESIMAQVINTA.

De peculiari quodam Contractu quibusdam in locis vsitato per quem saluo & securo capitali, accipitur annuatim aliquod certum lucrum, nimirum quinque pro centum.

PVNCT.I. *Iniusti & intolerabiles modi percipiendi annuatim certum lucrum, saluo & securo capitali, vt puta quinque pro centum.*

II. *Tolerabiles modi percipiendi annuatim certum lucrum, saluo & securo capitali, vt puta quinque pro centum.*

III. *Quid statuendum sit circa restitutionem præteriti lucri, cùm variæ formæ prædicti contractus, aut quorumlibet aliorum, diiudicandæ offeruntur.*

Ratio compendiaria ad discernendam Iustitiam & Iniustitiam in quibuscunque Contractibus.

QVÆSTIO VIGESIMASEXTA.

De partibus Iustitiæ generatim.

PVNCT.I. *Quænam sint partes integrales Iustitiæ.*

II. *Quænam sint partes potentiales Iustitiæ.*

DISPVTATIO QVINTA GENERALIS.

DE IVSTITIA, ET EIVS SPECIEBVS, AC VITIIS CONTRARIIS, TVM IN IVDICIO, TVM EXTRA, in variis præsertim Contractibus.

D. Thomas 2.2. quæst. 57. vsque ad q. 80.

DE rebus ad disputationem de Iustitia pertinentibus, multi scripserunt. Vt Scholastici Theologi in 4. dist. 15. vbi agitur de satisfactione Pœnitentiæ, ac præcipuè Gabriel & Ioannes Maior. Et aliqui d. 46. & in 3. d. 36. Et Iuris Canonici Doctores in decretis d. 1. & Doctores Iuris Ciuilis, ff. de Iustitia & Iure. Et Summistæ suis locis. Ac nominatim de hac materia scripsit Conradus Summerhart in suo opere de Contractibus, & Adrianus in 4. in materia de Restitutione, & Ioannes Medina, in Tractatu de rebus restituendis, & per varios Contractus acquisitis, & Dominicus Sotus in libris suis de Iustitia & Iure, & Nauarrus in Manuali cap. 17. & Didacus Couarruuias Relectione in capit. Peccatum, de regulis Iuris, & lib. 1. variarum resolutionum cap. 1. 2. 3. 4. 7. 8. 9. 10. 11. & alij his recentiores, vt Bartholomæus Salon, in quæstiones aliquot, 2.2. D. Thomæ, Ludouicus Carbo in Tractatu de Restitutione, Josephus Angles in floribus Theologicis, Petrus à Nauarra in tomis duobus de Restitutione ablatorum. Ludouicus Molina è Societate nostra, in suo opere de Iustitia.

Nos explicabimus de hac materia quæstiones viginti sex; addentes nimirum aliquas de nonnullis contractibus ad eas, quas ponit D. Thomas. PRIMA erit de Iure, quod est obiectum Iustitiæ. SECVNDA, de Iustitia ipsa. TERTIA, de Iniustitia generatim, quæ Iustitiæ est contraria. QVARTA, de Iudicio, prout est actus Iustitiæ. QVINTA, de speciebus quibusdam Iustitiæ, scilicet de Iustitia Commutatiua & Distributiua. SEXTA, de Restitutione, quæ est actus quidam præcipuus & manifestus Iustitiæ commutatiuæ. SEPTIMA, de Acceptione personarum, quæ est peccatum contra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rium Iustitiæ distributiuæ. OCTAVA, de Homicidio, quod est peccatum Commutatiuæ Iustitiæ contrarium, in facto contra personam consistens. NONA, de Mutilatione membrorum, & aliis eiusmodi iniuriis, quibus persona afficitur. DECIMA, de Furto & Rapina, quibus infertur iniuria proximo circa res, quarum habet dominium: Vbi proinde differendum inprimis erit de ipso dominio. VNDECIMA, de Iniustitia, quæ verbis committitur in Iudicio à Iudice. DVODECIMA, de simili Iniustitia Accusatoris. DECIMATERTIA, de Iniustitia Rei accusati. DECIMAQVARTA, de Iniustitia Testis. DECIMAQVINTA, de Iniustitia Aduocati. DECIMASEXTA, de Contumelia, quæ est iniuria verborum extra Iudicium. DECIMASEPTIMA, de Detractione, quæ est similis iniuria occultè lædens famam. DECIMAOCTAVA, de Susurratione, quæ similiter lædit bonum amicitiæ: Et, de Derisione, quæ lædit bonum pudoris per erubescentiam. DECIMANONA, de Maledictione, quæ quantum est ex se lædit qualecunque bonum proximi. VIGESIMA, de Iustitia & Iniustitia in contractu Emptionis & Venditionis. VIGESIMAPRIMA, de Iustitia & Iniustitia in contractu Mutui, atque adeo de Vsura, quæ est Iniustitia in contractu Mutui. VIGESIMASECVNDA, de Iustitia & Iniustitia in contractu Emptionis & Venditionis censuum. VIGESIMATERTIA, de Iustitia & Iniustitia in contractu Cambiorum. VIGESIMAQVARTA, de Iustitia & Iniustitia in contractu Societatis. VIGESIMAQVINTA, de Contractu quibusdam in regionibus vsitato, ex quo, salua summa capitali, pro centum accipiuntur quinque annuatim. Post quas quæstiones, subiungemus rationem quandam COMPENDIARIAM, ex superioribus quæstionibus collectam, ad diiudicandam Iustitiam & Iniustitiam quorumlibet Contractuum. VIGESIMASEXTA Quæstio erit denique de partibus Iustitiæ generatim tum Integralibus tum Potentialibus.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

De Iure quod est obiectum Iustitiæ.

D. Thomas 2. 2. quæst. 57.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, AN IVS SIT OBIECTVM Iustitiæ. SECVNDO, Quàm latè istud Ius pateat, seu quotuplex sit. Quod paucis expediri poterit, suppositis iis, quæ de variis diuisionibus Iuris tradidimus tomo 2. disp. 7. quæst. 2. & 5.

PVNCTVM PRIMVM.

An Ius sit obiectum Iustitiæ.

D. Thomas art. 1.

SI constiterit, de quonam Iure, & de qua Iustitia, nobis in hac disputatione sermo sit, liquidò etiam apparebit, Ius esse obiectum Iustitiæ. Nam *primò* Iuris vocabulum non accipimus in hac disputatione, vt significat quidquid quouis modo bonum & æquum est, vt ait Paulus Iurisconsultus in L. Ius. ff. de Iustitia & Iure.

Neque *secundò* vt significat, quidquid est legi cuicunque conforme, seu quidquid est legitimum, vt ait Philosophus 5. Ethicor. cap. 1. Quo pacto dixit Isidorus lib. 5. Etymolog. cap. 3. *legem esse quandam speciem* (id est, normam siue ideam) *Iuris*, iuxta doctrinam D. Thomæ art. 1. ad 2.

Neque *tertiò* vt significat legitimam facultatem seu potestatem faciendi, aut acquirendi, aut possidendi, aut alienandi quippiam, quomodo Iurisperiti distinguunt inter ius ad rē, quæ alicui debetur, & ius in re, quam etiam quis possidet.

Neq; *quartò*, vt Ius significat sententiam ipsam Iudicis tum iustam tum etiam iniustam, relatione facta ad id, quod eum iudicare conuenit, vt ait Paulus Iurisconsultus in dicta L. Ius.

Neque *quintò* pro loco, vbi sententia dicitur, vt ait idem.

Neq; *sextò*, vt significat necessitatem aliquam, vt cognationis vel affinitatis, sicut ait Martianus Iurisconsultus in L. Nonnunquam, eodē titulo.

Neq; *septimò*, vt significat idē quod Lex, id est, dictamen prudentiæ aut naturale, aut in habente authoritatem ad ferendas humanas leges, quod dictamen est norma seu regula boni & iusti. Quo pacto Ius diuiditur in naturale, gentium, & ciuile, ab Vlpiano in L. Iuri, eodem titulo; de qua diuisione egimus tomo 2. disput. 7.

Neq; *octauò*, vt significat quoq; ipsam Legum & Iuris scientiam seu artem. Quo pacto accepit hoc nomen Vlpianus in dicta L. Iuris, vbi testimonio Celsi Iurisconsulti confirmat, Ius esse artem boni & æqui.

A Sed accipimus in hac disputatione vocabulum Iuris, vt *nonò* significat idē quod *iustum per æqualitatem quandam vnius cum altero.* Quę acceptio huius nominis videtur esse primęua & maximè propria, & à qua deriuatæ sunt reliquæ iam dictæ, quas ferè Ioannes Andreas in principio tituli de re iudicata libro 6. & alij memorant. Probabile namque videtur, quod censuit Sotus lib. 3. de Iustitia & Iure q. 1. art. 1. Ius per Apocopen (id est, per amputationem vltimæ syllabæ) dictum esse, quasi iustum.

Vnde etiam *ius* & *iustum* Græcè significantur eodem vocabulo δίκαιον. Cuius Græci vocabuli etymologia indicat, Ius propriè (vt diximus) idē esse quod iustum per æqualitatē rei cum re. Nam vt affirmat Philosophus lib. 5. Ethic. cap. 4. propterea appellatur Ius δίκαιον, quia δίχα, id est, *bifariam diuisum est: quasi* δίχαιον, *id est, bipartitum dixeris.* Quod autem bifariam seu bipartitò diuiditur, in partes diuiditur ęquales, secundùm rationem quidem discretæ quantitatis, quandoquidem diuiditur in vnum & vnum. Vnde & Iudex (vt ibidem addit Philosophus) quia iustum per æqualitatem rei cum re, determinat, dicitur δικαστὴς, quasi δίχαστὴς, id est, bipartitor.

C Atque in hac ipsa significatione, scilicet vt Ius sit idem quod Iustum per æqualitatem, vsurpauit hoc nomen Iuris idem Philosophus in illo cap. 4. cùm dixit, ius quod in commerciis est, esse *æquum quoddam constans proportione Arithmetica*: id autem ius, quod est in distributionibus constare dixerat cap. 3. *proportione Geometrica* vt magis q. seq. patebit. Sic etiam idem Iuris vocabulum (scilicet pro æquali) vsurpatur ab Isidoro lib. 5. Etymolog. capit. 3. & ab aliis passim. Vnde etiam Plautus in Sticho.

Bonum ius dicis:
Impetrare oportet, quia æquum postulas.

Porro *Iustitiæ* quoque vocabulum in hac disputatione non accipimus, vt generatim signifi-

cat

Universidad de Deusto
Biblioteca

cat quemuis rectum habitum siue etiam actum, quo homo rectè prout debet, afficiatur, atque adeo iustus sit. Quo pacto vocabulum Iustitiæ sæpè in Scriptura sacra vsurpatur, præsertim cùm tribuitur etiam habitui ipsi gratiæ, per quam homo iustus constituitur coram Deo. Vt ad Rom. 3. *Iustitia autem Dei per fidem* IESV *Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* De qua Iustitia AVGVSTINVS libro de Spiritu & litera, cap. 9. *Iustitia*, inquit, *Dei non qua ipse Deus iustus est, sed qua induit hominem, cùm iustificat impium.*

Pro actu autem recto accipitur Iustitiæ vocabulum Psal. 4. *Sacrificate sacrificium Iustitiæ.* Et Ezech. 18. *Si iustus egerit pœnitentiam, &c. in iustitia sua, quam operatus est, vivet.* Et Matth. 3. *Oportet nos implere omnem iustitiam.*

Pro habitu autem qualicunque bono videtur accipi Prouerb. 8. cùm generatim Sapientia dicit: *In viis Iustitiæ ambulo in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me.* Atque etiam S. GREGORIVS NYSSENVS in lib. de Beatitudin. orat. 4. censuit accipi generatim Iustitiam pro quacunque virtute Matth. 5. cum Dominus dixit: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Vbi Nyssenus: *Omnis*, inquit, *virtus hic nomine Iustitiæ significatur.*

Non igitur ita generatim nunc loquimur de Iustitia, sed vt est quædam peculiaris virtus è quatuor virtutibus Cardinalibus, cuius propria laus & munus sit constituere aliqualem æqualitatem debitam inter homines. De qua iustitia sæpè fit mentio in Scriptura, & præcipuè Sap. 8. vbi reliquis virtutibus Cardinalibus tanquam peculiaris & ab eis distincta annumeratur illis verbis: *Sobrietatem* (id est, temperantiam) *& sapientiam* (id est, prudentiam) *docet, & iustitiam, & virtutem*, (id est, fortitudinem) Ac de hac etiam Iustitia Philosophus in 5. Ethic. multa disserit.

His constitutis perspicuum iam est, Iustitiæ huius, de qua loquimur, obiectum esse Ius, prout hîc etiam Ius accipi diximus, scilicet vt est idem quod iustum per aliqualem æqualitatem. Hoc patet PRIMO ex Iustitiæ definitione, quæ per huiusmodi *ius* seu *iustum*, tanquam per proprium obiectum, tum à Philosopho, tum à Iurisconsultis, atque adeo ab omnibus aliis traditur. A Philosopho in 5. Ethic. cap. 1. sic: *Videmus*, inquit, *omnes eiusmodi habitum appellare Iustitiam ſ. facere, ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur.* Et cap. 5. *Iustitia*, inquit, *est, qua iustus dicitur iusti operator ex electione*; vbi *iustum* accipit pro æquali, vt patet ex toto capite. A Iurisperitis autem & ab aliis, cum verbis Vlpiani L. Iustitia. ff. de Iust. & Iure, definiunt Iustitiam sic: *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi:* quam definitionem ponit etiam D. Thomas q. 58. art. 1.

SECVNDO idem patet ex sanctis Patribus, qui Ius illud perpetuò Iustitiæ associant tanquam obiectum ab illa inseparabile. Vt S. AMBROSIVS lib. 1. de officiis, cap. 24. *Iustitia*, inquit, *suum cuique* (Ius) *tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat.* Et S. AVGVSTINVS lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 21. *Non est*, inquit, *ius, vbi nulla iustitia est: Iustitia porro ea virtus est, quæ sua cuique distribuit.* Similia passim alij.

TERTIO idem confirmari potest huiusmodi argumentatione: Illud est obiectum virtutis moralis, quod est medium inter excessum & defectum, in materia, in qua ipsa virtus versatur. Sed Ius prædictum est medium inter excessum & defectum in materia ea, in qua Iustitiæ virtus versatur. Ergo id ius est obiectum virtutis Iustitiæ. Maior patet ex Philosopho lib. 2. Ethic. cap. 6. & ex iis, quæ de medio virtutum disseruimus tomo 2. q. 7. de Virtutibus.

Minor probatur dupliciter. PRIMO, nam omnium iudicio tum peccatur in materia Iustitiæ transgrediendo illius medium, cùm quis vel detrahêdo quippiam aut non dando alteri, plus sibi aut minus alteri, quàm debet, tribuit. Medium autem inter hoc *plus* & *minus* est ius & æquum, vt luculenter docet Philosophus 5. Ethic. cap. 3. & 4. *Vnde* (inquit cap. 4.) *cùm altercantur homines, ad iudicem confugiunt, &c. & quærunt iudicem medium, & vocant nonnulli mediatores, quasi si medium fuerint consecuti, ius quoque ipsum sint consecuturi. Ius igitur medium quoddam est, siquidem & iudex. Iudex autem ad æqualitatem redigit; & quemadmodum si linea in duas inæquales partes diuisa sit, illud quo maior pars dimidium excedit, ab ea aufert & adiungit minori.* Et infrà explicans munus Iustitiæ in redigendo ad hoc æqualitatis medium ea, quæ iniusta & inæqualia sunt: *Id*, inquit, *quod excedit medium: minus habenti addendum est; id autem quo exceditur, à maximo est detrahendum.* Vt si ex duobus, quorum quisque habeat quinque, vnum alteri detrahatur, & addatur alteri, & sic vnus habeat sex, alter quatuor; iustitiæ munus est ei qui sex habet, detrahere vnum, & dare illud alteri, qui habebat quinque, vt sic vterq; redigatur ad medium inter sex & quatuor, quod est nimirum quinque, sicut ait D. Thomas quæst. 61. artic. 2. SECVNDO probatur eadem Minor. Nam vt colligitur ex doctrina Philosophi 2. Ethicor. cap. 6. & 5. Ethic. cap. 3. & 4. & docet D. Thomas art. 1. & nos tradidimus tomo 2. q. 7. de Virtutibus p. 1. propterea medium Iustitiæ dicitur peculiariter *medium rei*, quia sine comparatione etiam ad operantem consistit in æqualitate ipsarum rerum media inter excessum & defectum. Cùm tamen medium aliarum virtutum, quæ circa passiones proprias versantur, & non circa alterum, nullo modo consistat in ipsis rebus sine comparatione ad ipsum operantem. Est autem illa æqualitas ipsum ius, de quo loquimur. Ergo ipsum est Iustitiæ medium, atque adeo obiectum, vt conclusimus. Vnde Philosophus 5. Ethicorum, capite 4. *Æquum*, inquit, *medium est pluris & paucioris, &c.*

Quo-

Quomodo autem intelligêdum sit quod cum D. Thoma asserimus, medium Iustitiæ esse medium rei sine comparatione etiam ad operantem, medium autem aliarum virtutum non item; tomo 2. q. 7. de Virtutibus p. 1. sufficienter explicauimus. Et ex illa explicatione patebit sine causa Buridanum 5. Ethic. q. 1. repugnasse in hoc diuo Thomæ, quem auctorem tacito nomine refellit hîc etiam Caietanus art. 1.

OBICIT enim Buridanus, quòd aut loquitur D. Thomas de medio iustitiæ & aliarũ virtutum mediis, absolutè & secundùm se, vel vt sunt seu attinguntur à virtute: Si primum; etiam media aliarum virtutum consistere in rebus secundùm se sine comparatione ad operantem; vt patet in eo, qui exercet opus temperantiæ non ex virtute, sed ex hypocrisi. Si secundum; neque medium iustitię consistere sine comparatione ad operantem; quandoquidem opus iustum non est opus virtutis iustitiæ, nisi fiat ab operante vndequaque rectè secundùm omnes circumstantias, cùm virtutis opus oporteat esse opus bonum vndequaque.

RESPONDENDVM est autem, loqui D. Thomam de medio iustitiæ & aliarum virtutum absolutè & secundùm se. Neque esse verum quòd opus temperatũ ex hypocrisi contineat medium temperantiæ sine ordine aliquo ad operantem. Dicitur enim tale opus temperatum secundùm se, quatenus attenta operantis conditione tale opus ei congruit secundùm regulas quidẽ temperantiæ, licet ipse illud non ex temperantię virture, sed ex hypocrisi exerceat. Medium autem iustitiæ consistit per ipsam rei æqualitatem sine vllo proprio ordine ad conditionem operantis; quamuis vt sit quidem à virtute Iustitiæ, debet fieri etiam rectè ab operante, vt docuimus tomo 2. vbi supra, & indicat etiam D. Thomas hîc art. 1. cùm dicit, *rectum quod est in operatione iustitiæ, etiam includere ordinem seu comparationem ad agentem.*

Colligit autem art. 1. Caietanus tres differentias inter iustitiam & alias virtutes morales ex hac doctrina, quas ponit etiam Sotus lib. 3. de Iustit. q. 1. artic. 1. PRIMA est, quòd Iustitia secundùm propriam sui rationem rectum facit hominem *ad alterum*: aliæ verò in ordine tantum *ad se*. Propter quod ait AMBROSIVS lib. 1. officic. cap. 28. *Iustitiam aliis potius natam esse quàm sibi.* Et Cicero lib. 2. de Repub. *Iustitia*, inquit, *præter cæteras totam se ad alienas vtilitates porrigit atque explicat.* Et Seneca epist. 77. *Sacra*, inquit, *res est Iustitia alienum bonum spectans, nihil ex se petens, nisi vsum sui.*

SECVNDA est, quòd medium Iustitię est etiam medium rei secundùm se rectum sine comparatione ad operantem: aliarum verò virtutum media non item, vt iam est dictum.

TERTIA est, quòd obiectum Iustitiæ per se est aliquid omnibus modis prius quàm sit ipsa per se iustitiæ virtus: obiecta autem aliarum virtutum non sunt sine ordine aliquo ad operantem secundùm regulas illatum. Et propter hoc diuus Thomas prius in hac disputatione disseruit de obiecto Iustitiæ, quàm de ipsa Iustitia secundùm se. In disputationibus autem de virtutibus aliis moralibus nõ prius disserit de obiectis ipsarum, quàm de ipsis. Quæ doctrina est etiam Caiet. hic ar. 1. à quo eam acceperunt Sotus & alij quidam.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quàm latè pateat id Ius, quod est obiectum Iustitiæ.

D. Thomas art. 2. 3. 4.

IN Iure, quod p. præced. statuimus esse obiectum Iustitiæ, duo possumus considerare. PRIMO, quòd est quiddam alteri *debitũ*. SECVNDO, quòd est quiddam *æquale*, per quod scilicet alter alteri secundùm humanam æstimationem iustè exæquatur. Ex hoc vtroque capite manant quædam istius Iuris diuisiones, quæ sunt annotandæ, vt intelligatur quàm latè ius istud pateat.

EX PRIMO igitur capite (scilicet quatenus istud Ius est quiddam *debitum*) diuiditur *primò* hoc ius in ius *legale* seu legitimum, quod scilicet communi aliqua lege est determinatum, atque adeo debitum, & ius *particulare* seu priuatum, quod scilicet non ex aliqua communi lege, sed ex particulari pacto & conuentione aliquorum determinatum & debitum est. Vt quando duo inter se paciscuntur de alicuius rei precio, quod neque lege constitutum sit, neque legi contrarium, & illud æstimant rei esse æquale.

Hæc diuisio Iuris, quod est obiectum Iustitiæ, planè est omnium prima ex hoc capite, scilicet ex Iure ipso manans, quatenus est quiddam *debitum*. Et colligitur ex doctrina D. Thomæ art. 2. atque etiam Philosophi lib. 5. Ethicor. cap. 7. Vbi meminit Iuris cuiusdam, quod appellat *legitimum*, id est, lege positum. Nam etsi legitimum ius hoc loco appellat ius, quod humana quidem seu ciuili lege est definitum (vt paulo post dicemus) tamen negari non potest, quin possit extendi vocabulum hoc Iuris legitimi, vt significet ius seu iustum & æquale quacunque lege definitum. Et æquè certum est, esse etiam aliquod Ius seu iustum ex particulari hominum pacto & æstimatione nulli legi repugnante, vt S. Thomas art. 2. docet. Itaque quod ad rem attinet, negari non potest, quin hæc sit recta & prima diuisio Iuris ex illo capite, scilicet quatenus est quiddã debitum.

Secundò diuiditur Ius ex eodem capite in Ius *naturale*, & Ius *humanum* (quale est ciuile) quod Philosophus loco citato appellauit singulariter Ius legitimum. Ius naturale in proposito est id, quod *naturali* lege est determinatum, secundùm ipsam nimirum naturam rerum. Cuiusmodi ius,

verbi

verbi gratia, reddit quis alteri, cùm pro modio tritici, quem ab eo accepit, tantundem tritici ei reddit. Ius autem humanum est id, quod est debitum *humana* lege, vt puta ciuili, cuius solùm meminit vbi suprà Philosophus. Tale ius siue iustum est inter res aliquas venales & certam summam pecuniæ, quæ iustè emuntur, per ciuilem legem definientem pecuniæ valorem & æstimationem, aut etiam determinatè taxantem iustum rei precium in tanta vel tanta summa pecuniæ.

Quomodo autem lex naturalis, & lex humana, differant, atque adeo Ius naturale & Ius humanum, accipiendo ius pro lege, ex quorum differentia manat in proposito differentia hæc naturalis iuris & humani seu ciuilis, accipiendo ius pro iusto præscripto à lege, quod est obiectum Iustitiæ; & quatenus Ius naturale sit immutabile, ius autem humanum non item; & quàm latè vtrumque Ius pateat; disseruimus tomo 2. disp. 7. q. 2. 4. & 5. De quibus rebus non satis opportunè quidam hoc loco prolixas disputationes instituunt. Atque etiam in illa q. 5. p. 2. dilucidè explanauimus, quemadmodum Ius *gentium* secundùm varias eius considerationes censeri possit, & ad ius *humanum* pertinere, vt asserit D. Thomas 1. 2. q. 95. art. 4. ad 4. & ad ius *naturale*, vt idem D. Thomas hîc asserit art. 3. Neque est opus illa nunc repetere.

Porro ex SECVNDO capite, scilicet quatenus Ius est quiddam *iustum & æquale*, manant aliæ duæ diuisiones Iuris. *Prima* est Iuris istius secundùm se in Ius, quod est æquale per proportionē *Arithmeticam*, qualis est inter quinque & quinque, v. g. & Ius, quod est æquale per proportionem *Geometricam*, qualis est inter duas æquales proportiones, vt inter duplum, & duplum; quo pacto est æqualitas inter proportionem numeri senarij ad ternarium, quē duplo excedit, & proportionem numeri octonarij ad quaternarium, quem duplo item excedit.

Quam diuisionem Iuris tradit & explicat Philosophus lib. 5. Ethic. c. 3. & 4. vbi docet, ius æquale per proportionem Geometricam exerceri in distributionibus bonorum communium *in eos, qui sunt partes communitatis*: cùm scilicet quantò vnus alterū merito & dignitate excedit, tantò ei plus quàm alteri de bonis Communitatis attribuitur. Ius autem per proportionem Arithmeticā docet Philosophus exerceri tum in commutationibus, quæ fiunt voluntariè inter homines, vt in emptione & venditione, mutuatione, &c. tum in compēsandis siue emendandis commerciis hominum inuoluntariis; iisq; siue clandestinis, vt furto, adulterio, veneficio, lenocinio, seruorum seductione, doloso homicidio, falso testimonio, &c. siue manifestè violentis, vt flagellatione, captiuitate, cæde, rapina, mutilatione, conuitio, contumelia, &c. quæ exempla omnia ponit Philosophus in illo lib. cap. 2. in fine. Ac per hanc Iuris differētiam distinguuntur duæ species Iustitiæ propriè dictæ, scilicet Iustitia distributiua & commutatiua, vt infrà q. 5. trademus.

Secunda diuisio Iuris ex illo capite (scilicet vt est quiddam æquale) est nō istius Iuris secundùm se, sed secundùm abstractiorem quandam rationem huic Iuri analogicè cōuenientem, iuxta quam Ius diuiditur in Ius seu iustum *simpliciter*, & Ius seu iustum *secundùm quid*. Ius *simpliciter* est id, quod est omnino æquale, seu per quod omnino exæquantur illi, inter quos est. Ius *secundùm quid* est id, quod est nō omnino sed secundùm aliquid æquale, seu per qpiam, inter quos est, non omnino, sed secundùm quandam rationem exæquantur. Quæ differentia Iuris ex differentia modi, quo aliqui sunt inter se diuersi oritur & intelligitur.

Nam cùm æqualitas sit inter ita distinctos, vt quisq; sit sibi prorius (vt ita dicam) & non alterius; inter eos est simpliciter & omnino æqualitas, atq; adeo ius simpliciter, qui sunt inter se ita diuersi & distincti, vt vnus non sit quasi pars alterius, sed totus sibi proprius. Vt inter duos ciues, qui sunt partes eiusdem Ciuitatis, aut subditi eiusdem Principis. Quod proinde Ius simpliciter, nominat Philosophus 5. Ethic. cap. 6. ius seu iustum *politicum*.

Ius autē secundùm quid est inter eos, qui sunt quidem distincti aliqua ratione, sed ita, vt vnus sit quasi pars alterius, & non vndequaq; sibi prorius. Vt ius inter patrem & filium, qui est quasi quędam pars patris, propterea quòd ex paterno semine factus est, vt docet Philosophus 8. Ethic. cap. 12. Quod proinde ius vocat idem Philosophus 5. Ethic. ca. 6. non ius simpliciter, *sed quodam iu*, scilicet ius paternum. Item quę est secundùm quid Ius inter Dominum & seruum, quia vt idē Philosophus ait 1. Polit. cap. 3. *seruus est aliquid domini*, puta, instrumentum eius & quoddam ex eius bonis. Quod proinde ius similiter idem Philosophus 5. Ethic. cap. 6. appellat non simpliciter ius, sed ius *herile* seu *dominatiuum*.

Atque etiam (vt apertè colligitur ex Philosopho in fine illius 6. cap. 5. Ethic.) *secundùm quid* est id ius, quod est inter virum & vxorem, propterea quòd quisq; coniugū est ālterius, quatenus sunt veluti vna caro, vt patet Matth. 19. & ad Ephes. 5. Et propterea id ius vocatur à D. Thoma hic art. 4. Ius non simpliciter, sed *œconomicum*: tametsi vt idem docet ex Philosopho 5. Ethic. cap. 6. minus recedat hoc ius à iure politico simpliciter dicto, quàm ius paternum seu dominatiuum. Iungunturenim coniuges in quadam societate & æqualitate vitæ matrimonialis, & sunt partes eiusdem communitatis domesticæ seu œconomicæ, vt patet ex Philosopho lib. 1. Polit. cap. 3. Iura autem quę præterea sunt inter diuersorū ordinum ciues, vt inter milites, mercatores, &c. subiiure politico seu simpliciter dicto comprehenduntur, vt indiuidua quædam sub specie, sicut diuus Thomas subindicat artic. 4. ad 4. in quo articulo hanc Iuris diuisionem explicat ex sententia Philosophi 5. Ethic. cap. 6. quam hactenus exposuimus.

Ac possumus ex eadem doctrina D. Thomæ & Philosophi colligere, esse etiam ius non simpliciter, sed secundùm quid, illud quod est inter vnumquemque ciuem & totam communitatem, vt erga illam ita se gerit quisque sicut debet per iustitiam quandam communem, quam Philosophus 5. Ethic. cap. 1. & 2. appellat iustitiam legalem, de qua q. seq. dicemus. Nam si inter patrem & filium propterea non est iustum simpliciter, quia vt D. Thomas art. 4. & Caietanus & alij aiūt, filius est quasi pars patris, multo minus erit iustum simpliciter inter particularem hominem & communitatem, cuius non quasi, sed verè est pars.

Sed occurrunt in hac doctrina tria dubia breuiter explicanda. PRIMVM, An quod dicimus inter patrem & filium, &c. non esse ius seu iustum simpliciter, sed *secundùm quid*, ita intelligi debeat, vt sensus sit, non esse inter eos iustum *propriè* sed impropriè; an verò ita, vt solùm sit sensus, non esse quidem inter eos iustum *perfectè*, licet verè quidem & propriè, quomodo ens imperfectum est verè & propriè ens, licet imperfectè, & eatenus nō simpliciter, sed secundùm quid. Nam quidam recens auctor (scilicet Bartholomæus Salon) putat, eam doctrinam esse intelligendam hoc posteriori modo.

Primò, quia inter patrem & filium est propriè amicitia, vt fatetur Philosophus 8. Ethic. cap. 7. & 14. Et 9. Ethic. cap. 1. licet amicitia debeat esse ex eodem Philosopho in illo lib. 8. cap. 8. Ergo etiam est inter eos propriè iustitia. Maximè cùm sint suppositā distincta, quæ possunt per se agere; id quod D. Thomas q. 58. art. 2. requirit ad iustitiam.

Secundò, quia est inter eos propriè iniuria & iniustitia, vt si filius occidat patrem: Ergo etiam propriè ius & iustitia. Nam vt ait Philosophus 5. Ethic. cap. 1. *tot modis dicitur iustitia quot iniustitia*, & è contrario.

Tertiò, quia inter Christum Dominum & suum æternum Patrem fuit propriè iustitia, licet Christus ratione naturæ diuinæ sit aliquid Patris.

Quartò, quia etiam est propriè iustitia inter hominem iustum & Deum, sicut & propriè meritum ex condigno: licet homo iustus sit aliquid Dei, sicut eius filius & seruus, &c.

Sed contraria sententia (scilicet ius illud inter patrem & filium esse impropriè ius & iustum) est expresè D. Thomę hîc art. 4. ad 1. & Caietani eodem articulo, præsertim 5. *Ad hoc dicitur*, imò etiam ipsius Philosophi 5. Ethic. cap. 6.

Probatur hæc sententia *primò*. Nam quod est propriè tale in aliquo genere, quantumuis sit in tali genere imperfectum, nequaquam dici solet tale secundùm quid, & multo minus id dici solet tantummodò simile tali: Sed Philosophus in illo cap. 6. appellat ius inter patrem & filium ius secundùm quid, & addit etiam esse diuersum à iure inter æquales (quod ibi appellat ciuile seu politicum) & tantummodò esse illi simile: Ergo non est propriè tale. Maior probatur. Non enim ens creatum, verbi gratia, quia sit ens imperfectum, rectè dicitur ens *secundùm quid* (vt falsò sumit ille auctor) sed ens simpliciter, si sit substantia. Neq; quod propriè est animal quamuis imperfectum, dicitur animal secundùm quid, aut tantummodò simile animali.

Secundò, quia tunc virtus, qua filius reddit ius suum patri & vicissim pater filio, esset quoque propriè iustitia illa, qua æquales ius suum sibi reddunt. Id quod omnino est falsum. Nam ea virtus propriè est Pietas, quæ à iustitia distinguitur, & ei annexa est, vt patet ex doctrina D. Thomæ infrà q. 80. & q. 101.

Tertiò, quia si propriè est eiusdem generis ius inter patrem & filium, & inter alios æquales, & propterea solùm dicitur ius secūdùm quid, quia in eo genere est quiddam imperfectum; absolutè erit minus perfectum, atque adeo minus debitum iure naturæ, quàm ius seu iustum politicum inter æquales: At hoc falsissimum est. Nam vt Caietanus hîc art. 4. & Sotus lib. 3. de Iustitia q. 1. artic. 4. rectè tradunt, multo præstantius, & strictiori iure naturali debitum, est ius paternum & filiale, quod exhibet pietas, quàm ius politicum. Sicut etiam ius, quod tribuit Deo religio.

Propter quam causam rectè iidem auctores notant, voculam *secundùm quid*, cùm ius inter patrem & filium dicitur ius secundùm quid, non imminuere in hoc iure rationem naturalis *debiti*, sed solùm rationem *iusti* seu æqualis.

Itaque omnino sentiendum est, ius inter patrem & filium non nisi impropriè esse tale, quale est ius politicum, & eatenus dici ius *secundùm quid*, propter rationem suprà adductam ex Philosopho & D. Thoma; quamuis absolutè quidem suo quodam modo est verè & propriè ius quoddam præstantius & magis debitum, quàm ius politicum. Quemadmodum perfectio illa, verbi gratia, quæ in Deo impropriè & secundùm quid appellatur ira; licet propriè non sit talis, qualis est ira hominis, tamen quiddam præstantius est, quàm hominis ira, & suo quodam modo est verè & propriè talis, qualis est.

Per quam doctrinam facilè nunc erit refutare argumenta contrariæ opinionis. Ad *primum* respondeo esse discrimē. Nam actus amicitiæ cùm sit amor, est erga alterum, non modò vt distinctum, sed simul etiam vt aliquo modo vnum cum amante per aliquem modum vnitatis, quæ est nimirum amoris mutui conciliatrix. Quo fit, vt illa vnitas qualis qualis, quæ est inter patrem & filium, non tollat inter eos proprietatem amicitiæ, quæ est patris ad filium *vt ad alterum ipsum distinctum*, sicut subtiliter dixit Aristoteles lib. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ethic. cap.12. Actus autem Iustitiæ cùm sit exæquatio vnius cum altero per aliquid æquale, est erga alterum tantummodò distinctum, & non aliquo modo idem, sicut sunt pater & filius, quatenus vnus est aliquid alterius. Idem enim non propriè sibi ipsi exæquatur, vt optimè disserit Caietanus. Quo fit, vt vnitas seu idētitas, quæ est inter patrem & filium, obstet iustitiæ proprietati. Et quamuis D. Thomas q.58.art.9. requirat ad propriam rationem iustitię inter aliquos, quòd possint distinctè per se operari tanquā distincta suppositа; minimè tamen dicit hoc sufficere.

Ad *secundum* respōdeo, neq; esse inter patrem & filium propriè iniuriam talem, qualis est inter duos ciues (vt expresè ait Philosophus 5. Ethic. cap.6.) sed plus quàm iniuriam, vt optimè dicit Caietanus; quia violatur per eam vnitas, quæ est plus quiddam, quàm propriè dicta æqualitas. Deinde etiam dici potest, esse quoque propriè & verissimè inter eos iniuriam suo quodam modo, sicut & iustitiam, vt ante diximus.

Ad *tertium & quartum* similiter respondeo, iustitias illas non esse propriè tales, qualis est iustitia politica; quamuis suo quodam modo sint iustitiæ quædam perfectiores & strictiori obligatione debitæ, vt partim tomo 2. in q. de Merito explicauimus, partim docebimus tom. 4. in materia de Incarnatione, Deo volente.

Secvndvm dubium est, an non modò filij ad patrem, sed etiam vicissim patris ad filium, sit ius & iustitia *secundum quid* & impropriè. Et est ratio dubitandi, quia pater non est pars filij, sicut filius patris. Sed tamen rectè ostendit Caietanus ar. 4. vtrinq; esse ius & iustitiam secundùm quid, hoc ipso quòd quidquid pertinet ad partem, pertinet etiam ad eius totū, & vicissim quidquid pertinet ad totum, pertinet etiam ad vnamquamq; ipsius partē. Hinc enim fit, vt quod filius tribuit patri, tribuat etiam sibi ipsi, quatenus est patris pars; & vicissim quod pater tribuit filio, tribuit etiam sibi, quatenus tribuit suę parti: Ac proinde nō nisi secundū quid est inter eos iuris & iustitiæ æqualitas, cùm hęc non propriè sit alicuius ad se.

Tertivm dubium est, an etiam hęc doctrina locum habeat inter patrem & filium emancipatum, quoad contractus ciuiles; an verò solùm inter patrem & filium, dum est in potestate patris, vel etiam extra, quoad ea duntaxat, quę sunt merè iuris naturalis, vt quoad reuerentiā patri semper à filio debitam, &c. Ratio dubitandi est, quoniam Philosophus 5. Ethic. cap.6. solùm videtur loqui de filiis nondum emancipatis, cùm affirmat inter eos & parentes esse tantummodò ius secundùm quid. Ait enim eos esse aliquid patris *quoad tantuli*, inquit, *fuerint & non separati*. Vnde Sotus lib.3. de Iustitia q.1. artic.4. & nonnulli alij opinantur, doctrinam prædictam non esse intelligendam de filiis emancipatis, & quoad contractus ciuiles, sed de filiis in potestate patris; & de emancipatis quoad ea duntaxat, quæ sunt meri iuris naturalis, in quibus nimirum semper est filius naturaliter quasi pars patris. Atq; hanc suam sententiam inde etiam confirmant, quòd inter patrem & filium emancipatum verè in ciuilibus exerceri possunt quidam actus iustitiæ propriè dictæ, vt restitutio, emptio, venditio, &c.

In contrarium autem est, quod filius semper est quasi pars patris quantumcunq; emancipatus; nam semper est verum, quòd eum pater generauit: propter quam rationem affirmat generatim Philosophus 8. Ethic. ca.12. filios hoc ipso quòd à suis parentibus geniti sunt, esse quasi alteros ipsos, cum mutua tamē distinctione (τῷ κεχωρίσθαι, id est, simul tamen distincti, quod malè Ioannes Bernardus Felicianus vertit, *dum separati sunt*) Ergo quicquid vnquā filius etiam mancipatus tribuit suo patri, tribuit etiam sibi, & è contrario, ob rationem, quam dubio præcedenti reddidimus; ac proinde nunquam, neque in vllis actionibus siue naturalibus siue ciuillibus, est inter eos ius & iustū nisi secundùm quid, cùm nunquam propriè vltro citroq́ue exæquentur, sicut nec idem exæquatur propriè sibi ipsi. Atque ita, & rectè, opinatur hîc art.4. Caietanus.

Neque est difficile ad argumenta Soti & aliorum respondere. Nam Aristoteles cùm 5. Ethic. cap.6. ait, filios esse aliquid patris quamdiu tantuli & in potestate eius sunt, loquitur coniunctim de filiis & rebus aliis, quas quis vt suas possidet, vt seruum, domum, &c. Ac proinde considerat in filiis rationem eam, qua similiter atq; aliæ res sunt aliquid patris. Quo pactum verum est, filios non esse aliquid patris, nisi quamdiu sunt in eius potestate. Et hoc est quod ibi Philosophus ait: *Possessio & liberi quoad tantuli fuerint & non separati, quasi quædam vnius cuiusque sunt*. Secundùm aliam verò considerationem, filij vt filij, atque adeo vt sunt generati à patre, semper sunt naturaliter aliquid parentum, & tanquam *alteri ipsi*, vt idem Aristoteles affirmat 8. Ethic. ca.12. Et propterea nunquam inter eos & parentes est ius & iustum simpliciter, sed secundùm quid, vt concluſimus ex sententia Caietani.

Ad illud autem, quod deinde obiiciebatur de actionibus ciuilibus inter patrē & filium emancipatum, vt de restitutione, emptione, venditione, &c. sic respōdeo. Duo possunt considerari in eiusmodi actionibus vt sunt actus iustitiæ: Vnum est, quòd per eas redditur vna res pro altera æquali: Et quoad hoc propriè etiam exercentur inter patrem & filium: Alterum est, quòd per eiusmodi æquales coordinantur & exæquantur etiam ipsæ personæ, vt patet ex doctrina D. Thomæ quæst.58.art.11. Et quoad hoc non propriè & simpliciter, sed secundùm quid exercentur inter patrem & filium, cùm ambo sint quasi idem (vt dictum est) & idem sibi ipsi non propriè exæquetur, vt rectè ratiocinatur Caietanus.

QVAE-

QVAESTIO SECVNDA.

De ipsa Iustitia secundùm se.

D. Thomas 2. 2. quæst. 58.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, QVID SIT IVSTITIA. SECVNDO, An sit virtus specialis vel generalis. TERTIO, In qua materia versetur. QVARTO, In qua potentia animæ sit vt in subiecto. QVINTO, Vtrum sit præstantissima inter virtutes morales.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Iustitia.

D. Thomas art. 1. 3. & 11.

VARIAE à variis assignari solent iustitiæ definitiones, sed quæ eandem ferè vim habēt. Et potissimæ sunt tres.

Prima est, quam ex communi Philosophorum sententia ponit Aristoteles 5. Ethic. cap.1. illis verbis: *Videmus omnes eiusmodi habitum appellare iustitiam solere, ex quo ad agendas res iustas homines idonei efficiuntur: ex quo item iustè agunt, voluntq; iusta*. Quod idem aliis verbis repetit cap.5. cùm ait: *Iustitia est, qua iustus dicitur iusti operator ex electione, ac distributor tam sibi ad alterum, quam alteri ad alterum*.

Altera est, quam ponit breuius Avgvstinvs lib.19. de ciuitate Dei, cap.21. sic: *Iustitia est virtus, quæ suā cuiq; distribuit*. Quam definitionem ex aliorum sententia memorat quoque S. Gregorius Nyssenvs orat.4. de beatitudinibus paululum immutatis verbis, cùm ait, *nonnullos, qui huiusmodi res scrutati sunt, asserere, Iustitiam esse habitum tribuentem vnicuique id, quod æquum est, & quo quisque dignus est*.

Tertia, caque magis recepta est, quam assignauit Vlpianus in L. Iustitia. ff. de Iustitia & Iure. *Iustitia*, inquit, *est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*. Quam definitionem approbat D. Thomas hîc art.1. & alij communiter Doctores, excepto Buridano lib.5. Ethic. q.2. qui sine firma ratione negat eam esse sufficientem. Est enim bona & sufficiens, vt patebit ex declaratione, quam nunc subiungemus, partium huius definitionis singularum.

Per hoc enim quod Iustitia dicitur *voluntas*, significatur, eam habere actum voluntarium & ex electione; quod est de ratione virtutis, vt patet ex Aristotele lib.2. Ethic. cap.4. Vnde ista prędicatio: *Iustitia est voluntas, &c.* non est identica, sed causalis, vt rectè annotauit Sotus lib.3. de Iustitia q.2. artic.1. vt sensus sit, Iustitia est habitus, qui efficit actum voluntarium. Quomodo etiam

A D. Avgvstinvs tract.79. in Ioannem, definiuit virtutem fidei per actum, quem ipsa efficit, inquiens: *Fides est credere quod non vides*, vt notauit D. Thomas art.1. ad 1.

Per hoc autem quod dicitur *constans & perpetua*, significatur cōuenire Iustitiæ alias duas conditiones habitus virtutis, nempe quòd habet actum firmum & minimè instabilem ac vacillantem; quod est operari constanter & immobiliter, vt operatur virtus, auctore Philosopho lib.2. Ethic. cap.4. Et quòd non in hac vel illa materia tantùm, sed in omni omnino materia iustitię habeat eundem quasi tenorem operandi rectè & iustè: propter quod iustitia dicitur voluntas *perpetua*, vt exponit D. Thomas articulo 1. ad quartum.

B Per *Ius* autem quod iustitia dicitur vnicuique tribuere velle, significatur proprium eius obiectum, quod fusè declaranimus quæst. præcedente: nempe iustum per æqualitatem aliquam propriè dictam, iuxta ea quæ disseruimus q. præced. p.2. Nam iura alia secundùm quid ita dicta, vt paternum, dominatiuum, &c. non sunt obiecta Iustitiæ, de qua hîc disputamus, vt illic vidimus.

Per particulam verò *suum*, cùm Iustitia dicitur esse voluntas ius *suum* vnicuiq; tribuendi, significatur id, quod cuique secundùm Iustitiæ leges C est debitum, vt explicat S. Thomas art.11. Quod ipsum latè adhuc patet. Nam debitum est alicui secundùm iustitiam, tum vt ei quippiam addatur, si minus habet quàm debet (quod *minus* vocatur generatim in hac materia à Philosopho 5. Ethic. cap.5. *damnum*) tum etiam vt quippiam ei detrahatur, si plus habet quàm debet (quod *plus* seu superfluum vocatur ibi à Philosopho *lucrum*) vt notat D. Thomas art.11. ad 3. Ex qua re patet, reddi iuxta definitionem hāc ius suum ei etiam, qui secundùm iustitiæ leges punitur, per subtractionem nimirum alicuius sui boni; vt redigatur

ad æqualitatem cum eo, cui iniquè ipse abstulit, sicut illic etiam D. Thomas subindicauit.

Denique per id, quod ad extremum in illa definitione additur, Iustitiam esse voluntatem ius suum vnicuique *tribuendi*, non solùm actus ipse tribuendi ius suum vnicuique secundùm formam iustę commutationis aut distributionis intelligi debet, sed etiam annexa ei omissio contrarij actus iniuriam inferendi; siquidem eiusdem virtutis est facere bonum in materia sua propria, & abstinere à malo contrario. Vnde Vlpianus, vt hoc ipsum declararet, post traditam hanc Iustitiæ definitionem mox subiunxit, *Iuris præcepta esse honestè viuere, alterum non ladere, suum cuique tribuere.*

Ex quo soluitur argumentum, quo Buridanus vbi suprà probat, definitionem hanc esse insufficientem, quia tradatur solùm per vnum actum Iustitiæ, scilicet *tribuendi* vnicuique ius suum; cùm tamen ad Iustitiam quoque pertineat neminem lædere. Respondemus enim, per illum actum tribuendi ius intelligendam esse quoque abstinentiam ab aliena iniuria, cùm sit ei actui annexa, ac proinde definitionem esse sufficientem, vt bene Sotus lib.3. de Iustitia, quæst.2. art.1. est ratiocinatus contra Buridanum.

Porro ex hac declaratione illius definitionis Iustitiæ apparet, genus Iustitiæ, (scilicet quòd sit habitus bonus, atque adeo virtus) indicari per priores illas particulas, scilicet quòd sit *voluntas constans & perpetua, &c.* quibus significantur virtutis conditiones, vt diximus; nempe vt ex electione, & immobiliter, & in omni sua materia exerceat rectum actum. Differentia verò eius à virtutib. aliis explicatur per particulas reliquas, quibus & proprium obiectum & actus eius exponuntur. Ex qua etiam differentia Iustitię, cùm eius rectitudo per eam declaretur, liquidò apparet, non posse dubitari, quin Iustitia sit virtus: cùm virtus sit bonus habitus, bonum faciens habentem, & opus eius reddens bonum: Quod omnino conuenit in Iustitiam, vt facilè ostendit D. Thomas artic.3. Qui etiam artic.1. notat, definitionem hanc Iustitiæ ab Vlpiano traditam, posse redigi in faciliorem & clariorem formam, si dicamus sic: *Iustitia est habitus secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate ius suum vnicuique tribuit.* Res est minimè obscura.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Iustitia sit virtus specialis vel generalis.

D. Thomas art.5.6.7.

DISSERIT hac de re diuus Thomas in tribus articulis, quos non modò Caietanus, sed etiam Sotus lib.3. de Iustitia, quæst.2. art.5. in vnum conjunxit, arbitratus (vt inquit) tres illos articulos D. Thomæ sub vno titulo luculentius & commodius posse decidi. Quod ipsum & in aliis etiam quæstionibus D. Thomæ non rarò vtiliter & conuenienter rebus ipsis, quæ tractantur, fieri potest, vt monuimus in Præfatione de nostra differendi methodo tomo primo huius nostri operis.

Sed ad rem nunc propositam accedamus. Philosophus lib.5. Ethicor. cap.1. & 2. & D. Thomas hîc, præsertim artic.5. & 7. & alij auctores communiter quandam iustitiæ distinctionem ponunt, ex qua intelligi poterit, an & quomodo Iustitia sit virtus specialis vel generalis. Distinctio est huiusmodi. Iustitia si præcisè consideretur secundùm abstractam quandam rationem suam propriam, qua perficit hominem in ordine ad alterum, duplex est. ALIA, quę per se & immediatè perficit hominem in ordine ad alterum particularem; vt emptorem, verbi gratia, in ordine ad venditorem. ALIA, quæ perficit hominem in ordine ad quemcunque alterum non per se & immediatè vt particularem, sed mediatè & secundariò; quatenus primò & per se perficit hominem in ordine ad Communitatem seu Rempublicam, cuius homo sit pars, & consequenter in ordine ad quemcunque alterum, qui sit pars eiusdem communitatis, ad quem proinde redundet bonum totius, iuxta verissimam doctrinam D. Thomæ hîc art.5.

PRIOR Iustitia nominatur à Philosopho 5. Ethicor. cap.2. & à D. Thoma hîc artic.7. Iustitia *particularis*, non quia sit Iustitia vnica in iuiduo vel in specie vltima, (diuiditur enim & ipsa porro in alias quasdam iustitias diuersas, vt postea videbimus) sed quia perficit per se hominem in ordine ad alterum particularem, sicut dictum est. POSTERIOR autem Iustitia nominatur à D. Thoma artic.5. & ab aliis ex sententia Philosophi 5. Ethicor. cap.1. Iustitia *legalis*, eò mirum quòd efficiendo ea, quæ sunt bona & apta Communitati, est conformis legibus; siquidem leges ea præscribere solent, quæ sunt Communitati bona & conducibilia, vt docet illic Philosophus. Nec potest dubitari de veritate huius distinctionis Iustitiæ, quod ad rem ipsam attinet. Nam constat & laudabile & difficile esse tum erga communitatem, tum erga alterum particularem rectè & iustè se gerere; ac proinde vtrumque pertinet ad aliqualem iustitiam, vt iustitia perficit hominem erga alterum.

Nunc distinctione hac Iustitiæ legalis & particularis, ita constitura, quædam sunt certa, & quædam controuersa in quæstione, qua quæritur, an Iustitia sit virtus specialis, vel generalis. Certum enim est PRIMO, Iustitiam particularem (vt asserit D. Thomas ar.7.) esse virtutem specialem, vt specialis virtus dicitur ea, quæ est peculiaris & distincta à virtutibus aliis; siue sit hoc modo specialis specie vltima, siue specie subalterna, quæ in alias species diuidatur, vt diuidi hanc Iustitiam particularem videbimus quęstione 6.

Id patet primò ex Scriptura. Sap.8. vbi iustitia hæc annumeratur Prudentiæ, & Temperantiæ, & Fortitudini, tanquam ab eis distincta, illis nimirum verbis: *Sobrietatem, & sapientiam docet, iustitiam, & virtutem.*

Secundò patet ex Patribus, qui hanc Iustitiam particularem etiam agnoscunt & annumerant aliis virtutibus Cardinalibus. Vt AMBROSIVS lib.5. in Lucam circa illud Lucæ 6. *Beati pauperes spiritu.* Et AVGVSTINVS lib.1. de moribus Ecclesiasticis cap.15. Et GREGORIVS lib.2. Moralium cap.36. & HIERONYMVS in cap.63. Isaiæ super illud: *Miserationum Domini recordabor*, vbi ait, *Iustitiam esse quandam speciem boni.* Et CHRYSOSTOMVS hom.15. in Matth. super illud Matth.5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, vbi ait, posse eo loco intelligi iustitiam *vel vniuersalem vt est omnis virtus, vel particularem auaritiæ contrariam.* Quamuis S. GREGORIVS NYSSENVS orat.4. de beatitudinibus non particularem sed vniuersalem iustitiam, hoc est, omnem virtutem ibi intelligendam esse arbitratur.

Tertiò idem patet ex Philosopho 5. Ethicor. cap.2. vbi asserit, esse quandam iustitiam particularem, quæ sit non omnis virtus, sed *in parte* (vt inquit) *virtutis*, id est, quædam species virtutis in communi & in genere consideratæ.

Quartò patet idem manifesta ratione. Nam ea est specialis virtus; quæ versatur circa id, quod peculiariter est & laudabile, & difficile; vt est in confesso apud omnes: Sed Iustitia particularis versatur circa id, quod peculiariter est & laudabile, & difficile, cùm sine controuersia sit tale, recte & iustè se gerere erga alterum particularem: Ergo Iustitia particularis est virtus specialis.

Quod ipsum confirmat etiam Philosophus 5. Ethic. cap.2. argumento ducto à contrario. Nam si quis iniquè se gerat erga particularē alterum, vt eripiendo ei aliquid, &c. committit speciale vitium, ob quod est dignus vituperio peculiari, etiamsi id ex nullo alio vitio committat: Ergo recte se gerere erga alterum est virtus specialis.

SECVNDO certum est, Iustitiam legalem eatenus quidem esse virtutem generalem & non specialem, quatenus secundùm rationem suam versatur in omni omnino materia virtutum omnium moralium. Nam vt leges in omni materia virtutum præscribere solent ea, quæ sunt conducibilia bono communi, vt docet Aristoteles 5. Ethic. cap.1. ita etiam Iustitia legalis (quæ legibus conformis est) perficit hominem, vt rectè & iustè se gerat erga communitatem in omni materia moralium virtutū. *Leges enim* (inquit ibi Philosophus) *de omnibus præscribunt, etc. nempe quod fortis viri opus est, vt non deserere ordines, non fugere, non abicere arma; & id quod est temperantis, vt non committere adulterium, non contumeliosè se gerere; & id quod est mansueti, vt non verberare, non maledicere. Simili modo quoque secundùm alias virtutes & vitia, alia iubet lex, alia prohibet, &c.*

Quæ omnia vt à legibus constituta sunt, tanquam bono communi conducibilia, affirmat ibi Philosophus esse iusta, atque adeo materiam Iustitię legalis; quam idcirco Iustitiam ratione materiæ quidem adeo generalis, in qua versatur, certum est (vt dixi) esse virtutem non specialem (quasi habeat tantùm materiam aliquam specialem) sed generalem.

CONTROVERSVM autem est PRIMO, An Iustitia hæc legalis, licet secundùm materiam quidem sit generalis virtus (vt dictum est) tamen secundùm rationem suam formalem atque essentiam sit simul specialis virtus reipsa distincta à quacunque virtute alia morali; an verò sit reipsa & essentialiter omnis virtus particularis, prout in materia sua versatur cum vtilitate boni communis, seu prout habet pro fine bonum commune: ac proinde an non solùm ratione materiæ, sed etiam essentialiter & per prædicationem iustitia hæc sit virtus generalis, quatenus est omnis virtus sub prædicta ratione.

Et Buridanus quidem 5. Ethic. q.4. existimat, non esse specialem virtutem realiter & essentialiter distinctam ab aliis, sed esse planè quamcunque virtutem vt operatur propter bonum commune: ita nimirum vt temperantia, quatenus ea quis vtitur ob proprium commodum (vt valetudinis, &c.) sit & nominetur temperantia: vt autē ea quis vtitur in commodum Reipub. seu Communitatis, idque conuenienter legibus Reipublicę conducibilibus, sit & nominetur Iustitia legalis. Quod similiter vult intelligi de virtutibus aliis.

Fundamenta huius opinionis, quibus nititur Buridanus, sunt hęc: PRIMO, Aristoteles 5. Ethic. cap.1. de hac iustitia legali loquens: *Hæc*, inquit, *iustitia non pars virtutis* (id est, subiectiua specialis) *sed integra virtus est.* Et paulo post: *Quid verò*, inquit, *virtus & iustitia hæc differat, ex dictis patet. Utraque enim eadem est, esse tamen vtrarumque non est idem: nam quatenus ad alterum spectat* (scilicet ad bonum communitatis) *iustitia; quatenus talis quidem est habitus, virtus simpliciter est.* Quo loco clarè videtur Aristoteles asserere, iustitiam hanc & virtutem quamcunque re & essentialiter esse idem, & ratione tantùm differre eo modo quo vult Buridanus.

SECVNDO. Relatio operis virtutis (vt temperantiæ vel fortitudinis) ad bonum commune, pertinet quoque ad essentiam vniuscuiusque virtutis: Ergo non est circa illam statuenda aliqua alia specialis virtus, quæ sit illa iustitia legalis essentialiter à virtutibus ipsis distincta. Antecedens probat Buridanus duobus testimoniis Aristotelis: Altero ex 4. Ethicorum cap.6. vbi de Magnifico ait: *Non enim magnificus in suum, sed in publicum decus sumptuosus est*: Altero ex 3. Ethicor.

cap. 6. vbi ait, ad fortem maximè pertinere, *vt circa præclaram mortem in bello sit impauidus*: vbi præclaram vocat, quia eam debet fortis oppetere propter bonum commune, vt confirmat etiam Buridanus ex Eustratio & aliis Philosophi expositoribus: Non enim videtur, quo alio respectu mors in bello sit præclara.

TERTIO, si propter ordinem operis virtutis ad bonum commune Reipublicæ, quædam virtus specialis statuenda est, quæ sit illa legalis iustitia; pari ratione statuenda esset quædam alia specialis virtus iustitiæ propter ordinem operis virtutis ad bonum commune domus vel familiæ, quę dicatur iustitia domestica seu œconomica. At talem aliquam iustitiam specialem nemo asserit.

QVARTO, ad essentialem rationem cuiusque virtutis pertinet, vt in materia propria operetur rectè secundùm omnes circumstantias, atque adeo etiam propter bonum & honestum finem, cuiusmodi est inprimis ipsum commune bonum Reipublicæ: Ergo circa relationem operis virtutis ad huiusmodi commune bonum non est statuenda iustitia illa, quæ sit virtus specialis.

QVINTO, si ad ipsam essentialem rationem cuiuscunq; virtutis non pertineret operari propter bonum etiam commune; sequeretur posse virtutem malè operari; quod est omnino falsum, cùm nemo virtute malè vtatur. Probatur autem id sequi. Nam si actus alicuius virtutis, vt puta temperantiæ, sit laudabilis secundùm omnes alias circumstantias ad ipsam pertinentes; & malus duntaxat ob defectum circumstantiæ finis boni communis, poterit exerceri per temperantiam, si ad eam quidem ea circumstantia non pertinet. Vt, verbi gratia, poterit quis temperatè comedere tunc cùm esset defendenda Respublica, quo tempore is actus, ob defectum huius solius circumstantiæ finis boni communis, erit malus. Hæc sunt ordine argumenta potissima, quibus Buridanus confirmat suam opinionem.

CONTRARIA tamen sententia est D. Thomæ hîc art. 6. scilicet Iustitiam legalem esse essentialiter specialem virtutem re ab aliis distinctam, atque adeo solùm esse generalem ratione materiæ, & imperatiuè, siue effectiuè, quatenus omnes alias virtutes mouet ad suum ipsius finem communis boni. Et hæc sententia mihi videtur probabilior, vt & Soto lib. 3. de Iustitia q. 2. art. 5. & aliis.

Probatur PRIMO ex Philosopho, qui lib. 5. Ethicor. cap. 1. multa de hac iustitia legali dicit, quæ minimè rectè de ea dici possent, nisi specialis sit virtus ab aliis distincta. *Primò* enim dicit, ipsam esse virtutem *perfectam*, quia scilicet in omni materia virtutis versatur. *Deinde* ait, esse virtutum *præstantissimam, vt neque Hesperus neque Lucifer sit adeo admirabilis*: quæ comparatio non habet locum nisi inter diuersa & condistincta. *Addit* etiam clariorem huius iustitiæ comparationem cum aliis virtutibus, illis verbis: *Iustitia sola ex omnibus virtutibus esse alienum bonum videtur, quia ad alterum spectat: Agit enim ea, quæ alteri conducunt, aut Principi* (vt ferenti leges) *ob bonum commune*) *aut Reipublicæ*. Quibus vltimis verbis satis declarat, se ibi loqui de Iustitia non particulari, sed legali.

SECVNDO probatur ex ratione differentiæ virtutum sic: Illa est virtus specialis ab aliis distincta, in cuius actu formali est peculiaris tum laus tum difficultas distincta ab aliarum virtutum laude & difficultate. Sed in actu formali Iustitiæ legalis est peculiaris tum laus tum difficultas: Ergo est specialis virtus. Maior apud omnes comperta est, & colligitur ex doctrina Philosophi secundo Ethicorum, capite sexto & septimo, vbi tradit rationem & diuisionem virtutum.

Minorem autem ita declaro & probo: Nam actus formalis & proprius Iustitiæ legalis est rectè operari in materia cuiusque virtutis propter illud bonum Communitatis, quod per se primò est communitati conducibile spectata ratione ipsius communitatis, quicquid sit de commodo aut detrimento priuato ipsius operantis; non autem propter illud bonum communitatis, quod secundariò & consequenter redundat ad communitatem ex commodo priuato, quod assequitur operans rectè per virtutem particularem, hoc ipso quòd quilibet est pars communitatis & bonum partis est bonum totius. Etsi autem operari rectè in materia cuiusque virtutis propter bonum communitatis secundariò, ita consequens ex bono priuato non habeat distinctam laudem & difficultatem ab ea, quam habet ipsa operatio recta cuiusque virtutis; tamen certum est habere distinctam laudem & difficultatem hoc quod est operari rectè in materia cuiusque virtutis propter bonum communitatis per se, quidquid sit de priuato commodo aut detrimento.

Id patet ab ipsa experientia, confirmata etiam luculentis testimoniis Aristotelis, Nam 5. Ethicorum, cap. 1. loquens de Iustitia legali erga bonum communitatis, atque adeo de illius vita & operatione, quam nunc explicuimus: *Multis*, inquit, *sunt, qui in priuatis rebus virtute vti possunt, in cæteris, quæ ad alium spectant, non possunt. Vnde recte*, inquit, *illud Biantis dictum videtur: Principatus virum ostendit; quippe cùm ad alterum iam & in societate Princeps versetur.* Et eodem spectat quod 3. Politic. cap. 3. ait, *non esse eandem virtutem boni viri & boni ciuis*: cùm nimirum alterius laudis & difficultatis sit, erga Rempublicam se gerere vti decet bonum ciuem (quod est munus Iustitiæ legalis) & ea facere, quæ sunt virtutis particularis.

TERTIO

TERTIO probatur ex comparatione intellectus & voluntatis in sectando officio virtutum. Nam non minorem nec minus peculiarem laudem & difficultatem habet voluntas in exercendis operibus virtutum propter bonum commune per se, quidquid sit de priuato commodo, quàm intellectus practicus in eisdem operibus præfiniendis & imperandis propter idem commune bonum, item per se, quidquid sit de priuato commodo; Sed ob laudem & difficultatem, quam in hoc habet intellectus practicus, constituitur in illo peculiaris prudentia politica, vt eiusmodi opera virtutum propter bonum commune per se præfiniat & imperet, sicut disputat. præced. quæst. 2. & 3. ex doctrina Philosophi asseruimus. Ergo etiam in voluntate statuenda est circa eadem virtutum opera, sub eadem ratione considerata, specialis virtus, quæ sit prædicta Iustitia legalis, cùm non appareat, quænam sit alia.

QVARTO accedit, quòd licet obedientiæ virtus ratione materiæ quidem sit virtus generalis, cùm versetur in materia omnium virtutum, tamen quia in materia virtutum omnium non nisi sub peculiari quadam ratione versatur (scilicet vt sub præceptum cadit) est simul virtus secundùm essentiam specialis & re distincta ab omnibus aliis. Ergo similiter Iustitia legalis; cùm etiam versetur in materia virtutum omnium sub sua ratione peculiari, scilicet vt materia virtutis est per se conducibilis ad bonum commune, quidquid sit de priuato commodo, sicut explicaui.

Ad argumenta verò Buridani non est difficile respondere. Ad PRIMVM respondeo inprimis cum D. Thoma art. 6. in fine corporis, & Caietano ibidem, virtutem quamlibet non secundùm suam essentiam censeri ab Aristotele esse iustitiam legalem, sed vt ordinatur ad bonum commune à speciali virtute iustitiæ legalis; quia sic in suo actu habeat iustitiæ etiam legalis laudem, si cut & laudem charitatis, vt à charitate dirigitur siue imperatur. Quod ipsum est virtutem quamlibet esse iusticiam legalem non identicè, sed *relatiuè*, & vnitate cuiusdam *ordinis*, vt explicat Camas suprà quæst. 47. art. 10. ad 1. vbi ait, quamlibet virtutem moralem relatam ad bonum commune esse iustitiam legalem.

Deinde posset etiam dici, *virtutem* quàm dicit Aristoteles esse iustitiam legalem, & ratione solùm ab illa differre, non esse quamlibet aliam virtutem, sed ipsam virtutem Iustitiæ legalis; Ita vt sensus verborum Aristotelis eo loco sit, Iustitiam legalem, vt est quidem virtus, & vt est iustitia, re esse vnum & idem, differre autem ratione: nam vt est ad quemcunq; alterum, vt in Communitate consideratum, est iustitia; vt autem est talis habitus, scilicet bonum faciens habentem & opus eius reddens bonum (quæ est virtutis definitio, vt patet secundo Ethicorum, capite sexto) est virtus. Nec video aliquid magnopere obstare, quo minus verba Aristotelis in illo capite primo, quinto Ethicorum, sic intelligantur. Quòd enim ibi etiam dixit, Iustitiam legalem *esse integram & perfectam virtutem, & non partem virtutis*; item, *complecti virtutes omnes*, potest intelligi ratione materiæ generalis omnium virtutum, in qua, vt dictum est, versatur.

Ad SECVNDVM respondeo per distinctionem Antecedentis. Nam pertinet quidem ad essentiam cuiusque virtutis relatio ipsius operis ad bonum commune, quod secundariò sequitur ex illo, hoc ipso quòd bonum partis est bonum totius; non autem relatio eius ad bonum commune per se, quidquid sit de priuato commodo operantis, vt in secunda probatione nostræ sententiæ explicauimus: quo posteriori modo relatio operis virtutis ad bonum commune est proprius actus Iustitiæ legalis, vt illic diximus, nec sic pertinet ad particularem virtutem, nisi vt motam & directam à Iustitia legali, vt optimè docuit D. Thomas articulo sexto ad quartum. Vnde Philosophus in duobus illis locis à Buridano obiectis, de Magnificentia & Fortitudine loquitur non secundùm ipsarum essentiam præcisè, sed vt moueri & dirigi debent à Iustitia legali.

Ad TERTIVM respondeo ex doctrina diui Thomæ artic. 7. ad primum, non esse parem rationem asserendi peculiarem Iustitiam œconomicam distinctam ab aliis virtutibus omnibus. Nam commune bonum familiæ sufficienter curatur per alias quasdam tres virtutes simul, quæ sunt quædam iustitię imperfectę; scilicet per pietatem, quæ est inter patrem & filios; & per iustitiam aliqualem, quæ est inter virum & vxorem; quam Philosophus quinto Ethicorum, cap. 6. vocat iustitiam œconomicam; & per aliam item iustitiam aliqualem, quæ est inter dominum & seruum, quæ (vt illic indicat D. Thomas) est etiam suo modo œconomica. His enim tribus combinationibus continetur communitas familiæ, vt docet Philosophus 1. Politicorum, cap. 3. & 8. Communitas autem Reipublicæ multo latius patet; & idcirco vt commune illius bonum stabiliatur, opus est præterea peculiari virtute Iustitiæ legalis.

Ad QVARTVM respondeo distinguendum esse Antecedens. Nam pertinet quidem ad essentiam cuiusq; virtutis, vt operetur rectè secundùm omnes circumstantias non excedentes latitudinem propriæ suæ materiæ & laudis, neque pertinentes ad dignitatem alterius cuiuspiam virtutis: vt autem operetur rectè secundùm omnes omnino circumstantias spectãtes etiam ad alias virtutes, non pertinet ad vnamquamq; virtutem secundùm suam precisè essentiam, sed vt motam

Universidad de Deusto
Biblioteca

& directam à virtutibus aliis: ac proinde neque vt operetur propter bonum commune, per se, nisi vt directam à Iustitia legali, vt patet ex doctrina D. Thomæ art. 6. ad 4.

Ad QVINTVM negamus ex hac nostra sententia consequi, vt possit aliquis malè vti virtute. Nam in casu argumenti, actus ille temperantiæ non eliceretur à virtute ipsa temperantiæ, quandoquidem esset malus; sed tunc demum, quando ex nulla parte esset repugnans vlli alij virtuti, ac præsertim iustitiæ legali, à qua omnes actus boni debent posse imperari propter bonum commune; cui virtuti actus ille in eo casu aduersaretur, siquidem esset perniciosus communi bono. Et hactenus quidem de eo, quod dixi esse primò controuersum.

SECVNDO controuersum est, an Iustitia hæc legalis sit iustitia propriè & simpliciter dicta; an verò impropriè & secundùm quid, vt iustitia inter patrem & filium, dominum & seruum. Nam quidam existimant esse propriè iustitiam. Quod potest confirmari PRIMO ex Philosopho 5. Ethicor. cap. 2. vbi ait, iniustitiam oppositam huic Iustitiæ legali, & iniustitiam oppositam iustitiæ particulari (quæ sine dubio est iniustitia propriè dicta) esse vnius & eiusdem rationis vniuocæ, atque adeo vtramq; propriè Iniustitiam. Ex quo est consequens, vtramque etiam Iustitiam esse eiusdem rationis vniuocæ, atque adeo propriè Iustitiam. Sic enim ibi Philosophus scribit: *Perspicuum est esse iniustitiam quandam ab illa integra & vniuersali iniustitia diuersam, quæ locum partis obtineat, atque vniuoca sit, eò quòd in eodem genere est definitio, vtriusque enim vis in eo consistit, vt ad alterum spectent.*

SECVNDO potest idem confirmari ex S. Thoma hìc art. 5. dicente, Iustitiam *secundum propriam rationem* esse tum ad alterum particularem, tum ad alterum in communi siue ad communitatem; quod spectat ad Iustitiam legalem. Et artic. 7. ad tertium videtur ponere discrimen inter iustitiam legalem; & iustitiam inter patrem & filium, & inter dominum & seruum, & maritum & vxorem, quòd hæ iustitiæ non sunt iustitiæ simpliciter dictæ, sicut illa. Item quia agit de hac iustitia legali tanquam de specie condistincta à Iustitia particulari, in q. 58. vbi nimirum disserit de Iustitia propriè dicta.

TERTIO, quia hæc iustitia legalis est perfectior quàm particularis; sicut & Ius inter ciuem & communitatem est perfectius quàm ius inter duos particulares, vt intelligi potest ex Aristotele quinto Ethicorum, capite 1. 2. & 6. Ergo non est minus propriè dicta, quàm Iustitia particularis.

QVARTO, quia Ius, quod est huius legalis Iustitiæ obiectum, est Ius simpliciter & propriè dictum. Ergo & Iustitia ipsa legalis est propriè & simpliciter iustitia. Antecedens probatur, quia & est ad alterum; cùm ciuis distinguatur à communitate; neque sit naturaliter quidem aliquid illius, sicut filius est aliquid patris; & est debitum multo strictius, quàm ius inter particulares; & denique est æquale, si reddat ciuis Communitati totum, quod ei debet: quæ tria requiruntur & sufficiunt ad Ius propriè dictum. Atque his nimirum argumentis recens quidã Scriptor in Commentario ad art. 5. D. Thomæ propugnat hanc opinionem, quæ fuit etiam quorundam aliorum D. Thomæ interpretum.

Sed contrariam opinionem idem auctor non immeritò censet quoq; probabilem, & eam ipse arbitror esse etiam probabiliorem. Nam vt q. præced. p. 2. ex sententia D. Thomæ & Caietani & aliorum constituimus, non est Iustitia propriè dicta, nisi inter ita distincta, vt vnum non sit aliquid alterius; nam inter talia duntaxat potest esse simpliciter & propriè *æquale* & exæquatio. Sed ciuis & communitas tota non ita inter se distinguuntur; cùm ciuis quamdiu ciuis manet, sit verè pars communitatis, ac proinde quod confertur in communitatem, conferatur etiam in ciuem, & è contrario. Ergo Iustitia legalis, per quam ciuis tribuit ius communitati, non est iustitia propriè & simpliciter dicta.

Neque obstat, quòd vt Respublica est quædam communitas ciuilis, non est ciuis naturaliter eius pars, cùm possit ab ea discedere, & fieri ciuis alterius Reipublicæ vel nullius. Non, inquam, hoc obstat. Tum quia neque seruus naturaliter quidem est aliquid domini, cùm possit emancipari, aut etiam sua sponte recedere, si non sit mancipium; & tamen quia ciuiliter est aliquid domini, docet Philosophus 5. Ethic. cap. 6. non esse propriè & simpliciter ius & iustitiam inter dominum & seruum, quamdiu manet seruus. Tum quia ex eo, quòd ciuis naturaliter non est pars Reipublicæ, vt hæc est communitas ciuilis, solùm sequitur, non eum debere Reipublicæ ita consideratæ ius illud excellens, quod tribuit virtus pietatis, non modò parentibus sed etiam patriæ, hoc est, Reipublicæ, in qua quis natus est, tanquam principio cuidam naturali ipsius, vt docet D. Thomas quæst. 101. artic. 3. ad 3. Non autem inde sequitur, quòd ciuis tribuat ius Reipublicæ vt Communitati ciuili per Iustitiam propriè dictam, vt patet ex eo quod obiecimus de iure inter seruum & dominum.

Denique non est vllum incommodum censere propter rationem dictam quòd iustitia legalis sit impropria iustitia, cùm per hoc nihil de illius præstantia & dignitate imminuamus, quod ad rem ipsam attinet. Nam vt Religio, & pietas, (quantumuis sint impropriè dictæ iustitiæ) sunt reipsa quædam iustitiæ suo modo perfectiores quàm Iustitia propriè dicta (vt vidimus q. præced. p. 2.) ita etiam Iustitia legalis, tametsi impropriè iustitia nominetur.

Ad PRIMVM autem argumentum contrariæ opinionis ex Philosopho petitum respondeo, cùm

cùm is indicat, Iustitiam legalem, & Iustitiam particularem (sicut oppositas iniustitias) esse iustitias eiusdem rationis vniuocæ, considerari ab eo præcisè secundùm abstractam quandam Iustitiæ rationem, scilicet vt Iustitia est *ad alterum*, vt patet ex ratione, quam in illo cap. 2. 5. Ethic. Aristoteles subiunxit; non autem quatenus est ad alterum per æqualitatem siue exæquationem; sic enim non sunt eiusdem rationis vniuocæ; sed Iustitia particularis est propriè & *simpliciter* Iustitia (sicut eius Ius propriè æquale) Iustitia autem legalis *secundùm quid* & impropriè, quia non reddit propriè æquale, propter rationem dictam.

Quod vt rectè intelligatur, ac ne circa varias diuisiones Iustitiæ fallamur, diligenter CONSIDERANDVM est, tres rationes posse considerari in Iustitia propriè dicta (quæ est particularis, de qua directè in hoc tractatu disputatur) quarum quælibet posit affici nominatione Iustitiæ, & in varias porro iustitias diuidi. PRIMA est abstracta valde & inadæquata, secundùm quam consideramus præcisè quòd Iustitia est ad alterum. Et secundùm hanc diuiditur Iustitia in omnes virtutes, quæ quomodocunque sunt ad alterum; nequealiquid impedit, quo minus diuisionē hanc Iustitiæ secundùm eam quidem sui rationem dicamus esse diuisionem vniuocam, in ea nimirum quæ propriè sint talia secundùm eam rationem, iuxta sententiam illam Philosophi 5. Ethicor. cap. 2. Non enim ideo erit concedendum esse aliquam Iustitiæ virtutem, quæ vniuocè conueniat omnibus illis virtutibus, quæ sunt ad alterum, de qua proinde debuerit à Philosopho & à D. Thomain communi disputari. Etenim Iustitia secundùm abstractam illam rationem, qua præcisè consideratur vt *ad alterum*, non est virtus, cùm in hoc præcisè non sit aliqua peculiaris ratio laudis, donec vlterius consideremus, quòd Iustitia est ad alterum per æqualitatem siue exæquationem. Et idcirco rationem eam abstractam Iustitiæ appellaui *inadæquatam*, non solùm eo sensu, quo ratio generica est etiam inadæquata ratio rei, sed etiam in eo, quo maximè est inadæquata rei ratio ea, quæ ne genus quidem rei integrè constituit. Neque obstat, quòd Philosophus in dicto cap. 2. 5. Ethicor. indicat, posse Iustitiam *definiri* per eam præcisè rationem, qua est ad alterum. Non enim est necesse, vt eum locum Philosophi intelligamus de definitione propriè, quæ non conuenit rei, nisi vt est in aliquo genere & differentia; sæpè enim definitionis nomen tribuitur qualicunque descriptioni rei.

SECVNDA ratio, quæ in Iustitia potest considerari, est etiam communis & abstracta, licet non adeo, vt prima, nimirum quatenus consideratur vt est ad alterum per aliqualem æqualitatem seu exæquationem. Et præcisè quidem secundùm hanc abstractam rationem, Iustitia non est aliquid vniuocum sed analogum, & diuiditur analogicè in Iustitiam propriè dictam, quæ scilicet est ad alterum per æqualitatem simpliciter, qualis est inter duos ciues, & Iustitias alias secundùm quid & impropriè dictas, quæ scilicet sunt ad alterum per æqualitatem aliquam secundùm quid, vt Religio, pietas, Iustitia œconomica inter dominum & seruum, &c. quibus etiam annumeramus Iustitiam legalem ob rationem suprà dictam: itemque Iustitiam illam metaphoricam, quam Philosophus 5. Ethic. cap. 11. & D. Thomas hìc art. 2. dicunt esse inter Rationem Superiorem & Inferiorem hominis, quando per virtutes vtrique conuenientes, ita inter se sunt affectæ, vti conuenit. Est enim *Ius* seu *Iustum* inter has animi partes simile Iuri *herili* vel familiari, vt Philosophus illic ait; eo quod Ratio superior inferiori (id est, appetitui) dominatur. Atque etiam Ius hoc in eo deficit à iusto & æquali *simpliciter*, quòd non est inter diuersa principia completa actionum quæ exæquentur (hoc est, inter diuersas naturas completas nec diuersa supposita, sicut est Ius & Iustitia *simpliciter*, ex sententia Philosophi & D. Thomæ locis citatis) sed inter diuersas partes eiusdem naturæ humanæ.

TERTIA ratio, quæ in Iustitia potest considerari, est magis specialis, nimirum quatenus est ad alterum per æqualitatem simpliciter & propriè dictam: secundùm quam rationem est & dicitur Iustitia particularis, de qua in primis agimus. Et sic diuiditur Iustitia vniuocè in duas porro species, scilicet in Iustitiam Commutatiuam, & Distributiuam, vt videbimus q. 5. de quibus Iustitiæ speciebus ac vitiis contrariis infrà suis locis est disserendum. Hæc igitur circa rationes & diuisiones Iustitiæ proderit habere in promptu in hac disputatione. Ex quibus fit perspicuum id, quod ad primum illud argumentum respondimus, Philosophum quando in illo loco 5. Ethic. cap. 2. significat Iustitiam legalem & particularem conuenire vniuocè in ratione Iustitiæ, loqui de Iustitia, non vt constituit æquale, sed præcisè vt est *ad alterum*.

Ad SECVNDVM argumentum ex D. Thoma petitum respondeo, D. Thomam in loco citato ex ar. 5. loqui similiter, atque diximus loqui Philosophum in allegato iam loco: In loco autem citato ex art. 7. ad 3. nihil minus vult quàm constituere inter iustitiam legalem & illas alias iustitias illud discrimen, quod obiicitur; sed vult tantum dicere, quòd in ordine ad Communitatem familiæ non est vna aliqua Iustitia simpliciter & absolutè loquendo (sicut est in ordine ad Communitatem Reipublicæ vna Iustitia legalis, impropriè licet Iustitia dicta) sed sufficere plures alias iustitias particulares, scilicet inter patrem & filium, dominum & seruum, &c. (quas vocat plures species Iustitiæ impropriè dictæ seu œconomicæ) idque propter rationem quam ex eodem D. Thoma reddidimus in præcedenti dubio in responsione ad tertium argumentum

Buridani. In q. autem 58. non agit D. Thomas de Iustitia legali, tanquam de specie condistincta à Iustitia particulari sub eodem proprio genere (sicut neque vnquam illam speciem Iustitiæ vocat) sed vt de virtute, Iustitiæ particulari affini, & simili, & ab ea condistincta, iuxta diuisionem Iustitiæ analogicam penes secundam Iustitiæ considerationem è tribus illis, quas exposuimus in responsione ad primum argumentum.

Ad TERTIVM respondeo, nihil valere consequentiam, vt patet ex dictis in confirmatione nostræ sententiæ, & q. præced. p. 2.

Ad QVARTVM respondeo etiam breuiter, falsum esse Antecedens, scilicet Ius, quod tribuit Iustitia legalis Communitati, esse ius simpliciter. Non enim est simpliciter æquale. Neq; est vllius ponderis, quod in probatione eius Antecedentis ad extremum dicitur, ideo id Ius esse æquale simpliciter, quia ciuis reddat Communitati totum, quod debet. Non enim quicquid est debitum, est etiam simpliciter æquale. Nam filius potest reddere patri totum, quod ei debet, nec tamen reddet ei vnquam simpliciter æquale.

TERTIO controuersum est, An Iustitia legalis, prout est in Principe, & prout est in subditis, sit eiusdem vel diuersæ speciei. Quibusdam enim visum est esse diuersæ. Tum quia D. Thomas art. 6. dicit, eam esse in Principe *principaliter & quasi architectonicè, in subditis autem secundariò & quasi administratiuè*: differunt autem specie artes architectonica & administratiua, (vt equestris & frænifactiua) ergo etiam virtutes. Tum quia Prudentia politica (scilicet quæ constituit quid sit agendum propter bonum commune) differt specie, vt est in Principe (quomodo vocatur Legislatiua) & vt est in subditis (quomodo vocatur simpliciter politica) vt statuimus disput. præced. q. 3. p. 2. ex sententia Philosophi 6. Ethicor. cap. 8. & D. Thomę q. 50. art. 2. Ergo etiam Iustitia legalis, quæ in voluntate respondet illi prudentiæ politicæ; cùm etiam habeat sibi propositum idem bonum commune.

Sed STATVENDVM est, Iustitiam legalem in Principe & subditis esse eiusdem speciei. Nam vt ipsa quidem est in voluntate, neque ex parte obiecti sui, neq; ex parte sui actus, habet distinctam laudem & difficultatem, vt est in Principe, & vt est in subditis, sed vnam & eandem. Aequè enim facilè Princeps expetit obiectum Iustitiæ legalis vt conducibile bono communi in omnibus Reipublicę ciuibus, atq; quisque ciuis pro sua parte. In intellectu autem practico non eiusdem laudis & difficultatis, sed maioris cuiusdam est, excogitare & statuere atq; imperare, quid propter commune bonum omnibus Reipublicę ciuibus facto opus sit (quod pertinet ad prudentiam politicã, vt est in Principe) & statuere quid sibi vt Reipublicæ ciui ex præscripto Principis propter commune bonum sit faciendum, quod pertinet ad prudentiam politicam, vt est in subdito. Et præterea prudentia politica in Principe diuersa est specie à prudentia politica in subditis, vt suprà disput. præced. tradidimus.

Atq; ex his patet RESPONSIO ad ea, quę sunt adducta pro contraria opinione. Nã D. Thomas cùm dixit, Iustitiam legalem in Principe esse quasi architectonicè, & in subditis administratiuè, non illam considerauit nudè secundùm se, sed vt coniunctam cum Prudentia legislatiua in Principe, & cum Prudentia politica simpliciter dicta in subditis; quæ duæ Prudentiæ differunt specie, & se habent vt architectonica & administratiua, sicut patet ex dictis. Aliud verò quod obiiciebatur de Prudentia, patet item ex dictis, non esse simile.

PVNCTVM TERTIVM.

In qua materia versetur Iustitia.

D. Thomas art. 2. 8. 9. 10.

IVSTITIA legalis in materia virtutum omnium versatur. Itaque non habet materiam specialem, sed generalem, vt docuimus p. præced. Iustitia verò particularis specialem omnino materiam habet, per quam etiam distinguitur à reliquis virtutibus moralibus, vt docet D. Thomas art. 8. Quænam autem sit eius materiæ ratio, declarabo per sequentes propositiones.

PRIMA propositio. Materia Iustitiæ particularis continetur eiusmodi actionibus externis, quibus vicissim homines inter se communicant, seu conuiuunt, quidpiam sibi vel tribuendo vel detrahendo. Probatur *primò* ex Philosopho 5. Ethic. ca. 2. circa finem, vbi pro diuersitate operationum, quibus homines inter se communicãt, diuidit Iustitiam particularem in Commutatiuam, quę versatur in operationibus *contractuum*, & quorumcunque *commerciorum* inter homines, & Distributiuam, quæ versatur in operationibus *distributionum*, communium bonorum aut onerum inter eos, qui sunt Communitatis partes. *Secundò* idem patet ex aliorum omnium Philosophorum sententia, quam expressit illis verbis Cicero lib. 1. de Officiis. *Iustitiæ ea ratio est, quæ societas hominum inter ipsos, & vitæ communitas constinetur. Tertiò* ex definitionibus Iustitiæ, quæ trahi solent, & à nobis sunt positæ p. 1. Ex quibus patet, Iustitiam hominem perficere in *ordine ad alterum*, vt Philosophus docet 2. Ethicor. cap. 7. & 5. Ethicor. cap. 1. & 11. per rectas scilicet operationes, quibus alter alteri communicat.

Dixi verò in propositione contineri materiam Iustitiæ operationib. *externis*; quia interna actio voluntatis recta, qua scilicet eligitur iusta operatio externa erga alterũ, non Iustitię materia proprię, sed potius actus elicitus Iustitię est, vt annotauit art. 8. Caietanus. Quanquam si consideretur hæc interna electio, non determinatè vt recta, sed præcisè & abstractè, vt electio operationis erga alterum; ipsa quoq; nominari potest materia Iustitiæ, quatenus scilicet per Iustitiam ipsa etiam rectificatur: Sicut motus passionis internæ (vt concupiscentiæ, verbi gratia) si consideretur non determinatè vt *rectus*, iuxta temperantię regulam (quo pacto est actus elicitus temperantiæ) sed præcisè & abstractè, quatenus est motus concupiscentiæ, qui potest indifferenter & bonus & malus esse, est propriè materia temperantiæ; quatenus nimirum à virtute temperantiæ rectificatur.

Dixi etiam præcisè materiam Iustitiæ contineri eiusmodi operationibus externis, nec addidi *rectis aut iustis*; nam si determinatè consideren tur eiusmodi operationes, vt iustæ & rectæ factæ per Iustitiam, non tam materia Iustitiæ, quàm actus illius quidam (nimirum imperati) censeri debent. Materia autem iustitiæ sunt, quatenus præcisè sunt operationes externæ erga alterum, quæ secundùm communem rationem suam indifferenter esse possint & iustæ & iniustæ. Eadem namque materia versantur virtus & vitium contrarium: Virtus quidem eam rectam reddendo; vitium autem, prauam & auersam à rectitudinis regula. Quocirca D. Thomas art. 8. subtiliter dixit, *materiam virtutis moralis esse, quacunq; per rationem rectificari possunt*, cùm scilicet ex se possint esse & recta & non recta.

Dixi etiam materiam Iustitiæ contineri eiusmodi operationibus externis, quibus homines *inter se communicant, &c.* ad excludendam materiam illius Iustitiæ impropriè dictæ, quę est communicatio & habitudo operationum non inter homines diuersos, supposito distinctos, sed eiusdem hominis ad se ipsum secundùm diuersas suj partes, vt secundùm rationem & appetitum, vel diuersorum appetitum: Quæ diuersæ hominis partes quando rectè & conuenienter inuicem se habent, dicitur impropriè & metaphoricè esse quædam Iustitia hominis erga seipsum, vt docet Philosophus lib. 5. Ethicor. cap. 11. circa finem, & D. Thomas ar. 2. De qua Iustitia nunc non loquimur, sed de ea, quæ est erga alterum supposito distinctum.

Dixi denique materiam Iustitiæ contineri eiusmodi operationibus externis, quibus homines inter se communicant *quidpiam sibi vel tribuendo, vel detrahendo, &c.* Nam vtroq; modo ex his contingit Iustitia rectitudinẽ æqualitatis in sua materia, vt docet Philosophus 5. Ethic. cap. 4. vbi asserit, ad constituendam Iustitiæ æqualitatem oportere detrahere ei, qui plus habet, & ei, qui minus habet, adiungere. *Id enim*, inquit, *quo medium exceditur, à maximo est detrahendum*. Vt si ab eo, qui habet sex, detrahatur vnum, & detur habenti quatuor. Quò fiet, vt vterque redigatur ad æqualitatem quinarij numeri, qui est medium inter sex & quatuor, tanquam inter plus & minus.

SECVNDA propositio. Operationes externæ, quibus continetur Iustitię materia, duplicis sunt generis. Nam per quasdam illarum datur vel detrahitur alteri res quæpiam externa, & à personis ipsis seiuncta, vt frumentum, pecunia, &c. per quasdam autem non item, sed res quæpiam interna, vel à personis ipsis non separata; vt bona existimatio seu honor, vita, libertas, incolumitas corporis, &c. circa quæ nimirum sunt iustæ vel iniustæ diffamationes, aut venerationes, cædes, mutilationes, incarcerationes, &c. Ac propterea quòd tam latè patent externę actiones, in quibus materia Iustitiæ continetur, dixit D. Thomas artic. 8. materiam Iustitiæ esse tum *exteriores actiones*, tum *exteriores res*, quibus sibi inuicem homines communicare possunt, vt rectè in illo articulo obseruauit Caietanus.

Patet autem hæc propositio ex doctrina Philosophi 5. Ethic. cap. 4. vbi docet, Iustitiam & Iniustitiam esse quoq; in actionibus personalibus, & in iis locum etiam habere *plus* & *minus* (quę generatim appellat *damnum & lucrum*) & medium Iustitiæ. *Nam cùm hic*, inquit, *percussus est, ille percussit; hic interfecit, ille autem interiit; affectio & actio in partes non æquas diuisa est; sed de lucro detrahens iudex, damno redigere ad æqualitatem eas conatur*. Patet etiam eadem propositio ex ipsa ratione Iustitiæ, quæ est inprimis ipsas personas exæquare, addendo ei qui minus habet, vel detrahendo ei qui plus. Quod æquè fieri potest circa res exterius à personis separatas & internas, vel à personis non separatas.

TERTIA propositio. In vtriusq; generis operationibus præcedente propositione explicatis, virtus Iustitiæ ita versatur, vt in eis attingat medium seu mediocritatem inter plus & minus, definitam ex proportione seu æstimatione ipsius rei, siue externæ & separatę à personis, siue internæ aut coniunctæ, in qua constituit æqualitatem. Quod aliis verbis significari solet cùm dicitur, medium Iustitiæ esse *medium rei*, & non solum medium rectę rationis per comparationem operis ad operantem, sicut sunt media virtutum aliarum moralium. Hanc assertionem ponit diuus Thomas hic artic. 10. ex doctrina Philosophi 2. Ethic. cap. 6. & nos etiam sufficienter eam declarauimus & confirmauimus, partim tomo 2. q. 7. de Virtutib. p. 1. partim in hac disput. q. 1. p. 2. vbi refutauimus in hac re Buridanum.

QVARTA propositio, ex præcedentibus consequens: Rectè ex parte materiæ assignatur hoc discrimen inter Iustitiam & alias virtutes morales, quòd Iustitia cũ virtutibus sibi annexis, quæ sunt, ad alterum, versatur circa *operationes*; aliæ verò virtutes versantur circa *passiones*. Ita docet D. Thomas art. 9. & colligitur manifestè ex Philosopho 2. Ethicorum, cap. 6. Et 5. Ethicorum, cap. 2. 3. & 4. Nam 2. Ethicorum, cap 6. affirmat, virtutem moralem versari circa *affectus* (id est, passiones) vel *actiones*, ita quidem, vt in affectibus sectetur medium inter plus & minus quoad nos

(quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

(quòd postea cap.7. ostendit sigillatim in virtutibus, quæ versantur circa passiones, vt in Fortitudine, Temperantia, & iis annexis) in actibus verò sectatur medium *quod ad rem ipsam*; quod ostédit postea in Iustitia lib.5.Ethic. locis citatis; vbi se id explicaturum de Iustitia, dixerat 2.Ethicor. cap.7. circa finem.

Et probatur hoc ipsum manifestè ex dictis. Nã in hoc differt Iustitia ab aliis virtutibus, quòd alię perficiunt hominem attingendo medium in actionibus, quibus aliquo modo afficiatur ipse & se habeat secundùm se; Iustitia verò, quibus aliquo modo se habeat erga alterum, vt sæpè est dictum: sed per *passiones* intelligimus in proposito actiones eas, quibus homo secundùm se afficitur; per *operationes* verò eas, quibus afficitur & se habet aliquo modo erga alterum (cuiusmodi sunt actiones voluntatis, vt p.seq.trademus) Ergo rectè dicitur Iustitia in hoc ab aliis virtutibus differre, quòd ipsa circa operationes, aliæ verò circa passiones versentur.

Sed aduersus hanc doctrinam OBIICIT nonnulla Buridanus 5.Ethic.quæst.1. quibus non tam eam falsam esse, quàm se non satis intellexisse Aristotelem ostendit. Sunt autem potissimùm hæc: PRIMO. Omnis virtus versatur circa operationem, cùm Aristoteles 2.Ethic.cap.6. definiat virtutem esse, quę bonum facit habentem, & eius opus reddit bonum: Ergo non est id proprium Iustitiæ.

RESPONDEO, loqui ibi Aristotelem de opere qualicunque; quomodo etiam passio est opus & operatio. Nos autem cùm dicimus, Iustitiæ proprium esse versari circa operationes, loquimur de operationibus, per quas primariò & immediatè disponatur homo in ordine ad alterũ; quas etiam ibidem Aristoteles vocauit peculiariter *actiones*, distinguens eas ab affectibus seu passionibus.

SECVNDO. Omnis virtus moralis circa voluptates dolores ve versatur, vt expressè tradit Aristoteles 2.Ethic.cap.3. Ergo etiam Iustitia, atq; adeo non est proprium aliarum, quòd versentur circa huiusmodi aliquas passiones.

RESPONDEO per distinctionem antecedentis. Nam falsum est, omnem virtutem versari circa voluptates & tristitias tanquam circa *propriam materiam*, quomodo hîc dicimus Iustitiam non versari circa vllas passiones. Vnde Philosophus 2.Ethic. cap.7. tristitias & voluptates tanquam materiam quidem assignat soli temperantiæ: & non has passiones, sed timores & audacias Fortitudini. Verum autem est, omnem virtutem, atq; adeo etiam Iustitiam, versari circa voluptates & tristitias tanquam circa *effectus* quosdam consequentes virtutis actum, vt ait D. Thomas art.9. ad 1. quia nimirum virtutis opus voluptatem adfert, & tristitiam de contrario. Vnde vt ait Philosophus 1.Ethic.cap.8. *non est iustus, qui non gaudet iustis operationibus.*

Possumus etiam dicere cum eodem Philosopho in illo ipso loco obiecto, scilicet 2. Ethicor. cap.3. omnem virtutem, atque adeo etiam Iustitiam, versari circa voluptates & tristitias, non eas redigendo ad mediocritatem, tanquã propriam materiam, sed eas vincendo & superando tanquam impedimenta sui recti operis; ne illi scilicet aut voluptates obstent pelliciendo ad vicium opus contrarium; aut tristitiæ, ab illo retrahendo. Ita seipsum planè declarauit Aristoteles in illo loco 2.Ethic.cap.3. *Moralis*, inquit, *virtus circa voluptates dolores q; versatur; quippe cum*, inquit, *ob voluptatem mala agamus, ob dolorem verò ab honestis abstineamus.*

TERTIO. Per passionem Iræ & Concupiscentiæ, homo disponitur quoque erga alterum, vt patet: Ergo etiam virtutes, quæ huiusmodi passiones moderantur, nempe Fortitudo & Temperantia, versantur circa operationes, quibus homo aliqualiter se erga alterum habet, & non sola Iustitia.

RESPONDEO, per eiusmodi passiones immediatè quidem & primariò disponi hominem bene vel malè secundùm se; vt patet ex eo, quòd earum laus vel vituperium in ipsis primò consistit & perficitur, vt suscipiuntur animo & afficiunt ipsum operantem, etiamsi fortè nullum habeant effectum externum erga alterum: quamuis secundariò etiam disponitur homo aliqualiter erga alterum per eiusmodi passiones. At per operationes, in quibus versatur iustitia, primariò disponitur homo erga alterũ secundùm propriam earum rationem; cuius indicium est, quòd illarum laus non est perfecta & consummata, donec erga alterum exterius exerceantur. Et fit est intelligendum discrimen à nobis assignatum inter iustitiam & virtutes alias per hoc, quòd aliæ circa passiones, iustitia autem circa operationes, quæ sint erga alterum, versatur.

QVARTO. Sæpè passiones obstant, quo minus homo exerceat opus iustitiæ: Ergo ad iustitiam etiam spectat moderatio eiusmodi passionum; cùm pertineat ad vnamquamq; virtutem operari rectè in sua propria materia superatis omnibus obstantibus difficultatibus.

RESPONDEO, nihil valere Consequentiam. Nam ad essentiam quidem vniuscuiusque virtutis tantum spectat operari rectè in sua materia superatis ab ipsamet quidem difficultatibus iis, quæ ex propria quidem ratione materiæ cuiusq; virtutis existunt; non autem superatis etiam ab ipsa quibuscunque aliis extrinsecis difficultatibus ex materia virtutum aliarum existentibus. Tunc enim non esset locus vllus pluribus virtutibus, si vnius & eiusdem virtutis munus esset superare difficultates omnes vndecunque prouenientes. Nam non superessent difficultates superandæ ab aliis virtutibus, & sic neq; locus pro aliis, cùm virtus sit circa difficile, vt docet Aristoteles 2.Ethic.cap.3.6.& 7. Quanquam verum est quidẽ, ad statum perfectũ cuiusq; virtutis pertinere operari rectè in sua materia, nulla omnino difficultate obstante, sed omni difficultate superata, partim à se, partim ab aliis virtutibus sibi connexis, iuxta ea, quę de virtutum connexione docuimus tom.2.q.7. de virtutibus, p.2. vbi etiã q.4.p.1. explicauimus, quomodo iustitia non sit circa passiones, sed circa operationes erga alterum. Atque ex his facilè ostendemus p.seq. alium quendam errorem Buridani circa subiectum iustitiæ.

PVNCTVM QVARTVM.

In quo subiecto sit iustitia.

D. Thomas ar. 4.

TRIA sunt hac de re certa, & vnum cõtrouersum. PRIMO certum est, iustitiam non esse in Intellectu tanquã in subiecto. Nam vt rectè ait D. Tho. art.4. nemo censetur iustus ideo solùm quia verè aliquid cognoscat, seu ratione statuat, sed quia iusta eligat & ex electione agat.

SECVNDO certum est, iustitiam esse in aliquo appetitu hominis tanquã in subiecto. Nam cũ virtus sit in ea potentia, à qua proximè elicitur virtutis actus; & iustitia non sit in intellectu, vt iam dictum est; reliquum est; vt sit in aliqua alia potẽtia hominis, quę sit proximum principium actus boni & iusti, vt distinguitur ab actu intellectus & includit electionem obiecti iusti, aut est ipsa electio iusti obiecti. Tale autem principium proximum huiusmodi actus boni & iusti, est appetitus aliquis, vt rectè affirmat D. Thom. ar.4. eo sensu, quo iam explicaui, & annotauit quoq; illic Caiet.

TERTIO certũ est, iustitiam esse in appetitu intellectiuo, id est, in voluntate. Patet id *primò* ex Philosopho 5.Ethic.cap.1. asserente ab omnibus iustitiã nominari eiusmodi habitũ, quo homines iustè agunt, *volũtq; iusta*. Et ca.5. vbi ait, *Iustitia est qua iustus dicitur iusti operator ex electione*, quæ nimirũ est voluntatis actus. *Secundò*, idem patet ex Vlpiano in L. Iustitia. ff. de iustitia & iure, definiente iustitiam per voluntatẽ tribuendi vnicuiq; ius suum, vt vidimus p.1. *Tertiò* ratione. Nam virtus quæpiam in ea potentia est, quæ & potest suo actu tendere in proprium obiectũ talis virtutis, & in hoc ipso habet peculiarem difficultatẽ: Sed potẽtia voluntatis potest actu suo tẽdere in proprium iustitiæ obiectum, scilicet in bonum alterius, & in hoc ipso habet peculiarem difficultatem: Ergo in illa est iustitia.

Minor probatur. Nam sicut intellectus potest cõcipere bonũ alienum & exæquationẽ cum altero (quæ est obiectum iustitiæ) ita etiã voluntas complecti, vt quæ est appetitus sequens intellectũ. Et non est dubiũ, quin sicut proclive est vnicuiq; bonũ suum proprium expetere & procurare: ita etiam difficile, curare & stabilire velle bonum alienum. *Multi enim sunt* (inquit Philosophus 5. Ethic. cap.1.) *qui in priuatis rebus virtute vti possunt; in cæteris quæ ad alium spectant, non possunt.* Et infrà: *Pessimus igitur est, qui & secum & cum aliis prauitate vtitur; optimus autem non qui secum, sed qui cum aliis virtutem exercet, quippe cum id difficile admodum sit.* Quę non modò ob difficultatẽ iustitiæ legalis (de qua ibi in primis loquebatur Philosophus) sed etiam iustitiæ particularis verisimè pronunciari possunt.

CONTROVERSVM aũt nonnihil est, an sit etiam constituẽda in appetitu sensitiuo quædã iustitia circa bonũ alienũ, quæ licet reipsa à iustitia, quæ est in voluntate, sit distincta, tamẽ in nomine & in materia cũ ea iustitia cõueniat, sicut tom.2. q.2. de virtutib. p.2. diximus à nonnullis Theologis probabiliter constitui virtutes alias tũ in voluntate, tum in appetitu sensitiuo. Dixi autẽ id de iustitia esse *nonnihil* controuersum, nam solus Buridanus 5.Ethic.q.1. in fine, remittens lectorem ad ea, quę 1.Eth.q.vlt. de subiecto virtutum aliarum disputauit, opinatur nõ modò virtutes alias, quæ versantur circa passiones, vt Fortitudinẽ & Temperantiam, &c. sed etiam iustitiam esse tum in appetitu sensitiuo, tum in voluntate.

Quam opinationem immeritò hîc attribuunt quidã Scoto in 3.d.33.& Ockamo q.10.& Almayno in moralib. tract.3. cap.6. Nam ij sicut & alij, quos tom.2.q.2. de virtutibus p.2. citauimus, alios duntaxat habitus virtutum ponunt in voluntate & in appetitu: Iustitiã aũt nunquam ponunt nisi in sola voluntate. Vnde Sotus etiam lib.3. de iustit.q.2.ar.4. affirmat, neminẽ esse, qui dissentiat à D. Thoma in hoc quòd iustitiam ponit hîc ar.4. in sola volũtate. Dissentit tamen, vt dixi, solus Buridanus constituens eam quoque in appetitu sensitiuo.

Fundamentum aũt Buridani est illud, quod iã euertimus p. præced. in fine, scilicet quòd passiones quoque appetitus sensitiui impediunt & obstant, quo minus quis exerceat opus iustitiæ; vt immoderata cupiditas pecuniarum, vel ira erga creditorẽ, quo minus quis soluat id quod debet: Ergo ad iustitiæ virtutẽ pertinebit moderari has passiones, vt omni prorsus superata difficultate operetur rectè in propria materia; ac proinde in appetitu etiam sensitiuo erit, cuius nimirum actus sunt illæ passiones.

SED omnino persistendum est in sententia D. Tho. hîc ar.4. & aliorum cõmuni, quæ iustitiã & virtutes ei annexas, quę versantur circa alterum, in sola volũtate verisimè ponit. PRIMO, quia obiectum eius est æqualitas cum altero, quatenus hæc continetur proportione quadam cum altero, & bono alieno, vt alieno. Quam rationẽ obiecti formalem non percipit sensus, atq; adeò neq; eam cõplectitur appetitus sensitiuus cognitionẽ sensus sequens. Datus est enim homini (vt & aliis animalibus) hic appetitus ad expetendum & procurandum bonum dũtaxat proprium, vt ab-

Universidad de Deusto
Biblioteca

solutè bonum, & non vt proportionatum alteri, sicut argumentatur D. Thomas.

SECVNDO, quia difficultas ea, quæ ex passionibus appetitus sensitiui existit in reddendo alteri ius suum (quod est iustitiæ munus) sufficiètèr superatur per virtutes alias moderantes in appetitu sensitiuo eiusmodi passiones. Ergo superuacanea esset propter eiusmodi difficultatẽ iustitia in sensitiuo appetitu. Antecedẽs probatur. Nam si quis sit beneficio temperantiæ moderatus in cupiditate pecuniarum, vt eas non plus neq; aliter expetat, quàm licet & expedit, hunc certè nõ retardabit immoderata cupiditas pecuniarum à soluendo quod creditori suo debet. Quod idem de passione iræ, aut timoris, & aliis affectionibus appetitus irascibilis similiter dici poterit, si fuerint per virtutem fortitudinis ad mediocritatem redactæ.

Fundamentum verò Buridani quàm sit infirmum seu potius nullum, iam antè ostẽdimus sub finẽ puncti præced. Nam si ad vnamquamq; virtutem spectaret superare omnes omnino difficultates, quæ vllo modo obstare possunt recto ipsius operi, vnica virtus abundè sufficeret, neq; esset pluribus locus, vt illic argumẽtabamur. Itẽ non modò tunc iustitia vna deberet etiã esse in appetitu sensitiuo, sed etiam duæ, nimirũ altera in appetitu concupiscibili, altera in irascibili, cũ ex vtroque possint existere immoderatæ passiones, quæ obstent recto iustitiæ operi. Itẽ sequeretur etiam ex illo fundamento Buridani, tẽperantiam non modò esse in appetitu concupiscibili, sed etiã in irascibili; & fortitudinẽ non modò esse in appetitu irascibili, sed etiam in concupiscibili. Cùm ex quolibet appetitu istorũ possint existere difficultates, quæ obstẽt cuiuslibet virtutum harum exercitio, vt patet. Hæc autem concedere, omnino esset absurdum & inauditum.

Quare (sicut p. præced. diximus) sufficit vt vnaquæq; virtus superet difficultates, quæ obstãt illi ex ratione suæ propriæ materiæ, quod facit abũdè vnica iustitia existens in volũtate. Nam in voluntate nimirum sunt propriè difficultates iustitiæ; quatenus facilè quisque propriis commodis volũtate intentus negligit bonũ alienum. Quod autem hîc intempestiuè nonnulli disputant, An virtutes aliæ, quæ sunt circa passiones in appetitu sensitiuo, sint etiam in volũtate, de eo nos tãquam in proprio loco prolixè disseruimus tom. 2. q. 2. de virtutibus, p. 2.

PVNCTVM QVINTVM.

An iustitia sit virtus præstantissima inter omnes virtutes morales.

D. Thomas art. 12.

COMPARATIO virtutum moralium quoad perfectionem non tam mihi vtilis & scitu digna, quàm obscura & difficilis cognitu videtur. Nam quælibet virtus absolutè est satis præstans, & quoad aliquid etiam censeri potest reliquis præstantior, vt intelligi potest ex diuo Thoma multis in locis, quibus instituit variarum virtutum cum aliis cõparationem; vt Misericordiæ suprà q. 30. ar. 4. & Iustitiæ hoc loco, & Religionis, q. 81. ar. 6. & Obedientię, q. 104. art. 3. & Liberalitatis, q. 117. art. 6. & Fortitudinis, q. 123. art. 12. & Patientiæ, q. 136. ar. 2. & Temperantiæ, q. 141. art. 8. & Virginitatis, q. 152. ar. 5. & Humilitatis, q. 161. ar. 5.

Cùm autem alia virtus in alio aliis excellat, simpliciter quidem illa erit cẽsenda reliquis præstantior, quæ consideratis omnib. habeat dignitatem maiorem dignam æstimatione, siue quia in plurib. attributis excellat, siue quia in aliquo siue aliquibus, quæ præponderent. Quod certè dignoscere difficillima & perobscura res est, vt etiam tom. 2. q. 7. de Virtutibus, p. 3. docui luculẽto testimonio S. GREGORII NAZIANZENI initio orationis de paupertate fouenda, seu de pauperũ amore. Quæ causa est cur mihi nõ videatur operæprecium tam prolixè de huiusmodi comparationibus virtutum disputare, quàm faciunt hoc loco aliqui, miscentes etiam ea, quæ ad tractatus aliarum virtutum spectant.

Quod ad iustitiam quidé attinet, quatuor mihi occurrunt dicenda, PRIMO, Non videtur præferenda iustitia virtutibus intellectualibus, atq; adeò nec prudẽtiæ; cùm hæ simpliciter excellant omnibus moralibus etiam in ratione virtutis, vt docuimus tom. 2. q. 7. de Virtutibus, p. 3. & cõfirmat rectè Sotus lib. 3. de Iustitia, q. 2. ar. 8.

SECVNDO, iustitia quidem legalis perfectior videtur omnib. aliis virtutibus moralibus. Nam habet pro obiecto bonum cõmune, quod præstat cuicunq; bono particulari. Item quia tanquã superior & vniuersalior imperat omnib. virtutibus moralibus, referendo & ordinando ad obiectũ suum (nẽpe ad bonum cõmune) obiecta omnia illarum. Vnde de hac iustitia legali affirmauit Philosophus 5. Ethic. cap. 1. eã esse virtutum præstantissimam, *vt neq; hesperus neq; lucifer sit adeò admirabilis.*

TERTIO, iustitia particularis non est simpliciter perfectior iis omnib. virtutibus moralibus, quæ versantur circa *alterum*. Nam misericordia videtur perfectior, vt patet ex iis, quæ disputat. 3. q. 8. tradidimus ex sententia D. Thomæ. Atq; etiam Pietas, vt patet ex dictis in hac quæstione p. 2. Item Religio, vt patet tum ex iis, quæ ibidem diximus, tum ex doctrina D. Thom. q. 81. art. 6. Nam Religio proximè attingit infinitum & præstantissimum bonum, quod est Deus, deferendo ipsi conuenientem cultum, atq; adeò habet Deum pro obiecto *Cui*, licet non pro obiecto *Quod*, vt virtutes Theologicæ. Quæ perfectio Religionis præponderat quibuscunq; aliis perfectionibus virtutum moralium.

QVARTO, iustitia particularis perfectior est omnib. aliis virtutibus moralibus, quæ versantur circa bonum proprium moderando passiones, vt Temperantia, Fortitudine, & aliis, quæ iis sunt annexæ. Ita docet D. Thomas hîc art. 12. vbi iustitiam cum eiusmodi duntaxat virtutibus comparat, & eis illam præfert. Contra verò opinatur Buridanus 5. Ethic. quæst. 6. perfectiores esse virtutes eas, quæ perficiunt hominem in ordine ad bonum proprium, iis, quæ eum perficiunt in ordine ad bonum alienum etiam commune. Sed id auctor iste opinatur sine firmo argumento, vt videbimus.

Probatur autem sententia D. Thomæ. Nam eiusmodi virtutibus circa bonum proprium antecellit iustitia in tribus cõditionibus, quæ simul saltem consideratæ præponderant perfectionibus quibusque aliarum eiusmodi virtutum. *Prima* conditio est, quòd eius obiectum, scilicet bonum coordinationis & æqualitatis cum altero, habet maiorem affinitatẽ cum præstãtissima parte hominis, scilicet cũ parte rationali, à qua nimirum sola potest id obiectum percipi, & in qua proinde sola inest iustitia tanquam in subiecto, vt vidimus p. præced. Cùm tamen virtutes moderatrices passionum habeãt obiectum sensibile, & proinde sint quoque in sensitiua parte. Quo fit, vt in obiecto iustitiæ magis etiam luceat bonum rationis, vt asseruit S. Thomas 1. 2. q. 66. art. 4.

Secunda conditio est, quòd obiectum iustitiæ, cùm sit bonum alterius, continetur quadam diffusione & communicatione sui cum altero, in qua maximè resplendet ratio boni, eò quòd bonum est sui communicatiuum. Vnde Philosophus libro 1. artis Rhetoricæ, cap. 9. *Necesse*, inquit, *est, siquidem virtus benefaciendi vis est, maximas eas esse virtutes, quæ plurimum aliis conferunt. Quapropter iustos ac fortes maximè laudant, cum alij bello, alij etiam in pace* (nempe iusti) *vtiles hominibus sint.* Vbi in hoc ipso præfert iustos fortibus, cùm affirmat esse vtiles & in bello & in pace.

Tertia conditio est, quòd obiectum iustitiæ suapte ratione conducit maximè ad bonum cõmune Societatis humanæ, quod existit nimirum ex recta habitudine hominum inter ipsos, in qua versatur iustitia tanquam in suo obiecto proprio. Quam rem expresit illis verbis Cicero libro 1. Officiorum: *Iustitiæ*, inquit, *ea ratio est, qua societas hominum inter ipsos, & vitæ communitas continetur.* Et Aristoteles 5. Ethic. cap. 5. *Neque enim, inquit, vlla societas esse potest, nisi sit permutatio* (quæ est actus iustitiæ) *neque permutatio, nisi sit æqualitas; neque æqualitas, nisi etiam commensuratio sit.*

Neque tamen sentimus, iustitiam ita præstare virtutibus aliis, quæ moderantur passiones, vt quilibet eius actus sit perfectior quolibet actu cuiuscunq; virtutis eiusmodi. Potest namq; fieri, vt actus virtutis alicuius circa passiones in indiuiduo consideratus, præstet alicui iustitiæ actui. Vel quia à præstantissima etiam alia virtute exigitur, & eius laudem habeat; quo pacto martyrium, quod est actus Fortitudinis, præstat actui iustitiæ, quatenus est directum & informatum à charitate. Vel quia ob particulares circumstantias maioris momenti sit. Quo modo actus aliquis egregius temperantiæ est in indiuiduo perfectior, quàm minutus aliquis actus iustitiæ: Cuiusmodi est v. g. iusta emptio vnius panis. Itaq; solùm volumus, iustitiam secundùm propriam quidem rationem suam antecellere aliis eiusmodi virtutibus, ac proinde actus ipsius perfectos in aliqua proportione comparatos cum actibus aliarum virtutum eiusdem proportionis, vt summos cum summis, medios cum mediis, infimos cum infimis, perfectiores esse, sicut rectè annotauit Sotus lib. 3. de Iustit. q. 2. ar. 8.

Neq; est magni ponderis argumentum, quo præcipuè probare nititur Buridanus vbi suprà, esse suapte ratione perfectiores virtutes eas, quæ versãtur circa bonum propriũ moderando passiones: Nẽpe quia sint magis secundũ inclinationem tum naturæ tum charitatis, quibus homo maximè propensus est ad diligendum seipsum, atque adeò ad procurandum bonum proprium.

Respondemus enim inprimis, hominem non magis esse propensum ad bonum proprium, quã ad bonum alienum totius quidem communitatis, sed ad hoc multò magis, vt ostendimus tom. 1. q. 11. de Angelis p. 3. vbi soluimus quæ contra hoc obiicit Buridanus post Scotum in 3. dist. 27. q. 1. Quapropter iustitia quidem legalis, quæ curat alienum bonum commune, ex hac etiam parte, scilicet ex parte inclinationis naturæ & charitatis, est perfectior quàm virtutes circa bonũ proprium.

Deinde, quãuis ex hac quidem parte virtutes eiusmodi circa bonũ propriũ sunt perfectiores quã iustitia particularis, eò quòd maior est propẽsio naturę & charitatis ad bonum propriũ quã ad alienũ particulare, circa quod iustitia particularis versatur; tamen simpliciter & absolutè præponderant aliæ perfectiones iustitiæ, in quibus ostendimus eam antecellere aliis eiusmodi virtutibus. Vnde ex illo argumento Buridani solùm efficitur, virtutes alias esse perfectiores secũdùm quid; sicuti etiam ex eo, quòd interdum est difficilior vsus earum, & præcipuè Fortitudinis, iuxta doctrinam D. Thomæ hîc art. 12. ad 3. Porrò disputatio, quam hîc quidam attexunt, de comparatione Temperantiæ & Fortitudinis quoad perfectionem, neque est huius loci, neque etiam per se valde vtilis. Videat Lector quæ de virtutum inæqualitate tradidimus generatim tom. 2. q. 7. de virtutibus, p. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO TERTIA.

De Iniustitia.

D. Thomas 2. 2. q. 59.

HAEC QVAESTIO EX HIS, QVAE DE IVSTITIA IPSA IN quæstione præcedenti disseruimus, facilè explicari poterit. Itaque videndum est PRIMO, Quale & quantum peccatum sit Iniustitia. SECVNDO, Quonam modo Iniustitia peccatum committi possit.

PVNCTVM PRIMVM.

Quale & quantum peccatum sit iniustitia.

D. Thomas art. 1. & 4.

A VM iniustitia & iustitia opponãtur, & oppositæ æquè latè pateant, tot modis dicitur iniustitia, quot iustitia, vt etiã Philosophus 5. Ethic. capite 1. annotauit. Itaq; oportet distinguere significatus huius vocabuli Iniustitia, vt intelligatur, de qua iniustitia in hac disputatione nobis sermo sit, & quale ac quantum ea sit peccatum. Hãbet autem hoc vocabulum tot significatus, quot vocabulum iustitia.

Nam *Primò* significat generatim quemcũque vitiosum habitum vel actum, aut etiam omissionem actus legi repugnantem. Iuxta quam significationem dixit Philosophus 5. Ethic. cap. 1. eum esse iniustum, qui est *illegitimus*, id est, à lege exorbitans in quacunq; materia. Cui conuenit etiam sententia D. Ioan. 1. epist. ca. 3. vbi generatim definit peccatum esse *iniquitatem*, atque adeò iniustitiam à lege exorbitantem. Id enim significat ἀνομία, quo vocabulo Ioannes vsus est. In proposito autem non adeò generatim vsurpamus iniustitiæ vocabulum.

Secundò significat defectum gratiæ iustificantis, per quam nimirum habet se homo rectè erga Deum. Ac multò minus loquimur nunc de huiusmodi iniustitia.

Tertiò significat vitium & peccatum oppositũ iustitiæ legali, quo scilicet quis faciat contra id, quod ex iustitia legali debet facere propter bonum commune. Et huiusmodi iniustitia non est omnino præter institutum præsentis disputationis, quamuis neque est tam eius propria quàm alia iniustitia particularis, de qua mox dicemus.

Atque vt iustitia legalis est specialis virtus secundùm suam essentiam ab aliis virtutibus distincta (vt q. præced. p. 2. diximus) ita etiam iniustitia hæc illegalis (vt D. Thomas art. 1. appellat) est speciale peccatum, si ex contemptu quidem boni communis, & ex certa intentione faciendi contra illud, committatur, vt docet D. Thomas art. 1. & Sotus etiam rectè annotauit lib. 3. de iustit. q. 3. ar. 1. ad 1. Alioqui enim nõ erit distinctum peccatum ab iis, quæ committuntur contra virtutes eas, quarum actus sunt exercendi ex imperio iustitiæ legalis, sed erit cõmunis quædam conditio eiusmodi peccatorum, & quasi commune peccatum, vt appellat Sotus. Quemadmodum communis quędam conditio peccatorum mortalium est, & non speciale peccatum, quod per ea omnia fit etiam contra charitatem erga Deum & seipsum, atq; etiam contra obedientiam: nihil quis ex formali intentione velit eiusmodi peccata committere, vt sunt etiam contra charitatem & obedientiam, atq; adeò ex odio Dei & sui, & ex contemptu præcepti. Tunc enim distincta & peculiaria eatenus peccata essent.

Nec potest dubitari, quin prædicta iniustitia illegalis sit peccatũ mortale ex suo genere distinctũ ab aliis, vel non distinctũ, prout ex certa intentione, vel sine ea (iuxta iam dicta) committitur. Nam habet istud peccatũ ex se deformitatẽ graue, cùm per illud violetur bonũ commune, quod est maius & diuinius particulari, vt ait Philosophus 1. Eth. ca. 2. Itẽ quia si ex intentione cõmittatur hæc iniustitia illegalis, hominẽ impellit in omnia alia peccata, perpetranda nimirũ ex contemptu boni cõmunis, quod lædunt: sicut cõtra, iustitia legalis propellit hominẽ ad vsum omnium virtutũ, vt sunt conducibiles bono communi. Id quod voluit D. Tho. ar. 1. significare cùm dixit, iniustitiã illegalem *quantum ad intentionẽ* esse generale vitium, quia per contemptũ boni cõmunis potest homo ad omnia peccata deduci, scilicet vt bono cõmuni noceat. Ex paruitate aũt materiæ, vel ob imperfectionẽ deliberationis, per accidens fieri potest, vt iniustitia legalis sit tantummodò veniale peccatum.

Quartò significat iniustitiæ vocabulum vitium & peccatũ peculiariter oppositum iustitiæ particulari, quo scilicet violetur æqualitas vnius ad alterũ, quam tuetur particularis iustitia, vt vidimus q. præced. p. 1. & 2. Ac huiusmodi iniustitia particularis maximè spectat ad institutũ præsentis disputationis, quæ est inprimis de particulari iustitia & vitiis ac peccatis ei oppositis.

Nec dubitari potest, quin hæc iniustitia sit & vitium, vt consistit in habitu contrario habitui iustitiæ, & peccatũ, vt est opposita actui iustitiæ, atq; adeò vt actualiter per eam delinquitur; quo pacto inprimis hîc de ea disputatur. Atque est omnino hæc iniustitia peccatum mortale ex suo genere, vt docet D. Thom. art. 4. Nam ex sua ratione detrahit alteri bonum, quod debet ei ex charitate velle, atque ita repugnat charitati, in qua est vita animæ.

Quanquam potest esse veniale, vt patet ex doctrina D. Thom. art. 4. ad 2. ob materiæ paruitatem, vel ob imperfectionem actus non satis deliberati, vel non satis voluntarij, vt ob ignorantiã culpabilem; qualis solet esse plerumq; ignorantia iuris, iuxta doctrinam D. Thomæ art. 4. ad 1. Si autem fiat iniustitia ex ignorantia inculpabili, qualis solet sæpè esse ignorantia facti, nullũ peccatum erit. De qua ignorantia interpretatur ibi D. Thom. quod Philosophus ait 5. Ethic. capite 8. *ignoscenda esse, quæ ex ignorantia facimus.*

Patet autem latè peccatum hoc iniustitiæ particularis. Tum quia diuiditur in varias species tãquam species subalterna, nempe primò in iniustitiam contra iustitiam distributiuam, & iniustitiam cõtra iustitiam commutatiuam. Et deinde in varias porrò species iniustitiæ cõtra commutatiuam, pro diuersis valde modis, quib. contra eam iustitiam delinqui potest, vt suis locis videbimus. Tum etiam quia potest hæc iniustitia admitti vel per *omissionem* actus iustitiæ absolutè debiti, vel per *commissionem* actus contrarij iniustitiæ; quæ iniustitia commissionis propriè etiam nominari solet iniuria. Nam sicut idem est iustũ & ius; ita etiam iniusstitia, iniquitas & iniuria. Iniuria enim per iuris defectum dicitur, vt subindicat Philosophus 5. Ethic. cap. 1. vbi iuri iniuriam tanquam cõtrarium quid opponit. Vnde etiam Terentius in Hecyra:

Offerre me tibi iniuriam immerenti iniquum est.

Sed quid sit iniustitia, & quale atq; quantum sit peccatum, puto satis ex his intelligi.

A Potest enim *iniustum* facere is etiam, qui inuoluntarius & inuitus facit quidpiam, quod per se sit contra æqualitatem iustitiæ. Vt qui accipit ab altero aliquid inuincibiliter ignorans esse ipsius: vel qui inuitus verberat & lædit aliquem altero ad id mouente violenter eius manum, quod est exemplum Philosophi 5. Ethic. cap. 8.

Vt aũt quis *iniustè* etiam, atq; adeò iniustitiam siue iniuriã faciat, requiritur vt & id, quod facit, sit per se iniustum, & id sponte ac voluntariè faciat. *Cùm enim* (inquit illic Philosophus) *spontaneum fuerit, vituperatur: tunc q, etiã est iniustè factum. Quare fit*, inquit, *vt iniustum quidem esse quidpiam possit, quod tamen nondum iniustè factum sit, nisi id etiam efficeret, vt sponte factum sit.* Et tunc demùm committitur iniustitiæ peccatum.

Vt aũt quis sit etiam *iniustus*, vel tãquam iniustus operetur, requiritur vt faciat iniustum, & faciat sponte, non qualitercunq;, sed ex mera electione, quia scilicet sibi iniustitia placeat; non aũt ex passione, vt ex ira aut cupiditate; ac proinde necesse ad id est, vt faciat ex iniustitiæ habitu pluribus vitiosis actibus comparato, ante quẽ nimirum nõ solet quispiam ex mera electione & malitia sine passionis impulsu operari malè. Iuxta illud Iuuenalis: *Nemo repentè fit peßimus.*

Ita docet non modò S. Tho. ar. 2. sed etiã Philosophus 5. Ethic. c. 8. *Qui*, inquit, *ex ira aliisq; affectibus ladunt & peccant, iniustè quidem agunt, suntq; hæc iniustè facta, nondum tamen iniusti ob hæc, quippe cùm læsio ipsa ex prauitate minimè euenerit. Nam cùm ex electione læserit quispiam, tum demũ iniustus ac prauus est.* Etsi video sanè controuersiam fore solùm de nomine, si quis cõtendat, esse etiã iniustũ eũ, qui quomodolibet iniustè agit voluntariè, etiãsi non ex sola electione & ex habitu. Sed præstat tamen hac de re loqui, vt loquitur Philosophus, & D. Thomas, & doctissimi quique alij.

Quanquam si sermo sit de iniustitia, vt est defectus gratiæ iustificantis (quo modo id vocabulum à Theologis & in Scriptura sacra sæpè accipitur) & vt iniustus quis dicitur per defectum huius gratiæ; non est dubiũ, quin is sit & dici debeat iniustus, qui quomodocunq; agit iniustè mortaliter; sicut cõtrà, iustus, qui facit quod debet ad acquirendam & conseruandã gratiam: Iuxta illã sententiã Ioan. 1. epist. c. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est.* Vbi tamen non legimus: *Qui facit iniustitiam, iniustus est*, sicut quidam recens D. Thom. Commentator hîc art. 2. citauit.

Porrò D. Thom. ar. 2. ad 3. rectè assignat discrimẽ inter obiectum iniustitiæ, scilicet *Iniustum*, & obiectũ intemperantiæ, scilicet *Intemperatum*, & aliorum eiusmodi vitiorũ circa passiones; quòd potest quis materialiter facere iniustum non faciendo simul iniustè, non potest autem, ne materialiter quidẽ, facere intemperatũ, nisi simul faciendo intemperanter, atq; adeo peccando. Loquitur enim D. Thom. de iniusto & intemperato per se & formaliter; & sensus discriminis huius ab

B

C

D

NOMODO, quo iniustitiæ peccatum cõmitti potest, aliquid est considerandum ex parte eius, qui iniustitiã facit, & aliquid ex parte eius, qui eã patitur. Ac ex parte quidem eius, qui iniustitiã *facit*, sciendum est, distingui ex sententia Philosophi 5. Ethic. cap. 6. & 8. hæc tria: Iniustum facere; Iniustè siue iniustitiam facere; Esse iniustum, siue tánquam iniustum operari.

eo assignati est, quòd potest quis materialiter (id est, absq; ratione formali culpæ in ipso actu) facere id, quod per se & formaliter est iniustum, non simul faciendo iniustè voluntariè, eò quòd propria ratio iniusti sicut & iusti existit ex ipsa re, & non ex cõparatione ad voluntariè operãtem: non potest aũt quis vllo modo, atq; adeò ne materialiter quidem, facere id, quod est intemperatum formaliter, quin simul intemperanter & voluntariè faciat; eò quòd propria ratio intemperati, sicut & temperati, & eiusmodi obiectorum, circa quæ passiones versantur, sumitur ex comparatione ad operantem voluntariè.

Si autem loquamur de intemperato & iniusto non formaliter, sed materialiter, nõ est negandũ, quin possit quis etiam facere id, quod materialiter est ipsi intemperatum non faciẽdo intemperanter & voluntariè. Nam cùm Noë v. g. inuoluntariè & nesciens vim vini, plus quàm oportuit bibit, id fecit quod materialiter fuit ipsi intemperatum, quamuis non fecit intemperanter, id est, voluntariè, atq; adeò neq; formaliter sibi intemperatum. Et similiter Iacob cùm insciꝰ & inuoluntarius cognouit Lyam.

Atq; hoc ipso modo interpretatur quoq; hãc D. Tho. doctrinã hîc ar. 2. Caietanus, sed obscurissimè prorsus. Huc enim spectat quod monet, quando D. Tho. ait in corpore eius articuli, posse quẽ materialiter facere iniustum, non faciẽdo iniustè, particulam materialiter referri debere ad *facere*, non aũt ad *iniustum*; & similiter quando in responsione ad 2. dicit, non posse quẽ ne materialiter quidẽ facere intemperatum. Sed quidquid sit de interpretatione Caietani, res ipsa & sententia D. Tho. intelligi debet ita vt diximus. Et hactenus de modo, quo iniustitia cõmittitur ex parte eã facientis siue inferentis iniuriam.

Ex parte aũt eius, qui iniustitiã *patitur*, aliquid etiam annotandum est in modo, quo iniustitia cõmittitur. Nam sententia Philosophi 5. Ethic. cap. 9. & 11. & D. Thom. hîc ar. 3. est, fieri non posse, vt quis patiatur veram & formalem iniustitiã volens; sed æquè oportere, vt qui patitur iniustitiam, patiatur eam nõ volens, atq; est necesse, vt qui iniustitiam infert, inferat eam volens, sicut antè docuimus. Quæ Philosophi & D. Tho. sententia ab omnibus tãquam verissima meritò recepta est. Eam autem ego declarabo & probabo duabus euidentibus rationibus.

Primam duco ex formali obiecto iniustitiæ sic: Impossibile est, vt quis patiatur iniustitiã carentem obiecto iniustitiæ formali: Sed si quis pateretur iniustitiam volẽs, hoc ipso pateretur iniustitiam carentem obiecto iniustitiæ formali: Ergo impossibile est, vt quis patiatur iniustitiam volens. Maior patet. Nam vera iniustitia non potest carere obiecto suo formali: Ergo nec potest quis pati iniustitiam veram, quæ obiecto suo careat.

Minor probatur & declaratur hoc altero Syllogismo sic: Obiectum formale iniustitiæ est inæqualitas violans æqualitatem vnius cum altero volũtariã: Sed tali obiecto careret iniustitia, quã quis volens pateretur: Ergo pateretur iniustitiã quis volens pateretur: Ergo patereturiniustitiã formali, quod est impossibile.

Probatur huius Syllogismi Maior. Nam obiectũ iniustitiæ est contrariũ obiecto iustitiæ, illudque violans: Etsi autem obiectum iustitiæ secundũ propriam rationẽ præcisè, qua est obiectum talis virtutis, puta iustitiæ, cõtineatur rebus ipsis æqualibus, etiam sine habitudine ad voluntatem eorum, qui per id obiectum inuicẽ exæquantur, tamen secundùm rationẽ cõmunem obiecti eiusdam moralis, qua est obiectum iustitiæ, vt est moralis virtus, ordinem omnino habet ad rationem & voluntatẽ eorum, qui per illud exæquantur, atq; adeò eatenus est quid voluntarium. Per hunc enim ordinem ad rationem & voluntatem hominis cõstituitur totum genus morale, vt romo 2. disput. 2. q. 13. p. 1. docuimus.

Minor etiam eiusdem Syllogismi (scilicet caturam eiusmodi obiecto destruẽte æqualitatem iustitiæ voluntariã, iniustitiam eam, quã quis volens pateretur) facilè probatur. Nam vt aliquis volens patiatur iniustitiã, non aliter potest intelligi, quã per hoc, quòd velit sibi de bonis naturæ aut fortunæ aliquid detrahi ab altero, atq; per eam detractionẽ (quantum est ex vi eius) eorumpi & tolli æqualitatem ipsius cum altero. Qui aũt hoc vult, eo ipso desinet velle eiusmodi æqualitatem; ac proinde inæqualitas per eã detractionẽ inducta, nõ violat æqualitatẽ voluntariã, quæ est obiectũ iustitiæ; & per cõsequẽs talis inæqualitas per eã detractionem inducta non violat æqualitatem voluntariã, quæ est obiectũ iustitiæ; & per cõsequens nec talis inæqualitas est obiectũ iniustitiæ. Ex quo deniq; efficitur, vt si quis volens pateretur iniustitiam, is sanè iniustitiam pateretur carentẽ iniustitiæ obiecto. Quod cũ sit impossibile; impossibile etiam est, vt quis patiatur iniustitiã volens, sicut hac prima ratione cõclusimus.

Secundam rationẽ ad id ipsum probandum exmente D. Tho. ar. 3. duco à natura ipsa actionis & passionis sic: In omni genere actionis & passionis, quæ non sit immanens, sed transiens (qualis est illatio & passio iniustitiæ) impossibile est passionem esse quoq; ab ipso patiente tanquã à principio actiuo in illo genere: Sed si aliquis pateretur iniuriam volens, passio hæc in suo genere, nimirum morali, esset etiam à patiẽte tanquã à principio actiuo in eodem morali genere: Ergo impossibile est, vt quis patiatur iniustitiam volens.

Maior probatur: quia de ratione actionis & passionis transeuntis est, vt actio sit solũ ab agente tanquam à principio actiuo; passio aũt habeat solùm principium receptiuũ & passiuum in patiẽte. Hinc enim Philosophus lib. 8. Eth. tex. 40. & aliàs cõcludit, impossibile esse, vt idẽ sit agens & patiẽs respectu eiusdem actionis & passionis: quia tunc idem esset in potentia tantũ ad aliquid (nimirũ vt patiens) & simul in actu, respectu eiusdem tanquã agens, quod est impossibile de lege saltem ordinaria in actionibus saltem transeuntibus; nam de immanẽtibus peculiarem hoc habet difficultatem, vt tomo 1. disput. 1. q. 3. p. 3. vidimus.

Minor aũt probatur. Nam in genere morali, causa efficiens seu principium actiuum *Quod*, est homo ipse per suam voluntatem: Ergo qui vult sibi ab altero quippiam de bonis naturæ aut fortunæ detrahi, ipsemet esset causa & principiũ actiuũ huius passionis suæ moralis, si verè in hoc iniuriã pateretur. Est autẽ id impossibile. Igitur impossibile quoq; est, vt quis verè patiatur iniustitiam volens; non minus sanè, quàm vt quis (vt antè diximus) inferat iniuriam seu iniustitiã non volens; quod esset perinde, atq; non agendo agere; siquidem voluntas, vt dixi, est principium actiuum, quo agit homo in hoc genere morali. Indicauit verò hanc rationem D. Thom. ar. 3. Sed vt vim habeat, & rem ipsam declaret, ita planè, vt fecimus, est formanda.

Diximus autẽ ex Philosophi & D. Thom. sententia non posse fieri, vt quis volens patiatur *veram & formalem* iniustitiã. Nam iniustitiam quidẽ materialiter, vt idem est quod reipsa iniustũ, fieri potest quis facere non volens (vt suprà diximus) ita etiam volens pati; sed tunc non patietur id propriè moraliter, secundùm voluntatem, sed physicè, & proinde per accidens in genere morali. Atque ita intelligi debet Philosophus 5. Ethic. cap. 9. cùm ait, posse vtrumq; istorũ ex accidenti contingere: *Quippe cum*, inquit, *non idem sit iniusta agere & iniustè agere, id est, iniuria afficere: neq; iniusta pati, & iniuria affici.* Et eodem modo D. Thom. ar. 3. est intelligendus, qui hoc ipsum, quod Philosophus ait, asserit, licet illũ ibi non memoret.

Itaq; non negamus, quin possit quis & facere iniustum non volens, & pati iniustum volens; sed impossibile esse affirmamus, vt quis verã & formalem iniustitiã vel non volens faciat, vel volens patiatur, vt probauimus. Quod cùm ita sit, meritò Philosophus 5. Eth. cap. 8. iudicauit, absurdè quendam apud Euripidem narrâsse parricidium suum illo modo:

Quomodo parentem occiderim, exponam breui:
Volens volentem, vel nolentem non volens.

Vtrumq; enim est æquè impossibile, scilicet vt veram parricidij iniuriam vel filius patri inferat non volens, vel pater patiatur volens.

Porro ex hac doctrina quædã sequuntur, quæ sunt notanda, partim ad eam ipsam doctrinam melius perspiciendam, partim ad vsum diiudicandi rectè in materia iustitiæ & iniustitiæ casus particulares. Primo sequitur, Christum Dominum, & sanctos Martyres, verè fuisse passos iniuriam à suis interfectoribus. Non enim voluerunt ipsi actionem illorum iniquam, atq; adeò neque sibi vitam eripi per eam actionem, sed voluerunt duntaxat æquo & patienti animo eam actionem ferre.

Secundo sequitur, si quis volens seipsum interimat, aut etiã alterum ita volentem & petentem, minimè eum peccare quidem contra particularem iustitiam, ac proinde nec teneri alterius successorib. quidquam restituere. Nihilominus tamen peccat grauissimè, tum contra charitatẽ, qua tenetur & sibi & proximo vitã seruare, atque adeò abstinere à sui & proximi cæde: Tum etiam cõtra iustitiam legalem, qua tenetur bonum cõmune Reipub. curare, ac proinde eam suis membris non orbare: Tum etiam singulariter contra Deum, qui est Dominus vitæ hominum, vt qui eius quædã quasi possessio sunt, vt docet D. Thomas ar. 3. ad 2. Vnde etiam Philosophus 5. Ethic. cap. 11. memorat, olim quoq; mulctari à ciuitatibus fuisse solitos, qui seipsos occiderent: *Ei*, inquit, *qui seipsum necauit, quasi ciuitatem iniuriã affecerit, ignominia quædam irrogatur.*

Tertio sequitur, eum qui virginem planè volentem & non deceptam aut coactam, violat, ipsi quidem virgini non teneri ad vllam restitutionem, quamuis bene illius parentibus, si insciꝰ & inuoluntarij passi sunt hanc iniuriam in filia, per detrimentum honoris & facultatis eam elocandi.

Quarto sequitur, neq; esse obnoxium restitutioni, quod in aliquo cõtractu plus iusto quis accipit ab altero planè volẽte dare & minimè decepto: Iuxta illud nimirum axioma (quod iam à nobis probatum est) *Volenti et scienti non fit iniuria.* Vt neq; tenebatur quidquam Diomedes restituere Glauco illi, quem Homerus scribit dedisse Diomedi

Aurea pro ferreis, ac pro centena nouenis.

Nulla enim iniuria Diomedes Glaucum affecit, ab eo, quantum ipse dare voluit, accipiendo; vt rectè etiam Philosophus 5. Eth. cap. 9. indicauit, Homerianum illud cõmemorans: *Qui enim*, inquit, *sua ipsius dat, nulla afficitur iniuria.*

Sed diligenter est discernendum in huiusmodi largitionibus, quid sit illud, quòd quis voluntariè facit. Nam si tantũmodò exterius & in præsenti vult dare ad redimendam vexationem propriam, vel suæ consulendum necessitati; non autem interius etiam vult trãsferre in alterum rei, quam dat, dominium; vt qui pecuniam latroni ad effugiendum vitæ periculum, vel vsurario fœnus dat; constat, eum qui sic accipit, debere restituere. Quæ omnia ex his, quæ infrà in aliis huius disputationis quæstionibus disseremus, clarius patebunt.

QVAESTIO QVARTA.

De Iudicio vt est quidam actus Iustitiæ.

D. Thomas 2.2. q. 60.

QVATVOR SVNT EXPLICANDA. PRIMO, QVIDNAM IN PROposito sit Iudicium, & quomodo sit iustitiæ actus. SECVNDO, Quatenus iudicium de altero sit licitum vel illicitum in Iudice. TERTIO, Quatenus item sit licitum vel illicitum in homine priuato. QVARTO, Quatenus quoq; dubitatio de altero sit licita vel illicita.

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam in proposito sit Iudicium, & quomodo sit iustitiæ actus.

D. Thomas art. 1.

IVDICII vocabulũ varios admodum habet significatus apud Iuris præsertim Doctores, vt notat Syluester verbo Iudicium, & copiosius Nauarrus in Coment. super Rubricam de Iudiciis, num. 14. Præcipui significatus huius vocabuli sunt quinq;, ex quibus duo tantùm pertinent ad institutum nostrum.

PRIMO ac maximè propriè significat definitionem eius, quod est ius, seu iustum, & æquum inter aliquos, cõnotando simul quandam potestatem compellẽdi partes ad executionem iuris definiti, si sit opus. Cuiusmodi iudicium est nimirum sententia iudicis, quæ idcirco maximè propriè hac voce Iudiciũ significatur. Deriuatur enim hæc vox à verbo Iudico, quod propriè significat ius dicere. Sicut etiam verbum Græcum δικάζω, ei verbo Latino respõdens. Vnde iudex nominatur δικαστὴς, à δίκαιον, quod est ius, sicut Philosophus etiam annotauit 5. Ethic. cap. 4. Hanc significationem huius nominis censuit quoq; esse maximè propriam D. Tho. hîc art. 1. si quæ docet in respõsi. ad 3. adiungas ad ea, quę ibidem tradit in corpore. Ac propter potestatem illam coactiuam, quam dico eo nomine in hac significatione connotari, dixit Paulus Iurisconsultus in L. Iudicium. ff. de Iudiciis, *iudicium solui* (id est, eneruari) *vetante eo, qui iudicare iusserat*. Et de iudicio in hac significatione potest illud intelligi Ecclesiast. 18. *Ante iudicium para iustitiam tibi.*

SECVNDO per metaphoram translatum est id vocabulum ad significãdum id, quod per sententiam iudicis iudicatum est aut iudicandum, & præsertim condemnando. Vt Ioan. 5. *procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*. Et 1. Cor. 11. *Iudicium sibi mãducat & bibit*. Sicut etiam iudicium prore iudicata legitur apud Cicer. lib. 1. de Diuinat.

Eheu, iudicauit iudicium inclytum
Inter Deas treis aliquis.

TERTIO significat etiã per metaphoram hoc nomen quædã, quę ad iudicis iudiciũ aliquomodo attinent. Vt tribunal ipsum, in quo fertur iudicium, & contentionem ipsam partiũ, & totam actionẽ iudicialẽ, &c. Vnde dicitur aliquis in iudiciũ vocari, & comparere in iudicio: Et aliud est iudicium sæculare, aliud Ecclesiasticum, vt patet ex Cap. Quanto, Extra de Iudiciis.

QVARTO significat etiam quamcunq; intellectus definitionem & sententiam priuati etiam hominis. Quo pacto ad *Synesin*, quæ est pars quædã potentialis prudentiæ, pertinere dicitur bene iudicare, vt vidimus disput. præced. q. 2. & 3. Et est hic vsus huius nominis apud omnis generis auctores frequẽs, licet rarior in sacris literis, in quibus tamen aliquando inuenitur. Vt Isai. 59. de impiis: *Viam pacis nescierunt, & non est iudicium* (nempe rectum & bonum) *in gressibus eorum*. Et ad Tit. 3. de hæretico homine: *Cùm sit proprio iudicio condemnatus*. Frequentius tamen, vt dixi, apud alios auctores ità ea vox vsurpatur, & maximè apud Ciceronem. Vt cùm ait initio q. 1. Tusculan. *Meum iudicium semper fuit omnia nostros aut inuenisse per se sapientius quàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora.*

QVINTO significat peculiariter eam intellectus sententiam & definitionem, quæ fit de prouitate vel prauitate alterius. Quomodo Latine dicitur iudiciũ fieri de dignitate alicuius, aut fieri de alicuius indignitate, seu peccato, iudiciũ tememerariũ. Ac verbũ iudico, vt significat huiusmodi aliquod iudiciũ de altero facere, frequẽs est in sacris literis. Vt Matth. 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini*, & alibi sæpe, vt postea videbimus.

Ad propositum nostræ disputationis solũ PRIMA & hæc QVINTA acceptio huius nominis *iudicium*, pertinet, scilicet vt iudiciũ est vel definitio & sententia iudicis de materia iustitiæ; vel definitio & sententia cuiuslibet de altero, siue de alterius probitate vel prauitate. Nam iuxta

iuxta has duas eius vocabuli acceptiones, iudiciũ sit rectum sit, erit iustitiæ actus, vt ostendemus.

Ac possumus ab his duab. quasi speciebus iudicij vnam communem iudicij rationem abstrahere, secundùm quã describimus iudicij actũ, vt ad propositum spectat, sic: *Iudiciũ est quædam intellectus practici definitio, & sententia circa alterum.* Hæc enim iudicij ratio vtrique iudicio iam dicto (scilicet iudicis in materia iustitiæ, & cuiusque circa probitatẽ vel prauitatem alterius) cõmunis est, siue vniuocè, siue analogicè; parum enim hoc ad institutum nostrum interest; quanquam verius est analogicè tantùm esse eam rationem communem iudicio vtrique, cùm iudicij vocabulum primò & principaliter iudicio iudicis attributũ sit, vt initio diximus, & inde ad alia translatum.

Quidnam igitur in proposito sit iudicium, ex his iam patet. Quo constituto declarandum deinde est, quonã modo huiusmodi iudicium, tum in communi, vt illud describimus, tùm secundũ vtramq; suam quasi speciẽ sit actus iustitiæ. Nam id etiam quæritum est in hoc puncto. Et quod attinet quidem ad iudicium hoc in communi, dicendum est, illud si omni ex parte fuerit rectum, eatenus esse iustitiæ actum, etiam elicitum in genere moris, quatenus ad stabiliendam inter aliquos æqualitatem, est debitum alteri; vel ratione officij, vt in iudice, vel ratione iuris, quod naturaliter vnusquisque habet ad bonam famam, cõsistentem nimirum in alterius bona de se existimatione. Hæc assertio solùm indiget explicatione singularum eius particularum.

Dixi igitur, *si iudicium omni ex parte fuerit rectum*. Nam si ex aliqua parte fuerit prauum, nullius virtutis actus erit, ac proinde nec iustitiæ: cùm actus vllo modo malus nequaquam sit ex virtute, vt ex ipsa virtutis definitione ostẽdimus tomo 2. quæst. 1. de virtutibus, p. 1. Quænam autem conditiones requirantur, vt iudicium circa alterum sit vndequaque rectum, docebimus p. 2. & 3.

Dixi etiam id iudicium esse iustitiæ actum *elicitum in genere quidem moris*. Nam quamuis vt est actus intellectus, non sit physicè quidem actus elicitus à iustitia, quæ est in voluntate, moraliter tamen à iustitia elicitus censeri debet secundùm eam quidem sui rationem, qua non habet aliam laudem nisi iustitiæ, nimirum quatenus est alteri debitus ad stabiliẽdam æqualitatẽ. Ratione quidem officij iudicis ad stabiliendam æqualitatem inter aliquos, in quibuscunque rebus, de quibus lis esse possit. Ratione autẽ iuris vniuscuiusq; ad propriã famam est debitũ alicui rectum de ipso iudiciũ, ad stabiliendam eius æqualitatẽ cùm aliis similibus in bono famæ & existimationis, quã verè mereatur; quæ æqualitas iniquè violaretur per siniſtrã de ipso opinionem, qua suo vitio dignus nõ sit, iuxta ea, quæ p. 3. trademus.

Potest aũt vtroq; modo (scilicet ratione officij iudicis, & ratione iuris ad propriam famam) esse debitum alicui rectum iudiciũ dupliciter. VNO modo ex hypothesi, quòd iudiciũ fiat de illo vel de eius cũ altero controuersia: Quomodo semper tale iudicium est debitum ei qui illo dignus est; siquidẽ nunquam licet siniſtrum & iniquum iudicium circa aliquem ferre. ALTERO modo, absolutè quoad exercitium, scilicet vel ratione officij, vt iudex debet suo tempore absolutè ferre iustam sententiã: vel ratione necessitatis proximi: cùm scilicet quis in necessitate aliqua constitutus indiget alterius testimonio & iudicio bono de sua probitate ad tuendam suam famam, vel vitam, & fortunas suas. Et hoc modo nõ pro omni tempore, sed pro certo, iuxta occurrentes circumstantias est debitum alicui rectum & iustum iudicium. Et hactenus quidem explicauimus, quatenus sit iustitię actus iudicium circa alterum, prout in communi illud descripsimus, & prout spectat ad præsentem disputationem; Id quod ex D. Thoma certè & aliis scriptoribus nõ est facile colligere.

Quomodo aũt in specie quoq; sit iustitiæ actus iudicium in iudice, itemq; iudicium de altero in quolibet homine priuato, facillimè & breuissimè ex iam dictis declarari poterit. Nam quod attinet ad iudicis iudiciũ, si illud iuxta ea, quæ trademus

Universidad de Deusto
Biblioteca

demus p. seq. vndequaq; rectum fuerit, atq; ideo determinauerit id quod verè est ius & iustũ; omnino ratione huius obiecti erit actus iustitiæ, etiam elicitiuè moraliter, iuxta ea, quæ de iudicio in communi antè diximus. Est enim ius, seu iustum, formale obiectum iustitiæ, quod proinde iudex determinans, actum exercet iustitiæ, & veluti quædam iustitia animata est, vt pulchrè dixit Philosophus 5. Ethi. ca. 4. *Vnde etiam*, inquit, *cùm altercantur homines, ad iudicem confugiunt.* Ac propterea quoq; in Scriptura monentur iudices, *vt diligant iustitiam*, Sap. 1. quia ex iustitia iudiciũ eorum proficiscì debet. Item alia quadam ratione iudicium in iudice est etiam actus iustitiæ legalis: quatenus nimirum decernit id, quod est vtile bono communi.

Quod autem attinet ad iudiciũ cuiuslibet priuati de probitate vel prauitate alterius, illud quidem tum est iustitiæ actus, cùm est & tale quale debet (iuxta ea, quæ p. 3. trademus) & de probitate alterius; quatenus per huiusmodi iudicium stabilitur alicuius cum aliis æqualitas in bono famæ, vt antea explicuimus. Iudicium autem de improbitate alicuius, quantumuis sit verum, tamẽ non videtur *per se* habere laudem iustitiæ, sed solùm prudẽtiæ, vt est verum. Ratio est; Nam tale iudicium neq; ei, de quo habetur, vtile ac debitum est, vt patet, neq; vlli alteri; siquidem alter nihil cõmodi acquirit propterea quòd quis verè censeatur improbus. Item quia falsum iudicium de alicuius probitate nemini alteri nocer, neque iniustum est (sicut rectè statuit D. Thom. artic. 4. ad 1.) Ergo neq; iudicium verum de alicuius prauitate est *per se* iustum. Cùm enim contrariorum contraria sit ratio; si iudicium verum de prauitate alicuius esset per se iustum; iudicium falsum de alicuius probitate esset per se iniustum, cùm sint hæc iudicia de eodem homine contraria.

Dixi autem iudicium verum de alicuius prauitate nõ esse iustũ *per se*. Nam *per accidens* potest esse debitũ & iustum; sicut cõtra iniustũ iudicium falsum de probitate. Vt si duo sint cõpetitores & æmuli in procuratione siue expectatione alicuius emolumẽti siue dignitatis, & is qui verè probus ac dignus est, priuetur ea dignitate siue emolumento, propterea quod alter verè improbus & indignus non iudicetur esse talis, aut falsò iudicetur probus & dignus: sicut attigit bene Nauarrus in cõment. super Rubric. de iudiciis. n. 47.

Quid igitur sit in proposito iudiciũ, & quomodo sit iustitiæ actus, nõ modò in iudice, sed etiã in quolibet iudicãte de altero, hactenus puto esse satis explicatũ. Atq; ex hac explicatione patet, non abs re facere D. Tho. & alios, quod in hac quæst. disputãt de rectitudine iudicij nõ modò iudicis, sed cuiuslibet priuati de altero, atq; adeò etiam de iudicio quouis temerario de altero, quale est id, quod continetur leui suspicione de prauitate alterius, atq; etiam de dubitatione circa alterius innocentiã, &c. vt videbimus p. 3. & 4. Quæ certè disputatio videri posset longè petita & aliena ab hoc loco, nisi hæc quæ nos explicauimus, & alij prætereunt, rectè animaduertantur.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quatenus sit licitum vel illicitum iudicium in iudice.

D. Thomas art. 2. 5. 6.

QVÆDAM hac de re sunt certa, & aliquid controuersum. PRIMO certum est, Christianæ religionis professionem in Christiano homine non obstare, quo minus is iudicis officio fungi, atque adeò vt iudex iudiciũ ferre possit. Hæc assertio ex fide certa est. Cõtra verò senserunt VValdenses, vt refert Guido, atque etiam Anabaptistæ huius temporis; nimirum esse illicita inter Christianos iudicum munera & iudicia: Ducti quibusdã Scripturæ testimoniis, quæ statim diluemus.

Probatur aũt PRIMO nostra assertio testimoniis Scripturæ noui Testamẽti, quæ maximè pertinẽt ad Christianos. Nam 1. Cor. 6. ait Paulus: *Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt inter vos, hos constituite ad iudicandũ. Sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum?* Et ad Rom. 13. de Principe dicitur: *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Quę certè auctoritas vindicandi & puniendi in Principe, non sine iudicãdi etiam auctoritate est. Vnde in Scriptura aliàs vtraque auctoritas, Principis nimirum & Iudicis, solet coniungi. Vt Psal. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Et Psal. 148. *Laudate Dominum, etc. Principes & omnes iudices terræ.* Et Hierem. 23. *Regnabit Rex & sapiens erit, et faciet iudiciũ et iustitiã in terra.*

SECVNDO probatur ex perpetuo vsu Ecclesiæ iam inde ab Apostolorum temporibus. Nam D. Petrus non sine iudicis auctoritate condemnauit Ananiam & Sapphiram. Act. 5. & deinceps in sequentibus temporibus tum sæcularia tum Ecclesiastica iudicia in Ecclesia esse passim vsurpata, constat manifestè ex veterum monumentis, & ex historia & actis antiquissimorum Conciliorum. Quo in genere luculentum testimonium est sancti GREGORII NAZIANZENI in ratione ad ciues timore perculsos & Principem irascentem, vbi iudicialem auctoritatem in Episcopis esse ficasserit, vt ei etiam Principis potestatem subiectam esse dicat. *Nam vos quoque* (inquit ad Principem) *potestati meæ, meisq; SVBSELLIIS lex Christi subiicit.*

TERTIO probatur ratione. Nam quod iure naturali est vtile & necessarium ad bonum statum Reipublicæ, minimè tollitur, sed potius stabilitur per Christianæ religionis institutã; quippe cùm religio Christiana non destruat, sed perficiat naturam: Sed officium iudicum & iudicia, iure naturali vtilia & necessaria sunt ad bonum statum Reipublicæ: Ergò minimè tollitur per Christianæ religionis institutã.

Minor

Minor patet *Primùm* exemplo omniũ populorum, qui tanquam necessaria ad tuendum Reip. statum, iudicia huiusmodi vsurparunt: atque etiam olim ipse populus Dei ex diuino mandato. vt patet Deuter. 16. vbi Deus Moysi sic præcepit: *Iudices & Magistratus constitues, &c. vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.*

Deinde patet eadem Minor ratione manifesta. Nam si iudices & iudicia non essent, quibus hominum lites terminarentur, maxima perturbatio in Repub. foueretur, neque ipsæ scriptæ leges tam prodessent quàm obessent, dum quisq; pro arbitrio ad suum sensum & voluntatẽ detorqueret verba legis. Non secùs videlicet quàm nunc videmus, hæreticos in materia fidei, cum maxima confusione doctrinæ ipsorum, detorquere ad suos sensus verba Scripturæ, eò quòd nullum in fidei causis iudicem admittũt præter ipsa Scripturæ verba, quæ sunt norma & quasi lex fidei scripta.

Nec nituntur VValdenses & Anabaptistæ argumentis firmis. PRIMVM argumentum illorum hæreticorum erat, quod ait etiã Dominus Matthæi 5. *Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tollere, da ei & pallium.* RESPONDEMVS cum sancto Augustino in epistola quinta ad Marcellinum, sensum esse, non vt quis vitet iudicium tanquam rem illicitam, sed vt parato quis sit animo ad patienter ferendam quamuis iniuriam, siue in iudicio, siue extra; atque adeò etiam iniuriam, qua iniquè ei auferatur non modò tunica, sed etiam pallium. Sicut eodem modo intelligi debet, quod ibidem Dominus ait: *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei alteram*: vt ex eodem Augustino in dicta epistola ostendimus suprà disputatione 3. quæstione 16. de Bello, puncto primo. Vbi ad confirmationem huius interpretationis adduximus cum Augustino exemplum ipsius Christi & Apostoli Pauli, qui cùm ipsi in maxilla percuterentur, non præbuerunt percutiendam alteram.

SECVNDVM est, quod Dominus Matth. 7. ait: *Nolite iudicare vt non iudicemini.* RESPONDETVR vero, non vetare Dominum omne iudicium, sed temerariũ sine firma ratione, vt exponit D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in mõte, cap. 28. Cuiusmodi iudiciũ inprimis est id, quod per rationem humanam temerè fertur de rebus supernaturalibus & diuinis: quod idcirco iudicium ibi vetari censuit D. Hilarius can. 5. in Matthæum. Item vetat iudicium de alterius erratis nimis suspiciosum & seuerum, sine animo vlla ratione ignoscẽdi. *De iis enim*, inquit ibi HIERONYMVS, *loquitur, qui cùm ipsi mortali crimini sint obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt, culicem quidem colantes, camelum verò deglutientes.* Cui interpretationi consonant verba illa Domini, quæ ibi sequuntur: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Quan-

quam præcedẽtes etiam expositiones quadrant simul ei loco; sicut etiam alia quædam auctoris operis imperfecti in Matthæum, qui vult, prohiberi eo loco iudicium ortum non ex beneuolentia, sed ex amaritudine animi & ad vindicandum.

Et verò quòd Dominus non prohibuerit omne iudicium, sed temerarium, aut alia quacunq; ratione prauum, patet euidenter ex eo, quod Ioann. 12. simul damnat iudicium temerarium, & commendat rectum iudicium, inquiens: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Atque eodem modo de temerario & prauo iudicio debet intelligi, quod Apostolus ad Roman. 14. ait: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?*

TERTIVM argumentum erat, quòd D. Paulus 1. Cor. 6. ait: *Frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* RESPONDEO, non hic damnari à Paulo cõtentionem in iudicio, quasi ipsa per se sit mala, & multò minus quasi iudicia ipsa & tribunalia iudicum per se sint mala (cùm ibidem Paulus suadeat, vt instituantur inter ipsos fideles, sicut antè vidimus) sed damnat contentionem scandalosam ex accidenti aliquo; qualis nimirum erat illa fratrum coram iudicibus infidelibus, cum offensione fidelium aliorum.

Hæc est plana interpretatio eius loci; etiamsi demus, Græcam vocem ἴττημα eo loco delictum & peccatum significare, vt communiter interpretes intellexerunt, & admittit quoque natura ipsius vocabuli. Nam propriè significat detrimentum seu cladem, quam quis patitur, cùm vincitur & superatur; quod vel maximè accidit, cùm quis peccat succumbens tentationi & incentiuo peccati. Itaque maneat, verisimum esse illud, quod diximus esse PRIMO certum, scilicet, iudicis iudicium non reddi illicitum per professionem Christianæ religionis.

SECVNDO certum est, tribus conditionibus simul concurrentibus iudicium in iudice fore licitum, & illis deficientibus, aut earum aliqua, fore illicitum, vt docet D. Thomas art. 2. & 6. PRIMA conditio est Auctoritas legitima. Qualem habent Iudices ordinarij aut delegati: atq; etiam arbitri, siquidem hi quoq; iure gentium habent legitimam potestatem in eos, qui se vltrò subiiciunt illorũ iudicio, vt bene resoluit Sotus li. 3. de iustitia, q. 4. art. 6. Et etiam haberet potestatẽ legitimam is, qui ex peculiari Dei instinctu fungeretur iudicis officio in aliquo iudicando vel etiam plectendo. Quo pacto videtur diuo Thomæ articulo 6. ad 1. iustè Moyses occidisse Aegyptium, Exod. 2. & Phinees Zambri. Num. 25. Quanquam ibidẽ addit quoq; alias probabiles sententias de illo facto Moysis. Alteram Ambrosij libro primo Officiorum, cap. 36. qui censet licitè

id fe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

id fecisse Moysen titulo defensionis Hebræi cuiusdã, quem ille Aegyptius *percutiebat*, vt illic legimus. Alteram D. Augustini q.2. in Exodum, qui iudicauit, vitiosum quidem illud factum Moysis fuisse, sed profectum ex indole laudabili, *sicut solet*, inquit, *vbertas terræ etiã ante vtilia semina, quadam herbarum quamuis inutilium feracitate laudari.* Quod idem de Moyse asseruit lib.22. contra Faustum, cap.70.

Per defectum autem huius primæ conditionis in iudicio iudicis, scilicet legitimæ auctoritatis, dicitur iudicium illicitum per vsurpationem, siue iudicium *vsurpatum*, vt tradit ar. 6. D. Thom. Et nihilominus tamẽ fieri potest, vt iudicium per se alioqui iustum alicuius Tyranni, qui reuera careat legitima auctoritate, obliget: Si nimirum in pacifica possessione sit. Nam aliãs rectè consistere politicus Reipublicę status non posset, nisi dominanti in iis, quæ iustè statuit, pareatur, vt fertur sensisse Franciscus Victoria, & ego quoque arbitror.

Secvnda conditio est conformitas talis iudicij cum iustitiæ regula & *inclinatione*, vt loquitur D. Thomas ar. 2. Est autem cum regula & inclinatione iustitiæ cõforme iudiciũ iudicis, quãdo per illud decernitur id quod re vera est iustũ: etiamsi fortè id iudicium non procedat ab habitu ipso iustitiæ, si nimirum illum iudex necdum habeat; non enim id ad iustitiam actus requiritur; vt neque ad rectitudinem actuum in materia aliarum virtutum requiritur, vt actu procedant à virtutum habitibus, sed sufficit, vt sint tales, qui possint à virtutibus proficisci. Ac propterea notanter D. Thomas dixit, iudicium in iudice debere esse secundùm *inclinationem* iustitiæ, non autem dixit debere proficisci ab ipsa iustitia.

Ac necesse est, iudicium vt secundùm normam & inclinationem iustitiæ sit, ferri ex præscripto legum iustarum scriptarum; nisi in casu aliquo particulari lex scripta deficiat, & ideo per epiiceiam sit iudicandum ex sola lege naturali contra rigorem scriptæ legis, vt faceret ipse legislator, si adesset; sicut ostendit D. Thomas artic.5. & patet ex iis, quæ tradidimus tomo 2. q. 5. de Legibus.

Per defectum autem huius secundæ conditionis dicitur iudicis iudiciũ *iniustum* siue iniquum. Neque huiusmodi iudicium seu sententia iudicis, si reuera sit iniusta vim obligandi in foro cõscientiæ habet; vt rectè tradunt Innocentius & Panormitanus in Capitulo, Quia plerique, Extra de immunitate Ecclesiæ, & Sylvester verbo Sententia, q.11. & Sotus lib.3. de iustitia, q.4. ar.2. & alij. Nam sententia iudicis non habet vim, nisi quatenus verè decernit id, quod est iustum. Itaq; quando hoc verè non decernit, non obligat, etiamsi alioqui esset lata seruato iuris ordine & secundùm allegata & probata. Adeò vt quemadmodum Sotus rectè explicuit, cùm primùm quis nouerit sibi rem alterius per iniustã reuera sententiam fuisse attributam, teneatur in foro conscientiæ illam alteri restituere, etiamsi is forte non appellauerit, vel non opportunè. Nam per hanc negligentiam appellandi non amittit quis ius ad rem suam in foro conscientię, sed solùm in foro externo, in quo scilicet non amplius audietur, vt Sotus rectè notat. Nisi fortè iam alter bona fide & legitimo tempore præscripsisset rem, à se vel à suis maioribus per sententiam iniustam acquisitam.

Quòd si sententia esset iniqua non secundùm rem ipsam iudicatam, sed ob defectum processus iuridici, vt si quis obtineat per sententiam ita iniquam, quod reuera est suum; non inde nascetur obligatio restituendi id, quod quis per talem sententiam obtinuerit, vt rectè etiam asseruit illic Sotus.

Est tamen in causis quidem *Ecclesiasticis*, vt beneficiorũ, &c. peculiariter in hoc genere aliquid distinguendum. Nam vbi controuersia est inter duos, ad quemnam beneficium, vel aliquod ius Ecclesiasticum, de iure pertineat, nulla sententia reuera iniusta obligat, qua scilicet declarando quid sit iuris, vni beneficium vel ius attribuatur, quod reuera est alterius, sed debet illud resignari & alteri restitui, iniustitia sententiæ cognita. Ita tradunt Panormitanus in Capi.1. de Concess. præb. & Innocentius in Capit. Quia plerique, de immunitate Eccles. & Sylvester verbo Sententia, q.11. & Sotus lib.3. de iust. q.4. ar. 2. Si autem non sit controuersia de iure inter duos, sed agatur de vnius priuatione à beneficio in pœnam, & collatione eiusdem in alterum; tunc censent Innocentius & Panormitanus, sentẽtiam iniquam valere, si iniquè damnatus & priuatus non appellauerit, quia eo ipso consentire in collationem alteri factam videatur; ac proinde posse illum alterum beneficium retinere.

Sed probabilius adhibet huic opinioni Sotus tres limitationes. *Prima*, vt procedat solùm, quãdo iudex dedita opera non tulisset sententiam iniquam, sed bona fide secũdùm allegata & probata. *Secunda*, quando ille alter, cui beneficium collatum esset, non fuisset causa & procurator iniquæ eiusmodi sententiæ, vt etiam rectè annotauit ipse Innocentius in dicto Capit. Quia plerique, & sentiunt communiter Doctores. *Tertia*, vt procedat eiusmodi opinio solùm in beneficiis, quæ nimirum dantur arbitrio Prælati: ex quo fit, vt velint ij circa illa esse id ratum, quod per sententiam non iuris declaratiuam, sed priuatiuam (vt Doctores vocant) bona fide iudicant; quandoquidem collatio alioqui eiusmodi beneficiorum pendet ex eorum arbitrio. Id quod non habet locum in aliis rebus aut iuribus, quæ ex arbitrio Prælatorum non pendent. Vnde si quis, inquit Sotus, iniquè ob crimen aliquod, vt hæresis, v.g. falsò accusatus, priuaretur suis bonis, debaret ei fiscus postea illa restituere, cognita iniustitia sententiæ, etiamsi lata fuisset secundùm allegata & probata. Eadem quoque est opinio Sylvestri, verbo Sententia, quæst.11. præsertim quod attinet ad secundam & tertiam limitationem. Et hæc mihi videtur solida huius rei solutio, omissis quibusdam inutilibus, quę circa hoc à nõnullis prolixè dicuntur.

Tertia conditio requisita, vt iudicium iudicis sit licitum, est conformitas eius cum regulis prudentiæ. Ad quam conformitatem duo potissimùm requiruntur. *Primò*, vt non fiat iudicium ex leuibus tantùm coniecturis, aut de rebus planè occultis, sed re sufficienter & certò cognita, quantum moraliter fieri potest; alioqui iudicium erit *temerarium* & suspicionosum, vt ait art. 2. D. Thomas.

Et quidem ad aliquẽ in iudicio condemnandũ ad pœnam, certitudo requiritur per idoneorum testium probationem, vt notat Caietanus art. 3. conueniẽter doctrinæ D. Thomæ ibi in fine corporis, adiuncta responsione ad 1. & patebit ex iis, quæ docebimus infrà in quæstionibus de iudice & testibus. Vt autem iudex bene faciat alicui, sufficit interdum aliqua grauis coniectura sine testibus; vt Caietanus ibi & Sotus lib. 3. de Iustit. quæst. 4. art. 3. confirmant exemplo Salomonis, qui graui coniectura facta ex sensu, quem vera mater ostendit erga infantem, quem ille veritatem explorandi causa iusserat diuidi, præcepit illum tradi suæ matri: Neq; ideo tamẽ mulierem alterã condemnauit propter incautam proprij filij oppressionem & furtum alieni; quia scilicet testes deerant.

Secundò ad illam iudicis conformitatẽ cum regulis prudentię requiritur, vt iudex non ex odio, aut cupiditate, aut alio malo affectu, vel propter prauum finem, sed ex iustitiæ amore, & propter Reipub. bonum iudicet. Quod enim ex affectu aliquo prauo fit, minimè fit vndequaque secundũ prudentiã. Nec potest iudex immoderata cupiditate aut alio prauo affectu impeditus satis idoneus esse cultor iustitiæ. Vnde Areopagitæ iudices, qui in Athenien. Repub. æquissimi habebantur, noctu soliti iudicare ferũtur, ne ob aliquem sinistrũ affectum per aspectum excitatum ab iustitia deflecterent. Et rectè eandem ob causam dixit Ouidius:

Non bene selecti iudicis arca patet.

Sicut etiã Deus grauissimè per Michæã cap. 3. reprehendit Iudices & Principes Israël, quòd *in muneribus iudicabant*. Itaq; non est dubiũ, quin vt iudicium in iudice sit licitum, requirantur oẽs illæ tres conditiones, scilicet legitima *auctoritas*; & conformitas cum norma & inclinatione *iustitiæ*, & conformitas etiam cum regulis *prudentiæ*. Id quod diximus esse Secvndo certum.

Tertio certum est, per peccatũ quoduis mortale iudicis non ita reddi illicitum eius iudicium, quasi per quoduis mortale peccatum amittatur auctoritas iudicis necessaria ad licitè iudicandũ. Hic enim error exploratus est, damnatus in Vviclepho à Concil. Constant. sess. 8. Qui hæreticus, inter alios articulos suos ibi dãnatos, art.15. contendebat, per quodlibet mortale peccatũ amitti omnẽ iurisdictionem & dominiũ. Cui errori manifestè refragatur tum Scriptura tum ratio.

Scriptura quidẽ: nam ex ea constat, multis, quãtumuis impiis & ignorantibus Deum, verè cõpetiuisse ius prælationis & dominij. Vt Sauli, de quo à Deo iam reprobato & sitiente Dauidis sanguinẽ, dixit Dauid, superiorẽ eum agnoscens: *Propitius sit mihi Dominus, vt non extendam manum in Christũ Domini.* 1. Reg. 24. Et Nabuchodonosor, cui Daniel ca. 4. dixit: *Potestas tua in terminos vniuersæ terræ.* Et cap. 5. ad Balthasar filium eius dixit: *Rex altissimus regnum, & magnificentiã, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.* Et Christus Dominus de Imperatore Ethnico Matt. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Et Matt. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Et D. Paulus ad Rom. 13. *Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Vbi de potestatibus Principum sæcularium loquitur, qui tum non erant alij nisi Ethnici. Sicut etiam quando D. Petrus epist. 1. capite 2. dixit: *Subiecti ergo estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regibus, quasi præcellentibus, etc.* Qui & ibidem addit: *Serui subditi estote omni tempore Dominis non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.*

Aduersatur etiã illi errori manifesta *Ratio*. Nã fundamẽtum dominij tum iurisdictionis tum aliarum rerũ, non est gratia diuina, quę per quoduis peccatum mortale amittitur, sed ius gẽtium & consensus hominum respiciẽs bonum Reipub. politicum, vt videbimus infrà q.10. Quæ aũt sunt ordinis politici, non magis tolluntur aut eneruantur propter peccata, quæ fiunt cõtra Deum, quàm ea quæ sunt ordinis naturalis. Itaque circa rectitudinẽ iudicij in iudice certa & indubitata apud Orthodoxos sunt illa tria, quæ hactenus ostendimus esse certa.

Controversvm autem in hac re est, an iudicium iudicis eo saltem nomine per peccatũ quodcunq; mortale iudicis, reddatur mortaliter illicitũ, quòd indignè videatur tunc iudex fungi suo munere. Nam tempore D. Thomæ videntur plerique Theologi ita sensisse, saltem de iudicibus Ecclesiasticis. Vt Alexan. Halen. 3. p. q. 40. mem. 3. & ipse D. Thom. in 4. d. 19. q. 2. ar. 2. & eandem opinionem secutus est Paludan. in 4. ead. d. q. 3. art. 3. & Sylvester verbo Correctio fraterna, q.16.

Argumẽta huius opinionis sunt hæc: Primo, id videtur significâsse Dominus Ioann. 8. dicens in causa mulieris adulterę: *Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat.* Secvndo, quia diuus Paulus ad Roman. 2. affirmat, seipsum condemnare eum, *qui idem facit, quod iudicat.* Tertio, quia in capite vltimo, Extra de rem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

poribus ordin. dicitur Prælatus in peccato mortali esse suspensus quoad se: Ergo peccat mortaliter vtendo suo officio. QVARTO, Patres sæpè asserunt, non debere eum alios iudicare, qui sit ipse peccati reus. Vt sanctus AMBROSIVS sermone 20. in Psalm. 118. in illud: *Miserationes tuæ multæ Domine, secundùm iudicia tua viuifica me. Iudicet*, inquit, *de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet. Iudicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putauerit punienda: ne cùm de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam.* Et idem asserit D. CHRYSOSTOMVS homil. 24. in Matthæum, circa illud Matth. 7. *Nolite iudicare.* & alij. QVINTO, quia videtur à iudice in peccato mortali existente valdè indignè exerceri munus iudicandi.

Sed CONTRARIA sententia est communiter recepta & vera. Nimirum neq; sæcularem, neque etiam Ecclesiasticum iudicè peccare mortaliter vtèdo potestate sua iurisdictionis in peccato mortali, nisi illud sit publicũ & scãdalosum: quanquã peccabit quidem venialiter, si in peccato mortali, etiam occulto, existens, iudicet vel coarguat alium sine animi quãdam humilitate, per quam, vt ait S. AVGVSTINVS lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 30. *Congemiscat, & ad pariter conandum se inuiteț.* Ita docet D. Thomas hic art. 2. ad 3. vbi priorem sententiam mutauit, & ibidem optimè Caietanus, & Sotus lib. 3. de Iustit. q. 4. ar. 2. & Nauarrus in Commentario super Rubricam de iudiciis, numer. 42. & alij recentiores communiter.

Fundamentum huius sententiæ est, quia magnum est discrimẽ inter vsum potestatis ordinis, & vsum solius potestatis iurisdictionis, de quo nunc loquimur. Potestas namque *ordinis* in quadam consecratione cõsistit; Et ideo grauis deformitas est, eam non sanctè, atque adeò in peccato mortali, vsurpare. Potestas autem iurisdictionis non in peculiari aliqua consecratione, sed in legitima auctoritate gubernandi alios cõsistit, cuius signũ est, quod potest validè exerceri etiam à non consecrato. Quare non est adeò magna deformitas ea vti in peccato mortali, si alioqui iustè exerceatur. Quanquam est quidem nonnulla deformitas, nempe venialis, hac etiam potestate vti iudicem Ecclesiasticum in mortali peccato sine debita humilitate; eò quòd sustinet alioqui personam boni, nec talem se reuera tunc exhibet, vt rectè declarauit Caietan. Accedit, quòd argumenta pro contraria opinione obiecta nihil planè probant contra hanc nostram sententiam.

Ad PRIMVM enim respondeo, Dominum per illam sententiam voluisse solùm cõfundere Pharisæos, indicando non quid sub peccato mortali sit necessarium ad iuridicè aliquem cõdemnandum, sed quid omnino deceat & necessarium ad id sit sub aliquali peccato, nimirum esse immunem à crimine, vel crimen proprium humiliter agnoscere, à qua etiam humilitate longè Pharisæi aberant. Ad SECVNDVM respondeo cũ D. Thoma art. 2. ad 3. *condemnare seipsum*, in eo loco Apostoli non significare, damnabilem se reddere, sed damnabilem se *ostendere*. Ad TERTIVM respondeo, Patres solùm significare, id esse illicitum, si sine humilitate fiat, sed non adeò, vt sit peccatum mortale, nisi fortè ratione scandali, quando est publicum peccatum. Ad QVARTVM respondeo, sermonem ibi esse de suspensione ab officio & vsu potestatis *ordinis*, vt rectè etiam Caietanus art. 2. notauit. Ad QVINTVM respondeo, indignitatem illam esse solùm venialem, quando humilitas abest, vt dictum est.

Adde, quòd si tria priora argumenta valerent, æquè probarent de iudice sæculari, imo de quolibet priuato in peccato iudicante alium, cùm generatim de omni tali iudicio Scriptura & Patres loquantur. Sed de ratione, qua iudicium in iudice licitum aut illicitum sit, satis dictum est hactenus. Nam & quædam huc pertinentia tradituri infrà sumus q. 12. quæ est de iniustitia iudicum.

PVNCTVM TERTIVM.

Quatenus sit licitum vel illicitũ iudicium de altero, in quolibet homine priuato.

D. Thomas art. 3.

POTISSIMA difficultas est de Iudicio, quo quis iudicat de altero quidpiam mali. Nam iudicare de altero bene, rarò & non nisi per accidens est illicitũ, vt diximus p. 1. circa finem. Quatenus aũt iudicium de alterius malo sit illicitum, vel licitum per aliquot distinctiones explicari debet. Itaque ponã ea de re nõnullas propositiones, in quibus ferè Doctores consentiunt.

PRIMA propositio: Iudicare quidpiã mali de alterò, quando causæ sufficientes ad id supperunt, nõ est illicitum. De hac propositione nullum est aut esse potest dubiũ. Nam tale iudicium omnino erit conforme prudentię, ac proinde rectum. Itaq; propositionem hãc meritò vt certam supponunt D. Thom. hîc ar. 3. & alij communiter. Et potest etiam confirmari testimonio illo Christi Ioan. 12. *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Vbi prohibens temerarium iudicium, quod scilicet nitatur leuioribus rationibus seu coniecturis, quàm par est (cuiusmodi est coniectura, quæ fit ex facie) simul commendauit tanquam rectum & iustum, omne id iudicium, quod minimè leue sit, sed sufficienti ratione fundatum.

Quænam aũt causa & ratio ad iudicandũ malè de altero sufficiens putari debeat, non potest rectius definiri quã iudicio prudentis, vt etiam Sotus annotauit lib. 3. de Iustitia, q. 4. art. 3. Nam causa, quæ consideratâ conditione materiæ, & personæ, & aliis circũstantiis, mouere posset prudentẽ ad malè aliquid iudicandum, sufficiens & grauis censeri debet: contrà verò insufficiens & leuis, quæ his omnibus consideratis prudentem non moueret. Vt v. g. petulans cõuersatio suspectarum personarum in loco suspecto, causa sufficiens est ad mali aliquid iudicandum; siquidem prudentem meritò ad id mouere posset. Ac similiter si quis videret quempiam nocturno tempore domum scalis admotis conscendentem, prudenter existimare posset, talem aliquid machinari mali.

SECVNDA propositio: Iudicare plenè deliberatè, & pro certo, sine causa sufficienti, aliquid mali de altero, quod bonam eius famam notabiliter posit lædere, peccatum mortale est. In hac etiam propositione omnes consentiunt. Nam fit tunc grauis iniuria proximo contra iustitiam, vt explicui p. 1. Quisque enim habet ius ad bonam de se existimationem in vnoquoq; alio, quãdo causa rationabilis non aliud suadet: siquidem eiusmodi bona existimatione continetur cuiusque fama. Atque hoc est quod in primis in Scriptura prohibetur, cùm iudicia de aliis prohibentur. Vt Matthæi 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini* (quamuis & alios simul sensus habet hic locus, vt vidimus p. 2.) Et Roman. 14. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum?* Et 1. ad Corint. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* Quem locum perpendens sanctus AVGVSTINVS tractatu 90. in Ioannem, affirmat, debere nos *continere & cohibere firmas definitivasque sententias de proximo*; quo testimonio adducto ex Glossa ordinaria in caput 4. 1. ad Corinth. confirmat idipsum D. Thomas art. 3.

Dixi autem in propositione, iudicare *plenè deliberatè*. Nam alioquiob imperfectionem actus erit tantùm veniale peccatum iudicium eiusmodi temerarium, vt alij quicunque mali actus non plenè deliberati.

Dixi etiam iudicare *pro certo*. Quod tum fit, quãdo ita firmiter quis iudicat & habet rem pro indubitata, vt iudicij sui assensus neque *actu* habeat admixtam formidinem de oppositò (vt habet assensus eius, qui quasi alternatim iam assentitur, iam veretur, ne secus sit & decipiatur, aut etiam subinde quoque dubitat, in neutram inclinans partem) neque in *potentia propinqua*; vt habet assensus eius, qui quamuis actu non habeat formidinem de oppositò, nec dubitet, tamen interrogatus an formidet & putet fortè non ita planè esse, sed rem esse incertam, responderet se formidare, & fortè non ita esse, vt bene expositit art. 3. Caietanus ab aliquibus malè intellectus.

Dixi etiam iudicare *sine causa sufficienti, &c.* quia cum illa non est peccatum, vt tradidimus propositione præcedenti, vbi quænam causa sit sufficiens, & quæ non, declarauimus.

Item dixi iudicare *de altero*. Nam aliud est, iudicare de reipsa, aliud iudicare de altero. Non enim peccat, qui videns edentem v. g. carnes in Quadragesima, iudicat exerceri ab illo actum illicitum, modò non temerè iudicet etiam personam illam facere id illicitè, sine facultate, &c.

Dixi denique iudicare aliquid mali, quod bonam famam *notabiliter possit lædere*. Nam iudicare de altero temerè aliquid leue, non esset nisi veniale. Vbi tamen diligenter est obseruandum cum Soto vbi suprà, posse interdum propter circumstantias personarum aliquod tale malum esse graue in proposito, licet non sit malum culpæ, sed pœnæ, vel naturale; aut licet sit malum culpæ tantùm venialis. Vt si quis de honoratissimo & clarissimo homine temerè iudicaret, eum esse obscuro genere natum, quod non est malum culpæ, sed valde tamen infamans eum, qui alioqui clarus habetur. Vel si quis virum religiosum temerè iudicaret, obnoxium esse alicui peccato veniali ex quibusdam, quæ non minus religiosos infamant, quàm quædam peccata mortalia sæculares: cuiusmodi peccata venialia sunt mendacia frequentia, & varia genera leuitatum, ob quæ indigni reputantur religiosi muneribus conuenientibus instituto sui ordinis.

Et contrà etiam, propter personarum circumstantias potest interdum aliquod malum culpæ mortalis in proposito esse leue, quod scilicet non lædat notabiliter aut etiam vllo modo famam. Vt si, v. g. temerè iudices, iuuenem aliquem mundanum fœminam quampiam adamare, vel hominem professione militem iniquè & sine moderamine debitæ tutelæ necauisse suum inuasorem, &c. Hæc enim peccata licet per se alioqui mortalia, parum aut nihil eiusmodi personas infamant. Non enim tales curant contrariam de se existimationem in eo genere, neque aliquod propterea in suæ vitæ rationibus detrimentum incurrunt.

Itaq; grauitas vel leuitas mali, quod pro certo de proximo temerè iudicare sit peccatum mortale (vt in secunda propositione statuimus) non ex ratione & quantitate mali culpæ semper æstimanda est, sed ex circumstantiis, ob quas contingit, grauiter aut leuiter per eiusmodi malum lædi famam; qualecunque vel quantumcunque id malum sit. Ac propterea diuus Thomas articulo tertio generatim dixit, esse peccatum mortale iudicare pro certo de proximo ex leuibus indiciis *malum graue*, qualecunque sit. Quibus rebus ita explicatis, nullus superest locus dubitandi de veritate nostræ secundæ propositionis.

Nunc sit TERTIA hæc propositio: Iudicare de proximo ex leuibus indiciis malum aliquod etiam graue non pro certo, sed cum admixta formidine, non solùm in potentia physica & remota (quomodo omnis assensus, qui non est

Universidad de Deusto
Biblioteca

planè euidens, est cum formidine) sed actu vel potentia morali & propinqua de oppositō (eo modo quo explicauimus in declaratione præcedentis propositionis) ordinariè solùm est peccatum veniale. Ita docet sanctus Thomas artic. 3. solùm affirmans, esse peccatum mortale, iudicare id *pro certo*, iuxta præcedentem propositionem: Dubitare autem, dicit solùm esse veniale; comprehendens nomine *dubitationis* non solùm dubitationem propriè dictam (de qua agemus p. seq.) sed etiam vacillantem assensum cum formidine admixta, vt exponit Caietanus ibi & Sotus lib. 3. de Iustit. q. 4. art. 3. Alioqui nihil definiuisset ibi D. Thom. de assensu cum formidine. Ita etiam ex sententia D. Thom. sensit Syluester, verbo, Iudicium, q. 4. & clarius Caietanus in dicto art. 3. & Sotus loco citato, & accuratius Nauarrus in Commentario super Rubricam, de Iudiciis, numer. 48. 49. & 50. præsertim circa finem, qui melius intellexit in hac re Caietanum quàm alij quidam recentiores, qui contra prædictorum auctorum sententiam sunt hac in parte plus iusto rigidiores.

Probatur autem hæc propositio PRIMO auctoritate sancti AVGVSTINI tract. 90. in Ioann. vbi omne iudicium suspiciosum & temerarium de proximo, quod non sit cum certa definitione (iuxta præcedentē propositionem) censet pertinere ad quandam tentationem humanam, quam vitare vix possumus, & ideo esse tantum veniale, vt exponit ar. 3. D. Thom. *Amemus* (inquit ibi Augustinus) *iniustitiam, & iniustitiam detestemur, & c. vt cùm de ipsis rebus quod appetēdum est appetimus, quod deuitandum est deuitamus; ignoscatur nobis, quod de occultis hominum aliquādo, imo assidue, non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror. sine qua duci ista non potest vita: ita vt Apostolus diceret 1. Cor. 10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Quid enim tam humanum, quàm non posse aspicere cor humanum, & ideo non eius latebras perscrutari, sed plerumque aliud, quàm ibi agitur, suspicari? Quanquam & in his rerum tenebris humanarum etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitas firmasque sententias continere debemus, neque ante tempus iudicare, &c.*

SECVNDO probatur ratione. Nam iudicij assensus vacillans, cùm admixta scilicet formidine vel dubitatione, actu vel potentia propinqua (vt explicaui in declaratione præcedentis propositionis) est actus in hoc genere ita imperfectus, vt non grauem & mortalem, sed venialem tantùm deformitatē & iniuriam proximi cōtinere censeri debeat, etiamsi sit plenè deliberatus, sed cū admixta tamen æquè deliberata formidine actu vel potentia propinqua de oppositō. Et ACCEDIT huc etiam, quòd illa vehemens procliuitas ad temerè iudicandum de aliis, quam vocat *humanam tentationem* Augustinus, minuit multum deformitatem talis actus, quando simul habet adiunctam actu vel potentia propinqua formidinem.

Dixi autem in propositione, iudicium cum eiusmodi formidine, *ordinariè* esse veniale; propter aliquid, quod prbabiliter sensit circa hoc Sotus vbi suprà; quod neq; S. Thom. neq; Caietanus, neque alij Doctores (vt opinor) negarent. Nempe tales esse posse quandoq; rei & personæ circumstātias, vt iudicium temerarium cum tali formidine esset peccatum mortale. Vt si grauissimum malū de honestissimo homine etiam cū formidine iudices; vt incestum, v. g. cum matre. Nam ex enormitate huius mali, & personæ honestate, augescit magis multò deformitas eius iudicij, quàm minuatur ex coniunctione eiusdem cum formidine. Quod quidem in hoc & in aliis huiusmodi casibus nō aliter, quàm iudicio prudentis est æstimandum.

Et hæc quidem de proposita in hoc puncto quæstione ita se habent, quod ad rem ipsam attinet, abstrahendo ab aliis vocabulis, quibus eadē quæstio proponi, & eadem res explicari potest. Idē namq; est, quod quærit & respondet aliquātò obscurius D. Tho. hīc art. 3. cùm quærit & explicat, an *iudicium ex suspicione procedens sit illicitum*. Vocat autem iudicium ex suspicione, ipsum assensum suspiciosum, seu suspiciosum iudicium, seu suspicionem ipsam. Circa quam, vt cohærere intelligantur, quæ de ea dicit S. Thomas est NOTANDVM, iudicium aliquod seu assensum de malo proximi dupliciter appellari posse suspicionē.

VNO modo propriè. Et sic suspicio dicitur assensus debilis & vacillans propter admixtā formidinē actu vel potētia propinqua de oppositō. Suspicio. n. dicitur quasi *sub aspectio*, quia scilicet debiliter videatur per suspicionē res tanquā si videretur latens sub altera. Sicut etiam habet vim eandem nomen Græcū. ὑπόληψις huic Latino respondens. Et de hoc assensu qui propriè est suspicio, diximus quatenus sit illicitus in tertia propositione ex sententia D. Thomæ. Qui & rectè tradit solere huiusmodi suspiciosos assensus oriri ex aliqua trium causarum. Scilicet quia vel quis est malus & ideo facile idem de altero suspicatur, iuxta illud Eccles. 10. *In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Vel quia malè afficitur erga alterum, & ideo facile de illo opinatur malè. Vel quia longam habet experientiam alienorum defectuum. Vt senes, quos ideo maximè solere esse suspiciosos scribit Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 13. Quæ tertia causa minuit potius prauitatem suspicionis; cùm priores duæ eam augeant, vt patet.

ALTERO modo suspicio extēso vocabulo dicitur qualiscunq; assensus certus vel incertus, vel etiam dubitatio de malo proximi quod per se sit incertum, & de quo proinde haberi possit debilis opinio cum formidine, atq; adeo propriè suspicio. Et suspicionis ita extenso vocabulo dictæ, distinguit postea D. Tho. tres gradus. PRIMVS, quando

quando temerariè homo incipit dubitare, per assensum scilicet cum formidine, vel dubitationē propriè dictam, antequā habeat assensum firmum & certum. De quo gradu quatenus illicitus sit diximus in tertia propositione. SECVNDVS, quando temerariè iudicat & definit pro certo; de quo gradu quatenus sit illicitus, diximus in propositione secunda. TERTIVS, quando procedit etiam iudex ad temerariè cōdemnandum ex tali suspicione. Quod esse multò magis illicitū patet ex dictis p. 2. & patebit fusius ex iis, quæ trademus q. 12. Sed hæc ad intelligentiam eorum, quæ D. Thom. de iudicio temerario sub vocabulo Suspicionis tradit, addidimus. Nam rem quidem ipsam iam antè in tribus propositionibus sufficienter explicauimus.

PVNCTVM QVARTVM.

Quatenus licitum vel illicitum sit, dubitare de proximo.

D. Thomas art. 4.

QVÆRIMVS hoc loco de dubitatione propriè dicta, cùm quis scilicet neutram in partē per assensum propenderet, sed assensum tum circa bonum, tum circa malum proximi, prudens & sciens cōplicari ex dictis p. præced. quatenus sit licita vel illicita huiusmodi de proximo dubitatio.

Itaque PRIMO assero, dubitationem prædictam quando iudicio prudentis non nititur sufficienti causa, peccatum quidem esse; sed non nisi veniale ordinariè. Probatur *prior* pars huius assertionis, nam non solùm per malam opinionē, sed etiam per talem dubitationem & voluntariam suspensionem assensus, cùm caret sufficienti causa, priuatur quis iniquè bona de se existimatione & fama, ad quam vnusquisque naturaliter habet ius, quando sufficiens ratio aliud nō suadet, vt vidimus p. præceden. Vnde communi quodam naturæ rationalis sensu homines ægrè ferre solent, non modò malam de se opinionem, sed etiam dubitationem.

Posterior autem assertionis pars probatur manifesta ratione. Nam assensus de malo proximi cum formidine, qui maius quiddam est quàm dubitatio, est tantummodo peccatum veniale ordinariè, vt ex sententia D. Thomæ & aliorum grauissimorum auctorum constituimus p. præced. Ergo etiam dubitatio.

Dixi autem *ordinariè*, quia neminem puto negaturum id quod asserit Sotus lib. 3. de Iustit. q. 4. art. 3. nimirum posse interdum eiusmodi dubitationem esse mortale peccatum, propter circumstantiam sanctissimæ alicuius personæ (qualis etiam, inquit, beata Virgo, & Ioannes Baptista) & præsertim si accideret etiam circumstantia mali valde enormis, de quo quis in optimo & sancto viro sine sufficienti causa dubitaret.

SECVNDO assero, Dubitare eatenus de proximo, quatenus ad id suppetierit rationabilis & sufficiens causa, non esse vllum peccatum. Hanc assertionem statuo potissimum ex sententia Caietani art. 4. Neq; certè ita posita negari ab vllo potest. Nam dubitatio, quatenus rationabili & sufficienti causa nititur, non minus est conformis prudentiæ, quā assensus ex rationabili & sufficienti causa: Ergo non minus talis dubitatio, quàm talis assensus, est licita.

SED est diligentissimè perpendendum, quod dicimus, dubitationem de proximo eatenus nō esse peccatum, sed licitam, *quatenus* rationabili & sufficienti causa (prudentis nimirum iudicio) nititur. Etenim potest contingere, vt habeas sufficientem causam dubitandi de proximo, quoad aliquid mali, & non quoad alia, circa quæ proinde si simul dubites, peccabis. Vt, v. g. est tibi notus quispiam, & habes meritò de illo opinionem bonam tanquā de homine timente Deum, & sine simulatione probo & Catholico; facit autem vel dicit aliquid, de quo meritò dubitare possis, an ab eo bona vel mala intentione (puta ex aliqua ambitione vel cupiditate) sit dictum vel factū: non propterea potes meritò dubitare de tota ratione vitæ eius, & planè deponere bonam, quam erga illum habebas, opinionē: cùm bonis etiam & sinceris hominibus vsu veniat aliquādo labi, & præsumendum de illis sit, quòd rursus per pœnitentiam resipiscant, ita vt meritò de illis retineri possit pristina bona opinio.

Et eatenus assentior Soto lib. 3. de Iustit. quæstione 4. articulo 4. dicenti, peccatum esse propter signa dubia, mutare per dubitationem opinionem bonam de aliquo prius noto. Atque etiam Caietano articulo 4. dicenti, eum qui Ioannem, v. g. habet pro sobrio homine, si postea videt illum semel largiter edētem & bibentem, ita vt dubitare possit, an illum quidem actum ex necessitate vel gula exerceat, non debere propterea mutare bonam, quam de illo habebat, opinionem. Ex quo est consequens, non modò vt non possit is contrariam opinionem de Ioanne suscipere (quod solùm explicat Caietanus) sed etiam vt ne possit quidem absolutè dubitare de Ioannis consueta sobrietate. Nam per hanc etiam dubitationem (quod neque aduertit, neque negauit Caietan.) deponeretur ac mutaretur ab *esse* ad *non esse* (licet non ad contrarium *esse* nouæ opinionis) pristina opinio de Ioannis sobrietate.

Ratio autem horum omniū est ea, quam iam exposuimus, nimirum quia dubitatio non aliter est licita, nisi quatenus nititur causa sufficienti ad dubitandum; & non quidquid sufficit ad dubitandum de proximo quoad vnum actum, sufficit etiam ad dubitandum de illo absolutè & veluti quoad habitum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd si indicia etiam supperent sufficientia, iudicio prudentis, ad dubitandum quoq; de probitate alicuius quoad habitum (vt si vel ipsius, vel aliorum dicta, aut alia argumenta indicarent, illum malo & simulato animo egisse, quæ bene facere prius videbatur, &c.) Omnino etiam liceret de ea quoque re dubitare, atque adeò per dubitationem suspẽdere pristinam opinionem; neque id rationabiliter posset quis ægrè ferre, cùm omnino sit rationabilis omnis dubitatio, quæ rationabili & sufficienti causa nitatur.

Porro ex his duabus assertionibus nostris, & earum explicatione, facilè intelligi potest, quid verè & ex D. Thomæ sententia responderi debeat ad QVÆSTIONEM, quam ipse art. 4. ponit, An scilicet dubia circa bonitatem vel prauitatem proximi, sint interpretanda in meliorem partem, & quomodo. Distinguendum namque est iuxta ea, quæ diximus.

Nam dubia quidem, quæ non nituntur rationabili causa, & idcirco non per se, sed ex vitio iã actu dubitãtis sunt dubia; quàm primum debent exponi in meliorem partem; deponendo scilicet vitiosam dubitationem, per quam, vt antè dictum est, fit iniuria proximo: quæ dubitatio cùm consistat in cohibendo vtrinq; assensu, non aliter deponitur, nisi inclinando in assensum opinionis bonæ de proximo.

Dubia verò, quæ rationabilem causam habent dubitandi, & per se verè dubia sunt (de quibus præcipuè mouetur ea quæstio) dupliciratione exponi etiam debent in meliorem partem. Nimirum tum *negatiuè*, quatenus scilicet non licet ea interpretari in partem deteriorem: Tum etiam *affirmatiuè*, non absolutè & statim (siquidẽ ei, qui ex rationabili causa dubitat, potest integrum esse, durante tali causa, dubitare quamdiu vult) sed ex suppositione, id est, posito quòd iudicet in aliquam dubij partem inclinando. Hoc enim posito, bene & non malè in dubio iudicare debet de proximo, cùm habeat is ius ad bonam de se existimationem, quamdiu ratio cõueniens non suadet iudicare malè: Alioqui iniustè minoris fit quàm debet; & iniustè contemnitur.

Quanquam licitum est quidem, vt optimè docet D. Thomas articulo 4. ad 3. interpretari dubia in peiorem partem non per assensum iudicij, sed per quandam conditionalem *suppositionem*, ad conuenientem cautelam: Vt cùm dubium est, an quis sit fur, & ideo cautè seruas rem tuam, perinde ac si verè fur esset. Quo genere suppositionis rectè monet Caietan. debere Prælatos erga subditos vti ad cautelam, non ad condemnationem; prudenter tamen.

Sed quæstio præsens non est nisi de interpretatione dubiorũ per *assensum* iudicij. In qua quæstione ita omnino, vt diximus, docet sanctus Thomas articulo 4. dubia esse in meliorem partem interpretanda; scilicet tum *negatiuè*, tum *affirmatiuè*, posito quòd iudicatur (vt est dictum) sicut patet euidenter ex ratione, qua id D. Thomas probat: Nimirum quia in dubio per malam opinionem de proximo indignè is contemnitur. Constat enim, sufficienter hunc contemptum euitari per hoc, quòd non habeatur in dubio mala opinio de proximo, & etiam habeatur bona ex suppositione; posito scilicet, quòd in dubio aliquid de ipso iudicetur. Atque eodem modo ex sententia diui Thomæ dubia in meliorem partem esse interpretanda affirmat verisimè Caietanus articulo 4. quidquid contrà refragari ei videatur Sotus libro 3. de Iustitia, quæstione 4. articulo 4. nec plenè sententiam Caietani referens, nec rem hanc discutiens satis perspicaciter.

Sed oportet tamen pro maiori declaratione & confirmatione huius doctrinæ respondere ad argumenta tria, quibus probari videtur, illicitum atque adeò minimè debitum (vt dicebamus) esse iudicare in dubio bene de proximo ex suppositione, id est, posito quòd de illo aliquid in re verè dubia iudicetur. PRIMVM est, quòd diuus AVGVSTINVS, referente diuo Thoma articulo 4. argumento 2. & Soto lib. 3. de Iustitia, quæstione 4. articulo 4. argumento item secundo, dicit: *Ille piè & iustè viuit, qui rerum integer est æstimator, in neutram partem declinando.* Declinat autem in alteram partem ille, qui in dubio iudicat bene. Ergo non rectè & iustè facit.

RESPONDEO, Augustinum libro 1. de doctrina Christiana, capite 27. (vnde hæc citatio desumpta est) non addere illud, *in neutram partem declinando*, neque agere de æstimatione per cognitionem & iudicium, sed per affectum, quo scilicet quis nec diligat; quod non est diligendum, aut contrà; nec plus aut minus diligat aliquid quàm debet, vt inquit ibi ipse Augustinus. Itaq; locus iste Augustini non est ad propositum.

Deinde, dato quòd Augustinus loqueretur de æstimatione rerum secundùm iudicium; & vellet, non esse in dubio declinãdum ad alterutram partem; esset optima responsio diui Thomæ, quæ per se optimam doctrinam continet. Nempe discrimen esse inter iudicium de rebus, & iudicium de personis. Nam de persona bonum est in dubio (posito quòd iudicatur) iudicare bene, ad vitandam iniuriam, quæ fieret personæ, si in dubio iudicaretur de illa malè. De rebus autem (cùm non immineat eis aliquod malum, ex eo, quòd falsum de ipsis iudicium feratur, sed solùm ipsi iudicanti immineat inde malum erroris) consultum est omnino cohibere iudicium de alterutra parte in dubio.

SECVNDVM argumentum est, quòd sæpius fallitur intellectus iudicantis bene in dubio de altero, quàm iudicantis malè; cùm homines procliniores sint ad malum quàm ad bonum. Ergo ad euitandum frequens illud malum erroris, erit potius in dubio malè de altero iudicandum.

ET CONFIRMATVR, nam in moralibus, quod vt plurimùm est verum, reputatur simpliciter verum. Sed hominem in dubio esse malum, est vt plurimùm verum. Ergo in moralibus & contingentibus rebus est simpliciter verum: Et consequenter id potius in dubio est iudicandum, cùm oporteat iudicare id, quod est verum, & non id quod est falsum.

RESPONDEO ad argumentum cum D. Thoma ad 1. negando consequentiam. Nam absolutè peius est homini, decipi *aliquando*, licet rarius, iudicando malum eum, qui est bonus, vel de quo non constat esse malum, quàm *sæpè* errare iudicando bonum eum, qui est malus. Nam in hoc secundo nõ errat practicè & moraliter, vtpote nemini faciens iniuriã, sed solùm speculatiuè circa contingentia; quod exigui momenti est malum. In primo autem errat practicè, per deformitatẽ talis iudicij cum appetitu recto, eò quòd facit alteri iniuriã; id quod est ipsi iudicanti malus malum.

Ad CONFIRMATIONEM autem argumenti negatur Minor. Vt enim notat rectè Caietanus art. 4. non idem est *sæpius* errare iudicando bene, quã malè; & *vt plurimum* errare iudicando bene.

TERTIVM argumentum est, quòd quando res verè est dubia, non suppetit ratio idonea ad iudicandum bene: Ergo temerè ita iudicabitur, etiã supposito quòd iudicetur. Probatur Antecedens. Nam est tunc idonea ratio ad meritò dubitandum: Ergo non ad iudicandum in alterutram partem.

RESPONDEO negando Antecedens. Ad probationem negatur consequentia. Nam vbi malũ non est euidens, sed sunt etiam aliqua argumenta in bonam partem, hoc ipso est sufficiens ratio ad iudicãdum bene de proximo; ob ius, quod alioqui vnusquisq; habet, vt si de se fiat iudicium, fiat in bonam partẽ, quando non constat de malo contrario. Itaq; in re etiam verè dubia suppetit ad vtrumque idonea ratio, scilicet & ad dubitandum, & ad bene iudicandum, si quis velit (vt potest) intellectum applicare ad assensum alterius partis in re non euidenti. Et hactenus puto satis declaratum esse, quatenus liceat vel non liceat dubitare de proximo. Quid autem facto opus sit, cùm quis circa suas proprias actiones habet conscientiam dubiam, docuimus tom. 2. disputat. 2. quæstione 14. puncto 4.

QVÆSTIO QVINTA.

De duabus Iustitiæ speciebus, scilicet Iustitia Commutatiua & Distributiua.

D. Thomas 2. 2. q. 61.

POSITIS IIS, QVAE DE IVSTITIAE DIVISIONIBVS TRADIDIMUS q. 2. p. 2. circa finem, breuiter expediri potest materia huius quæstionis. Itaque duo sunt explicanda. PRIMO, *Quæ sit ratio & differentia Iustitiæ Commutatiuæ & Distributiuæ ex parte obiecti formalis.* SECVNDO, *Quænam item sit ratio & differentia vtriusq; ex parte materiæ, seu obiecti materialis. Ad quæ duo puncta reuocantur ea, quæ disserit D. Thomas in quatuor articulis, q. 61.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quæ sit ratio & differentia Iustitiæ Commutatiuæ & Distributiuæ, ex parte obiecti formalis.

D. Thomas art. 1. 2. 4.

DE DVOBVS hic conuenit inter omnes, & de vno est nonnulla controuersia. PRIMO conuenit, rationem & differentiam (qualiscunque ea sit) Iustitiæ Commutatiuæ & Distributiuæ, pertinere, vtriusque obiectum formale, in hoc consistere, quòd iustitia Distributiua constituit æqualitatem inter particulares, diuidendo inter illos bona communitatis æqualiter secundũ proportionem *Geometricam*, cõsiderata personarum dignitate; ita nimirum, vt eâdẽ proportione Geometrica (vt dupla v. g. vel sesquialtera, &c.) qua dignitas vnius est maior dignitate alterius, plus etiam obtineat de bonis communibus. Iustitia verò Commutatiua constituit æqualitatem inter particulares dãdo aut accipiendo æquale secundùm proportionem *Arithmeticam*, qualis est, v. g. inter quinq; & quinq;.

Atq; hoc ipso iustitia Distributiua habet pro obiecto formali medium inter excessum & defe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum, secundùm proportionem Geometricam; sicut quintuplum, v. g. est medium inter sextuplum & quadruplum; & ideo ei qui dignitate alterum excedit, v. g. quintuplo, distribui debet de bonis communibus quintuplo plus, quàm illi alteri. Iustitia verò Commutatiua habet pro obiecto formali medium inter excessum & defectum secũdùm proportionem Arithmeticam; sicut quinque, v.g. sunt medium inter sex & quatuor: & ideo qui ex duobus habentibus quinque accepit vnum ab altero, debet illi restituere vnũ, ne ipse habeat sex, & alter quatuor, sed vterque quinque, quæ sunt medium.

Tradit hanc rationem & differentiam vtriusque iustitiæ Philosophus 5. Ethic. capite 3. & 4. ab omnibus receptus. Et eadem doctrina asseritur à D. Thoma hîc artic. 2. & à nobis etiam suprà quæst. 1. p. 2. posita est. Nec sanè est operæprecium eam in disputatione hac morali & Theologica pluribus speculationib. Geometricis & Arithmeticis disceptare; quod vt prudenter ait Caietanus ar. 2. esset quodammodò intellectum moralem inuoluere.

Sed est tamen aliquid ANNOTANDVM in hac doctrina, quod nescio an satis ab aliquibus animaduertatur, & tamen est verissimum, atque etiam ad penitus intelligendam naturam iustitiæ Distributiuæ necessarium. Illud autem est, in actu iustitiæ Distributiuæ hoc ipso quòd per eum bona Communitatis æqualiter iuxta Geometricam proportionem particularibus distribuuntur, duo posse considerari; ex quibus alterum primariò formaliter, alterum materialiter, vel non nisi secundariò formaliter ad eiusmodi actum spectat, licet vtrumque per se & inseparabiliter.

VNVM est, quod per eum actum stabilitur rectus quidam ordo, seu recta habitudo Communitatis ipsius erga particulares personas, vt sunt Communitatis partes, siquidem Communitas ipsa rectè tunc se erga suas partes habet, quando ab ipsa tantum boni redundat ad partes, quanto partes sunt dignæ. ALTERVM est, quòd eo ipso constituitur etiam æqualitas Geometrica inter ipsas Communitatis partes. Ex quibus duobus vltimum duntaxat est præcipuum & formale in actu iustitiæ Distributiuæ, vt actus iustitiæ cuiusdam particularis propriè dictæ est: primum autem non spectat ad actum iustitiæ Distributiuæ nisi materialiter vel secundariò formaliter, licet *per se* quidem, & inseparabiliter à formali ratione primaria actus Distributiuæ iustitiæ.

Probatur hoc *Primò* manifestè ea ratione, quoniam actus iustitiæ Distributiuæ cùm sit actus iustitiæ propriè dictæ, formaliter respicit æqualitatem aliquam propriè dictam: quæ quidem in proposito continetur non illa recta habitudine communitatis ad suas partes (cùm neque inter totum & partem, neque inter partem & totum, A sit æqualitas propriè dicta, vt suprà quæst. 1. p. 2. & quæst. 3. p. 2. vidimus) sed recta habitudine ipsarum partium inter se secundùm prædictam æqualitatem proportionis Geometricę, vt quintupla ad quintuplam, &c. Quintuplæ enim proportionis ad proportionem quintuplam æqualitas est simpliciter & propriè dicta. Quare actus iustitiæ Distributiuæ, vt est actus iustitiæ propriè dictæ, scilicet Distributiuæ, hanc æqualitatem inter ipsas partes communitatis, non autem illam rectam habitudinem communitatis ad quamlibet sui partem formaliter & primariò respicit & stabilit.

B *Secundò* probatur idem manifesto testimonio Philosophi 5. Ethic. capite 2. vbi docet, ius distributiuum, atque adeò æqualitatem iustitiæ Distributiuæ esse inter ipsos, qui eiusdem ciuitatis participes sunt. *Vna*, inquit, *species iustitiæ est, quæ in distributionibus aut honoris, aut pecuniarum, aut caterarum rerum consistit, quæ dividi inter* EOS *possunt, qui eiusdem ciuitatis participes sunt.* *In* HIS *enim euenit*, inquit, *vt alter alteri vel iniquam vel æquam habere portionem queat.* Et capite tertio affirmat, ius distributiuum vt est æquum quoddam esse inter DVOS, scilicet inter ipsas communitatis partes. Et sub finem eiusdem capitis: *Hoc igitur*, inquit, *est id, quod proportione constat: Iniuria id, quod præter proportionem est, vnde fit, vt* ALTERI *plus,* ALTERI *minus exhibeatur.*

C In quibus locis vides, à Philosopho nunquam primariò & formaliter constitui æqualitatem iustitiæ Distributiuæ in recta habitudine communitatis ad suas partes, sed in prædicta æqualitate proportionali ipsarum partium. Tametsi cùm nequeat constitui hæc æqualitas inter partes, nisi simul constituẽdo rectam habitudinem communitatis ad suas partes, per rectam nimirum distributionem bonorum cõmunium inter partes, coniuncta est per se & inseparabiliter hęc habitudo cum illa æqualitate partium, vt materiale quoddam seu secundarium cum suo formali in actu Distributiuæ iustitiæ, sicut diximus.

D Atque hoc modo oportet intelligere quod diuus Thomas articulo 1. & Caietanus ibi, & alij auctores dicunt, in hoc differre iustitiam Distributiuam à Commutatiua, quòd Distributiua ordinet bene communitatem ad partes (sicut contrà, iustitia legalis, partes ad communitatem) iustitia autem Commutatiua ipsas partes inter se. Differentia enim hæc licet assignetur quidem per id, quod in iustitia quoque Distributiua est per se, tamen non per id, quod est in ea præcipuum & formale, sed per id quod est quasi materiale & secundarium, vt ex dictis patet. Sicut neque in Commutatiua iustitia est præcipuè formale hoc, quod præcisè efficere (siquidem hoc illi cum aliis virtutibus ergà alterum, quæ non sunt propriè iustitia, est com-

mune) sed ordinare bene inter se partes secundùm æqualitatem Arithmeticam.

Ac per hanc doctrinã facilius intelligitur, verissimum esse quod affirmat D. Thom. ar. 2. ad 3. iustitiam distributiuam non solùm esse in eo, qui præsidet communitati, ad quem spectat distribuere bona communia secundùm prędictã æqualitatem inter communitatis partes, sed esse etiam in subditis. Nam & ij etiã possunt voluntate amplecti æqualitatem illam, quæ est obiectũ formale iustitiæ istius, & non plus vel minus de bonis communibus sibi tribui, quàm iuxta normam eius æqualitatis sibi debetur: quæ etiam æqualitas est formale obiectum distributionis, vt hæc est actus istius iustitiæ in præside. Et hactenus de eo, quod diximus conuenire PRIMO inter omnes.

SECVNDO conuenit inter omnes quoq;, æqualitatẽ tum Geometricam, quam respicit iustitia Distributiua, tum Arithmeticã, quam respicit iustitia Commutatiua, non esse metiẽdam propriè ex naturis vel naturalibus accidentibus rerum, vt ex qualitatibus, ex magnitudine, numero, &c. Sed ex æstimatione hominum: cuius æstimationis quasi regula (vt docet Philosophus 5. Ethic. cap. 5.) est hominum indigentia. Tanto enim maioris vel minoris res ab hominibus æstimantur, quanto eis magis vel minus indigent, ad finem nimirum aliquem vel necessarium humanæ vitæ, vel iucundum, aut vtilem.

Itaque, licet quæcunq; res anima prædita, etiã minutissimæ, sint res naturã & naturalibus accidentib. perfectiores rebus inanimis, tamen quędam res inanimę pluris æstimantur, eò videlicet, quòd eis homines magis indigent, quàm quibusdam rebus animatis. Vnde sanctus AVGVSTINVS libro 11. de ciuitate Dei, cap. 16. posteaquam distinxit varios rerum gradus, quibus aliæ aliis antecellunt naturæ ordine; vt viuentes non viuentibus, sentiẽtes non sentiẽtibus, intelligentes nõ intelligẽtibus, immortales mortalibus; scitè & verè subiũgit: *Est aũt alius pro suo cuiusq; vsu æstimationis modus: quo fit, vt quædam sensu carentia quibusdam sentientibus præponamus, in tantùm, vt si potestas esset ea prorsus de natura rerum auferre vellemus; si ne quem in ea locum habeant ignorantes, siue etiam scientes, nostris ea commodis postponentes. Quis enim*, inquit, *non malit domi suæ panem habere quàm mures, nummos quàm pulices?* Et addit similiter per hominum æstimationem fieri, vt *plerumq; carius compareatur equus quàm seruus, gemma quàm famula.*

Porro ex hac doctrina (scilicet quòd æstimatio rerum, qua iustitię æqualitas continetur, mensuranda sit per indigentiam & vsus hominum, vt Philosophus & Augustinus tradunt) colligit optimè Philosophus 5. Ethic. cap. 5. contra Pythagoreos, atque etiam D. Thomas hîc ar. 4. Ius, seu iustum, seu æquale (quod est obiectum iustitiæ) non esse simpliciter ac vniuersaliter idem, quod *repassio*, seu *retaliatio*, seu *contrapassum*: Id est, æ-

A qualitatem obiecti iustitiæ non propriè in hoc consistere, vt qui aliquid egit erga alterum (dando ei quidpiam, aut eripiendo, seu inferendo iniuriam, &c.) repatiatur idem secũdùm identitatem aliquam rei naturalem, vt puta speciei, vel individui, aut alicuius accidentis, vt quãtitatis, &c. Quod adeò sibi persuadebant Pythagorei, vt quemadmodum de illis memorat Philosophus loco citato, Rhadamanti quoque ius hoc esse dicerent:

Si contrà passus fuerit quod fecerit idem:
Iudicium planè rectum, vindictaq; fiet.

Vbi tamẽ Philosophus non ait (vt Sotus lib. 3. de Iustit. q. 5. art. 4. & alij quidam putarunt) eam
B Pythagoreorum sententiam fuisse quoq; sententiam Rhadamanti, sed ait, Pythagoreos quidem dixisse, Rhadamantum secũdùm eam iuris normam (scilicet per contrapassionem) iudicandum putauisse.

Sed cuiuscunque præterea opinio illa Pythagoreorum fuerit, falsa est, eo modo, quo diximus, intellecta, & manifestè refellitur à Philosopho loco citato. Nam inprimis in iustitia distributiua nullum locum habet; cùm in constituenda iustitiæ distributiuæ æqualitate non propriè attendatur quid aliquis in alterum vel in Rempublicam egerit, vt tantundem recipiat seu repatiatur, sed solùm dignitas personæ, vt iuxta eius proportionem distribuantur ei bona com-
C munia.

Deinde neque æqualitas iustitiæ cõmutatiuæ semper consisteret per repassionẽ eiusdem quoad naturam, vel aliquod accidens. Non enim res, quæ vel natura vel accidenti aliquo sunt eædem, sunt semper eiusdem æstimationis, sed maioris vel minoris, pro ratione circumstãtiarum. Qui enim rem ab inuito accepit, non satisfaciet reddendo tantùm rem eandem aut similem in natura, nisi etiã aliquid præterea repatiatur pro iniuria, quam alteri, atque etiam Reipublicæ intulit. Propter quod olim illud iubebatur Exodi 22. *Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, aut occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno bouem restituet, & quatuor oues pro vna oue*: quia nimirum hæc tunc
D lege diuina reputabatur iusta æstimatio pro æquali cõpensatione illati damni.

Item si quis priuatus percutiat Principem, nõ satis ad æqualem compensationem erit, eum simili modo percuti, sed maiori supplicio afficiẽdus erit; contrà verò minori Princeps, si percusserit priuatum. *Si enim* (ait Philosophus vbi suprà) *Magistratum quis gerens percusserit, repercutiendus non est* (quia scilicet tunc plus repateretur damni secundùm æstimationem, propter circumstantiam publicæ personæ, quàm priuatus per similem percussionem fuisset passus) *si autem Magistratum gerentem quis percusserit, non solùm est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus.* Quanquã inter alioqui pares iustè quandoq; fiet cõpensatio iniuriæ per similẽ repassionem, iuxta

illud

illud quod Exod. 21. olim præcipiebatur: *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, &c.*

Item si quis det alteri modium, v. g. tritici, non satis erit ei reddere rem similem secundùm magnitudinem aut quantitatem continuam, vt puta modium auenæ. Item si quis artifex det alteri artifici rem vnam à se factam, vt domum vnam, v. g. non satis erit, vt alteri vicissim det rem vnam sui opificij, atque adeò similem secundùm vnitatem in quantitate discreta; vt vnum cultrum, vel vnum par calceorum, sicut optimè disserit Philosophus loco citato. Qui ex iis tandem concludit, non semper æqualitatem iustitiæ constare per repassionem eiusdem realiter, sed consistere in æstimatione rerum iusta, secundùm indigentiam & vsus hominum, vt antè diximus. Vnde in iustitia quidem commutatiua sine incommodo dici potest, iustum siue æquale idem esse quod contrapassum non absolutè, sed *secundùm æstimationem*, vt docet D. Thomas art. 4. & Philosophus loco citato.

Et quia difficile esset res diuersas æqualiter per se ipsas æstimare, & secundùm æstimationem permutare (quis enim facile definiret, quot calcei, v. g. tanti, quanti domus, iustè æstimarentur?) idcirco, vt Philosophus illic docet, commodissimè inuētus est *nummus*, qui ex placito & constitutione hominum haberet certam æstimationem, quæ æquialeret rebus, ac proinde loco ipsarum rerum permutaretur pro rebus quibuslibet ad humanos vsus necessariis. *Vnde etiam* (inquit ibi Philosophus) *Nvmisma appellatur, eò quòd non natura, sed νόμῳ, id est, instituto & lege constet, in nobisque sit eum mutare, atque inutilem reddere.* Atque hactenus satis explicata esse opinor illa Dvo, de quibus circa rationem & differentiam iustitiæ Commutatiuæ, & Distributiuæ, inter omnes conuenire diximus.

Quod autem aiebam esse Controversvm, est, an iustitia Commutatiua, & iustitia Distributiua, per differentiam hactenus explicatam differant verè specificè: an verò vna & eadem sit iustitiæ virtus secundùm speciem specialissimam, quæ propter diuersos quosdam sui modos iuxta differentiam dictam, nominetur, tum Commutatiua, tum Distributiua. Nam Buridanus libro 5. Ethic. quæstione 7. posterius hoc arbitratur esse verius. Probat autem id præcipuè soluendo quasdam rationes, quas adducit pro opinione contraria. Et, quia vtraque iustitia versatur circa æqualitatem inter personas particulares, diuersam duntaxat per distinctos æqualitatis modos, puta Arithmeticæ & Geometricæ.

Ac potest hæc Buridani opinio confirmari præterea duobus potissimum argumentis. Primo, quia non minus differre videtur iustitia Vindicatiua à iustitia Commutatiua, & iustitia Distributiua, quàm hæ duæ iustitiæ inter se. Sed iustitia Vindicatiua non differt specie ab his duabus iustitiis. Ergo neque istę duæ inter se. Minor probatur: tum quia omnis iusta iniuriæ vindicatio, quæ fiat à iudice, est secundùm normam iustitiæ Commutatiuæ, vel etiam Distributiuæ; & ita solùm videtur differre ratione ab actu iustitiæ Commutatiuæ vel Distributiuæ, quatenus vindicatio hæc nimirum fit ab habente publicam auctoritatem. Tum quia si iustitia vindicatiua est species condistincta à iustitia Commutatiua & Distributiua, immeritò fuisset à Philosopho 5. Ethic. & à diuo Thoma hîc prætermissa in diuisione iustitiæ.

Secvndvm argumentum est, quòd si æqualitas Geometrica iustitiæ Distributiuæ, & æqualitas Arithmetica Commutatiuæ, constituerent diuersitatem specificam istarum virtutum, maximè propterea quòd vt docet D. Thomas articulo 2. ad 3. æqualitas Commutatiuæ non pendet per se ex dignitate personæ; bene autem æqualitas Distributiuæ. At huic videtur contrarium, quod idem diuus Thomas asseruit in 3. distinctione 33. quæstione 2. articulo 3. quæstiuncula 2. ad 3. nempe vtramque iustitiam attendere ad dignitatem personæ, vt redundet in diuersitatem rei: Sicut, v. g. in compensanda iustè per Commutatiuam iniuria Principi facta, attenditur quoque Principis dignitas, ob quam fuit ipsa maior iniuria. Non ergo videntur istæ duæ iustitiæ essentialiter & specie differre.

Contraria tamen sententia, scilicet differre eas specie sub vno genere iustitiæ particularis (iuxta dicta à nobis quæstione 3. puncto 3. sub finem) est diui Thomæ hîc articulo primo, & aliorum communis & verissima. Probatur Primo ex Philosopho 5. Ethic. capite secundo, vbi Commutatiuam & Distributiuam, affirmat esse duas species iustitiæ particularis. *Iustitiæ*, inquit, *particularis, Iurisque eius, quod secundùm ipsam attinet, vna species est, quæ in distributionibus, aut honoris, aut pecuniarum, aut caterarum rerum consistit, quæ diuidi in eos possunt, qui eiusdem iustitatis participes sunt, &c. Altera, quæ in commercijs hominum emendandis* (seu compensandis) *versatur.* Vbi gratis omnino & voluntariè Buridanus ait, Philosophum impropriè vsurpasse vocabulum *speciei*, pro rei modo. Vtitur enim Græco vocabulo εἴδους, quo & alibi solet veram speciem nominare. Vnde & ibidē distinguens porro diuersas partes Commutatiuæ iustitiæ, non appellauit item species, sed μέρη, *partes*; quia vt puncto sequente videbimus, non verè differunt specie, sed vnica est iustitia Commutatiua secundùm speciem specialissimam.

Secvndo probatur manifesta ratione sic: Illæ virtutes differunt specie, quarum actus ex ratione formali sui obiecti habent diuersam tum laudem, tum difficultatem, vt in superioribus est dictum. Sed actus iustitiæ Distributiuæ, & iustitiæ Commutatiuæ ex ratione formali proprij obiecti habent diuersam tum laudem tum difficultatem: Ergo differunt specie hæ virtutes. Minor quoad laudem patet, cùm longè aliam laudem habeat iustus aliquis bonorum communium administrator, quàm iustus aliquis venditor, v. g. Quoad difficultatem verò probatur dupliciter.

Primò, quia per cōmutatiuam datur alteri id, quod ei debetur tanquam verè suū: per distributiuam autem datur id, quod ei debetur non nisi tāquam quodammodò suum, quatenus id quod est totius, est quodammodo etiam partis, vt ait rectè D. Thomas art. 1. Facilius autem est dare alicui, quod est verè suum, quàm quod non omnino est suum. *Secundò*, quia per distributiuā datur bona communia; quæ in proprios vsus conuertere, neglecto eo quod expedit communitati & eius partibus, valde est procliue ei, qui illa suæ potestati & administrationi commissa habet: cùm homines promptiores sint ad curanda propria, quàm communia, vt Philosophus ait libro 2. Polit.

Ac propterea quòd diuersa hęc iustitię distributiuæ difficultas & laus inde existit, quòd per eam distribuuntur communia bona, probauit D. Thomas art. 1. eam differre specie à iustitia commutatiua per hoc, quòd cùm commutatiua ordinet partes communitatis inter se (per æqualitatem nimirum Arithmeticam) distributiua ordinat rectè communitatem ipsam ad particulares homines, sicut ad ipsius communitatis partes; inter quas scilicet constituit æqualitatem Geometricam, vt antè est dictum.

Ad fundamentum verò Buridani respondeo in primis, non solui ab eo rationem, qua nos iam probauimus, distingui specie has iustitias. Itaque non laboro de aliis rationibus, in quibus soluendis Buridanus se occupat. Deinde dico, æqualitatem, quam vna iustitia ex his respicit, esse adeò diuersam ab æqualitate, quam alia respicit, vt constituat omnino diuersam iustitiæ speciem, sicut paret ex dictis.

Ad Primvm autem argumentum ex illis duobus, quæ pro opinione Buridani addidimus, negatur Minor. Ad probationem respondeo ex doctrina D. Thomæ q. 108. ar. 2. dupliciter considerari posse, actum iustitiæ vindicatiuæ. *Vno* modo, quatenus reddit alteri æquale secundùm formam iustitiæ commutatiuæ, vel distributiuæ: Et sic non differt specificè ab actu istiusmodi iustitiarum, neque ipsa iustitia vindicatiua ab his iustitiis. *Altero* modo, quatenus reddendo alteri æquale propulsat damnum & perniciem ab eo, qui passus est iniuriam; spectando in hoc peculiare illud commodum, quod habet res ex amolitione sui contrarij. Et sic differt specie, tum iustitia ipsa vindicatiua, tum eius actus, à prædictis iustitiis, & actibus earum. Habet enim ex eo capite peculiarem difficultatem & laudem. Et est ea ratione iustitia vindicatiua tum in Magistratu, vt in exequente, & administrante illam, tum etiam in particularibus, vt in iis, qui rectè possunt expetere & procurare, vt sibi à Magistratu fiat conueniens vindicta.

Nec tamen debuit propterea iustitia vindicatiua hîc ánnumerari Commutatiuæ & Distributiuæ, in diuisione iustitiæ particularis propriè dictæ. Non enim est ipsa quoq; iustitia propriè dicta, sed virtus quædam iustitiæ annexa, de qua proinde agit D. Thomas infrà q. 108. Nam etsi versatur circa alterum vt iustitia, vindicando scilicet iniuriam factam, tamen secundùm propriam suam rationem nō constituit aliquam æqualitatem propriè dictam, sed remouet damnum seu impedimentum contrarium hominis commodo, sicut est explicatum.

Ad Secvndvm argumentum respondeo *primò*, nō propter illam rationem propriè, sed propter eam, quam nos attulimus, iustitias has differre specie. *Deinde* dico, commune quidem esse vtrique iustitiæ, vt respiciat dignitatem personæ, sicut D. Thomas dixit in 3. sent. loco citato, & hîc etiam repetiuit artic. 2. ad 3. Sed in hoc tamen esse discrimen, quòd iustitia distributiua respicit dignitatem personæ secundùm se (vt ibidem sanctus Thomas dicit) eò quòd proportio Geometrica, secundùm quam existit æqualitas distributiuæ, continetur quatuor quasi terminis (vt docet Philosophus 5. Ethic. capite 3.) quorum duo sunt eæ partes bonorum communium, quæ duobus hominibus tribuuntur; & alij duo sunt ipsæ dignitates eiusmodi hominum. Inter hos enim duos binarios terminorum est æqualitas Geometrica, consistens in hoc, vt tanto plus bonorum communium tribuatur vni homini, quàm alteri, quantò dignitas vnius est maior, quàm dignitas alterius. Iustitia verò commutatiua dignitatem personæ respicit non nisi per accidens; quatenus ex ea fit quandoque maior ea res, quæ debet compensari iustè per proportionem inter duos tantùm terminos, vt Philosophus docet 5. Ethic. capite quarto. Vt cùm maior est iniuria, quia persona læsa est dignior, sicut in argumento obiiciebatur.

Ac signum huius quod dicimus (nempe non nisi per accidens respici à commutatiua iustitia dignitatem personæ) est, quòd non in omni actu suo iustitia commutatiua respicit personæ dignitatem (sicut facit distributiua) sed solùm in compensatione iniuriarum, iuxta doctrinam Philosophi 5. Ethic. capite quinto, suprà recitatam, de eo, qui lædit gerentem Magistratum. In commutationibus enim, vt in Venditione, v. g. nullo modo attenditur vlla personæ dignitas, sed solùm rei valor. Non enim debes dare plus vel minus pro equo, siue illum à Principe, siue ab opifice emas, vt notauit etiam Caietanus articulo 2.

Et hactenus de ratione & differentia iustitiæ distri-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

distributiuæ & commutatiuæ ex parte obiecti formalis satis disputatum videtur. Quod autem disputant hîc Caietanus & alij circa responsionem diui Thomæ ad 1. art. 4. an forma diuini iudicij in remunerando merita, & puniédo peccata, sit iustitiæ distributiuæ, vel commutatiuæ, nos discussimus tomo 2. quæst. vltima de Gratia, p. 4. ante medium, vbi egimus de merito vitæ æternæ.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam sit ratio & differentia iustitiæ distributiuæ, & commutatiuæ, ex parte materiæ vtriusq.

D. Thomas art. 3.

MAteria iustitiæ tum commutatiuæ, tum distributiuæ, duplex est, sicut cuiuslibet alterius virtutis. Vna dicitur *remota*; & est res, circa quam iustitiæ actus tanquam circa materiale obiectum versantur. Ac ex parte quidē huiusmodi materiæ nequaquam differūt iustitia distributiua & commutatiua. Nam vtraque ex sua ratione versatur in iisdem rebus, vel distribuendis, vel compensandis, seu commutandis. Vt in pecuniis, honoribus, & aliis quibuscunque rebus, quæ humanis vsibus sint accommodatæ. Vnde Philosophus 5. Ethic. cap. 2. circa finem affirmat, distributiuam iustitiam consistere in distributionibus, *aut honoris* (vt inquit) *aut pecuniarum, aut cæterarum rerum, quæ diuidi in eos possunt, qui sunt eiusdem ciuitatis participes.* Cuiusmodi res sine dubio possunt æquè commutari atque diuidi: ac proinde eadem est materia remota vtriusque iustitiæ, vt docet hîc quoque D. Thomas art. 3.

Altera materia iustitiæ vtriusq; dicitur *proxima*: quæ nimirum cōtinetur ipsis iustitiæ commutatiuę vel distributiuę operationibus, non quidem internis, cùm hæ sint tantummodò actus eliciti à iustitia (vt explicuimus q. 2. p. 3.) sed externis, quibus prior illa materia remota vsurpatur, vel commutando seu compensando, vel distribuendo. Nam & huiusmodi etiam operationes externas meritò censeri posse materiam iustitiæ docuimus in dicto p. 3. q. 2.

Ac ex parte quidē huiusmodi materiæ proximę suapte ratione differunt iustitia commutatiua & distributiua. Vt enim docet Philosophus 5. Ethic. ca. 2. & D. Thomas hîc art. 3. materia proxima iustitiæ distributiuæ sunt *distributiones* bonorum communium, iuxta ea, quæ tradidimus p. præced. Et consequenter etiam distributiones onerum communium, iuxta proportionem distributionis cōmunium item bonorum & commodorum, vt D. Thom. ar. 3. attigit. Materia autē proxima iustitiæ commutatiuæ sunt *commutationes* seu compensationes rerum quarumcunque, quæ spectant ad humanum vsum.

A Et sunt porrò duplices huiusmodi commutationes, vt tradit Philosophus, & D. Thomas locis citatis. Quædam sunt vtrinque *voluntariæ*; scilicet ex parte eius, qui accipit ab alio quidpiam, & ex parte eius, à quo accipitur; vt Emptio, Venditio, &c. Quæ commutationes materia sunt proxima iustitiæ commutatiuæ tanquam operationes, ad quas ipsa iustitiæ virtus mouet, cùm sint nimirum iustæ. Aliæ autem commutationes sunt *inuoluntariæ* ex altera parte, scilicet ex parte eius, à quo quidpiam accipitur; licet non ex parte eius, qui accipit. Vt furtum, rapina, &c. Quæ commutationes materia sunt proxima iustitiæ commutatiuę tanquam operationes, non ad quas ipsa iustitia mouet (cùm sint iniustæ) sed quas ipsa B iustitia emendat seu compensat, & ad æqualitatem redigit. Et propterea Philosophus 5. Ethic. cap. 2. generali vocabulo vsus dixit, iustitiam commutatiuam versari in cōmutationibus seu commerciis hominum *emendandis*. Id quod est diligenter notandum, vt sano modo intelligatur, quod D. Thomas art. 3. & alij asserunt, commutationes quoque hyiusmodi inuoluntarias esse materiam proximam iustitiæ commutatiuæ.

Ac vtrarumque commutationum, scilicet voluntariarum & inuoluntariarū, tum Philosophus 5. Ethic. capite 2. tum D. Thomas articulo 3. alsignant varias quasi species; quamuis Philosophus C pauciores, & in iis aliquas, quas non numerat D. Thomas. Quoniam vt notat art. 3. Caietanus, vterque tantùm voluit enumerare aliquas, ex quibus ratio aliarum, si quæ essent, posset facilè militer intelligi. Sic autem aliquas eiusmodi species commutationum voluntariarum & inuoluntariarum tradit illic Philosophus: *Ex commerciis*, inquit, *alia sunt spontanea, alia inuoluntaria. Spontanea eiusmodi sunt, Venditio, Emptio, Mutuatio, Sponsio, Vsura* (est enim hæc etiam voluntaria, saltem quoad exteriorem actum dandi) *Depositio, Conductio. Atque hæc spontanea idcirco dicuntur, quia principium commerciorum horum spontaneum est. Ex inuoluntariis autem clandestina alia sunt: Vt Furtum, Adulterium, Veneficium, Latrocinium, Seruorum seductio, Dolosè perpetratum* D *homicidium, Falsa testificatio. Alia violenta: vt Flagellatio, Vincula, Mors, Rapina, Mutilatio, Conuiciatio, Contumeliæ illatio.*

Pleniùs autē D. Thomas commutationes tum voluntarias tum inuolūtarias numerat. Inuoluntariarum quidem numerat quindecim: Nempe *Furtum*, quo accipitur occultè res alterius: *Rapinam*, qua accipitur res alterius per manifestam vim: *Dolosam occisionem: Veneficium: Percussionem fraudulentam*; quibus lædītur occultè alterius persona quoad vitam vel incolumitatem: *Violentam cædem: Incarcerationem: Verberationem. Mutilationem*; quibus lædītur persona alterius manifestè quoad eandem vitam & incolumitatem: *Falsum testimonium: Detractionem*; quibus occultè

occultè lædītur persona quoad dignitatem: *Falsam accusationem: Conuitium*; quibus lædītur persona manifestè quoad eandem dignitatem: *Adulterium: Seductionem seruorum*, & alia huiusmodi, quibus vel occultè vel manifestè lædatur quis in personis sibi coniunctis, vt in vxore, seruo, &c.

Voluntariarum autem commutationum numerat ibidem D. Thomas octo: Nempe *Emptionem & Venditionem*, qua fit permutatio rei pro pecunia: *Vsum fructū*, cùm quis concedit gratis fructificātis rei vsum cum debito reddendi eandem rem: *Accommodatum*, cùm gratis conceditur vsus rei non fructificantis cum debito reddendi eandem numero: *Mutuum*, cùm conceditur item gratis vsus rei non fructificantis cum debito reddendi eandem specie, non numero: *Locationem & conductionem*, cùm conceditur pro precio, vsus B rei, cum debito eandem reddendi: *Depositum*, cùm conceditur res vt conseruetur, & postea reddatur: *Impignorationem*, cùm quis concedit rem ad firmandam obligationem satisfaciendi, vt scilicet si non satisfiat, retineri possit: *Fidei insionem*, cùm quis simpliciter se obligat ad satisfaciendum pro altero.

Circa quas omnes commutationes tria breuiter sunt annoranda. PRIMO, neque à Philosopho, neque à D. Thoma fuisse numeratas omnino omnes, vt iam ante notauimus ex Caietano, sed eas, ex quibus aliæ intelligi, & ad quas reuocari omnes possunt. Non enim hîc est numeratus contractus Cambij, & Societatis, &c. qui tamen ad alios reuocantur; & maximè ad venditionem & emptionem; sicut & alij contractus, A quos Doctores nominant innominatos; vt, Do vt des, Facio vt facias, Facio vt des, Do vt facias, de quibus infrà.

SECVNDO notandum, commutationes eas voluntarias, in quibus non transfertur rei dominium, vt Depositum, Impignoratio, &c. eatenus esse actus Iustitiæ commutatiuæ, quatenus ad hanc etiam virtutem pertinet statuere rursus alterum in actuali & exteriori suæ rei possessione, prout conuentum fuerit; nam eatenus etiam stabilitur æqualitas inter aliquos.

TERTIO notandum, sicut Iustitia commutatiua est vna virtus specie specialissima, ita etiam esse eiusdem speciei omnes actus eius, atq; adeo omnes commutationes voluntarias: nam omnes habent idem obiectum formale commutatiuæ Iustitiæ, vt docet D. Thomas art. 3. & ibi Caietanus. Qui bene explicat, quomodo nihilominus peccata contra Iustitiam commutatiuā sint diuersę speciei, nimirum *pro materiali*. Vt furtum, rapina, homicidium, &c. quia valde diuersō modo hæc aduersantur Iustitiæ, & facilius multiplicantur species mali (etiam materialiter considerati) quàm species boni; cùm malum proueniat ex quocunque defectu, bonum autem ex integra causa.

Dico autem *materialiter* esse hæc peccata diuersæ speciei, prout habent scilicet in genere moris valde diuersum ordinem positiuum ad sua obiecta, ob quod sunt necessariò exprimenda in Confessione. Nā vt formaliter habent annexam priuationem perfectionis Iustitię commutatiuę, nō magis sunt diuersæ speciei, quàm ipsa Iustitia.

QVÆSTIO SEXTA.

De Restitutione, quæ est actus Iustitiæ commutatiuæ.

D. Thomas 2. 2. quæst. 62.

DE RESTITVTIONE MVLTI EX AVCTORIBVS QVOS initio huius disputationis citauimus, multa scribunt. Sed ferè sub titulo de Restitutione solent quoque disputare multa de iusta & iniusta acquisitione rerum; Vt per emptionem, per vsuram, per bellum, per census & alias actiones varias, quarum Iustitia vel Iniustitia præsupponi potius hoc in loco deberet tanquam alibi disceptata vel disceptanda. Nam huius quidem quæstionis ea tantum sunt propria quæ pertinent ad rationem restituendi id quod est aut iustè aut iniustè acquisitum, vel alteri detractum, & nec dum iustè compensatum: non autem ea quæ continent & explanant rationem iustè vel iniustè acquirendi, vel quidpiam alteri detrahendi, cum hæc vt dixi, præsupponi potius hoc in loco debeant.

Solet etiam à plerisque præmitti huic quæstioni de Restitutione, Disputatio de Rerum Dominio, eò quod ferè rei Domino est facienda restitutio rei. Sed hæc quoque Disputatio potest non incommodè hîc præsupponi, & in alium locum differri, nempe in quæstionem de Furto, (quæ erit decima in hac nostra Disputatione) Vbi etiam D. Thomas de Dominio inprimis non absurdè disputat, eò quod Furtum est ablatio rei alienæ inuito Domino, vt illic videbimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque his nunc omissis (quæ alibi suis in locis tractaturi sumus) decem, quæ propriè spectant ad quæstionem de Restitutione sunt hoc loco explicanda. PRIMO, *Quidnam sit Restitutio.* SECVNDO, *An sit ad salutem necessaria.* TERTIO, *Quisnam debeat restituere.* QVARTO, *Cuinam debeat Restitutio fieri.* QVINTO, *Quidnam debeat restitui.* SEXTO, *Quantum debeat restitui.* SEPTIMO, *Quando debeat restitui: & quænam causæ excusent à restituendo vel omnino vel statim.* OCTAVO, *Vbi debeat restitui.* NONO, *Quomodo restitui debeat.* DECIMO, *Quo ordine restitui debeat.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quidnam sit Restitutio.

D. Thomas art. 1.

RESTITVENDI verbum in proposito, atq; etiam frequenter aliâs tum apud sacros, tum apud profanos auctores, idem significat quod *reddere alicui id quod est ab eo ablatum seu acceptum*. Vt 4. Reg. 8. Cum legimus regem Ioram, interpellatum à muliere *pro domo sua & pro agris suis*, ad Eunuchum dixisse, *Restitue ei omnia quæ sua sunt, & vniuersos redditus agrorum à die qua reliquit terram vsq; ad præsens*. Ac eodẽ sensu dicit Cicero in Topicis, Ei cui vsusfructus domus legatus sit, non restituturum hæredem si domus corruerit. Et Terentius in Heaut.

Somnum hercle hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro tibi quem filium restituerem.

Et Caius Iuris Consultus in l. Plus est, ff. de verb. sig. *Restituere*, inquit, *est possessorem facere, fructusq; reddere*. Et in idem redit, quod D. Thomas hîc artic. 1. ait. Restituere, esse aliquem rursus in possessione & dominio suæ rei statuere. Hoc enim ipsum fit reddendo quod ablatum est.

Itaque secundum hanc vocabuli notionem, breuiter potest Restitutio describi sic. *Restitutio est actus Iustitiæ commutatiuæ, quo secundum æqualitatem rei ad rem redditur alicui, quod ab eo, vel volente, vel inuito, est acceptum.* Ita, quod ad rem attinet tradit D. Thomas hîc art. 1. Quem in explicanda ratione Restitutionis, omnes alij communiter sequuntur; ac nominatim Sotus lib. 4. de Iustitia, q. 6. art. 1. Et Ioannes Medina initio tractatus de reb. rest. Et Couarruuias relect. in Regulam Peccatum par. 2. §. 1. Et Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 7.

Quod autem in hac Restitutionis descriptione dicimus per eam reddi aliquid secundùm *æqualitatem rei ad rem, &c.* aliquantulum latè debet accipi: Nempe, vt dici potest æqualitas quædam esse nõ modò duarum rerum distinctarum, quarum vna nec plus nec minus cõtineat quàm altera (quæ quidem propriè est æqualitas) sed etiam eiusdem rei ad se ipsam; quatenus idem nimirum nec plus nec minus continet aut est, quàm ipsum. Ex qua declaratione patet, non modò fieri restitutionem quando redditur diuersa res æquiualens, sed etiam quando redditur eadem omnino res. Vt cum Depositarius restituit rem apud se depositam. Qui modus restitutionis ponitur quoque à D. Thoma art. 1. inter exempla restitutionis earum rerum, quæ à volente fuerunt acceptæ.

Nec propterea, quòd hæc quidem æqualitas eiusdem rei erga seipsam non est propriè æqualitas, sequitur, restitutionem eiusdem rei (qualis fit in deposito, cõmodato, impignoratione, &c.) non esse propriè actum Iustitiæ commutatiuæ, quæ nimirum constituit æqualitatem propriè dictam. Non inquam hoc sequitur. Nam est simul consideranda alia quædam rerum & personarum æqualitas propriè dicta, quam stabilit ille ipse actus restituendi rem eandem, qui proinde est eatenus propriè actus Commutatiuæ Iustitiæ. Hoc enim ipso quod restituis alteri rem suam, (licet eandem quam acceperas) efficis, vt nec ille habeat minus quàm habere debet, nec tu plus; atque adeo vt sit inter te & illum & inter vtriusque res, æqualitas, quantum est ex vi talis actus restituendi. Et dico, *quantum est ex vi talis actus*: Nam vt actus aliquis sit actus Commutatiuæ Iustitiæ, sufficit, vt eo modo (*scilicet quantum est ex vi sua*) constituat inter aliquos rerum æqualitatem: Nec requiritur vt absolutè & vndequaque & actu eam constituat. Sicut contra: vt aliquis actus sit actus Iniustitiæ, sufficit vt quantum est ex se, constituat inter aliquos rerum inæqualitatem, efficiendo, vt alter illorum habeat minus quàm debet; & alter plus.

Hoc autem probatur. Nam alioqui nec Iustitiæ actus posset exerceri inter eos qui absolutè, & de facto post æqualem etiam compensationem vtrinque factam (sicut in emptione, verbi gratia) manent inæquales. Vt inter diuitem & pauperem. Neque etiam Iniustitiæ actus posset exerceri inter eos qui post damnum ab illorum altero acceptum maneant opibus pares: Vt si ex duobus, quorum alter habebat duodecim, & alter octo, is qui habebat octo furetur duo ei qui habebat duodecim, & ita maneant pares in decem. Quæ omnia constat esse falsa. Itaque ad actum Iustitiæ sufficit, vt quantum est quidem ex se, constituat inter aliquos rerum æqualitatem; & ad actum Iniustitiæ, vt similiter quantum est ex se, inæqualitatem, sicut est dictum. Id quod in hac tota materia de Iustitia diligenter est notandum.

Porro,

PORRO, Quod ad extremum in Restitutionis descriptione addidimus per eam reddi id quod *à volente vel inuito* acceptum est; intelligendum est de volente dare non gratis, sed pro iusta compensatione suo tempore facienda, itemque de acceptione latè sumpta: pro vt accipere aliquid alteri is omnis dicitur, qui alteri quidquam de suo detrahit, & aufert; siue id ad se suamque vtilitatem transferat, vt in furto; siue perdat ac destruat, vt in mutilatione, cede, diffamatione, & aliis huiusmodi iniuriis, quæ & ipsæ per restitutionem compensari debent ratione iniquæ *acceptionis*, ita latè sumpto hoc vocabulo, vt infra videbimus, & notauit optimè Caietanus in Summa, Verbo Restitutio, capite 1.

Atque ex iis vt arbitror satis iam perspici potest, non modò quænam sit ratio Restitutionis, sed etiam quomodo Restitutio differat à satisfactione propriè dicta, quæ est pars tertia Sacramenti pœnitentiæ. Nam etsi conueniant in hoc, quod vtraque est compensatio quædam secundum aliqualem Iustitiæ æqualitatem: tamen differunt potissimum in duobus. PRIMO, Quia in *satisfactione* fit compensatio iniuriæ Deo illatæ non impendendo aliquid Deo offenso, sed solum soluendo pœnam pro pœna temporali, quæ iudicio diuino solui debebat. In *Restitutione* verò fit compensatio reddendo homini tantundem quantum abeo acceptum seu ablatum erat. SECVNDO, Quia per *Restitutionem* non propriè remittitur vllo modo peccatum aliquod quod in ablatione vel retentione rei alienæ committatur, sed desistitur à peccando in talis rei iniusta retentione; quo adhuc facto restat præterea procuranda apud Deum remissio patrati antea peccati in acceptione vel retentione iniusta rei alienæ. Per *Satisfactionem* verò propriè obtinetur ipsa remissio peccati quo ad reatum quidem temporalis pœnæ post dimissam culpam debitæ, vt in materia de Satisfactione traditur. Ex quibus differentiis inter Restitutionem & Satisfactionem pendent plures aliæ, quas Sotus libro quarto de Iustitia, quæstione 16. articulo primo, exponit prolixius, quàm videtur esse necesse.

Dixi autem differre prædictis modis Restitutionem & Satisfactionem *propriè dictam*. Nam si latius accipiamus vocabulum Satisfactionis, vt significet actionem omnem qua quis faciat quantum debet, (præsertim in materia Iustitiæ) constat, Restitutionem non differre à Satisfactione nisi vt quiddam minus commune à communiori quodam in quo includitur. Est enim Restitutio quædam Satisfactio, sic accipiendo vocabulum Satisfactionis. Ac isto modo latè id vocabulum vsurpatur in capit. Si culpa, Extra de Iniur. & damno dato. Vbi asseritur, satisfaciendum esse, tum pro iniuria, tum pro damno dato.

Dixi etiam Satisfactionem quæ fit à Deo, & Restitutionem in hoc conuenire, quod in vtraque fit compensatio secundum *aliqualem æqualitatem* Iustitiæ; nam Satisfactio quidem quæ fit Deo pro iniuria non est secundum omnimodam & propriè dictam æqualitatem, sed solum secundum æqualitatem quandam proportionalem, vt ostendimus in libro peculiari de Satisfactione, & trademus etiam in materia de pœnitentia Deo volente. Restitutionis autem compensatio est secundum iustitiæ æqualitatem propriè dictam, vt antea declaratum est. Et hæc pro hoc puncto sufficiant.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Restitutio sit necessaria ad salutem.

D. Thomas art. 2.

DVo hic sunt certa. PRIMO certum est, Restitutionem non esse ad salutem necessariam necessitate quidem *medij*, hoc est, ita, vt nisi ablata restituantur, nequeat vllo modo obtineri salus, quamcunque demum ob causam contingat restitutionem prætermitti. Nam vt puncto 7. videbimus, quædam causæ excusare possunt à restitutione; quæ si perpetuò durent, poterit quis absque dubio salutem consequi non facta restitutione. Vnde S. AVGVSTINVS in epist. 54. ad Macedonium, non absolutè affirmauit, esse necessariam restitutionem ad veram pœnitentiam, & ad salutis consequutionem, sed addidit, *Si res aliena reddi possit*: vt statim videbimus.

Atque hinc est corrigendus quidam nonnullorum vulgarium error, quem Sotus etiam lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 1. redarguit, & Nauarrus in Manuali, cap. 17. n. 68. post S. Thomam quodlib. 6. articul. 13. & Adrianum quodlib. 8. Nempe non liberari à purgatorio nec consequi salutem eum, qui aliquid in vita aliis debebat, quo ad eius debita ab hæredibus soluantur. Falsum enim est hoc. Nam si talis dum viueret, ob aliquas causas excusatus fuit à peccato mortali non restituendo, & ita in gratia Dei ex hac vita decesit (vt supponitur, cum dicitur, esse in purgatorio) salutem consequetur cùm primùm satis passus fuerit in purgatorio pro debito temporalis pœnæ, etiam si hæredum culpa fiat, vt eius debita nunquam soluantur. Non enim salus pendet ex Restitutione per se aut per alios facienda, tanquam ex medio reipsa ad salutem ita necessario, vt sine illo nequeat vllo modo salus obtineri, sicut iam dictum est.

SECVNDO certum est, & quidem ex fide, Restitutionem esse necessariam ad salutem necessitate *præcepti*, quando Restitutio quidem potest fieri, & is à quo res accepta est rationabiliter inuitus ea caret. Hanc assertionem videntur negasse

Universidad de Deusto
Biblioteca

gasse quidam Sacerdotes Græcorum, qui, si Guidoni Carmelitæ credimus (ex quo id refert etiam Alphonsus à Castro in Summa de hæresibus, Verbo Restitutio) raptoribus & furibus ita absolutionis beneficium impendebant vt nullam eos iuberent facere restitutionem, sed oleo tantum (restitutionis loco) ipsos inungerent, & ab eis quandam pecuniæ summam exigerent. Ac monet etiam Alphonsus, Erasmum in Annotationibus ad 2. cap. Lucæ circa illa verba: *Quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, suspectum se reddidisse huius erroris in prioribus illius sui operis editionibus: Siquidem ita ibi scripserat: *Illud annotandum: Cùm modò fecerit* (Dominus) *mentionem rapinæ, in remedio non fieri mentionem Restitutionis; Tantum pollicetur, Eleemosynâ data omnia fore munda.* In quinta tamen operis editione sustulit hanc suspicionem addens: *Sed qui iubetur dare iis quibus nihil debet, multo magis iubetur reddere si quid cui debet.*

Probatur autem Assertio nostra (quidquid sit de Græcis & Erasmo) PRIMO ex Scriptura. Ezechiel. 33. *Si dixero Impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium & iustitiam; & pignus restituerit ille Impius, rapinamq; REDDIDERIT, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum, vita vinet, & non morietur.* Vbi indicatur, æquè ex diuino præcepto necessariam esse restitutionem ad salutem & ad vitam spiritualem animæ, atque est ex diuino præcepto necessarium pœnitentiam agere, & in mandatis vitæ ambulare, & nihil iniustum facere, &c. Vnde etiam Tobias cap. 2. *Videte*, inquit, *ne furtiuus sit* (hædus quem audiebat domi balantem) *reddite eum dominis suis, quia non* LICET *nobis aut edere ex furto quidquam aut contingere.* Et Matthæi 27. Omnibus ex diuino præcepto reddi oportere quæ sua sunt & eis debentur, non secus ac Deo impendendum debitum obsequium, apertè Dominus declarauit inquiens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et Apostolus ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Et addit: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Quo loco particula, NISI, vel est declaratiua, vt sit sensus, esse omnibus soluēda debita, vt possit mutua charitas retineri quæ alioqui violatur violata iustitia retinendo debita; (quæ interpretatio magis placet Soto libro 4. de Iustitia, quæstione 6. articulo 2.) Vel est exceptiua, vt sit sensus, nihil aliud esse debendum nisi dilectionem; cuius nimium natura est talis, vt quia perpetua esse debet, semper supersit impendenda, neque ita vnquam persolui possit, quin non etiam vlterius debeatur. Quæ interpretatio est sancti CHRYSOSTOMI in illum locum, & sancti AVGVSTINI in libro expositionis quarundam propositionum epistolæ ad Romanos. Et placet Adriano magis in 4. sent. in materia de Restitutione, non longè ab initio.

SECVNDO probatur assertio luculento & celebri testimonio S. AVGVSTINI in epist. 54. ad Macedonium, quod refertur in Regula Peccatum, de Regul. Iuris in 6. Et in capit. Cum tu, Extra de vsuris, & in Decretis 14. quæst. 6. canone 1. Cum enim Macedonius epistola præcedenti, 53. quæ est ad Augustinum, scripsisset, quosdam *sceleris pœnam cupere sibi relaxari, & id propter quod scelus admissum est possidere*: respondens ad hoc Augustinus: *Pessimum*, inquit, *hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena propter quam peccatum est, cum reddi potest, non redditur; non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum. Sed, vt dixi, cùm restitui potest. Plerumque enim qui aufert amittit, siue alios patiendo malos, siue ipse malè viuendo, neque aliud habet vnde restituat. Huic certè non possumus dicere, Redde quod abstulisti, nisi cùm habere credimus & negare.* Vbi vtramque assertionem nostram luculenter docet Augustinus nimirum & esse necessariò restitutionem faciendam ab eo qui veram instituit agere pœnitentiam; & hanc necessitatem non esse *medij*, sine quo nullo modo possit obtineri finis remissionis peccati atque adeo salus, sed esse necessitatem *præcepti*, quod videlicet obligat cum impleri potest, iuxta ea quæ p. 7. trademus.

TERTIO probatur assertio manifesta ratione. Nam sicut accipiendo rem alterius cum eius damno, violatur iustitiæ æqualitas, ita etiam eam retinendo. Sed vt Iustitiæ æqualitas accipiendo rem alienam non violetur, necessarium ad salutem est, ab eiusmodi acceptione rei alienæ abstinere. Ergo eadem ratione est ad salutem necessarium rem alienam restituere, ne scilicet violetur Iustitiæ æqualitas rem alienam retinendo, atque adeo augendo res proprias cum damno alterius.

Rectè namque I.C. in l. Nam in hoc natura. ff. de cond. indeb. *Naturâ*, inquit, *æquum est, neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri.* Vnde D. Thomas quæst. 66. art. 3. *Detinere, inquit, id quod alteri debetur eandem rationem habet cum acceptione iniusta.* Atque hinc etiam S. AVGVSTINVS in d. epistol. 54. *Nolentes*, inquit, *reddere quæ nouimus & malè abstulisse, & vnde reddant habere, arguimus, increpamus, & detestamur, &c. aliquando etiam sancti Altaris communione priuamus.*

Solet autem hic disputari, quale nam sit præceptum istud naturale & diuinum ex quo Restitutio sit necessaria ad salutem; an scilicet sit negatiuum de non retinēda iniquè re aliena, quod proinde obliget pro semper; an verò sit affirmatiuum, quod obliget pro certo duntaxat tempore concurrētibus certis circumstantiis. Sed non videtur posse esse hac de re controuersia, nisi forte de nomine, vt rectè perspexit Sotus lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 2.

Nam quod ad rem ipsam attinet, necesse est, conue-

nire inter doctos de duobus, quæ docet D. Thomas art. 8. ad 1. Et Adrianus in materia de Restitutione, non longè ab initio. Et Sotus lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 2. & alij. PRIMO, primariò quidem Restitutionem esse necessariam ex præcepto *affirmatiuo*, quod nimirum iubet exercere actum ipsum bonum virtutis Iustitiæ, puta restitutionem. Quod proinde præceptum non absolutè obligat pro omni omnino tempore, quo res aliena retinetur aut reddita non est; sed pro toto illo tempore quo opportunè potest & debet reddi, iuxta rationabilem voluntatem creditoris concurrentibus certis circumstantiis, de quibus p. 7. disseremus. SECVNDO, Esse quoque Restitutionem necessariam secundariò ex præcepto *negatiuo*, quod est annexum consequenter illi priori affirmatiuo, & prohibet iniquam rei alienæ retentionem pro omni quidem illo tempore quo potest & debet restitui ex præcepto affirmatiuo, iuxta dicenda in prædicto p. 7. Nam vt rectè censet Adrianus in 4. in materia de Restitutione, omissio etiam actus boni & debiti prohibetur præcepto negatiuo, quando æquiualet actui malo; sicut in proposito retentio iniqua rei alienæ, atque adeo omissio restitutionis, æquialet iniustæ acceptioni, cùm æquè sit damnosa proximo. Vnde Apostolus ad Rom. 3. vtrumque præceptum tum negatiuum tum affirmatiuum indicauit. Affirmatiuum quidem inquiens: *Reddite omnibus debita.* Negatiuum verò addens: *Nemini quidquam debeatis, etc.* Et reducitur istud præceptum negatiuum de non retinenda re aliena, ad illud præceptum negatiuum Decalogi, *Non furaberis*, vt rectè docet Sotus lib. 4. de Iustit. q. 6. art. 7. ex sententia D. Thomæ q. 66. art. 3. ad 2.

Neque tamen sequitur, eum qui non restituit cum potest & debet, peccare duplici peccato, licet peccet contra duo præcepta, affirmatiuum scilicet de restituendo, & negatiuum de non iniquè retinenda re aliena. Non enim peccata propriè distinguuntur pro diuersitate præceptorum quibus aduersantur, sed pro diuersitate virtutum quibus opponuntur, aut pro diuersitate modi valde diuersi quo repugnant eidem virtuti; vt tomo 2. q. 2. de peccatis docuimus. Omissio autem Restitutionis rei alienæ, qua peccatur cōtra præceptum affirmatiuum de restituendo; & retentio eiusdem, qua peccatur contra præceptum negatiuum de non retinenda re aliena, vni & eidem virtuti Iustitiæ; & eodem modo aduersantur; cùm inter omissionem Restitutionis alienæ rei, & retentionem eiusdem nihil differat. Quare minimè hæc duo sunt distincta peccata: Sed reputandasunt vnum & idem peccatum, tamdiu continuatum, quamdiu durat opportunitas restituendi, vt rectè tradidit Adrianus loco citato.

Quotiescunque autem occurrit noua & peculiaris occasio restituendi, & negligitur; nouum & distinctum peccatum admittitur: Vt quando creditor denuò exigit, vel noua difficultate premitur. Sicut etiam est nouum peccatum denuò velle non restituere, aut denuò rem alienam vsurpare cum eius detrimento, ac proinde cum nouo damno domini: vt vtendo, verbi gratia, equo alieno cum ipsius damno, &c. Constat enim per hæc violari denuò iustitiam. Quo fit vt oporteat hæc distincta peccata declarari in Confessione.

SVPEREST autem soluendum quoddam argumentum, quo probari videtur nunquam esse ad salutem necessarium facere restitutionem quantumcunque id sit opportunum. Est autem argumentum huiusmodi. Nunquam peccat qui omittit restituere. Ergo nunquam est ad salutem necessarium restituere. Consequētia est euidens, Nam quod est ad salutem necessarium, negligi non potest absque peccato. Antecedens autem probatur. Nam si peccaretur retinendo seu non restituendo rem alienam, consequens esset, vt nunquam posset rei dominus rationabiliter velle ipsam sibi reddi: cum debeat is secundum rectam rationem & charitatis legem, anteponere spiritualem proximi immunitatē à peccato quibuscunque suis temporalibus rebus. At istud consequens manifestè est falsum. Ergo id etiam vnde cōsequitur. Maior seu sequela probata est. Minor (seu falsitas Consequentis) probatur dupliciter. *Primò*, Quia vt rationi consentaneum est reddere vnicuiq; quod est suum, ita etiā velle suum sibi reddi. *Secundò*, Quia peccaretur tunc non restituendo (vt supponitur) & simul etiam non peccaretur, quandoquidem minimè peccatur alienam rem retinendo, nisi Dominus rationabiliter velit sibi reddi.

In hoc argumento soluendo nonnihil laborat Adrianus vbi supra. Atque etiam Sotus lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 2. ita ad illud respondet, vt planè videatur ex eius dictis sequi, quòd saltē si creditor sit superior debitoris, & illius ei cura spiritualis incumbat, non possit is vnquam rationabiliter velle sibi quod suum est reddi; ac proinde nec obligari vnquam subditum ad restituendum quidpiam temporale suo superiori: Id quod manifestè falsum est.

Sed omissis responsionibus horum auctorum (quas operę precium non est discutere) breuiter respondeo ad argumentum in forma negando Antecedens. Ad probationem Antecedentis negandā est Maior. Et ad illius probationem dicendum est, non semper debere quem suis rebus temporalibus anteponere immunitatem spiritualem proximi à peccato, sed quando proximus est in graui aut extrema necessitate spirituali constitutus, ita vt iactura bonorum temporalium alterius sit illi moraliter loquendo necessaria ad effugiendum peccatum & mortem spiritualem animæ, iuxta ea quæ tradidimus sup. disp. 3. q. 4. de ordine charitatis. Qui autem retinet rem alienam, non est ordinariè in tali necessitate constitutus, si (vt supponimus) in illius arbi-

trio & potestate situm est restituere. Quare minimè tenetur creditor relinquere sua debitori ad liberandum eum à peccato non restituendi, cum possit ipsemet debitor aliter se liberare ab eo peccato nimirum restituendo.

Et hæc sint satis pro hoc puncto. Nam alia argumenta quæ contra necessitatem Restitutionis obiici possent, non probant, nunquam esse necessario faciendam restitutionem, sed solum excusari quandoque debitorem à restituendo quibusdam ex causis, de quibus disserendum est p.7. Sicut etiam p. 5. explicanda sunt ea quæ Caietanus hîc disputat circa solutiones argumentorum D. Thomæ.

PVNCTVM TERTIVM.

Quis nam debeat Restituere.

D. Thomas art.6. & 7.

VERA est omnino quædam Regula generalis, quæ à D. Thoma hîc & ab aliis Doctoribus communiter proponitur, vt dignosci possit in casibus particularibus quisnam ad restitutionem teneatur. Eam regulam ita ego statuo & declaro: Triplici ex capite oritur obligatio restituendi. Nimirum vel ratione *solius acceptionis* rei alienæ, etiam si eam rem fortè non amplius habeas: Vel ratione *solius rei alienæ*, quam scilicet apud te habeas, licet eam fortè ab eius domino non acceperis: Vel ratione vtriusque, scilicet acceptionis, & rei, cùm eam & accepisti à Domino, & retines.

Nomine autem *rei* in proposito intelligimus rem, aut prout est ipsa in se, aut prout restat & manet ipsa quodammodo in suo aliquo fructu vel effectu, vel etiam in suo precio: sic nimirum, vt inde sis factus ditior, sicut optimè inter alios explicauit hic artic. 6. Caietanus. Et in Summa, Verbo Restitutio, vbi ponit exemplum de eo qui inuitatus ad edendum furtiuum vitulum, parcit domi sumptibus quos alioqui erat facturus in domestica cœna. Censetur enim huic manere pars vituli in precio, quod fuisset alioqui consumptum in paranda domi cœna: quod proinde precium tenetur restituere Domino vituli cùm sciuerit illum fuisse furtiuum.

Nomine autem *acceptionis* intelligimus in primis acceptionem omnem non gratuitam; siue ea sit iusta, ex voluntate nimirum Domini rem dantis non gratis, sed pro compensatione vel redditione suo tempore facienda ex certa conuentione & pacto: Siue eiusmodi acceptio non gratuita sit iniusta; vt quando res ab aliquo accipitur nullo modo volente sed planè inuito. Vt per furtum, & rapinam, &c.

Deinde quoq; intelligimus in proposito nomine acceptionis *quamcunque actionem*, qua res ab altero auferatur; siue rem eam sibi acquirat A is qui accipit, siue eam prorsus destruat: vt comburendo alienam domum, vel lædendo famam alterius, &c.

Denique ratione acceptionis ita latè explicatæ intelligimus obligari ad restitutionem eum qui vera fuerit *causa* acceptionis, seu directa seu indirecta, vt post videbimus.

Huius regulæ ad hunc modum explicatæ ratio est hæc. Is tenetur rem restituere qui est vera causa, vt minus alter habeat de rebus suis quam habere debet; vt ita consistat æqualitas Iustitiæ Commutatiuæ, posita nimirum in hoc, vt quisque habeat non minus nec plus quàm debet, sicut explicauimus p.1. Sed is omnis & solus, qui rem alienam vel habet, vel directè aut indirectè accepit, est vera causa, vt alter habeat minus quàm habere debet. Ergo is omnis & solus restituere debet. Et sic verissima est illa Regula.

Porro circa *vsum* huius Regulæ, quinque sunt certa apud Doctores, & quatuor controuersa. PRIMO certum est, causam veram acceptionis rei alienæ in proposito reputari in primis eum, qui quouis modo directè est causa acceptionis: exequendo nimirum eam vel arbitratu suo, vel ex mandato alterius, vel iubendo, vel consulendo, vel laudando, vel receptando acceptorem, aut rem participando, &c. Deinde etiam eum qui indirectè est causa acceptionis vel retentionis, cùm scilicet potest & debet eam impedire loquendo aut obstando aut manifestãdo, & non impedit. Qui omnes modi, excepto illo *per exequutionem* (vt qui clarissimus per se est) comprehendi solent memoriæ causa his versiculis, relatis hîc à D. Thoma art. 6. & communiter ab aliis Doctoribus:

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus
Participans, Mutus, non Obstans, non Manifestans.

Verbis illis *Iussio, Consilium, Consensus*, quinam significentur manifestum per se est. Verbo autem *Palpo* significatur is qui adulando & laudando inducit ad actionem iniustam. Verbo *Recursus* is, qui receptat accipientem aliena. Nam eo ipso illum mouet ad iniustam acceptionem, & in ea iam facta confirmat & fouet. Verbo *Participans*, indicatur socius criminis quocunq; modo, siue vt exequutor, siue vt mediator, siue vt explorator, &c. Verbo *Mutus*, indicatur qui potest, & ex officio tenetur impedire iniustam actionem loquendo, vel dissuadendo, vel prohibendo, vel reprehendendo, &c. & tacet. *Non obstans* intelligitur esse is, qui ex officio tenetur & potest impedire & non facit, vt Iudex, Princeps, &c. *Non Manifestans* est is, qui iniustam actionem, dum fit, vel facta est, potest & tenetur manifestare & non facit; vt Testis: qui proinde tenetur ad restitutionem damni quod alter incurrit ob celatam veritatem.

SECVNDO

SECVNDO certum est, duo requiri, vt aliquo ex iis modis censeatur aliquis verè causa acceptionis rei alienæ, atq; adeo teneatur hoc nomine restituere. VNVM est, vt effectu ipso res aliena fuerit ablata. Alioqui nulla nascetur obligatio eam restituendi, quantumcunque quis in eius ablationem consenserit, aut de ea consilium vel mandatum dederit, &c. ALTERVM est, vt re vera propter tuum imperium, seu consilium, seu laudem, seu consensum, &c. ablatio Rei alienæ subsequuta sit. Nam quantumcunque consentias, vel imperes, &c. tamen si alter non propter respectum consensus tui aut imperij, &c. sed aliunde ad id motus, rem alienam abstulit, non eris eu causa ablationis eius.

Ac per hoc Caietanus in Summa, Verbo Restitutio, cap.1. excusat ab obligatione restituendi eos qui consentiunt in bellum iniustum, postquam iam illud suscipere deliberarũt ij, ad quos pertinebat de illo statuere. Atque etiam eos, qui per posteriora suffragia consentiunt in collationem rei iniustam; si per suffragia priora præualentia, iam esset res definita, nec penderet à suffragiis posteriorum. In quo etiam cum Caietano sentit Nauarrus in Manuali, cap.17. numer.21. Et denique eos qui consentiunt in electionem alicuius indigni prætermisso digno. In iis enim casibus consensus in actionem iniustam est tantum consensus (& proinde peccatum) sed non etiam causa iniustæ actionis: & ideo non parit obligationem restituendi.

TERTIO certum est, si plures simul concurrant ad vnam & eandem iniquam actionem, ita vt quilibet indifferenter sit causa totius damni per eam illati: quemlibet eorum teneri *in solidum* ad totius damni compensationem seu ablati boni restitutionem. Vt quando plures ex æquo concurrunt ad incendendam vnam domum, vel ad occupandam vnam ciuitatem in bello iniusto, &c. Ratio est, Quia vt annotauit optimè Caietanus in Summa, Verbo Restitutio, capite primo, quilibet tunc est causa seu concausa totius damni, quamuis non solus. Qui enim vnà cum alio effectum quempiam facit, verè ipsum facit. Vnde etiam in l. Ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. habetur, Quod si plures eandem trabem, aut quamuis aliam ponderosam rem furto asportant, quam quilibet solus ferre non posset, vnusquisque illorum tenetur in solidum actione furti. Si autem plures ita inferunt aliquod damnum, vt non quilibet sit causa totius sed tantum partis, quisque tenebitur solum pro sua parte ad refarciendum damnum quod intulit. Vt quando plures ciuitatem ita diripiunt, vt vnus vnam domum alius aliam expilet.

QVARTO certum est, Casu quo vnus ex pluribus qui *in solidum* (vt dictum est) ad restituendum tenebantur, restituerit & resarciuerit totum damnum, alios minimè teneri ad restituendum quidpiam ei quidem qui damnum passus est. Siquidem iam is non habet minus quàm debet, & sic cessat ratio obligationis ei restituendi, iuxta doctrinam D. Thomæ hîc art. 7. ad 7. communiter receptam.

Tenentur tamen reliqui pro rata parte ei qui restituit refundere, quod pro parte illorum dedit, vt idem D. Thomas ibi, & alij communiter dicunt; si concurrat tamen aliqua circumstantia ex *tribus*; iuxta ea quæ in dicto articulo optimè circa hoc differit Caietanus, cui Sotus lib.4. de Iustitia, quæst.7. ar.3. assentitur, nec vllus contradicit.

Prima est, Si res acceptæ sint vsu consumptibiles, & aut in se aut in sui valore extent ex toto aut ex parte apud reliquos. Nam succedit in locum Domini earum is, qui totum earum precium restituit, perinde ac si emisset, vt optimè differit Caietanus; & proinde ei debent pro rata parte restitui. Vt, verbi gratia, duæ tertiæ partes furti, si tres fures fuerant, & vnus totum restituit. Dixi autem si sint res *vsu consumptibiles*; nam si sint non vsu consumptibiles & extant, illas easdem oporteret restitui; neque aliter satisfieret, vt patebit ex iis quæ puncto 5. trademus.

Secunda circumstantia est, Si quamuis res acceptæ sint consumptæ, tamen vtiles fuerunt iis, qui consumpserunt. Nam tunc etiam oportet pro rata parte refundere ei qui precium earum totum restituit; siquidem (vt dictum est) succedit is Domino, cui oportet restitui res iniquè acceptas (ratione scilicet iniquæ acceptionis) etiam si sint consumptæ.

Tertia circumstantia est, Si quamuis res acceptæ non cesserint in vtilitatem aliquam accipientium, sed planè destructæ fuerint (vt incendendo domum, conculcando segetes, &c.) tamen is qui totum restituit inductus fuit à reliquis ad id damnum inferendum, vel certè in ea re sic ab illis adiutus, vt sine illis non intulisset tale damnum. Vtroque enim modo reliqui censeri tunc possunt causa fuisse alteri, vt inferret damnum, atque adeo, vt incurreret obligationem restituendi & grauamen ipsum restitutionis: quo nomine ipsum etiam singuli damnificarunt: ac propterea tenentur ei ob hoc damnum refundere pro rata parte id quod restituit Domino rei: sicut latius & obscurius tradit loco citato Caietanus.

Si autem is qui destructa rea aliena totum eius precium restituit, non fuit vllo modo ex istis directè aut indirectè inductus à reliquis ad inferendum damnum, sed aut ipse potius reliquos induxit, vt iniustæ actioni cooperarentur, aut ita simul omnes ad eam concurrerunt, vt quisque etiam sine aliis idem fuisset facturus; tunc quidem vno restituente totum, non tenentur reliqui quidquam ei refundere: quandoquidem nullo modo ei causa fuerunt vt incurreret damnũ obligationis restituẽdi, ipsiúsue restitutionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt rectè Caietanus resoluit. Quanquam vt idem addit, ex æquitate & honestate quadam deceret eos id facere. Et obseruandum est non posse Dominum rei liberare alios ab obligatione refundendi ei qui totum restituit concurrente aliqua circumstantia ex illis supra dictis, in quibus refusio Iure naturæ facienda est.

QVINTO, (Quod attinet ad alterum caput obligationis restituendi in supra posita Regula comprehensum, scilicet ad *rem acceptam*) certum est, ratione rei acceptæ, tunc solum oriri obligationem restituendi cùm res adhuc ex toto aut ex parte extat; vel in se, vel in sui valore aut aliquo suo effectu. Vt cum quis per eius rei vsum fuit factus ditior, conseruando nimirũ suam rem quam alioqui erat consumpturus, vel lucrifaciendo quidpiam, &c. Si autem res omnino aut ex parte fuerit consumpta bona fide, cum quis nimirum non mala conscientia rem accepit, aut possedit, sed probabiliter putabat suam esse; aut cum res sine culpa notabili eius qui eam possidet perierit; non tenebitur ad restitutionem eius quod consumptũ est. Ita communiter omnes tradunt; & idem patet ex L. Sed etsi possessor. §.1. & l. Item veniunt. §.1. ff. de petit. hæred. Et declarat bene Caietanus art.6. Et Nauarrus in Manuali cap.17. n.7. Et Sotus lib.4. de Iustit. q.7. art.2. Dixi autem qui *probabiliter* (attentis rei & personæ circumstantiis) putat rem esse suam, &c. Nã qui ex ignorantia crassa & supina putat rem alienam esse suam, non est putandus habere bonam fidem à restitutione consumptorum excusantẽ, vt ex communi doctrina tradit Nauarrus eodem cap.17. num.84. & docebimus infra p.7. Et hæc quidem certa sunt circa vsum supra positæ Regulæ.

CONTROVERSVM autem est PRIMO, Quis nam sit censendus vera causa directa aut indirecta iniustę acceptionis, qui proinde debeat restituere. Diuersimode namque hoc ab auctoribus declaratur. Nam Innocentius in c. Sicut dignum. Extra de Homicidio. Et Hostiensis ibidem. Altisiodorensis lib.4. Summę, in tract. de Sacram. pœnit. cap. de Rest. q.3. Et Richardus in 4. d.15. art.5. q.4. Et Syluester, Verbo Restitut. 3. q.6. Et Adrianus in 4. in q. de Restitut. §. *De concurrentibus cum fure*. Et Nauarrus in Manuali c.7. n.20. existimant, eum omnem & solum esse verè causam iniustæ acceptionis & damni, sine quo damnum & iniusta acceptio non esset subsequuta. Ex quo inferunt Cooperatores iniquę acceptionis, si absque illorum opera fuisset facta, non teneri ad restitutionem, nisi eius partis rei alienę quæ ad eos peruenit: non autem rei totius tanquam verè causas iniustæ acceptionis.

Sed hanc explicationem & sententiam meritò putant esse falsam Caietanus hîc artic.7. Ioannes Medina quæst.7. de reb. rest. Sotus lib.4. de Iustitia, quæst.7. art.3. Quoniam notio veræ causæ alicuius effectus, omni veræ causæ debet conuenire, & nulli non veræ causæ. Quod autem aliquid ita concurrat ad effectum, vt sine illo effectus non sequeretur; id nec omni veræ causæ, & alicui quod non est vera causa, conuenit: Ergo non in eo consistit ratio veræ causæ, vt auctores illi asserunt.

Minor quo ad priorem partem probatur dupliciter. *Primò*, Nam qui scandalum dat, verè est causa scandali & eo nomine meretur dignam pœnam; iuxta illud Christi: *Væ homini illi per quem scandalum venit*, Matth.18. Et tamen non ita, vt si ipse non scandalizaret, scandalum non daretur ab alio: quandoquidem *necesse est, vt veniant scandala*, sicut ibidem ait Dominus. *Secundò*, Nam si quis præciperet suis famulis, vt quempiam interficerent, & eorum aliquis anteuertens alios, id faceret, dubium non est quin esset is vera causa homicidij; non obstante quòd aliquis aliorum idem fuisset facturus si ille non fecisset; sicut ratiocinatur optimè Caietanus.

Probatur etiam eadem Minor quo ad posteriorem partem, Nam conditiones quæcunque ad effectum requisitæ, quas vocant Philosophi *conditiones sine quibus non*, sic ad effectum concurrunt, vt sine illis effectus non fieret: Et tamẽ non ideo ipsæ sunt veræ causæ ipsius effectus. Cùm igitur illa ratio causæ ab Innocentio, & reliquis auctoribus assignata, non conueniat omnibus veris causis, & aliquibus etiam non causis conueniat: perspicuum est, eam non rectè assignatam esse.

Itaque melior iudicanda est sententia Caietani hîc art.7. Medinæ, quæst.7. de reb. rest. & Soti lib.4. de Iustitia, quæst.7. artic.3. & aliorum, qui statuunt, veram causam damni seu acceptionis iniustæ, esse eum, qui aliquo concursu, & quasi influxu suo, moraliter confert ad eum effectum; faciendo nimirum quidpiam alicuius momenti quod conducat & iuuet ad efficiẽdam actionem iniustam, etiam si absque eius opera alioqui esset futura. Vt si consilium des de ineundo contractu vsurario, aut si literas de tali contractu ad eum firmandum conscribas, aut conscribi cures tanquam vsurarij procurator seu agens.

Secus autem Soto vbi supra videtur, si accipias tantum, vel teneas vsurariam pecuniam tanquam vsurarij famulus. Nam censet Sotus locotato, non esse id moraliter loquendo aliquid notabiliter conferens ad iniustam acceptionem vsurę. Sed probabilius opinatur contrarium Nauarrus in Manuali cap.17. n.266. post Caietanum hîc art.7. Et Syluestrum, Verbo Vsura 7. quæst.4. & alios quos idem Sylueſter refert. Nam reverà accipere & conseruare pecuniam vsurariam prohero vsurario, moraliter est aliquid conferens ad iniquam acceptionem & retentionem talis pecuniæ. Neque obstat quod si tu id non faceres facilè fieret per aliquem alium vsurarij famulum. Iam enim dictum est, ad veram causam in proposito non requiri, vt effectus non aliter fistaquuturus.

Quare

Quare maneat, omnes eos esse verè causas iniustæ acceptionis, atque adeo teneri ad restitutionem *in solidum*, (iuxta modum supra dictum in tertio & quarto pronunciato certo) qui concurrunt & influunt moraliter ad totam acceptionem iniustam, etiam si aliter ea sequutura esset; nec satisfacturos tunc, si tantum restituant partem rei, quæ ad ipsos deuenerit, vt falsò auctores primæ sententiæ censuerunt.

SECVNDO controuersum est, an semper is teneatur ad restitutionem, qui fuit causa indirecta iniustæ acceptionis aliquo modo ex supradictis; scilicet non eam impediendo cum posset & teneretur, loquendo, aut obstando, aut manifestando, &c. Et est ratio dubitandi quoniam aliquando quis tenetur iis modis impedire iniustam acceptionem & damnum proximi solùm *ex charitate*; vt quilibet priuatus, quum id facere potest sine notabili suo damno: aliquando autem tenetur ad id aliquis *ex officio*, & ex iustitia; Vt Princeps, Prælatus, Iudex, testis à iudice requisitus, &c.

Sunt autem graues auctores qui existimant, tunc solùm teneri quempiam ad restitutionem, quia damnum proximi cùm posset & teneretur non impediuit, quando id facere tenebatur *ex officio & ex Iustitia*: non autem quando tantum ex charitate. Ratio illorum est quia obligatio charitatis non parit obligationem restituendi quando violatur, sed solum obligatio Iustitiæ; Alioqui, is qui est causa indirecta damni proximi non dando ei Eleemosynam, sicut ex charitate debet, teneretur postea ad restitutionem. Quod omnino est absurdum. Ita sentiunt Sylueſter, Verbo Restitutio tertio, quæst.6. Et Adrianus in quarto in quæstione de Restitutio. §. *De concurrentibus cum fure*, & duobus §§. sequent. Et Sotus lib.4. de Iustit. quæst.7. art.3. Et Medina quæst.9. de reb. rest. post Alexand. Halens. 4. parte quæst. 86. num.3. art.4. §.7. in fine. & Altisiodorensem lib.4. suæ summæ in tractatu de pœnitentia, cap. de Restitut. quæst.3. Et addit Adrianus esse hanc communem opinionem Doctorum.

Contrariam tamen opinionem asserit Caietanus in Summa, Verbo Restitutio, cap.1. Et Richardus in 4. dist.15. art.5. quæst.4. Et Angelus in Summa, Verbo Restitutio, Qui duo posteriores affirmant id saltem quando quis dolosè & ex maleuolentia omittit impedire damnum proximi, cum sine suo periculo posset & ex charitate teneretur. Ipse autem sentio, opinionem quidem primam esse tum mitiorem, tum omnino etiam probabiliorem propter auctoritatem Doctorum illorum, qui in ea sunt: sed tamen posteriorem quoq; sententiam Caietani esse non improbabilem, si momenta rationis ponderemus.

Sic enim pro sententia Caietani argumentari licet, Omnis ille tenetur ad restitutionem, qui est vera causa moralis iniustæ acceptionis, atque adeo damni per eam illati proximo. Sed is etiam qui ex charitate tantum tenebatur & poterat impedire iniustam acceptionem damnumq; proximi, & non impedit, est vera causa moralis iniustæ acceptionis & damni per eam illati proximo, Ergo is etiam tenetur restituere.

Maior probatur, Nam qui est vera causa moralis iniustæ acceptionis & damni per eam illati proximo, eo ipso violat obligationem Iustitiæ commutatiuæ, siquidem est causa vt proximus habeat minus quàm debet. Constat autem ad restitutionem teneri eum qui Iustitiam commutatiuam violat.

Minor autem probatur. Nam vera & moralis causa alicuius censetur à Theologis & Philosophis moralibus non modò is, qui directè est causa, & facit ipse effectum, sed etiam is qui est causa indirectè, per hoc quòd cum posit & teneatur rem impedire non impedit, vt patet ex iis quæ disseruimus tomo 2. disp.2. quæst.1.

Nec in hac ratione & descriptione veræ causæ moralis indirectæ solet vnquam à Theologis aut Philosophis poni & requiri, quòd quis ex hac aut illa obligatione determinatè debuerit impedire id quod non impedit: sed satis hoc ipso intelligitur esse causa, quòd impedire potuerit & debuerit ex qualicunque demum obligatione. Ergo is qui in nostro proposito potest & tenetur (licet tantum ex charitate) acceptionem iniustam impedire, & non impedit, est eo ipso vera causa moralis indirecta eius: ac proinde tenebitur ad restitutionem.

Nihilominus probabilior censeri debet, vt dixi, prima opinio communis. Etenim qui solùm ex charitate tenetur & potest impedire acceptionem iniustam damnumq; proximi, & non impedit, is neque per omissionis, neque per commissionis peccatum, violat obligationem Iustitiæ. Ergo nullo modo; & consequenter minimè tenetur ad restitutionem. Antecedens probatur quoad vtramq; partem. Nam neq; talis est tunc obligatus ad impediendum damnum illud proximi præcepto aliquo iustitię affirmatiuo (vt supponimus) quod tunc violetur per omissionem: neq; etiam ipse aliquid tunc contra negatiuum præceptum Iustitiæ agit, quo violet iustitiam per commissionis peccatum; sed tantummodo non id agit quod teneretur ex charitate.

Ad argumentum verò factum pro opinione Caietani neganda est Maior. Non enim is tenetur ad restitutionem, qui quomodocunque est vera causa iniustæ acceptionis aut damni proximi (tunc enim etiam is qui negligens facere Eleemosynam est causa damni proximo teneretur restituere, quod est omnino falsum) sed is qui est eius rei causa violando per commissionem aut omissionem præceptum aliquod Iustitiæ. Quod minimè facit is, qui solum ex charitate tenetur auertere damnum proximi & iniustam acceptionem. Sed is qui vel ipsam iniustam acceptionem efficit, vel non impedit,

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum ad id teneretur ratione officij & ex iustitia. Nam per dignitatem & conditionem ipsam officij, vel etiam per annexum ei stipendium, compensari censetur ei qui in officio est, onus resarciendi damna, si quæ ob eius negligentiam obuenerint iis, quorum curam habet: Ac proinde ex iustitia impedire & auertere eiusmodi damna tenebitur.

Nec est iniustum, vt pro dignitate, aut stipendio officij, debeant resarciri omnia eiusmodi quæ euenerint damna. Nam dignitas & stipendium officij certa sunt; damna autem illa, incerta, & quæ diligentia adhibita vitari possunt. Et eò fit, vt secundùm humanam æstimationem (quæ est Iustitiæ & æqualitatis regula) onus illud resarciendi damna multa incerta, iustè compensetur per certam officij dignitatem certumque stipendium.

Sed dicet aliquis, Si is cui ex officio incumbit impedire damna proximi, tenetur id facere ex iustitia: Consequens erit, vt si id non faciat duplici peccato peccet; nimirum altero contra iustitiam, altero contra charitatem, ex qua sine dubio etiam tenetur damna proximi impedire non minus quàm quiuis priuatus, siquidem per nullum officium liberatur quis ab obligatione charitatis.

Respondeo non id consequi. Nam vtraque obligatio, scilicet charitatis & Iustitiæ, est subordinata, ita vt charitatis obligatio, tanquam generalis & omnia complectens (siquidem *plenitudo legis est dilectio*, Rom.13.) modificetur & determinetur per obligationem Iustitiæ: Et inde fit, vt non duplex, sed vnum reputetur peccatum eius qui damnum proximi non impedit, cum ex officio tenetur; sicut etiam eius qui damnum peccati contra temperantiam, verbi gratia, non amouit à se. Nam & is etiam peccat contra charitatem quam sibi ipsi debet; non tamen distincto peccato à peccato intemperantiæ; eò quod generalis illa obligatio charitatis modificatur per obligationem temperãtiæ cum subordinatione quadam. Et hactenus de eo quod dixi esse Secvndo controuersum circa modos quibus indirectè quispiam est causa iniustæ acceptionis, non impediendo damnum proximi, & ideo tenetur restituere. Definiuimus enim non habere hoc locum, nisi in eo qui ex Iustitia teneretur impedire.

Tertio controuersum est, An generatim verum sit quod diximus teneri ad restitutionem eos, qui ex officio debeant prohibere damnum proximi, & non fecerunt. Et est ratio dubij, quòd Confessarius tenetur ex officio prohibere damnum proximi monendo pœnitentem vt ei restituat quod debet: Et tamen, an si hoc neglig at, teneatur ipse restituere non satis conuenit inter Doctores. Nam Summa Rosella, Verbo Restitutio 2.§.5. Et Summa Angelica, Verbo Restitutio vltimo, §.5. Et Nauarrus in Manuali, capite 17. numero 22. putant talem confessarium teneri ad restitutionem, si pœnitens ab eo admonitus esset restituturus & alioqui restitutionem neglecturus hoc ipso quòd ab eo non moneretur.

Alij autem, vt memorat etiam Nauarrus censent talem Confessarium non propterea teneri ad restitutionem. Atque his ego potius assentior. Nam quamuis ipsi quidem pœnitenti teneatur Confessarius ex officio iniungere restitutionem vt saluti spirituali ipsius consulat, tamen non tenetur ex officio & iustitia procurare etiam per hoc creditori rem suam, sed solum ex charitate. Quare si id negligat non tenebitur ipse creditori restituere; cùm ei quidem non fuerit obligatus ex officio, sed solum pœnitenti. Id quod non satis videtur expendisse Nauarrus, dum ad illud huius opinionis argumentum respondere conatur.

Etsi autem hoc ita sit, tamen *nihilominus* manet vniuersè verum quod asseruimus, debere eum restituere, qui ex officio tenebatur prohibere damnum proximi, & non fecit. Debet enim hoc intelligi de officio quòd fuerit per se & immediatè debitum ei proximo qui damnum fuerit passus. Quo pacto non est in proposito debitum officium Confessarij creditori sui pœnitentis, sed solum pœnitenti; & ideo non est mirum si nihil teneatur restituere tali creditori Confessarius negligens officium suum erga pœnitentem in imperanda restitutione.

Qvarto controuersum est, An quod etiam diximus non teneri ad restitutionem eum qui rem alienam bona fide accepit & consumpsit, sit vniuersè verum, quocunque tandem modo quis rem alienam consumpserit. Et est ratio dubitandi, quòd interdum accidit, vt quis rem alienam consumat non simpliciter eam destruendo, sed abdicando quidem à se, & transferendo in alium pro precio. Vt si quis bona fide emat à fure rem alienam, & antequam sciat esse alienam, bona etiam fide vendat tertio pro eodem precio. Tunc sanè dubium est, an non teneatur restituere precium tertio illi emptori, vt eum seruet indemnem ab obligatione restituendi rem proprio Domino, cum eius esse sciuerit: maximè cum nec potuerit ipse in eum emptorem transferre dominium alienæ rei, & consequenter neque emptor in ipsum transtulerit dominium precij, cùm contractus ille venditionis & emptionis fuerit nullus.

Et quidem Sotus libro 4. de Iustitia, quæstione 7. articulo secundo existimat, ob huiusmodi rationes debere talem restituere emptori precium: in casu quidem quo emptor sciat aut cogniturus videatur rem esse alienam. Nam si non videatur id sciturus, neque compareat, non ellet opus illi quidquam restituere, cùm nullum ei inmineat alioqui damnum.

Contra

Contra verò Caietanus in Summa, Verbo Restitutio cap.1. circa finem, & Nauarrus in Manuali, cap.17. num.7. opinantur talem non teneri restituere precium illi tertio cui rem vendidit, si vendidit pro eodem precio, quo ipse à fure emerat. Nam si vendidisset pro maiori, excessum illum teneretur restituere, cùm in eo esset factus ditior, vt notauit etiam Caietanus hic articulo 6. Et in Summa, Verbo Restitutio cap.1. Fundamentum huius opinionis est, quia talis nec ratione *iniustæ acceptionis*, (cum à nullo quidquam iniustè & mala fide acceperit) nec ratione *rei acceptæ*, cùm eam iam neque habeat, neque ex ea factus sit ditior; tenetur ad restitutionem: Ergo nullo modo.

Sed quamuis hæc opinio sit probabilis & mitior, tamen prior mihi videtur in rigore verior. Nam dici potest, ratione *rei acceptæ* (quæ scilicet est non res aliena quam talis tertio vendidit, sed ipsum precium quod pro illa accepit) teneri reuera talem ad restituendum precium emptori. Nam illud adhuc apud se habet, & non est ipsius, sed emptoris: siquidem emptor non transtulit in venditorem dominium illius cùm contractus fuerit nullus. Vnde etiam in foro externo venditor talis cogeretur indemnem seruare emptorem restituendo ei suum precium. Argumentum autem posterioris opinionis solum probat, quòd non teneatur talis venditor ad vllam restitutionem faciendam, tunc ei qui est ipsius rei Dominus, siquidem iam non ipse sed alius rem illam habet, & eam ipse neque iniustè accepit neque distraxit iniustè, sed bona fide, neque ex ea factus est ditior.

Et hæc videntur esse satis circa punctum propositum de eo qui debet restituere. Nam de casibus aliis particularibus qui huc referri possunt, non erit difficile iudicare ex iis, quæ hactenus diximus.

PVNCTVM QVARTVM.

Cui nam fieri debeat Restitutio.

D.Thomas art.5.

Divvs Thomas absolutè affirmat, restitutionem illi ipsi faciendam esse à quo res accepta est. Et est assertio verissima, adhibita quadruplici interpretatione seu moderatione, ex sententia eiusdem diui Thomæ & aliorum communi. Prima est, vt procedat ea assertio cùm is à quo res accepta est habet ius ad eam, vel ad eius possessionem, tanquam Dominus videlicet, vel tanquam dispensator aut custos eius. Hinc enim res etiam ab Ecclesia accepta debet restitui Prælato tanquam dispensatori & custodi eius: & similiter depositario res quæ apud eum erat deposita; & pignus creditori apud quem erat; & res commodata, ei qui ea vtebatur, &c. Nam quamuis hi non sint Domini, tamen habent ius ad rem retinendam vt eam dispensent, aut suo tempore reddant Domino.

Imo ex quorundam opinione, eadem ratione furi seu prædoni res aliena ab eo ablata restituenda est, ex præscripto l.1.§. Prædo. ff. Depositi. Vt sentiunt Caietanus hic artic.5. Et in Summa, Verbo Restitutio, cap.5. Et Nauarrus in Manuali, cap.17. numero 29. & alij, quando non constaret furem ipsum Domino non restituturum; aut quando sufficienti modo & cautione (iuxta id quod iam dicemus) non compensaretur ei ius quod habet retinendi apud se & custodiendi rem furtiuam ad finem restituendi illam suo Domino, vt debet.

Sed hoc quidem de Fure seu Prædone, non est adeo certum, vt intelligi possit ex iis quæ disserit Sylvester, Verbo Restitutio quarto, quæstione tertia. Non enim videtur prædo aut fur ad vllum finem, (atque adeo neque ad restituendum) habere ius retinendi apud se alienam rem, sed solum habet ius (imo obligationem) ad actu restituendum, quamdiu ab alio res Domino suo non restituitur. Vnde videtur potius Domino debere restituere eum qui rem furtiuam à fure vel prædone abstulit. Iura autem quæ præscribere videntur vt prædoni siue furi res furtiua ablata restituatur, intelligi possunt quando de vero rei Domino non constat nec facile constare potest, atque adeo in casu quo fur seu prædo controuersiam de re habet cum alio fure seu prædone: vt censuerunt etiam plerique graues auctores memorati à Syluestro, vbi supra.

Secvnda moderatio illius Assertionis diui Thomæ est vt procedat in casu, quo neque is à quo res accepta est, neque alius, patiatur aut passurus putetur aliquod damnum ex eo quod eidem res restituatur. Vnde si Prælatus Ecclesiæ, à quo res Ecclesiæ accepta est, putetur eam in detrimentum Ecclesiæ malè dispensaturus, non ei sed ipsi Ecclesiæ restituenda est, vt rectè Caietanus notat hic, & in Summa, Verbo Restitutio, cap.5. quidquid contra sentiat Nauarrus in Manuali, cap.17. num.29. Et ob eandem rationem furioso gladius ab eo ante acceptus reddendus non est, sed eis, qui eius curam & tutelam habeant. Item neque principi qui re sit abusurus ad parandum iniustum bellum; sed restitutio in aliud tempus differēda est, vt notat quoq; Caietanus. Et sic de similibus. Cuius ratio est, Quia Restitutio non ad perniciem, sed ad vtilitatem proximi facienda est, saluo nimirum ordine etiam charitatis erga illum.

Tertia moderatio Assertionis diui Thomæ est, vt procedat in casu quo non etiam datio rei fuerit iniusta, & contra legem vel naturalem vel positiuam, sed tantum acceptio. Nam quando datio etiam iniusta & contra legem est

(vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

(vt in Simoniaco contractu, iuxta ea quæ trademus disput. seq. quæst. vlt. p. 6. & in largitione alicuius doni pro iniusta sententia, &c.) Restitutio non est facienda ei à quo res est accepta, sed ei in cuius iniuriam datio & acceptio iniqua cesit. Vt puta Ecclesiæ, seu Christo in pauperibus, in casu Simoniæ (saltem interueniente Iudicis sententia; iuxta ea quæ trademus disput. seq. quæst. vlt. p. 6.) Vel alteri parti litiganti, &c. Vt docet D. Thomas hîc in respons. ad 2. Et Caietanus ibidem. Et in Summa, Verbo Restitutio. Et Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 7. art. 1. & alij communiter. Et patet ex cap. De hoc. Ext. de Simonia.

Sed diligenter discernendum est inter dationem *per se* illicitam & prohibitam, & inter dationem quæ non est per se illicita, sed oritur *ex illicita* causa; Vt cum datur merces prostitutionis meretrici ob turpem & illicitam causam. Nam illa datio solum, quæ *per se* est illicita & prohibita, est coniuncta cum acceptione etiam illicita, & ideo parit obligationem restituendi: non autem illa quæ solùm oritur ex causa illicita. Vnde meretrix neque ei qui dedit, neque vlli alij tenetur restituere mercedem quam accipit suæ turpitudinis, vt infra puncto sequenti videbimus: nisi quid fortè per dolum aut fraudem extorsit.

Quarta moderatio prædictę Assertionis diui Thomæ est, vt intelligatur, debere fieri restitutionem illi ipsi à quo res accepta est, vel per se & immediatè, vel per alium, qui sit quo ad hoc quasi loco ipsius, quando illi ipsi immediatè fieri non potest: quia scilicet vel ignotus sit; vel in loco admodum distăti, ad quem aut omnino non, aut non sine magno periculo vel scandalo res deferri possit: vel certè etiam sit mortuus.

Nam si *ignotus* sit (ita vt post diligentem inquisitionem factam non compareat) facienda est illi restitutio dando ad animæ ipsius salutem Christo in suis pauperibus, vt docet hîc D. Thomas, & Caietanus, & omnes. Quo ipso datur quodammodo ipsi, tum quia potest ei prodesse ad salutem, tum quia Christus (vt ait Caietanus) *est hæres vniuersorum*, ad Hebr. 1. Et si ipsemet qui debet, est pauper, aut egens, potest etiam sibi partem aut totum applicare, tanquam vnus pauperum, pro ratione necessitatis suæ; præsertim de consilio Episcopi vel Confessarij: Atq; etiam erogare Ecclesiis & locis piis indigentibus, vel in alios pios vsus conuertere, iuxta ea quæ de hac tota re ex communi doctrina resoluit Nauarrus in Man. cap. 17. n. 93.

Et si de aliquo vel aliquibus sit *dubium*. Num eis res debeatur, dandum est eis pro ratione dubij. Et similiter in Christo & suis pauperibus restituendum est, cum rei Dominus est in *remotissimo loco*, in quo non possit fieri restitutio. Quando autem Dominus rei est *mortuus*, restituendum est ei in suo hærede vel hęredibus, qui ex testamento vel ab intestato in tota bonorum summa succedant, vt notat Syluester, Verbo Restitutio 4. quæst. 2. Et communiter alij omnes. Et hæc quidem certa sunt: ex quibus non erit difficile alia quædam minutiora in hoc toto genere diiudicare.

Controversvm autem hoc loco est Primo, An res aliena accepta à fure, quomodocunque ab eo accepta sit, debeat semper vero rei Domino restitui. Et est ratio dubitandi: nam etsi cùm est furto aut dono accepta res aliena à fure, vero Domino restitui debeat (vt ante diximus), tamen casu quo bona fide res aliena empta sit à fure, putante emptore esse ipsius, durum videtur obligare emptorē, vt cum dispendio pretij quod pro re dedit furi, restituat rem non furi sed vero Domino. Ex alia verò parte, quamuis non teneatur talis emptor restituere vero Domino eiusmodi rem ratione iniustæ acceptionis, cùm bona fide illam emerit; videtur tamen ad id teneri ratione ipsius rei alienæ quam penes se habet.

Itaque duæ sunt diuersæ sententiæ de hac dubitatione atque casu. *Prima* est Soti lib. 4. de Iust. quæst. 7. artic. 2. Et Ioannis Medinæ quæst. 3. de reb. rest. Hi putăt, debere omnino talem emptorem restituere rem Domino, nec posse illam reddere furi ad recuperandum suum precium quod pro ea dedit. *Primò*, Quia ad id videtur teneri ratione ipsius rei, vt dictum est. *Secundò*, Quia sicut est actus iustitiæ reddere vnicuique quod suum est, ita est iniustitia reddere alicui quod suum non est, id quod in proposito fieret, reddendo furi rem alienam & non proprio Domino. *Tertiò*, Quia esset id cooperari furi ad retinendum rem alienam.

Secunda sententia est Alexan. Halen. 4. p. q. 86. m. 3. ar. 5. & summę Angelicę, Verbo Restitutio. 1. Et Gabrielis in 4. d. 15. q. 3. dub. 5. Et Nauar. in Manuali cap. 17. n. 9. Hi sentiunt posse talem emptorem reddere rē furi, vt recuperet suum precium, nec teneri reddere eam Domino. Hæc sententia mihi videtur probabilior, modo intelligatur posse tunc emptorem reddere rem furi non eo animo vt eam ille retineat, aut vsurpet inuito Domino, aut acquirat aliquod ius in illam, sed illam ei tradendo exterius ad redimēdum suum precium, sicut qui ad redimendam vexationem dat exterius duntaxat pecuniam inuadenti latroni.

Hoc modo intellecta hæc opinio probatur ea ratione, quòd vnusquisque habet ius procurandi potius bonum suum proprium quàm bonum æquale proximi. Ergo potest in proposito ille emptor potius procurare modo dicto suum precium, quàm rem proximi tantundem valentem reddendo eam vero Domino.

Nec argumenta prioris sententiæ conuincunt, posito quod posterior hęc nostra sententia intelligatur eo modo quo diximus. Ad *primum* enim respondeo, præceptum de restituendo seu reddendo rem Domino, ratione ipsius rei alienæ, non obligare cum æquali detrimento proprio; quale subeundum esset in proposito. Ad *secundum & tertium* respondeo, quòd si talis redderet rem alienam furi eo consilio, vt eam ille vsurparet & retineret, tunc faceret contra Iustitiam, & iniustitiæ cooperaretur: Non autem si det tantum exterius, negligens bonum proximi pro equali bono suo ad quod omnino habet ius, sicut explicuimus.

Est etiam Secvndo controuersum hoc loco, an quod diximus, quando & acceptio & datio fuit illicita & contra legem, restitutionem debere fieri licet non ei qui dedit, sed Ecclesiæ, vel pauperibus vel ei in cuius iniuriam res cedit; controuersum (inquam) est, an in omni materia intelligendum hoc sit de debito restitutionis *ex præcepto*; an in aliqua de debito solum *ex consilio*. Ratio dubij est. Nam quamuis in materia quidem Simoniæ conueniat inter omnes, esse ex præcepti debito (saltem interueniente Iudicis sententia) restituendum Ecclesiæ ad vsus ipsius pios, vel pauperibus, quod pro re spirituali acceptum est, (eo quod acquisitio ipsa est invalida, & ideo acceptum retineri nequit, vt patet ex cap. De hoc, Extra de Simonia) tamen in aliis materiis non conuenit inter Doctores, quòd debeat ex præcepto restitui pauperibus, aut vlli alij, id quod ex illicita quoq; datione illicitè acceptum est; vt quod datum & acceptum est pro falsa sententia vel testimonio falso, aut periurio, &c.

Sunt enim duæ hac de re sententiæ. *Prima* est, sancti Antonini parte 2. cap. 5. initio. Et Monaldi, Verbo Restitutio, secundo. Et Angeli Verbo Restitutio. vers. *Turpe*. Et Syluestri, Verbo Restitutio secundo, dicto secundo sub finem. Et Nauarri in Manuali, cap. 17. num. 31. Hi arbitrantur, in eiusmodi aliis materiis nullam restitutionem eius quod turpiter datum & acceptum est, esse ex præcepto faciendam, atque adeo nec pauperibus, nec ad pios vsus, neque ei in cuius iniuriam delictum cesit; sed solum *ex consilio*, vel ex mandato Iudicis aut Confessarij, &c. *Secunda* sententia est communis aliorum (vt agnoscit Nauarrus) qui contra sentiunt, debere eiusmodi restitutionem fieri ex debito præcepti.

Sed si rationes vtriusque sententiæ, quas fusè dicutit Nauarrus ponderentur, mihi videtur prior illa sententia Nauarri & aliorum probabilior. Et præter argumenta, quæ Nauarrus adiert, potest ea sententia inde confirmari, quòd neque iure naturali neque iure humano debeat ex præcepto fieri eiusmodi restitutio. Ergo nullo modo.

Non iure *naturali*: Nam pauperes quidem, eo quòd pauperes sint, nullum ius acquirunt ad rem quam alius alij illicitè dat, sed tunc solum iure naturę iis res dari debet, quando debebatur alicui certæ personæ, cui non potest dari secundùm corpus, eo quod ignota vel absens admodum sit, & ideo debet illi reddi eo modo quo potest, nimirum secundum animam, atque adeo per Eleemosynas pauperum, vt rectè notat Syluester vbi supra post alios, & confirmat quoque Nauarrus loco citato. Ille autem in cuius iniuriam cedit actio illicita pro qua quidpiam turpiter datum & acceptum est (vt falsa sententia, vel falsum testimonium) &c. quamuis habeat naturale ius, vt sibi compensetur damnum & iniuria quam per eam prauam actionem accipit, non tamen habet naturale ius, vt sibi detur illud idem, aut ei æquiualens, quod pro praua actione turpiter datū & acceptum est; cùm possit accidere vt id sit aut plus aut minus quàm requirat compensatio iniuriæ per prauam actionem ei illata.

Non etiam iure *humano* acquirunt ius pauperes, vel is in cuius iniuriam actio cedit, accipiendi quod ob prauam actionem turpiter datum & acceptum est. Nam nulla lege Ciuili aut Canonica, tale aliquid statuitur, vt ostendit vbi supra Nauarrus. Quamuis cauetur quidem iure humano, ne datum ob delictum repeti possit, aut peti promissum ob delictum, vt patet ex l. Vbi cum. ff. de condict. ob turpem causam. Et l. Iuris gentium. §. Si ob maleficium. ff. de pactis. Et cap. In pari delicto. de regulis Iuris in 6. non autem vt acceptum ob delictum restituatur alicui.

Itaque secluſa peculiari sententia aut præcepto Iudicis, vel Confessarij, acceptum & datum turpiter ob prauam actionem nulli restituendum est, ex debito præcepti (excepta materia Simoniæ) sed solum ex consilio pauperibus vel ei in cuius iniuriam praua actio cedit, vt ante ex sententia Nauarri & aliorum dictum est.

Quod si quæras quo titulo is qui turpiter datum ob actionem prauam accepit, possit id retinere, cum turpis actio non suppeditet ei ad id iustum titulum: Respondeo cum Nauarro vbi supra numer. 31. id retinere posse titulo donationis, tacitè saltem ab eo qui dedit, factæ, & per nullam legem naturalem diuinam aut humanam eneruatæ, vt eneruatur eiusmodi donatio in materia quidem Simoniæ per supra dicta ex cap. De hoc, Extra de Simonia. Et hæc sint satis de eo, cui facienda est Restitutio: nam per hæc poterunt alia particularia diiudicari.

PVNCTVM QVINTVM.

Quidnam debeat restitui.

D. Thomas art.2.

AD hoc restitutionis caput valde multa reuocari possunt, quæ diffusè admodum & ferè sine ordine disputari in hac materia solent. Itaque vt non sine certa aliqua ratione & methodo, rem latè admodum patentem complectamur, in primis considerandum est, ob aliquam ex tribus causis oriri posse dubitationem, num res aliqua ablata restitui debeat.

PRIMA causa est, Propter ipsius rei *naturam*, quæ scilicet sit eiusmodi, vt aut non posse, aut vix posse restitui videatur. Sunt enim (vt omnes notant) quatuor genera rerum quæ auferri possunt, & tamen non æquè videntur posse atque adeo debere restitui: Nimirum *primò* bona vt vocant FORTVNAE, vt pecunia, & res aliæ ad vsum vitæ conducibiles. *Secundò*, Bona *corporis*: vt vita, incolumitas, membrorum integritas, &c. *Tertiò*, Bona *famæ & honoris*; puta bona apud alios opinio, & eius per reuerentiam externam significatio, in qua consistit honor. *Quartò*, Bona *animæ*; tum naturalia, vt sanum iudicium, scientia, &c. quæ per dementationem vel deceptionem auferri possunt; tum spiritualia, & supernaturalia, vt gratia, & virtutes, & commoditas religiosæ vitæ status, &c. quæ possunt auferri per sinistra consilia & malas persuasiones ad peccandum, vel repudiandum meliorem vitæ statum. Et tamen ex his quatuor rerum generibus excepto *primo* quod bonis fortunæ continetur, reliqua tria (spectata eorum natura) aut nullo modo aut vix restitui posse videntur. Vt meritò dubitetur & quæratur restitui ne debeant, & qua ratione, res horum generum, spectando nimirum earum naturam.

SECVNDA causa dubitandi, num res quæpiam debeat restitui, solet esse posita in ratione & modo quo *acquisita* est; vt per varios contractus; per certam alterius voluntatem seu donationem; per rei possessionem & præscriptionem; per officij proprij functionem & laborem; per actionem etiam aliquam turpem; Item per venationem, per aucupium, per piscationem; per vsum rerum quæ communes sint, vt nemorum & pratorum; & denique per ludum. Existunt enim ex his acquirendi rationibus, propter varios & peculiares earum modos, dubitationes, nec paruæ, nec paucæ, num res acquisita restituenda sit.

TERTIA causa dubitandi, Num res quæpiam aut ei equiualens restitui debeat, solet contrario modo esse posita non in rei acquisitione, sed in eo potius quod *non acquisita sit*. Vt cum non soluuntur debita vectigalia, & tributa; vel cùm quis impeditur quo minus acquirat & consequatur emolumentum aliquod seu dignitatem ad quam non temerè aspirabat. Exponemus igitur quid nam sit restituendum petcurrentes ordine præcipuas dubitationes, quæ pertinebunt ad vnamquamque ex his tribus generalibus causis de hoc dubitandi.

Quid sit restituendum spectando ipsas naturas rerum.

AC primùm quidem, quod attinet ad bona FORTVNAE (quæ tanquam in proposito faciliora, numerauimus primo loco in prima dubitandi causa) extra controuersiam est, debere ea, si *extent*, & vsu consumptibilia non sint, eadem numero restitui; Nisi inde fortè peccator occultus manifestaretur, aut sequeretur aliquod aliud magnum incommodum, vt notat Nauarrus in Manuali, capite 17. numer. 24. & patebit infra puncto septimo, aut nisi creditor velit alia re esse contentus, vt patet ex l. Eum à quo, & l. Manifesti. C. de solut. Si autem res iam *non extet*, restitutio debet fieri in pecunia aut re æquialenti, prout creditor contentus fuerit.

Et similiter si res sit vsu consumptibilis restitui debet, vel eadem si extat, vel alia eiusdem speciei, & æquè bona, vel pecunia, &c. Nec solum res, sed etiam rei fructus, deductis expensis restitui debent, si erat res fructifera; & damnum emergens, vel lucrum cessans, vt dicemus puncto sequenti. Alia verò quæ circa restitutionem bonorum fortunæ dici possunt, partim expedita sunt punctis superioribus, partim punctis sequentibus expedientur.

Quod autem attinet ad bona CORPORIS, pro generali regula, in primis statuendum est id quod tradit diuus Thomas articulo secundo ad primum. Et Richardus in quarto distinctione 15. articulo 5. quæstione 2. Et Syluester, Verbo Restitutio tertio. Et Sotus libro 4. de Iustitia, quæstione 6. articulo 3. & alij communiter; nempe eum, qui alterum iniustè mutilat aut occidit cum nequeat rem eandem ablatam, puta vitam & incolumitatem restituere, debere omnino de pecunia vel re æquialenti ad arbitrium boni viri recompensare omnia damna ex morte alterius vel mutilatione sequuta.

Itaque si quid in læsi curatione expensum est, id resarciendum est, vel mutilato, vel mortui heredibus (id est) iis qui vel successerunt, vel iure succedere debebant, vt parens, filius, coniunx, iuxta notata à Soto vbi supra, in fine resolutionis ad quartum argumentum. Item si quid vel mortuus vel mutilatus, sibi aut suis alioqui, propria industria vel opere lucraturus erat, reddendum id etiam est vel mutilato vel mortui heredibus. Et quidem nulla particula derracta propterea, quod tunc mortuus vel mutilatus non sit laboraturus, vt falsò censuit Maior in quarto distinctione 15. q. 19. dubio vlt. refutatus in hoc merito à Soto lib. 4. quæstione 6. artic. 3. Nam (vt omittam rationem Soti non satis pertinentem ad mentem Maioris) quòd mortuus vel mutilatus tunc non laboret, non est aliquod eius commodum, sed potius id eis per iniuriam & contra voluntatem accidit; & ideo mutilato, vel mortui heredibus, nihil debet de lucro alioqui futuro detrahi propterea quod non laborent.

Item si quos tenebatur mortuus aut mutilatus ex iustitia alere sua industria aut labore, eos etiam debebit indemnes reddere is qui occidit, vel mutilauit; non autem omnes propinquos aut familiares quos voluntariè fortè alebat, vt rectè Sotus vbi supra resoluit contra Scotum in 4. dist. 15. quæst. 3. & Adrianum in materia de Restitutione.

Addit autem idem Sotus, aliquanto minus ad arbitrium boni viri debere dari mutilato vel mortui heredibus, quàm erat alioqui lucrum futurum; attento quòd minus est habere quidpiam in spe, quàm in re: siquidem poterat is qui occisus est, alia de causa mori, & is qui mutilatus est, morbo alióue casu debilitari, aut membro orbari & sic priuari lucro sperato. Qua in re æstimanda & taxanda diligens haberi debet consideratio circumstantiarum personæ, ætatis, valetudinis, &c.

Atque ex his sequitur verum esse id, quod Maior in quarto distinctione 15. quæstione 19. dubio vltimo notauit, & alij post ipsum: nempe quamuis plus peccet occidens nobilem, nihil suo opere & labore lucraturum, quàm occidens hominem vilem mercenarium, tamen ad plus obligari eum qui mercenarium occidit, cùm teneatur resarcire sequuta inde damna, vt dictum est.

Est autem hic DVBIVM, An is qui alterum mutilat vel occidit, teneatur non solum damna sequuta resarcire, sed etiam mutilato, vel mortui heredibus, satisfacere pro ipsa iniuria illata mortis vel mutilationis. Sunt autem hac de re duæ sententiæ. *Prima* sententia est Nauarri in Manuali, capite 15. numero 21. post Azonem & Ostiensem (quos citat) Eum, qui hominem mutilat aut occidit, nihil omnino teneri restituere pro ipsa iniuria illata, hoc est pro deformitate vel morte.

Probat hanc sententiam Nauarrus ex aliquibus Legibus. Nam in l. finali. ff. De iis, qui deie. vel effud. Et l. Liber homo. ff. ad l. Aquiliam. Et l. Ex hac. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, asseritur hominem liberum nullo precio æstimari posse. Et peculiariter in illa l. Liber homo, dicitur, illi homini libero qui præteriens per viam liberam percutitur re aliqua proiecta aut cadente ex aliqua fenestra, deberi medicationis expensam & stipendia quæ sanus lucrifeciisset, non autem quidquam pro deformitate

aut cicatrice inde relicta, *corpus enim*, inquit, *liberum nullam recipit æstimationem*. Et in dicta l. Ex hac, idem asseritur, & additur expresse nihil posse peti pro homine libero, etiamsi occidatur.

Eadem opinio est ex mente Syluestri, Verbo Detractio, quæstione quarta, vbi censet non debere restitui in alio genere, quod in suo proprio non potest restitui: Vt fama in pecunia; casu quo non possit fama in suo genere restitui; sicut nec pecunia inquit potest aut debet restitui in fama. Cum igitur incolumitas corporis & vita nequeant restitui in proprio genere; sequitur, nullo modo ex mente Syluestri debere restitui.

Secunda sententia est sancti Thomæ hîc articul. 2. ad primum. Vbi ait, quod quando recompensatio non potest fieri per aliquod æquale (puta in eodem genere) debet fieri recompensatio qualis possibilis est: *Puta*, inquit, *cum aliquis alicui abstulit membrum debet illi recompensare, vel in pecunia, vel in honore aliquo, considerata conditione vtriusque personæ ad arbitrium boni viri.* Item eadem sententia est Scoti in 4. distinctione 15. quæstione 3. Et Richardi eadem distinctione articulo 5. quæstione 2. Et Adriani in 4. in materia de Restitutione, quæstione vltima. Et Maioris in 4. eadem d. quæst. 14. Et Soti libro 4. de Iustitia, quæstione 6. articulo 3. Hi sentiunt, pro iniuria mortis & mutilationis, omnino debere fieri restitutionem in re aliqua æquiualenti pro arbitrio boni viri, vt ait sanctus Thomas.

Et hæc sententia est longè probabilior. Ac potest probari *primò* ex Exodo cap. 21. Vbi conuenienter legi naturali statuitur, vt, *si percussus ab altero incolumis surrexit, percutiens sit innocens, ita tamen, vt impensas eius & operas in medicos restituat.* Quo indicatur debere plus restituere si percussus interierit, aut non conualuerit; nimirum etiam pro morte, vel deformatione. *Secundò* probatur argumento Scoti. Nam qui occidit bouem vel canem proximi, debet aliquid restituere pro eo quòd alterum priuat boue vel cane: Ergo multo magis qui alterum priuat vita vel incolumitate debet pro hoc ipso aliquid restituere. Et hoc non animaduertere dicit Scotus esse fatuum, sicut etiam Adrianus.

De *modo* autem quo ea Restitutio fieri debeat, nihil certius & prudentius dici potest, quam quod sanctus Thomas & Richardus dicunt, pendere id ex arbitrio boni & prudentis viri, consideratis circumstantiis. Nam quosdam modos particulares quos assignant Scotus, Adrianus, & Sotus, ipsimet agnoscunt non esse ex obligatione necessarios. Vt quod *primò* ait Scotus debere quem in tali casu pro restitutione subire pœnam talionis, vbi ea sit in vsu. Quod si intelligatur, patienter eam pœnam tolerando si inferatur; verum est, vt ait etiam Sotus: Non au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem eſt neceſſarium ad eam pœnam vltro ſe offerre, vt etiam rectè Scotus & Adrianus declararunt.

Item neque neceſſarium putat Scotus ad eam rem offerre propriam vitam periculo in bello contra infideles. Addit enim: *Si id durum videbitur debere ſaltem aliter reſtitutionem fieri per ſubſidia ſpiritualia, quæ in animam mortui conferantur.* Item quamuis Sotus dicat idipſum expedire, atque etiam, vt ea ipſa ſpiritualia ſubſidia Confeſſarius loco pœnitentiæ interfectori iniungat (quando nimirum mortuus, in fide & religione Catholica deceſſit, atque adeo ei vtilia eſſe poſſint) tamen addit, ſe non videre quòd is modus reſtituendi ſpiritualiter ſit omnino ex obligatione neceſſarius, quando alia reſtituendi ratio non ſuppetit.

Itaque pendet tota res vt dixi in caſibus particularibus ex iudicio prudentis viri; cui etiam inter alias circumſtantias erit conſiderandum, an non fortè ipſa pars vltro talem reſtitutionem pro iniuria remittat. Quod plerumque inter nobiles ſolere fieri, verè notat Sotus vbi ſuprà. Siquidem hi aliter ferè vindicare volunt iniuriam ſibi aut ſuis maioribus factam.

Nec fundamenta quibus prima opinio nitebatur ſunt firma. Nam Leges à Nauarro citatæ ſolum volunt ex natura rei quidem & per ſe (ſecluſa iuſta & rationabili voluntate partis) non eſſe aliquid humanæ vitæ & incolumitati æquale, ad quod pendendum pro ſatisfactione debeat homicida vel mutilator in iudicio adigi, ſicut adigendus eſt ad rependendam læſo æqualem ſummam expenſis in curatione factis. Nihilominus ex voluntate rationabili & iuſta læſæ partis (quæ ſcilicet hac vel illa compenſatione arbitrio prudentis velit contenta eſſe, quando aliter recompenſatio fieri nequit) poteſt aliquid reputari eiuſmodi iniuriis æquale, quod proinde rependi pro ſatisfactione debeat in foro conſcientiæ.

Ad argumentum verò ex Syluestro obiectum, dicendum eſt omnino falſum & contra diuum Thomam hîc articulo ſecundo ad primum eſſe, quod quando reſtitutio non poteſt fieri in eodem genere, fieri in alio non debeat. Contrarium ex ipſa ratione æqualitatis iuſtitiæ, quæ per reſtitutionem ſtabilitur, manifeſtè demonſtrari poteſt. Nam conſiſtit (vt ſupra quæſtione ſecunda docuimus) non propriè in ipſis naturis genericis, aut ſpecificis, aut indiuiduis rerum, ſed in rationabili rerum æſtimatione, relata ad vſum humanum. Quare ſi propter aliquas cauſus circumſtantias, res diuerſorum generum æqualiter meritò æſtimentur (vt quia aliter compenſatio fieri nequeat, &c.) poterit per rem quoque diuerſi generis fieri æqualis & iuſta compenſatio & reſtitutio: Vt Compenſatio famæ per pecuniam: imo etiam viciſsim in aliquo caſu (quo ſcilicet Creditor ita vellet) compenſatio pecuniæ per famam & honorem. Niſi quòd communiter quidem pecunia eſt propoſita & acceptata, vt ſit compenſatio & precium omnium, non autem fama & honor: quamuis per ipſum quoque reſtitutio in particulari caſu fieri poteſt, vt dixi, & docet apertè diuus Thomas articulo ſecundo ad primum, vbi affirmat poſſe reſtitui & compenſari integritatem corporis *per aliquem honorem arbitrio boni viri.* Et hactenus de Reſtitutione bonorum corporis.

Quod autem attinet ad bona Famæ & honoris, in primis certum eſt, famam ablatam debere reſtitui ſi concurrant tres conditiones, vt peculiariter notauit ex communi ſententia Sotus libro quarto de Iuſtitia, quæſtione ſexta, articulo tertio, in reſponſione ad argumentum quartum. *Prima* eſt, vt fama reipſa fuerit ablata. Contingit enim quandoque, vt quantumuis conetur quis alterum infamare, mali quidpiam de ipſo dicendo, tamen id minimè aſſequatur: vel quia ei non creditur, vel quia res ſit eiuſmodi, vt conſiderata circumſtantia perſonæ, parum vel nihil eius famam lædat; vt ſi de aulico dicas quòd rixatus ſit, aut alium in pugna vulnerauit, &c. *Secunda* conditio eſt, vt fama non quomodocunque ſed iniuſtè ſit ablata, non autem iuſtè, vt in Iudicio, &c. *Tertia* eſt, vt diffamatus famam ablatam non aliter recuperauerit; vtputa ſufficienter purgando ſe, &c. Quanquam damna quidem quæ quis ob diffamationem incurriſſet antequam famam recuperaret, teneretur diffamator reſtituere, etiam poſt famam recuperatam; id quod ſolum voluit Adrianus in quæſtione de Reſtitutione, folio 64. non ſatis (vt videtur) intellectus à Nauarro in Manuali, capite 18. numero quadrageſimo octauo.

His tribus conditionibus concurrentibus omnino fama ablata reſtitui debet: & tanto magis quàm pecunia, quanto maius bonum eſt fama, quàm pecunia, iuxta illud Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ.* Nec ſolum ipſa fama, ſed etiam damna ſequuta ex fama ablata, reſtitui debent; non minus quàm damna ſequuta ex ablata pecunia.

Sed de *modo* quo fama reſtitui debeat, ſtatuunt Doctores quædam quæ ſunt annotanda. Ponam igitur aliquot de hac re tota aſſertiones partim certas in quibus omnes conueniunt, partim probabiliores.

Prima aſſertio. *Qui dicendo falſum de aliquo, eum infamauit, tenetur ei famam reſtituere affirmando ſe fuiſſe mentitum, aut dixiſſe falſum.* Ita diuus Thomas & Caietanus hîc articulo ſecundo ad ſecundum. Et Scotus, Richardus & alij in quarto, diſtinctione 15. Et Sotus libro 4. quæſtione 6. articulo 3. ad quartum. Et Nauarrus in Manuali, capite 18. numero 45. & communiter omnes.

Quod

Quod tamen intelligendum puto, quando aliter dicendo, non poſſet ſatis proſpici famæ alterius. Nam ſi tales eſſent circumſtantiæ perſonarum, vt dicendo tantum ſe malè feciſſe, illud dicendo, recuperaret alter ſuam famam, ſine dubio id ſufficeret. Debet igitur aſſertio poſita intelligi, quando ad reſtituendam famam alteri videretur neceſſarium dicere ſe eſſe mentitum.

Probatur autem hæc aſſertio. Nam vt docet Philoſophus quinto Ethicorum, qui alteri iniuriam infert, in hoc habet plus quàm alter, quod arbitratu ſuo in nocendo alteri vſus eſt, & ideo vt ambo redigantur ad Iuſtitiæ æqualitatem id ab ſe debet detrahere priuando ſe æquiualenti aliquo, cum emolumento eius qui iniuriam eſt paſſus. Quod fiet in propoſito ſi is qui alterum diffamauit, faciat aliqualem iacturam famæ ſuæ dicendo ſe eſſe mentitum; quo ipſo addet alteri quod ei deeſt, & quod ei iniuſtè detraxit, nempe famam.

Quin etiam arbitratur Sotus loco citato, debere talem, ſi opus ſit, iureiurando confirmare ſe fuiſſe mentitum: ſi fortè ij, apud quos proximum diffamauit, nolint ei credere, vtpote procliuiores ad credendum de proximo mala: Id quod etiam cenſet Nauarrus in Manuali, capite decimooctauo, numero quadrageſimoquinto. Qui tamen non aſſentitur Soto dicenti quoque adhibendos eſſe teſtes ſi opus ſit ad perſuadendum falſam fuiſſe diffamationem: cùm id non ſit in vſu, & videatur poſt Iuramentum eſſe ſuperuacaneum: niſi fortè, inquit, ſuſpicio foret diffamatorem ad palinodiam inducturum fuiſſe non conſcientia, ſed precibus aut precio.

Adhibet autem Sotus huic doctrinæ quandam limitationem, quæ mihi videtur valde probabilis, licet de ea dubitet Nauarrus in illo capite decimo octauo, numero quinquageſimo, nempe ſi is qui diffamauit (propter perſonarum circumſtantias, quia ipſe vir magnæ auctoritatis ſit, diffamatus autem ſit infimæ ſortis) infamiam multo maximam, dicendo ſe eſſe mentitum, incurſurus ſit, non debere illum hoc dicere, ſed vel in pecunia, aut aliter ſatisfacere, aut ad nihil teneri, ſi diffamatus non velit alia ratione contentus eſſe. Quæ Soti limitatio videtur mihi eo niti fundamento, quòd quando ob circumſtantias rei & perſonarum, maiorem multo infamiam incurſurus ſit diffamans dicendo ſe fuiſſe mentitum, quàm diffamatus ſi de eo credatur id crimen quod eſt dictum, non videtur teneri diffamator ad prodendum ſuum mendacium. Nam videtur eſſe contra charitatis ordinem (quo ſe quiſque magis quàm proximum amare debet) cum maiori ſuo detrimento in eodem vel diuerſo genere detrimentum proximi reſarcire velle.

Secunda aſſertio. *Qui alterum diffamauit, verè ſed iniuſtè & præter Iuris ordinem crimen eius occultum patefaciendo, reſtituere quoque illi famam tenetur, non quidem dicendo ſe falſum dixiſſe, aut ſe eſſe mentitum (cùm id ſit mendacium quod nunquam licet) ſed aliqua alia ratione.* Nempe dicendo, ſe iniuſtè & inconſideratè & malè id dixiſſe, vt monet diuus Thomas articulo 2. ad quartum. Et Scotus & alij in quarto diſtinctione 15. vel ſe antea quidem putaſſe id eſſe verum, ſed poſtea comperiſſe ſe perperam id dixiſſe: vt monet Ioannes Maior in quarto diſtinctione 15. quæſtione 16.

Vel ſi hi modi propter circumſtantias perſonarum (quia ſcilicet eruditæ ſint & ſciant proponi à Doctoribus iſtos modos ſine mendacio eleuandi diffamationem) potius confirmaturi quàm deleturi opinionem de patefacto proximi crimine videantur, tacendum eſt de illo crimine, & abſolutè aut in aliis rebus, quo ad fieri poſsit, diffamatus eſt commendandus, vt quantum in vna re perdidit opinionis bonæ, tantum in aliis acquirat: ſicut rectè admonuit Caietanus hîc articulo ſecundo circa reſponſionem ad ſecundum. Et Sotus libro quarto de Iuſtitia, quæſtione 6. artic. 3. Et Nauarrus in Manuali, cap. 18. num. 41.

Vel ſi neque hoc ſufficeret, tunc ſanè oporteret per aliquam verborum amphibologiam ſignificare ſine mendacio, non eſſe verum quod antea de diffamati crimine dictum eſt, iuxta ea, quæ de eiuſmodi Amphibologiis diſſeremus infra in quæſtione decimatertia de Reo. Vel ſi neque horum aliquid ſufficiat, reſtituenda eſt fama in alio genere rei: puta in pecunia, aut honore aliquo; iuxta ea quæ de reſtitutione facienda in diuerſo rerum genere diſputaui paulo ſuperius ex ſententia diui Thomæ contra Syluestrum. Quod ſi in alio genere ſibi reſtitui diffamatus non velit, excuſatus erit diffamator à reſtituendo.

Tertia aſſertio: *Non ſolum is qui occultum crimen alterius patefacit, diffamat, & reſtituere famam aliquo modo ex dictis tenetur, ſed etiam is qui dicit ſe de illo audiuiſſe; quando (vt plerumque fit) hoc ipſum ingeneraret aliis ſiniſtram de proximo opinionem. Secus autem ſi circumſtantiæ eſſent tales, vt qui id audiunt non videantur propterea creditur.* Ita docent Sotus vbi ſupra, & Nauarrus in illo cap. 18. num. 50.

Et ratio huius aſſertionis eſt, quia etiam per eum dicendi modum infamat quis reuera proximum. Itaque prout verè vel falsè dixerit: ſe id audiuiſſe, debebit reſtituere proximo famam aliquo modo ex dictis in duabus præcedentibus aſſertionibus. Et idem iudicandum eſt de eo qui alium immodicè laudando, alterius famam notabiliter extenuat, vt ait Nauarrus vbi ſupra numero 44. poſt Adrianum quodlib. 11. circa finem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVARTA assertio. *Si diffamatus vltro remittat diffamatori restitutionem famæ, excusatus erit diffamator à restituendo, ita vt famam non reddendo minimè peccet contra Iustitiam.* Ita sanctus Antoninus 2. parte, titulo 2. capite 1. §. 3. Et Adrianus in quæstione de Restitutione, & quodlib. 11. Et Sotus libro 4. de Iustitia, quæstione 6. articulo 3. ad quartum. Et Nauarrus vbi supra numero 45. Imo etiam sanctus Thomas quæstione 64. articulo 5. & quæstione 73. articulo 4. vbi ait, posse hominem arbitratu suo detrimentum pati propriæ famæ, nisi hoc cedat in detrimentum aliorum, &c. vt si sit aliorum Prælatus. Quamuis contrarium sentit Caietanus quæstione 73. articulo 2. Et Ioannes Maior in quarto, distinctione 15. quæstione 16. Sed nostra sententia est probabilior.

Nam vt infra in quæstione de Furto, & de Detractione videbimus, quisque est Dominus suæ famæ. Quare si velit eius dispendium pati, quamuis peccabit quidem contra illud Ecclesiastici quadragesimo primo: *Curam habe de bono nomine*, si absque causa id faciat (vt qui prodigit proprias pecunias) vel si fama ipsius propter alios ei necessaria est, &c. tamen alter non tenebitur ex iustitia illius famam curare aut ei restituere.

QVINTA assertio. *Si duo vicissim se diffamant, vterque tenebitur alteri famam restituere; nec habebit hic locum recompensatio quasi diffamatio vnius per alterius diffamationem sarciatur.* Quamuis ob diffamationem quidem mutuam alter alteri restitutionem famæ potest condonare, vt est in præcedenti assertione dictum. Ita tradit Nauarrus in dicto capite decimooctauo, numero quadragesimoseptimo, post Panormitanum, & alios in cap. Bona fides, Extra de Depositione: Atque etiam Caietanus hîc articulo secundo, circa responsionem ad secundum. Et in Summa, Verbo Restitutio circa finem. Quamuis contrarium videtur sentire Sotus libro quarto de Iustitia, quæstione sexta, articulo tertio ad quartum circa finem.

Probatur autem assertio nostra. Nam diffamans aliquem non hoc ipso, quod vicissim ab eo diffamatur tribuit ei aliquid, atque adeo nec famam. Ergo tenetur nihilominus ei famam restituere: Et similiter alter hunc diffamans vicissim, tenebitur ei quoque famam restituere: Nisi (vt dixi) velint sibi mutuo restitutionem famæ vtrinque condonare.

Ac per hoc potest diiudicari casus propositus hîc à Caietano articulo secundo ad secundum. Et in Summa, Verbo Restitutio circa finem: Cùm scilicet quis accusans alium de crimine occulto contra ordinem Iuris, iniustè eum diffamat, & vicissim sic iniustè accusatus diffamat (saltem indirectè) suum accusatorem, affirmando, eum calumniari, atque adeo indicando & persuadendo (vt suppono) quòd in accusatione sit mentitus. Quamuis enim alter alteri teneatur famam restituere, vt rectè desimuit Caietanus & Nauarrus vbi supra post Scotum, Richardum & alios in quarto, distinctione decimaquinta, tamen possunt sibi vicissim condonare.

Vbi etiam adde, si per accusationem agitur de vitæ discrimine, non teneri accusatum restituere famam accusatori patefaciendo esse verum crimen. Nam cum vitæ discrimine non tenetur quis restituere proximo famam, vt ex communi sententia tradit Sotus loco citato.

Excusat etiam à restituendo famam *oblivio* patefacti criminis apud alios, quando de ea verisimiliter constabit, vt notat Nauarrus vbi supra numero quadragesimoseptimo post Antoninum, secunda parte, titulo secundo, capite secundo, §. 3. ne, dum instituitur intempestiua restitutio famæ, renouetur potius infamia. Quanquam sola diuturnitas elapsi temporis à quo aliquis diffamatus fuit, non est sufficiens indicium, quòd infamia sit obliuioni tradita. Vnde Caietanus hîc articulo tertio ad secundum, & post eum Nauarrus in illo numero quadragesimoseptimo censent, senem qui recordatur, se iuuenem apud æquales falsò iactasse, quòd fœminam aliquam honestam vitiauerit, debere illi famam restituere, si ij apud quos id iactauit sint superstites: solent enim huiusmodi dicta firmiter in memoria hærere, præsertim quando intra certum temporis spacium nunquam retractatur. Et hæc hactenus de Restitutione famæ sufficiant, ne ad ea digrediamur, quæ infra quoque in quæstione de Detractione differenda sunt; aut etiam ad alias causas excusantes generatim à restitutione, de quibus dicendum est puncto 7.

Restant bona ANIMAE de quorum restitutione sunt etiam quædam asserenda. PRIMA assertio: *Qui alterum opere seu maleficio aliquo detinuit, restituere ei tenetur procurando quatenus potuit, restituere ei tenetur procurando quatenus peterit, vt recipiat sanum rationis vsum & damna resarciendo, si quæ inde sint sequuta.* Sicut etiam qui fraudulenter alterum decepit, & in errorem nocivium induxit, tenetur ei restituere docendo veritatem, & de errore admonendo. Et similiter qui alicui intulit damnum à studio literarum eum abducendo. Nam & id arbitrio boni viri compensandum est, vt notauit Sotus libro quarto, de Iustitia, quæstione sexta, articulo tertio. Nec de iis apud Doctores est vllum dubium.

SECVNDA assertio: *Qui alterum absque vi, dolo, & fraude, suadendo tantum, aut alio modo, induxit ad peccandum, & proinde causa illi fuit, vt amitteret bonum gratiæ & virtutum, non tenetur ei quidquam propriè restituere, ex iustitia nimirum commutatiua.* Ita docent Sotus libro quarto de Iustitia, quæstione 6. articulo 3. Et Nauarrus in Manuali, capite 14. num. 45. contra Scotum in quarto, distinctione 15. quæstione 3. Et Richardum eadem distinctione, articulo 5. quæstione 2. Et Paludanum ibi & Adrianum in materia de Restitutione, qui indistinctè senserunt obligari ad restitutionem eum, qui quomodocunque alterum ad peccandum induxit.

Nostra autem Assertio probatur euidenter ex eo, quòd obligatio restituendi non nascitur nisi ex violata Iustitia commutatiua. Hæc autem non violatur, cum quis (alio quantumuis suadente) sciens & volens peccat: siquidem volenti non fit iniuria contra Iustitiam, vt vidimus supra quæst. 3.

Neque ratio illorum auctorum valet: scilicet quòd maius damnum incurrit qui peccando amittit gratiam & virtutes, quàm qui amittit temporalia bona etiam maxima; ac proinde cum temporalia restitui debeant, à fortiori spiritualia illa quoque restitui debere. Non valet hæc ratio. Nam obligatio restituendi non oritur propriè ex magnitudine illati damni & culpæ eius qui illud infert, sed ex modo illud inferendi, & ex qualitate culpæ: si nimirum damnum inferatur contra Iustitiam atque adeo altero inuito. In proposito autem damnum illud amissionis gratiæ & virtutum, non infertur contra Iustitiam, sed solum contra charitatem. Et ideo asseruimus non debere tunc restitui propriè ea bona ex Iustitia commutatiua.

Quod ideo sic diximus. Nam non est dubium quin ex charitate quidem & præcepto correptionis fraternæ, teneatur qui alterum ad peccandum induxit, eum quoad posit reuocare in viam, atque adeo gratiæ diuinæ restituere; & eo etiam magis quàm alij, quod ipse fuit illi causa ruinæ.

TERTIA assertio. *Qui vi, fraude, aut dolo, induxit alterum ad peccandum, restituere ei tenetur removendo vim, & liberum relinquendo vt resipiscat, & recuperet gratiam, iterumq; ad eundem finem admovendo de dolo & fraude*, sicut rectè censuit Sotus vbi supra quem sequitur etiam Nauarrus loco citato. Et enim vim, fraudem & dolum inuitus quis patitur; ac proinde contra Iustitiam priuatur iis, quæ per vim, fraudem, aut dolum amittit: & consequenter restituenda illa sunt consequenti modo, qualis in proposito est is quem diximus, scilicet vt quis vim, dolum & fraudem remoueat, quo alter rursus in Dei gratiam redeat.

Nec indicio meo id sufficiet nisi accedat etiam aliqua ad bonum exhortatio, vt etiam puto Sotum intellexisse. Nam solùm relinquere aliquem in libertate & immunitate à fraude & dolo, non est propriè restituere eum quantum in re est gratiæ & virtutibus (cum is qui est liber & non deceptus, per hoc etiam sit indifferens, vt vel resipiscat vel maneat in peccato) nisi etiam addita aliquali exhortatione coneris eò illum impellere, vt per pœnitentiam recuperet gratiam & virtutes.

QVARTA assertio. *Qui aliquem absque vi, fraude & dolo à suscipiendo statu Religionis suasione tantum impediuit; vel Nouitium à iam suscepto retraxit, non tenetur ad restitutionem vllam vel ipsi quem impediuit aut retraxit, vel Religioni faciendam.* Ita Sotus vbi supra contra Paludanum in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. Et Antoninum 2. par. tit. 2. cap. 2. Et Adrianum in materia de Restitutione, vbi agit de bonis animæ restituendis. Et Ioannem Maiorem in 4. dist. 15. quæst. 17. qui sentiunt debere talem Religioni restituere, vel persuadendo homini, vt eam complectatur, vel procurando, vt alius idoneus id faciat eius loco, vel si neutrum istorum perficere posit, debere ipsummet ingredi loco eius, cui dissuasit ingressum Religionis, vel ab ea iam suscepta retraxit.

Probatur autem assertio nostra. Nam ipsi quidem, cui ne Religionem ingrediatur, vel vt ab ea recedat, persuadetur sine vi, fraude & dolo, nulla fit iniuria contra Iustitiam commutatiuam: quandoquidem volenti nulla talis iniuria fit, vt iam ante dictum est. Neque etiam ipsi Religioni. Nam vt potest absque iniuria Religionis eam sponte non complecti is, qui necdum illam ingressus est, vel susceptam deserere, qui adhuc est nouitius; ita etiam alius aliquis hæc his persuadere.

Secus, si in hac re vis aliqua vel fraus aut dolus adhiberetur. Nam tunc ei, cui hæc iniuria fieret, restitutio facienda esset modo dicto in præcedenti assertione, scilicet vim & dolum ac fraudem remouendo & exhortando ad ingressum vel perseuerantiam in Religione. Quo etiam ipso fieret simul Restitutio quædam ipsi Religioni, qualem nimirum sufficeret facere. Nam illum alium modum Restitutionis (vt scilicet ipsemet qui alium impediuit, aut retraxit ingrediatur vel procuret alium ingredi) rectè confutat Sotus, cùm ingressus Religionis liberrimus esse debeat, neque conueniat vnicuique ille status. Tametsi negandum non sit quin id facere esset quandoque opus perfectionis: Vt fuit in Raymundo, quem Paludanus refert propterea ingressum esse Religionem Dominicanorum, quia cuidam Nouitio id vitæ institutum dissuaserat, sed minimè id fecit ex obligatione.

QVINTA assertio. *Qui religiosum non amplius nouitium, à Religione vi, fraude, aut dolo, vel etiam sine his retrahit, hoc ipso tenetur condignam restitutionem facere Religioni, & quidem damna etiam ei resarcire, si quæ Religio ob discessum talis Religiosi incurrit:* vt si stipendia quæpiam legendo vel concionando promerebatur & percipiebat pro sua Religione. De hac assertione quo ad posteriorem eius partem non est vlla controuersia: cum verè accipiat Religio per ea damna iniuriam, quæ debet resarciri condigna compensatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoad priorem verò partem posui eandem Assertionem ex sententia Antonini, Paludani, Richardi, Adriani vbi supra (qui saltem id asserunt, quando quis malo animo erga Religionem id faceret) contra Sotum, qui libro tertio de Iustitia & Iure, quæstione 6. articulo 3. arbitratur non debere quidquam restitui Religioni propterea quòd Religiosus professus ab ea abstrahatur.

Probatur autem Assertio nostra. Nam negari non potest quin Religio, atque adeo Religionis Prælatus, habeat Ius quoddam in eum Religiosum qui non amplius est nouitius, nec potest arbitratu suo discedere ex Religione, sed tenetur in eius obedientia perseuerare. Ergo qui talem Religiosum à Religione abstrahit, omnino facit iniuriam Religioni & superiori eius, atque adeo tenetur restituere quocunque animo & intentione id faciat; cùm Iustitiæ ratio & violatio non ex intentione autaffectu, sed ex re ipsa æstimari debeat.

Et confirmatur idem, argumento Paludani & aliorum Doctorum. Nam qui abstrahit seruum à suo Domino, eum sacris ordinibus initiando, tenetur Domino æquiualens restituere imo duplum reddere, vt præcipitur distinctione 54. capit. Si seruus, idque propterea, quia contra Ius Domini facit: Ergo etiam qui abstrahit à Religione Monachum non amplius nouitium, cùm is etiam faciat contra Ius Prælati.

Neque valet argumentum & responsio Soti: quòd scilicet Monachus per vota sua non fit seruus Prælati, nec Prælatus fit eius Dominus. Etsi enim Prælatus non habet Ius Dominij in Religiosum, tamen habet ius quoddam Prælationis, per quod Religiosum verè quodammodo possidet tanquam membrum quoddam suæ Religionis. Quod omnino satis est, vt violans hoc Ius Religionis & Prælati, teneatur ad condignam restitutionem: sicut tenetur ad restitutionem condignam, qui alteri membrum aliquod amputauit, etiam si ille in vitam & membra sua non habeat ius dominij, sed aliud quoddam ius naturale, vt constet integritas & perfectio totius coalescens ex suis partibus.

Modus autem quo talis Restitutio fieri debet, similis est ei de quo diximus in Assertione tertia. Debet enim qui Religiosum à Religione abstraxit rursus ad eam complectendam hominem adhortari, remota vi, dolo, & fraude, si horum aliquid in homine seducendo fuit adhibitum. Vel si id homini persuadere non possit, satisfacere debet Religioni aliqua alia ratione æquialenti, iudicio boni viri. Et hactenus exposuimus quidnam restituendum sit, spectando NATVRAS ipsas ablatarum rerum, iuxta partitionem & methodum quam initio huius puncti proposuimus.

Quidnam sit restituendum spectando modum quo res est acquisita.

SOLET autem dubitari quoque in variis casibus, An res sit restituenda considerando modum quo est ACQVISITA, vt initio diximus. Quo in genere quæstiones omnino OCTO occurrunt pertractandæ hoc in loco, iuxta rationes nimirum varias quæ ex hoc capite existunt dubitandi de eo quod sit restituendum, vt initio huius puncti indicauimus.

Itaq; PRIMO quæritur: *Quando sit restituenda res acquisita per aliquem ex* CONTRACTVM. RESPONDEO, In tribus casibus generatim. PRIMVS est, Si contractus iure naturæ sit iniquus & nullus. Quod quando vsu veniat in variis contrahendi modis non hîc est declarãdum, sed infra in quæstionibus de Emptione & Venditione, de Mutuo & Vsura, de Censibus, de Cambiis, & aliis eiusmodi Contractibus.

SECVNDVS casus est, Si contractus sit nullus tali aliqua lege humana, quæ absolutè illum prohibeat spectando bonum commune, & non propter præsumptionem fraudis & iniquitatis in contractu admissæ contra ius naturæ. Cuiusmodi Lex est ea, verbi gratia, quæ prohibet ne pupilli per venditionem aut aliter alienent res suas. Tales enim Contractus ipso facto sunt nulli, nec transfertur per eos dominium, sed illico tenetur quis etiam ante Iudicis sententiam restituere quod per eos acquirit, vt communiter Doctores tradunt. Nam vt docebimus quæst. 10. potest auctoritate Legis impediri dominij translatio.

TERTIVS casus est, Quando per sententiam Iudicis rescinditur contractus aliquis prohibitus per legem humanam fundatam in præsumptione fraudis & iniquitatis, etiam si absque vlla fraude & iniquitate contractus fuerit inter partes celebratus. Nam vt communiter Doctores sentiunt, tales Leges in præsumptione fundatæ, in foro quidem externo ita obligant, vt teneantur Iudices requisiti ferre semper sententiam contra tales contractus & consequenter ipsi etiam particulares tenentur obedire tali sententiæ, & rem acceptam restituere, ne alioqui *potestati resistentes, resistant ordinationi diuinæ.* Roman. 13. Vnde censendæ sunt tales leges, interueniente quidem Iudicis sententia, impedire vel enervare potius & extinguere translationem dominij. Ita docet Sotus libro 4. quæstione 5. articulo 3. Neque puto contrarium sensisse eos quos Sotus ibi contrarium opinatos putat: nempe Panormitanum in cap. Quia plerique, de Immunitatibus Ecclesiarum. Et Syluestrum, Verbo Alienatio, numero 12. & Verbo Testamentum primo, numero 5. Et Adrianum quodlib. 6. articulo 1.

Nam quando hi dicunt, valere contractum si fiat rectè iure naturæ absque fraude & iniquitate præsumpta per legem illum prohibentem, omnino

omnino videntur loqui in foro solum conscientiæ, antequam interueniat in foro externo sententia Iudicis. Id quod etiam concedit Sotus in dicto articulo 3. & verum est. Nam vt ex communi sententia docet idem Syluester, Verbo Lex, quæstione 9. & indicat etiam in illis aliis locis à Soto citatis, Et Nauarrus in Manuali, capite 17. numero 83. litera N. C. alias. numero 301.) & capite 23. numero 62. Leges humanæ fundatæ in præsumptione fraudis & iniquitatis, quando veritas est præsumptioni contraria (hoc est quando res sine fraude & iniquitate sed rectè in iure naturæ celebratur) non obligant ipsos contrahentes stando in solo foro conscientiæ, ante sententiam nimirum Iudicis. Quamuis postea quidem interueniente sententia habent tales Leges vim suam ergà contrahentes, quantumcunq; sine fraude & iniquitate contrahant, ergo adeo etiam in foro conscientiæ debet restitui quod acceptum est contra præscriptum eiusmodi Legum.

Sed neque etiam puto esse contrarium huic doctrinæ, quod Innocentius in dicto cap. Quia plerique, indistinctè dixit, teneri ad restitutionem eum, qui possidet aliquid per contractum, cui deest Iuris *solennitas*. Videtur enim hoc intelligi debere non nisi iuxta modum quo fuerit prohibitus contractus, sine tali solennitate; ita nimirum vt si ob præsumptionem iniquitatis & fraudis fuerit prohibitus, teneatur quis restituere, vel statim si iniquè contraxit, vel post Iudicis sententiam si contraxit iustè, & veritas fuit præsumptioni contraria: Si autem contractus sine tali solennitate fuerit absolutè prohibitus, spectando solum bonum commune, & non ex præsumptione alicuius fraudis, teneatur quis statim restituere etiam ante sententiam Iudicis, vt tenetur is, qui cum pupillo absque consensu tutoris contraxit, quod exemplum ponit illic Innocentius.

Et in hoc tantum posteriori genere Legum (quæ scilicet absolutè sunt latæ) puto esse verum, quod asserit Couarruuias in Relectione in Regulam Peccatum, parte 1. §. 3. num. 11. esse nullo in foro conscientiæ eos contractus, quibus deest Legum *solennitas*. Itaque arbitror hos Doctores inter se non dissidere, & plus nimio laborare Sotum loco citato in probanda ea doctrina quam asseruimus in tertio illo casu, cùm sit planè consentanea menti Doctorum omnium.

Ex qua doctrina sequitur, posse bonâ conscientia hæredem vel Legatarium, institutum per *testamentũ minus solenne*, (vt, verbi gratia, si defuerit testium numerus præscriptus à lege) possidere hæreditatem vel legatum, si de libera voluntate testatoris absque dolo & fraude constiterit, neque Iudicis sententia contra illum, ob defectum solennitatis testamenti, sit lata: non autem post latam eiusmodi sententiam ex præscripto legis. Nam tunc talis hæres, vel Legatarius restituere debebit hæredi alioqui ab intestato (vt fratri defuncti, &c.) si is in Iudicio contra eiusmodi hæredem aut legatarium minus solenniter institutum egerit, volens vti beneficio legis prohibentis tale testamentum. Ita docet Sotus in dicto articul. 3. quæstione 5. libri 4. de Iustitia. Quamuis contrarium opinatur Couarruuias Relectione in Regulam Peccatum, parte 2. §. 3. numer. 11. præsupponens legem de ea solennitate testamentorum non fundari in præsumptione, sed absolutè esse latam ob bonum commune. Sed probabilius est, quod præsupponit Sotus, scilicet legem requirentem in testamento illam testium solennitatem, in præsumptione fundari.

Quapropter si nulla fraus subsit, sed veritas sit præsumptioni contraria, non habet ea Lex vim in foro conscientiæ ante sententiam Iudicis, sed ea demum interueniente. Quæ nam autem solennitas debeat in *testamentis* adhiberi, non videtur à nobis in hac disputatione Theologica necessariò explicandum; Et potest ea de re videri Syluester, Verbo Testamentum.

SECVNDO quæritur, *quando debeant ea restitui, quæ per alterius* DONATIONEM acquisita sunt. RESPONDEO, quando donatio non est valida. Est autem donatio inualida *primò*, si iure naturali sit nulla. Vt donatio quæ fit coactè per vim aut fraudem extorta, sine interiori voluntate transferendi dominium; & quæ fit à mente capto, aut à non Domino, vt à seruo, religioso, fure, prælato, qui non Dominus, sed dispensator est rerum Ecclesiæ, &c. Idque patet toto titulo de reb. Eccles. non alienandis. Item si Donatio non fuerit absoluta sed conditionalis, & conditio apposita non subsit, seu non adimpleatur, donatio erit nulla iure quidem naturæ, nisi donatio sit talis quæ iuris humani interpretatione habeatur pro non adiecta ex animo: Vt si sit turpis vel impossibilis; vt patet capite vltimo. De conditione appos. & §. Impossibilis. Instit. de hæred. Vel etiam si sit honesta in donatione facta alicui Ecclesiæ, capit. Verum de condit. appos. Patet etiam in legato facto filiæ appositæ conditione de non nubendo aut de nubendo: argumento legis Titiæ. ff. de conditionib. & demonstration. Quo in genere attentè oportet in particularibus casibus discernere, num re vera sit donatio *conditionalis*, vel tantum *causalis* seu *modalis* (vt Glossa & Doctores appellant in dicto cap. Verum) cum nimirum id quod videtur conditio, tantummodo sit motiuum seu causa minus principalis (non autem causa finalis principalis) donandi. Nam tunc sine eo valebit donatio: vt patet ex his quæ de hac re tota diligenter tradit Ioan. Medina quæstione vigesimatertia & vigesimaquarta de Restitutione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundò erit donatio inualida, si per leges humanas sit prohibita, vt quæ fit à pupillo sine consensu Tutoris l.Pupillus.ff.de acquirend.rer.dominio. Et quæ fit inter virum & vxorem. Vt l. Si sponsus. ff. de donat. inter vir. & vxorem, exceptis quibusdam casibus notatis à Syluestro, Verbo Donatio secundo, numero 4. Et quæ fit item inter patrem & filium non emancipatum. l. vlt. C.de Impub. nisi in quibusdam casibus quos ibidem Syluester enumerat, numero octauo, apud quem & Medinam vbi supra, multa alia ad materiam donationum pertinentia videri possunt.

Ex qua doctrina sequitur, verum id esse, quod Adrianus in quæstione de Restitutione, §. *Consequenter quæro vtrum indistinctè.* & Alexander Halensis 4.par.quæst.86.memb.3.art.2.& 3. Et Altisiodorensis lib.4. Summæ, quæst. 7. de Restitutione asserunt, debere restituere eum, qui simulatione sanctitatis aut paupertatis, propter hæc principaliter extorquet dono aliquid: Nam fraudulenter decipit.

TERTIO quæritur, *quando debeant ea restitui, quæ sunt acquisita titulo* PRAESCRIPTIONIS. RESPONDEO, Si præscriptio fuerit legitima, licitè retineri possunt, nec sunt restituenda. Sunt autem sex conditiones requisitæ & sufficientes, vt præscriptio sit legitima, ex quibus, si vel aliqua desit, præscriptio erit illegitima, atque adeo restituendum erit quod per eam fuerit acquisitum.

PRIMA conditio est, vt res naturâ sua sit præscriptibilis. Sunt namque quædam res quæ iure præscribi non possunt, vt docet Syluester, Verbo Præscriptio 2.num.2.& sequent. Et Couarruuias Relectione in Regulam Possessor.parte 2.Et Ioannes Medina quæst.16. de rebus restit. Et Alphonsus à Castro lib.2. de lege pœnali, capite 5. Nam homo liber præscribi non potest.l.Sola. C. de longi temp.præscript. Neque ius decimarum aut aliæ res sacræ à laicis, cap.Causam, Extra de Præscriptionibus. Neque seruus fugitiuus.§. Sed aliquando. Instit.de Vsucap. Neque exemptio ab obedientia sui superioris, capit. Cum non liceat, Extra de Præscriptionibus. Neque res communes ad publicum scilicet Reipub.vsum deputatæ, vt viæ publicæ, &c. l. Vsucapionem. ff. de Vsucapionibus. Neque limites Episcopatuum, prouinciarum, & parochiarum, 16.quæst. 3.cap. Licet, Et cap.Inter,& cap.Super eo, Extra de Parochiis. Neque pensio aut Canon qui debet solui Reipublicæ pro agris, 16. quæst. 4.§. Potest. Neque possessiones agrorum à Colonis. l.Malè agitur. C.de Præscriptionibus 30. vel 40. annorum. Nec tributa debita principi. l. Comperit. C. eodem titulo. Nec res quæ prohibetur alienari per legem aut Canonem, aut à defuncto, aut per pactum, iuxta notata à Syluestro, Verbo Præscriptio 2. numer.13.14.15. Neque res quas precariò quis possidet, & non tanquam verus Dominus. l.Certè. §. Is qui rogauit. ff. de Precar. Neque res empta à prodigo, vel luxurioso, vel lusore: Nec res quas probabili ignorantia Dominus ab alio possideri ignorat.sicut hęc duo explicat illic Syluester numer.17. & 18. Nec res excommunicati, quamdiu per eum non stat quo minus liberetur ab excommunicatione, vt notat Syluester nu.19. qui de his omnibus fusè disputat, & fusius adhuc Couarruuias loco citato.

SECUNDA conditio est, vt res actu *possideatur* ab eo, qui eam præscripturus sit. Nam *sine possessione non præscribitur*, vt habet Regula Iuris. neque vsucapitur, vt patet. l. sine possessione. ff.de Vsucap.

TERTIA conditio est, vt res possideatur legitimo *titulo*, vero, aut probabiliter præsumpto; vt titulo hæreditatis vel emptionis vel donationis legitimæ, &c. Id patet cap. Si diligenti, Extra de Præscriptionibus.Ob cuius conditionis defectum is qui aut furto aut rapina, aut per vsuram, vel alio iniusto titulo rem acquisiuit nunquam præscribit.

QVARTA conditio est, vt res possideatur quoque *bona fide*, accipiendo fidei vocabulum pro conscientia, sicut accipitur Roman.14. cum Apostolus ait: *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Bona autem fides seu conscientia est, cum quis non modò iusto titulo (iuxta præcedentem conditionem) rem initio acquisiuit, sed etiam postea illam tanquam suam possidet, nesciens esse alienam. Requiri autem ad præscriptionem legitimam huiusmodi bonam fidem patet ex capit. Possessor, de Regulis Iuris, & ex cap. Vigilanti,& cap.Si diligenti, Extra de Præscriptionibus, per quos Canones, & alios eiusmodi, censentur reuocatæ quædam Leges ciuiles, quæ præscriptionem cum mala fide permittebant: vt contra Glossam in cap.finali de Præscript.sentiunt communiter Doctores,& nominatim Sotus lib.4.de Iustitia,quæst.5.art.4. Et Couarruuias in Relect. in Reg.Possessor.parte 2.§.11.num.4.

Est autem *quæstio* circa hanc conditionem, An non solum opinio superueniens, quod res sit aliena, sed etiam *dubitatio* num aliena sit impediat hanc bonam fidem, atque adeo reddat inualidam præscriptionem. Qua de re sunt duæ opiniones.

Prima est Antonij de Butrio super cap.vlt.de Præscriptionibus. Et Adriani in 4. in materia de Restit. vbi agit de Præscript. Et Soti lib.4. de Iustitia,quæst.5.art.4.Hi sentiunt tolli & interrumpi bonam fidem per eiusmodi dubium.

Probat id Adrianus *primò*, Quia peccat is qui agit contra conscientiam dubiam iuxta illud; *Qui amat periculum peribit in illo*, Ecclesiastes3. *Secundò*, Quia bona fides consistit in hoc, vt quis putet rem esse suam. Sed hoc quis definit putare non modò per contrariam opinionem, sed etiam per dubitationem (siquidem dubitans neutri parti assentitur) Ergo per dubitationem etiam interrumpitur bona fides. *Tertiò* probat idem Sotus, Nam bona fides idem in proposito est quod bona & sana conscientia. Sed per dubitationem illam definit conscientia esse sana, cùm ab ea dubitatione remordeatur & exulceretur. Ergo definit per eam dubitationem bona fides.

Secunda sententia, quæ mihi magis placet, est Panormitani in capite vltimo de Præscriptionibus,& Glossę ibidem, Et Ioannis Medinæ quęstione 17.de rebus restitu. Et Couarruuiæ Relectione in Regul.Possessor,parte 2.§.7.numero 3. & 4. & aliorum quos in eandem opinionem is citat affirmans eam esse communem. Hi sentiunt, non tolli bonam fidem per eiusmodi dubitationem. Nam etsi is qui dubitat non posit bona fide & conscientia incipere rem possidere, tamen postquam iam possedit, potest bona conscientia & fide continuare possessionem non obstante dubitatione num res sit sua. Quamuis enim is speculatiuè dubitet de conditione, & veluti qualitate ipsius rei, nimirum sit ne sua vel alterius, non debet tamen practicè dubitare de suo possidendi actu, sed potest sibi persuadere se licitè possidere rem, etiam durante illo speculatiuo dubio, vt optimè explicuit Ioannes Medina vbi supra, & post eum Couarruuias. Nam in dubiis melior est conditio possidentis, vt habet Regula Iuris.

Ob quam causam non modò auctores huius opinionis, sed etiam ipse Adrianus quodlib.2.§. *Ad primam confirmationem*, Et Sotus loco citato, censent, eum qui dubitat num res quam possidet sit sua, posse eam retinere nec durante tali dubio debere eam restituere; adeo vt ibi Sotus opinetur, posse Coniugem dubitantem de Coniugij veritate, si adhibita diligentia ad veritatem cognoscendam maneat adhuc dubius, non solum reddere, sed etiam petere debitum vxorem tanquam re, quam iure possidet dum dubitat an sit sua, nec scit non esse. Itaque videntur Adrianus & Sotus non satis cohærenter cum hac doctrina loqui, cùm hic asserunt, dubitationem num res sit eius qui illam possidet, tollere bonam fidem atque adeo impedire præscriptionem. Neq; illorum argumenta valent.

Ad *primum*, enim respondeo per distinctionem iam adhibitam dubij speculatiui & practici. Non enim peccat qui facit contra conscientiam dubiam speculatiuè tantum, circa conditionem ipsius rei num sit propria vel aliena, sed qui facit contra conscientiam dubiam practicè circa proprium possidendi actum, sit ne is licitus, nec ne: Id quod non accidit in proposito, vt iam explicauimus.

Ad *secundum*, respondeo, distinguendum esse de bona fide in proposito. Nam bona fides, vt *sumpta*, præscriptio, omnino requirit opinionem illam, quòd scilicet res sit propria: Non autem bona fides requisita ad *continuandam* præscriptionem; sed ad hanc bonam fidem sufficit opinio & persuasio quod licitè rem possideas, etiam in dubio, num sit tua, eo quod, vt dictum est, melior est conditio possidentis.

Vnde rectè resoluit Couarruuias vbi supra, Bonam fidem requisitam ad cõtinuandam præscriptionem (iuxta Canones quos postea in sexta conditione indicabimus) non interrumpi nisi per *malam fidem*, id est, per opinionem, quod res sit aliena, atque adeo, quod illicitè possideatur. Quæ opinio nondum adest, quando solum dubitatur an res sit propria vel aliena: ac proinde adhuc in tali dubio perseuerat bona fides, quæ quidem ad præscriptionem continuandam necessaria est. Id quod apertè confirmari potest ex cap.vlt. de Præscriptionibus, vbi solum requiritur; vt qui præscribit *in nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienæ.*

Et idipsum iudicio meo non malè confirmatur à Panormitano in capite vltimo de Præscriptionibus, ex dicto Augustini libro de fide & operibus cap.7.relati in cap.Si Virgo 34.quęstione 1. nempe *tamdiu bonæ fidei possessorem rectissimè quenquam dici, quamdiu possidere se ignorat alienum; cum verò id sciuerit, neque ab alienæ possessione discesserit, tunc malæ fidei possessorem perhiberi.* Nam vt Panormitanus ait, non is solum qui putat rem esse propriam ignorat esse alienam (quæ ignorantia nominari solet ignorantia *contrariæ* dispositionis) sed etiam qui dubitat num sit propria vel aliena; cùm is etiam necdum sciat rem esse alienam, atq; adeo id ignoret ignorantia (vt dicitur) negationis. Nec video (quidquid aliqui dicant) cur non possit Augustinus ibi de vtroque modo ignorantiæ intelligi. Et certè ratio qua Medina & Couarruuias vbi supra probant, Augustinum loqui solum de eo qui ignorat rem esse alienam ignorantia *contrariæ* seu *pravæ* dispositionis, putando scilicet esse suam, non mihi videtur conuincere, sed non est opus eam rationem discutere; cùm absque illa confirmatione Panormitani, consistat & probetur satis secunda illa opinio per ea quæ diximus.

Ad *tertium* argumentum Soti respondeo, illum remorsum non lædere conscientiam practicam circa actum possidendi, atque adeo neque bonam fidem requisitã ad continuandam præscriptionem, sed solùm turbare conscientiam speculatiuam circa ipsius rei conditionem, num scilicet sit propria vel aliena; quod nihil obstat, vt est dictum.

QVINTA conditio necessaria, vt præscriptio sit legitima, est, vt tanto tempore possessio rei cum iusto titulo & bona fide duauerit, quanto ex Legum præscripto pro rerum ipsarum varietate necesse est. Nam ad præscribendum res *mobiles* (quarum potius dici solet vsucapio quàm præscriptio; licet quandoque hæc vocabula indifferenter pro eodem sumantur) sufficit possessio

Universidad de Deusto
Biblioteca

sio triennalis inter præsentes, & quadriennalis inter absentes, vt patet ex l. Quas actiones. C. de vsucap. Ad præscribendum autem res *immobiles Ecclesiasticas* possessio requiritur *longissimi* temporis (vt appellant Doctores) nimirum triginta annorum inter præsentes, & quadraginta inter absentes, vt patet in dicta l. Quas actiones. & 16. quæst. 3. per plura capita. Quin etiam ad præscribendum peculiariter res Ecclesiæ *Romanæ* requiritur possessio centum annorum, vt patet in dicta l. Quas actiones. C. de vsucap. & 16. quæst. 3. cap. vlt.

Item ad præscribendum res immobiles *temporales*, si primò quidem fuerint furto aut vi acquisitæ, necessaria est in furis aut raptoris hæredibus possessio bonæ fidei longissimi temporis, scilicet triginta annorum saltem, inter præsentes, & quadraginta inter absentes, vt asserit Syluester, Verbo Præscriptio 2. numer. 12. per l. Et omnis. C. de Præscription. 30. annorum. Id quod est annotandum contra Sotum, qui lib. 4. de Iustitia, quæst. 5. art. 4. incogitanter (vt videtur) dixit, hæredes furis præscribere per possessionem bonæ fidei longi temporis scilicet decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Quod est apertè contra §. Quod autem, & §. Furtiuæ, Instit. de Vsucapionibus. Et glos. ibi in Verbo Longo tempore. Ab ipso autem fure vel raptore nullo tempore præscribi res potest, vt diximus in conditione 3.

Res autem aliæ temporales immobiles bono titulo initio acquisitæ (modò non sint ex iis, quæ præscribi nequeunt, iuxta ea quæ diximus in conditione prima) præscribi possunt spatio *longi* temporis, vt Doctores appellant; scilicet 10. annorum inter præsentes & 20. inter absentes, vt patet in dicta l. Quas actiones. C. de Vsucapion. & l. Malæ fidei. C. de Præscriptionibus longi temporis. Et Instit. de Vsucapion. vbi supra.

Sexta conditio est, vt bona fides nunquam in prædictis temporum spaciis interrumpatur, vt patet cap. Illud autem, & cap. Quoniam omne (quod est vlt.) Extra de Præscriptionibus. Quomodo autem superueniens dubitatio, num res sit aliena, non interrumpat bonam fidem, quatenus hæc est necessaria ad continuandam præscriptionem, explicauimus iam ex communiori & veriori sententia in quarta conditione.

Porro si quæ conditio ex istis sex in Præscriptione defuerit, iudicari debet inualida & illegitima præscriptio, atq; adeo restituendum est, quod per eam fuerit acquisitum. Et fallitur Glossa in capite vltimo de Præscriptionibus non requirens quartam conditionem scilicet bonam fidem, vt in ea conditione annotauimus. Si autem omnes istæ sex conditiones concurrant, legitima erit præscriptio, neque res per eam acquisita erit vnquam restituenda, vt asserit communis sententia Doctorum, ac nominatim diuus Thomas quodlib. 12. artic. 25. Et Scotus in 4. dist. 15. quæst. 3. Et Paludanus eadem dist. quæst. 2. Et Durandus in 4. dist. 41. quæst. 4. artic. 2. ad 1. Et Ioannes Medina, Sotus, & Couarruuias, vbi supra, & alij communiter. Et patet ex Canonibus & Legibus supra citatis. Et peculiariter cap. Nos sanctorum, & cap. Quoniam omne, de præscriptionibus, & 16. quæst. 3. per multa capita. Ex quibus patet per legitimam præscriptionem transferri verè dominia rerum: ne nimis diu dominia maneant incerta, & vt possit esse litium finis, & firmior pax in Republica, vt docent Doctores citati.

Per quam doctrinam communem & certam, refelluntur duæ quædam opiniones singulares & falsæ. Altera est Summæ Rosellæ, Verbo Præscriptio; nimirum si is qui iuxta normam Legum & Canonum præscripsit, postmodum resciat rem esse alienam, debere eam in foro conscientiæ restituere, etiam si ei in foro externo adiudicetur ex præscripto Legum. Quæ opinio omnino est intolerabilis. Nam tunc iniqui essent citati Canones & Leges adiudicantes ei qui præscripsit rem, quam is iustè & licitè retinere non potest, si opinio hæc Rosellæ esset vera.

Altera opinio est Adriani vbi supra, qui censet non semper præscriptionem cum prædictis conditionibus ita valere, vt qui præscripsit, possit rem retinere, nec debeat restituere, sed tunc tantū quando Dominus rei peccauit mortaliter, negligendo rem suam: non autem quando hæc in eo negligentia non fuit culpa mortalis. Et ratio Adriani est, quia acquisitio rei alienæ per præscriptionem, instituta est per leges in pœnam Domini negligentis rem suam. Ergo quando Dominus in ea non grauiter peccat, non est puniendus pœna tam graui quàm est rei propriæ amissio.

Sed hæc opinio omnino etiam est falsa, vt Sotus pluribus argumentis probat lib. 4. de Iustitia quæst. 5. art. 4. & maximè duobus. *Primo*, Quia raro tunc accideret, vt Præscriptio haberet suum effectum: cùm prodigalitas in negligendis propriis bonis temporalibus, per se & ex suo genere non sit peccatum mortale, nisi accedat aliqua circumstantia ob quam sit mortale peccatum. Vt si eiusmodi bonis familia sustentetur, &c. *Secundò*, Quia nec solùm, nec præcipuè in pœnam negligentiæ Domini, instituta est Ius Præscriptionis, sed propterea maximè vt rerum dominia non diu maneant incerta, & vt finis litium, & firmior pax in Republica, vt ante dictum est. Quare nihil valet ratio Adriani, sed firmum manet quod asseruimus, nempe nunquam restitui debere quæ sint acquisita per Præscriptionem legitimam, in qua scilicet concurrant conditiones illæ sex à nobis enumeratæ. secus autem si aliqua ex illis conditionibus desit.

Quarto

Quarto quæritur, *Quando sit restituendum quod est acquisitum titulo mercedis pro functione* Officii. Ad hoc breuiter (quod ad præsentem disputationem attinet) responderi *primò* potest, tunc restitui debere, vel omnino, vel ex parte quod accipitur tâquam officij merces, quando quis aut omnino aut ex parte negligens suum officium, mercedem, aut mercedis partem accepit, quam non est meritus. Hinc Clerici habentes beneficium & intermittentes recitare horas Canonicas, aut aliquam aliam partem sui officij, tenentur pro ratione negligētiæ restituere fructus beneficij perceptos, vt infra disp. seq. in q. de Oratione videbimus. Et similiter Officiales alij, siue Ecclesiastici siue seculares, vt quisq; sui muneris fuerit negligens, iuxta ea quæ in suis locis disputari solent de variis hominum statibus.

Dico *secundò*, tunc etiam quod acquisitum est titulo mercedis esse restituendum, quando aliūde iusto stipēdio functio officij compensata est. Hinc etiam restituendum est, quod accipit, v. g. Iudex vt iustam sententiam ferat, vel vt non ferat iniustam, vt ex communi doctrina tradit Adrianus vbi sup. §. *Restat inquirere an extorta, &c.*

Dico *tertiò*, Esse etiam restituenda ea quæ quis accipit pro mercede officij, aut actionis, ad quā aliàs lege diuina, aut humana, aut præcepto superioris ex Iustitia tenetur. Vt pro ferendo vero testimonio, &c. Sicut patet cap. Non sanè 14. q. 5. Et tradit Adrianus vbi supra aliquanto infrius. Et Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 33. & 34. Et Couarruuias Relect. in Reg. Peccatum p. 2. §. 3. n. 1. & 2. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 7. art. 1.

Quin etiam multis argumentis probat Nauarrus loco citato, eum quoq; qui accipit mercedem nō solum pro eo quod alias facere tenetur ex lege & obligatione Iustitiæ, sed etiam pro eo quod teneatur facere ex lege & obligatione cuiuscunque alterius virtutis, teneri ad restitutionem, saltem *post Iudicis sententiam*, qui proinde debet actionem repetendi concedere. Ac præcipuè id patet ex l. 2. ff. de Conditionib. ob turpem causam: vbi fit potestas repetendi quod datur alicui, ne committat sacrilegium: ad quod vitandum tenetur non ex obligatione Iustitiæ sed virtutis religionis. Item ex eo quod Glossa & communiter Doctores in l. 4. ff. eodem titulo, asserūt, repeti posse quod datur alicui fœminæ ne fiat meretrix: Id quod tenetur quælibet cauere non ex Iustitiæ, sed ex temperantiæ & castitatis obligatione.

Ex natura autem rei præcisè atque adeo *ante Iudicis condemnationem*, rectè censet Sotus loco citato (Nauarro etiam non improbante) talem, qui pro officio ex alia virtute quàm Iustitia debito mercedem acciperet, non teneri ad restitutionem. Id quod ego ea ratione probo, quòd cū possit vnus & idem actus diuersa ratione ex duplici virtute fieri, nihil impedit, quo minus actus qui ex aliqua alia virtute morali debet exerceri, posit etiam propter oblatam mercedem condignam exerceri simul ex Iustitia. Sed tamen habet id quādam indecentiam, propter quam meritò in foro externo datur potestas repetendi, vt Nauarrus censet.

Quinto quæritur, *An sit restituendum quod est acquisitum tanquam merces* Vrpis *actionis*. In qua quæstione tria sunt certa, & duo controuersa, apud Doctores. Primo Certum est, non posse retineri, sed debere restitui quod esset acceptum tanquam merces alicuius actionis malæ, vt mala & peccatum est. Nam eatenus considerata actio mala, nullius valoris est, atque adeo iniustè pro ea sic considerata aliquid acciperetur, & proinde omnino esset restituendum.

Secundo Certum est, debere restitui, quod sit acquisitum tanquam merces actionis malæ (quomodocunque consideratæ) quæ & sit contra Iustitiam, & nullam aliam adferat vtilitatem seu commoditatē alteri præter eam quæ sit propriè contra Iustitiam. Vt pro occidendo homine, pro ferenda sententia iniusta, pro dicendo falso testimonio, pro furando, &c. Ratio huius manifesta est. Nam actio per quam alteri quidpiam iniquè & iniuriosè contra Iustitiam detrahitur (vt vita, bona, &c.) non debet, nec rectè potest à quoquam compensari, reddēdo aliquid pro ea illi, qui eius fuit causa imperando aut exequendo, aut alio quouis modo; sed potius illi similiter aliquid detrahi debet, vt vterque, id est, qui iniuriam in vita aut rebus alteri infert, & is qui eam est passus (aut eius hæres illius loco) reducantur ad æqualitatem Iustitiæ commutatiuæ; iuxta ea quæ de huius Iustitiæ *medio* tradidimus q. præcedenti.

Neque verò propterea quòd per vnius iniuriam satisfiat cupiditati seu iræ alterius accedit ei, cui ita satis fit, talis aliqua vtilitas, pro qua ex Iustitiæ equalitate posit is qui iniuriam eiusmodi intulit, accipere compensationem ab eo cuius voluntati sic satisfecit. Etenim in eo ipso quod alteri sic satisfactum sit, est iniuria tertij; pro qua idcirco nulla compensatio per additionem seu retributionem fieri à quoquam debet, sed duntaxat per detractionem, vt iam dictum est.

Nec rursus eiusmodi compensatio percipi iustè potest propter delectationem saltem quam capit is, cui per iniuriam alterius satisfactum est. Nam cùm in moralibus idem sit iudicium de delectatione consequente aliquam actionem, & de ipsa actione: hoc ipso quòd actio iniuriosa per quam alicuius voluntati satisfit, atque adeo etiam volitio & approbatio talis actionis, non est ex iustitia compensabilis (propter rationē iam allatam) consequitur neq; esse ex Iustitia compensabilem delectationē eam, quæ ex tali actione & volitione consequitur.

Ex quibus apparet, illud quod diximus esse secundò certum, non solum (vt quidam putant) verum esse ob dispositionem humanæ iuris, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

decernit eiusmodi maleficia contra Iustitiam nō mereri mercedem (vt patet l.2.& 3.ff.de condict. ob turpem causam.Et l.Iurisgentiū. §. Si ob maleficiū. ff. de pactis, & alibi) sed etiam ipso naturali iure, cuius vis in hoc quidem genere maleficiorum contra Iustitiam explicatur etiam per leges humanas.Quod sine dubio sensit S. AVGVSTINVS epist. 54. ad Macedonium affirmans *scelerate* sumi pro iniqua sententia aliquid, *Cum*, inquit, *Iudicia & testimonia, quæ nec iusta vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius vtiq; pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamuis à volentibus datur.* Quibus verbis indicat apertè S. Augustinus contineri in eiusmodi acceptione deformitatē contra ius etiam naturæ. Et idem rectè quo ad hoc quidem genus turpium actionum, quę sunt contra Iustitiam, sensit Nauarrus in Man. ca. 17. n. 35. quamuis in alio quodam genere turpium actionum circa hanc quæstionem minimè assentiar Nauarro, sicut postea indicabo.

TERTIO certum est, titulo quidem donationis liberæ, & non titulo mercedis, accipi posse iure naturæ, quidquid sponte datur ob qualemcunq; turpem actionem, non tanquam ob causam principalem sed ob quoddam motiuum seu conditionem sine qua non daretur: vt exprimit Nauarrus in dicto cap. 17. nu. 41. exceptis tamen iis donationibus ob turpem causam quæ iure humano sunt omnino prohibitæ. Vt donatio quę fit meretrici aut concubinæ à milite, quæ in iure est inualida. per l. Affectionis. ff. de donat. Et l. Miles ita. §. Miles. ff. de testam. militari, Et quidem ante Iudicis etiam sententiam, vt rectè sentit Ioannes Medina q. 20. de reb. restit. ad 6. contra Adrianū. Ac similiter sunt iure inualidæ donationes Minorum. Quod etiam notat Couar. Relect. in Reg. Peccatum, part. 2. §. 2.

CONTROVERSVM autem in hac quæstione est PRIMO. *An publicæ meretrices possint pro turpi actu accipere & retinere aliquid tanquam mercedem actus turpis*: Nam Angelus, Baldus, & Iason super §. Sed & quod meretrici. l. 4. ff. de Cōdict. ob turpem causam, & alij Iuristæ, quos citat Couarruuias in dicta Relect. p. 2. §. 2. n. 1. Et præterea etiam Ioan. Medina. q. 20. de reb. restituendis. Et Nauarrus in Man. cap. 17. num. 36 37. & 38. arbitrantur non posse accipi & retineri aliquid tanquam mercedem actus meretricis. Quanquam allo quidem titulo putāt isti, posse à meretrice retineri, quod pro actu turpi accipit; scilicet vel titulo donationis quando constiterit quidpiam vt donum, & non vt precium actus fuisse datū, sicut vult Medina; vel quia quod turpiter datum & acceptum est (vt hic fit) non est necessariò restituendum ex præcepto, vt vult Nauarrus loco citato, iuxta ea quæ de hoc tradidimus p. præcedenti.

Argumenta verò huius opinionis potissimū sunt hæc. PRIMO, Quia iura generatim affirmāt ob nullam actionem turpem posse accipi mercedem, neque valere pactum aut condictionem de illa, vt patet l. Generaliter. Et l. si flagitij. ff. de verb. oblig. Et l. Mercalem. C. de Condict. ob turpem causam. Et l. Iuris gentium. §. Si ob maleficium. ff. de pactis.

SECVNDO, Quia sicut spiritualia vendi non possunt propter suam præstantiam, ita neque actus mali propter suam vilitatem, atq; adeo nec iste actus meretricis. Et hæc est ratio Ioānis Medinæ.

TERTIO, Nam ideo pro homine occidendo & pro iniusta sententia, & pro falso testimonio, & pro furto, rapina, &c. non potest merces accipi, quia huiusmodi actus sunt intrinsecè mali; licet alioqui non minus videntur precio æstimabiles ad explendas hominum cupiditates, quàm turpis actus meretricis. Ergo cum is quoque actus turpis intrinsecè sit malus; consequens est vt non magis pro eo quàm pro illis aliis possit merces accipi & retineri. Atque hoc argumentum vrget valde Nauarrus.

QVARTO, Nam si iustè acquiritur & retinetur eiusmodi merces, posset ex illa fieri oblatio Deo. Quod tamen fuit diuinitus prohibitū Deuteron. 23. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini.*

QVINTO, Nam quod datur & accipitur turpiter, non vtique datur & accipitur secundùm iustitiam, ac proinde neq; vt merces operis. Sed quod datur meretrici & ab ea accipitur pro actu turpi, datur & accipitur turpiter. Ergo non datur & accipitur secundū Iustitiam: & consequenter debebit restitui. Maior patet, Nam virtuti omni, atque adeo etiam Iustitiæ, repugnat turpitudo. Minor probatur, Nam velle compensare turpem actum mercede, quodammodo est illū approbare; id quod omnino est turpe. Et confirmatur, Nam propterea est turpe dare & accipere mercedem pro occidendo, vel iudicādo iniquè, &c. quia ipse actus occidendi, & iniustè iudicandi, turpis est. Ergo turpe etiam est dare & accipere mercedem pro actu meretricio, siquidem hic etiam actus turpis est. Quod etiam argumentum valde Nauarrus vrget.

SEXTO, Nam ex Iure constat non posse reperi mercedem quæ accipitur pro quibusdam actibus illicitis, etiam præter illos iniustos, de quibus in argumento secundo est dictum, Ergo eadem erit ratio de actu meretricio. Antecedens patet ex Cap. Cum sit. §. Officiali verò. Ext. de Iudæis. Vbi iubentur Iudæi erogare Eleemosynas pauperum Christianorū quidquid sint assecuti ratione alicuius officij publici, quod exercentur inter Christianos; quia nimirum eiusmodi officium, cùm sint alterius religionis, non obtinerint licitè. Et in cap. Ad liberandum, eod. titulo, prohibentur absolui ab excommunicatione, qui illicitè vendiderunt arma Saracenis, donec acquisita dent in subsidium terræ sanctę. Et in l. Lucius Titius. ff. de Iure Fisci, statuitur, fisco competere *quidquid mortua rea scelere acquisiuisse probari poterit.*

Est autem sermo de Mæuia, vxore Lucij Titij, quā soror huius Lucij accusauit Veneficij in Virum; qui eam moriens ipsi instituit hæredem cum socero. Itaque cùm acquisita per huiusmodi etiam illicitos actus retineri nequeant; nihilo magis videtur retineri posse quod accipitur tanquam merces illiciti actus meretricij.

SEPTIMO accedit quòd Meretrix non habet dominium sui corporis. L. liber homo. ff. ad Leg. Aquil. Ergo minimè potest illud aut illius vsum vendere, atq; adeo nec pro eo precium accipere.

CONTRARIA tamen sententia est communis aliorum ferè omnium Iuristarum & Theologorum, eademq; longè probabilior, scilicet posse dari & accipi & retineri aliquid tāquam mercedem & precium actus meretricij, neque id debere restitui, atque adeo etiam non iniustè in foro exteriori meretrici adiudicari. Ita tradit sanctus Thomas sup. quæst. 32. artic. 7. Et ibi Caietanus. Et Alex. Hall. 4. part. quæst. 86. memb. 3. ar. 6. §. 2. Et Richardus in 4. d. 15. art. 5. quæst. 8. Et Soto lib. 4. de Iustit. quæst. 7. artic. 1. Et Couarr. Relect. in Reg. Peccatum. p. 2. §. 7. num. 1. & seq. qui plurimos alios in eandem sententiam citat.

Probatur autem hæc sententia PRIMO. Nam Genes. 38. Iudas misit ad Thamar hædum, quem promiserat tanquam turpis concubitus mercedem; nec propterea vel ibi à scriptura, vel aliàs ab vllo sanctorum Patrum reprehenditur. Imo ipse Iudas ibi indicat, se malè facturum fuisse, ni si voluisset reddere vt promiserat illam turpitudinis mercedem, *Certè*, inquit, *mendacij arguere nos non potest, ego misi hædum quem promiseram.* Quo testimonio vtuntur ad hanc sententiam confirmandam Adrianus in materia de Restit. & Couarr. vbi sup. & alij.

SECVNDO probatur ex l. 4. §. *Sed & quod meretrici.* ff. de Condict. ob turp. causam, vbi sic ait Vlpianus. *Sed & quod meretrici datur, repeti non potest, vt Labeo & Marcellus scribunt, &c. illam enim turpiter facere, quod sit meretrix; sed non turpiter accipere, cùm sit meretrix.* Quibus verbis clarum est, eodem modo Iuris Consultum negare, turpe esse accipi mercedem à meretrice, quo affirmat esse turpe meretricem esse. Itaque cum iure naturæ sit turpe eodem etiam iure naturæ non esse turpe, sed licitum meretrici accipere mercedem, vt docuit etiam S. Thomas supra q. 32. art. 7. Et communiter alij sicut Nauarrus vbi sup. num. 34. agnoscit. Qui planè contra mentem Iuris Consulti interpretatur ibi & num. 36. eum in dicto §. *Sed & quod meretrici*, æquiuocatione fuisse vsum, pronunciādo nimirū esse turpe iure quidem naturali meretricem esse, non autem esse turpe iure humano mercedem accipere meretricij, cū id per humanas Leges permittatur.

TERTIO probatur eadem sententia ratione monstrata subtiliter à Caietano vbi suprà, quam ego sic formo. Pro omni actu eo potest iustè accipi merces, qui spectato obiecto siue materia sua est apud homines precio æstimabilis, etiamsi ratione alicuius circumstantiæ seu conditionis obiecti sit illicitus, & repugnans alicui alij virtuti distinctæ à iustitia. Sed actus meretricius est huiusmodi. Ergo, &c. Maior probatur tum ratione tum exemplo. Ratione quidem, Nam vt agatur rectè in alicuius virtutis genere, sufficit, quòd quis operetur circa materiam & obiectum eius virtutis propriū, & sic operatio cadat suprà materiam ipsi proportionatam & debitam, vt optimè explicuit vbi suprà Caietanus. Est autem materia & obiectum proprium Iustitiæ quæcunque res & actio precio æstimabilis, licet aliunde fortè sit illicita contra aliam virtutem. Pro omni autem eo actu, qui ita sit precio æstimabilis, potest iustè merces accipi, vt sumpsimus in illa Maiore.

Exemplo etiam probatur eadem Maior. Nam iustè accipitur ab emptore precium pro venditione rei eo precio æstimabili, etiam si fortè ea venditio aliunde sit illicita, vtputa contra virtutem Religionis, si fiat in sacro loco, aut sacro tēpore, quo venditio prohibeatur; aut contra fidelitatem fortè debitā familię, si quis cum eius magno detrimento rem suam diuendat, &c. Quorum ratio est, Quia venditiones eiusmodi ratione rerum ipsarum quæ venduntur, omnino sunt precio æstimabiles, quantumcunq; aliunde sint illicitæ. Itaq; verissima est nostræ rationis Maior.

Minor autem eiusdem rationis (scilicet actū meretricium esse precio æstimabilem, ex materia & obiecto suo, quamuis alioqui sit illicitus contra virtutem temperantiæ, propterea quod exercetur cum nō suo) inde probatur, quòd subministratur per meretricium actum materia seu subiectum ad vsum actus cuiusdam homini naturalis, & eidem delectabilis, &c. Igitur precio æstimabilis est, non secùs quàm actus quo quis subministrat materiam exercendi alios naturales actus; vt comedendi, bibendi, &c. etiā si fortè ea subministratio aliunde sit illicita; vt si quis alicui nimium cibum & potum subministrat ea intentione, vt ille se ingurgitet & inebrier. Hæc certè ratio manifesta est, & vel sola ad hanc sententiam persuadendam sufficit. Neque sunt magni ponderis argumenta opinionis contrariæ.

Ad PRIMVM respondeo, intelligi debere illa iura *primò*, de actionibus turpibus & maleficiis, quæ sint propriè cōtra Iustitiam. Pro illis enim, vt contra Iustitiam sunt, neque condici, neque accipi merces vlla iustè potest; vt probauimus in secundo pronūciato ex illis tribus quæ diximus esse certa. In eiusmodi enim maleficiis ipsa datio & acceptio mercedis, vt acceptio est, est iniusta & illicita cōtra Iustitiam, vt explicauimus etiam disputatione tertia, quæstione octaua, p. 6. Vnde iure non solum humano (per prædictas leges) sed etiam diuino & naturali, tum stipulatio seu promissio, tum acceptio eiusmodi mercedis, est inualida & iniqua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque talis promissio impleri debet etiam causa subsequuta ob quam sit facta (quidquid senserit Ioannes Medina in dicta quæstione vigesima, circa finem) Nam nulla vnquam promissio de re illicita obligat, vt ex cõmuni doctrina tradit Nauarrus in Man. cap. 18. num. 7. Et patet ex cap. In malis 22. quæst. 4.

Secundò. Vis quoque illarum Legum est, stipulationes seu promissiones pro actione turpi qualicunque, quæ per Leges quidem puniatur, non valere in foro quidem exteriori: sicut patet ex l. Mercalem. C. de Condict. ob turp. causam, vbi statuitur, negandam esse actionem ex stipulatione facta ob lenocinium propriæ vxoris, & aliis eiusmodi, vt tradit etiam Couarr. vbi sup. numero secundo.

Ad SECVNDVM respondeo, solùm probare non posse vendi actum malum vt malus est, id quod iam ante concessimus in secundo pronunciato certo. Potest autem vendi actus malus (qui modò contra iustitiam non sit) ea ratione consideratus, qua sit precio æstimabilis, vt est in proposito. Alioqui eodem argumento probaretur, neque actum vendendi illicitum, qui exerceatur sacro tempore aut loco, posse precio compensari; Quod apertè est falsum.

Addit etiam Sotus vbi supra respondens ad id argumentum Medinæ, causam cur spiritualia vendi non possint non esse præstãtiam ipsorum, vt assumit Medina, sed quia gratis dari debent: Sed certè causa huius saltem prima, est Spiritualium præstantia. Ideo namque spiritualia gratis dari debent, quia cùm sint adeo excellentia, nullo precio possunt dignè æstimari. Quare prior nostra responsio sufficit ad illud argumentum Medinæ.

Ad TERTIVM respondeo. Pro flagitiis illis nõ ideo propriè mercedem non posse accipi, quia sint actus intrinsecè mali, sed quia sunt contra Iustitiam, vt explicauimus in Confirmatione secundi pronunciati certi.

Ad QVARTVM respondeo, Oblationem ex mercede prostibuli non propterea quòd sit de alieno, sed propter indecẽtiam, fuisse à Deo prohibitam, sicut etiam oblationem ex precio canis. Qua de re supra etiã diximus disp. 3. quæst. 8. p. 6.

Ad QVINTVM respõdeo *primò* per distinctionem Maioris. Nam verum est, non accipi iustè quod datur & accipitur turpiter contra Iustitiã; vt quod daretur pro homine occidendo, vel pro iniusta sententia, &c. Potest autem accipi iustè (id est conuenienter Iustitiæ considerando naturam & speciem actus) quod datur & accipitur turpiter non contra Iustitiam, sed contra aliquã aliam virtutem. Vt quando aliquid v. g. emitur & venditur mala intentione; aut in sacro loco vel tempore; & tamen nihilominus iustè. Atque ita quamuis cõcederemus mercedem actus meretricij dari & accipi turpiter contra temperantiam, tamen nihilominus posset dari & accipi iustè, cùm certũ sit non dari & accipi turpiter contra iustitiam.

Secundò respondeo, Minorẽ quoque argumenti esse falsam scilicet mercedem actus meretricij dari & accipi turpiter, si *turpiter* idem significet quod illicitè & malè. Nam cum detur & accipiatur pro actu verè precio æstimabili, licitè datur & accipitur: vt sentiunt rectè S. Thomas sup. q. 32. art. 7. & ibi Caietanus, & Couarr. in dicta Relect. p. 2. §. 2. nu. 1. & alij sequentes auctoritatem dictæ l. 4. §. *Sed & quod meretrici*. ff. de condict. ob turpem causam. Vbi dicitur meretricem turpiter facere, quòd sit meretrix, sed *non turpiter accipere*, cùm sit meretrix, id est, cum faciat id, quod verè precium meretur; ex quo etiam *meretrix* est appellata.

Et confirmatur etiam ea ratione licitè dari & accipi quod datur meretrici; Nam communiter omnes concedunt promissionem mercedis meretrici factam valere & in vtroque foro debere impleri; vt patet ex iis quæ fusè differit loco citato Couarruuias. Ergo licitè potest ea promissio impleri mercedem dando & accipiendo: alioqui non valeret, cùm promissio de illicito actu minimè valeat, vt patet cap. In malis 22. q. 4. iam ante in resp. ad 1. citato. Vbi dicitur: *In malis promissis, rescinde fidem*. Itaque falsa est, vt dixi, Minor illius quinti Argumenti.

Ad probationem autem eius Minoris respondendum est adhibita distinctione. Nam si quis compenset mercede turpem actum meretricis eum considerando, vt est contra temperantiam, aut in eo sibi complacendo; illum vtique approbat & illicitè facit, tametsi non contra Iustitiam, sed contra temperantiam. Si autem illum compenset non in eo amplius sibi complacendo, sed tantummodo eum vt precio æstimabilem considerando; nihil in hoc illicitè facit.

Quam ob rem eruditè Caietanus in dicta q. 32. ar. 7. dixit, malum actum esse dare mercedem meretrici *ante* venereum actum; quia nimirum tunc actus venereus ita compensatur mercede vt intendatur simul, tanquam finis dandi mercedem, atque adeo approbetur: non esse autem id illicitum *post* venereum actum; quia tunc nimirum non hoc ipso quòd merces datur, intenditur & approbatur actus venereus, sed tantum compensatur, vt verè precio æstimabilis. Quamquam etiã si post approbaretur (sicut ante) trãsferretur verè in meretricem dominium mercedis; cùm ea approbatio non sit contra Iustitiam, sed contra temperantiam, vtpotè imperata à luxuria sicut loquitur Caietanus.

Ad confirmationem verò eiusdem quinti argumenti respondeo, causam cur non liceat dare & accipere pro occidendo homine & pro iniusta sententia, aut falso testimonio, & aliis eiusmodi flagitiis, non esse, quia hæc quomodocunq; turpiter fiunt, sed quia fiunt turpiter contra Iusti-

tiam, vt iam sæpe est dictum; id quod non satis animaduerterunt Medina & Nauarrus.

Ad SEXTVM respondeo, Leges illas esse speciales in pœnam actionum illarum turpium, in particularibus illis casibus, in quibus actio turpis in foro externo punitur; quæ idcirco minimè ad nostrum etiam propositum extendi debent, cùm actus meretricius in foro externo minimè puniatur. Neque obligant illæ Leges ante Iudicis sententiam, cùm sint pœnales, vt rectè annotauit Medina in dicta q. 20.

Ad SEPTIMVM respondeo cum Couar. vbi sup. n. 2. & aliis, etsi homo non sit Dominus proprij *corporis*, (vt patet ex illa l. Liber homo. ff. ad l. Aquiliam) tamen esse dominum *vsus* sui corporis; vt patet manifestè ex eo quod licitè quis locat operas suas pro precio: quo ipso vsum quendam sui corporis pro mercede dat. Et hactenus de eo quod diximus esse PRIMO controuersum in illa quinta quæstione.

SECVNDO Controuersum est in eadem ipsa quæstione, *an id quod definiuimus de mercede acquisita à meretricibus, extendi etiam debeat ad alias fœminas quæ occultè cum vno aut paucis fornicantur, siue ea matrimonio soluta siue iunctæ sint, Ita vt hæ quoque possint accipere mercedem pro turpi actu*. Et est ratio dubitandi, quia in iure ea solũ vocatur meretrix, quę palam multorum libidini est exposita, vt patet cap. Vidua. d. 34. Quare non videtur eadem esse ratio de aliis; neq; videntur iis leges ea concedere, quæ concedunt meretricibus.

Vnde Cynus in L. 2. C. de Condict. ob turp. causam; Et Angelus ibidem. Et Ioannes Lup. in Rubrica de donat. inter vir. & vxor. sentiunt, neque in foro exteriori, neque in foro interiori has occultas meretrices posse pacisci de mercede turpis actus neque eam accipere vel retinere. Idque probant ex l. Lucius Titius. ff. de Iure fisci, quæ supra à nobis in argumento sexto pro opinione Medinæ & Nauarri citata. Et hanc Cyni sententiam affirmat esse communem Adrianus in q. de Restit. Et Ioan. Medina in dicta q. 20. argum. 5. Et Nauar. in Man. capite decimo septimo, numero trigesimo quarto.

Sed hæc sententia non est vera, neque eam esse communem censuit Couarr. in Relect. super Reg. Peccatum. part. 2. §. 2. n. 3. Itaque PRIMO dico, in foro quidem interno nullum esse constituendum quo ad hoc discrimen inter publicas & occultas meretrices, sed has quoque posse accipere & retinere mercedẽ pro actu turpi. Ita Couarr. loco citato, & Medina in dicta q. 20. ad 5. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 7. art. 1. & alij. Probatur manifestè. Nam harum etiam actus turpis est precio æstimabilis: atque adeo etiam actus turpis adulteræ, non quidem vt contra Iustitiam est (per dicta in secundo pronunciato certo) sed vt supra est actus venereus subministrans viro subiectum seu materiam ad vsum cuiusdam actus naturalis. Et eadem ratio est de quocunque alio actu turpi viri aut fœminæ, qui verè sit æstimabilis precio; vt de actibus histrionum, Scurrarum, &c.

Dico SECVNDO, In foro exteriori non posse mercedem accipi & retineri pro iis occultis actibus turpibus, qui (si sciantur) in eodem foro puniuntur; atque adeo neq; in foro interiori postquam sententia Iudicis lata fuerit. Nam minimè potest quis gaudere Iuris beneficio, propter actũ qui iure est puniendus, vt Couarr. vbi sup. nu. 3. & communiter omnes asserunt, Et colligitur ex l. Mercalem. C. de Condict. ob turp. causam. Et ex l. Lucius Titius. ff. de Iure fisci. Itaque in foro exteriori non potest merces accipi aut retineri pro turpi actu à coniugatis & religiosis; cum talium personarũ turpis actus in foro exteriori puniatur, vt adnotauit Nauarrus in Man. cap. 17. n. 14.

Dico TERTIO, de actibus aliis meretricum occultarum precio æstimabilibus, qui iure non soleant puniri, vtrunque in foro externo posse probabiliter asseri; scilicet, quod non possint in eo foro mercede compensari (vt sentit Medina vbi sup. & alij) & etiam quod possint (sicut posse diximus in foro interno) vt opinatur vbi sup. Couuar. n. 3.

Et certè Lex illa Lucius Titius. ff. de Iure fisci, in qua Cynus & illi alij supra citati fundantur, nihil eis fauet, vt Couuar. rectè adnotauit. Nam iubet tantum reddi fisco acquisita per actionem turpem in quodã casu speciali iure punibili, scilicet si quis maleficio sibi procurauit hæreditatem, vt Mæuia vxor illius Lucij Titij fecisse accusabatur in illius Legis casu; quæ proinde Lex nihil ad occultas meretrices pertinet.

SEXTO quæritur *quibus in casibus restitui debeant ea quæ per* VENATIONEM, *piscationem, & aucupiũ* (quorum omnium eadem in proposito ratio est) *acquisita fuerint*. RESPONDEO, in tribus generatim loquendo. PRIMVS casus est si feræ sint factę propriæ alicuius; quia nimirum aut certo loco inclusæ ita custodiantur, vt Dominus arbitratu suo possit eas capere & vsurpare cum velit, (vt in piscina, viuario, hortis, &c.) Vel ita sint ad locum aliquem assuefactæ, vt quamuis egrediantur, tamen certis temporibus redeant & maneant: vt columbæ ad columbarium, apes ad alueare, in quo iam fuerint, & quandoque etiam nonnulli manſuetiores cerui. Ita cõmuniter omnes docent, ac nominatim Ioãnes Medina, q. 12. de reb. restituendis, Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. art. 4. Et Nauar. in Man. cap. 17. a. 2. nu. 28. Et Couar. Relect. in Reg. Peccatum, part. 2. §. 8. nu. 14. Et ratio est aperta. Nam tales feræ non minus possidentur à Dominis quàm aliæ ciçures & domesticæ, Ergo æquè furtum est has capere, aut quomodolibet abstrahere à suis dominis atque auferre animalia domestica, & consequenter æquè restitui debent.

Sunt autem hîc tria obseruanda. PRIMVM est, Vt censeantur feræ esse propriæ alicuius, nõ sufficere, eas quomodocunque circumseptas & in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clusas teneri, nisi ita septæ sint, vt eas Dominus arbitratu suo (sicut diximus) possit capere & vsurpare cum velit. Aliàs nõ omnino censeri possunt esse in Dominio & possessione Domini. Vt si v. g. essent in aliquo magno lacu, vel in vasto nemore quantumuis vel naturâ vel arte circumsepto; sicut rectè post alios tradit Couarr. loco citat. n. 15. Itaque qui feras in tali aliquo vasto loco caperet, non deberet restituere tantum quãtum illæ valent; quamuis bene damnum (ad arbitriũ boni viri) quod inde Dominus loci censeatur incurrere, ob imminutam per hoc eius vel vtilitatem vel honestam recreationem.

SECVNDVM est, feras quæ ideo alicuius propriæ censentur quoniam ad locũ certis temporibus redeunt, posse postea videri liberas si bis redire (vt solebant) desinant, vt notat Nauarr. in dicto cap. 17. n. 228. Iuxta Gloss. in l. De quibus. ff. de Reg. Vnde qui tũc eas ceperit, non tenebitur restituere saltem tantum quantum valent. Quod ideo sic dico: Nam si adhuc supereesset aliqualis spes reditus, compensari deberet damnum Domino subsequutum ex eiusmodi ferarum captura, idque ad arbitrium boni viri.

TERTIVM est, Dominum eiusmodi ferarum, quæ eundo & redeundo ad locum propriæ factæ sunt, compẽsare debere damna si quæ aliquibus inferant; nisi fortè illi in eiusmodi damna ob rationem aliquam vel pactum consentiant, iuxta ea quæ tradunt Nauarrus in dicto cap. 17. n. 120. & 121. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. a. 4. & alij communiter.

Vnde qui habet *columbarium*, restituere deberet damna quæ constaret columbas eius intulisse alienis agris, per ea quæ ex communi doctrina notantur ab eodem Nauarro illic n. 126. Qui tamen rectè ibidem arbitratur licitum esse habere huiusmodi columbaria, vbi consuetudo id permittit, neque Lex aliqua ea prohibet, nec populus queritur, neq; damnum inde notabile appareat. Præsertim cùm æquè fere prosint stercorando, atque nocent depascendo, vt præter Nauar. ibi notat etiam Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. art. 4. nec plus ferè soleant adferre agris detrimenti quàm columbæ aliæ sylvestres, & liberæ aues, vt notauit Sylvester, verbo Restitutio 2. q. 4. quarũ damnum non solet magni æstimari.

Ac tunc potissimum eiusmodi *columbaria* habere liceret, si Dominus in illis alimenta subinde columbis præbeat, & prope habeat agros, ex quibus magna anni parte aliqueant, & paratus sit damna resarcire si quæ inferri intelligat, & vicinus aliquis habeat etiam colũbaria, vnde damni illati compẽsatio fiat per simile damnum. His enim conditionibus, aut earum aliquot concurrentibus, omnino licita videntur huiusmodi columbaria, vt sentiunt Paludanus in 4. d. 15. q. 2. Et Antoninus 2. p. tit. 2. c. 1. Et Nauarrus & Sotus vbi supra, & alij communiter.

SECVNDVS Casus in quo acquisita per venationem vel aucupium, aut piscationem, restitui debent, est, quando etsi feræ nullius essent propriæ sed planè liberæ, atque adeo iure gentium communes omnibus, tamen per legitimam potestatem, ita esset earum venatio aut piscatio, aut aucupatio certis temporibus aut locis, aut personis prohibita, vt per legem impediretur etiam acquisitio dominij per capturam eiusmodi ferarum, & adiudicaretur fisco vel communitati vel alicui alij. Tunc enim statim deberent restitui, vt optimè probat Couar. vbi sup. n. 6.

Nam non est dubitandum quin sint verissima duo quædam, quæ in hac assertione præsupponimus; scilicet *primò* posse per legitimam potestatem ob communem aliquam vtilitatem, aut etiã ob honestam recreationem principis, certa ratione & modo prohiberi subditis venationẽ ferarum, quæ alioqui communes omnium sunt; vt asserit Medina q. 12. de reb. rest. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. a. 4. Et Nauar. in illo ca. 17. n. 120. & 124. & probat fusè multis argumẽtis Couar. vbi sup. n. 1. *Secundò* posse quoque ita prohiberi, vt etiam impediatur acquisitio dominij bestiarum captarum, vt idem Couar. abundè ostendit ibi. n. 6. Et patet ex eo quòd id potest esse conducibile bono communi, cuius efficaciter procurãdi ius & auctoritas per eiusmodi media competit legitimæ potestati. His autem duobus positis, liquet esse verissimum quod asserimus, restitui debere illo secũdo casu ea quæ per venationem, piscationem, aut aucupium, fuerint acquisita.

Sed sunt in hac re duo præterea notanda. VNVM est, potestatem legitimam ad prohibẽdam venationem, non esse cuiusuis, sed vel eius superioris qui superiorem ipse non agnoscit, vel eius qui auctoritatem eam legitimè præscripserit, aut habeat consensu populi; vt notat Nauar. vbi sup. n. 120. & communiter alij. ALTERVM est, Superiorem, cùm venationẽ prohibet, debere aliqua ratione cauere ne subditi ex ea re damna patiantur; & resarcire illis damna si quæ propter ipsius negligentiã incurrant. Nisi in ea illi damna consentiant; vt tradunt Caietanus in opusculo 17. quæstionum, cap. 12. Et Couar. vbi sup. num. 11. & Nauarr. vbi sup. n. 120. Quin etiam peccabit superior per eam negligentiã damna inferens subditis, etiam si animum habeat illa resarciendi: ficut peccat fur & raptor rem alienam inuito Domino capiens aut destruens, quãtumuis id faciat animo restituendi, vt annotauit bene illic Nauarrus num. 225.

TERTIVS Casus in quo acquisita per venationem restitui debent, est, cum per legitimam potestatem prohiberetur venatio liberarũ & communium ferarum, non quidem impediendo acquisitionem dominij earum (sicut in præcedenti casu) sed sub pœna eas reddendi fisco, aut tantũdem soluendi. Tunc enim quamuis ante Iudicis sententiam non tenerentur qui feras caperent, restituere (cum eiusmodi Leges pœnales requirentes in Reo aliquã exequutionem, vt tomo 2. q. 6. de legibus docuimus, non obligent ante cõdemnationem) tenentur tamen post sentẽtiam. Ita docet Medina, q. 12. de Reb. restituẽ, & Couar. vbi sup. n. 9. circa finem & alij.

Extra hos casus, etiam si venatio certis personis aut locis, aut temporibus, prohibita sit, tamẽ non tenebitur qui feras capiet eas vel valorem illarũ restituere; etiamsi in alieno fundo eas quis caperet, vt iidem Doctores & alij rectè docent. Nam feræ liberè vagãtes ac proinde nullius propriæ, sed omnibus cõmunes, iure naturæ & gentium fiunt propriæ capientis vbicunque capiantur: nisi per humanam auctoritatem in aliquo casu aliter constitutum sit.

Nihilominus tamẽ poterũt tales contra prohibitionem venantes aut occidẽtes feras aliqua pœna puniri: quę tamen, vt annotarũt Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. art. 4. Et Nauarr. in dicto cap. 17. n. 121. Et Sylvester verbo Venatio. & verbo Restitutio 3. q. 2. §. 4. Et alij, non deberet esse pœna mortis, aut mutilationis, saltem erga eos qui necdum essent contumaces, & contemptores superioris, si contra eiusmodi prohibitiones sæpius faciẽdo. Itẽ si contra voluntatẽ Domini alienum fundũ tales venandi causa ingrederentur (cum scilicet Dominus admonuisset ne faciant, vel fundum suum habet clausum) posset is agere iniuriarũ contra tales; licet ius ad feras captas nõ habeat, vt notat Nauarr. vbi sup. n. 129. Et Couar. loco citato, n. 4.

Addè etiam, quòd quamuis (vt dictum est) qui extra prædictos casus, secundum, & tertium, venantur contra prohibitionem, non teneãtur restituere ipsas quidem feras, aut valorem earum, tenentur tamen ad arbitrium boni viri resarcire damnũ, quod vel princeps, vel Dominus aliquis incurrere iudicabitur propter feras eiusmodi capras in ipsius agro vel fundo, vbi ex talibus feris ipse voluptatem vel vtilitatẽ solitus est percipere, vt rectè tradunt Medina in dicta q. 12. Et Couar. loco citato, n. 11. & 12.

SEPTIMO quæritur, *Quando sint restituenda quæ acquisita sunt per vsum rerum* COMMVNIVM; Vt Syluarum, cædendo & auferendo ex eis ligna, vel pascendo in eis pecora, &c. RESPONDEO, Si Sylvæ vel prata sint planè aliena, ita vt neque ius ille sit pars, neq; etiam adsit cõsensus expressus aut tacitus domini vel cõmunitatis, in cuius dominio est sylua vel pratum: omnino restituendum erit, quod inde est ablatum; resarciẽdo scilicet quidquid est illatum damni. Nam erit tunc ablatio rei alienæ inuito domino, ex qua ablatione constat nasci obligationem restituendi.

DIXI autem, Si sint *planè aliena, &c.* Nam si sylua vel pratum sit cõmunitatis cuius quis est pars, & destinata hæc sint ad vsum singulorum incolarum; non tenebitur restituere incola quod inde moderatè acceperit sine detrimẽto notabili sylnæ, aut prati, atq; adeo aliorum. Et quidem satis hoc patet, si accipiat quis ligna vel gramen eo tẽpore quo id prohibitum nõ sit. Si autem tempore quo iustè prohibitum sit sub aliqua pœna; solum tenebitur soluere eam pœnam, quando ad id per potestatem legitimã compelletur, vt annotauit Ioannes Medina q. 12. de reb. restituẽ. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. a. 4. Quod si quis cum sylvæ aut prati detrimẽto notabili immoderatè accipiat; non est dubium quin tenebitur ad arbitrium boni viri resarcire id damnum communitati.

DIXI etiam, *Neq; adsit consensus expressus aut tacitus* communitatis, aut alterius particularis in cuius dominio esset sylua. Nã hoc consensu interueniente, acceptio non esset inuito Domino, & sic nulla existeret obligatio restituẽdi. Posset autem præsumi consensus tacitus in duobus præsertim casib⁹. *Primò*, si is qui accipit est ita charus Domino sylvæ, vt meritò putetur is ratam habiturus acceptionem; & præsertim si aliàs etiã ratam habuit. *Secundò*, si duæ sylvæ duorũ oppidorum vicinæ sint, & soleant vicissim incolæ vnius accipere ex sylua nõ modò sui oppidi, sed etiam alterius vicini. Tunc enim per mutuam quãdam recompensationem censeri potest vtrumuis oppidum consentire in hoc, vt ex sua etiam sylua accipiant incolæ alterius, sicut annotauit Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 6. art. 4.

Quin etiam si absque consensu Domini acciperet quis ex sylua aliena, aut proprij oppidi tẽpore prohibito, ea duntaxat ligna quibus vel extremè, vel quasi extremè, vel grauiter saltem, vtpote ad sustentationem familiæ, indigeret; arbitrantur Sotus ibi & Medina in dicta quæstione duodecima, Et Nauarr. in Man. capite 17. numero 122. talem nec peccare, neq; ad vllam restitutionem teneri. Quod & ipse verum esse opinor. Nam sylvæ & alia huiusmodi, quæ sua sponte natura gignit, fuerunt initio iure naturæ communia; ac proinde nõ debuerunt particulari dominio alicuius deputari, nisi citra detrimẽtum singulorum in extrema, vel quasi extrema, aut grauissima necessitate istiusmodi rerum. Alia verò ratio est rerum aliarum quæ hominum opera studioq; parantur. Nam hæc, cùm *actu* nunquam fuerint communia, non possunt vsurpari domino inuito nisi in extrema vel quasi extrema necessitate.

Porro in casibus quibus cædentes ligna in sylvis alienis, vel proprij oppidi tempore prohibito, tenentur restituere vel absolutè, vel propter excessum & damnum datum; etiam tenebuntur *in solidum* id facere CVSTODES sylvarum, si per negligentiam *officij* sui sunt in causã, vt Sylvarum domini subeãt eiusmodi damna. Vt patet ex doctrina sup. tradita p. 3. de iis qui debent restituere, eo quòd indirectè sint causa acceptionis rei alienæ. Imo etiam quando is qui illicitè ligna cædit, solum tenetur ad pœnam (quia scilicet id facit in sylua non planè aliena, sed proprij oppidi tempore prohibito) tenetur custos negligens

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro quãtitate negligentiæ restituere aliquid Domino, vt tradit Medina in dicta quæstione duodecima, circa finem: Non quidẽ quia sit tũc indirectè causa acceptionis rei alienæ (non.n. est; cũ is qui directè & principaliter accipit non capiat tunc rem omnino alienã, vt est dictum) sed quia iniustè tunc percipit aliquam partem sui stipendij, eam scilicet quæ iudicio boni viri responderet diligentię & officio, quod in eo casu negligit; iuxta ea quæ supra in hoc ipso p. tradidimus de Restitutione acquisitorum, titulo *officij*.

In casibus autẽ quibus (per hæc quæ diximus) cædens ligna non tenetur ad restitutionem, neque peccat; custos quoque erit liber tum à restitutione, tũ à culpa negligentiæ, si id fieri permittat sciens causam quæ subsit, id faciendi licitè, vt notat Medina in dicta q.12. Qui etiam rectè addit peccare custodẽ, qui se occultans permittit quẽpiam cædere ligna, vt eum postea deprehendat & deferat quo luat pœnã. Peccat enim tunc contra charitatem quod nõ anteuertat & impediat malum culpæ & pœnæ consequentis proximi cũ possit & debeat. Item cõtra fidelitatem debitam domino, ex qua tenetur præcauere potius ne fiat contra illius Decretum & prohibitionem. Cui proinde Domino debebit talis custos restituere aliquid ad arbitrium boni viri, titulo officij neglecti, vt paulo ante dixi.

Ipsi autem Reo nõ debebit tunc custos resarcire damnum pœnæ, quod ob eius conniuẽtiam incurrit: vt rectè censuit illic Medina. Nam non tenebatur custos impedire id damnũ Rei ex officio quod ei deberet ex Iustitia, sed quod debebat suo Domino. Vt autem supra docuimus p.3. qui damnum debebat impedire ex officio debito non ei qui damnum incurrit, sed alteri, non debet resarcire tale damnum.

Addo hic tamen ex sententia Nauarri in Man. cap.17. num.123. neque (vt puto) contra Medinæ mentem, posse licitè custodẽ permittere, vt quis cædat ligna, quò eum postea deprehensum deferat, &c. si ille alioqui per astum soleat id impunè facere, aut facturus videatur, ad idq; impediendum vtile iudicetur esse, illum semel deprehendere, vt iustas delicti pœnas det, eaq; ratione ab eo deterreatur. Etenim hac circumstantia concurrente præceptum affirmatiuum fidelitatis erga Dominum, & charitatis erga proximum, desinit tunc obligare custodem ad impediendum tale delictum; quò scilicet plura similia impediãtur ea ratione. Atque hæc omnia, quæ de Syluarum custodibus dicta sunt, accommodari etiam debẽt ad custodes ferarum, seu locorum, in quibus prohibitæ sint venationes.

Octavo quæritur, *An acquisita per* Ludum *sint restituenda*. In qua quæstione præmittendũ est, ludum secũdum communissimam rationem sui non esse ex natura quidem sua illicitum, sed potius actum cuiusdam virtutis (Eutrapelia, id est, Iucunditas, dicta) constituẽtis medium in actionibus pertinentibus ad honestã animi relaxationem, vt tradit Philosophus 4. Eth. cap. 8. Et diuus Thom. q.168. art.2. & communiter alij: Posse tamen vel ex *materia* speciali, vel ex *circumstantiis*, vel ex humanæ legis *prohibitione*, esse illicitũ mortaliter vel venialiter, pro ratione eius ex quo vitietur, vt tradit diuus Thom. illic, Et Caietanus in Summa, verbo Ludus, Et Ioannes Medina q.21. de reb. rest. Et Sotus lib.4. de Iustit. q.5. artic.2. Et Nauarr. in Man. cap.20. n.2. & seq. & alij.

Ratione namque *materiæ* ludus esset illicitus, si materia ludi sit obscæna aut irreligiosa seu idolatrica; cuiusmodi ludi vituperãtur in scriptura. Exodi 32. *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere*. Et Tobiæ 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me*. Et Ieremiæ 15. *Non sedi cum ludentibus in Consilium*. De quo genere ludorum posset intelligi quod S. Chrysostomvs ait homil.6. in Matth. *Non dat* Devs *ludere sed Diabolus*. quod confirmat testimonio illo Exodi iam citato. Quam D. Thomas q.168. art.2. ad 2. de omni ludo inordinato interpretatur hanc sententiam Chrysostomi, & præsertim de eo, in cuius delectatione vltimus finis vitæ constituatur: sicut factum fuisse putat D. Thom. ab illis impiis de quibus dicitur Sapientiæ 14. *Æstimauerunt esse ludum vitam nostram*. Item esset ludus illicitus ratione materiæ si eã sit periculosa.

Ratione autem *circumstantiarum* ludus est illicitus, si instituatur cum aliorum scandalo. Item si adeò cupidè ludo detur opera, vt propter illum negligantur diuina aut humana præcepta (vrauliam, soluendi debita, &c.) quo ipso anteponitur ludus Deo, & in ipso proinde constituitur vltimus finis. Item si ludus instituatur cum Dei irreuerentia in loco sacro, qualem haberent in tali loco ludi theatrales & clamosi, non autem alij quieti, vt notãt Caietanus in Summa, verbo Ludus, & Nauarr. in Man. cap.20. num.3. Aut si ludo immisceantur blasphemiæ & alia peccata, quorum ipse ludus soleat esse alicui vt plurimũ causa: Tales enim à ludo eiusmodi nolentes abstinere procul dubio essent in malo statu, sicut etiam receptatores eorum, neque absolui deberent.

Item si ludus vel iocus verborum irreuerẽter misceatur rebus sacris, (vt concioni, &c.) quod genus censet D. Thom. q.168. artic.2. ad 1. vetãtis quit, *Non solum prosusos, sed etiam omnes iocos declinandos arbitror*. Debita autem cum reuerẽtia quidam ludi honesti possunt (& solent etiam alicubi) instituti in solẽnitatibus sacris exemplo Dauid, qui religiosè, atque piè fecit, saltando coram Arca Domini, vt bene notauit Sotus lib.4. de Iust. q.5. art.2.

Erit quoq; ratione circumstantiæ illicitus ludus, si in eo adhibeatur dolus vel fraus, vel quis inuitus ad ludendum trahatur, siue per apertam violentiã, siue per eiusmodi preces & verba, quæ alioqui

alioqui suffundant alium ni ludere velit magno rubore, vt notat Nauarr. in dicto cap.20. num.13. & alij communiter. Item si quis pro lucro rei ludat, quam alter non possit alienare; vt Minor, Religiosus, &c.

Item erit illicitus ludus ratione circumstantiæ finis, si quis principaliter ludat non propter recreationem, sed propter lucrum, Nam erit id ludo abuti, vt notauit Nauarr. illic num. 8. Cùm is naturã sua sit referendus principaliter ad recreationem animi. Non tamen propter hanc solum circumstantiam erit illicitus mortaliter, vt idem Auctor rectè notat nu. 3. Et Sotus in dicta q.5.a.2. Nam auaritia ea quæ cõsistit solum in cupiditate augendi res suas sine iniuria alterius, & opponitur liberalitati, nõ est ex suo genere peccatum; sed ea quæ est appetitus iniquus rei alienæ & opponitur Iustitiæ, vt docet D. Thomas 2. 2.q.118.n.4.

Ratione autem *prohibitionis* ex humana lege est illicitus omnis ludus, in quo lucrum, vel omnino, vel magis, ex fortuna seu casu, quàm ex arte & industria pendeat. Nam est Iure prohibitus ludus *alearum*; quo nomine, vt rectè interpretatur Nauarrus in dicto cap. 20. n.6. comprehenduntur in iure omnes ludi, in quibus res permittitur casui & fortunæ, id est, dispositioni diuinæ proui-dentiæ de futuro euentu in casu illo ludi participantis ludentis. Talis enim dispositio prouidentiæ diuinæ præter humanam opinionem seu intentionem certam, vocatur *fortuna* ab Orthodoxis, atque adeo etiam in proposito. Porro (vt dixi) ludus alearum, ac proinde omnes eiusmodi ludi fortuiti (in quibus quasi alea iacitur ob incertum lucrum) omnibus tum Clericis, tum Laicis iure prohibitus est, Cap. Episcopus 35. d. Et cap. Clerici 2. Ext. de vita & honest. Clericorũ. Et l. Solent. ff. de aleæ vsu & Aleat. Et Auth. Aleatum vsus. C. de Relig. & sumptib. fun.

Vbi duo sunt notanda. Altervm est, his Legibus & Decretis non prohiberi eiusmodi ludos si instituantur principaliter propter recreationem, vt colligunt Doctores ex l. Quod in conuiuio. ff. de Aleæ vsu, & Aleatorib. Sed si principaliter exerceantur ob lucrum, vt notat ex communi doctrina Nauar. n.6. Quod n.11. rectè explicat, tunc fieri, quando vel pluris, vel tanti quis facit lucrum, quàm recreationem. Non autem id illico fit, si quis ludat etiã pro pecunia, etiam alioqui non lusurus, vt falsò putauit Syluester, verbo Ludus q.2.§.6. Nam vt rectè notauit Ioan. Medina initio q.22. de Reb restituend. & Caietanus in Summa, verbo Ludus, potest quis in ludo spectare lucrum pecuniæ, non vt causam principalem, sed vt stimulum quendam recreationis maioris, sine quo non luderet.

Altervm est, *Religiosos* quidem & *Clericos* beneficiarios, aut initiatos sacris, peccare mortaliter transgredientes has Leges, vbi contraria consuetudine non sint abrogatæ, si ludant pro notabili quantitate, & præsertim ex fructibus beneficiorum, vt censet Navarrus in dicto cap.20. n.9. Et Sotus lib.4. de Iust. q.5.a.2. ante 4. Concl. quãuis aliquo modo dubitãter. Et idem videtur sentire Caietanus de iis Clericis qui sint Prælati, in Summa, verbo Ludus; de quibus id asserit Sotus minus dubitanter. Et probatur id ex cap. Episcopus 35. d. Et cap. Inter dilectos, Ext. de Excessib. Prælatorũ, vbi Clericus ob aleæ vsum iubetur *deponi*: quæ pœna nõ infligitur nisi ob culpam mortalem, vt colligi potest ex cap. Nõ afferamus 24. q.1. Intelligitur autem hoc (vt dixi) vbi Leges illæ per contrariam consuetudinem non sint abrogatæ, vt etiam credit Sotus loco citato.

De *Laicis* autem, Nauarrus, Sotus, Caietanus, locis citatis, sentiunt, eos propter eiusmodi prohibitionem Iuris nõ peccare saltem mortaliter, etiam si pro magna quantitate ludant, seclusis aliis prauis circumstantiis contra ius naturæ, de quibus ante dictum est. Ratio est, Quoniam vel illæ Leges nõ cum eo rigore obligant laicos, vel certè quo ad illos per consuetudinem contrariã sunt passim eneruatæ, saltem quo ad obligationem sub mortali. Vnde sine scrupulo solent vbique absolui Laici, quamuis non habeant propositum à ludo abstinendi, si tamen absint supradictæ prauæ circumstantiæ.

Nunc his de ludo ad hunc modum præmissis breuiter videndum est, *An & quando acquisita per* Ludum *restitui debeant?* Et procedit hæc quæstio potissimum de ludo expositio fortunæ, omnino, aut ex parte. Nam certum est, legitimè retineri posse, neque esse restituenda, quæ sine fraude & dolo acquirantur per ludos alicuius alterius generis, quorũ scilicet euentus ex arte & industria solum aut ferè solum pendent, vt notauit rectè Medina q.22. de reb. restit. sub initium.

De Ludis igitur positis in fortuna ad quæstionem propositam Respondeo per hanc Assertionem. Si rem per ludum acquisiram is qui eam perdidit alienare potuit, & abfuerit fraus & dolus contra ipsius ludi Leges; atq; etiam vis & coactio alterius ad ludendum; neq; vlla Lex humana sit, quæ impediuerit translationem Dominij per talem ludum; nulla est obligatio in foro conscientiæ restituẽdi rem acquisitam tali ludo, sed poterit bonâ conscientia retineri etiamsi ludus alioqui lege humana sub aliqua pœna prohibitus sit.

Ita docet Alexand. Halens. 4.p. q.86. m.3. a.6 in principio. Et Adrianus in materia de Rest. Et Ioan. Maior in 4. d.15. q.13. Et Gabriel. ead. d. q.13. a.1. & a.2. Concl.3. Et Couarruuias Relect. in Reg. Peccatum. part.2. §.4 n.1. & seq. Et Caiet. 22. q.32. a.7. Et in Summa verbo Ludus. Et Ioan. Medina q.22. de reb. rest. Et Sotus lib.4. de Iust. q.5.a.2. Et Nauar. in Man. cap.20. n.19. & alij.

Probatur manifesta ratione, Nam in casu assertionis nostræ interuenit libera & valida do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

natio rei sub conditione euentus fortuiti contingentis facta, ei qui lucratur. Sed per conditionalem donationem subsequenti conditione verè transfertur dominium non minus quàm per absolutam donationem. Ergo, &c.

Nec obstat *primò*, quòd eiusmodi ludus sit lege prohibitus & illicitus; Quasi hinc sequatur, nõ transferri dominium per illum atq; adeo debere restitui acquisita per eiusmodi ludum: vt falsò putarunt Paludanus in 4.d.15.q.3.art.5. Et Bonauent.ead.d.part.2. art.2.q.1. Et Richardus ead.d. artic.5.q.8. Et Panormitanus in cap. Clerici 2. de vita & honest. Clericorum. Et in cap. Quia plerique. de Immunit. Ecclesiar. Et aliqui alij Canonistæ, quos citat Gabriel in 4.d.15.quæst.13.art.1. quos tamẽ non sequitur ipse Gabriel; quidquid dicat Nauarrus loco citato. Non inquam id obstat: Nam etiam per actum illicitum potest trãsferri dominium. Vt per venditionem in loco sacro, vel ob malum finem institutam, &c.

Neque *secundò* obstat, quòd sub pœna eiusmodi ludi prohibiti sunt, ita vt non cogatur in iudicio quis soluere cp perdidit; & vt etiã intra quinquaginta annos detur in iudicio actio ei qui amisit, repetendi quod perdidit, & alter cogatur restituere, vt habetur in L. Alearum C. de Relig. & sumptib. fun. Vel certè intra tempus alioqui iuxta consuetudinem quæ nunc viget, necessariũ ad præscribendum; si verum est, quod loco citato notat Sotus, obsoleuisse iam illam legem quo ad spacium illud tam longi temporis. Non inquã id obstat, Nam ad eam pœnam luendam non tenetur quis ante condemnationem & sentẽtiam Iudicis, vt sentiunt Couarr. Medina, Sotus, & alij Auctores supra citati, quos in hac re sequimur. Quo etiam pacto potest intelligi S. Thom. q.32. ar.7.ad 2. vt etiam Sotus in d.q.3.a.2. illum exponit. Secus si aliqua Lex esset, quæ impediret etiã, & ipso facto redderet nullam, translationẽ Dominij per eiusmodi ludos. Nam tunc statim deberet fieri in conscientia Restitutio, sicut indicauimus in Assertione. Sed tamen nulla hactenus talis Lex extat, vt asserunt item iidem Auctores.

Neque *tertiò* denique obstat, quòd per eiusmodi ludos exponitur casui & fortunæ res propria, Nam etiam per sortes, in casibus quibus eæ licent, & per contractus assecurationis, & per conuentiones varias pendentes ex euentu fortuito (vt si nauis ex India venerit, &c.) exponitur res casui & fortunæ. Et nihilominus per huiusmodi actiones verè transfertur dominiũ, vt probat Couarr. ex sententia communi in dicto §. 4. n.2. Et Sotus in d.q.5.a.2. Et fusè Medina in dicta q.22. de Reb. restituend. contra Conrad. q.71. de Contractib. qui circa hæc dicit nonnulla contra sententiam communem nõ satis in ratione fundata, quæ non est opus discutere. Et certè Ratio pro communi illa sententia contraria, firmissima est. Nam sicut potest quis absolutè rem suam donare, ita etiam sub conditione pendente ex fortuna, si ea conditione subsequuta donare velit, & (vt suppono) potest.

Porro si vel fraus vel dolus contra ludi Leges; vel vis interueniat; vel qui perdidit alienare rem non potuit; clarũ est debere statim restitui, quod fuerit ludo acquisitum; etiam ante Iudicis condemnationem, vt asserunt prædicti auctores, & indicauimus in nostra assertione.

Sed sunt adhuc TRIA obseruanda ad faciliorem intelligentiam & vsum huius doctrinæ. PRIMO, nomine *fraudis* & doli, intelligere nos non qualemcunque astum & dissimulationem, aut simulationem in ludendo, sed tale aliquid, quod sit contra leges ipsius ludi. Nam si eiusmodi deceptiones sint consentaneæ ipsius ludi legibus, vtriq; ludentium notis & receptis, minimè obstabunt liberæ translationi dominij: cùm vtriq; ludentium æquè integrũ sit eiusmodi deceptionibus seu astibus vti in suum commodũ, & ideo pertineant ad ipsam ludi rationem; vt singulariter annotauit Ioannes Medina in dicta q.22.circa finem, & post eum Couarr. in d.Relect. § 4.nu. 5. & 7. Ex qua doctrina multæ dubitationes particulares circa iustitiam vel iniustitiam ludorũ, explicari facilè poterunt, quæ nimirum ex ipsa conditione & legibus ludorum pendeant.

SECVNDO Obseruandũ, nomine etiam *violentiæ*, (qua interueniente restituendum esse diximus) non intelligi à nobis qualemcunque attractionem ad ludendum per preces & suasionẽ. Nam hæc non obstat translationi Dominij; neque hoc D. Thomas voluit q.32. art.7. ad 2. male intellectus ab Adriano in materia de Restit. qui propterea duo Thomæ perperam contradixit, vt Ioan. Medina in dicta q.22. & Couarr. in dicto §.4.n.7. adnotarũt. Sed intelligimus violentiam per manifestam vim, aut grauem metũ, aut importunissimas preces, quæ alioqui rubore afficiant, vt iidem Doctores & Sotus, & Nauarrus vbi supra, & alij explicarunt. Et talem violẽtiam significauit. D. Thom. loco citato per attractionem alterius ad ludendum, ex qua dixit oriri restituendi obligationem.

TERTIO obseruandum, cùm diximus restituendum esse, quod quis lucratus sit abeorum aliquo, qui *alienare* rem non possint, intelligi hoc debere si tales perdant in notabili quantitate. Nam ad alienandum parum aliquid per ludum, præsumi possunt habere consensum maiorũ. Vt v.g. ad ludendum pro quinq; ducatis, qui in aula vel Academia expendit centum, sicut asserit Sotus in dicta quæstione quinta, articulo secundo, & post eum Nauarrus cap. 20. num.12. id extendens ad Religiosum qui alicubi viuit expensis suis Abbatis.

Sed tunc est DVBIVM, An possit talis plus ab altero lucrari quam ipse possit perdere, Negat enim Sotus loco citato, ne alioqui iniqua fiat Lex ludi ex alterius parte. SED probabilior mihi videtur sententia Nauarri, qui id concedit, & probat variis argumentis in dicto numero duodecimo.

Et ipse id probo manifestè ea ratione, quòd non est opus, vt sit æqualis vtrinque ludentium conditio quoad potentiam perdendi & lucrandi absolutè, seu quo ad totum ludi tempus, & omnes ludi actus coniunctim consideratos, quibus possent ludere; sed satis est, si sit vtrinque ea conditio æqualis in singulis ludi actibus seorsim & succesiuè consideratis: vt patet euidenter, quãdo pauper qui non habet, nec potest perdere plures quàm decem coronatos (v.g.) ludit cũ habente centum, & eos omnes succesiuè lucratur iustè, vt sæpe contingit.

Secus autem si in vno etiam actu seu iactu ludi, Minor aliquis, aut pauper, luderet pro quantitate quam ipse nõ posset alienare, aut pro maiori quam posset. Nam tunc sicut teneretur alter restituere, si id à Minore lucraretur, ita ipse quod lucraretur ab eo, eò quod iniustè lucraretur; vt optimè annotauit Alphons. à Castro. libro 2. de lege pœnali cap.2. concl.2. Et Couarr. in dicto §. 4. num. 4. Cuius ratio debet esse, quia non esset alioqui æqualis vtrinque conditio in determinato illo ludi actu, quod alioqui requiritur, vt actus ludi sit iustus.

De eo igitur quod per ludum iã *actu* fuerit acquisitum, hæc quæ hactenus tradidimus sunt tenenda. Si autem quod quis ludo perdidit, nec dum tradidit, sed tantummodo *promisit*, (vt cum luditur non præsenti pecunia, sed fide data) QVAERI hoc loco solet, An teneatur quis in conscientia soluere propter promissionem, vel possit retinere? Qua de re duæ sunt opiniones, quæ tamen conciliari possunt.

PRIMA est, debere talem soluere; nec posse retinere: quandoquidem potest licitè soluere & promisit, & omnis promissio de re licita obligat in conscientia. Ita sentit Ioannes Medina, quæstione vigesima secunda, de Reb. restituend. post medium, & Alphonsus à Castro lib.2.de lege pœnali cap.2. concl.3.

SECVNDA sententia est, posse talem non soluere: quandoquidem per leges posset statim ac soluisset, repetere in iudicio quod soluit; & consequenter non videtur obligari ad soluendum; ne dicamus eum obligari ad actum otiosum, qui statim queat rescindi. Sic opinatur Adrianus in materia de Rest. & Couarr. in dicta Relect. §. 4. num.8.

Hæ duæ sententiæ conciliari possunt, vt dixi, & quidem conuenienter, vt arbitror, menti Auctorum vtriusque licet non satis ab eis explicatæ. Nam potest qui data fide in ludo perdit, retinere quod promisit beneficio quidem legis concedentis repetitionem rei in ludo amissæ, atque adeo implorata publica auctoritate & obtenta sententia qua talis promissio in pœnam ludens is cassetur; cùm hoc non sit plus quàm sit cassare

postmodum translationem dominij, si iam facta fuisset; quod sine controuersia fieri potest auctoritate publica.

Et hoc sensu & modo intellecta sententia secunda vera est. Ac sic etiam & non aliter eam asserit Sot. libro quarto de Iustit. quæstione quinta, articulo secundo, quem pro illa sua secunda opinione citat Couarruuias in dicto numero 8. in fine. Id quod argumento est, non aliter quoque ab ipso Couarruuia secundam illam sententiam fuisse intellectam & receptam: sicut in eodem sensu probat & sequitur eam opinionẽ Couarruuiæ Nauarrus capite decimo septimo, numero decimo septimo.

Non potest autem is qui data fide perdidit, retinere ac non soluere rem promissam, auctoritate sua propria sine sententia & quasi dispensatione obtenta à publica potestate, exequente in ea re legem quæ fauet perdenti contra eum qui lucratur.

Et hoc sensu vera est prima opinio, & à suis auctoribus intellecta. Quæ etiam inde confirmatur, quod non potest priuata sua auctoritate, qui pecuniam in ludo perditam iam soluit, eam recuperare, retinendo per recompensationem debitum, quod alioqui ex contractu fortè vel aliter debebat lucranti, aut clam rem eam illi surripiendo, vt optimè docent contra Adrianum, Ioannes Medina in dicta quæstione vigesima secunda. Et Sotus in dicta quæstione quinta, articulo secundo, eò quod id esset sibi ipsi ius dicere contra legitimè alioqui possidentem: quod minimè licet. Ergo neque potest quis priuata sua auctoritate retinere cp data fide perdidit; Nam in hoc etiam sibi ipsi ius diceret cõtra legitimum ius quod alter ad accipiẽdum promissum habet, ob promissionem videlicet nondum à legitima auctoritate cassatam.

Procedit autem hæc doctrina primæ illius opinionis secundùm ius commune, quo (vt prædicti Auctores agnoscunt) nulla Lex extat reddens inualidam ipso facto promissionem rei in ludo perditæ. Si autem in aliqua prouincia vel regno esset aliqua talis Lex (vt est in Hispania, teste Couarruuia & Nauarro, & Soto locis citatis) clarum est, posse tũc eum qui perdidit, etiam priuata auctoritate retinere & non soluere quod in ludo promisit.

Atque hæc quæ de simplici promissione rei in ludo perditæ à nobis definita sunt, similiter accommodari debent ad talem promissionem iuramento firmatam; Nam beneficio Legis & auctoritate publica iuramentum irritante, seu dispensante super tali iuramento, potest quis retinere promissum; nõ autem auctoritate propria. Quemadmodum recte resoluit Nauarrus in dicto capite decimo septimo, numero decimo septimo in fine; quidquid non satis circũspectè dixerit circa hoc Sotus in dicta quæstione quinta, art. 2. non longè à fine. Et hactenus hoc loco dictum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum à nobis sit de iis, quæ sunt vel non sunt restituenda spectando modum quo sunt acquisita. Nam quæ hic nonnulli etiam disputãt de acquisitis per bellum, & varios contractus, seu pacta, de his nos alibi partim disputauimus (vt supra disp. 3. in q. de Bello) partim disputaturi sumus in seq. quæstionibus.

Quid sit restituendum propterea quod id ab altero non fuerit acquisitum.

SVpereſt vt videamus, Quid nam restitui debeat, non quia hoc vel illo modo acquisitum fuerit, sed contra potius quoniã ACQVISITVM NON fuerit; quod est tertium huius Puncti caput ex tribus quæ initio proposuimus. Ad quod caput illa PRIMO pertinet quæstio: *An is qui alterum impediuit, quo minus bonum aliquod acquireret, (vt dignitatem, præbendam, officium, hæreditatem, legatũ, &c.) teneatur ei restituere id quod non acquisiuit, vel ei æquiualens.* Qua in quæstione tria sunt certa apud Doctores & duo controuersa.

PRIMO Certũ est, debere restituere eum qui etiam absque vi, fraude & dolo, & absque odio, aut praua intentione impediuit aliquem, quo minus assequeretur bonum quodpiam ad quod iam habebat ius aliquod commutatiuæ iustitiæ: siue id Ius fuerit perfectum, quod appellant *ius in re* (vt notat Nauarrus cap. 17. nu. 89.) obtentum dispensatione inter viuos, aut testamento, seu vltima voluntate, aut legitima collatione, aut cõfirmatione, alióue modo legitimo: siue fuerit ius imperfectum, quod vocant *ius ad rem*; acquisitum (vt Nauarrus ait) iusta promissione, emptione, stipulatione, electione, præsentatione, oppositione, concursu, exspectantia, regressu, accessu, coadiutoria, primogenitura, aut alio huiusmodi titulo, ex quo possit aliquis iure petere à iudice, vt sibi libera facultas fiat & conseruetur progrediendi, vsque ad acquisitionem Iuris perfecti in re, atque adeo etiam realis possessionis ipsius.

Ratio huius pronunciati manifesta est; Nam qui talem impedit, omnino violat in illo iustitiã commutatiuam; Ergo tenetur restituere. Et quidem rem totam aut ei æquiualens oportebit tũc restituere, si alter habebat Ius perfectũ *in re*, tantumq; deerat ei realis possessio. Si autem solum habebat ius imperfectum seu *ad rem*, restituẽdum est tantum quantum iudicio boni viri æstimari poterat illud ius ad rem; prout illud fuerit maius vel minus, secundùm differentiam titulorum, ex quibus indicauimus ius istud solere nasci; Quæ omnia etiam patent ex prædictis Auctoribus.

SECVNDO Certum est, Eum qui neque iniustè, neque mala intentione impediuit aliquem ab acquisitione rei, ad quam nullũ ius commutatiuæ, vel distributiuæ Iustitiæ habebat, non teneri ad vllam restitutionem. Vtsi quis debito modo impediuit ne indigno daretur præbenda; vel, vt ne daretur digno, digniori prætermisso; vel, vt ne daretur huic digno, prætermisso alio æquè digno (in quo etiam minimè violatur Iustitiæ distributiuę aut commutatiuę ratio, cùm par sit ius æquè dignorum) vel, vt ne fiat legatũ huic qui ad id nullum ius habet; vel ne huic conferatur hoc donum, aut officium, hæc aut illa dignitas, quam dare vel non dare sit in propria & libera potestate dantis.

Hæc omnia patent ex iis quæ tradunt D. Thomas & Caietanus hîc artic. 2. ad 4. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. art. 3. ad 6. Et Adrianus in q. de Restit. *§. Consequenter quæro, Vtrum impediens.* Et Couarruuias Relect. in Reg. Peccatum. part. 2. §. 7. n. 8. Et Nauarrus in Manuali, cap. 17. nu. 89. & seq. & communiter alij.

TERTIO Certum est, Eum qui aliquo modo iniustè quempiam ab acquisitione boni impediuit, (vi, dolo, aut fraude) debere arbitrio boni viri restitutionem aliquam ei facere, pro ratione iniuriæ in hoc ipsi irrogatæ; etiamsi sic impeditus nullum habuerit ius cõmutatiuæ aut distributiuæ iustitiæ ad id bonum, vel etiam fuerit eo indignus; cùm & huic inferre iniuriam sit contra iustitiam commutatiuam. Quamuis maior sine dubio restitutio facienda sit, quando dignus vel dignior fuit iniquè impeditus.

CONTROVERSVM autem est PRIMO, An iniquè quis *ex odio, & malo fine* impediuerit quempiam ab acquisitione alicuius boni; siue ad id ille habuerit Ius aliquod Iustitiæ commutatiuæ vel distributiuæ, siue nullum omnino. Affirmant enim Scotus in 4. d. 15. q. 6. ar. 3. Et Paludanus ead. d. q. 2. a. 2. Et Richardus ead. d. a. 5. q. 4. ad 7. & alij. Ac idem videtur sentire S. Thomas hic ar. 2. ad 4. vbi ait, debere eum restituere qui aliquẽ à consequutione rei impedit *intentione nocendi ex odio vel vindicta.*

Probat autem Scotus hanc sententiam ex l. 2. §. Idem Labeo 3. ff. de aqua & aquæ pluuiæ arcendæ (non ff. de noui oper. nunciat. vt falsò citatur apud Scotum & Caiet. hic ar. 2. ad 2. dubium) vbi dicit Paulus ex Labeone nõ posse agi contra eũ qui aquam transeuntem per fundum suum impedit (venas obstruendo) ne ad vicinum perueniat, *si modò*, inquit, *nõ hoc animo fecerit, vt sibi noceat, sed ne sibi noceat*, permittendo nimirum transire aquam per fundum proprium.

CONTRARIA tamen sententia verior est, scilicet ex odio aut mala intẽtione nocendi prorsus non nasci obligationem restituendi id à cuius acquisitione ille impeditur, si alioqui non impeditur per vim, dolum, aut fraudem in re quã habeat ius aliquod. Ita sentiunt Adrianus in dicta q. de Restit. §. *Consequenter quæro, Vtrũ impediens.* Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. ar. 3. ad 6. Et Couarruias in dicta Relect. part. 2. §. 7. nu. 8. Et Nauarrus cap. 17. nu. 70. Ratio est manifesta. Nam qui odio & animo prauo quempiam impedit, peccat quidem contra charitatem; Sed nõ hoc ipso peccat contra Iustitiam, cuius solius violatio parit obligationem restituendi.

Nec D. Thomas planè sentit cum Auctoribus primæ opinionis. Loquitur enim de eo qui non quomodocunque animo nocendi, sed simul iniustè impedit quẽpiam à bono aliquo; siue quia ad id scilicet alter habet ius; siue quia per vim, fraudem, aut dolum, quis alterum impedit, vt Sotus loco citato D. Thomam intellexit.

Lex autem illa. ff. de aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ, intelligenda est similiter quando non solum animo nocendi, sed etiam iniquè auerteret quis aquæ ductum à vicino; cùm scilicet quis ad id nõ haberet ius, vt etiam Sotus illic eam legem interpretatur.

SECVNDO controuersum est, in eadem quæstione, An ob id propriè teneatur quis restituere, quod impedit alterum à consequutione boni ad quod ille habeat *ius distributiuæ iustitiæ*, etiamsi neque habeat vllum Ius perfectum aut imperfectum Iustitiæ commutatiuæ (*ad rem* scilicet vel *in re*) neque impediens vtatur vlla vi, fraude, aut dolo, sed sola suasione & precibus apud eum penes quem est conferre id bonum. Affirmat enim Caietanus hîc art. 2. in resp. ad dub. 3. Et Couarruuias in dicto §. 7. num. 8. concluſ. 4. Et videtur idem sentire S. Thomas in dicto art. 2. ad 4. scilicet debere tunc restitui, plus vel minus, pro vt quis erat magis aut minus propinquus consequendæ præbendæ, vt Caietanus & Couarruuias explicant.

CONTRARIVM tamen asserit Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. artic. 3. ad 6. non longe à fine articuli: Et Nauarrus cap. 17. n. 69. & 73. quod idem existimo censuisse, vel saltem non improbasse Adrianum in q. de Restit. §. *Consequenter quæro Vtrum impediens.* Itaq; non est verum quod Couarruuias in dicta Concl. 4. ait, in contraria de hoc Assertione sua omnes conuenire.

Videtur autem mihi hæc sententia Soti & Nauarri probabilior. *Primò*, Nam id ad quod quispiã habet tantummodo Ius distributiuæ iustitiæ nũquam fuit suum ipsius proprium (neque in se; sicut quod alicui detrahitur, & ideo ei debet restitui; neque in suo æquiualenti; sicut quando aliquis dedit alteri quidpiam suum, cum pacto vt ipsi tantundẽ reddatur, atq; adeo id sibi restituatur tanquam suo æquiualens) Ergo id, ad quod habet aliquis ius solius iustitiæ distributiuę, à nemine ei restitui debet, etiam si ipsi negetur, aut is in eius acquisitione impediatur. Patet Consequentia ex ipsa ratione Restitutionis, quæ nimirum consistit in eo, vt quis iteratò in dominio rei suæ statuatur, vt tradidimus p. 1.

Secundò. Nam non tenetur quis reddere alicui per actũ iustitiæ commutatiuæ id, quod ei debetur solum per Iustitiam distributiuam. Ergo non tenetur id quis restituere. Antecedens est euidẽs ex terminis. Consequẽtia verò patet ex eo, quod D. Thomas artic. 1. & omnes docent Restitutionem esse actum Iustitiæ commutatiuæ.

Tertiò, Nam si impediens quempiam dignum aut digniorem ab acquisitione eius ad quod habet solum ius distributiuæ iustitiæ, teneretur ei restituere; Consequens esset, vt collator qui id digno vel digniori nõ confert, teneretur eidem restituere, vt consequenter opinatur vbi supra Caietanus. Sed Consequẽs istud omnino est falsum & contra receptissimam praxim, vt ex communi sententia cui subscribit etiam Couarr. loco citato, docebimus q. seq. de Acceptione Personarũ p. 2. explicatis quibusdam locis D. Thomę, qui Caietano videntur fauere. Ergo id etiam vnde id consequitur est falsum.

Neque verò D. Thomas in dicto artic. 2. ad 4. suffragatur priori illi opinioni. Nam loquitur de eo qui iniustè (contra iustitiam etiam commutatiuam) impedit dignum aut digniorem; scilicet per vim, dolum, aut fraudem, vt D. Thomam intellexit etiam vbi supra Sotus.

Ac de sic impediente docet rectè ibidem diuus Thomas, quòd si alter nõ certò exspectabat præbendam (quia scilicet animus collatoris nõdum erat firmatus in ea illi conferenda) non tenebitur restituere ad æqualitatem, restituendo scilicet tantum quanti æstimatur præbenda (siquidem eam alter neque habebat, neque certò exspectabat) sed ad arbitrium boni viri, pro ratione iniuriæ & probabilitatis qua sperare ille præbendam poterat; ac proinde secũdum æqualitatem non quidem præbẽdæ sed iniuriæ & spei, seu dispositionis cuiusdam quam ille habebat ad præbẽdam. Id quod non satis animaduertit Nauarrus, in dicto cap. 17. num. 71. immeritò hac in re carpens D. Thomam.

Si autem alter certò exspectabat præbendam (quia scilicet animus Collatoris in ea illi conferenda iam obfirmatus erat) tunc dicit ibi diuus Thomas, debere eum qui talem impedit, restituere secundùm æqualitatem valoris ipsius præbendæ, quoad eius fieri possit arbitrio boni viri; perinde nimirũ ac si alter iam habuisset præbendam. Quandoquidem vt Philosophus ait, 2. Phys. text. 56. *quod parum distat à re, nihil distare videtur.*

Quam doctrinam D. Thomæ rectè etiam cõfirmat Sotus in d. lib. 4. q. 6. art. 3. refellens bene quasdam obiectiones Caietani, quibus is contendit non rectè vsurpari in hoc proposito morali illud pronunciatum Philosophi, *Quod parum distat à re nihil distare videtur.* Et summa est, non rectè quidem applicari id pronunciatum Philosophi ad materiam moralem, si sermo sit de *actione aliqua morali*; quasi quispiam censeri debeat id fecisse, quod parum abfuit vt faceret: bene autem si sermo sit de *rebus ipsis* quæ in humanam æstimationem & compensationem cadunt. Vt v. g. male ratiocinaberis, si dicas, eum qui parum abfuit vt conculcaret sata prope transiens, perinde videri id fecisse, ac si cõculcasset, & proinde teneri

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad restitutionem. Bene autem ratiocinaberis, si dicas, fata quæ parum aberant, vt omnino essent matura, reputari debere nihil differre à maturis; ac proinde conculcantem illa, debere tantũdem restituere, quantum si omnino matura conculcasset. Et hoc secundo modo ratiocinamur in proposito cũ D. Thoma ex illo Philosophi pronunciato; asserentes impedientem eum qui præbendam ob animum Collatoris obfirmatũ, certò exspectabat, debere restituere tantumdem, quantùm si iam ille præbendam habuisset; quia quod parum distat à re nihil distare videtur.

Neq; huic doctrinæ obstat, quòd posset Collator animum suum quantumuis obfirmatum mutare. Supponimus enim esse certũ moraliter, quòd nisi tu obstes non est mutaturus, licet possit. Neque etiam ex prædicta doctrina sequitur, ipsum collatorem si fortè propositum animi sui mutet, debere similiter restituere. Discrimen namque est, inter collatorem & impedientem per fraudem aut vim, atq; adeo iniquè (vt hîc loquimur) Nam qui sic *impedit iniquè*, facit in ea re iniuriam impedito; eum in carentia præbendæ damnificando contra Iustitiam quoq; commutatiuam propter vim aut fraudem adhibitam; & ideo tenetur restituere sicut est dictum. *Collator* autem, mutans sponte animum quem habebat conferendi præbendam digno vel digniori, non facit ei iniuriã contra Iustitiam quoq; commutatiuam, sed solùm contra distributiuam; ex cuius solius violatione non nascitur obligatio restitutionis, vt probauimus.

Secvndo quæritur circa idem Restitutionis caput, *An in foro conscientiæ restituẽda sint* Vectigalia *& tributa, quæ suis temporibus non fuerunt à subditis persoluta, neq; à superiore re acquisita.* Angelus in Summa V. Pedagium. q. 6. putat non esse necessariò in foro conscientiæ restituenda si exiguntur (vt ferè fit) sub aliqua pœna. Nam Leges humanas pœnales non arbitratur obligare in conscientia, sed solùm ad pœnam luendam, quando exigitur.

Sed vera & communis sententia est, debere in foro conscientiæ restituere eum, qui non soluit *iusta* vectigalia, seu tributa (seu quocunque alio nomine huiusmodi exactiones appellentur) quamuis ad pœnam quidẽ annexam non teneatur ante condemnationem. Ita docet Panormitanus & alij, in cap. Innouamus. de Censibus. Et Syluester V. Gabella 3. q. 8. Et Caietanus in summa, V. Vectigalia; Et Ioannes Medina quæst. 13. de reb. restit. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. art. 4. Et Alphonsus à Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 11. Et Couarruuias Relect. in Reg. Peccatum. par. 2. §. 5. Et Nauarrus in Man. cap. 17. num. 201.

Probatur. Nam communis existimatio semper fuit & est huiusmodi tributa iusta, esse reddẽda in foro conscientiæ (nisi fortè ea imponens apertè explicaret aliquando se non ita velle obligare) Vnde idipsum Dominus indicauit Matth. 22. inquiens. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari:* quia scilicet in conscientia reddi debeant, sicut *quæ sunt Dei, Deo*, vt ibi subiungit. Et ipse quoq; tributum soluit ad nostrum documentum; licet illud non deberet, Matth. 17. Et Apostolus ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Hoc autem præceptum velut quãdam conclusionem infert ex eo, quod ibi iusserat subditos esse Principibus, *nõ solum*, inquit, *propter iram* (atque adeo pœnam) *sed etiam propter conscientiam.* Et subiungit. *Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Et postea infert: *Reddite ergo omnibus debita, &c.* Quo loco duas rationes indicat, cur in conscientia tributa reddi debeant: Nempe quia Principibus tanquam ministris Dei dantur; & ipsi ea promerentur, bono publico inseruientes.

Porro, vt Tributa sint iusta, atque adeo in foro conscientiæ reddenda, multæ conditiones requiruntur, vt tradunt Auctores supra citati, & pulchrè Caietanus in Sum. verbo Vectigalia. Oportet enim vt sint iusta ex parte Agẽtis, ex parte Finis, ex parte Formæ, ex parte Materiæ: ad quæ quatuor capita reuocari possunt oẽs Conditiones requisitæ.

Ex parte Agentis erũt Iusta, si imposita sint ab habente legitimam auctoritatem. Vt ab Imperatore, vel Rege (aut Principe non agnoscente superiorem; vt notat Caiet. aut ab habente Iurisdictionem talis, vt notat Syluester verbo Gabella 3. n. 10.) Vel à Concilio, & Papa; Vel per consuetudinem cuius initij non sit memoria: vt patet ex cap. Super quibusdam. Ext. de verb. sig. vt explicant supradicti Auctores, præsertim Caietanus verbo Vectigalia, & Medina in dicta q. 13. de Reb. restituend. Qui & existimat, auctoritatem imponendi vectigalia posse præscribi, vt res alias iure præscribi non prohibitas; iuxta ea quæ supra de Præscriptionibus tradidimus.

Ex parte Finis erunt iusta tributa seu vectigalia, si redundent in bonum commune, & non referantur ad solum luxum principum. Quorũ tamen labores & curæ in Republica merito pensandæ sunt eiusmodi tributa & exactiones cõpensãdæ sunt à subditis, vt explicat Couarruuias in d. §. 5. nu. 5. & patet ex loco Apostoli ad Rom. 13. quem paulo ante induximus, & ex illo Domini testimonio Lucæ 10. *Dignus est enim operarius mercede sua.*

Item pertinet ad iustitiam vectigalium expartę finis, vt finis & causa cuius gratia fuerint imposita, non planè negligatur, vel omnino iam cessauerit. Nam nihilominus tunc vectigal exigere manifestus esset abusus, sicut docet bene Caietanus vbi supra & alij communiter. Quod tamen Medina, quæstione decima quarta, de Reb. restituend. putat intelligi debere salua iure præscriptionis eiusmodi tributorum cessante etiam causa: & quando ita causa negligeretur, vt neque vlla alia ratione compensaretur subditis vtilitas ea, quę per exequutionem talis causę tributorum ad eos manaret.

Ex

Ex parte Formae erunt iusta tributa seu vectigalia, si non nisi iuxta proportionem facultatis cuiusque imponantur subditis huiusmodi onera, ne alioqui violetur ordo iustitiæ distributiuæ. Item si non plura exigantur quàm postulet causa. De qua Iustitia ex parte Formæ optimè loquitur vbi supra Caietanus.

Ex parte denique Materiae erunt iusta tributa seu vectigalia, si in iis rebus constituantur, & ab iis duntaxat personis exigantur, quibus licet. Nam iure quidem ciuili solùm cõstitui debent in rebus quæ ad negociationem emptionum, & venditionum, & similium pertinent. L. Omnium. C. de vectigalib. Non autem in iis, quæ quis ad vsum & necessitatẽ suam acquirit, vt notauit Caietanus, & etiam Angelus, verbo Pedagium. §. 3. addens non valere in hoc contrariam consuetudinem.

Sed id Angeli dictum esse falsum meritò affirmauit Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 203. Itaq; per consuetudinem poterit etiã ex eiusmodi rebus vectigal seu tributum accipi, vt præter Nauarrũ sensit quoq; Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 14. Et idem contra nõnullos asserit Syluester, verbo Gabella 3. num. 14. quando tributa quidem ex aliis rebus non sufficiunt.

Item ab Ecclesiasticis non licet tributa huiusmodi exigere, nisi quoad ea quæ deferunt causa negociationis, vt notat Syluester, verbo Gabellę 3. n. 10. Et Medina, q. 13. & 15. de Restit. Et Nauarrus in d. cap. 17. n. 203. vbi grauissimè sanè de hac re loquitur contra cõtrarios abusus. Quo autem iure sit hæc Immunitas Ecclesiasticorum introducta, explicabimus 4. tomo, in materia de Sacramento Ordinis, Deo dante.

Quando igitur tributa seu vectigalia ex omnibus his capitibus erunt iusta, & ex nullo illorũ iniusta; restituenda erunt in foro conscientiæ si non soluantur. Quod si dubium sit, An iusta sint vel iniusta; præsumendum erit pro superiore, atque adeo esse iusta, vt rectè notauit Sotus lib. 4. de Iustit. q. 6. a. 4. Et ideo in foro conscientię sunt tunc reddenda.

Neque hîc obstat quod sub pœnæ comminatione exiguntur vectigalia, vt obiiciebat Angelus; Nam potest Lex pœnalis obligare simul in conscientia, si aliunde constet hanc fuisse mentem Legis Latoris, vt docuimus tomo 2. q. 5. de Legibus, p. 6. Constat autem id in proposito ex communi existimatione, vt diximus ante. Et hactenus de puncto quinto principali.

PVNCTVM SEXTVM.

Quantum sit restituendum.

D. Thomas art. 3. & 4.

Istinctione hoc loco vtendum est. Per restituentem namq; duplex potest fieri satisfactio, quarum altera semper fieri debet, altera nõ sem-

per, sed quandoque. Vna est ea, quã, lege naturæ, debet semper satisfieri virtuti Iustitiæ *Commutatiuæ*. Altera est ea, qua præterea debet quandoq; lege humana satisfieri Iustitiæ *vindicatiuæ*, reddẽdo nimirum aliquid in pœnam, constitutam humana lege, ad vindicandam iniuriam alicui factã per violationem commutatiuæ Iustitiæ.

Hoc posito duas statuam Assertiones ex doctrina D. Thomæ hîc & communi. Prima. *Vt satisfiat iustitiæ Commutatiuæ tantundẽ restitui debet, quãtum ablatum est: non plus, vel minus.* Ita D. Thom. a. 3. & communiter omnes. Probatur, Nam id requiritur & sufficit vt stabiliatur Iustitiæ commutatiuæ æqualitas; qui est finis restitutionis, vt docuimus p. 1. & 2. Sunt autem hîc ad huius Assertionis praxin duo annotanda.

Primvm est, Nomine eius quod *ablatum* est, non modò id intelligi, quod quis habebat *actu*, & ei ablatum est, sed etiam id, quod habebat *in potentia*, & certò vel probabiliter per rem sibi ablatam habiturus actu erat: atque etiam id cuius iacturam postea facit ob rem sibi ablatam. Omnia enim hæc censeri possunt alicui cum re principali auferri, vt patet ex doctrina diui Thomæ, art. 4. Et ideo hæc omnia restitui debent, vt restituatur tantũdem: deductis tamen expensis, quas vt res actu etiam haberetur, facere oportebat; & deducto etiam tanto, quanto, consideratis omnibus circũstantiis, arbitrio prudentis minus valet res in potentia quàm in actu, si non planè certò res sperator & poterat modo aliquo vel aliquibus impediri, iuxta doctrinã D. Thomæ eodem a. 4. communiter receptam. Vbi tamẽ rectè censet Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. a. 5. habendam esse quoque rationem *iniuriæ*, quam sic Dominus patitur per hoc quod inuitus priuatur spe sua & re quam habet in potentia, vt ea etiam iniuria ipsi compensetur.

Itaque quando semina (v. g.) conculcantur & ager destruitur; fructus qui sperabantur debẽt secundùm prædictam æstimationem prudentis, & deductis expensis restitui, vt omnes notant. Et eadem ratione restituendum est, quod quis ex locatione rei furto sibi ablatæ erat lucraturus, vt ex equo meritorio, aut re simili. Sicut annotauit Ioã. Maior in 4. d. 15. q. 27. & 28. Et Nauar. in Man. cap. 17. n. 26. Et similiter lucrum quod quis erat ex pecunia sibi ablata facturus; Atq; etiam summam pecuniæ, quam ob summã alteram sibi ablatam cogitur exponere. Vt si pecuniã quis seruabat quò satisfaceret suo creditori, & tu eam auferens causa illi sis, vt accipiat aliam sub vsura, quò possit soluere; Teneris. n. restituere ei etiam illam vsuram, vt notat vbi supra Nauarrus. Item, quantum postea valet plus res, dum eam iniustè & mala fide retinuisti; iuxta notata à Nauarro ibidem & supra numero decimo. Quomodo autem liceat vel non liceat ab initio quoque alicuius contractus pacisci de lucro cessante, vel damno emergente (quod hîc articulo quarto attin-

git Caiet.) infra videndū est, in q. 20. de Emptione & Venditione p. 2.

SECVNDVM. Quod circa eandem illam assertionem primam notari debet, est; non vno & eodem modo, sed alio atque alio (pro varietate casuum) debere restitui tantumdem, quantum ablatum est. Quandoque enim res ablata extat eadem *numero*. Et tunc si res sit non vsu consumptibilis, tantumdem restituendum est, reddendo eandē ipsam rem; nisi alia Dominus velit esse contentus, vt tradidimus p. præced. sub initium, Et patet ex l. Eum à quo. Et l. Manifesti. C. de soluti.

Quandoq; autem res ablata, licet non supersit, tamen est *certi & noti* valoris, determinati scilicet per legem aut per communem æstimationem. Et tunc restituendum est tantumdem reddendo rem eiusdē valoris in eadem vel in diuersa specie, aut etiam in diuerso genere, prout fieri poterit, & Dominus erit contentus. Nam quod etiam per res diuersi generis possit fieri Iustitiæ compensatio, probauimus p. præced. contra Syluestrum, cum egimus de Restitutione famæ.

Quandoque autem res ablata est *incerti & indeterminati* valoris, quia scilicet aut est eius naturæ, vt neque per legem, neque per communem æstimationem sit determinatus eius valor, vt vita, incolumitas, honor, fama, &c. aut de ipsius rei quantitate, vel numero, vel qualitate, vel etiam natura, non satis constat. Vt si quis, v.g. combussit domum refertam variis frumentis, & debet id damnum resarcire hæredi, vel destruxit segetes, quarum futurus fructus erat incertus, &c. Ac tūc quidem in his & similibus casibus in quibus res ablata est incerti valoris, restituendum est tantumdem iudicio prudentis viri; pro voluntate Domini reddendo quidpiā eiusdem valoris (quo ad fieri possit) cōsideratis omnibus circūstantiis, & re inter *plus* atque *minus* ita æstimata, vt vel attingatur æqualitas, vel ad eam quam proximè accedatur; sicut annotauit rectè Caiet. in Summa, verbo Restitutio cap. 3. Et Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 27. Et hactenus de PRIMA assertione, ex qua hunc in modum declarata non erit difficile occurrentes casus particulares definire consideratis circumstantiis.

SECVNDA Assertio. *Vt satisfiat Iustitiæ vindicatiuæ, aliquando etiam restitui seu reddi debet plus quàm est acceptum*: scilicet quando per legem id esset statutum in pœnā iniuriæ illatæ alteri, & quis per sententiam Iudicis ad luendam eiusmodi pœnam condemnaretur; non ante. Ita docet D. Thomas hic art. 3. & communiter alij omnes. Et patet ex eo quòd sic olim erat diuina lege statutum, Exodi 22. Vt si quis *furatus esset bouem aut ouem, & occideret vel venderet, quinque boues pro vno boue restitueret, & quatuor oues pro vna oue*. Ergo posset iustè simile aliquid nunc constitui per legem humanam, vt etiā docet diuus Thomas articulo tertio ad primum Item quia quod rectè faciebat sponte sua Zacheus *reddens quadruplum, si quid aliquem defraudasset* (vt ipse ait Lucæ 19.) posset iusta lege in pœnam exigi.

Quod autē eiusmodi pœnas, quæ à lege constituerentur, non teneatur quis subire ante condemnationem, affirmat D. Thomas in eod. art. 3. in corpore, & ad 1. & alij communiter. Et patet ex iis quæ tomo 2. q. 5. de Legibus p. 6. docuimus de eiusmodi Legibus pœnalibus, decernentibus pœnam talem, quæ requirant actionem aliquam ad sui exequutionem: Nempe tales Leges nō obligare ante Iudicis sententiam. Quod etiam singulariter annotauit Couarruuias Relect. in Reg. Peccatum, part. 2. §. 4. n. 8. sub initium.

PVNCTVM SEPTIMVM.

Quando sit restituendum: & quas ob causas Restitutio differri, aut omnino etiam prætermitti possit.

D. Thom. art. 8.

OMMVNIS omnium & certa sententia est, eum qui Domino rationabiliter inuito, atque adeò iniustè, alienam rem detinet (siue quia iniquè abstulit, siue quia solutionis tempus in contractu præstitutum aduenit) debere statim restituere. Nam vt p. 2. docuimus, præcepto *affirmatiuo restituendi*, est annexum quoque præceptum *negatiuum* de non retinenda re aliena, quod vt illic diximus obligat pro *omni* tempore, atq; adeo etiam statim atque res aliena iniquè retineri incipit: Siquidem nullo temporis puncto licet hærere in peccato quod prohibetur præcepto negatiuo. Propter quod rectè D. Thomas hic art. 8. & Caietanus ibi. Et Sotus lib. 4. de Iust. q. 7. art. 4. & alij communiter asserunt, obligationem præcepti de non retinenda iniquè re aliena, non expectare tempus, sed statim vrgere.

Etsi autem hoc ita sit, tamen D. Thomas hic & alij omnes agnoscunt, posse subesse nonnullas CAVSAS ob quas quis excusetur à peccato, non exequendo hanc obligationem restituendi; quæ si ad tempus durent, excusabunt à restituendo tū statim, tum tantisper donec durauerint; si autem perpetuæ sint, excusabūt simpliciter à restitutione facienda.

Sed est tamen, antequam ad eas causas veniamus, diligenter ANIMADVERTENDVM, duplicem intelligi posse, quòd ob aliquas causas excusetur quandoque aliquis à peccato, non restituendo. VNO modo ita vt excusetur à peccato contra obligationem præcepti (de non retinenda re aliena) qua adhuc obstringatur, etiā concurrente causa excusante. ALTERO modo ita, vt excusetur quis à peccato contra eius præcepti obligationem, nō qua adhuc obstringatur concurrente causa excusante, sed qua obstringeretur alioqui, nisi eiusmodi causa aliqua concurreret.

Iam

Iam quod communiter omnes asserunt, ppter aliquas causas posse hominem excusari à peccato non restituendo; non debet intelligi determinatè primo aut secundo modo ex his, sed indeterminatè alterutro. Nam pleræque ex eiusmodi causis, imo ferè omnes excepta vna vel altera (vt videbimus) excusant non primo sed secundo modo; quatenus scilicet illis concurrentibus fit, vt vel res quæ retinetur non amplius sit *aliena*, vel certè non amplius *inuito rationabiliter* domino retineatur; ac proinde tollitur obligatio restituendi: quæ nimirum non vrget nisi quando res est aliena, & inuito rationabiliter domino retinetur. Et nihilominus tamen quoniam alioqui homo esset ad restituendum obligatus, & non restituēdo peccaret; dicitur per eiusmodi causas à peccato excusari illo posteriori modo. Vt si v. g. dicamus excusari hominē à peccato homicidij per necessitatem defendendæ propriæ vitæ, quoniā ea causa concurrente non obligatur abstinere ab alterius cæde; ad quod alioqui esset obligatus, & peccaret non abstinendo.

Quanquam loquendo quidem maximè propriè, non dicitur *excusari* à peccato nisi is, qui ob aliquam causam incidentem non peccat faciendo cōtra id, ad quod adhuc in particulari eo casu *est* obligatus: vt annotauimus tomo 2. q. 5. de Legibus, p. 6. Sed tamen potest etiam non absurdè dici excusari is, qui ob incidentem aliquam causam non peccat faciendo contra id ad quod alioqui *esset* obligatus, si incidens causa non obstaret. Et hoc pacto (vt dixi) excusant à peccato non restituendi (aut statim, aut omnino) pleræque causæ ex iis, quæ ad id adferri solent in proposito.

Ac per hanc explicationē non difficulter cerniatur discuti poterunt quædam tenebræ, quibus nonnulli rem hanc inuoluūt, dum explicare conantur qui fieri possit, vt ob aliquas causas à peccato quis excusetur non restituendo, cùm in præcepto de Restitutione implicetur etiam præceptum *negatiuum* de non retinēda re aliena, obligans semper & *pro semper*. Lucet autem ex dictis iam huius ratio, Nempe quia præceptum illud negatiuum quasdam respicit conditiones in retentione rei (puta quòd res sit *aliena*, & detineatur *inuito rationabiliter* Domino) quæ conditiones per incidentes causas mutari possunt: quo ipso cessat in rei detentione peccatum.

Et potest hīc etiam addi illa ratio, quòd præceptum restituendi in primis etiam est *affirmatiuum*, vt respicit actum ipsum restitutionis. Itaque cùm in omni actu, vt ex affirmatiuo præcepto sit necessarius, requirantur certæ circūstantiæ, quæ per incidentes causas quandoque immutantur: fieri quandoque potest, vt aliquibus de causis vel omnino vel ad tempus actus restitutionis nō sit necessarius ex præcepto, prout causæ ipsæ vel ad tempus vel perpetuò durauerint, sicut initio dictum est.

Porro eiusmodi CAVSAE diuersimodè à variis numerātur, vt est videre apud Caietanū in Summa, verbo Restitutio, cap. 6. qui numerat tantum tres generales, ad quas aliæ in specie reuocantur, & apud Ioannem Medinam quæst. 3. de reb. restituend. qui numerat causas duodecim, ex quibus tamen ipse nōnullas meritò reiicit, vt post videbimus; Item apud Nauarrum in Man. cap. 17. nu. 75. & seq. qui numerat causas nouem; sicut & alij aliter. Videntur autem mihi (quantum ex certis vel probabilioribus sententiis Doctorum colligo) posse rectè & vtiliter numerari in specie QVINDECIM causæ, quarum nimirum *nouem* sumantur ex parte DEBITORIS; & *duæ* ex parte CREDITORIS; & *vna* ex parte ipsius REI alienæ; & *tres* ex parte publicæ POTESTATIS.

Ex parte igitur DEBITORIS, Causæ excusantes à restitutione omnino vel ad tempus (prout durauerint) sunt nouem. PRIMA est *ignorātia probabilis*, quòd res sit propria & non aliena: siue ea ignorantia sit *facti* siue *Iuris*. Ita docet ex communi doctrina Caietanus in Summa, verbo Restitutio, ca. 6. Et Nauarrus in Man. cap. 17. num. 82. & seq. Qui rectè declarat, ignorātiam probabilem in proposito censeri eam, quæ non est *crassa & supina*; qualis esset v. g. eius qui calicem emeret à milite; aut à vili famulo vas argēteum; & eius qui retineret rem acquisitam ex contractu, quem à plerisque doctissimis damnari sciret, & probari tantū ab vno vel altero multo minus docto. *Probabilis* autem ignorantia *facti* esset eius qui rem alienam bona fide acquisiuit hæreditate; & *Iuris*, quando ius esset obscurum & controuersum circa contractum aliquem, aut viri aliqui scientia & conscientia præditi (vt ait Nauarrus) consulti de re, responderent non esse necessariò restituendam, &c.

SECVNDA causa est *Dubium*, an sit res propria, vel aliena, post adhibitam conuenientem diligentiam ad id indagādum. Nam *in dubio melior est conditio possidentis*, vt habet regula Iuris. Et ita potest quis licitè rem retinere quamdiu dubitat, vt supra p. 5. (cum ageremus de Præscriptione) asseruimus ex sententia Syluestri, Adriani, Medinæ, Soti, Couarruuiæ. Vbi etiam explicauimus quēadmodum talis rem retinēs minimè faciat contra conscientiam *dubiam practicè*. Quandoquidem certus esse potest se licitè tunc rem retinere; licet dubitet solum de re ipsa *speculatiuè*, sit ne propria vel aliena.

Atque hæ solæ duæ causæ hactenus expositæ, excusant priori illo modo, quo ante diximus, scilicet ne quis peccet contra obligationem restituendi, qua adhuc obstringitur. Nam qui verè rem *alienam* possidet, verè tenetur eam restituere: licet per accidens excusetur à peccato, eò q; ignorat vel de eo dubitat; & hoc etiam Accidente non obstante, Dominus rei caret illa inuitus rationabiliter. Sequentes autem causæ excusant posteriori modo supra dicto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA causa est *inopia*; cùm scilicet quis nõ habet vnde restituat, nec aliunde probabiliter & commodè potest acquirere. Nam cùm is nõ possit morali modo restituere, non carebit Dominus rationabiliter inuitus re sua. Itaque quandiu hæc inopia durat, omnino excusat. Neq; est hac de re apud Doctores vllum dubium, vt annotauit Ioannes Medina quæstione tertia, de rebus restit. initio. & Couarruuias Relect. in Reg. Peccatum, part. 1. num. 2.

Dixi autem, *neque aliunde probabiliter & commodè potest acquirere*: nam quod quis potest probabiliter & commodè acquirere, quodammodo habet. Vnde videmus compelli per sententiam Iudicis restituere eos, qui licet actu non habeant, vnde restituant, possunt tamẽ industria propria, aut labore, vel aliter acquirere.

QVARTA causa est *necessitas*; cùm scilicet quis etsi habeat vnde restituat, tamen eo indiget ad subleuandam suam necessitatem, vel extremam (de quo inter omnes cõuenit) vel etiam grauem, vt conseruet decentiam honesti sui status, vt sensit Antoninus p. 2. tit. 2. capite 8. Et Nauarrus in Man. capite decimo septimo, num. 63. Et Sotus lib. 4. de Iust. quæst. 7. art. 4. Et Couarruuias Relect. in Reg. Peccatum, part. 1. art. 2. modò tamen status talis sit honestè acquisitus; vt annotarunt peculiariter Sotus vbi supra, & Nauarrus nu. 58. & indicat etiam satis Couarruuias & alij: Atque etiam posito, quòd Creditor non grauetur æquè graui necessitate, vt iidem Auctores notãt. Nam vt rectè ait Sotus in pari necessitate (citra extremam) melior est conditio creditoris. Cuius ratio (quam non reddit Sotus) est, quia quando creditor patitur necessitatem parem (citra extremam) potest rationabiliter inuitus esse, quòd debitor ei non restituat: cùm ex ordine charitatis possit sibi potius quàm debitori velle consulere: ac proinde debitor iniustè tunc rem detinebit, nec poterit per eiusmodi iniustitiam rectè sibi potius quàm creditori prouidere.

Quando autem vtriusque necessitas esset *extrema*, posset debitor sibi potius quàm creditori consulere; vt sentit Sotus vbi supra, & Nauarrus num. 60. contra Summam Tabienam, verbo Restitutio. §. 4. Cuius ratio debet esse, quia in extrema necessitate desinit res esse propria alicuius & fit communis: & idcirco creditor, qui aliàs erat eius Dominus, non potest tunc rationabiliter inuitus ea tanquam propria carere: ac proinde absque vlla iniustitia potest tũc debitor per eam rem sibi potius quàm creditori consulere.

Vnde parum sibi constat Nauarrus vbi supra, dum concedit, debitorem in extrema necessitate sua & creditoris, non teneri soluere creditori, & tamen negat num. 61. eum qui in extrema necessitate accipit rem alienam, esse postea immunem ab obligatione restituendi, vt agnoscit asseri à communi opinione. Nam ex primi (quod concedit) fundamento (scilicet quòd in extrema necessitate omnia fiant communia, vt iam dictum est) sequitur debere etiam concedi secundum, quod Nauarrus malè contra communem opinionem negat, vt ostendimus supra disp. 3. in quæstione de Eleemosyna p. 5. Qui enim nunquã accepit, neque habuit alienum, sed tantùm vsurpauit id quod in casu extremæ necessitatis erat commune, nullo ex capite tenetur postea ad restitutionem, cum neque ad id teneatur ratione *rei*, neque ratione *acceptionis*.

Secùs, si quis rem alienam accepit & retinuit, *ante* extremam necessitatem. Nam tunc quãuis superueniente postea & durante extrema sua necessitate, non debeat talis rem alienam aut ei æquiualens restituere, debet tamẽ necessitate cessante restituere æquiualens; vt sentiunt Scotus, Richardus, & alij in 4. d. 15. Et quidem si quis iniquè *ante* extremam necessitatem rem alienam acceperit, satis apparet verum hoc esse. Nam debet compẽsari iniuria Domino rei facta per iniquam rei acceptionem & retentionem. Si autem rem quis iustè acceperat, ex contractu scilicet vel pacto; reddendum etiam est ex vi talis contractus seu pacti æquiualens, non obstante quod res in dominium possidentis transierit tempore superuenientis necessitatis extremæ. Nam similiter ex pacto & contractu reddendum est æquiualens ei quod accipitur per mutuũ, vel emptionem; non obstante quod id transit in accipientis dominium.

Itaque quidquid Adrianus in materia de Restit. Et Ioannes Medina quæstione tertia de rebus rest. causa 1. dicant, non est impertinẽs quod Scotus, Richardus, & alij hîc distinguunt, de re aliena accepta *ante* extremam necessitatem, & *in ipsa* extrema necessitate: asserentes, rem acceptã ante eiusmodi necessitatem, restituendam esse postea (in suo æquiualenti) cum quis venerit ad pinguiorem fortunam; non autem acceptam in ipsa necessitate. Atque etiam est falsum quod dicit Adrianus & Medina, contra communem opinionẽ sentiunt, debere postea restitui (si quis possit) quod in ipsa etiam extrema necessitate quis accepit. Qua de re videri debent illa quæ supra in d. q. de Eleemosyna, p. 5. contra Nauarrum pro communi opinione disputaui.

Illud quoq; circa istam quartam causam à Restitutione excusantẽ, est ANNOTANDVM, quod diximus, excusare etiam necessitatem conseruãdi honestum statum, æquè verũ esse, siue id quod est restituendum fuerit *iustè* acquisitum siue *iniustè*; vt rectè sentiunt Antoninus, 2. par. tit. 2. cap. 8. Et Nauarrus in dicto cap. 17. num. 57. Et Couarr. in d. Relect. par. 1. numero quarto in fine. Quamuis contra sentiat Caietanus de eo, quod iniustè acquisitum est hîc articulo octauo, & verbo Restitutio, capite sexto. Ratio nostra est; Nam siue iustè siue iniustè quidpiam fuerit acquisitũ; dummodo alioqui status fuerit honestè partus, eadem vtrobique ratio docet non esse ex obligatione

tione restituendum, quod sine magno detrimẽto proprij status debitoris restitui nequit, & cum paruo vel nullo creditoris retineri potest; nempe quòd non caret tunc *suo* creditor rationabiliter inuitus.

QVINTA causa ex parte debitoris à restitutione excusans est *damnũ graue* in rebus propriis, quod ex restitutione Debitor incurreret; vt notant Caietanus vbi sup. Ioãnes Medina quæstione tertia, de reb. restituend. causa 4. Sotus libro quarto de Iust. quæstione septima, articulo quarto. Nauarrus in Man. capite decimo septimo, numero quinquagesimo sexto & seq. Couarruuias loco citato, numero tertio & alij communiter. Dummodo creditor æquale damnum in aliis rebus propriis non incurrat, per supra dicta in causa præcedenti.

Ratio huius quintæ causæ est. *Primò*, Nam moraliter loquendo non solum censetur quis id facere non posse, quod nullo modo potest, sed etiam quod non potest commodè, absque graui nimirum damno, vt patet ex l. Nepos Proculo. ff. de verb. sig. Et cap. Faciat 22. quæst. 2. Itaque non carebit Dominus *suo* rationabiliter inuitus concurrente hac quinta causa.

Secundò, Nam ipse Creditor tenetur ex charitate auertere graue eiusmodi damnum à debitore, si cum nullo aut paruo detrimento suo facere id potest, concedendo ei adhuc solutionis dilationem. Ergo etiam potest creditor eam differre.

Dixi autem damnũ graue *in rebus propriis*. Nam vt optimè annotauit Caietanus hîc articulo octauo, & in Summa, verbo Restitutio, capite sexto, & post eum Sotus, Nauarrus & alij, vbi supra, non est reputandum damnum magnum in proposito quòd quis, si multum debeat, carebit magna summa si eam restituat, aut carebit magno lucro quod poterat facere cum magna Summa pecuniæ alienæ. Ista enim non sunt damna *in propriis*: sed tũc esset magnum damnum in propriis, quãdo de alioqui suo deberet quis magnũ quidpiam amittere; vt Vitam, Incolumitatem, Libertatem (vt concedunt fine controuersia omnes) instrumenta suæ artis; Possessiones (si quas forte oporteret ad restituendum, vili precio vendere, vt notant Sotus & Caietanus vbi supra) Itemque famam bonam talem, quæ consideratis circumstantiis omnibus, maioris meritò æstimari deberet, quàm commodũ quod restitutio adferret creditori.

QVO ex capite omnes ferme excusant eã MVLIEREM, quæ cum alienum partum sibi supposuerit, aut ex adulterio spurium genuerit; tamen ob imminens periculum vitæ, aut etiam grauis infamiæ, intermittit id marito dicere, attamen adeo damnum impedire, quod filij alij legitimi in hæreditatis parte inde accipiẽt; cùm nulla ratione alia id efficaciter impedire possit. Ita sentiunt communiter Iurisperiti in cap. Officij. Ext. de pœnitent. & remiss. Et Scotus in 4. d. 15. quæstione secũda. Et Caietanus hîc articulo sexto ad 2. Et in Tractat. de 17. qq. quæstione decima quarta, dub. 2. Et Syluester, verbo Adulterium, quæstione prima. Et Ioannes Medina, quæstione tertia de reb. restituend. causa 4. Et Alphonsus à Castro, libro secundo de lege pœnali, capite 11. Et Nauarrus in Man. capite 17. num. 90. Et Couarruuias in dicta Relect. part. 1. numero 8. contra Adrianum in quæstione de Restit. & quodlib. 3. arbitrantem non posse talem mulierem (saltem perpetuò) tacere ob vitandam infamiam, neque etiam mortem imminentem, non ex iracundia mariti, sed ex malitia cognatorum eius qui eum ad occidendam vxorẽ incitabunt. Itemque contra Ioannem Maiorem in 4. d. 15. q. 17. qui itidem putat nõ posse illam mulierem tacere ob periculum infamiæ, si iam non amplius imminet periculum vitæ; vt si est vidua, & potest euitare damnum filiorum legitimorum, reuelando crimen spurio, aut aliis legitimis filiis. Quæ opiniones Adriani & Maioris omnino carent fundamẽto solido, vt bene ostendunt Medina & Couarr. locis citatis.

Itaque in contraria sententia communi persistendum est. Quam planè asseruit Innocentius III. in dicto cap. Officij. de pœnitentiis & remissionibus, vt Medina, Nauarrus, & Couarruuias, vbi supra annotarunt. Nam ibi Innocentius determinat, non esse pœnitentiam negandam mulieri, *quæ timens maritum celat crimen quo partum sibi supposuit alienum, aut filium genuit ex adulterio; sed esse ei competentem satisfactionem iniungendam per discretũ sacerdotem.*

NEQVE valet argumẽtum Adriani, quòd scilicet deberet ex naturali lege talis mulier crimẽ reuelando auertere id damnum à filiis legitimis, si non obstaret mortis & infamiæ periculum: Ergo etiam existente eo periculo; cùm præcepta naturalia nec pro morte aut infamia vitãda violare liceat. RESPONDEMVS enim, in tali periculo non obligari illam mulierem præcepto naturali ad euitandum damnum filiorum. Nam hoc præceptum præsupponit quasdam in materia sua conditiones, quarum vna est, vt filij alioqui rationabiliter inuiti sint passuri id damnum; quæ conditio hîc deest; nam rationabiliter potius debent velle id detrimentum pati, ne mater incurrat mortem aut grauem infamiam.

Si tamen mater possit citra reuelationem criminis aliter seruare filios legitimos indemnes; exploratum apud Doctores est, debere eam id facere. Vt resarciendo illis id damnum, si habeat bona paraphernalia, vel aliter propria, quæ possit distrahere. Vel persuadendo, si potest, spurio, vt ingrediatur religionem, in qua non succedat in paternis bonis: Vel secretissimè rem patefaciendo spurio, si & circumstantiæ sint tales, vt videatur is crediturus, & ob id cessurus hæreditati (ad quæ tamen, vt notat Sotus, in foro quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

externo non compelletur, vt patet l. Filium. ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris) & nõ aliud timeatur inde scandalum; aliàs non, vt latius rem hanc persequitur Medina vbi supra.

Est autem apud Doctores DVBIVM in huiusmodi casu, an quando attentis circumstantiis infamia mulieris non esset valde magna (quia scilicet esset alioqui fortè suspecta, nec valde honorata) damnum autem filiorum legitimorũ magnum (propter maximam hæreditatem) teneretur mulier nõ obstante periculo talis infamiæ reuelare proprium crimẽ, vt filios legitimos seruet indemnes.

Nam Caietanus hîc art. 8. & in Summa, verbo Restitutio, c. 6. generatim arbitrari videtur, nunquam esse necessariò restituendum bonum *inferioris* ordinis, quale est bonum illud hæreditatis, cum detrimento boni *superioris* ordinis, quale est bonum famæ comparatum cum bono hæreditatis. Ex quo est consequens, vt illa mulier in casu proposito nõ teneatur magnum etiam damnum hæreditatis resarcire filiis, vel impedire, cũ iactura propriæ famæ, quantumuis paruæ.

Et hanc ipsam opinionem sequitur, ac multis argumẽtis propugnare conatur Nauarrus in dicto cap. 17. nu. 86. quorum præcipuum est, quòd bonum famæ, sicut & bonum vitæ, dici solet inæstimabile comparatum cum bonis fortunæ; Ergo etiam minimum bonum famæ est maius magno alio bono fortunæ: ac proinde non tenebitur quis restituere vllum bonũ fortunæ cum detrimento alicuius boni famæ. Consequentia patet. Et Antecedens potest etiam confirmari illis testimoniis scripturæ: Ecclesiast. 41. *Curam habe de bono nomine; Hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Et Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Atque etiam Aristoteles 4. Eth. cap. 3. affirmat, honorem esse maximum bonorum externorum. Quod ipsum asserit D. Thomas infra q. 129. art. 1. Nulla igitur iactura famæ & honoris pro restituendo vllo externo bono subeunda est.

CONTRA tamen, & meo iudicio probabilius, sentiunt, Sotus lib. 4. de Iustit. q. 7. a. 2. & Couarr. in dicta Relect. super Reg. Peccatum, part. 1. n. 8. in fine; nimirum quamuis ex genere suo, siue ex sua natura, maius bonum sit fama, quàm quodcuis bonum externum, tamen consideratis circũstantiis in particularibus casibus, præponderare quandoque posse, quoad humanam æstimationem, bonum aliquod externum alicui bono famæ; si nimirum hoc sit paruum, & illud magnũ. Quemadmodum etsi aurum naturâ sua sit precio sius argento, tamen argentum aliquod in magna quantitate precio sius est aliquo exiguo auro.

Vnde colligunt iidem Auctores, posse quandoq; in proposito casu accidere, vt teneatur mulier etiam cum detrimento propriæ famæ, si ea sit exigua, seruare indemnes filios legitimos in hæreditate, si ea sit maxima. Quæ sententia per ipsum vsum hominum etiam prudentum & bonorum in æstimando, abunde probatur. Nemo enim prudens non iudicat, pluris esse faciendam summam centum millium Ducatorũ, v. g. quàm tenuem aliquam famam obscuri alicuius hominis.

Imo Sotus putat, aliquando posse & debere meritò postponi vitam propriam maximo commodo temporali alterius; atque adeo cum eius periculo debere quandoque fieri restitutionem. Quod & Couarruuias vbi supra non improbat, quamuis neque expressè probat. Sed Nauarrus putat id esse absurdum. Neque ego de *vita* (propter maximam naturę inclinationẽ ad eam conseruandam) id asserere auderem. De fama verò placet mihi (vt dixi) sentẽtia Couarruuiæ & Sotti.

Neq; fundamentũ contrariæ opinionis Caietani & Nauarri, est firmum. Nam quod scriptura & Philosophus & alij aiunt, famam comparatam cum externis bonis, esse inæstimabilem, non ita debet intelligi, quasi nulla bona externa possint vnquam tãti aut pluris æstimari quàm aliqua fama; sed quia fama est multo maius bonum tum naturâ sua, tum etiam in particularibus casibus seruata pari proportione in vtroque hoc ordine bonorũ; id est, si non exigua fama cum maximis bonis externis comparetur, sed mediocris cum mediocribus, aut magna cum magnis, vel parua cum paruis. Ac tunc quidem verissimũ est, quod affirmauit Caietanus nõ debere restitui bonum inferioris ordinis cum iactura boni superioris, in eadem scilicet proportione vtriusq; ordinis: neque aliud fortè voluit Caietanus.

Nam si proportio bonorũ diuersi ordinis sit valde inæqualis, aut circũstantiæ id exigant, posset bonum inferioris ordinis tãti vel pluris æstimari, atque bonum ordinis superioris: sicut manifestè patet, quando per actũ veræ iustitię commutatiuæ, reddentis æquale (iuxta humanam æstimationem, quæ est huius iustitiæ mensura) restituitur per pecunię compensationem famæ ablata, imo etiam vita, vt docuimus p. 5. Id quod Nauarrus minimè satis expedit. Nam quod aiq; ideo famam & vitam pecuniâ compensari, quia aliter non potest, verum quidem est: non enim vitam ipsam potest homo vt auferre, ita etiam reddere, neque quandoque famam: Sed tamen nobis satis est, quòd in his casibus (in quibus mirum aliter fieri non potest) compensatio sit tamen verè per Iustitiam commutatiuam, atque adeo per æqualitatem mensuratam humanâ æstimatione.

Vnde si falsum est, (vt credo) quod Sotus putat, debere quandoque bona externa restitui, vita etiam postposita, non ideo falsum est, quia neq; queant in vllo casu tanti aut pluris fieri bona externa atque alicuius vita (id enim falsum esse patet in compensatione iusta vitæ per pecuniam) sed quia vehementia inclinationis naturalis ad

conser-

conseruationem vitæ propriæ, attenta etiam vilitate externorum bonorum, obstat, quo minus putandum sit hominem obligari ad restituenda vlla eiusmodi bona cum tanta difficultate, quãta est in exponenda vita propria. Et hactenus de quinta causa à restitutione excusante.

SEXTA causa est, Consueta humanæ vitæ *occupatio* in quibusdam quotidianis actionibus, ob quas restitutio aliquantisper differatur sine vllo notabili detrimento creditoris. Hinc enim fit, vt debitor non teneatur à lecto surgere media nocte, vt restituat, neque ob id intermittere prandium, aut Missæ sacrum, &c. quemadmodũ Caietanus, & Sotus vbi supra, & alij communiter rectè notant. Sed potest restitutio differri in opportunum tempus. Nam tantisper dum Debitor consuetis eiusmodi actionibus vacat, minimè rationabiliter inuitus caret re sua creditor.

SEPTIMA Causa est, Compensatio facta creditori per æquiualẽs aliquod commodum *eidem ipsi creditori* collatum. Id quod dupliciter in proposito posse fieri notatur peculiariter à Doctoribus. VNO modo, si debitor conferat creditori aliquod officiũ, non spirituale (cum res temporalis sine simonia compensari per spirituale nequeat) sed seculare, quod tantumdem aut plus ei valeat; iuxta ea quæ bene resoluit Nauarrus in dicto cap 17. n. 81. & 82. ALTERO modo si Debitor remittat creditori æquale debitum, quo vicissim Creditor esset debitori obstrictus, vt docuit bene Ioan. Medina, q. 3. de Restit. causa 12.

Et quidem si de *consensu* creditoris id fiat, non est dubium quin rectè & iustè Debitor pro eo q̃ Creditori remittit, retineat id quod creditor ipse debebat. Si autem id faciat Debitor creditore *inuito*, distinguendum est de rebus quas Debitor & Creditor sibi mutuò debebãt. Nam si erant *diuersarum* naturarum, & eædem numero vel specie reddendæ erant, (vt, v. g. equus, & pecunia) non satisfaciet in foro quidẽ *exteriori* Debitor remittendo creditori pecuniam quam is ei debebat, & equum retinendo; aut è contrario; vt notat Medina illic post Panormitanum in cap. Bona fides. Ext. de Depositо. In foro autem *interiori* peccat quidem primò Debitor obtrudẽdo Creditori aliam rem pro ea quã creditor rationabiliter exigebat in eadem specie vel numero, nec tenetur Creditor eam acceptare; sed tamen si vltro tandem Creditor compẽsationem talem acceptet, videns quòd aliter recuperare *suum* non potest, aut alia ratione inductus; liber manebit Debitor ab obligatione aliter restituendi; Iuxta ea quæ de hoc bene resoluit Medina, quæ sic puto esse intelligenda.

Si autem res quam Debitor & Creditor vicissim sibi debebat, erant *eiusdem* naturæ (vt frumẽtum & frumentum, pecunia & pecunia) neque eædem numero erant reddendæ, sed eædem speciei; tum quidem in vtroque foro satisfaciet Debitor Creditori, remittendo ei suum debitum, eamq; remissionem tenebitur Creditor pro solutione acceptare, nec poterit rationabiliter eã reiicere; vt iidem Doctores rectè definiunt. Nam planè id debitum remittere erit perinde atque soluere: nisi fortè Debitor citius debuisset Creditori soluere, quàm Creditor illi, & inde damnũ aliquod incurrat Creditor. Tunc enim oportebit hoc damnum illi resarciri à Debitore, vt notauit quoque Ioannes Medina loco citato.

OCTAVA Causa est, Compensatio item à Debitore facta Creditori, soluendo tantumdem nõ ipsi, sed *alicui ipsius* Creditori, ita vt primus Creditor liber ab obligatione restituendi suo illi creditori maneat, vt post alios tradit Medina in d. q. 3. causa 5. De qua causa similiter iudicandum est, sicut de causa præcedenti. Nam si id de Consensu primi Creditoris fiat, non est dubium quin iustè fiat. Si autem absque illius consensu, similiter distinguendum est de rebus quas Debitor suo Creditori debebat, & hic rursus creditor alteri Creditori suo. Nam si sint naturæ *diuersæ*, & proinde eædem reddendę, peccabit quidem Debitor obtrudẽdo talem compensationem Creditori suo, neque is tenebitur in vllo foro eam acceptare; si tamen denique acceptauerit, restitutio erit valida. Si autem res sint *eiusdẽ* speciei, tenebitur creditor talem compensationem acceptare, nisi inde aliquod damnum Creditor incurreret, quod esset ei compensandum, sicut in præcedenti causa diximus, & Medina quoque annotauit.

NONA Causa est *Præscriptio* rei legitima, hoc est, talis qualis debet esse secũdùm sacros Canones, iuxta ea quæ supra p. 5. tradidimus de legitimo modo præscribendi. Hãc causam clarum est à Restitutione excusare, vt notauit post alios Nauarrus in d. cap. 17. n. 85. Nam per legitimam præscriptionem transit res in dominium Debitoris; ac proinde is qui antea erat eius Dominus, minimè rationabiliter inuitus ea caret, siquidẽ desiit esse dominus ipsius.

Præter has nouem causas ex parte DEBITORIS verè excusantes à Restitutione, sunt duæ aliæ, quæ ex parte itẽ debitoris videri possent excusare, & tamen reuera non excusant. VNA est, Ingressus *Religionis*. Sed hanc causam non excusare probat optimè Medina in d. q. 3. causa 8. Nam ingressus Religionis non liberat ab obligatione præceptorum naturalium: ex quibus vnũ est de Restituendo. Quare qui Religionem ingreditur, soluere tenetur q̃ debet, si habet vnde, nec potest licitè dominio rerum suarum cedere per professionem paupertatis, antequã soluat quod debet.

ALTERA Causa est *Cessio bonorum* qualis permittitur per Leges. ff. de Cess. bonor. Et C. De iis, qui bonis cesserunt. Sed hæc causa non liberat à Restitutione in foro quidem Conscientiæ, nisi quatenus *inopia* alioqui liberaret etiam sine tali cessione: atque adeo eos qui bonis cedunt non aliter in foro Conscientiæ ea cessio liberat, nisi vt possint retinere instrumenta suæ artis, & ne-

cessaria

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessaria quotidiano victui; vt notat Nauarrus in d.cap.17.nu.86. & Medina in d.q.3.causa 3.& Sotus lib.4.de Iust.q.7.ar.4.& Couarr. lib.2.Variarum Resolut.cap.1.n.6.

Itaque tenebuntur tales in foro Conscientiæ restituere totum si postmodum venerint ad fortunam meliorem, vt iidem Auctores notant. Et patet l.1.& l.Cum & filij,& l.Is qui bonis, C.de iis qui bonis cesserunt. Ad quod etiam compellentur in foro exteriori, vt asserunt Sotus & Couar. locis citatis. Quod etiam ostendit Couarruuias esse verum quãdo cum aliqua cæremonia ignominiæ, cessio illa bonorum fit. Neq; etiam tunc (vt quidam falsò putarunt) redimitur per eiusmodi ignominiam, tanquã per corporalem pœnam, obligatio ciuilis & naturalis soluendi creditoribus si quis possit, sicut latius ibi asserit Couarruuias. Itaq; sufficiat annotasse illas alias nouem causas ex parte DEBITORIS à Restitutione excusantes.

Ex parte autem CREDITORIS sunt etiam (vt diximus) causæ duæ. PRIMA est *remissio* seu cõdonatio debiti liberè facta à Creditore, id per se aut alios rogante Debitore, aut etiam eo non rogante: modò ea condonatio fiat ab eo qui donare possit, & spontanea planè sit, neque vlla sit circumstãtia quæ arguat, coactè creditorem remittere, absque voluntate nimirum transferendi dominium, sed solum animo non repetendi, propter aliquos respectus metus, aut reuerentiæ, &c. Quod totum ex rei circumstantiis prudenter diiudicandum est, vt patet ex iis, quæ de hac causa rectè tradunt Caietanus hîc ar.6. Et in Summa, verbo Restitutio, cap. 6. Et Ioan. Medina q.3. de reb. restit. causa 2. Et Nauarrus in Man. cap.17.nu.75.& seq. Qua in re, vt notauit Caietanus, & Nauarrus approbauit, credi potest (nisi quid aliud obstet) creditori affirmanti se sponte condonare: cùm nemo alius possit esse melior suæ voluntatis interpres quàm ipsemet, vt rectè inquit Caietanus.

Atque vt iidem Auctores contra nonnullos affirmant, vt hæc causa excuset à Restitutione, non est necesse, vt Debitor priusquam impetret condonationem, tradiderit, aut obtulerit Creditori id quod debet. cùm absque ea conditione possit Creditor liberè condonare. Neq; etiam, vt Debitor excusetur quidem per hanc condonationem à Restitutione, requiritur vt habeat animum soluendi, si Creditor nolit condonare; quamuis bene, vt excusetur à peccato quod alioqui committeret, si haberet animum non soluẽdi, creditore nõ condonante; sicut rectè Nauarrus explicauit.

SECVNDA causa ex parte item Creditoris excusans, est *damnũ* spirituale aut corporale, quod Creditor incursurus sit, si ei tali tempore, vel loco, &c. restitutio fiat, vt docet D. Thom. hîc ar.5. ad 1. & ex communi doctrina tradit Nauarrus loco citato nu.62.& 63. Hinc enim fit, vt furioso non sit reddendus gladius ne se aut alios lædat. Neque restituenda pecunia ei, qui illa ad aliqua facinora in perniciem Reipublicæ, aut aliorum, aut suam, abusurus est, vt explicat bene idem Auctor. Quod ipsum luculenter etiam docuit sanctus AMBROSIVS lib.1.de offic.cap.vlt. *Interdum*, inquit, *non est officium reddere quod acceperis. Vt si quis contra patriam opem barbaris ferens, pecuniam apertus hostis reposcat: Aut si furenti restituas cùm seruare non queat. Si insanienti gladium depositum non neges, quo se ille interimat; nónne soluisse, contra officiũ est?* Hæc tamen causa, vt Nauarrus vbi supra rectè notat, tunc à Restitutione excusare intelligenda est, quando ex retentione quoq; rei alienæ non maiora aut paria incommoda sequerentur.

Non est autem reputanda causa omnino excusans à Restitutione ex parte Creditoris *incertitudo* Creditorum: siquidem oportet tunc restituere pauperibus; vel in pios vsus rem conuertere, vt tradidimus p.4.

Neque etiam est reputanda talis Causa *excommunicatio* (etiam nominatim) ipsius Creditoris, vt rectè probat Ioannes Maior, in 4. d.15. q.4. Et Syluester, verbo Excommunicatio 5. q.12. Et Ioannes Medina q.3. de Reb. restit. causa 9. Et Couarr. Relect. in Reg. Peccatum, part.1.n.10. contra Adrianum in 4. in materia de Clauibus, & nonnullos Canonistas. Etenim præceptum restituendi & soluendi debita, cùm sit naturale, maius est quàm præceptum humanum de non communicando cum excommunicato, ac proinde præpõderat; sicut & præceptum de reddendo debito coniugali, à quo minimè quis excusatur propter excommunicationem alterius Coniugis. Et accedit quòd potest etiam solutio fieri per alium, absq; communicatione cum excommunicato.

Neque obstat quod in Cap. Nos sanctorum, & cap. Iuratos 16.q.5. & cap. vlt. de Hæreticis, subditi absoluantur à iuramento fidelitatis debitæ & promissæ ei Domino, qui postea incidit in excommunicationem. Ratio enim huius est, quia priuantur tales per Excommunicationem potestate imperandi subditis, atque adeo ij etiam liberantur ab obligatione parendi. Non autẽ priuãtur excõmunicati iure naturali Iustitiæ, quod habent ad ea, quæ ipsis debentur; & proinde neque ij qui eis debent, liberantur ab obligatione soluẽdi, vt optimè respõdit Medina loco citato.

Neque obstat etiã, quòd in cap. Intelligimus, de Iudiciis, prohibetur actio in Iudicio cum excommunicato. Nam loquimur hîc in foro conscientiæ. Et deinde neq; in foro externo est præxi receptum quod statuitur in eo Capite, vt annotauit Couarr. vbi supra. Quare sufficiat nomerasse alias illas tantum duas causas excusantes ex parte CREDITORIS.

Ex parte etiam ipsius RE alienæ, est vna causa excusans à Restitutione: nimirum interitus rei alienæ sine culpa & mora eius, qui eam apud se habebat, & debebat determinatè illam tandem

numero

numero restituere. Nam ipsi Domino tunc res perit, & ideo non potest rationabiliter inuitus esse, quòd ei non restituatur; Vt ex communi doctrina tradit Medina in dicta q.3. causa 6. & Nauarr. in illo cap. 17. nu.80. Si autem culpâ tua res periit, aut fuisti in mora (quia scilicet ex delicto rem acquisiuisti, aut præteriit tempus soluendi, assignatum in contractu) restituere teneberis. Nam tunc pro tempore aliquo fuit rei Dominus per tuam iniustam retentionem in re sua damnificatus: nisi fortè res erat similiter peritura prius in potestate Domini, vt Nauarrus notat. Item quoq; tenereris restituere, si non *determinatè* illam rem quæ periit (quantumuis à te solutioni destinatam) sed *in genere* aliquam illius speciei; vt equum aliquem vel bouem, &c. reddere debebas; sicut rectè tradunt iidem Auctores.

Ex parte deniq; publicæ POTESTATIS sunt item causæ tres à Restitutione excusantes (vt initio dicebamus.) PRIMA est Auctoritas publicæ potestatis *ipso iure* aliquid in aliquo casu & certis conditionibus attribuentis alicui (vt in Præscriptionibus v. g.) non autẽ solùm impunè permittentis possessionem rei, sicut optimè annotauit Medina in dicta quæst.3. causa 7. Vnde fit, vt quamuis Leges permittant in Contractibus deceptionem, quæ *vltra* dimidiũ iusti precij non fit, (vt patet l. Item si precio. §. finali. ff. Locati) tamen debeat in foro Conscientiæ restituere is, qui alterum *infra* dimidium quoque iusti precij deceperit; vt videbimus infra in quæst.20. de Emptione & Venditione.

SECVNDA Causa ex eodem capite est item auctoritas publicæ potestatis *per sententiam iudicialem* alicui rem iustè adiudicans. Quod quando fiat, & quomodo fiat, explicauimus supra in hac ipsa disputatione, q.4. p.2. conuenienter iis etiam, quæ bene de hoc ipso disserit Medina in dicta q.3. causa 7.

TERTIA Causa ex eodem Capite est Auctoritas item publicæ potestatis, non qualiscunque sed *summæ Ecclesiasticæ*; cùm scilicet Summus Pontifex iustâ de causa per bellum *compositionis* (vt vocant) remittit alicui partem aliquam bonorũ incertorum restituendorum; modò in pios Ecclesiæ vsus contribuat certam aliquam eorũ partem iuxta ea quæ de hac re rectè tradunt Ioannes Medina in d. q.3. q.11. Et Sotus lib.4. de Iust. q.7. art.1. ad 3. Et Nauarrus in Man. cap.17. n.93.

Nam cùm Summo Pontifici competat dispensatio bonorũ, quæ in pios vsus Ecclesiæ aut Pauperum eroganda sunt; poterit in Ecclesiæ vtilitatem ita de illis statuere, vt potius aliqua certa *pars* in Ecclesiæ vsus statim & certò cedat, quàm nũquam, vel certè tardè, *tota* Summa. Eadem posset per similem compositionem statuere de fructibus beneficiorum malè impensis; si vera sit sententia Nauarri, & quorundam aliorum, qui eiusmodi fructus putant debere restitui pauperibus. Sed vtrum vera sit ea opinio nec ne, disputabimus infra suo loco in materia de Statibus.

Habemus igitur (vt initio dixi) QVINDECIM causas excusantes à Restitutione vel statim, vel omnino facienda, pro vt ipsæ causæ ad tempus vel perpetuò durauerint: Quarum nouem sumuntur ex parte DEBITORIS, Duæ ex parte CREDITORIS, Vna ex parte ipsius REI ALIENAE. Tres ex parte publicæ POTESTATIS, vt hactenus vidimus.

Ex his causis si nulla Debitori suffragatur, cõpellendus est à Confessario, vt statim restituat. Imo etiam arbitrantur Antoninus 2.p.tit.2.cap. 8. & Caietanus in Summa verbo Restitutio, cap. 6. non illum absoluendum prius quàm re ipsa restituat, si in alia confessione absolutus restituere iam semel neglexerit. *Dicenti enim* (inquit Caietanus) *hac vice Pater restituam verè; Respondeti debet, Credo tibi: & propterea modò in ista bona dispositione vade ad restituendum, & postea absolueris. Debet enim Confessarius credere pœnitenti pro se & contra se; sed tamẽ cum hoc debet etiam cauere ne mora pariat delictum, sicut aliàs peperit.*

Quod quidem Antonini & Caietani præceptum, saluberrimum est, & ordinariè seruãdum. Si tamen in aliquo casu aliud suaderẽt loci, temporis, personarum circumstantiæ, posset Confessarius secundo etiam & fortè sæpius contentus esse iterato pœnitentis proposito restituendi, illumque absoluere, vt annotauit Nauarrus cap.17. in dicto cap.17. num.59. Quandoquidem DEVS etiam est illo proposito contentus, vt hominem in gratiam recipiat, & circumstantiæ tũc facerent, vt non teneatur in tali casu Confessarius præseruare pœnitentem à recidiua per illud quoque medium negandi absolutionem illi, donec restituat.

PVNCTVM OCTAVVM.

Vbi sit restituendum.

D. Thomas art. 5. ad 3.

QVOD attinet ad locum vbi Restitutio facienda est, duæ quædam REGVLAE quas ex communi Doctorum sententia colligo, obseruandæ sunt, ex quarũ norma oportet definiri casus particulares, de quibus circa hoc dubitabitur.

PRIMA regula: Debitor ibi tenetur rem restituere, vbi sufficiet & erit necessarium ad hoc, vt Creditor rem suam recuperet absque vllo suo damno; dummodo neque ipse Debitor vllum inde in rebus propriis absq; sua culpa damnum patiatur. Patet hæc Regula ex ipsa ratione & fine Restitutionis: Nam restituere est Creditorem iterato in possessione rei suæ (aut illi æquiualentis) statuere; quod vtique debet fieri absq; illius damno, ne alioqui per ipsam Restitutionem, quę est actus Iustitiæ, peccetur contra Iustitiam.

Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item patet eadem Regula ex iis quæ de loco Restitutionis consentienter Doctores tradunt, vt est videre apud D. Thomam, & Caietanum hic ar. 5. ad 3. & in Summa, V. Restitutio cap. 5. & Sotum lib. 4. de Iustit. q. 7. art. 1. ad 3. & Medinam, q. 2. de Rest. dub. 3. & Nauarrum in Man. cap. 17. nu. 42. & 43. & Couarr. Relect. in Reg. Peccatum, parte 1. n. 9. & passim alios. A

Quod autem (vt addidimus in Regula) non teneatur Debitor ibi restituere, vbi si restituat, patietur ipse absq; vlla sua culpa damnũ in rebus propriis; Patet etiã ex communi doctrina eorũdem Auctorum: Itemque ex ipsa ratione restitutionis. Nam per eam non tenetur Debitor plus facere quàm necesse sit ad iustam & æqualem satisfactionem Creditoris. Non est autem ad hunc finem necesse pati damnum in rebus propriis sine culpa, per quam Debitor fecerit iniuriam alicui Creditori, compensandam meritò cum tali damno. B

Secunda Regula. Quando propter absentiã Creditoris, vel ob alias circumstantias, nõ potest Debitor absque iniusto suo vel Creditoris damno rem alicui restituere, non tenebitur tunc id facere, sed poterit monere Creditorem, vt videat, velit ne sibi rem in tali loco restitui cum tali suo damno; vel etiam poterit in tuto res deponi, vt opportunè postea & sine damno reddatur significãdo id Domino; iuxta doctrinam D. Thomæ hîc art. 5. ad 3.

Ratio huius Regulæ est, quia non potest rei Dominus rationabiliter ægrè ferre si ad vitandũ ipsius & Debitoris damnum, in aliquo loco res non restituatur, sed exspectetur aut volũtas Domini, aut opportunitas id faciendi commodius. C

Porro ex his Regulis facile poterunt diiudicari particulares casus circa hoc dubij. Ex prima enim Regula sequitur Primo, Eum qui ratione *solius rei*, & non ratione iniustæ acceptionis aut retentionis, obnoxius est restitutioni, abunde satisfacturum si rem restituat in loco, vbi eam iustè & bona fide accepit, aut in quo se soluturũ ex pacto seu contractu promisit: aut in quem nõ fraude & dolo, sed more consueto ob suam vtilitatem se contulit: nec tenetur rem cũ suo sumptu alibi, vbi Dominus est, reddere; vt patet ex iis quæ rectè Caietanus, Sotus, Nauarrus & Couarruias definiunt locis citatis. Nam alioqui damnum sine sua culpa pateretur Debitor in rebus propriis, ad quod minimè tenetur, vt patet ex eadem prima regula. D

Secundo, Ex eadem Regula consequitur, eũ qui ratione *iniustæ acceptionis* vel retẽtionis, & moræ, obnoxius est restitutioni, teneri omnino etiã cum suo damno & sumptibus rem restituere, vbi Domino æquè commoda sit, atque in loco vbi est iniustè ei accepta, seu iniustè non reddita: Ac proinde tenetur eam in eodem loco reddere, vel in alio ad quam Dominus erat illam translaturus; vt patet ex eorundem Auctorum doctrina.

Ratio est, Nam vt singulariter annotauit vbi supra Caietanus, ipse Debitor iniustè rem accipiendo, aut retinendo, iniuria & damno affecit alterum nõ solum in re sua, sed etiam in incommoditate quam patitur non habendo eam in promptu in eo loco vbi est. Quam iniuriam & incommodum ex hac parte tenetur Debitor resarcire, suo sumptu quoque rem deferendo in eũ locum, vbi Creditori commodum est.

Sed sunt tamen circa hoc ipsum hîc duo annotanda. Vnvm est, debere quidem Debitorem id facere cum quocunq; suo damno, etiam si oporteat eum in vectura plus expẽdere, quàm res valeat, vt rectè asserit Caietanus art. 5. contra Scotum, & Richardum in 4. d. 15. dummodo tamen attento statu alioqui honesto Debitoris nõ patiatur is propterea detrimentum graue, atque adeo maius quàm Creditor, si restitutio differatur; nam tunc excusaretur Debitor supersedendo à tam damnosa restitutione; iuxta ea quæ p. præcedenti tradidimus in quarta causa à restitutione ex parte debitoris excusante, circa finem.

Altervm est, Si Creditor non sine sumptu erat ad alium locum rem suam translaturus, & Debitor qui eam iniquè occupauit aut retinuit, in eundem locum sumptibus suis eam Domino deferri curet, posse tunc debitorem tantum ex suis sumptibus deducere & exigere à Domino, quantum is erat expensurus in re sua eò transferenda; seu (quod eodem recidit) non teneri Debitorem tunc in re eò transferenda, expendere illud quod Dominus erat expensurus: vt rectè sentiunt Medina q. 2. de Restit. dub. 3. & Couarr. in dicta Relect. part. 1. num. 9. Ratio est, quia tunc Debitor non damnificat Dominũ in eo sumptu; siquidem alioqui is erat eum facturus. Secus, si Dominus rei absque sumptu peculiari erat rem suam eò translaturus, vt rectè notauit Medina. Ac per hoc poterunt similia diiudicari.

PVNCTVM NONVM.

Quomodo sit restituendum.

Ad art. 5. vel. 6. D. Thomæ.

Modvs in restituendo is adhibendus est, qui spectata conditione ipsius rei, satis sit vt aptè & conuenienter in Domini potestatem res veniat. Hinc sequitur Primo Nihil interesse Vtrum per se vel aliũ quis restituat; cùm vtrouis modo possit res reddi Domino, vt etiam colligi potest ex cap. Qui per alium, de Reg. Iur. in 6.

Secundo inde sequitur, ordinariè quidem loquendo eum qui ob incertitudinem debitoris debet restituere pauperibus, posse id facere per se absque opera Episcopi vel Confessarij; vt ex communi sententia rectè contra nonnullos resoluit Nauarrus in Man. cap. 17. nu. 92. neque etiã posse Episcopum alicui prohibere, ne per se abque consilio suo faciat; vt rectè idẽ Auctor sentit.

Quod

Quod idem tradit Summa Angelica, Verbo Restitutio 2. §. 14. Et Rosella ibid. §. 2. Et Pisana, Verbo Restitutio. 6. Et Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 2. & alij. Ratio est, Nam potest satis supercopi & Confessarij fieri: & qui eam facere debet, non ad amplius quàm ad aptè restituendum tenetur.

Diximus autem *ordinariè quidem, &c.* Nam vt idem Nauarrus ibi notat, quatuor in casibus ex communi Doctorum sententia ius habet Episcopus, vt ex eius arbitrio fiat eiusmodi restitutio. *Primò* cùm is, qui restituere pauperibus debebat, moritur absque hærede & exequutore. *Secundò*, Quando talis non vult restituere, Quando talis non rectè distribuit pauperibus; quorum proinde causa potest meritò tunc ab Episcopo suscipi, tanquam ab eorum Patre. *Quartò*, Quando talis fuit manifestus vsurarius & condit testamentum, aut est iam mortuus; vt patet ex capitulo Quanquam. de Vsuris, in sexto.

Potest etiam certas ob causas Episcopus prohibere Confessarium, ne absque consilio suo absoluat eum, qui eiusmodi bona nondum restituit, atque eorum absolutionem sibi reseruat; vt asserit Nauarrus loco citato: Siquidem id pertinere videtur ad quoddam spirituale regimen animarum quod Episcopo competit.

Tertio, ex eodem fundamento apparet, quando res ex occulto crimine est restituenda, occultè etiam restitutionem debere fieri per aliquem alium, ne temerè alioqui diffametur persona; Vt Caietanus in Summa, Verbo Restitutio, capite septimo annotauit, & Nauarrus loco citato. Qui etiam addunt esse quoque quendam modum restitutionis sufficientem, si quis à Domino rei petat & impetret condonationem, iuxta ea, quæ de hoc tradidimus puncto septimo in causa prima, excusante ex parte Creditoris à Restitutione. Quanquam mihi quidem tales non tam videtur restituere, quàm liberare se à restitutione; sed satisfacit tamen aliquo modo per hoc ipsum, quod remissionem petit & impetrat. De modo autem restituendi famam (quod illic tradit Caietanus) diximus opportuno loco, suprà puncto quinto.

PVNCTVM DECIMVM.

Quo ordine sit restituendum.

Ad art. 5. D. Thomæ.

Si debitor habeat in bonis tantum quantum sufficiat ad satisfaciendum omnibus Creditoribus, non opus est vti aliquo certo ordine in restituendo, sed arbitratu suo poterit, cui voluerit prius soluere.

Quando autem bona Debitoribus non sufficiunt, ordo certus est in soluendo seu restituendo seruãdus, idq; partim iure ipso *naturæ*, partim iure *municipali*, seu particulari (si quod alicubi certum ordinem in hoc præscribat, modò non repugnet Iuri naturæ;) partim iure *Ciuili* communi; partim decreto *Iudicis* conuenienter iuri & æquitati de hoc pronunciantis in casu, qui non sit expressè determinatus à iure; partim etiam *Iudicio* prudentis viri, si nec Iudex adiri possit, & circumstantiæ requirant celerem restitutionem; & iudicio prudentis viri videatur in aliquo particulari casu esse prius huic soluendum, quàm illi, iure naturali. A

Sed statuamus in specie de hac re aliquot pronunciata. Primo quidem iure naturali prius soluenda sunt debita *certa* (id est, quæ certis Creditoribus debentur) quàm incerta. Ita ex communi doctrina notant Syluester, Verbo Restitutio. 6. quæstione quinta. Et Caietanus in Summa eodem Verbo, capite 8. Et Ioannes Medina quæstione secunda de Restit. dub. 5. Et Nauarrus in Manuali, capite 17. numero 49. post Baldum in l. Pro Debito. C. de bon. Auctor. iur. posid. B

Ratio est, nam si debita certa non soluantur, damnum incurrunt personæ determinatæ; non autem, si incerta non soluantur: quandoquidem incerta possunt indifferenter dari vel Ecclesiæ, ad pios vsus, vel pauperibus; iuxta ea, quæ tradidimus puncto quarto. Et ita, si dentur Ecclesiæ, Pauperes non possunt id ægrè ferre; neque contrà Ecclesia, si dentur Pauperibus: neque hi aut illi Pauperes, si non ipsis, sed aliis potius dentur. Si autem debita certa non soluantur suis certis Creditoribus, possunt illi determinatè id ægrè ferre. Quare debita hæc certa, multò magis debita sunt quàm incerta, & ideo prius sunt soluenda: etiam si ad eorum solutionem oporteat ex toto vel ex parte insumere ea, quæ incertis Creditoribus debebantur. Nam verè tunc debita incerta sunt obnoxia solutioni, quæ fieri debet Creditoribus certis. C

Quocirca optimè admonet vbi suprà Caietanus, manifestam facere iniuriam certis suis Creditoribus Debitorem eum, qui cùm multa partim certis, partim incertis Creditoribus debeat, & non sit soluendo omnibus, procurat sibi remissionem incertorum per *compositionem* cum Pontifice, & ea tanquam propria retinens, de reliquo tantummodo soluit, quantum potest certis Creditoribus. Defraudat enim eos iniquè integra solutione, cui etiam illa alia debita incerta erant obnoxia, vt diximus. Vnde meritò ait Caietanus iis, qui tales compensationes procurant, dicendum esse; *Nolite errare, Deus non irridetur.* D

Secus autem, si debitum aliquod incertum continetur aliqua tali re, quæ eadem numero

Universidad de Deusto
Biblioteca

restituenda sit (iuxta ea quæ statim dicemus) vt calice, v. g. vel aliqua re simili. Nam talis res cum nunquam fuerit in dominio Debitoris, non est obnoxia solutioni aliorum debitorum certorum: atque adeo potest prius conferri Christo (vt ait Caietanus) conferendo eam in pios vsus Ecclesiæ vel Pauperum, etiam si de reliquo non possit integrè satisfieri certis Creditoribus.

SECVNDO. Ex debitis certis illa iure naturæ sunt prius restituenda *si extant*, quorum dominium mansit semper penes Creditorem, & quæ ideo fuerunt restituenda eadem numero. Vt Deposita, Pignora, Commodata, &c. vt iidem Auctores notant: Nam si de iis solueretur aliis Creditoribus; solueretur illis de alieno, quod cõstat iniustum esse.

TERTIO. Ex debitis certis quæ *non extant*, nec sunt soluenda eadem numero, illa etiam iure saltem Ciuili sunt prius soluenda, quæ peculiariter vocantur debita *realia*, propterea quod eorum solutioni sunt obnoxia & obligata aliqua determinata bona Debitoris, per expressam hypothecam aut impignorationem; aut propterea quod rei precium nondum fuisset à Debitore solutum: & ideo res manserit peculiariter obnoxia solutioni, licet in dominium Debitoris transierit. Iuxta ea, quæ de his tradunt Ioannes Medina, quæstione secunda de Restitutio. dub. 5. dicto tertio, & Caietanus & Nauarrus vbi suprà, conuenienter legi 2. ff. Quibus caus. pignor. vel hypothec. tacitè contrahantur.

Huiusmodi namque *Realia Debita*, strictius sunt debita, quàm alia quæ vocantur *personalia* tantum, quorum scilicet solutioni seu restitutioni nulla res Debitoris determinatè & peculiariter est obnoxia, sed in primis quidem sola Debitoris persona, & non nisi consequenter, & indeterminatè eius res. Propter quam rationem mihi videtur hic ordo (vt scilicet debita *realia* prius soluantur) esse etiam iuris naturalis, saltem supposita, & in suo vigore durante dispositione Iuris ciuilis; quod tamen potest ob iustas causas alicubi circa hoc eneruari per ius municipale, vt satis Caietanus indicauit.

QVARTO. Ex debitis certis non realibus, sed *personalibus*, illa iure naturæ videntur prius soluenda, quæ fuerunt contracta ex iusto *contractu*, quàm quæ ex delicto: vt sentiunt Caietanus vbi suprà, & Nauarrus in dicto cap. 17. num. 52. quidquid contra senserit Medina vbi suprà. Nam illa quæ sunt debita ex cõtractu sunt simpliciter magis debita hoc ipso quòd Creditor dedit æquialens ea intentione, vt sibi ex Iustitia tantumdem redderetur: Quæ consideratio præponderat aliis considerationibus Medinæ. Limitant autem hanc sententiam Caietanus & Nauarrus, vt non procedat etiam de Contractu, per quem, qui ex delicto debebat (vt vsurarius) fuerit factus pauperior ad restituendum.

QVINTO. Ex debitis Personalibus *citra delictum* contractis iure Ciuili sunt prius soluenda ea, quæ vocãtur *priuilegiata*; vt Dos vxoris, & quæ fisco debentur: vt notat Syluester, Verbo Restitutio 6. q. 5. Et Nauarrus vbi suprà nu. 50. & alij. Nam huiusmodi Creditores præponuntur aliis non habentibus expressas hypothecas etiam si habeãt tacitas, vt patet ex l. Assiduis. C. Qui pot. in pigno. hab. Et l. Quamuis. de Priuileg. fisci. Et explicat fusè Syluester.

SEXTO. Ex debitis Personalibus *non priuilegiatis* prius iure Ciuili soluenda sunt *tacitè hypothecata*, & deinde quæ sunt contracta titulo *Depositi* (cum iam res deposita non extat, aut non est reddenda eadem numero sed specie; vt deposita pecunia, &c.) vt notant Syluester & Nauarrus vbi suprà, nisi potius fuerit mutuum quàm Depositum; vt si pecunia fuit exposita ad negociationem, sicut notat Nauarrus.

SEPTIMO. In vnoquoq; genere prædictorum omnium debitorum, & quorumcumq; aliorum, quæ inter se sint eiusdem rationis, ea sunt prius soluenda, quæ sunt *antiquiora*. Nam vt habet Regula Iuris; *Qui prior est tempore, potior est iure*. Ex qua Regula hoc ipsum confirmant Syluester, & Medina vbi suprà, & alij communiter: Idq; meritò. Nam quò diutius Debitor caruit *suo*, eò id illi strictius debetur, ac proinde debitum antiquius prius est soluendum.

OCTAVO. Quod attinet ad debita *ex delicto* contracta, non mihi displicet, quod vbi suprà censuit Medina, ex illis ea prius debere solui, quæ ex *grauiori* delicto debentur. Vt, quæ debentur ex violenta rapina, prius quàm quæ debẽtur ex furto, &c. Nam quò iniquius ab aliquo res extorta fuit, eò magis inuitus caret re sua, ac proinde strictius illi res debetur. Inter illa autẽ quæ ex delicto eiusdem speciei debentur, illa prius sunt soluenda quæ fuerint antiquiora, vt pater ex dictis in præcedenti Pronunciato. Non improbo etiam, quod Nauarrus num. 52. censet, cæteris paribus ei esse prius soluendum qui in exigẽdo debito fuit aliis diligentior: siquidem eo ipso videtur illi strictius deberi.

Porro hæc omnia intelligenda sunt *saluo* inprimis obligatione præcepti naturalis & diuini de *ordine Charitatis*, vt rectè indicauit Medina. Nam si in particularibus Casibus cætera adeo sint disparia (nempe necessitas Creditoris, &c.) vt ex obligatione Charitatis, (iuxta ea, quæ disputatione tertia, quæst. quarta tradidimus) teneatur etiam Debitor succurrere potiùs huic Creditori quàm illi; etiam tenebitur (in foro quidem Conscientiæ) illi potius soluere; tanquam imperante nimirum in tali casu charitate Iustitiæ; non obstantibus iis, quæ dicta sunt in præcedentibus pronunciatis; excepto tamen secundo, siquidem neq; charitas (extra casum quidem extremæ necessitatis) requirit, vt succurratur necessitati proximi de alieno. Item

Item intelligenda prædicta sunt, saluis receptis locorum consuetudinibus & iuribus peculiaribus, quæ iuri tamen naturæ non repugnent; vt facerent si quid statuerent contra primum saltem & secundum pronunciatum.

Denique notetur, prædictum ordinem in restituendo non modò in foro externo, sed etiam Conscientiæ, esse adhibendum; iuxta Syluestrum vbi suprà quæst. 7. & Nauarrum num. 52. post plures alios. Poterit tamen quis, vt iidem notant, per probabilem ignorantiam iuris aut facti à peccato in hoc excusari. Et hactenus de Restitutione.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Acceptione personarum.

D. Thomas 2. 2. quæst. 63.

DE HAC MATERIA DISPVTANT ALIQVI DOCTORES Scholastici in 4. dist. 15. & Summistæ, Verbo Acceptio personarum, & Verbo Dignitas, & Dominicus Sotus lib. 3. de iustitia & iure, quæst. vltima. Potest etiam videri Abulensis super 22. cap. Matthæi à quæst. 108. per plures quæstiones. Sunt autem explicanda quatuor. PRIMO, *Quid sit Acceptio personarum, & quale peccatum.* SECVNDO, *An habeat locum in distributione officiorum & dignitatum.* TERTIO, *An etiam in Exhibitione reuerentiæ & honoris.* QVARTO, *An etiam in Iudicum sententiis.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Acceptio personarum, & quale peccatum.

D. Thomas art. 1.

RES HAC DE RE VERISSIMAS ET indubitatas assertiones ponemus ex sententia D. Thomæ & aliorum omnium Doctorũ. PRIMA est, Acceptio personarũ in eo consistit, vt quis in distributione bonorum communium non attendat ad eam conditionem personæ, quæ faciat eam dignam bono, quod per talem distributionem conferetur: sed aliquid aliud. Vt si quis v. g. promoueat aliquem ad Doctoratum, non quia doctus sit, sed quia est dives, vel quia est ipsi sanguine coniunctus. Probatur: quia tunc censetur illud bonum tribui personæ, vt persona est, & non vt digna est, quandoquidem eæ conditiones personæ attenduntur, quæ non pertinent ad dignitatem, respectu illius boni, quod confertur; & propterea dicitur accipi persona.

SECVNDA assertio. Pro diuersitate bonorum distribuendorum contingit, vt attendere vnam & eandem conditionem personæ, quandoq; sit acceptio personæ, & quandoque non sit. Vt v. g. si consanguinitas attendatur in distributione *hæreditatis*, non erit acceptio personæ: si autem præcipuè attendatur in distributione beneficiorum *Ecclesiasticorum*, erit acceptio personæ.

TERTIA assertio. Acceptio personæ est peccatum contrarium Iustitiæ distributiuæ. Quia iustitiæ distributiuæ munus est communia bona distribuere secundùm dignitatem personarum, cuius contrarium fit, cùm accipitur persona.

Intelligetur autem & confirmabitur facilè tota hæc doctrina, si meminerimus, quod suprà quæst. 5. disputatum est de Iustitia distributiua: Nempe hoc esse munus eius proprium, bona cõmunia cuiusq; Communitatis ita in partes eius communitatis distribuere, vt intelligi possit rectè tota communitas se habere ad quamlibet eius partem, & ipsas partes inter se exæquari secundùm Geometricam proportionem ex sententia Philosophi 5. Ethic.

Fiet autẽ hoc in proposito, si quò maior fuerit aptitudo & dignitas in vna parte communitatis, quàm in alia, ad recipiendum aliquid bonorum communium, tantò plus ex illis bonis communibus illi parti obueniat, quàm alteri. Sicut etiam videmus in communitate corporis naturalis, tũc rectè se habere totum corpus ad quamlibet partem, quando tantò plus virtutis & alimenti vni parti contingit, quàm alteri, quantò plus vna pars naturâ sua exigit, quàm altera, atq; adeo quantò plus ei naturaliter debetur.

Quando igitur ille, qui distribuit bona communitatis alicuius, perturbat hunc ordinem, ita distribuens bona cõmunia, vt non habeat rationem dignitatis personarum, respectu huius vel illius boni distribuendi, sed neget personæ dignę bonum ei debitum, vel absolutè, vel secundùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

hanc vel illam quantitatem, & illud conferat alteri personæ propter aliquam conditionem, ad rem non facientem, vel minùs facientem; tunc *accipit* personã, id est, attendit in persona, quod non debebat attendere.

Ex hoc facilè intelligitur, Acceptionem personarũ in eo consistere, in quo docuimus ex sententia D. Thomæ in prima & secunda assertione, & eam omnino esse peccatum cõtrarium Iustitiæ distributiuæ, vt docuimus in assertione tertia. Et quidẽ esse peccatum, certũ est secundùm fidem. Prohibetur enim in sacris literis *acceptio* personarum. Leuit.19. *Non consideres personã pauperis.* Et Deut.1. *Nulla erit distãtia personarum, neq; accipietis cuiusq; personam.* Et cap.16. *Non accipietis personã.* Et c.42. Ecclesiast. *Ne accipias personã, vt delinquas.* Est etiam hoc vitium contra rationem naturalem, vt ex dictis patet. Itaq; est peccatum; & quidem mortale ex suo genere, quale est omne peccatum contra iustitiam, vt docet S. Thomas suprà q. 59. art. 4. potest tamen ratione paruitatis materiæ esse tantum veniale.

Quin etiam huius quidem vitij grauitatem satis declarant antiquorum Philosophorum siue instituta, siue exempla. De Areopagitis narrat Lucianus idcirco illos noctu in tenebris iudicare fuisse solitos, ne ad dicentes, sed ad ea solùm, quæ dicerẽtur, respicere possent. Et Aristoteles ideo vel maximè eosdem commendat, quòd illã partem Rhetoricæ, quæ ad commouendos affectus valet, atq; ad hoc crimẽ impellere posset, penitus eiecerint. Et de Socrate illud ad æquitatem ipsius pertinẽs fertur, quòd neq; vxorem, neq; filios in iudiciũ secũ venire voluit, cùm ad id vocaretur, ne Iudices nimia miseratione afficere velle videretur. Quare autẽ hoc vitium *Acceptio* personarũ nominetur, non est sollicitè inquirendum, cùm res intelligitur: satis est, Doctorum sacrorum & Theologorum vsum obtinuisse, vt ita appelletur.

Porrò, vt in casibus particularib. discerni possit, committatur nec ne, peccatum Acceptionis personarum, pro REGVLA habendum est id, quod ex dictis cõsequitur. Nempe duo requiri, vt in distributione aliquorum bonorum peccatum Acceptionis personarum committatur. VNVM est, vt bona, quæ distribuũtur, sint verè bona *communitatis*, cuius ij, quibus distribuuntur, sint partes; nõ autẽ sint bona alicuius particularis personæ: hoc est, vt sint bona, quibus nulla determinata persona possit vti in suam vtilitatem, sed tantùm sint cõmissa gubernatori communitatis, vt ea fideliter dispẽset. Nam si essent bona propria personæ alicuius; cõferendo ea indignis, minúsue dignis, posset quidem ea persona peccare contra liberalitatem, quia videlicet nõ donaret, quibus deberet; vel etiam contra iustitiam commutatiuam, si ex tali donatione sequeretur damnum alterius personæ tertiæ: sed tamen nõ peccaret per acceptionem personæ contra iustitiam distributiuã. Nullam enim iniuriã talis faceret aliis dignis vel dignioribus, quandoquidem ea bona non erant cõmunitatis, cuius alij digniores essent partes, id quod requirebatur, vt illis debita fuissent eiusmodi bona secũdùm iustitię distributiuę ordinẽ. Quæ aũt sint huiusmodi bona cõmunia, & quàm latè pateant, videbimus in punctis sequentibus.

ALTERVM quod requiritur, est, vt is, qui communitatis bona distribuit, talem distributionem *debeat* facere in compensationem dignitatis personarum, quæ sunt illius communitatis partes. Alioqui si non subsit hæc obligatio, nõ erit obligatio distribuendi ex iustitia distributiua, & proinde non habebit locum personarum acceptio.

Dupliciter autem potest cõtingere, vt qui distribuit bona Communitatis, debeat ea bona distribuere in compẽsationem dignitatis partium ipsius. VNO modo ex *natura rei* tantum: quando videlicet quælibet pars industria ppria acquirit aliquam dignitatem, quę redũdat in dignitatem totius, ac proinde qui bona cõmunitatis distribuit, vice totius communitatis ex natura rei, debet in illam partẽ diffundere bona totius secundùm æqualitatem proportionis, consistentis in eo, vt sicut se habet pars rectè ad totũ: ita contrà tota communitas se habeat rectè ad partem, atq; adeo partes ipsæ inter se. Sicut v.g. gubernator Ecclesiæ ex natura rei debet secundùm proportionẽ distribuere bona Ecclesiastica iuxta dignitatem, quam propria industria sibi membra Ecclesiæ acquisiuerunt, atque adeo contulerunt in communitatem, eo ipso quòd bonum partis ex natura rei est bonum totius. Quæ quidem dignitas consistit in doctrina, pietate, &c.

ALTERO modo potest quis cõmunitatis bona distribuere in compẽsationem dignitatis membrorum eius ex obligatione, non præcisè orta ex natura rei, sed etiam *ex pacto*, si videlicet ipsemet distributor promisit, se bonum, quod in cõmunitatem conferunt partes, remuneraturũ secundùm proportionẽ. Et hoc modo debet Deus ex iustitia distributiua remunerare in cælo merita hominum, quę in bonũ communitatis Ecclesię, cuius Deus est supremus gubernator, redundãt. Non enim id debet ex *natura rei* præcisè: nam illa ipsa hominum merita sunt ipsius Dei beneficia, atq; adeo ex sola natura rei non efficiunt Deum debitorem, nisi simul etiam accessisset Dei promissio & pactum, vt disputauimus tom. 2. quæst. vltima de Gratia.

Hinc patet, quid breuiter respõderi possit illi QVÆSTIONI, quam hîc aliqui mouent, Vtrum videlicet Deus personas accipiat, cùm vni maiora quædã auxilia confert, quibus facillimè gratiã acquirat; alteri verò nõ item, quamuis vnus non sit ex sua parte magis dignus talib. auxiliis, quàm alter. Dicẽdum est enim, nullam hîc admitti acceptionem personarum. PRIMO, quia quamuis eiusmodi peculiaria auxilia sint bona cõmunia Ecclesiæ, eo ipso, quòd Deus vult in ea vigere eiusmodi dona, tamen Deus non ea distribuit ex debito

debito iustitiæ in compensationem alicuius meriti, siue dignitatis eorum, quibus ea cõfert. Non enim illa meremur. Et ita per hoc, quòd vni det, alteri neget, nulli facit iniuriam contra debitum iustitiæ: quia non promisit se illa distributurũ secundùm merita, sed integrũ est illi facere secundùm propositũ suæ voluntatis, iuxta id Matt.20. *An non licet mihi, quod volo, facere?* Et eandem rationem reddit S. Thomas hîc in solutione tertij.

DEINDE est etiam alia huius rei ratio, quæ petitur ex ipsamet quæstionis propositione, & declarat magis præcedentẽ rationem. Nam cùm nullus, quãtum est in se, sit in his donis quæ iustificationem antecedũt, dignus, aut dignior quam alter; ex hoc quòd vni dentur, & alteri non dentur, nõ committitur acceptio personarum. Hæc enim solùm habet locum, quãdo est quis dignus aut dignior eo dono, quod distribuitur.

Sed inquis: Si neuter est illis gratiæ donis dignus, quantum est in se: Ergo Deus dat gratiam indigno: Ergo malè facit. Nihil est enim indigno conferendum. RESPONDEO, nego consequentiam. Nam quod ad gratiæ auxilia Iustificationẽ præcedentia attinet, quamuis omnes sint eis indigni *negatiuè*, nõ tamen ita sunt eis indigni *contrariè*, vt ne ex liberalitate quidem possint eis libitualem iustificantem, Deus per ipsam collationem gratiæ, libero hominis arbitrio (adiuuante Deo) cooperante, concitat in hominis mente supernaturales motus, quibus facit hominem ea gratia dignum. Ex quo quemadmodum non sequatur, hominem gratiam ipsam promereri illa sua dignitate, cõsistente in illis actibus, quos per gratiam elicit, explicauimus in 2. tomo in disput. de Gratia, quæst. vltima.

Quare maneat, *nullam esse personarum acceptionẽ apud Deum*, vt Apostolus testatur ad Ephes. 6. neq; in distributione gratiæ, propter rationem iam dictã, neq; in distributione glorię. Nam licet hanc debeat ex iustitia (sicut promisit) distribuere, reddet tamen fidelissimè & iustissimè *vnicuiq; suæ opera sua*, vt dicitur Psalm. 61. Matth. 16. & Rom. 2. & 1. Cor. 3. & ad Galat. 6.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Acceptio personarum habeat locũ in distributione officiorum & dignitatum.

D. Thomas art. 2.

DIGNITATES & officia in proposito, quædam sunt *Ecclesiastica & Spiritualia* (vt beneficia Ecclesiastica, & quæcunq; pertinentia ad spirituale regimen animarum) quædam sunt *secularia*, quæ pertinent ad regimen temporale Reipublicę. Dicemus itaq; de vtrisq;. Ac primò quidem de beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis, occurrunt discutiendæ quæstiones QVATVOR, post quas addemus QVINTAM peculiarẽ de officiis & dignitatibus secularibus: & SEXTAM aliam communem tum *spiritualibus*, tum *temporalibus*.

PRIMO itaq; quæritur, *an omnino sit verũ, quod hîc D. Thomas & alij communiter docent, cõmitti posse acceptionem personarum in distributione beneficiorum Ecclesiasticorũ.* Videtur enim nõ esse verum, Nam in huiusmodi beneficiis conferendis non est habenda ratio iustitiæ distributiuæ, sed commutatiuæ: Sed vt punct. 1, dictum est, acceptio personarum solùm habet locum, vbi locum habet iustitia distributiua: Ergo, &c.

Maior probatur: nam huiusmodi beneficia Ecclesiastica sunt quædam stipẽdia, quæ populus contributione decimarum assignat ministris laborantibus, non propter eorum dignitatem, sed *pro eorum labore*: Ergo secundùm iustitiam commutatiuam gubernatores Ecclesiæ (ad quos ex officio pertinet prospicere populo, vt idoneis iustisq; officiis compẽsentur huiusmodi stipendia à populo decreta) debent populo idoneas personas Ecclesiasticas præficere, quæ iustè suo labore illa stipendia mereantur.

Consequentia hęc patet: quia quod pro labore datur; secũdùm iustitiam commutatiuam debet cõferri; vt patet, cùm cõducitur aliquis mercenarius, &c. Probatur autem Antecedens, scilicet, beneficia Ecclesiastica esse quędam stipendia *pro labore* ministrorum. Et primò ex veteri Testamento. Num.18. *Filiis Leui*, inquit Deus, *dedi omnes decimas pro ministerio, quod seruiũt mihi in tabernaculo fœderis.* Et paulò inferiùs subditur de decimis: *Quia precium est pro ministerio, quo seruitis in tabernaculo testimonij.* Itẽ in nouo Christus Luc. 10. mittens discipulos in orbem tanquã operarios: *In eadem*, inquit, *domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt; Dignus est enim operarius mercede sua.* Merces autem per iustitiam commutatiuam redditur. Et Apostolus 1. Cor. 9. in eandẽ sententiam dicit: *Neminem suis stipẽdiis militare vnquam*, citatq; illud Deut. 25. *Non alligabis os boui triturãti*, & ait, *propter nos illud fuisse scriptum.* Vnde subdit: *Si nos vobis spiritualia seminamus; magnũ est, si nos carnalia vestra metamus.* Et 1. Tim. 5. *Qui bene*, inquit, *præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt.* Non dixit, qui sunt *boni* Presbyteri, sed qui *bene præsunt*. Vt intelligeremus, stipẽdia hæc esse laboris, non ornamenta personarum quantumuis bonarum. Et accedit huc etiam axioma illud celebre Iuris Canonici, in capitulo finali, Extra de rescriptis: *Beneficium non datur, nisi propter officium*.

Propter hoc argumentum Dominicus Sotus lib. 3. de Iustitia & Iure, q. vlt. art. 2. & aliqui recẽtiores Theologi arbitrãtur, in huiusmodi distributione beneficiorum Ecclesiasticorum, magis esse attendendã rationem iustitię *cõmutatiuæ*, qua Prælati modo explicato debẽt prouidere populo idoneos ministros, quàm rationem iustitiæ *distributiuæ*. Immò dicunt, rationẽ iustitiæ distribu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiuæ, qua Prælati debent dignioribus personis potiora beneficia conferre, habere se *materialiter* ad rationem iustitiæ commutatiuæ, quæ hîc consideratur.

Itaq; censent, interuenire quidé in huiusmodi dispensatione duos actus formaliter vel virtualiter: VNVM Iustitię *distributiuæ*, quo Prælatus velle debet dignioribus personis digniora beneficia conferre: ALTERVM iustitiæ *commutatiuæ*, quo Prælatus velle debet, huic Ecclesię offerenti tantum vel tantum stipendium, dare ministrum, qui suo labore secundùm regulas iustitiæ commutatiuæ illud stipẽdium iustè mereatur. Et quoniam Prælatus illum actum iustitiæ distributiuæ, ad alterum commutatiuæ ordinat (quippe propterea digniori dignius beneficium confert, quòd dignior iustè promerebitur suo labore dignius beneficium) idcirco dicunt isti auctores, iustitiam distributiuã hîc habere se materialiter ad commutatiuam. In moralibus enim id, quod ad alterum ordinatur, dici solet materiale, respectu illius.

Hæc sententia inprimis quidem argumento facto, ad probandum hîc nõ habere locum acceptionem personarum, abũdè satisfacit: siquidem concedit, interuenire hîc etiã iustitiam distributiuam, contra quã delinqui possit peccato acceptionis personarum. In eo autem, quòd hæc sententia ponit interuenire etiam in distributione beneficiorum actum iustitiæ commutatiuæ *præcipuè*, modo explicato, nonnulla interpretatione atque mitigatione indiget.

Nam dupliciter considerari possunt officia spiritualia, quæ ministri habentes beneficia Ecclesiastica impendũt populo pro stipendio. VNO modo secũdùm *communem quandã rationem*, qua per illa satisfaciũt fideliter ministri populo, prout ex sui officij *obligatione* (quæ precio æstimabilis est) tenentur; attenta quantitate stipendij, quod recipiunt. Et sic interpretor & puto esse verum, quod isti auctores aiunt, secundùm iustitiã commutatiuam compensari officiis Ecclesiasticis illa stipendia, ac proinde eam vel maximè in distributione beneficiorum esse attendendam.

ALTERO modo possunt illa officia considerari *in specie*, vt sunt *spiritualia*. Et sic non puto id esse verum, aut menti istorum auctorum consentaneum. Quinimò arbitror, si ita ea officia considerentur, solum actum iustitiæ distributiuę interuenire in illorum collatione. Nam stipendium decimarum, quod populus ministris spiritualibus decernit, non pertinet ad commutatiuam, si cõsiderentur officia Ecclesiastica, vt sunt *spiritualia*: Ergo nec actio, qua Prælatus personas dignas, quæ rectè possint laborare, populo suppeditat, pertinebit ad eam, si ista officia vt spiritualia considerẽtur. Etenim, si Prælatus aut populus vellet illo stipendio exæquare secundùm normam iustitiæ cõmutatiuæ ipsam administrationem spiritualem, vt spiritualis est; eo ipso emeret administrationem spiritualem, quod esset Simoniacum; nullo enim precio æstimari iustè possunt spiritualia ministeria.

Sed DICET quispiam: Si neq; populus ex iustitia commutatiua debet illa stipẽdia ministris, vt hi impendunt populo officia spiritualia, neq; ministri debent populo ex eadem iustitia ea officia, vt sunt spiritualia ministeria, neque Prælati tenẽtur ex iustitia commutatiua populo dignos ministros suppeditare, sic considerando illa officia: vnde nam oritur obligatio, qua hi omnes ad ista suo modo tenentur? Certum namque est esse talem obligationem, considerando etiam illa officia tanquam spiritualia.

RESPONDEO, *Prælati* quidem ad id tenentur ex *officio & fidelitate*, quam debent Deo, qui eos cõmunitati pręposuit, vt tuerentur eius bonum: iuxta illud Matt. 24. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore, &c.*

Ministri verò iam à Prælatis constituti, id ministerium, quatenus est spirituale, præstare debẽt ex præcepto Domini, Matth. 7. *Quod gratis accepistis, gratis date.* Quod quidem præceptum non solùm illos obligat, vt gratis & sine precio dent, sed etiam vt dent absolutè, quando iam acceperunt auctoritatem ministerij: atq; adeo, vt dent ex pia quadam liberalitate, ad quam spectatim pendere beneficium gratis.

Subditi autem, respiciendo quidem ad officia ministrorum, considerata vt *fideliter & sufficienter* à ministris impensa, sicut hi ex officio debent, adlere eos tenentur ex iustitia commutatiua, vt ante dictum est ex sententia illorum auctorum. Si autem considerentur ministrorum officia quatenus *spiritualia*, alere etiam eos tenentur subditi, iuxta cõsuetudinem Ecclesiarum ex virtute grãtitudinis, de qua agit S. Thomas infrà quæst. 106. quæ quidem virtus illos obligat, vt ea contributione compensent beneficia spiritualia, quibus à ministris afficiuntur, iuxta illud Apostoli suprà citatum: *Si spiritualia vobis seminamus, magnũ est, si carnalia vestra metamus.* Et hæc sunt diligenter notanda pro materia de Simonia.

SVPEREST autem, vt ad illa loca Scripturæ principiò obiecta respondeamus, quatenus videntur probare interuenire hîc iustitiam cõmutatiuam, etiamsi considerentur officia ministrorum, *vt spiritualia*. Breuiter ergo RESPONDEO, solùm probare, quòd Prælatus in attendẽda dignitate personæ debeat etiam respicere ad ministerria, quæ nimirum præstare tenetur is, cui Prælatus cõfert ius recipiendi illa stipendia. Idq; propterea, quòd dignitas personarum in proposito debet esse talis, quæ in administratione spirituali conferat ad bonum commune; & ideo ad potiora ministeria maior requiritur personę dignitas. Non verò probant illa loca Scripturæ, Prælatum conferre debere beneficia seu ius recipiendi stipendia immediatè pro administratione spirituali, *vt spiritualí*, tanquam ex iustitia commutatiua.

Sed CONTRA: Populus non dat illa stipendia propter dignitatẽ personæ immediatè, sed propter ministerium: Ergo nec ipsi Prælati cõferunt ius accipiendi illa stipendia immediatè, nisi pro ministerio. Antecedens patet: nam si populus nõ indigeret tali administratione, nunquã propter dignitates personarum iuberetur soluere decimas. Consequentia probatur: nam idem videtur respiciendum à Prælato in conferendo beneficio, seu iure recipiendi stipendium, quod attenditur à populo in conferendo stipendio.

RESPONDEO, concedendo quidem Antecedens, scilicet populum contribuentem decimas præcipuè respicere ministerium *spirituale*; non verò quasi illud *vt tale* compẽsет ex iustitia commutatiua, sed ex gratitudine, vt ante est dictum. Negatur tamen Consequentia. Non enim est eadem ratio Prælatorum & populi.

Nam Prælatus cùm gerat personam communitatis totius, debet ex iustitia distributiua illa beneficia, seu iura recipiendi stipendia, distribuere, vtpote quæ sunt bona quædã communitatis dispensanda per illum, suppositа necessitate administrationis spiritualis in Ecclesia: & ideo debet in ea distributione attendere immediatè dignitates personarum, quas per se respicit iustitia distributiua.

At verò singulorum hominum decimas cõtribuentium, atq; adeo populi munus nõ est, suam partem, quam contribuit, tanquã bonum communitatis ex iustitia distribuere; siquidem illud, quod populus contribuit, non est bonum cõmunitatis, sed bonum determinatum singulorũ. Ac proinde potest populus solùm respicere ad beneficium spiritualis administrationis, quod cõpensat, vt colligitur ex allegatis Scripturæ locis, nec ipse debet per se ad dignitatem personarum attendere, cùm nõ incumbat illi ex officio obligatio iustitiæ distributiuæ.

Sitne Dignior eligendus.

SECVNDO quæritur, *An in distributione beneficiorum sit absolutè necessarium, eligere digniorem, an verò satis sit eligere dignum, vt nõ committatur personarum acceptio.* RESPONDEO per duas assertiones.

PRIMA. Quod attinet ad ius externum, vt sit valida electio, id est, vt verè ius personę conferatur, satis est eligere dignum, vt S. Thomas hîc, & Couarruuias Relect. in Regulam Peccatũ, par. 2. §. 7. num. 3. & alij omnes docent. Patet, Extra de Electione, capit. Cùm nobis olim. Vbi licet electus in casu eius capituli non esset admodum literatus, probatur eius electio. Et expresius capit. Cùm dilectus, eodem titulo. Et ratione probatur: nam aliàs magna in Ecclesiis sequeretur perturbatio.

SECVNDA assertio. In foro cõscientiæ necessarium est eligere digniorem. Ita D. Thomas hîc & in quodlibet. q. 6. & 8. & Alexander Alens. 2. p. q. 136. membro 2. & Liranus super caput 21. Ioan. Et Richardus & Maior, & alij in 4. d. 15. Et Adrianus in q. de Rest. & Couarruuias Relect. in Reg. Peccatũ, par. 2. §. 7. n. 4. & Sotus lib. 3. de Iustitia q. vlt. art. 2. quamuis contrariũ videntur opinari Hugo & Apparatus super cap. Licet ergo 8. q. 1. & super cap. Monasterium 16. q. 7. & Ioannes Andreas, vt citat Adrianus, & alij, quos citat Couarruuias vbi suprà, nisi fortè loquantur tantùm in foro exteriori, sicut exponit illic Couarr. n. 3.

Probatur autẽ nostra assertio PRIMO, *auctoritate* tum diuina, tum Ecclesiastica. Nam Ioan. 21. Ter dixit Dominus Petro: *Diligis me plus his?* vt ostenderet se eligere digniorem, ad exemplũ nostrum. Idẽ patet ex D. HIERONYMO, qui refertur 8. q. 1. cap. Licet ergo, & ex S. Leone Papa epist. 82. (aliàs 84.) cap. 6. relato in capit. Metropolitano, d. 63. vbi iubet, vt defuncto Metropolitano, *in eius locum optimus subrogetur, et ordinetur.* Et ex Innocentio III. in cap. vnico. Extra, vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. Vbi ait; *Ecclesiastica officia & beneficia non ex carnis affectu* (vt fecerat quidam Archiepiscopus Mediolanensis, quẽ ibi reprehendit) *sed ex discreto iudicio, in persona magis idonea debere dispensari.* Idem etiam patet ex epist. 3. Siricij Papæ ad vniuersos Orthodoxos 1. tomo Conciliorum: & ex Concilio Basileensi, vbi in forma iuramẽti, quod exigitur ab electoribus, præscribitur, vt eligatur dignior. Et deniq; ex Concilio Trident. sess. 24. in decreto de Reform. Prælat. cap. 1. vbi asseritur, Electores Episcoporum, *alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos* DIGNIORES *& Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, &c. Eorum exigentibus meritis præfici curauerint.*

DEINDE probatur eadem assertio *ratione*. Nam Ecclesia vult, vt meliora beneficia dẽtur dignioribus, & natura iustitiæ distributiuæ id postulat, vt patet ex dictis punct. 1. Ergo dispensator perturbans hunc ordinem peccat contra fidelitatem & iustitiam.

Probat idem Sotus hac ratione. Dispensator tenetur *gratis* conferre beneficia: Sed si prætermittit dignioremm, nõ confert *gratis*. Nam aliquã causam respicit, quæ non est causa. Ergo peccat grauiter. Sed hæc ratio parum valet. Falsa est enim Minor. Nam cõferre *Gratis*, quod in proposito à Domino præcipitur, solùm distinguitur contra id, quod est conferre pro precio seu re æstimabili. *Non causa* autem, quæ in proposito potest perperam attẽdi, latiùs patet, quàm precium aut aliquid precio æstimabile. Vnde si hæc ratio Soti valeret, probaret, omnem electionem minus digni esse Simoniacam.

Melior est ratio S. Thomæ. Quia scilicet illa causa peculiaris, propter quã minus dignus præfertur digniori, moraliter loquendo, semper erit ad rem non faciens, & ita accipietur persona. Atque hæc assertio hoc præsertim tempore in

praxin deduci debet, quo hæretici adeo ,pcliues sunt ad irridendum Ecclesiasticos ministros tanquam non idoneos.

SED quæris, an semper sit peccatum mortale non eligere digniorem. RESPONDEO, quando electio non esset ad munus magni momenti, regulariter non esset. Ita Sotus. Secundò dico, licet munus esset magni momenti, si tamen excessus dignitatis esset paruus, nõ esset mortale; propter paruitatem materiæ. Deniq; dispensator nõ debet esse nimium anxius, si adhibeat moralem diligentiam ad eligẽdum digniorem. Atq; ita non est temerè condemnandus elector ad mortale.

Quanam attendenda vt vitetur personarũ Acceptio.

TERTIO quæritur; *Quænam conditiones sint attendendæ in personis, vt in dispensatione beneficiorum eligatur dignus vel dignior.* RESPONDEO, *in genere* loquendo, omnia illa sunt attendenda, quæ efficiant, vt homo tali dignitate vel officio ornatus promoueat bonum communitatis Ecclesiæ, in quod omnis distributio bonorũ communium ex natura rei ordinatur, vt antea dicebamus. Vnde omnia illa, quæ huic fini conferunt vel magis conferũt, coniuncta cum hoc aut illo officio vel dignitate, hîc & nunc, &c. efficient personam dignam aut digniorẽ tali dignitate. Et contrà; omnia illa, quæ bonum communitatis impediũt vel minuunt, obstare debent, quò minus quis eligatur. Quę omnia prudenter considerãda sunt pro diuersitate præbendarum. Atq; hoc fundamentum latissimè patet. Ex eo enim intelligi potest, nonnullas dispensationes prębendarum seu officiorum spiritualiũ esse bonas & licitas, quæ alioqui minus rem consideranti illicitæ viderentur.

Et vt ad aliquas particulares materias descendamus, sequitur ex hoc fundamẽto PRIMO, non esse acceptionem personarum eligere in Pontificem (vt fit) aliquem de solo Collegio Cardinalium. Quod cautum est capit. Nullus, & capit. Oportebat, 79. dist. Nam etsi posit contingere, vt extra id Collegium inueniatur dignior absolutè; tamen quia moraliter loquendo possent sæpe sequi schismata & alia incommoda, quæ obstant bono communi, si aliundè sollicitè quæreretur eligendus, idcirco qui inter Cardinales est dignior, est dignissimus electione in ordine ad bonum commune. Prętерquam, quòd cùm Cardinales sint periti rerum Ecclesiæ, (id quod maximè ad id munus requiritur) rarò extra illud Collegium erit aliquis, qui omnibus consideratis sit Pontificatu dignior.

SECVNDO sequitur, iustissimè esse institutum in cap. Nullus, dist. 61. & ca. Metropolitano, dist. 63. vt non fiat electio Episcoporum, nisi ex personis eiusdem Ecclesię, quando illic idonei reperiuntur. Nam quamuis alibi possent absolutè reperiri digniores, tamèn illi sunt digniores, omnibus consideratis, propter maiorem affectum, quem quisq; habet erga propriam Ecclesiam, vt sentit hîc S. Thomas. Et eadem est ratio de institutione aliquarum Ecclesiarum, in quibus beneficia sunt *patrimonialia*.

TERTIO sequitur, nõ esse iniustas electiones quasdam magnorum Prælatorum, vt Episcoporum, &c. in quibus quandoq; ita habetur ratio potentiæ & nobilitatis, vt propter hæc minus docti & boni, doctioribus anteponantur. Nam perspèè illi magis promouent bonum commune; si tamen aliæ conditiones eis non desint, de quibus postea. Et eadem ratione posset etiam præferri quandoque consanguineus Prælati, vt docuit etiam hîc S. Thomas.

Sequitur QVARTO, non accipere personam eum, qui licet aliàs iudicet, vnum esse digniorem altero, nihilominus propter aliquã circumstantiam boni cõmunis dat suum suffragium minus digno. Vt v. g. casu, quo sint multi electores, non conuenientes in electione, & aliquis moraliter loquendo iudicet, si ipse det suffragium ei, quem iudicat absolutè digniorem, electionem non habiturum bonum exitum, vel aliquem indignum eligendum esse: Si autem suffragetur ei, quem alioqui iudicat minus dignum; dignum esse eligẽdum. Tunc licitè potest minus digno dare suffragium. Ratio est: quia ille alioqui minùs dignus posita illa circumstantia est dignissimus electione in ordine ad bonum commune.

QVINTO sequitur, non esse acceptionẽ personarum, neque fieri vllam iniuriam digniori, si casu, quo duo beneficia sint distribuenda, *vnum* tenue, sed in Ecclesia plurimis difficultatibus laborante, propter hæreses vel morum corruptionem, &c. alterum *pinguius*, sed in loco trãquillo; digniori, vtpote doctiori & aptiori ad succurrẽdum illi necesitati, conferatur tenuius beneficium, & minus digno (sed digno tamẽ) pinguius. Ratio est. Nam posita ea circumstantia necessitatis illius Ecclesiæ, ille alioqui dignior, non est *dignior eligibilis nunc* ad pinguius beneficium, respiciendo bonum commune Ecclesiæ. Et nihilominus seruatur in hoc casu Iustitia distributiua; non quidem conferendo hunc doctiorem, cui datur tenuius, cum indoctiore, cui datur pinguius: sed conferendo doctiorem cum alio beneficio tenuiori in eodẽ loco. Ac similiter conferendo indoctiorem cum alio simili, & beneficium pinguius cum alio beneficio in eodem loco.

SEXTO sequitur, licitè per statuta Ecclesiarũ, seu Rerumpub. seu ordinũ, &c. aliquas personas posse excludi ab aliqbus electionib. propter *alias conditiones*, quæ vel simpliciter, vel positis his circũstantiis loci, populi, &c. efficiant, vt electio huius vel illius (quantumuis alioqui digni vel dignioris, si probitas & scientia spectetur) non expediat bono communi: Et hoc quidem, siue illæ conditiones sint naturâ sua indifferentes, respectu talis dignitatis, siue etiam interdũ vtiles, non tamen necessariæ simpliciter. Nam sicut circumstantiæ particulares efficere possunt, vt cõditiones indifferentes obstent hîc & nunc bono communi: ita etiam efficere possunt, vt conditiones alioqui vtiles habenti hanc dignitatem, in alio loco, alio tempore, &c. tamen hîc & nunc non expediant. Quamobrem non sunt temerè condemnanda eiusmodi statuta.

Vt v. g. esse ex hac vel illa prosapia; originem ducere à Iudæis, vel ab hæreticis, &c. secũdùm se in homine iam verè Christiano & fideli, cõditiones indifferentes sunt, respectu dignitatis ordinum sacrorum, vel dignitatum ac prębendarum Ecclesiasticarum, &c. Nam *in Christo Iesu*, vt dicit Apostolus ad Gal. 6. *neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura*. At verò propter circumstantias particulares, fieri potest, vt qui eiusmodi habeãt originem, meritò ad aliquas dignitates habeantur inhabiles: Quia scilicet tales propter infamiam fortè in aliquibus locis minus apti sint bono communi promouendo. Et eodem modo iudicandum est de similibus conditionibus.

SEPTIMO sequitur ex eodem fundamẽto iuste excludi ab electionibus illos, quibus iam incumbit cura aliarum Ecclesiarum, licet alioqui essent digniores beneficio, quod iam distribuitur. Ratio est: quia non est è bono communi, vt pastores deserant frequenter oues, quas iam habebant cognitas, & ita tempus consumant in nouis cognoscendis. Obstant enim multum hæ mutationes amori, quem pastores habere debent erga oues, vt eas cum vtilitate pascant. Et ideo cautum est, ne hoc fiat, in Concilio Nicæno can. 15. & Arelatensi II. can. 13. & Sardicẽsi can. 1. Carthaginensi V. can. 27. Quanquam potest aliquando contingere, vt eiusmodi mutationes expediant, vt patet ex Euaristo Papa epistola 2. ad Episcopos Aegypti, & Calixto I. in epistola ad Benedictum Episcopũ, & Anthero epistola vnica, ad Episcopos Bœticæ & Toletanæ prouinciæ. Vbi ponit exemplum B. Petri, qui de Antiochia fuit translatus Romam.

DENIQVE ex eodem fundamento sequitur, non facere contra iustitiam distributiuam Prælatum, quando imponit *pensiones* aliquibus beneficiis, cùm id redundat in vtilitatem Ecclesiæ. Ratio est eadem: quia tunc habens beneficium, in ordine quidem ad bonum commune & omnibus computatis, non est dignus illa quota parte, quæ illi detrahitur, & datur alteri laboranti in vtilitatem Ecclesiæ. Nam vt detrahatur, expedit bono communi. Ac poterũt ex hoc generali fundamento pro his, quæ attendenda sunt in distributione spiritualium, innumeræ aliæ difficultates similiter in hac materia explicari.

Præter hoc autem generale documentum in distributione huiusmodi beneficiorũ est quoq; in *specie* attendenda PRIMO *vitæ* ratio, quæ talis debet esse in eo, qui est eligendus, vt quantum humana cõiectura assequi liceat, credi posit esse

in Dei gratia, quemadmodum optimè tradit hîc Caietanus. Ratio est: nam qui corruptis est moribus, per se & moraliter loquendo, non potest promouere bonũ spirituale animarum, in quod omnis eiusmodi distributio ordinatur, atq; adeo nec bonum commune Ecclesiæ. Nam *qui sibi malus est, cui bonus erit?* Qua de re multa differũt Doctores super illud Matth. 24. *Quis putas est fidelis seruus & prudens.* Et meritò hîc Caietanus dicit, improbos homines, quales sunt cõcubinarij, esse *extra latitudinem eligibilium*. SECVNDO, præter morum honestatem requiritur sufficiens *scientia & prudentia* rerum agendarum. De quo videatur Concil. Toletanum IV. can. 24. TERTIO, requiritur ætas certa, de quo videatur Sylvester, Verbo Beneficium 3.

De pluralitate Beneficiorum.

QVARTO quæritur, *Vtrum absq; acceptione personarum possint in vnum plura beneficia conferri.* Et loquimur de beneficiis quibuscumq;, videlicet tum de *simplicibus*, nõ requirentibus residentiam, vt sunt ea, quæ vulgò vocantur Præstimonia, tum de aliis requirẽtibus *residentiam*; siue habeant annexam curam animarũ; vt Episcopatus & Parœciæ; siue non; vt Canonicatus, &c.

Et videtur id esse acceptio personarũ PRIMO. Nam quando plura beneficia conferuntur in vnum, non potest attendi dignitas personæ, sed aliqua conditio non faciens ad rem: Ergo semper accipitur tunc persona. Antecedens probatur. Nam nulla persona est digna eo, quòd cedit in detrimentum boni communis, vt patet ex dictis: Sed pluralitas beneficiorum in vno, cedit in detrimentum boni communis: Ergo nulla persona est digna pluribus beneficiis: & consequenter, quando plura vni dantur, non attenditur dignitas personæ. Minor probatur: nam ex hoc, quòd plura beneficia in vnum conferantur, sequitur, vt multi digni careant præmiis: Item, vt cultus diuinus negligatur, quia substituti non sunt ita fideles. Datur etiam ansa ambitioni. Languent studia literarum, dum illi, qui inferiore conditione sunt, desperant se Ecclesiasticas præbendas consecuturos, nempe quas nobiliores sibi coaceruãt. Et multa alia incommoda bono communi repugnantia sequuntur.

SECVNDO, est argumentũ peculiare ad probandum, nõ posse plura beneficia, habentia curam animarũ, in vnum conferri. Nam magnum inde damnum accipit populus. Contribuit enim stipendia sufficientia, vt vir dignus ipsi inseruiat. Si autẽ vnus habeat plura beneficia incomposibilia, necesse est, vt aliquis stipẽdio illo indignus populo seruiat. Nam cõmuniter substituti non sunt digni tanto stipendio, quanto illi, à quibus sunt substituti, ac proinde iniquè videtur cogi populus ad contribuendũ tantum stipendium.

Confirmatur. Nam si ille ipse, cuius est beneficium, adesset populo, magnum ei emolumẽtum afferret suis cõsiliis, eleemosynis, &c. quibus om-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus commodis populus priuatur, quando solum habet substitutum, vtpote non tanta præditum authoritate, &c. Deniq; ab hac pluralitate beneficiorum communiter sancti Patres quàm maximè abhorrent, quorum testimonia refert D. Thomas quodlib.9.art.15. Est igitur iniqua. In *contrarium* autem est vsus Ecclesiæ. Itaq; ponam hac de re nonnullas assertiones.

PRIMA assertio. Pluralitas beneficiorum quorumcunq; iure Canonico est prohibita: & quidé pluralitas beneficiorum requirentium residentiam & incompossibilium, iure etiã diuino prohibita est, eò ipso, quòd iure diuino est præcepta residẽtia. Prima pars huius assertionis patet 1.q.1. capit. Clericus. & 70. dist. capit. Sanctorum. & 89. dist. capit. Singula. & Extra de præbendis, capit. De multa, & sess.7. Concilij Trident.cap.4. de Reformatione. Secunda autem pars assertionis colligitur ex sess. 23. Concilij Tridentini, capite 1. de Reformatione, & est copiosè probãda tanquã in proprio loco infrà in materia de Statibus, circa quæst.185. artic.5. vbi differemus de residentia Episcoporum & aliorum.

SECVNDA assertio. Plura beneficia vni conferre, nõ est ita malum, quin propter varias causas possit cõtingere, vt expediat bono communi, etiamsi habeant illa annexam curam animarum, &c. atq; adeo potest esse licita, & secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ. Hæc assertio est ad mentem D. Thomæ quodlib.9. art.15. negantis pluralitatem beneficiorum esse *intrinsecè* malam, quamuis nisi adsint debitæ circumstantiæ quandam speciem mali habere videatur, vt ostendunt argumenta facta in principio. Colligitur etiam hæc assertio ex sess.7. Concilij Tridentini in decreto de Reformatione, vbi non irritãtur dispensationes, quibus aliqui obtinent plura beneficia etiam curata, sed iubentur bene perpendi & examinari. Explicatur autem hæc assertio à Doctoribus, numerando aliquos casus, quos refert Glossa 21.quæst. 1. in principio, in quibus ius Canonicũ declarat eam pluralitatem esse licitam, atque adeo ipsum ius videtur tunc dispensare.

PRIMVS Casus est ratione *tenuitatis*; expressus 10.q.3. capit. Vnio, & capit. Eam te. Extra de ætate & qualitate ordinandorum, & intelligitur. etiamsi sint *curata* beneficia. Vnde 21. q.1. capit. Illud, cõcessum est cuidã Episcopo Tarraconensi, vt simul etiam esset Episcopus Fundensis.

SECVNDVS Casus est, quãdo vna Ecclesia est alteri *annexa*, vt patet Extra de ætate & qualitate ordinandorum, capit. Eam te.

TERTIVS Casus est, quando est paucitas bonorũ ministrorũ, vt patet 21. q.1. capit. Clericus.

QVARTVS Casus est, quando habet quis titulum vnius beneficij, & alterũ beneficium habet in *commendatione*, vt patet in capit. Qui plures 21. q.1. Non tamen debet illa commẽdatio esse perpetua, sed ad tempus. Nam habere in commendatione perpetua, prohibitum est in sess.7. Concilij Trident. capite quarto de Reformatione.

QVINTVS Casus est, quando Papa istã pluralitatem concedit, vt patet 21. q.1. capit. Relatio.

SEXTVS Casus solet poni, quando aliquis est eminentis *literaturæ vel nobilitatis*, &c. Alius Casus ponitur, quãdo Episcopus dispensat. dist.70. capit. Sanctorum. Sed iam hoc est abrogatum, vt patet cap. Dudum. 2. Extra de Electione.

Porrò ex his omnibus casibus potissimùm *primus*, & *tertius*, & *sextus* videntur ad propositum huius nostræ assertionis. Nam quando Ecclesiæ est *annexa* siue vnita alteri, iam tantùm est vnum beneficium, conflatũ ex duobus. Item hîc loquimur de pluribus beneficiis, quorum quis habeatur de titulum. Nam quod quis habet in *commẽdatione*, non censetur habere, sed tantùm suppler necessitatem ministri, donec aliquis eligatur. Quintus etiam Casus est nimis generalis, & vltimus non est in vsu, sine dispensatione Pontificis, vt intelligi potest ex cap. De multa. Extra de Præben.

Probatur autem in primo & tertio Casu expedire bono communi, vt plura beneficia quis obineat. Nam si stipendium, quod cõfertur pro administratione spirituali, non sufficiat ad commodè alẽdam personam, nemo vellet ministrare; & sic sequeretur penuria ministrorum, quæ redundaret in detrimentum boni communis: singula autem beneficia tenuia non possunt commodè alere singulos. Itaq; melius est, vt in vnum conferantur. Item conducibilius est bono communi, vt vnus Sacerdos probus & doctus præsit duabus Ecclesiis, etiamsi alteri non possit inseruire, nisi per substitutum, quàm si aliquis indignus præsit: id quod necesse esset, moraliter loquendo, si vbi est magna penuria bonorum singulis singula tantum beneficia cõferantur. Præter hos autem Casus, possunt etiam multi alij peculiares occurrere, in quibus meritò Pontifex dispenset, iuxta illud capit. Relatio 21.q.1.

Quòd autẽ, vt Doctores in sexto Casu dicunt, præstantia doctrinæ siue nobilitatis sit sufficiens causa dispensandi; primò colligitur ex capit. De multa. Extra de præbendis. Deinde ratione probatur: Nam expedit interdum bono communi, vt eiusmodi homines opibus etiam valeant. In quo tamen maximè cauendum est, ne huiusmodi coaceruatio beneficiorum ad luxum & secularem pompam, non ad bonum commune, referatur. Tunc enim fieret iniuria populo, & *ciperetur persona*. Nam tales non sunt digni tam multis beneficiis. Quocirca communiter non videntur esse tuta conscientia illi, qui ex pluribus beneficiis reditus percipiunt, excedẽtes notabiliter decentiam sui status. Ecclesiastici enim non sunt digni maiori stipendio, quàm satis sit ad sustentationem decentem in vtilitatem boni communis.

Sed DICES; Si residentia est de iure diuino, quomodo potest Papa dispensare circa pluralitatem beneficiorũ incompossibilium quoad residentiam?

RESPONDEO, In iure diuino, quod nõ est simul naturale in omni casu & omni circumstantia (quale nõ est hoc, vt in disput. de Statibus videbimus) non dispensat Papa, vt agens *principale*, tollendo videlicet obligationem, sicut facit in mero iure humano. Eo enim modo ille solus, qui tulit legem, potest dispẽsare, vel is, cui ille dedit ad id potestatem. Potest tamen Papa in tali iure diuino dispensare *ministerialiter*, hoc est, ex officio, & cum auctoritate declarãdo, iam esse causas, propter quas æquũ sit, vt à Deo ipso relaxetur talis pristina obligatio. Quod cùm facit Pontifex, Deus vt agens principale tollit obligationem. Sed QVÆRET aliquis vlterius, An etiã sine dispensatione Pontificis possint extra prædictos casus alicui conferri licitè plura beneficia.

Ad hoc sit ordine TERTIA assertio. Plura beneficia, requirentia *residentiam*, nullo modo possunt cõferri vel obtineri sine Pontificis dispensatione & causa legitima; adeo, vt si causa legitima dispensationis desit, qui obtinet, non sit tutus in cõscientia. Probatur: nam huiusmodi pluralitas est prohibita; & quidem, si habeat curam animarum, iure diuino, & nulla consuetudo obstat tali prohibitioni: Ergo requiritur dispensatio, cùm præceptum non sit abrogatum.

Quòd autẽ requiratur causa legitima, vt quis tuta conscientia obtineat, probatur: nam vt cõmuniter & rectè dicitur: Papa nõ habet potestatem conferendi beneficia cum detrimẽto Ecclesiæ, sed in vtilitatem eius. Neq; enim est planè *dominus* beneficiorum, quippe cùm non possit illa conuertere licitè in proprios vsus, vt docent D. Thom. & Caietanus hîc in responsione ad 3. Sed est *dispensator* eorum, vtpote quę sunt bona communia Ecclesiæ: iuxta illud Apostoli 1. Cor.4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Dei, &c.* Et ita iubẽtur vbi suprà in Concilio Trident. causæ dispensationum huiusmodi diligentissimè examinari.

QVARTA Assertio. Plura beneficia *simplicia*, quatenus id fuerit vsu & probata consuetudine receptum. Probatur: nam cùm solo iure humano, huiusmodi beneficiorum pluralitas videatur prohibita; vbi cõsuetudo obtinuisset, vt plura eiusmodi beneficia, vni sine aliqua dispensatione Superioris cõferantur, meritò cẽseri posset illud ius humanum per consuetudinẽ contrariam esse abrogatum, vt etiam Nauarrus annotauit in Man. cap. 25. n.125. Et ita probabilissimè sentit Sotus lib.3. de Iustitia, q.6. art.3. in huiusmodi communiter non esse opus aliqua dispensatione.

Vbi autem illud ius humanum vigeret, dispensatio est necessaria; quæ quidé in huiusmodi beneficiis simplicibus securũ redderet in conscientia eum, cui plura darentur, quamuis nõ subesset legitima causa dispẽsandi. Nam vt disputauimus in materia de Legibus, Superior dispensans sine causa legitima in iure humano, quod ipse condidit; quamuis peccet, tamen verè reddit alterum securum in conscientia; eò quòd se habet tunc vt agens principale, cuius potestate potest tolli vinculum iuris humani, etiam causa legitima deficiente. Nam præter causam legitimã obligationis, vt lex obligaret istum, requiritur, vt voluntas superioris obligandi illum perseueret; sicut etiam eadem fuit necessaria, vt initio obligaretur.

SVPEREST vt respondeamus ad argumenta ea, quæ contra quamcunq; pluralitatem beneficiorum suprà obiecimus. Ad PRIMVM patet responsio ex dictis. Nam si debitis circumstantiis plura beneficia in vnum conferantur, potius ita promouebitur bonum commune. Neq; illa, quæ vt incommoda cõmemorata sunt in argumẽto, incommoda verè erunt. Nam nõ est habendum pro incommodo, si interdum ad tempus digni aliqui careant præmio, propterea quòd nullum bonum commune tunc temporis distribuendum suppetat. Item cùm sint plurima beneficia in Ecclesia; collatio plurium in vnum non meritò retardabit alios à studio literarum & virtutis: quin potius excitare debet. Siquidem, vt antè est dictum, causa licitè habendi plura beneficia potest etiam esse doctrinæ præstantia. Denique si ij, qui habent plura beneficia, velint superfluis sumptibus parcere, facilè curare possunt, ne cultus diuinus negligatur; id quod iubentur in Concilio Tridentino, sessione septima, in decreto de Reformatione. Fatendum est tamen, illa omnia incommoda & plura secutura ex beneficiorum pluralitate, si absque legitima causa permittatur.

Ad SECVNDVM respondeo, nullam iniuriam fieri populo, si vt cautum est in Concil. Trident. illi, qui plura habent beneficia, sufficienter prouideant Ecclesiis de ministris dignis: id quod communiter loquendo, haud difficulter fieri potest. Quòd si careat interdum populus digniori, quem habere potuisset pro eodem stipẽdio, quod confert non residenti; tamen non potest id rationabiliter iniquè ferre; siquidẽ id detrimentum abundè cõpensatur ea vtilitate communi, quæ ex pluralitate licita sequitur, & in cõmodum ipsius populi demùm redundat. Solùm igitur tunc populo incommodè accidit pluralitas beneficiorum incompossibilium, quando inde nullum sequitur bonum commune, atque adeo nulla vtilitas manat ad populum. Et per hoc patet quoq; responsio ad confirmationem illius argumenti.

SED dicet aliquis. Quid, si contingat in aliquo loco, vt non inueniantur digni substituti, nunquid poterit quis tunc plura beneficia tutò retinere? RESPONDEO, si illa penuria ideo accidit, quia in tali loco non sunt digni, non propterea debet quis relinquere plura beneficia: nam quamuis relinquat, non occurretur illi incommodo, vt patet; sed aliunde debet prouideri de remedio; videlicet per Prælatos & Pontificem, quorũ vel maximè munus est quærere idoneos

neos ministros, qui pascant gregem Dominicum.

Si autem illa penuria accidit, non quia desiderentur digni; sed quia digni, qui eo loco reperiuntur, nolunt esse substituti, alioqui libenter seruituri, si titulum haberent; tunc quidem quoniam ea penuria oritur ex pluralitate beneficiorum, quæ simul alij possident, videndum est, an ibi maius bonum cõmune sequatur ex eo, quòd vnus habeat plura beneficia, quàm detrimentum ex eo, quòd in eo loco non sint digni, qui substitui velint. Et si quidem maius bonum sequatur (quod rarò continget) licitè potest quis retinere plura; etiamsi interim dum digni substituti quæruntur, populus contribuat stipendia, carens præsenti administratione sufficienti. Nam contribuere tunc censebitur pro bono communi, quod omnibus modis debet promoueri; etiam cum contributione partium communitatis. Si autem (quod moraliter ferè semper continget) ex illa pluralitate maius detrimentum bono communi sequatur, propter penuriam ministrorum, quam commodum; tunc quidem neque licitè à Prælatis plura beneficia vni permittẽtur, neq; licitè ab vno retinebũtur. Nam cessabit tunc ratio boni cõmunis, propter quam solam est licita ea pluralitas.

Ad VLTIMVM argumentum, quod ex sanctis Patribus contra pluralitatem beneficiorũ obiiciebatur, respõdeo, eos propterea illam improbare, quia sæpe est illicita. Potest tamen esse etiam licita, vt patet ex dictis. Atq; hactenus explicauimus quatenus in distributione spiritualium possit contingere *acceptio* personarum.

De Accept. person. in distribut. offici. secularium.

NVNC est ordine QVINTA quæstio, *Vtrum quemadmodum in spiritualibus dignitatibus distribuendis, ita etiam in distribuendis officiis & dignitatibus secularibus, pertinentibus ad temporale regimen Reipub. possit Princeps vel Respub. peccare per acceptionem personarum contra iustitiam distributiuam.* Videtur enim hìc neque Iustitia distributiua, neque Acceptio proinde personarum habere locum.

PRIMO, quia stipendia annexa huiusmodi officiis secularibus, dantur pro labore ministrorum Reipub. non autem pro dignitate personarum. Ergo & ipsa officia siue iura recipiendi talia stipendia conferuntur à Principe pro eodem duntaxat ministerio; & consequenter non habebit hìc locum iustitia distributiua, quæ respicit solam dignitatem personæ.

SECVNDO, quia Princeps non alia de causa confert huiusmodi stipendia dignis, nisi vt populo ea ratione satisfaciat, cui ex iustitia commutatiua debet bonam gubernationem; siquidem propterea recipit à populo tributa, vt ipsum commodè gubernet: Ergo sola Iustitia *commutatiua* hìc videtur habere locum. Antecedens patet ex vsu & praxi. Id enim solum Principes videntur spectare.

TERTIO, nam in aliquibus locis Principes vendunt huiusmodi officia illis, quibus conferunt: Ergo non conferunt ex iustitia distributiua. Patet consequentia: nam tunc subditi per solam propriam dignitatem suam haberent ius ad illa, & proinde iniquum esset ab illis vlterius pretium extorquere.

In *contrarium* est, quòd huiusmodi officia & iura recipiendi pro temporali ministerio certa stipendia, sunt quædam bona communia Reipub. & vtilia & honorifica, cùm nullius determinatè sint propria sine concessione Superioris: Ergo ex natura rei debent conferri secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ, alioquiaccipietur persona.

De hac re duæ sunt tenendæ assertiones. PRIMA. Non est negandum, quin hìc habeat locum iustitia *commutatiua*. Probatur: quia illa stipendia consignantur ex tributis populi, quæ is confert Principi, vt inter cætera ei prouideat de ministris, qui dignè talia stipendia promereantur. Ergo ex iustitia commutatiua debet id Princeps populo. Neq; verò est eadem ratio in proposito, quę est in dignitatibus spiritualibus. Temporalia enim ministeria bene possunt cõferri pro precio secundùm iustitiam commutatiuam: Spiritualia verò *vt spiritualia sunt*, non item.

Neque obstat huic assertioni, quòd plerumq; maius sit stipendium, quàm videatur esse labor huiusmodi ministrorum: nam quamuis præcisè consideratus labor non videatur æqualis interdum mercedi, tamen quodam arbitrio humano, vt labor talis adhibeatur ab hac vel illa homo, vt labor talis adhibeatur ab hac vel illa honorata persona, &c. meritò tanti æstimari potest.

Neque etiam putandum est, populum non velle conferrre ea stipendia pro labore ex iustitia commutatiua; sed solùm ex gratitudine in sustentationem ministrorum, sicut tribuit pro ministerio spirituali, *vt spirituali*. Nam cùm in ea contributione populus vtilitatem potissimùm spectet; censendum est strictissimo modo, quo potest, velle ea contributione Principem obligare ad præficiendos dignos ministros, & etiam ipsos ministros ad dignè laborandum. Nam id securius est populo. Ac proinde censendus est intendere obligationem iustitiæ commutatiuæ, vt quæ est strictissima. Et hæc ipsa ratio ostendit, præcipuum, quod hìc spectatur, esse iustitiam commutatiuam.

SECVNDA assertio. Etiam interuenit hìc ratio iustitiæ *distributiuæ*, quando ad huiusmodi officia eliguntur ij, qui sunt partes eius communitatis, cui præficiuntur. Patet clarè hæc assertio ex ratione facta *in contrarium*. Quocirca non modò digni prætermissis indignis, sed etiam digniores prætermissis minus dignis, in casu huius Assertionis sunt præferendi. *Dixi*

Dixi autem, quando eliguntur ij, *qui sunt partes eius communitatis, etc.* Nam vbi propter bonas causas consuetudo obtinuisset, vt alienigenæ præficerentur, non posset ibi interuenire nisi sola iustitia commutatiua. Vt enim dictum est p. præcedent. distributiua iustitia solùm habet locum, cùm bona communitatis distribuuntur in partes eius. Quare tunc satis esset eligere dignum illo stipendio: quia id solùm requirit commutatiua.

Ad PRIMVM verò & SECVNDVM argumentum respondeo, solùm probare, hìc interuenire rationem iustitiæ commutatiuæ, & quidem præcipuè: non tamen probare, quin secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ sint etiam attendendæ dignitates personarum in ordine ad tale ministerium & ad bonum commune, sicut suo modo est dictum de distributione spiritualium.

Ad TERTIVM dico tria. *Primò* posse contingere, vt expediat bono communi, ab illis, qui eliguntur ad huiusmodi officia, exigi aliquam summam, velut quandam conditionem requisitam, sine qua in ordine ad bonũ commune (existente nimirum circumstantia alicuius necessitatis publicæ) non censeatur dignus aliquis tali officio. Vt, verbi gratia, casu, quo non posset commodè ab aliis membris communitatis aliquid exigi, vt subueniretur communi necessitati, nisi ab illis, qui eis officiis præficiuntur, vtpote quibus propter lucrum annexum eiusmodi officiis, non sit vsq; adeo difficile, quando ea recipiunt, aliquid per modum tributi pendere.

Secundò dico, si solum ex natura ipsa rei, spectata *natura* huiusmodi officiorum loquamur, posse illa quoque à Principe vel Repub. vendi ex causa rationabili. Vt docuit D. Thomas opusculo 21. ad Duciſſam Brabantię, quę de hoc D. Thomam interrogauit. & Sotus lib. 3. de Iustitia, q. vlt. artic. 4. Probatur: nam sicut ob communem necessitatem potest suppetere causa rationabilis ad minuenda stipendia huiusmodi officiorum, & ad applicandam eorum partem Principi: ita etiam ad separandum ea in partem vel in totum à cumulo (vt sic dicam) bonorum communitatis, distribuendorum ex iustitia quoque distributiua propter solam dignitatem eorum, quibus vt partibus communitatis tribuuntur, & ad applicandum ea Principi; vt nimirum possit tunc ea tanquam propria, in totum vel in partem pro precio tribuere. Neque id erit tunc iniustum, vt in argumento illo tertio obiiciebatur, quando quidem in tali casu non erunt iam amplius talia officia bona *communia*, pro sola personarum dignitate distribuenda, sed quasi priuata Principis, quę idcirco vendi ex toto aut ex parte ab eo possint.

Tertiò dico, si moraliter secundùm *circumstantias*, quæ vt plurimum in hoc concutrunt, rem hanc æstimemus, communiter esse illicitum hæc officia vendere. Ita docet Sotus loco citato. Et patet ex plurimis incommodis Reipublicæ, quæ inde sequuntur. Vt quòd non attenditur tunc in eis officiis conferendis, nisi pecunia; nulla verò personæ dignitas ad ea administranda: & alia huiusmodi absurda, quæ Sotus vbi suprà enumerat. Ac propterea D. Thomas in dicto opusculo 21. dixit, id *non decere, quamuis ex natura quidem rei liceat*.

Porro quænam sint CONDITIONES attendendæ in personis, vt in huiusmodi officiorum secularium collatione non committatur personarum *acceptio*, ex dictis circa dispensationem spiritualium suo modo facilè intelligitur. Nam generatim eæ conditiones requiruntur, quę efficiant, vt electus promouere possit bonum commune temporale Reipub. & ita quidem promouere, vt conferat quoque ad æternam beatitudinem consequendã: in quam nimirum tanquam in finem *vltimum*, etiam temporalia suapte naturâ referri tandem debent. Vnde est etiam in his attendenda vitæ probitas. Alioqui nec rectam habere prudentiam huiusmodi officiales possunt, neq; rectè gerere Remp. ac proinde inhabiles sunt censendi ad illam administrandam, vt fusè & eruditè disputat Sotus lib. 3. de Iustitia, art. 4. vbi id etiam colligit ex sententia Philosophi 5. & 6. Ethicorum.

An oriatur obligatio Restitutionis ex Acceptione personarum.

SEXTO ac postremò quæritur, *Vtrum ex violato ordine iustitiæ distributiuæ, quando indigno vel minus digno aliquid confertur, siue in temporalibus, siue in spiritualibus; oriatur obligatio restituendi, & cui debeat malè distribuens restituere.* De hoc variæ sunt opiniones, quas examinabo respondendo per sequentes assertiones.

PRIMA assertio. Qui eligit indignum, restituere debet Ecclesiæ vel Reipub. cui eum præficit, tantum, quantum indignè censetur talis recipere de illo stipendio; atque etiam quantum satis est ad resarciendum damnum si quod Respublica incurrit ob indignitatem talis Ministri. In hac assertione omnes conueniunt; etiã Adrianus in materia de Restitutione q. de collatione beneficiorum, cui alioqui nonnulli tribuunt, quòd neget, vnquam oriri obligationem restituendi ex violata distributiua; credo, quia argumenta ponit, quibus id probari videtur, & eis non clarè respondet.

Probat autem hanc assertionem quoad *priorem* partem Sotus lib. 4. de Iustitia, q. 6. art. 3. in solutione sexti, & alij: Nam peccat tunc Prælatus contra iustitiam commutatiuam, quæ debebat dare communitati dignam personam pro stipendio. Ergo debet tunc ei restituere stipendium, quod populus consignauit.

Sed expeditius potest ita probari: Qui indignum communitati præficit, eò ipso est causa damni Reipub. in hoc consistentis, quòd frustra

Universidad de Deusto
Biblioteca

& inuita rationabiliter confert stipendium tali ministro: Ergo tenetur ei damnũ resarcire, restituendo illi stipendium. Consequentia est clara. Antecedens probatur: quia populus nec vult, nec velle tenetur dare stipendia nisi digno.

Quoad *posteriorem*, verò partem probatur assertio eadem ratione. Nam qui causam damni dat, damnum fecisse videtur cap.vlt. de Iniuriis; vt ad hoc ipsum confirmandum optimè argumentatur Couarruuias Relect. in Regulam Peccatum, par.2. §.7. n.2.

Secunda assertio, Quando Prelatus confert beneficium digno, prætermisso digniori, nulla debet fieri restitutio communitati, cui dignus præficitur. De hac etiam conuenit inter omnes. Et Probatur: Nam quando populus habet dignũ ministrum, non confert inuitus rationabiliter stipendia, siquidem ea meritò conferuntur digno ministro. Fatendum est tamen, tunc non seruare Prælatum erga populum eam fidelitatem, quam deberet præficiendo ei digniorẽ: sed tamen inde non oritur restituendi obligatio.

Confirmatur hoc ipsum à simili. Nam si Dominus daret pecuniam œconomo, vt quæreret optimos, quos posset inuenire, operarios pro sua vinea; peccaret quidem ille œconomus contra fidelitatem Domino debitam, si cùm posset dignissimos conducere, non conduceret nisi dignos; sed tamen nihil deberet Domino restituere. Nam operarios eo stipendio dignos conduxit. Ergo similiter nec Prælatus in nostro casu debet aliquid restituere Ecclesiæ.

Sed est argumẽtum contra hanc assertionem: Si Dominus ea lege vellet per suum œconomum, dari copiosam mercedem operariis, vt ea non daretur nisi dignissimis: Et œconomus daret illam amplam mercedem dignis, & non dignissimis; deberet restituere Domino saltẽ illam partem, qua stipendium excedit operas mercenarij digni: quia illam non dat Dominus voluntariè, nisi dignissimis: Sed Ecclesia similiter ea lege consignat amplissima stipendia ministris (& interdum multo maiora, quàm videatur debere in compensationem ministerij spiritualis) vt illa stipendia dentur dignissimis, alioqui nollet tanta stipendia contribuere. Ergo similiter tenetur restituere, qui ea non confert dignissimis.

Respondeo per distinctionem Minoris. Vult enim Ecclesia, vt dignissimis stipendia dentur secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ; sed non adeo strictè id vult, vt si dentur dignis, & non dignissimis, nolit esse data. Cuius rei argumento sunt decreta Canonica supra citata, quæ approbant electiones dignorum. Neque verò rationabiliter posset populus habere in proposito adeo strictam voluntatem; siquidem quantumcunq; magnum sit stipendium; maius multo est beneficium spirituale, quod populo impendit quicunque minister dignus.

Tertia assertio. Quando præbenda confertur indigno, prætermisso digno; vel digno, prætermisso digniore, Superior non tenetur aliquid restituere digno vel digniori prætermisso. Ita Sotus lib.4.de Iustit.q.6.art.3.ad 6. Et Couarruuias Relect. in Regulam Peccatum, par.2.§.7.n.6. Et Nauarrus in Manuali cap.17. nu.73. Et Adrianus in 4.materia de Restitutione q.15.& multi recentiores hoc docent contra Caietanum q.62. art.2. circa ad 4. D.Thomæ, & Paludanum in 4. d.15.q.2. art.2.

Etsi autem hæc assertio sit omnino vera; tamen quædam rationes ad eam probandam adferri solent non satis firmæ. Quas proderit breuiter discutere, vt postea melius percipi queat solida istius assertionis probatio. Ac *primò* quidem præcipuum quorundam argumentum pro hac assertione contra Caietanum est: quia per hoc, quod digno vel digniori præbenda non conferatur, nõ auferturilli quod *suum* est: Ergo nulla ei debet fieri restitutio. Consequẽtia patet; nam restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ obligat ad reddendum cuiuis quod *suum* est. Antecedens probant: quoniam dignus vel dignior, antequam ei sit beneficium collatum, nullum habet ius ad ipsum; neque *in re*, hoc est, quasi possideat ipsum, neque *ad rem*, quasi possit in iudicium Prælatum vocare, vt sibi beneficium conferat: Ergo nullo modo est suum.

Sed hęc ratio, si nihil aliud addatur, non conuinceret Caietanum. Ipse enim, vt patet supra quæst.62.art.2. non ob id dicit faciendam esse restitutionem digno vel digniori, quòd fuerit ei aliquid *suum proprium* ablatũ; sed propterea, quia, quod erat *commune*, non fuerit factum iam eius *proprium*, sicut debebat fieri per Prælatum. Atque idcirco censet Caietanus, Prælatum debere digniori prætermisso restituere id totum, quod beneficium valebat: quia totum debebat facere *proprium* dignioris. Concederet igitur Caietanus Antecedẽs illius rationis, & negaret Consequentiam: Et ad eius probationem diceret, iustitiæ commutatiuæ esse reddere vnicuique quod vel *est* suum, vel *debebat* esse suum, & datum est alicui.

Secundò, vtuntur etiam Sotus, & alij, contra Caietanum tali argumento: Huiusmodi beneficia non sunt bona communia, dispensanda secundùm dignitatem personarum, sed sunt stipendia populi reddenda operariis secundùm iustitiam commutatiuam: Sed per hoc, quòd stipendia aliqua dentur minus dignis, prætermissis dignioribus, nulla fit iniuria dignioribus, ex qua debeat eis aliquid restitui: Ergo nec in proposito, &c. Minorem probat exemplo. Qui enim in foro conduceret sua pecunia minus dignos operarios, nullam faceret iniuriam dignioribus prætermissis, quam deberet illis resarcire: secus, si illa pecunia esset communis Reipublicæ præcipuè distribuenda secundùm dignitatem personarum. Tunc enim concedit Sotus, quod fieret dignioribus prætermissis iniuria contra distributiuam iustitiam, & quòd deberet illis resarciri ea iniuria per aliquam restitutionem, iudicio prudentum.

Sed in hac ratione videtur Sotus parum sibi constare. Nam antea lib.3.quæst.6.art.2. concesserat, beneficia non solùm habere se vt stipendia secundùm commutatiuam iustitiam dispensanda: sed etiam vt bona communia, hoc ipso, quòd concessit, in eorum distributione habere etiam locum iustitiam distributiuam, licet minus principaliter. Hic autem hoc videtur negare. Alioqui cùm concedat in hac ratione, ex violata iustitia distributiua circa bona communia oriri obligationem restituendi aliquid illis, quibus non secundùm dignitatem bona communia distribuuntur (vt patet ex explicatione Minoris suæ rationis) si concedit, aliqua ratione in dispensatione spiritualium interuenire iustitiam distributiuam; ex ea parte cogeretur concedere obligationem restituendi *digniori* (quam negat) licet non ex ea parte, qua hic interuenit commutatiua, secundùm ipsum.

Tertiò, alij confirmant idem contra Caietanum hoc modo: Postquam est datum beneficium digno, non debet dari digniori prætermisso: Ergo nec debet ei restitui æquiualens. Patet consequentia: nam quando aliquid debet alicui restitui; si illud manet in specie, debet in specie restitui; vt patet ex materia de Restitutione: Sed hic manet beneficium in specie, & tamen non debet in specie restitui: Ergo nihil debet restitui digniori.

Sed hæc etiam ratio non concludit. Dicere enim, debere restitui idem in specie manens, nisi inde sequatur magnum aliquod incommodum; quale in proposito sequeretur, si electio digni esset inualida, & posset irritari, vt patet ex dictis in q.2. huius puncti. Quamuis igitur conclusio ipsa sit vera, tamen hæ rationes, quæ afferuntur, non sunt validæ.

Ideo Aliter eam assertionem probabo, ostendendo vniuersaliter, ex violatione iustitiæ distributiuæ nunquam oriri obligationem alicui restituendi digno vel digniori prætermisso: Nam neque ex tali violatione oritur obligatio restitutionis *propriè dictæ*, consistentis in eo, vt quod antea erat *proprium* alicuius, ei reddatur vel in se, vel saltem æquiualenter (quemadmodum nomen ipsum restitutionis sonat) neque restitutionis *propriè dictæ*, qualis potest dici ex eius præcepto debet aliquid de nouo facere *proprium* alicuius, si non fecit antea (quo pacto videtur Caietanus vsurpare nomen restitutionis in proposito) Ergo nullo modo. Consequentia efficiara: quia non videtur aliter quàm alterutro modo ex illis duobus, posse ad iustitiam commutatiuam, & ad eius præceptum pertinere aliquis restitutionis, quo quis debeat alicui quid in alterum conferre.

Primam autem partem Antecedentis (scilicet quod ex violatione iustitiæ distributiuæ non oriatur obligatio restitutionis priori modo, qua nimirum detur alicui id quod antea erat eius *proprium*) non indiget probatione. Nam clarum est, beneficium quod digno vel digniori non datur, minimè antea fuisse eius digni aut dignioris proprium. Itaque non debere ei illo priori modo aliquid restitui, facilè, vt diximus, daret Caietanus. Altera verò pars Antecedentis (scilicet nec debere tali digno vel digniori prætermisso restitui aliquid posteriori modo, dando ei nimirum quod debebat fieri eius proprium, vt vult Caietanus) probatur. Nam obligatio aliquid conferendi de nouo, ex iustitia commutatiua, non est, nisi quando alter æquale aliquid à se abdicauit, & in alterum contulit, faciendo id eius proprium; vel quando æquale secundùm rem de suo proprio perdidit incurrendo damnum: Sed dignus vel dignior prætermissus, nihil beneficio æquale secundùm rem à se abdicauit, faciendo illud esse proprium communitatis, neque etiam incurrit damnum perdendo æquale de suo proprio: Ergo nihil debet ei Prælatus, siue Communitas ex iustitia commutatiua; & consequenter nullo modo, nec propriè, nec impropriè debet ei quicquam restitui.

Consequentia est euidens, & Maior patet, tum inductiuè, tum ex ipsa etiam natura iustitię commutatiuæ, cuius est respicere æqualitatem rei ad rem: quæ quidem æqualitas omnino cessabit, si alterutra pars illius nostræ Maioris non verificetur, vt consideranti patet. Minor verò probatur: nam persona digna non contulit aliquid in communitatem præter dignitatẽ suæ personæ, quam ipsamet adhuc retinet. Neque enim hanc dignitatem ita persona digna contulit in communitatem, vt fecerit illam propriam communitatis, abdicando illam à se, quippe cùm maneat etiam eodem modo ipsius personæ, atque est communitatis. Itaque non esset æqualitas, si propter illam aliquid communitatis fieret omnino proprium personæ, & ita proprium, vt iam non esset bonum communitatis eo modo, quo antea erat, sicut reuera non est beneficium aliquod pars boni communis, postquam iam est applicatum alicui personæ. Neque rursus dignus vel dignior incurrit aliquod damnum, amittendo aliquid suum, quia neq; beneficium fuit vnquam illius, vt patet, neque etiam quia prætermissus sit, amisit suæ personæ dignitatem. Ergo vera est omnino illa Minor.

Atq; hæc quidem ratio satis est ad confirmandam illam secundam assertionem. Quæ quidem assertio idcirco potius est eligenda, quòd contraria opinio licet sit probabilis, tamen in praxi est valdè scrupulosa. Nam sæpissimè prætermittuntur digniores, & tamen non sunt in vsu huiusmodi restitutiones. Durum autem est omnes condemnare. Sed ad maiorem explicationem

proponenda & soluenda sunt tria argumenta contra eam assertionem.

PRIMO. Dignus vel dignior prætermissus, est passus aliquam iniuriam; quandoquidem debebat eligi ex iustitia distributiua, & est prætermissus: Ergo debet ei hæc iniuria aliqua compensatione resarciri. Nam alioqui cernetur quædam inæqualitas inter communitatem & ipsum; cùm ipse rectè se habuerit erga communitatem, & communitas non rectè erga ipsum sicut debebat.

SECVNDO. Si Prælatus tunc non debet aliquid digno vel digniori restituere; eâdem ratione neque deberet ille, qui aliquem talem iniustè impediuit vi vel fraude, quo minus præbendam consequeretur: Sed hoc est contra S.Thomam quæst.62. art.2. ad 4. & contra omnes: Ergo, &c. Patet sequela. Nam similiter posset dici, impedientem non fuisse causam digno aut digniori, vt amitteret aliquid, quod erat *suum*. Nam præbenda nondum erat sua.

TERTIO. Hæc assertio apertè videtur contra S.Thomam quæst.62. artic.1. ad vltimum, dicentem, *recompensationem, quam facit malè distribuens ei, cui dedit minus, quàm debuit, esse secundùm æqualitatem rei ad rem; Vt si*, inquit, *quantò minus habuit, quàm debuit, tantò plus ei detur.* Quibus verbis videtur D. Thomas supponere tanquam certam opinionem Caietani, videlicet totum, quod debebat distribuens alicui dare, si non det, debere restituere.

Ad PRIMVM respondeo, concedendo quidem, prætermissum pati iniuriam aliquam hoc ipso, quòd se non rectè habuit distribuens erga ipsum, &c. Sed ea iniuria non est talis, ex qua oriatur restituendi ei obligatio; propter rationem à nobis allatam. Solùm enim ius secundùm iustitiam commutatiuam efficit, vt quando contra illud quis patitur iniuriam, debeat ei fieri restitutio ex eadem iustitia.

Sicut, verbi gratia, pauper, cui dives hîc & nunc debebat ex misericordia conferre eleemosynam, patitur quidem aliquam iniuriam hoc ipso, quòd dives non rectè se habeat erga illum, faciendo vt sit *propria* eius aliqua eleemosyna, quemadmodum debebat. Sed tamen non tenetur dives illi postea restituere quod non dedit; sed tantùm quando iterum tempus obligationis occurret, tenebitur ex præcepto affirmatiuo ei eleemosynam erogare.

Sic in proposito dicimus: quamuis dignus vel dignior prætermissus sit passus illam iniuriam, tamẽ quia ea non est talis, vt ex ea oriatur obligatio restituendi id, quod non est illi datum: solùm tenebitur Superior ex præcepto affirmatiuo ei præbendam conferre secundùm dignitatẽ, quando iterũ tempus distributionis occurret. Et per hoc euertitur totum fundamentum Caietani.

Non enim satis est quouis modo, aliquem debere aliquid facere proprium alterius, ad hoc, vt si nõ faciat, teneatur ei restituere; sed requiritur, vt id debuerit ex iustitia commutatiua, alterutro dictorum modorum in Maiori nostræ rationis. Neque illa inæqualitas, quæ videtur manere inter communitatem & dignum aut digniorem prætermissum, est inæqualitas, quæ debeat resarciri restitutione, sed collatione prębendæ, quando iterum sit distribuendi opportunitas.

Ad SECVNDVM nego sequelam. Ad probationem respondeo, impedientem non debere quidẽ restituere digno vel digniori, quasi abstulerit aliquid eius *proprium*, quod sit ipsa præbenda; sed quia abstulerit ei *liberum vsum* iuris sui in procurandâ & consequenda præbẽda. Et ita quòd ille dignus vel dignior impeditus, propinquior erat præbendæ consequendæ, eò plus illi restituere debet impediens, arbitrio boni viri, vt bene explicat Caietanus loco citato.

At verò nos in præsenti supponimus, malè distribuentẽ non impediuisse ius vel liberum vsum iuris, quod dignus habebat ad præbendam procurandam, sed tantùm non dedisse illi præbendam, quam ex iustitia distributiua ei debebat. Et ideo dicimus contra Caietanum, non debere illi aliquid restituere. Quòd si distribuens impediret dignum vel digniorem, quo minus præbendam liberè procuraret; tunc similiter esset dicendum ex hoc capite eum debere restituere tali digniori vel digno, sicut dicimus de quouis alio impediente.

Ad TERTIVMex D.Thoma respondeo loqui D.Thomam, in casu quo deberet fieri distributio bonorum communium, quę iam essent quoad singulas eorum partes singulis destinata secundum proportionem distributiuę iustitię tanquam propria. Vt si centum coronati, verbi gratia, qui erãt communitatis deberent ex decreto Principis aut Reipublicæ distribui inter aliquos, iuxta ordinem Iustitiæ distributiuæ. Tunc enim si non ita distribuerentur, restitutio esset facienda, nõ propriè ob violatam iustitiam distributiuam sed commutatiuam; cùm illi iam haberent ius proprietatis ad rem. Et hoc satis erat D. Thomæ ad soluendum argumentum, quod prætendebat probare restitutionem esse etiam actum iustitiæ distributiuæ. Adde quod etiamsi ea opinio fuisset S.Thomæ, non propterea nostra careret sua probabilitate.

Porro quod dictum est in his assertionibus de ipso dispensatore bonorum communium, eodem modo intelligendũ est de *præbente consilium*, vt indigno vel minus digno conferatur præbenda, & etiam de resignante beneficium in favorem alicuius indigni. Idem enim est de his iudicium, quod attinet ad restitutionem, cùm omnes isti sint causæ morales distributionis malæ.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

Vtrum Acceptio personarum habeat locum in exhibitione honoris & reuerentiæ.

D. Thomas art.3.

SERMO est hoc loco de reuerentia & honore consistente in aliquo signo exteriore, vt genuflexione, apertione capitis, & assignatione melioris loci, &c. Et quidem D. Thomas non videtur dubitasse, quin in huiusmodi honoribus locum habeat acceptio personarum. Itaq; id pro certo habens, solùm explicat, quo pacto debeant diuersę conditionis homines honorari. Videlicet vel propter virtutem propriam, vel propter virtutem eius, cuius personam quis gerit, aut propter communitatem, cuius est pars.

Addit etiam D. Thomas, committi acceptionem personarum, si diuites ob solum respectum diuitiarum magis honorentur. Quanquam magis honorandi sint, quatenus habent potiorem locum in communitate. Vel si illis diuitiis vtatur ad exercitationem virtutum, vt rectè animaduertit hîc Caietanus.

Si quis autẽ improbus sit; etiamsi habeat optimum locum in communitate, tamen vt improbus est, potest interius despici, iuxta illud Psal.7. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus:* exterius tamen non est id licitum, propter scandalum.

Ex quibus patet, quomodo intelligendum sit illud Iacob.2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida, introierit autem pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hic bene; pauperi autẽ dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum; nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Intelligitur enim hoc, si quis dives honoretur magis propter solas diuitias; nõ autem si magis honoretur propter locum quem habet digniorem in communitate.

Sed discutiendum adhuc paulo subtilius est, an omnino sit verum hoc, quod pro certo ponit D. Thomas, scilicet acceptionem personarum habere locum in huiusmodi *honorum exhibitione*. Videtur enim hoc falsum. PRIMO. Nam exhibitio honoris non est actus iustitiæ distributiuę, sed *Obseruantiæ*, quæ est virtus specialis, de qua disseris D. Thomas infrà q.102. Ergo mala exhibitio honoris non pertinebit ad vitium oppositum Iustitiæ distributiuæ, sed ad vitium oppositum obseruantiæ.

SECVNDO. Quia in *gratuitis* non habet locum acceptio personarum, vt explicatum est p.1. Sed exhibitio honoris est gratuita. Ergo, &c. Ac propter hęc duo argumenta potissimum, Caietanus hoc loco dicit, non esse mentem S. Thomę, quòd hîc interueniat propriè & directè acceptio personarũ; sed reductiuè & impropriè: eo quòd hîc etiam suo modo accipitur aliquando *non causa* vt *causa* honoris; sicut etiam obseruantia reducitur ad iustitiam, quoniam respicit *alterum, &c.*

Et potest TERTIO confirmari hæc sententia Caietani. Quia huiusmodi honoris exhibitiones non videntur esse *bona communia*: cuius signum est, quòd non pertinet honoris distributio ad superiores tantum, sed etiam ad quamlibet priuatam personã: Ergo non spectant ad Iustitiam distributiuam: Ergo non potest hîc accipi persona.

SED his non obstantibus, respondeo, sententiam S. Thomæ esse veram, & propriè intelligendam. Prius autem quàm eam probemus, est sic explicanda. Honores, qui in Repub. singulis pro dignitate exhiberi possunt ac debent, dupliciter considerari possunt. VNO modo, vt sunt *in actu*, id est, vt actu exhibentur huic aut illi personæ. Et sic non sunt bona communia, in quorum distributione posit habere locum acceptio personarum; sed sunt bona particularia & propria illarum singularium personarum, quibus bene aut malè deferuntur.

ALTERO modo considerari possunt eiusmodi honores, vt sunt *in potentia*, id est, vt possunt huic aut illi exhiberi. Et hoc modo bona quædam communia sunt, *moraliter* rem æstimando; ac proinde nisi pro cuiusq; dignitate iuxta normam distributiuæ iustitiæ distribuantur, vitium in illorum distributione admittetur acceptionis personarum.

Hoc pacto intellecta hæc sententia probatur PRIMO ex adducto illo testimonio D. Iacobi, qui planè indicat, acceptionem personarum & iniquitatem (contra iustitiam nempe distributiuã) committi, si quis ob causam non idoneam (vt puta ob diuitias) honoretur magis, quàm alius, qui fortè propter virtutem (quantumuis pauper) honore dignior sit.

SECVNDO probatur ratione. Nam (vt dictum est) honor *in potentia* consideratus, est quoddam bonũ commune, moraliter loquendo; cùm non sit alicuius personæ determinatè, sed indifferenter quilibet dignus posit id bonum participare, per hoc, quòd ea potentia reducatur in actum, quo hic aut ille dignus honoretur. Et præterea id bonum commune, debet huic aut illi applicari in recompensationem dignitatis, qua quis bene meretur de communitate, etiamsi de persona priuata, exhibente honorem, non sit peculiariter bene meritus. Ergo illi, ad quos spectat, id bonum singulis applicare; debent secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ id facere. Et consequenter cùm id bonum commune ex natura sua sit tale, vt quæuis persona priuata debeat illud distribuere: quæuis persona debebit in eo distribuendo seruare proportionem distributiuæ Iustitiæ; alioqui accipiet personam. Et quidem si

Universidad de Deusto
Biblioteca

attentis omnibus circumstantiis, irreuerentia grauis iudicetur, poterit esse mortale peccatum. Adde etiam huc consuetudinem, quæ in huiusmodi videtur habere vim obligandi.

Itaque maneat, honores, vt sunt *in potentia*, esse quoddam bonum commune, quod bene vel malè, per normam iustitiæ distributiuæ, vel per acceptionem personarum, singulis distribui accidit. Nam prout ea potentia, qua in Repub. homines possint honore affici, reducitur in actum bene vel malè, est bona vel mala distributio huius boni. Nec tamen, si sit mala, nascitur propterea obligatio restituendi aliquid communitati. Est enim hoc bonum eius naturę, vt ex mala eius distributione (quæ est actus honoris exhibitus indigno) nullum damnum sequatur; sed centenis millenisue actibus huiusmodi malè distributis, manet semper bonum integrum, scilicet potentia eadem, qua possunt digni honore affici.

Ad PRIMVM autem argumentum Caietani respondeo, in huiusmodi actibus non contingere acceptionem personarum, vt sunt eliciti immediatè à virtute obseruantiæ, sed vt sunt quasi materia iustitiæ distributiuæ. Quod est dicere, contingere hîc acceptionem personarum in eo actu, quo quis malè vult elicere eos actus obseruantiæ; qui quidem actus opponitur actui recto, quo secundùm iustitiam distributiuam debebat quis velle eos actus reuerentiæ exercere. Itaq; intelligendi sunt in proposito hi actus obseruantiæ eodem modo se habere ad iustitiam distributiuam, sicut se ad eam, verbi gratia, habent beneficia Ecclesiastica distribuenda. Nihil enim impedit, quo minus actus vnius virtutis sint quasi materia virtutis alterius: ad eum modum, quo in tomo 2. disp. vlt. q. vlt. p. 4. explicaui actum misericordiæ siue liberalitatis, quo Deus gratis confert gratiam hominibus, habere se *vt materiam* actus iustitiæ, quo ea largitione debet Deus Christi Domini merita compensare.

Ad SECVNDVM respondeo, probare non esse hîc acceptionem personarum, vt illi actus eliciuntur immediatè ab obseruantia, quo pacto dicuntur *gratuiti:* nihilominus quando occurrit naturalis obligatio pro loco & tempore, ex obseruantia *gratuitò* exhibendi tales actus (id est, non quæsita vel exspectata recompensatione) tunc etiam est præceptum affirmatiuum illos exercendi secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ modo dicto. Quinimo etiam quando id præceptum affirmatiuum obseruantię non obligat: tamen si quis vult liberè eos actus exercere, debet tunc ex præcepto negatiuo iustitiæ distributiuæ (de non perturbando huius Iustitię ordine) proportionem seruare. Sicut posito, quòd quis nunc velit orare, quamuis ex præcepto affirmatiuo id nunc non debeat, tamen nunc tenetur attentè & reuerenter orare, ex præcepto negatiuo de nunquam orando irreuerenter.

Ad TERTIVM iam patet responsio ex dictis, declarauimus enim, quomodo hi honores (vt *in potentia* considerantur) sint bonum commune distribuendum. Neq; obstat quod honorum distributio non solum pertinet ad superiores. Non enim est de essentia iustitiæ distributiuæ, vt quæ uis bona communia per solum superiorē distribuantur, sed tātum vt distribuantur per aliquem gerentem vicem communitatis in tali distributione: siue is quidem sit præcipua eius pars, quæ est caput, siue aliud membrum; prout postulat conditio boni communis distribuendi. Iustitia namque distributiua non solùm potest esse in superiore, sed etiam in subditis, quatenus approbant & volunt distributionem iustam fieri aliis, vt docet D. Thomas suprà quæstione 61. artic. 1. ad 3. Et ita etiam poterit esse in subditis, vt distribuant aliqua bona communia. Sicut etiam in corpore naturali videmus non per solum caput, bona communia distribui, sed etiam quædam per alias partes.

PVNCTVM QVARTVM.

An acceptio personarum habeat etiam locum in sententiis iudicum.

D. Thomas art. 4.

EX fide est certum, acceptionem personarum aliquo tandem modo habere locū in iudiciis. Patet Exodi 23. *Pauperis quoq; non miserebere in iudicio suum est.* Et Prouerb. 18. *Accipere personam in iudicio non est bonum.* Patet idem ex aliis locis citatis p. 2. Et habetur de Regulis Iuris in 6. reg. 12. vbi sic dicitur: *In iudiciis nō est acceptio personarum habenda.* Quod frustra prohiberetur, nisi accidere posset.

Sed DVBIVM est hîc PRIMO, *quo pacto sit hæc assertio, atque adeo Scriptura, intelligenda;* vtrum videlicet iudex attendendo aliquam conditionem non facientem ad causam diiudicandam, *propriè* peccet contra distributiuam per acceptionem personæ; vel solùm dicatur accipere personam *impropriè*, quatenus attendit id, quod non debebat. Et est præcipuè dubium, quando iudex decernit de rebus pertinentibus ad iustitiam *commutatiuam*. Nam quando iudicat malè in materia Iustitiæ distributiuæ; non est dubium, quin peccet propriè contra distributiuam. Nam ea causa moralis efficax malæ distributionis.

Ratio autem dubitandi est PRIMO, quia diuus Thomas inde solùm probat in iudiciis habere locum acceptionem personarum, quia si iudex alicui personæ aliquid attribuit præter proportionem dignitatis eius, *accipit personam*. At hoc intelligi potest de acceptione personæ *impropriè*. Etenim vt in iudicio ferēdo peccatur etiam contra iustitiam *commutatiuam* (atq; adeo impropriè per acceptionem personæ) agitur contrà dignitatem & proportionem æqualitatis rei ad rem.

SECVNDO, nam cùm iudex iniquè iudicat, respiciendo personam in materia iustitiæ commutatiuæ, nullum bonū commune videtur malè distribuere, sed tantùm versatur circa bonum alicuius proprium, quod nimirum vni detrahit & alteri adiudicat: Ergo non potest in ea re committi propriè acceptio personarum.

TERTIO, nam actus iudicij immediatè est actus *iurisprudentiæ*, & mediatè iustitiæ commutatiuę impellentis iudicem, vt ęquè iudicet: Ergo nō contingit hîc propriè acceptio personarum, quæ est contra iustitiam distributiuam solùm.

Ad hoc dico PRIMO. Certissimum est, iudicem respicientem personas grauissimè peccare, & multo grauius, quàm quiuis alius; quocunque tandem modo id peccatum nominetur. Patet: nam ipse peculiariter est custos iustitiæ, adeo vt Aristoteles appellauerit eum 5. Ethicor. *iustitiam animatam*. Itaque monstro simile est, vt ipse iudex Iustitiam labefactet.

Dico SECVNDO, probabilissimū est, iudicem respiciendo personam, & iniquè iudicantem, etiam in materia iustitię commutatiuæ; *propriè* accipere personam contra *distributiuam*. Probatur: nam ipsimet actus iudicandi ex officio & cum auctoritate, si considerentur vt *in potentia* (quemadmodum p. præced. de honoribus diximus) videntur moraliter esse quædam bona communia indifferenter per iudicem huic vel illi digno applicanda; cuius moraliter loquendo fiunt quasi propria, quatenus per eiusmodi iudicia ab iniustis homines vindicātur: Ergo debet iudex secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ in iudiciis ferendis procedere, ita vt quantò quis est dignior fauorabiliori sententia, tantò ei magis in iudicio faueat. Et consequenter quando alicui indigno sententiâ, vel absolutè, vel vsq; adeo fauorabili, iudex patrocinatur, quantum est in se, facit contra ordinem iustitiæ distributiuæ. Nam illa sententia alteri digniori debebatur. Est autem dignitas in proposito pensanda secundùm æquitatem causæ vniuscuiusque.

Et hoc ipsum videtur cæpisse dicere S. Thomas hîc in solutione primi, quando ait, materiam iudicij indifferenter esse materiam iustitiæ distributiuæ vel commutatiuæ, sed formam iudicij pertinere ad distributiuam, & proinde in forma iudicij semper posse habere locum acceptionem personarum. Dico autem, *cæpisse* dicere: quia postea explicans, quo pacto in forma iudicij habeat locum acceptio personarum, tantùm dicit, eatenus habere locum, quatenus iudex, etiam in ipsa iustitia commutatiua *ab vno accipit, & alteri dat.* Quæ verba non videntur indicare, esse hîc propriè iustitiam distributiuam. Nam ab vno accipere, & alteri dare, etiam est commune commutatiuæ.

Sed certè asserere, quòd hîc propriè quoq; habeat locum acceptio personarum, non est alienum à mente D. Thomæ, & omnino est consentaneum Scripturæ locis supra citatis; quæ cùm absque incommodo possint propriè intelligi, sic sunt intelligenda.

Ad PRIMVM verò argumentum contrarium, concedo S. Thomam & alios non omnino id explicâsse: sed tamen huius assertionis fundamenta iecerunt, & certè illam minimè negarunt; sed potius eam concesisse videntur hoc ipso, quòd absolutè hîc habere locum personarum acceptionem affirmârunt.

Ad SECVNDVM iam patet, quomodo hîc interueniat bonum aliquod commune; præter ipsum bonum priuatum, quod est materia iudicij.

Ad TERTIVM respondeo, probare, in iudicio non interuenire acceptionē personarum, prout est actus immediatè elicitus à iurisprudentia, & mediatè à iustitia commutatiua ex parte appetitus impellentis intellectum, vt rectè iudicet: sed tamen interuenit, prout ipsemet actus iudicij est materia distributiuæ: ad modum, quo diximus de honoris exhibitione p. præced.

SECVNDO dubium hoc loco est: *Virum in his, quæ relinquuntur arbitrio Iudicis, locum habeat acceptio personarum.* Vt, verbi gratia, si sanciat lex, vt in tali casu tempus probationis litigātibus assignetur secundùm arbitrium iudicis: quæritur, an tunc possit iudex sine acceptione personarum assignare amico longius tempus, quàm aliis.

Et videtur non posse. Nam quod relinquitur iudicis arbitrio, id facit iudex gratis: Sed *in gratuitis* non habet locum acceptio personarum: Ergo, &c. Sed *in contrarium* est, quòd tunc etiam, iudicium ferendum iudicis arbitratu, est quasi bonum quoddam commune, non minus, quàm si esset à lege præscriptum: Ergo debet iudex in illo ferendo ordinem iustitiæ distributiuæ seruare.

Ad hanc dubitationem dico PRIMO. Iudex in iis etiam, quæ relinquuntur eius arbitrio, tenetur absolutè seruare iustitiam distributiuam. Vnde Leges relinquentes aliquid arbitrio iudicis, intelligendæ sunt velle, vt in eis etiam seruet ordinem iustitię distributiuę; quem propterea ipsæ non præscribunt, quia difficile est ad omnes casus particulares descendere. Et probatur id clarè. Nam non minus teneretur iudex seruare ordinem iustitiæ distributiuæ in iudiciis, si nullæ essent ipsi præscriptæ leges positiuæ, quàm iam tenetur: Ergo etiam in his, in quibus nihil particulariter Leges præscribunt, debet eum ordinem seruare ex præcepto naturali iustitiæ distributiuæ. Patet Antecedens. Nam quando principio erant iudicia ante constitutas Leges aliquas, procul dubio tenebantur iudices ordinem distributiuæ iure ipso naturali seruare.

Dico SECVNDO. In aliquibus iudex habet plenam libertatem; & sic posset gratis plus fauere amico sine acceptione personarum. Vt, verbi gratia, posset audire *in die festo* causam amici, in quo neutram partem debet ex officio audire, nisi in re grauissima. Semper tamen in his vitandum est scandalum. Ita Sotus lib. 3. de Iustit. q. vlt. art. 5. & alij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIO dubium est: *Vtrum absque acceptione personarum possit iudex propter amicum iudicare secundùm opinionem quamcunque probabilem, quando ius est dubium inter Doctores.* Ratio dubitandi est: nam si ita faciat, videtur perturbare ordinem iustitiæ distributiuæ, negando alteri parti sententiam probabiliorem, ad quam ea pars, cui talis opinio fauet, videtur habere maius ius; siquidem procedere secundùm opinionem probabiliorem expedit magis bono communi. Ex alia verò parte videtur id esse licitum. Nam communiter dici solet, licitum esse sequi opinionem probabilem: cùm igitur id sit per se licitum, poterit iudex ea ratione amico fauere.

Dico PRIMO, Si iudex reputaret vtramque opinionem *æquè* esse probabilem, licitè potest propter amicum secundùm illam iudicare, quæ amico magis fauet. Quin etiam posset propter amicum, modò secundùm vnam, modò secundùm alteram iudicare, si tamen scandalum abesset. Ita Sotus vbi suprà & alij, quamuis id clarè non probent.

Probatur autem sic: In tali casu iudex ex vi iustitiæ distributiuæ & officij sui, non magis vni, quàm alteri debet illud bonum iudicij fauorabilis conferre: sed positum est id in mera ipsius libertate: Ergo poterit, cui voluerit, gratificari, fauendo illi, absque acceptione personarum. Patet Consequentia: nam acceptio personæ non habet locum, nisi in eo, quod fit ex *debito* iustitiæ distributiuæ, vt p.1.est declaratum. Antecedens verò patet: quia in eo casu; cùm iudicetur æquè probabiliter posse ferri sententiam in fauorem vnius, atq; in fauorem alterius, attendēdo ius vtriusq;; vterq; est æquè dignus iudicio fauorabili. Et ita iustitiæ distributiuæ ratio non dictat, vni potius tunc esse fauendū, quàm alteri. Hoc enim discrimen non dictat iustitiæ distributiuæ ratio, nisi pro diuersitate dignitatis. Confirmatur à simili. Nam quando duo sunt æquè digni beneficio Ecclesiastico, potest liberè Superior conferre amico, prout voluerit; sicut omnes concedūt. Cuius fundamentum debet esse ratio iam dicta: Ergo similiter in proposito.

Dico SECVNDO, si iudex ita putet, alteram opinionem altera probabiliorem esse, vt simul etiam (quod ferè semper accidit) existimet, probabiliorem *esse veram*, & minus probabilem *falsam*; semper debet ferre iudicium secundùm eam opinionē, quam putat probabiliorem & veram: alioqui si propter amicitiam vel aliam causam fert iudicium secundùm opinionem apud se minus probabilem & falsam; accipiet personā contra iustitiam distributiuam. Hoc etiam sentiunt iidem Doctores; sed non videntur clarè id probare.

Probatur autem sic: Si iudex ferret iudicium, alicui fauorabile, sequendo opinionem minus probabilem apud se & falsam; conferret in eum iudicium fauorabile, non attendendo solā illius dignitatem, seu ius, quod habet ad iudicium fauorabile: Ergo semper in tali casu acciperet personam. Antecedens probatur: nam si in partibus attendisset solam dignitatem & ius, quod habebāt ad iudicium fauorabile, tulisset illud in fauorē alterius partis, cui fauebat opinio apud ipsum probabilior & vera. Nam hoc ipso, quòd iudex putabat illam opinionem esse probabiliorem & veram; iudicabat aut debebat iudicare, dignioremesse fauorabili iudicio illum, cui illa opinio probabilior & vera fauebat, & consequenter illi potius debebat fauere.

Dico TERTIO. Etiam debet iudex iudicare secundùm opinionem apud se probabiliorem, quamuis fortè necdum haberet assensum determinatum de *veritate* etiam eius opinionis, sed hæreret adhuc circa rei veritatem ancipitem & dubiam. Probatur simili ratione. Nam ille, cui fauet opinio iudicata *probabilior*, eo ipso quoque est dignior sententia fauorabili secundùm eam opinionem: Ac proinde si alia sententia ferretur, fieret contra ius dignioris, & eo ipso acciperetur persona contra iustitiam distributiuam.

Ac sunt hæc diligenter ANNOTANDA pro definiendis in materia *iustitiæ* aliis etiam casibus conscientiæ, siue in Confessione, siue extra, quācumque aliquis, vel vt iudex, vel vt consultor, tulerit aliquam sententiam in materia *iustitiæ*. Debet enim quis tunc (propter rationē dictam) iudicare in alterutrius fauorem secundùm opinionem probabiliorem apud se. Aliàs accipiet personam.

Sed QVAERIS: An etiam in aliis casibus debeat quis sequi opinionem probabiliorem apud se, quando videlicet si sequeretur minus probabilem apud se, non faceret contra ius alicuius, quod aliqua persona videatur habere ad fauorabile iudicium secundùm probabiliorem opinionem: Vt cùm opiniones nec directè, nec indirectè pertinent ad iustitiam, sed ad materiam *aliarum* virtutum moralium.

Videtur enim tunc satis esse sequi probabilem. Nam nemo tenetur vel ipse facere, vel alteri consulere, quod melius est; cùm sufficiat facere id, quod est bonum & securum, nisi extaret aliquod præceptum peculiare de *meliori*, quod hic non apparet esse: Sed qui sequens dictamen opinionis probabilis facit aliquid; facit quod est securum & bonum, quamuis non quod melius est & securius: Ergo licitè opinionem probabilem sequitur. Maior patet. Nam faciendo quod est bonum & securum, nemo vnquam peccabit. Minor autem probatur. Nam quicunque sequitur opinionem probabilem, sequitur humanum dictamen rectum, moraliter loquendo, quod non consistit in indiuisibili, sed potest esse securum & securius, &c. Ergo conformando se in opere illi dictamini, securè operatur: licet in rei veritate contingeret, vt illa opinio esset falsa.

RESPON-

RESPONDEO. Dupliciter quis circa actum aliquem, per ipsum exercendum, aut per alterum, qui se consulat, potest putare ex duabus opinionibus alteram esse probabiliorem, alteram minus probabilem, atque adeo vtramque *probabiliter* veram, licet vnam magis. VNO modo ita, vt non simul determinatè sentiat, probabiliorem esse reipsa quoque *veram*, sed adhuc anceps hæreat, vtra potius non modò probabiliter, sed *reque quoque sit vera*. Et tunc quidem quando non agitur de præiudicio tertij (id est, extra materiam Iustitiæ, vt iam loquimur) vtramlibet opinionem quis potest aut sequi ipse, aut alteri suadere, vt probat argumentum factum: nam vtramlibet aut facto aut consilio sequi est bonum, cùm vtraque hoc ipso, quòd iudicatur esse saltem probabiliter vera, iudicari possit esse conformis dictamini recto prudentiæ humanæ, quod est NORMA bonitatis in actione.

ALTERO modo potest quis putare alteram opinionem esse probabiliorem, & alteram minus probabilem, ita vt simul (quod plerumque accidit) determinatè sentiat, probabiliorem *esse reque quoque veram*, & minus probabilem *falsam*. Et tunc quamdiu quis in tali existimatione iudicioque perdurat, non potest aut in agendo, aut in consulēdo sequi opinionem minus apud se probabilem & falsam; sed debet sequi, quam veram & probabiliorem putat.

Ratio huius est clarissima. Nam qui censet hoc esse probabilius & verum in materia morali; censet hoc esse faciendum, & contrarium, quod iudicat minus probabile & falsum, non esse faciendum. Et ita ipse non potest licitè, durante tali opinione, contrarium facere aut suadere: quia nemo licitè facit aut suadet, quod iudicat omnibus pensatis, non esse faciendum.

Nec tamen hoc obstat, quo minus ille idem iudicet; alterum, qui contrarium censet probabilius, atque adeo iudicat esse faciendum, *licitè* sequi suum probabile dictamen. Et hoc etiam probat argumentum factum: non verò probat, eum ipsum, qui contrarium iudicat probabilius, posse securè facere, quod opinio minus probabilis & falsa apud se dictat. Nam is perseuerante illa opinione, non habet dictamē contrarium opinionis minus probabilis & falsæ apud seipsum; & ita id dictamen non est illi securum, quia non habet illud.

Ex quo intelligitur, quo pacto accipiendum sit dictum illud, initio huius dubij obiectum: *Vnicuique licitum est se opinioni probabili conformare:* videlicet si dictamen eius opinionis ipse habeat, reputando illam *veram*, aut certè *non falsam*, sed probabiliter saltem veram.

Neque obstat, quòd Confessarius licitè absoluit pœnitentem secundùm opinionem, quam pœnitens habet, etiamsi ipsemet Confessarius eam putet esse falsam, & contrariam probabiliorem ac veram. Tunc enim Confessarius id faciendo non sequitur dictamen opinionis minus probabilis & falsæ *apud se*, quam pœnitens habet, & ita neque verè sequitur illam; sed absoluit pœnitentem sequendo quoddam aliud dictamen euidens in moralibus, nempe istud: *Hic pœnitens sequendo hanc opinionem probabilem, licet apud me minus probabilem & falsam, non peccat; & propterea non idcirco quòd eam sequatur, debeo ei negare absolutionem, quæ solùm debet negari propter peccatum.* Quod quidem dictamen habet Confessarius, vt patet, quamuis nec deponat dictamen opinionis probabilioris & veræ apud se, nec sequatur dictamen opinionis pœnitentis. Quocirca eatenus tantùm tunc potest dici Confessarius se conformare opinioni pœnitentis, quatenus illam ei permittit; non autem quasi sequatur illam. Et hoc est diligentissimè animaduertendum pro omnibus materiis moralibus. Solent enim in hac parte multa confusè dici.

QVÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO OCTAVA.

De Homicidio.

D. Thomas 2.2.quæst.64.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, AN ET QVA RATIONE hominem occidere sit illicitum; & num aliquando licitum esse possit. SECVNDO, Qua ratione peculiariter id sit illicitum vel licitum, ex parte hominis occisi. TERTIO, Qua ratione peculiariter id sit illicitum vel licitum, ex parte occidentis. QVARTO, Qua ratione peculiariter id sit licitum vel illicitum ex parte causæ occisionis. QVINTO, Quænam sit pœna homicidarum.

PVNCTVM PRIMVM.

An & qua ratione hominem occidere sit illicitum, & num etiam licitum esse possit.

D. Thomas art.1.

CERTVM inprimis ex fide est, aliquam hominis occisionem iure naturali & diuino esse illicitam & prohibitam. Patet Gen.9. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Et ex quinto Decalogi præcepto. Exodi 20. *Non occides.* Et 1. Ioan.3. *Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in seipso manentem.*

Sed cùm æquè certum sit, quibusdam etiam rationibus & modis licitam esse quandoque occisionem hominis (vt patebit in punctis seq.) videndum est, quanam ratione propriè aliqua occisio hominis sit, vt diximus, iure naturali & diuino prohibita.

Hoc vt commodè explicemus, prænotandum est, tripliciter posse considerari hominem. PRIMO præcisè, vt viuens vita *vegetatiua & animali*, in quo conuenit cum plantis & brutis. SECVNDO, vt naturaliter viuens vita *rationali*, in quo ab eis differt. TERTIO, vt *voluntariè* quoque viuens vita rationali, nec quomodocunq; voluntariè, sed *voluntate recta*, qua scilicet bene & conuenienter rectæ rationi velit retinere rationalem suam vitam, & ea non priuari. Iam pono tres assertiones certas ex fide.

PRIMA assertio. Occisio hominis non est illicita, si *præcisè* consideretur, quatenus per eam priuatur homo vita *vegetatiua & animali*. Probatur: nam si ob id præcisè occisio hominis esset illicita; illicitum etiam esset occidere animalia, & mortificare plantas, euellendo aut amputando. At hoc illicitum non est, sed omnino licitum, vt probat D. Thomas art.1. Nam alia viuentia præter hominem ex natura sua sunt facta propter ipsum, vtpote imperfectiora: Ergo potest illis vti etiam ad sustentationem, atque adeo illa consumendo. Vt etiam agnouit Philosophus lib.1. Politic. cap.5. & 6. & S. AVGVSTINVS lib.1. de ciuitate Dei, cap.20. vbi ait, *iustissima ordinatione creatoris & vitam & mortem animantium nostris vsibus subdi.*

Est autem hæc res certissima ex fide: contra Manichæos, qui dicebant, non licere occidere animalia, nec herbas mortificare, vt refert D. Augustinus lib.6. contra Faustum, cap.6. & 8. Contrarium autem patet Gen.1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam.* Et Gen.9. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Et Lucæ 22. *Necesse erat occidi Pascha.* Et *misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus.* Et Ioan.21.e *Afferte de piscibus, quos prædidistis, &c.* Et D. Paulus 1.ad Tim.4. inter alias *doctrinas dæmoniorum* numerat illam, quæ docebat (vt Manichæi) *abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad vsum, vt ij qui sunt eorum participes, ex eo sumant, occasionem agendi gratias, & laudandi eum, qui eos supeditat.* Et similia in eandem sententiam scribunt alij Patres super illud cap.4. prioris ad Tim.

Et ratio illa D. Thomæ ad hoc confirmandum, est optima, quæ probat, ad omnem humanum vsum licitum posse hæc viuentia occidere. Quare licebit etiam recreationis gratia; & ita *natio* naturaliter est licita, vt ait Philosophus 1.Polit. cap.3. & D. Thomas 1.p.q.96.art.1. Et secundo libro de regimine Principum cap.6. dicit, idcirco etiam esse venationem licitam Principibus, quòd fiant per eam robustiores.

Potest autem omnium sententia venatio esse illicita, vel quia sit actus ociosus aliquando, vel perniciosus, cùm occiduntur animalia prokimis vel etiam si sit in magno excessu, eò quòd tunc priuantur

priuantur alij vsu sibi etiam licito. Item potest propter iustas causas lege positiua aliquibus & in aliquo loco prohiberi, vt vidimus quæst.6.p.5. Et absolutè est prohibita Clericis, vt patet de Clerico venatore cap.Episcopum. Et cap.Omnibus seruis Domini, & multis aliis locis.

Dubium tamen est, an venatio sit semper in Clericis peccatum mortale. Caietanus, Verbo Clericorum peccata, dicit, secluso contemptu, temeritate, & scandalo, non esse mortale; imò aliquando non esse veniale, vt si est moderata, recreationis gratia, non frequens, vaga, clamosa. Id quod etiam dicunt Iurisperiti super loca citata. Vide Syluestrum, Verbo Venatio.

Superest autem CONTRA hæc argumentum ex D. AVGVSTINO, qui super Psal.102. post medium videtur damnare omnem venationem ad mortale, non solùm Clericis, sed etiam Laicis. Ibi enim generatim affirmat, eum, *qui aliquid donat venatoribus, donare peccatoribus propter peccatum.*

RESPONDEO, loqui Augustinum, nõ de quibuscunque venationibus, sed periculosis, quę per certamen cum feris bestiis solitę erant institui ad spectacula; sicut perspicuum est ex eo, quod ibi Augustinus subiungit: *Dicant mihi, quare donant venatori? Hoc in illa amant, in quo nequissimus est, ipsam nequitiam publicam in spectaculis omnium.*

Itaque maneat, licitum esse animalia occidere ad cibationem, vel ad alios honestos vsus: ac proinde occisionem hominis non ideo propriè esse illicitam, quia per illam priuetur homo vita *animali aut vegetatiua*. Quæstio autem illa, quam obiter hìc mouet Sotus lib.5. de Iustit. quæst.6. art.1. An scilicet ante diluuium fuerit in vsu esus carnium, potius pertinet ad Scripturæ interpretes. Et de ea quoque videri potest Benedictus Pererius in Commentariis super Genesin.

SECVNDA assertio. Occisio hominis non ob id etiam præcisè est illicita, quòd per eam priuetur homo vita *rationali*. Probatur: nam tunc omnis occisio hominis esset illicita, cùm semper priuetur per eam homo vita rationali: Et tamen ex fide certum est, aliquas esse occisiones hominum licitas, vt patebit in punctis sequentibus.

TERTIA assertio. Occisio hominis ea ratione propriè est illicita, quòd per eam priuetur homo vita rationali *contra rationem & voluntatem suam rectam*, qua velit aut velle possit se viuere. Hanc assertionem attigit subtiliter Victoria cùm dixit in Relectione de Homicidio, nu.11. vsque ad 15. prohiberi quinto præcepto non *omnem omnino cædem*, quæ ab ipso Deo expresè non excipiatur, vt sensit Scotus (contra quem p.seq. disseremus) neque solam & omnem cædem *innocentis*, vt duxerunt alij (cùm etiam peccatoris occisio à prohibita, vt videbimus p.3.) neque etiam vt alij duxerunt, solam & omnem cædem *priuata* auctoritate, cùm etiam per *publicam* citra Iuris ordinem possit fieri illicitè) sed omnem cædem hominis, quæ stando in iure naturali *est mala & irrationabilis*. Probatur autem assertio nostra: nam tunc propriè cum cædes est contra rectam rationem & voluntatem hominis, est contra charitatem & iustitiam; qualis est ea, quæ per quintum præceptum vetatur, & quæ communi vsu loquendi appellatur *homicidium*, quod intrinsecè & semper est illicitum.

Et hoc ipsum indicatur etiam Gen.9. cùm ratio, quare non sit effundendus humanus sanguis, ea esse dicitur, quia *ad imaginem Dei factus est homo*: Est enim homo cumprimis Dei imago, quatenus viuit vita rationali, & ratione ac arbitrio vtitur, atque voluntate sua rectè vult, aut velle potest se viuere, vt potest intelligi ex iis quæ de huius imaginis ratione disseruimus tomo 1. disput.7.q.3.p.1. quæ ratio imaginis per cædem illicitam & iniustam perturbatur.

Atque in eandem sententiam huius tertiæ assertionis interpretandum est, quod D. Thomas hìc art.1.ad 2. ait, occisiõnem hominis esse illicitam: quia priuatur is *vita rationali*, nimirum præuè & iniustè contra rectam rationem & rationabilem voluntatem hominis, vt est dictum. Si autem quæras, quando contingat occisionem esse talem, scilicet contra rectam rationem, & ideo quinto præcepto prohibitam. Respondeo, esse talem omnem occisionẽ, præter eas, quæ licent in quibusdã casibus, vt videbimus in punctis seq.

PVNCTVM SECVNDVM.

Qua ratione sit licita vel illicita hominis occisio, ex parte hominis occisi.

D. Thomas art.2.5.6.

DB aliquam trium conditionum quæ possunt cõsiderari in homine potest vtiliter dubitari & quæri, an sit licita vel illicita eius occisio. VNA est, si improbus peccator & Reipublicæ perniciosus sit. ALTERA, si sit innocens. TERTIA, si idem ipse sit sui homicida.

Itaque circa primam conditionem quæritur PRIMO, *an possint aliqui peccatores pernicioſi Reip. occidi licitè.* Quæ quæstio ita generatim posita non habet magnam difficultatem. Nam ex fide comperta est assertio affirmatiua, quam statuit hìc art.2. D. Thomas. Patet Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere.* Et Psal.100. *In matutino interficiebã omnes peccatores terræ.* Et Actor.5. Petrus Ananiam & Saphiram morte mulctauit.

Et ratione idem patet. Nam cùm pars naturaliter ordinetur in bonum totius; licitum est erga partem id facere, quod expedit bono communi: Sed aliquando expedit bono communi, vt malefici nociui aliis partibus communitatis deleantur publica auctoritate: Ergo omnino id licet. Item licitum est, interficere feras bestias, quia perniciosæ sunt homini: Sed quidam improbi nocentiores sunt humanæ Societati,

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm bestiæ, vt asseruit etiam Philosophus 7. Ethicæ cap. 6. Ergo cùm hi in bestias per iniquitatem degenerant, licitè quoque interficientur, sicut optimè concludit D. Thomas hic art. 2. ad 3. Huc adde alia multa argumenta, quibus hoc ipsum confirmauimus suprà disput. 1. quæst. 11. vbi ostendimus, hæreticos pertinaces iure morte mulctari.

Itaque grauiter errauit LACTANTIVS lib. 6. diuin. Instit. cap. 20. affirmans, nunquam omnino fas esse hominem occidere. *Non enim*, inquit, *cùm occidere Deus vetat, latrocinari nos tantùm prohibet, quod ne per Leges quidem publicas licet, sed ea quoque ne fiant monet, quæ apud homines pro licitis habentur.* Et paulo infrà: *In hoc*, inquit, *Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas.* Hæc erronea sunt prorsus, cùm contrarium liquidò constet ex allatis Scripturis.

Sed maior quæstio est SECVNDO speciatim, an liceat occidere *fures*, præsertim diurnos, de quibus præsumitur, quòd tantùm furari velint. Scotus in 4. dist. 15. q. 3. putat esse illicitum. Ratio eius est: nam per legem Domini generaliter est prohibita omnis cædes: Ergo non licet occidere hominem, nisi de licentia ipsius Dei, quasi excipiétis ab illa lege generali aliquos casus: Sed nusquam in diuinis literis legimus esse occidendos hos fures. Nam alia pœna erant puniendi, vt habetur Exodi 22. Ergo non est licitum, cùm non sint ab illa generali lege diuinitus excepti. Assumptum confirmat auctoritate D. AVGVSTINI sæpè lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 21. asserente, Deum fecisse quasdam exceptiones, quibus liceat hominem occidere. Et ita videtur Augustinus sentire generaliter esse omnem cædem prohibitam quæ à Deo non sit excepta. Vnde ex eadem ratione etiam concludit Scotus, non licere in nouo Testamento occidere *adulteram*, quamuis licuerit in lege veteri; quæ lex, inquit, abrogata est Ioan. 8. in historia de adultera.

SED ista sententia Scoti procul dubio est falsa, quoad vtramque eius partem; & modò esset temeraria contra consuetudinem receptissimam, qua iudices ita animaduertentes in huiusmodi maleficos, à viris probis & doctis absoluuntur. Et patet etiam id esse licitũ ex ratione, qua D. Thomas hîc probat, posse eos occidi, qui communitati nocent. Nam etiam fures meritò iudicantur esse maximè pernicioſi bono communi.

Vnde ad rationẽ Scoti, nego, omnem cædem humanam, eo ipso, quòd cædes est, esse generali præcepto prohibitã. Non enim ex hoc ipso præcisè habet, vt sit iniusta & contra rationem; & ita non prohibetur præcepto illo quinto naturali. Nam vt explicaui puncto præcedenti, solum est ibi prohibita cædes omnis contra rationem & iustitiam. Tunc autem cædes est contra iustitiam, quando ille, qui vita priuatur ab altero, censeri potest rationabiliter inuitus vita propria priuari ab altero. Quod contingit, quandocunque vel charitatis ratio, vel iustitiæ legalis aut particularis, non postulauerit, vt talis cædes huic ab illo vel illo afferatur. Tunc enim verè fiet contra æqualitatem iustitiæ auferendo ab aliquo vitam, atque adeo tunc id propriè erit contra iustitiam. Et per hoc explicari debent variæ difficultates in hac materia. Atque etiam intelligitur hinc maleficos publica auctoritate occidi sine iniustitia. Nam iustitia legalis & particularis etiam postulat, vt vitâ tales priuentur; vt videlicet communitas seruetur indemnis, & aliè etiam priuatæ personæ; id quòd publica potestas debet spectare, iuxta illud Psal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem omnes operantes iniquitatem.*

Ad auctoritatem verò D. Augustini respondeo, illum latè vsurpasse vocabulum *exceptionis*, nimirum pro explicatione legis: quæ Lex cùm sit naturalis, non tantùm per se Deus potest illam declarare, sed etiam declarat eam modo iam exposito per lumen rationis, ab ipso Deo inditum & doctrina excultum. Id quod ipse S. AVGVSTINVS in illo lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 21. luculenter expressit, cùm dixit, nequaquam contra id præceptum fecisse eos, *qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum eius leges, hoc est iustissimæ RATIONIS imperium, sceleratos morte punierunt.*

De Occisione Innocentis.

TERTIO quæritur (circa secundam conditionem, quam diximus in homine considerari posse in proposito) *an liceat vnquam occidere Innocentem.* Et respondet D. Thomas art. 6. nunquam licere, nisi ex diuina reuelatione; vel nisi fuerit probatus nocens legitimè. Probatur prima pars huius assertionis. Nam innocens, vt innocens, promouet potius bonum communitatis: Sed vt ante dictum est, non licet quenquam occidere, nisi quatenus vita eius obstat bono communi: Ergo nunquam licet occidere innocentem. De secunda verò parte assertionis agetur infra de hoc latius disputabimus in q. 11. de iudicib. D. Thom. infrà q. 67. a. 2. & hîc etiam ad 3. Sed in tra casum diuinæ reuelationis, vel probationis legitimæ, quòd quis sit innocens, licet quandoque interficere innocentem. Videtur enim licere casu, quo tyrannus diceret: Nisi hunc interficiatis, statim deleboRemp. & ciuitatem. PRIMO, Nam si tunc occideretur innocens auctoritate Magistratus, non posset is censeri rationabiliter inuitus interimi: Ergo posset interfici. Consequentia patet ex dictis p. 1. Probatur Antecedens. Nam ratio boni communis in tali casu postulat, vt innocens occidatur, quo ea ratione communitas seruetur: Ergo, &c. *Confirmatur*: nam in bello propter bonum communitatis plerique innocentes licitè necantur.

SECVNDO, Nam magis expedit bono communi, vt in tali casu innocens occidatur, quàm vt latro vel alius quiuis malefactor: Sed propter commodum boni communis latro licitè occiditur: Ergo, &c. Patet Maior: quia maius incommodum sequetur communitati in casu præsenti; siquidem tota peribit, nisi innocens occidatur, non autem si latro seruaretur.

TERTIO, Nam licet propter bonum totius corporis naturalis, quamlibet partem abscindere, etiam alioqui sanam: Ergo similiter propter bonum communitatis licebit quandoq; partem eius sanam, hoc est, Innocentem delere.

Nihilominus omnes negant, etiam eo casu licitè id fieri posse. Et ratio esse debet. Nam malitia tyranni non efficit, vt istius innocentis vita noceat communitati; & idcirco occidere eum, non esset per se subuenire necessitati communitatis, cùm ea non oriatur ex huius vita per se loquendo, sed esset consentire impiæ voluntati tyranni; quod in nullo casu licet. Itaque occidere innocentem tali casu esset facere contra præceptum *negatiuum* de non occidendo repugnante rectæ ratione, quod semper in quocunque casu obligat.

Ad PRIMVM autem argumẽtum negatur Antecedens. Nam per se vita innocentis non obstat bono communi, sed malitia tyranni, cui proinde alia via est occurrendum. Quòd si alia via non suppetat, cedendum est casui. Ad *confirmationem* respondeo, neque in bello licitum esse occidere innocentes per se loquendo, hoc est, actu, quo cognitus innocens occidatur ex intentione, & qui per se non posit terminari alio effectu, nisi etiam nece innocentis volita, vt vidimus disp. 3. in q. de Bello. In proposito autem casu nõ posset non esse volita occisio innocentis, posito, quòd determinatè is occideretur. Nam talis actus secundùm se terminatur morte illius.

Ad SECVNDVM respondeo, esse disparem rationem. Nam latro per se nocet communitati: innocens non item.

Ad TERTIVM respondeo, esse etiam disparem rationem. Nam pars corporis naturalis (vt pes vel manus) per se non est capax iniuriæ; pars autem ciuilis est iniuriæ capax, etiam per ordinem ad publicam potestatem.

QVARTO quæritur circa idem: *Vtrum liceret saltem tradere tyranno innocentem casu, quo tyrannus peteret sibi tradi; alioqui deleturus totam ciuitatem.* In hac quæstione, si moraliter esset certum statim à tyranno illum innocentem esse necandum; Soto lib. 5. de Iustit. q. 6. art. 7. negat id licere: & quamuis hæc sententia sit probabilis, meritò contraria censetur à multis doctis probabilior; imò etiam videtur fuisse prius ab eodem Soto asserta in ead. quæst. art. 5.

Et probatur. Nam ipse innocens in tali casu licitè posset sese tradere tyranno intendendo

bonum communitatis: Ergo posset etiam Respublica, seu eius gubernator, eodem communi bono sibi proposito tradere illum. Patet consequẽtia: nam si potest explicari, quomodo, quamuis innocens, ipse se traderet, nihilominus non idcirco censeretur causa moralis suę mortis: etiam poterit explicari, quo pacto Respublica traderet illum absque eo, quòd esset causa mortis ipsius. Antecedens autem probatur. Nam potest tunc innocens ita voluntatem suam conformare, vt tantùm velit ire ad tyrannum, vt subueniat communitati, in tali discrimine constitutæ; & simul nolit mortem sibi inferri iniquè à tyrãno. Patet: quia talis mors per accidens tantùm ex malitia tyranni est coniuncta cum tali actu, quo innocẽs se illi tradit: Ergo potest innocens velle vnum sine altero. Quemadmodum quia peccatum vsurę est per accidens coniunctũ cum petitione mutui ab vsurario, potest quis licitè petere ab vsurario mutuum absq; eo, quòd velit peccatum vsurarij.

Hinc apparet, parum consequenter locutum fuisse Sotum, cùm concedit, posse ipsum innocentem sese tradere tyranno, vt subueniat necessitati Reipublicæ, & negat posse ipsam Rempublicam eum tradere. Sicut enim tradendo se ipse non propterea se occidit: ita neque Respublica eum tradens, ipsum occideret.

Sed an tunc *teneretur* etiam talis innocens prodire, & se tradere tyranno? Respondeo, omnino teneri. Nam esset casus extremę necessitatis Reipublicæ, cui solus is innocẽs posset subuenire eo actu fortitudinis; & ita ex præcepto affirmatiuo charitatis patriæ, & iustitiæ legalis astringeretur tunc temporis, vt id faceret. Secus, si aliter posset resisti tyrãno. Quòd si ipse innocens nollet prodire, posset Respublica illum etiam vi exponere. Potest enim Respublica cogere suos ciues, vt exerceant actus charitatis, & iustitiæ legalis exteriores in ordine ad bonũ commune, quando est necessitas: id quod gratis videtur negare Sotus.

Sed occurrit contra hæc argumentum. Nam similiter in tali casu necessitas Reipublicæ non oriretur per se loquendo ex hoc, quòd iste innocens in ciuitate remaneret (sicut nec in casu præcedentis dubitationis oriebatur ex vita innocentis) sed oriretur ex malitia tyranni: Ergo exponendo illum non per se subueniret Respublica communi necessitati, & consequenter non posset illum propter necessitatem exponere tali periculo.

Respondeo. Hoc argumentum solùm probat, in tali casu non posse nec debere exponi innocentem morti, vt subueniatur communi necessitati, quasi remouendo impedimẽtum aliquod obstans per se bono communi: non autẽ probat, quòd non posit licitè exponi, vt is ex præcepto affirmatiuo per actum charitatis, fortitudinis, & iustitię legalis, subueniat tunc necessitati Reipublicæ, ortæ à malitia tyranni. Sicut, verbi gratia, in casu extremę necessitatis corporalis proximi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

debet quis illi erogare eleemosynam, vt ex præcepto affirmatiuo misericordię subueniat necessitati proximi, licet aliunde prouenienti.

De occisione sui ipsius.

QVINTO (circa vltimam conditionem, quam diximus posse considerari in homine occiso, scilicet quòd *ille idem* sit occidens, & sui homicida) quæritur, *an liceat vnquam alicui occidere seipsum*. Et est assertio indubitata apud omnes, tum Theologos, tum Philosophos alicuius nominis, nunquam id licere; vt fusè confirmat S. AVGVSTINVS lib.1. de ciuit. Dei à cap.17. vsque ad 27. & D.Thomas hîc art.5. & prolixè Franciscus Victoria in Relectione de Homicidio.

Probatur PRIMO ex Scriptura, idque tripliciter. *Primò*, quia præcepto illo: *Non occides*: prohibetur omne homicidium, quod sit contra charitatem, & contra rationem, vt patet ex dictis p.1. atque adeo etiam occisio suiipsius: siquidem is, qui se occidit, hominem occidit, & contra rationem (vt patebit ex argumentis, à ratione ductis, quæ postea adferemus) & tantò turpius, quàm proximum, quantò se quisque debet plus amare, quàm proximum, vt S. Augustinus lib.1. de ciuit. Dei, cap.20. optimè concludit. *Neq; enim*, inquit, *qui se occidit, aliud quàm hominem occidit.*

Secundò, quia ex Scriptura apparet, nec Iob, nec alios sanctos & Prophetas, etiã grauibus malis & ærumnis pressos, hoc remedio ad euadendum ex vitæ incommodis vsos fuisse; neque Dominus id vnquam suasit; sed solùm fugam ex vna ciuitate in aliam, ad vitanda mala impendentia ex persecutione. Matth.10. Quod est argumento, non esse id licitum, vt ratiocinatur optimè S. Augustinus vbi suprà cap.23. *Non fecerunt*, inquit, *hoc Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli: quia & ipse Dominus Christus quando eos, si persecutionem paterentur, fugere admonuit de ciuitate in ciuitatem, potuit admonere, vt sibi manus inferrent, ne in manus persequentium peruenirent. Porro si hoc ille non iussit aut monuit, vt hoc modo sui ex hac vita migrarent, quibus emigrantibus se mansiones æternas præparaturum esse promisit; qualibet exempla ponant Gentes, quæ ignorant Deum, manifestum est, hoc non licere colentibus vnum verum Deum.*

Tertiò, quia Scriptura non nisi cum quadam execratione memorat factum aliquorum, quos seipsos interemisse perhibet. Vt Achitophel.2. Reg.17. de quo dicitur, *quòd suspendio interiit*, & Iudæ Matth.27. & Actor.1. Vbi de eo ait S. Petrus, quòd *suspensus crepuit medius & diffusa sunt omnia viscera eius.* Vnde S. Augustinus vbi suprà cap.17. ait: *Iudæ factum veritas iudicat:* nimirum in illis locis Scripturæ.

SECVNDO principaliter idem probatur ex communi cõsensu omnium sanctorum Patrum, qui id in Iuda & in aliis omnibus vehementer damnant. In quo genere præter Augustinum ex Latinis loco citato sæpè id facinus damnantem, satis fuerit audire S. CHRYSOSTOMVM ex Græcis hom.87. in Ioan. circa illud verbum Domini ad Petrũ: *Alius præcinget te, & ducet te, quò non vis*, non nisi auctore Diabolo hoc facinus designari censet: *Nemo*, inquit, *sine dolore à corpore dissoluitur, diuina hoc vtiliter dispensante prouidentia, ne multi violentam mortem eligerent. Nam si etiam sic hoc diabolus persuadere potest, & quàm plurimos in præcipitia & voragines impulit; nisi tantum anima esset corporis desiderium, in paruo etiam mœrore multi sibi mortem conscisceret.*

TERTIO probatur auctoritate etiam Philosophorum veterum alicuius nominis. Nam id esse illicitum, & supplicio per priuationem sepulturæ dignum facinus, affirmat Aristoteles 5.Eth. cap.vlt. Et Cicero ex sententia Platonis & Philosophorum meliorum in q.1. Tusculana. *Vetat*, inquit, *dominans ille in nobis Deus iniussu hinc nos suo demigrare.* Et paulo post: *Vir*, inquit, *sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exeesserit: nec tamen illa vincula carceris ruperit; leges enim vetãt: sed tanquam à Magistratu aut ab aliqua potestate legitima sic à Deo euocatus atque emissus exierit.* Vnde etiam Virgilius 6. Aeneidos (quod & Augustinus lib.1. de ciuitate Dei, cap.19. memorat) eos etiam apud inferos mulctari perhibet,

qui sibi lethum
Insontes peperêre manu, lucemq; perosi
Proiecere animas.

Et Seneca in Oedi. quamuis timere nimium mortem existimârit peius, quàm optare eam & accersere, tamen & hoc etiam iudicauit malum, dum ait:

Mortem optare, malum: timere, peius.

QVARTO probatur rationibus variis, ex quibus quatuor potissimum à D.Thoma hic art.5. à Victoria, & ab aliis adferuntur, quibus nos alias addemus. PRIMA ducitur ex naturali hominis inclinatione sic: Omnis illa actio hominis est mala, quę est contra naturalem hominis inclinationem; cùm omnis naturalis inclinatio sit recta, vtpotè à Deo naturæ auctore indita. Sed occisio sui est actio contra naturalem inclinationem hominis ad *esse & viuere*, & ad sui conseruationem. Ergo est mala.

Hæc ratio nonnullas habet difficultates quæ sunt à nobis explicandæ. Nam *primò* posset Maior videri falsa: cùm minimè sit malum, sed bonum, facere contra naturalem inclinationem, quam homo habet per sensualitatem ad bonum sensibile, contrarium rationi, & eatenus malum.

Sed ad hanc obiectionem multa respondent Victoria & alij. Mihi (ne in discutiendis aliorum dictis inutiliter immorer) videtur commodissimè *responderi*, quod suprà disput.3.q.4.p.2. docuimus hominem per appetitum sensitiuum inclinari quidem naturaliter in id bonum sensibile, *quod* est contrarium rationi (iuxta illud Apostoli: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*, & alia huiusmodi testimonia) sed non *prout* est contrarium rationi & malum; sed absolutè & per se, vt bonum sensibile, & per accidens tantùm, & ex consequenti, vt Rationi contrarium in tali casu & talibus circumstantiis, sicut suprà loco citato explicaui.

Itaque quando Ratio repugnat appetitui sensitiuo, vt propendenti in bonum contrarium rationi, non repugnat naturali inclinationi ipsius appetitus per se, sed inclinationi eius prauæ, non iam prauitate *culpæ* (si necdum ratio consentit) sed cuiusdã *deformitatis* etiam in ordine ad ipsum appetitum, vt parti rationali subordinatum: ad eum modum, quo S. AVGVSTINVS lib.6. contra Iulianum, ca.5. propter concupiscentiam ita per accidens propensam in malum contrarium rationi dicit: *Regeneratus omni peccato caret, non omni malo. Quod planiùs*, inquit, *ita dicitur: Regeneratus omni reatu omnium malorum caret; non omnibus malis*: de qua sententia Augustini diximus tomo 2. q.12. de Peccatis p.1. in refutatione erroris Sectariorum de originali peccato.

Secundò potest obiici contra eandem rationẽ, quòd non videtur per eam concludi id, quod oportebat, nempe nulla ratione & in nullo casu licitum esse, vt quis se occidat, sed non esse id licitum expetendo *ipsum non esse*, & non viuere *secundùm se* (quomodo ad *esse* & *viuere* est inclinatio naturalis, iuxta ea, quæ disseruimus tomo 2. disput.2.q.5.p.2.) Id quod ne videtur quidem nesse fuisse probare; cùm ita expetere *non viuere* sit non modò illicitum, sed etiam impossibile, vt patet ex dictis tomo 2. loco citato. Non videtur autem ea ratione concludi, quòd sit illicitum se occidere expetendo *non viuere*, prout hoc *est coniunctum* cum aliquo commodo, vt cum vacatione à miseriis, vel cum transitu ad vitam beatam, &c. Nam sic expetere *non viuere* nõ est peccatum aut contra inclinationem naturalem. Tum quia habet ea expetitio obiectum verè bonum (moraliter rem æstimando) vt rectè, quicquid alij sentiant, confirmat Victoria in Relectione de Homicidio n.22. & videtur colligi ex illo Eccles.20. *Melius est mors, quàm vita amara.* Et Luc.23. *Bonum erat ei, si natus non fuisset.* Tum quia aliquando eiusmodi appetitus est perfectionis cuiusdam; vt patet in viris sanctis, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo, exemplo D.Pauli.

Respondeo, rationem illam non solùm procedere ex eo, quòd inclinatio naturalis sit ad esse & viuere (tunc enim non concluderet id, quod est concludendum, vt rectè ostenditur in obiectione) sed ex eo vel maximè, quòd est in homine talis quædam inclinatio naturalis (hoc est, naturæ rationali consentanea) ad sui cõseruationem, vt actionem huic cõseruationi contrariam, hoc est, sui occisionem sub quacunq; ratione considerata quam planè exhorreat (vt experientia docet) tanquam deformem, & à nemine conuenienter naturæ expetibilem, sed solùm ab eo, qui peruersitate voluntatis (monstrosè quasi) inclinationem naturalem deprauet. Sic intellecta illa ratio, optima est, & experientiâ ipsa nititur, atque etiam eo indicio, quòd omnes alias res, tum animatas, tum inanimas, videmus intentas tantùm esse summa vi in sui conseruationem, ac nullo modo destructionem sui moliri.

SECVNDA ratio ducitur ex obligatione, qua vnusquisque tenetur se amare: Cum qua obligatione directè pugnat illa atrocitas & crudelitas, quæ cernitur in suiipsius occisione; siquidem naturâ sua est effectus summi in se odij.

TERTIA ratio ducitur ex consideratione hominis, vt is *non est suæ vitæ dominus*, sed res quędam Dei, qui est Dominus vitæ & mortis hominum; iuxta illud Deut.32. *Ego occidã & ego viuere faciam.* Hinc enim est consequens, ita peccari & fieri iniuriam Deo, occidendo seipsum sine manifesto consensu aut mãdato Dei, sicut peccatur in proximum, & fit ei iniuria, quando sine illius voluntate occiditur seruus aut equus ipsius.

Quòd autem in hac ratione sumimus, hominem non esse dominum vitæ suæ, sed Deum; asserit D.Thomas hîc art.5. ad 3. & Victoria vbi suprà nu.23. & Sotus lib.5. de Iustitia, q.1. art.5. & alij; & patet euidenti quadam ratione, quam subtiliter indicauit S.Thomas hîc artic.5. ad 3. Nam homo non aliter est dominus rerum, quarum habet dominium, nisi eas possidendo per suum *liberum arbitrium*, vt videbimus etiam infrà q.10. Quare vt esse & viuere sunt *prius quiddam* in homine, quàm liberum arbitrium, & quicunque vsus eius: ita etiam antecedunt omne humanum dominium; & consequenter dominium humanum eas res solùm complectitur, quæ post esse & viuere pertinent ad vsum & commoditatem vitæ humanæ, vt doctè D.Thomas tradidit.

QVARTA ratio ducitur ex consideratione hominis cuiusque *vt est pars quædam Reipublicæ*. Nam hinc etiam sequitur, eum, qui seipsum interimit, facere iniuriam Reipublicæ, priuando eam vna quadã sui parte, & quasi membro. Propter quam causam concludit Philosophus 5.Ethic. cap.vlt. meritò à Republica puniri tales, negando eis sepulchrum. Quæ ratio saltem procedit optimè, quando (vt fit) qui se interimit, minimè ad id habet consensum Reipublicę. Quamuis etiamsi haberet, faceret ob alias rationes impiè; sicut & Respublica improbè in tale facinus consentiret.

QVINTA ratio, & quidem meo iudicio euidens, duci potest ex natura & conditione quadam *omnis agentis & actionis*, præsertim humanæ & moralis. Nam omnis actio (præsertim moralis) vt recta sit, debet esse naturâ & conditione sua talis, vt spectata vi sua atq; effectu, deceat ipsa suum agens, à quo est profecta, & ad quandã eius perfectionem pertineat: Sed nulla talis actio, quæ sit occisio sui, habet eam naturam & conditionem: Ergo nulla talis actio est recta.

Maior probatur. Nam eam vim habet, quod tradunt omnes Philosophi, actionem esse *secun-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum actum, seu *secundam perfectionem* agentis; nimirum post potentiam agendi, quæ est *prima* agentis perfectio, atq; *primus* actus. Minor autem probatur. Nam cùm actio, quæ sit occisio sui, habeat pro termino & effectu suo destructionem agentis; non potest ipsa, spectato suo effectu, decere suum agens, & ad eius perfectionem quandam pertinere; siquidem iam nõ supereſt agens, quod talis actio deceat, tanquam eius perfectio quædã secunda; quodq; vllo modo ipsa perficiat.

Nec tamen hac ratione efficitur, occisionem sui, ne ex manifesto quidem Dei mandato, posse esse rectam & licitam. Minimè hoc inde efficitur. Nam Deus habet ius & potestatem faciendi *supra & contra* particulares naturas rerum; *separãdo* saltem ab eis accidentia quædam seu conditiones aut proprietates illarum, licet fortè non etiam proprietates earum *permutando*, vt probabiliter disputat Victoria vbi suprà n. 4. & seq. Quapropter non solùm id rectè fit, quod fit conuenienter rei naturę, sed etiam quod ex Dei quidem voluntate in aliquo casu fit *supra* aut *contra* rei naturam: Ac proinde in nostro proposito non solum rectè fiunt eæ actiones, quę conuenienter naturę agentis, & actionis sint quædam perfectiones agentis (vt est dictum) sed etiam rectè fieret actio ea, quæ supra vel contra naturam actionis, vt actio est, careret ea conditione: puta actio, quæ esset occisio sui ex Dei mandato.

Satis autem nobis est, quòd secluſa peculiari voluntate Dei, nullius alterius arbitrio posit rectè institui & exerceri actio, quæ sit sui occisio, cùm careat ea actio naturali quadam actionis conditione, & nemo præter Deum posit facere, vt actio præsertim humana & moralis, destituta sua conditione naturaliter ipsi debita, atq; adeo mutila, sit recta & bona. Hæc ratio satis mihi manifestè monstrare videtur in sui occisione deformitatem, eamque non qualemcunque, sed valde grauem, atque adeo mortalem; cùm *materia* sit etiam valde grauis.

SEXTA ratio duci potest ex *enumeratione & refutatione causarum*, ob quarum aliquam videri posset occisio sui aliquãdo esse licita. Non enim est licita ad vitandam *ignominiam*, *vel aliàs huius vitæ ærumnas*. Nam vt vita omnibus aliis temporalibus cõmodis anteponenda est: ita vitæ iactura maius incommodum est omnibus aliis temporalibus, neq; maius incommodum ob minus vitandum rectè suscipitur. *Pellem enim pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Iob 2. & Eccles. 30. *Non est census super censum salutis corporis.*

Vnde meritò Lucretia illa Romana reprehenditur à S. AVGVSTINO lib. 1. de ciu. cap. 19. quòd propter vitandam stupri sibi illati ignominiam, sese interemerit. Aut enim adulterij, aut homicidij ream fuisse; Adulterij, si in culpa fuit, & opinione sua iustè se interemit; Homicidij verò, si in illam turpitudinem ipsa non consensit, &c. Neq; fortitudinis, sed pusillanimitatis opus illud fuisse, quòd ignominiam illam qualem qualem ferre nõ potuerit. Et fortiorem fuisse Regulum, qui non se interemit, vt fugeret mortem ab hostibus sibi paratam, sed ad eos intrepidè profectus est, quàm Catonem, qui se Vticæ interfecit, ne ferre cogeretur Victoris Cæsaris dominatum, vt pulchrè illic differit S. Augustinus cap. 22. 23. & 24.

Neque etiam licet se occidere propter *peccata præterita*. Tum quia potius expedit viuere, ad illa per pœnitẽtiam delenda. Tum quia nemo in sua causa idoneus iudex est; & punitio præteritorum peccatorum ad eum solum pertinet, qui publica polleat auctoritate, vt iudex, &c.

Neque licitum est se occidere ob vitanda *peccata futura* (sicut opinio fuit fecisse hìc Ingolstadij ante annos fermè viginti quendam secularem sacerdotem valde pium, meumque discipulum, qui postridie postquàm religiosissime primum suum sacrificium Deo obtulerat, se interemit) Tum quia non licet *mala facere, vt eueniant bona*, Rom. 3. occisio autem sui mala ex se est (vt patet ex præcedentibus rationibus) Tum quia perpetram peccatum *certum* in præsenti committitur, vt vitetur *incertum* futurum. *Quis enim* (ait Augustinus vbi suprà cap. 25.) *ita desipiat, vt dicat: Iam nunc peccemus, ne postea* FORTE *peccemus: Iam nunc perpetremus homicidium, ne fortè postea incidamus in adulterium. Nonne sit tantùm dominatur iniquitas, vt non innocentia, sed potius peccata eligantur, quàm certum de præsenti pro incertum futuro adulterium, quàm certum de præsenti homicidium? Nonne satius est flagitium committere, quod pœnitendo sanetur* (permanendo in vita) *quàm tale facinus, vbi locus salubris pœnitentiæ non relinquitur?* Tum denique, quia si ob futura peccata vitanda expediret se occidere, maximè expediret id facere statim post baptismum, in quo peccata omnia plenissimè remittuntur. *Tunc enim* (inquit Augustinus in dicto libro cap. 27.) *tempus est cauendi omnia futura peccata, cum simul omnia deleta præterita. Quòd si morte spontanea sibi fit, cur non tunc potissimum fit? Cur baptizatus sibi quisquam parcit?* Et infrà: *Porro*, inquit, *si quis hoc aggrediendum atque persuadendum putat, non dico desipit, sed insanit. Qua igitur fronte hominibus dicit: Interficite te, ne paruis tuis peccatis adiicias grauius, &c.*

Neq; licet se occidere ad euitandum in se *violentiam & peccatum*; cùm ea iniuria nihil nocitura sit, si tu in alterius facinora non consentias, vt fusè & doctè ostendit Augustinus illic cap. 17. & seq.

Neque denique id licet propter assequendam *statim beatam vitam*. Tum quia designatio temporis consequendæ illius fœlicitatis non ad hominem, cui donanda est, sed ad ipsum Deum pertinet, vt cùm ipse *venerit & pulsauerit* (sicut ait Dominus) aperiamus ei, & paratos nos inueniat; non autem vt nos cùm voluerimus, ad eum veniamus non euocati. Quod etiam Dominus Ioan. 21. illis verbis ad Petrum significauit: *Cùm autem senueris, alius præcinget te, & ducet, quò tu non vis.* Tum etiam quia (vt dictum est) non est faciendum malum, vt eueniat bonum. Et vt ait pulchrè D. AVGVSTINVS in illo lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 26. *Reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

Vnde meritò idem Augustinus in eo libro capite 22. damnat etiam Theobotium, qui fertur, lecto Platonis de Immortalitate libro, non aliis cuius miseriæ declinandæ, sed immortalis vitæ assequendæ causa, *se præcipitem de muro dedisse, atque ita ex hac vita voluisse emigrare ad eam, quam credidit esse meliorem.* Sed fecit perperam & insipienter ob rationes dictas.

Porro quæ aduersus hanc certissimam assertionem obijci possunt, sunt potissimum quatuor. PRIMO, quòd volenti non fit iniuria, vt vidimus quæst. 3. Ergo qui se vult occidere, non facit sibi iniuriam.

RESPONDEO, non quidem facere sibiipsi iniuriam contra iustitiam, sed contra charitatem, quam sibi debet; atque etiam contra iustitiam facit iniuriam tum Deo, tum Reipublicæ, vt patet ex tertia & quarta ratione.

SECVNDO, quòd in multis casibus licitum est, vitam propriam negligere, aut manifesto exponere periculo; vt pro amico, pro salute patriæ, &c. & in aliis multis casibus, de quibus videbimus infrà in quæstionibus de iudiciorum iustitia, & quos fusè persequitur Victoria vbi supra num. 21. & seq. Ergo licebit quoque in aliquibus casibus se occidere.

RESPONDEO, non valere Consequentiam. Nam aliud est, vitam in quibusdam casibus *non conseruare*, ad quod tenemur solùm ex præcepto affirmatiuo, quod non pro omni tempore, sed pro certo & certis circumstantiis obligat; aliud verò, se *occidere*: quod vetamur ex præcepto negatiuo obligante pro omni tempore.

TERTIO, quòd damnati ad mortem quandoque possunt licitè, imo etiam iubentur, exercere quosdam actus, quibus videntur planè ipsi se occidere seu cooperari ad suam mortem: Vt sumendo venenum (si ad id quispiam iustè damnaretur) & eundo ad supplicij locum, & conscendendo scalas, & ad excipiendum ictum gladij patiendo gulam, &c.

RESPONDEO, eiusmodi actus non esse tales, vt per se & necessariò habeant pro effectu ipsam mortem (sicut cùm quis se strangularet, aut confoderet, &c.) cùm possint exerceri, mortem; vel rursus reiiciatur; vel vita concedatur eunti ad patibulum, aut ascendenti scalas, &c. Ac proinde huiusmodi actus exercendo non directè se quis occidit, aut cooperatur ad suam mortem, sed tantùm non resistit, nec se defendit. Secus autem si actus per se & necessariò haberent pro termino & effectu suo mortem. Nam tales actus minimè licitè iniungerentur Reo, neque eos ille teneretur exercere. De quo genere plura infra in specie in quæstionibus de Iudiciis dicemus.

QVARTO, quòd quidam, quos Scriptura laudat, se interfecerunt. Vt Samson, Iudic. 16. & Eleazarus, 1. Machab. 6. cùm occidit Elephantem ei se supponens. Et Razias, de quo scribitur 2. Machab. 14. quod *gladio se petiit, eligens nobiliter mori potius, quàm subditus fieri peccatoribus.* Et de aliquibus Sanctis noui Testamenti legitur, quòd vltrò in ignes aut aquas se ipsi iniecerint, &c.

RESPONDEO cum S. Augustino vbi suprà cap. 26. si qui Sancti id fecerunt, existimandum esse, eos *non errantes, sed obedientes Deo id fecisse: Sicut de Samsone*, inquit, *aliud nobis fas non est credere* (laudatur enim in Scriptura ad Heb. 11.) *Cùm autem*, inquit, *Deus iubet, seq; iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis & obsequium pietatis accuset?*

Quanquam potest etiam factum Samsonis & Eleazari asscribi virtuti fortitudinis; ex qua nimirum manifesto se periculo exposuerint pro bono communi, vt sentit Victoria vbi suprà numero 37. & de Eleazaro Sotus quoque lib. 5. de Iustitia, quæst. 1. art. 5. ad 4. Raziam verò quamuis putat Victoria illic posse excusari per instinctum diuinum, tamen D. Thomas hìc art. 5. ad 5. eum non excusat, sicut nec Sotus loco citato. Qui consequenter ait, illud, quod de Razia legimus: *Eligens nobiliter mori, &c.* debere referri ad *opinionem* ipsius Raziæ, qui in ea re decipiebatur. Et quidquid sit de iis, satis nobis est probasse, quòd sine certa & explorata Dei voluntate nemini licet se interficere.

Quam quæstionem placet mihi illis AVGVSTINI verbis concludere lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 26. *Hoc*, inquit, *dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere; velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: Neminem propter aliena peccata* (vt ne quæ persona ab aliquo violentiam patiatur) *ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum: Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari: Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur; quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.*

PVNCTVM TERTIVM.

Qua ratione licitum aut illicitum sit hominem occidere ex parte occidentis.

D. Thomas art. 3. & 4.

QVI occidit aliquem, aut est homo *priuatus*, aut *publicam* habet potestatem; Item aut est *Clericus*, aut *Laicus*. Itaque PRIMO quæritur, An occisio hominis ex eo peculiariter reddatur illicita,

quòd is occidatur ab homine *priuato*, etiamsi alioquì morte dignus sit?

RESPONDEO ex sententia D.Thomæ hîc artic.3. & aliorum omnium affirmatiuè. Nam occisio malefactorum solùm est licita, quatenus iudicatur conuenire bono communi: Ergo ad illum tantùm pertinet, cui peculiariter incumbit procuratio boni communis, ac proinde ad eum, qui fungitur publica potestate.

Quod ipsum indicauit Dominus, Matth.26. illis verbis: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ille enim propriè gladium *accipit*, cui non est per legitimam auctoritatem datus, sed eo ipse priuata auctoritate vtitur; quemadmodum pulchrè S.AVGVSTINVS hanc sententiam Domini est interpretatus libro 22. contra Faustum, cap.70. *Factum*, inquit, *Petri Dominus satis minaciter cohibuit; dicens: Reconde gladium: qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet, &c. Ille autem*, inquit, *vitur gladio, qui nulla superiori ac legitima potestate iubente vel concedente in sanguinem alicuius armatur.*

Cum quo illud eiusdem Augustini congruit lib.1. de ciuitate Dei, cap.26. *Miles*, inquit, *cùm obediens potestati, sub qua constitutus est, hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege reus est homicidij: imò nisi fecerit, reus est imperij deserti atque contempti. Quòd si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset.*

Sed circa hanc ipsam verissimam doctrinam sunt explicanda adhuc tria magis in particulari.

PRIMVM est: *Virum liceat priuato cuilibet ciui occidere tyrannum.* RESPONDEO per distinctionem Caietani hîc art.3. & Soti lib.5. de Iustitia, quæst.1. art.3. ex doctrina D.Thomæ in 2. sentent. dist.64. quæst.2. art.2. & opusculo 20. de regimine Princip. cap.6. & suprà quæst.42. artic.2. ad tertium. Nam vel est tyrannus non per arrogatam sibi iniustè potestatem, sed solum per *prauum legitimæ alioqui auctoritatis vsum* in gubernando: aut est tyrannus per *arrogatam potestatem*, quam vi obtineat.

Si est tyrannus *primo* modo, nulli particulari licet eum occidere. Nam id pertinet ad Rempublicam, quæ posset iure oppugnare illum, & vocare in subsidium ciues. Si autem esset tyrannus *secũdo* modo, quilibet posset eum occidere. Nam tota Respublica censetur gerere iustum bellum contra ipsum: & ita ciuis quilibet, vt miles quidam Reipublicæ, posset eum occidere. Sicut Iudic.3. Aod occidit Eglon tyrannum; quem Aod, dicit ibi Scriptura fuisse *à Deo suscitatum Saluatorem filiis Israël*, quibus Eglon ille Rex Moab tyrannicè imperauerat decem & octo annis. Vnde quando in Concilio Constantiensi sess.15. prohibentur particulares occidere tyrannum, intelligendum est de tyranno primo modo; de hoc enim eadem est ratio, atque de aliis malefactoribus, qui solùm per publicam potestatem puniripossunt.

SECVNDVM est: *Vtrum liceat marito occidere adulteram vxorem in flagitio deprehensam, ante sententiam condemnationis, vel post?* RESPONDEO *primò*, ante sententiam, leges quidem id permittũt, vt patet l.Gracchus, & l.Marito. ff. ad Legem Iuliam de adulteriis: Sed tamen omnes Doctores sentiunt, eum qui id facit peccare mortaliter, vt notat Sotus in dicto art.3. & patet ex cap. Interfectores 33.q.2. Et ratio est: quia cùm possit talis iniuriam ab vxore sibi factam vlcisci per publicam auctoritatem, illicitè in ea re sibi vsurpat munus publicæ potestatis: ac proinde adultera potest censeri rationabiliter inuita ab hoc hîc & nunc occidi. *Secundò* dico, post condemnationis sententiam, qua vxor marito occidenda adiudicetur, licitè posse maritum occidere adulteram, neque teneri ei parcere; quamuis id esset maior perfectio. Ita Sotus & omnes.

TERTIVM est: *Vtrum posset aliqua lex sanciri, qua faceret facultatem vnicuique occidendi malefactorem, ante condemnationem iudicis?* RESPONDEO non posse. Nam sequerentur inde plurima mala: & esset contra legem naturalem, & contra inita: & esset contra legem naturalem, & contra inauditam partem, & non vocatam in iudicium, (vt publica auctoritate videatur, liciténe vel illicitè facinus aliquod patrauerit) feratur & executioni mandetur sententia mortis. Item esset facere iudicem quemlibet ad id ineptissimum. Si tamen esset iam aliquis legitimè condemnatus, posset Princeps vel Iudex facere facultatem cuilibet eum occidendi. Vt, verbi gratia, si reus aufugisset. Neque in tali casu posset reus se defendere; esset enim ei ablatum ius per iudicem. Alioquì iam bellum esset iustum ex vtraque parte, quod est impossibile.

Sed est argumentum contra hæc. Nam Num. 35.illud legitur: *Propinquus occisi homicidam interficiet statim, vt apprehenderit eum.* Ergo exemplo huius potest similis lex sanciri. RESPONDEO *primò*. Cùm Deus sit dominus vitæ & mortis: potest ipse pro libito eam facultatem concedere. Ipse enim potest occurrere periculis, si quæ inde oriantur. *Secundò* dico, illam fuisse tantùm permissionem; sicut permittebat etiam lex libellum repudij. *Tertiò* dicit Nicolaus Liranus illo loco, illam legem non fuisse mandandam executioni, nisi post sententiam. Quod potest confirmari ex sequentibus. Nam postea dicitur: *quòd si quis per inimicitias occidit aliquem propinquum, poterit propinquus eum occidere: si verò casu occiderit, non poterit. Et sic*, inquit, *causa ventilata liberabitur occisor ab vltoris manu.* Si igitur erat prius causa ventilanda, num alter culpabiliter, nec ne, occiderit; prius oportebat occisorem condemnari.

SECVNDO principaliter quæritur: *An ex eo etiam occisio reddatur illicita, quòd occidens sit Clericus, etiamsi is, qui occiditur, dignus alioqui morte sit.* Et quidem Iure *humano Ecclesiastico* omnino est prohibitum & illicitum Clericis occidere, vt patet ex capit. Clericis. Extra Ne Clerici vel Monachi. & cap. Sententiam. Extra de Clerico percussore.

Ac huius prohibitionis congruentiam declarant rationes quædam bonę D. Thomę hîc art.4. Nam propter repræsentationem passionis Christi, *qui cùm percuteretur, non repercutiebat*, 1.Petri 2. decet, vt Christi ministri non sint percussores. Debent enim suum Dominum imitari; iuxta illud Eccles.10. *Secundum iudicem populi Domini, sic & ministri eius.* Item cùm in Euangelio non statuatur pœna occisionis; decet ministros Euangelij ab occisione abstinere.

DVBIVM tamen est, vtrum etiam sit Clericis hoc prohibitum iure *diuino*. RESPONDEO non esse. Nam non constat vbinam iure diuino prohibeatur; & lex naturalis non repugnat, quò minus publica auctoritate id possent. Et confirmãt aliqui ex eo, quòd sæpè Papa in hac re dispensat cum Clericis. Quanquam hæc ratio non probat in voto, & pluralitate beneficiorum requirendum consentaneum iuri diuino, vt fuerit sancita quod ostendunt rationes D. Thomæ.

Sed CONTRA argumentabitur fortè aliquis, esse id prohibitum iure diuino. Nam D.Paulus 1.Tim.3. *Oportet*, inquit, *Episcopum esse non vinolentum, non percussorem, &c.* RESPONDEO primò, D.Paulum potuisse de hoc statuere legem Ecclesiasticam, sicut statuit legem de bigamia impediente sacros ordines. Secundò dico, D.Paulum illic non loqui de percussore auctoritate publica, sed de *percussore contra legem naturalem*; vt patet ex illo verbo præmisso. *Non vinolentum.* Quasi diceret, debere consequenter Episcopum esse non percussorẽ ex iracundia, quam solet vinũ afferre. Vide de his Dominicum Sotum lib.5. de Iustit. q.1. art.4. qui notat præterea, nomine Clerici in bent tantùm primam tonsuram; vt pueri. Quampropositò intelligendos esse etiam illos, qui habuis initiati quidem sacris, grauius peccent contra hoc præceptum Ecclesiasticum, etiamsi aliàs licitè secundùm legem naturalem occiderent. Quocirca tantùm erit veniale, ratione legis humanæ Ecclesiasticæ, in habentibus tonsuram: in aliis verò mortale.

PVNCTVM QVARTVM.

Quando ratione sit licitum vel illicitum hominem occidere ex parte causæ occidendi.

D.Thomas art.7.

QVÆSTIO est hîc PRIMO, *sitne licitum occidere alterum defendendæ propriæ vitæ causa.* In qua quæstione vnum est certum apud Doctores, & de altero controuertitur. CERTVM est, esse id licitum, modò fiat *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, id est, quando aliter vita propria defendi nõ potest, nisi alterum occidendo. Patet ex l. Vt vim. ff. de Iust. & Iure. Et l.1. ff. de vi & vi armata. Et l. Etsi expressè. ff. ad Legem Aquiliam. & ca. Significasti. Extra de Homicidio, & cap. Si verò; primo. de sententia Excommunicationis. Et Clement. 1. de Homicidio. Atque idem patet ratione. Nam vnusquisq; habet ius ad conseruandam propriam vitam modo ad id necessario; quicquid inde sequatur. Non esse autem id licitum absq; moderamine inculpatæ tutelæ, Probatur. Nam tunc actus, quo suam vitam seruat quis cum morte alterius; nõ est necessarius, nec proportionatus fini, nempe conseruationi vitæ propriæ; & ita est illicitus.

CONTROVERSVM autem est, quonam modo debeat se habere, quoad internum actum voluntatis & intentionem, is, qui sui defendendi causa occidit alterũi An scilicet possit ipsam mortem alterius velle & intendere tanquã *medium* quoddam ad sui defensionem? Vel solùm possit velle & eligere & intendere *defensionem sui*, quicquid ex ea sequatur; ita vt mors alterius non sit *obiectum* volitionis tanquam medium, sed solùm quidam consequens effectus? Sunt enim de hoc diuersæ opiniones.

VNA negat, licitũ esse velle & intendere mortem alterius in se etiam tanquam *medium*. Ita diuus Thomas hîc art.7. (Etsi aliter conatur eum interpretari Sotus lib.5. de Iust. q.1. art.8. sed non satis aptè, vt mihi videtur) & Caietanus ibidem, & Abulensis q.46. in cap.5. Matth. Et Victoria in Relectione de Homicidio, n.16. vsque ad 20.

Et probari potest hæc opinio PRIMO ex Augustino lib.1. de libero arbitrio ca.5. vbi ait: *Quomodo apud diuinam prouidẽtiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Vbi loquitur de iis rebus, quas potest quis *inuitus* amittere, atq; adeo etiam de vita. Et in epist.154. ad Publicolam, & refertur 23.quæst.5. cap. de occidendis, ait: *De occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur; non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione fungatur.* Quas Augustini sententias D.Thomas hîc ita interpretatur, vt non neget Augustinus, licere alterum sui defendendi causa occidere, sed tantum neget licere id facere intendendo & volendo mortem alterius.

SECVNDO probatur ex Concilio Tridentino sess.14. cap.7. de Reformatione, vbi supponitur, incurri irregularitatẽ ob homicidium commissum vim vi repellendo, vt quis se à morte defenderet, cùm nimirum ipsum cadit in voluntatem: Ergo est tunc illicitum.

TERTIO, probat idem Victoria in dicta Relect. ex eo, quòd si aliter quis posset se defendere, non deberet alterum occidere: Ergo non potest ipse mortẽ alterius velle, sed tantùm sui defensionẽ.

QVARTO, nam occidere priuata auctoritate alterum videtur esse intrinsecè malum: Ergo in nullo casu licet *velle & intendere* id facere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALTERA opinio concedit, licere sui defendendi causa *velle* etiam ipsam mortem alterius, tanquam *quoddam necessarium medium* ad propriam vitam conseruandam. Ita Sotus lib.5.de Iustitia, quæst.1. artic.8. & Nauarrus in Manuali, cap.15.num.3. qui nec D.Thomam fuisse in contraria opinione putant. Atque hæc opinio videtur mihi probabilior. Tum propter iura, quæ ita vim vi repellere licere sonant. Tum propter communem omnium sensum.

Nam si licet sui defendendi causa exercere ipsum actum externum, qui alterius nece per se terminetur; cur non liceat illum intendere & velle? Et certè videtur esse casus Metaphysicus, vt actum exteriorē, cuius effectus sit alterius mors, quis exerceat, & tamē non velit illum, nec mortem alterius. Quocirca obligare hominem in ea necessitate constitutum ad eiusmodi Metaphysicam, videtur nimis durum. Nam dicere ad excusandos tales, si quis postea Confessario dicat: Ego volui alterum occidere, vt me defenderem: interpretandum esse, quòd voluerit tantùm se defendere; non videtur satis esse ad pacandam conscientiam, si illa prima opinio esset vera.

Neq; argumenta primæ illius opinionis conuincunt. Ad PRIMVM enim respondeo, Augustinum loqui in casibus, quibus non adhiberetur moderamen *inculpatæ tutelæ*; Vt si alter *propriè* præueniretur (sicut Sotus vbi suprà Augustinum exponit) vel aliter posset quis se ab inuasore defendere, quàm illum occidendo. Dico autem, *propriè præueniretur*. Nam qui ad euadendam mortem ab altero certò alioqui paratam, eum anteuertit & occidit, is propriè & formaliter loquendo non omnino præuenit (cùm iam alter prior mortem ei intentauerit) sed seipsum defendit, & rectè facit, vt notant Sotus & Nauarrus locis citatis.

Ad SECVNDVM respondeo, intelligendum similiter esse Concilium in casu, quo non fuerit adhibitum moderamen *inculpatæ tutelæ*, vt notat Nauarrus capite 27. numero 239. Nam aliâs cum eo moderamine nulla irregularitas incurritur, vt patet ex Clementina vnica, de Homicidio.

Ad TERTIVM respondeo, non valere consequentiam. Nam etiam qui iustum bellum gerit, si aliter posset suum ius tueri, quàm gerendo bellum, & occidendo hostes, non deberet illud gerere, neque hostes occidere; (vt vidimus suprà in quæstione de Bello) & tamen quando aliter non potest, licitè vult hostes occidere, secundùm omnes.

Ad QVARTVM respondeo, occidere *priuata* auctoritate alterum, non esse ex hoc ipso præcisè malum; sicut neque occidere *publica* auctoritate, est ex hoc solo licitum (potest enim per publicam etiam auctoritatem quis iniustè occidi) sed tantùm esse intrinsecè malum occidere *cõtra rectam* rationem seu iustitiam, siue cum publica auctoritate, siue sine illa, vt constituimus puncto primo. In proposito autem, qui sui defendendi causa occidit, non occidit *contra rectam rationem*, propterea quòd priuata auctoritate occidit: Quandoquidem nisi ita fieret, & publica auctoritas exspectaretur, homo orbaretur vita propria; quam quia debet plus diligere, quàm vitam alterius; habet ius, vt alteri vitam potius eripiat, quàm perdat suam. Et ita non incurrit vitium homicidij. Nam id est, quando est contra iustitiam, vt puncto primo dictum est.

Vel posset *secundò* dici, in proposito casu non omnino deesse publicam auctoritatem. Iam enim videtur per leges facta potestas vnicuique occidendi inuasorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt patet Lege Vt vim. ff. de Iustitia & Iure, & aliis suprà citatis. Neque verò conuenit, vt hìc aliter exspectetur publica auctoritas per peculiarem sententiam. Nam casus non patitur moram. Et satis videtur, quòd notissima sit ei, qui inuaditur, impia voluntas inuasoris, vt censeatur quodammodò sententia esse lata contra illum in Legibus suprà citatis.

SECVNDO quæri solet hoc loco: *Vtrum liceat etiam in tali casu suam defensionem prætermittere, non occidendo alterum*. Ad hoc dico PRIMO, licitum est in tali casu prætermittere suam defensionem pro vita corporali siue spirituali inuasoris, vt habeat is locum pœnitentiæ. Ita Sotus libro quinto de Iustitia, quæstione prima, articulo octauo, & communiter alij docent, contra Abulensem super caput vndecimum Iosue, quæst. 11.

Probatur. Nam homo non debet conseruare propriam vitam, nisi ex præcepto affirmatiuo charitatis erga seipsum: Sed hoc præceptum in tali casu non obligat; vt scilicet illo tam atroci medio, quàm est cædes proximi, seruet quis suam vitam: Ergo, &c. Maior est clara. Nam conseruare vitam est actus quidam positiuus. Minor probatur. Nam communiter docti censent, præceptum tale non obligare casu, quo ad conseruandam vitam oporteat membrum aliquod abscindere: Ergo multo minus obligabit casu, quo ad id sit necessarium proximum interficere, quod est multo atrocius. Vnde sine dubio esset perfectio Euangelio consentanea, defensionem sui prætermittere in tali casu.

Dico SECVNDO, in aliquo etiam casu *deberet* homo suam defensionem prætermittere. Vt si inuasor est persona publica, admodum Reipublicæ necessaria; vt rectè notat vbi suprà Sotus. Tunc enim esset casus necessitatis Reipublicæ, quo proinde deberet quis conseruare potius vitam alterius, Reip. necessariam, quàm propriam. Non tamen teneretur quis defensionem sui prætermittere, hoc solùm respectu, vt aggressor non incurreret mortem æternam. Nam vt suprà diximus, non est tum casus necessitatis, quo debeat quis subuenire vitæ spirituali aggressoris amittendo vitam propriam; siquidem ille ex mera malitia liberè se coniecit in tale periculum, & poterit mutare voluntatem, vel in puncto pœnitere, vt rectè notat Caietanus hìc.

Dico TERTIO, casus etiam posset contingere, quo non posset quis licitè suam defensionem prætermittere. Vt, verbi gratia, si inuasus, esset Reipublicæ valde vtilis, & aggressor esset homo Reipublicæ pernicious, &c. Probatur. Nam negligere tunc vitam propriam ob inuasoris vitam, esset noxium Reipublicæ, & etiam quædam prodigalitas. Et ita censet etiam Sotus & alij.

TERTIO quæritur: *Vtrum pro defensione quoque rerum temporalium possit quis licitè inuasorem occidere?* Et videtur id non licere. Nam homo debet plus diligere vitam temporalem proximi, quàm bona propria temporalia, vt disputauimus in materia de charitate: Ergo nunquam licet pro bonis temporalibus proximum occidere. Patet Consequentia. Nam tunc plus diligerentur temporalia; & ita fieret contra præceptum negatiuum, de non perturbando ordine charitatis. Et confirmatur ex D. Augustino lib.1. de libero arbitrio, cap.1. & 5. vbi expressè videtur negare, esse id licitum.

Nihilominus sententia est communis Theologorum, id licere. Ita nominatim docet Antoninus 3.par. tit.4. cap.3. & Sylvester, Verbo Bellum, quæstione 2. & Caietanus hìc art.7. & Sotus lib.5. de Iustitia, quæstione 5. artic.3. & Nauarrus in Manuali, cap.25. num.2. Et hoc ipsum etiam D. Thomas hìc in argumento *Sed contra* innuit. Et ratio debet esse: Nam in tali casu non tenetur quis tunc *actu* diligere vitam proximi, siquidem is non est in necessitate, cùm liberè se coniiciat in id periculum; & habet quis ius, vt quocunque tempore diligat seipsum, atque adeo velit retinere illa, quibus seipsum tuetur & conseruat: Ergo poterit licitè ex hac dilectione suiipsius velle remouere id, quod pugnat hìc & nunc cum hac efficaci suiipsius dilectione; & consequenter potest vitam inuasoris remouere, quæ nimirum obstat, quo minus homo in tali casu possit res suas conseruare, & ita se diligere.

Quod si via iuridica posset quis res suas iterum recuperare (vt si, verbi gratia, posset inuasorem interficere. Et ratio est: quoniam rem domi retinere) omnes negant, eum posse licitè inuasorem interficere. Et ratio est: quoniam id iam non esset moderamen inculpatæ tutelæ rerum. Item si res essent parui momenti: Similiter omnes negant, posse inuasorem occidi. Nam ratio dictat, non debere hominem tunc vsque adeo efficaciter se & sua amare, vt inuasorem rei parui momenti interficiat.

Porro ex hac doctrina sequitur, licitè etiam pro defensione *honoris*, cum moderamine inculpatæ tutelæ illius, posse aliquem alterum occidere. Vt, verbi gratia, si aliquis nobilis aut miles inuasus est ab altero, & si fugit, vitatur quidem rixa & periculum vitæ ipsius; sed tamen incurret propter fugam maximam ignominiam: tunc potest in pugna persistere, etiam si alterum debeat occidere. Ita Caietanus in Summa, Verbo Excommunicatio cap.10. vbi explicat, non incurrere huiusmodi hominē excommunicationem, quamuis aggressor occisus esset Clericus. Idem tenet Sylvester, Verbo Excommunicatio 6.§.4. & Nauarrus cap.15. nu.3. & 4. & Sotus vbi supra, & alij.

Dixi autem, *cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Nam si inuasus esset Clericus aut vir Religiosus, posset sine ignominia fugere. Non enim est eius ordinis hominum, ponere honorem in fortitudine bellica. Et ita si talis persisteret & occideret, non posset dici defendisse honorem inculpatè.

Sequitur etiam, pro defensione *castitatis*, vel alicuius alterius virtutis, posse inuasorem licitè occidi. Nam huiusmodi bona sunt etiam maximi momenti. Semper autem intellige cum *moderamine tutelæ inculpatæ, etc.* Deniq; omnia ista confirmantur ex l. Furem. ff. ad legem Corneliam de Sicariis, vbi hoc conceditur.

Manet tamen *irregularis* occidens inuasorem rerum temporalium. Nam in Clement. vnica, de Homicidio, solùm excipiuntur ab irregularitate furiosi, infantes, & dormientes, & qui aliter mortem vitare non possunt, nisi occidant: Quæ quidem exceptio est de nouo facta. Iure enim antiquo, etiam tempore D. Thomæ, occidentes pro defensione vitæ, erant irregulares; vt patet ex solutione ad tertium D. Thomæ.

Ad argumentum autem in contrarium RESPONDEO, non violari hìc præceptum negatiuum de ordine charitatis. Non enim defendimus, posse hominem pro rebus temporalibus proximum occidere, *minus* diligendo vitam proximi, *quàm* res proprias (non enim debet ita fieri) sed tantummodò *seipsum tunc diligendo efficaciter*, & habendo se *merè negatiuè*, quod attinet ad dilectionem proximi.

Quinimò debet esse talis paratus, vt si tunc esset casus necessitatis proximi, anteferret ex dilectione vitam illius rebus propriis; erogando ei illas. In tali enim duntaxat casu tenetur seruare ordinem charitatis, & tunc solùm eum violaret, quando eo casu vellet illas res suas retinere, vt Caietanus hìc & alij rectè dicunt.

Ad *Confirmationem* autem ex Augustino, respondeo illum intelligi debere in casibus, quibus non adhibeatur moderamen inculpatæ tutelæ; sicut suprà etiam respondi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM QVINTVM.

Quænam sint homicidarum pœnæ.

D. Thomas art.8.

DVPLEX Homicidium hoc loco distingui solet. Alterum *directè voluntarium*, & per se intentum. Alterum *casuale*. Et casuale rursus est duplex. Alterum *indirectè voluntarium*; quod scilicet in sua causa est volitum: vt si quis grauissimè alterum vulneret (quamuis sine intentione occidendi) & ille moriatur. Alterum *omnino inuoluntarium*, cùm neque in se, neq; in causa volitum est.

Hoc posito, quædam sunt hîc certa, & aliquid controuersum. Certum est PRIMO, eum, qui post susceptum Baptismum quomodolibet committit homicidium *directè voluntarium*, incurrere irregularitatem; vt patet cap.1. Extra de Homicid. & Clement. vnica eodem titulo, & notant fusè Syluester, Verbo Homicidium 3. quæst.2. & Nauarrus in Manuali, cap.27. num.219. & sequent. Atque etiam, si occisus sit Clericus, incurritur Excommunicatio, vt patet ex capit. Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. & per ea, quæ notat Caietanus in Summa, Verbo Excommunicatio, cap.10. Item, si occidens sit Clericus, *deponitur*, & traditur *brachio seculari*, vt docet Syluester vbi suprà quæst.9. & Verbo Degradatio. Item etiam punitur homicida voluntarius pœna mortis, grauiori, vel minùs graui, pro qualitate homicidij. De quo vide Sylueſtrum ibi.

SECVNDO certum est, per homicidium casuale *indirectè voluntarium* incurri easdem illas pœnas Ecclesiasticas, quæ incurruntur per *voluntarium directè*; quamuis non soleat puniri ordinaria pœna temporali. De quo vide Couarruiam Relectione in Clementinam Si furiosus. parte 2. §.1.

TERTIO quoque certum est, non incurri pœnas prædictas per homicidium casuale *inuoluntarium*, cùm illud sequitur ex opere alioqui *licito*.

CONTROVERSVM autem est, an incurratur irregularitas per homicidium casuale inuoluntarium, secutum ex opere *illicito*: ita scilicet, vt dans operam rei illicitæ, ex hoc ipso tantùm, quòd res est illicita, etiamsi adhibeat debitam diligentiam, ne sequatur homicidium, si postea sequitur, incurrat irregularitatem? Vt, verbi gratia, si Clericus venando, postquam adhibuit debitam diligentiam, ne hominem configeret sagitta, postea tamen configit. Nam plerique Iuristæ tuentur partem affirmatiuam: ob nonnullos Canones, qui simpliciter ex eo ipso, quòd res est illicita, videntur decernere pœnam irregularitatis.

Sed probabilior est sententia Theologorum, & nonnullorum Iuristarum, contraria, vt tomo 2. quæst. 3. de Peccatis p.3. fusè ostendimus: scilicet non ex eo præcisè incurri irregularitatē. Et fundamentum huius sententiæ est: quia adhibita debita diligentia, omnino homicidium sequitur per accidens, etiam ex actu alioqui illicito. Et ita cùm non sit tunc causa moralis homicidij is, qui actum illicitum exerceat, non debet censeri incurrere irregularitatem *annexam peccato homicidij*, de qua nimirum in hac quæstione est sermo.

Vnde verba Canonum & D. Thomæ hîc, ita explicanda sunt, vt tunc quis censeatur incurrere pœnam irregularitatis propter rem illicitam, quando est & illicita, & ex se ita periculosa, vt moraliter loquendo, non possit adhiberi debita omnino diligentia, quin homicidium sequi possit. Vt si Clericus daret operam hastiludiis, vel bello. Videat Lector ea, quæ tomo 2. in illa q.3. de Peccatis, p.3. de hac re disseruimus. De via autem & dispensatione irregularitatis, quæ incurritur ob homicidij peccatum, differit vbi suprà Nauarrus, & à nobis in 4. tomo in materia de Pœnitentia, siue de *Clauibus* dicendum est, Deo volente, cùm agemus de Censuris Ecclesiasticis.

QVÆSTIO NONA.

De Mutilatione membrorum.

D. Thomas 2. 2. quæst. 65.

AD MVTILATIONEM MEMBRORVM REVOCANTVR ETIAM quædam aliæ personales iniuriæ, per quas item orbatur homo libero vsu membrorum: vt verberatio, incarceratio, &c. Et potest doctrina necessaria de hoc toto genere iniuriarum breuiter expediri, si explicauerimus, quatenus mutilatio membrorum, vel verberatio, &c. licita sit vel illicita.

PVNCTVM VNICVM.

Quatenus mutilatio membrorum, vel verberatio, etc. sit licita vel illicita.

D. Thomas art.1. & seq.

QVATVOR breuiter asseram de hac re tota ex doctrina D. Thomę communiter recepta. PRIMO assero, in duobus tantùm casibus licitam esse alicuius membri mutilationem. *Primò*, quando communitatis gubernator iudicat eiusmodi pœnam conducere, vt homines arceantur à flagitiis, & conseruetur bonum commune Reipublicæ totius, etiam cum detrimento partis. *Secundò*, quando membrum aliquod corporis ægrum obstat bono totius corporis naturalis.

Probatur vtrumque. Nam vt optimè docet D. Thomas ar.1. omnis pars, cùm sit propter bonum totius, si ei obest, deleri potest. Vnde Exodi 21. iusta sine dubio lege pœna illa decernebatur: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Ex quo loco satis confirmatur prior nostræ assertionis pars.

Est autem notandum, ad posteriorem eiusdem assertionis partem etiam pertinere casum, quo quis, verbi gratia, esset ita ab inimico vinctus, vt nisi abscinderet manum vel pedem, esset ei moriendum igne vel alio modo. Tunc enim *licitè posset* id membrum abscindere. Censeretur enim conseruare vitam: cui iam, suppositio facinore inimici, obstaret moraliter loquendo illud membrum ligatum. Non tamen *teneretur* id abscindere, quamuis posset. Nam illud præceptum conseruandi vitam, non obligat cum tam difficili medio: vt bene notauit Sotus lib.5. quæst.2. art.1.

Extra huiusmodi verò casus nunquam est licita mutilatio nec propter periculum peccandi vitandum. Vnde Origenes, qui lib.6. histor. Eccles. cap.6. fertur se castrauisse, non rectè intelligens verbum Euangelij de Eunuchis Matt.19. ab omnibus communiter reprehenditur. Et vetat id Concilium Nicęnum, can.1. quod refertur cap. Si quis à Medicis, dist.55.

Præclarè enim D. CHRYSOSTOMVS hom.63. in Matth. citatus etiam à D. Thoma hîc ar.1. ad 3. expendens illud Matth.19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum*; subiungit: *non per membrorum abscisionem: sed per malarum cogitationum interemptionem. Maledictioni enim est obnoxius, qui membrum abscindit. Etenim qui homicidæ sunt, talia præsumunt, &c. Neque Concupiscentia manſuetior ita fit, sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma, quod in nobis est, & præcipuè à proposito incontinenti, & mente negligente. Neque ita abscisio membri comprimit tentationem, vt cogitationis frænum.*

Quòd si contrarium aliquàdo legitur de Sanctis, referendum id est ad Spiritus sancti instinctum peculiarem. Præterea notat Caietanus hîc, nomine membrorum in proposito intelligendas esse omnes partes corporis, quę habent vsum peculiarem; licet non ita præcipuum, & independentem ab aliis.

De *irregularitate* verò consequente mutilationem, dicendum est 4. tomo in materia de Clauibus, Deo volente. Ac arbitrantur hîc Caietanus & Sotus abscindentem etiam digitum, esse irregularem. Quod tamen negat Glossa in Clement. de Homicidio, & Nauarrus in Manuali, cap.27. num.206. ex communi sententia, & fortè probabiliori, vt videbimus in 4. tomo.

SECVNDO assero cum D. Thoma artic.2. licitum esse patribus, verberare filios, & Dominis seruos, & aliis curam aliorum habentibus, disciplinæ causa, moderatè tamen: non verò iis esse licitum occidere vel mutilare. Non enim debet tam latè patere potestas eorum, qui *imperfectis communitatibus* præsunt, quàm patet eius, qui præest *toti communitati* ciuitatis vel regni, ad quem proinde pertinebit ita animaduertere.

Docet ibi præterea D. Thomas, non licere aliis sibi non subditos ita corrigere; propter de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fectum potestatis & auctoritatis. Vbi Caietanus ad verberationem reducit vulnerationem. Nam verberatio interdum etiam est cum sanguine; & parum interest, siue is fundatur ferro, vel flagello vel ligno.

Ac potest tota hæc doctrina ex Scriptura confirmari, in qua & seueritas moderata in subditos commendatur maioribus, vt patet Prouerb. 13. & 23. & Eccles. 33. & simul prohibetur in hoc excessus: iuxta illud ad Ephes. 6. *Vos Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros.* Qua de re vide Legem Si filius. Codice de patria potestate, & Legem Prætor. ff. de iureiurando. §. Præterea. Quibus locis præscribitur modus potestati & auctoritati patris in filios.

Vtrum autem liceat Patribus & Superioribus verberare subditos *etiam Clericos*, absq; eo, quòd incurrant pœnas Canonis, *Si quis suadente*, tractat Sotus lib. 5. q. 2. art. 2. & Sylvester, Verbo Excommunicatio 6. §. 4. qui rectè sentiunt, id licere, moderatè tamen. Præsertim autem licet Prælatis, qui habent quasi publicam auctoritatem. Nec si aliquando præter intentionem sequeretur effusio sanguinis, incurreretur idcirco excommunicatio: secus si esset admodum immoderata castigatio, & magis ex odio, quàm ratione proficiscens.

TERTIO assero cum D. Thoma artic. 3. licite etiam posse homines propter bonum commune publica auctoritate in carcerem detrudi, & ita in pœnam priuari vsu liberomembrorum: sicut etiam possunt orbari membris ipsis. Concedit tamen S. Thomas in responsione ad 3. posse aliquem etiam sine publica auctoritate detineri ad tempus, ne aliquid mali committat. Vt, verbi gratia, non se det præcipitem, &c.

QVARTO assero ex sententia D. Thomæ art. vlt. hæc genera iniuriarum grauiora esse, si irrogentur iis personis, quibus plures alij sint aliqua necessitudine coniuncti. Etenim tunc iniuria ad plures redundat. Qua de re nullum est dubium.

QVÆSTIO DECIMA.

De Furto & Rapina.

D. Thomas 2. 2. quæst. 66.

EXPLICANDA SVNT SEX. PRIMO NAMQVE, CVM PER *Furtum & Rapinam expolietur re sua Dominus, videndum est, quidnam sit humanum dominium, & quænam res in illud cadant.* SECVNDO, *Sitne licitum habere proprium & peculiare dominium rerum externarum.* TERTIO, *Quibus nam modis ius proprij & peculiaris dominij acquiratur.* QVARTO, *Quid sit Furtum, quo res Domino eripitur; & quomodo differat à Rapina.* QVINTO, *An Furtum semper sit peccatum; & quale.* SEXTO, *Sitne etiam Rapina semper peccatum, & quale peccatum.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Dominium, & quænam res in illud cadant.

D. Thomas art. 1.

DOMINII vocabulum Theologis & Iurisperitis significat idem, quod vocabulum *proprietatis* rerum; vt proprietas distingui solet à nuda rei *possessione*. Vnde lib. 3. ff. extant *diuersi* tituli, de acquirendo rerum *Dominio*, & de acquirenda rerum *possessione*. Et in eadem significatione reperitur etiam in sacris literis Dominij vocabulum, quamuis non nisi bis tantùm. Primùm Tobiæ 8. vbi de Raguel legimus, quòd *fecit Scripturam, vt pars dimidia, quæ superaret post obitum eorum, Tobiæ Domino deueniret.* Deinde 1. Machab. 11. vbi dicitur: *Rex autem Ptolomæus obtinuit Dominium ciuitatum vsq; Seleuciam maritimam.* Vsus est etiam hoc vocabulo in eadem significatione ex veteribus Latinis auctoribus, Varro lib. 2. de re rustica, cùm ait: *In mercando, & in emptionibus, & traditionibus, Dominium mutant.*: sicut Sotus etiam annotauit lib. 4. de Iustitia, q. 1. art. 1.

Porro Gerson in tractatu de potestate Ecclesiæ, consideratione 13. & tract. de vita Spirit. lect. 3. & Conradus q. 1. de Contract. lib. initio, & concl. 5. ita definiunt Dominiũ. *Dominium est potestas propinqua assumẽdi res alias in suam facultatem vel vsum licitũ, secundùm iura rationabiliter instituta.* Nomine autem *rerum* intelligunt etiam personas.

Sotus autem lib. 4. de Iust. q. 1. art. 1. reprehendit hanc definitionẽ. Nam, inquit, hæc definitio solùm explicat rationem *iuris*, accipiendo *ius* pro facultate legitima, qua quis fungitur in personam aliquam vel rem: Sed talis facultas latiùs patet, quàm dominium: Ergo non est bona hęc dominij definitio. Probat Minorem. Nam pater, v. g. tale ius habet in filios, non verò dominium: Siquidem distinxit Aristoteles 5. Ethic. cap. 6. ius *herile*, siue *dominatiuum & paternum*. Item id ius habet Prælatus in subditos, & Rex in ciues: non tamen dominium: iuxta illud Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum. non sic erit inter vos.*

Quapropter ea definitione reiecta, ponit hãc Sotus, quæ colligitur ex doctrina omnium: *Dominium est propria cuiusq; facultas in rem quamlibet, quam in suum ipsius commodum vsurpare potest, quocunq; vsu lege permisso.*

Nomine *facultatis* intelligit Sotus, quod Gerson intelligebat nomine *Propinquæ facultatis*, hoc est, potestatem licitè, atq; adeò facile vtendi reb. Additur *propria*, vt distinguatur dominiũ à mera *possessione & vsufructu rei*: quib. titulis etsi quis licitè reb. vtatur, tamen non *propria* facultate, id est, *independente* ab alterius hominis volũtate; sed dependenter à voluntate eius, qui habet verũ & *directum* (vt vocant) dominium, vel etiã à voluntate iudicis id permittentis, lite pendẽte. Vnde ius *Vsuarij* siue *Vsufructuarij*, non est propriè dominiũ: quamuis solet quidem impropriè appellari dominium *vtile* siue *indirectum*.

Dicitur etiã in ea definitione, *Quam in suũ ipsius cõmodum, etc.* vt excludãtur illa alia prędicta iura Superiorũ in inferiores: quæ idcirco non sunt dominia, quia respiciunt potissimùm vtilitatẽ & cõmodum non proprium, sed ipsorum inferiorum. Non enim superiores faciunt propter seipsos ea quæ ergà subditos constituunt; sed magis propter illos.

Deniq; addit Sotus, *Quocunq; vsu* lege permisso vt excludatur etiam vsus & vsusfructus, qui nõ sunt dominia, sed tantùm peculiares quidã vsus. Dominus enim potest *quocunq; vsu* lege permisso vti re, atq; adeò illam quoq; alienare donando, aut vendendo, &c.

Mihi verò hæc definitio, si rem attendamus, nõ displicet. Quanquam primùm non video hanc definitionem differre à prima Gersonis nisi solũ in verbis. Non enim differt in eo, in quo vult Sotus: videlicet in significato illius particulæ, *in suũ ipsius cõmodum*. Nam idẽ videtur intellexisse Gerson per illam particulam suę definitionis, *in suam facultatẽ, vel vsum licitum*. Per quã particulam potuit æquè Gerson explicare, quomodo illa alia iura Superiorum non sint dominia, & ita respondere ad Sotĩ argumentum.

Præterea non placet quod Sotus ait per illam particulã, *Quocunq; vsu, etc.* excludi à ratione veri dominij *vsum & vsumfructum*. Nam si vsus & vsusfructus non essent iam antea exclusi per illã particulam, *Propria*, non excluderentur per hanc, *Quocunq; vsu*. Diceretur enim, hoc, quod est, nõ posse vsuariũ, vel vsufructuariũ rem *alienare*, minimè obstare rationi dominij: quia talis vsus non est vsuario iure permissus: dominium aũt respicit quemcunq; vsum *iure permissum tantùm*.

Solùm igitur illæ particulæ, *Quocunq; vsu, lege permisso*, debent addi ad comprehendenda aliqua dominia, per quę, quanquã dominia sint, nõ licet iure res alienare aut vẽdere, vt postea videbitur. Et sic explicata ea definitio est bona. Sed vt dixi, verbis tantũ, nõ re differt à definitione Gersonis & Cõradi. Nam etiam horũ definitio habet illam vltimã particulam (*quocũq; vsu lege permisso*) vel certè æquiualentem; & in prioribus particulis, quod ad rem quidem significatã, non differt.

Quin etiã tantundẽ planè valet descriptio dominij, quã assignauit hìc D. Tho. cũ dixit, *dominiũ cõsistere in potestate vtẽdi reb. exterioribus, quasi propter hominẽ factis.* Nomine enim *potestatis* intelligit licitam potestatẽ: nã id solũ verè possumus, quod iure possumus. Et ita cõprehendit per istam particulam non modò vtendi facultatẽ, sed etiã *vsum iure permissum*. Et quod dicit, *Quasi propter hominẽ factis*; est idem quod dicere, *In suum commodum*. Propterea nãq; homo omnia, quorũ est Dominus, rectè refert ad seipsũ, quia ea sunt facta propter ipsum; vel à Deo quidẽ immediatè, vel etiam (Deo cõsentiente & approbante) voluntate humana iuris gẽtium vel ciuili. Quod dico propter seruos, qui tametsi naturâ sua non sint propter alios homines facti: tamen voluntate propria aut aliorum, iure gentium vel ciuili, in alios hominum ordinantur, & in commodum eorum.

Apparet itaq; ex his, definitiones has oẽs dominij (vtcunq; tradantur diuersis verbis) in vnam & eandem sententiã conuenire: quæ videtur clarius exprimi his verbis: Dominiũ *est facultas quam quis habet vsurpandi rem indepẽdenter ex alterius voluntate, in suumq; commodum, quolibet vsu lege permisso.*

Ex hac ratione dominij intelligitur PRIMO, quid sibi velit D. Tho. quando hìc dicit, Deũ habere dominiũ rerum, quantũ ad earum *naturas*; hominẽ non item, sed quantum ad *vsus* earum: Videlicet non est sensus, hominẽ non posse vllo modo vsurpare etiam *naturas* rerum in suam vtilitatem; sed hominem nõ posse *omnibus modis* erga rerum *naturas* exercere operationes, quas referat in seipsum, sicut potest Deus, qui proinde est multò perfectiùs Dominus. Non enim potest homo, sicut ille, *ad libitum* permutare res, vel substantialiter, vel accidentaliter.

SECVNDO ex eadem dominij ratione intelligitur, bruta non *propriè* posse dici habere dominiũ rerum, etiam quibus vtũtur, vt herbarũ, &c. Ratio est: quia neq; *propriè* iis reb. vtuntur, vt D. Tho. docet 1. 2. q. 16. ar. 2. & nos tradidimus tom. 2. disput. 2. q. 11. Vti enim est rem aliquã vsurpare, referendo illam ad finẽ aliquem. Itaq; sicut solæ creaturæ intellectuales & liberæ, agunt propter finem propriè; quippe eæ solæ cognoscunt formaliter rationẽ finis & mediorum: sic etiam solæ illæ verè ac propriè vtuntur rebus in suum commodum

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum, ac proinde solæ habēt verè dominium. Neq; huius est petenda ratio prior: agimus enim iam de prima ratione ipsius dominij, quam dicimus esse vniuscuiusq; facultatē liberè vtendi rebus propter seipsum. Cuius rei argumēto est cōmunis animi cōceptio. Quocirca Gerson & Conradus vbi suprà, cōcedentes bruta habere etiā dominium, vocabulo dominij abuti videntur.

TERTIO inde etiā intelligitur, tam latè patere dominium, quā patet facultas aliquo iure vtēdi reb. in proprium cōmodum. Quare sicut ius tale aliud est diuinū *naturale*; aliud diuinum *positiuum*; aliud humanum *gētium*, id est, omnium nationū voluntate constitutum; aliud humanum *ciuile*, id est, ciuitatis vel regni; aliud deniq; humanum *Ecclesiasticum*: ita etiam tot modis potest contingere esse legitimū dominium. Et huc pertinet ferè distinctio illa dominiorum (nescio an valde necessaria) quæ à Conrado q. 2. de Contractibus ex Gersone in tractat. de potestate Eccles. consid. 13. proponitur: scilicet aliud esse dominiū *beatificū*, conueniens beato, secundū leges gloriæ (in suis nimirum operationib.) aliud *originale*, quod cōueniret homini secundùm legē iustitiæ originalis; aliud *gratificum*, secundùm leges gratiæ; aliud *Euangelicum*, secundū leges proprias Euangelij; aliud *Canonicum*, secundùm leges Canonicas; aliud *ciuile*, secundùm ciuiles, &c.

QVARTO hinc intelligitur, quomodo sit accipiendū, quod hīc ait D. Thom. *naturale* esse homini dominiū rerum externarū. Non enim vult quodvis dominiū niti iure naturali *immediatè*; sed sensus est, dominium rērum esse naturę hominis cōsentaneum: id quod verum est, etiam quādo dominium iure humano immediatè nititur.

QVINTO ex dictis illud etiam intelligitur; sicut potest esse latitudo in vsib. aliquarū rerum per leges non prohibitis, pro diuersa conditione rerū vel personarum: ita etiā posse latè patere dominiū, ꝙ attinet ad facultatē vtendi reb. *plurib.* vel *paucioribus* modis. Et ex hac parte possunt esse varia dominia perfectiora vel imperfectiora. Vt v. g. perfectius dominiū est illud, quod quis habet in equum, quatenus etiam potest eum in suam vtilitatem occidere, quàm dominium in seruum, qui non potest à domino occidi.

Atq; ex his diiudicari facile possunt multa, quæ circa *rationem & differentiā* dominiorū, nescio an satis vtiliter, à quibusdā annotari solent: Itemq; possunt ex his (vt ad dominij OBIECTVM siue MATERIAM veniamus) facilè definiri multæ quæstiones à Doctoribus prolixè disputatæ circa materiam, siue obiectum dominij: quæ tamen ferè videntur esse de nomine.

PRIMA est, Vtrum *pupilli*, & habentes census annexos *primò genituræ*, sint verè domini *patrimoniorum*. Quidam negant; quia non possunt alienare nec vendere: alij, inter quos est Sotus vbi suprà, concedunt; quia ille non est vsus *lege permissus* talibus; & ita non obstat rationi dominij, quòd eius vsus non habeant tales facultatē, sed tantum id efficit, vt dominium tale non sit tam perfectū. Et isti meliùs loquuntur. Quæstio aūt est solùm de nomine. Omnes enim in re conueniunt: quòd videlicet *aliis modis tātùm*, præter *alienationem*, liceat huiusmodi personis propria bona vsurpare, in suam vtilitatem. Controuersia aūt est tantùm de nomine, an idcirco debeant dici vel non dici Domini.

SECVNDA eiusdem generis quæstio, est, Vtrū Religiosi Ordinis *Minoritarum* habeant verū dominiū rerum *vsu consumptibilū*, vt panis, vini, pecuniæ, &c. quæ illis conferuntur ex eleemosyna. Quæ quæstio videtur etiam fuisse controuersia à summis Pontificibus, citra definitionē tamen fidei, vt pòst dicemus. Nam Nicolaus III. in Ca. *Exxiii*, de verborum significatione lib. 6. asserit, nō habere eos dominium eiusmodi rerum; sed tantūmodò *merū vsum*: dominio pecuniarū quamdiu non distrahuntur, manente apud eos, qui eas sunt largiti: alimētorum verò & aliorū vtensiliū apud Roman. Pontificem. Fundamentum huius sententiæ est: quia eas res non possunt tales Religiosi alienare & vendere, licet possint consumere. Et hanc sententiam amplectitur Sotus lib. 4. de Iust. q. 1. ar. 1. & eandē defendunt alij Theologi recentiores.

Ioannes verò XXII. in Extrauaganti, *Ad Conditorem*, & in Extrauaganti, *Cū inter nonnullos*, & in Extrauaganti, *Quia quorundam*; de verborum significatione, multis argumentis probat, eos habere dominiū harum rerū; statuitq; ne vllī eiusmodi rerum dominiū à Romana Ecclesia acquiratur. Fundamentum præcipuū huius sententiæ est: quia in his rebus, quę *vsu consumuntur*, non videtur posse distingui *vsus* à *dominio*. Qui enim facultatē concedit alicui eas res consumendi, nullius vsus ius vel potestatē aut sibi aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi possit retinere aliquod dominium eiusmodi rerum. Et ita docet S. Thom. infrà q. 78. ar. 1. & Antoninus 4. p. tit. 12. cap. 4. §. 4. & Caietanus in dicta q. 78. art. 1. & Syluester V. Dominium. q. 2. & Ioan. à Turrecremata lib. 2. Summæ de Ecclesia, cap. 112. in fine, vbi nominatim sententiam hanc Ioan. XXII. approbat.

Hæc quæstio potest esse de solo nomine, & potest etiā esse de re, vt Sotus quoq; vbi suprà fatetur. Et ego, si posito, quòd contendicauit. De *nomine* quidem, si posito, quòd conueniat inter vtramq; opinionem, Minoritas his rebus vsu cōsumptibilibus propria facultate independenter à voluntate alterius posse vtī alij cū Nicolao III. dicant, *non esse dominos*, quia nō possunt illas res alienare: alij verò cum Ioan. XXII. *affirment*, quia id non obstat vero dominio, cùm talis vsus non sit eis *iure permissus*: quippe lege voti suæ paupertatis alienare res illas prohibentur. Et si sic controuersia hęc susciperetur, meliùs loquerentur, qui Ioan. XXII. sequuntur: vt patet ex ratione Dominij suprà expositā.

Potest

Potest etiam cōtrouersia hæc esse de re; si Nicolai sententia sit, Minoritas nō posse eiusmodi rebus vti propria facultate independenter à voluntate *dantis*, vel *Pōtificis*; atq; adeò vt dominos; sed duntaxat *dependenter* à voluntate vel dantis, vel Pōtificis: apud quos proinde intelligatur manere verum dominium, & facultas vtendi his rebus ante earum consumptionē omnibus modis: sicut manet apud eum, qui dedit alteri *vsum* vel *vsumfructum* domus vel agri. Contrà verò, Ioannes XXII. & qui eum sequuntur, sentiant, *independenter* ab aliorum voluntate, atq; adeò vt dominos, posse Minoritas vti rebus vsu cōsumptibilibus; quandoquidē ab iis, qui ipsis eas res largiuntur, sit illis potestas consumendi omnino illas.

Atque hoc posteriori modo videtur omnino procedere hæc cōtrouersia, vt potest intelligi ex iis, quæ scribūt hi Pōtifices, & maximè Nicolaus, cū in eum sensum ait, habere quidem Minoritas, quod ad eiusmodi res attinet, vsum dūtaxat *facti*, non aūt vsum *iuris* aut *facultatis* indepēdenter vtendi à volūtate alterius. Et sic intellecta hac cōtrouersia, videntur mihi duo de illa verissimè statui posse, postquā diligenter ea cōsideraui & expēdi, quæ ab vtroq; Pontifice de hac re sunt scripta. PRIMVM est, vtramq; opinionē (scilicet Nicolai & Ioann.) in aliquo sensu, esse veram, atque adeò facile has duas opiniones aliquo modo cōcordari posse, ex mente etiam & sententia horū Pontificum. SECVNDVM est, absolutè quidē loquendo, opinionem Nicolai esse probabiliorem & veram, neq; tamen magnoperè repugnantem menti Ioannis.

PRIMVM ita declaro & probo. Cùm res quæpiam vsu consumptibilis datur Minoritis, ad diiudicandum, an Minoritæ acquirant eius dominium nec ne, respicere oportet tum ad voluntatem dantis, tum ad voluntatem ipsorum Minoritarum, quirem acceptant. Si respiciamus ad volūtatem *dantis*; dici potest, Minoritas, quātum est quidem in dātis voluntate situm, acquirere talis rei dominium; id est, per voluntatem dantis non stare, quo minus dominium illi talis rei acquirant.

Patet hoc manifestè. Nam communiter qui Minoritis aliquam remvsu consumptibilem dat, abdicat se eius dominio; cùm nullam sibi potestatem reseruet vtendi ea re, sed faciat, quantum in ipso est, potestatem Minoritis vtendi ea re, independenter ab ipsius voluntate, etiam consumendo illam, atque adeo quocunque modo eis placuerit.

Atque idem dicendum est respiciendo ad voluntatem, quam circa modum Minoritarum, in vtendo iis rebus, habuit Ioan. XXII. & putauit etiam alios Pontifices debere habere; siquidem & permisit ipse eiusmodi rerum dominium Minoritis, & statuit ne illud Ecclesia Romana acquireret, vt antea memorauimus.

Itaq; in hoc quidem sensu, scilicet respiciendo ad voluntatem dantis (& ad voluntatem etiam, ac iudicium seu decretum illud Ioan. XXII.) vera est secunda opinio: Et in eo etiam maximè sensu illam asseruit & propugnauit Ioan. XXII. vt patet ex eius opinionis fundamento; quod nimirum fuit, non posse dominium rei vsu consumptibilis ab eiusdem rei vsu ita separari, vt quis faciat alteri potestatē *independentem* consumendi etiam eiusmodi rem atque adeò pro libito ea vtendi, & tamen sibi retineat talis rei dominium: Cùm dominium rei non possit quis sibi retinere, nulla potestate sibi retenta amplius vtendi re; vtpote quod essentialiter est facultas seu potestas re vtendi, &c. sicut patet ex dominij definitione.

Si autem respiciamus ad voluntatem ipsorum *Minoritarum*, in acceptanda tali re sibi data; dicendum est, eos non acquirere illius dominium. Nam quidquid sit de voluntate dantis, tamen ipsi (vt aiunt) non ita volunt acceptare rem vt acquirant potestatem ea vtendi absolutam & *independentem* à cuiusquam alterius voluntate ante ipsum actualem rei vsum (in qua independenti potestate consistit dominium) sed tantùm vtendi ea, si potestas hæc vtendi re, antequam actu re vtantur, non reuocetur ab alio, nimirum à Papa, penes quem saltem volunt ipsi esse istarum rerum dominium, quandiu saluæ supersunt. Atque in hoc sensu est vera prima sententia, scilicet Nicolai III. & Soti, & aliorum, & sic illam Nicolaus asseruit: Neque Ioannes XXII. voluit probare, non posse eam sic esse veram.

Etenim vsus rei consumptibilis ita antecedenter & reuocabiliter dependens à voluntate alterius, atque adeò etiam facultas ad talem rei vsum, ita dependentem ab alterius voluntate, bene potest separatim acquiri sine dominio eius rei, consistente nimirum in vtendi facultate *antecedenter independente* à voluntate alterius. Et hoc ipsum rectè probat & illustrat Sotus vbi suprà, exemplo cōuiuarum, qui vtuntur epulis appositis sine illarū dominio; Itemq; religiosorum eorum, qui quamuis in communi quidem dominium rerum habeant, tamen in particulari habent duntaxat vsum rerum sibi à Prælatis attributarum pro vniuscuiusque necessitate: quo etiam modo potest haberi *in communi quoque* vsus duntaxat rerum absque dominio: Et denique exemplo etiam eius qui intrans vineam, v. g. alterius, potest licitè aliquid vuarum edere absque illarum dominio; iuxta illud Deuter. 23. Ingressus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit; foras ne efferas tecum.

Neque est hoc contra D. Thomam, Antoninum, & alios Theologos supra citatos, qui affirmant, in reb. vsu consumptibilibus non posse distingui & separari vsum à Dominio. Loquūtur enim non de vsu talium rerum *dependente antecedenter* (id est, ante actualem ipsum rei vsum) à voluntate alterius, sicut nos iam loquimur, sed de

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsu talium rerum independente omnino à volũtate alterius; cuiusmodi vsum rei vsuconsumptibilis (vt puta pecuniæ) concedit vsurarius ei cui pecuniam mutuo dat: siquidem facit ei plenissimam & irreuocabilem potestatem, vt independenter ab ipsius voluntate vtatur ad libitum illa pecunia, etiam distrahendo & consumendo illam; Quo ipso conuincitur, vsurarium transferre in alterum verè totum dominium eius pecuniæ quod ipse habebat, atque adeò pro vsu eius non posse quidquam accipere præter æqualem summam, qua illud pecuniæ dominium, atque adeò omnis eius pecuniæ vsus, sufficienter compensatur, vt infrà quæst. 21. p. 1. demonstrabimus.

Ex quo (vt obiter id annotemus) euidenter apparet, nonnisi imperitè ac impiè, accersiri patrocinium vsuris ex ista opinione Nicolai III. & aliorum Theologorum, qui sentiunt, vsum rei vsuconsumptibilis posse distingui & separari ab eiusdem rei dominio. Quasi hinc sit consequens, vsurarium retento apud se dominio pecuniæ quam mutuo dat, posse pro illius vsu, quem duntaxat alteri concedat, accipere aliquid vltra sortem. Hoc esse commentum vanissimum manifestè patet iam ex dictis. Nam opinio hæc Nicolai & aliorum Theologorum, non concedit posse à dominio rei vsuconsumptibilis distingui & separari vsum eius talem, qualem constat vsurarium concedere ei cui pecuniam mutuo dat, videlicet absolutum omnino & non amplius vllo modo dependentem à voluntate dantis, vt iam est dictum: sed loquitur ea opinio de vsu dependente antecedenter à voluntate alterius, sicut iam explicatum est.

Porro non etiam obstat veritati huius opinionis Nicolai in prædicto sensu, quòd communiter ij, qui Minoritis rem vsuconsumptibilẽ dant, se abdicant eius dominio (vt suprà dictum est) & quod etiam Papa posset nolle habere talium rerum dominium, sicut noluit Ioannes XXII. Non enim illico hinc sequitur, ipsos Minoritas tunc acquirere velint nolint talium rerum dominium. Neque enim est absurdum aut impossibile, vt quandoque dominium alicuius rei penes nullum omnino sit, sed tantùm vsus, aut ne vsus quidem: Vt patet manifestè in rebus *derelictis*, quæ nullius sunt. Atque hactenus satis, vt arbitror, explicauimus illud PRIMVM, quod de hac controuersia diximus verè asseri posse, scilicet vtramque opinionem esse in aliquo sensu veram.

SECVNDVM autem, scilicet absolutè quidem loquendo probabiliorem esse opinionem Nicolai, facilè ostendi potest ex iam dictis. Nam cùm ad acquirendum dominium rei quæ datur alicui, requiratur non solùm voluntas dantis, sed maximè etiam volũtas *acceptantis*; hoc ipso quòd Patres Minoritæ nolunt (vt aiunt) acquirere talium rerum dominium; *absolutè* est verissimum, eos id dominium non acquirere, vt asseruit Nicolaus. Quòd autem illud acquirunt, quantum est quidem ex parte dantis, &c. vt antea ex sententia Ioannis XXII. explicuimus; solùm est illud acquirere *secundùm quid*; id est, si respiciamus tãtùm ad voluntatem dantis, atq; etiã ad voluntatem quã iudicio quidem Ioan. XXII. conueniret Papam in hoc negocio habere.

Neq; mouere nos debet hæc qualiscunq; dissensio Nicolai & Ioan. Nam ij duo Pontifices nõ contraria senserunt, *definiendo* (vt Pontifices) aliquid pro *tota* Ecclesia circa materiã fidei aut morum; sed *interpretando* aliquid circa institutum certæ *cuiusdam* familiæ Religiosorum; itemque practicè ordinando, vt Ecclesia Romana haberet vel non haberet dominium rerum, quę ad vitæ subsidium dantur eiusmodi Religiosis. Atque hac ipsa ratione Ioan. XXII. in dicta Extrauaganti. *Quia quorundam.* respondet ad auctoritatem prædecessoris sui Nicolai, quam quidam ipsi obiiciebant.

Et certè hoc probabilius dicitur, quàm quòd Turrecremata vbi suprà, ait, Nicolaum non esse locutum de rebus *primo vsu consumptibilibus* (de quibus loquitur Ioannes) sed solùm de *aliis* vtensilibus, & ideo hos Pontifices non esse contrarios. Perspicuum enim est, si quis legat attentè Nicolaũ in dicta Etrau. *Exiit.* eũ de omnibus ad vitam necessar iis esse locutũ. Neq; Ioan. XXII. in Extrauag. *Ad conditorem*, eo modo intrepretatus est dicta Nicolai, vt falsò dicit Turrecremata, sed illo alio modo quo diximus, ad auctoritatem Nicolai respondet in dicta Etrauag. *Quia quorundam.*

TERTIA eiusdem generis quæstio est, vtrũ homo sit dominus propriæ *vitæ et membrorũ*? Franciscus Victoria in Relectione de hom. num. 23. & Sotus libro 4. de Iustitia, quæst. 2. art. 3. & Caietanus infrà quæst. 73. art. 2. & alij communiter negant esse dominum. Fundamentum huius sententiæ est *primò* in Scriptura, significante Deum esse dominum *vitæ & mortis*. Sap. 16. & Deut. 32. *Deinde* quia homo non potest se occidere. CONTRA verò fertur sensisse aliquando idem Victoria. Propter illud Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilij sui.* Item quia multis modis potest quis licitè vita propria vti, imo etiam illam pro alio exponere.

SED prior sententia est omnino vera, quam etiam asseruit D. Tho. q. 59. ar. 3. ad 2. & q. 64. ar. 5. ad 1. & ad 3. atq; etiam S. HIERONYMVS idem significat, cùm in cap. 1. Ionæ, ait: *Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter excipere.*

Vera autem huius sententiæ probatio est indicata à D. Thoma q. 64. art. 5. ad 3. & ducitur ex definitione dominij iam antè explicata. Nam quod cadit in humanum dominium, oportet esse aliquid, quod per liberi arbitrij vsum possit vsurpari, & referri ad propriam vtilitatem & cõmodum ipsius hominis; iam vtique præditi suo libero arbitrio, atq; adeò etiam vita, cõstante ex anima & corpore, & corporeis membris. Itaq; non cadũt in dominium *vitæ, & ea*, quæ ad ipsam *constitutionem* hominis naturalem pertinent; sicut neque ipsa *potentia liberi arbitrij*, quæ etsi vitâ est posterior, tamen est dominio omni prior, tãquam dominij omnis fundamentum, vt etiam q. 8. p. 2. ex sententia D. Thomæ declaraui. Hæc (vt dixi) est vera & solida probatio huius sententiæ.

Nam illæ aliæ duæ rationes, quibus Sotus & alij auctores huius sententiæ, eam probant; non videntur omnino conuincere. Quod enim *primò* ex Deut. 32. & Sap. 16. adfertur, scilicet, Deum esse *Dominum vitæ & mortis*, si aliquid probaret, similiter probaret, hominem non esse dominum externarum rerum. Nam dicitur etiam in Scriptura: *Domini est terra, & plenitudo eius, &c. Psal. 23.* Itaque nisi aliud obstaret, posset intelligi & Deus esse dominus vitæ (sicut aliarũ rerum) & etiam homo, quia vterq; suo modo habet facultatem vtendi vita & rebus: Deus latissimè patentem, tanquã auctor omnium rerum: homo tam latè, quàm ei Deus concedit, pro diuersitate rerum, &c.

Secundùm etiam illud, quod affertur, hominẽ non posse se occidere; si quid probaret, etiã probaret, hominem non posse alteri homini vt seruo dominari: quia nec potest seruũ occidere. Si dicas, posse tamẽ seruum alienare vendendo: Dicam similiter, in necessitate posse quempiam seipsum vendere, vt communiter conceditur. Et responderi ad eam rationem posset, non obstare id dominio vitæ propriæ, quandoquidem ille vitæ vsus, qui esset seipsum occidere, non est *lege permissus*; Dominium autem est facultas vtendi re vsu lege permisso. Sufficiat igitur ad Confirmationem *prioris* illius sententiæ illa alia probatio nostra, ducta ex definitione dominij, & ex doctrina D. Thomæ.

Porro rationes *posteriorís* opinionis solùm probant, hominem esse quidem *suarum actionum* dominum, quas in suum nimirum commodum spirituale vel corporale arbitrio suo libero exercere potest; non autem probant, esse etiam dominum ipsius propriæ vitæ, vt neque ipsius liberi arbitrij, tametsi eo quis (non minus, quàm vita) multis modis vtatur.

QUARTA quæstio est etiam similis, An videlicet homo sit dominus *propriæ famæ*? Caietanus infrà q. 73. ar. 4. & in Summa, V. Detractio. non putat. Fundamentum eius est: nam sicut non potest seipsum occidere, eò quòd per hoc noceret cõmunitati, cuius est pars, &c. eadem ratione neq; potest se diffamare. Et cõfirmari potest hoc fundamentum per illud Ecclesiast. 41. *Curam habe de bono nomine*: Ex quo videtur homo esse tãtùm *custos* famæ, non dominus.

Contrarium verò videbatur Victoriæ, quẽ sequitur Sotus lib. 4. q. 2. ar. 3. & in Relectione de sigillo secreti, q. 3. Et probatur ex D. Thoma suprà q. 64. ar. 5. ad 3. dicente, hominem esse dominum eorum omniũ, *quæ acquirit libero suo arbitrio*: Sed eius generis etiam est fama, vt patet: Ergo, &c. Item q. 73. ar. 4. ad 1. ait, *liberi arbitrij esse, pati detrimentum in propria fama, nisi cedat in detrimentum aliorum.* Ergo potest homo, tanquam dominus, variis modis vti sua fama; etiam illam postponẽdo vitæ propriæ cũ simili cautelæ ei, qua diximus q. 8. posse hominem vitam alterius postponere vitæ propriæ, illum interficiendo, hoc est, quando nisi quis se diffamet, non poterit vitam seruare.

Videtur autẽ hæc quæstio esse de nomine. Nam omnes concedunt, posse hominem variis modis licitè vti propria fama; idq; in suum commodum famam referendo, tãquam rem diuersam ab ipso homine, vt vita & libero arbitrio prædito: non autem posse hominẽ absq; necessitate eam prodigere, sicut neq; potest pecunias. Itaq; controuersia est solùm de loquendi modo; an scilicet propter *primum* debeat homo dici dominus propriæ famæ, vel propter *secundum* non dici. Cæterùm in hac controuersia de nomine Victoria & Sotus melius loquuntur. Nam quòd quis non possit vti re modo aliquo *illicito*, non obstat vero dominio, vt sæpe est dictum.

Et hinc patet responsio ad argumentum Caietani. Confirmatio autem nihil probat. Nam etiã domini munus est maximè res suas curare & *custodire*. Et ita debet quis vel ob id maximè, quod est famę dominus, custodire famam; nisi quando res maioris momẽti propria vel communitatis, sit famæ anteponenda.

QVINTA quæstio est, vtrũ homo sit dominus rerum *spiritualiũ*, tum externarum, vt *beneficiorum* (saltẽ quoad ius & titulũ: nam vtrum beneficiarij sint domini omnium reddituũ beneficij, infrà in Disput. de Statibus videndum est) tum *internarum, vt gratiæ, &c.* RESPONDENDVM breuiter est, esse Dominũ huiusmodi rerum. Nam potest quocunq; modo licito eis vti. Quanquam tale dominium peculiariter pendet à Deo conseruante, sicut etiam suo modo omnia alia humana dominia.

Hic autem aduertendum, quosdam, quos meritò refellit Sotus lib. 4. de Iust. q. 2. ar. 1. falsò asseruisse, titulo *charitatis & gratiæ* posse iustũ vti reb. omnibus aliorũ tanquam suis. Hoc falsissimũ est & erroneũ. Nam gratiæ titulo solùm habent iusti ius ex iustitia ad vitam æternam, nõ ad res externas. Alioqui esset magna confusio: debent enim tituli dominiorum esse patentes in Repub. Charitas verò latet. Vnde S. Paulus non alio titulo cõcedit Concionatoribus Euangelij, vt metant temporalia, quàm quia *spiritualia seminant*: licet sine dubio supponebat futuros eos esse iustos. Ex his facilè poterunt aliæ similes quæstiones diiudicari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM SECVNDVM.

Sitne licitum habere proprium & peculiare dominium rerũ externarum, atque adeò sitne licita rerum diuisio.

D. Thomas art. 2.

NVNQVAM fuit dubitatũ, quin sit licitũ externarũ rerum dominium *commune*, cuius omnib. hominib. ius & vsus cõpetat. Nã & ratione naturali, qua res eiusmodi ad hominẽ tanquam ad perfectionẽ ordinari cõstat, dominiũ eiusmodi cõprobatur, & etiã nititur auctoritate ipsius Dei, illud hominib. ob liberi arbitrij præstantiã concedentis. Quod patet ex illis Dei verbis Gen. 1. *Crescite & multiplicamini, & replete terrã, et subiicite eam, & dominamini piscib. maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantib. quæ mouentur super terram, etc.* Et ex illis Dauidis Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.*

Sed vtrum etiam licitũ sit, *proprium ac peculiare* rerum externarum dominium, quod non omnibus hominib. sed *particulari* alicui vel personæ, vel cõmunitati cõpetat, & præsertim apud Christianos; ac proinde num sit licita diuisio & proprietas rerum; id verò non semper extra controuersiam fuit.

Videtur nãq; nõ esse licita huiusmodi rerũ proprietas & diuisio; præsertim inter Christianos. PRIMO, quia videtur esse contra ius illud, tũ naturale, tum diuinũ, quo diximus dominiũ *cõmune* rerum externarum competere omnibus hominibus.

SECVNDO, nam Luc. 14. dicitur: *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* Sed idẽ est *Christi discipulus, & Christianus:* Ergo non licet Christianis possidere quidquam proprium.

TERTIO, nã id quoq; videntur dãnare sancti Patres. Vt CLEMENS I. epi. 5. & refertur 12. q. 1. Ca. Dilectissimis: *Cõmunis*, inquit, *vsus omniũ, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit: sed per INIQVITATEM, alius hoc suum esse dixit, & alius illud. Et sic inter mortales facta diuisio est.*

Et S. BASILIVS serm. ad diuites auaros, circa illud Luc. 12. *Congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, etc. Dic mihi*, inquit, *quæ tua? Vnde ea sumẽs, in vitam attuliſti?* Item: *Sicut*, inquit, *qui præueniens ad spectacula prohiberet aduenientes, appropriaret sibi, quod ad communem vsum ordinatur: sic diuites communia, quæ possederunt, existimant sua esse.*

Et S. AMBROSIVS ser. 81. & refertur Cap. Sicut ij, d. 47. *Propriũ*, inquit, *nemo dicat, quod est commune: quod plus quàm sufficeret, sumptum, etiam violenter obtentum est.* Quibus similia alij etiam scribunt.

QVARTO, nam vt habet Philosophorum axioma, cuius Philosophus meminit 2. Polit. ca. 3. *amicorum omnia debent esse communia:* Sed oẽs Christiani, imo omnes homines, debent esse amici per dilectionem, tum naturalem, tum supernaturalem: Ergo omnia debent illis esse communia.

Hęc & his similia potuerũt quoſdã mouere, vt in hac re variè errarẽt. Est aũt sciendum, *ante aduentum* Christi rerum diuisionẽ ab omnibus ferè fuisse probatã, maximè colẽtib. vnũ verum Deũ, præterquã à Platone & Socrate, qui volebãt, omnia esse cõmunia, etiã vxores: cõtra quos scripsit Aristot. li. 2. Polit. ca. 2. 3. & 4. *Post aduentum* verò Christi fuerũt hæretici, qui dicerent, nõ esse licitũ Christianis aliquã rem tanquam propriã habere, ne vxorẽ quidem: qui, vt refert D. AVGVST. lib. de hæresib. hær. 40. *superbè sibi nomẽ Apostolicorũ arrogãt: quasi ea ratione Apostolos imitãtes, quod nihil haberẽt proprij.* Ac eiusdẽ erroris meminit EPIPHANIVS hęresi 32. tribuens eum Cartiam EPIPHANIVS hęresi 32. tribuens eum Carpocrati & eius sectatoribus.

Secuti sunt postea quidam ex Pelagianis, qui idẽ senserũt, quod attinet ad *copiam* istarũ rerum. Negabantq; diuitibus baptizatis aliquid cõferre posse ad salutẽ consequẽdam, nisi omnia à se abdicarent. Quẽ etiam errorẽ refert D. Augustinus, lib. 2. de gratia Christi, siue de peccato originali, c. 11. & epist. 160. Fuit aũt hic error damnatus in Concilio Palæstino, cui interfuit idem Augustinus.

Postea demũ fuêre etiam quidã hærerici, dicti Vadiani & Anthropomorphitæ, qui reste eodem Augustino lib. de hæresib. hær. 50. negabant, licitũ esse, saltem Ecclesiasticis viris, habere aliquid proprij. Hos secuti sunt VViclephistæ, & etiã Anabaptistę. Qui etiam error contra VViclephistas damnatus est in Concilio Constantiensi, *sess. 8.* in qua recensentur & damnantur articuli VViclephi, quorum 10. & 36. est iste.

Sit igitur hæc cõclusio CATHOLICA: Licita est rerũ diuisio omnib. etiã Ecclesiasticis & Religiosis, secundũm iuscuiusq; Ordinis institutũ. Probatur PRIMO ex Scriptura. Nã vt colligitur ex ca. 21. Iosue, Sacerdotes veteris legis habuerunt *possessiones et agros*: Licitũ ergo erit similiter nũc viris Ecclesiasticis. Itẽ S. Paul. 1. ad Tim. 3. iubet Episcopũ esse *hospitalẽ*: quomodo aũt erit, nisi habeat aliquid dedẽ patet Mat. 19. manifestissimè, vbi Christus Dominus quærẽti adolescenti, quanã ratione regnũ cęlorũ posset ingredi, tantũ respondit: *Serua mãdata*; & postea quasi quid pertinens ad solã perfectionẽ, nõ ad præcepta, addidit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, etc.* Itẽ D. Paulus ad Rom. 13. iubet soluere *tributũ, vectigal, etc.* Et clarissimè S. Petrus Act. 5. licitã esse per se proprietatẽ rerum ei, qui illa se per votum aut promissionem non abdicauit; expressit illis verbis ad Ananiam: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate?*

SECVNDO probatur ex Ecclesiæ perpetua cõsuetudine & auctoritate in dãnandis contrarijs huic assertioni erroribus suprà dictis. Itemq; ex cõsensu sanctorũ Patrum, quẽ licet colligere ex S. EPIPHANIO & S. AVGVSTINO locis citatis; & ex S. CHRYSOSTOMO hom. 12. in act. Apost. circa testimonium illud S. Petri antea citatum.

TERTIO

TERTIO probatur. Nam illos, qui ex gentibus cõuertebantur ad Christũ, præteritis temporib. in Ecclesia, non cõstat iussos ab vllis sanctis viris fuisse propriis bonis renunciare.

QVARTO probatur rationib. Aristot. lib. 2. Polit. ca. 3. & D. Tho. hic ar. 2. Nam *primũ* ita res melius procurantur & conseruantur; siquidẽ magis sollicitus est quisq; de *proprio*, quã de *cõmuni*. Quilibet. n. quando res est cõmunis, laborẽ fugiens, relinquit aliis curã eius, vt patet, cũ res cõmittitur multis. *Deinde*, nã ordinatiùs res humanę tractãtur, si singulis incũbat cura proprium procurandi: alioqui est quædã confusio. *Postremò*, nã id expedit ad pacẽ & tranquillitatẽ humani status conseruandã, dum quilibet est *proprio* contentus. Frequẽtiùs namq; iurgia oriuntur inter eos, qui *communiter* aliqua possident. Nihilominus tamẽ pium & sanctũ est, vt aliquorũ Ordinum hominum propria non possideant, sed tantũ communia, vt Religiosi faciunt, sequentes exempla primitiuæ Ecclesiæ.

Ad PRIMVM aũt argumentum contrariũ respõdeo, quod dicitur, cõmunionem rerũ esse *de iure naturæ & diuino*, nõ ita intelligendũ esse, quasi ius naturæ & diuinũ *positiuè* præscribat & iubeat, res esse cõmunes; sed est intelligendum *permissiuè* vel *negatiuè*; quatenus cõcedit communionẽ rerum, & non iubet diuisionẽ earũ siue appropriationẽ: & ita communio est de iure naturæ negatiuè, vt optimè docet D. Thomas hîc ad 1.

Ad SECVNDVM respondeo, sententiã illam Domini apud Lucã dupliciter posse intelligi: *Primò*, de possessione per affectũ *prauum*; quemadmodũ priùs etiã dixerat ibi: *Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem, etc.* ne scilicet illos amet affectu peruerso. Sensus igitur est, nõ posse quempiã esse Christi discipulũ, nisi renunciauerit omnib. quæ possidet, relinquẽdo *affectum eorũ prauũ*, quo solent homines interdũ ita esse cõparati, vt Deum mortaliter offendant huiusmodi rerũ conseruandarũ gratiã, atq; adeò in illis constituant *vltimũ finem*; qui proinde non sunt veri Christi discipuli. *Secundò* intelligi potest, Dominum ibi loqui de illis, qui *profitentur perfectionem* Euangelicam, vt olim Apostoli, & nunc Religiosi.

Ad TERTIVM respõdeo, S. Clement. illic hortari Christianos ad obseruationẽ Consiliorũ; & ad illud Clement. verbũ, *Per iniquitatẽ, etc.* respondeo, interpretandũ esse *causaliter*: quia peccatũ originale occasio siue causa fuit, vt res diuiderẽtur. In quam etiã sententiã locutus est Christus Dominus Mat. 5. dicẽs: *Sit sermo vester, est est, non non: quod autem amplius est, à malo est*, id est, causaliter.

Ad Basilium aũt & Ambrosium respondet hîc D. Tho. non eos negare, quòd liceat habere propria quoad *potestatẽ et ius* dominij, sed quoad *vsũ*. Debere namq; omnia *quoad vsum* possideri tanquam communia; vt is videlicet, qui propria habet, facilè ea conferat in necessitates aliorum: iuxta illud 1. Timoth. vltimo: *Diuitibus huius seculi præcipe, facilè tribuere, communicare, &c.*

Hæc respõsio declaratione indiget. Non. n. volũt D. Tho. & illi Patres omnino negare, homines posse habere proprium, *quoad vsum*. Nam si licet habere propriũ dominium quoad *potestatẽ* procurandi & dispẽsandi rem, vt docet ibid. D. Tho. procul dubio licet quoq; habere quoad vsum. Id enim ipsum est posse re *vti*. Item: quia dominium semper ad vsum refertur, vt explicatũ est p. præced. Solũ igitur vult D. Thom. ex sententia illorũ Patrum, nõ esse licitũ, hominem *vsq; adeò possidere* res tanquã proprias, vt in necessitate proximi velit etiam illas retinere ad suum ipsius *vsum*. Itaq; statuendũ est, posse quidẽ hominem habere proprium dominium rerum: ita tamen, vt quãdo sit necessarium, paratus sit eas cõmunicare. Vtrum aũt casu necessitatis proximi res sint reuera *communes*, vel solùm *debeant dari ex misericordia* ei, qui est in necessitate; dominio (priùs quàm dentur) manente apud eum tantùm, qui debet eas erogare; videbimus p. 5.

Ad QVARTVM respondeo similiter, debere esse amicorum omnia cõmunia, non simpliciter, & quoad potestatem; sed quoad *vsum*, in amici necessitate. Dummodo tamen res nõ sit eiusmodi, cuius communicatio sit turpis; vt vxoris, &c. quæ idcirco cõmunio nunquam fuit tolerata à Christianis, etiam cùm possiderẽt omnia in communi, vt Tertullianus testatur in Apologet. contra Gent. cap. 39. Itaq; maneat, *diuisionem & proprietatem* rerum licitam esse.

Sed hoc posito, solet deinde QVÆRI, *quando caperit, et quomodo fuerit approbata siue constituta hæc rerum diuisio?* Ad hoc ex communi doctrina dico PRIMO, nec fuisse factam externarũ rerum diuisionẽ ante peccatum; nec si Adam nõ peccauisset, fuisse futuram. Non enim tunc vlla incõmoda ex rerum communione secutura fuissent. Post peccatum autẽ videtur primũ facta rerum aliquarũ diuisio ab ipso Adamo: siquidem Gen. 4. scribitur Abel obtulisse Deo *de primogenitis gregis sui.*

Dico SECVNDO, diuisionem iurisdictionum ciuilium & officiorũ, quibus aliquis in alios habet potestatem citra seruitutem personarum; vt habet Rex in subditos, pater in filios, &c. adeò esse naturæ humanę consentaneam, vt etiam ante peccatum fuisset futura. Ita D. Thomas 1. p. q. 96. ar. vltimo; vt & nos docuimus tomo 1. disput. 7. q. 3. p. 2. Ratio est: nam homo suapte natura est animal politicum. Itaq; conuenit, vt vnus habeat curã boni communis; & alios ita gubernet, vt illud promoueat: aliàs esset magna confusio.

Et confirmatur id ex eo, quòd in ipso homine, qui est quasi paruus mundus, videmus alias potentias ab aliis regi & gubernari; quasi id maximè naturæ expediat, vbi est aliqua multitudo. Hoc etiam probat Philosophus 1. Polit. à primo per multa capita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihilominus dico TERTIO, diuisionem siue iurisdictionum, siue rerum, non fuisse initiò factã mero iure naturali, vel diuino, vel ciuili; sed iure *gentium*, communi consensu populorum, eam diuisionem constituentiũ, vel approbantium. Hoc ea ratione patet: Nam si diuisio rerum esset facta mero iure *naturali*; contra naturam esset rerum *communio*; quod patet esse falsum ex praxi primitiuæ Ecclesiæ & vsu religionum. Neq; etiã est ea diuisio facta iure *diuino mero*. Nam nusquã extat tale ius. Et quod quidam dicunt, summum Pontificem, aut Imperatorem, esse dominum quoad iurisdictionem temporalem totius orbis iure diuino, redarguit optimè ex Theologis Sotus li. 4. de Iustitia, q. 4. ar. 1. & 2. ex Iurisperitis Couarruuias Relect. in Regul. Peccatũ. p. 2. §. 9. Item neq; est ea diuisio facta iure *ciuili*: nam ante omne ius scriptum, erat: Ergo relinquitur, esse factam iure gentium.

Dico QVARTO, nunc omnem rerum siue iurisdictionum diuisionẽ, si de nouo fiat, fieri iure *ciuili* seu *positiuo*, vt inquit D. Thom. hîc ar. 2. ad 1. & patet etiam ff. de Legibus & Constitut. Principum, l. 1. Vnde rectè D. AVGVSTINVS. tractat. 6. super Ioan. & refertur d. 8. Ca. Quo iure: *Tolle*, inquit, *iura Imperatorum, & nullus audebit dicere, hæc villa est mea*. Et tandem hoc constat ex consuetudine. Nam secundùm leges acquiruntur dominia etiam tunc, cùm transferuntur immediatè hominum *voluntate*.

Postremò circa hoc QVÆRI solet, vtrũ *omniũ rerũ* facta fuerit diuisio, an verò aliquę remanserint *cõmunes*? Dico PRIMO, oẽs *iurisdictiones* sunt ita appropriatæ & diuisæ, vt nemo *priuatus* non sit subditus alicui. De qua re vide d. 99. Cap. Nullus, & 25. q. 2. Cap. De Ecclesiasticis. Est autem hîc circa dominium iurisdictionum, ex certa & communi doctrina omniũ notandum, Principes, siue seculares, siue Ecclesiasticos, minimè dominos esse *rerũ*, aut etiam *personarum*; sed solũ cuiusdã in subditos *potestatis*, quæ iurisdictio appellatur.

Neq; obstat, quòd Samuel 1. Reg. 8. volens cõstituere Regem, inquit: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, &c. agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis, &c. Vos q; eritis ei serui*. Ibi enim *ius* non tãtùm significat legitimã potestatem, sed maximè etiam tyrannidem, quam iniqui Reges solent in subditos exercere, cuius metu volebat Samuel populum à Rege petendo deterrere. Ita exponit Liranus, & rectè.

De aliis verò rebus dico SECVNDO, non omnes fuisse diuisas, sed aliquas remãsisse cõmunes; vt patet in Institutionib. de rerum diuisione, vbi habetur, flumina, venationem, piscationem, & huiusmodi, mansisse communia, quibus adde aërem, lucem, &c.

PVNCTVM TERTIVM.

Quibusnam modis proprium dominium acquiratur.

Ad ar. 2. D. Thomæ, & ar. 5. ad 2.

GENERATIM loquendo, duobus modis acquiri potest *proprietas et dominium*: VNO modo, per rei *inuentionẽ et occupationẽ*, absq; eo, quod dominiũ eius ex aliquo alio in te transferatur. ALTERO modo, per legitimã dominij *translationẽ* ex vno in aliũ. De vtroq; igitur modo sunt quædam annotanda.

Et quod attinet ad PRIMVM modũ acquirendi dominium per *inuentionẽ*, sciendũ est ex doctrina D. Tho. ar. 5. ad 2. cõmuniter recepta, res inuẽtas in duplici esse differẽtia. Quædam, n. res sunt, quę *nullius vnquã* fuerunt. Vt v. g. gẽmæ repertæ in littore maris. Et hæ res sunt primi inuẽtoris, vt habetur in instit. de rerũ diuisione. §. Ite lapilli. Et idẽ est dicendũ de venis metallorũ inuentis in viscerib. terræ: quanquam non liceret alicui, eas quærendi causâ, inuadere regiones aliorũ. Similiter etiã est dicẽdum de thesauris vetustissimis, quorũ nullos esse dominos præsumitur, vt patet ex D. Augustino serm. 19. de verbis Apostoli, cuius sentẽtia refertur 14. q. 5. Ca. Si quid: *Si quid*, inquit, *inuenisti, & non reddidisti, rapuisti*. Si verò facta inquisitione, non inueniatur dominus, cõtrarium tunc est, an posit eiusmodi res inuentæ, legitimè retineri; vel debeat restitui, dando eam pauperibus.

Et sunt de hoc duæ contrariæ sententiæ: VNA est Soti loco dicto, qui negat inuentorẽ teneri ad restituendũ pauperibus, quod inuenit. Et ratio eius potissima est. Nam eiusmodi res censentur à domino esse derelictæ; sicut sunt thesauri vetustissimi, de quibus diximus.

ALTERA sententia est, esse eiusmodi res restituendas pauperibus; quæ sententia cõmunis est, vt dicit Syluester, V. Inuentũ, & citat pro hoc Caput, Cùm tu, de Vsuris. Eandẽ tenet Nauarrus vbi suprà, & Paludan. d. 15. q. 3. Et hæc opinio mihi videtur vera. Probatur. Nam qui amisit rẽ; ex hoc, quòd non sciatur ad ipsum pertinere, non amisit vllũ ius ad illam, cũneq; vlla lex id ius ei adimat, neq; titulus præscriptionis (loquimur enim extra eum casum) Ergo debet illi restitui res modo, quo potest fieri. Sed potest ei restitui, si detur pauperibus: Nam unc cedet in spirituale bonũ eius: Ergo eo modo debet illi restitui; iuxta ea nimirum, quæ de restitutione bonorum incertorum tradidimus suprà q. 6. p. 4.

Vnde ex argumentũ Soti, negatur, huiusmodi haberi ro derelictis. Neq; est similis ratio thesauro. Nam illorũ præsumitur nullũ extare dominũ, ne ignotum quidẽ. Quocirca meritò Cajetanus in Summa, V. Furtum, censet, non legẽ, sed tyrannidem esse, consuetudinẽ in quibusdam maris littoribus seruatam, quæ obtinuit, vt bona naufragorum eò appulsa, hoc ipso quòd naufragorum sunt, occupentur à fisco.

Quod autem attinet ad SECVNDVM modum acquirendi dominium, scilicet per *translationem*; inprimis definitio trãslationis dominij, quę colligitur ex communi doctrina, est talis: *Translatio dominij est transmutatio rei ab eo, qui prius eam legitimè possidebat, in alterũ, qui incipiat esse eius legitimus dominus*. Hoc posito, cùm fundamẽtum dominij sit *liberum arbitrium*, vt p. 1. est explicatum; statuẽdum est, quatuor modis, secundũ sententiam cõmunem, posse dominium transferri: PRIMO, diuina voluntate explicata iure naturali, vel iure diuino positiuo: SECVNDO, proprio libero arbitrio vniuscuiusq; rem possidentis: TERTIO, legibus positiuis humanis: QVARTO, sententiâ siue voluntate gubernatoris. Et de singulis his modis trãsferendi dominium aliquid dicendum est.

Et PRIMO, quòd *diuina voluntate* posit transferri dominiũ, perspicuum est, cùm Deus sit dominus omnium, & alij eatenus tantùm, quatenus Deus vult. Et ita attribuit populo Israëlitico terram promissionis. Sed circa hoc est QVÆSTIO, vtrum per peccatum mortale iure diuino amittatur dominium, siue rerum, siue iurisdictionũ, temporalium aut spiritualium?

Nam Armacanus de quæstionib. Armen. lib. 10. ca. 4. amitti putauit, ita vt existens in peccato mortali, non magis sit dominus, quã fur aut tyrannus. Probat ex eo, quòd Genes. 1. perhibetur, posquã Dominus creauit hominẽ, benedixisse eũ, & postea dixisse: *Crescite et multiplicamini, & dominamini, &c.* Ex quo apparet, quasi fundamentũ dominij suppositisse Deum benedictionẽ gratiæ spiritualis. Illa igitur amissa, amittetur dominiũ. Confirmatur: nam existens in mortali, eo ipso

est indignus dominio: Ergo statim iure diuino priuatur illo. Hũc errorẽ secutus est postea VViclephus quoad iurisdictionem omnem, vt est videre apud VValdensem lib. 2. doct. fidei, ca. 81. & sequ. Et etiam alij hæretici, quoad iurisdictionem spiritualem.

Sed CONTRARIA assertio est certissima ex fide, scilicet nullius iurisdictionis, neq; adeò vllius rei, amitti dominiũ iure diuino propter peccatũ mortale. Probatur PRIMO ex Scriptura. Iob 34. *Qui* (Deus) *dicit Regi, Apostata, qui vocat duces impios*. Et infrà: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Et Hierem. 27. de Nabuchodonosor, rege Idololatra dicit Dominus: *Ego dedi oẽs terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei. Insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi, & seruient ei omnes gentes, &c.* Et Isaiæ 45. similiter de Cyro adhuc Idololatra: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, &c.* Et Oseæ 13. *Dabo tibi Reges in furore meo*. Et Matt. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim et non faciunt*. Et euidentissimè Apocal. 2. *Angelo Ephesi Ecclesiæ* (Episcopo) *scribe, &c. Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: Sin autem, venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco suo*. Nondũ igitur (tametsi extra charitatẽ & gratiam) erat amotus à regimine Ecclesiæ suæ, quæ ibi secundùm omnes significatur vocabulo *candelabri*.

SECVNDO probatur eadẽ assertio auctoritate tũ Ecclesiæ, quæ contrarios errores dãnauit in Cõcilio Constant. sess. 8. ar. 4. 8. & 15. & in Triden. sess. 14. ca. 7. de absolutione, tum etiam sanctorũ Patrum, ex quib. satis erit audire Augustin. & Gregorium. S. AVGVSTINVS lib. 5. de ciu. ca. 21. *Non*, inquit, *tribuamus dandi regni vel imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat fœlicitatem regni cœlorum solis piis: regnum verò terrarum piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet*. Et cap. 24. eiusdẽ lib. *Malis*, inquit, *dominandi potestas nõ datur, nisi summi Dei prouidentiâ, quãdo res humanas iudicat talib. dominis dignas. Apertè de hac re diuina vox est loquẽte Dei sapientia*. (Prouer. 8.) *Per me Reges regnant, & tyranni per me tenent terrã* (vulgatus interpres habet, pro tyrãnis, legũ conditores) *Sed ne tyranni pessimi atq; improbi Reges, sed veteri nomine fortes dicti existimentur*. Vnde ait Virg. 7. Æneid. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyrãni*) *apertissimè alio loco* (Iob. 34.) *de Deo dictum est: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*.

Et S. GREGORIVS lib. 25. moral. cap. 22. *Solerter*, inquit, *intuendum est, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas; aut quem imitari despicis, venerari contemnas. Subtilis enim via tenẽda est rectitudinis & humilitatis: vt sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens à ser-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uanda magistrorum reuerentia non recedat. Quod bene in Noë ebriato exprimitur, cuius nudata verecunda boni filij auersi veniendo texerunt: Auersari quippe dicimur, quod reprobamus. Quid est ergo, quod filij verecunda patris superiecto dorsis pallio auersi venientes operiunt; nisi quòd bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, vt tamen hæc ab illis occultent. Operimentum auersi deserunt, quia indicates factum, & venerantes magisterium, nolunt videre, quod tegunt.

TERTIO probatur ratione duplici: PRIMA, quia omnia essent alioqui in humano regimine incerta; cùm occultissima res sit gratia hominis: SECVNDA, nã fundamẽtum dominij non est gratia, sed liberum arbitrium, quo potest homo licitè vti rebus ad naturam tuendam: & præterea in spirituali iurisdictione character Baptismi, & potestas Ordinis: Nõ igitur amissa gratia, amittitur dominium. Huc adde ea, quæ suprà disp. 1. q. 10. disputauimus, ad ostendendũ infideles esse veros dominos; tametsi hæretici quidem & Apostatæ à fide, iure positiuo amittunt dominium, vt tradidimus ead. disput. q. 12.

Ad argumentum autem Armacani RESPONDEO, si aliquid probaret; etiã probaret, sine gratia non posse hominẽ licitè vti coniugio: nam etiam priùs Deus benedixit homini, quàm diceret: *Crescite, etc.* Dico ergo, illam benedictionem non fuisse spiritualẽ gratiæ, sed referẽdam esse ad bona temporalia, respectu quorum quasi tũc testatus est dominus illa benedictione se auxilium generale præstiturum. Et ita videmus illum similiter benedixisse pratis & bestiis.

Præterea licet cõcederemus, eam benedictionẽ referendam esse ad gratiam, tamen nõ illicò sequitur, gratiâ amissâ amitti dominium. Potuit enim præsupponi gratia, non tanquã quid necessariò cõnexũ cũ dominio; sed tanquã res, cũ qua decet coniunctã esse auctoritatẽ dominij. Sicut etiã in collatione Sacramenti Ordinis vel matrimonij, præsupponitur gratia acquisita per Sacramentũ Confessionis & Eucharistiæ; & nihilominus tamen illâ amissâ, licitus est vsus Matrimonij, & validus vsus Ordinis.

Ad *Confirmationẽ* aũt eius argumẽti respondeo, concedendo, hominem per peccatum mortale indignum esse dominio, non tamen statim priuatum esse eodem; sed priuandum, quando Deus illum morte æterna puniuerit, &c.

Circa SECVNDVM modum transferendi dominium (scilicet per *hominis voluntatem*) notandum est; supposita rerum diuisione, quemlibet hominem dominũ alicuius rei, posse dominium eius transferre in alterum suo arbitratu, si sponte quidem id facere velit, & nihil impediat. Cuius ratio est: nã maximè humanę naturæ est consentaneũ, vt vnus alteri sit adiumento: id quod maximè fit dominij rerum translatione. Addidi autem, si *sponte* id velit, & nihil *impediat*. Nam tres conditiones in hac dominij translatione requiruntur. Vna est, vt voluntas domini non sit vllo modo *coacta*. Altera, vt non sit *decepta*. Tertia, vt non sit per leges iustas *impedita*.

Nonnulla autem hìc QVÆSTIO est, vtrum sola volũtate *interiori* dominium in alterum transferatur. Vt, v. g. cùm quis apud se cogitat, bonum esse Petro dare centum, & proponit se daturum. Et videtur id sufficere. *Primò*, Nam vnusquisque voluntate sua est rei dominus: Ergo sola etiam voluntate potest à se abdicare rei dominium, & transferre in alterum. *Secundò*, promissio interior obligat in foro conscientiæ: Ergo etiam potest solo interiori actu transferri dominium. Antecedens probatur, in promissione interiori facta Deo.

In *contrarium* est, quòd nemo putet se obligatũ solo interiori proposito. Vnde cõmunis sententia & vera est, voluntatem interiorem non esse satis ad dominij translationem. Et ita docet D. Thomas infrà q. 88. art. 1. vbi assignat differimen inter promissionem *Deo* factam, & promissionem factam homini; quòd illa etiam *interior* obliget: quippe cùm Deus potest eam acceptare; cũ cor intueatur; hæc aũt non item. Et ratio posita est in ipsa natura hominis, quę cũ constet corpore & spiritu; vt contractus humani sint validi, requirit signa exteriora, quib. innotescant: alioqui nisi alter exterius intelligens alterius voluntatẽ, acceptet q̃ promittitur vel donatur; nõ erit modus promittendi vel donandi, humanæ naturæ consentaneus.

Atq; eadẽ ratione apparet, neq; valere promissionẽ exterius quidẽ factã & corã aliquib. *sed tamẽ absenti*, atq; adeò illam ignoranti, neq; adhuc acceptãti: sicut rectè tradit Sotus li. 5. de Iustitia, q. 5. ar. 1. & lib. 7. q. 2. ar. 1. Quanquã neq; opposituũ in foro quidem conscientiæ putat esse improbabile. Et certè iure saltẽ positiuo licitè statui posset, vt tunc dominiũ transferretur, & testes quasi loco absentis acceptare censerentur. Secluso autem tali iure positiuo, nõ obligat promissio hominis facta, nisi ei innotescat, & ab eo acceptetur, vt dictum est.

Ad *primum* aũt argumentum contrarium respondeo *Primò*, si aliquid probat, tãtùm probat, aliquẽ interiori voluntate posse à se dominiũ *abdicare*, non tamẽ probat, quod in alterũ etiam illud *trãsferat*. Nam ob rationẽ dictã, nullus acquirit dominiũ, nisi acceptãdo illud voluntariè, &c. *Secundò*, nego antecedens. Potest. n. probabiliter etiam dici, ne ipsum quidẽ rei dominiũ posse à se abdicare rei dominium, nisi per actũ exteriorẽ. Ad *Secũdum* de promissione, patet iam ex dictis, interiorem promissionem factam homini, non obligare.

Circa TERTIVM & QVARTVM modũ transferẽdi dominiũ quæri solet, vtrũ lege & voluntate Principis *impediri* posit volũtas veri domini, ne trãferat in alterum rei dominium. Et vtrum etiam eiusdem lege & volũtate, posit transferri rei dominium *contra voluntatem* veri domini.

Breuiter aũt ad vtrumq; respondeo ex sententia omnium, affirmatiuè. Ratio est: nam aliquando vtrumq; horum expedit bono cõmuni: Ergo necessariò concedenda est talis potestas in Principe; alioqui non esset satis cõmunitati prouisũ. Quod aũt id aliquando expediat, vel ex eo potest colligi, quòd priuatæ personæ peruersè aliquãdo præferunt bonum proprium bono cõmunitatis: & ita non esset communitati bene consultum, si trãslatio dominij semper relinqueretur arbitrio dominorũ. Et hæc videtur hoc loco sufficere de dominio, ne sub hoc titulo intempestiuè digrediamur ad quæstiones, quæ non huc propriè, sed ad alias materias pertinẽt. Quomodo aũt transferatur dominium per cõtractus, per ludum, per præscriptionem, &c. explicaui q. 6. p. 5.

PVNCTVM QVARTVM.
Quid sit Furtum, & quomodo differat à Rapina.

D. Thomas ar. 3. & 4.

VRISPERITI longam quandam *Furti* definitionem assignãt. Ait. n. Paulus Iurisconsultus l. 1. ff. de Furtis: *Furtum est contrectatio rei alienæ fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius possessionisue; quod lege naturali prohibitum est admittere.* Sed tamen hæc omnia breuiùs & rectiùs, dedita hìcà D. Thoma ar. 3. quæ est talis: *Furtum est occulta acceptio rei alienæ.*

Quã D. Tho. definitionem etiã ex Iurisperitis magis probat Couarruuias Relect. in Regul. Peccatũ, part. 2. §. 1. n. 1. Hoc enim ipso, quod dicitur *occulta acceptio*, significatur, esse *fraudulẽtam*, & inuito eo, ad quem res pertinet; siquidẽ ignorantia in proposito efficit inuoluntarium saltẽ *negatiuè*, quod satis est ad iniustitiã, vt videbitur p. seq. Itẽ rectiùs dicitur, acceptio, quã *contrectatio*. Nam contrectatio potius videtur *tactum* significare, quàm vsurpationem. Deniq; satis est dicere, *rei alienæ*. Hoc enim nomine intelligitur quæuis res exterior, quocunq; titulo pertinens ad alterum, siue veri dominij, siue vsus, &c. Quæcunq; enim inæqualitatem rerum contra iustitiam communitatis, vt patet.

Tractũ hæc definitio quantũuis breuis, explicet omnia, quæ pertinent ad furti rationẽ; bona iudicari debet. Tria enim competunt furto: *Primùm*, habet rationẽ iniustitiæ: *Secundò*, differt ab iniustitia, quæ cõmittitur circa personas immediatè, vt circa vitam, vel membra, vel filiam aut vxorem, &c. *Tertiò*, proprium est furti, vt sit iniustitia occulta. Sed omnia hæc hac definitione Furti explicantur: Ergo est bona definitio.

Hinc intelligitur nomine *Furti* comprehendi oẽs etiam *fraudulentos contractus*, quibus iniquè proximus rationabiliter inuitus fraudatur re sua. Sed & *detentio* etiam iniusta rei alienæ eodem nomine Furti cõprehenditur, vt ait D. Tho. hìc ad 2. Est enim iniusta rei detentio idẽ ipsum peccatum iniustæ acceptionis, manens quasi habitualiter etiam trãsacto actu. Quãdiu enim homo non restituit alienũ, cũ possit restituere, tamdiu est Deo inimicus propter iniustitiam, quam actu præterito admisit, & in qua perseuerat.

De nouo autẽ toties talis peccato furti contra præceptũ *negatiuum* iustitiæ peccat, quoties denuò proponit sese rem retenturum, & etiã quoties re illa vtitur vsu aliquo precio æstimabili; & id quidem, siue cogitet, rem esse alienã, siue non: vt rectè notat hìc Caietanus. Nam censendus est talis operari ex habitu, quem habet, detinendi rem alienã; atq; adeò velle tunc (saltem implicitè & *in causa*) vti re aliena contra voluntatẽ domini. Vt enim docet Aristoteles 10. Ethi. operantes ex habitu non semper expresso actu deliberant circa rationem formalem habitus, sed operantur voluntariè ex illo quasi naturaliter.

Sotus tamẽ lib. 5. de Iust. q. 5. ar. 1. videtur significare, quòd si proponat talis restituere damnum ex tali vsu in re subsecuturũ, non peccabit de nouo illa vtendo. Sed hoc non videtur verum. Nam etiamsi proponam restituere damnum, & vtar veste vel agro alterius, illo inuito; proculdubio facio illi iniuriam. Nam veluti cogo illum, vt admittat meam restitutionem, & quasi contrahat mecum dando & recipiẽdo. Ergo similiter si detinens rem alienam, vtatur ea, inuito domino; peccabit; quantumuis statuat eum vsum compensare domino.

Contra præceptũ verò affirmatiuum restituẽdi, toties peccat detinens peccato omissionis, quoties nacta opportunitate restituendi non restituit: de quo suprà q. 6. p. 1. diximus.

Porro penes diuersitatẽ materialiũ obiectorũ Furti, sunt varia nomina furtorũ. Si enim est acceptio rei *communis* Reipublicæ, dicitur *Peculatus*, de quo vide 23. q. 4. Cap. Quid ergo? Si autem sit furtum ex *grege dispersõ*, dicitur *Abigiatus*, & fur vocatur, *abigius*, ab abigendo; de quibus extat Titulus lib. 47. digestorum. Si autem est furtũ *serui*, vt vendatur, dicitur *Plagiatus* vel *Plagium*: de quo extat Titulus, Ad Legem Flauiam de Plagio. Si autem quis furaretur *filiam vel vxorem* alicuius, vt venderet, Sotus lib. 5. quæst. 3. art. 1. negat esse furtum. Nam, inquit, pater, non est verus dominus filij, neque maritus vxoris: concedit tamen esse Plagium vel captiuitatem.

Sed tamen hoc non videtur constanter dictũ. Nam plagium, furtum quoddam est, vt ipsemet Sotus ibidem concedit; & captiuitas non significat iniuriam factam patri, de qua hìc est sermo; sed factam personæ raptæ, vt patet. Item iam diximus, nomine rei alienæ, rem *alterius quocunque titulo* intelligi, licet non veri dominij: id quod etiam ipse Sotus initio articuli videtur concessisse. Dicendum igitur raptum filij

aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut filię vel vxoris ad *vendẽdum*, esse verũ furtum, quod ad rem quidẽ attinet, quidquid sit de vocabulo. Nam & parẽtes tunc priuantur vsibus licitis filij, ad quos ius quoddam habebant; & ipse etiam filius libertate sua. Vnde quando D. Thom. hîc dicit, acceptionẽ filię vel vxoris, non dici furtum, intelligitur, cùm non accipitur simpliciter ad distrahendũ, sed solùm abutendi causa. Tunc enim dicitur specialiter *Raptus*. Vtrum aũt accipere occultè rem propriã ab eo, qui detinet iustè vel iniustè, sit furtum, de quo disputat hîc Caietan. videbimus p. 5. circa art. 5. D. Thom. vbi in solutione tertij id magis explicat D. Thom.

Nunc his circa *rationem* Furti explicatis, videndũ est, quomodo DIFFERANT Furtum & Rapina. Et dicendum est ex sententia D. Tho. ar. 4. communiter recepta, differre specie, si propriè hæc vocabula accipiantur. Probatur ratione D. Tho. quam redigo in hanc formam: Nam diuersæ rationis specificę est *iniustum*, ęp fit alteri per furtũ; & *iniustũ*, quod fit alteri per rapinã: Ergo Furtum & Rapina differunt specie. Consequẽtia ꝓbatur. Nam per hoc Furtum & Rapina opponuntur iustitiæ, & sunt vitia, quòd respiciunt *iniustum*, & ita penes diuersitatem specificam *iniusti* debẽt specie distingui. Antecedens autem probatur. Vbi est diuersa ratio specifica *inuoluntarij* ex parte eius, cui aliquid adimitur; ibi est diuersa ratio specifica *iniusti*: Sed diuersa ratio specifica inuoluntarij est in eo, cui aliquid adimitur per Furtũ; & in eo, cui per Rapinã. Ergo, &c. Maior probatur: nam *iniustum* consistit in eo, vt aliquid alicui inuoluntariè subtrahatur: Sicut enim docet Philosophus 5. Ethi. ca. 2. *nemo patitur iniustum volens*. Minor verò probatur: nã secundùm Philosophũ 3. Ethic. inuoluntarium dupliciter dicitur, scilicet per *ignorantiam*, & per *violentiam*: Sed primo modo contingit in Furto; secundo verò in Rapina: Ergo, &c.

Dixi autẽ Furtum & Rapinam differre specie, *si propriè hæc vocabula accipiantur*. Nam potest Furti vocabulum aliquanto etiam latius vsurpari, vt complectatur quamcunq; acceptionẽ iniquam rei alienæ, siue per apertam vim, siue per occultũ astum. Et tunc Rapina etiam est quoddam furtũ. Quo pacto accepit id furti vocabulũ sanctus AVGVSTINVS q. 71. in Exod. cùm dixit: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ; non enim Rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur*. Intelligitur ergo nostra assertio accipiendo propriè vocabulum Furti pro occulta acceptione, & Rapinæ pro violenta.

Sed contra hanc assertionem possunt quædã obiici, quibus videtur probari, hæc peccata specie non differre. PRIMO, nam opponuntur eidem virtuti specie, scilicet iustitiæ commutatiuæ, quæ secundùm omnes, est species specialissima: Ergo sunt etiã eadem specie. Probatur Cõsequentia: quia huiusmodi non habent, vt sint peccata, nisi quatenus sunt priuationes rectitudinis virtutis: Ergo si tantùm priuant vnica virtutis rectitudine specie; erunt eadẽ peccata specie. Et similiter possumus argumentari, neq; homicidium, neq; mutilationẽ, neq; detractionẽ, neq; omnino vlla peccata, quæ contra iustitiam commutatiuam sunt, specie differre.

SECVNDO. Nam si hęc vitia specie distinguũtur; maximè propter rationem illam D. Thomæ, quæ sola à Caietan. hîc, & à Soto lib. 5. de Iustitia, q. 3. art. 2. & ab aliis communiter assignatur. Sed hæc non concludit: Ergo, &c. Minor probatur. Nam inuoluntarium ratione *violentiæ & ignorantiæ*, non differunt nisi ex parte *causæ*; quatenus videlicet hoc, quod est, hominem *non velle* aliquid, & etiam *nolle* positiuè, prouenire potest, vel quia infertur *vis* ad aliquid ei accipiendũ, vel quia *occultè* aliquid ei surripitur: Cæterùm ipsum *inuoluntarium* secundùm se semper manet eiusdem rationis, positiuè vel negatiuè: Ergo penes talem differentiam inuoluntarij, atq; adeò *iniusti*, nõ possunt hęc vitia specie distingui. Patet Consequentia: nam diuersæ causæ *extrinsecæ* obiecti, nihil faciunt ad distinctionẽ actuum vel habituum specificam.

Si aũt dicatur, hîc esse etiã differentiam intrinsecã ipsius *inuoluntarij*; eò quòd in furto inuoluntariũ solùm est *negatiuè*, in rapina autem *positiuè* & *contrariè*; quæ differentia inuoluntarij est plus quã specifica: Cõtra hoc possumus duo obiicere. PRIMO: quòd hæc inuoluntarij differẽtia videtur per accidẽs se habere ad rationem *iniusti*: de ratione enim *iniusti* solùm videtur esse, vt aliquid alicui detrahatur, ipso rationabiliter volẽte id retinere. Ex hoc enim statim intelligitur illi fieri iniuria. Nam cùm sua voluntate quiuis res suas possideat; nisi ipse rationabiliter eadem voluntate res illas deponat; detrahẽdo ei aliquid, inducitur per se loquẽdo inęqualitas in reb. humanis, vt humanæ sunt, hoc est, vt pertinẽt ad hominẽ, quatenus is exerceat erga eas actũ humanũ, volens eas habere. Nihil aũt ad specificã *iniusti* siue *iniuria* rationẽ videtur interesse, vtrũ eã detractionẽ *positiuè* homo auersetur, vel *negatiuè se habeat* ad illam.

Id quod aliquot exẽplis probari potest. Eiusdem enim speciei esset homicidiũ, quo quis eriperet alicui reluctanti vitã, & quo quis necaret dormiẽtẽ. Item idẽ prorsus esset furtũ, si quis equũ eriperet alicui occultè, quãdo ipse merè negatiuè se haberet erga amissionẽ equi, & quando positiuè nollet sibi eripi à quoquã. Item si postquã ille, qui rescions sibi occultè à fure fuisse rem ablatã, positiuo etiã voluntatis actu ægrè id ferr; denuò fur habeat nouũ actum, quo velit rem illã alienã detinere; cõmuniter dicitur id furti peccatũ esse eiusdẽ speciei cum priori; quamuis primũ fuerit factũ inuito domino *negatiuè*; secundũ aũt inuito *positiuè*: Est ergo ea differentia inuoluntarij *positiuè*, & inuoluntarij *positiuè* planè impertinens ad specificam rationem iniustitiæ: ac proinde penes eam minimè censeri debent specie differre Furtum & Rapina.

SECVNDO potest etiam obiici, quod rarò, vel nunquã videtur posse ea differentia inuoluntarij assignari inter furtũ & rapinam. Nam nemo est, qui aliquando non nolit *positiuè* sibi sua eripi; & ita furtũ cõmuniter videtur cõmitti inuito domino positiuè; quod enim eodẽ puncto, quo res auferrtur, positiuè vel negatiuè aliquis sit inuitus, videtur admodum esse per accidens. Id quod etiam constare videtur hoc exemplo. Nam ad rationem specificam peccati *detractionis* planè nihil interest, Vtrum quis detrahat de fama altero, *tunc cùm* ille id scit, & positiuè id auersatur; vel *tunc cùm* nihil ille de eo cogitat, sed tamen antea positiuè noluit sibi famam detrahi; sine dubio enim vtrouis modo ea detractio esset eiusdẽ speciei peccatum: Ergo similiter sentiendum est in proposito.

CÆTERVM hæc omnia facilè diluentur, si intellectum sit, quonam modo D. Thomas & alij communiter Doctores sentiant, Furtum & Rapinam, & alia diuersa peccata repugnantia iustitiæ commutatiuæ, differre specie. Duplex namque in illis debet considerari ratio specifica. VNA, quã habent, vt consistunt in priuatione debitæ perfectionis iustitiæ, secundũ quam duntaxat specificam rationẽ hæc peccata sunt *intrinsecè & formaliter* mala; cùm malum culpæ formaliter sit duntaxat priuatio, vt disputauimus cõtra Caietanum tomo 2. q. 1. de peccatis, p. 1. ALTERA ratio horum peccatorum est ea, quam habent, vt cõsistunt etiam *materialiter* in actu tali vel tali positiuo, pro diuersitate obiecti; scilicet rei alienę sic vel sic inuito altero detractæ; secundùm quam speciem hæc peccata sunt mala non formaliter & intrinsecè, sed *materialiter & denominatiuè*, quatenus in eis inest suprà dicta priuatio, vt explicauimus tomo 2. loco citato: Quamquam hæc etiam posterior specifica ratio in huiusmodi peccatis (sicut & in aliis) est *moralis*, & maximè attendenda & explicanda in Confessione.

Hoc posito, quod D. Tho. & alij cõmuniter & rectè asserunt Furtũ & Rapinã & alia huiusmodi peccata differre specie, intelligendum est, secundùm eorum rationẽ specificam posteriorẽ, non priorem; sicut etiam tom. 2. vbi suprà diximus de peccatis eidem virtuti per extremum oppositis.

Atque hinc possunt refelli facilè argumenta obiecta. Nam ad PRIMVM respondeo, solũ probare, quòd non differant hæc peccata specie secundùm rationem specificam priorem, consistentem in priuatione. Ad SECVNDVM respondeo, rationem D. Thomæ esse optimam. Nam differentia illa ignorantiæ & violentiæ, redundat in differentiam *intrinsecam* inuoluntarij siue inuiti, penes quam differũt hæc peccata specie. Quamuis enim *actus* quidem indifferenter posit ab inuito *positiuè & negatiuè* auferri, quod aufertur per Furtum & Rapinã: tamen per hoc differunt hæc peccata *specie & per se*, quòd Rapina aufert alienũ, quantum *ex se est*, ab inuito *contrariè*: Furtum verò, quantum *ex se quidem est*, solùm ab inuito *negatiuè*; licet in poestate hominis est pati etiam furtum inuoluntariè positiuè: sed id est ad furtũ per accidens.

Atq; hinc etiam patet responsio ad alia DVO, quæ postremò sunt OBIECTA. Solũ namq; obiectiones illę probant, non ita differre Furtum & Rapinam per inuoluntarium *negatiuè*, & voluntarium *contrariè*, quasi nequeat vllo modo Furtum ei, qui eo læditur, esse inuoluntarium *contrariè*; vel Rapina ei, qui per illam læditur, esse inuoluntaria etiam *negatiuè*. Non autem probant, quòd non differant hæc, quatenus *per se & ex vi sua* Furtum solummodo est inuoluntarium *negatiuè* ei, qui eo lędituꝛ (cùm fiat occultè) Rapina verò *per se et ex vi sua* ei, qui ea læditur, est inuoluntaria etiam *contrariè* propter apertam vim, quam adfert.

PVNCTVM QVINTVM.

An furtum semper sit peccatum, & quale.

D. Thom. art. 5. & 7.

VAS hac de re ponam assertiones ex cõmuni doctrina, circa quas deinde quædam quæstiones erunt breuiter explicandæ. PRIMA assertio: Furtum, quod propriè quidẽ furtum sit, *semper* est peccatũ, vt etiam docet D. Tho. hîc ar. 5. Patet: nam est prohibitũ præcepto illo diuino & naturali Decalogi: *Non furtum facies*: Exod. 20. Item, quia furtũ propriè dictum, est cõtra iustitiam, quatenus aliquis fraudulenter surripit alteri rem eius, atque adeò illo inuito rationabiliter: Ergo semper est peccatum.

Etenim vt q. 8. p. 1. diximus, illam cædem esse quinto præcepto prohibitam, quæ sit contra iustitiã, & talem semper esse peccatũ: ita hîc est ponendum, eiusmodi ablationẽ rei alienæ esse prohibitam septimo præcepto, & propriè furtũ appellari, quæ est contra iustitiam. Id quod contingit, quandocunq; quis nullum ius habet, vt alteri rem suam adimat: Tunc enim alter potest rationabiliter inuitus censeri re sua priuari.

Ex quo facilè intelliguntur, quæ docet D. Tho. hîc ar. 5. in solutionibus argumẽtorum. Vt quod in solutione primi docet, filios Israël absq; peccato furti Aegyptios exspoliauisse. Exod. 12. tum propter facultatem ad id eis factam à Deo; tum etiã quia id promeriti erant propriis laboribus. Similiter inde intelligitur doctrina, quam in solutione secundi tradit de rebus inuentis. Quam doctrinam suprà p. 3. explicauimus.

SECVNDA assertio: Furtum ex suo genere est peccatum *mortale*, vt docet D. Tho. art. 7. quãuis propter materię paruitatẽ, aut defectũ deliberationis

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis poteſt tantummodò eſſe *veniale*. Probatur prima aſſertionis pars teſtimonio illo Apoſtoli 1. Cor. 6. *Neq; fures regnum Dei poſſidebunt*. Deinde ratione. Nã illud eſt ex ſuo genere mortale, quod ex ſua ratione eſt contrariũ charitati Dei & proximi: Sed huiuſmodi eſt furtum: Ergo, &c. Maior patet: quia charitas eſt vita ſpiritualis animæ. Itaque quod eſt charitati contrarium, atque adeò priuat ea; affert mortem animę. Minor verò probatur: nam per furtũ incurrit proximus eiuſmodi damnũ, vt ſi paſsim homines ſibi inuicem furarentur, periret humana ſocietas.

De ſecunda etiam parte aſſertionis inter omnes Doctores cõuenit, vt patet ex iis, quæ tradũt D. Tho. ar. 7. ad vlt. & Antonin. 2. par. tit. 4. cap. 5. §. 7. & 8. & Adrian. quodlib. 8. & Nauarrus in Manuali, ca. 17. n. 2. & ex iis, quę nos etiam docuimus tom. 2. q. 2. de pecc. p. 2. & q. 18. p. 3. Ex quib. locis poteſt conſtare, falsò & contra receptiſsimã doctrinam aſſeruiſſe Nauarrum in Manuali, cap. 17. n. 2. furtum paruum & magnum differre *ſpecie*; id quod ex inſtituto etiam refutauimus eodem tomo, diſput. 2. q. 13. p. 4.

Etſi autem furtum *paruum*, vt dictũ eſt, ſit tantùm *veniale*: tamen ſi quis cùm accipit res minimas, habeat animum inferendi nocumentũ notabile proximo; omnino is peccat mortaliter; id eſt, ſi ita furetur minimum, vt paratus ſit & optet multũ furari, ſi detur occaſio: hoc enim animo peccat mortaliter. Et hoc modo eſt intelligẽdus D. Tho. vt rectè exponit Caietan. hîc ad vltimũ, qui alioqui videri poſſet dicere, cũ quis habet animũ inferendi vel illud minimũ nocumentum, quod ablatione rei parnæ continetur, peccatum eſſe mortale; quod non eſt ita.

Nunc ſequitur, vt nõnullas quæſtiones explicemus (ſicut propoſuimus) circa duas illas aſſertiones iã poſitas. Et circa primã quidẽ occurrunt quæſtiones duæ. Prima eſt, *Vtrum ſine peccato furti poſſit quis rem propriã detentam iuſtè à depoſitario, vel iniuſtè à fure, clam ſurripere*. De hoc multa dicuntur à Doctoribus, nec tamen omnia ſunt ſine explicatione amplectenda. Et Primo inter omnes conuenit, talẽ non peccare peccato furti ex parte *rei*, quã accipit abſolutè: nam eſt ſua. Hoc nullam habet difficultatem.

Secvndo dicunt Sotus lib. 5. de Iuſtitia, q. 3. ar. 3. & Caiet. ſuprà ar. 3. circa ad 3. & alij cõmuniter, iſtum peccato furti ſe obſtringere ex parte *modi*. Nam hoc ipſo, quòd *clam* accipit rem ſuã ab altero, eſt illi in cauſa, quantũ in ipſo eſt, & moraliter loquendo, vt poſtea incurrat damnũ, reſtituendo rem iterũ proprio domino, cũ neſciat apud illũ eſſe. Addunt tamẽ hi Doctores, ſic accipientẽ rem propriam, quamuis prædicto modo peccet cõtra iuſtitiã, non tamen debere aliquid furi vel depoſitario reſtituere; ſed ſatis eſſe facturum, ſi ei indicet, quòd ſit liber à vinculo reſtituendi.

Hoc dictum tunc puto eſſe verum, cũ dominus, ſic rem propriam accipiens, habuerit animũ id etiam poſteà *celandi* depoſitarium aut furem, ſicut ſatis etiam indicauit Caiet. Alioqui non video, quã iniuſtitiam cõmittat, aut quomodo ſit illi moralis cauſa dãni. Item circa hoc dictũ nota, D. Tho. ar. 5. in ſolutione tertij videri id diſcriminis aſsignare inter accipientem rem propriam à *depoſitario*, & à *fure*; quòd ille grauet eo ipſo depoſitarium, hic aũt non eodem modo grauet furẽ. Hoc habet difficultatẽ, ſi ponamus eodẽ animo vel *tacendi*, vel poſtea *manifeſtandi*, vtrũq; accipere rem propriam. Nam ſi accipitur animo tacendi vtrobiq;; non minus furi quã depoſitario videtur fieri prędicta iniuria, quod ad vinculũ iterum reſtituendi attinet: id quod D. Tho. etiã ſuprà ar. 3. aũt à neutro accipitur animo tacẽdi; neutri ſit aliqua iniuria, vt patet: & ita nõ videtur eſſe quoad hoc aliqua diſparitas. Fortè D. Tho. loquitur de depoſitario, qui non ex ſola domini voluntate rẽ detinet ob vtilitatẽ eiuſdem domini, ſed de eo, cui *aliquid commodi* obtingit ex tali depoſitione; cui proinde videtur fieri alia quædam peculiaris iniuria, & non ſolũ ratione vinculi reſtituendi.

Tertio dicunt prædicti Doctores, dominũ *clam* furripiẽtem rem propriam furi, cùm poteſt via iuridica illam recuperare; peculiariter præterea peccare cõtra iuſtitiam legalem, & bonum commune. Cuius rationem reddit D. Tho. ar. 5. ad 3. quia videlicet iniuriã facit poteſtati publicæ, quaſi vſurpando illius officium; ſiquidem dicit ſibi ius, non exſpectata publica auctoritate. Quòd ſi contra hoc obiicias Legem, Si res, & Legem, Si is qui rem, ff. de furtis, quibus habetur, re propria accipienda non committi peccatum aut furtum, niſi alius habeat ius in illa; vt puta, ius *pignoris*, vel *commodati*, & eiuſmodi: reſpondet Caietanus, intelligendũ id eſſe, quantum eſt ex parte *rei acceptæ*; tamen nihilominus eſſe id illicitum ex *modo* accipiendi; quia videlicet quis *dicit ſibi ipſi ius*. Itaque iuxta hoc Caietani dictum etiam ſi quis accipiens à fure rem propriam, habeat animum id poſtea illi manifeſtandi, peccaret nihilominus, quia *dicit ſibi ius*.

Hanc ſententiam tunc puto procedere, quando non poteſt quis rem ſuam à fure accipere ſine aliquo *ſcandalo vel perturbatione* communitatis, vt ipſe S. Thom. loco citato ſatis indicauit. Alioqui non video, cur debeamus damnare communem conſuetudinẽ, quæ planè obtinuit, vt vbicunque quis rem ſuã furto ablatam inuenit, ſi abſq; ſcandalo fieri poſſit, accipiat. Et probatur tunc nulla fieri iniuriam publicæ poteſtati, aut bono communi. *Primò*, nam vtitur talis iure ſuo, accipiendo rem propriam, & id nõ facit cum aliqua perturbatione boni communis: Ergo non eſt, quòd expectet publicam auctoritatem: hæc enim non eſt expectanda, niſi aut quãdo ius eſt aliquo modo dubium, aut quando iniuria eſt per inflictam pœnam vlciſcenda. *Secundò*, nam ſi fur ipſe rem domino traderet, poſſet dominus nõ expectata publica auctoritate eam accipere: Ergo etiam ſi non tradat. Patet Conſequentia. Nam non habet rei dominus minus ius eam accipiendi, quando fur non tradit, quàm quando traderet. Neq; poteſt tunc fur cenſeri rationabiliter inuitus; ſi dominus rem ſuam accipiens habeat (vt ſuppono) propoſitum poſtea manifeſtãdi ei, quòd ſit liber à vinculo reſtituendi. *Tertiò*, quia non minus clarum ius quis habet rem ſuã accipiendi à fure, quã habet accipiendi aliquid, quando legitimè contrahit cum altero; Sed tunc nõ eſt opus expectare publicam auctoritatẽ: Ergo nec in propoſito. *Quartò*, nã poſſet quis accipere ſuã rem latrone *vidente*, ſi ſine ſcandalo poteſt; & contrariũ dicere eſt duriſsimũ: Ergo etiã *clam*; cũ hic ſit modus facilior. His adde etiam, quòd planè videntur allegata iura, talem omnino ab omni peccato excuſare, ſi ſcandalum abſit.

Qvarto dicunt prædicti Doctores, ſi cui nõ pateat via iuridica rem propriam recuperandi; vel quia caret probationibus; vel quia iudices ſunt iniqui, poſſe eum clàm furi eripere. Hoc nõ habet difficultatem.

Vltimo dicũt, etiamſi non pateat ad id via iuridica, tamẽ non poſſe talẽ rem propriã accipere via adhibita. Ratio eſt, quoniã propter cõmodum priuatũ non eſt perturbanda Reſpub. neque licet vim vi repellere, niſi in flagranti delicto. Sed hoc dictum commodè oportet intelligi.

Itaq; eſt diſtinguendũ. Nam ſi poſſet res recuperari adhibita tali vi, quæ ſolùm furem aliquo modo perturbaret citra mortem vel vulnerationem; non video, cur non poſsit etiam vis talis inferri ad recuperandam propriam rem, quandocunq; poſtea latro vult illã iniuſtè detinere. Nam etiã tunc dominus habet ius amandi potiùs proprias res, vt ſibi neceſſarias, licet inde ſequatur aliquod detrimentum furi. Dixi autem *præter mortem & vulnerationem*; nam ad tuendas res ſuas cum tanto proximi detrimento, quantum eſt mors & vulneratio, ſolũ habet quis ius *tum, cùm* eiã à proximo vis infertur, atque adeò in delicto flagranti (vt prædicti Doctores dicũt) iuxta dicta q. 8. p. 2. nõ aũt pòſt, quando iã nulla vis infertur.

Si autem ad recuperandam tunc rem propriã vis latroni nõ poſſet inferri, niſi turbando Rempub. quia videlicet latro eſt potens, &c. tunc omnino verũ eſt, id non licere; ſicut neq; in tali caſu licere vim inferre, cùm primò res furripiuntur. Et ratio eſt: nam dominus rei nõ habet tunc ius, vt eo actu amet res ſuas, cum tam magno boni communis detrimento.

Quæritur Secvndo circa eandẽ primam aſſertionẽ, *an liceat abſq; peccato furti accipere rem alienã ad occurrendũ neceſſitati propriæ*. Qua de re duo ſunt dicẽda ex ſententia D. Tho. hîc ar. 7. Primo dico, ſi neceſſitas non eſt admodũ euidens & vrgens, debent quidẽ qui diuitiis abundãt, ſubuenire tali neceſſitati; ſed tamẽ in ea conſtitutus, non poteſt clam aut apertè res alterius vſurpare.

Probatur *prima* pars huius pronũciati: quia ius humanũ non poteſt derogare iuri naturali & diuino: Sed iure naturali & diuino res inferiores ſunt referendæ ad vſus & neceſsitates hominum: Ergo diuiſio & appropriatio rerũ facta iure humano, non debet intelligi ita eſſe facta, vt in caſu neceſsitatis aliquis propter illã debeat carere rebus neceſſariis: & cõſequenter illi, qui rebus abũdant, debent iis, qui carent, ſubuenire. Maior eſt clara: nam ius humanum potius debet promouere & perficere ius naturale. Minor patet: nam Deus huiuſmodi res ſua prouidẽtiã ad hominem retulit.

Secunda pars eiuſdem pronunciati probatur. Nam cùm ſint multi eiuſmodi neceſsitatib. oppreſsi, & vnus non poſsit iiſdem rebus omnibus ſubuenire; prouidentiæ poſsidentis debet committi, vt videat cui & quando debeat de ſuo res neceſſarias ſuppeditare; ac proindè indigẽtes ipſi nõ poſſunt ſibi eas res ſumere. Quam rem totam fusè confirmauimus ſuprà diſput. 3. in q. de Eleemoſyna, p. 4.

Dico Secvndo, ſi neceſsitas eſt *extrema & vrgens*, adeò vt manifeſtũ ſit, in ea conſtituto eſſe de rebus occurrentib. ſubueniẽdum (vt cùm imminet illi periculũ, cui aliter occurri non poteſt) tũ licitè poteſt talis ex rebus alienis ſuæ neceſsitati prouidere; ſiue *manifeſtè*, ſiue *occultè* ſublatis: neq; id erit furtum aut rapina propriè. Hoc etiã pronunciatum communiter aſſeritur à Theologis in 4. d. 15. & patet ex iis, quę in dicta q. de Eleemoſyna, p. 4. diſſeruimus. Itẽ patet manifeſta ratione. Nam quando propter neceſsitatẽ extremam eſt euidens, debere rem indigenti ſuppeditari, non poteſt is, qui eam poſsidet, rationabiliter ægrè ferre, quòd indigens eam accipiat; quandoquidẽ vtrum ſuppeditanda ſit huic, nec ne, non cadit tunc in ancipitem deliberationẽ, quæ meritò ſit rei domino relinquenda, vt in caſu pronunciati prioris.

Sunt aũt duo hîc notanda. Vnvm eſt, nõ modò tunc extremã neceſsitatẽ cenſeri, cùm euidenter imminet cuipiam ſtatim mors, niſi ei ſuccurratur; ſed etiã quando imminet periculum alicuius *graniſsimæ infirmitatis aut miſeriæ*, quæ moraliter loquẽdo, ſoleat homines conficere. Id quod etiam ſuprà in q. de Eleemoſyna, p. 4. docuimus.

Altervm eſt, dupliciter poſſe intelligi, in caſu extremæ neceſsitatis quempiam poſſe ſibi licitè rem alterius vſurpare. *Vno* modo quaſi rem *communem* in tali caſu, hoc eſt, nõ magis propriã poſsidentis, quã indigentis: Quia ſcilicet quando diuiſio rerum iure gentium fuit facta, implicitè vel explicitè, cõſenſu nationum, fuerit exceptus caſus extremæ neceſsitatis. *Altero* modo nõ quaſi rem cõmunem, ſed quaſi *rem propriam quidem poſsidentis* etiam in tali caſu, ſed tamẽ ſtrictiſsimo præcepto miſericordiæ erogandã & appropriandam tunc indigenti; qui proinde intelligatur licitè poſſe tũc transferre in ſe rei dominium, illã

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsurpando, etiam non exspectato iudicio & consensu expresso possidentis: quia nimirũ casus est strictissimus, & necessitas est satis euidẽs & periculosũ est in tali casu ab alterius nutu depẽdere.

Quocunq; aũt istorum modorũ intelligamus, talẽ in extrema constitutũ necessitate, licitè rem alterius vsurpare, satis patet id non esse propriè furtũ contra iustitiã. Item etiã vtrouis modo poterit intelligi, quo pacto diuisio rerũ antea facta nõ obstet iuri naturali, quod homo habet, vtẽdi reb. in tali casu: itẽ quare qui in tali casu rẽ alteri' vsurpauit, nõ debeat postea restituere; nã vel fuit sua, vt *cõmunis* tũc temporis, vel legitimè fecit illam *suam simpliciter*, & non per contractũ, ex quo oriatur obligatio aliquid reddendi. Vnde minimè debebit postea *restituere*, vt etiam ex cõmuni opinione asserui in dicta q. de Eleemosyna, p. 4. contra Nauarrũ in Manuali, cap. 17. n. 61. in cuius opinione est etiam Ioann. Medina, q. 3. de rebus restit. causa 1. sed sine firmis rationibus, vt patet ex iis, quæ disseruimus in dicta q. de Eleemosyna.

Ac potest etiam D. Tho. hîc ar. 7. vtrouis modo ex dictis cõmodè intelligi, cùm asserit, nõ esse furtum accipere rem alienam in extrema necessitate. quanquam in solutione secundi innuere magis videtur primũ modum. Dicit enim in tali casu non cõmitti propriè furtũ, quia per talem necessitatem efficitur *suum*, id quod aliquis accipit. Cæterùm potest etiam hoc referri ad secundum modum, quo scilicet per talem necessitatem, & simul per acceptionem rei, efficitur res propria accipientis, vt diximus.

Deniq; siue primo, siue secundo modo res hæc explicetur, semper manebit, eum qui rem possidet, non debere ex iustitia *commutatiua* rem indigenti suppeditare, sed solùm ex *charitate et misericordia*; vel applicando ei id, quod est vtriusq; cõmune tunc temporis, vt eo vtatur, quanquam ei non debeat propter aliquid priùs ab ipso acceptum; vel simpliciter abdicãdo à se dominiũ rei, & efficiendo eam propriã illius. Vnde etiã si quis in tali casu nõ suppeditet rem extremè indigenti, tamen post eiusmodi necessitatẽ non tenetur ei quidquam restituere: cùm nõ ex iustitia commutatiua, sed ex charitate tantùm debuerit rem ipsi suppeditare, vt rectè notauit Sotus libro 5. de Iustitia, q. 3. ar. 4.

Postremò intelligitur ex dictis, abusiuam esse locutionem, cùm dicitur, *licitum esse furari in extrema necessitate*: nam cùm non sit inuitus rationabiliter is, cui tunc res eripitur; non est furtum propriè: id quod optimè notauit art. 7. Caietan. Et hactenus de prima assertione ex illis duabus, quas initio posuimus.

Circa SECVNDAM verò assertionem (in qua diximus, posse furtũ esse tantũmodò veniale propter materiæ paruitatem) est QVÆSTIO, quænam *quantitas materiæ* efficiat furtum mortale? Ad hoc communiter respõdetur distinguendo. Nam vel persona, cui aliquid eripitur, est pauper; & tunc exiguum aliquid, quod alioqui non sufficeret ad mortale, efficiet mortale. Nam magni ab ea persona id meritò æstimatur. Ideo enim de illa vidua Euangelica, quę duo tantùm minuta misit in gazophylacium, dixit Dominus Luc. 21. *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit.* Et idem iudicandum est, si est aliquid minimum, necessarium tamẽ ad magna. Vt si artifici instrumentum aliquod eripias, ob cuius defectum debeat ab opificio suo cessare, & carere cõsuero lucro, sicut rectè censuerunt Syluester, V. Furtum, q. 2. & Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 3. art. 3. quidquid contrà Nauarrus dicat in Manuali, cap. 17. n. 2. Nam etsi tale instrumentũ naturâ quidẽ sua non sit res notabilis (vt fabula sutoris, v. g.) tamen fit res notabilis (vt subula sutoris, v. g.) tamen secũdùm rationabilem æstimationem opificis, ob circumstantiam consequẽtis damni, omnino est res notabilis. Ex quo facilè possunt dilui rationes Nauarri. Si autem persona, cui furto quidpiam auferetur, sit diues: tunc non quantulacumq; quantitas sufficiet ad mortale.

Abstrahendo aũt à personis, & absolutè de rebus ipsis loquẽdo, Doctores dicunt varia. Aliqui enim censent, vnum bazium esse notabilẽ quanrectè cõueniunt, *quantitatem, quæ sufficiat ad mortale, potius esse existimandam ex nocumento, quod per loquendo, quantum est vel ex quantitate rei, vel cum stantiis personæ, infertur persona ex eo, quòd ei ra ripiatur, quidquid sit de persona æstimatione actuali, vel inopia, aut copia.* Nam si id metiendum esset ex *sola* actuali æstimatione personæ, vel inopia, vel copia; sequeretur non esse mortale furari Principi centum coronatos, quos minoris faciet, quã tenuis homo duos bazios. Itẽ sequeretur, quod furari à mendico vnum obulum aut duos quouis tempore, esset mortale, quia pluris id faciet, quàm mercator, v. g. vnum coronatum: Quæ & similia meritò Nauarrus vbi suprà arbitratur absurda.

Dico ergo attendendam esse quantitatem ex *nocumento*, quod moraliter loquendo res ablata affert, vel *secundùm se*, quia videlicet secundùm se iudicio hominum est aliquid *notabile*, quale putarem esse quantitatem trium saltem aut quatuor baziorum, à quocunque auferãtur: vel ratione *detrimenti*, quod ex rei ablatione obuenit huic personæ, hîc & nunc, &c. cùm videlicet res alioqui parua erat illi vtilis ad aliquid magni momẽti. Quam ob causam accipere instrumentũ artificiem, esset interdum mortale, sicut dictũ est. Et simiter casu, quo pauper non habet nisi sex obolos, v. g. aut vnum vel alterum cruciferum, quo se vno die sustentet; qui id probabiliter sciens, vel debẽs scire, ei eriperet, peccaret mortaliter: quia tunc per se moraliter affert illi notabile detrimentũ, videlicet auferendo victum vnius diei. Et huc pertinet, quod Dominus de illa vidua Euangelica dixit, vt patet ex ratione, quam subiunxit. *Hæc ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.* Alio tamen tempore posset contingere, vt non esset mortale tantundem vel etiam plus à mendico accipere. Et hoc etiam est, quod Doctores illa priori distinctione velle videntur. Deniq; iudicio ferè prudentum est relinquẽdũ, quando nam ex effectu subsecuto censeatur res grauis. Et quia vix potest aliquid certi constitui, communiter est suadenda restitutio: nisi res sit tam parua, vt clarissimum sit, non fuisse mortale.

Sed occurrit argumentũ ad probandum, nullam materiæ paruitatẽ excusare à mortali. Nam sequeretur, posse aliquem ditari ex alieno absq; mortali: vt si à singulis singula minima accipiat, quemadmodũ solent facere iniqui mercatores.

Respondeo, negando sequelam. Nam *primò* si quis habeat tale propositum; iam eo ipso peccat mortaliter. Vult enim ipsam saltem *communitatẽ* iniquè magna quantitate ex illis singulis conflata fraudare: quod inducit per se loquendo inæqualitatem rei ad rem inter ipsum & communitatẽ, sicut induceret inter ipsum & aliam priuatã personam, si cui vellet accipere illa minima varis temporibus. Quod autẽ inæqualiter sic se habeat ad communitatem, id est, ad omnes simul, grauis est deformitas & mortalis, licet nõ per ordinem ad singulos. Iustitia enim cõmutatiua secundùm æqualitatem rei ad rem, non solùm habet locũ inter priuatas personas, sed etiam inter priuatam ex vna parte, & cõmunitatem ex alia. Vt patet, si tota cõmunitas (singulis contribuentibus) assignet iustum stipendium Medico, v. g. pro suo labore.

Deinde quãuis initio talis non habuerit id propositum, tamẽ cùm primũ aliquid accipit, quod cum reliquis acceptis efficit notabilem quantitatem secundùm se; iam tunc peccat mortaliter. Ratio est: quia ille actus vltimus inducit inæqualitatem notabilem; si non efficiendo illam totã, saltem complendo illam positis prioribus acceptionibus; ac proinde per illum actum vltimum quis vult formaliter vel interpretatiuè sese habere inæqualiter notabiliter erga communitatem. Sicut si, v. g. quis hominem iam penè emortuum (siue propter morbum, siue propter vulnera, quę cęderet, quo ipsum extingueret, licet per eum ab aliis accepissẽt) eiusmodi actu vulneraret aut iloqui hominem sanum non occideret; is sanè quanquam per talem actum non induceret totalem causam mortis, tamen quia compleret illam, omnino se obstringeret peccato mortali homicidij. Ita in proposito.

Porro non modò furtũ in magna quantitate peccatũ mortale est, sed etiam ita interdũ pernicio sum cõmunitati, vt meritò pœna mortis possit infligi, iuxta ea, quæ disputauimus q. 8. p. 2. Quanquam ex solutione secundi argumenti D. Thom. ar. 6. apparet, ipsius ætate nõ fuisse solitos vllos fures capite plecti, Baldus enim super Legẽ, Cod. de seruo fugitiuo, fertur priamus censuisse id expedire, cuius sentẽtia iam passim est probata cõmuni cõsuetudine, de qua dictum est suprà q. 64. ar. 2. contra Scotum.

PVNCTVM SEXTVM:

An Rapina sit semper peccatum, & qualenam.

D. Thom. art. 8. & 9.

NON est dubitandũ, quin Rapina propriè dicta (quæ scilicet est *violenta rei alienæ ablatio contra iustitiæ ordinem*) semper sit peccatũ, & quidem mortale ex suo genere, sicut de Furto diximus p. 4. Patet Isaiæ 61. *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum.* Et 1. Cor. 6. *Neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Item, quia quod est contra iustitiam, peccatum mortale est, vt p. 4. diximus.

Quin etiã certum est, id quod docet D. Thom. ar. 9. Rapinam esse grauius peccatũ, cęteris paribus, quã furtũ, eò quòd magis inuoluntariè quis patitur quod ei res *per vim* adimatur, quàm quod auferatur fraudulenter, ipso ignorante. Quare Rapina omnino est maior iniustitia; ægriùs namque homo fert vim, quã dolum. Itẽ quia per vim semper aliquod nocumentum infertur honori & personę. Quæ doctrina cõfirmari potest ex eo, quod iura antiqua latronibus pœnam capitis decernebant, furibus non item.

Cæterũ quamuis hæc ita sint, tamen vt potest quis interdum (in extrema nimirũ necessitate) sine furto propriè dicto, atq; adeò sine peccato, accipere occultè rẽ alienã (vt vidimus p. pręced.) sic etiã per vim quãdoq; potest res aliena eripi sine rapina propriè dicta, atq; adeò sine rapinę peccato. Nimirũ si id fiat publica auctoritate, secundùm ordinem iustitiæ contra hostes pugnando, malefactoréue puniẽdo, vt rectè docet D. Tho. hîc ar. 8. in corpore, & ad 1. & patet ex iis, quæ disput. 3. in q. de Bello disseruimus.

Ac multò magis licitũ est, quod in solutione secũdi ait idem D. Tho. scilicet eripere infidelibus res eas, quas iniquè possident. Quod vt doctè exponit Caiet. intelligẽdum est de regnis siue prouinciis, aut aliis reb. quas iniquè Christianis Principibus infideles ademerint. Has. n. licitè eis poterũt eripere, vel successores legitimi in eiusmodi regna, si sunt superstites, vel etiã quilibet Princeps Christianus ex tacito consensu totius Christianismi. Quem consensum declarat festiuitas, qua in Romana Ecclesia solitæ sunt celebrari victoriæ contra eiusmodi infideles partæ à quibuscunque Principibus.

Addit aũt præterea Caiet. aliquid, quod habet difficultatẽ. Nam negat, sine auctoritate *publica* quenquam posse vi res suas proprias recuperare, quas infideles detinent. Concedit autem, etiam cum *aliqua vi* per modum rapinæ quemlibet priuatum posse eripere infideli *seruum Christianum*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iniquè ab eo detentum aut captiuum: esse enim id adiuuare Christianum, qui iustè quasi perpetuum quoddam bellum gerit cum tali infideli. Item esse id, vim vi *in continenti* siue in delicto *flagranti* repellere. Nam seruo, cùm sit quid viuum rationale, semper infert iniuriam personalem, is qui eum iniustè detinet. Non esse autem eandem rationem de re alia detenta, postquam est occupata; quia *iam transit*, inquit Caietanus, *in rem iudicatam*.

Hæc doctrina Caietani nō satis firma videtur, vt potest intelligi ex dictis p. 5. Vidimus enim illic, licitum esse etiam priuata auctoritate, quando alia via non suppetit, res detentas proprias, (si sine Reipublicę scandalo fieri possit) accipere *vi aliqua* adhibita detinenti iniquè: Id quod ex parte videtur etiam sentire hîc Caietan. Loquitur enim aliquātulum lubricè. Et ratio est. Nam quamuis neque continuè, neque omnino vnquam *rei ipsi ablata*, si sit inanima, iniuria inferatur, tamen continuè infertur ei iniuria, cuires est ablata, qui etiam (vt Caietani verbis vtar) est *quid viuum rationale*.

Neque video, quomodo huic obstet, quod dicit Caietanus, *rem iam occupatam transiuisse in rem iudicatam*, aut quid subsit his verbis, quod faciat ad propositum. Si enim sensus est, iam non posse, nisi *publica* auctoritate rem recuperari; de hoc disputamus, & petitur principium. Si autem sensus sit, iam iniuriam *actu* non inferri vero dominō; hoc negamus. Sicut igitur seruus vel captiuus potest eripi infideli vi adhibita sine cōmuni scandalo: ita etiam res vi aliqua, citra mortem tamen & vulnerationem, vt p. 5. dicebamus.

Explicat præterea Caietanus, quomodo infideles *negatiuè*, qui res Christianorum non possident, eò solùm, quòd infideles & idololatræ sint, non possint bello à Christianis infestari, aut propriis orbari reb. Quod suprà disput. 1. q. 10. probauimus. Secùs verò dicendū de infidelibus *contrariè*, vt sunt hæretici. Hi enim propter infidelitatē iure bonis priuantur, vt patet Cap. Vergentis, Extra de hæreticis, de quo vide Syluestrum, verbo Hæresis, 1. §. 13. & sequ. & ea quæ suprà disput. 1. q. 11. & 12. fusè tradidimus.

Postremò obseruandum est id, quod in solutione tertij argumenti affirmat diuus Thomas, Principes interdum rapinæ vitio teneri, si in tributis exigendis non *boni communis* ratione, sed sola auctoritatis & potentiæ vi ad priuatas libidines nitantur. Rectè namque diuus Avgvstinvs libro 4. de ciuitate Dei, capite 4. *Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Quia & ipsa*, inquit, *latrocinia quid sunt, nisi parua regna?* Sed de *Tributis* diximus quæst. 6. p. 5.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Iustitia & Iniustitia iudicis.

D. Thomas 2. 2. quæst. 67.

IN HAC ET QVATVOR SEQVENTIBVS QVAESTIONIBVS, DE Iustitia & Iniustitia iudiciorum disserendum est, circa officia nimirum earum personarum, quæ in Iudicio versantur; scilicet Iudicis, Accusatoris, Rei, Testis, Aduocati. Et sunt hic quatuor circa iudicem explicanda. PRIMO, *An possit iudex iudicare eum, qui non sit sibi subditus.* SECVNDO, *An semper debeat ferre sententiam secundùm allegata & probata.* TERTIO, *An possit quoque eum subditum damnare, qui à nemine accusatur.* QVARTO, *An possit relaxare pœnam alicui iustè decretam. De qua materia videndi sunt Doctores in 4. dist. 17. & dist. 48. & Gabriel dist. 15. 16. & Sotus libro 5. de Iustitia, quæst. 4. & Summistæ, V. Iudex, & V. Iudicium. Et etiam ea quæ ad officium Iudicis in ferenda sententia (per occasionem aliam) tradidimus suprà q. 4. p. 2. & q. 7. p. 4.*

PVNCTVM PRIMVM.

Possitne Iudex iudicare non subditum.

D. Thomas art. 1.

APVD

APVD omnes est certum, quod docet hîc D. Tho. neminem posse iudicare alterum, nisi aliquo modo sit ei subiectus, vel per *cōmissionem*, vel per potestatem *ordinariam*. Probatur. Nam is, qui tanquam iudex fert sententiam, necesse est habeat vim *coactiuam*, qua videlicet cogat vtramq; partem parere sententiæ: Sed hanc vim nullus habet, nisi in sibi subditos alterutro illorū modorum: Ergo nemo vt iudex licitè fert sententiam, nisi in sibi subditos. Maior probatur. Nam sententia iudicis est veluti quædā lex in particulari materia: Lex autem, vt Aristoteles probat 10. Ethic. capite vlt. fulciri debet vi *coactiua*: Ergo etiam iudicis sententia, alioqui non erit efficax. Minor verò probatur. Nam vim cogēdi alios in rebus humanis ij solùm habent, qui funguntur publica potestate: qui autem hac funguntur in alios, hoc ipso censentur habere illos subditos alterutro illorum modorum.

Hoc ipsum confirmatur auctoritate Apostoli, Rom. 13. qui solum iubet *potestatibus sublimioribus* subditos esse. Item q; S. GREGORII lib. 11. Registri in fine, Responsione ad interrogationem 9. Augustini Episcopi Cantuarienſis: *Ipse*, inquit, *auctoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non potuit, & c. quia scriptum est in lege Deu. 23. Per alienam messem transiens, falcem mittere non debet.* Et refertur 6. q. 3. cap. 2.

Atq; ex his potest intelligi, quo pacto iniqua sententia *ex defectu potestatis* ad iniustitiam pertineat. Et enim potest tunc ille, qui re aliqua per tale sententiam priuatur, censeri rationabiliter iniustus, quod ab hoc nō habente auctoritatem, ea re orbetur. Id quod suo modo similiter deducendum est in vitiis aliis, quæ committuntur in iudicio quacunq; ratione.

Sed vt aliquę huius loci difficultates expediri possint, est præterea NOTANDVM, legitimā potestatē alterum iudicandi vt subditum, vel *absolutè*, vel in *casu aliquo*, latè patere. Cōtingit enim ex communi sententiâ, quatuor modis: PRIMO ex *missione*, siue *delegatione* hominis, habentis ordinariam potestatem; vel etiam Dei. Quo pacto dicit D. Tho. hîc ad 2. Danielem potestatem accepisse à Deo, senes illos impudicos iudicandi. Daniel. 13. TERTIO, cùm quis sua sponte iudicio alterius se subiicit. Et tunc potestas illi facta dicitur *arbitraria*. Hoc. n. ipso, quòd quis rationabiliter in casu aliquo vult alteri vt iudici parere, sese ad id obligat, & alter quasi quodā cōtractu vltro citroq; habito, acquirit potestatē. QVARTO, cùm quis in alieno territorio delinquit vel cōtrahit. Tunc. n. in ea materia efficitur subditus ordinarijs eius loci: nisi negocium pertineret ad res vel personas alioqui *speciali* priuilegio exēptas à iurisdictione ordinarij eius loci. Citra eiusmodi verò *speciale* priuilegium, etiamsi quis sit alioqui ab Ordinario suo exemptus, tamen ratione delicti in alio loco cōmissi, secundùm ius commune, iudicio Ordinarij eius loci subiacet, vt exponit hîc Caietanus, & D. Thomas insinuat in solutione tertij. Exprimitur autem hic quartus modus legitimæ potestatis, Extra de raptoribus, cap. 1. & Lege. Alterius. ff. de accusationibus. Qua Lege etiam id extenditur ad milites, qui licet alioqui sint exempti ab ordinario loci, tamen ratione delicti iubentur ei subiacere. In qua etiam Lege innuitur id, quod sanctus Tho. dicit esse ius commune.

Ex hac doctrina, quam etiā suprà q. 4. p. 2. tradidimus, intelligitur PRIMO, verisimū esse, quod D. Thom. in solutione secundi docet, Christum Dominum, quamuis iure subditus non fuerit alicui homini, tamen sua sponte se iudicandum Pilato subiecisse, sicut etiam (inquit D. Thomas) Leo Papa se subiecit iudicio Imperatoris, vt habetur 2. q. 7. Cap. Nos.

Vbi tamen est notandum, dupliciter intelligi posse, Christum se Pilato subiecisse. VNO modo, tanquam alioqui superiorem ipso Pilato, & omnibus Principibus secularibus, à quo proinde haberent omnes potestatem iudicādi, etiam vt homo erat. Et hoc modo meritò Caietanus hîc & Sotus lib. 4. q. 5. art. 1. negant, id esse intelligendū. Non enim fuit Christus omniū dominus, vt homo erat; cùm apertè dixerit: *Regnum meum nō est de hoc mundo*: id quod copiosè disputat Sotus loco citato. Quanquam vt Deus erat, sine dubio erat dominus omnium, à quo Pilati & reliquorū omnium potestas descendebat.

ALTERO modo potest intelligi, Christū sponte se Pilato subiecisse, non tanquam superiorem, sed tanquam alioqui non subditum: quippe cùm propter *vnionem hypostaticam* etiam vt homo, ab omni humana iurisdictione exemptus esset. Id quod etiam quasi iure quodam hęreditario Pontifices summi (vt Doctoribus placet) à Christo acceperunt, iuxta illud Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*. Et hoc posteriori modo intelligendum est quod docet D. Thom.

Colligit autem ex hoc Caietanus, Pilatum nō peccauisse iudiciū *vsurpando*, quandoquidem potestas ei erat facta à Christo; sed peccauisse *iniquè iudicando*, cùm condemnārit illum, nullam in ipso causam inueniens. Sotus verò loco citato hoc nō admittit absolutè; sed si Augustus Cæsar populo Iudæorum legitimè imperabat. Non enim putat Sotus, Christum *peculiarem* potestatem fecisse Pilato sui iudicandi, vt facit, qui arbitratu suo iudicem eligit, sed tantùm perinde se voluisse habere, atque alterum de plebe; & ita eatenus sese tantùm iudicio Pilati subiecisse, quatenus æquanimiter tulit sese ab illo iudicari. Quod omnino est probabile: neque aliud voluisse videtur Caietanus, quàm non magis Pilatum peccauisse per iudicij vsurpationem iudicando CHRISTVM, quàm iudicando alios de illa plebe. Dico autem, id esse

probabilem. Nam non satis constat, annon Christus Dominus peculiariter voluerit habere Pilatum iudicem *arbitrarium*, siue Pilatus alioqui haberet in eum populum potestatem legitimam siue non. Certè D. Thom. ita videtur existimare Christum voluisse.

SECVNDO ex his etiã facilè explicatur, quo pacto Papa, licet exemptus, possit nihilominus iudicè suo arbitratu eligere, nõ modò in foro conscientiæ eligendo Confessarium; sed etiã in foro exteriori, sicut fecit Leo Papa citatus à D. Thom. qui fuit huius nominis Quartus. Is enim, vt legitur in dicto Cap. Nos 2. q. 7. subiecit se Ludouico Imperatori.

Sed OBIICIET quispiam cõtra hoc tria. PRIMO, quòd sententia multorũ Theologorum est, non posse Papam alteri se subiicere excõmunicandũ aut puniendũ; inter quos est D. Thom. in 4. d. 19. q. 1. ar. 3. & Richardus d. 18. art. 5. & Paludanus ibi q. 2. In nulla ergo causa potest se alterius iudicio subiicere: nam si in aliqua, cur non in omnibus?

SECVNDO, quòd vel tunc Papa constituit alterum sibi *superiorem*, vel *æqualem*, vel adhuc manet alter *inferior* ipso. Non primum; cùm Papæ potestas sit suprema. Neq; etiam secundum: tum quia nulla in terris potestas est æqualis potestati Papæ: tum etiam quia non erit id satis, vt ab altero iudicetur. Nam par in parem non habet potestatẽ. Neq; tertium, eadem ratione: Nullo ergo modo intelligi potest quòd Papa sese alteri subiiciat.

TERTIO, quia vel Papa tenebitur parere sententiæ alterius; vel non: Si primum: Ergo erit inferior illo, quod non videtur concedendum: Si secundum: Ergo frustrà se subiicit.

Ad PRIMVM respondet hîc Caietanus, non esse parem rationem. Nam quia Papa ipse se excommunicare non potest, idcirco non potest alteri eam potestatem delegare. Non enim latiùs patere potest potestas delegata, quã ordinaria, à qua dependet. At verò quia Papa potest sententiam dicere, vt constituat de controuersia inter se & alterum, circa res aliquas vel iniurias; aut etiã casu, quo quis de iniusta sententia à Papa prolata ad eundem appellaret, potest etiam facultatem eius sententiæ dicendæ alteri delegare. Itaque docet Caietan. hanc regulam esse tenendam, vt diiudicetur, in quib. causis Papa possit se alterius iudicio subiicere; vt videlicet videatur, nũ in ea causa *ipse per se* possit iudicium ferre. Nam si potest, etiam poterit alteri ejus causæ iudicium demandare: sin minus, non poterit. Caietanum in hoc sequitur Sotus loco dicto.

Et contra hanc doctrinam est PRIMO, quòd Papa in confessione peccatorũ se submittit sententiæ Confessarij: quã tamen sententiã ipse in se ferre non potest: Non ergo est hæc Caietani doctrina vniuersalis. SECVNDO, quòd nũquam Papa ita videtur ferre sentẽtiam in causa propria, sicut fertur ab altero, cui se committit. Nam tunc ipse est verè *pars*. Neq; in casu dicto appellationis vel iniuriarum, sibi vel à se illatarum, fert ipse sentẽtiam, tanquam iudex, cuius sententiæ debeat vltraq; pars parere, cùm ipse se non possit cogere ad parendum; sed tantùm facere videtur, quod debet, vt priuata persona satisfaciendo parti læsæ: Non igitur est necessarium, vt illud idem iudicium, cui se potest subiicere, possit ipse in se ferre; sed id est per accidens. DENIQVE illa Caietani regula quanquam rectè traderetur, tamen eò tantùm pertineret, vt intelligeremus, quandonã Papa se committeret alteri, *delegando* illi potestatem (qui peculiaris est modus se alteri submittẽdi, vt antea vidimus) non tamen ex ea regula vniuersaliter cognosceremus, quandonam se committeret alteri per *electionem* meram iudicis *arbitrarij*; sicut se alicui vt arbitrario iudici committunt priuatæ aliquæ personæ, quas constat tunc iudici arbitrario non *delegare* potestatẽ, cùm ipsũ nullam habeant ordinariam. Quo quidem posteriori modo solo putarẽ potius Papam, se posse alterius iudicio committere in causis etiam ciuilibus vel criminalibus.

Et ideo præstat respondere ad PRIMVM illud argumẽtum, esse disparem rationem. Nam contra rationem pœnæ siue animaduersionis iuridicæ videtur esse, vt potestas illam inferendi nitatur ipsius Rei voluntate; eò quòd de ratione pœnæ iuridicę est, vt repugnet alioqui & aduersetur voluntati, quanquam sit patienter toleranda. Et idcirco nõ potest se Papa alteri cõmittere *excommunicandum*. At verò vt ex voluntate ipsius Rei iudicium feratur de aliis rebus, quando causa est anceps, non videtur esse contra naturam talis iudicij.

Ad SECVNDVM respondet hîc rectè Caietanus, in tali casu Papam esse *inferiorem* iudice arbitrario & à se electo, *secundũ quid*, id est, *in tali casu*, & quoad hanc sentẽtiam; licet simpliciter, quoad alia omnia, sit eo superior.

Similiter dicendum ad TERTIVM, Papam tunc propter illam iudicis arbitrarij superioritatem *secundum quid*, debere iudici arbitrario parere, ita, vt si nõ pareat, sit iustitiam violaturus, & peccaturus grauiter; atq; eatenus sententiam talis iudicis habere vim cogendi Pontificem: quanquam non vsque adeò perfectam, vt possit Pontifex ad parendum adigi per pœnam. Nihilominus notat rectè Caietan. & Sotus, si Papa vel rationabili, vel etiam irrationabili causa talem iudicem à se electum postea repudiet ante sententiam latam; eum iudicem non habiturum amplius potestatem suã sententiã Papam obligandi. Nam ea sententia arbitrio Pontificis tota debet niti. Quanquam aliunde quidem Papa peccaret, si irrationabiliter repudiaret cum iudicem.

PVN-

PVNCTVM SECVNDVM.

An Iudex debeat semper ferre sententiam secundum allegata & probata.

D. Thomas art. 2.

QVAS hac de re ponit cõclusiones D. Thom. de quarum priori magna est controuersia. PRIMA est: Necesse est semper ferre sententiam secundùm allegata & probata, etiamsi iudex *euidenter* sciat contrarium esse verum. Probatur. Nam iudex *potestate publica* fert sententiam: Ergo etiam debet illam ferre secundùm sciẽtiam *publicam*; quæ quidem habetur in communi per *leges*; in particulari aũt facto per *testes* & alia legitima publica instrumenta. Consequẽtia est clara: quia, vt exponunt Caietanus hîc & alij, debet esse proportio inter *potestatem & scientiam*, qua iudex iudicat.

SECVNDA conclusio: Quanquam, vt est dictũ, iudex sequi non possit *priuatã* suam scientiã, potest tamẽ & debet ea iuuari, vt diligẽtius inuestiget defectũ publicę probationis, & eam repellat. Quòd si eam nõ possit iuridicè repellere; debet, vt dictum est, secundùm illam iudicare.

Est autem CONTROVERSIA circa primam conclusionem, vtrum illa vsq; adeò sit vera, vt debeat iudex eum, quem *euidenter* scit esse innocentem, capitis cõdemnare propter contrariam probationem publicam. Sunt enim de hoc variæ sententiæ. PRIMA est, nunquam licere iudici contra veritatem sibi notam agere: ne in causis quidem ciuilibus. Ita sentit Panormitanus in Cap. Pastoralis, de officio delegati, & alij Canonistæ, quos citant Sotus lib. 5. q. 4. art. 2. & Syluester, V. Iudex 2. 5. Ita etiã Summa Angelica, V. Iudicare, q. 7. & Lyranus super illud Exodi 23. *Innocentem & iustum non occides*.

Probatur hęc sententia PRIMO, nam aliàs faceret iudex cõtra *conscientiam*; quod est quartum argumentum hîc apud D. Thom.

SECVNDO, nam faceret contra notam sibi *veritatem*, & esset mendax: nam cũ fert sententiam, pronunciat, iſtum esse reum mortis, id quod scit falsum esse.

TERTIO, nam tunc occideret *innocentem*, quod est *intrinsecè* malum, atq; adeò nunquam licet, vt constat ex dictis suprà q. 8. Confirmatur ex eo quod Exodi 23. dicitur, *Non acquiesces plurimorum sententiæ, vt à vero deuies*. Et subditur: *Insontem & iustum non occides*.

QVARTO, nam etsi contraria opinio haberet aliquid probabilitatis, & ius præcipiat iudicare secundùm allegata & probata: tamen in tali casu epiceia naturalis requireret videtur, vt non iudicetur nisi secundùm notam veritatem.

QVINTO, nam finis omnium probationum publicarũ est iudicare secundùm ipsam veritatẽ. Ergo quando iste finis potest obtineri per aliam viam, nempe per cõscientiã iudicis, & simul probationes illi obstant; omnino sunt postponendę. Hæc sunt ferè fundamẽta huius sententiæ, quam nihilominus postea videbimus esse minùs probabilem.

SECVNDA sententia est Adriani quodlib. 6. ar. 3. vbi distinguit de causis ciuilibus & criminalibus. Et in *ciuilibus* concedit quidem cõclusionem D. Thomæ; in *criminalibus* autem illã negat, propter argumentũ tertium factum. Quod autẽ in ciuilibus peculiariter iudicandum sit contra notã veritatem, propter cõtrarias probationes, probat Adrian. ex eo, quòd leges & omnia alia, quæ pertinent ad ciuilia, sunt introducta & seruantur ex *consensu ipsius populi*; quo eodem putat Adrian. factã esse potestatẽ iudicib. ad vitanda scandala, iudicandi in huiusmodi secundùm allegata & probata, etiam contra veritatem.

SED hæc sentẽtia meritò à Soto & aliis explo-ditur. Nam si in ciuilibus iudex debet *ex officio suo* secundũ allegata procedere; etiã debebit in criminalibus, cũ in illis etiam exequatur suum officium. Item, nam argumenta eadẽ, quibus postea probabimus, id esse verum in ciuilibus, probant etiam (vt patebit) id esse verum in criminalibus. Denique gratis putat Adrianus populum *peculiariter* talem facultatem fecisse iudicibus circa *ciuilia*. Nullum enim extat eius rei indicium.

Est igitur TERTIA sententia D. Thom. eademque verissima; debere iudicem in *omnibus causis* probationes publicas sequi, etiam contra veritatem sibi priuatim notam: quæ quidem sententia cõmunis est Theologorum, præsertim eorũ, qui D. Thom. sequuntur, vt Caietani hîc, Soti & Syluestri, vbi suprà. Et Antonini 3. p. tit. 9. cap. 2. §. 6. Est etiam Couarruuiæ lib. 1. variarum resolutionum, cap. 1. qui plurimos præterea citat pro hac sententia.

Et certè hoc est necessarium ad bonum publicum: aliàs possent iudices facere, quod vellent, dicentes, *se nosse*, &c. Hoc ipsum quoque iura declarant. Nam in Cap. Pastoralis, de officio delegati, Papa præcipit, vt ordinarius mandet executioni sentẽtiam delegati, licet ipse sciat contrarium. Idem etiam habetur 3. q. 7. Cap. Iudicet, quod est desumptum ex D. AMBROSIO super Psalm. 118. serm. 20. circa illud: *Miserationes tuæ multæ nimis. Bonus*, inquit, *iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges & iura pronunciat: Statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati: Nihil paratum & meditatum domo defert, sed sicut* AVDIT *ita iudicat, & sicut se habet negocij natura decernit: obsequitur legibus, non aduersatur: examinat meritа causæ, non* MVTAT.

Et potissimum FVNDAMENTVM huius sententiæ (quidquid sit de modis, quibus alij eam declarant) debet esse, quòd iudex non possit censeri rectè facere aliquid ex suo officio, nisi id ipsa etiam communitas censeri possit facere & approbare: Sed si iudex priuata sua scientia

Universidad de Deusto
Biblioteca

entia ductus, postposita testificatione publica ferat aliquam sententiam, non potest tunc censeri communitas id facere aut approbare: Ergo non rectè ferret iudex talem sententiam.

Maior est manifesta. Nam idipsum est, iudicem esse *publicam* personam, & posse eum facere, quæ priuatis personis non licet; quia videlicet est *quasi ipsa communitas*, quę ad vitandam confusionem, dedit vni suas vices. Quocirca si aliquid faciat iudex, vt priuata persona, quod non censeatur etiam facere & approbare cōmunitas, iam non magis id faciet legitima auctoritate & potestate, quàm si alia quæuis persona de populo, quæ non esset iudex, id faceret ex scientia sua priuata.

Minor verò probatur. Nā sciētia *priuata* iudicis nō potest cēseri scientia certa cōmunitatis; cùm sit tantùm scientia vnius partis communitatis, quæ idcirco faciliùs potest falli quàm plures. Ergo quod fit ex illa scientia, non potest censeri factum auctoritate totius communitatis; sed priuatæ personæ.

Oportet igitur iudicem scientiam testium sequi, quæ (humano modo loquendo) est certa, & censetur esse ipsius etiam communitatis, cùm *in ore duorum vel trium stet omne verbum*. Alioqui videri non poterit fungi officio suo. Atque est diligenter notandum hoc fundamentum; quod ipsum indicauit D. Thom. in ratione suæ primæ conclusionis. Nam ex illo pendet ferè tota materia pertinens ad *Iudicium*. Et inde etiam peti debet solutio argumentorum primæ sententiæ.

Vnde ad PRIMVM respondeo, negando tunc iudicē facturū contra cōscientiā. Nam Iudex, vt patet ex dictis, tale habere debet conscientię dictamē, quo statuat, se quoniam vice fungitur ipsius cōmunitatis, condemnare debere eum qui iudicio quidem certo moraliter cōmunitatis est reus: siquidem id iudicium ipse (non aūt suum priuatum) in ferenda sententia exequitur.

Similiter ad SECVNDVM respondeo, iudicē non mentiri, cū ferenda sentētia pronunciat talem esse reum. Non enim pronunciat esse reum suo priuato iudicio; sed communitatis: id quod est verum, & sufficit, vt illum condemnet.

Ad TERTIVM respondet hīc Caietanus, non id esse occidere innocentem *per se*, volendo scilicet illū occidere; sed *per accidens*, quatenus iudex tantùm vult fungi suo officio, licet inde sequatur mors innocētis, quam ipse nequaquā vult. Sicut etiam suprà Caietan. explicauit, occidentē suum inuasorē nō debere velle illū occidere q.64.ar.7. Sed hoc non satis intelligitur. Quid enim est aliud in tali casu, iudicem fungi officio suo, nisi exequendo iudicium communitatis velle illum hominem occidi? Certè nullum est inter hæc discrimen.

Respōdeo ergo aliter ad id argumentū: Nempe in hoc casu non occidi, nisi nocentem, iudicio quodam cōmunitatis moraliter certo; quod facere non est malū, sed debitum. Ex quo etiā patet quomodo accipienda sit sentētia Exodi in confirmatione illius tertij argumenti adducta. Intelligitur enim, quando sententia plurium iure potest à iudice repelli per iuridicam exceptionem; vt poterat, v.g. à Pilato, quādo clamāte populo: *crucifige, crucifige eū*, ipse dicebat: *Nullam inuenio in eo causam*. Item quod illic dicitur: *Insontem & iustum non occides*, intelligitur de iusto & insonte, non existimato reo, iudicio humano certo communitatis.

Ad QVARTVM respondeo, *peti principium*, cùm assumitur, habere hīc locum talem epiiceiam: Id namq; negamus cū dicimus esse cōtra ius naturæ & contra officiū iudicis liberare & absoluere cū innocentem qui nocens esse probatur.

Ad QVINTVM respondeo, minimè tunc esse negligēdas probationes tales. Nam finis probationum non est qualiscunq; veritas, & respectu qualiscunq; iudicij; sed veritas *publica*, respectu iudicij *communitatis*, quæ hīc etiam habet locum, & ad quam probationes istæ maximè cōducunt: nā nō obstāte iudicio priuato iudicis, manet adhuc verum, istum esse reū iudicio certo morali communitatis.

Quod aūt dictum est de iudice, suo modo intelligendū est etiā de aliis administris iustitiæ. Nā illi quoq; sunt executores scientiæ publicæ; quin imo etiā ij peculiariter excusātur, quādo alioqui iudex iniquè iudicat, nisi sententia contineat intolerabilem errorē, vt cōtinebant sententiæ v.g. quibus Martyres cōdemnabantur. Ita docet D. Tho. suprà q.64.ar.6. ad 3. Cæterū quānis sententia sit iniqua; si tamē nō vsq; adeò appareat iniustitia, excusantur huiusmodi ministri. Non. n. ad ipsos pertinet discutere, sed obedire, & presumere, sententiam latam esse iustam.

SED cū ostenderimus hactenus, quid iudex debeat facere, vt persona *publica*: QVÆRITVR nunc circa posteriorem conclusionem D. Tho. vtrum iudex in tali casu tanquā *priuata persona* debeat aliquid facere, vt innocētem liberet? De hoc inter oēs Doctores conuenit, debere iudicem, vt priuatam personam (id est, illa sciētia priuata inductum) facere, quidquid licitè potest citra populi scandalū, vt sententia contra illum innocentem non feratur. Et ratio huius debet esse. Nam tunc ille innocens, est in extremam necessitatē deductus ab iniquis testibus, qui sunt morales causæ mortis ipsius. Itaq; cū iudex, si vllus alius, in tali casu possit innocenti subuenire debet ex charitate, vt priuata persona, quicquid possit facere illius defendendi causa.

Sed difficultas est in assignandis mediis, quibus ad eum finem vti possit & debeat iudex. Alij alia assignant. Illud generale, quod hīc ponit diuus Thomas, potissimum videtur, vt videlicet iudex propria scientia adiutus diligētissimè vrgetur suo officio, percontando testes de loco, de tēpore, &c. quòd si diligēter fecerit, ferè reperiet inconstantiam & varietatem mendacij, vt inuenit Daniel in causa Susannæ.

Quòd si nihil proficit; tunc si est iudex *supremus*, dare debet operā, vt populum & partē placet, quo dispensare possit in aliqua lege, &c. suppetent autem ei multæ rationes id obtinendi, ob ipsius vel auctoritatem apud populum vel potētiam. Si autem est iudex *inferior*; D. Thomas suprà q.64.ar.6. ad 3. & Caietanus hīc, & alij sentiunt, debere eum remittere causam iudici superiori: & addit Caietanus, debere tunc populo iureiurando testificari innocentiam hominis, & exponere fundamenta eius sui testimonij; eaq; ratione innocenti apud Superiorem iudicem opitulari. Sotus verò lib.5. de Iust. q.4. art.2. non putat, iudicem debere id facere. Nihil enim eum apud superiorem profuturum, sed valituram potius plenam probationem, etsi alioqui falsam.

Sed tamen præstat distinguere. Si enim aliqua affulget spes fore, vt *superior* ea testificatione inferioris iudicis vehementius impellatur ad inquirendum & ad *dispensandum*, &c. omnino est faciendum, quod diuus Thomas & Caietanus iubent. Erit autem ea spes ferè semper. Si autem testificatio improborum vsque adeò inualuisset, vt meritò possit iudex inferior iudicare, sese apud superiorem repulsam esse passurum, quòd magna sit accusatoris vel potentia vel auctoritas, &c. non debebit id frustra tentare: neque in tali casu loquuntur diuus Thomas aut Caietanus.

Quòd verò Syluester, V. Iudex 2.§.5. dicit, Iudicem, si potest, debere tunc etiam suo officio renunciare; id neque verum est, neque (vt Syluester ipse putare videtur) sententiæ diui Thomæ consentaneum. Nemo namque tenetur cum tanto detrimento rerum suarum abstinere ab actu, quem licitè exercere potest, licet non sine damno proximi, vt Sotus & alij rectè notant.

Quòd si nullum omnino remedium tunc valeat ad liberandum innocentem; sententia est ferenda secundū allegata & probata, vt antea est definitum: id quod rarò erit necesse, si prædicta media tententur. Si autem quæras an possit tunc talis iudex sequi contrariam opinionem, (cùm sequi opinionem probabilem sit licitum) & ita ferre sententiam in fauorem talis rei probati. Respondeo, si potest propriam opinionem deponere, & amplecti tunc alteram; poterit id facere. Sin minùs: non poterit: quia faciet contra id, quod sentit, & accipiet personam, vt patet ex dictis quæst.7.p.4. circa finem.

PVNCTVM TERTIVM.

An Judex possit aliquem damnare, nemine accusante.

D. Thom.ar.3.

SENTENTIA D. Thomæ est, in *criminalibus* non posse aliquem sine accusatore condemnari. Probatur. Nam iudex iudicando constituit medium iustitiæ, id est, *iustum*: Sed *medium* hoc iustitiæ nō habet locum, nisi vbi sunt duo, inter quos constituatur: Ergo requiritur præter reum accusator, vt ita possit inter vtrumq; *iustum* constitui. Maior est Philosophi 1.Ethic.cap.4. vbi ait, iudicem esse quandam *animatam* iustitiam.

Sed vt hæc D. Tho. doctrina, atq; adeò res ipsa melius percipiatur NOTANDVM est, si solùm ius naturæ spectemus, ad sententiam ferendā solùm requiri *sufficientem* aliquam testificationē *factī*; vt nimirum censeri possit res toti cōmunitati manifesta, cuius vice & potestate iudex fungitur, vt dictum est p. præced. Neq; iure quidem *naturæ* requiri aliquem, qui accuset, & suscipiat, se factum probaturum; voluit D. Tho. conuincere illa sua argumentatione. Nam quamuis nemo accusaret Petrum v.g. qui Ioannem mutilauit, tamē rectè intelligi posset, quomodo iudex constitueret iustitiæ *medium* & æqualitatē inter Petrum & Ioan. si iuberet sententiâ publicâ Petrum etiā mutilari; vel propter bonum communitatis grauiùs in eum animaduerteret ex iustitia legali, vel ex iustitia vindicatiua.

Iure aūt humano meritò constitui potuit, vt in forma iudicij *accusator* interueniret, qui susciperet se rem probaturū contra reū per idoneos testes: Et hoc est quod voluit hīc D. Tho. Fuit enim hoc expediens, vt hac ratione clarius constaret stabiliri à iudice æqualitatem iustitiæ inter duos (accusatore agēte causam læsi) iuxta rationē D. Tho. atq; etiā vt res perfectius trāsigeretur, & esset aliquo modo certior sciētia publica, fidē etiā suo modo faciēte accusatore præter testes. Et ita est constitutū 2.q.1. Can. Nihil, & sæpe aliās in vtroq; Iure. Respondit aūt D. Tho. accusatorem requiri determinatè *in criminalibus*; credo, quia *in ciuilibus* non dicitur accusator, sed *actor*. Accusatio enim ad crimen refertur.

Aduertendū est aūt, non *semper* ius accusatorē requirere, vt iudex procedat cōtra aliquem. Excipiuntur enim aliqui casus, quibus aliqua, quæ D. Tho. hīc in solutione secundi commemorat, supplent vicem accusatoris; vt *publica* infamia; *euidentia* facti (præsertim cùm iudex videt cum aliis multis) *manifesta* cōtumacia seu rebellio, post denunciationem fraternam factam superiori, emendandi fratris causa: Item denunciatio *iuridica*, quę ordinatur ad vindictam pro bono publico, &c. quæ omnia patebunt ex duabus quæstionibus sequentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM QVARTVM.

An posit Iudex decretam pœnam relaxare.

D. Thomas art. 4.

CERTVM est PRIMO, contra *vtilitatem* publicam *nullum* iudicem posse licitè pœnam iustam relaxare, vt rectè docet D. Thom. hîc: Item neque *ordinariè* quidem, contra voluntatem *accusatoris*, vel eius, qui est iniuriam passus. Nam fieret ei denuò iniuria. SECVNDO certum est, iudicem *inferiorem* etiam volente accusatore non posse pœnâ relaxare. Nam ad eum tantùm pertinet exequi leges Superiorum; non autem in illis dispensare. TERTIO certum est, iudicem *superiorem*, remittente accusatore, posse relaxare; sine detrimento tamen boni communis. Hoc etiam docet sanctus Thomas hîc ar. 3.

Circa quod Sylvester, V. Iudex. 1. §. 11. & Caietanus, V. Iudicum peccata. rectè notant, non debere etiam iudicem supremum *facilè* relaxare pœnam Reo, quamuis ignoscat accusator. Impediri enim sic bonum commune, quod sequitur, cùm formidine pœnæ homines à peccando retardantur: hoc autem communiter & maximè est cauendum, cùm interueniunt munera, &c. Quòd si ex relaxatione pœnarum sequatur malum quodpiam in Repub. pertinens ad iniustitiam, non solùm peccaret iudex, se etiam deberet id damnũ resarcire, vt disputauimus q. 6. de restitutione, p. 3. circa verbum, *Non obstans*.

QVÆRET autem aliquis, An supremus iudex posit relaxare pœnam aliquando etiam *contra* voluntatem accusatoris? RESPONDEO breuiter, posse aliquando. Vnde prædicta doctrina D. Thomæ non nisi regulariter est intelligenda. Si enim reus esset admodum necessarius Reipublicæ, posset tunc Princeps eum non damnare; aut non admittendo accusationem, aut alio quouis modo: quanquam hoc quidem rarissimè faciendum est. Ita Caietanus infrà q. sequ. art. 3. ad 3. ex mente D. Thom. ibidem, & Sotus lib. 5. q. 4. ar. 4. Et fundamentum huius est. Nam accusatio, condemnatio, & huiusmodi nó nisi in bonum commune referri debent. Itaq; cùm hæcilli obstiterint; iure & meritò sunt postponenda. Neq; poterit tunc actor censeri rationabiliter inuitus, magis, quàm qui inuitus priuatur rectè à Principe bonis suis, propter bonum commune in aliquo casu.

Ex dictis apparet, periculosum quandoq; esse apud Iudices pro reis intercedere. Fiet enim nõ iniuriam. Non enim accidit tam frequenter, vt remittat ratio boni communis sola, remittente parte, obliget iudicem ad puniendum, & idcirco si pars remittat, tutiùs poterit quis intercedere.

QVAESTIO DVODECIMA.

De Iustitia & Iniustitia Accusatoris.

D. Thomas 2. 2. quæst. 68.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, AN TENEATVR QVIS alterum accusare aliquando. SECVNDO, Quonam modo sit instituenda accusatio; vbi simul dicemus de pœnis, quæ malè accusantibus decretæ sunt. Sunt autem de hac materia videndi Doctores in vtroque Iure, Titulo de Accusationibus; Summistæ, V. Accusator; Sotus Relectione de Sigillo, membro 2. q. 5. & lib. 5. de Iustitia, q. 5.

PVNCTVM PRIMVM.

An quis teneatur alterum aliquando accusare.

D. Thomas art. 1.

NECESSE est hoc loco inprimis declarare, quidnam propriè intelligamus nomine *Accusationis*, de qua hęc quæstio procedit. Sciendũ est igitur, *triplicem* esse viam in iure expressam (maximè Extra de Accusationibus) deferendi crimẽ aliquod ad publicã potestatem, id est, ad Iudicẽ, vel Superiorẽ. VNA est denunciationis *fraternæ*, videlicet ad proximi emendationem, defert rem ad Superiorem; iuxta illud verbum Domini: *Si te nõ audierit, dic Ecclesiæ*, Matth. 18. ALTERA est denunciationis cuiusdam, quæ vocatur specialiter *iuridica*; cuius scopus est, vt Superior testimonio virorum inductus, interroget Reum de crimine; vt per sufficiẽtem probationem ex testimonio denunciantis, & ex confessione propria Rei posit eum scientiâ & auctoritate publicâ condemnare. Meritò enim iam censebitur scientia criminis publica, si ipsemet Reus proprium crimen fatetur; siquidem talis confessio magno est argumẽto, rem ita esse. TERTIA via est *accusationis*, cùm videlicet quis suscipit se probaturum sufficienter crimen; cuius viæ idem etiam scopus est, videlicet Rei punitio.

Et quidem has duas vltimas vias à *prima* (scilicet denunciationis fraternæ) differre, satis apparet. Nam scopus fraternæ denunciationis nõ est punitio, sed *emendatio* proximi, intercedente paterna admonitione Superioris, ex qua propter ipsius auctoritatem certiùs speratur emendatio, vt docuimus disp. 3. in q. de Correctione fraterna. Denũciationis verò *iuridicæ & accusationis* scopus ille idem est, qui est Iudicis in puniendo; videlicet bonum commune, quod ex improborũ supplicijs redundat. Quocirca *accusatio* & denunciatio *iuridica* ad eandem virtutem mihi videntur pertinere, ad quam pertinet vindicatio Iudicis, videlicet ad Iustitiam legalem vel commutatiuã, vel ad specialem virtutem *vindicationis*, de qua agit D. Thomas infrà q. 108. si tamen ponenda est distincta à virtutibus prædictis.

Porrò discrimen inter denunciationem *iuridicam & accusationem*, tantùm est in *modo* positum. Nam *accusatio* fit in scriptis, vt docet D. Thomas art. seq. *denunciatio* non item. Præterea denunciãs non suscipit se rem probaturum, sicut accusator. Iam verò in hac quæstione non agimus, neque agit D. Thomas de *prima* via, nempe quæ ad *misericordiam & charitatem* pertinet, & idcirco explicata est suprà in q. de Correctione fraterna: sed de *tertia* præcipuè; & aliquo modo etiam de *secunda*, quippe cuius idem est scopus.

Hoc posito, duas statuimus de re proposita conclusiones ex sententia D. Thomæ communiter recepta. PRIMA Conclusio: Omnino tenetur quis accusare alterum, si & crimen fuerit tale, vt cedat in detrimentum Reipublicæ spirituale vel corporale; & potest quis illud sufficiẽti testimonio probare. Id patet Leuitici 5. vbi planè videtur præceptum de hoc naturale indicari illis verbis: *si peccauerit anima, & audiuerit vocem iurantis, testisque fuerit, quòd aut ipse vidit, aut conscius est; nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.*

Item probatur ratione. Nam vnusquisque debet auertere malum spirituale, vel temporale à communitate, modo, quo potest. Vnde grauiter errauit LACTANTIVS lib. 6. diuinarum institutionum cap. 20. existimans, nunquam licere *accusare aliquem de crimine capitali*. Quod paradoxon

nullo abeo probatur fundamento firmo, & planè repugnat perpetuæ fidelium praxi, iam inde ab Apostolorum temporibus, vt potest intelligi ex illis Apostoli verbis 1. ad Tim. 5. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Vbi non reiicit institutum accusandi de vllo crimine, sed modum præscribit.

SECVNDA Conclusio. Si peccatum non sit in detrimẽtum boni communis, aut quis illud probare non potest sufficienter, non debet de eo alterum accusare. Secundam partem huius conclusionis probat D. Thomas: quia nemo tenetur facere, quod debito modo perficere non posit. Primam relinquere videtur vt claram, quia finis accusationis sicut & pœnę, debet esse bonũ commune.

Sed illustrabitur magis hæc tota doctrina, si explicauerimus circa eam breuiter tres quæstiones. Itaque PRIMO quæritur, *Vtrum aliquando teneatur quis accusare etiam sub mortali.* Summa Angelica, verbo Accusator, negat. Ratio eius est: nam satis poterit quis prouidere bono publico *denũciando iuridicè*. Ac citat pro se Bartolum super Legem In eum. ff. de Accusationibus. Et potest quis hanc sententiam inde confirmare, quod accusator subit multa & grauissima onera: Ergo non tenetur accusare sub mortali. Si enim non probat sufficienter, plectitur pœna *talionis*, vel certè aliqua graui: item periculo se exponit non recuperãdi, quod in probatione expendit, vt ferè fit: Item incurrit odium multorũ & inimicitias, &c. Durum autem est, tanta cum difficultate quenquam obligari sub mortali, vt ea viâ succurrat bono communi, si præsertim alia posit.

Nihilominus VERA est & cõmunis contraria sententia S. Thomæ hîc art. 1. quam sequitur Caietan. hîc & Sotus lib. 5. de Iust. q. 5. ar. 1. & Nauarrus in Manuali cap. 25. n. 32. & alij passim. Probatur. Nam potest casus contingere, vt pro bono communi debeat quis etiam propriam vitã exponere manifesto periculo: Ergo etiã vt debeat accusare in casu similis necessitatis, cùm id sit facilius. Casus autem esset, si via denunciationis nõ censeretur habitura bonum exitum, vel absolutè, vel propter astum & potentiam rei, &c. ac res esset grauissima, & tales negocij circumstantiæ, vt si per viã denunciationis causa deferretur, maxima prætermitteretur occasio succurrendi bono communi, & impediendi magna mala, &c.

Fatentur autem omnes, raro eiusmodi casum incidere, vt quis accusare teneatur. Atq; hoc solùm probat argumẽtum, factũ in fauorem Summæ Angelicæ. Bartolus verò videtur loqui in casu, quo crimen est cõmissum contra *propriam* personam, & nõ maximè cedit in detrimentũ communitatis. Tũc enim potest quis cedere iuri suo, iuxta perfectionem Euangelicam, nec tenebitur accusare. Vel loquitur secundùm ius positiuum & leges humanas per quas quidem non cogitur quis accusare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO quæritur, *An verum sit, quod hîc art. 1. D. Thomas docet, tantum teneri hominem accusare crimina, quæ cedunt in detrimentum communitatis, vt hæreses, latrocinia, proditiones?* Videntur enim alia etiã crimina, quæ non ita directè nocent communitati esse deferenda; vt occultum homicidium, aut iniuria, &c. Nam huiusmodi etiam animaduertere est è re boni communis: Ergo similiter debebit quis in aliquo casu de eis accusare. Probatur Cõsequentia: nam propterea grauiora crimina sunt deferenda, quia eorũ punitio est è bono communi, vt homines à peccatis deterreantur: Cùm ergo hîc sit eadem ratio; sequitur idem. Antecedẽs verò probatur. Nam si eiusmodi etiam criminũ punitio, non esset è re boni communis, consequens esset, vt neq; liceret Iudici vnquam ea punire; quod cõstat esse falsum. Confirmatur. Nam accusatio huiusmodi criminum, pertinet ad iustitiam legalem vel commutatiuam, vel vindicatiuam: Ergo aliquando præcipitur.

Nihilominus sententia D. Thomæ vera est & communis. Et fundamentũ eius debet esse, quòd nõ tenetur quis succurrere bono communi circa rem non vsq; adeo magni momenti cum tanto detrimento proximi, quantum Reus accusatus incurrit ex accusatione; & etiam cum tanto detrimento proprio, quantum anteà explicauimus incurrere accusatorem. Præcepta enim DEI (vt ait S. Ioannes) *grauia non sunt*, præsertim affirmatiua. Secùs; cùm talis accusatio maximè interest boni communis. Vt cùm crimina sunt talia, quæ remoueri à communitate permagni referat.

Ad argumentum verò *contrarium* respondeo, solùm probare, id esse *licitum*; quod omnino puto esse concedendum propter illud argumentũ: Non tamen quod id etiam sit *præceptum*. Ad *Confirmationem* negatur Consequentia. Nam etiam actus spectantes ad *perfectionem*, pertinent ad virtutes; neque tamen ideo sunt in præcepto. Obligat quidem quæuis virtus aliquando ad aliquem actum; sed non ad quemuis.

Ex his intelligitur, quid respondendum sit ad aliam quãdam QVAESTIONEM, quam hîc quidam mouent, Vtrum scilicet possit contingere, vt quis *licitè possit* accusare aliquem, neque tamen ad id *teneatur*? Omnino potest, non solùm in peccatis modò dictis, sed etiam aliquando in peccatis directè contra bonum commune: Si nimirũ eis sufficienter occurri possit per hoc solũ quod *iuridicè denuncientur*; neq; propterea, quod non etiam *accusentur*, videatur imminere aliquod incommodum bono publico; & in aliis casibus arbitrio boni viri.

TERTIO principaliter quæri hîc solet, Vtrum semper is, qui alterum *potest* aut *debet* accusare, *teneatur ante accusationem præmittere monitionem fraternam ex charitate?* Et dicuntur hîc multa à quibusdam minùs distinctè. Breuiter dico PRIMO, si solùm naturã actus *accusationis* attendamus, nunquam ea requirit, vt eam præcedat admonitio secreta. Hoc est expressè ad mentem D. Thomæ in 4. d. 19. q. 2. articulo tertio, q. 3. ad 4. & quodlib. 11. articulo decimo sexto, & quodlib. 11. articulo decimo tertio, & hîc etiam, vbi agens de obligatione accusandi, nequaquam meminit secretæ admonitionis. Deniq; à nullo hoc negari potest, qui rem bene aduertat.

Ratio est. Nam admonitio illa fraterna tota refertur ad bonum propriũ fratris peccato obstricti, vt suprà disp. 3. in q. de Correctione fraterna disputauimus: At *accusatio* non propriè habet eum scopum, sed refertur propriè ad bonũ communitatis, vt per vnius pœnam alij arceantur à peccatis: Ergo ex vi quidem accusationis nõ debet ea admonitio præmitti. Confirmatur: nam aliquando accusatur & punitur is, qui iam est emendatus, vel de quo nulla est spes, quod velit emendari; quem proinde superuacaneum esset admonere: Non igitur per se loquendo, præquirit Accusatio talem admonitionem.

Dico SECVNDO, Nec semper nec nunquã qui alterum accusare potest, vel debet, tenetur eum priùs admonere, sed aliquando tenebitur, aliquando non, pro ratione concurrẽtium circumstantiarum. Hoc pronunciatum manifestè sequitur ex præcedenti. Nam cùm ea admonitio per accidens omnino se habeat ad accusationem; sicut absolutè potest contingere, vt quis pro ratione circumstãtiarum teneatur vel non teneatur admonere eum qui non accusatur, ita etiam vt teneatur vel non teneatur admonere eum qui accusatur. Itaq; faciendum id erit quando concurrent circumstantiæ eæ, quibus concurrentibus obligat præceptũ Correctionis fraternæ (vt si spes sit pœnitentiæ, &c.) non erit autem necesse id facere, si aliqua ex eiusmodi circumstãtiis desit, iuxta dicta suprà in quæst. de Corrept. fraterna. Neque dubito, quin sit hoc ad mentem diui Thomæ locis citatis.

Quocirca non placent Durandus in 4. d. 19. q. 4. & Syluester, verbo Accusatio. §. 3. & Adrianus in 4. in materia de restitutione, asserentes *semper* præmittendam esse priuatam admonitionem, etiam cùm crimen potest sufficienter probari & accusari. Hoc vniuersaliter intellectum non est verum, vt patet ex allata ratione. Similiter non placet Caietanus suprà q. 33. art. 7. dicens, si quis *debeat* accusare, non teneri quidem prius secretò admonere; si autem quis *possit*, *sed non debeat* accusare, semper debere præmittere admonitionem. Vtrumque vniuersaliter dictum est falsum. Nam vt diximus, neque semper cùm quis potest alterum accusare, occurrent circumstantiæ obligantes ad admonitionem: & aliquando etiam cùm quis accusare debet, poterunt occurrere. Itaque tunc homo duplici præcepto tenebitur: Vno *iustitiæ* procurandi per *accusationem* bonum commune: altero *misericordiæ* procurandi præterea per *Correptionem* bonũ proprium spirituale Rei.

Dico

Dico TERTIO, si quando contigerit, vt quis eum, quem accusare potest vel debet, *debeat etiam fraternè admonere*, aut *suo arbitratu* admoneat; & frater emendetur; siue statim post primam admonitionem, siue post totum processum correctionis fraternæ; non idcirco quòd emendetur, tenetur quis prætermittere publicam accusationem: sed potest non obstante emendatione alterius illum licitè accusare. Hoc etiam est ad mentem D. Thomæ contra Doctores prædictos, & etiam contra Sotum lib. 5. q. 5. art. 1.

Et probatur satis manifesta ratione. Nã postquam quis via fraternæ correctionis consecutus est, quod voluit, videlicet *proprium bonum* fratris, & etiam consequenter bonum aliorum, si peccatum erat in communitatis perniciem (vt si hæresis disseminabatur, &c.) adhuc potest sibi proponere scopum *iustitiæ punitiuæ*, id est, *bonum commune* consistens in eo, vt alij ab huiusmodi peccatis formidine pœnæ absterreantur: Sed hoc bonum licet præponere famæ alterius, & etiã vitæ, quãdo sit emẽdatus: Ergo poterit quis nihilominus via accusationis id bonum intendere, atq; adeo procedere ad accusandum. Maior & Minor sunt manifestæ. Nam alioqui neque ipse Iudex postquam quis est emẽdatus, posset vlterius bonum commune sibi proponere in illo puniẽdo; quod constat esse falsum. Consequentia etiam est clara. Nam illud idem, quod Iudex sua auctoritate *iudicando* sibi potest proponere; potest quis licitè intendere *accusando*.

Ex quo apparet, infirmum esse argumentum Soti & aliorum quo moti sunt ad hoc negãdum: quia videlicet cùm sufficienter prouidetur bono communi via fraternę correctionis, ibi sit sistendum; neq; proximi quamlibet scelerati fama negligenda. Non est hoc firmũ. Nam vt iam ostendimus, nunquam ita potest per viam correctionis fraternæ bono communi prouideri, quin vlterius restet aliud bonum commune procurandum, quod licitè quis per viã accusationis, posit prætendere & anteponere famæ alterius: siquidem alius est scopus accusationis, & alius correctionis fraternæ.

Neque obstat, quod dicitur à D. Thoma hîc, accusationem in hac vita esse *medicinalem*. Non enim propterea solùm medicinalem vocat, quia per eam intendatur bonũ proximi, quod redundat aliàs ex fraterna correctione; sed etiam quia intenditur per accusationem illud bonum proximorum, quod redundat ex publica scelerato-rum punitione.

Neque etiam, si licet semper cùm crimẽ probari potest, accusare, timenda est confusio in Republica ex frequentibus accusationibus orta, vt quidam obiiciunt. Nam vt anteà insinuauimus, onera, quæ accusator suscipit, ea sunt, & ita communiter homines retardant ab accusando, vt potiùs timendum sit, ne tũc quidem quempiam accusaturũ esse, cùm debeat: præterquam quòd crimina ea, de quibus sumi solet publicum supplicium, & accusari possunt, ferè sunt solum illa, quæ cum iustitia pugnant.

Etsi autem, vt dictum est correctio fraterna adhibita, etiam cùm fuerit efficax, non impediat quò minùs quis possit accusare: posset tamen aliquid aliud accidere, quod obstaret accusationi. Vt si vir grauissimus, Exempli causa, deliquisset, ex cuius infamia plus scandali & mali timeretur meritò, quàm boni sequeretur, si timore pœnæ alij à peccando reuocarentur. Itaque tunc non liceret accusationem instituere.

Quòd si in hoc duntaxat & similibus casibus prædicti Doctores loquuntur, quando negant procedẽdum esse ad accusationem eius, qui fraterna admonitione emendatur, rectè quidẽ sentiunt. Veruntamẽ causa, cur non liceat tunc accusare, (per se loquendo) nõ est, quia iam ille est emendatus, vt videntur iidem Doctores existimare, sed quia aliunde accusatio non expedit, neque expediret, quamuis Reus neque admonitus esset, neque emendatus. Possunt autem frequenter eiusmodi casus incidere, quibus accusatio non expediat.

QVARTO quæritur, Vtrum *omnes* obligentur præcepto accusandi aliquando, vel sint aliqui excepti. Ratio dubitandi est. Nam ex vna parte videntur omnes obligari. Apparet enim ex dictis, esse præceptum naturale ea via succurrendi bono communi, ac proinde ad omnes pertinebit. Ex alia verò parte *iure* multi repelluntur, ne accusent. Nam 2. q. 7. excipiuntur infames, & excommunicati: & subditi etiam prohibentur accusare suos Prælatos, & filij parentes. Item 23. q. 8. Cap. His à quibus, prohibentur Clerici accusare Laicos; & Cap. Nullus. Et cap. Laico 2. q. 7. similiter prohibentur Laici accusare. Item ff. de accusationibus, l. Qui accusaret, multi alij prohibentur ratione ætatis vel sexus, &c. Videntur igitur huiusmodi homines non teneri vnquam accusare; alioqui ius positiuum statueret contra obligationem naturalem.

Respondetur ab omnibus, huiusmodi personas excusari ab eo præcepto, cùm iure prohibeantur. Itaque idem ius declarat, tales non obligari iure naturali, propter conditiones eiusmodi personarũ. Nam quòd tales id munus obeant, obstat aliunde magis bono communi; Atque ex hoc patet responsio ad rationem dubitandi.

Dicit tamen Caietanus hîc & Sotus lib. 5. q. 5. art. 1. debere hos saltem *denunciare iuridicè*, quamuis non possint accusare. Item dicit D. Thomas hîc ad 2. Minores personas; vt subditos, &c. tantum prohiberi iure positiuo accusare *ex odio & contemptu* suos maiores; Charitate autem & bono Zelo ad id mouente concedit D. Thom. tales posse accusare. Quod idem probat Sotus; neque ego audeo improbare: quanquam videtur in iure absolutè id prohiberi *omnino*, propter alias rationes boni communis, quæ postulant, vt ne ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

charitate quidem Minores accusent. Nam ne *ex odio* accusent, lege naturali alioqui prohibentur. Nisi dicatur, quod ad hoc quidem attinet, ius positiuum nihil noui præcipere, sed idem, quod ius naturale.

Dicunt præterea omnes non prohiberi Clericos *denunciare iuridicè* etiam in causa sanguinis, si tamen protestentur, se non intendere mortem alterius; sed vel bonũ commune, vel satisfactionem aliquam circa res proprias, &c. Vnde tunc non incurrũt irregularitatem. Sed *obiicis*: quamuis id protestentur, nihilominus sunt causæ morales tunc mortis: Ergo non illis licet. *Respondeo*, per eam quidem viam, videlicet *denunciationis* nõ eis prohiberi iure positiuo, ne sint causæ morales mortis aut sanguinis: dummodò protestẽtur expresè, se id non facere ex odio, aut præcipuè intendendo sanguinem: Id quod protestari publicè peculiariter decet Clericos. Atq; hoc ita esse intelligendum, non obscurè colligitur ex Cap. Prælatis, de homicidio in 6. vbi etiam videtur fieri facultas Clericis, deferendi crimina ad Iudicem quacunque via, etiam per accusationem, ad propulsandam quidem & vindicandam *propriam* suam iniuriam, ipsis illatam. Id quod concedit Syluester, verbo Accusatio. §. 4.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quomodo sit instituenda Accusatio.

D. Thomas art. 2. 3. 4.

PRIMO asserimus cum D. Thoma a. 2. & aliis communiter, Accusationem *in scriptis* debere fieri, maioris certitudinis causa. Id quod est constitutũ Iure Canonico 2. q. 8. Cap. Accusatorum, & Cap. Quisquis. & Cap. Crimen. Atque etiam Iure Ciuili. ff. de Accusationibus, l. Si cui. Quanquam in rebus leuibus & clarissimis id non sit necessarium, vt patet l. Leuia. ff. eodem titulo. Iubetur præterea Accusator iudicio interesse Cap. per scripta 2. quæst. 8.

SECVNDO asserimus, accusationem omni ex parte debere *esse iustam*. Erit autem talis ea accusatio, quæ vacabit *calumnia, præuaricatione, & tergiuersatione*. Nam vt docet D. Thomas artic. 3. & alij communiter, per hæc tria, & per quoduis illorũ, redditur accusatio iniqua. Nimirum vel per *calumniam*, quãdo quis de falso crimine accusatur: vel per *præuaricationem*, quando accusator iniquè conuenit cum reo, & in processu causæ fauet illi, vel dissimulando, vel excusando, &c. Et denique per *tergiuersationem*, quando cùm deberet pergere in accusatione, obligante eum ratione boni communis, vel saltem præcepto Iudicis, ex officio in causa procedentis; ab ea omnino desistit. Tunc enim facit iniuriam bono communi. Habetur hæc doctrina 2. q. 3. Cap. Si quem pœnituerit, & ff. ad Sen. Conf. Turpilianum, l. Accusatorum, ex quo id desumpsit Ius Canonicũ ferè iisdem verbis.

Est autem circa hoc NOTANDVM, quòd vt constat ex doctrina D. Thomæ art. 3. in solutionibus argumentorum, non semper est iniquum desistere ab accusatione. Nam si quis inculpabiliter deceptus instituit accusationem, & posteà reperit, alterum esse innocentem, licitè cessabit, & absoluetur à Iudice, vt habetur locis citatis. Itẽ *Iudex* poterit abolere accusationem, quãdo obstiterit bono communi, concedente *parte*, vel ita exigente ratione bonis communis.

Et quidem concedente *parte*, etiamsi sit *inferior* Iudex, poterit reiicere accusationem ex officio. Nam is quoque habet curam boni communis, & ideo poterit eius intuitu, concedente parte, reiicere accusationem: Parte verò *non concedente*, aliquando etiam *Inferior* ex epieeia id poterit, vt dicit hìc Caietanus: *Superior* autem etiam ex officio; cùm habeat is vniuersalius curã boni communis: quod proinde poterit per eam viam procurare etiam *non* concedente parte, vt diximus q. præced. p. 4.

Præterea potest quis vt plurimùm, quando in causa propria accusauit, desistere ab accusatione, parcendo Reo. Hoc autem intelligitur, nisi circumstãtiæ sint tales, vt propter bonum commune debeat quis pergere in accusatione in causa propria; vt si Reus esset homo admodum facinorosus. Tunc enim neque Iudex, neque accusator desistere possunt à causa.

TERTIO asserimus ex doctrina diui Thomæ ar. 4. & communi, accusatorem, qui iniquè accusans (vel ex defectu probationum, vel quia obiicit falsum crimẽ) in probatione deficit, iure quidem pœna talionis plecti, hoc est, tali pœna affici, qualem ipse intendebat alteri, quantum in se erat. Patet 2. q. 3. Cap. Calumniator, & Cap. Qui non probauerit. Et l. Mulier, & l. Quæstum. ff. ad Sen. Conf. Turpil.

Veruntamen pœna hęc talionis, vt admodum seuera, desuetudine in plerisque locis ferè est abrogata, vt notat Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 5. art. 4. Et ideo tales plectuntur vt plurimùm pœna mitiori; Nisi fortè *reipsa quoq;* fuerit plexus *is*, qui est accusatus iniquè: præsertim in causa capitis. Erat autem hæc pœna in vsu tempore etiam legis veteris, vt patet Exod. 21. & Deuter. 19.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

De Iustitia & Iniustitia Rei accusati.

D. Thomas 2. 2. quæst. 69.

QVATVOR SVNT EXPLICANDA. PRIMO, AN REVS POSSIT sine peccato Mortali celare veritatem, ob quam condemnabitur. SECVNDO, An possit quoq; eludere Iudicis interrogationem, dicendo quippiam, per quod Iudex decipiatur, putans illum esse innocentem. TERTIO, An possit quoq; à sententia iam lata, vel antequam feratur, appellare ad Iudicem alium. QVARTO, An possit quoque per vim se defendere, ne sententia lata mandetur executioni.

PVNCTVM PRIMVM.

An Reus possit sine peccato Mortali celare veritatem, ob quam condemnabitur.

D. Thomas art. 1.

INTER omnes hìc conuenit de duabus his conclusionibus, quas ponit etiam a. 1. D. Thomas. PRIMA Conclusio: Reus accusatus debet veritatem exponere, quam ab eo secundùm *formã iuris* exigit Iudex; alioqui mortaliter peccabit, si vel mẽdaciter negauerit, vel callidè subticuerit. Probatur PRIMO. Nam crimen tunc absconderet esset contra Dei gloriam; iuxta illud Iosue 7. *Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris; ne abscondas.* Quò & illud pertinet Eccles. 4. *Pro anima tua* (vt scilicet vites peccatum mortale) *ne confundaris dicere verũ.* Et illud S. GREGORII lib. 22. Moral. cap. 13. circa illud Iob. 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, &c. Vsitatum*, inquit, *humani generis vitium est, & labendo peccatũ committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare.* SECVNDO probatur ratione. Nam illud est peccatum mortale, quod est contra debitum Iustitiæ: Sed contra debitum Iustitiæ est, vt aliquis non obediat suo Superiori (atque adeo Iudici) in his, ad quæ prælatio ipsius se extendit. Ergo peccatum Mortale est Iudici interroganti *iuridicè* non exponere veritatem.

SECVNDA Conclusio: Si Iudex aliquid exquirat, quod non potest secundùm *Iuris ordinem*, non tenetur ei Reus accusatus respondere; sed potest vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere; (iuxta ea quæ trademus p. seq.) mendacium tamen dicere non potest. Patet hæc Conclusio à contraria ratione. Nam cessat tunc debitum Iustitiæ erga Superiorem. Vnde tunc habet locum, quod ait S. CHRYSOSTOMVS homil. 31. in 1. epistolam ad Hebræos: *Non tibi dico, vt prodas in publicum, neq; apud alium accuses, &c.*

Porrò quandonam Iudex interroget *iuridicè*, videbimus p. seq. Nunc duo sunt hìc annotanda. PRIMO notandum, dupliciter intelligi posse id, quod in probatione primæ Conclusionis supposuimus cum D. Thoma, scilicet pertinere *ad debitum iustitiæ*, vt Reus exponat Iudici veritatẽ. VNO modo, vt pertineat ad *iustitiam debitam* Superiori. Et hoc modo non est id propriè debitũ iustitiæ, sed *obedientiæ*, quæ impropriè dici potest quædam iustitia, quatenus est *ad alterum*. ALTERO modo, vt pertineat ad iustitiam debitam *parti læsæ* siue accusatori, quam iustitiam violat quoque Reus iniquè celãdo veritatem. Nam hoc ipso est causa moralis, quantum est in se, vt parti læsæ viâ iuridica non satisfiat. Et sic est *propriè* illud debitum *iustitiæ*. Nam etsi Reus ex iustitia non debeat cooperari ad sui punitionem, vt parti satisfaciat (nemo namque tenetur in sese animaduertere) tamen ex præcepto negatiuo eiusdem iustitiæ debet non impedire illicitè Iudicẽ, quo minùs parti læsæ iuridicè satisfaciat. Atq; erit maioris momenti illa probatio primæ assertionis, si etiã isto secũdo modo id intelligatur. Et id conuenit huic tractatui, in quo de peccatis contra *iustitiam commutatiuam* agitur.

SECVNDO notandum, *mendacium* Rei accusati, quando is *debet* respondere, licet sit quidẽ peccatũ mortale ex genere, tamen posse esse ex paruitate materiæ tantũ veniale: etiam ea parte, qua est *contra iustitiam*, quo pacto hìc loquimur; esset tamẽ grauius, quàm si diceretur extra iudicium. Et ratio huius est: quia in quauis virtute est aliqua latitudo, quâ aliquid vel strictiùs vel minus strictè præcipitur in illa virtute, quàm aliud. Quare in materia cuiuscunque virtutis accidere potest, non modò *grauis*, sed etiam *leuis* & venialis præuaricatio præcepti: ac proinde etiam in materia

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustitiæ vel iudicij, & in materia religionis, &c. Iraque opinio Caietani hîc dicentis, omne mendacium *in Iudicij foro* (siue conscientiæ, siue exteriori) esse mortale, meritò explodituꝛ hîc à Soto lib.5.q.6.a.1. & ab aliis communiter.

Sed ARGVMENTATVR Caietanus. Nam mẽdacium quoduis periurio confirmatum, ideo est mortale, quia ponit quantum est in se, falsitatem in Deo: Ergo etiam quoduis mendacium *in Iudicio*; quia falsificat illud, quantum est in se.

DEINDE possumus confirmare hanc sententiam Caietani sic: Leuis materia *Superioris virtutis* est grauior simpliciter, quàm magna *inferioris*; etiam in genere moris, vt vtraque est pertinens ad *Rationem*: Sed grauitas seu magnitudo materiæ inferioris virtutis efficit, vt peccatum circa illam sit mortale: Ergo quæuis materia superioris virtutis id à fortiori efficiet: ac proinde peccatum in materia Iustitiæ & Religionis (præstantissimarum virtutum) semper erit mortale.

Ad argumentum Caietani respondeo PRIMO, negari posse Antecedens. Peccatum enim mortale, quod in omni periurio interuenit, non est *propriè ipsa assueratio falsi* formaliter, atque adeò ipsum mendacium: sed *inuocatio* diuini testimonij circa *qualecunque* falsum, quæ inuocatio est actus distinctus saltem ratione à mendacio, & per se (abstrahendo à grauitate mendacij) hoc ipso quòd est *inuocatio* testimonij Dei *ad falsum*, habet grauissimam deformitatem in qualicunque materia mendacij. Nec mẽdacium propriè, sed hæc C inuocatio in periurio, ponit quantum est in se, falsitatem in Deo.

SECVNDO respondeo, Consequentiam illius argumenti nihil valere. Nam falsificare iudicium diuinum *in quacunque materia* est deformitas grauissima: falsificare autem iudicium humanum, siue in foro conscientiæ, siue in foro exteriori, non hoc ipso præcisè est grauis admodum deformitas, nisi sit circa materiam grauem & necessariam valde ad bonum commune, &c.

Ad ALTERVM argumẽtum respondeo, mortale peccatum non esse metiendum ex grauitate vel nobilitate materiæ absolutè; sed ex grauitate seu seueritate præcepti, quo ad illam materiam, quatenus est magis aut minùs ad bonum commune necessaria: quæ necessitas est scopus legũ. Neque sequitur: Hoc est nobilius & grauius absolutè: Ergo hoc districtius & grauius est præceptum. Patet enim in materia Consiliorum hanc Consequentiam non esse bonam. Illa enim ferè actibus quibusdam heroicis continetur, neque tamen præcipitur. Non enim sunt præcipienda præstantissima quæque, sed ea, quæ facilè omnes in communitate præstare possint. Alioqui præcepta potius cederent in detrimentum communitatis, cùm necesse tunc esset, moraliter loquẽdo, ea frequenter violari, si perfectissima quæque atque adeo difficiliora præciperentur. Atq; hæc est ratio, propter quam illa, quæ absolutè sunt nobiliora & perfectiora, non sunt idcirco absolutè magis necessaria ad bonũ commune, & consequenter neque sunt omnia eiusmodi præcipienda.

PVNCTVM SECVNDVM.

An possit Reus eludere Iudicis interrogationem, dicendo quidpiam, per quod Iudex decipiatur, putãs eum esse innocentem.

D. Thomas art. 2.

HOc etiam loco cõuenit inprimis inter omnes de duabus cõclusionibus, quas ponit hîc quoque D. Thomas.

PRIMA: Quando *iuridicè* Reus interrogatur, puta cùm præcessit *infamia* super aliquo crimine, vel aliqua *expressa signa* apparuerunt, vel etiam cùm præcessit *probatio semiplena*; non licet Reo calumniosè se defendere, tacẽdo veritatem, vel celando per dolum aut fraudem, aut affirmãdo falsum. Probatur. Nam fraus ac dolus habent vim mendacij.

SECVNDA Conclusio. Quando autem iuridicè non interrogatur; mendacium quidem dicere non potest; potest tamẽ per aliquos modos conuenientes ita se defendere, vt nõ respondeãt ad ea, ad quæ non tenetur, sed celet veritatẽ; neq; hoc erit calumniosè se defendere; sed *prudenter*.

Sed circa primam Conclusionem est DECLARANDVM, quid sit requisitũ, vt Iudex censeatur *iuridicè* Reum interrogare; atque adeò vt Reus debeat respondere veritatẽ. Ad hoc omnes respondent, aliquod eorum trium requiri & satis esse, quæ in prima conclusione commemorauimus, scilicet vel *Infamiam*, vel *manifesta Indicia*, vel *semiplenam probationem*. Et colligitur id apertè ex multis capitibus, Extra de Accusationibus, præsertim ex Cap. Qualiter & quando, & Cap. Inquisitionis. Cæterũm explicanda & discutienda ipsa hîc aliqua, quæ in expositione istorum trium à Doctoribus dicuntur.

Ne autem doctrina confundatur, præmittendum est, aliud esse disputare, quid requiratur, vt Iudex iuridicè interroget *alias personas* de crimine Rei, quando per viam *inquisitionis* procedit cõtra eum: aliud verò disputare, quid requiratur, vt legitimè *ipsemet*, qui Reus præsumitur, interrogetur à Iudice; id quod præcipuè hîc disputat diuus Thomas. Quòd enim ista duo sint distinctissima, vel ex eo potest colligi, quòd Doctores omnes ad *inquisitionem*, id est, ad interrogationem aliorum de crimine alterius, *determinatè* requirunt, vt *infamia* præcesserit, & talis quidem infamia quæ non improborum, sed proborum sit opinio; neque paucorum, sed maioris partis ciuitatis aut viciniæ; vt docet Glossa in Cap. Inquisitionis. Extra de Accusationibus, vbi idem definitur. At vetra ad hoc vt *Reus* ipse interrogetur iuridicè, aliter quod

quod eorum disiunctiuè, quæ cum diuo Thoma posuimus in conclusione prima, concedunt omnes sufficere. Quare non sunt hæc confundenda, *interrogatio Rei, & inquisitio de Reo* apud alios. Hoc enim qui faciunt, magnam mihi videntur huic disputationi obscuritatẽ offudisse. Et quidem hîc tantum est agẽdum de *interrogatione Rei*. De *inquisitione* namq; agemus quæst. seq. p.1. vt in proprio loco, nempe in quo disputabitur, an aliqui teneantur ad ferendum testimonium.

Hoc supposito, NOTANDVM est, si solùm ius naturæ attendamus, illud requiri, & esse satis, ad Reum *legitimè* interrogandum quod possit sufficere, vt censeatur Iudex non tanquam persona priuata, sed veluti ipsa communitas, seu vice cõmunitatis, Reum interrogare. Siquidem *communitatis vice* Iudex facere debet, quicquid vt Iudex facit, quemadmodum q.11.p.2. notabamus. Itaq; secundùm solum ius naturæ sufficeret, vt cõmunitas meritò posset *suspicari*, talem verè esse Reum & obstare bono communi suis sceleribus. Tũc enim ex natura rei habet ius communitas, vt progrediatur ad perfectam eius rei scientiam acquirendam, interrogãdo Reum sibi subditum. Non enim conuenit, vt maneat perpetuò communitas cũ illa suspicionis hæsitatione; sed habet ius, vt pergat ad acquirendam scientiam perfectam, & sufficienter bono cõmuni prouideat, præscindendo etiam, si opus est, membra communitatis putrida. Quocirca rationem solum iuris naturalis spectãdo, fortasse satis esset, vt vel ipsemet Iudex solus, grauiter & constanter de crimine alterius suspicaretur, vel audiret obloquentem Reo vnum aut alterum virum grauem: tametsi nullus ad iudicem nomen eius deferret, &c. Id enim satis esse videtur, vt communitas sine temeritate posit de alicuius crimine suspicari.

Veruntamẽ vt ostium omne temeritati Iudicum præcluderetur, ius positiuum (vt omnes docent) aliquid eorum trium, quæ cum D. Thoma in concl.1. commemorauimus, suppetere voluit, vt *legitimè* vice communitatis Iudex Reum interrogaret; videlicet aut *infamiam*, aut *semiplenam probationem*, aut *manifesta indicia*. Est autem iam de his singulis dicendum.

AC PRIMO quidem qualis debeat esse INFAMIA, quæ satis sit ad Reum accersendum & interrogandum, non satis inter Doctores constat, vt videO. Nam quod Sotus lib.5.q.6.art.2. & Caietanus hîc & alij, ex Cap. *Inquisitionis* suprà citato, colligunt cum Glossa ibidem, debere esse opinionem multorum proborum; id non pertinet ad infamiam iure requisitam ad *interrogandum ipsum Reum*, sed ad *inquirendum* ex aliis de illo: quod longè aliud est, vt anteà diximus.

Dubitari ergo posset, an opinio *paucorum* proborum, & *multorum* improborum, sufficiat ad Reum interrogandum; quamuis non sufficeret ad *inquirendum* de illo, cùm inquisitio sit Iustitiæ *tuendæ medium* difficilius, ac magis graue Reo, si-

cut infrà q.seq. videbitur. VERVM quia D. Thomas hîc & Doctores communiter dicunt, ad interrogandum Reum infamiam esse satis; intelligere etiam hîc videntur veram infamiam, quæ quidem non est nisi opinio *multorum*, qui & probi, & graues, ciuium iudicio censeantur: maximè cùm fauendum sit in hac parte Reo.

Deinde circa infamiam sufficientem notant rectè hîc Caietanus & Sotus, & Adrianus quodlib.11. contra Paludanum in 4.d.19. quæst.4. non esse satis infamiam *personæ* circa vnum crimen ad interrogandum eam de altero crimine: sed oportere esse infamiam *de crimine eodem*, quod Iudex percontatur. Fundamentum horum Doctorum est. Nam in Cap. Inquisitionis citato dicitur, inquisitionem faciendam esse solùm de illis, de quibus clamores aliqui, hoc est, infamia, præcesserunt. Et quanquam hic textus de *inquisitione* loquitur, potest tamen probabiliter etiam de *interrogatione* Rei intelligi.

Et quicquid sit de hoc textu, facit etiam contra Paludanum ipsa ratio. Nam quamuis persona sit infamata de vno crimine, nõ idcirco communitas potest constanter & meritò suspicari de alio crimine, de quo non est vllus rumor: Ergo non potest Iudex nisi *temerè*, & vt *priuata* persona aliud crimen percontari; ac proinde cùm id si faciat, non faciat publicâ potestate, nequaquã tenebitur Reus respondere; sed poterit vti iure suo, quod habet, conseruandi priuatam famam tacendo, non minùs quàm si quis alius de populo eum temerè interrogaret.

Ex quo apparet, deceptum fuisse Paludanum, cùm existimat, ad interrogandum reum *potissimum* requiri infamiam personæ, non criminis; & idcirco vbi de aliquo crimine persona est infamata, satis id esse ad alia crimina interroganda vel inquirenda. Non est ita. Imò per se primò requiritur infamia eius ipsius criminis, quod interrogandum est, vt ita non temerè, sed grauiter & constanter Iudex censeatur interrogare de tali crimine.

Quanquam negandum hîc non est, quin infamatus de vno crimine possit interrogari de altero, quod sit cum illo connexum, moraliter loquendo. Vt v. g. infamatus de homicidio, potest interrogari de expoliatione hominis, si cadauer reperitur nudum. Et infamatus de adulterio posset interrogari de nece mariti adulteræ, cùm is in lecto interfectus inuenitur. In his enim & similibus casibus, consequenter censetur talis infamatus etiam de crimine annexo; ac proinde potest Iudex de illo etiam crimine non immeritò suspicari & interrogare.

Extendit autẽ non immeritò Caietanus hanc doctrinam contra Paludanum, etiam ad Prælatos Religiosorum, ne infamatum de vno crimine iubeant de altero crimine respondere. Et rectè quidem, cùm hoc sit iuris naturæ, cui non viden-

Universidad de Deusto
Biblioteca

turin hac parte Religiosi cessisse. Hæc de infamia, quod ad propositum spectat.

Iam de INDICIIS notat rectè Caietanus hîc tria. PRIMO debere ea esse *perfecta*, quæ vehemẽtem afferant suspicionem, & talia, vt saltem duorum vel trium testium auritorũ (licet non omni exceptione maiorum) testimonio præstent; cuiusmodi (inquit Caietanus) ea requirũt Iurisperiti, qui etiam requirunt ea esse probata duorum testium auctoritate. De quo vide Syluestrũ, verbo Iudicium.

SECVNDO regulariter debere esse *plura*; vt loci, temporis, &c. quanquã in hoc multum valeat, inquit Caietanus, prudentia Iudicis; posset enim aliquãdo *vnum* indicium esse loco plurium; quod proinde sufficeret.

TERTIO debere esse *manifesta*, vt dicit D. Thomas: Et ita quidẽ Manifesta, vt *manifestè* indicent hoc crimẽ, & hanc personam; & sint item manifestata *ipsi Reo* à Iudice, vt intelligat, se iuridicè interrogari, & proinde teneri respondere: Alioqui non tenebitur respondere, vt rectè asseruit Sotus lib. 5. de Iustitia q. 6. a. 2. & Nauarr. in Man. cap. 25. nu. 36. & alij communiter. Horum autẽ omnium ratio petenda est ex fundamento antè à nobis iacto. Non. n. censebitur Iudex meritò interrogare propter indicia, nisi sint talia, qualia diximus.

Deniq; de TERTIO sufficiente ad interrogationem, hoc est, de SEMIPLENA probatione, nõ conuenit inter Sotum & Caietanum, an testimoniũ *ipsiusmet* denunciantis iuridicè, cùm est omni exceptione maius, faciat semiplenam probationem; vel præter ipsum denunciantẽ requiratur testimonium alterius? Sotus putat solius denunciantis testimoniũ sufficere. Nam ipse potest habere locum vnius testis, qui sufficit & requiritur ad semiplenam probationem. Idq; probat Sotus ex eo, q̃ Dominus Matth. 18. ait: *Si peccauerit, &c. adhibe tecum vnũ aut duos testes, vt in ore duorum vel triũ stet omne verbum.* in qua sentẽtia Dominus supponit valiturũ esse denũciantis testimonium. Confirmat idem ex Cap. In omni, Extra de Testibus.

Caietanus verò ait, præter denunciantẽ requiri alterius testimonium omni exceptione maius, hoc est, qui *viderit, &c.* Et hæc sententia est verior, quã tenet etiam Glossa super illud Cap. In omni, vbi citat multa iura, ex quibus colligitur, actorẽ vel accusatorem, & huiusmodi, non habere locũ testis. Nam vt dicitur in l. Nullus. ff. de Testibus. *Nullus in causa propria est idoneus testis.* Sed vt colligitur ex dictis q. 11. p. 3. Accusator, siue *Denunciator* intendens punitionẽ, suscipit causam boni communis vt *propriam* contra Reum: Ergo non debet valere eius testimonium.

Secus autẽ est, quando proceditur via denunciationis *fraternæ*. Tunc enim quia non agitur nisi causa fratris in *vtilitatem eius*; persona denuncians est loco vnius testis. Et hoc est tantum quod dicitur in illo Cap. In omni, & confirmatur ibidem ex sententia Christi, quam citat Sotus. Atque ita patet solutio rationis qua Sotus nititur. Est enim ibi sermo de denunciatione *fraterna*.

Hactenus exposuimus PRIMAM Conclusionẽ suprà positam ex doctrina D. Thomæ & communi. Sequitur, vt duo argumenta contra illam ad maiorem declarationem proponamus & refellamus. PRIMVM est, quòd non satis videmur cũ D. Thoma explicasse *modos*, quibus Iudex potest iuridicè Reũ interrogare. Constat enim posse etiam interrogare, quando supperit *plena probatio* duorum aut trium testium omni exceptione maiorum. Item quãdo factum est *notorium* Iudici & aliis: Horum autem non meminit D. Thomas, nec nos in illa prima Cõclusione: Ergo, &c.

SECVNDVM argumentum petitur ex facto D. Gregorij, qui vt legitur in Cap. Quidam maligni 5. q. 1. videtur excommunicâsse quẽdam, qui noctu Secretarium eius libello famoso prosciderat, nisi se manifestaret: Videtur ergo licitum esse iubere, vt Reus sese prodat, licet nihil illorum trium præcedat, quæ numerauimus in illa Conclusione. Confirmatur: nam aliàs plurima peccata impunita manerent.

Ad PRIMVM respondeo, sanctum Thomam solùm commemorâsse modos, quibus non tantùm Reus interrogari iuridicè potest, sed etiam est id vsque adeò necessarium, vt nisi veritatem fateatur, procedi non possit ad sententiam ferendam. In quibus proinde casibus Reus strictiori præcepto debet respondere. Quando autem crimen est *notorium* omnibus, vtpote factum *in præsentia* Iudicis; vel etiam quãdo supperit *plena probatio*; etiamsi Reus non respondeat, tamẽ secundùm ius quidem commune condemnabitur, vt Sotus lib. 5. de Iustitia q. 6. artic. 2. dicit, & ferè est moris. Ad maiorem tamẽ perfectionem Iudicij, interrogari etiam Reus solet supperente plena probatione. Si verò crimen fuerit omnibus euidens, non est necesse.

Ad SECVNDVM respondet Caietanus, beatũ Gregorium non iussisse determinatè, vt Reus se proderet, sed excommunicauisse illum propter delictum commissum, nisi vellet pœnitere, aut se prodere probaturus crimina, quæ alteri obiiciebat. Hanc solutionem meritò impugnat Sotus loco citato. Nam excommunicatio nunquam infertur ob peccatum aliquod *absolutè*, nisi existente *inobedientia & rebellione*, quando videlicet prius aliquid ab Ecclesia præcipitur, & decernitur pœnâ excommunicationis non obedienti Ecclesiæ, iuxta illud: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Matth. 18. Non igitur illam excommunicationem tulit D. Gregorius super crimen illud *absolutè* ab eo homine commissum, cùm ab illo nondum fuisset iussus abstinere sub excommunicatione.

Ideo aliter respondet Sotus, diuum Gregorium nec iussisse illũ sese prodere, neq; *excommunicasse* propter delictum commissum sub ea conditione, nisi se proderet, vt ait Caietanus; sed iussisse vt *nisi*

nisi se proderet vel ad probandum vera esse illa crimina, vel ad restituendum alteri famam verè pœnitendo, *abstineret ab Eucharistia*, quod alioqui iure diuino debebat: & id quidem iussisse sub excommunicatione, ita vt si non abstineret ab Eucharistia; iam tum propter eam *inobedientiam* incurreret excommunicationem. Hæc solutio planè quadrat illi rextui.

Ad Confirmationem respondeo cum Anacleto Papa Can. Si omnia 6. q. 1. *multa* relinquenda esse iudicio diuino. Maneat ergo, ad interrogandum Reum præcedere oportere aliquam imperfectam saltem notitiam criminis ipsius per aliquid illorum trium, quæ cum D. Thoma numerauimus in PRIMA Conclusione, vt hactenus est explicatum.

Nunc circà SECVNDAM Conclusionem videndum est, quomodo Reus *iniquè* interrogatus, quando nihil prædictorum suppetit, possit prudenter Iudicem eludere, ita, vt & veritatem celet absque mendacio, & periculum mortis aut alterius pœnæ, siue tormentorum euadat. Est autem præcipuum DVBIVM, quando in eas angustias Reus astutiâ Iudicis, & circumstantiis facti, temporis, &c. est redactus, vt non sit ei satis, aut tacere, aut aliqua ex vsitatis amphibologiis vti, dicẽdo, *nescio, non memini* (id est, ad dicendum) *nego proposita*, id est, vt proposita sunt, &c. Nam quòd huiusmodi verbis & modis possit Iudicem eludere, conuenit inter omnes. Cùm verò in eiusmodi est angustiis, vt vel grauissima tormenta ei sint perferenda, siant tacet, aut tantùm prædictis modis loquendi vtitur; vel *fatenda* veritas; vel directè respondendum verbis *contradictoriis* alioqui veritati, dicendo absolutè, *non feci*: tunc est tota difficultas.

Et quidem Sotus in dicta q. 6. art. 2. putat hoc vltimum ei nõ licere, sed potiùs mortem etiam, si opus sit, æquanimiter more Martyrum ferendam. Et Sotum in hoc secutus est Couarruuias Soti & Couarruuiæ est. Nam respondere per verba *contradicentia* veritati, est omnino mẽtiri, quod omnes Doctores vetant in tali casu. Aliàs si id nõ esset mentiri, nihil esset quod Doctores prohibent; nunquam enim posset in tali casu contingere mẽdacium. Neque aliter Sotus probat id esse mẽdacium, quàm quòd ille modus loquendi, *non feci*, secũdùm communem consuetudinem non admittit aliquã amphibologiam; sed significat, rem absolutè non ita esse, ac proinde quãdo res ita est, mendacium dicitur, absolutè ita negando.

Possumus autem hãc sententiam ex eo etiam confirmare, quòd nisi id sit mentiri, magnis incommodis aditus patefieret in communi conuersatione hominum. Tolleretur enim omnium ferè sermonum, qui inter æquales habentur, certitudo, si quãdo quis iuridicè non interrogatur, posset absque mendacio, vti verbis alioqui *contradicentibus* veritati, affingendo illis suo arbitratu sensum alienum à proposito.

Nihilominus omnes ferè iam concedunt, etiã illo modo loquendi licere vti. Et nominatim Adrianus in 4. q. de Sigillo Confessionis, & Caietanus opusculo septemdecim responsionũ. Resp. 5. vbi ait, licere interrogato iniquè, vtrũ habeat complices, respondere, *non habeo complices*, etiamsi habeat. Et Ioannes Maior in 4. d. 15. q. 18. & Nauarrus in Manuali cap. 12. nu. 9. vbi ait, mulierem, quæ scit se habere impedimentum cohabitandi viro, posse dicere, imò & iurare, se cohabitaturã, habens in animo non id facere, & subintelligens cõditionem, *si id facere ei liceret, &c.* Et cap. 18. n. 61. vbi nominatim quoque reiicit contrariam opinionem Soti.

Quicquid autem sit de modis, quibus hoc aliqui explicant, videtur breuiter in hoc ponẽdum esse huius sententiæ fundamentum, quòd in tali casu cùm quis scilicet *iniquè* interrogatur, non minus licet alicui vsurpare verba ad significandũ sensum, quem vult, quàm si à nullo prorsus de aliqua re determinata interrogaretur: vt si esset v. g. solus vel coram aliis, & recreationis causa vel quocunq; alio fine secum ipse solus loqueretur. Sed cùm quis à nullo interrogatur, potest quod vult intelligere per quæcunque verba sine mendacio. Ergo etiam in casu quo iniquè interrogatur. Maior est manifesta. Nam eiusmodi *iniqua* interrogatio ad nihil prorsus obligat hunc hominem. Minor etiam est notissima. Nam cur non potest absq; mendacio ille Reus, cùm à nullo interrogatur, sicut etiã quiuis alius dicere; *non feci*, intelligendo *aliquid*, quod reuera non fecit? Sed explicabitur hoc fundamentum magis per refutationem argumentorum contrariæ opinionis.

Vnde ad PRIMVM nego id esse mendacium, sed solùm est, *non dicere* vnam determinatam veritatem, sed aliam disparatam, cùm ad dicendam certam illam & determinatam, quam alius perperam interrogat, quis non tenetur.

Ad *Confirmationem* respondeo, *mendacium* non esse vsurpare verba, quæ secundùm communem loquẽdi consuetudinem in tali proposito talem amphibologiam non admittant; sed mẽdacium per se consistit in hoc, vt quis verbis intendat negare eam ipsam veritatẽ, quam concipit, loquẽs cum altero. Id autẽ non fit in proposito, sed tantum significatur *alia quædã disparata* veritas, vt diximus in probatione nostræ sententiæ. Itaq; non hoc est, quod Doctores vetant in hoc casu, quando vetant mendacium: Sed vetant, ne intendat Reus contra conscientiam negare illud ipsum q̃ scit esse verum: non autẽ vetant eum per amphibologiam extraordinariam significare aliquam *aliam veritatem disparatam*. Esse enim amphibologiam *extraordinariam* vel *consuetam* per accidens est ad rationem mendacij, quod consistit in violatione præcepti *negatiui* virtutis *Veritatis*, de qua agitur infrà quæst. 109.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad SECVNDVM argumentum, nego sequi inde vlla incommoda in conuersatione communi. Nam quamuis verba vsurpare ad aliquē sensum alienum significandum in conuersatione communi, non esset mendacium propriè contra *negatiuum* præceptum: esset tamen peccatum *omissionis* contra præceptum *affirmatiuum* illius virtutis, *Veritatis*: quo quidem præcepto (exigente ita ratione boni communis & *ciuilitatis*) quilibet interrogatus à proximo debet respondere determinatam veritatem, quam interrogatur, vel de qua ortus est sermo. Nisi quis habeat attētis circumstantiis peculiare ius ad eam veritatem interroganti occultādam; sicut haberet, cùm alius *temerè* vel interrogaret, vel loqueretur.

Itaque ex hoc, quòd in sermone ordinario vnus non sit superior alterius tantùm efficitur, vt quis præter præceptum affirmatiuum veritatis non debeat peculiari etiam præcepto *obedientiæ*, alteri manifestare veritatē eam determinatam, de qua interrogatur, sicut debet manifestare eā Superiori. Nihilominus prædictum præceptum Veritatis *affirmatiuum* sufficit, vt quis cum æquali debeat *ad propositum* loqui, &c.

Atque hæc doctrina diligenter est notanda pro materia de sigillo Confessionis, & de Testibus. Est enim suo modo applicanda, quādocunque disputatur de *iniqua* interrogatione, vel *otiosa* etiam aut *temeraria*. Ac patet ex ea, si iuramentum etiam iniquè extorqueatur ab aliquo; nullum periurium eum commissurum, quamuis iureiurādo affirmet alium aliquem sensum verum, alienum ab interrogatione, vt nominatim docuit Nauarrus loco citato: Non enim talis mentitur. Neque etiam vanè vsurpat nomen DEI; siquidem ad se vel sua tuendum id facit.

PVNCTVM TERTIVM.

An liceat Reo ad alium Iudicem appellare.

D. Thomas art. 3.

STATVAM hac de re duas assertiones ex sententia D. Thomæ, quam video apud Doctores esse certam. PRIMA Conclusio: Cùm quis confidit iustitiæ propriæ causæ, & à Iudice iniustè grauatur, licitum est appellare. Probatur. Nam id est prudēter se defendere, & conceditur 2. q. 6. Cap. Omnis. Vbi Anacletus Papa epist. 1. ait: *Omnis oppressus, liberè Sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium: & à nullo prohibeatur, sed ab iis fulciatur & liberetur.* Vnde etiam Apostolus Paulus ad *Cæsarem appellauit*. Actor. 25.

SECVNDA assertio: Causâ *asserendæ moræ*, ne contra quem sententia iusta feratur, vel ne executioni mandetur, non licet appellare, sed id esset *calumniosè* se defendere. Probatur. Nam sic infertur iniuria Iudici, impediēdo ipsius officium: item Aduersario, perturbando illius Iustitiam; & idcirco, vt dicitur 2. q. 6. Cap. Omnino, *puniendus est ille, cuius appellatio iniusta pronunciatur, vt sumptus, quos aduersarius impendit, reddere cogatur, non simplos, sed quadruplos.*

Sed est circa Assertionem primam NOTANDVM, quando iudicio sapientum sententia continet *manifestam* iniquitatem; sine controuersia, iure non solùm *positiuo*, sed etiam *naturali*, licere ad Iudicem superiorem appellare. Tunc enim homo nullo iure debet ei sententiæ parere. Quare doctrina illa & assertio S. Thomæ, quæ etiam 2. q. 6. vbi suprà traditur, non solùm procedit in eo casu, sed etiam quando æquitas sententiæ est aliquo modo *dubia* iudicio sapientum, id est, partium & patronorū; Iudice ex vna parte arbitrante, se iustè partē condemnasse, & illa non temere existimante contrarium. Tunc enim conceditur à iure *positiuo* appellatio ob maiorēm iustitiæ certitudinem; positis tamen certis *conditionibus*, quæ ad bonum commune videtur pertinere, & commemorantur hìc à D. Thoma, & habentur in Iure 2. q. 6. & Extra de Appellationibus.

PRIMA conditio est, vt intra terminum *decem dierum* quis appellet: alioqui ei nō licet. Can. Anteriorum. eadem causa & q. sufficiens enim tempus id iudicatur ad deliberandum; detrimētumque esset boni communis, vt altera pars diutius suspensa maneret.

SECVNDA est, si Iudex sit ordinarius; non autem si sit *arbiter*. Tunc enim ad tollendum malum inconstantiæ, quæ cerneretur, si qui anteà sua sponte iudicio alicuius se commisērūt, eundem respuerent, negat ius appellationem, siue ante sententiam, siue post. Cap. à Iudicibus 2. q. 6. nisi fortè multi Iudices essent electi, & vnus, quando sententia fertur, abesset. Tunc enim appellare licet. Nam cessat tunc illa nota inconstantiæ, si nō omnes electi sentētiæ intersint. Ita habetur Cap. Sanè, eadem causa & q.

TERTIA conditio olim erat, vt *ter* super eadem sententia non appellaretur, sicut patet Cap. Tua nobis. Extra de Appellationibus. Et extat in Codice lib. 7. titulus *Ne super eadem causa, liceat ter tiò prouocare.* Sed tamen iam vsus obtinuit, vt ter etiam liceat. Itaq; expectantur communiter tres sententiæ concordes. Ratio autem, cur non semper appellatio conceditur, est, quia nunquam esset alioqui causarum exitus: neque esset credendum, toties in sententia ferenda accidere errorem. Aliæ *solennitates* in appellationibus iure seruantur, de quibus nihil attinet hìc dicere.

Tantùm NOTANDVM (quod anteà etiam insinuauimus) has conditiones, quibus ius vel restringit, vel concedit facultatem appellandi, intelligendas esse habere locum, quādo iustitia est *dubia rationabiliter*. Nam si sententia est *manifestè* iniqua, nullo modo existimandum est ius positiuum velle communiter adimere parti læsæ facultatem, quam iure naturæ habet apud superiorem Iudicem expostulandi de iniustitia inferioris; nec sententia fuerit à Iudice *ordinario* lata, siue ab *arbitro*; siue fuerit *secunda*, siue *tertia*, & deniq; quācumcunq; *temporis* effluxerit. Sicut contrà, quando æquitas iustitiæ est *manifestissima*, ita, vt nullus sapiens iudicet esse emendandam aut mitigandam; iniquum est velle appellare, tergiuersando, &c. vt diximus cum diuo Thoma in secunda conclusione: & idcirco puniūtur ij, quorum appellatio repellitur vt iniqua & dolosa, vt patet Cap. Omnino 2. q. 6.

SED occurrit contra hæc argumentum. Videtur enim esse similiter contra ius naturæ, vt quando iustitia est prædicto modo *dubia*, subditus appellet. Nam quando Iudex rationabiliter putat se iustè iudicare, & subditus non habet de contrario euidentiam, sed tantùm probabilitatem; iure naturæ statim debetur Iudici obedientia tanquam superiori.

RESPONDEO. Hoc argumētum optimè probat, Iudicem *potuisse* per primam eiusmodi sententiam, quam esse iustam opinatur, velle partes ad parendum absolutè obligare, nulla obstante appellatione, si tantum *ius naturæ* hìc respiceremus. Sed tamē iam *ius positiuum*, propter bonum cōmune, restrinxit in materia Iudicij talem Iudicis facultatem, præcipiendo, vt non vellent Iudices prima & secunda sententia, *absolutè* partes obligare. Quo iure posito, iam non tenetur pars iure naturæ primæ aut secundæ sententiæ obedire determinatè; sed si nō appellet modo concesso à iure. Nam subditus non debet obedire, nisi eo modo, quo superior vult eum obligare.

SED ais: Videri etiam incommodum & absurdum, vt ius positiuum restringat facultatem Iudicum, quam facit eis ius naturale: Aliās si hoc non est absurdum, posset similiter impedire facultatem naturalem, quam pars *euidenter* læsa habet expostulandi per appellationem de iniuria, quocunque *tempore*, & post *quamcunq;* sententiam: quod tamē paulò ante negauimus ius positiuum facere.

RESPONDEO, nullum id esse absurdū. Nam expedit sæpè bono communi, vt aliquæ personæ non exequantur ea omnia, quorū alioqui ius naturale facit facultatē: & hac ratione iustè potest restringi facultas illa Iudicum: sicut expedit non comedere carnes sexta feria; quod tamen aliās licet per ius naturæ. Solùm enim ius positiuum impedire non potest, quod ius naturæ ita concerarium præcipiendo; malum præciperet. Quod autem ius naturæ solùm permittit; bene potest ius positiuum impedire, iuxta optimam doctrinam D. Thomæ q. 66. art. 2. ad 1.

Et similiter dicimus, posse etiam ius positiuū impedire aliquando ius, quod habet pars *euidenter* læsa repugnandi Iudici, si propter scandalum, quod inde sequeretur; exequi illud ius non esset de bono communis. Atq; ideo cùm hoc ius parte boni communis. Atq; ideo negauimus id *communiter* ius positiuum velle impedire. Quòd si cā-

sus est talis, vt persona læsa non debeat abstinere ab expostulatione, vel etiam debeat repugnare Iudici; vt si est causa grauis alicuius communitatis, &c. non posset tunc ius positiuum impedire tale ius partis. Esset enim id contra præceptum naturale: atque adeò tunc propriè ius positiuum iuri naturali repugnaret. Quod nunquam est licitum.

Cur autem *communiter* ius positiuū restringat illam facultatem Iudicū alioqui naturalem (qua possent partes adigere ad parendum primæ sententiæ) & non restringat *communiter* facultatem partium in expostulando de manifesta Iudicum iniuria; ratio est petēda ex bono communi. Nam expedit ad certitudinem iustitiæ, vt Iudices nolint statim prima sententia determinatè obligare: non autem expedit, imò sæpè est contra bonū commune, vt pars *euidenter* læsa taceat, & iniquitas Iudicum impunita maneat.

Ex dictis intelligi potest, rectè etiam ob tranquillitatem religionum statutū esse, vt Religiosi non possint appellare ad aliquem Iudicem Ecclesiasticum, vt patet Cap. Ad nostram, & Cap. Reprehensibilis, & Cap. Cum speciali, de Appellationibus. Excepto tamē Papa, qui est supremus superior omnium.

PVNCTVM QVARTVM.

An possit Reus per vim se defendere ne sententia lata mandetur executioni.

D. Thom. art. 4.

DOCTRINAM huc pertinētem complectar conclusionibus quatuor, in quibus cum D. Thoma Doctores alij consentiunt; atq; in earum conclusionum explicatione trademus ea, quæ hìc disputari solent. PRIMA Conclusio: *Reus iustè re vera condemnatus (etiam ad mortem) non potest se defendere.* Probatur. Nam Iudex potest licitè talem Reum resistentem impugnare: Ergo Reus non potest licitè se defendere. Patet Consequentia: quia non potest bellum esse iustum *ex vtraq; parte*, vt patet ex iis, quæ disseruimus disp. 3. in q. de Bello, p. 2. pronūciato 9. Vbi etiam vidimus, Reum, qui non secundùm rei veritatem, sed duntaxat secūdùm allegata & probata condemnatur, posse iuxta opinionem probabilē se defendere (quāuis de hoc hæsitat Sotus lib. 5. de Iustitia q. 6. art. 4.) nec tùm fore bellum iustum *per se* ex vtraque parte *circa idem*.

SECVNDA Conclusio: *Iniquè condemnatus licitè potest resistere iniquo Iudici; sicut lupo aut latroni; si tamē inde nec, scandalū, nec, aliqua perturbatio grauis in Communitate timeretur.* Prior pars huius conclusionis est per se clara; & confirmatur à D. Thoma ex Ezechiele capite 22. vbi Principes siue Superiores iniqui, comparantur lupis. Posterior pars eiusdē

Universidad de Deusto
Biblioteca

conclusionis, scilicet cum scandalo & perturbatione ac detrimento communi non licere condemnato se defendere; Probatur. Nam ratio dictat, partem non habere ius sese conseruandi cũ detrimento totius.

A

TERTIA Conclusio: *Condemnatus ad mortem iustè, licitè potest fugere.* Probatur. Nam Reus solùm debet *pati*, quod iustum est; non autem tenetur ipse facere aliquid, vnde mors ipsius sequatur: Sed *manere* Reum in carcere, est facere illum id, vnde mors eius sequatur: Ergo ad id nõ tenetur. Maior probatur. Nam Reus non condemnatur, vt sese ipse occidat; & consequenter nec vt faciat id, vnde ipsius mors sequatur. Minor probatur: Nam ex carcere (vt pono) duceretur ad mortẽ.

Hæc conclusio traditur etiam à D. Thoma ârtic. 4. in solutione secundi, & à Caietano ibidem, & à Soto lib. 5. de Iust. quæst. 6. artic. 4. & ab aliis. Quæ magis illustrabitur, si proposita & diluta fuerint quædam argumenta, quæ occurrunt cõtra illam. Possumus enim contra eam argumentari PRIMO retorquendo rationem S. Thomæ sic: Condemnatus tenetur *pati*, quod iustum est: Sed fugiens ex carcere, eo ipso *non vult pati*, quod iustum est; siquidem facit aliquid repugnans ei passioni: Ergo peccat tunc, faciendo contra id, quod debet.

B

SECVNDO. Nam etsi fugiens nõ ideo peccet, quia non cooperetur suæ morti, manẽdo in carcere; tamen videtur ideo peccare, quia fugiens impedit iustitiam, & non vult pati: Ergo ex eo, quòd talis non condemnatur ad se occidẽdum, vel ad faciendum aliquid, ex quo mors sequatur, non rectè colligunt D. Thomas & Caietanus hic, & Sotus vbi suprà, & alij ferè Doctores, condemnatum non peccare fugiendo. Nam inde solum sequitur, ipsum non peccare contra præceptum *affirmatiuum* exequendę iustitiæ, quasi omittendo cooperationem; non tamen sequitur, quod nullo modo peccet: peccat enim contra præceptum *negatiuum* de non apponendo impedimento iustitiæ, quòminus patiatur id, quod debet.

C

TERTIO. Nam condemnatus, etiam iubetur *manere* in carcere: Ergo non potest fugere. Antecedens patet. Nam vt maneat in carcere, necessariũ est, vt sententia executioni mandetur: Ergo iudex volens efficaciter sententiam executioni mandari, vult etiam efficaciter atque adeò iubet Reum in carcere manere: alioquin processus iudicij non esset efficax.

D

QVARTO. Nam quando quis est condemnatus, vt aliquid faciat, v. g. vt soluat *tantum pecuniæ*, peccat fugiendo, non alia ratione, nisi quia eo ipso non vult soluere, & facere quod iubetur, vt concedit hîc Caietanus: Ergo etiam quando est condemnatus, vt patiatur. Nam similiter eo ipso quòd fugit, non vult pati.

QVINTO. Nam si liceret condemnato fugere: Ergo similiter posset is compedes & carceres perfringere: Sed hoc est falsum: Ergo & illud. Sequela patet. Nã si licet illi fugere; licebit ei quoque adhibere media necessaria ad fugiendum: alioqui vana & inutilis erit ei facultas fugiendi. Minor probatur tripliciter. *Primò.* Nam Lege De his. ff. de effractoribus, decernitur pœna capitis effractoribus carcerum: quę pœna procul dubio non statueretur, nisi id esset & peccatum, & mortale. Item in Lege In eos. ff. de custodia & exhibitione reorum, in eos, qui perfringunt carceres, decernitur pœna grauior, quàm alioqui causa, propter quam erant capti, deposcebat. Et additur, illis esse eam pœnã iniungẽdam, quamuis alioqui in causa principali innocentes reperirẽtur: Nullo ergo modo licet carceres perfringere. *Secundò.* Quia pari ratione alij possent illos iuuare, conferendo eis instrumenta, aut effringendo intrinsecus aut extrinsecus carceres; quod sine dubio esset magna licentia. *Tertiò.* Quia nemini licet domum aut rem alterius priuatì perfringere eo inuito, etiamsi haberet animum restituendi postea: Ergo multò minus custodiam publicam & vincula.

In CONTRARIVM est, quòd hæc Conclusio S. Thomæ est communis Theologorum. Quare pro eius declaratione & solutione argumentorũ videndum est, quidnam Iudex per sententiam *latam* præcipiat, vel prohibeat. Inde enim statim apparebit, quid possit condemnatus facere, vel non facere citra violationem alicuius præcepti.

Sciendum ergo breuiter, in PROCESSV causæ non esse dubium, quin Iudex iubeat Reum aliquos actus exercere, qui pertinent ad causam recte transigendam. Vt respõdere, comparere, &c. quos proinde actus si Reus omittat, peccabit cõtra obedientiam, & consequenter contra præceptum de non impedienda iustitia in fauorem alterius partis. Non enim habet Reus ius, vt via illicita, videlicet *non obediendo*, impediat alterius partis iustitiam siue satisfactionem.

At verò cùm discussa iam causa, SENTENTIA mortis vel alterius supplicij fertur in Reũ, si rem diligenter attẽdamus, apparebit, Iudicem prorsus *nullum actum* faciendum, neque exteriorem, neque interiorem Reo *iniungere*, neque *vllum* omnino actum eidem *prohibere*; sed solùm pronunciare illum dignum esse tali supplicio, atq; adeo ministris Iustitiæ iubere, vt Reum suo tempore morte vel alio eiusmodi supplicio afficiant. Quia in re satis constat, nullum contineri actum Rei, vel *præceptum*, vel *prohibitũ* specialiter per eiusmodi sententiam Iudicis. Nam quòd iste moriatur, vel alio supplicio mulctetur, & quòd ministri auferant illi necem, vel eũ aliter plectant, non continetur actũ Rei, sed potius actus ministrorum, qui necessarij sunt, vt ea sententia executioni mandetur.

Hinc sequitur, per eiusmodi *sententiam* nullius actus ius & facultatẽ adimi Reo, quo aliàs licitè secundùm ius naturæ posset is vitam suam tueri ex inclinatione naturali & charitatis erga seipsum. Potest autem vnusquisque iure naturæ tueri suam vitam omni actu, quo per se loquendo non afficit iniuria alterum, etiamsi rem aliquam alterius postponere opus sit conseruationi propriæ vitæ: iuxta charitatis ordinem, quæ dictat vitam rebus externis esse anteponendam.

In proposito igitur solùm id non potest Reus facere ad sui conseruationem, quod per se pugnet cum actu Iudicis vel Ministrorũ, quem ij ex Iustitia vindicatiua anteponendo bonum commune vitæ Rei exequi possunt: quale esset, si Reus exequntioni sententiæ reluctaretur, & pugnaret contra Iustitiæ ministros. Non enim charitas ergà seipsum suppeditat ei ius, vt cum ea iniuria Iudicis & aliorum ministrorum, vitam tueatur. At verò *fugere*, etiam carcerem aut vincula *perfringendo*, non perinde est Reo illicitum. Nam ita (*per se loquendo*) cõtra nullum iustum actum Iudicis aut Iustitiæ ministrorum facit: siquidem Reum, *esse & manere* in carcere, nullus est actus, ac proinde neque id est aliquis actus Iudicis. Neq; repugnat tunc Reus Iudici, aut infert ei aliquam iniuriam; Sed solùm anteponit vitam propriam *custodiæ* & *vinculis*, quæ sunt res quædam inanimæ; id quod rationabiliter Iudex non potest ægrè ferre, siquidem meritò vita propria ab eo, qui non est omnino prohibitus eam tueri, eiusmodi rebus anteferetur. Quemadmodum, neque posset Iudex ægrè ferre, aut reputare sibi factam iniuriam; si Reus obiectus leoni v. g. superato leone & occiso fugeret.

A

B

C

Dixi autem, tunc Reum fugiendo aut carcerem perfringendo, *per se loquendo* contra nullum iustum actum Iudicis aut Iustitiæ ministrorum facere, ad quem ius illi *habeat*; ita vt inferat Reus eis iniuriam. Nam *per accidens* non est negandũ, quin Reus tunc aliquem actum ministrorũ Iustitiæ impediat, videlicet executionem iustitiæ sese subtrahendo: sed tamen quia nõ est ei prohibitũ sese subtrahere, quod alioqui potest iure naturæ, neque iniunctum, vt promoueat ipse iustitiam, manendo in carcere; sed id tantùm est iniunctum iustitiæ ministris: illis tantùm est imputandum, vt rectè inquit hîc Caietanus, quòd nõ benè Reum custodierint; non autem Reo. Nam huic solùm incumbit cura propriæ vitæ tuendæ non exequendæ iustitiæ, aut dandi operã, vt executioni ea mandetur.

D

Consistit ergo fundamentum huius sententiæ breuiter in hoc, quòd *fugere*, etiam *perfracto* carcere, tantùm est *non curare* bonum commune ex iustitia prouenies, & *postponere* quasdam res externas vitæ propriæ: quod cùm alioqui iure naturæ liceat Reo, potest rectè eo medio vitam tueri, cùm nihil horum ei specialiter prohibeatur per sententiam mortis. Repugnare autem Iudici vel Iustitiæ ministris, minimè potest: quia cum iniuria Iudicis aut Iustitiæ ministrorum non liceat vitam & incolumitatem tueri.

Ex his patet solutio eorum argumentorum, quæ contra tertiam Conclusionem obiecimus. Ad PRIMVM respondeo, dupliciter intelligi posse, condemnatum debere id *pati, quod iustum est*. VNO modo ita, vt debeat etiam velle & procurare *occasionem* patiendi; videlicet vt tandem ducatur ad mortem, & patiatur. Et sic falsum id est; neque ita est intelligendus S. Thomas. ALIO modo ita, vt quando iam ad mortem ducetur, & ei illa inferetur, patiẽter eam *toleret*, diuinæ voluntati se conformando, &c. Et sic quidem verum id est, non tam ex vi sententiæ Iudicis, qua soli ministri iubentur Reum occidere, quàm ex vi præcepti iuris naturalis patientiam requirentis; cui abundè satisfaciet condemnatus, si patienter mortem toleret, quando inferetur: interim tamen potest vti iure suo, se conseruandi, omni ratione ac via licita.

Atque eodem modo respondeo ad SECVNDVM argumentum. Præceptum enim *negatiuum* de nõ impedienda iustitia, solùm obligat Reum, vt non faciat actum illicitum, afficiendo iniuria Iudicẽ, aut Iustitiæ ministros, quo iustitiam impediat: non autem eum quoque obligat ad *non omittendum* actum, quo iustitiam procuret, manendo in carcere. Eum enim actum *omittere* non est propriè iustitiam impedire, nec facere contra præceptum *negatiuum* propriè de Iustitia nõ impedienda, sed solùm erit *non facere* actum affirmatiui præcepti procurandi iustitiam, ad quem actum Reus non tenetur. Quemadmodum etiam, si Reus occultus, antequam accusetur, non se manifestet Iudici, non idcirco *impedit* iustitiam contra præceptum illud negatiuum, tametsi per hoc, quòd non se manifestat, dici posset impropriè *impedire* actum iustitiæ, quatenus non fiet tunc is actus iustitiæ, qui alioqui fieret, si se manifestaret.

Ad TERTIVM nego Antecedens. Nam solùm ministri iubentur Reum custodire: id quod satis est, vt Iudicis processus sit efficax. Quare soli ministri peccant, quando ex eorum culpabili negligentia Reus fugit. Sed *quæris*, an posset ita ferri sententia mortis, vt simul per eam iuberetur Reus manere in carcere. Caietanus hîc, quamuis neget moris esse ita ferri, insinuat tamen ita ferri posse. Sotus lib. 5. de Iust. quæst. 6. art. 4. contrà sentit, fore semper iniquam talem sententiam, eò quòd pugnet cum inclinatione naturali, quã habet homo ad se conseruandum.

VERVM gratis in hac re Sotus contradicit Caietano. Nam si potest iustè ferri sententia, qua priuetur Reus vita, ad quam non minorem inclinationem habet, quàm ad eius conseruationem: cur non poterit etiam per iustam sententiam idem Reus orbari actu quodam (scilicet *fugiendi*) quo alioqui licitè posset vitam conseruare? Neque verò *se non conseruare* ita pugnat cum inclinatione naturali, vt non liceat Reo sui con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

seruationem prætermittere *non fugiendo*. Patet manifestè in Martyribus, quibus non modò *licet* manere in carcere, etiamsi fugere possint, sed etiam quandoque *debent* manere ratione fidei, & scandali contra eam vitandi: vt ipsemet Sotus concedit. Cùm igitur manere in carcere, non sit *intrinsecè* malum, sed quædam pœna *non se conseruandi*; posset etiam eiusmodi pœna ad pœnam mortis accedere, pro grauitate criminis, vt rectè sentit Caietanus.

Ad QVARTVM respondeo, esse disparem rationem. Nam ille debet *soluere*, & non solùm *esse paratus* soluere, quando vi cogatur. Item tales solent etiam expresè cõdemnari *ad carceres*, donec soluant: sicut etiam alij absolutè ad *perpetuos* carceres condemnantur; quibus proinde fugere nõ licet. Et idem puto de condemnatis ad *triremes*; sunt enim ij iusti in eis manere.

Nec rectè argumentantur aliqui, ꝙ liceat his fugere ex triremibus, eo quòd illud genus vitæ est veluti quædã perpetua mors, iuxta illud, quod dicitur l. penult. ff. de Reg. Iuris, *seruitutem mortalitati ferè comparamus*. RESPONDEO enim nõ esse simile. Nam quãuis id sit veluti perpetuò mori; est tamen *quoddã mori*, quod consistit non solùm in passione, sed etiã *in actione* illorũ hominum. Itaq; tales iubẽtur ita mori: ac proinde quemadmodũ si absolutè mori, esset aliqua actio, quã condẽnatus ad mortẽ præstare iuberetur, non posset is fugere, sed deberet mori; ita neq; hi remiges possunt. *Omitterent* enim tunc actum eis iniunctum.

Ad QVINTVM conceditur Sequela, scilicet licere quoque carceres effringere, vt concedunt etiam Caietanus, & Sotus, & alij: quamuis negat Henricus Gandauensis quodlib. 9. q. 26. & Maior in 4. dist. 15. q. 22. quibus subscribit Couarruuias lib. 1. variarum Resolutionum, cap. 2. num. 14. sed sine firma ratione. Itaque negamus argumenti Minorem, scilicet esse falsum, quòd id liceat. Explicauimus enim, quomodo publica potestas nõ possit id rationabiliter ægrè ferre; neq; fieri per hoc ei iniuriam; neq; id esse pugnare contra illã; sed pertinere ad ipsam fugam, quæ est licita.

Ad PRIMAM autem probationem Minoris, Sotus hîc *primò* liberiùs respondet, non esse mirum, si conditores legum, cùm non sint spiritualium Iudices, ibi culpam agnoscant, vbi culpa nõ est, secuti cõtrariam opinionem, quòd videlicet non liceat carceres perfringere. *Secundò* respondet id, quod etiam insinuat Caietanus hîc circa finem quintæ quæstionis; nimirum eam pœnam decerni effractoribus *ex præsumptione*, qua scilicet ius præsumit tales paratos esse ad vim quoq; ministris Iustitiæ inferendam, si possint; & propterea puniri; non autem ideo solùm, quòd carceres effringant, & fugiant.

SED contra hanc responsionem obiici potest, quòd si id alioqui licitè fieri potest sine tali praua voluntate cõtra ministros pugnandi, non deberent Iudices voluntatem eam prauam semper præsumere, & tales effractores semper punire, sicut faciunt. Item quod Iudices non solent punire interiorem malam volũtatem, quam malus actus exterior non comitatur. Cuius signum est, quòd etiamsi Reus diceret: Si possem vim ministris inferendo fugere, facerem: nihil id curarẽt Iudices: Ergo, si Iudices puniunt semper effractores carcerum, ideo puniunt, quia putãt, quòd effringere carceres, sit per se illicitum.

Quare præstat dicere, vel quòd non liceat Iudicibus punire, nisi quando reipsa fugitiui vim ministris attulerunt; vt insinuare videntur illa iura, quibus dicitur, *si conspiratione facta cum aliis carcerem effregerit, &c.* Vel quòd Iudices, vt insinuat Sotus, id faciant ex *probabili* opinione, qua Conditores legum putauerunt eiusmodi effractionem esse per se illicitam, vt etiam putauit Henricus, de quo postea. Hac tamen opinione non obstante, alij Theologi possunt probabiliter, propter rationes factas opinari, id esse licitum, & non esse talibus pœnam decernendam. Et certè qui tantùm fugiunt, aperto carcere, nullo modo deberent à Iudicibus puniri, sicut nec qui fugit Iustitiæ ministros, ne capiatur. Vnde non est de his intelligendum ius citatum.

Ad SECVNDAM probationẽ Minoris respondet *primò* Caietanus concedendo, quòd liceat a liis Reo suppeditare instrumenta ad perfringendum carceres, vt limam, &c. Ratio eius est: nam quando cunq; aliquis potest licitè aliquẽ actum exercere, alij possunt eundem ad illũ actum adiuuare, nisi obstet conditio status seu officij illorum. Sed in proposito Reus licitè potest carcerem perfringere: Ergo alij, quos conditio status non obligat ad custodiendum Reum (sicut obligat ministros iustitiæ) poterunt illum adiuuare, vt fugiat. Maior est manifesta. Nam propterea, quòd licitè potest quis bellum alteri inferre, possunt etiam alij illum adiuuare, nisi prohibeantur ratione status, vt prohibentur Clerici. Dicit tamen *secundò* Caietanus, non idcirco licere aliis *impetum* in carceres facere, & perfringere. Probat ea ratione: quia, si non licet inuadere priuatam domum, & vel feram eius perfringere; multò minus publicam custodiam.

Sed quicquid sit de veritate istorum dictorum Caietani (de quibus statim dicam) non videtur Caietanus in secundo dicto loqui consequenter. Nam ratio, qua probat primum, videtur etiam conuincere secundum, nisi aliquid aliud addatur. Cùm enim liceat condemnato, quocunque modo irruere in carceres, licebit etiam aliis eum ad id adiuuare, nisi cõditione status sui prohibeãtur. Neq; ratio Caietani pro *secundo* dicto est sufficiens. Nam sicut publica custodia ab ipso Reo condemnato potest licitè postponi vitæ propriæ: ita etiam Rei iuuandi gratia (iuxta primum dictum Caietani) posset postponi ab illis, qui specialiter non prohibentur Reum in ea re iuuare ob conditionem officij siue status.

Sotus autem vbi suprà, vtrumque negat, videlicet, & *licere aliis* Reo instrumẽta ad perfringendum carceres suppeditare; & posse alios perfringere carceres. Probat *primum*: quia (inquit) instrumenta ad effringẽdum carceres suppeditare iam esset captiuo cooperari in effringendis carceribus, cùm tamen illi soli effringẽdo eos liceat sibi viam ad fugam parare. *Secundum* verò probat eadem ratione, qua Caietanus. Mihi etiam, vt Soto, videtur vtrumque esse negandum. Esset enim id magna licentia. Sed tamen aliter reddẽda est ratio. Nam quod Sotus dicit, propterea instrumenta ad effractionem suppeditare non licere, quia esset *cooperari*; non est satis: alioqui nec liceret fugam suadere eiusmodi captiuo, quod tamen Sotus concedit esse licitum. Probatur. Nam etiam suadere fugam est fugæ cooperari. Item ratio *secundi* similiter non est firma, vt vidimus contra Caietanum.

Ratio ergo, propter quam neutrum licet, est. Nam vsque adeo efficaciter cooperari captiuo, vt vel instrumenta ad effringendum carceres ei *suppeditet*, vel eius causâ *effringas*, non expedit bono communi. Fieret enim tunc per se loquendo, vt multi fugerent, & ita multa crimina impunita manerent, ac rarò processus Iudicum exitum haberent: quod magnum detrimentum esset boni communis. Secùs autem dicendum est de *consilio*. Nam id non est medium tam efficax. Itaque neque illud incommodum sequitur, si concedatur *ipsismet captiuis* fuga, & effractio carcerum. Non enim ipsi per sese tam frequenter poterunt fugæ se mandare; & consequenter nihilominus erit locus exequutioni Iustitiæ.

Ad TERTIAM probationem illius Minoris respondeo, negando Antecedens, si id esset opus ad conseruandam propriam vitam, vt ex dictis patet. Ex quo etiam intelligitur, falsam esse opinionem Henrici Gandauensis, qui quodlib. 9. quæst. 15. negat, licitum esse perfringere carceres: quamuis concedat, licitum esse fugere, si carceres sint aperti: Sicut, inquit, non licet tranſire per agrum alterius destruendo sepem, tametsi liceat per eum transire, quando est peruius. Non est hoc firmum argumentum. Nam constat etiam esse licitum rumpere sepem, quando de vita conseruanda ageretur. Et quod attinet ad detrimentum, quod affertur carceribus eos perfringẽdo, potest illud postea resarciri restituendo aliquid pro illato damno: vt inquit hîc Caietanus. Ex cuius sententia Couarruuias etiam libro primo variarum resolutionum, capite secundo, numero 14. colligit, eam restitutionem esse faciendam.

Sed id mihi *dubium* videtur. Nam cùm Reus damnatus fuit ad mortem, meritò censetur fuisse in extrema necessitate, cui absq; restituẽdi obligatione subuenit per effractionem carcerũ. Nisi dicat aliquis, tũc solùm licitum esse rem alterius vsurpare in extrema necessitate, sine obligatione postea restituendi, quando alter *tenetur ex charitate* in tali necessitate constituto rem vel dare vel accommodare: quod non accidit in proposito. Non enim tenetur publica potestas tunc Reo subuenire, tanquam in extrema necessitate constituto, quippe quæ ius habet illum plectendi. Sed parùm interest ad præsentem difficultatem, quicquid circa damnum resarciendum dicatur.

Sit iam QVARTA Conclusio, quæ consequitur ex iam dictis; *Si quis damnatus esset ad mortem per inediam, licitè posset cibum oblatum comedere*, vt dicit hîc D. Thomas. Probatur. Quia non iubetur talis *non comedere*, sed tantùm *pati* illud genus mortis, cùm ei cibus non datur, & ministri etiam Iustitiæ iubentur prouidere, ne illi detur.

DVBIVM autem hîc est, Vtrum non modò talis *possit* licitè comedere, sed etiam *debeat* comedere, ita, vt si non comedat, peccet. Ratio dubitandi est. Nam partem affirmatiuam videtur D. Thomas hîc insinuare, cùm dicit, *non comedere*, esse seipsum occidere. Ex hoc enim non tantùm probatur, quòd liceat ei comedere, sed etiam quòd *non liceat ei* non comedere. Nam *se occidere*, nemini vnquam licet. Ex alia verò parte videtur talis non teneri comedere. Nam propter scelera commissa potest meritò se voluntati Iudicis conformare, *non comedendo*: sicut ille, qui potest fugere ex carcere, licitè potest, si vult manere, donec ducatur ad mortem. Neque verò tunc sine causa talis *non comedendo* se mori fineret; quandoquidem iusta causa suppetit mortis eius.

De hoc controuersia est inter nonnullos Doctores. Nam Caietanus propter primam rationem putat talem debere comedere. Alioqui futurum sufficientem & directam causam suę mortis, atque adeo simpliciter se occisurum, quod non licet. Et Caietanum hac in re secutus est Couarruuias libro primo variarum resolutionum, capite secundo, numero 10. Ioannes autem Maior in 4. dist. 15. quæst. 22. & Sotus lib. 5. de Iustitia, quæst. 6. artic. 4. id negant propter alteram rationem dictam.

Mihi sententia Soti & Maioris placet, quanquam ratiõ eorum non videatur satis expedita. Oportet enim hîc inprimis declarare, vtrum hoc, quod est voluntariè cibum oblatum *non comedere*, sit positiuè se occidere contra præceptum *negatiuum* de non se occidendo: vel tantùm sit *non se conseruare* in vita, omittendo actum conseruationis, qui alioqui præcipitur præcepto affirmatiuo. Si enim id sit contra præceptum negatiuum: vera erit opinio Caietani: si autem contra affirmatiuum, tũc facilè probari poterit sententia Soti.

Videtur autem *non comedere* tantùm esse se non conseruare. Quod sic probatur. Nam non fouere vitam comedendo, nihil aliud est, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

non prohibere causam naturalem, alioqui suapte naturâ vitam corrumpentem. Sed hanc causam non prohibere, tantummodò est vitam non conseruare: Ergo, &c. Maior est clara. Etenim *non comedere*, tantummodò est non restaurare *humidum*, perditum continua actione caloris naturalis, atque adeo *non prohibere*, actionem caloris vitæ corruptiuam, quæ semper consumit humidum, &c. Minor etiam patet: quia *non impedire* causam corrumpentem, cùm sit quædam *negatio*, procul dubio non est *positiuè* corrumpere. Quare quemadmodum siquis v. g. non impediret hominem furiosum, ne alterum gladio confodiat, tantùm *non conseruaret* illum hominem: Ita in proposito, qui non prohibet actionem caloris, tantummodò *non impedit* causam corrumpentem hominis.

Confirmatur: nam si non comedere esset directè *se occidere* contra præceptum negatiuum semper obligans, vix esset æger, quem non oporteret esse solicitum, num velit sese occidere, quãdo non vult comedere; nisi cibi fastidium sit tantum, vt non sit in ipsius libertate positum, cibum sumere.

Ostenso ergo, quòd *non comedere*, tantum sit non conseruare vitam, probatur sententia illa Maioris & Soti. Nam in proposito casu præceptum *affirmatiuum* conseruandi vitam non obligat illum hominem damnatum ad mortem per inediam: Ergo licitè is potest *non comedere*. Consequentia est bona. Probatur Antecedens. Nam eadem causa boni communis, quæ mouet Iudicem, vt velit illum Reum morte tali afficere, potest etiam licitè mouere eundem ipsum Reum, vt velit se nõ conseruare; præferendo videlicet bonum commune, quod sequetur ex sui punitione, vitæ propriæ, atq; adeo conformando se voluntati Iudicum, vt dicit Sotus; quamuis neque id facere, obligatus fuerit.

Confirmatur. Nam potest licitè quis secundùm omnes non conseruare se, quando ad sui conseruationẽ esset necesse exponere brachium abscindendum; propterea quòd nõ obligat præceptum affirmatiuum conseruandi vitam, cum tanta difficultate & dolore: Ergo similiter non obligat cum tanto detrimento communitatis, quantum sequetur, si iste non extinguatur, &c. quod detrimentum ipsi Reo etiam, ob amorem boni communis, potest vehementer dolere.

Ex his sequitur, posse fortè improbissimum aliquem Reum iustè condemnari, *vt etiam se non conseruet* comedendo cibum oblatum, quamuis id Sotus negat. Probatur. Nam id est tali Reo *licitum*: Ergo in pœnam grauissimorum aliquorum scelerum, potest etiam illi *iniungi*; sicut antea diximus, posse alicui iniungi, ne se conseruet fugiendo.

Iam verò ad rationem sumptam ex D. Thoma, qua nititur Caietanus, responderi potest, Diuum Thomam quum ad probandum, quòd A liceat tali comedere, assumpsit, quòd *non comedere*, sit se occidere, non intellexisse, quòd hoc sit se occidere *directè*; sed *indirectè*: prout occidere se quodammodo potest dici, qui non se conservat comedendo; quandoquidẽ ex eo, quòd quis non comedat, certò sequitur mors. Vis ergo rationis D. Thomæ cõsistit in hoc, quòd qui condemnatur, vt fame pereat; non condemnatur, vt se *indirectè* occidat, non comedendo. Itaque potest comedere: quia non comedere, esset se indirectè occidere, quod non obligatur facere. Ita etiam putat Sotus intelligendum D. Thomam.

Quanquam reuera videri potest alicui etiam secundùm hanc explicationem D. Thomas sentire, quòd non liceat tali *non comedere*. Nam apud D. Thomam aliquid *indirectè* facere, est, debere illud prohibere, & non prohibuisse. Vnde hoc ipso, quòd dicit, *talem non comedere*, esse se ipsum occidere (etiamsi indirectè hoc intelligatur) videtur sentire D. Thomas, quòd debeat comedere, atque adeo, quòd peccet, nisi comedat. Quapropter quicquid sit de mente D. Thomæ, negatur, quòd in tali casu *non comedere*, sit se occidere, aut directè, aut indirectè culpabiliter. Nisi dicas, S. Thomam hic non locutum de causa indirecta, sicut solet.

Porrò ex his patet solutio eius QVÆSTIONIS, qua hìc solet quæri, Vtrum condemnato ad moriendum fame, possit quispiam alius aut debeat cibum suppeditare, tanquam existenti in extrema necessitate? *Dicendum* namque est breuiter *primò*, sicut ipsemet condemnatus potest tunc cibum sumere: ita alterum posse ei licitè suppeditare, modò is sit, cui non incumbat cura exequendæ iustitiæ, neq; sit specialiter prohibitus cibum tali suppeditare. Vnde referunt hìc Sotus & Caietanus, laudi datum fuisse cuidam fœminæ Athenienſi, quòd parẽtem, ea morte damnatum, lacte pauit. Id quod narrat Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. vbi etiam aliud simile exemplum commemorat pietatis filiæ erga matrem. *Secundò* dicendum, sicut ipsemet condemnatus *iuxta* non tenetur comedere: ita neque alterum *iuxta* ei suppeditare cibum. Nam subest ad non suppeditandum causa rationabilis boni communis, quam potest quis vitæ talis Rei anteponere.

Quamobrem tunc neminem obligat præceptum subueniendi illi. Ita insinuat

D. Thomas suprà q. 31.
art. 2. ad 3.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

De Iustitia & Iniustitia Testium.

D. Thomas 2. 2. q. 70.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, AN ALIQVANDO teneatur quis ferre testimonium in Iudicio. SECVNDO, An requiratur in Iudicio testimonium plurium. TERTIO, An quilibet possit in Iudicio testimoniũ ferre. QVARTO, An falsum testimonium in Iudicio semper sit peccatum Mortale.

PVNCTVM PRIMVM.

An aliquando teneatur quis ferre testimonium in Judicio.

D. Thomas art. 1.

DONAM ET EXPLICABO HAC DE re quatuor assertiones. PRIMA assertio. Si quis ferre testimonium iubetur ab habente auctoritatem *secundum ordinem Iuris*, videlicet *in manifestis* & iis, de quibus *infamia præcesit*, non est dubium, quin teneatur illud ferre. Ita diuus Thomas hìc & alij communiter. Nam vnusquisque debet obedire Iudici in his, quæ ad Iustitiam pertinent. Sunt autem ad huius Conclusionis explicationem aliqua notanda.

PRIMÒ, duplici modo contingere, vt Iudex requirat testimoniũ alicuius de altero. VNO modo via *accusationis*: quãdo quis suscipit se rem probaturum, & producit testes, qui à Iudice vocantur & interrogantur. Et vt hac via Iudex iuridicè interroget, atq; adeo teneantur alij testificari, satis est ipsa accusatio. Nam eo ipso, quòd quis testibus productis accusatur; absq; temeritate Iudex interrogabit testes, & etiã absq; iactura peculiari famæ Rei, quandoquidem interrogat solùm eos, quos meritò suspicari potest rem aliàs scire. ALTERO modo, quando præcedit Iudex via *inquisitionis* absq; accusatore, interrogando alios. Et de hoc est maior difficultas in explicando, quid debeat præcedere, vt Iudex legitimè sic inquirat.

Hoc igitur vt declaretur, est SECVNDO notandum, Iurisperitos super cap. Qualiter & quãdo, de accusationibus, plures modos inquisitionis tradere; duo tamen sunt, qui ad rem pertinent, & ad quos alij reducuntur. Est ergo duplex inquisitio, VNA est *generalis*, cùm videlicet ratione officij Iudices ponunt edictum, vt qui nouerit aliqua crimina, *deferat* illa ad Superiorem; idcirca aut via denunciationis *fraternæ*, si sunt peccata non vsque adeo nocentia communitati, & si necdum sunt emendata; cuiusmodi censet Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 5. art. 1. esse concubinatus, & A eiusmodi priuata crimina: aut via denũciationis *iuridicæ*, vt hæreses, proditiones, &c. ALTERA inquisitio dicitur *specialis*; cum videlicet interrogãtur alij de aliqua persona priuata *determinatè*, num hoc vel illud crimen fecerit.

Iam prima nostra Conclusio (quæ est etiam D. Thomæ) intelligenda est, cùm Iudex inquirit *specialiter*. Nam tunc solùm, requiritur, vt præcesserint *manifesta indicia & infamia*, ad hoc vt testimonium alicuius iuridicè exigatur, sicut definitum est in capit. Inquisitionis, & capit. Qualiter & quando 2. & capit. Cùm oporteat. Extra de accusationibus. Quando autem Iudex inquirit *generaliter*; etiam sine infamia præcedẽte; aut manifestis indiciis, censetur iuridicè inquirere.

Cuius ratio est. Nam tunc potest intelligi Iudex aliquid legitimè & iuridicè facere, quando in communitate, cuius personam ille gerit, est scientia sufficiens, quæ illud esse faciendum dictet propter bonum commune: Sed ad ita inquirendum *generaliter* sufficit scientia communis, qua Iudex & omnes in communitate norunt expedire bono communi, vt crimina ad Superiorem deferantur: Ergo cum ea sola scientia absque alia infamia aut indiciis de aliquo; poterit Iudex vice communitatis, atque adeo legitimè & absque vlla temeritate *generaliter* inquirere.

Atque ita obtinuit consuetudo in Religiosorum visitationibus, qui proinde debent suo Superiori iuxta mentem eius respondere de aliorum criminibus generaliter interrogati. Ad inquisitionem verò *specialem*, quoniam per eam quæritur testimonium contra determinatã personam, non satis est prædicta scientia generalis, sed requiritur peculiaris aliqua notitia, quæ efficiat, vt sine temeritate de *hac persona*, & de *hoc crimine* ab aliis petatur testimonium, quemad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum suo modo diximus suprà quæst. præcedenti, puncto secundo, requiri ad interrogationem ipsius Rei.

TERTIO est præcipuè notandum, si ius *naturale* tantùm spectemus, non requiri aliquam determinatam notitiam ad legitimè testimonium de aliquo inquirendum, sed quamuis sufficere, quæ tollat à Iudice temeritatem, sicut suprà etiam de interrogatione Rei dicebamus quæst. præced. At verò ius *positiuum* in Capitulis suprà citatis, statuit, vt non quæuis notitia eiusmodi sufficeret, etiam quæ alioqui satis esset ad interrogandũ ipsum Reum. Sed oportere *infamiam præcessisse*, quæ sit opinio multorũ, iuxta dicta quæst. præced. p. 2. Adeo, vt in cap. Inquisitionis citato, statuatur, non esse procedendum cõtra aliquem via inquisitionis huius specialis, etiamsi duo vel tres testes iurati affirmẽt eius aliquod crimen, de quo nulla laborat infamia.

Neq; verò fruſtrà tunc Ius prohibet inquisitionem, quasi nũquam sit futurus casus, quo existentibus tribus testibus iuratis opus sit procedere ad inquisitionem. Cùm enim non ad quaslibet personas condemnandas satis sint tres testes, vt patebit punct. seq. operæprecium fuit explicari à Iure, tres testes non esse satis ad inquirendum plures, si quando contingeret, personam esse talem, vt ad eius cõdemnationem plures testes inquirere oporteret, sed necessariam esse *infamiam*, quæ plurium, quàm quatuor opinione contineatur. Item necessarium id fuit, ne Iudex inquirat alios testes (in qualicunque causa) contra alterutram *partem*, quando testes vtriusque *partis* sunt pares.

Ratio autem, quæ mouere potuit Ius humanum, vt ad illam inquisitionem *specialem* peculiariter requireret infamiam, videtur hæc esse: Nam vult ius humanum, quoad fieri potest, prouidere bono communi cum minima iactura bonorum priuatæ personæ, in quibus præcipuè numeratur fama, quæ non parùm læditur hoc ipso, quòd de aliquo fiat apud alios inquisitio, quantumuis postea talis non probaretur Reus esse. Et ideo expectat ius, donec fama sit aliquo modo perdita aliunde, antequam inquirat alios de aliquo. Nihilominus hac ratione non obstante si non etiam accessisset decretum Iuris humani, iure naturæ bene posset Iudex ita inquirendo, bonum commune anteponere priuatæ famæ. Non tamen *etiam tenetur* iure naturæ id facere. Nam etiamsi infamia Rei expectetur ad inquirendum de illo specialiter, potest sine magno detrimento boni communis vtilitati publicæ prouideri.

QVARTO est notandum, vt docet diuus Thomas, & colligitur ex Capitibus suprà citatis, infamiam debere esse de *iis ipsis criminibus*, de quibus inquiritur, sicut suprà quæstione præcedenti, puncto secundo vidimus contra Paludanum. Vnde quamuis infamia *personæ* requiritur ad inquirendum, tamen non sufficit, sed oportet, vt infamia sit etiam de crimine inquirendo: alioqui temerè inquiretur.

Deniq; in hac prima Conclusione notandum; quod D. Thomas dicit, & etiam alij, non posse inquiri, *nisi de manifestis, & iis, quorum præcessit infamia, siue de quibus sunt manifesta indicia*, non ita accipiendum esse, quasi *manifesta indicia* per se sufficiant absq; vera infamia: sed intelligendum est, hæc indicia *manifesta* pertinere ad ipsam infamiam. Quia scilicet vera *infamia* nunquam caret *euidentia aut manifestis indiciis*, respectu aliquorum. Vel certè quia debent indicia esse vsque adeo *manifesta*, vt moraliter loquendo, statim ex illis sequatur infamia. Itaque sensus verborum D. Thomæ est, *requiri infamiam, quæ sint esse coniuncta cum manifestis indiciis*. Etenim ius positiuum in Capitulis suprà citatis *determinatè* requirit semper infamiam ad hanc specialem inquisitionem aliorum de Reo; non autem solùm *disiunctiuè* (infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem) sicut ad interrogationem ipsius Rei.

Hìc tamen aduerte, Syluestrum, Verbo Inquisitio 1. §. 10. velle, vt hoc, quod est requiri infamiam ad inquisitionem, *regulariter* tantùm intelligatur. Excipit enim aliquos casus, quibus secundùm ius non videtur requiri. Atque etiam Sotus libro 5. de Iustitia, quæst. 6. artic. 2. & Nauarrus in Manuali, cap. 18. num. 58. & capite 25. num. 27. & 33. indicant, esse aliquos tales casus. Vt quando est crimen hæresis, læsæ maiestatis, falsæ monetæ, maleficij & huiusmodi, quæ valde nocent communitati.

Sed tamen non satis clarè hi Doctores loquuntur. Videntur enim fæpe confundere *interrogationem* Rei, cum *inquisitione* de illo. Et D. Thomas nullum casum videtur excipere, si sermo sit non de *interrogatione ipsius Rei*, sed de inquisitione speciali apud alios de illo determinatè, vt patet ex nostra & D. Thomæ Conclusione. Et similiter illa Capitula citata vniuersaliter requirunt *infamiam* in casu eiusmodi *inquisitionis specialis*. Sed quicquid sit de hoc, saltem doctrina hæc diui Thomæ regulariter est vera, sicut eam explicauimus.

Porrò ex dictis intelligi potest, quid respondendum sit cuidam QVÆSTIONI, quæ hìc mouetur, Vtrum videlicet, cùm infamia est obortа de solo crimine, non autem de aliqua persona (vt v. g. Si iaceat cadauer occisi in foro) liceat inquirere, quisnam crimen patrauerit. Patet enim omnino id esse licitum, sicut etiam ebmoris. Et ratio est: quoniam infamia particularis personæ solùm requiritur ad inquirendum de *priuata persona*, vt est explicatum: in casu autem proposito, cùm de nulla persona determinatè inquiratur, sed tantùm *in genere* quis fecerit, non opus est, vt præcesserit priuatæ personæ infamia; sed satis ad id est illa generalis scientia Iudicis & communitatis, qua constat expedire bono

bono publico, vt eiusmodi criminum auctores prodantur & puniantur, sicut antea dicebamus. Alioqui nisi ea scientia sufficeret, populus ægrè ferret, & contra Iudices in hac parte negligentes tumultuaretur, si crimina manifesta impunita relinquerent, non inquirendo.

Vnde hæc inquisitio in proposito casu potius pertinet ad inquisitionem *generalem*, de qua initio diximus. Nam tantùm à *generali* in eo differt, quòd per generalem non solùm de *Reis in genere* inquiritur, sed etiam *personæ in genere* publico edicto interrogantur de aliorum criminibus: per inquisitionem autem in casu proposito *personæ priuatim* interrogantur de Reo in genere. Sed tamen hæc differentia, quod attinet ad necessitatem infamiæ, est per accidens: Satis namque est, quod nullius priuatæ personæ fama per huiusmodi inquisitionem lædatur, vt ad eam non sit opus infamiam alicuius præcedere.

Quocirca immeritò Sotus libro quinto de Iustitia, quæst. 6. artic. 2. damnat consuetudinem, quæ obtinuit etiam apud timoratæ conscientiæ Iudices, vt in genere inquiratur Reus manifesti criminis. Neque enim aliud ex Capitulis suprà citatis, & dictis Caietani, quæst. præcedenti, articulo secundo, quæ pro se allegat Sotus, colligitur, nisi prærequiri infamiam ad *inquisitionem specialem de persona determinata*. Quam quidem inquisitionem minùs rectè confundit Sotus cum ea inquisitione, qua in proposito casu generatim inquireretur, quisnam fecerit.

At probat Sotus, perinde esse inquiri sine infamia de Reo in genere, & de determinata persona. PRIMO. Nam si quis interrogatus de Reo in genere, tenetur peculiariter determinatũ Reum prodere, perinde est (inquit Sotus) ac si particulariter sciscireris. SECVNDO probat id non licere. Nam fieri posset, inquit, vt ipsemet Reus interrogaretur tũc inter alios, qui rubore suffusus vix posset non indicare se esse Reum: & tamen nullo, inquit, iure se prodere deberet. Verùm hæ rationes infirmæ videntur.

Ad PRIMAM nego, perinde id esse ac peculiariter de aliquo sciscitari. Quemadmodum, etsi quilibet teneatur manifestare peculiariter Reum determinatum, cùm fit inquisitio generalis publico edicto; tamen non est perinde ita inquirere, ac si publico edicto de determinato Reo nominatim inquireretur. Vidimus enim antè, esse magnum inter hæc discrimen. Nam ad inquisitionem *de Reo in genere*, siue alij etiam generatim, siue speciatim (vt in nostro casu) de Reo interrogentur, sufficit generalis scientia Iudicis; ad *specialem* verò necessaria est specialis de persona suspicio; & quidem orta ex infamia, vt ius statuit. Item ex vi *solius inquisitionis generalis* nullus infamatur: nisi quòd postea quidem, si accusetur manifestari determinatum Reum, ille infamatur; quam solam infamiam ex sola inquisitione procedentem vitare vult ius positiuum, ideo requirens, vt aliquo modo fuerit infamatus is, de quo specialiter inquiritur. Non verò vult Ius vitare infamiam illam, quæ sequetur, si inquisiti *de Reo in genere* ferant testimonium contra Reum determinatum. Sicut neque vult vitare infamiam eam Reorum, quæ sequitur ex ipso processu causæ & punitione illorum. Itaque patet ex his, nullo modo esse perinde, sciscitari de *Reo in genere*, atque sciscitari de eo *determinatè nominando personam*; tametsi interrogati debeant prodere, si sciant, determinatum Reum.

Ad SECVNDAM Soti rationem, concedimus inprimis, ipsum Reum, si fortè inter alios interrogaretur, non debere se manifestare, sed potest respondere, *se nescire quis fecerit*; & verè respondebit *ad intentionem*, quam inquirens *debet habere*. Nam is solùm potest inquirere à singulis, an sciant *aliquem alium* fecisse, non autem an ipsimet fecerint; cùm contra nullum determinatum præcesserit infamia, aut indicia, aut semiplena probatio, vt supponimus in casu, & sine aliquo illorum non posit ipsemet Reus interrogari, vt dictum est quæstione præcedenti, punct. 2.

Quòd si fortè quis rubore suffusus indicet eo signo, se esse Reum, atq; adeo suppeditet ius Iudici, ipsum peculiariter interrogandi tanquam Reum; per *accidens* hoc est: & ideo non debet hoc impedire Iudicem, quò minus exequatur suum officium inquirendo. Quinimò etiamsi id *per se* sequeretur, posset nihilominus Iudex inquirere, vt vel ea ratione quæreret indicia, quæ redderent aliquem suspectum, contra quem proinde liceat certiùs procedere, eum nominatim de se interrogando. Potest namque Iudex, vt Sotus etiam concedit, in tali casu quærere indicia, quæ vel generent infamiam sufficientem ad inquirendum de Reo determinatè, vel certè sint satis ad interrogandum iuridicè ipsummet Reum. Et hactenus de PRIMA assertione.

SECVNDA assertio. Si requiratur à Iudice testimonium de *occultis*, & de quibus infamia non præcesit, non tenetur quis testificari. Hæc assertio ex præcedenti est clara: quia tunc nõ iuridicè *inquiritur*. Atque ita etiam asserit D. Thomas, & alij communiter. Itaq; poterit tunc is, qui interrogatur, eludere Iudicem, iuxta ea, quæ tradidimus quæst. præcedenti, punct. 2.

TERTIA assertio. Si non Iudex, aut Superior ad id auctoritatem habens, sed æqualis quispiam ab aliquo requirat testimoniũ de alio: Tunc quidem si id testimonium requiratur ad liberãdum hominem à morte, vel infamia, vel à quacunque pœna, aut iniquo damno; ferendũ est id testimonium. Quinimò etiamsi non requiratur tale testimonium, tenetur quis facere, quòd in se est, vt veritatem denũciet alicui, qui ad hoc posit prodesse. Probatur totum hoc ex illo, Prouerb. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Et ex illo Psal. 81. *Eripite pauperem & egenum.* Item ex Glossa super illud ad Rom. 1. Digni sunt morte, &c. dicente: *Consentire est tacere, cùm possis redarguere.*

Et quidem assertio hæc in causa *mortis* nullam habet difficultatem. Nam cùm proximus sit tũc in graui, vel etiam extrema necessitate constitutus, satis intelligitur, charitatem quamcunq; obligare, vt suo testimonio, si potest, proximo succurrat. In aliis autem causis citra extremam & grauem necessitatem, quando damnum imminens proximo, non est magni momenti; nonnihil videtur assertio hæc habere difficultatis. Nam charitas non obligat citra grauem necessitatem ad succurrendum alicui determinatæ personæ.

Nihilominus responderi potest ex sententia Sotilib. 5. de Iustitia, q. 7. art. 1. hoc esse verum, quando alia necessitas proximi non grauis consistit in *sola penuria* alicuius rei; non autem quando citra grauem etiam necessitatem patitur quis *iniuriam* aliquam vel *incommodum*, cui alter sine suo detrimento potest succurrere. Tunc enim ratio dictat, ei esse subueniendum. Maximè cùm *vnicuique mandauerit Deus de proximo suo*, Ecclesiast. 17. Vt v. g. quamuis ei, qui caret domo, quis non debeat domum dare; tamen cùm domus alterius ardet, si sine tuo incommodo possis subuenire; etiamsi ille sit ditissimus, debes ignem extinguere. Item licet diuiti non debeas erogare decem coronatos v. g. tamen si possis obsistere latroni, ei illos surripienti, debes facere. Sic in proposito debes, etiam citra grauem necessitatem, proprio testimonio opem ferre ei, qui patitur iniuriam ab aduersario in Iudicio.

Præterea est hîc notandum, multum interesse, quonam modo quis nolit ferre testimonium, quando *debet*: An scilicet testis *interrogatus à Iudice*, nolit obedire ferendo testimonium, sed vel neget se scire, vel dicat contrarium; an verò *non rogatus, nec vocatus à Iudice* effugiat, ne interrogetur; vel an *æquali* roganti vel non roganti nolit suo testimonio fauere. Si enim quis *interrogatus & vocatus à Iudice* nolit testimonium ferre, non solùm peccat contra charitatem & obedientiam, sed etiam violat iustitiam, secundùm omnes.

Cuius duplex potest assignari ratio. *Prima*: quia eo ipso quis, quantum est in se, est causa moralis, vt Iudex ferat sententiam in damnum alterius. Nam si ita omnes facerent, quos probabiliter Iudex putat posse esse testes in fauorem alicuius; eo ipso induceretur Iudex ad existimandum, iustitiam stare ab alterius parte. *Secunda*: Nam, vt Caietanus dicit, in Summa, Verbo Restitutio, circa illam circumstantiam *Non manifestans*, testis vocatus & interrogatus à Iudice, ex Iustitia debet promouere Ius alterius suo testimonio. Itaque si non faciat, peccat contra illam. Et ita, secundùm omnes, testis non obediens Iudici, debet resarcire damnũ parti læsæ. Id quod multò clarius est, si dicat falsum testimonium. Nam tunc constat, illum esse causam moralem directam iniustitiæ.

Si verò quis subterfugiat, ne à Iudice testimonium eius requiratur, tũc Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 7. artic. 1. putat etiam ipsum violare iustitiam, & debere restituere: Sed alij meliùs id negant. Nulla enim ratio ex prædictis habet tunc locum, quando quidem neque iubetur esse testis adhuc à Iudice, & promouere iustitiam; neque videtur Iudicem inducere ad fauendum alteri parti. Neque Doctores alij, quando dicunt, talem qui non vult ferre testimoniũ, debere restituere, loquuntur nisi in casu, quo interrogatus & iussus à Iudice detrectat illud ferre. Cùm igitur subterfugit talis, ne vocetur à Iudice, solùm peccat cõtra charitatem proximi, nõ fauendo illi: sicut etiã, quando proximo roganti, nõ vult præbere testimoniũ. Vnde nulla illi tunc oritur restituẽdi obligatio.

Quarta assertio. De iis, quæ pertinent *ad condemnationem* alicuius, non debet quis ferre testimonium, requirente æquali, sed tantùm cùm iuridicè cõpellitur à Superiore. Probatur. Nam ex eo, quòd in his veritas occultetur, nulli speciale periculum nascitur; neq; si immineat periculum accusatori, est propterea tunc ferendum testimonium. Nam ipse accusator sponte se in id periculum coniecit. Alia autem est ratio de Reo liberando in casu præcedentis cõclusionis: nam illi periculum imminet ipso nolente.

Hæc etiam est doctrina D. Thomæ hîc artic. 1. Quam, rectè notant Caietanus & Sotus intelligendam esse, quando ille, qui accusauit, *non tenebatur* accusare, sed sponte fecit. Alioqui casu, quo quis *tenetur* accusare, etiam alij tenẽtur testimonium ferre *in condemnationem* alterius. Nam si ad id non tenerentur, iniqua esset accusatoris conditio: Si videlicet deberet is causam suscipere, quam non posset probare: aliis pro libito licitè testificationem detrectantibus.

Quin etiam addendum puto, intelligendam esse eam D. Thomæ doctrinam, quando accusator adeo non tenebatur accusare, vt *nelicitè quidem* accusauerit, sed temerè, non prouidendo ante de Testibus. Nam si licitè quis accusauit; iustũ non est, vt ob defectum probationis pœna talionis puniatur. Quamobrem debẽt testes ei in necessitate tali constituto subuenire, ferendo testimonium contra alterũ: quem quidem plectì non est iniustum, quãdoquidem est nocens; & idcirco potiùs debent accusatori succurrere. Si autẽ quis nec tenebatur accusare, neq; etiã *licitè* accusauit, prouidendo antea de Testibus, sed temerè accusationẽ suscepit; alij nõ tenebuntur in eius fauorem cõtra alterum testificari. Iustum est enim, vt pœna talionis puniatur temerarius accusator, quandoquidẽ se sponte in id periculum cõiecit; ac proinde alij non tenentur suo testimonio ei veluti in necessitate constituto opitulari. Et ita puto intelligendum esse S. Thomam.

Postremò

Postremo Notandvm in hoc puncto, doctrinam hanc omnem traditam de obligatione ferendi testimonium, intelligendam esse, saluo semper vinculo *fidelitatis*. Quando enim quis ritè suscepit se seruaturum alicuius rei secretũ (cùm videlicet neq; id secretum obstat bono cõmuni, neq; ita nocet tertiæ personæ, vt ad succurrẽdum illi opus sit rem manifestare) tunc non tenetur qs etiam interrogatus à Iudice testimonium ferre. Esset enim id contra ius naturæ, vt expresè docet D. Thomas hîc in solutione secundi, & Caietanus ibi, & Syluester, Verbo Testis, numero 8. Et Nauarrus cap. 25. numero 46. Qua in re meritò Syluester refellit Angelum & Bonauenturam, qui putant, *secretum* non obligare, nisi *sub conditione*, si videlicet Superior non interroget. Hoc enim falsum est. Nam expedit bono communi, vt aliqua etiam occultentur Superioribus, quando contrarium non exigit communis necessitas, aut grauis tertiæ personæ. Vt si esset aliqua res præterita, & iam emendata, &c.

Sotus autem vbi suprà doctrinam hanc diui Thomæ solùm admittere videtur, quando via *inquisitionis*, requiritur ab aliquo testimonium. Tunc enim, inquit, non debet quis dicere rem, quam suscepit, secretam. Si autem procedatur via *accusationis*, cùm scilicet vocatur quis à Iudice, & interrogatur vt testis; putat Sotus debere taliter reuelare secretum testificando. Neq; huius affert Sotus rationem. Est tamẽ probabile. Nam videtur esse aliquod detrimentum boni communis, vt accusatio prudenter instituta non habeat effectum. Itaque vt illum habeat, videtur tunc cessare obligatio seruandi secretum.

Sed tamen probabilius est, quòd nec tunc quis teneatur secretum reuelare: Hoc enim est conformius diui Thomæ, aliisque Doctoribus, qui *absolutè* loquuntur. Neque ratio prædicta valet. Nam sicut non est incommodum, vt *inquisitio* bene instituta effectum non habeat, licitè tacente eo, qui scit rem secretò, & via inquisitionis interrogatur: ita etiam neq; erit incommodum notabile, vt *accusatio* aliquando effectum non habeat. Vnde, si illa ratio probaret; probaret etiam neque interrogatum via *inquisitionis* posse tacere rem secretam, quod tamen facere posse concedit Sotus.

PVNCTVM SECVNDVM.

An requiratur plurium testimonium in Iudicio.

D. Thomas art. 2.

In Solvm ius *naturale* spectemus, in Iudicio tantùm requiritur tale aliquod testimonium, quod iudicetur certius testimonio alterius partis, pro diuersitate personarum & negociorum. Vnde iure naturali neq; *requiritur* determinatè certus aliquis numerus testium, neque etiam certus aliquis determinatè *sufficit* in omni omnino negocio. Sed determinatio relinquitur iuri *humano* pro diuersitate causarum. Et ita circa hoc diuersimodè ius humanum statuit, prout diuersimodè in variis causis accidere posse videtur *sufficiens certitudo*: quod quidem non posset ius humanum facere, si iure naturali aliquis *certus* numerus esset constitutus.

Requirit igitur ius humanũ ordinariè *duorum* testimonium, & ad maiorẽ certitudinem *trium*. Nam ordinariè hoc sufficit, & est necessarium, vt auctoritas *actoris* plus valeat. Ita 2. q. 5. cap. Quod verò. & Extra de Testibus, cap. In omni negocio. Et ff. eod. tit. l. Vbi numerus.

Et hoc idem asserit & probat D. Thomas hîc ea ratione: Nam sufficit iudicium *multitudinis* ad moralem certitudinem: Ergo simpliciter sufficient duo testes cum actore, vel ad maiorem certitudinem, tres, vt ita maior certitudo sit in ipsis testibus. Consequentia patet: quia numerus ternarius efficit multitudinem, cùm in illo sit principium, medium, & vltimum, iuxta illud Philosophi 1. de cælo, tex. 2. *Omne totum in tribus ponimus.* Confirmatur hoc ex illo Ecclesiast. 24. *Funiculus triplex difficile rumpitur.*

In *Testamentis* autem, quæ fiunt *apertè*, requirit Ius *quinq;* testes; & si fiant *obsignata*, *septem*, vt ita certiùs constet de voluntate defunctorum, qui seipsos explicare non possunt. Item *Episcopi* non nisi 72. presbyteri, *Cardinales* non nisi sexaginta quatuor testibus deponũtur. *Diaconus verò Cardinalis* non nisi viginti septem, & alij *inferiorum Ordinum* non nisi septem testibus. Totum hoc habetur 2. q. 5. Can. Præsul.

Cuius institutionis triplicem assignat rationem D. Thomas hîc in solutione tertij. Primo. Nam huiusmodi dignitatis homines ea sanctitate debent esse præditi, vt maior fides eis adhibeatur, quàm multis. Secvndo. Nam tales propter executionem iustitiæ, quæ eis incumbit, inuidiam sibi conflant apud multos. Itaque non facilè credendum est iis, qui contra eos testificantur. Tertio. Nam expedit, vt rarò & difficulter huiusmodi personæ damnentur; propter scandalum.

De aliis autem *Episcopis*, qui non versantur in Ecclesia Romana. Syluester, Verbo Testis, nu. 5. & Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 7. art. 2. cum D. Thoma in solutione tertij putant, illud Caput Præsul, non esse intelligendum, sed sufficere ad cõdemnationem aliorum Episcoporum duos testes. Quanquam reuera Canon vniuersaliter videatur loqui de omnibus Episcopis. Sed de hoc consulendi sunt Canonistæ.

Sicut autem, vt diximus, Ius positiuũ aliquando plures quàm duos aut tres testes requirit: ita etiã contra aliquando vnius testimonio est contentum, vt patet Lege Omnium. Cod. de Testibus, qua habetur, testamẽtum esse firmum, *solius*

Impera-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperatoris testimonio; & etiam ad id satis est testimonium Pontificis, secundùm aliquos Canonistas, quos citat Syluester vbi suprà. Supplet namq; numerum auctoritas huiusmodi personarum. Vide Syluestrũ illic, qui notat plures casus, quibus pro diuersitate personarum & rerum satis est *vnius* testimonium.

A

Sed est argumentũ ad probandum, ius humanum non posse prædicto modo diuersimodè statuere circa numerũ testium. Nam iure *diuino positiuo* (quicquid sit de naturali) statutum est determinatè, vt *duo* testes requirantur & sufficiant: Ergo non potest ius humanum hoc mutare. Antecedens probatur. Deuter. 17. *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur.* Et cap. 19. *In ore duorũ vel trium testium stet omne verbum.* Quod ius diuinum videtur etiam Dominus in noua lege confirmâsse, Matthæi 18. citans illud diuinum præceptum.

B

Secundo. Nam Alexander III. in capit. Cùm esses, & capit. Relatũ. Extra de Testamentis, improbat consuetudinem requirendi quinq; testes in testamentis, & ait esse alienam à diuina lege, à sanctorum Patrum institutis, & ab vniuersali Ecclesiæ consuetudine; *cùm scriptum*, inquit, *sit: In ore duorum vel trium, &c.* Ac deniq; decernit, vt deinceps testamenta testimonio duorũ vel trium confirmata, præsente Parocho, rata habeantur. Censet igitur Pontifex *iure diuino* numerum testium determinatum esse.

C

Ad Primvm respondeo, in veteri lege præceptum quidẽ fuisse *diuinum iudiciale*, vt duo testes sufficerent, & requirerentur *semper*, saltem in criminalibus: Sed tamen in lege noua id iam non est præceptum diuinum. Nam ex sententia communi Theologorum Christus Dominus nullum præceptum dedit, præter ea, quæ pertinent ad fidem & susceptionem Sacramentorum. Citauit autem Christus præceptum illud veteris legis, nõ quidem illud cõfirmando in noua lege; sed quia agebat cum populo, qui illo præcepto tenebatur, & quia erat, regulariter loquẽdo, admodum consentaneum iuri naturali; vt sic ratione etiam naturali probaret Christus suã doctrinam, ostendendõ habere illam simile testimonium ei, quod lex vetus naturali consentanea requirebat.

D

Ad Secvndvm, quod obiicitur ex illo Alexãdri, Glossa super illud Caput refert multas solutiones, & hanc maximè probat, vt videlicet intelligatur de Testamẽtis in *causis piis*, cùm videlicet aliqua legantur Ecclesiis. In his enim Testamentis statuit Pontifex, in fauorem Ecclesiarum, non esse requirendam tantam solennitatem testium. Et hoc conuenit muneri Pontificis, qui circa spiritualia solet definire. Vnde quod dicit, in huiusmodi Testamentis exigere plures testes *esse alienum à diuina lege*, non ita est accipiendum, quasi velit id esse contra ius aliquod diuinum etiã nunc vigens: sed quasi velit, non esse id *consentaneum* in eiusmodi causis piis legi naturali, cui conuenienter in lege veteri præcipiebatur, vt sufficerent duo testes. Ex quo sequitur, duos debere sufficere in prædictis Testamentis, cùm sit in illis peculiaris ratio non requirendi plures, in fauorem Ecclesiarum.

Porrò plurimùm est notanda doctrina quæ dã D. Thomæ hîc art. 2. ad 3. vbi docet, testes *singulares*, hoc est, qui nõ consentiant in substãtia rei testificanda, & in his, quę pertinent ad illã, sed testificentur diuersos actus, non efficere fidẽ in Iudicio, sed oportere esse *cõtestes*, hoc est, qui idẽ testificentur. Nihilominus tamen Caietanus & Sotus censent, in *religionibus*, quibus ad leuiores pœnas proceditur, non immeritò fidẽ posse facere apud Superiorem *testes singulares*, qui videlicet singulos diuersos actus, similes tamen, commissos ab eodem deferant ad Superiorem. Vt si vnus dicat, se vidisse Petrum committentem tale furtum, & alter deferat aliud furtum commissum alio tempore ab eodem. Est enim, inquit Caietanus, tunc valde credibile, rem ita esse: Quanquam in foro seculari non esset id satis ad procedendum cõtra aliquem. Nam est seruãda forma Iuris: in religionibus autem aliter potest procedi.

PVNCTVM TERTIVM.

An quilibet possit in Iudicio testimonium ferre.

D. Thomas art. 3.

Non omnis potest testimonium ferre. Quædam namq; *personæ iure* repelluntur ab eo ferendo, partim *ob culpam*, partim etiam *sine culpa*. Nam vtroque modo potest contingere testimonium alicuius reddi minùs certum. Vt, ratione sexus, ætatis, criminis, conditionis, aliarumque huiusmodi causarum, quæ fusè numerantur in capit. Si testes 4. quæstione tertia. Quã de re vide Syluestrum, Verbo Testis, numero 6. & 9. & Nauarrum in Manuali, capite 25. numero 49. qui notat, huiusmodi inhabiles ad accusandum posse admitti, quando alij testes desunt. Nam iura, quæ aliquos repellunt vel eximunt ab officio testandi, intelliguntur, quando alij non desunt, vt explicuit Glossa in capit. Quanquam 14. quæst. 6. stione secunda, & capit. Statuendum 2. quæst. 6. & alij à Nauarro citati.

Est autem Notandvm, iuxta ordinem charitatis, quo quisque potest se potius suamq; vtilitatem, quàm alterum, curare; licitè posse accusatum obiicere testi crimen *verum*, quãtumuis occultum, quo is reddatur inhabilis ad testificandum: Si causa nõ est leuis momenti, sed maioris, quàm sit incõmodum infamiæ eiusmodi testis; & necessarium est patefacere tale crimen ad se liberandum. Tunc enim id licet, vt rectè docet Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 7. art. 3. Ratio est. Nam sicut potest quis cum iactura vitæ alterius, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, defendere propriam vitam, aut res magni momenti: ita etiam cum iactura alienæ famæ.

Exponit autem Sotus præterea aliquas cõditiones, quibus existẽtibus securiùs aliquis potest id facere. Vt si v. g. alter *sponte*, aut etiam *temerè*; nõ autem coactus à Iudice, voluit illud testimonium ferre; & maximè si testimonium fuit futurum falsum, &c. Nihilominus etiamsi hæ conditiones absint, accusatus potest prædicto modo testem *excipere*. Nam vtitur iure suo, quo potest suum commodum alterius indemnitati præferre. Neque obligat illum tunc præceptum curandi potius famam alterius.

Falsum autem crimen obiicere testi ad eius auctoritatem infringendam, vel infirmandã, vt solent facere improbissimi quidã causidici; omnino est iniquissimum, non modò propter mendacium, sed etiam propter damnum & infamiam, quam testi tales adferũt, vel re ipsa, vel quantum est in ipsis, si fortè ob eorum leuitatẽ fides ei minimè adhibeatur. Quam rem optimè annotauit Sotus vbi suprà.

PVNCTVM QVARTVM.

An falsum testimonium semper sit peccatum mortale.

D. Thomas art. 4.

Istingvendvm est. Nam quatenus falsum testimonium in Iudicio habet etiam adiunctam deformitatem *periurij*; non est dubium, quin semper sit peccatum Mortale. Quatenus verò falsum testimonium *est contra iustitiam*, est mortale ex genere, & ita prohibetur in Decalogo, Exodi 20. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Quatenus autẽ falsum testimonium est *mendacium*, non habet semper deformitatem mortalem. Siquidem deformitas solius mẽdacij *ex se & præcisè* non est mortalis ex genere, nisi alia simul deformitas accedat, vt accedit in ꝓposito, contra virtutem nimirum *Religionis & Iustitiæ*.

Ita docet diuus Thomas hîc & alij communiter. Ac est intelligenda hæc doctrina de falso testimonio *formaliter & ex intentione*. Nam si post diligentem cõsiderationem ferat quis testimonium falsum *materialiter*, hoc est, rationabiliter putans, se verum dicere; non peccat, vt diuus Thomas hîc in solutione primi docet.

Ex quo rectè colligit Caietanus, talem testem non teneri ad aliquam restitutionem: nam non fuit causa moralis damni ex intentione iniqua. Sicut qui bona fide consumpsit aliquid alterius, putans esse suum, non debet postea alteri aliquid restituere. Obligatio namque restituendi non astringit aliquem, quando neque acceptio fuit *iniusta*, neque extat apud eum *res* restituenda. Ita suo modo dicendum in proposito. Nam testis (vt suppono) nihil ex damno alterius acquisiuit, quod adhuc habeat, & non fuit iniquè causa damni. Nihilominus debebit talis testis postea testimonium retractare, si intelligit, se falsum dixisse, & præterea se prodesse posse ad alterum liberandum sine magno incommodo proprio. Quod etiam notat Sotus lib. 5. de Iustitia, quæstione 7. artic. 4.

Est autem hoc loco Dvbivm circa quandam doctrinam D. Thomæ in responsione ad 2. Ait namque ibi, si *falsum* testimonium feratur ad *innocentem* liberandum ab iniusto iudicio, atque adeo ab iniustitia, non esse mortale, ratione alicuius iniustitiæ, sed ratione *solius periurij*. Et probat: quia *iniustum iudicium non est iudicium*, inquit diuus Thomas, ac proinde impedire illud iudicium falso testimonio, non est impedire iustitiam.

Hæc doctrina D. Thomæ ambiguitate non vacat. Dubium namque est, de quonam iniusto iudicio intelligatur. An scilicet de solo iniusto iudicio ex peruersitate *Iudicis*, quando is iudicat *sibi non subditum*, vel non *secundùm allegata & probata*; an etiam de iniusto iudicio ex parte *ipsius rei iudicatæ*, cùm videlicet ex ordine quidem iuris secundùm allegata & probata, sed tamen is, qui est verè innocens, condemnatur.

Ratio dubitandi est. Nam ex vna parte, quòd non sit etiam intelligenda ea doctrina de iudicio iniusto ex parte *rei*, iusto autem secundùm allegata & probata, inde videtur conuinci, quòd tale iudicium non est absolutè iniquum, siquidem debet Iudex illud ferre: & ita falsum etiam videtur, quòd tale iudicium sit *nullum*, vt dicit diuus Thomas. Ex alia verò parte videtur ea doctrina de hoc etiam iudicio intelligenda, ita, vt velit S. Thomas, non esse iniustitiam, falso testimonio liberare innocentem ab *iniusto* iudicio ex parte *ipsius rei*, quamuis *iusto secundùm allegata*. Ratio est. Nam similiter in tali casu is, qui falsò testificatur, dicit testimonium, non *contra* iustitiam, sed *pro* iustitia, quam reuera habet innocens.

Respondeo, esse intelligendam doctrinam eam D. Thomæ de *omni* iudicio iniusto, siue ex parte *modi* procedendi *contra iuris ordinem*, siue ex parte *solius rei*, cùm is, qui reuera est innocens, damnatur secundùm allegata & probata. Ita vniuersaliter intelligunt eam doctrinam Sotus libro 5. de Iustitia, quæst. 7. artic. 4. & Caietanus hîc. Ac ita esse eam diui Thomæ doctrinam intelligendam, patebit cuiuis conferenti argumentum secundum diui Thomæ cum solutione.

Estque verissima vtroque modo intellecta doctrina hæc propter rationem posteriori loco allatam. Nam sententia lata vel ferenda *secundum allegata* contra ipsius rei iustitiam & veritatem, nullum omnino ius suppeditat iniquo actori (id quod est, illud iudicium esse *nullum*, vt ait D. Thomas) Ergo qui falso testimonio agit cõtra illud,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt faueat verè innocenti, cõtra nullius iustitiam facit, sed potiùs propulsat iniuriam inferendam innocenti.

Quare ad *priorem* rationem dubitandi, qua probabatur, non esse intelligendam doctrinam eam D. Thomæ de hoc etiam iudicio iniusto *ex parte solius rei*; Respondeo, dupliciter intelligi posse iudicium istud contra rei veritatem secundùm allegata, *non esse iniustum*. VNO modo ex parte *Iudicis*, quia scilicet is non peccet contra iustitiam sic iudicando. Et ita verum est, tale iudicium non esse iniustum: imò est licitum & debitum, sicut suprà quæst. 11. punct. 2. disputauimus. Et secundùm illud habet ius Iudex procedendi contra verè innocentem. Nam sequitur iudicium certum moraliter communitatis, vt illic tradidimus.

ALTERO modo potest intelligi, iudicium istud *non esse iniustum* ex parte *ipsius rei*. Et hoc falsum est. Verè namque ex parte rei iudicium istud est iniustum, cùm non habeat obiectum *re ipsa iustum*, sed iniustum. Ac proinde secluso scandalo tale iudicium seu sententia, minimè in conscientia obligat condemnatum, vt ex communi doctrina tradidimus, quæst. 4. punct. 2. Et consequenter neque verè suppeditat ius aliquod *actori*; id quod est in proposito tale iudiciũ esse *nullum*, vt ait S. Thomas. Quò fit, vt qui falso testimonio impedit tale iudicium, minimè faciat contra iustitiam.

SED occurrit argumentum, ad probandum, sententiam latam *secundùm probata*, semper obligare condemnatum in conscientia, & suppeditare ius *actori*: ac proinde contra iustitiam facere eum, qui per falsum testimonium fauet verè innocenti. Nam Iudex per talem sententiam licitè *vult* ius suppeditare actori, *& imperat* vtrique parti: Ergo verè *id efficit*; ac proinde verè obligat vtramque partem in conscientia. Antecedens est clarum ex dictis quæst. 11. punct. 2. Consequentia probatur: quia non videtur posse separari *obligatio subditi*, à licito *imperio & voluntate obligandi in Superiore*. De ratione enim liciti imperij Superioris est, vt obliget: Sicut etiam de ratione legis vniuersalis licitæ. Et similiter ad hoc, vt aliquis acquirat ius, non videtur aliud requiri, quàm vt publica potestas secundùm iudicium verum *humano modo*, rationabiliter velit ius alicui facere, obstringendo & obligando illi alterum.

RESPONDEO negando Consequentiam. Ratio, cur negem, est. Nam cùm omnis obligatio, quæ homini imponitur, & omnis collatio iuris homini facta, debeat fieri *humano modo*; duo requiruntur in proposito ad obligationem, & iuris collationem. VNVM est ex parte *Superioris*, vt videlicet is verè moraliter loquendo iudicet, esse à subdito faciendum id, quod iubet, tanquam debitum ex iustitia. ALTERVM est ex parte *subditi*, vt videlicet is quoque rationabiliter, siue auctoritate Superioris, siue alia ratione inductus, possit iudicare, illud, quod Superior sentit, ita esse, atq; adeo possit suscipere illud faciendum, tanquam debitum ex iustitia, certa cum ratione & intelligentia sua, & non vt brutum animal, sed vt homo intelligens, &c. Ac similiter vt *Superior* seu Iudex rem aliquam alicui tribuat possidendam tanquam suam, requiritur in eo iudicium verum moraliter, quo iudicet, rem esse illius; & præterea iudicium quoque *in subdito*, quo is rationabiliter putare possit, rem talem esse suam; vt sic *humano modo* rem recipiat tanquam suam, & intelligat fundamentum siue titulum, quo ei res à Superiore tribuitur: quod quidem fundamentum in proposito non est aliud, nisi quia iudicatur, rem esse huius, cui attribuitur. Non enim Iudex pro suo arbitratu rem donat, quam alicui adiudicat, sed tantùm constituit, quid sit alicui debitum secundùm iustitiam.

Ex his igitur patet, meritò nos negâsse Consequentiã argumenti propositi. Nam etsi in præsenti casu (quo *secundùm allegata*, condemnatur is, qui verè est innocens, vel tuetur iustam causam) adsit iudicium requisitum ex parte *Superioris*, sequentis iudicium communitatis: tamen nõ adest, neque potest adesse rationabiliter iudicium ex parte *subditi*, cùm is habeat euidentiam contrariam, quam nullo modo potest deponere, quicquid publica potestas iudicet. Et idcirco ex parte subditorum est impedimentum in proposito, quò minùs voluntas & iudicium Superioris habeat eum effectum, quem haberet, si subditi rationabiliter possent Superioris dictamini sese conformare, obligationem nempe & iuris collationem in rem aliquam.

Quocirca ad probationem Consequentiæ illius argumẽti, respondendum est per distinctionem. Nam si sententia aut lex sit vndequaque licita, atque adeo etiam ex parte *ipsius rei*; non est ab ea obligatio separabilis. Si autem est licita non ex parte etiam ipsius rei, *sed solùm* ex parte *Legislatoris & Iudicis*, non est de ratione illius, vt reipsa obliget, sed vt possit obligare, quantũ est ex parte ferentis illam.

Est autem hoc diligenter NOTANDVM pro materia de Legibus & Excommunicatione, ad discernendum, quando & quomodo licita sententia obliget, vel non obliget in conscientia, & quomodo sint intelligendi Doctores, quando modò dicunt, sententiam *secundùm allegata*, contra veritatem, esse *licitam & debitam*, & per illam iustè innocentem condemnari; modò verò dicunt, esse *iniustam, & inualidam, & nullam*, sicut dicit hîc S. Thomas, & Caietanus, & alij. Nam ad hoc, vt lex vel sententia obliget, necesse est, vt illud, quod præcipitur vel imponitur faciendum, eadem ratione possit rationabiliter iudicari à subdito, esse sibi faciendum, qua ei à Superiore præcipitur vel imponitur; alioqui deerit modus debitus obligandi *humano modo*.

POSTREMO circa eãdem doctrinam D. Thomæ notandum, hoc, quod D. Thomas dicit absolutè, iudicium iniustum esse *nullum*, reipsa non esse contra doctrinam quandam Iuristarum, qui distinguere solent sententiam *iniustam* à sententia *nulla*. Sed tantùm varietas est in modo loquẽdi. Nam Theologi non vocant sententiam *iniustam*, nisi eam quæ habet *iniustum* pro obiecto, vel ex parte *rei*, vel ex parte modi contra Iuris ordinem: siue tale *iniustum* sit notum omnibus, siue non: quæ quidem sententia sic iniusta semper est nulla, secundùm veritatem Philosophiæ moralis, & forum conscientiæ, quod consideratur à Theologis. At verò Iuristæ vsurpantes communius nomen *iniustæ sententiæ*, iniustam sententiam vocant quamcunq; illicitè latam, etiam ex solo *prauo affectu*, aut alia mala *circumstantia*: *Nullam* autem tantùm vocant eam sententiam, quæ continet manifestũ & *intolerabilem* errorem iniustitiæ *omnibus notum*, siue ex parte *rei*, siue ex parte modi; ac proinde eam, quæ neque in foro exteriori habet vllum effectum; sed reputatur irrita.

Ita quoq; notant Caietanus & Sotus locis citatis.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Iustitia & Iniustitia Aduocati.

D. Thomas 2. 2. q. 71.

QVATVOR SVNT EXPLICANDA. PRIMO, AN QVILIBET FVNGI possit officio Aduocati. SECVNDO, An teneatur Aduocatus patrocinari alicui gratis ex misericordia. TERTIO, An possit etiam pro precio patrocinari. QVARTO, An peccet mortaliter defendendo causam iniustam.

PVNCTVM PRIMVM.

An quilibet fungi possit officio Aduocati.

D. Thomas art. 2.

NON omnes, etiamsi sufficienti Iuris scientia instructi sint; sed illi solùm possũt Aduocati munus obire, quibus id *iure* non est prohibitum. Nam vt docet D. Thomas hîc, nonnulli ab hoc officio *iure* prohibentur. Idque vel propter indecẽtiam, vt Religiosi & Clerici, qui diuinis potius vacare debent; vel propter defectum virtutis & iustitiæ, vt infames, & infideles, & damnati de grauibus criminibus; vel etiam propter defectũ corporalem, vt qui non possit loqui, aut audire, aut videre. Quæ omnia habentur in Decretis 3. quæst. 7.

NOTAT autem bene Sotus libro 5. de Iustitia q. 8. art. 2. non semper esse mortale, si cum aliquo horum defectuum minus notabili, aliquo modo quis eo officio fungatur, dummodò peritia iuris valeat. Vt si mutus, v. g. *scripto* aliquem iuuaret. Præterea NOTANDVM, *in necessitate*, & quando Superior præcipit in *causis piis*, pertinentibus ad Monasteriũ, posse etiam Monachos patrocinari, vt patet 16. quæst. 1. Cap. Monachi, & Cap. Ex parte. Extra de Postulationibus. Similiter etiã Clerici, & infames, possunt *in necessitate* pro se & personis sibi coniunctis eo munere fungi, vt docet D. Thomas in articulo, & habetur Cap. Infames 3. q. 7.

PVNCTVM SECVNDVM.

An teneatur Aduocatus aliquando patrocinari gratis.

D. Thom. art. 1.

DOCTRINA est communis & vera ea, quam de hoc tradit D. Thomas hîc, & Alex. Hall. p. 3. q. 44. m. 1. & Gab. in 4. d. 15. q. 6. dub. 4. & Sotus libro 5. de Iust. q. 8. art. 1. & Syluest. verbo Aduocatus, n. 11. & alij; nempe debere Aduocatum gratis patrocinari pauperi, quando is in necessitate constitutus indiget patrocinio, & Aduocatus non videt aliam viam, qua facilè subleuari possit pauper. Quemadmodũ Medicus etiam (inquit D. Thomas) in simili casu debet gratis curare pauperes.

Sunt autem circa doctrinam hanc duo notanda. PRIMO, tunc solùm excusari Aduocatum à præcepto gratis opitulandi pauperi, quando alia via possit illi subueniri, non quidem Physicè aut Metaphysicè loquendo; sed ita moraliter, vt probabiliter Aduocatus existimet, ea via pauperi *subuẽtum iri*. Vt v. g. si Aduocatus sciat, talem pauperem habere fratrẽ *Aduocatum*, vel *locupletem*, qui stipendio proposito facile Aduocatũ adhibebit in fauorem fratris, &c. Alioqui potentia Physica aliter pauperi subueniendi, quam non sit moraliter certum ad actum reductum iri, non excusat Aduocatum, vt rectè hîc notat Caietanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO notandũ: Sicut suprà in materia de Eleemosyna docuimus, debere vnũquemq; sub mortali subuenire in *extrema* necessitate constituto de *necessariis etiam* ad statũ proprium, & præterea in *graui* necessitate constituto de *superfluis statui*: ita etiam in proposito Aduocatum suo patrocinio debere sub mortali succurrere pauperi *extremè* indigenti (hoc est, in causa ad vitæ conseruationem pertinente) detrahendo etiam aliquid, si opus sit, de necessariis ad statum. Id quod in proposito faciet Aduocat⁹, si detrahat aliquid de tempore, quod impendebat patrocinio eorum, à quibus recipiebat stipendia necessaria ad conseruãdum suum statum, & tribuat illud causæ pauperis. Et prꝛterea etiam sub mortali debet patrocinari causæ pauperis in *graui* etiam necessitate (Vt si ageretur de fama, &c.) *de superfluis statui*, hoc est, detrahendo de tempore, quo vacare solet causis, ex quibus facit lucrum non necessarium statui, & impendendo illud causæ pauperum. Ita docet rectè Syluester, verbo Aduocatus, n. 8. & Sotus lib. 5. de Iustitia q. 8. a. 1. & alij.

Quare meritò hic reprehenditur Caietanus, quòd dictam distinctionem *grauis* & *extremæ* necessitatis, quam ipse bene aduerterat suprà quæstione 32. non applicat etiam præsenti materiæ, sed ait, se non posse intelligere, debere Aduocatum sub mortali patrocinari gratis, nisi in *extrema* necessitate constituto: in *graui* autem solùm sub veniali. Hoc certè minimè congruit cum iis, quæ idem Caietanus de obligatione faciendi Eleemosynam rectè docuerat q. 32. & nos illic confirmauimus. Atque hæc ipsa, quæ dicta sunt de Aduocato, intelligenda sunt suo modo de Procuratoribus, Medicis, & aliis huiusmodi.

PVNCTVM TERTIVM.

An possit Aduocatus pro precio patrocinari.

D. Thomas art. 4.

ANTER omnes conuenit de eo, quod docet D. Thomas hîc, scilicet non semper Aduocatum debere ex misericordia gratis patrocinari, sed posse id facere pro precio extra casus p. præced. explicatos. Confirmatur auctoritate D. AVGVSTINI epist. 54. ad Macedonium dicentis, *Aduocatum licitè vendere iustum patrocinium, & Iurisperitum verum consilium.* Si autem Aduocatus per improbitatem aliquid immoderatè extorqueat, peccat cõtra iustitiam. Vnde illic D. Augustinus ait: *repeti solere extorta ab his per immoderatam improbitatẽ.*

Circa quam doctrinã tria sunt notanda. PRIMO, precia Aduocatorũ esse in duplici differentia. Alia sunt *lege* taxata, vltra quæ si aliquid accipiant, constat esse iniustitiam, vt patebit infrà vniuersaliter in materia de Venditione. Alia determinantur secundùm *hominum arbitrium*. Et hęc debent definiri moderatè, habita ratione industriæ, laboris, &c. de quo vide latiùs Nauarrum in Summa cap. 25. 8. de Aduocatis, & Syluestrum, verbo Aduocatus.

SECVNDO est notandum, prohibitum esse l. Si qui. C. de postulationibus, & l. Sumptus. ff. de pactis. ne Aduocatus de *quota* litis pacisca tur. Si obtinuerit causam. Et ratio eius prohibitionis est, ne crescat cupiditas, & adhibeantur fraudes, &c. de quo etiam vide Nauarrum.

TERTIO est notanda doctrina D. Thomæ in solutione tertij, vbi assignat discrimen inter *Iudicem*, & *Aduocatum*; propter quod conuenit, vt Iudici stipendia suorum laborum non nisi à communitate assignentur: Aduocatis autem licebat accipere stipendia à suis clientibus. Discrimen enim est, quod *Iudex* habet pro immediato scopo bonum *vtriusq; partis indifferenter* secundùm iustitiam; & idcirco ne inclinetur ad fauendum, contra iustitiam alterutri, conuenit vt non accipiat aliquid ab illis. At verò Aduocatus solùm procurat bonum *vnius*: & ita non imminet inde simile periculum.

PVNCTVM QVARTVM.

An peccet mortaliter Aduocatus defendendo causam iniustam.

D. Thomas art. 3.

RESPONDENT communiter omnes, Aduocatum talem & peccare mortaliter, & debere restituere. Nam ex causa moralis damni alterius partis, præbẽdo videlicet contra eam, auxilium & consilium, &c. Si autem ignoranter iniustam causam defendit, putans esse iustam, excusabitur iuxta modum, quo ignorãtia excusare solet, vt to mo 2. disp. 2. q. 1. generatim de ignorantia tradidimus.

Et quidem doctrina hæc nullam videtur habere difficultatem, quando prudens & sciens suscipit Aduocatus iniustam causam. Sed quæstio est hîc PRIMO, Vtrum liceat Aduocato suscipere causam *dubiam*? cùm videlicet etiam est probabile, contrariam causam esse iustam. Ad hoc Sotus lib. 5. q. 8. a. 3. respondet distinguẽdo. Nam si est, inquit, causa *magni momẽti*, qua agitur de vita vel honore, vel de omnibus bonis; scelus esset actori contra reum patrocinari, nisi saltem tanta nitatur probabilitate accusatio, quãta defensio. Ratio eius est: quia melior est conditio *possidentis*. In rebus autẽ *minoris momenti* posset (inquit Sotus) debiliorem partem suscipere, si tamẽ absit fraus & peruersa legum interpretatio: licenti admoneat suum cliẽtem inprimis, iustitiam magis alteri parti fauere. Quanquam periculum semper esset, inquit Sotus, mentiendi & vtendi fraudibus.

Hæc responsio Soti non videtur sufficiens, neque omnino vera. Nam *secundum* eius dictum absolutè est falsum, vt statim patebit: & *primum* si intelliga-

intelligatur secundùm quodcunq; ius, etiam est falsum; & deinde ratio illius dicti plus probat, quàm Sotus vult. Probat enim non solùm non licere, quando est *minùs* probabilis iustitia *actoris*, partem eius suscipere, sed etiam neque licere, quando esset *æquè* probabilis; quia *melior* est conditio *Rei possidentis*.

Ideo Nauarrus in Manuali cap. 25. nu. 28. indistinctè dicit, posse Aduocatũ causam *dubiam* pro arbitratu defendere, modò de dubio moneat clientem. Et citat pro hoc Syluestrũ, verbo Aduocatus, q. 10. Sed Syluester ibi q. 13. aliquid amplius dicit. Et omnino videtur hac in re distinguendum.

Dico igitur PRIMO, Si ius *naturale solum* spectes, potest Aduocatus quamcunque partem suscipere pro libito, existente vtrinque *æquali probabilitate*. Hoc concedit etiam Sotus hîc, quamuis non distinguat de iure *naturali* & *positiuo*. Et probatur. Nam tunc neque ratio *charitatis* dictat, vni parti determinatè potius esse fauendum: neque etiam ratio *iustitiæ*, cùm secundùm illam nõ magis appareat fauendum esse vni, quàm alteri, vt supponimus. Et confirmatur. Nam Iudex ipse in casu *æqualis* vtrinq; probabilitatis, secundùm ius naturæ, absque vlla violatione iustitiæ commutatiuæ vel distributiuæ, potest parti, cui maluerit, fauere, vt docuimus q. 7. p. 4. Ergo à fortiori Aduocatus id poterit, cùm eius non sit constituere ius inter vtramque partem, sed tantùm fauere cum iustitia parti alicui.

Dico SECVNDO, secundùm ius *positiuum*, probabile est, Aduocatum non posse fauere *actori* in prædicto casu *æqualis* probabilitatis. Hoc est contra primum dictum Soti, intellectum vniuersaliter secundùm quodcunque ius. Probatur hoc ex regula Cum sunt. de regulis Iuris in 6. vbi præcipitur, Reo fauere, *cùm sunt partium iura obscura*. Et ita dicit Syluester, verbo Aduocatus, num. 7. seu q. 13. debere in tali casu Aduocatum, vel non fauere *actori*, sed desistere; vel suscipere causam *Rei*; nisi quando est causa fauorabilis, *libertatis* vel *matrimonij*. Tunc enim potius est fauẽdum actori.

Quòd si respondeas, eam regulam tãtùm pertinere ad Iudicem, qui debet inter vtramq; partem ius constituere, atque adeò fauere ei parti, cui secundùm ius est fauendum; non autem ad Aduocatum, cui non incumbit fauere parti, cui est fauẽdum, sed suscipere, si velit, causam, quam sine temeritate iudicauerit esse iustam: Contra hoc est PRIMO, quòd non satis constet, an non ea regula pertineat quoque ad Aduocatum; imò oppositum videtur Syluester vbi suprà sentire. DEINDE, quòd quamuis concedatur, eam regulam ad solum Iudicem pertinere, tamen inde ea tiam sequitur, Aduocatum non posse suscipere causam *actoris* in tali casu. Ratio est. Nam non potest causam suscipere, nisi quam talem esse iudicet, vt possit eam *probare* Iudici, & quantum est in se, *persuadere*, vt pro illa sententiam ferat (hoc enim est Aduocati officium) sed in præsenti casu *æqualis* vtrinq; probabilitatis, non potest Aduocatus talem iudicare causam actoris: Ergo non potest eam suscipere. Probatur Minor: quia omnibus consideratis propter illam regulam Iuris, iudicat Aduocatus, vel certè iudicare debet, non esse in illo casu à Iudice ferendam sententiam in fauorem *actoris*: Ergo non potest causam actoris promouere. Faceret enim contra conscientiam, quam debet habere secundùm scientiam Iuris, atque adeò etiam illius regulæ.

Dico TERTIO, partem, cui Aduocatus iudicat fauere opinionem & *minùs probabilem*, & etiã *falsam apud ipsum*; neque in causa magni momenti, neque parui, potest defendendam suscipere. Patet hoc clarè ex ratione iam facta. Nam tunc non potest Aduocatus, nisi contra conscientiam, Iudici suadere iustitiam eiusmodi causæ, cùm reputet illam esse iniustam, persuasus nimirum veram esse contrariam opinionem. Non enim est ipsius officium duntaxat exponere fundamenta probabilitatis opinionis sui clientis, sed ita dicere, vt ostendat sese ita etiã sentire; alioqui nihil proficeret. Cùm ergo id non possit licitè facere, habens ipse pro vera contrariam opinionem, non potest suscipere talem causam. Deniq; patet hoc ex dictis suprà q. 7. p. 4. circa *opiniones*.

Dico QVARTO, si Aduocatus de opinione, quam iudicat minùs probabilem, non etiam habeat determinatum assensum, quòd *sit falsa*, aut talem assẽsum deponat; probabile est, quòd possit etiam suscipere defensionem eius partis, cui talis opinio fauet, siue ea pars sit *Reus*, siue *actor*. Ita videtur sensisse Nauarrus loco citato, vbi nihil de maiori aut minori probabilitate circa hoc distinguit, sed absolutè affirmat posse ab Aduocato suscipi causam *probabilem*.

Probatur hoc *primò* ex communi consuetudine etiam bonorum Aduocatorum, qui neque à doctis & piis Confessariis ob id damnantur. Per quam consuetudinem esset derogatum positiuo illi Iuri anteà citato ex Regula *Cùm sunt*; etiãsi ea regula ad Aduocatos extẽderetur, iuxta id, quod in confirmatione secundi pronunciati argumẽtabamur.

Secundò probatur idem ex eo, quòd si Aduocatus, cùm causam minus probabilem defendit, nõ habeat etiam assensum determinatum, quòd opinio ei causæ fauens sit *falsa*; minimè aget contra conscientiam, defendendo talem causam: Sicut neque Iudex sine tali assensu pro ea iudicando, vt tradidimus q. 7. p. 4.

SECVNDO quæritur hoc in loco, quid debeat facere Aduocatus, quando *in processu causæ comperit* se tueri partem iniustam. De hoc conuenit PRIMO inter omnes, quòd debeat aliquo modo sine scandalo illam deserere. Ita D. Thomas hîc ad 2. & Syluester, verbo Aduocatus q. 13. & Nauarr. in Man. c. 25. n. 28. & Sotus lib. 5. de Iust. q. 8. a. 4. &c.

SECVNDO dicunt D. Thomas & alij, non debere tamen Aduocatũ exponere contrariæ parti iniquitatẽ partis, quam tuebatur. Ratio est, quia non tenetur contrariæ parti fauere. Hoc tamen limitat Sotus, quando non est causa *sanguinis*, aut *magni momenti*. Tunc enim si Aduocatus euidenter veritatem cognosceret (inquit Sotus) & admonito cliente, vt desistat, non vellet is desistere: deberet Aduocatus iniquitatem causæ prodere ad liberandum innocentẽ, imò agere testem pro illo & patronum, si opus esset. Hãc limitationem puto esse veram casu, quo Aduocatus iudicaret aliãs innocentem condemnatum iri, & speraret se sua auctoritate & testimonio aliquid profuturum ad eius liberationem.

TERTIO dico, in quacunque causa, secluso scandalo, licere Aduocato suscipere causam alterius partis, postquam eius iustitiam cognouit. Neque hoc esset præuaricari, aut facere iniuriam parti priori, siquidem iam reputat illius causam esse iniquam, & fauet iustitiæ. Hoc etiam intelligo, secluso peculiari *pacto* inito inter clientem & Aduocatum, &c. Quare non puto tunc dici posse Aduocatum præuaricatorem, aut proditorem causæ sui clientis; siquidem non agit contra iustitiam. Neq; de tali intelligendum est, quod dicitur Capit. Si quem pœnituerit 3. q. 7. puniendum esse Aduocatum, reuelantem secreta sui clientis alteri parti.

Et hæc quidem ita se habent. Circa id autem, quod initio quoq; ex sententia D. Thomæ diximus, posse Aduocatum, defendentem iniustam causam, excusari *per ignorantiã*, NOTA rectè Caietanus hîc, tunc ignorantiam excusare Aduocatum ab iniustitia & vinculo restituẽdi, quãdo est *inculpabilis*; videlicet quando est ignorantia rei, ad quam sciendam fecit Aduocatus, quod tenebatur & potuit. Item quando ignorantia talis est *causa* actus, ita vt si Aduocatus sciuisset, nõ suscepisset talem causam. Alioqui si est tantùm ignorantia concomitans, hoc est, quando etiamsi Aduocatus iniustitiam causæ sciuisset, nihilominus suscepisset causam iniustam, tunc non excusat. Nã qui eo modo dispositus causam suscipit, virtualiter vult iniustitiam facere: Sicut etiam Aduocati illi, qui non adhibent diligentiam, vt sciãt iustitiam partium. Et hactenus in hac & quatuor præcedentibus quæstionibus disputatũ fit de iis, quæ pertinent ad Iniustitiam Iudiciorum. Nam si quæ sunt alia magis particularia, ea facilè diiudicari poterũt vel ex communibus Iustitiæ commutatiuæ regulis (de quibus in prioribus quæstionibus huius Disputationis actum est) vel ex his ipsis, quæ hactenus de Iudiciis disputauimus.

QVAESTIO DECIMASEXTA.

De Contumelia quæ est iniuria verborum extra Iudicium.

D. Thomas 2. 2. q. 72.

DISSERENDVM EST IN HAC ET TRIBVS SEQVENTIBVS quæstionibus de Iniuriis verborum, quæ contingunt etiam extra Iudiciũ, cuiusmodi sunt Contumelia, Detractio, Susurratio, Derisio, Maledictio. Et de Contumelia quidem tria sunt hîc explicanda. PRIMO, Quid sit, & ex qua causa oriatur. SECVNDO, An sit peccatum Mortale. TERTIO, An Contumeliæ sint tolerandæ.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Contumelia, & ex qua causa oriatur.

D. Thomas art. 1. & 4.

CONTVMELIAE ratio eodẽ ferè modo ab omnibus explicatur ex sententia D. Thomæ hîc, vt videre est apud Syluestrum, & alios Summistas, verbo Contumelia, & Sotum lib. 5. de Iustitia, q. 9. art. 1. & Nauarrum in Manuali cap. 18. nu. 10. 11. 12. Itaque *Contumelia proprie loquendo consistit in hoc, vt quis auferat honorem alicui, deducendo in notitiam eius & aliorum, atque adeò significando ei aut etiam aliis aliquid, quod sit contra honorem eius.*

Hanc esse rationem Contumeliæ, dupliciter cõfirmari potest. *Primò* ex etymo vocabuli. Nam siue Contumelia dicatur à *tumendo* per quandam iracundiam animi, vt vult Isidorus lib. 10. Etym. cap. 3. siue à *contemnendo*, vt vult Vlpianus, l. 1. ff. de Iniuriis, optimè huiusmodi notiones vocabuli in prædictam Contumeliæ descriptionẽ quadrant. *Secundò* confirmatur eadem descriptio per viam *diuisionis* sic: Nam cùm contumelia sit quædam alterius dehonestatio; vel debet esse dehonestatio tollens *excellentiam* aliquam, quæ sit fundamentum honoris; vel tollens ipsum *honorem* significando aliquem excellentiæ defectum: Sed primum non potest dici; cùm id fiat per iniustitias alias, quibus

quibus reipsa exspoliatur quis bono aliquo, quo eius aliqua excellentia contineatur: Ergo in secundo fatendum est contumeliam consistere, sicuti eam descripsimus.

Potrò ex hac Contumeliæ descriptione quædam consequuntur, quæ sunt annotanda. PRIMO sequitur, Contumeliam præcipuè quidem consistere *in verbis*, vt docet hîc D. Thomas, & alij cõmuniter. Nam consistit in *significando* defectum aliquem excellentiæ in altero, vt dictum est. *Significatio* autem præcipuè fit per verba: dicente AVGVSTINO libro 2. de doctrina Christiana cap. 3. *verba obtinuisse significandi principatum apud homines.*

SECVNDO sequitur, Contumeliam etiam *in factis* posse consistere, licet minùs principaliter, vt ait idem D. Thomas. Probatur. Nam aliqua facta habent vim significandi. Vnde Glossa interlinealis super illud ad Rom 1. *Contumeliosos, superbos, &c. Contumeliosi*, inquit, *sunt, qui dictis vel factis contumelias & turpia inferunt.*

TERTIO sequitur, hæc tria, Conuitium, Contumeliã, & Improperium, minimè differre specie, vt rectè notant Caietanus hîc & Sotus vbi suprà ex doctrina D. Thomæ a. 1. ad 3. Nam ad idem referuntur, videlicet ad significandum defectum alicuius in detrimentũ honoris eius. Nam quando significatur defectus in *malo culpæ*, dicitur *contumelia*, vt si quis cuipiam diceret: *ipsum esse furem.* Cùm significatur defectus in *malo pœnæ* dicitur *conuitium*, vt si quis alicui dicat: ipsum esse *cæcum.* Cùm significatur defectus in *malo indigentiæ* minuentis excellentiam, dicitur *improperium*: quod præcipuè fit, cùm quis iniuriosè facit alteri recordationem auxilij aut beneficij, quod ei in necessitate constituto præstitit; iuxta illud Eccl. 20. *Exigua dabit, & multa improperabit.* Contrà autem Deus, *Dat omnibus affluenter, & non improperat*, Iacobi 1.

QVARTO sequitur, contumeliam omnino aduersari commutatiuæ Iustitiæ; quandoquidem per contumeliam infertur homini damnũ quoddam dedecoris & despectus, atque adeò ei auferturpotẽtia quædam seu dispositio proxima ad consequendum *honorem actualem* pro loco & tempore, &c. tum *in actu*, tũ *in potentia* consideratus, numeratur, moraliter loquendo, inter bona hominis. Dico autem per contumeliam auferri hominipotentiam quandam & dispositionem proximam ad actualem honorem pro loco & tempore; & non dico auferri *ipsum actualem honorem*: Nam iniustitia contumeliæ, de qua hîc agimus, non consistit per se loquendo in negatione *actualis honoris.* Tunc enim Contumelia non haberet locum tempore, quo aliquis non obligatur ad exhibendum *actu* honorem & reuerentiam alteri: siquidem non auferret ei, quod tunc est aut debet esse suũ. Item neq; consistit præcisè in solo actu contrario dehonestationis. Nam eo ipso præcisè nullum bonum alteri adimitur, sed tantùm infertur quoddam dedecoris malum, contra præceptum negatiuum Virtutis obseruantiæ. Debet ergo explicari iniustitia contumeliæ, ita, vt quemadmodum diximus, consistat in hoc, quod quis adimit alteri bonum illud *dispositionis & potentiæ proximæ* ad actualem honorem pro loco & tempore accipiẽdum.

QVINTO sequitur, nihil interesse ad rationẽ contumeliæ, vtrum quis *coràm* vel *in absentia* alterius contumeliam ei inferat, aliis præsentibus; neque vtrum *ipse per se* contumeliam manifestet alteri, vel *per alios*; neque vtrum ad *breue* vel ad *longum* tempus nolit esse paratus alteri honorem & reuerentiam exhibere. Hæc enim omnia tantùm pertinent ad maiorem vel minorem grauitatem contumeliæ. De ratione autem contumeliæ solùm est, vt quis significet aliquid in detrimentum honoris alterius ea intentione, vt alter id intelligat. Quod potest quis conari etiam *in absentia* dicendo defectum aliis ea mente, vt ad alterum deferant; & hoc siue *prodendo* se, siue *occultando, &c.*

Atque idcirco vt omnes hos contumeliæ modos D. Thomas complecteretur, dixit in 1. artic. contumeliam inferri, cùm quis id, quod est contra honorem alicuius, *deducit in notitiam eius & aliorum*; quod potest fieri omnibus illis modis, vt rectè notat Sotus in dicta q. 9. art. 1. Quod autem addidit, D. Thomas *& aliorum*; non addidit tanquam necessariũ, potest enim inferri contumelia alicui ipso solo præsente, vt idem D. Thomas expresè declarat in solutione secundi.

SEXTO sequitur, posse quoque inferri contumeliam per facta talia, quæ etiam absolutè inferant *aliunde* iniuriam, *vt facta* sunt, & non solùm vt *signa* irreuerentis animi; Et potest etiam fieri, vt tantùm habeant deformitatem contumeliæ, *vt signa* sunt. Vt v. g. si quis solicitaret vxorẽ proximi ad eum etiam dedecorandum: duplex esset iniustitia, nimirum & *adulterij* & *contumeliæ*. Si quis verò signo aliquo manu dato alicui conuitietur, tantùm est contumelia.

SEPTIMO sequitur, nasci quoq; obligationẽ *restituendi* ex contumelia, cùm per eam violetur iustitia. Circa quod tamen notat rectè Caietanus art. 3. per se loquendo eam restitutionem sufficienter fieri, si quis *mutet* voluntatem, & *exhibeat alteri reuerentiam*, vt etiam docet D. Thomas suprà q. 62. art. 2. ad 3. Quis autem modus in variis casibus censendus sit necessarius, vt id reuera fiat; num scilicet requiratur *petitio veniæ*, qua in primis exhibetur reuerentia: num aliquis alius modus; prudentiæ relinquendum est, inquit Caietanus.

Per se enim existimat Caietanus, *petitionem veniæ* non requiri, sed sufficere restitutionem honoris ablati: sicut etiam sufficit restitutio rei ablatæ in aliis materiis iustitiæ, absq; petitione veniæ de iniuria illata. Nihilominus non puto Caietanum velle per hoc negare, quin regulariter loquẽdo, maximè propter consuetudinem, quæ id iam obtinuit, inter æquales præsertim, debeat fieri restitutio *petendo* veniam. Et ita exponendi

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt Sancti Doctores, qui id vt plurimùm requirunt.

POSTREMO ex assignata ratione contumeliæ sequitur, verum esse, quod docet S. GREGORIVS lib.31.moral.cap.31.& D. Thomas art. 4. Contumeliam potissimùm oriri solere ex *Ira*. Nam licet vnum peccatum possit oriri ex variis peccatis; ex illo tamen frequentiùs oritur, ad cuius finem frequentiùs confert: Sed ad finem iræ, qui est *vindicta*, frequentiùs confert contumelia: Ergo ex ira maximè oritur. Minor probatur. Nam irato nullum malũ, quod inferat alteri in vindictam, tam est in promptu, quàm malum contumeliæ, vtpote quod verbis solis infertur.

Nec tamen est negandum, quin, vt in eodem articulo in solutionibus argumentorum declarat D. Thomas, oriatur etiam contumelia ex superbia & stultitia, quatenus cum his solet esse facile coniũcta ira. Nam superbus ægrè fert, quicquid illi est contrarium, & ideo procliuis est ad iram: & stultus non consulit rationem, quæ iram moderatur. Quare hoc ipso, quòd contumelia oritur ex ira, oritur etiam plerumq; ex superbia & stultitia. Iuxta illud Prouerb. 10. *Vbi superbia, ibi contumelia*. Et cap. 20. *Stulti miscentur contumeliis*.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Contumelia seu Conuitium sit peccatum Mortale.

D. Thomas art. 2.

TRIA sunt hac de re asserenda ex sententia D. Thomæ & communi, quam proponũt etiã Sylvester & alij Summistæ, verbo Contumelia, & Nauarrus in Manuali cap. 18. & Sotus libro 5. de Iustitia q. 9. art. 2. & alij. PRIMA assertio. Si intentio proferentis conuitium seu contumeliam, eò feratur, vt honorem alterius auferat; peccatum Mortale est, & non minus, quàm furtum aut rapina. Probatur. Quia non minùs amat homo suum honorem, quàm rem aliam à se possessam. Quò pertinet illud Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*.

Intelligo autem id esse peccatum Mortale nõ semper in quacunque materia, sed *ex genere*. Nam quando est *leue* conuitium absque firmo proposito aliquem dehonestandi, sed cum intentione leuiter subtrahendi honorem, videlicet parùm illum minuendo, & ad breuissimum tempus; potest esse Veniale, vt D. Thomas concedit in solutione tertij, & auctores suprà citati.

Quod autem idem D. Thomas in argumento tertio præsupponit, vt certum, videlicet peccatum Mortale ex genere, non posse fieri Veniale; contrà verò Veniale ex genere posse fieri Mortale: intelligendum est ex *sola* circumstantia extrinseca *finis alicuius*: Vt sensus sit. Ex fine aliquo extrinseco posse Veniale ex genere, fieri Mortale; vt quando quis mentitur, vt alterum grauiter in re aliqua lædat: non tamen id, quod est Mortale ex genere, fieri posse Veniale ex fine extrinseco; vt v.g. si quis furtũ, alioqui mortale, centum florenorum, referat ad eleemosynam, non erit Veniale, sed omnino Mortale. Nihilominus non est mens D. Thomæ negare: quin ex *paruitate materiæ* peccatum mortale ex genere, atque adeo etiam peccatum Contumeliæ, possit fieri Veniale. Atque ita etiam intelligit D. Thomam Sotus.

SECVNDA assertio. Si quis non dicat verba contumelioſa eo animo, vt alteri honorem auferat, sed propter Correctionem, aut iocum, aut aliquid huiusmodi, non esset peccatum Mortale; sed aut Veniale, aut etiã nullum. Probatur: quia (vt ait D. Thomas) talis tunc nõ committit peccatum contumeliæ *formaliter*, quod in intentione dehonestandi consistit; sed tantùm materialiter, dicendo verba, quæ alioqui pertinent ad contumeliam; & ita non esset Mortale ex genere.

Ac potest præterea hæc ipsa assertio confirmari ex discrimine quodam inter ea peccata iniustitiæ, quæ propriè consistunt *in facto*; & ea, quæ consistunt *in signis & verbis*, cuiusmodi est contumelia. Nam hoc ipso, quòd quis vult exercere actionem exteriorem, in qua consistunt peccata *facti*, conuincitur velle inferre nocumẽtum proximo, quicquid ipse dicat se velle aut intendere: quoniam ipsæmet actiones exteriores, sunt illatiuæ damni. Hoc enim ipso, quòd quis auferre rẽ alienã inuito domino, nocet illi. At verò in peccatis *signorum & verborum* nõ ita res se habet. Nam signa & verba absolutè secundùm se, vt quidam *sonus sunt*, vel vt habent quendam *modum aptum ad significandum*, non nocent proximo; sed vt sunt signa *cõceptus & affectus*. Et idcirco iniustitia eorum, & grauitas eius iniustitiæ, æstimari debet inprimis ex affectu & intentione seu voluntate (*directa*, aut *indirecta*, iuxta id, quod in tertia assertione dicam) qua proferuntur. Quemadmodum sapienter hic docet D. Thomas.

Hinc fit, vt excusentur Superiores, acriùs interdum subditos increpantes: non enim habent vllo modo intentionem aut voluntatem per hoc lædendi honorem subditorum, sed eos emendãdi. Quem ad finem aliquando etiam laudabiliter verba contumeliæ vsurpant, quæ aliàs possent efficere Mortale. Vt Christus Dominus Lucæ vltimo: *O stulti & tardi, &c.* Et diuus Paulus ad Gal. 3. *O insensati Galatæ, &c.*

Hinc etiam sequitur, posse quempiam alteri conuiciari peccando venialiter aut mortaliter, & tamen non committendo formaliter iniustitiam Contumeliæ. Vt si suo sermone non velit quidem honorem alteri adimere, sed rãtùm eum grauiter aut leuiter contristare; ex ira, aut etiam ex leuitate. Quanquam ferè semper cùm proferunt ea verba ex ira, interueniat etiam Contumelia. Item hinc patet etiam, quomodo conuitia possint interdum vacare culpa, & pertinere ad *Vrbanitatem* seu *Eutrapeliam*; quæ omnia colliguntur ex doctrina D. Thomæ, quæ est optima.

TERTIA assertio. Fieri potest, vt Contumelia, etiam sine *expressa* intentione lædendi honorem alterius, sit peccatum Mortale: si nimirum ita incautè *attentis circumstantiis* quispiam de altero dicat aliquid ad conuitiũ pertinens, vt quamuis ipse non intendat illius honorem lædere; tamen reuera apud alios lædatur. Tunc enim *indirecta saltem voluntate* vult talis honorem alterius lædere: quandoquidem tenetur & potest abstinere à sermone, quo alterius honor læditur, & non abstinet.

Atque hoc ipsum est, quod docet D. Thomas hic artic. 1. cùm dicit, necessariam esse in hoc sermonum genere *discretionem*: fieri namque posse, vt sine intentione lædendi, talia verba & eo modo dicantur, vt perdat quis eo ipso suum honorem. Itaque per accidens tunc aliquem propter incautum loquẽdi modum peccare mortaliter: sicut etiam cùm quis ioco incautè alterum grauiter lædit, culpa non caret.

Et quidem facilè potest accidere, vt incautè incurratur peccatum Mortale, sine intentione dehonestandi, quando *coram aliis* quispiam obiurgatur; maximè si satis perspectum non habeãt animum loquentis. Ita enim fieri potest, vt famã vel honorem apud alios quis perdat. Posset etiam id contingere secretè, si aliquis meritò ex modo loquendi Superioris scandalizaretur, existimans ipsum loqui perturbato animo.

Quocirca tutissimum fuerit rarò eiusmodi acerbitate vti. Vnde Cicero de Officiis: *Omnis, inquit, animaduersio & castigatio contumelia vacare debet.* Et diuus AVGVSTINVS lib. 2. de sermone Domini in monte, capite 30. *Rarò, inquit, & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ; in quibus non vt nobis, sed vt Domino seruiatur, instemus.* Quem locum dicat hìc etiam D. Thomas ad 2.

PVNCTVM TERTIVM.

An sint tolerandæ Contumeliæ.

D. Thomas art. 3.

RESPONDENDVM est per distinctionem. Nam dupliciter potest Contumelia quæpiam tolerari. VNO modo ita, vt & simus *parati ad non inferendum illud* priuata auctoritate malum pro malo, *nec ei illud inferamus*. Et hoc modo semper est toleranda Contumelia per *patientiam*, quæ vt rectè dicit diuus Thomas hìc, nobis est necessaria ad toleranda non modò ea, *quæ contra nos fiunt*, sed etiam ea, *quæ contra nos dicuntur*. Neq; vnquam omnino expedit sic non tolerare contumeliam. Nunquam enim expedit facere id, quod est malum.

ALTERO modo ita, vt etiam simus parati ad omnino *tacendum*, atque adeò *taceamus*, quando contumelia infertur; neque mediis quidem aliquibus licitis, velimus iniuriam propulsare. Et hoc modo non semper est necessarium, aut etiam expediens, illatam contumeliam tolerare. Quin imò vt D. Thomas hìc & alij communiter, rectè docent, aliquando oportet, vt contumeliam illatam repellamus propter duo. PRIMO propter bonum eius, qui eam infert, vt reprimatur, neq; audeat facilè conuitiari. Iuxta illud Prouerb. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* SECVNDO propter bonum aliorum, quorum profectus impeditur, cùm contumeliæ illatæ ei, qui potest illis prodesse, non propulsantur, vt ait D. GREGORIVS homil. 9. super Ezechielem: *Hi*, inquit, *quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere; ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.*

Potest autem in eiusmodi casibus Contumelia repelli, vel *exponendo veritatem*; vel etiam vt rectè notat Sotus lib. 5. de Iustitia q. 9. art. 3. obiiciendo alteri verum crimen, quo reprimatur eius audacia; vt verè dicendo, illũ esse *mendacem, &c.* Nam licitum est hoc facere cum *moderamine inculpatæ tutelæ*, iuxta ordinem charitatis. Magna autem circumspectione opus est, inquit hìc Caietanus, ne quis decipiatur, & putans, se ex ordinata charitate erga seipsum aut alios, respondere stulto, ne ille sapiens videatur, potius respondeat ex inordinato affectu erga seipsum, vt ipsemet videatur sapiens.

Quapropter plerumque est tutissimum, tacere; non quidem vt silentio *irritetur* iracundia alterius (id enim *vindicta* esset potiùs, quàm *patientia*, vt rectè ait D. Thomas ad 3.) sed vt *sedetur*; iuxta exemplum illud Dauidis Psalm. 37. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Vel certè molli aliqua responsione leniendus est contumelioſi animus, exemplo Domini Ioan. 18. respondentis: *Quid me cædis?* Qua de re videnda sunt, quæ tradidimus tomo 2. disput. 3. de passionibus quæst. 10. p. 2. cùm exponeremus remedia ad frangendam aliorum in nos iram.



Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Detractione.

D. Thomas 2. 2. quæst. 73.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, QVID SIT DETRACTIO, & quotuplex. SECVNDO, An sit peccatum Mortale. TERTIO, An sit maius peccatum, quàm alia, quæ committuntur contra proximum. QVARTO, An is etiam peccet peccato Detractionis, qui detractionem audit.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Detractio, & quotuplex.

D. Thomas art. 1.

DETRACTIONIS ratio dupliciter potest assignari. VNO modo spectando id solùm, quod sit *de essentia* propriè Detractionis, vt hæc est quoddam peculiare peccatum contra Iustitiam. Et isto quidem modo solùm videtur detractio in eo consistere, *vt quis significando, vel etiam nõ significando, quidpiam de altero, voluntariè* (directè aut indirectè, vt posteà explicabimus) *adferat ei detrimentũ* FAMAE. Nam hoc ipso peccat quis peculiariter contra Iustitiam, priuando proximum bono illo peculiari, quod est *fama*; siue id fiat *clam*, siue *coram*; siue dicendo *malum*, siue tacendo aut minuendo *bonum*, &c.

ALTERO modo potest assignari Detractionis ratio, spectãdo *modũ etiam*, quo vt plurimùm, peccatum hoc committi solet. Et isto modo rectè à D. Thoma hîc & ab aliis dicitur, Detractionem in hoc cõsistere, *vt alterius fama occultè lædatur.* Idque probatur ex differentia, quæ est inter contumeliam & detractionem, vt hæc committi *solent*. Nam contumelio sus *palàm* loquitur defectus alioru[illegible]; & ita parui pendens alios, eo ipso affert detrimentum honori. At verò qui *clam* loquitur de altero, eo ipso non videtur illum parui pendere, sed potiùs *reuereri*. Itaque solùm facit illi iniuriam afferendo famæ eius detrimentum *occultè loquendo* de illo, & ingenerando aliis malam opinionem de eo.

Cæterùm hoc discrimen (vt dixi) pertinere videtur ad hoc peccatum non præcisè *secundùm essentiam suam*, sed attendendo etiam *modum*, quo committi solet, iuxta illud Ecclesiast. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil illo minus habet, qui occultè detrahit.* Patet hoc manifestè in casu, quo aliquis per contumeliam lædat *in præsentia* honorem alterius, & simul etiam *famam*, cùm videlicet aliis audientibus conuitiatur ei detegendo crimina secreta. Non enim videtur negandum, quin talis tunc essentialiter committat etiam peccatum *Detractionis*; quod nimirum est diiudicandum ex obiecto suo & fine, videlicet ex *nocumento famæ*. Atque hoc ipsum S. Thomas apertè subindicauit in solutione secundi dicens: Quòd si quis malum de aliquo loquatur, *eo solo præsente*, contumelia est, & non detractio: quasi dicat, posse quidem esse etiam *detractionem*, si de homine *præsente*, non solo, sed *audientibus aliis*, quis malè loquatur.

Similiter illud etiam, quod dicit D. Thomas, contumeliam inferri per *manifesta* verba; si significet inferri contumeliam per verba ita manifesta, vt immediatè *coram ipso*, qui patitur iniuriam, contumelia iactetur; intelligendum est non præcisè attendendo essentiam contumeliæ, sed *modum etiam*, quo communiter contumelia solet committi. Nam vt puncto primo præcedentis quæstionis vidimus, interdum contumelia inferri potest alicui *absenti*; si verba dicantur, vel aliquid fiat eo animo, vt ad ipsum per alios notitia eius rei perueniat: id quod notant etiam in illa quæstione, articulo primo, Caietanus & Sotus. Vnde Horatius lib. 1. serm. sat. 4. iuxta modum, quo ordinariè *fieri solet* Detractio (scilicet *clam*) de ea loquitur, cùm ita monet.

ABSENTEM *qui rodit amicum:*
Qui non defendit alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis:
Fingere qui non visa potest: Commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane, caueto.

Et ratio quidè Detractionis ita se habet. Differentiæ verò seu *diuisiones* Detractionum variæ porrò sunt, prout variè potest cõtingere, vt quis voluntariè sit causa moralis alteri amissionis famæ; vt est videre apud Adrianum quodlib. 11. & D. Thomam hîc articulo primo ad 3. & Alexandrum Hall. 2. part. quæstione centesima quadragesima sexta, memb. 1. & Sotum libro quinto de Iustitia quæstione decima, articulo primo, & Nauarrum in Manuali capite decimo octauo, numero vigesimo primo.

Sed

Sed quod de diuisionibus Detractionis commodè & vtiliter tradi posse videtur, est hoc: Detractio potissimum diuidi potest in detractionẽ *directam*, & detractionem *indirectam*: Idque dupliciter. PRIMO ex parte *voluntatis*, qua voluntariè quis adimit alteri famam. Et ex hoc quidem capite Detractio *directa* est ea, qua dedita opera & expressa intentione vult quispiam alterum infamare. *Indirecta* autem ea, qua solùm voluntate indirecta id facit, cùm scilicet quis nõ quidem dedita opera vult alterum infamare, sed tamen *incautè & sine causa rationabili* dicit aliquid, quod attentis circumstantiis reuera ipsum infamat; ac proinde voluntariè indirectè illum infamat, quatenus poterat & tenebatur abstinere à tali sermone alterum infamante, & non abstinet. Ac directa detractio iuxta hanc diuisionem vocatur detractio *formalis* à S. Thoma art. seq. & à Caietano ibi, & in Summa, verbo Detractio, & à Soto lib. 5. de Iustitia q. 10. art. 2. Indirecta autem, *materialis*, quanquam Nauarrus vbi suprà aliter Detractionem formalem & materialem accipit, sed iudicio meo non satis aptè & vtiliter.

SECVNDO potest Detractio diuidi in *directam & indirectã*, ex parte *externi actus, seu modi*, quo quis alterum infamat. Atque ex hac parte Detractio *directa* secundùm S. Thomam hîc artic. 1. ad 3. est, cùm quis alterum infamat, tribuendo ei aliquid *malì*; quod contingit quadrupliciter; scilicet vel falsò *imponendo* crimẽ alteri; vel illud *augendo* verbis; vel *reuelando* crimen occultum, etiamsi sit verum; vel dicendo fuisse ab eo factum *mala* intentione. *Indirecta autem Detractio* ex eodem capite, iuxta eundem D. Thomam est, cùm quis alterum infamat habendo se aliquo modo indebito erga *bonum alterius*; idque tripliciter; scilicet vel *negando* bonum illius; vel malitiosè *reticendo*; vel etiam *minuendo*.

Sed potest non minus bene, & ad praxin vtiliter, & conuenienter doctrinæ aliàs D. Thomæ, & hîc art. 4. ex illo secundo capite Detractio *directa* nominari ea, qua quis alterum infamat per aliquem actum *positiuum* circa malum vel bonum eius: *Indirecta* autem, cùm quis aliquem infamat per *omissionem actus debiti* erga illum; Vt bonum illius tacendo, vel non defendẽdo illius existimationem, quando tenetur & potest. Quo pacto accipiendo detractionem directam, & indirectam, omnes illi modi detractionis, quos paulò ante numerauimus ex D. Thoma, pertinent ad detractionem directam, excepto vno illo, cùm quis scilicet *reticet* alterius bonum; qui modus solus pertinet ad indirectam detractionem isto modo posteriori interpretando hãc diuisionem. Nã reliquis omnibus modis infamatur quis per *positiuum* actum, vt consideranti patet.

Dico autem isto vltimo modo *vtiliter ad praxin* exponi detractionem directam, & indirectam. Nam omnis, qui isto modo infamat alterum *directè* peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, iuxta dicta suprà quæst. 6. p. 5. non autem omnis, qui iuxta eum modum infamat alterum *indirectè*, vt rectè notat Sotus lib. 5. de Iustit. quæst. 10. art. 4. nisi *ex officio & iustitia* debuerit famam alterius tueri, vt Superior, aut Iudex, &c. iuxta ea, quæ tradidimus in dicta quæst. 6. p. 3.

Porrò peculiariter est hîc annotandum, eum qui alterum *directè* infamat, dicendo, fuisse ab eo quidpiam *mala intentione* factum, non solùm quãtum est in se alterum infamare, sed etiam communiter loquendo, peccare ex iudicio *temerario*. Nam difficile est de intentione iudicare, nisi fortè haberet quis vehementia illius indicia. Quanquam ad restitutionem quod attinet, sæpè continget, vt talis reuera nihil famæ detrahat alteri; aliis nimirum non adhibentibus fidem ipsius temeritati; & idcirco tunc nihil debebit restituere. Nam licet *conatus* fuerit damnum inferre, atque adeò peccauerit contra iustitiam: tamen *reipsa* non infert damnũ, vt rectè hîc notat Caietanus.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Detractio sit peccatum Mortale.

D. Thom. art. 2.

CERTVM est PRIMO, Detractionem *formalem*, id est, cum intentione lædendi famam alienam, esse peccatũ Mortale ex suo genere. Vt docet diuus Thomas hîc, & alij communiter. Patet Psal. 100. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Et ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles.* Et Iacobi 4. *Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, detrahit legi*; id est, contemnit eam, vt exponit D. Thomas quæst. seq. art. 2. ad 3. Atq; huc etiam accommodat pulchè S. GREGORIVS in 2. part. pastor. capite 1. Admonitione 36. illud Leuit. 19. *Non maledices surdo. Surdo quippe maledicere* (inquit Gregorius) *est, absenti, & non audienti, derogare.*

Idem patet ratione. Nã qui formaliter detrahit, auferre vult magnum bonũ proximo; iuxta illud Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni & pretiosi.* Ergo grauiter atq; adeo mortaliter peccat.

Certum est SECVNDO, eum, qui dicit verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, sed aliquid aliud; si id, quod intendit, est bonum, aut necessarium, non peccare. Ita etiam tradit D. Thomas, & omnes. Et ratio est: nam talis tunc verè non detrahit. Siquidem habet tunc ius, vt rationabiliter velit significare alterius crimina; atque adeò vt, non obstante illius infamia, aliquod bonum (maius scilicet) rationabiliter sibi proponat. Vt cùm quis dicit Superiori quidpiam de subdito propter huius correctionẽ, aut punitionem via Iuridica, &c.

Quam-

Quamuis enim idem prorsus malũ infamiæ, talis inferat proximo, quod inferret, qui iniquè aliàs ipsum infamaret; tamen non facit iniquè: siquidem virtus & ratio rectà tribuit ei ius ea crimina patefaciendi: & idcirco sic infamatus non potest eam infamiam rationabiliter inuitus ferre. Quemadmodum qui inuasorem, v.g. occidit, vel expoliat alterum re sua in extrema necessitate, iure charitatis erga seipsum; quamuis idem prorsus malum priuationis vitæ aut rei inferat, & velit inferre proximo, quod inferret alius, qui iniquè occideret & expoliaret: tamen quia is habet ius ad id malum inferendum, non facit contra iustitiam, sed rectè facit id, quod alter posset facere iniquè.

Certum est TERTIO, eum, qui *verè* quidem detrahit, non tamen formaliter; sed tantùm materialiter, vt si malum de proximo incautè dicat ex animi leuitate, vel propter aliquam causam non necessariam; peccare aut venialiter, aut etiam mortaliter, si fortè malum, quod de proximo dicit, sit adeò graue, & notabiliter fama alterius lædatur: id quod præcipuè contingit, cùm verba fiunt de iis, quæ pertinèt ad honestatem vitæ. Sic etiam docet D. Thomas hîc, & alij omnes. Nam quamuis tunc detractio sit tantùm *materialis* (iuxta dicta p. præcedente) tamen propter circumstantias æquiualet formali, seu redit actus in *naturam suæ formæ*, vt Caietanus loquitur in Summa, verbo Detractio.

His positis, quæstio est hîc PRIMO, Vtrum sit detractio *mortalis ex genere seipsum infamare?* Caietanus hîc dicit esse id peccatum mortale, & multò grauius, quàm diffamare alterũ. Et addit, nunquam licere, neque pro tuenda vita: esse enim *intrinsecè* malum. Fundamentum eius est: quia est contra charitatem, & contra iustitiam, eò quòd fama non omnino est nostra, sed Ecclesiæ siue Reipublicæ. Vnde perinde id esse putat Caietanus, atq; *seipsum occidere*. Et ita infert, quòd debeat is, qui se infamat, restituere Ecclesiæ, quamuis non declarat, quomodo. Videtur autem non esse alius modus, quàm vt det operam, quo famam recuperet.

Adrianus tamen in 4. in materia de Restitutione & quodlib. 11. & Nauarrus in Man. cap. 18. n. 27. & Sotus lib. 5. de Iust. q. 10. art. 2. putant, non esse *genere suo mortale*, etiam *sine causa* se infamare; sed tantùm posse mortale esse *ex circumstantia*. Vt si quis per hoc noceat aliis malo exemplo, quorum curam gerit, & quibus erat fama eius necessaria: aut etiam grauiter noceat sibi; si fama nimirum erat ei necessaria ad tuendam vitam & incolumitatem corporalem, vel spiritualem; Vt si fama perdita videatur in peccata præceps ruiturus tanquam amisso fræno. In quibus & similibus casibus omnes concedunt esse peccatũ Mortale prodigere famã propriam, vt Nauarrus vbi suprà annotauit.

Mihi videtur, neutram istarum opinionum esse vel omnino falsam, vel omnino veram. Itaque vt ex vtraque eliciam quod est verum, duas hac de re ponam Conclusiones. PRIMA Conclusio. Infamare se *sine rationabili causa* ex genere suo est peccatũ Mortale. Et quoad hoc placet mihi sententia Caietani. Probatur *primò*. Nam fama est quoddam bonum externũ maximè homini necessarium tanquam stimulus ad virtutem; Ergo qui seipsum sine causa infamat, notabiliter violat charitatem erga seipsum, & consequenter ex genere peccat mortaliter. *Secundò*. Nam infamare alterum etiam ex ea parte, qua id est contra charitatem erga alterum, genere suo est mortale: siquidem id videtur ratio sufficiens ad dissoluendam amicitiã fundatam in charitate; & consequenter ad offendendum grauiter DEVM: Ergo à fortiori erit mortale ex genere infamare seipsum, cùm strictiùs debeat quisque seipsum diligere.

SED argumentatur Sotus contrà. Nam Christus docuit nos huiusmodi bona externa nõ magni facere; non amare *primos accubitus* in Synagogis, &c. Imò admonemur infamiam tolerare, vt D. GREGORIVS docet homil. 9. super Ezechielem. Item D. Paulus parui æstimabat *iudicari ab humano die*. Et de aliquibus Sanctis, vt de Ambrosio, legitur, quòd se infamauerint: deniq; D. Augustinus & D. Ansel. scriptis euulgârunt peccata propria: Nõ ergo est mortale ex genere, se infamare.

RESPONDEO, Christum Dominum non aliaratione docuisse famam & honores contemnere, quàm docuit etiam oportere *odisse animam*, id est, vitam propriam; si videlicet hæc impediment o nobis essent in seruiendo Deo. Vnde fit cut ex hoc, quòd vita tunc est odio habenda, nõ sequitur, non esse mortale ex genere, vitam sine causa negligere: ita neque ex hoc, quòd fama sit tunc contemnenda, sequitur, non esse mortale ex genere, eam sine causa perdere.

Solùm ergo prohibet Christus peruersum erga hæc amorem, & nimiam in his solicitudinem, & iubet tolerantiam & patientiam eiusmodi incommodorum, si quando nobis ab aliis afferuntur. Non tamen docet esse sine causa huiusmodi negligẽda, cùm id apertè vetet Scriptura Ecclesiast. 41. & in aliis locis. Atque idem est de D. Paulo dicendum.

Sancti præterea si qui se infamârunt, non id fecêre sine rationabili causa, quam præcipuè intendebant. Denique peccata propria literis prodere, attẽta ratione vitæ alicuius, & aliarum circumstantiarum, non est se infamare, sed humilitatis præclaro argumento famam potiùs propagare & commendare posteris. Sicut & Confessiones diui Augustini magnum illi sanctitatis nomen pepererunt.

Iam sit SECVNDA Conclusio. Ex rationabili causa, licitè potest quis seipsum infamare, pro maiori bono suo, vel alterius, & maximè communitatis. Ita videtur sentire omnino D. Thomas art. 4. huius q. ad 1. Ita etiam sensit Adrianus in 4. in materia de restitutione famæ, & quodlib. 11. & Sotus vbi suprà, & alij contra Caietanum. Probat autem hanc Conclusionem Sotus: Nam homo est dominus propriæ famæ, vt vidimus suprà q. 10. p. 1. Ergo potest ex rationabili causa eã amittere. Sed hæc ratio non omnino conuincit: quia dubitari nihilominus posset, an dominium famæ sit tale, vt vsus, qui sit eam perdere, sit licitus domino. Latè enim patent dominia, vt suprà vidimus. Item ex hoc, quòd homo sit dominus famæ, tantùm sequitur, quòd nõ faciet quis contra iustitiam perdendo illam. Probandum tamẽ restat non esse id etiam contra charitatem erga seipsum in aliquo casu.

Ideo aliter Conclusionẽ probo. Nam potest quis non modò non contra charitatem, sed etiã secundùm illam, *alterum* infamare ob bonũ maius illius vel communitatis: Ergo etiã *seipsum* propter maius bonũ suum proprium, aut etiã communitatis. Vt si v.g. posset propria infamia communitatem à graui aliqua nota vendicare. Antecedens patet, in casu, quo quis per viam Correctionis fraternæ intendendo bonum proximi, licitè detegit crimen illius aliis (cùm id ad illius emendationem est necesse) aut etiam Superiori, iuxta dicta suprà disp. 3. in q. de fraterna Correctione. Item in casu, quo per viam *accusationis* vel denunciationis *Iuridicæ* detegit quis licitè in Iudicio crimen proximi ob bonum communitatis. Consequentia verò probatur. Nam sicut charitas, qua quis & se & alterũ diligit, potest ei suppeditare ius, vt eum infamet causa maioris boni illius aut communitatis: ita à fortiori vt *sese* diffamet propter bonũ suum vel communitatis: quãdoquidem magis sese diligit & communitatem, quàm alterum.

Atque ita faciebant Sancti, qui interdum malam opinionem de seipsis spargebant, vt vitarent periculum honorum, &c. Item eodem modo potest quis sine peccato mortali, vitandæ *mortis* causa, se infamare, aut verum dicendo; aut etiam falsum mẽtiendo venialiter; imò etiam causâ vitandi *doloris* in tormentis; vt concedit vbi suprà Sotus & Nauarrus in dicto cap. 18. nu. 28. & 29. & alij contra Caietanum.

Quin imò aliquando *teneretur* etiam quis se infamare. Vt si accusauit innocentem, deberet patefacere se falsum dixisse: si tamen putaret se ita profuturum ad liberandum innocentem, vt recte ait Syluester, verbo Detractio, n. 5. ex sententia communi. Item quando aliquis non posset propriæ, deberet illud subire, vt disputauimus suprà q. 6. p. 5.

Vnde ad fundamentum Caietani respondeo, diffamare se, non esse *intrinsecè* malum, nisi quando sit *sine causa rationabili*, sicut neque etiam infamare alterum; & ita non est perinde, ac se occidere. Nam hoc est intrinsecè malum ex eo præcisè, quod est contra primam & maximam inclinationem naturalem ad bonum vitæ, vt ad fundamentum omnium aliorum bonorum. Fama verò, quoddam externum bonum est. Quod meritò potest quãdoq; postponi alicui alteri bono.

Quapropter amittendo famam ex rationabili causa non fit illa peculiaris iniuria communitati, quam D. Thomas suprà q. 65. a. 5. docuit, facere illi eum, qui se interimit; ac proinde non erit tunc opus aliqua restitutione. Si quis autem *illicitè* se diffamet, habens curam aliorum, quibus noceret; deberet restituere, modis quibus posset famam recuperãdo. Sed si quis licitè se diffamet, vel etiam illicitè, sine circumstantia nocumenti aliorum, propriè nihil debet restituere.

SECVNDO quæritur hoc loco, Vtrum sit detractio, atq; adeò peccatum Mortale ex genere, infamatum in *vno loco*, diffamare in *alio?* Respondet Adrianus quodlib. 11. q. 1. id esse detractionẽ. Probat: quia alibi habebat ille famam. Caietanus verò opusculo 17. responsionum, respons. 9. citatur hîc à Soto, tanquam contrarium sentiẽs. Sed reuera illic tantùm dicit Caietanus, non esse detractionem, patefacere peccatum alicuius *publicum*. Quòd si sanè intelligatur, neq; ab Adriano, neque ab aliquo negari potest, vt paulò post patebit.

Sotus verò hîc, vt clariùs respõdeat huic quæstioni, rectè distinguit de infamia. Alia est enim illata à *publica* potestate *per sententiam*: alia rumoribus æqualium. Hoc posito dicit tria in quorum discussione explicabimus ipsi quoque sententiam nostram. PRIMO dicit, non esse contra iustitiam, infamatum *publica auctoritate* in vno loco, in alio etiam infamare; & consequenter non erit id vera detractio, secundùm Sotum. Probat: quia talis nõ habet ius ad famam, siquidem *iure* est illa priuatus: Ergo non facit illi iniuriam, qui ei illam adimit.

HOC PRIMVM dictum Soti verum est, si intelligatur non de quibuscunq; locis simpliciter, sed de illis tantum, ad quæ, *moraliter*, attentis omnibus circumstantiis negocij, personarum, &c. potest perferri rumor criminis alterius ex vi *sententiæ latæ*. In illis enim duntaxat locis intelligẽdum est, publicam potestatem velle Reum priuare fama; in aliis autem non item: Quia tantum vult publica potestas illud, quod moraliter *solet* fieri (aliud namque vellet frustrà) & idcirco tantum in illis locis priuat moraliter fama.

Atque hoc ipsum videtur velle Caietanus loco citato. Dicit enim, *publicum* peccatum, quod licet aliis patefacere, esse illud, quod posset *sufficienter deuenire ad notitiam aliorum*. Vt si est, inquit, crimen sufficienter probatum. Neque puto hoc voluisse negare Adrianum. Itaq; non liceret infamare talem in aliis etiam locis, vbi ad notitiam aliorum non posset sufficienter & moraliter loquendo, venire illius peccatum. Quare infamatum per publicam sententiam Ingolstadij, v.g.

infamare Vlysiponæ, putarem esse detractionē, & ex genere mortalem. Nisi fortè futurus illic aliâs esset perniciosus, & ideo Charitas & ratio boni communis ius suppeditaret ad illum ibi sua fama priuandum.

SECVNDO dicit Sotus, quamuis non sit *contra Iustitiam*, infamatum per *publicam* sententiam in vno loco, aliis in locis diffamare, tamen esse id contra Charitatem. Nam priuatur tunc aliquis magno adiumento virtutis, id est, bono nomine quod habet in aliis locis.

Hoc SECVNDVM dictum Soti nō videtur verum, neque priori dicto consentaneum. Nam si intelligatur de locis remotissimis, ad quæ, moraliter loquendo, non perueniet *sententiæ* rumor; sic non solùm erit contra charitatem, hîc infamatum, ibi infamare; sed etiam *contra iustitiam*, vt patet ex iam dictis. Si autem intelligatur de aliis locis, ad quæ, moraliter loquendo, peruenire solet rumor; tunc sicut non est contra iustitiam, talem infamare in illis locis: ita neque erit contra charitatem. Ratio est. Nam neque præcepto *affirmatiuo* charitatis tenetur quis bonum nomen talis illic curare, quandoquidem potestas publica per sententiam vult contrarium; neq; talem illic infamare erit verum odium contra *negatiuum* præceptum charitatis de non afferēdo malum proximo. Nam licitè quis se conformabit voluntati Iudicum, qui propter commune bonum ex punitione redundare solitum, absq; odio pugnante cum charitate, voluerunt per publicam sentētiam, talem hominem incurrere malum infamię in iis locis, ad quæ moraliter rumor sentētiæ solet peruenire, fermonibus hominum quorūcunque. Facit enim publica potestas tūc facultatem omnibus eius rei euulgandæ, relinquendo eis liberum, vt ad loca, ad quæ solēt eiusmodi rumores peruenire, perferant illos. Est autem odium contra charitatem, velle malum alicui, quod ei inferre nulla ratio boni communis aut virtutis suadet, sicut patet ex dictis disput. 3. q. de Odio. Si autem aliqua virtus suadeat velle malum quodpiam alicui, voluntas ea potiùs est secundùm inclinationem charitatis, vtpote quæ connexionē quandam habet cum cæteris virtutibus.

Quocirca quando ratio boni communis facit facultatem aliquem in proposito casu infamandi, nullo modo id est odium pugnans cum charitate, quantumcunq; quis priuet alterum fama, quæ alioqui est adiumentum virtutis. Sicut quādo ratio dictat, hominem esse occidendum; velle illi malum mortis, non est odium contra charitatem; quamuis illi tunc magnum bonum, præcipuumq; virtutis instrumentum, auferatur, videlicet vita.

Intelligendum autem est, prædictam infamationem licere intra illud tempus, quod moraliter loquendo, sufficit ad hoc, vt res euulgetur, & solet etiam euulgari, attentis variis circumstantiis. Nam vis publicæ sententiæ non videtur habere locum post multū temporis, maximè si crimen sit emēdatū. Nam cùm ordinariè non contingat, post multum temporis rem euulgari; non est putandum, velle publicam potestatē id fieri.

TERTIO dicit Sotus, eum qui infamatum in vno loco non per sententiam publicam sed rumoribus *æqualium*, in aliis locis diffamat; peccare contra Iustitiam & contra Charitatem; & debere restituere. Nam talis non est in aliis locis *iure* priuatus sua fama.

Hoc TERTIVM dictū Soti omnino verū est; & ita quoq; videtur intelligendus Adrianus, quem admodum indicat eius ratio. Solùm enim censet illicitum esse, infamatum in vno loco, in alio infamare, vbi is habet ius ad famam.

TERTIO quæritur, Vtrum sit detractio infamare aliquem, qui per hypocrisim & varias imposturas, atq; adeo *iniquè*, sibi peperit nomen vel doctrinæ, vel pietatis, &c. Ratio dubitandi est: nam cùm illicitè talis famam acquisiuerit, videtur non habere ius ad retinendam eiusmodi famam. Ac proinde videtur posse sine iniuria ei adimi. In *contrarium* autem est, quòd sicut non licet cuiuis, pecunias illicitè acquisitas alteri adimere: ita neque famam.

Ad hoc bene respondet Sotus loco citato per distinctionem. Si quis enim per eam famam iniquè acquisitam *nocet* populo; vt si fingeret se Mediçum peritissimum, &c. tunc non solùm licet, sed expedit illum infamare: Si autem *nihil nocet*, non est infamandus.

Ratio vtriusque est clara. Nam *si talis nocet* aliis; charitas, quæ dictat proximū ab iniuria virtiis; charitas, quæ dictat proximū ab iniuria virtiis; charitas, quæ dictat proximū ab iniuria virti

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM TERTIVM.

An Detractio sit maius peccatum, quàm alia, quæ contra proximum committuntur.

D. Thomas art.3.

RESPONDENDVM est ex sententia D.Thomæ negatiuè. Nam ex parte obiecti siue mali illati proximo, grauissimum omnium peccatorũ contra proximum est *homicidium*, & secundo loco *adulterium*. Sunt enim hæc peccata contra vitam humanam, quæ est maximum externorum bonorum: Homicidium enim, tollit illam: Adulterium autem, debitum ordinem generationis eius.

Est tamen *Detractio* maius peccatum, quàm furtum ex suo genere. Nam vt dicitur Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Per accidens tamen *ex parte peccantis*, Detractio & alia peccata linguæ iudicantur leuiora: quia ferè sine perfecta deliberatione committuntur. Denique vt ait ibi D. Thomas ad 2. *Contumelia* grauius peccatum est, quàm detractio. Nam continet maiorem contemptum proximi; sicut idcirco suprà dictum est, rapinam esse maius peccatum, quàm furtum.

Circa hoc vltimum tamen est DVBIVM, quomodo intelligendum sit, contumeliam esse peccatum grauius, quàm detractionem? an *ex genere*, per se loquendo; vel ex *circumstantia* contemptus? Ratio dubitandi est: quia D. Thomas absolutè videtur loqui, atque adeo *ex genere*. Ex alia verò parte videtur detractio ex obiecto, atque adeo ex genere, esse grauius peccatum. Nam *fama*, quę per detractionem aufertur, maius bonum est, quàm *honor*, qui tollitur per contumeliam.

Respondet Sotus lib.5. de Iustitia, q.10. art.3. etiam ex genere esse maius peccatum contumeliam: quia obiectum *formale* contumeliæ, cùm hæc *apertè* inferatur, est inuoluntarium *contrariè*: detractionis verò, cùm hęc fiat *clam*, est inuoluntarium *priuatiuè*; quamuis obiectum *materiale* detractionis, id est, priuatio famę, sit grauius, quàm priuatio honoris. Et hoc quidem rectè dicitur, spectando *modum*, quo solent ordinariè quidem detractio, & contumelia committi, scilicet illa *clàm*, & hæc *manifestè*, iuxta dicta p.1.

Spectando autem præcisè rationes *essentiales* vtriusque peccati; videtur Detractio esse peccatum grauius ex obiecto, atque adeo ex genere; cùm priuet *fama*, quæ est maius bonum, quàm *honor*, vt dictum est. Itaque quod ait D. Thomas, contumeliam esse peccatum grauius, videtur tantum esse intelligendum secundùm *circumstantiam* contemptus.

PVNCTVM QVARTVM.

An is etiam peccet peccato Detractionis, qui Detractionem audit.

D.Thomas art.4.

FERE consentiunt Doctores in doctrina, quam hac de re tradit hic D. Thomas, vt videre est apud Adrianum quodlib.11.q.2.& Syluestrum, Verbo Detractio, q.2. & Sotum lib.5. de Iustitia, q.10.art.4.& Nauarrum in Manuali, cap.18.n.37. & alios.

Itaq; ex horum sententia dico PRIMO. Si aliquis detractiones audiat, neque obsistat, *cùm potest*; particeps sit peccati alterius. Nam detractioni consentit, saltem *indirectè*, quandoquidem non resistit, cùm possit & debeat. Nam vt rectè supponit S. Thomas, & notat Sotus vbi suprà, quilibet tenetur Detractioni resistere, *si potest*; vt in proposito: quando quidem detractio est quædam iniuria, quam reipsa proximus patitur. Et ideo quilibet tenetur proximo tunc succurrere, saltem ex charitate, cùm sine suo magno detrimento potest.

Sicut etiam quilibet debet extinguere ignem, quo flagrat domus proximi, & subleuare iumentum iacens sub onere, vt dicitur Prouerb.22. & citat D.Thomas ad hoc propositum in solutione primi. Vnde extat speciale præceptum illud diuinum in proposito. Prouerb.4. *Remone à te os prauum, & detrahentia làbia sint procùl à te.* Et Eccles.28. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.*

Modus autem resistendi optimus assignatur à D.Thoma in solutione secundi, per tristitiam vultus. Ventus aquilo dissipat nubes, *& facies tristis linguam detrahentem.* Et præclarè in eandem sententiam sanctus HIERONYMVS in epist. ad Rusticum Monachum: *Sicut sagitta*, inquit, *si mittatur in duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, illudq; completur: Falsi sunt in altum lapidem, recidet in caput eius* (Eccles.27. *Detractor cùm tristem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, sed obturantis aures suas; illico conticescit, pallet vultus, harent làbia, saliua siccatur.*

Hoc autem intelligo, nisi simul occurrat præceptum procurandi etiam bonum detrahentis per correctionem fraternam. Tunc enim *loquendum etiam esset*, vt insinuat D.Thomas in illa solutione secundi argumenti.

Dico SECVNDO. Si is qui detractionem audit, eo ipso inducat alterum ad detrahendum, vel ei placeat detractio, non minus peccat, quàm alter; imò aliquando plus. Et tunc maximè habet locum, quod rectissimè ait S. Bernardus (à D.Thoma hîc citatus) li.2. de consideratione ad Eugenium

Eugenium circa finem: *Detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.*

Dico TERTIO. Si absque complacentia, tantùm ex *negligentia*, aut timore, aut verecundia, non repellat quis detrahentem, peccat quidem, sed plerumque venialiter tantùm, vt ait D.Thomas. Quanquam vt idem addit, in tali etiam casu potest esse mortale; vel propter officium, quod alicui incumbit, corrigendi detrahentem; vel propter periculum ex detractione consequens, quod audiens nouit; vel si metus mundanus, quo quis impeditur ne repellat, est tantus, vt sit per se peccatum mortale.

Sunt autem circa hoc ipsum tertium pronunciatum (quod est etiam D. Thomæ) tria breuiter notanda. PRIMO, negligentiam illam sine complacentia, solùm in rebus *leuibus* excusare à mortali eum, qui detrahentem non repellit; non autem quando detractio est grauis; sicut neque excusat à mortali in aliis grauibus materiis. Excusat autem à mortali *grauis verecundia*; imò nonnunquam etiam à veniali. Vt si famulus vilis, verbi gratia, ex verecundia Principem detrahentem non repellat. Ita notat hîc bene Sotus.

SECVNDO notandum, casum, quo *peculiari ratione officij*, non corrigere detrahentem; sit mortale, posse esse, si Superior, vel Prælatus detrahentis deberet curare bonum eius, corrigendo illum, etiamsi per accidens contingeret, vt eâ detractione nihil apud audientes talis adimeret alteri de fama: quia scilicet ei non creditur. Quin etiam ratione eius, *cui detrahitur*, potest contingere, vt detractionem audiens teneatur *ex officio* detractori obsistere; quando videlicet fama eius, cui detrahitur, periclitatur, & is est subditus *audientis*. Tunc enim is qui audit, peculiariter deberet *ex officio* obstare detractioni; ac proinde *nõ obstans* deberet alteri famam restituere.

Qui autem *ex peculiari officio* non tenetur resistere detrahenti, sed tantùm *ex charitate*; is si non obstat, non debet restituere. Generaliter enim in materia Iustitiæ solùm ille, qui obstare debebat *ex officio*, debet restituere, vt suprà q.6.p.3. disputauimus, & docet Sotus lib.4.de Iustitia, q.7. art.3. & Nauarrus cap.17. num.132. & Medina de rebus restituendis q.9. & alij plures, quos illic citauimus.

TERTIO notandum est, illud *periculum*, quod in eodem tertio pronunciato diximus peculiariter obligare quemuis ad obsistendum detractioni sub mortali, posse esse vel periculum grauis iacturæ famæ eius, cui detrahitur; vel grauis *disfidij* imminentis ex eo, quòd ab aliquibus auditur detractio, etiamsi fortè sit leuis. Tunc enim ex charitate debet quis, obsistendo detractioni, vitare illud periculum. Timor denique ille *mundanus*, ob quem ibidem diximus posse peccari mortaliter, non obsistendo detractori, tunc est *per se peccatum mortale*, quando ita est homo affectus, vt ex illo facilè prætermitteret præcepta obligantia sub mortali, si occurrerent; iuxta doctrinam de huiusmodi timore traditam suprà disp.2.q.2.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De Susurratione & Derisione.

D.Thomas 2.2. quæst.74.& 75.

QVAE PERTINENT AD HAEC DVO VITIA, QVIBVS CONTINENTVR QUOQUE INIURIÆ VERBORUM, breuiter expediri possunt. Itaque videndum est PRIMO, *quid sit Susurratio, & quale peccatum.* SECVNDO, *quid item, & quale peccatum sit Derisio.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Susurratio, & quale peccatum.

D. Thomas q.74.

INTER omnes conuenit de eo, quod docet D.Thomas hîc, scilicet Susurrationem esse *peruersum sermonem, quo dissuatur, vel certè dissui possit, bonum amicitiæ inter aliquos.* Quocirca peculiare est peccatum contra Iustitiam, distinctum à Detractione. Nam licet hæc peccata conueniant in *materia*, & in *modo*, qui est occultè dicere mala de altero; tamen differunt ex parte *nocumenti & finis*. Nam detractor conatur famam denigrare: Susurro, amicitias dissuere, iuxta illud Prouerb.26. *Susurrone subtracto iurgia conquiescunt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Poteſt tamen contingere, vt ſuſurro ſimul etiam detrahat, ſi mala, quæ de proximo ad diſſuendam amicitiam dicit, ſint verè detrahentia de fama. Secus, ſi ſolùm dicat *apparentia mala*, & tamen in re *verè bona*, iuxta doctrinam D. Thomæ, in ſolutione primi. Tunc enim non etiam detrahit. Item poteſt ſuſurro ſimul aliis generibus peccatorũ delinquere pro diuerſitate finium, quos ſibi proponit, ſicut bene notat hîc Caietanus. Vt ſi, verbi gratia, diſſeminando diſcordias inter coniuges proponeret ſibi adulterium; ſimul tũc delinqueret, per eiuſmodi voluntatem committendi adulterij.

Porro *Suſurratio* non quomodocunq; eſt peculiare peccatum, ſed etiam mortale ex ſuo genere. Nam eſt contra Iuſtitiam, & aufert bonum magnum, nimirum *amicitiæ*. Vnde in Scriptura ſeuerè prohibetur, & tanquam omnino mortale aliis peccatis annumeratur: ſicut patet ex his teſtimoniis. Leuit. 19. *Non eris criminator, nec ſuſurro in populis.* Et Eccleſ. 5. *Non appelleris Suſurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris & confundaris.* Et Eccleſ. 28. *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Et ad Rom. 1. *Plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate Suſurrones, &c.*

Quin etiam vt rectè docet D. Thomas artic. 2. *Maius peccatum eſt Suſurratio*, quã detractio. Nam bonum *amicitiæ*, quam Suſurrator aufert, eſt maius bonum, quàm bonum famæ: Ergo Suſurratio eſt grauius peccatum. Antecedens patet ex Philoſopho 8. Ethic. cap. 8. negante, ſine amicis poſſe quenquam viuere. Et Eccleſ. 6. dicitur: *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Confirmatur: nam bonum famæ *ordinatur* ad conciliandas amicitias: Ergo bonum amicitiæ eſt præſtantius.

Ac ſimiliter probari poteſt, *Suſurrationem* eſſe quoq; *maius peccatum*, quàm contumeliam. Nam vt ibidem ait Philoſophus: *Amicitia eſt melior, quàm honor; & amari melius, quàm honorari.* Vnde etiam in Scriptura peccatum hoc Suſurrationis grauiter exaggeratur. Vt Prouerb. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius*, nimirum (vt ibi dicitur) *eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Et Eccleſ. 5. *Denotatio peſſima ſuper bilinguem: ſuſurratori autem, odium, & inimicitia, & contumelia.* Denique ſicut maximè nobis in Scriptura commendatur bonum *dilectionis fraternæ*: ita maximè deteſtabile malum ducendum eſt Suſurratio, quæ dilectioni illi aduerſatur.

Atque hæc quidem de Suſurratione *propriè dicta* intelligenda ſunt, per quam ſcilicet *honeſtæ* amicitiæ diſſuuntur. Nam amicitias turpes diſſuere, potius eſt opus charitatis. Quanquam neque has licet diſſuere, infamando amicos, vt bene notat Sotus lib. 5. de Iuſtitia, quæſt. 11. art. 2. Niſi fortè maius aliquod bonum per id procuretur, quod meritò poſsit anteponi aliquorum famæ, ſine cuius iactura turpes amicitiæ diſſolui non poſsint.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quid ſit Deriſio, & quale peccatum.

D. Thomas q. 75.

DERISIO quoq; peculiare peccatum eſt; à Detractione, & alijs linguę peccatis diſtinctum, vt docet D. Thomas, & alij communiter. Nam huiuſmodi peccata linguæ exiſtimanda ſunt ex nocumento, quod quis conatur per illa inferre: Sed nocumentum intentum à deriſore, eſt vt deriſus *rubore & verecundia* ſuffundatur; quod differt à præcedentibus nocumentis: Ergo deriſio peculiare eſt peccatum.

Quòd ſi quæras, quodnam propriè ſit bonum illud, quod deridens alterum ei adimit, adferendo ei ruborem. Reſpondeo eſſe *pacem & ſerenitatem* conſcientię, quam quis dum erubeſcit, amittit; id quod magnum eſt bonum: iuxta id Prou. 15. *Secura mens quaſi iugè conuiuium.*

Hinc ſequitur PRIMO, Deriſionem non ſolere committi notando in proximo defectum aliquem, quem deridens reputet *grauem*, ſed quem *parui* eſtimet: Vel quia defectus talis per ſe ſit paruus, vel quia deridens contemnat & parui pendat *perſonam ipſam*, atq; adeo etiam qualemcunq; eius defectum tametſi magnum. Alioqui enim ſi quis magni faciat aliquem defectum, non ſoleret eum deridere, ſed per *contumeliam* ſeriò obiicere. Ita docet quoque D. Thomas hîc art. 2.

SECVNDO ſequitur, ſi quis abſque contemptu perſonæ derideat alterum de *paruo defectu ſecundum ſe*, non peccare mortaliter; ſed venialiter ex genere, vt dicit D. Thomas artic. 2. Nam tunc paruum nocumentum infert. Dicit autem diuus Thomas eſſe tum veniale *ex genere*. Quoniam etiam tunc poteſt quidem contingere *ex circumſtantia* deriſionem de defectu leui eſſe mortale; vt ſi putes alterum vehementer commotum iri.

TERTIO ſequitur, ſi quis deridear alterum propter defectum, quem parui facit, ratione *perſonæ deriſæ*, quia videlicet eam vſque adeo parui pendit, vt non putet multum curandum eſſe de ipſius defectibus, etiamſi alioqui ſecundùm ſe eſſent graues; vt ſolent ludibrio haberi ſtulti, &c. deriſionem tunc eſſe peccatum mortale; & tantò grauius, quàm contumeliam, quãtò per hoc, quod res vertitur *in iocum*, magis perſona contemnitur, quàm ſi ſeriò fieret, vt rectè etiam docet S. Thomas.

Vbi tamen notandum eſt, illam grauitatem, quam dicit D. Thomas maiorem ineſſe in iſto genere deriſionis, quàm in contumelia, non oriri ex ipſa propria ratione *deriſionis formaliter*, ſed ex *perſonæ contemptu*, qui eſt quiddam commune Deriſioni & contumeliæ; & eſt maior in huiuſmodi deriſione. Non enim contemptus conſtituit propriam rationem Deriſionis, ſed *erubeſcentia*

illata. Contemptus autem perſonæ quiddam potius *commune* eſt ad contumeliam, per quam aufertur *honor*, & ad Deriſionem, per quam inducitur *erubeſcentia, & aufertur tranquillitas* animi, vt dictum eſt.

Atq; hoc eſſe expreſsè ad mentem D. Thomæ patet ex art. 2. in ſolutione tertij, vbi ait, Deriſionem non eſſe grauius peccatum, quàm contumeliam *ſecundum ſuam rationem* (nimirum propriam) ſed *ratione contemptus inclusi*. Quia nimirum tranquillitas animi, quam aufert Deriſio, non eſt maius, ſed minus bonum, quàm honor, quem aufert contumelia: quamuis præponderat quidem in Deriſione maior ille *contemptus*.

Et hoc etiam eſt, quod volunt Caietanus hîc, & Sotus lib. 5. q. 11. art. 2. quando dicunt, Deriſionem *ab alio habere ſuam rationem* (ſcilicet propriam) & *ab alio grauitatem*. Nihilominus tamen deriſio etiam ſecundùm ſuam rationem formaliter poteſt eſſe peccatum mortale, ſi erubeſcentia inducta ſit admodum grauis.

QVARTO ſequitur, deriſionem illam per *contemptum perſonæ*, tantò futuram grauius peccatum mortale, quantò perſonæ, quæ ſic irridetur, maior debebitur reuerentia. Vnde primum locum improbitatis in hoc genere tenet irriſio Dei. Iuxta illud Eſaiæ 37. *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, &c.* Et ſubditur: *Ad ſanctum Iſraël.* Secundum locum tenet irriſio parentum. Iuxta illud Prouerb. 30. *Oculum qui irridet parentem ſuum, & ſubſannat partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Deinde grauis admodum etiam eſt irriſio Sanctorum. Vnde Iob cap. 12. querebatur dicens. *Irrideturiuſti ſimplicitas.*

Notat autem hîc rectè Caietanus, Deriſionem Dei, ſicut etiam ipſius contumeliam, non diſtingui ſpecie à *blaſphemia*; ſed eſſe quendam modum illius. Id quod colligit rectè ex D. Luca ca. 22. vbi de illis, qui irridebant Dominum, dicentes: *Prophetiza nobis, &c.* ſubdit Euangeliſta: *Alia multa blaſphemantes dicebant in eum.*

Poſtremò illud etiam eſt notandum, hæc omnia intelligenda eſſe de deriſione *propriè accepta*, prout id vocabulum ſonat iniuriam quandam verbalem. Nam alioqui poteſt quis verba iocoſa vſurpare, aliud intendendo *licitè*, videlicet recreationem, &c. Et tunc ſi moderatè hoc fiat; ne venialiter quidem peccabitur, ſed ad virtutem *Eutrapeliæ* id pertinebit, quæ inclinat ad honeſtas recreationes. Adhibenda tamen eſt ſemper maxima moderatio. Nam facilè peccatur mortaliter in hoc genere, ratione alicuius circumſtantiæ.

QVÆSTIO DECIMANONA.

De Maledictione.

D. Thomas 2. 2. q. 76.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, SITNE SEMPER illicitum maledicere alicui, vel aliquando licitum. SECVNDO, *Quale peccatum ſit illicita maledictio.*

PVNCTVM PRIMVM.

Sitne ſemper illicitum maledicere alicui, vel aliquando licitum.

D. Thomas art. 1. & 2.

MALEDICTIO *formalis*, qua ſcilicet quis imprecando vel imperando, vult alicui malum euenire, vt malum eſt; non licet. Probat hoc diuus Thomas. Nam quod non licet *facere*, non licet optando, vel imprecando, aut imperando *velle*: Sed *facere* alteri malum ex intentione, vt malum eſt, non licet: Ergo nec alteri *velle* malum, vt malum. Quo pertinet illud Apoſtoli Rom. 12. *Benedicite & nolite maledicere.*

Materialis autem maledictio, qua ſcilicet quis imprecando, aut imperando vult alicui euenire malum ſub ratione boni, licita eſt. Nam ſicut malum ſub ratione boni licitè alicui inferri poteſt, ſic etiam eſt licitum id alicui velle. Ac poteſt quis hoc modo licitè maledicere dupliciter.

VNO modo, volens vt alteri eueniat malum ſub ratione *boni iuſti*: quo pacto Iudex maledicit, imperando pœnam inferri Reo, & Eccleſia imprecando mala ei, quem anathematizat. Et etiam eodem modo Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, conformantes ſuam voluntatem diuinæ iuſtitiæ: licet

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſint hæ imprecationes Prophetarum intelligi etiam per modum enunciationis eorum malorum, quæ quibuſdam euentura ſint.

ALTERO modo, ſub ratione *boni vtilis*; imprecando videlicet alicui peccatori ægritudinem, verbi gratia, aut impedimentum, quo vel ipſe melior fiat, vel ſaltem aliis nocere deſiſtat. Ita docet quoque hîc art.1.D.Thomas. Et intelligitur facilè tota hæc doctrina ex his, quæ ſuprà tradidimus diſp.3. in q.de Odio.

OCCVRRIT autem hîc argumentum contra doctrinam hanc, ad probandum, non licere optare alicui malum ſub ea ratione boni, vt ſeſe *emendet*; vel vt *inſtè puniatur*. Nam vt D.Thomas hîc art.1. ait, quod non licet *facere*, non licet *velle* aut *optare*: Sed priuato homini non licet alteri *facere* malum, vt *emendetur, vel vt puniatur*: Ergo neque ei licet id malum alteri *velle & optare* ſub his rationibus.

Ad hoc argumentum reſpondet Sotus lib.5. de Iuſtitia, quæſt.12. artic.1. ſimpliciter negando Maiorem. Sed immeritò negat, & prorſus contra veritatem, & contra S. Thomam. Eſt enim vniuerſaliter verum, formaliter loquendo, non eſſe alicui licitum id *velle*, quod nõ licet ei *facere*: & contra, quicquid licet *facere*, licitum eſſe *velle*. Sicut formaliter loquendo, eſt veriſsimum, id, quod *non eſt bonum*, neminem poſſe licitè velle; & id, quod *eſt bonum*, poſſe.

Vnde aliter ad argumentum RESPONDEO, conceſſa Maiori & Minori, diſtinguendo Conſequens. Si enim concludatur, non licere homini priuato *velle* alteri malum *per ſeipſum priuata auctoritate* inferre, rectè id concluditur. Nam id eſt, quod in Minori eſt ſubſumptum, priuato non licere *facere*. Si autem concludatur, non licere priuato *velle* tale malum alteri inferre *diuina voluntate aut per publicam poteſtatem*; ſic negatur Conſequentia. In nulla enim præmiſſarum eſt aſſumptum, quod malum *ita* non liceat inferri: quinimò licet id omnino. Ac proinde licet etiam vnicuique id ipſum ea ratione optare & velle.

PORRO ex hac doctrina non eſt difficile intelligere, quatenus etiam liceat aut non liceat maledicere *irrationalibus creaturis*. Qua de re veriſsimè D.Thomas art.2. docet tria. PRIMO, vt creaturæ quidem irrationales referuntur *ad hominem*; eadem ratione eſſe licitum vel illicitum eis maledicere, qua licitum vel illicitum eſt (iuxta dicta) maledicere ipſi homini. Id quod rectè hîc declarat Caietanus verum eſſe, propterea quòd in rei veritate maledicere creaturis irrationalibus, *vt referuntur ad hominem*, eſt maledicere ipſi homini. SECVNDO docet D.Thomas, maledicere creaturis irrationalibus, quatenus ſunt aliquid Dei, eſſe *blaſphemiam*. TERTIO docet, maledicere ipſis creaturis irrationalibus ſecundùm ſe eſſe ocioſum, atque adeo illicitum.

In quo ſupponit D.Thomas, maledictionem non referri, niſi ad rem capacem mali & boni in ordine ad liberam conſecutionem beatitudinis vltimi finis. Nam res expers libertatis, non meretur vllo modo, vt ſibi eueniat malum aliquod, atque adeo nec vt illud ei euenire quis optet.

Itaque maledictiones eiuſmodi rerum, quæ leguntur in Scriptura, ad homines ipſos referri debent, vt doctè explicat D.Thomas artic.2. ex ſententia S.Gregorij lib.4. Moralium, cap.3. Vt illa Geneſ.3. *Maledicta terra in opere tuo*. Et illa Deuter.28. *Maledictum horreum tuum*. Et illa Ioſ.3. *Pereat dies, in qua natus ſum*. Et illa 2.Reg.1. *Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos*. Et illa Domini Matth.21. *Nunquam ex te fructus naſcatur*.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quale peccatum ſit illicita Maledictio.

D. Thomas art.3.& 4.

PRIMA aſſertio. Quamuis *formalis* maledictio ex ſuo genere ſit peccatum Mortale, vt docet D.Thomas art.2. Poteſt tamen, vt idem tradit, eſſe tantum Veniale: ratione ſcilicet paruitatis materiæ, aut defectus deliberationis, qui ſæpè accidit in huiuſmodi linguæ peccatis. Atque hinc poſſunt ſæpè excuſari à mortali parentes maledicentes filiis alioqui grauibus verbis: Vt commendando illos dæmoni. Tunc enim ferè abeſt conſenſus & deliberatio, vt bene notant hîc Caietanus & Sotus lib.5. de Iuſtitia, q.12. art.3. vel ſaltem abeſt plena deliberatio.

Nihilominus tamen ratione *ſcandali*, & præcipuè ſi accedat *conſuetudo*, huiuſmodi maledictiones ſunt grauiſsima peccata mortalia; & genus quoddam impietatis. Neque verò quod parentes pœnitet ſtatim, ſe filiis maledixiſſe, argumento id ſemper eſt eos maledixiſſe abſque ſufficienti deliberatione ad mortale; ſed quandoque id argumento ſolùm eſt, eos malè feciſſe. Vtrum autem conſenſus & deliberatio ſufficiens fuerit ad mortale, potius exiſtimari debet ex *cauſa & modo*, quo maledixerunt; diſpiciendo mirum, vtrum *paſſio*, ex qua proceſſit maledictio, fuerit tanta, vt notabiliter impediuerit deliberationem, quemadmodum rectè notat hîc Caietanus.

Poſſunt etiam huiuſmodi Maledictiones à parentibus profectæ vacare aliquando omni culpa: cùm ſcilicet iuſta de cauſa filiis imprecantur aliqua mala, optantes, vt eis illa eueniant, non niſi ſecundùm ordinem diuinæ iuſtitiæ. Neque enim tunc *formaliter* maledicunt, ſed tantùm materialiter, id quod licet, iuxta doctrinam p. præcedentis.

Sed

SED QVAERET hîc aliquis, An huiuſmodi parentum maledictiones meritò à filiis timendæ ſint; & an inſit in eis aliquid peculiaris efficaciæ. Videntur enim iure ac meritò timendæ. Nam alias ſancti viri non ita ſtudiosè maledicerent filiis, vt eos feciſſe legitur in Scripturis. Nam Geneſ.9. Noë *maledixit Cham filio*. Et 49. Iacob *maledixit Ruben: Non creſcas*, inquit, *quia aſcendiſti cubile patris tui*.

RESPONDEO *primò*, certum eſt verbis parentum non ineſſe *virtutem efficiendi aliquid*. Nam id proprium eſt verborum Dei, & eorum, quibus continentur formæ Sacramentorum.

RESPONDEO *ſecundò*, quando parentes ex rationabili cauſa filiis maledicunt, imprecando eis aliqua mala ſecundùm ordinem iuſtitiæ diuinæ, iure poſſunt filij ea extimeſcere. Nam frequenter Deus ea mala infert filiis ad eorum vel aliorum correctionem & timorem; idque imprecantibus parentes. Hoc patet ex Scriptura, qua legitur, ob ſimiles ſuperiorum maledictiones multa mala euenisſe inferioribus. Vt 4.Reg.1. propter imprecationem Heliæ deſcendit ignis de cœlo, qui abſumpſit homines ad eum miſſos à Rege Ochozia. Et cap.2. Heliſæo maledicente conuiantibus pueris, *Vſi egreſſi de ſaltu lacerauerunt ex eis quadraginta duos*.

RESPONDEO *tertiò*, quando ſine rationabili cauſa id faciunt parentes, quamuis ipſi quidem grauiſsimè peccant; cum optent mala illis, quibus peculiari charitate debent bona optare: tamen meritò poſſunt nihilominus filij timere eiuſmodi maledictiones. Nam aliquando Deus permittit, vt ea mala eueniant propter maiorem terrorem filiorum, &c. Et quidem, quando parentes maledicerent imperando aut optando aliquod grauius malum filiis, quàm ipſi poſsint illis inferre diſciplinę cauſa, neque habent rationem Iuſtitiæ diuinæ, ſed abſolutè maledicunt, multo adhuc grauius peccant: vt patet clarè ex doctrina D.Thomæ art.1. Quamuis tunc etiam propter rationem dictam poſſunt filij timere.

SECVNDA aſſertio. Maledictio *formalis*, ſiue ea mortale, ſiue veniale peccatum ſit (pro ratione circumſtantiarum) non eſt tamen peccatum *ſpeciale*, diſtinctum ab aliis peccatis, quibus reipſa infertur malum proximo, ſed pertinet ad varias ſpecies illorum, pro diuerſitate malorum, quæ quis proximo optat. Ita ſentiunt & rectè Caietanus hîc artic. 4. & Sotus lib. 5. de Iuſtitia, quæſt.12. art.4. Idque apertè colligunt ex doctrina D.Thomæ in eodem art.4. ad 2.

Et patet hoc manifeſtè. Nam obiectum maledictionis formalis, ſcilicet *malum*, eſt quiddam commune omnibus obiectis ſpecificis diuerſorum peccatorum. Vnde inquit Caietanus, ſi quis maledicendo nullum ſpecificet *malum*, ſed in genere maledicat; erit peccatum *odij*, quod etiam habet pro obiecto malum in communi: Si quis autem maledicens ſpecificet *mortem*, verbi gratia, erit homicidium vel externum ſi ita maledicat, efficaciter imperando; vel interius, ſi ita maledicat *optando, &c.* Et ſic de aliis.

TERTIA aſſertio. Maledictio *formalis* quandoque maius, quandoque minus peccatum poteſt eſſe, quàm detractio, *cæteris paribus*. Ità diuus Thomas art.3. Et probatur. Nam maledictio *imprecatiua*, cæteris paribus, eſt minus peccatum, quàm detractio; eò quòd per detractionem *efficaciter* quis aufert alteri bonum; per maledictionem autem imprecatiuam tantum *optat* auferri: Grauius autem eſt, cæteris paribus, malum facere, quàm optare.

Maledictio autem *imperatiua* poteſt eſſe grauius peccatum, quàm detractio, & etiam minus, aut æquale, pro diuerſitate mali, quod quis maledicendo imperat fieri alicui. Si enim id malum ſit æquale malo infamiæ, vel ipſum malum infamiæ; erit eiuſdem malitiæ peccatum maledictionis cum detractione. Nam etiam quandoque efficaciter infert malum is, qui imperat, ſicut is, qui detrahit. Si autem ſit maius malum, quod quis imperat alteri fieri maledicendo, quàm ſit malum infamiæ; erit grauior maledictio quàm detractio. Et, ſi malum fuerit minus, erit maledictio minus grauis. Hactenus de iis peccatis contra iuſtitiam, quæ iniuriis verborum continentur.

QVAESTIO VIGESIMA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Emptionis & Venditionis.

D.Thomas 2.2.q.77.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, QVAENAM SIT ratio & vtilitas Contractus Emptionis & Venditionis. SECVNDO, Quando sit Iustus vel Iniustus hic Contractus, ex parte precij, quod ab Emptore datur. TERTIO, Quando sit iustus vel iniustus ex parte rei, quæ datur à Venditore. QVARTO, Quando sit iustus vel iniustus peculiariter ex parte Venditoris, non indicantis rei conditionem. QVINTO, Quando sit iustus vel iniustus ex parte lucri, quod Venditor facit per negociationem. Scripserunt autem de hac materia præter Summistas, licet pauca, Scholastici in 4.dist.15. Scripsit etiam de Contractibus Gerson, & fusissimè Conradus, & Sotus lib.6. de Iustitia, & Ioannes Medina q.30. de rebus restituendis, & deinceps, & alij ex iis, quos initio huius disputationis de Iustitia indicauimus.

PVNCTVM PRIMVM.

Quæsit ratio & vtilitas Contractus Emptionis & Venditionis.

Ad art.1. D.Thomæ.

RATIO tum Emptionis, tum Venditionis, duabus partibus continetur, nimirum *genere* proximo, & *differentia*, ex quibus duabus constat vniuscuiusq; rei definitio. *Genus* tum Emptionis, tum Venditionis est *voluntaria commutatio seu contractus*, hoc est, actio, per quam ex reciproco pacto & obligatione inter aliquos, posit inter eos vel constitui vel firmari & stabiliri æqualitas Iustitiæ; vt patet ex iis, quæ de voluntariis actionibus seu commutationibus Iustitiæ, tradidimus ex doctrina Philosophi 5.Ethic.cap.2. & D.Thomæ, & aliorum, suprà quæst.5.p.2. Vbi varias huiusmodi commutationes seu contractus enumerauimus & distinximus.

Et congruit cum hac Contractus ratione descriptio contractus *in genere*, quam omnes assignant ex Vlpiano in l. Labeo. ff. de verborum ac rerum significat. Vbi is inquit: *Contractus est vltro citroque obligatio.* Quod vt Soto lib.6. de Iustitia, q.2.art.1. & aliis placet, intelligendum est *causaliter*, id est, vt contractus sit *actio, ex qua vtring; nascatur obligatio ad faciendum quidpiam, quo Iustitiæ æqualitas inter contrahentes constituatur vel stabiliatur.*

Differentia autem Emptionis, qua differt à reliquis contractibus, est, quod per eam potest constitui inter contrahentes Iustitiæ æqualitas *dando precium pecuniarium pro re.* Venditionis autem differentia, qua similiter differt à contractibus aliis, est, quod per eam potest constitui inter contrahentes Iustitiæ æqualitas *dando rem pro precio pecuniario.* Dico autem, *potest constitui*, & non dico, *constituitur* (actu) Nam de propria ratione & differentia Emptionis & Venditionis, non est, vt *actu* per eam constituatur Iustitiæ æqualitas inter contrahentes, sed vt posit constitui, quantum est de ratione Emptionis & Venditionis. Alioqui enim sola emptio & venditio *iusta*, esset & nominaretur verè emptio & venditio, quod constat falsum esse.

Cùm igitur *genus & differentia* Emptionis & Venditionis sic se habeant, potest ex sententia Doctorum omnium, quod ad rem quidem attinet Emptio describi sic: *Emptio est contractus, quo precium pecuniarium datur pro re.* Venditio autem sic: *Venditio est contractus, quo datur res pro precio pecuniario.* Atque in idem redit descriptio, quam assignant alij per verba Legis. C. de rescindenda Venditione. l.2. sic; *Venditio est distractio rei pro precio: Emptio autem, est rei pro precio contractio.*

SED illustrabitur adhuc magis hæc ratio Contractus Emptionis & Venditionis per enumerationem commutationũ seu contractuum, quam suprà q.5.p.2. proposuimus. Sic enim perspicietur clarius propria ratio & differentia, qua Emptio & Venditio distinguuntur ab aliis. Et quidem varij Doctores variè & varios contractus numerant; aliter atq; aliter vsurpantes *contractus* vocabulum, vt Sotus lib.6. de Iustitia, q.2.art.1. annotauit.

D.Thomas suprà q.61.ar.3.& Scotus in 4.d.15. q.2. octo contractus numerant; sed non omnes, eosdem. Antoninus 3.p.tit.8.ca.2. numerat duodecim. Syluester, Verbo Contractus, q.2. numerat Contractus decem *stricti iuris* (vt inquit) & *bonæ fidei*. Conradus q.16. de Contractibus numerat triginta. Sotus loco citato numerat tantùm septem; neq; tamen in ea enumeratione conuenit per omnia, aut cum D.Thoma, aut cum aliis, nõ modò si ad numerũ attendas, sed etiam si species Cõtractus eos, quos aut ponit aut prætermittit.

Ac sanè ad rem ipsam quod attinet, vt de iustitia & iniustitia Cõtractuum iudicetur, parum interest, quonam modo numerentur & diuidãtur. Nam secundùm normam quidem Philosophiæ moralis, atque adeo etiam Theologiæ, omnes huiusmodi commutationes seu contractus sunt *eiusdem speciei*, vt suprà q.5. p.2. annotauimus, & docent expressè D. Thomas & Caietanus q.61. art.3. Et idcirco in illis omnibus iustitia & iniustitia eodem modo accidit, & eodem modo diiudicanda est, scilicet penes rerum *æqualitatem vel inæqualitatem humana æstimatione mensuratam.*

Quæ causa est, cur D. Thomas hoc loco tantum agit in hac & sequenti quæstione, de iniustitia Venditionis & Mutui. Nam cognita iniustitia Venditionis & Mutui; omnium aliarum commutationum voluntariarum iniustitia facilè perspicitur. Quia sicut *medium iustum* in omnibus commutationibus voluntariis eodem modo accidit, scilicet secundùm *æqualitatem rei ad rem*, & idcirco omnes prædictæ commutationes sunt eiusdẽ speciei, vt est dictum: Ita etiam eodem modo accidit *inæqualitas* in earum iniustitia, videlicet penes *rerum inæqualitatem*.

Atque ideo neque iniustitiæ harum commutationum distinguuntur, propriè loquendo, *specie*, sed tantùm *materialiter*, notabiliter tamen, sinuntur. Quod ipsum Doctores sæpè indicant, cùm vsuram vocãt iniustam quandam venditionem, qua *idem bis*, aut quod *nihil valet*, venditur. Et præterea Caietanus hìc iniustitiam venditionis distinguit specie ab iniustitia solùm *inuoluntariarum* commutationum, vt à furto, rapina, &c. concedit autẽ, eandem fraudulentiam siue iniustitiam venditionis contingere posse in aliis voluntariis commutationibus. Vnde in Catechismo Romano in explicatione septimi præcepti omnis iniustitia horum contractuum siue commutationum, comprehendi videtur vno nomine, scilicet *furti* aut *rapinæ*, aliquanto latius sumpto.

Nihilominus tamen, maioris claritatis gratia, non est inutile præcipuas aliquas Contractuum species, vel *quasi species* hoc loco distinguere; de quarum videlicet iustitia aut iniustitia frequentius est necesse iudicium ferre. Hæ autem sunt in primis illę octo (ferè combinatę) quas ex sententia D. Thomæ numerauimus q.5.p.2. scilicet *Emptio & Venditio: Vsus fructus: Accommodatum: Mutuum: Locatio & Conductio: Depositum: Impignoratio: Fideiiussio:* quarum specierum rationes illic exposuimus; & præterea istæ aliæ quinque species: scilicet *Cambium*, quo dominium rei transferatur non pro precio, sed pro re altera, vt vinum pro oleo, verbi gratia. Item *permutata commodatio*, qua vsus vnius rei conceditur pro vsu alterius rei; vt si concedas vsum equi pro vsu serui. Itẽ *Emphyteusis* vel Censualis pensio, cùm vsus fructus alicuius rei conceditur alicui pro precio, ad tempus, vel in perpetuum cum aliqua conditione, qua non seruata redeat vsus ad dominum rei directum. Item *Feudum*, quod est, vt colligitur ex Syluestro, Verbo Feudum, quando dominus in vtilitatem vasalli concedit ei dominium *vtile*, hoc est, rei vsum in perpetuum, retento sibi dominio *directo*, id est, vero & proprio, quo posit rem recuperare existentibus certis causis, de quibus vide Syluestrum, Verbo Feudum, nu.17. Feudatarius autem in recompensationem exhibet domino aliquod officium, licet non secundùm æqualitatem vtilitatis, quam ex Feudo suscipit. Item *Societas*, qua plures conferunt res vel operas in nẽgociationem aliquã, distributuri æqualiter inter se lucrum & damnum.

Aliæ verò actiones, quæ vltro citroq; non habent reciprocam obligationem, non nisi valde impropriè, inter Contractus numerari possunt, cùm non ad iustitiam, sed ad alias virtutes pertineant. Vt *Donatio & Legatum*, quæ pertinent ad liberalitatem. Depositum autem, impignorationem, fideiiusionem, & similia, immeritò reiicit Sotus vbi suprà à numero Contractuum. Nam quamuis per hæc non *constituatur* quidem æqualitas iustitiæ (cùm non transferatur per illa dominium rei, neque fiat vlla rerum commutatio) *firmatur* tamen & *stabilitur*, reddendo Domino rem, ad quam ius habet; id quod est etiam munus commutatiuæ iustitię, vt suprà q.5.p.2. annotauimus. Qua etiam ratione *Commodatũ* est item Contractus (fatente Soto) licet per illud minimè transferatur rei dominium nec *constituatur* per diuersorum compensationem vlla æqualitas, sed tantùm *stabiliatur*, reddendo suo domino rem gratis ab eo commodatam.

Præter hos autem Contractus *nominatos*, alij quàm plurimi fieri possunt iustè vel iniustè, qui à Doctoribus *Innominati* dicuntur, eò quòd cùm latissimè pateant, carent nomine certo. Itaque illos complectuntur istis modis loquendi, desumptis ex l. Naturalis. ff. de præscriptionibus, Verbo *Do vt des. Facio & facias. Do vt facias. Facio vt des.* quia nimirum aliquo istorum modo, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

quacunque materia celebrentur, oportet illos Contractus transigi. Et ex his quidem, quænam ſit Emptionis & Venditionis ratio tum illis cum aliis contractibus *communis*, tum etiam *propria*, ſatis iam patet.

Quanta verò ſit Emptionis & Venditionis *vtilitas* (quod erat alterum nobis propoſitum) intelligi poteſt ex Philoſopho 5.Ethic.cap.2.& 1.Polit. cap.6. vbi docet, *neceſsitatem humanæ vitæ inuexiſſe numiſmatis vſum*, quo fit emptio & venditio. Nam vt neceſsitati hominũ variis rebus indigentium, commodè ſuccurreretur, inuentum eſt à communitatum rectoribus *numiſma*, quod voluerunt æquiualere omnibus rebus ſecundùm proportionem, qua iuſſerunt illud à ſubditis æſtimari. Vt ita, hoc ipſo quòd vnuſquiſq; indiget variis rebus, indigeat etiam numiſmate ſeu pecunia; & conſequenter nemo non facilè pro pecunia vel exhiberet alteri *per venditionem*, vel ab altero acquireret *per emptionem*, neceſſaria ad vſum vitæ.

Quod ſecus ſæpè accidere neceſſe eſſet, ſi homines cambiis tantùm & permutatione rerum vterentur: maximè poſtquam humanæ vitæ neceſsitates excreuerunt, vt optimè declarat Sotus lib.6.q.2.art.1. ex ſententia Philoſophi: qui idcirco 1. Polit. cap.6. *barbaras* appellat eas gentes, apud quas ſuo tempore cambia rerũ erant in vſu. Fuerunt autem aliquando. Nam vt refert Plinius lib.33. cap.3. Seruius Rex Romanorum primò ſignauit æs nota pecudum: vnde pecunia dicta eſt. Et diu poſt ſignatum fuit aurum & argentum. Qua de re fusè Couarruuias in tract. de veterum numiſmatum collatione cap.1.& 2.

Sed nõ immeritò quæret hîc aliquis duo. PRIMO, Quomodo potuerit publica poteſtas velle & iubere, vt res hoc vel illo modo ſignata, *tanti* iuſtè æſtimaretur; ſi alioqui ex natura & vtilitate ipſius, *tanti* apud homines non valeret. Ratio dubitandi eſt. Nam ſicut publica poteſtas non poteſt conſtituere æqualitatem rerum, ſed tantùm declarare: ita neque videtur poſſe ſuo arbitratu conſtituere *medium ſiue obiectum* Iuſtitiæ, de quo diſputamus.

SECVNDO, Quomodo potuerit eadem publica poteſtas initio determinare quantitatem, ſiue valorem pecuniæ; vt videlicet hæc pecunia valeret tantũ, illa plus, &c. Ratio dubij eſt. Nam non videtur *ex propria natura rei*, in qua pecunia fuit ſignata, id debuiſſe determinari, cùm natura pecuniæ minus valeat, & potuerit ac poſsit cudi in quacunque viliori materia, vt eruditè contra nonnullos confirmat Couarruuias in prædicto tract.cap.7. Neque etiam id determinatum fuiſſe videtur per comparationem cum aliis rebus; ſtatuendo videlicet, vt hæc pecunia valeat tantũ, quantum hæc quantitas tritici, verbi gratia, & illa tantum, &c. Nam id eſſet pecuniam per res menſurari, cùm tamen ipſa dicatur à Doctoribus eſſe *menſura* rerum: quomodo ergo initio eſt facta illa determinatio valoris pecuniæ?

Ad PRIMAM quæſtionem reſpondeo, publicam poteſtatem inſtitutione pecuniarum non iuſsiſſe populum reputare *æquale* rei, quod non eſt æquale, ſed primùm ſua auctoritate feciſſe pecuniam *æqualis* vtilitatis cum rebus, & poſtea iuſſiſſe populum pecuniam reputare *æqualem* ipſis rebus. Omnis enim æqualitas iuſtitiæ metienda eſt ex vtilitate, quam res afferunt. Modus autem quo publica poteſtas fecit pecuniã primò æquè vtilem atq; res, & proinde illis ſecundùm humanam æſtimationem æqualem, fuit, iubendo in communi, vt pro pecuniis iuxta earum proportionem commutarentur quæcunque res. Quod perinde potuit licitè iubere, ac potuiſſet facere omnia communia, vel iubere, vt vnicuique neceſſaria petenti, etiam abſque vlla re exhibita, à quocunque habente ſuppeditarentur.

Hac ergo voluntate & conſtitutione publicæ poteſtatis ſuppoſita, iam pecunia eſt facta admodum vtilis: & conſequenter iuſtitia ipſa inclinat ad commutandum ſecundùm æqualitatem res pro illa. Sicut, verbi gratia, ſuppoſita opera artificis circa lignum alioqui non vſque adeo vtile; quãdo iam ex illo eſt arca fabricata, iam eſt illud lignum factum vtilius, atque adeo æquale alteri rei vtili, vt poſsit ex iuſtitia pro illa commutari. Sic in propoſito. Nihil enim intereſt ad æqualem rerum vtilium æſtimationem, vtrum vtilitas inſit rei ſecundùm ipſius propriam formam aut qualitatem, vel tantùm ab extrinſeca voluntate & inſtitutione, ſicut fit in propoſito. Per ſe namque ſolùm requiritur, vt ſit res vtilis, vndecunque & quomodocunque tandem vtilitatem habeat.

Atque ex hoc poſſunt intelligi quædam non vſque adeo clarè dicta de pecunia à Doctoribus. Vt quòd eſt quaſi *fideiuſſor* Reipublicæ nomine, ad hoc vt quotieſcunque pecuniam porrexeris, inuenias neceſſaria, iuxta illud Eccleſ.10. *Pecunia obediunt omnia*. Item quòd in quauis materia poſſet habere eundem valorem. Hoc enim idcirco verum eſt, quia valor pecuniæ præcipuè pendet ab extrinſeca voluntate & inſtitutione publicæ poteſtatis. Et alia ſimilia facilè item hinc intelligentur.

Ad SECVNDAM quæſtionem ſiue interrogationem dico, non aliter determinationem illam valoris pecuniæ videri factam initio, quando primò fuit inſtituta pecunia, niſi illo *ſecundo* modo dicto in ratione dubitandi. Poſtea verò quando de nouo inſtituitur aliqua pecunia, valor eius determinatur, comparatione facta cum aliis pecuniis.

Neque verò eſt abſurdum, vt initio fuerit pecunia per res ipſas menſurata: ſiquidem pecunia non eſt menſura *naturalis*, ſed merè *ad placitum*; & ita potuit principio rebus ipſis menſurari; tametſi poſtea quoad nos ſit ipſa clarior quædam rerum menſura. Hæc de ratione & vtilitate ſeu neceſsitate huius Contractus Emptionis & Venditionis.

PVN-

PVNCTVM SECVNDVM.

Quando contractus Emptionis & Venditionis ſit iuſtus vel iniuſtus ex parte precij.

D.Thomas art.2.

EX parte precij tunc ſine dubio Emptio & Venditio eſt iuſta, quando *precij* valor eſt æqualis valori *rei*; tunc autem iniuſta, quando valor precij, & valor rei ſunt inæquales; ita quidem, vt vel Venditor plus precij accipiat, quàm res valet; vel Emptor det minus, vt patet ex doctrina D. Thomæ hic & aliorum communi.

Sed vt in caſibus particularibus diiudicari poſſit, ſintne æquales vel inæquales valor rei, & valor precij, videndum eſt, quæ ſint conſideranda in rebus, quę veneunt, vt cognoſcatur, quanto precio æquiualeant. Et circa hoc quidem de multis inter Doctores conuenit. PRIMO conuenit, non eſſe ad id conſiderãdam *ſolam perfectionem* rei abſolutè & phyſicè; ſed inprimis *vſum* eius, vt patet ex iis, quæ docuimus ſuprà q.5.p.1. Vnde Ariſtoteles 5.Ethic.cap.6. *indigentiam* ait menſuram eſſe humanarum commutationum. Contingit autem res imperfectioris naturæ eſſe vtiliores. Viuentia præſtant non viuentibus. Nihilominus vt ait D. AVGVSTINVS li.11. de ciu.Dei, c.16. *mallet homo domi habere panẽ, quàm mures, nummos quàm pulices*. Ex quo intelligitur, idem eſſe inueſtigare æqualitatem rei & precij (ſiue etiam æqualitatem aliarum rerum) & inueſtigare æqualitatem *vtilitatis vtriuſque*, omnibus circumſtantiis conſideratis, iudicio humano æſtimatam.

SECVNDO conuenit, attendendam in ea diiudicatione eſſe *copiam* aut *inopiam* rei; atq; adeo *frequentiam* venditorum & emptorum, vel etiam inopiam eorundem, quæ nimirum comitatur copiam aut inopiam rei: Et denique negociationis laborẽ à venditore in re procuranda ſuſceptum; itemq; curã, induſtriã & pericula, &c. Ratio iſtorum eſt: Nam copia rei minuit eius valorẽ; cùm facilius ſit rem eam habere cuius eſt copia: Inopia autem auget, quia tunc maius eſt periculum re carendi; quòd vel non omnes, vel non niſi difficiliter poſsint habere. Item *frequentia* venditorum, & *inopia* emptorum, ſi ſimul concurrant, tantò magis minuunt æſtimationem valoris rei, quantò tunc quiſque venditorum magis vereri poteſt, ſe non vtiliter rem ſuam diſtracturũ, cùm tot ſint alij venditores, à quibus eam poſsint emptores accipere.

Atque hinc ferè excuſantur emptiones rerum voci præconum ſubiectarũ pro vili precio: quia ſcilicet pauci ſunt emptores, qui tunc temporis indigeant & habeant pecuniam in promptu, vt bene docet hîc Caietanus, & in Summa, Verbo Emptio. Deniq; *induſtria & labor* venditoris auget etiam rei valorem, vel certè indicat rem plus valere: Siquidem eſt argumentum difficultatis habendi rem, & ita auget eius æſtimationem.

Circa hoc tamen vltimũ ex ſententia omnium conſideranda ſunt duo. PRIMVM eſt, vt mercator non fuerit imprudenter deceptus, neq; poſuerit diligentiam aut laborẽ, moraliter loquendo, nõ neceſſarium. SECVNDVM (vt optimè notat Ioan. Medina de reb. reſt. q.31. circa finẽ) id eſt intelligẽdum ſalua æſtimatione precij eius rei iam determinata in Republica, vel ex lege, vel ex conſuetudine, quando videlicet res iam illic ſuppetebat. Vnde illud præcipuè habet locum, cùm de nouo merces ad Remp. aduehuntur. Tunc enim habenda eſt potiſsimum ratio induſtriæ, &c.

Ex hoc ſequitur, meritò illic à Medina & ab aliis explodi quandam regulam, quam in hoc eſſe tenendam dixit Scotus in 4.d.15. q.2. vt videlicet tantùm tunc poſsit mercator lucrari, quantum Reſpublica illi decreuiſſet lucri, ſi eum conduxiſſet, & miſiſſet, vt adueheret merces. Hoc non eſt vniuerſaliter verum. Nam aliquando accidet, vt mercator talis nihil iuſtè poſsit lucrari; vt ſi Reſpublica ea re abundet aliãs, &c. & aliquando etiam, vt multo plus lucretur, quàm Reſpublica ei decreuiſſet; propter varia nimirum, quæ breui etiam temporis ſpacio accidere in Republica poſſunt, quæ immutant alicuius rei æſtimationem. Anceps enim eſt euentus negociationis.

TERTIO principaliter conuenit inter omnes, diſcernendũ eſſe inter rerum precia. Nam quando per publicam poteſtatem, conſiderantẽ omnia prędicta, eſt lege taxatũ alicuius rei precium; illud omnino eſt iuſtum, non autem vllum aliud maius vel minus. Conſiſtit enim tunc iuſtum precium *in indiuiſibili*, & dicitur precium *legitimum*. Quando autẽ precium ſtatuitur communi æſtimatione prudentum; poteſt eſſe latitudo aliqua iuſtitiæ eius. Ratio huius diſcriminis eſt. Nam quando publica poteſtas precium ſtatuit, non ſolùm iudicat id eſſe iuſtum precium, ſed etiam cum auctoritate *præcipit*, illud haberi iuſtum precium, & non plus aut minus; & ita obligat *indiuiſibiliter*. At verò quando communis æſtimatio conſtituit de precio; cùm nemo tunc habens ad id auctoritatem præcipiat vt tantum & non plus aut minus habeatur iuſtum rei precium; & ex alia parte, certitudo humanæ æſtimationis non conſiſtat in indiuiſibili; iuſtitia talis precij habet aliquã latitudinẽ. Vt v.g. ſi res iuſtè ex communi prudentũ æſtimatione vendatur nummis noué, etiam vendetur iuſtè octo nummis vel decem.

Vnde diuiditur à Doctoribus hoc precium (quod *naturale* ſiue *arbitrarium* dicitur) in *Rigidũ*, id eſt, Summum; *Pium*, id eſt, *infimum* ſeu minimum; *Moderatum*, id eſt, mediocre. Et per hanc diuiſionem excuſant Doctores multas venditiones, quæ alioqui iniuſtæ videri poſſent. Vt quando intra latitudinem iuſti huius precij arbitrarij in eodem loco & tempore, nulla facta rei mutatione, diuerſimodè res venditur.

Faten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fatendum est tamen hoc non carere periculo. Et propterea consultum esset, vt quantum fieri possit, omnia precia lege statuerentur. Id quod potissimum pertinet ad publicam potestatem, vt habetur l.1.ff. de officio Præfecti Vrbis. §. Cura carnis. Quæ proinde potestas debet etiam attendere in taxando precio mutationem rerum. Posset enim aliâs accidere, vt precium legitimum vno tempore iustum, alio tempore esset contra ius naturæ.

Sed quia non potest in rebus omnibus determinatio iusti precij fieri per legem; relinquitur precium statuendum non iudicio vnius aut alterius; sed communi prudentum atque bonorum: iuxta illud, quod habetur l. Precia.ff. ad l. Falcidiam: *Precia rerum non ex affectu & vtilitate singulorum; sed communiter funguntur.*

Quarto principaliter conuenit inter Doctores, precium rei iustum censeri illud, quod existimatur res valere *eo tempore*, quo à Venditore traditur emptori, consideratis etiam circumstantiis præteriti & futuri temporis; non autem illud, quod vel *antea* res valuit, vel postea fortè valebit, si interea non pereat aut distrahatur. Ratio huius est: quia res eatenus valet precium aliquod, quatenus voluntate & beneficio venditoris, vtilitatem (consideratis etiam circumstantiis probabiliter futuris) affert emptori: Sed affert vtilitatem Emptori beneficio quidem Venditoris solùm *pro tempore*, quo Emptori traditur: Ergo tantùm pro eò tempore est iudicandum de eius valore iusto. Ita etiam colligitur ex l. In lege 4. ff. ad legem Falcidiam, vbi dicitur, tantum valere rem, quantum æstimatur *præsenti* pecunia.

Ex his, quæ apud Doctores (vt dixi) certa sunt, multæ difficultates in hac materia poterunt expediri. Et peculiariter sequitur ex his Primo, iniquum esse, emptores facere *monopolium*, id est, de industria conuenire, vt nullus det, nisi tantum: vel etiam venditores, quando conueniunt, vt nullus vendat, nisi tanti. Est enim ea precij definitio non ex recta & rationabili æstimatione, sed ex praua cupiditate profecta, atq; adeo continet iniquam fraudem in damnum aliorum. Vnde & Iure Ciuili plectuntur tales graui supplicio, vt notat Syluester, Verbo Emptio q.18. Et patet ex l. vnica. C. de Monopoliis, quæ est Constantini. Et addit rectè Sotus lib.6. de Iustitia, q.2. art.3. licere tunc emptoribus vim vi repellere, faciendo etiam monopolium contra venditores in tali casu.

Sequitur Secvndo, quo pacto intelligendum sit illud, quod communiter notant Iuristæ l.1.§. Si hæres.ff. ad S.C. Trebel. & l. Quærebatur. ff. ad Legem Falcidiam, videlicet *tantum valere rem, quantum vendi potest.* Vt enim hoc dictum sit verum, intelligendum est, quanti vendi potest *sine fraude & dolo* secundùm communem æstimationem. Vt bene declarat Syluester, Verbo Emptio, quæst.9. & Sotus vbi suprà, & Medina q.32. de rebus restituendis, & Nauarrus in Manuali, cap.23. n.80.

Alioqui id dictum nudè acceptum vt sonat, falsum est. Nam de facto quidem potest vendi res maiori precio, quàm valet: ac proinde si illud dictum absolutè, vt sonat, esset verum, valeret tum res *plus quàm valet*, quod implicat contradictionem. Atque etiam sequeretur, quòd quandoque valeret res *vltra dimidium* iusti precij. Nam sic etiam potest vendi de facto: & tamen Iure etiam Ciuili contractus, in quo accipitur *vltra* dimidium iusti precij, non toleratur; vt latè tradit Syluester vbi suprà q.8.

Tertio sequitur, meritò à Theologis communiter explodi opinionem cuiusdam Duranti Ordinis Minorum, qui dixit, licitum esse in conscientia rem vendere pluris, quàm valeat, dummodò non vendatur *vltra dimidium* iusti precij; & etiam esse licitum, rem emere minoris, quàm valeat, dummodò non *citra dimidium* iusti precij. Atque etiam meritò exploditur opinio Gersonis, qui in tractatu de Contractibus concedit quidem, vendentem *vltra* dimidium *peccare*; sed tamen negat debere *restituere*. Id quod etiam negauit Summa Rosella, Verbo Emptio. Refutat hæc copiosè & bene Sotus lib.6. quæst.3. artic.1. circa solutionem primi, & Medina q.32. de rebus restituendis, atque etiam ante hos Syluester, Verbo Emptio, q.8. contra Summam Rosellam.

Ratio falsitatis harum opinionum est. Nam siue quis vendat pluris *vltra* siue *citra* dimidium iusti precij, vtrouis modo violat iustitiæ æqualitatem, quod est *intrinsecè* malum. Item contra Gersonem ratio est manifesta. Nam si talis peccat, peccat vtique *contra commutatiuam iustitiam*, ex cuius violatione semper oritur obligatio restituendi. Et denique confirmari potest hoc ex D. Paulo 1. ad Thessal. 4. vetante quenquam *in negotio circumuenire*: circumuenire autem procul dubio est, pluris vendere, quàm res valeat, vel minoris emere.

Sed argumentantur illi auctores. Primo. Nam in l. Rem. C. de rescind. vendit. & l. in causæ. §. Idem Pomponius. ff. de Minoribus, dicitur, licere emptoribus & venditoribus se decipere ea ratione, videlicet *citra* dimidium iusti precij. Respondeo, Iure Ciuili id *non approbaritan*quam licitum in conscientia, sed solùm *non puniri*. Nam vt pulchrè D. Thomas in solutione primi explicat, cùm in *communitate* multi sint imperfecti, non omnia quæ praue fiunt, puniuntur auctoritate humana. Nam tunc vix posset consistere communitas. Cæterùm iudicio diuino hoc etiam relinquitur puniendum. Item dicimus, leges ciuiles tantùm velle negare *actionem* defraudato *citra* dimidium contra defraudantem; & hoc in odium litis.

Quod

Quod tamen intelligi debet, secluso *dolo, dante causam contractui.* Nam tunc ius Ciuile etiam rescindit contractum cogendo ad id defraudantem. Quin etiam, si dolus sit tantum *incidens in ipso contractu*, & non causa illius, datur actio defraudato ad hoc, vt defraudans *vel* rescindat contractum, *vel* restituat defraudato, quod iniquè vltra accepit, vt latè explicat Medina q.32. & 33. De quo vide etiam Syluestrum, Verbo Emptio, quæst.8.

Secvndo argumentantur: Lex humana habet potestatem transferendi dominium, sicut fit per Legem *præscriptionis*: Ergò videtur id in proposito similiter fieri, quandoquidem Leges illæ citatæ aiunt, licere accipere plus precij, modò non sit plus *vltra iusti dimidium.*

Respondeo esse longè diuersissimam rationem. Nam in præscriptione dominus rei plerumque est in culpa, tamdiu rem propriam negligendo; & rei possessor, est (vt suppono) possessor *bonæ fidei*; & idcirco iusta est lex translationis dominij per præscriptionem ad tollendas lites & confusionem, quæ sequeretur, si etiam post longum tempus quis haberet ius ad recuperandam rem suam, quam alter bona fide retinuit. At verò in proposito neq; *dominus*, qui fuit defraudatus dando plus precij communiter est in culpa, cùm nõ sit omnibus facile nosse rei precium: neque possessor est bonæ fidei, vt supponimus, siquidem iniquè extorsit plus quàm res valet. Et ira non est hîc causa, cur putemus Ius Ciuile velle transferre dominium illius excessus precij. Quinimò ait Sotus, fortasse neque id posse facere ius Ciuile, si non suppeteret alia peculiaris causa, quæ iam non apparet: Solùm ergo vult permittere rem impunitam & negare actionem, vt est dictum.

Tertio obiiciunt regulam Iuris, *volenti & scienti non fit iniuria*: Ergo secluso dolo, non fit iniuria Emptori danti plus quàm res valeat *citra* dimidium.

Respondeo *primò*, si hæc ratio valeret, eodem argumento posse probari licere etiam recipere *vltra* dimidium. *Secundò* dico, emptorem non velle reuera transferre dominium eius, in quo defraudatur, sed tantùm vult id exterius dare venditori, vt subueniat ita suæ necessitati. Quemadmodum qui compulsus à latrone vult ei dare centum, verbi gratia, vitæ conseruandæ causa; solum exterius dat, neque vult cedere iuri suo quod habet ad illa centum recuperanda. Si-cut etiam ille, qui proiicit merces in mare, si possit aliqua via res recuperare non vellet cedere tali iuri, sed tantùm vult exterius res proiicere. Nam id est præcisè sufficiens ad succurrendum necessitati, qua impulsus id facit.

Ita ergo in proposito: emptor in precio à venditore defraudatus (etiam *citra* iusti dimidium) solùm vult illud, quod præcisè est necessarium ad subueniendum propriæ necessitati, videlicet exterius à se pecuniam abdicare; & dare venditori, vt rem sibi comparet: non autem etiam dominium transferre. Neque est hîc facile recurrendum ad *donationem*. Nam emptores nihil minus solent velle, quàm donare: cùm communiter loquèdo solùm intendant satisfacere propriæ necessitati, neq; valde curent commodum venditoris vltra id, quod postulat rigor æqualitatis iustitiæ. Est autem hoc diligenter notandum. Nam in his materiis sæpè solet non satis rectè obiici illa regula: *Volenti & scienti, &c.*

Atque ex his etiam patet, infirmum esse fundamentum Gersonis, quod videlicet in eo consistebat, vt ius Ciuile putaretur post celebrationem contractus conferre dominium defraudanti citra dimidium iusti precij, atque adeo liberare illum à vinculo restituendi. Nulla enim suppetit causa, cur id putemus.

An possit res ob aliquas circumstantias emi vel vendi pro precio illi inæquali.

Sed quamuis hactenus satis ostensum ac defensum sit, non posse iustè rem aut pluris vendi; aut minoris emi, quàm valet, si ipsius rei & precij valor *per se* spectetur, vt docet quoque diuus Thomas hîc: tamen superest hoc loco Qvæstio, Vtrum aliquando liceat vendere pluris rem, quàm valeat; aut emere minoris propter peculiarem aliquam conditionem ipsius, vel etiam propter modum vendendi & emendi, aut alias circumstantias ad emptorem vel venditorem attinentes; & quæ sint illæ. Et videtur id quandoq; licere. Primo, nam est quoddam genus rerum, quod id patitur, nimirum earum rerum, quæ non sunt communi vsui necessariæ; cuiusmodi sunt vniones, preciosi equi, &c. quę non tam ad necessitatem, quàm ad splendorem vitæ pertinent; pro quibus videtur licitum esse petere & recipere, quantum quis potest extorquere.

Secvndo. Nam in omni genere mercium *modus* vendendi *ad terminum expectato precio* videtur iustè illud augere; & contra, *modus* emendi *anticipata solutione precij*, iustè minuere. Etenim *præsens* tum pecunia, tum res hoc ipso, quod est præsens videtur plus valere, quàm absens & non nisi futuro tempore accipienda: Ergo qui confert rem præsentem pro absenti pecunia, poterit eò *plus* pecuniæ exigere, vt ita compensetur pecuniæ *absentia*. Et similiter exhibens præsentem pecuniam pro re absenti, poterit *minus* pecuniæ dare, vt similiter sic compensetur rei absentia.

Antecedens probatur tripliciter. Primo. Nam res vel pecunia præsens est domino vtilior, cùm posit statim pro libito ea vti: id quòd magni videtur æstimandum. Secvndo. Quia dominus non ita est anxius & solicitus de re, sicam habet præsentem, atque si eam in futuro expectet: quod etiam magni homo æstimat. Mallet

enim quis aliquando pecuniam magnam dare, A
quàm eam solicitudinem sustinere. Vnde etiam
iustè quis accipit pro tali solicitudine certam pe-
cuniam: vt patet in contractu Assecurationis.
TERTIO. Quia hæc ipsa videtur esse ratio, pro-
pter quam sentiunt aliqui (inter quos est Caieta-
nus ad finem suæ Summæ) licitum esse emere *de-
bita* minoris, quàm sit illorum Summa postea
percipienda.

TERTIO principaliter idem probatur. Nam
sæpè accidit, vt homo detrimẽtum aliquod ideo
incurrat, quia vendit aut emit: si nimirum idcir-
co amittit aliquid, quod habet, vel quod est ha-
biturus: sicut etiam indicat D. Thomas hîc: Er-
go licebit tunc ob eiusmodi circumstantias rem
pluris vendere, quàm valeat, vel emere minoris. B

QVARTO potest ad idem probandum duci
argumentum ex cap. In Ciuitate, Extra de Vsu-
ris: Et ex cap. Nauiganti, eodem titulo. In quo-
rum primo habetur, licitum esse pluris rem ven-
dere, quàm *in præsenti* valeat, si probabiliter pu-
tetur plus valitura *tempore solutionis*. In altero ha-
betur id licere, si venditor rem suam erat serua-
turus vsque ad illud tempus, quo plus putatur
res valitura. Est igitur licitum propter aliquas
circumstantias vendere rem pluris, quàm va-
leat.

QVINTO. Nam saltẽ videtur id licere in quo-
dam genere mercium, quæ moraliter loquendo,
non possunt emi neque vendi, nisi *anticipata* so-
lutione cuiusmodi est *lana*, eò quòd ferè pastores
non commodè possunt gregis curam sustinere,
nisi ante tonsuræ tempus recipiant lanæ preci-
um. Et ita propter vtilitatem *anticipatæ solutionis*
videtur esse licitum emere lanam precio minori,
quàm tempore, quo tradetur, putatur valitura:
sicut fertur esse alicubi moris. Contra verò ali-
quæ merces sunt eiusmodi, vt non possint com-
modè vendi *præsenti pecunia*, sed soluenda futuro
tempore; quæ proinde videntur posse maioris
vendi, quàm si præsenti pecunia venderentur.
Vt, verbi gratia, si adueniat nauis onusta merci-
bus, quæ omnes non possint præsenti pecunia à
ciuibus emi, sed oporteat precium expectare,
conficiendum videlicet ex minuta venditione
earundem mercium.

In CONTRARIVM est, quòd rem vendere plu-
ris, quàm valet; aut emere minoris, si reuera id
fiat, quod hoc modo loquendi significatur, est
contra æqualitatem iustitiæ: Ergo propter nul-
lam causam licet. Esset namque id (vt rectè asserit
D. Thomas) contra finem emptionis & vendi-
tionis, id est, contra communem ciuium vtilita-
tem, quæ postulat, vt neque grauetur venditor
accipiendo minus, quàm dat; neq; emptor dan-
do plus, quàm accipit.

In huius QVAESTIONIS explicatione multa
breuiter complectemur, quę Doctores fusissimè
tractant, & sunt indicata in propositis argumen-
tis. Est autem PRIMO *generatim* respondendum
propositæ quæstioni per distinctionem. Etenim
longè aliud est, *ex vi ipsius venditionis absolutè* plus
exigere, quàm valeat res; aut minus *ex vi emptio-
nis* dare: Et aliud, *in ipsa* quidem venditione &
emptione petere aliquid plus, quàm res valet, vel
minus etiam dare. *Primum* semper est illicitum,
vt argumẽto in contrarium est probatum. Nam
cùm venditio secundùm se sit quædam commu-
tatio rei pro precio; & similiter emptio quædam
commutatio precij pro re, non potest aut vendi-
tio & emptio esse iusta, si ex vi eius perturbatur
iustitiæ æqualitas. Et ita in hoc sensu non proce-
dit quæstio. Clara enim est pars negatiua ex prę-
dictis. *Secundum* verò omnino potest esse licі-
tum. Nam tempore venditionis & emptionis,
præter ipsum titulum valoris rei, quæ venditur,
aut precij, pro quo emitur, possunt *cum ipsa* ven-
ditione & emptione concurrere per accidens
varij alij tituli, ob quos vel venditor possit accipe-
re plus quàm res valeat, vel emptor minus dare,
non quidem *ex vi ipsius* venditionis aut emptio-
nis, sed alicuius alterius contractus (nominati
vel innominati) qui simul inter venditorem &
emptorem exerceatur propter grauamen ali-
quod, quod alteruter ex venditione vel emptio-
ne incurrat.

Possunt autem sine controuersia tot eiusmo-
di tituli eo tempore occurrere, quot possunt
tempore alio, quando contractus emptionis &
venditionis non celebraretur. Itaque in Summa
dicimus, non posse aliquem rem pluris vendere, C
quàm valeat, aut minoris emere, *ex vi solius* ven-
ditionis aut emptionis formaliter: posse autem
materialiter eum ipsum, qui vendit, accipere plus;
aut eum, qui emit, dare minus *ex alio aliquo ti-
tulo simul concurrente* cum venditione & emptio-
ne.

SECVNDO respondendum est *in specie* ad pro-
positam quæstionem: Quantum ex communi
doctrina Doctorum, & iis, quæ in variis materiis
verè definiuntur, possum colligere, QVATVOR
in vniuersum esse generales titulos, propter quos
præter titulum valoris rei aut precij, quæ in emp-
tione & venditione commutantur, licitè potest
alter ab altero *aliquid* recipere, atque adeo vel
emptor (in *eius* recompensationem) minus pre- D
cij dare, vel venditor plus precij exigere.

PRIMVS titulus est *donationis*, siue omnino li-
beralis, siue gratuitæ in recompensationem be-
neficij facti emptori à venditore (vel contra) per
ipsum venditionis vel emptionis contractum.
Quam tamen donationem vel gratitudinẽ com-
muniter nolunt Doctores *in pactum deduci*: de
quo videbimus postea in materia de Vsura.

SECVNDVS titulus est *iactura siue damnum ali-
quod*, quod alter contrahentium subit, vel in re
habita vel *habenda*, ratione cuius potest ab altero
ex iustitia exigere compensationem secundùm
æqualitatem, si alter quidem sit alteri *causa* eius
damni per emptionis aut venditionis contractũ;
alioqui

alioqui non; vt patet. Et huc reuocantur tituli A
damni emergentis, & *lucri cessantis*.

TERTIVS titulus est *grauamen aliquod vel mo-
lestia* precio æstimabilis, quam alteri contrahen-
tium alter imponat, non aliter volens cum eo
contrahere: Nam ratione huius grauaminis po-
test is, qui grauatur, pacisci de aliqua compensa-
tione per alterum facienda ex iustitia, quasi pro
labore & molestia susceptа in ipsius vtilitatem.
Et hoc modo Caietanus infrà q. seq. art. 2. circa
ad 4. & Sotus lib. 6. de Iustitia, q. 1. art. 2. & Medi-
na, q. 38. de rebus restituendis, concedunt, gra-
uamen, quod subeat aliquis per *fideiiussionem se
obligando* ad soluendum pro altero, esse precio æ-
stimabile, & posse fieri pactum de illo. Et idem
concedit D. Thomas q. seq. art. 2. ad 4. de grauа- B
mine *obligationis ad mutuandum*.

QVARTVS titulus est minus frequens: videli-
cet *peculiaris pœnæ* emptori impositæ ex conuen-
tione, si ad præstitutum terminum non soluat.
Quod licere ratione iniquitatis *moræ*, ait Sotus
in dicto lib. 6. q. 1. art. 3. *Sicuti*, inquit, *iudex posses
imponere debitori talem pœnam*. Quanquam in hoc
non videtur similis ratio. Nam contrahens, si est
priuata persona, nõ potest ex *iustitia punitiua* im-
ponere pœnam; cùm ad id non habeat auctori-
tatem. Sed tamen ad propositum nostrum satis
est, quòd id liceat per viam cuiusdam promissio-
nis seu *conuentionis conditionalis*, &c.

Præter hos titulos nullus videtur alius assigna- C
ri posse in genere. Nam his complexi sumus om-
nes modos, quibus vel gratuitò, vel ex iustitia a-
liquid licitè potest recipi, atq; adeo omnes om-
nino. Nam quicquid ab altero contrahentium
recipitur, id vel dono, vel ex iustitiæ debito reci-
pitur. Hinc igitur petendæ rationes sunt pro-
bandi vel damnandi quoscunque contractus in
quacunque materia proponantur. Nam STA-
TVS omnium quæstionum in hac materia est in
eo positus, vt diligenter videatur, an quod alter
contrahentium accipit, meritò accipiat (ex con-
sensu etiam & intentione alterius contrahentis)
vel ob valorem rei, quæ commutatur; vel certè
ob aliquem titulum ex prædictis quatuor. Tunc
enim receptio erit iusta & licita, aliàs non. Itaq;
hoc est in promptu semper habendum pro RE- D
GVLA ad eiusmodi quæstiones diiudicandas. Cę-
terùm ad maiorem huius doctrinæ vniuersalis
explicationem, expediet nunc eam in specie per
conclusiones aliquot applicare ad illos præci-
puos casus, qui tanguntur in argumentis antea
obiectis.

De Venditione rerum preciosarum.

SIT ergo PRIMA Conclusio. Vendens res, quæ
magis pertinent ad vitæ splendorem, quàm
ad necessitatem, licitè, communiter loquendo,
recipiet tantum, quantum emptor sciens & pru-
dens voluerit dare, quamuis illud excedat alio-
qui valorem rei. Ita Sotus lib. 6. q. 3. art. 3. tametsi
non explicet satis, quo titulo id liceat. Et Medi-
na, quæst. 32. de rebus restituendis, & vt fertur, ita
etiam sentit Magister Victoria. Et quamuis alij
expressè non loquantur de hoc, tamen est ad
mentem omnium.

Probatur: Nam secundùm omnes titulo *do-
nationis* admixtæ venditioni, licet accipere quic-
quid velit dare emptor: Sed hîc vt plurimum in-
teruenit donatio: Ergo, &c. Maior est clara, &
explicatur bene à Medina, q. 32. circa finem. Mi-
nor probatur. Nam clari & locupletes homines
ad suam ferè dignitatem pertinere putant, hu-
iusmodi res magni coëmisse, vt bene Sotus dicit.
Vnde præsumi potest, illos voluisse sponte dona-
re precium abundans, vt vel eo nomine decus
quoddam sibi compararent.

Quòd si præterea etiam interueniat hîc alia
donationis coniectura; qualis esset, si emptor est
venditoris amicus, & cupidus aliàs ei benefaci-
endi; res tum esset securior. Nam hæc coniec-
tura, vt bene notat vbi suprà Medina, in quacunq;
materia est satis ad iustificandum ratione dona-
tionis excessiuum precium. Qui auctor rectè e-
tiam ibidem reprobat quandam conditionem,
quam hîc esse necessariam censuit Conradus, q.
57. de Contractibus, videlicet vt emptor rei pre-
ciosæ non ex *prodigalitate* aut *inordinato affectu* er-
garem, velit tantum dare. Hæc *conditio* non est
necessaria. Constat enim etiam per actionem a-
lioqui malam posse transferri dominium, quan-
do quis vult donare. Quemadmodum cùm ali-
quis dat histrioni aut adulatori aliquid. Vt igitur
quis potest aliquid ab illicitè donante recipere
sine obligatione restituendi, non interueniente
vllius rei venditione: ita etiam poterit venditio-
ne interueniente, cùm ob illam venditor non sit
peioris conditionis.

Dixi autem in conclusione, *communiter loquen
do*, tametsi eam restrictionem non adhibeat So-
tus. Nam fieri posset, vt emptor sit talis condi-
tionis, de quo facilè non queat præsumi, quòd
velit donare. Vt si ciuis emat gemmam, verbi gra
tia, pro vxore, &c. Nam quamuis emat honoris
causa, tamen non illius, qui consistit in magna
gemmæ æstimatione, sed quem affert duntaxat
gemmæ ornatus: quę causa emendi non satis cla-
rum suppeditat argumentum donationis. Qua-
re conclusio potissimùm intelligẽda est de Prin-
cipibus & Magnatibus.

Atque ex his patet solutio ad PRIMVM argu-
mentum contrarium. Conceditur enim id licere
propter voluntatem peculiarem emptoris *do-
nantis*, vt est explicatum; non autem propter so-
lum rei valorem; neque etiam propterea, quòd
res eiusmodi *non sunt omnibus necessariæ*. Nam id
nihil interest ad precij iustitiam. Non enim ideo
res plus valent. Neque enim quia liber aliquis,
verbi gratia, *non est necessarius omnibus*, potest plu-
ris vendi, quàm iustum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Emptione & Venditione ad terminum.

SECVNDA Conclusio. Vendere rem aliquam pluris, quàm in *præsenti* valeat, propterea quòd solutio precij sit *expectãda*; vel emere rem *vsu quidem consumptibilem* (vt vinum, frumentum, &c.) minoris, propterea quòd aliquandiu res eiusmodi sit expectanda, non licet. In hac Conclusione omnes Orthodoxi cõueniunt. Et probatur: quia sola expectatio temporis, quando nec *res ipsa*, nec rerum *circumstantiæ mutantur*, neque aliquis alius peculiaris titulus ex suprà dictis interuenit, non efficit, vt vel pecunia, vel alia eiusmodi res vsu consumptibilis plus valeat.

Etenim quocunque tempore res vsu consumptibilis aut pecunia, existens eadem, quantum est quidem ex parte solius temporis, idem valet. Tempus enim præcisè non pertinet ad rei vel pecuniæ valorem. Item neq; diuersitas solius temporis præcisè affert alicui ex contrahentibus aliquam vtilitatem, aut damnum, aut grauamen, aut arguit animum donandi, &c. sed omnia ista pensanda & existimãda sunt ex aliis circumstantiis rerum, quæ accidunt *in tempore*, de quibus videbimus postea.

Accedit, quòd hæc Conclusio continet rationem certissimam cognoscendæ iniquitatis vsuræ, quam ideo (contra quorundam errorem) confirmabimus magis, Deo fauente, infrà q. seq. Propterea enim *vsura* est illicita, quia præcisè ratione solius tẽporis expectati aliquid extorquetur. Vnde emptio rei pro precio minori quàm valet, *tantummodò ob anticipatam solutionem precij*; & venditio pro precio maiori propter *sõlam expectationem solutionis*, meritò à Doctoribus appellatur vsura *implicita siue palliata*. Nam saltem virtualiter & tacitè isti mutuant rem vel precium; & postea recipiunt aliquid vltra rem vel precium, quod dederunt.

Dixi autem in Conclusione, illicitum quoque esse, propter expectationem emere minoris *rem vsu consumptibilem*, quàm tempore anticipatæ solutionis valeat, &c. Nam res quidem *non vsu consumptibilis*, cuius nimirum diuturnior vsus plus valet (vt domus, ager, &c.) licitè emetur anticipata solutione minoris, quàm in præsenti valeat; si non statim, sed aliquandiu pòst sit tradenda.

Dixi etiam in probatione eiusdem Conclusionis, *quando nec res ipsæ vsu consumptibiles, nec rerum circumstantiæ mutantur, &c.* Nam si valor pecuniæ aut alterius rei vsu consumptibilis, tempore futuræ solutionis vel traditionis, minor esset futurus; omnes concedunt, posse venditorem petere plus pecuniæ quàm in præsenti res valeat, vel etiam emptorem minoris emere rem postea tradendam, quàm in præsenti valeat; Vt manifestè patet ex vltimo fundamento suprà posito ad æqualitatem precij cognoscendam: Et bene declarat Sotus lib. 6. de Iustitia, quæst. 4. art. 2. Et patet expresè ex cap. Nauiganti. Extra de Vsuris.

Atque ex his patet responsio ad PRIMVM argumentum, quod hanc difficultatem attingebat. Negandum est enim Antecedens. Et ad PRIMAM probationem eius, quæ contra hanc Conclusionem directè procedit, respondeo, vtilitatem rei *præsentis* non debere comparari cum vtilitate rei *absentis* pro eo tempore, quo vna est præsens, & altera est absens. Nam *pro tempore*; quo res est absens, nullam vtilitatem habet; sed debent comparari vtriusque rei vtilitates in *propria* tempore, quando vnaquæque præsens est. Et sic illas comparando dicimus, vtilitatem rei præsentis, quam habes hodie, verbi gratia, sufficienter compensari vtilitate æquialentis alioqui rei absentis, quam habebis cras. Nam cras tantundem valebit vnus florenus, verbi gratia, quantum hodie alter. Hodiernus enim dies, vt dies hodiernus est, non minuit valorem floreni, quem hodie non habes, & cras es habiturus. Sicut neque contra crastinus dies minuit valorem floreni, quem hodie habes; propterea quòd fortè erit absens cras, quando eum distraxeris, & non amplius habebis. Vnde si illa ratio aliquid valeret, etiam probaret contrarium: videlicet plus valere pecuniam absentem, quàm præsentem. Nam præsens, quam hodie distrahis, non erit vsui cras, cùm illa alia, quæ hodie est absens, vsui erit.

Dices. Est dispar ratio. Nam præsenti re vel pecunia possum vti *hodie & cras*; absenti verò non possum etiam vti *hodie*. At contra ego instò; quòd etsi nequeas absenti re vel pecunia vti *hodie & cras*, tamen poteris illa vti *cras & perendie, &c.* Quod quidem (si secludamus omnem aliam peculiarem circumstantiam hodierni diei seu præsentis temporis, ob quam per rem vel pecuniam præsentem cras sis aliquod lucrum facturus, vel damnum vitaturus) non est minus æstimabile, secundùm rectam quidem rationem, quam posse vti *hodie & cras* præsenti re vel pecunia.

Adde, quòd si res præsens sit *vsu consumptibilis*, sicut iam loquimur (vt pecunia, frumentum, &c.) non potes eam consumendo vel distrahendo, vti ipsa *simul & hodie & cras*, sed tantum vel *hodie vel cras*, atq; adeo *hodie & cras* non coniunctim, sed *disiunctim*. Quod secluso peculiari alia opportunitate lucri faciendi, vel damni vitandi in præsenti, non est magis æstimabile, quàm posse similiter vti re tali *cras & perendie, &c.*

Ad SECVNDAM probationem Antecedentis illius argumenti secundi, respondeo, *solicitudinem illam* per se non esse precio æstimabilem, nisi quando simul accedit peculiare periculum amittendi rem expectatam, aut tantundem quantum valet soluendi, sicut accidit in Contractu *Assecurationis*. De quo titulo postea dicemus.

Ad TERTIAM quoque probationem respondeo similiter, emere *debita* minoris, si licet; non licere propter expectationem, sed ratione *periculi* illa amittendi. De quo titulo & aliis postea disseremus.

De Emptione & Venditione, cum Interesse Damni aut Lucri.

TERTIA Conclusio. Ratione *detrimenti*, quod quis ex venditione credito precio patitur; siue in *re præsenti*, quod solet dici ratione *damni emergentis*, siue circa rem, quam certò moraliter seu probabiliter erat *habiturus*, quod solet dici ratione *lucri cessantis*; licitè vendet rem pluris, quàm si statim precium solueretur. Et similiter si emens anticipata solutione patitur aliquod *tale detrimentum* ex eiusmodi emptione; licitè emet minoris, quàm si statim res traderetur.

Exempli causa: Volebat quis agrum vendere pro præsenti pecunia, vt domum ruinosam restauraret, vel liberaret se onere soluendi vsuras: instas tu, vt vendat tibi agrum illum pecunia credita, atque adeo sciens & prudens es illi causa detrimenti, quod incurrit, quia non statim domum reficit, vel damni, quod patitur per solutionem vsurarum; meritò is à te sibi compensari petit huiusmodi damna in *re sua præsenti*, atque adeo iustè plus pecuniæ à te accipiet, quàm si statim precium agri solueres. Item, viuit quis ex negociatione; nimirum pecunia comparata ex venditione vnius rei, alteram rem mercando, vt eam postea cum lucro vendat, quod certò speret; Emis ab illo pecuniã credita, vel vendis illi pecunia prius accepta, quàm rem trãdas: in causa tunc es, vt cesset illi lucrum futurum. Quare meritò propterea accipiet à te plus precij pro re, quam ab eo sic emis; aut dabit minus precij pro re, quam sic illi vendis. Ac possunt etiam huiusmodi detrimenta *damni & lucri*, variis aliis modis accidere, etiam quando venditio fit præsenti pecunia, & similiter in mutuo, & aliis contractibus, vt patet.

Sic declarata hac tertia conclusione; ante illius probationem, præterea est aduertendum, nos hic nullo modo velle præiudicare Extrauaganti Pij V. editæ Anno M. D. LXXI. vbi ea sit recepta, qua specialiter in materia *Cambiorum*, prohibet pacifici initio de certo & determinato *interesse lucri* postea soluendo cum capitali; sed omnia, quæ de pacto tali Interesse dicemus, intelligi volumus in aliis contractibus, de quibus non intelligitur constitutio illa Pij V. vt bene probat Nauarrus in Manuali, cap. 17. num. 283. litera N. (aliàs num. 301.)

Vbi etiam Nauarrus ait, ne in materia quidem Cambiorum illam constitutionem obligare in foro interiori conscientiæ, quando verè coram Deo contrahens est certus de cessatione lucri, & plus minus paciscitur de illo, secundùm probabilitatem, quæ est de tanto vel tanto lucro futuro. Nam vt inquit Nauarrus, illa constitutio Pij V. fundatur in præsumptione iniquitatis talis pacti: & propterea non videtur obligare in foro interiori ipsos contrahentes, quando reuera non est ea iniquitas: licet in foro exteriori semper habebit vim, & iudices procedent secundùm illam, iuxta doctrinam generalem, quam de huiusmodi humanis legibus seu constitutionibus tradidimus suprà quæstione 6. puncto 5. & etiam tomo 2. quæstione 5. de legibus, puncto 4.

His præmissis, de *prima* Conclusionis parte, quòd videlicet liceat in pactum deducere *damnum emergens*, non est controuersia. Omnes enim fatentur cum D. Thoma hîc quòd liceat. Nam omnino est licitum vnicuiq; se seruare indemnem. Non enim debet quis gratis subire in rebus suis detrimentum propter alterum, quando solùm agitur de obligatione iustitiæ, vt in proposito.

Secundam verò partem Conclusionis (scilicet quod liceat etiam pacisci de *lucro cessante*) inprimis expresè asserit Syluester, Verbo Vsura 1. §. 19. vbi dicit esse sententiam communem. Et idem dicit & tenet Nauarrus cap. 17. num. 211. & cap. 23. num. 82. in foro conscientiæ, quicquid sit de foro *exteriori*, propter illam Extrauagantem Pij V. Idem etiam concedit Adrianus in 4. in quæstione de Vsura. & Caietanus quæstione sequenti, artic. 2. & in Summa, Verbo Vsura, & Conradus, quæst. 30. de Contractibus, & Medina quæstione 38. de rebus restituendis, & quæstione 3. de rebus per vsuram acquisitis, & Couarruuias lib. 2. variarum resolutionum cap. 3. numero 6.

Denique quamuis aliqui Doctores antiquiores, vt D. Thomas quæstione sequent. art. 2. ad 4. & Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 2. & Durandus in 3. dist. 37. quæst. 2. videantur hoc negare: tamen reuera si rectè considerentur, id non negant. Ratio enim qua mouentur, vt negent, posse deduci in pactum *lucrum futurum cessans*, est, quia, inquiunt, nemo potest vendere, quod suum *nondum est*, & potest *multipliciter impediri*. Ex quo patet, illos tantùm velle, non esse licitum petere recompensationem *totius lucri futuri* secundùm æqualitatem, quasi illud vendendo. Quod nos minimè dicimus. Non tamen volunt negare, quin propterea quòd quis mutuando vel vendendo priuatur *spe & potentia proxima* lucri, possit licitè recipere aliquam compẽsationem arbitrio prudentis æquialentem tali spei, qua se propter alterum priuat. Id enim detrimentum non debet quis gratis pro alio subire. Et hoc solùm dicimus in Conclusione.

Nec obstat, quòd Syluester aliter explicet diuum Thomam, vt videlicet intelligatur, quando lucrum futurum est incertum, atq; adeo fictum, quia videlicet multipliciter potest moraliter impediri. Nam prior nostra expositio est magis consentanea D. Thomæ, vt patebit etiam legenti eundem suprà quæst. 62. artic. 4. ad 2. Quare im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritò Sotus libro sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio, secutus Innocentium in capitul. finali de Vsuris, putat hanc opinionem Caietani & aliorum, in casu quidem, quo quis *non cogitur* subire detrimentum lucri cessantis, esse minus probabilem, & contra Doctores antiquiores.

Sed quicquid sit de mente eiusmodi Doctorum, probatur PRIMO absolutè nostra Conclusio. Nam propterea secundùm omnes potest quis ratione *damni emergentis* aliquid æquivalens exigere, quia bonum præsens, quod alterius causa amittit, est precio æstimabile; & ideo id damnum non vult nec debet gratis pro altero subire. Sed similiter *potentia proxima & spes certa moraliter* lucri futuri, est aliquid precio æstimabile: Ergo similiter potest quis exigere æquivalens aliquid tali potentiæ; siquidem reuera priuatio illius est etiam quoddam damnum. Maior cum Consequentia est manifesta.

Minor etiam negari non potest. Nam quia illa etiam potentia & spes lucri est precio æstimabilis, posset quis secundùm omnes licitè pacisci cum mercatore pro lucro futuro, quod in spe habet. Item quia ob eandem rationem, vt habetur in l. Si actu. ff. de actionibus empti & venditi, libro primo, piscator potest vendere pisces, quos *sperat* se capturum, antequam extrahat rete. Item quia ob eandem causam, qui grana sata conculcaret, plus deberet restituere, quàm qui non sata furaretur, &c. quæ omnia non haberent locum in materia Iustitiæ, nisi res in spe etiam & *potentia proxima*, aliquid valeret.

SECVNDO. Nam diuus Thomas suprà quæstione sexagesima secunda, articulo quarto ad secundum, & omnes alij fatentur, debitorem, qui post terminum præstitutum est *in mora soluendi*, debere etiam creditori compensare lucrum cessans. Et ita volunt intelligi, quod Iureconsultus dicit l. Cùm quidam. ff. de Vsuris, libro vicesimo secundo, *vsuras non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infligi*: Sed non minus ob aliquam aliam causam, quàm propter *solutionis moram* potest creditori cessare lucrum propter alterum ante moram, vt supponimus: Ergo similiter ob aliquam aliam causam potest Creditor ante solutionis moram pacisci cum debitore de lucro cessante; vt rectè Caieranus quæst. seq. art. 2. & Medina vbi suprà colligunt.

SED dicunt aliqui Iuristæ, quos refert Medina, & dicit etiam Sotus vbi suprà, non esse similem rationem; Nam *post moram* cessat lucrum mercatori *inuito*: ante moram non item, quandoquidem voluntariè quis contrahendo se eo lucro priuauit. At ego contra sic instо: *Futurum lucrum* prout est *in potentia proxima*, per se est precio æstimabile: Ergo sicut potest quis, cùm *inuitus* priuatur illo, iustè pro eo accipere compensationem: ita etiam poterit ex *voluntario* contractu siue pacto. Probatur Consequentia. Nam quod attinet ad compensationem ex iustitia secundùm æqualitatem rei ad rem, nihil interest, vtrum alter à me *inuito* recipiat, vel tollat id, quod est precio æstimabile, aut *me volente* cum eo contrahere, idem à me recipiat siue auferat; vt patet manifestè in venditione simplici. Nam etsi venditor *voluntariè* se abdicet re sua, interueniente etiam voluntate emptoris: tamen iustè nihilominus ex pacto accipit ab emptore compensationem æquivalentem rei suæ; non minus, quàm si *se inuito*, atque adeo cum ipsius iniuria, emptor rem illi furatus esset. Et idem patet in *compensatione damni emergentis*. Hanc enim (vt Sotus etiam libro sexto, quæstione prima, articulo tertio fatetur) non minus licitè quis ex pacto recipit, *voluntariè* damnum suscipiens ad instantiam alterius, quàm si *inuitus* eiusmodi damnum ferret, altero pecuniam aut rem ei furante, ex cuius ille priuatione damnum incurreret.

Quare quod peculiariter in illa l. Cùm quidam. dicitur, *infligi vsuras* (hoc est, obligationem aliquid vltra sortem accipiendi) *propter moram creditoris*, intelligendum est in casu, quo sòlùm post moram incipit cessare lucrum. Vt si creditor nunc habiturus esset pecunias ociosas, cum quibus tamen post duos vel tres menses esset negociaturus, & debitor post id tempus (vt debebat) non soluat. Cæterùm in casu, quo etiam *ante moram* lucrum cessaret, sine dubio potest quis illud æquè in pactum deducere & accipere, atque post moram. Nam quod post moram *sit* inuitus, & ante moram *non sit* inuitus, impertinens est ad compensationem iustam grauaminis cuiuscunque precio alioqui æstimabilis. Vnde cùm Sotus vbi suprà non requirat ad compensationem *damni emergentis*, vt ferens damnum, ferat illud inuitus; mirum est, cur id requisuerit ad compensationem *lucri*; cùm tamen vbique sit eadem ratio, quod attinet ad compensationem secundùm æqualitatem rei ad rem, vt est ostensum.

TERTIO probatur eadem Conclusio à similibus. Nam potest rusticus, rogatus à nobili, verbi gratia, vt ipsum comitetur in venatione; etiamsi voluntariè velit hoc facere; deducere in pactum lucrum, quod alioqui opere diurno operaturus facturus. Item potest artifex mutuans instrumentum suæ artis, in pactum deducere lucrum cessans: Ergo similiter mercator mutuans instrumentum, hoc est, pecuniam. DICES: Non est simile. Quia in illis casibus erat lucrum certum; & Contrà: hic etiam est *aliquo modo* certum; & quantò minus fuerit certum, tantò minus pro cessa-

cessatione lucri petatur proportionaliter, & fiet iustè.

HIC tamen ADVERTENDVM est diligenter nos in hac Conclusione supponere, quòd *verè* lucrum cesset, propter contractum cum altero transactum. Id autem continget, si existant hæ quatuor conditiones. PRIMA, vt pecunia vel *actu* fuerit exposita negociationi, vel certè negociationi *destinata*, & iam ei exponenda, & illa quidem eadem, quæ alteri creditur aut mutuatur. Non enim satis est, vt *potuerit* exponi. Nam pecunia cum hac *potentia* lucrandi *remota*, non plus valet, quàm pecunia absolutè *secundùm se*; quæ proinde per æqualem pecuniam compensatur, sine aliquo alio auctario. Nam alioqui si potentia remota lucri, quæ semper pecuniam comitatur, posset licitè computari titulo lucri cessantis; infinita propemodum summa posset exigi pro lucro cessante: quatenus videlicet pro aliqua summa pecuniæ potest emi res, quæ fructificet aliquid, & illa res cum lucro rursus vendi, & sic deinceps in infinitum, &c. Debet ergo esse lucrum in *potentia proxima*. vt de eo patrum fieri possit, sicut est dictum, & declarat bene Caietanus quæstione seq. art. 3. & Medina vbi suprà.

SECVNDA Conditio est, vt antequam quis cum altero contrahat, *non subtraxerit voluntariè* pecuniam à negociatione, malens mutuare vel credere pecuniam cum certo lucro, quàm negociari præsenti pecunia, cum *spe lucri incerti*. Nam tunc fictè pacisceretur cum altero de lucro cessante. Etenim post quam iam ipse pecuniam abstrahit à statu & potentia *proxima*, lucrandi; minimè verum est, quòd cesset illi lucrum in potentia proxima.

Et hanc conditionem requirunt Doctores, quando volunt, vt quis *ad instantiam* alterius cesset à lucro. Non enim per hoc requirunt, vt *prius* alter agat de ineundo tali pacto, quàm is, cui cessaturum est lucrum: Id enim est per accidens. Nam cum pactum de compensatione lucri cessantis secundùm se sit licitum; à quocunque de illo oriatur prius sermo, erit licitum. Vt patet in contractu emptionis & venditionis simplici, & etiam inito cum pacto de damno emergente. In quibus nihil interst, *vter* contrahentium *incipiat* cum altero agere. Quod ipsum bene notauit Sotus vbi suprà, quem sequitur in hoc Nauarrus capite decimoseptimo, numero 212. Solùm ergo requirunt illo dicendi modo Doctores, vt quis *non nisi ex consensu* alterius contrahentis pecuniam à lucro divertat. Et quia id fit communiter, quando alter rogat; dicunt aliqui requiri, vt quis rogatus id faciat.

Item etiam hoc ipsum videntur intelligere Doctores, quando dicunt, esse necessarium, vt is, qui cessante sibi lucro cum altero contrahit, ita sit affectus, vt reuera mallet negociari cum *spe lucri incerti*, quàm cum pacto illius compensationis sic contrahere. Hoc sanè eatenus requiri potest, quatenus is affectus signum est, hominem non fuisse aliàs abstractum suam pecuniam à negociatione, nisi gratia alterius contrahentis: quod vt diximus, per se requiritur. Et ita qui sic affecti eiusmodi pacta ineunt, securius procedunt.

Nihilominus tamen potest contingere, vt etsi quis *malit* cum pacto lucri cessantis pecuniam alteri credere, quàm negociari, licitè id faciat, dummodò ex vi eius pacti altero consentiente, & non ante, pecuniam à lucro abstrahat. Ratio huius est. Nam integrum est vnicuique, vt pro suo arbitratu malit potius vnum genus contractus siue negociationis exercere, quàm alterum, si vtrumque est alioqui licitum.

TERTIA conditio est, vt alterius voluntas & consensus in eiusmodi pactum sit *verè causa* talis cessationis lucri, saltem *partialis*. Quemadmodum in contractu simplicis venditionis, emptor est causa partialis, vt venditor re propria se abdicet. Vnde in primis requiritur, vt alter *intelligat* detrimentum lucri cessantis, quod in illius gratiam es incursurus: alioqui non consentiet in pactum de compensatione talis detrimenti. Et idem est etiam de damno emergente. Vnde non possunt excusari illi, qui *prius* contrahunt, nihil de cessatione lucri dicentes; & postea petunt compensationem lucri cessantis.

Hic tamen sunt duo notanda. PRIMO, ad hoc, vt quis censeatur *causa* cessationis lucri, non oportere, vt *inuitus* impediatur à lucro: quod immeritò Sotus vbi suprà requirit; sed satis est, vt *ex consensu* alterius impediatur, alioqui negociaturus. Hoc patet ex secundo argumento, quod fecimus pro Conclusione. Et sentit etiam idem rectè Nauarrus capite decimoseptimo, num. 211. & alij etiam Doctores idem supponunt.

Nec valet, quod hunc in modum argumentatur Sotus: Cessare lucrum est hominem à lucro *cohiberi*: Sed nemo *cohibetur*, nisi ipsius impediatur voluntas per vim aut metum, aut fraudem, &c. Ergo nemini, nisi inuito, cessat lucrum. Respondeo enim breuiter, negando Maiorem: quam nec ipse Sotus probat. Cessare enim lucrum in proposito (non vrgendo vim vocabuli) solùm est, hominem qui alioqui erat lucraturus, *non lucrari*, siue *deponere spem & proximam potentiam lucri*. Quod duobus modis potest fieri; vel per vim aliquâ homini *inuitò* illatam: vel per contractum seu pactum vtrinq; *voluntarium*. Et quocunq; istorum modo fiat, alter sufficienti modo erit causa cessationis lucri, vt debeat illud compẽsare, sicut prius declarauimus in secundo

argumento pro Conclusione. Latius ergo patet hoc, quod est, *cessare lucrum*, quàm hoc, quod est, inuoluntariè *cohiberi à lucro*. Et ita falsa est illa Maior.

SECVNDO hîc notandum est ex sententia Nauarri cap.17. num.212. contra Conradum & Medinam vbi suprà, non idcirco contractum non esse *causam* cessationis lucri, quod creditor habeat aliam pecuniam in arca, negociationi non exp'ositam, qua si velit, possit illud idem lucrum facere, quod ei cessat ex pecunia credita. Non est hoc necessarium, neq; huius faciunt mentionem alij auctores.

Probatur hoc quatuor argumentis manifestis. *Primò*, Nam minimè tenetur creditor aliam pecuniam, quam ob qualescunque causas seruare voluit, gratis exponere negociationi ad seruandum alterum indemnem; neque gratis pro illo subire detrimentum lucri cessantis *ex illa ipsa pecunia*, quam ei credidit.

Secundò, Nam quod quis habeat aliquam aliam pecuniam, non releuat obligationem alterius ad compensandum ei lucrum verè cessans: siquidem eiusmodi obligatio ex eo solùm potest in pactum deduci, quod à lucro *pecuniæ ipsi creditæ* creditorem impedit.

Tertiò, Nam quamuis talis creditor aliam pecuniam exponeret negociationi; tamen nihilominus incurreret detrimentum illius lucri cessantis, quod simul fecisset per illam ipsam pecuniam, quam credidit: cuius proinde lucri compensationem licitè ab altero petit.

Quartò, Nam alioquì hæc doctrina de lucro cessante non haberet etiam locum, quando quis præter pecuniam, quam alteri credit, habet aut pecuniam aliam, aut qualemcunque aliam rem, quam si vellet, posset absque suo damno distrahere, & cum pecunia ex eius rei venditione comparata, facere tantundem lucri; quod est absurdum.

QVARTA & postrema conditio principalis requisita *vt plurimum* ad iustitiam pacti de lucro cessante, est ea quam requirunt ibidem Conradus & Medina: nempe vt credens alteri pecuniam, non recipiat statim lucri cessantis *interesse*, de quo paciscitur; sed exspectet illud cum capitali soluendum. Hoc illi Doctores obscurè explicant: sed ratio est clara. Nam hoc ipso, quòd creditor aliquid statim ab altero reciperet, falsum esset, quòd cessaret illi lucrum illud pecuniæ creditæ, pro quo aliquid exigit; & ita talis contractus esset iniquus.

Exempli causa: Petrus credit Paulo quindecim: & pro lucro cessante ex quindecim exigit quinque; iam si illa quinque ex vi talis pacti statim recipit, non erit verum cessare illi lucrum ex quindecim, pro quo quinque petierat, sed tantum cessabit illi ex decem, quandoquidem tantum abdicat à se decem, cùm statim retineat vel recipiat *ex illis quindecim* quinq; cum quibus aliquid lucrabitur, nisi velit illa abstrahere sua sponte à negociatione.

Vnde patet, quòd quamuis in aliis generibus contractuum seu pactorum: id quod licet exigere, liceat quoque per se loquendo statim recipere; tamen in proposito propter naturam huius pacti, & ratione materiæ illius non licet. Nam hoc, quod est recipere statim, tollit veritatem iustitiæ illius; siquidem iam non cessat tantum lucrum, quantum est illud, pro quo quis paciscitur, vt est ostensum.

Dixi autem hanc conditionem requiri, *vt plurimum*. Nam casu, quo aliquis erat facturus tale aliquod lucrum, ad quod *adæquatè* requirebantur quindecim, quibus volebat emere aliquid, &c. ita vt paucioribus, quàm quindecim, nullum lucrum esset facturus; tunc, vt patet, non erit eadem ratio: ac proinde licebit illi statim quinque recipere, quia non idcirco falsum erit, cessare illi lucrum ex quindecim. Cessabit enim nihilominus, siquidem iam non habet quindecim, quæ ad illud lucrum, quod erat facturus, adæquatè requirebantur.

HÆC sunt ea, quæ videntur solùm requiri ad iustitiam pacti de lucro cessante, per se loquendo. Nam quæ alij multiplicant, ad ista referuntur. Et quoniam difficile est, omnes prædictas conditiones *simul concurrere*; magna est adhibenda cautio, ne detur ansa iniustitiæ: & diffusa dendi potius sunt, communiter loquendo, iusmodi contractus, quàm suadendi, *ante* factum: *post* factum verò diligenter examinandi, ne temerè aliquid vel iustificetur, vel condemnetur. Nam vt Caietanus rectè dicit quæstione sequenti articulo secundo, quòd liceat aliquando de lucro cessante pacisci, habendum est potius loco exceptionis, quàm regulæ generalis. Sæpè namque ex mera voluntate creditoris diuertente pecuniam à lucro, *ante* ipsum contractum id solet fieri, ac proinde iniquè.

Ex his verò patet responsio ad TERTIVM & QVARTVM argumentum principale suprà positum. Probant enim hanc tertiam Conclusionem. Illi enim contractus approbantur in citatis illis Capitulis (In ciuitate, &, Nauiganti) ratione *lucri cessantis*, quod erat facturus ea alio tempore, quo sperabatur plus valituræ. Vt rectè sentiunt Doctores quos statim citabo. Et quantuis in Capitulo *In ciuitate*, non fiat mentio illius conditionis, (quòd videlicet erat venditorus ad aliud tempus seruaturus) sicut fit in Capitulo *Nauiganti*: tamen est illic etiam subintelligenda.

Quocirca per Capitulum illud. *Nauiganti*, explicatur, quomodo intelligendum sit Capitulum *In ciuitate*, vt bene notat Glossa in eo ipso Capitulo *In ciuitate*, & Sotus lib. 6. de Iustitia, quæst. 4. art. 2. & Medina, quæst. 38. de rebus restituendis, causa 5. & Couarruuias lib. 2. variarum resolut. cap. 3.

cap. 3. num. 6. contra Caietanum, qui falsò quæst. sequent. artic. 2. putat, casum illum Capituli In Ciuitate, distinctum esse à casu Capituli *Nauiganti*.

Arbitratur enim Caietanus, non solum ratione *lucri cessantis* licere venditori, qui rem erat alio commodiori tempore venditurus, pluris eam vendere, quàm in præsenti valeat (qui casus est capit. *Nauiganti*) sed etiam *ob hoc solùm*, quòd tempore solutionis res putatur plus valitura: Quantumuis ad illud tempus non fuisset venditor illam seruaturus: & hunc dicit esse casum distinctum Capituli *In ciuitate*.

Declarat autem hoc etiam licere, notando, dupliciter fieri posse, vt solutio precij *differatur* tempore præsentis venditionis: VNO modo tanquam actio *distincta* à præsenti venditione & emptione, ita vt dilatio seu exspectatio solutionis sit quoddam *mutuum implicitum*. Et sic, inquit, non licet propter expectationem solutionis aliquid exigere; sed erit vsura implicita. ALTERO modo ait differri posse solutionem precij tanquam *consummatiuam* præsentis venditionis: ita vt per illam postea censeatur venditio *consummari*. Et sic, inquit, licet recipere plus; prout plus putatur probabiliter res valitura tempore solutionis: quia *pendet*, inquit, *quodammodo* venditio vsq; ad illud tempus, & ideo iustè exigitur quantum probabiliter (plus, minus) res tunc valebit: quia illo tempore contractus venditionis *consummatur*.

Hæc doctrina Caietani meritò aliis displicet. PRIMO. Nam quando dicit, talem venditionem consummari tempore solutionis; Vel intelligit consummari tunc *essentiam* ipsius contractus venditionis, atque adeo pro illo tempore esse æstimandum iustum rei precium. Et hoc est falsum. Nam vt patet ex definitione Contractus suprà posita, tunc contractus aliquis essentialiter absoluitur, quando se vltrò citroque contrahentes obligant: quod fit in præsenti casu, vt supponimus, *ante tempus solutionis*; Vel intelligit Caietanus, talem venditionem tempore solutionis *consummari* quasi *accidentaliter & extrinsecè*: quatenus videlicet effectus eius, qui est precij traditio opere tunc completur. Et hoc quidem verum est: sed tamen inde non sequitur iustum precium rei, quæ nunc venditur, esse illud maius quod futuro tempore quando solutio fiet, putatur res valitura.

Quod tripliciter probare possumus contra Caietanum. *Primò*, Nam iustum rei precium non est æstimandum, nisi *pro tempore*, quo res vendita emptori *traditur*, & incipit ei esse vtilis, vt patet ex vltimo fundamento suprà posito pro diiudicanda æqualitate precij: non verò pro tempore, quo precium postea soluitur. Nam pro eo tempore non transfert à se rem venditor in emptorem, neque ea incipit tunc emptori esse vtilis, sed antea fuit.

Secundò, Nam quamuis res tempore futuræ solutionis sit plus valitura, quàm in præsenti: tamen non ideo habet nunc duo iusta precia, sed vnum duntaxat, videlicet id, quod valet *in præsenti* omnibus circumstantiis consideratis, atque adeo etiam *illa maioris valoris*, quem futuro tempore videtur res valitura.

Tertiò, quia nec propterea quòd *nunc* venditor rem vendat, incurrit detrimentum damni emergentis, aut lucri cessantis, vt supponimus; (quandoquidem non erat illam ad futurum illud tempus seruaturus) neque rursum aliquis titulus accedit ex supradictis, vt pluris rem vendat, quàm in præsenti valeat (nam nondum valet, quod valebit in futuro) Reliquum est ergo, vt si venditor pro tali plus petat, quàm omnibus consideratis nunc valeat, id faciet ratione *expectationis temporis*, atque adeo ratione mutui impliciti, & consequenter iniquè.

Atque hinc quidem apparet, nimis metaphysicam esse illam distinctionem Caietani de dilatione *solutionis*, vt solutio est veluti actio *distincta* à venditione; & vt est *consummatio* venditionis. Nam in rei veritate, moraliter loquendo, hæc nunquam separantur, sed sunt vnum & idem. Hoc enim ipso, quòd differtur precij solutio tanquam quid *extrinsecum* essentiæ venditionis, implicitè mutuatur precium emptori, differendo solutionem tanquam actionem à venditione *distinctam* & *consummatiuam* venditionis. Vnde vtrumque fit semper in omni venditione *ad terminum*, in qua non suppetat peculiaris alius titulus accipiendi aliquid vltra iustum precium. Quare sicut non potest prædictus casus iustificari per *mutuum implicitum*: ita neque per dilationem *consummationis* contractus, hoc est, *precij*. Nam quamuis *ratione & metaphysicè* ista vtcumque distinguantur: tamen moraliter in proposito sunt idem.

Quæ cùm ita sint, præstat dicere cum Doctoribus suprà citatis, casum Capituli in *ciuitate*, esse eundem cum casu cap. *Nauiganti*, & illum per hunc explicari. Id quod manifestè videtur colligi ex ipso capit. Nauiganti. Ibi enim Gregorius IX. proposito casu, quo sit dubium, rem plus valituram tempore solutionis, ita subiungit: *Ratione huius dubij etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces, vt amplius quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; vendit pluris, quàm valeant in præsenti: si TAMEN ea tempore contractus non fuerat venditurus*; sed illo alio futuro nimirum. Et ita explicat, non aliter intelligendum esse casum Capituli In Ciuitate, ab Alexandro III. prius definitum.

Vnde contra hanc Decretalem Gregorij IX. videtur loqui Caietanus, quando etiam sine illa vltima conditione (*Si tamen ea tempore contractus, &c.*) ratione solius dubij *maioris valoris, tempore solutionis*, probat prædictum casum, quàm tamen

condi-

conditionem in dicta Decretali Gregorius apponit vt neceſſariam ſimul cum illo dubio.

De Venditione cum expenſis & periculo.

SITIAM QVARTA concluſio. Qui vendit *ad terminum* vel emit, licitè poteſt aliquantum augere precium vel minuere, ratione expenſarum, ſi eas veriſimiliter putat ſe facturum ad recipiendam rem vel precium: quin imò probabilem etiam exiſtimo eſſe opinionem Medinę queſt.38.de Reſtitut. cauſa 3. concedentis, licitum eſſe ratione *periculi*, cui aliquando quis capitale exponit, aliquam compenſationem vltra capitale exigere; modò id periculum (vt ibi rectè explicat Medina) ſit *morale & peculiare* ob aliquas contractus vel contrahentium circumſtantias, non autem phyſicè aut metaphyſicè *excogitatum*, quale ſemper poteſt fingi. Quæ Medinę opinio omnino videtur eſſe ex mente etiam Gabrielis in 4.diſt.15. q.11.art.1.§. *Addidem etiam*, & art.2.dub.4. & Ioannis Maioris eadem diſt. q. 31. in fine, & Couarruuiæ lib.3.var.reſol.cap.2.n.5.circa finem.

Porro de prima huius Concluſionis parte inter omnes conuenit. Et eam aſſerit ac explicat bene Medina illic, & Sotus lib.6. de Iuſtitia, q.4. art.1. Et probatur breuiter. Nam non debet gratis quis ſuſcipere damnum futurarum expenſarum pro altero: Ergo iuxta *ſecundum titulum* ſuprà dictum licebit ei damni futuri petere compenſationem.

Quanquam ſecurius id fieret, ſi nihil certi eo titulo ſoluendum tempore contractus ſtatueretur, ſed in genere *tantum*, *quantum* reipſa poſtea expenderetur, ita vt ſi nihil poſtea expenditur, nihil recipiatur. Et ſic ſolùm videtur Nauarrus concedere, hoc eſſe licitum cap.23.n.84. Nihilominus quando iuxta id, quod (plus minus) veriſimiliter putatur expendendum, determinatur *aliquid certi* ſoluendum, iuſtus eſt contractus, & deberet illud ſolui, etiamſi nihil poſtea expenderetur, vt rectè cenſet Sotus, & Medina, vbi ſuprà.

Ratio eſt: nam talis contractus ſit ſecundùm æqualitatem iudicio humano æſtimatam, quicquid poſtea ſequatur: Ergo eſt iuſtus, ac proinde omnino obligat; ſiue poſtea contingat, vt multo plures vel pauciores expenſæ fiant; ſiue etiam vt nullę. Id enim non reddit iniuſtum contractum, ſi abſque fraude vterque contrahentium deliberata voluntate ſe per eam pactionem expoſuit æquali periculo lucri vel damni. Vnde damnum, quod *forte fortuna* poſtea vni eueniet; voluntariè, atque adeo non iniuſtè ei eueniet, ſecundùm voluntatem præcedentem licet dubiam. Quæ ratio eſt, cur multi ſimiles contractus de rebus incertis & futuris, à Doctoribus iuſtificentur: qualis eſt contractus *aſſecurationis*, &c.

Sed maior difficultas eſt de SECVNDA parte Concluſionis, ſcilicet quòd liceat plus precij accipere propter *peculiare* & *morale periculum* obtinendæ ſolutionis, vt Medina ſentit. Et quidem Sotus in dicto lib.6. q.4. art.1. eam Medinæ opinionem reiicit. Conradus etiam q.59. de Contractibus coroll.2.poſt 3. concluſ. negat id licere. Nauarrus quoque ſequitur in hoc Sotum cap.23. nu.81. quanquam falsò Nauarrus interpretatur opinionem Medinæ, quaſi is loquatur de communi & qualicunque periculo, quod eſt annexum ſemper omni exſpectationi ſolutionis: cum tamen ſæpe Medina in illa quæſt.38. cauſa 3. explicauerit, ſe non loqui niſi de peculiari periculo, ob conditiones particulares perſonæ ipſius debitoris; quale negat eſſe annexum ſemper exſpectationi ſolutionis. Propter quod ſæpe etiam dicit, nõ omnes eos, qui ad terminum vendunt, poſſe ratione periculi plus precij accipere, ſed eos tantum qui *peculiare* (vt dictum eſt) periculum in ea venditione ſubeunt.

Probatur autem PRIMO hæc ſententia Medinæ ſic intellecta. Nam rem ſuam *morali & peculiari* periculo amittendi exponere, eſt grauamen precio æſtimabile: Ergo licitè poteſt quis aliquid in huius periculi compenſationem petere, iuxta tertium titulum ſuprà dictum. Conſequentia probatione non eget. Antecedens autem æquè eſt clarum, & conceditur ab omnibus hoc ipſo, quòd diſſerentes de rationibus conſiderandis ad taxandum *precium* dicunt, habendam eſſe rationem periculi ſuſcepti in aduehendis mercibus: Id quod nominatim concedunt Sotus lib.6. de Iuſtitia, queſt.2.art.3.concl.2. & Nauarrus cap.23. num.78. in fine. Sed & D. Thomas idem concedit artic. 4. huius quæſtionis ad 2. cùm ait, poſſe venditorem *carius vendere propter periculum, cui ſe exponit, transferendo rem de loco ad locum, vel curando transferri.* Itaque ſimiliter in propoſito, periculum peculiare, cui venditor exponit capitale ad inſtantiam emptoris, licebit in pactum deducere. Confirmatur: nam licet quis debeat gratis mutuare, vel precium expectare; vt patebit quæſtione ſequenti: non tamen debet gratis ſubire peculiare capitalis periculum; aliud enim eſt mutuare, vel expectare precium; aliud ſubire periculum.

SECVNDO probatur eadem ſententia in huius caſus ſpecie: Optat quidem Petrus mutuare Paulo id roganti; ſed idcirco non audet facere, quòd dubitet de ſolutione. Itaque petit à Paulo pignus, vel ſponſorem: quærit tunc ſponſorem Paulus, & ob eandem rationem nõ inuenit, quia ſcilicet alij etiam dubitent de fide ipſius. Tunc certè nullus damnaret contractum, quem *ſponſor aliquis* ita cum Paulo iniret: Ego pro te ſpondebo, ſi tamen mihi aliquid decernas pro *periculo* & grauamine, quod pro te ſubibo; vt probat poſt multos alios Couarruuias lib.3.var.reſolut. cap.2.nu.6. Ergo neque eſt damnandus Petrus, ſi cum Paulo nulla ratione ſponſorem inueniente, hunc in modum contrahat: quod ſponſori pro *periculo* dare debuiſſes, illud idem decerne mihi, &

& ego ſubibo idem grauamen & *periculum*, quod ſponſor ille erat ſubiturus. Patet Conſequentia: quia non minori periculo ſe exponit Paulus, mutuando Petro ſine cautione & ſponſore, quàm ſponſor obligando ſe ad ſoluendum pro illo, vt ſupponimus.

TERTIO probatur. Nam qui alterum *aſſecurat*, licitè ſecundùm omnes recipit aliquid, propterea quòd ſuſcipit in ſe mercium *periculum*: vt fusè probat Ioannes Maior in 4. d. 15. q. 31. circa finem, & Couarruuias lib.3. variar. reſol. cap.2. n.5. contra Conradum q.75. de contr. Ergo ſimiliter poterit aliquid recipere creditor ſuſcipiens idem periculum.

SED dicit Sotus, non eſſe ſimile. Nam fideiuſſor ac aſſecurator recipiunt aliquid non *pro mutuo* aut expectatione precij, ſed pro *obligatione*, qua ſuſcipiunt ſe capitale ſoluturos. Item quoniam aſſecurator non poteſt poſtea recuperare capitale, ſi merces pereant. Creditor autem ſemper habet actionem contra mutuatarium, vel contra emptorem, cui pecuniam ſeu precium credit. Itaque non videtur eſſe ſimile.

At CONTRA ego obiicio *primò*, quòd obligatio fideiuſſoris & aſſecuratoris precio eſt æſtimabilis, non ſolùm per ſe, propter onus obligationis, ſed ſimul etiam propter annexum *periculum* perdendi ſeu ſoluendi capitale: Ergo cùm idem periculum ſubeat, & multo propinquius creditor, *reipſa dando* capitale (quod certè non eſt minus grauamen, ſed potius maius, quàm *obligare ſe* ad dandum, ſi fortè res pereat, vel alter non ſoluat) poterit ſimiliter idem creditor aliquid exigere *non pro mutuo* aut precij exſpectatione (vt falsò ſumit Sotus eum facere) ſed pro *grauamine periculi* coniuncto cum mutuo aut expectatione precij; quod periculum, vt eſt dictum, non tenetur creditor gratis ſubire.

Secundò, quòd etſi creditor in propoſito non ſubeat onus alicuius *obligationis* ad perdendum in aliquo caſu precium aut capitale creditum, ſi cui ſubit aſſecurator & ſponſor: tamen hinc ſolium ſequitur, quòd non poterit creditor *tantum* exigere in caſu propoſito, *quantum* fideiuſſor & aſſecurator: non tamen quòd non poſſit *aliquantò ſaltem minus* exigere propter periculum, ex quo etiam partim eſt æſtimabilis obligatio illa aſſecuratoris & fideiuſſoris. Et ſimiliter ex eo, quòd aſſecurator non poſſit poſtea recuperare capitale; ſolum ſequitur, eum poſſe plus exigere, quàm poſſit ſponſor aut creditor: quippe qui ambo habent poſtea actionem contra debitorem; nihilominus negandum non eſſet, quin hi etiam, videlicet creditor & ſponſor, poſſint propter periculum aliquid exigere.

Adde *tertiò*, quòd illi etiam obligationi ſponſoris & aſſecuratoris, videtur ferè æquiualere grauamen hoc creditoris, quòd *reipſa* capitale *exhibent aut credens* (id quod non ſtatim facit aſſecurator aut fideiuſſor) propinquius & certius ſubit periculum; ſiquidem *actu* iam dat, atque ideo videtur non minus poſſe iuſtè exigere, quàm ſponſor & aſſecurator.

QVARTO principaliter probatur illa Medinæ ſententia. Nam omnes concedunt, ſine controuerſia, licitum eſſe emere *debita* minoris (vt, verbi gratia, centum ad annum ſoluenda, pro nonaginta in promptu) quando eſt periculum aliquod ſolutionis. Vt ſi, verbi gratia, debitor ſit pauper, vel litigioſus, &c. Ergo verè eſt æſtimabile periculum incertæ ſolutionis, quandoquidem talis emptor pro eo periculo in eo caſu retinet ſibi decem, dans nimirum nonaginta ſolùm pro centum; & conſequenter ſimiliter in noſtro propoſito poterit Creditor aliquid accipere pro ſolutionis incertitudine & periculo.

CONFIRMATVR hoc ipſum argumentum: Nam duobus modis poteſt declarari iuſtitia eius emptionis debiti periculoſi pro minori Summa. PRIMO ſi dicatur, ideo licitum eſſe emere *centum periculoſa* pro nonaginta, quia centum cum periculo ſoluenda, non plus *ſecundùm* ſe valent, quàm nonaginta ſtatim certa. SECVNDO ſi dicatur ideo id eſſe licitum, quia etſi illa centum *ſecundùm ſe* centum valeant; tamen æquum eſt, vt periculum, quod emptor ſubiit, illa recipiendi, compenſetur ei per illa decem, quæ retinet ſibi ex precio alioqui iuſto illius *debiti*: ita, vt intelligantur ibi eſſe duo contractus; vnus emptio *debiti* iuſta pro centum; alius *compenſatio* periculi pro decem. Quocunq; autem modo ex his duobus Iuſtitia huius contractus explicetur, ſumi poteſt inde firmum argumentum pro illa Medinæ ſententia & noſtra aſſertione.

Et quidem ſi PRIMO modo dicatur talis contractus iuſtus eſſe, vt Sotus in dicta quæſt.4.art.1. velle videtur; primùm non videtur id verum. Nam ſequeretur tunc, quòd ſi ille creditor reciperet ab ipſo ſuo debitore, vel ab alio aliquo *centum* pro eo debito, iniquè faceret: ſi tale quidem debitum minus valet *ſecundùm ſe* quàm centum. Item ſequeretur quòd mutuatarius *infidus* aut *pauper* non promittens aliquid vltra ſortem, etiamſi mutuans expreſsè id non peteret, iniquè faceret: quæ omnia videntur abſurda, & ſequelæ ſunt ſatis claræ.

Deinde dato, quòd per illum primum modum contractus iſte ſit iuſtus: tamen inde ſumitur validiſsimum argumentum pro noſtro caſu, hoc modo. Centum incertò & cum periculo ſoluenda, non plus valent ſecundum ſe, quàm nonaginta certa in promptu: Ergo qui credit alteri nonaginta, vel rem valentem nonaginta, pro centum cum periculo poſtea ſoluendis, licitè facit, quamuis ſi periculum non fuiſſet, non potuiſſet petere, niſi nonaginta. Probatur Conſequentia. Nam contractus erit ſecundùm æqualitatem; quandoquidem illa centum periculoſa, non plus valent, quàm nonaginta certa in promptu.

Si autem dicatur iustificari illa emptio debiti illo altero SECVNDO modo, vt videtur dicendum; tunc etiam non minus efficaciter pro eadem conclusione nostra & sententia Medinæ, licebit inde argumentari, hoc modo: Ille emptor licitè pro eo periculo recipit à venditore *debiti* compensationem aliquam, retinendo sibi decem de iusto alioqui precio talis debiti: Ergo similiter in nostro casu venditor seu creditor licitè petet ab emptore similem compensationem pro periculo eodem. Nam cùm illud periculum per se sit tanti æstimabile, eodem modo poterit pacisci de illo venditor, quando ipse illud subit, atque emptor potest, in casu illo emptionis periculosi debiti. In materia namque iustitiæ æqualis est emptoris & venditoris conditio. Neque minus voluntariè, aut magis inuitus emptor emit in illo casu debitum, & subit periculum, quàm in nostro venditor vendit rem pro precio cum periculo soluendo, vel cum eiusmodi periculo credit pecuniam. Nam sicut hic posset venditor vitare venditionem: ita etiam in illo casu posset emptor non emere debitum cum periculo: quis enim illum cogit? Certè hoc est efficacissimum argumentum.

SED ad id tamen argumentum (iuxta *primum* modum explicandi, cur liceat emere minoris periculosa debita) respondere conatur Sotus: Nam *secundi* modi id explicandi non facit mentionem. Respondet autem, aliud esse rem *emere* subiacentem periculo; aliud rem *vendere* cum periculo. Nam qui (inquit) vendit cum periculo, cùm nullam vim patiatur; is vel cautionem accipiat, vel non ita vendat aut mutuet cum periculo: alioqui cum pro expectatione temporis nihil possit recipere; si gratis illud periculum vult subire, sibi imputet.

Sed tamen satis apparet, hanc responsionem nullam esse. Fateor enim aliud esse, rem subiacentem periculo *emere*, aliud verò rem *vendere*, pro pecunia subiacente periculo; eo nimirum modo, quo vniuersaliter in omni materia aliud est emere, & aliud vendere: sed tamen sicut centum subiacentia periculo, iustè emuntur pro nonaginta certis (Soto etiam fatente) ita etiam argumentamur, iustè vendi posse rem certam valentem nonaginta, pro centum subiacentibus periculo. Nam vtraque commutatio erit secundùm æqualitatem.

Quemadmodum: quamuis sit aliud, *emere* mensuram olei, verbi gratia, pro æquiualente precio; & aliud, *vendere* mensuram olei pro æquialente precio: tamen ex quo illa duo sunt æqualia, non minus hæc venditio, quàm hæc emptio fit secundùm iustitiam.

Quod autem in prædicto casu *non cogatur* venditor siue creditor, minimè obstat. Nam neque in casu *emptionis* debiti emptor cogitur. Denique quamuis in præsenti casu aliquid vltra sortem creditor accipiat, tamen non id faciet propter expectationem temporis, vt frustra inculcat Sotus, sed propter periculum, vt sæpè nos inculcauimus. Itaq; patet, responsionem illam Soti tantùm esse quandam repetitionem sententiæ propriæ, non autem refutationem, aut solutionem veram argumenti nostri.

Sed illustrabitur hęc res magis si diluamus hic præterea quędam ARGVMENTA, quibus videtur probari, non esse veram hanc sententiam Medinæ. PRIMO. Nam hac ratione videtur patefieri aditus vsuris. Semper namque inest aliquid periculi in solutione.

RESPONDEO, periculum debere esse non qualecunque, sed morale & peculiare & verisimile, vt supra etiam monuimus. Si enim debitor habeat alioqui *creditum*, vel dedit pignus, aut sponsorem; periculum metaphysicum, quod creditor aut nimis auarus, aut nimis timidus sibi fingit, non debet precio æstimari. Quamobrem minimè aperitur per hanc opinionem aditus vsuris: Sicut neque is patet propter alias probabiles & morales rationes, quæ aliquando suppeunt aliquid vltra sortem exigendi. Atque ita est intelligenda opinio Medinæ.

Quare immeritò Nauarrus vbi suprà, ita refert Medinæ opinionem, ac si is vellet eam habere locum propter periculum, quod physicè videtur semper inesse, ne debitor incidat in paupertatem, &c. Non loquitur Medina de hoc periculo, sed de periculo peculiari & morali; vt cùm quis non haberet creditum, nec sponsorem, &c. vt est declaratum.

SECVNDO est argumentum, quòd ille creditor in proposito casu *non cogitur* credere aut mutuare pecuniam cum suo periculo, sed voluntariè id periculum subit: Non ergo potest id periculum vendere: Sed vel accipiat cautionem, vel non ita contrahat, vel sibi imputet. Hoc est principuum argumentum Soti. Sed ex supradictis satis apparet, esse infirmum.

RESPONDEO enim, nullam esse consequentiam. Nam ad rationem compensationis exigitur iustitia, nihil interest vtrum interuenerit *coactio*, vel *spontaneum* pactum: alioqui eodem argumento probaretur, emptionem debiti subiecti periculo pro minori precio, (de qua antea diximus) esse illicitam. Nam neque ibi emptor cogitur subire periculum. Item similiter probaretur, aliquem non posse pacisci de damno emergente, nisi contrahat *coactus*: quod tamen est contra veritatem, & communem sententiam, etiam ipsius Soti, vt suprà vidimus.

TERTIO argumentatur idem Sotus: Si tempore contractus nulla facta fuisset mentio periculi; etiamsi in rei veritate postea periculum esset, ac timore excruciaretur creditor, tamen postea tempore solutionis debitor tantùm teneretur soluere capitale: neque aliquid deberet dare vltrà propter periculum: Ergo neque initio potuit id periculum in pactum deduci.

RESPON-

RESPONDEO negando Consequētiam. Nam vt contrahens debeat compensare grauamen alterius per peculiarem contractum coniunctum cum principali, oportet *vt initio* conueniat inter contrahentes, quòd velit vna pars contrahere cum obligatione satisfaciendi pro grauamine alterius: alioqui ex vi consensus in contractum principalem non censebitur quis esse causa grauaminis alterius, siquidem alter nihil dixit de illo. Vnde quamuis nulla initio facta mentione grauaminis, vna pars non teneatur postea pro illo satisfacere: tamen potest initio fieri de hoc pactum.

Exemplum est manifestū in damno emergente, & lucro cessante: quod, si inter contrahēdum non fuit declaratum, non debet postea pars cōpensare, vt est compertum, & ipsemet Sotus notat lib. 6. q. 1. ar. 3. Et tamen licitum est initiò de eiusmodi damno vel lucro pacisci. Vnde si argumentum Soti aliquid valeret, probaret etiam, nō licere aliquid accipere, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis.

QVARTO potest obiici, quòd etiamsi quis exigat aliquid, ratione periculi, tamē adhuc non euadit periculum: quin imo illud etiam, quod exigit, manet expositum periculo cum capitali: Ergo signum est, talem moraliter loquendo, non petere id verè propter periculum, sed propter solam *expectationem*, atque adeò erit vsura. Atque hoc est argumentum Conradi in dicta quæstione 59.

CONFIRMATVR. Nam similiter posset petere pro periculo illius, quod vlterius petit, & sic deinceps, vsq; dum veniatur ad minimam pecuniam: cuius proinde periculum non sit iam amplius æstimabile precio. Hoc autem videtur esse absurdum. Nam sic nimium posset excrescere summa, quæ periculi nomine peteretur vltra sortem.

RESPONDEO, non valere huius argumenti quarti Consequentiam. Nam in proposito non petit quis aliquid pro periculo *illius vitandi* causa, sed ne illud *gratis sustineat*. Itaque quòd non id circo vitetur periculum, non est indicio, quòd propter periculum non petatur id, quod petitur. Nam neque ille, qui assecurat alterum, & ob periculum, quod in se suscipit, de aliqua summa cum eo pacisci tur, *vitat* periculum, sed omnino illud *sustinet*, & ob id ipsum iustè accipit compensationem aliquam. Quod verò additur, illud etiam, quod petitur, manere expositum periculo: non arguit iniquitatem aliquam creditoris, siquidem id minimè est ipsi cōmodum; sed potius arguit gratiam, quam creditor alteri facit, credendo illi etiam illud, quod petit pro capitalis periculo, cùm tamen iustè posset id exigere in præsenti, sicut potest assecurator.

Ad CONFIRMATIONEM dico *primò*, non videri magnum incommodum, id quod concluditur. Nam debitor viderit, vtrum cum tali pacto (si absque eo creditor nollet contrahere) sit è re sua ita contrahere: alter enim eum non cogit. Neque verò propterea crescet vsque adeò summa, vt satis patere possit consideranti. *Secundò* respondeo, illud idem, quod Sotus fatetur, posse ad hoc ipsum in fauorem Medinæ responderi; nimirum per exspectationem vnius auctarij totum periculum compensatum iri. Satis enim est, vt petat quis compensationem eius periculi, cui illud, quod suum erat, (id est, capitale ipsum) imemdiatè exponit.

QVINTO est argumentum ex Capit. Nauiganti. vbi videtur talis forma contractus condemnari. Dicitur enim illic ita: *Nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quòd sustineat in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.*

Ad hoc RESPONDET bene Medina, diuersum esse casum. Nam is nolebat mutuare, nisi simul *obligando* alterum ad contractum assecurationis secum contrahendum, vel etiam ad contractum Societatis; quod facere est vsurarium. Nam ratione mutui non licet mutuatarium ad aliquem contractum *obligare*, vt videbimus quæstione sequenti. In nostro autem casu non est ita. Nam creditor, ratione mutui, vel exspectationis precij, ad nihil alterum obligat, sed tantùm deducit in pactum *periculum*, quod in mutuanda vel credenda pecunia subit ad instantiam alterius. Atq; hoc eodem modo Sotus ipse, cui alioqui non placet opinio Medinæ, interpretatur illud Caput Nauiganti, libro sexto, quæstione quarta, articulo secundo, & idcirco non est vsus hoc argumento contra Medinam. Sic etiam interpretatus est idem caput Gabriel in 4. distinctione decima quinta, quæstione vndecima, articulo primo, 5. Ad idem. & Ioannes Maior in 4. distinctione decima quinta, quæstione trigesima prima, in fine. & Couarruuias libro tertio variarum resolutionum, capite secundo, num. 5.

SEXTO posset hîc fortè aliquem mouere, quòd Nauarrus vbi suprà dicit, colligi ex Capit. *In ciuitate*. Extra de Vsuris, non esse licitum, ratione periculi, vt ait Medina, aliquid exigere. SED tamen legenti illud Cap. manifestè patebit, nihil ad hoc propositum ex illo posse colligi. Tāmtùm enim ibi indicatur, non licere vendere rem plutis propter *exspectationem* solutionis; atque adeò nec propter commune illud periculum, quod semper omni tali exspectationi est annexum (de quo minimè loquitur Medina) sed id licere in casu illo, de quo suprà diximus, videlicet cùm quis pluris vendit rem, quàm in præsenti valeat, propter dubium maioris valoris rei tempore solutionis, in quod erat rem suam seruaturus, sicut suprà ex Capit. Nauiganti, explicaui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Emptione Debitorum.

A

SIT iam QVINTA Conclusio. Ratione *expensarum & moralis periculi*, siue *incertitudinis* solutionis, licitè potest quis debita futuro tempore soluenda, minoris emere; aliâs non item. Prima pars huius conclusionis patet ex conclusione præcedenti, & ex *tertia* probatione illius, & conceditur ab omnibus. Secunda pars est contra Caietanum, qui ad finem suæ Summæ agens de *pagis* (vt vocat) *montis Genuensis post triennium soluendis*, existimat, etiamsi debitum sit *liquidum*, hoc est, nulli difficultati aut periculo expositum; licitum esse, *obligationem siue cautionem* ad illud recipiendum, minoris emere, quàm sit summa. Vt, verbi gratia, centum pro nonaginta. Et illum sequitur Nauarrus capite decimo septimo, numer. 231.

B

Fundamentum Caietani est. Nam res vtilis *statim*, secundùm communem existimationem, plus valet, quàm res inutilis statim, & vtilis in *futuro*: Ergo pecunia præsens *vtilis statim*, plus valet, quàm obligatio *nunc inutilis*, & vtilis postea, atque adeò minori summa potest emi. Quòd autem hic nulla interueniat vsura, sed mera emptio *obligationis*, declarat Caietanus ex eo, quòd venditor non tenetur emptori reddere vnquam capitale, sed satisfacit ei, quando ipsi tradit obligationem contra alterum. Vnde cùm hic non accidat mutuum explicitum, neque implicitum, C non potest hic esse vsura.

Nihilominus hæc doctrina meritò displicet Soto libro sexto de Iustitia, quæstione quarta, articulo primo, & Medinæ quæstione trigesima octaua. Ac tradunt etiam nostram conclusionem Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 11. artic. 3. dubio 4. & D. Antoninus 2. p. titulo primo, capite octauo, §. 3. & 4. Et probatur PRIMO, doctrinam Caietani esse falsam ex dictis suprà in prima conclusione. Nam secluſa rei mutatione, & ratione damni, vel cessantis lucri, & cuiuscunq; alterius grauaminis, &c. propterea solùm, quòd res siue pecunia *præsenti tempore* sit vtilis, non valet plus, quàm pecunia futura vtilis *in alio tempore*. Vtilitas enim pecuniæ in vno tempore, per vtilitatem D eiusdem, tempore alio sufficienter compẽsatur: Ergo *obligatio soluendi* centum, siue *centum postea soluenda* (moraliter enim loquendo, pro eodem computantur ista duo) secluso periculo, &c. tantum valent, quantum centum præsentia.

SECVNDO idem probatur. Nam si obligatio ad centum minus valet, quàm centum, & ideo potest talis obligatio *secundùm se* emi minoris, non emendo *ipsa futura centum*, vt dicit Caietanus; via pateret vsurariis apertissima. Posset namque Petrus, v. g. Ioanni mutuò petenti nonaginta, dicere: Mutuare quidem tibi nolo, sed vende mihi obligationem siue *actionem* contra te ad centum *post annum* mihi à te danda, & dabo tibi *nunc* nonaginta, quæ secundùm Caietanum precium iustum sunt talis actionis. At hunc contractum nemo non diceret esse illicitum & vsurarium, & tamen est similis contractui, quem Caietanus probat.

Neque obstat, quòd obligatio seu actio hîc *de nouo* constituatur, & non fit antiqua. Hoc enim nihil interesse videtur ad valorem eius obligationis: siue enim nunc, siue antea constituatur, tantúdem valet. Vnde æquè erit iusta *commutatio* nouæ obligationis ad cẽtum, pro nonaginta; atque antiquæ.

Item neque obstat, quod hîc esset mutuum implicitum, quatenus ipsemet venditor nouæ eiusmodi obligationis deberet emptori reddere capitale, quando ei daret centum. Hoc, inquam, non obstat, neq; reddit Caietani casum dissimilem, quod attinet ad eius iustitiam & vsuram implicitam. Nam etiam in casu Caietani interuenit mutuũ implicitum. Venditor enim, qui pro antiqua obligatione ad centum accipit ab eiusmodi obligationis emptore nonaginta, reddit quoquidem per seipsum, sed per suum antiquum creditorem, quem veluti suo loco substituit, dando videlicet emptori actionem contra illum. Itaque perinde hoc est emptori, ac si ab ipso venditore suum capitale auctum reciperet.

Nam de ratione mutui impliciti sufficientis ad vsuram (quemadmodum infrà magis patebit) satis est, vt qui dedit capitale, sit illud *eum auctario* recepturus *ex vi contractus* absque iusto titulo peculiari. Ibi enim statim cernitur iniquitas vsuræ. Neque interest, vtrum quis ab eodem, cui dedit, immediatè sit suum capitale auctum recepturus, vel ab alio loco illius. Si enim quis, verbi gratia, volens mutuare Petro, velit habere sponsorem, qui in se suscipiat debitum loco eius, neque postea quidquam petat à Petro, sed solùm à sponsore; verè nihilominus mutuat Petro, vt reddat illi per substitutum sponsorem; & verè talis erit vsurarius, si hac ratione petat aliquid vltra sortem ex vi mutui. Ita ergo se res habet in proposito.

TERTIO accedit, quod ex illa opinione Caietani multa sequantur absurda, vt patebit consideranti. Sequitur enim, quòd liceat vendenti *creditò* (accepta scilicet statim ab emptore non pecunia, sed obligatione) plus precij exigere, quàm si præsenti pecunia venderet; etiam cessante omni titulo & interesse ex suprà dictis: nam secundùm Caietanum, minus valet obligatio ad soluendam pecuniam *in futuro* etiam certam, quàm pecunia præsens, *statim vtilis*.

Item inde sequitur, quòd ipsemet debitor, si ante tempus præstitutum velit soluere, possit iustè redimere suam obligationem, dando minùs, quàm debebat: siquidem obligatio ea *in præsenti* non valet tantum, quantum quis debebat.

Item

Item sequitur eadem ratione, quòd possit mutuatarius lucrari aliquid, redimendo ante præstitutum tempus obligationẽ capitalis; quod videtur valde absurdum, vt videlicet mutuatarius habeat viam faciliorem iustè lucrandi, quàm mutuator. A

Denique sequeretur, quòd antè præstitutum solutionis tempus non posset creditor iustè à debitore recipere totam summam, nisi titulo admixtæ donationis: siquidem vt Caietanus vult, minus in præsenti valet creditori obligatio ad recipiendam summam *in futuro*, quàm ipsa tota summa *in præsenti*. Quæ omnia omnino sunt absurda, & nullo modo concedenda.

Ad argumentum autem Caietani RESPONDEO, illud, quod assumit, rem vtilem statim valere plus, &c. solùm habere locum in rebus fruciferis, & non vsu consumptibilibus; quorum videlicet vsus potest esse diuturnior, ipsis rebus manentibus; sicut etiam in secunda conclusione declarauimus. Pecunia verò, *& actio* ad *semel recipiendam* pecuniam ex alterius obligatione, non est res huiusmodi: sed est res vno vsu consumptibilis, siue (vt sic dicã) distrahibilis. Neque pluris pecunia *præsens*, quàm *absens*, à iustis hominibus æstimatur, secluso peculiari alio titulo, vt satis ostendimus in conclusione prima. Quod autem addit Caietanus, hîc non esse mutuum implicitum, atq; adeò neq; vsuram; iam monstrauimus esse falsum. B

De Venditione & Emptione per anticipationem.

SEXTA Conclusio. Vendere res *ad terminum* pluris, quàm in præsenti valeant, propterea quòd sint *tales*, vt communiter nõ possint nisi ad terminum vendi; aut *anticipata solutione*, emere res minoris, quàm in præsenti valeant, propterea quòd sint *tales* vt communiter nõ possint vendi, nisi anticipata solutione; nullo modo licet. Hæc Conclusio est contra Sotum lib. 6. de Iustit. quæst. 4. art. 1. concedentẽ propter vltimum argumentum initio huius quæstionis factum, vendentem *merces in magna copia aduectas*, licitè vendere pluris, quàm in præsenti valeant, si nequeant, *nisi credita pecunia* vendi, colligenda nimirum à minutis mercatoribus ex iterata vẽditione eiusmodi mercium: & contrà, ementem *lanam* à pastoribus, *anticipata* solutione, licitè emere minoris, eò quòd res eiusmodi non possit aliter vendi. Quod idem defendi posse in eiusmodi rebus, quæ non solent nisi creditò vendi, censuit Couarruuias lib. 2. variarum resolut. capite 3. num. 6. C

Nostram autem conclusionem asserit Medina q. 38. de reb. restit. causa 6. & Nauarrus ca. 23. n. 82. vbi dicit, opinionem Soti esse contra communem. Et probatur PRIMA Conclusionis pars de vendente. Nam quòd res non possint nisi creditò vendi, non est argumentum donationis factæ ab emptore, vt patet: neque id per se continet aliquod peculiare damnum, aut grauamen venditoris, cùm pecunia postea soluenda tantum valeat, quantum præsens, vt suprà in conclusione prima probatum est: Ergo cessante peculiari alio venditoris interesse, aut grauamine aliunde proueniente, non rectè possunt eiusmodi res idcirco cariùs æstimari & vendi, quàm si statim solueretur precium. D

SECVNDA verò pars Conclusionis *de emptore* similiter probatur. Nam quòd res non possit emi, *nisi anticipata solutione*, non minuit valorem rei alio tempore tradendæ; neque anticipata solutio, *ob id solùm*, quòd sit anticipata, continet aliquod grauamen emptoris: Ergo cessante alio interesse, non potest idcirco quis viliùs emere, quàm valebunt res tempore traditionis.

Quòd autem dicitur, pastores ita iuuari ad curandum gregem, &c. nihil facit ad iustitiam contractus. Tum quia id solùm est accidentalis quædam commoditas vendentis; propter quam non licet emptori precium minuere, sicut neque contra venditori augere, propter accidentalem commoditatem emptoris, vt optimè docuit diuus Thomas hîc articulo 1. Tum quia etiam iuuatur mutuatarius ex sorte mutuò accepta alendo familiam, &c. & tamen non idcirco licet mutuanti exigere vsuram vltra sortem.

Et confirmatur totum hoc ex vltimo fundamento suprà posito ad diiudicandam æqualitatem precij, quæ videlicet æstimanda est non nisi pro tempore, quo res *traditur*. Quare si in proposito cessent aliæ rationes interesse, vt cessare supponimus, non licet contra illud fundamentum facere. Ac per hoc patet responsio ad vltimum argumentum initio quæstionis positum.

PORRO ex his, quæ hactenus definiuimus, iudicari poterunt ferè omnes casus in contractibus occurrentes, quando dubitatur de æqualitate & iustitia eorum. Est enim semper videndum, an suppetat iusta ratio sic contrahendi, vel propter ipsum valorem rei æstimatum ex regulis siue fundamentis initio huius puncti iactis ad dignoscendam æqualitatem precij; vel propter aliquem alium titulum ex illis quatuor positis ante conclusiones, qui efficiunt, vt aliquid vltra capitale iustè recipiatur per alium contractum seu pactum explicitè aut implicitè coniunctum cum contractu principali. Nam si aliquis eiusmodi titulus suppetat, iustus erit contractus; sin minus, iniustus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM TERTIVM.

Quando sit iusta vel iniusta Venditio aut Emptio, peculiariter ex parte ipsius rei venditæ aut emptæ.

D. Thomas art.2.

TRIA hîc sunt certa, quæ etiam tradit diuus Thomas, nemine aliorum Doctorum refragante. PRIMO certum est, iniustam esse venditionem ex parte *ipsius rei*, si venditor cognoscens rei defectum, vendit illam tanquam integram & veram, atque adeò pro ea accipit tantundem, quantum alioqui valeret: Et id quidem, siue rei defectus sit *in specie*, vt si vendat quis aurum falsum pro vero; siue in *quantitate* vel *mensura*, vt si quis vtitur falsa mensura; siue in *qualitate* rei, vt si vendit animal infirmum pro sano. Ratio est clara. Nam tunc res minùs valet, & ita violatur iustitia. Et confirmatur hoc ipsum ex illa exprobratione huiusmodi iniustitiæ apud Isaiam, capite primo: *Argentum tuum versum est in scoriam, & vinum tuum mixtum est aqua.* Et ex illo morali præcepto Deuter. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, &c.*

SECVNDO certum est, similiter peccare emptorem, & ad restitutionem teneri, si cognoscens rem non esse defectuosam in *specie, pondere, qualitate*, emit eam vt defectuosam (atque adeò minoris, quàm valet) ab eo, qui ignorat rei valorem & integritatem, & non cognoscit eius precium. Nam similiter talis emptio, ex parte *ipsius rei* est iniqua contra æqualitatem iustitiæ.

TERTIO certum est, quando neutrum istorum in venditione aut emptione accidit, sed res pro æquiualenti precio (iuxta doctrinam puncto præcedenti traditam) commutatur; iustam esse vẽditionem & emptionem ex parte quidem *ipsius rei*. Nec de his est vlla controuersia.

Sed QVÆSTIO circa hanc ipsam doctrinam potest esse, An & quatenus venditor teneatur emptori *manifestare* rei defectum, vel circumstantiam, quæ efficit, vt res minus valeat? & si id non manifestet, ad quid teneatur? & quandonam propter occultationem defectus, contractus sit nullus? Verùm de his omnibus disputandum est p. sequenti.

PVNCTVM QVARTVM.

Quando sit iusta vel iniusta Venditio ex parte Venditoris, non indicantis rei defectum, aut aliquam eius circumstantiam.

QVÆSTIO hæc nonnullis difficultatibus est implicita. Itaque ponam de hoc inprimis, quod ad *rei defectum seu vitium* attinet, quasdam Conclusiones; in quarum explicatione & confirmatione faciemus quoque mentionem aliquarum opinionum, quæ hîc videntur diuersæ, & fortasse non sunt, si rectè declarentur. DEINDE etiam addemus aliqua de nõnullis *rei circumstantiis*, ob quas à venditore tacitas dubitari possit de Iustitia venditionis.

Sit ergo PRIMA Conclusio. Quando vitium rei occultum, est tale, vt directè aduersetur intentioni, quam habet emptor in emendo; omnino tenetur Venditor aut illud manifestare, aut abstinere à venditione: alioqui iniqua erit venditio, quocunque precio venditor tunc rem vendat. De hac Conclusione inter omnes conuenit. Nam in tali casu contractus in conscientia esset nullus: siquidem deesset consensus in tempore.

Exempli causa: Volebat quis emere aurum, das illi aurichalcum; aut equum velocem, das illi claudum. Non consentit in eum cõtractum. Et ita etiam iure ciuili rescinderetur secundùm voluntatem emptoris. Nam est contractus dolosus *dolo dante causam* contractui, vel *directè*, tamentiendo, quod esset peius; vel *indirectè*, tacendo, vt bene notat Medina quæstione 34. Quin etiam, vt rectè dicit diuus Thomas hîc, deberet talis venditor resarcire damnum, si quod indè sequitur emptori per prauæ rei vsum: quandoquidem eum emptor obiecit tali periculo.

Dixi autem, teneri tunc venditorem *aut vitium rei manifestare, aut abstinere à venditione*. Nam determinatè solùm tenetur venditor alteri non facere iniuriam; quod vt patet, adimplebit alterutro modo ex his. Vnde non est ita intelligendus hîc diuus Thomas, quasi velit *determinatè* venditorem obligare, vt vitium rei patefaciat. Neque etiam rectè & vtiliter videtur posse dici, determinatè debere eum id facere, si vellit talem rem vendere. Moraliter namque loquendo nunquam accidet vtrumque simul; videlicet vt velit quis tali emptori rem talem vendere, & manifestet ei eiusmodi vitium. Nam cùm sciat, emptorem tunc non empturum, frustrà vellet vendere, dicendo illi vitium.

SECVNDA Conclusio. Etiamsi vitium occultum *non aduersetur directè* intentioni emptoris, si tamen emptor *non aliter consentit* in contractum, nisi *posita conditione*, quòd res non habeat tale vitiũ: & venditor expressè id cognoscit, aut ex verbis emptoris, aut verisimiliter ex aliis coniecturis vel signis: quocunque precio venditor tunc vitium rei dissimulans eam vendat, vendet iniquè. Hæc conclusio similiter est manifesta: neque sic explicata potest à quoquam negari. Nam etiam tunc contractus in conscientia est nullus, cùm consensus emptoris non fuerit, nisi *conditionalis*, si nimirum res non habeat tale vitium. Quare si res habeat tale vitium, emptor non consentit. Et quidem si verbis fuerit expressa *conditio*; etiam in foro exteriori contractus rescinderetur secũdùm voluntatem defraudati, vt patet.

Atque hoc modo est intelligenda opinio Syluestri & aliorum, quos ille citat, V. Emptio. numer.20. Et etiam Medinæ q.34. de rebus restituendis, & Nauarri cap. 23.numer.89. cùm dicunt, contractum esse nullum ex defectu consensus, si vitium taceat, quod *si emptor sciuisset*, nullo modo fuisset rem empturus pro vllo precio. Alioqui si aliter id intelligant, non rectè dicunt, vt statim patebit.

TERTIA Conclusio. Etiamsi vitium rei sit *manifestum ex se*, tamen si venditor aduertit, emptorem ex incuria illud non notare, & pugnet id vitium cum intentione emptoris, vel *directè & absolutè* ad modum dictum in prima conclusione, vel *conditionaliter* modo dicto in secunda; peccat venditor dissimulato tali vitio rem vendendo, quocunque precio. Ita Syluester & Medina vbi suprà. Est autem hæc assertio contra Sotum libro 6. de Iustitia, q. 3. art.2. absque vlla distinctione asserentem, vitium *manifestum* non esse declarandum, si non pugnet cum intentione emptoris directè & absolutè.

Probatur autem nostra Conclusio. Nam proptereà quòd emptor non nisi culpa sua ex ignorantia vincibili talis vitij fallatur, nullum accrescit ius venditori, vt possit contra voluntatem illius cum ipso contrahere. Sed in proposito casu verè contra emptoris voluntatem contrahit venditor: Ergo illicitè prorsus cum illo contrahit. Maior est manifesta. Nam culpa emptoris negligentis notitiam sibi vtilem, nihil suppeditat iuris venditori, cùm is non sit superior illius, qui possit eam culpam, defraudando etiam inuitum in precio, aut aliter, punire. Minor etiam probatur. Nam quamuis emptor non aduerterit rei vitium; tamen nihilominus verum est, quod non vult nec intendit emere rem cum tali vitio, vt supponimus in proposito casu: Ergo venditor, qui scit hanc voluntatem emptoris, iniustè cum illo contrahit, vtpote cum inuito.

Quocirca quando sanctus Thomas hîc dicit, *non opus esse, vt manifestum vitium venditor patefaciat emptori*, non est intelligendus in isto nostro casu, quo videlicet vitium alioqui de se manifestum aduersatur, *saltem conditionaliter* intentioni

emptoris; sed loquitur in casu, quo venditor verisimiliter putat emptorem vitium rei alioqui manifestum bene aduertere, & nihilominus velle rem emere.

QVARTA Conclusio. Quando vitium rei, siue manifestum, siue occultum, non aduersatur intentioni emptoris, neque *absolutè*, neque *conditionaliter*: & venditor propter id vitium iustè minuit precium: tunc licitè rẽ vendit, dissimulato vitio.

Ante probationem huius conclusionis, pro declaratione eius, diligenter est animaduertendum, longè aliud esse, hominem ita quidpiã velle, vt si sciuisset quandam *circumstantiam* aliter se habere, non id voluisset; & aliud, velle id *conditionaliter*, si talis circumstantia subsistat, & non aliter. Primus enim ille modus voluntatis non includit, vt simul quis etiam *nolit* quidpiam circumstantia aliter se habente; sed tantummodo, non fuisse eum id voliturum, si quãdam circumstantiam sciuisset, quam non sciuit. Secundus autem voluntatis modus, scilicet *conditionalis* (si circumstantia talis existat, & nõ aliter) includit etiam expressum actum, quo quis reuera *non vult* quidpiam circumstantia seu conditione non ita se habente.

Vnde latiùs patet hoc, quod est ita velle, *vt si volens sciuisset, noluisset*: & hoc, quod est, velle rem *conditionaliter*, si hæc aut illa circumstantia sic se habeat. Bene enim sequitur, hic vult hoc *conditionaliter*: Ergo si sciuisset, aliter conditionem se habere, non voluisset: non tamen sequitur contra: Hic si sciuisset aliquid se aliter habere, *non voluisset*. Ergo *conditionaliter* voluit. Tunc enim nulla ferè vnquam contingeret voluntas humana, quæ non esset conditionalis. Semper enim latet hominem aliquid, cùm rem aliquam vult: quod si sciuisset, non voluisset, vt indicat illa frequens vox: *Si sciuissem, non fecissem, &c.* Absurdum autem esset, quandocunque quis ita quidpiam voluit, existimare ipsum habuisse voluntatem *conditionalem*, atque adeo irritam fuisse huiusmodi voluntatem, conditione aliter se habente. Tunc enim nihil ferè ratum & firmum esset in commerciis humanis; siquidem illud: *Si sciuissem, non voluissem, &c.* ferè semper habet locum in hominum consiliis, cùm hominibus non soleant esse omnia nota, quæ rem circumstant. Secus autem est, cùm quis voluit quidpiam verè *conditionaliter*, videlicet expressè etiam id nolendo, aliter se habente conditione. Nam tunc si aliter conditio se habeat, voluntas nõ habet locum, sed potius illa nolitio.

Ex hac declaratione patet, non pugnare hanc nostram *quartam* Conclusionem cum *secunda & tertia*, sicut alioqui posset videri. In secunda enim & tertia Conclusione, solùm diximus, contractum esse nullum ex defectu consensus, quando vitium aliquod tacetur eiusmodi, quod si sciuisset emptor, rem non emisset, propterea quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

non nisi conditionaliter voluerit rem talem emere, si nimirum careret eiusmodi vitio. In quarta verò Conclusione, dicimus fore validum & iustum contractum, etiamsi vitium aliquod taceatur, quod si sciuisset emptor, rem non emisset, citra *conditionem tamen* appositam.

Ac per hanc explicationem possunt hîc conciliari quædam opiniones, quæ alioqui videntur contrariæ. Sylvester enim, Medina, & Nauarrus, vbi suprà, cùm dicunt, contractum emptionis esse nullum, si tacetur tale aliquod rei vitium, quod si emptor sciuisset, noluisset rem emere; intelligendi sunt, quando contractus fuit *conditionalis*, vt diximus in secunda Conclusione. Sotus verò libro sexto de Iustitia, quæstione tertia, articulo secundo, cùm dicit, fore cõtractum validum, quando res iusto precio venditur, etiamsi emptor sciens rei vitium rem non emisset; intelligendus est citra voluntatem conditionalem, secundùm hanc quartam Conclusionem: & eodem modo est intelligẽdus diuus Thomas, qui similiter videtur hic asserere, contractum fore validum, quamuis rei vitium taceatur: quod Sotus vult intelligi, etiamsi propter vitium illud emptor nullo modo voluisset rem emere.

Porro casus huius nostræ quartæ Conclusionis esset, si, verbi gratia, seni quærenti equum mansuetum & bene incedentem, venderet quis equum aptum quidem ei vsui, sed tamen aliquo alio vitio laborantem, ob quod non posit velociter currere: propter quod vitium minus precij venditor exigeret. Tunc licita est venditio, etiamsi fortè senex esset ea conditione, vt nihil vellet habere nisi perfectum, atque adeò vt si sciuisset id equi vitium, nullo modo eum emisset.

Sic ergo exposita nostra Conclusio, facilè probatur. PRIMO. Nam si in tali casu venditio est iniusta; causa erit, quia vel venditor violat iustitiæ *æqualitatem*: Et hoc non; cùm eò minùs exigat precij, vt ponimus: Vel quia contrahit cum emptore *inuito*: Et neque hoc dici potest; cùm non fuerit ab emptore in consensu suo apposita conditio, *si res tali vitio careret*, vt in Conclusione supponimus. Sed neque videtur subire propterea emptor vllum grauamen, quandoquidem res ei vtilis, spectata intentione ipsius, & pro iusto precio, à Venditore datur. Ergo nulla ex parte est iniusta & illicita talis venditio.

SECVNDO probatur eadem Conclusio. Nam secundùm omnes in 4. distinctione trigesima, validus est contractus Matrimonij, licet alter contrahentium reticuerit vitium aliquod *in qualitate* personæ suæ; quod si alter sciuisset, non contraxisset. Ergo similiter in proposito, contractus venditionis erit validus, & consensus emptoris firmus, quamuis venditor reticeat aliquod rei vitium, quod si sciret emptor, rem nõ emisset, quando non fuit ab eo *conditio expressè apposita*, vt in prædicta Conclusione loquimur.

Patet Consequentia. Nam secundùm omnes cõtractus etiam Matrimonij, si vllus alius, debet esse liberrimus. Ergo si illud non obstat, quò minùs sit validus, poterit etiam, eo non obstante, esse validus contractus venditionis.

Adde quod nisi hæc conclusio concedatur, vix vnquam continget venditio licita. Nam semper ferè aliquid reticetur. Atque ex his potest intelligi, verum esse, quod hîc ait sanctus Thomas, posse in casu nostro venditorem, tacendo vitium, seruare *se indemnem*; ne videlicet si emptor sciret rei vitium, plus iusto vellet minui precium. Sic enim dictum hoc diui Thomæ interpretor.

QVINTA Conclusio. Nihilominus in casu præcedentis Conclusionis venditor debet post contractun transactum, per se, vel per alium, certiorem facere emptorem vitij, quod in re tacuit; si verisimile est emptorem rursum *alteri* rem venditurum. Nam alioqui meritò posset censeri venditor causa damni illius *tertij*, si eius res ab ignorante rei vitium venderetur pro tanto precio, quantum valeret, si illud vitium non habuisset. Ita notat Caietanus hîc, & Sotus vbi suprà, & Nauarrus in Manuali, capite vigesimo tertio, numero 89. Hoc autem intelligitur, nisi vitium esset eiusmodi, vt statim emptor deberet illud deprehendere: nam tunc non teneretur venditor illud patefacere, sed præsumere potest fuisse ab emptore animaduersum.

Est ergo in summa hoc tenendum. *Imprimis* in nullo casu obligandum esse venditorem *determinatè*, vt patefaciat vitium emptori. Potest enim, si vult, tacere illud, dummodo non vendat. *Deinde* quando rei vitium aduersatur emptoris intentioni *absolutæ vel conditionali*, siue sit occultum, siue de se manifestum, illicitam esse venditionem, cùm venditor sciens emptorem vitium rei ignorare, tacitus rem ei vendit. Sit tamen vitium neq; absolutè, neq; conditionali intẽtioni emptoris aduersetur, & véditor iustè minuat rei precium propter illud vitium; licitam esse venditionem, quamuis rei vitium dissimulet. Siue illud sit occultum, siue manifestum; siue emptor fuisset rem empturus sciens id vitium, siue non fuisset, *citra conditionem* tamen, vt est dictum.

Atque idem est concedendum, quando vitium intentioni emptoris *absolutæ vel conditionali* non aduersatur, etiamsi vitium sit in *substantia* vel in *quantitate*, vt bene notauit Sotus vbi suprà. Exempli causa. Si quis venderet alteri vinum dilutum, quod perinde sit illi futurum vsui (quia emit tantum bibendi causa) licitè poterit tacitus illud vendere pro iusto precio, etiamsi fortè emptor sciens vinum esse dilutum, non fuisset illud empturus. Secus si emeret, medicinæ vel alterius rei causâ. Nam tunc talis vini defectus directè aduersaretur intentioni emptoris.

Similiter

Similiter si quis, verbi gratia, nollet dare iustum precium pro tanta mensura tritici; licitè posset venditor minuere mensuram tacitus, & dare illi tantum tritici, quantum iustè emeretur precio, quod ille vellet dare. Cæterùm cauendum est, ne in hac parte permittatur nimia licentia cauponibus & huiusmodi. Nam hi ferè ex cupiditate lucri proclines sunt ad fraudes in mẽsurandis rebus. Vt meritò possit ferè semper Magistratus præsumere, illos iniquè facere, atque adeò eos punire. Sed tamen *in foro interiori*, secluſa fraude & dolo, licitum id esset non minus, quàm cùm tacetur vitium in *rei qualitate*, sine vllo damno vel grauamine emptoris.

HACTENVS explicatum à nobis est, quatenus liceat vel non liceat venditori dissimulare *rei defectum seu vitium*. Nunc (vt initio proposuimus) videndum etiam est, quatenus liceat ei vel non liceat dissimulare quoque aliam aliquam rei CIRCVMSTANTIAM. Et occurrunt circa hęc duæ quæstiones.

PRIMA quæstio est, An liceat Venditori dissimulare circumstantiam *copiæ* rei mox futuræ, ob quam rei valor paulo pòst sit minuendus; vt si sciat, verbi gratia, paulo pòst appulsuras naues, rem eam importantes: An verò hac circumstantia dissimulata, posit rem vendere tanti, quanti *in præsenti* æstimatur. Ratio dubitandi est: nam id licere concedit hîc diuus Thomas.

Contra verò videtur id non licere venditori. PRIMO. Nam si emptores scirent copiam rei statim futuram, nollent dare tantum precij: Ergo inuoluntariè dant venditori tacenti.

SECVNDO. Quia copia illa futura breui, in rei veritate minuit rei valorem *in præsenti*: Ergo non licet venditori tantum pro re exigere, quantum si non esset eius copia statim futura. Antecedens probatur. Nam ipsa rei copia actu iam existens, *multum* minuit precium: Ergo saltem *aliquid* minuit potentia proxima copiæ, quandoquidem parùm distat ab actuali copia. Neq; obstat, quod ab aliis tunc non minoris res æstimetur, quàm si nulla esset potentia proxima copiæ; nam quòd non minoris ab aliis æstimetur, prouenit ex ignorantia copiæ futuræ. Valor autem rei non est metiendus æstimatione proueniente ex ignorantia, vt satis patet.

TERTIO. Quia si venditor sciat, breui qualitatem rei, aut intrinsecam bonitatem, esse minuendam, sine controuersia debet minùs exigere. Idque non ob aliud, nisi quia valor rei paulo pòst minuetur. Sed in proposito casu venditor scit paulo pòst valorem rei minuendum, si non propter mutationem substantiæ aut qualitatis, certè propter abundantiam futuram, quod perinde accidet incommodè emptori: Ergo similiter debet aliquanto minùs id circo exigere.

QVARTO & postremò. Nam ex sententia sancti Thomæ sequeretur, si quis sciret, Principem, verbi gratia, cum tota aula breui ex vrbe discessurum, & migraturum aliò, posse nihilominus tanti domum ad annum locare, quanti vsus eius per annum nunc æstimatur ab ignorantibus, instare iam discessum Principis; quod omnino videtur absurdum. Item sequeretur, si quis sciret breui ciuitatem esse ab hostibus obsidẽdam, posse nihilominus rem suam ibi diuendere tanti, quanti ab ignorantibus impendentem vrbi calamitatem æstimatur: quod etiam videtur absurdum.

Propter hæc argumenta Medina q. 35. de rebus restituendis, reiicit sententiam S. Thomæ. Et Cicero lib. 3. Officiorum commemorat Antipatrum sensisse, non rectè dissimulaturum venditorem abundantiam illam rei futuram, *contra* Diogenẽ, qui sensit idem, quod hîc D. Thomas.

Nihilominus sententia D. Thom. tenenda est. Illam sequitur nominatim Sylvester, V. Emptio. num. 15. & Sotus libro sexto, de Iustitia, quæstione 3. art. 2. Probatur PRIMO hac ratione: Precium iustum metiendum est æstimatione, quam habent *communiter* homines rei quæ vẽditur, attenta ipsius natura, & iis omnibus circumstantiis, quæ moraliter omnibus notæ esse possunt, & facilè circa rem occurrere. Sed in proposito casu res tanti æstimatur communiter, attentis circũstantiis moraliter occurrentibus, quanti, si in rei veritate abundantia rei non esset mox futura. Ergo tanti poterit iustè vendi, quanti si nõ esset futura abundantia illius. Maior probatur. Nam si illud non sufficeret ad æstimandũ iustum preciũ, vix vnquam posset contingere, iustum esse precium. Nunquam enim aliter æstimatur; & rarò, aut nunquam sciunt homines omnia, quæ scita pertinerent ad minuendam vel augendam æstimationem, atq; adeò ad iustitiam precij. Minor aũt probatur. Nam supponimus in casu proposito, solùm venditorem *fortè fortuna* de futura rei abũdantia cognouisse, neque esse eam tunc, aut facilè posse esse aliis notam.

Confirmatur hoc ipsum. Nã non nisi ob hanc rationem iudicamus, rem tantũdem valuisse ante repentinam cœli tempestatem, quæ ipsam destruxit, quantum antea: nempe quia illa circumstantia superuenturæ tempestatis nõ erat moraliter nota hominibus, neq; poterat esse. Itaq; iustum precium fuit illud, quod ex æstimatione rei, consideratis circumstantiis aliis tunc occurrentibus iudicabatur: Ergo similiter in proposito. Supponimus enim eo in casu non patere viã (moraliter loquendo) ordinariam & facilem sciendi tunc in ciuitate futuram rei abundantiam.

SECVNDO probatur eadem sententia. Nam si in proposito casu, minùs res valeret ob rei futurã copiam; consequens esset, vt si venditor ignorans etiam futuram rei copiam vendidisset rem tanto precio, quanti æstimabatur; debeat postea superueniente rei copia & cognita, excessum precij emptoribus restituere: quod ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

men ipsemet Medina vidit esse absurdum. Patesequela, nam tunc demum constaret, rem antea tanti non valuisse, ob futuram videlicet statim rei abundantiam.

Sed dicit Medina, non esse simile. Nam tunc emptores non essent rationabiliter inuiti contra venditorem, si is non sciuit futuram rei copiam: atque adeò bona illa fides orta ex communi errore, illum & ab iniustitia, & ab obligatione restituendi liberaret. At contrà instari potest, quòd quamuis venditor futuram rei abundantiam ignorâsset bona fide; tamen inde solùm sequeretur, non debere eum restituere, ratione *iniustæ alicuius acceptionis*; non autem quod non deberet ratione rei acceptæ. Hæc enim obligatio sequitur *rem*, quæ non fuit secundùm iustitiæ æqualitatem accepta, quamuis nullum in accipiendo peccatum committatur, vt ex communi doctrina tradidimus quæstione sexta, de Restitutione, puncto secundo.

Probat etiam Sotus ea ratione sententiam sancti Thomæ. Nam si in proposito casu venditor deberet vendere minoris; consequens esset, vt contrà etiam, casu, quo speratur futura rei inopia, deberet emptor pluris emere. Sed hoc est falsum. Ergo, &c. Probat Minorem, exemplo Ioseph, qui vt narratur Genesis quadragesimo primo, prouidit populo Aegypti vilius emendo ante futuram inopiam, & postea carius vendendo. Sed tamen posset Medina primò ad hoc dicere, Ioseph id fecisse instinctu Dei. Vel secundò, ex Scriptura non expresè constare, ipsum emisse. Vel tertiò non constare an dato, quòd emerit Ioseph, emerit pluris, quàm alioqui emisset.

Ad Primvm autem argumentum Medinæ respondeo, negando consequentiam. Nam non dederunt in eo casu emptores *tantum* precij *conditionaliter*, sed solùm ita, vt si sciuissent futuram rei abundantiam, non dedissent: Id quod non obstat voluntario consensui ad contrahendum necessariò, vt suprà in Conclusione quarta declarauimus.

Ad Secvndvm nego Antecedens. Ad probationem dico, esse disparem rationem. Nam abundantia *actu* existens, est *actu cognita*, & ita minuit valorem rei & æstimationem tantum, quantum potest. At verò in casu nostro potentia proxima abundantiæ futuræ est actu *ignota*; neque *potest* moraliter ab omnibus, vel à plerisque cognosci (vt supponimus) & idcirco neque illud parum minuit, quod alioqui posset, si esset nota.

Ad id autem quod obiicitur, per accidens esse, quòd æstimatio rei tanta perseueret, quanta si nõ esset futura copia, cùm ea æstimatio proueniat ex ignorantia: Respondeo, potius esse id *per se*: neque eam æstimationem perseuerare in hoc casu propriè ex ignorantia; sed potius ex iudicio quodam certo, humano modo loquendo. Non potest enim aliter iudicari æstimatio rei per se, constituens æqualitatem precij, nisi secũdùm id, quod moraliter de re cognoscitur, attentis circumstantiis, quæ circa illam sunt plerisq; notæ.

Tunc autem dicẽda esset ea æstimatio oriri ex ignorantia, atq; adeò non constituere iustam æqualitatem precij, quãdo oriretur ex ignoratione alicuius, quod facilè moraliter potest omnib. esse notum, vel certè peritis. Vt si, v. g. aliquis tanti æstimet aurichalcum, quanti aurũ, putans esse aurum: vel si in nostro casu scientibus omnibus, vel saltem magna parte ciuitatis, futuram rei copiam, vnus vel alter id ignorans, tanti æstimaret rem, quanti si futura copia non esset.

Ad Tertivm concedo inprimis, minus debere venditorem exigere in illo casu, si emptor emit rem ad seruandum; non quia tunc in rei veritate res minus valeat, sed quia ex quo emptor eam vult seruare, affert illi damnum venditor vendendo rem non duraturam integram: quod proinde damnum deberet resarcire venditori, vel minuendo precium, vel aliter ei postea id compensando; vel certè debet abstinere à contractu cum tali. Quin imo si diminuto rei valore postea res nõ esset profutura emptori ad eum vsum, cuius causâ emit; contractus esset nullus per supradicta à nobis conclusione prima.

Et similiter in proposito concedo, venditorem debere resarcire damnum emptori, si is rem emebat ad vendendam illam eo tempore, quo propter superueniẽtem illius copiam minus valitura sit. Sed tamen nos locuti sumus extra hunc casum, tantum videlicet attendentes rei valorem in præsenti, non obstante copia illius futura. Id solùm cõsiderantes, dicimus, tanti valere rem, quanti si copia nõ expectaretur; ac proinde tanti posse vendi, saltem ei emptori, qui statim rem esset consumpturus.

Ad Qvartvm respondeo, casum *priorem* non esse similem. Nam tunc non commutat quis rem pro eo precio, quo iustè *in præsenti* æstimatur. Nam locat vsum annuum domus, qui non tanti in illo casu æstimatur, quanti talis locat. Non enim tanti æstimatur, nisi annuus vsus domus, *perseuerante* in eadem ciuitate curia, non verò *absente curia*, qualem duntaxat iste in rei veritate locat in illo casu. In nostro verò casu venditur res tanti, quanti nunc in rei veritate æstimatur iustè. Quod verò attinet ad *secundum*. Casum: si illi emerent consumpturi statim rem; concedo similiter licitam esse venditionem: si autem emerent causâ vendendi posteà, tunc vt dictum est in solutione tertij, debet venditor illud damnum emptoribus resarcire, vel minuendo precium, vel alio modo.

Secvnda Quæstio est, An liceat etiam aliquâdo vẽdere rem alienam, non patefaciendo hanc eius circumstantiam, *quòd scilicet sit aliena*. Vt, verbi gratia (quod solet accidere in nundinis) si indigeat quis pecunia, quam fortè acquirere non potest, nisi ex venditione, neque tamen habeat propriam rem, quam vendat; aut si habet, non velit illam vendere; quæritur, an possit licitè vendere rem alterius.

Hanc quæstionem tractat inter Theologos Medina quæstione trigesima septima de rebus restituendis. In qua existimat id licere, modò quis speret se à rei domino consensum impetraturum, & eum postea procurare velit. Fundamentum Medinæ est: nam putat ad substantiam siue essentiam venditionis non requiri, vt venditor *absolutè* tradat rem emptori, aut etiam habeat animum absolutè tradendi cum eius rei dominio; sed satis esse, si *quantum est in se*, velit dare operam, vt res emptori tradatur à vero domino.

Citat etiam in confirmationem huius aliqua iura Ciuilia, quibus videtur talis contractus approbari, & obligari venditor, vt procuret à domino rei consensum, vel emendo ab ipso, vel etiam via donationis, vel quocunque modo; aut si fortè id consequi non possit, reddat precium emptori vnà cum *interesse*, si quod fortè damnum emptor incurrit.

Mihi autem videtur aliquanto distinctius & explicatiùs ad hanc quæstionem esse respondendum. Itaque dico Primo. Is, qui dissimulans rem esse *alienam*, eam vendit absque certa ratihabitione præsentis consensus Domini; quidquid sit in foro exteriori, in foro conscientiæ mortaliter peccat, & contractus est nullus. Hoc puto reliquos Theologos tanquam certum supposuisse; & nominatim sensit ita satis apertè Nauarrus in Manuali, capite vigesimo tertio, n. 89. & quidam Henricus de Oithen, citatus illic à Medina.

Probatur: Nam in tali casu emptor rationabiliter inuitus & deceptus ita contrahit: Ergo venditor iniustè cum illo contrahit. Probo Antecedens. Nam emptor non vult contrahere, nisi cum venditore, qui æquè possit se obligare ad tradendum ipsi rem, atque ipse potest ad tradendum venditori precium. Sed in hoc casu venditor non æquè ad id se obligat, neque obligare potest: Ergo emptor inuitus contrahit cum illo. Probatur Maior. Nam cùm aliud inter contrahendum non explicatur; vnusquisq; contrahẽtium vult illud duntaxat, quod est secundùm rigorem & æqualitatem iustitiæ. Sed secundùm æqualitatem iustitiæ est, vt æqua sit vtriusq; contrahentis conditio, ac proinde vt æquè venditor possit emptorem facere certum de re, atque emptor venditorem de precio: Ergo hoc vult emptor; & consequenter non vult contrahere cum venditore, qui id præstare non potest. Probatur hæc Minor. Nam cùm venditio sit quædam *commutatio*; & commutare rem in alterum in proposito sit facere alterum rei dominum; iustitiæ æqualitas requirit, vt vtrinque possit hoc æquè fieri, tam ex parte venditoris, quàm ex parte emptoris: alioqui peioris conditionis erit ille, qui verè & independenter ab alio id facit, neque poterit censeri alter ex æquo rependere ei vicem; quod est contra iustitiam.

Dico Secvndo. Si in proposito casu Venditor explicet emptori, rem esse alienam, & expectandam proinde esse voluntatem Domini; licitè sic contrahet, vt dicit Medina: quanquam tunc non erit propriè contractus *venditionis*, sed erit potius contractus innominatus: *Facio vel faciam; vt des*: Vel, *Do, vt facias*.

Quòd autem licitè tunc id fiat, probatur. Nam si emptor re intellecta, sic velit contrahere, nulla fit ei iniuria: & possunt ita de precio conuenire, vt *tanti* æstimet emptor operam venditoris in procurando apud verum dominum, vt ipsi res tradatur, & simul venditoris obligationem, vt si id à Domino non impetret, vel si non efficiat, reddat precium, cum interesse (si quod fortè interueniat) *quanti* venditor æstimat, precium & vsum præsentis pecuniæ.

Quod autem talis contractus non sit propriè contractus *venditionis*, patet ex iam dictis. Nam cùm venditio sit rem pro precio commutare; commutare autem rem sit transferre eius dominium; non potest verè vendere, neque se ad commutandum obligare is, qui cùm non sit rei dominus, non potest rei transferre dominium. Maximè cùm neque is postea id faciat casu, quo verus dominus velit rem tradere; sed ipse tunc Dominus rei suæ dominium in alterum pro precio transfert, atque adeò ipse potius tunc rem vendit. Quòd si hoc duntaxat nostrũ secundum dictum voluisset asserere Medina, nihil morarer: in hoc tamen displicet, quòd ait, esse hanc veram venditionem, & venditorem rei alienæ posse licitè tacere, quòd aliena sit.

Quod verò attinet ad Iura Ciuilia per Medinam citata, dici potest, illa solum id permittere, & ad alterutrum obligare venditorem, scilicet vel ad complendum, quod promisit; vel ad reddendum precium cùm interesse, si quod interuenit. Idque Iura decernere non quasi ex vi contractus liciti, & in foro conscientiæ obligantis vtrinque, sed in fauorem emptoris, & in pœnam talis venditoris.

Ex his patet, quid sentiendum sit de casu, quo quis tacitus alteri vendit rem, cuius dominium *ipso iure* amisisset, ob crimen lesæ maiestatis vel hæresis, &c. Illicitè namq; id facit, vt bene notauit Nauarrus capite vigesimo tertio, num. 89. Nam cùm ab emptore possit iure rem eam fiscus repetere, iniuriam facit venditor eiusmodi emptori.

Quid autem si crimen sit tam occultum, vt putet venditor nunquam scitum iri; atq; adeò nunquam emptorem esse re tali priuandum à fisco? Respondet Nauarrus, tunc non esse talem venditionem illicitam. Nam cessat, inquit, iniuria

Universidad de Deusto
Biblioteca

alterius, propter quam esset illicita talis vēditio. A
Sed tamen hoc absolutè non videtur verū. Nam quamuis ob eam quidem causam non sit tunc illicita talis venditio: est tamen illicita propter grauem *inobedientiam*, qua venditor in eo casu rem alienat contra legem pœnalem, quæ obligat illum in conscientia, à tempore commissi criminis, non alienare res suas, exceptis his, quæ pertinent ad victum quotidianum; vt bene notant Sotus libro primo de iustitia & iure, quæstione sexta, articulo sexto. & Sylvester, V. Hæresis. 1. n. 12. 13. & 14. Peccat igitur talis venditor ex hac parte mortaliter.

Quamuis neque etiam debuerit ex vi illius legis pœnalis exhibere statim res suas fisco, donec per sententiam Iudicis crimen declaretur, atque adeò cogatur id exequi, quod iubet ea lex pœnalis; vt fusè & bene disputauit Sotus lib. primo de Iustitia, quæstione sexta, articulo sexto, & nos etiam tradidimus tomo secundo, quæstione quinta, de Legibus, puncto sexto. Sed tamen peccat talis vendendo, vt est dictum. Nam quamuis non teneretur ante sententiam exhibere fisco res proprias: tamen neque eas alienare potest. Cuius signum manifestum est, quod ex vi illius legis pœnalis omnes contractus ab ipso tempore commissi criminis celebrati per talem, iure irritantur, cùm postea fertur sententia; vt ex communi doctrina tradit Sylvester loco citato. C

Sequitur etiam ex dictis, EMPTOREM similiter peccare contra iustitiam, cùm sciens & *dissimulans* rei valorem, à venditore ignorante eum rei valorem, emit eam minoris iusto precio: id quod docuit diuus Thomas articulo præcedenti. Cùm enim illa æstimatio venditoris procedat ex ignorantia, non facit æqualitatem iusti precij: Itaque emptor violat tunc iustitiam hoc ipso, quòd ab eiusmodi venditore rem plus valentem accipit pro minori precio, vt rectè docet Sotus libro sexto de Iustitia, quæstione secunda, articulo tertio.

SED contra est argumentum. Nam licet emptori pro consueto precio emere agrum, in quo D
latet thesaurus, venditore id nesciente: Ergo similiter licebit emere quamuis aliam rem, tacendo valorem eius, ignotum venditori. Consequētia videtur clara. Nam propter thesaurum similiter videtur ager plus valere. Antecedens verò probatur ex illo Matthęi decimo tertio: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, vadit & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.* Vbi Christus Dominus videtur supponere, quod id liceat: Atq; etiam diuus Thomas suprà quæstione sexagesima sexta, art. 5. ad 2. exponens illum locum.

RESPONDEO, negando Consequentiam. Ratio cur negem, est, nam quamuis emptor agri taceat de thesauro: tamen dat (vt suppono) tantum precium pro agro, quantum ager valet, *quatenus* à venditore possidebatur. Cùm enim is ignoret inuincibiliter thesaurum ibi absconditum; nō verè possidet agrum illum, *vt thesaurum continet*, sed *vt frugifer est*; Et ideo dando venditori tantum, quantum valebat ager, vt erat frugifer, emitur talis ager iusto precio.

Secùs autem contingit in proposito. Nam supponimus, ab aliis communiter sciri, & à venditore quoque facilè sciri posse, quòd res, quam vendit, plus valeat, atq; adeò ab ipso illam possideri & vendi, *quatenus* plus valet. Vnde fit, vt emptor iniquè faciat, dādo minus precium pro tali re, valore ipsius apud ignarum venditorem dissimulato.

PVNCTVM QVINTVM.

Quando sit iusta vel iniusta venditio & emptio ex parte Emptoris, per negociationem rursus vendentis rem cum lucro.

D. Thomas art. 4.

DE NEGOCIATIONE per emptionem & venditionem, quatenus ea sit licita vel illicita, eadem ferè est sententia omnium Doctorum. Ac primo quidem si *Negociationis* vocabulum impropriè accipiatur, pro *commutatione* rerum cum rebus, vel rerum cum pecuniis; instituta necessitatibus humanæ vitæ subueniendi causâ; non est dubiū, quin sit licita & laudabilis. Sed loquimur nūc de negociatione *propriè* accepta pro commutatione pecuniarum cum pecuniis, vel quarumcunque rerum cum pecuniis, non necessitatis, sed *lucri causâ* susceptā, vt patet ex Philosopho libro primo Politicorum, capite sexto.

Et de hac Negociatione conuenit inter Doctores PRIMO, habere eam quandam speciem *turpitudinis*. Nam seruit cupiditati lucri, quæ nullum habet terminum, vt tradit Philosophus loco citato. Neque habet vllum *proximum* finem honestum vel necessarium. Quanquam non est quidem negociatio *turpis intrinsecè ex positiuâ*, quia si per se contraria virtuti (vt rectè docet diuus Thomas hîc) sed *negatiuè*, quia scilicet non habet secundùm se aliquam honestatem.

Vnde vt bene notat hîc Caietanus ex sententia diui Thomæ, negociatio ex proximo quidem suo fine, videlicet *lucro*, est quiddam secundùm speciem suam *indifferens*, quod scilicet nec est conforme rationi, neque etiam contra rationem. Habet tamen *speciem* quandam mali, vt dictum est, & dicit etiam diuus Thomas hîc ad 3.

SECVNDO consequenter inter Doctores conuenit

conuenit, negociationem posse ex *circumstantiis* reddi licitam & laudabilem, ac præcipuè ex bono & honesto fine extrinseco. Vt si quis referat lucrum ad sustentationem familiæ, vel pauperum, vel ad vtilitatem & commoda Reipublicæ, vt rectè ait diuus Thom. hîc. Ac propterea Augustinus (seu quisquis fuit ille auctor) in libro quæstionum veteris & noui Testamenti, capite centesimo vigesimo septimo, distinguit negociationem ab aliis, quæ sunt intrinsecè mala. *Fornicari*, inquit, *nunquam licet: Negociari autem aliquando licet, aliquando non licet.* Quod etiam retulit ex Augustino Gratianus 88. dist. Cap. Fornicari. A

Ac huius etiam ratio est clara. Nam velle abundare rebus temporalibus, quod est finis negociationis proximus, non auersatur obligationi alicuius virtutis, si non addatur aliqua extrinseca circumstantia mala. Vt addit, qui ita constituit vltimum finem in lucro, vt quæuis peccata mortalia admittat facilè propter illud. Quanquam aduersatur quidem negociatio ex se *perfectioni* virtutis: quæ cernitur in contemptione rerum temporalium. B

Quòd si aliqua incommoda sequi videntur ex negociatione; vt quod res plerumque cariùs emuntur, quàm si immediatè à primis dominis emerentur, eò quòd sequitur inde quandoque penuria rerum, &c. hæc compensantur vtilitate, quæ ex negociatione ad communitatem redundat. Efficit enim negociatio, aliunde res aduehendo, & aliò etiam asportando, vt Respublica non careat rebus necessariis; quod secus sæpe eueniret negociatione sublata, cùm non omnia in omnibus locis suppetant, neque quiuis possit emendi causâ quocunque commeare. C

TERTIO conuenit inter Doctores, negociationem sicut ex circumstantiis potest fieri licita, ita etiam ex *multis circumstantiis* reddi posse illicitam, vt rectè inter cæteros annotauit Medina, quæstione trigesima primâ, de rebus restituendis, & Sotus libro 6. de Iustitia, quæst. 2. art. 2. Potest enim reddi illicita; 1. aut ex parte *rei*; 2. aut ex parte *venditoris*; 3. aut ex parte *emptoris*; 4. aut ex parte *loci*; 5. aut ex parte *temporis*; 6. aut ex parte *modi*. D

PRIMO igitur redditur illicita ex parte REI, quæ venditur. Vt si non est venalis; vt res sacræ: de quo infrà in materia de Simonia: vel etiam si prohibeatur vendi, de quo vide Cod. quæ res vendi nō possunt. Huiusmodi est *venenum*, quod nulla re alia adiuncta vtile fieri possit, vt patet l. Quod sæpe. ff. de contrahenda emptione. Item *homo liber* vendi ab alio non potest: quanquam pater in necessitate possit vendere filium, vt patet l. 1. & 2. ff. de patribus, qui filios distraxerunt. De quo vide Medinam vbi suprà, & Nauarrum capite vigesimo tertio, numero 95. & 96.

SECVNDO redditur illicita negociatio ex parte personæ VENDENTIS, si ei specialiter prohibeatur; quemadmodum Clericis prohibetur, 88. distinct. per totam. Si tamen sit negociatio vera & propriè dicta, qua videlicet res non mutatæ cariùs venduntur. Si enim Clerici propria operâ & curatione res efficiant meliores, non prohibetur illis, quin cariùs etiam vendant, vt patet Cap. Clerici. Extra de vita & honestate Clericorum. & 91. distinct. Can. Clericus. Vbi fit illis facultas, exemplo diui Pauli, qui, vt habetur Actorum decimo octauo, artem scenofactoriam exercebat, proprio artificio & labore sibi & suis prouidere de rebus necessariis.

Addit etiam Medina, non esse Clericis prohibitum negociari etiam propriè *per alios*, quibus pecuniam committant. Tunc enim non habere perinde locum rationes, propter quas illis negociatio prohibetur: siquidem per seipsos non negocientur. Neque enim est illis omne genus lucri prohibitum. Aliàs non possent illud facere ex proprio artificio. Denique licitum est etiam illis exercere opera ruralia. In omnibus tamen cauere debent scandalum; & præterea ne aliquid de tempore suis muneribus necessario detrahant.

TERTIO redditur illicita negociatio ex parte EMPTORIS seu personæ, cui res venditur, cùm quis vendit aliquid (aliàs venale) personæ, quam verisimiliter putat, aut facilè putare potest re abusuram: Id quod præcipuè habet locum in rebus, quæ valent ad voluptates, & inimicitias persequendas: cuiusmodi sunt chartæ lusoriæ, ornamenta quædam, cibi lasciui, arma offensiua, &c. Tunc enim cooperatur quis ad malum, præbens materiam peccandi.

Et hoc modo putat Medina intelligendum esse, quod Innocentius in Cap. vnico de Sagittariis, ait, artem Sagittariorum *pestiferam esse*, & ex Republica Christiana *exterminandam*. Intelligitur enim si quis ea ita vtatur, vt *absque discrimine* omnibus vendat, siue sint bene, siue malè vsuri. Tales enim, qui huiusmodi res ita indifferenter omnibus vendunt, sunt in malo statu, vt rectè notauit Medina, & significat etiam Nauarrus capite 19. numero 15. & 16. & capite 23. numero 90.

Ex hoc autem non sequitur, illicitum esse locare domum *meretrici*, in locis quibus eiusmodi mulieres à publica potestate permittuntur; aut etiam *usurario*. Non enim perinde se habet *locus* ad peccatum, atque peccati *materia*: qui enim alteri confert peccati materiam, hoc ipso censetur peccato cooperari, cùm det id, quod intrinsecè pertinet ad peccatum. Locus autem habet se omnino extrinsecè. Itaque licitè quis eum locat homini peccaturo, si tantùm intendit, vt is in eo viuat, nec directa aut indirecta intentione per eam locationem ad peccatum cooperatur, aut ad id inducit alterum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hîc tamen ADVERTENDVM, specialiter prohibitum esse, ne quis locet domum vsurario *alienigenæ*, Cap. 1. de vsuris, lib. 6. vt etiam notat Nauarrus, capite 17. num. 195. Vbi tandem videtur concedere, licitum esse locare domum huiusmodi publicis peccatoribus: quanquam non videatur omnino alienus ab ea opinione, quod id sit contra ius naturæ. Sed tamen immeritò in hanc sententiam inclinat. Nam si contra ius naturæ id esset; etiam esset contra ius naturæ locare domum aliis peccatoribus, vt ebrioso, impudico, &c. quod tamen falsum est.

Neque obstat, quòd dicit Nauarrus, non esse id simile: eò quòd istis potest locari domus ad exercendam aliquam artem, cum qua non sit inseparabiliter coniunctum peccatum: meretricibus verò & vsurariis non item. Hoc, inquam, non obstat. *Primò*: nam similiter dicam, posse locari domum meretricibus, si non ad aliquam aliam artem honestam, certè ad *viuendum duntaxat*. Constat autem cum vita non esse inseparabiliter coniuncta illa genera peccatorum.

Deinde, quia si attribuere locum ei, qui in illo est peccaturus, est cooperari ad peccatum, nec potest quis per rectam intentionem hanc cooperationem cauere; consequens esset, vt si is, cui domus locatur, vel *semel* sit peccaturus in illa, cooperetur ei ad peccandum, qui locat. Quod certè absurdum dictu est. Nam tunc omnes qui domum locant, peccarent cooperando peccatis iis, quæ semel aut iterum in omni ferè domo committuntur. Aut si id non est per se loquèdo cooperari; tunc ne si frequenter peccet is, cui domus locatur, locans cooperabitur. Poterit enim id cauere, rectificando intentionem, videlicet conferendo domum viuendi duntaxat causâ: sicut Nauarrus concedit, posse fieri similem cooperationem caueri, dando solùm domum aliis peccatoribus, vt exerceant *duntaxat in ea honestam artem*.

Quòd si rursum dicatur, esse disparem rationem. Nam alij peccatores multa bona faciunt. Hoc etiam nihil interest. Nam & meretrices & vsurarij, non pauca etiam opera moraliter bona faciunt. Vt enim disputauimus tomo secundo, in materia de Gratia, quæst. 1. difficillimum est semper malè operari.

PROHIBENTVR etiam Christiani (ob circumstantiam personæ EMENTIS) vendere arma infidelibus, & etiam ligna & alia, quæ pertinent ad rem bellicam, vt patet extra de Iudæis & Saracenis. Item etiam prohibentur vendere illis qualiacunq; omnino mercimonia, nisi quis fortè super hoc habeat dispensationem. Item excommunicantur, qui asportant arma ad terras infidelium, in Bulla Cœnæ Domini.

QVARTO redditur illicita negociatio ratione LOCI. Non enim licet vendere in loco *sacro*, vt patet, de immunitate Ecclesiarum libro sexto, Capit. *Decet domum Dei*. Vnde Christus Matthæi vigesimo primo: *Eiecit ementes & vendentes de templo*. Intelligitur autem hoc etiam extra tempus, quo diuina celebrantur, vt docet Medina vbi suprà contra Caietanum, in opusculis; & etiã Sotus libro sexto de Iustitia, quæst. 2. art. 2. qui ibidem addit, extra tempus celebrationis diuinorum, non esse mortale, colloquendo duntaxat, in Ecclesia negociari, secluso scandalo: Secùs, si exponerentur ibidem merces, & fieret clamor, & quasi quædam nundinatio. Tunc enim esset mortalis irreuerentia.

QVINTO redditur illicita negociatio, ratione TEMPORIS. Non enim licet in diebus *festis*, vt patet Extra de feriis, nisi in iis rebus, in quibus necessitas aliud videtur postulare. Vnde excusantur pharmacopolæ, & vendentes victualia, etiam ante sacrorum auditionem. Sicut etiam in festis excusantur alij exercentes necessitatis causâ alia opera seruilia. Hîc autem notat Sotus vbi suprà, nunquam accidere peccatum mortale in huiusmodi secluso *scandalo*.

SEXTO & vltimò redditur illicita negociatio ratione MODI; qui latissimè patet. Primò enim quæ vitia solent aliis artibus admisceri, hîc sunt frequentiora; vt blasphemiæ, periuria, &c. quæ tamen vitia non efficiunt negociationem secundùm se esse illicitam. Nam vt rectè ait diuus AVGVSTINVS in Psalmum septuagesimum, circa illud: *Quoniam non cognoui literaturam, &c.* ea vitia *negociantis sunt, non negociationis: negocium non me facit malum, sed iniquitas mea*. Quæ sententia refertur 88. d. Cap. Quoniam.

Deinde peculiariter in MODO negociationis peccari solet ratione *finis*. Si vt antea est dictum, quis vsque adeò inhiat lucro, vt in eo constituat vltimum finem, negligendo eius causa diuina præcepta: quod constat genus esse auaritiæ pessimum, & Reipublicæ nocentissimum. Coaceruare enim tales solent res venales, & afferunt annonæ caritatem, &c.

Ac de huiusmodi iniquis negociationibus intelligendi ferè sunt sancti Patres cùm fenerè negociationes damnant. Vt D. GREGORIVS homil. 24. cùm ait, *esse pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possint*. Et GREGORIVS VII. in Cap. Falsas, de pœnit. distinct. 5. cùm negat, negociatores *posse veram agere pœnitentiam, nisi negocia relinquant*. Item de illicita negociatione intelligitur illud Psalm. 70. *Quoniam non cognoui litteraturam* (vel negociationem, secundùm Septuaginta) *introibo in potentias Domini*.

QVAESTIO VIGESIMAPRIMA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Mutui, atque adeo de Vsura.

D. Thomas 2. 2. quæst. 78.

QVATVOR SVNT EXPLICANDA. PRIMO, AN VIOLETVR PER *Vsuram iustitia Contractus Mutui.* SECVNDO, *An sit Vsura accipere vltra sortem qualecunq; etiam aliud emolumentum præter pecuniam.* TERTIO, *An & quomodo restituendum sit lucrum acquisitum per Vsuram.* QVARTO, *An non modò dare, sed etiam accipere mutuum sub Vsura, sit illicitum.*

PVNCTVM PRIMVM.

An violetur per Vsuram Iustitia contractus Mutui.

D. Thomas art. 1.

PRÆMITTENDVM EST EX Doctrina de æqualitate iustitiæ commutatiuæ suprà quæst. 5. generatim tradita, atq; etiam ex ratione Contractus Mutui illic punct. 2. explicata, Mutui cõtractum tunc iustum esse, cùm mutuans non plus accipit à mutuatario (id est, ab eo, qui mutuò accipit) quàm ei dedit. In hoc enim consistit Iustitiæ æqualitas. Itaq; spectata propria ratione contractus Mutui, necesse est ad eius iustitiam, vt res eiusdem valoris in eadem specie, aut precium æquialens, à mutuante accipiatur, & non amplius.

Hoc posito, vt intelligamus id, quod apud omnes verè orthodoxos est hîc certissimum, scilicet per Vsuram violari hanc Mutui iustitiam, atque adeo Vsuram esse peccatum, duo diligenter declaranda sunt: RATIO Vsuræ, & INIQVITAS eius.

Circa PRIMVM etsi variè loquantur Doctores, vt nominatim videre licet apud Couarruuiam lib. 3. variarum resolutionum, cap. 1. & Sotum lib. 6. de Iustitia, quæst. 1. art. 1. re tamen non differunt. Notandũ igitur est, dupliciter à Theologis, & Iurisperitis, & Philosophis solere accipi vocabulum Vsuræ. VNO modo pro *actione* ipsa, quæ dicitur peccatum Vsuræ. Et sic Vsura ex sententia omnium est *mutuatio, ex vi cuius aliquid vltra sortem precio æstimabile pro vsu pecuniæ mutuatæ exigitur*. Et in idem redit descriptio assignata à sancto AVGVSTINO enarrat. in Psal. 36. vbi ait; *Fœnerari esse mutuam pecuniam tuam dare ei, à quo aliquid plus, quàm dedisti, exspectes accipere*.

Quod potest fieri aut *cum pacto expresso*, vel etiam *implicito*: vt si quis mutuatario dicat: Nosti cõsuetudinem; non habeo aliâs, vnde viuam, &c. Et tunc dicitur Vsura *exterior*: Aut *sine vllo pacto* expresso vel implicito; & tunc dicitur Vsura *interior* seu *mentalis*; quando videlicet quis vult & sperat quidem *ex vi mutui* aliquid vltra sortem, & recipit etiam, si alter det: Sed tamen non explicat vllo modo suam hanc voluntatem.

ALTERO modo potest accipi vocabulum Vsuræ pro *obiecto proprio* ipsius mutuationis vsurariæ. Et sic Vsura nihil aliud est, quàm *lucrum illud*, quod quis vltra sortem *vi mutui* recipit, pro *vsu* scilicet pecuniæ quam mutuò dat. Quod lucrum etiam appellatur *fœnus*, à fœtura scilicet; quia vt ait Philosophus lib. 1. Polit. cap. 7. in fœnore *nummus nummum parit*. Vnde & Græcè nominatur τόκος quasi partus: Et τοκίζειν, est fœnerari.

Atque hoc posteriori modo solet accipi Vsuræ vocabulum, cùm dicitur, *Vsuram esse restituendam*; aut non licere mutuò dare *sub vsura*, &c. Priori autem modo accipitur, cùm dicitur Vsura esse *peccatum*, & cùm diuiditur (vt dictum est) in exteriorem, & mentalem siue interiorem.

Cùm autem vtrouis modo Doctores loquantur de Vsura; ex subiecta materia sermonis facilè discerni poterit, vtro potius modo Vsuræ vocabulum accipiatur, cùm de Vsura quidpiam dicitur. Nobis nunc satis sit exposuisse rationem Vsuræ vtroque modo acceptæ, quod attinet quidem ad rem ipsam, in qua omnes conueniunt.

Ex hoc aliqua consequuntur. PRIMO sequitur, Vsuram non habere locum, nisi in commutatione rerum præcipuo suo vsu consumptibilium. Hæ namq; duntaxat mutuò dantur, vt patere potest ex dictis de contractibus in genere, quæst. 5. punct. 2. & quæst. præced. punct. 1. Mutuum autem secundùm omnes est sedes & fundamentum Vsuræ.

Quod tamen non ita intelligi debet, quasi *ne Physicè quidem loquendo*, iniquitas Vsuræ posit

Universidad de Deusto
Biblioteca

habere locum, nisi in mutuatione rerum vsu cõsumptibilium: posset enim in aliarum etiam rerum commutatione locum vtique habere; Vt si quis v. g. præter iustam compensationem trãslationis pleni dominij domus, quam vendit, peteret vlterius pro vsu eius aliquid aliud. Tunc enim, vt patet ex doctrina D. Thomæ hîc, similiter commutaretur idem *bis*; aut *seorsim* computaretur, quod non potest seorsim computari: in quo consistit ratio iniquitatis Vsuræ, vt postea videbimus. Ac similiter, si quis v. g. præter iustã compensationé translationis pleni dominij vasorum aureorum, quæ cum altero commutaret pro aliis rebus; peteret aliquid pro illo vsu vasorum, qui esset eorum distractio; Vsura esset, vt clarè indicat D. Thomas hîc in solutione sexti: tametsi vasa non sint primo & præcipuo suo vsu consumptibilia.

Quod ergo dicunt Doctores communiter, in rebus duntaxat vsu (præcipuo intellige) consumptibilibus, Vsuram habere locum, eatenus est verum, quatenus *moraliter loquendo*, in mutuo duntaxat istarum rerum Vsura solet accidere. Nam cùm talium rerum mutuum habeat quandam speciem *locationis*, per quam solet pro *vsu* rei (integrè reddendæ) aliquid peti; non adeò facilè cuiuis patet, iniquum esse pro *vsu* rei consumptibilis mutuatæ aliquid petere. Itaque facilius in harum rerum mutuis homines hac fraude circumueniuntur. In commutationibus enim rerum aliarum nimis clara esset iniquitas, si præter iustum precium acceptum, rei, verbi gratia, venditæ, aliquid vltrà peteretur pro vsu ipsius. Quapropter nemo est tam stultus, vt in eiusmodi aliis commutationibus rerum, aut decipiatur, aut velit decipere, dando vel petendo aliquid pro rei *vsu*, vltra iustum rei precium.

Secvndo sequitur, non esse Vsuram, si is, qui mutuauit, petat aliquid vltra sortem, ratione alicuius iusti tituli ex prædictis quæstionibus præcedentibus, puncto secundo, qui vt illic vidimus, locum habent in omnibus Contractibus. Tunc enim non petit quis id ex *vi mutui*, sed ex vi alterius contractus iusti cum contractu mutui concurrentis. Aliud namque est petere vltra sortem aliquid *in mutuò*, aliud *ex vi* mutui, pro *vsu* scilicet rei mutuo datæ. Et in hoc etiam omnes conueniunt.

Tertio sequitur, non esse Vsuram, recipere aliquid ex mutuo, tanquam *ex gratitudine* profectum, vel tanquam *aliunde ex iustitia* debitum. Vt v. g. si mutuem tibi centum, vt mille, quæ mihi aliâs ex iusta venditione debebas, reddas simul cum capitali. Ita tradunt Ioannes Maior in quarto, distinctione decima quinta, quæstione vigesima nona initio, & Sotus libro sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo primo, & Caietanus in Summa, Verbo Vsura, & Nauarrus, cap. 17. num. 209. & alij communiter.

Quod vt perfectè intelligatur, & facilius expediri possint multa alia, quæ ad hanc materiam pertinent, diligenter Advertendvm est, quidnam sit *ex vi* mutui accipere auctarium aliquod vltra sortem; in quo consistit Vsura. Tripliciter namq; potest quis ob mutuũ velle aliquod eiusmodi auctarium. Primo ita, vt mutuum sit tantummodò medium quoddam seu *motiuum* ad alterum mouendum, vt conferat tibi auctarium; nõ verò titulus recipiendi illud. Secvndo modo ita, vt etiam mutuum sit *titulus* auctarium recipiendi, non quasi ex iustitia dandum, sed *ex gratitudine*, ad quam nimirum spectat compensare aliquo dono acceptum mutui beneficium. Tertio modo ita, vt mutuum sit etiam titulus recipiẽdi auctarium, quasi *ex iustitia* debitũ propter *vsum* rei mutuò datæ.

Iam, cùm dicimus, Vsuram esse *ex vi mutui* accipere aliquid vltra sortem, non intelligimus primo, vel secundo modo, sed isto tertio. Hoc enim tertio duntaxat modo violatur æqualitas iustitiæ, petendo duplicem compensationem rei mutuò datæ, vt paulò pòst videbimus. Primo autem, & secundo modo, auctarium aliquod ex mutuo acquirere sine controuersia est licitum. Et ratio est manifesta. Nam cùm recipere aliquod auctarium titulo *gratitudinis*, vel tanquam *ex aliquo alio contractu* (vt v. g. ex venditione) debitum, sit secundùm se licitum, & mutuum etiam secundùm se licitum sit; nihil impedit, quo minus licitè possit quis actionem mutui, tanquam medium quoddam seu motiuum ordinare & referre ad obtinendum aliquod eiusmodi auctarium: Sicut quoduis aliud licitum medium licet ordinare ad hunc licitum finem. Atque ita patet verum esse tertium illud consectarium. Et ex hoc plurimi casus in hac materia diiudicari possunt.

Qvarto hinc sequitur contra Syluestrum, Verbo Vsura 1. numero primo, & Medinam, quæstione prima de rebus per Vsuram acquisitis, non esse Vsuram, si quis in mutuando proponat sibi vt *finem principalem* mutuationis, auctariũ, quod *ex gratitudine alterius* sperat. Nam ex quo talis finis est licitus secundùm se, nihil vetat, mutuum in illum principaliter ordinare; vt bene notârunt Sotus libro sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo secundo, & Nauarrus capite 17. numero 209.

Vnde quod Caietanus hîc rectè animaduertit, non esse vsurarium eum, qui ita spe auctarij grãtuiti mutuat, vt nisi illud speraret, non mutuaret; non solùm est verum, quando tale motiuum, sine quo talis non mutuaret, est minus principale, vt vult Medina; sed etiam quando est principalis finis. Et ratio est eadem. Nam cùm id motiuum per se sit licitum; nihil interest, vtrum sit minus aut magis principale. Sicut enim potest quis liberè & licitè abstinere simpliciter ab actione bonâ non debita, qualis est mutuatio, quando

quando præceptum aliquod de ea affirmatiuum non instat; ita etiam potest licitè ab eadem abstinere, si ad eam non inuitet magis aut minus principaliter (pro libito) hoc aut illud motiuum secundùm se licitum.

Qvinto sequitur, posse bene & malè intelligi, quod Syluester, Verbo Vsura 1. numero primo, & Nauarrus numero illo 209. & alij dicunt, Vsuram esse *principaliter lucrum vltra sortem exspectare*; non verò, *si minùs principaliter* exspectetur. Verum namque id erit, si per lucrum *principaliter* exspectatum intelligant hi auctores lucrum, exspectatum *ex vi* mutui, ob *vsum* rei mutuo datæ, atque adeo titulo Iustitiæ: per lucrum autem *minùs principaliter* exspectatum; intelligant lucrum ex gratitudine vel aliunde debitum. Falsum autem id erit, si (vt Nauarrus quidem sibi contradicens videtur sentire) velint, quandocunque *principaliter* lucrum exspectatur, & quocunque titulo, esse Vsuram: Quandocunque verò *minùs principaliter* quocunque etiam titulo exspectetur, non esse. Falsum est hoc. Nam vt rectè Sotus notauit libro sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo 2. & 4. vt dignoscatur Vsura, non ad principalem aut minus principalem intentionem auctarij est respiciendum, sed ad *titulum*, ex quo auctarium exspectetur. Si enim titulo gratitudinis, aut tanquam aliunde ex iustitia debitum, siue principaliter, siue minùs principaliter exspectetur; nulla erit Vsura, vt antea probauimus. Si autem ex vi mutui titulo iustiæ exspectetur, etiamsi minùs principaliter exspectetur, manifestè erit Vsura.

Probatur autem hoc manifesta ratione. Nam cùm quis voluntate sua fertur in obiectum formale peccati alicuius, siue in id feratur primaria intentione, siue secundaria, reus est illius peccati. Sed propriũ & formale obiectũ peccati Vsuræ est quoduis auctarium vltra sortem tanquam ex iustitia debitum vi mutui. Ergo quicunque siue primaria & principali, siue secundaria, & minùs principali intentione feratur voluntate sua in tale auctarium, verè est reus peccati Vsuræ. Minor patet ex Vsuræ descriptione suprà posita. Maior autem probatur inductiuè in omnibus aliis materiis, cùm quis simul duo peccata committit, alterum primaria intentione, alterum secundaria, vt cùm furatur, vt det eleemosynam, vel vt committat adulterium. Vtrumque namque peccati verè reus est, non obstante secundaria intentione. Et ratio à priori huius est. Nam peccatum essentialiter consistit in actu voluntatis circa obiectum malum; qui actus vt constat, abstrahit à primaria & secundaria intentione seu voluntate.

Quocirca cautè est legendus Nauarrus vbi suprà. Nam postquam meritò Carolum Molinæum reprehendit, quòd negauerit, principalem intentionem lucri *ex vi mutui* sufficere ad Vsuram, reprehendit etiam Sotum, quòd vbi suprà concesserit *minùs etiam principalem* intentionem lucri sufficere ad Vsuram. Itaque cùm Sotus illic loquatur de minus principali intentione *ex vi mutui*, sicut etiam loquebatur Molinæus de principali intentione; videri possit Nauarrus negare, minùs principalem intentionem lucri *ex vi mutui, & quasi ex iustitia*, efficere Vsuram; quòd si sentit, falsissimè sentit. Ac potest videri ita sensisse; cùm expressè ibi dicat, posse sperari minùs principaliter & secundariò lucrum pecuniæ, *ratione mutui*. Quanquam contrarium quoque paulò antè asserere videtur. Lubricè sanè & non satis constanter loquitur, vel certè obscurissimè.

Sexto & postremò sequitur ex vltima illa particula definitionis Vsuræ, videlicet *precio æstimabile*, quale debeat esse illud, quod si vltra sortem petatur, erit Vsura. Oportet enim tale esse, vt soleat & possit cum pecunia commutari. Non enim est opus, vt semper sit pecunia.

Atq; hæc sint nunc satis de natura & ratione Vsuræ. Nam quædam alia, quæ ad illam videntur pertinere, puncto sequenti disputabuntur; Vt an mutuatarius ex præcepto gratitudinis teneatur mutuanti gratiã referre, ita vt aliâs peccet? Item, an mutuans possit illum pacto ad id obligare? An deniq; quicquam sit tale, quod possit ex vi mutui quasi debitum ex iustitia exigi, &c. Nunc satis sit intellexisse, Vsuram esse; *aliquid precio æstimabile, vltra sortẽ, ex vi mutui accipere, quasi ex iustitia debitum*, vt est declaratum. Et hactenus de Primo.

Iniquitas Vsuræ.

Deinde Secvndvm etiam, quod nobis proposuimus, est declarandum, videlicet Iniqvitas *Vsuræ*, accipiendo nimirum hoc vocabulum pro ipsa actione qua exigitur & accipitur aliquid vltra sortem propter *vsum* rei mutuò datæ, & eatenus *ex vi mutui*, tanquam ex Iustitia debitum; iuxta supradicta. Ac inprimis quidem ex fide certum est, Vsuram huiusmodi esse peccatũ. Ita enim est definitum in Clement. vnica de Vsuris, ex Concilio Viennensi sub Clemente V. vbi dicitur puniendos esse tanquam hæreticos, qui id negent. Negârunt id autem Albanenses, teste Antonino 4. parte Theolog. tit. 11. cap. 7. §. 5. & schismatici Græci, vt refert Guido Carm. in Catalogo hæreticorum. Sed falsò & hæreticè id isti negârunt. Sicut etiam impiè & hæreticè Carolus Molinæus in tract. de Commerciis & Vsuris, præsertim initio, & q. 2. & q. 74. contendit, non omnem huiusmodi Vsuram esse peccatum, sed tantum eam quæ sit *excessiua*, hancq; solam in Scripturis damnari. Quod dogma planè hæreticum est, & non nisi imperitissimis argumentis (vt postea videbimus) ab isto auctore propugnatũ in illo suo tractatu, qui & sub ementito nomine Gasparis Caballini, Anno 1576. quasi Venetiis impressus sine vllo typographi nomine in lucẽ editus est, nescio quibus Vsurariis obstetricãtibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaq; aduerſus hos omnes tanquã omnino ex fide certum affirmamus, omnem eiuſmodi Vſurã eſſe peccatum. Nam prohibetur, vt conſentienter tradunt omnes verè docti & Catholici, triplici Iure, Diuino, Naturali, & Humano.

Ac quod Vſura ſit prohibita iure DIVINO, tum veteri, tũ nouo, minimè licet dubitare. Ita enim eſt definitũ in cap. Super eo, & cap. Conſuluit, de Vſuris. Ad quam rem probandam, illuſtria inprimis teſtimonia extant in veteri Teſtamento. Vt Ezechiel. 18. vbi Dominus ſæpiùs ſententiã mortis pronunciat in eum, qui ad Vſuram dederit, & ſuperabundantiam acceperit: *Qui ad Vſuram*, inquit, *non accõmodauerit, & amplius non acceperit, etc. hic iuſtus eſt, vita viuet, ait Dominus.* Et infrà: *Ad Vſuram dantem, & amplius accipientem; nunquid viuet? Non viuet. Cùm vniuerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur.* Et Pſal. 14. *Quis aſcendet in montem Domini, &c. Qui pecuniam ſuam non dedit ad Vſurã.* Quem locũ perpendentes Patres Concilij Nicæni can. 18. ita inquiũt: *Multi Clerici turpia lucra ſectantes, obliti ſunt diuini præcepti, quo dicitur: Qui pecuniam ſuam nõ dedit ad Vſuram.* Ac eodem modo eſt intellectus is locus in Concilio Romano Martini Papæ, & refertur 14. q. 4. cap. Si quis oblitus. Item Prouerb. 28. *Qui coaceruat diuitias Vſuris, & fœnore liberali in pauperes congregat eas, etc. oratio eius erit execrabilis.* Et Pſal. 54. *Non deficit de plateis eius Vſura & dolus.* Et in nouo etiam Teſtamento, Lucæ 6. *Peccatores peccatoribus fœnerantur, &c. Mutuũ date, nihil inde ſperantes.* Quo ipſo teſtimonio (de quo plura poſtea) id probat Vrbanus III. in cap. Cõſuluit. Extra de Vſuris, & Concil. Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 10. non longè ab initio; vbi Summus Pontifex *ſacro approbãte Concilio*, ita dicit: *Dominus noſter, Luca Euangeliſta atteſtante, aperto nos* PRÆCEPTO *obſtrinxit, ne ex dato mutuo quidquam vltra ſortem ſperare debeamus.*

Atq; etiam S. Patres ob huiuſmodi Scripturæ teſtimonia Vſuram paſsim deteſtantur, tanquam iniquitatem omnino prohibitam iure diuino. Vt S. BASILIVS in Pſal. 14. perpendens illud: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad Vſuram, &c. An*, inquit, *ignoras, quòd maior tibi peccatorum exurgat aceruus, quàm ſit acceſſus opum, quem ex Vſuris venaris?*

Et S. Baſilij frater, S. Gregorius NYSSENVS, homil. 4. in Eccleſiaſten: *Fœnus*, inquit, *qui aliud latrocinium & parricidium nominauerit, nõ procul ab eo, quod decet, aberrauerit. Quid enim refert, an clãculum perfoſſis muris, prædonis more aliena habeas, et prætereuntis cæde, te eorum, quæ habeat dominum, conſtituas; an fœnoris neceſsitate acquiras ea, quæ ad te non pertinent?*

Et pulchrè inferiùs, oſtendens huius criminis mõſtroſitatem: *Animatis*, inquit, *dixit Deus: Geſcite & multiplicamini: auri autem fœtus, nempe fœnus, ex quonam conſiſtit matrimonio? ex quanam perficitur conceptione? Cæterùm ex Propheta didici, quænam ſit huius fœtus conceptio.* Pſal. 7. *Ecce parturit iniuſtitiã, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Hic eſt ille partus, quem parturit quidem auaritia, parit autem iniquitas, & obſtetricatur inhumanitas.*

Et S. AVGVSTINVS enarratione in Pſalm. 36. *Nolo*, inquit, *ſitis fœneratores, & ideo nolo, quia Deus non vult, &c. Vnde apparet, Deum hoc nolle? Dictum eſt alio loco: Qui pecuniam ſuam non dedit ad Vſuram.* Pſalm. 14. *Et quam deteſtabile ſit, & quàm odioſum, quàm execrandum, puto quia & ipſi fœneratores nouerunt.*

Et S. HIERONYMVS in Pſalm. 54. circa illud: *Non deficit de plateis eius Vſura & dolus. Omnia*, inquit, *quæ in lege prohibita ſunt, ad augendi peccati cumulum excreuerunt. In lege enim Vſuræ accipi prohibentur. Vſura eſt plus accipere, quàm dare.* Vnde Propheta dicit Ierem. 16. *Non fœneraui, neq; fœnerabit mihi quiſquam.* Similiter ſcribunt alij.

Quòd autem Vſura non modò iure Diuino in veteri & nouo Teſtamento, ſed etiam iure NATVRALI tanquam iuſtitiæ contraria, prohibita ſit, id PRIMO demonſtratur à D. Thoma hic, & communiter ab aliis Doctoribus, optima quadam ratione ex ipſo lumine naturali ducta, quã ego redigo in hanc formam: Commutare eandem rem bis (hoc eſt, petere duplicem eiuſdem rei compenſationem) atq; adeo ſeorſim in commutatione computare id, quod non poteſt ſeorſim computari; eſt ſecundùm ſe iniuſtum. Sed hoc facit vſurarius, hoc ipſo, quòd pro *vſu* pecuniæ mutuatæ aliquid (quantulumcumque illud ſit,) vltra ſortem petit, id eſt, vltra æqualem ſummam pecuniæ quam mutuò dedit. Ergo facit ſecundùm ſe iniuſtè.

Maior eſt clara. Nam tollit id *manifeſtè iuſtitiæ* æqualitatem, cùm tunc plus accipiatur, quàm ſit datum. Minor autem probatur. Nam qui trãſlato *plenè* pecuniæ *dominio* in alterum, præter iuſtam compenſationem eius pecuniæ petit aliquid pro pecuniæ *vſu*; bis idem commutat, & ſeorſim computat quod nõ debet ſeorſim computari: Cùm enim *dominium* rei eatenus valeat aliquid, quatenus valet & vtilis eſt rei *vſus* (ſiquidem dominiũ definitur eſſe facultas *vendere, etc.* vt vidimus quæſt. 10. punct. 1.) eo ipſo quòd pecuniæ dominium per æqualem pecuniæ ſummam iuſtè compenſatur; compenſatur etiam pecuniæ vſus: Ac proinde bis pro vſu pecuniæ compenſationem petit is, qui translato dominio pecuniæ, & receepturus proinde poſtea æqualem ſummam, petit præterea compenſationem peculiarem pro pecuniæ *vſu*. Hoc autem ipſum facit Vſurarius. Nam non poteſt vſurarius dicere, ſe non transferre dominium pecuniæ in eum cui mutuat, ſed tantùm ei locare pecuniæ vſum, retento apud ſe illius dominio. Hoc enim vaniſſimum figmentum eſt, vt ſuprà q. 10. punct. 1. manifeſtiſsimè demõſtrauimus, cùm ageremus de Dominio rerum *vſu conſumptibilium*. Nam concedit Vſurarius ei, cui pecuniam mutuò dat, plenißimam facultatem, vt ea pecunia, pro arbitrio vtatur, omnino *independenter* ab ipſius vſurarij voluntate, atq; adeo, vt eam etiam diſtrahat; in qua facultate conſiſtit eſſentialiter ipſum rei dominium, vt ſuprà loco citato vidimus. Itaq; eo ipſo plenum pecuniæ dominium concedit Vſurarius ei cui mutuat; neq; illud apud ſe retinet, cùm nõ retineat ipſe facultatem vllam vtendi illa pecunia, ſed omnem eam facultatem in alterum trãſferat. Quod cùm ita ſit; præter iuſtam compenſationem translationis plenæ dominij pecuniæ, id eſt, præter æqualem ſummam reddendam à mutuatario, expetit vſurarius aliquã aliam compenſationem pro vſu eiuſdem pecuniæ, qui ſuffi-cienter aliàs vnà cum dominio pecuniæ compẽſandus eſt per æqualem ſummam capitalem. Et ſic duplicem compenſationem pro *eodem* petit; nimirum pro vſu pecuniæ. Et hæc fuit noſtri Syllogiſmi Minor. Sequitur ergo Concluſio.

Ac ſanè iſto modo propoſita & explicata hæc ratio, firmiſsima eſt, nec poteſt vllo modo labefactari. Nam quòd Molinæus in dicto tract. de Vſuris, quæſt. 74. reſpondet, lucrum vltra ſortem non percipi ab Vſurario pro ipſa ſorte ſeu capitali mutuato, ſed pro vſu eius; atque adeo non pro vno & eodem, ſed pro alio & alio, ipſum percipere duplicem compenſationem; ſcilicet æqualem ſummam pro ſumma mutuata, & lucrum pro vſu eius ſummæ: hoc, inquam, ex noſtra ratione apparet non niſi imperitè & pueriliter dici. Quamuis enim Vſurarius non *eo quidem modo* duplicem compenſationem pro eodem percipit, ſcilicet percipiendo *pro ſumma mutuata* ſummam æqualem, & præterea lucrum; tamen *alio quodam modo* duplicem pro *eodem* compenſationem percipit, ſcilicet percipiendo ſemel compenſationem pro *vſu* pecuniæ mutuatę, hoc ipſo quod accipit æqualem ſummam per quãm cõpenſatur tota translatio dominij Summæ mutuatæ, atque adeo etiam omnis vſus eius (vt ratione noſtra conuicimus) & rurſus percipiendo ſeorſim lucrum pro compenſatione *eiuſdem vſus* pecuniæ, iam alioqui vna cum tota ſumma per æqualem ſummam compenſati, ſicut demonſtrauimus: quandoquidem ſicut valor ſummæ pecuniæ mutuatæ æſtimatur ex omni eius vſu, ita etiam quod compenſat æquali-ter eam ſummam, compenſat hoc ipſo omnem eius vſum. Atque in hoc vno (quod eſt certè clariſsimum) conſiſtit irrefragabiliter vis prædictæ rationis noſtræ oſtendentis ex ipſa rei natura, omnem Vſuram eſſe iniquam. Qua ratione, tanquam fundamento, conſtituta, rectè quoque aliis rationibus probari ſolet Vſuram eſſe contra ius naturæ.

SECVNDO namque probatur idem ſic: Nam ex natura rei eſt iniquum, vt accipiam à te aliquid pro eo, quod non eſt amplius meum, ſed planè tuum; vtpote aliunde mihi à te compenſatum vel compenſandum. At vſus pecuniæ, quam tibi mutuaui, non eſt amplius aliquid meum, ſed planè tuum; cum per mutuum transferatur *dominium* rei (atque adeo cuiuſcumque vſus eius) quod per æqualem ſummam alioqui eſt compenſandum. Ergo ex natura rei eſt iniquum, vt præter æqualem ſummã quam mihi pro tranſlato in te pecuniæ dominio daturus es, accipiam à te aliquid pro pecuniæ vſu, qui iam nimirum erat aliquid *tuum*. Maior ex ſe certè eſt euidentiſsima. Minor quoque in priori ratione euidenter à nobis probata eſt ex ipſa definitione eſſentiali dominij. Vnde & mutuum dicitur, quia per illud fiat de *meo tuum*, atque adeo transferatur dominium.

Sed ad hanc quoque euidentiſsimam rationem, qua (quod ad rem quidem attinet) eſt vſus Scotus in quarto, diſtinctione decima quinta, quæſtione ſecunda, conatur Molinæus, vbi ſuprà, reſpondere. Etſi enim Minorem non negat, ſcilicet transferri dominium per Mutuum; negat tamen imperitè & pueriliter Maiorem. Ait enim, poſſe me etiam accipere pro eo, quod non eſt meum, ſed alterius; ſi illud mihi *debeatur*. Et ſic Vſurarium accipere aliquid vltra ſortem pro vſu pecuniæ: nam licet hic vſus iam ſit alterius, tamen Vſurario ipſi debetur, qui ſcilicet eius vſus poteſtatem alteri fecit.

AT manifeſtè hic etiam hallucinatur Molinæus. Nam loquimur in Maiore illius ſecundæ rationis de eo, quòd ita planè eſt alterius, vt mihi non debeatur, neque *in ſe* tanquam meum, neque *in alio aliquo* peculiari, per quod id mihi *ſecũdum ſe* ſit compẽſandum, cùm iam aliter id compenſatum vel compenſandum ſit. Quod autem iſto modo eſt alterius, nullo modo mihi debetur. Et hoc modo vſus pecuniæ eſt eius, cui Vſurarius illam mutuauit: Siquidem, vt probatum eſt in prima ratione, *aliunde* eſt compenſandus; per æqualem ſcilicet Summam. Itaque firmiſsima quoque eſt illa ſecunda ratio, ſuppoſita prima.

TERTIO probatur idem ſic: Ex natura rei eſt iniquum petere ab altero fructum alicuius rei ea ratione conſideratæ, qua *tibi quidem* eſt infructifera & ſterilis. Sed hoc prorſus facit Vſurarius petendo ab altero vltra ſortem lucrum, tanquam fructum ſeu quaſi fructum & effectum *vſus* pecuniæ, quam ei mutuo dedit. Ergo ex natura rei facit iniquè. Maior probatione non eget. Minor autem probatur. Nam quamuis pecunia, vt *expoſita quidem* à ſuo domino negotiationi ſiue cuicumque vſui lucroſo, ſit ipſi quidem ſuo domino fructifera (vt patebit infrà quæſtione 24. cum agemus de Contractu Societatis) tamen ſic conſiderata non eſt fructuoſa *vlli alteri* qui non ſit eius dominus, atque adeo neque Vſurario, qui (vt in prima ratione oſtenſum eſt) dominio pecuniæ quam mutuo dedit, omnino ſe abdicauit, & in eum cui dedit, tranſtulit. Iniquiſsimè igitur ab illo petit vltra æqualem pecuniæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuniæ ſummam, lucrum aliquod tanquam fructum vſus pecuniæ, vt ab illo altero expoſitæ negociationi, ſiue actioni cuicunque lucroſæ: nam ſic conſiderata ea pecunia ſoli ſuo domino fructuoſa eſt, non vlli alteri.

Ad hanc rationem ita formatam & propoſitam, omnino nihil reſponderi poteſt. Nam quod Molinæus vbi ſuprà ait, pecuniam quoque adhibita humana opera eſſe rem fructuoſam; ſicut ager v. g. qui & ipſe ſine humana opera fructum non reddit: iam oſtendimus, nihil hoc ſuffragari Vſurario, ſed ex hoc ipſo vel maximè Vſurariam iniquitatem redargui. Pecunia etenim, vt per humanam operam fructuoſa fit, ſoli ſuo Domino fructificat, non autem vlli alteri, atque adeo neque Vſurario, qui ſe per mutuum dominio illius penitus abdicauit.

QVARTO poteſt etiam (reſumendo ferè has rationes) hæc ipſa iniquitas Vſuræ coargui, diſcutiendo & refutando ſigillatim cauſas, ob quas pòſſet dicere Vſurarius, ſe vltra ſortem exigere auctarium, etiamſi ei non ſuppetat *peculiaris* aliquis titulus eorum, ob quos in quæſt. præcedēti, puncto ſecundo diſſeruimus, poſſe aliquid iuſtè accipi, vel enim PRIMO auctarium id exigit propter *ſummam mutuatam*. Et hoc manifeſtè eſt iniquum: cùm hæc per æqualem ſummam à mutuatario reddendam iuſtè compenſetur. Vnde neque hac Vſuræ defenſione putauit vtendum vbi ſuprà Molinæus, vt vidimus in diſcuſſione rationis primæ.

Vel SECVNDO id petit *pro vſu* eiuſdem ſummæ, vt fieri poſſe contendit Molinæus. Et hoc etiam manifeſtè iam oſtendimus eſſe iniquum. Nam hoc ipſo, quòd per æqualem ſummā compenſatur translatio dominij pecuniæ capitalis, compenſatur etiam vſus ipſius; vt prima ratione ſatis declarauimus.

Vel TERTIO id Vſurarius petit propter aliquem *vſum fructum* pecuniæ. Et hoc etiam oſtendimus ratione tertia eſſe iniquum, cùm pecunia nullo modo fructificet niſi ſuo domino; Vſurarius autem eius à ſe dominium tranſtulerit in eum cui mutuat.

Vel QVARTO id petit propter *vtilitatem*, quam circa res ſuas percipit Mutuatarius ex vſu pecuniæ, quam mutuo accipit; quia ſcilicet res ſuas ita conſeruat vel promouet, &c. Vt vult quoque Molinæus. At hoc etiam eſt iniquum. Nam duplex eſſe poteſt vtilitas conſequens ex vſu pecuniæ. Vna *communis*, qualis *per ſe* & indifferenter ſolet æquè vno tempore atque alio eſſe coniuncta cum pecunia. Et hæc per æqualem pecuniæ ſummam ſufficienter compenſatur, cùm & pecuniæ, quæ poſtea redditur, ſit ſimiliter annexa eiuſmodi vtilitas communis. Altera eſt vtilitas *peculiaris*, quam fortè mutuatarius percipit ex præſenti pecunia, præter totum ipſius pecuniæ valorem. Et pro hac etiam aliquid vltra ſortem petere eſt iniquum. Nam ea vtilitas non eſt beneficium collatum mutuatario à mutuante *ex vi mutuationis per ſe*, ſed accidit mutuatario ex propria ipſius *cõditione*, vel opera, vel opportunitate, &c. Si enim *per ſe* eiuſmodi aliqua vtilitas eſſet cõiuncta cum pecunia mutuata, atque adeo cauſa eius vtilitatis per ſe eſſet *mutuans*; ſemper ea vtilitas talem Summam pecuniæ comitaretur: quod conſtat eſſe falſum. Non igitur poteſt Vſurarius pro tali *aliqua* vtilitate mutuatarij quicquam petere: ſicut neque venditor poteſt vtilitatem emptoris vendere, vt 9. 77. art. 1. optimè docuit D. Thomas.

Vel QVINTO id auctarium Vſurarius petit propterea, quòd ſe ipſe interea *priuet vtilitate*, cārendo pecunia, vt vult quoque Molinæus vbi ſuprà: Siquidem poſſent opportunitates interim incidere negociandi, & faciendi lucrum, aut vitandi damnum. At neque hoc ad Vſuræ quidem excuſationem valet. Nam ſi illæ commodorum opportunitates erant *proximæ*, inſtante nimirum aliqua occaſione, ex qua Vſurarius ſperabat aliquod eiuſmodi commodum; non iam erit Vſura, ob id petere aliquod auctarium vltra ſortem; ſiquidem tunc ſuppetet iuſtus aliquis titulus *lucri* vel *damni*, propter quem non negamus, quin poſſit quis auctarium petere, vt patet ex dictis quæſt. præcedenti, puncto ſecundo. Neque enim nunc in hoc caſu diſputamus. Vel ſolùm etant *remotæ* opportunitates illæ commodorum, quales ſemper comitantur pecuniã: & eæ ſufficienter compenſantur per æqualem ſummam alio tempore reddendam à mutuatario, vtpote quam etiam eiuſmodi opportunitates adeo comitantur, vt nihil in eo genere poſsit dici de pecunia vno tẽpore, præcisè quidem vt tempus tale eſt, puta præſens, &c. (ſecluſo alio peculiari intereſſe ſeu titulo) quod idem non poſsit dici de æquali pecunia in tempore alio. Sicut etiam patet ex iis, quæ tradidimus quæſtione præcedenti, punct. 2. concluſione 1.

Vel SEXTO id auctarium Vſurarius petit propter expectationem *temporis*; ſicut etiam vbi ſuprà vult Molinæus. Et neque is titulus eſt conſentaneus rectæ rationi. Nam, ſi id auctarium Vſurarius petat propter ipſum tempus *formaliter*, quo mutuatarius retinet pecuniam; manifeſtè eſt iniquus; quia vendit tempus, quod cùm ſit omnibus commune, non eſt vendibile. Si autem propterea id auctarium petit, quòd priuat ſe *vtilitate*, eo tempore carens pecunia, atq; adeo propter expectationem temporis *materialiter*; hoc iam eſt expoſitum in refutatione cauſæ præcedentis.

Vel SEPTIMO id auctarium Vſurarius petit propterea, quòd moleſtum & incommodum ſit, non poſſe longiori tempore diuiſiuè, ſcilicet hodie *vel* cras vti ſua pecunia, quemadmodum poſſet, ſi hodie & cras retineret. Et neque is titulus eſt rationabilis, aut ſufficiens ad excuſandam Vſuram; vt patet tum ex iam dictis in refutatione quintæ cauſæ; tum etiam ex dictis quæſt. præced. puncto ſecundo, concluſione prima; tum denique ex eo, quòd ſiue quis longiorī, ſiue breuiori tempore poſsit vti pecunia, tamen non idcirco pecunia plus aut minus valet, quàm valet vnicus ipſius vſus præcipuus (ſcilicet eius diſtractio) qui ſimiliter & æquè vtiliter poteſt accidere, moraliter loquendo breui temporis ſpacio, atque longo.

Adde, quòd ſi propter iſtam potentiam diuturniorem vtendi hodie vel cras pecunia, ea plus valeret; ſequeretur, plus valere pecuniam iuuenis, quàm ſenis: Item, plus valere pecuniam, quæ recens cuditur, & ideo poteſt eſſe diuturnior, quàm iam attrita; & alia plura eiuſmodi abſurda ſequerentur.

Cùm igitur pecunia eatenus valeat, quatenus valet vnicus ipſius vſus præcipuus (ſcilicet eius diſtractio) qui moraliter loquendo quocunq; tempore poteſt æquè vtiliter accidere, quantum eſt ex parte pecuniæ & temporis formaliter; immeritò & irrationabiliter reputabit pro incommodo Vſurarius, quòd priuet ſe potentia vtendi pecunia determinatè hoc aut illo tempore; ſiquidem ea potentia (ſecluſo peculiari alio titulo, qui hoc vel illo tempore poſſet incidere, vt diximus in refutatione quintæ cauſæ) apud iuſtos quidem & intelligentes homines non affert peculiarem valorem pecuniæ; ac proinde immeritò etiam petet compẽſationem eius ficti incommodi. Sicut etiam immeritò peteret compenſationem aliquam, propterea quòd ſe priuat voluptate, quam præ auaritia, & nimio pecuniæ amore fortè capiebat ex cõtrectatione pecuniæ præſentis. Eſt enim compenſatio iuſtitiæ non ex priuata cuiuſque cupiditate æſtimanda, ſed ad rectam rationem exigenda.

Vel OCTAVO id auctarium Vſurarius petit propter beneuolẽtiæ affectum, quo vult mutuatario ſubuenire pecunia mutuata: ita, vt æqualis ſumma ſit compenſatio ſummæ mutuatæ, auctarium verò cenſeatur compenſatio eius affectus beneuoli. Sed neque hoc eſt rectæ rationi conſonum. Nam vbi agitur de compenſatione iuſtitiæ, ſicut in propoſito; eatenus duntaxat affectus beneficus cõpenſandus eſt, quatenus affert *vi ſua per ſe* realem aliquam vtilitatem alteri, vel etiam quatenus eidem ipſi, qui alteri quidpiam dat, affert aliquod damnum, quod velit is ſubire gratia alterius. Nam vt omnes veriſsimè tradunt, iuſtitia per ſe ſolùm reſpicit æqualitatem rei ad rem, non verò affectum, vt Gratitudo & aliæ virtutes. Itaque cùm antea ſit oſtenſum, reipſa mutuationem ſummæ v. g. centenariæ non afferre per ſe mutuatario, niſi vtilitatem centenariæ Summæ; ſatis ex iuſtitia is faciet, ſi centum reddat pro centum; atque adeo, ſi ipſe quoque viciſsim efficaci ea voluntate & affectu reddendi centum, compenſet mutuantis affectum, quo is centum itidem antea cõtulit. Vtrum autem pro illo mutuantis affectu peculiariter debeat mutuatarius ex gratitudine referre gratiam, & quomodo; diſputabitur punct. ſeq.

Vel NONO id auctarium Vſurarius petit propter *periculum*, cui capitale exponit. Sed neq; hoc Vſuram excuſat. Nam ſi periculum eſt peculiare & veriſimile; iam ſuprà quæſt. præced. puncto ſecundo conceſsimus, poſſe ſine vitio Vſuræ, peti compenſationem talis periculi. Si autem periculum eſt tantùm Phyſicum & commune; quale in omni mutuo ab auaro & nimis timido, ſeu cogitari, ſeu fingi poteſt; id periculum non eſt precio æſtimabile, ſecundùm rectam rationem: neque ſolent iuſti & intelligentes homines de eo paciſci. Huiuſmodi enim communibus & Phyſicis periculis cùm non poſsit vlla ratione certò & moraliter à contrahentibus prouideri (quamuis eorum poſsibilitas ex Philoſophia pateat) non debent in pactum deduci; ſiquidem non poſſunt cenſeri contrahentes per ſe & moraliter eſſe eiuſmodi periculorum cauſa. Alioqui, cùm res humanæ innumerabilibus eiuſmodi caſibus pateant; ſi eorum in contractibus ratio habenda eſſet, vix vnquam tranſigi poſſet contractus aliquis, etiamſi res præſentes ſtatim commutarentur.

Ergo, cùm nulla ex cauſis allatis, neque alia omnino, quæ excogitari poſsit, ſuppeditet ius Vſurario (ſecluſis iuſtis titulis, de quibus dictum eſt quæſt. præced. puncto ſecundo) aliquid vltra ſortem accipiendi pro *mutuo*: perſpicuum eſt, Vſurarium, ſi id faciat, æqualitatem Iuſtitiæ violare, petendo pro pecuniæ *vſu* duplicem compenſationem, & illum ſeorſim iniquè computando, vt ſapienter docet D. Thomas hîc, & nos ante clarè demonſtrauimus in prima ratione.

Quare ſi qui Vſuram contra ius NATVRÆ non eſſe putant, vt fertur Armacanus putauiſſe, & ſenſit etiam cõtra omnes Doctores impudenter æquè ac imperitè, hallucinãs Molinæus vbi ſuprà, ij ſanè vehementer errant, & Iuſtitiæ cõmutatiuę vim ignorant. Quæ res confirmari etiam poteſt auctoritate tum aliorũ Philoſophorum, tum Ariſtotelis, qui ſola naturalis rationis luce ductus, veriſsimè iudicauit, Vſuram cõtra naturam eſſe, 1. Polit. cap. 6. & 7. & 4. Ethic. cap. 1. Atq; etiam Catonis, qui vt eſt apud Ciceronẽ lib. 2. de Officiis. fœnerari aiebat eſſe *hominẽ occidere*. Nec diſſimiliter D. AVGVSTINVS epiſt. 54. ad Macedonium, & refertur 14. quæſt. 4. cap. Quid dicam: *Quid dicam*, inquit, *de Vſuris, quas etiam ipſæ Leges & Iudices reddi iubent? An crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid vel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore?* Cũ quibus Catonis & Auguſtini ſententiis illud etiam Auſonij Eidyl. 15. conſonat:

Turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes Vſura trucidat.

Ac demonſtrant (vt ſuprà indicauimus) hæc argumenta à ratione naturali ducta non modò illicitam & contra ius naturæ eſſe Vſuram eam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua vltra sortem exigatur auctarium magnum cum magno proximi damno, sed etiam Vsuram omnem, qua quidpiam omnino precio æstimabile, siue magnum, siue paruum, exigatur vltra sortem ex vi mutui, pro *vsu* mutuatæ pecuniæ. Omnis enim eiusmodi Vsura est contra iustitiam, vt est demonstratum: & consequenter etiam contra charitatem in proximum. Id quod impiè iuxta atque iniquè negauit vbi suprà Molinæus, & etiam non ita pridem Schmidelinus Sectarius, qui & Ratisbona quosdam Prædicantes expelli curauit, quòd omnem omnino Vsuram (quamuis & ipsi Sectarij Lutherani) illicitam & contra charitatem esse censerent.

Est etiam iure HVMANO (vt diximus) prohibita Vsura, in multis Decretis toto titulo de Vsuris, & 14. quæstione quarta, & 47. dist. per multa capita. Et quidem sub grauibus pœnis, de quibus vide Syluestrum, Verbo Vsura 1. §. 9. & Sotum libro sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo primo ad finem. Item iure Ciuili Vsuram prohibitam esse implicitè, videtur Nauarro, capite 17. num. 208. saltem à tempore Iustiniani Imperatoris. Credo, quoniam is in Authent. de Eccles. tit. in princ. iussit seruari decreta Concilij Nicæni, in quo Vsuræ prohibitæ fuerunt, can. 18. & refertur in cap. Quoniam. 47. dist. Atq; etiam in l. Cunctos populos. Cod. de Summa Trinit. & fide Cathol. iussit omnes sibi subiectos sequi fidem Ecclesiæ Romanæ, & ei obedientiam præstare, cuius auctoritate constat in prædictis decretis Vsuram prohibitam esse. Nam & hoc ipso argumento Glossa in cap. Quid dicã. 14. quæst. 4. colligit, iure etiam Ciuili prohibitas esse Vsuras. In quam sententiam putat aptari posse, quod sanctus Augustinus paulò antè à nobis citatus, in epist. 54. ad Macedonium ait, ipsas Leges & Iudices iubere *reddi Vsuras*; nimirum, si verbum *reddi* in eo loco Augustini, significet idem, quod *restitui*. Quamuis, vt eadem Glossa ait, videatur potius Augustinus accepisse ibi Verbum reddendi pro verbo *dandi*, & insimulare voluisse Leges aliquas & Iudices, qui actionem olim solerent concedere petentibus Vsuras, vt paulò pòst videbimus.

Refutatio argumentorum pro Vsura.

NVNC, vt magis confirmetur hæc doctrina, qua ponimus, Vsuram iure diuino, naturali, & humano esse prohibitam, diluenda sunt quædam argumenta, quæ cõtrà occurrunt partim ex *Scriptura*; partim ex iure *Canonico*; partim ex iure *Ciuili*; partim ex *ratione*; ex qua etiam nonnulla ducit imperitè Molinæus, quamuis illa ferè iam suprà sint à nobis refutata. PRIMVM argumentum duci potest ex illo Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno.* Vbi cùm fiat Iudæis facultas fœnerandi Gentibus, indicari videtur, præceptum prohibens Vsuram non esse diuinum naturale seu morale, sed duntaxat cæremoniale, ad Iudæos inter se tantùm pertinens; & consequenter abolitum esse per legem nouam, vt cætera præcepta eius generis.

Ad hoc variè Doctores respondent, quamuis omnes sufficienter, quod attinet quidem ad hoc propositum. Qui enim putant, Iudæis non solùm fuisse impunè permissum, accipere à Gentibus aliquid vltra sortem, sed etiam id eis fuisse concessum vt licitum (Deo, qui est Dominus vniuersorum, ad id concedente illis ius, sicut concessit, vt acciperent vasa Aegyptiorum, cùm exirent ex Aegypto) facilè respondent, Iudæos fœnerando Gentibus non exegisse Vsuram propriè & formaliter, quæ scilicet sit iniustitia; sed tantùm impropriè & materialiter, prout quodlibet auctarium vltra sortem (quantumuis iustum) potest impropriè & per similitudinẽ quandam dici Vsura. Itaque nihil obstare illam concessionem, quò minùs Vsura formaliter, de qua hîc loquimur, fuerit etiam prohibita Iudæis diuino præcepto morali. Atque hanc sententiam & solutionem probat potius Conradus quæstione 24. de Contract. & Medina quæstione secunda de Vsura.

Qui verò sentiunt cum D. Thoma hîc, quòd impunè tantùm fuerit id Iudæis permissum; facilius adhuc ad illud testimonium respondent. Siquidem etiam Iudæi Gentibus fœnerando peccauerunt in ea re contra naturale præceptum, quamuis impunè. Ita respondẽt Alexander Halensis 3. part. quæst. 36. memb. 4. & D. Thomas hîc in solutione secundi, & Sotus libro sexto de Iustit. quæstione prima, articulo primo, qui rectè ostendit, hanc esse probabiliorem opinionem. Et videtur posse colligi ex eo, quòd Dauid Psalm. 71. inter alia beneficia, quibus Messias debuit impertiri Iudæos, illud etiam commemorat: *Ex Vsuris & iniquitate redimet animas eorum.* Quod non videtur solùm referendum ad eas Vsuras, quas cum Iudæis exercebant, quippe cùm illæ vel nullæ vel paucæ admodum essent (obstante expressa Dei prohibitione) sed etiam ad eas, quas impunè & crebrò exercebant cum Gentibus.

SECVNDVM argumentum potest peti ex eo, quòd Dominus Lucæ 6. non præceptum obligans sub peccato aliquo contra ius diuinum aut naturale, sed consilium tantummodò dedisse videtur illis verbis: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Vt scilicet nec mutuum det quis propter auctarium aliquod, ex gratitudine à mutuatario obtinendum, quod alioqui est licitum, vt suprà vidimus. Nam & ibi Dominus alia consilia dedit. Qualia illa fuerunt: *Qui te percutit in maxillam, præbe & alteram.* Et; *Abeo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni auferenti te tribue, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Atque id ipsum videtur colligi ex illis Domini verbis, quæ illud: *Mutuum date, &c.* antecedunt: *Si*, inquit, *benefeceritis iis, qui vobis bene faciunt; quæ vobis est gratia? nonne & peccatores hoc faciunt?*

Item videtur idem colligi ex illis Domini verbis cõsequentibus: *Et erit merces vestra multa: & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.*

RESPONDEO primò, posse illa Domini verba (Mutuum date, nihil inde sperantes) intelligi simul & de *consilio* non sperandi ex mutuo auctarium gratuitum, & de *præcepto etiam* non sperandi ex mutuo auctarium tanquam ex Iustitia debitum. Vidimus enim tomo 1. disput. 1. quæstione prima, punct. 5. posse & solere interdum esse plures sensus literales eiusdem loci Scripturæ. Sicut etiam illud, quod ibidem Dominus ait: *Diligite inimicos vestros, &c.* potest simul intelligi & de præcepto, tempore necessitatis; & de consilio, extra id etiam tempus: iuxta ea, quæ de dilectione inimicorum tradidimus disput. 3. quæst. 3. punct. 2.

Secundò dico, quicquid sit de consilio, negari tamen nõ posse, quin in illis Domini verbis contineatur prædictum præceptum, id quod perpetram negauit Molinæus in tractatu de Contractib. quæst. 74. & Sotus libro sexto de Iust. quæstione prima, artic. 1. quos meritò in hoc refellit ex communi sententia Couarruuias (etsi nomine illorum tacito) lib. 3. variar. resolut. cap. 1. num. 5. & nominatim etiam Nauarrus in Manuali, cap. 17. num. 207.

Id autem probo *primò*. Nam ibi præmittit Dominus illud generale, & maximè naturale præceptum; *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Ex quo deinde inter alia præcepta, colligit, nihil ex mutuo esse sperãdum. Sicut & esse inimicos diligendos, & oportere esse *misericordes*, & non esse temerè *iudicandum, &c.* Quæ maximè sunt præcepta.

Secundò. Nam perpendens eum locum Vrbanus III. in cap. Consuluit. Extra de Vsuris, ita inquit: *In contractibus vsurariis, quid agendum sit, manifestè declaratur Lucæ 6. cùm dicitur: Mutuum date, nihil inde sperantes.* Quod idem disertis verbis affirmauit Leo X. in Concilio Lateranẽsi sess. 10. Propter quod Vrbani testimonium rectè affirmant Couarruuias & Nauarrus vbi suprà, & Medina quæst. 2. de Vsura. ab Ecclesia Catholica definitum esse, in illis Domini verbis prohibitam esse Vsuram.

Tertiò, quia nisi ibidem etiam præceptum intelligatur, minùs verè & propriè dictũ esset ab Alexandro III. in Concilio Lateranẽsi, quod refertur cap. Quia. Extra de Vsuris, Vsuram vtriusque Testamenti pagina esse prohibitam. Et quod ab eodem etiam dicitur in cap. Super eo, eodem titulo, Vsuram vtrumque Testamentum detestari. Nullus enim ferè est alius locus de Vsura in nouo Testamento. Quod autem dicit Sotus vbi suprà, catenus vtriusq; Testamenti pagina prohiberi Vsuram, quatenus illo præcepto vetatur: *Non furtum facies*, quod est vtriq; Testamento commune, non est satis. Volunt enim supradicti Pontifices, peculiari loco noui Testamẽti eam esse prohibitam.

Quartò, nam §. Patres communiter intellexerunt verbis illis Domini Vsuram prohiberi, quorum proinde sententias ad illustrandũ illum Lucæ locum accommodat D. Thomas in Cathena Euangelica. Vt Basilij in Psal. 14. & Gregorij Nysseni homil. 4. in Ecclesiast. Atque etiam de fœnore interpretatur locum illum Beda in Commentario ad cap. 6. Lucæ, & alij expositores.

Quocirca immeritò Sotus lib. 6. de Iustitia, q. 1. art. 1. putat, hoc loco præceptum etiam prohibẽs Vsuram non contineri, sed tantùm intelligẽdum ibi esse consilium vetans à mutuatario expectare gratuitã remunerationem. Nec rectè respondet ad Vrbanum III. antea citatum. Dicit autem primò, non illico esse sensum alicuius loci Scripturę eum, iuxta quem Pontifex locum citat. Secundò dicit, per locum à *maiori* illo Domini testimonio Vsuram prohiberi. Nam si remuneratio gratuita, quæ alioqui est licita, ex mutuo non est speranda, vt consulit Christus; multò minus expetendum est auctarium *ex vi mutui*.

Sed tamen verba Vrbani citata indicant, neutram responsionem sufficientem esse. Non enim Vrbanus solùm citat locum, sed ait, in illo manifestè prohibitionem Vsuræ cõtineri. Sicut etiam Leo X. vbi suprà asseuerat *aperto* Domini præcepto Vsuram ibi prohiberi. Quare rectiùs multò Medina, q. 2. de Vsura: cum rationes quasdam attulisset, quibus satis apparenter videtur probari, hunc locum intelligendum esse de consilio: *quicquid sit*, inquit, *de apparentia rationum, captiuandus est intellectus, & humiliter declarationi Ecclesiæ subiiciendus.* Quanquam mihi quidem non videtur magna ratio hîc esse intellectum captiuandi. Etsi enim demus Soto & Medinæ, illum locum intelligendum esse de consilio, vt textus videtur indicare; possumus nihilominus facilè intelligere, illic etiam præceptum prohibens Vsuram contineri, vt Ecclesia declarat. Habet enim sæpe idem locus Scripturæ plures sensus etiam literales, vt ante dictum est.

Neque obstat, quòd illo loco plura alia consilia dantur. Nam primùm etiam ibi dedit Dominus non pauca præcepta, vt ante diximus. Deinde meritò tum consilio, tum præcepto etiam (vt ante dictum est) ibi admonuit, quid in mutuo vitandum esset; vt actio mutuandi vndequaque fructuosa esset, maioremque mercedem à Deo mereretur; quam & ibi Dominus pollicetur.

TERTIVM argumentum duci potest ex capitulo Conquestus. Extra de Vsuris, & capitulo primo de Feudis, vbi datur facultas domino directo feudi percipiendi fructus feudi, quod habet loco pignoris à feudatario, non computatis illis in sortem. Quod omnino videtur esse Vsura. Non igitur Vsura est illicita, & contra ius naturæ.

RESPON-

RESPONDEO cum Soto & Medina locis citatis, & cum aliis, hanc esse naturam Feudi, vt si loco pignoris ad directum dominum redierit, interim fructus pertineant ad ipsum dominum directum; modò sit tamen illo tempore liber feudatarius ab obligatione exhibendi consueti seruitij domino. Quia nimirum non nisi ea conditione & lege confertur Vasallo dominium vtile feudi.

QVARTVM argumentum ducitur ex capit. 1. de Vsuris, vbi fit facultas Clerico recipiendi fructus beneficij, quod loco pignoris à laico mutuatario accepit, nec computandi illos in sortē; Quod omnino videtur esse Vsura. Non igitur Vsura est illicita, & contra ius naturæ.

RESPONDEO cum Medina, q. 2. de Vsura, illud esse intelligendum, quando beneficium illud iure pertinet ad Clericum, & iniquè est vsurpatū à laico. Tunc enim cùm fructus illos recipiat Clericus ex re propria, & ad *redimendum* (vt in illo ipso capitulo dicitur) *beneficium de manu laici*, nullā committit iniustitiam. Qua etiam ratione colligit illic rectè Medina ex cap. Ab illo 14. quæst. 4. licitum esse Vsuris premere hostes, iniquè retinentes bona Christianorum: neq; id fore Vsurā formaliter: Siquidem habent Christiani ius ad illa bona. Hanc sententiam Medinæ Sotus lib. 6. quæst. 1. art. 1. fatetur esse communem, licet sine firma ipse ratione reiiciat illam.

QVINTVM argumentum ducitur ex cap. Salubriter, de Vsuris, vbi facultas fit genero percipiendi fructus pignoris, quod recepit à socero pro expectatione solutionis dotis. Quod etiam planè videtur vsurarium.

RESPONDEO. De hoc capitulo *Salubriter*, varia à variis disputantur. Breuiter dicendum videtur, inprimis non esse dubitandum, quin causa motiua concedendi Genero facultatem illam, sit cōsideratio onerum matrimonij, à genero sustinendorum. Id enim expresit Pontifex, subdens in illo cap. *Cùm frequenter fructus dotis non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.*

Sed controuersia est, supposito hoc motiuo, quo nam titulo fiat genero illa potestas; an iustitiæ, ratione alicuius *lucri* vel commoditatis cessantis, quam putetur gener fuisse facturus ex dote statim soluta ad sustentanda onera matrimonij, saluo capitali dotis; an verò titulo *donationis*, quam socer intelligatur facere genero propter onera matrimonij, vel certè quam debeat ei facere secundùm illud Capitulum, atque adeo secundùm ius in eo Capitulo sancitum.

Adrianus namq; quæst. 1. de Vsura putat, facultatem eam Genero fieri titulo iustitiæ, ratione videlicet lucri cessantis. Et idem prorsus re ipsa videtur sentire Sotus lib. 6. de Iust. quæst. 1. artic. 2. hoc ipso quòd concedit, illam potestatem fieri genero propter cessantem commoditatem, quam gener fuisset ex dote paraturus, vt dote salua posset onera matrimonij sustentare, sicut tenetur. Debet enim dotem integram semper seruare. Quamuis enim Sotus illic putet se sentire contra Adrianum: tamen reuera Adrianus nihil aliud vult, quàm quod dicit Sotus. Quod enim Sotus appellat *commoditatem*, Adrianus appellat *lucrum*.

Quod autem Sotus dicit, Adrianum negare, onera matrimonij sustentanda, esse causam illius concessionis; si ita intelligatur, quasi velit Adrianus negare, esse motiuum modo suprà dicto, falsò imponit hoc illi Sotus. Id enim neque ab Adriano, neque ab vllo negatur. Sed tantùm negat Adrianus, onera matrimonij esse immediatum titulum, quo ex iustitia debeantur genero fructus pignoris: id quod rectissimè negat. Nam omnibus consideratis, atque adeo etiam quibuscunque oneribus matrimonij, faciet satis ex iustitia socer, si dotem, quam genero promisit, soluat absque vllo alio auctario. Quemadmodum etiam in aliis generibus contractuum, quamuis alter contrahentium debeat subire per capitale ad se pertinens aliqua onera, tamen satis facit alteri, si reddat ei illud solùm, quod ex iustitia promisit. Vt patet, cùm quis ex pacto promittit alteri vitalicium; vel etiam dat ei pro labore aliquo iustum stipendium, ex quo ille alter debet sustentare onera familiæ. Neq; verò in eo sensu potest velle Sotus, onera matrimonij esse causam illius concessionis (scilicet immediatè & sufficienter) sed tantùm esse causam, vt motiuum, quod nullus negauit. Ac sententiam hanc Adriani (quæ, vt dixi, reuera est etiam Soti) sequitur Medina vbi suprà, & Couarruuias libro primo variarum resolutionum, capite primo, num. 3. & alij ab eo citati.

Sed tamen habet hæc sententia difficultatem. Tum quoniam communiter non videtur haberi ratio in ea re quantitatis lucri, quod gener ex dote putabatur facturus: quod tamen necessarium esset, si ratione cessantis lucri, titulo iustitiæ, fructus illi pignoris concederentur genero, ne videlicet plus aut minus, quàm ei deberetur, acciperet. Tum etiam, quia non semper gener vult lucro facto ex dote onera matrimonij sustentare, sed sæpe aliunde illa sustentat. Itaq; non posset in tali casu fructus pignoris percipere. Et tamen ex sententia omnium, cuicunq; genero inditerminatim fit illa facultas.

Quare probabilior videtur ea sententia, in quam etiam Medina inclinat, videlicet titulo *donationis* modo suprà dicto fieri illam concessionem. Et idem sentit Nauarrus, cap. 17. num. 213. Atq; hinc PRIMO sequitur, verum esse, quod vbi suprà notat Sotus, & Syluester, Verbo Vsura 3. quæst. 2. generum nō debere plus fructuum percipere, quàm satis sit ad sustentanda onera matrimonij.

SECVNDO inde sequitur, verum etiam esse, quod notat Panormitanus in dicto capit. Salubriter,

briter, & Sotus loco citato, posse generum casu, quo nec dotem statim, nec pignus recipiat, recipere pecuniariam pensionem: hoc enim ipso, quòd ei fit facultas recipiendi fructus pignoris, fit etiam potestas recipiendi pensionem æquiualentem.

TERTIO sequitur, verum etiam esse, quod idem Sotus ait, hac facultate vti posse generum, siue socer ipsi terminum solutionis præstituat, siue gener socero illum concedat: vtroq; enim modo potest gener vti suo iure, nisi expressè vellet ei cedere, & socero condonare. Notat etiam bene illic Sotus, debere hæredes defuncti mariti vxorem sustentare, dum ei dos non redditur: quod idem probat Nauarrus loco citato, etiam in casu diuortij, viuo marito: quanquam Caietanus art. seq. circa solutionem sexti, hoc neget, nisi circa hoc sit aliquod speciale statutum.

SEXTVM argumentum est, quòd Iure Ciuili permittitur Vsura, vt patet tit. de Vsuris. ff. & Cod. Quinimò cogi videtur Iure Ciuili mutuatarius ad soluendas Vsuras, vt patet l. 1. Cod. de Vsuris.

RESPONDEO primò. Etiamsi olim per leges Ciuiles Vsuræ probatæ essent (vt sentit sanè Couarruuias lib. 3. variar. resolut. cap. 1. num. 16. post nonnullos alios Doctores) tamen eiusmodi Legibus minimè standum esset; fuissent enim iniquæ (vt fusè confirmat Couarruuias) & eis postea per ius Canonicum esset derogatum: præsertim in Clementina vnica de Vsuris. Vbi sub excommunicatione iubentur Iudices ferre sententiam contra Vsuras.

SECVNDO, ex probabili quorumdam sententia, quam bene declarat Sotus lib. 6. quæst. 1. artic. 1. responderi potest, *non probari* iure Ciuili Vsuram, sed tantùm *impunè permitti*: neque actionem dari vsurario contra mutuatarium, nec mutuatario contra Vsurarium negari; saltem post dictam Clement. vnicam, de Vsuris, vbi vtrunq; sub excommunicatione prohibetur, quidquid olim fortè factum sit. Ac, vt rectè explicat Sotus, non ideo Ius ciuile Canonico repugnat, quod Ciuile tantummodò animaduertens in crimina quæ sunt contra pacem publicam Vsurarios non puniat; Canonicum verò cōscientiis etiam consulens, puniat. Repugnaret autem, si cogeret mutuatarium soluere Vsuras, vel non daret actionem contra vsurarium, vel probaret Vsuram vt licitam; esset enim id hæresis damnata in dicta Clem. sed nihil Ius ciuile horum facit.

Quod si alicubi in Iure Ciuili videtur cogi mutuatarius ad soluendam Vsuram, vt in illa l. 1. C. de Vsuris: id non intelligitur de Vsura vera, sed de aliquo auctario, iusto titulo, debito; quod vt bene notat Sotus vocari solet in Iure Vsura. Et sic illa Lex 1. intelligitur. Vt enim patet ex textu, agitur ibi de Vsura rectè promissa & petita.

Adde, quòd nec omnes Vsuræ olim permittebantur Iure ciuili. Non enim permittebatur vltra centesimam, id est, qua singulis mensibus peteretur centesima pars sortis, quæ ideo non nisi centum mensibus exæquaret sortem: item nec permittebantur vsuræ vsurarum, sicut patet l. Vt nullo. C. de Vsuris, & l. Placuit. ff. eodem tit. Qua de re vide Nauarrum, cap. 17. n. 208. & Sotum loco citato.

SEPTIMVM argumentum ducitur à ratione sic: Qui mutuò dat alteri pecuniam, hoc ipso præbet illi occasionem & instrumentū lucrandi vel prospiciēdi suis rebus eas tuendo, & promouendo, &c. qui est quidam *successiuus* vsus pecuniæ, etiam postquam est primò distracta, &c. Igitur hoc ipso meretur accipere aliquam ab altero cōpensationem moderatam. Atq; hoc est inter cætera Molinæi argumentum.

RESPONDEO, hanc ipsam communem & ordinariam commoditatem, quam mutuans affert per mutuū alteri, hoc ipso sufficienter illi compensari, quod æqualis summa postea ipsi redditur æquè alio tempore vtilis, vt suprà in ratione nostra quarta ostendimus: siquidem per æqualem summam compensatur omnis vsus pecuniæ mutuò acceptæ, atque adeo omnis commoditas quam illa *ex se* adfert, vt superiùs explicatum est.

OCTAVVM argumentum: Quamuis pecuniæ dominium per mutuum transfertur, tamen non fit per mutuum *omnimoda abalienatio* pecuniæ, sed exercetur quædam illius *administratio*, vt in Iure appellatur. Ergo poterit hoc nomine, qui pecuniam mutuò dat, aliquid vtilitatis & lucri ex mutuo reportare. Hoc etiam est Molinæi argumētum, sed planè infirmum, si res ipsa perpendatur, & non vrgeamus verba.

RESPONDEO itaque; siue pecunia per mutuum *administrari* dicatur, siue alio quocunque vocabulo mutuum nominemus; tamen certum esse (vt non diffitetur etiam Molinæus) dominium illius planè in alium transferri, ac proinde cum ea pecunia sit iam re vera *aliena*, nullum fructum ex illa sic administrata posse expectari ab Vsurario, sed tantummodò æqualem summam sicut suprà demonstrauimus euidentibus argumentis. Neque moror, si propterea, quod is, qui mutuat, habet Ius ad recuperandum in *eadem* specie tantundem; velis dicere rem per mutuum non prorsus abalienari, vt abalienatur verbi gratia per donationem, aut per aliquem alium contractum, ex quo neque in *individuo*, neq; in *specie* redditur idem.

NONVM argumentum. Si debitor cogatur ante præstitutum tempus soluere, potest huius anticipationis exigere aliquam compensationem, propterea, quòd priuatur vsu capitalis, ad quod aliquamdiu retinendum habebat ius: Ergo etiā is, qui per mutuum se abdicat ad tempus

vsu rei suæ potest huius incommoditatis compensationem aliquam petere. Et istud quoq; est argumentum Molinæi.

RESPONDEO, in foro quidem conscientiæ, atque adeo iure naturæ & diuino, talem debitorem non posse exigere compensationem ob id solum *præcisè*, quod ad tempus aliquod pecunia capitali *careat*, sed quia ad id fortè *aliqua ratione cogitur*, contra ius quod in casu argumenti habet ad retinendum diutius capitale. Is autē qui mutuat, cum *vltrò* (vt suppono) priuet se rei suæ vsu; non potest similem titulum prætexere, ad exigendam aliquam compensationem vltra æqualem sortem.

DECIMVM argumentum. Qui alteri concedit solum vsum pecuniæ, vtputa ad *ostentationem*, retento apud se pecuniæ dominio, potest sine controuersia exigere aliquam compensationem eius vsus vltra ipsam pecuniam: Ergo multò magis qui alteri ad *libertorem* pecuniæ vsum non solùm concedit *vsum* pecuniæ, sed etiam pecuniæ *dominium*, vt per mutuum fit. Sic etiā Molinæus ineptè ratiocinatur.

RESPONDEO enim, nullam esse argumenti consequentiam. Nam vt patet ex suprà dictis, cum per mutuum fiat vera *commutatio* vnius pecuniæ pro alia *distincta*; hoc ipso quòd per illam aliam summam æqualem distinctæ pecuniæ fit sufficiens & iusta compensatio translationis dominij pecuniæ alterius mutuò acceptæ, fit etiam per eandem ipsam summam sufficiens & iusta compensatio *cuiuscunq;* vsus (quantumuis *liberrimi*) eiusmodi pecuniæ mutuò acceptæ, vt suprà demonstrauimus in nostra ratione prima. Et sic nihil tunc supereſt compensandum per auctarium aliquod vltra summam æqualem. At cum pecunia nō mutuò datur, sed *locatur tantummodò* ad vsum ostētandi; non ipsa tūc pecunia, sed duntaxat quidam eius vsus *commutatur*: Ac proinde non mirum, si vltra pecuniam, quæ eadem numero tunc reddenda est, possit iustè exigi aliquid pro illo eius vsu, qui duntaxat fuit alteri cōcessus per *locationis* commutationem siue cōtractum.

VNDECIMVN argumentum. In Republica ita ferè necessarius est vsus *æris alieni*, sicut vsus pecuniæ, quemadmodum docet etiam experientia quotidiana propter varias humanæ vitæ necessitates. Igitur vt huiusmodi vsus æris alieni copia & facultas in Republica fit; necesse est, eos etiam, qui pecuniam suam, vel per mutuum, vel aliter aliis credunt, *Interesse* pro vsu pecuniæ creditæ moderatum aliquod hinc reportare, & non solùm eos vtilitatē inde percipere, quibus pecunia creditur. Ita quoq; Molinæus, vbi suprà, ad defensionem Vsuræ, ratiocinatur.

RESPONDEO. In primis, si hoc argumentum valeret; simili forma argumentandi possent probari multa absurda. Vt si, v. g. ita ratiocinarer: Necessarius est in Republica vsus Eleemosynarum, cùm sint multi pauperes, &c. Igitur vt vigeat eleemosynarum vsus, necesse est, non solùm pauperes ipsos, sed etiam eos, qui eleemosynas largiuntur, aliquam temporalem compensationem percipere ab iis, qui eleemosynas accipiunt. Item, si argumenter sic: Necessarius est in Republica vsus pietatis, quo filij subueniant parentibus illorum opera sæpe indigentibus. Igitur necesse est hoc officium filiis compensari à parentibus per aliquod moderatum precium, vt possit huiusmodi officiorum erga parentes esse vsus, &c. Hæc autem & similia omnino absurda sunt. Itaq; non est bona illa forma argumenti.

Quamobrem neganda est omnino eius argumenti consequentia. Nam cum accipere aliquid *pro vsu* pecuniæ mutuatæ seu creditæ, quæ scilicet iam non est in dominio dantis, sed accipientis, *per se & intrinsecè iniustum & malum sit*, vt superius satis superque demonstrauimus; minimè licet in Republica vsurpare hoc ipsum, tanquam medium ad eum finem, vt facultas & copia non desit vsus æris alieni; sicut neque ad eum finem, licitum est *furari*, aut alia peccata admittere; tametsi per furtum quoque obtinet aliquis vel maximè vsum æris alieni. Etenim suppetunt plerumq; alia motiua; ob quæ possunt & solent ij, quibus copia pecuniæ non deest, induci, vt aliis per mutuum, aut aliter credendo pecuniam gratificentur. Impellere enim ad hoc debet & solet, tum ipsa in proximos charitas; tum illud Domini mandatum: *Mutuum date nihil inde sperantes*. Tum spes etiam melioris præmij, iuxta illud nimirū Dauidis: *Quis ascendet in montē Domini, &c. qui pecuniam suam non dedit ad Vsuram, &c.* Tum denique iusti alij tituli, qui quandoque propter negocij circumstantias, solent suppetere Creditori, vt aliquid vltra sortem accipiat, non pro *vsu* creditæ pecuniæ, sed ob alias iustas causas, vt quæstione præcedenti, puncto secundo, disseruimus. Hæc igitur & alia huiusmodi motiua ad mutuandum & credendam pecuniam; satis superq; sunt, vt non deficiat in Republica necessarius vsus æris alieni. Itaque non oportet ad hunc finem defendere etiam ipsam iniquitatem vsuræ, vt Molinæus fecit impiè & imperitè.

POSTREMO refellendum est etiam illud argumentum à ratione ductum, quo Molinæus & alij quidam hæretici probari putārunt, Vsuram saltem *moderatam* (sicut suprà meminimus) non esse illicitam & cōtra ius naturæ. Nam quod non lædit charitatem proximi debitam, non est contra iūctum cum iniuria ipsius. Sed Vsura moderata, Charitatem proximo debitam non lædit. Ergo non est coniuncta cum proximi iniuria. Minor probatur. Nam vsu & experientia, compertum est, commodius alicui esse omnibus consideratis vti pecunia mutuò accepta, soluendo moderatam aliquam Vsuram, quàm mutuò pecuniā non accipere sub tali Vsura.

RESPONDEO, falsam omnino esse Minorem. Nam vt suprà dicebamus, omnis Vsura, hoc ipso, quod

quod suapte ratione (sicut demonstraui) lædit Iustitiā, lædit etiā Charitatē. Quāuis quò moderatior quidē vsura fuerit, eò minus lædet & Iustitiā & Charitatem; sicut etiā furtum eò minus hęc lædet quò fuerit moderatius. Sed vt nihilominus furtum (præsertim notabile) quantumuis moderatum, est contra Iustitiam & Charitatem, ita etiam moderata vsura. Itaque ad probationem Minoris respondeo, commodum illud non prouenire ex eo quod quis soluit moderatam vsuram (hæc enim suapte ratione semper nocet, siue multum siue parū, prout fuerit vsura) sed prouenit id commodum ex ipso vsu solum pecuniæ mutuo acceptæ: quod commodū quamuis fortè nonnihil quasi sopiat vsurę damnum; tamen non ideo illud est nullum. Quid igitur sit vsura, camq; esse iure omni prohibitam satis est explicatum. De restitutione autem vsurarum dicendum est puncto tertio.

PVNCTVM SECVNDVM.

An sit vsura, accipere vltra sortem qualecunque etiam aliud emolumentum præter pecuniam.

D. Thomas art. 2.

DE tribus cōuenit hoc loco apud Doctores, quæ etiā tradit D. Thomas: quamuis circa secundum & tertium nōnullæ, vt videbimus, moueri possint quæstiones, quæ rem ipsam illustrabūt. PRIMO, Inter omnes conuenit, vsuram omnino esse, *ex vi* mutui accipere vltra sortem emolumētum etiā aliquod, quod sit pecunia æstimabile. Nam vt inquit Philosophus lib. 4. Eth. cap. 1. *Pecunias omnia ea dicimus quorum æstimationem nummus metitur.* Sed accipere ex vi mutui pecuniam vltra sortem est vsura; vt vidimus p. præcedenti. Ergo etiam accipere aliquid pecunia & precio æstimabile.

Atque hoc ipsum docuit luculenter S. AVGVSTINVS enarratione in Psal. 36. circa illud: *Tota die miseretur & commodat, &c. Si*, inquit, *fœneraueris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis*, à quo aliquid plusquam dedisti, *exspectes accipere; non pecuniam solam, sed aliquid plus quàm dedisti; siue illud triticū sit, siue vinum, siue oleum, siue quodlibet aliud; fœnerator es; & in hoc improbandus, non laudandus.* Idem quoque à Propheta Ezechiele cap. 18. indicatum est, cum generali quoque vsus vocabulo eum pronunciat iustum, *qui vsuram & SVPERABVNDANTIAM nō acceperit.*

SECVNDO conuenit inter Doctores, non esse vsuram, si quis aliquid pecunia æstimabile vltra sortem accipiat, non velut *vi mutui* exigēs, sed vt donum gratuitum. Probatur. Nam si talis non mutuaret, posset id recipere; sed non est peiori conditione quia mutuat. Ergo etiam potest id accipere cùm mutuat.

TERTIO conuenit, non esse vsuram, sed licitum, pro mutuo exigere aliquid quod non sit pecunia æstimabile; vt puta beneuolētiam & amorem, vel aliquid huiusmodi, vt diuus Thomas inquit. Ratio est, Nam id non erit perinde atq; pecuniam vltra sortem exigere.

Porrò de PRIMO pronunciato non necesse est aliquid addere ad ea, quæ sunt disputata puncto præcedente. Circa SECVNDVM verò occurrunt tres quæstiones minimè dissimulandæ.

Itaq; QVAERO primò. An sit omnino verum id quod in eo pronunciato tacitè supponitur, & clarius docetur à D. Thoma hîc in respon. ad 2. & 3. argumentū, scilicet, mutuatariū debito gratitudinis debere aliquam gratiam referre mutuanti. Videtur enim non debere: PRIMO, quia si deberet; peccaret quando id non facit, sed non peccat, Ergo, &c. patet sequela Maioris; Nam vt quæst. 106. tradit D. Thomas. Gratitudo est quædam speciālis virtus; cuius proinde debitum obligat ad peccatum. Probatur autem Minor. Nam cum ea relatio gratiæ ferè non sit in vsu; durum esset, tam multos qui eiusmodi gratiam non referunt, condemnare.

SECVNDO, Nam mutuans non videtur aliud beneficium in mutuatariū conferre quàm sit ipsa pecunia mutuata. Ergo abundè facit satis Mutuatarius, si tantūdem reddat. Patet Antecedens. Si enim quæras à Mutuatario, qui mutuo centū coronatos accepit quātum se putet beneficium accepisse, respondebit, centum coronatorum beneficium. In contrarium est sententia communis, quæ explicatur cum dicūt Doctores, Mutuatarium teneri ad antidora.

Est autem aduertendum, dupliciter intelligi posse, quòd Mutuatarius sit obligatus ad gratiā referendam. Primò ita, vt statim debeat aliquem actum beneficum in mutuantem conferre. Secūdò ita, vt solum ad id faciendum habere debeat animi promptitudinem; si quando acciderit, vt mutuans sit in simili necessitate, & opportunitas existat, quæ postulet vt aliquod æquale, vel etiā maius beneficium mutuanti referatur à mutuatario.

Iam ASSERO, sententiam illam communem non esse intelligendā nisi secundo modo. Nihil enim debet statim mutuatarius præter eam animi promptitudinem; nisi gratiarū fortè actionem & affectum beneuolum in mutuantem. Et ratio est, Nam cùm gratitudo per se primò non respiciat rem, quæ datur dono, sed affectum donantis; satis huic obligationi fit, si statim affectus donantis per affectum recipientis compensetur.

Aliter verò iudicandum est, de obligatione Iustitiæ. Cūenim hæc per se primò respiciat rem datam; obligatio eius requirit vt quàm primum fieri possit res data per rem alteram compensetur, vt sic vitetur inæqualitas. Colligitur verò hęc tota doctrina ex iis quæ optimè tradit S. Thomas infrà quæst. 106. & 107. maximè artic. 1. ad 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& artic. 4. in corpore, & ad 1. & quæst. 106. articulo quinto.

Ad PRIMVM igitur argumentum Respondeo, concedēdo Sequelam & negando Minorem: Est enim ingratitudo peccatū, vt docet D. Thomas quęst. 107. art. 1. & 3. Ad probationem autem Minoris respondeo, Actionem quidem gratiarum pro beneficio Mutui; & referendæ etiam gratiæ promptitudinem, in vsu debere esse. Ob id tamē quod multi communiter gratiam non referant non sunt damnandi. Non enim semper est ad id talis opportunitas, qualis requiritur vt gratitudo ad id obliget.

Ad SECVNDVM respondeo, Beneficium mutuantis in hoc consistere, quòd velit mutuatariū percipere vtilitatem ex præsenti pecunia, qua libenter ipse mutuans careat, absque spe vlla lucri ex iustitia, quod alioqui potuisset ex illa pecunia exspectare, si eam alteri commutationi seu negotiationi voluisset exponere. Hæc enim beneuolentia beneficium est nō exiguum, quod proinde relationem gratiæ postulat vltra mutuatam summam.

SECVNDO QVAERO circa idem. Vtrum possit mutuans exigere à mutuatario id quod is vel debet, vel certè potest ex gratitudine conferre. Dico autem *quod vel debet, vel potest*; Nam cum gratitudinis obligatio nō oriatur præcisè ex re collata, sed ex affectu conferentis, raro constat quid determinatè debeat mutuatarius mutuanti referre. Et ideo generatim quæro, An possit Mutuans id à mutuatario exigere, quod is ex gratitudine vel debet vel potest rependere. Itaque ad præsentem difficultatem nihil inter hęc interest. Et quidem hac de re varia dicūtur à Doctoribus quæ indigent magna consideratione. Exponam ergo breuiter per sequentes Conclusiones, quid tenendum videatur secundum veritatem & sanctum Thomam.

PRIMA Conclusio. Si quis à Mutuatario petat aliquid ex gratitudine reddendum, quasi mutuatarium hoc ipso præcisè ad id reddendum obligārit, quòd ei mutuauit pecuniā; vsurarius erit. Probatur, Nam talis in rei veritate non id petit vt reddendum titulo gratitudinis, sed titulo Iustitiæ, quidquid ipse vsuram palliando dicat. Ergo reuera est vsurarius. Probatur Antecedens, Nam quod est reddendum ex gratitudine non est reddendum ex obligatione orta ex eo præcisè, quòd pecunia est mutuata: Id enim est proprium eius quod ex iustitia redditur, vt quæ respicit rem datam præcisè. Ergo qui petit aliquid ex gratitudine reddendum, ac si obligatio gratitudinis orta sit ex mutuata re præcisè; is in rei veritate non petit vt ex gratitudine reddēdum, sed ex iustitia: & sic reuera est vsurarius.

Et hoc ipsum est, quod rectè dicit hîc S. Thomas, illicitum & vsurarium esse petere ex mutuo aliquid precio æstimabile, quasi exigendo, aut ex pacto explicito vel implicito. Quod enim dicitur, vsurarium pacto & quasi ciuiliter obligare mutuatarium ad vsurā, non ita intelligitur, quasi reuera talem obligationem ipse inducat: Nullo enim modo potest ipse Mutuatariū obligare ad vsuram pendendam; cum nec iure ciuili is compellatur ad vsuras soluendas. Sed eatenus tantū dicitur vsurarius ciuiliter obligare mutuatarium ad pendēdam vsuram, & eam quasi exigere, quatenus ita petit auctarium, ac si præcisè ex mutuatione obligaretur mutuatarius iure naturæ ad reddendum ex iustitia auctarium: quod proinde ita petit vsurarius sicuti solent peti illa quæ ex iustitia debentur & solent in pactum & ciuilem obligationem deduci.

Hinc patet, tam certam esse hāc nostram primam Conclusionem, quàm certum est, vsuram esse mutuatarium sic obligare ad auctarium pendendum, vt debitum ex iustitia: quod ipsum similiter facit is, qui casu nostræ Conclusionis pallians vsuram, petit auctarium vt ex gratitudine.

SECVNDA Conclusio. Si quis sincero animo petat gratuitum donum non titulo rei mutuatæ præcisè, sed titulo affectus beneuoli quo mutuauit; nihil peccat. Probatur *primò*: Nam secundùm D. Thomam hîc & Caietanum articulo præcedenti, & omnes, talis eo modo licitè potest optare & recipere remunerationem gratuitam: Ergo etiam potest eam petere. Probatur Consequentia, Non enim potest intelligi iniustā (id est contra Iustitiam) esse petitionem eius rei, cuius receptio non sit iniusta.

Secundò Probatur; Nam si talis non mutuaret, posset petere donum gratuitum. Ergo etiam cū mutuat: Non enim quia mutuat, est peioris conditionis: Sic enim probat quoq; S. Thomas hîc, licere tale donum recipere.

Denique hæ duæ Conclusiones manifestè traduntur à D. Thoma in solutione tertij argumenti vbi ita scribit: *Si munus ab obsequio vel à lingua, non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex beneuolentia, quæ sub æstimationem pecuniæ non cadit; licet hoc accipere, & exigere, & expetere.* Nec certè ab vllo hæc secunda nostra Conclusio (si res intelligatur) potest negari.

Hic tamen est NOTANDVM, Nos loqui secundùm forum conscientiæ: Nam in foro externo plerunque putaretur vsurarius esse is, qui peteret aliquid determinatè, etiam prætenso titulo gratitudinis. Cum enim de obligatione gratitudinis ad repēdendum donum aliquod determinatum rarissimè constet; nec homines vulgo sint tam perfecti, vt velint aliquid supererogare vltra id ad quod determinatè tenentur; atq; etiam proprium sit iustitiæ, vt facilè appareat determinatè quid debeatur, non immeritò qui aliquid determinatè petit ex mutuo, in foro externo censeri potest petere id vsurariè titulo rei mutuatæ, & quasi ex iustitia: nisi clara essent signa sinceri animi.

Sed

Sed & ei qui omnino sincerè, iuxta formam secundæ nostræ Conclusionis, peteret donum gratuitum, cauendum est, ne alter det inuitus: Tunc enim quamuis recipiens nō esset vsurarius tamen esset iniustus; recipiens nimirum rem alterius ipso inuito.

TERTIO QVAERO circa idem, An liceat mutuanti petere quoq; à mutuatario, vt se ipsemet per promissionē obliget ad referendam ex gratitudine gratiam aliquam, seu donum ob acceptum beneficium mutui. Ratio dubitandi est, Nam ex vna parte D. Thomas hîc & Sotus libro sexto, quæstione tertia, articulo primo, & alij cōmuniter negant licere *in pactum deducere* remunerationem gratuitam, quam debet Mutuans propter acceptum beneficium Mutui. Id quod fieret si à Mutuatario peteretur, vt se ad eam remunerationem obliget.

Contrà vero, Ioānes Maior in 4. d. 15. quæstione vigesima nona, in secundo argumento & eius responsione, concedit id licere: atque etiam expressè Couarruuias libro primo variar. resolut. capite vigesimo, numero quarto, citans in eam sententiam Ioannem Maiorem & plures alios. Qui tamen addit, pactum & promissionem hanc non debere addere ad obligationem ipsam moralem gratitudinis nouum aliud robur, nimirū obligationis ciuilis & quasi ex Iustitia. Et videtur horum sententia probari posse quatuor potissimum argumentis.

Primò: Quia licitum est petere à mutuatario donum ipsum gratuitum, vt ex gratitudine dandum, sicut patet ex Conclusione secunda, paulò ante posita, & ex apertis verbis diui Thomæ hîc ad tertium, quæ ibi recitauimus. Ergo à fortiori poterit etiam Mutuans petere eius doni promissionem; cùm promissio doni minus quiddam sit, quàm ipsum donum actu exhibitum.

Secundò: Nam licitum est talem promissionem vltrò à Mutuatario factam acceptare; Ergo etiā petere. Quod enim licet acceptare, licet etiam petere, vt ante dictum est.

Tertiò, Nam si quis non mutuaret; posset promissionem talem alicuius doni petere, Ergo etiā potest eam petere cum mutuat, siquidem ob id non est peioris conditionis, vt etiam hîc argumentatur D. Thomas.

Quartò: Si id nō licet, maximè propter ea quod pugnare videatur obligatio ex promisione orta cum exhibitione doni gratuita; atque ideo sit repugnantia in hoc, vt quis per promissionem se ad dandum aliquid obliget, & vt id velit dare & det ex gratitudine. At hoc falsum est, Ergo nulla est ratio cur id non liceat.

Probatur Minor, Nam exhibitioni gratuitæ solum repugnat necessitas *coactionis*, non autem necessitas *obligationis*. Quod manifestè patet tripliciter. *Primò*, Quia extat diuinum præceptum, atque adeo diuini præcepti obligatio de gratuita exhibitione pro loco & tempore. Alioqui ingratitudo nō esset peccatum contra ius diuinū, quod constat falsum esse, vt patet ex doctrina diui Thomæ quæstione centesima septima, articulo primo & tertio. *Secundò*. Nam posset sine cōtrouersia quis per votum se obligare ad actum aliquem gratitudinis excercendum erga suum benefactorem. *Tertiò*, Quia etiam posset aliquis vltrò se obligare homini per promissionem ad referēdam ei gratiam aliquam seu donum aliquod ex gratitudine rependendum. Non igitur obligatio repugnat gratuitæ largitioni. Quod si ita est, nihil videtur obstare quo minus Mutuās possit à Mutuatario petere promissionem illam doni gratuiti.

RESPONDEO. Dupliciter potest in pactum deduci remuneratio gratuita petendo à Mutuatario illius promissionem. VNO modo ita, vt petatur promissio eius remunerationis quasi debitæ præcisè ratione rei mutuatæ. Et hoc modo certissimum est, id non licere, sicut nec licet sic ipsam remunerationem gratuitam exigere, vt vidimus supra in prima Conclusione. Ac sic in primis intelligenda est communis illa sententia D. Thomæ, Soti, & aliorum, qui negant (vt dictū est) licere in pactum deducere gratuitam remunerationem; id enim esset propriè illam in pactū deducere.

ALTERO modo potest ea promissio peti ita, vt petatur, promissio remunerationis alicuius gratuitæ non quasi debitæ ratione rei mutuatæ præcisè; sed tanquam eius quæ vel *debeat*, vel *possit saltem* rependi ex sola gratitudine, ratione affectus & beneuolentiæ Mutuantis, atque adeo ratione beneficij ab eo collati mutuando. Et hoc modo videntur Ioannes Maior, & Couarruuias, vbi supra, sensisse quòd id liceat.

Sed quamuis horum opinio, si res ita physicè tantum diiudicanda esset, attēdendo ad id quod sine repugnantia fieri potest, improbabilis non sit, vt argumenta pro ea à nobis allata ostendunt: tamen si, vt par est, attendamus ad id, quod moraliter loquendo fieri solet inter homines; ne isto quidem posteriori modo videtur concedēdum, quòd liceat in pactum deducere gratuitam remunerationem petendo illius promisionem à Mutuatario.

Nam quando is qui mutuat, adeo est importunus, & eo vsque progreditur, vt non solùm donum gratuitum sed etiam eius promisionem & obligationem ad illud rependendum à Mutuatario petat, moraliter loquendo mouet Mutuatarium, vt neque det, neque promittat donum volūtariè & sponte, sed solum coactus. Quapropter in praxi quidem, attendēdo ad id quod moraliter inter homines solet accidere, nō arbitror, opinionem illam Maioris & Couarruuię, esse admittendam.

Argumenta verò quæ pro illa fecimus, probāt solùm nō repugnare, quo minus id ita posset fieri physicè solum aut metaphysicè loquendo. Multa autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta autem sunt quæ physicè non repugnat fieri, & tamen moraliter non fiunt. Et hactenus de SECVNDO pronũciato ex illis tribus, de quibus initio diximus conuenire inter Doctores.

Circa TERTIVM autem, scilicet quòd liceat pro mutuo exigere aliquid quod non sit precio æstimabile; vt amorem, beneuolentiam, &c. (sicut ait D. Thomas) superest etiam QVAESTIO, An & quomodo hoc sit verum. Videtur enim falsum. Nam vel S. Thomas vult, licere petere ex mutuo ea quæ non sunt precio æstimabilia eodem modo tantum, quo in secundo pronunciato concessit licitum esse petere precio æstimabilia, scilicet *ex gratitudine*: Et si ita intelligat, verum quidem id est, sed obstant huic interpretationi duo. Primò, quòd vsurpans D. Thomas illud vocabulum *(precio non æstimabilia)* aliquid peculiare videtur cõcedere voluisse in talibus rebus, quod non concessit in precio æstimabilibus. Secundò, quòd tunc superfluè adderetur illud tertiũ pronunciatum ad secundum: Hoc enim ipso quòd in secundo tradidit, licere petere precio æstimabilia ex gratitudine; à fortiori patet, licere etiam petere precio non æstimabilia.

Si autem dicatur, velle D. Thomam in eo tertio pronunciato, quòd liceat petere talia precio non æstimabilia, etiam *ex vi mutui*, tanquam ex iustitia debita, sicut in primo pronunciato negauit licere petere precio æstimabilia: Videtur tunc omnino falsum illud tertium pronunciatũ. *Primò*, Quia iustitia tãtum respicit rem æqualem & nihil vltra. Sed in proposito rei æqualitas constituitur sufficienter per æqualem summam redditam; Ergo qui ex iustitia vltra rem mutuatam exigit etiã rem precio non æstimabilem, vt amorem, &c. contra naturam iustitiæ facit.

Secundò: Nam amor quamuis precio quidem emi non soleat, tamen magnum quoddam bonum hominis est; cuius signũ est quòd propterea susurratio, quę mutuum inter homines amorem tollit, peccãtum contra iustitiam est, vt supra vidimus q. 18. Ergo qui vltra rem æqualem exigit tale bonum, tanquam debitum ex iustitia, omnino violat iustitiæ æqualitatem.

Tertiò, Nam si liceat amorem vltra sortem petere tanquam ex iustitia debitum; etiam licebit ex iustitia petere effectus amoris qui precio æstimãtur. Quia enim potest quis petere titulo gratitudinis amorem ipsum & beneuolentiam, quæ est radix donorũ precio æstimabilium; Inde colligunt Doctores, licere quoq; petere eodem gratitudinis titulo res precio æstimabiles. Ergo similiter licebit eas petere titulo iustitiæ, si licet titulo iustitię petere beneuolentiam & amorem, &c.

Quartò: Nam sequeretur similiter licitum esse petere ex iustitia, vt mutuatarius vicissim mutuet: quod tamen à S. Thoma hîc & ab omnibus negatur. Probatur Sequela. Nam Mutuum non est aliquid precio æstimabile; sicut nec amor. Ergo si licet exigere ex vi mutui, ea quæ precio non sunt æstimabilia, licebit etiam ex vi mutui exigere aliud mutuum. Antecedens autem patet. Si enim mutuum esset precio æstimabile, vsura esset licita. Posset enim quis vltra æqualem summam quam accipit pro summa mutuata, exigere etiã precium ipsius mutui.

Ac similiter sequeretur, quòd liceret obligare vi mutui ad alios contractus exercendos: Item ad beneficium Ecclesiasticum conferendum, &c. Patet, Quia similiter ista nõ sunt precio æstimabilia: Non enim potest quis petere vltra precium rei venditæ aliquid pro contractu venditionis: neque Episcopus potest petere precium aliquod pro collatione beneficij.

Declarandum est ergo tertium illud pronunciatum D. Thomæ ab omnibus receptum, & à nullo, quod sciam, satis explicatum.

Dico igitur PRIMO. Non est mens S. Thomæ, quòd liceat petere amorem, aut alia precio non æstimabilia ex mutuo quasi ex iustitia. Probatur, Tum quia superflua esset talis doctrina; cùm vulgò non soleamus ex iustitia petere nisi res exteriores, quæ solent facilè ab alio in aliũ transferri, & in quibus facilè appareat æqualitas iustitiæ: Tũ etiam, quia vt ex primo argumento patet, non pertinet ad iustitiam talis petitio; Tum denique quia vt postea videbimus, esset in tali petitione iniustitia.

SECVNDO dico, Etiamsi aliquis peteret amorem titulo iustitiæ ex mutuo, tamen non ideo esset iniustus ratione rei petitæ formaliter. Probatur: Nam ratione rei petitæ non est quisquam iustus, nisi cum & res quam petit, est alterius, & potest obtineri eo inuito rationabiliter; absque eius nimirum voluntate interiori conferendi illam. Sed nihil horum habet locum in petitione amoris aut alterius huiusmodi rei precio non æstimabilis. Ergo qui amorem, vel aliquid eiusmodi, ex vi mutui vltra sortem peteret, non esset iniustus ratione quidem rei petitæ.

Maior huius argumentationis patet, Nam Iustitiæ æqualitas non violatur nisi per detractionem rei altero rationabiliter inuito & inuolũtario, vt vidimus supra quæstione 3. huius disputationis de Iustitia. Minor autem probatur, Nam in primis amor internus quem talis à Mutuatario peteret, moraliter loquendo non tam est bonum mutuatarij, quàm illius, qui per eum ipsum amorem diligeretur; item non potest à mutuatario exhiberi nisi sponte. De ratione enim amoris est, vt sit spontaneus.

TERTIO dico, Nihilominus aliunde esse petitio iniusta, si Mutuans exigeret à Mutuatario amorem ex vi mutui tãquam debitum ex iustitia. Probatur. Nam quantum est in se, imponeret Mutuatario eo ipso obligationem iustitiæ ad amandum. Sed omnino est iniustum vllam obligationem vi mutui velle mutuatario imponere vltra obligationem soluendi capitalis. Ergo iustũ esset petere ex vi mutui amorem à Mutuatario tanquam ex Iustitia debitum. Maior patet. Id enim est peti amorem quasi debitum ex iustitia. Probatur autẽ Minor, Nam grauamen quoddam & molestia est, quòd quis sit obligatus ex iustitia ad amandum hunc aut illum; siquidem id pugnat cum libertate ea, qua quis extra tempus obligationis præcepti charitatis, potest arbitratu suo hunc vel illum potius amare. Ergo ea obligatio omnino est precio æstimabilis: ac per cõsequens iniustum esset, illam vi mutui imponere velle Mutuatario vltra obligationẽ soluendi Capitale.

Atque hoc ipsum optimè probat *quartum argumentum* supra factum. Sicut enim petere ex vi mutui mutuum, non est iniustitia ratione rei petitę, scilicet ratione contractus mutui, (cũ is non sit precio æstimabilis secundum iustitiam) sed ratione obligationis, quæ tunc Mutuatario imponitur ad vicissim mutuandum; ita hic, &c.

Alia autem tria argumenta priora nihil concludunt. Itaq; ad *primum* respondeo, solùm probare, eum qui amorem ex iustitia peteret potius fore stultum, quàm iniustum ratione rei petitæ violando iustitiam. Etsi enim Iustitia non suppeditet titulum ad exigendum amorem vltra sortem, tamen nec repugnat ea tali petitioni, quasi per petitionẽ talem Iustitia violetur ratione rei petitæ: quandoquidem amor nõ est res talis quæ possit altero inuito obtineri atque adeo contra iustitiam.

Ad *secũdum* respondeo, Quamuis amor sit magnum bonum, tamen quia non potest obtineri cum iniuria alterius (eo scilicet inuito) non violatur exigendo amorem iustitia, ratione rei petitæ.

Ad *tertium* respondeo, solùm probare, Iustitiam quidem non suppeditare ius amorem petendi vltra sortem. Cum hoc tamen consistit, vt neque petitio ea amoris violet iustitiam ratione rei petitæ, sicut iam est dictum.

QVARTO dico. Pronunciatum illud tertium D. Thomę esse intelligendum de petitione amoris, & aliarum eiusmodi rerum precio non æstimabilium, *ex gratitudine*; sicut & secundum pronunciatum intelligitur. Nec propterea frustrà addidit illud pronunciatum tertium: Fecit enim id, vt ostenderet, in petitione talium rerum minus esse periculum vsuræ. Cùm enim res tales nõ soleant ex iustitia commutari; non est verisimile, quòd vnquam petantur titulo iustitiæ, sed titulo potius gratitudinis.

Atque hoc modo intelligendum esse tertium id pronunciatum D. Thomæ, Sotus etiam videtur animaduertisse lib. 6. de Iustit. q. 1. art. 2. cùm sententiam D. Thomæ redigeret in Conclusiones. Et hactenus de hoc puncto. Nam quod præterea hîc in solutione quinti argumenti disputat D. Thomas de Contractu societatis, infra in peculiari quæstione expediemus. Quæ autem ibidem in solutionibus aliorum argumentorũ tradit de venditione *ad terminũ*, & de *lucro cessante*, &c. à nobis disputata sunt quæst. præced. p. 2.

PVNCTVM TERTIVM.

An & quomodo restituendum sit lucrum acquisitũ per vsuram.

D. Thomas art. 3.

DVPLEX lucrum vsurarij considerari potest in proposito. VNVM est illud, quod continetur *ipso auctario* siue vsura, quam vltra sortem vsurarius exigit. ALTERVM est illud, quod per primum deinde Vsurarius interdum facit. Itaque de vtriusque lucri restitutione dicendum est.

Ac de PRIMO illo quidem conuenit inter omnes Catholicos vsurarium lucrũ esse restituendum: Violatur enim per illud Iustitia commutatiua. Sed CONTROVERSIA est, quæ nam sit *ratio*, ob quam id lucrum debet restitui. Adrianus enim in quæstione de Vsura, Et Scotus in 4. sent. d. 15. quæst. 2. artic. 3. & Paludanus ibidem, secuti glossam super cap. Si quis vsuram 14. quæst. 4. existimant, rationem non esse quia vsurarius non acquisiuit dominium, sed quia damnum intulit Mutuatario, inducendo ipsum sine titulo rationabili ad *donandum* auctarium. Propterea enim debere vsurarium id damnum resarcire, lucrum illud reddendo.

Contra verò S. Thomas hîc, & Alexand. Halensis, 3. parte, quæst. 36. memb. 4. artic. 2. Et Altisiod. 3. p. tract. 21. quæst. 1. non longè ab initio in resp. ad quoddam 4. argumẽt. Et Henricus Gandau. quodlib. 4. quæst. 27. Et Richardus in 4. sent. d. 15. artic. 5. quæst. 5. Et Sylvester, verbo Vsura 6. Et Caietanus in tract. de Vsura, quæst. 1. Et Sotus lib. 6. de Iust. quæst. 1. artic. 4. Et Medina quæst. 4. de Vsura, & ferè omnes alij rationem dicũt esse, quia vsurarius nõ acquirit eius lucri dominium. Et hæc sententia est verisima.

Probatur PRIMO. Nam neque illud dominiũ vsurarius acquirit voluntate mutuatarij, nec auctoritate legis, Ergo nullo modo. Antecedentis prima pars probatur. Nam voluntatis mutuatarij, qua is velit dominiũ transferre, nullum aliud signum est (vt pono) præter solam auctarij traditionem. Sed hoc non est signum sufficiens, Ergo, &c. Probatur Minor, tum ex l. Nunquam. ff. de acquir. rer. domin. Tum etiam exemplo latronis, qui etsi exterius accipiat pecunias quas metu à peregrino extorquet, tamen id non est sufficiens signum, quod peregrinus velit in eum transferre dominium pecuniarum. Secunda verò pars Antecedentis (scilicet quod neque auctoritate legis acquirat vsurarius dominium lucri vsurarij) Probatur, Nam potius vsuræ receptio, est vsurario lege prohibita.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex quo etiam sumitur SECVNDO aliud argumentum contra primam sententiam pro nostra. Cùm enim quis per leges non est capax translationis dominij, nulla est donatio. Sed vsurarius non est illius dominij capax per leges, Ergo, &c. Confirmatur. Nam mutuatarius in accipiendo mutuo tantum spectat suam vtilitatem, Ergo vbi non extant clara signa voluntatis transferendi dominiũ vel ex gratitudine vel liberalitate; censendus is est tantùm velle suæ necessitati prouidere exterius solùm dando vsuram, ac proinde minimè velle cedere iuri quod habet ad illam recuperandam.

Probat etiam Caietanus eo argumento sententiam nostram; Nam aliàs sequeretur nec fructus rei fructiferæ, quando hanc pro vsura acciperet vsurarius, esse restituendos. Id quod est contra omnes. Probatur sequela; Nam si dominium talis rei fructiferæ ad vsurarium pertinet: Ergo mutuatarius medio illo tempore non habet ius ad fructus; Nec enim eorum dominium habet actu, nec in potentia proxima ratione dominij rei, si id ad vsurarium pertineat.

Sed ad hãc rationem facilè responderent Auctores primæ sententiæ; ideo fructus esse restituendos, quia hoc ipso quòd vsurarius damnum intulit mutuatario priuando eum dominio rei fructiferæ, intulit ei etiam damnum fructuum; ad quos nimirum mutuatarius habuisset ius mediante rei dominio.

Aliter ergo probatur TERTIO nostra sententia, Nam si mutuatarius volũtariè omnibus consideratis voluit transferre dominium; Ergo non tenetur vsurarius restituere ex iustitia. Hæc enim non violatur nisi cum contra voluntatem alterius res accipitur, & inducitur inæqualitas contra æqualitatem *volitam*, vt supra quæstione tertia dixi. Quare non videntur Auctores primæ opinionis satis declarare posse in proposito obligationem *restituendi ex iustitia*; nisi restituendi obligationem vocent obligationem iterum *donandi* mutuatario. Quam obligationem iterum donandi difficile est probare. Nam secluſa obligatione iustitiæ commutatiuæ, & secluſo casu extremæ necessitatis alterius; raro vrget obligatio aliquid donandi alteri.

Nec satis erit dicere, vsurarium ideo debere reddere, quia defuit rationabilis titulus accipiendi. Non enim est necessarius rationabilis titulus, vt donatio valeat. Vt patet, cum quis, verbi gratia, ex leuitate donat aliquid Scurræ; neque enim id tenetur Scurra restituere. Argumenta verò primæ sententiæ solùm probant, mutuatarium exterius tantùm velle dare; id quod non est satis ad transferendum dominium.

Hinc sequitur PRIMO, Non solum vsurarium realem seu exteriorem, sed etiam mentalem debere id restituere, quod vltra sortem accepit si putat aut putare debet, Mutuatarium *ex vi mutui* id dedisse. Ita definitum est in capitulo Consuluit. Extra de Vsuris: estq; doctrina communis. Dicitur autem aliquis vsurarius *realis* in proposito non is qui quomodocumque re ipsa accipit auctarium, *ex vi mutui*, sed is qui exterius etiam explicat mutuatario hanc prauam mẽtem suam pacto explicito vel implicito, vt diximus puncto primo: *Mentalis* autem vsurarius dicitur in proposito non is qui solùm habeat interiorem voluntatem accipiendi aliquid vltra sortem ex vi mutui, sed is qui quamuis id etiam auctarium *ex vi mutui* recipit, tamen non explicat hanc prauam voluntatem suam vllo pacto explicito aut implicito, vt etiam puncto primo diximus. Aliàs si solum esset quis mentalis vsurarius per internum desiderium, nihil exterius recipiendo; clarum est quòd nihil deberet restituere. Hoc posito facile patet nostrũ illud Consectarium, Nam cum tam mentalis, quàm exterior vsurarius, recipiat lucrum vsurarium iniusto titulo, neutri vult mutuatarius conferre illius dominium.

Nec est verum quod quidam dicunt, eum solum vsurarium mentalem debere restituere, qui aliquo saltem *signo* insinuauerit prauam suam intentionem. Non est hoc verum, vt rectè Sotus & Medina locis citatis notarunt. Primò, Nam si ita est, solus vsurarius exterior teneretur restituere, quod est contra capitulum Consuluit, de Vsuris. Probatur. Nam ex omnium sententia quæuis insinuatio prauæ voluntatis seu pactum implicitum, satis est ad *realem* vsuram. Secundò, Nam ratio obligationis restituendi in proposito nõ est, quia vsurarius dicat aliquid vel nõ dicat, sed quia re ipsa aliquid iniustè accipit, & sic non acquirit dominium; quod constat æquè accidere posse, siue vsurarius prauam suam intentionem signo aliquo insinuet, siue non.

Dixi autem in illo primo Consectario, vsurarium mentalem debere restituere, *si putat aut debet putare mutuatarium dare ex vi mutui*. Si enim probabiliter putaret illum dare *gratis*, iam non esset vsurarius mentalis. Et quamuis tunc reuera mutuatarius dedisset propter mutuum, tamen bona fides excusaret mutuantem à peccato & obligatione restituendi. Deberet tamen is cùm primum sciret alterum dedisse ob mutuum, restituere non quidem ratione acceptionis (Non enim ea fuit iniusta) sed ratione rei acceptæ. Vnde si rem sic acceptam, bona fide consumpsisset, nec factus esset ex ea ditior, nihil restituere deberet; vt hîc articulo primo bene notauit Caietanus, & patet ex doctrina, quam de Restitutione tradidimus supra quæstione sexta, puncto tertio.

Si verò contra contingeret, vt mutuatarius reipsa daret *gratis*, mutuans autem acciperet mala intentione, quasi datum *ob mutuum*; tunc quidem si ad *rem acceptam* attendamus nihil deberet Mutuans restituere; quandoquidem reuera non accepit

accepit contra voluntatem Mutuatarij, deberet tamen tunc ratione *conscientiæ erroneæ* restituere. Quod si resciret, mutuatarium sponte dare; posset licitè donationem acceptare, nec deberet quicquam illi aut etiam pauperibus restituere, quicquid aliqui dicant, quos meritò reiiciunt Caietanus, & Sotus vbi supra. Nunquam enim est obligatio restituendi, nisi cum res aut iniquè accepta fuit, aut inuito domino retinetur, quod in præsenti non fieret. Obligatio autem restituendi pauperibus solum est quando res quidem aliena retinetur inuito domino, sed ignoratur cui sit restituenda; aut etiam quando donatio est prohibita specialiter per leges, sicut est donatio Simoniaca, vt vidimus quæstione sexta, puncto quarto. Neutrum autem istorũ accideret in proposito.

SECVNDO sequitur, non posse vsurarios alienare eas res acceptas per vsuram, quæ non sunt vsu consumptibiles, vt domum, equum, &c. Nam eædem sunt mutuatariis restituendæ. Si verò sunt vsu consumptibiles, distinguẽdum est, Nam si præter illas habet aliunde vsurarius, vnde possit restituere, potest illas alienare: Nihil enim interest mutuatarij, vtrum illas vel alias, aut earum precium recipiat. Si autem non haberet vsurarius res alias, vnde posset restituere tunc est itedum distinguendum. Nam per contractus, qui dicuntur *onerosi*, hoc est, ex quibus tantumdem recipitur; vt per emptionem, &c. bene posset illas alienare; siquidem non ideo esset minus potens ad restituendum, vt bene notarunt Sotus, & Medina. Per Contractus autem alios *gratiosos* dictos, ex quibus non tantumdem recipitur; vt per donationem, dotationem filiæ, &c. non posset illas res alienare. Nam omnia bona vsurarij, sicut in solutione secundi ait S. Thomas, sunt obligata restitutioni: & ita fieret iniuria mutuatariis alienando ea.

Hic tamen excipienda sunt ea, quæ vsurarius aut grauis, aut extremæ necessitatis causâ consumeret: Item quæ consumeret ordinarij victus causâ, vel etiam causa decentiæ status, & proprij honoris alias legitimè acquisiti; maximè si ex talibus moderatis sumptibus non putaretur moraliter loquendo fieri inhabilis ad restituendum postea, eo modo & tempore quo omnibus consideratis iudicaretur teneri restituere: Tunc enim minus rationabiliter possunt creditores ægrè ferre tales alienationes bonorum, siquidem eo tempore non habent ius, vt ipsis cum detrimento honesti status proprij vsurarius satisfaciat; & maximè si is propterea non redditur inhabilis ad satisfaciendum postea.

Quæ omnia patent ex iis, quæ supra quæstione sexta, puncto septimo, tradidimus cum exponeremus causas quibus aliquis excusatur à restituendo statim; quarum vna est decentia proprij status legitimè acquisiti, cum cuius detrimento (vt capite decimo septimo, numero sexagesimo tertio, Nauarrus & alij verè sentiunt, quos in dicta quæstione sexta citaui) nemo tenetur restituere, etiamsi id quod debet per iniustã actionem acquisiuisset.

Item confirmantur hæc ex eo, quod vt Nauarrus capite eodem, numero ducentesimo sexagesimo octauo dicit, vxor & filij vsurarij possunt licitè recipere victum ordinarium ab ipso: Imò & famuli necessarij. Quod non esset verum si vsurarius sine iniuria Creditorum non posset vxori, filiis & famulis victum ordinarium impertiri. Tunc enim nec ipsi possent licitè recipere.

Itaque si vsurarij, & alij debitores aliunde licitè honorem acquisierunt, non tenebũtur cum notabili detrimento honesti sui status restituere. Satis enim est, si quantum commodè fieri possit sumptibus parcant, & ab extraordinariis donationibus abstineant, studeantque parce viuere, vt possint sine status detrimento restituere; Aliàs esset onus intolerabile, & quod creditor si esset in simili necessitate, nec posset nec deberet rationabiliter sustinere. Vnde is æquo debet ferre animo, vt alter etiam exspectet tempus commodum ad restituendum.

Secus, si quis more latronum quidquid habet honoris, per iniustas tantum actiones acquisiuisset: Talis enim non haberet ius ad conseruandum eiusmodi statum, sed deberet statim cogi ad restituendum, vt vidimus in d. quæstione sexta, puncto septimo. Ac de tali videntur potissimum intelligendi nonnulli Doctores, quando simpliciter negant posse vsurarium alienare aliquid per contractus non onerosos extra necessitatem extremam.

TERTIO sequitur, etiam eos qui cooperantur vsurariis, restituere debere, & quidem *in solidum*. Tales sunt famuli, qui recipiunt vsurarias pecunias: Item qui consulunt: Item qui intercedunt negociando: Maximè verò Iudices, qui vel cogunt mutuatarium soluere vsuras, vel negant illi actionem contra vsurarium. Nam ex officio debent fauere mutuatario, vt patet Clem. vnica, de Vsuris, vbi abrogantur quæcunque statuta in fauorem vsurariorum.

Non tamen sunt censendi cooperatores famuli quidam, qui cum fortè nihil intelligant; portant tamen pecunias, aut etiam solum scribunt rationem dati & accepti. Secus, si id faciunt intelligentes dominorum iniquitatem, vt supra quæstione sexta, puncto tertio, resoluimus ex sententia Nauarri capite decimo septimo, numero ducentesimo sexagesimo sexto, & Caietani supra quæstione sexagesima secunda, articulo septimo. Et Syluestri, verbo Vsura 7. quæstione quarta, contra Sotum libro quarto de Iustitia, quæstione septima, articulo tertio. Et libro sexto, quæstione prima, articulo quinto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item neque verè cooperantur tabelliones, qui instrumentum publicum ita faciunt, vt non significent totam summam quam exspectat vsurarius, deberi quasi capitale iusto titulo puri mutui, sed ita vt appareat *vi mutui* auctariũ aliquod peti vltra sortem; Tunc enim nihil ij cooperantur ad vsuræ exactionem: quandoquidem vi talis instrumenti, nõ minus sed melius poterit mutuatarius contra vsurariũ agere, quàm vsurarius contra mutuatarium: Nam inspecto tali instrumento, iudices debent iudicare in fauorem mutuatarij. Imò etiamsi tabellarius in Instrumento non distingueret auctarium à sorte, tamen si id faceret tantummodo in fauorem mutuatarij, vt is posset mutuum habere, nõ autem in fauorem vsurarij, vt is vsurã accipiat; non cooperaretur vsurario, vt satis patet. Atque ita etiam notat Nauarrus capite decimo septimo, numero 275. Et Sotus libro sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo quinto. Hæc de Restitutione primi lucri vsurarij.

Nunc de SECVNDO lucro quod interdum Vsurarius facit ex primo, videndum est, An sit restituendum. Et quidem si id lucrum factum sit ex re vsuraria fructifera, non est dubium quin restitui debeat. Nam sicut dominiũ rei vsurariæ fructiferæ pertinet ad Mutuatarium, ita etiam fructus illius, vt docet hîc D. Thomas, & alij.

Si autem id lucrum factum sit ab vsurario ex re vsuraria non fructifera, sed vsu consumptibili, vt puta ex pecunia; tunc negat diuus Thomas hîc debere restitui: Nam tale lucrum non est fructus rei per vsuram acceptæ, sed potius industriæ vsurarij, Ergo non Mutuatario quantumuis domino rei, sed vsurario competit.

Sed num hæc doctrina ab omnibus alioqui recepta, sit vera, vlterius dispiciendum est. Occurrunt enim nonnulla argumenta, quibus probari videtur esse restituendum id etiam lucrum quod fit ab vsurario, ex re vsuraria nõ fructifera, sed vsu consumptibili.

PRIMO, Nam ideo docet S. Thomas lucrum factum ex re vsuraria fructifera esse restituendũ, quia est fructus rei, cuius mutuatarius est dominus. Sed lucrum factum ex pecunia vsuraria, est etiam fructus rei cuius vsurarius est dominus, Ergo illud quoque restituendum erit Mutuatario. Probatur Minor, Nam in contractu societatis (vt infra docebimus ex sententia omnium) socius qui tantùm pecuniam exposuit, altero socio adhibente industriam; iustè reportat partem lucri facti, tum ex pecunia sua, tum ex alterius socij industria; eo quòd factum est id lucrum partim ex *suapecunia*, tametsi non sine alterius industria, Ergo cum similiter hîc lucrum factum per industriam vsurarij ex pecunia mutuatarij, sit partim effectus seu fructus pecuniæ mutuatarij; consequens est, vt debeat ad mutuatarium pars saltem eius lucri peruenire. Vnde falsò videtur S. Thomas hîc dicere, quòd tale lucrum sit solùm ex industria vsurarij.

SECVNDO. Nam non obstante, quòd fructus agri, verbi gratia, non sit effectus solius agri, sed etiam industriæ Vsurarij colentis; tamen nihilominus mutuatarius, vt adhuc Dominus vsurariæ rei fructiferæ, licitè percipit fructus agri deductis tantum sumptibus, quos in cultura fecisset. Ergo similiter, quamuis lucrum factum ex pecunia vsuraria, non sit effectus solius eius pecuniæ, sed partim etiam industriæ vsurarij: tamen potest mutuatarius eam partem lucri participare, quæ respondet illi suæ pecuniæ, deductis tantum expensis quas fecisset, si ad id lucrum faciendum conduxisset operam & industriam vsurarij tanquam cuiusdam negociatoris.

TERTIO, Nam vsurarius non acquirit dominium huiusmodi lucri, ergo debet illud restituere; si nõ mutuatario, certè iis, à quibus res pro vsuraria pecunia cum lucro emit. Probatur Antecedens, Nam is qui res vendidit vsurario non voluit dominium transferre suarum rerum nisi in eum, qui similiter posset in ipsum vicissim transferre dominium pecuniæ. Sed hoc non potest facere vsurarius. Ergo minimè is acquirit dominium rerum earum, quas pro vsuraria pecunia cum lucro emit. Probatur Minor, Quia non est eius pecuniæ dominus. Confirmatur, Nam alias ex iniustitia, quam facit vsurarius alienando pecuniam alterius, reportaret commodum: quod est absurdum.

His tamen non obstantibus contraria sententia D. Thomæ, vera & communis est, præter paucos citatos à Medina, in quæstione de restitutione vsurarum; Nempe, Vsurarium non obligari ad restituendum id lucrum quod facit ex vsuraria re vsu consumptibili, vt puta ex pecunia. Neque oportet sententiam hanc aliter probare, quàm respondendo ad obiecta argumenta.

Ad PRIMVM respondeo negando Minorem, Ad probationem dico esse discrimen: nam lucrũ illud, quod in contractu societatis reportat socius exponens solùm pecuniam, *non est fructus pecuniæ absolutè, sed pecuniæ expositæ negociationi per voluntatem sui domini*; & adhuc sic pecunia non confert ad lucrum vt *causa*, sed vt materia vel instrumentum lucrandi. In nostro autem proposito pecunia vsuraria, quam vsurarius à mutuatario extorsit, non fuit ex voluntate mutuatarij exposita illi negociationi, quam per eam deinde exercet vsurarius. Itaq; ea pecunia, tantummodo vt pecunia est *absolutè*, est adhuc mutuatarij. Quo pacto considerata non parit *ipsa* neque omnino, neque ex parte lucrum factum per illam ab vsurario; sed vt ab vsurario solo est negociationi *exposita*: & propterea nihil lucri debet mutuatarius reportare, sed vsurarius tantum, cuius solius voluntate fuit pecunia illa negociationi exposita, ac proinde fructifera effecta.

Secus

Secus autem est iudicandum de fructu rei fructiferæ. Ille enim est rei fructus etiam *absolutè* consideratæ, vt ad mutuatarium pertinet; quandoquidẽ per se res eiusmodi est vera causa fructus: Et ideo ad mutuatarium pertinet id lucrũ, quod rei fructiferæ respondet deductis expensis in rei cultura. Pecunia autem vsuraria (vt diximus) solum vt instrumentum, per voluntatem solius vsurarij negociationi expositum, concurrit ad lucrũ; Et idcirco nulla pars eius lucri debetur domino eiusmodi pecuniæ, nempe mutuatario.

Quemadmodum, etsi fur quispiam per instrumentum furto ablatum alicui Artifici, quidpiam lucraretur; tamen quia id instrumentum non ex se, sed solum instrumentaliter, vt vsurpatum à fure, concurreret ad id lucrum: nullus diceret, furem debere restituere artifici aliquid ex lucro ab se facto mediante illo instrumẽto, quasi tituło fructus facti ex re propria artificis; quamuis deberet quidem resarcire artifici lucrum cessãs, si aliquod illi cessauit ex defectu instrumenti. Sicut etiam vsurarius, si damnum intulit mutuatario, priuando illum pecunia, debet ei illud compensare, vt docet hîc D. Thomas.

Ad SECVNDVM argumẽtum respondeo, Ne ipsum quidem lucrum ab vsurario factũ esse fructum vsuriariæ pecuniæ absolutè consideratæ, vt ea pertinet ad dominium mutuatarij, sed solum esse fructum eius pecuniæ, vt expositæ per solam voluntatem vsurarij negociationi, sicut dictum est in responsione ad primum.

Ad TERTIVM respondeo, Mutuatarium taciteè in eo consentire, vt vsurarius per contractus *onerosos*, ex quibus scilicet tantumdem is recipit, ponit pecuniam vsurariam alienare. Quandoquidem nil ipsius mutuatarij interest recipere eandem numero pecuniam vel diuersam, cùm sit res vsu consumptibilis.

Et consequẽter etiam ad confirmationem respondeo, vsurariũ non propterea per se loquendo committere iniustitiam, quod per eiusmodi onerosos Contractus rem alienet: nisi fortè de nouo tunc intentionem habeat non aliunde restituendi.

PVNCTVM QVARTVM.

An etiam accipere mutuum sub vsura sit illicitum.

D. Thomas art. 4.

DISTINGVENDVM est. Nam dupliciter potest quis petere ab alio mutuum sub vsura. VNO modo directa intentione inducendo illum, vt sub vsura det mutuo. Et hoc constat omnino esse illicitum, vt docet D. Thomas hîc & omnes. Nam inducere alium ad peccatum nunquam licet. Est enim id *scandalum actiuum* contra charitatem, vt disputauimus supra disputatione tertia, quæstione antepenultima.

Ac notat optimè hîc Caietanus, & Nauarrus capite decimo septimo, numero 262. neque à parato quidem vsurario licere petere, vt mutuet ad vsuram. Nam siue hoc propriè sit paratum alioqui *inducere* ad peccandum siue non; tamen certum est, hoc esse approbare & optare peccatum alterius si directè quis petit, vt peccet. Quare quod libro sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo quinto, ait Sotus, non esse peccatum petere ab vsurario parato, vt mutuet ad vsurã; neque esse distinctum peccatũ à fornicatione, petere consensum à scorto, non videtur verum simpliciter, si vera sit *petitio*, hoc est quæ sit coniuncta cum desiderio & approbatione eius quod petitur: quo modo communiter petitio fieri solet.

Secus, si verba petitionis, verè non tam habeant vim petendi, quàm *exponendi* solùm quid is qui videtur petere sit facturus, & cupit etiam facere, si alter velit etiam ex sua parte facere (quãtumuis cum peccato) quod ad illum pertinet. Vt si quis vsurario parato dicat, Des mihi mutuum, etiamsi debeas petere vsuram. Similiter si quis ita loquatur scorto, vt potius videatur interrogare, an velit consentire. In huiusmodi enim casibus is qui petere videtur non est particeps peccati alterius: nam reuera non petit alterius peccatum, sed exponit quid ipse pro sua parte habeat in animo facere.

ALTERO modo potest quis petere mutuũ ab vsurario, non inducendo illum vt sub vsura det, neq; id intendendo, sed solum intendendo obtinere ab eo mutuum, quo suæ necessitati consulat, quantũuis oporteat soluere vsuram. Et tunc potissimum est difficultas in explicando, quomodo talis peccet vel nõ peccet petens mutuum ab vsurario, quem scit alioqui vsuram exacturũ atq; adeò peccaturum.

Et quia res hæc nonnihil est perplexa, vt clarè illam expediamus, *primò* præmittendum est, ex triplici capite oriri posse dubium, Num petens mutuum ab vsurario, particeps fiat peccati illius ei cooperando, atque adeò peccet. PRIMO, ex eo quòd *petit* ab illo mutuum. SECVNDO, ex eo quòd postea simul cum capitali *soluit* illi vsurarium auctarium. TERTIO, ex conditione *causæ*, ob quam quis petit mutuum & soluit auctariũ. Quanquam verò Doctores tantum ferè soleant disputare de primo & tertio capite; tamen quia in secũdo potissima est difficultas, vt videbimus, dicemus seorsim de singulis.

Secundò præmittendum est, dupliciter posse contingere, vt quis cooperetur peccato alterius. Primò *directè*; hoc est, simul cum alio moraliter concurrendo ad peccatum. Secundò *indirectè*, scilicet non impediendo illud cùm quis poterat & debebat, vt patet ex doctrina à nobis tradita to-

mo se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo secundo, disputatione secunda, quæstione prima.

His positis: Quod attinet ad PRIMVM dubitationis Caput, dico PRIMO. Directè non cooperatur vsurario is qui solùm *petit* mutuum ab illo. Id patet, Nam si tantum petat mutuum; non approbat nec optat peccatum vsurarij, sed tantùm petit ab eo id quod vsurarius potest exercere sine peccato, scilicet mutuum. Hoc autem in omnibus materiis licet sine peccato saltem directæ cooperationis; vt hîc notat Caietanus, & omnes fatentur.

Dico SECVNDO, si quis absq; suo detrimento vel alterius potest abstinere à petitione mutui, & nihilominus id petit ab vsurario; indirectè cooperatur illi, & sic peccat mortaliter ex genere. Quilibet enim præcepto Charitatis affirmatiuo tenetur ita diligere proximum, vt quantum est in se, si sine suo & alterius detrimento possit vitet peccatum proximi, non dando illi vllo modo occasionem ex qua peccet & incurrat scandalum passiuum. Quod tripliciter probatur.

Primò, ex his quæ disputauimus supra disputatione tertia, in quæstione de Scandalo, & tradit etiã D. Thomas quæstione quadragesima quinta, articulo septimo & octauo præsertim. Nam ob id Charitatis præceptum debet quandoque mulier, ne alicui sit scandalo, domi se continere, Item non respicere per fenestram, si id sine detrimento suo potest, etiamsi alter esset peccaturus ex malitia. *Secundò*, Nam hoc ipsum præceptum videtur indicari Ecclesiastici decimo septimo illis verbis: *Mandauit illis* (Deus hominibus) *vnicuiq; de proximo suo*. *Tertiò*: Nam etiam quisque debet, quando sine suo detrimẽto potest, vitare damnũ temporale alterius, vt si cõflagret vicini domus, & facile queat subuenire, &c. Ergo à fortiori debet, quando sine suo detrimento potest, vitare damnum spirituale alterius.

Vnde omnino arbitror verum esse, quod asserunt Syluester, verbo Vsura 7. quæstione prima, Et Richardus in 4. sentent. d. 15. artic. quinto, quæstione quinta ad 2. quem videtur sequi Gabriel eadem d. quæstione vndecima, articulo tertio, dub. 14. & alij quos Syluester citat; scilicet peccare mortaliter ex genere eum, qui petit mutuum ab vsurario sine necessitate sua vel alterius. Cuius sententiæ fundamentũ constitui debet in præcepto illo Charitatis quod iam confirmaui.

Imò sanctus Thomas non obscurè hîc articulo quarto videtur huius sententiæ. Non enim concedit aliter licere petere mutuum ab vsurario nisi ob aliquod bonum, scilicet vt succurratur necessitati. Et in solutione secundi argumenti cum doceret, non ideo debere aliquem abstinere à petitione mutui, quia alter sit peccaturus vsuram exigendo; addit, *si indigeat*. Atque ita intellexit sanctum Thomam Syluester ex sententia aliorum, quidquid Caietanus & Sotus commententur.

Adde, quòd si vsurarius non ex mera malitia, sed ex vehementi passione auaritiæ esset petiturus vsuras, deberet quis etiam cum aliquo suo detrimento abstinere à petitione mutui; sicut supra in quæstione de scandalo disputauimus debere mulierem etiam cum aliquo detrimẽto suo continere se domi, si alter peccaturus creditur ex infirmitate: imò debet etiam omittere sacrũ. Ratio huius est, quia tunc proximus est in maiori necessitate: & ideo strictius tunc obligat præceptum charitatis affirmatiuum ad impediendum damnum illius spirituale, quàm si ex *mera malitia* esset peccaturus; quo casu, solùm tenetur quis vitare scandalum alterius passiuũ, quando sine suo aliquo detrimento potest.

Hîc autem duo diligenter sunt notanda. PRIMVM est, Nomine *necessitatis* in proposito, ob quã dicimus, licitè peti posse ab vsurario mutuũ, non esse solùm indigentiam extremam aut grauem necessitatem, sed etiam quamuis vtilitatem, quæ pertineat ad decentiam status, vt Richardus loco citato & alij bene notarunt. Non enim adeò strictè obligant affirmatiua præcepta, vt debeat quis ob illa statum & honorem proprium negligere.

Ex quo sequitur, raro accidere, vt quando aliquis petit mutuum ab vsurario gratiâ alicuius actus secundùm se liciti, indirectè vsurario cooperetur violando præceptum affirmatiuum dilectionis proximi impediendo proximi peccato. Communiter enim actus liciti referri possunt ad decentiam status. Vnde nostrum illud secundum dictum, potissimum habet locum, quãdo petitur mutuum ad actus illicitos, qui nec ad status decẽtiam, nec ad aliquid omnino sunt rationabiliter vtiles.

Quapropter quod quidam Doctores dicunt, & fertur sanctus Thomas respondisse lectori cuidam Florentino, non esse licitum petere mutuum ab vsurario, copiosius negociandi causâ; verum est quando iudicatur copiosior illa negociatio non posse rationabiliter pertinere ad augẽdum statum. Vt si status quem negociator cogitat, non deceat personam ipsius, nec puteretur moraliter illum assequuturus, atque ideo meritò iudicetur, frustrà & sine ratione, velle copiosius negociari.

SECVNDVM quod hîc notari debet, est, posse bene vel malè intelligi quod Nauarrus capite decimo septimo, numero 263. Et Syluester, verbo Vsura 7. quæstione prima, & alij dicunt, scilicet in casu extremæ necessitatis non modò esse licitum petere mutuum ab vsurario, sed etiam *inducere* eum ad mutuãdum sub vsura; vt sic impediat quis maius malum quod vsurarius committeret indirectè occidendo eum, qui est in tali necessitate, si nollet ei succurrere. Nam duobus modis hoc dictum istorum auctorum intelligi potest.

VNO modo verè: si nimirum *inducere* tunc ad

ctorum nihil aliud sit, quàm auertere animum vsurarij ab illo alio maiori malo, *exponendo* ei, quemadmodum exercendo minus malum, scilicet vsuram, possit vitare maius malum occisionis indirectè, & simul explere suam auaritiam, ob quam alioqui non vellet subuenire proximo in extrema necessitate. Hoc enim vsurario ita exponere, non est illicitum, neque contra præceptum vllum Charitatis proximo debitæ.

Non enim id est contra præceptum Charitatis negatiuum de non impellendo alium ad peccati malum; sed tantum est non vitare vsurarij peccatum, atque adeo scandalum passiuũ, quod ex ea declaratione minoris mali putatur incursurus committendo id minus malum. Neque etiam id in casu necessitatis proximi, præsertim extremæ, est violare affirmatiuum præceptum charitatis, de vitando eo scandalo: siquidem tũc id præceptum non obligat: cùm Charitas tunc suppeditet ius succurrẽdi potius necessitati proximi, neglecto etiam alterius peccato, qui nulla necessitate ad peccandũ adigitur, sed sua sponte committendo minus malum putatur peccaturus.

Et hoc ipsum tantummodo videntur fecisse illi Decemuiri apud Ieremiam cap. 41. qui dixerunt Ismaeli. *Noli nos occidere, quia thesauros habemus in agro*. Tantummodo enim exposuerunt, quemadmodum Ismael per minus malum, scilicet iniustitiæ in auferendis alienis thesauris, potuerit vitare maius malum homicidij. Atq; etiam idem videtur fecisse Loth docendo Sodomitas (quo eos auocaret à maiori flagitio) habere se domi filias. Si tamen id quod subdit: *abutimini eis vt libet*, intelligatur permissiuè tantum, vt hîc vult Caietanus. Denique hoc ipsum videtur esse, quod resolutè hîc ait Caietanus, licitum esse, commissuro maius malum *offerre* materiam minoris mali, vt viter maius, id quod à nemine negatur.

ALTERO modo illud prædictorum Auctorũ dictum, potest ita intelligi vt planè sit falsum: Nimirum si sensus sit, non modò licitum esse animum, alterius auertere à maiori malo explicando ei minus, sed etiam ei verè *consulere* id minus malum quamuis non quidem vt faciat id simpliciter, sed (vt quidam loquuntur) *comparatiuè*, id est, vt faciat illud potius, casu quo alterum est facturus.

Est enim differentia inter hos modos duos. Nam iuxta primum, Voluntas proponentis minus malum, non fertur in malum vllum, sed tantum in *vitationem* maioris mali & *expositionem* minoris: quorum neutrum est illicitum; quantumuis inde putetur vsurarius scandalum passiuum incursurus committendo minus malum. Nam quamuis voluntas declarantis minus malum feratur in vitationem maioris mali & minoris declarationem, tamen potest adhuc optare, vt alterum neutrum malum committat. At iuxta secundum modum voluntas proponentis minus malum, nõ solum fertur in vitationem maioris mali, sed etiam in *executionem mali minoris* casu quo alterutrum est faciendum. Id enim est propriè *consulere potius* minus malum, scilicet potius velle in tali casu & approbare executionem minoris mali.

Hoc posito probatur *primò*. Non licere hoc secundo modo in prædicto casu extremæ necessitatis proximi inducere alterum ad vsuram tanquam ad minus malum, quàm sit occisio indirecta eius, qui extremam necessitatem patitur. Est enim id propriè suadere, seu *consulere* ipsum minus malum, atque adeo velle quoddam malum, Ergo non licet. Probatur Antecedens. Bona est enim hæc Consequentia. Hic consulit potius hoc malum, Ergo consulit hoc malum. Comparatiuum enim non tollit positiuum. Itaque fallitur Adrianus cum dicit quodlib. 3. quæstione secunda, licere consulere peccatum casu, quo maius esset quis perpetraturus.

Secundò idem probatur, Nam alter in isto casu, faciendo potius minus malum, peccat. Ergo etiam is qui consulit peccat, consulendo potius illud ipsum minus malum. Antecedẽs patet. Probo Consequentiam. Nam quod ad peccatum attinet, nihil interest inter consilium & executionem, si omnibus pensatis vno & eodem modo se habet obiectum peccati ad consilium & ad executionem. Sed in isto casu, illud ipsum quod vsurarius omnibus pensatis potius facit, tu etiam potius consulis faciendum, Ergo sicut ille peccat potius id faciendo: ita & tu id potius consulendo.

Hinc patet, Quomodo diiudicanda & in concordiam redigenda sit CONTROVERSIA quæ circa hoc ipsum est inter Doctores aliquos non satis explicatè loquentes. Gabriel enim in 4. sentent. d. 15. quæstione vndecima, articulo tertio, dub. 14. Et Caietanus hîc, cùm generatim negãt, licere consulere minus malum ad vitandum maius; si procedant hoc secundo modo verissimè id negant. Alij verò, inter quos est Sotus libro sexto, quæstione prima, articulo quinto, (disputans de hoc contra Caietanum) cum concedunt id esse licitum, si procedãt illo primo modo, quo diximus id licere, verè etiam sentiunt, sed tunc tantum in modo loquendi discrepant à Caietano, vt patet ex ipso in opusc. 17. qq. responsione 13. dub. 3. Ibi enim apparet Caietanum non velle negare, quin iuxta primum modum dictum, liceat consulere minus malum, quanquam reuera non sit id propriè minus malum consulere. Si verò Sotus & alij velint, quod etiam liceat propriè consulere secundo modo dicto, vt indicare videtur ille modus loquendi cum dicunt, licitum esse *inducere*, &c. nullo modo est admittenda eorum sententia.

Expositi hactenus, Quando *petens* mutuum ab vsurario, cooperetur ob id vel non cooperetur peccato vsurarij: id quod pertinebat ad PRIMVM

Caput de hoc dubitandi ex tribus, quæ initio huius Puncti proposuimus.

Iam de SECVNDO Capite dicendum, videndum namq; est, Vtrũ talis peccato vsurarij propterea cooperetur, quod postea *soluit* ei auctariũ cum capitali. Et quidem, quod attinet ad *indirectam* cooperationem; idem est iudicium de *solutione* auctarij & *petitione* mutui. Si enim quis absque rationabili causa, atque adeò illicitè petiit mutuum ab vsurario, is postea etiam illicitè soluit ei Vsurarium auctarium: Nam, similiter cùm soluit, cooperatur tũc indirectè ei peccato, quod ipse Vsurarius committit accipiendo etiam auctarium.

De cooperatione autem *directa* maior est hic difficultas; Videtur namque directè cooperari peccato vsurarij is qui ei soluit vsuram. Nam qui alteri præbet materiam proximam peccati; directè cooperatur eius peccato; sed *soluens* vsuram, eo ipso præbet vsurario proximam materiã peccati, Ergo directè peccato ipsius cooperatur. Probatur Maior, Nam ex communi sentẽtia malè facit is qui vinum, verbi gratia, vendit ebrioso, vel fœminam committit luxurioso; idq; non alia de causa, nisi quia directè videtur cooperari ad istorum peccatum. Minor autem probatur; Nam sicut vinum est obiectum & materia proxima in qua peccat ebriosus contra temperãtiam, ita vsurarium auctarium est obiectum & materia proxima, in qua peccat vsurarius contra Iustitiam.

Nec satis erit dicere, ideo non esse id directè cooperari, quia vsurarius iam ante peccauit actu interiori cupiendo auctarium, & actus exterior secundùm aliquos non addit nouam malitiam. Nam primò, Si hoc obstaret cooperationi directæ ad actum externum malum, etiam excusaretur dans vinum ebrioso, si ebriosus iam ante (vt fit) interiori voluntate mala & desiderio potandi peccasset. Deinde: Vt præbens materiam proximam peccati externi censeatur directè cooperari peccanti, & eo ipso peccare, nihil interest, vtrum actus exterior addat vel nõ addat nouam malitiam ad internum actum: sufficit enim ad id, quòd secũdum omnes, exterior actus est malus, siue per nouam malitiam, siue per eandem quæ ad illum deriuetur ex actu interiori. Aliàs, neque cooperãs ad occisionem exteriorem peccaret; cum homicida ante per interiorem actum peccauerit.

Nihilominus statuẽdum est, hoc solum, quod est, præbere alteri materiam proximam peccati; si quis non etiam approbet peccatũ alterius, sed aliud in eare spectet, non esse *directè cooperari* ad alterius peccatum. Est enim id potius non vitare peccatum & scãdalum passiuum alterius. Quod ipsum neque etiam est indirectè cooperari culpabiliter, quando præceptum affirmatiuum vitandi alterius peccatum & scandalum, non obligat: Non obligat autem in proposito suppeteterationabili causa soluendi vsuram. Quocirca minimè tunc talis peccat.

Patet hoc totum *primò* ex communi sententia, quæ negat peccatũ esse soluere vsuram; quia solum est *iniuriam pati*, quod Auctore Philosopho 5. Eth. cap. 11. non est malum. Quæ quidem sententia non posset defendi si præbere proximam peccati materiam esset directè cooperari peccato. Tunc enim peccaret soluens vsuram contra præceptum *negatiuum* de non committenda per directam cooperationem siue operationem iniustitia vsuræ. Quod præceptum nunquam licet transgredi, nè pro redimenda quidem vita cuiquam, vt definitum est, ab Alexandro III. in cap. Super eo, Ext. de vsuris.

Secundò idem patet ex eo, quòd licitum est pro salute Reipublicæ offerre se Tyrãno, & mortem fortiter oppetere. Quod non esset licitum si præbere materiam peccati esset directè cooperari. Præbet enim sese talis materiam occisionis.

Tertiò, Quia alias nõ esset verum, quod S. Thomas hic & omnes fatentur, licere alicui exponere suas pecunias latroni, vitandæ mortis causã: cùm id etiam sit exhibere latroni proximã materiam iniustæ acceptionis pecuniarum.

Quartò conuincit etiam idipsum ratio. Nam nemo est causa moralis directa eius, quod nec præcipit, nec consulit, nec approbat, nec reipsa efficit. Sed is qui aliud spectãs, præbet alteri materiam peccati non præcipit, nec consulit, nec approbat vllo modo, nec efficit peccatum alterius, Ergo non est causa moralis directa illius. Probatur Minor. Nam vt supponimus, qui præbet alteri materiam peccati, aliud bonum spectans, non probat voluntate sua peccatum alterius, sed potius auersatur: nec illud præcipit, aut consulit, vt etiam supponimus: nec cum altero efficit actionem, in qua illud peccatum consistit. (Ponimus enim, alterũ solum suo arbitratu peccatum facere) sed tãtum *exhibet* ei materiam quæ ipse abutitur materia sibi exhibita. Ergo nullo modo talis directè cooperatur alterius peccato.

Quintò idem manifestè patet per locũ à Contrario. Nam is qui præbet alteri materiam boni & meritorij actus, aliud tamen spectans & neque approbans, neque consulens bonum actum, cuius causâ alter materiam recipit; non potest censeri causa moralis directa illius boni actus, nec particeps meriti. Ergo nec is qui materiam mali actus præbet, si aliud spectet, &c. Consequentia patet à paritate: cùm vtrobique sit idem modus concurrendi. Antecedens verò probatur. Nullus enim concedit eum, qui, verbi gratia, vendit panem illi, qui vult dare Eleemosynam esse participem meriti illius actus, si in vendendo nihil aliud spectauit quàm propriam vtilitatem.

Patet

Patet igitur, hoc quod est, *præbere* materiam actus mali præcisè & formaliter, non esse concurrere directè ad malum actum, sed tantum non vitare alterius peccatum & passiuum scãdalum, quod ille per occasionem talis materiæ incurrit. Id quod in proposito non est illicitum, quando subest causa rationabilis soluendi vsuram, atque adeò negligendi Vsurarij peccatum.

Vnde ad ARGVMENTVM contrarium nego Maiorem. Ad probationẽ respondeo, Eum qui peccat exhibendo vinum ebrioso, &c. non peccare cooperando directè, sed *indirectè*; quia scilicet absque rationabili causa (vt suppono) omittit impedire proximi peccatũ & passiuum scandalum, negando ei vinum sicut poterat & tenebatur. Et sic sentẽtia de hac re communis (quòd scilicet præbens materiam peccati proximã cooperetur peccato) intelligi debet: nempe de cooperatione indirecta, cum ad præbendam peccati materiam & ad negligendum alterius peccatum, non suppetit causa rationabilis. Nam alioqui si ea sententia intelligeretur de cooperatione *directa*; multæ doctrinæ communes secum pugnarent, vt iam ex dictis patet.

Sufficit autem *indirecta* cooperatio ad hoc vt peccent communiter vendentes res iis, qui sunt illis abusuri. Cùm enim sine proprio detrimento possent aliis (communiter loquendo) æquè vtiliter eiusmodi res vendere; peccant non vitando scandalum proximi passiuum.

Sed est CONTRA hoc argumentum. Nam si hæc vera sunt; sequitur peccare etiam eos *indirectè cooperando*, qui locant domum scorto, aut vsurario, quando possent absq; suo detrimento non locare illis: quod tamen supra quæstione præcedenti, puncto vltimo non damnauimus. Probatur sequela. Nam similiter isti non vitant proximi peccatum & passiuum scandalum, cum possint absque suo detrimento.

RESPONDEO ad hoc argumentum per tria dicta. PRIMO dico, Magnum esse discrimen inter *locum* & *materiam*. Nam ex *loco* propriè loquẽdo, non sumunt tales peccatores occasionẽ peccandi; licet peccando quidem loco abutantur, sicut etiam aëre ipso abutuntur. At verò ex peccati *materia*, quia ea proximè se habet ad peccatum; maximè sumitur peccati occasio & passiuũ scandalum incurritur. Quo fit, vt non præbere peccati materiam, propriè sit vitare passiuũ proximi scandalum; non autem, nõ locare domum. Et propterea ad non præbendam peccati materiam tenetur quis, quando sine detrimento suo potest; non verò ad non locandam domum. Alioqui, si non præbere peccatoribus ea quæ quomodolibet pertinent ad peccandum esset vitare illorum scandalum ad quod vitandum quis teneretur, nec panẽ, nec vestem, nec aliud aliquid simile posset quis peccatori conferre. Quæcunque enim ad vitam pertinent, etiam conducunt aliquo modo ad peccandum.

Dico SECVNDO, si accideret, vt ob loci circumstantias aliquis incurreret passiuum scandalum, similiter deberet quis (quando sine suo detrimento posset) vitare tale scandalum & peccatum proximi non locando domum.

Dico TERTIO, Obrationes solas generales, per quas locus confert ad peccandum (vt scilicet inhabitatur, occultat, &c.) non tenetur quis, etiamsi absque suo detrimento posset, abstinere à locando. Ratio est, tum ob illud discrimen inter peccati locum & materiam, expositum in primo Dicto. Tum etiam quoniam licitè potest quis in locanda domo talibus peccatoribus, spectare finem eundem, quem publica potestas illos permittendo spectat: atq; adeò conformare in hoc se voluntati rectæ superiorum. Itaque subest in huiusmodi locatione causa hæc rationabilis non vitandi proximi passiuum scandalum seu peccatum, abstinẽdo à locatione. Ac videnda sunt circa hoc etiam quæ supra quæst. præced. p. vlt. annotauimus. Et hactenus de SECVNDO Capite dubitandi, quando nam petens ab vsurario mutuum cooperetur vel non cooperetur peccato illius, propterea quòd ei vsuram *soluit*.

Superest nunc, vt aliquid etiam dicamus de TERTIO Capite ea de re dubitandi; quando scilicet ex parte *causæ*, ob quam quis ab vsurario petit mutuum & soluit ei vsuram, cooperetur, vel non cooperetur illius peccato.

Dico igitur PRIMO: *Directè* non potest cooperari quis ob conditionem eiusmodi causæ, nisi eo animo peteret ab vsurario mutuum & solueret vsuram, vt vsurarius iniustitiam exerceret: Ita enim & non aliter approbaret talis directè vsurarij peccatum. Sicut etiam si committeret quis pecuniam suam vsurario, vt ex ea vsuram exerceret, quemadmodum in solutione Tertij docet S. Thomas.

Dico SECVNDO. *Indirectè* ob conditionẽ causæ cooperatur quis Vsurarij peccato, quando ex irrationabili causa petit mutuum ab illo, vt patet ex dictis; siue causa irrationabilis fuerit aliquis actus per se aliàs licitus, sed *superfluus* statui, siue per se *illicitus*.

Neque refert, vtrum talis actus ob quem irrationabiliter ab vsurario mutuum petitur, sit illicitus *mortaliter* aut *venialiter*. Nam irrationabilis petitio mutui ab vsurario, semper est ex suo genere peccatum mortale: tanquam cooperatio nimirum indirecta ad peccatum mortale vsurarij, siue per se alioqui causa irrationabilis, quæ ad id mutuum petendum inducit, sit peccatũ mortale, siue tantummodo veniale. Etenim indirecta illa cooperatio ad mortale peccatum vsurarij, hoc ipso continet culpam mortalem, quod absque necessitate vel vtilitate rationabili quis negligit lapsum mortalem proximi. Id quod æquè fit, siue actus non necessarius, ob quem petitur ab vsurario mutuum, sit peccatum veniale, siue mortale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex quo sequitur, non satis explicatè & circúspectè circa hoc locutum esse Caietanum hîc, quem Sotus lib. 6. de Iustitia, quæst. 1. art. 5. sequitur. Dicit enim Caietanus non fore peccatum mortale petere mutuum ab vsurario ob causam venialem; Hoc aio non satis explicatè dici. Si enim loquatur Caietanus de peccato, quod petens *irrationabiliter* mutuum, committit per *omissionem* vitandi scandalum proximi passiuum, atque adeò per indirectam cooperationẽ ad mortale peccatum vsurarij; falsum est quod dicit, vt iam est probatum.

Et patet hoc ipsum euidenter ex eo, quod sine dubio peccaret hoc nomine mortaliter, qui ad actum alioqui ex se indifferentem, atq; adeò neque necessarium neq; vtilem (vt verbi gratia, ad extruendum inutile castrum) mutuum peteret ab vsurario; Ergo multo magis qui id peteret ad actum ex se illicitum venialiter.

Si autẽ loquatur Caietanus de peccato, quod etiam potest talis *committere* ex circumstantia *finis*; malum scilicet finem sibi proponẽdo in mutui petitione: verum est, ex hac quidem parte talem non commissurum peccatum mortale, si finis vel causa petendi mutuum sit tantummodo peccatum veniale: Sed hoc nimis erat clarum, neque videtur valde pertinere ad propositum. Non enim hîc agimus de iis peccatis *commissionis*, quæ possunt aliũde admitti ab eo, qui petit mutuum ab vsurario, sed de cooperatione qua videri posset cooperari vsurario ad iniustitiã mortalem per *omissionem* etiã, non vitando illius scandalum passiuum & peccatum. Nõ enim dubium est, quin talis alia peccata possit simul committere, vt v. g. si ob vsuras non necessarias quas soluit, postea non possit prouidere familię, &c. sicut bene notarunt Sotus loco dicto. Et Nauarrus cap. 17. num. 263.

Disputat etiam hîc Caietanus, quomodo verum sit, quod D. Thomas hîc artic. 4. ad 3. asserit, eum qui committit pecunias vsurario non habenti aliâs vnde vsuras exerceat, participem esse peccati illius. Et dicit quædam Caietanus non satis ad rem. Dicendum autem est, S. Thomam intelligendum esse de participatione per cooperationem indirectam; quando scilicet non subest causa rationabilis committendi eiusmodi vsurario pecunias. Hactenus de Vsura.

QVAESTIO VIGESIMASECVNDA.

De Iustitia & Iniustitia Emptionis & Venditionis censuum.

Ad 2. 2. D. Thom. quæst. 77. vel 78.

EXPEDITA MATERIA DE EMPTIONE ET VENDITIONE, & Vsura, disputari solet à Doctoribus de Censibus, & Cambiis, & de Contractu Societatis. Disseremus igitur de his etiam, quantũ fieri poterit dilucidè & methodicè, in hac & sequentibus quæstionibus: tametsi de his non dissentiat D. Thomas. Ratus nimirum, facilè posse diiudicari Iustitiam & Iniustitiam quorumcunq; Contractuum ex iis, quæ de Iustitia & Iniustitia Contractus Emptionis & Venditionis ac Mutui, sunt hactenus tradita, vt supra etiam annotauimus q. 20. p. 1.

Occurrunt autem de tota materia Censuum septem capita consideranda, quorum distributio inuabit, vt possint eò commodiùs & succinctiùs expediri omnia, quæ ad hanc quæstionem pertinent. PRIMO enim explicandum est, Quid sit Census, & num licitè vendi ac emi possit. SECVNDO, Ex quibus rebus Census vendi possit. Ex quo intelligetur diuisio quædam Censuum à Doctoribus tradita. TERTIO, Quarum rerum pensio siue ex parte rei, in qua Census constituitur, vel ex qua venditur. QVARTO, Ad Census possit vendi. Vbi patebit alia Censuum diuisio ex parte rei, quæ penditur. QVINTO, Vnde sit æstimanda Iustitia precij in emptione quantum temporis spacium possit Census vendi. Ex quo patebit alia Censuum diuisio, tradita ex parte temporis, ad quod venditur Census. QVINTO, Vnde sit æstimanda Iustitia precij in emptione Census. SEXTO, Quænam conditiones queant adiungi emptioni & venditioni Census, per alios contractus simul concurrentes cum ipso. SEPTIMO, Quænam conditiones addi etiam debeant.

PVNCTVM

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Census, & num licitè vendi ac emi possit.

VOCABVLVM Census variis admodum modis vsurpari solet, de quibus fusè Couarruuias lib. 3. variar. resol. cap. 7. Sed notio eius vocabuli, quæ pertinet ad nostrum propositum, est solùm ea, iuxta quam communiter à Doctoribus Census solet definiri, vt sit *Ius percipiendi aliquam pensionem ex re alterius vtili*, in qua re dicitur Census constitui. Exempli causa. Obligat se Petrus Paulo ad conferendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ singulis annis: Ius, quod habet Paulus, eam pensionem percipiendi, dicitur *Census*. Et is quidem qui se obligat ad pensionem soluendam, nominari solet *Censuarius*; is verò, qui ius habet percipiendi, *Censualista*.

Hoc posito, statuendum est ex communi doctorum sententia, Censum licitè omnino vendi ac emi posse, quantum est ex natura Census, nisi aliunde accidat iniustitia. Ita habetur in duabus Extrauag. Martini V. & Calixti III. titulo de Emptione & Venditione. Et passim in vtroque Iure. Estque communis sententia Doctorum. Et probatur ratione. Nam Ius, quod quis habet ad percipiendam vtilitatem ex re aliqua, est precio æstimabile, sicut etiam ius, quod habet ad rem totam, cuius est dominus: Ergo potest id ius per venditionem transferri in alterum pro precio, non minus, quàm potest per rei venditionem in alterum transferri ius & dominium, quod quis habet ad rem totam, si eam vendat.

Ex hac clarissima ratione patet, meritò reiici à Ioanne Medina quæst. 12. de Vsura, & à Soto libro quinto de Iustitia, quæst. 5. art. 1. & à Couarruuia lib. 3. variar. resol. cap. 7. num. 2. & ab aliis omnibus, opinionẽ Henrici Gandauensis quodlib. 1. quæst. 39. & quodlib. 8. quæst. 24. & Innocentij, super Cap. *In ciuitate*. Extra de Vsuris, & Ioãnis Andreæ ibidem, & Saliceti in Authent. *Ad hæc*. Cod. de Vsuris; qui negant, posse licitè emi & vendi censum de nouo institutum super aliqua re, licet concedant emi & vendi posse, quãdo est iam antè institutus. Vt verbi gratia, nõ posse Petrum vendere censum, quem de nouo velit pendere ex sua domo vel vinea; & consequenter neque alium ab ipso emere: Posse autem vendere censum ex domo aliqua vel vinea, qui fuerit antè collatus eidem Petro per donationem; vel etiam posse principem vendere censum, qui ipsi aliâs solet pendi à ciuibus.

Sed sine ratione hoc dicitur. PRIMO. Nam nõ est minus æstimabile precio ius illud ad percipiendam vtilitatem ex re, quod semper mansit apud rei dominum, quàm sit illud ius percipiendi vtilitatem ex re, quod iam antè fuit in alium translatum, donatione verbi gratia, vel contributione, &c. Ergo sicut potest iustè vendi & emi ius percipiendi pensionem ab eo, in quem anteà fuit illud ius translatum: ita etiam poterit iustè emi à vero rei domino, apud quem semper ius percipiendi pensionem mansit.

SECVNDO. Nam ius istud translatum iam in alterũ, eiusdem omnino valoris est, & idem existit, quod antea; cùm erat apud rei dominum: Ergo sicut potest iustè emi, postquã est in alium translatum: ita etiã anteà potest emi immediatè à rei domino. Antecedens probatur. Nam per translationem id ius solum videtur mutare subiectum. Suppono enim, postea quoque esse ius percipiendi eandem pensionem, & ex eadem re. Ergo est eiusdem valoris.

Sed argumentantur pro opinione sua supradicti auctores hoc modo: In emptione & venditione debent distingui *res* seu *merces* à *precio*, secundùm omnia iura: Sed si Census nõ est anteà constitutus, non distinguitur res vendita à precio: Ergo non rectè tunc vendetur & emetur Census.

RESPONDEO primò, falsam esse Minorem; scilicet censum de nouo institutum non distinguì à precio. Et si enim daremus, censum de nouo institutum, non anteà *præextitisse*, tamen adhuc intelligi potest, eum *distingui* à precio. Aliud enim est, *non præexistere*; aliud, *non distingui*. Patet in venditione iactus piscatoris, & fructuum futurorum, &c. in quibus omnibus venditionibus secundùm omnes merx distinguitur à precio, & tamen merx non præexistit.

DICO secundò, etiam in proposito censum præextitisse secũdùm id, quod formaliter in venditione census venditur. Probatur. Nam quod venditur per se est ipsum ius percipiendi vtilitatem ex re. Sed hoc ius etsi semper mansit apud verũ dominum, tamen præextitit. Ergo, &c. Probatur Maior. Nam ius illud est id, quod propriè dicitur in Censualistam tranferri. Minor etiam probatur, nam hoc ipso etiam quod semper Ius illud apud rei dominum mansit, præextitit vtiq; apud eum.

Vnde quod videtur decepisse illos Doctores, est, quòd obligatio, qua se obligat Dominus rei ad conferendam pensionem non anteà præextitit, si census de nouo constituitur. Quod tamen nihil fauet eorum opinioni. Nam ius, quod emitur, nõ est illa obligatio, tametsi connotet illam obligationem in Censuario, id est, in Venditore Census; sed est quiddam aliud; nempe facultas quædam Emptoris seu Censualistæ, ex Iustitia accipiendi à Censuario siue Vẽditore censualem pensionem. Sicut in emptione verbi gratia, pallij, propriè id quod emitur nõ est obligatio venditoris ad dandum pallium, sed ipsum pallium. Adde, quòd licet concederemus, obligationem ad pensionem tribuendam vendi; tamen neq; ad id esset opus illam præextitisse. Posset enim nihil ominus à precio distingui, vt est anteà probatũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed quæris, quid omnino est illud *ius*, quod venditur, seu illa *facultas* percipiendi censualem pensionẽ? RESPONDEO, nihil aliud, quàm Censualistam siue emptorem *posse* iam iure & meritò percipere ex re pensionem, sicut poterat rei dominus. Quæ facultas licet formaliter non sit ens reale extra animam, sed tantùm relatio quædam rationis: tamen moraliter loquẽdo, magni æstimatur, & tanti, quanti pecunia: id quod satis est, vt secundùm iustitiam possit pro pecunia vendi & emi.

Nam (vt ex dictis quæst. 20. intelligi potest) æqualitas iustitiæ non est attendenda secundùm res ipsas *materialiter*, sed proximè attenditur secundùm *æstimationem*, quàm communiter homines habent de rebus, quæ commutantur, omnibus circumstantiis consideratis. AEstimatio igitur est, quæ facit, vt illud ius sit secundùm iustitiam venale; adeò vt propter hãc æstimationem, Cẽsus numeretur inter bona immobilia, in Clementina prima, de verb. signif. *5. Cumq; annui reditus.*

Denique notandum, nos in hoc Tractatu loqui de Censu, qui est frequentior in vsu, scilicet cùm quis retento rei dominio decernit alij certam pensionem; qui vocari solet *consignatiuus*: nõ verò de Cẽsu, qui dicitur *reseruatiuus*, cùm scilicet quis translato in alterum (per venditionem aut donationem) rei dominio, reseruat sibi ius recipiendi pensionem ex re. Tunc enim talis nõ vendit illum censum, nec alter propriè emit; sed tantùm dominus rei imperfectè vendit vel donat alteri rem suam. Habet autem is reseruatiuus Census similitudinem cum Emphyteusi, nisi quòd in Emphyteusi non transfertur rei dominium.

PVNCTVM SECVNDVM.

Ex quibus rebus vendi possit Census.

SI consideremus solum ius naturæ, ex omnibus rebus Census vendi potest, ex quibus venditor verè habet ius percipiẽdi vtilitatem, cuius pensionem vult vendere. Hoc nemo negat. Et probatur. Nam ex quibuscunq; rebus habeatur tale ius percipiendi vtilitatem aliquam, est id ius precio æstimabile: Ergo ex quibuscunque eiusmodi rebus potest vendi.

Sequitur autẽ ex hoc PRIMO, non solùm posse vendi censum ex rebus *immobilibus*, vt ex domo, &c. sed etiam ex *mobilibus*, vt ex animalibus; sicut rectè asseruit Medina q. 11. de Vsura; & etiam ex rebus *vsu consumptibilibus*, si sint tamen *in statu fructificandi*; vt ex pecuniis v. g. si sint expositæ negociationi: vt bene notauit Sotus lib. 6. de Iustitia, q. 5. art. 1. Ratio est clara. Nam etiam ex rebus vsu consumptibilibus existentibus in tali statu fructificandi, verè habet quis ius percipiendi vtilitatem: Ergo verè habet, quod vendat, quando vendit censum ex illis. Secus, si eiusmodi res vsu consumptibiles non essent in statu fructificandi: Tunc enim non esset verè ius aliquod recipiendi ex eis vtilitatem, quod posset vendi ex illis.

Sequitur SECVNDO, posse etiã vendi censum ex *aliis censibus*, vt rectè annotauit Medina, q. 11. de Vsura (quæ est 1. de Cens.) Primò, quia Census verè sunt quædam bona vtilia & fructifera, quippe quæ pariunt pensionem annuam. Ergo potest ex eis vendi ius & facultas accipiendi ex illis aliquam pensionis partem. Secundò, quia inter bona immobilia numerantur Census, in Clement. prima, *5. Cumq; annui reditus.* de verbor. signif. Sed constat, posse vendi censum ex bonis immobilibus. Ergo etiam vendi potest ex Censibus.

TERTIO sequitur, posse licitè vendi censum ex rebus *omnibus alicuius nullam certam determinandæ*; vt senserunt rectè Ioannes Maior in 4. d. 15. q. 44. & Medina q. 1. de Censib. & Sotus lib. 6. de Iustit. q. 5. art. 1. & Conradus q. 74. & 75. de Contract. & Couarruuias lib. 3. variar. resol. cap. 7. nu. 5. & 6. contra quosdam, qui id absque firmo argumento negant. Et probatur manifesta ratione. Nam verè habet quis ius percipiendi vtilitatem ex omnibus suis rebus indeterminatè: Ergo potest illud ius vendere.

QVARTO sequitur, non solùm vendi & emi posse censum ex rebus certis aut incertis, sed etiam ex *persona*: quando persona est talis, vt velit & possit propriâ industria & operâ parare sibi vtilitatem aliquam, cuius pensionem vendit: aliàs non haberet verè ius personale, quod venderet. Et iste Census nominatur personalis. Quem quidem licitè vendi posse, meritò asserit Sotus lib. 6. de Iustitia, q. 5. art. 1. & Medina q. 1. de Censibus, & Couarruuias lib. 3. variar. resol. cap. 7. nu. 5. & 6. & Conrad. q. 74. & 75. de Contract. contra Summam Angelicam, verbo Vsura, & Antoninum 2. part. tit. 1. cap. 19. & Abbatem super Cap. In ciuitate, de Vsuris.

Probatur PRIMO. Nam cùm persona est talis, qualẽ dixi, verè habet ius ex propria opera percipiendi vtilitatẽ: Ergo verè habet aliquid, quod alij queat vendere. SECVNDO. Nam si ius personale non esset precio æstimabile, frustrà superiores exigerent à subditis tributa personalia; quod tamen fit sæpè, & factum esse patet Deuter. 12. vbi præceptum est filiis Israël, vt offerrent primitias & decimas *manuum suarum*. Et lib. 2. Esdrę, cap. 10. fideles *constituerunt super se* annuum reditum *tertiæ* partis Sicli *ad opus domus Dei*. Et super cap. 2. Lucæ dicunt Doctores, tale tributum fuisse solutum Cæsari, nascente Christo. Deniq; in Cap. *Non est.* Extra de Decimis, iubentur fideles decimas soluere etiam ex operis personalibus, vt ex negociatione, militia, &c. Est ergo ius percipiendi vtilitatem ex persona precio æstimabile.

Neq; huic & præcedenti Consectario obstat, quòd in Extrauag. Martini V. & Calixti III. tit. de Emptione & Venditione. approbantur census reales ex rebus certis, nulla facta mentione *personalium*,

personalium, & eorum, qui constituuntur super rebus *indeterminatis*. Nam etsi ibi census non etiam memorentur, & probantur: tamẽ neq; ibi damnantur, vt rectè Sotus, & Couarruuias, & alij vbi supra respondent.

QVINTO sequitur, non posse vendi censum ex re aliqua, nisi vt minimum possit parere tantam vtilitatem, quanta est pensio soluenda ex illa, statis temporibus. Ita Syluester, verbo Vsura 2. quæst. 12. & Medina, & Couarruuias, locis citatis, estque communis doctrina. Probatur. Nam si res non est talis; dominus rei non habet re vera ius recipiendi tantam vtilitatem: Ergo verè non habet id totum, quod vendit. Et Consequenter is qui fingeret se emere talem censum, in rei veritate nihil emeret, sed palliaret sic vsuram, qua Censuario mutuaret summam, soluendam cum vsurario incremẽto postea paulatim variis temporibus.

Vnde ad iudicandum, num in emptione censuum inuoluatur vsura, diligenter considerandũ est, an Censuarius verè habeat ius id, quod venditi: si enim non habet, attenta conditione rei, ex qua vẽdit: ficta est talis emptio, & pallium vsuræ. Vbi tamen notãdum est, satis esse, si id, ex quo *adequatè* census venditur, possit reddere totam illam vtilitatẽ, cuius pensio censualis statis temporibus est soluenda; siue id, ex quo census venditur, sit aliqua vna res simplex, siue aggregatum ex pluribus rebus. Non enim est necesse, vt id, ex quo partim tantùm & inadæquatè census venditur, possit reddere totam vtilitatem, cuius census venditur.

Sed neque etiam est necesse, vt id, ex quo adæquatè census venditur, eodem omnino *anno*, quo est pensio soluenda, pariat vtilitatem, cuius pensio seu census venditur: Satis enim est, vt ex fructu illius vnde census venditur, possit statis temporibus solui pensio. Patet manifestè in venditione census annui ex agro, quæ est licita secundùm omnes, quantumuis ager alternis tantùm annis fructum reddat.

SEXTO sequitur, si res, ex qua census est venditus, pereat, aut reddatur sterilis, non posse amplius Censualistam quicquã iure exigere à Censuario, secluso saltem peculiari alio pacto; iuxta ea, quæ trademus p. 6. Ratio huius est. Nam perit res, in qua census est fundatus, cẽsus etiam perit; & Domino perit, nempe Censualistæ, qui illum emit.

Hoc autem intelligi debet, si absq; negligentia Censuarij seu Venditoris res perit. Si enim per eius negligentiam id accideret; tunc titulo damni illati deberet pensionem nihilominus soluere: quandoquidem in causa ipse esset, vt Censualista seu emptor amitteret suum censum.

Sed loquimur, vt dixi, extra hunc casum negligentiæ Censuarij. Tunc dicimus, Censualistæ perire censum re pereũte. Nam res proprio Domino perit, secluso peculiari contractu assecurationis, quem hîc secludo. Loquor enim de venditione Census secundùm naturam ipsius simplicem, sine adiunctione aliorum Contractuum, de quibus p. 6.

Et confirmatur hoc? nam propterea quando res ipsa periit, perit Censuario, & non Censualistæ, quia Censuarius solus habuit rei dominium, vt pono: Ergo similiter ius ad vtilitatem percipiendam ex re debet perire soli Censualistæ: siquidem ipse solus erat dominus illius iuris, titulo emptionis præteritæ.

Hinc potest intelligi, non satis circumspectè dixisse Sotum loco citato, etiamsi res pereat, ex qua census est vẽditus, manere Censuarium obligatum ad soluendam pensionem. Hoc enim ita indistinctè dictum, falsum est. Nec valet ratio, qua id Sotus probat ex eo, quòd censuarius obligat se & omnia sua ad soluendam pensionem ex re: Ergo (inquit) licet res pereat, debet soluere.

At Sotus malè hîc confundit obligationẽ personæ & bonorum omnium ad soluendam pensionem solum, *ex re ea*, in qua census constituitur; & obligationem personæ & bonorum omnium ad soluendam pensionẽ *ex rebus & ex persona*: cùm tamen hæ duæ obligationes maximè differant. Primam enim verũ est interuenire in omni venditione Census. Debet enim Censuarius obligare se ad soluẽdam pensionem *ex re ea*, ex qua censum vendit; ita vt si manente ea re non solueret; debeat ex persona propria, & quibuscumq; aliis suis rebus, Censualistæ satisfacere; aut etiã si per negligentiam eius res perierit. Non tamẽ se obligat secundo illo modo personaliter, nisi quando vendit censum personalem *ex persona sua*, vel mixtum, *ex persona sua & suis rebus*. Tunc enim non esset negãdum, quin deberet Censuarius ex persona sua vel ex aliis rebus soluere pensionem, re aliqua ipsius pereunte. Et eatenus quidem potest admitti, quod Sotus dicit, & quod in eandem sententiam annotauit etiam Couarruuias lib. 3. variar. resol. cap. 7. num. 5.

Et hactenus dicta intelligenda sunt secundùm *ius naturæ*. Nam secundùm ius positiuum, tria prima corollaria nõ habent locum, propter Extrauag. Pij V. editam anno 1568. 14. Calend. Februarij circa materiam censuum. In qua inter alia, de quibus suis locis videbimus, præscribitur, vt census non vendatur, nisi ex re immobili, natura sua fructifera, certa, & determinatis finibus assignata. Quod quidem seruandum est, vbi illa Extrauagans obligat, & est in *viridi* (vt dicitur) *observantia*.

Quanquam probabiliter censet Nauarrus in Comment. de Vsuris, num. 106. Extrauagantem hanc Pij V. cùm procedat ex præsumptione vsurariæ intentionis in iis, qui conditiones omnes ibi requisitas in emptione censuum nõ seruent, non obligare in foro conscientiæ particulares (etiam vbi est recepta & viget) qui verè coram Deo sine iniquitate vsuraria ement census sine

Universidad de Deusto
Biblioteca

iis conditionibus, quæ ibi requiruntur vltra necessarias alioqui conditiones iure naturæ. Nam præsumptioni in foro conscientiæ non est locus, vbi veritas est præsumptioni contraria, sicut ibi probat Nauarrus ex Cap. Tua. de Sponsal. & Cap. Humanæ aures 22. quæst. 5. Obligat tamen in conscientia Iudices hæc Extrauagans, vt non admittãt in Iudicio emptiones censuum, aliter, quàm ibi præscribitur celebratas: Iuxta ea, quæ de huiusmodi Legibus in præsumptione fundatis generatim tradidimus tomo 2. quæst. 5. de Legib. p. 6. Et suprà in hac disput. quæst. 6. p. 5.

Ac probatur hæc sententia Nauarri ex verbis, quæ subiungit Pius V. ibidem, scilicet *omnes alios contractus posthac sub alia forma celebrandos fœneratitios iudicamus.* Quod solùm intelligi potest secundùm *præsumptionem*: nam iure naturæ liciti sunt sub alia forma, vt in tribus illis corollariis est probatum. Item probatur hoc ex eo, quòd satis est obligatio in foro exteriori ad propositũ Pij V. quod scilicet erat, homines arcere ab alia forma emẽdi census: communiter namque nolunt homines ita contrahere, vt non possint habere recursum ad forum externum. Denique probatur idem ex eo, quòd similiter etiam non nisi ex præsumptione procedit quædam alia Extrauagans eiusdem Pij V. edita eodem ferè tenore, qua vetat pacta de lucro cessante in materia Cambiorum, vt rectè sentit Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 283. litera M. aliàs num. 301.

PVNCTVM TERTIVM.

Quarum rerum Census siue pensio vendi possit.

CONVENIT inter omnes PRIMO, posse vendi Censum seu Ius recipiẽdi pensionem non modò *fructuariam* sed etiam *pecuniariam*, Idque non solùm quando res ea, quæ venditur, non habet alium fructum, quàm pecuniam, vt domus verbi gratia (id enim satis clarum est) sed etiam quando est res fructuosa, vt vinea, &c. vt patet ex iis, quæ ex communi doctrina tradit Conrad. q. 75. de Contractib.

Ratio est. Nam dominus rei fructiferæ, hoc ipso, quòd habet ius ad percipiendos fructus ex illa, habet etiam ius (saltem mediatè) ad pecuniam ex illa percipiendam: Ergo sicut potest per venditionem in alterum trãsferre ius immediatum, quod habet ad *fructus*, ita & ius quod habet mediatè ad *pecuniam*. Probatur Antecedẽs. Nam pecuniæ æquialet, quicquid est tale, vt ex ipso pecunia possit confici.

SECVNDO etiam conuenit inter omnes, posse vendi ius percipiendi non modò pensionem certæ quantitatis, sed etiam *incertæ*, vt tertiæ partis fructuum vineæ verbi gratia, vel pecuniæ, quã aliquota pars fructũ valebit, vt patet ex eodem Conrado quæst. 79. Et ratio est etiam clara. Nam hoc etiam ius ad *incertam* pensionem, est precio æstimabile: Ergo considerata spe fructuum, periculo, &c. poterit iudicio prudentum & proborũ precio iusto vendi & emi. Hinc intelligitur illa diuisio Censuum, qua alius dicitur *fructuarius*: alius *pecuniarius*; *certæ* vel *incertæ* pensionis.

PVNCTVM QVARTVM.

Ad quantum temporis spacium Census vendi queat.

HIc etiam cõuenit inter omnes posse vendi Censum siue in *perpetuum*, siue ad *tempus certum*, vt decem annos v. g. siue ad incertum, vt *ad vitam* Censuarij vel Censualistæ, qui Census dicitur *vitalitius*. Ratio est. Nam omnibus his modis Ius recipiendi pensionem, est secũdùm iustitiam æstimabile.

Tantùm hîc aduertatur, vt res, ex qua census venditur, sit talis, quæ possit præstitutis temporibus reddere pensionem. Vnde ex *persona* non posset vẽdi census perpetuus, nec ex animalibus, aut aliis rebus mobilibus, quæ tandem diuturnitate temporis consumuntur.

Et sic posset admitti, quod Nauarrus in Comment. de Vsuris, nu. 105. dixit, esse contra ius naturæ, emere censum ex re mobili, quãdoquidem mobilis consumitur. Verũ enim est hoc, loquendo de censu perpetuo, aut ad longius tempus, quàm res mobilis possit durare. Aliàs omnino id est falsum. Hinc alia diuisio Censuum intelligitur, scilicet *perpetui* & *temporalis* census. Potisima autem difficultas ex tempore, ad quod venditur census, oritur circa iustitiam precij, quo debet emi: de qua re dicẽdum est p. seq.

PVNCTVM QVINTVM.

Vnde sit æstimanda iustitia precij quorumcunque censuum.

PRonam hac de re duas Conclusiones, quibus complectar ea quæ ad hunc locum pertinent. Conclusio PRIMA. Ad iustitiã precij in emptione Census cognoscendã, non ita est considerandæ quantitas summæ pensionum soluendarum, vt oporteat iustũ precium esse illi æquale. Ita ex sententia & mente omniũ tradit optimè Medina quæstione duodecima de Vsura.

Et probatur manifesta ratione. Nam id, quod propriè & per se in venditione Census venditur, non est summa ipsarum pensionum statis temporibus soluendarum, sed *facultas & Ius* recipiendi pensiones illas, quod statim in Censualistam siue Emptorem transfertur: Ergo precium non debet æquale esse quantitati pensionum, sed æstimationi præsenti prædicti *iuris* & *facultatis*. Probatur Antecedens. Nam Censualista non vult emere id, quod est incertum, sed quod certò statim in ipsum transfertur, sicut ipse precium certò dat. Hoc autem est *ius* prædictum, non autem ipsæ pensiones. Vnde statim transacta emptione dicitur Censualista habere id quod emit, nempe censum: Et propterea etiam Census numeratur inter bona immobilia, quæ Censualista in præsenti habet. Pensiones autem futuræ, sunt incertæ & periculo expositæ, ob pericula varia, quibus eæ res, ex quibus venditur census, moraliter patẽt longo temporis spacio, ad quod communiter census venditur: quibus rebus pereuntibus etiam census perit, quantum est ex vi quidem solius Emptionis Census, seclusis aliis adiunctis pactis, de quibus dicetur p. 6.

Si autem obiicias, id quod vẽditur, esse etiam pensiones soluendas, quandoquidem Ius percipiendi illas non aliam ob causam valet aliquid, nisi quia pensiones valent: Respondeo *primò*, ex hoc quòd Ius istud non valeat, nisi quia pensiones ex ipso sperat æ valent, non sequitur per se loquendo, pensiones emi, quando Ius emitur. Patet manifestè in emptione agri verbi gratia. Etsi enim ager non æstimetur, nisi quia æstimantur fructus ex ipso sperati, tamen non ideo cùm ager venditur & emitur, dicuntur vendi & emi agri fructus, sed solus ager.

Deinde, dato quòd ipsæ pensiones etiam emantur (videtur enim de hoc esse solum quæstio de nomine, vt rectè Sotus notat lib. 6. de Iustit. q. 5. art. 2. cùm de re inter omnes conueniat, nempe Censualistam, cùm census emit, ideo precium dare vt habeat Ius ad pensiones illas; siue, vt iure possit pensiones illas recipere, quod oẽs fatentur) tamen adhuc erit verum, quod dicimus, nõ debere iustum precium census esse æquale quantitati pensionum. Etenim pensiones sunt periculo expositæ; & ideo iustè minus precium pro illis datur, quàm sit quantitas illarum. Quemadmodum quia fructus, qui futuris temporibus speratur ex agro, subsunt periculo, iustè minus precium datur pro agro, quàm sit quãtitas fructuũ, qui longo tempore sperantur ex agro. Atq; eadem ratione iustè datur minus preciũ pro equo, quàm sit quantitas lucri, quæ ex continua equi locatione sperari potest. Et idem est ferè in emptione omnium aliarum rerum, nõ vsu consumptibilium.

Ex hac doctrina sequitur PRIMO, in emptione Censuum non ideo inuolui vsuram (vt Henricus Gandauensis puncto præcedenti citatus, argumentabatur) quòd minus precium det emptor, quàm sit quantitas pensionum, & ideo lapsu temporis maiorem summam per partes saltem recuperet, quàm fuerit precij summa. Nam emptor non dat minus illud precium pro maiori illa summa pensionum præcisè considerata, vt tanta est; sed pro Iure & facultate percipiẽdi eam summam, expositam intra longum tempus periculo, propter quod periculum ea facultas seu ius nõ plus valet, quàm precium illud. Vel (quod eodem redit) dat emptor id preciũ pro illa pensionum summa, vt exposita intra longum tempus periculo; quo modo considerata non plus, quàm illud preciũ valet; quapropter cùm vtrinque fiat iusta commutatio, & compensatio; omnino est iusta hîc emptio & venditio, & nulla iniquitas vsuræ.

Sequitur SECVNDO, siquis emat cẽsum temporalem ad breue tempus, vt ad annũ verbi gratia (in cuius singulis mensibus pensio soluatur) nec ex vlla parte appareat tunc subesse pensionis periculum morale, non posse emi talem censum pro minori precio, quàm sit summa pensionum. Probatur hoc eodem modo, quo suprà quæstione vigesima, puncto secundo, probaui contra Caietanum, non posse debitum minoris emi, si non subsit peculiare aliquod periculum solutionis.

Dices: est diuersa ratio. Nam emens debitum, simul est recepturus totam illius summam. Hic verò Censualista recepturus est summã diuisim, quod videtur aliquod grauamen. At contrà ego obiicio, quòd hoc potius est vtile Censualistæ; non enim tamdiu expectat pro *tota* pecunia. Ergo ex hac parte multò minus potest iustè recipere plus, quàm dedit, quã si recepturus esset summam totam post annum, vt fit in emptione *debiti*.

Atque ex his forsan possunt concordari quædam Doctorum opiniones, quæ videntur contrariæ circa iustum precium census temporalis ad certum tempus. VNA est Conradi quæst. 80. de Contractib. & Medinæ q. 13. de Vsura (seu 3. de Censibus) qui concedunt, precium iustum talis census posse esse minus, quàm sit summa pensionum: quod verum est, quando subest periculum. Subest autem communiter, quando ad plures annos census venditur, vt ibi notat Medina: ALTERA opinio est Soti, quæstione quinta, artic. 2. lib. 6. qui id negat: Et verè quidem, si absit periculum.

In hoc tamẽ Conradus mihi non placet, quòd inde probat iustum preciũ talis census posse esse minus, quia pecunia *præsens* plus valet, quàm *absens*. Quod fundamentum quæst. 20. p. 2. vidimus esse vsurarium. Neque etiam Sotus mihi probatur in eo, quòd non videtur agnoscere vllum periculum imminere in proposito ex longinquitate temporis. Vnde insinuat iustum precium census ad decennium non posse esse minus, quàm sit summa pensionum: quod omnino puto esse falsum, vt iam est ostensum.

Adde etiam, quod non immeritò solet timeri, ne fortè tempore procedente sit opus expensis ad obtinendam pensionem. Et certè nisi iustitia emptionis censuum pro minori precio, quàm sit summa percipiendarum pensionum, hoc mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

do defendatur (scilicet ratione periculi, & probabilium expensarum, &c. non facilè aliter defendi poterit.

Nam parùm valet alia ratio, qua Sotus & alij probant, iustum precium censuum ideo posse esse minus, quàm sit pensionum summa, quia Censualista non obligat Censuarium ad reddendum *idem numero precium*. Hæc ratio parùm valet. Nam saltem Censualista obligat Censuarium ad summam æquialentem reddendam cum auctario. Quod ipsum sufficeret, vt si id aliunde non esset iustum, esset vsurarius.

Conclusio SECVNDA. Iustum precium quorumcunque censuum est illud, quod vel lege statutum fuerit, vel iudicio prudētum & bonorum tanti æstimabitur, quāti *Ius ipsum* recipiendi censualem pensionem; attēta conditione *rei*, ex qua census emitur, & *temporis*, ad quod emitur, & *quālitatis* pensionis, quæ est soluenda, & aliis rationibus communibus cognoscendi in quacumque Emptione & Venditione iustū precium, de quibus quæst. 20. p. 2. egimus. Est enim iudicandum de Censibus, sicut de aliis mercibus. Nec de hac Conclusione est vlla apud Doctores dubitatio, cùm non habeamus aliam viam cognoscendi iustum precium.

SED occurrit hîc argumentum quoddam ad probandum, non posse *omnium* Censuum *eodem* tempore assignari iustum precium. Ponamus enim, iustū precium census *perpetui* recipiendi tria ex aliquo prato singulis annis, esse centum verbi gratia, non enim debet esse infinitum precium. Iam probo, censum *temporalem* recipiendi ex eodem prato tria ad *decem annos*, non posse habere iustum preciū. Nam detur verbi gratia, esse quadraginta iustum precium; sequitur tunc iustum precium recipiendi tria ad viginti annos esse octoginta, & ad quadraginta annos, esse centum sexaginta, & ad octoginta annos, esse ducenta viginti, &c. Atq; adeo maius esse posse iustum precium alicuius Census si sit temporalis, quàm iustum precium eiusdem Census si sit perpetuus; cum per hanc Calculationem collegerimus precium iustum census triarij ex eodem prato ad octoginta annos, esse ducenta & viginti, qui numerus longè excedit centenariam summā quam ponēbamus esse iustum precium eiusdem Census si sit perpetuus. Sed hoc Consequens est omnino absurdum: Ergo & id, ex quo sequitur.

Probatur Sequela. Nam ius ad recipiendam eandem pensionem ad duplò maius tempus, si sint cætera paria, duplò plus valet: Pono autem, cætera esse paria, scilicet eandem esse rem, ex qua pensio soluitur, & eandem pensionem, quæ soluitur ad tempus duplò longius, & idem tempus, & eundem locum, quo agitur de precio iusto.

Absurditatem aūt Consequentis probo. Nam cum Census *perpetuus* cæteris paribus multo plus valeat quàm *temporalis*; absurdum est, vt precium iustum Census *temporalis* sit maius, quàm precium iustum eiusdem census *perpetui*. Et potest per eandem calculationē idem argumētum fieri, quodcunq; preciū assignetur census perpetui & temporalis, posito (vt est necesse) quòd precium iustum census perpetui oportet esse finitum. Hoc enim dabo; multiplicando tempus, atque adeò etiam precium census temporalis, tandem exæquabitur precium iustum census perpetui à precio iusto census temporalis, atque etiam superabitur.

RESPONDEO negando argumēti Sequelam. Ad probationem, nego posse esse omnia cætera *paria*. Ratio est: quia multò plus minuit æstimationem census temporalis accessio *periculi*, quod accrescit ex multiplicatione temporis, quàm augeat accessio *temporis*. Semper enim longiùs procedente tempore, est sine comparatione maius periculum, ne non percipiantur pensiones Census temporalis; ita vt in secundo decēnio sit maius periculum, quàm in primo: & in tertio, quàm secundo, &c. Vnde tantum accedit periculi, procedente longiùs tempore, vt tandem moraliter loquēdo, multiplicatio maior temporis in censu temporali nihili ferè æstimetur, nisi sit perpetua multiplicatio: & consequēter nisi census fiat perpetuus; cuius tamen precium erit aliqua summa finita, iuxta iudicium & æstimationem prudentum. Patet ergo, illam calculationem non procedere, quæ tota hoc nitebatur, quòd iuxta proportionē multiplicationis temporis, etiam precium census temporalis multiplicaretur. Id quod falsum est.

PVNCTVM SEXTVM.

Quænam conditiones licitè addi possint Emptioni & Vēditioni Censuum per alios Contractus.

AD hoc discernendum, quia infiniti ferè sunt Contractus, qui addi possunt, in promptu habendum est hoc generale DOCVMENTVM doctrinæ communi consentaneum: Omnes illi cōtractus, qui *secundùm se* liciti sint, & veritatem emptionis & venditionis censuum *non tollant*, secundùm ius naturæ licitè possunt adiungi cōtractui emptionis & venditionis censuum.

Ratio est: quia sicut à duobus licitè potest vnus contractus celebrari: ita licitè possunt plures simul, quando secundùm se sunt iusti, & mutuò se non destruunt. Sed hoc tantum est, quod faciunt Censuarius & Censualista (id est Venditor, & Emptor) addentes contractus secundùm se licitos, qui non tollant veritatem venditionis census. Ergo, &c. Patet Maior. Nam plures contractus licitos *simul* exercere non est secundùm se illicitū, vt manifestè colligitur ex Cap. Vnico. Extra de Commodato. Vbi dicitur, posse simul inter commodantem & commodatarium iniri contra-

contractū assecurationis, ex quo periculum rei commodatæ sit penes ipsum commodatarium. Atque etiam in l. 1. ff. de Depositō, idem pactum dicitur simul adiungi posse contractui depositi.

Confirmatur. Nam si id non liceret, maximè propterea, quia Censuarius grauatur, quando simul pactum aliquod adhibetur in fauorem Censualistæ; vel contrà Censualista, quando simul pactum aliquod adhibetur in fauorem Censuarij. Sed hoc non obstat: Ergo, &c. Probatur Minor. Cùm enim Censualista grauatur, ponimus debere ei à Censuario compensari grauamen, vel minuendo precium, vel aliter. Item cùm Censuarius grauatur, ponimus Censualistam debere ei grauamen compensare, vel augendo preciū census, vel aliter. Nunc constat, vtramuis partem cōtrahentium posse alteram grauare iustè ex consensu illius, si grauamen compenset. Ergo quòd grauetur, nihil obstat coniunctioni plurium pactorum.

Ex hac doctrina sequitur PRIMO, verum esse, quod omnes fatentur, & fusè inter alios persequitur Couarruuias lib. 3. variar. resol. cap. 8. posse licitè addi pactum de *retro vendendo* in fauorem Censuarij, id est, posse obligari Censualistam, vt quandocunque Censuarius velit reddere ei precium, teneatur ei reuendere censum, vel omnino totum, vel quoad partem; vel intra tale tempus, ita vt post non possit censum Censuarius redimere; vel post tale tempus, & non ante; vel pro precio eodem, quod ante censuarius accepit; vel pro precio, quod tempore redemptionis valebit, sicut conuenerit inter contrahentes, vt rectè asseruit Medina, q. 15. de Vsura. Potest enim hoc pactum variis his modis iustè addi; modò tantò maior vel minor compensatio fiat Censualistæ pro tali grauamine, quantò iudicio prudentum pluris vel minoris æstimabitur obligatio reuendendi censum pro diuersitate modorum, quibus iam dictum est, variè posse istud pactum addi.

Probatur autē PRIMO, quòd hoc liceat. Nam tale pactum in primis *non tollit* veritatem venditionis. Est enim verè Censualista dominus census per emptionē acquisiti, interim dum à Censuario non redimitur. Item *secundùm se* licitum est id pactum facere. Illa enim obligatio potest iustè compensari: Ergo licitè potest id pactum cum emptione & venditione census coniungi: vt patet ex generali documento initio proposito.

SECVNDO idem probatur. Nā si Paulus Censuarius nunquā habuisset illum censum, sed semper fuisset Petrus dominus illius, posset licitè Paulus pro iusta compensatione Petrum obligare ad illum censum vendendum, quando Paulus vellet: Ergo idem licitè potest facere, quando ipse fuit dominus census, & vendidit illum Petro. Probatur Consequentia. Nam ex eo, quòd Paulus censum vendit, non est peiori conditione.

Atq; eadem ratione patet, posse addi dictum pactum de *retro vendendo* in venditione quarumcunque mercium; modò animus verè sit vendendi & emendi, non autem mutuandi, & pactum non fiat de reuendēdo pro minori precio, quàm sit iustum, &c. vt communiter omnes dicunt, & nominatim Nauarrus capite decimo septimo, num. 247.

Est autem notandum, prædictum pactū posse addi emptioni & venditioni quorumuis censuū etiam perpetuorum. Potest enim vtiliter addi in venditione cuiusuis rei, quæ potest vendi. Nec, si census per id pactum fit à Venditore *redimibilis*, sequitur, quòd non sit perpetuus. Erit enim nihilominus *perpetuus*, quatenus emptor seu Censualista habet ius recipiendi pensionem in perpetuum, si à venditore seu Censuario non redimatur. Sicut cēsus temporalis ad decem annos, redimibilis ex parte venditoris; quamuis redimibilis sit intra illos etiam decem annos; est tamen verè census temporalis *ad decem annos*, quia verè habet ius emptor recipiendi ad decē annos pensionem, si census interea non redemerit venditor: Quamuis cùm redemptus fuerit, nó amplius emptor id ius habebit.

Quare Sotus lib. 6. de Iustit. quæst. 5. art. 3. sine ratione dixit, omnem censum perpetuum esse irredimibilem: quod neque vllo argumēto probauit; nec enim potuit. Hinc intelligitur illa alia Censuum diuisio, qua ex adiuncto pacto census redimendi in fauorem *venditoris* alius census dicitur *redimibilis*; alius *irredimibilis* cùm abest id pactum.

SECVNDO sequitur, probabile esse, quòd posit etiam *ex rei quidem natura* (vbi nulla humana constitutio contraria vigeat) licitè addi pactum de *retrò emendo* in fauorem emptoris, siue Censualistæ, etiā non computatis fructibus census in partem precij; id est, posse obligari venditorem seu Censuarium ab emptore census seu Censualista, vt quando is velit, teneatur Venditor reemere censum, quem vendiderat, reddito eodem precio, vel precio, quod post valebit census, prout inter se conuenerint: nec debere tunc Censualistam siue Emptorem computare pensiones interim perceptas in partem precij; modò tamen aliquo alio modo grauamē, quod per hoc pactum imponitur venditori, iustè ipsi ab emptore compensetur.

Ita sentit Medina quæst. 15. de Vsura (quæ est vltima de Censibus) non longè à fine. Et Ioannes Maior in 4. d. 15. quæst. 43. & 44. in fine, & Gabriel ead. d. quæst. 12. Concl. 4. & Conradus quæst. 84. de Contractib. post concl. 5. præsertim corollario primo, & Ioannes de Immola in Cap. illo vos, de pignoribus, & nonnulli alij ibidem. Atque etiam Romæ Anno 1581. in Consultatione multorum & doctissimorum Theologorum, nobis præsentibus, iudicata est hæc ipsa sententia probabilis; quamuis ob periculum quidem, huiusmodi pacta minimè sunt suadenda, vt etiam annotauit Medina. Sotus tamen lib. 6. de Iustit. q. 5.

art. 3.

art. 3. & alij negant id pactum esse licitum; neque illud etiam in Emptione quidem Census approbat Couarruuias libro 3. var. resol. cap. 9. num. 4. cùm tamen ibidem num. 3. asseueret & probet, pactum istud, additum in fauorem emptoris in aliarum rerum emptione, non esse illicitum: ex quo (vt patet) æquè tunc etiam posset Emptor recuperare suum precium. Itaq; videtur hic auctor (alioqui doctissimus) in hac quidem re non satis consequenter loqui.

Probatur autem PRIMO, pactum istud esse licitum in Emptione Censuum, eodem ferè modo, quo probauimus, licitum esse pactum de retrouendendo in fauorem Venditoris. Nam pactũ istud, ex quo venditor obligetur ad censum rursus emendum à primo emptore, est pactum *secundùm se* licitum, & *non tollit* veritatem primæ emptionis census. Ergo licitè in emptione & vẽditione census potest addi. Consequentia patet ex documento suprà posito. Prima pars Antecedentis scilicet id pactum esse *secundùm se* licitum, etiam conceditur à Couarruuia, vt diximus. Et patet manifestè: Nam obligatio emendi, cùm sit quiddam precio æstimabile, licitè potest esse materia iusti pacti seu contractus, si iustè compensetur. Et sicut potuisset Censualista illam imponere Petro consentienti, si nunquam antè ab illo emisset censum: ita potest, postquam emit. Non enim est ideo peioris conditionis.

Secunda verò pars Antecedentis, scilicet *non tolli* per id pactum veritatem emptionis Census, probatur. Nam si illa obligatio *rètro emendi* tolleret veritatem emptionis primæ; maximè quia videtur facere, vt illa prima traditio precij facta ab emptore census, fuerit palliatum mutuũ: siquidem postea cùm emptor voluerit, debet venditor precium reddere, & sic erit vsura, accepisse interim pensiones vltra capitale. Sed hoc illa obligatio minimè facit. Ergo non tollit veritatem primæ emptionis.

Probatur Minor. Nam obligatio reddendi capitale *ex mutuo*, est obligatio reddendi illud *ob id tantùm*, quòd antè fuit receptum, quicquid in aliis rebus accidat. In proposito autem obligatio reddendi precium census, quando emptor voluerit, non est obligatio reddendi illud, ob id tantùm, quòd ante fuit receptum, sed reddẽdi illud in *compensationem* census, quando eum rursus voluerit emptor vendere. Atque ita non redditur tunc precium quasi in compensationem summæ mutuatæ, soluendo illam, sed *emendo* censum iterum, qui nunc à primo emptore venalis offertur, & nunc etiam verè valet illud precium.

Cuius signum manifestum est, quòd si interim dum primus emptor seu Censualista precium nõ redimit, census periret, nõ posset is ex vi quidem huius pacti de retrò emendo recuperare preciũ, vt suppono: siquidẽ iam non haberet, quod censuario reuenderet: ac proinde non posset titulo iteratæ venditionis precium recuperare. Sequitur ergo, primam traditionem precij minimè fuisse mutuum, ob illud pactum adiunctum de retroemendo; nam tunc in quocunq; euentu posset ex vi eius pacti recuperari id precium, hoc ipso quòd semel fuit datum ac acceptum.

Itaque supereſt, vt fateamur, illam primã traditionem precij fuisse veram cẽsus emptionem, per quam nimirum emptor factus dominus cẽsus potuerit pensiones ex censu accipere, vt ex re propria: quibus postea non computatis, possit iterum censum vendere & recipere iustum eius precium. Et per eãdem rationem patet, censum non esse in præsenti casu *pignus* datum à Venditore, quasi pro mutuo accepto. Si enim esset pignus, tunc pereunte censu sine culpa emptoris, haberet nihilominus idem emptor ius recipiendi integrum suum capitale, vt mutuo prius datum: cuius contrarium suppono.

SECVNDO probatur eadem sententia. Nam si venditor census, *sponte sua*, secluso pacto retroemendi, vellet postea ab emptore seu Censualista emere rursus eundem censum, quem ei vendidit; sine dubio posset emptor recipere integrũ census preciũ, non computatis pensionibus censualibus interea à se perceptis: Ergo idem potest facere obligando venditorem (in id consentientem) ad emendum, si compenset ei iustè illam obligationem, vt ponimus illum debere facere. Antecedens patet. Nam verè tunc census, quem daret emptor, valeret id precium, vt suppono; nec deberet pensiones antè perceptas in partem precij computare, siquidem illas vt ex re propria percepit, nec pertinebãt ad venditorem seu censuarium, vt qui iam censum à se alienârat. Probatur autem Consequentia. Nam id ipsum quod sponte inter aliquos contrahentes potest iustè fieri; etiam potest fieri iustè ex alterius ad id obligatione, si huius obligationis etiam grauamen iustè ei compensetur. Hæc enim est ratio cur sine dubio mercator quispiam posset Petrum verbi gratia, obligare ad merces à se emendas, si illam obligationem iustè compensaret Petro, & merces, quas ei postea venderet, illud precium valerent, quod peteret.

TERTIO probatur eadem sententia. Nam nõ apparet, cur in hoc dispar debeat esse conditio emptoris & venditoris census, vt venditor possit obligare emptorem ad reuendẽdum, emptor autem non possit obligare venditorem ad reuenmendum. Vt enim iustè grauamen illud reuendendi imponit Venditor emptori, si illud ei iustè compensat: ita vicissim grauamen reemendi iustè imponet emptor Venditori, si similiter illud ei (vt suppono) iustè compenset: quãdoquidem in omni alia materia iustitiæ, æqua est vtriusque contrahentium conditio; cùm iustitia non respiciat conditiones contrahentium, sed æqualitatem rerum ipsarum per iustas vtrimque compensationes. Maximè, quòd sicut emptor interea, dum non redimit preciũ, recipit fructus ex censu tanquam ex re sua: ita etiam Venditor interea, dum non redimit censum, percipit tanquam ex re sua vtilitatem ex precio census. Id quod similiter posset Venditor facere, quando precium fuisset naturâ etiam sua fructiferum. Vt si verbi gratia, non vendidisset censum pro pecunia, sed commutasset pro vinea. Tunc enim, vt omnes concederent, posset obligare emptorem ad rursus commutandum censum pro eadem vinea, etiam non computatis in census partem fructibus, quos interim tanquam ex re sua percepisset ex vinea. Potest ergo eodem modo emptor obligare pro iusta compensatione venditorem ad reemendum census, non computatis in partem precij fructibus, quos interea emptor ex censu tanquam ex re sua perciperet.

QVARTO probatur eadem sententia. Nam posset emptor census imponere alicui tertio (in id consentienti) obligationem eam à se emendi pro iusto precio talem censum, si illi grauamen eius obligationis iustè compensaret. Ergo potest similiter pro iusta compensatione obligationem eandem imponere Venditori census. Qui enim contractus per se iusti sunt, & inter diuersos iustè iniri possunt; etiam possunt iustè iniri simul inter eosdem, si ab iis adhibeatur intentio debita, & similiter eædem res seu grauamina vltrò citroque inter eosdem iustè compensentur: Vt manifestè patet ex generali documento doctrinæ communis suprà posito, & ex Cap. vnico de Commodato, & l. 1. ff. de depositio, citatis suprà in eius documenti confirmatione; nec non ex iis, quæ ex communiori & probabiliori sentẽtia trademus infrà in quæstione de Contractu Societatis.

Atq; ex his patet, infirmam esse RATIONEM Soti & aliorum ita contra sententiam hanc argumentantium. Vbicunque est obligatio ad reddendum capitale, est mutuum. Sed hìc est obligatio talis, Ergo, &c.

RESPONDEO, Maiorem esse falsam vniuersaliter acceptam. Sed tunc est mutuum, quando est obligatio ad reddendum capitale *ex hoc solo*, quòd capitale fuit antè datum & receptum. Deratione enim solutionis mutui est, vt fit compensatio summæ prius datæ. In proposito autem casu, quando ex pacto retro emẽdi redderetur precium census, non daretur in compensationem summæ prius datæ, sed in compensationem census, qui tunc reuenderetur, & tantumdem quoq; tunc valeret: Sicut etiam quando ex eiusmodi pacto in emptione & vẽditione alicuius alterius rei adiecto (vbi illud quoque approbat Couarruuias loco supra citato) precium rei redderetur.

Vnde, si qui Doctores, non tractantes de hac difficultate speciatim, dicunt, in emptione census non debere obligari venditorem ad reddendum precium: duobus modis (qui tamẽ in idem redeunt) potest hoc verè intelligi. Primò ita, vt non debeat quidem venditor ad id obligari *ex vi solius contractus emptionis*, secluso peculiari alio pacto & compensatione obligationis ad reemendum censum. Secundò ita etiam vt non debeat ad id obligari Venditor *ex eo præcisè*, quòd preciũ accepit. Tunc enim tale pactum verè tolleret veritatem primæ emptionis, eamque in mutuum conuerteret, & proinde illicitum esset, iuxta documentum generale, quod suprà tradidimus, & id quod de ratione huius pacti iam explicauimus.

TERTIO sequitur, posse eodem tempore simul vtrinque addi prædicta pacta, scilicet *retro emendi* in fauorem emptoris seu Censualistæ; & *retro vendendi* in fauorem venditoris, vt concedit Medina, & alij auctores in præcedenti Consectario citati. Et ratio huius est clara. Nam si venditor non grauatur iniustè, quando pro iusta compensatione additur pactum *retroemendi* in fauorem emptoris (vt anteà est dictum) multò minùs iniustè grauabitur, quando simul additur etiam pactum de *retrouendendo* in fauorem suũ proprium: & contrà similiter; si emptor non grauatur iniustè, quando pro iusta compensatione additur pactum retrouendendi in fauorem venditoris, multò minùs iniustè grauabitur, si addatur simul in proprium ipsius fauorem pactum etiam de *retrouendendo*. Confirmatur. Nam singula hæc pacta seorsim sunt licita, & se mutuò non destruunt. Ergo possunt iustè simul concurrere, iuxta supradictum documentum, si iustè vtrinq; compensentur.

Hìc autem aduertenda sunt duo. PRIMVM est: aliqua quidem ratione; pluris æstimari posse *emptoris* obligationem ad reuendendum, quàm obligationem *Venditoris* ad reemendum: vt notauit Medina vbi supra. Ac eatenus non sufficienter compensaret venditor obligationem emptoris ad reuendẽdum, per solam mutuam obligationẽ suam ad reemendum: Sed deberet aliquantò minus precium ab emptore petere, quàm si simpliciter sine talibus pactis venditio celebraretur.

Ratio est. Nam vt Medina notat, venditor vt recuperet suum censum ex vi pacti de reuendendo, habet *actionem* non solùm in personam emptoris, sed etiam in *rem*, scilicet in ipsum censum, ad quemcunque ille transeat: cùm census sit res permanens, non vsu consumptibilis, & maneat in prædicto casu obnoxius semper reuenditioni. At verò emptor, vt ex vi pacti de reemendo recuperet precium, non habet actionem in *rem*, scilicet in precium, cùm sit vsu consumptibile; sed solùm in personam censuarij seu Venditoris. Constat autem secundùm omnes, maioris æstimationis esse actionem personalem & realem simul, quàm personalem tantùm. Cæterùm quamuis attendendo solum ad hãc considerationem, verum hoc sit, tamen ob locorum & rerum circumstantias fieri potest, vt omnibus consideratis, aut tantùm aut etiam pluris æstimanda sit obligatio Venditoris ad reemendum; vel quia graue

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit, totam simul capitalem Summam in promptu habere & exponere ad reemendum censum pro volûtate Emptoris; vel ob aliquas alias causas.

SECVNDVM est: ista duo pacta dupliciter posse fieri. PRIMO ita, vt ex vi illorum postea irritetur & *resoluatur* contractus præteritus, hoc est, vt quando precium postea reddatur, ita se habeant venditor & emptor, ac si prima emptio & venditio non fuisset facta. Et, si hoc modo ista pacta fiant, iustitia solùm postulat, vt idem omnino precium, quod antè fuit datum, reddatur, quicquid postea tempore *resolutionis* valeat census: fructus autem percepti debent tunc pertinere ad venditorem. Nam debêt perinde se habere, ac si prima emptio celebrata nõ fuisset. SECVNDO possunt dicta pacta ita fieri, vt ex vi illorum non irritetur contractus præteritus; sed tantùm per cõtractum sequentem nouæ emptionis & venditionis primus contractus *rescindatur*, vt non vltrà procedat. Et tunc secundùm iustitiam, ex natura rei loquendo, nec semper debet, nec semper satis est, reddi idem precium, quod antè fuit datum: sed debet reddi precium, quod tempore redemptionis iudicaretur census valere.

Ratio est. Nam iste contractus secundus, quo primus rescinderetur, non debet esse minus iustus, quàm fuit primus, quandoquidem est emptio & venditio, vt fuit prima. Sed ad iustitiam cõtractus emptionis requiritur precium iustum pro eo tempore, quo contractus celebratur, vt patet ex dictis quæstione vigesima, puncto secundo; Ergo, &c.

Secùs, si contrahentes ipsi inter se conuenerint de reddendo eodem precio in quocunque *euentu*; siue donatione admixta, consentiente vtroque, siue ex mera iustitia, quando dubium est vtrinque, plus minúsue tempore redemptionis censum valiturum. Tunc enim idem precium deberet reddi.

QVARTO sequitur, probabile itidẽ esse, quòd possit in emptione & venditione Census *ex rei quidem natura* (vbi nulla contraria constitutio humana vigeat) addi quoque peculiare pactum *Assecurationis*; quo, pro iusta compensatione, obligetur venditor ad soluẽdum precium census, vel censuales pensiones casu, quo census pereat re pereunte, in qua constitutus est. Ita etiam in illa disceptatione doctissimorũ Theologorum, Romæ Anno 1581. (de qua suprà dixi) nobis præsentibus iudicatum est: tametsi huiusmodi pacta, ob periculum minimè sunt suadenda, sed dissuadenda potius.

Quòd autem probabile sit (vt dixi) atq; adeò ex natura rei non illicitum istud pactum, Probatur iisdem fermè rationibus, quibus anteà vsi sumus. Nam primò pactum seu contractus assecurationis per se licitus est, vt omnes tradunt, & patet ff. de naut. fæner. Et præterea potest simul cum alio contractu coniungi & iniri inter ipsos contrahentes, vt constat ex Cap. vnico de Commodato, & l. 1. ff. de deposito, suprà citatis. Secundò. Nam liceret emptori census id pactum inire cum tertio. Ergo etiam cum venditore, si ei similiter iustè compenset onus assecurandi census, &c.

Sed animaduertendum diligenter est, nos hæc omnia, quæ de his pactis diximus (& præsertim de pacto reemendi) ita demùm putare esse probabilia & tolerabilia, si Emptor habeat sanam intentionem, non autem vsurariam. Nam si intentio sit praua, scilicet obligandi venditorem ad reddendum precium, hoc ipso solum quòd fuit ei datum; (iuxta dicta in Corollario secundo, in responsione ad rationem Soti) vsura esset.

Quamobrem cùm emptio census, adiunctis huiusmodi pactis in emptoris fauorem, habeat similitudinem quandam cum mutuo, & difficile sit rectam habere intentionem emendi, his pactis additis, non est talis contractus cũ eiusmodi pactis suadendus, sed tolerandus post factum; nisi fortè mala intentio deprehenderetur; tunc enim ne tolerari quidem debet.

Denique & illud attendendum est, nos per hæc minimè velle præiudicare Iuris humani constitutionibus, si quæ huiusmodi pacta in emptione censuum prohibeant; sed solùm asserere, quid sit tolerabile ex natura rei; atque adeò spectando solùm ius naturæ. Quod ideo addo: nam per Extrauagantem Pij V. de Censibus (quam suprà puncto secundo commemorauimus) prohibentur eiusmodi aliqua pacta, vt puncto sequenti patebit. Itaque vbi ea constitutio *viget*, non licebit ea pacta addere; nisi contra *præsumptionem*, in qua illa Constitutio fundatur, vt puncto secundo ex sententia Nauarri notauimus, verè absit intentio vsuraria. Atque eidem dicendum est de Constitutione quadam Imperiali, per quam in Comitiis Augustanis anno 1548. sub Carolo V. pactum de reemendo censum prohibitum est.

Quanquam Imperiales quidem Constitutiones seu Leges non obligant in iis prouinciis, in quibus non sunt promulgatæ, vt ex recepta doctrina tradidimus tomo secũdo, quæstione quinta de Legibus, puncto sexto. *Vbi etiam docuimus, Leges humanas, vt obligent, oportere etiã esse à maiore saltem parte Communitatis receptas, & per contrariam consuetudinem non eneruatas.*

PVNCTVM SEPTIMVM.

Quænam Conditiones in Emptione & Venditione Census addi debeant.

DICO PRIMO. Iure naturæ, præter illa, quæ necessaria sunt ad veritatem emptionis & vẽditionis Census considerando simplicem eius naturam, de quibus dictum est p. 2. & 5. non videtur alia conditio necessaria, nisi vt venditor absq; consensu emptoris seu Censualistæ, non *alienet* rem censui subiectam, transferendo eam in aliquem alium, à quo *difficile sit & periculosum* pẽsiones exторquere. Tunc enim faceret emptori iniuriam. Vt rectè notauit Sotus lib. 6. de Iustitiã, q. 5. art. 3. Si verò rem censui obnoxiam transferre velit venditor in aliquem, à quo *æquè tutò* possint recipi pensiones; non videtur teneri iure naturæ ad consensum petendum ab emptore, siquidẽ nullum periculum inde imminet emptori.

Dico SECVNDO. Iure positiuo ante illam Extrauagantem Pij V. suprà p. 2. commemoratam, nullæ conditiones requirebantur, nec peculiariter prohibebantur; sed ius naturæ præcedentibus punctis explicatum, integrum erat. Nam maximè illæ conditiones fuissent requisitæ, quæ memorantur in Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. Ex quibus quasdam conditiones necessarias esse dicit auctor Summæ Conciliorum ad finem Concilij Florentini. Sed ne istæ quidem requisitæ fuerunt. Ergo nullæ omnino.

Probatur Minor. Nam vt Sotus loco citato, & Couarruuias lib. 3. variar. resol. cap. 7. & alij communiter dicunt, illæ Extrauagantes etsi probarunt quidem census institutos cum quibusdam conditionibus, quæ pugnant cum aliquibus licitis, secundùm ius naturę, de quibus p. præced. diximus: tamen non etiam eas conditiones requisierunt; id quod ex ipso textu Extrauagantium patet.

Dico TERTIO. Post Extrauagantem Pij V. commemoratam suprà p. 2. plures conditiones requiruntur, atque adeo multa pacta, quæ iure naturæ licent, sunt prohibita. *Prima* est, vt census non instituatur, nisi super re immobili, certa, & natura sua fructifera. *Secunda*, vt precium census statim soluatur coram notario & testibus, & non ante celebrationem instrumenti. *Tertia*, ne deducantur in pactum anticipatæ solutiones pensionum. *Quarta* ne obligetur venditor ad casus fortuitos, ad quos ex natura contractus non teneretur. *Quinta*, ne fiat pactum restringens facultatem venditori, alienandi rem censui subiectam; aut soluendi aliquam quantitatem pro consensu & facultate alienandi facta à Censualista, quæ *laudemia* vocatur. *Sexta*, ne fiant pacta continentia, morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem censui suppositam omnino aut partim, aut ad expensas mediante iuramento Censualistæ faciendas: aut ad aliud aliquid. *Septima*, ne census institutus super aliqua re vnquam augeatur. *Octaua*, ne fiat pactum, vt solutio onerum pertineat ad venditorem, ad quæ onera ex natura contractus non teneretur. *Nona*, vt pereunte re subiecta censui, vel omnino, vel partim, census omnino aut partim pereat: quæ conditio etiam est secundùm ius naturæ, si res omnino pereat, aut ita ex parte, vt non amplius possit totam pensionem censualem reddere. *Decima*, vt semper sit census redimibilis ex parte venditoris, reddito eodem precio. Iubetur tamen Censualista siue emptor de ea re admoneri spacio bimestri, antequam census sit redimendus; & vt post hanc admonitionem possit emptor etiam ab inuito venditore Censuario precium repetere, intra annum tamen: quòd si ne ab inuito quidem intra annum fuerit extortum, potest nihilominus Censuarius post, quandocunque velit census redimere præuia prædicta admonitione. *Undecima*, ne fiat vllo modo pactum de redimendo precio in fauorem emptoris. De modo autem, quo ista Extrauagans obligat, dixi suprà p. 2.

QVAESTIO VIGESIMATERTIA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Cambiorum.

D. Thomas 2. 2. quæst. 78.

EXPLICANDA SVNT SEX, AD QVAE POSSVNT ORDINE reuocari ea, qua de Cambiis vtiliter tradi possunt. PRIMO enim declarandum est, quid sit Cambium & quotuplex. SECVNDO dicendum est de Iustitia & Iniustitia Cambij simplicis propriè dicti, in quo est sola commutatio diuersarum pecuniarum. TERTIO, de Iustitia & Iniustitia Cambij simplicis impropriè dicti, quod est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Depositum pecuniæ. QVARTO, *de Iustitia & Iniustitia in Cambiis mixtis, propriè vel impropriè dictis; ob quas scilicet causas possit licitè Cambio propriè vel impropriè dicto, similium vel dissimilium pecuniarum accedere alius contractus, ex vi cuius campsor possit aliquid vltra sortem lucrari titulo iustæ compensationis, quod aliàs non posset, si cambium simplex tantum exercuisset. De cambio autem simplici improprio, id est, similium pecuniarum, quod est reuera Mutuum, non est hîc disputandum, cùm satis in quæstione de Vsura sit declaratum, quomodo iustitia in mutuo sit seruanda.* QVINTO *disputabitur, vnde sit æstimandum precium iustum cambiorum mixtorum, hoc est, vnde iudicandum sit, an compensatio facta campsori, vi contractus alicuius simul cum cambis concurrentis, sit iusta, ac proinde iustè campsor lucretur, accipiendo compensationem illam, vltra sortem quam recipit ex vi ipsius cambij.* SEXTO, *Quinam possint esse campsores. Ex his autem hoc ordine disputatis intelligentur varia nomina cambiorum: quanquam non videtur magnopere id referre ad rem, & ad difficultates huius materiæ; cùm & arbitratu ferè Doctorum ea nomina multiplicentur, nec semper satis vtiliter, nec eodem modo vsurpentur ab omnibus.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Cambium & quotuplex.

A CAMBIVM generatim loquendo, est rerum diuersarum commutatio; cui successit venditio, vt q.20. p.1. diximus. In proposito autem propriè loquendo, *Cambium est commutatio diuersarum pecuniarum.* Porro diuersitas pecuniarum accidit aut ex parte *formæ* seu *figuræ*, vt in pecuniis diuersarum prouinciarum: aut ex parte *materiæ*, vt cùm sunt diuersi metalli: aut ex parte *qualitatis* metalli eiusdem generis, cùm vnum est præstantius altero: aut ex parte *quantitatis*, cùm sunt diuersi ponderis, aut numeri: aut denique ex omnibus his simul, quando accidit hæc omnia esse diuersa.

B Præterea notandum. Sicut alij omnes contractus possunt vel *simpliciter*, vel *mixtè* pluribus contractibus concurrentibus celebrari: sic etiam Cambium potest esse aut *simplex*, cùm videlicet interuenit sola commutatio diuersarum pecuniarum: aut *mixtum*, aliis vel alio contractu cum eo concurrentibus; scilicet vel contractu mutui, cùm accidit, oportere campsorem aliquandiu expectare solutionem pecuniæ diuersæ; vel quouis alio contractu, ex vi cuius alter contrahentium aliquid grauaminis in gratiam alterius suscipiat, quod proinde debeat compensari.

C Ex his autem patet discrimen inter Cambium & Mutuum propriè loquendo. Nam de ratione *Cambij* propriè dicti est aliqua *diuersitas* pecuniæ ex iam dictis: de ratione autem *Mutui* est, vt res mutuata, in *eadem* specie reddatur, nisi mutuans velit esse contentus re diuersa; quod proinde mutuum non nisi impropriè cambium dici potest. Item de ratione mutui est, vt aliquandiu solutio expectetur: de ratione autem cambij non item. Consisteret enim eius simplex natura, etiamsi pecunia diuersa, pro diuersa præsenti, commutaretur.

Meminisse tamen hîc oportet, quod q.20.p.1. ex sententia S. Thomæ q.61. notaui, huiusmodi A omnes commutationes specie propriè non differre, sed tantùm distingui à Doctoribus ex variis earum conditionibus materialiter se habentibus ad rationem iustitiæ: quæ tamen distinctio in causa est, vt moraliter loquendo, dicantur varia genera commutationum. Sed in omnibus eodè modo attenditur iustitia secundùm æqualitatem dati & accepti.

Item, quod dicimus, cambium à mutuo differre, intelligi debet propriè loquendo de vtroque. Nam impropriè omnes etiam ferè alij contractus, qui pecuniis vtrinq; exercentur, solent dici cambia. Vt Depositum pecuniæ apud nummularium, quod dicitur cambium *custodiæ*: Et Mutuum pecuniæ in simili specie reddendæ diuerso *loco*; & nonnunquam diuerso *tempore*, tametsi eodem loco. De quibus omnibus cambiis etiam est dicendum in punctis sequentibus.

PVNCTVM SECVNDVM.

De Iustitia & Iniustitia Cambij simplicis propriè dicti (in quo scilicet sit solùm commutatio diuersarum pecuniarum) quod solet etiam nominari Cambium Minutum.

HOc Cambium secundùm omnes est licitum, quæcunque sit pecuniarum diuersitas ex dictis 1. præcedenti: Si tamen hoc fermentetur, vt summa pecuniæ diuersæ, quæ recipitur, tanti à viris peritis & probis æstimetur (omnibus, quæ ad pecuniæ diuersitatem pertinent, consideratis) quanti æstimatur summa data; & quidem in locis, vbi pecunia recipitur & datur, siue in eodem, siue diuerso loco fiat receptio & datio.

Nec obstat, quòd quasi naturalis vsus pecuniæ sit

A sit solùm cõmutatio eius pro *aliis rebus*; propter quòd dixit Aristoteles 1.Pol.c.6.& 7.artem campsoriam esse *contra naturam*. Nam licet ille sit primarius vsus pecuniæ, habet tamen alios multos secũdarios vsus, inter quos vnus est commutatio eius pro alia pecunia. Quæ commutatio licitè fieri potest, vel vt primarium pecuniæ vsum commodius quis consequatur, pro loci & temporis ratione, vel etiam moderati lucri causâ ad honestum finem ordinati. Nam posteaquam pecunia facta est vtilis per publicam potestatem; sicut potest secundùm iustitiam pecunia pro *aliare* commutari, ita etiam pro *alia pecunia*. Patet igitur non esse simpliciter contra naturam cambium pecuniæ, licet sit præter naturam vsus ipsius primarij. Et sic potest Aristoteles intelligi.

B Potissima autem difficultas circa istud cambium est, Vtrum possit in illo seruari æqualitas iustitiæ, etiam tunc, cùm pecunia superioris metalli, vt aurea, verbi gratia, commutatur pro pecunia inferioris valoris, quæ plus valeat, quàm precium pecuniæ metalli superioris, lege taxatum à potestate publica. Exempli causa, valet Coronatus secundùm legis taxam viginti monetas inferioris metalli; dubium est, an possit aliquando iustè commutari pro viginti duabus, vel etiam pro octodecim tantum? Et hoc est, quod Doctores disputant, quando quærunt, Num pecunia *vendi* possit?

C Quòd autem possit, probatur PRIMO. Quia pecunia non videtur habere precium certum, nisi vt est pecunia, & ratione primarij sui vsus, qui est commutatio pro *aliis rebus*: Ergo poterit, non vt pecunia, sed vt *res quædam est* constans ex precioſiori metallo, pro vario precio commutari.

SECVNDO. Nam accidit, vt metalli alterius pecuniæ sit maior vel minor copia, ob quam pluris vel minoris illud æstimatur. Ergo iustè potest illius precium tunc variari vltra vel infrà ipsius precium lege taxatum seu (vt vocant) *legitimum*.

TERTIO. Nam pecunia superioris metalli (vt aurea, &c.) est multo precioſior, vt *res quædam est*; quàm pecunia metalli inferioris; valet enim ad vsus varios, ad quos non valet inferior, vt ad inaurandum, ad medicinam, &c. Ergo hac ex parte D potest eius precium variari.

Hac de re diuersæ sunt Doctorum sententiæ. PRIMA est Soti lib.6. de Iustitia, q.9.art.vnico. & Caietani opusculo 1.de Cambiis, cap.6.& Syluestri, Verbo Vsura 4.q.3. & Nauarri cap.17. n.283. litera D. (aliàs n.287.) & Couarruuiæ in tractatu de Collat.veterum numism. Qui ob argumenta facta concedunt, posse ad eum modum precium pecuniarum diuersi metalli variari. SECVNDA sententia est Ioannis Medinæ q.2. de Cambiis, id negantis. Sed vera sententia videtur esse componenda ex hac vtraque opinione.

Itaque sit conclusio PRIMA. Propter varios vsus, ad quos valere videatur pecunia superioris metalli; ex vi quidem cambij simplicis, secluſa ratione alicuius alterius interesse, non licet eam pro maiori precio commutare, quàm sit *legitimum* iam constitutum. Atque eatenus approbo sententiam Medinæ.

Probatur PRIMO, Nam credendum est, publicam potestatem, quando precium pecuniæ constituit, omnes pecuniæ vsus considerasse, & secundùm illos precium statuisse. Ergo propter illos non licet transgredi precium legitimum. Antecedens probatur dupliciter. *Primò*. Nam aliàs non constitueretur à publica potestate valor pecuniæ satis iustè. Id enim res simpliciter valet, quod omnibus vsibus eius consideratis valet. *Secundò* probatur idem Antecedens; quia non est credendum, publicam potestatem velle perdere quicquam, statuendo precium pecuniæ aureæ, verbi gratia. Perderet autem, si precium minus statueret, quàm tantum auri valet, omnibus vsibus auri consideratis. Ergo, &c. Quinimò ordinariè videtur maius precium pecuniarum constitui, quàm illæ valeant, si vt metallum tantùm considerentur, vt patere potest ex iis, quæ suprà q.20.p.1. tradidimus de pecuniæ institutione.

SECVNDO probatur Conclusio. Nam eadem frumenti quantitas, quæ iustè emeretur pro pecunia aurea, iustè etiam emitur secundùm omnes pro ea pecunia inferioris metalli, quę est precium legitimum aureæ pecuniæ seu pecunię metalli superioris. Ergo etiam iustè pro pecunia metalli superioris commutabitur inferior pecunia iuxta taxatum eius precium, ac proinde iniustè pro illa exigitur maius precium: quæ enim omnibus consideratis, sunt æqualia vni tertio, etiam sunt æqualia inter se.

TERTIO accedit, quòd sicut pecunia superior in suo genere suas habet commoditates, ita & inferior: potest enim inferior facilius commutari, &c. Ergo in genere non magis potest variari precium superioris, quàm inferioris.

Dixi autem in Conclusione, *ex vi cambij simplicis, secluso alio interesse*. Si enim alioqui voluisset quis pecunia superiori vti ad peculiare aliquem effectum, vt tale metallum est; potest pro illo vsu, quo se priuat, vt cum altero eam pecuniam commutet; & pro lucro, quod fortè consecuturus fuisset, si pecunia vteretur, vt est metallum, aliquid plus petere, quàm sit legitimum eius pecuniæ precium. Ac per hoc forsan possunt concordari prædictæ sententiæ; vt scilicet prima intelligatur ratione interesse alicuius concurrentis, quemadmodum videtur se declarâsse Nauarrus. Secunda autem sententia intelligatur ex vi solius cambij simplicis.

SECVNDA Conclusio. Si copia aut inopia metalli alicuius pecuniæ non est eadem, quæ fuit, quâdo precium illius lege fuit statutum; licitum est, variare id eius precium legitimum, secluso etiam peculiari interesse. Et eatenus quoque approbo sententiam Soti & aliorum. Probatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam *copia* metalli alicuius pecuniæ, ſicut & alterius cuiuſque rei, minuit valorem & æſtimationem eius, & inopia auget, vt bene notat Nauarrus loco dicto litera I. (aliàs n.294. & 295.) Ergo credendum eſt, publicam poteſtatem, ſuperueniente copia aut inopia, tacitè vel expreſsè (probando conſuetudinem) conſentire in variationem precij. Nam tunc iuxta penuriam metalli eſt etiam plerumque penuria pecuniarum, & ita pluris æſtimantur; quod ſaltem eſt verum in foro conſcientiæ, quicquid ſit de foro exteriori. Confirmatur: quia olim cùm erat penuria pecuniæ, eædem res minori ſumma emebãtur, quàm iam; eò nimirum, quia propter penuriam pluris tunc fiebat pecunia.

Ex his patet ſolutio ad argumenta ſuprà propoſita, quatenus proceduntcontra primã Concluſionem. Ad PRIMVM reſpondeo; dupliciter poſſe intelligi, quod in Antecedente dicitur, precium pecuniæ non conſtitui, niſi vt pecunia eſt, ratione commutationis pro *rebus aliis*. Primò, vt ſenſus ſit, conſtitui precium pecuniæ non niſi vt valeat ad commutationem pro rebus aliis. Et ſic falſum eſt Antecedens. Nam (vt dictum eſt) in conſtitutione precij pecunię, habetur ratio omnium etiam aliorum vſuum ipſius. Imò vt valor pecuniæ decernatur tantus, quantus ſatis eſt ad hoc, vt iuſtè pro rebus aliis commutetur; ratio habenda eſt omnium vſuum pecunię: ſicut etiam ad hoc, vt alia quæuis res iuſtè pro pecunia commutetur, ratio habetur omnium vſuum rei. Secundò poteſt illud intelligi, vt ſenſus ſit, in conſtituendo precio pecunię præcipuè quidem non conſiderari, niſi illum primarium vſum pecunię, qui eſt eius commutatio pro *aliis rebus*. Et hoc quidem verum eſt. Sed tunc nihil inde contra primam Concluſionem noſtram concluditur. SECVNDVM autem argumentũ probat tantùm noſtram ſecundam Concluſionem. Ad TERTIVM verò nego Conſequentiam. Nam illi etiam alij pecuniæ vſus conſiderati fuerunt in ſtatuendo eius precio, vt antea dictum eſt.

Porro ex hac doctrina ſequitur PRIMO, non eſſe licitum, ex vi quidem cambij ſimplicis (ſecluſo alio adiuncto titulo, ob quem reddatur cambium *mixtum*, iuxta ea, quæ p.4. diſſeremus) pro pecunia data in vna prouincia, vbi illa propter copiam aut aliam cauſam minoris æſtimatur, recipere in alia prouincia pecuniam eiuſdem quantitatis & metalli, vbi propter inopiam pluris æſtimatur. Ita docet rectè Sotus lib.6. de Iuſtitia, q.12. art.1. & 2. Nec poteſt negari. Nam æqualitas iuſtitiæ formaliter non attenditur ſecundùm materiales rerum conditiones, ſed proximè ſecundùm æſtimationem rerum ortam ex conſideratione omnium circumſtantiarum. Ergo, etſi quantitas & natura metalli pecuniarum locorum diuerſorum ſit eadem: tamen ſi æſtimatio ſit inæqualis; violabitur æqualitas iuſtitię tantundem pecuniæ accipiendo alibi. Probatur Antecedens. Nam propterea accidit, vt eadem frumenti quantitas exiſtens in vno loco, non poſsit iuſtè commutari pro quantitate eâdem frumenti eiuſdem naturæ exiſtente in alio loco, vbi ob aliquam cauſam pluris vel minoris æſtimatur; & tamen, vt patet, res ſunt hîc etiam æquales materialiter.

SECVNDO ſequitur, falſum eſſe tamen, quod ibidem Sotus dicit, eum, qui mutuauit aliquam quantitatem frumenti, tempore, quo minoris æſtimabatur, poſſe licitè recipere eandem frumenti quantitatem alio tempore, quo plurisfrumentum æſtimetur. Item falſum eſſe, quod dicit Nauarrus vbi ſuprà, licitum eſſe recipere eundem coronatum eiuſdem quantitatis & ponderis tempore, quo precium eius eſt auctum, & maius, quam quando acceptus eſt mutuo. Et loquuntur hi Doctores extra caſum alicuius alterius *intereſſe*, quale interueniret ſi quis ſeruaturus fuiſſet frumentum aut coronatum ad illud aliud tempus. Item extra caſum, quo initum fuiſſet pactum de reddenda ſumma eiuſdem quantitatis, in quocunque euentu. Contra vtrumque verò ſimul valet ratio ante allata. Nam in illis cãſibus tantùm recipitur æquale *materialiter*, non verò æquale *formaliter*: prout ſcilicet formalis æqualitas ſecundùm *æſtimationem* communem prudentum attenditur. Ergo violatur tunc Iuſtitia formaliter. Quare parum conſequenter locutus eſt Sotus.

Multo verò melius dixit Syluęſter, Verbo Vſura 1. q.14. non eſſe licitum recipere ſolutionem mutui in eadem quantitate & numero, tempore quo res plus valet, niſi vel ratione *interuenientis* caſus, vt ſi mutuans erat rem mutuatam ad id tempus ſeruaturus; vel ratione *pacti ſpecialis* de reddenda eadem quantitate, quicquid poſtea valeat. Quod pactum iuſtum eſt, quando vtrinque eſt æquale dubium, rem poſtea plus minuſue valituram, & ſolet plerumque apponi in mutuo. Aliàs de ratione mutui, conſiderando ſimplicem eius naturam, tantùm eſt, vt reddatur res eiuſdem ſpeciei & quantitatis, quæ tantum valeat tempore ſolutionis, quantum valebat quantitas mutuata.

Secus autem eſt in *locatione*, aut *commodato*, vel *depoſito*. Ibi enim quia rei dominium ſemper manet apud eum, qui rem dedit; debet reddi eadem res numero, quicquid poſtea valeat, & conſequenter eiuſdem quantitatis. In mutuo verò, quia res prò re commutatur trãslato dominio, tantùm debet haberi ratio æqualitatis *valoris & æſtimationis*: aliàs Iuſtitia formaliter violabitur, vt iam diximus.

PVNCTVM TERTIVM.

De Iuſtitia & Iniuſtitia Depoſiti pecuniæ apud numularium; quod dicitur Cambium Cuſtodiæ.

HOc cambium in eo conſiſtit, vt numularius ſuſcipiat curam cuſtodiendi pecunias apud ſe depoſitas; & habeat rationes dati & accepti; & paratus ſit reddere, cùm petentur; & ideo aliquod ſtipendium laboris recipiat. Nec dubitatur, quin hoc ſit licitum. Dignus enim eſt operarius mercede ſua.

Sed tota difficultas eſt, An quando numularius nomine eius, qui pecunias depoſuit, alicui alteri ſoluit aliquam ſummam, debeat accipere ſtipendium ſui officij & laboris ab illo ſolùm, qui pecunias depoſuit, an verò poſsit illud accipere ab illo, cui ſoluit. Et præcipuè hoc quæritur, quando ſoluit numularius pecuniâ numerata. Poteſt enim dupliciter ſoluere; vel numerando præſentem pecuniam; vel per chirographum directum ad alium numularium, qui nomine illius numeret pecuniam. Sicut etiam his duobus modis ſolent ipſi numularij à mercatoribus vel aliis pecunias accipere.

Sunt autem hac de re duæ ſententiæ. VNA eſt Soti lib.6. de Iuſtitia, q.11. art.1. qui concedit, poſſe numularium recipere ſtipendium ab eo, cui numerat pecuniam. Rationem inſinuat eſſe conſuetudinem & conſenſum tacitum Reipublicæ. ALTERA ſententia eſt Nauarri cap.17. num.293. aientis id eſſe iniuſtum, ſed debere dare ſtipendium eum ſolum, qui pecunias depoſuit. Et hoc eſt verius.

Quia vel creditor, cui fit ſolutio, deberet dare id ſtipendium propter laborem, quem numularius ſuſcipit *numerando* illi pecuniam. Et hoc dici non poteſt. Eum enim laborem non ſuſcipit numularius tam creditoris gratia, quàm ſui, vt ſciliçet non erret plus ſoluendo: mallet enim creditor ſolus pecunias numerare. Vel deberet creditor dare id ſtipendium propter laborem, quem ſuſcepit numularius in *cuſtodienda* pecunia. Et multo minus hoc dici poteſt. Nam ille cuſtodiæ labor ſuſceptus eſt tantùm in gratiam deponentis pecunias. Ergo is ſolus debet illum compenſare, non creditor, cui fit ſolutio.

Relinquitur ergo, vt ſi numularius aliquid ideo petat à creditore, quia præſentem pecuniam ei numerat, reuera velit, vt creditor pluris æſtimet *præſentem* pecuniam, & eam maiorem æſtimationem aliqua ſumma, tanquam numularij ſtipendio compenſet: quod ex dictis q.20. p.2. de emptione per anticipatam ſolutionem conſtat eſſe iniquum. Et ſanè numularios ita velle; illud argumento eſſe poteſt, quòd quantò difficilius eſt præſentem pecuniam reperire, tantò plus petunt pro numeratione. Nec verum eſt, quod Sotus inſinuat, Rempublicam in eo conſentire, vt is, cui pecunia numeratur, ſoluat numulario ſtipendium. Non enim conſentit, vt qui non ſunt iure grauandi, grauentur.

PVNCTVM QVARTVM.

De Juſtitia & Iniuſtitia Cambij mixti; id eſt, quanam ob cauſas poſsit cambio ſimiliũ vel diſſimilium pecuniarum, alius cõtractus iuſtè admiſceri, vi cuius campſor lucretur aliquid vltra ſortem.

PRo declaratione huius rei, notanda ſunt inprimis duo. PRIMO notandum, de quinque cauſis potiſsimum diſputari à Doctoribus, an ob illas poſsit huiuſmodi *mixtum* & lucroſum cambium iuſtè celebrari. PRIMA eſt ex parte *temporis formaliter*, quo campſor expectat ſolutionem. Et huc pertinet, quod quærunt Doctores, Vtrum cambium ratione *temporis* ſit licitum. Faciunt enim varia nomina cambiorum pro diuerſitate cauſarum, ob quas fieri poſsit, vt contractus aliquis cùm cambio concurrat.

SECVNDA cauſa eſt *interueniens damnum aut lucrum*, quod poteſt accidere intra illud tempus, quo ſolutio expectatur. Et huc pertinet, quod Doctores quærunt, Vtrum cambium ratione *intereſſe* ſit licitum, ſicut vocat Nauarrus capite 17. n.283. litera B. aliàs n.286.

TERTIA cauſa eſt *translatio virtualis* (vt Nauarrus loquitur) pecuniæ de loco ad locum. Eſt enim quæſtio, Vtrum campſor recipiens pecuniam in vno loco à campſuario, & dans illi tantundem in alio loco, poſsit petere aliquam compenſationẽ, & ſic aliquid lucrari, propterea quòd virtualiter videtur pecuniam transferre de loco ad locum. Et huc pertinet, quod Doctores quærunt, Vtrum cambium ratione *loci*, ſiue *per literas* ſit licitum. Fit enim plerumque hæc virtualis translatio per literas; ſiue quas campſor dat campſuario, cum ab eo recipit pecunias, quæ dicuntur literæ *cambij*, vt ait Nauarrus; ſiue quas campſuarius dat campſori, cùm ipſe recipit prius à campſore pecunias, & campſor poſtea alio loco expectat ſolutionem, quæ dicuntur literæ *crediti*.

QVARTA cauſa eſt abſentia pecuniæ ſecundùm locum. Et huc pertinet, quod ſolet fic quæri, Vtrum cambium ratione *ſolius abſentiæ pecuniæ* ſit licitum.

QVINTA cauſa eſt diligentia, labor & onera, quæ ſuſcipit campſor in conquirendis pecuniis vndique, ſimilibus & diſſimilibus, vt ita facilè poſsit cuiuis indigenti commutare, recepturus ſolutionem, vel eodem loco, diuerſo tempore; vel etiam in alio loco. Et huc pertinet, quod ſolet quæri, Num cambium ratione *officij* ſit licitum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO notandum, non ideo de his causis seorsim disputari, quòd non possint simul omnes concurrere (possunt enim) sed ideo seorsim de illis disputatur, vt facilius intelligatur, quandonam plures vel pauciores causæ lucrandi suppetant campsori. Vnde cùm sermo est de vna causa ex istis, non negatur, posse quoque aliam vel alias simul concurrere.

Iam respondeo ad propositam quæstionem per quinque Conclusiones, iuxta prædictarum causarum ordinem. PRIMA Conclusio. Illicitum est, & vsurarium, cambium mixtum, ratione *solius temporis formaliter*, quo solutio expectatur. De hac Conclusione nullum est dubium apud Catholicos Doctores. Est enim id cambium vsura clara. Atq; augetur hæc vsura si quò diutius solutio expectatur, eò plus accipiant campsores vltra sortem: vt solent illi facere, qui ad *intercalatas* (vt aiunt) *nundinas* cambiunt. Loquor autem hîc de expectatione solius temporis formaliter, secluso alio omni interesse, quod in tempore possit accidere, iuxta ea quæ supra disseruimus q.20.p.2.

SECVNDA Conclusio. Licitum est cambium mixtum ratione interuenientis *lucri vel damni*. Ita Nauarrus cap.17.num.292. Et Medina q.2.de Cambiis, & alij communiter. Et patet ex dictis q.20. p.2. circa interesse lucri & damni. Hinc sequitur, quò maius fuerit id interesse ob diutius expectatam solutionem, eò plus posse campsorem accipere. Quare qui inter solam *temporis expectationem maiorem*, & *Interesse maius* non distinguunt, non rectè condemnant campsores, ideo plus recipientes, quia diutius expectant, sicut bene notauit Medina vbi suprà.

Notandum tamen hîc PRIMO, post Extrauagantem Pij V. editam anno M. D. LXXI. circa cambia, à Nauarro cap.17. n.299. (aliâs 283.) relatam, non licere campsori sponte sua prorogare campsuario terminos solutionis, sed cambiendum esse ad proximas nundinas, vel ad alios terminos solitos, secundùm consuetudinem patriæ receptam. Per hoc tamen, vt bene notat Nauarrus nu.283.litera M. aliâs n.301. non adimitur facultas campsori, quin instante campsuario, & in gratiam ipsius, possit terminum prorogare. SECVNDO notandum, post eandem Extrauagantem non licere initio facere pactum de certo Interesse lucri cessantis: quamuis hoc, vt ibi notat Nauarrus, tantùm obligat in foro exterioti; vbi illa nimirum Extrauagans vigeat.

TERTIA Conclusio. Licitum est cambium mixtum ratione *loci* seu *per literas*. Hoc etiam omnes concedunt. Et probatur manifestè. Nam si campsor *reipsa* pecunias campsuario de loco in locum transferret, posset petere aliquam compensationem. Ergo etiam potest, cùm dat illi literas, vi quarum alibi tantundem accipiat, vel cùm ab illo accipit literas *crediti*, dans ei pecunias. Nam his etiam modis transfert saltè *virtualiter* pecunias campsuarij ex alio loco huc, vel hinc in alium locum. Quæ translatio virtualis non minorem vtilitatem affert campsuario, quàm afferret realis translatio pecuniarum ipsius de loco in locum.

Hinc sequitur PRIMO, quò plus loca distant, eò campsorem posse maiorem compensationem petere; non verò quò diutius expectatur solutio vltra tempus necessarium ad transmittendas literas. Tunc enim plus petere, secluso peculiari interesse, vsura esset.

SECVNDO sequitur, licitũ esse ratione translationis pecuniæ aliquid lucrari, nõ modõ quando transfertur ad locum diuersi regni vel prouinciæ, sed etiam ad diuersum locum eiusdem prouinciæ, saltem vi iuris naturalis, secluso peculiari prohibitione superioris. Ita notat Nauarrus nu. 283.litera E. aliâs n.290. contra Sotum, qui lib.6. de Iustitia, q.10.art.1.ad finem, videtur id absolutè damnare.

TERTIO sequitur, oportere ad huius cambij iustitiam, vt campsuarius habeat pecunias vel *actu*, vel saltem *virtute* (id est, in amicis, aut beneficio, &c.) in loco, ad quem dedit campsori literas crediti. Aliâs campsor committeret vsuram palliatam, petendo aliquid ratione translationis. Si enim nullo modo campsuarius habet pecunias in loco, ad quẽ dedit literas crediti; nullas illius pecunias transfert inde campsor ad eum locum in quo ipse campsor pecunias ei dedit. Et hæc ipsa fraus est illa, quæ nominari solet cambium *siccum* seu *fictum*. Quod non solùm iure naturæ, sed peculiariter etiam in illa Pij V. Extrauagante prohibetur, & meritò, cùm sit mera vsura, licet alioqui non raro vsitata.

QVARTA Conclusio. Licitum etiam est cambium mixtum, ratione *absentiæ pecuniæ secundùm locum*. Ita Sylvester, Verbo Vsura 4.q.4. & Caietanus in Opusculo de Cambiis. Et probatur ea ratione. Nam pecunia absens secundùm locum est subiecta oneri asportandi illam inde, & periculumque etiam periculo. Ergo potest campsor recipiens absentem pecuniam, hoc est, existentem in loco distanti, huius oneris petere peculiarem compensationem.

Nec obstat, quòd quandoq; accidat, vt campsor non modò sine onere, sed etiam cum lucro, possit pecunias ex loco distanti transferre ad locum, in quo prius ipse campsuario tantundem dedit. Vt si, verbi gratia, per suum factorem in loco illo distanti cambiat rursus illas ad locum priorem, in quo ipse est; non, inquam, hoc obstat. Nam eam commoditatem illinc pecuniam suam asportandi, non debet campsor acceptam ferre campsuario, sed suę proprię industrię & negociationi. Et satis est, quòd ipse quidem campsuarius attulerit campsori onus pecunias illinc asportandi, vt possit campsor ab illo petere eius oneris compensationem. Id quod non satis videtur aduertisse Sotus, cùm lib.6. de Iustitia, quæstione 12. artic.2. negauit absentiam pecuniæ secundùm

cundùm locum quicquã facere ad lucrum campsoris, periculo secluso.

Hinc sequuntur tria. PRIMO, quò plus distant loca, eò plus posse campsorem lucrari, ratione huius absentiæ pecuniæ secundùm locum. SECVNDO, oportere vt campsuarius habeat in loco absenti pecuniam: aliâs erit istud cambium *fictum & siccum*. TERTIO, quando cambium fit ad diuersum locum, minimum duos titulos suppetere campsori lucrandi, translationem scilicet virtualem pecuniæ, & absentiam secundùm locum.

QVINTA Conclusio. Licitum etiam est cambium mixtum ratione *officij*, præsertim à Repub. lica instituti & probati. Ita concessit Durandus in 3. sentent. dist.37. quæst.2. & Ioannes Maior in 4. dist.15. quæst.31. circa finem, & Medina per totum ferè tractatum de Cambiis, & Nauarrus loco citato num.283.litera D. aliâs num.288. Probatur PRIMO. Nam diligentia, labor, & molestiæ seu curæ susceptæ in parandis pecuniis similibus & dissimilibus, quò possit quis facilè omnibus imperiri beneficium cambij propriè dicti, vel impropriè dicti (quod est potius mutuum) onera sunt precio æstimabilia. Ergo potest campsor petere illorum compẽsationem ab iis, qui accipientes ab eo cambium propriè vel impropriè dictum, volunt vti eo beneficio, & acceptare illa onera, vt pro se suscepta, sicut ea in gratiam quoque eius & aliorum campsor suscipit.

Probatur SECVNDO. Nam si Respublica obligaret aliquem ad ea onera suscipienda, posset talis petere compensationem non solùm obligationis illius, sed etiam ipsorum onerum susceptorum. Ergo etiam potest, si illa onera sponte suscipiat. Nec obstat, quòd talis campsor principaliter spectet suum proprium lucrum in illis oneribus suscipiendis. Satis enim est, quòd verè etiam in vtilitatem aliorum illa onera suscipiat. Quemadmodum quòd mercenarius laborans in vineâ, principaliter quidem non vtilitatem domini vineæ, sed proprium lucrum spectet, minimè obstat, quò minus iustè accipiat sui laboris mercedem.

Quocirca immeritò Sotus lib.6. de Iustitia, q.10. artic.2. sententiam hanc improbat. Neque argumentum ipsius est firmum. Est autem huiusmodi: Quandocunque aliquod opus est secundùm se illicitum & iniustum, tunc labores & onera susceptæ illius gratiâ, non mercede, sed supplicio sunt digna. Sed aliquid vltra sortem accipere, *ratione temporis*, est opus secundùm se iniustum. Ergo labores & onera susceptæ, huius operis gratia, non mercede, sed supplicio sunt digna. Confirmatur. Nam tunc omnes latrones & vsurarij essent excusati; laborant enim in latrociniis.

RESPONDEO, concedendo argumentum totum. Nam consequens illarum non est contra nostram sententiam. Non enim dicimus, posse campsorem lucrari aliquid, ratione onerum susceptorum, causa recipiendi aliquid vltra sortem propter *solam expectationem temporis*: Sed dicimus, illum id posse ratione onerum susceptorum causâ impertiendi aliis beneficium cambij impropriè dicti (id est, mutui) vel cambij propriè dicti: Quorum neutrum est opus iniustum. Quanquam nec mutuum nec cambium est tale opus, quod secundùm iustitiam, secluso aliquo titulo concurrente (qualem hîc esse dicimus, *antecedentem laborem, curam, &c.*) debeat compensari aliquo auctario vltra sortem. Sed hoc minimè obstat, quò minus onus illud adiunctum quidem vtrique huic operi (scilicet onus curæ, & laboris in parandis pecuniis, &c.) possit iustè compensari aliquo tali auctario: Vt patet manifestè in *laboribus extraordinariis* susceptis causâ alterius alicuius contractus, vel etiam causa ministerij *spiritualis*, qui secundùm omnes iustè compensantur, quamuis opus spirituale non sit æstimabile secundùm iustitiam.

Ex his patet responsio etiam ad Confirmationem. Non enim est simile, quod adducitur de latronibus. Nam hi non suscipiunt labores illos causâ beneficij etiam impertiendi iis quos exspoliant. Ac eadem ratione neq; vsurarij possunt per hanc doctrinam excusari. Tum quia nec omnes prius laborârunt in parandis pecuniis, sed hæreditate vel dono vel aliter eas habuerunt. Tum etiam, nam si quid in eis parandis & conseruandis laborârunt, tamen non id faciunt eo animo, vt beneficium mutui aliis impertiant, sed solùm vt lucrum ex vi solius mutui reportent, quod est intrinsecè iniquum. Quòd si aliquis animo sincerò laboret in parandis & conseruandis pecuniis, vt aliis mutuando beneficiat, nec lucrum *ex vi mutui*, sed pro suo labore solùm exigat, is minimè iudicari debet esse vsurarius, sed licitè id faciet secundùm hanc sententiam.

Hinc SEQVITVR, licitum esse morem aliquarum ciuitatum, quæ aliquam summam pecuniæ ex ærario publico vel aliunde comparatam, destinare solent ad mutuandum pauperibus hac lege, vt ipsi mutuatarij paruum aliquod auctarium vltra sortem pendant, ad alendos eius pecuniæ procurandæ ministros, & ad sustentanda onera rationum dati & accepti, & curandorum pignorum in domo ad hoc conducta, &c. si quidem hæc omnia necessaria sunt, vt in vtilitatem pauperum illa pecunia perpetuò conseruetur; quæ proinde pecunia quoniam ad beneficiendũ pauperibus destinata est, nominari consueuit MONS PIETATIS.

Approbant autẽ istum montem pietatis tanquam omnino licitum (propter prædicta onera & officium in eo procurando & conseruando) Medina quæstione vltima de Cambiis, & Nauarrus cap.17. num.213. & alibi sæpè, contra Sotum lib.6.q.1. art.6. & Caietanum in opusc. de Monte

Universidad de Deusto
Biblioteca

pietatis: qui duo auctores frustrà hoc institutum condemnant, & aliquantò etiam liberius, quàm par sit; cùm expresè videatur approbatum in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10. Ibi enim ad tollendas disputationes, quæ vt ibi apparet, tunc temporis de hoc erant scandalosa, definiuit Pontifex, nullam hîc contineri vsuram. Itaque nimis frigida est euasio Soti & Caietani, cùm dicunt, solùm ibi fuisse tales montes pietatis approbatos, prout iuri naturæ, & sacris Canonibus non repugnarent. Hoc enim non sustulisset occasiones disputationum, sed auxisset potius. Fuit ergo ibi absolutè approbatum hoc institutum.

Et probatur ratione. Nam onera illa prædicta suscipiuntur in vtilitatem pauperum. Ergo meritò ab illis petitur ipsorum compensatio. Antecedens ex eo patet abundè, quòd in nullos alios vsus illa summa potest conferri, vt pono ex casu. Consequentia verò patet ex dictis in Confirmatione nostræ Conclusionis quintæ.

Sed argumentantur contra, dicti auctores. PRIMO, quòd pauperes non sunt domini illius pecuniæ. Ergo compensatio onerum susceptorum illius conseruandæ gratia, non pertinet ad illos, sed ad communitatè vel alium, apud quem sit dominium pecuniæ illius.

SECVNDO, quòd non omnes pauperes afferunt pignora habentia onus annexum conseruandi; Vt cùm exhibent pro pignore securim, verbi gratia, vel aliquid eiusmodi, quod nulla penè cura ad conseruationem indiget. Ergo iniustum est, vt omnes illi sine discrimine, vt fit, conferant aliquid vltra sortem.

TERTIO, nam quò quis diutius vtitur illo mutuo, plus soluit vltra sortem. Ergo non pro oneribus, sed pro tempore petitur, atque adeo vsurariè.

Ad PRIMVM respondeo primò, dato quòd dominium illius pecuniæ non pertineat ad pauperes, sed ad communitatem, tamen non indè sequitur, onera suscepta causa conseruandæ eius pecuniæ, non debere compensari à pauperibus. Satis enim ad id est, quòd in pauperum vtilitatem sint ea onera suscepta, vt patet ex dictis. Dico secundò, falsum esse, quòd tale dominium pertineat ad communitatem. Solùm enim ad illam pertinet pecuniæ illius administratio. Itaq; propriè illa pecunia nullius videtur esse, sed tantùm committitur curæ aliquorum, vt mutuo detur pauperibus, atq; adeo procuretur in vtilitatem illorum.

Ad SECVNDVM dico primò, tam exiguum esse illud auctarium, vt secluso onere pignoris, pro aliis oneribus, quę communiter ad omnes pertinent, iustè exigatur. Dico secundò, quòd etsi is, qui pignus confert non annexum oneri, non obligetur iustè ad tantum contribuendum, tamen quia nō potest semper certò constare, quantum debeat quisq; pauperum soluere, habita ratione onerum, quæ vnicuique possunt respondere; videtur hîc admisceri donatio quædam, qua volunt pauperes sponte sua certum quid semper conferre pro tanta vel tanta summa mutuata, quodcunq; pignus attulerint. Cedit enim nihilominus tota res in ipsorum vtilitatem. Atq; ita respondet vbi suprà Medina.

Ad TERTIVM respondeo, non plus peti ob maiorem expectationem temporis formaliter; sed quia quò diutius quis retinet summam, eò maius beneficium mutui participat: & consequenter meritò ab illo exigitur maior compensatio onerum susceptorum causâ impertiendi talia beneficia, cùm eo magis tunc eiusmodi onera propter illum sint suscepta. Item petitur tunc plus, quia communiter manent tunc ministri diutius obnoxij periculo pignorum, &c. & diutius habent illorum curam.

PVNCTVM QVINTVM.

Quænam sint consideranda ad cognoscendum iustum precium prædictorum Cambiorum.

RESPONDEO, eadem hîc esse consideranda, quæ in aliis etiam contractibus considerari solent, ad dignoscenda iusta precia rerum aut onerum, iuxta dicta suprà q. 20. p. 2. Vnde si cambij precium fuerit lege statutum; illud determinatè est accipiendum, non maius.

Citra legem verò *primò* consideranda sunt ea, quæ peculiariter pertinent ad cuiusque cambij iustitiam. Vt in cambio ratione intercedentis *lucri vel damni*, consideranda sunt lucri vel damni certitudo, diuturnitas, &c. In cambio ratione *absentiæ secundùm locum*, consideranda locorum distantia. Item in cambio ratione *officij*, quanta sint onera, &c.

Deinde etiam in omnibus cambiis considerari debet copia & inopia campsorum & campsuariorum. Nam cùm est copia campsuariorum, & inopia campsorum; maius debet esse precium; contra verò minus. Variat enim æstimationē copia & inopia in omnibus rebus, vt patet in mercibus, & in operis mercenariorum: quādo enim sunt pauci mercenarij, pluris opera eorum æstimatur. Sic in cambio, maximè ratione *officij*.

His omnibus consideratis, id erit iustum precium, quod communiter probi iudicabunt. Necque in hoc multum respiciendum est ad labores corporales campsorum, sed æstimatio communis est maximè attendenda, sicut fit in operis Medicorum & Iurisconsultorum, &c. Vnde nō sunt comparandi campsores cum agasonibus vel purè mercenariis, quasi debeat similiter hîc de iustitia lucri iudicari. Sed attendi debet communis prudentum æstimatio, iuxta gradum istarum politici, quem in Republica campsores habent.

Ex

Ex qua doctrina sequitur PRIMO, posse variari iustè inter campsores precia cambiorum, modò absint fraudes & monopolia, quę in hac etiam materia æquè vitanda sunt, atque in rerum aliarum venditione, iuxta dicta suprà q. 20. p. 2.

SECVNDO sequitur, accidere posse, vt iustè carius cambiatur (per cambium *translationis* pecuniæ & *absentiæ secundùm locum*) à loco B. (verbi gratia) ad locum C. quàm contra à loco eodem C. ad locum priorem B. Hoc patet, si in loco B. sint pauci campsores, & multi campsuarij, & ob id pluris æstimetur translatio à B. in C. Contra verò in C. sint multi campsores, & pauci campsuarij, & ob id minoris æstimetur translatio à C. ad B. Quamuis si *sola translatio & absentia* pecuniæ hîc respiceretur, non posset cariusà B. ad C. cambiri, quàm contra à C. ad B. cùm vtrinque sit æqualis distantia.

Ac simile quid potest etiam accidere ob diuersam copiam & inopiam pecuniæ in diuersis locis. Vt si, verbi gratia, tredecim iustè recipiantur in loco B. vbi pecunia ob ipsius inopiam pluris æstimatur, pro quindecim datis in C. vbi pecunia propter copiam minoris æstimatur. Atque ita, si vtrumque simul concurrat (scilicet diuersa copia & inopia, tum *pecuniæ*, tum *campsorum & campsuariorum*, in diuersis locis) plus adhuc poterit in vno loco recipi, quàm in alio: Ita vt in loco C. (verbi gratia) iustè recipiantur sexdecim pro tredecim datis in B. quia in B. vltra inopiam pecuniæ sint etiam pauci campsores & multi campsuarij, atq; adeo pluris ibi æstimetur cambium ad C. contra verò in C. vltra copiam pecunię sint etiam multi campsores, & pauci campsuarij, & sic illic minoris æstimetur tale cambium ad B.

Ac per huiusmodi inæqualitatem precij cambiorum in diuersis locis, fit, vt campsores possint iustè multum lucrari, sæpius vltro citroque recambiendo ex vno loco in alium, in quibus diuersa fit æstimatio pecuniæ ob diuersam copiam & inopiam pecunię aut campsorum & campsuariorum, vel ob alias locorum vel temporum circumstantias. Atque ex his multi casus particulares in materia Cambiorum in variis prouinciis ac locis contingentes diiudicari possunt.

PVNCTVM SEXTVM.

Quinam possint esse Campsores.

SECVNDVM ius naturæ, omnes, qui voluerint, possunt iustè exercere ea cambia, quæ sunt approbata hactenus; quæ possunt ad sex ferè genera reduci. PRIMVM est cambium *simplex proprium*, quod dicitur *minutum*. In quo genere complector cambia non solum *diuersarum* pecuniarum, sed etiam similium ratione copiæ & inopiæ pecuniæ *diuersorum* locorum. SECVNDVM est cambium ratione *custodiæ*. TERTIVM est cambium ratione *interesse*. QVARTVM est cambium ratione *translationis*. QVINTVM est cambium ratione *absentiæ pecuniæ secundùm locum*. SEXTVM est cambium ratione *officij*. Probatur autem omnia hæc Cambia posse iure quidem naturæ exerceri ab omnibus quicunq; voluerint. Nam quod secundùm iustitiam commutatiuam est iustum, id à quouis iure naturæ licitè potest exerceri, vt bene notauit hîc Sotus lib. 6. de Iustitia, q. 9. articulo vnico.

Iure tamen *positiuo* prohibitum est, quasi ex officio exercere hæc cambia iis, quibus in genere prohibita est negociatio. Vt Clericis, &c. de quibus dictum est suprà q. 20. p. vlt. Et vt Nauarrus refert in cap. 17. num. 283. litera D. vel num. 288. cambium ratione *custodiæ* in Hispania prohibitum est iis, qui à Republica non constituuntur. Et vt Sotus refert lib. 6. de Iustitia, q. 9. art. vnico, etiam in locis aliquibus prohibetur cambium *minutum* diuersarum pecuniarum, iis qui non sint constituti à Republica. Dixi autem iure esse prohibitum, *exercere quasi ex officio* hæc cambia; nam semel aut iterum illa exercere, nulli est prohibitum, vt bene censuit Nauarrus vbi suprà.

Porro ex dictis in hac tota quæstione elici potest hoc DOCVMENTVM generale ad plurimos casus in hac materia discernendos. Aestimandus primò est valor summæ datæ & acceptę. Et si fuerint summæ æqualis valoris; nec vlla apparet ratio, cur alter contrahentium per contractum aliquem cum cambio concurrentē debuerit plus accipere, non erit difficultas: erit enim tunc clara iustitia. Sin autem valores summarum, omnibus consideratis, fuerint inæquales; tunc diuidenda est summa maior in duas partes, quarum altera æqualiter respondeat summæ minori, vt debet respondere ex vi simplicis commutationis pecuniarum, siue cambij. Deinde diligenter considerandum, num illi, qui maiorem summam recepit, aliquæ rationes suppetant, propter quas per contractum aliquem cum cambio concurrentem habuerit ius ad recipiendam residuam illam partem summę maioris: si enim suppetant, iusta fuerit acceptio: si non, vel saltem non ad accipiendum tam multum vltra sortem; iniusta acceptio erit. Et hoc documentum seruire etiam potest ad diiudicandos ferè omnes alios contractus in materia iustitiæ commutatiuæ.



QVAE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIO VIGESIMAQVARTA.

De Iustitia & Iniustitia contractus Societatis.

Ad 2.2.D. Thomæ q.78. præsertim art.2.ad 5.

AD DVO PVNCTA REVOCARI POSSVNT EA, QVAE DE HOC Contractu operæ precium est explicare. PRIMVM est, In quo consistat ratio huius Contractus, & quænam requirantur, vt iustus sit, ipsius propria ratione considerata. SECVNDVM est, An & quomodo, salua Iustitia illius, possint cum eo simul coniungi aliqui alij contractus.

PVNCTVM PRIMVM.

In quo consistat ratio Contractus Societatis, & quænam requirantur, vt sit iustus, considerata ipsius propria ratione.

RATIO huius contractus (sicut omnes tradunt) in hoc sita est, vt aliqui inter se pacto, & coniunctis suis quibuscunque rebus, quæ tamen ad lucrandum idoneæ sint (vt pecunia, industria, opera) velint per negociationem aliquam, siue etiam opificium, aut agriculturam, &c. facere commune aliquod lucrum inter se diuidendum, parati similiter ad diuidendum inter se damnum commune, si quod fortè incurrat. A

Hunc Contractum iustè celebrari & exerceri posse, patet PRIMO ex iis, quæ traduntur in Iure. C. & ff. pro socio, & in capit. Per vestras. Extra de donat. inter virum & vxorem; & à Doctoribus vtriusque Iuris in iisdem locis, atque etiam à diuo Thoma q.78. ar.2.ad 5. & communiter ab aliis Theologis.

SECVNDO idipsum patet manifesta ratione. Nam quod iustè fieri potest ab vnoquoque seorsim, iustè quoque fieri potest à pluribus simul. Sed vnusquisque potest seorsim lucrari iustè ex sua propria re ad lucrandum idonea. Ergo etiam plures simul ex suis rebus coniunctis ad lucrandum idoneis. B

Cæterùm vt hic Contractus non solùm iustè *celebrari possit*, sed etiam iustè *celebretur*, considerata quidem ipsius propria ratione, quam iam proposuimus; tria requiruntur. PRIMVM, ex parte negociationis seu opificij. SECVNDVM, ex parte lucri diuidendi inter socios. TERTIVM, ex parte damni etiam inter socios diuidédi, si quod ab eis incurritur.

Et circa PRIMVM quidem, solùm animaduertendum est, oportere vt genus *negociationis* seu opificij sit iustum & licitum. Aliàs enim societas quoque erit iniusta & illicita. Neque interest, quale genus negociationis aut opificij sit, modò sit iustum & idoneum ad lucrandum, vt patet ex doctrina D. Thomæ q.78. art.2. ad 5. & aliorum communi.

Circa SECVNDVM verò, quod requiritur, ex parte *lucri*, constat oportere, vt iustè inter socios illud diuidatur. Sed quomodo id fieri debeat, explicandum est. Itaque dico PRIMO. Cùm sortes sociorum sunt æqualis valoris ad lucrandum; ex sententia omnium iustè lucrum distribuetur, si æqualiter inter singulos diuidatur. Vt si singuli ponant æqualem pecuniam & industriam. Ratio huius distributionis est ex se clara. Nam cùm vnusquisque sociorum eatenus habeat ius ad lucrum, quatenus ex re sua illud paritur; æqualem portionem lucri debet quisque reportare, si cuiusque res, siue sors in societatem collata, æqualiter profuit ad pariendum commune lucrum.

Dico SECVNDO, cùm sortes sociorum ob diuersitatem *naturæ* vel *quantitatis, &c.* non sunt æqualis valoris ad lucrandum; æstimandus est à probis & peritis valor sortis cuiusque ad lucrandum, deinde cognita proportione valoris vnius sortis ad aliam, eadem est proportio seruanda in portionibus lucri distribuendi inter socios. Vt verbi gratia, si alius exponat solam pecuniam, alius verò industriam & pecuniam, vel solam industriam, &c. Ratio iustitiæ talis distributionis est: nam cùm eatenus socij iustè partem lucri reportent, quatenus id lucrum faciunt ex rebus propriis; manifestè postulat iustitia, vt proportio portionis lucri vnius ad portionem lucri alterius, correspondeat proportioni sortis vnius ad sortem alterius: aliàs violatur ius sociorum, quod habent ad lucrum percipiendum ex rebus suis propriis. Ita etiam distributionem lucri hoc casu faciendam, docent ferè omnes, maximè

maximè Caietanus 2.2. q.79. art.2. ad 5. & Maior in 4. sentent. d.15. quæst.47. & Nauarrus cap.17. num.251. A

Dixi autem, æstimandum tunc esse valorem sortium *ad lucrandum*. Nam industria & opera plus valet ad lucrandum, quàm sola pecunia absolutè; nisi alioqui præponderet excessus magnus in quantitate pecuniæ. Industria enim & opera propinquius & efficacius pariunt lucrum, quàm pecunia: siquidem etiam faciunt, vt pecunia aliàs sterilis conferat ad ipsum lucrum. Vnde etiam plus valet industria, si consideratur *vt exposita ad lucrandum*, quàm si consideretur solùm vt habet *laborem adiunctum*: quo posteriori modo tantùm consideratur, cùm *locatur* alicui velut à mercenario, &c. Sicut etiam pecunia *vt exposita negociationi vel opificio ad lucrandum*, verè fit res fructifera, atque adeo etiam plus valet, quàm si consideretur solùm absolutè & secùndum se, prout est sterilis. Itaque hæc omnia considerari debent in proposito, vt rectè æstimetur valor sortis, quam vnusquisque socius in societatem confert, & iuxta id inter socios iustè diuidatur lucrum, vt dictum est. B

Ex qua doctrina, atque etiam ex ratione à nobis reddita iustæ distributionis in casu nostri secundi dicti, manifestè patet, falsò dixisse Sotum lib.6. de Iustitia, q.5. art.1. in lucri distributione non esse habendam rationem *pecuniæ*, quàm socius confert, sed solùm rationem *periculi*, cui pecuniam exponit; atque adeo solius periculi, non autem pecuniæ proportionem comparandam esse cum proportione industriæ vel operæ alterius. C

Falsum hoc est. Nam socij iustè lucrum percipiunt ex *suis rebus, prout eas ad lucrandum exponunt*. Sed in casu dicto res propria, quam socius ponens pecuniam, ad lucrum exponit, inprimis est ipsa pecunia, non autem periculum, cui ipsam exponit. Ergo in lucri distributione ratio inprimis haberi debet ipsius pecuniæ, non autem periculi. Maior patet ex natura societatis iam antea explicata. Minor probatur. Nam id, quo per se in Societatis negociatione fit lucrum, non est periculum pecuniæ, sed ipsa pecunia: ea enim est id, quòd postea negociando commutatur, non periculum. D

Adde, quòd tantum abest, vt ex pecuniæ *periculo* per se in Societate fiat lucrum, vt ne soleat quidem à sociis compensari tale periculum ei, qui exponens pecuniam illud subit. Communiter namque solet ita celebrari societas, vt periculum pecuniæ ad ipsum socium, qui illam confert, pertineat, neq; is pro eo periculo quicquam accipiat: Tantum abest, vt is accipiat etiam lucrum aliquod ex eo periculo.

Nec rationes Soti valent, quarum PRIMA est: Nam exponens, inquit, pecuniam, non amittit illam, nec necessariò debet ea carere, cùm postea ei reddatur, si non pereat, sed tantùm subit eius periculum. Ergo in distribuendo lucro, periculi tantùm proportio est attendenda.

RESPONDEO, negandam esse Consequentiam. Quia per se loquendo, socius non ideo iustè percipit partem lucri, quòd *expendat aut amittat* suam pecuniam seu sortem, sed quòd *vtatur* in negociatione sorte sua tanquam re propria, ex qua iustè expectat lucrum. Vnde cùm sors, qua per se vtitur socius is, qui pecuniam solam confert, sit quantitas pecuniæ *vt negociationi exposita*; eius proportio per se est attendenda. Quòd enim pecunia sit talis, vt lucro subsequente maneat salua; opera autem & industria in ipsa negociatione expendatur; per accidens est ad ius percipiendi lucrum.

SECVNDA ratio Soti est. Nam si esset habenda ratio quantitatis pecuniæ expositæ, raro contingeret, vt pluris facienda sit opera vel industria sola vnius socij, quàm pecunia alterius: quòd tamen sæpè accidere constat ex Institutionibus Iustiniani titulo *pro socio*. Probatur Sequela; raro enim fit, vt sola opera tantum valeat, quantum valet quantitas pecuniæ, quæ solet in societatem exponi. Raro igitur debebitur maior portio lucri ponenti industriam solam, quàm pecuniam.

RESPONDEO, nihilominus id sæpè posse accidere. Nam vt ante dixi, opera & industria ad negociationem expositæ, cæteris paribus, plus valet ad lucrandum, quàm pecunia. Vnde non eadem ratio habenda est operæ in proposito, quæ haberetur, si aliàs talis opera *locaretur* à mercenario, si labor & molestia eius absolutè tantùm consideraretur. Sic enim verum esset, quòd ratio in Societate anteponenda esset pecuniæ solæ opera & industria. Sed habenda est ratio operæ & industriæ, vt iam *expositæ ad lucrandum*. Sic enim plus valet, quàm pecunia, vt suprà diximus. Secus, si industria non esset admodum magna, & pecuniæ summa maxima. Tunc enim minus multo valeret. Quare meritò Nauarrus cap.17. n.251. illam opinionem Soti reiicit.

Circa TERTIVM, quod ad iustitiam Contractus Societatis requiri diximus ex parte *damni*, constat inprimis, debere illud diuidi æqualiter inter socios, si id damnum commune sit omnibus sortibus sociorum; vt si quisque industriam & pecuniam æqualem contulerit, & pars eius amissa sit. DVBIVM autem est, quid faciendum sit, quando damnum accidit peculiariter in sorte socij alicuius, & non est omnibus sociis commune.

Ac tunc dico PRIMO, si naturam societatis per se loquendo spectemus, secluso aliquo peculiari pacto à sociis adhibito; damnum ad illum solùm socium pertinet, ad quem constare potest & debet sortem eam pertinuisse, cuius iactura vel omnino vel partim facta est. Vt verbi gratia, si ex negociatione, cui vnus exposuit solam pecuniam, alter operam & industriam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque pecunia amissa sit, neque vllum sit factum lucrum, & ideo constet, iacturam esse factam solùm in sorte illius, qui posuit operam & industriam. Tunc dicimus, damnum hoc illum solum debere sustinere, qui solam operam & industriam posuit: alter verò recipere potest totam suam pecuniam, vt rectè sensit Sotus lib. 6. de Iustitia, q. 5. artic. 1. in fine, & Nauarrus cap. 17. num. 252. & 253.

Probatur PRIMO. Nam in tali casu is, qui posuit pecuniam; ob alterius damnum non habet minus ius ad illam, quàm ante; nec rursum debet ex illa compensare iacturam industriæ alteri Socio. Ergo licitè totam recipit. Probatur prima pars Antecedentis. Nam sicut is ante erat dominus totius pecuniæ, ita iam. Nullo enim titulo amisit id dominium. Secunda verò pars Antecedentis probatur. Nam quantum est ex natura societatis, qui posuit pecuniam, non *conduxit* operam & industriam alterius quasi mercenarij; sed tantùm *coniunxit* suam pecuniam cum opera illius, eo consilio, vt vterq; ex re propria lucrum expectaret: qua spe vterque fuit contentus. Non enim ille, qui in Societate exponit industriam, spectat aliquod precium operæ suæ, sed lucrum ex illa: sicut nec is, qui posuit pecuniam, si ea pereat, exspectat compensationem à ponente industriam, sed sola spe lucri fuit contentus.

Probatur SECVNDO. Nam qui ponit industriam, non ponit illam gratiâ vtilitatis alterius, qui ponit pecuniam, sed suæ propriæ. Ergo alter non debet postea illi industriam compensare. Antecedens probatur. Nam is qui industriam posuit, totum lucrum respondens industriæ quærebat sibi, alteri eam solam portionem lucri relicturus, quæ pecuniæ absolutè respondebat.

Secus autem esset dicendum, si societas non nisi ea conditione inita fuisset, vt damnum cuiusque sortis, lucro non subsecuto, sit commune omnibus sociis. Tunc enim æqualiter inter eos diuidi deberet, vt notat Nauarrus loco dicto. Quanquam tunc quidem non deberent alij ei, cui iactura contigit, damnum ex iustitia resarcire (cùm non nisi proprij sui lucri gratiâ exposuerit sortem) sed ex donatione licita per conditionem appositam ex consensu sociorum. Sicut etiam hac ratione aliæ plures conditiones possunt adiungi societati.

Dico SECVNDO. Si neque *potest* neque *debet* constare, ad quem sociorum iactura facta pertineat, tunc ad omnes æqualiter pertinet. Exempli gratia. Contribuêre singuli pecuniam: facta est eius iactura aliqua. Tunc quidem, cùm non sit maior ratio, cur id damnum magis ad vnũ, quàm ad alterum pertineat, commune esse debet, etiamsi antequam cumulus ex omnium pecuniis esset coactus, iactura facta esset ex sorte alicuius: hoc enim per accidens est. Etsi enim tunc constare quidem posset, cuius sortis sit facta iactura, tamen non *debuit* illius potius sortis quàm alterius fieri iactura, atque adeo neque *debuit* id constare. Et propterea in vtroq; dicto vsus sum verbo etiam *debet*. Neque de hoc est vlla dubitatio apud Doctores.

PVNCTVM SECVNDVM.

An, & quomodo salua Iustitia Contractus Societatis, possint cum illo simul coniungi contractus alij.

TRIA sunt hîc apud Doctores certa, & vnũ controuersum. PRIMO certum est, posse, generatim loquendo, omnes eos contractus coniungi cum Societatis contractu, salua eius iustitia, qui & per se alioqui sint *iusti*, & veritatem *Societatis non tollant*; ad quam nimirum maximè spectat, vt dominium pecuniæ, quam socius exponit, maneat penes ipsum, & non transferatur in socium alium. Nam tunc non esset reuera societas, sed mutuum titulo Societatis palliatum, atque adeo vsura, si eadem tunc pecunia cum lucro recuperetur.

SECVNDO certum est, posse in specie ab eo, qui pecuniam in societatem confert, celebrari simul cum alio vel aliis, *qui non sint è numero sociorum*, duos alios contractus, scilicet assecurationis *capitalis*, & assecurationis *lucri alicuius certi*; & ita quidem, vt vtramque assecurationem iustè compensare queat per partes aliquot totius eius lucri, quod ex societate probabiliter sperat. Vt, verbi gratia, si quis ex centenaria summa, quam in societatem exponit, sperat probabiliter pro suo lucro decem, & ex his promittat alicui (extra numerum sociorum) duo pro assecuratione capitalis, & eidem vel alteri tria pro assecuratione lucri certi minoris, quàm illud totũ, quod probabiliter sperat, puta lucri quinarij. Hi enim contractus cum alio vel aliis extra numerum sociorum celebrati non tollunt naturam Societatis, vt patet; & iustè etiam modo illo dicto compensari possunt, si considerata ratione negociationis & aliis circumstantiis, tanti æstimetur probabilis spes accipiendi partes illas sperati lucri, scilicet tria & duo, quanti onera assecurandi tum *capitale*, tum *minus lucrum certũ*, puta quinarium, verbi gratia.

TERTIO certum est, si respectemus solum Ius naturæ, posse etiam *cum altero socio* simul celebrari illum saltem contractum assecurationis *lucri minoris certi* pro parte maioris lucri sperati. Ita notat ex communi sententia Conradus q. 96. in fine (quamuis propter periculum, dicat, id non esse suadendum) & colligitur ex Triphonio Iurisconsulto in l. Non existimo. ff. de administr. Tutor. Et probatur ratione. Nam si absit vsuraria intentio mutuandi, sed verè tum pecuniam socius exponat ad negociationem retento penes se illius dominio & periculo, nihil obstat, quo minus iuxta probabilitatem spei lucri, possit pro eius lucri parte imponi alteri socio onus assecurandi partem lucri alteram, vtroque socio in id consentiente. Dixi autem posse cum socio celebrari hunc contractum assecurationis lucri, si spectemus *solum Ius naturæ*. Nam vbi humana aliqua lex seu Constitutio id pactum assecurationis cum socio inire prohiberet; non esset id licitum. In qua tamen Constitutione duo consideranda essent. *Primò*, an omnino tale pactum ad Societatem addi prohiberet, etiam per distinctum contractum ab ipso contractu Societatis, & ex vi etiam peculiaris compensationis quæ socio promitteretur pro eo grauamine assecurandi id lucrũ: An verò solùm prohiberet, addi id pactum ex vi quidem solius contractus ipsius Societatis; Id quod omnino esse iniquum, constat ex dictis puncto præcedente. *Secundò*, an talis aliqua Constitutio fundetur in præsumptione. Nam tunc tantum in foro externo obligaret: iuxta ea quæ ex doctrina communi annotauimus q. 21. p. 6.

CONTROVERSIA autem hîc est, an præter contractum Societatis, & contractum assecurationis lucri minoris, quàm speratur, possit etiam Petrus, verbi gratia, qui centum in Societatem exponit, celebrare simul cum Paulo socio contractum assecurationis *capitalis* pro parte quoque lucri sperati: Ita, vt cum eodem socio celebrentur simul omnes illi tres contractus, qui (vt dictum est in secundo pronunciato) cum diuersis possunt simul celebrari, scilicet contractus *societatis*; & contractus assecurationis *capitalis*, pro parte lucri probabiliter sperati; & contractus assecurationis *lucri certi minoris* pro alia parte sperati lucri. Et quærimus, an hoc liceat, spectando saltem Ius naturæ, vbi contraria aliqua lex seu Constitutio humana non vigeat; in qua ipsa tamen duo illa consideranda essent, quæ iam diximus, circa pactum assecurationis lucri.

Et sunt hac de re duæ sententiæ. VNA est Azarsij in l. Si non fuerint. ff. pro socio. & Panormitani in capit. Per vestras, de Donat. inter vir. & vxor. quos Sotus sequitur lib. 6. de Iustitia, q. 6. art. 2. Hi negant, tales contractus posse licitè celebrari cum eodem socio. Fundamentum potissimum huius sententiæ est. Nam in tali casu Petrus reuera accipit lucrum illud certum *ex munere*, non autem titulo *veræ* societatis. Ergo iniquè accipit.

Probatur Antecedens. Nam Petrus transtulit dominium capitalis in Paulum, & Paulus manet obligatus ad reddendum tantundem Petro. Sed hoc est Petrũ Paulo mutuasse capitale. Ergo, &c. Maior huius ratiocinationis quoad priorem partem (in qua est difficultas) scilicet quòd Petrus transtulerit tunc dominium capitalis in Paulum; probatur tripliciter. *Primò*. Nam iam pertinet periculum capitalis illius ad Paulum. Ergo is iam est dominus ipsius: ille enim est dominus rei, ad quem pertinet rei periculum. *Secundò* ex S. Thoma quæst. 78. art. 2. ad 5. vbi ex eo probat in vero contractu Societatis, dominium capitalis manere adhuc apud socium, quia manet apud eundem periculum capitalis. Ergo cùm in casu proposito periculum capitalis non amplius pertineat ad Petrum, qui pecuniam contulit Paulo, sed solùm ad Paulum; consequens est, vt neque apud Petrum maneat dominium capitalis, sed translatum sit in Paulum, cui pecunia est tradita. *Tertiò*. Nam Paulus potest suo arbitratu in quemcunque vsum illam pecuniam transferre, quandoquidem est obligatus ad capitale Petro reddendum, quomodocunque res cadat. Ergo est verè dominus eius. Patet Consequentia. Nam hoc est esse dominum. Rursus; cùm hoc dominium Paulus nõ habeat, nisi reuera per mutuum; sequitur Petrum vsurariè petere postea à Paulo vltra capitale certum lucrum.

Atque hinc putat Sotus, manifestè refutari argumentum, quo alij Doctores probant, licitos esse illos contractus, quia scilicet Petrus potest illos contractus *cum tertio* exercere. Ergo & cum eodem Paulo socio. Non est simile, inquit Sotus. Nam casu, quo illi duo contractus cum tertio fierent; nulli conferret Petrus capitalis dominium: non enim tertio, siquidem illi nihil tradit: neq; etiam socio, siquidem ad socium non pertineret tunc capitalis periculum, sed ad tertium illum. At verò cùm vtrumque in eadem persona Pauli concurrit, scilicet & perceptio capitalis, & periculum ipsius, vt fit in nostro casu; transfertur in Paulum capitalis dominium; ac proinde reuera est tunc contractus mutui, falso societatis titulo palliati, quando cum eodem illi contractus celebrantur: non verò quando cum tertio, ait Sotus.

ALTERA sententia contraria est Ioannis Maioris in 4. sent. d. 15 q. 49. qui & testatur, sententiam hanc fuisse ab eruditissimo Theologo Ioanne Eckio publicè defensam Bononiæ: & Gabrielis eadem d. q. 11. dub. 10. & Conradi quæst. 97. de Contract. & Syluestri, Verbo Societas 1. q. 2. & Couarruuiæ lib. 3. variar. resol. cap. 2. concl. 3. & Nauarri in Manuali, cap. 17. n. 254. & 255. & nouissimè Iosephi Angles in 4. sent. q. de Societate, & etiam Caietani in opuscul. 17. responsionum, respon. 11. Hi asserunt, inter eosdem socios præter contractum ipsum Societatis, & contractum assecurationis lucri (de quibus non est dubium) licitè iniri posse contractum etiam assecurationis capitalis, atque adeo omnes illos tres prædictos contractus cum eodem socio. Quanquam Sotus putat, sed malè, Caietanum solùm concedere, licitè id fieri posse diuersis temporibus successiuè, quod tamen non dicit Caietanus. Tantùm enim dicit, fieri id posse licitè, si fiant illi contractus *seorsim & disparatè*, id est, distinctè & per intentiones diuersas; quod eodem tempore fieri potest.

Hæc posterior sententia mihi etiam placet, sicut etiam me præsente placuit Romę anno M.D.

LXXXI. multis & doctissimis Theologis re tota diligenter discussa. Probatur PRIMO ex Iure tum Canonico, tum Ciuili. Nam in cap. Per vestras. Extra de donat. inter virum & vxorem: si apud maritum vergentem ad inopiam, neque habentem pro conseruanda vxoris dote sufficientem cautionem, dos versetur in periculo, iubetur talis dos dari alicui mercatori ad negociationem; vt & secura nimirum apud illum sit, & ex ea salua possint onera matrimonij sustentari. Quod non posset fieri, nisi per tres illos prædictos contractus cum mercatore initos, vt rectè annotauit Nauarrus vbi suprà, & etiam Ioannes Andreas in dicto cap. Per vestras. Item in l. Si non fuerint. ff. pro socio, ex Cassij Iurisconsulti sententia apertè dicitur, *ita coiri* (verba sunt legis) *societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat; lucrum verò commune sit.* Quod cùm minimè sit licitum ex vi solius contractus societatis (talem enim societatem meritò ibidem Baldus *leoninam* appellat & improbat, sicut etiam Caietanus in tract. 17. resp. 11.) restat, vt sit licitum vi suprадictorum contractuum, qui simul adiungi possint ad contractum ipsum societatis.

SECVNDO probatur ratione ducta ex similibus planè contractibus in vtroque Iure probatis. Nam in Capitulo vnico. Extra de Commodato, approbatur contractus assecurationis contractui Commodati adiunctus, ex vi cuius periculum rei commodatæ maneat penes commodatarium. Ac similem contractum adiungi posse contractui Depositi (ita, vt periculum rei depositæ sit penes depositarium, manente nihilominus eius dominio penes deponentem) asseritur in l. 1. ff. depositi. Et in cap. Bona fides. Extra de Deposito. Cur non igitur similiter possit quis absque vlla translatione dominij capitalis per mutuum in socium, atque adeo vera manente Societate, celebrare simul cum socio contractum assecurationis capitalis?

TERTIO eandem sententiam probo argumento ducto ex natura veræ Societatis sic: Contractus illi, assecurationis *capitalis*, & assecurationis *lucri certi minoris, quàm speratur*, sunt secundùm se liciti; & non tollunt veritatem contractus Societatis. Ergo licitè simul cum contractu Societatis celebrantur. Consequentia patet ex primo Pronunciato certo, & ex dictis suprà q. 22. p. vltimo. Antecedens quoad priorem partem probatione non eget; quoad posteriorem autem probatur. Nam non obstant illi duo contractus, quo minus in proposito casu Petrus maneat adhuc dominus pecuniæ traditæ Paulo. Ergo est vera societas & non mutuum.

Consequentia est clara. Nam si ob aliquid societas tolleretur, esset ob translationem dominij, vt Sotus argumentabatur. Sed probo etiam Antecedens. Nam ratio, ob quam Petrus maneret dominus illius pecuniæ, semotis illis duobus contractibus, eadem adhuc perseuerat, quando illi duo contractus adduntur societati. Ergo adhuc perseuerat Petrus dominus illius pecuniæ: & consequenter titulo veræ societatis ex ea pecunia, vt ex re propria, lucrum percipit; idque & certum, & securo capitali, ex vi duorum aliorum contractuum.

Probatur etiam hoc Antecedens. Nam ratio, ob quam maneret dominium eius pecuniæ apud Petrum seclusis illis contractibus duobus, est, quia Paulus mercator recipiens à Petro eam pecuniam, non potest pro libito eam in quemcunque vsum transferre, sed debet iuxta voluntatem Petri illam exponere negociationi, & quidem in Petri vtilitatem, quandoquidem totum lucrum correspondens pecuniæ pertinet ad eum, qui illam posuit, atque adeo ad Petrum in proposito casu. Sed similiter illis etiam duobus contractibus adiunctis Paulus mercator non potest pro libito vti illa pecunia, sed debet ex voluntate Petri illam negociationi exponere. Ergo manet etiam in proposito ratio, ob quam Petrus ponens pecuniam, maneret illius dominus seclusis illis duobus contractibus.

Maior probatur. Non enim potest dici, rationem, cur tunc Petrus maneret pecuniæ dominus, esse, quia periculum capitalis maneret tunc apud illum. Quamuis enim periculum rei apud aliquē manens, communiter soleat esse signum, quòd apud eundem maneat rei dominium, tamen non semper ista duo sunt coniuncta. Aliàs, neque maneret dominus capitalis Petrus, si contractum assecurationis exerceret, non cum socio, sed cum tertio, in quem proinde transferret capitalis periculum, retinens nihilominus illius dominium. Imò sequeretur, in omnibus materiis contractum assecurationis, per quem rei periculum transferatur in alium à rei domino, obstare rei dominio: Id quod manifestè est contra casum dicti Capituli vnici, de Commodato, & l. 1. ff. depositi, suprà citatam, & planè contra omnes, & per se absurdum. Fatendum est ergo, rationem, ob quam, seclusis illis duobus contractibus, dominium maneret apud Petrum præcisè esse, quia Paulus non potest pro libito, vt dominus, vti pecunia, sed debet vti eo modo, quo Petrus vult, scilicet negociando; sicut hac ratione famuli, vtentes pecunia domini sui, non sunt domini eius. Itaque vera est illa Maior. Minor verò patet. Nam supponimus, Petrum, concurrentibus etiam illis duobus contractibus, debere habere intentionem, vt Paulus illa pecunia negocietur: nec posse illam ad alios vsus conuerte-re: aliàs si hanc intentionem non haberet, non sortietas, sed mutuum reuera esset.

Ex quibus infero cum Nauarro vbi suprà & aliis, si absit intentio mutuandi vsuraria, non peccare eum, qui sine celebratione *explicita* illorum trium contractuū committit pecunias suas mercatori, vt negocietur, cum pacto recipiendi, saluo capitali, tantum lucri quantū attenta ratione negotiationis, temporis, personarum, &c. iustè posset exigi, si expresè celebrarentur omnes illi contractus. Probatur. Nam cùm obiectum, in quod fertur animus eius, qui sic pecunias tradit, sit licitum secundùm se; non debet talis condemnari, etiamsi explicitè non intelligat rationem, ob quam est iustum tale obiectum: dummodò tamen absit intentio vsuraria, & conscientia erronea, qua posset putare id non licere. Neque enim in aliis etiam materiis moralibus damnatur is, qui sincerè facit aliquid per se licitum, etiamsi aliàs ignoret rationem, ob quam id est licitum; neque expresè voluntas eius feratur in eas circumstantias seu rationes, quæ faciunt eam rem esse licitam.

Et sic intelligendi sunt Maior & Nauarrus, quando concedunt, posse etiam dictos tres contractus *implicitè* exerceri licitè: Vt si, verbi gratia, mercator publicè testetur, se libenter cum quouis tertio illos contractus initurum; & tunc alij iuxta eius protestationem traderent ei pecunias, etiamsi rationem illorum contractuum non intelligerent.

Diligenter autem est hîc animaduertendum *primò*, quod diximus, oportere, vt intentio vsuraria absit. Si enim hæc adesset, non possemus interpretari, talē *velle implicitè* illos tres contractus exercere, sed esset omnino iniquus, vndecunque animus vsurarius existeret, etiamsi ex ignorantia. *Secundò* etiam nota, id, quod saluo capitali petitur, tantum & non plus debere esse, quantum attēta ratione negociationis, temporis, &c. potuisset exprimendo contractus iustè exigi. Aliàs enim, etiamsi non esset vsura, esset tamen manifesta iniustitia, lucrum petere maius, quàm pro ratione negociationis & aliarum circumstantiarum æquum sit.

Quare prudenter notat Caietanus loco dicto, per hanc doctrinam non excusari eos, qui semper & ex omni genere negociationis aut artificij, à quacunque persona, &c. eandem summam lucri saluo capitali petunt. Tunc enim necesse est aliquando iustitiam violari. Oportet enim pro diuersitate negociationis, temporis, &c. æstimationem periculi & spem lucri variari. Quapropter varianda etiam esset pro istorum varietate summa lucri, quæ expetitur saluo capitali ex vi contractus assecurationis capitalis & lucri certi minoris pro incerto maiori sperato.

Nisi forte tam parua esset summa lucri, quæ petitur, vt iudicio proborum & peritorum, habita ratione loci, &c. semper ex quouis industrio socio, & in quocunq; genere negociationis, posset iustè ex vi dictorum trium contractuum petiri, præsertim iis, qui pecunias tradunt & accipiunt, sua sponte aliquid sibi vicissim condonantibus veluti per *transactionem* quandam, si quando accidat, vt iustè plus potuisset accipi, vel minus dari: quæ omnia accuratè sunt perpendenda, & probi ac periti consulendi, ne temerè, quod iustè

excusari potest, condemnetur; aut excusetur, quod meritò deberet damnari.

Quæ cùm ita sint, satis iam ex his apparet, non esse firmum fundamentum CONTRARIAE sententiæ. Iam enim ostendi, hoc ipso quòd ad contractum Societatis adiungantur illi duo contractus, non transferri capitalis dominium in socium, sed manere veram societatem. Itaque negatur argumenti Maior, scilicet transferri propterea dominium capitalis in socium.

Ad *primam* autem eius Maioris probationem respondeo, quandoque etiam manere rei dominum apud eum, penes quem non amplius manet rei periculum, vt iam ante est probatum, & patet in communibus contractibus assecurationis.

Ad *secundam* probationem respondeo, S. Thomam solùm voluisse probare, dominium apud socium manere, ex illo communi signo (scilicet periculo) à *posteriori*; quod vt communiter quidem solet celebrari societas (sine illis aliis contractibus) indicium solet esse dominij; non tamē voluit inseparabile esse periculum à dominio: potest enim separari, vt paulo ante dixi, per contractum assecurationis; quamuis non ex vi quidem solius contractus societatis.

Esset enim manifesta iniustitia, si quis hoc ipso solùm, quòd in societatem pecuniam alteri tradit, vellet, vt faceret se securum. Ad nihil enim aliud tenentur socij ex iustitia, nisi ad iustam distributionem lucri & damni, periculo sortis cuiusque (quantum est ex vi quidem solius societatis) apud vnumquemque socium remanente. Et ita intelligēdi sunt Doctores, quando ad iustam societatem requirunt, vt periculum capitalis maneat apud eum, qui illud contulit, nimirū *quantum est ex vi societatis.*

Sed neque etiam ex vi solius societatis potest socius alium obligare ad exercendum simul illum alium contractum assecurationis secum. Esset enim hoc iniustum, vt bene etiam notauit Caietanus vbi suprà. Nos ergo tantùm dicimus, posse illos duos contractus licitè societati *adiungi*, volentibus sua sponte sociis illos simul exercere, siue ad vitandam molestiam rationum conficiendarum dati & accepti, siue ob alias causas; dummodò onera assecurādi capitale & lucrum, quæ alteri socio per eiusmodi contractus imponuntur, iustè illi compensentur, vti suprà exposui.

Ad *tertiam* probationem eiusdem Maioris (quā valde vrget Sotus) nego Antecedens: quinimò debet in illo casu Paulus negociari ex illa pecunia, & Petrus etiam debet velle, vt negocietur. Aliàs non erit vera societas, sed mutuum, vt inter argumentandum pro nostra sententia concessimus. Quare frustrà Sotus & alij auctores contrariæ sententiæ obiiciunt, Paulum in tali casu non debere negociari, neque Petrum debere curare, vtrum alter negocietur, an non.

Si enim per hoc velint illi Doctores, non posse Petrum moraliter nec debere velle, vt Paulus negocietur, postquam illi contractus simul sint ad societatem additi, manifestè falluntur. Potius enim sequitur ex illis adiunctis contractibus, quòd possit & debeat Petrus velle Paulum negociari, vt ita, quantum in se est, Petrus non obstet, quo minus lucrum speratum ex negociatione sequatur, ex quo, vt cum Paulo conuenit, possit Paulo satisfieri pro assecuratione capitalis & lucri certi minoris.

Si autem illi Doctores contendant, Petrum quamuis debeat quidem & possit velle, vt Paulus negocietur, tamen ipsum reuera id non velle, cùm perinde iam sit securus de capitali & lucro, siue Paulus negocietur, siue non: hoc nihil obstat nostræ sententiæ. Nos enim non volumus excusare Petrum, quando non habet eam voluntatem, vt negocietur Paulus: Sed tantùm dicimus, quantùm est quidem ex vi illorum duorum contractuum additorum Societati, posse nihilominus Petrum moraliter & debere adhuc velle, vt Paulus negocietur; quò ita demum omnes illi contractus initi procedant, ac proindeiustè Petrus illud lucrum saluo capitali ex vi illorum reportet. Si enim talem voluntatem Petrus non habeat; quamuis referet quidem idem lucrum, tamen referet iniustè. Vnde permagni illius interest habere talem voluntatem. Aliâs eodem argumento probares, non esse necesse ad lucrandum exercere vllum omnino contractum iustum: quia scilicet posset quis furando idem lucrum facere.

Quòd si fortè velit Paulus tres supradictos contractus commutari sibi à Petro in contractum mutui, vt prætermissa negociatione, statim prouideat per acceptam pecuniam occurrenti alicui necessitati; iam tum poterit nihilominus Petrus idem lucrum à Paulo exigere titulo *veri lucri cessantis*, quod erat alioqui acquisiturus per eiusmodi tres contractus, quos cum Paulo instituerat; vt satis patet.

QVAESTIO VIGESIMAQVINTA.

De peculiari quodam Contractu quibusdam in locis vsitato, per quem saluo & securo capitali, accipitur annuatim aliquod certum lucrum, nimirum quinque pro centum.

Ad q.78.2.2. D. Thomæ.

CONTRACTVS HIC VARIIS MODIS CELEBRARI POTEST, atque etiam solet, prout ipse quoque varias illius formas vidi in Germania vsitatas, tametsi alias magis, alias minus frequentes. Itaque adhibita, vt par est, distinctione, PRIMO exponam modos aliquos, quibus si Contractus hic exerceatur, omnino erit iniustus & intolerabilis. SECVNDO addam quoque nonnullos alios modos, quibus si prædictus contractus exerceatur, iuxta probabiles sententias Doctorum censeri poterit tolerabilis; saltem ita, vt post factum non sit damnandus, quamuis nemini existimem eum vltro suadendum, cùm nunquam ferè careat periculo. TERTIO, vt in particularibus casibus, cùm variæ formæ huius contractus, aut aliorum quorumlibet, offeruntur, facilius possint Confessarij iudicare, quid etiam circa præterita, quod ad restitutionem attinet, faciendum sit; omnem eiusmodi formarum varietatem ad quatuor genera reuocabimus, & quid de formis vniuscuiusque generis statuendum sit, ex certa communiq; Doctorum sententia trademus.

PVNCTVM PRIMVM.

Iniusti & intolerabiles modi percipiendi annuatim certum lucrum, saluo & securo capitali, vt puta quinque pro centum.

PRIMVS modus iniustus & intolerabilis percipiendi id lucrum est, si quis centenariam summam mutuo reuera det, & ab eo, cui dat, ideo accipiat quinq; vltra centum, quoniam ille cum proprio suo commodo ea summa ad tempus vtitur. Hoc enim ipsum est vsuræ peccatum detestabile, omniq́ue iure meritò damnatum; quantulumcunq; percipiatur lucri. Siue enim multum, siue parum pro vsu pecunię mutuo datę vltra æqualem summam accipias, vsuraria iniustitia est, vt ex orthodoxa doctrina fusè disputauimus suprà p.21. p.1.

Neque potest modus iste primus percipiendi vsurariè id lucrum excusari per consuetudinem vllam, aut auctoritatem *humanam* (cùm sit contra ius naturale & diuinum) nec per vllum prætextum *pietatis* erga miserabiles personas, quæ tali lucro ad sustentationem indigere videantur quando quidem *ne pro redimenda quidem vita captiui vsuræ crimen exerceri potest*, vt disertis verbis definiuit Alexander III. in cap. Super eo. Extra de Vsuris.

SECVNDVS modus iniustus & intolerabilis id lucrum percipiendi est, si quamuis expressè non adsit animus accipiendi illud propter vsum pecuniæ mutuo datæ: tamen intendit quis reuera mutuò dare, & sine omni alio probabili titulo, quem vllo modo prætexat, lucrum id accipit vltra capitale. Nam is quoq; accipit illud sine iusto titulo; cùm mutui contractus tantùmodò ius supponeret accipiendi summam æqualem, neq; in eo casu, vt ponimus, titulus aliquis probabilis vlla ratione prætexatur accipiendi illa quinque. Atq; isto sanè vel etiam priori modo videntur lucrum istud iniquè facere non pauci, qui non curant, quibus, aut quomodo, aut ad quem vsum, suas pecunias dent, sed solùm vt ipsi sint securi de capitali & lucro.

Sed simul tamen cùm in hoc, tũ in præcedenti modo (*ex mutuo* scilicet, vel *in mutuo sine probabili alio titulo*, lucrandi quinq;) circumspectè CONSIDERANDVM est, an ille, qui summam capitalem alteri dat, det *reuera mutuo*, vt in vtroq; modo diximus. *Primò*, quoniam vt initio dictum est, alij aliis contrahẽdi formis (quas & ipse vidi) vtuntur; ita vt quidam non mutuum, sed emptionem census realis vtrinque redimibilis, aut societatem cum mercatoribus vel aliter quæstum facientibus exerceant, saltem implicitè (de quibus modis postea dicemus) *Secundò*, quoniam illis etiam, qui reuera mutuo dant, nonnunquam cùm ad examen particularium circumstantiarum venitur, apparet suppetere aliquem probabilem titulum accipiendi quinq; *in mutuo* (vt dicitur) quamuis non *ex* mutuo. *Tertiò*, quoniam ex iis etiam, qui mutuo dare videntur, nonnulli fortè verius possent iudicari reipsa censum potius vtrinq; redimibilem emere; intentione saltem implicita faciendi idipsum, quod alij faciunt, qui emunt. Maximè si vulgaris vox (vt dicitur de Germanica) mutuum significans, aliquantò etiam latius linguæ peritis videatur patere; sic vt non modò ad Mutuum, sed ad pecuniæ *traditionem* quoque alterius generis accommodari possit; aut si etiam indifferenter vocabulo tum mutui, tum census, vterentur ipsi contrahẽtes. Tunc enim non tam ex voce, quàm ex intentione & aliis circũstantiis diiudicandum esset in particularibus casibus, an esset reuera mutuum vel alterius generis contractus. Itaq; magna omnino discretione, diligentiq́ue examine circumstantiarum (saltem in foro interno, nam in externo communiori significationi eius vocis, quę in contractus forma vsurpatur, videtur standum) opus est ad intelligendum, vtrum reuera hoc lucrum per mutuum, iniustè acquiratur, primo vel secundo modo iam dictis.

TERTIVS modus iniustus & intolerabilis id lucrum percipiendi est, si quis (quod à nonnullis etiam fieri videtur) neq; mutuum, neq; aliquem alium specialem contrahendi modum animo intendẽs; ex hoc ipso tantùm, quod tradit alteri centenariam summam, vellet sine prætextu sufficienti alicuius alterius probabilis tituli accipere quinq; vltra centum. Probatur: quoniam in illa communissima & *informi* (vt sic dicam) ratione centenariam summam tradendi, non inest iustus titulus accipiendi aliquid vltra summam æqualem; sed necesse est, vt ius accipiendi aliquid vltra sortem suboriatur ex modo aliquo speciali, qui generalitatem illam traditionis determinet atq; informet.

QVARTVS modus iniustus & intolerabilis id lucrum percipiendi est, si quis ob id solùm, quòd tradit centum, ita vellet lucrari quinque, vt non modò nullum specialem titulum ad id prætexeret, sed etiam deliberato animo atque intentione vellet omnem alium eiusmodi titulum esse excluſum; sicut audiui aliquando, quosdam velle, ex nimia quadam & obstinata cupiditate huius lucri. Hoc patet à fortiori ex ratione præcedentis assertionis. Nam multo iniquius est, velle excludere titulum necessarium ad accipiendum licitè quinque, quàm tantummodò illum non includere, seu non prætexere: quod etiam dicebamus in præcedenti assertione esse iniquum.

QVINTVS modus iniustus & intolerabilis id lucrum percipiendi est, quando etsi prætextur quidem aliquis probabilis titulus accipiendi illud, tamen examinatis personarum & facti circumstantiis apparet esse falsum prætextum, vel certè non posse applicari ad factum ipsum particulare, seruata æqualitate iustitię. Qui modus iniustitiæ latissimè patet; neque absque examine particularium circumstantiarum cognosci potest, quandonam id contingat.

PVNCTVM SECVNDVM.

Tolerabiles modi percipiẽdi annuatim certum lucrum, saluo & securo capitali, vt puta quinq; pro cẽtum.

PRIMVS ac planissimus modus, latissimeq́ue patens, est, si aliquis titulus accipiendi id lucrum suppetat ex illis certioribus, quos communiter Doctores vel sine omni, vel sine magna controuersia admittunt. Vt *lucri* cessantis, *damni* emergentis, &c. qui habent locum etiam in *mutuo*, & aliis contractibus, vt patet ex iis, quæ de eiusmodi titulis disseruimus suprà q.20. p.2.

SECVNDVS modus tolerabilis id lucrũ percipiendi peti potest ab opinione illa omnino probabili, quæ (vt vidimus q.præced.p.2.) ponit, licitè coniungi posse contractus tres: Vnum *societatis*: Alterum assecurationis *capitalis*: Tertium assecurationis *lucri certi minoris* pro maiori minus certo; hoc modo: Dat Petrus Ioanni florenos cẽtũ, vt ex illis Ioannes vtriusq; nomine, atq; adeo

societatis titulo lucretur: sperat autem Petrus probabiliter se pro parte lucri sibi respondente consecuturum (verbi gratia) decem vel vndecim: ex illis decem vel vndecim tria vel quatuor promittit Ioanni, vt ipsum assecuret, quòd capitale non amittet, atq; item etiam residua alia septem vel octo, & posit lucri loco quinq; habere certò: Ita fit, vt saluo capitali suo, nempe summa centum, quinque lucretur.

Si qui ergo videantur hac ratione quinarium illud lucrum facere, tolerandi erunt. Nam habet opinio illa, qua tales nitentur, & authoritatem multorum & magnorum Doctorum, & rationes minimè contemnendas, vt vidimus q. præced. p. 2. Quo tamen loco addidimus, id esse licitum, vbi non vigeat contraria aliqua lex siue constitutio humana; tametsi ibi etiam oporteret quædam considerare in tali constitutione, sicut illic annotauimus. Porro opinio ea, de qua dicimus, est Ioannis Maioris in 4. d. 15. q. 49. qui ibidem quoque testatur, sententiam hanc publicè fuisse defensam Bononiæ à Ioanne Eckio. Item est etiam Gabrielis ead. d. q. 11. dub. 10. & Sylvestri, Verbo Societas 1. q. 2. & Conradi q. 97. de Contract. & Couarruuiæ lib. 2. variar. resol. cap. 2. concl. 3. & Nauarri in Man. suo cap. 17. n. 254. & 255. vbi per eum modum conatur defendere quandam contrahendi consuetudinem, quam commemorat obtinuisse apud populum in Gallia, recipiendi scilicet quatuor aut quinq; pro centum, saluo capitali. Et defenditur ea quoq; sententia ab aliis, fuitque anno M. D. LXXXI. nobis præsentibus plurium Theologorum suffragio approbata Romæ. Rationes autem huius sententiæ, confutatis etiam argumentis contrariis, & hac re tota explicata, à nobis fuerunt allatæ q. præced. p. 2.

Neque verò illis tantùm hæc sententia suffragatur, qui expressa intentione disertisque verbis ineunt [illos tres contractus], eo modo quo sunt antea expositi: sed etiam iis, qui id facere volunt intentione saltem implicita, quemadmodum verissimè Ioannes Maior & Nauarrus locis suprà citatis docent. Vt si aliquis pecuniam suam dans ei, qui multum est lucraturus, putaret se idcirco iustè posse ab illo exigere quinque pro centum, saluo capitali & lucro: velletque de hoc ipso pacisci, eo tandem modo, quo posset iustè fieri. Et similiter, si mercator protestaretur, se paratum esse ad ineundos illos tres contractus cum quouis, & aliquis non intelligens expresè rationem eorum, vellet (quod est exemplum Nauarri) cum eo mercatore pacisci *iuxta protestationem ipsius*.

Et sanè videri possunt isti tres contractus, implicita saltem intētione, ab iis exerceri, qui cùm neque intentionem vsuriam, neque omnino etiam voluntatem mutuandi habeant, dant pecuniam suam multum lucraturis, & idcirco volunt modo, quo iustè fieri possit, habere ab illis quinq; saluo capitali & lucro. Considerata enim communi æstimatione pecuniæ, quæ habetur in plerisq; locis, tanti fieri videtur summa centum florenorum, & tam parui lucrum quinarium ex centum, vt hoc ipso, quòd ex centum quis à socio non plus annuatim accipit, quàm quinque, videatur iustè compensare ipsi duo illa onera, scilicet assecurandi capitale, & pendendi certò lucrum quinarium: quia scilicet vndecim aliàs (v. g.) potuerit probabiliter sperare, ex quibus dum socio relinquit sex, cōpensare illi censeatur illa duo onera, iuxta modum suprà expositum.

Et maximè hoc verum esset, si transactio quædam ex tacito saltē consensu partium hic interueniret, quod attinet ad quantitatem lucri saluo capitali percipiendi. Ita videlicet, vt siue aliquanto plus lucri, siue aliquanto minus exigi deberet, accipiantur tamen determinatè quinq; ad vitandam curam & laborem variè æstimandi & computandi. Ita enim fieret, vt quamuis non eadem omnino esset negociatio aut industria omnium eorum, quibus ea ratione ad societatem traderetur pecunia; iustè tamen illi omnes paciscerentur eodem modo de quinque.

Tertius modus tolerabilis id lucrum percipiendi potest peti partim ex grauium quorundam authorum opinione, qui admittunt ad emptionem census alioqui iusti & legitimi (qualis sine controuersia est census realis ex re fructifera) posse licitè addi pactum, quo emptor venditori obligetur ad reuendendum censum, & vicissim venditor emptori ad reemendum; partim ex eo, quod est in confesso, posse ad alios contractus seu pacta licita addi in fauorem vnius partis pactum assecurationis, modò onus, quod pars altera ex eo pacto suscipit, iustè ipsi compensetur.

Primùm enim opinio illa approbans censum vtrinq; redimibilem, omnino nititur authoritate & ratione non contemnenda, vt vidimus q. 22. p. 6. Authoritas est Ioannis Medinæ in C. de Restit. q. vlt. de Censibus (quę est 15. de Vsura,) §. Quibus non obstātibus. & Ioannis Maioris in 4. d. 15. q. 43. & 44. sub finem, & Gabrielis eadem d. q. 12. concl. 4. & Conradi q. 84. de Contract. post conclusionem quintā, maximè corol. 1. & aliquorum Canonistarum, vt Ioannis de Imola c. illo vos. de pignor. &c. Fuitque hic contractus census realis vtrinque redimibilis, etiam cum pacto assecurationis, Romæ quoque nobis præsentibus anno M. D. LXXXI. in consultatione multorū & doctissimorū Theologorum, tolerabilis iudicatus, licet non suadendus propter periculum. Neque est opus hìc repetere rationes, quibus suprà q. 22. p. 6. ostendimus probabilitatem huius sententiæ.

Suffragari autem posse hanc sententiam quibusdam ex iis, qui lucrum illud faciunt, inde primùm apparet, quòd vt suprà narrauimus, multi ex illis expresè emunt censum quinarium realem ex re fructifera, vt ex domo vel aliis bonis cum pacto vtrinque redimendi; vt partim ipse ex formis, quas vidi, partim testimonio quoq; manu propria subscripto nobilis & doctissimi ac rerum Romani Imperij peritissimi, eiusdemque integerrimi & prudentissimi viri Doctoris VVigulei Hundij, cognoui.

Qui autem eiusmodi censum emunt, ij sanè (considerata communi æstimatione, quæ habetur in plerisq; locis) cum centum florenis & onere reuendendi, quod simul in gratiam venditoris subeunt, probabiliter censeri possunt compensare iustè venditori tria illa onera, quæ ei imponunt; nempe quinarum censum *pendendi & reemendi illum postea* pro centum item florenis, & *assecurandi*. Quia nimirum potuerint aliàs (si census esset redimibilis) secūdùm *communem quidem populi æstimationem*, non tantū quinque, sed etiam circiter septem pro centum accipere; quorum vnum *annuè* iam relinquunt venditori pro onere reemendi, & alterum etiam *annuè* pro onere assecurandi. Nam illa est æstimatio recta, quæ est prudens: & ea est prudens, quæ est vtrique parti commoda: censent autem harum rerum periti in locis, vbi census ille est in vsu, vtriq; parti esse ordinariè rem commodam, vt pro centenaria summa suscipiantur illa tria onera suprà dicta.

Neq; vt per hanc viam aliqui excusentur, necesse erit eos perfectè intelligere rationem atq; iustitiam horum pactorū: sufficiet enim intentio *implicita*; qua quis nimirum velit censum cum facultate vtrinque redimendi, &c. eo modo emere, quo iustè fieri possit: vti supra quoque ex sententia Nauarri & Maioris de Societate & duobus pactis illi adiunctis est expositum.

Sed quatuor diligenter Observanda sunt hoc in loco. Primvm est, quamuis modus iste tertius ex natura quidem rei, solum ius naturæ spectando, tolerabilis sit, vt est dictum: tamen non esse tolerādum (saltem in foro externo) vbi viget Constitutio Pij V. de Censibus (suprà q. 22. p. 7. memorata) prohibens censum redimibilem ex parte emptoris, & pactum assecurationis census; neq; etiam vbi viget Constitutio Imperialis sub Carolo V. Augustę in Comitiis Imperialibus anno M. D. XLVIII. edita, prohibens similiter censum redimibilem ex parte emptoris.

Dixi autem, *saltem in foro externo*. Nam censet non improbabiliter Nauarrus in Commentario de Vsuris n. 106. Constitutionem illam Pij V. (& idem dici posset de Imperiali Constitutione) quoad conditiones quidem iure naturæ in emptione census non requisitas, fundatam esse in præsumptione vsurariæ intentionis & iniquitatis, si aliter, quàm ibi præscribitur; emptio census celebretur; & ideo non ligare in foro conscientiæ ipsos contrahentes, quando veritas est præsumptioni cōtraria: sicut patet ex doctrina communi, quam de huiusmodi humanis Constitutionibus tradidimus suprà in hac Disputatione q. 6. p. 5. circa restitutionem rerum acquisitarum per contractus iure prohibitos; atque etiam tomo 2. q. 5. de Legibus p. 6. Quo loco etiam docuimus, quemadmodum oporteat leges humanas vt vigeant & obligent, esse sufficienter *promulgatas*, & à *maiori parte* communitatis receptas, & contrario vsu maioris partis communitatis non abrogatas. Id quod peculiariter est annotandum propter Constitutionem illam Imperialem; quæ nimirum dicitur neq; recepta, neque etiam promulgata fuisse in omnibus & singulis Imperij prouinciis, vt sine controuersia est necessarium ad hoc, vt lex *Imperialis* obliget, sicut ex communi doctrina tradidimus tomo 2. loco citato.

Secvndvm, quod in eodem tertio modo obseruari debet, est, in prouinciis quidem Imperij, vbi Constitutio illa Imperialis promulgata sit, & adhuc vigeat; centum non esse in censu vtrinque redimibili iustum precium census quinarij; sed oportere vel dare plus, quàm centum, vel accipere minus, quàm quinq;. Nam taxauit illa Constitutio idem precium census redimibilis ex parte venditoris tantùm, vt scilicet sit centum pro quinque: & certum est, precium census redimibilis ex parte etiam emptoris, debere esse maius, cùm per illum magis grauetur venditor.

In iis tamen prouinciis, in quibus neque Constitutio illa imperialis vigeat (quia scilicet vel in illis promulgata non sit, vel non vsu recepta, vel per contrarium vsum eneruata) neque etiam aliqua consuetudo communis, habens vim legis, taxet precium census redimibilis ex parte venditoris tantùm, vt sit centum pro quinque; fieri potest, vt iuxta communem æstimationem, id ipsum precium sit iustum pro censu vtrinq; redimibili: Si nimirum (vt in quibusdam imperij prouinciis contingere dicitur) plures multo, vel certè non pauciores sint, qui vtrumq; redimibilem emunt pro eodem illo precio: Horum enim consuetudo tunc obstaret, quo minus vsus illorum aliorum, si qui pro eodem precio emunt redimibilem ex parte venditoris tantùm, habeat vim legis, quoad eam precij taxam. Quòd autē æstimatio eorum, qui eum censum quinarium vtrinque redimibilē emunt pro isto precio, posit esse iusta (secluso quidem humana lege contraria, quę adhuc vigeat, vt diximus) inde etiā constare potest, quòd cōmuniter homines prudentes & experti, qui in eiusmodi locis ita emunt hunc censum & vendunt, iudicant eiusmodi emptionem ac venditionem per se & à toto genere esse non incommodam vtriq; parti. Ita hæc communis æstimatio potest facere, vt id sit iustum precium census vtrinq; redimibilis, etiam si idem sit quoq; precium iustum census redimibilis ex parte venditoris tantum; cum iusta precia rerum (vbi non viget Lex determinatè precium definiens) minimè consistant *in indiuisibili*.

Tertivm, quod circa eundem tertium modum obseruari debet, est, quando census vtrinq; redimibilis (vbi ille est licitus) ab emptore redimitur, iustè emptorem recipere tantundē precij, quantum prius dederat, non quia venditor tunc imponat vicissim emptori illa onera, quæ ipse

habebat, sed quia illis oneribus emptori vtilibus ipse venditor tunc se liberat. Nam quemadmodum venditor in prima venditione, vt in se susciperet illa tria onera, videlicet pendendi censum, assecurandi, & redimēdi ad voluntatem emptoris, meritò accepit centum: ita etiam postea in census redemptione, vt se iisdem tribus oneribus liberet, quæ emptori erant alioqui commoda & debita, meritò reddit similiter eidem emptori centum, sicut etiam doctissimi quidam Theologi Romæ iudicarunt anno M. D. LXXXVI.

QVARTVM, quod circa eundem tertium modum obseruari debet, est, in eo nos non censum *personalem* vtrinq; redimibilem, sed censum *realem* (ex re fructifera, vt diximus) *vtrinq; redimibilem*, iudicare esse tolerabilem. Nam etsi census personalis ex persona industria & idonea ad lucrandum, per se illicitus non sit (vt patet ex dictis q. 22. p. 2.) tamen addito pacto redimendi in fauorē emptoris, & pacto assecurandi, vix poterit, moraliter loquendo, emi satis sincera intentione; & magnam ac simillimā habet vsurę speciem, neq; ab vllo (quod sciam) cum his pactis defendi tur. Sed neq; vspiam est in vsu hic census cum his pactis, vt intelligo, neque est vlla causa, cur quisquam illum vsurpare velit. Nam si quis pecunias suas homini industrio, & ad lucrandum idoneo dat, multo commodius cum hoc inibit contractum societatis, secundo illo modo lucrandi, quē diximus esse tolerabilem. Et hactenus de TERTIO modo tolerabili percipiendi illud lucrum.

QVARTVS modus tolerabilis id lucrum percipiendi consequitur ex tribus illis hactenus expositis, & est etiam Romæ tolerabilis iudicatus à grauissimis Theologis, nobis præsentibus anno M. D. LXXXI. Modus autem iste est, si quis habito aliquo *delectu* personæ, cum qua contrahit (attento nimirum, quòd habet bona fructifera, vel est industria, &c.) absque determinatione expressa contractus Societatis, vel emptionis census, vel Interesse lucri cessantis aut damni emergentis, &c. generali quadam intentione, consentiente etiam socio, velit lucrari quinque aliquo tandem modo, quo personarum & facti circumstantiis consideratis iustè id fieri possit. Quando enim istorum examinata intentione & aliis circumstantiis, peritorum iudicio videri potest modus aliquis ex tribus supra dictis habere locum; putandi sunt tales eo ipso modo ex vi generalis illius intentionis voluisse rē transigere, atq; adeo minimè sunt damnandi, siquidem eorum voluntas generatim saltē & implicitè fertur in modum probabiliter licitum. Nam intentio implicita idem operatur, quod expressa, argumento l. Cùm quid mutuum. ff. Si certum petatur: & eorū, quæ de huiusmodi intentione implicita tradit Felinus in cap. Super eo. Extra de potestate & officio iudicis delegati.

Sed est OBSERVANDVM, quatuor requiri, vt hic modus, prout dictum est, sit tolerabilis. 1. vt clausula illa generalis (*aliquo tandem iusto modò, &c.*) non solùm addatur de more à Notario, sed sit etiam ex intentione vtriusq; contrahentium. 2. vt hæc generalis intētio sit expressa, & vtriq; cōtrahentium nota. 3. vt vterq; contrahētium sibi persuadeat, posse se aliquo modo iusto contrahere, consideratis facti & personarū circumstantiis; vt quòd is, cui pecunia datur, habeat bona fructifera, vel sit homo industrius ad lucrandū, &c. Tunc enim ex vi illius generalis intentionis, erit contractus aut emptionis *census realis vtrinq; redimibilis*, si pecunia detur ei, qui bona fructifera habet; aut *societatis cum assecuratione capitalis, & certi lucri*, si pecunia detur homini industrio, &c. 4. requiritur etiam maximè, vt personarū & facti circumstantię consentiant reuera cū illa generali intentione, ita vt verè possint tales contrahere aliquo modo tolerabili ex dictis; quia scilicet is, cui pecunia datur, verè habeat bona fructifera, vel sit industrius, & ob alterutrum istorum sit ei ab altero pecunia tradita. His omnibus concurrentibus, tolerabilis est etiam hic quartus modus percipiendi illud lucrum, sicut iam probauimus.

Posset fortè alicui etiam videri tolerabilis modus percipiendi id lucrum, si alter titulo gratitudinis se obligaret ad tribuendum vltra sortem id auctarium, iuxta opinionem Ioannis Maioris in 4. d. 15. q. 29. in argu. 2. & eius responsione, & Couarruuiæ li. 1. variar. resol. c. 20. n. 4. qui existimāt posse gratitudinem eiusmodi deduci in pactum & obligationē ea ratione qua supra q. 21. p. 2. explicaui. Sed hunc ego modū approbare in praxi non ausim: propter id, quod hac de re contra Maiorem & Couarr. disserui suprà in dicta q. 21. p. 2.

Nec sanè est vnquā necessarium vsurpare hunc lucrandi modum. Nemo enim ex iis, qui lucrum istud volunt facere, pecuniam suam dat, nisi vel ei, qui bona fructifera habeat (à quo potest explicitè vel implicitè emi census) vel ei qui sit industrius & idoneus ad lucrandum, cum quo poterit semper id lucrum aliter tolerari, per secundum videlicet, aut tertium, aut quartum modum, antea expositos: quos proinde modos (vnà cum primo etiam) proposuisse hîc sufficit.

Nec si modi isti quatuor, quos hactenus recensuimus, sunt tolerabiles, consequitur, nullā aliās committi vsuram posse, ac proinde frustra vsuram à nobis reprehendi & damnari. Minimè id sequitur. *Primò*, quoniam aliqui ex errore putant, præsertim parum; vt hæretici quidam negant, quod nequaquam probatur per aliquem modum ex supradictis. *Secundò*, quoniam ex illis etiam, qui credunt id esse illicitum, multi reperiri possunt incauti, qui scilicet vel ex negligentia in quærendo & intelligendo alio tutolo & modo tolerabili, vel etiam ex malitia, aut cæca quadam cupiditate, *ex vi mutui*, vel certè *in* mutuo *sine vllo prætextu probabilis tituli*, velint

lucrum

lucrum vltra sortem accipere: sicut multi sciunt alia esse peccata, quæ nonnunquam tamen vel incautè, vel malitiosè admittūt. *Tertiò*, quoniam ex illis etiam, qui vellent vsuram cauere, multi esse possunt, qui non seruent, quoad omnes circumstātias eum modum, quem opiniones suprà commemoratę in *facto* requirunt, vt ad illud, salua ipsarum ratione & æqualitate Iustitię, accommodari possint: qui ideo apertæ, vel palliatæ, ac interpretatiuæ vsuræ iniquitatem non effugient. *Quartò*, quoniam doctrina illarum opinionum, aut etiam illa cautio de vitanda voluntate vsuraria, & habenda saltem generali intentione, quōcunq; titulo iustè fieri possit, accipiendi illud lucrum, non ita facilè & vigilanter ab omnibus seruari potest, quin multi interdum aut ex ignorantia culpabili, aut ex negligentia in seruandis requisitis circumstantiis, aut ex malicia, labantur. Fatendum tamen est, multos, qui alioqui vsurarij essent, posse per opiniones illas & modos, tolerabilem aliquam lucrandi rationem vsurpare. Sed hoc illas opiniones commendare potius deberet, cùm optandum etiam sit, vt si fieri posset, nulli nisi tolerabili saltem aliqua ratione lucrarentur.

Summa itaque totius negotij hæc est. I. Posse lucrum illud, vel tolerabile, vel intolerabile esse, pro ratione modi specialis, quo transigetur contractus. II. Propter periculum nemini illud esse suadendum; quanquam si aliquis alioqui obstinato animo, vsuram commissurus sit, expediret sine dubio explicare illi aliquē lucrandi modum tolerabilem ex prædictis, vt illum potius, quàm vsuram exerceat: quandoquidem id etiam, quod per se est intolerabile & malū (modò minus malum sit) censent Doctores posse proponi & explicari alicui, vt illud potius faciat, quàm aliud maius malum, quod obfirmato alioqui animo destinauerit, iuxta ea quæ de hoc tradidimus q. 21. p. 4. III. Quinq; esse præcipuè modos intolerabiles faciendi id lucrum; nempe. 1. Si illud vltra sortem accipiatur ex vi mutui. 2. Si etiam non ex, sed in mutuo, absque sufficienti aliquo prætextu probabilis tituli. 3. Si ex hoc ipso præcisè, quòd centum traduntur, absque specificatione etiam mutui aut alterius modi specialis, & absq; omni prætextu simiiliter probabilis alicuius tituli. 4. Si non modò nullus prætexeretur specialis alius titulus præter hoc, quod centum traduntur, sed etiam esset intentio excludendi omnē eiusmodi specialem titulum. 5. Si prætexatur quidem aliquis specialis titulus, sed falsò, nō cōsentientibus nimirum cum tali titulo circumstantiis ipsius facti & personarū. IV. Quatuor autem esse modos tolerabiles. 1. Si ad id suppetat titulus aliquis ex certioribus, vt lucri cessantis, &c. qui modus patet quàm latissimè. 2. Si societas ineatur cum pacto assecurationis capitalis, & lucri quinarij pro tionem eiusmodi onerum relinquatur; siue ista pacta fiant explicita intentione, siue implicita. 3. Si ematur census realis cum pacto vtrinq; redimendi & assecurandi, siue implicita item, siue explicita intentione. 4. Si absque expressa determinatione Contractus Societatis, vel census, &c. intentio saltem generalis sit accipiendi id lucrum aliquo tandem modo iusto & licito, ad quē consideratis personarum & facti circumstantiis videatur factum ipsum reuocari posse: vt latius suprà suis locis sunt ista declarata.

PVNCTVM TERTIVM.

Quid statuendum sit circa restitutionem præteriti lucri, cùm variæ formæ prædicti Contractus, aut quorumlibet aliorum, diiudicandæ offeruntur.

INSTRVMENTA seu formæ huius contractus, & quorumlibet aliorū, qualescunq; tandem illæ sint, necessariò aliquo istorum quatuor generū continentur. Vel enim PRIMO sunt apertè IVSTÆ (saltem iuxta opinionem probabilem) quia scilicet habent expressum aliquem iustum titulum: Vel SECVNDO apertè sunt INIVSTÆ; in quibus scilicet est expressus aliquis iniustus titulus: Vel TERTIO apertè sunt quasi NEVTRÆ siue indifferentes, hoc est, ita generatim conceptæ, vt nullum in specie neque iustum, neq; iniustum titulum expressum habeant: Vel deniq; quartò sunt DVBIÆ, id est, de quibus post debitā considerationem Iuris & facti adhuc ambigitur, sintné in specie iustę, an iniustę.

De lucro acquisito per formas PRIMI generis, scilicet IVSTAS, nulla est difficultas. Constat enim non esse restituendum, cùm fuerit iustum.

De lucro autem acquisito per formas SECVNDI generis, scilicet apertè INIVSTAS; aut faciendа est restitutio, aut remissio & condonatio petenda, si cōstat, qui sint veri Domini, & si id commodè fieri potest; aut si sunt incerti Domini, restitutio facienda est pauperibus (in quorum numero ipsi etiam debitores, si sint pauperes, computari possunt) vel ad pios vsus, &c. iuxta doctrinam à nobis traditam suprà q. 6. p. 4. & 7.

Circa lucrum verò acquisitū per formas TERTII generis (in quibus scilicet nullus in specie vel iustus vel iniustus titulus est expressus) interrogandi sunt contrahentes, an habuerint reuera aliquem iustum titulum accipiendi auctarium, etiamsi illum in forma literarum nō expresserint; vt lucri cessantis, vel damni emergentis, vel societatis, vel emptionis census, &c. concurrentibus omnibus circumstantiis necessariis, quę partim p. præced. partim suprà q. 20. p. 2. à nobis explicatæ sunt: Et an voluerint saltem in genere (ex scitu & consensu etiam alterius contrahentis) aliquo iusto modo eo titulo vti; quia nimirum

vtraque

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtraque pars exiſtimans eſſe aliquem modum, quo licitè vtrinque inter ſe contrahere poſſent, voluerit cum altera, eiuſdem exiſtimationis & intentionis ſuę conſcia, contrahere meliori modo, quo poſſet.

Si nullum eiuſmodi titulum iuſtum habuerunt, vel eo, quem habuerunt, nullo modo voluerunt vti; diſtinguendum tunc eſt de eo, qui per talem contractum eſt lucratus. Nam vel talis (attenta circumſtantia perſonæ, &c.) *bonæ fidei*, hoc eſt, citra ignorantiam craſſam, putauit contractum eſſe licitum, quia ſcilicet audiuit ab aliquibus peritis & probis, illum probari, aut etiam vſurpari: Et tunc tantummodò debet ex lucro per talem contractum acquiſito reſtituere id, quod adhuc ſupereſt, vel in quo factus eſt ditior, iuxta doctrinam traditam ſuprà q.6.p.3. non autem id, quod bona fide conſumpſit, ac proinde nihil omnino, ſi totum conſumpſit, neque ob id factus eſt ditior. Quod ipſum etiam de iis, qui bona fide per contractum quinque pro centum ſine iuſto titulo lucrati ſint, iudicarunt grauiſſimi Theologi Romæ anno M. D. LXXXI. Si verò quis *abſque bona fide*, per aliquem huiuſmodi contractum carentem iuſto titulo lucratus eſt; totum debebit reſtituere, ratione *iniuſtæ acceptionis*, etiamſi conſumpſerit; vel petenda remiſſio, &c. vt iam ante de lucro acquiſito per formas ſecundi generis dictum eſt. Nam etiam lucrari ſine iuſto titulo eſt reuera lucrari iniuſtè, vt patet ex dictis p. 2. circa modum ſecundum intolerabilem & iniuſtum lucrandi quinque pro centum.

Si autem ij, qui ita contraxerunt, iuſtum aliquem titulum habuerunt, & voluerunt ſaltem prædicto modo eo vti, non ſunt cogendi in foro conſcientiæ ad reſtitutionem.

Si autem ſint perplexi & dubij, vt non ſciant, habuerintne titulum, & voluerint dicto modo vti, nec ne; neque tunc cogendi ſunt ad reſtitutionem, vt patebit ex iis, quæ circa formas quarti generis (ſcilicet dubias) iam iam dicemus.

Lucrum deniq; acquiſitum per formas QVARTI generis (de quibus ſcilicet poſt debitam conſiderationem Iuris & facti, adhuc ambigitur, ſintné iuſtæ an iniuſtæ) non eſt neceſſariò reſtituendum. Ratio eſt. Nam cùm forma contractus eſt ita dubia, non conſtat ei, qui per talem contractum lucratus eſt, poſſidere ſe alienum. Cùm autem alicui non conſtat, rem, quam poſſidet, alienam eſſe; iuſtè poteſt eam retinere: Nam etiamſi circa *rem ipſam* dubitet, vtrum iuſtè, an iniuſtè fuerit acquiſita, atque adeo vtrum ſit ſua vel aliena; tamen non propterea oportet illum etiam dubitare practicè de *actu ſuo* retinendi rem eam: Cùm certum ſit, quamdiu durat dubium circa rem ipſam, vtrum ſcilicet ſit propria vel aliena; poſſe illam retineri à *poſſidente*, vt ex recepta doctrina tradidimus & probauimus ſuprà quæſt.6.p.5. differentes de *Præſcriptione*. & eruditè confirmat Couarruuias 2. par. Relectionis in Regulam. Poſſeſſor. §. 7. num. 4. ſecutus in ea re Adrianum quodli.2.§. *Ad primam Confirmationem*, & Ioannem Medinam quæſt.17. de rebus reſtituendis, & ipſam etiam regulam Iuris, quòd ſcilicet in dubiis melior eſt conditio *poſſidentis*. Quæ ipſa regula vtendum eſſe in materia reſtitutionis, rectè & ex communi ſententia docet Sotus lib.4. de Iuſtitia, quæſtione 7. artic.1. Quemadmodum etiam propter idem fundamentum ex communi ſimiliter ſententia docet Nauarrus capite 17. num. 82. probabilem ignorantiam excuſare à reſtitutione: Vt ſi (inquit) credat aliquis id, quod poſſidet eſſe ſuum propterea, quòd hæreditatis titulo acquiſiuit. Ac rurſus in capite 14. num. 16. cùm docet, mortaliter peccare filium, qui bona à parentibus iniuſtè acquiſita non reſtituit, notanter addit, ſi *ſciat* illa iniuſtè à parentibus acquiſita fuiſſe.

Hæc autem intelligi debent, quando poſt adhibitam (vt diximus) debitam conſiderationem & diligentiam in inquirenda iuſtitia vel iniuſtitia contractus, res adhuc eſt dubia. Vbi tamen obſeruandum eſt, quòd vt quis teneatur eiuſmodi diligentiam & inquiſitionem adhibere, in iudicis præſertim ſeu rebus à maioribus ſuis hereditate acceptis, non ſatis eſt, quodcunque dubium ſpeculatiuum & generale, quale haberi poteſt in omni re, de qua neutram in partem certò conſtat: ſed oportet aliquas habere in ſpecie probabiles & practicas coniecturas de iniuſtitia. Alioqui nemo ferè poſſet tuta & quieta conſcientia poſſidere bona à maioribus acquiſita; cùm ſemper ferè dubitare ſpeculatiuè liceat, quanam ratione & titulo maiores acquiſiuerint. Deinde quamuis in aliquo caſu aliquę coniecture in ſpecie de iniuſtitia contractus haberentur; tamen ſi propter negocij circumſtantias non videatur quis poſſe morali modo loquendo ad eius rei certam notitiam peruenire, eo ipſo eſſet excuſatus à facienda inquiſitione; maximè cùm recte doceat Syluester in Summa, Verbo Reſtitutio 5. num. 4. illud etiam in materia Reſtitutionis cenſeri impoſsibile, quod ſine aliqua notabili incommoditate fieri non poteſt. Id quod ſuprà quoq; quæſt.6. p.7. ex communi doctrina aſſeruimus.

RATIO COMPENDIARIA AD DISCERNENDAM Iuſtitiam & Iniuſtiam in quibuſcunque Contractibus.

OMNIS difficultas in diiudicanda, iuxta Iuris naturalis aut humani normam, Iuſtitia & Iniuſtitia Contractuum, neceſſe eſt oriatur ex aliquo quatuor capitum: Nimirum aut PRIMO *ex ratione* æqualitatis *rerum, quæ eſt obiectum formale Iuſtitiæ commutatiuæ; cùm ſcilicet dubitatur, ſintné veræ æquales eæ res, quæ per contractus vltro citroque commutantur ſeu compenſantur.*

Aut SECVNDO *ex ratione & forma* actuum *eiuſdem Iuſtitiæ commutatiuæ; cùm ſcilicet dubitatur, an (quod Iuſtitiæ commutatiuæ munus eſt) res precio verè æſtimabiles vltro citroque commutentur, per* veros contractus: *non autem per* fictos, *qualem eſſe vidimus contractum* vſurarium *q.21.p.1. cùm per eum petatur ſeorſim compenſatio eius, quod iam eſt compenſatum: Item & cambium* ſiccum, *per quod ſit ſimulatè & fictè pecuniæ translatio ex vno loco in alium; vt vidimus q.23.p.5.*

Aut TERTIO *ex parte ipſorum* contrahentium; *cùm tametſi res vltro citroque commutatæ, ſint æquales, dubitatur nihilominus, an ipſe contractus iniuſtus ſit ob defectum voluntatis alterius contrahentis, ab altero aliquo modo decepti.*

Aut QVARTO *ex parte* rerum *commutatarum; cùm eæ ſunt inæquales, & ideo dubitatur, habueritne aliquam iuſtam cauſam accipiendi plus is, qui plus ab altero accipit, quàm ei ipſe dedit.*

Quomodo explicandæ difficultates PRIMI, SECVNDI, & TERTII *generis.*

DIFFICVLTATES primi & ſecundi generis, ſcilicet ex parte ÆQVALITATIS rerum commutatarum; & rationis ipſorum CONTRACTVVM explicabuntur facilè, ſi in promptu habeatur tum ratio *æqualitatis* Iuſtitiæ, tum ratio quoque & differentia verorum contractuum; iuxta ea, quæ tradidimus ſuprà q.5.p.1.& 2.& q.20.p.1.

Difficultates autem tertij generis, facilè explicabuntur, ſi conſtiterit, quænã ſoleant eſſe cauſæ Iniuſtitiæ in Contractibus ex parte CONTRAHENTIVM. Si enim non obſtante, quòd de æqualitate rerum commutatarum conſtat, dubitetur de Contractus iuſtitia; iniuſtitia, ſi quæ eſt, non poterit accidere, niſi ex parte alterius contrahentium, vel etiam vtriuſque. Nam cùm omnis commutatio rerum, voluntate contrahentium, vt *efficiente cauſa*, & rebus, quæ commutantur, vt *materiâ* contineatur; ſi contra Iuſtitiam in commutatione peccatur, ex alterutro horum capite peccari neceſſe eſt. Quare cùm in rebus ipſis Iniuſtitia non apparet; eam, ſi eſt, ex parte contrahentium eſſe oportet.

Ex parte verò contrahentium duæ cauſæ eſſe ſolent Iniuſtitiæ; quarum vtraq; ſi abſit, contractus erit ex hac parte iuſtus. VNA eſt dolus: ſi videlicet alter contra mentem & intentionem alterius cõtrahit. Ex eo enim fit, vt is, contra cuius voluntatem agitur; inuitus rem ſuam pro alia, quam minimè vult, commutet. Quocirca ille, qui ſic dolosè contrahit, iniquè rem accipit ab inuito; hoc eſt, ab eo, qui decipitur. Exemplum eſt: Si ei, qui ex te voluit emere aurum, vendas aurichalcum, tametſi non niſi iuſto precio: aut ſi ei, qui voluit emere vinum non niſi ſub conditione, ſi purum eſſet; vendas lymphatum; de quo ſuprà q.20. p.4.

OBSERVANDVM hîc tamen (ne quis circa huiuſmodi voluntates *conditionales* contrahentium decipiatur) aliud eſſe, contrahere ſub *conditione*; aliud, ita contrahere, vt, *ſi quis* ſciuiſſet rei circumſtantiam, non contraxiſſet. Ad primum enim neceſſe eſt, vt quis actu de conditione cogitauerit, ac voluerit contractum eſſe nullum, ſi conditio non exiſteret. Secundum verò etiam ſine tali cogitatione accidit in omnibus ferè Contractibus & voluntariis actionibus quantumcunque abſolutis, & ſine conditione; ob humanæ nimirum cognitionis imbecillitatem. Quia enim homo ferè non circumſpicit omnia omnino, quæ poſſent vel ad opus impellere, vel ab illo retardare; ſæpe illud: *Non putaram*, vſurpare neceſſe eſt.

Ergo propter primũ: Quando circumſtantia, aut conditio, aliter ſe habet; Contractus eſt inuoluntarius, & ideo inualidus: propter ſecundum verò non item. Satis namque eſt ad humani contractus firmitatem, vt cognitis iis, quæ humano modo cognoſci circa illum potuerunt & debuerunt, deliberata voluntate fuerit tranſactus;

Universidad de Deusto
Biblioteca

alioqui nulla ferè vnquam in humanis actionibus esset firmitas, quippe cùm non aliter illæ transigantur, quàm ita, vt si quis aliquid, quod circa rem ignorauit, sciuisset, non fecisset; sicut dictum est. Atque ex hoc plurimæ quæstiones, præsertim in materia emptionis & venditionis vtiliter explicari poterunt.

ALTERA causa Iniustitiæ ex parte contrahentis est, si is ita careat dominio rei, quam in alterum confert, vt meritò verendum sit, ne rei Dominus illam, tanquam suam, aliquando repetat. Tunc enim procul dubio inuoluntariè alter rem propriam commutat pro re, qua securè vti non potest. Quare iniustus est, qui rem alienam sic cum re alterius commutat. Accipit enim rem ab illo rationabiliter inuito. Et idè iudicandum est, si quis non habuit potestatem rem alienandi, tametsi fuerit eius Dominus; Vt Minor, &c.

NOTANDVM tamen hîc est, absque alterius contrahentis iniuria posse contingere, vt quis rem alienam cum re propria illius commutet. Nempe, si non obstante, quòd res esset aliena, is, qui eam ex Contractu recipit, securus esse posset, nunquam futurum, vt à se repeteretur.

Quod duobus modis posset accidere. PRIMO, si rei verus Dominus non magnopere curaret sibi eandem rem numero reddi, & idcirco tacitè faceret facultatem ei, qui aliàs non est Dominus, illam in alterum transferendi; modò is aliunde posset satisfacere vero Domino. SECVNDO, si occultissimum est, quòd res sit aliena; aut talis aliqua circumstantia existit, vt minimè timendum sit, ne vnquam res ab eo, cui per contractum contigit, repetatur: Tunc nulla fieret ei iniuria, siquidem perinde poterit securè re vti, atque si ille, qui in eum illam contulit, fuisset verus Dominus.

Propter horum primum doctrina est communis, quòd etsi Vsurarius non sit Dominus pecuniæ vsurariæ, tamen non ideo iniusti sunt contractus, quibus ille in alios transfert eam pecuniam, si aliunde habet, vnde restituat; vt tradit D. Thomas 2.2.q.78.ar.4.communiter in hoc receptus. De quo vide suprà q.21. p.4. Propter secundum, illi, qui ob aliquod crimẽ (vt læsę Maiestatis, &c.) ipso iure dominio rerum suarum priuati sunt; si eorum secretissimum sit crimẽ, aut alioqui propter alias causas ea Iuris sententia executioni mandari alicubi non soleat: tales, inquam, iis, cum quibus contrahunt, iniuriam non faciunt, vt rectè sentit Nauarrus cap.23. nu. 89. & Syluester, Verbo Hæresis 1.num.14. De quo vide supra q.20.p.4.

Solent multis aliis de causis ex parte contrahentium Contractus vitiari; Vt si illis peculiariter negociatio interdicta sit: si malum proponãt sibi finem: Si deniq; alias circumstantias prauas apponant; sed hæc non propriè efficiunt commutationem iniustam, sed ad alia genera peccatorum contra varias virtutes pertinent.

Quomodo sint explicandæ difficultates QVARTI generis.

DIFFICVLTATES deniq; quarti generis explicabuntur similiter, si consideriterit, quæ iustę, & quæ iniustæ sint causæ accipiendi plus quàm datum sit. De quibus causis ordine nunc est dicendum.

De causis iustis recipiendi plus, quàm sit datum.

LEgitimarum Causarũ plus accipiendi, quàm sit datum, PRIMA & notissima est liberalitas aut gratitudo eius, qui plus dat, quàm recipit. Ratio huius causæ clara est, quia is, qui cum altero contrahit, non minus capax est beneficij aut doni alterius, quàm si cum illo non contraheret (bonum enim opus, quale ex natura sua est quælibet commutatio, neminem reddit doni incapacem) sed si non contraheret, posset sine controuersia absque vlla iniquitate recipere donum ex voluntate liberali aut gratuita alterius profectum; pari igitur ratione cùm contrahit, poterit id recipere vnà cum sorte debita ratione contractus. Ita docet S. Thomas 2.2.q.78.art.2.ad 3. communiter receptus. De quo vide supra q.22. p.2.

SECVNDA causa est Ius, quod interdum accidit alterum contrahentium aliunde habere ex iustitia, ad recipiendum aliquid præter sortem. Tunc enim ad id obtinendum, licitum est adhibere alterum contractum, tanquam motiuum quoddam ad impellendum alterius contrahentis animum, vt non solùm capitale ratione eius contractus tibi conferendum; sed etiam id, quod aliàs tibi est debitum, reddat. Exempli causa: Debet tibi Petrus centum ex præterita domus venditione, nec facilè potes obtinere; licitum est, beneficio mutui illum inducere, vt tibi satisfaciat, vnà cum sorte exhibendo domus precium. Ita docet Sotus lib.6.de Iustitia, q.1.art.1. Caietanus in Summa, Verbo Vsura. Nauarrus ca.17.n.209. Maior in 4.sentent.d.15.q.29. Conradus q.59.de Contract. concl.4. Ratio huius causæ clarissima est. Nam quoduis medium per se licitum, adhibere licet ad obtinendum id, quod est etiam licitum; & multo magis, si id sit etiam debitum. Sed mutuum, & quiuis alius contractus iustus, licitus est secundùm se: licebit igitur quemuis contractum tanquam medium adhibere ad obtinendum id, quod aliunde est debitum. Quare citra iniustitiam licebit illud vnà cum sorte recipere.

TERTIA causa est, si alter contrahentium, detrimentũ aliquod aut iacturam rerum suarũ alterius causâ sustinet; videlicet vt cum ipso cõtrahat. Hoc vulgo dici solet, *damnũ emergens*. Exẽpli causa: Volebat quis pecunia præsenti se vsuris, quibus iniquè premebatur, liberare, capitale soluendo; omittit id facere, vt tibi mutuet; iustè idcirco postulat ter sortem petit à te compensationẽ eius damni: hoc

hoc est, illam summâ, quam vsurario soluit. Neque est vllum dubium de hoc apud Doctores. Est enim ratio huius causę perspicua. Nam damnum eiusmodi, per se est dignum cõpensatione; quam quidem is, qui sic tecũ contrahit, minimè debet gratis tibi condonare; sed iure potest eã recipere vnà cum capitali debito ex vi præcipui contractus.

Hinc est manifestum, nihil interesse ad æquitatem huius causæ, vtrum is, qui damnum sustinet, rogatus ab altero cõtrahat, aut ipse se obtulerit. Nam ex quo damnum per se est dignum compensatione, qui illud causâ alterius vult sustinere; siue rogãtus, siue rogans id faciat, iustè compensationem eius recipit. Quemadmodum quia pallium, v. g. per se æstimabile est; iustè venditor precium pro eo recipit, siue is rogans, siue rogatus vendat. Ita tradit Sotus lib.6.de Iustitia, q.1.art.3. Et Nauarrus cap.17.n.212. De quo vide suprà q.20.p.2.

OBSERVANDVM autem est, quòd oportet, vt (sicut dictum est) causâ contrahendi cum altero damnum sustineas; Vt sic ille tanquam causa voluntaria eius damni, debeat illud tibi resarcire. Quare omnino necesse est, vt ipso contractus tempore, damnum, quod tibi ex contractu imminebat, alteri patefeceris. Alioqui nullo modo ille fuerit moralis causa eius damni, quod neque ex te nouit, neque per se connexum erat cum natura contractus.

QVARTA causa est *lucrum cessans*, cùm scilicet quis, vt tecum contrahat, spem eam deponit, qua non temerè exspectabat futurum lucrum ex pecunia, aut re, quam in te confert: ita Adrianus in 4. Sent. quæstione de Vsura, Syluester, V. Vsura. 1. quæstione decima nona. Caietanus 2.2. quæstione septuagesima octaua, articulo secundo, & in Summa, V. Vsura. Conradus quæstione trigesima de contractibus. Ioannes Medina quæstione trigesima octaua de rebus restituendis, & quæstione tertia de rebus per vsuram acquisitis. Nauarrus capite decimo septimo, n.211. & 212. & capite vigesimo tertio, numero 82. vbi ait, esse communem opinionem: quod idem ait vbi suprà Syluester. De quo vide suprà quæstione vigesima, p. 2.

Huius causæ ferè eadem ratio est, quæ præcedentis. Nam sicut res & pecunia, æstimatione digna est; sic etiam spes & potentia proxima ad habendam rem aut pecuniam; sed propter iacturam rei aut pecuniæ: licitè potest quis compensationem recipere, vt in præcedenti causa dictum est; licebit igitur pari ratione, propter iacturam spei & potentiæ proximæ ad rem vel pecuniam.

QVINTA causa est, si verisimiliter alter contrahentium putat, se non nisi cum expensis, capitale ad se ratione contractus pertinens, obtenturum. Tunc licitum est in pactum deducere (plus, minus) illud, quod iudicatur expendendum. Ita Sotus libro sexto de Iustitia, quæstione quarta, articulo primo. & Medina quæstione trigesima octaua, de rebus restituendis. De quo vide suprà quæstione vigesima, puncto secundo. Ratio est facilis; Nam quòd quis suscipiat onus faciendi eas expensas, quæ putantur futuræ; per se meretur compensationem.

Et adimplendum est id pactum, siue postea accidat maiores fieri expensas, quàm cogitatum fuerit, siue minores, siue etiam nullas. Nam quicunque tandem sit euentus; verum manet, quòd quis receperit, se facturum illas expensas, quæ futuræ putabãtur; quod ipsum onus per se compensandum est.

Et cùm vtraque pars, ita paciscendo, æquè se exposuerit damno & lucro propter dubium euentum; vtraque etiam, deliberata voluntate voluit damnum sustinere, si postea ei contingeret. Quæ quidem deliberata voluntas sustinendi damnum, efficit, vt lucrum, quod postea vni parti contingit cum damno alterius, non sit iniquum; quandoquidem non fit altera parte inuita, sed volente. Atque hoc quidem fundamento, Iustitia multorum pactorum nititur, quæ propter æquale vtrinque dubium, probantur à Doctoribus.

SEXTA causa est, morale & peculiare periculum, cui quis causa contrahendi cum altero, se exponit, amittendi rem suam; siue quam iam habet, siue quam futuro tempore est recepturus. Ita apertè colligitur ex doctrina sancti Thomæ 2.2. quæstione 77. articulo 4. ad 2. De quo vide suprà quæstione vigesima, puncto secundo. Perspicua huius quoque ratio est. Nam dubitandum non est, quin subire peculiare periculum amittendi rem suam, sit grauamen precio resarciendum. Vt enim potentia proxima ad aliquid acquirendum, per se est quædam commoditas precio digna: ita etiam potentia proxima amittendi aliquid, per se quasi quoddam damnum est & grauamen, quod nemo tenetur subire gratis.

SEPTIMA causa est opera, industria, labor, expensæ, cura & diligentia; denique quoduis genus officij similis, contrahendi causa cum altero, extraordinariè susceptum. Ita Durandus in 3. Sentent. distinctione trigesima septima, quæstione secunda. Ioannes Medina toto Tractatu de Cambiis, præsertim quæstione prima. Nauarrus capite decimo septimo, numero 283. litera D, aliàs 288. De quo vide dicta suprà quæstione vigesima tertia, puncto quarto. Huius causæ Iustitia ex eo est manifesta, quod huiusmodi officium seorsim est dignum æstimatione. Siquidem commoditatem contrahendi aliis affert. Quare is, qui ea commoditate vti volet, meritò reputare debet officium & operam alterius fuisse sibi vsui; ac proinde ille alter, suscepti officij compẽsationem iustè recipiet præter summam, quam alioqui res commutata secundùm se valeret.

SED videndum est, ne officium fuerit superfluum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

fluum: item, ne eiusmodi circumstantiæ aliunde existant, vt etsi officium causâ contrahendi cum aliis prudenter susceptum fuerit: tamen minimè illud sit aliis opportunum: vel quia alioqui illa re abundant, & commodiori precio possunt habere, vel quoniam non egent. In his enim & similibus casibus non potest quis iustè exigere officij compensationem. Quod rectè animaduertit Ioannes Medina q. 31. de rebus restituendis, & est etiam id aliorum Doctorum menti cõsentaneum. Ratio est: quia tunc alij non debent meritò putare sibi fuisse vtile id officium: quare non debebunt illud compensare.

Secus tamen dicendum esset, casu, quo quis operam officiumue alterius, pacto conduxisset. Tunc enim omnino compensare is deberet officium impensum: siue id postea vtile, siue inutile esset. Sed antè locuti sumus extra hunc casum. Atque ex his multæ vtiles quæstiones in materia emptionis & venditionis, & etiam Cambiorum explicari poterunt.

OCTAVA causa est translatio sortis alterius contrahentis de loco ad locum; siue ea translatio realis sit; siue, vt vocant, virtualis, & per literas; quæ (quod ad effectum quidem intentum attinet) æquè vtilis est illi, cuius sors est transferenda. Ita omnes communiter fatentur. De quo vide dicta suprà quæstione vigesima tertia, puncto quarto. Et apparet hic etiam satis perspicuè ratio Iustitiæ. Nam præter vtilitatem, quam sors ab vno contrahente in alterum collata, per se affert; ipsa etiam translatio eius de loco ad locum, per se & seorsim est vtilis ei, qui sortem alio in loco habere cupit. Quare translatio hæc seorsim etiam est digna compensatione. Huius causæ vsus frequens est in Cambiis, siue commutationibus pecuniarum.

NONA causa est distantia loci, cùm videlicet causâ commoditatis alterius tecum contrahentis, in vno loco das, & in alio distanti recipis, ex quo cum onere & expensis est tibi postea ad locum, in quo es, capitale transferendum; vel certè non nisi cum detrimento & expensis in loco distanti dicto capitali vtendum. In his casibus iure petes seorsim compensationem grauaminis, quod causâ contractus subis. Atque huius etiam causæ est vsus in Cambiis, vt tradunt Syluester, V. Vsura. quæstione quarta, de Cambiis, Caietanus opusc. de Cambiis, capite septimo. & Nauarrus cap. 17. num. 283. litera I. aliàs nu. 294. De quo vide suprà q. 23. p. 4.

DECIMA causa, eaque latè patens, est concursus plurium pactorum, siue cõtractuum, propter quos interdum accidit, vt licitè ea summa recipiatur, quæ alioqui ex vi vnius tantùm contractus non nisi iniquè reciperetur.

Huc pertinet, quod à quibusdam probabiliter docetur, ex vi trium contractuum, videlicet Societatis, assecurationis capitalis, & assecurationis lucri certi minoris pro maiori minùs certo, quod speratur; posse aliquem licitè seruare securum capitale, & simul ex eo facere certum lucrum, vt docent Ioannes Maior in 4. Sentent. distinct. 15. q. 49. Nauarrus cap. 17. num. 254. & 255. Syluester, V. Societas. 1. q. 2. & alij. De quo vide dicta suprà q. 24. p. 2.

Item accidit, vt quis ex vi plurium contractuum iustè plus recipiat: Cùm eadem commutatio bis ab iisdem personis celebratur ex pacto, quo altera pars obligatur ad prædictam commutationem repetendam: Recepta tamen compensatione grauaminis, quod affert ea obligatio. Vt, v. g. vendis Petro domum, quem simul obligas, vt postea quandocunq; volueris eandem domũ emere, iterum vẽdat pro precio, quod domus valuerit: tum, si iterum emptio & venditio celebretur, & domus minus, quã antea valeat; iustè maius precium antè receperis, quàm nunc das: Si verò domus plus valet, quàm antea, iustè Petrus recipiet plus precij, quàm antè dedit. Et hoc quidem est ex mente eorum, qui concedunt, licitum esse pactum de retrouendendo: cõcedunt autem communiter omnes. De quo vide dicta suprà quæst. 22. p. 6.

Item, quamuis tantundem postea domus valeat, vel pactũ fuerit factum de ea reuendẽda eodem precio, quo antè est empta; tamen tunc etiam emptor ex voluntate vẽditoris domum eidẽ reuendens, iustè plus receperit, quã antea dedit: Siquidem recipit tantundem precij, & præterea domus vsum, quem interim percepit tanquam dominus domus per emptionem primã factus: Quanquam aliunde is grauamen subierit obligationis vendendi iterum.

Neq; verò, si ius naturæ attendamus, referre quidquam videtur ad iustitiam, vter nam cõtrahentium obliget alterum ad repetẽdam iterum eãdem commutationem; Vtrũ scilicet venditor aut emptor; vtrum is, qui rogatus ante commutauit, vel is, qui rogans. Nam iustitię æqualitas, in voluntariis cõmutationibus, non est in cõditione personarum sita. sed in rerum, quæ cõmutantur, æstimatione: Et æqua est vtriusq; cõtrahentis conditio, quod attinet ad grauamina imponẽda alteri parti, dummodo grauamen, quod imponitur, iustè compensetur, neq; illud sit tale, quod veritatem & iustitiam præcipui contractus tollat; id quod rectè annotauit Ioan. Medina quæstione vltima de Censibus. § Quibus non obstantibus, & Ioannes Maior in 4. Sentent. d. 15. q. 43. & Couarruuias lib. 3. variar. resolut. c. 9. n. 3. & alij. De quo vide dicta suprà q. 22. p. 6.

Atque hactenus satis sit, hæc decem capita indicauisse. Nam ad aliquod ferè eorum reuocari poterit, quicquid iustæ causæ subsit vnquam, recipiendi plus quàm quis deberit.

De

De iniquis causis plus, quàm datum sit, recipiendi.

SVPEREST modò de iniustis etiam causis dicere. Quod breuiter faciendum est. Nam in primis possumus generatim dicere esse totidem causas iniustas, quot iustas, accipiẽdi plus quàm sit datum; nimirum illas ipsas DECEM suprà dictas, quando eis quidem aliqua debita circũstantia defuerit ex illis, quas in singulis requiri docuimus suis locis in superioribus quæstionibus. Occurrunt verò præterea sex hæ causæ iniustæ.

PRIMA est vtilitas alterius contrahẽtis, quam illi ex accidenti affert opportunus contractus propter concurrentes circumstantias, minimè alioqui pertinentes ad rei, quæ commutatur, æstimationem. Ob eiusmodi enim vtilitatem plus petere, quàm alioqui res commutata valet, iniquum est; quandoquidem ea vtilitas non ex rei commutatæ valore per se accidit, sed aliunde, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 77. ar. 1. & communiter alij omnes.

SECVNDA causa iniusta, est rei vsus seorsim computatus, quando aliàs res ipsa, siue translatio plena dominij illius, iustè compensatur. Ita sanctus Thomas 2. 2. quæstione 78. art. 1. & communiter oẽs Orthodoxi. Huius iniquitatis ratio est: quia cùm plena translatio dominij rei iustè compensatur; eo ipso iustè cõpensatur omnis rei vsus. Nam cũ dominium plenũ, sit plena facultas rem omnib. modis, quibus iure licet, vsurpandi; eatenus dominium plenũ rei æstimatur & compensatur, quatenus æstimatur & cõpensatur omnis rei vsus. Quare qui præter iustam cõpensationem dominij pleni rei, vult sibi rei cõmutatæ vsum seorsim cõpẽsari; is procul dubio eius, quod iam compensatũ est, compensationẽ rursus quærit; quod apertè pugnat cum iustitiæ æqualitate. Vt si quis, v. g. præter iustum preciũ venditæ domus, pro vsu eiusdem rursus aliquid exigeret.

Atq; hęc quidem est ratio, propter quam vsuraria iniquitas meritò omni iure dãnatur. Naturali enim iure damnatur propter rationem factã. Diuino verò Ezech. 18. Psal. 14. & 71. Luc. 6. vt patet ex Concilio Nicæno can. 18. & cap. Super eo. & cap. Consuluit. de Vsura. Iure deniq; humano toto tit. Extra de Vsuris. & 14. q. 1. &c. De quo vide suprà q. 21. p. 1. Is enim, qui mutat pecuniam; cùm faciat alteri plenam & independentẽ facultatẽ omnib. modis eam pecuniam vsurpãdi, etiã distrahẽdo; dominiũ plenũ illius in ipsum transfert. Quæ plena translatio dominij, per plenã vicissim translationẽ dominij æqualis summæ, solutionis tempore, iustè cõpensatur, & eo ipso, vt probatum est, omnis etiã vsus pecuniæ mutuatæ. Quare propter vsum eius pecuniæ, præterea petere aliam compensationem, iniquum est.

Hinc facilè est intelligere, si rei tantũ naturam *physicè* cõsideremus, iniquitatem vsuræ, etiam in aliis commutationibus, quib. dominium rerum non vsu cõsumptibilium transfertur, locum habere posse. Patet apertè, si præter compensationem iustam trãslationis dominij earum, aliquid præterea pro vsu peteretur.

Nihilominus rectè dici cõsueuit, huius iniquitatis quasi sedẽ esse mutuum rerum vsu consumptibilium: quoniam moraliter in illo tãtùm solet accidere. In aliis enim rerum cõmutationibus, quoniam nimis clarum est transferri dominiũ, atq; adeò cùm res vna per alteram æqualem cõpensatur, omnem vsum eius compensari; non facilè reperitur, qui vel decipiat petendo seorsim præter preciũ rei, vsus compensationẽ; vel deceptus illum seorsim compẽset. Id verò facilius accidit in mutuo. Nã quia ex vi eius, similis res redditur; apparet prima facie illud esse quędam tantùm *locatio* vsus rei; ex vi cuius, præter rem, quæ eadem domino restituitur, per se vsus illius iustè compensetur. Sed longè aliter res se habet, vt ostensum est. Qua de re vide suprà quæstione 21. puncto 1.

TERTIA causa iniusta, est, solius temporis mora, qua aliquis expectat capitale sibi debitum ex contractu. Propter quam quidem aliquid petere, secluso omni alio pacto & iuꝙa causa ex supradictis, quæ possent incidere eo tempore, iniquum est. Nam esset alteri vẽdere tempus, quod venale nõ est, cùm nullius sit proprium, sed omnibus commune. De quo vide suprà q. 20. p. 2. & q. 21. p. 1.

QVARTA causa iniusta, est, si quis petat pro re plus, quàm valet tempore, quo illam in alterum cõfert; solùm propterea, quòd tempore, quo expectat solutionem, plus est valitura. Ita Sotus libro 6. de Iustitia, quæst. 4. art. 2. & Medina quæstione 38. de rebus restituendis, & patet ex Capit. Nauiganti. Extra de Vsuris. De quo vide suprà quæstione 20. puncto 2. Ratio est, quoniam tibi non plus debetur pro re, quàm quod ea (consideratis omnibus circumstantiis) valebat, cùm à te illam alienâsti, & in alterum contulisti. Valor enim, qui postea accedit rei, quãdo iam est in alterius potestate, non est rei tuæ. Quare non est tibi facienda eius valoris compensatio. Secùs, si tu in illud aliud tempus lucrãdi causâ eras serturus. Licitum enim est tunc ratione lucri cessantis plus exigere, iuxta ea, quæ supra sunt dicta. Et ita habetur in dicto Cap. Nauiganti, de Vsuris, per quod exponendum est Cap. In Ciuitate. Extra eodem tit. Vide suprà quæstione vigesima, puncto 2.

QVINTA causa etiam iniqua, est, si quis ei credens capitale, cũ quo contrahit, petat plus propterea, quòd rem statim vtilem commutat cum re non statim, sed in futurum vtili. Nam secluso damno emergente, & lucro cessante, & peculiari periculo, & aliis iustis causis supradictis, propter quas contingit, vt qui commutat rem vtilem statim pro re vtili in futurum, aliquid iustè recipiat: non plus valet res præsenti tempore vtilis, quàm futuro. Tota enim vtilitas præsentis temporis

Universidad de Deusto
Biblioteca

compenſabitur iuſtè per vtilitatem, quam res æqualis afferet in futuro. Alioqui ſi hæc cauſa eſt iuſta; cùm ea ſemper ſuppetat iis, qui mutuant; ſemper ſubeſſet in mutuo cauſa recipiendi iuſtè aliquid vltra ſortem; quod non eſt concedendum; vt rectè tradit Sotus libro ſexto de Iuſtitia, quæſtione quarta, articulo primo, & Medina quæſtione trigeſima octaua, de rebus reſtituendis. De quo vide dicta ſuprà quæſtione vigeſima, puncto 2.

SEXTA cauſa iniuſta (qua rudiores moueri ſolent) eſt, ſi quis idcirco ſolùm aliquid vltra æqualem ſortem requirat, vt non fruſtrà commutet ſine lucro. Intentio enim lucri per ſe, ſi alia non ſubſit cauſa iuſtè lucrandi, minimè excuſat. Niſi fortè latrones excuſare volumus, qui procul dubio lucrum & cómoditatem aliquam ex latrociniis exſpectant. Quòd ſi quis lucrari vult, oportet vt alterius generis negociationi ad iuſtè lucrándum accommodatæ, det operam: non autem mutuo, ex quo iuſtè lucrari non poteſt.

Atque hîc, quoniam potiſſima Iuſtitiæ & Iniuſtitiæ capita attigiſſe videmur, finem facimus; hoc quaſi generale DOCVMENTVM ex dictis omnibus colligentes, vt rectè de ancipiti Iuſtitia & Iniuſtitia in omni negociationis ſiue commutationis genere iudicetur. Primùm omnium vtraq; ſumma, videlicet data & recepta, æſtimanda eſt (nomine autē ſummæ intelligimus, quicquid ſub æſtimationem humanam cadit) Deinde ex iis, quibus ſuprà quæſtione quinta diximus, Iuſtitiæ æqualitatem contineri, perpendendum eſt; Vtrum prædictæ ſummæ ſint æquales, nec ne. Si æquales appareant, & neque ex parte contrahentium aliqua cauſa Iniuſtitiæ ex ſupradictis inciderit; neque aliquid ſubeſſe videatur, propter quod alter contrahentium inuitus priueturaut actario aliquo, quod propter ſortem debuiſſet meritò recipere; plana erit Iuſtitia. Si verò ſummæ inæquales appareant; ea, quæ maior eſt, diuidenda eſt in duas partes, quarum altera alteri ſummæ ſit æqualis, vt ſic æqualitas cernatur, quæ eſſe debet ex vi eius commutationis, quæ præcipuè exercetur: Tum diligenter inſpiciendum, Vtrum aliqua iuſta cauſa, vel etiam aliquæ (nam quò plures concurrerint, eò plus iuſtè recipi poterit) ex ſupradictis ſuppetant recipiendi reſiduam partem maioris ſummæ; vel nulla præter eas, quas eſſe iniuſtas diximus: & iuxta hoc

de æquitate aut iniquitate negociationis iudicandum eſt.

QVÆSTIO VIGESIMASEXTA.

De partibus Iuſtitiæ generatim.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 79. & 80.

EXPLICANDA SVNT BREVITER DVO. PRIMO, *Quænam ſint partes integrales Iuſtitiæ.* SECVNDO, *Quænam item ſint Iuſtitiæ partes potentiales.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam ſint partes integrales Iuſtitiæ.

D. Thomas q. 79.

INTEGRALES partes Iuſtitiæ, per metaphoram quandam & ſimilitudinem partium integralium corporis alicuius, nominantur iuſtitiæ quædam functiones, ſine quibus non eſt perfectus Iuſtitiæ vſus: ſicut partes integrales corporis propriè dicuntur eæ, ſine quibus non eſt perfectum corpus. Quo etiam modo ſupra diſputatione quarta, quæſtione ſecunda, explicauimus rationem partium integralium Prudentiæ.

Hoc poſito, quatuor breuiter de partibus integralibus Iuſtitiæ aſſerimus ex doctrina diui Thomæ hîc communiter recepta. PRIMO, Facere bonum, vt *debitum* ex Iuſtitia particulari in ordine ad *proximum*; & declinare à malo, vt eſt contra

eſt contra tale debitum, eſſe partes integrales Iuſtitiæ particularis: Facere verò bonum, quia præceptum & debitum ex Iuſtitia legali, ratione *boni communis*; & declinare à malo, vt eſt contra tale debitum legale, eſſe partes integrales Iuſtitiæ legalis; id eſt, hęc duo pertinere ad perfectionem vtriuſque virtutis.

Ad quam doctrinam poteſt accommodari, quod in Pſalmo trigeſimo tertio dicitur: *Declina à malo et fac bonum.* Et illud Tobiæ quarto: *Habebimus multa bona, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Et illud Iſaiæ primo: *Quieſcite agere peruersè, & diſcite bene facere.* Et illud Apoſtoli ad Romanos duodecimo: *Odientes malum, adhærentes bono.* Et quod ait ſanctus AVGVSTINVS in libro de Correptione & Gratia, capite primo: *Qui legitimè lege vtitur, non confidens virtuti ſuæ, confugit ad gratiam, qua præſtante declinet à malo, & faciat bonum.* Et clarius ſermone decimo nono de tempore: *Iuſtitia*, inquit, *non aliud eſt, quàm non peccare: non peccare autem legis præcepta ſeruare. Præceptorum obſeruatio duplici genere continetur: vt nihil eorum, quæ prohibentur facias; & omnia, quæ iubentur, implere contendas. Hoc enim eſt, quod Pſalmiſta ait (Pſalm. 33.) Recede à malo, & fac bonum.*

Et clariſsimè S. PROSPER in libro Sent. ſententia 98. *Tota*, inquit, *Iuſtitiæ ratio eſt, vt declinentur mala, & fiant bona.* Quomodo autem vtraque Iuſtitiæ pars requiratur, neque ſufficiat declinare à malo, declarat ſanctus CHRYSOSTOMVS homil. 16. in epiſt. ad Hebræos, eleganti ſimilitudine ducta à ſeruo; qui minimè quidem domino ſuo ſatisfaceret, ſi ſolùm nihil mali faceret; niſi etiam illud faceret boni quod dominus iuberet.

SECVNDO aſſerimus, *tranſgreſſionem*, id eſt, commiſsionem mali, tum vt eſt contra debitum legale in ordine ad bonum commune, tum vt eſt contra debitum particulare in ordine ad proximum, eſſe ſpeciale peccatum, diſtinctum ab omnibus aliis. Sicut etiam prædictæ Iuſtitiæ, quibus tales tranſgreſsiones opponuntur, diſtinguuntur ſpecie ab aliis virtutib. contra quas ſunt alia peccata, vt vidimus ſuprà q. 2. p. 2. Quāquam aliqualis quidem commiſsio mali materialiter, (non vt eſt contra debitum aliquod Iuſtitiæ ex dictis) commune quid eſt omnibus peccatis, quæ fiunt contra præcepta negatiua in materia aliarum virtutum.

TERTIO aſſerimus, *omiſsionem* etiam boni ex Iuſtitia debiti, ſiue particulari, ratione proximi, ſiue legali, ratione communitatis, eſſe ſpeciale peccatum, diſtinctū ab aliis omiſsionibus. Sicut actus nimirum Iuſtitiæ, cui opponitur, diſtinguitur ab aliis virtutibus. Item eſſe peccatum diſtinctum à tranſgreſsione; ſicut facere bonū, cui opponitur omiſsio, diſtinguitur à mali declinatione, cui opponitur tranſgreſsio.

QVARTO aſſerimus, *tranſgreſsionem*, cæteris paribus, grauius peccatum eſſe, quàm *omiſsionem*: quia tranſgreſsio opponitur virtuti *contrariè*: omiſsio verò *contradictoriè*. Maior autem oppoſitio eſt contraria.

Circà hanc autem doctrinam, quæ eſt etiā (vt diximus) D. Tho. hîc, quæri poteſt PRIMO, quæ ſit ratio peculiaris ponendi has duas partes Iuſtitiæ, (ſcilicet declinare à malo & facere bonum) cùm in aliis virtutibus non ſoleant aſsignari tanquam ipſarum partes. Ratio dubitādi eſt. Nam ſicut ad iuſtitiam pertinent duo generalia præcepta; Alterum *affirmatiuum*, quod iubet bonū ſecundùm ſpecialem rationem obiecti Iuſtitiæ; Alterum *negatiuum*, quod prohibet malum contra ſpecialē rationem obiecti Iuſtitiæ: ita etiam in aliis virtutibus hæc duo generalia præcepta reperiuntur, ſecundùm rationem ſpecialem obiecti cuiuſcunque virtutis: Ergo facere bonum, & à malo declinare, ſecundùm ſpecialem rationem Iuſtitiæ, nō magis ſunt partes iuſtitiæ, quā facere bonum, & declinare à malo ſunt partes virtutum aliarū, ſecundùm ſpeciales rationes earum.

RESPONDEO, dupliciter poteſt ſumi declinatio à malo. *Primò* ita, vt ſit receſſus à qualicunque malo, quod cōtra virtutem poſsit fieri. Et ſic verum eſt, aliarum etiam virtutum eſſe partes facere bonum, & declinare à malo. Non enim ſolùm fit bonum in materia aliarum virtutum, ſed etiā receditur à malo, quod contra virtutē fieri potuiſſet; & ſic procedit argumētum factum. *Secundò* ita, vt declinatio à malo non ſit qualiſcunque receſſus à malo, ſed ſit receſſus à malo corruptiuo boni, iam antè conſiſtentis & cōſentanei virtuti. Et ſic eſt & ponitur peculiariter pars ſolius iuſtitiæ (ſaltem commutatiuæ) non modò facere bonum, ſed etiam declinare à malo.

Cuius ratio eſt. Nam *Medium* ſiue *bonum* aliarum virtutum moralium non propriè conſiſtit in aliqua re exteriori, quæ vel extiterit ante virtutis actum, vel maneat poſt illum, atque adeò poſsit vel corrumpi vel conſeruari à virtute; ſed conſiſtit tantùm in moderatione paſsionum interiorum, quæ ſtatim cum actu tranſit. Quò fit, vt nullus poſsit faciendo malum, corrumpere bonum, conſtitutum per virtutem aliquam ex aliis moralibus. Quando enim comedis, verbi gratia, temperatè, nullus poſtea poteſt corrumpere moderationem eius tui actus. At verò Medium Iuſtitiæ, conſiſtit in rerum exteriorum æqualitate, quæ eſt & antè & poſt actum virtutis iuſtitiæ. Itaque corrumpi poteſt id bonum faciendo malum contra Iuſtitiam. Et ideo peculiariter ad iuſtitiam pertinet declinare malum corruptiuum boni conſtituti per iuſtitiam; non verò ad alias virtutes, ſecundùm ſuas rationes ſpeciales. Et hoc ipſum eſt, quod vult Caietanus hîc articulo primo, circa ſolutionem primi.

SECVNDO quæri poteſt, vtrum declinatio à malo, quatenus eſt pars cuiuſcunque virtutis, in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cludat aliquem actum, ex quo debeat procedere illa declinatio mali. RESPONDEO primò, vt per declinationem à malo, satisfiat præcepto negatiuo virtutis (quo scilicet prohibetur actus malus virtuti contrarius) non oportet, vt interueniat aliquis actus. Nam istud præceptum solam *negationem* actus mali respicit. Ergò illa sola satisfacit illi. Atq; idem manifestè probatur ea ratione, quòd tunc solùm dicitur quis transgredi præceptum negatiuum, vetans actum malum, cùm *efficit* actum malũ contrarium virtuti. Ergo omnino satisfaciet quis ei præcepto, si tantùmodò nõ faciat malum, etiamsi simul nullũ alium exerceat actum bonum.

Dico SECVNDO, vt declinatio hæc sit meritoria, aliquis actus requiritur, ex quo procedat. Non enim meremur, nisi per bonos actus. Alioqui continuè quis mereretur, quamdiu se habet negatiuè erga actum malum; quod est dictu absurdum.

Dico TERTIO, vt declinatio à malo sit pars virtutis, vel à virtute; aliquis etiam actus requiritur, quo nimirum quis velit declinare à malo. Cum virtute namq; nõ habet cognationem, nisi id, quod sit perfectum & meritorium. Hæc omnia sunt consentanea doctrinę D. Thomæ ar. 1. in solutione secundi.

Ex quibus sequitur, præceptum negatiuum, cùm impleatur, vt dictũ est, per solam omissionẽ mali actus; non respicere declinationem mali, vt est meritoria & à virtute, interueniẽte bono actu: Neq; id opus est. Non enim quicquid est perfectũ & meritorium, præcipitur. Quocirca eatenus dicitur id præceptum ad virtutẽ pertinere, quatenus præcipiens meram negationem mali, prohibet eum actum malum, qui est contra virtutem.

Sed est argumentum CONTRA secundum dictum: Vt omissio boni actus debiti sit peccatum, non requiritur actus aliquis, ex quo talis omissio procedat; sed satis est omittere, cùm quis potuit & tenebatur facere, sicut ostendimus tom. 2. q. 4. de peccatis, p. 4. & docet hîc etiam D. Thomas art. 3. ad 4. Ergo neque, vt omissio mali actus, sit meritoria, requiritur aliquis actus.

RESPONDEO, nego Consequentiam. Nam ad bonum plus requiritur, quàm ad malum. Bonum enim cõsurgit ex integra causa, malum autem ex quocunq; defectu, vt ait D. Dionysius capite 4. de diuin. nom.

TERTIO quæri potest, an quando in omissione boni cõtra præceptum virtutis affirmatiuum, interuenit actus aliquis, qui sit causa peccati omissionis, ille actus sit peccatum transgressionis, vel omissionis. Vt si, v. g. in die festo dicas: Nolo audire sacrum; vel si velis tunc te occupare in actu incompossibili.

Respondeo PRIMO, si quis velit omittere actum bonum præceptum, quia præceptus est, vel etiam quia præceptus & debitus propter bonum cõmune; tunc illa voluntas est directè transgressio, & peccatum distinctũ ab omissione, quæ ex ea sequitur. Nam priori modo, directè est cõtraria obedientiæ; posteriori autem modo iustitiæ legali, quæ respicit, vt proprium obiectum, debitum legale, ratione boni communis. Itaque illa volitio est contra præceptum negatiuum obedientiæ, vel Iustitiæ legalis.

Dico SECVNDO, si quis velit omittere actum bonum præceptum, nõ quia præceptus, sed quia ob aliquam causam nollet exercere illum actum præceptum; tunc etiã illa voluntas est transgressio; non tamen distinctum peccatum ab omissione, quæ ex illa sequitur. Quòd sit *transgressio*, probatur: Est enim peccatum; & nõ omissio formaliter; cùm sit actus. Ergo est transgressio, seu commissio. Non enim inter hæc est medium. Quòd verò moraliter loquendo, non sit distinctum peccatum à consequente omisione, patet: quia non est contra aliquod præceptum negatiuum primarium, quod pro semper obliget; sed contra secundarium in affirmatiuo inclusum. Hoc enim ipso, quòd actus bonus virtutis præcipitur pro aliquo tempore, præcipitur secundariò; ne quis pro illo tempore habeat actum, ex quo sequatur omisio actus præcepti. Vnde quia eatenus tantùm ille actus est malus, quatenus est causa omissionis malæ, ideo moraliter reputatur ibi tantùm interuenire vnum peccatum (licet cum circumstantiis) quod per se primò dicitur esse cõtra præceptum affirmatiuum, quia præceptum hoc præcipuè tunc violatur. Ac sunt hæc ad mentem Caietani, articulo secundo.

Ex quibus sequitur, peccatum omissionis cõpletè & formaliter non admitti eo tempore, quo exercetur actus, qui est causa omissionis; sed eo tempore, quo postea implendus erat actus præceptus, vt articulo 3. ad 3. docet S. Thomas. Nam ante id tempus nihil quod esset tunc debitum, omittebatur; quamuis inchoabatur tunc quidem omissionis peccatum cõtra præceptum affirmatiuum. Et propterea rectè dicit S. Thomas articulo tertio ad 3. quòd si religiosus, v. g. qui antè voluit dormire, & non ire ad chorum, exactus postea eat, non omitteret. Quæ omnia & multa alia, quæ pertinent ad materiam omissionis, disputata sunt à nobis fusius tomo 2. q. 1. de peccatis, p. 4.

QVARTO quæri potest, num verum sit, quod vltimò asseruimus, transgressionem esse maius peccatum, quàm omissionem, eò quòd oppositio contraria (qua transgressio opponitur virtuti) est maior, quàm contradictoria, qua opponitur virtuti omissio. Videtur enim id falsum. Maior enim est distantia inter ens & non ens, quã inter ens & ens. Sed oppositio contradictoria est inter ens & non ens; oppositio autem contraria est inter ens & ens. Ergo oppositio cõtraria est maior. Prior propositio probatur.

Nam

Nam ens & ens saltem habẽt aliquid commune, puta ipsam rationem entis; ens autem & nõ ens, prorsus nihil commune habent.

RESPONDEO per distinctionem prioris propositionis. Nam dupliciter de distãtia possumus loqui. Primò de distantia *in intellectu*. Et sic verum est, cõtradictoriam esse maiorem: quia non sunt in illa aliqua, quibus saltem conceptus entis sit communis. Secũdò de distantia *extra intellectum*. Et sic multo maior distantia est contraria. Nam hæc consurgit vtrinq;: distantia aũt contradictoria reipsa non item. Vt enim bene notat Caietan. hîc art. 4. album, v. g. non plus distat à non albo, quàm sit latitudo entitatis albedinis. In contraria autem distantia vtrinq; est latitudo reipsa. Et quia plus est *reipsa magis à virtute distare*; ideo trãsgressio, quæ virtuti contrariè aduersatur, maius est peccatum. Hoc idem videtur esse, quod aliis verbis vult Caietanus hîc, cùm dicit, distantiam contradictoriam esse maiorem, accipiendo eam pro *quacunque diuersitate*: non verò si accipiatur pro differentia *positiua*.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam sint partes potentiales Iustitiæ.

D. Thomas q. 80.

QVEMADMODVM suprà disputat. 4. q. 2, diximus, quasdam virtutes appellari prudẽtię partes *potentiales* per metaphoram & similitudinẽ partiũ potentialium animæ: ita hoc loco partes iustitiæ *potentiales* nominantur eæ virtutes, quæ per similitudinem quãdam obiecti habent quandam affinitatem & cõiunctionem cum iustitia, sicut suo modo potentiæ cum anima; neq; tamen participant perfectè rationem Iustitiæ; vt neq; potentiæ rationem ipsius animæ. Hæ autem sunt quædam virtutes morales, quæ habent quandam similitudinem cum illa in hoc, quòd sunt *ad alterum*, & *inter* *in voluntate*, vt Iustitia: deficiunt tamen à ratione Iustitiæ; vel quia non respiciunt *perfectè æquale*; vel quia non secundùm perfectam & strictam rationem *debiti*.

Sunt aũt potissimum nouem huiusmodi virtutes, quas etiam vnà cũ Iustitia numerauimus tomo 2. q. 4. de virtutibus, p. 2. Nempe *Religio* erga Deum: *Pietas* erga parentes: *Obseruantia* erga eos, qui virtute pollent: (ad quam etiã reuocatur Obedientia, vt D. Thom. notat hîc art. vnico ad 3.) *Veritas*, per quam virtutem talem se quis exhibet alteri, tum verbis, tũ factis, qualis reuera est: (ad quam reuocatur Fides seu Fidelitas) *Gratia*, seu *Gratitudo*, per quam alteri quis compensat ab eo acceptum beneficium: *Vindicatio*, seu *Vindicatiua Iustitia*, per quã maleficia quoq; dignè cõpensantur: *Liberalitas*, quæ aliorũ consulit vtilitatib. per largitiones præsertim pecuniarũ: *Magnificentia*, quæ idipsum facit magnis sumptibus (licet hanc quidem D. Thom. hîc non expressè memorauit) *Affabilitas*, seu *Amicitia*, &c. quæ officiis variis reddit hominem alteri charum.

Ex his virtutibus, vt pulchrè docet D. Tho. hîc, Religio, Pietas, & Obseruãtia, ideo deficiunt à ratione iustitiæ propriè dictæ, quia non reddunt perfectè æquale: Reliquæ autẽ ideo, quia illarum officia erga alios non adeò strictè & perfectè sunt debita, atq; officia iustitiæ. Quam ob causam debitũ Iustitiæ, ac Religionis, ac Pietatis & Obseruantiæ, nominatur debitum *Legale* (quia scilicet strictissimum est, & scriptis etiam legib. præscribitur, & parit obligationẽ ciuilem) Debitum aũt reliquarum virtutum, solùm nominatur debitũ *morale*: Quod ipsum tamen aliquando & in quibusdã actibus eiusmodi virtutum verè est debitũ sub peccato, cùm sine eo, vt affirmat D. Thomas hîc, nequeat consistere honestas morum.

Vnde & Caietanus quoq; 2. 2. q. 104. ar. 2. ad 1. dub. 1. verissimè dicit, de cuiuscunq; virtutis actu aliquo extare præceptum affirmatiuum, obligãs pro aliquo tempore. Quin etiam id ipsum asserit apertè D. Thom. ibidem his verbis: *Ratio*, inquit, *præcepti, quam attendit obedientia, concurrit cum actibus omnium virtutum; non tamen cum omnibus virtutum actibus: quia non omnes virtutum actus sunt in præcepto.*

Neque repugnat huic doctrinę id, quod diuus Thom. hîc dicit, quarundam virtutũ debitum nõ esse ita necessarium, vt sine eo nequeat consistere honestas morũ: sed esse tantùm necessarium ad maiorem quandam morũ honestatẽ: *Quod debitum*, inquit, *attendit liberalitas, affabilitas, siue amicitia, & alia huiusmodi.* Hoc inquam, nõ obstat iam dictis. Nam non voluit D. Thomas hoc intelligi de huiusmodi virtutibus, considerando oẽs omnino earũ actus & pro omni tempore: quasi nullus illorum esset vnquam absolutè necessarius ex præcepto: contrariũ enim huius de omnium virtutum actibus infrà q. 104. ar. 2. apertè pronunciat, vt vidimus: Sed voluit D. Thomas id intelligi de his virtutibus, considerando plerosq; quidem earũ actus: quia scilicet rarò fit, vt eiusmodi virtutum actus sint absolutè necessarij ad morum honestatem, sicut sunt necessarij frequẽtius virtutum aliarum actus, quos proinde hîc dicit respicere (nempe frequenter) debitum morale necessarium absolutè ad morum honestatem, & non tantummodò ad honestatem maiorem. Id quod diligenter est obseruandum, ne quis incautè legens D. Thomam, hoc loco fallatur.

Et hactenus de tota ista Disputatione de Iustitia.

FINIS DISPVTATIONIS QVINTAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO SEXTA GENERALIS.

DE VIRTVTE RELIGIONIS, IVSTITIÆ ANNEXA, AC DE VITIIS ET SVPERSTITIONIBVS HVIC VIRTVTI CONTRARIIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEDECIM.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS SEXTÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipsa virtute Religionis & eius actibus generatim.

PVNCT.I. Quænam sit ratio & munus virtutis Religionis.
II. Quàm latè pateant actus Religionis.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Oratione.

PVNCT.I. Quid sit Oratio.
II. Quotuplex sit Oratio.
III. An Oratio sit necessaria.
IV. An & quatenus Oratio sit efficax.
V. Quid per Orationem petendum sit; Vbi etiam Oratio Dominica exponitur.
VI. Quisnam debeat orare.
VII. Quis sit orandus.
VIII. Pro quibus sit orandum.
IX. Quomodo sit orandum.
X. An modus ille orandi particularis, qui est præscriptus in horis Canonicis, sit conueniens.

QVÆSTIO TERTIA.

De Adoratione.

PVNCT.I. Quid sit Adoratio.
II. Quàm latè pateat & quomodo dignoscenda sit materia propria diuini cultus, qui Deo exhibetur per adorationem.
III. Quomodo Adoratio sit instituenda, vt vndequaque sit recta.

QVÆSTIO QVARTA.

De Sacrificio, Oblationibus & Primitiis.

PVNCT. I. Quid sit Sacrificium.
II. Quænam requirantur, vt Sacrificium vndequaq; sit rectum & legitimum.
III. An, & quatenus officium sacrificandi Deo sit de iure naturæ.
IV. An etiam sine Sacrificio sit aliquid offerendum Deo in suis & Ecclesiæ ministris de primitiis fructuum & aliis rebus.

QVÆSTIO QVINTA.

De Decimis.

PVNCT.I. An, & quo iure, debeant pendi Decimæ.
II. An adeò stricto iure decimæ pendi debeant, vt nequeat tolli vllo modo hæc obligatio.

III. Ex quibus rebus debeant pendi Decimæ.
IV. Quibus debeant pendi Decimæ.
V. Quinam debeant pendere Decimas.

QVÆSTIO SEXTA.

De Voto.

PVNCT.I. Quid sit Votum.
II. Quænam esse possit materia Voti.
III. An Votum sit opus bonum & meritorium.
IV. An Votum sit etiam obligatorium sub peccato.
V. Quotuplex sit Votum.
VI. Quinam vouere possint.
VII. An, & quibus modis, possit quis liberari ab obligatione Voti.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Iuramento.

PVNCT.I. In quo consistat ratio Iuramenti.
II. Quotuplex sit Iuramentum.
III. De Iuramenti vsu; an & quomodo sit licitus vel illicitus, vbi etiã dicetur de periurio.
IV. De Iuramenti obligatione.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Adiuratione.

PVNCT.I. Quid sit Adiuratio, & quibus modis fiat.
II. Quænam liceat adiurare.

QVÆSTIO NONA.

De Laudatione Dei.

PVNCT.VNIC. An & quatenus vtile & bonum sit Deum laudare voce & cantu.

QVÆSTIO DECIMA.

De Superstitione generatim.

PVNCT.I. Quonam modo Superstitionis vitium religioni contrarium sit, & quàm latè pateat.
II. Quàm latè pateant species Superstitionis.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Idololatria.

PVNCT.I. Quid sit Idololatria, & quantum peccatum.
II. Quotuplex sit Idololatria, & quænam fuerit eius origo.
III. Quomodo in variis casibus dignoscendum sit, an Idololatria committatur.
IV. Nullam esse Idololatriam in cultu sacræ Eucharistiæ.
V. Nullam esse Idololatriam in cultu Sanctorum.
VI Nullam esse Idololatriam in cultu sacrarum imaginum & reliquiarum.

QVAESTIO DVODECIMA.

De Diuinatione.

PVNCT.I. Quid sit Diuinatio superstitiosa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. *Quotuplex sit diuinatio.*
III. *Vnde dignoscendum sit in variis casibus, num aliquid pertineat ad superstitionem Diuinationis.*
IV. *Quomodo sit diiudicandum, an diuinatio sit peccatum mortale aut veniale.*

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Superstitione vanarum obseruantiarum.

PVNCT. I. *Quid & quotuplex sit vana Obseruatio.*
II. *Vnde cognosci possit in casibus particularibus superstitiosa obseruatio.*
III. *Vnde dignoscendum sit, an superstitio vanæ Obseruationis, sit peccatum mortale aut veniale.*
IV. *De officio Magistratus circa punienda maleficia.*

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

De Tentatione Dei.

PVNCT. I. *Quid sit Dei Tentatio.*
II. *An Tentatio Dei semper sit peccatum mortale, vel aliquando veniale.*

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Sacrilegio.

PVNCT. I. *Quid sit Sacrilegium, & quotuplex.*
II. *An Sacrilegium sit semper mortale, vel aliquando veniale.*

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De Simonia.

PVNCT. I. *Quid sit Simonia.*
II. *In quibusnam casibus Simonia committatur, spectando obiectum siue materiam Simoniæ.*
III. *In quibusnam casibus Simonia committatur, spectando actum ipsum in quo Simonia consistit.*
IV. *Quale peccatum sit Simonia.*
V. *Quotuplex sit Simonia.*
VI. *Quænam sint pœnæ Simoniæ.*

IHS

DISPVTATIO SEXTA GENERALIS.

DE VIRTVTE RELIGIONIS, IVSTITIÆ ANNEXA, AC DE VITIIS ET SVPERSTITIONIBUS huic virtuti contrariis.

D. Thom. 2. 2. à q. 81. vsque ad 100.

CONTINEBIT hæc Disputatio quæstiones sexdecim. PRIMA erit de ipsa Religionis virtute, & eius actibus generatim. SECVNDA, de Oratione, quæ est Religionis actus, sicut & alia, de quibus in aliquot sequentibus quæstionibus differendum est. TERTIA, de Adoratione. QVARTA, de Sacrificio, primitiis, & oblationibus. QVINTA, de Decimarum persolutione. SEXTA, de Voto. SEPTIMA, de Iuramento, & periurio. OCTAVA, de Adiuratione. NONA, de Dei laudatione. DECIMA, de Superstitione, & eius partibus generatim; quæ est vitium Religioni contrarium, sicut & ea quæ sequuntur. VNDECIMA, de Idololatria. DVODECIMA, de Diuinatione. DECIMATERTIA, de Superstitione vanarum artium & obseruantiarum. DECIMAQVARTA, de Tentatione Dei. DECIMAQVINTA, de Sacrilegio. DECIMASEXTA, de Simonia.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipsa Virtute Religionis, & eius actibus generatim.

D. Thomas 2. 2. quæst. 81. & 82.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, QVAENAM SIT RATIO & munus proprium Virtutis Religionis. Ex cuius rei explicatione quædam alia (vt videbimus) consequuntur, & facile intelligi possunt, quæ pertinent ad intelligendam penitus naturam huius Virtutis, & traduntur hîc in pluribus articulis à D. Thoma. SECVNDO, videndum est, quàm latè pateant huius Virtutis actus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sit ratio & munus virtutis Religionis.

D. Thomas q. 81. art. 1. & seq.

RELIGIO, ex sententia omniũ, virtus quædã moralis est, quæ hominẽ inclinat, vt Deo debitũ cultũ & honorem exhibeat, tanquã omnium Creatori & Domino. Cõgruit aũt cũ hac ratione Religionis ipsa notio vocabuli; siue nominetur Religio à *reeligendo*, seu à frequẽti electione eorũ, quæ ad Dei cultũ pertinẽt, vt ISIDORVS ait lib. 10. Etym. ca. 17. siue à *reeligendo* ipsum Deum, quem negligẽter per peccatum reieceramus, vt dicit S. AVGVSTINVS lib. 10. de ciu. Dei, cap. 4. siue à *religando* nos Deo, vt vult LACTANTIVS li. 4. diuin. instit. cap. 28. siue à *relegendo* & retractando omnia, quæ ad cultũ Dei pertinent, vt interpretatus est Cic. lib. 2. de natura Deorum. Ex omnib. namq; huiusmodi notionibus eius vocabuli, apparet, rectè à nobis Religionem descriptam esse per illum respectum ad Deum & ad cultum eius, vt fecit quoq; D. Thom. hîc ar. 1. & faciunt communiter alij Doctores omnes.

Porrò quod in ea descriptione Religionis posuimus eam esse *virtutem*; dubitari non potest, vt asserit etiam D. Thom. hîc art. 2. Nam actus eius, per quem cultus Deo exhibetur, bonus est: Virtus aũt secũdùm Philosophum. 2. Ethic. ca. 6. est, quæ *bonum facit habentem, & opus eius reddit bonũ*. Quòd aũt sit virtus *moralis*, patet ex eo, quòd est in voluntate, sicut & Iustitia, cui annexa & affinis est, iuxta ea, quæ diximus disputat. præced. q. vlt. p. 2. Quòd aũt addidimus, per eã *exhiberi cultũ & honorem* (seu reuerentiã) *Deo, etc.* pertinet ad propriam differentiam huius virtutis, per quã ab aliis virtutibus distinguitur.

Ex qua doctrina facilè intelligi possunt alia quædã, quæ de hac virtute rectè præterea tradit D. Tho. hîc q. 81. ab art. 3. vsq; ad 8. Nempe PRIMO Religionem esse *vnicam virtutem specie*: nam ratio formalis obiecti est vna, id est, cultus vnius Dei, quatenus est primum principium, &c. SECVNDO, esse *distinctam specie* ab omnibus aliis virtutibus, etiam per quas exhibetur reuerentia hominibus; quia respicit singulare cultum, debitũ supremæ excellentiæ diuinæ. TERTIO, *nõ esse virtutem Theologicam*. Nam non respicit immediatè Deum, vt obiectum, sicut virtutes Theologicæ, sed cultum & reuerentiã, quã quis exhibet Deo. QVARTO, esse *digniorem* omnibus aliis moralib. virtutibus, quandoquidem propinquius, quàm aliæ, respicit Deum, qui est vltimus finis, in quem omnia obiecta virtutũ moralium tandem referuntur; circa quã comparationẽ vide, quæ suprà disput. præced. q. 2. p. 5. diximus. QVINTO, habebere actus, tum *interiores*, vtpote quibus vel maximè veneramur Deum, tum etiam *exteriores*, per quos interiores excitentur. SEXTO, *Sanctitatem*, vt est peculiaris virtus, non distingui reipsa à Religione, de qua loquimur; sed eandem virtutem dici, & Religionem, vt exhibet cultum Deo, & sanctitatem, quatenus per actus eiusdem virtutis peculiariter pertinentes ad cultũ Dei, & alios etiam aliarum virtutum relatos ab eadem virtute in diuinum cultum, disponitur mens hominis, vt firmiter adhæreat Deo.

Cæterùm vt hæc tota doctrina illustretur, explicandum est, in quonam propriè consistat ille *cultus*, siue *honor diuinus*, quem dicimus per Religionem deferri Deo. Hic enim cultus, seu honor, seu reuerentia (indifferẽter enim hæc omnia vocabula accipiuntur in proposito pro eodem) est obiectum propriũ huius virtutis; quo bene perspecto, clarius intelliguntur ea omnia, quæ de natura huius virtutis breuiter hactenus tradidimus.

Sciendum igitur est, vocabulo cultus, siue honoris diuini in proposito, duplex obiectũ Religionis denotari: Alterũ materiale: Alterũ formale. Materiale obiectũ est, quoduis *officiũ* internũ aut externũ, cp à nobis geratur accõmodatè ad excitãdam de Deo in nobis aut in aliis talẽ existimationem, qualem re vera de diuina excellẽtia atq; Maiestate habere conueniat. Formale verò obiectum est ea ipsa *existimatio* propriè cõueniens excellẽtiæ atq; Maiestati diuinæ. Vtrũq; enim simul, scilicet officiũ aliquod accõmodatum ad conciliandam Deo talem existimationem, & eam ipsam existimationẽ impẽdimus Deo, quã do illum aliquo modo per Religionis virtutẽ veneramur; & proinde vtrumq; vocabulo cultus & honoris diuini denotatur; quamuis vnum tanquam materiale, & alterum vt formale, sicut est dictum.

Atq; esse hanc explicationẽ omnino verã, manifestè patet applicando *communem & genericam* rationem honoris & cultus, ad *specialem rationem* cultus & honoris *diuini*. Nam vt Honor, generatim loquendo, testimonium excellẽtiæ est, quod scilicet cõtinetur verbis aut factis, quæ de excellẽtia alicuius conuenientẽ illi opinionẽ gignant; sic etiam honor diuinus est quicquid verborum aut officiorum omnino accõmodatum est ad gignendam existimationẽ eiusmodi, quæ in dignam maiestatem propriè conueniat.

Hoc nõ solùm ex verissima doctrina Philosophi lib. 8. Ethic. cap. 8. quam omnes receperunt, sed etiam ex diuinis literis apparet; vt Tob. 12. Eccles. 43. Isai. 24. Ezech. 39. Daniel. 3. Aggæi 1. Matthæi 9. Luc. 2. & 23. Actor. 11. Roman. 15. & apud Psalmistam passim; in quibus locis ideo glorificatio & honoratio Dei cum eiusdem laudatione, & ampliſsimarum eius virtutum enarratione

passim

passim cõiungitur, quia nimirum omnis honor & cultus Deo exhibitus eò pertinet, vt illius bonitas maiestasq; mortalibus innotescat, & supremo loco habeatur. Atq; hæc causa est, cur ipse Deus sacrificio laudis præcipuè se honorari significet. Psal. 26. & 49. & aliâs; quia nimirũ accõmodatissimum illud est ad finem diuini honoris, nempe vt diuitiæ bonitatis Dei, hominib. notæ fiant; quod ipsũ meta est atq; scopus, omnium operum Dei mirabilium. Rom. 6. Ephes. 3. Philip. 1.

Itaq; existimatio vera de Dei maiestate, quidã quasi fœtus diuini honoris est. Quô fit, vt interdum hæc ipsa existimatio à causa suã mutuetur vocabulum, & honor Dei nominetur. Quanquã propriè *gloria Dei* potius dicenda est; quod non ex Scripturæ solùm phrasi colligitur, vbicunque pro eodem accipitur glorificare Deum, siue dare gloriam Deo, & testificari ipsius bonitatem, vt Psal. 21. & 85. Tob. 12. Ioan. 9. Act. 11. sed etiam ex ipsa ratione nominis apparet. Nam vt D. Augustinus tract. 100. in Ioannem, & lib. 83. quæstionum, quæstione 31. notauit, clarissimi latinæ linguæ auctores definierunt, gloriam esse *frequentem de aliquo famam cum laude*. Vnde & Apostolus 2. Cor. 6. per antithesim opposuit ignobilitati gloriam: *per gloriam*, inquit, *& ignobilitatem, &c.* quòd ignobilitas existimatio de aliquo obscura sit; gloria verò opinio clara. Quare quòd asserimus, diuinum honorẽ conciliare Deo conuenientẽ existimationẽ, tantundẽ valet, ac si diceremus, eo ipso honore conciliari gloriã Deo.

Atq; hanc esse causã arbitramur, cur adhibere Deo cultũ honoremq;, munus sit proprium virtutis Religionis, quæ pro scopo atq; obiecto habet Dei gloriã. Loquor autem de gloria Dei propriè. Nam solet aliâs sæpè ipsa perfectio atq; absolutio virtutũ Dei, nominari ipsius gloria; vt ad Rom. 9. Eph. 1. &c. quia nimirũ existimationẽ, atque adeò gloriam maximã iure sibi vẽdicat. Quæ proderit annotâsse, ne varius horum vocabulorum vsus obscuritatem huic doctrinæ afferat.

Ex qua doctrina sequitur *primò*, cultum & reuerentiam diuinã dupliciter sumi posse. Primò, pro *ipso actu*, quo colimus Deũ, & damus illi gloriam. Secũdò, pro ipsa *existimatione*, quam habemus de eius maiestate. Et hoc secundo modo accipitur cultus art. 5. vbi dicitur, Religionem versari circa cultum diuinum, vt materiam propriam, non verò primo modo.

Sequitur *secundò* omnino esse discrimen inter Religionẽ & virtutes Theologicas ex parte obiecti formalis. Nam hæ immediatè respiciunt *Deũ*, vt obiectũ suum: Religio aũt immediatè nõ Deũ, sed *existimationẽ* de Deo, quæ est in nobis aliquid creatum: quia tamẽ istam existimationem veluti damus Deo, ideo potest etiam Deus dici obiectũ Religionis *Cui*, non autem *Quod*; sicut hic notat art. 5. Caietan. 2. 15. Et hoc ipsum vult, cum dicit, Religionẽ immediatè respicere non Deum, sed nostram & nostra, id est, nostram opinionem de Deo, & mentem nostram, & quidquid sumus, vt totum ferimus acceptum Deo per actus Religionis, & ipsi etiam offerimus.

Nec obstat, quòd per eum quidem actum religionis, quæ est oratio, petimus ipsum Deum, id est, vt se nobis cõmunicet: nam etiam tunc ista oratio, vt est à virtute Religionis, respicit formaliter & immediatè gloriam Dei, quæ ex eo oritur, quod tanquã semper alioqui egẽtes petimus nobis id summũ bonum cõmunicari, quod est Deus. Licet fieri queat, vt simul spes & charitas, à qua talis actus orationis imperetur, respiciat tunc ipsum Deum formaliter & immediatè; atq; adeò vt ipsa oratio tendat in Deũ, vt est imperata à virtute Theologica, sicut bene notat art. 5. Caietan.

Ex quibus autem *notis*, & quomodo discernẽdum sit, num genus aliquod officij, quod honorandi causâ vsurpetur, pertineat propriè ad cultum diuinũ; explicabimus opportunè infrà q. 3. de Adoratione.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quàm latè pateant Actus Religionis.

D. Thom. q. 81. art. 7. & q. 82.

DVAS hac de re statuam assertiones indubitatas. PRIMA: *Remotè*, siue (vt dicitur) *imperatiuè* omnes actus aliarum omnium virtutũ possunt pertinere ad Religionem, quatenus omnes possunt parere Deo gloriam & existimationẽ. Probatur. Nam cùm homo est rectè affectus per Religionẽ erga gloriam & cultum Dei; facilè potest excitari ad exercendos actus aliarũ virtutum, qui eã gloriam Deo afferant. Nihil autem aliud est, actus aliarum virtutũ posse à Religione imperari. Et sic intelligitur, quod ait S. Iacobus ca. 1. Religionem veram esse *visitare pupillos, &c.* id est, imperatiuè.

SECVNDA assertio. *Proximè*, siue (vt dicitur) *elicitiuè* illi actus pertinent ad Religionẽ, qui peculiariter continent quandã subiectionem creaturæ erga Deum; ex qua statim oritur existimatio maiestatis Dei propria; & consequenter cultus & gloria. Cuiusmodi actus sunt oratio, oblationes, sacrificia, &c.

Quã verò latè pateant huiusmodi actus, hũc in modũ explico: Cũ virtutis Religionis munus sit, subiectionẽ hominis erga Deũ protestari, quatenus primũ principium est & Dominus omnium: iuxta diuersitatem eorum, quę Deo per Religionem subiiciuntur ab homine, diuersi sunt actus Religionis. Triplex autem est bonum ad hominem pertinens, quod per Religionem subiicitur Deo. PRIMVM est, bonum mentis *spirituale*: & hoc maximè subiicitur Deo per actus *deuotionis*, & *orationis*, qui propterea sunt potissimi. Atque etiam per actum *vouendi*, quatenus per eum quoque homo protestatur, se DEO

Universidad de Deusto
Biblioteca

velle inseruire firmiter, tanquam seruũ & inferiorẽ suo Domino. Itemq; per actũ *iurandi*, quatenus per Deũ homo iurat, tanquã per *maiorem sui*, vt inquit Apost. ad Heb. 6. Itemq; per *vsum Sacramentorum*, quatenus per eũ protestamur Deũ esse gratiæ auctorem, qua mẽtes nostras afficit, vt eas sibi magis magisq; subiiciat.

ALTERVM est, bonum externum *corporis*: & hoc subiicimus Deo per *exteriorem adorationem*, quæ proinde actus est Religionis. Talis est genuflexio, prostratio, &c.

TERTIVM est, bonum quoduis *externum* ad hominis dominium pertinens. Et hoc subiici potest tripliciter.

PRIMO, offerendo huiusmodi bona externa *immediatè ipsi* Deo, ita vt non cedant in alicuius hominis vsum, sed omnino Deo consecrentur, faciẽdo aliquid circa illa in Dei honorem, & recognitionem vniuersalis dominij & potestatis, quã ille habet super omnia. Et sic offerimus Deo bona externa per *Sacrificia*, quæ etiam sunt actus Religionis.

SECVNDO, offerendo illa Deo *mediatè*; videlicet dando illa Dei ministris, quatenus Dei locũ tenent, & mediatores quodammodo sunt Dei & hominum, in quorum vsus cedãt, & per quos dispensentur, sicut fuerit expediens. Et sic offerũtur Deo bona externa per *oblationes & primitias*: quæ proinde sunt etiam actus Religionis, quatenus reddẽtes Deo in suis ministris illa, *quæ de manu ipsius accepimus* (1. Paral. vlt.) parimus illi gloriam & honorem.

TERTIO, offerendo hæc bona Deo adhuc *magis mediatè*, videlicet conferẽdo illa Dei ministris non immediatè respiciendo Dei gloriã & honorẽ; sed vt satisfiat obligationi, qua populus tenetur alere spirituales ministros. Ex quo etiã redũdat ad Deum gloria. Et sic subiiciuntur bona externa Deo per *Decimarum* solutionem.

Et quoniam hæc Decimarũ solutio, non tantũ habet ex eo laudem, quòd affert gloriã Deo, sed etiam ex eo, quòd satisfacit obligationi alẽdi ministros; non solùm pertinet elicitiuè ad virtutem Religionis, sed etiã ad eam virtutem, ex qua tenemur alere ministros spirituales: quæ diuersis rationibus est tum iustitia cõmutatiua, tum virtus Gratitudinis, vt docuimus disput. præced. q. 7. p. 2. Quanquã vt spectat quoq; hęc solutio Decimarum ad Iustitiam & Gratitudinem, pertinet etiam peculiari ratione *imperatiuè* ad Religionẽ, cuius nimirum est diuinum cultum procurare, atq; adeò inprimis imperare eos actus aliarũ virtutum, quæ maximè pertinent ad hoc, vt cultus diuinus commodè & decenter Deo tribuatur, cuiusmodi actus est inprimis alere spirituales ministros.

Porro de iis omnibus actibus Religionis (excepto vsu Sacramentorum, de quo per aliã occasionem alibi disseritur) disputat in hac materia D. Thom. Cui, quod ad actum DEVOTIONIS attinet, de quo disserit q. 81. nihil necesse est addere, præsertim cùm quænam sit ratio & vis Deuotionis, non tam vtiliter per doctrinam, quàm per experientiam percipiatur, cùm diuinæ Maiestati placet animum hominis sua gratia imbuere. Summa autem hæc est.

PRIMO, Deuotionem esse actum voluntatis, quo quis promptè vult exequi omnia, quæ pertinent ad Dei seruitiũ: atq; sic totum se tradit cultui diuino. Vbi notat Caietanus ar. 1. istum actum voluntatis versari circa vltimũ finem, qui est Deus, *non formaliter & in se*, sed vt solet finis virtute contineri in *mediis aptis* ad consequẽdum ipsum. Potest etiam dici, Deuotionem, vt est actus voluntatis, esse electionem omnium mediorum in genere ad finẽ vltimum consequendũ. Et in idem hoc redit. Re enim ipsa idem est, velle finem vt virtute cõtinetur in mediis, & eligere media suo tempore exercenda.

SECVNDO, esse actũ virtutis Religionis. Nam respicit cultum Dei, qui maximè cernitur in omnibus, quæ pertinent ad Dei famulatum.

TERTIO, causam Deuotionis extrinsecam & præcipuam esse Deum; intrinsecam aũt esse tum maximè quidem contemplationẽ diuinæ bonitatis & beneficiorum, quibus Deus nos afficit; tũ etiam considerationem propriorum defectuum ex qua cognoscit homo, maximè oportere Deo niti. Vbi Caietanus in art. 3. optimè persequitur beneficia Dei, & defectus hominis proprios, qui sunt cõsiderandi: negatq; eum dignũ esse religioni aut spiritualis nomine, qui quotidie saltẽ semel huiusmodi nõ meditetur. Atq; ibidẽ in resp. ad 3. pulchrè declarat D. Tho. quomodo si scientia, & quicquid est magnum, Deo perfectè subiiciatur, potius promouebit, quàm impediet Deuotionẽ.

QVARTO, effectum præcipuũ Deuotionis esse lętitiam spiritualem, quæ oritur ex contẽplatione diuinæ bonitatis, à qua præcipuè venit Deuotio; quanquã secundariò etiam tristitia quædam inde sequatur, eo quòd quis nondũ fruitur Deo. Ex quibus patet, aliud esse *Deuotionem propriè*, aliud *Sensum illum* spiritualis iucunditatis, quem interdum pij sentiũt, cùm Deus illum impertitur.

De aliis autem Religionis actibus, quos enumerauimus, disserendum est in quæstionibus sequentibus. Sed supereſt tamen, vt respondeamus hic breuiter ad duo argumenta, quæ occurrunt contra duas illas assertiones, quas de varietate actuum Religionis initio statuimus.

PRIMVM est contra assertionẽ primam de actib. Religionis imperatis. Nam secundũ S. Tho. ar. 1. ad 1. virtutis superioris est imperare inferioribus: Sed Religio non est superior virtutib. omnibus, saltem Theologicis: Ergo falsum est, quod asseruimus, *imperatiuè* omnes actus aliarum virtutum posse ad illam pertinere.

RESPONDEO, virtuti quidem superiori conuenire, vt imperet; sed non soli, vt bene notat Caietanus art. 8. hîc. Et patet: nam posset quis vouere actum aliquem fidei aut charitatis, idque in gloriam Dei. Quo casu Religio imperaret virtutibus Theologicis. Vnde sanctus Thomas articulo octauo, simpliciter dicit, sanctitatem, quæ est Religio ipsa, omnibus virtutibus imperare. Et sanctus Paulus cùm omnia iuber in gloriam Dei fieri, quam respicit formaliter Religio: innuere videtur, omnes virtutes imperari à Religione. Deniq; cùm vnam virtutem imperare alij, nihil aliud sit, quàm hominem ex affectu, quem habet ad obiectum vnius virtutis, excitari ad aliam virtutem, ob mutuam connexionem omnium virtutum inter se; satis constat, non esse absurdum, inferiorem virtutem superiori imperare.

SECVNDVM argumentum est cõtra assertionem secundam, quam posuimus de actibus Religionis elicitis. Nam aliqui sunt actus peculiariter continentes subiectionem creaturæ erga Deum, qui eliciuntur ab aliis potentiis distinctis à voluntate, in qua est Religio. Ergo falsò dictum est, omnes tales actus pertinere elicitiuè ad Religionem. Antecedens patet in actu orationis, qui, vt infrà patebit, est actus intellectus essentialiter; & in actibus exteriorib. qui eliciũtur à potentia *executiua*. Consequentia verò probatur. Non enim videtur posse fieri, vt virtus aliqua eliciat actum, qui non eliciatur à potentia, in qua virtus ipsa est.

RESPONDEO. In materia *morali* ad illam virtutem dicitur actus elicitiuè pertinere, à qua sola homo inclinatur, vt talem actum exerceat; siue exerceat eum per potentiam, in qua est ipsa virtus, siue per aliam. Quamuis *Physicè* loquendo, verum est, habitum non concurrere ad productionem actus, nisi is producatur ab ea potentia, in qua habitus inest. Itaque, quoniam ad orationem & actus alios exteriores, vt continent quidem subiectionem erga Deum, non mouetur quis, nisi à virtute Religionis; omnes eiusmodi actus rectè dicuntur esse elicitiuè à Religione existente in voluntate; per quamcunque demum potentiam eliciantur eiusmodi actus. Et ob hanc ipsam rationem, actus exteriores in omni materia virtutis & vitij dicũtur moraliter *elicitiuè pertinere* ad virtutem vel vitium; tametsi nõ exerceantur immediatè per potentiam ipsam in qua est virtus vel vitium; sed per potentiam exequutiuam. Ita notat & bene Caietanus hîc quæstione octogesima prima, articulo quarto.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Oratione.

D. Thomas 2. 2. quæst. 83.

EXPLICANDA SVNT DECEM. PRIMO, QVID SIT ORATIO. SECVNDO, Quotuplex sit. TERTIO, An sit necessaria. QVARTO, An & quatenus sit efficax. QVINTO, Quid per eam petendum sit. SEXTO, Quinam debeant orare. SEPTIMO, Quisnam orandus sit. OCTAVO, Pro quibus orandum sit. NONO, Quomodo orandum sit, seu qualisnam oratio esse debeat. DECIMO, An sit conueniens ille etiam modus orandi peculiaris, qui per horas Canonicas vsurpatur à personis Ecclesiasticis.

Scripserunt autem de Oratione ex Patribus, Tertullianus librum vnum. Cyprianus expositionem Orationis Dominicæ. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 5. Mystagog. Gregorius Nyssenus homilias quinque. Chrysostomus de orando Deum, librum vnum tomo 5. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 4. & seq. & epist. 121. ad Probam. Cassianus de Canonico orationum & psalmorum modo libros tres, & alij in caput sextum Matthæi. Item Scholastici Theologi in 4. distinct. 15. & exrecentioribus Ioannes Medina in Codice de pœnit. Tract. at. 6. & Sotus lib. 10. de Iustitia, quæstione 5. & Nauarrus in Commentario de Oratione & horis Canonicis, & in Manuali, capite 25. & Theodorus Peltanus in Tractat. de tribus operibus satisfactoriis, & Robertus Bellarminus tomo tertio Controuersiarum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Oratio.

D. Thomas art. 1. & 3.

EX CONDITIONIBVS quidem seu proprietatibus, quas Orationē habere conuenit, variæ possunt ac solēt descriptiones Orationis duci & assignari; quæ tamē non propriè explicant essentiam eius. Vt si dicamus, Orationem esse *vnionem cum Deo*, quia par est, vt ex charitate, qua cū Deo cōiungimur, proficiscatur: Dicente S. DIONYSIO, cap. 3. de diuin. nom. *Ante omnia opus est ab oratione incipere, sicut Deo nos ipsos tradentes & vnientes.* Item si dicamus cū S. Ioan. DAMASCENO lib. 3. fid. Orthodoxæ, cap. 24. orationem esse *ascensum mentis in Deum*; quia conuenit, vt orantis animus terrenis omnibus rebus excelsior sit, & ad Deū attollatur. Aut si in eandem sententiam dicamus cum AVGVSTINO ser. 230. de tempore: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, Inquisitio supernorū, inuisibilium desiderium.* Aut cum CHRYSOSTOMO homil. 30. in Gen. *Oratio colloquium est cum Deo. Quod, vt scias,* inquit, *audi Prophetam dicentem: Iucundum sit ei colloquium meum, Psal. 103.* Cuius generis & alias descriptiones refert Medina q. 1. de Oratione.

Si aūt essentiam Orationis explicare velimus, optima videtur esse illa ipsius definitio, quā S. Damascenus vbi suprà tradit, cùm ait: *Oratio est petitio decentium à Deo.* Quæ ipsa orationis definitio aliquanto etiam explicatius tradita fuit antè à S. BASILIO hom. 5. de variis, quæ est in Martyrem Iulitam; vbi dixit: *Oratio est boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.* Non. n. qualiscunq; petitio, etiam à Deo, est oratio de qua loquimur, sed ea quæ procedat ab animo aliquo modo erga Deum pio, iuxta ea quæ infrà suis locis trademus. Sed qualisnam actus sit *petitio*, declarandum nunc est, vt hæc orationis descriptio penitus intelligatur.

Est autem petitio, vt rectè docent D. Thom. & Caiet. hic ar. 1. actus rationis practicæ, quo quis ordinat seu decernit aliquid per alium faciendū, non id imperando, sed ad id *inducēdo*, & quasi *disponendo alium*; indicando ei nimirum proprium desiderium.

Vnde sicut actus rationis practicæ, qui est propriè imperiū, habet cōiunctum actū voluntatis, quo præcipiens velit fieri, quod præcipit: ita etiā is actus rationis practicę, qui est petitio & oratio, habet actum voluntatis adiunctum, quo quis verè cupiat ab altero fieri id, quod petit.

Atq; hinc patere potest, forsitan esse quæstionē de nomine tantùm, cùm quæritur, Vternam potius actus essentialiter sit oratio, hic ne voluntatis; an ille alter rationis & intellectus practici. Oēs namq; concedunt, requiri & concurrere ad orationē vtrumq; actum, ita vt si tantū quis cupiat habere vel cōsequi aliquid, nondū verò petat; vel si tantùm petat, sed reuera cōsequi non velit, minimè sit aut dicatur oratio. Sed cōtrouersia in eo solū videtur esse, vter potius actus ex his duobus sit dicendus oratio. Itaq; videtur quæstio solùm de nomine.

Et quidem Ioan. Medina vbi suprà, secutus nescio quos nominales, cōtendit Orationē esse potius actū voluntatis. Sed sine firmo fundamento. Probabilior enim est opinio S. Tho. & Caiet. & aliorū, qui censent, orationē essentialiter esse actū intellectus practici, adiuncto tamen actu voluntatis, vt diximus. Probatur. Nam donec quis per actum illum intellectus petat, etiamsi cupiat aliquid habere, nōdum dicitur essentialiter orare, sed cùm primùm petit. Sicut etiam non dicitur præcipere is, qui cupit aliquid fieri per famulum, donec illi id intimet per actum intellectus. Quāquā posset etiā sine incommodo dici, orationis vocabulo vtrumq; actum adæquatè significari.

Porro ex hac orationis descriptione satis intelligitur, Orationē esse actū proprium creaturæ rationalis, vt facilè docet D. Tho. ar. 10. Nam sola creatura rationalis habet & *superiorē* se, quē oret; & *Rationem seu mentem*, qua oret. Itaq; nec brutis, neq; vlli personæ diuinæ secundùm diuinitatem, conuenit orare. Quamuis contrarium de personā filij secundùm diuinitatē, itemq; de Spiritu S. senserunt aliqui hæretici, tum veteres, tum recētiores, quos memoraui & confutaui tom. 1. q. 1. de Trinit. p. 1. §. 8. & seq. & §. 25. Vbi ex D. AVGVSTINO lib. 1. contra Max. diximus, Spiritum sanctum dici *postulare pro nobis*, (Rom. 8.) quia facit nos postulare.

Item intelligitur ex dictis, orationē esse omnino actum Religionis, vt idem D. Tho. asserit ar. 3. Nam hoc ipso, quod Deum oramus, profitemur nos ipso maximè indigere, vt principio & auctore nostro; in quo maximè exhibemus ei cultū & honorem, quod est munus virtutis Religionis.

Sed contra hoc ipsum occurrunt argumenta tria. PRIMVM argumentum: Oratio est actus rationis practicæ, habens pro obiecto *agibile*. Ergo potius est actus Prudentiæ, quàm Religionis. Antecedens patet ex dictis p. 1. Cōsequentia probatur. Nam prudentia est virtus, quæ versatur circa omne agibile.

SECVNDVM argumentum. Actus Religionis habent pro obiecto cultum siue gloriam diuinā, vt declaratum est quæst. 1. p. 1. Sed sæpè Oratio non habet tale obiectum, cùm sæpenumerò quis orans, non recordetur gloriæ aut cultus diuini. Ergo oratio non est actus Religionis. Nam actus alicuius virtutis non potest non respicere obiectum illius virtutis.

TERTIVM

TERTIVM argumentum: Si oratio verè est actus Religionis, exhibens cultū Deo; quęro, quisnam sit iste cultus, quem exhibemus Deo per orationē. Vel enim nihil aliud est, quàm ipsemet actus orationis, vt est quędam subiectio erga Deum. Et hoc non est satis. Nam oportet assignare aliquem cultum exhibitum per orationem, qui se habeat obiectiuè ad ipsum actum orationis: alioqui oratio non erit actus Religionis. Constat autem, actum orationis non habere se obiectiuè ad seipsum. Vel est æstimatio aliqua, quam ipse orans habet de potentia aut bonitate diuina. Et hæc potius videtur se habere vt quoddā orationis principium, ex quo ipsa proficiscitur, quàm vt obiectum ipsius. Vel est deniq; æstimatio eius de eadem potentia diuina, quæ sequatur in intellectu aliorum, ex eo, quòd Deus oratione inuocatur. Et tunc obstat, quod hæc æstimatio non semper sequitur, vt patet, cū oratio fit priuatim. Non potest igitur aliquid assignari, quòd sit cultus diuinus obiectiuè se habens ad actum orationis: & proinde non erit ea actus Religionis.

Ad PRIMVM respondetur, prudentiam versari quidem circa agibile, non tamen quoduis, sed ad quod afferat per imperiū quādam obligationem seu necessitatē; siue illud agibile sit mandādum executioni per ipsum imperantē siue per aliū. Oratio aūt non sic versatur circa agibile; sed tātùm dispositiuè ad illud *inducendo* superiorem vel æqualē; vt docuit S. Tho. ar. 1. Quanquā fatendum est, prudentiā etiam posse adferre necessitatē circa id agibile, quod est ipsemet actus orationis, imperando videlicet virtuti Religionis, sicut imperat reliquis virtutibus.

Ad SECVNDVM respondeo, inprimis nō videri negandum, quin etiā tunc, cùm quis orat obliti⁹ diuinæ gloriæ, illa oratio sit actus Religionis. Nam etiā tunc oratio est actus bonus, & non alicui⁹ alterius virtutis. Ergo Religionis. Antecedēs probatur. Nam durum esset, tūc talem actū tanquā malum & nō bonū damnare. Consequentia etiam probatur. Nam vt docuit S. Tho. suprà q. 81. art. 3. omnis actus bonus pertinet ad aliquam virtutem. Deinde dico, falsam esse argumenti Minorem. Nec obliuio gloriæ diuinæ inter orandū obstat. Nam vt oratio sit actus Religionis (sicut & quilibet alius Religionis actus) satis est, quòd actus orationis, quantum est ex se, respiciat gloriam diuinā; ita, vt si quis recordaretur, per illum posset excitari ad recognoscēdam diuinam Maiestatē, atq; adeò ad retribuendā Deo gloriam.

Vnde ad TERTIVM argumētum respondeo, cultum diuinum habentē se obiectiuè ad actum orationis, esse diuinam gloriam, hoc est, æstimationem de diuina Maiestate, quæ in ipso orante, & in aliis, vel actu excitatur per orationē, vel potest excitari ex ipsa natura actus. Præsertim postquam res petita fuerit impetrata, iuxta illud Psal. 49. *Inuocame in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.*

Itaq; intelligendum est, virtutem Religionis nō solū inclinare ad actus, qui reipsa pariūt gloriam & æstimationem Deo, sed etiā qui possunt suapte natura parere, si homo aduertat. Atq; hoc modo semper verum est, quod docet D. Thom. suprà q. 81. ar. 5. esse aliquem cultum diuinum, qui obiectiuè se habeat ad cultū consistentē in ipso actu Religionis. Et ità sit mediū quid inter Deum, ad quē dirigitur oratio, & actū Religionis: id quod oportet omnino dicere, ad explicādum, Religionem non esse virtutē Theologicam, quæ immediatè habeat pro obiecto Deum, sed habere in omnibus suis actibus pro obiecto aliquid aliud, videlicet Dei cultum siue gloriam.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Oratio.

D. Thom. art. 12. & 17.

DIPLICITER Oratio diuidi solet. PRIMO ex parte eius, *qui orat.* Hinc diuiditur in Orationem *communem*, quæ scilicet fit ab Ecclesię ministro, nomine totius fidelis populi; & Orationem *particularem*, quæ scilicet fit ab vnoquoq; priuatim pro se vel alio. Ac de oratione illa cōmuni orthodoxè illud in lib. de Eccles. iast. dogm. cap. 30. scriptum est: *Cum sanctarum plebium præsules demandata sibi legatione funguntur apud diuinam clementiam, humani generis agunt causam, & totæ secum Ecclesia congemiscente postulant & precantur, &c.*

SECVNDO ex parte *actus*, in quo Oratio consistit. Hinc diuiditur in orationem *mentalem*, cùm solùm interno mentis actu fit; & *Vocalem*, cùm interior ille mentis actus voce atq; verbis explicatur. Atque vtriusque orationis mentalis & vocalis extant exempla in Scriptura. Vocalis, Psal. 141. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.* Mentalis, Psal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea.* Et 1. Reg. 1. de Anna. *Loquebatur in corde suo, tantumq; labia mouebantur, & vox penitus non audiebatur, &c.*

TERTIO ex parte *circumstantiarum* actus, in quo Oratio cōsistit. Hinc diuiditur Oratio in *obsecrationem & orationem* peculiariter sic dictam, & *postulationem, & gratiarum actionem*, iuxta illud Apostoli 1. ad Tim. 2. *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Nam vt probabiliter explicat D. Thom. hic ar. 17. *obsecratio* ex Apostoli sententia eo loco est *oratio*, qua petitur à Deo quidpiam proposita ratione aliqua, ducta ex sacra re quapiam, ob quā sit impetrandū, quod petitur: vt ex diuina bonitate, aut ex passione Christi, &c. *Oratio* aūt ibi dicitur ipse actus orādi, vt habet adiunctū ascensum quendā mentis ad Deum. *Postulatio* autem idem actus, vt est petitio huius vel illius beneficij. *Gratiarum aūt actio* quasi quædā quoq; oratio est, quatenus petitionē beneficij tū antecedere, tum sequi debet, pro beneficiis antea ac

ceptis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceptis. Atque ita omnia ista quatuor, cùm simul omnia concurrũt, sunt veluti quædam partes orationis, non re, sed ratione distinctæ inter se, & ab ipsa Oratione, excepta gratiarũ actione, quæ re quoq; ab ea distinguitur.

Congruit autem cum hac D. Thom. interpretatione interpretatio, quam adhibuit eidem loco sanctus AVGVSTINVS epistola 49. ad Paulinum, q. 5. de eodem Apostoli loco. Vbi Augustinus ait, Apostolum cõmendasse eo loco sub nomine *obsecrationum* orationes eas, quas in celebratione Sacramentorum (quã ibidem quoque *oblationem altaris* appellat) solet Ecclesia præmittere ante consecrationem; in quibus nimirum fit obsecratio frequens per Christum & alias res sacras, quæ lectione Scripturarum tunc cõmemorantur. Sub nomine autem *orationum* (προσευχὰς, quo vocabulo ait non adorationes, vt malè quidam voluerunt, sed orationes intelligi debere) commendasse ibi Apostolum orationes eas, quæ fiunt sub ipsam consecrationem; quæ nimirum vel maximè coniunctam habere debent eleuationem mentis ad Deum. Sub nomine autem *postulationum* commendasse eas orationes, quæ fiunt pro fidelibus, cùm benedicuntur, & pro eis petuntur beneficia diuina; quod fit maximè post consecrationem & communionem. *Quibus*, inquit, *peractis, et participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta cõcludit; quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apostolus.*

Interpretatus est etiã aliter eum Apostoli locũ Cassianus collat. 9. cap. 11. 12. & 13. ita scilicet, vt obsecratio sit *interpellatio* pro peccatis, oratio aũt *votum*; postulatio, oratio *pro aliis*. Sed huic interpretationi præfert D. Thom. priorem illam, pro qua citat Glossam ordinariam. Sanctus autem CHRYSOSTOMVS hom. 6. in epist. 1. ad Tim. pro eodem videtur omnia illa tria vocabula accipere; quib. scilicet omnibus Apostolus vsus fuerit ad magis cõmendandũ officium orationis pro omnib. Sed omnino est consentanea illa Augustini interpretatio. Qualis autem debeat esse oratio; an scilicet oporteat illam esse semper vocalem; & quo pacto ab Ecclesię ministris instituenda sit, &c. infrà explicabimus suis locis, nempe p. 8. 9. & 10.

PVNCTVM TERTIVM.

An Oratio sit necessaria.

D. Thomas art. 2.

AN quæstione de vtilitate atq; necessitate orationis, vitãdi sunt inprimis tres errores. PRIMVS fuit Massilianorum, vt refert Damascenus hæresi 80. & nominatim cuiusdam Adelphi ex eadem hæresi Massilianorum, vt constat ex hist. trip. lib. 7. c. 11. qui vsq; adeò multum tribuebant orationi, vt affererent, illam solam satis esse ad salutem consequendam, etiam sine Baptismo. Qui error absurdissimus est; cùm constet, etiam alia bona opera ad salutem esse necessaria, vt tom. 2. disput. 1. q. 5. & disput. 7. q. 6. vidimus, & maximè etiam Baptismum, vt trademus suo loco in 4. tom. Deo volente.

SECVNDVS error extremus fuit aliorum, negantium esse vel necessariam, vel vtilem orationem. Hi fuerunt Pelagiani, qui sufficientem vim naturæ hominis tribuentes ad salutem consequendam & media ad illam, negauerunt opus esse oratione, vt refert S. AVGVSTINVS hær. 88. & epist. 106. Qui error antiquissimus esse videtur. Nam Ecclesiast. 16. legimus: *Non exoraauerunt pro peccatis suis antiqui gigãtes, qui destructi sunt confidẽtes suæ virtuti.* Ac simile aliquid videtur tribuere Origenis discipulis EPIPHANIVS in epist. ad Ioan. Hierosolym. quæ est 60. inter Hieron. epistolas. *Audent*, inquit, *magis inbere Deo, & non ab eo vel orare vel discere veritatem.* Item negauerũt hoc idẽ Albigen. vt refert Bernard. de Luzemburgo: qui prouidentiã diuinam sustulerũt. Et aliqui etiam admittentes prouidentiam, sed asserentes illam imponere absolutã necessitatem rebus, vt refert D. Tho. hìc. Et Ioan. VViclephapud VValden. tomo 3. cap. 1. vbi ex libello VViclephi de Oratione hæc eius verba refert: *Deus*, inquit, *est auctor realis, qui nõ requirit vocem vel cogitationem, sed omnino vitam suæ Iustitiæ complacentem.*

Lutherus tamẽ quamuis in eodẽ fundamento cum VViclepho aliquando cõuenerit (quod scilicet diuina prouidentia imponat necessitatẽ rebus) admisit tamẽ orationes. Neq; est sanè ex eo fundamento necessariò consequens, vt hæ reiiciantur, quicquid dicat Alphonsus de Castro, V. Oratio, hær. 3. Quãuis n. aliquis ponat prouidentiam diuinam necessitatẽ rebus inferre, tamẽ si admittat simul diuinã prouidẽtiam prouidere effectus aliquos mediãtib. causis secundis, tãetsi necessariò agentib. bene potest absq; repugnantia admittere, orationes etiã esse necessarias; ponendo eas videlicet in numero causarũ secundarum necessariarum ad effectus. Vnde multò stolidior fuit VViclephus, ex eo fundamento, vt refert vbi suprà VValden. consequenter negans necessitatem orationis. Non enim id est consequens.

Fatendum est tamen, si diuina prouidẽtia necessitatẽ imponat; sequi in oratiõib. nullam esse vtilitatẽ, quod ad meritum quidem attinet. Nam tunc non esset oratio actus liber. Et sic potest intelligi D. Tho. hìc ar. 2. quãdo ex necessitate prouidentiæ dicit tolli vtilitatem orationis.

Non est tamẽ prætereundũ, quòd etsi Lutherus ex instituto quidẽ nõ negauerit necessitatẽ orationis; tamẽ alicubi adeò extulit solã fidem, & cognitionẽ proprię infirmitatis, vt non obscurè indicauerit, habẽti fidẽ non esse necessariã vllam orationẽ. Nam in Cõcione de Dom. 4. Aduent. per Bucer. ãno 1525. latinè reddita, sic dixit: *Cor quodlibet quanto hanc sui cognitionẽ habuerit perfectiorem, tanto ad illud Domino via paratior & instructior est: etiamsi*

etiamsi interim homo nihil nisi vinum Creticum biberet, & ambularet super rosas, NEQVE VERBO quidem ORARET. Et in libro de libertate Christiana: *Clarum est*, inquit, *homini Christiano suam fidem sufficere pro OMNIBVS, neq; operibus ei opus fore.* Vbi nullum bonum opus excipit, atque adeo neque Orationem.

TERTIVS error est aliorum, requirentium quidem orationes, sed tamen ad flectendam & mutandam prouidentiam diuinam, hoc est, vt Deus non faciat id, quod ab æterno statuit se facturum. Huius erroris meminit D. Thomas hìc articulo 2.

Fides autem Catholica, mediâ via incedit, requirens quidem orationem, vt patet Lucæ 18. 1. Cor. 5. & Iacob. 5. sed non solam: Item non ad flectendam aut immutandam prouidentiam diuinam, sed potius ad *adimplendam*, hoc est, vt fiat illud, quod ab æterno non aliter statuit Deus se facturum, nisi propter orationes nostras, quas ab æterno præuidit.

Et quidem quòd Oratio sit *necessaria*, tam est compertum ex diuinis Scripturis, vt vix videatur probatione huius rei opus esse. Clarissima namque sunt hæc testimonia, Matth. 6. *Sic vos orabitis: Pater noster, &c.* Et cap. 7. *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Et cap. 26. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Et Lucæ 18. *Oportet semper orare* (quod quemadmodum debeat intelligi, explicabimus punct. 8.) Et ad Rom. 12. *Orationi instantes.* Et ad Ephes. 6. *Galeam salutis assumite per omnem orationem & obsecrationem, orantes, &c.* Et ad Colossi. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea.* Et 1. ad Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* Et Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.*

Sancti etiam Patres passim sentiunt, Orationem æquè esse necessariam, atque bonam & sanctam vitam, neque hæc ab inuicem seiungi posse aut debere. Qua de re præclarè S. CYPRIANVS in expositione orationis Dominicę, sub initium: *Qui fecit*, inquit, *viuere, docuit & orare, benignitate ea, qua scilicet & cætera dare & conferre dignatus est: vt dum prece et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur.*

Et S. CHRYSOSTOMVS libro 1. de orando Deum: *Quemadmodum*, inquit, *corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profectò mortuum est ac fœtidum: sic anima nisi se ipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera, ac grauiter olens.*

Et S. AVGVSTINVS in Psalm. 118. cõcione 17. circa illud: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Cui*, inquit, *propitius Deus inspirat boni delectationem; atq; vt apertiùs id explicem, cui donatur à Deo charitas Dei; & propter Deum charitas proximi: profectò instanter orare debet, quò tantum sibi augeatur hoc donum, vt non solùm pro illo contemnat delectationes cæteras, sed etiam quaslibet perferat passiones.*

Et S. GREGORIVS lib. 18. Moral. cap. 3. perpendens illud Thren. 3. *Leuemus corda cum manibus. Corda*, inquit, *cum manibus leuant, qui orationem suam operibus roborant. Nam quisquis orat, sed operari desinit, cor tantùm leuat. Quisquis verò operatur, & non orat, manus leuat, & cor non leuat.* Et lib. 9. Moral. cap. 14. exponens illud Iob 9. *Etiamsi habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Prece*, inquit, *posit iustitiam indiget, vt quæ succumbere discussa poterat, ex sola Iudicis pietate conualescat, &c. Precii itaq; innitendum est, cùm recta agimus, vt omne quod iuste viuimus, ex humilitate condiamus.* Similia passim alij.

Quòd autem Oratio non ita vtilis & necessaria sit, vt sola sufficiat; ex dictis tomo 2. vbi suprà patet. Item quòd non, vt immutetur, sed vt impleatur potiùs prouidentia diuina, necessaria sit; patet ex iis, quæ tomo primo disseruimus de præscientia, prouidentia, & prædestinatione diuina.

Quam rem explicat & confirmat pulchrè sanctus PROSPER lib. 2. de vocatione Gentium, capite vltimo, testimonio Tobiæ, cap. 6. qui pro impetranda sanitate sua & vxoris, quam Deus ab æterno eis impertiri decreuerat, iussus est ab Angelo orare: *Cum cæperis*, inquit ad Tobiam Angelus, *esse cum illa, surgite primùm ambo, & deprecamini Dominum cæli, vt detur vobis misericordia & sanitas: & nolite timere. Tibi enim destinata est ante sæcula, & tu eam sanabis. Quamuis ergo* (inquit Prosper) *quod statuit Deus, nulla posit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instãtiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.*

Itaque maneat, Orationem ex diuino præcepto esse necessariam; quandoquidem ex allatis testimoniis constat, esse eam necessariam ad salutem, & omnis actus ad salutem necessarius; est quoque necessarius ex diuino præcepto, vt habet certissimum Theologorum axioma.

Quod autẽ voluit VViclephus, orationis nomine in Scriptura non nisi bonorum operum studium commendari; absurdissimum est. Nam tunc perperam D. Paulus 1. Cor. 7. suaderet coniugibus, vt abstineãt ab vsu matrimonij propter orationem ad tempus. Si enim oratio nihil aliud est, quàm bonum opus; dando operam cõiugio, daret etiam quis operam orationi; quandoquidẽ illud etiam est bonum opus. Quomodo autem peculiariter sit necessaria oratio ad impetranda auxilia necessaria ad perseuerandum, docuimus tomo 2. quæst. 1. de Gratia.

Sed quæret aliquis, quando nam obliget istud orationis præceptum? Respondeo illud obligare tempore *necessitatis*, vt omnia alia præcepta affirmatiua. Vt cùm quis sentit grauem & periculosam tentationẽ: cùm est aliquod opus arduum & periculosum aggressurus. Et denique quan-

docunque debet se ad gratiam recipiendam disponere, vt vitet & expellat peccata. Ita Medina quæst. 11. de Oratione, & Sylvester, Verbo Oratio, num. 8.

Ex quo sequitur, eum, qui longo tempore nō orauit; aliquādo peccauisse mortaliter, omittendo orationē. Patet: quia longo tēpore, moraliter loquendo, incidunt grauissimæ tentationes. Ad quas repellēdas oportet ex præcepto orare. Quāquam illi quidem, qui timoratę sunt conscientię, rarò in hoc genere peccabūt. Nam tales frequēter orant, licet ipsi fortè non recordentur, nec aduertant se ad id interdum teneri.

Sed neq; peccabitur per omissionē orationis, nisi quis tempore, quo oporteat orare, aduertat vel aduertere possit ex præcedenti aliqua præcognitione, siue aduertentia, quòd necesse tunc sit orare. Nam alioqui si quis inuincibiliter tūc obliuiscitur orationis, non erit libera eius omissio; & consequenter neq; erit peccatum, vt patet ex iis, quæ de vsu libertatis humanæ tradidimus tomo 2. disput. 2. q. 1. punct. 6. circa finem,

PVNCTVM QVARTVM.

An & quatenus Oratio sit efficax.

D. Thomas art. 15.

PONAM hac de re tres assertiones. PRIMA: Oratio præter consolationem spiritualem, quam menti affert; triplicem virtutem siue efficaciam ratione saltem distinctam habet, si vndequaque sit talis, qualis esse debet: scilicet *merendi*, *satisfaciendi*, & *impetrandi*. In hac assertione omnes Orthodoxi consentiunt: Quam ita confirmo & explico.

Bonus aliquis actus eatenus maximè habet virtutem & efficaciam aliquam, quatenus nititur promissione Dei pollicentis homini quidpiam propter talem actum, si hanc vel illam conditionem seu perfectionem habeat. Sed si orationis actus vndequaq; sit talis, qualem esse cōuenit, habet triplicem conditionem; ob quarum primam ex diuina promissione datur à Deo aliquid, propter bonum actum tanquam propter *meritum*; & ob secundam aliquid etiam tanquam propter *satisfactionem*; & ob tertiam aliquid etiam tanquā propter *impetrationem*. Ergo omnem hanc triplicem virtutem & efficaciam, scilicet merendi, satisfaciendi, & impetrandi, habet actus orationis, si sit talis, qualem esse conuenit.

Probatur & explicatur Minor. Nam tres esse solent conditiones eiusmodi, ob quarum quamlibet, si in bono actu reperiatur, Deus aliquid promisit. Prima est, si *ex gratia* viatoris procedat. Altera, si actus ex tali gratia procedens sit *pœnalis*. Tertia, si naturâ sua talis actus sit *petitio*. Hæ autem tres conditiones omnes possunt in oratione reperiri. Itaque triplex virtus distingui potest in oratione; merendi scilicet, satisfaciendi, & impetrandi. Nam propter actum *ex gratia* procedentem, promittit Deus se vitam ęternam daturum, tanquam propter *meritum*. Potest autem oratio à charitate & gratia procedere, non minus quàm reliquarum virtutum actus. Item propter *pœnalitatem* boni actus ex gratia procedentis, promittit Deus se secundùm debitam proportionem iustitię, pœnam in purgatorio debitā remissurum. Est autem oratio etiā actus *pœnalis*, vt in materia de Satisfactione disputatur, & patet ex illo Ecclesiast. 12. *Frequens meditatio, carnis est afflictio.* Denique, si actus naturâ sua sit *petitio*, & eo modo talis petitio instituatur, quo postea dicemus; promittit Deus se *ex misericordia* talem petitionem exauditurum: id quod est actum habere virtutem *impetrandi*. Constat autem, Orationem vt à reliquis omnibus actibus distinguitur, suapte naturâ esse *petitionem*.

Dixi autem hanc triplicem virtutem *rationem distingui posse* in oratione. Nam re vnus & idem actus orationis consideratus, vt à *gratia* & charitate procedens, dicitur habere virtutem *merendi*; & consideratus vt *pœnalis*, dicitur habere virtutem *satisfaciendi*; & denique vt naturâ sua est *petitio*, dicitur habere virtutem *impetrandi*. Itaque illæ tres virtutes in Oratione re sunt idem actus, triplicem in Deo rationē distinctam promissionem respiciens. Quamuis autem S. Thomas hīc non meminerit virtutis satisfaciendi quam habet Oratio, non tamen voluit eam negare.

SECVNDA assertio: Sicut non est necessarium, illam triplicem conditionem semper reperiri in actu orationis; ita tres illæ virtutes orationis non sunt inseparabiliter connexæ in oratione. Potest enim accidere, vt oratio procedat quidem à gratia viatoris, neque tamen sit petitio rei expedientis ad salutem; & ideo tunc non habebit vim impetrandi, sed erit solùm meritoria & satisfactoria, non impetratoria. Quasdam enim conditiones (& inter illas hanc, vt scilicet res ad salutem expediens petatur) oportet petitionem habere, vt sit impetratoria, de quibus postea dicemus. Talis fuit oratio D. Pauli, 2. Corinth. 12. co minimè impetrauit.

Contrà verò, potest oratio esse petitio rei ad salutem expedietis, neq; tamen profecta à gratia viatoris: quæ proinde nō erit meritoria, sed tantùm impetratoria. Talis est oratio beatorū, qua intercedunt pro nobis, vt infrà videbimus p. 7.

Non potest autem oratio meritoria esse, & nō satisfactoria; cùm tunc & procedat ex gratia viatoris, & ex se sit actus pœnalis: quæ duo sufficiunt ad rationem satisfactionis. Vtrum autem contrà etiam possit oratio esse satisfactoria, & non meritoria, controuersia est inter Scotum & Thomam Thomam, illo affirmante, diuo autē Thoma probabiliùs negante, vt videndum est in materia de Satisfactione.

Porrò

Porrò ex his tribus virtutibus orationis; virtus merendi & satisfaciendi, communis est illi cum aliis operibus bonis. Virtus autem impetrandi propria illi est, loquendo propriè de impetratione, vt distinguitur à qualicunque consecutione rei. Atque eam impetrandi virtutem in oratione inesse, patet manifestè ex Scriptura, in qua sæpe continetur promissio diuina, quòd sit orationem auditurus. Vt Matth. 7. *Petite & accipietis.* Et Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, &c.*

TERTIA assertio: Sicut certum est, diuinam hanc promissionem orationes exaudiendi in Scripturis extare: ita etiam æquè certum est, orationes semper & infallibiliter à Deo exaudiri (cùm is sit fidelis) si orationes tales sint, quales Deus id promittens esse voluit. Docet autem Scriptura, vt orationes tales sint, quatuor illas conditiones à sancto Thoma hīc commemoratas oportere habere.

Prima conditio est, vt quis *pro se petat*. Ita solent cōmuniter colligere Doctores ex eo, quòd quandocunque ferè Deus promittit se exauditurum, promittit se exauditurum illos, qui petunt, & concessurum petita *illis ipsis*. Vt Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ex quo loco id colligit sanctus AVGVSTINVS Tract. 102. in Ioannem: *Sanè*, inquit, *intelligendum est, quod ait; Dabit vobis: vt ea beneficia significata intelligantur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis. Quia non vtcunque dictum est, dabit, sed dabit vobis.*

SECVNDA conditio est, vt quis *pie*, id est, ex charitate (vel actu, vel virtute, vt post dicemus) & ex fide, & spe, petat; vt colligitur ex S. Thoma hic, & artic. 16. ad 2. Patet de *charitate*. Ioann. 15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Et 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quodcunque petierimus, dabit nobis.* Cui *à contrario* consonat illud Psalm. 65. *Iniquitatē si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et illud Isai. 1. *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* Vbi S. BASILIVS in Comment. super Isaiam, cap. 1. *Veluti si quispiam*, inquit, *filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit* (sicut peccans nimirum mortaliter, crucifigit, quantum in ipso est, rursus Dei filium) *isq; manus sanguine filij cruentatas supplex porrigat ad Patrem: An non responderemus, filij sanguinem in manibus filicidæ acriùs exacerbare patrem tali iniuria affectum?* Itaque vt Oratio certò impetret, oportet eam procedere ex gratia & charitate, saltem virtualiter, vt dicemus.

De *fide* etiam & *spe* idem patet Matth. 21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, dicetis monti, &c.* Et sequitur: *Et omnia, quæcunq; petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et Iacob. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.*

TERTIA conditio est, vt petantur *necessaria ad salutem*. Patet Matth. 7. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Vnde in oratione Dominica præmittitur petitio beatitudinis, cùm dicitur: *Adueniat regnum tuum, &c.* Et Iacob. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.* Atque idem colligitur ex illo, Ioā. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Nam vt pulchrè ibi Augustinus ait, Tract. 102. *Non petitur in nomine Saluatoris, quicquid petitur contra rationem salutis.* Idem patet etiam ratione. Nam omnia, quæ Christus Dominus nobis meruit ab æterno Patre, meruit vt media conducibilia ad beatitudinem consequendam.

Quarta conditio est *perseuerantia*. Patet Luc. 11. vbi induxit Christus Dominus ad hoc idem propositum, parabolam de illo, qui nocte petens ab amico tres panes, tandem propter importunitatem obtinuit. Et ad Rom. 12. *Orationi instate.* Et 1. ad Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* Et Iacobi 5. *Multum valet deprecatio iusti assidua.*

Sed ad maiorem declarationem huius doctrinæ soluenda sunt aliquot argumenta. PRIMVM est. Si extat promissio diuina de exaudiendis orationibus; sequitur, Deum exaudire illas ex debito iustitiæ. Consequens est falsum. Ergo, &c. Sequela probatur. Nam propterea Deus confert præmium æternum ex iustitia, quia obligauit se ad id promissione; vt in materia de Merito disputatur. Minor verò probatur. Nam communiter dici solet, hoc interesse inter meritum & orationem, quòd *meritum* iustitiâ, oratio *misericordiâ* Dei nititur, & ita ait S. Thomas expressè artic. 16. ad 2.

RESPONDEO negando sequelam. Ad probationem dicitur, non quamuis promissionem sufficere ad debitum iustitiæ diuinæ, sed requiri, vt sit promissio conferendi aliquid in compensationem operis secundùm proportionem *iustitiæ saltem distributiuæ*. In proposito autem non est talis promissio. Nam oratio siue petitio, vt talis, non compensatur, sed *auditur*. Quare tantùm Deus promisit, se concessurum petita certò quidem & infallibiliter (si adsint prædictæ quatuor conditiones) sed solùm ex misericordia, non autem ex iustitia in compensationem aliquam ipsius orationis. Vt si v. g. aliquis promitteret, se semper largiturum eleemosynam omnibus pauperibus, quandocunque à se peterentur. Is daret quidem semper ex promissione; sed tamen solum ex misericordia.

Quocirca perperam Ioannes Medina in Tractatu de Oratione, quæstione decima octaua in fine, dicit, quando Deus exaudit orationem, habentem debitas conditiones, illum exaudire ex *debito iustitiæ*: quia, inquit, audit ex promissione. Falsum est hoc, vt est declaratum; & contra illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

Danielis nono: *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Et sequitur: *Exaudi Domine, &c.*

SECVNDVM argumentum est contra primam conditionem, requisitam ad orationis efficaciam: scilicet, vt aliquis *pro se petat.* Nam aut *primò* hoc ad orationis efficaciam requiritur, *quantum est ex parte Dei*; propterea quòd Deus non velit audire petentem, nisi idem simul sit is, pro quo petitur: Et hoc non videtur posse dici. Nam cùm extet præceptum in Scripturis orandi *pro aliis*, vt patet 1. ad Timoth. 2. & Iacob. 5. non est credibile, promissionem de exaudiendis orationibus à Deo factam, tantùm pertinere ad eos, qui pro se petunt. Tunc enim frustrà adimpleremus illud præceptum orandi pro aliis. Imò expressa quoque est promissio exaudiendi orantem pro alio, 1. Ioannis 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita.*

Vel *secundò* requiritur illa conditio, quantum est ex parte eius, pro quo petitur: quia videlicet accidit quandoque, vt quando alius est, qui petit; & alius is, pro quo petitur, non sit is dispositus ad recipiendum; vt si nolit fortè recipere. Et si ita dicatur, non videtur esse vlla ratio requirendi nominatim primam illam conditionem. Nam licet dicamus, semper exaudiri orationem (siue idem sit, qui petit, & pro quo petitur; siue non) quando existunt tres aliæ conditiones; semper subintelligitur, oportere etiam, vt is, pro quo petitur, velit recipere, & sit dispositus. Sicut etiam idem intelligitur, quando dicimus, orationem semper exaudiri, cùm quis pro se petit, existentibus tribus aliis conditionibus.

RESPONDEO, intelligendum esse secundo modo eam conditionem requiri, videlicet *quantum est ex parte eius, pro quo petitur*; ne accidat, illum esse indispositum. Ita hoc declarat D. Thomas articulo septimo ad secundum. Ad id verò, quod contra hoc obiicitur, respondetur, non esse negandum, quin attendendo rem ipsam, loco illius conditionis primæ potuisset commodè hæc poni, vt videlicet is, pro quo petitur (siue idem sit petens, siue non) sit ad accipiendum dispositus. Sed quia frequenter accidit, vt quando alius est petens, & alius, pro quo petitur; is, pro quo petitur, sit indispositus; & contrà, vt quando petens est simul is, pro quo petitur, eo ipso, quòd vult petere, velit recipere, & sit ad id dispositus: idcirco dicitur à S. Augustino, & ab aliis Doctoribus (vt vidimus) ad efficacitatem orationis oportere, vt quis *pro se petat*; ac si diceretur, oportere, vt is, pro quo petitur, sit ad accipiendum dispositus.

Cæterùm tunc etiam, cùm alius est is, qui petit; & alius, pro quo petitur; si fuerit ad accipiendum dispositus is, pro quo petitur, oratio exaudietur, vt probat argumentum illud secundum. Et præterea id ea ratione patet. Nam sicut verum est, frequenter dici in Scriptura: *Fiet vobis*; &, *Dabitur vobis, &c.* ita etiam verum est, 1. Ioan. vltimo, absolutè dici: *Quicquid petierimus secundùm voluntatem Dei, audit nos, &c.* Constat autem, secundùm volùtatem Dei etiam esse, vt petamus pro aliis, sicut etiam vt aliquando alios diligamus, & pro aliis satisfaciamus.

TERTIVM argumentum est contra alteram conditionem, scilicet, *vt piè quis petat ex charitate.* Nam vt punct. 6. patebit, peccatores etiã quando humiliter & sine affectu ad peccatum, & vt alioqui debent, petunt, certò exaudiuntur; & tamen non habent charitatem.

RESPONDEO, intelligitur ea conditio de charitate actu vel *virtualiter*; nimirum ex bono naturæ desiderio ita petendo, vt *possit* talis petendi actus tanquam omnino bonus & per se ad gloriam Dei pertinens, proficisci ex charitate. Quod fit, si is, qui petit, non habeat propositum peccandi, sed potius propositum bonum placendi Deo & obseruandi mandata eius, vt exponit hìc Caietanus, artic. 15. & sanctus Thomas artic. 16. ad 2.

QVARTVM argumentum. Nonnunquam fit, vt quamuis homo in orando adhibeat omnes illas quatuor conditiones, tamen non statim exaudiatur. Non igitur certò tunc oratio est impetratoria.

RESPONDEO cum sancto AVGVSTINO tract. 102. in Ioannem: *Qui*, inquit, *in nomine Christi petit, accipit quod petit: accipit autem quando debet accipere: quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tempore, differuntur.*

PVNCTVM QVINTVM.

Quid per Orationem petendum sit, vbi etiam oratio Dominica exponitur.

D. Thomas art. 5. 6. 9.

GENERATIM quidem statuere, quid à Deo petendum sit; non est admodum difficile. Quid autem in particularibus casibus expetere & postulare expediat; id verò propter mentis nostræ tenebras, & infirmitatem naturæ, difficillimum est definire. Nam vt ait Apostolus ad Roman. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed spiritus postulat pro nobis* (id est, postulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus.* Atque ita (vt ibidem ait) *adiuuat infirmitatem nostram.*

Quamobrem Socrates (cuius artic. 5. D. Thomas meminit) propter huiusmodi incertitudinem humani consilij in expetendo & precando, putabat non esse consultum quicquam determinatè à Deo petere. De quo Valerius Maximus lib. 7. capite secundo, vbi memorabilia dicta sapientum narrat, ita scribit: *Socrates, humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltrà petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent; quia ij demùm scirent, quid vnicuique esset vtile: nos autem plerumq; id votis expetere, quod non impetrâsse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam latè patentem errorem cæcas precationes tuas spargis? Diuitias appetis; quæ multis exitio fuerunt? Honores concupiscis, qui complures pessundederunt? Regna tecum ipsa voluis; quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur? Splendidis coniugiis iniicis manus? at hæc vt aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta, futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teq; totum cælestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.*

Cæterùm hæc incertitudo rerum humanarum non obstat, quò minus determinatè quoque aliqua à Deo peti possint & debeant, vt à Christo Domino diuinæ sapientiæ *cælesti oraculo* (non, humanæ terrestri, vt Socrates) edocti sumus in ea precandi forma, quam suis proposuit, Matthæi sexto. Itaque apud Orthodoxos duo sunt de hac re generatim certa & extra controuersiam; ex quibus etiam in particularibus casibus quid expediat petere dignoscere possumus cum diuino Spiritus sancti adiutorio, quod ad piè orandum requiritur, & nobis paratum est.

PRIMO certum est, licere à Deo determinatè ea petere, quæ ad salutem conducibilia esse constat: Cuiusmodi sunt, ipsa inprimis beatitudo æterna tanquam finis noster vltimus; itemque media ad eum finem, tum supernaturalia, (vt gratia & virtutes) tum temporalia, quatenus ad eum finem assequendum vtilia sint. Hoc totum patet ex forma illa precandi, quam Dominus (vt dixi) commendauit, Matth. 6. In ea enim forma Dominus complexus est determinatè, quicquid piè peti à nobis potest, vel circa vltimum *finem* nostrum, vel circa *media* ad illum: Verissimè namque sanctus AVGVSTINVS epistola 121. ad Probam, capite 12. *Si per omnia*, inquit, *sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo, nihil inuenies, quod non ista contineat & concludat oratio.*

Sed hoc ipsum in specie breuiter explanandum est per explicationem eius precationis. Quam explicationem ex sententia sanctorum Patrum & diui Thomæ hìc articulo nono; ita proponO: Verba illa primã: PATER NOSTER, QVI ES IN CÆLIS: procœmium quoddam precationis continent. Eo commemoramus tum *voluntatem* Dei promptam ad benefaciendum nobis, vt qui noster est Pater; tum eiusdem ad id *potestatem*, cùm sit in cælis, tum corporalibus, vt exponunt Cyprianus in oratione Domin. & Gregorius Nyssenus homil. 2. de eadem, & alij; tum spiritualibus, id est, Sanctis, quos Deus inhabitat, vt exponunt Ambrosius libro quinto de Sacram. capite quarto, & Augustinus libro secundo de sermone Domini in monte, capite nono. Neque hæc cõmemoratio eò pertinet, vt Deum suâ sponte in nos benignissimum, & qui *prior dilexit nos* (1. Ioann. 4.) ad exaudiendum & benefaciendum commoueamus, perinde ac si cum homine res ageretur, cuius esset captanda primùm beneuolentia: Sed vt in nobis ipsi per considerationem voluntatis & potestatis Dei ad benefaciendum, fiduciam impetrandi excitemus; ob cuius nimirum fiduciæ defectum sæpe fit, vt non exaudiamur, sicut rectè exposuit sanctus Thomas artic. 9. ad 5.

Sequuntur præterea petitiones SEPTEM, quarum duæ priores pertinent ad ipsum *finem* vltimum nostrum, & perfectè quidem implentur in altera vita, sicut etiam tertia, vt ait Augustinus in Enchiridio, capite 115. Aliæ verò quinque pertinent ad *media* conducibilia ad eum finem, & spectant propriè ad huius vitæ necessitatem, vt de posterioribus quatuor illic Augustinus ait.

Etenim per illa primæ petitionis verba: SANCTIFICETVR NOMEN TVVM: aliquid circa Deum ipsum, qui est noster vltimus finis, petimus; nimirum vt nomen atque Maiestas Dei *non in se* (quod non est opus petere) sed *in nobis* sit sancta, per veram videlicet de Deo notitiam, & sanctum Dei amorem, quibus Deum agnoscamus & colamus, vt exponunt Cyprianus, & Ambrosius vbi suprà, & Augustinus in illo libro 2. de sermone Domini, cap. 10. & Gregorius Nyssenus homil. 3. de orat. Domin. & alij.

Per illa autem verba secundæ petitionis: ADVENIAT REGNVM TVVM: communicari *nobis* petimus Dei regnum, per beatitudinem videlicet, qua fruemur ipso Deo tanquam nostro vltimo fine. Nam vt Augustinus in epistola 121. ad Probam ait; *Desiderium nostrum* per hæc verba *ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atq; in eo regnemus.* Et hæ quidem duæ petitiones, vt dixi, pertinent ad ipsum finem vltimum.

Ad *media* autem pertinet inprimis tertia illa petitio: FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN CÆLO ET IN TERRA: quibus verbis generatim petimus id omne, quod ad assequẽdam beatitudinem *per se & proximè conducit*; videlicet vt obediamus voluntati Dei, eo modo quo per gratiam hìc possumus, sicut eidem suo etiam modo perfectè in cælis obeditur, quemadmodum exponit vbi suprà sanctus Augustinus, capite 11. & alij.

Per illam autem quartam petitionem: PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE: petimus generatim omne subsidium, tum spirituale, tum temporale, quod *directè* (tanquam piæ videlicet operationis adminiculum) sit nobis necessarium ad obtemperandum diuinæ voluntati: ac peculiariter ipsum panem *spiritualem Eucharistiæ*, vt patet ex interpretatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cypriani, & Ambrosij vbi suprà, & Augustini in illo libro secundo, cap. 12. & sancti Hieronymi in caput 6. Matthæi, qui ex Hebræo idiomate obseruauit, legendum esse, panem nostrum *supersubstantialem*; propter septuaginta interpretes, qui περιούσιον (id est, supersubstantialem) ex Hebraicis verterunt; quod Græcum verbum affirmat Hieronymus vbique posuisse septuaginta pro verbo Hebraico *Segula*, quod significat supersubstantialem. Et concordat cum vocabulo illo à septuaginta vsurpato, vocabulum, quod est in Græca editione, ἐπιούσιον, quod tantundem significat, atque περιούσιον. Sed siue dicatur *quotidianum*, vt ante Hieronymum legerunt Latini, siue *supersubstantialem*, nihil interest, quod ad sensum attinet: nam etiam pane spirituali & supersubstantiali assiduè, & quasi quotidie indigemus.

Per quintam verò petitionem: DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS: petimus aliud quoddam præcipuum medium *per accidens conducens* ad assecutionem beatitudinis; vt scilicet per peccatorum remissionem amoueatur à nobis malum culpæ, obstans consequutioni beatitudinis, in quam nihil coinquinatum intrabit. Vt enim ait sanctus Augustinus libro secundo de sermone Domini in monte, capite 13. *debita* hoc loco peccata dici, manifestum est ex eo, quòd ait idem Dominus, Matthæi quinto: *Non exies inde, donec reddas nouissimũ quadrantem.* Quod idem probat Cyprianus vbi suprà ex illis Domini verbis, Matth. 18. *Omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, &c.* Et additur: SICVT ET NOS, &c. *Si enim* (inquit infrà) *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis.* Itaque vt idem Augustinus ibi ait, *tunc conuincimur contra hanc regulam fecisse, si eis non dimittimus, qui veniam petunt; quia & nobis veniam petentibus à benignissimo patre dimitti volumus.*

Per sextam autem illam petitionem: ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM: Similiter petimus medium aliud ad beatitudinem, quod *per accidens* ad eam assequendam iuuat: nempe vt malum tentationis, quæ ad peccatum impellendo obstat consecutioni beatitudinis, amoueat Deus à nobis; tum prouidendo, ne impetamur quibusdam periculosis tentationibus, aut maioribus, quàm vt facilè eas superare possimus, iuxta expositionẽ S. Cypriani vbi suprà, qui hinc dicit *ostendi, nihil contra nos aduersarium posse, nisi Deus ante permiserit*: Tum etiam nobis opem ferendo, ne à tentatione vincamur, vt exponit Augustinus vbi suprà, cap. 14. Dixi autem *periculosis quibusdam & maioribus tentationibus, &c.* Nam vt S. Augustinus illic verissimè ait, *sine tentatione probatus esse nullus potest.* Itaque vt infrà idem ait, *non hic oratur, vt non tentemur vllo modo, sed vt non inferamur in tentationem: Tanquam si quispiam, cui necesse sit igne examinari, non oret, vt igne non contingatur, sed vt non exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Ecclesiast. 27. Ioseph tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem. Susanna tentata est; neque ipsa inducta vel illata in tentationem: Multiq; aliy vtriusq; sexus.* Sic Augustinus.

Denique per vltimam illam petitionem: SED LIBERA NOS À MALO: aliud etiam quiddam petimus, quod *per accidens* ad assequendam beatitudinem confert; vt scilicet à malo quoque liberemur earum *aduersitatum* & *ærumnarum*, quarum occasione per impatientiam, aut aliter, videamur abusuri ad peccandum; vel certè vt aduersus illarum impetum diuina ope muniamur: comprehendẽtes nimirum huius petitionis verbis, vt ait vbi suprà Cyprianus, *aduersa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus: à quibus potest esse fida & firma tutela, si Deus nos* LIBERET, *si deprecantibus atq; implorantibus opem suam* PRÆSTET. Atque hoc ipso etiam per hæc verba petimus liberari ab ipso nostro malo inimico, id est, à *Dæmone*. Nam sic etiam verbum illud, *A malo*, in hac petitione interpretatus est non malè sanctus Ambrosius libro quinto de Sacramẽtis, capite quarto.

Has autem omnes petitiones concludit tanquam epilogus verbum illud, AMEN; quod tantundem valet, ac si diceremus, *Fideliter*; vt interpretatur sanctus Hieronymus in cap. 6. Matthæi; vel, *Verè*, vt Hieronymo teste, interpretatus est Aquila; vel, *Fiat*, vt interpretatus est Ambrosius in Psalm. 40. super illa verba: *Fiat, fiat*: Vbi in Hebraico est, Amen, Amen. Quæ omnia eodem ferè, quoad sensum, recidunt. Itaque hoc verbo in fine istius precationis (sicut in initio feceramus illis verbis, Pater noster, &c.) rursus nostram impetrandi fiduciam excitamus & protestamur.

Neque est genuina, sed ab aliquo addita extui Græco, illa sententia, quę ante vocem, Amen, post prædictas petitiones, apud Chrysostomum etiam homil. 20. in Matth. legitur: *Quoniam tuum est regnum & potentia & gloria in sęcula sęculorum.* Nam neq; Tertullianus in libro de Oratione, neque Cyprianus vbi suprà, neque Gregorius Nyssenus in homiliis de eadem oratione, neque alij veteres horum verborum meminerunt. Vnde & apud Græcos hodie à solis Sacerdotibus ea verba proferri esse solita in Missa perhibentur, postquam à choro est illis responsum: *Sed libera nos à malo. Amen.*

Itaque maneat, Orationem hanc Dominicam tribus tantùm partibus contineri, scilicet proœmio illo: *Pater noster qui es in cælis*, & septem deinde prædictis petitionibus; quarum duæ, vt vidimus, sunt circa ipsum vltimum FINEM nostrum (nempe, *Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum*) quinque autem circa MEDIA conducibilia ad eum finem, vel *per se & proximè* (vt illud: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*) vel *per accidens*, remotè scilicet *inuando* ad implendam voluntatem Dei (vt illud: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*) vel per accidens quoque per *remotionem* obstaculorum (vt illa: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo*) Itemque illa conclusione, *Amen*.

Neq; obstat, quod sanctus Lucas cap. 11. quinque tantum petitiones memorauit, omissa tertia & septima. Non enim has ille petitiones omisit, quia vel ab aliis nullo modo distinctæ sint, vel eas Dominus in illa forma precationis non adiunxerit, sed quia in aliis subintelligũtur, vt adnotauit S. AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 115. & 116. Nam tertia scilicet (*Fiat voluntas tua, &c.*) subintelligitur in secunda illa (*Sanctificetur nomen tuum*) cùm sit necesse facere voluntatem Dei ad hoc, vt sanctificetur nomen Dei in nobis. Septima autem (scilicet, *sed libera nos à malo*) subintelligitur in sexta illa (*Ne nos inducas in tentationem*) cùm liberatio à malo conducat ad hoc, vt non inducamur in tentationem, sicut ex dictis patet. Vnde acutè Augustinus dicit, Lucam prætermittendo huiusmodi petitiones, fecisse potius vt intelligerentur. Atque ex hoc apparet, impudenter Caluinum lib. 3. Instit. cap. 20. sect. 35. abusum fuisse Augustini testimonio loco citato, vt probaret septimam petitionem nõ distingui à sexta, ac proinde nõ esse nisi sex petitiones. Augustinus enim ex subordinatione illa quæ est inter petitionem sextam & septimam, & quæ subindicatur per illam particulam *sed* libera, &c. non colligit, has duas petitiones esse vnam absolutè, sed quasi vnam per quendam *ordinem*, vt dictum est. Vnde ibidem cap. 115. ait, *septem* esse petitiones, sicut & alij veteres affirmant.

De quibus omnibus petitionibus, qui plura, quàm diximus, videre volet (quanquam necessaria certè & præcipua diximus) legat eos, qui fusè & ex instituto Orationem hanc Dominicam exposuerunt. Nempe Tertullianum in libro de Oratione, Cyprianum in expositione orationis Dominicæ, Cyrillum Hierosolymitanum catech. 5. Mystagog. Chrysostomum homilia de Oratione Dominica, Gregorium Nyssenum in homiliis quinque de eadem, Ambrosium lib. 5. de Sacram. cap. 4. Augustinum lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 5. & seq. Cassianum collat. 9. cap. 18. & seq. Chrysologum sermone 67. & seq. & interpretes Scripturæ in caput 6. Matthæi.

Nobis ad nostrum institutum satis est, quòd ex hac Dominica Oratione constat, omnino esse licitum & necessarium *determinatè* à Deo per Orationem petere ea, quæ vel ad *finem vltimum* nostrum pertinẽt, vel ad *media* ad illum: Id quod in quæstione proposita in hoc puncto diximus esse PRIMO certum.

SECVNDO in eadem quæstione certum est, hoc esse discrimen inter ea, quæ possunt determinatè peti, quòd beatitudo & virtutes *absolutè* possunt peti: quia non possumus illis malè vti; bona verò temporalia, quia contingit illis malè vti, inprimis non sunt petenda, vt finem vltimum in illis ponamus, neque absolutè, sed *sub conditione*, si conducant ad beatitudinem, vt instrumenta virtutum, sicut etiam docet D. Thomas hîc artic. 6.

Et quidem quòd beatitudinem & virtutes *absolutè* posimus petere, patet exemplo Dauid. Psalm. 109. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et Psalm. 118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Quòd autem bona temporalia non liceat petere, nisi sub conditione (vel expressa nimirum vel tacita) in ordine ad beatitudinem, patet: quia sic tantùm licet ea optare; vt autem inquit AVGVSTINVS in epist. 121. ad Probam, *illud tantùm licet petere orando, quod licet optare.*

Sed contra hoc discrimen assignatum à nobis & à sancto Thoma, inter virtutes & bona temporalia, occurrunt aliquot argumenta. PRIMVM. Sicut non licet petere bona temporalia, vt in eis ponamus vltimum finem; ita neque virtutes, quandoquidem sunt etiam ipsæ bonum quoddam creatum. Item; Sicut contingit bonis temporalibus abuti, & propterea sunt petenda sub conditione in ordine ad beatitudinem: Sic etiam contingit non rarò abuti virtutibus; vt videtur accidere superbis, qui ex virtutibus sumũt occasionem sese extollendi. Ergo etiam virtutes, non minùs quàm bona temporalia, essent petenda in ordine ad beatitudinem sub conditione.

RESPONDEO, omnino fatendum esse, quòd virtutes non liceat petere, vt in eis constituamus vltimum finem, sed tantùm vt media ad illum, atque adeo, vt conducunt ad assequendam beatitudinem. Sed quia virtutes secundùm se habent, vt sint media conducibilia ad beatitudinem; non fuit declarandum, vt peterentur tanquam media, & non tanquam finis: Sed dicendo quòd liceat illas absolutè petere, significatur debere illas peti tanquam media. Bona verò temporalia ex se indifferentia sunt, & æquè possunt conferre ad damnationem, atq; ad beatitudinem: ac propterea de illis peculiariter fuit declarandum, quòd debeant peti *sub conditione*; quatenus scilicet conferant ad beatitudinem consequendam. Quòd verò obiicitur, quandoque accidere, vt virtutibus abutamur, valde est per accidens: non enim tunc ipsæ sunt directè instrumenta peccati, sed occasionaliter & remotè. Bona autem temporalia æquè possunt directè conferre ad peccatum, atq; ad virtutem, & propterea cùm petuntur, opus est peculiari eorum relatione ad beatitudinem.

SECVNDVM argumentum. Licitum est *habere* bona temporalia, etiam tũc cùm ad nullos actus

bonos prosint, atque adeo nec ad beatitudinem, A
sed ad malos vel indifferentes. Ergo licet etiam
cupere illa habere, etiamsi non sint ad beatitudi-
nem profutura; & consequenter licebit etiam il-
la *petere* sine relatione ad beatitudinem. Ante-
cedens probatur. Nam peccatores, qui bonis
temporalibus ad peccandum abutuntur, non
peccant habendo & retinendo illa bona, quan-
tumuis ea illis non proficiant. Consequentia ve-
rò probatur. Nam quicquid est licitum, potest
esse obiectum *desiderij*; & consequenter *orationis*,
vt patet ex dicta sententia Augustini ad Pro-
bam.

Respondeo, negandam esse Consequen-
tiam. Ratio, cur debeat negari est, quoniam *ha-*
bere seu *posidere* bona ea temporalia, quæ non B
sunt ad beatitudinem profutura; propriè non est
aliquis *actus humanus*, & propterea non est neces-
se, vt hæc possesio respiciat aliquem bonum fi-
nem. At verò *desiderare* & *cupere*, & *petere* habe-
re bona temporalia, sunt aliqui *actus humani*, &
propterea obiectũ huiusmodi actuum (quod est
videlicet habere eiusmodi bona) debet referri
ad bonum finem, alioqui essent illi actus mali,
vtpote saltem ociosi; iuxta ea, quæ de humanis a-
ctibus disseruimus tomo secundo, disputat. 2.
quæst. 13. punct. 6.

Tertivm argumentum. Si bona temporalia
non sunt profutura ad beatitudinem; Deus illa
non dabit. Frustrà igitur addetur (vel expresè
vel tacitè) in oratione illa conditio, *si sunt pro-*
futura. C

Respondeo primò negando Consequen-
tiam. Ratio, cur negem, est. Nam licet Deus non
sit daturus ea bona, si non sunt profutura, vult
tamen vt petamus illa, si sunt profutura; vt ita
per hoc medium orationis det nobis illa, si sunt
profutura. Secundò respondeo, negando An-
tecedens. Nam vt ait D. Avgvstinvs Tract. 73.
in Ioannem: *Si hoc à Deo petitur, vnde lædatur ex-*
auditus; magis metuendum est, ne quod posset non dare
propitius, det iratus. Itaque quandoque bona tem-
poralia nocitura Deus concedit iratus, quæ ne-
gat propitius: idque facit propter suauem suam
prouidentiam, qua vult permittere mala, & non
semper impedire illecebras peccandi, licet id ali-
quando faciat ex specialissima gratia. D

Qvartvm argumentũ. Sæpe fit, vt quis petat
huiusmodi aliquod bonum temporale, nihil co-
gitans de relatione illorum in beatitudinẽ. Du-
rum autem esset condemnare omnes, qui petunt
bona temporalia, obliti talis relationis.

Respondeo, non esse damnandos semper,
qui obliti illius relationis petunt temporalia.
Nam si petant propter aliquem bonum actum,
eo ipso tacitè & virtualiter illa referunt in beati-
tudinem, quod sufficit. Si verò petunt propter
actum malum, vel propter nullum actum
bonum ociosè; tunc non est du-
rum illos damnare.

PVNCTVM SEXTVM.

Quisnam debeat orare.

D. Thomas art. 16.

Statvendvm est generatim Pri-
mo, omnem hominem dum hanc vi-
tam viuit, posse & debere orare tem-
pore, quo præceptum orandi obli-
gat, iuxta dicta punct. 3. Nam omnis homo aut
est iustus, aut peccator. Si iustus est; oratione in-
diget ad perseuerandum, & *ne inducatur in tenta-*
tionem, vt vidimus tomo secundo, quæstione pri-
ma de Gratia. Si autem est peccator; itidem in-
diget oratione ad obtinendam gratiam & re-
missionem peccatorum; iuxta illud: *Dimitte*
nobis debita nostra; quod & iusti pro remissione ve-
nialium, & peccatores pro remissione morta-
lium petere debent.

Atque exaudientur etiam certò peccatores
(iuxta dicta punct. 3.) si vt docet D. Thomas hic
art. 16. petant non vt peccatores, sed ex bono de-
siderio naturæ cum illis quatuor conditionibus
suprà punct. 3. dictis. Nempe, *si pro se* petant, *si con-*
ducibilia ad salutem petant, si *piè* petant (hoc est
cum fide, & spe, & cum *pio* desiderio placendi
Deo, atque adeo per talem orandi actum, qui
ex se sit aptus, vt procedat ex charitatis habitu,
etiamsi necdum *actu* ex illo procedat, vt rectè de-
clarat diuus Thomas hìc articulo 16. ad 2.) & de-
nique si *perseueranter*, quatenus necesse fuerit, pe-
tant.

Sic petiuit & impetrauit Publicanus, Luc. 18.
dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*: Item Da-
uid, Zachæus, latro, Magdalena, &c. Qui frustrà
orâssent, si peccatores Deus non exaudit, vt re-
ctè argumentatur sanctus Avgvstinvs in illo
Tractatu 44. vbi idcirco affirmat, illud dictum
cæci apud Ioannem, cap. 9. *Scimus, quia peccato-*
res Deus non exaudit; fuisse dictum cæci nondum
penitus illuminati in fide; Vel intelligendum id
est de peccatoribus, vt peccatores sunt, atque
adeo si malè petant.

Neque obstat, quòd peccatores careant gra-
tia. Nam virtus orationis in *impetrando* non pro-
priè nititur gratia hominis (sicut virtus meren-
di) sed misericordiâ diuina, vt punct. 3. vidimus.
Misericordia autem diuina, vel maximè ad pec-
catores respicit; licet ex iustitia quidem nihil
Deus illis debeat, vt notat hìc diuus Thomas, ar-
ticulo 16.

Ex quibus satis confutatur error 26. Vvi-
clephi condemnatus in Concilio Constant. sel-
sione octaua, scilicet *orationem præsciti nihil va-*
lere. Nam sicut potest præscitus pium quan-
doque desiderium habere, imò etiam aliquan-
do esse in gratia, & ad eam se præparare (vt pro-
bauimus tomo primo, disputatione prima, quæ-
stione 23.) ita etiam potest piè & efficaciter ali-
quando orare.

Si autem

Si autem peccatores non *piè* ex bono deside-
rio, sed quatenus peccatores quidpiam petant, A
id est, ex malo, aut cum malo desiderio; sic nun-
quam exaudiuntur ex misericordia: aliquando
tamen tunc exaudiuntur ex ira & in vindictam:
iuxta illud Avgvstini Tract. 73. in Ioannem:
Metuendum est, ne multa Deus quod posset non dare
propitius, det iratus. Etenim tunc ipsa oratio est
peccatum & veluti quædã illusio Dei, quæ illum
peccatori magis abalienat.

Et tales orationes peccatorum hominum sunt
eæ, quas meritò damnant sancti Patres. Vt Am-
brosivs serm. 22. in Psal. 118. *Oratio*, inquit, *pec-*
catoris grauescit, & longè fit à Deo. Et S. Chryso-
stomvs homil. 52. in Matthæum: *Si quis*, in- B
quit, *pedes tuos, stercore sordidatis manibus suppli-*
cando tangeret; non modò non exaudires, verùm etia-
am calcibus expelleres: quomodo igitur audes tu hoc
modò Devm *orare? Nam qui orat, quasi manu lin-*
gua vtitur, qua genua Dei *supplicando attingit.*

Huiusmodi itaq; orationes peccatorum nun-
quam Deus ex misericordia exaudit, sed aliquan-
do *ex ira*; sicut exaudiuit nimirum petitionem
Iudæorum, cùm petierunt carnes in deserto. Et
iterum cùm per Samuelem petierunt Regem,
1. Reg. 8. Constat enim vtrumque cessisse in illo-
rum perniciem. Eodem modo videntur exaudi-
ri petitiones aliquorum obstinatorum in pecca-
tis, qui petunt bona fortunæ, & obtinent, cùm
tamen Devs videat eis cessura in condemna-
tionem.

Secvndo assero, post hanc vitam, San-
ctos quidem & posse & solere orare, non pro
se, cùm opus iam non habeant, sed pro nobis, vt
probabimus puncto sequenti. Damnatos au-
tem posse quidem aliquid petere, sed non pro-
priè orare. Patet Iob primo & secundo, vbi le-
gimus, Diabolum petiisse à Deo, vt permitteret
tentari Iob. Et Lucæ 16. Diues epulo in tor-
mentis petiisse dicitur, vt Lazarus ad fratres suos
mitteretur, &c. Quòd autem damnati non pos-
sint propriè orare, patet ex ratione Orationis.
Nam vt docuimus puncto primo, Oratio non
est qualiscunque petitio, sed quæ sit actus ex se
bonus, pertinens ad Religionem, atque adeo
proficiscens ex bono & pio affectu erga Deum. D
Hunc autem affectum non possunt habere dam-
nati, cùm Deum summo odio continenter pro-
sequantur.

Tertio assero, Animas Pvrgatorii pro
se quidem orare, vt scilicet per medium aliquod
à diuina prouidentia constitutum (vt per suffra-
gia, &c.) à pœnis liberentur. Ita docet Alexan-
der Hallensis 4. part. quæst. 91. memb. 4. & pro-
bat ex sancto Gregorio lib. 4. Dialogorum, vbi
memorat, animas etiam à viuentibus auxilia pe-
tere. Ergo etiam petunt à Deo, vt idipsum viuis
inspiret, &c.

Qvarto assero, non esse etiam improbabi-
le, quod Ioannes Medina, quæstione quinta de
Oratione, sentit, (citans etiam Gabrielem lect. A
15. in Can. apud quem tamen nusquam id repe-
ri) scilicet animas purgatorij orare tum genera-
tim pro fidelibus, tum *in specie* pro iis, qui ipsis
peculiariter in hac vita chari fuerunt. Nam &
charitate prosequuntur alios, tum in genere,
tum in specie; & non obstat, quòd necdum sunt
in cælo; cùm etiam Hieremias iam defunctus, an-
tequam esset in cælo, *multùm pro populo orauerit*,
vt dicitur 2. Machab. vltimo: quod idem solitos
fuisse facere Moysen & Samuelem, colligitur ex
illo Hieremiæ 15. *Si steterint Moyses & Samuel*
coram me, non est anima mea ad populum istum.

Nec etiam obstat, quòd animæ in purgatorio
sunt in statu *patiendi*. Nam pœnæ non sunt illis
impedimento, quo minus charitatem tum erga
Deum, tum etiam erga alios exerceant pro eis
precando: præsertim cùm pœnas illas æquisi-
mo ferant animo; & videamus etiam aliquos in
hac vita, dum supplicium de eis sumitur, orare
pro aliis.

Diuus tamen Thomas hìc articulo vndecimo
ad tertium, non existimat, animas purgatorij o-
rare pro nobis: *Quoniam et si sint*, inquit, *superiores*
nobis, quantum ad impeccabilitatem; sunt tamen infe-
riores, quantum ad pœnas, quas patiuntur: & secundum
hoc non sunt in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis.
Et idem sentit Alexander Hallensis 4. part. quæst.
91. memb. 4. Sed contrarium, vt dixi, non est im-
probabile.

C De personis autem diuinis, quemadmodum
eis secundùm diuinitatem nullo modo cõueniat
orare, diximus punct. 1. Dico autem, *secundùm di-*
uinitatem. Nam secundùm humanitatem sibi vni-
tam, non est dubium, quin diuina persona Filij
orauerit sæpe, & nunc etiam in cælo oret, *inter-*
pellans Patrem *pro nobis*, vt patet ad Hebr. 7.

PVNCTVM SEPTIMVM.

Quis sit orandus.

D. Thomas art. 4. & 11.

Qvatvor hac in re sunt apud om-
nes certa, & vnum controuersum
cum non paucis hæreticis. Primo
certum est, solum Deum esse oran-
dum, tanquam auctorem quidem & principa-
lem causam supernaturalium donorum gratiæ &
gloriæ, quæ per orationem inprimis petimus.
Nam solus Deus *dat gratiam & gloriam*, Psalm. 83.
Et hoc ipsum est, quod vult D. Thomas hìc, cùm
ait, solum Deum esse orandum, tanquam eum,
per quem oratio sit *implenda* (scilicet quoad do-
num id, quod per orationem petitur) quamuis
etiam sancti Angeli & homines sint orandi, tan-
quam ij, per quos oratio sit *impetranda* (vt diuus
Thomas loquitur) id est, tanquam ij, qui inter-
cessuri sint apud Deum pro impetrando dono,
quod petitur; vt postea videbimus.

Atq;

Atq; hoc discrimen inuocationis Dei & Sanctorũ insinuasse videtur Dauid Psal. 129. vbi postquam dixerat: *Leuaui oculos meos in montes*, (id est, Sanctos, vt vult ibi Augustinus) *vnde veniet auxilium mihi*. Vt intelligeremus, à Sanctis peti auxilium, non vt ab auctoribus, sed vt ab intercessoribus; continuò adiecit: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram*. Vbi Augustinus: *Noli*, inquit, *putare, quia montes tibi dabunt auxilium, accipiunt enim quod dent, non de suo dant*.

Secvndo certũ est, solum Deum (atq; adeo etiam Christum Dominum, qui est verus Deus) esse orandum per talem orationẽ, quæ sit verè ac propriè actus virtutis Religionis; quo nimirũ ei, qui inuocatur, exhibeatur diuinus cultus, petendo ab eo opem, tanquã à summo bonorum omnium auctore, &c. Nam sic orare aliquem alium, præter Deum, manifesta esset Idololatria.

Tertio certum est, per alterius quidem rationis actum (puta virtutis obseruantię erga homines dignitate aut virtute aliqua præstantes) posse à viuis quidem peti auxilium siue opem *intercessionis* apud Deum; vt scilicet hoc aut illud donum suis ad Deum precibus nobis impetrent. Nam hoc ipsum sæpe fecit D. Paulus. Vt constat ex his testimoniis. Ad Colos. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarũ actione, orantes simul & pro nobis*. Et 1. ad Thessal. 5. *Fratres orate pro nobis*. Et 2. ad Thessal. 3. *De cætero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur, &c.*

Ac potest hæc etiam petitio *intercessionis ab alio* impropriè quoque nominari quædam *oratio*: ad eum modum, quo petens quidpiam ab amico, dicere potest: Oro te, aut; Te precor, &c. Sicut etiam D. Paulus ad Hebræ. 13. postquam dixerat: *Orate pro nobis: Confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conuersari*; addit: *Amplius autem* Deprecor *vos hoc facere, quò celerius restituar vobis*. Sed tamen petitio huiusmodi intercessionis ab homine, propriè quidem longè differt ab ea oratione vel precatione, quæ Deo ipsi fit, & est actus Latriæ & Religionis.

Qvarto certum est, ne per actum quidem alterius rationis, quàm sit oratio propriè dicta, petendum esse auxilium intercessionis ab vllis defunctis, qui nõ sint in cælo; etiamsi sint in purgatorio. Nam saltem talis petitio esset vana & ociosa; cùm in cõfesso apud omnes sit, tales defunctos non cognoscere petitiones nostras.

Controversvm autem est cum non paucis (vt dixi) hæreticis, An à Sanctis, qui sunt iam *beati in cælo*, liceat petere intercessionis auxilium; atque adeo, vtrum liceat eos inuocare per actum non Religionis seu Latriæ, sed peculiaris obseruantiæ erga eos, qui gratia Dei & virtutibus excellunt: quæ virtus *dulia* siue *hyperdulia* dici solet.

Negauit enim hoc Eustachius Sebasteæ Episcopus circa annum Domini 336. siquidem omnem cultum Sanctorum contemnebat, vt potest intelligi ex epistola Synodali Concilij Gangrensis, vbi fuit damnatus. Item Vigilantius, teste Hieronymo in libro contra eundem, & in epist. 53. ad Riparium. Item Petrus de Bruys, & Henricus quidam temporibus D. Bernardi, vt apparet ex lib. 3. vitæ Bernardi, cap. 5. Item hæretici quidam dicti Apostolici eodem Bernardi tempore, vt apparet ex ipso Bernardo, homil. 66. in Cantica. Item Cathari, tempore Alexandri III. teste Guidone in Catalogo hæreticorum. Item sub idem ferè tempus Pauperes de Lugduno, teste eodem Guidone & Tritemio in Chron. Anno 1160. Item Ioannes VViclephus apud Thomam VValdensem tomo 3. de Sacramentalibus, cap. 108. & seq. Et nostris temporibus Lutherus, Caluinus, & alij omnes Sectarij.

Sed ex fide certũ est, rectè omnino & vtiliter Sanctos eo modo, quo dictũ est, inuocari. Quam assertionem, quoniam & nos alibi non pauca de illa scripsimus, & multi alij his temporibus eam fusè probauerunt; paucis nunc & solidis confirmabo. Primo ex Scriptura, vnde tale formo argumentum, constans ex propositionibus in Scriptura contentis. Rectè & vtiliter imploramus intercessionem eorum omnium, qui *& possint efficaciter, & benignè velint* apud Deum pro nobis intercedere. Sed Sancti in cælo iam beati & cum Christo regnantes, *possunt efficaciter, & benignè volunt* pro nobis ad Deum intercedere. Ergo rectè & omnino & vtiliter imploramus horum Sanctorum intercessionem apud Deum.

Prior seu Maior propositio probatur. Nam Scriptura multis in locis, nulla in specie mentione facta huius vel illius conditionis piorũ aut Sanctorum (puta in hac vel in altera vita degentium) sed omnino generatim declarat, vtiliter implorari ab aliis intercessionẽ aliorum piorũ; qui vtiq; & possint & velint apud Deum intercedere. Igitur omnino est ex Scripturæ sentẽtia propositio illa nostra ita generatim posita: nec poterũt, nisi contra Scripturam, excipi ab ea generalitate hi aut illi Sancti (puta defuncti hac vita) si sint tales, qui possint & velint apud Deum intercedere, vt in propositione nostra sumpsimus; siue enim Sancti sint in hac vita, siue ex ea excesserint, *omnes viuunt Deo* (Lucæ 20.) apud quem est intercedendum. Quòd autem id generatim declaret Scriptura, patet Iob 5. *Vocasi est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere*. Vbi duo illa generatim dicuntur; Nempe, *si est, qui tibi respondeat* (id est, qui possit) *& ad aliquem* (ad aliquem inquit) *conuertere*. Neque hoc, quòd hic Eliphaz pro certo præsupposuit, scilicet solere rectè implorari intercessiones quorumlibet Sanctorum; vel Deus, vel Iob in eo libro reprehendit, sed potiùs id Deus confirmauit infrà, capite 40. cùm ei & sociis iniunxit, vt intercessione Iob vterentur.

Deinde

Deinde hoc ipsum generatim præsupponitur in Scriptura, vbicunq; aliquis piè ab aliis petit, vt pro se vel aliis orent. Si enim talis tunc fuisset interrogatus, cur eiusmodi intercessionem peteret, sine dubio respondisset, se facere propterea, quòd generatim sit vtile petere intercessionem cuiuscunq; pij, qui apud Deum & possit efficaciter & velit intercedere. Eius autem generis loca in Scriptura sunt hæc: Ierem. 42. *Dixerunt* (populus Iudæorum) *ad Ieremiam Prophetam: Cadat oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum*. Et Baruch 13. *Qui erant captiui in Babylone, aiunt ad eos, qui erant Hierosolymis: Pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccauimus Domino Deo nostro*. Et Apostolus ad Rom. 15. *Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum* Iesvm Christum, *& per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus*. An non hìc Apostolus interrogatus respondisset, se propterea tam instanter intercessionem piorum petere, quoniam esset persuasus, rectè & vtiliter eam peti à quocunque, qui apud Deum & possit, & velit intercedere? Huc etiam spectat illud Iacobi 5. *Orate pro inuicem* (alterutrũ id nimirum petentes) *multum enim valet oratio iusti* (iusti, inquit, cuiuscunque) *assidua*. Itaque dubitandum nõ est, quin illa Maior propositio nostri argumenti sit ex sententia Scripturæ. Neque verò id Aduersarij negant, sed solùm negant propositionem Minorem; scilicet, Sanctos in cælo *posse & velle* intercedere pro nobis, ac proinde rectè à nobis eos inuocari.

Probemus igitur & eam quoque Minorem propositionem ex Scriptura, vt totum nostrum argumentum ex Scriptura ductum firmetur; atq; adeo ex Scriptura cõstet, rectè & vtiliter Sanctos à nobis inuocari, sicut conclusimus.

Et quidem quòd Sancti Possint nos iuuare, cùm illorum intercessionem imploramus (de quo potissimùm est controuersia) tunc satis ex Scriptura constabit, cùm ex ea probauerimus duo. Primo, non deesse Sanctis beatis cognitionem petitionum nostrarum; quæ nimirum eis necessaria est, vt illas possint Deo commendare. Secvndo, neque illis etiam deesse fauorem & gratiam apud Deum, ob quam Deus nimirũ facilè nobis propitiari queat.

Primvm horum probatur ex Scriptura quadrupliciter: *Primò* expresso testimonio Ioannis Apocalyp. 5. *Quatuor*, inquit, *animalia, & viginti quatuor seniores, ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, & cantabant canticum nouum, &c.* Non ignorant igitur Sancti in cælo orationes piorum Deo gratas, quas habent sibi commendatas, & tanquam in phialis asseruant Deo præsentandas.

Secundò idem probatur à *comparatione* Sanctorum beatorum cum Angelis beatis. Nam *sunt sicut Angeli Dei in cælo*. Matth. 22. & *æquales Angelis*. Lucæ 20. Et *eadem illic est mensura hominis, quæ est Angeli*. Apocalyp. 21. At constat quoque ex Scriptura, Angelos in cælo cognoscere & cõmendare Deo orationes hominum. Ergo eas etiam cognoscere & commẽdare possunt Sancti. Id patet de Angelis Tob. 12. *Quando orabas cum lachrymis, &c. ego* (Raphaël Angelus) *obtuli orationem tuam Deo*. Et Apocalyp. 8. *Alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & datæ sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Cognoscit igitur piorum orationes Angelus; & consequenter etiam Sancti, qui in cælo sunt *æquales Angelis*, vt ait S. Lucas.

Tertiò idem probatur ex *natura* beatitudinis, qua Sancti in cælo iam perfruuntur, vt probauimus tomo 2. disput. 1. quæst. 4. Nam appetitus beati planè ita expletur, vt nihil beato desit, quod is naturaliter alioqui expetere posset; sicut tradidimus illic, quæst. 2. & 3. & patet ex illo Psal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*. Et Ioan. 16. *Vt gaudium vestrum sit plenum*. Sed dubium nõ est, quin naturaliter desideret Beatus scire, quid hìc de ipso cogitetur, aut quid ei à suis vel ab aliis commendetur. Igitur hæc à Sanctis beatis cognosci fatendum est.

Quartò idem probatur ex *præstantia* beatifici luminis & cognitionis. Nam antecellit multò cuicunque cognitioni supernaturali vel fidei vel prophetiæ, quæ in hac vita soleat homini tribui diuino munere; ita, vt quicquid cognoscitur per qualemcunque huius vitæ cognitionem, cognoscatur multò perfectiùs per illam beatam cognitionem: iuxta illud Apostoli 1. Cor. 13. *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod* Perfectvm *est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, sapiebam vt paruulus, &c.* Sed constat ex Scriptura, prophetas in hac vita cognoscere diuino munere cogitationes cordium, & res longè positas: Ergo multò magis Sancti beati hæc cognoscunt. Id autem constat 3. Reg. 14. vbi Dominus reuelauit Ahiæ consilium vxoris Ieroboam: *Ecce*, inquit, *vxor Ieroboam ingreditur ad te, vt consulat te super filio suo, qui ægrotat, &c.* Et 4. Reg. 5. vbi ait Elisæus ad Giezi: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui, &c.* Agnoscunt igitur diuino munere Sancti beati multò perfectiùs consilia & desideria nostra.

Sic enim & D. Avgvstinvs lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 29. ex illo loco 4. Reg. 5. argumentatur: *Corde*, inquit, *suo se dixit vidisse Prophetа Elisæus adiuto quidem mirabiliter (nullo dubitante) diminitus: Sed quantò amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus?* Quò & vulgatum illud Gregorii spectat: *Quid est,*

quod

quod ibi nesciant (animæ beatæ) *vbi scientem omnia sciunt?* lib.4. Dialogorum, cap.33.

Vnde etiam per eandem ipsam visionem beatificam orationes nostras à Sanctis cognosci, tradidimus tomo 1. disput. 1. quæst. 12. punct. 6. & docet D. Thomas hîc art. 4. ad 2. cùm ait; Sanctos in patria videre *in Verbo* orationes ad ipsos fusas. Idem concedit hîc Caietanus; quamuis postea 3. p. quæst. 10. artic. 2. id negat. Atque hîc etiam negat, Sanctos videre in Verbo, num expediat, votis eorum, qui orant, satisfacere intercedendo. Sed tamen gratis hoc negat, & etiam contra mentem D. Thomæ. Nam id etiam scire maximè pertinet ad ipsorum beatitudinem; ne frustrà interceſionem vel patrocinium suscipiant. Itaque maximè id videbunt in Verbo, vt ita non nisi conformes diuinę voluntati pro aliis intercedant. Et sic patet illud PRIMVM, scilicet Sanctis in cælo beatis non deesse cognitionem orationum nostrarum, quæ inprimis requiritur, vt possint pro nobis intercedere.

SECVNDVM autem (quod etiam sumpsimus probandum) scilicet Sanctos in cælo beatos pollere quoque fauore & gratia apud Deum, ob quem nobis illum propitiare queant; facilè ex Scriptura probatur per ea testimonia, quę ostendunt, quanta Deus beneuolentia prosequatur Sanctos vita functos, & quàm sit propensus ad benefaciendum aliis propter illos. Vt Genes. 26. *Benedicam tibi* (Isaac) *& multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham*; iam defunctum, vt patet Genes. 25. Et Exodi 32. cùm pro populo orasset Moyses illo modo: *Recordare Abraham, Isaac & Israël seruorum tuorum, &c. placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Et 3. Reg. 15. *Propter Dauid dedit ei* (Salomoni) *Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, et statueret Hierusalem, eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini.* Vnde etiam Dan. 3. Azarias cum sociis in fornace Deum obsecrat & obtestatur, non modò propter nomen suum, sed etiam propter alios Sanctos: *Ne quæsumus*, inquit, *tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neq; auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum, &c.* Itaque patet ex his abundè, Sanctos POSSE quidem pro nobis efficaciter apud Deum intercedere.

Quòd autem etiam VELINT, & paratissimi sint ad id faciendum (vt in argumentatione quoque nostra sumpsimus) probatur item ex Scriptura dupliciter. *Primò* ex *natura* Charitatis, quæ vt Apostolus 1. Cor. 13. ait, *nunquam excidit*, sed multò magis etiã in cælesti illa beatitudine perficitur, cùm rationes DEVM & proximos amandi clariùs à beatis cognoscuntur. Sed Sancti, dum hîc viuerent, ex charitate, qua proximos complectebantur, paratissimi erant ad intercedendum pro illis. Ergo multò magis iam charitate in eis aucta; præsertim cùm non sint amplius pro se ipsi soliciti. Rectissimè enim S. HIERONYMVS in libro contra Vigilantium, capite 3. *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quantò magis post coronas, victorias, & triumphos?* Et ante Hieronymum sanctus CYPRIANVS in serm. de Mortalitate: *Magnus illic* (inquit) *charorum numerus expectat, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita.*

Secundò idem probatur: nam ex Scriptura manifestè constat, SANCTOS vltrò etiam *pro nobis orare* & intercedere: igitur volunt & parati sunt id facere. Id patet ex his testimoniis. Tob. 12. *Ego* (Raphaël) *obtuli orationem tuam Domino*; non certè illam manifestando Deo (quem nihil latet) sed apud Deum intercedendo, vt ea Tobiæ oratio effectum consequeretur. Eadem est autem ratio aliorum Sanctorum, vt suprà ex Matthæo capite 22. & Lucæ 20. & Apocalyp. 21. probatum est.

Item Ierem. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Erant igitur hi soliti coram Domino stare intercedentes pro aliis: sicut etiam de Ieremia apertè scribitur. 2. Machab. 15. *Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem, Propheta Dei.* Quòd si hi nõdum recepti in cælo (cùm necdum esset *propalata Sanctorum via*, ad Hebr. 9.) ea charitate alios complectebantur, vt pro eis orarent; quantò magis id facient nunc Sancti beati?

Item Zachar. 1. Angelus orat pro populo captiuo: *Domine*, inquit, *exercituum, vsquequo tu non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est*: alludens nimirum ad promissionem, quam Deus fecerat, liberationis futuræ post annos septuaginta, vt patet Ierem. 19.

Item diuus Petrus epist. 2. cap. 1. postquam fidelibus promisit officium *admonitionis* & excitationis ad pietatem; deinde etiam pollicetur officium *interceſionis* suæ apud DEVM post obitum suum (quem instare dicit) vt salutaria monita, quæ ex ipso audierant, non obliuiscerentur, néue negligerent. Neque enim video, cur non in hunc planè sensum (quem & placuisse Francisco Turriano nostro memini) interpretari debeamus totam hanc D. Petri sententiam, quam Latinè & Græcè sic ibi legimus: *Iustũ arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in* COMMONITIONE: *certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.* DABO *autem operam, & frequenter habere vos* POST *obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Equidem non video, quid obstet, quo minus secundùm illud officium, quod hîc Petrus pollicetur (*Dabo autem operam, &c.*) intelligamus esse non solùm officium admonitionis, de quo iam dixerat; sed etiã interceſionis post obitum.

Nam

Nam & congruit hic sensus cum aliis Scripturæ locis, ex quibus constat, Sanctos post obitum orare pro aliis: & etiam cum eo, quod ibi interserit, *velocem esse depositionem suam.* Ad fidelium namque consolationem nihilominus addit, neque post illius obitum eis defuturum ipsius officium, nimirum *interceſionis*, vt possent etiam post illius obitum ea facere, quorum viuens eos commonefaciebat.

Item Apocal. 5. *Viginti quatuor seniores* (id est, præcipui Sancti) *ceciderunt coram agno, habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Ex quo loco patet, Sanctos intercedere pro piis & fidelibus commendando orationes illorum Deo, vt suprà diximus. Et clarissimè quoque Apocal. 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Itaque dubitari non potest, quin Sancti beati *& possint* efficaciter & benignè *velint* apud Deum pro nobis intercedere, vt hactenus ex Scripturæ diuinæ testimoniis probauimus. Quod cùm ita sit, consequitur, rectè & vtiliter à nobis eos inuocari, sicut conclusimus argumentatione illa nostra ex Scripturis ducta, qua PRIMO probauimus orthodoxam hanc assertionem.

SECVNDO probatur eadem assertio ex definitione Ecclesię in variis Conciliis. Nam in Concilio Gangrensi canon. 20. Anathema dicitur iis (Eustachianis) qui *Collectas, quæ fiunt in Martyrum memoriis, execrabantur.* Item in Concilio Nicæno II. act. 6. in fine ita legimus; *Cum timore Dei omnia agamus, postulantes interceſiones incontaminatæ Deiparæ & semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ: item sanctorum Angelorum, omniumq; Sanctorum, salutantes venerandas illorum reliquias, vt nos sanctitudinis eorum fiamus participes.* Item in Concilio Constantiensi damnati sunt omnes errores VVicleffi, inter quos vnus fuit, non esse Sanctos inuocandos, vt suprà retulimus ex Thoma VValdensi tomo 3. cap. 108. Et denique etiam in Concilio Tridentino sess. 25. damnatus est idem error Sectariorum huius temporis.

TERTIO probatur ex Ecclesiæ totius consuetudine in inuocandis Sanctis; contra cuius vniuersalem praxim disputare, *insolentissimam insaniam esse* affirmauit meritò D. Augustinus in epistola 18. ad Ianuarium. Ea verò Ecclesiæ praxis apparet præcipuè in publicis *Litaniis*, id est, rogationibus. In quibus præcipuè quidem rogatur Deus tanquam bonorũ auctor, vt notauit Rabanus in lib. de institutione Clericorum cap. 47. & patet ex illo modo in eis Deum precandi, *Miserere nobis.* Deinde etiam imploratur interceſio Sanctorum, per illa alia verba, *Ora*, &; *Orate pro nobis.* Est autem vsus Litaniarum huiusmodi antiquissimus. Nam ante mille & centum annos earum fit mentio in Concilio I. Aurelianensi capite 20. vbi iubentur ante Ascensionem Domini celebrari cum triduano ieiunio, quod in Domiciæ Ascensionis solennitate soluatur. Et in Concilio Gerundiensi, sub idem tempus præscribitur, vt celebretur Litania Calendis Nouembris. Et in Toletano V. cap. 1. vt Idibus Decembris. Et Toletano VI. can. 2. vt celebrentur pro successu Regum. Et in Concilio Bracarensi II. can. 9. iniungitur, vt ante ieiunium Quadragesimale conuenientes in vnum vicinæ Ecclesiæ per triduum cum Psalmis per Sanctorum basilicas ambulantes celebrent Litanias. Quæ etiam tria posteriora Concilia fuerunt celebrata ab hinc mille annis, sub Honorio Papa.

QVARTO probatur eadem assertio ex miraculis, quibus & nunc passim, & iam olim sæpè pium hoc institutum Sanctos inuocandi Deus confirmauit. Ex quo genere præter illa, quæ sanctus Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. narrat, est illud etiam commemoratione dignum, quod S. GREGORIVS NYSSENVS in vita sancti Ephræm Syri, sub finem narrat de quodam, Ephræm etiam dicto: *Cùm in maximum*, inquit, *vitæ discrimen adductus fuisset, quoniam omnes viæ barbarorum copiis intercluſæ tenebantur, te* (alloquitur Gregorius S. Ephræm) *nomine tantum inuocauit, dicens: Sancte Ephræm adiuua me; atque ita tutò periculorum laqueos euasit, mortemq; neglexit, & inopinatam salutem assecutus, patrie, auxilio tuo munitus, præter spem redditus est.*

Ac eiusdem generis est illud, quod S. PAVLINVS Nolanus, in Carmine ad Cythereium de naufragio Martiniani, memorat, de patrocinio S. Felicis Martyris Nolani erga eundem Martinianum in illo naufragio:

In ora lapsus, ora non læsit sua:
In saxa fusus & rubos,
Nec sente vultum, nec lapide artus contudit,
Felicis exceptus manu.

Et post pauca:

Et hunc fidelis compotem voti, suis
Confessor induxit locis.

Ac rursus ipse Paulinus de se in Natali 2. de eodem S. Felice:

Et maria intraui, duce te, quia cura pericli
Cessit amore tui: nec te sine: nam tua sensi
Præsidia, &c.
Sis bonus ô Fœlixq; tuis, Dominumq; potentem
Exores.

Et in Natali 3. narrans miracula, quæ fiebant ad reliquias eiusdem Sancti:

Cernere sæpè iuuat variis spectacula formis
Mira salutantum, & sibi quæq; accommoda votis
Poscentũm; videas etiam de rure colonos
Non sõlùm gremio sua pignora ferre paterno,
Sed pecora ægra manu sæpè introducere secum,
Et Sancto quasi conspicuo mandare licenter:
Moxq; datam sua consisis ad vota medelam
Experto gaudere Deo, & iam credere sana,
Et verè plerumque breui sanata sub ipso
Limine, lata suis iumenta reducere tectis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque hîc etiam illud PRVDENTII addi potest ex lib. Peristephanon, hymno 14. de S. Agnete Virgine & Martyre Romana:

Seruat salutem Virgo Quiritium.
Nec non & ipsos protegit aduenas
Puro ac fideli pectore supplices.

Propter quæ & alia eiusmodi exempla, verisimum iudicari debet luculentum illud de hac re testimonium S. LEONIS serm. 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Sicut & nos*, inquit, EXPERTI *sumus, & nostri probauêre Maiores; credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.*

QVINTO probatur eadem assertio clarissimis aliis sanctorum Patrum testimoniis, qui Sanctos & ipsi inuocarunt, & inuocandos censuerunt. Ex quibus illustria tantùm quædam tum ex Græcis, tum ex Latinis Patribus breuiter proferemus.

S. ATHANASIVS in Euangel. de Deipara: *Ista*, inquit, *noua Eua mater vitæ appellatur, &c. Ad te clamamus: recordare nostri sacratissima Virgo, quæ etiam à partu Virgo permansisti. Aue gratia plena, Dominus tecum, &c. Intercede hera & domina & regina, & mater Dei pro nobis.*

S. BASILIVS homil. in 40. Martyres: *Qui aliqua*, inquit, *premitur angustia, ad hos confugiat: Qui rursus lætatur, hos oret. Hic vt à malis liberetur; ille vt duret in rebus lætis. Hîc mulier orans pro filiis auditur; peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti verò salutem implorat, &c.*

S. GREGORIVS NYSSENVS in vita sancti Ephræm circa finem: *Tu verò*, inquit, *diuino assistens altari, vitæque principi ac sacrosanctæ vnà cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrûm recordare, nobisque peccatorum veniam impetra, vt sempiterni regni cælestis beatitudine perfruamur.*

S. GREGORIVS NAZIANZENVS oratione de S. Cypriano: *At tu*, inquit, *nos de cœlo benignus aspicias, sermonesque nostros & vitam gubernes, sacrumque hunc gregem pascas, aut pascentem adiuues, cùm in cæteris rebus, quoad eius fieri poterit, eum ad optima quæque dirigens, tum graues lupos, syllabarum & verborum captatores, amoliens, sanctæque Trinitatis, cui nunc assistis, pleniorem clariorémque splendorem nobis concilians.* Similia inuenies in eiusdem orationibus de laudibus Athanasij & Basilij. Et idem Gregorius in Tragœdia de Christo patiente:

Benigne adesto vocibus meis: preces
Admitte Virgo ô inclyta.

Et rursus:

At tu quod precor summum, id mihi
Concede, vita sic vt excedam, illius
Vt tantum habens te præsidem semper, velut
Ingentem opum vim, te tuum erga filium
Mihi patronam sentiam acceptissimam.

Et infrà:

Quæ vincis omnes cælitum ordines,
Regina, Domina, generis humani bonum,
Amica semper esto tu mortalibus,
Maximaque, quouis in loco mihi salus.

S. CHRYSOSTOMVS apertè etiam inuocat S. Petrum & Paulum in sermone de adoratione cathenarum & gladij. Ac de hac ipsa Christianorum consuetudine, ita testatur homil. 66. ad populum Antiochenum: *Seruorum Crucifixi sepulchra, regiis aulis sunt clariora, non magnitudine ædificiorum pulchritudine, sed quod longè maius est, confluentium studio. Nam & ipse, qui purpura indutus est* (Imperator) *accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito, stat sanctis* SVPPLICATVRVS, *vt prosse apud Deum intercedant, & scenarum fabrum & piscatorem etiam mortuos vt protectores* ORAT, *qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur horum Dominum nuncupare mortuum, cuius serui vel mortui terrarum orbis Regum sunt protectores? Neque hoc tantùm quis Romæ fieri viderit, verùm & Constantinopoli.*

Congruit cum hoc, quod testatur de antiquissimo Christianorum more EVSEBIVS Cæsariensis lib. 13. de præparatione Euangel. cap. 7. HÆC *nos*, inquit, *quotidie facitamus; qui vere pietatis milites vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.* Sed ad Latinos aliquot Patres transeamus.

S. AMBROSIVS in libro de Viduis, perpendens illud Lucæ 4. *Socrus Petri tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Petrus*, inquit, *& Andreas tunc pro affinitate poterant; nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Videtis enim, quòd magno peccato obnoxia minus idonea sit, quæ pro se precetur, certè quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medium alios precatores.* Et infrà: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, &c. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere.*

S. HIERONYMVS in Epitaphio Paulæ cap. 14. *Vale ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus leua. Fides & opera tua Christo te sociant. Præsens facilius, quod postulas, impetrabis.* Vide alia plurima in libro Hieronymi contra Vigilantium.

S. AVGVSTINVS libro 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 1. *B. Cyprianus*, inquit, *iam corpore, quod corrumpitur, non aggrauante animam, serenius perspicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatem. Adiuuet itaque nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino, quantum possumus, bona eius imitemur.*

Et tract. 84. in Ioannem: *Ad ipsam*, inquit, *mensam Domini, non sic Martyres commemoramus, quemadmodum & alios, qui in pace requiescunt, vt etiam*

etiam pro eis oremus; sed magis, vt orent ipsi pro nobis, vt eorum vestigiis adhæreamus.

S. GREGORIVS lib. 2. Dialogorum, cap. 37. *Qui* (S. Benedictus) *in eo specu, quo prius habitauit, nunc vsque, si* PETENTIVM *fides exigat, miraculis coruscat.* Et capite 38. *Vbi in suis corporibus sancti Martyres iacent, dubium non est, quòd multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente* QVÆRENTIBVS *innumera miracula ostendunt.* Et paulo post: *Quorum mens in Deo fixa est, tanto maius habet fidei meritum, quanto illic eos (Martyres) nouit, & non iacere corpore, & tamen non deesse ab* EXAVDITIONE. Neque opus est plura testimonia referre, cùm hæc sint valde illustria.

SEXTO accedit his omnibus testimoniis ratio. Nam cùm Sancti beati Deo charissimi sint, & in hos ille vberrima illa gratiæ munera, ob quæ nobis in honore sunt, effuderit; non potest ipsi non esse gratissimum, quòd hoc inuocationis officio gratiam illorum apud Deum & dignitatis præstantiam, & Dei erga illos beneficia nos agnoscere protestemur. Rectissimè enim sanctus GREGORIVS NAZIANZENVS in oratione de laudibus Athanasij. *Athanasium*, inquit, *laudans* (& quemlibet alium Sanctum) *virtutem laudabo, &c. Virtutem autem laudans, Deum laudabo, à quo virtus hominibus est, vt per cognatam illuminationem ad Deum euehantur, vel potius reducantur.*

Porro quæ Sectarij contra Sanctorum inuocationem OBIICIVNT, nihil planè probant. Percurramus potissima. PRIMO obiiciunt illud Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me.* RESPONDEO, per inuocationem Sanctorum potius nos protestari, Sanctos non esse Deos. Nam petimus, vt pro nobis apud Deum tanquam apud suum & nostrum Dominum atque Superiorem supplicando intercedant. Qui autem Superiorem habet, Deus non est.

SECVNDO obiiciunt illud Deuter. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino Deo tuo, neque addas quicquam, nec minuas.* Ex quo colligunt, in materia cultus id solùm esse faciendum, quod Deus præceperit, atque adeo neque Sanctos inuocandos, neque Deum colendum per Sanctorum quidem inuocationem, cùm de ea nullum extet diuinum præceptum.

RESPONDEO, non excludi eo & similibus locis à cultu Dei, quod qualicunque modo non est à Deo præceptum, sed quod ita à Deo non est præceptum, vt sit etiam *contra* præceptum diuinum. Id tripliciter probo. PRIMO ex verbis, quæ ibi Deuter. 12. antecedunt, ex quibus constat, solùm impios cultus & ritus Gentium ibi Deum voluisse excludere; qui ita non sunt præcepti, vt sint etiam contra diuinum præceptum. SECVNDO ex phrasi Scripturarum in aliis locis, vbi constat, quandoque dici *non præceptum* id, quod adeo non est præceptum, vt sit etiam *contra præceptum*. Vt Deuteronomij 17. *Cum reperti fuerint apud te vir aut mulier, vt faciant malum, &c. & adorent Solem & Lunam & omnem militiam cœli, quæ non præcepi*; nimirum adeo, vt etiam id prohibuerit. Et Deuteronomij 18. *Propheta, qui arrogantia depranatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, &c.* TERTIO, quia euidentissimè constat ex Scriptura, cultus aliquos voluntarios esse Deo gratos, quamuis à Deo non sint præcepti: vt Votum, & Iuramentum, & obseruatio aliquorum dierum festorum ob beneficiorum memoriam; sicut absque diuino mandato constituta fuit, Iudith 15. & Ester 9. &c. & cælebs vita ad purius colendum Deum, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 7. *Innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Et infrà: *Hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* De quo genere dixerat apertè prius, *præceptum Domini non habeo.* Itaque cùm cultus Dei per inuocationem Sanctorum nunquam sit prohibitus; minimè propterea malus est, quòd à Deo non sit præceptus.

TERTIO obiiciunt illud Isaiæ 8. *Pro viuis à mortuis?* Vnde colligunt, non licere viuis quidquam à mortuis petere.

RESPONDEO, solùm ibi prohiberi illicita & superstitiosa commercia cum mortuis, qualia sunt, quæ verè instituuntur per illusionem dæmonum procurantibus pythonibus. Id patet ex illis verbis antecedentibus: *Cum dixerint ad vos, quærite à pythonibus & à diuinis, qui strident in incantationibus suis: nunquid non populus à Deo suo requiret visionem?* Et tunc illud sequitur: *Pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium, &c.*

QVARTO obiiciunt illud Isaiæ 63. *Abraham nescivit nos, & Israël ignorauit nos: Tu Domine pater noster, redemptor noster.* Non igitur norunt Sancti res aut petitiones nostras; ac proinde frustrà inuocantur.

RESPONDEO primò cum Hieronymo in commentario eius loci, *ignorare & nescire* eo loco esse reiicere seu *non approbare* facta illius populi, quæ nec Deo, nec seruis eius placebant. Quo loquendi modo dicet Dominus ad impios in iudicio: *Nescio vos*, quia scilicet non eos agnoscet per *scientiam approbationis*, vt appellant Theologi.

Secundò dico, aliam fuisse rationem Sanctorum ante Christi aduentum, qui nondum erant beati; & ideo neque munere supernaturali (saltem ordinario) neque per naturam cognoscebant res viuorum; vt neque alij defuncti non beati; sicut Augustinus libro de cura pro mortuis agen. capite decimotertio ex hoc ipso Isaiæ loco confirmat. Sancti verò nunc beati, omnino cognoscunt beneficio beatitudinis, petitiones nostras ad eos directas; vt suprà probatum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVINTO obiiciunt illud 1.ad Timoth.2.*Vnus est mediator Dei, & hominum homo* CHRISTVS IESVS, *&c.* Non igitur sine Christi mediatoris vnici iniuria, adhibentur Sancti tanquam alij mediatores.

RESPONDEO, Sanctos alterius longè rationis mediatores esse, & ideo suam nihilominus gloriam & dignitatem manere Christo, tanquam vnico Mediatori. Nam Sancti solùm sunt mediatores intercedendo precibus & impetrando ex *diuina liberalitate & misericordia*: sicut fuit etiam mediator Moyses, qui de se ait Deuter.5. *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos.* Christus autem est VNICVS mediator talis, qualem illic 1.ad Timoth. 2. describit Apostolus; nempe 1.homo Christus IESVS, qui scilicet simul est & Deus & homo, atque adeo participans de vtroque extremo, inter quæ est mediator. 2. qui dedit SEMETIPSVM; id est, qui dignitate propria infinitæ personæ suæ diuinæ, & non beneficio alterius efficaciter intercedit. 3. REDEMPTIONEM; id est, qui ex *iustitia* satisfecit & intercessit apud Patrem pro nobis, atque adeo redemit nos. 4. pro OMNIBVS; id est, qui est omnium omnino hominum (præteritorum, præsentium, & futurorum) mediator.

His quatuor modis, nullus, præter Christum, est mediator, sed ipse solus est sic mediator. Ex quo tantùm abest, vt sequatur, non debere esse etiam alios mediatores alterius rationis, vt etiam inde probauerit Apostolus ibidem, debere alios pro aliis mediatorum munere fungi, precando & intercedendo. Quod enim ibi hortatus erat fieri *obsecrationes & orationes pro omnibus hominibus, &c.* confirmat, subiungens duplicem rationem; scilicet 1. quia *vnus est Deus omnium, qui vult omnes homines saluos fieri*; & 2. quia *vnus etiam est mediator omnium, etc.* & idcirco conuenit, vt pro omnibus oretur, quò omnes participes fieri queant tum beneuolentiæ illius diuinæ in omnes, tum redemptionis institutæ ab illo vno mediatore pro omnibus.

Itaque cæci sunt omnino Aduersarij, quòd vnde Apostolus probat, debere præter Christum, esse quoque alios alterius generis mediatores orando pro aliis; ipsi probent non debere à nobis inuocari Sanctos tanquam vllo modo mediatores. Quæ certè istorum argumentatio si valeret, æquè probaret, non modò nos malè facere, Sanctos tanquam mediatores inuocando; sed etiam male facere ipsos Sanctos beatos, vsurpando pro nobis vltro officium eiusmodi mediatorum; vt ab illis vltro vsurpari euidenter suprà probatum est, neque ipsi Aduersarij sanniores, seu minus insani, negare audent.

SEXTO obiiciunt, superuacaneam esse intercessionem Sanctorum, quandoquidem, teste diuo Ioanne, *aduocatum habemus apud Patrem, &c.*

RESPONDEO, Deo in operanda salute hominum, non tantùm ea media grata esse, quæ sunt ex ipsius præcepto necessaria, aut quæ possent alioqui sufficere; vt preces & merita Christi Domini; sed varia alia & multiplicia, in quibus sunt etiam orationes Sanctorum; non ob aliquem defectum meritorum Christi, sed vt ita Deus magis efferat dignitatem hominum; & vt augeat eorum meritum, atque adeo præmium. Et denique vt largius se in homines diffundat. Alioqui si tantùm Deus grata haberet media ad salutem sufficientia, non tot cruciatus ipse Christus fuisset perpessus, & tot actus virtutum in hominum salutem contulisset. Minima enim sanguinis gutta, & minimus actus Christi Domini abundè satis fuisset: cùm esset infinitæ valoris.

SEPTIMO solent aliqui ex Sectariis valde pueriliter obiicere illud: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Rom.10. Vnde colligunt, credere nos in Sanctos tanquam in Deos, si illos inuocamus.

RESPONDEO, nos non inuocare Sanctos, vt auctores & largitores bonorum (de quo genere inuocationis loquitur ibi Apostolus) sed tantùm vt intercessores apud Deum, sicut inuocamus etiam hoc modo viuos, vt intercedant pro nobis, & inuocauit etiam Apostolus ad Rom.15. & aliâs. Vt autem hoc modo inuocemus Sanctos; non est opus, credere in illos tanquam in Deos; sed satis est, credere quòd possint & velint (vt probatum est) pro nobis intercedere. Quo ipso si quis dicat, aliquo modo fidem nostram respicere *in Sanctos*, non absurdè loquetur: nam sic etiam loquitur Apostolus in epistola ad Philemonem: *Audiens charitatem tuam & fidem, quam habes in Domino* IESV, *& in* (κὰι εἰς) *omnes Sanctos.*

PVNCTVM OCTAVVM.

Pro quibus sit orandum.

D. Thomas art.7.& 8.

CERTVM est, generatim loquendo, orandum esse ex præcepto diuino, tempore necessitatis (iuxta dicta p.3.) non modò pro nobis ipsis, sed etiam pro quibuscunque aliis, quos teneamur ex charitate diligere, atque adeo pro quibuscunque omnino proximis, dum hanc vitam viuunt. Nam omnes proximos ex charitate diligere tenemur, vt vidimus suprà disputatione 3. quæstione 2.

Probatur autem hæc assertio PRIMO ex ipsa forma orationis Dominicæ. Nam vt ait S. CYPRIANVS in eius expositione, *noluit pacis Doctor, vt quis pro se tantùm precetur. Non enim dicimus, Pater meus, nec panem meum da mihi, &c. Sed Pater* NOSTER, *panem* NOSTRVM *da nobis, &c.* Quia scilicet pro aliis etiam debemus orare.

SECVNDO

SECVNDO ratione. Nam vt rectè argumentatur D. Thomas hîc artic.7. id, quod debemus aliis optare, debemus pro aliis petere. Sed ex charitate non solùm nobis, sed etiam aliis debemus multa bona optare. Ergo etiam petere. Vnde Apostolus 1. ad Timoth. 2. *pro omnibus hominibus* orari vult.

Sed in specie tamen non inutile fuerit tria hîc quærere. PRIMO, an non modò pro *quibuscunque* hominibus viuentibus, sed etiam pro *omnibus* omnino, nemine excepto, seu pro omnibus *collectiuè* (vt dicitur) debeamus orare, petendo illis beatitudinem. Nam quòd debeamus, inde videtur probari, quòd Christus Dominus pro *omnibus* omnino mortuus est, vt affirmat diuus Paulus 1.ad Timoth.2. Ex quo idem Apostolus concludere videtur, pro *omnibus* esse orandum.

In contrarium autem est, quòd constat, inter omnes viuentes multos esse *reprobos*, qui secundùm legem ordinariam Dei, non sunt adepturi beatitudinem. Ergo præsumptuosè & contra legem ordinariam faceret, qui pro *omnibus omnino viuentibus* peccatoribus beatitudinem peteret. Nam esset talis certus, se pro aliquibus reprobis eam petere.

Sit PRIMA Conclusio. Pro omnibus omnino viuentibus petendum est à Deo, vt *quantum est ex parte Dei*, sit illis possibilis consecutio salutis æternæ; hoc est, vt omnibus Deus conferat sufficientia auxilia ad eam consequendam, atque adeo vt per Deum non stet, quòminus omnes saluentur. Quod potest dici esse petere pro omnibus salutem, quantum ad *sufficientiam*. Hæc conclusio omnino est certa, & illam probat ratio facta pro parte affirmatiua. Sic enim Christus pro omnibus mortuus est: Et sic etiam Deus *vult omnes homines saluos fieri*, videlicet quantum est ex parte sua, omnibus necessaria conferendo, vt salui esse queant, vt ostendimus tomo 2. quæstione 2. de Gratia, puncto 4. Itaque debemus nos huic diuinæ voluntati conformare, optando & petendo pro omnibus eodem modo salutem. Ita etiam intelligendus est hîc art.7. S. Thomas.

SECVNDA Conclusio. Non est petendum, vt omnes omnino *reipsa tandem* salutem æternam consequantur. Hæc Conclusio est expresè ad mentem D. Thomæ hîc in solutione tertij, vbi ex sententia S. Augustini libro de Correptione & gratia, capite decimoquinto docet, ideo nemini in particulari esse negandam orationem, quia de nullo in particulari constat, quòd sit reprobus. Ergo si de aliquo id certò constaret, non esset pro illo orandum. Ex quo rursus sequitur manifestè nostra Conclusio. Nam in genere quidem constat certò, inter omnes viuentes esse multos reprobos. Ergo pari ratione non possumus orare, vt omnes reipsa salutem consequantur, sed tantùm vt illi eam consequantur, qui ex sua parte præstiterint, quòd Deus secundùm legem ordinariam requirit.

Item probatur hoc ea ratione: Nam neque sic orauit Christus Dominus, vt omnes consequerentur beatitudinem, sed tantùm vt illi, qui sibi non essent defuturi in consequenda æterna salute. *Ego*, inquit Ioan.17. *pro eis rogo* (Apostolis) *non pro mundo rogo, sed pro illis, qui crediturî sunt per verbum illorum in me.* Denique hoc manifestè conuincit ratio suprà facta in contrarium pro parte negatiua.

Atque ex his patet, perperam Ioannem Medinam in tractatu de Oratione quæst. 6. circa finem, putare, se contra S. Thomam sentire in eo, quod probat pro omnibus omnino esse petendam salutem. Solùm namq; probat ille Doctor, pro omnibus esse petendam modo, quo dictum est in prima Conclusione: id quod nunquam negauit S. Thomas.

SECVNDO quæritur, An non etiam liceat aliquem determinatè & in particulari reiicere ab oratione, qua petamus nobis & aliis salutem reipsa conferri? Videtur enim licere: PRIMO, quia non minores sunt interdum coniecturæ, ostendentes quòd aliquis adhuc viuens sit reprobus, quàm quòd aliquis vita defunctus fuerit prædestinatus. Sed propter coniecturas de salute & prædestinatione alicuius defuncti, superuacanea est oratio pro illius salute. Ergo etiam propter coniecturas de alicuius reprobatione erit superuacanea similis pro illo oratio. Maior videtur clara. Minor etiam patet ex vulgato illo dicto: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro illo*: & tamen de salute Martyris antequàm canonizetur, non habemus nisi coniecturas. Potest enim fieri, vt in puncto mortis fuerit peruersus.

SECVNDO. Nam vt quis excusetur à præcepto aliquo adimplendo, satis est iudicium certum morale, quo putet, non esse exercendum actum præceptum. Sed respectu alicuius in particulari, potest haberi iudicium certum moraliter, quòd non sit orandum pro salute illius. Ergo, &c. Maior est clara. Nam vt, verbi gratia, non teneatis dare Petro eleemosynam, satis est iudicium certum moraliter, quo iudices, Petrum non esse pauperem, atque adeo te non debere dare illi eleemosynam. Minor probatur. Nam quando coniecturæ indicant, aliquem esse reprobum, potest quis ita ratiocinari: Pro reprobo non est orandum, vt salutem reipsa consequatur. Sed hic est reprobus. Ergo pro isto non est orandum. Maior est omnino certa. Minor etiam continet iudicium certum moraliter propter coniecturas. Ergo Conclusio etiam erit certa vt minimum moraliter.

TERTIO & vltimò est argumentum ex prima epistola D. Ioannis cap.5. *Peccauit quis peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt oret quis.* Quem locum multi exponunt de eo, qui excedit è vita in

Universidad de Deusto
Biblioteca

finali impœnitentia. Sed quòd aliquis decedat è vita finaliter impœnitens, non potest esse notum, nisi per coniecturas. Ergo coniecturæ sufficiunt ad non orandum pro aliquo. Antecedens patet. Nam quisque potest in ipso momento mortis conuerti, quantumcunque videatur impœnitens.

Nihilominus RESPONDETVR, nemini in particulari, quamdiu viuit, negandam esse orationem, vt affirmat rectè diuus Thomas hîc in solutione tertij. Probatur PRIMO ex S. AVGVSTINO libro de correptione & gratia, capite 15. *An*, inquit, *ante finem huius vitæ de aliquo desperandum est? Aut contradici Deo potest, ne recipiat & det pœnitentiam, & accepto sacrificio Spiritus contribulati, cordisq; contriti, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, damnatumq; ipse non damnet?*

SECVNDO. Nam quantumuis vehementes habeat quis coniecturas de seipso, quòd sit reprobus: tamen adhuc tenetur pro se orare ex charitate erga seipsum. Ergo etiam tenetur orare pro alio, non obstantibus quibuscunque coniecturis, quas habeat de reprobatione illius. Consequentia patet. Nam ex eadem charitate tenetur quisq; diligere proximum, sicut seipsum atque adeo pro illo orare, sicut pro se. Antecedens autem est clarum. Nemo enim auderet excusare talem ab oratione pro se facienda: imò tales maximè iubentur orare.

TERTIO probatur. Nam vt quis teneatur pro alio orare, satis est iudicium, quo iudicet, omnibus consideratis, *possibile esse moraliter*, vt talis saluetur, & sit prædestinatus. Sed non obstantibus quibuscunque coniecturis de reprobatione alterius, & non obstante iudicio, quo absolutè putetur *esse* reprobus, adhuc potest quis iudicare, *possibile esse moraliter*, vt talis saluetur, & sit prædestinatus. Ergo adhuc tenebitur pro illo orare.

Maior probatur. Nam raro vel nunquam aliter habemus iudicium de salute alicuius, citra vehementes aliquas & raras coniecturas, quæ faciant, vt determinatè quoq; opinemur aliquem non solùm posse moraliter saluari, sed etiam saluum *fore*. Itaque si illud iudicium de possibilitate non esset satis; raro vel nunquam teneremur orare pro aliquo. Minor etiam patet. Nam scimus, moraliter loquendo, multos similes postea fuisse conuersos.

Vnde ad PRIMVM argumentum in contrarium respondeo, dictum illud intelligendum esse de Martyre, postquam est canonizatus, vel communi quodam fidelium sensu habitus pro sancto & beato. Tunc enim incipit esse plus, quàm moraliter certum, illum esse saluum. Ante canonizationem verò vel eiusmodi fidelium sensum & approbationem, posset aliquis (conditionaliter saltem) pro illo orare, cogitans, possibile esse illum, qui visus est mori ex charitate, habuisse complacentiam alicuius peccati, vel non fuisse mortuum ex charitate, &c. atq; adeo indigere oratione, si est in purgatorio.

Ad SECVNDVM negatur Minor. Ad probationem, distinguo Maiorem. Si enim intelligitur de reprobo, quem *certissimò & infallibiliter* constaret esse reprobum: concedatur. Sed sic non constat de vllo. Si autem intelligitur de eo, qui solùm putatur reprobus per coniecturas: falsa est illa Maior. Nam eis coniecturis non obstantibus, habetur iudicium de possibilitate moralis salutis: quod iudicium satis est ad orandum, vt est dictum. Nec est simile illud, quod adductum est de præcepto eleemosynæ. Nam vt ex præcepto quidem debeat fieri eleemosyna, non est satis iudicium de *possibilitate paupertatis*, sed requiritur, vt constet moraliter, alterum *esse pauperem*.

Ad TERTIVM respondeo, nos hîc loqui de peccatoribus non iam iam morientibus, sed aliquanto tempore adhuc superstitibus; & ita quidem, vt sint compotes sui, & conuerti ad Deum possint. Neque enim negandum videtur, quandoque aliquem ita posse mori, & adeo vehementes coniecturas posse esse de illius reprobatione, vt non possit haberi iudicium de possibilitate morali salutis eius; quamuis possit haberi de possibilitate metaphysica, quæ est impertinens ad actus morales. Et de talibus posset intelligi ille locus 1. Ioan. 5. iuxta illam quidem expositionem in argumento allatam. Quanquam habet ille locus aliam interpretationem probabiliorem, vt vidimus tomo 2. quæst. 2. de gratia, q. 3. p. 4.

TERTIO quæri potest, quatenus debeamus pro inimicis orare? Nam quòd debeamus quidem pro illis orare, certum est: cùm debeamus ipsos diligere. Vnde Dominus id ipsum præcipit Matth. 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Sed *quatenus* teneamur pro illis orare, nunc quærimus.

Qua de re verissima est hęc assertio, quam ponit hîc articulo octauo diuus Thomas. Pro inimicis ita debemus orare, sicut debemus illos ex charitate diligere. Itaque debemus pro illis orare *in communi*; non reiiciendo videlicet illos ab orationibus communibus, quas pro omnibus debemus fundere. *In particulari* autem, sicut non debemus illos diligere, nisi in casu *necessitatis*: ita neque orare.

Circa quam doctrinam videnda sunt ea, quæ suprà tradidimus disputatione 3. quæstione 2. & quæ tradit D. Thomas quæstione 25. articulo 7. & 8. & Caietanus hîc articulo 8. qui rectè notat, sanctum Thomam non esse sibi contrarium, propterea quòd suprà in illo loco tantùm dixerit, inimicos diligendos esse in particulari, tempore necessitatis: hîc autem dicit, esse diligendos, tum in necessitate; tum etiam quando *petunt veniam*, benignè illis respondendo. Suprà enim nomen *necessitatis* latius vsurpauit, complectens omnes

omnes casus, quibus est necesse inimicos diligere. Atque adeo etiam tempus, in quibus id est necessarium ad vitandum scandalum aliorum: cuiusmodi tempus est, cùm inimicus petit veniam. Hîc autem presbius vsurpauit nomen necessitatis, vt videlicet significat necessitatem duntaxat *ipsius inimici*, ac proinde distinxit necessitatẽ à tempore, quo est necessaria inimici dilectio propter vitandum scandalum; non autem propter indigentiam ipsius inimici.

Posset etiam hîc disputari de Orationibus pro defunctis. Sed id potius ad disputationem de Purgatorio pertinet. De quo disserendum est, Deo fauente, in quarto tomo.

Illud tantum hic NOTETVR, pro iis defunctis solis, qui in purgatorio sint, orandum esse, vt saluentur; non autem pro iis, qui sint damnati in inferno, quandoquidem constat, hos salutem consequi non posse. Quod ipsum nominatim asseuerat sanctus GREGORIVS libro quarto Dialogorum, capite quadragesimo quarto his verbis: *Eadem*, inquit, *causa est, cur non oretur pro hominibus æterno igni damnatis, quæ est, vt non oretur pro diabolo Angelisq; eius æterno supplicio deputatis, & quæ est, vt non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus impiisq; defunctis. Quia pro eis vtique, quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illum iusti iudicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt.*

Vnde quod in Damasceni Oratione de defunctis, perhibetur, sanctum Gregorium orâsse pro salute Traiani Imperatoris impij & infidelis, eamque illi impetrâsse; satis apparet ex hoc Gregorij loco esse vel falsum vel incertum: præsertim cùm annis circiter quingentis Traianus obierit ante Gregorium. Quanquam si tale quid factum à Gregorio fuit, credendum esset, ipsum fecisse peculiari aliquo instinctu Dei, qui potest nimirum in aliquo casu facere quidpiam præter suas leges ordinarias.

Quòd autem Ecclesia in orationibus pro defunctis petit à Deo, vt eos liberet à pœnis INFERNI, & eis det requiem & gloriam æternam; id minimè pro damnatis petit, sed pro iis, qui in purgatorio sint. Neque id quidem Ecclesia pro his petit, ita vt velit impetrare tunc primùm Dei decretum, quo tales præseruentur à pœnis inferni, & destinentur ad gloriam æternam (nouit enim Ecclesia, iam antè id à Deo de iis, qui sint in purgatorio, decretum esse) sed petit *executionem* eius decreti; confidens nimirum, à Deo iam fuisse constitutum & tale decretum, & vt illud per & propter orationes Ecclesiæ (tanquam per vnum quoddam medium) executioni mandetur, continuando nimirum liberationem eiusmodi animarum ab inferno, & eis requiem & gloriam æternam donando suo tempore. Quemadmodum etiam quando quidpiam aliud à Deo petimus, minimè petimus vt tunc primùm statuat ac velit id facere (quippe scimus iam inde ab æterno illum statuisse quidquid facturus est) sed vt id exequatur iuxta suum æternum decretum, quo illum per nostras etiam orationes id facere statuisse confidimus. Hanc puto esse veram & solidam explicationem huius rei, non autem vllam aliam ex iis, quas circa orationes illas Ecclesiæ pro defunctis, plus nimio operosè vel adfert, vel refellit Ioannes Medina quæstione 6. de Oratione; quas explicationes non est operæprecium discutere.

PVNCTVM NONVM.

Quomodo sit orandum.

D. Thomas art. 12. 13. & 14.

IN precando illum MODVM adhibere oportet & sufficit, qui satis sit, vt piè & decenter oretur; spectata nimirum natura Orationis, vt est collocutio quædam cum Deo. Ad id autem duo requiruntur. PRIMO, vt actus ipse orandi vacet omni mala circumstantia seu conditione: qualis esset, si quidpiam mali, vel ad salutem non pertinens à Deo peteretur; aut si ob malum finem, vel malo modo, & superuacaneo multiloquio, à Christo, Matth. 6. prohibito, quidpiam etiam boni peteretur, vel cum proposito peccandi mortaliter, &c. iuxta ea, quæ suprà dicta sunt p. 4. & 6.

SECVNDO etiam ad id vel maximè requiritur in oratione *attentio*, vt docet diuus Thomas hîc articulo decimotertio. Ira nimirum, vt saltem initio precationis habeat quis in animo attendere, vel ad Deum, quem orat; vel ad sententiam orationis & rem, quam petit, & ad verba (si vocaliter orat, ne indecenter aberret) neque id animi propositum postea in orationis progressu mutet, aut voluntariè mentem ad aliam rem conuertat, quæ attentionem impediat. Quod ita dico, nam aliquid simul fieri potest, quod non impediat orationem. Vt si quis oret se vestiens; quod suadet sanctus Basilius homilia in Martyrem Iulitam. Idque in aliquibus Religionibus approbatis est moris.

Huiusmodi saltem attentio necessaria est, vt oratio quidem culpâ vacet, & impetratoria sit. Vt autem Oratio adferat etiam animo consolationem; perdurans attentio necessaria est, vt notat diuus Thomas articul. 13. accommodans huc illud 1. Corinth. 14. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.*

Quomodo autem attentio ad Orationem adhiberi facilius possit; docet sanctus BASILIVS in regulis breuioribus responsione ad interrogationem ducentesimamprimam. Interrogans enim ibi: *Quomodo quis inter orandum non distrahetur?* Respondet: *Si certò credat, Deum se anteoculos habere. Si enim principem aliquem aut Præsidem intuens,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

intuens, & cum eo loquens, oculos ab eo dimouere non A
solet; qui non tandem credibilius est, intentam mentem
habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum, qui
scrutatur corda & renes, & illud facturum, quod scri-
ptum est, leuantes puras manus sine ira & disceptatio-
ne. 1. ad Tim. 2.

Atque eodem exemplo S. CHRYSOSTOMVS homil. 1. super illa verba Isa. 6. *Vidi Dominum, &c.* ostendit, quanta sit culpa, voluntariè in oratione distrahi. *Qui cum Rege*, inquit, *terreno loquitur, de iis tantum verba facit, de quibus ille voluerit audi-*
re, &c. Tu verò cum Rege Regum colloquens, cui cum
horrore seruiunt Angeli, omisso cum illo sermone; de
luto, de puluere, de telis aranearum loqueris. Nihil
enim aliud sunt huius vitæ negocia. Et quomodo susti-
nebis istius contemptus pœnam? Quis te liberabit ab hac
vindicta? B

Et rectè quoque S. CYPRIANVS in expositione orationis Dominicæ. *Quomodo te audiri po-*
stulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem
tui, cùm rogas, quando tu ipse memor tui non sis?

PORRO si prædictæ duæ Orationis conditiones non desint, scilicet Orationis *pietas* & *attentio*; recta erit Oratio quoad modum, quomodocunque varientur aliæ orandi circumstantiæ ex parte vel *actus* orandi vocalis aut mentalis, vel *formæ* verborum, quibus oretur, vel *temporis*, quo oretur (non loquor iam de oratione publica, de qua p. sequenti) vel *loci*, vel *gestus* corporis in orando, &c. Nam variis admodum modis, quoad has circumstantias, inuenimus orationem rectè atque piè vsurpatam esse. C

Atque vt hæc omnia breuiter percurramus, & quosdam circa hæc ipsa errores confutemus, PRIMO constat, orationem, quæ priuatim instituitur, indifferenter posse vel voce vel mente fieri, vt asserit quoque D. Thomas hîc artic. 12. Probatur PRIMO. Nam vtriusque Orationis exempla & testimonia extant in Scriptura. *Vocalis* quidem Psal. 141. *Voce mea ad Dominum cla-*
maui, voci mea Dominum deprecatus sum. Et Psal. 16. *Intende voce orationis meæ.* Et Ecclesiast. 39. *Confi-*
temini illi in voce labiorum vestrorum. Et Christus Dominus non solùm in cruce voce magna orauit: *In manus tuas, &c.* Sed sæpè aliàs, vt constat ex variis locis Euangelij. Et Matth. 6. tradidit formulam precandi tum vocaliter, tum mentaliter sine multiloquio. D

Atque habet quoque suas quasdam vtilitates vocalis oratio. Valet enim (vt notat articulo 12. D. Thomas) primò ad excitandam deuotionem interiorem. Secundò, vt non solùm mente, sed etiam corpore & voce Deum laudemus, & illi seruiamus: id quod præcipuè pertinet ad orationem, quatenus est satisfactoria; iuxta illud Oseæ vltimo: *Omnem auser iniquitatem, &c. & reddemus*
tibi vitulos labiorum nostrorum. Tertiò, est quoddam testimonium affectus interioris, iuxta illud Psalm. 49. *Lætatum est cor meum, & exultauit*
lingua mea.

Mentalis autem Orationis extat exemplum Dauidis Psal. 104. *Tibi dixit cor meum.* Et de Anna scribitur 1. Reg. 1. quòd *orabat in corde suo, tantum-*
que labia illius mouebantur, & vox penitus non audie-
batur.

SECVNDÒ idem probatur ex Patribus, qui vtrumque modum orationis (& maximè *mentalem*) commendant, ex quibus satis sit audire sanctum BASILIVM homil. in Martyrem Iulitam. *Dicimus*, inquit, *orationem non oportere nos plenè in*
syllabis constituere: quin potius ipsam suas vires plenius
explicare expleréue in animæ orantis libera electione ac
proposito, simul & in actionibus, quæ per omnem vitam
intento studio perficiuntur ad præscriptũ virtutis, iuxta
Paulum 1. Cor. 10. Siue comeditis, siue bibitis, siue quid
facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Accumbens men-
sæ ora; Estans panem, largitori gratiam rependito, &c.
Ac commendat etiam orationem mentalé egregiè CYPRIANVS sub initium expositionis orationis Dominicæ.

Constat etiam SECVNDO, nihil referre, quibus verbis quis oret, modò quis piè & sine vano multiloquio, & attentè oret, & non petat, nisi quod ad salutem pertineat, atque adeo reuocari possit ad aliquam petitionem orationis Dominicæ, iuxta dicta p. 5. Nam variis verbis & modis legimus passim in Scriptura orationes piè fuisse institutas.

Vnde sequitur PRIMO errasse hæreticos Bogomiles, qui censebant, omnes alias Orationes, præter Orationem Dominicam esse reiiciendas, vt refert Euthymius in panoplia titul. 23. parte 2. Quod omnino falsum est. Nam Christus Dominus orationem quidem illam præscripsit, quoad sententiam quidem & res significatas (quo pacto intelligi debet Cyprianus vbi suprà, cùm ait, culpam esse *aliter orare*) non autem quoad verba & modum. Vnde Actor. 2. orârunt aliis verbis & aliter Apostoli, cùm orantes dixerunt: *Tu Domine,*
qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his
duobus, &c. Et Actor. 4. cùm fideles *vnanimiter eleuauerunt vocem, & dixerunt, Domine tu, qui fecisti*
cœlum & terram, etc. respice in minas eorum, & da
seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, &c.
motus sit locus, in quo erant congregati, & repleti omnes
Spiritu sancto. Vt iam alia exempla præteream.

Quò fit, vt quamuis omnes teneantur scire illas septem petitiones secundùm substantiam illarum, vt cùm opus sit, possint petere necessaria à Deo; non tamen tenentur scire eas illis verbis & ordine, quo traduntur in Oratione Dominica: Sicut etiam solet dici de articulis fidei. Ita exca: Sicut etiam solet dici de articulis fidei. Ita exca: Et Medina tractatu de Oratione q. 10. & Sylue-ster, Verbo Scientia, n. 2. estque communis doctrina.

SECVNDO etiam sequitur, errâsse Caluinum lib. 3. Institut. cap. 20. sect. 29. cùm dixit, iteratam repetitionem eiusdem Orationis à Catholicis vsitatam

vsitatam, esse *battologiam & multiloquium prohibi-* A
tum à Christo Domino & garrulitatem illudentem
Deo. At hæc potius Caluini garrulitas, impiè illudit non Ecclesiæ modò, quæ eam orandi rationem approbat & vsurpat, sed etiam ipsi Deo, qui multis modis testatus est, & quotidie testatur, sibi esse gratissimum hunc orandi modum.

Aliud enim est, vnam & eandem orationem superuacaneis & ineptis verbis pertexere, more gentilium (quod Christus vetuit) Aliud autem, sæpius & instanter repetere orationem eandem constantem ex verbis ad orandum aptis, vtpotè ab ipso Domino, vel ab Ecclesia præscriptis & approbatis. Hoc enim non est multum & supernacaneè loqui, sed *orationi instare*, quod præcipit Apostolus ad Coloss. 4. Et *sine intermissione orare*, B
quod idem monet 1. ad Thessal. 5. quodque fecit Ecclesia primorum fidelium, in vna & eadem oratione ad Deum pro D. Petro Act. 12. Et *perseuerare* in oratione, vt faciebant Apostoli Actor. 1. Et in oratione *nunquam deficere*, vt admonuit ipse Dominus Lucæ 18. inducto exemplo viduæ, quæ per multum tempus petens à iudice vindictam, dicens: *Vindica me*, tandem impetrauit, cùm *esset ei molesta*: Et non solùm semel petere, sed rursus *quærere & pulsare*, vt idem Dominus monet Matth. 7. & Lucæ 11. Et denique nihil aliud id est, quàm piè imitari illum Euangelicum cæcum, qui etiam *increpatus* ab iis, *qui præibant, & qui sequebantur*, postquam orasset, IESV *fili Dauid, miserere*
mei; multo adhuc magis eandem orationem ingeminans, clamabat: *Fili Dauid, miserere mei*; donec tandem impetrauit, & quidem iubente ei adhuc IESV eandem illam orationem rursus repetere, cùm ei dixit: *Quid tibi vis faciam? At ille*
dixit: Domine, vt videam. Et IESVS *dixit illi: Respi-*
ce, fides tua (vsque adeo in orando perseuerans) *te saluum fecit.* Qui igitur volunt à IESV exaudiri; piè & vtiliter facient, si instanter eandem orationem repetent, quantumuis à Caluino & aliis Sectariis propter hoc *increpentur*, sicut increpabatur ab aliis indignè ille cæcus, à Domino illuminatus.

TERTIO inde etiam sequitur, errâsse eundem Caluinum in illo capite 20. sect. 33. cùm censuit, communes Ecclesiæ preces debere necessariò D
fieri vulgari lingua. Non est hoc necesse: cùm etiam ij, qui Latinam linguam non intelligunt, possint in eiusmodi orationibus habere attentionem ad Deum ipsum, qui oratur (quæ attentio, vt D. Thomas hîc artic. 13. affirmat, præcipua est, & omnibus etiam idiotis communis) & quod ad sententiam attinet, referre se ad alios, qui intelligunt, & maximè ad Ecclesiæ ministros. Quod cùm idiotæ faciant; piè & decenter orabũt, quandoquidem non requiritur omnimoda attentio (vt oratio quidem culpâ vacet, & impetratoria sit) sed illa sufficit, quam initio diximus.

Constat præterea TERTIO, nihil etiam interesse ad rectum orandi modum, quo & quanto *tempore* oretur (loquimur iam de oratione priuata) modò oretur, quando necesse est, & perseueranter atque instanter, quantum oportere videbitur ad excitandum internum animi affectum, & feruorem sine tædio; vt rectè dicit D. Thomas hîc art. 14. Extant enim in Scripturis exempla orationum piarum, quouis tempore; nempe noctu, & die; diutius, & minus diu, &c.

Quapropter vitandus hîc est error Messalianorum, seu Psallianorum (vt etiam nominantur) qui teste D. Augustino libro de hæres. cap. 57. vsque adeo continenter orabant, vt fuerit auditu incredibile; & de iisdem scribit DAMASCENVS hæresi 80. tamdiu orandum censuisse, *do-*
nec quis sentiat, peccatum, quem admodum fumum
quendam, vel ignem, vel draconem, vel aliquam talem
bestiam per orationem expelli. Fundamentum præcipuum istorum erat illud Luc. 18. *Oportet semper*
orare.

Sed tamen hoc tam rigidè intelligere manifestè est contra fidem. Oportet enim habere curam rerum exteriorum, quam qui negligit, maximè circa domesticos, ait D. Paulus 1. Timoth. 5. *infideli esse deteriorem.* Quæ cura, vt patet, obstat continuitati orationis. Item dormiendum est ex naturæ necessitate; quo tempore orari non potest. Solus namque Christus Dominus propter scientiam infusam potuit propriè illud dicere *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5.

ALITER ergo intelligendus est ille locus Lucæ 18. Exponi autem solet tripliciter. PRIMO, vt oratio continua, sit charitas & bona opera continua. Ita D. Augustinus epist. 121. ad Probam.

SECVNDO, vt oratio sit continua per continuum orandi desiderium virtualiter vel habitualiter; quod fit, quando quis voluit aliquando orare, & non mutauit hanc voluntatem, nolens orare, quando sit opus. Quæ expositio est ex mente Augustini in dicta epistola, & Anselmi in caput 5. epist. 1. ad Thessalonicenses. Sed tamen hæ duæ expositiones etsi veræ sint, tamen non sufficiunt. Nam posset aliquis his duobus modis continenter orare, & tamen nondum facere, quod illic præcipuè voluit Dominus, vt videlicet actu etiam petatur frequenter & instanter, quando est opus: sicut fecit vidua illa, quæ propter importunitatem à iudice fuit audita: quam parabolam induxit Dominus, vt ex ea argumentando probaret semper esse orandum.

Itaque dicendum TERTIO ex sententia & mente D. Augustini hæresi 57. & Bedæ in caput decimum octauum Lucæ, atque etiam Anselmi vbi suprà, & D. Thomæ hîc artic. 14. ad quartum, & Ioannis Medinæ quæst. 11. de Oratione, & Alphonsi à Castro, Verbo Oratio, hæresi 2. locum illum intelligendum etiam esse hyperbolicè; vt *semper* idem valeat, quod *frequenter*, quotiescunq; est opus; & ita non est necesse ad intelligendum illum locum quærere varios modos cõtinuitatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

orationis. Non enim Christus voluit esse continuam, sed frequentem; vt fuit petitio illius viduæ.

Ac per similem hyperbolen intelligitur, quod Lucæ secundo scribitur de Anna; quod *non discedebat à templo, &c. seruiens die ac nocte*; quæ tamen sæpè discedebat, vt dormiret, comederet, &c. Item illud Actorum duodecimo: *Oratio autem fiebat sine intermissione pro eo ad Deum.* Et illud Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Constat denique QVARTO, nihil etiam interesse, quo *loco* aut quo *gestu* corporis quis oret, modò piè & attentè oret, vt est dictum. Legitur enim Christus orâsse aliquando *subleuatis in cœlum manibus.* Ioannis 17. aliquando *procidens super terram.* Marci 14. item *positis genibus.* Lucæ 22. Sicut etiam fecit Stephanus Actorum 7. & Petrus Actorum 9. & Paulus Actorum 20. & ad Ephesios 3. Item aliquando orationem factam fuisse *in Ecclesia.* Iudith 6. aliquando *in cœnaculo* à diuo Petro. Actorum 9. Età tribus pueris *in fornace.* Daniel 3. Et à Iona in *ventre piscis.* Ionæ 2. Atque etiam Damascenus libro quarto de fide orthodoxa, capite decimotertio, memorat olim ex traditione Apostolica fuisse moris versus *Orientem* potissimùm orare, quia inde Dominus venturus expectatur, iuxta illud Matthæi vicesimo quarto. *Sicut fulgur exit ab Oriente & paret vsque in Occidentem: ita erit aduentus filij hominis.*

Et TERTVLLIANVS in Apologetico cap. 30. describens antiquum Christianorum gestum in orando, dicit: *Illuc* (in cœlum) *sustinentes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus, &c.*

De quo toto genere modi in orando, tanquam de indifferenti, & simul tamen vtili, rectè sanctus AVGVSTINVS libro de cura pro mortuis, capite quinto: *Orantes*, inquit, *de membris sui corporis faciunt, quod supplicationibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo; & si quid aliud visibiliter faciunt, quamuis illorum inuisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit; neque ille indigeat his indiciis, vt humanus ei pandatur animus: sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendúmque humilius atque feruentius. Et nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui, vt fierent, ista præcessit, quia facta sunt, crescit.*

Ex iis abundè confutantur alij tres errores absurdissimi & nullo fundamento innitentes. PRIMVS fuit Eustachij & sequacium, qui censuerunt, non esse orandum *in domibus coniugatorum.* Qui error memoratur & damnatur in Concilio Gangrensi in epistola ad Consacerdotes & Episcopos in Armenia constitutos. SECVNDVS fuit eorundem, qui (vt ibi etiam refertur) dicebant, ea, quæ ad cultum diuinum in Ecclesiis fieri solent (atque adeo etiam Orationes) non esse in Ecclesiis peragenda, sed in aliis priuatis *conuenticulis.* TERTIVS fuit aliorum hæreticorum, qui dicti sunt Agnoclytæ, & absurdè contendebant, non esse vnquam orandum flexis genibus, sed semper stando, vt Damascenus refert hæresi 91. Quæ omnia ex dictis constat absurdissima esse.

PVNCTVM DECIMVM.

An modus ille orandi peculiaris, qui est præscriptus in Horis Canonicis, sit conueniens.

Ad art. 12. vel 13. vel 14. D. Thomæ.

DE Horis Canonicis multa annotata sunt ab Isidoro libro 1. de Ecclesiasticis Officiis. & Rabbano lib. 2. de institutionibus Clericorum, & à Ruperto Tuitiensi lib. 1. de diuinis officiis, & à Thoma VValdensi (ex antiquitate præclarè) romo 3. à cap. 20. vsque ad vicesimum septimum, & ab aliis, qui post illum de hac re scripserunt. Nos per ordinem de illis breuiter explicabimus octo. PRIMO, Sitne omnino pia & vtilis ea precandi ratio, quæ in Horis Canonicis obseruatur. SECVNDO, A quibus debeant Horæ Canonicæ recitari. TERTIO, Quid in eis sit recitandum. QVARTO, Quomodo. QVINTO, Quando. SEXTO, Vbi. SEPTIMO, Quænam causæ possint excusare ab eis recitandis. OCTAVO, Quid faceret teneatur is, qui sine causa rationabili intermisit eas recitare.

De vtilitate Horarum Can.

INSTITVTVM hoc ex parte saltem videtur iam olim fuisse reprehensum ab aliquibus veteribus hæreticis. Nam de Paulo Samosateno narratur apud Eusebium lib. 7. historiæ, cap. 25. vel 26. quòd *psalmos* (ab Ecclesia etiam compositos) *qui in Dominum nostrum Iesum Christum dicebantur, tanquam neotericos cessare fecerit, & alios à se compositos cantari de se in Ecclesia à mulieribus, quas ipse ad canendum instituerat.*

ISIDORVS item libro primo de officiis Clericorum, capite vicesimo secundo scribit, fuisse *quoddam genus hæreticorum, superstuas astimantium sacras Vigilias, & spirituali operi infructuosas*, in quibus nimirum iam olim Ecclesiastice persone &urnas horas Canonicas recitabant. Et addit Isidorus, eiusmodi hæreticos Græco sermone Lethargicos seu Nyctazontes, hoc est, somnicolosos fuisse appellatos.

Qui error nominatim fuit quoque Vigilantij, siquidem de eo ita scribit S. HIERONYMVS in epistola

epistola ad Riparium Presbyterum: *Quòd dicis, eum execrari vigilias, facit & hoc contra vocabulum suum, vt velit dormitare Vigilantius, & non audiat Saluatorem dicentem sic: Non potuistis vna hora vigilare mecum?* Matth. 26. Et in epistola sequenti ad eundem Riparium & Desiderium: *Si*, inquit, *Dormitantius in mea rursus maledicta vigilat, &c. nequaquam illi breui lucubratiuncula, sed tota nocte vigilabo.*

Omnino autem totam rationem Horarum Canonicarum improbarunt, VValdenses hæretici teste Aenea Syluio libro de origine Boëmorum, capite 35. & nominatim VViclephus apud Thomam VValdensem tomo 3. cap. 21. censuit, vsum Horarum Canonicarum *non esse prudentem*, & obligare ad eas esse *derogare libertati Christianæ.* Atq; etiam Husitæ censuerunt, frustrà in his legendis Horis teri tempus. Quod idem est iudicium Sectariorum huius temporis, auctore Luthero, qui in lib. de Forma missandi, scripsit Horarum Lectionem esse *simulatum Dei cultum.*

Sed ex fide est certum, eam omnem precandi rationem esse optimam & vtilissimam, Deoque gratissimam, cùm ab Ecclesia tota probetur; contra cuius vniuersalem praxim velle disputare, *insolentissima insania est*, vt affirmat S. AVGVSTINVS epist. 118. ad Ianuarium.

Probatur autem hoc PRIMO auctoritate Apostoli ad Ephes. 5. Planè enim per hoc officium exequitur Ecclesia illud, ad quod generatim ibi Apostolus hortatus est, inquiens: *Implemini Spiritu, loquentes vobismetipsis, in psalmis & hymnis & canticis Spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri.* In quem locum Haymo: *Nobismetipsis*, inquit, *loquimur, quando alternatim canimus psalmos. Psalmus dicitur à psallendo. Hymnus sonat laus Dei, &c. Hymnos apud Latinos composuerunt præcipuè Ambrosius & Hilarius clarissimi viri.*

SECVNDO accedit, quòd imitamur etiam per hoc & Christum ipsum Dominum, qui cum discipulis *hymnum* solitus fuit dicere: & etiam Dauidem, qui de se ait. Psal. 54. *Vespere & manè, & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocẽ meam.* Et Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Et rursus: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Et: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Et Danielem, qui *tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat, confitebaturq; coram Deo suo, sicut facere consueuerat.* Dani. 6. Atque etiam alios Sanctos, quos constat similiter statis temporibus & certo modo precari fuisse solitos: secundùm id, quod generatim de iusto dicitur. Eccles. 39. *Iustus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur, &c.*

TERTIO probatur ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, in qua constat iam inde ab Apostolorum temporibus fuisse vsitatam à viris præsertim Ecclesiasticis certam aliquam normam orandi, quæ nonmulto post ex parte primum, & deinde omnino, in hanc ipsam Horarum Canonicarum formam redacta sit. Id apparet ex his Antiquitatis testimoniis.

De Apostolis Petro & Ioanne scribit S. BASILIVS in regulis fusius explicatis ad interrogationem 37. sic: *De Nona, quòd ea ad orationem nobis necessaria sit, id Apostoli ipsi declarauerunt in Actis, in quibus est, quòd Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Actor. 3.*

De S. Iacobo Apostolo, Episcopo Hierosolymitano, narrat BEDA lib. 2. in Lucam circa illud Lucæ 4. *Intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, &c.* quòd vsum talem lectionum sacrarum in Ecclesia Hierosolymitana *inchoauit, non Sabbathis tantùm, sed omni feria fixum legens & designans officium de carminibus Prophetarum.*

S. CLEMENS Romanus discipulus S. Petri libro 8. constitutionum Apostolicarum, cap. 34. *Precationes*, inquit, *facite mane, tertia hora, ac sexta, ac nona, & vesperi, atque ad Galli cantum.* Atque ibidem rationes horũ omnium temporum reddit.

TERTVLLIANVS in Apologetico cap. 2. refert, Plinium secundum scripsisse ad Traianum *de Christianorum cœtibus antelucanis ad canendum Christo & Deo, ad confœderandam disciplinam.*

S. CYPRIANVS in expositione orationis Dominicæ, commemorata oratione tertiæ, sextæ & nonæ, quam ait tres pueros cum Daniele obseruasse. Daniel. 6. *Sacramento*, vt inquit, *Trinitatis, quæ nouissimis temporibus manifestari habebat*; postea subiungit: *Sed nobis fratres dilectissimi prater horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spacia & Sacramenta creuerunt. Nam & manè orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur, &c. & recedente item Sole, ac die cessante necessariò rursus orandum est. Nam quia Christus, Sol verus, & dies est verus, quando oramus, vt super nos denuò lux veniat, Christi precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum.* Vbi certum est, loqui Cyprianum non de vna aliqua simplici oratione matutina & vespertina (tunc enim non sæpius oratum illis Cypriani temporibus fuisset, quàm ante Christi aduentum, vt Cyprianus tamen vult) sed de pluribus, quæ solerent fieri & *manè*, vt Laudes, Prima, Tertia, &c. & *vesperi*, vt Vesperæ & Completorium.

Item S. BASILIVS in regulis fusius disputatis ad interrogationem 37. omnium septem Horarum facit mentionem; Primæ quidem sub nomine *Matutini* (quo vocabulo & aliqui alij veteres tum Primam, tum etiam Laudes complecti solent, quia vtraque oratio manè, id est, in Aurora, & Hora Prima sub ortum Solis dici solerent) expresè autem, *Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperarum (sub occasum Solis peracto iam die)* Itemque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Completorij sub nomine *petitionis*, quę fieri debeat, *primis se iam noctis intendentibus tenebris, vt quies, quam sumus capturi, inoffensa & ab omni perturbatione ac vitio liberasit*: Atque etiam *Nocturnorum* sub nomine orationis, quæ sub *dimidiatum noctem* facienda sit, iuxta illud, quod Actor.16.legitur: *Circiter autem mediam noctem Paulus & Silas laudabant Deum*. Et denique *Laudum* sub nomine orationis, quę *ante diluculum*, siue sub Auroram sit etiam facienda ad imitationem Dauidis, qui Psalmo 118.dicebat: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, &c.*

Item S. Ambrosius hymnos aliquot composuit, vt testatur Augustinus lib.1. Retractationum, c.21.& ipse Ambrosius Oratione in Auxentium, quæ extat lib.3.epistolarum. Deinde in lib. Hexameron in expositione quinti diei, orandum esse tum *manè*, tum *vesperi*, pulchrè confirmat exemplo auium, *quæ*, inquit, *cùm eunt cubitum, quasi peracto munere, lætæ æthera cantu mulcere consueuerunt, vt vel decurso vel adorto nocturno diurnoq; tempore Laudes suo referant Creatori.*

Item S. Hieronymus epist.22.ad Eustochium de custodia Virgin. cap.16. *Horam*, inquit, *tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque* (referre videtur ad diluculum quoque primam) *& vesperam* (refert huc etiam Completorium) *nemo est qui nesciat. Noctibus bis terq; surgendum.* Et in fine addit: *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem*; sicut solemus nimirum facere inter orandum. Et epistol.27. in Epitaphio Paulæ, cap.10. *Manè, hora tertia, sexta, nona, vesperi, noctis medio, decantabant*, Virgines nimirum in Monasterio, quod Paula fundauerat. Dicit autem Hieronymus, *noctibus bis terq; surgendum*; nam solebant Nocturni tres recitari sub medium noctis (id est, post principium, & ante finem eius) in tribus posterioribus noctis vigiliis ex quatuor, in quas milites noctem diuidere solebant, attribuentes singulis tres horas, vt notauit Augustinus serm.14. de verbis Domini, & Isidorus lib.1. de Offic.cap.19.

Item S. Avgvstinvs in Regula 3. (sumpta ex epist.109.eiusdem) cap.7. *Orationibus instate horis & temporibus constitutis.* Et cap.8. *In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Vt si fortè aliqui etiam prater horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint.* Et serm.201.de Tempore. *Veniat*, inquit, *cuicunque possibile sit ad vespertinam atq; nocturnam celebrationem.* Et lib.22. de ciuitate Dei, cap.8. *Ad vespertinos*, inquit, *illuc hymnos & orationes cum ancillis suis & quibusdam sanctimonialibus ex more Domina possessionis intrauit, atque hymnos cantare cœperunt.* Scilicet in Victoriana villa, non longè ab Hippone, in memoria Martyrum Geruasij & Prothasij, vt ibi ait Augustinus.

Item S. Isidorvs lib.1.de officiis Ecclesiasticis, expressè meminit, ac sigillatim rationem reddit *canticorum, psalmorum, hymnorum, antiphonarum, responsoriorum, precum, lectionum.* Itemque *Tertiæ, Sextæ, ac Nonæ, Vesperarum, Completorij*, & Nocturnorum, sub nomine *Vigiliarum*, & Laudum (& vt videtur, Primæ quoque) sub nomine *Matutini.*

Item Beda in cap.18. Lucæ, circa illud: *Oportet semper orare.* huiusmodi preces tanquam antiqua Ecclesiæ traditione approbatas memorat, & nomine etiam nunc vsitato *Horas Canonicas* nominat. *Dicendum*, inquit, *eum semper orare, & non deficere, qui Canonicis Horis quotidie iuxta ritum Ecclesiastica traditionis, psalmodiis, precibus q; consuetis Dominum laudare & rogare non desistit: & hoc esse, quod Psalmista dicebat Psal.33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Omitto his posteriores.

Quarto probatur istarum precum institutum testimonio etiam hostium Christianæ fidei, à quibus illud quoq; pium olim iudicatum fuisse, constat. Nam de Iuliano Apostata scribit ex Sozomeno Cassiodorus lib.6. historiæ tripartitæ cap.29. quòd *considerans Christianismum ex vita bona & conuersatione consistere, studuit vbique templa paganorum constitutione & ordine Christianæ religionis ornare, sedibus atque processionibus, paganorum q; dogmatibus atque monitionibus. Et Lectores suæ superstitionis instituit instar Clericorum, vt & horas certas, & dies orationum solenniter obseruarent.*

Postremo probatur ratione. Nam nihil est in toto hoc instituto Horarum Canonicarum, quod iure reprehendi possit. Nam in eis vel laudatur vel oratur Deus, vel leguntur sacræ historiæ, aut prophetiæ, aut doctrinæ & admonitiones sacræ. Vt fit in *Antiphonis* (ad imitationem Seraphim, qui Isaiæ 6. clamare leguntur *alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* vt Isidorus lib.1.de officiis notauit) & in *Psalmis, hymnis, lectionibus, responsoriis, versiculis, capitulis, collectis*; vel etiam imploratur quandoque intercessio Sanctorum apud Deum; quod omnino etiam piè & vtiliter fieri demonstrauimus p.8.

Neq; reprehendi potest, quòd Hymni & Collectæ non sint in Scriptura, sed ab ipsis Ecclesiasticis viris compositi. Nam in sententia nullum errorem continent; quoad verba autem iam vidimus p. præcedenti, nihil interesse, quibus verbis oretur vel laudetur Deus, modò & piè & decenter atque adeo etiam sine errore fiat. Vnde in Concilio Toletano IV. can.12. excommunicationis pœna decernitur in eos, qui *Ecclesiasticos hymnos propterea respuunt, quòd humano studio sint compositi.* Tunc enim, vt ibi argumentantur Patres, ille etiam hymnus, quem in fine psalmorum dicimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, reiiciendus esset, cùm neque ille legatur totidem verbis in Scriptura.

Quòd autem Ecclesiasticæ personę ad certam hanc orandi rationem *obligentur*, nihilo magis reprehendi potest. Nam vt tomo 2.q.5. de legib. conui-

conuicimus, habet Ecclesia potestatem obligandi ad actus pios & vtiles. Esse autem has precationes pias & proinde vtiles, iam probatum est. Itaque omnino nihil est, quod aduersus eas possint obiicere Sectarij præter odium quoddam suum & fastidium, quo afficiuntur erga genus ferè totum operationum piarum. Et hactenus de Primo.

Quinam teneantur recitare Horas Can.

Quod verò ad Secvndvm attinet, scilicet Quinam teneantur recitare officium diuinum seu Horas Canonicas, ponam tres Conclusiones. Prima Conclusio. Omnes illi, qui sunt sacris ordinibus, siue maioribus, initiati, tenentur quotidie dicere officium diuinum. Est communis sententia. Et quod attinet ad Presbyteros, patet ex Cap. *Presbyter*, de celebratione Missarū: quod ad Diaconos verò & Subdiaconos, patet ex Cap. *Dolentes*, eod.tit.& Cap. Finali.92. distin. Ratio verò huius præcepti est. Nam vnū ex præcipuis officiis ministri spiritualis est, orare pro populo Deum. Vnde hoc ipso, quòd iure diuino & naturali, minister spiritualis tenetur exequi suum officium, tenetur etiam aliquo tādem modo orare pro populo. Ecclesia autem iure positiuo determinauit modum orationis, vt videlicet septem horæ Canonicæ dicantur.

De illis autem, qui tantùm sunt *minoribus* ordinibus initiati, communiter sentiunt Doctores contra Panormitanum in dicto Cap. Presbyter, eos non debere dicere horas Canonicas. Et addit Sotus lib.10.de Iustit.quæst.5.art.3. neq; posse Episcopum illis aliquid determinatè orandum præscribere. Vnde si aliquando Episcopus inter ordinandum aliquid orandum iniungit huiusmodi initiatis, non est censendus velle obligare sub peccato, sed tātùm sunt illa dicenda ex quadam congruitate & decentia. Quo pacto etiā putat Sotus vbi suprà, intelligendum esse, quod ait Paludanus in 4.d.15.quæst.5.art.1.concl.3. huiusmodi ordinatos ad aliquid plus teneri, quā Laicos, videlicet non ex præcepto, sed ex honestate; id quod satis etiam indicat ipse Paludanus.

Secvnda Conclusio. Illi etiam omnes, qui habent *beneficium Ecclesiasticum*, siue simplex, siue curatum, aut denique quamcunque aliam *præbendam* titulo Clericali, tenentur officium diuinum recitare. Est etiam communis sententia, quam colligūt Doctores ex eo, quòd in illo Cap. Finali. 92. distin. habetur, omnes Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, & omnes, qui sunt Ecclesiæ *deputati*, debere dicere officium diuinū. Per quam deputationem intelligunt Doctores titulum præbendæ, vt distinguitur à titulo Ordinis, per quem etiam Clerici Ecclesiæ deputantur.

Est etiam hæc sententia expressè declarata & probata à Pio V. in Bulla speciali relata à Nauarro in Manuali cap.25.num.122. Vbi Pontifex nomine *beneficij Ecclesiastici* vult etiam intelligi *præstimonia*, siue *præstimonialia beneficia*; & peculiariter præterea præcipit pensionariis, qui pensionem recipiunt *tanquam Clerici*, quotidie recitare officium paruum B. Virginis: quanquam antè illam Bullam nihil determinatè recitare tenebātur ex præcepto, vt idem Nauarrus vbi suprà sentit numero 108. & Sotus etiam vbi suprà. Et ratio est: quoniam isti pensionarij nō habent titulum beneficij, sed tantùm habēt ius recipiendi aliquam portionem ab eo, qui habet titulum. Notanter autem dixit Pius V. pensionarij, qui *vt Clerici* recipiunt. Nam alij pensionarij, qui titulo seculari (vt titulo Belli, &c.) recipiunt aliquas decimas, ex sententia omnium, ad nihil tenentur.

Tertia Conclusio. Omnes Religiosi *professi choro deputati*, etiamsi non sint sacris ordinibus initiati (hoc est, omnes eiusmodi religionū professi, *præter conuersos*, vt vocant) etiam tenentur quotidie diuinum officium recitare; quamuis id quidem solùm propter consuetudinem eiusmodi religionum, aut peculiarem earum legem; nō autem iure aliquo communi. Et quidem quòd teneantur, sentit Sotus vbi suprà, & Nauarrus capite illo 25. numero 96. & Syluester, verbo Hora, num.3. vbi ait, esse communem sententiam Doctorum. Quòd autem ad id teneantur propter *solam* eiusmodi religionum consuetudinem (vel etiam legem) asserit Caietanus in Summa, verbo Horæ Canonicæ.

Et probatur eo argumento. Nam neque ad id tenentur ex *præcepto* aliquo Iuris peculiari; quippe nusquam extat: neque etiam ratione *professionis*, secluſa peculiari constitutione seu lege ad id obligante (si quæ est in aliqua religione) Nam de ratione professionis præcisè solùm est, conari ad perfectionem consequendam per aliqua opera & exercitia virtutis religionis, quæ ex cuiusque ordinis instituto, referri possint in cultum & gloriam Dei. Sed vt patet, iste conatus ad perfectionem per aliqua exercitia religionis, potest consistere sine peculiari illo actu recitationis septem horarum, non minus, quàm sine aliis quibusdam actibus religionis, ad quos quis ex peculiari instituto sui ordinis non obligetur. Ergo nō omnes Religiosi tenentur ratione professionis recitare officium.

Et confirmatur. Nam maximè ratione professionis ad id tenerentur Religiosi, vt per huiusmodi Horas Canonicas referāt spiritualem gratiam populo, cuius eleemosynis alūtur. Sed hoc dici non potest. Ergo, &c. Probatur Minor: tum quia multis aliis modis possunt populo spiritualiter gratificari, vt orando priuatim, &c. Tum quia, vt Caietanus ait, & bene; vbi suprà, eleemosynæ nō ob id præcipuè conferuntur Religiosis, vt orent pro populo, sed propterea, quòd sint diuino cultui & contemplationi mancipati, & ex professo pauperes.

Hinc sequitur, Conclusionem prædictam solùm esse intelligendam de Religionibus, in qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus iam viguerit & recepta sit consuetudo talis. Nam Religio, quæ eam consuetudinem nunquã receperit; minimè per prædictam consuetudinem ad id obligabitur: maximè cùm possit optimè consistere substantia professionis Religiosi, sine tali consuetudine, vt probatum est, & patebit magis ex iis, quæ trademus infrà in materia de Statibus, cùm agemus de differentia Religionum.

Adde, quòd Caietanus etiam addubitat vbi suprà, an talis consuetudo in aliqua Religione obliget *sub peccato*. Sed tamen veriùs videtur & securiùs, quòd sub peccato obliget; & quidem sub mortali, in iis Religionibus, in quibus obtinuit. Ita enim habet communis sententia Doctorum.

De *Conuersis* verò & *Nouitiis* omnes censent, eos non obligari, quanquam contrarium de Nouitiis sentiat Paludanus in 4. d. 15. q. 5. a. 1. con. 4. sed sine fundamento vllo firmo rationis aut Iuris, vt inquit Sotus vbi suprà, & Sylvester, verbo Hora, num. 3. Hæc de SECVNDO.

Quid sit recitandum.

CIrca TERTIVM, Quid videlicet sit recitãdũ, minor est difficultas post Bullam Pij V. editã circa Breuiarium Romanum anno 1568. restitutum. Dicendæ namque sunt ex sententia omniũ septem horæ Canonicæ: & quidem secundùm ritum illius Breuiarij, ab omnibus omnino, exceptis iis, qui ad eas Ecclesias vel Religiones pertinent, in quibus vel ab ipsa prima sui institutione per sedem Apostolicam approbata, vel à ducentis & eò ampliùs annis ante editionem illius Breuiarij viguerat consuetudo aliter officiũ recitandi. Quibus tamen Ecclesiis & Religionibus nihilominus sit facultas à Pontifice recipiendi Romanum Breuiarium. Quamdiu autem eiusmodi aliqua Religio aut Ecclesia istud Breuiarium non recipit; non videtur ordinariè licere particularibus ad eiusmodi aliquam Ecclesiam vel Religionem pertinentibus, recitare horas secundùm illud; neglecto Breuiario suæ Religionis vel Ecclesiæ; nisi quem fortè, absentem præsertim à sua Ecclesia vel Religionis cœnobio & choro, rationabilis aliqua causa in hoc excusaret; præsertim confirmata aliquorum aliorum piorum hominum exemplo.

Quod verò attinet ad preces alias, Psalmos, & Suffragia, quæ statis diebus solent assignari in aliquibus Breuiariis, bene admonet Caietanus in Summa, verbo Horæ, standum esse consuetudini cuiusque loci, tum quoad obligationem *absolutè* illa dicendi, tum quoad obligationem dicendi *sub mortali vel veniali*. Cui consuetudini non derogat Bulla Pij V. Quanquam in Breuiario quidem Romano, non vult Pius V. obligare sub peccato ad prædictas extraordinarias preces siue Suffragia, licet omnes hortetur ad ea statis diebus dicenda, & impertitur etiam indulgentias dicentibus, vt patet ex Bulla ei Breuiario præfixa.

A Existit autem hîc dubium, Vtrum liceat absque mortali *commutare* officium vnius & eiusdem Breuiarij. Vt verbi gratia, dicere de Sancto, quãdo esset dicendum de Feria. Caietanus enim in Summa, verbo Horæ Canonicæ, putat non esse mortale. Idem etiam putat Syluester, verbo Hora, num. 2. & clariùs num. 15. Ratio Caietani, quæ videtur etiam Syluestri, est. Nam substantia præcepti tantùm est, vt dicantur septem Horæ Canonicæ, non verò vt dicantur de hoc aut de illo. Sotus præterea lib. 10. de Iustitia, quæst. 5. art. 4. dicit, se non audere in hoc contradicere Caietano.

Hæc tamen sententia videtur habere maiorem difficultatẽ in Breuiario Romano propter
B Bullã Pij V. In qua præcipitur omnibus (ad quos id Breuiarium pertinet) dicere officium, *secundùm formulam* huius Romani Breuiarij. Constat enim in formula huius Breuiarij contineri, vt in feria dicatur de Feria, & in festo dicatur de Festo.

Posset tamen nihilominus ad hoc responderi, illud verbum (*secundùm formulam* huius Breuiarij) referendum esse ad formulas aliorum Breuiariorum, quas potissimùm volebat Pius V. explodere; ita vt sensus sit, dicendum esse secundum formulam huius Breuiarij, non alterius; quod fiet, quamuis in festo dicatur de Feria, si tamen per hoc Breuiarium. Itaque manere potest probabilis opinio Caietani. Notant tamen prædicti Doctores, fore veniale, si sine rationabili causa aliC quis mutet officium. Nam saltem videtur id esse contra laudabilem consuetudinem obligantem saltem ad veniale. Hæc de TERTIO.

Quomodo sit recitandum Officium.

CIrca QVARTVM, videlicet Quomodo sit recitandum officium, extat peculiare præceptum Cap. *Dolentes*. de celebratione Missarum, vbi Ecclesiastici *districtè iubentur, studiosè pariter & deuotè, quantum Deus dederit* (sic enim habet textus) persoluere officium diuinum. In quo præcepto, vt bene notârunt Caietanus in Summa, verbo Horæ, & Syluester, verbo Hora, num. 12. & Sotus lib. 10. de Iustitia, quæst. 5. art. 4. & Nauarrus cap. 25. in Manuali num. 105. & Ioannes Medina q. 15.
D de Oratione, non solùm iubetur, vt horæ dicantur, sed *modus* etiam præcipitur, quo sunt dicendæ. Præceptum namque dicendi horas absolutè, anteà extabat: sed hoc etiam præceptum de modo fuit additum in Cap. Dolentes, ad tollendos abusus, qui iam tunc irrepserant in dicendo officio, vt apparet ex textu illius Cap.

Est igitur vi istius præcepti officium dicẽdum ex sententia prædictorum Doctorum, inprimis *distincta voce*, absque syllabarum confusione, vt etiam docet D. Thomas hic artic. 12. & *ita clarè*, vt saltem à prope adstantibus, si adessent, neque eluerenter

uerenter exterius & interius dicatur, quemadmodum ex sententia prædictorum Doctorum præcipitur in illo Cap.

Sed OBIICIET aliquis, quòd non videatur esse necessaria vlla attẽtio interior. PRIMO, quia Ecclesia non habet potestate in actus interiores.

SECVNDO, quia ex sententia prædictorum Doctorum satis est aliquam attentionem adhibere ex illis tribus commemoratis à sancto Thoma in art. 13. scilicet vel *ad verba*, ne quis proferendo erret, vel ad *rem significatam*, vel *ad Deum*, qui oratur. Sufficit igitur in horis Canonicis attentio ad verba solùm, vt videlicet bene proferantur. Ac proinde non requiritur attentio aliqua interior ad Deum vel ad diuina, sed satis erit attendere exteriori prolationi. Confirmatur. Nam B ipse etiam D. Thomas in illo art. 13. insinuat, sufficere aliquam attentionem ex illis tribus.

Ad PRIMVM respondeo, licet Ecclesia nõ habeat potestatem in actus interiores *nudè consideratos*: habet tamen potestatẽ in illos, vt iidem sunt *rationes quædam* actuum exteriorum, hoc est, vt ad actus exteriores pertinere possũt, sicut bene notarũt Caietanus & Sotus vbi suprà. Probatur hoc primò ab Ecclesiæ praxi. Hinc enim Ecclesia excommunicat illos, qui ex interiori odio vel amore prætermittunt inquirere in hæreticos, vt patet in Clement. multorum. de hæreticis. Et passim in Conciliis excommunicantur illi, qui hoc aut illud crediderint aut nõ crediderint. Et cùm præC cipit Ecclesia confessionem, præcipit etiam examen interius conscientiæ. Secũdò ratione etiam idem probatur. Nam vt Ecclesia habeat potestatem præcipiendi vel puniendi sic actus interiores; pertinet ad bonũ regimen Reipublicæ Christianæ. Ergo fatendum est, illam esse præditam ea potestate.

Solent aliqui id etiam inde probare: quia aliàs non haberet Ecclesia potestatem in actus exteriores, quatenus sunt *humani*, quod est absurdum. Sed hæc ratio non videtur valere. Nam hîc in proposito agimus de iis actibus interioribus, sine quibus actus exteriores possent nihilominus per alium actum interiorem esse humani. Quamuis enim aliquis facturus Confessionem non examinaret conscientiam verbi gratia, vel D nullam vellet habere attentionem ad Deum in oratione: nihilominus confessio & oratio exterior possent esse actus humani per solum alium actum interiorem, quo quis deliberatè vellet orare exterius sine vlla attentione, & confiteri sine prævio examine.

Sed dicet aliquis. Si Ecclesia habet prædicto modo potestatem in actus interiores; quid est, quod dicitur communiter: Ecclesiam *non iudicare de occultis*? Respondeo, Sensus est, Ecclesiam non ferre sententiam in particulari contra aliquem propter solum defectum actus interioris, quem præcipit; cùm talis defectus non possit sufficienter probari per testes. Nihilominus potest talem A sententiam ferre in communi, ipso iure excommunicando illos, qui neglexerint actus eos interiores, qui possunt referri ad exteriores, &c. Ac similiter etiam potest in communi præcipere actus interiores, quatenus ad exteriores referuntur, vt dictum est.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, videri quidem posse Doctores illos & secum & cũ veritate pugnare, quando ex vna parte requirũt in Horis attentionem interiorem & deuotam; & ex alia dicunt, aliquam ex illis tribus attentionibus satis esse. Nam cùm dicunt, aliquam ex illis tribus attentionibus satis esse in Horis; vel volũt, satis esse, vt aliqua ex illis *actualiter duret* per totã orationem: Et si sic intelligant, verum est, aliquã ex illis sufficere actualiter; sed sic quidẽ neq; vlla illarum attẽtionum requiritur, vt ipsimet fatentur. Quamuis enim procedente oratione omnino esset quis distractus, ita vt actualiter quidem neque ad rem, neque ad Deum, neque ad verba attenderet: tamen si ea distractio sit inuoluntaria, omnes fatentur, talem satisfacere præcepto ex vi primæ attentionis, qua accesserit ad orandũ. Et tamen prædicti Doctores eodem ipso modo videntur *requirere* etiam aliquam ex illis tribus attentionibus, quo dicunt, aliquam ex illis *satis esse*.

Vel volunt Doctores prædicti, aliquam illarũ trium attentionum satis esse, etiam *virtualiter*. Et hoc falsum est, & contra ipsosmet, & etiam apertè contra sanctũ Thomam. *Falsum* quidem: nam tunc sequeretur, quòd si quis initio orationis determinata voluntate statueret, nullo modo attendere ad Deum vel diuina: nihilominus satisfaceret præcepto. Sed hoc omnino est falsum. Ergo, &c. Maior seu Sequela probatur: quia expressa voluntas non attendendi Deo, tunc tantùm obstat adimpletioni præcepti, quando saltem virtualiter requiritur attentio ad Deum, vt postea magis patebit. Minor verò etiam probatur. Nam qui sic dispositus inciperet orationem; is certè nullo modo posset censeri, *deuotè quantum Deus dederit*, persoluere officium: quod tamẽ præcipitur in dicto Cap. Dolentes.

Est etiam idem *contra eosdem Doctores*. Nam expressè illi, & præsertim Caietanus in Summa, requirunt talem attentionẽ virtualem, ex qua censeatur quis *reuerenter interius & exterius* recitare officium. Et ait Caietanus expressè, non esse satis, habere attẽtionem *circa exteriora*. Constat autem ad exteriora tantùm referri attentionem ad verba, ne quis exteriùs erret. Non igitur hæc attentio sufficit virtualiter, quæ tamen est vna ex illis tribus.

Item est id manifestè *contra D. Thomam* in illo art. 13 Ibi enim enumerans illas tres attentiones, expressè inquit, tertiam, videlicet ad Deum, esse *maximè necessariam*. Quod saltem est verum virtualiter.

Dicendum est igitur ad illud argumẽtum SECVNDVM, falsum simpliciter esse, quòd vna ali-

qua attentio ex illis tribus sufficiat; sed requiri vt minimum primâ & tertiam, videlicet & ad verba & ad Deum, saltem *virtualiter*, vt rectè censuit Ioannes Medina quæst. 14. de Oratione. Alioqui nõ dicet quis *studiosè & deuotè, quantum Deus dederit*, atque adeò reuerenter, exterius & interius, quemadmodum in illo Cap. Dolentes præcipitur, & prædicti Doctores requirunt. Quomodo autem cum hoc non pugnet, quod iidem Doctores dicunt, aliquam attentionem ex illis tribus sufficere, ipsi viderint. Certè D. Thomas nusquam id dixit, sed solum distinxit doctrinæ causâ tres illas attentiones; addens, tertiam, videlicet ad Deum, esse *maximè necessariam*. Per quod etiam insinuauit, neque illam solam sufficere. Atque ita negandum est id quod de D. Thoma assumebatur in illius argumenti confirmatione.

Dico autem *primam & tertiam* attentionem requiri, non autem secundam: quia cùm in dicto Cap. Dolentes, requiratur modus recitandi horas, quem alioqui oportet in omni oratione (vt pia & decens sit) adhiberi; ac ex illis tribus attentionibus prima & tertia tãtùm, posint esse communes omnibus orantibus, etiam idiotis, & sint etiã ad pietatẽ & decẽtiam Orationis necessariæ (vt est probatum) hæ duæ tãtùm attentiones videntur præcipi præcepto illo. Secunda autẽ non videtur ad pietatem orationis necessaria: satis enim est, vt quis orationem proponat Deo secundùm illum sensum verborum, quem docti in Ecclesia intelligunt.

Sed QVAERIS: quomodo implebit quis id præceptum adhibendo *virtualiter* primam & tertiam attentionem? RESPONDETVR, si saltem accedat ad orandum, animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, atque adeò primam illam & secundam attentionem adhibendi, & postea talem animũ non mutet, ex proposito directè aut indirectè diuertendo mentem ad aliena & incomposibilia interiori attẽtioni & deuotioni, &c. Ita, & rectè, sentiunt prædicti Doctores. Is autem mentem distrahit ex proposito *directè*, qui deliberatè vult, illam ad alia incomposibilia attentioni transferre: *indirectè* verò is, qui aduertit se aliqua alia cogitatione vel occupatione incomposibili distineri, & idcircò impediri ab attentione, & nihilominus non reiicit talem cogitationem vel occupationem. Etenim donec quis aduertat se per talem cogitationem aut occupationem impediri ab attentione, omisio vitandi talem cogitationem vel occupationem, non incipit esse voluntaria; atque adeò nondum est tunc distractio indirectè volita, sicut bene notauit inter alios Caietanus in Summa, verbo Horæ Canonicę. Et ratio est: quia donec quis totum illud aduertat; nondum habet sufficiens principium in cogitatione, vt sit illi liberum, retrahere mentem à distrahentibus, &c.

Sequitur hinc PRIMO, eum, qui ex proposito etiam & directè inter orandũ meditetur aliquod mysterium diuinum, vel Christi Domini, &c. minimè propterea non satisfacere. Ratio est. Nam quodlibet mysterium nostræ fidei est aptum ad excitandam deuotionem eam interiorem & attentionem ad Deum, quæ requiritur. Vnde bene posset quis simul satisfacere præcepto audiendi sacrum, & recitandi officium diuinum. Nam attendendo mysterio Missę, satisfaceret attentioni requisitæ in oratione, vt cogitando de humanitate Christi, &c. Quam doctrinam optimè tradit & explicat Caietanus hîc art. 13.

Sequitur SECVNDO, si quis ex proposito occupetur in aliqua re exteriori, quæ tamen non sit incomposibilis attẽtioni, satisfacturum eum nihilominus præcepto: quamuis non rarò in eiusmodi distractiunculis admisceri soleat alia irreuerentia venialis. Ita Sotus vbi suprà.

Sequitur TERTIO, non esse peccatum mortale distineri aliqua occupatione exteriori etiam incomposibili debitæ attentioni; si tamen quis nondum aduertat, se per illam impediri. Ita Nauarrus in Manuali, cap. 25. num. 107. Probatur. Nam sicut potest accidere, vt quis hæreat in cogitatione aliqua, & tamen non aduertat, se per illam impediri ab attentione: ita etiam vt occupetur exterius, & tamen non aduertat se impediri: quamuis id rarius contingit. Sed quamdiu quis non aduertit, se impediri per cogitationem, non peccat non depellendo. Ergo etiam quamdiu nõ aduertit se impediri per occupationem. Maior probatione non eget. Et Minor est Caietani in Summa, & patet ex dictis.

Esset tamen hîc DVBIVM de eo, *qui facit orationem priuatim* eo tempore, quo non tenetur orare; vtrum is teneatur tunc etiam adhibere attentionem?

Ad hoc breuiter RESPONDEO per distinctionem. Nam si talis verè vult orare; tũc ex hac suppositione tenetur adhibere attẽtionem: alioqui quodammodò irridebit Deum, & peccabit per irreuerentiam contra virtutem Religionis, sicut bene notauit Sotus lib. 10. de Iustitia, quæst. 6. artic. 5. Qui tamen addit, talem irreuerentiam non fore mortalem, nisi accedat aliqua alia circumstantia grauis. Si autem aliquis reuera non vellet orare, sed tantùm vsurpare verba orationis materialiter, vt mẽtem ab aliis cogitationibus molestis abstraheret; tunc nullum esset peccatũ non adhibere attentionem, cùm non formaliter oraret. Et hinc excusari possunt, qui quandoque aliud cogitantes psallunt, vel vsurpant verba orationis absque vlla attentione.

Sed occurrit argumentũ ad probandum, nullam esse culpam non attendere, etiamsi quis verè velit orare, tempore, quo non est præceptum orandi. Nam talis non tenetur tunc orare. Ergo neque tenetur tunc attentè orare.

RESPONDEO distinguendo Consequens. Etenim non tenetur quidem ille tunc attentè orare ex præcepto *affirmatiuo* orationis. Tenetur tamen

tamen tunc attentè orare ex præcepto *negatiuo* virtutis Religionis, quo prohibentur omnes irreuerentiæ contra Deum. Nam supposito, quòd velit orare, debet vitare irreuerentiam. Exemplũ huius potest esse, cùm quis non tenetur ex præcepto aliquo affirmatiuo exercere aliquem actũ moralem: si tamen vult exercere; ex hac suppositione debet propter præceptũ negatiuum prohibens ociositatem, aliquem bonum finem actui præstituere. Hæc satis sint de QVARTO.

Quo tempore recitandum sit Officium.

CIrca QVINTVM, quo videlicet tempore dicendum sit officium, conuenit inter omnes Doctores, tempus dicendi officium esse à Vespere vnius diei vsque ad mediam noctem sequentis diei *inclusiuè*. Neque erit peccatum quidem *mortale* dicere quamcunq; horam Canonicam quauis hora huius temporis; excepto quòd vespere præcedentis diei tantùm licet dicere Matutinũ ex horis quidem diei sequentis. Licitum est autem matutinum officium dicere tam ante occasum Solis, quàm post illum, vt bene notauit Nauarrus cap. 25. num. 107.

Omnes tamen censent, esse graue *Veniale* horas singulis precibus destinatas commutare notabiliter *sine rationabili causa*, maximè si *postponãtur*. Quænam autem illæ horæ olim fuerint, quod attinet quidem ad Completorium, Matutinum, & Laudes, indicauimus in hoc puncto suprà, in testimoniis, præsertim Basilij & Hieronymi; cùm probaremus, bonum & vtile esse hoc precationũ Canonicarum institutum. Primæ autem, Tertiæ, Sextæ & Nonæ, & Vesperis; hora ab ortu Solis prima, tertia, sexta, nona & hora circa occasum Solis, destinatæ sunt, sicut ex testimoniis quoq; suprà allatis patet.

Rationabilem autem causam, ex qua liceat sine vllo peccato eiusmodi horas commutare, intelligo esse non modò peculiarem aliquam bonam ad id causam priuatim alicui occurrentem, sed vel maximè etiam eam, quæ est posita in *communi ipsa piorum consuetudine*, qui ferè non solent in his precibus illa omnia tempora ad amussim observare.

Dixi autem, esse peccatum Veniale sine causa rationabili commutare tempus Horarum, maximè si *postponantur*. Nam *anteuertere* communiter est consultũ propter futuras occupationes. Vnde in Cap. Presbyter. de celebratione Missarum, suadetur, vt manè dicantur horæ vsque ad Vesperas inclusiuè.

Porrò Sotus lib. 10. de Iustit. quæst. 5. art. 4. ex eo quòd non est peccatum mortale quocunque tempore diei recitare quamcunq; horam; consequens esse arbitratur, non esse etiam peccatum mortale, dicere Missam, antequam dicatur officium matutinum. Ratio eius est. Nam officium matutinum nullam habet connexionem neque vllum ordinem cum Missa. Ergo sicut non esset mortale, hora tertia diei dicere Matutinum, & postea sacrũ; ita etiam licebit (saltem sine mortali) dicere Matutinum eadem hora tertia diei, quando hora diei secunda (verbi gratia) sacrum esset factum. Dico, *saltem sine mortali*. Nam veniale peccatum esset, vt ait Sotus, id facere sine rationabili causa; propter contrariam, eamq; laudabilem consuetudinem, quæ videtur sub veniali obligare. Syluester verò, verbo Missa, num. 6. contrà putat, id esse mortale, & ait esse sententiam communem Summistarum, quorum rationem tamen soluit. Atq; ita sentiunt alij non pauci. Videtur tamen probabilis nihilominus opinio Soti.

Est autem hîc DVBIVM, Vtrũ liceat sine mortali commutare horas, quando dicendum est officium in Choro pro populo. Sotus namque vbi suprà putat esse mortale. Nam fieret, inquit, iniuria populo, qui nesciret, quãdo deberet ad officium audiendũ venire. Caietanus verò in Summa, negat esse mortale, si id fieret absq; contemptu præcepti Ecclesiæ præscribentis certa tempora dicendis horis. Et ad rationem Soti potest responderi, facilè nihilominus posse populum id scire. Nisi fortè esset admodum frequẽs & magna perturbatio ordinis: tunc enim vera esset opinio Soti. Hæc de QVINTO.

In quo loco Officium recitandum sit.

CIrca SEXTVM, videlicet *in quo loco*; distinguẽdum est. Nam publicè pro populo, dicendũ est officium in templo à deputatis ad illud. Censet tamen Caietanus non esse mortale, si aliquis ex deputatis absit, citrà contemptum. Si autem dicendum est priuatim; Innocentius & Ostiensis, citati à Syluestro, verbo Hora, num. 3. sentiũt, Clericum beneficiatum debere dicere quotidie officium, vel saltem audire *in propria Ecclesia*. Sotus verò lib. 10. de Iustitia, quæst. 5. artic. 4. negat hoc habere aliquod fundamentum. Et Syluester explicat illos alios Doctores ita intelligendos esse, vt non velint, id omnino esse necessarium, sed solùm decere. Itaque statuendum est ex sententia communi, nullum esse locum præscriptum ad dicendum officium priuatim, sed posse dici in quocunque loco, vt patet etiam ex iis, quæ generatim circa orandi modum tradidimus p. 9. Hæc de SEXTO.

Quas ob causas possit aliquis excusari à recitando Officio.

CIrca SEPTIMVM quinque causæ ex veriori sententia Doctorum possunt assignari, excusantes ab officio dicendo. PRIMA est infirmitas talis, vt non patiatur vllo modo officium recitari, videlicet nec cum socio, nec totum simul aliqua hora diei, &c. Vnde tertiana aut quartana febris non semper omnino excusat, vt rectè sentit Nauarrus cap. 25. num. 100. Vbi tradit documentum bonum ad discernendum, quando in-

firmitas excuſet, nec ne; videlicet illam non cenſeri excuſare, quæ non impedit, quò minùs alia negotia grauia & moleſta tractentur.

SECVNDA Cauſa eſt repentina aliqua & grauis occupatio, quam ſine ſcandalo aut graui detrimento non poſſit quis prætermittere, neque ſuſtinere, ſi aliquo modo officium recitet. Secùs autē, ſi poſſit ſatisfacere, anticipando, vel aliquo modo recitando, &c. Ita Nauarrus vbi ſuprà, & Syluester, verbo Hora, quæſtione vltima, vbi ad id citat alios.

TERTIA Cauſa eſt, ſi quis nec ſciat officium memoriter, & careat Breuiario, etiamſi fortè peccauerit anteà illud non comparando; dummodò tamen eum pæniteat de negligentia præterita, vt bene ait Nauarrus. Ratio eſt. Nam tali *ex ſuppoſitione* eſt impoſsibile officium recitare, & ſi eum de hac ſuppoſitione pæniteat, iam ea ſuppoſitio non eſt illi voluntaria; & conſequenter neque omiſsio recitandi proueniens ex tali ſuppoſitione, ac proinde non peccat.

Si tamen quis memoriter ſciret aliquas vel omnes horas; teneretur illas dicere. Ita Sotus libro decimo de Iuſtitia, quæſtione quinta, articulo tertio, quanquam nonnihil de hoc dubitans: quia, inquit, per accidens eſt, quòd ſciat memoriter. Sed tamen ſecuriùs eſt, vt dicat. Nam quāuis id ſit *per accidens*; tamen poſito eo accidente, iam eſt *per ſe*, vt debeat dicere, quandoquidem poteſt. Sicut licet ſit per accidens aliquem habere Breuiarium *ex dono*; per ſe tamen eſt, vt habens illud dicat officium.

QVARTA Cauſa eſt diſpenſatio Summi Pontificis. Quanquam putat Nauarrus, rarò incidere poſſe legitimam cauſam diſpenſandi. Valeret tamen hîc diſpenſatio etiam ſine legitima cauſa, cùm obligatio recitandi has preces ſit ſolùm Iuris poſitiui.

QVINTA Cauſa eſt, ſi quis ſolùm ratione beneficij teneatur dicere officium, & tamen neque per ſe, neque per alterum; neque præſenti tempore, neque futuro, poſsit beneficij fructus percipere. Ita Caietanus in Summa, & Nauarrus vbi ſuprà. Et ratio eſt clara. Nam talis ſolùm tenetur officium recitare, vt populo referat gratiam ſpiritualem pro fructibus beneficij. Ergo ſi eos non recipit, neque poteſt recipere; ceſſat obligatio.

Excludit autem vbi ſuprà Nauarrus meritò quaſdam alias cauſas. Vt *excommunicationem*: ſiquidem ea ſecundùm omnes non excuſat à dicendo officio *priuatim*. Item *tenuitatem* beneficij, contra Sotum libro decimo, quæſtione quinta, articulo tertio. Nam omne beneficium hoc ipſo quòd recipitur, ſiue ſit tenue, ſiue ſit magnum, habet annexam obligationem recitandi officiū ex præcepto Eccleſiæ. Secùs, ſi in præſtando officio ſpirituali, *vt ſpirituale eſt*, habenda eſſet ratio iuſtitiæ commutatiuæ attendendo æqualitatem inter officium & ſtipendium. Tunc enim vera eſſet opinio Soti. Sed tamen non eſt habenda talis ratio & conſideratio, vt ſuprà diſputatione quinta, quæſtione ſexta, puncto ſecundo diſputauimus, & infrà etiam in quæſtione de Simonia declarabitur. Denique excludit etiam *peregrinationem*, & meritò: quia hæc non eſt per ſe ſatis ad excuſandum. Hæc de SEPTIMO.

Ad quid teneatur qui non recitauit Officium.

CIrca OCTAVVM, ad quid videlicet teneatur is, qui abſque rationabili cauſa omittit officium, tres ponam Concluſiones. PRIMA. Tranſacto *toto eo die*, quo quis debebat dicere officium, & non dixit, nō tenetur alio tempore dicere pro illo. Ita Syluester, verbo Hora, quæſtione decima tertia, ex ſententia etiam aliorum. Et ratio eſt clara. Nam præceptū dicendi officium hoc die tantùm reſpicit hunc diem. Ergo hoc tranſacto, ſiue dixeris, ſiue non dixeris, ex vi illius præcepti ad nihil dicendum teneris. Atque ex hac ratione à fortiori ſequitur, verum eſſe quod ait vbi ſuprà Nauarrus, eum, qui *ex rationabili cauſa* omiſit recitare officium; ad nihil poſtea teneri, ne ad *audiendum* illud quidem.

Dixi autem, trāſacto *toto eo die*. Nam ſi aliquod tempus diei ſupereſt, omnino tenetur quis tunc officium dicere; cùm quolibet diei tempore poſſit ſatisfieri præcepto, ſaltem ita, vt mortale peccatum vitetur, ſicut dictum eſt. Vnde ſi quis initio diei ſtatuit non dicere officium, & poſtea interdiu aduertens ſe poſſe adhuc dicere, nolit dicere; toties mortaliter peccat, quoties talem malam voluntatem repetit, vt ait Nauarrus vbi ſuprà num. 96. & Syluester, verbo Hora, quæſt. 12. Qui ad idem citat præterea alios. Si autem talis non repetat ſæpiùs illam malam voluntatem; tāntùm erit vnicum peccatum mortale continuatæ omiſsionis.

SECVNDA Concluſio. Sicut ille, qui *omnino* voluit officium *omittere*, tenetur illud dicere ante finem diei: ita etiam ille tenetur recitare ante finem diei, qui priùs ex *proposito* directè aut indirectè *diſtractus* illud dixit. Hæc Concluſio eſt ex mente omnium, qui requirunt ex præcepto attentionem interiorem, ſaltem virtualem. Et ratio eſt clara. Quia niſi cum tali attentione virtuali dicat quis officium; nondum ſatisfacit præcepto, & adhuc poteſt ante finem diei. Ergo tenetur.

Sed argumentatur CONTRA hoc Ioānes Medina in Tractatu de Oratione, quæſtione decima ſexta, vbi exiſtimat, talem, quamuis attentio interior requiratur, non debere recitare, ſed ſatis eſſe, ſi eum pæniteat, quòd non adhibuerit attentionem. Nam præceptum dicendi horas *abſolutè* diſtinctum eſt à præcepto de *modo* eas dicendi, ſcilicet *cum attentione*: ſiquidem ſecundùm Caietanum & alios, prius fuit latum, quàm præceptum de attentione. Ergo qui dixit horas; ſatisfecit præcepto dicendi abſolutè, quamuis non

præcepto

præcepto adhibendi modum per attentionem. Et ita ſatis erit, ſi eum pæniteat, quòd attentionem non adhibuerit.

RESPONDEO *primò*, dato quòd illud eſſet diſtinctum præceptum, tamen nihilominus teneretur talis iterum dicere, vt ita diceret *attentè*, & ſatisfaceret ſecundo præcepto præſcribenti modum. Probatur: quia non poteſt quis adhibere attentionem in horis, niſi dicendo illas attentè. Ergo hoc ipſo quòd talis teneretur ſatisfacere huic ſecundo præcepto, teneretur iterum dicere, vt ita *diceret attentè*.

Dico ſecundò, falſum eſſe, quòd iſta duo præcepta in re ſint diſtincta. Vtroq; enim præcepto vtrumque iniungitur, ſcilicet & dicere, & dicere attentè. Sed ſolùm eſt diſcrimen, quòd in ſecundo præcepto expreſsius declaratur *modus* dicendi attentè: in primo autem expreſsè quidem non modus, ſed ſolùm *actus ipſe* dicendi ſeu recitandi officium. Vnde quando dicunt Doctores, prius fuiſſe traditum præceptum de dicendis horis abſolutè; non ita hoc intelligendum eſt, quaſi priùs reuera non fuerit modus etiam conueniens iniunctus; ſed quòd priùs clarè quidem eſt ſolùm traditum præceptum dicendi abſolutè: Et propterea ſecundum præceptum non fuit additum ad id iniungendum, ſed ad iniungendum expreſsè dicendi modum, ſcilicet *attentè*: quo ipſo per hoc ſecundum etiam præcipitur re ipſa vt *abſolutè* dicatur; quandoquidem niſi dicatur, non poteſt vtique attentè dici.

Iam ſit TERTIA Concluſio. Qui poſt tranſactum ſpacium ſemeſtre à conſecutione alicuius beneficij omittit officium; debet pro rata omiſſionis officij & temporis, quo omiſit, reſtituere fructus omnes beneficij erogando pauperibus, vel conferendo in fabricam Eccleſiæ. Quòd ſi fuerit contumax non dicendo poſt prædictum ſemeſtre tranſactum; priuandus eſt beneficio. Ita expreſsè habetur in Concilio Lateranēſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. cap. 9.

Quomodo autem ſit intelligendum, quod dicitur ibi, *pro rata* omiſsionis officij & temporis faciendam eſſe reſtitutionem; declarauit Pius V. in Bulla peculiari, relata à Nauarro cap. 25. numero 122. vt videlicet ſi quis vno aut pluribus diebus totum officium omiſerit, reſtituat fructus omnes reſpondentes illi aut illis diebus: ſi matutinum tātum omiſerit, reſtituat mediam partem fructuum reſpondentium illi tempori: ſi reliquas ſex horas tantùm, reſtituat etiam mediam partem: ſi aliquam tantùm ex illis ſex, reſtituat tantùm ſextam partem fructuum, & ſic proportionaliter. Et eadem fuerat ſententia Nauarri, antequam Pius V. id declararet.

Quis verò cenſendus ſit *contumax* non dicendo; declaratur ead. ſeſſ. videlicet qui ſpacio quindecim dierum *ne bis quidem* dicit. Neq; audiendus eſt Sotꝰ libro decimo de Iuſtitia, quæſtione quinta, articulo ſexto negans, illam ſeſsionem obligare. Refellit eum meritò in hac re Nauarrus vbi ſuprà. Neq; rectè idem Sotus immutat illic contextum illius ſeſsionis, quaſi non ſit ſatis per ſe intelligibilis, vt iacet, & vt à nobis eſt declarata.

Sed QVAERI hoc loco poteſt, Vtrum iſta reſtitutio ſit hoc modo facienda ſolùm *in pœnam*, vel etiam *iure naturæ?* Videtur enim quòd in pœnam tantùm. *Primò*. Nam iure quidem naturæ, etiam cùm omitteretur officium ante illud primum ſemeſtre oporteret aliquam reſtitutionem facere: quæ tamen ibi non præcipitur. *Secundò*. Nam officium Clerici nō eſt ſolùm recitare preces, ſed ad illud etiam pertinent multa alia. Ergo non debet is iure naturæ pro rata omiſsionis officij omnes fructus beneficij reſtituere. Et ita videtur intelligendus Syluester, verbo Clericus 4. num. 23. negans ſimpliciter, eum, qui omiſit, debere reſtituere.

RESPONDEO per diſtinctionem. Itaq; dico PRIMO, reſtituere aliquam partem fructuū pro rata omiſsionis officij & temporis, de iure naturæ eſt, vt rectè cenſet Sotus vbi ſuprà. Probatur. Nam quamuis recitatio officij non ſit totum officium Clerici: tamen eſt aliqua pars illius. Quod ſatis eſt, vt omittenti illud ſine causà, cenſeatur populus rationabiliter inuitus cōferre *omnes* fructus, cùm *omnes* conferre non velit, niſi pro *toto* officio Clerici. Vt autem rata portio in ea reſtitutione ſeruaretur iure naturæ; eadem deberet eſſe proportio partis fructuum reſtituendę ad omnes fructus, quæ eſt recitationis officij ad totum officium Clerici. Et hæc reſtitutio iure naturæ facienda eſt etiam, cùm omittitur officium intra primum ſemeſtre. Atque hoc probat argumentum *primum*. Dico SECVNDO, quòd reſtituantur pro rata temporis & omiſsi officij, *omnes* fructus poſt illud primum ſemeſtre; id non eſt ex iure naturæ, ſed in pœnam eſt ſtatutum iure Canonico, vt probat bene argumentum *ſecundum*.

Supereſt autem hîc DVBIVM, Vtrum ille, qui manè verbi gratia, officium diceret, nolens tunc præcepto ſatisfacere, ſed animo poſtea iterum dicendi ad ſatisfaciendum; teneatur illud iterare ſub obligatione reſtituendi; vel priùs ſatisfacerit. Ad hoc Medina, quæſtione decima quinta, de Oratione reſpondet, talem prius non ſatisfeciſſe. Probat à ſimili. Nam ſi quis deberet alteri equum verbi gratia, & donaret illi, non vt tunc ſatisfaceret præcepto Iuſtitiæ; talis nihilominus deberet poſtea alium equum dare. Ergo ſimiliter in propoſito.

SED hoc nō videtur verum. Nam præceptum orandi, ſolùm oligat ad *recitandum* officium; non autem ad hoc, vt quis peculiari *alio actu* voluntatis, & (vt dicitur) *in actu ſignato velit etiam ſatisfacere præcepto*. Sed ſi quis recitet officium, quantumuis nolens tunc ſatisfacere, verè nihilominus illud *recitat*. Ergo verè eo ipſo ſatisfacit præcepto. Neque ſanè eſt in poteſtate alicuius huic præcepto

non ſatisfacere, poſito quòd velit officium recitare. Itaque ineptum etiam eſſet velle tunc non ſatisfacere.

Neque eſt ſimile, quod affert Medina. Nam talis tenetur equum reddere ex iuſtitia, vt conſtituat *æqualitatem*, &c. quod nondum facit, ſi equum det ſolùm ex liberalitate. In propoſito autem ille, qui recitat officium, quamuis nolit tunc præcepto ſatisfacere, tamen facit tunc ex religione id totum, quod præcipitur, hoc ipſo nimirum quòd (quidquid ipſe velit) *recitat* Officium. Et hactenus de Oratione.

QVÆSTIO TERTIA.

De Adoratione.

D. Thomas 2.2.quæſt.84.

SCRIPSIT EX PATRIBVS SANCTVS CYRILLVS ALEX. DIALogum vnum inter ſe & Palladium, cuius eſt inſcriptio, de Adoratione in Spiritu & Veritate. Sed in eo vix aliquid de Adoratione ipſa tradit. Tantummodò enim per occaſionem illius ſententiæ Domini. Ioan. 4. Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis, &c. Oſtendit, quomodo lex vetus per nouam fuerit completa, tanquam figura per veritatem. Hoc autem loco à nobis ipſa ſolùm natura & vis Adorationis, vt eſt quidam Religionis actus, explicanda eſt, neq; digrediendum ad quæſtiones eas de Adoratione, quæ pertinent ad alias diſputationes; cuiuſmodi eſt quæſtio de Adoratione Chriſti, & imaginum, & Euchariſtiæ, &c. de quibus diſputari ſolet in materia de Incarnatione, & de Sacramentis. Quanquam & de his, atq; etiam de veneratione Sanctorum, trademus neceſſaria ad hunc de Religione Tractatum infrà in quæſt. de Idololatria.

Nunc igitur tria breuiter de Adoratione ipſa ſatis fuerit explicare. PRIMO, *Quid ſit Adoratio.* SECVNDO, *Quàm latè pateat, & quomodo dignoſcẽda ſit materia Religionis ſeu cultus diuini, in qua verſatur Adorationis actus.* TERTIO, *Quomodo ſit inſtituenda Adoratio, vt ſit vndequaq; recta.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Adoratio.

D. Thomas art. 1. & 2.

ADORATIONIS vocabulum tribus modis vſurpari ſolet in ſacris literis. PRIMO generatim pro *quacunque* veneratione, quæ alicui alteri exhibeatur propter præſtantiam aliquam dignitatis; ſiue is ſit Deus, ſiue Angelus, ſiue homo. Ita accipitur id vocabulum in iis locis, vbi legimus vel Angelos, vel homines adoratos eſſe. Vt Geneſ. 19. *Cùm vidiſſet eos* (Loth duos Angelos) *ſurrexit & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram.* Et Numero vigeſimo ſecundo: *Vidit* (Balaam) *Angelum ſtantem in via euaginato gladio, adorauitque pronus in terram.* Et 3. Reg. 1. *Inclinauitque ſe Bethſabee, & adorauit regem.* Et Actor. 10. *Cùm introiſſet Petrus; obuiam venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit.*

B Vnde S. AVGVSTINVS quæſtione ſexageſima prima in Geneſim obſeruauit, ideo non eſſe dictum Deuteron. 6. Dominum Deum tuum ſolum adorabis, ſicut eſt dictum, illi ſoli ſeruies per latriam ſeu Religionem videlicet: *quoniam adoratio etiam hominibus inuenitur tributa, vt quando Abraham adorauit populum terræ*, Geneſ. 23. Neque de Adoratione vſque adeò latè patente hic agimus.

SECVNDO vſurpari ſolet vocabulum Adorationis etiam generatim pro *quocunq; actu Religionis* interno vel externo, quo deferatur diuinus honor Deo. Ita accipitur in aliis Scripturę locis, vbi indicatur, nullam creaturam eſſe adorandã (tali ſcilicet adoratione) ſed ſolum Deum. Vt in illo ipſo loco Deut. 6. iam citato, cùm dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Nam quãuis ad indicãdum, licere etiam alio quodam ſuo modo creaturam adorare, non ſit ibi additum: Dominum tuum ſolum adorabis* (vt Auguſtinus vbi ſuprà vult) tamen certum eſt, vocabulum Adorationis eo loco ſignificare genus veneration is Deo *ſoli* conueniẽs, per quam ſcilicet honor diuinus deferatur. Nam ad probandum, adorationem eam ſoli Deo eſſe tribuendam, adduxit eum locum Dominus Matth. 4. contra tentationem illã Sathanæ, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Item accipitur eodẽ modo id vocabulũ, Daniel. 3. *Notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos nõ colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Et Apoc. 19. *Cecidi ante pedes eius, vt adorarẽ eum* (Angelũ) *& dicit mihi: Vide ne feceris; conſeruus enim tuus ſum, &c.* Vt enim circa hũc locum inquit AVGVSTINVS quæſt. 61. ſuper Geneſ. *talis apparuerat Ioanni Angelus, vt pro Deo poſſet adorari: & ideo fuerat corrigendus adorator.*

Itaq; hæc Adoratio propriè eſt actus ſeruitutis debitæ ſoli Deo, tanquam ſummo omnium Domino, quæ propriè dicitur λατρεία; cùm Adoratio illa alia, quæ hominibus vel Angelis exhibetur, ſolũ ſit actus δουλείας, id eſt, talis ſeruitutis ſeu obſequij, q̃ poſſit exhiberi creaturæ. Quod totum luculenter declarat S. AVGVSTINVS lib. 1. de Trinit. cap. 6. diſſerens de diuinitate Spiritus ſancti. *Iubemur*, inquit, *non ſeruire creaturæ, ſed creatori* (Rom. 1.) *non eo modo, quo iubemur per charitatem ſeruire inuicem, ad Galat. 5. quod eſt Græcè δουλεύειν, ſed eo modo, quo tantum Deo ſeruitur, quod eſt Græcè λατρεύειν.* Vnde Idololatræ dicuntur, qui ſimulachris eam ſeruitutem exhibent, quæ debetur Deo. Secundùm hanc enim ſeruitutem dictum eſt: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies: nam & hoc diſtinctiùs in Græca Scriptura inuenitur, λατρεύσεις enim habet.* Sed neque de Adoratione iſto ſecundo modo accepta (vt ſcilicet complectitur omnes actus Religionis etiam interiores) agimus propriè in hac quidem quæſtione.

TERTIO igitur modo peculiariter accipi ſolet vocabulum Adorationis pro actu aliquo Religionis *externo*, quo exhibemus reuerẽtiam Deo per *geſtum* aliquem *corporis*, indicem internæ ſubiectionis animi erga Deum; vt per genuflexionẽ, per tunſionẽ pectoris, &c. Sic accipitur Matth. 4. *Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Et Ioan. 9. *Tu credis in filium Dei? &c. Credo Domine. Et procidens adorauit eum.* Et alibi ſæpè.

Ac de Adoratione iſto modo accepta nunc agimus. Sic enim eſt peculiaris quidam actus Religionis diſtinctus ab aliis (iuxta dicta ſuperiùs q. 1. huius diſputationis, p. 2.) atque adeò ab Adoratione Dei communiùs ſumpta pro quocunq; actu Religionis erga Deum, ſiue externo, ſiue interno, quomodo Angeli étiam Deum adorant, nimirum internè: iuxta illud ad Hebr. 1. ex Pſal. 96. *Et adorent eum omnes Angeli eius, &c.*

Itaque poteſt huiuſmodi Adoratio ita deſcribi, vt ſit *actus externus Religionis, quo per conuenientem aliquem corporis geſtum proteſtamur noſtram ſubiectionẽ erga Deum, vt erga ſummum omnium Dominum, atq; adeò tribuimus ei diuinum honorem.*

Quòd autem iure ac meritò huiuſmodi etiam Religionis actu veneremur Deum; primùm patet ex auctoritate diuinæ Scripturæ, in qua ille commendatur, vt patet ex locis citatis. Deinde poteſt id etiam confirmari duabus rationibus; quarum *alteram* aſsignat ſanctus Ioãnes DAMASCENVS lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 13. quia ſicut ex duplici natura compoſiti ſumus, ſpirituali ſcilicet & corporali: ita conuenit, vt vtriuſq; generis operationibus proteſtemur, nos omnia debere Deo.

Alteram rationem indicat pulchrè, & tanquam omnino expertus, S. AVGVSTINVS libro de cura pro mortuis agenda, cap. 5. quia ſcilicet huiuſmodi pij geſtus corporis habent quãdam in nobis vim ad excitandum magis, & fouendum, & augendum internum mentis affectum erga Deũ; cùm nobis nimirum maximè naturale ſit, vt corporalibus & ſenſibilibus rebus commoueamur. *Neſcio* (inquit Auguſtinus) *quo pacto cùm hi motus corporis non poſſint niſi motu animi præcedẽte fieri, eiſdem exterius viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, vt fierent iſta, præceſſit; quia facta ſunt, creſcit.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Quàm latè pateat, & quomodo dignoſcenda ſit materia propria diuini cultus, qui Deo exhibetur per Adorationem.

Ad art. 1. vel 2. D. Thomæ.

DE RODERIT huius quæſtionis explicatio nõ modò vt illuſtretur magis Adorationis ratio præced. p., ppoſita, ſed etiam vt diiudicari & caueri poſſit Idololatria, conſiſtens in eo, vt genus aliquod cultus ſoli Deo debitum deferatur Creaturæ, ſicut infrà ſuo loco videbimus. Cùm enim quæritur, quàm latè pateat, & quomodo dignoſcenda ſit *materia* cultus diuini, quem per Adorationem Deo deferimus, materiam diuini cultus appellamus qualecunque officij ſeu reuerentiæ genus, per quod Deum ſolum oporteat colere, ſeu cultum ei deferre, excitando nimirum de illo in nobis aut aliis exiſtimationem cum Dei Maieſtate congruentem, iuxta ea, quæ de ratione ipſa diuini cultus quæſt. 1. p. 1. tradidimus.

Sciendum eſt igitur, ob aliquam *trium* conditionum meritò officium aliquod reputari poſſe diuinum, atq; adeò tantummodò vſurpandum ad exhibendum Deo cultum diuinum: ex quarũ proinde qualibet conditione tanquam ex *Nota* dignoſci poteſt materia propria diuini cultus:

tametsi tertia solùm cõditio ex his pertinet propriè ad materiam eius diuini cultus, quam deferimus Deo per externam adorationem, de qua potissimùm nunc agimus.

PRIMO itaque quòd genus aliquod officij seu reuerentiæ sit diuinum, cognosci potest ex ipsius officij, siue *natura*, siue cõditione: Hæc enim quãdoque tantæ dignitatis existit, vt manifesta peruersitas sit, officium eiusmodi ad honorandam creaturam transferre.

Huius generis est inprimis sacrosanctum Missæ sacrificium, in quo quia Diuina persona religiosè offertur (fremant licet atque rumpantur hæretici) perspicuum est; id officium ad Diuinũ tantummodò pertinere cultum.

Tale quoque est internum mentis Sacrificiũ, quo religionis studio accensus quispiam, totum se deuouet ac consecrat Diuino numini. Vt enim mens à solo Deo processit: sic eidem illa soli honoris ac reuerentiæ ergò deuouenda est, præterea nemini.

SECVNDO potest Diuinus honor discerni ex *ritu & consuetudine communi*, si quæ obtinuit, vt genus officij aliquod non nisi ad diuinum cultum vsurpetur. Nam & hac etiam ratione efficitur honor aliquis Dei proprius. Sic olim communi populorum vsu fiebat, vt nemini, præterquàm numini Diuino, animalium immolatione, aut alio officij genere *sacrificaretur*.

Hinc illa D. AVGVSTINI sententia est lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4. *Multa de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis; siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera; ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines habeantur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit.* Hinc lege veteri Exod. 22. sic cauebatur: *Qui immolat Diis, occidetur, præterquàm Domino soli.*

Ac huius quidem veteris consuetudinis ea vis est, vt quãuis iam nefas sit, ad honorandum Deũ vti alio externo sacrificio, præterquã illo sacrosancto & abũdantissimè sufficienti, quod in Missa peragitur; Idololatra tamen meritò haberetur is, qui creaturæ alicui honoris causa more veterum immolaret. Adeò in hominum mentibus ob consuetudiné priscam est insitum, genus hoc honoris esse diuinum.

TERTIO est etiam alia officij conditio seu caput, vnde iudicari potest, cultũ aliquem ad Deũ tantummodò pertinere: *intentio* nimirum eius, qui officium aliquod confert ad reuerẽtiam vel honorem. Nam si huic animus est, de re, quam honorat, per officium excitare opinionẽ excellentem, qualis de diuina Maiestate solummodò haberi potest; tunc quidem officium id, quatenus illa intentione exercetur, ad honorem diuinum spectat solùm.

Atque hæc sanè *Nota* discernendi cultum, qui sit Dei proprius, patet quàm latissime. Nullum enim genus externæ reuerentiæ est, quantumuis ex sua natura ad honorandam quoq; creaturam aptum, quod non possit per *intentionem dictam*, efficici proprium religionis. Igitur siquis, vt rei, quã honorat, opinionem diuinæ Maiestati soli conuenientem conciliet; vel genua flectat, vel pectus feriat, vel manus tollat, aliũdue quodcunq; huiusce generis officium vsurpet, is quidem Diuinis honoribus dat operam.

Atq; hæc tertia conditio seu Nota discernendi materiã propriam cultus diuini pertinet maximè ad Adorationem Dei externam, de qua agimus. Nam per eiusmodi externos corporis gestus exhibetur Deo cultus diuinus in Adoratione, non quidem ob naturam eiusmodi actuum, sed ob prædictam intentionem, qua vsurpantur. Etenim ex sola quidé natura sua omnes eiusmodi actus sunt indifferentes ad protestandam excellentiam Dei vel Creaturæ, cùm etiam præcipuos quosq; eius generis actus legam[r] in Scriptura rectè vsurpatos fuisse ad homines honorãdos, vt patet ex testimoniis p. præced. citatis. Neque tamen propterea quicquam eiusmodi honores hominibus exhibuerunt, vituperantur. Ita Genes. 33. Iacob *adorauit Esau pronus in terrã*. Et 43. filij Iacob *adorauerunt proni Ioseph*.

Interior igitur voluntas atque *intentio* (vt diximus) conciliandi per hos externos actus existimationem diuinam facit, vt sint materia cultus diuini, atque adeò vt per illos Adoratio Dei exterior exerceatur, diuinum cultum Deo tribuens. Vbi tamen & illud ANIMADVERTENDVM est, intentionem hanc esse posse vel expressam & directam; vel tacitam & indirectam, cùm scilicet eæ sunt actus circumstantiæ (quoad locum, tempus, personas, quæ adsint, &c.) vt per eiusmodi externos reuerẽtiæ actus excitari queat de eo, qui sic honoratur, existimatio conueniens propriè diuinæ Maiestati, ad idque actus illi videantur ordinari: Quod est obseruandum pro quæstione de Idololatria, de qua postea suo loco.

PVNCTVM TERTIVM.

Quomodo Adoratio sit instituenda, vt vndequaque sit recta.

D. Thomas art. 3.

VT omni ex parte Adoratio Latriæ recta sit PRIMO requiritur, vt nulli alij, præterquàm soli Deo vero deferatur *per se* (quod addo, propter quæstionem de veneratione imaginũ Christi; de qua dicemus infrà aliquid in quæstione de Idololatria) Id autem patet ex illo Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Itaque errârunt Platonici existimantes, latriæ adorationem esse quoque adhibendam Angelis, vt patet ex Augustino lib. 9. & 10. de Ciuit. In quo errore fuerunt etiam quidam hæretici, Angelici dicti, quorum meminit Epiphanius hæres. 60. & Augustinus hæresi 39. Quin etiam tempore Apostolorũ hic idem error viguit, saltem apud Philosophos aliquos, vt intelligi potest ex Apostolo ad Col. 2. vbi de hoc errore ita fideles admonet: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans; frustrà inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmẽtum Dei.* Quem locum explanans sanctus Chrysostomus homil. 7. in epist. ad Colos. meminit etiam prædicti erroris.

Sed sufficienter hic error confutatur tum authoritate Apostoli, & hîc, & ad Rom. 1. vbi reprehendit eos, qui *seruierunt creaturæ potius, quàm Creatori*: tum ratione, quã in illo loco ad Colos. idem Apostolus indicat verbis iam recitatis. Nam omnis, qui non est Deus; est Deo subiectus, & subordinatus tãquam membrum capiti, &c. Ergo omnino peruersum est eodem honore, quo Deum, afficere vllum alium. Atq; hæc ipsa fuit ratio Angeli, prohibentis Ioannem, ne se adoraret. Apocal. 19. *Conseruus enim*, inquit, *tuus sum* (id est, seruus etiam Dei) *& fratrum tuorum.*

SECVNDO etiam ad rectam Adorationem requiritur, vt procedat ex *vera fide*, iuxta illud Ioan. 4. *Nos adoramus, quod scimus*; atque etiam ex deuotione seu *affectu pio* erga Deum, saltem præcedente, & post de industria non interrupto in ipsa externa adoratione. Sic enim verè erit Adoratio *in Spiritu & veritate*, qualis requiritur Ioan. 4. *Nam & pater* (inquit ibi Dominus) *tales quærit, qui adorant eum.* Et rationem addit: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Si autem quis absque interno affectu pio adoret; non verè adorabit, sed *speciem* tantùm quandam exteriùs exhibebit adoratoris, vt asseruit sanctus Chrysostomus homil. 8. in Matthæum. *Timeamus*, inquit, *ne quando speciem supplicum atque adorantium geramus, opere verò existamus inimici.*

TERTIO opus est etiam, vt careat Adoratio omni *mala circumstãtia* peruersi finis, & inepti aut noxij modi, &c.

His tribus conditionibus adhibitis, rectus erit actus Adorationis. Et vt oratio, sic & adoratio quouis tum loco tum tempore vsurpari poterit, iuxta illud Ioan. 4. *Venit hora, quando neque in monte hoc* (Garizin, vbi solùm adorabant Samaritani) *neq; Hierosolymis* (tantummodò videlicet; sicut ibi solùm in Templo Iudæi adorabant) *adorabitis patrem, &c. Sed veniet hora, & nunc est, quando veri adoratores in spiritu & veritate adorabunt patrem:* nimirum vbique, adueniente Euangelica Veritate.

Quod quamuis ita sit, tamẽ dubitari non potest, quin pie & vtiliter destinentur peculiariter ex Ecclesiæ institituto quædam loca ad Deũ orandum & adorandum, nimirum basilicæ & TEMPLA. Est enim id tripliciter nobis vtile, vt docet D. Thomas hîc art. 3. *Primò*, nam ipsa loci sanctitas & consecratio atque dedicatio ad diuinum cultum, conciliat animis maiorem quandam deuotionem. *Secundò*, nam etiam ad pietatem commouent mysteria fidei nostræ, quæ ibi celebrantur, & miracula quoque, quæ non rarò ibi fiunt, ex quibus aliqua narrat S. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. & in Epist. 137. Et S. Paulinus in carmin. de S. Felice. *Tertiò*, nam ad id ipsum non mediocriter etiam facit ipsa piorum frequentia conuenientium in eiusmodi locis sacris.

Meminit autem CONSECRATIONIS & DEDICATIONIS Ecclesiarum tanquã instituti antiquissimi EVSEBIVS lib. 9. hist. cap. 10. vbi de statu Ecclesiæ, qui erat sub-finẽ imperij Maximini, id est, antè annos ferè M. C D. ita scribit: *Festiuitates à nostris frequentissimè gerebãtur, cum omni lætitia & exultatione per vrbes & loca singula, Ecclesiarum dedicationibus celebratis; congregabãtur in vnum Sacerdotes: nec pigebat etiam longè positos conuenire, quia nullum longum videbatur spatium charitati.*

Et S. AMBROSIVS lib. 1. Epistolarum, epist. 5. ad Felicem Comẽsem Episcopum: *Ortus*, inquit, *sermo de Basilicæ dedicatione, quam condidit* (Bassianus) *Apostolorũ nomine, dedit huic sermoni viam, &c.* Et lib. 10. Epist. 85. *Condiuimus*, inquit, *integra corpora* (SS. Geruasij, & Proth.) *& trãstulimus vespere iam incumbente ad Basilicam Faustæ. Ibi vigilia tota nocte: manus impositio, &c.* Et lib. 2. de Officiis cap. 28. *Nemo*, inquit, *potest queri, quia captiui redempti sunt. Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est: quia humanis fidelium reliquiis spacia laxata, &c.* Vbi pro certo ponit, ædificationem quoque templi esse opus pium.

Et S. AVGVSTINVS lib. 4. contra Cresconium Grammaticum cap. 40. *In Mustitana*, inquit, *postea ciuitate* (Felicianus) *Deo omnipotenti parietes consecratos, Ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit retinendam.* Et in epist. 66. ad Maximum, affirmat esse *actum latriæ & religionis* ædificare Deo templum.

Et in Concilio V. Carthaginensi cap. 6. sic legimus: *De Ecclesiis quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, vt sine vlla trepidatione consecrentur.*

Et multò ante in Concilio Gangrensi cap. 5. *Si quis docet, domum Dei contemptibilem esse, & conuentus, qui in ea celebrantur, anathema sit.* Et ibidem cap. 6. *Si qui in ea celebrantur, anathema sit.* Et ibidem cap. 6. *Si qui extra Ecclesiam seorsum conuentus celebrat, & despiciens Ecclesiã, ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit vsurpare, &c. anathema sit. Vt iam alia huius generis testimonia præteream.*

Quare omnino est reiiciendus quorundam ERROR, qui negauerunt, templa & loca deputata ad adorãdum, vllius prorsus esse vtilitatis. Primus huius erroris auctor fuit Eustachius quidã, cuius fit mentio in Concilio Gangrensi in Epist. Synodali. In eod. errore fuerunt Messaliani, teste Damasceno hæresi 80. Et hæretici dicti Fratricelli seu pseudoapostolici, qui teste Turrecremata lib. 4. de Ecclesia p. 2. cap. 37. impudentissimè aiebant, Ecclesiam *non plus valere ad orandum, quàm stabulum equorum aut porcorum.* Et VViclephus apud

Thomam

Thomam VValdensem, tomo 3. cap. 105. & hæretici VValdenses, vt refert AEneas Syluius in libro de Origine Boëmorum cap. 35.

Sed cõtra hanc vesaniam manifesta sunt Scripturæ testimonia. Si enim ita esset, cur 1. paralip. 28. Deus Dauidi, tanquam minus ad id idoneo, prohibuisset ædificare templũ, propter sanguinem ab ipso fusum? Cur tot priuilegiis templum postea à Salomone ædificatum ornauisset? 2. parali. cap. 7. Cur Christus Dominus Matth. 21. eiecisset ementes & vendentes de templo, quos tamen ne ex foro quidem eiecisset, ne dum ex stabulo? Denique is error damnatus est in Concilio Gangrensi vbi suprà capite 5. Vide Thomam VValdensem, tomo 3. cap. 144. & sequent. egregiè differentem de hoc toto argumento, profabrica, vsu, & ornatu, & magnificentia templorum; de quo vide etiam nostrum Bellarminum tomo 1.

QVÆSTIO QVARTA.

De Sacrificio, Oblationibus & Primitiis.

D. Thomas 2. 2. q. 85. & 86.

HOC QVIDEM LOCO SOLVM DISSERENDVM EST BREuiter de Sacrificiis & aliis oblationibus generatim. Nam de Sacrificiis veteris legis, tomo 2. quæst. 7. de Legibus disseruimus. De vnico verò sacrificio nouæ legis, nempe de Sacrificio altaris, tomo 4. in materia de Sacramento Eucharistiæ disputandum est, quod & in duobus libris aliàs fecimus.

Itaque quatuor tantùm explicanda nunc sunt. PRIMO, *Quid sit Sacrificium.* SECVNDO, *Quænam requirantur, vt Sacrificium sit vndequaque rectum ac legitimum.* TERTIO, *An & quatenus officium sacrificandi Deo sit de iure naturæ.* QVARTO, *An & quomodo sine sacrificio etiam sit aliquid offerendũ Deo in suis & Ecclesiæ ministris de primitiis fructuũ vel aliis rebus.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Sacrificium.

D. Thomas quæst. 85. art. 3.

CONSTAT ex diuinis literis, dupliciter accipi Sacrificij vocabulum. PRIMO, communiùs, vt idem est, quod opus ad diuinã gloriam quouis modo relatum, atque adeò sicut ipsa nominatio etiam indicat, *sacrum factum*, hoc est, diuinæ Maiestati siue dedicatum, siue consecratum.

SECVNDO, minùs communiter; vt sacrificiũ sit *externũ officium, quo res aliqua, hoc ipso offertur Deo, quòd ad eius Maiestatem recognoscendam, atque etiam ad internam mentis deuotionem & seruitutem erga Deũ tanquam omnium rerum Dominum protestandam, certo ritu ac cerimonia conficitur, seu immutatur*; vt cùm animal mactatur aut comburitur; Vel cùm panis frangitur & comeditur, sicut post Theophylactum in cap. 8. ad Hebr. B. Thom. q. 85. a. 3. ad 3. annotauit.

Vbi diligentissimè considerandum est, hanc Sacrificij externi rationem nõ in eo propriè nos ponere, quòd res, quæ immutatur & conficitur, vsurpetur quouis modo ad protestãdam Dei excellentiam eiusque generale in res omnes dominium (ita enim multæ actiones sacrificia externa dici deberent, quæ tamen sacrificia huius generis externa non censentur) sed in eo, quòd mens atque intentio præcipua sit, *per* ipsam propriè immutationem siue confectionem rei, quatenus est immutatio & confectio eius, quod Dei dominio subiacet, protestari, Deum esse omniũ Dominum, eatenusque illi, vt paulò post magis explicabitur, gloriam dare.

Porrò *priorem* illam Sacrificij *cõmuniter dicti* rationem illa Scripturæ diuinæ testimonia indicãt, quibus diuersarum virtutum officia in sacrificiis Deo acceptissimis recensentur: Psal. 49. & 50. ad Rom 12. ad Hebr. 13. &c. Vt enim actiones omnes bonæ in Deum referri possunt; ita in eas omnes illa prior sacrificij ratio conuenit; ac tũc quidem maximè, cùm ex virtute religionis, explicita etiam voluntate, maiestati diuinæ consecrantur.

Posteriorem aũt neq; ita latè patẽtem rationem Sacrificij externi, passim quoque diuinæ literæ demonstrant. Nam primùm Sacrificiorum ritus ac leges, præter Decalogi præcepta de cultu Dei in communi, & de virtutũ officiis, quibus sacrificium latiùs acceptum continetur, sunt in veteri testamento Iudæorum populo præscriptæ; quas planum est ex earum forma ad istius generis sacrificia externa, quæ describimus, pertinere.

Deinde,

Deinde, cùm diuersarũ virtutum officiorum ex vna parte, & Sacrificiorum ex altera, comparatio sit, vt fit 1. Reg. 15. & Psal. 50. Oseæ 6. Matth. 9. Marc. 12. &c. posterior illa Sacrificij ratio à priori, quæ in virtutum omnium officiis inest, procul dubio distinguitur, cum eaq; confertur. Maximè autem perspicuè à Dauide Psal. 50. hoc fit, vbi disertè externa hæc posterioris generis sacrificia per se æquè grata Deo, atque illa interna esse negat. *Si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* In quem locum AVGVSTINVS lib. 10. de ciu. Dei, cap. 5. *Intueamur*, inquit, *quemadmodum vbi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle Sacrificium.* Ac paulò inferius: *Vbi scriptum est*, inquit, *Misericordiam magis volo quàm Sacrificium. Oseæ 6. nihil aliud quàm Sacrificium Sacrificio prælatum esse oportet intelligi.* Quæ Augustini sententia ad cętera Scripturæ testimonia, quibus eiusmodi comparationes fieri diximus, perinde accommodari potest.

Atque hæc duo genera Sacrificiorum in Scripturis distingui, non modò Augustinus agnouit, sed etiam genus vtrumq; descripsit, haud secus, quod ad rem attinet, quàm ipsi paulo antè fecimus. *Externum* quidem lib. 10. de ciu. Dei, cap. 5. hoc modo: *Sacrificium*, inquit, *visibile inuisibilis Sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est.* Alterum autem illud, quod continetur virtutis cuiusq; officio in diuinam gloriam relato; eodem lib. 6. ca. his verbis: *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sanctâ societate inhæreamus Deo; relatum tamen ad illum finem bonum, quo beati esse possumus.*

Iam verò hoc loco, de Sacrificio agimus peculiari & *externo*; non autem de illo alio communi, quod continetur officiis Deo gratis cuiuscunq; virtutis. Itaque Sacrificium hoc externum, vt ex eius ratione iam proposita intelligi potest, omnino differt ab aliis *oblationibus*, quæ non sunt Sacrificia: vt non tantùm D. Thomas art. 3. ad 3. docet, sed CHRYSOSTOMVS homil. 18. in epist. ad Hebr. & Theophylactus in cap. 8. eiusdem epistolæ indicant. Nam vt oblatio Sacrificium huius generis sit, necesse est rem oblatam aliqua ratione *immutari atque confici*, vt antè dictum est. Vnde quod Græcis est, θυσία, hoc latinus interpres Sacrificium huius generis nominat: θυσίαν verò officium religionis est, quo res oblata Deo, aliqua ratione *conficitur*. Denique Apostolus ad Hebr. 5. & 8. à *donis* siue muneribus, quæ simpliciter offeruntur, *sacrificia* distinguit: quod facit etiam Psalmista, Psalm. 49.

Dixi autem in descriptione huiusmodi Sacrificij, illud esse officium, quo res aliqua *hoc ipso offertur* Deo, quòd ad eius Maiestatem recognoscendam *immutatur*, &c. Nam offerre aliquã rem Deo, nequaquam est, Deo ad vsum aliquem, quo ipse indigeat, rem attribuere. *Quis enim*, inquit AVGVSTINVS lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 8. *ita desipiat, vt existimet, aliquibus vsibus Dei esse necessaria, quæ in Sacrificiis offeruntur?* Et verissimè Domino suo dixit Dauid, Psalm. 15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ex quo idem Augustinus, loco citato, rectissimè colligit, non solùm pecudibus, aut alia re, sed *ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum esse; idque totum, quo rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim* (inquit elegantissimè) *sinti se quisquam dixerit profuisse, si biberit; aut luci, si viderit.*

Omnino igitur Deo quidpiam offerre & consecrare tum dicimur, cùm aliquo officij genere siue rei alicuius vsu, quantum in nobis est, gloriam ipsi, id est, existimationem sua maiestate dignam, conciliare instituimus. Id verò facimus, quando rei vsum officiumue aliquod deliberata voluntate eò referimus, vt seruitutis vinculum, quo Deo tanquam Creatori ac summo Domino deuincti sumus, adeoque immensam eius dignitatem protestemur. Quod ipsum si huius officij genus per se naturamque illius spectes, est, Deo religionis cultum seu diuinum honorem adhibere.

Hac ratione offerenda esse Deo Sacrificia, scilicet, non quasi officiis nostris ipse indigeat, sed vt ipsius bonitas nota fiat; illa ipsius Domini oratio perspicuè declarat, Psal. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, &* HONORIFICABIS *me.* Videlicet laudem inprimis & honorem, qui testificatio quædam excellentiæ ac dignitatis est, ideoque existimationem conciliat, à nobis expetit; atque eatenus ipsi nos aliquid siue Sacrificiis, siue officiis nostris dare posse significat.

Etsi enim existimatio & notitia Dei, quam in hominum mentibus hæc obsequia excitant, nihil emoluméti adferat Maiestati diuinæ, sed ipsis potius hominibus sit perutilis, ideoque *totum id, quo Deus colitur*, sicut Augustinus ait, *homini prosit, non Deo*; tamen quia quasi primum humanæ mentis aditum ea cognitio Deo patefacit, vt is, quod summoperè optat, sese homini communicet, eatenusque peculiari quadam ratione confert ad eum consequẽdum finem, quem sibi Deus proponit; dare quadantenus Deo aliquid, eumque veluti aliquo munere ad finem ipsi propositum conducente afficere dicimur, cùm id facimus, quod infinitam ipsius bonitatem hominibus manifestat, adeoque existimationem illi gloriamque conciliat. Atque ex iis, quæ sit ratio Sacrificij externi, de quo nunc agimus, satis puto intelligi. Ex qua facilè patet, Sacrificium esse actum Religionis & latriæ, vt tradit D. Thomas ar. 3.

Sed cùm nõ possit negari, quod ad rem ipsam attinet, quin Sacrificij vocabulum prædictis duobus modis accipiatur, scilicet & pro Sacrificio

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuiuſq; boni operis, & pro ſacrificio hoc exter- A
no, de quo ſolo nunc agimus; nonnulla tamen
QVÆSTIO eſſe poteſt hîc de nomine: Videlicet vtriuſnam generis Sacrificiũ magis propriè Sacrificium dicatur? illudne commune, quod in omni virtutis opere cernitur, an verò illud alterũ, quod certo ritu cerimoniaq; exhibetur. Vel certè, nũ vtrumq; æquè propriè; quod eſt nimirum quærere de vſu & inſtitutione nominis, videlicet ad quam potius rem ſignificandam fuerit illud hominum placito propriè accommodatum.

Breuiter autem RESPONDEO: Sacrificium prioris generis, quod ab officiis virtutum omnium non differt; neque magis propriè, neque æquè propriè atq; Sacrificium alterius de- B
terminati generis Sacrificium dici: Sed hoc tantùm *peculiare* Sacrificium, propriè Sacrificium nominari; alterum autem illud commune non niſi translatiuè & per tropum. Quod ex vſu loquentium, vnde nominis propria ſignificatio exiſtimari debet, eſt perſpicuum. Omnes enim Sacrificium propriè intellexerunt eſſe definitæ cuiuſdam rationis officium, quod & ab aliis officiis religionis, vt ab oratione, iuramento, voto, oblatione ſimplici, &c. & ab aliarum actionibus virtutum diſtingueretur.

Quam ob cauſam rectè D. Thomas art. 3. dixit, Sacrificium propriè eſſe id, quod ex propria ratione ſua nõ habet aliam laudem, quàm quòd in diuinam gloriam res quæpiam aliqua ratione, vt ſuprà dictum eſt, *conſecta* refertur. Et Auguſtinus libro 10. de ciuitate Dei, cap. 5. planè affirmat, Sacrificium hoc peculiare atque externum eſſe id, quod ab hominibus *appellatur Sacrificium*.

Neq; obſtat quod ibidem Auguſtinus Sacrificium rationis communioris, quod interna mentis deuotione & virtutum vſu continetur, *verum Sacrificium* aliquoties vocat. Nõ enim per hoc ſignificare voluit, Sacrificij nomen in id genus magis propriè cõuenire: Sed Sacrificia eiuſmodi inprimis Deo grata & accepta eſſe, atque adeò verè in ipſa etiam conuenire aliquid, quod ſpectat ad Sacrificia propriè dicta, ſi modò ritè atque ex diuina voluntate fiant, nimirum vt ſint Deo placita, eique ſicut Scriptura loquitur, iucundiſsimum ſpirent odorem ſuauitatis.

Atq; hæc videlicet ratio eſt, cur Sacrificij nomen ad quæuis virtutum officia metaphoricè transferatur, quoniam vt hæc Deo grata ſunt, Sacrificiorum ſimilitudinem participãt. Quam rationem Metaphoræ Apoſtolus ad Philippenſes quarto, expreſsiſſe videtur, vbi cur eleemoſynæ fidelium eſſent hoſtia & Sacrificium, illis verbis ſubindicauit: *Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis, hoſtiam* ACCEPTAM, PLACENTEM DEO. Et ad Hebræos decimo tertio, veluti indicans, huiuſmodi officia quadantenus ſolùm; ob rationem expoſitam, non autem omnino propriè ſacrificia eſſe. TALIBVS *enim*, inquit, *hoſtiis promeretur Deus*.

Sed de nomine Sacrificij neceſſe non eſt pluribus diſputare. Etenim ſiue in hoc, ſiue in illud Sacrificiorum genus propriè Sacrificij vox conueniat; conſtat certè ad vtrumque genus, vt ex Scriptura ſacra probatum antea eſt, eam vocem accommodari, noſque hoc loco de Sacrificio agere nõ illo communi, quod in omni opere bono fit, ſed externo & peculiari.

Porrò quænam fuerint olim genera Sacrificiorum huiuſmodi, vſitata apud Dei populum, explicauimus tomo 2. quæſt. 7. de Legibus, p. 5. Quale autẽ ſit Sacrificium altaris nunc in noua lege, tomo quarto, fauente Deo, explicandum eſt, vbi aduerſus Sectarios docebimus eſſe illud ſimul & commemorationem Dominicæ paſſionis & gratiarum actionis, & laudis, & propitiatorium, quod & aliàs in duobus libris de Sacrificio Miſſæ tradidimus.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam requirantur, vt Sacrificium vndequaq; ſit rectum & legitimum.

D. Thomas q. 85. art. 2.

VAMVIS omne verum ſacrificium, ex genere ſuo ſiue ex ſua *ſpecifica* ratione conſideratum, habeat quandam rectitudinem, per quam pertinet ad virtutem Religionis, vt p. præced. dictum eſt: tamen vt etiam *in individuo* ſacrificandi actio ſit vndequaque recta, quædam conditiones requirũtur, præter ipſam Sacrificij rationẽ p. præced. explicatam. Nam conſtat, fuiſſe mala & peruerſa quædã externa Sacrificia, quæ in ſacris literis propriè etiam Sacrificia huius generis appellantur; & tamen ob defectum alicuius debitæ cõditionis minimè fuerunt vndequaq; recta.

Certum enim eſt, Iephte, cùm filiam immolauit, facinus deſignauiſſe impiũ; & tamẽ Scriptura ſignificat, eum tunc *obtuliſſe holocauſtum*. Iudic. 11. Ait enim, ipſum *feciſſe ſicut vouerat*; vouerat autẽ, vt ibi legimus, in hæc verba: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunq; primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihiq; occurrerit reuertenti in pace à filiis Amon, eum holocauſtum offeram Domino*. Sic etiam Rex Moab *arripiens* (vt Scriptura teſtatur 4. Reg. 3.) *filium ſuum primogenitum qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum*. Quod fuit Sacrificium minimè diuinitus inſtitutũ. Nec veretur Dauid funeſta parricidia, quæ Iſraëlitarum aliqui ex gentibus didicerunt, his verbis recenſere: *Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Canaam*. Pſalm. 105. Vt præteream cætera ſacrificia gentium, quæ, vt dæmonibus adhibebãtur, nequaquã probabantur Deo, & nihilominus cùm vulgò ab omnibus, tum etiam in Scriptura ſacra ſimpliciter Sacrificia nominantur. Nec ſanè immeritò: Nam ex ſuo genere præcisè conſiderata illa Sacrificia, videlicet vt numini diuino, generali Dei notitia apprehenſo adhibebãtur, communem Sacrificiorum rationem propriè participauerunt. Qua ex parte (vt ſcilicet illa Sacrificia offerebantur numini diuino generaliter apprehenſo) Auguſtinus etiam docet libro vigeſimo contra Fauſtum, capite decimo octauo, Epiſtola quadrageſima nona ad Deo gratias, quæſtione tertia, reprehenſione vacauiſſe; ſed eatenus, vt idem ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 10. probat, impia erant, quatenus deferebantur dæmoniis, quibus generalem notitiam Dei falsò accommodabant Ethnici.

Quare, vt iuramentum, quia ſecundùm communem ſuam rationem, inuocatio tantùm diuini teſtimonij eſt ad faciendam fidem, religionis quidem ex ſuo genere munus eſt, latius tamen patet, quàm iuramentum in ſpecie legitimum, quòd ſcilicet ex diuinæ legis præſcripto Hieremiæ quarto, veritatem, iuſtitiam, & iudicium habeat: ita etiam Sacrificium, quod alioquin ex ſuo genere ad religionem ſpectat, communius quiddam eſt, quàm Sacrificium vndequaque legitimum.

Hoc igitur poſito, videndum eſt, quænam cõditiones requirantur, vt Sacrificium omni ex parte ſit rectum. Et dicendum eſt, præter illam communem conditionem neceſſariam omnibus actibus bonis (vt ſcilicet careat malo fine, & aliis eiuſmodi prauis circumſtantiis) requiri tres conditiones ad rectitudinem Sacrificij; primam ex parte *actus ſiue materiæ* ipſius Sacrificij; ſecundam ex parte *ſacrificantis*; tertiã ex parte eius, *cui* ſacrificatur.

PRIMO enim ex parte ipſius *actus & materiæ* Sacrificij requiritur, vt illud ſit à Deo inſtitutum: vel per internum inſtinctum, ſicut erant diuinitus inſtituta Sacrificia vſitata à patribus in lege naturæ, à quibus ſacrificandi ritus Ethnici acceperunt: vel per mandatum peculiare, quo pacto & olim erant diuinitus inſtituta Sacrificia veteris legis, & nunc Sacrificium altaris, vt alibi probauimus, & in 4. tom. trademus.

SECVNDO ex parte *ſacrificantis* requiritur, vt is ſit talis, qualem requirit inſtitutio diuina. Hinc enim olim in lege veteri quædam Sacrificia non poterant peragi, & immediatè offerri, niſi à diuini cultus miniſtris, nec iam Sacrificium Altaris, niſi à Sacerdotibus, vt alibi probandum eſt. Vnde 1. Reg. 13. Saul grauiſsimè eſt à Samuele reprehenſus, & poſtea à Deo mulctatus, quoniam in offerendo holocauſtum Sacerdotis munus vſurpauerat, etiamſi bono zelo & neceſsitatis prætextu fecerit. *Dixi*, inquit, *nunc deſcendent Philiſtiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Neceſsitate compulſus obtuli holocauſtum. Dixitque Samuel ad Saul. Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Dei tui, quæ præcepit tibi, &c.* Dixi autem, quædam Sacrificia non potuiſſe *peragi & immediatè* offerri, niſi à diuini cultus miniſtris. Nam certum eſt, & olim potuiſſe quodcunque ſacrificium, & nunc poſſe Sacrificium altaris offerri *mediatè* ab ipſis fidelibus, per Sacerdotem nimirum, qui nomine omnium offert.

TERTIO ac potiſsimè ex parte eius, *cui* Sacrificium offertur, requiritur, vt is ſit verus Deus; non autem creatura vlla, quæ Sacrificij honore afficiatur, vel quia ſit creatura præſtans & nobis bene faciens (vt afficiebantur diuinis honoribus Angeli ab iis, quos refutauimus q. præced. puncto tertio) vel quia peruersè habeatur pro vero Deo.

Etenim ex dictis p. præcedenti eſt conſequens, vt Sacrificium hoc externum nulli præterquam ſoli vero Deo offerri poſsit, ſicut facilè docet diuus Thomas articulo ſecundo. Nam vt idem oſtendit articulo tertio, & patet ex dictis, Sacrificium huiuſmodi, propriè eſt actus latriæ & religionis, qua ſolus Deus verus honorandus eſt. Vnde ſanctus AVGVSTINVS libro decimo de ciuitate Dei, capite decimo quarto: *Sacrificium*, inquit, *nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſi Dominoſoli.*

Quod rurſus confirmat eodem libro capite decimo nono, exemplo Pauli & Barnabæ, qui Actorum decimo quarto prohibuerunt ſibi Sacrificium offerri, ſicut populus in Lycaonia volebat facere, cùm Paulus ſanâſſet claudum. Atque etiam libro vigeſimo contra Fauſtum, capite vigeſimo primo, reſpondens ad calumniam quandam Fauſti in Catholicos, quaſi ij idola in Martyres vertant, quando in memoriis Martyrum ſacrificant (ſicut nunc etiam obiicere ſolent Sectarij) *Populus*, inquit, *Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt* NVLLI *Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memoriis Martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit, vt ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exſurgat ad accendendam charitatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adiuuante poſſumus.* Sed de hoc infrà plura in q. de Idololatria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PVNCTVM TERTIVM.

An & quatenus officium sacrificãdi Deo sit de iure naturæ.

D. Thom.q. 85.art. 1. & 4.

VPLICITER potest atq; etiam solet dici aliquid de *iure naturæ*. Vno modo ita, vt dicatur à naturali ratione tanquã naturæ hominis *consentaneum*, & eam decẽs. Altero modo ita, vt à ratione naturali etiam dictetur *necessariò* faciẽdum ad vitandum peccatum & deformitatem ab ipsa ratione naturali improbatam.

Et vtroque modo sentire videtur D. Thomas hîc art. 4. adiuncta solutione ad 1. quòd iure sit Deo offerendum aliquod Sacrificium etiam externum; non quidem à singulis, sed à Sacrorum saltem ministris, qui offerunt suo & aliorum nomine, vt explicat ibi in Resp onsione ad 3. Atque idem videtur sentire Caietanus artic. 1. vbi ait, quòd sit sacrificandum, esse de iure naturæ; non quidem vt aliquod principium omnibus statim notum, sed vt *Conclusio*, quæ ex principiis suis naturalibus deducatur.

Et certè esse hoc sacrificandi officium de iure naturæ, vel tanquam necessarium, vel tanquam naturæ hominis valde consentaneum; dubitandum non est. Probatur PRIMO ex more & instituto communi omnium gentium in protestando per aliqualia Sacrificia deuotionem & subiectionem animę erga id numen, quod siue verè, siue falsò coluerint pro diuino. Hoc enim non obscuro est indicio, quod id ipsum tanquam ad rectam religionem vel necessarium, vel inprimis conducibile, dictat naturalis ratio. Vnde & sub mundi exordium sacrificâsse Deo Abel & Cain legimus Genesis quarto, quo exemplo & diuus AVGVSTINVS lib.10.de ciuitate Dei, capite 4. probat, *quàm sit* (vt inquit) *antiquus in sacrificando Dei cultus*.

Atq; hinc est, quod neque in gentilibus reprehensibile est, quòd sacrificant (cùm id sit de iure naturę) sed quòd sacrificant *dæmoniis*, hoc est, falsis Diis, & nõ vero Deo. Quod ipsum disertè docuit sanctus AVGVSTINVS lib. 20. contra Faustum, cap.18. *Dicit*, inquit, *Apostolus 1. Corint. 10. Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & nõ Deo: non quòd offerebatur culpans: sed quia illis offerebatur*. Et in epist. 49. ad Deogratias, q.3. *Qui*, inquit, *Christianas literas sciunt, non hoc culpant in ritibus paganorum, quòd construant templa, et instituant Sacerdotia, & faciant sacrificia: sed quòd hæc idolis & dæmoniis exhibeant*.

SECVNDO idem probatur eo argumento: nã cũ constemus ex animo & corpore, & simus subiecti Deo, tanquam auctori nostro & supremo Domino, ex eoq; toti pendeamus: ratio dictat, oportere per Sacrificij cultum puncto præced. explicatum protestari hanc ipsam nostri erga Deum subiectionem & ex eo dependentiam, atque adeò ipsius Maiestatem, vt Domini rerum omnium.

Neq; obstat, quòd aliqui putauerint, officium sacrificandi non esse de iure naturę, neque esse vsurpandum causâ ipsius Dei, sed ad retinendum in officio vulgus, vt Seneca (quem circa hoc reprehendit Augustinus lib.6.de ciuit.Dei, cap.6.) & Auerroës 12.Metaphys.& Cicer. apud Lactantium lib.2. instit. cap.3. & idem Caietano hîc videtur sensisse Philosophus 12. Metaphys. Id, inquam, non obstat, quo minus existimemus officium sacrificandi esse, vt dictum est, de iure naturæ. Nam vt bene ait art.1. Caietanus, non est idita de iure naturæ, vt sit primum principium, sed deducitur tanquam Conclusio, vt deducit sanctus Thomas art.4. Itaque vt ait Caietanus, non esse mirum, si aliqui *putantes se esse sapientes*, & negantes ius naturale sacrificandi, *stulti facti sint*, sicut inquit Apostolus ad Rom. 1.

Quanquam vno quodam sensu, verũ quidem est, quod hi sentiebant, non esse sacrificandum, nisi *propter vulgus*; si sensus tantùm sit, non esse sacrificandum propter aliquam vtilitatem, quæ Deo inde accrescat, sed propter vtilitatem nostram, vt excitemus nos per exteriora ad Sacrificium mentis internum, & vt eo ipso glorificemus Deum. Hac enim ratione sola & non aliter Sacrificium est de iure naturæ, vt diuus Thomas docet 3. contra Gentes, cap. 120. & luculenter etiam sanctus AVGVSTINVS in illa epist. 49. q.3. *Sacrificium*, inquit, *non nisi vni & vero Deo offerri oportere, veraces ac sacra litera monent; non quòd illo egeat Deus, quoniam bonorum meorum non eget (Psal. 15.) sed quòd etiam in his vel acceptandis, vel reprobandis, vel percipiendis, non nisi hominibus consulat. Nobis enim prodest colere Deum, non ipsi Deo*. Verùm Philosophi illi ne Dei quidem colendi causâ agnoscebant iure naturæ esse sacrificandum, & propterea stulti facti sunt, vt ait Caietanus.

Est autem notandum, quamuis de iure naturę sit sacrificare *in genere*: tamen quæ Sacrificia determinatè sunt offerenda, solùm statui per legem positiuam, vt docet D. Thomas art. 4. Et quidem iam lex Euangelica solum sacrificium altaris admittit, reliqua legis veteris reiicit, vt patet ex Apostolo in epistola ad Hebr. cap. 7. vsque ad 10. Thus verò & candelæ, &c. quæ in eo Sacrificio adhibentur, non sunt per se sacrificia, sed ordinantur ad solennitatem Sacrificij altaris: quod verisimum esse Sacrificium, ostendi solet non hic, sed in Tractatu de Eucharistia.

PVNCTVM QVARTVM.

An etiam sine Sacrificio sit aliquid offerendum Deo in suis & Ecclesiæ ministris de primitiis fructuum & aliis rebus.

D. Thom. q. 86.

OBLATIO primitiarum in proposito appellatur *oblatio facta Deo & Ecclesiæ in suis ministris ex primis & quasi præcipuis fructibus terræ*, vt patet ex D. Thoma hîc art. 4. adiuncto argumento 1. & respon. & ex Sylueſtro, V. Decimæ. num. 1. & ex aliis. Est itaque *oblatio* rerum earum, quæ Ecclesiæ & ministris vsui esse possunt: vt panis, vini, ornamentorum, &c. Quomodo autem huiusmodi oblationes sint quoque Religionis actus, declarauimus q.1.p.2.

Hoc posito, refellendum est hîc inprimis ARGVMENTVM quoddam, quo probari videtur, non modò non debere, sed non posse quidem licitè fieri hoc tempore gratiæ oblationes primitiarum, aut aliarum rerum. Nam constat, pertinuisse hæc ad cultum cerimonialem in veteri lege, vt patet Exodi 23. & 25. & Deuter. 26. &c. Sed ea, quæ ad cerimonialem cultum illius legis pertinuerunt, non possunt nunc vllo modo ad cultum diuinum vsurpari, vt vidimus tomo 2. quæst. 7. de Legibus, p.7. Ergo non possunt nunc ad colendum Deum vllo modo fieri oblationes primitiarum aut aliarum rerum.

Proponit hoc ferè argumentum D. Thomas hic art. 1. & art. 4. primo loco: & vtrobique respondet ad illud verè, sed non satis clarè. Est autem ex sententia eius, quam optimè in illis locis interpretatur Caietanus, distinguenda Minor eius argumenti. Nam *cerimonialia* (hoc est, ad Dei cultum pertinentia) in illa lege duplicis generis fuerunt. Quædam enim non valebant ad cultum Dei, nisi per significationem *futurorum* mysteriorum Christi; vt Sacrificia, &c. Et hæc nullo modo licet iam ad cultum Dei vsurpare, vt tomo secundo ostendimus loco citato. Alia verò valebant ad Dei cultum ex *sua etiam ratione*, & non tantùm ob significationem futurorum; vt religio vouendi, verbi gratia, & iurandi, & obseruatio diei festi ad vacandum Deo, &c. Et hæc nunc etiam possunt ad Dei cultum vsurpari, non quidem ex vi illius legis (quæ iam non obligat) sed quatenus per se quoque sine significatione futuri, sunt iam ad cultum idonea, & ab Ecclesia approbata. Et in hoc genere sunt quoque oblationes primitiarum, & aliarum rerum.

Itaque possunt omnino licitè nunc hæ oblationes fieri sine *Sacrificij* cerimonia, hoc est, relinquendo res ipsas *integras*, vt cedant postea in vsus Ecclesiæ & ministrorum; in hoc enim, vt diximus puncto primo, oblatio differt à Sacrificio, quod illa sine aliqua rei immutatione fit; Sacrificium autem fit cum quadam rei oblatæ immutatione. Quomodo autem non solùm possint, sed etiam DEBEANT fieri oblationes huiusmodi, exponam breuiter per sequentes assertiones.

PRIMA assertio. Oblationes hoc tempore gratiæ ob aliquam ex QVATVOR causis possunt esse debitæ, vt docet D. Thomas articulo primo, & Sylueſter vbi suprà & alij: Nimirum vel 1. quia aliquis fundus datus est ab Ecclesia alicui cum censu *reseruatiuo* aliquorum fructuum, qui proinde ex eo debeant offerri: Vel 2. propter *promissionem* aliquam inter viuos, aut in testamento factam Ecclesiæ: Vel 3. propter *necessitatem* ministrorum, qui non habent aliunde, vnde viuant: Vel 4. propter *consuetudinem* receptam, quæ potissimum in huiusmodi est attendenda ex sententia Doctorum, etiam quod attinet ad primitias.

Itaque quod ait Gregorius VII. in Cap. Omnis. de consecrat. distinct. 1. *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid offerre*, intelligi debet, quatenus de hoc fuerit consuetudo, aut aliqua causa ex prædictis interuenerit, vt indicauit hîc diuus Thom. & Nauarrus in Manuali, capite decimo tertio, numero decimo nono, & Sylueſter, V. Decimæ. nu. 4. & alij. Ac notant Sylueſter & Nauarrus, in diebus festis, cùm ex consuetudine est in Missa offerendum, sufficere si maior pars populi offerat, atq; adeò non peccare eum, qui semel vel iterum id facere intermittit sine contemptu & scandalo; nisi fortè suo malo exemplo efficiat, vt ne maior quidem pars populi offerat, &c.

Notat etiam sanctus Thom. art. 1. ad 3. & Caietanus ibi, quamuis debeat is à Superiore puniri, qui debitas oblationes non vult facere, tamen Sacerdotem, cui faciendæ illæ erant, non debere negare Sacramenta ei, qui nolit facere debitas oblationes; ne vel ita videatur Sacerdos *propter* oblationes, & non aliter Sacramenta administrare (contra id, quod præcipitur in Cap. Nullus Episcopus 1. quæst. 1.) vel vsurpare Superioris officium puniendo talem.

Addit tamen Caietanus, posse tunc Sacerdotem præmonere talem, vt faciat, quod debet, & si noluerit, negare ei Sacramenta, protestando coram aliis, se non negare, vt puniat, vel quia propter oblationes & non aliter administraret, sed quia reuera talis sit Sacramentis indignus. Quod intelligo, quando peccatum talis, qui oblationes debitas non vult facere, est alioqui aliis notum. Secùs enim, non liceret eum diffamare.

SECVNDA assertio. Oblationes factæ in aliqua Ecclesia, vel loco ad eam pertinente, Rectori illius cedunt (vt Parocho eæ, quæ fiunt in Ecclesia parochiali, & Prælato, si fiant in

Universidad de Deusto
Biblioteca

alia, &c.) vt is in vſus Eccleſiæ vel pauperũ (prout tenebitur) vel etiam ſuos, conuertat. Ita Syluester vbi ſuprà, ex ſententia diui Thomæ hîc articulo ſecundo, & aliorum. Vbi diuus Thomas in ſolutione ſecundi explicat, quemadmodum Religioſi quoque poſſint accipere oblationes, vel vt pauperes ex conceſsione Rectoris Eccleſiæ, vel vt miniſtri altaris, ſi eis offerantur, vel vt Rectores Eccleſiarum parochialium, quarum ipſi curam habeant.

Quòd ſi oblationes fuerint conſecratæ (vt veſtimenta & vaſa ad cultum ſacrum) non poſſunt cedere in vſum vllorum Laicorum, vt docent diuus Thomas & Syluester vbi ſuprà ex ſententia Damaſi in Cap. Hanc conſuetudinem. 10. quæſtione prima. Aliæ autem non conſecratæ, vt panis, vinum, pecunia, &c. poſſunt in vſus Laicorum cedere, vel per donationem, vel per venditionem, &c. vt docet D. Thomas in illo artic. 2. ad 3.

Tertia aſſertio. Quando oblationes ſunt ſolùm debitæ ob tertiam vel quartam cauſam, ex quatuor ſuprà dictis in prima aſſertione, ſcilicet vel propter *conſuetudinem*, vel propter Eccleſiæ aut miniſtrorum *neceſsitatem*; in arbitrio ipſorum offerentium manet, quid vel quantum velint offerre; modò ab eis ſatisfiat miniſtrorum aut Eccleſiæ *neceſsitati*, vel *conſuetudini* offerendo aliquid. Ita diuus Thomas articulo primo, & ex illo Syluester & Nauarrus vbi ſuprà, & alij. Quo fit, vt tunc etiam oblatio ſit quodammodò *voluntaria*; iuxta illud Exodi 25. *Ab homine, qui offert vltroneus, accipietis, &c.*

Diximus autem, quando oblationes ſunt debitæ *ſolùm ob illam tertiam vel quartam cauſam*, ſcilicet conſuetudinem vel neceſsitatem: Nam ſi ſint debitæ ob primam vel ſecundam, ſcilicet propter *conuentionem*, *vel promiſsionem*, *&c.* illud determinatè offerendum eſt, de quo eſt facta conuentio, vel promiſsio; & quidem illud in bono aliquo ſui ſtatu; vt Vitulus ſanus, non autem æger vel claudus, ſi vitulus eſt promiſſus, ſicut rectè notat Caietanus articulo tertio ex optima quadam doctrina diui Thomæ ibi ad 3.

Vbi diuus Thomas docet, triplici de cauſa poſſe eſſe malum offerre rem vitioſam. Vel Primo, quia *inepta* ſit ad finem, ob quem offertur; vt ſi quis offerret corruptam farinam, aut vinum acetoſum, pro Sacrificio altaris (quod eſt exemplum Caietani) Vel Secvndo, quia ſit propter vitium res *contemptibilis*, atque adeò redditura ſit cultum diuinum contemptibilem; propter quam cauſam notat Caietanus, non eſſe offerendas pro ornatu altaris veſtes concubinæ aut meretricis, vbi notæ ſint: Vel Tertio, quia res *promiſſa* fuerit, nec ſit talis, qualis deberet eſſe, vt ſatisfiat promiſsioni, nempe ſana & integra, vt iam dictum eſt, & confirmat diuus Thomas ex illo Malachiæ primo: *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat debile Domino.*

Si tamen in particulari aliquo caſu, quo res quæpiam vitioſa offeratur, nullum iſtorum trium incommodorum habuerit locum; quia ſcilicet neque ea res erit *inepta* ad finem, ob quem offertur (vt ad cibum miniſtrorum) neque *contemptibilis*, neque offertur ex *promiſsione*, ſed vltrò, non peccabit quis offerendo rem talem, qualem habet, vt notant etiam vbi ſuprà D. Tho. & Caietanus.

Quarta aſſertio. Ex omnibus rebus licitè poſſeſsis poſſunt oblationes fieri; niſi vel in alios vſus ex naturali præcepto conferendæ ſint, vt in ſuſtentationem parentum, &c. vel ex illarum oblatione oriri queat ſcandalum; quam ob cauſam non debet fieri oblatio ex mercede *proſtibuli*, *&c.* Ita docet diuus Thomas articulo 3. communiter receptus.

Dixi autem, *licitè poſſeſsis*. Nam quæ illicitè poſſidentur, reſtituenda potius ſuis Dominis ſunt, non offerenda Deo: iuxta illud Eccleſiaſtici trigeſimo quarto: *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.* Item quia de iis ſolùm, quæ licitè poſſidentur, poteſt illud dici: *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 1. Paralip. vltimo; quæ eſt cauſa & ratio offerendi Deo.

Quinta aſſertio. Primitiæ, non ex aliquo naturali aut diuino præcepto, hoc quidem tempore, offerri debent (cùm his præceptis ſatisfiat ſuſtentando quocunque modo ſufficienter miniſtros, & offerendo qualeſcunque alias res externas in honorem Dei) ſed ex decreto Eccleſiæ, iuxta receptam locorum *conſuetudinem*, & *neceſsitatem* miniſtrorum Eccleſiæ. Ita docet diuus Thomas articulo quarto communiter receptus, & ita colligitur ex Cap. Decimas. 16. quæſtione ſeptima. Vnde id confirmat quoque diuus Thomas. Ita etiam poſt alios tradit Syluester, verbo Decimæ, numero 3. Vbi ait, poſſe tolli obligationem ſoluendi primitias per contrariam conſuetudinem eo modo, quo poteſt alicubi tolli per contrariam conſuetudinem obligatio ſoluendi Decimas, de quo dicemus quæſtione ſequenti.



QVAE-

QVÆSTIO QVINTA.

De Decimis.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 87.

QVINQVE SVNT EXPLICANDA. PRIMÒ, AN ET quo iure debeant pendi Decimæ. SECVNDO, An adeò ſtricto iure pendi debeant, vt nullo modo poſsit tolli eiuſmodi obligatio. TERTIO, Ex quibus rebus pendi debeant. QVARTO, Quibus pendi debeant. QVINTO, A quibus pendi debeant.

PVNCTVM PRIMVM.

An & quo iure debeant pendi Decimæ.

D. Thomas art. 1.

NOn defuerunt hæretici, qui improbarent morem pendendi ex obligatione Eccleſiaſticis miniſtris *partem decimam* ex bonis licitè acquiſitis. Nam circa annum Domini M. CCC. quidã hæretici, dicti Fratricelli, contendebãt, ſibi tantùm eſſe pendendas Decimas, vt qui viuerent Apoſtolicè (ſicut iactabant) non autem miniſtris Eccleſiæ, ſiquidem paupertatem Apoſtolicam non profitentur. Ita de his refert Turrecremata libro quarto de Eccleſ. puncto 2. capite 37. Vbi & alios iſtorum errores refert, inter quos iſte eſt decimus ſextus.

Hos ſecutus VViclephus, dixit, Decimas eſſe *meras eleemoſynas, quas proinde poſsit populus ad libitum negare Sacerdotibus propter eorum peccata.* Qui error inter errores VViclephi damnatos in Concilio Conſtantienſi, ſeſs. 8. eſt decimus octauus. Præterea miniſtri Arrianæ hæreſis in Tranſiuania in libro, quem anno M. D. LXVIII. ediderunt de *Antitheſibus veri & falſi Chriſti*, (vt appellant) inter alia, quæ aiunt pertinere ad cultum Chriſti non veri, ſed falſi, numerant quoque inſtitutum *Decimarum*. Quibus hæreticis non iniuria poteſt adiungi Eraſmus, ſiquidem in Annotationib. ſuis ad Nouum Teſtamentum, exactionem Decimarum dixit eſſe *tyrannidem*.

Sed ex fide Certvm eſt, aliquo tandem iure (de quo pòſt dicemus) debere pendi Decimas miniſtris Eccleſiæ. Et quidem quod teneatur populus miniſtris pendere ſtipendium ſui laboris (quod appellari ſolet Decimæ, quoad *ſuſtentationem*, ſeu ſtipendium miniſtrorum) ex Scriptura quoque noui Teſtamenti expreſsè conſtat. Lucæ decimo: *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.*

Quod ipſum Apoſtolus non modò affirmat, ſed manifeſtis etiam argumẽtis probat. 1. Cor. 9. *Quis*, inquit, *militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat? &c. Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique hæc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt: quoniam debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Et 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non infrænabis os boui trituranti:* Et: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Vbi Haymo: *Duplicem*, inquit, *honorem præcipit exhiberi Presbytero; in ſalutationibus videlicet; vt humilient ſe illi ſubditi; & in exhibendis donis ſubſidiis q; temporalibus.*

Et diſertè ſanctus Avgvstinvs in Pſalmum centeſimum quadrageſimum ſextum: *Debetur*, inquit, *ſeruo cibus. Sicut Dominus ait: Manducate quæ ab ipſis ſunt. Et ne putarent, aliquid de ſuo donare: Dignus eſt enim, inquit, mercede ſua.* Et libro decimo homiliarum, homilia quadrageſima octaua: *Maiores*, inquit, *noſtri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo Decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modò autem quia diſceſsit deuotio Dei, acceſsit indictio fiſci. Noluimus partiri cum Deo, modò totum tollitur. Hoc tollit fiſcus, quod non accepit Chriſtus.*

Et Hieronymvs in caput tertium epiſtolæ ad Titum, in fine: *Apoſtolicis*, inquit, *viris & Euangelizatoribus Chriſti, in vſibus neceſſariis nolle tribuere, ſterilitatis ſeipſum eſt condemnare.*

Quòd autem determinatè per exhibitionem *decimæ partis* bonorum licitè acquiſitorum (quæ appellari ſolet Decima quoad *Quotam*) debeat hæc merces pendi miniſtris Eccleſiaſticis; patet t ex au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex auctoritate Ecclesiæ, quæ id lege sanxit, vt patet in Decretalibus titulo de Decimis, per multa capita: & 16. quæstione 1. Cap. Decimas, & Cap. Reuertimini, & Cap. Decimæ. ex Augustino sermone ducentesimo decimo nono, de tempore, vbi ait: *Decimæ ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.*

Atque idem patet ex Concilio Constantiensi sessione octaua, vbi error contrarius VViclephi damnatus est. Et in Concilio Tridentino sessione 25. capite 12. de reformatione ita præcipitur: *Qui Decimas subtrahunt aut impediunt, excommunicentur: neque ab hoc crimine, nisi restitutione secuta, absoluantur.* Quod tamen Nauarrus in Manuali, capite vigesimo primo, numero 32. putat, intelligendum nonnisi quando quis potest restituere, antequam oporteat ipsum absolui propter instantem mortem vel necessitatem communicandi. Et in Clementina Cupientes. de pœnis, excommunicantur Religiosi, qui in cõcionibus *dissuadent solutionem Decimarum, vel aliàs quidpiam dicunt, vt abalienent homines à soluendis Decimis debitis.*

Sed posito, quòd populus teneatur Decimas soluere, supersunt nunc quærẽda duo. PRIMO, Vtrũ ad id populus teneatur ex præcepto diuino, aut humano. Nam Innocẽtius in Rubrica de Decimis, & Glossa in Cap. 1. de Decimis, lib. 6. & alij Iuristæ citati à Couarruuia lib. 1. variar. resolut. cap. 17. num. 2. & à Nauarro in Manuali, cap. 21. num. 28. & à Soto lib. 9. de Iustitia & iure, q. 4. ar. 1. putant, etiam nunc in lege Euangelica præcepto diuino obligari populum ad soluendas Decimas, etiam quantum ad *Quotam*; id est, non solùm teneri præcepto diuino, vt ministros alant, sed vt *tali modo* alant, scilicet pendendo *Decimas*.

Fundamentum præcipuum istorum Doctorũ est modus loquendi Pontificum in aliquibus Decretalibus. Extra de Decimis. Vbi dicunt, *diuino præcepto* Decimas esse soluendas. Item, nõ esse statutas *ab homine, sed à Deo*, vt patet præsertim in Cap. Parochianos; & Cap. Tua nobis; & Ca. Cùm non sint; & Cap. In quibusdam.

Nihilominus sententia S. Thomæ hîc artic. 1. quem Sotus, Nauarrus, Couarruuias vbi suprà, & Caietanus hîc, & Theologi omnes communiter sequuntur, omnino est amplectenda; quòd videlicet, absolutè reddere sufficientem mercedem Ecclesiasticis ministris, sit de iure naturæ, atque adeò de iure diuino: *quotam* verò Decimarum, videlicet vt id fiat conferendo eis *Decimas*; in veteri quidem lege fuisse de iure diuino positiuo: in noua autem solùm de iure humano Ecclesiastico. Quod adeò certum est, vt Maior in 3. distinct. 37. quæst. 36. relatus vbi suprà à Nauarro, affirmauerit, opinionem illam Iuristarum esse hæresim, cùm oporteat eam niti hæretico principio, videlicet præceptum diuinum iudiciale veteris legis de Decimis adhuc obligare. Est enim certum de fide oppositum. Cessauerunt enim cerimonialia & iudicialia, vt tradidimus tomo secundo, quæstione septima, de Legibus, punct. 7.

Atque ex hoc probatur sententia S. Thomæ. Nam præceptum illud diuinum veteris legis iam non obligat: & in lege noua nusquam extat tale aliquod diuinum præceptum soluendi Decimas, quantum ad *quotam*. Neque rursum naturalis ratio determinatè dictat, decimam partem esse soluendam, cùm aliter possint ali ministri: Sequitur ergo, solo iure humano esse iam decimas soluẽdas: quod præceptum extat vbi suprà in titulo de Decimis, & 16. q. 1.

Ad modum autem loquendi Pontificum, respondent prædicti Theologi, quòd dicunt Pontifices, præcepto diuino esse soluendas Decimas, intelligendum esse *exemplariter* vel *imitatiuè*, hoc est, esse soluendas præcepto humano Ecclesiastico, quod fuit traditum exemplo diuinæ legis, & ideo est firmius.

Sed posito, quòd solo præcepto humano soluendæ sint Decimæ, restat nunc SECVNDO quærendum, Vtrum hoc præceptum fuerit conuenienter traditum. Ratio dubitandi est. Nam in veteri lege ministri spirituales, hoc est, Leuitæ, quibus Decimæ iure diuino decernebantur, erant duodecima pars populi Iudæorum, & præterea debebant vxorem & liberos alere. Nunc verò spirituales ministri vix sunt sexagesima aut quinquagesima pars populi Christiani. Ergo non est rationi consentaneum, tantum stipendium illis modò constitui, quantum olim Leuitis.

Propter hanc rationem, Caietanus articulo primo huius quæstionis putat, Decimas decerni iam Ecclesiasticis ministris, non tantùm victus ipsorum causâ, sed etiam vt eas communicent cum pauperibus, quorum debent esse veluti patres in Lege Euangelica, exemplo Christi, qui loculos habebat pro pauperibus, vt ait D. Hieronymus super Matthæum.

Et quidem si Caietanus intelligat, teneri Ecclesiasticos *strictissimo præcepto misericordiæ* pauperibus eleemosynas erogare ex Decimis; verè sentit, & hoc ab omnibus conceditur. Si verò velit, illos debere *ex iustitia* pauperibus erogare partem Decimarum, ita vt si non faciant, debeant illis restituere; non est certa hæc illius sententia. Sunt enim graues auctores, inter quos est Sotus libro nono de Iustitia, quæstione tertia, articulo primo, qui censent, Ecclesiasticos esse verè dominos omnium suorum reddituum Ecclesiasticorum, ac proinde *non ex iustitia*, sed ex *strictissimo præcepto Misericordiæ* debere ex illis subuenire pauperibus. Qua de re infrà à nobis disputabitur in materia de Statibus.

Itaq; quicquid sit de hoc, ad propositam quæstionẽ RESPONDEO, conuenienter omnino fuisse traditum id præceptum nõ obstante ratione

facta. *Primò*, quia ministri legis Euangelicæ sunt multò digniores. *Secundò*, quia vt bene ait Sot. illic, non sunt tam pauci, quàm Caiet. putat. *Tertiò*, quoniam multò plus & frequentius laborant. *Quartò*, quoniam non succedũt iure hæreditario in bonis Ecclesiasticis, sicut succedebant Leuitæ parentibus, ex quo fiebat, vt essent ditissimi. *Denique*, quoniam sæpenumero aliqua pars de Decimis detrahitur propter necessitates Ecclesiæ.

Et accedit ad hæc omnia pro congruentia huius præcepti ratio quædam mystica minimè contemnenda. Nam cùm solus *denarius numerus* ex omnibus numeris simplicibus (qui scilicet ex ipso denario, & aliis non componantur) sit *perfectus*; conueniẽtissimè decimam bonorum partem offert quis Deo in illius ministris; vt retinẽs sibi nouem, quibus ad perfectum numerum aliquid *deest*, & Deo dans partem decimam, quæ numerum perfectum *complet*, hoc ipso & imperfectionem atque indigentiam suam, & Dei perfectionem agnoscere se protestetur, sicut optimè D. Thomas art. 1. indicauit.

Atq; hæc fortè fuit ratio, cur olim aliqui Sancti ex instinctu Dei citra præceptum obtulerint decimas Deo, vel *in se* ad Sacrificium, vel in eius *ministris*. Vt Abraham, de quo legimus Genesis decimo quarto, quòd *dedit Melchisedecho decimas ex omnibus*. Et Iacob, qui, vt dicitur Gen. 28. *vouit votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, &c. cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*, nimirum ad cultum Sacrificiorum, vt interpretandum hoc putat D. Thomas art. 1. ad 3.

PVNCTVM SECVNDVM.

An adeò stricto iure Decimæ pendi debeant, vt nequeat tolli vllo modo hæc obligatio.

Ad art. 1. D. Thomæ.

RESPONDENDVM est, nõ esse omnino immutabilẽ eam obligationem, quantum ad *quotam* quidẽ partem. Nam quamuis decens aliquod & sufficiens stipendium dari debet Ecclesiasticis ministris ex præcepto iuris diuini & naturalis, quod est immutabile: tamen vt determinatè pro stipẽdio detur eis *decima* bonorum pars, est tantùmodò iuris humani (vt p. præced. constitutum est) quod ius immutari & variari potest.

Itaq; CERTVM est, si aliter ministris de sufficienti stipẽdio prospiciatur, posse aliquos ab obligatione soluendi Decimas liberari PRIMO, si ipsimet Ecclesiæ ministri, ob vitãdum fortè in aliquibus locis infirmorum scandalũ, vel aliam ob causam, illas non petant, nec recipere velint. Id quod laudabiliter interdum fieri affirmat diuus Thomas articulo primo ad 5. & ibi Caietanus. Atque ita est moris in Italia, vt Decimæ non exigantur, sicut etiam notauit Syluester, verbo Decimæ, numero 10. & Nauarrus in Manuali, capite 21. numero 30. SECVNDO, per rationabilem conuentionem seu transactionem inter ministros & populum, vt notat Nauarrus vbi supra: & patet ex Cap. Ex multiplici. de Decimis. TERTIO, per priuilegium Summi Pontificis, vt patet in dicto Cap. Ex multiplici. Cap. Ex parte. Cap. Licet. de Decimis; non autem alterius, etiam Imperatoris. Cap. Tua nobis. eod. tit.

An verò etiam possit ea obligatio tolli per *consuetudinem* cõtrariam CONTROVERSVM est. Nam aliqui ex Iuristis sentiunt, posse tolli per contrariam consuetudinem obligationem soluendi Decimas *prædiales*, non autem *personales* (de qua differentia dicemus puncto sequen.) alij autem in neutro genere Decimarum id admittunt, quorũ opiniones fusè recitat Couarruuias lib. 1. variar. resolut. cap. 17. n. 8.

SED posse tolli per cõtrariam consuetudinẽ obligationem pendendi qualescunq; Decimas, quoad *quotam* quidẽ, est longè probabilius. Nam est iuris humani, vt vidimus puncto præcedent. Omnis autem obligatio iuris humani potest per contrariam eneruari consuetudinem; modò sit consuetudo rationabilis & præscripta, iuxta ea, quæ tradidimus tomo secundo, quæstione quinta, de Legibus, puncto octauo. Ita in specie de hac obligatione pendendi Decimas sentit Syluester, V. Decimæ. num. 10. vbi valde seueris verbis reprehendit Canonistas, quòd sentiant contrarium. Item Caietanus hîc ar. 1. & in Summa, V. Decimæ. Et Ioann. Medina in Tract. de Ieiun. q. 8. Et Couarruuias lib. 1. variar. resolut. c. 17. nu. 8. & Nauarrus in Manuali, cap. 21. n. 30. & alij.

Sotus tamen lib. 9. de Iustit. q. 3. art. 1. negare videtur, posse tolli obligationem hanc per contrariam consuetudinem. Nam, inquit, quamuis sit præceptum humanum: est tamen valde consentaneum iuri diuino & naturali. Cæterùm si intelligat Sotus, non ita posse tolli hanc obligationem, quin postea quandocunque Ecclesia iudicauerit expedire, possit iterum populo imponere talem obligationem; bene dicit. Si verò intelligat, ne tunc quidem, quando rationabilis & præscripta consuetudo alicubi obtinuit, vt Ecclesiæ ministris Decimæ nõ soluantur, populum esse liberatum ab ea obligatione; falsum est quod asserit. Omne enim præceptum humanum ex sententia Doctorum, abrogatur per contrariam consuetudinem rationabilem & præscriptam, vt vidimus tom. 2. loco citato. Videtur autem colligi posse ex Soto in ar. 2. illius quæstionis tertiæ, intelligendum eum esse tantùm primo modo, sicut diximus esse verum, quod ait.

Ex quibus consequitur eum, qui per tempus *immemoriale*; vel *quadraginta* annorum cum probatione

batione *causæ* seu *tituli* non soluit decimas, & eatenus est in possessione immunitatis ab earũ solutione; siue is Ecclesiasticus sit, de quo non est dubium, siue Laicus; posse per talem præscriptionem acquirere tanquam *suum aliquid* eam immunitatem, atque adeò liberari ab obligatione soluendi Decimas; vt fusè & sufficienter probat Couarruuias libro primo variarum resolutionum, capite decimo septimo, numer. 10. Nam non videtur quoad hoc minor vis præscriptionis, quàm consuetudinis; modò aliter ministris Ecclesiæ sufficienter prouideatur.

PVNCTVM TERTIVM.

Ex quibus rebus debeant pendi Decimæ.

D. Thomas art. 2.

IVRIS quidem præscripto, pendi debent Decimæ ex omnibus rebus *iustè partis*: atque adeò ex fructibus prædiorum, & aliarum rerum fructiferarum, & molendinorum, piscinarum, &c. (quæ generali vocabulo vocantur Decimæ *prædiales*) & ex lucro cuiuscunque propriæ industriæ aut operæ, vt negociationis, militiæ, venationis, &c. (quæ appellantur Decimæ *personales*) itemque pecorum, auium, &c. quæ vt notauit Nauarrus in Manuali, cap. 21. num. 29. appellari possunt Decimæ *mixtæ*, eo quòd fructus animalium partim pastui eorum in prædiis, partim humanæ industriæ & curæ, sine qua non proueniũt, accepti ferri debent.

Ex his omnibus, Decimas esse dandas, vt docet D. Thomas hîc art. 2. & alij omnes, asserit Cœlestinus III. in Cap. Non est. Extra de Decimis, his verbis: *Sicut sancti Patres in suis tradiderunt scriptis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negociatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, Decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Atque idem asseruit AVGVSTINVS ser. 219. de tempore, relatus à Gratiano, 16. q. 1. Cap. Decimæ. *De militia*, inquit, *de negocio, de artificio redde Decimas, &c.* Ac nominatim de molendinis, piscinis, & similibus reb. fructiferis esse reddendas Decimas, patet ex Cap. Ex transmissa, & Cap. Pastoralis. eod. tit. de Decimis, & tradit Syluester, V. Decimæ, num. 12.

Dixi autem, *iuris quidem præscripto* debere de omnibus Decimas dari. Nam per *consuetudinem* ferè iam vbiq; obtinuit, vt solùm pendantur Decimæ *prædiales*, vel *quasi prædiales* seu *mixtæ*, id est, pecorum; non autem personales, vt notauit Nauarrus in dicto capite 21. num. 31. Et vbi personales quoque soluerentur, liceret prius deducere expensas factas, & de reliquo solùm lucro Decimas dare: vt notat Glossa in Cap. Non est. de Decimis, & patet manifestè ex Cap. Pastoralis eod. tit.

Cùm tamen Decimæ prædiales seu mixtæ reddendæ sint ex integris fructibus nequaquam prius deductis expẽsis, aut quibuscunq; tributis seu stipendiis operum; vt patet ex Cap. Tua nobis, & Cap. Cũ non sit, & Cap. Pastoralis, eod. tit. & tradit etiam D. Thomas hîc art. 2. ad 4. Quòd si fructus ante decimationem ad alios transferantur, per quamcunq; viam, vt venditionis, vel stipendij, vel tributi, vel donationis, &c. apud illos etiã decimari debent: nam res cum onere suo transit, vt ait in hoc ipso proposito Innocentius III. in dicto Cap. Cùm non sit, & dicto Cap. Pastoralis.

Atq; ex iisdem decretis colligitur, debere etiam ex rigore quidẽ Iuris *deferri* Decimas ad ipsas etiã ædes ministrorũ Ecclesiæ, vt integræ ad eos perueniant; sicut post alios tradidit Couarruuias lib. 1. variar. resolut. c. 17. n. 8. Quanquã in hoc & in aliis, quæ ad modum pendendi decimas pertinent, standum est *consuetudini*, vt idem auctor & alij communiter adnotant.

Dixi etiam, debere pendi Decimas ex omnib. rebus iustè *partis*, vt vocabulo hoc *partis* subindicarem, fructus seu bona, ex quibus Decimæ pendi debent, oportere esse aliquo modo quasi fructus eius, qui Decimas daturus est; ita scilicet, vt ex propria aliqua ipsius vel operâ vel re, Dei beneficio subsequantur; vt sic nimirum quod *de manu Dei quis accipit*, reddat illi in eius ministris.

Quò fit, vt ex bonis acquisitis donatione, aut hæreditate, aut legato, minimè soleant aut debeant solui decimæ; vt indicat consuetudo ipsa, quæ legem interpretatur, & sentiunt Albericus & alij apud Syluestrum, V. Decimæ. n. 12. quam uis Syluester ipse sine firmo fundamento contrarium ibi cum vno vel altero opinetur de bonis legato vel donatione acquisitis; tametsi de eo ipso dubitat. Et certè quæ donatione, legato, hæreditate, acquiruntur, non sunt *partæ* ab ipsa persona, sed ab alio ea acquirit: & proinde non est par ratio de iis pendendi Deo Decimas ac de aliis, quæ sunt aliquo modo fructus ipsius acquirentis.

Dixi etiam debere pendi Decimas ex *iustè* partis. Primò. Nam quæ iniustè acquisita sunt, restituenda potius sunt, quàm pendẽda pro Decimis. Deinde, quia cùm Decimæ debeantur ministris pro iusta mercede & stipendio (vt disput. 5. q. 7. p. 2. declaraui) ex omnibus quæ quis *iustè* (id est, saltem iustitia) acquirit, reddi debent, & non solùm ex iis, quæ vndequaque obtinentur *licitè*, sicut oblationes, quæ citra obligationem iustitiæ fiunt.

Vnde sanctus Thomas artic. 2. ad 2. affirmat, debere etiam pendi Decimas ex acquisitis per meretricium aut histrionatum, &c. vbi essent in vsu Decimæ personales. Nam iustè hæc acquiruntur, quamuis ex turpi causa, vt vidimus disputat. 5. quæst. 6. punct. 5. Quanquam rectè censet idem D. Thomas, non debere Ecclesiam ab huiusmodi personis tales decimas accipere, quãdiu hærent in malo statu, ne videatur cõmunicare earũ peccato, sed posse accipere, posteaquam resipuerint. Sed nusquam videtur hoc genus Decimarum in vsu esse.

PVNCTVM QVARTVM.

Quibus debeant pendi Decimæ.

D. Thom. ar. 3.

GERTVM est, Decimas, de quibus loquimur (quæ scilicet *spirituali titulo* percipiuntur) non vllis Laicis, sed solis Ecclesiæ *ministris*, qui *spiritualia seminant*, deberi: vt patet ex Cap. Quamuis graue. de Decimis. Atq; hos ministros intelligit D. Thomas hîc art. 3. & Caietanus art. 1. esse eos solùm, qui habent *curam animarum*, vt Episcopi & Parochi. Quod & in Cap. Cùm contingat, de Decimis, indicatur.

Ex horum tamẽ redditibus decimalibus, Coadiutores etiam illorũ Clerici ali solent: ad quos proinde pertinet aliqua portio Decimarũ. Quo pacto potest admitti, quod Sotus lib. 9. de Iustit. quæst. 3. art. 1. ait, aliis etiam præter eos, qui curam habent animarum, cõpetere decimas. Sunt autem hîc aliqua præterea asserenda & notanda, vt distinctius & magis in specie cõstet hoc ipsum, quod dicimus, Ecclesiæ ministris debere pendi Decimas.

PRIMO igitur assero: Prædiales decimas iis Parochis ordinariè deberi, ad quos pertinent Ecclesiæ, in quarum territorio prædia sunt; etiamsi prædiorum Domini ad aliã parochiam siue Ecclesiam se transtulerint: vt tradit D. Thomas artic. 3. ad 2. & colligitur ex Cap. Quoniam. de Decimis, & Cap. vlt. de parochiis, & tradit Glossa & alij in Cap. Ad Apostolicæ. de Decimis. Quod idem verum est de prædialibus Decimis ex prædiis (vt vocant) *noualibus*, id est, quæ ãntea culta non fuerunt: vt patet ex dicto Cap. Quoniam. Ex quo etiam capite colligitur, decimas ex noualibus, quę in nulla parochia determinatè sunt, pertinere ad Episcopum. Personales autem Decimæ (vbi eæ in vsu sunt) iis Parochis pendi debent, in quorum Ecclesiis ij, qui eas pendunt, accipiunt Sacramenta, vt patet ex Cap. Ad Apostolicæ. de Decimis.

SECVNDO assero: quamuis de rigore Iuris, Decimæ ex quibuscunque prędiis territorij Ecclesiæ parochialis (siue domini illorum pertineant ad eam Ecclesiam, siue non) debeant pendi Parocho illius Ecclesiæ, vt dictum est; tamen potissimum in hoc esse standum *consuetudini*; vt expressè est declaratum in dicto Cap. Ad Apostolicæ, & Cap. Cùm sint, de Decimis, & tradit etiam D. Thomas art. 3. ad 2. Et quidem, vt additur in dicto Cap. Cùm sint, si quis pertinens ad aliam Ecclesiam, habeat prædia in territorio Ecclesiæ, non quomodocunque diuersæ, sed etiam pertinentis ad alium Episcopatum, difficilius potest obtinere consuetudo, vt is suo parocho debeat pendere Decimas ex prædio spectante ad territorium eiusmodi Ecclesiæ pertinentis ad alium Episcopatum; *cùm ex hoc* (vt ibi dicitur) *Episcopatuum fines confundi non immeritò viderentur*. Sed quamuis difficile id sit, tamen non est impossibile, vt ibi Glossa admonuit.

TERTIO assero: Sicut per *consuetudinem* (vt dictum est) potest aliquis Ecclesiæ minister acquirere ius ad Decimas percipiendas ex prædiis territorij alienæ parochiæ: ita etiam per legitimam *præscriptionem*, vt indicauit dicta Glossa & tradit Couarruuias libro primo variarum resolutionum, capite decimo septimo, numero 7. Et patet ex Capite primo, de præscriptionibus, libro sexto, vbi ad hanc præscriptionem requiritur tempus immemoriale (per quod iusta præsumitur præscriptio) vel probatio *tituli*, id est, causæ iustæ, ob quam sint tales Decimæ perceptæ, tamdiu nimirum, quamdiu ad præscribendas res Ecclesiæ necesse est, hoc est, per spacium quadraginta annorum, vt Couarruuias affirmauit, & patet ex iis, quæ de præscriptionibus diximus suprà Disp. 5. q. 6. p. 5.

QVARTO assero: quamuis *ius ipsum spirituale* percipiendi decimas, nullis Laicis, sed solis Ecclesiæ ministris competat, aut cõpetere possit, vt initio à nobis dictum est, & tradit D. Tho. ar. 3. & Couarruuias vbi suprà n. 5. & alij: tamen *fructus ipsos decimales* pluribus modis posse cedere in vsus Laicorum. *Primò*, per venditionem seu donationem, qua ab ipsis Ecclesiæ ministris aliqua pars eiusmodi fructuum in præsenti tradatur; de quo nulla est difficultas.

Secundò, per priuilegiũ vel cõcessionem Summi Pontificis ad tempus, vel in perpetuum, propter bonũ aliquod inde redundãs ad Ecclesiam. Nam habet Summus Pontifex auctoritatem dispensandi in Ecclesiæ vtilitatem quæcunque bona Ecclesiastica, vt notum est, & supponit etiam pro certo in hoc ipso proposito Couarruuias vbi suprà numer. 6. Vnde etiam multo magis potest per eãdem auctoritatem Summus Pontifex concedere decimas Religiosis, tanquam pauperibus, vt tradit D. Thomas art. 3. ad 3. cùm sint vtiles Ecclesiæ.

Tertiò, per concessionem in feudum perpetuum factum ab Ecclesiæ aliquo Prælato ante Cõcilium quidem Lateranen. sub Alexandro III. vt apparet ex Cap. Cùm Apostolica. De his, quæ fiunt à Prælatis sine concessione Capituli. Et Cap. Cùm & plantare. de priuileg. Quod Concilium fuit celebratũ circa annum Domini M. LXXIX. de quo videndus est Couarruuias vbi suprà, numer. 5.

Post id autem Concilium non possunt Prælati inferiores Summo Pontifice, tale feudum Decimarum concedere Laicis, vt notat ex eodem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concilio Couarruuias illic, & Sylueſter V. Decimæ, num. 16. & alij communiter. Neque ij Laici, qui Decimas habent, in feudum ante Concilium illud à Prælato aliquo conceſſum, poſſunt eas ad alios Laicos transferre, ſaltem ſine conſenſu Epiſcopi, vt patet ex ca. Prohibemus. Extra de Decimis; bene autem ex conſenſu Epiſcopi ad aliquam Eccleſiam, vel religioſum locum, vt eodē titulo feudi eas percipiat: ſicut colligunt cōmuniter Iuris Canonici Doctores ex dicto Cap. Prohibemus, ac nominatim Couarruuias vbi ſuprà, num. 5. & Sylueſter V. Decimæ, num. 16. Qui etiam cum plurib. aliis probabiliter opinatur, poſſe ſimiliter de conſenſu Epiſcopi tale feudū Decimarū transferri ad alios Laicos; quamuis contrarium Couarruuias vbi ſuprà, & aliqui alij opinantur.

Atque in dubio quidem meritò præſumi poteſt, Laicos eos, qui à tempore immemoriali, titulo feudi, Decimas aliquas percipiunt, habere eas ex feudo conceſſo ante illud Concilium, atq; adeò licitè: vt ſentit poſt multos alios Couarruuias vbi ſuprà & etiam Sylueſter in dicto numero 16.

Quartò, per conceſsionem in feudum factum ab alicuius Eccleſiæ Prælato, ſi ſint tales Decimæ, quæ aliquando fuerint feudi titulo legitimè poſſeſſæ à Laicis, & poſtea extincto eo feudo redierint ad Eccleſiam: vt probabiliter cenſuit Gloſſa in dicto Cap. Prohibemus, de Decimis, & alij à Couartuuia vbi ſuprà citati, quamuis ipſe contrarium opinari videatur.

Quintò, per titulum locationis: ſiquidem poteſt Ius Eccleſiaſticum ad Decimas locari Laicis, & ab eis cōduci, vt patet ex Cap. Veſtra, de locato & conducto. Dummodo dominiū quidem directū huius Iuris remaneat apud Eccleſiaſticum locantem (vt notat D. Thomas art. 3. ad 3.) & ſolus fructus eius apud Laicum, qui conducit; neque in perpetuum hæc locatio fiat, vt notat Sylueſter vbi ſuprà; neq; etiam vltra triennium, vbi recepta ſit Extrauagans Pauli II. de reb. Eccleſiæ non alienandis, quæ ſub excommunicatione id cauet; iuxta ea, quæ de hac Extrauaganti notant Caietanus in Summa, V. Excommunicatio, caſu 15. & Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 149. qui cenſet, in multis locis non eſſe receptam, ſaltem quoad annexas pœnas.

Quo in genere Concilium etiam Tridentinum ſeſs. 25. cap. 11. de reformatione irritas eſſe decreuit quaſcunque locationes rerum Eccleſiaſticarum (etiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmatas) quas ad longum tempus etiam infra triginta annos factas Synodus Prouincialis vel deputandi ab ea iudicauerint, contractas fuiſſe in damnum Eccleſiæ, & contra Canonicas Sanctiones.

Porrò quando Laicus per Summi Pontificis *priuilegium*, vel legitimo titulo *feudi* aut *locationis* dicitur poſsidere decimas, quamuis habet quidem ius *quoddam* legitimum ad eas percipiendas (ſiquidem *licitè poteſt* eas percipere) tamen hoc ius non eſt *illud ius ſpirituale* ad percipiendas decimas, quod habent miniſtri Eccleſiaſtici, ſed aliud longè diuerſum, ſcilicet ius *feudi* vel *locationis* & *conductionis*; quod non eſt aliquid ſpirituale, ſed temporale.

Etenim illud aliud ius ad decimas *ſpirituale* nunquam transfertur neque transferri poteſt in Laicum, vt qui ſpiritualis Eccleſiæ miniſter minimè eſt; ſed ſemper huius iuris dominium directum apud Eccleſiaſticos manet, vt indicauit etiam hîc art. 3. D. Thom. Id quod quidam animaduertere non videntur,

PVNCTVM QVINTVM.

Quinam debeant Decimas pendere.

D. Thomas art. 4.

OMNES ij tenentur ad penſionem decimarum, qui vel Sacramenta percipiunt in aliqua Eccleſia, vel in eius territorio prędia habent aliquo alio titulo, quàm ſpirituali, etiamſi Clerici ſint, eiuſdem vel alterius Eccleſiæ: niſi priuilegio, aut conſuetudine, aut præſcriptione, aut condonatione Eccleſiaſticorum miniſtrorum, aut rationabili conuentione cum illis, excuſentur; iuxta ea, quæ tradidimus p. 3. & 4. Ita docet D. Thom. hîc art. 4. à pleriſq; Doctoribus receptus.

Qui etiam ibi in reſponſ. ad 1. docet, Eccleſias quidem, quæ in aliarum Eccleſiarum territoriis habent prædia, non teneri ad pendendum illis decimas ex eiuſmodi prędiis. Id quod etiā aſſerit Gloſſa in Cap. Nouū genus, de Decimis, per Cap. Quæſti. 16. q. 1. Quamuis contrarium ſentit Panormitanus ſuper dictum Cap. Nouum genus, Extra de Decimis. Cuius opinio videtur poſſe confirmari ex Cap. Quicunque 16. q. 1. Sed videtur in ea re potiſsimum habenda ratio *conſuetudinis*, argumento Cap. Ad Apoſtolicæ, & Cap. Cùm ſint. Extra de Decimis.

Vbi rectè etiam monet Caietanus hîc art. 4. quod dicit D. Thomas non debere pendi decimas ex prædiis *alicuius Eccleſiæ* exiſtētibus in territorio alterius Eccleſiæ, intelligendum eſſe, ſine detrimento Eccleſiarum. Nam ſi accideret, vt in territorio vnius Eccleſiæ omnia ferè prædia eſſent Eccleſiæ alterius; tunc notabile detrimentum pateretur ea Eccleſia non accipiendo Decimas ex illis prædiis, quæ ſunt in ſuo territorio, & pertinent ad alteram Eccleſiam; atq; adeò tunc poſſet accipere, ne contingat, inquit Caietanus, vt *vnus eſuriat, alter verò ebrius ſit.*

Reſtat autem hîc nonnullum DVBIVM, An omnino verum ſit illud, quod affirmauimus cum D. Thoma hîc artic. 4. Clericos quoque debere ſoluere Decimas ex prædiis, quæ habent in territo-

territorio etiam propriæ Eccleſiæ, non titulo Eccleſiaſtico, ſed ex patrimonio, aut aliunde. Quidā enim hoc negantes argumentantur contra S. Thomam, ex cap. Nouum genus, Extra de Decimis, vbi ait Paſchalis Papa; *Nouum genus exactionis eſſe, vt Clerici à Clericis decimas exigant.* Quamuis addat, poſſe Clericos ab aliis Clericis exigere, qui ab illis recipiunt ſpiritualia miniſteria. Ergo Clerici non debent ſoluere decimas propterea ſolùm, quòd habeant prædia in territorio propriæ Eccleſiæ.

Nihilominus RESPONDEO cum Caietano hîc & Soto lib. 9. de Iuſtit. quæſt. 3. art. 4. ſententiam S. Thomæ eſſe omnino veram, quam Gloſſa etiam illius Decretalis aſſerit. Et patet id ipſum manifeſtè ex cap. *Si quis Laicus vel Clericus.* 16. quæſt. 1.

Et ad argumentum reſpondetur, in illa Decretali ſolùm prohiberi, ne Clerici petant decimas à Clericis ex bonis, quæ hi habent *tanquam Clerici*, id eſt, quę acquiſiuerunt per ſpirituale miniſterium: non verò prohibet, ne eas petant ex bonis aliunde habitis.

Et quanquam dicat Pontifex, Clericos, qui accipiunt ſpiritualia miniſteria ab aliis Clericis, debere illis decimas; non tamen dicit, ab illis tantum poſſe peti; poſſunt enim etiam peti ab aliis, ratione prædiorum, quæ habent in territorio Eccleſiæ.

Notat autem ibi Gloſſa, nomine Clericorum, qui accipiunt ſpiritualia miniſteria ab aliis Clericis, poſſe illic intelligi Clericos coniugatos, hoc eſt, habentes primam tonſuram, vel minores ordines in ſtatu coniugali. Nec repugno, quo minùs hi intelligantur; modò etiam intelligantur quoque Clerici alij, vt debere intelligi, ſatis manifeſtè liquet ex ipſa Decretali.

Porrò illud ad extremum in hac quæſtione de Decimis ANNOTANDVM eſt, cum ius decimarum ſit ſpirituale; ad Iudicem *Eccleſiaſticum* in primis pertinere cognitionem definitionemque cauſarum decimalium, quæ in litem vocantur; vt patet manifeſtè ex cap. Decernimus, & cap. Quāto. Extra de Iudiciis. Neque tamen eſt negandum, quin Laicus quidem à Iudice quoque ſeculari poſsit compelli ad ſoluendas decimas, vel ad ſatisfaciendum pro earum locatione miniſtro Eccleſiaſtico; argumento cap. Iſtud eſt. 11. quæſt. 1. Hactenus de Decimis.

QVÆSTIO SEXTA.

De Voto.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 88.

AD SEPTEM CAPITA REVOCARI POSSVNT EA, QVAE DE Voto diſſeruntur à D. Thoma hîc & ab aliis Theologis in 4. diſt. 38. & à Iuris Canonici Doctoribus in titulo de Voto & Voti redemptione. Itaq. PRIMO explicandum eſt, Quid ſit Votum. SECVNDO, Quænam poſſint in Votum cadere, ſeu quæ ſit, & quàm latè pateat materia Voti. TERTIO, Sitne Votum opus bonum & meritorium. QVARTO, Sitne etiam obligatorium ſub peccato. QVINTO, Quotuplex ſit. SEXTO, Quinam poſſint vouere. SEPTIMO, An, & quibus modis poſsit ab obligatione Voti liberari is, qui vouit.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Votum.

D. Thomas art. 1.

VOVERE NON MODO APVD SACROS, ſed etiam apud alios Scriptores Latinos idem eſt, atque *promittere Deo aliquid cum quadam firmitate & obligatione*. Vnde lib. 1. de Diuinat. ſcribit Cicero, Attium Nauium, cùm propter paupertatem ſues puer paſceret, vna ex his amiſſa, *vouiſſe, ſi recuperâſſet, vuam ſe Deo daturum, quæ maxima eſſet in vinea.* Et Deuter. 23. Votum eſſe pollicitationem ac promiſionem Deo factam, apertè indicatur illis verbis: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri* (id eſt, vouere) *abſq;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. Ac similiter Ecclesiast. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Et sanctus Avgvstinvs epistola 45. *Iam*, inquit, *vouisti, iam te obstrinxisti, &c. tenetur apud Deum sponsio tua.*

Conuenienter itaque huic notioni vocabuli, atque adeo Scripturæ sacræ, & communi sententiæ omnium, potest Votum describi sic: *Votum est promissio Deo facta operis alicuius ad eiusdem Dei cultum.* Ita docet diuus Thomas hîc, cùm affirmat, Voti naturam in promissione consistere, in eaque perfici. Et ita quoque descripsit Votum sanctus Gregorius Nyssenvs homilia 2. de Oratione Dominica, cùm dixit: *Votum est promissio alicuius rei, quæ pietatis nomine dedicetur, & sacris destinetur.*

Per *promissionem* autem intelligimus actum, quo nos obligamus. Nomine autem *operis*, intelligimus quicquid voluntariè fit ad Dei cultum, siue fit actio, siue omissio actionis. Et addimus, *ad Dei cultum*; Nam vt non aliter Deo quidpiam dare possumus, nisi referendo id in eius cultum, honorem, & gloriam: ita etiam neque promittere, nos ei daturos.

Porrò cùm Votum sit promissio; & promissio fiat cum deliberatione quadam & animi proposito; indubitanter concludit hîc D. Thomas, tria requiri ad Votum; deliberationem, propositum, & promissionem, in qua Voti ratio perficitur. Ostendit autem & probat id D. Thomas ratiocinatione quadam, quam ego redigo in hanc formam: Illa, quæ requiruntur, vt nos Deo obligemus, requiruntur etiam ad Votum. Sed vt nos Deo obligemus, requiritur promissio; & ad promissionem requiritur propositū; & ad propositum deliberatio. Ergo omnia hæc tria requiruntur ad Votum.

Maior probatur ex notione nominis Voti. Per Votum enim omnes intelligunt, quo Deo obligamur. Minor verò probatur. Nam eodem modo obligamus nos Deo, quo obligamus nos homini; excepta hac sola differentia, quòd Deo per solum actum interiorem possumus obligari; homini verò non nisi addamus actum exteriorem; quia vt dicitur, 1. Regum 16. *Homines vident ea, quæ apparent: Deus autem intuetur cor.* Sed homini obligamus nos per actum Rationis, qui est promissio. Ergo etiam Deo. Patet hæc Minor. Nam obligamus nos homini, ordinando siue statuendo aliquid nos facturos in gratiam illius: id quod pertinet ad Rationem, & est promissio. Quod verò ad promissionem requiratur propositum & deliberatio, vt etiam assumptum est in Minori præcipuæ rationis, patet clarè: nam promissio oritur ex proposito aliquid faciēdi; & propositum est voluntas deliberata.

Et hæc quidem omnia vera sunt. Sed tamen, vt ex his liqueat penitùs natura & ratio Voti, ex qua vel maximè in particularibus casibus diiudicare oportet, verène quis vouerit; vtilissimum ad praxim fuerit, duo præterea diligenter hoc in loco explicare. Primo, in quonam propriè consistat *promissio* illa obligans, qua dicimus contineri Votum, & quæ differt à *nudo proposito* non obligante. Secvndo, an, & quatenus concurrant in Voto illa tria, quæ D. Thomas asserit ad Votum requiri, scilicet deliberationem, propositum, & promissionem.

Quæritur ergo Primo, Quisnam & qualis actus mentis sit promissio, vt differt à nudo proposito. Habet enim hoc difficultatem, si & ad rem ipsam, & ad varia Doctorum dicta attendamus. Nam si dicatur Primo, promissionem esse *voluntatem*, aliquid futuro tempore faciendi, in gratiam alterius; vel *iudicium*, quo iudicat quis expedire, id postea facere; vel *vtrumque hunc actum*, iudicium videlicet & voluntatem: obstat, quòd totum hoc in *nudo proposito* reperitur; quod tamen ex sententia omnium à promissione distinguitur, & non obligat, sicut illa. Alioqui qui post confessionem de peccatis proponit, se ampliùs non peccaturum, & postea peccat; dupliciter semper peccaret; scilicet contra præceptum, quod violat; & contra suum illud propositum, quod est inauditum.

Si autem Secvndo dicatur, promissionem non esse actus prædictos, aut aliquem illorum, sed alium quendam actum practicum Rationis, quo practicè quis sibi ipsi *imperat*, vt postea in gratiam alterius aliquid faciat; ad eum modum, quo solemus nobismetipsis imperare aliquod opus in præsenti faciendum: obstat *primò*, quòd non videmur talem imperij actum practicum elicere, vsque ad ipsum tempus, quo res est facienda. Nam cùm postea etiam actus imperij sit eliciendus, quo in præsenti *proximè* moueamur ad opus; frustrà esset antea elicitus ille alius imperij actus.

Secundò, quòd ad imperium statim & certò sequitur vsus actiuus voluntatis, & passiuus aliarum potentiarum, vt vidimus tomo secundo, disputat. 2. quæst. 12. punct. 2. Ergo ante opus ipsum, & vsum hunc voluntatis, non præcedit vllus actus imperij de opere postea à nobis faciendo, sed solum iudicium illud de cōuenientia rei postea faciendę, quod vt dictum est, reperitur etiam in nudo proposito voluntatis.

Tertiò obstat etiam illi secundo modo dicendi, nam dato, quòd tale imperium eliceretur ante tempus, quo res est facienda; tamen illud eritę tempus, quo res est facienda; tamen illud eritam æquè videtur reperiri posse in *solo proposito*, quod non est promissio. Nam cum quis firmiter proponit & statuit, se aliquid facturum; id ipsum videtur tunc sibi quodammodo imperare, si vllus admittendus est imperij actus, respectu sui, circa opus futurum.

Si autem

Si autem Tertio dicatur, promissionem, nullum ex prædictis actibus formaliter esse, sed solam *assseuerationem* siue *affirmationem* Intellectus, qua quis putat omnino & dicit se facturum aliquid: obstat etiam *primò*, quòd talis asseueratio reperitur etiam in nudo proposito. *Secundò*, quòd tunc nunquam accideret, aliquem verè promittere, & se obligare, sine voluntate faciendiid, quod promittit; quod alioqui sæpe contingere asserunt Nauarrus in Manuali, capite 12. num. 27. & Caietanus hîc, & Sotus libro septimo de Iustitia, quæst. 1. artic. 2. Sequela patet. Nam qui non vult aliquid facere; is minimè putat se id facturum, neque id potest se facturum interiùs asseuerare.

Si autem Qvarto dicatur, promissionem neque esse eam existimationem aut asseuerationem, neque vllum alium ex prædictis actibus, sed esse voluntatem, qua quis *deliberatè vult se obligatum esse* ad aliquid faciendum, siue id velit facere, siue non velit: Tunc quidem bene intelligeretur, quo modo promissio distinguatur à nudo proposito; in quo scilicet non est voluntas se obligandi; Item etiam bene tūc intelligeretur, quod illi Doctores dicunt, posse aliquem verè promittere & obligari, tametsi nolit facere id, quod promittit. Non enim pugnant ista duo, videlicet vt quis velit *esse obligatus ad aliquid* faciendum, ita, vt si non faciat, peccet, & tamen reuera *nolit illud facere*. Sicut potest quis v. g. velle, se esse obligatum ad obtemperandum parenti (quoniam frustrà aliud vellet, siquidem velit nolit, præcepto diuino ad id obligatur) & tamen simul nolle parenti obtemperare. Sed quamuis ista per eum dicendi modum rectè intelligi queant; tamen alia quædam huic modo dicendi obstant.

Primò, quòd per enunciationem exteriorem, qua aliquid nos promittere significamus, vel in *actu exercito*, dicendo: *Ego faciam*; vel in *actu signato*, dicendo: *Ego promitto me facturum*; aliquid aliud videmur significare præter illam voluntatem, qua velimus ad id faciendum esse obligati. Significamus enim reuera nos id facturos, atque adeo ita nos putare & velle. Ergo promissio, quæ per actum interiorem à nobis Deo fit, non in sola illa voluntate obligationis consistit, sed in voluntate faciendi, & in existimatione, quòd simus facturi. Patet Consequentia. Nam promissio interior omnino consistit in eo actu interiori, qui explicatur per illam enunciationem promissoriam exteriorem, ex vi modi significandi illius: debent enim ista duo concordare, scilicet interior & exterior actus.

Secundò obstat eidem dicendi modo, quòd si aliquis habens illum animum & voluntatem, qua *velit se esse ad aliquid obligatum*, non autem *id facere*, palàm & sincerè explicaret aliis hanc internam sui animi dispositionem, dicens: Ego quidem volo esse obligatus ad faciendum hoc, quod dico me facturum; sed tamen nihil minus cogito aut volo, quàm illud facere; procul dubio talis non tam censeretur promissor, quàm illusor; neque is, qui ab eo promissionem requireret, contentus esset tali promisione, nisi planè stultissimus esset. Ergo neque tunc cùm talis non explicat talem dispositionem animi, verè promittit. Consequentia hæc probatur. Nam obligatio & promissio nititur inprimis interna dispositione mentis & actione interiori, quæ eadem est, siue explicetur exterius, siue non explicetur. Si ergo prædicta illa interna dispositio & actio animi, cùm explicatur, censetur meritò nō esse vera promissio; nihilomagis vera promissio censeri debet, quando non explicatur, sed reticetur fraudulenter.

Tertiò obstat etiam illi dicendi modo, quòd omnis obligatio ad aliquid faciēdum debet habere pro fundamento, quo nitatur, aliquam legem vel vniuersalem vel particularem; hoc est, aliquod decretum Rationis & voluntatis, vel alicuius superioris obligantis subditos ad aliquid, vel ipsiusmet hominis, qui obligatur, imponendo sibi ipsi legem, vt imponit sibi secundùm D. Thomam infrà art. 11. is, qui vouet. Sed qui nolens, neque statuens aliquid facere, vult esse obligatus ad illud faciendum: nullam ob id habet legem vniuersalem aut particularem, qua tāquam fundamento & causa nitatur talis obligatio. Ergo reuera non obligatur, & consequenter volens obligari in tali casu, stultè vult obligationem, cuius nullum fundamentum neq; causam vult, neque habet.

Maior probatur. Nam hominem esse obligatū ad aliqd, nihil aliud est, quàm ita illud ipsi esse faciendum, vt si non faciat, turpiter & dissormiter rectæ rationi sit facturus, atq; adeo peccaturus, & propterea dicitur eatenus esse quasi ligatus ad faciendum. Constat autem, omne peccatum & turpitudinem debere esse contra legem aliquam; quæ non aliter fertur, nisi illis modis positis in Maiori. Minor verò probatur. Nam inprimis talis, vt suppono, non obligatur ad faciendum, quod promittit ex lege extrinseca Superioris. Pono enim esse aliquod opus *supererogationis*, & non ex præcepto necessarium, id quod promittit. Deinde neque obligatur talis ex lege particulari sibi à semetipso imposita. Patet. Nam talis lex deberet esse *decretum Rationis, & determinatio voluntatis*, quibus ipsemet statueret illud sibi esse faciendum: quod decretum & determinationem ponimus in isto casu nō habere eiusmodi hominem: siquidē potius intellectu & voluntate statuit, non esse illud sibi faciendum.

Itaq; apparet ex his, meritò à nobis quęri, quid omnino sit promissio, in qua statuitur Votum consistere, nec tam explicatu, quàm dictu esse facile quod ab omnibus verissimè asseritur, *promissionem* esse actum, *quo obligamur*, & per hoc differre à *nudo proposito*.

Respondeo autem ad propositam quæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stionem, nullum dicendi modum ex prædictis solùm sufficere ad declarandam promissionem (vt conuincunt rationes, quibus singulos refutauimus) sed oportere coniungere quodammodo primum & quartum modum ex illis. Atque ita dicendum est, tunc aliquem promittere, quando intellectu & voluntate adeo *firmiter statuit* se aliquid in gratiam alterius *facturum*, vt deliberatè etiam velit ex tali decreto intellectus & voluntatis propriè, *obligatus manere* ad illud faciendum, ita vt si non fecerit, peccet.

Quod vt meliùs intelligatur, ANIMADVERTENDVS est is processus, quem communiter videtur mens nostra habere in promittẽdo. *Primò* obiicitur menti consideratio alicuius rei faciendæ: *Deinde* consultatione intellectus præmissa, vtrum expediat, nec ne, facere; concludit Ratio id expedire, & voluntas approbat; atque ita per vtramque potentiam suo modo statuitur, illud esse faciendum; & hic existit iam nudum propositum. *Præterea* considerat Ratio, vtrum expediat quoq; voluntate & intellectu ita rursus statuere & decernere illud esse faciendum, vt velit homo ex tali decreto siue proposito repetito, obligatus manere sub peccato ad faciendum. *Posthæc* concludit etiam Ratio expediens quoq; esse id ita decernere, cum tali scilicet voluntate acceptandi obligationem ex tali decreto consequentem, & voluntas approbat talem conclusionem intellectus, ac vult ita decerni: *Tum demum* intellectus practicè imperat per prudentiam sibimet & voluntati, vt ita rursus decernatur, illud esse faciendum: atque ideo iam ex tali decreto, supposita deliberatione acceptandi obligationem tanquam ex illo consequentem, manet homo obligatus ad faciendum. Vnde istud secundum decretum suppositа illa deliberatione obligationis acceptandæ, est promissio. Quæ quidẽ dupliciter potest fieri; scilicet vel cum expressa quadam notitia, ab eo qui totam hanc promissionis rationem eruditè intelligat; vel *in confuso*, cùm quis nimirum ita statuit aliquid facere, vt velit se ad id obligare eo modo, quo alij, qui verè promittunt.

Et quando huiusmodi promissio fit homini solùm, dicitur *promissio*; quando verò fit Deo, dicitur VOTVM, quoniam vt infrà videbimus, actus promittendi Deo, est actus religionis, per quam virtutem homo se dẽuouet Deo. Ac post huiusmodi promissionem, siue ea fiat homini, siue Deo, peccatum est nõ facere, quod est statutum. Nam violatur non id adimplendo virtus *fidelitatis*, siue *fidei*; cuius præceptum est, vt fiat, quod est sic constitutum. Nam vt ait Cicero lib. 1. Officiorum, & D. Augustinus epist. 19. ad Hieronymum; *Fides duabus suis syllabis significat, vt fiat, quod dicitur.* Quomodo autem sit etiam violatio Voti contra Religionem, inferiùs videbitur.

Ex his sequuntur quædam, quę sunt annotanda. PRIMO sequitur, promissionem in communi quadam ratione conuenire cum proposito. Est enim & ipsa quoddam propositum, vt patet ex dictis. Sed distinguuntur tamen propriis suis rationibus nudum propositũ, & promissio, secundùm diuersas deliberationes connotatas. Nam vt ex dictis patet, nudum propositum procedit ex deliberatione de *sola conuenientia* rei faciẽdæ; promissio verò etiam ex deliberatione de *acceptanda obligatione*, quæ ex decreto & determinatione faciendi proueniat.

SECVNDO sequitur, optimam esse quoq; definitionem illam Voti, quam ex aliquibus Doctoribus refert S. Thomas hîc in secundo argumento, videlicet vt sit *conceptio boni propositi ex animi deliberatione firmata, qua ad aliquid faciendum vel nõ faciendum obligat se aliquis Deo.* Quam quidem definitionem non reiicit S. Thomas, sed tantùm dicit, propositum non firmari nisi per promissionem: quæ quidem intelligenda est modo iam exposito. Vnde videtur S. Thomas nomine *propositi* in ista definitione (quod dicit per promissionem firmari) non intellexisse determinationem eam intellectus & voluntatis, in qua vltimò *perficitur* promissio (vt idem ait) sed illud primum propositum nudũ, quod antea diximus, primò haberi secundùm modum cõmunem procedẽdi, quem mens nostra solet habere in promittendo.

Quòd si nomine propositi intellexerit S. Thomas in ista definitione, illud vltimum Rationis decretum, in quo diximus consistere promissionem; tunc quidem quando deinde dicit, explicans eam definitionem, propositum *non firmari* nisi per promissionem: intelligendum id est ita, vt sit sensus, quòd propositũ non *est firmum*, quale debet esse in Voto, nisi idem simul propositum sit promissio, ex deliberatione nimirum præcedenti acceptandæ quoq; obligationis.

TERTIO sequitur, quæstionem esse non de re, sed de nomine, Vtrum promissio consistat principaliter in illa determinatione *intellectus*, vel potiùs in determinatione *voluntatis*. Nam quod ad rem attinet, omnes debent concedere, tunc aliquem promittere, quando vtramque determinationem habet, & non aliâs. Vnde disputare, vtra determinatio potiùs sit promissio; erit disputare, vtra potiùs significetur per nomẽ promissionis: sicut simili ratione quoque dicit recte Caietanus hîc art. 1. quæstionem esse de nomine, Vtrum deliberatio ad Votum requisita, sit conclusio & consultatio *intellectus*, vel potiùs approbatio *voluntatis*. Nam quod ad rem attinet, conuenit inter omnes, vtrumq; hoc opus, scilicet intellectus & voluntatis, in deliberatione concurrere. Videtur autem probabilius per promissionem præcipuè significari actum intellectus, quàm voluntatis, vti hîc etiam docet D. Thomas. Et idem censeo de deliberatione.

Porrò autem quamuis prædictus modus explicandi naturam promissionis; à sufficienti *enumeratione* pateat, quandoquidem alios omnes modos

modos eam explicandi insufficientes esse probauimus: tamen ad maiorem huius rei explicationem proponenda sunt contra illum quædam argumenta & soluenda. PRIMVM est. Nam ex isto etiam explicãdi modo videtur sequi idem, quod antea contra tertium modum obiiciebamus; videlicet non posse cõtingere, vt quis verè promittat, & tamen non habeat voluntatem faciendi. Sed Consequens est falsum. Ergo, &c.

Minor præter auctoritatem Soti, Nauarri, & Caietani in tertio modo allatam, probatur hîc à Caietano dupliciter. *Primò* ab experientia. Nam sæpe accidit, inquit Caietanus, vt aliqui profiteantur Religionem in aliquibus ordinibus sine voluntate adimplendi Votum; tantùm vt habeãt ibi, vnde viuant, &c.

Secundò. Quoniam, inquit, non est necesse, vt omnes illæ tres conditiones Voti, quas ponit D. Thomas, videlicet deliberatio, propositũ & promissio, cadant super materiam Voti, sed satis est, vt promissio cadat super materiam Voti, & deliberatio ac propositum cadant super ipsam promissionem. Vt v. g. ad Votum de ingrediendo Religionem, satis est, si promittat quis se *ingressurum* Religionem; & deliberet, ac proponat, ac velit, se *promittere*: non est autem opus, vt etiam deliberet & proponat ac promittat se ingressurum. Quamuis enim *sola promissio* (inquit Caietanus) cadat super Voti *materiam*, erit nihilominus verum Votum secundùm essentiam, licet tunc, inquit, sit monstrosum.

RESPONDEO ad id argumentum, concessa Sequela, negando Minorem. Ad auctoritatem illorum Doctorum dicimus, maiorem esse auctoritatem S. Thomæ & aliorum communiter, qui nunquam existimarunt, posse esse promissionem aut Votum verum sine voluntate *faciendi*. Neque enim id est intelligibile, vt satis probauimus argumentantes cõtra quartum modum. Certè diuus Thomas hîc artic. 1. expresè affirmat, ad Votum requiri propositum, non solùm promittendi, vt vult Caietanus, sed *faciendi* (vt diserte diuus Thomas hîc artic. 1. inquit) id quod promittitur.

Ad probationem autem *primam* illius Minoris, ductam ab experientia, respondetur, illos, qui nullum habent propositum & voluntatem vnquam faciendi, reuera non velle promittere (quamuis stultè fortè & inscienter putent & dicant, se id velle) sed simulare oretenùs se promittere: neq; aliud potest colligi ex eiusmodi experientia. Neque tamen hîc improbo, sed omnino approbo, quod Nauarrus & Caietanus notant, nempe talibus etiamsi postea dicant, se non habuisse animum promittendi, nõ esse credendum, sed compellendos esse ad obediendum, &c. Non enim est maior ratio, cur illis potiùs tunc credatur, quàm antea, quando simulârunt se promittere. Quare tales etiamsi reuera non promisissent, tenentur saltem propter scandalum obedire, &c. iuxta ea, quæ diximus de præcepto siue sententia fundata in præsumptione disput. præced. quæst. 13.

Ad *secundam* probationem eiusdem Minoris respondeo, nisi omnes illæ tres conditiones super *Voti materiam* cadant, adeo Votum futurum esse monstrosum, vt sit etiam futurum chimæricum & fictitium. Ac sanè gratis Caietanus ita exponit, quod D. Thomas simpliciter docet, illas tres conditiones requiri, præsertim cùm is expresè affirmet, requiri *propositum faciendi*; non solùm promittendi.

SECVNDVM argumentum est, quòd etiam sequeretur ex illo modo nostro explicandi naturã promissionis, non posse accidere, vt quis verè promittat, & tamen non velit se obligare per talem promissionem. Consequens est falsum. Ergo. Sequela patet. Nam diximus, promissionem esse propositum cum deliberatione & voluntate incurrendi *obligationem*. Minor probatur. Nam supposito tali casu tanquam possibili, disputatur ab aliquibus Doctoribus in vtramque partem, vtrum ille, qui in rei veritate promittit & vult promittere, & tamen non vult obligari ex promissione, maneat verè obligatus: & respondetur ab aliquibus affirmatiuè.

RESPONDEO, concedendo simpliciter Sequelam, & negando Minorẽ. Est enim inintelligibile, vt quis verè promittat, & tamen non velit se obligare, quemadmodũ manifestè sentit sanctus Thomas hîc artic. 3. ad 2. & 3. & alij apud Richardum in 4. dist. 38. artic. 3. q. 3. & tradit Maior ead. dist. quæst. 2. & Nauarrus in Manuali, cap. 12. num. 24. & 27. ex communi doctrina. Atque hoc ipsum patet ex cap. Literarum. Extra de Voto & Voti redemptione, Vbi quidem qui in morbo de Religioso statu cogitans dixit se nõ amplius moraturum in seculo, quia non habuit animum se obligandi, iudicatus est non vouisse.

Item hoc ipsum indicat communis sententia Doctorum, dum docent, quando dubium est, vtrum aliquis verè promiserit, discernendũ id esse ex animo, quem habuerit se obligandi, vel non. Vnde communiter â Theologis & Iuristis negatur, eum, qui non voluit se obligare, manere obligatum. De quo vide Sylvestrum, Verbo Pactũ, num. 4.

Quare falsò Sotus lib. 7. de Iustitia, quæst. 1. artic. 2. asserit, eum, qui vult promittere, & non se obligare, manere nihilominus obligatum ex natura rei, propter promissionem, à qua est inseparabilis obligatio. Potiùs namque ex ea inseparabilitate promissionis & obligationis, debuisset concludere, talem reuera neque promittere, nec velle promittere, sed inscienter putare se id facere. Quandoquidem ostensum est, non esse in re promissionem, nisi adsit voluntas acceptandi obligationem. Hinc enim manifestè sequitur, fieri non posse, vt aliquis sciens, quid est promissio, velit promittere, & non velit se obligare.

ligare. Secùs, si ignorat naturam promissionis. Nam tunc posset ignoranter velle *in confuso* promittere, & tamen non velle se obligare. Quæ voluntas non se obligandi, cùm sit *expressior et distinctior* omnino prævaleret & præponderaret illi alteri voluntati promittendi *in confuso*.

Itaque si in eiusmodi casu quæratur, vtrum talis maneret verè obligatus. Respondendum est, non manere. Ratio est. Nam neque manet obligatus ex natura rei propter promissionem, quandoquidem in re nulla est tunc vera promissio. Neque rursus propter erroneam aliquam conscientiam siue ignorantiam suam, qua putat se promittere, cùm non promittat. Nam talis ignorantia non parit in illo iudicium, quo putet se teneri ad faciendum; quandoquidem (vt supponimus in casu) non vult se obligare, & consequenter non putat se esse obligatum. Vnde illa ignorantia potius talem hominem soluit ab obligatione faciendi, quàm liget.

Tertivm argumentum est huiusmodi: Vel propositum aliquid faciendi (saltem quando est valde firmum) sufficit, quantum est ex se ad inducendam obligationem faciendi; vel non sufficit. Si sufficit: Ergo etiamsi quis non velit acceptare obligationem, quæ oriatur ex eo proposito, manebit nihilominus obligatus. Si verò nō sufficit: Ergo etiamsi quis velit acceptare obligationem, quæ ex illo oriatur, non manebit obligatus. Nam vt obiiciebamus suprà contra quartum modum falsum explicandi promissionis naturam, non potest aliquis velle esse obligatus absque sufficienti fundamento obligationis. Quòd si ita est: Ergo frustrà à nobis dictum est, tunc aliquem promittere & obligari, quando determinatè vult acceptare & incurrere obligationem consequentem ex proposito suo & determinatione suæ voluntatis.

Respondeo, nullum propositum quamlibet firmum ex se quidem nudè consideratum sufficere ad inducendam obligationem: quodlibet autem propositum siue determinationem intellectus & voluntatis sufficere ad inducendam obligationem, quando procedit ex deliberata voluntate acceptandi obligationem, vt consequentem ex illo. Itaque hæc voluntas deliberata habet se tanquam *conditio requisita & sufficiens*, vt propositum inducat obligationem: atque ita nō frustrà diximus, hac acceptatione obligationis existente, propositum obligare, & esse promissionem.

Probatur autem hoc ita rectè declarari. Nam inprimis negare non possumus, quin homo possit aliquo modo seipsum ad aliquid faciendum obligare: tum quia hoc est certum de fide, vt patebit infrà: tum etiam quia decuit hominem ita esse naturâ comparatum, vt posit se etiam sub peccato ad rectè operandum adigere, vt sic possit magis firmari in bono, &c. Et rursus consideratis omnibus aliis modis, quibus videri possit homo sibi hanc obligationem posse iniicere; nullus alius commodior apparet, quàm iste, quem nos tradidimus, vt patet ex his, quæ contra modos alios disputauimus. Ergo simpliciter est concedendum ita, vt diximus fieri.

Deniq; sicut Deus ipse, tametsi statuat ac velit tam opera, quæ sunt sub consilio, quàm quæ sunt sub præcepto, fieri ab hominibus: tamen quia cum voluntate Dei, vt fiant opera consiliorum, non est etiam coniuncta Dei voluntas, qua velit hominem obligari ad eiusmodi opera ex determinatione illa voluntatis suæ, qua vult ea fieri, sicut est coniuncta hæc voluntas cum voluntate, qua vult fieri opera, quæ sunt præcepta: & idcirco voluntas diuina, vt fiant opera præcepta, obligat homines; voluntas autem diuina, vt fiant, quæ sunt de consilio, non obligat: ita etiam intelligendum est, hominem, qui ad similitudinem Dei est factus, obligare posse seipsum ex proposito sui intellectus & voluntatis, quando simul vult, vt ex tali proposito quasi ex lege quadam sequatur ea ipsius obligatio; non verò quando talem obligationem ex suo proposito sequi non vult, etiamsi alioqui statuat & proponat aliquid facere.

Vnde sicut non valeret illud idem tertium argumentum contra modum, quo Deus nos obligat: ita nec valet contra hunc modum, quo dicimus, hominem posse à seipso obligari. Similiter namque contra modum illum obligandi diuinum posset quis argumentari. Nam vel propositum & statutum diuinum, quo vult aliquid à nobis fieri, sufficit ad obligationem; vel non. Si sufficit: Ergo etiam ad opera consiliorum obligamur: siquidem Deus vult à nobis ea fieri. Si autem non sufficit: Ergo minimè nos ad vlla opera potest Deus obligare per vllum propositum suæ voluntatis, etiamsi velit. Est ergo ad vtrumque argumentum eodem modo respondendum.

Ex quibus sequitur Primo, posse esse aliquod nudum propositum multò intēsius, quàm sit promissio aliqua. Patet. Nam discrimen inter promissionem & propositum non pendet ex actu intenso, sed ex illa deliberata voluntate acceptandi obligationem.

Sequitur Secvndo, eum, qui obligationis memor expressè respuit ac non acceptat illam, minimè promittere, quantumcunque intensè & firmiter statuat aliquid se facturum. Neque dici potest, in firma siue intensa determinatione faciendi, contineri virtualiter & implicitè voluntatem acceptandi obligationem. Esset enim ea res scrupulosissima. Nam oporteret tūc homines semper ob ea, quæ facere proponunt, esse anxios; præsertim spirituales, qui solent firmissimè proponere.

Sequitur Tertio, eum, qui paulò post, quàm statuit aliquid facere, *dubitat*, an voluerit se obligare, vel non; probabiliter posse existimare se non promisisse. Nam huiusmodi voluntatis se obligandi, non solent homines tam citò obliuisci. Vnde siquis de ea voluntate sua statim aut paulò post, quàm deliberauit quidpiam facere, *dubitat*; signum id est, quòd non acceptauit obligationē, vt ad promissionem erat necesse. Quinimò etiamsi aliquantò post quis de eo dubitaret, idem videtur dicendum. Nam huiusmodi obligationes facilè solent hærere memoriæ.

Et hactenus ostendimus, quid sit promissio: Quod Primo nobis ad explicandum proposuimus. Nunc (quod etiam explicandum diximus) quæritur Secvndo, An, & quatenus verum sit, quod cùm D. Thoma asseruimus, omnia illa tria, videlicet deliberationem, propositum, & promissionem, requiri & sufficere ad Votum. Videtur enim Primo, non requiri deliberatio. Nam vel debet esse deliberatio diuturna & matura, qua videlicet considerentur omnia omnino, quę possent inducere ad promittendum (hoc est ad statuendum aliquid cum voluntate acceptandi obligationem) & quæ possent ab hoc deterrere. Et hoc falsum est. Nam satis videtur esse ad Votum, atque adeo ad obligandum se Deo, deliberatio talis, qualis etiam satis est ad frangendum Votum, & ad peccandum mortaliter, atque adeo ad obligandum se quodammodo dęmoni. Constat autem, deliberationem sufficientem ad peccatum mortale, non oportere esse vsque adeo maturam & diuturnam.

Si autem dicatur, sufficere ad Votum deliberationem talem, qualis satis est ad peccatū mortale, atque adeo eam quoque, quæ sit quidem *plena*, sed breuis, ex repentino aliquo affectu aut leuitate animi, &c. Hoc etiam videtur falsum. Nam promissio facta ex tali deliberatione, *displiceret* Deo, & est peccatum. Ergo non acceptatur ab illo; & consequenter non obligat. Antecedens probo *primò* ex eo, quòd Ecclesiastæ 5. dicitur, non solùm *displicere Deo* infidelem promissionem, sed etiam *stultam*: qualis videtur esse ea, quæ procedit ex leui deliberatione. *Secundò* idem patet ex eo, quòd tales communiter se exponant periculo frangendi postea Votum. Denique malè audiunt apud probos & sapientes.

Secvndo videtur etiam, ad Votum non requiri promissio, sed satis esse propositum. Nam in capit. Consulti. Extra de Regularibus, quidam, qui proposuit ingredi religionem, & induit habitum, iubetur manere in illa. Ex quo colligunt aliqui Iuristæ citati à Soto libro septimo de Iustitia, quæstione prima, articulo secundo, nudum propositum obligare, saltem quando res promissa incipit mandari executioni, sicut in illo casu.

Tertio videtur etiam probari posse, quòd *non sufficiat* ad Votum promissio cum deliberatione & proposito, sed aliquid aliud requiratur. Nam homo per promissionem, si absit iuramentum, non se obligat verè alteri homini: Ergo neque Deo. Consequentia probatur. Nam simili argumentandi forma D. Thomas hîc articulo 1. ex oppositio Antecedenti concludit oppositum consequens. Antecedens autem probatur dupliciter. *Primò* ex ipsomet S. Thoma infrà art. 3. ad 1. vbi ait, per promissionem hominem obligari alteri homini *ex honestate*: quæ obligatio apud ipsum S. Thomam distingui solet à *debito simpliciter*, vt patet suprà quæst. 81. *Secundò* probatur idem Antecedens. Nam si promissio homini facta obligat; etiam obligaret, quando non exprimitur verbis, quod tamen solet negari. Patet Sequela. Nam siue exprimatur, siue non, eadem est semper promissio interior, atque adeo eiusdem efficaciæ ad obligandum. His igitur argumētis probari videtur, nec requiri omnia illa tria ad Votum, neque etiam sufficere, scilicet deliberationem, propositum, & promissionem.

In contrarium est sententia communis, præsertim Theologorum. Et ratio etiam. Nam non apparet, quomodo aliter homo se posit obligare Deo per Votum; vel quid aliud præter illa tria ad id requiratur & sufficiat. Item etiam potest hoc colligi ex illo loco Ecclesiast. 5. paulò ante citato, vbi insinuatur, Votum in promissione perfici. Quare ad illa argumenta proposita respondendum nunc est, vt intelligatur, quatenus illa tria requirantur & sufficiant ad Votum.

Primvm autem argumentum petit, vt explicemus, *quanta* debeat esse *deliberatio* requisita & sufficiens ad Votum. Quidam Iuristæ citati à Soto vbi suprà putant, necessariam esse adeo plenam deliberationem, vt sit *matura & diuturna, &c.* Sed tamen contraria sententia est verior, videlicet sufficere *plenam*, non vt plena idem est, quod diuturna & matura, sed vt distinguitur contra motus *primò primos*, secundùm quos absque vlla deliberatione statim res obiecta placet; & etiam vt distinguitur contra *semiplenam*, ex qua peccata, quæ alioqui ex obiecto essent mortalia, tantùm sunt venialia. Itaque sentiendum est, ad Votum satis esse deliberationem talem, qualis sufficit ad peccatum mortale. Ita Paludanus in quarto, distinctione 38. quæstione prima, & Sotus vbi suprà, & Caietanus hîc, & Nauarrus in Manuali, capite duodecimo, numero 26. & alij.

Probatur autem hæc sententia. Nam ad inducendam obligationem sufficit talis aliquis Rationis & voluntatis actus, qui verè & perfectè sit *humanus* seu *moralis*. Talis autem actus est promissio, eatenus perfecta, quatenus est cum eiusmodi deliberatione. Quod ipsum confirmari potest ex cap. Sic nobis. Extra de Regularibus, vbi Clericus, qui nimia ægritudine impulsus, vouit ingredi Religionem, iubetur ingredi, & tamen probabile est in nimia ægritudine non fuisse admodum maturā illam deliberationem. Item ex cap. Sunt qui opes 17. quæst. 4. vbi quidam,

qui tumultuario mentis impulsu opes quasdam Ecclesiæ contulerunt; de temeritate quidem reprehenduntur, sed sacrilegi iudicantur, si donationem reuocent.

Cauenda verò hîc est regula quæda... falsa, quæ traditur in Summa Angelica, Verbo Votũ, ad discernendum, quando non fuerit deliberatio sufficiens; videlicet si post emissum statim Votum, hominem pœniteat. Falsum est hoc. Nam quòd hominem pœnitere soleat consilij, sæpe etiam prouenit ex natura & conditione humanæ deliberationis, quantumuis fuerit plena: quia scilicet nunquam perspicit homo omnia omnino, quæ possent pertinere ad actionem, videlicet futura, præterita, & præsentia, &c. sicut perspicit Deus.

Ad illud igitur, quod obiicitur in PRIMO argumento, contra sufficientiam plenæ deliberationis iam explicatæ, respondetur concedendo inprimis Antecedens; scilicet, peccare eum, qui plenè quidem deliberatè, sed ex repentino quodam motu & leuiter, emittit Votum. Id quod conceditur hîc expresè à Caietano, dicente talem irreuerenter abuti Voto. Et ita solet etiam communiter cõcedi. Negatur tamen argumenti Consequentia. Nam licet Deus non acceptet tale Votum ad *præmium*, acceptat tamen illud ad hoc, vt homo maneat ex illo *obligatus*; sicut etiam acceptaret Votum, ad obligationem, quod quis matura deliberatione emitteret ex vana gloria.

Quòd si quæras, Quantum erit peccatum vouere absque matura deliberatione. Respondeo. Si materia Voti sit talis, vt ad illam non obligetur homo nisi sub veniali (vt siquis v. g. voueret dicere semel Pater & Aue) tunc nullum esset peccatum: non enim requiritur ad rem tantulam matura deliberatio. Si autem materia Voti sit grauis, ad quam quis proinde teneatur sub mortali; non videtur esse plus quàm veniale, communiter loquendo, non adhibere maturam considerationem. Ratio est: quoniam ex vna parte in his, quæ sunt manifestè bona & consentanea rationi secundùm se (cuiusmodi est Votum) non est opus maxima deliberatione, quemadmodum bene notat S. Thomas infrà in materia de Statibus, tractans de ingressu religionis, quæst. 189. art. 10. Ex alia verò parte, si quod periculum ex subitanea deliberatione imminet frangendi postea Votum, propter dispositionem vouẽtis, &c. poterit talis ei periculo occurrere, si cum maiori deliberatione postea sese confirmet in Voto.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, nullo modo sufficere propositum, sed requiri promissionem. Ita Theologi communiter. Probatur ex cap. Literaturam. Extra de Voto & Voti redemptione, vbi quidam, qui in ægritudine dixit: *Non diu hic morabor*, proponens ingredi religionem; iudicatur non teneri Voto; propterea nimirum, quòd tantùm proposuit, non promisit. Et certè contrarium asserere, est iniicere laqueum cõscientiis: Semper enim dupliciter peccarent fideles, postquam in confessione firmiter proposuerunt se non peccaturos. Item deterrerentur sæpe à bonis propositis, &c. Ad illum autem casum obiectum ex cap. Consulti, respondet Caietanus hîc, talem implicitè promisisse; quoniam vt apparet, renũciauit etiam iuri, quod habebat ad annum Nouitiatus, & ita eo ipso voluit facere, quod post annum erat facturus, videlicet vouere.

Hæc responsio Caietani non est admittenda sine distinctione. Nam si sensus huius responsionis sit, in illa ipsa voluntate ingrediendi religionem, & renunciandi tempori Nouitiatus, implicitè contineri Votum & promissionem, falsa est responsio. Nam aliud est *velle* ingredi religionem, & *renunciare* tempori Nouitiatus, ac etiam velle promittere; & aliud est reipsa *promittere*. Neque habet hîc locum promissio implicita in voluntate sola, siue solo proposito ingrediendi religionem, vt patet ex his, quæ suprà de promissione disputauimus. Si verò sensus eius responsionis Caietani sit, hoc ipso, quòd in casu Capituli narratur, illum voluisse ingredi & manere in religione renunciato tempore Nouitiatus, narrari etiam implicitè, illum tũc fecisse, quod post annum Nouitiatus erat facturus, id est, promisisse & vouisse: ac proinde illud Caput intelligendum esse de proposito non nudo, sed per promissionem firmato; sic optima est ea responsio Caietani. Atque ita etiam respondet Sotus libro septimo de Iustitia, quæst. 1. art. 2. dicés, illic Pontificem vsurpâsse nomen propositi pro Voto, quatenus cõmuniter dici solet, Votum esse propositum promissione firmatum.

Ad TERTIVM respondeo negando Antecedens. Ad *primam* illius probationem respondet Caietanus hîc & Sotus vbi suprà, sanctum Thomam, in illo loco non distinxisse debitum *honestatis* contra debitum simpliciter ex præcepto, sed contra debitum *ex iustitia*, quod videlicet parit obligationem ciuilem. Et ita debet etiam intelligi suprà quæst. 81. vt explicaui disput. præced. quæst. vltima, punct. 2. & patet euidenter ex eodem D. Thoma infrà quæst. 107. art. 1. Ad *secundam* probationem respondeo, negando Sequelam. Nam vt promissio facta homini obliget, manifestatio eius requiritur, tanquam quædam necessaria conditio propter naturam hominis, qui videlicet tantùm videt ea, quæ apparent, vti etiam diximus disput. præced. quæst. 10. punct. 3. cùm de dominij translatione ageremus.

PVNCTVM

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam esse possit materia Voti.

D. Thomas art. 2.

EX FINE, qui in vouendo propositus esse debet, diiudicare oportet, quàm latè pateat materia Voti, seu quænam possint voueri Deo. Est autem is finis duplex, scilicet vltimus & proximus. Nam cùm facultas obligandi se Deo per Votum, homini indita sit, quatenus ratione is vtitur, & moraliter operatur; procul dubio finis Voti *vltimus* debet esse ille idem, ad quem totum genus morale refertur, videlicet adeptio beatitudinis. Iuxta illud sancti FVLGENTII libro de fide ad Petrum, cap. 3. *Omni vouenti Deo, & reddenti, quod vouit, ipse Deus quoque reddet cælestis regni præmia, quæ promisit.*

Proximus autem & immediatus finis Voti est, vt homo obligatione & promissione adactus, firmiùs & certiùs operetur bene aliquid ad gloriam & honorẽ Dei, vt per id beatitudinem adipiscatur: Iuxta illud S. AVGVSTINI epist. 45. *Non te pœniteat vouisse, imò gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset, &c. Felix necessitas, quæ nos ad meliora compellit.*

Atque hæc, vt infrà videbimus, ratio est, propter quam Votum est actus religionis, qua videlicet per illud eatenus Deo aliquid boni pollicemur nos daturos, quatenus id promittimus nos facturos in honorem & gloriam ipsius. Nihil enim Deo accrescit ex nostris promissionibus præter honorem & gloriam; quam illi exhibere, nobis potius vtile est.

Ex hoc duplici vouendi *fine* apparet, tres in vniuersum conditiones necessarias & sufficientes esse, vt aliquod opus possit esse materia Voti, quæ colliguntur ex doctrina D. Thomæ hîc artic. 2. & eliorum communi. PRIMA est, vt sit in nostra *libera potestate*. Nam si est simpliciter necessarium, frustrà ad illud nos obligatione peculiari adigeremus, cùm aliunde certissimò debeat euenire, velimus nolimus. Item etiam. Nam vt aliquis censeatur obligatus ad aliquid, oportet, vt timore committendi peccatum, si faciat oppositum, compelli & induci possit ad illud. Idcirco enim dicitur ligatus esse. Constat autem, ad id, quod est simpliciter necessarium, non posse hominem adigi eiusmodi timore: quãdoquidem nunquam contingit peccare circa illud, omittendo vel faciendo oppositum. Similiter, si aliqua res est simpliciter impossibilis, ac proinde minimè sita in nostra libera potestate, frustrà illam per Votum pollicebimur Deo.

SECVNDA conditio est, vt sit opus *bonum*, secundùm rectam rationem. Tum quia aliàs nihil conferet ad prædictos fines, vltimum, & proximum, facultatis, quam habet homo, se per Votum obligandi Deo. Tum etiam quia sicut omnis inclinatio & facultas physica indita rebus naturalibus, semper respicit bonum physicum & naturale: ita etiam existimandum est, facultatem istam moralem per Votum se Deo obligãdi spectare tantummodò bonum morale secundum rectam rationem. Vnde rectè omnino ac verè sanctus FVLGENTIVS libro de fide ad Petrum, capite 3. *Tunc*, inquit, *vnusquisque regnum cælorum possidebit, &c. si quod scit esse* LICITVM, *& ad profectum vitæ melioris pertinere cognoscit, libenter voueat, & celeriter reddat.*

TERTIA conditio est, vt eiusmodi bonum opus non sit tale, quod naturâ sua priuet hominem *maiori* aliquo bono, quod antea is habuerit, & quod magis placeat Deo. Ratio huius cõditionis est. Nam vt homo per Votum maneat obligatus Deo, omnino necessarium est à Deo acceptari illud, quod ei promittitur. Non est autem credendum, Deum minùs bonum anteponere maiori bono, quod magis cedit in gloriam ipsius, ac proinde neque acceptare eiusmodi minùs bonum ab homine; cùm præsertim de Deo scriptum sit, quòd *disponat ascensiones in corde eius*, quem adiuuat; vt hîc rectè notat Caietanus. Itaq; solùm acceptat illud, per quod homo *ascendit*; nõ id, per quod descendit. Quod ipsum asseruit sanctus FVLGENTIVS vbi suprà, cùm dixit, vouendum esse, quod quis cognoscit pertinere ad profectum *vitæ melioris*. Quando hæ igitur omnes conditiones in aliquo opere concurrerint, sine controuersia poterit id esse materia Voti: aliqua verò earum deficiente, vel omnibus, non poterit.

Ex his breuiùs iam expediri poterunt ea, quæ in *specie* de materia Voti disputari possunt. Ac PRIMO posset disputari de NECESSARIIS & IMPOSSIBILIBVS; nisi quod clarè iam cõstat, eiusmodi non esse apta ad materiam Voti propter defectum primæ conditionis suprà positæ, vt etiam docet S. Thomas hîc art. 2. Ex quo sequitur, nullum esse Votum, si quis promitteret se nunquam peccaturum *etiam venialiter*, vt rectè obseruauit Sotus lib. 7. quæst. 1. art. 3. quamuis contrarium incogitãter videtur sensisse Nauarrus in Manuali, cap. 12. num. 34. Ratio est. Nam est id moraliter impossibile; ita, vt nũquam fiat secundùm legem ordinariam, quemadmodum in materia de Gratia, quæst. 1. disputauimus.

Si autem QVÆRAT aliquis, Vtrum qui tale Votum emisisset, teneatur ex vi eius Voti cauere saltem à Venialibus, quantum potest; id est, ab hoc & illo, quod in particulari potest vitare. RESPONDENDVM censeo cum Soto negatiuè. Nam cùm Votum eiusmodi sit omnino nullum; ad nihil tenetur quis ex vi illius.

Nec valet argumentum, quod contrà posset ita obiici: Si quis vouisset ieiunaturum se per annum, & postea non posset omnibus diebus ieiunare; teneretur ieiunare diebus, quibus posset. Ergo similiter in præsenti casu teneretur quis ex

vi illius

Universidad de Deusto Biblioteca

viillius Voti vitare quæcunque peccata venialia, quantum posset.

RESPONDEO, negando Consequentiam. Ratio disparitatis est: quia Votum illud de ieiunio, esset validum; cùm materia illius secundùm se sit possibilis; & ideo ex vi talis Voti postea teneretur homo adimplere, quicquid posset. In nostro autem proposito, Votum simpliciter fuit nullum; quia illius obiectum secundùm se erat impossibile: & ideo minimè rectè dici potest, quòd ex vi talis Voti seu promissionis ad aliquid homo teneatur.

SECVNDO potest disputari de operibus ILLICITIS siue peccatis. Et quidem cùm opus est *per se* illicitum, ex obiecto suo siue ex genere; nulla est difficultas. Certum est enim, non modò tale opus materiam Voti non esse, propter defectum secundæ præsertim conditionis; sed etiam esse peculiare sacrilegij peccatum promittere Deo aliquod opus illicitum: & quidem mortale, si opus promissum sit mortale: veniale autem, si sit veniale, vt notant Nauarrus in Manuali, capite 12. num. 34. & Sotus libro septimo de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio. Ratio est. Nam qui promittit Deo peccatū; vult, *quantum est in se*, adigere se ad peccandum. Constat autem, velle peccare mortaliter, nedum ad id se adigere, mortale esse; & velle venialiter peccare, veniale.

Dixi, *quantum est in se*. Nam in re, contradictionem implicat, aliquem ad peccandum obligari. Tunc enim abstinere à peccato, esset turpe, vtpote contra obligationem; & non esset turpè; cùm nihil minus turpe sit quàm abstinere à peccato. Quinimò, si aliquis de industria promittens se commissurum aliquod peccatum, etiam veniale, vellet vt Deo placeret id peccatum, & ab eo illud acceptaretur; videretur esse blasphemia mortalis. Blasphemia siquidem est velle, vt Deus faciat, quod ei nullo modo competit, videlicet vt acceptet peccatum.

Quando autem opus promissum est illicitum, non ex obiecto, sed *ex circumstantia*, ita quidē, vt mala circumstantia sit circumstantia *ipsius operis* promissi, & nō tantùm ipsius actus vouendi: Certum est etiam apud omnes, neque tunc posse esse materiam Voti. Nam quamuis ex circumstantia sola tale opus vitietur, tamen ob circumstantiam est malum simpliciter, quod proinde non confert ad finem Voti, neq; acceptatur à Deo, vt rectè asseruit hîc Caietanus, & Sotus lib. 7. q. 1. art. 3. Et patet ex eo, quòd neque promissio facta homini de re vllo modo mala, obligat. Sicut patet ex cap. In malis 22. quæst. 4.

Sed DIFFICVLTAS hîc est non parua, in discernendo bene, quando circumstantia mala, quā respicit animus vouentis, sit in rei veritate circumstantia *operis promissi*, & quando non sit, licet esse videatur. Dupliciter namq; animus vouentis respicere potest aliquod malum, quando vouet. VNO modo, ita vt illud malum referat verè ad ipsum opus promissum tanquam circumstantiam eius. Et tunc secundùm omnes inualidum erit Votum. Nam habebit pro obiecto rem illicitam. Vt v. g. Si quis voueat, se daturum eleemosynam propter vanā gloriam, ita vt illa particula, *Propter*, determinet non Verbū illud, Voueat, sed Verbum illud, *Daturum* eleemosynam. ALTERO modo ita, vt vouens non referat malum ad opus promissum, quod est obiectum Voti, sed tantùm ad ipsum *actum* vouendi, aut ad *applicationem* animi ad vouendum, hoc est, ad determinationem vouendi. Et tunc rursus est distinguendum. Nam si simul illud malum referat aliquo modo ad Deum; Votum erit etiam nullum. Si autē nullo modo referat ad Deum illud malum, sed tantum sit circumstātia *actus vouendi*, seu *applicationis* animi ad vouendum; tunc validum erit Votum.

Vt v. g. Si quis voueat se daturum eleemosynam propter victoriam iniustam obtinendam: Hic, si illa particula, *Propter*, ita determinet actum vouēdi, vt simul homo referat iniustam victoriam ad Deum, videlicet ideo etiam vouens, vt impetret victoriam iniustam à Deo; Votum est nullum. Ratio est. Nam finis ille, ob quem illa eleemosyna promittitur, nempe, vt victoria iniusta impetretur, facit, vt ea eleemosyna minimè acceptetur à Deo. Non enim vult Deus ad eum finem acceptare eleemosynam, vt ipse conferat victoriam iniustam. Et similiter, si talis promittens eleemosynam pro iniusta victoria, non ita referret iniustam victoriam ad Deum, vt velit dare eleemosynam pro victoria iniusta obtinenda, sed pro victoria iniusta *iam obtenta*, quasi in gratiarum actionem, quod à Deo illam obtinuerit; nullum etiam esset Votum, propter eandem rationem, quia Deus videlicet non acceptat illud factum hoc respectu.

Si autem quis propter vanam gloriam voueat se daturum eleemosynam, ita, vt vana gloria non sit circumstantia erogationis eleemosynæ, sed tantummodò *actus vouendi*, neque circumstantia ea mala vllo modo referatur ad Deum, tanquam ab eo impetranda vel impetrata, &c. validum erit Votum. Nam tunc ipsa erogatio eleemosynæ promissa, immunis manet ab eiusmodi mala circumstantia: & sic acceptatur à Deo tanquam apta materia Voti. Quantum fatendum est, ipsum actum vouendi esse tunc peccatum ob malam eam circumstantiam: ac proinde nonnisi secundùm suam tantùm speciem (non autem *in individuo*) esse actum virtutis Religionis. Sed tamen hoc non impedit, quò minùs is actus sit verum Votum, vt bene etiam notauit Sotus lib. 7. de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio. Nam quamuis tale Votum non acceptetur à Deo ad meritum, acceptatur tamen ad obligationem, vt dicebamus puncto præcedenti, cùm ipsius quidem materiæ nulla ex illis tribus conditionibus desit.

Est etiam

Est etiam circa hæc diligenter discernendum, An cùm vouens refert malum aliquod ad ipsum opus promissum, verè illud referat & ordinet ad opus, tanquam circumstantiam malam *operis*, quæ proinde opus vitiet & reddat ineptum ad Votum. Potest enim quis referre malum aliquod ad opus promissum, & tamen non vt *circumstantiam* malam operis; sed tantū vt *conditionem quandam*, qua existente, & non aliter, velit se obligare ad exequendum tale opus. Quapropter tunc validum esset nihilominus votum. Vt v. g. Si quis ita voueret: Si adulterium commisero, ingrediar religionem. Tunc quidem aliquod malum & illicitum refert ad opus promissum: Sed tamen non vt circumstantiam vitiantem opus, sed tanquam conditionem, sub qua vouet ingressum religionis: & maximè, si id ita voueret *in pœnam* eius delicti. Valet enim tunc Votum secundùm omnes. Et similiter, si tantùm merè conditionaliter ordinet quis malum ad opus promissum. Vt si simpliciter tali conditione existente (videlicet adulterio aut homicidio commisso) vellet ingredi religionem: quāquam, vt inquit Caietanus, moraliter loquendo, vix est possibile, vt homo rationalis, non referat malum tale ad opus promissum, secundùm aliquam aliam habitudinem, videlicet vt *in pœnam*, &c. vel ad Deum; vt si adulterium concesserit, &c. Quo casu blasphemia id esset, & non Votum, vt antea in simili casu diximus de victoria iniusta.

Præterea etiam in eo, quod dicimus, quando malum, vt circumstantia, refertur ad opus promissum, vel ad Deum, inualidum esse Votum; aduertendum est, Vtrum id, quod *secundùm se* est malum, ad opus vel ad Deum referatur; an verò illud tantum, quod est cum malo *coniunctum*, vel quod ex malo prouenit. Nam si illud tantum, quod ex malo oritur, aut cum malo cōiunctum est, referatur tanquam circumstantia ad opus promissum; validum nihilominus potest esse votum, quemadmodum rectè notat Caietanus hîc, & Sotus vbi suprà. Vt v. g. si quis duellum suscepturus, pro incolumitate vitæ suæ voueret aliquam eleemosynam, Votum valeret. Nam licet duellum sit illicitum, & etiam occisio aduersarij, cum qua esset *coniuncta* ea incolumitas vitæ propriæ: tamen bonum quoddam est ipsa vitæ incolumitas, cùm sit quoddam Dei beneficium. Item, si quis pro obtinenda prole ex concubina, promitteret aliquid Deo, validum esset votum; quia non referret ad Deum illicitum ipsum concubitum, sed naturale bonum prolis, quod est Dei beneficium.

Sed obiiciet aliquis, hinc esse consequens, vt eadem ratione validum sit votum pro iniusta victoria; si quis non referat ad Deum deformitatem ipsam actus iniustè pugnandi & vincendi, sed eius actus *entitatem* realem, quæ est à Deo. Ad hoc Caietanus hîc absolutè videtur concedere, validum tunc esse Votum, si quis ita distinguat deformitatem ab entitate actus. Videtur tamen esse cum distinctione respondendum. Nam si Votum fieret pro victoria iniusta à Deo *obtinenda*, non valeret, etiamsi tantùm quis referret ad Deum materialem entitatem actus pugnandi & vincendi. Ratio est: quoniam tametsi Deus, vt causa vniuersalis, homine iam peccante, concurrat cum illo ad materialem entitatem actus peccati, vt entitas quædam est; tamen priùs, quàm homo peccet, non est Deo conueniens inclinare illum & inducere ad eam entitatem, vel etiam ad eam iuuare: cùm potius ab ea deterreat per præcepta contraria. Et ita non acceptaret in illo casu Deus votum factum cum eo respectu, videlicet pro entitate actus peccati obtinenda à Deo.

Si autē Votum fieret pro victoria iniusta iam *obtenta*; tunc videtur probabilis responsio Caietani. Nam iam de facto illa entitas fuit à Deo. Sed nihilominus adhuc videtur probabiliùs, quòd nec sic Votum valeret. Ratio est: quoniam Deus non videtur acceptare gratiarum actionem pro eo, quòd moraliter nocuit homini, & ad quod ipse Deus non inclinabat voluntate *beneplaciti*, &c. Sed potiùs per contraria præcepta deterrebat. Tale autē est illa materialis entitas peccati, vt subest & coniuncta fuit deformitati culpæ.

Itaque aliter respondeo ad obiectionem illam, non esse parem rationem de materiali entitate peccati, coniuncta cum deformitate culpæ; & de aliis bonis, coniunctis cum peccatis, vt de incolumitate vitæ, de prole, &c. Nam materialis entitas peccati est etiam quædam peccati pars, & prohibetur à Deo; alia autem bona non item. Et ideo pro obtinendis à Deo illis aliis bonis quantumuis coniunctis cum peccatis, Votum validum fieri potest, non autē pro obtinenda materiali entitate peccati.

Porrò ex his sequitur, neque semper esse votum inualidum, quando mala circumstantia est circumstantia *actus vouendi*; neque etiam semper esse validum, quando mala circumstantia est circumstantia *applicationis animi* ad vouendum. Vtroque enim modo accidit, Votum esse inualidum, si mala circumstantia referatur etiam ad DEVM: & etiam vtroque modo accidit esse validum, si mala circumstantia non etiam referatur ad DEVM, vt satis patet ex dictis.

Quare circumspectè legendi sunt vbi suprà Caietanus & Sotus in hac quæstione de materia Voti, quod attinet ad ILLICITA. Distinguunt enim tres modos apponendi malam circumstantiam; videlicet vel *actui* vouēdi; vel *applicationi* ad vouendum, vel *operi* promisso: Et videntur dicere, vniuersaliter, quando circumstantia apponitur vel actui vouendi, vel operi promisso, votum esse inualidum: Quando autem apponitur *soli applicationi* animi ad vouendum, esse validum. Patet

autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem ex dictis, nihil quoad hoc interesse inter A
applicationem animi ad vouendum, & actum
vouendi; sed tantùm esse respiciendum, num cir-
cumstantia mala apposita actui vouendi vel ap-
plicationi ad vouendum, simul etiam referatur
ad Deum, vel non referatur. Nam si referatur;
votum erit inualidum: Si non, validum. Et certè,
moraliter loquendo, circumstantia actus vo-
uendi, etiam est circumstantia applicationis ani-
mi ad vouendum: hæc enim applicatio nihil a-
liud est, quàm deliberatè velle vouere. Vt appa-
reat, nihil fuisse necesse inter hæc distinguere.
Sed quamuis hi Doctores ita procedant: tamen
in rei veritate solùm volunt id, quod hactenus
docuimus, vt eos legẽti patebit. Tantùm modus
procedendi illorum non fuit satis formalis. B

TERTIO disputari hîc potest de INDIFFEREN-
TIBVS. Est autem breuiter sententia communis,
illa non posse esse materiam Voti, quando *omni-
bus circumstantiis consideratis* sunt indifferentia.
Ratio est. Nam deficit tunc secunda conditio
suprà posita; nempe, vt materia Voti sit opus bo-
num secundùm rectam rationem. Siquidem ad
Rationem nihil refert, vtrum eiusmodi indifferẽ-
tia sic vel aliter fiant.

Dixi verò, quando *omnibus consideratis* sunt in-
differentia. Nam fieri potest, vt opus alioqui ex
obiecto indifferens, reddatur bonum aut ma-
lum moraliter ex circumstantia: quod proinde,
vt rectè notat hîc Caietanus (estque communis
doctrina) materia poterit esse Voti, quamdiu C
non redit ad suam indifferentiam. Vt v. g. ingre-
di hanc vel illam domum; secundùm se quidem
res indifferens est. Si tamen in ea tibi aliqua per-
sona sit scandalo; malum moraliter erit ingredi.
Vnde non ingredi, materia Voti esse poterit. Si-
militer si contrà accideret, vt ingressus in talem
domum, esset tibi bonum propter finẽ aliquem;
posset id esse materia Voti.

Sed cùm primùm cessauerint eiusmodi circu-
mstantiæ, rectè docet Caietanus hîc, Votum
extingui: quia deficit illius materia, cùm res re-
deat ad meram indifferentiam. Diligenter au-
tem in hac parte aduertendum est, vtrum in rei
veritate circumstantia sit talis, vt omnibus con-
sideratis abstrahat opus à statu indifferentiæ, nec D
ne. Potest enim accidere, vt adhuc illud relin-
quat in suo statu indifferentiæ, quantumuis ha-
beat speciem boni.

Atque ex his diiudicari possunt multi casus,
de quibus Doctores disputant. Cuiusmodi est, si
quæ mulier habens animum in Sabbatho faci-
endi alia opera seruilia, voueret tamen ad glo-
riam Dei & honorem beatæ Virginis non filare.
Nullum enim esset tale Votum, ex sententia Do-
ctorum. Nam posito, quòd non velit cessare ab
aliis operibus seruilibus, nihil interest, an filet,
nec ne. Secùs, si voueret, se velle abstinere ab o-
mnibus seruilibus. Eodem modo de similibus
iudicato.

QVARTO disputari potest, num sint apta ma-
teria Voti ea, quæ sunt OPPOSITA *diuinis consi-
liis*; vt non seruare castitatem, non fieri Religio-
sum, &c. Nam de ipsis operibus perfectionis, quę
sunt in consilio, non est dubium apud Catholi-
cos, quin maximè propriè sint materia Voti, cùm
illis competant optimè omnium illæ tres condi-
tiones materiæ Voti suprà positæ: quanquam e-
iusmodi opera & vota circa illa impiè irrideant
Sectarij, contra quos punct. 4. disputabimus.

Est autem aduertendum, quod attinet ad op-
posita consiliis, illa esse in duplici differentia.
Quædam opponuntur operibus perfectionis so-
lùm *negatiuè*: vt non colere castitatem, vel pau-
pertatem Euangelicam. Quædam opponuntur
etiam veluti *contrariè*. Et hæc adhuc sunt duplicis
generis. Nam QVÆDAM opera ita sunt incom-
patibilia cum operibus perfectioribus, vt etiam
ex sua natura priuent hominem *maiori aliquo bo-
no*, quod antea habuerit, & quod magis sit Deo
acceptum. Cuiusmodi est v. g. institutum vitæ
coniugalis. Nam non solùm est incompatibile
cum castitate omnimoda, sed etiã exspoliat ho-
minem libertate illa, quã alioqui habuit sequen-
di diuina cõsilia, & profitendi secundùm illa per-
fectionem Euangelicam maiorem: Itemque illa
facultate sine impedimento (vt Apostolus 1. Cor. 7.
inquit) *Dominum obsecrãdi*; ob quam & alia com-
moda cælibis status, concludit & probat ibi A-
postolus ex instituto esse illum meliorem & gra-
tiorem Deo, quàm statum coniugalem. ALIA
verò opera sunt, quæ ita sunt incõpatibilia cum
opere perfectiori, vt tamen non priuent homi-
nem aliquo maiori bono, quod antea reipsa ha-
buerit. Huiusmodi est v. g. præsens peregrinatio
ad pium locum; possessio rerum propriarum ad
largiendum pauperibus ex illis; visitatio & cura
infirmorum, & alia huiusmodi: quæ vt patet, in-
compatibilia quidem sunt cum presenti ingressu
religionis, qui esset perfectior & Deo gratior:
Sed tamen nullo maiori bono priuant, quod an-
tea homo habuerit. Non enim priuant libertate
ad ingrediendum Religionem. Siquidem vera &
communis Doctorum sententia est, illum, qui e-
iusmodi pia opera suscepit, etiam emisso Voto,
posse nihilominus licitè absque vlla dispensatio-
ne, illa prætermittere, casu quo velit maiorem
sequi perfectionem, vt ingredi religionem, &c.
quia nimirum Deus, quod euidenter melius est,
multò libentiùs acceptat.

His positis, sit PRIMA Conclusio. Quæ consi-
liis opponuntur purè negatiuè, omnino nequeũt
esse materia Voti. Ita omnes Doctores. Et ratio
est: quia deficit his secunda conditio materiæ
Voti suprà posita. Etenim *non seruare* castitatem,
vel *non ingredi* religionem, vt sic, nullum bonum
morale est. Item etiã, quoniam Deus nullo mo-
do acceptat id, quod est contra cõsilium & pro-
pensionem maiorem suæ voluntatis. Ex quo col-
ligunt Doctores, non modò rem inanem, sed
etiam

etiam illicitum esse eiusmodi opposita diuinis A
consiliis promittere Deo. Et quanquam verè
Caietanus hîc putat, communiter id tantum esse
veniale peccatum; tamen si quis de industria &
veluti in despectum diuinorum consiliorũ, vel-
let vt Deus acceptaret voti vinculum contra ip-
sius met Dei consilium & voluntatem; mortalis
esset blasphemia.

Sed occurrunt argumenta duo contra hanc
Conclusionem. PRIMVM est huiusmodi: Quod
licet facere; licet etiam velle, & proponere, &
promittere, atque adeo vouere. Sed non sequi
consilia, licitum est. Ergo licet hoc ipsum velle,
& proponere, & promittere, & vouere.

RESPONDEO negando Maiorem. Quamuis
enim omne quod licet facere, liceat velle: non B
tamen id omne licet vouere. Plus enim est *voue-
re* quàm *velle*. Vnde & plures conditiones requi-
runtur ad obiectum voti, quàm ad obiectum re-
ctæ voluntatis. Oportet enim vt sit tale, quod si-
ne irreuerentia offerri possit Deo, vt ab ipso ac-
ceptandum, &c. quod in proposito non potest
fieri, vt dictum est.

SECVNDVM argumentum est tale: Si vincu-
lum voti de non seruanda castitate, verbi gratia,
est inualidum & illicitum; sequeretur eadem ra-
tione, vinculum matrimonij non esse validum.
Patet. Nam cùm sit contra consilium diuinum,
non acceptabitur à Deo, & consequenter displi-
cebit ei, atque erit peccatum.

RESPONDEO negando Sequelam. Ratio di- C
sparitatis est. Nam vinculum matrimonij non
refertur immediatè ad Deum, sed ad hominem
alterum. Vnde neq; opus est, vt Deus illud directè
& immediatè acceptet tanquam aliquid ipsi ob-
latum: Sed sufficit, quòd Deus illud acceptat,
quatenus approbat eum contractum factum in-
ter homines. In proposito autem vinculum voti
offertur ipsi Deo in gratiam ipsius, atque adeo
tanquam id, ad quod Deus habeat ex se maio-
rem propensionem. Quapropter cùm quis vo-
uet non seruare consilium aliquod diuinum, irre
uerenter Deo id offertur, quod minus ei placet,
quàm illius oppositum directè.

SECVNDA Conclusio: Illa, quæ ita opponun- D
tur diuinis consiliis & operibus perfectioribus
contrariè tanquam incompatibilia illis, vt ex
sua natura hominem non expolient aliquo bo-
no magis accepto Deo; rectè possunt esse mate-
ria voti. Est etiam communis doctrina. Et ratio
est clara. Quia nulla conditio ad voti materiam
necessaria ex supradictis deficit istis operibus. Et
quanquam dum ista Deo offeruntur, non offe-
runtur illi alia, quæ alioqui magis ei placerent:
tamẽ hoc non obstat, quo minus Sapienter Deus
huiusmodi etiam opera, quæ sunt minora, velit
acceptare: siquidem vt ista acceptet, non opor-
tet maius aliquid eis postponere. Aliud namque
est dum hoc acceptatur, non acceptari neq; of-
ferri aliquid maius: aliud verò, vt hoc minus ac-
ceptetur, oportere aliud maius postponi & re-
linqui. Primum non potest sapientem meritò
mouere ad non acceptandũ. Sic enim nunquam
aliquid deberet acceptari: cùm semper possit a-
liquid melius offerri & acceptari. Secundum ve-
rò meritò sapientem mouebit, ne illud, quod est
minus, acceptet, postposito maiori.

TERTIA Conclusio: Illa, quæ ita opponuntur
consiliis & operibus perfectioribus, vt simul eti-
am hominem expolient maiori bono, *absolutè lo-
quendo*, non possunt esse materia Voti. Tale est
institutum & consuetudo vitæ coniugalis, atque
adeo matrimonium. Hæc etiam est sententia
communis. Cuius ratio est clara. Nam deficit hîc
tertia conditio ad materiam voti necessaria: si-
quidem oportet ad eiusmodi bonum acceptan-
dum postponere maius: quod vt paulo ante dixi-
mus, non cadit in sapientem. Maius enim & gra-
tius Deo bonum est status cœlibis & soluti à ma-
trimonio, quàm status & consuetudo coniuga-
lis, vt ex professo ostendit Apostolus 1. ad Cor. 7.
vbi variis rationibus concludit, *quoniam melius
est homini sic esse, &c.* Vt autem suprà ex ortho-
doxa sententia S. Fulgentij libro de fide ad Petrum,
cap. 3. audiuimus, non debet vouẽri, nisi quod ad
fructum *vitæ melioris* pertinet. Hinc præclarè san-
ctus AVGVSTINVS lib. de sancta Virginit. *Po-
tuistis* (inquit ad Virgines) *coniugia non deuitare
prohibita, sed* TRANSVOLARE *concessa*. Et libro de
bono viduitatis capite 11. *Non nuptias abs te dam-
natas esse velis, sed spretas. Bonum ergo continentiæ
vidualis luculentius decet, cùm pro illo vouendo &
profitendo possunt contemnere fœminæ, quod & libet &
licet.*

Diximus autem in conclusione, *absolutè loquen-
do*. Nam fieri potest, vt ex aliqua circumstantia
matrimonium sit melius alicui homini, quàm
libertas ad consilia. Vt si quis, verbi gratia, diffi-
cillimè se posset alioqui continere, atque adeo
melius ei esset, vt inquit D. Paulus, *nubere quàm
vri*. In tali enim casu validum esset Votum de ma-
trimonio, vt rectè Caietanus hîc, & Nauarrus
cap. 12. n. 43. notauerunt. Cessat namque tunc ra-
tio facta pro conclusione.

Sed argumentatur Sotus contra hanc sen-
tentiam Caietani dupliciter libro 7. de Iustitia,
quæst. 1. art. 3. PRIMO. Nam etiam in tali casu ma-
trimonium est tali homini impedimento, quò
minus sequatur perfectiora. Ergo neq; in eo ca-
su potest esse materia Voti, quantumuis licitum
sit & bonum tali homini, matrimonium con-
trahere.

SECVNDO. Nam non obstante tali Voto, si
ille mutato proposito postea vellet ingredi reli-
gionem, liceret illi absque vlla dispensatione. Er-
go nullum est id Votum.

TERTIO potest hæc sententia Soti confir-
mari argumento quorundam relato hîc à Caie-
tano. Vti matrimonio in remedium duntaxat
concupiscentiæ, est illicitum. Ergo ob eam cir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cumstantiam nullo modo matrimonium sit idonea materia Voti.

Ad PRIMVM respondeo negando Antecedens. Quamuis enim tale matrimonium impediat id, quod absolutè est maius bonum: non tamen impedit id, quod est maius bonum huic homini; & propterea potest nihilominus esse materia Voti huic homini. Vnde incircumspectè & falsò putauit Sotus, Caietanum ex eo solùm probauisse, matrimonium in tali casu posse esse materiam Voti, quod in tali casu sit *licitum & bonum*: cùm tamen non ex hoc, sed ex eo, quòd etiam omnibus consideratis, matrimonium illi homini est *melius*, rectè Caietanus sententiam suam confirmârit.

Ad SECVNDVM respondeo, negando Consequentiam. Ratio enim, cur talis possit tunc absque dispensatione ingredi religionem, & facere contra id votum, non est, quia votum fuerit nullum; sed quia posito, quòd talis adiicit animum ad religionem, mutatur materia Voti, desinens nimirum esse bonum melius tali homini, quippe cui postquam in animum inducit Religionem amplecti, hoc est illi melius ad vincendas etiam carnis tentationes. Alioqui eodem argumento probaretur Votum de inseruiendo ægrotis in hospitali, verbi gratia, aut de aliqua peregrinatione non esse verum Votum. Nam similiter ei, qui id vouerit, si postea mutet propositum, & velit ingredi religionem, licet id facere secundùm ipsummet Sotum & omnes alios Doctores, absque vlla dispensatione.

Fallacia ergo Consequentiæ illius argumenti est in eo, quòd non aduertit Sotus, non vno tantùm, sed duobus modis posse contingere, vt ei, qui aliquid vouit, postea liceat absque dispensatione facere contra Votum. Nempe *primò*, si votum fuerit antea nullum. Et *secundò* quoque, si aliqua circumstantia postea mutatur circa materiam Voti, vt magis declarabitur p.4. Mutatur autem circumstantia, quando postea aliquis vult suscipere opera perfectiora incompatibilia præterito Voto. Nam tunc materia prioris voti incipit esse homini obstaculo offerēdi Deo id, quod & sibi est melius, & Deo magis placet; & ita non obligat primum votum.

Ad TERTIVM argumentum respondet Caietanus negando Antecedens. Sed potest etiam negari Consequentia, quicquid sit de Antecedente. Nam videtur impertinens esse ad propositum, vtrum vti matrimonio, aut contrahere illud, duntaxat in Concupiscentiæ remedium, sit licitum, nec ne. Satis namque nobis est, quòd licitum est sine controuersia illud contrahere & eo vti, tum in remedium, tum in officium naturæ; & quòd præterea etiam in casu nostro est id melius, & consultius tali homini, videlicet & in remedium, & in officium vti matrimonio. Ex hoc enim sequitur, quòd matrimonium propter vtrumque respectum saltem, poterit esse tali homini materia Voti.

Sed oritur ex dictis non dissimulanda DIFFICVLTAS. Nam si verum est, in aliquo casu melius esse alicui homini matrimonium contrahere, quàm manere in statu continentiæ; sequitur, licere etiam in aliquo casu, post emissum Votum (saltem simplex) castitatis aut religionis, nulla exspectata dispensatione mutare propositum, & matrimonium contrahere. At istud Consequens est falsum & scandalosum in Ecclesia, & sub anathemate damnatum in Concilio Tridentino sessione 24. can. 9. Ergo etiam id vnde hoc sequitur. Sequela probatur. Nam sicut potest contingere, vt quis antequam emittat vllum votum castitatis, certò moraliter sciat sibi melius esse matrimonium, & proinde licitè emittat votum de contrahendo matrimonio: sic etiam æquè potest id contingere alicui post emissum votum castitatis, superueniente videlicet difficultate maxima sese continendi. Sed secundùm communem doctrinam Doctorum, & nominatim Caietani in Summa, Verbo Votum, quando ei, qui vouit, constat, aliquod aliud opus esse melius, quàm sit materia præteriti Voti, potest materiâ Voti prætermissâ illud licitè & meritoriè facere (vt si quis prætermissâ peregrinatione, quam vouit, ingrediatur religionem, &c.) Ergo potest ille in tali casu prætermissa & neglecta castitate, quam vouit, ducere vxorem.

Et CONFIRMATVR hoc ipsum ea ratione. Nam secundùm communem doctrinam, illud, quod ante emissum votum efficit, vt aliquid non possit esse materia Voti; etiam reddit materiam Voti ineptam & ingratam Deo, si id materiæ superueniat post emissum Votum, atque adeo extinguit Votum præcedens. Sed in casu, quo alicui melius est matrimonium, quàm continentia; continentia siue castitas non potest esse materia Voti, antequam illud emittat, propter circumstantiam *difficultatis* eam seruandi. Ergo similiter eadem difficultas post votum superueniens efficiet castitatem ineptam ad materiam Voti, & consequenter extinguet Votum; atq; ita etiamsi propositum non mutetur, tamen per se extinguetur Votum. Minor probatur. Nam in tali casu castitas impedit *maius bonum huic homini*, videlicet matrimonium.

RESPONDEO ad argumentum, omnino negandam esse Sequelam. Nam cùm Votum religionis aut castitatis, res grauissima & Deo gratissima sit, atque adeo magnum sit periculum in illicita violatione illius; nō cuiuscunq; iudicium, quantumuis certum moraliter, sufficit, vt materiâ eius Voti tanquam minus Deo gratâ prætermissâ, contrahat quis matrimonium, putans id esse melius sibi omnibus consideratis; sed oportet interuenire quoque auctoritatem Superioris dispensantis, vt id rectè fiat. Maximè cùm in ea materia non possit euidenter constare, quid & homini

homini melius, & Deo gratius sit, sicut alioqui euidenter constat melius esse, verbi gratia, ingredi Religionem quàm implere Votum peregrinationis.

Ad probationem autem illius sequelæ respondeo per distinctionem Maioris. Nam dupliciter potest considerari is, qui castitatem vel religionem vouit. VNO modo, vt quædam solùm *singularis persona*, perinde ac si ipse solus vel cum paucis aliis in mundo esset. ALTERO modo, vt pars & membrum communitatis Ecclesiæ; atq; adeo vt bonum vel malum Ecclesiæ, est etiam bonum vel malum ipsius. Iam dico, eum, qui vouit castitatem vel religionem, quamdiu superior cum eo non dispensat, non posse certò moraliter scire, quod sibi *vt parti saltē communitatis Ecclesiæ* (quidquid sit, si consideretur solùm vt singularis persona) matrimonium sit melius, quàm status continentiæ vel religionis: Imò contrarium potius certissimum est, scilicet eum statum esse tali *vt parti communitatis Ecclesiæ*, atque adeo omnibus consideratis, meliorem & Deo gratiorem; quamdiu superior cū eo non dispensat. Hoc patet manifestè. Nam plurima mala & scandala in communitate Ecclesiæ futura essent, quæ proinde ad quemlibet etiam, vt ad Ecclesiæ membrum & partem redundarent, si vnusquisq; pro arbitratu & iudicio suo absque auctoritate superioris Voto castitatis aut Religionis neglecto matrimonium inire posset. Fallerentur namq; plurimi ex deprauata cupiditate; falsò existimantes se non posse continere, & habere proinde iustam causam; atque ita plurima merita, & egregia opera, eademque Ecclesiæ vtilissima impedirentur tum illorum, quibus difficultas sese continendi in religionibus & vita cœlibi, maiori est coronæ cum diuino adiutorio; tum etiam illorum, qui in cœlibatu quandoque prolabuntur: vt labores plurimi per opportunitatē vitæ cœlibis cum vtilitate Ecclesiæ non mediocri ab illis suscepti. Quanquam multo plures sine dubio sunt ij, qui purè (tametsi cum difficultate) quàm ij, qui impurè viuunt, si numeremus eos præsertim, qui in tot tamq; frequentibus Religionum ordinibus castè & innocenter Deo seruiunt.

Ad CONFIRMATIONEM autem illius argumenti respōdeo, Minorem non esse omnino veram. Nam dato, quòd propter difficultatem seruandæ castitatis, castitas ante votum illius emissum fiat ineptà materia Voti in eo, cui omnibus consideratis, melius sit matrimoniū inire, quàm manere in statu continentiæ; tamen hoc non efficit ea difficultas præcisè, vt talis difficultas est, sed vt est difficultas eius hominis, qui *necdum voto ad castitatem obstrictus est*, & cui proinde considerato etiam vt parti communitatis Ecclesiæ, potest esse melius inire matrimonium, quàm manere cœlibem. Quod non proinde habet locum in eo, qui iam vouit, vt iam probatum est in responsione ad argumentum. Quod totum confirmare possumus verissima illa sententia S. AVGVSTINI lib.1. de adulter. coniugiis, cap.15. *Illis*, inquit, *quæ se non continent, expedit nubere, & quod licet expedit: Quæ autem* VOVERINT *continentiam, nec licet, nec expedit.*

QVINTO disputari solet de operibus PRÆCEPTIS, Vtrum possint esse materia Voti. Ac dicendum est breuiter ex sententia communi, posse esse, vt docet D. Thomas hîc, & Durandus in 4.d.38.q.1.& Caietanus, & Sotus vbi suprà, & Nauarrus in Manuali, cap.12.n.25.& alij. Et oppositum esset scandalosus error in Ecclesia, propter consuetudinem Religiosorum & aliorum, qui vouent omnimodam castitatem, atq; adeo eam etiam quæ est præcepta.

Quanquam fatendum est, eiusmodi opera non esse ita propriam materiam Voti, sicut opera *supererogationis*. Et idcirco Vota, de quibus alioqui præceptum est, solent appellari, Vota *communiter dicta*: non quòd desit illis aliquid de essentia Voti propriè; sed quia sunt de materia *communi* Votis & præceptis, vt rectè notat hîc Caietanus. Quo pacto possunt intelligi nonnulli, qui videntur negare, Votum esse posse de rebus præceptis, vt Richardus in 4.d.38.art.3.q.2.& Maior ead.d.q.1.

Probatur autē prædicta sententia. Nam si non possent hęc in Votum cadere, causa esset, vel quia aliunde homo est ad ista obligatus, vel quia suppositâ hominis voluntate consequendi vltimum finem sunt illi necessaria. Sed neutrum horum obstat. Ergo, &c. Minor probatur. Nam primò nihil impedit, quò minus pluribus titulis possit quis obligari ad aliquid faciendū, vt patet, quando idem præcipitur iure naturali, & positiuo Ecclesiastico, & Ciuili, &c. Item quando, vt moris est in Ecclesia, ad opera Religionis adhibetur etiam obligatio iuramenti. Vt verbi gratia, quando quis iurat in professione fidei, se subditos docturum illam fidem. Deinde neq; posterior causa obstat. Nam ex eo, quòd suppositā volūtate consequendi vltimum finem, sint homini necessaria ea, quæ sunt præcepta, solùm sequitur, in eis, vt considerantur quidem esse ita *ex suppositione* homini necessaria, nondum cerni id, propter quod possunt esse materia Voti. Cernitur autem id, quando considerantur esse *absolutè & simpliciter libera*. Nam *absolutè* liberum quoque homini est, vltimum finem non adipisci. Atque hoc est satis, vt istā sint materia Voti.

Solet etiam circa hæc opera præcepta disputari, Vtrum in BAPTISMO fiat Votum de operibus Christianę Religionis. Ratio dubitandi est. Nam S. Thomas hic ad 1. videtur id concedere, sicut etiam Magister in 4.d.38. SED vera & communis sententia est non fieri in Baptismo Votum propriè loquendo: licet aliquando dicatur Votum impropriè, propterea quòd quis per baptismum dedicat se Deo, &c. Quo pacto potest intelligi D. Thomas & fortè etiam Magister. Ita docent Richardus in 4.d.38. art.3. q.2. & Durandus

ead. d. q. 1. & Caietanus hîc, & Nauarrus in Manuali, cap. 12. nu. 31. & Sotus vbi suprà art. 3. & alij communiter. Et ratio est: nam neq; tale Votum possumus colligere ex *verbis*, quę dicit baptizandus. Illa enim tantum sunt, Volo, Credo, Abrenuncio: quæ nullum Votum significant, vt rectè hîc probat Caietanus. Neque etiam ex *præcepto aliquo Ecclesiæ*, per quod tale Votum sit adiungendum baptismo. Nullum enim tale præceptum extat. Neq; demum ex natura *professionis Christianæ Religionis*: siquidem illa per se absque Voto habet sufficientem vim obligandi.

PVNCTVM TERTIVM.

An Votum sit opus bonum & meritorium.

D. Thomas art. 4. 5. 6.

PRONEMVS hac de re tres assertiones. PRIMA: Ex fide certum est, Votum per se esse opus *bonum*, & laudabile, atque adeo *meritorium*, si fiat ab eo, qui sit in Dei gratia. Hanc assertionem negant Sectarij huius temporis, quatenus omnes sentiunt, nullum opus, quod à Deo præceptum non sit (sicut non est vouendi opus) esse vsurpandum ad Deum colendum. Quanquam præcipuè reiiciunt in specie vota Religiosorum perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ, sicut & alij antiqui hæretici reiecerunt, quos proinde ex instituto refutabimus infrà in Disputatione de Statibus, cùm disseremus de Statu Religiosorum.

Nunc probandum est tantum in genere, opus vouendi esse bonum & gratum Deo, atque adeo meritorium, si procedat ex gratia. Id autem probatur PRIMO ex Scriptura diuina, quæ nunquam vota commendaret, nunquam ad illa emittenda & ad implenda hortaretur, nunquam fideles in illis adimplendis laudaret, & contrà infideles detestaretur, si vana & inutilis esset vouendi religio, vt illi hæretici, impiè & imperitè commentantur. *Vota iustorum* (inquit Salomon Ecclesiast. 15.) *placabilia*. Et Isai. 19. *In illa*, inquit, *die*, id est, hoc tempore, *colent Deum hostiis & muneribus, & vota vouebunt Domino & soluent*. Ac Dauid Psal. 75. *Vouete & reddite*. Anna quoque 1. Reg. 1. Domino vouit filium Samuelem in obsequium perpetuum templi; & exaudita à Deo est.

SECVNDO probatur ex Patribus. S. GREGORIVS NYSSENVS homil. 2. in Orationem Dominicam, Vouendi officium valde commendat, adductis illis Psalmistæ testimoniis: *Vouete & reddite Domino Deo vestro*. Psalm. 75. &; *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*. Psalm. 65. Ac inter cætera dicit: *Id quod ad Votum pertinet, officium iam ante præstitutum esse conuenit, prinsquàm Deus per orationem adeatur*.

Et S. AMBROSIVS in exhortatione ad Virgines: *Omnes quidem*, inquit, *illius* (Dei) *sumus: sed tamen tu specialiter promissus Domino, tu ei redderis: quia scriptum est, Vouete & reddite Domino Deo vestro*. Et infrà: *Egregia sanè fœmina, quæ sibi nihil reliquit, totum quod habuit, Deo obtulit*.

Et S. AVGVSTINVS libro de sancta Virginit. cap. 30. *Vos etiam*, inquit, *qui hoc nondum vouistis* (virginitatem) *qui potestis capere capite, perseuerantèr currite vt comprehendatis. Tollite hostias quisque suas, introite in atria Domini, non ex necessitate, sed potestatem habentes vestræ voluntatis. Neque enim sicut, Non mœchaberis, Non occides, ita dici potest, Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiunt ista, laudantur. Nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis, in his si quid amplius* SVPERROGAVERITIS, *in redeundo reddet vobis*.

Et lib. 1. de adulter. coniugiis, cap. 24. *Hæc ergo*, inquit, *& si quæ sunt alia, quæ* RECTISSIMÈ *vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine vlla conditione vouerunt. Quia & hoc Dominum præcepisse intelligendum est, vbi legitur: Vouete & reddite Domino Deo vestro*.

Et S. FVLGENTIVS in lib. de fide ad Petrum, cap. 3. *Tunc*, inquit, *vnusquisque regnum cœlorum, quod Sanctis promittitur, possidebit, si obliuiscens, quæ retrò sunt, & ad anteriora extendens seipsum, secundùm quod in psalmis dicitur: Vouete, & reddite, quod scit esse licitum, & ad profectum melioris vitæ pertinere cognoscit, libenter vouetat, & celeriter reddat, &c.* Similia alij passim.

TERTIO probatur optima ratione D. Thomæ hîc artic. 4. quam ita formo: Bonum & vtile est homini firmare immobiliter propriam voluntatem ad aliquid faciendum, quod cedat in magnam vtilitatem ipsius. Sed hoc fit per Votum. Ergo. Maior est nota ex terminis. Vtile enim est, hominem fieri certiorem de eo, quod expedit ipsi. Minor ita probatur: Per Votum firmamus nostram voluntatem ad aliquid reddendum Deo. Sed reddere aliquid Deo, maximè cedit in vtilitatem nostram. Ergo. Minor hæc probatur ex differentia promissionis & donationis, factæ homini, & factæ Deo. Nam illa respicit vtilitatem hominis, cui fit: hæc verò, quoniam Deus nulla re indiget, tota redundat in vtilitatem eius, qui promittit & donat. Vnde diuus AVGVSTINVS in epistola 45. ad Armentarium: *Benignus*, inquit, *exactor est, & non egenus, & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat reddita res*. Sed ad hanc assertionem confirmandam plura infrà in materia de Statibus in quæstione de Religiosorum statu adferemus; vbi etiam confutabimus omnia argumenta Sectariorum contraria.

SECVNDA assertio: Votum non qualecunque bonum opus est, sed opus præstantissimæ cuiusdam Virtutis, nempe *Religionis*. Id patet ex illo Isaiæ 19. *Colent Deum in hostiis & muneribus, & vota vouebunt Domino & soluent*. Et probatur facilè à diuo Thoma hîc articulo 5. ex eo, quòd per Votum statuit quis se aliquid facturum ad gloriam Dei, quæ est obiectum Virtutis Religionis, vt vidimus q. 1.

Sed occurrunt circa hoc ipsum tria dubia breuiter expedienda. PRIMVM est, quomodo Votum pertineat ad Religionem; *elicitiuè* ne, an solùm *imperatiuè* & mediatè. Videtur enim Votum pertinere potius ad Prudentiam elicitiuè. Nam est actus siue determinatio *intellectus* circa aliquid agibile per ipsum vouentem. Agibile autem, vt sic, est obiectum Prudentiæ Virtutis intellectualis.

Ad hoc breuiter respondeo, duos esse actus in Voto: Alter est intellectus, quo quis scilicet statuit facere id quod vouet. Et is actus procul dubio pertinet ad Prudentiam etiam: ad Religionem autem eatenus elicitiuè quoque pertinet, quatenus determinatio intellectus de faciendo opere pertinente ad Virtutem aliquam Appetitus, dicitur etiam pertinere ad ipsam *Virtutem* appetitus; quæ ita se habet ad Prudentiam in moralibus, sicut se habet in speculatiuis habitus principiorum ad habitum scientiæ. Nam sicut quis iudicat de Conclusionibus ex principiis: ita homo statuit per Prudentiam de agibili, prout est affectus per Virtutem perficientem appetitum: iuxta illud Aristotelis: *Qualis vnusquisque est, talis ei finis videtur*. Alter actus interueniens in Voto est propositum voluntatis, & is simpliciter pertinet ad Religionem elicitiuè; ad Prudentiam autem tantùm imperatiuè.

SECVNDVM dubium est, Vtrum ad vnam & eandem Virtutem pertineat, promittere aliquid, & id adimplere. S. Thomas artic. 5. in solutione primi, neque ait, neque negat. Caietanus ibi & Sotus lib. 7. de Iustitia, quæst. 2. art. 3. affirmare videntur. Mihi non videtur vniuersè id affirmandum. Nam ad virtutem Fidelitatis pertinet exequi quodcunque opus promissum; & tamen actus ipse promissionis non est actus virtutis Fidelitatis. Fidelitas enim supponit iam factam promissionem: siquidem actus illius propriè est facere id, quod est promissum. Vnde habet quasi reflexè pro obiecto ipsam promissionem per aliquam aliam Virtutem factam, videlicet per prudentiam, & religionem, vel aliquam aliam virtutem, ad quam peculiariter pertineat actus promissus. Num autem violatio Voti, proptereà quòd sit contra Fidelitatem & Religionem, sit multiplex peccatum (de quo disputat Caietanus art. 5. circa responsionem ad 2.) videbimus p. seq.

TERTIVM dubium est, Vtrum ea etiam promissio, quæ fit Sanctis, sit reuera Votum, ad Virtutem Religionis pertinens. S. Thomas artic. 5. ad 3. tantùm dicit, eam esse talem promissionem, qualis fit aliis hominibus. Caietanus verò ibi distinguit. Nam si Sancti considerentur præcisè vt Creaturæ rationales sunt, ait promissionem eis factam non esse Votum; & ita intelligendum esse S. Thomam: Si autem, vt participes diuinitatis per gratiam & gloriam; esse Votum. Probat ex cõsuetudine aliquarum Religionum, in quibus ij, qui profitentur, vouent etiam B. Dominico, vel Francisco, &c.

Melius Sotus vbi suprà censet, quæstionem hanc non esse de re, sed de *nomine*. Nam in re certum est, promissionem factam Sancto, non ita esse actum Virtutis Religionis, sicut eam, quæ fit Deo, hoc est, elicitiuè; sed esse elicitiuè actum obseruantiæ erga Sanctos, & imperatiuè Religionis, quatenus ad Dei honorem referimus quidquid obseruantiæ & honoris impendimus Sanctis tanquam amicis Dei, atque adeo tanquam Diis quibusdam per participationem, sicut in Scriptura appellantur. Itaque quærere, An propterea quòd promissio fit Sanctis non immediatè per Religionem vt Deo, sed per obseruantiam vt Creaturis, promissio ea non sit dicenda Votum; vel Votum nominanda, quia fit Sanctis imperatiuè per Religionem tanquã Dei amicis; est solùm disputare de vsu vocabuli Voti. Sicut etiam quæstio est non de re, sed de nomine, Vtrum petitio, quæ dirigitur ad Sanctum, sit dicenda *oratio*, propterea quòd respicit tandem Deum vt finem; vel non sit ita dicenda, quia in re non est actus elicitus à Religione, sed ab obseruantia.

Potest autem ad huiusmodi quæstiones sine incommodo responderi affirmatiuè, vt respondent Caietanus hîc & Sotus: quanquam ratio illa Caietani petita ex consuetudine vouendi, quę obtinuit in aliquibus ordinibus, fortasse non est firma. Fortè enim non fit promissio Sanctis, sed coram Sanctis Deo. Quòd si in aliqua Religione fiat etiam promissio Sancto, tunc putandæ sunt fieri reipsa duæ promissiones: Altera Deo, quæ proinde erit actus Religionis: Altera Sancto, quę in re erit actus obseruantię, quantumuis nominetur Votum. Et hactenus hæc explicata sint de SECVNDA assertione.

TERTIA assertio: Votum adeo est bonum opus Virtutis Religionis, vt etiam facere aliquid *ex Voto* sit melius & magis meritorium, quàm idem facere sine Voto. Hæc assertio ex præcedente est consequens. Et probatur facilè à diuo Thoma hîc articulo 6. *Primò*, quoniam actus imperatus à perfectiori virtute, cæteris paribus, est magis meritorius. Sed executio operis *ex Voto* imperatur à virtute Religionis, quæ est perfectior aliis. Ergo cæteris paribus est melior. Propter quod dixit AVGVSTINVS in libro de Virginit. cap. 8. Virginitatem ideo maximè, quia Deo dicata est, honorari, quam fouet & conseruat continentia pietatis. *Secundò*, quia per Votum homo magis se *subiicit* Deo: offert enim illi non solùm actum ipsum, sed etiam facultatem operandi. Vnde iuxta D. ANSELMVM in libro de Similitudinibus, cap. 84. perinde id est, atque offerre non solùm fructum arboris, sed arborem etiam. *Tertiò*, nam qui vouit, operatur ex maiori

firmitate voluntatis. Firmitas autem ex sententia Philosophi lib.2. Ethicorum, cap.4. pertinet ad perfectionem Virtutis.

Ex quibus rationibus apparet, non modò verum esse, eum hominẽ, qui & vouit anteà, & iam exequitur opus promissum, plus mereri, cæteris paribus, quàm qui iam exequitur, & ante non vouit: (id enim manifestum est, quandoquidem ille, qui & vouit, & exequitur opus bonum, superat alterum in vno actu secundùm fidem meritorio, puta in ipso voto) sed maximè etiam verum esse, quod in assertione posuimus, nempe eum, qui exequitur opus ex voto, *in ipso etiam actu executionis formaliter* plus mereri, cæteris paribus, propterea quòd est executio ex voto. Et ita etiam hoc asserit D. Thomas, ac omnes orthodoxi.

Ad maiorem tamen explicationem huius assertionis ita intellectæ proponenda sunt in contrarium, & deinde soluenda, tria quædam argumenta. PRIMVM argumentum: Si vera esset assertio hæc, maximè propter rationes D. Thomę, quibus solis Doctores alij ferè vtuntur. Sed illæ non concludunt. Ergo.

Minor probatur de singulis. *Prima* enim deficere videtur ex eo, quòd potest actus aliquis fieri imperatiuè à Religione, etiam si non fiat ex voto, vt patet, si quis citra promissionem *proponat firmiter* se aliquid facturum in gloriam Dei, & postea id faciat. Ergo ex ea parte non probatur vniuersè, quòd omnis actus *ex voto* factus, cæteris paribus, sit magis meritorius: quandoquidem potest etiam actus fieri imperatiuè à Religione sine Voto.

Secunda etiam ratio tantùm videtur concludere, quòd is, qui vouit & exequitur bonum actum promissum, mereatur magis per vtrumque actum, atque adeo *extensiuè*; non autem quòd mereatur magis per *eundem* illum actum, quem facit ex voto. Nam per eum actum seu per ipsam executionem operis promissi, non subiicit homo Deo facultatem operandi, sed tantùm per actum vouendi, qui præcessit.

Tertia ratio similiter nihil videtur concludere ad propositum. Nam firmitas voluntatis tantùm pertinet ad perfectionem virtutis *habitualiter*. Perfectio autem virtutis habitualiter non auget meritum, cæteris paribus, sed oportet, vt in *actu secundo* operatio sit perfectior. Actibus enim, non habitibus, meremur.

RESPONDEO, potissimam quidem rationem illius assertionis esse, quoniam is, qui *ex voto* bonum opus exequitur, exercet opus ornatum præstanti quadam circumstantia, videlicet gloria diuina, actualiter vel virtualiter secuta ex opere, eaque non quomodocunque adhibita operi, sed per adeo firmam & excellentem voluntatem, qua voluerit quis manere etiam obligatus ad faciendum id opus ob eiusmodi circumstantiam finis diuinæ gloriæ. Hæc autem voluntas est illa, quam habuit quis in vouendo; atque ad probandam dignitatem huius voluntatis, & consequenter boni operis ex ea facti, pertinent omnes illæ tres rationes S. Thomæ, nempe primò, quòd est ea voluntas elicita à *Religionis virtute*, per quam opus ornatur illa circumstantia. Secundò, quòd per illam voluntatem *subiiciatur* etiam Deo facultas operandi. Et denique tertiò, quòd *firmetur* etiam animus per illam voluntatis determinationem. Ex omnibus enim his tribus apparet, magnam esse præstantiam illius actus vouendi, per quem adeo firmiter & religiosè bonum opus ornatur circumstantiâ diuinæ gloriæ, atque adeo magnum esse meritum in tali opere, & maius, cæteris paribus, quàm si per talem voluntatem non ornaretur illa circumstantia.

Vndè istæ tres rationes D. Thomæ accipiendæ sunt tanquam probationes *Medij* eiusdem rationis, videlicet *excellentiæ* illius voluntatis vouendi, & ita concludunt maius meritum in opere quod ex voto fit. Alioqui si sigillatim & per se acciperẽtur illæ rationes, non dubium, quin haberent difficultatem. Itaque non est mirum, si Ioannes Maior eas non bene intellectas, refutare conatus sit in 4.d.38.q.4.

Et eodem modo intelligenda est alia quædam huius assertionis ratio, quam D. Thomas affert lib.3. contra Gentes, cap.138. videlicet propterea opus ex voto esse magis meritorium, quia fit in gloriam Dei ex tam intensa voluntate, quàm est voluntas vouendi. Hinc enim per *intensionem* non debemus intelligere intensionem gradualem, sic enim ratio nihil concluderet. Nam vt vidimus p.1. contingere potest, vt nudum propositum faciendi aliquid in gloriam Dei, sit multo intensius gradualiter, quàm sit Votum siue promissio. Sed intelligit S. Thomas per intensionem, illam voluntatis *firmitatem* consistentem in eo, quòd acceptatur obligatio exequendi operis, quod vouetur, iuxta dicta p.1.

Si autem obiicias, propter voluntatem vouendi præteritam, non esse iam opus, quod fit, magis meritorium, nisi illa iterum repetatur: hoc facilè refelli potest. Nam vt optimè docet D. Thomas in illo loco lib.3. contra Gent. quamuis non repetatur actus ille voluntatis interior, tamen accipit ex illo opus quandam perfectionem, quatenus fit ex vi illius tametsi præcedentis. Hinc enim non est necesse, inquit S. Thomas, vt qui suscipit iter ad gloriam Dei, in singulis passibus recordetur gloriæ diuinæ, & reperat interiorem voluntatem, qua sibi initio in suscipiendo itinere diuinam gloriam proposuit.

SECVNDVM argumentum. Si ex duobus, quæ pertineant ad perfectionem aliquam boni actus, tantum id minuitur, quod est magis præcipuum, quantum augetur id, quòd est minus præcipuum; tunc quidem omnibus consideratis, ea perfectio actus minuitur. Sed cùm quis fa-

cit

cit ex voto bonum actum; ex duobus, quæ pertinent ad meriti perfectionem in bono actu, tantum minuitur id, quod est magis præcipuum, quãtum augetur id, quod est minus præcipuum. Ergo tantum abest, vt bonus actus *ex Voto factus* cæteris paribus sit melior & magis meritorius, vt etiam eo ipso sit minus bonus & minus meritorius.

Maior non probatione, sed consideratione tantùm indiget. Minor autem probatur. Nam meritum in aliquo opere duplici capite nititur, quod attinet ad nostrum propositum: Vnum est, quòd fit opus secundùm inclinationem *spontaneam* voluntatis: Alterum est, quòd fit *liberè*, hoc est, cum indifferentia voluntatis ad vtrumlibet, & hoc secundum caput videtur esse magis præcipuum. Nam per hanc indifferentiam inclinatio voluntatis differt specificè ab aliis inclinationibus rerum naturalium. Iam quamuis per vinculum Voti augeri videatur inclinatio voluntatis ad opus: tamen minuitur indifferentia illius ad operandum: quantum enim augetur inclinatio voluntatis ad vnam partem, tantum minuitur indifferentia ad vtramque, vt patet.

RESPONDEO per distinctionem Maioris. Nam si in diminutione eius, quod præcipuè ad aliquam perfectionem boni actus pertinet, nihil aliud interueniat, quod præponderet, & ideo augeat magis perfectionem eam actus; verum est, fore tunc actum minus perfectum. Secus autem, si quid tale interueniat. Interuenit autem tale aliquid in proposito, cùm propter Votum minuitur indifferentia voluntatis ad vtrumlibet, ex qua præcipuè pendet perfectio meriti in actu bono. Nam dupliciter minui potest hæc indifferentia voluntatis. Vno modo ab *extrinseco* propter aliquem casum homini inuoluntarium, quo is impellitur & determinatur ad vnum faciendum. Et talis imminutio indifferentiæ minuit etiam meritum: Sicut cùm aliquid fit ex metu, &c. Altero modo minuitur indifferentia hæc ab *intrinseco*, per hoc videlicet, quòd homo antequam operetur, cùm sit omnino indifferens ad vtrumque, incipit consultare de opere faciendo, & ita magis & magis se determinat ad illud faciendum, proponendo, vel etiam promittendo, &c. Et talis diminutio indifferentiæ & determinatio ad vnum, nullo modo minuit meritum. Nam opus, quod ex ea determinatione fit, censendum est etiam prodire ab illa prima indifferentia, ex qua primò se homo cepit determinare ad operandum, &c. Alioqui quo magis homo est proximus ipsi operi, faciendo, proponendo, statuendo, &c. minus mereretur, quod est absurdum. Item ille, qui operaretur ex habitu virtutis ante acquisito, minus etiam propter eum habitum mereretur: siquidem per illum magis determinatur & impellitur ad vnum, atque adeo minuitur indifferentia, si minui dici potest: quæ omnia, vt patet, sunt absurda. Iam verò in proposito per vinculum Voti, homo determinatur ad vnum; non primo, sed duntaxat hoc secundo modo. Quare nullo modo per illud minuitur meritum, sed potius augetur, vt est probatum.

TERTIVM argumentum. Accidere potest, vt quis exequatur quidem opus ex obligatione Voti, & tamen non magis mereatur propter Voti obligationem. Ergo non crescit meritum ex Voto, cæteris paribus. Antecedens patet in casu, quo aliquem pœniteat Voti præteriti, tametsi nihilominus velit ex obligatione Voti operari. Absurdum enim videtur, vt quis plus mereatur propter id Votum, cuius ipsum pœniteat.

RESPONDEO, In tali casu propter eiusmodi pœnitudinem omnino mortificari & veluti extingui excellentiam illam meriti, quam alioqui opus habuisset, si prima illa voluntas, qua quis vouit, adhuc vigeret. Vnde assertio nostra intelligenda est extra hunc casum.

Sed QVÆRET tunc hîc aliquis, Vtrum non modò talis pœnitudo tollat excellentiam illam meriti, sed etiam sit per se peccatum. Ad quod breuiter RESPONDEO, inprimis diligenter discernendum esse, de quonam sit talis pœnitudo. Nam si sit de ipso *opere promisso*, siue de *executione Voti* præterita aut futura; certum est, illam esse peccatum tale, quale est nolle exequi opus promissum ex Voto. Si autem sit solùm de actu præterito, quo quis *vouit*; per se loquendo, nullum est peccatum, vt rectè docet hîc articulo 6. Caietanus & Nauarrus capite 12. numero 55. & Syluester, Verbo Votum 2. quæst. 20. & Angelica Summa, Verbo Votum 3. §. 13. & Sotus lib. 7. de Iustitia, quæst. 2. art. 4.

Hoc autem intelligitur secundùm eosdem Doctores, dummodò non obstante tali pœnitudine, perseueret voluntas adimplendi Votum. Quòd autem hac voluntate existente, eiusmodi pœnitudo non sit per se peccatum, probat optimè Caietanus: quia idem prorsus obiectum Voluntatis est actus *vouendi præteritus*, & actus *vouendi futurus*. Sed potest quis sine peccato, voluntate auersari actum vouendi de futuro; atque adeo nolle vouere. Ergo etiam potest nolle se vouisse, atque adeo pœnitere de Voti actu præterito. Minor probatur. Nam ipse actus *vouendi* non est in præcepto, sed solùm executio operis promissi per Votũ. Cùm igitur qui dolet de actu vouendi præterito, non doleat de actu, ad quem fuerit obligatus; sequitur, eum non peccare propterea per se loquendo.

Nec verò dici potest, eum qui vouit, quamuis antea non fuerit obligatus ad illum vouendi actum; tamen nunc esse. Hoc omnino falsum est. Non enim talis iam obligatur ad actum vouendi & promittendi, sed ad actum *promissum*. Frustrà enim obligaretur iam ad actum vouendi, qui & iam præteriit, & hoc ipso quòd semel præteriit, sufficientem habet vim obligandi.

Diximus autem, *per se loquendo*, non esse id peccatum. Nam quia talis pœnitudo afferre solet periculum aliquod frangendi Votum; communiter, vt inquit hîc Caietanus, est per accidens peccatum Veniale. Quinimò quoniam potest esse aliquando graue id periculum, si nimium cresceret pœnitudo, videtur mihi aliquando posse esse mortale, nisi quis conetur eam pœnitudinem depellere. Quanquam prædicti illi Doctores nullam faciant hîc mentionem peccati mortalis.

PVNCTVM QVARTVM.

An Votum sit etiam obligatorium sub peccato.

D. Thomas art. 3.

VOTVM esse aliquo modo obligatorium, ex ipsa Vocabuli notione p.1. proposita notum est. Sed esse obligatorium, non quomodocunque, sed omnino *sub peccato*, nunc probandum est, propter varios hæreticos, qui eam inesse vim Votis, præsertim perpetuis, negarunt. Vt Lampetiani, qui vt refert Damascenus in libro de hæresibus, circa finem, censebant posse Religiosos pro libito facere, quicquid velint. Item Fratricelli hæretici, qui improbarunt institutum, atque adeo etiam vota Religiosorum, vt refert Turrecremata lib. 4. Summæ de Ecclesia, p. 2. cap. 37. Item VViclephus apud VValdensem tomo 3. ca. 75. Et Sectarij omnes huius temporis, auctore Luthero, qui in libro de Votis Monasticis censuit, Vota non obligare, nisi quamdiu homini ea seruare placet; quod est omnino non obligare. Erasmus etiam in libro de Matrimonio Christiano, Votis vel parum, vel nihil tribuit.

Sed Vota omnino obligare sub peccato, ex fide certissimum est, vt fusius probabimus in materia de Statibus, cùm propugnabimus Vota Religiosorum, quæ hæretici potissimum insectantur. Nunc autem breuiter probatur hæc assertio. PRIMO ex Scriptura. Prouerb. 20. *Ruina est homini Vota retractare.* In quem locum D. HIERONYMVS: Damnationem ait eum incurrere, qui votum violat. Et Deuter. 23. *Cùm votum vouerís Domino Deo tuo, non tardabis reddere. Nam requiret illud Dominus Deus tuus: quòd si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Item 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* Quem locum (vt videbimus infrà in materia de Statibus) intelligũt communiter sancti Patres de Viduis, quæ Votum castitatis violauerant voluntate nubendi, atque ita etiam intelligitur is locus in Concilio Carthaginensi IV. cap. 104. Et Toletano IV. cap. 55.

SECVNDO probatur insignibus aliquot Patrum testimoniis. S. BASILIVS in quæstionibus fusius explicatis, quæst. 14. *Qui seipsum*, inquit, *Deo semel denouerit; hic si ad aliud se vitæ genus transtulerit, sacrilegij se scelere obstrinxit: quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subtersuratus sit.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS epist. 6. ad Theodorum Lapsum: *Te*, inquit, *iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim societati semel iunctum, illam relinquere & vxoris laqueis implicari adulterij crimen incurrere est. Quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces: ego tamen adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Angelus.*

Sanctus AMBROSIVS libro 9. in Lucam circa cap. 20. *Quam grauia*, inquit, *vincula, promittere Deo & non soluere? Melius est, inquit, non vouere, quàm vouere, & non reddere. Eccles 5. Maior est contractus fidei, quàm pecuniæ. Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquàm veniat exactor & mittat te in carcerem.*

Et in libro ad Virginem Lapsam cap. 5. *Dicit aliquis*, inquit, *Melius est nubere, quàm vri, 1. Cor. 7. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Caterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Et iam si voluerit nubere, communi lege coniugij adulterium perpetrat: ancilla mortis efficitur.*

Sanctus AVGVSTINVS libro de bono viduitatis cap. 11. *Planè*, inquit, *non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vouetur Deo, adulteriis esse peiores. Si enim (quod nullo modo dubitandum est) ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non seruat marito: quanto grauius offenditur, cùm illi ipsi non seruatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vouit; tantò magis fraudati voti auget iniquitatem; quantò minus habuit vouendi necessitatem.* Quid in hoc genere illustrius dici potest?

Sanctus FVLGENTIVS in libro de Fide ad Petrum, cap. 3. *Quisquis*, inquit, *in corde suo continentiam Deo vouerit, non solùm si mortifero fornicationis crimine maculetur, verùm etiam si aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secundùm Apostoli sententiam, damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit.* 1. ad Tim. 5.

TERTIO probatur ratione D. Thomæ art. 3. quam sic propono: Homo maximè debet esse fidelis Deo. Sed ad fidelitatem Deo debitam pertinet vota adimplere. Ergo, &c. Maior probatur ex titulo tum creationis, tum vniuersalis dominij. Minor etiam: quia non adimplere Votum, est quædam species infidelitatis. Vnde Salomon rationem reddens, quare Votum sit adimplendum: *Displicet enim*, inquit, *Deo infidelis promissio.* Eccles. 5.

Sed hæc ipsa pluribus infrà confirmabimus in materia de Statibus, vbi etiam respondebimus ad argumenta contraria Sectariorum. Nuncverò quæ à Catholicis Doctoribus circa OBLIVTIONEM

TIONEM Voti fusè præterea disputantur, ad quatuor ferè capita reduci possunt. Vt PRIMO disputemus, Quotuplex & quale peccatum incurrat quis hoc ipso, quòd votum violat. SECVNDO, Vtrum ex leuitate materiæ fieri possit, vt violatio Voti sit tantùm peccatum veniale, tametsi alioqui ex genere mortale sit, vt constat ex citatis locis. TERTIO, In casu, quo quis vouet aliquid, & tamen non determinat aliquam circumstantiam, quæ alioqui necessaria est ad executionem operis promissi; quærendum est, vnde talis ad illam circumstantiam obligetur, & cuiusmodi circumstantia debeat esse. QVARTO, Quænam possint ab obligatione exequendi Votum liberare, secluſa auctoritate Superioris dispensantis. Nam de dispensatione p. vlt. est dicendum.

Quod igitur ad primum attinet; cum hominem esse Voto obligatum, sit, ita illi esse aliquid faciendum vel omittendum, vt alioqui peccet, QVÆRITVR PRIMO, Quotuplex & quale peccatum sit violare Votum. Ratio dubitandi est. Nam communiter vnius tantùm sacrilegij solet fieri mentio, quando de hoc disputatur. Contra verò sæpè etiam dicitur violatio Voti esse quædam infidelitas. Id quod ex Scripturis etiam patet, Ecclesiast. 5. Sed fidelitas erga Deum habet peculiarem rectitudinem, distinctam specie à rectitudine Religionis (siue ea fidelitas sit eiusdem speciei cum fidelitate erga homines, siue alterius, vt articulo tertio insinuat S. Thomas) Ergo etiam infidelitas illa in transgressione Voti est distinctum specie peccatum à peccato sacrilegij, quod in eadem transgressione committitur contra Religionem.

Pro huius rei explicatione aduertendum est breuiter, tot esse peccata specie distincta in aliqua transgressione, quot rectitudines specialem ordinem ad rationem habentes, debebant necessariò ab homine adhiberi in contrario actu bono. Rectitudines autem fiunt debitæ siue necessariæ non nisi ex vi alicuius legis, vel etiam aliquarum, si contingat pluribus eandem rectitudinem præcipi. Neque tamen propterea, quòd aliqua rectitudo à pluribus legibus præcipiatur, plura erunt peccata, illam prætermittere. Non enim peccatum opponitur legi immediatè, sed virtutis rectitudini necessariæ per legem. Atque hæc etiam causa est, vt sicut prætermissio vnius rectitudinis, tametsi à pluribus præceptis iniunctæ, non est nisi vnum peccatum: ita etiam contingat per executionem vnius rectitudinis, atque adeo per vnicum actum satisfieri pluribus præceptis eundem actum iniungentibus.

Hoc posito, sit PRIMA Conclusio. Ex hoc ipso *per se*, quòd quis violat Votum *vnicum tantùm peccatum* incurrit, nempe sacrilegij, quod ipsum est etiam peccatum infidelitatis erga Deum. Ita Caietanus hîc articulo 5. & Sotus libro 7. de Iustitia, quæstione 2. articulo 1. & alij communiter. Probatur. Nam hoc ipso solùm, quòd votum violatur, vnius tantùm speciei rectitudo negligitur debita ex Voto, tanquam ex particulari lege, nimirum rectitudo virtutis Religionis. Nam vna & eadem virtus Religionis requirit, vt ob cultum & honorem Dei, fideliter præstemus, quod ei promisimus, & eatenus ipsa est quoq; fidelitas hominis erga Deum. Itaque ad argumentum contrà obiectum, neganda est Minor.

SECVNDA Conclusio. *Per accidens* aliunde possunt plura peccata concurrere in Voti transgressione. Nam si opus promissum alioqui est debitum ex præcepto alio alterius Virtutis: aut si is, qui vouet, peculiari intentione vult reddere sibi necessariam & debitam ex Voto, non solùm rectitudinem Religionis, sed etiam rectitudinem peculiarem illius virtutis, cuius actum vouet, vt ieiunij, verbi gratia. Tunc ad sacrilegium accedit etiam secundum peccatum contra illam virtutem, nimirum peccatum Intemperantiæ. Quin etiam poterit accedere tertium peccatum: Vt si quis voueret, se seruaturum fidelitatem homini in exequendo aliquo opere, ad quod alioqui tenetur ex præcepto aliquo alterius virtutis, vt puta iustitiæ. Tunc enim non implere id Votum, esset & sacrilegium, & infidelitas erga hominem, & præterea transgressio præcepti naturalis iustitiæ, vt patet ex iis, quæ rectè differit Caietanus art. 5.

Neque tamen secundum illud peccatum prætermissionis rectitudinis Virtutis, cuius actus promittitur, semper concurrit in violatione voti. Etsi enim per Votum obligat se quis ad actum Virtutis: tamen non est necesse, vt obliget se ad illum, quatenus est etiam actus talis Virtutis, sed potest se ad illum tantùm obligare, quatenus cedet in gloriam Dei, atque adeo vt pertinebit ad virtutem Religionis. Nam in arbitrio vouentis est se obligare ad Virtutis actum secundùm rationem eius actus, qua volet, atque adeo non sub ratione rectitudinis illius virtutis, sed sub ratione solùm rectitudinis Religionis, quam præcipuè in vouendo respicit, & ita non reddet tunc sibi necessariam vtramque rectitudinem ex lege priuata Voti, id quod rectè quoque Caietanus notauit art. 5.

SECVNDO quæritur, Vtrum ex leuitate materiæ violatio Voti possit esse tantùm venialis. Et videtur non posse esse nisi peccatum mortale. *Primò*, propter excellentiam virtutis Religionis, quæ non videtur posse violari, nisi mortaliter. *Secundò*, nam propter eandem excellentiam omne periurium etiam in re leuissima est mortale. Ergo similiter hîc. *Tertiò*, nam sequeretur alioqui, si quis voueret, verbi gratia, se quotidie dicturum Pater & Aue, nunquam peccaturum mortaliter, quamuis semper omitteret: id quod videtur minimè concedendum.

Caietanus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caietanus q.seq.art.7.putat transgressionem Voti prætermittendo plenè deliberatè totalem Voti materiam, esse mortale, non obstante leuitate materiæ. Cæterùm CONTRARIA sententia verior est. Itaq; asserimus, quando id, quod prætermittitur, est leue; siue id totalis materia Voti sit, siue partialis, non esse mortale. Ita Sotus lib.7. de Iustitia, quæst.2.art.1.& Nauarrus in Manuali, cap.12.n.40.

Probatur *primò*. Nam quamuis quidquid ad Religionem pertinet, habeat ex ea parte quandam excellentiam magnam: non tamen propterea omnia, quę ad religionem pertinent, sunt æqualis necessitatis in latitudine religionis, & in ordine ad bonum commune: & proinde non est tam stricta obligatio ad omnia.

Secundò. Nam votum non habet maiorem vim obligandi, quàm lex lata à superiore. Sed si esset aliqua lex de dicēda semel aut iterum salutatione Angelica, verbi gratia, in honorem Dei & B.Virginis, illam prætermittere non esset mortale. Ergo nec si de ea re sit factum Votum.

Ex hoc patet responsio ad *primam* rationem in contrarium. Ad *secundam* respondeo, non propter solam excellentiam religionis, esse mortale omne periurium: sed quia veritas in iureiurando est magnæ necessitatis in latitudine Religionis, propterea quòd facere Deum mendacem, hoc ipso est grauis Dei iniuria, abstrahendo à quantitate materiæ. Ad *tertiam* rationem Sotus vbi suprà concedit Sequelam. Videtur tamen debere potius negari. Ratio est, quoniam toties potest prætermitti leuis materia Voti, vt iam sit graue id, quod est prætermissum. Graue enim est centies, verbi gratia, prętermisisse coronam beatæ Virginis, verbi gratia. Et ita sicut suprà in materia de furto dicebamus, quòd per vltimum etiam furtum alioqui leue completur ratio peccati mortalis contra iustitiam erga hominem: Ita etiam in præsenti videtur dicendum, quòd quando iam incipit esse grauis materia Voti, quę prætermittitur; mortaliter peccatur contra Religionem & cultum debitum Deo.

TERTIO quæritur, Casu, quo quis in vouendo non determinat aliquam operis circumstantiam, necessariam alioqui ad executionem Voti; Vtrum sit ad illam obligatus; & ex quo præcepto; & qualis tunc operis circumstantia adhiberi debeat, vt obligationi voti satisfiat. Ratio dubitandi est. Nam cùm tota obligatio Voti pendeat ex priuata intentione vouentis, vt patet ex puncto primo si ea intentio fuit expressa, siue quoad substantiam operis, siue quoad circumstantias; facile est difficultates omnes circa executionem Voti diiudicare ex intentione illa. Quando verò determinatio circumstantiæ fuit ab intentione vouentis prætermissa; non apparet, cur ad circumstantiam aliquam sit ille obligandus, sed videtur tunc in libera eius voluntate esse positum, vt pro suo arbitratu opus promissum exequatur, sicut placuerit. CONTRAVERÒ, si talis non sit tunc obligatus ad circumstantiam necessariam alioqui exequendo operi; non potest commodè intelligi, quomodo sit obligatus ad opus. Contingeret enim, vt nunquam peccaret, tametsi nunquam secundùm aliquam circumstantiam opus exequeretur; si verum esset, quòd ad nullam circumstantiam tenetur. Denique frustrà esset obligatus ad opus, si non etiam obligatus sit ad circumstantiam operi exequendo necessariam.

RESPONDEO, inprimis certum esse, talem obligatum esse ad circumstantiam necessariam, tametsi eam indeterminatam reliquerit. Hoc omnes Doctores supponunt tanquam certum; & patet ex vltima ratione facta. Ex quo autem præcepto ad eiusmodi circumstātiam teneatur, non explicatur à Doctoribus satis clarè. Videtur autem breuiter dicendum, eiusmodi hominem teneri ad talem circumstantiam ex præcepto naturali Virtutis Religionis seu Fidelitatis erga Deum: & *implicitè* etiam ex lege priuata ipsius Voti.

Ratio *primi* est. Nam quod est necessarium ad actum alicuius Virtutis, qui & ipse necessariò exequendus sit; per præceptum annexum illi virtuti videtur iniungi. Sed in casu nostro circumstantia illa, quę non est per Votum determinata, necessaria est ad actum Religionis necessariò exequendum, hoc est, ad executionem operis promissi per Votum. Ergo eiusmodi circumstantia per præceptum Religionis iniungitur. Cùm enim priuata lex Voti illam circumstantiam non expresserè determinauerit; existimandum est, præceptum ipsum iuris naturalis annexum Religioni, habere tunc locum, vt suppleat, quòd lex voti priuata non determinauerit; ne alioqui superuacanea sit obligatio Voti ad opus.

Atque ex hoc patet etiam *secundum*: nempe ipsum etiam hominem in tali casu, implicitè se obligauisse per Votum ad talem circumstātiam, vt diximus, & aliqui Doctores insinuant. Nihil enim aliud hoc est, quàm talem hoc ipso, quòd voluit vouere & circumstantiam non determinauit, subiecisse se iuri naturali, quod in eo casu obligat etiam ad circumstantiam.

SED restat nunc videndum, qualis debeat esse in executione operis promissi illa circumstantia, quæ & aliquo tandem modo est ad executionem promissi operis necessaria, nec tamen fuit à vouente determinata, & ad quam proinde præceptum ipsum naturale Religionis obligat, vt est dictum. De hoc varia & sparsim dicuntur à Doctoribus in variis casibus. Est autem RESPONDENDVM cum distinctione. Nam quadruplex potest esse circumstantia eiusmodi, quæ non fuit à vouente determinata; videlicet aut circa rei promissæ *quantitatem*; aut circa *qualitatem*; aut circa *tempus* executionis operis promissi; aut circa *locum*. Et de his omnibus ordine dicendum est.

PRIMO

PRIMO igitur potest esse circa QVANTITATEM rei promissæ. Vt verbi gratia, si quis vouit se daturum eleemosynam, nec tamē determinauit quantitatem; Vel (vt de quantitate etiam *perfectionis* loquamur) si vouit aliquis se ingressurum Religionem, & non determinauit Religionem magis aut minus perfectam. Ac in tali & similibus casibus dicendum est, satis esse, si quis secundùm eam quantitatem votum adimpleat, quæ prudentum iudicio sufficiens videatur, moraliter loquendo, ad hoc vt verè exequatur opus promissum.

Ratio est. Nam cùm iugum præceptorum Dei, atque adeo præcepti quoque Religionis sit suaue, & tantùm obliget id præceptum hominem in tali casu propter necessitatem exequendi operis, ne frustrà sibi obligationem Voti imposuerit; quicquid ad executionem operis sufficiat, censendum est satis esse ad satisfaciendum ei obligationi iuris naturalis. Vnde sufficeret tunc dare quamcunq; eleemosynā, & ingredi quamcunque Religionem, modò verè censeatur Religio, in qua communiter homines sint bonę conscientiæ, & obseruantes eorum, quæ pertinent ad substantialia Religionis, vt bene notat Caietanus hîc artic.3. Alioqui si Religio aliqua planè collapsa sit, & communiter malè viuāt eius professores; non satisfaceret quis ingrediendo illam, neq; acceptaret Deus talem promissi operis executionem. Scriptum namque est (vt rectè ad propositum hoc citat Caietanus) *cum peruerso perverteris*. Atq; idem etiam sentit Nauarrus vbi suprà cap.12.n.46.

SECVNDO circumstantia à vouente non determinata potest esse circa rei QVALITATEM. Vt si, verbi gratia, quis vouit se daturum in eleemosynam triticum, & non determinauit quale; bonum, melius, aut optimum. In quo & similibus casibus dicendum est, satis etiam esse quamcunque qualitatem, quæ censeatur sufficere ad veram executionem promissi operis. Id patet eadem ratione, qua præcedens assertio de rei quantitate.

Vnde bene dicit Ostiensis citatus à Syluestro, Verbo Votum 2. q.15. Tunc satis esse dare triticum, quod voluerit, modò tamen sit bonum; nec teneri dare melius vel optimum. Quanquam Syluester ibidem putat, melius asseri, quòd debeat dare illud, de quo, quando vouebat, cogitabat; vel quod determinasset inter vouendum, si cogitasset. Sed hæc fallax est regula. Nam non obligatur quis ad id, quod solùm cogitat; vel quod statuisset, si cogitasset. Neque etiam ius naturale obligat ad illud determinatè, vt patet ex dictis.

TERTIO potest eiusmodi circumstantia à vouente non determinata, esse, circa TEMPVS adimplendi opus promissum. Vt si quis, verbi gratia, vouit, se ingressurum Religionem; nec tamen statuit, quando. Et tunc dicendum est, talem teneri id adimpleri primo quoque tempore, quo iudicio prudentum & bonorum videatur sine notabili incōmoditate posse moraliter loquendo ingredi. Alioqui si per ipsum stat, quò minus statim adimpleat Votum, quando moraliter potest, reus erit voti. Ita docet Syluester ex doctrina S. Thomæ & aliorum, Verbo Votum 2. quæstione 3.

Et probatur *primò* ex Scriptura, quæ id planè significat. Deuter.23. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Item Eccles.5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio*. Ex quo patet, etiam in reddendi mora esse infidelitatem.

Secundò probatur idem ratione. Nam causa siue ratio exequendi Votum, non minus vrget (quantum est ex vi Voti) in vno tempore, quàm in alio, si absque incommoditate adimpleri illud potest. Ergo cùm primùm potest quis adimplere Votum, tenetur. Antecedens probatur. Nam causa seu ratio exequendi Votum, tantum est, quoniam Deus opus promissum acceptat, tanquam quid pertinens ad cultum ipsius: quæ ratio æquè omni tempore habet locum, atque adeo statim ac Votum commodè impleri potest. Non enim causa exequendi votum est propriè aliqua necessitas ipsius vouentis, quæ magis vno tempore, quàm alio vrgeat. Nā formaliter loquendo natura Voti, vt a baliis bonis operibus moralibus distinguitur, non respicit necessitatem aliquam vouentis, sed fit in gratiam Dei, hoc est, in cultum ipsius. Neque rursus ratio executionis voti est aliqua necessitas Dei, quæ magis vno tempore, quàm alio cernatur. Ipse enim nulla re vnquā indiget, sed tantùm fit Votum in gloriam ipsius. Certum est autem, Deum omni tempore, quo quis moraliter sine incommoditate potest opus exequi, illud æquè acceptare. Ergo cùm hæc sit sola ratio exequendi Votum, statim ac primùm quis potest adimplere, debet.

Quare rectè hîc admonet Caietanus, quod attinet ad tempus adimplendi Votum, longè aliud iudicium debere esse, atque de tempore adimplēdi præcepta alia affirmatiua. Tempus enim huiusmodi *præcepta* adimplendi, est tempus necessitatis, aut eius, qui debet illa adimplere, aut alterius: *Voti* verò, non item. Neq; tamen admodum probari debet modus, quo ibidem Caietanus explicat, quomodo sit cognoscendum tempus, in quo quis teneatur votum adimplere. Ait enim, tunc non teneri, quando conscientia nondum remordet. Teneri autē, quando remordet. Vsque ad illud enim tempus nondum hominem esse in mora. Sed tamen hæc regula incerta est, & pro iis, qui timoratæ sunt conscientiæ, nimis scrupulosa: pro aliis verò nimis laxa. Itaq; præstat ex aliorum Doctorū sententia dicere, quod iam

asserui-

asseruimus; videlicet debere adimpleri votũ cùm primùm potest commodè, morali quodam iudicio prudentis.

QVARTO, circumstantia à vouente non determinata potest esse circa LOCVM. Vt si quis, verbi gratia, absolutè vouit se ingressurum Religionem aliquã, nec tamen determinauit, in quo vel loco, vel monasterio illius Religionis. Ac breuiter dicendum est, satisfacturum tunc talem, in quocunque loco Religionem eam ingrediatur, modò non sit corrupta & collapsa illo modo, quo suprà diximus (nam tunc malè faceret eam ingrediendo, per suprà dicta ex sententia Caietani & Nauarri) Ratio huius est eadem, quæ suprà fuit data: quia videlicet obligationi naturali Religionis satisfit, si adhibeatur ea circumstantia, quæ sufficiat ad exequendum opus promissum. Quot autem loca teneatur quis adire casu, quo in aliquibus non recipitur, postea dicemus.

Sequitur QVARTA QVÆSTIO, Quænam videlicet *liberare* possint, citra auctoritatem & dispensationem Superioris, ab obligatione exequendi Votum; vel certè *excusare* à peccato in non exequendo votum aliquo in casu? Pro explicatione notandum, cùm obligatio Voti sit inseparabiliter coniuncta cum vero voto; nihil posse *liberare* à Voti obligatione omnino aut partim, quod omnino aut partim non reddat inualidum Votum. Cùm autem ad essentiam Voti duo pertineant, videlicet *actus* siue intentio vouentis, & *materia* siue obiectum ipsius Voti; ex vtroque hoc capite possunt varia incidere, quæ votum reddant inualidum, & consequenter *liberent* ab ipsius obligatione.

Ac primùm quidem quod attinet ad MATERIAM Voti, rectè Caietanus in Summa, Verbo Votum, constituit hanc generalem REGVLAM; videlicet omne illud, quod ante Votum emissum reddidisset rem inhabilem ad materiam Voti; si post Votum emissum superueniat, similiter reddere inualidum Votum, atque adeo ipsius obligationem tollere. Quam regulam asserit etiam & *communem* esse dicit Ioannes Medina in tractatu de Ieiunio q.13. Est autem hæc regula ita intelligenda, vt valeat, quotiescunque post emissum Votum, materia eius, ob conditionem seu circumstantiam ipsi superuenientem, est ei, qui vouit, *omnibus consideratis*, perinde vel mala, vel minus bona, vel impossibilis, vel inutilis, &c. atque fuisset ob eandem conditionem ante Votum. Quod moneo, propter illa, quæ p.2. disserui de difficultate superueniente in seruando Voto Castitatis vel Religionis post illud emissum. Nam vt illic ostendi, præstãtia & natura eiusmodi Voti facit, vt circumstantia difficultatis post illud emissum superueniens, non reddat materiam illius minus bonam *ei, qui iam vouit*, si omnia considerentur; atque adeo si is, qui vouit, consideretur etiam, vt est *quædam pars communitatis Ecclesiæ*, sicut illic ostendi.

Eo igitur modo intellecta hæc Caietani regula, verissima est, vt patet in his exemplis: Vouit quis se aliquot dies ieiunaturum; postea verò propter superuenientem morbum, redditur tale ieiunium irrationabile & malum. Votum est iam nullum, sicut fuisset antea, si fuisset emissum de ieiunando in tali morbo. Similiter si cessetaliqua circumstantia, propter quam opus alioqui indifferens erat bonum; extinguitur Votum de illo factum: quia iam materia est inutilis. Eodem modo vouit quis peregrinationem aliquam; si postea vult ingredi Religionem, cùm materia prioris voti sit iam impeditiua melioris boni, nõ obligat id Votum. Idem est denique, si materia postea fiat moraliter impossibilis, vt si quis vouit facere magnam eleemosynam, & postea fit pauper, &c.

Verùm circa huiusmodi impossibilitatem superuenientem, quatuor sunt diligenter animaduertenda. PRIMVM est, nihil interesse, vtrum materia Voti reddatur impossibilis ex culpa ipsius vouentis, aut sine culpa illius: quocunque enim modo id contingat, liberatur quis ab obligatione exequendi Votum: Siquidem iam *ex suppositione* est illi moraliter id impossibile. Ita docet Caietanus hîc, & Nauarrus in Manuali, cap.12.n.47. Quin etiam D.Thomas idem insinuat hîc art.3. siquidem ab eo, cuius culpâ Voti materia est reddita impossibilis, solùm requirit pœnitentiam de præterita culpa. Et meritò à tali quidem pœnitentiam requirit; ne alioqui possit is censeri voluntariè peccare *in causa*. Cùm primùm enim pœniteat de præterita culpa, iam illa *suppositio*, ex qua res est ei impossibilis, desinit esse illi voluntaria, atq; adeo illud etiam, quod ex illa suppositione sequitur, videlicet vt non adimpleat Votum.

SECVNDVM, quod notari debet, est, vtrum illa impossibilitas sit quoad *totam* voti materiam, vel tantùm quoad *partem*. Nam tantùm eatenus liberatur quis ab obligatione, quatenus materia Voti redditur impossibilis: Si omnino, omninò: Si partim, partim. Vt verbi gratia, vouit quis castitatẽ; postea contrahit matrimonium: ex quo factum est, vt impossibile sit illi, seruare omnino castitatem: quia tamen possibile est illi *partim* seruare, videlicet non petendo debitum; eatenus tenetur seruare, secluſa dispensatione. Similiter vouit aliqua fœmina Virginitatẽ *simpliciter*, quæ vt patet, includit perpetuam continentiam ab omni actu venereo deliberato: corrupta postea est; tenetur, quantum potest, se continere, atque adeo seruare de cætero castitatem.

Secus, si intentio eiusmodi fœminæ tantùm fuisset, obligare se ad continentiam à primo actu Venereo, & non nisi secundariò ac consequenter ad continentiam ab aliis actibus. Tunc enim ex vi Voti, semel corrupta, non teneretur se continere, vt bene notat Nauarrus cap.12.num.43.& Sotus lib.7. de Iustitia, q.2.art.1. Et ratio est: quoniam vt rectè docet hîc Caietanus ad aliud propositum, obligatio Voti non aliter respicit materiam aliquam, quàm Votum illam respiciat. Sed in eo casu Votum non respiciebat continentiam ab aliis actibus, nisi mediante continentia à primo, quę fuit primaria & immediata materia Voti. Igitur quando iam Votum non respicit illam continentiam à primo actu (quoniam facta est impossibilis) nõ etiam respicit continentiam ab aliis actibus: Atque adeo neq; eam continentiam respicit obligatio Voti. Et hoc modo intelligitur illud, quod ad simile propositum citat Nauarrus ex capit. Accessorium, Extra de regulis Iuris in 6. videlicet *accessorium sequitur principale*. Et etiam illud, quod idem Nauarrus bene dicit, *actionem agentis non operari vltra intentionem illius*.

Atq; ex hoc quidem fundamento patet quoque resolutio aliorum casuum. Si enim quis, verbi gratia, vouit ingredi Religionem; & postea ingressus Religionis sit illi impossibilis; ex prædicto fundamento constat, illum non debere ex vi eius voti seruare castitatem, sicut neque etiam debet profiteri Religionem, aut perseuerare in illa. Ratio est. Quoniam hæc omnia secundariò solum & mediatè erant materia Voti de ingressu religionis, vt rectè hîc docet Caietanus. Quare quando primaria & immediata Voti materia est facta impossibilis, iam Votum & obligatio illius non respiciunt illa, quæ erant secundaria.

Et idem est, si quis vouisset primariò profiteri Religionem. Facta enim professione impossibili, eadem ratione non tenetur perseuerare in Religione aut seruare continentiam: quia primaria materia talis Voti non erat ipsa continentia, sed erat Votum eius solenne siue professio; quo cessante, cessat etiam obligatio ad illam aliam Voti materiam secundariam. Idem etiam est, si primariò voueret quis se perseueraturum in Religione: adhuc enim non teneretur seruare castitatem, casu, quo perseuerantia in Religione esset facta impossibilis: nimirum propter eandem rationem.

Tota hæc doctrina est Caietani hîc, & Nauarri cap.12.num.47.& in re conceditur etiam à Sotolib.7.de Iustitia, quæst.2.art.1. Quanquam putat is contra Caietanum, non esse distinguenda illa Vota, videlicet de ingressu Religionis, & de professione in Religione, ac perseuerantia in eadem. Cæterùm melius Caietanus & Nauarrus sentiunt, ista Vota esse distincta, & distinctè possè fieri intendendo primariò aut ingressum, qui solùm consistit in hoc, vt quis bona fide ingrediatur probaturus & probandus; aut professionem; vel perseuerantiam in professione.

Vnde rectè affirmat Nauarrus, si quis tantùm vouit ingressum Religionis; absque vlla dispensatione, posse intra annum probationis redire ad seculum. Quod intellige, si bona fide ingressus est, cum animo probandi & manendi, quantum in se est, nisi obstiterit aliqua rationabilis causa. Alioqui si ingrederetur quis animo statim egrediendi: vel etiam si postquam est ingressus, leuissima de causa iterum egrederetur; non censeretur probasse bona fide Religionem, sicut promisit vouens ingredi. Quòd si, inquit Nauarrus, talis æquè primariò vouisset non solùm ingredi, sed etiam profiteri Religionem, aut perseuerare in illa; non posset absque dispensatione redire ad seculum. Et ratio est clara, quia licet probauisset bona fide statum Religionis: nõdum tamen adimpleuisset illud, quod primariò etiam in tali casu vouit, videlicet professionem vel perseuerantiam in illa. Vnde indigeret dispensatione. Secus, si primaria quidem intentione tantùm vouisset ingressum: quia tunc statim, atque probâsset bona fide statum Religionis, adimpleuisset illud, quod primariò promisit; & proinde nulla indigeret dispensatione.

TERTIVM, quod etiam circa materiæ impossibilitatem notari & discerni debet, est, vtrum solùm sit quoad hoc vel illud *tempus*, & non simpliciter. Tunc enim alio saltem tempore debebit quis Votum exequi. Verbi gratia, vouit quis tridui ieiunium; iam ieiunare non potest; tenetur alio tempore, cùm potuerit. Secus, si aliquis respexit ad aliquam peculiarem solennitatem alicuius temporis. Tunc enim si non potest illo tempore, non tenetur alio, vt bene notauit Sotus lib.7. de Iustitia, q.2. art.1. Vt verbi gratia, si quis vouisset, se ieiunaturum in Aduentu, & in Vigilia alicuius Sancti.

Item, si quis vouit Religionem, & quamuis hoc tempore non recipiatur, sperat tamen alio tempore se receptum iri; tenetur tunc ingredi: præsertim si causa, propter quam iam nunc non recipitur, non est perpetua, sed ad tempus. Si autem est perpetua, neque sperat se vnquam receptum iri, ad nihil amplius tenetur, vt bene notauit hîc Caietanus.

QVARTVM, quod animaduerti debet, est, num materiæ impossibilitas sit tantùm quoad hunc vel illum *locum*. Vt verbi gratia, vouit quis Religionem, & non recipitur in hoc aut illo loco; tenetur adire alia loca, si apparet possibilis ingressus in aliis locis. Placet autem mihi, quod in hac parte notant Caietanus hîc, & Sotus vbi suprà, talem non debere peragrare totum mundum, neque etiam prouincias remotas. Non enim est hoc in more. Nullus autem se obligat, nisi ad moralem diligentiam exequendi Votum. Vnde inquit Sotus, si quis vouit Religionem alicuius certi ordinis, satis esset, si quinque aut sex Monasteria illius Ordinis lustrauisset. Nam ex illis posset facere coniecturam, vtrum in reliquis reciperetur. Et consequenter etiam diceret Sotus, ei, qui vouit absolutè Religionem, non determinando certum Ordinem, satis esse lustrauisse quinque aut sex aut septem varias Religiones.

Secus autem iudicandum esset, si aliquis præcipuè vouit ingredi Religionem in hoc aut illo loco propter peculiarem conditionē eius. Tunc enim excluſus ab illo, non tenetur alia loca adire, vt rectè notat hîc ad 2. S. Thomas. Et ratio est. Quia primaria intentio eius fuit ingredi in *hoc loco*, & ingreſſus Religionis *in genere*, fuit tantùm ſecundariò intentus. Ceſſante autem obligatione ad primarium, ceſſat ad ſecundarium. Hęc videntur ſatis de primo capite, ex quo contingit aliquem *liberari* ab obligatione Voti, videlicet ex parte MATERIÆ.

ALTERVM caput eſſe diximus ex parte ACTVS ſiue intentionis vouentis. Per quod PRIMO ex ſententia omnium liberatur quis ab obligatione exequendi Votum eo modo (quod ad omnes circumſtantias attinet) quo ipſemet in vouendo *voluit* ſe eſſe liberum. Vnde hoc eſt habendum pro regula. Tota enim obligatio Voti pendet ex vouentis voluntate & intentione. Id quod manifeſtè colligunt Doctores ex illo Deuter. 23. *Quod ſemel egreſſum eſt ex labiis tuis, obſeruabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino, & voluntate propria & ore tuo locutus es.* Ac propterea S. AVGVSTINVS lib. 1. de adulter. coniugiis, cap. 24. hunc in modum ſcripſit. *Quæ rectiſſimè vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda ſunt, quæ ſine vlla conditione vouerunt.* Indicans per hoc, non eſſe alioqui ſeruandum neceſſariò Votum, deficiente *conditione* appoſita, ſi verè fuit Votum conditionale: ſecus autem, ſi fuit abſolutum.

SECVNDO ex ſententia Soti vbi ſuprà, & Nauarri cap. 12. num. 52. & aliorum, liberatur quis à Voti obligatione ex eodem capite, ſcilicet ex parte *actus* vouentis, quando Votum fuit ab illo per iniuriam extortum, incuſſo metu, *cadente in conſtantem virum*, hoc eſt, graui; vt mortis, aut alterius grauis calamitatis, attenta circumſtantia perſonæ, &c. vt bene explicat Sotus. Notandum eſt autem, quod dicimus, quando Votum eſt *extortum per iniuriam eiuſmodi metu*. Alioqui enim ſi metus aliunde fuerit homini incuſſus, & non ad extorquendum per iniuriam Votum; non liberatur is ab obligatione Voti, etiamſi metus fuerit grauiſſimus, & ſiue à Deo, ſiue ab homine inferatur.

Fundamentum huius ſententię non debet eſſe, quia in tali caſu deſit omnis liber conſenſus. Procedit enim hæc ſententia etiam in caſu, quo aliquis adactus tali metu, verè interiori animo, & *liberè ſimpliciter* (quamuis inuoluntariè ſecundùm quid) vouet. Nam in caſu alioqui, quo deeſt omnis conſenſus; etiamſi metus, qui illum impedit, eſſet leuis; Votum non valeret, vt rectè notauit Nauarrus vbi ſuprà. Fundamentum ergo huius ſententiæ oportet eſſe: quoniam vt aliquod opus Deo promiſſum, ab ipſo acceptetur; oportet promiſſionem fuiſſe magis ſpontaneam, quàm eſt, cùm quis tam graui iniuria adigitur ad vouendum.

Neq; verò eadem eſt ratio, quando metu graui aliunde illato *ſine iniuria, quæ ordinata fuerit ad extorquendum Votum*, aliquis mouetur ad vouendum. Quamdiu enim homini non innotescit, talem metum ordinari ad extorquendum Votum, ſed ipſe ex ſe vtitur illo motiuo metus ad vouendum; multo magis ſpontaneè vouet, & ita Deus votum acceptat.

Aduertendum eſt autem circa hanc ſententiam, moraliter loquendo, accidere non poſſe, vt is, qui hanc ſententiam ſcit, & putat eſſe veram, conſtitutus in tali caſu, verè interno animo vouеat propter talem metum. Nam cùm ſciat ſe non obligatum iri, fruſtrà vellet vouere interius, & ſe obligare: ſed vteretur tunc is tantùm verbis amphibologicis: quod licitum eſt, vt ſuprà vidimus in materia de Iudicio: vel fortè incautè mentietur: quod eſt cauendum.

Neque mouere debet, quòd Syluester quidem, Verbo Metus, q. 8. & nonnulli alij oppoſitum arbitrantur; videlicet metum nunquam reddere inualidum Votum, niſi impediat requiſitam deliberationem, & liberum conſenſum: quanquam in foro exteriori excuſet, ſi eſt cadens in conſtantem virum. Omnino enim probabilior eſt contraria opinio Nauarri & Soti, & aliorum, quam iam aſſeruimus.

PRÆTEREA ex ſententia Soti vbi ſuprà, etiam *excuſat* à peccato contra Votum metus cadens in conſtantem virum, illatus alicui, *vt non adimpleat Votum*: quoniam, inquit, votum non obligat cum tanta difficultate, ſicut neque alia præcepta affirmatiua. Secus, ſi aliquis *in contemptum* Religionis Chriſtianę vellet impedire executionem Voti. Tunc enim, ait Sotus, etiam cum periculo vitæ oporteret exequi. Hæc ſententia omnino eſt probabilis.

Poſſet autem hîc QVÆRI, an omnis euentus liberet ab obligatione Voti, qui ſi fuiſſet à vouente præcognitus, non vouiſſet; Videtur enim liberare, eò quòd tunc votum fuerit conditionale, videlicet niſi talis euentus ſequeretur. Vt verbi gratia, vouit mulier Virginitatem *ſimpliciter*, atque adeo caſtitatem perpetuam, putans nunquam fore, vt primò corrumperetur: quòd ſi id fore putauiſſet, non ita vouiſſet. Videri poteſt excuſari, quando ille euentus ſequitur.

SED ad hoc optimè reſpondet Caietanus hîc negatiuè. Aliâs nullus eſſet in rebus humanis firmus contractus: Sæpè enim contingunt aliquæ, quæ ſi fuiſſent præſcita, non fuiſſent contractus celebrati. Neque verò idem eſt, ita hominem aliquid feciſſe, vt *ſi præſciuiſſet aliud, non feciſſet*; & feciſſe illud *conditionaliter*, vt fusè declaraui ſuprà diſputatione 5. quæſt. 20. p. 3.

PVNCTVM

PVNCTVM QVINTVM.

Quotuplex ſit Votum.

D. Thomas art. 7.

QVM in ſuperioribus punctis diſſeruerimus de iis, quæ pertinent ad eſſentiam & proprietates ſiue attributa Voti, nempe de Voti *natura; materia; merito; obligatione, etc.* videndum nunc eſt, quæ ſit Votorum *diuiſio* & differentia. Vt autem intelligi poteſt ex Magiſtro ſententiar. & aliorum Theologorum in 4. d. 38. & D. Thoma hîc art. 7. & Soto lib. 7. de Iuſtitia, q. 2. art. 5. potiſsima diuiſio Voti eſt ea, qua Votum diuiditur in Votum *Simplex*; & Votum *Solenne*, quale habent Religioſi profeſsi, & ij, qui ſunt initiati ſacris ordinibus. Differunt autem hæc Vota dupliciter: Nempe & ab effectu, ſiue à poſteriori; & propriis ſuis rationibus.

Ac in explicanda quidem differentia iſtorum Votorum *ab effectu*, non eſt controuerſia apud Doctores. Differunt enim hæc Vota, ſecundùm omnes, *ab effectu* in hoc, quòd SOLENNE dirimit matrimonium *contractum*, hoc eſt, efficit, vt ſi quis voto aliquo Solenni adſtrictus, matrimonium contrahere tentârit, inualidum ſit matrimonium, atque adeo debeat dirimi, tanquam inualidè contractum. SIMPLEX autem Votum non ita dirimit matrimonium contractū; quamuis ſi ſit caſtitatis, impedit, quò minus matrimonium poſsit licitè & ſine peccato contrahi, & eatenus impedire dicitur matrimonium *contrahendum*.

Quoniam verò hæc differentia ſolùm eſt à poſteriori, & ab effectu; quærendum reſtat, quomodo differant hæc Vota ſuis *propriis rationibus*, atque adeo quæ ſit propria vtriuſque ratio. Et de Voto quidem SIMPLICI ferè etiam inter omnes conuenit, illud conſiſtere in *nuda promiſsione*, propter quod *ſimplex* dicitur. Sed in explicanda ratione propria Voti Solennis non parua inter Doctores eſt controuerſia.

Itaque videndum eſt, in quonam eſſentialiter conſiſtat SOLENNITAS Voti, hoc eſt, quid ſit illud, propter quod Votum Solenne dirimat matrimonium *contractum*, & ideo differat à Simplici Voto. Vtrum videlicet ſit aliquid, ex quo iure naturæ & diuino, perſona reddatur inhabilis ad matrimonium contrahendum; vel tantùm ſit aliqua prohibitio iuris poſitiui humani, reddentis ad id inhabilem perſonam. Sunt autem potiſsimum de hac re tres ſententiæ.

PRIMA eſt, ſolennitatem Voti eſſentialiter conſiſtere in quadam perſonæ *conſecratione* aut *benedictione ſpirituali*, per quam ex natura rei inhabilis fiat ad opera carnis, & ſeculi, atque adeo ad matrimonium contrahendum. Hæc ſententia videtur eſſe S. Thomæ hîc art. 7. quantumuis Caietanus & Sotus tergiuerſentur. Quod enim Sotus inquit, idcirco hanc ſententiam non eſſe S. Thomæ, quia is non dixerat, *conſiſtere* ſolennitatem Voti in benedictione ſpirituali, ſed *attendi* ſecundùm benedictionem ſpiritualem: atque adeo ſolùm à poſteriori, & veluti à ſigno, per ſpiritualem benedictionem indicâſſe Voti ſolennitatem: hoc, inquam, parui eſt momenti. Nam & infrà articulo nono huius quæſtionis, repetens D. Thomas, quod hîc ſenſerat, apertè dixit, ſolennitatem *conſiſtere* in quadam benedictione ſpirituali.

Cæterùm cuiuſcunque tandem iſta ſententia ſit; communiter explodi ſolet, & reiicitur etiam à Caietano hîc, & Soto vbi ſuprà. Nam eſſentia alicuius rei non conſiſtit in eo, ſine quo poteſt eſſe talis, & contra etiam non eſſe talis eo poſito. Sed Votum poteſt eſſe Solenne, & eſt etiam in quibuſdam Religionibus, ſine conſecratione vlla vel ſpirituali benedictione perſonæ; atque etiam poteſt non eſſe Solenne (id eſt, dirimens matrimonium contractum) poſita perſonæ conſecratione. Ergo Voti ſolennitas non conſiſtit in eiuſmodi conſecratione ſeu benedictione perſonæ. Maior eſt per ſe manifeſta. Minor probatur. Nam in aliquibus ordinibus Religioſorum, illi, qui profitentur, non conſueuerunt benedici ſpiritualiter, vt Caietanus & Sotus referunt de Ordine Dominicanorum: & tamen ſine controuerſia faciunt tales Votum Solenne. Et contra etiam, ij, qui ſacris ordinibus initiantur, atque adeo conſecrantur & benedicuntur ſpiritualiter, poſſent per Eccleſiæ decretum (vt omnes concedunt) validè contrahere matrimonium, atque adeo carere Voto Solenni, quantumcunque conſecrarentur.

SECVNDA ſententia eſt Caietani hîc, & fuit prius Scoti in quarto, diſtinctione 38. & Gerſonis tractatu 25. ſuorum Moralium, litera I. videlicet ſolennitatem hanc eſſentialiter conſiſtere in *ſtatuto Eccleſiæ* prohibente matrimonium iis, qui ſolenniter vouent; atque adeo, Votum ſolenne eſſentialiter eſſe Votum cum certis circumſtantiis ſubſtans tali Eccleſiæ ſtatuto. Nec tamen negat hæc ſententia, quin fundamentum huius inhabilitatis ad matrimonium, atque adeo ſtatuti Eccleſiæ ſit illa conſecratio & dedicatio, qua tales mancipantur cultui diuino. Concedit enim hîc apertè Caietanus, Fundamentum, propter quod Eccleſia inhabilitat ſolenniter vouentes, eſſe *exhibitionem ſui*, qua tales ſe conſecrant diuino cultui, tum in ſuſceptione ſacri Ordinis, tum in profeſsione certæ & approbatæ Regulæ; ſed tantùm negat, eiuſmodi exhibitionem per ſe ſatis eſſe ad hoc, vt tales ex natura rei ſint inhabiles ad matrimonium, ſed ait compleri talem inhabilitatem eſſentialiter & immediatè per ſtatutum Eccleſiæ.

Hæc ſententia, quod attinet quidem ad ſolennitatem eius Voti, quod fit tantùm implicitè

in voluntaria susceptione sacrorum ordinum, quatenus illis est annexa obligatio ad castitatem, & inhabilitas ad matrimonium; non habet difficultatem. Receptissima namque sententia est, initiatos sacris, solo statuto Ecclesiæ inhabiles reddi ad matrimonium. In eo etiam, quòd ea sententia Caietani ponit, *pendere* quidem solennitatem Voti *professionis* ex auctoritate *& statuto Ecclesiæ*, verissima est, vt postea videbimus, & patet expresè ex capit. vnico, de Voto, & Voti redemptione, libro sexto. In eo autem non videtur vera hæc sententia, quòd in *solo statuto Ecclesiæ* essentialiter constituit huius Voti solennitatem, neque agnoscit præterea aliquid aliud, in quo, interueniente quidem Ecclesiæ auctoritate & statuto, consistat ex natura rei ea solennitas & inhabilitas Religiosę personę ad matrimonium.

Et quidem Sotus vbi suprà præcipuè argumentatur contra istam Caietani sententiam ex eo, quòd si solennitas continetur solo statuto Ecclesiæ, sequeretur, Ecclesiam sua auctoritate posse dispensare in matrimonio rato, non consummato: quod consequens putat Sotus nullo modo admittendum. Sequelam probat. Nam solennitas professionis dirimit matrimonium ratum nõ consummatum. Ergo si tota vis huius solennitatis posita est in statuto & voluntate Ecclesiæ; poterit Ecclesia eâdem auctoritate dirimere matrimonium ratum per dispensationem, sine professione solenni.

Sed hoc argumentum nihil mouisset Caietanum. Facile enim is concedit, matrimonium ratum dirimi posse per auctoritatem Ecclesiæ, vt patet primo tomo suorum opusc. tract. 28. Quin etiam Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 21. scripsit, suo consilio sæpius à Summis Pontificibus fuisse dispensatum in matrimonio rato: idque dicit se testari, ne aliquis nimium permoueatur auctoritate Soti, in hac parte sententis contra Caietanum.

Sed quod attinet ad dispensationem in matrimonio, & in Voto, dicemus p. 7. Nunc quicquid sit de hoc, opinio Caietani de *solo* statuto Ecclesiæ efficiente Voti solennitatem, quanquam probabilis sit: tamen eo nomine mihi non probatur, quòd videtur minus congruere cum dignitate professionis solennis, & existimatione, quæ de illius excellentia communiter habetur. Arbitratur enim & probat S. Thomas infrà quæstione 189. artic. 3. ad 3. ingressum Religionis, atque adeo professionem solennem, tanti esse meriti & efficaciæ, vt per illam omnia peccata, etiam quoad pœnam totam remittantur: id quod piè admodum creditur & asseritur etiam à sancto Bernardo in lib. de Dispensatione & præcepto, & à S. Anselmo in libro de Similitudinibus sub finem. Quin etiam non obscurè à sancto Hieronymo in epist. 25. ad Paulam, de obitu Blesillæ; vbi statum Religionis censet esse quasi secundum baptismum. Hoc autem, si solùm in extrinseco statuto Ecclesiæ solennitas Voti professionis est posita, non satis commodè intelligi potest. Denique cùm aliter & dignius & rectius possit explicari solennitas professionis, vt statim patebit; non est, cur illam explicemus per solum statutum Ecclesiæ.

Est igitur TERTIA sententia, Votum solenne professionis consistere in *traditione actuali* dominij suiipsius in manum Dei, & eorum, qui vicem Dei teneant. Itaq; iuxta hanc sententiam in hoc differt Votum solenne à simplici: quòd per Votum solenne transfert quis actualiter dominium peculiare suiipsius in Deum, & in Prælatum, vice Dei fungentem. Atque ita iure naturæ & diuino fit inhabilis ad tradendum se alteri per matrimonium; quandoquidem iam non est suus, sed alterius: Votum autem simplex consistit in *nuda promissione*, qua etsi quis obligat suam fidem Deo ad præstandum, quod promittit, vt castitatem, &c. retinet tamen suiipsius dominium, atque adeo tanquam adhuc dominus potest valide quidem sese alteri per matrimonium tradere: quanquam non sine peccato (si votum fuit castitatis) contra fidelitatem Deo debitam erga opera promissa.

Hanc sententiam sequitur Sotus lib. 7. de Iustitia, quæst. 2. artic. 5. & putat esse S. Thomæ non solùm in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 3. vbi ita expresè docet, sed etiam hîc artic. 7. quanquam difficile est hoc persuadere. Eadem sententia *fuit* Altisiodorensis, lib. 3. Summę, tract. 22. cap. 2. *quæst.* 3. & 4. Et Richardi in 4. dist. 38. art. 7. quæst. 2. & Durandi eadem dist. quæst. 2. & Capreoli quæst. vnica, & Carthusiani quæst. 2. & videtur fuisse communis hæc sententia. Et est vera, si rectè intelligatur.

Pro cuius declaratione diligenter est aduertendum, quod dicitur, solennitatem professionis consistere in *traditione* personæ, duplicitèr posse intelligi. VNO modo, vt constituatur hæc traditio in *ipso solo actu*, per quem essentialiter vouet quis solenniter: ita, vt sensus huius tertiæ sententiæ sit, in hoc differre Votum solenne à simplici, quòd actus ille, quo quis vouet solenniter castitatem, obedientiam, & paupertatem, ex *sola sui ratione* intrinsecè & essentialiter est actualis donatio siue translatio dominij suiipsius: actus verò, per quem quis simpliciter vouerat illa eadem, non sit traditio actualis, sed sola promissio.

Et, si hoc modo hæc sententia accipiatur, non est satis intelligibilis. Neque enim in hoc solo actu videtur esse aliqua peculiaris traditio, per quam ex natura rei persona reddatur inhabilis ad matrimonium, vt rectè, quoad hoc, sensit Caietanus: *Primò*, quoniam si respiciamus ad solum actum, per quem quis vouerat solenniter, nihil reperiemus essentialiter in illo, quod non etiam cernamus in actu, quo quis vouet simpliciter.

Sicut enim actus, quo quis simplici Voto vouet castitatem, paupertatem, &c. essentialiter est solùm promissio: ita etiam actus, quo quis solenni Voto eadem vouet, essentialiter nihil aliud videtur esse, quàm promissio. *Secundò*, nam non aliter videtur posse intelligi, eam promissionem Voti solennem per se esse traditionem, nisi quatenus is, qui profitetur; per promissionem se obligans ad illud triplex genus operum, obstringit Deo totam suam personam, atque adeo totam suam facultatem operandi; vt quæ tota circa illa tria genera operum, tanquam circa obiectum versatur. Hoc autem totum etiam cernimus in actu promissionis, quo illa tria simpliciter voueantur.

ALTERO igitur modo potest & debet accipi illa tertia sententia; vt sensus sit, solennitatem Voti consistere in traditione (saltem tacita) personæ per *actum* Voti & promissionis, non secundùm *solam suam rationem nudè consideratam*, sed *vt affectum* certis quibusdam circumstantiis; ab Ecclesia, iuxta cuiusque Religionis institutum, approbatis. Huiusmodi enim actu posito, ita volente Ecclesia, & Deo acceptante, transfertur in Deum particulare illud Dominium, quod persona antequam cum eiusmodi circumstantiis voueret, habebat suiipsius ad exercenda validè & sine alterius quidem iniuria, ea quæ sunt contraria iis, quæ vouet; atque adeo fit eo ipso talis persona veluti quoddam mancipium diuinum. Et inde fit, vt iam ire etiam naturæ & diuino talis persona sit inhabilis ad tradendum se alteri per matrimonium, aut ad faciendum validè & iustè opera contraria illis, quæ vouet.

Sic intellecta illa tertia sententia, admodum consentanea est & rationi & pietati. Nam primò non est dubium, quin sicut homo, potest venire in dominium alterius hominis, tanquam seruus: ita etiam possit venire in peculiare dominium sui Creatoris, ita vt iam Deus non solùm sit dominus talis hominis, vt causa vniuersalis & prima, sicut est dominus cæterarum rerum, sed iam habeat illud particulare dominium huius personæ, quod anteà ipsa habebat in se tanquam particularis causa & domina suorum operum. Itaq; cùm tantoperè prædicetur à sanctis Doctoribus holocaustum hoc, quod fit in Professione; meritò existimamus eam consistere in illa dominij traditione, quam diximus. Deinde per hanc sententiam sic expositam omnia planè consonant.

Patet enim hinc PRIMO, quid interfit inter solenne & simplex Votum; & quomodo simplex ex natura rei non inhabilitet ad matrimonium, quia videlicet retinet adhuc persona sui dominium: & ita quamuis peccet, potest tamen *iustè & validè*, de se disponere, id est, sine *iniustitia*, qua violetur proprium aliquod & peculiare Ius dominij alterius.

SECVNDO patet inde, quomodo etiamsi aliquis in Professione nullum alium actum eliciat, nisi promissionem illorum trium: tamen adhuc votum sit solenne; quia eo ipso, quòd cum talibus circumstantiis vouet, tradit sui dominium Deo & Vicariis eius, acceptante Deo ex voluntate Ecclesiæ: in quo dicimus essentialiter esse Voti solennitatem. Quanquam dubium non est, quin sit maioris meriti, si quis in Professione expresè etiam per alium actum distinctum ab actu promittendi velit seipsum Deo dare: Sed quamuis solùm promittat cum illis circumstantiis, res erit maximi meriti. Nam cùm facta promissione, illis circumstantiis positis, Deus acceptet dominium personæ: hoc ipso quòd quis vult deliberatè sic promittere; tacitè saltem & virtualiter vult se Deo tradere: in quo est magnum meritum.

TERTIO inde patet, quomodo iuxta hanc sententiam verum sit, quod Doctores communiter dicunt, de *professione tacita*, quam intelligitur quis facere eo ipso, quòd deliberata voluntate vult post tempus probationis manere in Monasterio; vel accipiendo habitum, quo vti solent professi, vel retinendo eundem, si nulla est habitus distinctio inter professos & nouitios. Quòd si professio consisteret essentialiter in solo actu ipsius Voti, vel in aliqua conditione intrinseca illius; difficulter posset intelligi, quomodo talis per illam solam voluntatem, iam esset essentialiter professus. Intelligitur autem id bene, si solennitas consistit in illa tacita traditione dominij personæ, quod iuxta voluntatem Ecclesiæ post actum certum cum aliquibus circumstantiis factum, acceptetur à Deo. Potest enim Deus iuxta statutum Ecclesiæ, dominium acceptare talis personæ, si tempore nouitiatus transacto, velit in Monasterio manere, iuxta caput primum de Regularibus libro sexto.

QVARTO inde patet clara solutio argumentorum, quæ Caietanus hîc facit, vt impugnet tertiam sententiam illam de traditione, & simul confirmet suam de solo statuto Ecclesiæ. Potissimum illorum est: quoniam, inquit, secluso statuto & voluntate Ecclesiæ, quantumcunque aliquis profiteatur & tradat seipsum, non erit votum solenne; vt patet, si quis professeretur in Religione non approbata ab Ecclesia. Sequitur ergo, in statuto Ecclesiæ essentialiter esse positam solennitatem. Id quod confirmat Caietanus ex cap. vnico, de voto & voti redemptione lib. 6. vbi affirmat Pontifex Bonifacius VIII. *solennitatem voti ex sola constitutione Ecclesiæ inuentam esse.*

RESPONDEO autem, hoc argumentum tantùm probare solennitatem non consistere essentialiter in *solo actu* promissionis seu Voti: consistit tamen essentialiter in eo actu, *vt affecto* cer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis circumstantiis, accedente approbatione & *constitutione Ecclesiæ*: nisi enim hæc approbatio & voluntas Ecclesiæ intercederet, Deus non acceptaret hoc modo dominium personæ: vel certè non sciremus, quòd acceptaret. Et propter hoc rectè dixit Bonifacius in illo capitulo vnico, non quidem in sola Ecclesiæ constitutione consistere Voti solennitatem, sed *ex sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse*. Etenim ea Ecclesia *constitutione* supposita, qua scilicet velit Ecclesia admittere Religiosi votum ad talem effectum *inhabilitatis ad matrimonium*, in Deum transfertur personæ dominium; & eo ipso iure etiam naturæ & diuino persona fit inhabilis ad matrimonium: propterea quòd, vt dictum est, transit tanquam mancipium in peculiare Dei dominium. Sicut verbi gratia, institutio alicuius præbendæ Ecclesiasticæ, quamuis ex sola auctoritate Ecclesiæ ortum habet, tamen illa institutione supposita, iam est contra ius naturę vendere præbendam spiritualem, vt patebit infrà in materia de Simonia.

POSTREMO ex dictis omnibus patet, Votum solenne & simplex (præsertim quando sunt de eodem obiecto) non differre, nisi per respectum quędam ad subiectum seu personam: quia videlicet vouens *simpliciter*, manet sui dominus; vouens autem *solenniter* non item: sed fit tanquam Dei mancipium. Et quidem Caietanus hîc & alij, qui solennitatem ponunt in solo statuto Ecclesiæ, facilè hoc concedunt. Item qui solennitatem dicunt consistere in benedictione aut consecratione spirituali, consequenter etiam debent fateri, ex parte solùm subiecti differre huiusmodi Vota. Præterea hi etiam, qui ponunt solennitatem in *traditione*, debent idem concedere, quandoquidem iuxta eam sententiam differentia istorum Votorum est solùm in eo, quòd Votum simplex est *nuda promissio*; Votum autem solenne est talis promissio, per quam etiam *traditur Deo persona*, vt etiam asseruit Durandus in quarto, distinctione tricesimaoctaua, quæstione secunda. Et hoc discrimen satis est, vt quemadmodum diuus Thomas docet hîc articulo septimo ad primum, qui votum solenne violat, grauius peccet.

PVNCTVM SEXTVM.

Quinam vouere possint.

D. Thomas art. 8. & 9.

DE iis, qui & sui iuris sunt, & satis maturo iudicio præditi, non est vllum dubium, quin se Votis obligare possint. Sed an & quomodo obligare se Votis possint ij, qui alterius potestati subiecti sunt, & ij, qui per ætatem nondum satis maturo iudicio esse videtur, vt pueri; de eo nunc est differendum.

Et quod ad SVBDITOS attinet, inter omnes conuenit de eo, quod asserit diuus Thomas hîc articulo octauo, nempe nullum subditum posse firmiter se voto obligare in his, in quibus subiacet potestati alterius, absque illius consensu. Probatur. Quia nullus potest firmiter promittere aliquid, quod non est positum in sua, sed alterius voluntate, nisi illius consensus accedat, vt patet.

Sed pro explicatione difficultatum, quæ circa hoc ipsum moueri solent, animaduertenda sunt in primis duo. PRIMO, Sanctum Thomam & alios Theologos non dicere, Votum subditi esse *nullum*, sed tantùm non esse *firmum*, nisi accedat consensus Superioris. Per quod insinuant, verum quidem esse Votum emissum à Subdito ante consensum Superioris, quamuis sit *conditionale*, atque adeo dependens quoad vim obligandi ex consensu Superioris; qui si consentiat, tum demum obligat id Votum: sin minus, dicitur id Votum subditi *irritari*, hoc est, perinde esse, ac si non fuisset factum.

Ad quam *irritationem*, vt bene ait Paludanus in quarto, distinctione tricesimaoctaua, quæstione secunda, & Syluester, Verbo Votum tertio, & Nauarrus capite duodecimo, numero sexagesimonono, non requiritur aliqua causa, sed sufficit sola voluntas Superioris, a qua Votum dependebat. Quanquam Sotus libro septimo de Iustitia, quæstione tertia, articulo primo putat, veniale saltem peccatum esse sine rationabili causa Votum subditi irritare. Et ratio videtur esse, quoniam nonnulla est deformitas, sine causa impedire promptitudinem illam subditi ad exhibendum cultum Deo per votum.

Hinc sequitur, deceptum fuisse Richardum in quarto, distinctione tricesimaoctaua, articulo quarto, quæstione prima, cùm dixit, Votum subditi emissum ante consensum Superioris, esse ipso facto *nullum*. Neque verò id conuincitur ex canone Monacho vicesimoquarto, quæstione quarta, vbi dicitur, *non licere Monacho vouere: quòd si vouerit, frangendum esse Votum*. Primò enim is Canon, vt Caietanus hîc & Sotus dicunt, non obligat vniuersaliter, cùm sit tantum Basilij, neque

neque approbatus sit ab aliquo Pontifice aut Concilio. Secundò possumus dicere, sensum esse non debere Monachum vouere *firmiter* sine conditione appositа (expresè vel tacitè) de consensu Superioris: & idcirco si postea opus fuerit, confringendum siue irritandum esse eius Votum.

SECVNDO diligenter est aduertendum, dupliciter posse aliquem esse subditum alteri, quod ad propositum attinet. VNO modo solùm quoad *rem offerendam* per Votum: quo pacto adolescens etiam post annos pubertatis subiectus est parenti in rebus quidem familiæ, vt patet ex diuo Thoma hîc in solutione secundi argumenti. ALTERO modo non solùm quoad rem offerendam, sed etiam quoad *voluntatem*, per quam quis vouet; quando videlicet Superior habet dominium, aut quasi dominium voluntatis subditi, vt illam dirigat, &c. Hoc modo puer ante annos pubertatis est subditus parenti (secundùm omnes) & Religiosus suo Prælato; & etiam Pontifici, qui vt ait Sotus, est veluti Generalis, & Prouincialis, & Prior, respectu Religiosorum.

Hinc sequitur, ad hoc vt valeat Votum emissum ab eo, qui est subditus hoc secundo modo, consensum Superioris requiri, non solùm quoad rem, quæ vouetur, sed etiam quoad *actum vouendi*, videlicet quoad promissionem, per quam res offertur Deo. Ratio est: quoniam cùm actus promittendi in tali subdito, sit quidam vsus voluntatis, cuius Superior habet dominium; vt sit ratus & validus, & à Deo acceptetur, oportet, vt consensu Superioris tanquam domini confirmetur: alioqui non habebit efficaciam. Neque enim decet, vt aliquis pro libito vtatur re aliena sine consensu domini. At verò vt Votum subditi primo modo, valeat, satis est consensus Superioris, quoad *rem oblatam*: siquidem quoad illam tantùm, talis subditus est in Superioris potestate. Ex hoc fundamento, quod doctrinæ communi est consentaneum, facilè diiudicari poterunt omnes quæstiones, quæ circa subditorum Vota moueri solent.

PRIMA est, An, vt Votum Religiosi valeat, requiratur Superioris consensus *affirmatiuè*; vel satis sit *negatiuè*, hoc est, vt non contradicat. Exempli causâ: vouit Religiosus aliquot preces; quæstio est, an, vt teneatur eas preces dicere, oporteat Superiorem affirmatiuè consentire, vel teneatur talis Religiosus ex vi voti illas dicere, quamdiu Superior non impedit.

Ad hoc Caietanus hîc & Sotus vbi suprà respondent cum distinctione. Si enim (inquiunt) opus promissum non est *contra Regulam*, sufficit Superioris consensus *negatiuè*. Et ita quamdiu Religiosus, qui tale quid vouit, non impeditur, nec Superior contradicit, tenetur explere Votum. Si autem opus promissum est *prohibitum per Regulam*, tunc Votum non obligat, donec Superior factus certior *affirmatiuè* consentiat: quia donec ita consentiat, tale opus non est virtuosum, cùm sit contra Regulam, & idcirco non est materia Voti obligantis. Eodem modo respondet etiam Nauarrus numero 69. capite duodecimo.

CAETERVM hæc sententia videtur habere difficultatem. PRIMO, quoniam tantùm respicit ad subiectionem Religiosi, quoad *rem* vel *opus oblatum*, & non etiam quoad *voluntatem*, per quam is vouit: ex qua parte videtur ad omne Votum Religiosi in vniuersum requiri consensus Superioris *affirmatiuè*. Nam donec ille approbet Votum, qui dominium habet eius voluntatis, per quam Votum est emissum; nondum censeri potest Votum obligare, vt patet ex fundamento anteà posito.

SECVNDO, nam ratio, quam illi Doctores afferunt pro suo secundo dicto, non videtur vniuersaliter concludere de omnibus Religiosis, vt oportebat. Patet. Quia in multis Religionibus Regula non obligat ad peccatum; in quibus proinde actus non idcirco formaliter definit esse virtuosus, quia sit contra Regulam. Sola enim ratio culpæ pugnat cum virtuoso actu formaliter. Igitur ratio vniuersalis, propter quam ad obligationem Voti de re prohibita per Regulam, requiratur consensus Superioris *affirmatiuè*, alia potius videtur esse: Nempe, quia aliàs Votum nondum est emissum per voluntatem subditi cum approbatione eius, qui habet talis voluntatis dominium: sed potius contra illius voluntatem, & idcirco non obligat.

Et quoniam hæc ratio, vt patet, etiam habet locum in Voto Religiosi, de re non prohibita per Regulam, ex ea parte, qua etiam voluntas eius est in potestate Superioris; probabilius mihi esse videtur, nullum Votum Religiosi obligare, ante consensum *affirmatiuum* Superioris. Et ità planè docet diuus Thomas hîc articulo 7. in solutione tertij, vbi absolutè negat, vllum Votum Religiosi firmum esse absq; consensu Superioris.

Aduertendum est autem, consensum *affirmatiuum* non solùm adhiberi, quando Superior expressis verbis concederet facultatem, sed etiam quando audiens de Voto subditi taceret, & non contradiceret: id quod etiam satis esset ad Votum de re prohibita per Regulam, si alioqui impeditiua maioris boni ipsius vouentis non sit, & prohibitio Regulæ non obliget sub peccato: Nam qui tacet, præsertim in tali casu, consentire videtur. Et hoc voluit sanctus Thomas, quando in solutione quarti argu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

menti dixit, Votum Religiosi esse *conditionale*, *si Superioribus*, inquit, *placuerit, vel non renitantur*, scientes nimirum illud. Quare hæc verba diui Thomæ nihil fauent Caietano & Soto. Nam illi loqui videntur in casu, quo Superior *etiam nescius Voti*, non contradicit, quoad materiam, quę non est prohibita per Regulam.

SECVNDA quæstio est, An vt Religiosus, vel subditus, excusetur ab obligatione exequendi Votum, satis sit, Superiorem negare facultatem exequendi operis, tametsi insçius sit Voti facti; Vel requiratur, *vt conscius Voti*, neget facultatem exequendi opus. Circa hoc conuenit inter Caietanum hîc, & Sotum vbi suprà, & Nauarrum numero sexagesimonono, capite duodecimo ad *irritandum* quidem Votum, vt videlicet non habeat vim obligandi, requiri in Superiore notitiam Voti facti. Quoniam irritatio videtur esse actus quidam iurisdictionis: qui proinde requirit notitiam eius, quod irritatur. Ad hoc autem vt saltem ad tempus *excusetur subditus* ab executione operis, videntur Nauarrus & Caietanus respondere, quòd satis sit, vt pro illo tempore neget Superior facultatem exequendi opus, etiamsi sit insçius Voti. Et ratio est, inquit Caietanus, quia tunc non suppetit facultas materiæ Voti, quandoquidem subtrahitur ea subdito per Superiorem.

Cæterùm tutius est asserere, quod neque ad tempus excusetur subditus ab executione, nisi Superior conscius Voti neget facultatem exequendi opus: & hoc tandem Caietanus dicit esse securius. Ratio huius est: quoniam vt rectè ad hoc propositum inquit Caietanus vbi suprà, subditus tenetur cùm primùm potest Votum patefacere suo Superiori, vt ita quantum est in se, sine mora cum facultate Superioris exequatur Votum. Igitur debet ad eum finem adhibere medium hoc, quod est certius, & facile; vt scilicet à Superiore petat facultatem exequendi opus, non quomodocunque, sed *vt offerendum Deo ex Voto*. Sic enim, vt inquit etiam Caietanus, facilius Superior concedet facultatem, quàm si peteretur facultas ad exequendum opus absolutè, non detegendo Votum.

TERTIA quæstio est, An postquam Superior fecit facultatem subdito exequendi Votum, possit illam reuocare, ita vt subditus excusetur ab executione Voti. Richardus in quarto, distinctione triceſimaoctaua, articulo quarto, quæstione tertia, respondet distinguendo. Nam si, inquit, subditus ex Superioris facultate *iam vouit*, non potest Superior reuocare facultatem, neque irritare Votum emissum ipsius voluntate. Si autem *nondum vouit*, potest, inquit, reuocare, neque valebit Votum, quod reclamante Superiore in tali casu subditus emittat.

Hanc sententiam non probauit vllo argumento Richardus: neque sanè probare potuit: nam non satis cohæret. Si enim Superior post emissum de suo consensu Votum à subdito, non potest reuocare facultatem; causa erit, quia dando facultatem, fecit subditum dominum tum illius rei, quæ fuit vouenda, tum etiam suæ voluntatis *quoad rem illam*: ex quo videtur consequens, vt non amplius possit impedire subditum inuitum ab eius Voti executione. Si autem hoc est verum; consequens etiam erit, vt neque possit ante emissum votum reuocare facultatem datam subdito ad vouendum: quia similiter dando facultatem ad vouendum videtur fecisse subditum dominum rei vouendæ, & etiam voluntatis propriæ, quoad illum determinatum vsum vouendi. Videtur igitur vel non posse reuocare facultatem ante emissum Votum; vel si id potest ante, posse etiam post.

Altera sententia est Soti vbi suprà & Caietani hîc. Hi concedunt, posse facultatem reuocari, & ante, & post emissum Votum. Ratio Caietani est. Nam quamuis Superior det subdito facultatem ad vouendum, tamen adhuc retinet dominium voluntatis subditi, & rei offerendæ per executionem Voti. Ergo quamdiu res nondum est oblata, semper poterit Superior illam facultatem reuocare, tanquam dominus. Antecedens probatur hîc à Caietano. Nam quando res aliqua conceditur alicui ad determinatum aliquem vsum, non *prius actualiter* transfertur dominium rei, quàm ille, cui conceditur, actualiter illa vtatur; sed tantùm est is dominus illius in potentia, donec actu vtatur. Sed in casu nostro, Superior tantùm concedit subdito facultatem rei (id est, voluntatis eiusdem subditi) ad determinatum vsum, videlicet vouendi & offerendi rem per executionem Voti. Ergo semper potest Superior reuocare, quamdiu subditus actu non vtitur voluntate sua vouendo & exequendo Votum.

Sed hæc probatio illius Antecedentis non videtur firma. Falsa enim est Maior. Translatio enim actualis dominij non dependet ab actuali rei vsu, sed consistit in *facultate*, quæ alteri fit, re vtendi cùm placuerit. Vnde antequam vtatur actu, *actualiter* est dominus, & non solùm *in potentia*, vt patet in omnibus contractibus & donationibus. Vt verbi gratia, si quis ab altero acciperet dono vas argenteum ad determinatum vsum, vt videlicet pro tritico commutaret, atque ita distraheret vas. Talis sine dubio antequam actu distraheret vas commutando, esset actualiter dominus illius. Similiter ergo in proposito posset contingere, nisi alia ratio affectum Superiorem, concedentem subdito facultatem vouendi, adhuc retinere dominium voluntatis subditi & rei offerendę. Nam Superior concedens eam facultatem subdito, censendus est concedere solùm facultatem, quæ sufficiat subdito, vt is & voluntate propria, & re offerenda vtatur, vouendo & exequendo Votum. Sed potest ei concedi talis facultas absque translatione dominij voluntatis propriæ in ordine ad illum vsum, & etiam rei offerendæ. Ergo non est putandus Superior ita etiam facultatem concedere, vt transferat quoque in subditum id dominium.

Maior probatur. Nam Superior solùm concedit subdito facultatem ad illum vsum. Ergo id solùm, quod satis est ad illum vsum, censendus est concedere. Item quia putandum est (quando aliud non explicatur) superiorem, minimum, quod potest, velle cedere de iure suo; maximè cùm possit postea ad bonum subditi pertinere, vt Superior tanquam adhuc dominus facultatem illam reuocet.

Iam probatur Minor. Nam optimè potest intelligi, quòd aliquis dependenter quidem ex voluntate alterius vtatur aliqua re absque rei dominio; vt patet, quando seruus ex voluntate Domini, vtitur rebus domini etiam distrahendo. Constat enim dominum posse reuocare facultatem ad id seruo datam, quandocunq; velit, conuertendo rem in alios vsus. Et propterea seruus vtitur tunc quidem licitè re sui domini etiam distrahendo, sed dependenter ex voluntate Domini, atque adeo sine rei dominio, cùm dominium sit facultas vtendi re *independenter ex voluntate alterius*, vt vidimus disput. 5. quæst. 10. p. 1. Ita igitur in proposito, Superior concedit facultatem subdito vouendi & exequendi Votum licitè, sed tamen non nisi *dependenter* ab eiusdem Superioris voluntate, atque adeo absque translatione dominij voluntatis subditi, & rei offerendæ. In quo quidem Superior non spectat propriam vtilitatem, sicut spectat dominus, cùm dat facultatem seruo; sed potissimùm vtilitatem subditi, vt videlicet possit postea illi consulere, reuocando facultatem, si oportuerit.

Quin etiamsi concederemus transferri actualiter id dominium in subditum per concessionem eius facultatis: tamen adhuc posset Superior ex rationabili causa illam reuocare irritando Votum, non tanquam repetendo id, quod suum est, sed tanquam iustè auferendo à subdito id quod esset illius proprium. Ad hoc enim etiam se extenderet auctoritas Superioris in subditum propter subditi commodum.

Cæterùm prima via probandi illam sententiam Caietani & Soti est facilior, & absque incommodo. Ac secundùm illam non solùm si ex causa rationabili Superior reuocet eam facultatem, sed etiam si sine illa, poterit subditus esse secutus in conscientia. Si autem subditus esset factus dominus per facultatem concessam: absque rationabili causa non valeret Voti irritatio; quia non potest Superior auferre à subdito, quod est illius, sine causa rationabili: potest autem pro libito vti re alioqui sua.

QVARTA quæstio est, An Votum subditi semel irritatum, reuiuiscat postea, quando is liberatur à potestate Superioris. Et tota difficultas est, cùm materia Voti est talis, quæ possit pertinere ad tempus illud, quo subditus est extra Superioris potestatem. Ad hoc Caietanus hîc, & Sotus vbi suprà, & Nauarrus capite 12. numero 65. & 66. & Sylvester, Verbo Votum tertio, quæstione 2. Simpliciter respondent negatiuè. Et ratio illorum est: quoniam Votum semel irritatum, cùm ipso facto reddatur nullum, non potest iterum habere vim obligandi, nisi fortè renouaretur. Et confirmant hoc ex capit. *Quidam*, & capit. *Placet*. Extra de conuersione coniugatorum. Ex quibus capit. patet, coniugem, cuius professio irritata fuit ab altero coniuge, non teneri mortuo illo ad Religionem redire. Vnde videtur vinculum voti nunquam reuiuiscere, quamuis quis liberetur à potestate alterius, qui irritauit.

Si res tamen diligentius consideretur, videtur opus hîc esse distinctione. Nam quamuis verissimum est, quod hi Doctores aiunt, votum semel verè & *secundùm se totum* irritatum nunquam postea reuiuiscere, dispiciendum tamen est, quandonam potuerit illud totum secundùm se irritari, atque adeo verè fuerit simpliciter irritatum; & quando id fieri non potuerit, atque adeo solùm fuerit irritatum quoad aliquod tempus, nimirum quo vouens sit subditus.

Ita igitur est DISTINGVENDVM. Si is, cuius Votum fuit irritatum, erat subditus non solùm quoad rem oblatam per Votum, sed etiam *quoad voluntatem*, per quam vouit, sicut est Religiosus, & puer ante decimum quartum annum; existimandum est, *secundùm se totum* illud fuisse irritatum, neque amplius ad aliquid obligare, vt verè ponit istorum Doctorum sententia. Videtur namque Superior irritans votum talis subditi, velle tollere totum Voti vinculum; nisi fortè declararet, se tantùm velle tollere quoad tempus, &c.

Si autem quis erat subditus tantùm *quoad rem oblatam*, & ea res sit eiusmodi, quæ maneat in potestate subditi, postquam is à Superioris potestate eximitur, vt si vouisset dare certam eleemosynam singulis hebdomadis per totam vitam: omnino Votum videtur obligare, quando talis subditus liberatur à potestate alterius. Ratio est: quoniam Superior non potest irritare Votum talis subditi, nisi quatenus potest illi subtrahere materiam oblatam. Sed non potest subtrahere materiam oblatam, nisi pro tempore, quo vouens est illi subditus. Ergo non potest irritare Votum simpliciter, sed

tantùm

tantùm quoad illud tempus; atque adeo elapſo tempore ſubiectionis, ſeruandum eſt à ſubdito id Votum. Maior eſt nota, quandoquidem tantùm eſt ſuperior quoad rem oblatam. Minor probatur: quia pro illo duntaxat tempore materia Voti eſt in ſuperioris poteſtate.

Atque hæc ipſa videtur fuiſſe opinio eorum, qui vt refert Sotus lib.7.de Iuſtitia, quæſt.3. art.1. tribuens eam etiam Paludano in 4. d. 48. quæſt. 4. ad propoſitam quæſtionem reſponderunt diſtinguendo, quòd ſi ſubditus erat *pubes*, Votum reuiuiſcit: ſi verò erat *puer*, qui nondum attigerat decimum quartum annum, non reuiuiſcit, ſed ſimpliciter irritatur. Hoc enim ideo verum eſt, quia ſi eſt pubes, tantum eſt ſubditus quoad Voti materiam, atque adeo non tollitur ſimpliciter Voti vinculum, ſed pro tempore: ſi verò eſt puer, eſt etiam ſubditus quoad voluntatem, atque ita tollitur omnino vinculum.

Ad rationem autem prioris ſententiæ reſpondeo, illàm tantùm probare, non reuiuiſcere poſtea Votum ſubditi irritatum, ſi is fuit ſubditus etiam ſecundùm voluntatem, qua vouit: aliàs enim vinculum Voti de materia pertinente ad tempus libertatis, non poteſt ſimpliciter tolli.

Ad illa verò duo capitulà, quatenus procedunt de perſona exiſtente in alterius poteſtate *ſolum quoad rem oblatam*, reſpondeo, ex primo quidem, videlicet ex capit. *Quidam*, potius ſumi poſſe argumentum in confirmationem noſtræ ſententiæ. Nam illic definitur, coniugem, qui inuito altero coniuge, profeſſus eſt, teneri ex vi illius Voti ad non exigendum debitum. Et ratio dicitur eſſe: quia id non dependebat à poteſtate alterius coniugis, atque adeo non potuit irritari ab eo Votum quoad hoc.

Similiter igitur argumentari poſſumus ad noſtrum propoſitum; Votum eius, qui *quoad rem tantùm oblatam* fuit ſubditus, irritatum à ſuperiore, obligare pro eo tempore, quo ſubditus non eſt amplius quoad rem oblatam in ſuperioris poteſtate: quia pro illo tempore non potuit à Superiori ſubtrahi Voto illa materia.

Quare autem Pontifex ibi affirmauerit, non teneri talem coniugem ad ingreſſum etiam Religionis, mortuo altero coniuge; ratio videtur fuiſſe primò: quia ille inter profitendum habuerat malam intentionem, videlicet permanendi in Religione ſemper, etiam inuito altero coniuge: ac proinde quoad hoc, Votum fuit nullum, cùm fuerit dere mala. Et hoc inſinuatur, cùm ibi dicitur in textu, talem *inuita vxore intrauiſſe Monaſterium & vouiſſe*, nimirum animo in Religione manendi (vt Profeſsi ſolent) quantumuis inuita vxore.

Deinde ratio etiàm cur id Pontifex affirmauerit, fuit, quia vt maximè Votum talis coniugis fuiſſet factum ſine ea mala intentione, tamen non fuit *vera profeſſio*, quandoquidem non fuit validum Votum talis quoad ſeruandam *omnimodam caſtitatem*, ſed tantùm quoad caſtitatem *in non exigendo debito*, cùm aliud (vt ibidem dicitur) non fuerit in poteſtate eius promittere vxore inuita. Profeſsio autem requirit Votum *caſtitatis omnimodæ*. Itaque cùm talis minimè validè fuerit profeſſus; rectè dixit Pontifex non teneri, mortua etiam coniuge, redire ad Monaſterium.

Ad capit. verò *Placet* reſpondeo, ſimiliter potius fauere nobis. Nam ibi etiam dicitur, mulierem, quæ inſcio altero coniuge, profeſionem fecit, feciſſe validum Votum *de non exigendo quidem debito*, quia id non erat in poteſtate mariti: quamuis non fecerit verum & validum Votum Religionis & profeſionis religioſæ, quia quoad hoc pendebat ex poteſtate mariti. Itaque ibi definitur, eam mulierem etiam mortuo marito teneri ex vi illius Voti ad illam caſtitatem, quam ex ſua quidem parte vouit, ſcilicet *non exigendi debitum* (id quod noſtræ ſententiæ fauet) neque tamen cogendam tunc, vt redeat ad Monaſterium, cùm *profeſsio* quidem inualida fuerit, propter rationem iam à nobis expoſitam circa cap. *Quidam*.

Quinta quæſtio eſt, An omne Votum, quod ſubditus facit explendum pro tempore, quo ſit ſui iuris, poſsit à ſuperiore irritari? Vt verbi gratia, ſi adoleſcens promitteret ſe facturum eleemoſynam, quando fuerit emancipatus. Ad hoc Caietanus hîc artic. 8. ſimpliciter reſpondet negatiuè. Ratio illius eſt: quia pro *illo tempore* materia non eſt in poteſtate ſuperioris. Syluester autem Verbo Religio ſecundo, quæſt. 15. contra abſolutè reſpondet poſſe irritari. Et hoc placet Soto vbi ſuprà: quoniam, inquit, ſatis eſt, vt pro illo tempore, quo Votum emittitur, vouens ſit in poteſtate alterius.

Sed hîc etiam opus eſt eadem diſtinctione. Nam ſi eſt ſubditus ſolùm *quoad rem* quam vouet, vera eſt opinio Caietani, & ratio eius optima, & eodem modo intelligendus eſt Nauarrus cap. 12. num. 65. quando approbat in hoc ſententiam Caietani. Si verò quis ſubditus ſit etiam *quoad voluntatem*, per quam vouet, tunc vera eſt ſententia Syluestri & Soti. Nam licet tunc non poſsit irritari Votum ex parte materiæ, poteſt tamen irritari propter ſubiectionem voluntatis, qua fuit emiſſum.

Sexta quæſtio eſt, Vtrum omnia omnino Vota Religioſi poſsint irritari à Prælato, etiamſi ſint de rebus, quæ non ſunt in poteſtate Prælati; Vt ſi voueret, ſe non furaturum, vel bibi gratia, aut non dicturum mendacium. Caietanus abſolutè reſpondet negatiuè: quia talis materia non eſt in poteſtate Prælati, cùm ſit præcepta iure naturali. Vnde quod ſanctus Thomas hîc dicit in ſolutione tertij, *nullum Votum Religioſi eſſe firmum ſine conſenſu Prælati*, inquit

inquit Caietanus intelligendum eſſe de Votis, quæ fiunt de operibus ſupererogationis; ſiue ſint præcepta per regulam Religionis, in qua poteſt Prælatus diſpenſare, & quæ ideo ſubiacet illius poteſtati; ſiue non ſit præcepta per Regulam.

Cæterùm Caietanus hîc quoque deficit. Nam non reſpicit ad ſubiectionem *ex parte voluntatis* qua Religioſus vouet. Vnde verius eſt quod Nauarrus cap. 12. num. 65. & Sotus lib. 7. de Iuſtitia, quæſt. 3. art. 1. ſentiunt: ſimpliciter omnia Vota Religioſi, etiam de præceptis naturalibus poſſe irritari à Prælato. Quamuis enim eiuſmodi materia præceptorum naturalium non ſit in poteſtate Prælati, quatenus ad eam ſubditus eſt obligatus per eiuſmodi præcepta, eſt tamen in poteſtate Prælati, quatenus ad eam poteſt ſubditus obligari vel non obligari per obligationem peculiarem virtutis Religionis ortam *ex vinculo Voti*, atque adeo *ex ſubditi voluntate* ſubiecta meritò quoad hoc ſuo Prælato. Ad quem proinde ſpectat videre an expediat, nec ne, ſubdito, obligari quoque peculiari eo vinculo.

Vltima huius generis quæſtio eſt, Quonam modo vxor ſit ſubdita viro, quod attinet ad emittenda Vota; an *quoad voluntatem etiam*, ſicut Religioſus & puer, vel ſolùm quoad *poteſtatem proprij corporis, & res familiares*. Sotus vbi ſuprà putat eſſe ſubditam viro, ſicut eſt Religioſus ſuo Prælato, atque adeo poſſe virum irritare omnia omnino Vota vxoris. Quod videtur poſſe confirmari ex illo dicto Apoſtoli: *Caput mulieris vir.* 1. Cor. 11. Et ſecundùm hoc omnia omnino Vota vxoris poteſt irritare vir.

Cæterùm verius videtur, quod Nauarrus cenſet vbi ſuprà, ſolùm poſſe à viro irritari ea vxoris vota, quæ ſunt in præiudicium illius; ſiue fuerint emiſſa ante matrimonium, ſiue poſt; per capit. *Noluit* 33. quæſt. 5. Non enim videtur maritus eſſe caput mulieris ſpirituale, ſed tantùm politicum. Et idem iudicium eſt de *domino*, reſpectu *ſerui*. Non enim eſt ſuperior, niſi quoad illa, quæ poſſunt præiudicare iuri herili.

Ex hoc diiudicari debet, in quibus Votis vxoris habeat maritus poteſtatem irritandi; & contra etiam, quæ Vota mariti poſsit vxor irritare. Nam quoad fidem tori ſunt pares ex ſententia omnium. Et ideo vterque poteſt alterius Votum *omnimodæ continentiæ* irritare, vt patet ex capit. *Quidam*, & capit. *Placet*. Extra de conuerſione coniugatorum, quæ ſuprà explicaui. Item; quia vir eſt caput in rebus pertinentibus ad adminiſtrationem domeſticam, multa Vota vxoris circa huiuſmodi poteſt irritare, quæ contra non poſſet vxor, ſi eſſent facta à viro.

Exiſtit autem hîc peculiare Dvbivm circa Votum coniugis de caſtitate non omnimoda, ſed *in non exigendo debitum*, Vtrum alter coniux poſsit illud irritare. Neque enim ſatis videtur de hoc conuenire inter Doctores. Et ſanè ex dicto capit. *Quidam*, & capit. *Placet*. Extra de conuerſione coniugatorum, videtur apertè colligi, quòd non poſsit: & ita etiam aſſerit Nauarrus, capite 12. numero 64. & 65. Niſi in caſu, inquit, quo coniux propter tale Votum *non exigendi*, peccaret fornicando ſpiritualiter aut carnaliter. Et citat ad hoc cap. *Agathoſa* 27. quæſt. 2. quanquam non videtur hæc exceptio clarè colligi ex illo cap.

Syluester autem Verbo Votum 5. quæſt. 2. arbitratur, ſi coniux faciat Votum *non exigendi in gratiam ſui*, non poſſe alterum coniugem tale Votum irritare; quia non eſt in præiudicium illius: Si autem faceret Votum *nunquam exigendi*, neque in gratiam ſui, neque gratiam alterius coniugis, tunc, inquit, Votum poſſet irritari ab altero coniuge; quoniam eſſet illi nimis oneroſum & graue ſemper petere: atque adeo eſſet in præiudicium eius.

Sotus verò quæſt. 3. artic. 1. lib. 7. de Iuſtitia, limitat ſententiam hanc Syluestri, quando videlicet Votum non exigendi eſſet factum non ab vxore, ſed à marito. Id enim Votum propter pudorem fœminis innatum, nimis oneroſum eſſet vxori. Addit tamen tutius eſſe, vt adhuc tunc petatur diſpenſatio ab Epiſcopo, quæ facilè eſſet concedenda.

Mihi ſententia Nauarri videtur verior. Nam quod dicitur de pudore, &c. videtur nimis accidentarium. Neque coniux habet ius, vt cogat alterum ad petendum, ſed ſolùm ad reddendum. Atque hoc eſt magis conſentaneum illis textibus cap. *Quidam*, & cap. *Placet*.

Hactenus dictum eſt, quatenus poſsint vouere ſubditi, & ij qui ſunt in alterius poteſtate. Nunc videndum eſt etiam, an & quatenus poſſint vouere Pveri. Qua de re diſſerit D. Thomas art. 9. Et Primo certum eſt, pueros qui necdum habent vſum liberum rationis, nullo Voto obligare ſe poſſe, vt docet D. Thomas hîc communiter receptus.

Secvndo veriſimum etiam eſt, quod idem docet, ſi puer ante decimumquartum annum habet vſum rationis, atque ita eſt (vt dicitur) *doli capax*, poſſe, quantum eſt in ſe, obligare ſe quocunque voto *ſimplici*; etiam Religionis, ita tamen, vt parens poſsit quodcunque Votum tale irritare. Nam cùm pueri ante decimumquartum annum, vt plurimum, non habeant vſum rationis; lex humana, quæ reſpicit id, quod eſt vt plurimum, ſubiicit voluntatem puerorum in illa ætate parentibus, & idcirco nullum Votum illorum eſt firmum abſque parentum conſenſu.

Atque hoc totum eſſe etiam verum de voto ſimplici Religionis (vt dixi) rectè Nauarrus in Manuali, capite 12. numero 68. & Syluester, Verbo Votum 3. quæſtione quinta contra aliquos notauerunt. Ac obſeruandum eſt, *ante illos annos pubertatis* omnia Vota omnino, ſiue ſint *realia*,

ſiue

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue personalia *purè*, vt Votum de oratione, siue *mixta* ex reali & personali, posse à parentibus irritari: propterea quòd non solùm quoad rem, sed etiam quoad voluntatem sunt tunc subiecti pueri. Post *pubertatẽ verò* personalia non possunt, neque etiam mixta, quę per se primò sunt personalia, vt Votum de peregrinatione; sicut bene notauit Nauarrus n. 68. & 70. quia accessorium sequitur naturam principalis.

Dvbivm autem hîc est, An Votum personale à puero emissum ante annos pubertatis, neque post eos annos ab eo confirmatum, possit parens elapsis illis annis irritare, quando intra illos id non fecit. Sotus lib. 7. de Iustitia, q. 3. art. 2. negat: quoniam iam non habet parens potestatem in his, quæ pertinent ad personam pueri. Et confirmat ex eo, quòd dominus non potest irritare Vota serui, postquam is est emancipatus, etiam si fuerint emissa, quando erat seruus. Ergo neque parens in proposito.

Nihilominus probabilius est, posse adhuc parentem id Votum irritare. Ita Nauarrus vbi suprà n. 71. & Caietanus infrà q. 189. art. 5. Vnde ad argumentum Soti respondeo, parentem habere adhuc potestatem quoad illum actum præteritum, quo puer vouit: quandoquidem fuit elicitus per voluntatem parenti subiectam, & adhuc pendet obligatio eius ex parentis consensu, sicut & ante pendebat. Itaque irritat tunc Pater id Votum non tanquam habens adhuc simpliciter potestatem *in voluntatem filij*, sed tanquam is, ex cuius consensu tanquam ex conditione pendet adhuc vis illius Voti: siquidem *sub conditione* fuit emissum, si parens consentiat, & is necdum consensit, nec filius illud (vt supponimus) absolutè ratificauit sine tali conditione, postquam habere incepit voluntatem non subiectam in his parenti.

Ad illud autem exemplum de *seruo* dico esse eandem rationem, si Votum fuerit *reale* præiudicans domino. Secus, si fuisset *personale*, & non præiudicans domino: quia Dominus non est superior quoad voluntatem serui simpliciter.

Ac notant optimè Caietanus & Nauarrus locis citatis, ad ratificationem Voti post annos pubertatis non sufficere, quòd adolescens putet Votum ante annos illos ab se emissum, fuisse validum, & ideo illud seruet; etiamsi id faciat millies (vt inquit Caietanus) sed requiri, vt denuò velit ad idem se obligare: siquidem Votum non est *opimo intellectus*, sed pendet inprimis ex eiusmodi voluntate.

Tertio certum etiam est, neq; puerum ante decimum quartum annum, neque puellam ante duodecimum, posse se obligare Voto *solenni* Religionis, quantumcunq; sint doli capaces; vt docet hîc D. Thomas ex Iure antiquo in cap. *Non solum*, de Voto & voti redempt. lib. 6. vbi ita statutum fuit ab Ecclesia, ex qua pendet modus solennitatis Voti, vt p. præced. dictum est.

Quinimò iure nouo Concilij Tridentini sess. 25. cap. 15. de Regularibus, statutum est, vt nullus neque mas, neq; fœmina ante decimum sextum ætatis annum completum, & integrum annum probationis, professionem emittat, & si emiserit, omninò sit irrita, nullam obligationem inducens. Per quod videtur ex parte corrigi ius antiquum in cap. *Placet*, & cap. *Quidam*. de conuers. coniugatorum. Siquidem ex his capitulis colligitur, professionem alioqui irritam habere vim Voti simplicis quoad obligationem *non exigendi debitum*. Quanquam non obstantibus his capitibus Sotus vbi suprà idem dixit, videlicet nullam obligationem oriri ex professione facta ante tempus statutum ab Ecclesia.

Sed occurrunt argumenta duo contra hoc; quæ oportet refellere. *Primum* est, quòd matrimonium inter impuberes, qui & habeant vsum rationis, & ita sint doli capaces, vt possint generare, valet; vt patet ex capit. *De illis*. Extra de desponsatione impuberum. Ergo etiam valebit eorum professio solennis. Si enim possunt tales pueri se tradere homini per matrimonium, cur non Deo per professionem? *Secundum* est, quòd si tales pueri suscipiant sacrum ordinem; votum continentiæ annexum, erit in illis solenne per susceptionem sacri ordinis. Ergo etiam poterit esse per professionem.

In contrarium est statutum Ecclesiæ: quæ illam ætatem præscripsit ad professionem. Et cum hæc res dependeat ex voluntate Ecclesiæ, hoc sufficit. Vnde ad hæc duo argumenta respondeo non esse simile. Nam vt rectè inquit hîc Caietanus, per professionem *moritur homo ciuiliter*. Per matrimonium autem, & per susceptionem Ordinis, non item. Vnde meritò constituta est certa ætas pro professione. Item in ordine & matrimonio contrahendo interueniunt Sacramenta. In professione verò nullum Sacramentum interuenit.

PVNCTVM SEPTIMVM.

An & quibus modis possit quis liberari ab obligatione Voti.

D. Thomas art. 10. 11. 12.

Sententia communis & vera est, quatuor modis posse tolli obligationem Voti, atque adeo enerui ipsum Votum, à quo est nimirum inseparabilis obligatio. Primo per *manifestum* rei, aut circumstantiarum mutationem, atque adeo per interpretationem epiceiæ, sine auctoritate Superioris; quando ipsa materia Voti desinit esse aut *possibilis*, aut *bona & vtilis*, aut *melior*, &c. iuxta ea, quæ disseruimus p. 4. Secundo per *irritationẽ* factam ab eo, in cuius potestate erat is, qui vouit; iuxta est, quæ disseruimus p. præced. Tertio per *dispensationem*, factam auctoritate superioris. Quarto per *commutationem* auctoritate quoque Superioris factam; quæ tamen in hoc à dispensatione differt, quòd per dispensationem simpliciter tollitur Voti obligatio; per commutationem verò non simpliciter, sed quoad illam certam materiam, quam quis vouerat: Siquidem per commutationem tantummodò mutatur Voti materia.

Cùm autem de duobus prioribus modis satis superque p. 4. & 6. disputatum sit; nunc solùm supereſt, vt disseramus de duobus vltimis, scilicet de Dispensatione & Commutatione. Ac inprimis quidem certum est, posse per auctoritatem Superioris in Voto Dispensari. Id patet primò ex praxi Ecclesiæ. Deinde probatur à diuo Thoma hîc articulo decimo ratione, quam ita formo: Dispensare in Voto est *determinare*, *Votum non esse seruandum*. Sed hoc aliquando oportet fieri. Ergo. Maior patet. Nam dispensatio Voti est sicut dispensatio legis. Imponit enim vouens sibi legem quandam. Sed dispensare in lege est determinare, legem non esse seruandam. Ergo similiter, &c. Minor probatur. Nam sicut accidere potest, vt quod præcipit lex, etsi vt plurimum sit bonum, tamen in aliquo casu non sit bonum; atque adeò determinandum sit, illam non esse tunc seruandam: ita etiam in aliquo casu potest non esse bonum, quod est promissum per Votum; vt si fiat vel illicitum, vel inutile, vel impeditiuum maioris boni. Ergo sicut sæpe oportet dispensare in lege: ita etiam in Voto.

Sed aduersus hanc rationem S. Thomæ posset quis obiicere, quòd non videtur bona illa descriptio dispẽsationis Voti posita in Maiori propositione. Nam ex sententia omnium, *dispensatio* Voti differt ab *interpretatione* eius per ἐπείκειαν, & à *commutatione* & *irritatione*. Sed hæc differentia non explicatur per illam descriptionem. Ergo non est bona illa descriptio. Probatur Minor: quia tantùm traditur in illa id, in quo omnia ista quatuor conueniunt. Vt enim patet considranti, omnibus his modis *determinatur*, *votum non esse seruandum*.

Respondeo, sanctum Thomam illis verbis etiam insinuâsse differentiam Dispensationis ab illis tribus. Pro cuius declaratione aduertendum est breuiter, *interpretationem & irritationem Voti* in hoc conuenire, quòd non supponunt fuisse antea verum vinculum Voti, obligãs hominem; atque adeò nunquam tollunt vinculum Voti, quod antea in re obligauerit. *Interpretatio* enim est declarare id, quod vnicuique intelligenti posset esse euidens, videlicet in tali casu Votum non esse verè Votum obligans. Ex quo patet, antequam ipsam quoque interpretationem Votum in re fuisse nullum. *Irritatio item* non supponit Votum verè obligauisse: siquidem erat illud dependens donec Superior præberet assensum: *Commutatio* denique quamuis supponat verum fuisse Votum & obligans: tamen non tollit simpliciter vinculum Voti præcedentis: in quo conuenit cũ interpretatione & irritatione; sed duntaxat *mutat materiam* siue obiectum eius vinculi. *Dispensatio* verò & supponit sæpè, verum in re fuisse Votum, per quod differt ab irritatione & interpretatione; & præterea *tollit simpliciter* vinculum illius, per quod differt à commutatione. Habet enim dispensatio tunc propriè locum, quando *dubium est*, vtrum Votum in re verè obliget, an non. In quo casu quamuis fortè in re verè Votum obligaret, tamen accedente auctoritate & iudicio Prælati Ecclesiastici, ex rationabili causa statuentis & iudicantis, Votũ non esse seruandum; relaxatur vinculum Voti, ne perpetuò oporteat animum vouentis hærere. Neque Deus post tale iudicium rationabile Prælati Ecclesiastici, fidem eius, qui vouit, obstrictam sibi retinet; quandoquidẽ is conformans se iudicio rationabili Prælati vicem Dei tenentis, tuta conscientia potest nunquam postea Votum seruare.

Atq; hanc differentiam dispensationis à commutatione, interpretatione, & irritatione, diuus Thomas insinuauit, cùm dixit, per dispensationem determinari, *Votum non esse seruandum*, nimirum etiam in casu, quo ante dispensationem verè obligauerit in re Votum. Tollitur enim tunc etiam vinculum illius, vt rectè etiã notauit Sotus lib. 7. de Iustitia, quæst. 4. art. 1. & patet ex iis, quæ de Dispensatione generatim disseruimus tom. 2. quæstione 4. de Legibus. punct. 6. Vbi etiam declarauimus, quo pacto Prælatus dispensans in Voto, non dispenset in iure naturali & diuino. Ius enim naturale nõ dictat, opus promissum exequendum esse, nisi durante vinculo Voti: quod tollitur, vt diximus, auctoritate Prælati. Itaq; non facit Prælatus, vt sit licitum illud, quod iure naturæ non est licitum, videlicet *non exequi Votum*. Hoc enim non iubet ius naturę, nisi quamdiu durat Votum: id quod rectè explicat sanctus Thomas hîc articulo decimo in solutione secundi argumenti.

Sed cùm hæc ita sint, duo præterea explicanda & differenda restant in proposito. Vnvm est, an in omni omnino Voto possit dispensari; de quo disserit D. Thomas artic. 11. Altervm est, Quænam requirantur, vt ritè fiat dispensatio vel etiam commutatio Voti; de quo D. Thomas disserit art. 12.

Et quod ad Primvm attinet, Controuersia potissimùm est, num dispensari possit in Voto *solenni* Castitatis per professionem Religionis facto. Nam non dubitatur, quin in Votis quibuscunque simplicibus dispensari possit: atque etiam in Voto solenni continentiæ annexo ordinibus sacris, vt docet D. Thomas hîc art. 11. & communiter alij, sicut videre est apud Syluestrum, V. Votum. 4. q. 5. Neq; etiam de Voto solenni Obedientiæ & Paupertatis præcipua concertatio est, sed de Voto, vt dixi, *Continentiæ*.

Est autem sententia S. Thomæ hîc art. 11. neutiquam posse etiã à Summo Pontifice dispensari in Voto solenni Religionis, ac potissimum Continentiæ. Probat is hanc sententiam quadam ratiocinatione, quam, vt tota eius vis melius appareat, redigo in hanc formam. Religiosus hoc ipso, quòd per votum solenne est factus Religiosus, ex natura huius status tenetur seruare continentiam. Sed Papa non potest facere ex Religioso non Religiosum. Ergo non potest facere, vt Religiosus non sit Religiosus.

Atque hanc sententiam sancti Thomæ sequitur Sylvester, V. Votum 4. q. 5. & Sotus libro 7. de Iustitia, quæstione 4. artic. 2. & fuit etiam Alberti Magni in 4. dist. 38. ar. 16. & Altisiodorensis lib. 3. suæ Summæ. tract. 22. cap. 1. q. 2. & in eam inclinat magis (licet dubius) Bonauentura in 4. dist. 38. art. 2. q. 3.

Contraria verò sententia, videlicet posse dispensari in Voto solenni per professionem, cõmunior est. Ita Hericus Gandauen. quodlib. 5. q. 28. & Richardus in 4. d. 38. artic. 9. quæst. 1. & Durandus ead. dist. quæstione 2. & Paludanus q. 4. & Maior q. 3. & Nauarrus in Manuali, cap. 12. n. 71. & D. Antoninus 3. p. tit. 22. ca. 7. & Caietanus hîc & alij plures, quos Sylvester citat.

Vtra autem istarum sententiarum sit verior, videndum est, expendendo vtriusq; rationes. Ac illi quidem, qui sanctum Thomam sequuntur, ex *Scriptura* nullum locũ firmum proferre possunt pro illa sententia. Nam quod citari solet ex cap. vltimo Leuit. *Animal, quod quis deuouit Deo, sanctum erit, nec mutari poterit, &c.* non facit ad propositum. Vt enim inquit Caietan. hîc art. 11. illa lex erat cerimonialis. Id quod manifestè patet ex eo, quod in eodem capite fiebat facultas alias res commutandi, quæ Deo deuouebantur & consecrabantur. Vel fortè sensus erat, non posse mutari absq; auctoritate Sacerdotis.

Nec rursus probatur sufficienter ea sententia per illud testimonium Ecclesiast. 26. quo vtuntur Albertus, & Altisiodorensis: *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.* Non enim hîc anteponitur bonum continentiæ omnibus omnino bonis, aut priuatis animæ, aut communib. Reipubliçæ, ob quæ possit dispensari: cùm constet bonum orationis, contemplationis, religionis, martyrij, &c. esse maius. Sed anteferturibi animæ continentia & sanctitas omnibus bonis *externis*, vt opibus, &c. sicut rectè notauit diuus Thomas hîc ad 4. & Richardus vbi suprà ad 3. argumentum. Vnde ipse quoque sanctus Thomas hîc ostendit, testimonium hoc non esse sufficiens ad suam sententiam probandam. Sed neque sufficienter probatur ea sententia ex Capit. *Cum ad Monasterium.* Extra de statu Monach. vt infrà videbimus.

Itaque cùm *testimonia* desint pro ea sententia, oportet, si probanda est, *rationes* ducere ex variis, quæ in Voto solenni Religiosi considerari possunt. Hęc autem, generatim loquendo, sunt quatuor. Videlicet *materia* Voti, hoc est, ipsa continentia; *perpetuitas* illius; *ratio promissionis*, in qua conuenit Votum solenne cum Voto simplici; & denique *solennitas* illius, in qua differt à simplici.

Porrò rationes, quas aliqui petunt ex *materia & perpetuitate* Voti huius, sufficienter refellit S. Thomas hîc art. 11. tanquam inefficaces pro sua sententia. Ex *promissione* item ratio efficax sumi non potest. Alioquin æquè probaretur, in nullo omnino Voto dispensari posse, cùm de ratione cuiuscunq; Voti sit promissio.

Restat igitur, vt si illa sententia vera est, probari debeat ex *solennitate* talis Voti. Et quidem si ea in *solo statuto Ecclesiæ* ponatur; constat potius ex illa probari, quòd possit in hoc Voto dispensari. Si autem ponatur in *benedictione spirituali*; cùm ea positio falsa sit, vt ostensum est p. 5. vt minimum oportebit ex hac parte claudicare argumentum, quod pro sententia sancti Thomæ sumatur ex solennitate sic intellecta. Atque hinc inprimis deficere videtur ratio sancti Thomæ in hoc articulo 11.

Quanquam dato etiam, quod solennitas consistat in eiusmodi spirituali benedictione, videtur ratio illa inefficax. Responderi enim posset, concedẽdo Maiorem, intellectam de Religioso, vt iam est Religiosus, per obligationem quoque Votorum, & negando Minorẽ. Et ad probationẽ posset etiam negari, Religiosum constituiin Esse Religiosi per solam benedictionem spiritualem; cõstituitur enim etiam per obligationem trium Votorũ: quæ obligatio cùm extrinsecè se habeat ad illam benedictionem; posset ex rationabili causa à benedictione separari relaxãdo promissionem Votorum. Qua quidem obligatione separata, nõ ita oriretur ex sola benedictione spirituali obligatio ad seruandam continentiam; vt

in casu

in casu necessitatis non posset persona sic benedicta contrahere matrimonium. Id quod dupliciter confirmari potest.

Primò, quoniam vt rectè disserit hîc Caietanus, illa benedictio Religiosi non est constitutiua ipsius Religiosi in *aliquo esse sacro* ex natura rei destinato ad continentiam. Non enim inprimitur per illam aliqua qualitas spiritualis ordinata naturaliter ad continentiam. Id enim dicere; ridiculum figmentum esset, vt etiam ait Sotus. Neque etiam peculiariter ex aliquo statuto Ecclesiæ aut diuino destinatur Religiosus per illam benedictionem ad sola opera continentiæ, sicut destinantur corporalia, verbi gratia, ad altaris ministerium. Sed solùm, inquit Caietanus, ea benedictio est inuocatiua diuini numinis, vt præstò adsit Religioso. Constat autem, ait idem, benedictiones inuocatiuas nõ reddere res inhabiles ad communes vsus, vt patet in naui benedicta, pane, vino, &c. & in rebus aliis vtensilibus.

Secundò, nam etiam dato, quòd eiusmodi benedictio esset etiam constitutiua Religiosi in tali Esse sacro destinato ex natura rei ad continentiam; tamen in casu necessitatis vrgentis posset licitè persona Religiosa ad alios vsus transferri; Deo vel Ecclesia, cuius auctoritate facta fuisset illa peculiaris destinatio ad opera sacra, rationabiliter tunc dispensante. Quemadmodum (vt inquit probabiliter Durand. vbi suprà) in casu, quo aliquis Laicus periculosissimè sitiret, nec posset bibere, nisi per calicem consecratum; licitè in tali necessitate vteretur illo ad bibendum: Sic enim legimus 1. Reg. 21. Dauid, & qui cum eo erant, vsos fuisse in necessitate panibus Deo sacratis.

Et si contra hæc obiiciatur *primò*, quòd fertur, D. Matthæum nullo modo voluisse dispensare cum Iphigenia virgine Deo sacrata; *Respondeti* potest primò, non constare, D. Matthęum habuisse tunc causam sufficientem dispensandi propter consequendum aliquod magnum bonum, si dispensare vellet; vel propter vitandũ aliquod magnum malum, si nollet: Sed tantùm videtur certum, illum interfectũ fuisse propterea, quòd fuerit auctor Iphigeniæ talis Voti. Secundò dici posset, ferè potius constare contrarium. Nam vt optimè censet Caietanus hîc art. 11. tunc temporis, vtpote in initio nascentis Ecclesiæ, non tam fuit expediens Religionem Christianam propagari relaxatione eorum, quæ ad ipsam Religionẽ pertinent, quàm sanguinis effusione pro illorum constanti obseruatione.

Si præterea obiiciat aliquis *secundò* in confirmationem sententiæ & rationis D. Thomæ, Capitulum *Cùm ad Monasterium.* Extra de statu Monach. vbi Pontifex eadem ratione videtur vti ad probandam indispensabilitatem solẽnis Voti, cùm inquit: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ Monachali, vt contra eam neque Summus Pontifex possit indulgere:*

Respondeti potest, quod Caietanus hîc, & Richardus, & Durandus, & alij vbi suprà respondent. Videlicet id intelligendum esse, suppositò, quòd Monachus talis sit, quales iam Religiosi solent esse, videlicet manentes in obseruantia illa vitæ communis & regularis, quam colunt iam, cùm sunt obligati ad tria Vota. Cæterùm (vt inquiunt hi Doctores) potest fieri aliquis ex tali Monacho nõ Monachus, & tunc erit illi licitum matrimonium. Vel dici posset, illum Pontificem non id definiuisse, sed tanquam Doctorem fuisse illius opinionis: sicut hoc modo palam concedit hîc Sotus, circa hoc contraria fuisse opinatos Pontifices. Citant enim Doctores alterius opinionis pro se quoq; facta Pontificum.

Cùm igitur ex solennitate, quæ *in benedictione spirituali* consistat, non ducatur efficax argumentum ad probandam sententiã S. Thomæ; Videndum restat, vtrum possit duci ex solennitate, quę consistat (vt in rei veritate consistit) in *traditione personæ* modo, quo suprà declarauimus pun. 5. Et quidem Sotus omnino existimat. Consistit autem vis rationis eius in hoc: Id, quod est contra ius naturæ & diuinum, non potest fieri licitum per dispensationem. Sed quòd persona actualiter tradita Deo per professionem, cõtrahat matrimonium, est contra ius naturæ & diuinum. Ergo non potest fieri licitum per dispensationẽ. Maior probatur: quia quod est contra ius naturæ, intrinsecè est malum. Minor probata & declarata fuit suprà p. 5. Et confirmat Sotus hanc rationem ex eo, quòd, vt inquit, per nullam humanam potestatem potest ab homine auferri id, cuius est dominus. Ergo multò minus poterit auferri à Deo ea persona, cuius ipse peculiariter est dominus.

Sed huius quoque rationis solutio facilis est. Concessa enim Maiori, distingui potest Minor. Nam quod dicitur, esse contra ius naturæ, vt persona Deo tradita contrahat matrimonium, verũ est, posito, quòd adhuc Deus retineat peculiare dominium illius. Posito autem, quòd Deus accõmodando se iudicio rationabili Ecclesiæ, manumittat (vt sic dicam) eam personam, & reddat illi iterum sui dominium; falsum est, quod sit cõtra ius naturæ, vt talis persona matrimonium contrahat. Atque hoc posteriori modo duntaxat fit licitum per dispensationem, vt persona actualiter antea Deo tradita, tradat se alteri per matrimonium. Et ita nihil per hoc fit contra ius naturæ. Sicut etiam quando dispensatur in Voto simplici, nihil fit contra ius naturæ: quia non fit tunc vt oppositum materiæ Voti liceat, Deo adhuc retinẽte Voti vinculum. Tunc enim contra ius naturæ esset non exequi Votum; sed fit id licitum per dispensationem, Deo simul relaxante promissionem sibi factam, iuxta Ecclesiæ iudicium, sicut puncto præceden. explicauimus ex doctrina S. Thomæ.

Confirmatio verò, quam Sotus pro suo argu-

mento affert, potius infirmat illud, & confirmat solutionem eius à nobis datam. Nam quamuis humana potestas non possit pro libito facere, vt aliquis licitè vtatur re alterius, suppositio, quòd dominium eius rei maneat apud illum alterum: tamen potest sine controuersia ex causa rationabili in multis casibus dominium rei transferre ex vno in alterum: quo facto alter licitè vtitur ea re tanquam Dominus. Sic igitur in proposito potest rectè intelligi, quòd Pontifex suo iudicio & determinatione rationabili, veluti obtineat à Deo, vt manumittat personam sibi antea traditam: quo facto iam licet illi personæ contrahere matrimonium.

Itaque minus circumspectè Sotus ratiocinatus est, eò quòd solennitas Voti est de iure diuino & naturali, colligens, Votum solenne professionis esse indispensabile. Melius multo Doctores alij rem hanc intellexerunt, qui tametsi solennitatem in *traditione* posuerint, atque adeò de iure naturæ illam esse concesserint: Senserunt tamen nihilominus Votum solēne posse dispensari; ac maximè Durandus, & Richardus vbi suprà.

Apparet itaque ex his, sententiam sancti Thomæ difficulter probari posse: quod ipsum probabiliorem reddit secundam sententiam contrariam. Nam non videtur esse integrum, sine sufficienti ratione aliquid negare auctoritati Ecclesiæ.

Et quidem vt rationes aliæ, quas Doctores pro secunda sententia afferunt, non essent, neque historiæ, quod id etiam aliquando sit factum (vt videre est hic apud Caietanum) tamen hæc ratio mihi videtur maiorem probabilitatem eius sententiæ debere persuadere, quam ita formo: Quod iuxta rationabile iudicium Ecclesiæ, in casu grauissimæ eiusdem Ecclesiæ necessitatis, Deus emancipet personam sibi antea traditam, & eo facto licitè illa contrahat matrimonium; res est, quæ & intelligi potest absque incommodo, & aliquando potest expedire bono communi Ecclesiæ, Ergo credendum est, auctoritatem id faciendi esse in Ecclesia.

Consequentia patet. Nam aliàs non suauiter & sufficienter Deus videretur prospexisse Ecclesiæ suæ, & aliquando id, quod pro charitate institutum est, videretur contra charitatem pugnare, quod omnino est cauendum, vt admonuit sanctus Bernardus in libro de præcepto & dispensatione.

Antecedens verò pro prima parte satis est declaratum respondendo ad argumentum Soti. Ostendimus enim nihil propterea fieri contra ius naturale. Pro secunda verò parte probatur. Nam nemo negabit expedire, vt in casu, quo bonum *& commune & maius* procurari potest, neglecto *priuato & minori*, eligatur maius: Sed aliquando potest accidere, vt ex matrimonio alicuius personæ professæ, & commune & maius bonum Reipublicæ sequatur, quàm sit bonum status vnius Religiosæ personæ. Ergo, &c.

Confirmatur hæc ipsa ratio *primò*. Nam in casu, quo prouidus & fidelis Princeps aut gubernator posset succurrere necessitati communi manumittendo proprium seruum; sine dubio id faceret. Ergo à fortiori est credendum, quòd idem faciat Deus: maximè cùm ipse minimè indigeat peculiari dominio alicuius personæ; neque tale dominium susceperit, nisi quatenus id ad promouendum bonum commune Ecclesiæ pertinebat. Quādo igitur agitur de eodem, eoq; maiori bono communi, facile manumittet.

Confirmatur idem *secundò*. Nam quòd Deus relaxet Voti vinculum, quo se aliquis obstrinxerat per promissionem simplicem, non constat nobis, nisi per hanc ipsam formam ratiocinationis, qua iam vsi sumus. Ergo ex eadem possumus consequenter colligere, quòd etiam in aliquo casu pro maiori Ecclesiæ bono, relinquere velit personæ sibi traditæ dominium, & tanquam emancipare illam, iuxta iudicium Ecclesiæ, sicut est dictum.

Sed ad maiorem huius rei explicationem diluenda sunt argumenta quædam, quæ possunt obiici contra hanc sententiā. PRIMVM est. Nam sequeretur ex illa, accidere posse, vt post matrimonium ratum, vterque coniux altero viuente, esset coniunctus alicui alteri. Sed hoc est absurdum. Ergo. Sequela probatur. In casu, quo is, cum quo post professionem dispensatur, dimisset antea matrimonium ratum, ingrediendo Religionem, & illo Religionem ingresso, alter coniux statim contraxisset cum alio, & esset adhuc superstes.

Ad hoc argumentum, quod magni facit Sotus, facilè respondent Durandus & Richardus vbi suprà, concedendo sequelam, & negando Minorem. Sicut enim (inquiunt) non esset absurdum id, quod infertur, casu, quo alter coniugum ex morte corporali exsuscitaretur miraculosè ad vitam, & matrimonium iniret cum tertio, superstite adhuc altero coniuge, & alij coniuncto: ita non est id absurdum, si alter coniux reuocetur à morte ciuili per dispensationem ad ciuilem vitam. Item patet non esse id absurdum in casu, quo *dispensetur* solùm in matrimonio rato cum aliquibus, qui deinde contrahant alia matrimonia. Id quod fieri posse concedunt Nauarrus, Caietanus, & multi alij, vt vidimus suprà p. 5.

SECVNDVM argumentū: Sequeretur posse dispensari in matrimonio rato; imo etiā in cōsummato. Patet sequela, applicando huc rationem, quam fecimus pro dispensatione solennis Voti. Nam etiam casus posset accidere, in quo propter bonum commune maximum, neq; coniux, neq; proles posset rationabiliter ægrè ferre, quòd alter coniugū separaretur, & traderetur alteri tertio in matrimonium.

RESPONDEO

RESPONDEO, quod attinet ad matrimonium ratum, facilè cōcederetur sequela. Sed quod attinet ad consummatum, simpliciter est neganda sequela. Nam de illo habemus expressum testimonium Domini, ratione quoque confirmatum, Matthæi decimo nono: *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Qui locus cùm non sit intelligendus de matrimonio rato, vt patet ex probabilitate sententiæ multorū, qui in eo posse dispensari censent; restat vt intelligatur de matrimonio consummato, per quod nimirum fiunt coniuges *vna caro*. Et ita apparet ex hoc textu (saltem iure positiuo diuino) esse voluntatem Dei, vt nunquam in isto matrimonio dispensetur, ne velut monstrosè ex iis, qui iam *vna caro* sunt, fiant duo. Et cùm ipse Deus posit in casu, quo alioqui dispensatio matrimonij consummati videretur expedire, multis aliis modis occurrere necessitati cōmuni; potuit non obstante suauitate suæ prouidentiæ, omnino vetare dispensationem in tali matrimonio.

Atque hoc modo posset quoque defendi probabiliter opinio sancti Thomæ de indispensabilitate Voti solennis. Si nimirum dicatur, Deum nolle, vt vnquam in tali Voto dispensetur, quamuis videantur suppetere ad id causæ: quia ipse potest multis aliis modis tunc occurrere necessitatibus, & vult esse omnino perpetuos status continentium aliquorum in Ecclesia.

Sed quoniam non videtur valde hoc dedecere, vt in casu rarissimo propter commune bonum aliqua persona professa manumittatur à Deo, sicut est dictum, & id est medium suaue ac facile, neque potest confirmari aliquo efficaci testimonio, quòd Deus id nunquam velit; videtur adhuc probabilior secunda sententia, quam defendimus. Alioqui si illo fundamento liceret vti absq; sufficienti testimonio, in multis posset negari Ecclesiæ auctoritas, dicendo Deum velle aliter prouidere, &c. Et sic etiam posset dici, Votum simplex esse indispensabile, &c. quod esset absurdum.

TERTIVM argumentum: Vt inquit sanctus Thomas art. 11. in solutione primi argumenti, periculis & necessitatibus *humanis* per res *humanas* occurrendum est, & non transferendo res diuinas ad vsus humanos. Sed Religiosi professi, sunt iam mortui mundo, & viuunt Deo, cui sunt consecrati. Ergo propter nullum euentum humanum sunt reuocandi ad vitam secularem.

RESPONDEO. *Primò* negari potest Maior, vt patet in illo Durandi exemplo de eo, qui perículosè sitiret, atque adeò posset in tali casu bibere ex calice consecrato. *Secundò* potest eadem Maior distingui. Nam esto, ita sit, si res maneat adhuc sacra seu diuina: tamen falsum id est, posito, quòd res fiat ex diuina non diuina. Et sic in proposito posset fieri ex Monacho non Monachus, sicut suprà dictum est, & sicut sæpè tempore famis calices cōsecrati confringuntur, & conuertuntur in vsus pauperum: & ita *materia saltem illa* calicis, quæ antea erat sacrata, fit non sacra. Quòd si probetur, hoc non posse fieri, quia Monachus iam est mortuus mundo, atque ita non potest reuocari ad vitam ciuilē; erit petitio principij. Idem enim est esse Monachum, & esse mortuum mundo. Et hoc est, quod contendimus, in casu necessitatis posse quem ex morte ciuili ad vitam ciuilem reuocari. *Tertiò*, concessa etiam Maiori absolutè; tamen solùm probaretur eo argumento, non posse dispensari propter *res humanas meras*; non autem probaretur, ne tunc quidem dispensari posse, cùm ad id suppeterent rationes *spirituales & diuinæ*, sicut accideret, quando necessitas esset communis Christianæ Reipublicæ. Tunc enim communiter etiam agitur ex consequenti de bono spirituali Ecclesiæ.

QVARTVM argumentum. Si in Ecclesia est potestas dispensandi cum professis, sæpè hoc fuisset factum, & fieret. Sed vix potest proferri vnus aut alter casus, in quo sit factum. Ergo idipsum signum est, quod non potest hoc rectè fieri. Sequela probatur. Nam proculdubio frequenter existunt causæ rationabiles, maximè ex parte ipsius personæ professæ, propter quas omnibus consideratis melius esset illi redire ad seculum, atque adeò manumitti à Deo; sicut etiam existunt aliquando pro dispensatione eius, qui vouit simpliciter.

RESPONDEO. Hoc argumentum petit, qualis debeat esse causa ad dispensandum in Voto solenni. Et quidem Richardus vbi suprà putat, etiam sufficere priuatam causam ex parte personæ vouentis. Cæterùm contra hoc valet illud argumentum factum. Nam tunc sæpè id oporteret fieri. Vnde verius videtur, & sententiæ communi aliorum magis consentaneū, quòd sit necessaria causa communis.

Cuius ratio est: quoniam dispensatio, quæ fit in Voto solenni, fieri non potest sine aliquo detrimento ipsius Religiosi ordinis. Non videtur autem conuenire, vt cum incommodo communitatis alicuius ordinis vel Religionis, ratio habeatur priuatæ causæ personæ. Secus, quando de bono communi Reipublicæ agitur: cùm hoc sit maioris momenti, quàm bonum alicuius vnius Ordinis vel Religionis.

Adde, quòd si propter priuatas causas fieret talis dispensatio, non solùm id esset in detrimentum Religionum, propterea quòd orbarentur illæ suis personis, &c. sed etiam quia plurimæ & frequentes tunc essent tentationes Religiosorum. Causa igitur communis requiritur; & ideo fit, vt tam rarò vel pænè nunquam fiant tales dispensationes.

Et hactenus ostensum est, in omni Voto dispensari posse, quod erat PRIMVM ex duobus,

quæ nobis proposuimus ad explicandum. Nunc restat, vt explicemus SECVNDVM; nempe quid requiratur, vt Dispensatio vel etiam Cõmutatio Voti sit legitima. Ac statuendum est ex sententia D. Thomæ artic. 12. & aliorum communi, duo ad id requiri, scilicet *auctoritatem* Prælati, & *causam rationabilem*.

Atq; vt primùm dicamus de Prælati AVCTORITATE, quòd ea requiratur, eo argumento patet: Nam in dispensatione aut cõmutatione Voti, oportet determinare, quid sit Deo acceptum. Sed ad hoc determinandum requiritur Prælati auctoritas. Ergo. Maior patet ex dictis p. præced. Minor probatur. Nam quid sit Deo acceptum, vel non, pendet ex arbitrio ipsius Dei, cui facta est promissio. Ergo ad Prælatum, qui est vice Dei, pertinet explicare in hoc hominibus diuinam voluntatem, sicut etiam in aliis rebus.

Hac ipsa ratione confirmat id diuus Thomas hîc artic. 12. Ex qua patet, Prælati auctoritatem solùm esse necessariam, quando *dubitari* potest, vtrum res sit Deo accepta, vel non; iuxta dicta puncto præcedenti. Nam si *euidens* est, rem Deo placere, vel non placere, constat non esse necessarium interrogare Prælatum, quid placeat Deo. Vnde verissimum est, quod Caietanus hîc ex diuo Thoma, & ex Iure Canonico probat, licitum esse absque auctoritate Prælati Votum *commutare* in id, quod est *euidenter melius*: Vt peregrinationem quamcunque in ingressum Religionis; etiamsi sit peregrinatio Hierosolymitana, vt bene ait Caietanus in Summa, V. Votum. Quanquam excipit quidem eam peregrinationem Sotus lib. 7. de Iustitia, quæst. 4. art. 3. eò quòd sit reseruata Papæ; non animaduertens id intelligi, quando non commutatur in id, quod euidenter sit melius. Et eadem ratione potest etiam quis secundùm hanc doctrinam Caietani cessare ab executione Voti, quando euidens est, materiam esse malam vel inutilem. Quæ doctrina etiam placet Nauarro capite duodecimo, numero 66. & Soto vbi suprà, quanquam, vt diximus, excipiat illam peregrinationem.

Notandum est autem, quod dicimus, quando res est *euidens*, atque adeò absque vlla formidine oppositi. Non enim hac in re sufficeret certitudo moralis, admixta formidini. Hæc enim solùm est satis, quando aliter non potest melius conscientiæ consuli. In proposito autem potest vtique, interrogando Prælatum, qui in terris est vice Dei.

Sed cùm constet, ad dispensandum & commutandum Votum requisitam esse Prælati auctoritatem, videndum est, quinam PRÆLATI possint dispensare, & commutare Votum. De hoc doctrina est communis & certissima; Pontificem Summum inprimis habere *plenariam potestatem*, tãquam plenè Dei vicarium. Ex *commissione* autem, vt hîc docet sanctus Thomas in solutione tertij, Episcopi possunt dispensare & commutare aliqua Vota, quæ frequenter fieri solent, & vt Nauarrus capite duodecimo, numero septuagesimo quinto notat, etiam id possunt illi, qui habent iurisdictionem Episcoporum, aut sunt quasi Episcopi; atque adeò etiam Prælati Religionum exemptarum ab Episcopis: quia tales sunt veluti Episcopi erga suos subditos. Quanquam hoc quidem parum pertinet ad praxin, cùm Prælati Religionum habeant potestatem *irritandi* Vota subditorum, quod est & certius & factu facilius.

Item, vt notat illic Nauarrus Confessarij Regulares, qui fruuntur priuilegiis Ordinum mendicantium, possunt dispensare in iis omnibus Votis, in quibus possunt Episcopi, excepto Voto de peregrinatione *vltra duas dietas*. Vota autem, in quibus possunt Episcopi, sunt omnia, exceptis quinque: Videlicet *castitatis perpetuæ, Religionis, Peregrinationis Hierosolymitanæ, et Romanæ, & Compostellanæ*.

Ex quo sequitur, posse illos dispensare, vt bene ait Nauarrus vbi suprà contra Caietanum, in Voto de *non contrahendo matrimonium*. Nam hoc non est Votum omnimodæ castitatis, & exceptiones sunt restringendæ. Item etiam possunt dispensare in Voto continentiæ *non — perpetuo*. In perpetuo verò nõ; nisi difficilis esset aditus ad Pontificem, & esset periculum graue incõtinentiæ, vt notat idem Nauarrus, vbi suprà, & Syluester, V. Votum. 4. q. 4.

Item possunt dispensare in Voto de nõ ludendo, v. g. *sub pœna* seruandi castitatem perpetuam, vel intrandi Religionem: quia vt bene Sotus notauit lib. 7. de Iustitia, q. 2. ar. 1. & q. 4. ar. 3. tale Votum non est votum continentiæ aut Religionis. Non enim ista tunc se habent ad animum vouẽtis, vt materia Voti vllo modo, sed tantùm vt *pœna*, quam is sibi proponit luendam, si violauerit Votum, quod emittit solùm de non ludendo. Secus, si fuisset Votum *conditionale* continentiæ aut Religionis: quando videlicet ex affectu ad ista, quis promitteret illa in casu, quo luderet. In tali enim Voto non posset Episcopus dispensare.

Deniq; circa hoc notandum, quamuis Sotus putet illum, qui habet potestatem dispensandi, habere ex consequenti potestatem commutandi: melius tamen arbitrari Nauarrum capite 12. num. 79. id fortè verum esse, quando quis habet potestatem dispensandi velut *ex officio et iure communi*, sicut Episcopi; non verò quando habet velut delegatus ex vi priuilegiorum: quoniam priuilegia contra ius commune sunt restringenda. Et quamuis commutare sit minus: tamen est alterius rationis, & ita non sunt ista necessariò cõnexa.

Hactenus de auctoritate Prælati ad legitimam dispensationem & commutationem requisita: vbi etiam docuimus, in quibus resideat ea auctoritas. Nunc dicendum de CAVSA etiam requisita ad legitimè dispẽsandum & cõmutandum Vota.

Et

Et inprimis quidem meritò conuenit inter Doctores, Prælatum non posse pro libito dispensare aut commutare Vota, sed requiri ad id causam *rationabilem*: alioqui nihil illum facere. Ratio est: quoniã huiusmodi actus sunt iurisdictionis duntaxat. Potestas aũt iurisdictionis non datur *in destructionem*, sed in *ædificationem* Ecclesiæ, vt inquit Apostolus 2. Cor. 13.

Secus, si Prælatus nõ solùm habet potestatem iurisdictionis, sed etiam potestatẽ *dominatiuam*, aut quasi dominatiuam in subditos: qualem habent Prælati Religiosorũ in suos, atq; adeò etiam Pontifex in Religiosos, ex sententia Caietani hîc, & Nauarri, & Soti, vbi suprà. Qui enim habet potestatem hanc dominatiuam, potest pro libito Votum irritare. Sed hanc, vt bene prædicti auctores docent, non habet Papa in omnes Christianos.

Neq; est difficile respõdere ad argumenta duo, quib. videtur probari posse, nõ esse necessariam causam rationabilem ad dispẽsandum & cõmutandum Vota. PRIMVM est huiusmodi: Sicut potestas iurisdictionis datur in ædificationẽ, & non in destructionem: ita etiam potestas dominatiua spiritualis, qualem habent Prælati. Sed hoc non obstante, *irritatio* facta à Prælato sine causa rationabili valet. Ergo etiam *dispensatio & commutatio*: Vel si hæc non, neque valebit irritatio sine causa.

SECVNDVM argumentũ est tale: Factum subditi non potest derogare auctoritati Superioris. Ergo quodcunque subditi Votum, sit salua Superioris auctoritate, atque adeò poterit is pro libito illud irritare.

Ad PRIMVM respondeo, non esse vndequaq; veram Maiorem. Nam quamuis vtraq; illa potestas, scilicet dominatiua & gubernatiua, datur in ædificationem, & non in destructionem: tamen in hoc est disparitas, quòd *dominatiua* illa ex natura ipsa dominij, seu quasi dominij, ita datur, vt possit Prælatus etiam sine rationabili causa, validè quidem Votum subditi irritare, tanquam dominus: quamuis fortè tunc peccet non vtens illa auctoritate ad spiritualem vtilitatem subditi: hæc enim alia est quæstio. Potestas autem duntaxat *gubernatiua* ita datur, vt solùm fiat per eam facultas gubernandi subditum, & rectè & validè in iis, quæ sint rationabilia: alioqui Deus nõ consentit, & sic factum non valet.

Ad SECVNDVM respondeo, concedendo Antecedens. Sed ex illo tantùm sequitur, non posse subditum ita se obligare per Votum, quin maneat integrum ius Superiori dispensandi postea, si extiterit rationabilis causa. Nam ad relaxãdum Votum sine causa, non habet auctoritatem. Secus, si subditus emisisset Votum non absolutè, sed *sub conditione*, quatenus scilicet & quamdiu Prælato placeat, vt subditus tali Voto obstringatur. Tunc enim Prælato postea qualicunque ex causa nolente, vt subditus obstringatur tali Voto, Votum cessaret: Nam esset Votum conditionale, & cessaret tunc conditio, scilicet Prælati beneplacitum.

Et hoc modo sunt cõditionalia Vota illa simplicia, quæ in Societate nostra ante professionem emittuntur. Nam emittuntur, iuxta Constitutiones Societatis eiusdem, in quibus cõtinetur illa conditiõ, scilicet quatenus Superioribus placuerit, vt patet ex declarationib. vltimi capitis quintæ partis earum Constitutionum. Vnde quando is, qui ita vouit, dimittitur à Superioribus Societatis, non est existimandum, eos tunc dispensare in Voto Castitatis perpetuæ & Religionis: sed extinguitur Votum ipsum per se, deficiente conditione, scilicet Superiorum beneplacito.

Sed cùm constet iam, ad dispensationem & commutationem Voti requiri causam rationabilem, videndum est QVALIS causa debeat esse, vt sit rationabilis. Respondeo talem esse oportere, vt cedat in *honorem* Christi, & *vtilitatem* Ecclesiæ, vt hîc docet S. Thomas & omnes. Neque enim ista duo separari possunt. Vnde Apostolus 2. Cor. 2. *Ego*, inquit, *si quid donaui; propter vos in — persona Christi*. Quod ad hoc propositum inducit hîc D. Thomas art. 12.

Honor autem Christi & vtilitas Ecclesiæ tunc, & non aliàs, sequitur ex *dispensatione* quidem Voti, cùm suppetere videtur aliqua causa *obstans executioni Voti* iudicio Superioris moraliter saltem certo: vti docet S. Thomas art. 12. ad 2. & Caietanus ibi, & Sotus vbi suprà, & alij. Ratio autem huius est: quoniam Deus non relaxat vinculũ Voti, nisi id expediat. Nunquam aũt id expedit, nisi aliquid videatur obstare Voti executioni. Nam alioqui semper expedit, vt vinculum potius & obligatio Voti opere cõpleatur. Causa autem obstans executioni Voti est, quando materia redditur vel *mala*, vel *inutilis*, vel moraliter *impossibilis*, vel *impeditiua maioris boni*. Itaq; quando dubitari poterit, num aliquid horum contingat, & id probabiliter videbitur; poterit dispensatio habere locum.

Ex *commutatione* autem Voti poterit sequi vtilitas Ecclesiæ & honor Christi, etiamsi causa non sit obstans voti executioni. Ratio est: quoniam vt tradit hîc Caietanus & alij communiter, per cõmutationem *non tollitur* Voti vinculum, sed materia vinculi *mutatur*. Vnde satis est, si materia, in quam mutatur, sit melior & Deo gratior, iuxta iudicium commutantis. Quinimo vt etiam ait Caietanus, satis esset, materiam, in quam fit mutatio, esse æqualem præcedenti. Redundat enim honor Christi & vtilitas Ecclesiæ ex hoc etiam, quòd Prælatus in persona Dei gratificatur vouẽti, qui se vltrò antea obligauit Voto, condescendendo benignè illi, & acceptando illud, quod est æquale. Sic enim facilius homines inducentur hac benignitate ad vouendum.

Sed circa hoc ipsum occurrunt tria dubia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMVM est, Vtrum in casu, quo Prælatus possit occurrere necessitati vouentis, commutando tantùm Votum, possit etiam licitè *dispensare*. Videtur enim non posse. Nam infidelis dispensator est is, qui quod potest facere cum minori iactura rerum domini, facit cum maiori. Sed in proposito posset Prælatus cum sola mutatione materiæ Voti absq; ablatione vinculi occurrere necessitati eius, qui vouit. Ergo infideliter faceret, si dispensaret. Atque ita videtur absolutè sentire Sotus lib. 7. de Iustitia, quæst. 4. art. vlt. In contrarium autē est vsus receptissimus in Ecclesia. Sæpè enim dispensatur absque commutatione, & tamen semper posset aliquid aliud vouēti iniungi: vt oratio, &c.

RESPONDEO: quando suppetit probabiliter causa sufficiens ad dispēsandum, scilicet obstans executioni Voti, non tenetur Prælatus cōmutare, sed potest simpliciter tollere Voti vinculum. Et hoc confirmat vsus. Et ratio etiam. Nam iudicat tunc (saltem probabiliter) Prælatus Voti vinculum esse nullum, atq; adeò esse etiam cum auctoritate declarandum, illud non obligare, & proinde tollendum, si fortè adhuc reipsa perdurat. Ergo non est, cur tunc debeat Prælatus aliam materiā Voto substernere, sicut fit in commutatione. Si verò suppetit causa sufficiens quidem ad commutandum, scilicet quando bonum est maius vel æquale; & non ad dispensandum per ablationem vinculi: tunc verum est, Prælatum non posse dispensare, sed tantùm commutare debet. Et sic vera est sententia Soti: alioqui si absolutè intelligatur, non est approbanda.

Et est hîc annotandum, posse casum incidere, vt prælatus debeat *partim commutando* Votum, & *partim dispensando* occurrere necessitati vouentis. Vt si sit aliqua causa obstans executioni Voti quoad partem, licet non quoad totum. Tunc enim, vt dicit Caietanus, poterit partim dispensare tollendo vinculum quoad *tantum*, & partim commutare, mutando scilicet materiam vinculi in aliquid minus, quàm erat tota Voti materia. Sed hoc rectè dicit Caietanus non posse fieri ab eo, qui habet auctoritatem tantùm commutandi; sed ab eo, qui habet etiam auctoritatem dispensandi, quando quidem dispensatur tunc etiam.

SECVNDVM Dubium est, Vtrum quando in Voto ideo dispensatur, quia est impeditiuum maioris boni, oporteat esse impeditiuum *maioris boni*, quàm sit non solùm opus promissum, sed etiam executio talis operis, *vt est ex Voto per virtutem Religionis*; vel satis sit, quòd impediat maius bonum, quàm sit opus promissum absolutè. Ad hoc verè RESPONDET hîc Caietanus, oportere vt impediat maius bonum, quàm sit etiam executio operis ex Voto: alioqui non impediret maius bonum omnibus consideratis. Secùs autem est in *commutatione*: nam cùm per illam non tollatur vinculum, sed solùm mutatio fiat circa materiam; satis est, vt bonum, in quod fit mutatio, sit maius, quàm opus promissum absolutè.

TERTIVM Dubium est, Vtrum animi *leuitas* in emittendo Voto sit causa sufficiens ad dispensandum postea in eiusmodi Voto. Caietanus hîc artic. 1. & Sotus vbi suprà, & Nauarrus capite 12. num. 77. videntur absolutè putare quòd sufficiat; Sed intelligendum id est, quando talem leuitatem præteritam sequeretur postea maxima difficultas adimplendi Votum; propter infirmitatem sic vouentis, ex qua frequentes lapsus sequantur: ita vt iam iudicetur tale Votum inutile esse ei personæ. Tunc enim illa leuitas reducitur ad causam obstantem executioni voti.

Alioqui enim nisi sic explicemus sententiam illorum Doctorum; secum illi pugnarent. Requirunt enim cum D. Thoma hîc causam obstātem executioni: quam constat, non esse solam leuitatem præteritam in vouendo, nisi aliquid aliud ex illa sequatur. Si enim sola leuitas in vouendo obstaret executioni Voti; eo ipso Votum esset inualidum, quòd ex leuitate emittitur; cuius cōtrarium docent prædicti Doctores, & nos etiam docuimus suprà puncto primo, cùm disputaremus de deliberatione sufficiente ad verum Votum. Hactenus de tota ista quæstione.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Iuramento.

D. Thomas 2. 2. quæst. 89.

DE IVRAMENTO DISPVTANT SCHOLASTICI THEologi in 3. Sentent. d. 39. Iurisperiti in titulo de iureiurando, Summistæ V. Iuramentum, diuus Thomas hîc per decem articulos, & Sotus lib. 8. de Iustitia & Iure. Nec pauca etiam de iuramento disserit præclarè sanctus Augustinus sermone 28. (aliàs 30.) de verbis Apostoli, qui est circa illa verba Iacobi quinto: Ante omnia fratres mei nolite iurare.

Vniuersa autem hæc disputatio de Iuramento videtur quatuor capitibus contineri. Itaque PRIMO *dicendum est de ratione Iuramenti.* SECVNDO, *de illius diuisione.* TERTIO, *de illius vsu.* QVARTO, *de illius obligatione.*

PVNCTVM PRIMVM.

In quo consistat ratio Iuramenti.

D. Thomas art. 1. & 4.

INTER omnes cōuenit de eo, quod hîc ar. 1. docet diuus Thomas, nempe Iuramentum *esse inuocationem diuini testimonij ad faciendam fidem.* Ita quoque diuus AVGVSTINVS docuit sermone vigesimo octauo, de verbis Apostoli. Vbi ex hac ipsa iuramenti ratione ostendit, *iurationem certam* (vt inquit) *& expressam* esse in illis Apostoli verbis 2. ad Corinth. 1. *Ego testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis non veni vltra Corinthum.*

Ac propter *certitudinem* huius diuini testimonij, quod iurando inuocatur, S. Gregorius NYSSENVS hom. 4. in Cant. descripsit Iuramentum hoc modo: *Iusiurandū est oratio* PER SE *confirmans fidem.* Quia scilicet Iuramentum non indiget ad faciendam fidem *alio argumento* præter diuinum testimoninm, quod per iuramentum ipsum inuocatur.

SED intelligere omnino quid sit in proposito INVOCARE diuinum testimonium, difficultate non caret. PRIMO. Nam vel est petere, vt Deus *statim* in hac vita rem patefaciat per reuelationem, vel aliquo alio modo: Vel vt id faciat *post hanc vitam*, quando iuxta Apostolum 1. ad Corinthios quarto, *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Si primum dicatur: obstat, quòd cùm sciamus, communiter non solere Deum statim rem patefacere, neque habeamus de hoc aliquam ipsius promissionem aut legem; non videmur id petere, cùm iuramus. Si secundum dicatur: obstat etiam, quòd testimonium ad faciendam fidem, sicut statim in hac vita necessarium est, ita etiam oporteret statim exhiberi: alioqui non acquiesceret statim is, qui ab alio, vt ei credat, iuramentum requirit. Item quòd non videtur peti illud testimonium, quod aliàs, etiamsi non petatur, constat omnibus in die iudicij esse exhibendum.

SECVNDO. Nam si inuocare diuinum testimonium sit velle, vt Deus vel in hac, vel in altera vita assequeret & testificetur idipsum, quod iurans dicit, consequens erit, vt nemo prudens, qui sciat, tum hanc esse Iuramenti rationem, tum Deum veracem esse, iurare vnquam possit falsò. Nam scit Deum *ne posse quidem* id, quod est falsum, asseuerare & testificari. Ergo minimè talis velle potest, vt id Deus faciat: siquidem nemo prudens vult fieri id, quod scit esse impossibile.

TERTIO difficultatem in hac parte auget, quòd qualicunque tandem modo eiusmodi *inuocatio* diuini testimonij declaretur: tamen non apparet, quomodo ea distingui possit ab *oratione*, quæ est etiam actus Religionis. Nam cùm ea inuocatio sit petitio & imploratio cuiusdam diuini auxilij, vt scilicet Deus ferendo testimonium persuadeat id, quod homo persuadere non potest; nihil videtur deesse, quò minùs iuramentum sit quædam oratio.

RESPONDEO, inuocationem diuini testimonij in eo sitam esse, vt quis, *quantum in se est*, velit & cupiat, Deum manifestare id, quod iuramento confirmatur; tanquam id, quod est ab ipso Deo etiam scitum & verum: Et hoc quidem cùm ipsi Deo placuerit, siue in hac vita, siue

Universidad de Deusto
Biblioteca

post illam. Permittit enim hoc is, qui iurat, diuino beneplacito, vt rectè insinuauit Caietanus artic. 2. huius quæstionis, & D. Thomas etiam ibi in solutione tertij argumenti.

Neq; verò hoc non est satis ad faciendã fidem. Nam diuinum testimonium viris prudentibus & probis non solùm fidem facit *actu exhibitum*, sed etiam *expetitum* ab homine, qui iurat: quatenus credibile non est, hominem facilè expetere diuinum testimonium in confirmationem rei falsæ, cum tanta diuinæ Maiestatis iniuria, quanta est velle, *quantum est in se*, vt Deus, qui summè sapiens est, & summè bonus, asserat & testificetur id, quod est falsum.

Vnde ad PRIMVM argumentum respondeo, eum, qui iurat, abstrahere & à præsenti vita, & à futura; & nihilominus facere fidem iureiurando, sicut iam declaratum est.

Ad SECVNDVM respondeo, eum, qui dicit falsum, & scit Deum non posse falsum testificari; quamuis non possit quidem *absolutè* velle, vt Deus id testificetur: tamen posse velle, *quantum est in ipso quidem*, vt Deus id faciat: Id est, potest velle, vt per ipsum quidem non stet, quò minus Deus id faciat, si id esset possibile. Atq; hoc ipso talis inuocat, quantum est quidem in se, diuinum testimonium; id quod est iurare, vt diximus.

Ad TERTIVM respondeo, inprimis non esse laborandum in quærenda differentia *propriè specifica* inter orationem & iuramentum. Nam cùm sint actus vnius & eiusdem virtutis specie, videlicet Religionis; specie propriè non differunt. Vterque enim actus respicit idem formale obiectum Religionis, videlicet diuinam gloriam; quæ resultat tum ex eo, quòd quis per iuramẽtum inuocat & petit diuinum testimonium à Deo tanquã ab *infallibili*; tum ex eo, quòd quis per orationem petit à Deo auxilium, vt à *misericorde & omnipotenti*. Propter quod iuramẽtum etiam secundùm speciem suam est item actus Religionis, vt docet D. Thomas art. 4. & indicauit quoq; subtiliter AVGVSTINVS serm. 28. de verbis Apostoli, cùm dixit: *Quid est iurare, nisi* IVS *reddere Deo* (gloriæ scilicet illi debitæ, vt naturâ veraci) *quando per Deum iuras?*

Secundò dico posse in hoc assignari differentiam inter orationem & iuramentum, quòd oratio consistit præcipuè in actu *intellectus practici*, quo quis petit quidpiam à Deo, vt ab *omnipotenti*, iuxta ea, quæ suprà diximus q. 2. p. 1. Iuramentum verò præcipuè videtur consistere in *illa voluntate*, qua quis, quantum in se est, expetit testificationem Dei, vt eius, qui naturâ est verax. Deinde est etiam alia differentia materialis, quòd *iuramentum* adhibetur ad occurrẽdum *fallibilitati* humanæ: *oratio* verò ad subleuandam humanam *imbecillitatem* in quacunque alia materia; & ita latius patet oratio, quàm Iuramentum.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Iuramentum.

Ad art. 1. & 6. D. Thom.

FORMALITER quidem, & veluti *specificè*, Iuramentum quodcunq; vnius modi est. Nam vt rectè Caiet. art. 1. differit, quocunq; tandem modo Iuramentum proferatur, ob id formaliter Iuramẽtum dicitur, quòd diuinum testimoniũ per illud inuocetur. Materialiter aũt, Iuramentum diuidi potest, tum ex parte veritatis, siue *enunciationis*, ad quam confirmandam adhibetur, tum etiam ex parte *modi* exterius significandi illam interiorem inuocationem diuini testimonij.

Ex parte *enunciationis* diuiditur Iuramentum in *promissorium* & *assertorium*. Quando enim diuinum testimonium inuocatur ad confirmandam enunciationem de *præsenti* aut de *præterito*, dicitur iuramentũ ASSERTORIVM: Quando verò adducitur ad confirmandam enunciationem de *futuro*, dicitur PROMISSORIVM. Quod ipsum indicauit sanctus Gregorius NYSSENVS hom. 4. in Cantica, cùm dixit, *duplicem esse operationem iuramenti: Aut enim facere fidem veritatis* (quæ scilicet in præsenti dicitur) *Aut confirmare fidem promissi, sicut cùm in Psalmo centesimo trigesimo primo dicitur: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum*: quo ipso confirmatur fides etiam veri de futuro.

Hîc autem circa hoc PROMISSORIVM iuramentum diligenter notanda sunt tria. PRIMVM est, Iuramentum promissoriũ posse etiam esse simul assertorium: quando videlicet diuinum testimonium inuocaretur, nõ solùm ad confirmandam veritatem de *futuro*, sed etiam ad confirmandam veritatem *præsentem*, quæ videlicet consistat in concordia orationis promissoriæ *exterioris* cum *interiori animo* faciendi suo tempore id, quod promittitur. Ac communiter diuinum testimonium induci solet ad vtramque veritatem. Vnde eadem diuini testimonij inuocatio, respectu diuersæ veritatis est tunc iuramentum assertorium & promissorium.

SECVNDVM est. Sicut enunciatio de futuro potest esse coniuncta, & cum *nudo proposito* faciendi id, quod quis dicit se facturum, & etiam cum *promissione* faciendi: ita quoque Iuramentum posse induci vel ad confirmandum nudum propositum, vel ad confirmandam promissionem. Cæterùm quoniam communiter inducitur ad confirmandam *promissionem* & stabilienda magis eius obligationem; idcirco inuocatio diuini testimonij ad veritatem de futuro, dicitur communiter Iuramentum *promissorium*.

TERTIVM est, Propterea iuramentum promissorium suapte natura facere fidem, & confirmare promissionem: quia si postea homo non adimplet quod promisit, erit causa, *quantum in se est*, vt Deus fuerit testatus falsum: quæ est etiam magna iniuria. Itaque facilè quis sibi persuadet, hominem, qui iuramentum promissorium præstat, fidem suam liberaturum, vt vitet tantũ peccatũ: de quo postea p. 4. plura dicemus, cùm explicabimus, qualis & quanta sit culpæ deformitas in non adimplendo promissionem iuramento firmatam.

Iam verò ex parte modi proferendi iuramentum, diuidi quoq; illud solet in iuramentum per *simplicem contestationem*, & iuramentum per *execrationem*. Simplex *contestatio* est, cùm quis simpliciter inuocat diuinum testimoniũ, dicendo: Testis est Deus; aut, Testor Deum; aut, Per Deum; aut, Iuro per Deum, &c. Omnibus enim his modis æquè iuratur, vt ostendit luculenter S. Augustinus in dicto serm. 28. de verbis Apostoli. Item etiam quando iurat quis per *creaturas* aliquas, in quibus peculiariter relucet veritas diuina, quam ipsæ creaturæ suo modo imitantur. Vt cùm quis iurat per Euangelia, per Sanctos, &c. Non enim tunc sistit in creatura, sed intendit iurare per *diuinam veritatem*, quæ relucet in creatura.

Neque verò omnes formulæ *contestandi simpliciter*, possunt certo numero comprehendi. Itaq; ad discernendum, num aliqua oratio sit *iuramentum*, habenda est inprimis ratio animi interioris; vtrùm videlicet quis velit verba quæpiam vsurpans, formaliter vel virtualiter inuocare diuinum testimonium. Et dico, *vel virtualiter*. Nam ad iurandum non requiritur, vt quis explicitè intelligens, quid sit inuocare diuinum testimoniũ, velit id facere; satis est, velle vsurpare verba in eo sensu, quo pro consuetudine aliorum iurantium vsurpari solent. Est enim etiam circa has formulas habenda ratio consuetudinis, patriæ, &c.

Atque ex hoc sequitur, verum esse, quod Caietanus hîc art. 1. disputat, eum, qui dicit, se *coram Deo conscientiarum inspectore* loqui, nõ idcircò iurare, nisi habeat intentionem inuocãdi diuinum testimonium: sed tantùm explicare, quanta cum consideratione loquatur. Item etiam verum est, quòd idem ar. 6. disputat, posse nõ esse iuramentum, si quis dicat; *per meam fidem*, aut *in__ fide boni viri*. Nam secluſa peculiari intentione, sensus est: Ita faciam, sicut sum fidelis, nobilis, &c. Neq; verò refert, vtrum quis dicat: *In__* mea fide, vel *per* meam fidem. Nam vt rectè inquit Sylvester, V. Iuramentum, 1. q. 5. nulla est, quoad propositum, inter has particulas differentia, sed animus præcipuè est attendendus.

Quare minimè assentior Soto lib. 8. de Iustitia, q. 1. artic. 1. vbi putat esse iuramentum, si quis dicat: *Per* meam fidem; quamuis non, si dicat: *In__* mea fide. Potius in his existimo verum, quod iam annotaui ex Caietano: quem etiam sequitur in huiusmodi Nauarrus cap. 12. num. 2. quanquam putat is esse iuramentum, si quis dicat: Deus *scit*; propter communem & vsitatum horum verborum sensum. Cæterùm, vt dixi, intentio est præcipuè consideranda. Nam alioqui ex vi verborũ, vix vllum esset iuramentum, nisi cùm quis dicit: Testor Deum, vel Iuro, aut inuoco diuinum testimonium, &c. Itaq; non est vrgenda in hoc genere sola *vis* verborum, aut *modi* loquendi; sed inprimis *intentio*, ad dignoscendum, quandonam adhibeat quis iuramentum per simplicem contestationem, seu CONTESTATORIVM.

Iuramentũ verò EXECRATORIVM est, quando quis per verba nõ immediatè significat ipsam inuocationem interiorem diuini testimonij; sed *voluntatem*, qua *se*, vel aliquid ad se pertinens, diuino iudicio offert, vt in eo Deus iniuriam sibi irrogatam vlciscatur, si falsò inuocatur ipsius testimonium. Itaque non consistit *per se* & formaliter hoc Iuramentum, vt Iuramentum est, in ipsa execratione, tanquam ipsa per se sit diuini testimonij inuocatio; sed cõsistere dicitur in execratione, tanquam in quodam signo à *posteriori* ipsius iuramenti, vt colligitur ex his, quæ rectè scripsit Syluester, V. Iuramentum, 1. quæst. 3. circa finem. Talis iurandi formula erat illa in veteri Testamento frequens: *Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat*. Illa autem formula iurandi Apostoli 2. Corinth. 1. *Testem inuoco Deum* IN *animam meam*; ex vtroque genere Iuramenti, scilicet *contestatorio* & *execratorio* mixta fuit.

Hinc sequitur, non ideo esse periurium, quod quis iuramento execratorio vtens credat Deum non sumpturum vindictam, cui se offert. Ratio est: quoniam diuinum testimonium non inuocatur in confirmationem talis credulitatis, qua putet quis se plectendum à Deo, sed in confirmationem alicuius alterius assertionis, quam quis per imprecationem pœnæ *confirmat*.

Item: quando falsa est illa assertio, in cuius confirmationem adhibetur iuramẽtum execratorium: non ideo tunc committitur duplex peccatum, videlicet periurij & maledictionis; sed tantùm *periurij*, vt rectè notauerunt Caietanus articulo primo, & Nauarrus capite duodecimo, numero primo, tametsi malè id probauerunt. Ratio enim huius non est illa, quam dant, videlicet quoniam talis non *ex animo* sibi malum imprecatur: sed quia *iustè* sibi illud imprecatur, si falsò diuinum testimonium inuocat: & id quidem siue putet se plectendum, siue non: hoc enim est *per accidens*.

PVNCTVM TERTIVM.

De Iuramenti Vsu; An & quomodo sit licitus vel illicitus, vbi etiã dicetur de periurio.

D. Thomas art. 2. 3. 5.

EXplicandvm est Primo, An omnino Iuramenti vsus sit per se bonus & licitus. Secvndo, Quænam conditiones requirantur, vt vnusquisque sit rectus. Et quod ad Primvm quidem attinet, potissima dubitandi ratio est propter illud Christi Domini, Matthæi quinto: *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Et illud D. Iacobi capite 5. *Ante omnia fratres mei nolite iurare, &c.* Quibus locis videtur adempta esse omnis facultas iurandi in lege Euangelica.

Et accedit, quòd D. Hieronymus super illum locum Matthæi, & refertur 22. q. 1. Cap. *Considera*, dicit, fuisse cõcessum Iudæis, vt iurarent per Deum, non quasi rectè facerent, sed quia id sit minus malum, quàm iurare per idola.

Ratio etiam videtur idem probare. Nam quædam peruersitas apparet esse, inuocationem diuini testimonij referre ad res humanas, videlicet ad finiendas hominum controuersias: id quod finis est iurisiurandi, iuxta Apostolum ad Hebr. sexto.

Sed his non obstantibus, ex fide certum est, iurandi actum *ex se* bonum & licitum esse, vt pote pertinentem ad virtutem Religionis; atque adeò licitè exerceri posse, si debitæ ad id conditiones non desint, de quibus postea dicemus. Itaq; cauendus est error multorũ hæreticorum, qui censuerunt, licitum non esse iurare; vt Apostolici, tempore Bernardi, vt patet ex eodem homil. sexagesima sexta in Cantica. Et Cathari sub idem tẽpus, teste Guidone; & pauperes de Lugduno, apud eundem, & Fratricelli, teste Turrecremata libro quarto Summæ de Eccles. part. 2. capite 37. Et VViclephus in errore 43. ex damnatis in Concilio Constantiensi, sessione octaua, qui asseruit, *non esse licitum iurare ad firmandos humanos contractus.* Et Anabaptistę, vt patet ex Cochleo contra eosdem. Et idem planè, quod VViclephus, videtur sensisse Erasmus in annotationibus ad caput 5. Matth.

Sed contrarium probatur Primo ex Scriptura Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis.* Et Psalm. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Item Apostolus sæpè iurauit, vt patet Rom. 1. 2. Cor. 1. Philippen. 1. &c. Sed & ipse Christus Dominus ex sententia sanctorum Patrũ toties iurauit, quoties vsurpauit illud *Amen Amen.* Ita D. Hieronymvs super 16. caput Ezechielis, super illud, *Viuo ego dicit Dominus, &c. Iuramentum*, inquit, *Dei in veteri Testamento erat: Viuo ego. In nouo autem: Amen Amen, &c.* Idẽ Chrysostomus homil. 11. super epistolam ad Hebræos. Et Oecumenius in caput tertium ad Hebræos. Idem etiam patet ex Cap. Etsi Christus. Extra de Iureiurando. Quin & Deus ipse sæpè legitur in Scripturis iurâsse.

Secvndo probatur ex Patribus, ex quibus præter citatos satis erit audire sanctum Avgvstinvm sermone 28. de verbis Apostoli: *Inuenimus*, inquit, *iurasse Sanctos, iurasse ipsum Dominum, in quo non est peccatum. Iurauit Dominus, &c. Psalm. 109. Non ergo est peccatum iurare, sed magis peiurare.* Idem confirmat lib. 19. contra Faustum, ca. 23. sicut & alij Patres passim.

Sed *quæret* hîc obiter aliquis, cùm ea, quæ Deus asserit, hoc ipso quod ab ipso asseruntur, nitantur diuina auctoritate; quid attinet ipsum iureiurando obiicere rursus suam auctoritatem hominibus? Videtur enim id superuacaneum.

Respondeo, duplicem nihilominus esse causam, propter quam Deus ad nostram vtilitatem iurat. Vna est, vt nos certiores faciat, immutabiliter futurum id, quod dicit aut promittit: & se nullam tacitam conditionem hominibus occultam apponere, per cuius mutationem possit contingere, vt res non eueniat, sicut accidit in aliquibus prophetiis comminatoriis. Ita docuit rectè diuus Thomas lectione quarta super sextum caput ad Hebræos. Et ipse Apostolus in eo loco hanc etiam causam insinuat iurisiurandi diuini, quando inquit: *In quo volens Deus ostendere immobilitatem consilij sui interposuit iusiurandum.*

Altera causa est. Nam Deus cum hominibus loquens, eorum mori sese accommodat. Itaque vt attentiores & certiores eos reddat, veluti *reflexè* & iteratò suam ipsius auctoritatem illis obiicit, atque adeò iurat. Vnde Epiphanivs hæresi 29. *Iuramentum*, inquit, *apud Deum, quid aliud est, quàm quod dicit Dominus* PER ME *ipsum iurauit?* Et addit, *Neque iurat Deus* (per alicuius scilicet alterius auctoritatem) *verùm ad declarationem confirmationis sermo ille vim habet*: id est, iurat Deus *per se*, vt eò nos certiores & attentiores reddat, sicut est dictum. Hanc etiam causam iuramenti diuini indicauit Apostolus, cùm inquit, *interposuisse Deum iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimũ solatium haberemus.* Ad Hebr. 6.

Tertio probatur etiam ratione, iuramentum esse secundùm se licitum. Nam actus, cuius *principium* est bonum, & *finis* ac *materia* etiam; bonus & licitus est secundùm se. Sed actus iurandi est talis. Igitur, &c. Maior est manifesta. Minor probatur. Nam iusiurandum adhibemus *ex æstimatione*, quam habemus de diuina infallibilitate. Ac proinde ex bono illud principio procedit. Et rursus illud referimus ad *finiẽdas controuersias*, vt Apostolus ad Hebr. 6. docet, qui est *finis honestus & bonus.* Itẽ quòd testimonio diuino humanę controuersiæ finiãtur, quando aliter finiri nõ possunt, rationi est cõsonũ, & Reip. necessa-

rium. Fatendum est igitur, *principium*, & *finem*, & *materiam*, siue obiectum Iuramenti esse licitum, ac per consequens ipsum etiam Iuramẽtum. Confirmatur: Nam est actus virtutis Religionis. Ergo omnino est actus per se licitus. Antecedens patet. Nam illa omnia, quæ in Iuramẽto diximus concurrere, magnam gloriam & existimationem pariunt Deo.

Ad illum autem locũ Matth. 5. Respondeo, varias esse illius expositiones. *Prima* est diui Bonaventvrae in 3. d. 39. artic. 2. quæst. 1. qui asserit, Christum ibi non prohibuisse iuramentum vniuersaliter, sed tantùm prohibuisse, ne in omni negotio adhiberetur. Et propterea (inquit) non dixit: Ego autem dico *omnino non iurare*, sed, *non iurare omnino*, id est, non semper: quia negatio (inquit) anteposita signo vniuersali, æquipollet particulari. Cæterùm hanc expositionem meritò reiicit Gabriel in ead. d. quæst. 1. Nam sententia Sacræ Scripturæ non est metienda huiusmodi Dialecticorum regulis. Et constat, eãdem loquẽdi formam extare in Scriptura prohibitionem vniuersalem. Vt Exod. 20. *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem.*

Secunda est diui Hieronymi in illum locum, qui censet tantùm ibi prohiberi omne Iuramentum per *Creaturas*. Quam expositionem sequitur Alphonsus à Castro, verbo Iuramentũ. hæres. 1. Sed tamen hæc expositio non omnino quadrat eiloco. Nam ex illis verbis: Sit sermo vester, *Est, Est; Non, Non*; colligi videtur, aliquo modo prohibitum fuisse *omne omnino Iuramentum*, etiam per Deum. Item, quia reddẽs ibi Christus rationem, quare non esset iurandum per *Cælum*, inquit: *quia sedes Dei est.* Ergo multò magis videtur prohibuisse Iuramentum per ipsum Deum.

Tertia est Erasmi in annotationibus super 5. Caput Matthæi, prohibitum esse Iuramentum in negociis sæcularibus, non in spiritualibus, cuiusmodi erãt illa, in quibus iurabat Apostolus. Cæterùm hoc videtur gratis & temerariè dictum, vt patet ex vsu contrario Ecclesiæ.

Quarta expositio est aliorum dicentium, fuisse id *consilium*, non autem præceptum, quibus faueret videtur D. Bernardus homil. 65. in Cantica, & Beda in cap. 5. Iacobi. Cæterùm nec hæc expositio placet. Nam vel consuluit Christus, vitãdum esse *omne omnino* iuramentum. Et hoc dici nõ potest, cùm aliquando sit præceptum de iuramento adhibendo, vt postea videbimus. Vel consuluit vitare omne Iuramentum *inutile*. Et neq; hoc dici potest, siquidem nõ solùm est consilium, sed etiam præceptum, de vitando omni inutili Iuramento, vt infrà etiam patebit.

Dicendum igitur est ex sententia D. Thomæ art. 2. in solutione primi, & D. Avgvstini lib. 19. contra Faustum cap. 23. & libro de mendacio cap. 15. Christum Dominum ibi prohibuisse *facilitatem*, atque adeò *temeritatem* iurandi quocunq; iuramento. Voluit enim in illo Capite refellere falsam doctrinam Pharisæorum, qui duo existimabant falsò circa Iuramentum. Primò non esse iuramẽtum iurare per Creaturam: id quod colligere possumus ex illo Matth. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis; quicumque iurauerit per templum, nihil est.* Secundò, non esse timendum peccatum in vsu Iuramenti, nisi quando esset *periurium* ex defectu veritatis; Iurare autem ex leuitate, vel absque necessitate, nullum esse peccatum. Ex quo factum est, vt passim pessima consuetudo leuiter ac temerè iurandi apud Iudæos inoleuerit.

Vtrumque igitur istorum correxit ibi Dominus duo docens. Primò, iuramentum etiam esse iurare per Creaturas. Secundò, non esse vlla ratione, aut vllo Iuramenti genere *leuiter* iurandũ. Atque hunc ibi fuisse scopum Christi, refutare videlicet errores illos Pharisæorum, patet ex illo initio sermonis quem ibi habuit: *Nisi abundauerit Iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, &c.* Ac similiter sententia S. Iacobi ad eundem modum est exponenda; sicut etiam eodem modo intelligẽdi sunt Patres, si qui acriùs in Iuramenta inuehuntur.

Quod verò attinet ad rationem illam initio adductam Contravsum iurandi in controuersiis *humanis*, Caietanus art. 4. conatur ostendere, quo pacto is, qui iurat, nihil diuinum referat ad id, quod est humanum. Ait enim duo esse in Iuramento: Alterum *actu exhibitum*, quod est videlicet ipsa *inuocatio* diuini testimonij, & reuerentia, quæ Deo exhibetur: Alterum verò non exhibitum, sed *expectatum*, quod videlicet est *manifestatio* veritatis occultæ. Primum, quod est quidem diuinum, negat Caietanus referri ad finiendã controuersiam humanam, sed solùm secũdum concedit ad id ordinari.

Cæterùm Caietanus per hoc nõ effugit, quin aliquid diuinũ concedere debeat referri ad controuersiam humanam. Nam vel per manifestationem veritatis intelligit Caietanus *actionem ipsam* Dei, per quam is speratur veritatem manifestaturus. Et tunc vtique aliquid diuinum refertur ad controuersiam humanam. Vel intelligit manifestationem veritatis *passiuè*, hoc est, ipsam veritatis cognitionem & persuasionem hominis requirentis iuramentum. Et tunc etiam oportet concedi à Caietano, ordinari aliquid diuinum ad aliquid humanum. Nam ea ipsa manifestatio passiua veritatis est aliquid humanum; quod nõ solùm est effectus inuocationis diuini testimonij, sed etiam immediatus *finis*. Ad hoc enim inuocatur diuinum testimonum, vt homini persuadeamus. Itaque sic etiam aliquid diuinũ, hoc est, inuocatio diuini testimonij, ordinatur ad aliquid humanum.

Respondeo igitur ad rationem illam, concedendo, inuocationem diuini testimonij, vt est actus Religionis, atque adeò ipsum testimonium diuinum, ordinari ab iurante ad finiendam controuersiam *humanam*. Neque in hoc est vlla per-

uersitas. Non enim ordinatur ad id tanquam ad *vltimum finem simpliciter:* cùm & ipse etiã finis controuersiæ humanæ, in Deum tandem referatur; neque etiam tanquam in finem perfectiorem *ipso diuino testimonio*, sed tãquam in finem quendam *hominibus ipsis quidem* necessarium, atque adeò tanquam in finem non ipsius diuini testimonij, sed hominum ipsorũ, siue humanæ necessitatis. Sicut etiam eadem ratione nulla est peruersitas in eo, quòd incarnatio Christi simili modo ordinata fuerit in remissionem peccati, & quòd diuina gratia ordinetur sic ad sanandam naturam hominis, &c. Hactenus de PRIMO.

SECVNDO, vt etiam proposuimus, circa *vsum* Iuramenti videndum est, *quænam requirantur, vt sit licitus*, non solùm ex *obiecto & genere*, vt eum esse licitum iam probatum est, sed simpliciter & *vndequaque*. Est autem sententia communis, varias circumstantias requiri, tum ex parte eius, *qui iurat*, tum ex parte eius, *per quem* iuratur, tum ex parte *modi* iurandi, & etiam *materiæ* iuramenti.

Nam quod attinet ad eum, QVI IVRAT, necesse est, vt is non sit iure prohibitus. Interdicitur enim Iuramentum in Iudicio pueris ante decimumquartũ annum: Et periuris, vt patet Cap. Pueri, & Cap. Paruuli, & Cap. Honestum 22. q. 5. Item etiam interdicitur communiter Clericis; vt patet 2. q. 4. aliâs 5. Cap. Siquis Presbyter. Nisi in casu necessitatis vel magnæ vtilitatis, vt explicat hîc D. Thomas art. 10. *Puerũ* quidem & *periurũ*; propter periculum peierãdi. *Clericũ* verò propterea quòd tanta communiter esse debet eorũ auctoritas, vt superuacaneum sit ab illis exigere Iuramentum, vt docet diuus Thomas hîc articulo decimo.

Disputat verò Syluester, verbo Iuramentum 2. quæst. 3. vtrum is etiam periurus, qui non est *conuictus* in Iudicio de periurio, intelligatur esse prohibitus? Et tandem probabiliùs concludit, illa Iura intelligenda esse de quocunque periuro *notorio*, quamuis in Iudicio non fuerit conuictus. Contrarium tamẽ asserit Sotus lib. 8. de Iustitia, quæstione prima, articulo decimo. Sed tamen Sylueſtri opinio videtur probabilior. Nam absolutè reiicitur Iuramentũ periuri in dicto Cap. Paruuli 22. q. 5.

Item est hîc controuersia apud aliquos, vtrum pueri non solùm non sint cogendi ad Iuramentum præstandum in Iudicio, sed *ne admitti quidem* debeant, quamuis velint iurare. Sotus vbi suprà putat admittẽdos esse, quamuis non cogendos. Id quod solùm videtur prohiberi in dictis Capitulis 22. q. 5. Sylueſter verò vbi suprà negat etiam admittendos. Et hoc videtur probabilius, saltem attendendo consuetudinem, quæ est optima legum interpres.

Ex parte verò eius, PER QVEM iuratur, contingit Iuramentum non esse licitum, sed peccatum mortale, si quis iuret per *falsos Deos*; inuocando videlicet testimonium Dei falsi (id est, Creaturæ) tanquam infallibile. Constat enim, hoc esse genus Idololatriæ. Iurare autem per *creaturam* non secundùm se, sed *vt in ea relucet perfectio diuina*, non est illicitum; cùm id sit reuera iurare per Deum verum, vt relucentem in Creatura, vt patet ex dictis p. 1. & docet hîc facile diuus Thomas art. 6.

Item contingit, Iuramentum esse illicitum ex parte eius, *per quod* iuratur, si quis iuret per membra Dei, quasi is membra habeat. Est enim id grauis blasphemia; maximè si aliqua membra impudenter nominarentur. Item etiam si quis iuret per quædam membra Christi aut Sanctorum. Afficiuntur enim grauissimo dedecore.

Si verò aliquis iuret per mẽbra Christi & Sanctorum honesta, communiter etiam videtur id esse venialis irreuerentia. Nam id quoque præ se fert quandam impudentiam, distinguere ita inter mẽbra, &c. Et hoc est ex mente Angeli, quem Sylueſter citat verbo Iuramentum 2. q. 10. Si autem reuerenter iuretur per eiusmodoi membra, nullum videtur esse peccatum, vt patet ex Sylueſtro illic, qui circa huiusmodi est videndus.

Aduertendum est autem; quamuis peccatum mortale sit iurare per falsos Deos, non est tamen peccatum, ex rationabili causa vti ad faciendam fidem iuramento tali ab idololatra præstito. Ita Augustinus in Epistola 154. ad Publicolam. Quin imò etiam liceret in casu necessitatis petere à tali Iuramentum, dummodò quis non peteret, vt iuraret *per falsos Deos*; sed absolutè vt iuraret: quod constat, alterũ posse præstare sine peccato; quãuis ex sua malitia iuraturus sit per falsos Deos. Hoc patet ex eodem fundamento, quo suprà disputatione quinta, quæstione vigesima prima, puncto quarto docuimus, eum, qui ex rationabili causa petit ab vsurario mutuum, vel soluit illi vsuras, non peccare cooperando illi, quamuis offert illi materiam peccandi. Item etiam patet exemplo Iacob, qui Genes. 32. petiit Iuramẽtum à Laban Socero, quamuis Idololatra.

Iam ex parte MODI iurandi; ex iure positiuo requiritur primùm certum *tempus*, quod attinet ad Iuramentum in Iudicio. Nam vt patet ex Cap. Decreuit 22. quæstione quinta, non licet illud præstare in Aduentu, & in Quadragesima, & in Rogationibus, &c. nisi quod, vt Glossa illic notat, hæc circumstãtia abiit in desuetudinem. Deinde in Cap. Honestum 22. q. 5. saltem ex honestate quadam & decentia requiritur, vt iuraturus sit iciunus.

Iure autem *diuino & naturali* sunt necessariæ ex parte modi iurandi TRES circumstantiæ, quas comites Iuramenti, de quibus sanctus Thomas articulo tertio, videlicet Iudicium, Iustitia, & Veritas. Ita enim apertè dicitur Hierem. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in Iustitia, in Iudicio, in Veritate.* Ex quibus *Iustitia* etiam pertinet ad materiam Iuramẽti promissorij, vt statim patebit. Atque etiam iure naturali

naturali hæc requiri, facile perspicitur ex ipsis rationibus harum trium circumstantiarum.

VERITAS enim requisita in Iuramento consistit in eo, vt id, in cuius confirmationem inuocatur diuinum testimonium, sit verum; saltem secundùm rationabile iudicium eius, qui iurat. Id quod satis constat esse necessarium. Sed diuersimodè tamen Veritas requiritur in Iuramento promissorio & assertorio. Nam in *promissorio* requiritur duplex Veritas. *Vna* consistit in concordantia orationis promissoriæ & animi interioris faciendi suo tempore id, quod promittitur. Qua ratione suprà diximus Iuramentum promissorium esse simul assertorium. *Altera* veritas requisita in promissorio consistit in concordia ipsius etiam effectus futuri (qui promittitur) cum *oratione* promissoria & *existimatione* interiori de eiusmodi effectu futuro. Ad quam concordiam & veritatem requiritur, vt reipsa compleatur & fiat quod promittitur. Et hæc est propria veritas promissorij iuramenti. In assertorio verò iuramento tantùm requiritur veritas concordiæ vocis cum mente interiori.

Similiter IVSTITIA in Iuramento necessaria est; vt scilicet actus iurandi sit iustus & rectus. Sed diuersimodè quoque Iustitia requiritur in Iuramento assertorio & promissorio. Nam in *promissorio* requiritur dupliciter; scilicet tum ex parte ipsius *actus* iurandi, vt videlicet sit *iustus*, & non noceat proximo; tum etiam ex parte *materiæ* Iuramenti, vt videlicet sit *opus iustum* pertinens ad aliquam virtutem. In *assertorio* autem non requiritur iustitia ex parte materiæ. Sæpè enim licitè detegitur aliquod etiam *crimen* adhibito Iuramento; sed solùm requiritur ex parte ipsius *actus* iurandi, ne videlicet alicui noceat.

Deniq; IVDICIVM etiam in omni Iuramento requiritur, & quidem *eodem modo* in quocunque. Est enim iudicium in proposio discretio & prouidentia quædam necessaria omni iuranti, ad quam tria pertinent. PRIMVM est, ne illud, quod iuramento affirmamus, posit *absque* iuramento sufficienter probari. Tunc enim esset id abusus iuramenti: Cùm iurandi institutum referri debeat non nisi ad facta contingentia & occulta, quæ aliter probari & persuaderi nequeũt, quàm per testimonium Dei omnia cognoscentis. SECVNDVM est, vt subsit aliqua *necessaria* aut *pia* causa iurãdi. TERTIVM est, vt qui iuraturus est, *diligenter* prouideat, verum ne sit an falsum, quod est confirmaturus.

Ac propter necessitatem huius discretionis & considerationis in iurando obseruauit prudẽter sanctus AVGVSTINVS libro decimo nono contra Faustum, capite vigesimo tertio, Diuum Paulum non in *sermone*, sed in *epistolis* scriptis (vbi facilius est considerationem adhibere) iurasse. *Apostolus*, inquit, *in sermonibus, quos habuisse narratur, nunquam iurauit, ne iurandi consuetudine aliquando vel necessitas in periurium laberetur. In Scripturis autem, vbi est consideratio maior atque perpensior, pluribus locis iurasse inuenitur.*

His ita expositis, certum est inprimis ex defectu cuiuscunque harum trium circumstãtiarum vsum iuramenti reddi illicitum. Nam si deest IVSTITIA; efficit tunc iurans (*quantum est in se*) Deũ cooperatorem mali; & dicitur tunc Iuramẽtum *iniquum* siue *iniustum*. Si deest VERITAS; efficitur Deus vel ignorans vel improbus: alterutrum enim oportet esse eum, qui sit futurus testis falsi. Et dicitur tunc Iuramentum *falsum* siue *periurium* propriè loquendo. Si denique deest IVDICIVM discretionis, afficitur Deus quadam irreuerentia: siquidem sine causa inducitur tanquam testis. Et tunc dicitur Iuramentum *temerarium* & incautum.

Sed potissimùm explicare hîc oportet, quando nam ex defectu alicuius circumstantiæ istarum, iuramentum sit peccatum MORTALE. Atque vt ordine de singulis dicamus, quod ad VERITATEM attinet, sit PRIMA Conclusio. Iuramentum ASSERTORIVM, *cui deest veritas*, semper est peccatum mortale, in quacunque materia adhibeatur. Est communis doctrina Theologorum in 3. sentent. d. 39. & nominatim D. Thomæ infrà quæstione nonagesima octaua, de Periurio, & Caietani ibi, & Nauarri capite duodecimo, numero quinto, &c. Contrariũ verò sensit Glossa in Cap. Veniens. Extra de iureiurando, & aliqui Doctores Iuris citati à Sylueſtro, verbo Iuramentum 2. scilicet non esse mortale, quando mendacium est iocosum. Quæ opinio meritò exploditur à Theologis communiter. Probatur nostra Conclusio. Nam hoc, quod est, Deum afferre testem mendacij, abstrahendo à *quantitate* materiæ, & omni alia conditione mendacij, est grauissima deformitas contra virtutem Religionis: siquidem efficitur tunc Deus (quantum in homine est) vel ignorans, vel improbus, vt suprà dictum est.

SECVNDA Conclusio. Iuramentum etiam PROMISSORIVM ex defectu *Veritatis consistentis in concordia vocis, cũ animo interiori* faciendi, quod promittitur, semper est mortale: siue res, quæ promittitur, sit licita, siue illicita, siue parua, siue magna, &c. Hæc Conclusio est etiam communis Theologorũ. Et probatur sicut præcedens: quia ex hac parte Iuramentum promissorium, quod attinet ad veritatem requisitam, conuenit cum assertorio, vt suprà dictũ est. Vnde defectus huius Veritatis in Iuramento promissorio æquale peccatum est.

SED est argumentum ad probandum, non esse mortale defectum huius Veritatis, quando Iuramentum promissorium est de re *iniusta*, vt verbi gratia, de interficiendo homine. Nam tunc ille, qui iurat, tenetur non habere animum adimplendi illud, quod promittit. Ergo non peccat mortaliter ex eo, quod non habet animum id adimplendi. Antecedens probatur: quoniam

peccat *habendo* animum adimplendi id, quod est illicitum. Ergo tenetur eum animum *non habere*. Vt verbi gratia, quando quis promittit se interfecturum hominem.

Ad hoc respondent aliqui, eum, qui iuramento confirmat promissionē illicitam, posito quidem quòd velit iurare, debere habere animum adimplendi; quamuis absolutè tenetur non habere. Sed hæc Responsio non mihi placet. Nam etiam posito, quòd quis velit iurare, & iuret se interfecturum hominem; peccaret peccato quidem homicidij, habendo animum interficiendi. Ergo etiam posito, quòd velit iurare, non tenetur habere talem animum, sed potiùs tenetur nō habere.

Respondeo igitur aliter ad argumentum, concedendo Antecedens: videlicet quòd teneatur talis *non habere* animum adimplendi opus illicitum, quod iurat: Negatur tamen Consequētia. Nam licet talis non ideo quidem peccet *peccato homicidij*, quia non habet animum adimplendi, quod iurat: peccat tamē peccato *periurij*, propterea quòd *non habens* animum id adimplendi, confirmat iuramento se habere; siquidem hoc ipsum (in quacunq; materia Iuramenti) est contra præceptum negatiuum de non adducendo Deum in testem falsi. Ex quo sequitur, talem, qui iurat se hominem interfecturum (verbi gratia) posito, quod velit iurare; peccaturum esse, siue habeat animum adimplendi quod iurat, siue nō. Neque tamē propterea erit perplexus. Nam potest liberè prætermittere iuramentū, & sic vtrinque euadere periculum peccandi.

Sit Tertia Conclusio. Ob defectum etiam *Veritatis de futuro*, Iuramentum Promissorivm de re quidem *licita*, semper est peccatum mortale, quæcunque sit materia promissionis, siue magna, siue parua, siue partialis, siue totalis, &c. Hæc Conclusio est Gabrielis in tertio, distinctione trigesima nona, quæstione secunda, concluſ. quarta & septima, & Caietani in Summa, verbo Periurium, vbi absolutè dicit esse mortale peccatum non adimplere promissionem iuramento firmatam. Quanquam hîc articulo septimo distinguat. Si enim totalis materia Iuramenti nō adimpletur: sic, inquit, semper est mortale peccatum, quantumuis aliâs materia secundùm se esset parua: Si autem tantùm quoad partem materiæ violetur Iuramentum; concedit tunc posse esse *ex paruitate* peccatum Veniale. Sed tamen in hac re non satis consequenter Caietanus loquitur. Si enim Iuramentum promissorium est peccatum mortale, quando totalis materia Iuramenti prætermittitur; etiam erit, quando omittitur materia partialis, vt patebit postea. Est autem prædicta Conclusio contra Sotum libro octauo de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio, & Nauarrum capite duodecimo, numero sexto, & quosdam alios ab his citatos, qui existimant, ratione *leuitatis materiæ* (siue ea totalis materia fuerit, siue partialis) esse tantùm Veniale peccatum non efficere veram promissionem.

Probatur autem Primo nostra Conclusio sic: Quòd aliquis, *quantum in se est*, causa sit, vt Deus fuerit testatus falsum; est grauis deformitas contra Dei honorem. Sed ille, qui iuramentum promissorium (de re licita) non adimplet, quantulacunque tandem fuerit talis iuramenti materia, causa est, quantum est in se, vt Deus fuerit falsum testatus. Ergo semper peccat mortaliter. Maior probatur dupliciter. Primò: quoniam id valde obstat fini iuramenti, qui est fidem facere, adducto testimonio diuino. Vt autem disputat Caietanus infrà quæstione nonagesima octauâ, articulo secundo & tertio, quando aliquid notabiliter repugnat fini iuramenti, mortale peccatum est. Secundò probatur: quia esse causam, vt Deus fuerit testatus falsum, perinde ferè est, atque esse causam, vt Deus testetur falsum in præsenti. Sed esse causam, vt Deus testetur falsum in præsenti, abstrahendo à quacunque quantitate materiæ Iuramenti, grauis deformitas est, vt patet ex prima Conclusione. Ergo etiam esse causam, vt Deus anteà fuerit testatus falsum. Iam probatur Minor. Nam his duobus duntaxat stantibus, quòd videlicet homo induxit anteà testimonium diuinum ad confirmandam promissionem, & nunc vult falsam facere illam promissionem præteritam; Deus, quantum est ex parte istius hominis, iam fuisset testatus falsum: per *accidens* enim est, quòd reipsa Deus anteà non fuerit testatus. Fuisset enim certè, quantum erat in voluntate istius.

Secundo probatur eadem Conclusio. Nam ratio, propter quam aliquando est peccatum mortale contra Religionem (de hoc enim peccato nunc loquimur) non adimplere Iuramentum promissorium, semper cernitur eadem, quandocunque aliquis violat Iuramentum promissorium de re licita, in quacunque materia. Ergo vel semper, vel nunquam erit irreuerentia mortalis, violare tale Iuramentum promissorium. Sed negari non potest, quin id aliquando mortale sit. Ergo concedendum est, semper esse. Antecedens probatur. Nam ratio illa consistit in hoc, quòd Deus adducitur testis falsi, vt patet ex modo, quo ferè omnes Doctores hoc explicant. Ideo enim requirunt Veritatem etiam de futuro, ne videlicet Deus fuerit testis falsi. Sed ratio falsitatis æquè reperitur in quacunq; promissione, quando non adimpletur, siue fuerit de re magna, siue de re parua. Ergo.

Si dicatur, rationem peccati mortalis in violatione Iuramenti non esse præcisè in eo: sed in hoc, quòd promissio *rei grauis* reddatur falsa. Contrà est primò, quòd eadem ratione posset aliquis

aliquis absurdè dicere falsitatem Iuramenti *assertorij* non inducere præcisè culpam mortalem, sed falsitatem in materia *graui*. Quòd si hæc culpa mortalis abstrahit à conditione materiæ, & ita semper est mortalis: cur non etiam deformitas illa violationis Iuramenti promissorij, cùm ferè sit perinde, vt anteà dictum est?

Deinde contra hanc euasionē probatur Tertio nostra Conclusio. Grauitas & leuitas materiæ tunc solùm pertinent ad leuitatem aut grauitatem peccati, quando materia ipsa est immediatum & veluti per se obiectum peccati. Sed *materia ipsa* promissionis non est immediatum obiectum & per se irreuerentiæ eius, quæ committitur in violatione Iuramenti promissorij. Ergo grauitas vel leuitas materiæ promissionis nihil facit ad leuitatem vel grauitatem talis irreuerentiæ. Maior patet *inductiuè* in omnibus materiis; & peculiariter in materia Religionis, de qua iam loquimur. Etenim in violatione Voti verbi gratia, propterea transgressio Voti de re leui est tantum Veniale peccatum, quia ex vi Voti tenetur aliquis illam materiam adimplere, quatenus ex illa datur gloria Deo, & propterea illa materia est immediatum obiectum eius peccati & irreuerentiæ, quæ committitur in transgressione Voti. Minor verò probatur. Nam materia promissionis non est obiectum actus Religionis, quando Iuramentum promissorium adimpletur. Ergo neque est obiectum peccati contra Religionem, quando idem Iuramenrum violatur. Consequentia hæc est clara. Nam circa idem obiectum versatur Virtus & peccatum Virtuti contrarium.

Antecedens verò probatur dupliciter. *Primò* auctoritate diui Thomæ expresè dicentis in solutione primi, articulo quinto, hanc esse differentiam inter Votum & Iuramentum, quòd executio Voti hoc ipso, quòd est *Voti executio*, est actus Religionis: Opus verò Iuramento promissum, non propterea quòd est *Iuramenti executio*, est actus Religionis. Et idem concedit Caietanus articulo septimo & octauo, quāquam dicat, tam obseruationem Iuramenti, quàm Voti esse actū Religionis, vt *obseruatio* est, licet executio Iuramenti absolutè, vt talis actus est, non sit actus Religionis.

Secundò probatur idem Antecedens ratione. Nam si quis, quando exequitur Iuramentum promissorium, expresè vellet abstrahere à circumstantia gloriæ diuinæ, quæ redundat ex obseruatione Iuramenti, & tantùm vellet exequi opus promissum, vt tale opus est; procul dubio satisfaceret Iuramento: siquidem efficeret verum id, quod iurauit. Ergo fatendum est, actum Iuramenti actum Religionis; ac per consequens, deformitas violationis Iuramenti in hoc præcisè consistit, quòd quis non tuetur diuinum honorem, efficiendo verum id, in cuius confirmationem (quantulumcunque id fuerit) testimonium Dei adduxit: sed potius est causa, *quantum est in se*, vt fuerit Deus testatus falsum; quod est Deo ex natura rei ignominiosum. Itaque appareret, eos, qui grauitatem violationis Iuramenti promissorij metiuntur ex quantitate materiæ promissionis, vel quacunque alia eius conditione (modò materia sit licita) à scopo aberrare.

Sed explicabitur magis tertia illa nostra Conclusio per solutionem sequentium argumentorum, quæ occurrunt contra illam. Primvm est: Qui Iuramento aliquid promittit, non tam videtur Deum afferre vt testem Veritatis de futuro, quàm vt *fideiussorem*, & veluti *pignus*, quo alter certus reddatur de effectu futuro. Ergo violatio Iuramenti non ideo est deformis vel mala, quòd quis, quantum est in se, sit causa, vt Deus fuerit testatus falsum: sed potiùs quia videtur despicere & contemnere fideiussorem & pignus interpositum: ac proinde pro grauitate vel leuitate materiæ, circa quam Deus, vt fideiussor despicitur, poterit violatio Iuramenti esse peccatum mortale vel veniale. Antecedens probatur. Nam ad confirmandum aliquid futurum non solemus vti testibus, sed pignore & fideiussore.

Respondeo negando *Antecedens*. Est enim id contra communem sententiam Doctorum asserentium, Iuramentum promissorium esse verè & propriè Iuramentum; & definientium, iuramentum omne esse inuocationem diuini testimonij. Quòd verò dicitur, Deum potius afferri vt fideiussorem & pignus; vel idem est in re, quod afferri tanquam testem veritatis de futuro; vel sunt mera verba sine re ad propositum. Id probatur. Nam inprimis dici non potest, diuinum nomen interponi vt pignus vel fideiussorem *propriè*; vt pignus & fideiussor propriè est id, ex quo creditor possit sibi satisfacere casu, quo debitor illum fallat. Constat enim eos, qui requirunt Iuramentum, non id spectare, neque sibi postea ex diuino nomine satisfacere. Oportet igitur, vt illa oratio, qua diuinum nomen dicitur *pignus* vel *fideiussor* metaphoricè exponatur: ita videlicet, vt ideo Deus fideiussor & pignus vocetur, quia sicut pignus & fideiussor solet facere creditorem certum: ita etiam suo modo inuocatio diuini nominis ad testimonium. Quo ipso fit, vt sub grauissimo peccato mortali (in quantulacunque materia Iuramenti, alioquilicita) teneatur quis ex præcepto Religionis efficere verum id, in cuius confirmationem adduxit diuinum testimonium: ne alioqui faciat, *quātum in ipso est*, Deum fallacem.

Probatio autem illius *Antecedentis* petita ex consuetudine & vsu, nullius est momenti. Verum est enim, nos non solere *testimonium huma-*

num inducere ad confirmandas res futuras; cùm non se certò extendat ad res futuras humana cognitio. *Diuinum* verò *testimonium* rectè ad futura etiam confirmanda potest induci: cùm & illa æquè certò, ac præsentia, Deo sint perspecta. Alioqui si consuetudinis humanæ esset habenda ratio; non esset etiam adhibendum Iuramentum assertorium ad confirmanda *in præsenti* occulta & contingentia: præsertim quæ pertinent ad actus interiores. Nam neque ad huiusmodi confirmanda etiam de præsenti, adducimus humanum testimonium; cùm sint humanæ cognitioni occulta.

SECVNDVM argumentum: Accidere potest, vt quis voluntariè violet Iuramentum, & tamen non sit causa voluntaria, quantum in se est, vt Deus fuerit testatus falsum. Ergo non omnis violatio Iuramenti promissorij idcirco est peccatum mortale contra Religionem, quia Iuramentum violans sit causa voluntaria, quantum in ipso est, vt Deus fuerit testatus falsum; & consequenter falsa erit Conclusio illa tertia, quæ eo fundamento nititur.

Antecedens probatur. In casu, quo is, qui antea verè & cum proposito adimplendi iurauit, & postea tamen vult violare Iuramentum, doleat se antea Deum testem adduxisse in confirmationem eius, quod iam non vult facere: sicut ferè semper vsuenire solet. Talis enim neque tempore, quo inuocauit diuinum testimonium, causa fuit (quantum fuit in ipso) vt Deus testaretur falsum: cùm ponamus illum tunc putauisse & proposuisse se facturum, quod iurauit: atque ita ignorauisse esse id falsum de futuro, quod affirmabat. Neque rursum talis est causa huius, quando postea voluntariè violat Iuramentum: nam quamuis tunc voluntariè efficiat falsum, quod antea affirmauit: tamen non vult tunc, se antea diuinum testimonium adduxisse. Igitur nunquã iste est causa, quantum in ipso est, vt Deus fuerit testatus falsum.

RESPONDEO negando *Antecedens*. Vt enim suprà probauimus, his duobus duntaxat positis, quòd videlicet quis *iam* violet Iuramentum, & *antea* adduxerit Deum in testem; sequitur (quantum in tali homine situm est) vt Deus fuerit testatus falsum, quantumuis iam hominem pœniteat inuocationis præteritæ diuini testimonij. Quemadmodum enim talis per eam pœnitentiam non efficit, vt antea diuinum testimonium non fuerit ab ipso voluntariè inuocatum, cùm id iam sit *præteritum*: ita etiam (si Iuramentum tunc violat) non vitat, quo minus iam sit causa, quantum est in se, vt Deus fuerit testatus falsum: sed si hoc est vitandum, oportet, vt illud alterum homo tollat, videlicet *violationem* Iuramenti voluntariam in præsenti: quod non tollit nisi velit exequi Iuramentum.

Itaque ad probationem illius Antecedentis respondeo, quamuis neque in tempore præterito solo, neque in solo tempore præsenti, quo talis Iuramentum violat, sit ille causa voluntaria, vt Deus fuerit testatus falsum, est tamen huius causa tempore, quo violat, posito quòd & iam Iuramentum violat, & antea tempore præterito diuinum testimonium inuocauit; quod vltimum iam non potest tolli, cùm sit præteritum.

TERTIVM argumentum: Si Conclusio illa tertia vera est; sequitur, peccati mortalis reos esse omnes eos, qui violant Iuramenta promissoria de rebus minimis, quæ passim contingunt: id quod pronunciare durissimum est. Tunc enim condemnandi sunt parentes verbi gratia, qui leuiter iurant, se filium castigaturos, aut illi aliquid daturos, &c. nec postea id adimplent. Item illi, qui honoris causâ Iuramento confirmant, se nõ priùs altero egressuros per ianuam quampiam, & tamen primi egrediuntur, &c.

RESPONDEO, transgressiones huiusmodi iuramentorũ aliter posse excusari à mortali, quàm ex leuitate materiæ. Vt enim rectè notauit Caietanus articulo septimo, vel non fiunt hæc Iuramenta de actu *vndequaque bono* & virtuoso, sed potiùs ad inordinatam vindictam: cuiusmodi frequenter sunt Iuramenta parentum de punitione filiorum; & sic non obligant, vt infrà videbitur: vel fiunt de rebus *indifferentibus* interdum; quæ iuramenta similiter non obligant: vel fiunt *conditionaliter*, si puer fecerit hoc aut illud: Vel fiunt de his, quæ potius sunt in *potestate alterius*, & quæ impediuntur per alterum; cuiusmodi videntur illa de nõ anteuertendo alterum honoris causa in egressu. Vel denique tantùm iurat aliquis, se quidpiam facturum, *quantum est in se*, nisi alter id sit ingratum: Cuius signum est, quòd altero renitente, facilè quis illi cedit. Quo pacto, sicut inquit Caietanus, intelligendum est illud, quod sanctus Petrus dixit: *Non lauabis mihi pedes in æternũ*. Quòd si nullo modo istorum aut similium excusari possint tales à violatione Iuramenti, atque adeò à peccato mortali; sibi imputent, qui leuiter iusiurandum adhibuerunt.

Et hactenus quidem dictum est, quod & quale peccatum inducat defectus Veritatis. Nunc dicendum est de defectu IVSTITIAE. Et PRIMO certum est apud omnes. Si quis iuret se commissurum aliquod peccatum *mortale*; peccare eo ipso mortaliter contra Religionem ex defectu Iustitiæ. Patet, quia efficit per hoc, *quantum in ipso est*, Deum cooperatorem eius rei, quæ est graue peccatum, & offensa ipsius Dei grauis. Ita Sotus libro octauo de Iustitia, quæstione prima, articulo tertio, Nauarrus cap. duodecimo, numero decimo quinto, Caietanus hîc articulo septimo, Syluester, verbo Iuramentum 2. quæst. 7. & omnes reliqui.

SECVNDO, si quis iuret, se facturum peccatum *veniale*; communiter iidem Doctores dicũt, tantùm esse venialem irreuerentiam: quia non est tantum malum illud, cuius is Deum cooperatorem facit. Quanquam hoc videri possit alicui creditu difficile; cùm quoduis malum culpæ grauiter pugnet cum diuina bonitate. Sed tamẽ per me sit illa sententia probabilis, præsertim cùm quis non habet directam intentionem efficiendi Deum adiutorem mali & peccati, saltem vt malum & peccatum est.

TERTIO, si quis iuret se facturum aliquid *contra consilium diuinum*; tantùm est veniale, secundùm veriorem opinionem. Ita Nauarrus capite duodecimo, numero decimo sexto, Sotus libro octauo de Iustitia, quæstione secunda, articulo tertio, Caietanus hîc articulo septimo & alij. Quamuis Syluester, verbo Iuramentum 2. putet id esse mortale peccatum. Sed illi alij verius. Ratio est: quoniam leuis tantùm est irreuerentia vti diuino testimonio ad obsistendum diuinæ voluntati circa consilia; cùm non adeò strictè velit Deus executioni ea mandari: quandoquidem non ea præcipit.

Sed argumentabitur aliquis, consequens hinc esse, vt sit peccatum mortale, iurare aliquid, quod est à Deo prohibitum sub peccato Veniali. Nam vteretur talis diuino testimonio ad obsistendum diuinæ voluntati in his, quæ præcipit. Id autem si ita est; ergo falsò dictum est antea, Iuramentum de peccato veniali, non esse nisi veniale.

Respondeo negando Consequentiam. Nam quamuis contrarium eius, quod prohibetur sub peccato Veniali, verè præcipiatur à Deo: tamen non adeò strictè id præcipitur, sicut contrarium eius, quod est peccatum mortale. Et propterea tantum est veniale, iurare aliquid, quod sit veniale peccatum, licet grauius intra latitudinem venialis, quàm sit iurare aliquid contra cõsilium.

Post hæc dicendum est etiam de defectu IVDICII: quale nimirum peccatum in Iuramento inducat. Et quidem si tantùm desit in iurando Iudicium, quod attinet ad *necessariam causam* iurandi; communiter dicitur tantùm esse veniale. Ratio est: quoniam si id alioqui verum est, quod iuramento confirmatur; adducere Deum in testem sine causa sufficienti, non est grauis irreuerentia.

Si autem desit Iudicium ex parte *inquisitionis necessariæ* ad videndum, vtrum verum sit, nec ne, quod Iuramento est affirmandum; tunc defectus Iudicij erit mortale peccatum vel veniale, pro ratione negligentiæ in veritate inquirenda. Itaq; si negligentia est notabilis & magna, mortale peccatum id erit: si autem est parua; vt si quis adhibeat aliquam diligentiam, sed non sufficientem, tunc solùm erit veniale. Est autem tota hæc doctrina ex mente Nauarri capite duodecimo, numero sexto, & Sylueſtri, verbo Iuramentum secundo, quæstione sexta & octaua, & Caietani in Summa, verbo Periurium.

Et ratio est: nam quando quis *notabiliter* est negligens in illa Veritatis inquisitione; censetur perfectè velle iurare falsum, si contingat falsum esse id, quod vult iurare; atque adeò peccat mortaliter: Si autem *imperfectè* fuit negligens; imperfectè etiam censetur velle iurare falsum: atque ita tantùm venialiter peccat. Eatenus enim iuramentum falsum in tali casu interpretatiuè censetur perfectè aut imperfectè voluntarium, quatenus negligentia inquirendi est perfecta aut imperfecta.

Duo tamen sunt hîc aduertenda. PRIMVM est, æquè procedere hanc doctrinam; siue talis, quando iurat, *dubitet*, vtrum sit verum, nec ne, quod iurat; siue etiam *leuiter ac temerè putet* esse verum: & denique siue *in re* contingat, id, quod iurat, esse verum, siue contingat esse falsum: quandoquidem non sufficienter prouidet, vtrum sit falsum, nec ne, id quod iurat.

SECVNDVM est, doctrinam hanc intelligendam in casu, quo talis *aduertat* se iurare id, quod non sufficienter discusit. Nam si tantummodò anteuertente lingua iudicium, iuret quis id, quod non sufficienter discusit, non aduertens se aliquid tale iurare; non peccat: sicut etiam non peccat ille, qui iurat falsum, non aduertens id esse falsum, vt docet diuus Thomas infrà quæstione nonagesima octaua, articulo tertio ad secundum, & Nauarrus capite duodecimo, numero sexto, ex doctrina communi. Omnes enim docent, oportere, & vt quis *aduertat* se iurare, & vt aduertat se iurare id quod est *falsum*; & consequenter etiam id, quod est *insufficienter* discussum. Alioqui non peccat tunc aliquis iurando, cùm iurare ita inaduertenter non sit actus humanus.

Hactenus dictum sit de TRIBVS illis circumstantiis requisitis ad hoc, vt vsus Iuramenti, quantum est ex parte MODI, sit licitus: sequitur nunc vt etiam circa vsum Iuramenti, quantum est ex parte quoque MODI in iurando, explicemus, an licitum sit FREQVENTER iurare; seu an consuetudo Iurandi sit licita. Ratio dubitandi est. Nam cùm Iuramentum sit actus Virtutis; nihil videtur obstare, quò minùs frequenter illud vsurpemus, adhibitis tribus illis circumstantiis debitis. Contrà verò, malè audiunt habentes eiusmodi consuetudinem. Et in Scriptura etiam reprehenduntur tales, & deterrentur ab ea consuetudine tanquam mala. Vt Ecclesiastici vigesimo tertio: *Iurationi non assuescat os tuum. Multi enim casus in illa.* Et ibidem: *Vir multùm iurans replebitur iniquitate.*

RESPONDETVR omnino illicitam esse consuetudinem frequenter iurandi. Ita diuus Tho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mas articulo quinto, & communiter Doctores. Probatur. Iurare sine causa necessaria, atque adeò temerè & irreuerenter, est illicitum. Sed qui habet consuetudinem frequenter iurandi, sæpè iurat sine causa necessaria. Ergo iurare frequenter est illicitum. Maior patet ex supradictis. Iuramentum enim, vt rectè probat sanctus Thomas, adhibendum est ad subueniendum imbecillitati testimonij humani; & idcirco eatenus tantùm vsurpandum, quatenus ad eum finem est necessarium. Itaque minimè licet iurare absque necessitate. Est enim id iurare *frustrà* contra præceptum secundum Decalogi. Exodi vigesimo: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Neque enim habebit Dominus insontem eum, qui assumpserit nomen Domini sui frustrà.* Minor verò probatur. Nam fieri non potest, moraliter loquendo, vt frequenter existat causa necessaria iurandi, cùm sæpenumerò incidant res aut nimis leues, aut nimis claræ, quæ non indigent diuino testimonio. Qui igitur frequenter iurat, necesse est, vt sæpè iuret temerè & sine necessitate: atque adeò frequenter iurare non licet.

Vnde pulchrè sanctus CHRYSOSTOMVS homilia nona, ad populum Antiochenum. *Improbam*, inquit, *iurandi consuetudinem expellamus, & vel tantillum Deo tribuamus honoris, quantum vestimentis nostris preciosioribus. Quomodo enim non absurdum est, vestimentum quidem habentes reliquis melius, ipso continuè abuti non sustinere; Dei verò nomen vbique temerè, & vt occurrit distrahere?* Atque hæc ipsa consuetudo fuit ea, quam Dominus Matthæi quinto in Iudæis redarguit & prohibuit, vt suprà docuimus.

Sed QVAERAT aliquis, quandonam & quomodo ea iurandi consuetudo erit mortale peccatum? Nam ex solo defectu *causæ necessariæ*, vt suprà dictum est, vsus iuramenti non redditur illicitus mortaliter.

RESPONDEO, diiudicandum id esse ex circumstantiis personæ. Pro cuius rei declaratione diligenter est aduertendum, consuetudinem iurandi variis modis posse accidere. Aut enim habet aliquis consuetudinem non modò *iurandi* frequenter, sed aliàs etiam frequenter *mentiendi*: neque solùm hoc, sed etiam frequenter coniungendi *mendacium cum iuramento*: Et tunc certum est, talem consuetudinem esse illicitam mortaliter, quia sæpè talis est periurus, vt patet. Aut habet consuetudinem iurandi, sed non mentiendi deliberatè: Et tunc videtur talis consuetudo esse illicita venialiter tantum, quia tali solùm accidet, quod suprà diximus, videlicet vt sæpè iuret sine necessitate. Aut denique habet aliquis consuetudinem & iurandi, & mentiendi, sed tamen *non coniungendi* iuramentum cum mendacio, quia videlicet solet ex reuerentia iuramenti vitare illud, quando mentitur: Et tunc videtur non solùm venialiter, sed etiam mortaliter illicita esse talis iurandi consuetudo. Ratio est: quoniam moraliter loquendo, talis etiam aliquando peierabit, coniungendo mendacium & iuramentum. Et quamuis hoc fortè talis tunc cùm peierat non aduertat, tamen videtur illi id imputari *in causa*, propterea quòd habet talem consuetudinem voluntariam, vt suppono, iurandi frequenter & mentiendi frequenter: ex qua sequitur, vt moraliter loquendo, aliquando incautè coniungat vtrumque. Et quoniam talis debet hoc præuidere & vitare, & potest etiam id facere desistendo ab ea consuetudine: si ab ea non desistat, illi imputabitur iuramentum falsum, quod aliquando propter talem malam consuetudinem incurrit.

Ex his autem intelligi potest, nunquam consuetudinem iurandi ita esse malam, vt necesse sit eum, qui talem consuetudinem habet, semper in quocunque actu iurandi peccare: sed ideo est mala, quia complectitur aliquos saltem actus iurandi illicitè ob defectum causæ necessariæ, vel alicuius alterius debitæ circumstantiæ. Ratio huius est: quoniam fieri potest, vt ille, qui habet iurandi consuetudinem, interdum habeat etiam causam necessariam iurandi, & adhibeat in iurando alias debitas circumstantias, sicut posset hoc contingere, si non haberet consuetudinem iurandi. Neque enim putandum est, hoc ipso solo iuramentum esse malum & illicitum, quòd proficiscitur ex consuetudine iurandi. Vt enim rectè Gabriel notauit in tertio, distinctione tricesima nona, quæstione secunda, consuetudo iurandi, eatenus solùm facit, vt Iuramentum sit illicitum, quatenus cum illa coniunctus est defectus alicuius circumstantiæ necessariæ ad Iuramentum: neque solius consuetudinis per se & formaliter loquendo, est habenda ratio ad cognoscendum illicitum iuramentum, sed illarum circumstantiarum. Idipsum notauit quoque Sotus libro octauo de Iustitia, quæstione secunda, articulo tertio.

Sed aduertendum hîc est, cum, qui ex consuetudine iurandi aliquando peierat, præter peccata, quæ committit in singulis iuramentis, quæ malè vsurpat, peccare etiam alio peculiari peccato *omissionis*: contra charitatem sibi debitam, propterea quòd non conatur remouere à se talem consuetudinem iurandi sæpè sine necessitate. Nam vnusquisque tenetur ex charitate erga seipsum remouere à se non modò peccatum, sed etiam *periculum & occasionem* peccandi. Constat autem iurandi consuetudinem magnam esse occasionem peccandi.

VTRVM verò hoc peccatum *omissionis* sit mortale vel veniale, quæri potest. Et quidem quando is, qui talem habet consuetudinem, interdum propter illam est periurus ex intentione, & aduertendo quod iurat; dubium non est quin illa omissio sit peccatum mortale: quandoquidem consuetudo illa est occasio peccandi mortaliter ex intentione.

Si autem is, qui habet eam consuetudinem, non solet ex intentione esse periurus, sed aliquando *inaduertenter* iuxta tertium modum consuetudinis suprà positum: maius dubium tunc est, quantum sit peccatum omissio illa desistendi ab ea consuetudine. Nam ex vna parte, periuria ea, quæ talis ex inaduertentia committit, tantùm imputantur illi *in causa*, videlicet ratione consuetudinis voluntariæ iurandi sæpè *sine necessitate*. Ac proinde cùm illa consuetudo iurandi sæpe sine necessitate secundùm se non sit plus, quàm veniale peccatum; videtur solùm esse veniale id periurium ex inaduertentia, quod ex tali consuetudine sequitur: & consequenter omissio etiam ipsa vitandi talem consuetudinem, cùm tantùm sit omissio vitandi occasionem peccati venialis, tantùm erit peccatum veniale.

Ex alia verò parte videtur id periurium, quod ex inaduertentia incurrit ille, qui habet eiusmodi consuetudinem, esse mortale, sicut suprà etiam diximus, atque adeò etiam omissionem ipsam vitandi talem consuetudinem, ex qua tale periurium sequitur. Nam quod consuetudo iurandi *sine necessitate* secundùm se sit tantùm venialis, per accidens videtur se habere ad periurium, quod ex ea consuetudine sequitur. Non enim ea consuetudo est causa periurij sequentis, quatenus est ipsa *secundùm se peccatum veniale*; sed quatenus est consuetudo iurandi *perfectè & plenè voluntaria* (vt suppono) Vnde si effectus, qui ex illa vt perfectè voluntaria sequitur, est ex suo genere mortalis; mortale peccatum erit, quandoquidem est voluntarius *in causa perfectè voluntaria*. Et consequenter videtur etiam mihi ex hac parte esse peccatum mortale omissio vitandi eam iurandi consuetudinem.

Ab hoc tamen peccato omissionis tunc aliquis desistit, quando dolet de peccatis, & mala consuetudine præterita, & proponit se amplius non malè iuraturum, atque adeò non habiturum talem consuetudinem. Itaque per vnam & eandem pœnitentiam (si est talis, qualis debet esse) liberatur quis & à peccatis commissionis, quæ per eam consuetudinem commisit malè vsurpando Iuramentum aliquando, & præterea etiam à peccato omissionis, in quo hærebat, quamdiu non conabatur remouere à se eam malam consuetudinem.

HINC sequitur, omnino verum esse, quod Caietanus quæstione nonagesima octaua, articulo tertio, & Nauarrus capite duodecimo, numero sexto dicunt, illum, qui propter malam consuetudinem iurandi tam veram, quàm falsa, iurat aliquando ex inaduertentia falsum, peccare mortaliter. Nam saltem *in causa* est huic voluntarium tale iuramentum falsum. Cuius signum est, quòd (vt Caietanus & Nauarrus dicunt) ita est talis dispositus, vt etiamsi aduertisset id falsum esse, nihilominus iurauisset. Quanquam nisi talis *actu* etiam iuraret falsum; ea sola dispositio ipsius non sufficeret ad peccandum per qualemcunque actum. Talis enim dispositio non est ipsa per se peccatum, sed procliuitas ad peccandum: ob procliuitatem autem ad peccandum, non omnis actus, qui à tali procliuitate proficiscitur, est peccatum. Alioqui sequeretur, eum, qui talem habet procliuitatem iurandi falsum, non modò peccare mortaliter, quoties iurat falsum ex inaduertentia: sed etiam quotiescunque loquitur vera, siue cum iuramento, siue sine illo. Nam quandocunque talis loquatur aliquid, ita dispositus loquitur, vt si occurrisset iuramentum & mendacium, simul vtrumque coniunxisset.

Habemus igitur, *consuetudinem* iurandi illicitam esse. Et ad argumentum, quo initio contrarium probabatur, ita RESPONDEO: quamuis Iuramentum sit actus Virtutis: tamen requirit tales circumstantias, quales non possunt (moraliter loquendo) omnes frequenter quidem concurrere. Et idcirco passim iurare, illicitum est, eo modo, quo declarauimus.

VLTIMO circa vsum Iuramenti quæret aliquis, vtrum is non modò sit aliquando licitus, sed etiam *præceptus*. RESPONDEO breuiter ex sententia communi, quandoque esse etiam præceptum. Nempe tunc, quando publica potestas illud legitimè requirit: & quando necessitati proximi potest aliquis per Iuramentum subuenire. Ratio vtriusque est: quoniam publica potestas habet auctoritatem, vt eo medio possit continere in pace suos subditos, & componere illorum controuersias. Item quia vnusquisque cùm potest, tenetur ex charitate, medio licito & facili, necessitatem proximi subleuare.

PVNCTVM QVARTVM.

De Iuramenti Obligatione.

D. Thomas art. 7. 8. 9.

QVOD quis ratione Iuramenti peculiariter obligetur, indubitatum est. Itaque hoc posito, videnda sunt tria. PRIMO, Quomodo obliget Iuramentum. SECVNDO, Vtrum aliquæ causæ vnquam possint incidere, propter quas Iuramentum non obliget. TERTIO, Quæ possint esse illæ.

AC PRIMO quidem circa MODVM, quo obligat Iuramentum, illud aduertendum est, Iuramento non ita obligari aliquem, ac si iuramentum sit priuata lex, sicut est Votum. Non enim

est

est *lex*, sed inuocatio diuini testimonij, quod longè aliud est. Obligatur igitur quis Iuramento ideo, quia hoc ipso, quòd iurat, præcepto naturali Religionis tenetur ad aliquid. Quale autem sit hoc præceptum, vtrum affirmatiuum, vel negatiuum; videndum est distinguendo illud, ad quod quis tenetur propter Iuramentum.

Duo namque sunt, ad quæ tenetur quis propter Iuramentum. ALTERVM est id, quod præstari debet *illo ipso tempore*, quo Iuramentum fit. Et ad hoc pertinent tres illæ circumstantiæ in Iuramento necessariæ, de quibus puncto præcedenti dictum est: scilicet Veritas, Iustitia, & Iudicium. Ad quas circumstantias tenetur quis ex præcepto *negatiuo* de non vsurpando Iuramentum vanè & irreuerenter contra Religionem; & etiam aliquando ex *affirmatiuo*, cùm videlicet ex præcepto vsurpandum est Iuramentum. Tunc enim eodem præcepto tenetur quis *rectè* illud vsurpare.

ALTERVM verò spectat ad *tempus subsequens* ipsum Iuramentum. Et hoc tantùm pertinet ad Iuramentum *promissorium*. Est enim id nihil aliud, quàm executio Iuramenti promissorij. Atque ad hoc quidem videri posset, obligari hominem partim ex præcepto *affirmatiuo*, quando videlicet Iuramentum promissorium fuit affirmatiuum; partim ex *negatiuo*, quando videlicet Iuramẽtum promissorium fuit negatiuum.

Cæterùm si diligentiùs rem consideremus, apparet, has differentias negationis & affirmationis ipsius Iuramenti, *per accidens* se habere ad eam obligationem virtutis Religionis, quæ oritur ex promissorio Iuramento. Solùm enim illæ differentiæ Iuramenti pertinent ad id, quod materialiter est promissum, & quod confirmatur Iuramento. Quod vt suprà puncto præcedenti disputauimus, non respicitur *secundum se* à virtute Religionis in executione Iuramenti.

Itaque DICENDVM est, obligationem hanc Iuramenti promissorij ad id exequendum, quod per illud promittitur, in vniuersum & per se loquendo, esse obligationem præcepti *affirmatiui* Religionis de conseruanda & procuranda gloria diuina, efficiendo verum illud, in cuius confirmationem inuocatum fuit diuinum testimoniũ, ne alioqui sit quis, *quantum in ipso est*, causa, vt Deus falsum sit testatus, iuxta dicta puncto præcedenti.

Neque huic obstat, quòd aliquando id, quod est promissum & confirmatum iuramento, sit aliquid *negatiuum*, puta non facere hoc aut illud. Quemadmodum, quòd etiam aliquando Voto promittamus aliquid negatiuum, nihil obstat, quò minùs obligatio Religionis adimplendi quodcunque Votum, sit semper *affirmatiua*.

Ratio vtriusque est: quoniam præceptum affirmatiuum non solùm potest respicere actum exteriorem, sed etiam circumstantiam aliquam, pertinentem ad aliquam virtutem, vt in proposito, gloriam & reuerentiam diuinam, quæ vt patet, potest sequi non solùm ex actu exteriore, sed etiam ex omissione & negatione exterioris actus. Hanc igitur circumstantiam debet quis in executione cuiuscunq; Voti vel Iuramenti (tum negatiui, tum affirmatiui) ex vi præcepti affirmatiui Religionis adhibere, vt scilicet velit faciẽdo vel non faciendo, quod vouit vel iurauit se facturum aut non facturum, dare gloriam Deo.

Solet etiam circa MODVM obligationis Iuramenti disputari, Vtrum maior sit obligatio Iuramenti, quàm Voti? Et putat diuus Thomas articulo octauo huius quæstionis, maiorem esse obligationem Voti: quoniam Votum adimplere tenemur ex fidelitate erga Deum, quam violare grauius est. Maxima enim irreuerentia subditi erga Dominum, videtur esse *infidelitas*. Itaq; ideo videtur à sancto Thoma censeri maior obligatio Voti, quia est violatio non solùm Religionis, sed etiam *Fidelitatis* erga Deum (quamuis re quidem vtraque hæc Virtus sit vna & eadem) violatio autem Iuramenti est solùm violatio Religionis in ordine quidem ad Deum. Et ex ea quidem parte verum est, maiorem esse obligationem Voti.

Si tamen respiciamus obligationem *solius* Religionis vt Religio est; non videtur ea in Voto esse maior, per se loquendo, quàm in Iuramento, sed aliquantò minor. Nam maior irreuerentia esse videtur, *minuere, quantum est in se*, honorem diuinum, vti facit is, qui violat iuramentum, quàm *non augere* illum: quod facit is, qui non adimplet Votum. Vt præteream, incertum etiam videri, quod assumit sanctus Thomas, maximam irreuerentiam subditi erga Dominum esse *infidelitatem*. Maior enim irreuerentia esse videtur, si expresè illum *contemnat*, aut *contumelia* afficiat, aut *minuat* ipsius honorem. Itaque probabilis videtur opinio Ioannis Maioris in 3. d. 39. quæstione secunda, vbi putat, maiorem esse obligationem Iuramenti. Sed quicquid sit de hoc, ad praxim id non multum refert, satis enim est, quòd vtraque obligatio, scilicet Voti & Iuramenti, sit satis magna. Hæc de PRIMO, scilicet de MODO quo obligat Iuramentum.

An ob aliquas causas posit Iuramentum non obligare.

QVod ad SECVNDVM attinet, aduertendum est, cùm quæritur, Vtrum aliquæ CAVSAE esse possint, propter quas Iuramentum non obliget, sermonem non esse de ea obligatione Iuramenti, quæ respicit *tempus ipsum præsens*, in quo fit Iuramentum. Illa enim, vt antea dictum est, est obligatio præcepti *negatiui* naturalis de non *vanè iurando*, quod semper obligat. Nulla enim causa potest esse, propter quam licitum sit iurare sine Iudicio, aut sine Veritate, aut sine Iustitia, vt rectè docuit sanctus Thomas art. 9. in solutione primi.

Sed

Sed QVAESTIO est, an ob aliquas causas tolli possit obligatio *propria* iuramenti PROMISSORII, quæ videlicet respicit *futuram executionẽ*. Nam quòd hæc etiam obligatio inseparabilis sit à iuramento promissorio; hoc argumento probari potest: Siquis *voluntariè* prætermittat executionem Iuramenti anteà præstiti, hoc ipso peccat. Ergo inseparabilis est à tali iuramento obligatio exequendi. Consequentia est clara. Nam hoc est Iuramentum semper obligare, ita faciendum esse, quod quis iurauit, vt nisi faciat, eo ipso peccet: propterea enim quis dicitur obligatus ad faciendum. Antecedens verò probatur. Nam esse causam voluntariam, *quantum est in se*, vt Deus fuerit testatus falsum, est peccatum, vt suprà ostensum est. Sed hoc ipso, quòd quis *voluntariè* prætermittit executionem Iuramẽti anteà præstiti, est causa, quantum est in se, vt Deus anteà fuerit testatus falsum, sicut vidimus puncto præcedẽti. Ergo quandocunque quis voluntariè executionem Iuramenti prætermittit, peccat. In contrarium autem est doctrina communis & certa, qua constat, in multis casibus Iuramentum promissorium non obligare.

Vnde ad argumentum RESPONDEO primò, quod attinet quidem ad Iuramẽta promissoria, prout *communiter* fieri solent, non habere id argumentum magnam difficultatem. Nam quamuis illa propter aliquas causas negligantur: tamẽ non ideo efficitur falsum illud, in cuius confirmationem fuerũt adhibita. Cuius ratio est. Quia ex consuetudine & iure communi, multæ *conditiones* tacitæ adhibentur, in Iuramento promissorio, quæ latè recitantur à Syluestro, verbo Iuramentum 3. q. 1. Quorum vna est, si promissionis executio *Deo placuerit*, vt colligitur apertè ex Cap. Beatus 22. quæstione secunda, atque adeò si nihil occurrerit, quod rationabiliter obstet executioni Iuramenti.

Quocirca quando quis propter aliquem euẽtum vel causam contrariam *conditioni subintellectæ*, negligit iuramentum; non ideo reddit falsum, quod anteà promisit. Sensus enim promissionis fuit, se facturum, quantum in se esset, nisi aliquid rationabiliter obstaret executioni. Itaque quando aliquid postea rationabiliter obstat; & ob id quis non implet Iuramentum; minimè propterea facit contra id, quod promisit. Siquidem nõ ex se motus, sed inductus à causa rationabili, executionem prætermittit. Itaque quod attinet ad Iuramenta promissoria, prout *communiter* fiunt, facilè negatur illius argumenti Antecedens.

SED habet maiorem difficultatem illud argumentum, siquis velit probare, non posse obligationẽ separari à promissorio Iuramento, quod quis fecisset *omnino absolutè*, excludendo expresè omnem conditionem, etiam quæ rationabiliter deberet subintelligi. Tunc enim quæcunq; causa sit illa, propter quam id Iuramentum non adimplet, videtur nõ adimplendo reddere falsam promissionem; & consequenter fallacem Deum facere, ac proinde peccare: & tamen oportet explicare, quomodo aliquis in tali etiam casu prætermittendo executionem, nõ peccet. Nam certum est apud omnes, si quis ex praua intentione iuraret, se aliquid facturum in omni euentu, etiamsi displiceat Deo; minimè obligari ad implendum iuramentum in tali euẽtu. Sicut etiam certum est, non obligare iuramentum de re per se illicita, vt si quis iuraret se interfecturum hominem; neque talem peccare, si iuramentum nõ adimpleat, sed debere potius non adimplere. In huiusmodi igitur casibus explicandum est, quomodo talis non peccet, tametsi efficiat falsam promissionem præteritam.

RESPONDEO autem, propterea talem non peccare, quia non tenetur efficere veram promissionem, & procurare in ea re honorem diuinum *per medium illicitum*: quale esset verbi gratia, interficere hominem. Quod vt melius intelligatur, recolendum est id quod suprà diximus. Iuramentum promissorium debere adimpleri ex præcepto Religionis *affirmatiuo*, quo quis tenetur procurare diuinum honorem, efficiendo verum id, quod iurauit. Vnde idcirco aliquis peccat, nõ adimplens Iuramentum, quia videlicet *indirectè* est causa, vt Deus fuerit testatus falsum, hoc est, non faciendo verum, quod tenebatur facere verum: Vt autem aliquis peccet, per hoc, quòd sit causa *indirecta* alicuius, duo requiruntur: Vnũ est, vt *potuerit* facere illud, ad quod tenebatur: Alterũ est, vt *debuerit* etiam id facere per tale vel tale medium. In proposito autem quamuis quis possit quidem, *absolutè loquendo*, efficere veram promissionem: tamen nõ etiam debet illam veram efficere per medium illicitum; & propterea nõ censetur tunc esse causa indirecta, quòd Deus fuerit testatus falsum: talis scilicet, quæ debuerit & potuerit per tale medium id impedire.

Atque idem dicendum est, si quis absolutè iurauisset, se in omni euentu facturum aliquid *inutile* vel impeditiuum *maioris boni*, vel *minus Deo gratum*. In omnibus enim his casibus negant Doctores obligare Iuramentum. Cuius ratio debet esse, quia non tenetur quis per talia media inutilia, vel minùs grata Deo, procurare diuinum honorem adimplendo Iuramentum; sed per opera virtutis, grata Deo.

Ob quas causas Iuramentum posit non obligare.

POsito igitur, quòd possint esse aliquæ causæ, propter quas licitè Iuramentum promissorium negligatur, tanquam non obligans, videndum est iam TERTIVM (quod proposueramus) videlicet quæ sint illæ causæ. Qua in re duo sunt certa, & duo controuersa. Nam PRIMO quidem conuenit inter omnes Doctores, legitimam causam eius rei esse *dispensationem* aut *commutationẽ* aut *irritationem* Iuramẽti. De quibus omnibus, quod

attinet

attinet tum ad illos, qui possunt commutare, dispensare, aut irritare Iuramentum, tum ad causas necessarias & sufficientes ad id faciendum, idem ferè iudicium est, atque de commutatione, dispensatione, & irritatione *Voti*, de quibus dictum est q. præced. p. 7. Id quod bene notauerunt Sotus lib. 8. de Iustitia, q. 1. art. 9. & Caietanus hîc artic. 9. in quo de huiusmodi tractat sanctus Thomas.

Sunt tamen pauca quædã obseruanda, in quibus est aliquid discriminis, quoad hæc inter Iuramentum & Votum. PRIMVM est quoad causam *dispensandi* in Iuramento. Quia enim Iuramẽtum sit *homini*; ad dispensandum in eo dispicere oportet, vtrùm subsit causa rationabilis, propter quam meritò is, cui præstitum est Iuramentum, æquo animo debeat ferre illius relaxationẽ. Alioqui dispensatio nõ erit accepta Deo. Secùs verò est in Voto. Satis enim est ad illud dispensandum respicere ea, quæ placent Deo: siquidẽ Votum fit Deo ipsi.

SECVNDVM est quoad *irritationem* Iuramenti. Nam ex eo, quòd dictum est, iuramentum præstari *homini*; sequitur, non modò superiores aut dominos rei promissæ posse irritare iuramenta, sed etiam eum, cui iuramentum præstatur, vt rectè docet S. Thomas artic. 9. ad 2. Ratio est: quoniam si alter nolit rem, quam Iuramẽto illi promisisti, acceptare, iam non esset actus Virtutis, illi renitenti dare, sed prodigalitatis potiùs. Item quia semper in eiusmodi Iuramentis subintelligitur conditio, si alter voluerit.

Tertium est circa eandem irritationem. Nam quia (vt dictum est) Iuramentum sit *homini*; potest aliquando Superior, tametsi solùm habeat iurisdictionem in hominem, & non dominium rei promissæ, irritare illud; in *pœnã* videlicet eius, cui Iuramentum est præstitum. Quocirca potest Papa, vt hîc notat Caietanus, iuramentum irritare præstitum homini excommunicato, priuãdo videlicet illũ iure recipiendi promissum. Item potest propter eandem rationem Papa irritare Iuramenta subditorum, præstita alicui Superiori; si videlicet *priuet* illum officio & dignitate: cuius causâ fides iuramenti erat seruanda. Et hoc dicit Caietanus esse irritare iuramenta *indirectè & consequenter*.

QVARTVM est etiam circa *irritationem*: quod videlicet non contingit posse irritari iuramenta propter superioritatem in *voluntatem* eius, qui iurauit, sicut suprà q. præced. p. 7. diximus id fieri circa Votum: sed tantùm potest irritari iuramẽtum propter superioritatem in *rem promissam*. Ratio huius discriminis est: quoniã ratione subiectionis voluntatis nõ tollitur obligatio per voluntatem inducta, nisi quando eiusmodi obligatio oritur ex *actu* voluntatis subiectæ, tanquam ex *priuata lege*: vti accidit in Voto eius, qui alteri est subditus quoad voluntatem, qui proinde indiget confirmatione Superioris, vt actus propriæ voluntatis habeat vim obligandi. Obligatio verò iuramenti non oritur ex iuramento quasi ex *priuata lege*, sed est obligatio meri iuris naturalis; ac proinde vis talis obligationis non pendet ex confirmatione eius, qui est superior voluntatis iurantis. Habemus igitur PRIMAM causam, eamque quadruplicem, propter quam iuramentum non obligat.

SECVNDO certum etiam est, causam, cur Iuramentum non obligat, posse esse ex parte *materiæ* Iuramenti; quando ea videlicet est *euidenter inutilis*, aut *impossibilis*, aut *illicita*, aut *melioris boni impeditiua*. Tunc enim non oportet ad Superiorem recurrere, sed propria voluntate negligendũ est tale Iuramẽtum, sicut etiã supra diximus q. præced. p. 7. in similibus casibus negligendũ esse Votum. Ita asseruit S. AMBROSIVS lib. 1. Officior. cap. vlt. adducto exemplo Herodis, qui malè fecit impiè adimplendo, quod temerè iurauit. Ita etiam tradunt communiter Theologi in 3. d. 39. & Caietanus hîc art. 9. & Sotus, & alij: quicquid Syluester dixerit verbo Votum 4. quod attinet ad commutationem in euidenter *melius*.

Et probatur ex Cap. *Peruenit*, 2. Extra de iureiurando, vbi dicitur: *Non infringit promissum, qui illud in melius commutat*. Item; nam sicut suprà de Voto dictum est, dispensatio tunc solùm habet locum, quando est aliquod *dubium*: aliàs frustrà ex Superiore scisciteremur, quid potiùs Deo placeat, quando *euidenter* id est notum.

Et notandum est ex Caietano & Soto, in omnibus casibus dubiis, in quibus Episcopi possent dispensare, aut commutare Vota, possunt etiam Iuramenta. Et quanquam D. Thomas artic. 9. in solutione tertij dicat, recurrendum esse ad Summum Pontificem in casu, quo materia Iuramenti euidenter est licita, & agitur de commutatione in melius bonum: tamen intelligendum hoc est solummodò secundùm *decentiam & congruitatem quãdam*. Nam possunt etiam Episcopi dispensare super iuramenta intuitu melioris boni, sicut possunt super Vota. Vt autem ab hac Episcoporum potestate excipiuntur illa quinque Vota, de quibus suprà dictum est q. præced. p. 7. sic etiam intelligendum est excipi Iuramenta, quæ habeãt eandem materiam.

Præter has causas CONTROVERTITVR ã Doctoribus de aliis duabus, quæ accidere possunt ex parte *iurantis*, videlicet de *coactione & dolo*: de quibus agit S. Thomas artic. 9. in solutione secundi & tertij. Itaque PRIMO quæritur, Vtrum Iuramentum COACTVM obliget? Vt v. g. siquis graui metu perculsus iureiurando promittat latroni centum, seruãdæ vitæ causa. Videtur enim non obligare: *primò*. Nam in tali casu dare latroni centum, non est actus Virtutis. Ergo minimè ad id Iuramentum obligat. Antecedens probatur. Nam primùm, non est id actus *Fidelitatis*. Vt enim inquit S. Thomas artic. 9. ad 2. ille, qui vi & per iniuriam extorsit promissionem, non meretur,

tur, vt illi seruetur fides. Neque etiam est id actus *Liberalitatis*. Dare enim pecuniam indigno, potius habet speciem prodigalitatis. Multò verò minùs est id actus Iustitiæ, vt patet.

Secundò. Nam illa donatio non prodest, sed potius nocet latroni: quandoquidem peccat is mortaliter, recipiendo quod sibi promissum est, cùm non habeat ad id ius. Ergo dare illi non est actus virtutis, sed potiùs cooperatio ad malum.

Tertiò. Nam in tali casu non est *valida promissio*. Ergo neque Iuramentum promissorium. Antecedens probatur ex Cap. Debitores, Extra de iureiurando. Consequentia patet: quoniam Iuramentum adhibetur ad confirmandam promissionem. Itaque quando nulla est vis promissionis; nulla videtur esse obligatio Iuramenti. Quod etiam inde confirmatur. Nam propterea aliquis potest relaxare Iuramentum sibi præstitum, quia potest condonare promissionem. Signum igitur est, quòd cessante promissione, cesset obligatio Iuramenti.

Quartò. Nam vel iuramentum coactum obligat iure *naturali & diuino*. Et tunc Ecclesia non posset super eo dispensare. Quod tamen potest & solet fieri, vt patebit statim. Vel obligat solo iure *positiuo* ex auctoritate Ecclesiæ, volentis nimirum, vt tale iuramentum impleatur. Et hoc non videtur credibile. Cur enim Ecclesia sic faueret ei, qui iniquè alterum ad promittendum & iurandum cogit?

Vltimò. Eiusmodi Iuramenta statim absque alia causa, præterquàm quòd fuerunt *coacta*, relaxantur à Romanis Pontificibus. Ergo reuera nulla erant. Antecedens patet ex Cap. *Verum*, & Cap. *Si verò*, Extra de iureiurando. Consequentia probatur: quia si non obstante coactione, iudicantur obligare; quomodo Ecclesia dispensat sine noua & peculiari alia causa.

RESPONDEO, quæstionem hãc tractari posse, vel secundùm forum *conscientiæ*, vel secundùm forum *externum*. Et in foro quidem *conscientiæ* dicendum est talia iuramenta obligare, & quidem sub mortali. Ita Syluester, verbo Iuramentum, quæst. 2. Caietanus hîc art. 9. & Sotus lib. 8. de Iustitia, quæst. 1. art. 7. & Gabriel in 3. d. 39. quæst. 1. art. 2. concl. 8. & Durandus ead. d. quæst. 2. & videtur hoc definitum in Cap. *Si verò*, Extra de iureiurando. Vbi Alexander II. determinat non esse negligenda eiusmodi coacta Iuramenta nisi quando *seruata vergerent in interitum salutis æternæ*.

Ratione etiam idem probatur. Nam si talia Iuramenta non obligarent, maximè quoniam non esset actus Virtutis illa adimplere, vt in primo argumento tangebatur. Sed id omnino est actus Virtutis. Ergo nihil obstat, quò minùs obligent in conscientia. Probatur Minor. Nam adimplere eiusmodi iuramenta est actus Charitatis erga seipsum, quo videlicet redimit quis præteritam vexationem, quam quidem *cepit* redimere præstando Iuramentum: & *completè* redimit faciendo, quod promiserat, vt rectè dixerit Caietanus art. 7.

Sed dicet aliquis: Quando talis dat latroni centum, iam non vexatur. Pono enim illum esse in loco securo. Ergo dici non potest, quòd talis donatio sit redemptio vexationis, atque adeò actus Virtutis. Respondeo, Hoc solùm probat, quòd non redimat talis *præsentem* & *nouam* vexationem: cæterùm redimit præteritam, vt dictum est. Nam *completa* redemptio præteritæ vexationis pendebat vsque ad tempus donationis; quæ idcirco præstari debet propter reuerentiam testimonij diuinii inuocati.

Diximus autem, obligare etiam talia Iuramẽta (in foro conscientiæ) sub *mortali*, contra Panormitanum, qui super dictum Cap. *Si verò*, putat tantùm obligare sub veniali. Ratio eius est: quoniam in Cap. *Verum*, eod. tit. dicitur, tales, si non adimpleant iuramentum, non esse afficiendos pœna mortalis periurij. Sed respondetur, ius illic nihil statuere de obligatione in foro conscientiæ, sed tantùm relaxare pœnam Canonicam propter circumstantiam coactionis. In foro autem conscientiæ nihil deest, quò minùs tale Iuramentum obliget sub mortali: quandoquidem vt probatum est, fuit verum Iuramentum de actu Virtutis: & omne Iuramẽtum promissorium obligat sub mortali, vt p. præced. probatum est. Maximè verò opinio Panormitani est falsa, quãdo res promissa est per se grauis. Tunc enim sine dubio Iuramentum promissorium obligat sub mortali.

Quod autem attinet ad *forum Iudiciale*, breuiter dicendum est ex communi sententia Doctorum, talia Iuramenta, si sint extorta per *vim*, & non solùm per iniuriam, non obligare: hoc est, non dari actionem in Iudicio contra eum, qui iurauit, sed potius dari illi ius repetendi, si dedit, quod promisit. Patet ex dict. Cap. Verum; &: Si verò, Extra de iureiurando. Dixi autem, si per vim, & *non solùm per iniuriam*. Nam si vis absit, quãuis per iniuriam Iuramentum fuerit extortum, cogitur in foro exteriori is, qui iurauit, adimplere Iuramentum. Vt v. g. Si aliquis iureiurando citra vllam vim, quamuis non citra iniuriam, promisisset aliquid vltra sortem vsurario id iniquè exigenti. Vt patet ex Cap. *Debitores*, Extra de iureiurando. Datur tamen postea actio repetendi illud, quod quis eo modo dat, Iuramentum adimplens; vt patet ex eodem Capitulo.

Ad argumenta verò obiecta, quatenus videntur probare, quòd tale Iuramentum non obliget in foro *conscientiæ*, non est difficile respondere. Ad *primum* patet iam, cuius Virtutis sit actus adimplere tale Iuramentum.

Ad *secundum* respondeo, eum, qui Iuramẽtum adimplet, dando latroni quod promisit, tantùm offerre illi materiam peccandi; exhibendo videlicet exteriùs pecuniam absque voluntate transferendi in illum eius dominium: & etiam absque

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntate, vr ille eam iniquè accipiat. Huiusmodi enim exterior duntaxat exhibitio satis est ad redimendam vexationem. Quemadmodum ille etiam, qui soluit vsuram; solum exterius eam exhibet. Quomodo autem, quando adest rationabilis causa *offerendi sic* materiam peccandi, is qui offert, non peccet; fusè disputatum est suprà disput. 5. quæst. 21. p. 4.

Ad *tertium* argumentum, concesso Antecedente, negatur Consequentia. Ad probationem respondeo, non esse de essentia & ratione iuramenti, vt *immediatè* confirmet obligationem alicuius promissionis: sed vt hominem impellat ad efficiendam veram enunciationem eam, in cuius confirmationem fuit inductum: & eatenus *mediatè & veluti ex consequenti* confirmat quoque obligationem promissionis, si enunciatio de futuro, in cuius confirmationem adducta est, fuit promissoria. Hoc patet ex eo, quod suprà p. 2. notauimus, posse etiam adhiberi iuramentum de futuro ad confirmandam enunciationem, continentem non promisionem, sed nudum propositum. Itaque quamuis in casu illius argumenti deficiat & eneruetur promissio, tamen non propterea sequitur, Iuramenti obligationem esse nullam.

Ad *confirmationem* eius argumenti respondeo, in illo casu non propterea solum Iuramentum relaxari, quòd is, cui est præstitum, relaxat vim promissionis; sed quia nolens simpliciter recipere id, quod erat promissum, efficit, vt iam id dare illi non sit actus Virtutis, sed prodigalitatis potius, atque adeò vt non teneatur quis per talem actum veram reddere enunciationem, quam Iuramento confirmauit. In nostro autem casu supponimus, quòd latro non remittat Iuranti completam illam redemptionē vexationis, quæ *pendebat* vsque ad tempus donationis, vt suprà dictū est. Quocirca actus Virtutis erit exhibere illi exterius pecuniam, ac proinde per eum actum est adimplendum Iuramentum.

Ad *quartum* respondeo, talia Iuramenta obligare quoque iure diuino & naturali. Neque ex hoc sequitur, Ecclesiam non posse super ea dispensare. Nam interposito rationabili iudicio superioris, quo is iudicet, non expedire, vt Iuramentum adimpleatur; ius diuinum & naturale non vrget. Quemadmodum suo modo diximus suprà de dispensatione Voti.

Ad *vltimum* respondeo ex doctrina Caietani art. 7. *coactionem ipsam* esse causam legitimam dispensandi in eiusmodi Iuramentis. Est enim id è bono communi, hoc ipso quòd ita præcluditur magna ex parte aditus eiusmodi coactionibus, si sciant homines, in Iuramētis coactis, propterea quòd coacta fuerint, facilè solere dispensari, ac proinde parùm prodesse ad iurandum cogere.

Monet autem prudenter hìc Caietanus, cauendum esse in hac parte scandalum. Nam si ex tali dispensatione sequeretur iniuria Religionis Christianæ, non esset dispensandum. Vt v. g. si quis ab infidelibus coactus præstitisset iuramentum, & ex hoc, quòd à Pontifice illud relaxaretur, arbitrarentur illi, apud nos nihil valere Religionem iurisiurandi.

Secundo Quæritur de Iuramento Doloso, an obliget. Est autem respondendum huic quæstioni, distinguendo varios modos, quibus potest dolus interuenire in iurando. Possunt autem illi omnes ad quatuor modos reduci, quorum duo contingunt circa enunciationem siue orationem *de futuro*, in cuius confirmationem adhibetur Iuramentum. Duo verò reliqui circa enūciationem siue orationem, qua significamus *ipsam inuocationem* diuini testimonij.

Primo igitur modo circa orationem *de futuro*, quæ confirmatur iuramento, accidit *dolus*, quando animus non concordat cum oratione exteriori, hoc est, quando quis non habet animum faciendi, quod dicit se facturum. Et in tali casu certum est, præter peccatum mortale periurij, teneri eum, qui sic iurat, ad adimplendum, quod dicit se facturum. Ratio est: quoniam debet efficere veram illam orationem exteriorem, quam Iuramento confirmauit. Alioqui peccabit mortaliter, efficiendo *quantum in ipso est*, Deum fallacem, vt suprà disputatum est.

Et notandum est, quandocunq; deest animus faciendi, etiam deesse animum promittendi, vt patet ex his, quæ q. præced. p. 1. disputauimus. Quod dico contra Caietanum hìc artic. 7. & Sotum lib. 8. de Iustitia, quæst. 1. artic. 7. malè distinguentes duos modos dolosi iuramenti: Alterum, quando quis non habet animum faciendi, sed promittendi tantùm: Alterum, quando neque habet animum faciendi, neq; promittendi. Probauimus enim quæst. præced. p. 1. ex doctrina diui Thomæ & aliorum communi, contra eosdem Doctores, impossibile esse, vt sit animus promittendi sine animo faciendi.

Secundo modo circa eandem orationem de futuro, quæ Iuramento confirmatur, accidit *dolus*, quando animus concordat quidem cum verbis, sed tamen non concordat cum animo & voluntate *eius, cui Iuramentum præstatur*: quia videlicet is, qui iurat, concipit mente atq; intelligit aliquid aliud, & ita decipit alterum, vel artificio verborum, vel aliqua amphibologia, vel denique per aliquam conditionē tacitè subintellectam, quā alteri non explicat. Vt v. g. si quis dicat: Iuro me daturum centum; & tacitè intelligat, *si possessa placuerit*.

Et in tali casu distinguendum est. Nam si Iuramētum iuridicè & *legitimè* requiratur; is, qui hoc modo dolosè iurat, mortaliter peccat non præstando iuramentum in eo sensu, quo interrogatur: & præterea tenetur nihilominus sub mortali Iuramentum adimplere, ad mentem eius, qui illud legitimè requisiuit. Ita colligitur ex Cap. *Quacunq; arte.* 22. q. 5. Et ratio est: quoniam præceptum naturale Religionis, non solùm obligat ad tuendum honorem diuinum, efficiendo verum id, in cuius confirmationem reuera est inuocatum diuinum testimonium; sed etiam id, quod rationabiliter potest credi ab aliis, fuisse diuino testimonio confirmatum; alioqui minueretur, per se loquendo, apud illos honor diuinus. Sed in casu, de quo nunc agimus, rationabiliter credi potest, Iuramentum fuisse adductum in confirmationem eius, quod intellexit ille, qui legitimè requisiuit iuramentum: quādoquidem iurans non habuit causam rationabilem, vt in alium sensum Iuramētum detorqueret. Ergo debet illud verum reddere ad mentem eius, qui ipsum legitimè requisiuit.

Si autem Iuramētum *irrationabiliter* fuit requisitum; tūc Sotus & Caietanus vbi suprà censent, si eum, qui irrationabiliter Iuramentum requirit, decipiat iurans per *artificium aliquod* aut *amphibologiam* verborum; neque peccare illum, neque teneri Iuramentum adimplere, secundùm mentem alterius. Quòd *non peccet*, probatur: quoniam verum iurauit, quamuis non illud verum, quod alter volebat: qui sibi debet imputare, quòd fuerit deceptus, quandoquidē irrationabiliter adegit alterum ad iurandum. Quòd verò *non teneatur* Iuramentum adimplere secundùm mentem alterius, patet: quia neque fuit iuramento confirmatum id, quod alter intellexit, sed quod intellexit iurans; neque rationabiliter ab aliis debuit putari & credi fuisse tunc iuramento confirmatum illud, quod alter voluit; quandoquidem suberat tunc causa rationabilis accommodandi Iuramentum ad alium sensum.

Si autem iurans, alterum decipit per *conditionem tacitè subintellectam*; putant iidem Doctores eum, qui sic iurat, peccare mortaliter peccato periurij, & debere præterea sub mortali Iuramētum adimplere secundùm mentem alterius: etiamsi iniquè is extorserit Iuramentum. Quod peccet mortaliter, probant: quoniam iurat falsum. Verba enim, quæ vsurpat, cùm non sint artificio ad alium sensum accommodata, neque per se amphibologica; non aliud significant, nisi id, quod alter vult. Itaque cùm iurans non habeat illud in animo, vt supponimus ex causa; iurat falsum. Quòd autem *teneatur* tunc talis Iuramētum adimplere ad alterius mentem, probant ex eodem fundamento: quia tenetur ex vi Iuramenti facere verum illud, in cuius confirmationem Iuramentum est adhibitum. Sed illud est id, quod alter intellexit, vt dictum est. Ergo illud tenetur facere.

Mihi verò magis placet sententia Nauarri in Man. cap. 12. num. 8. & 13. & Syluestri, verbo Iuramentum 4. quæst. 7. qui simplicitur docent, eum, qui iniquè & irrationabiliter ab altero adigitur ad iurandum, non peccare, quocunque modo alterum decipiat circa sensum orationis de futuro, quam confirmat iuramento: neque debere

illud adimplere, iuxta mentem alterius. Ratio est: nam etiam in casu, quo quis alterum decipit per *conditionem tacitè subintellectam*: verum dicit, & verum iurat, quamuis non quidem illud verum, quod alter voluisset.

Quocirca falsò & gratis aiunt Caietanus & Sotus, verba, quæ talis profert, significare tunc illud, quod alter vult. Non enim significant, nisi quod iurans vult: Quamuis non nisi inadæquatè quidem id significant, quia scilicet non exprimunt, quicquid ille habet in mēte. Nec propterea talis mentitur, sed omittit tantum modò dicere vnam quandam veritatem, dicens & significans (saltem inadæquatè) pro illa quandā *aliam*, vt fusè ex plurium Doctorum sententia declarauimus & confirmauimus suprà disput. 5. quæst. 13. Ex quo sequitur, neque teneri talem id adimplere, quod alter voluit: quandoquidem non id iurauit. Sed neque propter alios debebit id facere. Poterunt enim & debebunt credere, Iuramentum in alium sensum fuisse detortum, quandoquidem suberat ad id rationabilis causa, sicut ante quoque dictum est.

Tertio modo ex parte orationis significātis non iam rem promissam, sed ipsam *inuocationem diuini testimonij* seu *Iuramentum*, accidit *dolus*, quando iurans habet quidem animum iurandi: sed tamen non habet animum *obligandi se* ratione Iuramenti. In tali casu optimè dicunt Caietanus hìc art. 7. & Sotus vbi suprà, talem nihilominus obligari ad adimplendum Iuramentum. Ratio est: quoniam obligatio ratione Iuramenti, non nititur voluntate iurantis, sed iure naturali est per se annexa Iuramento. Vnde non est in potestate iurantis, separare illam à Iuramento.

Secùs autem iudicandum est de obligatione Voti aut promissionis. Nam illa pendet ex acceptione & voluntate vouentis & promittentis, & idcirco vt diximus suprà quæst. præced. p. 1. ille, qui non vult obligari, minimè manet obligatus voto aut promissione, cùm reuera tunc nec voueat, nec promittat. Itaque falluntur Syluester, verbo Iuramentum 4. q. 19. & Gabriel in 3. d. 39. quæstione prima, artic. 2. concl. 5. putantes eum, qui vult iurare, & non obligari, non manere obligatum.

Potest autem dubitari, Vtrum talis non modò teneatur adimplere, sed etiam *peccet* sic dolosè iurando. Respondeo, quando rationabiliter exigitur ab illo Iuramentum, certum est, eum peccare sic dolosè iurando: quandoquidem decipit alterum absq; rationabili causa. Putat enim alter, quòd velit se obligare. Non tamen videtur id esse peccatum mortale, etiam in eo casu. Ratio est: quoniam nihilominus verè manet obligatus, ratione Iuramenti. Et ita non est admodum pernicioſa proximo illa deceptio. Si autem irrationabiliter Iuramentum exigitur, & iurans sine animo se obligandi, non intendit significare alteri, quòd velit se obligare; nihil peccat. Si au-

tem intendat id ſignificare peccabit venialiter mentiendo.

Quarto modo accidit *dolus* circa orationem item ſignificantem Iuramentum, quando iurans neque habet animum iurandi, neque ſe obligandi ex iuramento, ſed ſolùm exteriùs profert verba pertinentia ad iuramentum. Ac in tali quidem caſu diſtinguendum eſt. Si enim ab eo, qui ita dolosè iurat, *rationabiliter* exigitur iuramentum; peccat ita iurans mortaliter, vtpote faciens contra finem iuramenti, & fraudans alterum iure, quod habet ad verum iuramentum; & præterea tenetur ad mentem alterius id Iuramentum adimplere: non quia fuerit verum Iuramentum, ſed propter alios, qui rationabiliter putare poterunt fuiſſe verum. Apud quos proinde debet talis tueri diuinum honorem, ſicut ſuprà eſt dictum.

Si verò *irrationabiliter* iuramentum ab eo, qui ſic dolosè iurat, exquiritur; peccat quidem talis venialiter mentiendo, ſi vult ſignificare ſe habere animum iurandi, & non habet; non tamen videtur peccare mortaliter. Nam cùm alter tunc non habeat ius ad verum Iuramentum; non facit is, qui ſic dolosè iurat, contra finem Iuramenti, vt rectè cenſet Sotus vbi ſuprà aduerſus Caietanum, qui perperam dicit, etiam in tali caſu id eſſe peccatum mortale contra finem Iuramenti.

Sed QVAERET aliquis, Vtrum Iuramentum ita doloſum (ſcilicet ſine interiori animo iurandi, & ſe obligandi) ſit peccatum mortale *periurij*, ſi illud, quod exteriùs duntaxat iuratur, ſit falſum. Caietanus & Sotus abſolutè aſſerunt eſſe tunc mortale: quoniam applicat tunc talis actũ illum exteriorem ad materiam indebitam. Sicut ille, qui exteriùs tantùm committit actum idololatriæ, & tamen nihilominus mortaliter peccat: quoniam applicat exteriorem actum ad materiam indebitam.

Videtur autem mihi eſſe diſtinguendum. Si enim talis *vult* illam orationem exteriorem referre ad materiam falſam, & confirmare illam per illud iuramentum exterius, vera videtur opinio Soti & Caietani. Si autem interiori animo non vult illa verba ad *falſam materiam* referre, neque poteſt ob aliquas rei circumſtantias rationabiliter ab aliis putari id velle, ſed tantùm iure ſuo vtens (quia ſcilicet illegitimè ab eo exigitur Iuramentum) vſurpat illa ad ſignificandum *aliquid aliud*, quod ſit verum; vel vſurpat ea tantùm materialiter, nihil per illa volens confirmare; non videtur peccare mortaliter, neque applicare tunc Iuramentum exteriùs indebitæ materiæ. Atque hoc magis intelligetur ex iis, quæ de actu Idololatriæ exteriori infrà quæſt. II. dicemus.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Adiuratione.

D. Thomas 2.2. quæſt. 90.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, QVID SIT ADIVRATIO, ET quibus modis fiat. SECVNDO, Quænam liceat adiurare. Vbi docendum erit, quatenus liceat adiurare homines, & Dæmones, & Creaturas alias.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Adiuratio, & quibus modis fiat.

Ad art. 1. D. Thomæ.

ADIVRARE ALIQVEM NIHIL ALiud eſt, quàm illum *impellere ad aliquid faciendum diuini nominis & honoris cauſa.* Ratio verò vocabuli inde nata eſt, quòd ſicut ille, qui iurat, tenetur ratione diuini honoris ac nominis aliquid facere: ita etiã cùm aliquem adiuramus, volumus, vt eiuſdem honoris diuini cauſa quidpiam faciat. Ex quo ſequitur, Adiurationem eſſe actũ virtutis Religionis. Nam impellere alterum ad aliquid, diuino nomine interpoſito, tanquam eo, quod apud omnes plurimùm valere debeat, in gloriam Dei & honorem cedit.

Porrò duobus modis Adiuratio fieri poteſt. PRIMO *præcipiendo*, & velut imponendo neceſſitatem alteri, vt diuini nominis cauſa quidpiam faciat. SECVNDO modo *deprecando* & hortando tantùm. Præterea ſiue deprecando, ſiue præcipiendo; adhuc duobus aliis modis contingit alterum adiurare. PRIMO ſimpliciter per mouendo alterum, vt aliquid faciat propter reſpectum diuini honoris. SECVNDO ita id ab altero contendendo, vt etiam ab illo exigatur Iuramentum quo ſeſe arctiùs obliget ad faciendum aliquid ob diuinum honorem.

Omnes hæ formulæ adiurandi extant in diuinis Scripturis. Nam inprimis *præcipiendo* & exigendo ſimul *iuramentum*, videtur Abraham Gen. 24. adiuraſſe ſeruum ſuum, vt non niſi de gente cognationis ſuæ quæreret vxorem filio Iſaac. *Pone*, inquit, *manum tuam ſubter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ, &c.* Eodem modo Iacob adiurauit filium ſuum Ioſeph, vt ſepeliret ipſum in ſepulchro patrum ſuorũ, vt patet ex cap. 47. & 50. Geneſ. Fuit enim temporibus illis ritus quidam iurandi, ſupponendo manum femori alterius, tanquam eo ipſo iuraretur per Meſſiam, id eſt, Chriſtum, qui ex ſemine Abrahæ erat naſciturus, vt id exponit S. HIERONYMVS lib. 1. contra Iouinianum, cap. 5.

Deprecando verò & *exigendo iuramentum* ſimul, Raab adiurauit exploratores, vt patet ex illis verbis eorum, Ioſue 2. *Innoxij erimus à iuramẽto hoc, quo adiuraſti nos.*

Præcipiendo autem, & *non exigendo* Iuramentum: Princeps Sacerdotum adiurauit Chriſtum Dominum, Matth. 26. Deprecando verò ſolùm videtur D. Paulus adiurauiſſe interdum eos, ad quos ſcribebat. Vt ad Rom. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, &c.* Sic etiam egeni ipſa quidem adiurare videntur eos, à quibus propter Dei amorem & honorem petunt eleemoſynam, &c.

Hinc ſequitur, omnem petitionem Iuramenti promiſſorij eſſe adiurationem: ſed viciſſim nõ omnis adiuratio eſt iuramenti petitio, vt patet. Quare, quando S. Thomas in ſolutione tertij, articuli primi, negat adiurationem eſſe petitionẽ Iuramenti, intelligendum eſt *eſſentialiter*, id eſt, non ita eſſe petitionem Iuramenti, vt omnis adiuratio debeat eſſe iuramenti petitio. Hęc de primo.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam liceat adiurare.

D. Thomas art. 1. 2. 3.

QVOD ad ſecundum attinet, tres quæſtiones diſcutiendæ ſunt, quas diuus Thomas mouet hìc in tribus articulis. PRIMA eſt, Vtrum liceat adiurare HOMINES. Ad quam breuiter RESPONDEO cum eodẽ D. Thoma, licere cuiuis quemuis hominem adiurare *deprecando*. Ratio eſt *primò*: quoniam vtile & honeſtum eſt, vti reuerentia diuina ad homines permouendos ad bonum in rebus alicuius momenti. Si autem eſſet res leuis, neque tam ex reuerentia diuina, quàm ex leuitate quadam temeraria, nomen diuinum interponeretur; venialis irreuerentia eſſet. *Secundò* idem probatur. Nam etiam licet adiurare Deũ deprecando, vt patet ex concluſione omnium orationum Eccleſiæ. Obſecramus enim illum *per Chriſtũ, &c.* Ergo multò magis licet ſic adiurare homines.

Adiurare autem *præcipiendo*, tantùm licet Superioribus erga ſuos ſubditos, cãuſa rationabili exiſtente. Videntur enim tunc auctoritatem habere, vt quò certiùs ſubditos ad opus impellant; diuino nomine interpoſito, obligent illos ad dicendum vel faciendũ quidpiam propter Dei honorem.

Cæterùm vt Iuramentum, quamuis per ſe ſit licitum, tamen ob reuerentiam diuini nominis, paſsim & quacunq; ex cauſa vſurpari non debet, vt vidimus q. præced. p. 3. ita etiam neque Adiuratio. Et ſic poteſt intelligi, quod ORIGENES homil. vlt. in Matthæum, dicit: *Secundùm Euangelium ita non licere adiurare ſicut non licet iurare*, nimirum paſsim & temerè; ſicut temerè videtur princeps Sacerdotum adiuraſſe Chriſtum *per Deum viuum*. Matth. 26. vt cenſet diuus Thomas hìc art. 1. ad 1.

SECVNDA quæſtio eſt, Vtrum liceat adiurare DÆMONES. Qua in re tria ſunt certa, & duo controuerſa, quamuis non inter verè orthodoxos. Certum eſt PRIMO, Dæmones non ita eſſe adiurandos, vt velimus eos impellere ad aliquod opus *faciendum diuini honoris cauſa*. Fruſtrà enim id ab illis contenderemus: quandoquidem tanta peruerſitate voluntatis obſtinati ſunt, vt quicquid agant, proficiſcatur ex odio, quo flagrant contra Deum; ita, vt placeat multis Theologis, Dæmones non poſſe moraliter loquendo vllum opus exercere, niſi prauè ad obſcurandam, quantum poſſunt, diuinam gloriam: quod ſaltem de operibus, quæ ad homines pertinẽt, veriſimum eſt. Itaque cùm adeò ſint obſtinati; perperam ab illis contẽderemus, vt propter diuinam gloriam operentur.

SECVNDO certum eſt, licitum eſſe, Dæmones in Dei nomine adiurare, per *imperium* arcendo illos tanquam hoſtes, ne hominibus ſpiritualiter aut corporaliter noceant. Eſt enim ad id data ſpiritualis poteſtas Eccleſiæ, vt patet ex vſu Exorciſmorum, quem irridere tanquam ſuperſtitioſum, vt VValdenſes & VViclephiſtæ fecẽrunt, & faciunt nunc Sectarij, hæreticum eſt, & contra Scripturas. Lucæ 10. *Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Et ibidem: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Et Marci vltimo: *In nomine meo dæmonia eiicient.*

De quo genere orthodoxè & luculenter ſanctus AVGVSTINVS lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 22. *Vera*, inquit, *pietate homines aëream poteſtatem inimicam, contrariamq; pietati, exorcizando eiiciunt, non placando.* Et lib. 6. contra Iulianum, ca. 2. *Ipſe*, inquit, *a toto orbe exſufflandus eſſes, ſi huic inſufflationi, qua princeps mundi & à paruulis eiicitur foràs, contradicere voluiſſes.* Et lib. 83. qq. affirmat, *hoc in Eccleſia fieri* IVSSV *eius, cui cuncta creatura ſubiecta eſt.*

Vtrum verò eiusmodi Exorcismi *infallibilem* efficaciam habeant, secundùm legem Dei ordinariam, non certò constat. Sotus quidem libro octauo de Iustitia, quæstione tertia, articulo secundo, & in 4. d. 6. quæstione secunda, art. 3. & Victoria in Relectione de Magia, quæst. 6. negant, virtutem Exorcismorũ esse infallibilem, sed tantùm dicunt habere effectum ex *congruitate*, prout expedit Religioni & propagationi fidei. Alphõsus verò de Castro, verbo Exorcismus, insinuat, esse infallibilem virtutem, quantum est ex parte Dei. Quòd enim reipsa aliquando Dæmones nõ expellantur, dicit in causa esse imbecillem fidem ministri. Et quidem in illo loco citato ex Marco, non obscurè videtur indicari promissio diuina circa hunc effectum, atque ita satis probabilis videtur opinio Castri.

Nihilominus potest dici, Dominum illis verbis, Marci vltimo, *In nomine meo dæmonia eiicient*, nõ tam expressisse absolutam de ea re promissionem, quàm significasse simpliciter, id plerumque esse futurum, quando expediret, neque aliter id promittere. Quocirca illa opinio Soti & Victoriæ videtur probabilior. Nam durum est, semper in solum defectum & culpam ministri referre, quòd Exorcismus non habeat effectum. Vnde sanctus Avgvstinvs lib. 83. qq. quæst. 79. varias causas posse esse censet, cur hic effectus interdum non sequatur, vt patet ex his eius verbis: *Cùm nõ cedũt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id iustum atq; vtile iudicat.* Sed de huiusmodi fusiùs disputari solet in materia de Baptismo, & de Ordine.

Quæret autem hîc aliquis; quandoquidem à Dæmone non est contendendum, vt aliquid in gloriam Dei faciat, vti paulò ante est dictum: cur dicitur Ecclesia dæmones *adiurare?* Respondeo; propter similitudinem & analogiam quandam, positam in hoc, quòd sicut quando homines adiuramus, impellimus illos ad operandum quidpiam propter Dei nomen & gloriam diuinam: ita dæmones recedere compelluntur in virtute & potestate nominis diuini, quanquam non vt ipsi propter Dei honorem quicquam faciant.

Tertio præterea certum est, minimè esse licitum adiurare dæmones, siue præcipiendo, siue deprecando, *ineundo simul* cum eis vllam *societatem* vel *pactum*, quo quis sese obliget ad subiiciendum se illis, vel ad acquiescendum illorum consiliis, &c. Hoc enim nemo fidelium dubitat, quin sit sceleratum, cùm pertineat ad Apostasiam, & sit contra fidem Deo obstrictam in Baptismo de *renunciando* diabolo, & omnibus operibus eius. Et hoc vel maximè Apostolus damnat in priori ad Corinthios decimo, cùm inquit: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.*

His igitur tribus tanquam certis positis, controuersia manet de duobus. Primvm est, Vtrum liceat citra *pactum vllum vel societatem*, adiurare dæmonem, ipsi *præcipiendo*, vt nobis opem ferat, siue in cognitione aliquarum rerum occultarum, siue in curatione corporum, siue in quocunque alio officij genere; ita vt nullum propterea pactum ineatur cum illo. Secvndvm est, Vtrum dato, quòd non liceat ab illo similia contendere, præcipiendo & cogendo, saltem liceat ab illo eiusmodi petere *deprecando*, tanquam ab eo, qui sine dubio propter naturalem ipsius vel facultatem, vel scientiam nostræ antecellentem, in multis possit nobis opem ferre.

Atque vt ordiamur à Primo, quòd liceat Dæmoni *præcipere*, vt nobis inseruiat, suaderi Primo posset ex eo, quòd in Scriptura, præsertim Lucæ 10. absolutè & generatim videtur nobis tradita potestas cogendi illum ad omne officij genus. Ait enim ibi Dominus: *Ecce dedi vobis potestatẽ, &c. super omnem virtutem inimici.* Et paulò post: *Spiritus subiiciuntur vobis.* Quod etiam probant aliqui ex eo, quod cecinit Zacharias Lucæ 1. *Salutem ex inimicis nostris.* Hinc enim, vt auctor est Erasmus in prima parte disputationis contra Paracelsum, fol. 183. colligebat Paracelsus, licitum esse ex dæmone quopiam, tanquam ex seruo Dei & nostro, & tanquam ex hoste, præcipiendo, & cogendo illum, remedia & subsidia quærere ad corporis salutem, & ad alias vitæ commoditates.

Secvndo potest idem suaderi ex eo, quòd omnes res naturales, atque adeò virtutes earum, creatæ videntur à Deo propter hominem. Quare etsi daremus, in Scripturis non esse nobis traditam potestatem cogendi dæmones ad varia officiorum genera: tamen videmur naturaliter habere eiusmodi auctoritatem in illos; siquidem virtus naturalis dæmonum ad ordinem naturalem pertinet, qui totus ad nostrum vsum refertur.

Tertio, nam aliâs multa herbarum genera, multaque alia per se salutaria, de quibus possent nos dæmones instruere, ociosa & inutilia essent in vniuerso.

Qvarto accedit, quòd Dominus dixit (vti Paracelsus ad hoc propositum adfert) *nihil occultum esse, quod non* tandem *reueletur*: licet igitur ex dæmone ista quærere, quando per nos non possumus.

Quòd autem liceat etiam *deprecando* (vt ad Secvndvm veniamus) eiusmodi petere à Dæmone, probatur Primo. Nam non illico est necesse, consentire cum hostili dæmonis animo erga nos, si aliquid positum in ipsius potestate, ab ipso quæramus. Possumus enim nihilominus habere firmum animum illi in omnibus repugnandi, quæ contra salutem nostram moliatur. Vnde falsò videtur sanctus Thomas articulo secundo assumere, quòd deprecari dæmonem pertineat ad societatem & pactum cum illo, & idcirco sit illicitum.

Secvndo posset idem probari ex eodem sancto Thoma infra quæstione nonagesima quinta, articulo quarto ad primum concedente, licitum esse quandoque propter aliorum vtilitatem aliquid quærere ex dæmone *sponte occurrente*. Hinc enim duci potest tale argumentum. Eodem animo potest quis esse affectus erga dæmonem, inuocando ipsum, vt quidpiam ex eo quærat, atq; cùm aliquid quærit ab eodem sponte occurrente, siue ad id sẽ vltrò offerente. Sed à dæmone sponte occurrẽte potest quis licitè aliquid quærere, vt concedit D. Thomas. Ergo etiam à non se offerente.

Tertio idem confirmari potest ex quotidiano vsu, quo constat, multa sine magno scrupulo ab energumenis percontari eos, qui circumstant exorcizantem; quos quidem omnes velle peccati mortalis condemnare, durissimum esset.

Sed certa fide statuendum est, neutro modo licere quidquam à dæmone petere, scilicet neque *præcipiendo*, neque *deprecando*. Probatur Primo ex diuina Scriptura, quæ totum hoc genus, tanquam illicitum reiicit. Deuteronomij vigesimo octauo: *Non inueniatur in te, qui ariolos scisciteturaut pithones consulat.* Et subditur: *Abominatur enim Dominus hæc omnia.* Item Leuitici decimo nono: *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid scisciteamini.* Idem patet ex illo Apostoli 1. Corinth. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* Vt enim statim probabimus, quodcunque eiusmodi commercium cum dæmone pertinet ad *societatem* aliquam cum illo, quam damnat Apostolus.

Secvndo probatur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ vt infrà propriis locis videbimus, omnes magicarum artium Superstitiones ideo damnat, quia dæmonis operâ nituntur.

Tertio probatur ex Patribus, qui constanter asserunt, nihil nobis negocij esse debere cum dæmonibus, sed eos fugere & execrari oportere, eò quòd semper noceant, etiam tunc maximè, cùm videri possunt benefacere. Origenes homilia decima sexta in Numerum: *Non vult Deus auditores nos fieri & discipulos dæmonum; neque vult, vt si quid volumus discere, discamus à dæmonibus. Melius est enim ignorare, quàm à dæmonibus discere.*

Et sanctus Gregorius Nazianzenvs Oratione in Morbum, detestans astutiam & malignitatem dæmonis: Totvs, inquit, *conatus tuus eò tendit, vt intimum pectus meum depascaris, ac multis validisq; huius vitæ impulsionibus, tanquam ariete quodam sacrosanctam Dei imaginem labefactes ac deiicias.*

Et sanctus Avgvstinvs libro octauo de Ciuitate Dei, disserens contra Apulei librum de Deo, id est, dæmone Socratis, à quo Apuleius dicebat solitum fuisse Socratem moneri, vt desisteret ab agendo, quando id, quod agere volebat, prosperè non fuerat euenturum; inter cætera capite decimo quarto sic dicit: *Per sanam doctrinam, quæ humanis rebus illuxit, omnes vel penè omnes dæmonum nomen exhorrent: Vt quisquis ante disputationem Apulei, qua dæmonum dignitas commendatur, titulum libri de dæmone Socratis legeret, nequaquam illum hominem sanum fuisse sentiret.*

Et eodem libro capite vigesimo quarto: *Quod possunt*, inquit, *Dæmones; tanquam dæmones* (id est, scientes) *possunt; vel quasi beneficia præstando magis nocentes, quia magis decipientes, vel apertè malefaciendo.*

Ac propter hanc in nocendo etiam, cùm videntur benefacere, astutiam dæmonum, & debilem alioqui potentiam (si homo velit, adiuuante Deo, resistere) scitè sanctus Gregorius Nyssenvs homilia quinta in Cantica, dixit esse eos, *vulpes illas paruulas* (astuta & infima animalia) de quibus Cant. 2. Christus Ecclesiæ sponsus, ad ministros suos, qui laborant contrà conatus & insidias dæmonum in salute animarum, tanquam ad *venatores* dicit: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Vt iam alia huius generis testimonia Patrum præteream.

Qvarto ratione idem probatur. Et primò, quòd non liceat Praecipiendo velle cogere dæmonem ad vllum genus officij, probatur sic. Nam neque ad hoc habemus potestatem à Deo peculiariter traditam, & multò minùs id per naturalem nostram potestatem possumus. Ergo nullo modo id possumus. Antecedens pro prima parte patet ex iis omnibus locis Scripturæ, quibus aliqua potestas contra dæmones confertur. Semper enim insinuatur, ad quid conferatur, videlicet ad illos arcendos & repellendos tãquam hostes, ne nobis noceant. Vt patet ex occasione, per quam Apostoli dixerunt Christo, Lucæ decimo, *dæmonia subiiciuntur nobis*, quia videlicet expulerant illos. Item ex eo, quod ibidem ait Dominus: *Dedi vobis potestatem calcandi, &c. & nihil vobis nocebunt.* Quòd autem neque naturaliter id possimus, clarum est, cùm Iob dicat capite quadragesimo primo: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei: qui factus est vt nullum timeret.* Et patebit hoc clarius in solutione secundi argumenti proposiți.

Quòd verò neque liceat aliquid ex dæmone petere Deprecando, probatur sic. A dæmone nullum officium possumus deprecando expectare, nisi quod ipse *sua sponte* velit in nos conferre. Sed nihil, quod is sua sponte in nos conferat, licet nobis aut recipere ab eo, aut etiam optare. Ergo, &c. Maior probatione noua non eget, cùm iam ostensum sit nõ posse Dæmonem à nobis cogi ad vllum officium. Minor probatur. Nam quicquid dæmon sua sponte in nos confert, id omne ab animo hostili in nos & in Deum proficiscitur. Nihil autem quod sit eiusmodi, licet nobis acceptare aut optare: siquidem faceremus tunc contra charitatem erga nosmetipsos, & contra fidem Deo datam, ex qua debemus illi contra hunc hostem perpetuò militare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd autem nihil, nisi animo hostili in Deũ & in nos, dæmon gerat, facilè patebit, si consideremus, in quo consistat bellum & *colluctatio* ea, quam nobis perpetuò esse testatur Apostolus ad Ephes. 6. *non contra carnem & sanguinem, sed contra principes tenebrarum huius.* Nimirum consistit in diuersis conatibus, quos & nos habere debemus, & dæmones habent, quatenus & nos & illi ratione & voluntate ducimur. Nos enim, qui perpetuò diuina misericordiâ confouemur, & quotidie à Deo nouis beneficiis afficimur; spectare semper debemus, quemadmodum diuinam gloriam augeamus, rectà contendendo ad beatitudinem per viam mandatorum ipsius. Dæmones verò contrà, acerbitate pœnarum, quas dant, exagitati, & idcirco flagrantes perpetuo odio erga Deum; quicquid agunt vel moliuntur circa homines, eò conferunt, vt diuinam gloriam, quantum possunt, in eis obscurent, illos quoquo modo à beatitudine consequenda, retardando, & impediendo, & eis omni ratione, qua possunt exinuidia nocendo; idque adeò obstinato animo, vt moraliter loquendo, non possint in vlla sua erga homines actione aliud spectare, cùm sit in eis iuge & nunquam omnino intermittens illud odium & ardor inuidiæ, qua flagrant contra nos & Deum, vt ex dictis tomo 1. quæst. vlt. de Angelis intelligi potest.

Cuius rei nos etiam D. Petrus illis verbis admonuit: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 1. Petri 5. Vnde etiam Dominus, vt scribitur Lucæ 4. noluit à dæmone testimonium oblatum acceptare: Sed *obmutesce*, inquit, *& exi ab eo.* Documentum videlicet ea re præbens id tantùm à dæmone tanquam hoste esse contendendum, vt *recedat* à nobis, neque quicquam ab eo expectandum, quod vllius officij speciem habere videatur: quippe qui eo omnia confert, vt paulatim illi assuescamus, & sic demùm se insinuet ac noceat, &c. quemadmodum dixerunt Patres suprà citati.

Quinto probatur. Nam quicquid officij dæmon in nos confert; per id ipse non modò nocere spiritualiter vult; sed etiam *persuadet sibi*, aut certè *sperat*, se nobis spiritualiter nociturum. Sed non licet acceptare, quod *iudicio & opinione* dæmonis nobis est spiritualiter nociturũ. Ergo, &c. Maior probatur. Nam si nullo modo speraret nobis nociturum, sed putaret profuturum potius; credibile non est, quod vellet in nos id conferre: quandoquidem tanta inuidia & odio erga nos flagrat. Minor verò probatur. Nam esset id nos coniicere in præsentissimum salutis periculum; cùm dæmones circa id, quod sibi persuadeant, propter naturæ perspicaciam rarò fallantur. Itaque faceremus tunc, vt minimum, contra charitatem erga nos ipsos. Neque meritò quis posset tunc sibi polliceri, futurum, vt euadat id periculum. Potius enim est credendum *iudicio & spei* dæmonis, qui putat contrarium futurum.

Sexto probatur. Nam postquam omnia alia ordinaria media tentata sunt, ad aliquid obtinendum; aut tunc iudicio Dei expedit obtinere id, quod desideratur; aut non expedit. Si expedit; procul dubio Deus paratus est per se aut per sanctos Angelos nobis illud conferre, si confidenter & piè ac rectè id petamus: quandoquidem extat de eo Dei promissio, vt patet ex formula precationis tradita à Christo Domino Matthæi 6. qua possumus petere, quicquid omnino ad salutem nobis profuturum sit, siue id ad animam, siue ad corpus pertineat. Itaque si tunc, neglecto Deo, ad dæmones, ipsius hostes & nostros, confugimus, magna ignominia Deum afficiemus, petendo id ab hoste, quòd Deus multò melius & faciliùs potest & vult concedere. Neque dici potest, Deum velle quidem nobis consulere, sed ministerio dæmonum. Non enim Deus commisit nos dæmonum tutelæ, sed Angelorum sanctorum. Si verò non expedit id obtinere; Ergo diuinæ prouidentiæ repugnaremus dæmonum operâ illud procurantes, quasi hi nobis melius, quàm Deus & Angeli sancti consultum velint.

Attigit rationem hanc acutè Origenes homil. 16. in Numer. circa illum Numer. 23. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israël. Temporibus suis dicetur Iacob & Israëli, quid operatus sit Deus.* Quid est, inquit Origenes, *temporibus suis, siue, in tempore quãdo oportet & expedit, &c. Quòd si idcirco non diuinatur nobis, quia non oportet nec expedit; qui variis artibus & dæmonum inuocationibus gestiunt futura cognoscere, nihil aliud faciunt, quàm quòd ea cupiant scire, quæ sibi scire non expedit.* Id quod de diuinatione ab Origene dictũ, eodem modo de aliis, quæ à dæmone exspectantur, intellige.

Iam ad Primvm argumentum patet responsio ex dictis. In Scripturis enim minimè tradita est potestas erga dæmones ad aliud, præterquam ad illos arcendos & *calcandos*: quinimò neque hęc est tradita omnibus, sed tantùm ministris ritè ordinatis in Ecclesia, vt disputat sanctus Thomas 3. p. quæst. 71. articulo 4. & colligitur ex eo, quod Actor. 19. dæmon obiecit filiis Sceue iniquè eiusmodi potestatem vsurpantibus: *Iesum scio, & Paulum noui, vos autem qui estis? & insiliens in eos, &c.* Atque idem patet ex vano in hoc genere conatu Lutheri & aliorum Pseudoapostolorum, apud Cochlæum & alios historicos horum temporũ. Illud verò quod affertur ex Zachariæ cantico: *Salutem ex inimicis nostris, &c.* ineptè ad hoc propositum adfertur, cùm illic sermo sit nonnisi de salute spirituali, quam attulit nobis Christi redemptio, qui sua passione & morte nos ex potestate dæmonum eripuit.

Ad Secvndvm respondeo, verum quidem esse, omnes virtutes rerum naturalium aliquo modo referri ad hominem; sed tamen non ita, vt *omni modo* integrum sit homini omnes illas vsurpare. Quasdam enim eiusmodi virtutes, videlicet terrestrium corporum, potest is *pro libito* vsurpare, quantum adhibito studio humano cognitione & facultate assequi valet, modò non eis abutatur ad violanda Dei præcepta. Alias verò virtutes naturales superiorum creaturarum, non item; nisi iuxta *dispositionem aliquam peculiaris prouidentiæ diuinæ*; cui minimè consentaneum est, vt absque peculiari facultate Dei *imperemus* dæmonibus, vt pote voluntate & intellectu, quibus operantur, nobis superioribus: sed tantùm vt tutela Sanctorum Angelorum, quatenus expedit, muniamur. Sed neque vti possumus naturaliter virtute dæmonum ad vitæ commoda, illos *deprecando*. Quandoquidem is etiam modus propter rationes factas nocet spirituali saluti animæ: & idcirco vitandus est. Nam virtutes naturales ita ad vtilitatem corporis referre debemus, vt non noceant spiritualiter animæ.

Ad Tertivm respondeo, non esse absurdum vel incommodum, quòd nõ omnes virtutes naturales in *omnes* earum vsus reducantur. Nam etiamsi ad multos vsus operâ dæmonum reducerentur: tamen adhuc multi alij vsus & res aliæ multæ supereessent, quæ non essent ostensæ. Satis est igitur, vt omnes res habeant aliquem vsum in vniuerso: quatenus videlicet pertinent ad ipsius ordinem & pulchritudinem.

Ad Qvartvm, quod obiicitur, ex illo *nihil occultum, quod non reueletur*, respondeo, ineptissimè etiam afferri ad hoc propositum: siquidem id nõ pertinet ad huiusmodi peculiares instructiones per dæmones procurandas: sed ad illam manifestationem vniuersalem humanarum actionum, futuram in die Iudicij, quando vt ait Apostolus 1. Cor. 4. *reuelabuntur consilia cordium.*

Ad Primvm etiam argumentum, quo probabatur, licere aliquid à Dæmone petere *deprecando*, respondeo, quamuis non adiungeretur in huiusmodi commerciis cum dæmone societas & pactum, quo vtrinque interponatur obligatio ad aliquid: tamen hoc ipsum, quod est petere à dæmone aliquid, quod sponte ille sit collaturus, est secundùm se illicitum propter rationes suprà factas, & quædam *inchoatio* Societatis cum eo & pacti. Id enim diabolus tandem spectat. Atque ita intelligendus est S. Thomas.

Ad Secvndvm respondeo, non esse etiam licitum à dæmone, sponte occurrente aut se offerente, aliquid interrogare, nisi quando id ad repellendum eum & arcendum ab hominibus pertinet, atq; adeò ad peculiarem gloriam Dei, aut vtilitatem aliorum, vt S. Thomas illo loco apertè dicit. Ratio autem, quare tunc liceat, est: quia reuera dæmon tunc etiam *calcatur* & cogitur; neque dicit sponte, quod ad gloriam Dei pertinet. Vnde etiam Dominus Marci 5. interrogauit Spiritum immundum. *Quod tibi nomen est?* Vt quemadmodum Beda ait super octauum Caput Lucæ, *intellecta magnitudine mali*, quod æger ille homo toleraba

lerabat (à legione enim dæmonum vexabatur) *curantis virtus gratior appareret.* Et in hunc etiam finem de Sanctis aliquibus legitur, quòd compulerint dæmones propria simulachra sua confringere. Itaque licitum est interdum cum dæmone sic agere, quæ ad gloriam Dei, & ad illum expellendum pertinent: eò quòd tunc non nisi virtute diuina & hostiliter agitur cum illo.

Ad Tertivm respondeo, neque illam consuetudinem vacare culpa, quãdo ex lenitate quidem res curiosæ & inutiles, & quæ nihil pertinẽt ad expulsionem dæmonis, interrogantur ab energumenis. Notat tamen Caietanus hîc art. 2. communiter id esse tantùm peccatũ veniale propter imperfectionem actus, quia videlicet ex vanitate quadam & veluti obiter fit.

Vltimo Quæritur, Vtrum liceat adiurare *Creaturas irrationales*. Est autem sententia vera & communis ea, quam asserit D. Thomas hîc art. 3. nempe non ita id esse licitum, vt posit agi cum eiusmodi creaturis tanquam si ipsæ ad agendum se moueant, & ex se efficiant id, quod est nobis aduersum. Cùm ipsæ neque se moueant ad agendum, neque adiurationem percipiant. Licitum tamen esse illas adiurare, quatenus *ab alio aguntur.* Quod ipsum propriè loquendo, potiùs est adiurare motorem ipsarum. Quanquam dirigitur etiam aliquo modo adiuratio ad ipsas, vtpote in quibus recipitur illa operatio, seu effectus qui nobis est aduersus, & quem amoliri & auertere per adiurationem conamur.

Aduertendum est tamen, aliter esse eiusmodi Creaturas adiurandas, quãdo mouentur à Deo; & aliter, quando à malo dæmone. Nam quando mouentur à Deo, adiurandæ sunt *deprecando*, & non præcipiendo: quando autem à dæmone; *præcipiendo*, & non deprecando. In quo genere meritò Sotus lib. 8. de Iustitia, quæst. 3. artic. 3. monet, plectendos esse eos, qui in huiusmodi adiurationibus superstitiosa & vana quædam admiscent. Instituunt enim accusatorem & aduocatum, &c. tanquam si litem cum locustis aut aliis eiusmodi bestiolis, vel cum aduersa tempestate transigerent. Nam hæc si ad ipsam Creaturam irrationalem potissimùm dirigant; magna in ea re est vanitas, cùm illa nihil eorum percipiat. Si autem eiusmodi actionem dirigant ad dæmonem, à quo illa mouetur; quid attinet illum de nouo vel defendere, vel accusare?

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIO NONA.

De Laudatione Dei.

D. Thomas 2. 2. quæst. 91.

QVOD MENTE ET ANIMO SIT DEVS LAVDANDVS, A NEmine vnquam fuit dubitatum. Itaque satis erit hoc loco explicare, An & quatenus liceat Deum voce etiam & cantu laudare; de quo genere officij nonnulli hæretici malè senserunt.

PVNCTVM VNICVM.

An & quatenus vtile & bonum sit, Deum laudare voce & cantu.

D. Thomas art. 1. & 2.

EX IIS QVAE D. THOMAS HIC IN A duobus articulis disputat, vt probet esse vtile & laude dignũ, Deum voce & cantu etiam laudare, satis manifestè apparet, maximã fuisse vanitatem illorũ, qui hanc consuetudinem ab Ecclesia receptam, procaciter sunt insectati. Eorũ primus videtur fuisse quidam Hilarius, qui tempore D. Augustini instítutum ipsum canendi in Ecclesia hymnos, improbare cæpit, & ob id ab Augustino refutatus fuit, vt ipse Augustinus testatur libro 2. Retract. c. 11. De quo Hilario dubitat Alphonsus à Castro, in sua Summa, verbo Cantus, an fuerit Arrianus. Cùm tamen AVGVSTINVS illic apertè dicat, fuisse illum *aliàs Catholicum*.

Institutum verò in specie *Christum laudandi* per hymnos *ab Ecclesia* compositos; Paulus etiam Samosatenus improbauit, vt patet ex Eusebio lib. 7. cap. 26. & etiam Arriani, vt patet ex Ambrosio libro 5. Epistol. in Oratione contra Auxentium; Sed hi non reiecerunt omnino ipsum institutum in genere laudandi Deum in hymnis & canticis, vt ille Hilarius improbauit. Hunc Hilarium secuti postea sunt VValdenses & VViclephus, vt est videre apud Thom. VValdensem tomo 3. cap. 16. B

Fundamentum istorum est primò, quoniam Christus Dominus videtur prohibuisse omnem vocalem orationẽ & publicam, atque adeò multò magis cantus. Ita enim inquit Matth. 6. *Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuũ, & clauso ostio, &c.* Secũdò, quoniam nihil aliud videtur id esse, quã imitari Sacerdotes Baal ab Helia derisos, 3. Reg. 18. Quibus ita insultauit: *Clamate voce maiori, forsitan Deus vester cum alio loquitur, vel in diuersorio est, &c.* C

Nos verò breuiter ASSERIMVS ex Orthodoxa Ecclesiæ sententia, vocem & cantus non esse adhibendos ad eum finem, vt Deo *innotescat nostrum officium* in Deo laudando, quasi aliter non posset illud percipere. Hunc enim animum meritò Elias derisit in illis idololatricis Sacerdotibus. Item neque ad captandam vanam gloriam, quod Christus Dominus illo loco Matthæi 6. vetuit, vt ex verbis præcedentibus intelligitur. Dixerat enim: *Cùm oratis, nolite esse sicut hypocritæ, &c.*

His autem & similibus sinistris intentionibus remotis, vtile & laudabile esse affirmamus, voce etiam & cantu laudare Deum. PRIMO ad excitandum interiorem affectum, tum proprium, tum etiam aliorum; præsertim vulgarium, qui interdum adeò infirmi sunt, vt nõ modò vocum cantu, sed etiam organis & musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint. Quanquam tempore quidem D. Thomæ musica Instrumenta in Ecclesiis nondum erant vsurpata, vt apparet ex solutione quarti argumenti in secundo articulo. Sensit autem hunc primũ cantus fructum D. AVGVSTINVS, quando hymnis & canticis Ecclesiæ Mediolanensis interfuit, & *multum fleuit* eos audiens, vt de se ipse testatur libro 9. Confess. cap. 6. & 7. & libro 10. cap. 36. Item etiam Dauid, vt apparet ex multis Psalmis, præsertim ex 32.

SECVNDO vtile id etiam est, vt quantò magis mens ad Deum ascendit his adiuta & concitata canticis, tantò magis à peccato retardetur, iuxta illud Esaiæ 48. *Laude mea infrænabo te, ne intereas.*

TERTIO ad excitandam in aliis conuenientem quoque æstimationẽ de Deo, illosque exemplo permouendos, vt & ipsi etiam Deum laudẽt: iuxta illud Dauidis: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Psal. 33.

Ac extãt præterea huius rei EXEMPLA & ADMONITIONES in Scripturis. Nam Christus ipse Marci 14. perhibetur in laudem Dei ceciniſſe, cũ *hymno dicto*, exiuit cum discipulis. *Hymnus* enim, ex sententia D. AVGVSTINI super Psal. 72. est laudatio Dei *cum cantico*. Dauidi verò nihil frequentius fuit, quàm id facere, & alios etiam ad idem officium hortari; vt patet ex illo Psal. 32. *Cantate Domino canticum nouum, bene psallite ei in vociferationes,* super

super quem locum pulcherrimè scribit S. Augustinus. Item Apostolus ad Coloss. 3. *docentes & commonentes vosmetipsos in psalmis & hymnis spiritualibus*, id est, ex corde profectis, iuxta illud ad Ephes. 5. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Neq; enim hîc intelligendus est Apostolus vetare vocem exteriorem: alioqui sine voce, quomodo cantarent, & sese mutuò commonefacerent in hymnis? Tantùm igitur præcipit, vt vox ex corde proficiscatur. Denique ita etiam conuenire, definitum est in Concilio Agathensi cap. 21. & Toletano 4. cap. 12. ac videri poterunt plura apud Castrum vbi supra & VValdensem tomo tertio, capite decimo sexto.

Est autem diligenter id aduertendum, quod Caietanus rectè notat hîc, & in Summa, verbo *Organorum vsus*: Quamuis prædicta consuetudo secundùm se laudabilis sit; posse tamen cantum, *per accidens* reddi illicitum, si videlicet vana, turpia, aut profana in diuinis officiis admisceantur, eaque siue voce, siue organis canantur. Quod vt melius discerni ac diiudicari possit, sciẽdum est, huiusmodi vana & aliena, tripliciter posse admisceri diuino officio. B

PRIMO *formaliter & ex intentione*, hoc est, cùm quis illa inserit, vt vana sunt, tanquam partem diuini officij; vt loco Antiphonæ, v. g. Et tũc præter deformitatem, quam talis actus ex sua natura habet, quatenus vel vanus est, vel prouocatiuus ad malum, &c. ex sententia Caietani, est graue peccatum mortale *Superstitionis*. Tum quia obstat fini diuini cultus, qui est, vt mens ad cælestia excitetur, non ad mundana & mala. Tum etiam quoniam is, qui id facit, est quodammodò *falsarius* in diuino cultu, inferens videlicet nomine Ecclesiæ tanquam partem diuini cultus, id quod Ecclesia minimè voluit inseri. Vnde inquit rectè Caietanus, hoc nihil aliud est, quàm coniungere *Christum cum Belial*, & sicut fecerũt filij Aaron Leuit. 9. *apponere ignem alienum* (carnis & mundi) in diuino sacrificio, qui idcirco deuorati sunt. C

SECVNDO modo contingit eiusmodi admiscere *materialiter tantùm*, hoc est, non tanquã partem diuini cultus, sed applicãdo solùm materialiter illam consonantiam ad diuina verba, quæ sunt dicenda. Et id per se loquendo, nullum peccatum esse putat Caietanus. Nam sonus siue vocis, siue organi, ex sua natura indifferens est ad significanda sacra & profana. Itaque ad vtraq; potest æquè referri. Per accidens autem contingit id esse peccatum. *Primò* ratione conditionis & naturæ soni; si videlicet sit talis, vt iudicetur esse prouocatiuus ad malum. Et erit tũc mortale vel veniale, pro ratione prouocationis. *Secundò* ratione euentus, si communiter audientes incitantur ad malum. *Addo* etiam, ratione scandali, si audientes intelligant consonantiam, & putẽt, Musicum *ex intentione* inserere diuino cultui profana. Ac de huiusmodi sonis etiã potest intelligi, quod Hieronymus in caput 5. ad Ephes. relatus in Cap. D

A *Cantantes.* 92. d. monet ne *in Ecclesia audiantur theatrales moduli.*

TERTIO modo potest contingere, vt aliquis velit quidem organis significare profana, sed tamen non velit illa inserere tanquam partem diuini cultus: sed solùm delectationis gratia, tanquam quid impertinens ad diuinum cultum. Et tunc quidem si illa profana sunt *turpia & lasciua*; præter peccatum mortale, quod committitur, ratione prouocationis ad malum, est etiam in eiusmodi actione aliud peccatum mortale contra virtutem Religionis; propter iniuriam, quæ fit cultui diuino, & loco sacro, vt ait hîc Caietanus. Neque in hoc ex sententia Caietani potest esse ignorantia inuincibilis, aut vincibilis, quæ excusetur à mortali. B

Si verò eiusmodi profana non sunt turpia & lasciua, sed *vana* solùm & secularia, tũc putat Caietanus, tantum id esse veniale: quia non nisi leuis iniuria fit tunc cultui diuino; præsertim si *putet* quis eum ita non violari. Atque idem iudicandum esse putat Caietanus de Concionatoribus inserentibus delectationis causa aliqua vana inter concionandum.

Sed OBIICIET hîc aliquis. Aut ignorantia eius, qui eiusmodi vana immiscens, putans per ea diuinum cultum non violari; est inuincibilis, aut vincibilis. Si *inuincibilis*: Ergo omnino excusatur talis à peccato etiam veniali. Si *vincibilis*: Ergo propter illam non excusatur à mortali; quemadmodum Caietanus significat. C

RESPONDEO, Caietanum procul dubio loqui de ignorantia vincibili. Nam si esset inuincibilis, excusaret à *toto*, & non solùm à *tanto*, vt ait Caietanus. Ad id autem, quod obiicitur, vincibilem ignorantiam nõ excusare à mortali, respondeo falsum id esse, si vniuersè intelligatur. In multis enim materiis Doctores excusant quædam à mortali propter ignorantiam vincibilem, cùm videlicet aut non est *admodum vincibilis*, quia scilicet post adhibitam aliquam diligentiam adhuc est difficile scire, &c. aut cùm materia peccati est talis, vt accedente ignorantia vincibili, quæ alioqui secundùm se minuit rationem *voluntarij*, extrahat peccatum à latitudine mortalis, vt ostendimus ex recepta doctrina tomo 2. quæst. 6. de peccatis, p. 3. & quæst. 18. p. 3. Ac sic intellige, quod Nauarrus ex sententia communi in Manuali cap. 12. num. 6. docet, inaduertentiam excusare iurantem falsum à mortali periurio, non tamen à veniali; quia videlicet attenta linguæ facilitate, si accedat præterea inaduertentia non admodum vincibilis, periurium extrahatur à latitudine mortalis. Per hanc igitur doctrinam defendi quoque potest, quod hîc docet Caietanus in proposito.

QVÆSTIO DECIMA.

De Superstitione generatim.

D. Thomas 2. 2. q. 92. & 93.

HACTENVS DISPVTAVIMVS TVM DE IPSA VIRTVTE RE-ligionis secundùm se, tum de omnibus ferè eius actibus, excepto Sacramentorum vsu, de quo commodiùs alibi disserendum est. Nunc sequitur, vt disputemus de vitiis oppositis Religioni, in hac quæstione & sequentibus. Ac primùm in hac quæstione dicendum est de Superstitione generatim: quo nomine significatur genericè quodvis peccatum Religioni contrarium per excessum, sicut postea explicabitur. Est enim ductum id vocabulum à vitio illorum, qui olim apud Ethnicos nimij erant in precando Deos, vt sibi sui liberi essent superstites, & ideo superstitiosi appellabantur, sicut inquit Cicero libro secundo de natura Deorum. Sunt autem hîc breuiter explicanda duo. PRIMO, *Quonam modo Superstitionis vitium Religioni contrarium sit, & quàm latè pateat.* SECVNDO, *Quàm latè etiam pateant species Superstitionis.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quonam modo Superstitionis vitium Religioni contrarium sit, & quàm latè pateat.

D. Thomas quæst. 92.

PRAEMITTENDVM EST BREVITER, Vitium aliquod per hoc Virtuti aduersari, quòd recedit à *medio*, in quo consistit ratio formalis, quam Virtus respicit. Medium autem Virtutis consistit in hoc, vt materia pertinens peculiariter ad Virtutem, vsurpetur secundùm debitas circumstantias omnes: videlicet *quàtum, quomodo, vbi & cætera.* quæ diuus Thomas enumerat ex Philosopho 1. 2. quæstione septima, & nos tomo secundo, disputatione secunda, quæstione secunda explicauimus. Ab hoc medio Virtutis recedit vitium, quãdo materia pertinens ad virtutem, vsurpatur *indebitè* secundùm aliquam vel aliquas circumstantias ex dictis. Porrò dupliciter vitium sic à medio recedit: Vno modo, *deficiendo* ab ipso: Altero modo, ipsum *excedendo*.

His positis, quæ fusè declarata sunt tomo secundo, vbi supra, & quæstione septima de Virtutibus, puncto primo, duo hic statuenda sunt ex doctrina diui Thomæ in duobus articulis huius quæstionis. PRIMVM est, Superstitionem esse vitium Religioni contrarium per *excessum*; nõ quidem secundùm circumstantiam, *Quantum*, nam vt docet D. Thomas articulo primo, nihil potest esse secundùm se nimium in materia Religionis; sed secundùm alias circumstantias. Per *defectum* autem opponũtur Religioni alia vitia, quæ continent quendam Religionis *contemptum*, & ideo pertinent ad quandam *irreligiositatem*. Vt periurium (de quo suprà quæstione septima, puncto tertio) & Sacrilegium, & Simonia, de quibus infrà dicemus.

SECVNDVM est, Superstitionem in varia deinde genera siue species *subalternas* diuidi, pro diuersitate FINIS, quem superstitiosus respicit, indebitè vsurpando diuinum cultum. ALTERA debitè vsurpando diuinum cultum. ALTERA eiusmodi species est Superstitio ea, quæ peculiariter nominatur superstitio *indebiti* cultus diuini; quando videlicet Deus est quidem finis ipsius diuini cultus, quia ei nimirum tribuitur; sed tamen indebito modo. ALTERA eiusmodi species subalterna, est Superstitio ea, quæ habet pro fine creaturam, cui diuinus cultus tribuitur. Et hæ rursus Superstitionis species subalternæ in alias diuiduntur, prout explicabimus sequenti puncto.

Nunc satis erit tres difficultates expedire, quæ circa hæc ipsa occurrunt. PRIMA difficultas est circa id, quod ex doctrina S. Thomæ dictum est, non accidere, vt medium Religionis *excedatur* secundùm circumstantiam, *Quantum*. Videtur enim id accidere, quando quis verbi gratia, suscipit bis aliquod Sacramentum, quod non esset iterandum, vt si bis baptizetur.

RESPONDEO tunc non contingere deformitatem contra Religionem propter *quantitatem rei absolutè*, sed quia fit *iniuria* rei sacræ, & agitur contra legem diuinam, ex qua pendet efficacia Sacramentorum, atque ita peccatum illud potiùs pertinet ad operationis *modum*, quam ad rei *quantitatem*.

SECVNDA difficultas est circa id, quod in secunda specie Superstitionis dictum est, *excedi* medium Virtutis secundùm circumstãtiam *modi indebiti*. Videtur enim potius esse *defectus* à Virtutis medio, quãdo quis versatur circa materiam Virtutis eo modo, quo *non debet*, siquidem non attingit tunc circumstantiam, quam deberet: ac proinde videtur *deficere* ab eo, quod pertinet ad Virtutis medium.

RESPONDEO, dici id *excessum*, non quidem per ordinem ad *modum ipsum debitũ* Virtutis, quasi ille tunc attingatur, & præterea excedatur: sed per ordinem solùm ad ipsam *materiam* Virtutis. Quia videlicet attingitur tunc quidem materia virtutis debita, & *vlteriùs proceditur* ad circumstantiam modi indebitam. Vnde quando dicitur à Doctoribus, per aliquem modum indebitum *excedi* medium Virtutis, non loquuntur de *medio formaliter* secundùm omnia videlicet, quæ Virtus requirit; quasi sensus sit, attingi totum id, in quo consistit ratio Virtutis, & *vltra* procedi ad vitiosam modi circumstantiam. Hoc enim implicaret contradictionẽ. Nam si totum id, quod pertinet ad virtutem, fit; nihil tunc vitiosè fit per eundem actum. Loquuntur igitur tunc Doctores de *medio* virtutis *materialiter*, id est, de re, siue materia Virtutis, vt quæ præcipuè pertinet ad Virtutis medium.

TERTIA difficultas est, quomodo numerari possint vllæ species distinctæ vitiorum Religioni contrariorum, cùm opposita virtus Religionis sit tantùm *vna* specificè. RESPONDEO breuiter. De vitio siue peccato dupliciter possumus loqui. Vno modo *formaliter*, quatenus in illo cernitur malitia simpliciter, quæ consistit in defectu siue *priuatione* rectitudinis oppositæ. Et sic procul dubio, vbi est vnica specie Virtus, tantùm est vnicũ specie contrarium vitium. Altero modo possumus de vitio siue peccato loqui pro *materiali*, qua tenus videlicet vitium & peccatum respicit materiam & circumstantias *positiuas*, quibus annexa est illa priuatio rectitudinis; Et sic in genere *mortis* dici solent plura specie peccata & vitia, ea quæ versantur circa materias & circumstantias notabiliter diuersas. De quo etiam suprà in quæst. de Furto diximus.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quàm latè pateant species Superstitionis.

D. Thomas q. 92. art. 2. & q. 93.

SPECIES illa Superstitionis quam p. præced. diximus habere pro fine siue obiecto *Creaturam*, cui diuinus tribuatur cultus; in tres species inferiores diuiditur, pro diuersitate finis, quem præterea præstituit sibi ille, qui diuinum cultum tribuit Creaturæ. Atque vt rectiùs has tres species numeremus, aduertendum est, vt rectè notat hic art. 2. quæst. 92. Caietanus, tam latè patere fines, quos potest quis sibi præstituere tribuẽdo creaturę cultum diuinũ, quàm patent latè fines, quos potest quis sibi præstituere tribuendo diuinum cultum Deo.

PRIMO autem solemus tribuere diuinum cultum Deo, proponendo nobis tantùm ipsius gloriam & honorem. Similiter ergo potest quis perueršè diuinum cultum tribuere Creaturæ, spectando solùm illius gloriam. Et in hoc consistit prima species istius Superstitionis; videlicet IDOLOLATRIA, qua sacrificium aut alius cultus diuinus adhibetur creaturæ, spectando solùm ipsius gloriam, sicut etiam adhibetur Deo per Religionem.

SECVNDO, tribuendo cultum diuinum Deo, potest quis tanquam finem spectare, vt à Deo *instruatur & doceatur*; quod fit, quando honoramus Deum orationibus, deuotione, votis, &c. Similiter ergo potest quis tribuere diuinum cultum creaturæ, procurando ex ipsa instructionem & cognitionem rerũ *occultarum*, *&c.* Et in hoc consistit secunda species istius Superstitionis, videlicet DIVINATIO.

TERTIO potest quis ad eum finem tribuere diuinum cultum Deo, vt ab ipso dirigatur *in actionibus*, *&c.* quod fit potissimùm vsurpando Sacramenta. Similiter ergo potest quis diuinũ cultum tribuere creaturę, vt ab ipsa dirigatur in suis actionibus. Et in hoc consistit tertia & vltima species huius Superstitionis, quę videlicet nominatur Superstitio vanarum quarundam OBSERVANTIARVM, de quibus omnibus speciebus suis locis infrà fusè dicetur.

OBIICIET autem hîc aliquis, videri falsum, quod dicimus, in *Diuinatione* & vanitate quarundam *obseruantiarum*, tribui *diuinum* cultum Creaturæ. Etenim *vana* inquisitio occultorum, qualis est *diuinatio*: item *vana* obseruatio minimè pertinet ad diuinum cultum. Ergo per hoc, quòd ista ad creaturam referantur, ex qua vel cognitio, vel aliquod aliud beneficium quæritur, minimè videtur diuinus cultus tribui creaturæ.

RESPONDEO. Quamuis hæc quidem, quatenus secũdum speciem suam, *Superstitiosa* sunt, hoc est, vt sunt *vana* procuratio alicuius cognitionis vel beneficij aut effectus, &c. non pertinẽt ad diuinum cultum; tamen pertinent ad illum, quatenus secundùm conceptum quendam *communiorem*, & magis *abstractum*, sunt procurationes cognitionis rerum *occultarum* vel *extraordinarij* & *miri* effectus seu beneficij. Hæc enim à solo Deo expectari deberent per orationes & alia debita media. Quare cùm vanè expectantur à Creatura; diuinus cultus (secundùm illam quidem abstractam rationem) tribuitur creaturæ. Id quod est omnino contra Religionem. Et hactenus de pri-

ma Superstitionis specie subalterna, per quam scilicet tribuitur diuinus cultus CREATVRAE.

ALTERA verò Superstitionis species subalterna, per quam scilicet (vt p. præcedenti diximus) Deo quidem tribuitur cultus diuinus, sed INDEBITO modo; in duas porrò species diuiditur; scilicet in cultum Dei FALSVM, & cultum Dei SVPERFLVVM. Quod vt faciliùs intelligatur, sciendum est, duplex esse genus earum rerum, quæ ad cultum diuinum referri solent. Vnum est rerum earum, quæ etiam quatenus *res quædam sunt*, pertinent ad diuinam gloriam; cuiusmodi est Oratio, Deuotio, & quodcunque aliud Virtutis opus. Alterum est rerum earum, quæ ad diuinum cultum pertinent, non vt *res sunt absolutè*, sed quatenus aliquid *significant*; cuiusmodi sunt Sacramẽta, & cærimoniæ, &c.

Hoc posito, dupliciter (vt dictum est) accidit *indebitus* modus diuini cultus. *Primò*, si sit FALSVS. Quod accidit, vel quando aliquæ cærimoniæ vsurpãtur diuini honoris causa, quæ falsum significãt; vt si iam aliquis coleret Deum per cærimonias veteris legis: Vel quando aliquid in persona alterius adhibetur ad colendum Deum, quod tamen ex alterius voluntate minimè erat ad eum finem adhibendum. Vt si quis v. g. ex persona Ecclesiæ, immisceat profana diuino cultui, quemadmodum diximus p. præced. Tunc enim meritò censetur quis esse *falsarius* in diuino cultu.

Secundò contingit indebitus modus colendi Deum, si cultus, spectata ipsa conditione rei siue actionis, sit SVPERFLVVS, hoc est, si iudicio proborum & sapientum; neque ad excitandum interiorem spiritum, neque ad diuinam gloriam pertineat. Quod accidit, quando quis præter consuetudinem *communem* Ecclesiæ & proborũ, apud quos viuit, *singulariter* aliquid facit diuini cultus causâ. Vt si quis v. g. (quemadmodum inquit hîc Caietanus) in die Dominico ieiunet: saltem si id faciat studio quodam singularitatis.

Deformitas autem vtriusque modi cultus indebiti apparet ex illo loco Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in* SPIRITV *&* VERITATE *oportet adorare*. Nam si cultus est SVPERFLVVS, non adhibetur in *Spiritu*; quando autem est FALSVS non adhibetur in veritate. Item etiam ex dictis apparet, superfluitatem cultus, in *omnibus* rebus, quæ ad diuinum cultum pertinent, accidere posse, siue ad diuinum cultum pertineant vt *res*, siue vt *significatiuæ*. Falsitas verò cultus, ex parte quidem falsæ significationis ipsius *rei* vsurpatæ in hõnorem diuinum; tantùm potest accidere in iis rebus, quæ pertineant ad cultum vt *significatiuæ*. Falsitas autem ex parte *colentis*, hoc est, quando is nomine alterius aliquid facit, quod est præter alterius voluntatem; accidere potest in omnibus rebus cultum concernentibus, vt patet. Nam & res significatiuæ, & res non significatiuæ, possunt ab aliquo ita *falsariè* in diuinum cultum conferri.

Si autem QVAERATVR, quando in huiusmodi cultibus indebitis erit peccatum mortale. RESPONDEO ex doctrina Caietani hîc quæst. 93. artic. 2. & Nauarri cap. 11. num. 20. cùm falsitas in materia Religionis, *maximè sit perniciosa*, teste AVGVSTINO in libro de mendacio cap. 14. peccatum mortale erit cultus falsus, ratione *falsæ significationis rei*; & etiam ratione *colentis* falsariè, si sit cultus *communis & publicus*.

Si autem aliquis sit falsarius in cultu *particulari*; videtur his auctoribus non esse nisi tantum veniale, secluso contemptu disciplinæ Ecclesiasticæ. Vt si quis, inquit Caietanus, orationem Dominicam, quam debemus dicere Ecclesiæ nomine, ita dicat pro se, vt nolit fructum inde in alios etiam redundare.

Si verò cultus sit *superfluus tantùm*, etiam censent prædicti Doctores, tantùm esse veniale, secluso contemptu. Et ratio videtur esse: quoniam bonus animus, ex quo eiusmodi superfluitates solent proficisci, videtur eleuare deformitatem. Totum hoc consentaneum est doctrinæ D. Thomæ in duobus articulis q. 93.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Idololatria.

D. Thomas 2. 2. quæst. 94.

DE IDOLOLATRIA, SEV POTIVS CONTRA IDOLOLATRIAM, multa passim scripserunt Patres, & præsertim Tertullianus in libro de Idololatria. Et Cyprianus in Oratione contra Idola. Et Athanasius in Tractatu de vanitate Idolorum; Sicut etiam Iustinus in Oratione paræneticа; Et Clemens Alexandrinus in Adhortatoria ad Gentes, & alij passim. Et nos etiam de hoc argumento scripsimus contra Sectarios, aliquot libros; ex quibus nunc sumemus quædam; quibus nonnulla addemus. Sunt autem explicanda sex. PRIMO, Quid sit Idololatria, & quantum peccatum. SECVNDO, Quotuplex sit, & quænam eius fuerit origo. TERTIO, Quonam modo dignoscendum sit, committatúrne peccatum Idololatriæ in aliquo cultu. QVARTO, Cultum Sacrosanctæ Eucharistiæ in Ecclesia Catholica vsurpatum, non esse Idololatricum, vt impudenter Sectarij calumniantur. QVINTO, neq; etiam cultum Sanctorum. SEXTO, neq; etiam cultum sacrarum imaginum & Reliquiarum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Idololatria, & quantum peccatum.

D. Thomas art. 1. 2. 3.

CIRCA RATIONEM IDOLOLATRIAE de tribus constat inter omnes, & de vno est controuersia cum Sectariis huius temporis. PRIMO constat, Idololatriam, iuxta communem saltem loquendi vsum, non esse tantùm *culturam simulachrorum*; (quamuis iuxta solam vim quidem huius Græci vocabuli, nihil aliud sit) sed quemcunque etiam impium cultum, quo Creaturæ diuinus honor tanquam Deo deferatur. SECVNDO, esse quidem *propriè* Idololatriam omnem eiusmodi impium cultum. TERTIO, posse etiam saltem per Metaphoram nominari Idololatriam quodcunque aliud peccatum, per quod à Deo recedatur, atque adeò anteponatur Creatura Deo: non tamen *propriè*.

Rectè enim S. HIERONYMVS in cap. 2. Prophetæ Amos: *Vnusquisque*, inquit, *adorans vitia sua atque peccata, Deum habere cæpit, à quo victus est, dicente Petro Apostolo, 2. Petri 2. A quo enim quis superatur, huius & seruus est. Auarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem & Beelphegor colit, lasciua mulier, quæ cùm sit in delitiis, mortua est, adorat venereas voluptates.*

Et similiter S. AVGVSTINVS libro de vera Religione cap. 38. errores ac hæreses censet esse quoddam genus Idololatriæ, sicut etiam Hieronymus in cap. 44. Isaiæ. *Est*, inquit Augustinus, *alius deterior cultus simulachrorum, quòd phantasmata sua homines colunt, & quicquid animo errante cum superbia vel tumore, cogitando imaginati sunt, religionis nomine obseruant*. Et quæst. 29. super Iosue: *Quisquis*, ait, *cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum vtiq; Deum & falsum in cogitatione portat.*

Vnde etiam Apostolus Auaritiam appellauit *Idolorum seruitutem*. Cùm tamen ex sacris literis compertum sit, Idololatriam *propriè* esse quoddam peculiare peccatum ab Auaritia & à reliquis omnibus distinctum. Nam Exodi 20. Deut. 5. Leuit. 26. speciali præcepto, vt speciale peccatum, prohibetur. Tum apertè ab aliis peccatis distinguitur 1. Cor. 6. & ad Galat. 5. & Apocal. 21. & 22. & Actor. 17. vbi significatur, peccatum hoc Superstitionis genere contineri: Cùm Paulus ad Athenienses dixit: *Per omnia quasi superstitiosos vos video. Prætereins enim & videns simulachra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat, ignoto Deo, &c.*

Cùm hæc igitur extra controuersiã sint, CONTROVERSIA nobis est cùm Sectariis, An Idololatria *propriè* sit SOLVM impius ille *cultus, quo diuinus honor tribuitur Creaturæ alicui, sicut Deo*, ita vt hæc ipsa censenda sit vera & genuina definitio Idololatriæ propriè dictæ. Affirmant enim omnes Catholici; neque vlli vnquam Orthodoxorum Doctorum in mentem venit, Idololatriam propriè esse aliud, quàm hoc ipsum. Sectarij autem nouatores contendunt, non id tantummodò esse Idololatriam *propriè*. Censent enim, propriè esse Idololatriam omnem omnino cultum etiam veri Dei, qui *sine Dei verbo & mandato* vsurpetur; quãtumcunq; exerceatur optima intẽtione colendi verum

verum Deum. Hanc esse istorum doctrinam potest intelligi primùm ex Caluino lib. 1. instit. cap. 11. vbi absurdissimè contendit, Iudæos cùm adorarunt in deserto vitulum; non creaturam aliquam, sed Deum ipsum verum voluisse adorare in illo signo seu simulachro visibili, & ideo commisisse Idololatriam: quia scilicet id sine Dei verbo & mandato fecerunt. Deinde etiam potest idem intelligi ex libris aliquot Iacobi Herbrandi Lutherani contra meas quasdam disputationes de Idololatria, quæ iampridem in lucẽ prodierunt.

SED Idololatriam *propriè* non esse, cùm Deo ipsi vero diuinus cultus vllo modo tribuitur, sed cùm *Creaturæ alicui diuinus honor tribuitur sicut Deo*, probatur PRIMO ex Scriptura. Nam si quis diligenter inspiciat Scripturæ loca, in quibus mentio huius veræ & propriæ Idololatriæ fit, reperiet profectò hanc illius esse genuinam rationẽ, *Creaturæ diuinum habere honorem, sicut Deo*; præsertim Psal. 105. Sap. 13. 14. 15. Hierem. 2. ad Rom. 1. & vbicunque cultus veri Dei per Antithesin opponitur cultui idolorum vel Deorum alienorum: vt Genes. 35. Exodi 23. Leuit. 19. Deut. 7. 31. 32. Iosue 23. Iudith 2. 1. Reg. 7. & 3. Reg. 18. 2. Paral. 7. Psalm. 80. & 96. Iudith. 8. Esaiæ 44. Hierem. 35. Daniel. 31. Nisi fortè Sectarius aliquis adeò ineptus erit, vt ex Scriptura Dialecticam faciat, & locum postulet, in quo sic legatur: *Definitio Idololatriæ hæc est:* Creaturæ diuinos honores tribuere, sicut Deo. Quanquam ne differt quidem ab hac dicendi forma multum, quod Sapiens de origine & ratione veræ Idololatriæ ex instituto differens, sic pronunciat Sap. 14. *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut regibus deseruientes homines, incommutabile nomen lapidibus & ligni imposuerunt*: Et quod Apostolus ad Rom. 1. verissimos idololatras describens, inquit: *Coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori.*

Atque hoc ipsum euidenter colligitur ex aliis Scripturæ locis, in quibus quædam tribuuntur veris Idololatris, quæ nullo modo intelligi possunt, fieri per vllum cultũ, qui sit cultus veri Dei, sed solùm per cultum, quo impiè colatur creatura, sicut Deus. Dicuntur enim Idololatræ *mutare* cum idolo Deum, eiusque in illud gloriam Psal. 105. *Et cisternas dissipatas fodere.* Hierem. 2. *Et lapidibus & ligni imponere incommutabile nomẽ.* Sap. 14. *Et colere omnem militiam cæli.* 4. Reg. 21. & 2. Paral. 33. *Et adorare opera manuum hominum.* Isaiæ 2. Psalm. 96. quæ *oculos habeant & non videant.* Psal. 113. *Et considere in sculptili.* Isaiæ 42. *Et prouocare in simulachris ad æmulationem Deum.* Psal. 77. Deut. 32. quippe qui indignè ferat aliquid præter se coli pro Deo, Exod. 20. Deut. 5. Isaiæ 42. Et ambulare *post Deos alienos gentium*, Ierem. 7. & 13. & *sacrificare illis.* 2. Paral. 34. & Ierem. 44. qui *omnes dicuntur Dæmonia.* Psal. 95. Hæc & alia huius generis plurima, nunquam mihi Sectarius aliquis persuadebit, eũ committere, qui cultum quidem recta animi intentione ad Deũ refert, sed hoc solùm peccat, quòd aliter de Deo sentit, quàm par est, existimans cultum aliquem ipsi placere, qui non sit ei gratus.

Si nihil aliud haberemus, quàm quod Hieremias Propheta cap. 2. censet, per Idololatriam *commutari* Deum cum creaturis; nónne hoc satis declararet, animum istiusmodi vitio penitus auerti à Deo vero, & ad falsum, id est, ad Creaturam tanquam in Deum conuerti? *Si mutauit*, inquit, *gens Deos suos; & certè ipsi non sunt Dij; populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum.* Neque obscurũ est, quod sequitur: *Obstupescite cæli super hoc; Duo mala fecit populus meus; & dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam.* Non potuit planiùs docere, in Idololatria non illud solùm inesse mali, quòd animus prauè se gerat erga ipsum Deum verum, sed id præterea, quòd ad imbecillem ac fragilem creaturam, vt ad Deum, infeliciter conuertitur. Quod ipsum pòst luculento illustrat *simili*, ducto ex muliere, quæ recedens à viro suo, nubit *alteri.*

Sed & Apostolus 1. Cor. 8. quando ait: *Scimus, quia nihil est Idolum in mundo*, aperte declarat, Idololatriam versari circa creaturam tãquam Deũ. Sensus namque est; Idolum, siue aliæ creaturæ, quæ adorantur pro Deo, nihil omnino tale sunt, quale falsò putantur, hoc est, nõ sunt Deus. Cum hoc enim sensu planè cohæret ratio, qua id confirmat Apostolus, subiiciens: *Et quòd nullus est Deus, nisi vnus.* Quasi dicat: Cùm Deus non sit, nisi vnus, fieri nequit, vt idola, quę putantur Dij, Deus sint: siquidem illa sunt plura. Quam rationem deducit ibidem latius, tandem concludens: *Nobis autem vnus est Deus pater, &c.* Similis dicendi phrasis est illa Esaiæ cap. 41. *Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum*, id est, idola, *ex eo, quod non est.* Et illa item Hieremiæ cap. 10. *Confusus est omnis artifex in sculptili, quia falsum est, quod constauit, & non est Spiritus in eo*, id est, Spiritu diuino non viget, vt cæci Idololatræ putabant. Et certè cùm idem Apostolus 1. Thessal. 1. scribit, Thessalonicenses per Euangelium *conuersos fuisse ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero*, manifestè declarat, illos è contrario priùs à Deo vero & viuo auersos fuisse, & conuersos ad idola, tanquam ad Deos falsos & mortuos.

SECVNDO probatur idem ex Patribus, qui non aliam vnquam Idololatriæ propriè dictę rationem esse intellexerunt, nisi hanc, quam diximus; scilicet vt *Creaturæ deferatur diuinus honor tanquam Deo.* TERTVLLIANVS in lib. de Idololatria, initio, explicans propriam ipsam rationẽ ac peruersitatem idololatrię. *Idololatria*, inquit, *Deo fraudem facit, honores illi suos negans, & conferens* ALIIS, *vt fraudi etiam contumeliam coniungat.*

Et S. CYPRIANVS in libro ad Fortunatum de exhortatione Martyrij; quoniam Idololatria nimirum non nisi falsum Deum, hoc est, Creaturam, pro scopo habet; docet, aduersus Idololatriam opponendum esse, *quòd Deus solus colendus sit, vt est*

vt est scriptum in Deuteronomio cap. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et Exodi 20. Non habebis Deos alienos coram me. Et Deuter. 32. Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me, &c.

Et ob eandem rationem LACTANTIVS lib. 1. diuin. instit. cap. 19. negat *factum esse vnquam, vt qui bos* (falsos Deos) *colit, etiam Deum coluerit: neque fieri*, inquit, *potest; quoniam si honos idem tribuitur* ALIIS, *ipse omnino non colitur, &c.*

Hinc etiam sanctus Gregorius NAZIANZENVS Oratione in Christi natiuitatem, post medium; Idololatriam esse dixit, *Adorationis à Deo ad Creaturas translationem.* Et ob id quoque orat. 2. de Theologia, eleganter dicit, *Dæmonem cùm Idololatrarum cupiditatem ad Dei conquisitionem oberrãtem accepisset; vt principatum ad se* TRANSFERRET, *ac desiderium eorum eluderet, quasi cæcos viæ cuiusdam cupiditate flagrantes manu duxisse, & alios alio præcipites egisse*, vt scilicet alij aliis Creaturis diuinos honores tanquam Diis deferrent.

Et expresè quoque sanctus AVGVSTINVS libro 1. de Trinit. cap. 6. *Iubemur*, inquit, *non seruire Creaturæ, sed Creatori, non eo modo, quo iubemur per charitatẽ seruire inuicem, quod est Græcè διλεύειν, sed eo modo, quo tãtum Deo seruitur, quod est Græcè λατρεύειν. Vnde Idololatræ*, inquit, *dicuntur, qui simulachris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo.*

Hinc etiam sanctus HIERONYMVS libro aduersus Vigilantium cap. 3. Cultum veri Dei, cultui Idololatrico, tanquam ei, qui non Deo, sed creaturæ tribuatur, per antithesin opponit. *Non dissideor*, inquit, *omnes nos, qui in Christo credimus, de Idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Sed quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum Idolis honore venerari?* Et Ambrosius in caput 5. ad Ephes. *Idololatria*, inquit, *Dei honorificentiam vsurpat & vendicat Creaturæ.* Similia alij passim.

TERTIO probatur ratione. Nam si Idololatria propriè est etiam cultus vero Deo adhibitus *sine verbo & mandato Dei* (vt Sectarij contendunt) consequens erit, vt omnis Dei cultus *quacunque ex circumstantia prauus* & illicitus, propriè sit Idololatria, quemadmodũ fateri coactus fuit Herbrandus: siquidem omnis cultus quomodocunque prauus, caret verbo Dei & mãdato. At hinc multa sequuntur absurda, vt in aliis de Idololatria libris conuici. Sequitur enim, eum esse propriè Idololatram, qui orat verbi gratia, propter vanam gloriã. Item eum, qui iurat sine debita consideratione. Imò eum etiam, qui optimè iurat: siquidem Iuramentum per inuocationem diuini testimonij *tanquam infallibilis*, est Dei quidem cultus; de quo minimè tamen habemus *Dei mandatum.* Verissimè namque sanctus AVGVSTINVS quæst. 12. in Deuter. circa illud Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen illius iurabis*; ita scribit: *Non ita hoc præceptum accipiendum est, quasi iurari iusserit. Sed in alterius alicuius Dei nomine iurare prohibuit. Mælius autem fit, si secundum Euangelium non iuraueris: non quia mala est iuratio, sed ne in periurium incidatur facilitate iurandi.*

Item sequitur ex absurdissima illa doctrina Sectariorum, esse propriè Idololatram eum etiam, qui aliquid vouet, non satis considerate: Imò qui omnino etiam quidpiam vouet, cùm neque de vouendi cultu habeamus Dei mandatum: & tamen Vota adhuc in hoc tempore gratiæ Deo grata esse constat, vt probauimus suprà in q. de Voto. p. 2.

Item sequeretur, ipsos etiã Sectarios esse propriè Idololatras, cùm orãt (si tamen orant) mente alienis cogitationibus distracta, aut quidpiam aliud in qualicunque cultu ob aliquam prauam circumstãtiam peccant. Imò etiam vnumquemque Sectarium Ministrum eo ipso propriè commisisse Idololatriam, quòd *ministerio illo*, colendi Dei causâ vltrò inaugurari voluerit; cùm de illo officio & ministerio suscipiendo non habuerit vllum Dei præceptum. Vt ea nunc præteream, quæ fusè de his alibi à me disputata sunt.

Nec sunt vllius ponderis, quæ Sectarij adferunt pro commentitia illa ratione suæ Idololatriæ, quam paradoxè statuunt *in cultu veri Dei sine diuino mãdato.* OBIICIVNT autem PRIMO, quòd Iudicum 8. Israëliticus populus fornicatus esse dicatur in *Ephod*, Sacerdotali veste magnifica, quam Gedeon ex auro conficiendam curauit; idque solùm propterea, quòd illa ad sacrificandum Deo, dictus populus vteretur extra diuinũ tabernaculum: quod fas non erat, vt D. Augustinus interpretatur quæst. 41. in libro Iudicũ. Dum autẽ populus *fornicatus* esse dicitur, Idololatriam patrasse, iuxta Prophetarum phrasin intelligendum est, inquit Herbrandus Lutheranus.

RESPONDEO, duobus modis interpretatur illic AVGVSTINVS eum locum. PRIMO vt intelligatur stupidus ille populus adorauisse eam vestem, tanquam Deum quendam siue idolum; admiratus scilicet illius pulchritudinem & splẽdorem ac formam. Nam vt D. Augustinus ait, ita erat auro cõtexta, vt *erecta*, instar idoli cuiusdam *staret*, id quod putat posse colligi ex verbis illis: *Fecitq; Gedeon Ephod, & statuit* (vt 70. verterunt) *illud in ciuitate sua Ephra.* Iuxta quam interpretationem, etsi fornicationem eo loco pro Idololatria accipiamus, nihil omnino inde probauerint ad suum propositum Sectarij: quandoquidem Idololatria hæc, nõ in cultu aliquo ad Deum verum relato, vt ille contendit, sed ad creaturam stolidè pro Deo habitam referebatur.

SECVNDO exponit Augustinus, fornicationem illam in eo etiam potuisse consistere, quòd populus, contra diuinam legem, Ephod extra tabernaculum vteretur, ad sacrificandum vero Deo. Quæ expositio nihilo magis, quàm prior, Sectariis suffragatur. Nam cùm hoc posteriori modo Augustinus eam fornicationem interpretatur, minimè illam peccatum Idololatriæ propriè fuisse censet. Sed neque ratio vlla est, cur nos

id censeamus. Quod enim Herbrandus asseuerat, *fornicationis nomine*, apud Prophetas, Idololatriam significari, non est semper ita. Nam peccatum omne, quo mens spiritualiter *polluitur atque corrumpitur*, fornicatio in Scripturis appellari solet, ex eiusdem Augustini sententia libro primo de sermone Domini in monte, capite decimo sexto, & libro primo Retract. capite decimo nono. Et homilia etiam quinquagesima de verbis Domini, vbi ait, *fornicari à Deo esse ad voluptates cum affectu deflectere.* Quod inprimis fit aliis peccatis. Vt cùm ait Propheta Psalm. 72. *Qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*, sicut illic D. Augustinus interpretatur. Adiungit enim Dauid: *Mihi adhærere Deo, bonum est, &c.* Itaque quicquid huic casto amori contrarium est, fornicationem appellat. Sic aliàs etiam id nomen in Scriptura accipitur; vt Numer. 15. Hebr. 12. Apocalyp. 17.

TERTIO possumus & aliam eius loci interpretationem, ex ipso textu elicere, fortè planiorem. Quod enim priùs dicitur: *Et fornicatus est in Ephod omnis Israël, &c.* hoc idem postea Iudic. 8. repetitur, & declaratur factum esse per veram Idololatriam, qua Diis falsis gentium diuinus honor est exhibitus. Sequitur enim paulò post: *Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israël, & fornicati sunt in Baalim, percusseruntq; cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum; nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum, nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon.* Itaque mortuo Gedeone, primùm fornicatus est in Ephod omnis Israël, cùm veste illa populus abutebatur ad sacrificandum Baal & Baalim diis gentium; sicut ex capite decimo octauo eiusdem libri apparet, eiusmodi vestem ad sacrificandum Diis vsurpari solitam fuisse.

Quod qua ratione factum sit *Gedeoni & omni domui eius in ruinam*, tum etiam explicatur, cùm additur: *Nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon, iuxta omnia bona, quæ fecerat Israël.* Calamitas enim familiæ; ruina Gedeonis etiam, Scripturæ more, dicitur. Sic enim mors Isboseth filij Saul, vltio quoque Saul dicitur 2. Reg. 4. *Dedit Dominus Domino meo Regi vltionẽ hodie de Saul & de semine eius.* Et passim aliàs in Scriptura occurrit hæc phrasis.

Quòd si huius loci sensus hic est, vt planè videtur esse; nequaquam ex illo probat Herbrandus, cultum vero Deo, secùs quàm oportet, exhibitum, Idololatriam in Scriptura dici; sed potiùs quod nos asserimus, inde confirmatur, Idololatriam videlicet esse, cultum diuinum Diis falsis, atque adeò Creaturæ tribuere, vt tum fecit ille populus.

SECVNDO citant illam ex Propheta Michæa sententiam: *Nunquid placari potest Deus in millibus arietum.* Mich. capite sexto. Quasi sensus sit, Deum sacrificia sibi à populo Israëlitico pro peccatis exhibita, repudiauisse, tanquam Idololatrica (vt Herbrandus vult) ob circumstãtiam *finis*, scilicet expiationis peccatorum.

Respondeo, ineptissimam esse obiectionem. Nam si ita est; Idololatriã Deus illi populo præcepit, cùm varia pro peccatis sacrificia ipsum offerre voluit. Leuit. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 16. 23. Numer. 6. 7. 15. 19. 28. 29. Sensus igitur eius loci longè alius est, nimirum sacrificia veteris legis ad expiationem peccatorum vsurpata, etsi legitima fuerint; at non illa tamẽ per se vim habuisse culpas expiandi, Deumque placandi: quinimò conuersione prætereà mentis in Deum, ac solicitudine adipiscendæ salutis opus fuisse, ad fructum passionis Christi futuræ, cuius illa sacrificia tantùm figura erant, participandum, atque adeò ad habendum propitium Deum. Vnde ibidem sequitur: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Domino Deo tuo.*

TERTIO vrgent præterea, vel deprauant potiùs sententiam illam Ieremiæ capite 2. Idololatriam Israëlitici populi ita exprobrantis: *In omni colle sublimi, & in omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.* Quibus verbis eum cultum à Propheta taxari dixit Herbrandus, de quo 2. Paral. 33. scribitur: *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.* Tum colligit, Idololatriam à Propheta censeri cultum vero quidem Deo exhibitum, sed ob id illegitimum, quòd extra locum, quem Deus elegerat, exhiberetur.

RESPONDEO. Falsissimum commentum est, ibi Prophetam cultum illum, qui *vero Deo in excelsis locis* exhibebatur, reprehendere. Non est ita: sed accusat potiùs ethnicam superstitionem, quẽ populus Israëliticus colens in excelsis locis *etiam Deos alienos*, infæliciter à gentibus didicit, cùm diuinitùs esset admonitus atque iussus, illam funditus abolere. Sic enim Moyses Deut. 12. *Hæc sunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus, quibus super humum gradieris; subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes* EXCELSOS *& colles, & subter omne lignum frondosum.*

Hunc igitur cultum Deorum alienorum in *excelsis* locis, arguit illic Ieremias in populo Dei; sicut alij Prophetæ etiam fecerunt; vt Isaias capite 57. Et Ezech. 6. de quo etiam 4. Reg. 14. & 16. & 2. Paral. 28. Quod quidem vel ex eodem Ieremiæ loco manifestè apparet. Nam paulò ante cap. 2. eandem populi superstitionem & impietatem, sic per locum *à minori*, Ieremias exaggerat: *Si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt Dij: populus autem meus mutauit gloriam suam in idolum. Obstupescite cæli super hoc, &c.* Postea quoque, vt eius impietatis (quam meretriciam per tropum dixerat) turpitudinem monstraret magis, hac vtitur similitudine: *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur: sic confusi sunt domus Israël, ipsi & reges eorum, principes & sacerdotes, & prophetæ eorum, dicentes ligno, pater meus es tu; & lapidi, tu me genuisti. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: surge & libera nos. Vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? surgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ.* Certè non potuit aut pluribus aut clarioribus verbis indicare Propheta, cultum se damnare, quo populus Israël *faciem*, hoc est, *intentionem* animi omnem non ad verum Deum, vt Herbrandus desipit, sed ad Deos gentium falsos conuertit.

Vnde etiam sequenti capite arguens populum Iuda, quòd in eo scelere populum Israël fuerit imitatus, sic inquit: *Nunquid vidisti, quæ fecerit auersatrix Israël? abiit sibimet super omnem montem excelsum, &c. & vidit prænaricatrix soror eius Iuda, quia pro eo, quod mœchata est auersatrix Israël, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij, & non timuit prænaricatrix Iuda soror eius, sed abiit, & fornicata est etiam ipsa, & facilitate fornicationis suæ contaminauit terram, & mœchata est cum lapide & ligno.*

Apertiùs adhuc in sacra historia 3. Reg. 14. *Et fecit Iudas malum coram Domino, & irritauerunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis, quæ peccauerunt. Ædificauerunt enim & ipsi sibi aras & statuas & lucos, super omnem collem excelsum, & super omnem arborem frondosam; sed & effœminati fuerunt in terra, feceruntq; omnes abominationes gentium, quas atriuit Dominus ante faciem filiorum Israël.*

Ergo Hieremias cultum impium, quo *idolis gentium* populus Dei sacrificabat, velut Idololatriam accusat, non illum, vt ait Herbrandus, cuius sit mentio, cùm dicitur: *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.* Quanquam nõ est negandum, & hunc item cultum, ob circumstantiam profani loci, illicitum fuisse. Postquam enim Deus per Moysen iusserat, aras & lucos gentium in nemorosis locis ac excelsis collibus constructos deleri, illico adiecit Deuter. 12. *Non facietis ita Domino Deo vestro, sed ad* LOCVM, *quem elegerit Dominus Deus vester, de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suũ ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras.* Itaque in hanc Dei legem populus cõmittebat, cùm adhuc, vti scribitur, *immolaret Domino Deo suo in excelsis.*

Veruntamen peccatum hoc in Scriptura sacra non censeri propriè Idololatriam, neq; hoc nomine à Prophetis vituperari, ex eo ipso loco, in quo illud commemoratur, docere possumus. Recensetur illic primùm vera ac propria, secundùm nostrã definitionem Idololatria, quam Manasses Rex Iuda, & admisit ipse, & Dei populo persuasit, 2. Paral. 13. Tum eiusdem resipiscentia indicatur; & quomodò priorem aboleuerit Idolatricam impietatem; sed additur tamen, hoc vnicum in populo peccatum hæsisse, quòd *in excelsis immolabat Domino Deo suo.* Itaque cùm perspicuè scriptura ibi discernat inter Idololatriã iam

sublatam, & peccatum illud *reliquum*, quod populus committebat; apertè indicat, hoc diuersum ab Idololatria peccatum fuisse. Quare hic locus potius aduersatur phantasticæ definitioni Idololatrię Sectariorum, & nostræ definitioni inprimis fauet.

Sic enim ibi legimus: *Fecit autem Manasses malum coram Domino, iuxta abominationes gentium, quas subuertit Dominus coram filiis Israël; & conuersus instaurauit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius, construxitque aras* BAALIM, *& fecit lucos, & adorauit omnem* MILITIAM *cæli, & coluit eam, &c.* & nonnullis interiectis: *Igitur Manasses seduxit Iudam & habitatores Hierusalem, vt faceret malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israël.* Hactenus Regis & populi Idololatria. Sequitur nunc pœnitentia. *Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum, & fecit pœnitentiam, &c. & abstulit Deos alienos & simulachrum de domo Domini, &c. Porrò instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas & pacificas & laudem, præcepitque Iudæ, vt seruiret Domino Deo suo.* Tum subiicitur: *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.* Vbi notanda est vis particulæ, *Attamen*: Quasi sit sensus, Etsi Idololatria sublata fuerit, hoc tamen reliquum erat, quòd non fuit quidem Idololatria, sed fuit peccatum tamen. Quem huius loci sensum apertiùs indicârunt 70. interpretes, cùm sic verterunt: *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis,* SED *Domino Deo suo*; tanquam apertè diceretur: Attamen peccabat populus immolando in excelsis, non tamen peccato Idolatriæ, quia non idolis seu Diis alienis, vt antè, sed Domino Deo suo immolabat. Quocirca peruersè Herbrandus contendit, cultum quomodocunque illicitum, tametsi vero Deo exhibeatur, Idololatriam in Scriptura censeri.

QVARTO, obiiciunt, Idololatriam, quam Hieremias arguit, cùm dicit Hierem. 3. *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda*, aliam non fuisse, quàm quòd in omnibus & singulis ciuitatibus contra mandatum Dei, ille populus altaria extruxisset, in quibus immolaret Domino Deo Israël.

RESPONDEO, figmentum id esse vanissimũ. Hoc patet manifestè ex verbis quibus exposuit ibi Propheta, quemadmodum populus ille sub omni ligno frondoso, vt suprà dictum est, mœchatus per Idololatriam fuisset; *dicens ligno, pater meus es tu; & lapidi, tu me genuisti:* tum sequitur: *Verterunt ad me tergum & non faciem; & in tempore afflictionis sua dicent, surge & libera nos, vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi; surgant & liberent te, secundùm quippe numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda.* Certè hic nõ de cultu veri Dei Israël, sed de cultu falsorũ Deorum est sermo.

Quod ipsum patet manifestè ex eodem Propheta Ieremia cap. 11. vbi ex ore Dei eandem sententiam repetens, exponit quales isti Dij fuerint his verbis: *Et hi ergo*, inquit, *abierunt post Deos* ALIE-

NOS, & seruierunt eis; irritum fecerunt domus Israël & domus Iuda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. Quamobrem hæc dicit Dominus, Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me, & non exaudiam eos: Et ibunt ciuitates Iudæ, & ciuitates Hierusalem, & clamabunt ad eos, quibus libant, & non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum: secundùm numerum enim ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda, & secundùm numerum viarum Hierusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum BAALIM. Quid clarius?

Conferat igitur nũc quæso æquus Lector cum Propheta Pseudoprophetã, hoc est, Herbrãdum cum Hieremia. Hieremiæ verba iam audiuimus; Herbrandi sunt ista: *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda. Quia*, inquit, *in his omnibus & singulis altaria extruxerant, in quibus immolarent Domino Deo Israël. Hos ergo*, inquit, *cultus omnes & singulos præter Verbum Dei institutos, etiamsi in honorem veri Dei exhiberent, Propheta tamen non animo & intentione eorum consideratis, Deos nominant alienos. Cùm verò*, inquit, *non idolis gentium neque creaturæ, sed soli Creatori Domino Israël sacra hæc facerent Hebræi; Idololatræ haberi nolebant.* Hieremias, vt vidimus, aras in singulis ciuitatibus dicit constructe illum populum, ad sacrificandum *Baalim*: Herbrandus contrà, ad sacrificandum non *Creaturæ*, atque adeò nec Baalim, aut aliis idolis, sed *soli Deo*. Quis non hic agnoscat Antiprophetam?

QVINTO vtuntur etiam isti alia obiectione impudentissima. Etenim post illa Hieremiæ verba cap. 2. *Secũdùm numerum quippe ciuitatum tuarum, erant Dij tui Iuda*; proximè sequuntur ista: *Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus*: Quæ verba duplicem vim habent. Nam & euidentem iustitiam causæ Dei aduersus infidelem illum populum declarant, & prætereà redarguunt eiusdem populi ingenium peruicax. Siquidé ille procliuis erat ad neganda vel excusanda impudenter ea scelera, quorum sibi conscius erat, & interdum conuictus quoque fatebatur. Sicut ibidem paulò antè ait Dominus: *Quomodo dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulaui?* ac paucis interiectis: *Et dixisti: desperati, nequaquam faciam; Adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur: sic confusi sunt domus Israël dicentes ligno, pater meus es tu, &c.* Hinc verò isti colligunt, Catholicos, quãdo negant, se Idololatriam in cultu committere, perinde frigidè excusare se, & veritatem ipsam inficiari, ac olim faciebat populus ille Idololatricus.

RESPONDEO, Calumnia est vanissima; cùm iam ex diuinis literis probauerimus, & ex hoc ipso loco euidenter constet, populum illum non ad Deum verum, vt nos, sed ad Deos falsos gentium direxisse cultum diuinum, vt interdum ipse quoque conuictus fatebatur. Quare non potuit is populus, nisi impudenter, Idololatras se esse, negare: Ipsi Idololatras esse nos (quòd impudenter hæretici affirmant) negamus iustissimè & verissimè. Sed de his alibi plura.

Quòd autem Sectarij etiam aiunt, cultum Dei, si exerceatur sine Dei mandato, hoc ipso esse illicitum & Idololatricum, partim refutauimus suprà quæst. 2. p. 5. in responsione ad argumenta contra Inuocationem Sanctorum; partim infrà confutabimus in materia de Statibus, quando defendemus statum Religiosorum, atque adeò opera supererogationis. Itaque maneat, Idololatriam propriè non esse nisi *cultum impium, quo diuinus honor tribuatur Creaturæ, sicut Deo*, quemadmodum ex orthodoxa sententia suprà definiuimus.

Apparet autem ex hac Idololatriæ ratione, eam esse peccatum maximè contrarium virtuti Religionis. Nam quam gloriam Virtus hæc Deo vt Creatori ac summo Domino rerum omnium, vario tum interno, tum externo affert cultu, hanc illi Idololatria eripit, & impiè transfert ad Creaturam. Est enim Dei gloria præclara illa de ipso existimatio, quã Idololatria, vt diximus, per cultum impium creaturæ conciliat. Nam verissimè D. AVGVSTINVS lib. 83. qq. quæst. 31. & tract. 110. in Ioannem definiuit *gloriam esse frequentem de aliquo famam cum laude.*

Porrò scelus hoc Idololatriæ esse summum, diuinæ literæ declarant. Nam & illud primo loco grauissimis verbis vetat diuina lex, seuera cõminatione adhibita, Exod. 20. Deuter. 5. & Scriptores sacri in hoc vitio vituperando verborum & sententiarum pondere sunt vehementissimi. Vt patet Psalm. 105. Isaiæ 1. & 44. Ierem. 2. & 16. Ezech. 6. & 14. Oseę 8. Amos 2. Michę. 1. & aliâs, &c. Atque etiam inde hoc patet, quòd illa in sacris literis summa est impietatis exaggeratio, si quod flagitium cum hoc comparetur, vt 1. Reg. 15.

Sed & ipsa per se huius sceleris natura atque ratio à nobis expositа, insignem peruersitatem ostendit. Qui enim creaturæ diuinum honorem impendit; is, quantum est in se, Deum ex suæ Maiestatis solio exturbat, creaturamque in eo collocat, cùm fieri nequeat, vt Deus honorem suum (quem singularem oportet esse) retineat, si cum creatura ille communicetur. Hinc Dominus per Esaiam cap. 42. *Gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.*

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Idololatria, & quænam fuerit eius origo.

Ad art. 1. & 4. D. Thomæ.

SIC VT tria omnino in Idololatria cõsiderare possumus; diuinum *honorem*, qui exhibetur; *animum*, quo exhibetur; *creaturam*, cui exhibetur: Ita ex triplici capite diuersa Idololatriæ genera oriri possunt: Primò, ex diuersitate *cultus diuini*, qui vsurpatur: Secundò, ex diuersa dispositione *animi* eius, qui creaturam diuino cultu prosequitur: Tertiò, ex diuersa conditione *creaturæ*, quæ diuino cultu afficitur.

Etsi verò quæcunque differentia ex his capitibus orta, *materialis* sit, ac proinde ad vnam speciem pertineat omnis Idololatria; tamen quia eiusce modi capita latè patent, non inutiliter distinguuntur Idololatriæ modi, qui ex illis diuersi proficiscuntur. Ac ex diuersitate quidem *honoris diuini*, qui vsurpatur, tam varij Idololatriæ modi esse possunt, quàm ratio ipsa diuini honoris potest esse varia. Quicquid enim Religio Deo debet, hoc totũ superstitio impia dare potest creaturæ. Vnde & Beda in Commentariis super 4. caput Lucæ, rectissimè dixit, Idololatras nominari eos, qui *vota, preces, & sacrificia*, quæ vni Deo debentur, idolis impendunt.

Ex diuersa autem dispositione *animi*, eius, qui creaturam diuino honore prosequitur, duplex Idololatria distingui solet: *Vna interior*, quæ aut ex infidelitate procedit, qua putatur creatura esse Deus, aut saltem committitur directa voluntate adhibendi honorem diuinum creaturæ: *Altera exterior*, quæ non procedit ex eiusmodi infidelitate, voluntatéue directa.

Iam verò ex diuersa ratione *creaturæ*, cui exhibetur honor diuinus, hæc Idololatriæ genera manarunt olim. Quidam simulachra varia vel hominum vel pecudum, diuinis honoribus affecerunt, quæ credebant esse animata diuinis spiritibus, qui per se valerent & ad nocendum & ad consulendũ multiplici ratione hominibus. Cũque ipsi eiusmodi idola per se conficerent, adeò ab errore non dimouebãtur propterea, vt etiam hominis potestatem admirarentur, stolideque prædicarent, quòd is diuinos spiritus cum corporibus colligare, proindeq; sibi fabricare Deos valeret. Ita dæmones, qui sese in illis imaginibus colendos exhibebant, miseros artibus nefariis ludificabantur. In qua superstitione Hermetem Trismegistum fuisse, D. Augustinus narrat lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 23.

Fuerunt alij, qui & ipsi imaginibus vtebantur, sed ita tamen, vt non ipsas secundùm se, sed creaturas alias, quas illæ referebant, diuino cultu afficerent. Atque hi fuerunt varij. Nam quidam, (ex quibus fuit Varro) ad mundum ipsum, vel ad varias eiusdem partes accommodabant simulachra. Namque censebant, teste D. Augustino libro septimo de Ciuitate Dei, capite sexto & decimo sexto, Deum mentem esse, quæ tanquam forma vel anima mundo colligata, ipsum ratione ac sapientia gubernaret. Itaque vt homo etsi corpore quoque constet, tamen sapiens dicitur, non ratione corporis, sed ratione animæ: sic illi mundum propter diuinam illam duntaxat animam, ipsi cohærentem, censebant esse Deum.

Quocirca hi simulachrum Iouis ad mundum totum, Apollinis ad Solem, Dianæ ad Lunam, Vulcani ad ignem, Neptuni ad aquam, & sic alia ad alias mundi partes significandas referebant, auctore Augustino cap. illo 16. lib. 7. de Ciuit. Sic fiebat, vt creaturam pro Deo stultissimè venerarentur. Nam quicquid est quasi *pars & forma* substantiæ mundi (quod isti diuinam mentem putabant) id totum creatura sit, est necesse. Maximè quod, vt eodem lib. 7. cap. 6. Augustinus sensit, quemadmodum ipse mũdus in plures partes diuisus est, sic illi diuinam eiusmodi mẽtem in plures partes diuidebant; quæ partitio nisi in creaturam cadere non potest.

His adhuc fuerunt alij crassiores, qui simpliciter eos, quos proditum est homines fuisse ferè flagitiosos, vt videre est apud Augustinum lib. 8. de Ciuit. cap. 5. & Lactantium lib. 1. de falsa religione, cap. 8. & deinceps, nempe Saturnum, Iouem, &c. per ea simulachra, vt Deos, venerati sunt. Quam vanitatem illi etiam, qui ex Etnicis fuêre sapientiores, perspexerunt. Nam & ad eo M. Varro apud D. Augustinum lib. 6. de Ciuit. capite quinto & sexto aiebat, religionis huius nodum ad Theologiæ genus μυθικὸν, id est, fabulosum, pertinere; cùm tamen idem illam suã Theologiam, quæ, vt memorauimus, mundum ipsum facit Deum, *naturalem ac physicam* appellet.

Iam Platonici, vt videre est apud Platonem in Epinome & in Phædone, & diuum Augustinum libro octauo de Ciuitate, capite sexto & duodecimo, & libro decimo, capite primo, etsi vnum esse verum ac summum Deum agnoscerent, aliis tamẽ prætereà spiritualibus creaturis, quòd Deo similiores essent, cultum diuinum tribuebant. In his, *primum* locum dabant substantiis separatis, quas illi Deos, nos Angelos nominamus: *Secundum*, cælestium corporum animabus: *Tertium*, dæmonibus, quos aëreа quædam animalia esse opinabantur: *Postremum*, animabus hominum, quas pro vniuscuiusq; meritis ad societatem vel dæmonum, vel Deorum post mortem adsciscì credebant.

Possemus his adiungere alios non dissimiles religionũ errores, quibus, nostra memoria, tum in Oriente, tum in Occidente, per Iesu Christi gratiam, in dies liberantur hi populi, qui Christiana sacra suscipiunt. Sed id necesse nõ est: cùm iam Euangelij luce, secundùm certissimas Prophetarum prædictiones, Idololatriæ nox, magna

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit ex parte depulsa, Esaiæ 2. & 19. Ezech. 30. Zachar. 13. Sophoniæ 2. Qua de re vide Augustinum libro de diuinatione dæmonum cap. 9. & lib. 1. de consensu Euangel. cap. 19. & lib. 8. de Ciuit. cap. 23. vbi refert Hermetem id persensisse. Quòd hæretici etiamnum huius criminis Ecclesiam accusant, id verò quàm stultè, vel impiè potiùs ac scelerate faciant, paulò pòst nullo negotio demonstrabimus.

Nunc de Idololatriæ ORIGINE breuissimè dicamus. Ea quidè ex parte ipsius *hominis* fuit partim nimius affectus erga creaturas, partim veri Dei ignoratio cum mentis quadam stupiditate coniuncta, ob quam facile fieri potuit, vt specie ipsa creaturarum atque decore tanquam *muscipula*, vt in libro Sapientiæ est, insipientium animi caperentur.

Acerbo luctu (inquit Sapiens cap. 14.) *dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia: deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error, tanquam lex, custoditus est.* Et infrà: *Hac fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut regibus deseruientes homines, incommutabile nomen lapidibus & ligni imposuerunt.*

Ac rursus Sap. 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de iis, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neq; operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex. sed aut ignem, aut spi[illegible]ut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut ni[illegible]cap[illegible]tam, aut Solem & Lunam rectores orbis terrarũ [illegible]erunt. Quorum si specie delectati Deos putauer[illegible], quantò iis Dominator eorum speciosior est.*

Sed primis malignitas Dæmonis, huius impietatis origo fuit, qui mira calliditate, dum in simulachris vel per responsa, vel per varia facinora cæcos mortales illudit, suam Deo gloriam eripere, sibique eam vendicare est conatus. De quo vide Lactantium libro 2. de origine erroris cap. 17. & Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Theolog. Quo factum, vt *omnes Dij gentium* tãdem *fuerint dæmonia*, Psal. 95. Etsi enim alij alias creaturas diuino honore afficiebant, cùm ab his beneficia se accipere existimabant: tamen quia adorare quoque intendebant id, à quo reipsa eiusmodi beneficia proueniebant; Dæmonem etiam hoc ipso omnes venerabantur.

De origine verò Idololatriæ, quod ad *tempus* ipsum attinet, tractat diligenter Lactantius lib. 1. de falsa relig. cap. 22. & 23. qui & refert, Melissum Cretensium Regem colendorum Deorum omnino primum auctorem extitisse; hunc illis primò sacrificasse, ac ritus nouos sacrorumque pompas introduxisse. Idem Romanis, ait, eiusdem superstitionis Sabinum Regem auctorem fuisse.

Apud Græcos verò Prometheus primò simulachra de luto finxisse fertur: Item Cecrops Rex, cùm primò bouem immolaret, Iouem inuocauisse. Ninus quoque, tertius Babyloniæ Rex, dicitur primò templum & statuas erexisse Belo parenti. Vide Isidorum lib. 8. Etymolog. cap. 11. & Eusebium in Chronicis, circa annũ mundi 3650. & Berosum in vita Nini Regis Babyloniæ. Et de his quidem hactenus.

Duæ tamẽ supersunt hîc QVÆSTIONES circa diuisionem Idololatriæ in interiorem & exteriorem. VNA est, Vtrum sit maius peccatum, Idololatria *interior*, an verò *exterior*. Et loquimur de Idololatria interiori eius, qui sit etiam infidelis & exteriori eius, qui non sit infidelis, sed vel directè vel saltem indirectè (ob actus circumstantias) velit ad creaturam redundare honorem diuinũ actu suo, quo eam colit.

RESPONDEO autem, *extensiuè* plus peccare Idololatram interiorẽ. Nam vt patet, committit duo peccata: Alterum infidelitatis: Alterum superstitionis. *Intensiuè* autem, quatenus vtraque Idololatria est superstitio contra Religionẽ; maius peccatum est Idololatria exterior, quàm interior. Probatur: nam ille, qui peccat, sine ignorantia, plus peccat, quàm qui ex ignorantia. Sed Idololatra interior, qui simul putat Creaturam esse Deum, atque adeò est infidelis, tribuit diuinum honorem Creaturæ *ex ignorantia*, qua putat, illam esse Deum. Idololatra verò exterior, qui timore vel alio respectu inducitur ad hoc, vt velit creaturã diuino honore afficì; peccat sine ignorantia. Ergo plus peccat.

Iuxta hoc intelligendum est, quod D. Augustinus lib. 6. de Ciuitat. cap. 10. dixit, Senecam eò damnabilius coluisse idola, quò id, *quod ageret mẽdaciter, sic agebat, vt eum populus veraciter agere crederet.* Vbi illud verbum, *Mendaciter*, ad infidelitatem interiorem referendum est, non ad animum afficiendi honore diuino idola. Nam si iste animus in Seneca & aliis similibus Philosophis nullo modo directè aut indirectè fuisset, non fuissent illi veri Idololatræ.

ALTERA Quæstio est, Vtrum Idololatra exterior incurrat excommunicationẽ latam in Bullam Cœnæ Domini, contra hæreticos. Caietanus hîc art. 1. respondet affirmatiuè; quoniam ille actus exterior per se est quidam actus infidelitatis protestatiuus.

Cæterùm verius est, quod Nauarrus in Manuali cap. 11. num. 25. vel 27. & Syluester, verbo Hæresis 1. quæst. 6. docet, talem non incurrere illam excommunicationem. Nam licet ille actus exterior alioqui natura sua aptus sit, vt per illum quis protestetur interiorem hæresim, & ideo sit graue peccatum (iuxta ea, quæ suprà disseruimus disput. 1. quæst. 3.) tamen in casu, quo quis nec talem habet hæresim, neq; illam ipse protestatur, neque est verè infidelis; non potest dici ille actus moraliter loquendo esse actus infidelitatis. Quare cùm pœnæ sint restringendæ & intelligendæ, vt sonant; non incurritur tunc illa excommunicatio.

PVNCTVM

PVNCTVM TERTIVM.

Quomodo in variis casibus dignoscendum sit, an Idololatria committatur.

Ad art. 1. D. Thomæ.

VM ostenderimus p. 1. Idololatriam propriè non aliud esse, quàm *tribuere diuinum honorem Creaturæ sicut Deo*; duo necesse est concurrant, vt Idololatriæ crimen admittatur: Vnum est, vt quod *honoris* vel cultus creaturæ tribuitur, id vni Deo debitum sit: Alterum, vt hoc, quicquid est honoris diuini, ita verè impendatur Creaturæ, *sicut Deo* impendi oportebat. Itaq; vtroque istorum concurrente, verum Idololatriæ crimen erit; alterutro vel vtroque deficiente, non erit.

Ad hanc sententiam (quam p. 1. clarissimis Scripturæ & Patrũ testimoniis confirmauimus) velut ad generalem regulam, recurrendum est, quoties de particulari aliquo facto dubitatur, vtrum sit Idololatricum: Huc nos aduertarios posthea reuocabimus, cùm eorum arguemus impertitiam atque impudentiam, quòd sine ratione Ecclesiam Catholicam huius criminis accusant.

Sed vt huius regulæ facilis ac certus sit vsus, necesse est, duo præterea intelligi; *Primò*, vndenam iudicare oporteat, honorem aliquem esse *diuinum*: *Secundò*, vnde item, honorem eiusmodi *verè impendi* creaturæ, sicut Deo. Quæ duo (cùm rationem ipsam Idololatriæ contineãt) nisi dextrè discernantur, de Idololatria iudicari omnino non potest.

Et *primum illud* quidem, scilicet quid sit honor *diuinus*, & ex quibus quasi notis dignoscendus sit, explicauimus suprà in hac Disputatione, partim 1. partim 3. quæstione. Itaque superest, *vt secundum* nunc explicemus: Nempe quisnam verè censeri queat diuinum cultum conferre creaturæ tanquam Deo. Ac in primis quidem, cùm conferre alicui honorem, humana quædam actio sit; voluntate hoc in primis peragatur necesse est; non minus certè, quàm si pecunia, aut munus aliud cuipiam sit conferendum.

Hoc posito, breuiter dici potest, eum diuinos honores creaturæ conferre vt Deo, qui eam diuino cultu sic prosequitur, vt eo, *quantum in se est*, velit illi opinionem conciliare talem, qualis reuera in solam Dei Maiestatem competit. Itaque hæc ipsa voluntas & *intentio*, ex qua suprà quæst. 3. diximus vel maximè posse cognosci, cultum aliquem esse *diuinum*, semper quoque *aliquo modo* necessaria est, vt is ipse cultus creaturæ tribuatur, perinde ac Deo tribui solet.

Dico autem *aliquo modo* eam intentionem seu voluntatem ad id requiri. Nam quòd quis per cultum velit de creatura excitare opinionẽ, quæ Deo soli conueniat, id non vnico, sed multis potest modis accidere. *Primò* expressa atq; præsenti intentione; quæ summa est in hoc genere peruersitas. *Secundò* ex vi prioris intentionis tãtummodò, qua quis anteà statuisset, ea colendi ratione prosequi creaturam. *Tertiò* (vt ita dicam) implicitè, hoc ipso videlicet, quòd quis aut metu, aut aliorum consuetudine ductus, aliáue ratione obcæcatus, idipsum per creaturæ veneration nem generatim facere intenderet; quod intendat necesse est is, qui creaturæ diuinos honores reuera exhibere velit: aut si omnino ita extrinsecùs creaturæ diuinum cultum adhibeat, vt alij consideratis actionis circumstantiis, meritò existimare queant, ipsum velle diuinitatis opinionem conciliare creaturæ: nam tũc etiam saltem indirectè & *in causa* vult quis Creaturæ conciliare opinionem diuinam.

Atque hoc sanè posteriori modo, nimirum *tacitè siue implicitè* facilè potest euenire, vt etsi quis verum Deum agnoscat, vanitatemque Idololatricam probè intelligat: incautè tamen re ipsa admittat illam. Sic enim illis accidisse videtur, quos Apostolus Rom. 1. damnat, *quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, &c. Sed mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedũ, & serpentum.*

Sic Seneca quoque non tam veri Dei ignoratione, quàm populari consuetudine deceptus, Idololatra fuisse videtur; quod illa ipsius, apud Augustinum lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 6. sententia de Deorum religione declarat: *Ita*, inquit, *adorabimus, vt meminerimus, huiusmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere.* Et Lactantius quidem lib. 2. de origine erroris cap. 3. similem peruersitatem in Cicerone vituperat, quem inter cætera his verbis alloquitur: *Video te*, inquit, *terrena & manufacta venerari; vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos tu stultissimos confiteris.* Notauit etiam in Platonicis Augustinus non dissimilem insipientiam, libro decimo de Ciuitate, capite primo.

Porrò illud quoque hoc loco notare prodest, non solùm variis modis, vt dictũ est, posse quempiam de creatura per cultum excitare *velle* opinionem, quæ Deo soli conueniat: Sed etiam *opinionem* huiusce modi esse multiplicem. Sunt enim plurima, quæ de nullo alio, præterquàm de Deo, sentiri possunt. Proinde quidquid illorũ in creaturam competere, cultu atque veneratione eius protestari *velis*, Idololatriam committes.

Hinc facilè fieri olim potuit, vt etsi ex gentibus nonnulli quędam de Deo verè cognoscerẽt, eiusque propria esse protestarentur; at quædam alia tamen non minùs diuina, cæco errore creaturæ tribuerent, eique conuenire impio cultu significarent. Itaque vel ob id ipsum Ethnici deprehendũtur Idololatræ fuisse, quòd officiorum prouincias alias aliis creaturis distribuebant, vt Diis, qui supremam inter se habebant diuisam rerum prouidentiam. Vnde & Sapiens eorũ stul-

tam

tam superstitionem grauiter coarguit, qui *aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut Solem & Lunam,* RECTORES *orbis terrarum Deos putauerunt.* Sap.13.

His ita constitutis; quòd, vt diximus, creaturæ tanquam Deo conferre honorem diuinum, sit, *velle* (aliquo ex suprà dictis modo) illi per eum ipsum honorem conciliare existimationem aliquam præcellentem, quæ in solum Deum conueniat; sic demõstrare possumus: Honorem hoc ipso alicui personæ tribuimus, quòd efficimus, vt sit suus; eo modo certè, quo solemus honorem in bonis alicuius etiam numerare: Rursus honor aliquis, hoc ipso est alicuius, quòd, quantum ex se est, existimationem illi affert eam, quam iuxta genus seu conditionẽ suam excitare potest. Proinde eiusmodi existimationem alteri accedere, necesse est *velit* is, qui honorem illi tãquam munus quoddam donat. Consequenter, cùm Deo honorem diuinũ tribuimus, hoc sanè volumus, vt illa existimatio redundet ad Deum, quam honor ipse diuinus ex conditione sua parere potest, id est, quæ in diuinam maiestatem propriè conueniat: Ita fit, vt (quemadmodum diximus) tum verè aliquis diuinum honorem creaturę tribuat, sicut solet tribui Deo, cùm similiter vult inde ad creaturam redũdare existimationem, quæ competat Deo soli.

Itaque quòd Patres verissimè sentiunt, Idololatras Diuinitatis nomen atque illius honorificentiam creaturis dare; id sanè eam, quam diximus modò, sententiam habet subiectam; *velle* nimirum Idololatras aliquo ex suprà dictis modis Diuinitatis opinionem propriam creaturis per cultum conciliare. Hanc voluntatem si omnino quis neque explicitè, neque implicitè vllo modo habeat, veram Idololatriam non admittet. Quoniam non illi dabit diuinum honorem: si nullo modo vult id, quo ad creaturam is honor potuisset pertinere; videlicet vt ad illam opinio Diuinitatis propria redundet ex eo cultu.

Quod ipsum confirmare possumus exemplo. Nam quia (verbi gratia) is verus pecuniæ Dominus est, qui suo illam arbitratu licitè vsurpare potest; idcirco nemo alicui pecuniam donare censetur (etiamsi in manum illi eam imponat) nisi velit, ipsum pro arbitrio pecunia vti. Sic, quoniam (vt est dictum) honor non censetur esse alicuius, nisi qua ratione illi, *quantum est in se,* affert existimationem ipsi honoris generi congruentem; idcirco nisi quis aliqua ratione velit ex honore diuino diuinam existimationem creaturæ prouenire, minimè censeri debet, creaturæ diuinum honorem impertiri.

Hinc fit, vt in theatris nemo sapiens, Idololatras iudicet esse actores eos, qui vt Personæ decorum seruent, actorem alterum, velut Iouem implorant, ei supplicant, aliasque more gentium coram eo cærimonias exequuntur. Quia scilicet nulla ratione hoc faciũt animo conciliandi creaturæ eam existimationem, quæ in Deum tãtummodò conueniat: Quo ipso intelliguntur, diuinos honores minimè conferre in Creaturam.

Apparet itaque, per externam cærimoniam tantùm, si voluntas, tum expressa, tum *tacita,* omnibus modis supra dictis absit, creaturæ per cultum conciliandi existimationem soli Deo conuenientem: nunquam diuinos honores illi verè conferri, sic, vt committatur Idololatria: Tametsi alterius generis peccatũ ea ratione committi possit.

Neq; obstat quòd Doctores Idololatriam diuidunt in interiorem & *exteriorem.* Etenim Idolatria hæc exterior non intelligitur admitti, cùm voluntas *penitùs* abest excitandi de Creatura opinionem, quæ in Deum conueniat, adeoq; conferendi ei diuinos honores. Sed cùm veneratio creaturæ non procedit ab *infidelitate interiori,* qua Creatura putetur Deus; aut etiam ab *expressa & directa voluntate* conciliandi creaturæ diuinam existimationem, vti exponit S. Thomas (quem communiter in hoc Doctores alij sequuntur) artic.3.ad 1.& idem significat artic.2. præsertim argum.3.& nos suprà p.præced. declarauimus magis. Vbi illud etiam ostendimus, volũtatem conferendi Creaturæ diuinos honores minimè connexam necessariò esse cum eiusmodi infidelitate, qua Creatura putetur Deus.

Nũc satis sit illud, quod erat nobis initio propositum, exposuisse, nempe duo requiri, vt Idololatria committatur, scilicet vt & honor vsurpetur *diuinus* (quod dignoscendum est ex iis notis, quas quæst.3. explicuimus) & vt ille ita *verè deferatur Creatura* sicut Deo. Quod vnde sit dignoscendum, an fiat; iam exposuimus. Atque horum primum ad Idololatriæ *materiam* spectat; secundum verò ad actum, quo illa propriè continetur. Hæc duo, quàm non possint euincere aduersarij in vllo Ecclesiæ Catholicæ cultu coniuncta esse, planum faciemus punctis sequentibus.

PVNCTVM QVARTVM.

Nullam esse Idololatriam in cultu sacræ Eucharistiæ.

Ad art.1. D.Thomæ.

SECTARIIS, qui vsitatam in Ecclesia sacrę Eucharistię adorationem, Idolatricã censent, possumus primùm opponere veterum Patrum sententias, ex quibus est perspicuum, antiquissimam in Ecclesia consuetudinem obtinuisse, vt Eucharistia adoraretur: proindeque illius cultum non esse crassam Artolatriam, vt ait Herbrandus; sed crassissimũ esse potiùs ipsius mendacium, quòd impudenter audet iactare, recens hoc esse institutũ. Qua de re testimonium nobis præbet Gregorius Naziãzenus in Oratione de laudibus Gorgoniæ Sororis: Cyrillus Hierosolymitanus cate-

Mysta.

Mysta.5. Augustinus epist.120. ad Honoratum; & in Psalm.21. quibus locis hùc illud refert: *Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ.* Ambrosius lib.3.de Spiritu sancto, ca.12. Chrysostomus hom.24.in 1.epist.ad Corint. & alij plurimi. Cæterùm quoniam adeò sunt Sectarij perfrictæ frontis, vt etiam vniuersam Ecclesiam, quæ vnquam fuit, Idololatriæ damnare, nihil vereãtur; alia ratione impudentem eorum calumniam refellemus.

Constituimus p.præced.duo esse omnino, sine quibus Idololatriæ ratio cõsistere non possit: Vnum est, vt cultus, qui vsurpatur, sit *diuinus:* Alterum, vt *verè* ille tribuatur creaturæ, sicut solet Deo. Cultum nos vsurpare diuinum, cum Eucharistiam adoramus, non inficiamur: Illum creaturæ sicut Deo nos dare, negamus.

Non enim de substantia panis (quam nullam in Sacramento agnoscimus) nec de ipsis accidentibus *per se* (vt quæ creaturæ sunt) de Christo vero DEO, sub illis contento, existimationem volumus excitare, diuinæ maiestati conuenientem. Proinde (iuxta illa, quæ sunt à nobis superius disputata) veneratione Eucharistiæ ad Christum ipsum, non ad creaturam vllam, cultum referimus diuinum.

Sed dicent Caluinistæ, falsò poni, quòd Christus Dominus in Sacramento adsit præsens; donum enim Christi, non Christum ipsum Sacramento contineri, proinde Idololatras nos esse, quòd donum (vt ait Caluinus lib.4.instit. ca.17.) pro ipso Datore veneremur. At isti nunquam demonstrare poterunt, Datorem hîc nõ esse etiam donum ipsum, quod religiosè colimus.

Augustinus certè super Psalm. 33. Concione prima, cùm Christus discipulis panem porrigeret, dicens: *Hoc est corpus meum*; eum ait suis se manibus mirabiliter portauisse. Ita, cùm illud dederit discipulis, quod manibus tenebat; idem ipse profectò & dator & donum fuit; quod proinde adorare Idololatria esse minimè potest. Verùm non deflectam à præsenti instituto, præsertim cùm aliâs sæpè sit à nobis veritas præsentiæ Christi in Sacramento aduersus hos sacrilegos tam diuini mysterij derisores confirmata.

At sine Scriptura est (inquit Caluinus) hoc genus adorationis introductum. Primùm, hoc ad probandũ Idololatriã in ea veneratione inesse, nihil pertinet. Deinde, suprà disp.1.q.1.p.7. sæpè demonstratum est, nõ ideo aliquid esse reiiciendum, quòd in Scriptura non habeatur expressè. Neq; ego sanè existimo, aduersarios posse rationem omnem falsæ religionis, quam suis in Synagogis seruant, in Scripturis expressam ostendere.

Præterea respondemus, Scriptura nos inprimis, vt Eucharistiam veneremur, admoneri. Illis nimirum locis omnibus, quibus Deum infinitum adorare iubemur. Nisi fortè Aduersarij dũbitant, Christum, quem adorare nos in Eucharistia profitemur, esse Deum. Mitto, ex Patribus non deesse, qui locum illum: *Adorate scabellum pedum eius*; ad huius Sacramenti cultum referant. Sic enim diuus Ambrosius lib. tertio de Spiritu sancto, capite duodecimo, & D. Augustinus super Psal.98.

At enim Scriptura (inquit quoque Caluinus) quoties Christi meminit, mentibus sursum erigi iubet, & ipsum in cœlo quærere sedentem in Patris dextra. Quid tum? Nunquid idcirco vetat adorare illum in alio loco? Quid? cùm iubentur ciues Regem in suæ Maiestatis solio sedentem venerari, an propterea in cubiculo, in foro, in aliis locis, suo est ille honore priuandus? Dicet Caluinus: Non est Christus in Sacramento. Videt igitur, nisi huc se recipiat, colorem per se habere nullum id, quod aduersus Eucharistiæ adorationem peculiariter vrgebat, iuberi nos Christum adorare ad dextram Patris considentem. Sed quàm sit suum illud perfugium sacrilegum, iam antè diximus.

Obiiciunt porrò Lutherani (quod & Caluinus attigit) Eucharistiam, vt sumatur, non vt golatur, institutam esse; proinde vanum esse & Idololatricum, illam diuino cultu afficere. Refert hoc suorum argumentum Herbrandus in disputatione de noua religione, Thesi 43.& Caluinus idem insinuat lib.4.vbi suprà.

Respondemus; Neque Christus natus est præcipuè, vt adoraretur, sed vt redimeret genus humanum, Matth.7. Ioann. 9. Lucæ 23. Nihilominus à beata Virgine, & Magis, in stabulo; ab illuminato cœco, extra Synagogam; à latrone in cruce; ab aliis, aliis in locis religiosè est adoratus.

Sed & Pater æternus, quamuis alia præcipuè de causa (vt dictum est) filium suum miserit in mundum: tamen cùm introduceret illum in orbem terrarum, ad Angelos quidem dixit (ait Apostolus ad Hebr. primo) *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Et sanè si Sectarij eos non honorant, qui ad se alia præcipuè de causa, quàm vt honorentur, veniunt; valde sunt crassi & inciuiles. Quòd si hos quoque honorant; cur non etiam Christum, tametsi alia de causa inprimis in Sacramento ille sese exhibeat? Nunquid Principem, cùm negotiorum causa potissimùm ad ciuitatem venit, nec honore dignabuntur, nec intra mœnia consistere patientur, vbi primùm negotia tractare (sicut est interdum necesse) intermittit? Minimè sanè arbitror.

Quæ est igitur hæc non impietas modò, sed etiam rusticitas, Christum redemptorèm nostrũ, quoniam vt nos spiritualiter pascat, in Sacramento se summa charitate sistit, ad pastum duntaxat illum more pecudum velle tractare; non suo illum in Sacramento honore dignari; non nisi dum sumitur, velle ibi agnoscere; non inuocare; non ad alios diuinos vsus, quorum ad pias mentes redundant fructus vberrimi, asser-

uare tantisper. Apage hominum stupiditissimorum impietas.

Insaniunt, inquit CYRILLVS in libro ad Calosyrium, *qui aiunt mysticam benedictionem non valere ad consecrationem, vt remaneant reliquiæ eius benedictionis ad alterum diem, &c.* Si manet Christus in Eucharistia post consecrationem, quæ insania est non illum ibi velle venerari. Verùm nos nunc de existentia Christi in hoc Sacramento citra illius vsum agere non constituimus: Tantùm hæc attingere voluimus, vt Lutheranorum insania circa huius Sacramenti cultum notaretur. Quæ sanè vel ex eo etiam magna est, quòd cùm in ipso saltem vsu fateantur Christum hoc Sacramento contineri, ne tunc quidem illum venerari volunt externo cultu diuino.

Sed opponet adhuc quispiã fortassis hoc modo: Eucharistia ipsa Christus non est, sed Christi potius Sacramentum, adeoque creatum quippiam: Catholici Eucharistiam cultu diuino *latriæ* adorare se profitentur: Adorant igitur aliquid creatum cultu latriæ.

Respondeo ad Minorem. Catholicos cum Eucharistiam adorant, non *per se* respicere ad id, quod in ea est quid creatum, sed ad id quod in ea est verus Deus: nempe ad Christum Dominum. Vt enim venerari hominem album & vestitum non est venerari ipsam *per se* albedinem aut vestes, sed hominem affectum albedine & vestibus contectum: sic Catholicos adorare Eucharistiam, est, nõ ipsas *per se* species Sacramenti (quamuis & ad illas *per accidens* hic cultus pertinet) sed Christum, illis mirabiliter contentum adorare. Ita nulla est hic Idololatria.

Hanc esse Ecclesiæ Catholicæ in huius Sacramenti cultu rationem, Concilij Triden. Patres apertè declarârũt sess. 13. can. 6. cùm ita inquiunt: *Si quis dixerit, IN sancto Eucharistiæ Sacramento CHRISTVM vnigenitum Dei filium non esse cultu Latriæ, etiam externo, adorandum; & eius adoratores esse Idololatras, anathema sit.* Quibus verbis exposuerunt, quo sensu accipiendum sit, quod antea capite 5. eiusdem sessionis ex orthodoxa sententia sic dixerant: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant*: nempe quatenus hic cultus *per se* exhibetur Christo vt in Sacramento continetur, & eo ipso *per accidens* redundat ad sacramentales species vt continentes eundem Christum, sicut dictum est. Qua de re dicemus quoque in quarto tomo Deo fauente.

PVNCTVM QVINTVM.

Nullam esse Idololatriam in cultu Sanctorum.

Ad art. 1. D. Thomæ.

QVOD Sectarij Catholicis obiiciunt Idololatriam propter Sanctorum cultum; minimè noua calumnia est, sed iam olim à S. Hieronymo refutata in hæretico Vigilantio, lib. aduersus eundem, ca. 3. atque etiam à S. Augustino in Fausto Manichæo, lib. 20. contra eundem Faustum, ca. 21. *Nobis*, inquit ibi AVGVSTINVS, *calumniatur Faustus, quòd Martyrum memorias honoramus: In hos dicens nos Idola conuertisse.* Et infrà: *Dixit nos vertisse Idola in Martyres, quos votis, inquit, similibus colitis.* Itaq; apparet, Sectarios hodie, cùm hoc idem planè Catholicis impudenter obiiciunt, non modò sententiam, sed etiã verba, à veteribus hæreticis esse mutuatos. Verùm hãc istorum improbissimam calumniam, non est difficile confutare ex iis, quę p. 1. & 3. sunt dicta.

Docuimus enim euidenter, Idololatriam cõmitti nullo modo posse, si vel alterutrum deesset è duob. quę necesse est, in illa coniungantur. Hoc est, si aut cultus, quem vsurpas, non est *diuinus*; aut certè si diuinus est, eum tamen non impertiris *creaturæ, vt Deo tribui solet.* Atquì à veneratione, qua Sanctos prosequũtur Catholici, non alterutrum istorum modò, sed planè vtrumque quàm longissimè abest.

Nam primũ quod ad CVLTVM ipsum Sanctis tributum attinet, ille certè eiusmodi est, vt neq; ex *natura* & conditione sua, neq; ex *lege* aut *cõsuetudine*, neque ex *mente*, qua Catholici Sanctos colunt (quas tres dignoscendi cultus diuini notas suprà q. 3. numerauimus) censeri possit diuinus. Id erit perspicuum, si expendamus singula, quæ ad Sanctorum honorẽ in Ecclēsia cõferri solent.

Sanctos enim omnino veneramur, cùm aut ab his, vt *apud Dominum* nobis suffragẽtur, petimus; aut ipsum etiam Deum oramus, vt illorũ quoq; *meritis* adductus, nobis, quod optamus, impertiat; aut in *illorum memoriam* templa extruimus, vel Sacra facimus, vel statis dieb. feriamur, quidpiã ue illis promittimus; aut illorũ sanctimoniã & excellentiam admiramur, vel prædicamus, vel etiam officiis aliquibus testamur, vt genuflexione, vt percussione pectoris, aliisq; huius generis actionibus externis.

Iã, quòd vt pro nobis Deo *supplicent*, exoramus eos, tantum abest, vt in diuinam Maiestatem sonet id munus, quod ab ipsis petimus, conueniat, vt nihil sanè magis ab illa dissideat. Nam vt habere aliquem se superiorem, sic etiam alteri tanquã superiori supplicare (quod vt Sancti faciant, volumus) res est, quæ à diuino numine longissimè abest: Itaq; genus hoc honoris, quod impendimus Sanctis (dum eorum intercessionem postulamus) cùm Deo non conueniat, diuinum esse non potest.

Simili ratione liquet, neque cultum illum esse diuinum, quem Sãctis tribuimus, hoc ipso, quòd Deum obsecramus, vt propter illorũ etiam *merita*, nobis opituletur. Ita enim, illos potius inferiores esse Deo, similiter profitemur: quandoquidem *merita* conseruorum nostrorum, nobis etiã apud communem omnium Dominum valere volumus.

Quòd verò *in Sanctorum memoriam* Catholici templa extruunt, & Sacra faciunt, & feriantur, & ipsis aliquid promittunt (Si, quidnam ex hoc ad Sanctos pertineat, diligenter inspicimus) nequaquam est cultus *diuinus*. Namq; (vt sæpè aliâs est Aduersariis responsum) & templa ipsa, & Sacra, & ferias, ad Deum tantummodò Catholici referunt; ad Sanctos verò non templa, nõ Sacrificia, non ferias; sed in templis, Sacrificiis, & feriis *peculiarem memoriam* & venerationem ipsis cõgruentem. Ita Augustinus de templis docet lib. 8. de ciuit. Dei, cap. 27. & de Sacris, lib. 20. contra Faustum, cap. 21. & eadem ratio de feriis est.

Idem est de promissionib. seu Votis, quæ Sanctis fieri dicuntur, existimandum. Illa nimirum, quatenus ad Religionem & diuinũ cultum pertinent, non referri *ad Sanctos*. Sed hoc honoris tantùm ipsis Catholici tribuunt (cùm promittere seu vouere ipsis dicuntur) quod Deo vouent ex illorum amore & reuerentia; tanquam sit illis etiam (vtpote Dei amicis) id obsequium diuini cultus placiturum. Item testes illos esse volunt obligationis, qua sese Deo obstringunt. Deniq; illorũ quasi auspiciis & intercessione freti, quod Deo promittunt, adimplere statuunt.

Quòd si quis fortè promittit quidpiam animo obligandi sese, non Deo immediatè, sed Sancto, vt excellenti creaturæ, cui promissum opus putatur gratum esse futurum; ne tunc quidem is ad honorandum Sanctum, diuinum cultum vsurpat. Non enim erit tunc ea promissio diuinæ Religionis actus, sicut neque est illa, qua, vt fit sæpè, homo homini sese obstringit: Sed erit potius virtutis alterius actio, nempe singularis obseruantiæ.

Postremò inter ea honoris officia, quę in Sanctos conferimus, numerabamus tum admirationem siue prædicationem illorum excellentiæ & dignitatis, tum etiam eiusdem protestationem per cærimonias externas, vt *genuflexionem*, percussionem pectoris, &c. Hæc & id genus alia *ex natura* & conditione sua, atque etiam ex vsu & consuetudine satis constat, ad honorandas quoque creaturas accommodata esse, & vsurpari etiam solere; vt D. Augustinus lib. 10. de ciuitat. Dei, cap. 4. rectè animaduertit. Proinde non possunt hæc officia ad diuinum cultum pertinere, nisi ex animo procedant, quo *velit* quis de re, quam per illa veneratur, excitare opinionem soli Deo conuenientem; nam & ex hac etiam parte, docuimus suprà q. 3. honorem aliquem effici proprium Religionis.

Iam verò quòd nos nequaquam *eo animo* ad Sanctos honorandos vsurpemus officia dicta; cũ controuersia hęc de animo ac voluntate interna sit, & *quæ sunt in homine, nemo nouerit melius, quàm spiritus hominis, qui in ipso est.* 1. Cor. 2. probare aliter aduersariis non possumus, quàm sincerè, vt facimus, id testando. Equidem magnam Sanctorum esse dignitatem, & apud Deum gratiam, facilè agnoscimus, ac honorificis erga illos officiis libenter protestamur; pro Diis autem illos nequaquam vel agnoscimus, vel honoramus, hoc est, non volumus ipsis opinionem diuina Maiestate dignam, per cultum conciliare.

Huic nostræ confessioni cùm contentiosi hæretici fidem adhibere nolunt, primùm facjunt pueriliter atq; stultè, cùm pleraq; officia ex his, quæ in Sanctos conferimus, sint eiusmodi, vt euidenter appareat, per illa potius nos protestari, Sanctos creaturas esse, quæ *Superiorem* habeant Deum, apud quem volumus illorum meritis ac precibus adiuuari. Deinde faciunt etiam inciuiliter ac superbè, quod velint de nostro animo magis ac verius cognoscere, quàm nos ipsi.

Porrò cùm hactenus ostenderimus, in veneratione Sanctorum minimè nos cultum vsurpare *diuinum*, sed duntaxat illum, qui præstantibus conuenit creaturis; consectarium est, neque illis nos *verè tribuere* cultum diuinum. Eum enim cultum ipsis impendimus, quem ad eos honorãdos vsurpamus, non alium.

Atq; est hoc vel inde etiam perspicuum, quod suprà docuimus, cultum diuinum, creaturis vt Deo non tribui, nisi quis velit per earum venerationem ipsis conciliare opinionem diuinitatis propriam. Hoc verò nos (vti paulò antè testati sumus) cùm Sanctos colimus, minimè agimus; tantùm illorum excellentiam, à creatura non alienam suspicimus.

Verissimum igitur illud est, quod huius puncti initio assumpsimus, in Sanctorum veneratione neutrum eorum, quæ in Idololatria necessariò concurrunt, reperiri, hoc est, nec cultum vsurpari diuinum, neque illum creaturis tribui. Quocirca vano æquè ac impio se labore fatigant Aduersarij, cùm pium hoc Ecclesię institutum velut Idololatriam insectantur, neque aliud efficiunt, quàm quòd produnt ignorantiam suam & simul maledicendi studium.

Est autem ex dictis consequens, actionem illam, qua Sanctis honorem damus, proximè non pertinere ad virtutem Religionis (sicut falsò Caluinus lib. 1. institut. cap. 12. Sect. 3. assumpsit) sed ad aliam longè diuersam, quæ species quædam obseruantiæ erga rationales creaturas sit. Quanquam non est negandum, quin ipsa virtute Religionis erga Deum, vt ad virtutum aliarum officia, sic etiam ad exhibendum Sanctis per obseruantiam dictam honorem, induci possimus.

Quæ doctrina est diui Augustini (quod ad rem ipsam attinet) lib.10.de ciuit.Dei,cap.1.& explicatur à D.Thoma 2.2.q.103.art.3.& 4.

Itaq; proximè quidem, per singularem obseruantię virtutę, non per religionem exhiberi Sanctis debitum honorem. Ratio est aperta: Nam actus proprius virtutis Religionis diuinam gloriam spectat proximè, hoc est, existimationem cōciliat diuinæ Maiestati conuenientem, & idcirco ad Deum tantummodo proximè pertinet: Actio verò, qua veneramur Sanctos, proximè & immediatè; pro scopo habet, non nisi eam (vt est dictum) existimationem, quæ in creaturam excellentem quadrat; quamque proinde illi, non religio proximè, sed peculiaris obseruantia conciliat.

Hoc discrimen inter vtrumq; cultum, Dei scilicet & Sanctorum, quod profectò longè maximum est, & admodum reale, indicare volunt Orthodoxi Doctores; cùm distinctionis gratia, cultum Dei, Latriam; Sanctorum verò, Duliam nominant. Ita D. Augustinus distinguit lib.10. de ciuitate Dei, cap.1. Qua sanè ratione illi, non differentiam verbalem tantùm assignant, vti Caluinus lib.1.Institut.cap.12. sect.2.& Herbrandus in Disputat. de precatione, Thesi 30. & deinceps, & alij Sectarij nugantur; sed eo diuerso loquendi modo differentiam illam realem, inter vtramq; colendi rationem significāt, quam exposuimus, iam esse maximam inter duas illas virtutes dictas, Religionem, nempe erga Deum, & peculiarem erga creaturas præstantes obseruantiam.

Ac longè nos verius possumus obiicere aduersariis, quod in verbis hærent pueriliter, sine re, sine iudicio: Cùm ex eo, quòd *Dulia* commune vocabulum quoque sit, ad significandum quemcunque cultum & seruitutem, adeoque etiam illam, quæ Deo debita est; colligunt, cultum Sanctorum, quoniam nos illum Duliam appellamus, diuinum esse, seruitutemque habere Deo debitam. Quasi verò nequeant interdum vno & eodem communi vocabulo res diuersissimæ significari.

Honor certè pari ratione vocabulum commune etiam est, quod proinde significat interdum cultum diuinum. Vt patet ex illo 1. ad Timotheum primo: *Soli Deo honor & gloria.* Neque tamen propterea cōcludendum est, filium, cùm quartum implet Decalogi præceptum, & debitum suo parenti tribuit *honorem*, diuinum ipsi cultum exhibere, adeoque Idololatram esse. Item *Seruitus* Latinè, perinde ac *Dulia* Græcè, vocabulum commune est ad significandam etiam seruitutem Deo debitam. Nam & rectè dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Deuter. 6. Neque tamen inde sequitur, non posse famulum hero suo seruire, quin seruitutem illi seruiat diuinam, adeoque committat Idololatriam.

Quòd si Latinis hisce vocabulis intelligunt Aduersarij, significari posse honorem & seruitutem, tum diuinam, tum etiam illam re ipsa longè diuersam, quæ sine Idololatria posit impendi Creaturis: Cur sunt tam crassi, vt non etiam idem capiant de Græco illo vocabulo Dulia; dato, quod ipsum quoque vim habeat ad significandum honorem, seruitutemq; Deo debitam?

Est illa etiam Caluini insignis vel hallucinatio, vel fraus, libro primo, capite duodecimo, vbi suprà, quòd ne per differentiam realem cultus Dei & Sanctorum, expedire se ab Idololatriæ crimine Catholici videantur; somniat, aliquid de honore diuino detrahi & transferri ad Sanctos, quamuis ipsis honor tribuatur, qui re ipsa non sit *in se diuinus*: hoc ipso, inquit, quòd *per religionem* illis eiusmodi honor, quicunque tandem sit, exhibetur.

Atq; hanc fuisse causam dicit, cur Angelus Apoc.19. prohibuerit Ioannem, ne se venerareturr: Tametsi Ioannes (inquit Caluinus) non fuerit tam amens, vt voluerit Angelo tribuere honorem Deo debitum. Ideo etiam ait, tentantem Diabolum à Christo Domino fuisse repulsum Matth.4. tametsi ille non petiuerit honorem Latriæ. Denique in eandem causam refert, quòd D. Petrus Actor.10. repudiauit honorem oblatum à Cornelio; tametsi hic, inquit, non voluerit illum venerari, vt Deum.

Hanc Caluini commentationem falso principio niti, ex his, quæ paulò superius dicta sunt, apparet. Exposuimus enim, quēadmodum honor Sanctis non *per* virtutem religionis proximè, vt hic Caluinus autumat, sed per aliā lōgè diuersam exhibeatur. Quanquam si maximè vnâ eademq; religionis virtute alium Deo, alium Sanctis honorem tribueremus; non equidem satis intelligo, quidnam idcirco de diuino honore detraheretur, vti fingit Caluinus. Vt enim absq; vlla diuinę Maiestatis iniuria, eadem virtute charitatis, & Deum diligimus, & suo etiam gradu proximum; sic potuisset vna & eadem virtus, citra vllam diuini numinis iniuriā, suum Deo honorem integrum reddere, & suum etiam Sanctis, aliisue rationabilibus creaturis.

Nunc verò cùm ne ita quidem res sese habeat, sed alia, vt diximus, virtus sit Religio, quæ Deo cultū affert; alia, singularis obseruantia, quę Sanctos honorat; omnino vanū est, quod Caluinus imaginatur, aliquid detrahi de diuino honore, & transferri ad Sanctos, etiamsi honore illi afficiātur reipsa minimè diuino. Acquè vanum & inauditum est prorsus, quod idem ait, propterea Ioannem ab Angelo, ne se adoraret, esse prohibitū, quia vellet illi honorem alium, quàm diuinum exhibere.

Aliter sanè Avgvstinvs explanans hunc locum, q.61. super Gen. *Nec moueat*, inquit, *quòd in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet, vt Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari; & ideo*

ideo fuerat corrigendus adorator. Hæc D. Augustin. Qui profectò causam reddit satis probabilē, cur (quicquid Caluinus fingat) potuerit Ioannes, citra vllam amētiam, velle diuinum honorem exhibere Angelo.

Ac similem quoq; honorem voluisse Corneliū Petro tribuere, illa eiusdem Petri verba, id, ne faceret, inhibentis, satis ostendunt: *Surge & ego ipse homo sum, etc.* Act.10. Similiter cùm Christus Dominus tentatori opponit sententiam illā: *Dominum Deū tuum adorabis, et illi soli seruies*, satis apparet, illum (quocūq; tādem honoris nomine vsus fuerit, cùm à Christo, vt adoraret se, petiit) honorem affectâsse diuinum. Inanis igitur Caluini phātasia est, committi posse idololatriam, ac de honore Dei detrahi, etiamsi Sanctis diuinus cultus non tribuatur.

Sed nunc, relicto Caluino, argumentum Herbrandi in disp. de inuocat. Sanctorum, Thesi 18. & 19. audiamus, quo is necessariò cōcludi putat, nos pro Diis habere Sanctos & colere; ac proinde, velimus nolimus, esse Idololatras. Verba illius sunt hæc: *Is qui dicit Deuter 6. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli seruies; etiam dicit Psalm. 49. Inuoca me in die tribulationis. Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Rom. 10. Unde necessariò*, inquit, *consequitur, Papistas non in solum vnum Deum, sed etiam in Sanctos, quos inuocant, credere: Et sic re vera innumeram eos sibi fabricari Deorum, Dearumq; turbam: Et hac ratione*, inquit, *non vno tantùm modo, sed dupliciter Idololatræ fient Papistæ secundùm Apostolum Paulum: Uno modo, quòd inuocant Dinos: Altero, quòd etiam pronunciat, eos credere in illos, quos inuocant.*

Sed quis præter cęcos istos non videt, manifestam esse in argumento fallaciam propter acceptionem diuersam verbi, Invocare? Deus enim inuocari se iubet, *vt summum Dominum*, cuius sit virtute propria ab omni tribulatione & ærumna liberare. Apostolus quoque cùm negat posse inuocari eum, *in quem non creditur*, de eodem inuocationis genere agit: Nam cū illam recitâsset ex Iohele sententiam: *Omnis, qui inuocat nomen Domini, saluus erit.* Iohel.2. cōtinuò subiecit: *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?*

Iam verò cùm nos *ea ratione* Sanctos minimè inuocemus; sed tantū ab iis petamus, vt pro nobis apud Deū, suum & nostrum Dominū, *intercedant*; non modò non necessariò (vt desipit Herbrandus) sed ne apparenter quidem sequitur, tribuere nos Sanctis, quod est Dei propriū, credereue in illos, cùm ipsos inuocamus. Quin potiùs sequitur omnino contrarium; quandoquidē (vt suprà explicuimus) eiusmodi inuocatione in primis protestamur, illos superiorē habere Deum, apud quem, suis precibus, vt nobis suffragentur, oramus.

Dicet, nos cū inuocamus Sanctos, non (sicut dicimus) preces eorum tantū, ac intercessionem petere; sed ab ipsis tāquam à Diis planè Ethnicorum more, sperare subsidiū, quasi habeant illi inter se (nostra sententia) procurationē aut prouidentiam variarum rerū distributam. Ita enim iste fingit in Disput. de noua religione, Thesi 27. & de inuocatione Sanctorum, Thesi 44. & alibi.

Responsum verò nostrum, vt breuissimum, sic etiam verissimum est, Herbrādum, cū ita de Catholicorum animo pronunciat, temerè ac improbè facere. Habent quidem Catholici singularem in eo deuotionē (euentu sæpè atque vtilitate diuinitus probatam) vt pro diuersis beneficiis à Deo impetrandis, diuersorum *intercessionem* Sanctorum implorent: Tametsi neq; ignorant, posse etiam illorum quemuis, quiduis à Domino obtinere, modò id expediat. Quòd verò à Sāctis ipsis, veluti à Diis sperent illi, quæ desiderant beneficia, fabula est Sectariorum.

At interdum precatiunculæ reperiuntur, quibus ita Sanctos exorant Catholici, vt ab his hoc aut illud sibi concedi petant. Nam & hoc isti obiiciūt. Ego verò ab istis, qui tanta diligentia hinc inde eiusmodi precandi formulas in obsoletis & corrosis voluminibus venantur, quæro, cur illis magis, quàm aliis mouentur, quæ sunt planiores & frequentiores apud Catholicos, & eū reddunt sensum, vt omnis omnino peruersi Sanctorū cultus suspicionē remoueant? Cur non etiam attendunt ad illam inuocandi Deum & Sanctos rationem disparem, quæ est in Litaniis: Pater de cœlis Deus: Fili redemptor mundi Deus: Spiritus sancte Deus: Sancta Trinitas, vnus Deus, *Miserere nobis*: Sancta Maria, &c. *Ora pro nobis.*

Sanè si quid candoris & probitatis in Aduersariis reliquum esset, ex hac communi & probata Ecclesiæ ad inuocandos Sanctos forma, alias, si quæ fortassis reperiuntur, obscuriores, bene fuissent interpretati; intellexissentq;, cùm Sancto dicitur: Fac, aut concede; sensum esse: Effice precib. & intercessione apud Deum tua. Sed quodnā sit istorum studiū, constat. Videlicet aliud agunt nihil, quàm vt quoquo modo & quacunq; demū conscientia possint inter suos aliquid aduersus Catholicos comminiscantur.

Quo in genere notabilis etiā illa est Herbrandi disputat. de precatione, Thesi 56. quòd negatur, Catholicos alia aliis Sanctis animalia velut Diis Ethnicorum more sacrificare. Ita enim calumniator interpretatur simplices ac pios fidelium animos, cùm interdum illi ob Sanctorum reuerentiam, beneficiorumque ab ipsis per intercessionem acceptorum memoriam, sunt munifici in Ecclesiarum ministros eiusmodi rerum oblationibus. Sed de Sanctis hactenus.

PVNCTVM SEXTVM.

Nullam esse Idololatriam in cultu sacrarũ imaginũ et Reliquiarũ.

Ad art. 1. D. Thomæ.

SVPEREST, vt illam quoq; Aduersariorũ calumniam depellamus, qua sanctarum imaginum & Reliquiarũ veneratione, Idololatricam faciunt. Quanquã est sanè iampridè in Ecclesia sic explicatus hic locus, in 7. Synodo generali, id est, Nicæna 2. vt mirum sit, sui non pudere istos, cũ aduersus Catholicos hac in causa repetunt veterum hæreticorũ, non dico argumenta, sed vt septima Synodus can. 9. ait, ludibria planè puerilia, quæ sunt iam olim luculẽter refutata. Sed quoniã illi pergunt esse inepti, & quæ in Scripturis aduersus gentiũ idola extant testimonia, ea contra imaginũ in Ecclesia vsum perinde iactant hodie cõfidenter, ac si nihil vnquam à Catholicis esset responsum; pertinet etiã ad institutũ nostrum breuiter ostendere, nullã esse in hoc genere Idololatriam. Ac distinctionis gratiã dicemus primò de Imaginibus, deinde de Reliquiis.

Igitur quod attinet ad imagines, quoniã hoc loco vel maximè cupio esse perspicuus, placet vti hac ratione: Idololatria tũc admittitur, cũ *diuinus* cultus vsurpatur, & *exhibetur* creaturæ eo modo, quo debet exhiberi Deo: Sed cũ imagines Catholici venerantur, nunquã coniungũt hæc duo; sic videlicet, vt & cultũ diuinum vsurpẽt, & illum, qua ratione Deo exhiberi debet, tribuãt creaturæ, hoc est, ipsis imaginib. *secundùm se*: nunquam igitur illi eiusmodi veneratione admittunt Idololatriam.

Huius rationis conclusio cũ sit plana, & prior quoq; propositio p. 3. declarata, & sæpius etiã in aliis repetita; illud est nunc solũ explicandum & confirmandũ, quod in propositione altera sumpsimus: Videlicet in veneratione imaginũ nunquam Catholicos illa duo coniungere, vt & diuinum vsurpent cultum, & illum tribuant creaturæ, sicut Deo.

Est autem hoc in veneratione imaginum Sanctorum, clarissimũ. Nam, vt ad Sanctos ipsos venerandos Catholici non vsurpant cultum diuinum: sic neq; ad eorum imagines honorandas. Has enim (vt statim patebit magis) venerantur illi *relatiuè*; eodem cultus genere, quo ipsos, quorum sunt imagines.

In veneratione porrò Christi imaginũ, adeoq; etiã Crucis; tametsi idem cultus, quo honoratur Christus ipse, hoc est, diuinus, vsurpetur: at nõ illum tamen eiusmodi imaginibus eadem ratione tribuimus, qua est ipsi Christo Deo ac Domino nostro tribuendus. Quo fit, vt hìc etiam desit alterum è duobus illis, quæ, vt assumpsimus, sunt ad Idololatriam omnino necessaria.

Intelligere namq; hoc loco inprimis oportet, generatim loquendo, ratione, qua honorare dicimur imagines, longè diuersissimam esse ab ea ratione, qua honoramus res alias, hoc est, Deũ, Sanctos, alios homines: Hos enim vt *absolutè*, secundũ seipsos, sine relatione ad aliud, consideramus: sic etiã honorare dicimur, quatenus per honoris officiũ de ipsis excitare volumus (iuxta dicta p. 3.) opinionẽ eam, quæ in cuiusq; excellentiã cõueniat: Imagines verò, quemadmodũ *ad aliud* quidpiam cogitatione referimus; sic eatenus honorare dicimur, quatenus coram illis actionem aliquam exercemus honorificã, per quam excitare volumus opinionem excellẽtem, de iis prototypis, ad quæ ipsæ referuntur, quorumque *loco & vice* sunt quodammodo.

Ex quo intelligitur, verissimũ illud esse, quod affirmari solet, eodẽ officij atq; honoris genere, eodẽ animi motu, hoc est, eadem voluntate excitandi opinionẽ excellentem, honorari prototypum ipsum eiusq; imaginem. Hoc licet colligere ex B. Cyrillo Alex. lib. 5. dialog. de Trinitat. paulò post initium, vbi docet, exemplar, & rem repræsentatam, esse pro eodem reputanda. Et ex Basilio lib. de Spiritu S. ad Amphiloch. c. 18. & ex Adriano I. in epist. ad Constanti. & Irenẽ. & ex Damasceno passim in trib. libellis de Imaginib. præsertim lib. 3. paulo post mediũ: vbi in hanc sententiã citat aliud quoddã Cyrilli Alex. apertum testimonium. Hoc, inquam, verissimũ est. Nam imaginem (vt diximus) honorare, est, coram ipsa tanquã prototypi secundùm repræsentationem *vicaria*, velle de prototypo cõmouere excellentẽ opinionem. Itaq; idẽ venerationis motus ad vtrumq; spectat, sed tamen diuersa ratione. Nam ad prototypum pertinet, vt illi *secundùm se* existimationẽ conciliat: ad imaginem aũt, vt *coram* ipsa, & *in ipsa*, tanquam *in vicaria*, existimatio eiusmodi conciliatur prototypo, perinde ac si illud esset præsens sicut imago ipsa.

Itaq; cùm dicimur per officiũ aliquod & animi motũ *exhibere* honorẽ prototypo, illud huic orationi subest; simpliciter velle nos ipsius prototypi præstantiam profiteri, adeoq; per id officium excitare de illo opinionem excellentem: Cùm aũt per idem officium & motũ animi verè etiam dicimur honorẽ quoq; exhibere imagini, verbo illi. *Exhibere*, hoc subest; nos prototypum *ex* imagine cogitãtes, *coram ipsa*, actionẽ honorificam, perinde ac si prototypum similiter esset præsens, exercẽtes, velle prototypi excellentiam protestari, adeoque de ipso excitare opinionem excellentem, vt est quodammodo (nimirum *relatiuè*) in sua imagine.

Etenim siue de imagine cõsideres, quòd ex auro, aut ligno, aliaue materia constet, siue quòd sit figura atq; colorib. distincta; siue quiduis aliud, quod in imaginem verè conueniat; semper reperies, illam, vt istarum considerationum omnium obiectum est, rem esse eiusmodi, in quam minimè competat excellentia illa ac dignitas prototypi

typi, quam veneratione imaginis, atq; adeò prototypi in sui imagine, protestaris. Quapropter venerationis motum, qui est ad prototypum, ad imaginem quoque pertinere, vt diximus, est: sic prototypum coram illius imagine, velut ipsius secundùm repræsentationem vicaria, honorari, ac si illud perinde præsens adesset.

Hoc est planè, quod Orthodoxi Doctores volunt, cũ dicunt, imagines non nisi *relatiuè* honorari; &, honorem, qui datur ipsis, *ad prototypum referri*; & non ipsas *secũdùm se*, sine relatione ad prototypum, sed *per ipsas*, ac *in ipsis*, honore affici rem repræsentatã. Ac perspicuè hoc ipsum declarant septimæ Synodi Patres, cùm in Actione 3. ita inquiunt: *Imagines colimus, non in materia, aut in coloribus honorem cõstituentes, sed per hoc, officium nostrũ, quod ipsis, quorũ typum imagines gestant, debemus, impertientes. Cùm sciamus, secundùm Basilij Magni sententiam, quòd imagini honor exhibitus, ad ipsum prototypum referatur.* Atq; hoc ipsum postea Actio. 4. c. 5. aliquoties illi repetunt, & sanctorum Patrum etiam auctoritate confirmant.

Sed & Concilij Triden. Patres sess. 25. ea ratione prorsus, qua diximus, exponũt honorem *imaginibus exhiberi*. Nam postquam statuunt, venerationẽ illis esse impertiendã, subiiciunt: *Non quòd credatur inesse aliqua in iis diuinitas, vel virtus, &c. sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, ita, vt per imagines*, inquiunt, *quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur.*

Dicet fortè aliquis: Si venerari imaginem, est prototypũ ipsum venerari: igitur honor nequaquã imagini exhibetur, nec verè dicitur ipsa honorari; sed prototypum tantummodo coram illa. Respondemus, minimè inde sequi, quod non etiam honoretur verè ipsa imago (nam ipsa quoque eo ipso verissimè honoratur *suo modo*, scilicet *relatiuè*) sed solùm inde sequitur, quod antea docuimus, videlicet non *eadem ratione* nos honorare imaginem, qua ipsum prototypum, in quo vno animum figimus, cuius præstantiam ac dignitatẽ veneratione protestamur: At honoratur verè imago nihilominus *modo suo*, eo videlicet, quo honorari censentur eæ res, quæ non nisi propter aliud honorantur.

Quapropter non solũ hæretici errant, qui venerationem imaginum insectãtur, sed etiam illi minus circumspectè loquuntur, qui etsi probent Ecclesiæ vsum in venerandis imaginibus, negant tamen *ipsas propriè* honorari, vt Durandus lib. 3. Sentent. d. 9. q. 2. Neq; his suffragatur modus loquendi Patrum. Nam cùm Patres interdum dicunt, non ipsas imagines, sed res, quas repræsentant, honore affici; sicut Leontius vbi suprà, & Adrianus I. in epist. ad Constant. & Irenẽ. ex sua & aliorum sententia; tantùm docent, nõ honorari ipsas *ea ratione*, qua prototypum. Sed non negant tamen, eas honorari verè *suo modo*.

Quæ res aliquot exẽplis illustrari potest. Nam qui Regis legatum loco Regis honorant; etsi honorem omnẽ regium legato, vt legato Regis exhibitum, referant ad ipsum Regem; at verissimè tamen dicuntur censenturq; legatum ipsum honore regio afficere: propterea, quòd non secus honore Rex coram legato est habitus, ac si ipse præsens, quemadmodum legatus, adfuisset. Pari ratione, qui Principis literas hoc ipso, quòd Principis sunt, honoris causa osculantur, verè honorare illas dicuntur; tametsi hoc totum, quicquid est cerimoniæ, ad Principem ipsum pertineat. Sic etiam cùm librum sacrum reuerẽter tractamus, non ad ipsum codicẽ, sed ad cœlestem doctrinam in eo expressam attendimus: Et tamẽ eo ipso reuereri librum verè dicimur.

Eadem igitur ratione, quoniam imagines nos ad aliud similiter referimus; idcirco etsi nõ eas *ita* honoremus, *vt* prototypa, ad quæ illæ pertinent, sic videlicet, vt in ipsis sistamus, at honorare illas tamen verè censemur *alia ratione*, dum videlicet prototypum coram ipsis, & vt est relatiuè *in ipsis*, non secus, ac si præsens adesset, veneramur.

Ex quo intelligitur, quid causæ sit, cur Patres aliqui, quando sacrarum imaginum vsum aduersus eos hæreticos defendunt, qui iam olim, vt Idololatricum, illum impiè reiecerunt, modò affirment, modò negent, imagines honorari; idq; interdum in eodem sermone. Negant videlicet honorari illas ea ratione, qua prototypum; diuersa concedunt.

Sic accipiendum est illud LEONTII Episcopi Neapoleos Cypri, aduersus Iudæos, imaginũ causam agens lib. 5. Apologię pro Christianis contra Iudæos, vt refertur in 7. Synodo, actione 4. *Sicut tu*, inquit, *adoras librum legis, nõ naturam membranarum aut atramenti adorans, sed verba Dei, quæ in illo continentur: Sic & ego imaginem Christi adorans, non lignorum aut colorum naturam adoro, absit: sed inanimatum characterem Christi: hunc enim cum habeam*, PER *ipsum, Christum tenere & adorare mihi videor.* Sensus est: Non adoro quidem imaginem, sine respectu ad aliud, secundùm seipsam, quæ aliud non est, quàm colores, & lignum, & figura, &c. sic vt figam animum in ipsa: Sed adoro tamẽ ipsam imaginem seu *inanimatum characterem* CHRISTI, alia ratione; hoc ipso videlicet, quòd adoro in imagine *relatiuè* existẽtem ipsum Christum, quem per imaginem repræsentatum tenere & adorare coram præsentem mihi videor.

Huc etiam illud eiusdem Leontij elegans exemplum spectat: *Quemadmodum Iacob*, inquit, *accipiens à filiis suis vestem, sanguine conspersam Ioseph, cum lachrymis eam osculatus est* (ita enim Leontius probabiliter suspicatur) *suisque oculis circumposuit, non ipsam vestẽ diligendo aut honorando hoc fecit, sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari et habere in manibus: Sic et Christiani omnes imaginem Christi, aut Apostoli, aut Martyris in manib. tenentes, nostræq;*

carne oſculantes, animo videmur nobis ipſum Chriſtum aut Martyrem amplecti.

Sic quoq; accipiendum eſt, quod Epiphanius pro ſeptima Synodo, ſicut videre eſt actione 6. eiuſdem Concilij, tom. 4. in hunc modum inquit: *Cognouimus, Deum eſſe Spiritum, et qui adorant eum, in ſpiritu & veritate id facere debere, et quæ ſecundũ fidem eſt, adorationem & cultum, illi* SOLI *(vtpote omnium Deo in Trinitate laudato) offerendum. Non enim Chriſtiani adorationem in ſpiritu & veritate imaginibus exhibuerunt, neq; etiam diuinæ Crucis effigiei, &c. Nam cùm diuinam Crucis effigiem et venerandas imagines amore & deſiderio complectimur, ad ipſum prototypum reſpicimus.*

Quo ſanè loco Epiphanius non negat, in veneratione imaginum Chriſti *diuinum* vſurpari cultum. (Negaret enim tunc, quod paſsim in eadem Synodo inculcatur, *eundem illum honorem*, qui imaginibus Chriſti datur, ad Chriſtum ipſum referri; quem proinde honorem, conſtat eſſe *diuinum*) Sed tantùm negat, dari illum *ea ratione* imaginib. *qua* datur Chriſto, ſcilicet vt per illum *ipſius* imaginis dignitatem, quaſi ea diuina ſit, proteſtemur.

Ac eundẽ omnino habet ſenſum, quod Taraſius Patriarcha Conſtantinopol. in eadem Synodo, actione 2. ſub finem, ex ſua & aliorũ Patrum ſententia, Legatis Põtificis Adriani, huius nominis primi, ita reſpondit: *Nos Patrum præceptis imbuti, ſic confeſſi ſumus & confitemur, concordamus, & vim literarum lectarum* (Adriani Papæ pro imaginibus) *confirmamus, & imaginum picturas ſecundum priſcam Patrum traditionem recipimus, & has deſiderio noſtro adoramus: vt in nomine Chriſti Dei noſtri, & intemeratæ Deiparæ Virginis, ſanctorum Angelorum, & omnium Sanctorum factas. Sed apertis*, inquit, *verbis teſtamur, nos duntaxat in vnum Deum verum, Latriã, hoc eſt, cultũ et fidem noſtram referre et reponere.*

Declarat ille nimirũ his poſtremis verbis, quomodo Latria, etſi in Chriſti imaginũ veneratione vſurpetur (neq; enim hoc negare intendit) at nũquam in imaginibus ipſis defigatur, ſed ad ipſum pertineat Chriſtum, verum Deum.

Quibus ita poſitis, nihil facilius eſt, quã docere, Catholicos ſic honorare imagines, vt minimè tamen creaturæ adhibeant diuinum honorem, ſicut Deo. Venerantur illi tum Chriſti, tum Sanctorum imagines. In cultu Chriſti imaginum, atque adeò etiam Crucis, honorem quidem vſurpant *diuinum*, ſed non illum imaginibus ipſis deferunt, ſicut Chriſto Deo ac Domino noſtro. Quod ex doctrina hactenus tradita, eſt perſpicuum. Nam ad Chriſtum is honor pertinet, quatenus illi conciliat exiſtimationem Deo ſoli debitam; ad imagines verò, vt *coram* illis, & *in* illis eiuſmodi exiſtimatio conciliatur Chriſto. Quæ duæ rationes adhibendi honorem diuinũ Chriſto vero Deo, & eius imaginibus, cùm longè diuerſiſsimæ ſint; luce clarius eſt, hoc imaginum cultu nõ exhiberi cultum diuinũ creaturæ, nempe imagini, *ſicut* Deo, proindeque rationem Idololatriæ, quæ in eo, vt ſuprà diſputauimus, conſiſtit, nequaquam hîc cerni; ſicut etiam planè docetur in ſeptima Synodo, actione 2. & 6. alia & alia ratione coli Chriſtum & ipſius effigiem, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Iam verò cùm Catholici venerantur imagines Sanctorum, ne vſurpant quidem honorem *diuinum*, tãtum abeſt, vt illum imaginibus eiuſmodi tribuant, ſicut Deo. Quia enim iuxta ſuperius dicta, eas venerantur *relatiuè*; eodem genere honoris illas afficiũt, quo proſequuntur Sanctos. Sanctis aũt honorem diuinum minimè deferri, ſuprà demonſtrauimus. Quocirca planum eſt, à Catholicis nullam in cultu imaginum, vel Chriſti, vel Sanctorum, Idololatriam admitti.

At contrà obiiciunt PRIMO Sectarij illud Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo, & quæ in terra deorſum, & eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neque coles.* Ac iterùm: *Non facies tibi idolum, &c.* Leuitici 26. Et: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, et coluerunt, & ſeruierunt magis creaturæ, quàm creatori.* Rom. 1.

RESPONSVM verò à Catholicis ſæpe eſt (quod hactenus ab hæreticis nullis refutari potuit) his & ſimilibus Scripturæ locis, earum dũtaxat imaginum cultum prohiberi ac reiici, quæ aut *per ſe* ipſæ diuinis afficiantur honoribus, aut per quas creaturæ aliæ, tanquam Dij, colantur. Quare cùm demonſtrauerimus, Catholicos neutrum iſtorum venerandis imaginibus committere; nó ad illos eiuſmodi Scripturarum loca pertinent, ſed ad Idololatras gentiles, quos ſuprà commemorauimus, vtroque modo impiè fuiſſe ſimulachris abuſos.

Et ad eoſdẽ etiam ſpectat planè, quod D. Auguſtinus diſputat ſuper Pſalmum 113. concion. 2. æquè impios & Idololatras fuiſſe eos, qui diuinũ cultum imaginibus ipſis ſecundùm ſe, aut ob inhabitantem dæmonem, tribuebant, & qui eum cultum per ſimulachra referebant ad creaturas eas, quas falsò arbitrabantur eſſe Deos. Itaque mirum eſt, tam perfrictæ frontis fuiſſe Caluinum lib. 1. inſtit. cap. 11. Section. 9. & qui ab hoc non pauca mutuari videtur, Herbrandum in Diſputatione de precatione, Theſi 75. quòd non ſunt veriti hunc Auguſtini locum nobis opponere; quaſi nos, cùm imaginum cultum ad prototypum referimus, omnino faciamus idem, quod illi Idololatræ, aduerſus quos hîc agit Auguſtinus.

Diſcrimen inter nos & illos eſt longè maximũ. Primò quoniã non aliũ illi cultum in adoratione vllarũ imaginum vſurpabant, niſi diuinũ: Nos cũ imagines veneramur Sanctorũ, cultu vtimur nõ diuino, ſed eo, qui cõpetit præſtantib. creaturis; Eoq; tum longius ab Idololatria diſtamus. Deinde illi cultũ *diuinum*, quem vſurpabant, tamen ſi

non

nõ referrent ad ipſam imaginẽ *ſecundùm ſe*; at referebant tamen ad aliam *creaturam* per imaginẽ repræſentatam, videlicet ad terram, vel ad mare, vel ad ignem, vel ad aërem, &c. ſicut illic apertè narrat Auguſtinus (quod iſti malitioſè more ſuo, ac fraudulenter tacuerunt) Nos verò cùm in veneratione aliquarum imaginum, nempe Chriſti, diuino vtimur cultu, nõ ad creaturam aliquam, ſed ad Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum eiuſmodi cultum referimus. Ita, nihil omnino ad nos pertinet ille locus Auguſtini.

SECVNDO obiicit Caluinus lib. 1. cap. 11. fuiſſe olim aliquos Idololatras ob id etiã ſolùm, quòd fuerint per *viſibile* ſignum, venerati Deum ipſum verum. Itaq; etſi nos affirmemus, cultum Chriſti imaginum ad ipſum Deum, hoc eſt, Chriſtum referri, nihilominus vult nos Idololatras haberi. *Siue Deum* (inquit ſection. 9. illius capitis) *ſiue creaturam tibi in ſimulachro repræſentes, vbi veneratione aliqua proſterneris, ſuperſtitione aliqua faſcinatus es.* Et paulo pòſt: *Neq; intereſt*, ait, *idolumne ſimpliciter homines colant, an Deum in idolo; hæc ſemper Idololatria eſt, cùm idolo qualicunq; colore exhibentur diuini honores.* Deniq; Catholicorum excuſationẽ reiiciens, ſic dicit: *Non vocamus, inquiunt, idola noſtros Deos: Neque Iudæi aut gentiles olim vocabant; & tamen Prophetæ paſsim illis fornicationem cum ligno, aut lapide exprobrare non deſinebant. Tantùm propter ea, quæ quotidie ab his fiunt, qui Chriſtiani haberi volunt; nempe quòd Deum in ligno aut lapide carnaliter venerabantur.*

RESPONDEO *primùm*, Idololatriã veram neq; fuiſſe vnquã, nec eſſe poſſe, niſi cùm *diuinus cultus Deo ſubtrahitur, & in creaturã ſic confertur, vt debet cõferri Deo*, ſatis eſt à nobis ſuprà declaratum. Ita, quod Caluinus ait, Idololatriam etiam eſſe, conferre diuinũ cultum, non ſolũ imagini ſecũdùm ſe, ſed etiam ipſi Deo, per imaginẽ repræſentato, vanum eſt, & perinde abſurdũ, ac ſi quis diceret, eſſe iniuſtitiam, reddere alicui, quod eſt ſuum. Nam vt hoc potius iuſtitia eſt: ſic reddere Deo diuinum cultum, eſt vera Religio, quæ abeſt ſemper longiſsimè ab Idololatria.

Deinde ſi eo ipſo Idololatræ ſumus, quòd Deo *per creaturam repræſentato*, cultũ tribuimus; nemo vnquam Deum adorare potuit, vel poterit ſine ſcelere Idololatriæ. Oportet enim illum per notitiam, quã intellectus de ipſo format, repræſentari nobis atq; obiici, vt ipſũ animo veneremur. Quæ notitia, ſimilitudo quædam *creata*, & quaſi effigies Dei cogitati, eſt. Quòd ſi abſque Idololatria poſſumus venerari Deum, per hanc intellectus imaginem repræſentatum, cur non etiam per imagines alias?

Iam quod Caluinus præterea ait, neq; gentiles, neq; Iudæos olim vocauiſſe idola ſuos Deos, ſed propterea tantùm fuiſſe reprehenſos, quòd Deum in imagine venerarentur; mendacium eſt, quod nullo negocio tũ ex Scriptura, tum ex veterum Patrum ſententia refelli poteſt. Scriptura quidem, cùm tam crebrò, tam accuratè deſcribit ſimulachrorũ imbecillitatem, indignitatemque, eorum inprimis ſtultitiã deridet atq; coarguit, qui diuinitatis aliquid ipſis tribuebant. Vt patet Sap. 13. & 14. Pſal. 113. Eſa. 41. & 44. Oſeæ. 8. 1. ad Cor. 8. & aliàs paſsim.

Et palam acclamârunt *vitulo* Iſraëlitæ: *Iſti ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Exod. 32. Prorſus vt magna ſit Caluini vel temeritas, vel ſtultitia, quòd ex his verbis colligit lib. 1. cap. 11. Section. 9. illos tum etiam verum adorauiſſe Deum, qui eos eduxerit de terra Aegypti: Solumque ob id fuiſſe Idololatras, quòd ipſum voluerint per ſignum *viſibile* venerari.

Phantaſia eſt hęc recens Caluini, veteribus inaudita omnino, qui magno conſenſu tradunt, Iſraëlitas tũc à religione vera, ad ſuperſtitionem defeciſſe Aegyptiorum, quos cõſtat habuiſſe pro Diis ipſa ſimulachra. Et Stephanus Actor. 7. eam hiſtoriam repetens, hoc ipſum eſt planè teſtatus: *Cui* (Moyſi) *noluerunt*, inquit, *obedire Patres noſtri, ſed repulerunt, & auerſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos.*

Atque huc illud pertinet, quod indignabũdus Dominus (eò quòd Regem illi ſibi perfidè poſtulaſſent) ad Samuelem inquit 1. Reg. 8. *Audi vocem populi huius; non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos: iuxta omnia opera ſua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vſque ad diem hanc; ſicut dereliquerunt me, & ſeruierunt Diis* ALIENIS, *&c.*

Hinc illa etiam apud Amos Prophetam exprobratio. *Nunquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſraël? Et portaſtis tabernaculum* MOLOCH *veſtro, & imaginem Idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis, &c.* Amos quinto. In quem locum diuus HIERONYMVS libro ſecundo Commentariorum, in eundem Prophetam: *Ex eo tempore*, inquit, *quo aurum in caput vituli transformârunt, dicentes: Hi ſunt Dij tui, &c. omnia, quæ fecerunt, non Deo* (audiant hoc Caluini aſſeclæ) *ſed idolis feciſſe monſtrantur.* Denique Dauid cùm memoraſſet, *feciſſe illos vitulum in Horeb, & adorâſſe ſculptile, & mutauiſſe gloriam Dei, in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*; continuò ſubiecit: *Et obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.* Pſalm. 106.

Ex quibus euidenter apparet, filios Iſraël, cùm in deſerto erexerunt vitulum, & dixerunt: *Hi ſunt Dij tui, &c.* nequaquam verum Deum per imaginem (vt Caluinus delirat) ſed vanum idolum veneratos eſſe. Perinde certè ac fecerũt poſtea, cùm Ieroboam Rex (quem apertè dicit Dominus feciſſe Deos *alienos* & conflatiles) iiſdem verbis vitulos duos, quos fecit aureos, coram multitudine compellauit. Item perinde ac etiam fecerũt, cũ ꝙ Moyſes propheticè de ipſis cecinit,

ſeu

seu luxit verius, opere compleuerunt: Scilicet cùm *dereliquerũt Deũ factorem suum, et recesserunt à Deo salutari suo, & prouocauerunt illum in Diis alienis, & immolauerunt Dæmoniis, & non Deo:* Deniq; *obliti sunt Domini Creatoris sui.* Deuter. 32.

Perspicuum igitur ex Scripturis est (quicquid somniet insanum Caluini caput) & gentiles plerosque, & Iudæos simulachra pro Diis habuisse. Sed & Patres quoq; passim contra eos disputant, qui tum creaturas alias, tum etiã simulachra sint venerati vt Deos. Cyprian. de vanitate Idolorũ. Tertullianus in Apologet. cap. 11. Lactantius lib. 1. de falsa religione, præsertim cap. 22. Augustinus in Psal. 113. & ser. 74. de tempore. Chrysostomus 56. in Gen. cùm irridet illud Laban: *Quare furatus es meos Deos?* Neq; vnquam Caluinianæ Idolatriæ, qua scilicet verus Deus per imaginem honoretur, meminerunt. Et Lucilius quidem, Poëta vetus, non perperam (vt est apud Lactantium lib. 1. instit. ca. 22.) eorum stultitiam, qui sculptilia Deos putauerunt, derisit his verbis:

Vt pueri infantes credunt signa omnia ahena
Viuere, & esse homines: Sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula pictorum, &c.

Quibus versib. sententiam quoq; suã subiunxit eleganter Lactantius: *Poëta quidem, ait, stultos homines infantibus comparauit; at ego multò imprudentiores esse dico: Illi enim simulachra homines putant esse; hi Deos: Illos ætas facit putare, quod non est; hos stultitia: Illi vtiq; breui desinunt falli; horum vanitas & durat, & semper crescit.*

Hoc testimonium cũ sit illustre, apparet peruersum esse Caluini studium, quòd vt Catholicis veteris Idololatriæ notam inurat, Ethnicos à vanitate & stultitia vendicare conatur, cũ somniat, simulachra olim illos pro Diis non habuisse, sed hoc fuisse Idololatras, quòd Deum verum in signis venerarentur.

Tertio obiicit Caluinus, quòd Avgvstinvs in Psal. 113. Conc. 2. sic ait: *Quis autem adorat, vel orat intuens simulachrum, qui non sic afficitur, vt ab eo se exaudiri putet.* Ex hoc vult Caluinus intelligi (sicut & Herbrandus in Disputatione de precatione, Thesi 77. qui & ipse auidè hoc Augustini dictum arripuit) nos reuera in ipsis simulachris, tanquam in Diis collocare spem, ac proinde esse Idololatras. Cuius & illud argumento esse Caluinus putat, quòd eiusdem Christi simulachra nõ omnia pari studio atque solennitate veneramur: Nam vno prætermisso, aliud interdum votiua peregrinatione honoramus.

Respondeo, cæcum hoc loco fuisse Caluinũ, quòd non viderit, sibi inprimis eã Augustini sententiam aduersari. Nam si is, qui intuens simulachrum adorat, pro Deo illud habet; falsò igitur Caluinus cõtendit, quod proximè refutauimus, gentiles olim (qui procul dubio intuentes simulachra adorabant) non habuisse pro Diis idola. Sed fortasis non laborat Caluinus, Augustinum A se habere contrarium, modò idem etiam nobis aduersetur. Atqui si locus diligenter cõsideretur, apparebit, Augustinum Caluino duntaxat, non nobis esse contrarium.

Neq; enim generatim ille vult, neminẽ omnino posse intuendo in simulachrũ, adorare, quin continuò habeat illud pro Deo (quã enim, obsecro, probabilitatẽ haberet ea sententia?) Sed cõtra illos tantũ agit Idololatras gentiles, qui sic simulachra venerabantur, vt *transmutauerint* (sicut ibi ait) *veritatem Dei in mendacium*, habẽtes pro Deo simulachra, & facto ipso ostendentes, ea se rebus illis anteponere, quas per ipsa significabãt: Nam, vt illic subiicit August. adorantes simulachrum B Solis vel Maris, tergũ ipsi Soli & Mari vertebant, intuitũ intendebant in simulachra: quasi maior esset in iis virtus, quæ similia hominum esse videbant, quàm in illis sensu & figura humana carentibus.

De huiusmodi ergo hominib. Augustinus loquens ait: *Quis autẽ* (istorũ hominum, subintelligo) *adorat vel orat intuens simulachrum, qui nõ sic afficitur, vt ab eo se exaudiri putet, &c.* Valet itaq;, vt dicebamus, sententia hęc August. contra Caluin. eò quòd probat, aliquos olim gẽtiles habuisse simulachra pro Diis (quod ille impudenter negat) cõtra nos verò minimè: quippe qui nõ ostendamus, pluris nos facere simulachra, quàm prototypum, vt ostendebant illi, quos ideo Augustinus C censet illa Deorum loco habuisse.

Iam verò quod singulari ratione alias imagines præ aliis habeamus in honore, argumentum est, non quòd, vt Caluinus nugatur, reputemus illas Deos; sed quòd certa experiẽtia nouerimus, singulariter quibusdam in locis, quasdamq; imagines venerantibus, solitum esse Deum præclara impertiri beneficia. Quò fideliũ videlicet pietas atq; deuotio ea ratione (quæ ad humanam conditionem est accommodatissima) crescat, & accendatur magis.

Qvarto obiicit Herbrandus in Disp. 1. de Idolol. concl. 138. quòd cũ imagines, vel Crux Dominica benedicitur in Ecclesia, orationes quædã adhibẽtur, quæ indicãt, Catholicos ab ipsa Cruce & imaginibus sperare salutem, Ethnicorum more, qui dicebant ligno, *Libera me, quia Deus* D *meus es tu*, Isai 44.

Respondeo, in Pontificali Romano, quod Herbrandus citat, eas ego hac de re orationes inueni, ex quibus euidenter apparet, non esse eam Ecclesiæ Catholicæ mentẽ. Quas orationes non erit abs re breuiter hoc loco commemorare, vt sint veluti antidotum earum, quas Herbrandus in Disputatione sua partim comminiscitur, partim peruersè interpretatur.

Igitur in benedictione Crucis, commemorata prius Christi passione, sic dicitur: *Te supplices exoramus, vt hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimique vexilli, quo precioso sanguine filij tui triumphasti, fidelium tuorum deuotione cõ-*

pactum

pactum erectumque est, tua cœlesti benedictione sanctificare digneris, vt omnibus hic genuflectentibus, Ac A *tvæ Maiestati svpplicantibvs, largior & cordis compunctio, & admissorum concedatur remissio; atque intercedente ipsa victoriosissima vnigeniti filij tui passione, & tibi placita postulare, & citius valeant postulata percipere. Da, quæsumus Clementissime Pater, in quo viuimus, mouemur, & sumus, vt quoties triumphum diuinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis deiecit, oculis intuemur, quotiesque mente recolimus, & contra hostem ipsum, fiduciam fortitudinis, & maiorem tibi deuotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ Maiestatis examine, cùm pauentibus elementis, cœlorumque tunc commotis virtutibus, signum* B *istud glorificum redemptionis nostræ apparuerit in cœlo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur. Per Dominvm nostrvm Iesvm Christvm Filivm tvvm, &c.* Item dicitur: *Sanctificetur istud lignum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & benedictio illius ligni, in quo sancta membra Saluatoris suspensa sunt, sit in isto ligno, vt orantes inclinantesque se propter Devm ante istam Crvcem, inueniant corporis & animæ sanitatem. Per eundem Dominum nostrum Iesvm Christvm, Amen.*

Hinc perspicuum est, cùm aliàs ipsa Crux appellatur *remedium & redemptio, &c.* locutiones has accipiendas esse *relatiuè*, vt scilicet intelligantur pertinere ad passionem & mortem Domini, signo Crucis repræsentatam. Item liquidò ex his constat, Catholicos non ipsi Cruci, quod ad rem attinet, supplicare, sed Deo, *coram illa*. Neque verò lignum Crucis, aut imaginem *sanctificari* vel *benedici*, hoc loco aliud est, quàm solennibus precationibus fusis ad Deum, destinari ad pium vsum fidelium, vt nimirum coram illis religiosè atque vtiliter Deo, propter merita Christi, supplicent: quod ex iisdem orationibus apparet.

Eadem omnino sinceritas in benedictione imaginum aliarum elucet. Nam beatissimæ Virginis imago hac oratione benedicitur: *Omnipotens sempiterne Deus, clementissima cuius dispensatione cuncta creantur ex nihilo, hanc imaginem* in honorem piissimæ Genitricis *Filij tui Domini nostri Iesu Christi, venerabiliter adaptatam, benedicere & sanctificare digneris; Et præsta,* misericordissime Pater, per invocationem Nominis tvi, atqve eivsdem vnigeniti Filii tvi Domini nostri Iesv Christi, quem pro salute generis humani, integritate virginis Mariæ seruata, incarnari voluisti, quatenus precibvs eivsdem sacratissimæ Virginis, quicunque eandem misericordiæ Reginam & gloriosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerit, de instantibus periculis eruatur, &c. per evndem Dominvm nostrvm Iesvm Christvm, &c.

Pro benedictione autem imaginum aliorum Sanctorum, hæc tantùm oratio communis ponitur: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines seu effigies sculpi aut pingi non reprobas, vt quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus & sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur, hanc, quæsumus, imaginem seu sculpturam* in honorem ac memoriam beati N. *Apostoli tui vel Martyris, vel Confessoris, aut Pontificis, aut Virginis, adaptatam, benedicere ac sanctificare digneris. Et præsta, vt quicunque* coram illa ipsvm gloriosissimvm Apostolvm *tuum, vel Martyrem, vel Confessorem, vel Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu à te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futuro. Per Dominvm nostrvm Iesvm Christvm Filivm, &c.*

Colligat ergo Herbrandus hinc sensum, ad quem accõmodare debeat aliarum orationum verba. Quanquam illa precatiuncula (quam ille refert Conc. 142.) ad Veronicam: *Nos perduc ad patriam ô felix figura ad videndam faciem, quæ est Christi pura, &c.* sicut & nonnullæ aliæ, apocrypha videtur. Posset autem & huius esse sensus, vt Christus, cuius beatum atque felicem vultum ea figura refert, fideles in hoc exilio peregrinantes, ad cœlestem aliquando patriam perducat, vt ipsius augustissimo conspectu, quo ne Angeli quidem satiari possunt, 1. Petri 1. perfruantur.

Nvnc reliquum est, vt similiter doceamus, non esse vllam Idololatriam in cultu sacrarum Reliqviarvm. Id autem demonstramus hunc in modum. Reliquias sacras duplici ratione venerari dicimur. *Primò*, quoniam ipsas per se reuerenter tractamus, & custodimus, & suspicimus, &c. eò quòd sanctorum hominum (qui viua membra Christi, & Spiritus sancti templum fuerunt) aut corpora sunt, aut corpora attigerunt, aut etiam extiterunt partes. *Secundò*, veneramur illas quoque *relatiuè*, eodem cultus genere, quo illos, quorum sunt reliquiæ; cùm videlicet reliquiis præsentibus, in illos animum intendimus, adeoque cultum coram reliquiis vsurpatum ad ipsos referimus.

Priori reliquias venerandi modo, cùm nihil omnino diuinum adhibeatur, satis constat, honorem diuinum creaturæ non tribui sicut Deo. Posteriori autem; cùm reliquias sacras *relatiuè* etiam, vt imagines (quamuis fundamentum relationis non idem penitus existat vtrobique) veneremur; non magis diuinum honorem creaturæ, sicut Deo deferimus, quàm cùm colimus imagines. Primùm enim vt honor, quo Sanctorum imagines veneramur, *diuinus* non est, sed ille idem, quo veneramur Sanctos ipsos: sic e-

tiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam neq; is, quo relatiuè veneramur eorundem reliquias.

Ad honorandum autem *relatiuè* lignum Crucis, cui Christus affixus est, & si quid aliud est reliquum, quod peculiari ratione ad Christum pertinuit; quamuis Latriam vsurpemus, non illam tamen ad ipsum lignum, similesue Christi reliquias *secundùm se*, sed ad Christum ipsum, verum Deum referimus, sicut illam etiam, quam in veneratione eiusdem Christi imaginum adhibemus. Itaque non ipsis per se reliquiis diuinitatis propriam opinionem conciliare volumus, sed Christo, ad quem illæ habent singularem relationem.

Cuius rei nos etiam admonuit diuus AMBROSIVS in oratione de obitu Theodosij Imperatoris, qui cum diceret, Helenam, *inuenta Crucem Dominica, adorauisse Christum* (vtique coram illa) *eamque crucem lenauisse in capite Regum, vt in Regibus adoraretur*: Item *clauos* Christi in honore habitos; illud ait tamen, *Helena non lignum vtique adorauit* (intelligè, secundùm se) *quia hic gentilis est error & vanitas impiorum, sed adorauit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo*; hoc est, ad Christum ipsum adorationem coram Cruce adhibitam retulit. Quòd igitur venerando in hunc modum relatiuè sacras reliquias, aut Christi, aut Sanctorum, minimè tribuamus creaturæ honorem diuinum, sicut Deo, iisdem prorsus rationibus euincitur, quibus suprà demonstratum est, minimè nos id facere colendis imaginibus.

At obiiciunt Sectarij, & nominatim Herbrandus, venerationem reliquiarum diuinis literis non præscribi. Item, Idololatriam veram non esse tantùm, vt nos dicimus, exhibere creaturæ diuinum honorem sicut Deo. Sed ad ista iam suprà satis superque responsum est. Quanquam nec Ioseph, Genesis quinquagesimo, neque Stephani corpus, Actorum octauo, tractari absque aliqua reuerentia sic potuit, vt Scriptura commemorat, quicquid tergiuersetur Herbrandus.

At, inquit, aliquot seculis communi matri terræ sunt commendata funera. Quasi verò nos sepultura priuandos esse defunctos contenderemus. Aliud est, recens mortuos non sepeliri; aliud, Sanctorum defunctorum corpora, aut reliquias, vel in sepulchris, vel in capsulis custoditas haberi in honore, coram ipsisque Sanctorum patrocinium singulari deuotione implorari. Quod pietatis genus non solùm auctoritate & vsu Ecclesiæ, sed etiam exemplis mirabilibus confirmatum est. Lege beatum Ambrosium epistola octogesima quinta ad Sororem, & beatum Augustinum libro vigesimo secundo de ciuitate Dei, capite octauo, & deinceps. Neque ad rem facit, quòd Augustinum & Chrysostomum Herbrandus refert, reprehendere eos, qui Euangelij verba è collo suspensa gestant. Quanquam non aliud volunt illi Patres, quàm quòd Dei verba *præcipuè* sint in corde circumferenda. Eanamque secum ferre ad memoriam & deuotionem excitandam; per se quidem minimè malum est, sicut infrà quæstione decima tertia trademus.

Quæ autem Sectarij præterea obiiciunt de adulterinis Reliquiis, quæ ex attactu verarum sanctificatæ sint; fabulæ sunt, ab Herbrando & similibus confictæ. Neque tamen nego, aliquos in hoc genere abusos ac fraudes etiam potuisse irrepere. Sed Ecclesia pium ipsum venerandi reliquias institutum per se probat, abusus non probat; quinimo diligenter cauet.

Qua de re vide Concilium Tridentinum, sess. 25.

QVAESTIO DVODECIMA.

De Diuinatione.

D. Thomas 2. 2. quæst. 95.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, IN QVO CONSISTAT diuinandi Superstitio. SECVNDO, Quot & quibus modis contingat. TERTIO, Vnde sit iudicandum in variis casibus, quòd aliquid ad superstitiosam diuinationem pertineat. QVARTO, Dato, quòd aliquid videatur esse superstitiosa diuinatio; vnde discernendum sit, vtrum sit mortale, vel veniale peccatum.

PVN-

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Diuinatio superstitiosa.

D. Thomas art. 1. & 2.

QVOD ad PRIMVM attinet, Diuinationis vocabulum, si tantummodò institutionem atq; vim eius spectemus, non solùm in malam, sed etiam in bonam partem accipi potest. Significat enim, vt tradit Cicero lib. 1. de Diuinatione, qualemcunque præsensionem & scientiam rerum futurarum, quam Græci *μαντικὴν* appellant. *Cui*, inquit, *præstantissimæ rei nomen nostri à Diuis, Græci, vt Plato interpretatur, à furore duxerunt.* Sed in sacris literis, atque adeo apud Scriptores Ecclesiasticos, Diuinatio *nunquam in bonam partem accipitur*, vt annotauit S. HIERONYMVS in cap. 3. Michææ, circa illud: *Audite hoc principes Iacob.*

Itaq; Diuinatio in proposito consistit in hoc, vt *quis sibi arroget cognitionem, quæ ad solum Deum pertineat, idq; indebitis modis, minimè à diuina prouidentia constitutis.* Porro cognitio, ad solum Deum pertinens, est cognitio *certa contingentium*; siue *futurorum*: Iuxta illud Esai. 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus, quòd Dij estis vos*: siue *præsentium, occultorum tamen*; cuiusmodi sunt *cogitationes & affectiones cordium*, & facta hominum *occulta*, etc. Iuxta illud 2. Paral. 6. *Tu solus nosti corda hominum.* Et alia, quæ ad hoc confirmandum adduximus tomo 1. q. 8. de Angelis, p. 3. & 4.

Qui huiusmodi rerum cognitionē vanis mediis aliunde quærit, quàm ex ipso Deo, duplici ratione conuincitur esse superstitiosus. PRIMO, quoniam in ignominiam Dei cedit, id quod ad solum Deum pertinet, atque adeo ex ipso solo quærendum esset, aliunde vanis inuentionibus procurare. SECVNDO, quoniam vt p. 2. dicetur, omnis vana occultorum inquisitio, nititur auxilio dæmonis, à quo nimirum quis erudiri vult, aut *tacitè* aut *expressè* illum inuocando. Quapropter illi tribuit diuinum cultum: quatenus, vt dictum est suprà q. 8. quærit ex ipso cognitionem occultorum, in casu, quo ea ex solo Deo potest expectari.

Vtramque rationem superstitionis in diuinatione attigit S. Thomas. Primam hìc art. 1. cùm inquit, diuinationem esse vsurpare cognitionem futurorum euentuum indebito modo. Secundam verò suprà q. 92. art. 2. vbi docuit, Diuinationem esse speciem superstitionis, qua diuinus cultus tribuitur Creaturæ.

Aduertendum est autem; quamuis hoc duplici nomine Diuinatio sit superstitio: tamen non ideo contineri in Diuinatione duo peccata superstitionis, sed vtraque ratio pertinet ad grauitatem eiusdem numero peccati superstitionis. Quāuis alioqui quælibet seorsim sufficiens fuisset ad cognoscendam superstitionē in Diuinatione.

Ex his patet, meritò Diuinationem prohibitam esse. Prohibetur autem Iure diuino. Deut. 18. *Non inueniatur in te, qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, auguria, &c. neque in pythones consulat, nec diuinos, &c.* Et Numer. 23. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israël.* Et Isai. 8. *Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem?* Et Eccles. 34. *Diuinatio erroris & auguria, mēdacia & somnia malefacientium, vanitas est.* Item prohibetur Iure Ecclesiastico 26. q. 5. per multa Capitula. Et non ita pridem à Sixto V. in Extrauaganti de hoc peculiari. Prohibetur etiam Iure Ciuili C. de maleficis, præsertim L. Nemo. De quo vide etiam quæ diximus tom. 1. disput. 2. q. 4. p. 4.

Docet autem rectè hìc Caietanus artic. 2. iure humano (saltē in foro conscientiæ) non esse prohibitam inquisitionem occultorum, nisi quatenus alioqui iure naturæ & diuino *vana* est, atque adeo superstitiosa. Vnde si aliqua inquisitio occultorum comperiatur non esse vana, sed *vtilis*; talis nō erit iure humano prohibita. Nulla enim, inquit bene Caietanus, diuinatio est mala, quia prohibita: sed contra, omnis est prohibita, quia mala. Quanquam alioqui moneat Ecclesia, vt à quauis inquisitione occultorum propter periculum superstitionis homines abstineant.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quotuplex sit Diuinatio.

D. Thomas art. 3. & seq.

QVOD ad SECVNDVM attinet, varia genera Diuinationis distingui possunt pro diuersitate mediorum, per quæ *vanè* quæratur cognitio occultorum. PRIMO enim diuiditur Diuinatio in Diuinationem, qua *expressè* dæmon inuocatur, vt doceat occulta: Et in eam, qua *tacitè* inuocatur; quod fit, quandocunq; *vanis & inutilibus* mediis procuratur occultorum cognitio. Nam vt diuus Thomas explicat art. 2. dæmon, ex peruersitate voluntatis suę & studio nocēdi hominibus, eosq; implicandi vanitate; cùm aduertit aliquē huiusmodi vanitatibus deditū, illico eis se immiscet, vt hominem doceat aliqua, quę ipse certius & facilius assequitur, & sic demum paulatim se insinuet, hominemq; irretiat, & maiora moliatur. Quare qui huiusmodi vanis inquisitionibus operam dat, eo ipso *tacitè* vult doceri à dæmone se his vanitatibus immiscente, vt qui prę sto est illis, qui respiciunt *ad vanitates & insanias falsas.* Sic enim ad hoc propositum interpretatur S. Thomas illum locum Dauidis Psal. 39.

Quæ doctrina non solū est D. Thomæ & aliorum Theologorum, sed etiam expresè S. AVGV-

STINI lib.2. de doctr. Christ.cap.22. in fine & 23. initio. Vbi contra diuinationes vanas disserens: *Istæ*, inquit, *opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta & conuenta referendæ sunt. Hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluptatum suarum, illudentibus eos atq; decipientibus Angelis: quibus ista pars mundi infima secundùm pulcherrimum ordinẽ rerum, diuinæ prouidentia lege subiecta est. Quibus illusionibus & deceptionib. euenit, vt istis superstitiosis & perniciosis diuinationum generibus multa præterita & futura dicantur, neq; aliter accidant quàm dicuntur, multaq; obseruantibus secundùm obseruationes eueniant, quibus implicati curiosiores fiant, & sese magis magisq; inserant multiplicib. laqueis perniciosissimi erroris.* Et addit, *ab hoc genere fornicationis animæ salubriter* deterrere Scripturam Deut.13. illis verbis: *Etiamsi euenerit quod loquutus est, etc. nõ audies verba Prophetæ illius aut somniatoris.*

Atq; hinc apparet, aliam quoq; esse in Diuinatione peculiarem rationem, propter quam coniuncitur esse illicita, videlicet *commercium* cum dæmone, *tacitũ* aut *expressum*; quod vt suprà q.10. disputauimus, ex genere suo est graue peccatum contra charitatem erga seipsum, & contra *Religionem*; siquidem vt ait AVGVSTINVS in dicto lib.2. de doctr. Christ.cap.23. Omnis *Societas dæmonum & hominum*, tanquam *pestifera fugienda est*. Et clarissimè Apostolus 1.Cor.10. *Nolo vos fieri sócios dæmoniorum*.

Vtrum autem propterea sint distinguenda in diuinatione duo peccata specie; quorũ alterum sit superstitio contra *Religionem*; alterum contra *charitatem* erga seipsum, Doctores nõ disputant; & videntur sanè distinguenda. Nam illud commercium cũ dæmone non solùm generali ratione est contra charitatem erga seipsum, sicut sunt omnia alia genera peccatorum, sed peculiariter quatenus agitur cũ *hoste salutis humanæ*. Sed quicquid sit de hoc; ad nostrũ propositũ satis est scire, Diuinationem multis nominibus esse illicitam.

SECVNDO quodlibet istorum duorum generum Diuinationis diuiditur in species varias. Ac Diuinationis quidem, in qua inest EXPRESSA inuocatio dæmonis, nouem sunt genera, pro diuersitate *signorum*, quibus solet dæmon eiusmodi superstitiosos homines docere. Prima dicitur PRÆSTIGIVM, cùm videlicet dæmon variis apparitionibus se obiicit hominum aspectui, quorum interdum oculos *præstringit*. Huiusmodi autem apparitiones quinque modis solent contingere, vt licet colligere ex Caietano hîc art.3. & ex Gabriele in 2.sent.d.8.q.2.art.2.

Primò enim solet aliquando dæmon obiicere sensibus vera corpora, vel occultè & celeriter aliunde importata; vel à se facta seu conflata per applicationem actiuorum & passiuorum naturalium. Ad quem modum intelligẽdum est fuisse veros serpentes, quos Magi Pharaonis Exod.7. fecerunt, vt sentit D. Augustinus lib.3. de Trinit. ca.7. & 8. & lib.83. qq.q.79. & D. Thomas q.7. de potentia art.5. ad 8. Et simile quid dicit Augustinus lib.18. de ciuit. cap.18. de volucribus, in quas Diomedis socij conuersi dicuntur.

Secundò solet dæmon obiicere sensibus non quidem vera corpora, sed quasdam *similitudines corporum*, quæ corpora vera appareant. Hoc modo putat D. Augustinus li.18. de ciuit.c.18. intelligendum esse, quod de sociis Vlyssis in bestias conuersis perhibetur; & quod de Arcadibus etiam narratur; quòd cùm stagnum quoddam traiicerent, vertebãtur in lupos. Neq; enim putandum est, illos in vera corpora animalium fuisse transformatos, sed operâ dæmonum quasi circumuelati fuerunt similitudinibus animalium. Ad eundem etiam modum putat D. Augustinus lib.2. ad Simp. q.3. *melius & expeditius posse intelligi*, quod dicitur in li.1. Reg.c.28. animam Samuelis apparuisse Sauli: *Vt non verè*, inquit, *spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma, & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam; quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia sólent imagines, rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt*; de quo videndus est D. Thomas in hac q. art.4. ad 2. & ibi Caietanus, qui etiam dicit, adhuc sub iudice litem esse, an fuerit anima Samuelis, nec ne.

Tertiò solet dæmon efficere eiusmodi apparitiones, neq; aliquam similitudinem corporum obiiciendo sensibus, neq; vera corpora, sed illudendo sensibus *exterioribus*, ita, vt videatur sibi homo videre exterius, quod nullo modo est. Atque hoc quidem facit, vt docet Caietanus, commouendo spiritus & humores, ad illum modum, quo ex simili commotione phrenetici videntur sibi varias imagines in parietibus videre.

Quartò solet etiam id facere per illusionẽ sensuum *interiorũ*, afficiendo illos, ad eum modum, quo affici solent, quando sensus exteriores ligantur; aut propter *nimiam attentionẽ*; vt solet, inquit Caietanus, accidere superbis cõtemplatiuis, qui in variis imaginibus decipiuntur à dæmone: aut per aliquam *alterationem* corporis, vt per varias vnctiones, &c. Ad quẽ modum narrat Abulensis super 13.ca.Gen.q.354. suo tempore experientiâ compertam fuisse huiusmodi illusionem in quadam Lamia: quam ait affirmasse, se varias terras peragraturam, si vellet, breuissimo tempore; & cum ei non crederetur, vnxisse se, & illico corruisse in terram veluti emortuam, ita vt admotum ignem non sentiret. Postmodum in se reuersam, mirabilia narrasse se fecisse & vidisse. Narrat quoque simile historiam hîc Caietanus art.3.

Aduertendum est autem, per hoc non esse negandum, quin aliquãdo dæmon verè huiusmodi mulierculas transferat de loco ad locum, &c. Est enim id experientiâ à iudicibus comprobatum, præsertim in Germania, vt Nauarrus ex malleo maleficarum refert ca.11. n.38. Et idem concedit Victoria

Victoria q.2. & 7. de Magia, & Alphonsus à Castro lib.1. de iusta hæreticorum punitione, cap.16. & Caietanus hîc, & Abulensis super 4.cap. Matth. q.47. Quocirca ad can. *Episcopi* 26.q.5. ex Concilio Ancyrano, vbi iubentur Concionatores docere, omnia ista, quæ narrantur de mulierculis, esse fabulosa & præstigiosa: respõdet Victoria vbi suprà ex Turre cremata super illud caput, non ita id intelligendũ esse, quasi ibi negetur, quòd contingat vllo modo vnquã verè eiusmodi accidere, sed quia fabulosum est id accidere eis modis, qui in illo canone memorantur; scilicet ita vt eiusmodi mulieres conuiuentur cum Diana & cum Herodiade, &c. & similia nugatoria. Atque eandem solutionem insinuat Nauarrus vbi suprà.

Quintò & vltimò ex sententia Caietani contingit etiam per operam dæmonis illusio sensuum interiorum absq; alienatione à sensibus exterioribus; si videlicet dæmon variè ordinet phantasmata interiora, & commoueat spiritus, &c. Hæc circa primam speciem, videlicet PRÆSTIGIVM.

Secũda species dicitur Diuinatio per SOMNIA, cùm videlicet instructio à dæmone exspectatur in somnis. Tertia dicitur NECROMANTIA, cùm videlicet adhibito sanguine & certis carminibus, mortui videntur resurgere, & loqui, docere, &c. Quarta dicitur diuinatio per PYTHONES, cùm scilicet dæmon docet per homines arreptitios, qui dicuntur pythones ab Apolline Pythio, qui primus auctor diuinandi olim putabatur. Quinta dicitur GEOMANTIA, cùm scilicet dæmon docet per signa quędam, apparentia in corporibus terrestribus; vt in ligno, metallo, aut lapide aliquo. Sexta HYDROMANTIA, cùm per signa apparentia in aqua. Septima AEROMANTIA, cùm per signa apparentia in aëre. Octaua PYROMANTIA, cùm per signa apparentia in igne. Nona ARVSPICIVM, cùm per signa, apparentia in extis animalium, sacrificatorum in aris ipsorum dæmonum.

Alterius etiam generis diuinationis, in qua inest TACITA inuocatio dæmonum; primùm sunt duæ species quasi subalternæ. PRIMA est, cùm cognitio occultorum procuratur vanè ex consideratione alicuius *dispositionis*, aliâs existentis in quibuscunq; rebus. SECVNDA est, cùm eiusmodi cognitio quæritur ex dispositione eorum, quæ homines ipsi *cõsultò faciunt* ad cognitionem eam comparandam.

PRIMÆ istarum specierum sunt rursus nouem species, quantum licet colligere ex doctrina sancti Augustini lib.2. de doctr. Christ.c.19. & seq. & D. Thomæ art.3. & ex his, quæ diligenter tradidit Michaël Medina lib.2. de recta in Deum fide. Prima species dicitur GENETHLIA, cùm videlicet ex motu aut situ siderum, natalia hominum considerantur, & ex iis quęritur humanorũ effectuum cognitio, & euentuum contingẽtium circa illos. Secunda est AVGVRIVM, cùm videlicet ex garritu auium, vel ex vocibus quorumcunq; aliorum animalium, aut etiam ex sternutationibus hominum quęritur cognitio occultorum. Et nominatur ita, à *garritu* auium *audito*, quia ille solet præcipuè in istis attendi. Tertia est AVSPICIVM, cùm videlicet ex volatu auium, aut ex motu quorumcunque aliorum animalium quæritur eiusmodi occultarum rerum cognitio. Quarta est OMEN, cùm videlicet ex vocibus hominũ præter intentionem dictis, colligitur ea cognitio. Ex quo genere multa memorat Cicero lib.1. de Diuinatione. Quinta species est ONIROCRITICA, cùm videlicet ex somniis occulta cognoscuntur. Sexta est PHYSIOGNOMIA, cùm videlicet ex signis totius corporis humani. Septima est SPATVLAMANTIA, cùm ex signis spatulę. Octaua est METOPOSCOPIA, cùm ex fronte. Nona est, CHIROMANTIA, cùm ex signis manuum.

SECVNDÆ autem speciei quasi subalternæ, eiusdem Diuinationis, per *tacitam* inuocationem dæmonis; duæ tantùm numerantur species hîc à D. Thoma. Prima pertinet ad GEOMANTIAM, cùm videlicet ex protractione punctorum cognitio quæritur. Secunda dicitur Diuinatio per SORTES, cùm aliquis ex signis resultantibus in plumbo liquefacto & proiecto in aquam, vel ex consideratione festucæ, quam quis eligit ex duabus oblatis, vel schedulæ scriptæ, aut non scriptæ, &c. cognitio quæritur.

Vtrum autem omnia ista diuinationis genera, & species, propriè differant genere & specie, parũ attinet disputare. Quod ad praxim quidem attinet, tres tantũ diuersæ videntur esse diuinationis species, moraliter loquendo. Prima est diuinatio ea, in qua est inuocatio EXPLICITA dæmonis, quę generali vocabulo dicitur NECROMANTIA. Secunda est ea, in qua est TACITA inuocatio, & qua inquiritur cognitio ex dispositione, quam *alio qui* corpora habẽt: quæ potest generali vocabulo dici AVGVRIVM. Tertia est ea, in qua etiam est implicita inuocatio, & quæritur cognitio ex aliquibus *consultò factis*: & potest dici Diuinatio per SORTES generali vocabulo. Aliæ species & genera non videntur propriè differre in genere *moris*, vt satis apertè indicat etiam S. Thomas art.3. in fine corporis.

PVNCTVM TERTIVM.

Vnde dignoscendum sit in variis casibus, num aliquid pertineat ad Superstitionem Diuinationis.

D. Thomas art.4. & seq.

VM ex vera sententia Caietani docuerimus p.1. inquisitionem occultorum non prohiberi, nisi quatenus ex natura rei est mala; diligenter inquirendum est, vnde sit iudicandum in variis casibus, an ex *natura ipsa rei* inquisitio quæpiam vel prænunciatio occultorũ sit mala & superstitiosa. Et quidem quandocunq; quæritur cognitio occultorum *expresè inuocando dæmonem*, manifestè

apparet, esse *peccatũ*, propter commercium cum ipso, quod suprà q.10. ostensum est esse illicitum.

Ad cognoscendum autem, Vtrum talis inquisitio ex dæmone, sit etiam *superstitio*, distinguendum est. Nam si ex dæmone aliquis percontatur id, quod dæmon naturaliter potest cognoscere, procul dubio nõ erit etiam superstitio: siquidem tunc non quæritur cognitio, quę sit Dei propria. Talis est cognitio euentuum contingẽtium præteritorum, qui consistãt in actibus exterioribus, vt furtum v.g. exterius. Item cognitio liberorum effectuum, & futurorum coniecturalis, sed multo certior, quàm possint homines habere. Hoc enim modo Angeli & plura, & multo certius assequuntur, quàm homines, vt patet ex D. Thoma 1.p.q.57. & ex S. Augustino in lib. de Diuinatione dęmonum, & ex iis quæ ex illius sententia de hoc tradidimus tomo 1.q.8. de Angel.p.3.

Si autem quæratur ex dæmone cognitio *certa* futurorum contingentium: aut cogitationum & affectionũ humani cordis; tunc manifestè etiam erit *superstitio*. Nam procurabitur tunc cognitio occultorum, absque vllo medio ordinario ad illã acquirendam sufficiente: quo pacto occultorum cognitio & manifestatio est propria Dei. Neque enim dęmones naturaliter possunt cogitationes cordium & futura contingentia certò cognoscere, vt fusè disputauimus tomo 1.q.8. de Angelis.

Maior verò DIFFICVLTAS est in dignoscendo, quandonam sit aut nõ sit superstitiosa inquisitio occultorum, quando abest expressa inuocatio dæmonis. Non enim facilè potest semper apparere, quòd talis inquisitio sit *vana* & *inutilis* ad cognitionem acquirendam: id quod, vt patet ex suprà dictis, requiritur ad Diuinationem per *tacitam* inuocationem dæmonis. Possumus tamen ex triplici capite id cognoscere. Primò, ex INTENTIONE eius, qui inquisitioni occultorũ dat operam. Secundò ex conditione COGNITIONIS, quæ quæritur. Tertiò, ex conditione MEDII siue causæ, ex qua cognitio quæritur, & etiam REI, cuius cognitio quæritur.

PRIMO igitur ex parte INTENTIONIS contingit dupliciter, vt inquisitio non sit superstitiosa: primò, si is, qui ei dat operam, vacet illi, non tanquam vtili & efficaci, sed tanquam vanæ & inutili ad cognitionem acquirendam; solùm leuitatis aut ioci causa. Tunc enim, vt rectè notat Caietanus hîc art.2. non est id superstitio, sed *vanitas quædam* venialis. Vt si quis, inquit, ex leuitate quæreret smaragdũ in cerebro gallinæ, probè sciens se non inuenturum. Et ratio huius est. Nam quando quis non procurat *seriam cognitionem* ex re inutili & vana, non affectat cognitionem, quæ sit Dei propria. Simulata enim cognitio & iocosa non est Dei propria.

SECVNDO ex parte item *intentionis* contingit non esse id superstitionẽ, si quis non ita expectet aut quærat cognitionẽ ex *re inutili*, quasi illa sufficiat ad cognitionem pariendam, sed ex Deo, à quo expectet talem cognitionem per aliquod signum, alioqui sua natura insufficiens ad cognitionem rei. Hoc enim, existente rationabili causa, licitum est. Et hinc, vt docet S. Thomas art.8. huius q. potest interdum excusari vsus *sortium* ad aliquid cognoscendum: iuxta illud Prouerb.16. *sortes mittantur in sinum, sed à Domino temperantur*. Ita Iosue, cap.7. ex præcepto Domini deprehendit Achan fuisse reum per sortes. Et Saul videtur etiam eodem modo 1.Reg.14. deprehendisse factum Ionathæ. Et Ionæ 1. eodem modo videntur sortes adhibitæ.

Ex eodem capite excusantur etiam interdum *sortes diuisoria*, hoc est, adhibitæ ad faciendam aliquam *distributionem*, quam alioqui parum interest hoc aut illo modo facere. Quanquam illis non licet vti in electionibus Ecclesiasticis, vt patet ex cap.vlt. Extra de Sortilegiis. Vnde in ea materia sortes sunt malæ, quia prohibitæ, vt inquit Caietanus in Summa, Verbo Sors.

Et D. Thomas art.8. etiam docet, sortes diuisorias continere peccatum vanitatis, si quis effectum expectet à *sola sorte tuna*. Quod intelligo, quando quis non illum speraret ex diuina prouidentia, ad quam reuera fortuna pertinet, sed solùm committeret rem casui fortuito. Hoc enim videtur esse aliquo modo contra rationem, propterea quòd homo debet non nisi ex *electione*, & cum consilio operari.

Per hęc etiam iudicandum est de sortibus *consultoriis*, hoc est, quæ adhibentur ad cognoscendum, quid agendum sit in aliquo casu. Denique ex eodem capite apparet, licere etiam quandoque expectare cognitionem à Deo per aliquam *vocem humanam* præter intentionem dictam. Neq; tunc erit *omen* superstitiosum. Ita D. Thomas art.7. & patet exemplo serui Abrahæ Gen.24. qui id non malè fecit: vt patet ex illis eius verbis; postquam precatus est Deum: *Puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa respondérit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum Domino meo*. Cui simile fuit illud Ionathæ 1.Reg.14. *Si dixerint ascendite ad nos, ascendamus: quia tradidit eos Dominus in manibus nostris, & hoc erit nobis signum, &c.*

Quando autem neutro modo ex duobus dictis poterit quis à superstitione excusari per *intentionem*; sed seriò intenderit quærere cognitionem occultorum per media ad id & *vana*, & minimè illam à Deo expectabit, sed ex solis mediis eiusmodi vanis; superstitiosę diuinationis peccatum committet; idq; ex ea illius *intentione* poterit deprehendi.

Iam verò ex *conditione* COGNITIONIS, quæ quæritur, contingit, inquisitionem non esse superstitiosam, quando non quęritur cognitio *certa*, sed solùm coniectura talis, qualis fieri potest ex ea re, per quam cognitio quæritur. Hinc docet Caietanus ar.5. ex doctrina D. Thomę, quandoque

doq; excusari posse Astrologos, quædam ex constellationibus probabiliter tantùm coniicientes circa euentus humanos. Possunt enim ex corporeis impressionibus & affectionibus, quas sæpè homines sua spõte sequuntur, probabiliter nonnulla coniicere. Item etiam eadem ratione possunt ex somniis aliqua coniici, vt idé Caietanus docet art.6. quanquã multo incertius; propterea quòd difficillimũ est causam somnij cognoscere, vt postea videbimus. Nã vt rectè notat Caietanus in Summa, Verbo Obseruatio somniorum, coniectura somnij pendet ex cognitione causę illius.

Similiter possunt nonnulla etiam ad homines pertinentia, probabiliter coniici ex garritu auium, aut aliis vocibus animalium, quatenus indicant aliquam constellationem cœlestem, qua homines inclinari possunt ad aliquid. Ideo enim docet Caietanus ar.6. posse ex eiusmodi vocibus animalium prædici probabiliter bella futura, si videlicet videãtur proficisci ex aliqua causa, quæ inclinet ad iram, &c.

Si autem huiusmodi velit quis ex impressionibus corporum cœlestium aut aliorum, præcognoscere aut prædicere, vel *certò*; vel etiam *probabilius & firmius*, quàm par est, considerata liberi arbitrij potestate per diuinam gratiam adiuti; ac proinde *summa incertitudine* huiusmodi euẽtuum humanorum; procul dubio committet grauissimum peccatum superstitiosæ Diuinationis. Id quod tunc præsumi potest, quando quis *absolutè* quidpiam de futuris eiusmodi euẽtibus affirmat, etiamsi dicat, se probabiliter tantùm id affirmare. Quod proinde meritò prohibuit Sixtus V. in suprà dicta Extrauaganti.

Præterea ex conditione CAVSÆ, ex qua cognitio quæritur, & REI, quæ est cognoscenda, aliquando contingit, vt inquisitio non sit superstitiosa; quãdo videlicet ea est proportio inter medium, ex quo procuratur cognitio, & rem, quæ est cognoscenda, vt sufficienter vnum ex alio cognosci possit. Pro quo diligenter notanda est hęc quasi REGVLA, videlicet tribus modis tantùm contingere in proposito, vt vnum possit cognosci ex alio. PRIMO, vt ex *sua causa*. SECVNDO, vt ex *suo effectu*. TERTIO, vt ex *effectu suæ causæ*, cum qua vtrumq; habeat connexionem. Primo modo Eclipsis v.g. futura cognoscitur ex motu cœli. Secundo modo ignis v.g. ex fumo. Tertio modo serenitas ex arcu cœlesti, quatenus videlicet eadem causa solet esse illius & serenitatis. Neq; fieri videtur posse, vt aliter, quàm aliquo ex his tribus modis, vnum ex alio cognoscatur in proposito, vt patet ex his, quæ rectè docet D. Thomas in tota hac q. præsertim art.5.

Quare quãdo dubitatur, Vtrum aliquod medium sufficiens sit ad aliquod cognoscendum; ad hanc quasi regulam recurrendum est. Nam si sapientũ iudicio apparet, aliquo ex tribus his modis, vnum posse cognosci ex alio; minimè damnanda est quasi superstitiosa talis inquisitio. Si autem iudicatur, non posse aliquo modo existis vnum ex alio cognosci; *vana* erit talis inquisitio; & consequenter omnino erit Superstitio, in qua insit tacita inuocatio dæmonis.

Atque vt videamus, quàm latè hoc documentum pateat, aliqua in specie nunc declarãda sunt, quę hinc consequuntur. PRIMO sequitur, effectus contingentes, & per accidens, præsertim *liberos*, non posse certò ab Astrologis prædici. Nam cùm constet, huiusmodi effectus non posse cognosci ex stellis, tanquam ex effectis ipsorum contingentium; si certò cognosci possent, oporteret, vt cognoscerentur ex stellis, vel tanquam ex causa ipsorum, vel tanquam ex effectu alicuius causæ, quæ etiam sit causa huiusmodi contingentium. Sed neutro modo possunt hi effectus certò cognosci ex Stellis. Ergo nullo modo.

Quòd non tanquam *ex* ipsorũ *causa*, probatur. Nam ista contingentia non habent vnam solam causam naturalẽ sed plures inferiores, à quarum qualibet possent æquè, puenire. Vnde quantumcunque quis cognoscat constellationem, tamen non potest ex illa certò cognoscere, quæna causa inferior concurrerit etiam ad talem effectum.

Quòd autem neq; possint hæc cognosci certò ex stellis, vt ex *effectu alterius causæ*, quæ etiam sit causa ipsorum; probatur. Nam duo effectus tunc solùm habent certam connexionem cum aliqua causa, quando causa vel *simpliciter necessariò* producit vtrumque, vel saltem necessariò *ex hypothesi*, posito scilicet, quod causa producat alterum illorum. Sed nulla est causa communis constellationũ & euentuum contingentium, quę necessariò, vel *simpliciter*, vel *ex hypothesi* efficiat vtrumq;. Ergo cum nulla tali causa habent certam connexionem contingẽtes euentus & constellationes: & consequenter hæc contingentia non possunt cognosci certò ex constellationibus, tanquam ex effectu communis alicuius causæ constellationum & ipsorum.

Maior est manifesta. Nam si causa *liberè* producit vtrumq; effectum aut alterutrum; fieri potest, vt vnus proficiscatur à causa, & alter nõ item. Minor verò probatur. Nã causa communis constellationum & rerum contingentium, non videtur põsse alia assignari, nisi vel *diuina* prouidentia aut potentia: Vel ipsa etiam *natura* cœlorum. Constat autem *diuinam* potentiam & prouidentiam neq; *absolutè* necessariò producere constellationes & effectus contingentes, neq; etiam hos necessariò *ex hypothesi*, scilicet posito, quòd efficiat talem vel talem constellationem; siquidem pro ratione varia causæ inferioris contingentis, potest, stante eadem constellatione, varius esse effectus contingens. Atq; eadem ratione patet, neq; *naturam ipsam* cœlorum producere effectus contingentes necessariò *absolutè* aut *ex hypothesi*, scilicet posito, quòd efficiat suo motu talem constellationem. Siquidem posita qualicunque constellatione, potest effectus contingens varius

esse pro ratione causę inferioris contingentis, vt dictum est.

Ac suppetit pręterea ad hoc ipsum probandũ peculiaris ratio, quod attinet ad effectus contingentes *voluntarios*. Nam hi non sunt effectus cœlorum, quatenus voluntarij sunt; sed solius Dei, & ipsius voluntatis humanæ, vt ostendimus tomo 2. disp. 2. q. 4. p. 4. Relinquitur ergo, solùm fieri posse ex cõstellationibus *coniecturam* de huiusmodi, eamq; *tenuissimam*, vt rectè notat Caietanus art. 5. Nam aspectus astrorũ imperfectissimè cognoscuntur, atq; adeo non nisi imperfectè cognosci possunt affectiones & qualitates corporũ, ex quib. possunt cognosci eiusmodi contingẽtia.

Itaque cauendum est, vt rectè monet Caietanus, ne ea coniectura pro *lege* humanarum actionũ habeatur. Hoc enim, inquit, esset non cognoscere dignitatem libertatis humanæ, qua potest *sapiens dominari astris*, sed *comparari iumentis insipientibus, & similem fieri illis*.

Quòd autem Origenes apud Eusebium lib. 6. de præparatione Euang. c. 9. putauit, contingentes effectus posse cognosci ex stellis, tanquam ex signis quibusdã & velut literis, vbi legantur, fabulosum est, sicut tom. 2. disp. 2. q. 4. p. 4. docuimus.

Eadem ratione patet SECVNDO, neq; ex motibus aut vocibus animalium posse colligi de rebus *contingentibus* cognitionem maiorem, quàm sit *tenuissima* coniectura. Nam si ex istis essent cognoscendæ, oporteret vt cognoscerentur tanquam ex effectibus alicuius causæ, à qua etiam procedant contingentes effectus, vt patet. Constat autem non effici ab aliqua causa *necessariò* vtrumque genus istorum effectuum.

Et idem etiam dicendum de vocibus & motibus *corporum humanorum*. Quanquã ex istis non nisi multo adhuc *debilior* fieri potest coniectura. Plerumq; enim motus corporum humanorum proficiscuntur, non ab impressione cœlesti, sed à libera ratione. Vnde minus tenuis potest fieri coniectura ex motibus animalium. Nam vt rectè docet D. Thomas infrà q. 172. art. 1. ad 3. cùm habeant illa quietiorem phantasiam, edunt certiora signa impressionum cœlestium.

Quod autem attinet ad *voces* hominum, quatenus sunt *significatiuæ*, nulla ex illis potest fieri coniectura contingentium, tanquã ex effectibus eiusdẽ causæ; scilicet cœli, quod sit causa & eiusmodi vocum, & effectuum contingentium. Nam cùm eiusmodi voces sint significatiuæ *ad placitũ*, ex Ratione sola proueniunt, vt tales, non autem ex cœlo. Quare *Omen* semper est diuinatio superstitiosa, nisi cognitio tunc expectetur à Deo, quemadmodum anteà diximus. Ac per hęc de similibus eodem modo iudicandum est.

TERTIO quod ad SOMNIA attinet, ex dictis etiam sequitur, secluſa reuelatione, qualem habuit in interpretatione somniorum Ioseph. Genes. 41. & Daniel cap. 2. & 4. non posse ex somniis haberi de futuris *contingentibus*, nisi *leuissimã* coniecturam, quæ vix prætergrediatur limites *suspicionis*. Ratio est: quoniam ex somnio nihil potest cognosci, nisi cognoscatur quæ fuerit causa illius. Sed hoc difficillimum est coniicere. Ergo, &c.

Maior probatur. Nam somnium ipsum per se non est causa producens aliquem effectum contingentẽ; & quamuis aliquando somnium ipsum per se sit causa impellens nos ad aliquem contingentem effectum, tamẽ illum effectum non possumus tunc cognoscere ex ipso somnio immediatè, sed ex *determinatione* nostræ voluntatis excitatæ per somnium. Quare cùm non possimus aliquid ex somnio ipso cognoscere, tanquam *ex causa*; restat, vt si cognoscẽdus est aliquis effectus futurus ex somnio, cognoscatur tanquam ex effectu alicuius causæ, quę etiam sit causa illius, cuius cognitio quæritur. Ac proinde oportet ad id inprimis cognoscere somnij causam. Et hæc fuit Maior nostræ argumentationis.

Minor verò probatur. Nam nullum somnium ita prouenit ab vna causa, quin similiter potuerit prouenire ab alia, vt rectè docet Caietanus hîc ar. 6. & in Summa, Verbo Somniorum obseruatio. QVATVOR enim sunt causæ somniorum, vt docet S. Thomas ar. 6. Duæ corporales, & duæ spirituales. CORPORALIVM vna est *intrinseca*, videlicet humor aliquis, ex quo contingit interdũ somniare ea, quæ sunt illi humori cõsentanea. Altera est *extrinseca*, videlicet corpus circumstans, quod ita interdum immutat phantasiam dormientis, vt quemadmodum hîc docet Caietanus, formet is similitudines quasdam secundùm aliquam analogiam qualitatis corporis circumstantis.

SPIRITVALIVM verò causarum similiter altera causa est *interior*, videlicet cogitatio præcedens in vigilia. Altera est *exterior*, videlicet spiritus bonus aut malus immittens somnium tale. Solet enim Deus per somnium aliquando docere, vt patet ex illo Numer. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum*. Item vt suprà dictum est, dæmon etiam docere solet per somnia.

Cùm igitur tam variæ sint causæ somniorum, & ab earum qualibet æquè possit somnium aliquod prouenire; cohibendum iudicium est, ne si quis temerè aliquid ex somnio sibi persuadeat, operatio diabolica se immisceat, & variis modis homo decipiatur, iuxta illud Eccles. 24. *Multos errare fecerunt somnia*. Vnde Caietanus hîc ar. 6. de se testatur, quòd nullam fidem ausus fuerit somniis adhibere, quamuis euentu interdum viderentur comprobari. Accidit enim, vt vel casu porrent comprobari. Accidit enim, vt vel casu portea res eueniat, vel procurante dæmone, vt fácilius hominẽ illaqueet per somnia. Quapropter tunc vel maximè, ne assentiamur somniis, cauendum est, cùm videntur euentu comprobari.

Peculiariter autem ad discernendum per aliqualem coniecturam, quando somnium proueniat *à Deo*, aliquid docente, & quando *à dæmone*; videntur posse duo considerari. PRIMO, Vtrum somnium impellat nos ad aliquod opus malum aut indiscretum, vel potius ad bonum. Si enim impellat ad opus malum aut indiscretum; indicio id est, esse à dæmone: Si autem impellat ad opus bonum, posset aliquis sine temeritate suspicari, & putare illud esse à Deo: quamuis hoc humiliter & cum timore est faciendum. Solet enim etiam dæmon se *transfigurare in Angelum lucis*. SECVNDO, si post somnium animus maneat confusus, & minus promptus ad opus spirituale & bonum; argumento id videtur esse, quòd sit à dæmone. Contra verò, si animus promptior & alacrior ad spiritualia opera post somnum sit; videri illud potest esse immissum à Deo. Omnino discretio spirituum necessaria est, & petenda à Deo.

PVNCTVM QVARTVM.

Quomodo sit diiudicandum, An Diuinatio sit peccatum mortale aut veniale.

Ad art. 1. D. Thomæ.

POSITO, quòd constet, Diuinationem esse illicitam; discernẽdum præterea superest, an sit mortale vel veniale peccatum. Et quidẽ si instituitur per EXPLICITAM inuocationem dæmonis; semper erit mortale propter commercium cum dæmone, quod maximè mortale peccatum est, vt constat ex iis, quæ disseruimus q. 10. Nec videtur aliquis circa hoc excusari posse per ignorantiam, saltem inter fideles, apud quos nimirum toties docetur, commercium hoc cum dæmone esse perniciosissimum. Est autem NOTANDVM, explicitam inuocationem dæmonis duplicem esse: Alteram *verbo & voce*: Alteram *facto*, si videlicet quis sciens, dęmonẽ per aliquod signum docere, nihilominus vsurpet illud. Ita rectè notauerunt Caietanus hîc art. 3. & Nauarrus cap. 11. n. 21.

Quando autem Diuinatio est solùm per IMPLICITAM dæmonis inuocationẽ; tunc quidem ignorantia, si non sit nimis crassa & *supina*, excusat à mortali & efficit veniale, vt docet Caietanus hîc art. 3. & Nauarrus vbi suprà n. 22. *Supinam* autem ignorantiam intelligunt hi Doctores illam, quæ attentis omnibus circumstantiis facillimè vinci potuisset. Quæ idcirco in hoc genere minimè excusaret à mortali. Ac multo minus excusaret à mortali ignorantia *affectata*, si videlicet quis de industria nollet scire, an hoc aut illud sit peccatum diuinationis.

Ex *lenitate* autẽ materię vix videtur posse contingere in proposito, vt diuinatio sit solùm venialis; cùm ratio ipsius consistat in hoc, quòd vsurpatur indebitè cognitio Dei propria: id quod abstrahẽdo à *materia*, videtur per se esse satis graue. Fieri tamen potest, vt leuitas materię indicet, animum non esse verè superstitiosum, *sed vanum*, hoc est, non dare operã inquisitioni occultorum seriò, sed iocosè & vanè, sicut p. præced. dictum est. Tunc enim tantùm esset peccatum veniale cuiusdam vanitatis. Et posset etiam contingere, vt nullum peccatum id esset, si talis iocus ita opportunè & decenter institueretur, vt pertineret ad virtutem Eutrapeliæ. Atq; hæc satis videntur pro hac quæstione. Nam quæ Caietanus de Duello disputat art. 8. ea nos opportunius expediuimus disp. 3. in q. de Rixa.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

De Superstitione vanarum obseruantiarum.

D. Thomas 2. 2. quæst. 96.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, QVID ET QVOTVplex in proposito sit vana obseruatio. SECVNDO, Quomodo dignoscenda in variis casibus; vbi etiam addemus, quid sentiendum esse videatur de operationibus Chymicis. TERTIO, Vnde etiam dignoscendum, an huiusmodi vana obseruatio sit mortale vel veniale peccatum. QVARTO dicemus etiam nonnulla de officio Magistratus circa maleficia punienda: siquidem ea maximè spectant ad istud genus vanarum obseruationum & commercij cum dæmone.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid & quotuplex sit vana obseruatio.

D. Thomas art. 1. & seq.

SVPERSTITIO vanæ obseruationis, de qua hîc disputamus, hoc à superstitiosa diuinatione differt, q̃ diuinatio tota refertur ad cognitionẽ rerum *singularium occultarũ* indebito modo consequendam. Obseruatio verò superstitiosa refertur ad obtinẽdas alias cõmoditates, siue animi, siue corporis; vt ad sanitatẽ, prorogationẽ vitæ, scientiam rerũ vniuersalium, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque etiam referri potest ad nocumenta, his commoditatibus contraria, alteri inferenda.

Ex hoc intelligi potest ratio huius superstitionis. Sicut enim diuinatio aduersatur diuino honori, propterea quòd indebito modo procurat cognitionem Dei *propriam*: ita etiam obseruatio superstitiosa propterea, quòd mediis *inutilibus*, minimè à diuina prouidentia constitutis procurat commoditates, & varias corporum immutationes, quæ cùm ad eas efficiendas non adhibentur media ordinaria, ex *sola* diuina potentia & prouidentia expectari possent. Quocirca sicut superstitiosa diuinatio: ita etiam *obseruatio huiusmodi* meritò in Iure prohibetur, illis iisdem locis, quibus q. præcedenti vidimus diuinationem esse prohibitam. Hæc enim obseruatio intelligitur in Iure nomine veneficij, maleficij, & etiam magiæ diabolicæ, &c.

Quod autem attinet ad diuisiones huius superstitiosæ obseruationis; sicut diuinatio, ita etiam hæc *obseruatio* diuiditur primò in eam, quę est cum *explicita* inuocatione dæmonum; & eam, quæ cum *implicita* tantùm. Obseruatio cum EXPLICITA dæmonis inuocatione est, quando quis à dæmone expresè inuocato, seu in commercium admisso, docetur aliqua media ad aliquos effectus adhibere, vel tanquam naturales illorum causas alioqui hominibus incognitas, vel tanquam instrumẽta, quibus adhibitis, ipse dæmon principaliter effectus eos operetur.

Et quidem si effectus intentus *superet* non modò naturalem vim medij adhibiti, sed etiam *ipsius dæmonis*; clarissima erit superstitio: quandoquidem effectus talis ad solam diuinam potestatem pertinet, qui proinde superstitiosè exspectabitur ex dæmone. Si autem *non superet naturalem* potestatem dæmonis (vt ferè in huiusmodi vsu venit; cùm multa possit dæmon naturaliter efficere, applicando actiua passiuis) tunc non video in eo facinore propriam rationem *superstitionis*, quamuis sit omnino grauissimũ peccatum mortale propter commercium cum hoste humani generis, iuxta dicta suprà q. 10.

Et primi quidem generis effectus (scilicet superans naturalem facultatem dæmonis) esset infusio *subitanea* scientiæ, aut conciliatio *benevolentiæ* aliorum, &c. Nam huiusmodi non potest dæmon naturaliter præstare. Secundi autem generis effectus sunt sanitas, & quæuis alia immutatio corporis, excepta resurrectione mortui, aut restitutione visus, & huiusmodi, quæ communiter putantur nulla vi naturali posse fieri.

Obseruatio autem cum IMPLICITA inuocatione siue societate dæmonis, latissimè patet. Contingit enim quandocunq; quis ad aliquem effectum adhibet tanquam efficacia, media talia quæ in rei veritate sunt vana & inutilia. Ex quo fit, vt dæmon tunc facilè se eiusmodi vanitatibus immisceat, vt hominem vanitati deditum irretiat, iuxta ea quæ ex luculenta sententia S. Augustini lib. 2. de doctr. Christ. cap. 22. & 23. & D. Thomæ, & aliorum Theologorum, de hoc *implicito* cum dæmone commercio, docuimus q. præced. p. 2. Maximè quòd, vt rectè notauit Gabriel in 2. d. 8. q. 2. art. 4. dub. 2. affectat dæmon Dei similitudinem, etiam in hoc, quòd sicut Deus operatur principaliter aliquos effectus gratiæ, mediantibus sensibilibus Sacramentis & sacramentalibus, non tanquam causis suapte natura sufficientibus, sed tanquam signis effectuum: ita etiam dæmon libenter efficit aliquos effectus, adhibentibus hominibus media aliqua in rei veritate insufficientia, quibus proinde dæmon vtitur tanquam signis quibusdam effectus, quem vult operari. Quod idem D. AVGVSTINVS indicauit lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 6. vbi sic inquit: *Alliciuntur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus creauit, non vt animalia cibis, sed vt spiritus* SIGNIS *per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum, &c.*

Præterea hæc obseruatio, in qua ineſt *tacita* inuocatio dæmonis, tribus modis contingit, pro diuersitate mediorum, quæ vanè ad aliquos effectus adhibentur. PRIMO, quando præcognitio alicuius calamitatis, vel prosperitatis per vanam diuinationem procuratur, vt ea cognitione homo edoctus aliquid *faciat* vel *vitet*. De qua obseruatione agit S. Thomas hîc ar. 3. SECVNDO, quando adhibentur *preces*, vel voce, vel scripto, vel appensæ collo, concurrentibus *vanis aliquibus circumstantiis*, ex quibus appareat, illas preces minimè ad Deum referri, quasi ab illo exspectetur effectus, sed ad dæmonem implicitè & tacitè inuocatum. De qua obseruatione agit S. Thomas art. 1. vbi condemnat obseruationem *artis* (vt appellatur) *notoriæ*, qua videlicet quis per quasdam orationes & ieiunia, adhibita præterea inspectione quarundam figurarum, exspectat, scientiam sibi infusum iri. Item ar. 4. vbi agit de obseruatione, qua aliqui cum vanis circumstantiis appendunt diuina verba collo. TERTIO, quando quis adhibet vanè aliqua media tanquam causas *efficaces*, & immediatas alicuius effectus siue immutationis corporum. Et hoc, siue ea media sint naturalia, sed alioqui insufficientia, vt herbæ, lapides, &c. siue artificialia, vt characteres, figuræ, imagines; & hic tertius modus latissimè patet.

Denique quod anteà dictum est, obseruationem, in qua est *expressa* inuocatio dæmonis, esse veram superstitionem, si effectus superet facultatem etiam dæmonis: Si autem nõ superet; tantum esse peccatum mortale contra charitatem sui, propter commercium cum humanæ salutis hoste; eodem modo dicendum est de obseruatione, in qua est *implicita* inuocatio, atque adeo implicitum commercium cum dæmone.

Quæ quidem implicita inuocatio solùm erit, quando quis ignorat, dæmonem esse eum, qui operatur: alioqui si hoc sciens nihilominus vsurpet medium vanum, iam eo ipso erit expressa in-

uocatio

uocatio dæmonis, non voce, sed facto, sicut suprà q. præced. etiã diximus de Diuinatione. Vnde verò, & quomodo dignoscẽdum sit, num in casibus particularibus committatur aliquo modo ex iis superstitiosa obseruatio; dicendum est p. seq.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vnde dignosci possit in casibus particularibus superstitiosa obseruatio.

D. Thomas art. 1. & seq.

POTISSIMA in hac re difficultas est in dignoscendo obseruationem eam superstitiosam, quæ fit non cum explicito, sed cum *implicito* commercio dæmonis. Nam si explicitum cum dæmone commercium interueniat; minimè dubia erit impietas & vanitas. Sed tunc maximè diiudicatio huiusmodi superstitiosæ obseruationis obscura & difficilis est, quando citra expressum illud cum dæmone commercium committitur hæc superstitio per solam *vanitatem* actionis, atq; ideo per tacitum cum dæmone commercium, vtpote immiscente se facilè huiusmodi vanitatibus, sicut p. præced. dictum est.

Et claritatis causa discurrendum nobis est ordine per singulos illos tres modos, quibus p. præced. diximus, hanc obseruationem cum *implicito* dæmonis commercio contingere. Obseruatio igitur superstitiosa PRIMO illorum modo, scilicet cùm procuratur *vanè* præcognitio alicuius prosperitatis aut aduersitatis; ex iisdem illis notis diiudicanda est, quas q. præced. tradidimus ad diiudicandam diuinationem superstitiosam. Parum enim aut nihil hęc obseruatio à diuinatione illa differt, nisi quòd diuinatio potissimũ refertur ad ipsam speculationem, & non ad opus eius, qui diuinat. Obseruatio verò hæc, in qua vanè procuratur præcognitio calamitatis aut prosperitatis; tota refertur ad opus eius, qui hanc cognitionem quærit, vt patet ex multis huius vanitatis exemplis, quę D. Thomas art. 3. in argumento *Sed contra*, affert ex D. Augustino lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 20.

Obseruatio verò SECVNDO modo; cùm scilicet *vanæ* preces scripto aut voce adhibentur; ex multis circumstantiis dignosci potest, vt colligitur ex S. Thoma hîc art. 1. & 4. & ex Caietano in Summa, Verbo Incantatio, & ex Nauarro cap. 11. n. 22. quę omnes circumstantiæ possunt reuocari ad QVATVOR genera.

Primò, si aliqua verba vsurpentur, pertinentia AD dæmonem, saltem *implicitè*, cùm scilicet inepta & ignota sunt. Nam eo ipso videntur ad dæmonem ea intelligentem referri. Et idem dicendum est de scriptis characteribus *ignotis*, si qui tales interponantur.

Secundò, si aliqua FALSA, apocrypha, & minus certa inserantur; vt quod Christus (ait Caietanus) habuerit *febres, &c.*

Tertiò, si vis & efficacia precum constituatur in MODO eas scribendi aut proferendi. Vt v. g. si non adhibeantur, nisi tali hora, in tali charta, figura, &c. In quo continetur vanitas & superstitio *artis notoriæ*, de qua D. Thomas art. 1. Nam vis precum per eam constituitur in quibusdam circumstantiis, quæ iudicio sapientum, minimè pertinent ad impetrandam scientiam eam, quæ per illam artem procuratur. Cuiusmodi circumstãtiæ sunt *inspectiones* quarundam *figurarum*, *&c.* quas constat, Deum minimè attendere ad infundendam scientiam. Diuidit enim ipse huiusmodi gratias, *prout vult*, vt ait Apostolus, 1. Cor. 12. non autem spectatis eiusmodi obseruationibus vanis. Itaq; quamuis Deus soleat aliquando scientiam *infundere*, vt infudit Salomoni 3. Reg. 3. & Apostolis per virtutem Spiritus sancti, sicut promisit Lucæ 24. non tamen illam infundit iis, qui eiusmodi vanis obseruationibus vtuntur.

Notandum autem diligenter est, quod diximus, *si vis precum constituatur in modo, circumstantiisue inutilibus.* Nam si inutilis alioqui modus in precibus tantùm se habet *concomitanter*; & is, qui illo vtitur, agnoscit, eum per se non esse vtilem aut efficacem ad effectum impetrãdum, sed tantùm vtitur illo modo propter aliam rationem, aut quia *aliquo* modo tandem debet precari, aut quidpiam agere; non erit superstitio.

Ex quo patet, quomodo accusandæ vel excusandę sint CONSVETVDINES aliquarum regionum & prouinciarum, in quibus à precantibus, vel quidpiam desiderantibus aliquæ circumstantię adhibentur, quę videntur superstitiosę: Cuius generis est, quòd alicubi iumentis vena aperiturcerto die alicui Sancto dedicato. Item quòd circa templum D. Antonij nouies circumducuntur iumenta. Itẽ quòd in Italia, vt narrat Caietanus art. 4. soliti sunt aliqui ex primo nummo oblato imagini Crucifixi in Parasceue, facere annulum pro depellendo morbo contractionis neruorum, &c. In his namque & similibus casibus, si animus sit adhibendi huiusmodi circumstantias tanquam *per se efficaces* ad effectum impetrandum à Deo, scilicet sanitatẽ & incolumitatem rerum suarũ, &c. procul dubio videtur superstitio mortalis ex genere. Atq; ita intelligendum est, quod Nauarrus dicit cap. 11. n. 36. esse peccatum mortale aperire venam die festo alicuius Sancti.

Si verò quis eiusmodi circumstantias adhibeat, tantummodò vt se ipse magis excitet ad intentè precandum; propter præsentiam rerum suarum circa templum Sancti, vel etiam propter diem Sancto dedicatum, vel propter memoriam Crucifixi, &c. aut rursus vtatur huiusmodi circumstantiis non nisi *casu* & *concomitanter*, vt si scribas orationem in tali charta, tali hora, &c. non video in hoc genere superstitionẽ: licet aliquando posset id esse scandalum, si alij putarent esse superstitionem, & exemplis eiusmodi inducerentur ad alia vana. Quod tamen scandali

periculum

periculum non videtur magnoperè timendum in iis locis, vbi omnes simplici animo eiusmodi circumstantiis vtuntur: quas velle tollere & damnare, difficile est, vt prudenter inquit Caietanus.

Ac possumus hoc ipsum confirmare luculento testimonio S. PAVLINI, qui in Natali 2. S. Felicis Martyris Nolani, non sine laude & commendatione refert consuetudinem fidelium, qui suo tempore solerent ad sacrũ Martyris sepulchrum.

Non solùm gremio sua pignora ferre paterno,
Sed pecora ægra manu sæpè introducere secum,
Et Sancto quasi conspicuo mandare licenter.
Mox ęg, datam sua confisos ad vota medelam,
Experto gaudere Deo, & iam credere sana,
Et verè plerumque breui sanata sub ipso
Limine læta suis iumenta reducere tectis.

Quartò potest eadem superstitio dignosci ex vanitate EFFECTVS, qui precibus procuratur. Cuiusmodi est, quod annulus ferreus super filum positus moueatur, verbis aliquibus sacris pronunciatis. Tunc enim, vt rectè asserit Caietanus, Verbo Incantatio, putandum est, *tacitè* eiusmodi verba ad dęmonem referri, qui vult etiam verbis sacris honorari: nõ verò ad Deum, à quo minimè exspectandus est vllus vanus effectus. Et hoc quidem ita esse, Caietanus ibidem testatur, se experientia probâsse. Cùm enim annulo super filum posito diceret eadem illa verba sacra, protestatus se nullo modo ad dæmonem illa dirigere, sed ad Deum, secundùm intentionem eius, qui illa aliquando sanctè vsurpauit; annulus permansit immotus. Ex quo colligit Caietanus, illum effectum non sequi, nisi quando saltem *tacitè* illa verba ad dæmonem referuntur.

SED dispiciendum est circa eiusmodi effectus vanos, vtrum reuera à dæmone exspectentur & obtineantur eum deprecando: vel potius fiant *ab ipso precante*, celeritate manuum, qui scilicet iocandi causâ sic illudat aliis. Tunc enim non esset superstitio, sed vanitas potius, vel etiam licita recreatio, si desit tamen scandalum.

Atq; hæc omnia, quę circa dignoscendam obseruationem superstitiosam consistẽtem in PRECIBVS aut VERBIS diximus, omnino sunt consentanea Can. *Non obseruetis* 26. q. 7. vbi in collectionibus herbarum prohibetur Christianis, ne aliquas incantationes, aut obseruationes adhibeant, & iubentur solùm vti Symbolo fidei & oratione Dominica.

His autem & similibus vanitatibus remotis, licitum est verba sacra & preces scriptas secum gestare, sicut etiam vsurpare voce. Nam cùm quis gestat, tacitè eo ipso precari etiam videtur. Ita docet D. Thomas ar. 4. & Syluester, Verbo Superstitio q. 10. & Nauarrus cap. 11. n. 35.

Iam videndum est, vnde sit dignoscẽda superstitiosa & vana obseruatio consistens in TERTIO modo ex tribus p. præced. explicatis, scilicet cùm media inutilia & inefficacia adhibentur ad effectus aliquos extraordinarios tanquã causæ suapte natura ad eos sufficientes. In quo quidem genere difficillimũ est, à superstitiosa obseruatione distinguere ac secernere *rectum vsum* virtutum naturalium; qui procul dubio non est superstitiosus, vt patet ex D. Thomæ art. 2.

Primò, quoniam virtutes naturales rerum singularium occultissimæ sunt, ita, vt vix minimam earum partẽ cognoscamus. Vnde difficillimum est pronunciare, aliquam causam adhibitam, esse inefficacem sua natura ad effectum, atq; ideo pertinere ad obseruationem superstitiosam.

Secundò, nam etiamsi cognoscatur, causam esse insufficientem suapte natura ad effectum, tamen diiudicandum præterea restat, vtrum effectus à *malo* spiritu, vel potius à *bono* exspectetur. Siquidem constat sine controuersia, effectus superantes virtutem causæ naturalis adhibitæ, non solùm à dæmone, sed etiam à Deo, & à bonis Angelis posse exspectari & obtineri. Hæc autem diiudicare, difficile est, vt postea patebit.

Tertiò augent etiam difficultatem hac in parte, ancipites & non satis explicatæ Doctorũ sententiæ. Cùm enim quæritur, quandonam contingat superstitio in adhibitione eiusmodi causarum ad miros aliquos effectus: Ferè Doctores videntur tantùm conditionaliter respõdere. Aiunt enim, si causa adhibita sit suapte natura sufficiens ad intentum effectum, non esse vllam superstitionem; sed pertinere eum vsum causæ, & virtutis eius naturalis, ad secretiorẽ quandam Philosophiæ partem, quæ in perueſtigandis & vsurpandis rerum naturalium virtutibus versatur, quamq; *magiam naturalem* & licitam vocant, à viris illustribus & sapientibus vsurpatam. Vt videre est apud Picum Mirandulanum in Apolog. q. 5. & Franciscum Victoriam in Relect. de Magia q. 3. Si autem causa adhibita, sit ad effectum insufficiens, aut non *nisi* adminiculo & concursu dęmonis operetur; tunc dicunt, id esse superstitionem & commercium cum dæmone, atque adeo magiam diabolicam, damnatam ab Ecclesia. In tradendis verò Notis & quasi regulis, ex quibus dignosci debeat, vtrum potius modo ea causarum ad effectus mirosapplicatio fiat, nimium parci sunt.

Videtur autẽ id commodius doceri posse, si in re difficili & perplexa, prius vnde non sit, quàm vnde sit hoc dignoscendum, ostendamus. PRIMO igitur adhibitionẽ alicuius causæ ad extraordinarium effectum esse superstitiosam, nequaquã videtur sufficienter posse colligi ex eo solũ, quòd non intelligatur, etiam à sapientibus, quemadmodum causa adhibita virtutem habeat ad effectum eum, qui procuratur. Patet hoc ea ratione. Nã omnes sine controuersia fatentur, esse in rebus variis admirabiles virtutes, id quod experientia etiam probatum est; neq; tamen earum virtutum possunt cõmodam rationem reddere.

Huius generis multa admirabilia colligit Frãciscus de Victoria q. 3. de Magia, ex D. Augustino lib. 21. de ciu. ca. 4. & 5. & ex Plinio lib. 7. naturalis historiæ,

historiæ, & ex Aristotele (vel quisquis fuit ille auctor) in lib. de mirabilibus. Quale est illud, quod Augustinus memorat, esse fontem in Epiro, quo faces ardentes extinguuntur, & accenduntur extinctæ. Et quod Aristoteles perhibet, lapidem molarem in Tigride reperiri, quẽ qui gestet, non lędatur à feris: Et in monte Echero nasci herbam charisiam, quę omnes ad amorem eius, qui illam gestat, alliciat. Item quod Plinius dicit, saliuam humanam esse venenum serpentibus; & Phylos, qui sunt populi Lybię, habere in propriis corporibus virtutem innatam medendi morsibus serpentũ. Vnde Plutarchus in vita Catonis narrat, illum cùm in Africam exercitum duceret, secum habuisse homines eiusmodi contra morsus serpentum, qui in regione illa frequentes sunt. Et simile quid de aliis hominibus Italiæ perhibetur, quos Marsos vocant. Et multa denique admirabilia huius generis colligit etiam Pomponatius in lib. de Incantationibus, cap. 3. & 4.

SECVNDO neq; id videtur debere colligi ex sola præstãtia effectus, siue quoad *naturam*, siue quoad effectionis *celeritatem*, siue quoad *diuturnitatem*. Ratio est *primò*, quoniam excellens effectus etiam potest prouenire à bono spiritu. *Secundò*, quoniam vt rectè Victoria probat q. 3. de Magia ex sententia Alexandri in libro de Magis, negandum non est, quin aspectus astrorum, opportunè obseruatus in applicatione alicuius causæ inferioris, supplere possit concursum aliquarũ causarum particularium. Ita, vt illud idem, quod adhibitis pluribus causis particularibus posset aliquo temporis spacio fieri, celerrimè quoq; perfici possit propter opportunum influxum cœli, supplentem plures eiusmodi causas. Quòd enim plurimum valeat opportunus influxus cœlestis, apertè patet in agricultura & arte nauigãdi, &c. in quibus ideo valdè vtiliter affectio cœli obseruatur. Quamobrẽ non puto vniuersè verum esse, quod Caietanus ait in Summa, Verbo Incãtatio, posse deprehendi superstitionem ex celeritate effectus; nisi simul aliqua alia indicia vanitatis in actione concurrãt, de quibus postea videbimus.

Sed dicat aliquis: si verum est, quòd tantũ valet opportunus cœli influxus, sequeretur posse ea ratione vitam hominis perpetuò conseruari, opportunè adhibitis ad id remediis, vel saltem diutissimè prorogari; vt ad mille annos v. g. sicut initio mundi durabat. Ad hoc RESPONDET optimè Victoria q. vlt. de Magia, negando Sequelam. Ratio est: quoniam ob peruersitatem & corruptelam morum, ita fracta & debilitata est iam natura humana, vt capax non videatur tam efficacium remediorum, etiamsi suppeterent. Itẽ quia putandum est, initio quidẽ mundi diuinitus fuisse talem cœli constitutionẽ, & ita diuinam prouidentiam cum causis inferioribus concurrisse, vt facilè potuerit vita humana esse tam diuturna. Iam verò non item, quoniam non est eadem necessitas humanum genus propagandi, &c.

TERTIO, neq; potest id colligi ex eo solo, quòd causa adhibita videatur naturâ sua non habere sufficientem proportionẽ cum effectu. Quamuis enim ita sit, tamen non illicò est manifestum, à malo spiritu, & non à bono effectum exspectari. Patet in Sacramentis & Sacramentalibus, quę sine dubio naturâ sua improportionata sunt ad effectum, & tamen effectus non est à malo spiritu, sed à bono. Item patet in facto Raphaëlis Angeli circa Tobiam, qui vt patet Tob. 6. fumo iecoris piscis fugauit dæmonem ex domo Raguelis. Et tamen certum est, causam illam naturaliter non fuisse sufficientem ad eum effectum, scilicet ad expellendum dæmonem: cùm *non sit virtus* naturalis *in terra*, quæ comparari possit cum virtute dæmonis, vt patet Iob 41. Vt enim rectè probat Victoria q. 6. de Magia, dæmon nullius alterius rei vi cogi potest ad aliquid, præterquam virtute Dei aut spiritus superioris, cuius operâ contingit interdum, vt Necromantici impellant dæmones inferiores ad aliquid faciendum.

QVARTO, neq; id potest colligi ex eo solùm, quòd constet, vsum causæ adhibitæ non ab alio fuisse monstratum, nisi à *dæmone*. Et enim vt rectè notauit Victoria q. 4. de Magia, postquam semel cognita est virtus naturalis alicuius rei, nihil obstat, quò minus possit quis licitè vsurpare illam, dummodò effectus nõ requirat præsentem concursum & operationem dæmonis.

QVINTO, neque id potest colligi ex eo solo, quòd is, qui causas eiusmodi adhibet, sit homo impuræ vitæ. Ratio est: quoniã nihilominus posset contingere, vt talis operaretur ex gratia gratis data à Deo. Cõstat enim ex Scriptura, gratias gratis datas reperiri in peccatoribus, vt patet ex illo Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus?*

SEXTO, neque etiam ex eo solo, quòd is, qui operatur, proponat sibi malum finem in ipsa applicatione causæ. Inde enim tantùm sequitur, Deum ad tale opus hominẽ non incitare; potest autem nihilominus tale opus niti occulta virtute causæ adhibitæ. Nihil enim obstat, quò minus possit aliquis abuti virtute naturali, aut etiam supernaturali gratis data, ad malum finem. Quare id opus tunc neq; esset commercium cum dæmone, neque superstitio; sed aliud peccatum ex circumstantia *finis*, de quo non disputamus.

Exclusis igitur his sex capitibus, tanquam insufficientibus ad cognoscendam superstitionem vanæ obseruationis, & commercium tacitũ cum dæmone; quatuor capita videntur esse reliqua; ex quorum quolibet potest id dignosci. PRIMVM est *modus* operandi. SECVNDVM est *conditio* causæ adhibitæ & simul *circumstantia* in illa adhibenda. TERTIVM est conditio *effectus* intenti. QVARTVM est communis experientia, quæ doceat, in vanum & omnino frustrà operam & tempus teri in procurandis per quædam media & causas extraordinariis quibusdam effectibus.

PRIMO

PRIMO igitur EX MODO operandi cognoscetur in hoc genere vanitas & superstitio, si verba ignota ad dæmonem expressè pertinentia, aut aliæ similes vanæ circumstantiæ (de quibus circa obseruationem superstitiosam secundi modi dictum est) inter applicandā causam adhibeantur. Tunc enim certò iudicari potest, vt minimum esse ibi commercium cum dæmone expressum aut tacitum. Is enim illicò se immiscet, vndecunque vanitas operationis contingat, siue ex parte rei adhibitæ, siue etiam ex parte modi. Vnde si, quando modus est vanus, simul etiam contingat, rem adhibitam insufficientem esse ad effectum intentum; erit non solùm commercium cum dæmone, sed etiam superstitio. Si autem contingat, rem adhibitam esse alioqui sufficientem ad effectum, tunc tantùm erit commercium cum dæmone, propter vanum modum, sicut patet ex dictis p.2.

Ac pertinet etiam ad vanitatem *modi*, si quis causam applicet in loco valde distāti à passo; ita, vt ex Philosophia sapientes concludant, nō posse talem effectum à tam distanti causa prouenire. Quod præsertim iudicari potest, quando eadem causa, proximè vel propius applicata, non efficeret eundem effectum. Nam cùm causa distans nō agat nisi per alterationem medij, constat ex Philosophia, causam agentem mediatè, facilius agere, quando est propinquior. Neque verò per hoc admittimus illud aliud primum caput, quod antea diximus esse insufficiens ad cognoscendam vanitatem in huiusmodi, scilicet quod à sapientibus non cognoscatur virtus & efficacia rei adhibitæ ad aliquem effectum. Aliud enim est, non cognoscere, quomodo aliqua res virtutem habeat ad aliquem effectum: aliud verò est, positiuè ex Philosophia concludere, quòd non habeat. Primum non sufficit ad cognoscendam in hoc vanitatem. Secundum verò abundè est satis. Alioqui inutilis esset tota cognitio Philosophiæ, quam iam sapientes acquirūt, si ex illa nihil pronunciari potest de facultate vel imbecillitate alicuius rei ad quempiam effectum.

SECVNDO ex conditione verò CAVSÆ adhibitæ, simulque ex CIRCVMSTANTIA in modo adhibendi, deprehendi potest vanitas in huiusmodi, si & causa adhibita iudicetur improportionata ad effectum, & præterea non adhibeatur ex legitima auctoritate eius, qui causam naturâ sua insufficientem possit propter conuenientes rationes adhibere ad effectum tanquam *signum*. Cuiusmodi nimirū est Dei auctoritas in instituendis Sacramentis; & Ecclesiæ in Sacramentalibus.

Atq; ex hoc capite intelligi potest, vanè adhiberi ad effectus extraordinarios artificialia, quatenus *artificialia* sunt; vt *imagines*, quas vocant, *Astronomicas*, characteres, &c. quæ omnia meritò damnat S. Thomas hic ar.2. in solutione secundi, & 4. contra Gentes cap.104. & 105. & ibid. Ferrariensis, & Syluester, Verbo Superstitio, q.10. & quidam Ioannes VVierus lib.4. de præstigiis dæmonum. Ratio est: quoniam huiusmodi *artificialia*, neque secundùm se, neq; etiam aliqua virtute cœlesti eis impressa, possunt esse principium operationis, qua alterentur corpora. Ergo vanè adhibentur, vt artificialia sunt. Prima pars Antecedentis probatur. Nam principium operationis solùm est qualitas, quæ sit naturalis potentia in tertia specie Qualitatis. Figura autē artificialis, vt patet, non est naturalis potentia: siquidem ad libitum artificis variatur, virtute naturali rei nō mutata, sicut etiam non mutata natura specifica. Secunda pars Antecedentis probatur. Nam opus artificiale, vt artificiale, est opus voluntarium. Sed ad opus voluntarium, vt voluntarium est, nō concurrit cœlū, sicut neq; ad voluntatem, à qua illud procedit. Ergo eiusmodi artificialia, quatenus artificialia sunt, nullam impressionem recipiunt ex cœlo. Confirmatur. Nam si imagines & figuræ habent aliquam efficaciam; eadem ratione posset idem defendi de characteribus, cùm præsertim incisione fiunt. Nā tunc etiam aliquo modo variatur figura. Sed characteres communiter à Theologis damnantur in hoc genere. Ergo etiam sunt damnandæ imagines, seu figuræ.

Ad maiorem tamen declarationem huius rei, soluenda sunt argumenta, quibus Caietanus hic art.2. præter Pomponacium lib.4. de Incantationibus, nititur defendere huiusmodi imagines & figuras, quas vocant Astronomicas. PRIMVM argumentum. Quamuis figura non sit operationis principium, tamen est comprincipium eius. Ergo ex hac parte intelligi potest, à corpore hac vel illa figura insignito, peculiares effectus prouenire. Antecedens patet tum ex variis instrumentis artium, in quibus procul dubio diuersitas figuræ multum confert ad diuersitatem operationum: Tum etiam ex eo, quòd ferrum latum, verbi gratia, fertur super aquas; quod tamen, si esset alterius figuræ, mergeretur.

SECVNDVM. Si aurum v.g. obseruato signo cœlesti Leonis, præsignetur figura leonina, credibile est, illud propter conformitatem & similitudinem, quam habebit cum illa constellatione cœlesti, aliquam virtutem ex illa recepturum, ex qua possit efficere peculiares effectus. Nā fertur (inquit Caietanus) huiusmodi imagines Astronomicas sic fabricatas sub signo Leonis v.g. non habere effectum, nisi in hominibus leoninis; quia nimirum oporteat esse aliquam proportionem in passo cum illa virtute cœlesti, ex qua figura impressionem & efficaciam recipit. Quod quidem argumento est, eiusmodi imagines nō esse vanas.

TERTIVM. S. Thomas 3. contra Gentes, c.104. concedit, eiusmodi imagines virtutem aliquam ex cœlo habere, quatenus imagines sunt, & quatenus constituunt rem in specie artificiali.

QVARTVM. Videtur difficile, damnare illos omnes, qui huiusmodi imaginibus vtuntur.

Ad PRIMVM respondeo per distinctionem Antecedētis. Verum enim est, figuram esse comprincipium in motu quidem *locali*, & in operationibus, quæ interueniente eo motu, fiunt per diuisionem continui. In his enim multum refert, qualis sit figura. Falsum autē est in *alterationibus*, quæ fiunt secundùm qualitates. Nam sicut substantia & natura rei abstrahit ab hac vel illa artificiali figura: ita etiā potentia actiua, vtpote proportionata ipsi naturæ rei, tanquā ex illa fluens. Quòd si dicas, propterea conferre figuram ad alterationem etiam, quia corpus hac aut illa figura insignitum, melius conseruat qualitates actiuas: Contra hoc est *primò*, quòd saltē in figuris solidis hæc ratio non habet locum. Si enim figura quidquam confert ad conseruandam rei qualitatem; causa est, quia defendit illam à circumstante contrario, ne videlicet per illud remittatur: quod tātùm videtur locum habere in concauis figuris, rerum nimirum, quæ quia cauæ & conclusæ sint, aliqua sui parte nequeant immediatè attingi ab agente extrinseco. *Secundò* contra id etiam obiici potest, quòd virtus seu qualitas impressa corpori ex cœlo ad effectus mirabiles, deberet esse multo præstantior, quàm sint qualitates elementorum circumstantium tale corpus figuratum. Vnde nullo pacto figura eius conferret ad conseruandam talem qualitatem impressam, sed ipsa per se in quacunq; figura satis resisteret corpori circumstanti.

Ad SECVNDVM respondeo, illud quod dicitur de conformitate & similitudine imaginum cum constellatione, esse admodum futile. Nam vix aliqua est similitudo inter figuram leonis v.g. & signum cœleste, quod à Mathematicis dicitur Leo. Hæc enim nomina non fuerunt stellis imposita propter similitudinem, sed *ad placitum*, stellas distinguendi causâ: & propter aliquam fortè analogiam effectuum stellarum, & effectuum rerum, quæ apud nos ita appellantur; qui effectus minimè efficiuntur ab eiusmodi rerum figuris, sed ab earum naturis & potentiis actiuis. Quare vanum est existimare, impressam esse à cœlo corporibus hoc vel illo modo figuratis virtutem aliquā, propter similitudinē eorum cum iis rebus, quarum nominibus astra appellantur. Ad id autem, quod Caietanus narrat, eas imagines Astronomicas habere tātummodò effectum in iis hominibus, qui similitudinem aliquā videantur habere cum illis astris: Respondeo, si id ita accidit, omnino esse artificium diabolicum sic decipientis omnes eos, qui huiusmodi vanitatibus sunt dediti.

Ad TERTIVM respondeo, S. Thomam non loqui tunc ex propria sententia. Impugnat enim illud ex professo in illo capite; sed loquitur in persona Aduersarij, quem ait, vtcumque, quod attinet ad figuras & imagines, posse tergiuersari illud dicendo, vt sic demum S. Thomas concludat, saltem esse certissimum de characteribus, quòd sint vani: id quod potissimum S. Thomas vult illic persuadere.

Ad QVARTVM respondeo, meritò illos esse damnandos. Nisi fortè aliqui per ignorantiam propter aliquorū Doctorum auctoritatem, excusarentur, existimantes eiusmodi artificialia vim aliquam habere. Nam & idem videri posse probabile de characteribus & de numeris, censuit Picus Mirandulanus in sua Apologia q.5. vbi non solùm pro hoc affert auctoritatem Pythagoreorum, quorum fuit ea sententia, sed etiam multorum Patrum, qui multum videntur numeris tribuisse. Inter quos affert etiam Rabbanum, qui de virtutibus numerorum librum composuit. Et Victoria q.3. de Magia, videtur etiam figuras & imagines Astronomicas admittere. Refert enim inter alia mirabilia, aliqua huius generis, neque tamen reprobat. Quale est, quod ex Cælio Rhodigino perhibet, Tarcham Regem Indorum, septem annulos confecisse, eosq; septē nominibus Planetarum præsignasse, quibus mirabilia opera ederet: tum illos postea Apollonium Tyaneum dono accepisse, singulisque diebus hebdomadæ singulos, iuxta numerum Planetarum, prætulisse, atque ita consecutum esse, vt vltra centesimum ætatis annum iuuentæ nitorem conseruaret. Sed huiusmodi ego opiniones arbitror esse omnino falsas propter rationes antea allatas.

Disputat præterea Pomponatius lib. de Incātationibus cap.4. & 12. posse interdum mirabiles effectus referri ad vim IMAGINATIONIS humanæ. Quam putat non solùm proprium corpus, sed etiam alienū diuersimodè posse alterare; non quidem quasi habeat ipsa per se vim imperandi corporibus, vti arbitrabatur Auicēna, contra quem S. Thomas 3. contra Gentes cap.103. disputat, sed quòd illā varię passiones in appetitu consequantur; quæ cùm non sint sine aliquo naturali motu cordis; fieri potest, vt eo motu sanguis & spiritus hominis alterentur, atq; ita varij spiritus siue vapores sensibiliter aut insensibiliter ex humano corpore exhalent, quibus alia corpora affecta diuersimodè alterētur. Ad eum videlicet modū, quo speculum à menstruata inquinari solet per vapores, &c. & quo solēt accidere fascinationes, præsertim corporū tenerorum, vt puerorū, &c.

Ego verò non inficior, quin per imaginationē ob adiunctum illum cordis motum possit variè alterari corpus quidē PROPRIVM. Concedit enim id S. Thomas 3. contra Gent. c.103. Et hoc ipsum est fundamētum illius sententiæ Galeni, qui lib. Prognosticorum, ca.2. ait, eum Medicum plures sanare, de quo plures confidūt. Quin etiam haud difficulter concederem, in corpore *alieno* posse interdum aliquem effectum nō magni momenti sequi ex imaginatione, per vapores exhalātes ob illum adiunctum cordis motū; præsertim si alienum corpus non sit valdè distans. Cęterùm quòd etiam admirabiles quidā effectus in corporibus alienis per imaginationem eo modo fiant; vt expulsio tempestatis v.g. sanitas in morbo difficilimo, & similia, quę Pomponatius putat; non dubito,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bito, quin sit omnino commentitium. Nam certum est, talem aliquam efficaciam eiusmodi spirituum & vaporum humani corporis, non oriri ex ipsa perfectione hominis *specifica*. Tunc enim omnes homines eam efficaciam haberent. Quòd verò ex diuersitate *indiuidualis* complexionis in aliquibus hominibus, quando imaginantur, insit talis virtus, vix est credibile. Nam non est verisimile, quòd ex inæquali duntaxat perfectione accidẽtium indiuidualium existat facultas naturalis ad effectus tam admirabiles, atq; adeo longè superans facultates eas, quę consequuntur naturam ipsam specificam hominis: siquidem accidentia propria indiuidui imperfectiora multo sunt, quàm natura specifica. Neq; verò ad id asserendum, Philosopho satis debet esse, quòd non videat implicationem contradictionis in ea re; sed opus esset experientia certa, constanti ratione, &c. alioqui infinita figmenta possemus Philosophiæ inserere.

Diximus pręterea, posse TERTIO vanitatem in huiusmodi deprehendi ex conditione EFFECTVS exspectati, concurrente *circumstantia vana*. Vt videlicet, si effectus esset talis, qui non posset prouenire, nisi à natura intelligente; & circumstãtia adhiberetur vana, quæ facilè osteãderet, effectum non exspectari à bona natura intelligente, sed à *mala*. Vt si v.g. quis ex statua aliqua verè exspectaret responsum de occultis, quod certum est non posse dari, nisi à natura intelligente: aut si ad hoc niteretur, vt statua moueret se motu progressiuo animalis, quem certum est, statuam nõ posse ex se habere, quippe cùm talis motus sit effectus vitę, quã statua minimè habet, cùm non sit organizata, neq; habeat temperamentum tale, quale ad vitã requiritur: Vt optimè disputat S. Thomas 3 contra Gentes, ca. 104. contra Hermetem, qui auctore D. Augustino li. 8. de ciu. Dei, ca. 23. putabat eiusmodi statuas magicas, esse ad aliquos effectus animatas. Quod apertè est contra illud Psal. 136. *Simulachra gentium argentũ, etc. Os habent, & non loquentur: neq; enim est spiritus in ore ipsorum.*

Modus verò siue *circumstantia vana* in huiusmodi conatibus cernitur, si is, qui hæc molitur, minetur aliqua impossibilia aut absurda, nisi effectus sequatur; vt quòd conteret cœlum, verbi gratia, quòd exturbabit sidera, &c. His enim & similibus vanitatibus solent vti Necromantici, vt patet ex Porphyrio in epist. ad Anebriotem, quam D. Thomas citat vbi suprà cap. 106.

Supereſt vltimum caput, ex quo diximus, posse QVARTO dignosci vanitatem operationis in hoc genere; nimirum si communis EXPERIENTIA doceat, frustrà studium & operam insumi in procurandis per quædam media & causas præstantes quosdam effectus. Quo quidem ex capite vanæ non immeritò videri possunt nonnullæ CHIMICORVM operationes.

Etenim de quęstione Chimica, an scilicet fieri possit naturaliter transmutatio rerum viliorum in aurum, aut aliam rem pretiosiorem, tres sunt sententiæ. Duæ extremæ, quas existimo falsas, & vna media, quę cuique prudenti viro probari deberet tanquam vera.

PRIMA sententia extrema est eorum, qui affirmatè asseuerant, transmutationem illam absolutè esse impossibilem naturaliter. Hoc puto nõ satis prudenter ac eruditè affirmari. PRIMO, quia cũ sint innumerabiles res naturales nobis ignotæ, quæ sunt perspectæ Deo ac Angelis bonis & malis: meritò quis dubitare potest, an vna ex numero illarum sit illa transmutatio. SECVNDO, quia multa alia videmus naturaliter fieri, quorũ rationem ignoramus, &c. TERTIO, quia non minus mirabilis fuit transmutatio Virgarum in serpentes, factam per Magos Pharaonis; & tamen D. Augustinus lib. 3. de Trinitate censet, fuisse illam verè & naturaliter factam, operâ Dæmonum, qui occultissimas quasdam causas seu semina ad illum effectum applicauerint.

SECVNDA sententia extrema est aliorum, qui affirmatè asseuerãt, esse illam transmutationem possibilem naturaliter, atque adeo etiam posse fieri arte & studio humano. Hoc etiam arbitror non satis prudenter & eruditè asseuerari. Nam neque ex *natura* earum rerum, quas homines ad eum effectum adhibere solent, neq; ab *experientia* potest quis firmiter ostendere, transmutationem illam esse naturaliter possibilem.

Non EX NATVRA ipsarum rerum, quæ ad eum effectum adhibẽtur. Quia nulla illarum est causa efficiens *principalis* eiusmodi effectus; cùm nulla sit perfectior, aut ęquè perfecta, atq; effectus, qui intenditur: nec aliqua alia talis causa efficiens principalis potest à Chimicis satis certò & constanter in suis operationibus indicari, cuius instrumenta & coadiuuantia sint res illę, per artem à Chimicis adhibitæ. Nam oportet artem in hac re imitari naturam: Natura autem in hoc genere agit occultissimè. Primũ enim magna & obscura quæstio est de *Materia*, ex qua aurum fiat. Nam quod dicunt pleriq; Chimici fieri ex sulphure & argento viuo, incertissimum, vel potius omnino falsum est. Nam in plerisque locis, vbi aurum reperitur, nullum extat sulphur aut argentum viuum: sicut etiam, vbi sulphur & argẽtum viuum est, nullũ reperitur vestigium auri. Deinde quæstio est de *qualitate*, per quam velut per *instrumentum* Cœli aut Solis, generetur aurum: an scilicet dãt Metalla: quod est indicio, generari ea potius per frigus, quo dẽsentur halitus & vapores, quos Aristoteles materiam Metallorum esse censet. Item siue calor, siue frigus, siue vtrumq; sit huius generationis instrumentum, tamen qualitates, per quas corpora cœlestia agunt, non videntur posse suppleri per elementorũ qualitates, si qualitates illæ, quæ sunt instrumenta cœlorum, conſiderentur nõ modò vt sunt calor aut frigus, sed etiam

etiam vt sunt *organa* quædam & *instrumenta naturalia* cœlorum, in quorum virtute agunt, &c. Habere enim instrumentaliter hanc cœlorum virtutem inseparabile quiddã & proprium est ipsarum naturalium qualitatum, quæ sunt naturalia instrumenta & organa cœlorum. Quod autem aiunt Chymici, in iis rebus, quas àdhibent, esse *semen auri*, dicunt quidẽ, sed non probant. Oportet namq; omne semen agere in virtute alicuius *principalis* causæ, quam isti non possunt certò & constanter indicare, vt iam probatum est.

Non possunt etiam ab EXPERIENTIA probare Chimici, posśibilem esse naturaliter illam transmutationẽ: Est enim hac in re illorum experientia multis nominibus meritò suspecta & incerta.

PRIMO, quia vt verè affirmauit Pontifex Ioannes XXII. (cuius verba postea referemus) facilè isti solent dicere ea quæ non sunt, fascinati quasi nimia illa spe & vehementi seu Melancholica opinione auri, &c. sicut quidam qui per literas (quas ego ipse legi) falsò affirmârunt, feciſse se ex puluęribus illis Marci Bragadini in absentia illius verum aurum; quorum puluerum vanitatem ipse Marcus, instante iam supplicio mortis, qua piè admodum Monachij obita pristinas fraudes expiauit, propria sua manu in scripto, quod ego vidi, toti mundo testatus est, anno M. D. XCI.

SECVNDO, quia communiter illorum paupertas & mendicitas detrahit illis fidem, quando iactant suas experientias. Quod vnicũ argumentum est euidens in moralibus: & illud solum deberet sufficere; cùm (si Chymicorum ipsorum testimonia excludas) de nullo possit certò probari, quòd per istam artem fuerit diues factus.

TERTIO, quia dato, quòd experientiæ ipsæ, quod ad effectum quidem ipsum attinet, non nitantur mendacio narrantis; tamen possunt niti variis fraudibus, quæ vel in auri probatione postea, vel in ipsa operatione adhibeantur, sicut fraudulenta fuit operatio illa Marci Bragadini, quæ certè videbatur euidentissima & certissima. Quid ni igitur & aliæ, quantumuis ad oculum euidentes, aliquo alio modo similiter fraudulentę sint, & ideo meritò suspectæ habeantur?

QVARTO, quia dato, quòd tales experientiæ nullis etiam fraudibus nitantur, tamen incertum est, an fiant per aliquid, quod fuerit scitum, aut sciri possit studio humano; an verò per aliquid, quod suppeditetur à spiritu malo; sicut facta fuit per Magos conuersio Virgarum in serpentes ex Augustini sententia. Neque enim spiritus bonus aurum & diuitias per vias *extraordinarias* suppeditare solet; sed bona spiritualia. Cùm non legamus: Beati diuites auro. Sed: *Beati pauperes spiritu.* Neq; etiam est verisimile, malum spiritum, si fortè nouit, & suppeditat quandoq; naturales causas occultas effectuum huiusmodi, docere etiam homines artem illarum conquirendarum. Referuat enim eam scientiam sibi, vt facilius possit fallere, & ad suam volũtatem ac suggestionem pertrahere homines; maximè cùm tanto odio prosequatur genus humanum, vt verisimile non sit, velle eum homines quidquam docere ad tantam illorum vtilitatem, quanta esset in ea arte.

QVINTO, quia si tales experientiæ fierent verè per artem humanam, constaret certissimè de aliquibus, vel aliquo, qui eam *calluisset*; id quod minimè iam constat, nisi per testimonium incertissimum ipsorum Chimicorũ, & per nescio quas illorum cõiecturas & ratiocinationes, quibus similiter palliari & colorari possent omnia figmenta, quantumuis incredibilia & falsa, &c.

SEXTO, quia nemo est repertus, qui talem artem alios docere posset verbo aut scripto; quod signum est, neminem eam callere, cùm signum sapientis sit, posse docere, &c. Neq; est credibile, neminem vnquam voluisse alios docere, qui eam artem calleret; aut si voluisset, de eo non certius constare.

SEPTIMO, quia nemo est illorum, qui affirmet, se *vltimum* effectum Alchimicum iam esse expertum, sed solùm dicunt, se illum *sperare*; præfigentes priores quosdã terminos temporis, ad quos quædam alia antecedentia facilè possint fieri, vt ita excitent spem vltimi quoq; effectus, etiamsi nunquã sit secuturus. Quod est profectò accommodatissimum artificium ad emungendã interea pecuniam, & trahendum homines per nasum suspensos, sicut isti solent, donec parent fugam.

Est igitur TERTIA sententia media & vera aliorum, qui neq; determinatè negant, transmutationem illam esse absolutè & per se naturaliter possibilem, neque id etiam affirmant: sibi tamen persuadent, etiamsi fortè possibilis per se sit, esse tamen ita difficilem, vt videri debeat esse suprà humanam facultatem. Cuius sententiæ veritas patet iam ex rationibus, quibus primam & secundam sententiam oppugnauimus.

Ex quibus consequitur, verissimum id esse, quòd communiter sapientes sentiunt, & Theologi etiam tradunt, nempe studium illud Chimicum, esse communiter indiscretum & periculosum, & ordinariè etiam pernicioſum & illicitum, ratione saltem circumstantiæ, personarum, &c.

PRIMO, quia non est rectæ rationi consentaneum, studere iis rebus, quæ sunt suprà studium humanum, vt est hæc res, quemadmodum anteà est probatum.

SECVNDO, quia imprudenter ageret is mercator, qui daret operam ei negociationi, in qua ex mille vix tres aut quatuor essent, qui non maximam iacturam facerent suarum fortunarum, & nullum lucrum. Multo igitur magis ij, qui se dedunt Alchimiæ, cùm ne vnus quidem ex mille assequatur id, quod Chimici pollicentur, sed omnes huic arti deditos constet iacturam feciſse temporis & pecuniarum.

TERTIO, quia cõmuniter hoc studium auocat mentẽ & animum ab his, quę magis sunt necessaria, & quæ homini ex officio suo incumbunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVARTO, quia imprudens & ineptus meritò iudicaretur is, qui propterea quòd serpentes à Magis Pharaonis potuerunt naturaliter ex virgis fieri (vt Augustinus sentit) huic arti vellet ipse se dedere, speraretq; se illam studio humano reperturum, & ea spe pecuniam multam insumeret.

QVINTO, quia paulatim eò delabuntur Chymici, vt pari ratione putare possint, quiduis ex quouis fieri posse per artem, atq; adeo etiam veros homines, vt quidam istorum aiunt; id quod sine magno absurdo dici non potest. Tunc enim non haberẽt tales peccatum originale, cùm non descẽdant ab Adamo per viam generationis, &c. Et sic non indigerent redẽptore Christo, &c. quę omnia pugnant cum vera fide, & sacra Scriptura.

SEXTO, quia exponunt se isti periculo, ne diabolus se eorum operationibus ingerat, cùm videat eos deditos & occupatos vanitatibus & insaniis falsis, vt Scriptura appellat. Quod est origo & caput Superstitionis & pacti impliciti cum diabolo, vt Theologi tradunt, & nos q. præced. p. 2. tradidimus ex luculenta sententia S. Augustini lib. 2. de doctr. Christ. cap. 22. & 23.

SEPTIMO, quia grauissimis verbis Deus in Scriptura sacra nos ab huiusmodi curiosis occupationibus deterret, admonens, vt iis potius attendamus, ad quæ vnusquisq; ex officio & vocatione sua diuinisq; præceptis est obligatus. Maximè autem Eccles. 3. *Altiora te*, inquit, *ne quæsieris; & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius nõ eris curiosus. Plurima enim suprà sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspicio illorũ* (id est, opinio & spes, quòd fortè possint Chymicè mirabilia fieri, &c.) *& in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum malè habebit in nouissimo; & qui amat periculum, in illo peribit.*

OCTAVO, quia extat etiam grauissima sentẽtia Sedis Apostolicæ contra hoc genus studij Chymici, in Extrauagante *Spondent*, de crimine falsi. Vbi sic ad verbum loquitur Ioannes XXII. *Spondent, quas non exhibent, diuitias pauperes Alchimistæ; pariter qui se sapientes existimant, in foueam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubiè huius artis Alchimiæ alterutrum se professores ludificant, cùm suæ ignorantiæ conscij, eos, qui suprà ipsos aliquid huiusmodi dixerint, admirantur: quibus cùm veritas quæsita non suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, iidemque verbis dissimulant falsitatem, vt tandem quod non est in rerum natura, esse verum aurum vel argentum, sophistica transmutatione confingant: eoq; interdum eorum temeritas damnata & damnanda progreditur, vt fidis* (seu fictis) *metallis cudant publicæ moneta characteres fidis oculis, & non alias alchimicum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant. Hanc itaq; perpetuis volentes exulare temporibus, hac edictali constitutione sancimus, vt quicunq; huiusmodi aurum vel argentum fecerint, vel fieri secuto facto mandauerint, vel ad hoc scienter, dum id fieret, facientibus ministrauerint, aut scienter vel auro, vel argento vsi fuerint, vendẽdo vel dando insolutum; verum tanti ponderis aurũ vel argentum pœnæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum, quanti alchimicum existat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè constiterit deliquisse; facientibus nihilominus aurum vel argentum alchimicum, aut ipsũ (vt præmittitur) scienter vtentibus perpetuæ infamiæ nota respersis.*

PVNCTVM TERTIVM.

Vnde dignoscendum sit, an superstitio vanæ obseruationis sit peccatum mortale vel veniale.

Ad art. 1. D. Thomæ.

DVOBVS modis potest contingere, vt superstitiosa & vana obseruatio (quę ex suo quidem genere est peccatum mortale, vtpote contraria Virtuti Religionis) sit tantummodò peccatum Veniale. PRIMO, propter ignorantiam vincibilem *non crassam* sicut q. præced. dictum est de Diuinatione. SECVNDO etiam ex parte intentionis, si quis his vanitatibus det operam, non quasi efficacibus, sed tantùm vanis ex leuitate quadam; sicut suprà quoque de Diuinatione est dictum.

Ex *paruitate* autem materiæ non videtur posse esse peccatum tantummodò veniale in huiusmodi. Nam deformitas huius peccati cõsistit in hoc, quòd quis sibi vel dæmoni tribuit effectum proprium Dei, quando causa adhibita nõ est ad eum sufficiens, neq; etiã ipse dæmon, & (quod semper hìc interuenit) expresè aut tacitè habet cõmercium cum dæmone: sed quælibet istarum deformitatum secundùm se, abstrahendo à quantitate materiæ, est valdè grauis. Ergo semper id est peccatum mortale, quantum est ex parte materiæ.

Quanquam potest probabiliter dici, quando materia est *leuis*, ex solo quidẽ commercio tacito cum dæmone, non imminere homini tantũ periculum salutis: facilè enim deseret occupationem illam vanam in materia leui; atq; ita nõ facilè ob eiusmodi vanitatem, allicietur à dæmone ad maiora, &c. Itaq; quãdo huiusmodi vanitas tantum est peccatũ propter tacitum commercium cum dæmone, & materia est *leuis*, vt verbi gratia, qũòd semel annulus moueatur super filum; probabile est, non esse peccatum mortale.

PVNCTVM QVARTVM.

De officio Magistratus circa puniendа maleficia.

Ad art. 2. D. Thomæ.

PRINCIPIO dubitari non potest, quin maximè teneantur Magistratus inquirere & animaduertere in maleficia. Extat enim grauissima huius rei admonitio

admonitio diuina & cohortatio ad Magistratus & Principes, tum aliàs passim, tum Exod. 22. *Maleficos non patieris viuere*. Et Deut. 13. *Auferes malum de medio tui*. Et: *Non sine causa Magistratus gladium portat in vindictam malorum*, vt Apostolus ad Rom. 13. ait: Malefici autẽ adeo *mali* sunt, vt ideo etiam *malefici* vocentur, quia non solũ in Deum ac Religionem impij & blasphemi sunt, sed etiam omnium pessimi ac nocẽtissimi salutis humanæ hostes, vt eos appellat Imperator in L. finali, C. de Maleficis & Mathematicis. Vnde & pœnæ grauissimæ in eos sunt statutæ, omni Iure, tum Canonico, tum Ciuili, de quibus suo loco dicemus.

Et quidem tum à seculari Magistratu, tum ab Ecclesiastico puniri possunt ac debent, cùm crimẽ sit mixti fori, vt tradunt Panormitanus & alij in c. 1. de Sortileg. Quapropter expediet adiungi in his causis vnum saltem Theologum Iudicibus secularibus: tametsi rectè in Malleo maleficarum in 3. par. in principio docetur, iudices Laicos de hoc crimine cognoscere ac iudicare posse, etiam quando hæresin continere videtur; idq; propter rationes, quas ibi adducit. Et ita consuetudine & vsu forensi receptum videmus, quòd indistinctè puniantur malefici à iudice quoque seculari.

Atq; est tunc maximè necessaria hæc diligẽtia Magistratus, cùm constat, grassari hoc malum in vicinis locis: non enim est tunc verisimile, ab eo esse immunia propinqua loca. Itaq; si ibi hoc negocium negligatur, timẽdum esset, fore, vt breui hoc malũ, propter negligentiam Magistratus, in immensum crescat cum incredibili damno, tum priuatorum, tum totius Reip. quod etiam ex iustitia deberet ipse Magistratus suis subditis resarcire, vt est cõmunis omnium Doctorũ sententia, quam & nos suprà cõfirmauimus disp. 5. q. 6. p. 3.

Proderit aũt plurimum, vt ij iudices, qui hanc causam cognituri sunt, videant aliquot processus Sagarum, habitos in vicinis locis. Nam vt est verisimile, facinora sagarum alicuius loci, & aliarum vicinarum esse similia, ita similiter ferè cum illis procedendum erit. Item proderit multum, euoluere libros aliquos, qui de hoc toto negotio doctè & breuiter scripti sunt, ac præcipuè Malleum maleficarum part. 2. & 3. & Petrum Binsfeldium Suffraganeum Treuirensem in tractatu de Confessionibus Maleficorum & Sagarum. In quo libro, secunda præsertim parte, omnia ferè dubia & quæstiones, quæ circa huius causæ processum possunt incidere, doctè explicantur.

His præmissis, quoniam materia hęc in vsu frequens est, & propter eius grauitatem & difficultatem, sæpè reddit anxias conscientias Magistratuum & Iudicum; quædam in specie hìc summatim addemus de quinq; his capitibus. 1. Quibus modis institui oporteat inquisitionem circa maleficium. 2. Quomodo maleficium cognosci possit. 3. Quænam indicia & præsumptiones sufficiant ad incarcerandum & torquendum. 4. Quomodo, & quando personæ maleficę deferri, capi, & puniri debeant. 5. Quis sit seruandus processus circa totam hanc causam.

Quibus modis institui oporteat inquisitionem. §. 1.

QVando opinio est, grassari hoc malum in aliquo loco, expediet in primis, *generalem* inquisitionem instituere, imperando omnibus aliquo publico edicto, vt sub certa pœna intra certũ tempus per viam accusationis vel denũciationis iuridicæ deferant, si quid sciant, aut viderint, aut audiuerint; vel eo certè modo, quo in vnoquoq; loco inquisitio criminũ generalis institui consueuit. Neq; opus est, vt huiusmodi inquisitionem generalem præcedat infamia aut suspicio de aliqua persona nominatim, sed satis ad eam instituendam est generalis persuasio, ꝙ omnino expediat, pdi ac puniri crimina pernicioſa Reip. præsertim adeo exitialia saluti hominum; vt patet ex his, quæ de forma inquisitionis docuimus suprà disp. 5. q. 13. & tradit Syluester, Verbo Inquisitio 1. n. 7. & 10. & Sotus lib. 6. de Iustitia & Iure, q. 6. art. 2. concl. 5. & alij. Præterea quoq; procedi potest ad inquisitionem *specialem* interrogando vel ipsos reos delatos, aut iam ante suspectos, vel alios etiam de illis tanquam testes.

Sed vt hęc inquisitio *specialis* legitimè instituatur, quędam sunt necessaria. Nam vt quis iure interrogetur de seipso, necesse est, vt is sit suspectus de hoc crimine, vel propter publicam *infamiam*, qua circa illud laboret, vel propter *semiplenã* probationẽ, vel propter *grauia indicia*, vt patet ex iis, quæ docet D. Thomas suprà q. 69. ar. 2. & Caietanus ibi, & Sotus li. 5. de Iust. q. 6. ar. 2. & Nauarrus in Man. c. 18. n. 57. &c. *Infamia* verò debet esse opinio plurium & proborum, vt colliguntDoctores ex cap. Inquisitionis. Extra de Accusationib. *Semiplena probatio* erit, si præter actorem vel denunciatorẽ, accedat vnius testimonium omni exceptione maius, vel indicia tali testimonio æquiualentia, vt notat Caietanus suprà q. 69. ar. 2. & indicat etiam Nauarrus in Man. ca. 18. n. 57. *Indicia* quoque oportet esse talia, vt considerata natura huius criminis meritò possint ingenerare eius opinionem (iuxta ea, quæ §. seq. dicemus) & duorum saltẽ testimonio comperta sint, vt notat ex communi sententia Syluester, Verbo Indicium, q. 2. & habet etiam constitutio Criminalis Caroli V. art. 23. Atque etiam erit necesse manifestare Reo, cùm interrogatur, esse ipsum suspectũ propter aliquam ex tribus prædictis causis, scilicet ob infamiam, vel semiplenam probationem, vel indicia, vt ita intelligat, se legitimè interrogari & obligatum esse ad respondendũ. Hoc enim est illi indicandum, vt colligitur ex cap. Qualiter & quando 2. Extra de Accusationib. & notat Sotus lib. 5. de Iustit. q. 6. art. 2. & Caietanus suprà q. 69. art. 2. & Nauarrus in Man. cap. 18. n. 57. &c.

Vt autem non solùm ipse Reus *de se*, sed etiam alij de illo, per specialem inquisitionem interro-

gentur tanq̃ *testes*, non sufficit qualiscunq; suspicio, nisi determinatè fuerit orta ex *infamia publica*, qua reus laborauerit, circa crimen, ꝙ inquiritur; vt patet ex ca. Inquisitionis, & ca. Qualiter & quãdo 2. & c. Cũ oporteat, Ext. de Accusationib.

Quomodo maleficium cognosci possit. §. 2.

IAM verò vt cognosci possit, nũ aliqua persona sit maleficij rea, inprimis perspectã habere oportet ipsam naturam & rationem MALEFICII, siquidem tota Magistratus actio in eo inquirendo, dignoscendo, & puniendo versari debet. Est autẽ maleficium (vt ex sacris literis, & Canonibus, & communi Doctorũ sententia colligitur) *opus excedens communẽ captum & facultatẽ hominum, diaboli operà, & libero voluntatis humanæ consensu factum, intercedente nimirũ pacto explicito vel tacito hominis cum diabolo.* Cuiusmodi maleficia videtur omnia posse reuocari ad quinq; genera, vt rectè notauit Syluester, Verbo Maleficiũ, q. 5. Aut enim huiusmodi opera diabolica fiunt *primò* ad cognoscenda occulta & procul posita (vt cõsilia & actiones personarum, quæ longè absunt) aut *secundò* ad infirmitates seu morbos mirabiliter inferẽdos; aut *tertiò* contra, ad sanitates; aut *quartò* ad falsas & præstigiosas apparitiones & actiones; aut *quintò* ad motus vel mutationes rerum & effectus mirabiles, & communi iudicio hominũ impossibiles.

Quapropter maleficæ personæ ex eiusmodi aliquibus argumentis & indiciis dignosci poterunt, quæ idonea erunt, vt ex eis coniici atq; intelligi possit, quidpiam tale cõmissum esse, quod ad genus aliquod pertineat ex his quinq; diabolicorum operum; vel quæ argumẽto esse possint, personam, de qua inquiritur, huiusmodi facinoribus, & pacto cum dæmone esse obstrictam.

Itaq; malefica persona poterit cognosci, *primò* ex confessione ipsiusmet attestantis, se prædicta fecisse, aut aliqua eorũ. *Secundò*, per confessiones aliorũ, qui eiusdem delicti sunt consortes, & qui alios nominant. *Tertiò*, si chyrographum aliquod reperiatur penes aliquam personam, manu eius, atq; ab ea recognitum, quo se dæmoni dedicâsse, abiecta Christi fide, ꝓfiteatur, aut stigmate quodam insignita sit, quo solent maleficæ esse inustæ. *Quartò*, si penes aliquẽ reperiantur aliqua venena, hostiæ, bufones, membra humana, imagines cereę, quę acubus transfixę sint. *Quintò*, si dæmonẽ inuocare solere conuincatur, si minata fuerit mulier alicui malum, & deinde quis reperiatur morbo ac fascinatione correptus. *Sextò*, si testes aliqui sint, contra aliquem testificantes, quòd viderint eum veneno aut vnguẽto quopiam linire animalia, quæ postea mortua reperta sint, aut infantes, aut alios. Habentur hæc postrema apud Ioan. Bodinum de Magorũ Dæmonomania li. 4. c. 2. Quæ verò diximus de confessionibus ipsorũ, & de his, qui & de se, & de aliis confitẽtur, habentur apud alios, præsertim apud Bernar. Spinam in tract. seu q. de Strigibus, & apud Petrum Binsfeldium in tract. de Confessionib. maleficorum, de quibus aliqua inferius dicenda erunt. His signis & argumentis, quibus maleficium indicari solet, multa alia adiungere prudẽs ac diligẽs Magistratus poterit, præsertim verò ex ꝓcessib. contra maleficos institutis, & ex Malleo maleficarum par. 3.

Cæterũ cùm maleficia committantur *occultè*, multo facilius cognoscuntur huius facinoris Rei aut confessione ipsorum per inquisitionẽ & torturam legitimè extorta, aut testificatione aliorum, aut deniq; denunciatione complicum, tortura vel torturæ metu extorta; quæ via etiam est non modò indagandi maleficia ipsa propriè, sed alia quoq; facinora, quæ patrari solẽt à maleficis, & pari vel maiori pœna sunt digna; vt idololatricam adorationem dęmonis, abnegationem religionis Christianę, actionesq; nefandas & sacrilegas erga venerabile Sacramentũ, aliaq; huiusmodi. Est enim hoc maleficij crimẽ ex eo facinorum genere, super quib. iudices possunt ac debẽt interrogare Reos de se confessos in tormẽtis, nũ quos socios ac participes norint eiusdẽ criminis, eisq; credere, cũ aliquos eiusmodi socios denunciant, vt patet ex L. finali, C. de Maleficis & Mathematicis, & copiosè & accuratè multis argumẽtis & auctorũ testimoniis probat Binsfeldius in tractatu seu q. de confessionib. Maleficorum, par. 2. in principio, & concl. 1. Sed tamen vt huic denunciationi participum criminis fides adhibeatur, oportet eam à Reo fieri non facilè ac leuiter, sed tortura adhibita, vel iniecto metu torturæ, vt idẽ auctor rectè probat. Quin etiam concl. 3. & 4. rectè asserit, sufficere quidem vnius Rei denunciationem ad inquirendum denunciatum, & ex eo indaganda alia indicia, non tamen ad torquendum, nisi plures eundem denuncient, aut alia indicia accesserint, sicut §. seq. dicemus.

Illud etiam Iudicibus, cùm in Maleficos inquirunt, cauendũ erit, ne quo medio illicito crimen indagare studeant; vt falsa promissione impunitatis, si Reus fateatur; aut falso asserendo, illũ iam ab aliis maleficis esse denunciatum, &c. ac multo minus per probationem (vt vocãt) aquæ frigidæ, aut p alia media superstitiosa, vt patet ex iis, quæ idẽ Binsfeldius doctè de his rebus disputat, in illo tractatu, par. 2. dub. 1. & 3. contra falsam quandã opinionem Ioannis Bodini. Sed neq; Mago alicui aut diuino, ex arte sua Magica & diabolica asserenti, personam aliquam esse sagam, credendum est, nisi ea maleficia de illa contestetur, quæ sensu etiã humano percipere potuerit, vt cũ vna maleficia aliã in tortura denunciat, sicut ante dictũ est, & resoluit optimè Binsfeldius loco citato, dub. 2.

Quænam ad carcerem, & etiam ad tormenta sufficiant indicia & præsumptiones. §. 3.

PORro ad coniiciendũ in *carcerem*, hæ ꝓsumptiones & indicia sufficient. *Primò*, si apud aliquẽ reperta sint ea, quę ꝓceed. §. diximus ex Bodino. *Secundò* depositio ac nominatio consortis eiusdem criminis in tormẽtis confirmata. *Tertiò* infamia, quæ non à malevolis & inimicis originẽ habuerit.

habuerit. *Quartò* denũciatio facta ab aliquo fide digno contra aliquam personam. *Quintò* querela partis offensæ, & damnum vel iniuriam passæ ab aliqua persona malefica. *Sextò* confessio extra iudicium facta. *Septimò* omnia alia indicia, quæ regulariter in aliis criminibus viam iudici aperiunt ad inquirendum contra aliquẽ: iuxta ea quæ tradunt Criminalium scriptores, præsertim Iulius Clarus li. 5. senten. receptarum §. finali, q. 6. & seq. Nã hæc eadẽ & etiam aliquanto leuiora sufficere poterunt in hac causa ad capturam; per tradita à Marco Antonio Blancho in practica criminali, in Sectione quę incipit, *His sic præmissis*, n. 26. & à Prospero Farinacio, q. 27. de delictis & pœnis, n. 117. & seq. Nisi fortè tales sint circũstantię particulares in aliquo casu, vt aliter oporteat procedere. Id ꝙ pendet ex discretione & prudẽtia iudicis, consulto præsertim Principe, aut superiore Magistratu.

Ad *torturam* verò quænam sufficient, nunc dicendũ est. Ac tametsi Doctores dicunt, vniuersale aliquid circa torturam tradi nõ posse propter casuum & personarum diuersitatem; tres tamen proponemus regulas, quę ordinariè obseruandę sunt. PRIMA est. Omnia indicia, quæ ad torturam regulariter sufficiunt in aliis criminibus, multo magis sufficient in hoc crimine, ꝙ & difficillimæ ꝓbationis est, & grauissimũ, pernicioſisimumq; Reip. Est enim communis Doctorũ sententia, in eiusmodi delictis, quę difficulter probari possũt, promptiorẽ esse iudicem oportere, quàm in aliis criminibus ad subiiciendum reum torturę. Vt ex communi sentẽtia tradit vbi supra Iulius Clarus q. 64. non longe ab initio. Itaq; mala fama in hoc genere delicti, Rei inquisiti mendacia, vacillationes, trepidationes, & alia, quæ aut simul iuncta, aliàs regulariter iudici præstant indicium ad torturam, in hoc crimine sufficient.

SECVNDA regula. Etiam sufficiet ad torturam denũciatio alicuius Rei complicis facta in tortura vel metu torturæ, si accedant aliqua alia indicia vel ꝓsumptio, vt asserit Binsfeldius ex sententia plurimorum loco citato, concl. 5. Item sine aliis indiciis sufficiet talis denunciatio, facta à duob. vel tribus Reis in tortura, vel torturę metu, si hi sint viri; vel à trib. vel quatuor, si sint fœminę, vt fusè & accuratè confirmat idem auctor concl. 6. adiuncto 7. illato. Qui etiam prudenter notat, in huiusmodi criminibus alioqui occultis, pluris faciendas esse huiusmodi denunciationes, quàm indicia, cùm hæc plerumq; aut nõ suppetant, aut sint varia & incerta. Quanq̃ neq; hæc negligenda sunt, præsertim si talia sint, quæ euentu ipso probari & cognosci possint; vt si quæ persona dicatur per maleficium intulisse aliquod damnũ tali die, tali loco, talibus rebus, &c. Tunc enim si id damnum illatum fuisse re ipsa comperiatur, non exigui põderis tale indicium videri debet. In quo toto genere solertia atque diligentia iudicis in percontando & indagando valebit plurimum.

TERTIA regula. Si concurrat diffamatio, vel aliud indiciũ, & simul reperta fuerint apud Reum vel venena, vel hostiæ, vel bufones, vel alia, quæ suprà recẽsuimus §. 2. aut his similia, locus esse poterit tormẽtis: argumento eius, quod dicitur de re furto subtracta penes aliquem reperta, qui sit malæ famę, id scilicet indicium esse ad tormenta sufficiens, sicuti ex communi sententia docet Iulius Clarus vbi supra q. 21. litera O. Itẽ argumento eius, quod in hoc proposito asseruit Simon de Pretis in cons. 105. n. 1. per L. Etsi, & ibi Doctores. C. de Maleficis & Mathematicis.

Quomodo & quando personæ illæ deferri, capi, & puniri debeant. §. 4.

DEferentur autẽ personæ suspectæ huius criminis per viam inquisitionis generalis aut specialis (iuxta ea, quæ sunt dicta §. 1.) apud iudices deputatos & competentes notario delationẽ scribente apud acta fideliter & diligenter, & in præsentia etiam duorum testium fide dignorum, qui nomina deferentiũ reticere debent, & nemini publicare, sicut fit in causis grauissimis, qualis procul dubio hę causæ criminales maleficij sunt.

Quod verò ad capturam attinet, respõdemus, eos statim esse capiendos, cùm primùm indicia sunt legitima, & eo modo, quo alij capiuntur. Nõ enim placet nobis, sicut nec auctori suprà dicto Petro Binsfeldio in dicto tractatu de Confessionib. Maleficorum, fol. 39. quorũdam superstitio, qui circa eiusmodi Reos in eo maximè sunt soliciti, vt capiant maleficos, dum in lecto iacẽt, aut vt non tangant terrã, quia experientia (vt aiunt) comprobatũ sit, eosdẽ cum primùm ita capiuntur à ministris iustitię magnoperè consternari, & totam artẽ diabolicã cessare. Suadẽt tamẽ aliqui Doctores, eos statim atque capti sunt, examinari etiam antequam ducãtur ad carcerem, quia tunc melius veritas inueniatur, & indicia habeãtur ex vultu & respõsionibus ad interrogationes. Et cũ sunt examinati, si fieri commodè poterit, docent, eos non esse relinquendos solos in vno carcere. Quod tamẽ prudẽtię iudicis relinquẽdũ videtur.

Neq; est curandum, si fortè contingat, personã aliquam postmodum innocentẽ inueniri, & à iudice absolui. Nam si absoluetur, eo ipso recuperabit famã, si quam eius iacturam ex incarceratione fecerit: & dato, quòd eam non omnino recuperet, tamen habet ius Magistratus, vt postponat priuatũ damnum alicuius, bono communi Reip. quod ordinariè sequitur ex tali modo procedẽdi cõtra suspectos criminũ. Quemadmodũ eadem ratione nõ est curandũ, si fortè cõtingat aliquando, vt secundũ allegata & probata condemnetur is, qui etiam reuera est innocens. Nã plùs interest Reip. vt secundũ allegata & probata, quæ vt plurimum veritate nituntur, feratur sentẽtia, quàm vt nunquam cõtingat condemnari aliquẽ innocentem. Quod adeo verũ est, vt pleriq; Theologi & Iuristæ sentiant, & rectè, debere iudicem damnare eum, qui secundùm ordinarium Iuris pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessum probatur Reus, quamuis ipse iudex priua A ta sua scientia nosset, illum esse innocentem, & falsò delatum: sicut asseruimus supra disp. 5. q. 11.

Porro tunc punientur Maleficæ personę, quãdo seruato Iuris processu, & crimine sufficienter (eo modo, quo iuris & moris est) cognito, sententia condemnatoria lata fuerit. Et quidem quæri potest, an inquisiti confessio legitimè facta in iudicio, ad condemnationẽ eius sufficere debeat? Sunt enim auctores, qui opinãtur, eiusmodi confessiones non esse attendendas, vt Ioannes Franciscus Ponzinibius in tractatu de Lamiis & Alciatus li. 8. Parergon iuris ca. 22. & alij. Sed communis & vera sentẽtia est, confessiones istorum, siue virorum, siue mulierum, attendẽdas esse, & in eis fundare se iudicem posse ad puniendum Reum; B sicuti latissimè docent, auctor suprà dictus de confess. Maleficorum, & Bernardus Spina in tractatu seu q. de Strigib. c. 15. & in Apologia aduersus Ponzinibium, & Malleus Maleficarum, & alij.

Punientur autem tales meritò pœnâ mortis, iuxta L. Nemo, & L. Multi. C. de Maleficis & Mathematicis; & quidem eadem, quę in vicinis locis de iure & cõsuetudine Maleficis infligi solita est. Notant autem communiter Doctores, in huiusmodi criminibus atrocibus, naturâ sua secretis, probationẽ per coniecturas, & indicia, & denunciationes complicũ, etiam sine propria Rei confessione sufficere quidem ad condemnãdum, sed pœna mitiori, quã ordinaria, vt citatis multorũ testimoniis asserit quoque Binsfeldius vbi suprà C cõcl. 7. nisi fortè reus manifestissimè cõuincatur.

Quis sit seruandus circa totam hanc causam processus. §. 5.

QValis, & quonam ordine instituendus sit hac in re processus, ex dictis hactenus perspicuũ est. Sed quatuor præterea sunt notanda. PRIMVM est, in hac tota causa id esse seruandum, quod in similibus causis criminalibus, in quibus de vita hominis & honore agitur: dandasq; defensiones Reis, audiẽdos aduocatos, sicut in cæteris causis. Qua de re extant multa apud Malleum Maleficarum in 3. par. vbi illud prudenter monet, nomina testium contra Reum, testificantium, non esse e- dendaReis, & eorum aduocatis, quando propter personarum potẽtiam imminere posset testibus aliquod periculũ: quod si nullum sit periculum, ea esse edenda, sicut in aliis causis regulariter.

SECVNDVM est, vt dum maleficæ personæ in carcere detinentur, adsint in promptu remedia spiritualia ad propulsandã vim & iniurias dæmonis; vt aqua benedicta, Agnus Dei, Cruces, & sacræ imagines, Exorcismi, &c. Itẽ vt præstò sint Sacerdotes, qui Reos de ratione officij sui, tum in ipso iudicio, tum placando & propitiando sibi Deo, diligenter & maturè admoneant & instituant.

TERTIVM est, vt post sententiam condemnatoriam ritè latã, nullus amplius inficiationi aut tergiuersationi Reorum detur locus, etiamsi piè admodũ ac bene animo dispositi esse videantur, cùm priora retractant. Prioribus n. confessionibus & denunciationibus solenniter, atq; ex iuris ordine factis standum est; tum vt firmitatem obtineat suam processus iuridicus, tum vt esse possit finis huiusmodi actionum, tum ob alias rationes, quibus hoc ipsum ex sententia Doctorum, rectè probat Binsfeldius vbi suprà, circa concl. 5. Quanquã denunciatio morientis de aliquo participe criminis, nonnullam præsumptionem facit, etsi non tantam, vt sola sufficiat ad torturam, sicut idem auctor ibi notat.

QVARTVM est, vt qui Rei ad mortem ducendi sunt, diligenter disponantur, & instituantur ad ritè faciendam Sacramẽtalem Confessionem, & eã præmissa, muniantur quoq; sacra Eucharistia pridie ante, vel quatuor saltem horis ante supplicium, si fortè ob aliquam causam prius fieri non posit. Si enim hi veram præ se ferant animi pœnitentiam, nec timeatur fore vt Sacramento irreuerenter abutantur; non est cur tanto subsidio ad mortem piè obeundam priuentur, vt notat Glossa in Clem. 1. de pœnitẽtiis & remissionibus, communiter à Doctoribus recepta, teste Nauarro in Manuali, ca. 25. n. 23. & Binsfeldio vbi suprà dub. 5. Possunt & alia multa particularia, quæ ad modum agendi cautè & securè cum Maleficis in carcere, & ante supplicium spectant, peti ex processibus iam ante alicubi habitis, & ex Malleo Maleficarum par. 3.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

De Tentatione Dei.

D. Thomas 2. 2. quæst. 97.

HACTENVS à q. 10. disputauimus de Superstitione, & eius speciebus, quæ sunt vitia contraria Religioni per excessum. Nunc in hac & in reliquis huius disputationis Quæstionib. disserendum est de Irreligiositate & eius partibus, quæ sunt vitia contraria Religioni per defectum, vt diximus q. 10. Ad quam Irreligiositatem pertinet inprimis Tentatio Dei. De quo vitio, duo sunt explicanda. PRIMO, Quid sit Dei Tentatio. SECVNDO, An sit semper peccatum mortale, vel aliquando solùm veniale.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Dei Tentatio.

D. Tho-

D. Thomas art. 1. & 4.

A

TENTATIO Dei ad vitiũ Irreligiositatis pertinet, tanquam species quędã ad genus suum. Vt autem Irreligiositatis ratio rectè intelligatur aduertendum est, in hoc Superstitionem & Irreligiositatem conuenire, quod vtrumq; istorum vitium versatur circa materiam siue obiectũ Religionis. Contraria enim sunt circa idem. Differunt tamẽ in hoc, quod *Superstitio*, quãmuis *excedat* in malis circumstãtiis, tamen vsurpat materiam Religionis, cum quadã veluti ęstimatione eius, & idcirco dicitur vitium contrarium per *excessum*, quasi attingat videlicet materiam Religionis, ęstimando illam, & deinde procedat vlterius ad malas circumstantias. At verò *Irreligiositas* ita circa materiam siue obiectũ Religionis versatur, vt ex propria ratione peculiariter illam quasi vilipendat & despiciat: quocirca videtur illam auersari, atq; adeo quasi non attingere, & eatenus dicitur vitium contrarium Religioni per *defectum*.

B

Porro huius Irreligiositatis quatuor sunt species, videlicet Tentatio Dei, & Periurium, quibus ipse Deus despicitur, & Sacrilegium, & Simonia, quibus res diuinæ & sacræ, pertinentes ad diuinum cultum irreuerenter tractantur. Ac de Periurio quidem iam egimus q. 7. quantum satis est. De reliquis verò tribus in hac & duabus sequentibus quæstionibus disserendum est.

Sic igitur declarata ratione Irreligiositatis, quæ ad Tentationem Dei habet se vt genus; ita Dei *Tentatio* secundũ suum genus & differentiam propriam describi potest ex sententia D. Thon ę ar. 1. communiter recepta: *Tentatio Dei est quædam Irreligiositas, per quam ex dubitatione de aliqua perfectione diuina aliquid agitur experiendi causâ, vtrum Deus habeat illam perfectionem, nec ne.* Quod duobus modis potest accidere. PRIMO, ex intentione & formaliter, videlicet dubitando *expressè*, & ex tali dubitatione experiendo, &c. SECVNDO modo interpretatiuè & *implicitè*, cùm videlicet quis tametsi expresè non dubitet de diuina perfectione; id tamen agit, quod *suapte natura* ad nihil aliud pertinere, & referri posse videtur, quàm ad sumendam experientiam de diuina perfectione, quasi de illa dubitaretur. Et accidit is secundus modus, quandocunq; aliquis neglectis mediis, à diuina prouidentia constitutis, aliquid agit, exspectans effectum à solo Deo, nulla rationabili causa ad id mouente.

C

Declarat hunc secundum modum tentationis Dei optimo exemplo D. Thomas art. 2. Vt si (inquit) aliquis sine peculiari causa incitaret equum ad cursum; non aliter interpretaremur, quàm quòd vellet experiri velocitatem equi. Secus, si vt hostem effugeret, vel aliam ob causam, equum incitaret. Hinc igitur sumenda est regula ad iudicandum in variis casibus, vtrum Deus tentetur. Respiciendum namque est ad finem siue causam, propter quam effectus à solo Deo exspectatur. Et si ea causa sit rationabilis, non erit Dei tentatio; si verò nulla talis causa subsit; erit Dei tentatio, saltem interpretatiuè.

Ex quo intelligitur PRIMO, Iuramentum rectè vsurpatum, & Orationem fusam ad Deum, ex qua ab ipso solo effectus exspectetur, nõ esse Dei tentationem, cùm causa subest. Ita enim videmus interdum Sanctos vsos fuisse huiusmodi orationibus, vel ad miracula patranda, vel ad detegenda occulta, &c.

SECVNDO inde patet, quare in Scriptura dicatur is, qui sine præparatione orat, veluti tentare Deum, nimirum quia talis oratio ad nihil est vtilis, quippe cùm Deus non promiserit talem orationem exauditurũ. Quocirca ad nihil aliud oratio talis videtur ordinari ex modo, quo instituitur, nisi ad experiendam potentiam diuinam, vtrum possit succurrere etiam non bene oranti. Idem iudicium esto de illo, qui oratione sola nititur à Deo bona temporalia impetrare, neglectis iis mediis, sine quibus non solent ordinariè bona temporalia conferri. Secus, si in aliquo casu expediret fieri in ea re miraculum, &c.

TERTIO hinc potest intelligi, si quis curiosè aliquid moliretur, ad cognoscendum, quidnam Deus in aliquo negocio vellet fieri; eum, quãuis esset vanus & irreuerenter erga Deum se gereret, tamẽ propriè non tentare Deum. Ratio est: quoniã nõ id ageret explicitè, neq; interpretatiuè, ex dubitatione de diuina perfectione; sed tãtùm ex dubitatione de *obiecto*, quod terminat diuinã voluntatẽ: quæ dubitatio per se nõ est illicita. Nam eiusmodi obiectum nullam perfectionem ponit in Deo; & ita dubitare de hoc, non esset dubitare de perfectione diuina, sicut esset dubitare de Dei potentia, aut de bonitate, aut de sapientia, &c.

Caietanus quidẽ in Summa, Verbo Dei tentatio, videtur significare contrarium, scilicet quòd hæc esset Dei tentatio. Sed quod dixi, est verius. Nam vt patet ex doctrina S. Thomæ hìc art. 1. 2. & 4. ad tentationem Dei requiritur, vt quod fit, procedat ex dubitatione (expressa vel tacita) de perfectione Dei.

QVARTO patet ex dictis, meritò Iure Canonico prohibitam esse purgationem, qua quis à crimine obiecto se purget *ferro candenti*, aut *aqua feruenti*, vt patet cap. Consuluit 2. q. 5. (aliâs 4.) Et Extra de purgatione vulgari ca. 3. Ratio est: quoniam ad tuendum bonum commune satis est, si de crimine vel innocentia constare possit per probationes testium, & per Iuramentum, & alia eiusmodi media ordinaria & suauia, qualia decent *humanam* gubernationem: neq; exponendus est homo tanto periculo. Quocirca cùm talis purgatio bono communi non expediat; illâ vti nihil aliud est, quàm Deum tentare, saltem interpretatiuè. Ita etiam docet S. Thomas suprà q. 95. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 80. art. 6. ad 3.

D

SED contra est argumentum. Nam Dominus Numer. 5. præcepit, mulierem de adulterio suspectam

Universidad de Deusto
Biblioteca

spectam purgari aquis amaris, per quas si rea esset, femur putresceret. Ergo non sunt illicitæ tales purgationes. Confirmatur ex cap. Sæpè 2.q.5. (aliâs 4.) vbi quando aliquod furtum in Monasterio contingit, iubetur Abbas peracto sacro, sanctissimo Sacramento purgare Monachos, & dicere: *Corpus Domini nostri sit tibi hodie ad probationē.* In quo, vt patet, satis magno periculo persona suspecta exponitur: quādoquidē debet vel peccare, si rea est, & sumit; vel se infamare abstinendo.

Ad PRIMVM respondet Alexander Alensis 3.p. q.45. m.3. §.1. illam legem fuisse tantùm permissiuam, sicut fuit lex de libello repudij. Secundò respondetur melius, illud præceptum fuisse iudiciale. Itaq; cùm constaret tunc de diuina voluntate, cui placebat per miraculum de crimine cognosci; licita erat & expediens bono communi illius populi talis purgatio. Nunc verò cùm illud præceptum cessauerit, & de tali modo purgationis non habeamus aliud nouum diuinum præceptum; non eo, sed ordinario & humano modo res est transigenda; alioqui erit Dei tentatio.

Ad SECVNDVM respondeo, illum Canonem esse Concilij VVormacienſis, quod cùm fuerit Prouinciale, non mirum si errauerit. Et vt inquit S. Thomas 3.p. q. 80. art. 6. ad 3. talis constitutio reuocata est per alia Decreta Pontificum suprà citata, & cap. Ex tuarū. Extra de purgati. can. Vnde ibidem S. Thomas talem purgationem etiam reprehēdit. Ex his facilè possunt intelligi similia, quæ S. Thomas doctè disputat in hac quæstione.

C

PVNCTVM SECVNDVM.

An Tentatio Dei semper sit peccatū mortale, vel aliquando veniale.

D. Thomas art. 2.

QVOD ad secundum attinet; ex genere quidem certum est, Tentationem Dei esse mortale peccatum. Experiri enim velle Dei perfectionem ex

A dubitatione, manifestè continet diuinę excellentiæ despectum. Vnde grauiter id est prohibitum Deut. 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Contingit tamen ex duplici capite esse Veniale. PRIMO, si sit tantùm tentatio materialis & *interpretatiua*, non autem ex dubitatione expressa. Tunc enim, vt rectè ait Caietanus hîc, & in Summa, propter imperfectionem actus communiter tantùm esset Veniale. Nisi fortè grauitas materię sit tanta, vt redeat actus in naturam suę formæ, quantum ad hoc, quod est esse mortale. Vt verbi gratia, si exponeret se quis maximo periculo, sicut in illa purgatione ferri candentis.

SECVNDO propter defectum *plenæ deliberationis*, B etiamsi alioqui dubitatio de diuina perfectione esset explicita. Ex parte verò *materiæ* non videtur posse contingere Veniale peccatum in Dei quidem tentatione explicita & formàli, quatenus hoc peccatum est contra Religionem: siquidem quæcunque expressa dubitatio de diuina perfectione est res grauis, atque adeo etiam opus procedens ex tali dubitatione grauiter lædit diuinam excellentiam.

De PERIVRIO verò, de quo hîc disputat sanctus Thomas q.98. iam suprà (vt dixi p.1.) disputatum est q.7. Tantùm hîc notetur, vt colligitur ex S. Thoma ex solutione primi art.1. nomen Periurium dupliciter accipi posse. VNO modo late; & sic significat omne vitiosum Iuramentum, ex defectu cuiusuis circumstantię ex illis, quæ ad rectitudinem Iuramenti requiruntur, de quibus suprà q.7. & sic significat in genere Irreligiositatem consistentem in irreuerētia diuini nominis malè vsurpati ad testificandum. ALTERO modo accipitur, vt significat vitiosum Iuramentum ex defectu veritatis; & hoc est primarium illius significatum, sicque disputat hîc S. Thomas præcipuè de Periurio; sed quæ ad hoc pertinent, satis disputata sunt suprà quæst.7.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Sacrilegio.

D. Thomas 2. 2. quæst. 99.

DECLARANDA SVNT DVO. PRIMO, QVID SIT SACRILEgium & quotuplex. SECVNDO, Vtrum semper sit peccatum mortale, vel aliquando veniale.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Sacrilegium, & quotuplex.

D. Thomas art. 1. & 3.

QVOD AD PRIMVM ATTINET, Sacrilegium communiter dicitur esse *violatio, siue irreuerentia rei sacræ, vt sa-*

D *cra est.* Quod vt rectè intelligatur, aduertendum est, rem hoc ipso esse sacram in proposito, quòd aliquâ lege, siue diuina, siue humana

mana, destinatur ad aliquem cultum Dei. Violare igitur rem sacram, vt sacra est, nihil aliud erit, quàm aliquid agere repugnās ei cultui, ad quem res est destinata. Ita colligitur ex doctrina S. Thomæ hîc art. 1. & 3. ad 3. & ex Caietano hîc dub. 5. & in Summa, Verbo Sacrilegium. Quare cùm dubitatur, Vtrum in vsu alicuius rei sacræ, sit Sacrilegium, nec ne; inspiciendum est, an id, quod fit, pugnet cum eo cultu, ad quem est res destinata.

Porro pro diuersitate rerum sacrarū, tres species Sacrilegij communiter distinguntur, de quibus S. Thomas ar. 3. *Prima* est, qua PERSONA sacra violatur. *Secunda*, qua RES sacra, accipiendo *rem* magis particulariter, vt distinguitur contra personam. *Tertia*, qua LOCVS sacer.

Ad PRIMAM speciem Sacrilegij (scilicet ratione *personæ sacræ*) pertinet violatio votorum personalium. Nam vt rectè notat hîc Caietanus, persona hoc ipso, quòd vouet aliquē virtutis actum, ipsa lege Voti, atq; adeo etiam iure diuino, dedicatur & consecratur ad exhibēdum cultum Deo *per id, quod est promissum.* Quare non seruare Votum, est violare personam, vt sacra est, id est, agere contra eum cultum, ad quem est Voto destinata.

Ad eandem speciem etiam pertinet verberatio personæ sacræ Ecclesiasticæ. Item exactio gabellarum & tributorum à talibus personis Ecclesiasticis. Item ablatio, siue furtum rerū, quas tales personæ possident titulo Ecclesiastico. Ratio horum omnium est: quia Ecclesia lata lege vult tribui cultum Deo per huiusmodi immunitates sacrarum personarū. Quapropter is, qui contra facit; eo ipso violat has personas, vt sacrę sunt. Ex quo pleraque alia possunt intelligi, quæ Summistæ tradunt, Verbo Immunitas Ecclesiastica.

Ad SECVNDAM speciem Sacrilegij (scilicet ratione *rei sacræ*) pertinet in primis abusus Sacramentorum. Item prophanatio vasorum & ornamentorum sacrorum. Item violatio imaginum, si destruātur, quatenus ad cultum diuinum vsurpari solent, vti destruunt hæretici. Ratio horum est clara. Nam vt patet, sit per hæc contra eum cultum, ad quem huiusmodi res sunt destinatæ.

Item ex sentētia Caietani ad eandem speciem pertinet id Sacrilegium, quod S. Thomas ar. 2. in solutione primi, dicit, hæreticos committere, abutendo Scripturis. Et ratio est: quoniam Scriptura diuina est à Deo destinata ad probandam veritatē fidei, atq; adeo ad dandum cultum Deo; Itaq; cùm hæretici illam peruersè detorquent ad errores contra fidem statuendos, manifestè eam violant, vt sacra est. Dicitur etiam communiter ad eandem speciem pertinere, si quis non soluat Ecclesiæ decimas. Cuius ratio debet esse: quia Ecclesia videtur consecrare decimas in cultum diuinum.

Ad TERTIAM speciem Sacrilegij (scilicet ratione *loci sacri*) pertinent inprimis profanæ actiones in templis, quæ ex natura sua impediunt cultum diuinum, ad quem est destinatus locus

A sacer; vt clamores, & nundinationes: item profanę cantiones, quas idcirco Caietanus dixit esse Sacrilegium suprà q.91.

Præterea etiam ad eandem speciem pertinent vitia quædam, quæ continent peculiarem fœditatem; vt effusio sanguinis, & seminis, & furtum. Horum ratio est: quoniam Ecclesia peculiariter vult Deo tribui cultum per immunitatē loci sacri ab huiusmodi. Vnde hæc facere in loco sacro, est facere contra consecrationem loci ex statuto Ecclesiæ, atq; adeo violare locum, vt sacer est.

Similiter ad eandem speciem pertinet abstractio personę ex loco sacro, ad quem tanquam ad asylum confugit. Ratio est eadem. Nam vult Ecclesia cultum tribui Deo per hanc Ecclesiæ immunitatem. Et vt etiam tempore Euangelicæ legis gaudeant homines eo beneficio asyli: vt patet ex Can. *Sicut antiquitus* 17.q.4. Vbi tamen excipitur publicus latro.

Ex his autem patet, quid respondendum sit, si quæratur: Quare alia peccata commissa in loco sacro, vt detractio, & similia, non etiam sint sacrilegia? Dicendum enim est, rationem esse: quia Ecclesia non iusſit tribui cultum Deo per immunitatem loci ab huiusmodi. Restant tamen circa dicta duæ breues quæstiones.

PRIMA est, Vtrum, quod dictum est, esse Sacrilegium, ratione loci, si quis in templo *furetur*, intelligendum sit de quacunq; re, etiamsi non sit sacra, nec custodiæ Ecclesiæ peculiariter commendata. Pro parte enim affirmatiua videtur esse auctoritas Doctorum, qui ferè absolutè dicūt, furtum in *loco sacro* esse sacrilegium, licet accipiatur non sacrum de sacro. In contrarium autem est, quòd quando res non est sacra, neq; pertinet peculiariter ad custodiam Ecclesiæ, non videtur vsq; adeo pertinere ad locum sacrum. Et ita aliqui viri docti sentiunt, vt furtum in loco sacro sit sacrilegium, necesse esse, vt sit furtum rei aliquo modo sub custodia Ecclesiæ. Et hoc ipse etiam puto esse probabile: Sed contrarium probabilius & magis consentaneum communi sententiæ Doctorum; scilicet omne furtum in loco sacro esse sacrilegium, vt patet ex D. Thoma hîc ar. 3. & Caietano in Summa, Verbo Sacrilegium, & Canonistis apud Syluestrum eodem Verbo. Quanquā non est dubium, quin sit maius Sacrilegium, quando in loco sacro auferur furto res, quæ aliquo modo sit etiam sub sacri loci custodia; vt candelabrum, verbi gratia.

SECVNDA quæstio est, Vtrum iudex, sacrilegè abstrahens Reum ab Ecclesia, & postea procedens contra ipsum vsque ad condemnationem, teneatur illi aut hæredibus restituere damna, quæ intulit. Pro parte negatiua facit. *Primò*, quòd talis restitutio non videtur esse in vsu, & durum videtur damnare iudices, qui hoc sæpè faciunt. *Secundò*, si aliquis priuatus homo vi abstraheret Reum ab Ecclesia, posset iudex illum extra Ecclesiam inuentum licitè comprehen-

dere

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere,& damnare,absque obligatione quicquam restituendi: Ergo etiam potest, quando ipsemet iudex Reum abstraxit. Probatur Consequentia. Nam etiamsi peccauerit sacrilegè illum abstrahendo, tamen postquam illum habet extra Ecclesiam, videtur posse illum damnare, quandoquidem est pœna dignus. Sicut hac eadem ratione id potest, quando talis Reus ab alio priuato fuit abstractus. *Tertiò*, accedit ad hoc etiam auctoritas S. Thomæ, qui art. 2. ad 3. dicit, Iudicem, qui abstrahit Reum ab Ecclesia, tantùm committere deformitatem Sacrilegij: & tamen si teneretur restituere, etiam committeret deformitatem Iniustitiæ.

Nihilominus contraria sententia est verior, quę est Turrecrematę 17. q. 4. cap. Sacrilegium, & dicitur etiam fuisse Francisci Victoriæ. Probatur. Nam in tali casu iudex non condemnat Reum iuridicè. Ergo iniquè & priuata auctoritate id facit. Ergo tenetur restituere ac resarcire damnũ, quod Reo intulit. Antecedens probatur. Nam Reus habet tunc ius ad hoc, vt restituatur Ecclesiæ, sicut patet ex cap. *Sicut antiquitus* 17. q. 4. & ex communi sententia Doctorum. Ergo iudex non habet ius, vt procedat contra ipsum extra Ecclesiam: alioqui esset bellum iustum ex vtraq; parte, quod est impossibile.

Ad *primum* verò argumentum contrarium respondeo, tales esse obligandos, vt restituant. Ad *secundum*, aliqui concedunt Antecedens, & negant Consequentiam. Sed melius est negare Antecedens. Ratio est: quoniam talis, etiamsi à priuata persona sit ab Ecclesia abstractus, tamen habet ius, vt Ecclesiæ restituatur. Ergo iudex tenetur illum restituere. Ergo non potest eum damnare. Antecedens probatur. Nam quando Canones faciunt ius tali, vt Ecclesiæ restituatur, absolutè loquuntur, nec determinant, id tantùm faciendum esse, quando extrahitur iniquè ab ipso iudice, vt patet ex dicto can. *Antiquitus*. Adde, quòd difficulter posset reddi ratio disparitatis, cur liceat iudici condẽnare Reum à priuata persona iniquè extractum ex Ecclesia, & non liceat etiam, postquàm est extractus ab ipsomet iudice. Ad *tertium* respondeo, mentem S. Thomæ solùm esse, iudicem quidem illo ipso actu exteriori, quo iniquè extrahit hominem ex Ecclesia, tantùm peccare contra Religionem. Quod omnino verum est. Nam nõ est inde necessariò consequens, vt postea procedat is etiam ad hominis condemnationem. Posset enim & deberet illum Ecclesiæ restituere. Per hoc tamen non voluit negare diuus Thomas, quin iudex postea, quando iniquè procedit ad hominis condemnationem; peccet etiam contra iustitiam. Et hoc satis est, vt postea teneatur ei damnum illatum restituere.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Sacrilegium sit semper mortale, vel aliquando veniale.

D. Thomas art. 2. & 4.

EX his, quę rectè notat Caietanus hîc, & in Summa, Verbo Immunitas Ecclesiæ, breuiter dicendum est, Sacrilegium *formaliter*, & ex intentione *explicita* commissum, esse semper mortale, hoc est, si quis ex despectu eius cultus, ad quem res sacra est destinata, violet illum, faciendo contra eum cultum. Si verò *tantùm materialiter* committitur Sacrilegium, faciendo scilicet contra cultum, ad quem res est destinata, sed non ex intentione explicita, quatenus ad illum cultum est destinata; tunc propter imperfectionem actus, tantùm est veniale Sacrilegium. Nisi fortè contingat, propter materiæ grauitatem, actum redire in naturam suæ formę, quod attinet ad deformitatem mortalem. Vt si quis etiam absq; expressa intentione violandi locum sacrum occideret, aut pollueretur in templo. Et similiter vt mihi videtur, si quis ex errore vincibili materialiter abutatur Scriptura ad hæreses stabiliendas. Item si quis committat materiale Sacrilegium, faciendo id, quod strictissimè erat prohibitum sub graui pœna, qualis est excommunicatio maior; propter quod, inquit Caietanus, accipere etiam paruam gabellam à Clerico, esset mortale.

Et notandum est hîc diligenter, tunc solùm sacrilegij irreligiositatem contrariè opponi Religioni, quando per prauum aliquem *actum* committitur, vt in abusu Sacramentorum, aut cultus diuini, aut similis alicuius materiæ peculiariter pertinentis ad Religionem. Tunc enim solùm positiuè despicitur iniquè materia vel obiectum pertinens ad Religionem. Id quod ad *contrariemtem* vitij pertinet. Aliàs si tantùm Sacrilegium committitur per hoc, quòd aliquid *non fit*, ex cuius executione, oportebat similiter cultum Deo tribuere; tantùm est Sacrilegium priuatiuè oppositum Religioni per *omissionem*; quia nullus actus positiuus exercetur circa materiam vel obiectum proprium Religionis.

De pœnis verò Sacrilegij videatur D. Thomas art. 4. & Syluester, Verbo Sacrilegium sub finem. Punitur enim & excommunicatione *ipso Iure*, si violetur persona sacra, vt patet 17. q. 4. Capit. Si quis. Et *inferẽda* post trinam monitionem, si violetur res sacra, vt patet ibi cap. Quisquis. Et etiam pœnâ *pecuniaria*, vt patet ibidem cap. Si quis contumax. Atque etiam Sacrilegium, quo violetur atrociter persona sacra, punitur *pœna capitali*, vt patet L. Si quis in hoc. C. de Episcopis & Clericis. Item is, qui rem vel personam (excepto publico latrone) rapuerit ex Ecclesia, est *excommunicandus*, donec Ecclesiæ reddat, vt patet 17. q. 4. cap. Sicut antiquitus.

QVAE-

QVAESTIO DECIMASEXTA.

De Simonia.

D. Thomas 2.2. quæst. 100.

DISPVTANT DE HAC MATERIA DOCTORES SCHOLASTICI *in 4. sentent. dist. 25. Canonistæ, Extra de Simonia, & in Decretis, causa 1. per omnes eius quæstiones. Summistæ, Verbo Simonia. Sotus peculiariter lib. 9. de Iustitia, quæst. 5. & deinceps. Franciscus Victoria in Relect. de Simonia. Adrianus quodlib. 9. Caietanus tomo 2. Opusculor. Tract. 9. Nauarrus cap. 23. sui Manualis, num. 99. & deinceps.*

Nos hanc materiam ad hæc sex puncta reuocabimus. PRIMO *exponemus, quid sit Simonia.* SECVNDO, *occasione sumpta ex definitione & essentia Simoniæ; per nonnullas quæstiones explicabimus, an Simonia committatur in variis casibus, de quibus id dubitari & quæri potest, attendendo ad obiectum ipsum siue materiam Simoniæ.* TERTIO, *per occasionem similiter definitionis Simoniæ, itidem explicabimus per nonnullas quæstiones, an Simonia committatur in variis casibus, de quibus id dubitari & quæri potest, attendendo ad actum, quo committitur Simonia.* QVARTO *declarabimus, quod & quale peccatum sit Simonia.* QVINTO, *Quotuplex sit Simonia.* SEXTO, *Quæ sint pœnæ Simoniacorum.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Simonia.

D. Thomas art. 1.

GLOSSA IN CAP. QVI STVDET, 1. quæst. 1. ita definit: *Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Quæ definitio à D. Thoma hîc art. 1. & ab omnibus aliis Doctoribus, tam Theologis, quàm Iurisperitis recipitur. Eius verò particulæ explicandæ sigillatim sunt, vt faciliùs in variis casibus Simonia dignosci possit.

Primò dicitur studiosa VOLVNTAS. Quo verbo indicatur actus voluntatis, in quo Simonia consistit. Nam cùm Simonia sit vitium oppositum Religioni; in voluntate inest tanquam in subiecto, sicut & ipsa Religio. Et quod dicitur STVDIOSA, idem est, atque ex *electione & deliberatæ*. Denique ideo etiam *voluntas* dicitur, vt significetur, peccatum Simoniæ posse consistere in sola voluntate, etiam non subsecuto opere exteriori, vt postea declarabimus. Sic hanc definitionis huius particulam explicant communiter Doctores cum diuo Thoma hîc art. 1. in solutione secundi.

SED occurrit hoc argumentum contra illam. Si quis ex ignorantia vincibili iuris aut facti, aliquam rem spiritualem emat, vel vendat, peccat peccato Simoniæ; & tamen non *studiosa* siue *deliberata* voluntate. Ergo malè ponitur ea particula in Simoniæ definitione. Antecedens probatur. Nam certum est, talem peccare; & non apparet, quo alio genere peccati; neq; etiam ignorantia obstat, quò minùs peccatum ex illa commissum (si ea fuerit vincibilis) sit eiusdem speciei cum eo, quòd in eadem materia committatur scienter, vt probauimus tomo 2. quæst. 6. de peccatis, punct. 3.

RESPONDEO, si ignorantia est tantum *iuris*, ea nullo modo obstat, quò minus venditio aut emptio rei spiritualis sit ex electione, & deliberatè peccatum Simoniæ. Vt enim ad peccatum deliberatum non requiritur, vt voluntas peccantis feratur in ipsam malitiam formaliter, sed satis est, vt feratur in illud *factum*, in quo immediatè cõtinetur malitia; ita nec requiritur actualis cognitio iuris, per quam malitia facti cognoscatur. Quanquam si adsit quidem actualis etiam ea cognitio & scientia iuris, grauius erit peccatum.

Si verò ignorantia sit *facti*, puta cùm non scitur, rem esse spiritualem; sic etiam, quamuis talis Simonia non *perfectè* sit ex electione & deliberatione: tamen essentialiter quidem est deliberata, & ex electione, quantum satis est quidem, vt sit verè & essentialiter peccatũ Simoniæ: siquidem est nihilominus verè & essentialiter *voluntaria*, ignorantia existente vincibili, atque adeo verè

etiam ex electione, licet *indirectè*; quod minimè obstat, quo minùs sit verè voluntarium peccatum Simoniæ, iuxta ea, quæ diximus tomo 2. loco citato. Itaque in definitione Simoniæ particula illa, *Studiosa voluntas*, aliquantò latiùs accipienda est: vt nimirum complectatur qualemcunq; voluntatem deliberatam, & ex electione; siue directè, siue indirectè.

Sequitur altera definitionis particula, videlicet EMENDI vel VENDENDI. Per quæ verba in proposito cõmuniter Doctores intelligũt omnem contractum *non gratuitum*, id est, quo res spiritualis cum aliqua alia re precio æstimabili cõpensetur: siue ea res sit pecunia, quã vocant Doctores munus à manu; aũt aliquod aliud munus pecunia æstimabile; siue sit munus ab obsequio, vt seruitiũ, auxilium, &c; siue sit munus à lingua, vt humana laudatio, vel preces, ex quarum auditione redundet fauor humanus, &c.

Sequitur alia particula, videlicet SPIRITVALE. Per quam, vt rectè notat Nauarrus cap. 23. n. 99. & 100. & Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 5. art. 1. intelligitur donum omne *supernaturale*, suapte natura institutum ad spiritualem salutem consequendã. Porrò *Spirituale* hoc modo sumptum, triplex est in proposito, vt communiter notant Doctores. Primum est spirituale *per essentiam*, vt gratia gratum faciens, dona Spiritus sancti, virtutes supernaturales, & gratię gratis datę. Secundum est spirituale per habitudinem causæ, siue, vt alij dicũt, *caussaliter*. Vt Sacramenta diuinitus instituta ad gratiam significandam & efficiendam. Item officia Ecclesiastica, quatenus hoc, quicquid est Ecclesiasticæ potestatis, ad salutem animarum refertur. Tertium est spirituale secundùm habitudinem effectus ad spirituale primo & secundo modo, siue, vt alij dicunt, spirituale *effectiuè*. Huiusmodi sunt actus ipsi gratiarum, ordinum, & officiorum Ecclesiasticorum.

Restat vltima particula, videlicet Spirituali ANNEXVM. Quod ex cõmuni sententia Doctorum est, quicquid habet aliquam connexionem cum spirituali caussaliter, scilicet cum Sacramẽtis & officiis Ecclesiasticis. Et est etiã triplex hoc *Annexum* spirituali. Videlicet primò *antecedẽter*. Vt ornamẽta sacra, vasa, templa, & Sacramentalia, ab Ecclesia per potestatem, ei diuinitus traditam, instituta ad rectè conficienda, paranda, siue conferenda Sacramenta. Secundò *concomitanter*. Vt labor, qui suscipitur in ipsa administratione Sacramentorũ, siue officiorum Ecclesiasticorũ. Tertiò *consequẽter*. Vt beneficia Ecclesiastica, hoc est, ius siue facultas recipiẽdi reditus Ecclesiasticos propter officium, siue ministeriũ spirituale.

Pertinent etiam ad Annexum spirituali *antecedenter*, quædã ex natura sua ordinata ad officia siue beneficia Ecclesiastica. Vt ius patronatus, hoc est, ius eligendi aliquos ad officia siue beneficia Ecclesiastica. Item præsentationes, electiones, renunciationes, collationes, &c. quæ omnia, vt patet, ad officia siue beneficia Ecclesiastica referuntur.

Sic exposita Simoniæ definitione, facilè etiam patet ratio huius nominis. Dicitur enim hoc vitium Simonia à *Simone* Mago, qui vt legitur Actor. 8. emere voluit potestatẽ conferendi Spiritum sanctum, hoc est, donum eius. Vt exponitur in cap. Saluator 1. q. 3. Et id quidẽ voluit Simon ea intentione, vt ipse etiam lucrum deinde faceret, similiter aliis vendendo eam potestatem, sicuti in eod. cap. Saluator dicitur.

Neque tamen ille Simon fuit primus, qui hoc crimen admisit. Putatur enim à Doctoribus Esau fuisse in re Simoniacus, cùm Gen. 25. vendidit primogenituram. Erat enim primogenituræ annexum ius Sacerdotale tunc tẽporis. Vnde Apostolus ad Hebræ. 12. *Ne quis*, inquit, *fornicator aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vẽdidit primogenituram.* Quod verbum, *profanus*, quandam irreligiositatem significat. Atq; ita videtur Esau vẽdidisse primogenituram, ea etiam ratione, qua illi erat annexum ius Sacerdotale. Quanquã Caietanus super illud caput 25. Gen. putat, ex Scriptura non aliud constare, quàm quòd peccauerit in ea re Esau, ex quadam vilitate animi, pluris faciendo vnam escam, quàm primogenituram. Et certè fieri potuit, vt tantùm vendiderit primogenituram, quatenus temporaliter erat æstimabilis: sicut qui iam venderet calicẽ, ratione solius materiæ. Præterea Balaam etiam in re fuit Simoniacus, vendẽdo Madianitis maledictionem populi, vt patet Numer. 22. Item Giezi, vendendo Naaman sanitatem, 4. Reg. 5.

Nihilominus tamen meritò Doctores nominant hoc vitiũ potius à Simone. Tum quia tempore legis Euangelicæ, quæ est magis spiritualis, illud cõmisit. Tum etiã quia voluit emere potissimum donũ, videlicet gratiam gratũ facientem, per quam Spiritus sanctus inhabitat mẽti. Quòd si obiiciat aliquis, potiùs à Iuda denominari debuisse hoc vitium: quandoquidem vẽdidit ipsum auctorem omnium gratiarum: Facilè responderi potest. Etenim Iudas minimè fuit Simoniacus; siquidem in eiusmodi venditione non fuit habita vlla ratio spiritualitatis personæ. Sed re iam intellecta, minùs vtilis est hæc disputatio de nomine. Itaq; pergamus ad alia.

PVNCTVM SECVNDVM.

In quibusnam casibus Simonia cõmittatur, spectando obiectum siue materiam Simoniæ.

D. Thomas art. 2. & seq.

PER definitionem Simoniæ puncto præcedẽte expositam, duo explicata sunt, quibus essentia huius vitij continetur. Alterũ est ACTVS ipse, in quo consistit; videlicet *emptio & venditio*, id est, transactio siue contractus non gratuitus. Alterum est OBIECTVM, siue materia illius, videlicet spirituale, aut spirituali annexum. Et ex vtroque capite occasionem sumpserunt Doctores quærendi & disputandi de variis casibus, an in illis committatur Simonia, nec ne. Quia verò in moralibus materia siue obiectum est præcipuum, expedimus priùs illas quæstiones, quæ ex consideratione obiecti oriuntur. Occurrunt autem eius generis quæstiones septem.

PRIMA est, Vtrum vitiũ Simoniæ habere possit in aliqua re locum apud Ethnicos extra Ecclesiam fidelium. Pro parte enim negatiua videtur facere, quòd illi nihil habẽt verè spirituale. Ergo non potest apud illos committi Simonia. In cõtrarium autem est, quòd Ephron fuit Ethnicus & Idololatra, & tamẽ à S. Thoma art. 4. ad 3. censeri videtur fuisse Simoniacus, quando Genes. 22. vendidit Abrahæ sepulturam.

RESPONDEO. Quòd in lege naturæ apud eos, qui eam rectè seruabant, potuerit contingere Simonia vera, dubitandũ non est. Nam habebant vera Sacerdotia spiritualia: ad eum modum, quo Melchisedec fuit Sacerdos verus, vt patet Psalm. 109. ad Hebr. 7. & Genes. 14. Quare si tales potestatem Sacerdotalem vendidissent, vel etiã vsum eius, quo conuenienter illi tempori multitudinẽ dirigebant ad salutẽ æternã; Simoniaci veri fuissent. Præterea non est dubitandũ, quin etiã apud illos, qui legem Moysi scriptam amplectebantur, potuerit esse vera Simonia, & fuerit quoq;, vt patet ex exemplis allatis punct. præcedente. Itẽ dubitandũ non est, quin apud quoscunq; Idololatras potuerit & possit esse Simonia, ob conscientiã quidem suam & intentionẽ, qua velint emere vel vendere illud, quod ipsi putent esse spirituale.

SED potissima controuersia est, Vtrũ apud tales potuerit olim esse reipsa quoq; vera Simonia, & nõ solùm ex conscientia & intẽtione. Et qdem Durandus in 4. d. 25. q. 3. & Paludanus ead. d. vniuersaliter dicũt, apud tales tantũ potuisse esse Simoniã ex intentione. Francisc. verò Victoria in Relect. de Simonia, n. 21. existimat, verã potuisse esse Simoniã apud illos Idololatras. Ratio ei' est: quoniã apud illorum Rempub. vel Principes erat potestas legitima eligendi veros Sacerdotes, qui dirigerent populũ ad salutem modo cõuenienti legi naturæ. Ergo quando populus vel Princeps Idololatra eligebat Sacerdotẽ; verum Sacerdotẽ eligebat, & legitimè. Quanq; is postea potestate Sacerdotali abutebatur ad cultũ superstitiosum. Quocirca quãuis tunc non potuerit esse Simonia vera in venditione *vsus* Sacerdotalis, vtpote qui erat superstitiosus: potuit tamen esse in vẽditione *potestatis* & officij. Antecedẽs & assumptũ probatur. Nam negãdum nõ est, quin tempore legis naturæ fuerit apud aliquas Respub. potestas eligendi veros Sacerdotes, cõuenienter legi naturæ: alioqui non sufficienter Deus prouidisset tũc animarum saluti. Nam vt optimè deducit idẽ Victoria in Relect. de potestate Ecclesiastica, populus indiget aliquo vel aliquibus Rectoribus in spiritualibus, vt possit aptè cõsequi salutem. Inde autem licet argumentari sic: Non est ratio, quare apud aliquas Respublicas tunc temporis fuerit illa potestas, & apud alias non: siquidem Deus ad nullũ peculiarem ritum volebat tunc temporis gentes obligare. Ergo simpliciter fatendum est, apud omnes Respublicas etiam Idololatricas, fuisse potestatem eligẽdi veros Sacerdotes. Neq; putandum est, propter peccatum Idololatriæ illas fuisse priuatas à Deo tali potestate. Nam Deus propter peccata non solet negare media necessaria ad salutem, & ad deserenda peccata.

Hęc sententia Victorię mihi magis placet. Dũmodo tamẽ intelligatur solùm de Idololatris ante legem Euangelicã. Nam post illã non potest esse apud Ethnicos vera Simonia, sed solùm ex cõscientia. Ratio est: quoniã lege Euangelica quicquid poterat esse verè spirituale apud illos, est abrogatum, & oẽs sunt diuino præcepto obligati ad ritum Euangelicum in omnibus. Quamuis aliqui propter ignorantiam inuincibilẽ excusantur à peccato, si id non seruent. Ita rectè notauit Sotus lib. 6. de Iust. quæst. 5.

SECVNDA Quæstio est, Vtrum vendere officiũ *docendi*, sit Simonia. Pro parte affirmatiua facit PRIMO auctoritas Scripturæ, Prou. 23. *Noli vendere disciplinã.* Atq; etiã auctoritas D. Augustin. in lib. de Magisterio, vbi ait, Spiritum sanctum esse, qui docet hominẽ interiùs scientias etiã naturales.

SECVNDO, nam sicut gratiam, quam efficiunt Sacramenta, non licet vendere: ita etiam neque veritatem, quam gignit doctrina. Sed quia nõ licet vendere gratiam, ad quam Sacramenta referuntur, Simoniacum est ipsa Sacramenta vendere. Ergo similiter, cùm non liceat vendere veritatem, Simoniacum etiam erit vendere officium doctrinæ. Minor est certa. Maior est S. Thomæ, art. 3. ad 3. & quodlib. 8. art. 12. & aliorum Doctorum. Et probatur ratione. Nam vt infrà videbimus, ideo est Simoniacũ & illicitum vẽdere gratiam, quia peruersè donũ supernaturale exæquatur precio tẽporali, quod multis partib. superat. Sed similiter veritas scientiarũ superat quodcũq; precium. Ergo illi quoq; fit iniuria, si vendatur.

TERTIO, nam saltem videtur officium docendi *Theologiam* non posse pro precio cõferri absq; Simonia. Patet hoc inprimis ex cap. Prohibeas. Extra de Magistris, vbi prohibetur, ne pro licentia docendi aliquid accipiatur, quod videtur intelligendum de licentia docendi Theologiam: Item ex illo ad Ephes. 4. *Quosdã dedit Doctores, etc.* Quod vtique de Doctoribus sacræ doctrinæ, hoc est, Theologiæ, videtur intelligi. Accedit, quòd hæc scientia agit de rebus supernaturalibus, propter quod *sacra* dicitur. Igitur vendere illam erit Simonia. In CONTRARIVM est vsus, quo passim videmus Doctores scientiarum locare pro precio suas operas.

Tres hac de re sunt sententiæ. PRIMA est, quòd non liceat vllam omnino scientiam docere pro precio. Ita Altisiodorensis lib.3. Summæ, Tract. 21. titulo de Simonia, cap. 3. & Alexander Alensis 2. par. quæst. 187. memb.4. art.3. §.1. & alij, vt est videre apud Sylvestrum, Verbo Doctor. q. 11. Fundamentum huius sententiæ potissimum est primum argumentum factum.

SECVNDA sententia est aliorum, qui concedunt quidē, alias scientias posse pro precio tradi; negant tamen id peculiariter de Theologia, idq; propter tertium argumentum. Ita videtur sentire Paludanus in 4. dist. 25. q.5. & Innocentius super cap. Quia nonnullis. Extra de Magistris, vbi dicit, Theologum, qui docet ex officio aliquas lectiones, nō posse propter extraordinariam lectionem accipere precium. Vnde est cōsequens, nec posse pro precio suscipere officium ordinarium docendi. Idem videtur significare Caietanus in Summa, Verbo Simonia.

TERTIA sententia est, licere omnes scientias humano studio acquisitas, docere pro precio. Ita S. Thomas art.3. ad 3. significat. Ita etiam censent Caietanus eodem artic. & Nauarrus in Manuali, cap.23. num.100. Sotus lib.9. de Iustitia, quæst.5. artic.1. Victoria in Relectione de Simonia. Durandus in 4. dist.25. quæst.3.& Richardus eadem distinct. & plures alij. Hæc sententia est vera & tenenda.

Eius præcipuum fundamentum est: quoniam scientia, quæ humano studio acquiritur, non est suapte natura peculiariter instituta ad gratiam & salutem consequendam, sed ad illuminandum intellectum speculatiuè. Ergo vendere officium docendi tales scientias, non est vendere spirituale, eo modo, quo spirituale in definitione Simoniæ vsurpatur. Neque obstat, quòd tandem cognitio veritatis ad gratiam & salutem consequendam confert, mediante bono affectu, quem excitat. Si enim hoc satis est, vt quidpiam censeri debeat in proposito spirituale; nihil omnino liceret vendere sine Simonia. Omnia enim bona etiam temporalia, suo modo etiam, mediatè conferunt ad vitam æternam consequendam. Si quid igitur debet esse obiectum Simoniæ, non est hoc satis; sed oportet, vt peculiariter sit institutum ad gratiam & salutem.

Aduertendum est autem, quamuis in vendendo officio doctrinæ non sit Simonia: tamen posse in ea venditione committi *iniustitiam*, si videlicet quis habens aliunde stipendium iustum pro officio ordinario docendi, requirat præterea à particularibus aliquid tanquam precium. Tunc enim venderet idem bis. Ita notat S. Thomas vbi suprà, & Durandus, & alij.

Iam ad PRIMVM argumentum respondeo, illum locum Prouerb. non esse ita propriè accipiendum, vt intelligamus ibi damnari venditionem officij docendi: alioqui si omnino est Simonia, vendere doctrinam; etiam esset Simonia, illam emere, vt patet ex Simoniæ definitione: & tamen in eodem loco Prouerb. dicitur; *Sapientiam eme.* Sensus ergo illius loci est, tanti esse faciendam Sapientiam, vt qui non habet, conetur eam emere, si posset, id est, omnibus modis eam acquirere: qui verò habet, nullo modo patiatur se illam amittere.

Ad auctoritatem verò Augustini respondeo, omnes quidem scientias esse à Spiritu sancto; sed diuersimodè sunt ab illo scientiæ, quæ humano etiam studio acquiruntur, & dona Spiritus sancti. De quibus duntaxat dictum est: *Gratis accepistis, gratis date.* Alioqui etiam non liceret vendere frumentum & oleum, cùm hæc omnia proueniant à Deo.

Ad SECVNDVM argumentum respondeo, non esse quidem vendendam ipsam *veritatem* scientiæ; non quidem propterea potissimùm, quòd, vt in argumento dicebatur, superet omne precium temporale. Posset enim fortè in dubium vocari, vtrum præstet interdum abundare rebus ad vitam necessariis, quàm habere cognitionem acquisitam scientiarum aliquarum minimè necessariarum homini. Sed potissima eius ratio videtur: quoniam sicut non est in potestate Doctoris veritatem in intellectu auditoris gignere, sed tantùm officio suo & opera conari & iuuare ad hoc, vt discipulus proprio lumine sui intellectus scientiam acquirat: ita etiam iniustum esset præter ipsum officium docendi vendere etiam scientiæ veritatem. Nemo enim iustè vendit, nisi id, quod ipse potest dare, & dat alteri. Veritas autem scientiæ neque potest cum effectu dari, neque recipi per emptionem & venditionem: iuxta illud Prouerb.17. *Quid prodest stulto pecuniam habere, cùm scientiam emere non possit?*

Concessa ergo Maiori, negatur illius argumenti Minor. Non enim vendere Sacramentum, ideo propriè est Simonia, quia gratia Sacramentalis est inuendibilis: Sed quia est inuendibilis tanquam res *suapte natura supernaturalis & spiritualis*, sicut hîc spirituale accipitur: & ideo vendere Sacramenta, quatenus illam gratiam conferunt, est vendere etiam spirituale per habitudinem quandam ad Sacramentalem gratiam. Veritas autem non ideo est inuendibilis, quia sit ita *spiritualis*: Sed quia, vt dictum est, non est in potestate Doctoris. Vnde vendere officium doctrinæ, vt ad veritatem refertur, non erit vendere spirituale, sicut hîc accipitur, & ita non erit Simonia. Quamuis posset id esse iniustitia, si præter compensationem officij docendi peteret aliquis precium pro veritate doctrinæ. Nam vt dictum est, illam per se non potest vendere.

Ad TERTIVM, quod attinet ad illud capit. Prohibeas, respondeo inprimis, non esse ibi sermonem peculiariter de Theologia, vt patet ex cap. Quia nonnullis. Extra eodem titulo, vbi ad idem propositum ponitur exemplū de Magistro Grammaticæ. Sed vniuersè agitur illic de licentia docendi: & sensus est, Episcopum, ad cuius officium pertinet constituere Magistros & Doctores ex aliquo statuto, non debere pro licentia, quam dat, docendi, aliquid recipere. Nam tunc venderet actum sui officij Episcopalis, atque ita committeret Simoniam. Qui sensus etiam colligitur ex illo cap. Quia nonnullis. Ad alium locum Apostoli, respondetur sermonem ibi esse de Doctoribus *sapientia infusa* peculiari dono Spiritus sancti, qualem habuerunt Apostoli. Ad quam etiam pertinet peculiaris intellectus Scripturarum item, quæ valet ad inflammandos animos ad pietatem, &c. De qua etiam intelligendum est, quod dicitur, ab aliquibus Patribus interdum, non licere pro precio exercere spiritualem doctrinam, &c.

TERTIA Quæstio est, Vtrum accipere preciū pro actibus *Virtutum*, sit Simonia. Et potissima difficultas est de actibus earum Virtutum, quæ sunt *ad alterum*, vt sunt actus misericordiæ, Religionis, &c. In his enim, cùm cedant in alterius vtilitatem, videtur posse habere locum venditio. Ratio autem dubitandi est: quoniam omnes actus Virtutum valent ad vitam æternam consequendam, si fiant ab habente gratiam; atque ita videntur esse quid *spirituale*, vt spirituale hîc accipitur, quod proinde nequeat fine Simonia compensari precio. In contrarium autem est, quòd tunc omnis contractus esset Simoniacus. Nam in omni contractu vtrinque exercetur actus virtutis, nempe Iustitiæ, & vnum datur pro collatione alterius, quæ collatio est actus virtutis.

RESPONDEO. In actibus virtutum distinguendum est diligenter, quanam illi ratione sint æstimabiles. Si enim eatenus tantùm æstimabiles erunt, quatenus ad *gratiam & salutem* pertinent; omnino erit Simonia, illos emere aut vendere. Nam vendi tunc intelligetur id, quod est spirituale. Huiusmodi sunt exhortationes, prædicationes, conciones, consilia, quæ ad excitandum affectum dirigantur. Item suffragia, orationes, satisfactiones, &c. Si qui verò actus Virtutum sint temporaliter æstimabiles, propter aliquam vtilitatem *temporalem*, quam afferunt: hi quidem possunt ea ratione sine Simonia pro precio cōferri, dummodo nihil accipiatur, propter spiritualitatem, quam habent. Tales sunt quidam actus misericordiæ ad corpus pertinentes, & alij similes, in quibus potissimùm quæritur id, quod est temporale; & musicæ etiam cantiones, & similia, quæ solatij vel solennitatis causa adhiberi solent.

Multò verò magis absque Simonia poterit pro huiusmodi precium recipi, si non pro ipso actu virtutis recipitur, sed pro aliquo onere cum actu Virtutis coniuncto. Sic nimirum in contrahendo Matrimonio, non pro actu Sacramentali, sed pro *onere* sustentandi coniugem, dos recipitur. Sic etiam in ingressu Religionis, non pro actu Virtutis, quo persona in Religiosorum Ordinem cooptatur, vt seruiat Deo (hoc enim Simoniacum esset, vt patet ex cap. Quam pio 1. quæst. 2.) Sed pro onere sustentandi personam, aliquid interdum in Monialium cœnobiis accipitur. Quæ omnia consentanea sunt menti diui Thomæ articulo tertio dicentis, in actibus virtutum non esse vendendum, quod spirituale est. Quo loco satis insinuat posse vendi, quod temporale est. Item etiam consentanea sunt hæc communi sententiæ aliorum Doctorum: peculiariter verò circa consuetudinem aliquid recipiendi in ingressu Religionis, videndus est diuus Thomas artic.3. ad 4. & Sotus lib.9. de Iustitia, quæst.6. artic.2. ad 4. & Sylvester, Verbo Simonia, quæst.15. Quo loco rectè dicit, etiamsi Monasterium alioqui esset opulentum, tamen aliquid recipere pro onere, non esse Simoniam, nisi *præsumptiue*.

QVARTA Quæstio est, Vtrum dare vel recipere pecuniā pro *omissione actus spiritualis*, sit Simonia, v. g. ne quis absoluat quempiam, vel eligat, &c. Pro parte affirmatiua facit *primò* textus in cap. Nemo, Extra de Simonia, vbi ita videtur doceri. *Secundò*, quòd sicut absoluere pertinet ad officium spirituale: ita etiam non absoluere, &c. Ergo vtrumq; est spirituale. In contrarium autem est, quòd omittere spiritualem actum, est tantummodo quoddam ens rationis, & minimè illud quidem spirituale.

De hac re etiam sunt variæ sententiæ. Prima est Glossæ in dicto cap. Nemo, & Sylvestri, Verbo Simonia, q.9. Paludani in 4. dist.25. q.5. Gabrielis ead. dist. q.2. circa initium, & aliorum. Hi putant esse id Simoniam. Contraria verò sententia est Adriani quodlib.9. & Innocentij in dicto cap. Nemo, qui dicunt, non esse id Simoniam, nisi impropriè per quandam analogiam.

RESPONDEO PRIMO, dare pecuniam pro omissione actus spiritualis *mali* ex aliqua circumstantia, vt ne quis v.g. absoluat, aut eligat *indignū*; neq; Simonia est, neque vllum peccatum. Quòd non sit Simonia, patet: quia nihil spirituale tunc emitur, neque danti pecuniam aliquid spirituale inde accedit. Quòd etiam nō sit peccatum, probatur. Nam licitum est deterrere alterum à malo, interpositā pecunia, sicut quocunq; alio motiuo ex se non illicito.

Dico SECVNDO. Dare pecuniam pro omissione actus spiritualis debiti, & vndequaq; recti, peccatum est; sed non Simonia, propriè loquendo. Primum patet. Nam fit tunc iniuria alteri, qui habebat ius ad illum actum. Vt si quis daret pecuniam Parocho, ne absolueret aliquem in necessitate. Secundum patet ex argumento in contrarium. Dixi autem, pro omissione actus *debiti*. Nam si actus non erat debitus alteri; quantumuis sit bonus & rectus, non puto esse illicitum per pecuniam illum impedire. Probatur. Nam ille ipse, qui esset actum facturus; cùm illum

Universidad de Deusto
Biblioteca

exercere non debet, licitè potest ex quocunque motiuo ab illo abstinere. Ergo etiam ego licitè possum illum hortari, & mouere, vt ab illo abstineat.

A

Dico TERTIO, dare vel recipere pecuniam pro omissione actus spiritualis debiti, potest dici Simonia *impropriè*, secundùm quandam apparẽtiam. Hæc autẽ apparentia consistit in hoc, quòd sicut ille, qui vendit, vel emit actum spiritualem, æstimat pluris vel tanti precium temporale, quanti actum spiritualem: ita etiam ille, qui abstinet, vel vult alterum abstinere ab actu spirituali propter pecuniam, videtur pluris vel tanti æstimare pecuniam temporalem, quanti actum spiritualem: quandoquidem vt consequatur pecuniam, prætermittit actum spiritualem, quem esset facturus, vel vult prætermitti ob pecuniam. Quanquam in rei veritate, neq; hoc est necessarium: potest enim quis abstinere ab actu spirituali propter pecuniam, non quòd pluris aut tanti faciat pecuniam; Sed quia tametsi eam minoris faciat, vult tamen *hic & nunc* propter aliquas alias circumstantias complecti potiùs pecuniam, quàm exercere actum spiritualem. Non enim semper aliquis id efficit, quod pluris æstimat. Et sicut ille, qui propter pecuniam abstinet ab actu spirituali: potest hac mente, qua iam dixi, etiamsi non pluris faciat pecuniam, ab eo actu abstinere: ita etiam ille, qui dat pecuniam, posset duntaxat idipsum intendere.

B

Iam ad argumenta in contrarium. Ad illud cap. Nemo, respondet Adrianus & Innocentius, esse intelligẽdum de Simonia *impropriè*. Ad aliud iam patet, omissionem actus non esse quid spirituale, sed esse *omissionem* actus spiritualis.

C

Hactenus quæstiones istæ, quas mouimus, natæ sunt ex consideratione obiecti Simoniæ, quatenus dicitur esse aliquid SPIRITVALE. Nunc sequuntur aliæ ex consideratione eiusdem obiecti, quatenus dicitur esse etiam id, quod est ANNEXVM spirituale.

Sit igitur ordine QVINTA Quæstio circa spiritualibus annexa *antecedenter*: Vtrum aliqua ex his possint emi, vel vẽdi sine Simonia. RESPONDEO autem breuiter, duplicis generis esse illa, quæ spiritualibus sunt annexa antecedenter. QVÆDAM enim abstrahendo ab ordine, quem ad spiritualia habent, sunt *per se* æstimabilia temporaliter. Et talia possunt eatenus emi & vendi; dummodo ordo ad spiritualia non sit vllo modo ratio accipiẽdi pro illis precium, aut maius precium. ALIA sunt, quæ abstrahendo ab ordine ad spiritualia, moraliter loquendo, non cadunt in humanam æstimationem. Talia nullo modo possunt sine Simonia vendi. Nam cùm non possint vendi, nisi quatenus æstimabilia sunt; venderentur, qua ratione habent ordinem ad spiritualia.

D

Prioris generis sunt imagines, vasa sacra, ornamenta, & alia huiusmodi. Et quidem vasa sacra, si profanis hominibus vendẽda essent; priùs oporteret confringere. Si verò Ecclesiasticis personis ad vsus sacros; possunt etiam vendi integra: quatenus propter materiam & operam æstimabilia sunt. Ita expresè docent Syluester, Verbo Simonia, quæst. 12. & Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 7. art. 1. ad 2. & Durandus in 4. dist. 25. q. 3. & Nauarrus in Manuali, cap. 23. num. 108. vbi ait, hoc omnes concedere. Et idem insinuatur passim à Caietano hic, & in Summa, Verbo Simonia. Ac Syluester etiam in illo loco, & Verbo Sepultura, quæstione 2. eandem rationem quoad propositum esse dicit de terra sacra ad sepeliendum (non loquor de Iure aut officio Ecclesiastico sepeliendi) De templis verò videtur esse maior ratio dubitandi, propter cap. Si quis obiecerit 1. quæst. 3. vbi Paschalis Papa simpliciter prohibet Ecclesias vendi. Videtur tamen posse id intelligi, quatenus Ecclesiæ sunt *consecratæ*.

Posterioris verò generis annexa spiritualibus antecedẽter, sunt ius patronatus, hoc est, ius præsentandi & eligẽdi ad officia vel beneficia Ecclesiastica. Item renunciationes, præsentationes, electiones, & procurationes pro beneficiis aut officiis Ecclesiasticis obtinendis. Item Agnus Dei, aqua benedicta, & similia, quę (moraliter loquẽdo) non æstimantur, nisi quatenus habent ordinem ad spiritualia, ad quæ referuntur. Et idcirco nullo modo vendi possunt sine Simonia.

Hic verò notandum, quod diximus, annexa antecedenter spiritualibus prioris generis posse vendi, secundùm id, quod est in eis temporaliter æstimabile; intelligendum esse, quãtum est ex rei naturâ siue iure naturæ. Nam quædam temporaliter æstimabilia, iure positiuo prohibẽtur vendi, de quibus postea suo loco dicemus, punct. 5.

SEXTA Quæstio est de annexis spiritualibus *concomitanter*, id est, de *labore* & *onere* administrãdi officia spiritualia. Vtrum scilicet possit pro tali onere & labore accipi preciũ sine Simonia. Est autem pro declaratione quæstionis huius aduertendum, non dubitari à Doctoribus, quin pro onere & labore *accidentariè* annexo ministerio spirituali liceat accipere aliquid tanquam precium. Vt si Sacerdos v. g. debeat sacrificandi causa peregrè proficisci ad aliquem locum. Item pro *obligatione* ministrandi aliquid etiam potest accipi tanquam precium eius grauaminis. Sed tota controuersia est de labore siue onere *intrinsecè & ordinariè* necessario ad ministrandum spiritualia; Vtrum scilicet possit accipi precium pro labore, quem communiter necesse est ponere in ipsa re diuina facienda, vel administranda.

Ac de hoc duæ sunt contrariæ sententiæ. Prima est Adriani quodlib. 9. & Altisiodorẽsis lib. 3. tract. 21. titulo de Simonia, cap. 2. & Maioris in 4. dist. 25. quæst. 6. & aliorum, quos citat Adrianus. Hi tuentur partem huius quæstionis affirmatiuam. Potissimum fundamentum illorum est.

est. *Primò*, ex auctoritate Scripturæ, qua id videtur significari. Vt cùm dicitur Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua*. Quo loco videtur idem concedi ministris legis Euãgelicę, quod antea veteris legis Sacerdotibus concedebatur. De quibus dicitur Numer. 18. eos decimas accepisse tanquam precium ministerij. *Secundò* facit ad idem auctoritas Iuris Canonici, quod cùm sæpè aliâs, tum præcipuè Can. penult. 1. q. 2. decernit, æquum esse, vt qui fideliter ministrant in Ecclesia, accipiãt debitum stipendium pro ratione meriti. *Vltimò* confirmatur. Nam ille labor & onus videtur per se æstimatione aliqua dignum.

A

Nihilominus contraria sententia vera est, videlicet nihil tanquam precium recipiendum esse pro tali labore. Ita Victoria in relect. de Simonia, par. 2. num. 20. & Sotus lib. 9. de Iustitia & Iure, quæst. 6. artic. 1. Caietanus hic artic. 2. Nauarrus cap. 23. num. 101. vel 102. Gabriel in 4. dist. 25. q. 2. propos. 7. Durand. ead. dist. q. 3. Potissimũ fundamentũ huius sententiæ est *primò*: quoniam ille labor, moraliter loquendo, non est æstimatione dignus, nisi quatenus refertur ad ministerium spirituale, & effectum spiritualem, qui exspectatur ex eo ministerio. Ergo si quicquam pro eo labore, tanquam precium accipiatur; accipietur ratione spiritualitatis ministerij, ac proinde Simoniacè. Antecedens patet: quia talis labor nullam aliam affert vtilitatem, neque moraliter loquendo, infert vllum damnum, per se loquendo, ipsi personæ (vt suppono) Sequitur ergo, nullo titulo posse aliquid accipi, tanquã precium, pro eo labore, nisi qua ratione refertur ad spirituale; id quod esset Simoniacum.

B

Secundò. Nam sicut labor aliquis per se connexus cum ministerio spirituali suscipi solet in ministrando spiritualiter: ita etiam in omnibus aliis contractibus humanis exercendis, aliquis labor interuenire solet in dando & recipiendo, &c. Sed in contractibus humanis nihil accipitur, neque potest iustè accipi pro illo labore; idque propterea, quòd per se nõ est æstimabilis, nisi quatenus refertur ad rem, quæ datur & recipitur. Ergo similiter in proposito, moraliter nihil accipere tur pro labore, nisi qua ratione ad ministerium spirituale refertur, quod esset Simoniacum.

C

Vltimò probatur idem ex Paschali Papa cap. Si quis obiecerit 1. quæst. 3. vbi ait, quando alterum sine altero *non prouenit*, (hoc est, non valet) eum, qui vnum vendit, alterum inuenditum non relinquere. Sed labor ille per se non valet, nisi ratione ministerij & effectus spiritualis intenti. Ergo, &c.

D

Verùm ad hunc textum respondet Adrianus vbi suprà, intelligendum esse, quando vnum venditur, *mediante altero*. Sicut (inquit) qui venderet beneficium Ecclesiasticum, censetur illud vendere, mediante officio Ecclesiastico, cuius beneficium est veluti effectus, quatenus beneficium nimirum datur propter officium. At ex hac ipsa responsione sua redargui potest Adrianus. Nam cùm labor ille *per se* non valeat, vt probatum est; si venditur, certè mediante spiritualitate ministerij venditur, hoc est, ratione eius spiritualitatis: quanq; ea spiritualitas non sit causa vel principium aut fundamentum laboris, hoc enim impertinens est ad propositum.

A

Iam ad argumenta prioris sententiæ respondendum est. Ad loca Scripturæ respondetur, intelligenda esse de *mercede* siue precio largè sumpto, prout stipendium necessitatis, de quo infrà dicemus, posse licitè recipi, appellari potest *merces*. Ita diuus Thomas lect. 3. primæ ad Timoth. quinto docet. Vnde quod Lucas dixit: *Dignus est operarius mercede sua*, Matthæus cap. 10. videtur in hunc modum, quem dicimus, exposuisse, cùm inquit: *Dignus est operarius cibo suo*. Quo autem titulo liceat recipere sine Simonia hoc stipendiũ, infrà docebimus. Ad Ius Canonicum respondemus similiter etiam esse exponendum. Ad vltimum satis iam patet, falsum esse, eum laborem esse per se æstimabilem, neque hoc vnquam probant Doctores contrariæ sententiæ.

B

Si tamen minister spiritualis propter laborem ministrandi etiam *intrinsecum*, quando alioqui ministrare non tenetur, incurreret aliquod *damnum*, vel priuaretur aliqua commoditate, siue lucro, &c. non esset negandum, quin possit illud in pactum deducere; neque tunc acciperet precium pro ministerio, sed alio titulo. Quemadmodum ille, qui mutuans habet aliquem titulum ex dictis fusè suprà disput. 5. quæst. 20. & 21. non accipit aliquid vltra sortem vsurariè ex mutuo, sed omnino licitè.

C

SEPTIMA Quæstio est, circa annexa spiritualibus *consequenter*, videlicet circa BENEFICIA Ecclesiastica; Vtrũ scilicet *iure naturæ* possent illa vendi absq; Simonia. *Iure*, inquam *naturæ*. Nam iure positiuo certum est, esse prohibitum, vt patet Can. Si quis obiecerit 1. quæst. 3. Refert autem propterea hanc quæstionem definire. Nam si solùm iure positiuo id est prohibitum & illicitum; posset Pontifex vendere beneficia licitè, & dispensare super hoc: quandoquidem ille non astringitur eiusmodi iure. Si autem id sit illicitum & prohibitum iure naturæ; minimè id Pontifex poterit.

D

Pro declaratione huius quæstionis aduertendum est, tria posse considerari circa beneficium Ecclesiasticum. Primum est *titulus ipse*, quo beneficium habetur, hoc est, *dignitas* siue *officium*, quo persona Ecclesiastica destinatur ad aliquod spirituale ministerium. Secundum est *ius* siue facultas, quam habet propter tale ministerium & officium recipiendi fructus ex rebus Ecclesiæ. Tertium est ipsi *fructus*, qui recipiuntur.

Hoc posito, quinque sunt certa in hac quæstione apud Doctores, & de vno est controuersia. PRIMO enim certum est, primum ex his tribus, quæ distinximus, iure naturæ esse inuendi-

bile, scilicet ipsum *officium spirituale*. Nam est per se quid spirituale.

SECVNDO certum est, tertium, videlicet *fructus* ipsos posse vendi iure naturæ, & etiam positiuo.

TERTIO etiam certum est, Pontificem antequam alicui sit collatum *beneficium*, hoc est, *ius recipiendi fructus*, posse in vtilitatem Ecclesiæ variè disponere de prouētibus beneficij; videlicet partem eorum ad alium vsum trāsferendo, vel pensiones in vtilitatem Ecclesię cōstituendo, & alia similia faciendo, iuxta regulas iustitiæ distributiuæ, de quibus suprà disput. 5. q. 6. Quin imò idem etiam posset ex rationabili caussa Pontifex facere, postquam est collatum beneficium.

QVARTO certum etiam est, Pontificem non posse sine rationabili caussa ad bonum spirituale Ecclesiæ pertinēte, vendere fructus beneficij, aut dare alteri, posito, quòd iam gratis cōtulerit alicui, tum officium siue titulum, tum etiam ius recipiendi fructus. Facta enim gratis ea collatione; is, cui facta est, iam est dominus, vel quasi dominus & dispensator eiusmodi: quandoquidem habet ius ad illos. Vnde si Papa tunc prouentus eos sine rationabili causa ad spirituale Ecclesiæ bonum spectante, venderet; iniustè venderet id, quod est alterius, vt rectè inter alios deducit Victoria, Relect. de Simonia, num. 50.

QVINTO in hac re certum est etiam, id quod rectè inter alios notat Gabriel in 4. dist. 25. q. 2. scilicet posse locari ius recipiendi fructus absque vitio Simoniæ. Sic enim non commutatur pro precio ipsum *spirituale ius* recipiendi fructus; sed tantùm venditur alicui quoddam *aliud* peculiare ius ad recipiendam particulam fructuum, vt explicuimus suprà quæst. 5. de Decimis. Quanquam iure positiuo hæc locatio non potest fieri in perpetuum. Et Paulus quidē II. peculiari Extrauaganti prohibuit, ne vltra triennium beneficium locaretur, sed eam Nauarrus cap. 27. n. 149. dicit, nusquam esse receptam. Vnde Syluester, Verbo Simonia, quæst. 14. probabiliter putat, posse fieri talem locationem ad vitam locantis. Qua de re suprà etiam diximus in dicta quæst. de Decimis.

Cùm hæc igitur ita sint; CONTROVERSIA manet de illo, quod secundo loco numerauimus inter ea, quę ad beneficium pertinent, Vtrum scilicet *ius* siue *facultas* recipiendi fructus, possit vēdi ex natura rei absq; Simonia. Hoc enim ius est id, quod primariò & formaliter, nomine *beneficij Ecclesiastici* significatur. Reliqua autem duo, videlicet officiū spirituale, & fructus, tantùm connotantur eo nomine. Referuntur autem hac de re tres sententiæ communiter.

PRIMA est Panormitani in cap. 1. Extra de Simonia. Is distinguit duplicis generis beneficia Ecclesiastica. Alia enim sunt, quorum titulo annexa est *cura animarum*, aut executio Ordinis *Sacri*. Et hæc, inquit Panormitanus, iure naturæ vendi non possunt absque Simonia. Alia sunt, quæ tantùm dantur propter titulum *Clericalem*, cui neque est annexa executio Ordinis sacri, neque cura animarum. Et hæc, inquit, ex natura rei possunt vendi absque Simonia. Id quod solo iure positiuo prohibetur.

Hæc sententia meritò reiicitur communiter à Theologis: præsertim à Cajetano tomo secundo Opuscul. tract. 9. & à Soto libro nono de Iustitia, quæst. 7. artic. 1. & à Victoria in Relect. de Simonia, num. 42. & seq. Ratio est PRIMO, quoniam non satis sententia hæc cohæret. Nam si beneficia, quorum titulo annexa est cura animarum, aut executio ordinis, non possunt vendi ex natura rei; causa est, quia titulus, propter quem dantur, est spiritualis; & si possunt vendi, causa erit, quia fructus, qui recipiuntur, sunt temporales: propter quod considerata beneficia in ordine ad tales fructus, videntur esse temporaliter æstimabilia. Sed sicut in beneficio, cui est annexa cura animarum, aut executio sacri ordinis, titulus est spiritualis, & fructus sunt temporales: ita etiam in beneficio, cui neque cura animarum, neque executio sacri ordinis est annexa. Ergo vel vtrumque beneficium ex natura rei vendibile est absque Simonia, vel neutrum. Minor satis patet. Nam Clericatus aliorum ordinum minorum, etiam est quid spirituale, siue institutus sit iure diuino, siue ab Ecclesia. Hoc enim nihil refert, quò minùs sit spirituale. SECVNDO contra eandem sententiam est, quod etiam falsum est, vllum omnino beneficium posse vendi iure naturæ, vt videbimus.

SECVNDA sententia est Glossæ in capitulo Ex parte 1. Extra de officio delegati, quam sequitur Ioannes de Butrio illic, & Cardinalis Turrecremata in capit. primo de Simonia. Hi sentiunt, omnia beneficia Ecclesiastica posse vendi ex natura rei, tantumque id prohiberi iure positiuo; atque adeo Papam posse vendere quoduis beneficium. Quod etiam affirmauit Nauarrus in posteriori editione sui Manualis, capite 23. numero 108. cùm in aliis editionibus constanter sensisset contrarium. Ratio istorum est: quoniam fructus beneficij sunt temporales, & ita ratione illorum videtur posse vendi beneficium. Et quanquam huius sententiæ auctores in ratione ista, quam pro ea afferunt, videantur confundere secundum & tertium ex illis tribus, quæ pertinent ad beneficium, videlicet *ius* recipiendi fructus, & ipsos *fructus*: tamen possunt ex ea ratione nonnulla argumenta duci, quibus videri possit satis apparenter hæc sententia confirmari.

PRIMVM est tale: Quandocunq; aliquid, abstrahendo à spiritualitate, siue ab ordine, quem habet ad spirituale, valet ad aliquos vsus tēporaliter æstimabiles; potest secundùm rationē eam sic abstractā, vendi ex rei natura absq; Simonia. Sed ius recipiendi fructus propter titulum spiritualem,

tualem, abstrahendo ab ordine, quem habet ad talem titulum, valet ad multos vsus temporaliter æstimabiles. Ergo potest ex natura rei, secundùm eam rationē absq; Simonia vendi. Maior probatur. Nam illud est satis, vt aliquid sit tēporaliter æstimabile, atq; adeo vēdibile. Omnia enim, quę æstimamus temporaliter, æstimamus ppter aliquos vsus temporales, ad quos illa referimus, abstrahentes ab aliis eius rationibus, quæ impertinenter se habeant ad tales vsus. Minor etiā probatur. Nam de iure recipiendi fructus, possum cōcipere, quòd valet ad recipiendam pecuniam, ad sustentandam vitam, &c. nihil considerando de titulo spirituali, quo tale ius nititur.

SECVNDVM argumētum: Sicut ius recipiendi fructus reipsa nititur titulo spirituali: ita etiam valor vineæ v. g. nititur *diuino* influxu, &c. & valor etiā temporalis, nititur præterita collatione pecuniæ, per quam ille est emptus. Sed hoc non obstante, potest vinea emi & vendi, quatenus valet ad vsus temporaliter æstimabiles, abstrahēdo ab influxu Dei, quo valor vineæ nititur; & similiter potest vendi census, quatenus valet ad recipiendam pensionem, nihil cōsiderando de priori emptione, qua valor eius census nititur. Neque propterea, quòd vinea & census vendatur, venditur ille influxus Dei, aut prior emptio census. Ergo similiter in proposito, quanquā verum sit, reipsa valorem beneficij niti titulo spirituali: tamen poterit, abstrahendo ab hoc titulo, illud vendi in ordine ad vsus temporales, neque idcirco vendetur spiritualis hic titulus.

TERTIVM argumentum. Si non posset vendi beneficium, maximè propterea, quòd *officium* spirituale transit cum beneficio, atq; adeo videtur etiam ipsum vendi. Sed id non obstat. Ergo. Minor probatur. Nam similiter, quando ius patronatus annexum est fundo alicui, si fundus vēditur, transit ad emptorem ius patronatus cum illo. Et tamen ex sententia omnium, nō idcirco ius patronatus tunc vēditur: id quod esset Simonia. Si autē dicas, esse discrimen, quòd valor fundi non nititur iure patronatus, tanquam fundamento. Valor autem beneficij, nititur titulo spirituali. Contra hoc est, quòd antea probauimus, id non obstare, quò minùs posit valor beneficij abstrahi ab hoc ordine ad titulum, & eatenus vendi.

VLTIMVM argumentum prò illa sententia esse potest, quòd ius etiam recipiendi certam pensionem ex fructibus beneficij, quod aliquis per conductionem beneficij acquirit, reipsa nititur (saltem mediatè) titulo spirituali. Sed hoc non obstāte, licitè pro tali iure datur precium, quando beneficium conducitur, sicut suprà ex sententia communi notauimus. Ergo non obstante, quòd ius ipsum beneficij reipsa nitatur titulo spirituali, poterit ea ratione, qua dictum est, vendi sine Simonia. Maior probatur. Nam si spiritualis ille titulus non esset; Clericus non posset *locare* beneficium, quippe quòd ne haberet quidem: & consequenter ius, quod talis Clericus transfert in alterum, nihil valeret.

NIHILOMINVS hæc secunda sententia meritò displicet Theologis. Itaq; communiter illi negant, posse vllum beneficium iure naturæ vendi sine Simonia, ac nominatim ij, quos aduersùs primam opinionem citauimus. Fundamentum potissimum huius tertiæ sententiæ est id, quod S. Thomas ponit in art. 4. quia scilicet beneficiū datur propter officium, siue titulum spiritualem: atque ita est annexum spirituali *consequenter & dependenter*. Ergo sicut officium est spirituale: ita beneficium. Ergo non potest vendi.

Et cōfirmatur hoc ipsum auctoritate Paschalis Papæ in capit. Si quis obiecerit 1. quæst. 3. vbi ista eadem ratione videtur concludere, beneficia non esse vendenda. Inquit enim, *quando vnum sine altero non prouenit, qui vnum vendit, alterum inuenditum non relinquit*. Ex quo concludit: *Nemo igitur beneficia vendat, &c.* Atque hanc tertiam sententiam ex Canonistis multò rectiùs secutus fuerat in prioribus editionibus sui Manualis Nauarrus cap. 23. num. 108.

Et eam ipse propterea quoq; verisimam esse mihi persuadeo, quia ius recipiendi fructus, cùm formaliter loquendo sit quædam relatio, quæ fundatur in ipso titulo spiritualis officij, non potest perfectè concipi & æstimari, abstrahendo à titulo spirituali. Est enim id ius nihil aliud, quàm posse legitimè aliquem recipere fructus propter titulum officij spiritualis. Quare neq; etiā potest istud ius perfectè & completè æstimari, nisi in ordine ad spiritualem titulum, atq; adeo neq; vendi. Illicitum autem ex natura rei & Simoniacum est, non modò vendi id, quod est spirituale, sed etiā vendi id, quod suapte ratione sine ordine ad spirituale, non est, nec valet, neque intelligitur, & æstimatur. Et hoc quidem propter maximam reuerentiam, quæ debetur rei spirituali.

Affert & aliam rationem pro hac sententia Nauarrus vbi suprà, quæ est talis: Ius patronatus vendi non potest absque Simonia. Sed beneficium est magis spirituale, quàm ius patronatus. Ergo. Maior patet ex communi sententia. Minor probatur. Nam ius patronatus est annexum spirituali *antecedenter* tantùm: beneficium autem *consequenter* & dependenter, quod plus est. Sed ad hanc rationem facilè diceretur, esse nihilominus disparitatē, quòd ius patronatus, vt ius patronatus est, nō potest considerari in ordine ad aliquē vsum temporaliter æstimabilem, sed solùm in ordine ad electionem, quæ non est æstimabilis, nisi propter dignitatē aut beneficium, ad quod quis eligitur. Beneficium verò spirituale potest considerari in ordine ad vsus temporales.

Validiùs autem potest præterea confirmari sententia hæc tertia Theologorum ex eo, quòd si illud fundamentum potissimū contrarię sententiæ esset firmum, videlicet posse beneficiū referri

ad vsus

ad vsus tẽporales; sequeretur eadẽ ratione absq; Simonia posse vendi officia ipsa spiritualia: Item ordines ipsos sacros, & Episcopatus, dignitates, &c. Probatur: quoniam similiter hęc considerari possunt, abstrahendo à spiritualitate, quatenus valent ad varias commoditates temporales; vt ad immunitates, ad honores, &c. Videtur igitur illud fundamentum nimis multum probare, atque adeo minimè esse solidũ. Neq; enim est vllo modo concedendum hoc, quod ex illo iam inferebamus. Et ratio, cur id non sit concedendum, est illa eadem, propter quam antea dicebamus, beneficia non posse vendi: quia videlicet valor iste ordinum & dignitatum in ordine ad commoditates temporales, non potest completè cognosci & æstimari sine respectu ad *spiritualitatẽ*.

Ex his facilè potest responderi ad argumenta contrariæ sententię Canonistarum. Ad PRIMVM respondeo; illud, quod in Maiori sumitur, minimè ad licitam rei venditionẽ esse satis, nisi etiam res posit *completè* æstimari & cognosci, abstrahẽdo à spiritualitate. Ex quo patet quoq; respõsio ad SECVNDVM. Nam vinea & similia, sunt quædam entia *absoluta*, quę possunt completè ęstimari, etiamsi non cõsideretur prouidentia & influxus Dei. Atq; eadem ratione calix cõsecratus, & alia eiusmodi spiritualibus annexa antecedẽter, quæ temporaliter æstimantur, vendi possunt, vt sunt sic æstimabilia, sicut suprà ex cõmuni sentẽtia notauimus: quia scilicet vt temporaliter hæc æstimabilia sunt, sunt quædam res *absolutæ*, quæ possunt completè concipi & æstimari sine respectu ad spirituale, vt constant ex auro.

Illud verò, quod de emptione census etiã obiiciebatur, nihil probat. Nam quamuis valor census non possit completè cognosci, nisi in ordine ad precium, pro quo fuit emptus: tamen non est ex natura rei illicitũ, vendere aliquid cum respectu ad temporale precium. Est autem illicitum, vendere id, quod sine respectu ad spirituale, concipi & æstimari completè non potest. Ad TERTIVM respondeo, non esse illam rationem precisè, sed eam, quam dedimus antea. Ad QVARTVM respondeo, pensionem, quam quis acquirit ex conductione beneficij spiritualis, non ita immediatè niti spiritualitate beneficij. Et propterea non est id simile. Quòd si quæras, quonam immediatè nitatur. Respondeo, *exhibitione* precij, quo fuit beneficium conductum. Quam rem suprà declaraui in quæst. de Decimis.

Porrò quod definitum est de beneficiis, scilicet illa non posse iure naturæ vendi; similiter statuendum est de PENSIONIBVS, & quibuscunq; aliis præbendis, quæ dantur propter titulum spiritualem, quocunq; tandem nomine illæ appellentur. Quin etiã sequitur ex dictis, pro testimonio Ordinũ aut collationis beneficij, nihil posse recipi, tanquam precium. Ratio est: quoniam tale testimonium, vt *testimonium* est, non valet, nisi vt est annexum spirituali consequenter, hoc est, quatenus prodest ad probãdam dignitatem, &c. Ita Durandus in 4. dist. 25. q. 3. Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 6. ar. 1. Syluester, Verbo Simonia, quęst. 8. qui rectè notat, eandem esse rationem de illis, qui vocant ordinandos, & examinant, &c. Pro quibus omnibus nihil licet recipere.

Et quanquã Nauarrus cap. 23. n. 101. & Durandus vbi suprà, & alij, cõcedant, posse Episcopum pro cera ad sigillandum, aut membrana aliquid recipere: videtur tamen hoc iam non licere propter decretum Concilij Trident. sess. 21. cap. 1. de reformatione; quo tria continentur notanda in proposito. PRIMVM est, ne vllus Episcopus pro collatione ordinis, etiam primæ tonsurę, aut pro literis dimissoriis, quicq̃ vllo prætextu accipiat, etiam sponte oblatũ. Vnde nec videtur posse accipere candelas. Nam Concilium generatim loquitur. Neque Episcopi titulares aut Suffraganei possunt q̃quam accipere. De omnib. enim Episcopis Concilium loquitur. Et possunt tales à suo Diœcesano exigere sufficiẽs stipendiũ, si indigẽt. SECVNDVM est, ne Notarius pro literis testimonij accipiat vllo prętextu plus, quàm decimã partem aurei: neq; id quidẽ sine duabus conditionibus. *Prima* est, vt ante Concilium fuerit consuetudo aliquid recipiendi. *Secunda*, vt aliunde nõ habeat Notarius stipendium. Si enim habet; iniustitia est aliquid præterea accipere: id quod etiam notarunt Syluester & alij vbi suprà. Quibus duabus conditionibus illa etiam addenda est, vt ne illa quidem decima pars aurei accipiatur tanquam testimonij precium (id enim minimè licet, vt ante dictum est) sed titulo honorarij vel subsidij cuiusdam, &c. TERTIVM est, ne aliquid de Notarij commodis perueniat ad Episcopum.

Neq; videtur posse dici, Concilium in istis procedere ex *præsumptione*, & non obligare in foro conscientię, nisi quatenus in his committatur reuera Simonia. Apertè .n. insinuat, se simpliciter hæc præcipere propter bonum exemplum, & minatur, si non seruentur, vltionem diuinam.

PVNCTVM TERTIVM.

In quibusnam casibus Simonia cõmittatur, spectãdo actum ipsum, in quo Simonia consistit.

D. Thomas art. 3. & seq.

POSTQVAM præcedẽte puncto docuimus, quandonã simonia cõmittatur ex parte *obiecti*, siue *materiæ* ipsius, videndũ nunc est, quandonam cõmittatur ex parte *actus* emptionis vel venditionis, in quo Simonia consistit. Solet enim ex eius actus consideratione dubitari etiam plerumque in variis casibus, vtrum cõmittatur Simonia, nec ne. Quo in genere quinq; occurrunt quæstiones.

PRIMA Quęstio est, Vtrum, quotiescunq; spirituale datur, vel fit *qualicunq; modo*, pro temporali; & è contrario, sit transactio Simoniaca. Pro parte enim affirmatiua facit *primò*, quod quandocunq; ex vna parte spirituale datur, & ex altera temporale, videtur esse emptio & venditio. Vt aliud prætexere nihil aliud esse appareat, quàm quærere pallium Simoniæ. *Secundò*, quod quandocunq; spirituale datur pro temporali, minimè datur gratis. Sed apud Doctores idẽ est spirituale non dari gratis, & dari Simoniacè. Ergo, &c. In *contrarium* autem est, quòd si ita esset, oporteret damnare vniuersalem vsum Ecclesiæ, quò ferè quidquid spiritualis ministerij confertur in populum, confertur pro aliquibus subsidiis temporalibus, ex quibus ministri alantur.

RESPONDEO. Dubitari non potest, quin pars negatiua huius quæstionis certa sit. Sed tamen moui hanc quæstionem, vt explicarem breuiter modos, quibus cõtingit spirituale dari pro temporali; & è contrario, sine Simonia. Et dicendum est conuenienter doctrinæ cõmuni, hos modos, generatim loquẽdo, esse duos. PRIMVS est, quando temporale est duntaxat *motiuum* conferendi vel efficiendi spirituale, aut è contrario. SECVNDVS est, quando per temporale fit solùm compensatio *gratuita* pro spirituali, aut è contrario. His modis cùm spirituale datur pro temporali, vel è contrario, vitatur Simonia.

Quod ita probo: Vt transactio aliqua sit Simoniaca, oportet tẽporale esse *precium* spiritualis, vel è contrario. Sed quando aliquo modo ex prędictis datur spirituale pro tẽporali, vel è contrario; non datur vnũ pro altero, tanq̃ pro precio. Ergo, &c. Maior patet ex definitione Simonię. Nam vbi nõ interuenit precium, nõ est emptio & venditio; & consequenter neque Simonia. Minor probatur. Nam spirituale dari pro tẽporali, tanquã pro *precio*, aut è contrario; est spirituale commutari pro temporali, tanquã pro *æquali* (secundùm peruersam nimirum æstimationem) id est, tanquam pro eo, quod peruersè & impiè tanti fit, quanti spirituale. Spirituale autem dari pro temporali, tanquam pro *motiuo*, aut è contrario; est solùm ex affectu vel inclinatione ad aliquid temporale, *velle* etiam facere seu conferre spirituale, aut è cõtrario: quod satis patet, accidere posse, quamuis nõ æqualiter æstimentur tẽporale & spirituale. Neq; enim semp tanti facimus illud, ex quo mouemur ad operandum, quanti ipsum opus. Similiter spirituale dari pro temporali tanquã compensationem *gratuitam*, nihil aliud est, quàm ex consideratione beneficij tẽporalis induci aliquẽ ad rependendum officium spirituale. Et è contrario, dari tẽporale pro spirituali, tanq̃ gratuitam compensationem, est induci ex consideratione beneficij spiritualis accepti ad rependendum cõmodum temporale; quod satis patet fieri posse, etiamsi temporale non æstimetur tanti, quãti spirituale. Patet igitur illa nostri argumẽti Minor, videlicet quando aliquo ex illis duobus modis datur spirituale pro temporali, & è cõtrario; nullũ precium

interuenire. Sequitur igitur argumenti Conclusio. Et quamuis aliquando contingit, illos duos modos conferendi spirituale pro temporali, aut è contrario, sine Simonia, *simul* cõcurrere; quippe cùm id, quod est compensatio gratuita, sit etiam motiuum: tamen quia contingit etiam aliquid esse motiuum, & non simul esse compensationem gratuitam, idcirco duos illos modos meritò distinximus.

Ac ex vtroq; istorũ capite pręcipui casus particulares in hac materia diiudicari possunt. PRIMO enim hinc patet, nõ esse Simoniacã eam consuetudinẽ, qua videmus recipi à ministris spiritualib. pro spirituali ministerio, stipendiũ sustẽtationis. Etenim si diligenter percurramus oẽs virtutes, q̃ sunt *ad alterum*, reperiemus, populũ pro spirituali quidẽ ministerio, vt *spirituale* est, non nisi ex obligatione virtutis Gratitudinis conferre ministris spiritualibus stipendia: id quod rectè ex aliorum etiã Doctorum sententia notatum est in supplemento Gabrielis in 4. d. 25. q. 2. art. 2. posit. 2. Probatur. Nam quãuis teneatur populus ex Iustitia *cõmutatiua* compensare illud ministeriũ, consideratum secundùm *communẽ* quandam sui rationem, qua scilicet impẽditur ab Ecclesiæ ministro ex *officio & obligatione quadã onerosa*, &c. (vt ex sententia Soti & aliorũ explicaui suprà disput. 5. q. 7. p. 2.) tamen si cõsideretur id ministerium secundùm rationem suam *propriam*, vt *spirituale est* (quomodo hîc illud cõsideramus) nequaquã populus tenetur conferre pro illo ministris stipendium ex Iustitia cõmutatiua. Esset enim id Simonia: siquidem daretur tunc temporale pro spirituali ministerio, vt spirituale est, sicut etiam diximus suprà disput. 5. loco citato. Neq; etiã id stipẽdium tenetur dare populus ex *liberalitate*. Nam liberalitas non respicit beneficium acceptũ. Populus autem in contribuendo stipendio attendit beneficium ex spirituali ministerio acceptũ. Neque rursum ea populi obligatio est *misericordiæ* aut eleemosynæ. Tunc enim tantùm possent recipere stipendia ministri pauperes; quod falsum est, vt postea videbitur.

Restat igitur, vt populus pro spirituali quidem ministerio, vt spirituale est, conferat stipendia ex gratitudine, qua impendenti officium spirituale, cõpensatio gratuita temporalis repẽditur: iuxta illud Apost. 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si carnalia vestra metamus.* Atq; ita patet, quod dictum est, talem consuetudinẽ non esse Simoniacã. Nam temporale non est precium spiritualis, sed compensatio gratuita. Quare cùm Doctores solent dicere, populum debere ministris id, quod ex lege aut consuetudine solet illis tribui, non ita intelligendum hoc est, quasi per hoc illi indicent diuersi generis obligationes, ex quibus contingat populum debere tribuere stipendia; sed tantùm explicant capita varia, quibus obligatio gratitudinis determinatur, vt scilicet populus conferat hoc aut illud.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDO inde etiam patet, non esse Simoniacum, si quis obsequium, aut aliquod munus temporale Episcopo impendat, spe consequendi ab illo titulo gratitudinis aliquod beneficium spirituale: sicut Doctores communiter tradunt. Nam similiter tunc spirituale non exspectatur, vt precium obsequij, sed vt compensatio gratuita. Item neque vicissim erit Simonia, si Episcopus, vt se liberet ab obligatione gratuita, siue antidorali qua tenetur, propter acceptum obsequium ab aliquo, conferat ei beneficium spirituale, vt rectè notauerunt Nauarrus cap. 23. num. 106. & Didacus Couarruuias lib. 1. variarum resolut. cap. vltimo, num. 4. Ratio est: quoniam quod datur ex obligatione antidorali, non datur vt debitum legale ex Iustitia; sed ex gratitudine. Et ita spirituale non habet tunc rationem precij.

Præterea ex altero capite, videlicet quando temporale vel spirituale est tantum MOTIVVM, sequitur PRIMO, donationes alicuius rei temporalis sub *conditione & onere* conferendi aliquid spirituale, non esse Simoniacas. Vt si v. g. aliquis leget Ecclesiæ fundum cum hac conditione, vt anniuersarium sacrum fiat. Ratio est: quoniam tunc spirituale, duntaxat est motiuum, conferendi temporale. Atque ita non emitur pro temporali, sed est donatio temporalis *onerosa*. Ex quo similes Casus diiudicari possunt, de quibus Syluester, Verbo Simonia, quæst. 17.

Ex eodem capite patet SECVNDO, non esse Simoniacum vsum aliquarum Ecclesiarum, in quibus promittitur aliquod ministerium spirituale (vt exequiæ, Missæ, &c.) illis, qui hanc vel illam eleemosynam aut oblationem contulerint: id quod D. Thomas etiam probat art. 3. huius quæst. in solutione tertij. Et ratio est: quoniam tunc illud temporale spectatur duntaxat vt motiuum, non vt precium. Quanquam non probat D. Thomas consuetudinem siue statutum non conferendi officium spirituale, *nisi* illis, qui oblationem faciant. Nam si, inquit, hac forma fiat statutum, videlicet ne conferatur ministerium, nisi illis, &c. præcluderetur via impendendi pauperibus officia spiritualia omnino gratis. Hoc tamē intelligo verum esse propter scandalum & præsumptionem Simoniæ. Nam si alioqui ministri, ex officio non tenentur, hoc aut illud particulare ministerium impendere; non video, quare sit Simoniacum aut illicitum, velle id officium conferre, nisi ex illo motiuo oblationis. Potest enim aliquid temporale in proposito esse solùm motiuum, atque adeo intendi & exspectari sine labe Simoniæ, etiamsi absq; illo nollet quis dare spirituale, vt rectè annotauit Couarruuias vbi suprà, num. 3.

TERTIO sequitur, non esse Simoniam, pecunia proposita aliquem incitare ad actus Virtutis: id quod satis D. Thomas insinuat art. 3. ad 2. Et explicat rectè Adrianus quodlib. 9. post solutionem tertij argumenti principalis. Et quidem quando actus virtutis nullam vtilitatem adferret illi, qui per pecuniam ad eum inuitat, satis clarum est, nullam esse Simoniam. Nam tunc qui pecuniam dat, nihil recipit, atque ita nihil emit; sed tantùm motiuo pecuniæ conatur alteri persuadere actum virtutis: quod per se non minùs licet, quàm aliud quoduis motiuum secundùm se licitum adhibere ad persuadendam alteri Virtutem. Cùm verò actus Virtutis affert aliquam vtilitatem ei, qui dat pecuniam, vt collatio beneficij, absolutio à peccatis, &c. facilius quidem præsumi tunc potest Simonia. Et sic intelligitur capit. Quàm pio 1. quæst. 2. vbi damnatur tanquam Simoniacum, quòd quis recipiat aut det pecuniam pro ingressu Religionis. Cæterùm in foro conscientiæ nihil impedit, quò minùs pro huiusmodi etiā actibus possit dari pecunia tanquam motiuum duntaxat. Tametsi rarò aut nunquam in hac re videatur vitari posse scandalum, si id fieri sciatur.

QVARTO sequitur, non esse Simoniam, conferre aliquid spirituale propter *preces* aut *consanguinitatem*, quando exauditio precum, vel intuitus consanguinitatis non resoluitur in aliquod commodum temporale tāquam in precium. Ita D. Thomas art. 5. ad 2. & 3. Nauarrus cap. 23. numero 101. Sotus lib. 9. de Iustitia, quæst. 7. artic. 3. Victoria in Relectione de Simonia, num. 27. & 34. & alij; licet quidam contrarium sine firmo fundamēto senserint. Ratio est eadem: quia preces & consanguinitas tunc solùm sunt *motiuum*. Posset tamen accidere in tali casu peccatum acceptionis personarum, si videlicet consanguineus aut is, pro quo preces funduntur, non est dignus beneficio spirituali, vt patet ex dictis suprà disputat. 5. quæstione septima, Simonia verò non esset.

Et quidem S. Thomas loco citato putat, eum, qui *pro se* rogat, vt obtineat beneficium, cui annexa est cura animarum, eo ipso indignum esse, ad illud obtinendum propter præsumptionem. Hoc tamen rectè Caietanus art. 5. temperat. Cuius sententia consistit in his tribus. *Primum* est: petere beneficium, cùm annexa est cura animarum simpliciter, cuiusmodi beneficium est Episcopatus, regulariter esse adeo præsumptuosum, vt petentem reddat indignum tali beneficio: in casu tamē necessitatis alicuius Ecclesiæ posse esse opus charitatis. *Secundum* est: petere beneficium, cui non est annexa tanta cura animarum, vt parochiam v. g. regulariter non esse præsumptuosum, si quis moueatur etiam desiderio iuuandi spiritualiter animas, & regimen sit adeo labefactatum, vt communiter huiusmodi beneficia non dentur, nisi procurantibus, & sæpe etiam conferantur indignis: id quod communiter ferè vsu venire iam videmus. *Tertium* est: quando aliquis ex affectu carnali petit in casu præcedenti dicti parochiam, dummodo etiam velit spiritualiter prodesse; si quod peccatum id est, communiter

muniter tantùm esse veniale, atq; adeò non reddere indignum, regulariter loquendo. Eadem ferè sententia est Soti lib. 9. de Iustitia, quæst. 7. art. 3.

VLTIMO sequitur, non esse Simoniam, si quis ex *metu* conferat aliquid spirituale. Ita tradit Franciscus Victoria in dicta Relectione, n. 24. & 25. & Sotus q. 7. art. 3. contra aliquos. Ratio est: quoniā talis nihil precij accipit, sed tantùm propter conseruationem rerum suarum, quas timet amittere, mouetur ad conferendum spirituale. Posset tamen contingere, vt esset acceptio personarum: si is, cui ex metu spirituale confertur, indignus est. Quin etiam addit Sotus esse Simoniam, si ex metu amittendi aliquid, quod futuro tempore quis sperat, spirituale conferat: quoniam, inquit, est id parare sibi viam ad illud temporale, quod sperat, & veluti emere illud per spirituale. Quod tamen tunc solùm puto esse verum, si talis velit illud spirituale dare tanquam precium: non autem, si tantummodò vt quoddam motiuum. Nam sicut ob conseruationem rei, quam in præsenti quis habet, potest conferri spirituale, non vt precium, sed vt motiuum: ita etiam ob adeptionem rei, quam sperat; atque ita non esset tunc Simonia. Fatendum est tamen, in foro exteriori posse facilius tunc Simoniam præsumi.

SED occurrit argumentum, ad probandum, semper esse Simoniam, conferre spirituale *ex metu*. Nam conseruatio & adeptio rei, quam quis timet amittere; precio æstimabilis est. Ergo conferre spirituale ex metu pro rei cōseruatione vel adeptione, semper est Simonia.

RESPONDEO, negando Consequentiam. Quamuis enim rei cōseruatio & adeptio, sit precio æstimabilis: tamen res ea non confertur ab altero ei, qui timet; sed aliunde is habet ius ad talem rei conseruationem vel adeptionem, vt suppono. Itaque cùm nihil is recipiat, nihil vendit, sed tantùm confert spirituale, vt quoddam motiuum, quo alter nimirum moueatur ad non ei nocendum.

Et confirmatur hoc ipsum. Nam aliàs sequeretur, esse etiam Simoniam, si Episcopus conferret beneficium spirituale digno *ex metu* pœnæ centum florenorum, quæ Episcopo intentaretur, nisi digno conferret. Quod est planè absurdum. Nam vt quis metu pœnæ faciat id, quod debet; nullum peccatum est.

Argumenta verò contraria, initio quæstionis proposita, facile refelluntur. Ad *primum* respondeo, satis iam patere, non semper id esse Simoniacum. Ad *secundum* respondeo, spirituale hoc ipso gratis conferri, quòd non confertur pro temporali, tanquam pro precio: etiamsi temporale exspectetur, vt motiuum, vel compensatio gratuita. Hoc enim non obstat, quò minus gratis conferatur. Aliàs nunquam ferè fieret ab hominibus aliquid gratis. Quotus enim quisq; est, qui quod in alios confert, nullo prorsus modo ad se referat.

SECVNDA Quæstio circa idem caput est, Vtrum propter aliquas saltem *circumstantias* contingat committi Simoniam, etiamsi temporale sit duntaxat motiuum, aut compensatio gratuita, respectu spiritualis, aut è contrario. Ratio dubitandi est PRIMO. Nam quandoque accidit, vt temporale quamuis sit tantummodo motiuum, tamen exspectetur *principaliter*, tanquam finis, propter quem conferatur spirituale: quo sanè casu videtur esse Simonia, vt aliqui Doctores sentiunt, de quibus postea. Et ratio est. Nam tunc non videtur spirituale conferri gratis.

SECVNDO. Nam accidit etiam, *paciſci* de temporali retribuendo, tametsi non nisi tanquam motiuo aut compensatione gratuita. Et similiter de spirituali pro temporali. In quo etiam casu videtur esse Simonia. Nam vt dicitur in Cap. finali, Extra de pactis. In spiritualibus omnis pactio, omnisque conuentio cessare debet. Et in Cap. Quæsitum. Extra de rerum permutatione, dicitur eiusmodi pacta continere semper labem Simoniæ. Quod idem habetur in Cap. Tua nos, de Simonia, & in Cap. Quam Pio 1. q. 2. Et ita D. Thomas in artic. 3. ad 2. simpliciter docet, omne pactum in huiusmodi esse Simoniacum.

TERTIO. Nam accidit etiam, ministrum spiritualem *aliunde* habere, vnde viuat, puta ex patrimonio, &c. quo casu recipere temporale tanquam motiuum, vel compensationem gratuitam, videtur esse pallium auaritiæ & Simoniæ. Confirmatur. Nam cùm Doctores, stipendium, quod licet recipere, communiter appellant stipendium *necessitatis*; satis insinuant, Simoniacum esse, si quid ad sustentationem non necessarium recipiatur. Accedit his etiam, quòd in multis Canonibus tales appellantur Sacrilegi, præsertim verò in Can. finali 16. quæst. 1. qui est Hieronymi.

In his casibus variè Doctores opinantur, vt postea videbimus. Breuiter tamen ex probabiliori sententia Doctorum (quos postea citabimus) videtur RESPONDENDVM: In foro quidem cōscientiæ has & similes circumstantias non efficere Simoniam, nisi quatenus interdum efficiunt, vt temporale sit precium spiritualis, vel è contrario; atque adeò vt temporale non sit duntaxat motiuum, aut gratuita compensatio spiritualis; vel è contrario. Hoc satis patet ex dictis in quæst. præced. huius pūcti. Nam ad Simoniam requiritur, vt interueniat precium, sicut ex sententia cōmuni rectè docet Syluester, V. Simonia, q. 3. regula 3. & Caietanus in Summa, V. Simonia, & Nauarrus in Manuali, cap. 23. n. 100. in fine, & alij communiter. Sed non obstantibus dictis circumstantiis fieri potest, vt temporale nō sit precium spiritualis, aut è contrario, hoc est; vt non ita detur aut fiat vnū propter alterum, quasi tāti vnum æstimetur, quanti alterum. Ergo, &c.

Hoc posito, respondendum est etiã ad tres illas rationes dubitandi. Et quod ad PRIMAM attinet, Nauarrus cap. 23. n. 101. & Adrianus quodlib. 9. & Gabriel in 4. d. 25. q. 2. & Couarruuias lib. 1. variar. resolut. cap. vlt. n. 3. & alij, simpliciter dicunt, esse Simoniã, conferre spirituale *principaliter* propter temporale, tanquam propter finem. Et videtur esse sententia S. Thomæ tum hîc art. 5. ad 3. tum etiam quodlib. 8. ar. 11. vbi ait, illicitum esse, ire ad Ecclesiam, propter distributiones principaliter, tanquam propter finem; quamuis non, si propter eas eatur, tanquam propter motiuum secundarium. Sotus tamen lib. 9. de Iustitia, q. 6. ar. 2. ante responsionem ad argumẽta, contrariũ opinatur. Et ideo dictum illud S. Tho. censet esse intelligendum, quando temporale principaliter intenditur, tanquam *precium*. Et idem sensisse videtur Franciscus Victoria in Relect. de Simonia, n. 33. & seq.

Sed possunt in concordiam redigi istę duę opiniones. Nam dupliciter potest quis conferre spirituale propter temporale *principaliter*, tanquam propter finem. VNO modo ita, vt temporale sit apud eum *finis* non modò voluntatis & applicationis animi ad actum conferendi spirituale, sed etiam *ipsius spiritualis*; si videlicet illud temporale æstimet pluris non modò, quàm actum conferẽdi hîc & nunc spirituale; sed etiam quã ipsum spirituale, quod confert. Et tunc omnino cõmittit talis Simoniam. Nam hoc ipso, quòd plũris æstimat temporale, quã spirituale, æstimat etiam illud tanti, quanti spirituale: Siquidem æstimat illud etiã pluris; atq; adeò tanti quoq; : & eo ipso spirituale pro temporali tanquã pro precio venditur, in quo consistit peruersitas Simoniæ. Atq; isto modo est vera, & à suis auctorib. intellecta opinio prima Adriani, S. Thom. Couarruuiæ, & aliorum. ALTERO modo potest quis cõferre spirituale propter temporale principaliter, tanquã propter finem, ita, vt temporale apud eum non sit etiam finis ipsius rei spiritualis (quasi temporale pluris ab eo, quàm spirituale, æstimetur) sed tantummodo *voluntatis siue applicationis animi* ad actum conferendi spirituale. Et hoc nõ est Simonia. Nã tunc non propterea vel tanti, vel pluris æstimatur temporale atq; Spirituale. Et isto modo est vera secunda opinio Soti.

Quæ opinio potest etiam probari hoc modo, à simili: Sicut Simonia est recipere tẽporale pro spirituali, tanquã precium debitũ, ratione *rei*, & vt ex iustitia: ita etiam est Vsura accipere aliquid ex Mutuo vltra Sortem, quasi debitum ex iustitia ratione rei mutuò datę. Sed si hoc modo aliquid vltra sortem, quasi debitum non petitur, non est vsura; tametsi id tanquam finis actus mutuãdi similiter spectetur. Ergo similiter cũ petitur temporale pro spirituali, non tanquam precium debitum ex iustitia, sed tãquam finis applicationis animi ad cõferendum spirituale, minimè erit Simonia, etiamsi principaliter intendatur & expe-

A ctetur. Maior est clara, & recepta communiter à Doctorib. qui idcirco pariformiter solent loqui de vitio vsurę & Simoniæ. Minorem suprà disp. 5. q. 21. p. 1. probauimus, vbi ex sentẽtia Soti nominatim notauimus ad cognoscendum peccatum vsuræ non esse respiciendum ad principalem aut minus principalẽ intentionem per se loquendo; sed ad titulum, propter quem aliquid petitur; vtrum videlicet recipiatur, ratione rei, quasi ex iustitia debitum; vel solùm tanquam ex gratitudine, &c. Quod eodẽ modo in proposito obseruandum est. Negandum tamen non est, quin in foro exteriori cõmuniter id reputaretur Simonia, quando cõstaret in collatione rei spiritualis B *principaliter* fuisse intentum aliquid temporale; propterea quòd is, qui vendit, solet etiam principaliter spectare precium.

Sed quærat aliquis, Vtrum dato, quòd non sit Simonia, principaliter sic spectare aliquid temporale pro spirituali; sit tamen aliunde peccatũ propter peruersitatem, quæ videtur esse in eo, quòd quis referat collationem spiritualis ad aliquid temporale, tanquam ad finem applicationis animi ad conferendum eiusmodi spirituale. Ad hoc Sotus vbi suprà respondere videtur affirmatiuè. Atq; idem videtur sentire Caietanus obiter in tractatu de Vsura, q. 2. ex mente D. Thomæ, q. 13. de malo, art. vlt. ad 13. argumentum.

Sed tamen hoc non videtur mihi satis certum. C Nam nihil obstat, quò minus hîc & nunc, possit quis malle *recipere* aliquid temporale, quàm *dare* aliquid spirituale, & deniq; omnia tandem referat ad vltimum finem debitum. Nullum namq; præceptũ videtur extare, quo teneamur in omni casu pluris æstimare vnum actum, quàm alium: quamuis semper illicitum sit, minoris facere, absolutè loquẽdo temporale, quàm spirituale. Sed quicquid sit de hoc, certum est, id non esse peccatum *Simoniæ*.

Ad SECVNDAM rationem dubitandi respondeo, duobus modis posse fieri pactum illud. VNO modo ita, vt promissio tẽporalis petatur aliquo modo in iure prohibito; aut quasi temporale debeatur ratione rei spiritualis, tanquam eius pretium, vt spiritualis est. Et sic certum est, id esse Simoniam prohibitã, vel iure naturæ, vel iure positiuo. Ac eiusmodi pacta, illegitimè facta, damnantur in Capitulis citatis in illa secũda ratione: iuxta ea, quæ paulo inferius trademus circa *permutationem* beneficiorum. ALTERO modo potest pactum fieri ita, vt *petatur* promissio temporalis, eodem prorsus titulo cõferendi, quo licitum est, ipsum tẽporale actũ *recipere*, & *dare* pro spirituali, videlicet tanquam stipendium vel remunerationem quandam cuiusdã operæ & officij, quod secundùm cõmunem quidem rationem *officij* cõsideratum, meretur (etiam ex iustitia) recompẽsationem; (vt ex recepta sententia explicauimus suprà disp. 5. q. 7. p. 2.) & consideratum etiam vt officium *spirituale* meretur remunerationẽ gra-

tuitam

tuitam, iuxta suprà dicta, præsertim cùm aliunde non compensetur. Et sic de temporali pro spirituali pacisci, in foro cõscientiæ licitum est, vt rectè notauit Caietan. hîc ar. 3. & in Summa, V. Simonia, & Couarruuias lib. 1. variar. resolu. ca. vlt. n. 4. & Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 6. artic. 1. & Nauarrus cap. 23. n. 101. & Gabrielis Supplementum in 4. d. 25. q. 2. Nam vt rectè argumentantur Caietanus & Sotus, eo modo quo sine Simonia licet temporale pro spirituali recipere, etiam licet de hoc ipso pacisci.

Atq; hæc dicta sunt, ꝙ attinet ad forũ cõscientiæ. Nam in foro *exteriori* pacisci de stipendio tẽporali pro spirituali ministerio, sæpe scandalosum esset, & induceret præsumptionem Simoniæ: & præsertim si is, qui pacisci tur, est alioqui dines, vt patet ex his, quæ rectè notat Caietanus hîc art. 3. & in Summa, V. Simonia, & Nauarrus quoq; cap. 23. n. 101. vel 102. Alioqui in foro conscientiæ, sicut potest Clericus pauper modo prædicto pacisci de stipendio, sic etiam dines, vt rectè notauit Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 6. art. 1. quamuis immeritò putet se in hoc contradicere Caietano. Est enim ille intelligendus secundùm forum externum.

Quod ad TERTIAM rationem dubitandi attinet, sunt, qui putent, Adrianum in q. vlt. de restitut. & Syluestrũ, V. Simonia, sentire, quòd non liceat Clerico aliãs diuiti, recipere stipendium. C Sed reuera hoc illi non sentiunt. Et sententia vera ac communis Theologorum & Iuristarum, ac ratio etiam est in contrarium. Nam titulus licitè recipiendi stipendium, per se loquendo, non est paupertas; sed officiũ spirituale populo impensum. Ex quo oritur in populo obligatio gratitudinis ad referendam gratiam per temporale stipendium, vt suprà declarauimus. Sed dubiũ non est, quin sicut Clericus pauper, ita etiam Clericus dines, possit officium spirituale in populum cõferre. Ergo sicut potest Clericus pauper recipere stipendium temporale: ita etiã dines. Confirmatur. Nam quòd aliquis aliunde habeat necessaria ad vitam, per accidens est, quod attinet ad populum, cui officium spirituale confertur. Ergo debet is nihilominus gratiam temporalem referre, iuxta illud Apostoli: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Et illud: *Nemo militat suis stipendiis vnquam.*

Igitur ad id, quod contra hoc primò obiiciebatur, Doctores solitos appellare stipendium *necessitatis*, respondendum est, sensum esse, nõ quòd non liceat id petere, quando alioqui suppetunt necessaria, sed quòd non licet petere vltra id, quod communiter sit sufficiẽs ad vitam honestè sustentandam, siue per accidens aliunde quis habeat necessaria ad vitam, siue non.

Ad Canonem autem ex Hieronymo obiectũ, & ad alios similes, qui passim à Gratiano recensentur in Decreto ex Patribus, respondetur, non esse sensum, quòd non liceat Clerico recipere sti-

A pendium, quando aliunde habet necessaria; sed quòd non liceat illi ex stipendio recepto cõferre in proprios vsus plus, quàm sit ad vitã honestam necessariũ. Censent enim Patres, & verè censent, debere Clericum, quicquid superflui habet, strictissima obligatione cõferre in pauperes: & propterea si id nõ faciat, & ad vsus superfluos ac profanos conferat bona Ecclesiæ, quæ habet, vocãt illum Patres homicidam pauperum & sacrilegũ, per exaggerationem quandam & Metaphoram.

Quo aũt præcepto tam strictè Clerici teneantur prouidere pauperibus; vtrũ videlicet Iustitiæ, ita, vt alioqui teneantur illis restituere; vel solùm ex præcepto strictissimo charitatis; disputabimus infrà in materia de Statibus. Pẽdet enim hoc ex altera quęstione, quæ illic discutietur, vtrũ videlicet Clerici ita recipiãt reditus Ecclesiasticos, vt acquirant verũ dominium illorum: Vel solùm recipiant vt dispẽsatores, qui tum in proprios vsus necessarios, tũ in necessitatem pauperum debeãt eiusmodi bona fideliter distribuere. Si enim hoc secundo modo duntaxat recipiunt bona Ecclesiastica, restituere tenerentur, quicquid superfluè ex bonis Ecclesiasticis consumunt. De hoc igitur illic constituemus.

Atq; hæc etiã, quæ diximus in solutione illius tertię rationis, intelligi volumus, quod ad forum cõscientiæ attinet. Nam in exteriori foro præsumi potest interdum Simonia, si Clericus alioqui dines recipiat stipẽdium, vt notat Nauarrus illo n. 102. Et ratio est ea, quã Syluester reddit, V. Simonia, q. 3. quia talis præ se fert quandã speciem auaritiæ. Posset tamẽ hæc præsumptio facilè vinci contrariis signis. Atque hactenus de secunda quæstione.

TERTIA quæstio est, vtrum sit Simonia, redimere VEXATIONEM per aliquid temporale, causã cõsequendi spirituale: id est, an liceat oblata pecunia, propulsare iniuriam, qua quis ab altero iniquè impeditur, quò minus adipiscatur aliquid spirituale; Vt si, v. g. Clericus improbus non vult puerum in periculo mortis cõstitutum baptizare, nisi detur pecunia: aut si adultus, in periculo mortis constitutus, nõ inueniat, qui se baptizet, nisi det pecuniã: aut si à quopiam impeditur quis malitiosè à consecutione beneficij; quia videlicet collator non vult eligere aut confirmare, aut collocare in possessione aliquem dignum: Vel certè aliquæ aliæ priuatæ personæ per calumniam impediunt dignum: Vel etiam vult Prælatus in perniciẽ alicuius Ecclesiæ, præficere ei hominem indignum. In his & similibus casib. meritò dubitatur, vtrum dare pecuniã ad propulsandas huiusmodi iniurias, quo facilius possit quis consequi spirituale, sit Simonia.

Pro parte enim affirmatiua videtur facere, quòd in huiusmodi casibus per pecuniam aperitur & præmunitur via ad spirituale: quod in re videtur esse nihil aliud, quàm emere spirituale.

Et cõfirmari potest hæc ratio auctoritate S. Tho. hîc ar. 2. ad 5. ob rationẽ eandem asserentis, esse Simoniam, redimere vexationem, ad cõsequendum beneficiũ spirituale, si redimatur, antequã quis acquisiuerit ius in illud, per electionem, vel prouisionem, vel confirmationem.

In *contrarium* autẽ est, quòd sicut per vexationis redẽptionem aperitur & præmunitur via ad spirituale consequendum: ita etiam per amicitiã Episcopi, exempli causa. Sed hoc non obstante, licitum est pecuniam aut obsequiũ aliquod conferre in Episcopum, causâ conciliandi eius amicitiam, vt ita demùm is inducatur ad conferendum beneficium digno; vt communiter Doctores tradunt. Ergo similiter licebit pecunia redimere vexationem, etiamsi per id aditus patefiat ad spirituale.

Quæstio hęc propter varias, neq; satis, vt mihi videtur, expeditas sententias, perplexa est. Puto autem sic esse explicãdam. Duobus modis potest in propositis casibus vexatio redimi. Vno modo ita, vt in rei veritate *emptio* rei spiritualis, tanquã medium quoddam ordinetur ad remouendam iniuriam eam, quæ obstat, quò minus spirituale obtineatur. Quod fieret, si is, qui redimit vexationem, daret pecuniam, tãquam precium rei spiritualis, hoc est, tanquam id, quod tanti æstimet, quanti spirituale. Altero modo ita, vt pecunia detur solùm, tanquam *motiuum* quoddam ad remouendam iniuriam eam, quæ obstat consecutioni spiritualis.

Est autem magnum & clarum discrimen inter hos duos modos redimendi eiusmodi vexationẽ. Nam primo modo redemptio vexationis est actus emptionis cuiusdã ordinatus tanquam medium ad remouendum impedimẽtum, vt dictum est. Secundo autem modo est actus vel *donationis* pecuniæ, si is, qui vexationem redimit, velit verè dominium pecuniæ transferre in eum, qui obsistit: Vel (quod frequentius vsuuenire solet) est actus quidam charitatis erga seipsum, vel certè erga eum, cui is, qui redimit vexationem, spirituale procurat. Et cõsistit is actus charitatis in hoc, quòd causâ boni spiritualis proprij vel alterius, exterius duntaxat confertur pecunia in illũ, qui infert iniuriam ad eum modũ, quo quis, vt propriæ necessitati subueniat, pecuniam vsurariam confert vsurario, duntaxat exterius absq; translatione dominij.

Atq; illud etiam circa hos duos modos redimendi vexationem, diligenter aduertendũ est, ei, qui illam redimit, semper quidem esse liberũ, quocunq; istorum modo redimere. Est enim id positum in ipsius voluntate & intẽtione interiori, quę à nemine cogi potest. Quare etiamsi is, qui infert iniuriam, nolit ab ea inferenda desistere, nisi à se ematur spirituale, tamen non propterea is, qui redimit vexationem, cogitur sese illi conformare in ea praua intẽtione, sed posset nihilominus dare pecuniam duntaxat, vt motiuum, nõ vt precium. Quinimò quamuis is, qui infert iniuriam, iureiurando astringeret redimentẽ, ad conferendum pecuniam, vt precium spiritualis per viam emptionis; posset adhuc is, qui redimit, illũ verbis decipere, & iurare aliã impertinentẽ veritatem, iuxta dicta suprà in q. de Iuramento, & disput. 5. q. 13. Itaque in tali etiam casu, posset pecuniam dare, duntaxat vt motiuum.

His positis, sit Prima Cõclusio. Redemptio vexationis *primo modo*, scilicet quãdo *vt precium* rei spiritualis datur pecunia, semper est Simoniaca & illicita. Hæc conclusio est S. Tho. art. 2. ad 1. vbi loquitur de *redemptione* vexationis, qua *emitur* spirituale. Est etiã Caiet. ibidem, & in opusculis tom. 2. q. 3. tract. 9. & Adriani quodlib. 9. in solutione tertiæ confirmationis secundi argumenti principalis. Est tamen contra Sotum, qui nescio qua ratione adductus lib. 9. de Iustitia, q. 6. art. 1. ad 1. & 5. asserit, quamuis vẽditio quidem rei spiritualis in aliquo casu adeò sit Simoniaca, vt nũquam sit licita: tamen *emptionem* rei spiritualis in aliquo casu posse esse licitam.

Sed contra illũ probatur hunc in modum nostra Cõclusio. Tam emptio rei spiritualis, quàm vẽditio essentialiter & propriè est Simonia talis, qualis suprà p. 1. definita est. Sed Simonia, quã illic definiuimus, intrinsecè est ita mala, vt nunquã liceat. Ergo tam emptio, quàm venditio rei spiritualis est semper illicita. Maior patet ex illa Simonię definitione; vbi Simonia æquè esse dicitur voluntas emendi vel vendendi. Minor autem patebit postea p. seq. quando declarabimus, quale sit peccatum Simonia.

Confirmatur hæc ratio. Nam venditio rei spiritualis propterea potissimũ est intrinsecè mala, quia per illam cõmutatur spirituale pro temporali, ac si tanti hoc, quanti illud sit faciẽdum. Sed similiter is, qui emit spirituale pro tẽporali precio, cõmutat temporale pro spirituali, ac si tanti vnũ, quanti alterũ sit faciẽdum. Ergo hæc etiam emptio est semper intrinsecè mala. Minor probatur. Nam hoc est dari temporale tanquã precium spiritualis, vt in superiorib. est declaratum.

Secunda Conclusio. Redemptio vexationis *secundo modo*, cùm videlicet pecunia datur, non vt precium, sed duntaxat vt *motiuum*, nunquam est *Simoniaca*. Neq; etiam est vnquam *illicita*, existentibus duabus conditionibus. *Una* est, vt inferens iniuriam, non velit recipere pecuniam tanquam precium spiritualis, sed duntaxat tãquam motiuum. *Altera* est, vt redimens vexationem, qui similiter dat pecuniam tanquã motiuum, velit reuera transferre dominium eius in illum, quem conatur oblata pecunia ab iniuria inferenda abstrahere. Hæc conclusio quoad priorem partem est ad mentem Nauarri, cap. 23. n. 101. vel 102. & aliorum, qui cõmuniter negant, esse Simoniam, quando non interuenit precium, sicut suprà vidimus.

Quoad posteriorẽ verò partẽ, probatur facile eadem

dem Conclusio. Nam existentib. illis duabus cõditionib. neq; est periculũ peccati ex parte actus, quo redimens offert pecuniam: siquidẽ is non emit spirituale, sed tantũ donat temporale ad remouendum impedimentũ; id quod per se licitũ est. Neq; rursus peccati periculum est ex parte actus, quo inferens iniuriã, recipit pecuniã vt motiuũ. Nam in casu, quo redimens vult dominium eius pecuniæ in alterum transferre, ille non peccat, recipiendo illã tanquã motiuũ, quamuis antea peccauit animo inferẽdi iniuriã. Quare non est periculum ex hac parte, vt redimens cẽseatur cooperari peccato alterius: quandoquidẽ alter recipiens pecuniam, neq; peccat peccato Simoniæ, cùm recipiat illam vt motiuum; neq; rursum peccato iniustitiæ, casu, quo vt ponimus, alter vult illi conferre eius dominium.

Atque ex hac ratione patet, quare dixerim in Cõclusione, *existentibus illis duabus conditionib. &c.* Si enim altera, vel vtraq; deficeret; quãuis is, qui redimit, non peccaret peccato Simoniæ, dando pecuniam vt motiuum, posset tamẽ peccare cooperando alteri ad peccatum (quod ille cõmitteret, recipiendo pecuniã Simoniacè vel iniustè) si videlicet redimens non haberet rationabilem causam, propter quam posset negligere peccatũ alterius, offerendo illi eius materiã, iuxta ea, quæ suprà disput. 5. q. 21. p. 4. disseruimus.

Est autem Conclusio hæc intelligenda in foro conscientiæ. Nam in foro *exteriori*, aliquæ circũstantiæ considerari possunt, propter quas is, qui redimit vexationẽ, præsumi posset Simoniacus, etiamsi reuera pecuniam daret duntaxat, vt motiuũ. Quarum circumstantiarũ quędam sunt notandæ, propter varia dicta Doctorum.

Prima est, quando quis redimit vexationẽ ante ius acquisitum in spirituale beneficiũ per electionẽ, vel ordinationem, vel confirmationem. Præsumitur. n. tunc, quòd velit emere ius beneficij. Ita intelligendũ est, quod initiò attulimus ex S. Tho. ar. 2. in solutione ad 5. Quemadmodũ etiam id intelligit Nauarr. ca. 23. n. 101. vel 102. In foro aũt conscientiæ nihil obstat, quò minus possit vexatio redimi licitè illo secundo modo, ante ius etiam acquisitum. Et probatur manifestè. Nam sicut electio ad beneficiũ est aliquid spirituale: ita etiã cõfirmatio, & collocatio in possessione beneficij post ius acquisitum per electionem. Sed hoc non obstante, post ius acquisitum per electionẽ potest in foro conscientiæ absq; Simonia redimi illo secũdo modo vexatio obstans cõfirmationi aut possessioni, vt communiter cõceditur. Ergo similiter vexatio obstans electioni.

Secunda circũstantia est, quando is, qui infert iniuriã, & à quo est redimenda vexatio, est talis, qui possit nõ solùm obesse, sed etiã iure prodesse, hoc est, cõferre cum auctoritate illud spirituale, quod procuratur per redemptionẽ vexationis. Vt v. g. si vexatio obstans consecutioni beneficij redimatur ab ipso collatore beneficiorũ: qui, vt patet, potest prodesse cõferendo beneficiũ. Tunc enim facilè præsumitur emi beneficiũ, quandoquidẽ datur pecunia illi, cuius est, beneficiũ conferre. Secus, si is, qui obstaret cõsecutioni beneficij, esset persona priuata, quæ tantũ potest obesse. Tunc. n. facilius creditur, esse dũtaxat redemptionẽ vexationis, nõ aũt emptionem beneficij. Et iuxta huiusmodi præsumptionẽ duntaxat verum est, quod de hac circũstantia dicit Paludan. in 4. d. 25. q. 5. vt Sotus etiam videtur eum intellegere lib. 9. de Iustitia, q. 6. art. 1. ad 1.

Tertia circũstantia est, si quis & redimat vexationẽ ab eo, qui spirituale non vult cõferre, nisi animo Simoniaco; & Spirituale sit eius conditionis, vt si Simoniacè detur, *nulliter* conferatur (vt loquitur Adrianus quodlib. 9. in solutione tertię confirmationis secundi argumenti principalis) hoc est, *inualidè*, ita vt nõ possit retineri: cuiusmodi est beneficium Ecclesiasticũ: Tunc. n. meritò præsumitur Simonia. Nam cũ adeptio beneficij Simoniacè collati non sit acquirenti vtilis (siquidẽ debet tale beneficiũ resignari) præsumitur is, qui dedit pecuniã, non voluisse redimere vexationẽ modo aliquo licito, ad obtinendũ nimirum spirituale licitè & vtiliter, sed voluisse illud emere, ad illud obtinendũ quocũq; modo per fas vel nefas. Et ita interpretatur Adrian. quod Doctores dicunt, esse Simoniã redimere vexationẽ *ante ius acquisitum*, videlicet secundũ præsumptionẽ. Quanquam in foro conscientiæ, sicut potest accidere, vt detur pecunia tanquam preciũ, emendo spirituale, quod nulliter confertur: ita etiã vt solùm detur tanquã motiuum ad consequendũ illud. Et idẽ iudicium fieri potest de aliis circumstantiis, quæ passim reperiuntur apud Doctores. Ferè enim referendæ sunt ad Simoniæ *præsumptionem*, quando non indicant ex natura rei necessariò interuenire precium.

Tertia Conclusio. Etiamsi is, à quo redimẽda est vexatio, peccet recipiendo pecuniam; vel quia recipit ab inuito; vel recepit animo Simoniaco: tamen licita est redemptio vexationis secundo modo suprà dicto, dummodo ea sit vel necessaria, vel admodum vtilis. Hæc cõclusio est ad mentem Adriani quodlib. 9. & sequitur ex communi doctrina. Nam quando subest causa rationabilis ita redimendi vexationem, nihil aliud tunc fit, quàm quòd negligitur peccatum alterius propter vtilitatem, quæ exspectatur ex spirituali, quod quis procurat sibi, vel alteri: Sed certũ est, licitum esse negligere peccatum proximi, quando subest eiusmodi causa rationabilis, vt ostẽdimus disput. 5. q. 21. p. 4. in eo, qui petit ab vsurario mutuum, & soluit ei vsuras, &c. Ergo etiã in proposito id licet.

Ex quo sequitur Primo, nullo modo licitum esse redimere vexationem ab eo, qui beneficium Ecclesiasticum non vult dare, nisi animo Simoniaco: Patet: quia tunc talis redemptio non est vtilis: Quandoquidẽ debet assignari beneficium:

Atque ita non subest tunc causa rationabilis negligendi peccatum alterius. Secus, si spirituale est eiusmodi, quod possit validè conferri etiã Simoniacè, vt Sacramentũ Baptismatis, v.g. Tunc enim vtilis est redemptio vexationis, etiamsi alter Simoniacè illud conferat.

Secvndo sequitur, licitũ esse redimere vexationem ab eo, qui cũ solus possit puerum moribundum baptizare, non vult id facere, nisi Simoniacè vendendo Baptismum. Ratio est clara. Nam agitur tunc de grauissima necessitate pueri. Neq; S. Thom. ar. 2. in solutione primi, hoc simpliciter negat. Tantùm enim ait, non esse licitum in tali casu redimere vexationem, *emendo* Baptismum, quod verissimum est, vt vidimus in prima cõclusione. Cæterùm poterit redimi dãdo pecuniam, vt *motiuum*: atque ita intelligendus est Caietanus ar. 2. circa solutionem primi, & Adrian. quodlib. 9. & alij, concedentes posse redimi vexationem pueri in tali casu. Quòd si is, qui non vult, nisi animo Simoniaco, baptizare puerum, iureiurando astringeret redimentem ad offerendam pecuniam animo emendi Baptismum: tamen adhuc is posset illum eludere, & redimere vexationẽ modo licito, videlicet cõferendo pecuniam, vt motiuum. Siquidem non potest ad eam habendam intentionem cogi vllo modo ab altero, vt antè explicauimus.

Quare neq; Sotus, neq; Caietanus in hac re mihi placent: Ille, quoniam putat in tali casu licitũ esse emere Baptismum, propter necessitatẽ pueri: Hic verò, quoniam negat simpliciter posse tũc redimi vexationem, eò quòd emere Baptismum, intrinsecè sit malum. Vterq; enim gratis supposuit, in tali casu, quo illud iuramentũ petitur, nõ patere aliam viam redimendi vexationem, nisi emẽdo Baptismum. Et ita Sotus malè cõcessit, licitum esse emere Baptismum propter pueri salutem. Caietanus verò malè etiam negauit, puero tunc suppetere remedium: quasi aliud non haberet, quàm per emptionẽ Sacramenti. At nos perspicuè ostendimus suprà, id iuramẽtum non cogere redimentem ad cõformandum se Simoniacæ intentioni alterius; & ita neq; est opus, vt is in tali casu emat Sacramentum, neque vt relinquat puerum sine remedio; sed vtrumque extremum poterit vitare redimendo vexationem secundo illo modo, quo suprà dictum est, videlicet offerendo pecuniam tanquam *motiuum*.

Tertio sequitur, licitum esse etiã adulto, pro se aut pro alio adulto, in periculo mortis constituto, redimere vexationẽ ab eo, qui non vult nisi Simoniacè baptizare. Hoc ego cum Adriano vbi suprà puto omnino esse verius, quicquid Sotus & Caietanus contrà dicant. Ratio est: quoniã adultus etiam grauissimã habet causã negligẽdi tunc peccatum alterius, atq; adeò procurandi per vexationis redemptionem Baptismum ab illo, etiamsi ille in accipienda pro eo pecunia, & eo conferẽdo, Simoniacè sit peccaturus. Difficile namque est, sine Sacramento habere contritionem, quæ in re sufficiat ad salutem.

Qvarto sequitur, licitũ etiam esse, redimere vexationẽ Ecclesiæ, in casu, quo Prælatus seu Collator, prætermisso digno, vult ei præficere aliquẽ indignũ. Ratio est eadem. Neq; solùm in tali casu licebit offerre pecuniã, ne eligatur indignus, quod duntaxat concessit Caiet. tom. 2. tract. 9. q. 3. sed etiam vt dignus eligatur, id quod concessit Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 6. ar. 1. Ratio est. Nam sicut pecunia potest offerri duntaxat vt *motiuum* ad hoc, vt non eligatur indignus: ita etiã ad hoc, vt eligatur dignus. Quare Caietanus perperam illic suppositit, si pecunia daretur, vt eligeretur dignus, illico sequi, quòd electio digni ematur. In quo etiam errauit Sotus, supponẽs idem hoc, quod Caietanus, & concedens, licitam esse redemptionem vexationis, vt eligatur dignus, quãuis *ematur* tunc electio digni. Quoniam, inquit, emere spirituale, non est intrinsecè malum. Hoc verò suprà in prima Conclusione satis refutauimus. Itaque licitum est redimere vexationem etiam, vt dignus eligatur: in quo quidem admittimus conclusionem Soti contra Caietanum. Cæterùm non emendo, sed offerendo pecuniam, vt *motiuum* duntaxat.

Qvinto sequitur, licitum esse eodem modo redimere ignominiam & vexationẽ qualem qualem illorum Sanctorum, quorum sacræ *reliquiæ* indignè tractantur ab hæreticis; atq; adeò pecunia illis oblata (nõ vt precio, sed vt motiuo quodam) eas de illorũ potestate eripere, etiamsi fortè ipsi hæretici eas impiè vendẽdo peccaturi sint. Patet hoc eadem ratione. Nam subest tunc causa valdè rationabilis negligendi id illorum peccatũ. Ac per hæc satis iam patet responsio ad rationẽ dubitandi propositã initio huius tertiæ quæstionis. Sicut iam quoq; explicatum est, quod ex S. Thoma in confirmationem illic adducebatur.

Qvarta quæstio est, Vtrum Permvtatio beneficiorum Ecclesiasticorum sit Simoniaca. Pro parte namq; negatiua est *primò*, quòd quando vnum beneficium spirituale pro altero commutatur, nihil interuenit temporale, quod sit precium: siquidẽ vtrumq; est spirituale. Ergo non est emptio & venditio: & cõsequenter nec Simonia, vt patet ex Simoniæ definitione.

Secundò, quòd si permutare vnũ spirituale pro altero, esset trãsactio Simoniaca; sequeretur, esse etiã Simoniam, si duo ita inter se statuãt, vt alter pro altero vicissim oret, aut alter alteri vicissim impendat Sacramentũ Baptismi aut Absolutionis. Consequens autem videtur absurdum. Ergo, &c. Sequela patet. Nam in illis casibus similiter vnum spirituale videtur pro altero commutari.

In Contrarium autem est, quòd permutatio beneficiorum est cõtractus *non gratuitus*. Sed nomine emptionis & venditionis in definitione Simoniæ, communiter Doctores intelligunt contractum non gratuitum. Ergo, &c. Confirmatur

hoc ipsum ex S. Thoma art. 1. in solutione quinti argumenti, ob hanc rationem cõcludente, commutationem beneficiorum esse Simoniacam.

Respondeo. Permutatio beneficiorum variis modis transigi potest, quos oportet distinguere. Primo enim possunt aliqui æqualiter æstimare duo beneficia, & ad inuicem ea commutare priuata auctoritate, nihil significãdo Superiori, cuius est, beneficia conferre. Talis cõmutatio sine controuersia illicita est, & contra ius naturę, vt rectè ad hoc propositum notauit Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 5. art. 2. Ratio est: quoniam priuata persona non potest conferre beneficium alteri, sed id pertinet ad officium Prælati.

Ac videtur etiam id iure positiuo prohibitum in Cap. Quæsitum, & Ca. Cùm olim. Extra de rerum permutatione. Nam quãuis hoc in praxi rarò possit contingere, cùm omnes sciant, se sine auctoritate Superioris nihil in hoc genere validè facere: credendum est tamen in illis Capitulis etiam hanc permutationem prohiberi. Id quod Syluester, V. Permutatio. 2. §. 1. & Nauarrus ca. 23. n. 100. satis insinuant. Quinimo (vt apparet) talis fuit casus dicti Cap. Cùm olim. Item dubium nõ est, quin talis cõmutatio puniretur pœna Simoniæ. Vtrum autem sit id propriè Simonia, maius dubium est. Et certè non apparet esse, vt etiam censuit Durandus in 4. d. 25. q. 5. & Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 5. ar. 2. ante responsionem ad argumẽta: cùm nullum ibi interueniat precium temporale. Nihilominus tamen impropriè secundùm quandam analogiam dicitur id peccatum Simonia, vt latius declarabitur infrà p. 5. cùm de diuisione Simoniæ disputabimus.

Secvndo modo potest fieri permutatio, ita, vt permutantes resignent quidem beneficia in manibus Superioris, vt is ex officio ea conferat permutando: sed tamen tacitè pacisc antur, vt is, qui recipit pinguius beneficium ex permutatione, conferat ex illo aliquam pensionem ei, qui illud resignauit, tanquam pro *precio* talis resignationis. Et si hoc modo permutatio fiat, constat, eam esse non solùm illicitam, sed etiam propriè Simoniacam contra ius naturæ. Nam reuera tũc emitur resignatio beneficij pinguioris. Et est etiam hoc prohibitum in Capit. Quæsitum. Extra de rerum permutatione, vbi omne pactum in permutatione damnatur, quando fit illegitimè sine auctoritate Superioris.

Tertio modo potest fieri permutatio, etiam auctoritate Superioris, sed tamen cum pacto occulto de pensione, non vt precium exhibenda pro resignatione beneficij pinguioris, sed pro *excessu* fructuum illius, videlicet ad illum excessum compensandum. Et permutatio hoc modo, quamuis non sit contra ius naturæ, cùm hîc nihil spirituale ematur, sed tantùm fructus temporales reducantur ad æqualitatem; est tamen prohibita iure positiuo in dicto Capitulo Quæsitum, vbi omne pactum occultum in spiritualibus dicitur continere labem Simoniæ. Atque ita communiter Doctores reputant, permutationem cum hoc pacto occulto esse Simoniam *de iure positiuo*. Quod quomodo sit intelligendum, patebit infrà puncto quinto, quando agemus de diuisione Simoniæ. Ita nominatim Sotus libro 9. de Iustitia, quæst. 5. ar. 2. & quæst. 7. art. 2. & Victoria in Relectione de Simonia, & alij. Atque hoc quidem est, quod potissimùm iura prohibent. Nam hoc modo frequentius in praxi fiunt permutationes, videlicet resignando quidem beneficia in manus Superioris, sed tamen addendo prædictum pactum, de quo nihil Superiori dicitur.

Qvarto modo potest fieri permutatio, simpliciter committendo modum, & omnia ipsi Superiori, cui beneficia resignantur. Et talis permutatio sine controuersia licita est. Ita habetur in Capit. Cùm vniuersorum, de rerum permutatione, & apertissimè in Cap. Vnico, de rerum permutatione, lib. 6.

Sunt tamen circa hanc permutationem, quæ fit cum facultate Superioris, quatuor *circumstantiæ* peculiariter Notandæ, de quibus dubitari posset, vtrum redderent permutationem illicitam, & tamen non reddunt. Prima est, si is, qui beneficium suum resignat pro consequendo altero, ita resignat, vt *nisi speraret* sibi à Superiore alterum illud beneficium collatum iri, non vellet resignare proprium. Hic nulla est Simonia, neque vllum peccatum, vt rectè notauit Sotus quæstione septima, articulo secundo, vbi suprà. Et pro hoc ipso videtur mihi textus expressus in dicto Capit. Vnico, de rerum permutatione, libro sexto. Casus enim ibi approbatus, est omnino talis. Ratio huius est etiam clara. Nam sicut potest is, qui legitimè possidet beneficium, illud simpliciter retinere: ita etiã retinere ac nolle resignare in casu, quo non sperat sibi alterum beneficium collatum iri. Cùm enim sperare alterum beneficium, sit licita circumstantia; licitè potest quis illam requirere ad suum beneficium resignandum: quando alioqui illud iustè retinebat.

Confirmatur hoc ipsum. Nam licitum est, nolle resignare, nisi spe, quòd beneficium resignatum, vel aliquid aliud conferetur tertiæ personæ; dummodo absit modus vel conditio, per quam, vt per precium, confidat quis se obtenturum beneficium pro altero. Ergo similiter licet nolle resignare, nisi quis speret sibi collatum iri beneficium alterum. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens conceditur à Nauarro capite vigesimo tertio, numero 107. post Antoninum 2. par. tit. 1. capite quinto. §. 11. Dixi verò in Antecedenti, *dummodo absit modus*, &c. Nam si quis confideret, beneficium, quod resignat, aut alterum, collatum iri tertiæ personæ propter aliquid, quod ipse pollicetur tanquam pecium, &c. esset Simonia peculiariter di-

&a *confidentialis*: cui peculiares etiam pœnæ sunt decretæ à Pio IV. & Pio V. vt videre est apud Nauarrum, cap. 23. n. 100.

SECVNDA Circumstãtia est, si quis prædictam spem etiã verbis aut scripto exprimat Superiori, quando resignat beneficium. Hoc enim non reddit illicitã commutationem, vt rectè notat Sotus vbi suprà cõtra Glossam in Cap. Ex parte 1. Extra de officio delegati, quæ quidẽ concedit, non esse Simoniam, si quis talem spem mente contineat: si tamen exprimat, dicit esse Simoniam de iure positiuo. Sed tamen oppositum est verius. Nam nusquam reperitur in iure prohibitum, ne talis spes exprimatur. Et iure naturali certum est, id, quod licet velle & optare, licere etiam verbis exprimere. Quanquam Nauarrus quidem cap. 23. num. 107. videtur sequi illam Glossam; & Glossam in Cap. Cùm pridem, de pactis. Ait enim non licere in resignatione addere conditionem, vt beneficium cõferatur huic vel illi, nisi, inquit, secundùm stylum Romanæ Curiæ in manibus Papæ: à quo ait tamen Gregorium XIII. incepisse recedere, quamuis is admittat, vt vnà cum resignatione beneficij, quam vnus facit, præsentetur petitio alterius, cui resignans optaret dari beneficium. Sed videtur simpliciter etiam vera sententia Soti. Nam nõ extat prohibitio talis declarationis; & casus dicti Capituli Ex parte, & dicti Capit. Cùm pridem, sunt longè diuersissimi: neque illæ Glossæ citant alios textus, qui id probent.

TERTIA Circumstantia est, si permutantes petant à Superiore, vt ipsius auctoritate is, qui recipit beneficium pinguiu., soluat pensionem alteri, non pro resignatione beneficij, sed ad *adæquãdos fructus*. Hoc etiam esse licitum, communiter Doctores colligunt ex Cap. Ad quæstiones. Extra de rerum permutatione: nominatim ita censet Caietanus hîc ar. 4. & Sotus lib. 9. de Iustitia, q 7. ar. 2. & Nauarrus cap. 23. n. 100. qui etiam ad idem citat alios. Vnde quod is auctor paulo antè videtur negare, licitum esse tale pactum in commutatione beneficiorum, intelligendum est, si fiat *occultè*, priuata auctoritate. Hoc enim prohibetur in Cap. Quæsitum, Extra de rerum permutatione. Et eodem modo intelligi potest Adrianus quodlib. 9. ad 5. principale, vbi idem videri posset negare.

QVARTA Circumstantia est, si permutantes, antequam adeant Superiores, conueniant inter se, & tractent de modo, quem cupiunt Superiorem tenere in permutatione facienda; videlicet quoad pensiones, &c. Hoc etiam non reddit illicitam permutationem, dũmodo non paciscãtur, independenter à Superioris volũtate. Ita rectè Adrianus notauit quodlib. 9. ad 5. principale, & probauit Syluester, V. Permutatio. 2. quæst. 5. contra Ostiensem, ex eo, quòd aliâs oporteret cõmutationes fieri temerariè & fortuitò, si partes nõ possent tractare inter se, quid vellent proponere Superiori, &c.

A POSTREMO circa eundem illum modum quartum permutationis duo sunt notanda. Alterum est: Sicut licet assignare partem fructuum beneficij pinguioris pro pensione ei, qui illud resignauit: ita etiam in casu, quo vnum beneficium nullos habebat fructus, licitum esse assignare omnes fructus beneficij pro pensione ei, qui eiusmodi beneficium habens fructus, in alterum contulit pro beneficio nullos habente fructus. Ita palam asseuerat Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 7. art. 2. Et quamuis Caietanus hic ar. 4. de hoc primùm dubitet: tamen postea denique concedit, posse hoc Pontificem facere sua auctoritate. Et ita ego credo: quamquam, vt verum fatear, hoc in re nõ tam erit assignare pensionem in permutatione aliqua beneficiorum, quàm beneficium, quod antea annexum erat officio in vna Ecclesia transferre ad alterum officium in altera Ecclesia, quod nullos habebat fructus. Nam in casu, quo minister spiritualis nullos habet reditus ex bonis Ecclesiasticis propter suum officium; non potest is cẽseri verè habere beneficium aliquod, quod iam ei sit *actu vtile*, cùm non habeat illos fructus: quamuis habeat quidem remotũ quoddam, & quasi conditionale ius ad illos, si qui essent, quãtum est ex parte officij spiritualis, quod impendit. Sed id non videtur esse satis, vt censeatur iam absolutè & propriè habere beneficium, atque ita videtur habere solùm dignitatem aut titulum sine beneficio propriè loquendo. Quòd autem possit Papa beneficium annexum officio in vna Ecclesia, transferre & annectere alteri officio, patet: quia potest id cõducere bono communi Ecclesiæ. Sed prouidendũ tunc est, vt ille, qui exspoliatur beneficio, aliunde habeat vitæ sustentationem, ne vnus esuriat, alius autem ebrius sit.

SECVNDVM, quod notari debet, est: Sicut ad exæquandos fructus licet assignare aliquam *annuam* pensionem ei, qui resignauit pinguius beneficium: ita etiã licitum esse assignare illi summam aliquam *simul* pecunia præsenti soluendam. Patet. Nam sicut pensio annua potest assignari, nõ vt preciũ resignationis beneficij, sed ad exæquãdos fructus, quod licet: ita etiam eodem titulo potest assignari summa simul soluẽda, atque ita pari ratione cauebitur Simonia. Quod enim aliquid *simul* vel *successiuè* soluatur; per accidens est in proposito (saltem in foro conscientiæ) quicquid sit de præsumptione externi fori) neq; hoc variat modum transactionis, dummodo eodem titulo summa siue successiuè, siue simul soluatur. Quare sine firma ratione Sotus in dicta q. 7. art. 2. limitat illam facultatem exæquandi fructus, quæ fit in Cap. Ad quæstiones, de rerum permutatione, vt scilicet intelligantur fructus exæquari posse tantùm per *annuam* pensionem. Capitulum enim illud absolutè loquitur.

Superest iam, vt respondeamus ad primũ argumentũ initio huius quartæ quæst. propositum. Respondeo aũt, illud tantũ cõcludere, permutationem illicitam beneficiorum non esse propriè Simoniam, nisi fiat illo secundo modo ex suprædictis. Si aũt fiat primo & tertio modo; erit quidem peccatũ, & etiam Simonia impropriè, & de iure positiuo, de qua infrà p. 6. dicemus.

Ad confirmationẽ respondeo, negãdo Sequelã. Ratio, cur negẽ, est: quoniã permutatio aliorũ spiritualium, vt Sacramenti pro Sacramento, orationis pro oratione, &c. nullo iure est illicita. Non enim est illicita iure naturæ. Nam spirituali nõ fit iniuria ex hoc, quòd exæquetur alteri spirituali; sed ex hoc, quòd alteri temporali: id quod insinuasse videtur D. Petrus Act. 8. cùm ait: *Quia existimasti donum Dei pecunia possideri*. Et quod dicitur: *Gratis accepistis, gratis date*: tũc adimpletur, cũ spirituale datur nõ pro precio tẽporali. Neq; etiam iure positiuo vsquam reperitur prohibita cõuentio de dando vno spirituali pro altero spirituali, nisi in beneficiis, modis suprà dictis.

Quare nulla ratio est, cur dicamus, esse illicitũ, si qui cõueniant de officio spirituali vicissim sibi cõferendo. Id q rectè notarunt Sot. lib. 9. de Iustitia, q. 5. art. 2. ad finẽm, & Adrian. quodlib. 9. & Victoria in Relect. de Simonia. Contrariũ tamen sensit Richard. in 4. d. 25. art. 3. q. 1. ad 1. quod attinet ad Sacramẽta, sed sine firma ratione. Nam in Ca. Tua nos, de Simonia, quod citat, solùm prohibetur in spiritualib. omnis pactio, vbi interueniat aliquid temporale, idq; illegitimè, iuxta hactenus dicta. Et mirum est, quòd Richardus sentiat, illicitum esse, conuenire de Sacramentis vicissim conferendis, cũ tamen ibidẽ apertè concedat, licitã esse eiusmodi conuentionem in orationib. mutuò impẽdendis. Vtrobiq; enim appareret eadẽ ratio. Itaq; si vnũ licet, etiam aliud. Argumentum verò illud in contrarium propositũ, solùm procedit de permutatione illicita, & Simoniaca primo, secundo, & tertio modo suprà dicto.

QVINTA & vltima quæstio est, Vtrũm *redimere* PENSIONEM presenti pecunia, sit transactio Simoniaca. Exempli gratiâ, debet aliquis ex proprio beneficio soluere pensionem quinariam annuã: quæstio est, vtrum possit illi sine vitio Simoniæ, statim dare centum, v. g. & ita liberare se onere soluendi annuam illam pensionem.

Est autem in hac re PRIMA sententia Soti lib. 9. de Iustitia, q. 7. ar. 2. Et Victoriæ in Relectione de Simonia, n. 52. & 53. Hi distinguunt duplex genus pensionum: quẽdam enim assignantur alicui propter titulum seu causam *spiritualem*. Vt si Coadiutori Episcopi in spiritualibus assignet Pontifex pensionem ex beneficio alicuius. Vel si Clerico de Ecclesia bene merito detur eiusmodi aliqua pensio. Et huiusmodi pẽsiones arbitrantur, Simoniacum esse redimere. Ratio eorũ est. Nam sunt aliquid spirituale, cùm nitantur spirituali titulo, sicut beneficia. Sed redimere spirituale, perinde est atq; emere, vt patet ex Cap. Ad quærelam, Extra de Simonia, vbi ob hanc rationem pariter vtrumque prohibetur. Ergo sicut Simonia est, emere pensionem eiusmodi, ita etiam redimere. Aliæ verò pensiones sunt, quæ assignantur propter causam *temporalem*, vt propter defensionem Ecclesiæ; vel *quasi temporalem*, vt pro componenda lite, pro exæquandis fructibus in commutatione beneficiorum, &c. Has pensiones Sotus existimat licitum esse redimere præsenti pecunia. Ratio eius est, quoniam tunc non censetur quis emere, nisi id, quod est temporale. Nam quando causa est temporalis, pensio etiam est *temporalis*.

Hæc sententia non mihi placet. Fundamentum enim, quo nititur, est admodum infirmum. Nam ad respondendum huic quæstioni, oportet respicere propriè ad id, *pro quo* redimens pensionem, dat pecuniam; vt si illud fuerit aliquid spirituale, concludatur non posse redimi; si temporale, posse. Sed pensio non est illud, *pro quo* redimens pensionem, dat pecuniam præsentem. Ergo siue pensio sit temporalis, siue spiritualis, impertinens id est ad definiendum, an redemptio pensionis sit Simoniaca, nec ne: & consequenter malè Sotus & Victoria respondent, qui ad pensionem solùm respexerunt.

Probatur autem Minor, scilicet id, *pro quo* redimens pensionem, dat pecuniam, non esse ipsam pensionem temporalem aut spiritualem. Nam pensio ipsa, est ius quoddam recipiendi aliquam partem fructuum propter causam temporalem aut spiritualem, quam nimirum attendit Pontifex in assignanda pensione. Sed ille, qui redimit pensionem, non dat pecuniam, vt habeat tale aliquod ius recipiendi illam partem fructuum, ob illam causam, propter quam pensionarius eam fructuum partem recipiebat antea, sed tantùm vt se liberet ab obligatione soluendi pensionario illam fructuum partem, quam alter recipiebat propter illam causam. Ergo pecuniam, quam redimens pensionem dat, non dat pro ipsa pensione, ac proinde, vt antea concluſi, in hac quæstione non est respiciendum ad spiritualitatem vel temporalitatem pensionis. Nam non est hoc id, quod redimens pensionem censetur virtualiter emere.

SECVNDA sententia vniuersè affirmat, esse Simoniam redimere quamcunque pensionem. Hanc sententiam videtur asserere Nauarrus in Manuali, cap. 23. num. 111. Et eam quoque Sotus vbi suprà tribuit Maiori in 4. d. 25. q. 5. sed reuera illic Maior non loquitur de redemptione. Tantũ dicit simpliciter absq; distinctione, pensionẽ esse aliquid spirituale. Ex quo fortè putauit Sotus esse consequens, vt Ioann. Maior cõcesserit, esse Simoniã redimere quamcunq; pensionẽ. Sed tamẽ dato, quòd omnis pensio esset aliquid spirituale (q tamen falsum est, nam etiã potest pertinere ad bonum cõmune Ecclesiæ aliquod ministeriũ

tempo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

temporale; atq; ita fideliter Papa dispensabit bona Ecclesiastica, si per pensionem aliquam illud ministeriũ remuneret) tamen inde non sequitur, redemptionem pensionis esse Simoniacam. Patet ex ratione facta contra Sotum.

Validius verò cõfirmari posset hæc sententia secunda, cuiuscunq; demũ ea sit, hoc modo: Beneficiarius redimens pẽsionem, acquirit pro pecunia præsenti ius *retinendi* partẽ fructuum, quã pendebat; vel certè reddit *sibi vtile* proprium beneficium, etiam quoad illam quotã partem fructuum, respectu cuius antea non erat ei vtile: siquidem illam pendebat. Sed ius istud retinendi illam fructuũ partem, vel vtilitas beneficij, quoad illam fructuum partem, est aliquid spirituale ipsi Clerico Beneficiario redimenti pensionem. Ergo redemptio cuiuscunq; pensionis est Simoniaca, cùm in re sit tacita emptio alicuius spiritualis. Maior patet rẽ attentè consideranti. Nam postquam Beneficiarius dat pecuniam præsentem; retinet, vt patet, illud ius: vel (quod idẽ est) efficit sibi vtile beneficium quoad illam etiam partem fructuum, quam pendebat. Minor verò probatur. Nam ius retinendi illam partem fructuum, vel vtilitas beneficij, quoad omnes fructus, innititur vt fundamento ipsi titulo *spirituali*, propter quem Clericus, qui redemit pensionem, habet beneficium. Si enim iste titulus non esset, non haberet illam partem fructuum, sicut neq; alios fructus beneficij. Ergo illud ius retinẽdi illam partem fructuum æquè est spirituale, atque est ipsum ius beneficij: quinimò per redemptionem pẽsionis, nihil aliud videtur fieri, quàm quòd ipsum ius beneficij, siue vtilitas eius, extenditur etiam ad illã partem fructuum. Itaq; totũ illud, quod remanet isti Clerico post redemptionẽ pensionis, videtur esse spirituale. Ac procedit hoc argumentũ, vt patet, de redemptione omnis pensionis, siue ea reciperetur ab altero propter causam spiritualẽ, siue propter temporalẽ. Semper enim videtur esse aliquid spirituale id, quod Beneficiarius Clericus acquirit seu retinet post redemptionem.

Nihilominus est alia TERTIA sententia verior, nempe omnẽ pensionem posse redimi absq; Simonia. Ita Caiet. in opusculo septendecim responsionum, responſ. 10. quãuis non satis ibi declaret verum fundamentum huius sententiæ. Ea verò ita debet probari. Illud, quod per se & immediatè acquirit redimens pro pecunia pensionẽ, nihil aliud est, quàm *libertas* siue *immunitas* ab obligatione & onere pendendi illam quotã partem fructuum: Sed hæc *libertas* nõ est aliquid spirituale, neq; spirituali annexum, vt in hac materia accipitur spirituali annexum. Ergo nulla est in tali redemptione Simonia. Maior suprà fuit à nobis indicata in nostra ratione cõtra Sotum & Victoriam. Et patet ex communi modo loquendi. Hoc enim est, quod spectat, qui redimit pensionem, videlicet vt sit liber & solutus eo onere.

Minor verò probatur. Et primùm quòd non sit aliquid spirituale illa libertas, satis patet. Quòd verò non sit aliquid spirituali annexum, inde etiam patet: quia neque est spirituali annexa *consequenter*, cùm nõ innitatur fundamento spirituali, sed tẽporali, puta collationi pecuniæ, pro qua obtinetur. Neq; etiam *antecedenter*, nõ enim per se ordinatur ad aliquid spirituale, sed ad partem fructuum recipiendam. Neq; etiam *concomitanter*, vt est labor *per se* necessarius ad officiũ spirituale, sicut satis patet. Ergo nullo modo ea libertas est quid annexum spirituali.

Cõfirmatur. Nam siquis ciuis pecunia præsenti liberaret se obligatione soluendi decimas; nihil spirituale censeretur per pecuniam acquirere, quantumuis illæ decimæ recipiendæ erant à Clericis propter titulum spiritualẽ: sed tantùm diceretur acquirere libertatem siue immunitatem quandam, quæ per se est quid temporale. Ergo similiter in proposito, ille, qui per pecuniam se liberat ab obligatione soluendi pensionem, nihil spirituale aut spirituali annexum acquirit, per se loquẽdo, etiamsi alioqui pensio recipienda fuisset ab altero propter aliquam causam spiritualem.

Atq; vt huius rationis vis facilius penetretur, vitandus est error, quo posset quis in hac parte duci, putans illam libertatẽ ideo esse aliquid spirituale, vel spirituali annexũ, sufficiens ad Simoniam, quoniam in Clerico redimente pensionẽ, coniuncta est cum spirituali officio ac titulo beneficij, & vtcunq; aliquem respectũ habet ad spiritualem eum titulum beneficij, quatenus ea libertate obtẽta, vtile erit Clerico beneficiũ quoad oẽs partes fructuum, &c. Etsi enim hæc vera sunt, tamen non sufficiunt, vt illa libertas sit in proposito materia Simoniæ. Oportet enim vt Simoniæ obiectum vel *secundum se* sit spirituale, vel in suo *conceptu* includat ordinem ad spirituale, sicut ius beneficij includit. Cõstat aũt, libertatem illam per se optimè posse intelligi absq; tali ordine. Nihil enim illa aliud est, quã iam hanc personam non debere pendere singulis annis quinque vel sex, v.g. ex fructibus, qui secũdùm se temporales sunt.

Et potest hoc etiam inde confirmari, quòd libertas non soluendi partem fructuũ, non habet magis immediatũ ordinem ad spirituale, quàm ipsimet fructus beneficij. Imo multo minùs libertas illa respicit spirituale, quàm ipsi fructus, quãdoquidem eatenus videtur respicere spirituale, quatenus est libertas ad non pendendos fructus beneficij spiritualis. Sed ille respectus, quem habent fructus beneficij ad beneficium, non efficit, vt ipsi fructus secundùm se sint aliquid spirituale, aut spirituali annexum, quod sit materia Simoniæ: Siquidem possunt vendi, vt patet. Ergo multo minus respectus, quem vtcunque habet illa libertas ad beneficium spirituale, efficit, vt illa sit materia Simoniæ.

Atque

Atq; ex hoc patet clara solutio argumẽti, quod fecimus in fauorẽ secundæ sententiæ. Fateor enim Clericum redimẽtem pensionẽ, hoc etiã assequi, vt *retineat* fructus, vel habeat beneficiũ *vtile*, quoad oẽs fructus: sed tamen hoc non est id, pro quo immediatè & per se dat pecuniã. Dat enim illam non nisi pro dicta libertate, quæ vt satis probatũ est, non ideo est materia Simoniæ, quòd ad illam sequatur vel cum illa coniuncta sit vtilitas beneficij spiritualis quoad oẽs fructus. Iste enim respectus est extrinsecus & accidentalis ad eam libertatem. Sicut etiam respectus fructuum ipsorum ad beneficiũ spirituale, est extrinsecus & accidentalis ipsis fructibus: & sicut respectus, quem habet ad titulum spiritualem Parochi, libertas, quam ciuis acquireret redimẽdo præsenti pecunia obligationem soluendi Parocho decimas alioqui debitas ob officium spirituale Parochi, est etiam extrinsecus ei libertati.

Sed ad maiorem confirmationẽ huius tertiæ sententiæ, quam sequimur, oportet etiã respondere ad illud Cap. Ad querelam, quod videbatur fauere primæ sententiæ Soti & Victoriæ: siquidem ibi æquè prohibetur, ne quis *redimat* vel *emat* spirituale. Et dicendũ breuiter, illud esse intelligendum de redemptione, per quam per se loquendo acquiritur etiã titulus spiritualis, & fructus propter talem titulum, sicut accidit in casu illius Capituli, vt consideranti patebit.

Postremò in hac quinta quæstione aduertendum est, quòd etsi is, qui soluit pensionem, possit eam absq; Simonia redimere: tamẽ ille, qui pensionem recipit, propter causam *spiritualem*, vtpote permutationis beneficiorum, aut resignationis, aut aliquam aliam causam spiritualem, non potest pensionem eam vendere tertiæ personæ. Et quidem si pensionẽ propter causam spiritualem adeptam, venderet aliquis simul transferendo in emptorem causam spiritualem siue titulũ talis pensionis, manifesta esset Simonia contra ius naturæ. Nam esset perinde atq; vendere beneficium. Quando aũt venderetur eiusmodi pẽsio, non transferendo etiam spiritualem titulum & fundamentum eius, vti non transfertur, quando cõstituta fuit causâ permutationis aut renũciationis beneficiorum; tũc quidem etsi iure naturæ non sit Simonia, vendere talem pensionem (quasi quendam nimirum censum) est tamen id Simonia de iure positiuo. Et hoc quidẽ propter consuetudinem, quæ hac in parte habet vim legis. Puniuntur enim tales tanquam Simoniaci: quæ cõsuetudo satis est, vt ea emptio & venditio sit prohibita quasi iure humano. In huiusmodi enim magna est vis consuetudinis: id quod vel ex eo patet, quòd propter solam cõsuetudinem, ad solum Papam duntaxat pertinet cõstituere pensiones, & non ad Episcopos, cùm tamen iure naturæ etiam isti potuissent, ex officio dispensandi bona Ecclesiastica particularium suarũ Ecclesiarum.

PVNCTVM QVARTVM.

Quale peccatum sit Simonia.

D. Thom. ar. 1.

QVOD Simonia sit peccatum, certũ est ex fide. Patet Actor. 8. *In felle amaritudinis*, inquit D. Petrus Simoni, *& obligatione iniquitatis video te esse*. Reprehenditur etiã Balaam propter hoc vitium ab eodem D. Petro, & etiã à Iuda Apostolo in suis Canonicis. Ac arguitur & dãnatur passim hæc iniquitas à summis Põtificib. vt videre est in toto titulo de Simonia. Et disserit de ea pulchrè Hortulo de Simonia. Et disserit de ea pulchrè Hormisda Papa in epist. ad Episcopos Hispan. Deniq; damnatur Simonia in Conc. Chalcedonen. ca. 2.

Præterea ex triplici capite rationes ducũt Doctores cõmuniter in 4. d. 25. sicut etiam D. Thom. hîc ar. 1. ad probãdam deformitatẽ huius peccati. PRIMA ratio ducitur ex parte *rei*, quæ venditur, quæ cùm lõgè sit excellentior omni precio temporali, iniquè emitur & venditur. Hac ratione vtitur Hormisda Papa vbi suprà. Et eadem etiã ratione vtitur Tharasius Episcopus Constantinopolitan. in epist. quadam ad Adrian. Papam, cuius sententiam refert Gratian. 1. q. 1. Cap. Eos, qui ita inquit: *Tolerabilior est impia hæresis Macedonij & sequacium, quàm Simonia. Illi enim seruum Dei Patris & Filij, Spiritum sanctum esse delirando fatentur: Simoniaci verò eundem Spiritum S. efficiunt seruum suũ. Omnis enim Dominus quod possidet, vendit si vult, siue seruum, siue quidpiam aliud. Et similiter qui emit, volens esse dominus eius, quod emit per precium pecuniæ, acquirit dominium illius.*

SECVNDA ratio ducitur ex parte *eius*, qui vendit rem spiritualem. Quam rationem ita colligit hîc S. Thom. Qui non est rei dominus, sed duntaxat dispensator, non potest illam licitè vendere. Sed Prælati non sunt domini rerum spiritualium, sed tantũ dispensatores, iuxta illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Dei, & dispensatores mysteriorum eius.* Ergo illicitè vendunt rem spiritualem.

Sed videbitur forsan alicui hæc ratio ex duplici capite peccare. *Primò*, quoniã Maior illa, vt proposita est, simpliciter videtur falsa. Potest enim dispensator in vtilitatem domini & familiæ, vendere rem domini, vt fit quotidie. Itaq; diceretur, similiter in proposito posse Prælatũ in vtilitatem Ecclesiæ vendere res spirituales, tametsi earũ non habeat dominium. *Secundò*, quoniam dato, eam Maiorem simpliciter esse veram, tamen illa ratio non concludit vniuersaliter, Simoniam esse peccatum; sed tantùm Simoniam, quæ consistit in venditione, non verò quæ in emptione rei spiritualis: & tamen cùm tam emptio, quàm venditio sit Simoniaca, de vtraq; oportuisset concludere, quòd sit peccatum.

Ad *primum* fateor in illa Maiori ad terminum, *Dispensator*, addendum esse: *qui nõ habet consensum*

domini

domini ad vendendum, sed potius præceptum contrarium de conferenda re gratis. Quæ particula etiam est subsumenda in Minori, & probanda ex illo Matthæi decimo, *Gratis accepistis, gratis date*. Sic ratio optimè concludit. Atque ita illam proposuit Durandus in 4. dist. 25. quæst. 3. & D. Tho. videtur etiam eam particulam subintellexisse in Maiore & Minore.

Ad *secundum* respondeo: rationem eam ex consequenti etiam concludere de emptione rei spiritualis. Nam vt rectè notat Sot. lib. 9. de Iustitia, q. 8. ar. 1. hoc ipso, quòd Christus Dominus præcepit Apostolis, vt res spirituales propter earum excellentiam gratis conferrent; præcepit etiam aliis, vt non nisi eas sibi gratis procurarent propter eandem excellentiam; atq; ita peccant, si ea accipiant à vendente emendo.

Tertia ratio ducitur ex prima origine ordinis rerũ supernaturalium, ad quẽ res spirituales pertinent; cuius nimirum principium est *gratuita & liberalis* Dei voluntas. Quapropter necesse est, vt ea etiam, quæ ad eum ordinem pertinent, cõferantur gratis, conuenienter suo principio gratuito. Cõtrarium enim huius deformitatẽ quandam cõtinet. Hanc rationem attigisse videtur D. Petr. 1. epist. c. 4. cùm sic inquit: *Vnusquisq;* PROVT *accepit gratiam in alterutrum administrãtes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Constat autẽ eos gratis accepisse: Oportet igitur vt gratis etiam administrẽt. Eadem etiam ratione vsus videtur Christus Dominus in ferenda lege de gratis cõferendis rebus spiritualibus: *Gratis*, inquit, *accepistis, gratis date.*

Sed dicet aliquis, videri quoq; hanc rationẽ infirmam. Nam omnium etiam rerũ temporalium prima origo est gratuita liberalitas & beneuolẽtia diuina, qua vniuersa sunt condita. Et tamen hoc nihil obstat, quò minus res temporales licitè vendantur.

Respondeo, esse disparitatẽ. Nam in ordine rerũ supernaturalium peculiariter relucet diuina beneuolẽtia & liberalitas, cũ sit suprà naturæ debitũ. Quòd si quis huic rationi non acquiescens, dicat, hanc rationem vltimam potius ostendere congruentiã diuini præcepti, quàm vt per se probet ex natura rei inesse deformitatẽ in Simonia; cùm hoc ego non magnoperè contendam.

Iam verò cùm constet, Simoniam esse peccatũ, potissima Qvæstio hîc est, cuinã virtuti illa aduersetur. Ratio dubitandi est Primo, nam cõmuniter censetur esse contra Religionẽ. Contrà verò videtur potius esse contra *fidem* tanquam omnino hæresis. Quod sic probatur: Simoniacus pluris æstimat rem spiritualem quàm temporalẽ, vel saltẽ æquè. Sed hęc æstimatio aut est iudiciũ, quo peruersè ille iudicat, rem spiritualẽ esse minoris vel æqualis momẽti atq; temporalẽ; aut certè nõ potest esse sine tali iudicio; & rursus hoc iudicium est hæreticum, vt patet. Ergo Simonia est hęresis. Maior patet ex his, quæ diximus suprà exponẽdo definitionẽ Simonię. Minor verò probatur. Nam impossibile videtur, vt quis pluris aut tãti faciat aliquid atq; alterum, nisi iudicet inesse tantum vtilitatis aut dignitatis, vel plus in illo.

Secvndo videtur Simonia esse saltẽ contra *iustitiam* potius, quàm cõtra Religionẽ. Id patet ex secunda ratione facta, quæ conuincit, venditorẽ rei spiritualis vsurpare rem domini contra eius voluntatem, atq; adeò iniustum esse.

Tertio dato, quòd Simonia sit cõtra Religionem, tamẽ existit alia peculiaris difficultas, quòd non videtur distingui posse à Sacrilegio. Et tamẽ cõmuniter numeratur vt speciale peccatũ Irreligiositatis: id verò probatur. Nam Sacrilegium est violatio rei sacræ. Id aũt ipsum videtur esse Simonia. Cõsistit enim eius deformitas in eo, quòd irreuerẽter res spiritualis & sacra tractatur emendo & vendendo, quo ipso vtiq; res sacra violatur.

Nihilominus ad quæstionẽ propositam dico Primo, *per se loquendo*, Simoniã esse peccatum cõtra Religionẽ, quatenus in ignominiã Dei cedit, vt quæ spiritualia ipse peculiariter instituit ad salutem, vilipendantur.

Secvndo dico, posse etiã Simoniacum esse simul hæreticum si habeat simul illud *iudiciũ* erroneũ, de quo in primo argumẽto. Nam & Simon Magus ea ratione fuit hæreticus, vt patet ex illis verbis D. Petri ad illum: *Pecunia tua tecũ sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Et Alphonsus de Castro lib. de hæres. V. Simonia, ex Guidone refert, Armenos eundem errorem secutos. Sed tamẽ per se non est necesse, vt Simoniacus sit simul hæreticus. Potest enim ex peruersitate voluntatis cum solo errore practico intellectus, tanti aut pluris facere spirituale aut temporale; sicut patebit in solutione primi argumenti.

Tertio dico, non esse absurdum concedere, quòd Simoniacus vẽdens rem spiritualem, semper quoq; sit iniustus: imo id concedit apertè Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 5. art. 1.

Quomodo autem differat Simonia à Sacrilegio, declarauit Caiet. q. 99. de Sacrilegio, dub. 1. Vbi dicit, in hoc esse differẽtiam, quòd Simonia infert iniuriam rei sacræ per modum *voluntariæ* cõmutationis iniustæ: id est, cũ relatione ad *alterũ* emẽtem vel vendentẽ, qui similiter infert iniuriã eidem rei sacræ. Sacrilegiũ verò per modũ *inuolũtariæ* cõmutationis, hoc est, sine relatione ad *alterum*, qui vicissim violet quoq; rem sacrã. Vnde ait Caiet. eodẽ modo proportionaliter Simoniã & Sacrilegiũ differre, prout Religioni aduersantur, quo differũt *furtum*, v. g. & *fraudulẽtia in commutationib.* prout cõtraria sunt iustitiæ cõmutatiuæ.

Est & alia differentia, quòd per Sacrilegium ideo violatur res sacra, quia fit contra *vsum* illius sacrũ, ad quem res per aliquã legem est destinata, vt suprà q. præced. explicatum est. Per Simoniam verò ideo violatur res sacra, quia ipsa *per se dignitas illius* minoris fit, quàm par est. Neq; vitium Simo-

mo-

moniæ immediatè respicit vsum rei sacræ, sicut Sacrilegium.

Iam respondeo ad argumenta. Ad primũ quidem satis inter argumentandum responsum est. Potest. n. quis æquè aut plus velle temporale, ex peruersitate quadam *voluntatis*, præferendo temporale spirituali; quamuis alioqui speculatiuè iudicet, spirituale esse quid dignius. Potest enim nihilominus illi magis placere temporale propter peruersitatem appetitus. Ad Secundum & Tertium iam quoq; patet responsio ex dictis.

PVNCTVM QVINTVM.

Quotuplex sit Simonia.

Ad art. 4. D. Thomæ.

VT variæ possunt esse cõsiderationes Simoniæ: ita etiam variæ eiusdẽ diuisiones à Doctorib. cõmuniter tradi solent: quas oportet notare propter diuersitatẽ pœnarum, quæ diuersis specieb. Simoniæ constitutę sunt. Potest aũt Simonia tripliciter cõsiderari, & ita etiam tripliciter diuidi.

Primo enim Simonia cõsiderari potest, quatenus vitium quoddã est in *humano* actu consistens. Ex hac parte Simonia est tripartita, videlicet *mẽtalis* tantũ, *conuentionalis* tantùm, & *realis*. Mentalis tantvm est, cùm iniqua voluntas emendi vel vendendi spirituale nullo modo exprimitur, sed tantũ *mente concipitur*. Et hæc Simonia adhuc duplex est. Vna est *non purè* mentalis, in qua nimirũ, etsi iniqua voluntas emendi vel vendẽdi spirituale non exprimatur, tamen peruenitur ad *opus exterius*, hoc est, recipitur spirituale pro temporali; vel è contrario, animo emendi vel vendẽdi. Atq; ita hæc Simonia non est purè mentalis. Sed dicitur tamen mentalis per negationem *declarationis* iniqui animi: quãuis non per negationẽ exterioris actus dandi & recipiendi, vti suo modo diximus suprà disp. 5. q. 21. de Vsura mẽtali. Altera est Simonia *purè* mẽtalis, in qua scilicet neq; iniqua voluntas exprimitur, neque quicquam exterius recipitur aut datur.

Simonia Conventionalis tantvm est, cũ exprimitur quidem, aut verbo, aut nutu, vel alio signo, iniqua voluntas emendi vel vendendi, cæterũ non peruenitur ad actũ exteriorẽ dandi & recipiendi. Hæc etiam Simonia duplex est. Altera, in qua ex neutra parte venitur ad actum exteriorẽ dandi vel recipiendi, hoc est, quæ vtrinq; consistit *dũtaxat in promissione*. Altera, quæ ex *vna parte completur exterius*, ex altera verò non: hoc est, cũ alius statim dat spirituale, alius verò duntaxat promittit temporale, vel è contrario.

Et notandũ hîc est, nihil interesse, vtrũ ex altera tantũ parte statim detur spirituale, an verò tẽporale. Siue enim spirituale statim detur, & temporale tantũ promittatur, siue contrà: nunquam est nisi conuentionalis Simonia, vt rectè notauit Nauarr. c. 23. n. 103. contra Sot. lib. 9. de Iustitia, q. 8. art. 1. & Caiet. hic art. 6. ad 6. qui sine ratione dicunt, esse Simoniam realem, si spirituale statim detur, & temporale promittatur: quamuis non cõtrà, si tẽporale statim detur, & spirituale statim ꝓmittatur. Sed, vt dixi, hoc discrimẽ sine ratione ponitur. Nam sicut contingit emere credito precio: ita etiam contingit emere anticipata solutione. Quare vel vtrumq; debuissent dicere isti Doctores esse Simoniam realem, vel *neutrum*: id quod est verius. Nã contractus emptionis & venditionis, vltro citroq; transigitur. Quare non rectè dicetur realis & cõpleta venditio & emptio, nisi ex vtraque parte compleatur, & consequenter nec Simonia realis.

Realis verò Simonia (vt ex his iam patet) est, quando & iniqua voluntas pacto expresso vel tacito, hoc est, verbo aut nutu, vel alio signo exprimitur, & vtrinq; ad actum peruenitur, dando & recipiendo.

Porrò inter has tres species Simonię is est ordo, vt omnis Simonia realis sit cõuentionalis etiã & mentalis; non tamen è contrario oportet. omnẽ Simoniã mentalem esse conuentionalẽ, neq; omnem conuentionalẽ esse realem. Habent enim se huiusmodi tanquã superius & inferius; & ab inferiori ad superius valet affirmatio, à superiori ad inferius non nisi negatio.

Ex quo intelligi potest, rectè Sotũ lib. 9. de Iust. q. 8. ar. 1. & Caiet. 2. tom. opusc. tract. 9. q. 2. sensisse, eum, qui *fictè* absq; animo adimplẽdi promittit Episcopo summã pecuniæ pro beneficio, non esse verè Simoniacum. Ratio est: quoniã deest voluntas emendi: atq; ita talis neq; mentalis, neq; conuentionalis, neq; realis Simoniacus est. Quãquam contrariũ sentit Nauarrus ca. 23. n. 106. sed planè sine ratione. Concedit tamen Nauarrus & alij oẽs, talem (qui scilicet *fictè* promisit temporale pro spirituali) non incurrere pœnas constitutas Simoniæ reali. Quod inde probat Nauarrus, quoniã etsi ipse putet, talem esse verè Simoniacum conuentionalẽ: tamen non est Simoniacus realis, cũ non cõpleatur contractus ex vtraq; parte, quod omnino requiritur ad Simoniã realem. Sed ratio Caiet. & Soti est melior: quia videlicet tunc non est verè Simoniacus.

Dicit etiam illic Nauarrus, quòd si in eo casu promissio pecunię facta Episcopo, cõfirmaretur *instrumento*, & id exhiberetur Episcopo, iam esset Simonia realis, subiacens pœnis, constitutis reali Simoniæ. Nã illud instrumentũ esset veluti pars precij, atq; ita ex vtraque parte compleretur Simonia, saltem quoad partem precij promissi: quod est satis.

Mihi verò in primis verũ videtur, quod Nauarrus sentit, ad Simoniã realem satis esse, si vtrinq; cõpleatur contractus, saltem *quoad partem aliquã* promissorũ: sed tamen in casu, de quo loquimur, etiamsi verum esset, eum, qui promisit pecuniam Episcopo, esse Simoniacũ conuentionalem: tamen non putarẽ, ob instrumenti exhibitionẽ (vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauarrus sentit) compleri Simoniam ex vtraque parte, *quoad partem* precij promissi, atq; adeò fieri Simoniam realem. Ratio est: quoniam si is, qui tale instrumentũ exhiberet Episcopo, nullũ haberet animũ adimplendi, quod promittit, iam tale instrumentũ nihil prorsus valet Episcopo. Nam neq; in foro exteriori aliquid poterit Episcopus recipere ex vi talis instrumenti, vt patet, cũ sit Simoniacũ, & multo minus in foro conscientiæ: & præterea neq; ex peruersa volũtate fictè promittẽtis aliquid, esset ob id instrumentũ recepturus; quandoquidẽ is nihil vult illi dare. Quare non video in tali casu, quã partem precij recipiat Episcopus per instrumentũ tale sibi exhibitũ. Duo igitur falsa ponit Nauarr. primò, quòd talis promittens esset Simoniacus cõuentionalis. Secundò, quòd si promissionẽ confirmaret instrumẽto, esset etiã Simoniacus realis; quod etiã falsum est, etiamsi primum esset verum.

SECVNDO potest cõsiderari Simonia, quatenus est peccatum, contra *legem aliquam* videlicet. Atque ex hac parte pro diuersitate legis, cui Simonia aduersatur, diuiditur in Simoniã contra *ius naturæ & diuinum*, quæ dicitur Simonia prohibita, *quia mala*: & in Simoniam contra *ius duntaxat positiuum humanũ*, quę dicitur mala, *quia prohibita*. Hanc diuisionẽ, traditam in Glossa, cap. Ex parte 1. Extra de officio delegati, communiter Doctores Iuris & Theologiæ receperunt.

Est aũt Simonia contra ius DIVINVM & NATVRALE illa, quam in initio huius quæstionis definiuimus, cũ videlicet illud, quod est spirituale, aut spirituali annexum, pro temporali, tãquam pro precio cõmutatur. In quo quidẽ tum contra ius diuinum, tũ etiam cõtra ius naturæ peccari, satis declarant rationes illæ, quibus p. præced. ostensum est, Simoniam esse peccatum.

Simonia verò contra ius duntaxat POSITIVVM, est, omnis cõmutatio rerum non gratuita, *quam* Ecclesia propter cultum & honorem Dei peculiariter prohibeat: siue alioqui res, quæ cõmutantur, sint temporales, & quę alioqui naturâ sua potuissent sine vitio cõmutari; siue sint vtrinq; spirituales; in quarum proinde cõmutatione nihil temporale interueniat. Atq; hęc quidẽ Simonia, vt rectè notarunt Durandus in 4. d. 25. q. 5. & Sotus lib. 9. de Iust. q. 5. ar. 2. ante respon. ad argumenta; quamuis *propriè* quidem Simonia non sit, qualẽ p. 1. definiuimus (tũc enim iure etiã naturæ esset prohibita) tamẽ rectè nominatur Simonia per quandam analogiam, eò quòd cum Simonia propriè dicta cõuenit, tum in materia, videlicet in cõmutatione, tum etiam in eo, quod aduersatur eidem Virtuti, videlicet Religioni, tum etiam in pœnis. Similiter enim punitur.

Ad hanc Simoniæ speciem pertinet *permutatio* beneficiorũ, quando illegitimè fit primo aut tertio modo ex dictis suprà p. 3. in quæst. de permutatione præbendarum. Neq; tamẽ hoc, quod dicimus, eã permutationem præbendarũ pertinere ad hanc Simoniam solo iure positiuo prohibitã, ita intelligendum est, quasi nulla eiusmodi permutatio sit peccatũ contra *ius naturæ*: est etenim, si fiat primo modo ex illis enumeratis. Sed tantũ dicimus, præbendarum permutationem illo etiã primo modo, quatenus est quidem contra Religionem, & dicitur Simoniaca. solùm esse contra ius positiuũ. Si aũt permutatio fiat secundo modo ex illis enumeratis, propriè erit Simoniaca, prohibita etiam iure naturæ, vt illic annotauimus. Itaq; tantũ permutatio primo & tertio modo illic dictis, est Simonia contrà *ius positiuum* duntaxat. Sic enim, vt illic notauimus, præcipuè prohibetur. Ita Sot. lib. 9. de Iust. q. 5. art. 2. & q. 7. art. 2. & Victoria in Relectione de Simonia, n. 16. & 17. & alij.

Ad eandem speciẽ Simoniæ, etiã pertinet emptio & venditio *officij cuiuslibet Administratoris, rerum Ecclesiasticarum*, vt Oeconomi Ecclesię, & Aduocati siue Castaldi, & Iudicis, & Sacristani, &c. Quæ officia, quãuis alioqui temporalia sint, prohibet tamẽ Ecclesia, ne vendantur: in quo quidẽ diuinum cultũ & reuerẽtiam spectat propter illum qualemcunq; ordinem, quẽ huiusmodi officia habent ad res sacras. Extat hæc prohibitio in Cap. Saluator 1. q. 3.

Ex quibus apparet PRIMO, hanc Simoniam *de iure duntaxat positiuo*, parum differre à Sacrilegio. Nam eatenus per illã peccatur cõtra Religionẽ, quatenus non datur gloria Deo, abstinendo à cõmutatione rei non gratuita, vt Ecclesia præcipit. Itaq; violatur tunc res sacra, quatenus fit contra cultũ, ad quem est destinata per legem Ecclesiasticã. Quo pãcto etiã per Sacrilegiũ res sacra violatur, vt suprà q. præced. declaratum est.

SECVNDO ex his intelligi potest, fortè esse controuersiã solùm de nomine inter Durand. in 4. d. 25. q. 5. negantẽ esse vllã Simoniã de solo iure positiuo (quod etiã obiter negat Nauarrus in Manuali, c. 23. n. 100.) & alij Doctores cõmuniter concedentes, post Glossam in dicto Cap. Ex parte. Si enim quæstio sit de Simonia *propriè dicta*, qualis suprà p. 1. definita est; vera est sententia Durandi. Simonia enim, quam alij Doctores vocãt de solo iure positiuo, non potest ab ipsis meritò dici propriè Simonia. Vnde Sotus lib. 9. de Iust. q. 5. ar. 2. ante responsionem ad argumenta, quasi declarans hanc cõmunem sententiam, apertè asserit, Simoniam de iure solo positiuo, nõ esse *propriè* Simoniam, neq; hoc vnquam Ecclesiam definire, sed solũ dici Simoniam, quia punitur pœna Simoniæ. Quod ipsum etiam Durandus illic similiter fatetur.

Sed & ratio ipsa manifestè ostendit, veram esse eam explicationem Soti. Ecclesia enim, quando prohibet, ne eiusmodi officia temporalia administratorum rerum Ecclesiæ, vendantur, nõ efficit ea sacra & spiritualia, sicut quando consecrat calicem, v. g. quem proinde vendere vt sacrum & spirituale, est vera & propriè dicta Simonia cõtra

ius naturę, vt rectè sentiunt Sot. ibi, & Victoria vbi suprà, n. 15. Sed relinquit Ecclesia officia illa in suo *Esse temporali*, & solùm prohibet ob quendam Dei cultum & reuerentiã, ne vendantur. Ergo nõ est propriè Simonia, eiusmodi officia vẽdere, cũ non competat tali venditioni definitio Simonię.

Affert præterea Durand. ad idem talem rationem. Quòd propter solùm ius positiuũ est illicitum, solùm, inquit, esse potest peccatũ Inobedientiæ: Sed Simonia est contra Religionem, & nõ solùm cõtra obedientiã. Ergo nulla Simonia est contra solum ius positiuum. Verũ hæc ratio meritò à Soto & Victoria vbi suprà refellitur. Est enim Maior falsissima. Potest enim Ecclesia per legem efficere necessariam & debitam rectitudinem cuiusq; virtutis: atq; ita ea lege posita, transgressio eius erit non solùm contra obedientiam, sed maximè etiã contra illam virtutem. Sic enim præcepto ieiunij, v. g. necessariã fecit rectitudinẽ temperantiæ Quadragesimæ tempore: & ideo tunc non ieiunare est contra temperantiam. Eodẽ igitur modo in proposito præcipiens vel prohibens aliquid propter diuinum cultum, necessariã efficit rectitudinẽ Religionis: atq; ita transgressio poterit etiam esse contra Religionem.

Iam verò si quæstio sit de Simonia *improprie* & secundùm quandam analogiam; minimè negari debet, quod alij Doctores cõmuniter concedũt, posse scilicet esse aliquã Simoniam de iure duntaxat positiuo; neque verò id Durandus negat, sed apertè concedit, vt diximus.

TERTIO & vltimò considerari potest Simonia in ordine ad *iudicium aliorum*, qui scilicet iudicẽt, aliquid esse Simoniam, vel non esse. Sic Simonia est duplex: Altera vera in foro conscientiæ, atq; adeo etiam coram Deo. Altera secundũ præsumptionẽ in foro exteriori. Huius diuisionis sæpè mentionem fecimus suprà p. 2. & 3.

PVNCTVM SEXTVM.

Quanam sint pœnæ Simoniæ.

D. Thom. ar. 6.

HOc vt ordine expediamus, per singulas diuisiones Simonię p. præced. expositas, percurrendum est. Et incipiendo à tertia, cõstat, Simoniam *non veram coram Deo*, sed præsumptã in foro duntaxat exteriori, quamuis in hoc quidẽ foro propter probabilem præsumptionem puniatur; nulli pœnæ ita subiectam esse, vt quis in foro conscientiæ teneatur eam subire, nisi quatenus ad vitandum scandalum id necessarium sit, iuxta ea, quæ suprà disp. 5. q. 14. p. 4. tradidimus, circa sententias fundatas in sola præsumptione contra rei veritatem; quatenus videlicet sit eis parendum. Simonia autem *vera*, omnis in vniuersum incurrit pœnam æternam, de quo non est dubium. Quoad pœnas verò Ecclesiasticas, inprimis nullum est discrimen inter Simoniam de *iure positiuo solùm*, & Simoniam de *iure naturali*, quę fuit secunda diuisio Simoniæ. Sed tota difficultas, quoad has pœnas, est circa primam Simoniæ diuisionem. Non enim sunt pares pœnæ in Iure cõstitutæ *mẽtali, conuentionali, & reali Simoniæ*. Quare de singulis his speciebus sigillatim iam dicendum est.

Simonia igitur MENTALIS nullam pœnam Iuris incurrit; siue ea mentalis purè sit, siue etiam prouenerit ad actum exteriorem dandi & recipiẽdi. Ita probat fusè Nauarrus cap. 23. n. 102. & est cõmunis sententia, vt videre est apud Victoriam in Relect. de Simonia, par. 2. & apud Syluestrum, V. Simonia, q. 20. & Caietanum ar. 6. huius quæstionis, vbi S. Thom. in solutione sexti idem docet. Contrarium tamen sentit Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 8. ar. 1. & Adrianus quodlib. 9. & vnus item aut alter, qui dicunt, Simoniacum mentalem debere *restituere*, quicquid per Simoniam mentalẽ acquisiuit. Horũ fundamenta postea refutabo.

Sententia verò nostra potissimè nititur Cap. Mandato, quod est vltimum, Extra de Simonia, vbi Põtifex expresè dicit, Simoniaco *mentali* satis esse, *si per solam pœnitentiam suo satisfaciat Creatori de peccato*, nec debere resignare, quod per Simoniã mentalem acquisiuit. Vbi nihil attinet de quibusdam expositionib. dicere, quibus contrarium opinantes, conantur textum clarissimum aliò intorquere; satis sit, quòd vt Nauarrus vbi suprà testatur, ita planè textus ille semper ab omnibus intellectus est.

Hinc sequitur, iure quidem naturæ Simoniacum non impediri, quò minus acquirat dominium eius, quod per Simoniam acquirit. Alioqui omnis Simoniacus, etiam *mentalis*, si aliquid Simoniacè acquirat, deberet id restituere. Itaque solùm ius positiuum in pœnam impedit, quò minus Simoniacus acquirat dominium. Hanc verò pœnam soli Simoniæ *reali* decernit, vt patet ex prædicto Cap. Mandato.

Sed explicabitur & confirmabitur hoc totum magis, si refutemus argumenta potissima, quib. contrà opinantes nituntur. PRIMVM est. Vsurarius mentalis debet restituere, neq; acquirit dominium. Ergo similiter Simoniacus mentalis. Antecedens probatum est suprà disp. 5. q. 21. p. 4. Cõsequentia probatur. Nam sicut vsurarius mẽtalis caret iusto titulo recipiendi vsuram: ita etiam Simoniacus mentalis caret iusto titulo recipiendi precium, quod acquirit Simoniacè. Sed quia vsurarius mentalis caret iusto illo titulo; ex natura rei impeditur, quò minus acquirat dominiũ, & ita tenetur restituere. Ergo similiter, &c.

RESPONDEO. Variæ solent quoad hoc assignari differentiæ mẽtalis Simoniæ & Vsuræ. Illa, quam Caietanus art. 6. obseruauit, videtur potissima: quòd videlicet is, qui vsurario dat aliquid vltra sortem, nihil recipit pro eo quidem, quod dat vltra sortem. Itaque meritò censetur inuoluntariè dare, neq; verè transferre dominium eius quod dat. At is, qui pecuniam dat pro re spirituali, ali-

quid vtique pro ea pecunia recipit; imo multò plus, quàm dat. Quocirca non perinde eis censeri debet inuoluntariè dare; atq; ita ex natura rei nihil obstat, quo minus dicamus, eũ verè transferre dominium. Secus, si in aliquo casu constaret illum inuitũ dedisse, ad redimendam vexationẽ.

SECVNDO. Si quis dominus præciperet Oeconomo, vt gratis pauperib. aliquid conferret, & is postea id pauperib. venderet, teneretur illis precium restituere ex natura rei. Sed in proposito, Christus Dominus iussit Prælatos gratis cõferre spiritualia. Ergo, &c.

RESPONDEO *primò*, videtur esse aliquid discriminis. Nam talis dominus fortè præciperet Oeconomo cõferre gratis rem pauperibus, spectãdo vtilitatem & cõmodum ipsorum pauperũ. Itaque si pro precio eam illis daret Oeconomus; meritò censerentur affectiiniuria, propter quam oporteret illis restituere precium. At in proposito, cùm præcipit Deus spiritualia gratis conferri, in eo non spectat vtilitatem eorum, quibus illa sunt conferenda, sed dignitatem & excellentiam ipsarum rerum spiritualium. Quare rebus spiritualibus tantùm tunc fit iniuria, cùm vẽduntur: non illis, quibus pro precio dantur. Itaq; non est illis facienda restitutio.

Secundò respondeo, negando Antecedens. Cũ enim Oeconomus conferret pauperibus rem aliquam precio æstimabilem, censeri possent illi transferre velle dominium precij pro re illa: & consequenter Oeconomus dominiũ acquireret, illicitè quidem, sed solùm contra obedientiam Domino debitam, non contra Iustitiam. Quare nihil deberet restituere. Quemadmodũ qui pro iusto precio venderet venenum, aut quidpiam aliud ex his, quæ Respub. vendi prohiberet, dominium acquireret quidem precij, quamuis illicitè vendidisset.

TERTIO, Datio & receptio in omni contractu Simoniacõ, est illicita & cõtra leges. Ergo dominium per illam non acquiritur; & consequenter ex natura rei facienda erit restitutio. Probatur Consequentia. Nam translatio dominij debet esse secudùm leges; non contrà eas.

RESPONDEO. Dationẽ eam & receptionem esse quidem illicitam, sed tamen non est illicita *iniustè*, ita, vt iure naturæ oriatur inde obligatio restituendi; sed tãtùm est illicita *irreligiosè*. Propter quod quidem Irreligiositatis peccatum, in pœnam debet ex statuto Ecclesiæ restitui, quod acquisitum est per Simoniacum contractum, si Simonia fuit *realis* (iuxta dicta à nobis suprà disp. 5. q. 6. p. 5. & id, quod paulo pòst nunc dicemus) nõ autem si Simonia fuit tantùm mentalis, vt patet ex dicto Cap. Mandato, Extra de Simonia.

QVARTO. Prælatus Simoniacus neq; auctoritate suâ transfert dominium spiritualis, neq; etiam auctoritate Domini, cùm potius contra ipsius voluntatem det illud pro precio. Ergo saltem spirituale erit ex natura rei resignandum.

RESPONDEO. Prælatum in proposito transferre dominium reispiritualis, domino etiam approbante translationem, non quidem simpliciter ex omni parte (auersatur enim illam, vt porrè irreligiosam) sed eatenus, vt sit valida, quando contractus tantùm mentaliter fuit Simoniacus: non enim constat nobis de cõtraria domini voluntate.

QVINTO. Contractus iste Simoniacus, neq; est donatio, vt patet, neq; vera emptio & venditio, cùm res, quæ commutantur, non sint æquales. Ergo non apparet, quomodo per illum transferatur dominium.

RESPONDEO, contractum istum nõ esse quidem *donationem*, aut *iustam* emptionem & venditionem: est tamẽ verè emptio & venditio secundùm prauam voluntatem & æstimationem contrahentium: quod satis est ad veram translationẽ dominij. Non enim est necesse, vt illud per actum vndequaq; licitum transferatur. Satis enim est, si transferatur per actum deliberatum & humanũ, vt exposuimus suprà disput. 5. q. 10. p. 3. in materia de dominio.

Sequitur nunc Simonia CONVENTIONALIS TANTVM. Hæc si sit completa *ex altera parte*, obligat primùm ad restituendum id, quod est acceptum, & quidem statim etiam ante condemnationem: Omnis enim contractus Simoniacus tũ cõuentionalis, tum etiam realis est ipso iure positiuo nullus, annullante videlicet in pœnã translationem dominij, vt colligũt Doctores ex Cap. Presbyt. &; Si quis Episcop. 1. q. 1. & Ca. De hoc, & Cap. Audiuimus, Extra de Simonia, & Extrauag. Cùm detestabile, eod. tit. & aliis locis.

Quòd si quæras, cui facienda sit ea restitutio, quando Simonia quidem fuit tantùm conuentionalis. Respondeo cum Nauarro cap. 23. n. 103. vel 104. & Caietan. in Summa, V. Simonia. & Soto lib. 9. de Iustitia, q. 8. ar. 1. restitutionẽ quidem rei *temporalis*, acquisitæ per eiusmodi Simoniam, faciendam esse ei, qui rem dedit. Ratio est: quoniam quòd fiat restitutio *Ecclesiæ*, in cuius ignominiam aut damnum cedebat contractus Simoniacus, est peculiaris *pœna*, quæ non est decreta, nisi Simoniæ *reali*, completæ ex vtraque parte, vt censent prædicti Doctores.

Restitutio autem rei *spiritualis* per eiusmodi Simoniam cõuentionalem acquisitæ, quæ quidem restitui & resignari posit (vt beneficium Ecclesiasticum, &c.) facienda est, non quidem ei, qui dedit, sed *superiori*, vt aiunt Nauarrus & Sotus vbi suprà. Ex quo consequenter apparet, hanc esse differentiam inter Simoniacum conuentionalẽ, qui dedit pecuniam, & eum, qui dedit beneficium, quod is, qui dedit pecuniam, non priuatur ipso iure dominio pecuniæ; quandoquidem eidem illa restitui debet. Is verò, qui dedit beneficium, priuatur illo; quandoquidem non eidẽ, sed Prælato est resignandũ, vt ait Nauar. Quæ omnia vsu & praxi potissimùm declarata esse videntur.

Præterea

Præterea potest Simoniacus conuentionalis puniri alia pœna *arbitraria*, vt notat Nauarrus vbi suprà n. 111. Vbi etiã addit, Romæ solitos esse Simoniacos conuentionales priuari per sententiam beneficio, quod pro pecunia conuentionaliter promiserunt: quamuis, inquit, non declarentur, fuisse ipso facto priuati: quia nõ est Simonia *realis*. Caietanus quoq; in Summa, ait Simoniacũ conuentionalẽ, qui dedit pecuniam, meritò priuandum esse illâ per sententiam Iudicis, eamque conferendam in honorẽ Christi in pios vsus; seclusâ tamen sententiâ Iudicis, eidem est restituẽda, vt antea dictum est. Deniq; quod dictum est, Simoniacum cõuentionalem restituere debere, intelligendum est, vt notat Nauarrus vbi suprà, de accepto, quod restitui vel resignari posit, vt pecunia, quæ dãda est ei, qui prius dedit, & beneficium spirituale, quod resignandum est; non autem de eo quod restitui nequit, vt Sacramẽtum, & Sacramenti character, &c.

Restat de Simonia REALI dicere. Et primùm obligat ad restituendum statim, quicquid est acceptum, vt patet ex textibus suprà citatis. Estque facienda restitutio etiam omniũ fructuum, quos diligens procurator potuisset ex re colligere, deductis tamẽ expensis, quas ad id facere oportuisset. Neque verò is solùm, qui Simoniacè accepit, debet restituere statim, sed etiam qui bona fide accepit aliquid, quod ei per Simoniam contigit. Is etiam cùm primùm scit per Simoniam se acquisiuisse, debet restituere, non tamen cum fructibus, quos bona fide consumpsit; sed tantũ illa, quæ extant. Quòd si aliquis per calumniã vel malitiosè illi rem Simoniacè procurauit, vt postea teneretur resignare, tũc nihil omnino debet restituere. Ita enim ius disponit ad tollendam calumniam. Hęc omnia sunt ex sententia S. Thom. ar. 6. & declarantur fusè à Sylueſtro, V. Simonia, q. 19. & 20. estque communis doctrina.

Sed quæret aliquis, cui sit faciẽda restitutio rei acquisitæ per Simoniã realem. Respondeo, quod ad rem *spiritualem* attinet, constat resignandũ esse Prælato, si sit talis, quæ *resignari possit*, vt beneficium, &c. Quod ideo addo, nam quædam resignari non possunt, vt character spiritualis, & spiritualis aliquis actus, qui iam præterierit, &c. Quod verò attinet ad *temporale*, communis sententia est, illud interueniente quidem sententia Iudicis, restituẽdum esse Ecclesiæ, in cuius ignominiam aut damnum Simoniacè quis illud dedit; vel pauperibus, si in nullius certæ Ecclesiæ damnum vel ignominiam id cesserit, iuxta ea, quæ tradit Victoria in Relect. de Simonia, par. 2. n. 60. Ante condemnationem verò dicit Sotus probabiliter lib. 9. de Iustitia, q. 8. ar. 1. restitutionem faciendam esse ei, qui antea dedit, tanquam ei, cui adhuc competat ius dominij & prouisionis talis rei. Quoniam vt fiat restitutio Ecclesiæ, est lex pœnalis, requirens aliquam *actionem* ad sui executionem, nempe vt pecunia talis *detur* Ecclesiæ; quæ proinde lex nõ obligat ante sententiam Iudicis, qua is, qui peccauit, condemnetur, iuxta ea, quæ tradidimus tomo 2. q. 5. de Legibus, p. 6. Et idem videtur sentire Victoria in dicta Relect. part. 2. n. 6. circa finem.

Porrò præter pœnam restitutionis, Simoniacus realis in ORDINE, incurrit ipso iure excommunicationem, reseruatam Papæ, & est suspẽsus, tum quoad se, tum quoad aliòs, vt patet ex Extrauag. Cùm detestabile, de Simonia. Et hoc quidem, siue sit Simoniacus publicus, siue secretus. Et si sit publicus, est etiam infamis. Simoniacus verò realis in BENEFICIO est quidem excommunicatus, eadem illa excommunicatione; sed tamen non est suspensus, neq; quoad se, neq; quoad alios. Ita tradit post alios Nauarrus, cap. 23. num. 111.

Item incurrunt etiam eandem excõmunicationẽ *mediatores* Simoniæ realis in ordine vel beneficio. Quin etiam olim eãdem incurrebant illi, qui non denunciabant Simoniacos huiusmodi: quanquam iam, vt notat Sylueſter, V. Simonia, q. 19. hoc non sit in vsu.

Præter Simoniacos verò reales in *ordine* aut *beneficio*, nullus omnino Simoniacus incurrit excommunicationem, aut vllam aliam censuram Iuris. Ita Sylueſter & Nauarrus, & est communis opinio.

Est item obseruandum, quòd Simoniæ *confidentiali*, etiam conuentionali tantùm, peculiares quædam pœnæ decretæ sunt à Pio IV. & Pio V. de quibus fusè Nauarrus cap. 23. n. 110. Cuius Simoniæ fecimus mentionem suprà p. 3. in q. de permutatione beneficiorum.

POSTREMO illud etiam notandum, Papam sine controuersia posse dispensare in omnibus pœnis Simoniæ. Et si ipse Papa fortè esset Simoniacus (iuxta id, quod de tali casu, dixerunt Victoria in Relect. de Simonia, part. 1. n. 38. & 39. & Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 5. ar. 2. ad 2. & alij cõmuniter) quãuis culpam Simoniæ incurreret, in his quidem, quæ sunt Simoniaca iure diuino & naturali, nõ tamẽ incurreret pœnas Iuris. Sed & ille etiam, cum quo Papa Simoniam exerceret, censeretur eo ipso liberari à pœnis annexis Simoniæ. Ita Nauarrus in Manuali, cap. 23. num. 108. & 111. Sotus lib. 9. de Iustitia, q. 5. art. 2. & q. 8. ar. 2. Sylueſter, V. Simonia, q. 19. Et hæc de Simonia sint satis.

FINIS SEXTAE DI-
SPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO SEPTIMA GENERALIS.

DE ALIIS VIRTVTIBVS ANNEXIS IVSTITIAE.

DIVISA IN QVÆSTIONES QVATVOR.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS SEPTIMÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Pietate.

PVNCT.I. *Quid sit pietas, & quàm latè pateat eius materia.*
II. *An officium Pietatis erga Parentes sit aliquando intermittendum propter officium Religionis erga Deum.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Obseruantia & Dulia, quæ Obseruantiæ annectitur.

PVNCT.I. *Quænam & qualis virtus sit Obseruantia.*
II. *Quænam & qualis virtus sit Dulia.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Obedientia & Inobedientia.

PVNCT.I. *Quænam & qualis virtus sit Obedientia.*
II. *Quibus sit obediendum, & quatenus.*
III. *Quale & quantum peccatum sit Inobedientia.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Gratitudine & Ingratitudine.

PVNCT.I. *Quid sit Gratitudo.*
II. *An, & quatenus teneatur quis gratus esse.*
III. *An Innocens magis teneatur esse gratus Deo, quàm Pœnitens.*
IV. *Quale & quantum peccatum sit Ingratitudo.*

DISPVTATIO SEPTIMA GENERALIS.

DE ALIIS VIRTVTIBVS ANNEXIS IVSTITIAE.

D. Thomas 2. 2. q. 101. & seq.

RATIONES Virtutum earum, quæ præter Religionem sunt quoque annexæ Virtuti Iustitiæ, exposuimus tomo 2. disput. 5. de Virtutibus, q. 4. p. 2. & in hoc tomo, disp. 5. de Iustitia, q. 26. p. 2. Vbi etiam declarauimus, in quonam eiusmodi Virtutes conueniant cum Iustitia, & in quo item à ratione eius deficiant; atque adeò cur dicantur ei annexæ, tanquam partes quædam potentiales. In specie autem satis nunc fuerit quædam annotare de quatuor eiusmodi Virtutibus præcipuis, scilicet de Pietate, Obseruantia, Obedientia, Gratitudine. Nam alia vel per se sunt perspicua, vel aliis in locis explicata, vel facilè intelliguntur ex iis, quæ traduntur alibi. Itaque quatuor huius Disputationis quæstiones erunt. PRIMA, de Pietate. SECVNDA, de Obseruantia. TERTIA, de Obedientia. QVARTA, de Gratitudine. Vis autem & ratio Iustitiæ Vindicatiuæ (de qua deinde disserit D. Thomas) facilè intelligitur ex dictis suprà disput. 5. q. 3. Atque etiam de ratione Veritatis & Mendacij, seu verbo, seu facto, necessaria ferè diximus partim disput 1. q. 1. p. 3. & q. 3. p. 2. partim disput. 5. q. 13. p. 2. Sicut etiam de Amicitia satis multa à nobis dicta sunt disput. 3. q. 1. p. 2. de quibus præcipuè deinde disserit D. Thomas. Quod autem tradit de Liberalitate, per se facilia sunt. Atque etiam quod breuiter tradit de Dono pietatis, patet ex dictis tomo 2. q. 7. de Virtutibus. Decalogi autem ratio, quoad formam ipsam, explicata est tomo 2. q. 7. de Legibus. Quoad materiam, alibi passim explicatur cum agitur de ipsis Virtutibus & Vitiis, in quorum materia versantur illa præcepta.

QVÆSTIO PRIMA.

De Pietate.

D. Thomas 2. 2. q. 101.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, QVID SIT PIETAS, & quàm latè pateat eius materia, in qua versatur. SECVNDO. An officium Pietatis erga parentes, sit aliquando intermittendum propter officium Religionis erga Deum. Cuius rei explicatio frequentem vsum habet in praxi.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Pietas, & quàm latè pateat eius materia.

D. Thomas art. 1. 2. & 3.

PIETATIS vocabulũ quatuor ferè modis vsurpari solet, è quib. vltimus tantùm spectat ad propositum. PRIMO enim accipi solet pro omni virtute, qua Deo seruitur, & vita rectè instituitur. Vnde & probos, pios; & cõtrà, improbos, impios solemus appellare. SECVNDO accipi solet pro Religione ipsa, qua peculiariter Deus colitur. Vt notauit S. AVGVST. lib. 10. de ciu. Dei, ca. 1. *Pietas*, inquit, *propriè Dei cultus intelligi solet, quã Græci θεοσέβειαν*. Et de huiusmodi pietate videtur dixisse illud Virgil.

Et meritò Pietas homini tutissima virtus.

Cui consonat illud Apostoli 1. ad Tim. 4. *Pietas ad omnia vtilis est.* TERTIO accipitur etiã peculiariter pro misericordiæ officiis in proximos. Quod ibi etiã August. notat, dum subiungit: *More autem vulgi hoc nomẽ etiam in operibus misericordiæ frequentatur. Quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eaq; sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis placere testatur.* QVARTO accipitur quoq; pro virtute peculiari, qua coluntur parentes, vt ibid. August. etiam notat, de Pietate dicens: *Hæc & erga parentes officiosè haberi dicitur.* Et sic hoc vocabulũ passim vsurpatur à Latinæ linguæ auctorib. Cuius virtutis cũ aliquot præclara documenta pulchrè memorasset Valer. Max. lib. 5. c. 4. *Cætera*, inquit, *virtutes admirationis tantummodo multum; pietas verò etiam amoris plurimum meretur.*

Ac de hac pietate sermo nobis est in proposito. Quæ quoniã non modò parentes, sed etiã patriã & alios cõplectitur (vt videbimus) ita potest describi: *Pietas est virtus, per quam debitus cultus tribuitur iis, quorum beneficio post Deum subsistimus, & gubernamur, nimirum parentibus et patriæ, atque adeò etiam propter hos iis, qui vel necessitate aliqua sanguinis cum parentibus, vel beneuolentiæ vinculo cũ patria coniuncti sunt.* Ita docet D. Tho. hîc ar. 1.

Et in idem redit descriptio Pietatis à S. Augustino tradita lib. 83. qq. q. 31. vbi ait: *Pietas est, per quam sanguine iunctis patriæque beneuolis officium & diligẽs tribuitur cultus.* Quæ descriptio iisdem omnino verbis tradita fuerat à Cicerone lib. 2. de Inuentione, quem D. Thomas hîc citat. Ex quo libro Ciceronis illa quæstio Augustini ad verbum est desumpta.

Porrò necessitas & emolumentum huius virtutis ea ratione ostenditur à D. Thoma hîc art. 1. Nam sicut in Deo est summa excellentia, & ab eo summa beneficia accepimus, vt ab vniuersali & primo principio: ita etiam in parentibus & patria est peculiaris quædam dignitas, & ab his, tanquam à principio nostri *Esse* & gubernationis post Deum peculiaria etiã beneficia accepimus. Sed propter diuinam excellentiam, & beneficia ab ipso accepta, opus est, vt perficiamur & inclinemur virtute Religionis ad reddendum Deo cultum, ei tanquam vniuersali principio debitũ. Ergo similiter oportet esse aliã quandam virtutem, videlicet Pietatem, qua parentibus & patriæ debitum etiam cultum tribuamus, iuxta eorum dignitatem, & in nos beneficentiam. Ratio verò similitudinis, qua hoc argumentũ nititur, ex eo cõfirmatur, quòd pro diuersitate *debiti* in ordine *ad alterum*, oportet varias virtutes Iustitiæ annexas distinguere. Diuersum autem debitum nascitur ex diuersitate excellentiæ alterius, & beneficij ab eo accepti.

Ex qua doctrina tria consequuntur. PRIMO sequitur, Pietatem huiusmodi omnino esse *specialẽ* virtutem, distinctam à cæteris virtutibus Iustitiæ annexis, vt docet D. Thom. ar. 3. Nam respicit in obiecto suo (scilicet in cultu, quem tribuit) peculiarẽ rationem *debiti*, vt ex dictis patet. Virtutes autem Iustitiæ annexæ, distinguuntur penes peculiarem rationẽ debiti in ordine ad alterum, vt idem D. Thom. illic rectè tradit.

Neq; obstat, quòd Pietas sæpenumerò officiũ exhibet parentib. quod & quando ex præcepto non

non debet. Ex quo videtur consequens, illã non respicere rationem peculiaris debiti in obiecto suo: siquidem formalis ratio obiecti virtutis in quolibet singulari actu eius cerni debet. Hoc, inquã, non obstat. Nam sermo nobis est de *debito communiter dicto*, abstrahendo scilicet à debito *legali propriè*, & à debito decentiæ secundùm perfectionẽ duntaxat. Hæc cõmunis ratio debiti semper cernitur in quocunq; actu Pietatis. Nam omnis eius actus, aut est actus debitus ex præcepto, aut ex quadam decentia. Quando aũt ex præcepto; quãdo verò ex decentia tantũ sit debitus; ex circũstantiis, iudicio prudentum decernendum est. Atq; hoc, quod diximus de debito cõmuni, ad debitũ legale, & debitum decentiæ, memoria repetendũ est, quotiescunq; à D. Thom. rationes item aliarum particularium virtutum Iustitiæ annexarum ex diuersitate debiti declarantur.

SECVNDO sequitur ex dictis, Pietatẽ complecti etiã *consanguineos*, & beneuolos *erga patriã*, vt docet D. Tho. art. 1. Nam ad cultũ parentum, pertinet etiã cultus cõsanguineorũ; & ad cultũ patrię, cultus conciuiũ, & patrię amantium. Vt. n. docet Philosophus 8. Ethi. c. 12. *consanguinei ex eo dicuntur, quod à patris sanguine descendant.* Et beneuoli patriæ ad patriã quodãmodo pertinent. Imo etiam Pietas complectitur coniugem, vt communiter traditur: siquidem hoc ipso, quòd coniux pertinet & cõducit ad procreãdos filios, qui sunt maximè consanguinei; habet etiam aliquem respectũ ad parentes, qui quodammodo manẽt & cõseruantur etiam in nepotib. Itaq; cogitandum est, ita ferè pietatem complecti oẽs has personas propter respectũ earum ad parentes, sicut charitas erga Deũ complectitur oẽs proximos ob respectũ, quem illi omnes habent ad Deum.

Neq; obstant duo, quę hîc OBICI possunt. PRIMO, quòd Pietas vt antè dictũ est, respicit id, quod est debitũ principio nostri *Esse* & gubernationis post Deum. Vnde videtur sequi, ad Pietatẽ minimè pertinere eam obligationẽ, qua parentes tenentur erga filios, & coniuges erga se mutuò. Sequela verò probatur. Nam neq; coniugi, neq; filio quicquam debet aliquis tanquam *principio* sui Esse & gubernationis. SECVNDO, quòd filiorũ videtur esse parentes colere; non cõtra, parentum colere filios. Itaq; si Pietas in cultu versatur, nihil ad eam de filiis pertinebit. Hæc minimè dictis obstant.

Ad PRIMVM enim respondeo, in officio erga filium vel coniugẽ habere etiam locũ pietatem, quod spectat tanquã debitũ parenti, vt *principio* sui Esse & gubernationis. Nam & filij sunt *aliquid* parentum & auorum, vt potè in quib. sanguis paternus & auorũ conseruatur & propagatur; & opera vniusconiugis in procreatione liberorũ ad parentes alterius cõiugis etiam pertinet: quorũ nimirum sangvis, vt dictum est, in liberis & nepotibus cõseruatur. Quare quicquid cultus siue officij coniugi, tanquam coniugi; & filio, vt filio, impenditur, id ad parentum honorem pertinet, & sub ea ratione à pietate illis quoq; officiũ tunc impenditur. Quæ doctrina etiã est Caiet. hîc in 1. 2. & 3. ar. Neq; obscurè insinuata est quoque à D. Thomæ ar. 1. vt consideranti patebit.

Ad SECVNDVM potest dici primò, officiũ collatum in filiũ, quamuis non sit cultus filij, esse tamẽ cultum parentum, vt sunt quodãmodo in filiis & nepotibus, sicut est dictum: id quod satis esset, vt circa illud pietas versaretur. Dico secundò, parẽtes etiã suo modo colere filios. Cuius argumentum est, quòd aliter, quã seruos, illos tractant, & honorem eis haberi volunt, &c. vt Caietan. rectè notauit.

TERTIO ex dictis sequitur, non modò honorẽ & reuerentiã tribuendam esse parentib. *ex Pietate*, sed etiã *sustentationem*, quãdo ea indigent. Nam vtrumq; pertinet ad cultum debitum parẽtibus, tametsi diuersimodè. Nam vt docet D. Tho. ar. 2. *per se* quidẽ pietas parentib. tribuit honorẽ & reuerentiã, eò quòd per se tribuit eis id, quod debetur ipsis, quatenus parẽtes, atq; adeò superiores sunt. Superioribus aũt per se debetur honor. Sustentationem autem, & alia, quæ pertinent ad debitum parentibus obsequium, exhibet eis Pietas non nisi *per accidens*, quatenus nimirum accidit, parẽtes esse aut infirmos, aut pauperes, &c.

Quam tamẽ D. Tho. doctrinam nõ ita ego intelligo, quasi Pietas nõ exhibeat per actũ *à se elicitum*, sustentationẽ parentib. sed tantùm per actũ misericordiæ à se imperatum. Non enim ita est. Nam cernitur etiã in eiusmodi officio ratio formalis, quã spectat Pietas, videlicet cultus debitus parentib. atq; etiam honor, qui ex eo ad eos redundat, quòd ipsis sustentatio ex pietatis debito suppeditatur, tanquã superioribus, &c. Quare exhibitio sustentationis sub hac ratione omnino est per se actus elicitus Pietatis. Vnde & D. Tho. ar. 2. in solut. primi docet, Christum Dominum, Matt. 15. declarasse, sustentationẽ parentum esse eorum honorationẽ: id quod etiam Aristoteles 9. Ethic. c. 2. explicuit & S. Hieron. in c. 15. Matth.

Sensus igitur doctrinæ S. Thom. est, Pietatẽ eatenus parentib. exhibere honorẽ *per se*, quatenus eis ille exhibendus est hoc ipso, quòd parentes sunt, nullo alio *accidente* spectato; quòd verò tribuere etiam eisdem debeant sustentationem sub ratione honoris & cultus, non nisi *ex accidente* prouenire; videlicet cùm cõtingit, vt parentes egeant. Hoc tamen accidente posito, iam Pietas per suum proprium actũ, & sub ratione formali sui obiecti, exhibet parentibus sustentationem. Et quidem certum est, filium in multis casibus debere parentibus succurrere, in quibus alij non debent; siue ea quidem obligatio filiũ adstringat ex misericordia, peculiariter à pietate imperata vel excitata; siue (vt vetissimè dictum est) ex ipsa ratione pietatis immediatè. Quando verò eiusmodi Casus incidant, ex circumstantiis, iudicio prudentum, definiendum est.

PVNCTVM

PVNCTVM SECVNDVM.

An officium Pietatis erga parentes sit aliquando intermittendũ propter officium Religionis erga Deũ.

D.Thomas art.4.

DIvvs Tho. absolutè respõdet ad hanc quæstionẽ, nunquam accidere, vt oporteat intermittere officium veræ pietatis erga parentes, propter officiũ Religionis erga Deũ. Eius ratio est: quoniam aut pietatis officia impediũt nos, quò minus præstemus Deo officiũ Religionis, aut nõ impediũt. Si impediunt; iã non erũt veræ pietatis officia. Nã virtus nõ est virtuti cõtraria; & à ratione alienum est, officia in parentes Deo ipsi & Religioni anteferri. Si verò non impediunt; iam non oportebit illa propter Religionem omittere.

Sed hæc ipsa doctrina illustrãda est, & res ipsa aliquãto plenius & clarius explicãda, adhibitis necessariis quibusdã distinctionib. Existimo aũt ita ꝓcedendũ. Sex modis possumus officiũ pietatis, cum officio Religionis comparare, cũ quæritur, quodnã illorum sit propter alterũ omittendũ, in casu, quo vtrumque præstari non potest.

PRIMO enim potest esse quæstio, an officiũ pietatis, nõ veræ, sed solũ apparentis, sit omittendũ propter officiũ veræ Religionis. Et tũc aliquãdo erit tantũmodo consilium, exercere officiũ Religionis, prætermisso tali officio pietatis; aliquãdo aũt erit etiam id præceptũ. Erit quidẽ id *cõsilium*, quando officiũ apparentis pietatis, retardat nos ab eiusmodi aliquo officio veræ Religionis, quod nõ sit ex præcepto necessariũ, sed tantũ spectet ad perfectionẽ. Sic consiliũ erit, nõ acquiescere parentib. cũ hi ex affectu carnis, repugnãt filiis, quò minus Religionẽ ingrediãtur. Quò pertinet illud S. HIERON. ad Heliodor. *Per calcatũ perge patrẽ, per calcatã perge matrẽ: ad vexillũ crucis euola: summũ genus pietatis est, in hac re esse crudelẽ.* Erit aũt *præceptũ*, omittere officiũ apparentis pietatis propter veræ Religionis officium, quãdo illud nos reuocat ab eiusmodi aliquo veræ Religionis officio, quod sit etiã debitum ex præcepto diuino. Et sic intelligitur illud Christi Luc.14. *Si quis venit ad me, & nõ odit patrem suum, et matrem, &c. propter me, non potest meus esse discipulus*, vt Gregorius exponit hom.37. in Euang. & S. Thomas in solutione primi.

SECVNDO potest quæstio esse, vtrũ officium veræ pietatis, non debitũ ex præcepto, omittendũ sit propter officiũ veræ Religionis similiter nõ debitũ ex præcepto, sed ad perfectionẽ pertinens. Et dicendũ tunc est, *consilium* quidẽ esse prætermittere eiusmodi officiũ pietatis, propter officium Religionis, vt quę perfectior virtus est; nõ esse tamen præceptũ. Cuilibet enim integrum est, sicut omnino abstinere ab opere perfectiori nõ debito: ita etiam eo prętermisso, exercere actũ inferioris virtutis: neq; hoc erit, vnam virtutem alteri repugnare, aut peruersè superiorẽ virtutẽ minoris facere; sed tantùm non facere, quod melius est. Id quod non est peccatum.

TERTIO potest quæstio esse, vtrum officiũ veræ pietatis, debitum parentib. naturali prȩcepto, omittendũ sit propter officium Religionis nõ debitũ, sed ad perfectionẽ & supererogationẽ pertinẽs. Et tunc extra cõtrouersiã est, eiusmodi officiũ pietatis nõ esse prętermittẽdũ propter tale officiũ Religionis: sed cõtrà potius, tale officium Religionis necessariò esse prætermittendũ propter id officiũ pietatis. Atq; ita S. Tho. hîc ad 4. & cõmuniter Doctores oẽs dicunt, filiũ, cuius parens est in necessitate cõstitutus, non posse licitè parente neglecto, religionem ingredi, & multo minus profiteri, si potest scilicet ei succurrere, manendo in seculo, & aliquis alius eis subuenturus non putetur.

QVARTO potest quæstio esse, an officiũ verę pietatis, debitum ex præcepto naturali & diuino, sit prætermittendũ propter officiũ Religionis, etiã debitũ ex prȩcepto naturali & diuino. Et respõdẽdũ est, omnino prætermitti debere, casu, quo vtrũq; officiũ præstari nõ potest. Vt, v.g. si tẽpore, quo quis tenetur fidẽ aut religionem tueri, nõ possit simul parenti in necessitate cõstituto assistere & subuenire. Ratio est; quia præceptũ naturale religionis est lõgè maius. Ac tũc vel maximè verũ est, quod S. AMBROS. in ca.12. Luc. ait: *Necessitudini generis, diuinæ religionis pietas antefertur.*

QVINTO potest esse quęstio, an omittendũ sit officiũ veræ pietatis, debitũ ex præcepto naturali, propter officiũ Religionis, debitum etiã ex præcepto quidẽ, non tamen naturali, sed Ecclesiastico. Vt si eo tẽpore, quo quis ex præcepto Ecclesię deberet sacrũ audire, parens infirmus aut pauper indiget eius præsentia; quæri tũc potest, quodnã officiũ sit potius exequendũ, religionisne, an pietatis. Et extra controuersiã est, tunc exercẽdum potius esse officium pietatis debitũ naturali prȩcepto, cùm præceptum iuris naturalis præponderet quibuscunque præceptis humanis, atque adeò etiam Ecclesiasticis.

SEXTO potest esse quæstio, an officiũ veræ pietatis, debitum itẽ ex naturali præcepto, prętermittẽdum sit propter officiũ veræ religionis, debitũ nõ primariò & *directè* ex prȩcepto naturali, sed ex *priuata lege Voti*; & *consequenter* etiam ex præcepto naturali, quo oportet seruare vota. Vt si, v. g. parens alicuius Religiosi incidit in grauẽ aut extremã necessitatem, in qua alioquin filius iure naturali tenetur parenti subuenire; quæstio esse potest, vtrũ filius Religiosus debeat prętermissa obseruantia religiosa, ad quã ex votis tenetur, ad seculum redire, vt parẽti succurrat; vel cõtrà, propter officium Religionis prætermittendum sit id officium pietatis.

Atque hæc quidem QVÆSTIO continet potissimam huius loci difficultatem. In qua quidem sex sunt certa, & vnum controuersum.

PRIMO

PRIMO certum est, Religiosum, cuius parens graui vel extrema necessitate premitur, diligens studium adhibere debere, vt quoad eius fieri potest, salua religiosæ vitę obseruantia, parenti succurrat; vt si fieri possit, vtrique obligationi satisfaciat, voti scilicet, & iuris naturalis.

SECVNDO certum est, si necessitas parentis sit extrema, debere filium Religiosum, prætermissa disciplina religiosa, ei subuenire, si ita potest. Et id quidem etiam repugnantibus Superioribus. Ratio est, quoniam vt hoc loco rectè ait Caietanus, id deberet facere Religiosus, si ea ratione posset cuiuis alteri proximo in tali necessitate constituto succurrere. Ergo multo magis id debet parenti.

TERTIO extra controuersiam etiam est, in graui quoque necessitate parentis, posse filium licitè redire ad seculum, vt illi succurrat, obtenta legitima licentia Superioris. An verò expediat, talem licentiam petere, vel concedere; ex circumstantiis personæ & periculi spiritualis, quod Religiosus incurret, redeundo ad seculum, iudicandum est: vt rectè monet Abulensis q.69. in 8. cap. Matth.

QVARTO omnes etiam facilè dabunt id, quod rectè notat Nauarrus in Mânuali, cap.13.n.14. filium nunquã debere redire ad seculum propter parentes, quando spes & opinio probabilis non est, quòd possit eis succurrere; aut etiam cùm probabile est, futurum, vt aliunde ipsis prouideatur, vt patet ex iis, quę suprà diximus in q.de Eleemosyna p.4.

QVINTO æquè certum est, non posse filium, nec debere hoc nomine plus temporis in seculo morari causâ parentis, quàm oporteat ad succurrendum illi.

SEXTO illud etiam certum est, absque legitima licentia siue dispensatione Superioris, non posse Religiosum licitè redire ad seculum, vt subueniat parenti, nisi cùm est *clarum & euidens*, prȩcepto naturali ipsum astringi, vt redeat. Nam vbi præceptum naturale liquidò non obstat; nisi legitima licentia siue dispensatio intercedat, votis obligatur Religiosus ad obseruantiam religiosam.

Hæc omnia cùm certa sint, controuersia omnis est, an in casu *grauis* necessitatis parentis, debeat ex naturali præcepto, filius Religiosus redire ad seculum, quando potest ea ratione parenti succurrere, ita, vt neque ad id indigeat dispensatione, neq; possit illum Prælatus impedire. Qua de re duæ sunt sententiæ. PRIMA est S. Thomæ art.4. in solutione quarti, & Abulensis vbi suprà, & Caietani hîc, & Nauarri etiam loco citato, qui sentiunt, non debere. Ratio S. Thomæ hîc est, quoniam professus in religione, est *mortuus mundo*. Quare non debet occasione parentum, ad seculum redire.

Sed hæc ratio non placet Abulensi, vbi suprà. Et quicquid sit de modo, quo eam is impugnat, videri posset petitio principij. Nam quod ad rem attinet, idem est, esse professum vel Religiosum, & esse mortuum mundo. Quare huius etiam reddenda esset ratio, cur scilicet Religiosus *ciuiliter mortuus* non teneatur ex naturali præcepto succurrere parenti in seculo, eo modo, quo si Religiosus non fuisset, naturali prȩcepto id facere teneretur.

Probat igitur Abulensis aliter eam sentẽtiam. Quoniam præceptum succurrendi parentibus, est *affirmatiuum*; cui proinde fit satis, eo modo, quo quis *potest*, considerata suæ personæ & status conditione, & aliis circumstantiis. Quare videtur satis illud adimplere Religiosus, si quantum commodè potest, secundùm suum statum, conetur parenti prouidere: neque tenetur ea prorsus ratione hoc procurare, qua deberet, si Religiosus non esset. Sicut filius cõiugatus, satis etiam id præceptum adimplet, si quantum patitur conditio sui status, paręti egenti prouidere studeat: neque debet in hunc finem ea omnia facere, quę si solutus ac liber esset, deberet. Hanc etiam rationem ponit hîc Caietanus, & ex illa respondet ad fundamenta contrariæ sententiæ, quæ potissimè nititur obligatione quarti præcepti naturalis.

SECVNDA sententia est aliorum, qui absolutè sentiunt, in casu, quo filius Religiosus teneretur subuenire parenti ex præcepto naturali, non liberari ab ea obligatione vllo modo propterea, quòd sit Religiosus; ac proinde vt succurrat parenti, illud totum, relicto claustro, facere debere, quod alioquin teneretur, si Religiosus non esset. Sic Maior in 4.d.38.q.16. & alij, quos Caietanus in præsenti & Abulensis vbi suprà citant sine nomine. Probant autem suam sententiam *primò* ex eo, quòd prȩceptum naturale succurrendi parentibus, prius est & antiquius, quàm obligatio Voti. Quare Votum non videtur posse liberare ab obligatione eius prȩcepti; neque *absolutè*, neq; quoad *circumstantiam & modum*, quo alioqui filius, si non esset Religiosus, teneretur sine controuersia succurrere parentibus. *Secundò* id confirmant auctoritate Christi Domini, qui ex professo de simili argumento differens, Matt.15. ostendit contra Pharisæos, id, quod naturali prȩcepto est debitum parentibus, nequaquam illis subtrahendum esse prętextu Religionis siue oblationis factæ Deo. Id enim munus minimè placitum esse Deo.

SED videntur mihi hæ duæ opiniones in aliquam concordiam ita redigi posse, vt vera sententia ex vtraque quasi temperetur. Itaque dico PRIMO, *regulariter loquendo*, necessariam esse facultatem & auctoritatem Superioris, vt Religiosus licitè ad seculum redeat, causâ subueniendi parentibus; & eatenus puto esse veram primam sententiam. Ratio est. Nam etiamsi interdum possit esse euidens necessitas parentum; tamen sæpissimè meritò dubitabitur, vtrum Religiosus

Universidad de Deusto
Biblioteca

exponat seſe graui periculo ſpiritualis ſalutis, ſi ad ſeculum redeat. Ob quod dubium, conſulendus eſt Superior, qui diuinam voluntatem interpretetur, vtrum ſcilicet expediat redire ad ſeculum, nec ne: & vtrum præceptum naturale obliget cum tanta proprię ſalutis difficultate, de qua dubium eſt; vel potius votum adhuc liget, quoad obſeruantiam religioſam.

Confirmatur hæc ratio. Nam ſi periculũ graue ſpiritualis ſalutis Religioſi eſſet *euidens*; clarum eſſet, præceptum affirmatiuum naturale non obligare tunc cum tanta difficultate, atq; ita Religioſum debere tunc manere in ſua Religione. Ergo vbi dubium eſt de eiuſmodi periculo, requirendum & exſpectandũ eſt iudicium Superioris, quo diuinam voluntatem interpretetur: Sicut in aliis caſibus propter ſimile dubium requiritur diſpenſatio Voti, vt diximus diſp. præced. q. 6. p. 7.

Accedit, quòd ſæpè eiuſmodi cauſa neceſſitatis parentum, vel omnino, vel magna ex parte fingitur, propter teporem religioſi in obſeruãdo ſuo inſtituto. Item poſſet quis in Religione viuens, adeo eſſe Chriſtianæ Reip. vtilis, vt meritò dubitari poſsit, num iure diuino, potius teneatur, neglecto paréte, manere in Religione, vt ea ratione Dei & Eccleſiæ cauſam agat. Vel certè num tam ſtrictè ipſum obliget præceptum pietatis erga parentes, vt eorum grauis neceſsitatis cauſa teneatur, neglecta etiam tanta opportunitate adiuuãdi Eccleſiam, ad ſeculum redire. Itaque cùm ob has & alias cauſas res hæc ſæpè ſit dubia; facultas & iudicium Superioris ferè requiritur, vt parentum causâ quis redeat ad ſeculum.

Dico SECVNDO, quando nulla ex parte res eſſet dubia, ſed *omnino conſtaret*, Religioſum poſſe ſubuenire parenti in ſeculo: & neceſsitas item parentis eſſet euidens, & præterea iudicio prudentum, nullum peculiare periculum ſalutis ſpiritualis Religioſo timendum videretur: & rurſus manendo in Religione, non poſſet is ſuccurrere parenti, nec opinio eſſet, futurum, vt aliunde illi ſuccurreretur: his, inquã, conditionibus exiſtentibus & *euidentibus*, ſecunda illa ſententia Maioris & aliorũ, videtur mihi omnino probabilis & vera, ſcilicet debere tunc Religioſum ex præcepto naturali ſuccurrere parenti in ſeculo, nihil obſtante quoad hoc, obligatione Voti, & ſtatu religioſo: & conſequẽter in tali caſu voluntas Superioris obſiſtens non eſſet curanda: ſiquidé is non poteſt ab obligatione præcepti naturalis liberare. Itaq; vt latè deducit Maior vbi ſuprà, in tali caſu obediendũ Deo magis eſſet, quàm hominib.

Ratio, quę me mouet, eſt huiuſmodi. Nam *ſtatus Religioſus* non poteſt ab obligatione præcepti naturalis, vel *abſolutè*, vel quoad *modum* adimplendi illud, liberare, niſi obligatio & vinculum *Voti* poſsit liberare ab eiuſmodi obligatione. Sed vinculum *Voti* nullo modo liberat ab obligatione præcepti naturalis, neq; *abſolutè*, neq; quoad *modum* adimplendi illud. Ergo neq; ſtatus Religioſus. Maior eſt clara. Nam tota vis ſtatus Religioſi oritur ex vinculo *Votorum*, quibus ille firmatur. Minor probatur. Quoniam in caſu, de quo loquimur, obſeruantia vitæ religioſæ, cùm euidenter ſit impeditiua operis ex præcepto neceſſarij, nempe pietatis erga parentem; non eſt *melius bonum*, imò ne bonum quidem: & conſequenter neque apta materia Voti; atque ita cùm votum in eo euidenti caſu cedat iuri naturali, & amittat ſuam vim; non poteſt ab obligatione præcepti vllo modo liberare.

Et poteſt hæc ipſa ratio confirmari. Nam conditio ſiue circumſtãtia, quæ reddit aliquod opus inhabile ad materiam Voti, priuſquam Votum ipſum emittatur, etiam reddit eiuſmodi opus inhabile, ſi ei *euidenter* ſuperueniat, poſtquam eſt emiſſum Votum; atq; ita extinguit Votum, prout reſpicit materiam ſub illa cõditione inhabilitatam. Sed *euidens* circumſtãtia grauis neceſsitatis parentum, concurrentibus etiam euidenter aliis conditionibus ſuprà dictis, reddit obſeruantiam religioſam inhabilem, vt ſit materia Voti, quod quis tunc de nouo emittat. Ergo etiam poſtea ſuperueniens reddit eandẽ obſeruantiam inhabilem, vt circa eam vigeat votum prius emiſſum; & conſequenter Votum eiuſmodi non liberat vllo modo ab obligatione præcepti naturalis: quandoquidem circa obſeruantiam, vt impedit ſubuentionem parentũ, non habet vllam vim. Maiorem oſtẽdimus ſuprà ex communi doctrina diſp. præced. q. 6. Minorem omnes concedunt, etiam illi, qui tuentur primam ſententiam. Fatendum eſt tamen, caſum huius noſtri ſecundi pronunciati, rariſsimè & vix vnquam poſſe contingere. Itaque *regulariter* (vt in primo pronunciato diximus) prima potius opinio D. Thomæ, & Abulenſis, & Caietani eſt vera.

In caſu autẽ ſecundi pronunciati noſtri (quando ille contingeret) vera eſt, vt dixi, ſecunda opinio. Neq; eam euertit argumentum Abulenſis & Caietani. Nam ſine ratione ſumunt, ſtatum religioſum per ſe ipſum eſſe circumſtantiam, quæ liberet ab obligatione ſuccurrendi parẽtibus, *tali modo, in ſeculo, etc.* ſupponũt enim, Votum de obſeruantia religioſa, quatenus impedit illum modum ſuccurrendi, adhuc habere vim, quod falſum eſt. Nam eatenus iam non eſt de *meliori bono*, ſed de impeditiuo boni magis neceſſarij.

Exemplum autem, quod afferunt de filio, habente vxorem, nõ eſt ſimile. Nam is tenetur ſtrictiſsimo præcepto etiam naturali, tueri ſtatum matrimonij, cui proinde præcepto non eſt mirũ, ſi præceptum ſubueniendi parentibus, quoad *modum*, cedat: Votum autem, cùm nõ ita ſtrictè obliget, atq; præceptum naturale; facilè cedit obligationi præcepti naturalis, maximè cùm Deus, qui noſtris oblationibus nõ indiget, facilè etiam cedat, quando ſine iniuriã & detrimento proximi (præſertim adeo coniunctí, vt eſt parens) non poteſt adimpleri, quod eſt ei promiſſum.

Omnino

Omnino autem obſeruandum hoc loco eſt, quòd ſuprà monuimus, nec debere, nec poſſe Religioſum prætermittere obſeruantiam regularem, niſi *quatenus* id neceſſe ſit ad ſuccurrẽdum parentib. Quare dum ob id eſſet in ſeculo; omnino teneretur ſeruare omnia, quæ poteſt: & poſtquam parenti ſubueniſſet, ſtatim quãtum in ipſo eſt, ad religionem redire. Votum enim, vt dixi, tantùm extinguitur quoad obſeruantiam religioſam, vt impedit, quo minus parenti ſuccurratur: retinet autem ſuam vim eiuſmodi Votum, quatenus ea obſeruantia id non impedit.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Obſeruantia & Dulia, quæ obſeruantiæ annectitur.

D. Thomas 2. 2. q. 102. & 103.

DVO SVNT BREVITER EXPLICANDA. PRIMO, QVAENAM ET qualis Virtus ſit Obſeruantia. SECVNDO, *Quænam & qualis Virtus ſit Dulia. Quæ duo ferè ſunt perſpicua ex iis, quæ alibi tradidimus, præſertim diſput. præced. in quæſtione de Adoratione.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam & qualis Virtus ſit Obſeruantia.

D. Thomas quæſt. 102.

SANCTVS Auguſtinus lib. 83. qq. q. 31. hanc ponit deſcriptionem obſeruãtiæ, ſumptam ex Cicerone lib. 2. de Inuentione: *Obſeruantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecellentes cultu quodam & honore dignamur.* Sed naturam huius Virtutis explicat plenius D. Thomas hîc, exponendo vim huius ipſius deſcriptionis.

Itaque ex illius ſententia ſtatuendum eſt PRIMO, Obſeruantiam eſſe virtutem *ſpecialem*, diſtinctam à pietate & aliis, qua nimirum tribuimus cultũ perſonis in dignitate conſtitutis, per quam vel *actu* gubernant nos, vel ſunt *apti* ad gubernãdum, ſicut explicat D. Thomas art. 1. ad 2. Hæc enim ratio debiti ſpecialis eſt, ac proinde ſpecialem virtutem conſtituit Iuſtitiæ annexam, iuxta ea, quæ tradidimus q. præced. p. 1.

Sed OBICIET quis primò, quòd pietas etiam reſpicit dignitatem, qua gubernamur vt patet ex D. Thoma ar. 1. q. præced. Ergo Obſeruantia non differt per hoc à Pietate illa. *Secundò*, quòd hîc ar. 1. & q. ſeq. art. 4. apertè inſinuat D. Thomas, Obſeruãtiam continere varias ſpecies Virtutum *ſub ſe*, tanquam partes ſubiectiuas: ſcilicet aliam, qua milites colant Ducem; aliam, qua diſcipuli Præceptorem, & ſic de aliis perſonis, in peculiaribus dignitatibus conſtitutis. Ergo Obſeruantia non eſt virtus *ſpecialis*.

Ad *primum* RESPONDEO, in eo eſſe differentiam, quòd Pietas reſpicit excellentiam principij, tum *eſſe*, tum *etiam gubernationis*: cuiuſmodi eſt parens, patria, &c. Obſeruantia autem excellentiam principij *tantum gubernationis*. Ita Caietanus hîc.

Ad *ſecundum* RESPONDEO, Obſeruantiam eſſe Virtutem ſpecialem *ſubalternè*, vt Caietanus ait q. ſeq. art. 4. quæ ſcilicet contineat plures obſeruantias ſpecie diuerſas; ſiue illæ quidem nomẽ habeant, ſiue innominatæ ſint: quæ diſtinguuntur penes diuerſas dignitates, vt D. Thomas hîc inſinuat. Notandum autem, reuerentiam, quæ excellentiæ Virtutis debetur, per eandem obſeruantiam exhiberi, qua tribuitur honor perſonæ conſtitutæ in *dignitate*, ad quam ea virtus diſponit, vt rectè notat Caietanus vbi ſuprà ex D. Thoma hîc art. 1. ad 2.

SECVNDO ſtatuendum eſt cum eodem D. Thoma hîc artic. 3. Obſeruantiam non eſſe Virtutem præſtantiorem Pietate: ſed contra potius, *pietatem præſtantiorem eſſe Virtutem*, quàm Obſeruantiam. Ratio eſt: quia parentes, quos pietate colimus, ſunt principium, nobis arctius cõiunctum, quàm perſonæ in dignitate conſtitutæ, qua nos gubernant.

Nec rectè obiiciet aliquis contra hanc rationem, ex illa tantùm concludi, quòd *arctior* ſit obligatio pietatis; nõ verò quòd Pietas ſit *perfectior*: cùm non illico, ſi aliquid eſt magis debitum, ſit etiam perfectius, vt apertè conſtat in operibus ſupererogationis, quæ cùm præcepta non ſint, præſtant operibus præceptis.

Hæc obiectio facilè refelli poteſt. Nam ex illa maiori coniunctione parentum nobiſcum, non modò maior obligatio pietatis oſtenditur, ſed etiam perfectior *ratio principij* in parẽtibus. Quapropter cùm pietas & obſeruantia reſpiciant excellentiam non *abſolutè*, ſed in ordine ad nos, id eſt, vt habet aliquo modo *rationem principij*, vt docet D. Thomas hîc ar. 3. ad 3. fatendum eſt, pietatem eſſe Virtutem perfectiorem, vtpote quæ reſpicit perfectiorem excellentiam ſecundùm rationem principij.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam & qualis Virtus sit Dulia.

D.Thomas q.103.

DVLIÆ nomen, vt docet hîc D. Thomas ar.4. dupliciter sumi solet. VNO modo latissimè, prout significat omnem virtutem, quæ tribuit honorem alteri quacunque ratione. Sic Dulia non est virtus specialis; sed generalis, continens sub se Religionem, atque adeo Latriam, Pietatem & Obseruantiam, atq; omnes eius species inferiores, quas p. præced. diximus *innominatas*. ALTERO modo propriè, vt Dulia dicitur Virtus quædam, tribuens honorem Superiori propter dignitatem *humani dominij*. Et sic est specialis Virtus, distincta à reliquis annexis Iustitię, atq; adeo à Religione seu Latria.

Quod probatur *primò* ratione D. Thomę ar.2. sic: Virtutes, attendêtes particularem rationem *debiti* in dando honore, sunt specie distinctæ. Hæ sunt huiusmodi. Ergo. Minor probatur. Nam Dulia tribuit debitum honorem, ratione *dominij humani*. Itaq; ad *seruos* spectat, respectu dominorum humanorum. At Latria dat honorem debitum Deo, ratione vniuersalissimi *dominij diuini*.

Secundò eadem differentia inter Duliam & Latriam, potest confirmari ex diuerso modo, quo quis munus vtriusque exequi potest. Nam cùm honor (vt docet D. Thomas hîc art.1.) sit testificatio quædam excellêtiæ aut dignitatis alicuius; potest quis Deo illum per Latriam tribuere *mente sola*, & conceptu de dignitate ipsius: homini autem (in hac vita existenti) per Duliam non nisi *verbis* aut *factis*, aliquo modo indicantibus excellentiam illius, vt docet D. Thomas ar.2. Et quanquam honor isto modo per Duliam communiter tribui soleat iis, qui sint Superiores *actu* vel *potentia*: non tamen oportet, vt ille, cui honor exhibetur, Superior sit *exhibente*; sed satis est, si respectu alterius, sit vel possit esse Superior, vt idem D. Thomas rectè ait. Disputat autem Caietanus hîc art.3. de adoratione imaginum, vtrum illa sit Latriæ: sed de hoc in materia de Incarnatione differendum est; & suprà etiam disput. præced. in q. de Idololatria, aliquid diximus.

Porro ex dictis patere potest, quid nomine HYPERDVLIÆ soleant intelligere Doctores. Intelligunt enim eo nomine quandã speciem Obseruantiæ, qua personæ nimirum insigniter excellenti, propter coniunctionem cum Deo contractam ex vnione Verbi diuini cum humanitate Christi, peculiarem honorem tribuimus. Sic explicat Caietanus hîc art.4. circa solutionem secundi. Vbi idcirco dicit, solam beatam Virginem esse sic honorandam, & nullam aliam personam.

Est etiam alia species Obseruantiæ, qua personis aliis, sanctitate claris, honorem tribuimus, quæ communi etiam nomine Dulia vocatur. Atque ex hac varia acceptione nominis Dulia, satis patet hallucinatio hæreticorum, reprehendentium Catholicos, quòd Sanctos honorent Dulia; quasi propterea quòd Latria possit etiã communi vocabulo nominari Dulia, sequatur Catholicos reipsa tribuere Sanctis cultum ipsum Latrię. Hoc autem non sequi, & hæreticos plurimum aberrare, ostendimus disput. præced. in q. de Idololatria. Ac videnda sunt etiam ea, quæ ibi q.3. de Adoratione, tradidimus de differentia Latriæ & Duliæ ex sententia S. Augustini.

QVÆSTIO TERTIA.

De Obedientia & Inobedientia.

D. Thomas 2.2. q.104 & 105..

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, QVAENAM ET QVALIS Virtus sit Obedientia. SECVNDO, Quibus sit obediendum. TERTIO, Quale & quantum peccatum sit Inobedientia.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam & qualis Virtus sit Obedientia.

D. Thomas q.104.art.2.&3.

OBEDIENTIÆ Vocabulum dupliciter vsurpari solet à Theologis. Nam alia dicitur obedientia formalis: alia verò dicitur obedientia materialis. MATERIALIS obedientia est nihil aliud, quàm virtutes omnes, vt actus præceptos exequuntur. Quæ quidem materialis obedientia dicuntur, quatenus eliciunt actus, in quibus cerni potest formalis ratio Obedientiæ, si videlicet fierent, quia præcepti sunt. FORMALIS autem obedientia ab omnibus aliis Virtutibus distinguitur. Est enim *habitus, quo exequimur actus præceptos, quia præcepti sunt*. Vnde nisi quis sub hac ratione exequatur actum; non exercet formalem actum Obedien-

Obedientiæ, vt est virtus specialis. Ita apertè docet D. Thomas hîc in solutione primi, & art. seq. in solutione secundi.

Porro esse *specialem*, & à reliquis distinctam hanc virtutem Obedientiæ, manifesta ratione probatur. Nam cùm, auctore Philosopho lib.2. Ethic. cap.6. *virtus sit, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum*; illa est specialis virtus, quæ attendit specialem rationem, propter quam actus specialem habet rectitudinem & laudem. Obedientia est talis. Ergo est specialis virtus. Probatur Minor. Quia respicit rationem præcepti. Exercet enim actum, *quia præceptus est*. Hæc verò ratio specialis omnino reddit actum bonum, & maximè laudabilem.

Vnde & apud sanctos Patres amplissimæ laudes extant huius virtutis peculiares; & nominatim apud GREGORIVM NAZIANZENVM oratione ad ciues timore perculsos, & Principem irascentem, vbi legem Obedientiæ *cumprimis laudandam esse* affirmat: & apud HIERONYMVM epist.8. ad Demetriadem ca.10. & AVGVSTINVM lib.14. de ciuitate Dei, cap.12. vbi ait, *obedientiam in præcepto commendari, & matrem quodammodo esse & custodem omnium virtutum*. Et apud GREGORIVM Magnum lib.35. Moral. cap.12. vbi ait, *obedientiam meritò victimis præponi: quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur*. Et in lib.4. in lib.1. Reg. ca.5. vbi ait, *ceteris virtutibus dæmones impugnamus: per obedientiam vincimus*. Et apud alios passim.

Atq; ex hac Obedientiæ ratione apparet, materiam Obedientiæ latissimè patere. Vt enim omnium virtutum actus possunt esse præcepti, & exerceri, quia præcepti sunt: ita materia Obedientiæ omnium virtutum actibus continetur. Quod acutè perspexit S. Augustinus loco citato, cùm dixit, Obedientiam *in præcepto commendari*, & ideo esse eam quodammodò matrem custodemque omnium virtutum.

Sed dubium est hîc PRIMO, quomodo in proposito accipiatur *præceptum*, cùm dicitur esse obiectum formale Obedientię, vt hęc est virtus specialis: vtrum videlicet accipiatur *latissimè*, prout consilium etiam posset dici præceptum; an verò *maximè propriè*, prout præceptum est idem, quod lex obligans ad mortale; an verò *propriè*, prout est lex obligãs ad mortale, vel veniale peccatum. Ratio dubitandi est. Nam *ex vna parte* videtur latissimè accipi, vt includit etiam consilium: aliâs Religiosi, obseruantes constitutiones, quæ non obligant ad culpam, non verè obedirent.

Ex *alia* verò parte videtur accipi *maximè propriè*, pro peccato obligante sub mortali. Nam veniale peccatum non est contra præceptum propriè, vt patet ex S. Thoma q.seq. art.1. ad 1. Itaque præceptum in proposito, solùm videtur esse id, quod obligat ad mortale.

RESPONDEO cum Caietano art.2. accipi hîc præceptum *propriè*, vt obligat ad culpam, siue mortalem, siue venialem. Ac eadem sententia est Nauarri in Manuali cap.23.n.35. & aliorum communis. Ad *primam* verò rationem dubitandi respondeo, obseruantiam eiusmodi constitutionum, quæ non obligant sub peccato, esse *plus, quàm obedientiam*, vt latius declarabimus infrà in disput. de Statibus, q.4. vbi tanquam in proprio loco declaranda sunt ea, quæ pertinent ad obedientiam Religiosorum, & eius Votum. Nunc satis sit intelligere, eiusmodi obedientiam perfectam, quasi *antonomaticè* dici obedientiam.

Ad *secundam* respondeo, esse quæstionem solùm de nomine, vtrum peccatum veniale, quia non tollit charitatem, quæ est finis præcepti, dicendum sit non esse *contra* præceptum, sed *præter*; an verò quia nihilominus reuera est priuatio boni debiti ex lege, dicendum sit *contra* legem & præceptum, vt potius dicendum videtur, iuxta ea, quæ de hoc tradidimus tomo 2. q.18. de peccatis p.1. Ad propositum autẽ nostrum satis est, quòd peccatum veniale (siue quia sit contra, siue quia sit præter præceptum) reuera aduersatur præcepto. Id enim sufficit, vt obiectum obedientiæ intelligatur esse quodcunq; præceptum obligans ad mortale vel veniale. Vtrum autem Inobedientia contra præceptum obligans ad veniale, sit *mortalis* Inobedientia, vel *venialis*, de quo Caietanus hîc; dicemus p.3.

SECVNDO dubium est in proposito, Vtrum possit contingere, aliquem actum exerceri, qui solùm habeat laudem obedientiæ formaliter, & ad nullam aliam virtutem pertineat. Ratio dubitandi oritur *primò* ex doctrina S. Thomæ hîc artic.2. ad 1. Ait enim, in his, quæ sunt mala, solùm quia prohibita, non contingere, vt aliquis exerceat actum, nisi obedientiæ, quando adimplet scilicet præceptum, vitando id, quod prohibetur.

Secundò. Nam posset aliquis Superior præcipere actum, spectando duntaxat rationem formalem obedientiæ, ita vt eam rectitudinem tantùm efficeret necessariam per præceptum. Quo casu executio eius actus tantùm videretur pertinere ad obedientiam: maximè si alioqui actus præceptus esset indifferens.

In contrarium verò est, quòd obiectum obedientię est actus præceptus. Sed omnis actus præceptus, est actus alicuius virtutis. Ergo omnis actus, qui potest esse obiectum obedientiæ, debet esse actus alicuius virtutis. Minor probatur. Nam præceptum debet esse de actu bono, ad aliquam virtutem pertinente, siue secundùm primarium obiectum suum, siue secundùm aliquam sui circumstantiam. Præceptum enim de actu inutili aut malo, non est verè præceptum, cùm non verè obliget.

RESPONDEO *primò*, non esse dubium, quin posset quis per intentionem suam in aliquo actu solam rationem obedientię formaliter spectare, abstrahendo à rectitudine alterius virtutis. Quo

casu is actus formaliter quidem solùm esset actus Obedientiæ; siquidem non nisi secundùm formalem rationem Obedientiæ esset voluntarius.

Dico *secundò*, actum, in quo spectatur ratio Obedientiæ; materialiter saltem pertinere semper ad aliam virtutem. Patet ex ratione in contrarium.

Ad *primam* autem rationem dubitandi, Caietanus hîc ita interpretatur verba illa S. Thomæ, vt sensus sit, circa ea, quæ per solũ ius positiuum sunt prohibita, & præcepta, non cerni quidem *secundum se* alterius virtutis laudem: cerni tamen eo ipso, quòd præcipiuntur. Vt verbi gratia, ieiunium in Quadragesima, hoc ipso, quòd præcipitur, pertinet iam ad Temperantiam, quamuis alioqui secundùm se non pertineret.

Hæc expositio primùm non est consentanea menti S. Thomæ. Nam tunc in executione actus iam cerneretur laus, non solùm obedientiæ, sed etiam alterius virtutis: & tamen S. Thomas vult, fieri posse, vt in executione alicuius actus solùm cernatur laus Obedientiæ. Deinde illa expositio falsum cotinet. Præceptum enim positiuum non *affert* actui rationem virtutis; sed *supponens* rectitudinem virtutis in actu, efficit illam debitam & necessariam, cùm alioqui ex natura rei non esset debita, sed pertineret tantùm ad perfectionem virtutis. Vnde ieiunium in Quadragesima, etiamsi non esset præceptum, esset actus Virtutis Temperantiæ, pertinens ad supererogationem.

Aliter igitur respondeo, verba illa D. Thomæ, cùm ait: *Quædam quandoque sub præcepto cadunt, quæ ad nullam aliam virtutem (nisi Obedientiæ) pertinẽt, vt patet in his, quæ nõ sunt mala, nisi quia prohibita*; intelligenda esse de *nulla alia virtute* quoad eius *obligationem*; non autem de nulla alia virtute quoad eius *rationem*. Itaque sensus est, actum virtutis, quo impletur præceptum circa materiam malam, non ex se, sed iure humano prohibitam, in solius Obedientiæ *obligationem* cadere; non autem quod talis actus, ad solius etiam obedientiæ rationem spectet. Hoc enim est contra alios Doctores communiter, vt patet ex his, quæ contra Durandum de hac eadem re disseruimus disp. præced. q. vlt. p. 5. cùm de diuisione Simoniæ ageremus.

Ad *secundam* rationem concedo, posse dari humanum præceptum de actu aliquo, spectando solùm rationem obedientiæ: cæterùm vt id præceptum propriè sit præceptum obedientiæ, necesse est, vt supponat quasi *obiectiuè* alterum præceptum de eo actu virtutis, in quo velit Superior spectari rationem obedientiæ. Et sic in executione eius actus cernetur iam non solùm laus obedientiæ, sed etiam rectitudo illius alterius virtutis, ad quam eiusmodi actus materialiter pertineat, siue ex obiecto suo, siue ex aliqua sui circumstantia.

Et hactenus quidem, quænam sit ratio Obedientiæ, vt est quædam virtus specialis, satis videtur explicatum. Quòd verò attinet ad illius PRÆSTANTIAM, breuiter statuendum est ex sententia D. Thomæ articulo tertio, Obedientiam quidem non antecellere virtutibus Theologicis, sed tamen præstantiorem esse virtutibus omnibus moralibus, si in his consideremus, quòd animum à rebus terrenis *abstrahunt*, atque ita efficiunt, vt magis ille Deo inhæreat. Probat id D. Thomas. Nam con.primit & abnegat Obedientia propriam *voluntatem*, qua complectimur *omnia*, atque ita abstrahit ab omnibus. Iuxta illud Gregorij suprà citatum. *Melior est obedientia, quàm victima. Per victimam enim aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.*

Aduertendum est autem, hac ratione D. Thomam solùm probare, præstantissimam esse obedientiam, *secundùm quid*, id est, si tantùm consideretur illa ratio abstractionis animi à rebus. Si verò ex *obiecto* metiamur perfectionem virtutum moralium; procul dubio Religio erga Deum præstantior est, vt rectè ait hîc Caietanus articulo tertio. Sed est moris D. Thomæ, cùm de comparatione virtutum agit, rationes *secundum quid* considerare, vt eò facilius possit omnes efferre.

Nec obstat, quòd Gregorius videtur Obedientiam præferre Religioni, cùm eam præferat *victimis* & sacrificiis, quæ sunt actus Religionis. Non enim comparat obedientiam *nudam* cum actu Religionis, siue cum *victima* alienæ carnis; sed obedientiam imperatam *à Religione* cum solo actu Religionis; quo pacto considerata Obedientia plus laudis habet, cùm habeat laudem & Religionis & suam propriam. Comparat enim non obedientiam nudam cum victima, sed victimam *propriæ voluntatis*, cum victima *alienæ carnis*. Ita etiam Caietanus videtur exponere.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quibus sit obediendum: & quatenus.

D. Thomas art. 1. 4. 5. 6.

QVOD Deo quidem sit obediendum in omnibus, nemo vnquam dubitauit. Nam vt ratiocinatur rectè diuus Thomas art. 4. sicut Deus est prima regula omnium actionum naturalium: ita etiam liberarum. Sed agẽtia naturalia in omnibus subduntur Deo. Ergo etiam homines, qui sunt agẽtia libera, debent in omnibus Deo subiici, quę ille fieri pręcipiat: maximè cùm impossibile sit, alie fieri pręcipiat: maximè cùm impossibile sit, aliquid fieri à Deo iniquum. Eo enim ipso, quòd aliquid cadit sub diuinã voluntatem, est rectum & bonum: quia illa est rectitudinis prima regula. Itaque ne tunc quidem, cùm præcepit Abrahæ immolare Isaac; & Oseæ accipere mulierem fornicariam; & filiis Israël exspoliare Aegyptios, præcepit aut voluit aliquid iniquum, vt docet diuus Thomas ibi ad 2. & nos explicuimus tomo 2. q. 4. de Legibus.

Sed an vllis etiam HOMINIBVS obedientia præstanda sit, ita, vt eis non obedire, sit peccatum; de eo hæretici præsertim huius temporis controuersiam impiè mouerunt. Sed vt tomo 2. in materia de Legibus q. 5. fusè ostendimus, duo sunt in hac re ex fide certa.

PRIMO certum est, debere etiam obedientiam præstari iis hominibus, qui Superiores sint. Id patet ex Apostolo ad Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris*, & ex aliis testimoniis, quæ tomo 2. attulimus. Atque hoc ipsum confirmat D. Thomas hîc ar. 1. optima ratione. Nam Deus non minus conuenienter mouet causas liberas ad actiones liberas, quàm causas naturales ad actiones naturales. Sed conuenit naturali ordini, vt agentia inferiora naturalia moueantur ad actiones naturales ab agentibus naturalibus superioribus per potentiam naturalem iis diuinitus inditam. Ergo similiter necesse est, agentia libera inferiora, id est, personas priuatas, moueri ad actiones liberas superiorum, auctoritate illis diuinitus ad id concessa.

SED aduersus hanc rationem obiiciet aliquis, discrimen esse inter vtrumque agentium ordinem, quòd causæ naturales Superiores, *naturâ* etiam & essentia sua antecellant inferioribus. Itaque non mirum est, si conueniat ab iis inferiores moueri, vt quæ non solùm potentiâ, sed etiam naturâ superiores sunt. At homines, omnes sunt naturâ pares, & etiam potentiâ liberi arbitrij: quare non videtur perinde conueniens, homines alios ab aliis regi.

HVIC obiectioni tacitè occurrens Caietanus hîc art. 1. conatur distinguere, in homine *superioritatem* ab *auctoritate*, per quam præcipit aliis: sicut in causis naturalibus præstantia naturę & potentiæ distinguuntur. Sed ego non video posse in homine hæc duo distingui. Hoc enim ipso, quòd homo auctoritate legitima pollet, est superior: & superior non est, nisi per auctoritatem.

Ideo RESPONDEO, rationem D. Thomæ niti tantùm similitudine proportionali. Ea consistit in hoc, quòd sicut propter diuersitatem naturarum, ex qua oritur differentia actionum in ordine naturali, conuenit, vt infima per media à Deo ordinatè moueantur: sic etiam propter arbitrij libertatem, quæ non obstante conuenientia specifica hominum, latissimè patet, & diuersissimos parit mores, conuenit, vt alij homines aliis, cùm auctoritate legitima præsint, quo ordinatius & rectius actiones omnium dirigantur à diuina voluntate, quæ est prima regula.

SECVNDO æquè certum ex fide est, præstandam quoque à Christianis esse obedientiam legitimis Magistratibus *secularibus*. Patet ad Tit. 3. *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse.* Et 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ Creaturæ.* Quam rem tomo 2. q. 5. de Legibus probaui contra hæreticos huius temporis, abutentes libertate Christiana. Atque idipsum probat optima ratione D. Thomas hîc artic. 6. Nam ordo iustitiæ non tollitur per fidem Christi, sed potius firmatur, iuxta illud Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, &c.* Sed ad ordinem iustitiæ pertinet, vt priuati obediant Magistratibus. Ergo vel maximè etiam ij debent obedire Magistratibus, qui fidem Christianam complexi sunt. Loquimur autem in hac ratione de ordine iustitię latè acceptæ, prout iustitia etiam dicitur quæuis Virtus *ad alterum*, quæ sit iustitiæ annexa.

Et hæc quidem ita se habent. CÆTERVM quia fieri potest, vt Magistratus, siue Ecclesiasticus, siue secularis, aliquando præcipiat aliquid, in quo ei obtemperandum non esse videatur; statuenda est ad hoc diiudicandum certissima hæc REGVLA: In iis omnibus & solis subditus tenetur obedire suo Superiori, de quibus non *euidenter* constet aut esse contra præceptum diuinum, vel alterius Superioris præeminentioris; aut esse talia, quæ excedant limites potestatis & auctoritatis Superioris in subditum. Ita docet D. Thomas hîc ar. 5. communiter ab omnibus receptus. Et ratio huius regulæ est manifesta. Nam in iis omnibus & solis habet Superior ius imperandi: siquidem in casu *dubij*, vel *probabilitatis* vtrinque, melior est conditio Superioris, qui est nimirum in *possessione* auctoritatis suæ; & ideo potest iure illa vti: Ergo in iis omnibus & solis subditus tenetur ei obtemperare.

Et iuxta hanc regulam, Dominus præcipit obedientiam erga maiores in omnibus. *Omnia, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Matth. 23. Et sic etiam Apostolus ad Coloss. 3. *Filij obedite parentibus per omnia.* Oportet enim hæc & similia sic intelligere, vt simul sit verum illud, quod verè pronunciauit Apostolus Petrus Actor. 5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Erit autem hoc simul verum, si Superiori obtemperetur in illis omnibus & solis, de quibus in Regula à nobis posita dictum est.

Quod ipsum confirmat D. Thomas à simili. Nam tunc patiens naturale obedit agenti superiori, recipiendo effectum, quando ei est proportionatum & subiectum, quoad illum effectum; & vis superioris agentis non impedit. Ergo similiter in iis omnibus & solis debent subditi Prælatis obedire, in quibus sunt ei subiecti, & quę sunt talia, vt non repugnent Dei præcepto, vt in illa Regula à nobis est põsitum.

Porro ex hac Regula multa consequuntur, quæ sunt annotanda. PRIMO sequitur, vt subditus teneatur obtemperare Superiori, minimè esse necesse, vt *ipse etiam subditus* videat & intelligat, esse bonum & contentum intra limites auctoritatis Superioris id quod ipsi imperatur: sed sufficit, vt saltem ipse *non sciat euidenter* esse malum, & extra eos limites: sicut in Regula proposita

Universidad de Deusto
Biblioteca

sita dictum & confirmatum est. *Euidens* autem in A
proposito erit, non quod ipsi soli subdito ex passione fortè videbitur, sed quod iudicio aliorum prudentum & proborum & peritorum iudicabitur, aut iudicari poterit tale.

Secvndo sequitur, minimè ad officium subditi pertinere, vt *inquirat* ipse atque inuestiget, sitne bonum & expediens id, quod ei imperatur. Nam vt iam dictum est, minimè ad obtemperandum necesse est, vt ipse etiam subditus videat esse bonum, quod imperatur. Itaq; longè perfectius obediet, si vel sola Superioris auctoritate commotus, sibi persuadeat, bonum & expediens id esse, quod iubetur facere; etiamsi quare & quomodo id bonum & expediens sit, ipse non videat.

Atque hæc est nimirum obedientia illa *cæca*, B
tantopere commẽdata à sanctis Patribus, in qua subditus non suo iudicio nititur, sed iudicio atque auctoritate Superioris sui. Quod non modò Patres, sed ipse etiam Apostolus commendauisse videtur, ad Hebræos 13. cùm præceptum illud: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis*, ea ratione confirmat: Ipsi *enim*, inquit, *peruigilant tanquam rationem reddituri pro animabus vestris*; quasi dicat, ad eos spectare maximè peruigilare & videre, quid nobis bonum sit & expediat, atque adeo rationem pro nobis reddere in iudicij die eorum, quę nos ex illorum præscripto fecimus, vt proinde non nos, sed illi timere debeant iudicium & damnationem circa ea, quę ex ipsorum nos præscripto fecerimus. C

Vnde etiam S. Hieronymvs in epist. 4. ad Rusticum, cap. 7. *Cedas*, inquit, *tibi salutare, quicquid Præpositus præceperit, nec de Maiorum sententia iudices; cuius officium est obedire & implere, quæ iussa sunt, dicente Moyse: Audi Israël & tace* (siue) *obserua, vt facias*. Deuter. 6.

Et S. Basilivs in Constitutionibus Monasticis, cap. 23. *Conuenit*, inquit, *verum pietatis cultorem perinde, vt instrumentum quoddam vtile opifici, ad complendam spiritualem fabricam, omnibus in rebus parere, in quibus vt operam suam nauet, rectum esse Antistes iudicarit; ne si facere recusauerit, impedimento sit, quò minus spirituale opus compleatur. Et sicut instrumentum non sibi ipsi deligit, quod facto vsus sit ad artem iuuandam; eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit ipsum esse, qui sibi iudicio suo opus deligat, sed gubernationem sui artificis prudentiæ debet consilioq; concedere.* D

Et S. Ioannes Cassianvs collatione 2. cap. 11. *Hoc*, inquit, *modo ad scientiam discretionis veræ peruenire facillimè poterimus, vt seniorum vestigia subsequentes, neque agere quidquam noui, neque discernere nostro iudicio præsumamus: sed quemadmodum nos vel traditio illorum, vel vita probitas informârit, in omnibus gradiamur, &c.*

Et S. Gregorivs lib. 2. cap. 4. in librum 1. Regum: *Vera*, inquit, *obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.* Similia alij passim.

Tertio sequitur ex proposita illa Regula, neque *dubium* subditi de rectitudine eius, quod præcipitur, neque etiam *opinionem* illius, siue improbabilem, siue *probabilem* (quòd id non sit rectum) obstare, quò minus is obtemperare teneatur. Nam etiamsi dubitet, num illud rectum sit, & rectè præcipiatur, aut etiam opinetur (probabiliter vel improbabiliter) id non esse rectum: tamen potest aut id dubium & opinionem deponere, sibiq́ue potius persuadere, Superioris præceptum esse rectum; aut etiam eo dubio vel opinione perseuerante, potest nihilominus sine dubitatione vlla statuere, quòd *sibi saltem* id non sit malum, nec ipse peccet, exequendo id præceptum; sed in eo faciat potius id, quod tenetur: cùm habeat ius Superior (tanquam *possidens*) imperandi id omne, de quo *euidenter* non constet esse malum, aut extra limites auctoritatis ipsius, vt dictum est in confirmatione illius Regulæ.

Qvarto ex eadem Regula consequitur id etiam, quod D. Thomas hìc art. 5. ait, hominem non debere alteri homini obedire, quoad actus *interiores* mentis: quia scilicet in eis non homini, sed soli Deo est subiectus. Quod ipsum confirmat D. Thomas ex illo dicto Senecæ lib. 3. de beneficiis, cap. 20. *Errat, si quis existimat, seruitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est. Corpora obnoxia sunt & ascripta Dominis: mens quidem est sui iuris.*

Sed hoc assertum D. Thomæ, scilicet hominem non esse homini subditum, quoad actus *interiores*, intelligendum est de actibus interioribus *secundùm se*, & in se consideratis, vt rectè notat ibi Caietanus; non autem si considerentur, vt sunt *rationes quædam seu conditiones* actuum exteriorum, tanquam necessaria scilicet, vt rectè exerceantur actus externi, in quibus directè quis subditur suo Superiori, sicut patet ex dictis disput. præced. q. 2. p. 9. & 10. Item intelligi id debet de homine, vt *homo* est. Nam homini, vt *peculiari instrumento* Dei, bene subiicimur etiam in actionibus interioribus *secundùm se*, sicut patet in Sacramento Confessionis.

Qvinto sequitur ex eadem Regula, quod item affirmat ibi D. Thomas, non esse hominem obligatum ad obtemperandum alij homini in iis, quæ ad naturam corporis *necessaria* sunt, siue quo ad *speciem*, vt generatio; siue quo ad *individuum*, vt esus & potus. Ratio D. Thomæ est: *quia in his*, inquit, *omnes sumus pares, neque alius alij in his subiicitur*.

Sed obiiciet aliquis *primò* contra id assertum D. Thomæ, quòd omnes Christiani tenentur obedire Ecclesiæ in materia *abstinentiæ*, & Religiosi suis Prælatis etiam in materia *Castitatis*. *Secundò*, quòd ratio, qua D. Thomas ad id vtitur, videtur

tur inefficax. Quod enim sumit, omnes esse pares siue æquales quoad illa; aut intelligitur de æqualitate specifica. Et hoc non obstat, quò minus alij aliis in illis subiiciantur. Ratio enim subiectionis non est inæqualitas naturæ specificæ in hominibus. Nam etiam in libero arbitrio omnes sunt pares specificè, & tamen alij aliis, quoad illud, sunt subiecti. Aut id intelligitur de æqualitate *facultatis seu potestatis*, operandi independenter à voluntate alterius, vt Caietanus hìc exponit. Et tunc illa ratio D. Thomæ videtur esse petitio principij. Ea enim paritas facultatis fuisset probanda.

Ad *primum*, quod ad Religiosos attinet, respondeo id ex accidenti prouenire propter *Votum*. Quod autem attinet ad præceptum Eccle- B
siasticum de Ieiunio, respondeo, Ecclesiam non prohibere simpliciter esum & potum, sed præscribere modum comedendi, &c. Ita Caietanus. Ad *secundum* respondeo, illam rationem D. Thomæ non tam esse probationem, quàm explicationem quandam conclusionis. Conuenit enim, vt in his, quæ adeo necessaria sunt ad speciem & individuum, nullus habeat in alterum potestatem, ita, vt possit illi simpliciter eiusmodi actiones prohibere.

Sexto sequitur ex eadem Regula id quod etiam asserit S. Thomas in eodem articulo, nempe subiectos debere obedire suis Superioribus in aliis omnibus actionibus, quæ per *corpus* exercentur, dummodò non excedant limites auctoritatis Superioris. Nam in iis nimirum homines suis Superioribus subiecti sunt. Ex qua doctrina colligit ibi D. Thomas in respons. ad 3. distingui posse triplicem obedientiam, præsertim in Religiosis. Vnam, necessariam ad salutem, in iis, quæ sunt præcepta. Alteram, licitam & perfectam, in iis, quæ sunt bona, quamuis non præcepta. Quam suprà p. 1. dicebamus esse *plus, quàm obedientiam*. Tertiam, illicitam & indiscretam, in iis, quæ sunt illicita.

Addit ibi etiam, Religiosum non debere obedire Prælato, nisi in iis, quæ pertineant ad sui Ordinis institutum & regulam. Ex quo rectè colligit Caietanus hìc, non teneri Religiosum præstare obedientiam Prælato dispensanti in regula *sine causa*. Talis enim dispensatio, dissipatio potius est, nihil pertinens ad Religionis institutum. Vnde D. Bernardus in libro de dispens. & præcepto: *Votum*, inquit, *meum non minuat Prælatus absq; necessitate*. Quo loco satis insinuat, id quod rectè etiam notat Caietanus, *obediendum* esse ei soli dispensationi, cui causa subest. Nam & illa etiam pertinet ad Religionis institutum, non minus aliquando, quàm obseruatio regulæ. Sed de his fusius infrà in disputat. de Statibus q. 4. D

PVNCTVM TERTIVM.

Quale & quantum peccatum sit Inobedientia.

D. Thomas q. 105.

Sicvt puncto præcedenti diximus, duplicem esse obedientiam, scilicet materialem & formalem: ita nunc de Inobedientia dicendum est, eam esse item duplicem: Alteram *materialem*, quæ nihil aliud est, quàm transgressio cuiuscunque præcepti in materia cuiusuis virtutis. Atque ita non distinguitur ab aliis peccatis, sed est conditio quædam generalis, inclusa in omnibus peccatis, hoc ipso, quòd peccatum omne est contra præceptum. Altera est Inobedientia Formalis.

Et hæc est rursus duplex. Vna per *omissionem*. Cùm scilicet omittitur rectitudo formalis obedientiæ, iniuncta per aliquod præceptum. Et hoc modo Inobedientia rarò videtur posse accidere contra præceptum quidem naturale. Rarò enim videtur incidere circumstantia, quæ præter executionem actus præcepti in materia aliarum virtutum, requirat etiam rectitudinem formalem obedientiæ, positam in intentione exequendi actum præceptũ, *quia præceptum*. Frequenter autem eiusmodi Inobedientia formalis per omissionem accidere potest, contra præceptum *positiuum*, si videlicet Superior peculiari præcepto velit reddere necessariam rectitudinem etiam obedientię, propter aliquam causam: & tunc si inobediens est Religiosus, erit simul *sacrilegium*. Nã Votum obedientiæ habet pro materia obedientiam tum materialem, tum etiam formalem, casu, quo illa præcipiatur, vt latius declarabimus infrà in disp. de Statibus q. 4. Altera Inobedientia formalis est per *commissionem*. Et hæc nihil aliud est, quàm contemptus præcepti, qui directè opponitur actui obedientię formali prosecutionis præcepti, vt præceptum est. C

His præmissis, dubitari non potest, quin Inobedientia, tum materialis, tum etiam formalis (de qua potissimum agimus) sit peccatũ, & quidem mortale ex genere suo, vt verissimè D. Thomas q. 105. art. 1. Nam inter alia peccata mortalia numeratur ad Rom. 1. & 2. ad Tim. 3. Et ratione quoque idipsum probatur. Nam est contra charitatẽ debitam Deo & proximo. Ergo est peccatum mortale. Patet Consequentia. Nam peccatũ *mortale* dicitur, quia tollit charitatem, quæ est vita animæ. Antecedens probatur. Nam ad charitatem Deo debitam, pertinet obseruatio præceptorum eius: in quibus vnum est, vt obediamus, non solùm Deo, sed etiam hominibus. Item ad charitatem proximi pertinet, vt obedientiam ei debitam præstemus.

Cęterùm sicut accidit in aliis materiis, vt quod ex genere est peccatum mortale, nonnunquam ob aliquam circumstantiam sit tantummodo

Universidad de Deusto
Biblioteca

veniale: ita in proposito Inobedientia formalis, A de qua potissimùm est sermo, potest esse veniale peccatum; aut propter imperfectionem actus, cùm scilicet deest *deliberatio plena*; aut propter *leuitatem* materiæ. Est autem in proposito *leuis materia* præceptum quodpiam, non valdè strictum; siue quia sit de re leui; siue quia obliget ad peccatum veniale tantùm; siue quia non magna cum intensione voluntatis Superior illud ferat.

Quare Inobedientia, siue *omissiuè*, siue *commissiuè* circa præceptum de veniali, solùm est venialis, vt rectè sentit Caietanus in Summa, Verbo Inobedientia. Quo loco videtur corrigere id, quod hîc q.præced.art.2. senserat rigidius, videlicet omnem contemptum siue Inobedientiam per commissionem, cuiuscunq; tandem præ- B cepti sit, esse mortalem: quod etiam Nauarrus in cap.23.n.36.sine vllo tamen examine concesit.

Ex quibus apparet, in Confessione exprimendam esse duntaxat Inobedientiam formalem. Materialis enim, vt dictum est, est conditio quædam inclusa in omni peccato, hoc ipso, quòd est contra præceptum. Sed dicet aliquis. Si Inobedientia materialis est omne peccatum, hoc ipso, quòd est contra præceptum: Ergo Inobedientia formalis erit etiam Inobedientia materialis: siquidem ipsa etiam est quoddam peccatum contra præceptum. Respondeo, concedi posse, Inobedientiam formalem, esse etiam Inobedientiam materialem, si nihil aliud in ea consideretur, quàm quod est peccatum aliquod contra C præceptum. Sed tamen simul est etiam Inobedientia formalis, quatenus est *tale* peccatum, videlicet contra præceptum, *quia præceptum*, & vt præceptum est propriè materia & obiectum Obedientiæ; sicut alia peccata sunt *talia*, quatenus sunt circa talem vel talem materiam, huius vel illius virtutis.

Iam verò quod ad magnitudinem huius peccati attinet, statuendum est cum D.Thoma ar.2. Inobedientiam formalem esse quidem valde magnum peccatum (sicut contra, Obedientia est virtus valde præstans) sed non omnium maximum. Maius enim peccatum est, contemnere ipsum præcipientem, quàm præceptum.

In suo autem genere, Inobedientia eò est gra- D uior, quò est contra strictius præceptum. Strictius autem præceptum, quod ad diuina & naturalia præcepta attinet, illud est, quod est de grauiori materia: eò quòd Deus, qui suo momento res quasque ponderat, strictius præcipit id, quod est grauius. Quod verò attinet ad humana præcepta, non semper est strictius præceptum id, quod est de re grauiori. Homo enim intensius quandoque id vult, quod est per se minus graue. Denique Inobedientia contra præceptum *diuinum* grauior est, cæteris paribus, quàm contra præceptum *humanum*.

Sed hîc *primò* obiiciet aliquis. Homini non est obediendum, nisi quatenus in imperãdo se conformat cum diuina voluntate. Ergo si strictius, quàm res postulat, quidpiam imperet, non ideo est illi strictius obediendum: quandoquidem aliter præcipit, quàm Deus: & sic non propterea erit tunc grauior Inobedientia, si quis non obtemperet.

Respondeo. Vt præceptum tam strictè obliget, quàm vult is, qui illud fert; satis est, si is, qui imperat, se conformet cum diuina voluntate quo ad *rem præceptam*; vt scilicet sit licita, & Deo placens. Quòd autem in præcipiendo retineat modum humanum, qui est, vt ob causam aliquam rationabilem meritò aliquando intensè feramur in id, quod nõ est adeo graue, vitiosum non est: & idcirco potest is modus in præcipiendo efficere magis debitam Obedientiam.

Secundò percontabitur fortè hîc aliquis, Vtrũ diuersitas præcepti diuini & humani, sit circumstantia necessariò exprimenda in Confessione, quando pœnitens putaret, Confessarium aliàs non sciturum, contra quale præceptum sit peccatum. *Respondeo* primùm non esse quidem eam circumstantiam exprimendam, quasi *mutet speciem* peccati Inobedientiæ. Non enim mutat. Id quod de Inobedientia quidem materiali clarum est. Nam præceptum ad illam *extrinsecè* se habet, & non quasi obiectum. De Inobedientia etiam formali idem probatur: quoniam, vt rectè deducit Caietanus art.2. q. præced. ex mente D. Thomæ ibidem ad 4. Obedientię obiectum formale, est præceptum *in communi*, quodcunque illud sit. Quare sicut omnis Obedientia formalis est eadem specie circa quodcunque præceptum: ita etiam Inobedientia formalis.

Quanquam vt inquit Caietanus, fatendum est, ex parte *præcipientis* valde differre præceptum diuinum & humanum. Sed hæc diuersitas non efficit diuersitatem specificam Obedientiæ vel Inobedientiæ formalis.

Dico secundò, videri exprimendam illam circumstantiam, tanquam *valde aggrauantem* Inobedientię malitiam, iuxta ea, quę de circumstantiis in Confessione explicandis, vel non explicandis, trademus in quarto tomo,

Deo fauente.

QVAE-

QVÆSTIO QVARTA.

De Gratitudine & Ingratitudine.

D. Thomas 2. 2. q.106. & 107.

EXPLICANDA SVNT QVATVOR. PRIMO, QVID SIT GRATITVDO. SECVNDO, An & quatenus teneatur quis gratus esse. TERTIO, Vtrnám magis teneatur gratus Deo esse, Innocens ne, an pœnitens. QVARTO, Quale & quantũ peccatum sit Ingratitudo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Gratitudo.

D. Thomas q.106.art.1.

VOCABVLVM *Gratitudinis*, & vocabulum *Gratiæ*, in hac materia, indifferenter pro eodem accipi solent. Quanquã aliâs quidem latius patet vocabulum Gratiæ. Vt enim omittamus nunc dona supernaturalia, quę Gratię vocabulo comprehẽduntur; etiam apud Philosophos morales, nomẽ *Gratiæ* accipitur dupliciter. Primò pro Liberalitate, qua gratis beneficium quodpiam tribuitur. Quo pacto de Gratia disseruit Philosophus li.2. artis Rhetoricæ, c.7. Vbi eam definiuit sic: *Gratia est, per quam dicuntur rogati gratis aliquid* B *facere, non pro re aliqua, neq; vt sibi quidquam, qui faciunt, subueniant, sed vt cui faciunt.* Secundò accipitur idem Gratię vocabulum pro virtute, qua beneficium gratuitum per aliquã vicissim gratiam recompensatur. Quo pacto id vocabulum accepit etiam Philosophus lib. 4. Ethic. cap.1. cùm dixit: *Gratia ei, qui dat, exhibetur.*

Et Gratia isto posteriori modo est ipsa virtus Gratitudinis, de qua nunc agimus. Quam virtutem S. AVGVSTINVS lib.83.qq.q.31. his verbis ex Cicerone sumptis definiuit hoc modo: *Gratia est,* C *in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur.* Itaque ratio & vis huius virtutis est posita in hoc, vt per eam conuenienti aliquo modo remuneretur gratuitum beneficium, acceptum ab aliquo particulari.

Esse autem hanc *specialem* quandam & necessariam virtutem, inter virtutes alias annexas Iustitiæ, vt tradit D. Thomas hîc art.1. & communiter omnes, probatur ea ratione. Nã virtutes Iustitiæ annexæ, distinguendæ sunt penes peculiares rationes *debiti*, in ordine *ad alterum*. Sed præter de- D bitum, quo per Religionem obligamur Deo, vt primario principio; & quo per Pietatẽ obligamur parenti & patriæ, vt secundario principio Esse & gubernationis; & quo per obseruantiam obligamur personis in dignitate constitutis, quæ sunt principia gubernationis & beneficiorũ communium, est etiam ratio peculiaris debiti propter particularia beneficia, quibus aliquis ab aliquo particulari afficitur: Ergo sicut datur Religio erga debitum primum, & Pietas erga secundum, & obseruantia erga tertium: ita etiã gratitudo erga quartũ debitũ, qua benefactorib. particularibus gratiam factã cõpensemus. De quo Gratitudinis debito ob res gratis acceptas rectè illud Ouidius:

Gratia pro rebus meritò debetur inemptis.

Atque vt rectè tradit D. Thomas, Virtutes hæ quatuor ita se habẽt, vt obiectũ trium posteriorũ materialiter cõtineatur in obiecto primę scilicet *Religionis*; & obiectũ duarum vltimarũ in obiecto secũde, scilicet *Pietatis*; & deniq; vltimę obiectum sub obiecto *Obseruantiæ*. Probatur: quia à Deo, quẽ respicit *religio*, accipimus ea omnia, quę ab *aliis*. Et à parẽte, quẽ respicit *Pietas*, accipimus omnia ea, quę à persona *in dignitate constituta*, quã respicit *Obseruãtia*. Et à persona in dignitate constituta, ea omnia, quæ à *particulari* persona beneficiente, quã respicit *Gratitudo*. Vnde fit, vt virtus Religionis, qua colimus Deum, habeat tanquam materiale & particulare obiectum, obiecta aliarum, vt pote vniuersalior: & sic ordine de aliis.

Sed OBIICIET hîc aliquis, quòd optimè posset res intelligi, si vna & eadem virtus sub vna formali & communi ratione *cultus alteri debiti* (siue propter excellentiam, siue propter beneficia acpta) omnia illa enumerata debita, tanquam materialia obiecta respiciat, atq; adeo diuersas etiam personas diuersimodè, prout quamq; decet, colat. Ac proinde omnia hæc præstari ab vna virtute, saltẽ erga homines; vt maximè erga Deum Religionem distinctam ponamus.

RESPONDEO, non posse quidem conuinci, quòd omnia eiusmodi diuersa debita sint *formalia* obiecta, quę diuersas virtutes specificent; cùm satis intelligibile fit, quòd hæc omnia materialiter ad vnam aliquam & eandem virtutem pertineant, vt obiicitur. Cæterùm cùm non omnes illæ rationes *debiti*, vnamquamque personam respiciant; sed Deum tantùm omnes; & parentes, & patriam reliquæ tres, & personas excellentes reliquæ duæ; & priuatas personas, etiamsi non habeant aliquam dignitatem verę virtutis aut excellentiæ, vltima ratio *debiti* tantùm; cumque ea sit hominis conditio, sicut & reliquarum creaturarum, vt perfectio ipsius constet multis & distinctis rebus: satis probabile & credibile est, penes has quatuor differentias debiti,

quatuor

Universidad de Deusto
Biblioteca

quatuor virtutes ita distingui, vt primum debitum ex his, formaliter constituat Religionem,& materialiter includat reliqua tria;secundum autem formaliter constituat pietatem, & materialiter includat reliqua duo; tertium autem constituat formaliter obseruantiam, & materialiter includat quartum; quartum autem formaliter constituat gratiam siue gratitudinē, & materialiter nullum includat aliud debitum,sed particulares res,quibus reddi aut referri gratia potest.

Hinc illud etiam Caietanus q.107.art.3. rectè notat,pietatem,obseruantiam, & gratitudinem dupliciter inueniri; scilicet vel formaliter *in se & sua propria specie*, vel eminenter in *vniuersali & superiori virtute*,includente obiectum formale inferioris,tanquam materiale. Sicut pietas,obseruātia, & gratitudo erga Deum, continentur eminenter in *Religione*;&similiter obseruantia & gratitudo erga patrem, in *Pietate*; & gratitudo erga personam in aliqua dignitate constitutam in *obseruantia*. Et idem suo modo dicēdum est de vitiis oppositis. Nā ingratitudo,impietas, & inobseruantia erga Deum, continetur in *irreligiositate*; & inobseruātia aut ingratitudo erga patrem & patriam,cōtinetur in *impietate*; & ingratitudo erga personam excellentē,continetur in *inobseruantia*.

Adde,quod parum attinet ad vsum quidem & praxim hæc disputatio de differentia harum virtutum. Nam siue hæc nomina diuersarum virtutum, significent diuersos re vera habitus; siue diuersos actus aut officia eiusdē habitus; conuenit inter omnes,tantam esse inter huiusmodi diuersitatem,vt diuersissimū meritum his respondeat; & peccata opposita specificanda sint in Confessione, ac diuersis pœnis in inferno puniantur; & deniq; diuersa longè sit obligatio istorum.

PVNCTVM SECVNDVM.

An,& quatenus teneatur quis gratus esse. D. Thomas art.3. & seq.

PRonemvs hac de re aliquot assertiones ex communi Doctorum sententia,ac inprimis D. Thomę. Prima assertio. Pro omni beneficio gratuito tenetur quis aliquo modo gratiam rependere. Probatur ratione D. Thomæ art.3. quam formo sic: Omnis effectus naturaliter ad suam causam conuertitur, iuxta modum naturalem causæ & effectus. Sed is,qui accipit ab altero beneficium, quatenus beneficium accipit, est effectus benefactoris. Ergo ipse ordo naturalis requirit, vt is iuxta naturalem modum suum,& etiam benefactoris,ad illum conuertatur,hoc est, per intellectum & voluntatem gratiam reddendo, qui est modus operandi, competens naturæ hominis. Maior probatur: quia omnis causa operatur propter finem, quem spectat, tanquam aliquo modo *ad se pertinentem*. Ergo eo ipso,quòd effectus ad finem refertur,pertinet etiam & reuocatur ad suam causam efficientem. Vnde vt ait D. Dionysius cap.3.de diuinis nominibus: *Deus omnia ad se conuertit, tanquam omnium causa.*

Porro ad hanc redditionem gratię,vt declarat D. Thomas q.seq.ar.1.pertinent tria. *Primò* enim oportet beneficium agnoscere. *Secundò*,laudare benefactorem,eiq; gratias habere. *Tertiò*, gratiam etiam referre, aliquid retribuendo pro loci & temporis, aliarumque circumstantiarum opportunitate;Vt honorem & reuerentiam, atque etiam opem & subsidia,si indigeat.

Et quidem semper aliquo istorū modo,oportet gratiam reddere;vt Gratitudinis obligationi satisfiat, reuocando animum ad benefactorem: quemadmodum allata ratio S. Thomæ ostendit. Quando verò debeat quis omnia tria prædicta officia in benefactorem conferre, & quātum retribuendum sit, cùm est gratia referenda per officium;quando verò sufficiat vnum ex his aut alterum; iudicio prudentum ex circūstantiis incidentibus existimandū est. Et id etiam declaratur aliquādo auctoritate superioris,præcipientis compensare beneficium acceptum per aliquem determinatum retributionis modū. Sicut suprà disp.5.q.6.& disp.præced.q.vlt.asseruimus,stipēdium sustentationis deberi ministris spiritualibus pro ministerio spirituali, vt spirituale est, ex gratitudinis obligatione,quam auctoritas Superioris determinat.

Vtrum aūt eiusmodi gratitudinis obligatio sit naturalis, postquā sic declaratur à Superiore;vel solū positiui iuris ex Superioris præcepto; dubitari potest. Et dicendum breuiter,retributionē eam *absolutè* quidem esse iuris naturalis per Superioris iudicium declarati: *tātam* verò ac *talem* retributionem;esse solùm iuris positiui,vt suprà in q.de Decimarum retributione docuit S. Thom.

Atq; ex his apparet, materiale obiectum gratitudinis latè patere, sicut & Pietatis, quatenus variis modis potest beneficium compensari, videlicet honore, & sustentatione, &c. Quando autem aliquo modo *determinatè* debeat; ex circumstantiis,vt dictum est,iudicari debet.

Secvnda assertio. Affectus,ex quo beneficium proficiscitur, statim est compensandus mutuo affectu. Id probat D. Thomas artic.4.auctoritate Senecæ li.2.de beneficiis, c.35. *Vis*, inquit,*reddere beneficium? benignè accipe*. Donum autem ipsum, quo beneficium etiam continetur, non statim redditione alterius doni compensandum est,sed potius tempus opportunum expectandum. Ita etiam docuit Seneca lib.4. de beneficiis, in fine: *Qui nimis*, inquit, *citò cupit soluere, inuitus debet* (quandoquidem ita studet statim sese onere & debito liberare) *& qui inuitus debet, ingratus est.*

Nomine autē mutui *affectus* statim debiti, intelligenda videtur tum beneficij *recognitio*, tum etiam gratiæ *habitio*, consistēs in beneuola beneficij receptione. Quorū vtrumq; facillimè statim potest fieri, cùm in actibus interioribus cōsistat.

Gratia-

Gratiarū verò *actio* non videtur ex obligatione statim facienda ex debito &pręcepto,sed tantùm ex quadam perfectione. Tum quoniam pudorem interdum & difficultatē habet, cùm consistat in actu exteriori. Tum quia oporteret aliàs multos sæpè ingratitudinis peccati dānare: cùm frequenter non statim gratiæ agantur; nisi fortè nomine actionis gratiarum intelligamus quemuis modum loquendi *amicè & benevolè*, cùm quis recipit beneficium. Sic enim actio gratiarum videtur omnino esse statim debita.

Cùm verò dicimus in assertione, *affectum* benefactoris mutuo affectu compensari,non intelligas, solùm affectum, & non etiam vllo modo ipsum *donum, compensari affectu mutuo*. Totū enim beneficium,atque adeo etiam donum,illo compensatur;sicut pro vtroque gratię habentur & aguntur. Sensus igitur est, præcipuè quidem,affectum affectu compēsari, propter similitudinem. Item id, quod diximus,donum dono compensari, eodem modo accipiendum est, nimirum *præcipuè*; quamuis etiam affectus dono compēsatur.

Deniq; quod diximus, *donum* quidem non *statim* compensandum esse,intelligi debet *ordinariè*. Nam si ob circumstantiàs aliquando contingat, vt statim sit benefactori retributio opportuna; statim est facienda. Ordinariè autem cùm peculiaris necessitas non accidit;si fiat retributio statim, eo ipso est importuna: quia videtur esse *solutio*, & tollit laudē beneficij collati. Et nota,hanc esse veram & solidam rationem assertionis positæ: quòd videlicet, si statim absq; alia opportunitate fiat retributio, minuatur laus benefactoris, propter quod statim minimè est opportuna retributio. Ratio verò Senecæ est ducta à *signo*,& secundùm præsumptionem, quæ in aliquo casu deficere posset. Non est enim necesse, eum, qui statim dat, dare vt se liberet onere, quod inuitus sustineat. Potest namque alia de causa ad id moueri;videlicet ne obliuiscatur,&c.

Tertia assertio. Remuneratio beneficij ex gratitudine ita instituenda est, vt *præcipuè* compensetur affectus benefactoris. Id probat D. Thomas ar.5. Nā Gratitudo recipit beneficium *vt gratuitum*. Sed beneficium est gratuitum, præcipuè ex beneuolo benefactoris affectu. Ergo præcipuè respicit affectum.

Quæ doctrina vt rectius intelligatur,notandū est,quadrupliciter posse compensari beneficium acceptum. Primo, ex iustitia *commutativa*, quæ compēsatio dicitur ex debito *legali*, quia ad eam cogitur aliquis ciuiliter, vt Caietanus quidē hoc debitum interpretari videtur suprà q.102.art.2. Hęc compēsatio,quia fit sub ratione æqualitatis, præcipuè attendit *rem* acceptam. Secvndo, ex amicitia *vtili*, cùm scilicet aliquis vult compensare beneficium, quia fuit sibi vtile, & ex amore erga alterū, quatenus vtilitatem attulit. Et compensatio talis,vt mihi videtur, est actus charitatis erga seipsum: nam se amat, qui alterum,vt vtilem sibi,amat & remunerat. Quare non puto sub hac ratione deberi compensatiōnem,sed sub aliis rationibus quis satisfaceret. Posito tamen, quòd hoc modo velit quis compensare; videtur esse quoddam debitum *decentiæ*, vt quantitatem acceptæ vtilitatis compenset. Et hoc modo potest intelligi S. Thomas hîc art.5. Tertio, ex amicitia *honesta*. Et hæc compensatio respicit affectum benefactoris gratuitum, non tanquā obiectum; sed tanquam motiuum, & causam respiciendi amicum per se vt obiectum,cui vicissim velit amicus benefacere. Ac proinde videtur hæc compēsatio esse actus charitatis siue dilectionis ꝓximi: & aliquando debetur huiusmodi compensatio; quia pertinet ad fouendam amicitiam, quæ in Christiano homine est charitas, vt suprà dictum est disp.3.q.1. Qvarto, ex gratitudinis virtute. Et hæc compēsatio (vt in illa tertia assertione ponimus) præcipuè respicit gratuitum affectum tanquam obiectū: quatenus beneficium gratuitum partim etiam continet affectum, quo res datur. Atq; ex his potest intelligi etiam Caiet. hîc art.5.

Qvarta assertio. In recompensatione Gratitudinis,plus oportet exhibere,quàm beneficio receptum sit, quando quidem aliquis potest, & opportunitas requirit.Id probat D. Thom.art.6. Nam recompensatio gratitudinis debet esse gratuita. Sed non videtur *talis*, nisi plus quis reddat, quàm accepit. Ergo. Maior patet. Nam gratitudinis recompensatio debet imitari ipsum beneficium, quod ex eo cōmendatur, quia est gratuitum: neq; illud quis tenebatur impēdere. Minor probatur. Nam si quis reddat tantùm æquale, nō videtur facere gratis;sed reddere,quod accepit.

Itaq; considerata ratione gratitudinis, quando circumstātiæ sunt eiusmodi, vt iudicetur quis debere ex gratitudine plus retribuere, quàm acceperit,strictius obligat gratitudo ad retribuendum, quàm quando propter circumstantias iudicatur minus esse retribuendum. Nam eiusmodi retributio per beneficium maius eò magis habet rationē gratitudinis & beneuolentiæ,quantò retributioni iustæ dissimilior est.

Et hoc bene probat ratio S. Thomæ. Non autem probat,quòd nunquam fieri queat satis obligationi gratitudinis, reddendo minus, aut æquale. Potest enim nihilominus retributio esse gratuita,si illud æquale aut minus tribuatur,non vt æqualitas rei constituatur, sed vt gratia referatur. Vnde D. Thomas in Minore illius rationis non dixit,non esse compensationem gratuitam, nisi plus reddatur: Sed; *non videri*, atq; adeo non esse tam gratuitam. Gratuita tamē potest etiam esse ita, vt satisfaciat obligationi gratitudinis ꝓ ratione circumstātiarum. Sicut etiam posset aliquādo huic obligationi fieri satis, per solam gratiarum *actionem*, quando circumstātiæ aliud non postulant, vt ex D. Thoma art.3. patet: & tamen gratias agere minus est, quàm *retribuere* aliquid æquale aut minus. Itaque non vult S. Thomas,

oportere

Universidad de Deusto
Biblioteca

oportere semper retribuere plus: neq; hoc probat eius ratio, sed quàndo circumstantię quidem indicant, plus esse reddẽdum; maiorem esse obligationem gratitudinis ad retribuendum illud.

PVNCTVM TERTIVM.

An Innocens magis teneatur gratus esse Deo, quàm Pœnitens.

D. Thomas art. 2.

SENTENTIA S. Thomæ est, omnibus consideratis, magis ad gratitudinem teneri pœnitentẽ. Probat. Quia simpliciter loquendo, eò maior est obligatio ad reddendum gratiam, quò donum fuit maius, considerata conditione personæ, *cui confertur*. Sed donum gratiæ, quod impenditur, pœnitenti est maius, si consideretur conditio personæ, cui confertur, quàm donum gratiæ datum innocenti, considerata innocentis conditione. Ergo, &c. Maior probatur. Nam quod considerata particulari circumstantia personarum, est maius; moraliter loquẽdo, est simpliciter maius, cùm moralia, vt patet ex Philosopho 3. Ethic. c. 1. ex circumstantiis particularibus iudicentur. Minor probatur. Nam maior gratia fit ei, qui erat malus & dignus pœna & inimicus, cùm is in gratiam recipitur, quàm ei, qui non perinde erat malus, sed innocens: sicut pauperi maior gratia fit, cùm ei quidpiam donatur, quàm diuiti, etiamsi fortè *secundùm se*, quod datur diuiti sit maius. Ex qua ratione D. Thomæ patet, loqui eum de Innocente, qui nunquam actualiter peccauit, saltem mortaliter, quomodo infantes sunt Innocentes, & ij, qui conseruant gratiam in Baptismo acceptam.

Cæterùm assertionem hanc D. Thomæ difficilẽ reddit, quòd nomine doni innocentię, communiter intelligitur gratia *longiori* tempore conseruata, quàm sit gratia pœnitentis: tametsi gratia pœnitentis plus etiam potest durare, vt patet. Gratia autem continuata longiori tempore, maius bonum est, cæteris paribus (hoc est, intẽsione & actibus meritoriis) propter durationem maiorem, quę reddit illam pluris æstimabilẽ, moraliter loquendo; sicut apparet in aliis rebus. Ex quo videtur innocens magis ad gratitudinem teneri.

Cofirmatur: Nam Innocens est melior, & magis Deo dilectus. Ergo plus Deo debet. Antecedens patet: quia maior vel minor dilectio aut affectus Dei dicitur, pro ratione effectus, siue boni ab ipso in creaturam promanãtis. Accedit, quòd Gratitudo respicit affectum benefacientis, vt art. 3. docet D. Thomas. Cùm ergo maius bonum argumento sit maioris Dei affectus; maiorem quoque pariet obligationem gratitudinis.

SED ad hæc tamen responderi potest, Deum absolutè quidem plus diligere innocẽtem eum, cuius gratia plus durauit; & ipsum maius bonum à Deo accepisse *absolutè*, vt S. Thomas hîc, & 1. p. q. 20. art. 4. ad 4. concedit. Obligationem autem gratitudinis non oriri ex maiori dilectione aut affectu Dei *absolutè*; sed ex maiori dilectione & affectu, vt est gratuita *donatio* in ordine ad eum, qui recipit, considerata eius conditione. Quo pacto maius donum, & magis gratuita donatio fit pœnitenti, propter conditionem personæ; sicut contra propter conditionem etiam personæ donantis, dicitur absolutè à Christo vidua illa, quæ tantùm duo æra minuta contulit, *plus omnibus dedisse*, Lucæ 21.

Vnde rectè notat Caietanus hîc, aliunde formaliter loquendo, intelligi ratione *boni*, & aliunde ratione *doni*, ac proinde donum quidem innocentiæ, quatenus bonum est, maius quiddam, quàm donum pœnitentis esse (quod intellige etiam respectu personæ, cui datur, vel quæ illud recipit) quia est bonum, secundùm præstantiam suam totam *absolutè*: minus verò quiddã est, quatenus *donum* est: quia donum non vtcunq; solùm significat rei præstantiam, sed vt receptam & datam huic in tali vel tali dispositione. Quod dum consideratur in persona pœnitente; aliquid plus cernitur & æstimatur propter *modum*, quo datur magis indigno, qui modus significatur siue connotatur nomine *doni*.

Quia ergo obligatio gratitudinis oritur ex doni ratione, vt *donũ formaliter* est (eò quòd, quatenus donũ recipitur ab aliquo, debet is gratiam agere aut referre) & maius donum formaliter est gratia pœnitentis, quàm innocentis; tametsi materialiter donũ innocentis, vt quoddam bonum est, sit maius: ideo rectè docet S. Thomas, pœnitentem magis teneri ad gratitudinem, quàm innocentem. Ac simili modo potest illud intelligi, quod Luc. 15. dicitur: *Maius gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Hoc enim intelligendum est, spectata ratione formali *doni*: de qua etiam est maius gaudium.

Ita planè intelligendus est D. Thomas hîc, & 1. p. q. 20. art. 4. ad 4. non verò sicut Caietanus hîc in fine solutionis sexti dubij eum exponit; quasi velit, nimirũ pœnitentem *strictius* quidem debere gratias, quàm innocentem; hunc verò *maiores* gratias debere, vt sic (inquit Caietanus) ex parte eius, qui beneficium recipit, modus vinculi respondeat modo *donantis*; & quantitas gratiæ referendæ respondeat quantitati beneficij quod maius est in Innocente. Falsa est hæc expositio, neq; ad mentem D. Thomæ. Falsa quidem, quoniam etiam quantitas gratiæ reddendæ proportionata debet esse quantitati doni formaliter, vt *donum* est: est autem metiendum donum formaliter modo ipso *donandi*, attenta conditione personæ dantis & recipientis: & sic quò modus dandi est magis gratuitus, atque adeo quò est maius donum, eò maior gratia debetur, & non solùm *strictius*. Neq; est etiam illa expositio Caietani ad mentẽ D. Thomæ, quia vt patet ex illo q. præced. art. 2.

art. 2. præcepta quidem diuina eò strictius obligant, quò sunt de re grauiori, ita, vt inter præcepti vinculum, & id, quod debetur, sit proportio. Sed præceptum de gratitudine est diuinum, non humanum. Ergo si pœnitens strictius tenetur gratias agere, vt fatetur Caietanus, etiam tenebitur agere gratias maiores.

PVNCTVM QVARTVM.

Quale & quantum sit peccatum Ingratitudo.

D. Thomas q. 107.

DVOBVS modis potest contingere, vt quis sit ingratus; sicut docet D. Thomas hîc art. 3. VNO modo per solam *omissionem*, cùm scilicet quis non reddit gratiam vllam, pro accepto beneficio. Et hæc Ingratitudo in iis casibus est peccatũ, in quibus iuxta dicta p. 3. tenetur quis gratus esse. Nã omissio actus Virtutis tunc solùm peccatum est, quando virtutis actus non modò exerceri potest, sed etiam debet. ALTERO modo potest quis esse ingratus per *commissionem*, cùm scilicet non modò non est gratus, sed etiam facit quidpiam contra virtutem Gratitudinis, retribuendo nimirũ malum pro bono. Et hæc Ingratitudo semper est peccatũ: nam est contra præceptum negatiuum de cauẽda Ingratitudine, quod obligat pro omni tempore, sicut alia *negatiua* præcepta.

Atq; vtroq; modo Ingratitudo est peccatum *mortale* ex suo genere. Nam valdè abalienat animum ab ingrato, atq; adeo grauiter per se lædit amicitiam & charitatem mutuam, quæ est spiritualis *vitæ* animę. Vnde Apostolus 2. ad Tim. 3. generatim annumerauit Ingratitudinem aliis peccatis mortalib. *Erunt*, inquit, *homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, etc.* Quanquam minimè dubium est, quin grauius peccatum sit Ingratitudo per commissionem, quàm per omissionem: nam cùm reddere *malum pro malo*, non liceat, vt patet ad Rom. 12. & 1. ad Thess. 5. & 1. Pet. 3. consequens est, vt reddere pro *bono malum*, grauissimum peccatum sit. Vnde peculiariter extat de hac Ingratitudine per commissionem, illa comminatio diuina, Prouerb. 17. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.*

Sed est aduertendum ex doctrina D. Thomæ hîc ar. 2. ad 1. duplicẽ adhuc esse Ingratitudinem, siue per commissionem, siue per omissionem. Altera est Ingratitudo FORMALIS, cùm scilicet quis ex contemptu beneficij, atq; adeo benefactoris, vt benefactor est, est ingratus. Et hæc Ingratitudo *speciale* peccatum est, sicut & Gratitudo specialis Virtus, vt rectè docet D. Thomas illic, & Caietanus in Summa, Verbo Ingratitudo.

Altera est Ingratitudo MATERIALIS; cùm scilicet non ex contemptu beneficij, sed ex aliqua alia causa omittit quis benefacere vicissim, aut gratiam debitam reddere benefactori suo; vel etiam committit aliquid mali contra illum.

Et hęc Ingratitudo materialis non est speciale peccatum, sed est conditio quædam seu circumstantia *communis* eorum omnium peccatorum, quibus per omissionem vel commissionem lęditur benefactor. Sicut cum omni omnino peccato contra Deum benefactorem nostrum, est coniuncta hæc circumstantia Ingratitudinis materialis. Quæ proinde Ingratitudo materialis, licet reipsa sit peccatũ grauiter per se lædens mutuam amicitiam & charitatem, tamen non est distinctum peccatum ab eo, quod alioquin contra benefactorem committitur, sed est illud ipsum peccatũ, cũ tali scilicet Ingratitudinis circumstantia.

Ex quibus potest intelligi, Ingratitudinẽ formalem, & Ingratitudinem materialem, in quibusdam conuenire, & in quibusdam differre. *Conueniunt* namq; in tribus. *Primò*, quòd vtraque est peccatum, & quidem grauiter per se lædens charitatem mutuam, atq; adeo mortale ex genere, vt dictum est. *Secundò*, quòd vtraq; nihilominus potest esse tantummodò peccatum veniale: vel propter exiguitatem materiæ: vel propter imperfectionem actus non plenè deliberati, vt rectè tradit Caietanus in Summa, Verbo Ingratitudo. *Tertiò*, quòd vtraq; meretur quidem, vt beneficia in Ingratum non conferantur, si tantùm spectemus ipsius ingrati meritum; tametsi aliunde propter obligationẽ charitatis erga omnem proximum, in casu necessitatis benefaciendum sit etiam ingratis, vt optimè docet D. Thomas art. 4. Per quam doctrinam corrigendum est id, quod non satis piè & circumspectè dixit Seneca lib. 4. de Beneficiis, cap. 27. *peßimè dare beneficia eum, qui ingratos eligit, in quos peritura conferat.*

Differunt autẽ Ingratitudo formalis, & Ingratitudo materialis, in duobus potissimùm. *Primò*, quòd formalis est peccatũ speciale, & distinctum ab aliis: materialis autem nõ item, vt dictum est. *Secundò*, quòd consequenter Ingratitudo formalis semper est explicãda in Confessione, si sit peccatum mortale: materialis autem non semper. Nam materialem quidem Ingratitudinem erga Deum, cùm constet includi in omni peccato, nunquam oportet seorsim explicare, vt rectè notauit Caietanus in Summa. Eo enim ipso explicatur, quòd explicantur alia peccata. Ingratitudo autem formalis inclusa in aliis peccatis contra hominem benefactorem, tunc solùm in eiusmodi peccatorum Confessione explicanda est, quando notabiliter eiusmodi aliquod peccatum aggrauat, sicut rectè sentit illic Caietanus; vt si contra insignem admodum benefactorem grauiter peccatum sit.

FINIS SEPTIMAE DISPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO OCTAVA GENERALIS.

DE FORTITVDINE ET EIVS PARTIBVS ET VITIIS CONTRARIIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES TRES.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS OCTAVÆ.

QVAESTIO PRIMA.

De ipsa Fortitudine secundum se.

PVNCT.I. *Quænam & qualis virtus sit fortitudo.*
II. *Quàm latè pateat materia & functio Fortitudinis.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Martyrio.

PVNCT.I. *Quid sit Martyrium.*
II. *Quam efficacitatem habeat Martyrium.*

QVÆSTIO TERTIA.

De partibus Fortitudinis & de peccatis oppositis tum ipsi Fortitudini, tum eius partibus.

PVNCT.I. *Quænam sint partes Fortitudinis.*
II. *Quænam peccata opponantur Fortitudini & eius partibus.*

IHS

DISPVTATIO OCTAVA GENERALIS.

DE FORTITVDINE, ET EIVS PARTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS.

D. Thom. 2.2.q. 123. & seq.

DE FORTITVDINE (SICVT ETIAM postea de Temperantia) solùm præcipua quædam breuiter explicanda sunt: ne si in rebus facilibus, vel abunde explicatis ab ipso D. Thoma, vel nõ valde necessariis, immoremur, nimium excrescat hoc volumen. Erunt igitur tres quæstiones huius Disputationis. PRIMA, de ipsa virtute Fortitudinis secundum se. SECVNDA, de præcipuo illius actu, scilicet de Martyrio. TERTIA, de partibus Fortitudinis: & de peccatis oppositis tum ipsi Fortitudini, tum eius partibus. Pro iis autem quæ D. Thomas deinde disserit de Dono Fortitudinis annexo huic Virtuti, sufficiunt ea quæ tomo 2. de hoc & aliis donis generatim tradidimus in Disputat. 5. De præceptis autem Fortitudinis, etiam dicemus quantum satis erit, q. 3. vbi explicabimus peccata opposita Fortitudini & eius partibus.

QVÆSTIO PRIMA.

De ipsa Fortitudine secundum se.

D. Thomas 2.2. quæst. 123.

DVO SVNT EXPLICANDA, QVIBVS CONTINENTVR EA QVAE in pluribus articulis tradit hic D. Thomas. PRIMO, Quænam & qualis Virtus sit Fortitudo. SECVNDO, Quàm latè pateat eius materia & functio.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam & qualis Virtus sit Fortitudo.

D. Thomas art. 1. 2. 11. 12.

FORTITVDINIS VOCABVLVM QVATUOR potissimum significatus habet ex quibus vltimus tãtum est ad propositũ. PRIMO significat quasecumque validas vires & robur seu corporis, seu Spiritus ad efficiendum aliquid siue bonum siue malum. Quo pacto accipitur Iudic. 16. Vbi sæpius memoratur Samsonis *fortitudo*. Et Iob 40. vbi describitur

scribitur fortitudo Diaboli. SECVNDO significat vnum è septem donis Spiritus sancti, quæ numerantur Isaiæ 11. TERTIO significat quamcunque animi Virtutem per quam quis in officio se continet spretis & superatis quibuscunq; rebus siue iucundis siue acerbis, quibus posset homo induci ad peccandum. Quo pacto Fortitudo generatim complectitur omnes Virtutes. Et sic de Fortitudine loquitur sanctus AMBROSIVS lib. 1. de officiis, cap. 36. cum inquit: *Iure ea Fortitudo vocatur quando vnusquisque se ipsum vincit: Iram continet: nullis illecebris emollitur atque inflectitur: non aduersis perturbatur: nõ extollitur secundis; & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione.* Et sanctus PROSPER lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 20. cum similiter ait: *Animi Fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diuersis pulsata molestiis inconcussa permaneat, sed etiam nullis voluptatiũ illecebris resoluta succumbat.* QVARTO Fortitudinis vocabulum significat virtutem quandam peculiarem per quam animus rectè se habet erga ea quæ sunt acerba & terribilia, & vt talia possunt deterrere ab officio consentaneo rectæ rationi. Quæ Virtus est vna ex quatuor Cardinalibus, vt docuimus tomo 2. q. 4. de Virtutib. p. 3. Ac de hac Fortitudine est præsens disputatio.

Potest autem hęc Fortitudo, ex sententia Philosophi 2. Ethic. cap. 7. & 3. Ethic. cap. 6. & seq. & sancti Augustini lib. 83. qq. q. 31. & D. Thomæ hîc & aliorum communi sic definiri: *Fortitudo est Virtus moralis per quam animus erga ea quæ sunt acerba & terribilia, ita rectè se habet, vt neq; prauè timendo neq; temerè audendo, desciscat propter illa ab officio rationi rectæ consentaneo, sed in eo illis superatis se contineat; siue ea prout ad officium retinendum conueniat timendo & cauendo, siue prout item conueniat, audendo, & aggrediendo illis contemptis opus aliquod Virtutis arduum.*

Hæc descriptio omnẽ vim huius virtutis continet, & cum doctrina Philosophi congruit locis citatis, vbi ait: *Fortitudinem esse Mediocritatem quæ circa timores fiduciasque versetur.* Et lib. 3. capite 7. vbi clarius ait: *Qui igitur ea quæ oportet, & cuius causa oportet, & vt oportet, sustinet ac timet; & simili modo etiã confidit, fortis est: quippe cùm pro dignitate, & sicut ratio præscribit, fortis vir & patiatur & agat.* Et eodem pertinet descriptio Fortitudinis à Cicerone tradita lib. 2. de Inuent. & totidem verbis ab AVGVSTINO etiam lib. 83. qq. quæst. 31. scilicet: *Fortitudo est considerata periculorum susceptio & laborum perpessio.* Quanquam illa nostra descriptio, & Philosophi est plenior; cùm etiam ad Fortitudinem pertineat timere quandoque & cauere acerba, prout expedit, ne temerè ab illis oppressi recedam⁹ ab officio consentaneo rationi; id quod illa altera descriptio Ciceronis & Augustini non explicat. Quid autem sit Timor & Audacia, atque adeo etiam spes seu fiducia (quæ cũ audacia solet coniuncta esse) explicauimus tomo 2. in disputat. de Passionibus quæst. 7. 8. & 9. quò recurrendum est vt melius vis Fortitudinis percipiatur, quæ, vt dictum est, versatur in moderandis timoribus & audaciis, & consequenter etiam in moderanda passione Spei seu fiduciæ.

Porrò ex hac descriptione Fortitudinis facilè possunt quædam intelligi, quæ circa Virtutem hanc sunt obseruanda. PRIMO enim inde patet, Fortitudinem omnino esse Virtutem quandam specialem ab aliis distinctam; Nam habet peculiarem rationem tum laudis tum difficultatis, iuxta quam *bonum facit habentem & opus eius reddit bonum*; in quo ipso consistit ratio Virtutis, vt eam definit Philosophus 2. Ethic. cap. 6.

Neque obstat quod per ipsum commune nomen *Virtutis* sæpè solet Fortitudo significari. Vt Ecclesiast. 7. Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas Virtute irrumpere iniquitates. Et apud Virgilium:

—— dolus, an Virtus quis in hoste requirat?

Hoc enim non ideo fit, quia Fortitudo non sit Virtus determinata & peculiaris, sed quia propter constantiam & firmitatem quam animo adfert, ei vel maximè conuenit communis notio & appellatio Virtutis. Nam vt ait Cicero in 2. q. Tusculana, *appellata est à Viro virtus. Viri autem propria maximè est Fortitudo*; nimirum propter illam quæ viros maximè decet, animi firmitatem atq; Constantiam in obsistendo rebus acerbis, quæ continet potissimam laudem fortitudinis.

SECVNDO ex eadem ratione fortitudinis intelligitur, virtutem hanc communiter propugnare & tueri aliquam aliam virtutem, in cuius nimirum officio rectæ rationi consentaneo, obfirmat animum, vt indicauimus in descriptione, & patet ex doctrina D. Thomæ art. 1. In quo etiã sensu videtur dixisse sanctus AMBROSIVS lib. 1. de officiis, cap. 35. *Fortitudinem esse virtutem nũquam incomitatam.* Neque in hoc videtur malè sensisse Martinus de Magistris apud Caietanum artic. 7. Atque hoc ipsum indicauit rectè Cicero libro 1. de officiis, cum dixit, *probè à Stoicis fortitudinem definiri esse virtutem propugnantem pro æquitate.*

TERTIO inde etiam patet, Fortitudinem esse in appetitu *Irascibili*; in quo sunt nimirum eæ passiones quas moderatur, puta timor, audacia, atque spes, iuxta dicta tomo 2. quæst. 7. 8. 9. de Passionibus. Quanquam simul etiam est in Voluntate; vt eodem tomo, quæst. 2. de Virtutib. p. 2. ex plurium Theologorũ sententia tradidimus. Atque ibi etiam quęst. 4. p. 3. ostendimus quomodo sit virtus Cardinalis. Et quæst. 7. p. 3 quem præstantiæ gradum inter alias virtutes habeat.

Valebunt autem ad hanc virtutem Fortitudinis acquirendam, & conseruandam, illa eadem remedia quæ ad sedandos timores valere docuimus tomo 2. quæst. 9. de Passionibus p. 3.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quam latè pateat Materia & functio Fortitudinis.

D. Thom. art. 3. & seq.

QVOD attinet ad Fortitudinis MATERIAM, omnibus iis rebus ea continetur quæ sunt acerbæ & terribiles. Nam ob quasuis eiusmodi res potest animus deterreri & dimoueri ab officio rectæ rationi consentaneo. Itaque aduersus omnes eas res est firmandus per Fortitudinem. Quã ob causam rectè dixit Seneca epistola septuagesima secunda, *quidquid infestat, incitare Virtutem*, atque adeò fortitudinem.

Neque obstat quod Philosophus libro tertio Ethicorum capite sexto, docere videtur Fortitudinem propriè solum versari circa rem omnium terribilissimam quam affirmat esse mortem; & circa ea quæ proximè mortem inferunt, neque eam quamuis sed eam quæ in bello oppetitur. Non enim vult, Fortitudinem nullo modo versari circa alia etiam terribilia; sed non versari circa illa primariò & principaliter, & ita, vt posse illa quæ infrà mortem sunt sustinere, sufficiat ad veram animi fortitudinem. Hoc enim modo scilicet ita primariò & principaliter solum versatur circa mortẽ præclaram qualis oppetitur in bello: Nam cùm mors sit omnium terribilissima res, hoc ipso quod quis potest fortiter sustinere atque spernere mortem, potest etiam contemnere alia omnia terribilia, ac proinde est verè fortis. Sic igitur illa verba philosophi intelligi debent, cùm ait eo loco: *Ille propriè vir fortis dicetur, qui circa præclaram mortem impauidus fuerit, circaque ea quæ mortem adferunt, cùm proxima sunt. Eiusmodi autem maximè sunt quæ in bello occurrere consueuerunt.* Ac sic etiam intelligendus est hîc diuus Thomas articulo quarto, vt patet ex ipso, quæstione sequenti, articulo secundo, & articulo quarto ad tertium.

Neq; etiam obstat quod Philosophus ibidem ait: *Non esse fortem eum qui flagris cedendus considit*, id est, non timet. Nec quod addit, *fortem non versari circa mortem quamlibet, vt si in mari*, inquit, *vel morbo contigerit.* Similiter namque exponenda hæc sunt: nempe vt sit sensus, non illico censendum esse habere veram fortitudinem eum qui erga hæc sit intrepidus, nisi etiam ita sit animo comparatus vt possit contemnere mortem in præclaris rebus, vt puta in bello, quam nimirum primario respicit Fortitudo tanquam continentem reliqua terribilia, vt iam ante diximus. Neque enim negari potest, quin etiam erga eiusmodi alia terribilia exerat vim suam Fortitudo in eo qui præclaram etiam mortem possit sustinere. Nam ea quoque terribilia infra mortem pro retinendo officio sustinere (vt flagra, &c.) habet peculiarem tum laudem tum difficultatem; neque ad aliam virtutem præterquam ad Fortitudinẽ peculiaris hęc laus & difficultas pertinet. Vnde Cicero quæstione secunda Tusculana, Fortitudinis munus esse dixit, non modò contemnere mortem sed etiam dolorem. *Fortitudinis*, inquit, *munera duo maxima sunt, mortis, doloriſque contemptio.*

Quin etiam ex sancto AMBROSIO libro primo de officiis, capite trigesimo nono, possumus colligere, nomine *terribilium & acerbarum* rerum quæ sunt materia Fortitudinis, comprehendi quoque eas incommoditates & molestias, quas in acquisitione & conseruatione cuiuscunq; Virtutis oportet subire. Etsi enim vincere & spernere has difficultates, vt sunt propriè & peculiariter contra peculiarem rectitudinem cuiusq; Virtutis, pertineat ad vnam quamque Virtutem; tamen potest simul ad Fortitudinem pertinere victoria & contemptio earundem difficultatum & molestiarum, quatenus hoc ipso quòd deterrent à proprio officio cuiusque Virtutis, deterrent etiam ab officio Rationi rectæ consentaneo generatim & abstractè cogitato, in quo nimirum obfirmare animũ superando contraria est proprium munus Fortitudinis, vt patet ex descriptione eius proposita puncto præcedente.

Huc spectat illud quod sanct⁹ AMBROSIVS in illo capite trigesimo nono, libro primo de officiis, præclarè ita scripsit: *Non est discreta à cæteris animi Fortitudo, quæ bellum cum Virtutibus gerat, sed quæ sola defendat ornamenta Virtutum omnium, & iudicia custodiat, & quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decernat; inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, quibus aurem deferre nesciat, nec (vt dicitur) Aue dicat, pecuniam negligat, auaritiam fugiat tãquam labem quandam, quæ virtutem effæminet.* Et quãuis, vt diuus Thomas articulo secundo ad secundum dicit, possunt hæc intelligi de Fortitudine communiter dicta, tamẽ nihil etiam obstat quominus de Fortitudine propriè dicta intelligantur; Eo modo quo explicaui. Quod ipsum ibidem etiam agnoscit sanctus Thomas cum subiungit, fortitudinem quoque vt est Virtus specialis & propriè dicta coadiuuare alias Virtutes. Et certè Ambrosius in illo capite trigesimo nono de Fortitudine, vt est à cæteris distincta, videtur loqui, vt patet ex eo quod dicit, *solam defendere ornamenta Virtutum omnium, &c.* Quam igitur latè pateat MATERIA in qua versatur Fortitudo, hactenus dictum est.

FVNCTIO quoque Fortitudinis latissimè patet. PRIMO enim, prout variis motibus potest animus in officio contineri obsistendo malis & periculis, quæ ab illo deterrere queant, ita varia esse potest functio fortitudinis, cuius nimirũ munus est per eam resistentiam animum stabilire in officio, vt puncto præcedente dictum est. Itaque potest functio Fortitudinis exerceri vel prout & quando expedit, moderatè timendo & cauendo pericula, ne ab his temerè oppressi recedamus ab officio, vt puncto præcedenti docuimus ex sententia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentia Philosophi; Vel audendo & aggrediendo per moderatam passionem audaciæ opus arduũ ad tollendum malum ipsum terribile; Vel sustinendo malum iam vrgens, id quod præcipuum officium Fortitudinis est, vt docent Philosophus 3. Ethic. cap. 9. & D. Thomas hic artic. 6. eo quod in sustinendo & perferendo mala per represionem timoris magis eis resistitur, quod est præcipuum in fortitudine. Et quamuis timere & audere in genere quidem *naturæ* sint motus genere diuersi, tamen in genere *moris* vt vterque motus ordinatur ad obsistẽdum malo & periculo ne ab officio nos dimoueat, eiusdem Virtutis *specie* actus sunt, nimirum Fortitudinis.

DEINDE patet etiam latè functio Fortitudinis tum ex parte *finis* ob quem suscipitur, tum etiam ex parte motuum quos habere potest *adiunctos*. Ex parte quidem *finis*, nam duplex hic est. Vnus *intrinsecus* seu propinquus, scilicet bonum Rationis, quod cernitur in ipso obiecto formali Fortitudinis, nempe in depulsione & represione malorum & periculorum ne nos dimoueant ab officio. Qui finis nisi inprimis in functione Fortitudinis spectetur, nõ erit ea verè actus fortitudinis sed tantummodo per quandam fortitudinis similitudinem: Vt pulchrè ostendit Philosophus 3. Ethicor. cap. 8. & ex eo sanctus Thomas artic. 1. ad 2. in iis hominibus qui ad operandum fortia mouentur nõ propter ipsum bonum rationis; sed quia vel ignorant magnitudinem periculi; vel quia sperant, se euasuros, propter experientiam, vel peritiam; vel ex Ira; vel ex tristitia quam cupiunt depellere; vel propter consequẽdum aliquod temporale commodum, &c.

Alter *finis* potest esse *extrinsecus* & remotus; vt puta officiũ alicuius alterius Virtutis, quod Fortitudo etiam tuetur, sicut antea dictum est: Item æterna quoque beatitudo, quam meritò etiam potest sibi fortis proponere, vt docet diuus Thomas articulo septimo. Atque etiam incolumitas à suppliciis æternis, vt luculentet docuit sanctus AMBROSIVS libro primo de officiis, capite trigesimo octauo. *Quia*, inquit, *omnia supplicia grauiorum suppliciorum vincuntur formidine; ideo si consilio firmes animum tuum, nec à ratione discedendum putes, & proponas diuini iudicij metum, perpetui supplicij tormenta; potes animo subire tolerantiam.*

Ex parte autem motuum *adiunctorum* (vt diximus) latè etiam patet functio Fortitudinis. Nam primùm solet esse coniunctus cum fortitudinis actu, alterius etiam Virtutis actus pro qua certat Fortitudo iuxta supra dicta. Deinde accedere etiam solet motus iræ, & quidem non inutiliter si sit iustus & moderatus: Quanquam etiam sine omni ira potest fortitudo ex sola Rationis electione obire munus suum. Iuxta illud Ciceronis quæstione quarta Tusculana: *Non desiderat Fortitudo aduocatam iracundiam; satis est instructa, armata, parata per se se.* Præterea non deest etiam in tormentis animo forti aliqualis delectatio & Iucunditas, quæ decus ipsum Virtutis comitatur; quanquam ob vrgentem simul dolorem quodammodo obscuratur, vt tradit Philosophus libro tertio Ethicorum, capite nono. Sed de his hactenus.



QVAESTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

De Martyrio.

D. Thomas 2. 2. quæst. 124.

EXPLICANDVM EST PRIMO, QVID SIT MARTYRIVM. EX QVO patebit, An & quomodo sit Actus Virtutis Fortitudinis. SECVNDO, Quam habeat efficacitatem. Differunt autem aliquid de Martyrio Theologi in 4. sent. d. 4.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Martyrium.

D. Thomas art. 1. 2. 4. 5.

QVAMVIS MARTYRIVM, si attendamus ad vim græci vocabuli μαρτύριον, idem est quod *testimonium*, & Martyr idem quod *testis*. Sed vsu loquendi in Ecclesia recepto, Martyrium non est qualecunque testimonium, sed *testimonium quo morte ipsa pro Deo obita testificetur quis aliquam fidei Veritatem, vel in se ipsam, vel in aliquo pio Virtutis opere relucentem.*

Neque verò Martyrium iuxta hanc vocabuli notionẽ, est aliquid vnum vnitate aliqua simplici siue *vniuoca* sed vnitate quadam *analogica* siue cuiusdam ordinis. Nam communi vsu loquendi Martyrij vocabulũ iuxta eam notionem tribuitur duabus rebus valde diuersis, solum propter ordinem vnius ad aliam: Scilicet & *Morti* ipsi, & *actui* quo acceptatur; sicut & vtroq; istorum suo modo testificatur fidei veritatem aut in se ipsam aut in opere pio relucentem. Per quas duas Martyrij acceptiones facilè expediuntur omnes difficultates quæ spectant ad Martyrij rationem.

PRIMO itaq; Martyrium dicitur *ipsa Mors* pro Deo obita ad testificandam fidei veritatem vel in se (vt diximus) vel in aliquo pio Virtutis opere relucentem. Atque isto modo Martyrium nõ est aliquis actus sed potius *Obiectum* actus, vt posteà patebit. Et sic de Martyrio loquuntur Scriptores Ecclesiastici, & reliqui fideles, cùm prædicant & colunt Martyrium sanctorum Innocẽtum, qui absque vllo actu sui liberi arbitrij mortem pro Christo Domino pertulerunt, & ea ipsa illum esse verum Messiam ac Regem animarum non loquendo sed moriendo (vt ait Ecclesia) confessi & testati sunt. Itẽ sic loquimur de Martyrio cùm dicimus, sanctos Martyrium pertulisse, & illud esse Dei donum ac præmium quoddam, &c.

Nec per Mortem hîc propriè intelligimus separationem ipsam animæ à corpore, atque adeò mortem vt *in facto esse*; sed mortem vt *in fieri* ante illud momentum in quo iam homo *non est*, & anima incipit esse separata à corpore. Quo pacto tunc Mors est, vt *in fieri* cum mori homo dicitur; nimirum iam lætaliter affectus & in certa via ad separationem animæ & corporis; vt cum est lætaliter sauciatus vel extremè æger, &c. quemadmodum indicauit sanctus Thomas artic. 4. ad 4. cum notanter dixit, tunc pati aliquem martyriũ cùm patitur ipsam *inflictionem* mortis. Etenim Mors in qua Martyrium consistit, ea esse intelligenda est, quæ valere possit vt in ea vel per eam Martyr obtinere queat gratiam & remissionem peccatorum (iuxta ea quæ trademus puncto sequenti) id quod non contingit nisi ante separationem ipsam animæ à copore, dum scilicet quis adhuc viuit hanc vitam & per eam tanquam per viam quandam tendit ad beatitudinem.

Vt autem huiusmodi mors (scilicet ita *in fieri*) sit verè martyrium de quo loquimur, quinque conditiones requiruntur, vt ex dictis patet. PRIMA conditio est, vt re ipsa separatio animę & corporis sequatur, sicut ex communi doctrina docet D. Thomas artic. 4. Alioqui enim, quidquid aliquis citra realem ipsam mortem patiatur; eiusmodi passio non propriè sed solum per quãdam similitudinem Martyrium dici poterit, vt ibidem ait D. Thomas ad 1. Quo pacto interpretatur illud Hieronymi (vel potius SOPHRONII) in serm. de assump. Beatæ Mariæ, qui incipit, Cogitis me ô Paula & Eustochium; tomo 9. operum Hieronymi: *Rectè dixerim quod Dei genitrix Virgo, Martyr fuit, licet in pace vitam finierit.* Et illud item GREGORII homil. 3. in Euang. *Quamuis occasio Martyrij desit, habet tamen & pax nostra martyrium suũ; quia etsi carnis colla ferro non subiicimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.* Neque obstat illud Domini ad Iacobũ & Ioannem (qui martyrium re ipsa non fuit passus) *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 22. Nam Ioannes etiam nihilominus calicem bibit hoc ipso quod promptissima

sima voluntate mortem sibi intentatam acceptauit, quamuis re ipsa illam in tormentis passus non est, neque adeò Martyr propriè fuerit.

SECVNDA conditio est, vt Mors eiusmodi nõ sit CONTRA voluntatem patientis. Non tamen requiritur vt sit etiam expresè & actu volũtaria; sicut patet in Innocentibus, qui sine eiusmodi voluntate, verũ Martyrium perpessi sunt & per *Martyrij gloriam* æternitatem consecuti, vt ait Hilarius Can. 1. in Matthæum. Commenticium enim est; quod quidam dixerunt, fuisse in illis miraculosè acceleratum vsum Rationis; neque enim id vllo firmo testimonio aut argumento probari potest. Vnde sanctus Augustinus serm. 8. de sanctis, æquè indubitanter atque eleganter disserit beatos illos paruulos, nescientes planè quid ageretur, se ipsos publicasse cùm matres vellent abscondere, *nec sciuisse tacere cùm necdum didicissent formidare.*

TERTIA conditio est, vt mors non obeatur quasi ex *consequenti*, vt fit quando quis intendit aliquid aliud & præter eius intentionem mors sequitur. Nam ob defectũ huius conditionis mors militum in bello etiamsi propter fidei defensionem occumbant, minimè est martyrium.

QVARTA conditio est, vt Mors obeatur propter iustam causam, id est, ob fidei defensionem vel in se, vel vt relucet in opere pio Virtutis, in quo scilicet ad mortem vsque propugnando, vel eo ipso ostendat quis placere Deo pia opera Virtutis, quo est nimirum quædam fidei veritas. Ac ob defectum huius conditionis, quãtumuis quis acerbissima patiatur tormenta, tamen si ea non propter fidei veritatem & iustitiam, sed aliam ob causam patiatur, minimè verus Martyr erit. Verissimè enim sanctus AVGVSTINVS conc. 2. in Psalm. 34. *Martyres*, inquit, *non facit pœna sed causa.* Quod pulcherrimè ibi confirmat ex illis verbis eiusdem Psalmi: *Exurge Domine & intende Iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in* CAVSAM *meam. Non* (inquit Augustinus) *in pœnam meam, sed in causam meam. Non in id quod mecum habet latro commune, sed in illud, quo Beati qui persequutionem patiuntur propter* IVSTITIAM. *Matth. 5. Hæc enim causa discreta est. Nam pœna communis est bonis & malis.* Et Epistola quinquagesima ad Bonifacium Comitem. *Dominus*, inquit, *cum latronibus crucifixus est: sed quos passio iungebat, causa separabat. Ideo in Psalmo quadragesimo secundo. Vox illa intelligenda est verorum Martyrum; volentium se discerni à falsis martyribus: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Non dixit, Discerne pœnam meam, sed discerne causam meam. Potest enim esse impiorum similis pœna: sed dissimilis est martyrum causa.*

QVINTA conditio est, vt in eo qui mortem patitur non vigeat affectus ad peccatum aliquod mortale. Nam non censetur esse verè Martyrium id quod spiritualiter ad salutem non prodest. Ei autem in quo viget affectus ad aliquod peccatũ mortale excludens Charitatem, nihil omnino ad salutem prodest: Iuxta illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Atq; hanc ob causam qui extra Ecclesiam sunt, vtpote obstricti peccato mortali schismatis vel infidelitatis, etiamsi propter Christum patiantur, tamen minimè sunt veri Martyres, vt luculenter asserit sanctus Augustinus libro primo contra epistolam Parmeniani, capite septimo. Et sanctus PACIANVS epistola secunda ad Sympronianum. *Extra Ecclesiæ*, inquit, *pacem, extra concordiam, extra eam matrem cuius portio debet esse, quis martyr est? Audi Apostolum, si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodest.* Idem asserit sanctus FVLGENTIVS libro de fide ad Petrum capite trigesimo nono.

His quinque conditionibus concurrentibus, Mors pro causa pia obita Martyrium est, illo primo modo quo iam de Martyrio loquimur. Neque est semper de ratione istiusmodi Martyrij, vt mors sit illata ab alio; Nam quædam etiam sanctæ fuerunt verè Martyres, quæ ex peculiari Dei instinctu sibi ipsis mortem concurrentibus illis quinque conditionibus consciuerunt; vt patet ex sancto AVGVSTINO libro primo de ciuitate Dei, capite vigesimo sexto, vbi ait, *earum sanctarũ martyria in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentari.* Ordinariè autem sicut non licet se occidere citra eiusmodi instinctum Dei (iuxta dicta suprà disputatione quinta, quæstione octaua) ita ad martyrium requiritur, vt mors ab alio inferatur. Et hactenus de Martyrio, accipiendo hoc vocabulum PRIMO illo modo quo diximus, scilicet pro ipsa morte.

SECVNDO dicitur Martyrium ipse etiam *actus* quo Mors talis, qualis hactenus descripta est, voluntariè suscipitur & sustinetur, &c. contempta eius acerbitate, idque pro retinenda & propugnanda veritate fidei vel *in se*, vel vt relucente in aliquo pio virtutis opere, iuxta veram & communiter receptam doctrinam diui Thomæ articulo quinto. Et hoc modo Martyrium est actus quidam fortitudinis *elicitiuè*, cùm per eum firmetur animus in officio rectę rationi consentaneo, puta Fidei, vel etiam alicuius alterius Virtutis in qua fidei Veritas reluceat. *Imperatiuè* autem est actus Charitatis & quidem præstantissimus (quatenus à Charitate imperatur) iuxta illud Domini testimonium Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vt etiam docet diuus Thomas hìc articulo 1. & 2. & 3.

Ex qua verissima doctrina facilè refelluntur duæ absurdissimæ hæreses. VNA Basilidis qui insipienter censuit, non licere subire Martyrium, vt intelligi potest ex Tertulliano in libro de præscript. non longè à fine. Contra manifesta illa Domini testimonia Matthæi quinto. *Beati qui persequutionem patiuntur propter Iustitiam.* Et Matthæi decimo. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Et

Et infrà: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et Ioannis decimo quinto. *Maiorem charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vnde & Apostolus ad Hebræos vndecimo, Martyres laudat. *In occisione*, inquit, *gladij mortui sunt, &c. quibus dignus non erat mundus.* Quin etiam de subeundo Martyrio tempore necessitatis pro tuenda scilicet fide, extat Domini præceptũ, vt verè affirmauit TERTVLLIANVS in Scorpiaco aduersus Gnosticos, & patet ex illo Lucæ nono. *Oportet filium hominis multa pati, &c. & occidi.* Et sequitur paulò post: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam, &c.* Vnde sanctus AVGVSTINVS libro decimo tertio de ciuitate Dei, capite quarto. *Dictum*, inquit, *est homini, Morieris si peccaueris. Nunc dicitur Martyri, Morere, ne pecces. Tunc dictum est, Si mandatum trangressi fueritis, morte moriemini. Nunc dicitur, Si mortem recusaueritis, mandatũ transgrediemini.*

ALTERA hæresis fuit Flagellantium hæreticorum, qui vt refert Bernardus de Luzemburgo in hæreticorum catalogo, aiebant, flagellationem esse præstantiorem quàm Martyrium, eo quod quis se ipsum flagellat, mors autem ab alio quopiam Martyri infligitur. Quod placitum & absurdum & ineptum est. Nam præponderat multis partibus ei consideration, quod per Martyrium contemnitur & toleratur pro retinendo virtutis officio ipsa mors, quæ est malum omniũ terribilissimum. Quamobrem siue Martyrium consideretur vt *elicitiuè* est actus Fortitudinis, siue vt imperatiue est à charitate; perspicuum est, illud antecellere cuicunq; alij macerationi corporis. Iuxta illud testimonium Christi, *Maiorem charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis, &c.* Ioannis decimo quinto. Vnde etiam Dauid: *Preciosa*, inquit, *in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Psalm. 115.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quam efficacitatem habeat Martyrium.

Ad art. 3. D. Thom.

DE efficacitate & valore Martyrij quędam sunt certa apud Theologos, & vnum controuersum. PRIMO certũ est, Martyrium vt consistit quidem in actu tum Fortitudinis elicitiuè, tum Charitatis imperatiuè (iuxta dicta puncto præcedenti) habere singularem vim promerendi non modo beatitudinem ipsam & gloriam essentialem, vt alij actus boni meritorij, sed etiam peculiare quoddam præmium accidentale, quod Theologi appellant Martyrij *laureolam*, siue aureolam consistentem in singulari quodam gaudio beati ob victoriam de morte & conformitatem cum morte & passione Christi Domini, atque etiam in singulari quodam fulgore corporis post resurrectionem ex illo gaudio redundantem, iuxta doctrinam D. Thomæ, in additionibus ad 3. p. q. 96. artic. 6. & 10. quæ est etiam aliorum Theologorum.

SECVNDO certum est, meritum istud Martyrij non impediri per aliquod peccatum veniale Martyris quod extrinsecè quidem se habeat ad ipsum actum Martyrij, etiam si fortè affectus ad illud vigeat adhuc in Martyre, ipso Martyrij tempore. Vt enim peccatum veniale non impedit gratiam (sed solum mortale) ita neque meritum boni actus qui exerceatur in gratia. Dixi autem non impediri per peccatum veniale *quod extrinsecè quidem se habeat ad ipsum actum Martyrij*; Nam si ipsemet actus acceptandi & tolerãdi mortem esset veniale peccatum ob aliquam malam circumstãtiã (vt si referretur ad vanam gloriã, &c.) proculdubio id peccatũ veniale impediret Martyrij meritum; quoniã impediret etiã quominus talis actus esset verè Martyriũ. Martyrium enim non est id cp vlla ratione sit malum & peccatum, sed id cp vndequaque sit bonum & vtile spiritualiter, vt patet ex dictis p. præced. in quinta Conditione. Adde quod qui actũ ipsum acceptandi & tolerandi mortem referret ad malum finem, etiam secundum se tantummodo venialem, eo ipso peccaret aliundè mortaliter: prodigens nimirum vitam sine vlla vtilitate: Nisi fortè ab hoc peccato mortali in illo mortis articulo & trepidatione excusaretur quis per inuincibilem circa hoc ignorantiam aut incogitantiam.

TERTIO certum est Martyrium, vt consistit *imperatiuè* in actu charitatis, habere etiam vim ex opere operantis conciliandi gratiã, si fortè Martyr vsque ad illud tempus ea carebat, neque alioqui in eo vigebat affectus ad aliquod peccatum mortale. Nam actus veræ charitatis præsertim talis, quali (testante Domino Ioannis decimo quinto) nulla est *maior*, eam vim habet; cùm eius actus sit etiã virtualiter actus pœnitentiæ. Quanquam negandum non est, quin in illo mortis articulo teneatur etiam Martyr ex necessitate præcepti pœnitentiæ tempore mortis vel maximè obligantis, pœnitere de peccatis, nisi fortè ab hoc præcepto implendo excusetur, propterea quod in illa mortis trepidatione laboret inuincibili incogitantia peccatorum: De quo aliàs in materia de pœnitentia disserẽdum est. Dixi autem, vt Martyrium consistit *imperatiuè* in actu charitatis, &c. Nam vt consistit elicitiuè in actu fortitudinis, non habet vim conciliandi gratiam ex opere operantis, cum actus fortitudinis non numeretur inter actus vltimò disponentes ad gratiam iustificationis.

QVARTO certum est, Martyrium, vt consistit in eiusmodi actibus charitatis & fortitudinis, habere etiam vim ex opere operantis satisfaciendi pro tota pœna temporali debita peccatis. Quod patet, primùm ex Innocentio III. in capit. *Cum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Martha, §. vlt. Extra de celebratione Missarũ, vbi affirmat *iniuriam facere Martyri eum, qui orat pro Martyre*. Ex quo manifestè est consequens, remitti Martyri omnem pœnam temporalem peccatis debitam. Aliâs enim, absq; Martyris iniuria, possemus orare pro Martyre, vt ei scilicet pœna temporalis remitteretur, si eius aliquo reatu ostrictus maneret: sicut oramus ad hunc finem pro sanctis animabus, quæ sunt in purgatorio.

Deinde id ipsum patet ratione. Nam Martyrium longè antecedit quo ad acerbitatem, cuicunque actui pœnitentiæ etiam intensissimæ & seueriſsimæ. Sed potest aliquis pœnitentiæ actus esse tantus, vt per illũ remittatur tota pœna temporalis debita peccatis; qualis putatur fuisse pœnitentia Magdalenæ & similium sanctorum, Ergo etiam remittitur per Martyrium tota eiusmodi pœna.

QVINTO consequenter etiam est certum, remitti quoque per Martyrium peccatum veniale quo ad culpam post mortem, si fortè in Martyre viguit affectus ad aliquod peccatum veniale etiã tunc cum pateretur. Probatur eodem illo testimonio Innocentij. Nam alioqui liceret sine iniuria Martyris orare pro Martyre, vt ei scilicet peccatum veniale remitteretur, si fortè in affectu ad illud vitam finiuisset.

Et hæc quidẽ certa sunt. CONTROVERSVM autem inter Theologos est, An per Martyrium, vt consistit saltem in ipsa morte tali, qualem puncto præced. descripsimus, remittatur *ex opere operato* peccatũ mortale quo ad culpam, si fortè vsque ad illud mortis tempus Martyr erat eo obstrictus, citra affectum tamen adhuc vigentem erga illud. Itaq; quæstio est, an qui peccato mortali obstrictus, neque habens expressum actum supernaturalem charitatis aut contritionis patitur Martyrium, eo ipso ex certa lege Dei, & ex Martyrij priuilegio consequatur gratiam iustificationis per eiusmodi Martyrium, in aliquo momento eius temporis quo Martyriũ durat, iuxta dicta puncto præced. quodcunq; demum id momentum sit, siue in principio, siue in medio, siue circa finem eius temporis; Id enim nec possumus determinatè scire, neque scire refert: Modò id fiat quidem ante ipsum terminum illius temporis, quo iam nimirum quis est extra hanc vitam atque adeò incapax ad recipiendam gratiam iustificationis, iuxta dicta quoque puncto præcedenti.

Sunt autem hac de re duæ contrariæ sententiæ. Nam Paludanus in 4. dist. 4. q. 3. sub initium, & vt videtur etiam Albertus Magnus eadem dist. art. 6. ad 4. sentiunt, per Martyrium non remitti peccatum mortale ex opere operato, ita vt per ipsum fiat quis ex attrito contritus, id est, vt acquirat per illud gratiam sine contritione. Atque in hoc cẽsent Martyriũ esse inferius baptismo. Et idem sensit Armechamus lib. 8. de q. Armen. cap. 37. & Adrianus in 4. in materia de baptismo, quæstiuncula tertia ad tertium argumentũ. Fundamentum huius sententiæ est, quia Martyrium non est sacramentum; neque etiam sacramento baptismi æquiparandum in eiusmodi efficacitate.

CONTRA verò alij sentiunt Martyrium ex opere operato valere ad conciliandam gratiam & remissionem peccatorum mortalium. Ita sensit Richardus in 4. distinctione quarta, articulo secundo, quæstione tertia in fine, & Durandus eadem distinct. q. 8. præsertim numero 14. Et Ioannes Maior eadem dist. q. 3. non longè à fine. Atque in eandem sententiam propendet Sotus libro secundo de natura & gratia, capite decimo sexto. Hęc secunda sententia mihi videtur omnino vera.

Probatur PRIMO luculento testimonio sancti AVGVSTINI lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 7. *Quicunque*, inquit, *etiam non suscepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ intrabit in regnum cælorum; alia sententia istos facit exceptos, Matth. 10. vbi non minus generaliter dixit: Qui me cõfessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est. Et alio loco* (Matth. 16.) *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Hinc est quod scriptum est Psalmo 115. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius. Quid enim pretiosius quàm mors per quam fit, vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur.*

SECVNDO probatur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ omnes illos paruulos Innocentes colit & celebrat tanquam veros Martyres & sanctos. Inter quos non videtur esse dubitandum, quin aliqui per ipsum Martyriũ ex opere operato (cùm caruerint *opere operantis*) iustificati sint. Nam sine dubio fuerunt aliqui ex illis nondum circumcisi; quia scilicet vel nondum attigissent octauum à natiuitate diem, ante quem remedium circumcisionis paruulis non applicabatur, vel fortè essent filij Gentilium, vt aliquos fuisse in illa multitudine credibile est, quos proinde parentes nó curarent circumcidi. Quod si paruuli per Martyrium ex opere operato iustificari possunt; certè consequẽs est, vt etiam adulti, cùm horum martyrium non sit deterioris conditionis, sed potius eò melioris, quò est magis voluntarium.

Neque audiendi sunt Armechamus & Adrianus, qui dicunt Ecclesiam non celebrare ex illo paruulorũ numero nisi eos qui fuissent circumcisi & per id remedium assecuti gratiam. Repugnat enim huic commento, tum auctoritas Ecclesię, quæ in illorum festo neminem prorsus excipit, tum etiam auctoritas sanctorum Patrũ, qui in suis de illis Innocentibus concionibus omnes illos, qui iussu Herodis propter Christum occisi sunt, sine vllius exceptione celebrant: vt videre est

est apud Hilarium Canone primo in Matthęum, & Cyprianum in sermone de Stella & Magis, & Augustinum sermone octauo de sanctis, & apud alios. Et deniq; repugnat eidẽ commento communis etiam sensus & consuetudo fidelium, qui in illo festo omnes illos Innocẽtes paruulos propter Christum occisos æquè venerantur nemine illorum excepto.

TERTIO probatur ea ratione: Nam per baptismum ex opere operato ideo remittuntur omnia peccata, quia continet quandam repræsentationem mortis Christi per modum cuiusdam signi. Sed Martyrium continet repræsentationem eiusdem mortis Christi per realem similitudinem, quod multò plus est. Ergò minimè negandum est, quin illud etiam habeat eam efficacitatem, vt est quædam realis similitudo mortis Christi.

QVARTO accedit, quod Ecclesia statim atq; constat aliquem fuisse verũ Martyrem (hoc est, obiisse mortem talem, qualem puncto præcedẽti descripsimus requiri ad Martyrium) habet illum pro sancto, & reputat iniuriam ei fieri si oretur pro illo, vt patet ex Innocentio III. in dicto capit. *cum Martha*, §. finali, Qui & addit, *sacræ scripturæ auctoritatem ita docere*: nimirũ illis locis, quibus ad hoc propositum vtitur Augustinus libro illo 13. de Ciuit. cap. 7. sicut antea audiuimus. Ergo fatendum est, hoc ipso quod aliquis sustinet verum Martyrium, iustificari, etiam si fortè ante illud iustus non esset, nempe si in illo non habeat sufficientem actũ supernaturalem charitatis aut pœnitentiæ (quod in illa trepidatione facilè cõtingere potest) per quem ex opere operantis iustificetur.

AD fundamentum verò contrariæ opinionis respondet Ioannes Maior vbi suprà, Martyrium quoque esse sacramentum, nec propterea tamen esse plura sacramenta quàm septem: Reuocari namque illud ad baptismum, cùm sit etiam quidam baptismus, nimirum *sanguinis*, vt Theologi appellant. Sed hæc responsio neque necessaria neque probabilis est. Potest enim aliter verius & facilius responderi, cum Richardo, Durando & aliis, scilicet Martyrium, quamuis cum baptismo conueniat, in illa vi conciliãdi gratiam ex opere operato, tamen ideo non esse sacramentum, neque sacramento simpliciter æquiparãdum, quia non id facit tanquam signum aliquod peculiariter ad eum effectum diuinitus institutũ, sed propter realem repræsentationẽ mortis Christi. Adde, quod neq; ex opere operato concurrit Martyrium ad gratiam per modum *instrumenti physici*, sicut concurrunt alia sacramenta, vt suo loco videbimus, sed tantummodo, vt quædam causa moralis, id est, vt mouens Deum ad conferendam gratiam ei qui Martyrium sustinet, si illam ante non habuit.

QVÆSTIO TERTIA.

De partibus Fortitudinis, & de peccatis oppositis tum ipsi Fortitudini, tum eius partibus.

D. Thomas 2. 2. quæst. 128. & seq.

DICEMVS PRIMO, QVAENAM SINT PARTES FORTITVDINIS. SECVNDO, quænam peccata aduersentur fortitudini & eius partibus: & vtrumq; breuiter cum ferè sufficiant ea quæ tradit D. Thomas de his rebus.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sint partes fortitudinis.

SVBIECTIVAS PARTES, QVAE SCILICET sint aliquæ virtutes specie differentes ad quas ipsa virtus fortitudinis habeat se tanquam genus; nullas habet fortitudo. Nam est ipsa vnica virtus specie infima, vt rectè asserit D. Thomas hîc quæst. 128. art. 1. Quod æquè verum est, siue fortitudo consideretur vt est in appetitu irascibili, siue vt est etiam in voluntate, iuxta ea, quæ tradidimus tomo 2. quæst. 2. de Virtut. p. 2. Itaque supereſt, vt fortitudo tantummodo habeat partes aliquas *potentiales & integrales*. Quænam autem appellentur partes potentiales alicuius Virtutis & quæ integrales, docuimus suprà disputat. 4. quæst. 2. & disput. 5. quæst. vlt.

Sunt autem partes POTENTIALES fortitudinis in vniuersum octo, vt intelligi potest ex diuo Thoma vbi suprà, & quæstione 129. articulo 7. & 134. & 136. art. 5. & 137. art. 3. Hæ sunt Fiducia, Magnanimitas, Securitas animi, Magnificentia, Patientia,

tientia, Longanimitas, Perseuerantia, Constantia.

Hæ Virtutes, siue omnes inter se propriè differant specie, siue non (de quo non videtur magnoperè laborandū) ideo rectè dici possunt partes potentiales fortitudinis, quoniam habent aliquam affinitatem & similitudinē cum illa, neq; tamen sunt æquè atque ipsa principales. Quod facilè patebit ex rationibus singulorum.

Etenim FIDVCIA est Virtus quædā perficiens animum vt sit promptus ad aggrediendum opera ardua citra præsens tamen periculum mortis. Quam Cicero libro 2. de Inuent. & S. AVGVSTINVS libro octoginta trium quæstionū, quæst. 31. iisdem verbis sic describunt: *Fiducia seu fidentia est per quam magnis & honestis rebus multum ipse animus in se fiducia cum certa spe collocabit.* Itaque & est similis fortitudini, cum & ipsa aggrediatur promptè res arduas; & deficit tamen ab illa, cum non etiam ipsa se extendat ad præsens periculū mortis, nisi fortè ex imperio & impulsu fortitudinis.

MAGNANIMITAS perficit animū vt erga res magnas & præsertim erga honores magnos rectè se habeat, eos nimirum prout expedierit, aut contemnendo, aut moderatè curando. De qua virtute sic inter cætera Philosophus lib. 4. Ethic. cap. 3. *Maximè quidem*, inquit, *magnanimus circa honores & ignominias versatur; ob eosq; honores, qui & magni sunt, & à probis Viris exhibentur, mediocriter quidem lætabitur, vtpote sibi accommodatos, vel etiā minores quàm sibi conueniat; Integræ enim & absolutæ virtuti nullus honor tribui dignus potest: Admittet tamen eos Magnanimus à probis Viris licet inferiores sint; propterea quod nō habent illi maiores quibus afficere ipsum valeāt, sed qui à quibuslibet è vulgo hominibus ob paruasq; res exhibētur, eos prorsus contemnet: Non enim est eis dignus. Simili modo etiā ignominiam; quippe quæ circa ipsum iure non accidat.* Et addit: *Quamuis maximè, vt dictum est, circa honores versatur Magnanimus, nihilominus tamen & in diuitiis & potestatibus, & omni tam prospera, quàm aduersa fortuna, quomodocunq; contigerit, moderatè se geret, &c.* Itaque etiam Magnanimitas habet quandam affinitatē cum fortitudine, quatenus versatur circa magna & ardua; & ab ea tamen deficit, quatenus non etiam, vt illa, versatur circa maxima, hoc est circa præsentia mortis pericula.

SECVRITAS placat & confirmat animum aduersus nimias anxietates & curas solicitas, quas solet timor concitare, iuxta illud quod Philosophus tradit lib. 2. Artis Rhetoricæ, cap. 5. scilicet *timorem facere homines consiliatiuos*, quatenus nimirum solicitos reddit circa modum quo effugiāt imminentia mala. Et sic etiam securitas imitatur fortitudinē, quæ item reprimit timores immoderatos. Neque tamen securitas hæc est fortitudini par, cum non etiam reprimat ipsa sola (sine impulsu Fortitudinis) timores imminentis mortis.

MAGNIFICENTIA rectè afficit animum, vt quis, pro vt expedit, & pro vt res aut institutū op⁹ exigit, faciat etiam magnos sumptus; Id quod arduum quiddam est, & sic etiā Magnificentia imitatur aliquo modo fortitudinem. De qua proinde sic Cicero & Augustinus, vbi suprà. *Magnificentia*, inquiunt, *est rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio, atq; administratio.* Et item Philosophus lib. 4. Ethicorum cap. 2. *Magnificentia*, inquit, *seu magnidecentia esse quædam Virtus videtur, quæ circa pecunias versatur: nō in omnes tamen quæ ad pecunias spectant actiones, sicut liberalitas, diffunditur, sed in sumptuosas tantùm: atque in his liberalitatem magnitudine excellit.*

PATIENTIA animum firmat aduersus tristitias, ne ab illis oppressus desciscat ab officio rationi rectæ consentaneo; iuxta illud S. AVGVSTINI in lib. de Patientia cap. 2. *Patientia*, inquit, *hominis est, qua mala æquo animo* (id est sine perturbatione tristitiæ) *toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora peruenimus.* Et lib. 83. quæstionum, quæst. 31. ex Cicerone libro de Inuētione, dicit patientiam esse *perpessionem rerum arduarū ac difficilium, honestatis aut vtilitatis causa.* Itaq; etiam imitatur fortitudinem. Deficit tamē à perfectione fortitudinis, quoniam ipsa propriè (id est, sine imperio & impulsu fortitudinis) nō sustinet malum difficillimū, nempe mortis, vt patet ex doctrina D. Thomæ, quæst. 136. a. 4. Quamuis & ipsa quoque per se magna quædam Virtus est; iuxta illud AVGVSTINI in lib. de Patientia, cap. 1. *Virtus*, inquit, *animi quæ patiētia dicitur tàm magnum Dei donum est, vt etiam ipsius qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.* Conducent autem ad acquirendam & conseruandam virtutem hanc Patientiæ illa eadem remedia, quæ tomo 2. quæst. 6. de passion. p. 3. docuimus valere ad comprimendas tristitias.

LONGANIMITAS animū perficit, vt moderatè & sine anxietate tendat per spem & expectationē in id quod diu differtur; ne videlicet contra atque expedit habeat in animo locum illud, quod dicitur Prouerb. 13. *Spes quæ differtur affligit animam.* Et sic etiam Longanimitas habet aliquid affinitatis cum fortitudine, siquidē superat difficultatem & molestiam, quā diuturna dilatio rei speratæ solet adferre.

PERSEVERANTIA, pro vt est non illa continuatio & conseruatio gratiæ per bona opera vsque in finem vitæ, de qua disseruimus tomo 2. q. 1. de Gratia, sed vt est quædam *Virtus*, animū perficit, vt non obstante molestia quam afferre solet ipsa diuturnitas temporis necessarij in perficiendo aliquo difficili opere bono, aut in acquirenda Virtute, persistat in officio vsque ad operis consummationē. De qua perseuerantia Cicero lib. 2. de Inuentione, & Augustinus lib. 83. quæstionum q. 31. *Perseuerantia*, inquiunt, *est, in ratione bene considerata stabilis & perpetua permānsio.* Vbi etiam apparet aliqua cum fortitudine similitudo, in superanda scilicet difficultate quæ existit ex operis diuturnitate.

CONSTAN-

CONSTANTIA denique animo tribuit vt firmiter persistat in bono contra difficultates prouenientes ex quibuscunq; aliis circumstantiis siue impedimentis operis boni: vt facilè docet diuus Thomas q. 137. art. 3. Atque hæ quidem sunt partes, vt diximus, potentiales fortitudinis.

Partes autē eiusdem fortitudinis INTEGRALES censeri possunt, quædam perfectiones, quas habere conuenit fortitudinis opus, & quæ possunt his ipsis nominibus Virtutum prædictarum significari, sicut annotauit rectè diuus Thomas q. 128. art. 1. Ita nimirum, vt nomine *Fiduciæ* intelligamus promptitudinem quandam in ipso operefortitudinis, quo rem arduam aggredimur, periculo contempto. Per *Magnanimitatem* autem, intelligamus eandem promptitudinem cum fuerit insigniter magna. Per *Securitatem* autē, quandam operis fortis perfectionem, quæ indicet illud proficisci ab interiore animo minimè perturbato. Per *Magnificentiam* aūt, splendorem quēdam eiusdem operis, cum per illum intenditur effectus aliquis insignis. Per *Patientiam verò*, quandam eiusdem operis alacritatē minimè succumbentem tristitiæ propter periculum aut malum vrgens. Per *Longanimitatem verò*, quandam in opere fortitudinis æquabilitatem, etiamsi non cito finem intentum assequatur. Per *Perseuerantiam autem*, quandam eiusdem operis continuationem. Et deniq; per *Constantiam*, quandam illius firmitatem minimè cedentem vllis obstaculis. Et de his quidem hactenus.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quæ nam peccata opponantur fortitudini & eius partibus.

D. Thomas q. 125. & seq.

PECCATA opposita fortitudini & eius partibus, potissimum sunt vndecim. Nam tria opponuntur ipsi fortitudini, scilicet *Timiditas*, seu Timor, *Intimiditas*, *Audacia* seu Temeritas, de quib' diuus Thomas q. 125. 126. 127. Magnanimitati autē opponūtur quatuor, scilicet *Præsumptio*, *Ambitio*, *Inanis gloria*, *Pusillanimitas*, de quibus diuus Thomas q. 130. vſq; ad 133. Magnificentiæ verò opponuntur duo, scilicet *Paruificentia* (vt eam appellat diuus Thomas q. 135. ex mente Philosophi libro 4. Ethic. cap. 2.) & Consumptio nimia seu *Profusio*. De qua D. Thomas ibid. art. 2. ex sententia eiusdem Philosophi illic. Perseuerantię autem opponuntur duo, scilicet *Mollities* quædam, & *Pertinacia*, de quibus agit D. Thomas q. 138. De his igitur iam Ordine est dicendum.

TIMIDITAS peccatum est fortitudini oppositum per *excessum* circa passionem timoris; quo scilicet timet aliquis, quod nō oportet, aut sicut non oportet, aut quando non oportet, & eo timore retrahitur ab officio debito Virtutis, vtà fide profitenda, &c. Quod prohibuit Dominus Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidūt corpus, &c.* Qui timor pro ratione officij debiti à quo retrahit, potest esse vel mortale, vel veniale peccatū, iuxta ea quæ de Timore mundano diximus fusè suprà disput. 2. Atque illum etiam fortitudini opponi docet Philosophus lib. 3. Ethic. cap. 7.

INTIMIDITAS peccatum est eidem fortitudini oppositum circa passionem quoq; timoris per *defectum*; cùm scilicet quis nō timet, aut quod deberet timere, aut sicut deberet timere, aut quando deberet timere. Nam & hoc etiam contra rectam rationem est. Vnde in Euangelio reprehenditur Iudex ille iniquus, *qui nec Deum timebat, neq; hominem reuerebatur.* Lucæ 18. Ac potest esse peccatum hoc vel mortale vel veniale pro ratione nocumenti proprij aut alieni, quod consequatur ex eiusmodi defectu timoris, vt explicat bene Caietanus in Summa, verbo Intimiditas. Item potest esse veniale, si procedat vt idem Caietanus inquit, ex stultitia excusabili, ob quam scilicet quis non perpendit pericula, &c. Quæ etiam tanta & tam excusabilis esse posset, vt Vacuitas illa Timoris ex ea proficiscens nullum esset peccatum; sicut idem Caietanus ait, conuenienter menti D. Thomæ q. 126. art. 1. Vbi D. Thomas ex Philosopho 3. Ethic. cap. 7. memorat Celtas solitos fuisse ob stultitiam non timere. Cuiusmodi homines censet ibi Philosophus nominari posse *Insanos* seu *Indolentes*. Potest etiam hoc peccatum esse tantūmodo Veniale propter imperfectionem actus; vt si desit plena deliberatio; atque etiam propter imperfectionem materiæ; Vt si mala & pericula, quæ non pro vt expedit timētur, sint exigua.

AVDACIA seu Temeritas, in proposito, peccatum est oppositū fortitudini per excessum circa passionē Audaciæ; cùm scilicet aliquis temerè audet & aggreditur, quod non debet, aut sicut non debet, aut quando non debet. Cuiusmodi Audacia in scriptura etiam vituperatur, vt patet Ecclesiast. 8. *Cum Audace non eas in via, ne fortè grauet mala sua in te.* Ac potest esse peccatum mortale vel veniale, pro ratione materiæ magis vel minus grauis & periculosæ, quam quis re ipsa temerè aggrediatur. Et dico, *re ipsa*, nam vt rectè sensit Caietanus, verbo Audacia, si Audacia huiusmodi sit *pura*, id est quæ nō progrediatur ad aliquem effectum; communiter est tantum veniale, sicut & immoderata Iracundia, & immoderatus Timor purus. Nam tunc huiusmodi passiones nec alteri, neque illi ipsi qui eis concitatur, notabile nocumentum afferunt. Atq; eadem ratione non esset nisi veniale peccatum id, quod per *defectum* potest fortitudini opponi circa eandem passionem Audaciæ, si similiter esset *purum*, non habens aliquē pernitiosum effectū notabilem per commissionē aut omissionem. Quod peccatū potest appellari quædā *ignauia*, vt licet colligere ex Philosopho 3. Ethic. cap. 7. cū scilicet quis non audet quod debet, & sicut debet, & quando debet.

PRAE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRAESVMPTIO peccatum est oppositũ Magnanimitati per *excessum*; cum scilicet quis animo complectitur & suscipit id, ꝙ excedit propriam facultatem, etiam considerată vt innititur gratiæ & diuino auxilio secundum legem Dei ordinariam. Et est peccatum mortale vel veniale pro ratione materiæ magis vel minus grauis: aut etiã pro ratione nocumenti proprij vel alieni quod inde sequitur. Vt aũt Prę sumptio est etiam quoddam peccatum contra Virtutem Theologicam *spei*, semper est mortale, iuxta ea quæ de eiusmodi peccato tradidimus suprà disp. 2.

Dixi autem, excedens propriam facultatem, *etiã considerată vt innititur gratiæ & diuino auxilio, &c.* nam animo complecti & suscipere aliquid excedens solam quidem naturalem vim propriæ facultatis, non autem illam vt innitentem gratiæ & parato auxilio Dei; minimè est peccatum præsumptionis, sed potius laudabilis actus Magnanimitatis: iuxta illud nimirũ Apostoli, ad Philipp. 3. *Quæ retrò sunt obliuiscens, ad anteriora me extendo.* Vnde etiam Philosophus 10. Ethic. capite 7. censuit, debere hominem eniti transcendere humana & mortalia, & cum diuinis quoad fieri possit coniungi: *Neque oportet*, inquit, *quemadmodum nonnulli monent, vnumquemq; cum sit homo; humana; & cum sit mortalis, cogitare mortalia; sed quatenus licet, immortalem se reddere omniaq; efficere, vt ex præstantissimo omniũ quæ in ipso sunt* (scilicet ex intellectu & contemplatione diuinorum) *vitam traducat.*

AMBITIO peccatum est oppositum Magnanimitati per *excessum*, Est enim honoris appetitus non qualiscunque sed *inordinatus*, quo scilicet expetitur honor, aut *qui* non debet expeti, quia scilicet sit maior quàm promereatur dignitas siue excellentia propria: Aut *sicut* non debet, quia scilicet in eo tanquam in fine vltimo conquiescat animus, nec ad Deum, à quo est omnis nostra dignitas, referatur, sed contrà potius, anteponatur Deo & eius præceptis; quod fit, cùm propter honorem paratus est aliquis ad quiduis patrandum etiam si sit peccatum mortale: Vel quia *inutiliter* honor expetitur, scilicet illum nõ referendo ad vtilitatem aliquam propriam vel aliorum, vt optimè docet D. Thomas q. 131. art. 4.

Et quidem, quando honor ita inordinatè expetitur, vt in eo, sicut dictũ est, vltimus finis constituatur; semper id est peccatum mortale. Atque etiam tũc cũ expeteretur propter aliquod mortale crimen: Aut etiam referretur tanquam medium quoddam ad aliquod mortale peccatũ patrandum. Extra huiusmodi autem casus communiter est id tantummodo veniale, iuxta ea quæ rectè de hoc tradit Caietanus, verbo Ambitio, & hîc etiam q. 131.

Sin autem appetitus honoris sit vndequaque moderatus; nullum erit peccatũ, vt patet ex vera doctrina D. Thomæ in dicta q. 131. art. 1. ad 3. sed erit tunc potius actus Magnanimitatis, si honor, qui moderatè appetitur sit magnus; vel certè cuiusdam alterius Virtutis innominatæ, quam Philosophus 4. Ethic. cap. 4. tradit, versari in moderando appetitu mediocrium honorum; ac proinde sic se habere ad Magnanimitatem, quæ versatur circa magnos honores, sicut se habet liberalitas, quę mediocrium sumptuum est moderatrix, ad Magnificentiam, quæ versatur in magnis sumptibus. Cuius tamen Virtutis circa mediocres honores D. Thomas quidem mentionẽ non facit. Sed tamen Philosophus loco citato sensit, eam inter alias Virtutes habere suum locum.

INANIS GLORIA, pro vt hoc vocabulo significari solet non modò ipsa vana & inutilis notitia & celebritas alicuius apud homines, sed etiã inordinatus quidam appetitus eius; similiter est quoddam peccatũ oppositũ Magnanimitati per excessum. Vt tradit D. Thomas q. 132. art. 1. & 2. Nam claritas & celebritas nominis, effectus quidam honoris esse solet; ac proinde sicut Magnanimitas versatur in moderando appetitu honorum, ita etiam consequenter in moderando appetitu gloriæ apud homines, quæ nimirum in illa claritate & celebritate nominis consistit, vt patet ex D. Augustiuo lib. 83. quæstionum, q. 31. & tractatu 82. & 104. in Ioannem.

Potest autem huiusmodi appetitus GLORIAE HVMANAE tripliciter esse inordinatus. PRIMO ex parte *rei* de qua quis gloriam expetit. Vt si eam quærat ex aliqua virtute qua careat. Et tunc, si eiusmodi falsa gloria cum detrimento aliorum vtatur; pro ratione eiusmodi detrimẽti magis vel minus grauis, erit peccatum mortale vel veniale. SECVNDO ex parte eius, *à quo* quis gloriam expetit, nempe si nimium solicitè *ab homine* gloriam quærat, iudicium eius pluris quàm par est faciẽs, perinde ac si omnino esset certum. Et tũc etiam poterit esse peccatum mortale vel veniale, prout ex hoc appetitu impelletur quis ad faciendũ aliquid quod sit mortale vel veniale. Per se autem eiusmodi appetitus si nõ habeat pro effectu peccatum aliquod mortale, non videtur communiter esse, nisi peccatum veniale, cùm ex se nemini notabiliter noceat. TERTIO ex parte eius *qui* gloriam humanam appetit; si videlicet in ea cõstituat vltimũ finem, anteponendo illam ta præceptis diuinis, vt propter illam assequendam nihil pensi habeat peccare mortaliter. Actũc semper est peccatũ mortale. Nam vt ait rectè sanctus AVGVSTINVS lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 14. *Tam est hoc inimicum piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ quàm Dei timor vel amor, vt Dominus Iomnè 5. diceret: Quomodo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est non quærentes? Item, de quibusdam qui in eum crediderant, & verebantur palam eum confiteri; Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei, Ioan. 12.* Atque etiam esset inordinatus hic appetitus ex parte eius qui gloriam humanam quærit, quando eam *per se* expeteret, non illam referens ad honorem Dei, vel suam aut proximi salutem. Nam tunc etiam esset eiusmodi gloria inutilis & vana. Quamuis tunc quidem si neq; in ea constitueretur vltimus finis modo iam dicto, neque referretur ad aliquem finem, qui esset peccatum mortale; non esset nisi veniale peccatum eiusmodi gloriæ appetitus. Extrà huiusmodi autem casus appetitus moderatus gloriæ (etiam apud homines) propter gloriam Dei & vtilitatem propriam aut proximorum, non est illicitus, vt rectè docet D. Thomas q. 132. ar. 1. Et patet ex his scripturæ testimoniis. Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine.* Et Matt. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Et ad Romã. 12. *Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Cum autem aliquo modo ex supra dictis appetitus hic gloriæ inordinatus & illicitus est, illũ numerat S. Gregorius lib. 31. Moralium cap. 31. inter vitia capitalia, cuius ait esse septẽ filias, scilicet Inobediẽtiam, Iactantiam, Hypocrisin, Contentionem, Pertinaciam, Discordiam, & nouitatum Præsumptionem: De quo vide D. Thomam hîc q. 132. art. 5. & ea quæ de ratione vitiorum capitalium tradidimus tomo. 2. q. 14. de peccatis, p. 2. Sunt etiam ex sententia D. Thomæ communiter recepta hîc, in dicta q. 132. alia omnia quæ de Inani gloria iam diximus.

PVSILLANIMITAS peccatum est oppositum item Magnanimitati per *defectum*. Nam sicut Prę sumptuosus suscipit temerè ea quæ sunt suprà ipsius facultatem, ita è contrario pusillanimis refugit ea, quæ facultatem suam non excedunt, sed ei congruentia sunt. Est autem peccatum mortale vel veniale pro ratione rerum quæ per illam refugiuntur. Nam si sint res ad salutem necessariæ, erit mortale; siue sint necessariæ *simpliciter*, vt si quis ex pusillanimitate ne post baptismũ peccet, nollet baptizari aut communicare, sicut ait Caietanus, verbo Pusillanimitas: siue sint necessariæ *in aliquo casu*, vt si quis, quando ipsius opera ad aliorum saluté necessaria est, nollet acceptare officium pastorale sibi à superiore imperatum, sicut ait idem Caietanus. Vnde in Euangelio Matth. 25. & Lucæ 19. damnatur seruus pusillanimis, qui pecuniam Domini sui fodit in terram nec cum ea voluit negotiari, sicut notat etiã hîc D. Thomas q. 133. art. 1. Si autem res quæ pusillanimiter refugiuntur, non sint ad salutem propriam vel aliorum necessariæ, sed solum vtiles; solum erit peccatum veniale, tametsi graue, vt censuit Caietanus bene loco citato.

PARVIFICENTIA vt D. Thomas quæst. 135. ex Philosopho 4. Ethic. cap. 2. appellat, peccatũ est oppositũ Magnificentiæ per *defectum*; cum scilicet quis minores sumptus facit, quàm ratio & dignitas instituti operis requirit. Id quod etiam est contra rectam rationem, ac proinde poterit esse etiam peccatum mortale, si opus conueniẽter peractum sit alioqui necessarium sub mortali, aliàs autem tantummodo erit peccatum veniale.

PROFVSIO, siue vt appellat D. Thomas q. 136. art. 2. nimia *Consumptio*, peccatum est oppositum è contrario Magnificentiæ per *excessum*; cum scilicet maiores sumptus fiunt, quàm requirit institutum opus: Id quod etiam est contra rectam rationem. Et quidem si eiusmodi profusio in detrimentum graue alicuius vel aliquorum cedat, peccatum erit mortale: sin minus, tantummodo veniale, sicut prodigalitas ea, quæ nemini alioqui notabiliter noceat.

MOLLITIES in proposito peccatum est oppositum Perseuerantiæ per *defectum*, cum scilicet quis ob occurrentes difficultates, & maximè ob tristitias & priuationem delectationum, desistit ab incepto bono opere, atque adeò facilè cedit contrariis instar rei mollis, sicut docet Philosophus lib. 7. Ethic. cap. 7. Et D. Thomas quæst. 138. art. 1. Ac poterit esse mortale vel veniale peccatum pro ratione materiæ, vt rectè notat Caietanus, verbo Mollities. Nam si quis desistat à bono opere necessario ad salutem erit peccatum mortale: si autem ab opere quidem quod sit vtile ad salutem sed non tamen necessarium; solum erit veniale desistere facilè ab eiusmodi opere contra rationem & dignitatem Virtutis Perseuerantiæ.

Solent autem & Mollitiei vocabulo significari peccata quędam luxuriæ, de quibus alibi. Item solent appellari molles ij qui sunt nimium appetentes delectationum. Sicut hac ratione Philosophus lib. 7. Ethic. cap. 7. iocosos homines & ludis nimium deditos appellat *Molles*, quia scilicet ludis operam libenter dant propter animi remissionem & delectationem, cui plus nimio studet, vt etiam annotauit D. Thomas quæstione 138. art. 1.

PERTINACIA denique peccatum est oppositum eidem Perseuerantiæ per *excessum*, cum scilicet quis obfirmatiori animo quàm oportet, persistit non solum in sententia propria, sed etiam in aliquo actu voluntario vel opere minimè cum recta ratione congruenter. Et erit peccatũ mortale vel veniale pro ratione eiusmodi actus vel operis. Nam si in actu eiusmodi vel opere persistere sit pernitiosum notabiliter; peccatum mortale erit; sin minus, veniale, vt si quis, quod est exemplum Caietani, verbo Pertinacia, esset pertinax in plantanda arbore, &c.

Dixi autem, non solum in sententia sed etiam *in actu voluntario vel opere, &c.* quoniam vt rectè sensit idem Caietanus, si in solo intellectu speculatiuo pertinacia consistat, & non progrediatur etiam ad actum aliquem practicum voluntarium, qualis est, credere, diligere, &c. aut operari; non erit peccatum saltem mortale. Appellat autem Philosophus 7. Ethic. cap. 9. huiusmodi Pertinaces ἰσχυρογνώμονες, id est fortis sententiæ.

FINIS OCTAVAE DISPVTATIONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO NONA GENERALIS.

DE TEMPERANTIA ET EIVS PARTIBVS ET VITIIS CONTRARIIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES TRES.

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS NONÆ.

QVAESTIO PRIMA.

De Temperantiæ Virtute & eius partibus.

PVNCT. I. *Quænam & qualis Virtus sit Temperantia.*
II. *Quænam sint partes Temperantiæ.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Ieiunio.

PVNCT. I. *Quid sit Ieiunium in proposito.*
II. *An Ieiunium sit opus bonum, & ex præcepto necessarium.*
III. *Quomodo sit ieiunandum.*
IV. *Quando sit ieiunandum.*
V. *Quinam teneantur vel non teneantur ieiunare.*

QVÆSTIO TERTIA.

De peccatis oppositis Temperantiæ & eius partibus, ac præsertim de Ebrietate & Luxuria.

PVNCT. I. *Quænam sint peccata opposita Temperantiæ & eius partibus.*
II. *Quodnam & quale peccatum sit Ebrietas.*
III. *Quodnam & quale peccatum sit Luxuria.*

DISPVTATIO NONA GENERALIS.

DE TEMPERANTIA ET EIVS PARTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS.

QVÆ PRÆCIPVE PERTINENT AD hanc disputationem, tribus quæstionibus complecti possumus. PRIMA erit de ipsa virtute Temperantiæ & eius partibus. SECVNDA, de Ieiunio, quod est actus cuiusdam partis Temperantiæ, nempe Abstinentiæ. TERTIA, de peccatis oppositis Temperantiæ & eius partibus, ac potissimum de Ebrietate & Luxuria.

QVÆSTIO PRIMA.

De Temperantiæ Virtute & eius partibus.

D. Thomas 2.2. quæst. 141. & seq.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, QVAENAM ET QVALIS Virtus sit Temperantia. SECVNDO, quænam sint Temperantiæ partes. Vbi summatim de singulis, quantum ferè satis erit, dicemus.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam & qualis Virtus sit Temperantia.

D. Thomas quæst. 141.

TEMPERANTIA VIRTVS QVÆDAM Moralis est, moderatrix earum passionum appetitus concupiscibilis, q̃ versantur circa delectabilia corporis secundùm sensum tactus in vsu cibi, & potus, & Venereorum. Ita tradit Philosophus lib. 3. Ethic. cap. 10. & D. Thomas hîc, & alij communiter. Sunt autem passiones eiusmodi tum *cupiditas & amor* huiusmodi delectabilium, tum etiam *delectatio* in illorum fruitione. Quæ passiones tunc habent moderationem debitam ex præscripto Temperantiæ, cùm quis non aliter eiusmodi delectabilia cupit aut amat, neq; aliter in eis delectatur, quàm recta ratio præscribit, vt ait Philosophus in dicto libro 3. cap. 11. sub finem. Itaq; ab hac Temperantiæ moderatione is desciscit, qui vel ea quæ in hoc genere à ratione recta *exorbitant*, cupit, aut vsurpat, ac fruitur: vel *quo modo* non conuenit, vel *quando* non conuenit, vt infrà quæst. 3. magis patebit.

Huc spectat, quod Philosophus, vbi suprà cap. 12. præclarè ita ait: *Sicut puerum ad Pædagogi præceptum viuere oportet, ita concupiscibilem animæ facultatem rationis imperio obtemperare: Atq; ideo Temperantis cupiditas cum ratione consentiat necesse est, quippe cùm vtriusque propositus scopus honestas sit. Nam &*

temperans cupit quæ oportet, et quando oportet, & ratio quoq; ita præscribit.

Neq; alia sanctorum Patrum de virtute Temperantiæ sententia est, Hanc enim esse Temperantiæ vim indicauit etiam S. AMBROSIVS lib. 1. de Iacob, & vita Beata, cap. 2. cum agens de vorandi libidine, effusione neque luxuriæ atq; lasciuiæ, subiungit: *Meritò Temperantia, quàm maximè istarum passionum restinguit ardorem, quæ primùm sobrietate, atq; moderatione animum temperat, mentem informat. Deinde etiam delitiarum abstinentia restinguit habenas corporalis felicitatis.* Et infrà: *Temperantia est igitur, quæ resecat cupiditates. Hanc primis hominibus tenendam mandauit Deus, dicens: De fructu autem ligni quod est in paradiso non edetis, neq; tangetis illud ne moriamini. Et quia non est retenta, ideo transgressores Virtutis egregia Paradisi exules facti sunt, & immortalitatis exortes.* Huc etiam pertinet quod sanctus AVGVSTINVS ait, libro de Moribus Ecclesiæ, cap. 19. *Munus Temperantiæ esse in coërcendis sedandisq; cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius.*

SED perspicietur clarius hæc vis & ratio Temperantiæ, si nonnulla breuiter explicauerimus, quæ circa illam deinde quæri possunt. PRIMO enim quæri potest, cur dicatur Temperantia versari in moderandis duntaxat passionibus concupiscentiæ & delectationis, circa delectabilia secundùm *tactum* corporis: Cum sint etiam alia delectabilia secundùm alios corporis sensus, vt visum, auditum, &c. in quorum appetitione, & fruitione, nec minus difficilis, nec minus necessaria videtur esse moderatio.

RESPONDEO rationem huius nos reddidisse tomo 2. quæst. 4. de Virtut. puncto 2. quia scilicet Virtus Moralis non versatur *per se* nisi circa eas actiones, quę secundùm se habere possint rationem bonitatis aut malitię Moralis. Appetitiones autem per actiones circa eiusmodi delectabilia aliorum sensuum, nõ habent rationem bonitatis aut malitiæ moralis, nisi aliquando *per accidens*, quatenus nimirum referri possunt ad appetitiones siue actiones circa delectabilia tactus, vel circa obiecta aliarum passionum. Quo fit, vt illarum etiam moderatio non nisi per accidens & ex consequenti pertineat quandoque ad virtutem Temperantiæ, vel ad aliquam aliam virtutem Moralem circa passiones alias siue operationes. Appetitiones verò circa delectabilia secundùm tactum, per se possunt habere bonitatem vel malitiam moralem; vt patet ex diuina & naturali lege, atq; etiam humana, iubente vel prohibente per se huiusmodi appetitiones & actiones. Quapropter necessaria est aliqua Virtus, nimirum Temperãtia, quæ per se moderetur eiusmodi appetitiones & actiones, in eaque re & superet difficultatem & conciliet homini laudem, id quod est proprium munus Virtutis.

Atque hoc cùm præstat Temperantia, ex consequenti etiam conducit ad moderationem reliquarũ omnium actionum & passionũ humanarum, vt rectè docet D. Thomas hîc art. 3. præsertim ad primum. Nam cum passiones appetitus concupiscibilis (puta amor, cõcupiscentia, & delectatio) quę consistunt in quadam prosecutione boni, sint primæ & potissimæ; constituta in illis per Temperantiam debita moderatione, facilè quoque adhibetur moderatio in aliis passionibus & actionibus hominis.

Et hoc modo intelligendi sunt Patres, cum solent Temperantiæ vim atq; munus vltra limites etiam materiæ propriæ illius amplificare, eique adscribere moderationem omnium ferè actionum humanarum. Vt cùm ait S. PROSPER libro 3. de Vita contemplatiua, cap. 19. *Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Hæc Virtus si in animo habitat, libidines frœnat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inserit sanctas, ignè libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam semper ab omniũ vitiorum tempestate defendit.* Et eodem modo intelligi potest, quod S. AVGVSTINVS in libro de Moribus Ecclesiæ, cap. 19. ait: *Officium Temperantiæ esse contemnere non modò omnes corporales illecebras, sed etiam laudem popularem.*

Per se autem & proximè Temperantia, vt dictũ est, non nisi in moderãdis passionibus circa delectabilia *tactus* versatur; sicut & contra etiã Intemperãtia in eisdem solis à ratione exorbitat. Quod ipsum confirmat rectè Philosophus lib. 3. Ethic. cap. 10. ex communi sensu omnium: *Qui enim*, inquit, *iis gaudent quæ visu percipiuntur, vt colore, figura, pictura: neq; temperantes, neq; intemperantes dicuntur, licet esse videantur, & vt oportet etiam his & per excessum & defectum gaudeant. Simili modo in his quæ ad auditum pertinet. Neque enim quispiam vel eos qui supra modum cantibus aut fabularum actione oblectantur, intemperantes, vel eos qui vt oportet idem faciunt, temperantes appellarit. Neque item eos qui odoribus gaudent, nisi secundùm accidens, &c.* quia scilicet possent hæc per accidens ad tactum referri, vt diximus.

Atque eodem modo probat ibi Philosophus, Temperantiam non versari per se circa alias voluptates, quæ sint solius animi, vt circa ambitionem, vel discendi cupiditatẽ: *Nam hi*, inquit, *qui in talibus voluptatibus constituti sunt, neq; temperantes, neq; intemperantes dicuntur. Non secùs etiam qui in aliis sunt, quæ ad corpus non spectant: qui enim fabularum, narrationumq; studiosi sunt, & de quibuslibet rebus colloquendo dies conterunt, nugaces appellare consueuimus, non intemperantes. Neque eos intemperantes dicimus, qui vel pecuniarum vel amicorum causa dolore afficiuntur, sed circa corporis voluptates Temperantia solummodo versatur, atq; eas non omnes.* Quod ideo addidit, quia, vt explicatum est, Temperantia solum circa ea delectabilia versatur, quæ sunt secundùm *tactum*.

SECVNDO quæri potest, cum delectabilia secundùm tactum corporis latiùs pateant, quàm delectabilia secundùm tactum eum, qui est in vsu cibi, & potus, & Venereorum; cur materiam Temperãtiæ huiusmodi duntaxat delectabilium finibus circumscribamus.

RESPONDEO, huius eandem rãtionem reddi posse, quæ est reddita à nobis pro præcedente quæstione. Ea est, quoniam alij corporis tactus (vt frictiones, lauationes, &c.) non habent *per se* bonitatem aut malitiam moralem, sed *per accidens*, quatenus ad delectabilia in cibo & potu, & Venereis, referri possunt, vel ad materiam alicuius alterius Virtutis seu vitij. Quapropter eiusmodi tactus neq; ad Temperantiam, neq; ad aliam Virtutem possunt pertinere per se, sed solum quandoque per accidens. Vnde & Philosophus libro 3. Ethic. cap. 10. in fine, eiusmodi alias voluptates in tactibus corporis à materia Temperantiæ excludit, *vt illæ sunt*, inquit, *quæ in Gymnasiis per frictionem, calefactionemq; fieri cõsueuerunt. Non enim*, inquit, *circa totum corpus, sed circa partes quasdam intemperantis tactus versatur.*

TERTIO quæri potest, an quod diximus Temperantiam versari circa delectabilia tactus in vsu etiam *cibi & potus*, ita intelligendum sit, vt Temperantia per se & formaliter versetur circa eiusmodi vsum, quatenus est *gustus*; an verò ita vt per se quidem & formaliter versetur circa eiusmodi vsum, vt est quidam *tactus* seu quædam vsurpatio rerum ad vitæ sustentationem conducibilium: quemadmodum etiã Temperantia per se & formaliter versatur circa delectabilia tactus in Venereis, pro vt est quidam vsus ad cõseruationem & propagationem naturæ specificæ ordinatus.

RESPONDEO cum Philosopho lib. 3. Ethicorum, cap. 10. Et cum D. Thoma hîc articulo 5. intelligendum id esse posteriori modo iam explicato. Ratio est, nam versatur Temperantia circa eiusmodi delectabilia tactus in cibo & potu, pro vt delectatio in iis est vehemens & maximè naturalis, & ideo difficilis ad moderandum. Est autem ita vehemens & difficilis eiusmodi delectatio, non prout est in sensu gustus, quatenus gustus est, sed quatenus est in adiuncto sensu tactus, atque adeo in *reali vsu* eiusmodi rerum quę ad cibum & potionem pertinent.

Quam rem scitè confirmat Philosophus vbi suprà, exemplo eorum, qui gustant vina vel obsonia, non ad cibationem & potionem, sed tantum explorandi causa. Hi enim, quamuis gustent, tamen quia non affatim vtuntur eis rebus ad reficiendam naturam, *non admodum his oblectantur*, inquit Philosophus, sed fruitione ipsa eiusmodi rerum delectatio maior continetur. Quæ fruitio, inquit Philosophus, *tota per tactum efficitur in cibis, in potibus, & iis quæ Venerea nuncupantur. Vnde*, inquit, *gulæ deditus quidam Philoxenus Eryxius, guttur sibi longius gruis collo dari optabat, vtpotè qui tactu oblectaretur.*

Secundariò autem & quasi ex cõsequenti ipse etiam gustus conducit ad hoc, vt vsus & tactus sit magis delectabilis, sicut rectè docet hîc diuus Thomas artic. 5. Et patet in iis, qui si præpedito ob aliquod accidens sensu gustus edant & bibãt, oblectantur quidem propter ipsum vsum & tactum rerum ad sustentationem vitæ conducibilium, sed non æquè oblectantur, atq; si cibum & potum perfectè etiam gustarent.

QVARTO quæri potest, quænam possit esse quasi regula ad diiudicandum, num appetitio & delectatio circa eiusmodi res quæ sunt materia Temperantiæ sit talis, qualis recta ratio præscribit, atque adeo habeat illam moderationem seu mediocritatem, quam ex sententia Philosophi diximus, Temperantiam in eiusmodi rebus constituere.

RESPONDEO, regulam eiusmodi contineri in ipsa rerum *necessitate* aut *vtilitate* ad vitam humanam; quæ necessitas siue vtilitas honestati & moderationi minimè repugnet. Ita docet in primis Philosophus libro 3. Ethic. cap. 11. in fine, vbi de Temperante ait, quod *appetit ea tantummodo iucunda, quæ vel ad sanitatem, vel ad bonam habitudinem faciunt: Atque ea quidem mediocriter & sicut decet, & cætera etiam quæ his impedimento non sint, vel præter honestatem vel suprà facultates: Nam qui ita facit, magis tales voluptates amat quàm dignum sit. At Temperans*, inquit, *non eiusmodi est, sed sicut recta ratio præscribit*: nimirum respiciens tanquam ad regulam ad vitæ & officiorum necessitatem siue vtilitatem, minimè repugnantem moderationi & honestati, sicut dictum est.

Idem etiam docuit sanctus HIERONYMVS in caput 44. Ezechielis circa illud: *Inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, &c. Ergo*, inquit, *& caro similiter circumciditur, vt nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere, & potum, &c. quæ tunc circumcidimus, si non ad delitias & ad luxuriam & ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ & corporis istius sustentaculum cuncta faciamus.*

Eadem quoque est sancti AVGVSTINI sententia in libro de Moribus Ecclesiæ, cap. 21. *Habet*, inquit, *vir Temperans in rebus huius vitæ regulam vtroque Testamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ huius atque officiorum necessitatem quantum satis est vsurpet, vtentis modestia non amantis affectu.* Itaque ad hanc Temperantiæ moderationem pertinet, vt delectatio in his non quæratur *propter se*, sed propter aliud; vt scilicet consulatur vitæ atq; officiorum necessitatibus. Atque eadem est etiam sententia S. Thomæ hîc artic. 6.

QVINTO quæri potest, quonam modo Temperãtia, iuxta descriptionem illius initio à nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

asſignatam, ſit Virtus ſpecialis quædam, diſtincta à cæteris Virtutibus; an ſcilicet *ſpecie vltima*, vel tantum ſpecie *ſubalterna*, quæ rurſus habeat alias Virtutes ſub ſe differentes ſpecie vltima, & quæ ſint proinde quædam Temperantiæ.

RESPONDEO, Temperantiam eſſe Virtutem ſpecialem non niſi iſto poſteriori modo, ſcilicet ſpecie *ſubalterna*. Nam habet quaſdam ſpecies ſub ſe, quæ ſunt eius partes *ſubiectiuè*, vt docebimus ex ſententia D. Thomæ communiter recepta, puncto ſecundo. Eſt autem Temperantia non qualiſcunq; Virtus ſpecialis, ſed vna ex Virtutibus quatuor Cardinalibus, vt explicat facilè D. Thomas hîc artic. 7. & nos etiam tradidimus tomo 2. quæſt. 4. de Virtutibus, puncto 3.

Etſi autem ſit valde præſtans, & neceſſaria Virtus; quippe cum verſetur in ea paſſionum moderatione, quæ ſingularem & difficultatem & laudem habet, tamen infimum locum tenet inter quatuor Virtutes Cardinales, vt oſtēdit D. Thomas hîc art. 8. Nam vt docet Philoſophus libro 1. Rhetor. cap. 9. Illæ maximè Virtutes ſunt, quæ aliis maximè ſunt vtiles, cùm bonum multitudinis ſit diuinius quàm bonum proprium, vt idem tradit libro 1. Ethic. cap. 2. Qua in re Iuſtitia & Fortitudo Temperātię antecellunt: Siquidem Iuſtitia tuetur bonum multitudinis per mutuas communicationes inter ipſas multitudinis partes: Ac ſimiliter Fortitudo, ſuſtinendo pro ſalute omnium pericula etiam mortis, præſertim in bellis. Temperantia autem propriè tuetur tantummodo bonum ſingulare & proprium ipſius hominis, ſtatuendo moderationem in ipſius cōcupiſcentiis & delectationibus. Prudentia autem his omnibus tribus Virtutibus præſtantior eſt cùm eas illa imperio ſuo regat, vt ſuperius in diſputat. 4. explicatum eſt.

Vt autem quis Temperantiæ Virtutem atque adeo moderationem in concupiſcentiis & delectationibus facilius aſſequatur, illa nimirum adiuuabunt, quæ tomo ſecundo, quæſtione 2. & 4. & 5. de Paſſionibus docuimus, vtiliter vſurpari poſſe tanquam remedia quædā ad comprimendum inordinatum amorem & concupiſcentiam, & delectationem.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quænam ſint partes Temperantiæ.

D. Thomas quæſt. 143. & ſeq.

PARTES Temperantiæ aliæ ſunt integrales, aliæ ſubiectiuæ, aliæ potentiales. INTEGRALES partes Temperātię appellātur perfectiones quædam, quas elucere conuenit in ipſo actu ſiue opere Temperantiæ; iuxta ea, quæ de ratione integralium partium alicuius Virtutis, diximus generatim ſuprà in diſputatione de Prudentia: Et in diſput. de Iuſtitia, quæſt. vltima. Sunt autem huiuſmodi Integrales Temperantiæ partes duæ, ſcilicet, Honeſtas & Verecundia.

HONESTAS eſt perfectio quædam operis ſeu actus Temperantię, per quam elucet in eiuſmodi opere quidā amor honeſti ſeu decōri, id eſt eius quod decet, & quod nullo modo deſciſcit à debita moderatione. Dicitur enim Honeſtas (vt notat Iſidorus lib. 10. Etymologiarū, circa literam H. & S. Thomas quæſt. 141. art. 2.) quaſi honoris ſtatus, id eſt quaſi id ob quod honorem quis meretur, vnde vt ait Idem Iſidorus: Honeſtus dicitur *qui nihil habet turpitudinis*. Ac proinde, Honeſtas in opere Temperantiæ illud decorum eſt, quod non exorbitat à debita moderatione, ſicut iam dictum eſt. Quanquam & vocabulum Honeſtatis aliquantò etiam latiùs patet, vt ſcilicet ſignificat cuiuſcunq; Virtutis rectitudinem, atq; adeo ipſum bonum honeſtum in materia cuiuslibet Virtutis. Quod bonum quemadmodum ſe habeat ad bonum *vtile* & *delectabile* explicuimus tomo 1. diſput. 1. quæſt. 4.

VERECVNDIA ſimiliter eſt quædā perfectio in opere Temperantiæ, provt in illo lucet quidā horror turpitudinis contrariæ Honeſtati. Et eſt quædam paſsio timoris de turpi actu, vt tradit Damaſcenus lib. 2. Fidei Orthodoxæ, cap. 15. Et nos explicuimus tomo 2. q. 9. de Paſsionibus, puncto primo. Itaque quatenus horror huius timoris perſpicitur quodammodo in ipſo Temperantiæ actu, dicitur is habere Verecundiam, etiamſi iam contrarius actus turpis euitatus ſit per illum Verecundiæ timorem.

Partes SVBIECTIVÆ Temperantię ſunt Virtutes quædam, quas Temperantia ipſa complectitur tanquam ſuas ſpecies. Sunt autem in vniuerſum quatuor, ſcilicet, Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas (quæ & Pudicitia nominatur,) & denique Virginitas.

ABSTINENTIA eſt quædam Temperantia, ſtatuens moderationem circa delectabilia in vſu ciborum, de qua D. AVGVSTINVS lib. 10. Confeſsionum, cap. 31. cum Deo loquens: *Hoc me*, inquit, *docuiſti, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam*, memor ſcilicet debitæ moderationis.

SOBRIETAS eſt quædam Temperantia ſtatuens moderationē circa delectabilia in vſu potus, de qua Eccleſiaſt. 31. *Æqua vita hominibus vinū in ſobrietate: ſi bibas illud moderatè, eris ſobrius.*

CASTITAS eſt quædam Temperantia ſtatuens moderationem circa delectabilia Venereorum, vel ea ſpernendo & reiiciendo, vel non aliter eis vtendo quàm fas ſit per leges coniugij honeſti. Dicitur autem à *Caſtigando*, quia ſcilicet per illam à Ratione refrænatur & caſtigatur concupiſcentia, inſtar pueri alicuius qui à pædagogo cohiberi debet, ne præceps feratur in appetitiones exorbitantes à recta ratione, vt pulchrè tradit Philoſophus lib. 3. Ethic. cap. 12.

Eſt au-

Eſt autem Caſtitas eadem Virtus quæ Pudicitia. Nam vt rectè docet diuus Thomas, quæſt. 152. artic. 4. Caſtitas nominatur hæc Virtus, vt cohibet inordinatum vſum Venereorum. Et eadem item nominatur pudicitia, quatenus vel maximè circa eiuſmodi vſum ſolet eſſe pudor; adeo vt quemadmodum ſanctus AVGVSTINVS ait libro 14. de Ciuit. Dei, cap. 18. *Ipſe etiam concubitus coniugalis, qui ſecundùm matrimonialium præſcripta tabularum, procreandorum ſit cauſa liberorum, quanquam ſit licitus & honeſtus, remotum ab arbitris cubile conquirat.* Nam vt ait idem Auguſtinus eodem libro, capite 17. *Ipſa membra quæ non omnino ad arbitrium hominis mouentur, aut non mouentur, pudenda dicuntur, quod ante peccatū hominis non fuerunt.* Et infrà: *Vt pœna reciproca, inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, vnde eſſet indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditq; confuſos.*

Ac quoniam hæc Verecundia & Pudor non ſolùm eſt de ipſo actu Venereo, ſed etiam de quibuſcunque ſignis eius, vt tradit Philoſophus libro ſecundo Artis Rhetor. capite ſexto, & hæc ſigna cum ſint manifeſtiora maiorem adferunt pudorem: hinc rectè cōcludit diuus Thomas loco citato, Virtutem Caſtitatis nominari præcipuè pudicitiam, quatenus cohibet eiuſmodi ſigna Venereorum, ſicut ſunt, inquit, aſpectus impudici, oſcula, & tactus. Vnde ait, pudicitiam eſſe ipſam caſtitatem cum quadam circumſtantia & perfectione ſua, ſcilicet, vt cohibet eiuſmodi etiam impudica ſigna.

VIRGINITAS prout eſt Virtus, perfecta quædam Temperantia eſt, per quam ſcilicet firmo quodam animi propoſito abſtinet quis ab omni actu Venereo, conſeruans illibatam corporis puritatem & integritatem: iuxta illud, quod ſanctus AMBROSIVS in libro de Virginibus ait: *Caſtitas Virginalis eſt expers contagionis integritas.*

Per *integritatem* autem corporis non intelligimus eam, quæ nullo prorſus caſu ſublata ſit, ſed quæ per nullam voluntariam obſcœnitatem violata ſit. Neque enim, vt recte ait AVGVSTINVS libro primo de ciuitate Dei, capite 18. *Eò corpus ſanctum eſt, quod eius membra ſunt integra, atque eò, quòd nullo contrectantur attactu, cum poſſint diuerſis caſibus etiam vulnerata vim perpeti, & Medici aliquando ſaluti opitulantes hæc ibi faciant, quæ horret aſpectus.* Et addit de quadam Virgine *cuius integritatem obſtetrix manu velut exploranſ, ſiue maleuolentia, ſiue inſcientia, ſiue caſu dum inſpicit perdidit; Non opinor*, inquit, *quemquam tam ſultè ſapere, vt huic periiſſe aliquid exiſtimet, etiam de ipſius corporis ſanctitate, quamuis illius integritate tam perdita.*

Item per *puritatem* corporis, non intelligimus eam, quæ per nullam omnino fœditatem polluta ſit, ſed quæ non ſit polluta per propriam voluntatem. Nam vt in illo ipſo loco rectè etiam ait Auguſtinus: *Quis ſana mente putauerit ſe perdere pudicitiam, ſi fortè in apprehenſa vel oppreſſa carne ſua exerceatur & expleatur voluntate non ſua.* Et capite 25. eiuſdem libri: *Si illa*, inquit, *concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem quaſi lege ſua mouetur; Quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?*

Si autem per propriam culpam integritas, aut puritas corporis obſcœnè violata vel ſemel ſit, iam eo ipſo amittitur irrecuperabiliter hæc virtus Virginitatis; Nam iuxta veriſsimam illam ſententiam D. HIERONYMI epiſtola 22. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, capite ſecundo: *Caue*, inquit, *quæſo, ne quando de te dicat Deus: Virgo Iſraël cecidit, & non eſt qui ſuſcitet eam.* Amos quinto: *Audenter loquar: Cum omnia poſſit Deus, ſuſcitare Virginem non poteſt poſt ruinam, valet quidem liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam.* Etſi enim Virtus ipſa Virginitatis eſſentialiter & formaliter, non conſiſtat niſi in firmo propoſito abſtinendi ab omnibus actibus Venereis voluntariis, tamen eius neceſſarium obiectum & materia, ex qua peculiare meritum & coronam habet, eſt ipſa *inexperientia* omnimoda eiuſmodi actuum; quæ vel per vnicum lapſum tollitur irrecuperabiliter, cum nequeat non eſſe factum, id quod factum eſt. Et ſic eſt intelligenda doctrina diui Thomæ, quæſtione 152. articulo tertio.

Atque hæc quidem de Virginitate dicta ſint prout illa eſt quædam moralis Virtus in genere Temperantiæ. Soletenim & aliàs vocabulo Virginitatis ſignificari hæc Virtus non nudè, vt eſt quædam Temperantiæ ſpecies, ſed vt pertinet etiam ad Virtutem Religionis, quatenus ſcilicet firmatur; & Deo conſecratur per votum. Quo pacto de Virginitate loquitur AVGVSTINVS in libro de ſancta Virginitate, capite octauo, vbi ait: *Per Virginitatem integritas carnis ipſi Creatori animæ & carnis vouetur, conſecratur, ſeruatur.* Et cum ait, capite 11. eiuſdem libri: *Nec nos hoc in Virginibus prædicamus, quòd Virgines ſunt, ſed quod Deo dicatæ pia continentia Virgines.* Quia ſcilicet ſecundùm normam quidem Theologiæ, quæ Virtutum vim atque rationem eatenus inprimis eſtimat, quatenus ille referūtur ad Deum; tunc demùm Virginitas veriſimè eſt Virtus cùm Deo conſecratur.

Ac per eiuſmodi Virginitatem Deo ſacratam ſit illud, de quo Dominus conſilium dedit, Matthæi 19. *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum: Qui poteſt capere capiat*, iuxta ea, quæ pulchrè diſſerit idem Auguſtinus eodem libro, capite 23. & 24. Nam per iſtam Virginitatem Deo ſacratam non modò quis abſtinet ab omnibus Venereis voluptatibus, ſed etiam adimit ſibi eis vtendi facultatem, per voti nimirum obligationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

POTENTIALES autem partes Temperantiæ ſunt aliæ quædam Virtutes affines Temperantiæ in hoc, quòd ipſæ etiam occupantur in cohibendis appetitionibus ſeu actionibus quibuſdã circa quædam delectabilia, tametſi non adeo vehementia atque ſunt delectabilia tactus, circa quæ verſatur Temperantia. Huiuſmodi autem Virtutes ſunt octo, nempe Continentia, Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, Humilitas, Studioſitas, Eutrapelia, Parcitas ſiue Simplicitas, ſiue Moderatio.

CONTINENTIA eſt Virtus cohibens exorbitantes motus voluntatis, qui ſolent exiſtere ex impulſu paſſionum appetitus ſenſitiui mouentis voluntatẽ ad ea quæ ſunt contraria rectæ rationi, eo modo quo volũtatem ab appetitu moueri docuimus tomo 2. diſput. 2. quæſt. 3. De qua continentia agit D. Thomas, quæſt. 155. Et Philoſophus libro 7. Ethic. Solet autem per Continentiæ vocabulum ſignificari etiam Caſtitas ſeu Virginitas. Sed nunc non de eiuſmodi continentia loquimur, ſed de cõtinentia per quam firmatur voluntas aduerſus paſſionum impetus, vt diximus. Quæ Continentia cùm non etiam id efficiat, vt eiuſmodi perturbati paſſionum motus compeſcantur, ſed tantum ne ab eis inſurgentibus voluntas vincatur, & dimoueatur ab eo, quod eſt conſentaneum rectæ rationi, non eſt omnino perfecta Virtus: Quãuis vt obtinet quidem victoriam aduerſus inſurgentes paſſiones, Virtus aliqualiter dici poteſt, ſicut docet D. Thomas in illa quæſt. 155. art. 1. ex ſententia Philoſophi 4. Ethic. cap. 5.

MANSVETVDO Virtus eſt moderationẽ ſtatuens in appetitu vindictæ id eſt in Ira. De qua D. Thomas, quæſt. 157.

CLEMENTIA Virtus eſt modum adhibens rationi rectæ conuenientem in ipſa externa punitione. Et ſic potiſsimum competit ſuperioribus erga ſubditos, vt docet D. Thomas, quæſt. 157. Quare Manſuetudo & Clementia ad eundem effectum valent. Nam ſi Iracundia cohibita ſit per Manſuetudinem, per eandem Manſuetudinem adhibetur quoque ex conſequenti moderatio in externa vindicta & punitione. Quo fit, vt vocabula Manſuetudinis & Clementiæ indifferenter quandoque vſurpari ſoleant pro qualibet Virtutum iſtarum.

Vnde etiam D. AVGVSTINVS lib. 83. quæſtionum, quæſt. 31. ex Cicerone lib. 2. de Inuentione, definit clementiam eſſe *per quam animi temerè in odium alicuius illecti concitatiq; comitate retinentur.* Quæ deſcriptio æquè poteſt aptari tum Manſuetudini, tum Clementiæ. Nam per vtramque retinetur concitatus animus; Per Clementiam quidem in ipſa punitione externa: Per Manſuetudinem autem in interno iræ motu.

Et tamen ſunt nihilominus diuerſæ iſtæ duæ Virtutes. Nam alia difficultas atque adeo etiam laus eſt in refrænanda ipſa ira; & alia in moderanda punitione externa; ſiquidem Moderatio punitionis externæ ex certa etiam intelligẽtia eius quod decet, pendet. Moderatio autem ſiue cohibitio iræ, ipſa per ſe difficilis eſt propter impetum quendam appetitus iraſcibilis. Proderunt autem ad acquirendam Manſuetudinem & Clementiam illa ipſa remedia, quæ valere docuimus ad compeſcendam iram, tomo 2. quæſt. 10. de Paſſionibus, puncto 2.

MODESTIA Virtus eſt moderationẽ conſtituens in actionibus humanis, & præſertim externis motibus corporis. Cuius tres partes dicit eſſe ſanctus Thomas quæſt. 143. articulo vnico, ſcilicet Bonam ordinationem, Ornatum, Auſteritatem.

Per *bonam Ordinationem* conſtituit Modeſtia modum quendam conuenientẽ in externis corporis actionibus; vt ſcilicet id aut fiat, aut non fiat, aut eo ordine fiat, quo expedit, & prout expedit, vt docet diuus Thomas quæſtione 143. articulo primo. Quanquam fortè hæc Virtus comprehenditur ſub ipſa Prudentia. Niſi dicas Prudentiam in eo, quòd agendum aut non agendum eſt, ſolùm ſpectare rationem moralem agibilis in communi: Iſtam autem Virtutem ſpectare in eo formaliter rationem quoque agibilis externi, pro vt in exterioribus motibus eſt etiam quædam peculiaris difficultas, vt aptè & decenter exerceantur. Per *Ornatum* efficit eadem Modeſtia, vt quod fit, fiat decenter. Per *Auſteritatem*, vt colloquia cum amicis vel aliis habeant maturitatem quandam, quæ perſonæ & rebus ipſis conueniat.

HVMILITAS Virtus eſt ita cohibens paſſionem ſpei & audaciæ, vt non velit quis vllo in genere ſibi quidquam tribui vltra id quod ipſi congruit habita ratione propriæ dignitatis. Quam Virtutem aſſerit diuus Thomas quæſtione 161. eſſe veluti quandam ſpeciem Modeſtiæ. Atque ibidem articulo tertio docet, non repugnare humilitati, vt quis agnoſcat dona, quæ à Deo acceperit; iuxta illud primæ ad Corinthios ſecundo: *Non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.*

Et nihilominus tamen docet quoque rectè D. Thom. ad Virtutẽ Humilitatis pertinere, vt quis alios reputet ſibi ſuperiores. Quod non obſtante illa cognitione donorum diuinitus acceptorum poteſt quis facere tripliciter. *Primò* comparando id quod ipſe naturaliter habet ex ſe, cum eo, quòd alter habet ex peculiari Dei dono, id quod eſt maius aliquid. *Secundò* comparando donum ipſum minus quod ipſe habet ex Deo, cum dono aliquo maiore quod ex Deo habeat alter. *Tertiò* comparãdo defectum aliquem ſuum, cum bono aliquo, quod habeat alter. Idq; aliquo modo ex his, vel omnibus illis, poteſt impleri, quod Apoſtolus monet ad Philipp. 2. *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.*

Explicat

Explicat etiam pulchrè D. Thomas eadem quæſt. art. 6. quemadmodũ rectè in Regula S. Benedicti recenſeantur duodecim illi gradus Humilitatis, ſcilicet primò, *corde & corpore ſemper humilitatem oſtendere deſixis in terrã aſpectibus*; quatenus id nimirũ expediet. Secundò, *pauca verba, & rationi conſentanea loqui, idq; nõ clamoſa voce.* Tertiò, *non eſſe facilem ad riſum.* Quartò, *tacere vſq; ad interrogationem.* Quintò, *ſequi communem regulam Monaſterij.* Sextò, *reputare ſe omnibus viliorem.* Septimò, *ad omnia ſe inutilem & indignum credere*, ſpectando nimirum proprias ſuas Vires, iuxta illud 2. ad Corinth. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis qũaſi ex nobis*, ſed *ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Octauò, *peccata confiteri.* Nonò, *in duris & aſperis prompte & patienter obedire.* Decimò, *ſubdere ſe maiori.* Vndecimò, *voluntatem propriam nõ libenter implere.* Duodecimò, *Deum timere & memorem eſſe eorũ quæ is præcepit.* Sed de Humilitate, vt dixi, pulchrè & ſufficienter D. Thomas loco citato.

STVDIOSITAS Virtus eſt quædam ſtatuens debitam moderationem in ſtudio, & deſiderio ſciendi, & cognoſcendi, vt ſcilicet nolit quis cognoſcere niſi ea quæ ſcire expedit, & pro vt expedit. Itaque Virtus hæc affinis eſt Temperantiæ; ſiquidem per illam temperatur magnus ille appetitus, quo, vt ait Philoſophus initio libri primi Metaphyſ. *Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant.* Vnde etiam ſanctus AVGVSTINVS libro de Moribus Eccleſiæ, capite 21. *Curioſi*, inquit, *eſſe prohibemur, quod magnum Temperatiæ munus eſt.*

EVTRAPELIA, vt tradit Philoſophus lib. 4. Ethic. cap. 8. Virtus quædam eſt conſtituens modum conuenientem in honeſtis ludis & iocis, quos ad animi relaxationem interdum vſurpare nõ dedecet. De quo toto genere tradidimus quæ ſcitu & notatu digna ſunt, ſuprà diſput. 5. quæſt. 6. punct. 5. cùm diſſereremus quando nam ſint reſtituenda quæ per ludum acquiruntur. Atq; eandem Virtutem explicat etiam D. Thomas hic quæſt. 168. art. 2. & ſeq. Ad cuius etiam commendationem pertinet illud Auguſtini lib. 2. de Muſica, cap. 14. *Volo*, inquit, *tandem tibi parcas (labor eſt in chartis) & apertum ire per auras animum permittas. nam ſapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.*

PARCITAS ſeu *ſimplicitas* ſeu *Moderatio*, Virtus quædam eſt, per quam moderatè quis vtitur externis rebus ad corpus pertinentibus: vt ornatu, veſtibus, &c. Ita ſcilicet vt nec ſuperfluè his vtatur, quod præſtat hæc Virtus, vt nominatur *Parcitas*, neque requirat in hoc genere nimis exquiſita, quod præſtat hęc eadem Virtus vt nominatur *Simplicitas* ſiue *Moderatio*. De qua Virtute pulchrè & ſufficienter & perſpicuè ſcribit diuus Thomas quæſt. 169. ſub titulo de Modeſtia in exteriori apparatu.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Ieiunio.

D. Thomas 2.2. quæſt. 147.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO. QVID NAM SIT Ieiunium in propoſito. SECVNDO. An Ieiunium ſit bonum, & ex præcepto neceſſarium. TERTIO. Quo nam modo ſit ieiunandum. QVARTO. Quando ſit ieiunandum. QVINTO. Quinam debeant ieiunare, & quinam item ieiunare non teneantur.

Scripſerunt autem de Ieiunio Patres varias homilias ſeu ſermones, præſertim Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Maximus Taurin. Leo. Et Ambroſius, item librum de Helia & Ieiunio, & Auguſtinus librum de vtilitate Ieiunij, cuius meminit Poſſidonius in Indiculo. Atq; etiam Tertullianus ſcripſit librum de Ieiunio, ſed iam lapſus in hæreſim Montani. Item ſcripſerunt de Ieiunio Theologi in 4. ſent. diſt. 15. & Ioannes Medina in Tract. de Ieiunio, & Theodorus Peltanus in libro de tribus operibus Satisfactoriis, & Robertus Bellarminus tomo 3. &c.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Ieiunium in propoſito.

D. Thomas art. 1. & 2.

IEIVNIVM LATINE, SICVT ET νηστεία Græcè, & צום Hebraicè, abſtinentiam quandam à cibo & potu ſignificat, vel etiam tempus ipſum eiuſdem abſtinentiæ. Atque inde hoc vocabulum vſu accõmodatum eſt, ad ſignificanda varia quædam virtutis officia, in quibus eluceat continentia quædam animi ſiue abſtinentia à rebus quæ

ſenſui

sensui iucundæ sint. Iuxta hanc vocabuli vsurpationem quatuor genera ieiuniorum à Doctoribus distingui solent, per quorum diuisionem seu distinctionem perueniemus ad id Ieiunium, de quo præsens quæstio à nobis instituta est.

PRIMVM Ieiunium dicitur *generale*. Quod est nimirum abstinentia à quibuslibet illicitis voluptatibus. De quo S. AVGVSTINVS tractatu 17. in Ioannem: *Ieiunium*, inquit, *magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum Ieiunium: vt abneganres impietatem & seculares cupiditates temperanter, & iustè & piè viuamus in hoc seculo.* Cui Ieiunio dicit addi ab Apostolo illam mercedem: *Exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi*, ad Titum 2. Cum qua sententia Augustini congruit & illa BASILII homilia 1. de Ieiunio: *Verum*, inquit, *Ieiunium est ab omnibus vitiis esse alienum.* Ac de isto Ieiunio loquitur Dominus apud Isaiam, cap. 58. *Nonne hoc est magis Ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe, frange esurienti panem tuum, &c.*

SECVNDVM Ieiunium appellatur à Doctoribus Ieiunium *naturæ*, seu naturale. Quod in omnimoda abstinentia consistit à cibo & potu, qualis est eius qui nihil omnino in die adhuc vel cibi vel potus sumpsit. Cuiusmodi Ieiunium requiritur in eo, qui sacram Eucharistiam sumpturus est, vt suo loco in materia de Eucharistia trademus.

TERTIVM Ieiunium vocari potest Ieiunium *morale*, quod consistit in recto & moderato vsu cibi & potus secundùm communem normam virtutis temperantiæ, seu potius *Abstinentiæ*, quæ est species quædam temperantiæ statuens moderationem in cibo & potu propriè, sicut docuimus quæstione præcedenti. Atque huiusmodi quidem Ieiunium perpetuum debet esse: siquidem nunquam licet cibo & potu intemperanter vti. Sed neque de isto Ieiunio, neque de Ieiunio primi aut secundi generis nunc agimus.

QVARTVM igitur Ieiunium est aliud quoddam *peculiare* consistens tum in diuturniori quadam abstinētia à cibo vel etiam potu, quàm præscribat & exigat communis norma temperantię, tum etiam in cibi aut etiam potus vsu parciori, siue austeriori, quam exigat quoque eadem temperantiæ norma. Et istiusmodi Ieiunium maximè propriè Ieiunium solet nominari. Et illud inprimis commendatur in Scriptura; sicut etiam agnoscunt Sectarij ipsi, vt videre licet apud Caluinū lib. 4. Instit. cap. 12. & apud Kemnitium in examine Concilij Tridentini, sess. 25. Etenim Ieiunium illud quod in Scriptura commendatur peculiare aliquod Ieiunium est, quod scilicet neque ab omnibus, neque omni tempore, sed ab aliquibus, & ad tēpus aliquod vsurpetur. Iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 7. *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi.* Quare fatendum est, Ieiunium in Scriptura cōmendatum esse Ieiunium peculiare huius quarti generis, distinctum ab illo alio Ieiunio morali temperati victus, quod semper & ab omnibus vsurpari debet. Vnde & Daniel. cap. 10. isto peculiari Ieiunio ieiunâsse se indicat, cùm ait; *Panem desiderabilem non commedi. Et caro & vinum non introierunt in os meum.*

Ac cum instituitur ex norma & præscripto Ecclesiæ, appellatur à Doctoribus Ieiunium Ecclesiasticum seu sacrum: De quo nimirum est nobis sermo in proposito. Nam etsi nō sit dubium, quin & huiusmodi aliquod peculiare Ieiunium conuenienter etiam regulis temperantiæ seu abstinentiæ, possit alio modo quam Ecclesia præscribit, institui, vt patet ex multis exemplis singularis abstinentiæ Philosophorum, & aliarum gentium, quæ memorat S. Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum, cap. 9. tamen ad vsum nostrum necesse est inprimis in proposito disserere de eiusmodi Ieiunio instituto ad eam normam quam Ecclesia præscribit.

Porrò, vt Ieiunium Istud Ecclesiasticum aptiùs describere possimus, OBSERVANDVM est, in eo quædam esse veluti ipsi *essentialia*, vt tale quidem Ieiunium est; alia verò veluti *accidentalia*, & quasi extra talis Ieiunij essentiam. *Essentialia* namque in eo Ieiunio sunt tria. *Primò*, quod per illud diutius quàm exigit communis regula temperantiæ abstinetur à cibo. *Secundò*, quod in ipso vsu cibi abstinetur à quibusdam escis, vtpotè à carnibus, ouis, lacticiniis. *Tertiò*, quòd huiusmodi abstinentia tum quo ad diuturnitatē, tum etiam quo ad ciborum qualitatem, ordinatur ad finem ipsum temperantiæ, qui est edomatio carnis & refrenatio concupiscentiæ, ne vehementius repugnēt Rationi, &c.

Extra essentiam verò & quasi *accidentalia* in hoc Ieiunio sunt septem. *Primò*, quòd suscipitur ex Ecclesiæ *præcepto* obligante sub peccato. *Secundò*, quòd suscipitur etiam ad eum finem, vt animus ad vacandum Deo rebusq; diuinis, promptior & expeditior sit. *Tertiò*, quòd etiam suscipitur, sicut alia bona opera, ad promerendum: iuxta illud Matthæi 6. *Cum ieiunas vnge caput tuum, &c. ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus qui est in abscondito reddet tibi.* *Quartò*, quòd suscipitur item ad punitionem peccatorum, atque adeo ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali illis debita, sicut & alia pia opera, quæ molestiam habent, & ideo quoque vim satisfaciendi, si procedant ex gratia; vt ꝓbatur in materia de pœnitētia. *Quintò*, quòd etiam suscipitur ad excitandam interiorem animi pœnitentiam, eamq́ue ad aliorum exemplum & ædificationem protestandā. *Sextò*, quòd etiam suscipitur ad magis accendendum & incitandum animum in precando Deum. *Septimò*, quòd suscipitur deniq; ad colendum Deum

ipsique

ipsiq́; placendum; sicut placent ei alia opera pia, si proficiscantur ex gratia.

Aio autem ista septem esse accidentalia & extra essentiam huius Ieiunij: Nam quamuis illud careret his septem conditionibus, tamen si haberet illas tres conditiones priores, quas essentiales ei esse diximus, ita scilicet, vt iuxta normā Ecclesiæ abstineret quis & *diu* (nempe vsque ad horam in Ieiuniis consuetam) & à certis illis *cibis* & hoc ipsum ad eo mandam carnem, tanquam ad finem referret, verè censeretur ieiunare more Ecclesiastico.

Cùm hoc igitur ita sit, poterit Ieiunium istud Ecclesiasticum attendendo ad ea solum quæ ipsi sunt *essentialia* sic describi: *Ieiunium Ecclesiasticum est peculiaris quædam parsimonia victus per abstinentiam diurnam, quæ & duret diutius quàm requirat communis regula temperantiæ, & sit etiam à quibusdam generibus ciborum, qui possent alioqui vsurpari salua communi eadem regula seu lege Temperantiæ.* Quo nam autem modo magis determinatè istud Ieiunium transigendum sit, scilicet à quibusnam cibis sit abstinendum, & quamdiu, siue ad quam vsque horam, &c. explicabimus puncto 3. Sicut etiam puncto 4. Quibusnā temporibus illud sit obseruandum.

Nunc duo præterea hoc in loco notari debēt. ALTERVM est, Ieiunium istud Ecclesiasticum, spectando præcisè ipsius solam essentiam, dupliciter suscipi posse, scilicet vel *sponte* absque præcepto, si nimirum suscipiatur extra illa tempora quibus Ecclesia illud iniungit; vel *necessariò* illis temporibus ex præcepto Ecclesiæ; iuxta ea quæ sequenti puncto trademus. Atque vtriusque Ieiunij meminit sanctus LEO serm. 3. de Ieiunio decimi Mensis, vbi ad Ieiunium exhortans inter cætera inquit: *In his diebus qui huic operi sunt specialius præstituti, maior animositas & cura excitanda est feruentior; ne quod pium est agere non indictum, impium sit negligere prædicatum.*

ALTERVM quod notari debet, est, imperitè omnino Kemnitium in examine Concilij Tridentini, sess. 25. ita definire istiusmodi Ieiunium, vt in definitione complectatur ea etiam quæ illi non essentialia, sed accidentalia sunt, & adeo quidem accidentalia, vt sine eis non rarò suscipiatur verum Ieiunium, quale Scriptura quoque (isto fatente) commendat: Dicit enim Kemnitius, Ieiunium esse *castigationem corporis per abstinentiam cibi & abdicationem delitiarum seu delectationum, quibus corpori & sensibus alias bene solet fieri.* Ad quam abdicationem delitiarum explicat ibi pertinere quoque quascunq; corporis afflictiones, vt humi cubationem, & vestem cilicinam seu crassiorem, & fletum, &c. Hæc istius descriptio & explicatio imperita est. Quamuis enim huiusmodi, quæ ad humiliādum magis animum pertinent, possint rectè & soleant in Ieiunio adhiberi, sicut & olim quoque sæpe adhibita sunt, vt patet ex multis exemplis Scripturę (vt 2. Reg. 1. & 5. & 12. Et 3. Reg. 21. & Daniel. 9. & 10. & Ionę 3. & alias) tamē certum est posse etiam sine istis institui verum & vtile Ieiunium, quo scilicet per solam abstinētiam corpus affligatur & animus humilietur, &c.

Vnde neque Dominus Matth. 6. iussit eiusmodi alias afflictiones addi ad Ieiunium, sed solum vt in eo vitaretur vana ostentatio & hypocrisis. Quin etiam ipse Kemnitius fateri coactus est, non esse planè necessarias in Ieiunio eiusmodi alias afflictiones corporis, iuxta illud Ioelis 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et illud Isaiæ 58. *Nunquid tale est Ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere, &c.* Imperitè igitur Kemnitius in descriptione postea Ieiunij ponit etiam ea, quæ ipsemet agnouit non esse ad Ieiunium necessaria.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Ieiunium sit opus bonum, & ex præcepto necessarium.

D. Thomas art. 3.

IEIVNII in Ecclesia vsitati laudem & necesitatem varij hæretici variè oppugnarunt. Nam alij omninò illud improbarunt & reiecerunt, vt Gnostici, teste Tertulliano in Scorpiaco. Et Eustachius, vt patet ex Concilio Gangrensi, in epistola Synodi ad Episcopos Armeniæ. Et Iouinianus, teste D. Hieronymo, lib. 2. contra eundem. Et D. Augustino in libro de hæresib. capite 82. Et Pauperes de Lugduno, apud Guidonem Carmelitam in Summa de hæresibus. Alij autem hæretici non omnino ipsum per se Ieiunium improbauerunt, sed quasdam eius circumstantias seu conditiones, quæ iuxta Ecclesię præscriptum in illo adhibentur: vt quo ad *tempus*, sicut videbimus puncto 4. vel quo ad præcepti *necessitatem*, vel quo ad *fines* nonnullos, quos ex Ecclesiæ more & instituto sibi etiam proponunt fideles in ieiunando, nempe Dei *cultum, meritum, satisfactionem* pro peccatis, &c. vt iam videbimus.

Atque hoc potissimum modo scilicet quo ad huiusmodi circumstantias improbatur ab huius temporis Sectariis Ieiunium Ecclesiasticum tanquam superstitiosum & impium, sicut videre est in Confessione Augustana & eius Apologia, artic. 15. Et apud Lutherum in libro de visione Danielis contra Catharinum. Et apud Caluinum, lib. 4. Instit. cap. 12. Et apud Kemnitium in exam. Concilij Trident. sess. 25.

Itaque, vt veniamus ad ea, quæ propriè nobis sunt controuersa cum Sectariis, prius exponēda sunt illa quæ apud nos & illos in hac quæstione sunt extra controuersiam, & certa. Sunt autem sex certa, & quinque controuersa.

Quanam

Quænam sint extra Controuersiam.

PRIMO enim certum, & extra controuersiam est, Ieiunium ipsum per se, vt est actus quidam abstinentiæ, & vt proinde ordinatur ad edomandam carnem, non esse malum, sed bonum & vtile, etiamsi per illud abstineatur à cibis, quibus alioqui vti liceret. Hoc aduersus antiquiores illos hæreticos qui Ieiunium Ecclesiasticum omnino reiecerunt, tanquam inutile, breuiter probandum est, tum ex Scriptura, tum ex auctoritate Conciliorum, tum testimoniis sanctorum Patrum, tum denique manifesta ratione.

Nam *primò* Scriptura quidem multis modis & exemplis nos ad Ieiuniũ hortatur. Vt Tobiæ 12. *Bona est oratio cũ Ieiunio, & Eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.* Et Psalm. 34. *Cum mihi molesti essent, induebar Cilicio, humiliabam in Ieiunio animam meam.* Et Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in Ieiunio, fletu, & planctu.* Et Danielis 10. *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem* (id est, cibum lautum) *non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Cuius Ieiunij fructus ostenditur ibidem illis verbis quæ sequuntur: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.*

Et in nouo Testamento Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, &c. & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Et Lucæ 2. Anna Prophetissa *non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Et 2. ad Corinth. 6. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate.* Et Actor. 13. *Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos.* Vt iam alia huius generis prætereamus.

Secundò idem probatur ex Conciliis, in quibus sicut abstinẽtia à quibusdam cibis, quasi natura sua malis & immundis, prohibetur, ita etiam simul approbatur abstinentia & ieiunium institutum ad eum finem, vt edometur caro. Id patet ex Concilio I. Toletano in assertione fidei, vbi approbatur abstinentia *à carnibus auium seu pecudum pro castigatione hominum.* Item ex Concilio I. Braccarensi, can. 14. vbi similiter approbatur abstinentia à *cibis carnium propter afflictionem sui corporis.* Quibus adde etiam alia multa Concilia, in quibus Ieiunium Ecclesiasticũ omnibus districtè imperatur, sicut paulò inferiùs contra Sectarios ostendemus.

Tertiò, idem patet ex Patribus. Sanctus IGNATIVS in epistola ad Philippenses: *Quadragesimã*, inquit, *nolite inhonorare; imitationem enim continet Dei conuersationis.*

Sanctus BASILIVS homilia prima de laudibus Ieiunij: *Ieiunium*, inquit, *hoc ipsum suo dignum est nomine, quod inedia purgat animæ viscera.*

Sanctus ATHANASIVS in libro de Virginitate: *Amplectamur valde*, inquit, *Ieiunium; magnũ enim munimentum est.* Et infrà: *Dæmones fugat, malasq; cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS homil. 1. in Genesin: *Vellem*, inquit, *vos purificata vestra mente, Valeq; delitiis & voracitati dicto, matrem omnium bonorum & pudicitiæ aliarumq; virtutum omnium magistram, Ieiunium, inquam, explicitis vestræ mentis sinibus suscipere, vt & vos maiori fruamini voluptate, & illud congruam vobis suam medicinam conferat.*

Sanctus CYPRIANVS in serm. de Ieiunio & tentationibus Christi: *Ieiuniis*, inquit, *vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur ardentis Ætnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes conterminos non adurit.*

Sanctus AMBROSIVS in libro de Elia & Ieiunio, cap. 4. *Gula*, inquit, *nudos facit, ieiunia operiunt & exutos.* Vnde Dominus ait per Psalmistam Psal. 68. *Operui in Ieiunio animam meam. Bonum operimentum quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur.*

Sanctus AVGVSTINVS in libro de perfectione Iustitiæ, cap. 8. in responsione ad ratiocinationẽ 17. *Dominus*, inquit, *in Euangelio cum dixisset; Nolite facere iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis, &c. non est in expositione iustitiæ ipsius executus nisi tria ista, Ieiunium, Eleemosynas, Orationes.* Vnde idem Augustinus in epistola 86. ad Cassulanum alludens ad hunc Euangelij locum, & ad alia noui Testamenti suprà citata: *Ego*, inquit, *in Euangelicis & Apostolicis literis, totoq; instrumento quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse Ieiunium.*

Sanctus LEO sermone 7. de Ieiunio septimi Mensis: *Ex veteris*, inquit, *prædicatione doctrinæ, ad purificationem animarum, corporumq; nostrorum Ieiunium adsumimus.* Et serm. 2. de Ieiunio decimi Mensis: *Semper*, inquit, *virtuti cibus Ieiunium fuit; De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia; & per volũtarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.* Similia alij passim.

Quartò, idem vt dixi patet manifesta ratione; Nam sicut repugnare carnem & sensualitatẽ rationi est malum quoddã hominis; ita è cõtrario, Bonum hominis est secũdùm rectam rationem viuere, vt tradidit quoq; S. Dionysius in lib. de diuinis nominib. cap. 4. par. 4. Igitur illud etiam est per se bonum & vtile homini, quod valet ad subiugandam carnem rationi & spiritui, cuiusmodi vel maximè est Ieiunium.

Quæ ratio valdè illustratur eleganti quadam similitudine, qua diuus AVGVSTINVS vsus est, in

libro

libro de vtilitate Ieiunij, cuius meminit Possidonius in Indiculo operum Augustini: *Si iumẽto*, inquit, *fortè insideres, si equo vtereris, qui te gestiẽdo posset præcipitare; nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares quẽ frano non posses? Caro mea iumentum est: iter ago in Ierusalem; plerunque me rapit, & de via conatur excludere: Via autẽ mea Christus est. Ita exultantẽ non cohibebo Ieiunio? Si quis hoc sapit, etiam ipso experimento probat quàm vtiliter ieiunetur.* Atque hactenus de PRIMO, quod diximus esse extra controuersiam inter nos & Sectarios; quamuis & id quoque à quibusdam aliis hæreticis suprà memoratis, imperitè & impiè negatum fuerit.

SECVNDO, extra controuersiam quoque est, rectè & vtiliter posse etiam Ieiunium referri ad quatuor alios fines: nimirum *primò* ad acuendam & attentiorem reddendam orationem ad Deum: quod indicat Scriptura cùm passim ideo coniungit orationem cum Ieiunio. Vt Tobiæ 12. *Bona est oratio cum Ieiunio.* Et 1. ad Cor. 7. *Vt vacetis ieiunio & orationi.* Et Actor. 13. *Ieiunantes & orantes, &c.* Et 14. *Cum orassent cum ieiunationibus commendauerunt eos Domino.*

Secundò, ad incitandã quoq; magis interiorem pœnitentiam, eamq; exteriore illa castigatione corporis protestãdam. Vnde in Scriptura etiam sæpe cõiungitur cum Ieiunio pœnitẽtiæ fletus, & alia eiusmodi signa & incitamenta pœnitẽtiæ. Vt Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in ieiunio, in fletu & plãctu. Et scindite corda vestra, &c.* Et Ionæ 3. *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt Ieiunium, & vestiti sunt saccis, &c.*

Tertiò, vt expeditior & paratior sit animus ad meditandas & percipiendas res diuinas: sicut de Daniele post Ieiunium legimus, quod fuerit diuinitus edoctus quænam ventura essent populo in nouissimis diebus. Et verè CHRYSOSTOMVS homil. 1. in Genesin: *Ieiunium*, inquit, *leues pennas animæ producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusq; & omnibus quæ in hoc mundo habentur suauia, ipsa sit superior.*

Quartò, ad vitandum etiam infirmorum scandalum: iuxta illud Apostoli ad Rom. 14. *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* Et 1. ad Cor. 8. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

TERTIO, extra cõtrouersiam quoq; est, Ieiunium quamuis *ex se* non sit malum, relatum ad prædictos fines, tamen si non habeat etiam coniũcta alia opera bona & necessaria, atq; adeo nisi fulciatur gratia Dei, inutile ad salutem esse, neq; gratum Deo: si nimirum ieiunãtis animus peccatis aliquib. mortalibus sit inquinatus; Huc enim pertinet illa sentẽtia Domini, Isaiæ 58. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire meas vias volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non reliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus & non aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti; Ecce in die Ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis, ecce ad lites & contentiones ieiunatis & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem.*

Quem locum perpendens sanctus HIERONYMVS libro secundo contra Iouinianum: *Non igitur*, inquit, *Ieiunium reprobauit, sed quale vellet ostendit; neq; enim ventris esuries accepta est Deo, quam lites & rapina & luxuria destruunt: Si non vult Ieiunium Deus, quomodo in Leuitico præcipit, vt septimo mense decima mensis omnis populus ieiunet vsq; ad vesperam, & qui non afflixerit animam suam moriatur & exterminetur de populo suo.* Hinc Ioël capite secundo monet: *Sanctificate Ieiunium, &c. Vt monstraretur* (inquit illic Hieronymus) *Ieiunium sanctificari cæteris operibus, & sanctificatum Ieiunium curationi proficere peccatorum.*

Et in eandem sententiam S. GREGORIVS homil. 16. in Euãgelia: *Per Ioëlem*, inquit, *dicitur sanctificate Ieiunium; Ieiuniũ quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. Incassum enim carro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrænatur.*

Et S. MAXIMVS Taurinensis homil. 1. de Ieiunio quadragesimæ: *Ieiunia*, inquit, *nostra religiosis sanctificemus obsequiis. Quid autem est aliud sanctificare Ieiunium, nisi Ieiunij causa sancta velle, iusta facere, iniqua vitare?*

Atq; hęc cum hodie etiam Catholicorum doctrina sit; magna sine dubio fuit impudẽtia Kemnitij, quòd in examine Concilij Tridentini, sess. 25. Catholicorum sententiam de Ieiunio ita retulit, ac si illi sentiant, Ieiunium *per se*, & (vt iste inquit) *ex opere operato* valere ad propitiandum Deum etiam sine vllo alio adminiculo bonorum operum & diuinæ gratiæ; sicut illi Iudæi opinati fuisse videntur, quos vt vidimus, redarguit Dominus Isaiæ 58. Hæc Kemnitij impostura valde impudens est, neque aliarum dissimilis, quibus iste vti consueuit in referendis Catholicorum sententiis.

QVARTO, extra controuersiam etiam est, Ieiunium, si per illud ab aliquibus cibis tanquam naturâ sua immundis & inquinantibus animum, abstineatur, non modò fore inutile, sed etiam omnino impium. Hic enim ipse fuit error Tacianorum, (siue Encratitarum) teste AVGVSTINO, in libro de hęresibus, cap. 25. *Qui carnes*, vt inquit, *omnes abominabantur*; Atq; etiam Manichęorum, qui simili impietate abstinebant à *vino & carnibus & ouis*, teste eodem Augustino lib. de hæresibus, cap. 46. sicut etiam Priscillianistæ à carnibus; vt patet ex Concilio Braccarensi I. can. 14. & Toletano I. in assertione fidei.

A quo impio errore in vsu Ieiunij longissimè abest Ecclesia Catholica. Probat enim & sequitur orthodoxam sentẽtiam explicatam à sancto

AVGVSTINO lib.30.contra Faustũ Manichęum, cap.5. his verbis: *Christiani, non hæretici, sed Catholici, edomandi corporis causâ, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus; sicut per Quadragesimam ferè omnes, &c. Vos autem* (Manichæi) *ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes Diabolus operetur faculentiore materia mali; ac per hoc eas tanquam immundiora & truculentiora Dei vestri vincula exhorrentes abiicitis.*

Quem istorum errorem addit ibi Augustinus fuisse prophetatum ab Apostolo Paulo, prima ad Timotheum quarto, cùm dixit futuros *in nouissimis temporibus qui abstinerent à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum*, nimirum ex eiusmodi impia superstitione. Quod rursus idem Augustinus repetit contra Adimantum Manichæi discipulum, capite 14. *Apertissimè*, inquit, *istos* (Manichæos) *significauit Apostolus, cum dicit; In nouissimis temporibus futuros quosdam prohibentes nubere, abstinentes à cibis quos Deus creauit; Hos enim propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant.*

Hunc errorem penitus Ecclesia Catholica execratur. Sicut etiam in Concilio Toletano I. in assertione fidei damnatus fuit his verbis: *Si quis dixerit vel crediderit carnes auium seu pecudum, quæ ad escam datæ sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse, Anathema sit.* Et in Concilio Braccarensi I. Canone 14. *Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in vsum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, vt nec olera cocta cum carnibus prægustet, sicut Manichæus & Priscillianus docuerunt, anathema sit.*

Et clarissimè Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, capite de abstinentia: *A vino*, inquit, *& ab esu carnium, & ab aliis eiusmodi abstinentiam non similiter ac hæretici amplectitur Ecclesia: Illi enim ab iis tanquam abominandis abstinendum esse censent, Ecclesia autem nihil horum decernit.*

Et S. ISIDORVS lib.1. de officiis Ecclesiasticis, cap. 44. *Non igitur*, inquit, *quia carnes malæ sunt, ideo prohibentur, sed quia earum epulæ carnis luxuriam gignunt. Fomes enim ac nutrimentum omnium vitiorum sunt.*

Ex quo refellitur alia quoque impudens Sectariorum calumnia, & præsertim Kemnitij vbi suprà, quòd non verentur Catholicis affingere errorem illum Tacianorum & Manichæorum & Priscillianistarum, ab Apostolo, vt vidimus, prophetice designatum & refutatum. Nec ad confirmandam eam calumniam valet quidquam quod Kemnitius obiicit, Catholicos cùm benedicunt cibis & aliis creaturis, precantes, vt ab illis abscedat virtus inimici, eo ipso significare creaturas eiusmodi esse per se immundas & malas. Nihil enim minus, quàm hoc, Catholici benedictionibus eiusmodi significant: Non enim hoc agunt, vt eiusmodi creaturæ desinant esse in se ipsæ malæ & immundæ, sed vt illarum vsus non sit nobis noxius per aliquam fraudem inimici, sed sit nobis potius diuino beneficio salutaris, tum quo ad animam, tum quo ad corpus. Et hoc ipso nobis cibus *sanctificatur*, tum *per verbum Dei*, quo nobis ille eiusmodi creaturas concessit ad cibum, Genesis primo & nono; tum etiam *per orationem*, qua, vt dictum est, Deum precamur, vt vsus eiusmodi creaturarum sit nobis salutaris.

Huc spectat illud CHRYSOSTOMI homilia 12. in primam epistolam ad Timotheum, circa illa Apostoli verba: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* 1. ad Tim. 4. *Si*, inquit, *omnis creatura bona est, quid est quod ait sanctificatur per verbũ Dei & orationem?* Et subiungit: *Non quia immundum est ideo sanctificatur, absit; Verum hoc in loco illos alloquitur, qui communia quædam ex ipsis esse arbitrantur. Duo igitur capita ponit. Vnum quidem, quòd creatura nulla communis est. Secundò, quòd etsi communis sit, medicamentum in promptu est. Signum illi Crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abcesit.* Vide etiam diuum Thomam lectione quarta in primam epistolam ad Timotheum.

QVINTO, æquè etiam certum & extra controuersiam est, non modò inutile, sed etiam prauum iam fore Ieiunium, quod suscipiatur ex cærimonia & superstitione Iudaica, hoc est, ex cærimoniali præcepto legis, tanquam adhuc obligantis. Cessauit enim & abrogata est illa Lex, vt patet Ieremiæ 31. & ad Hebræos octauo, vt ostendimus tomo secundo, quæstione octaua, de legibus.

Atque huc pertinet, quòd cùm Dominus Lucæ 5. & Matth. 9. interrogantibus discipulis Ioannis, cur discipuli ipsius non etiam ieiunarent, Respõdit; Non potuisse nec debuisse filios sponsi ieiunare, quamdiu cum eis esset sponsus, id est, non fuisse iam obligatos ad ieiunandum instituto, & cærimonia legali; neque etiam habuisse tunc causam ieiunandi aliter ante sponsi mortem & discessum ab eis, cùm futurum erat, vt propter luctum & persecutiones quas erant passuri, indigerent Ieiunij præsidio. Et propterea subdit: *Auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt*, scilicet eo modo, quo postea tempore noui Testamenti faciendum fuit. Ac eodem pertinuit, quod deinde subiunxit, quasi rationem huius

reddens:

reddens: Non solere mitti *vinum nouum in vtres veteres, sed in vtres nouos.* In quem locum HIERONYMVS: *Tale quid*, inquit, *Galathæ facere cupiebant: vt cum Euangelio legis præcepta miscerent, & in vtres veteres mitterent vinum nouum.*

Spectat huc etiam, quod idem Dominus, Matthæi 15. ad significandum quoque interitum illius cærimonialis legis, per quam à quibusdam cibis, tanquam ineptis ad significationem futurorum mysteriorum nouæ legis, & eatenus immundis, abstinendum erat, dixit; *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Item pertinet huc disputatio Apostoli ad Colossen. 2. aduersus eos, qui adhuc in lege Euangelica contendebant legales illas obseruantias de quibusdam abstinentiis & festis obseruandas esse: *Nemo ergo*, inquit, *vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ sunt*, inquit, *vmbra futurorum, corpus autem Christi.* Et denique patet hoc idem ex Domini voce ad Petrum in visione illa, Actorum 10. *Surge Petre, occide & manduca.* Et rursus ei dicenti; *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* Iterum ei dicitur; *quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.*

Nec si iam abstinemus quibusdam temporibus, & à quibusdam cibis, necesse est, nos id facere eodem modo & ritu & respectu, quo fiebat olim ex præscripto veteris legis; sed vtimur iam eiusmodi abstinentiis & ieiuniis non ex vi illius legis, nec ad easdem significationes, sed quoniam per se, relatæ ad alios fines (sicut partim antea diximus, partim postea explicabimus) vtiles sunt.

Rectè enim & Orthodoxè sanctus Leo sermone septimo de Ieiunio septimi Mensis: *Quod*, inquit, *Ieiunium septimi Mensis assumimus non legalibus nos oneribus subiicimus, sed vtilitatem continentiæ, quæ Christi Euangelio seruit, amplectimur.*

SEXTO, Certissimum, & extra omnem controuersiam est, Ieiunium, si ad ostentationem vanam, vel aliquem alium malum finem referatur, omninò fore inutile & prauum. Huc enim pertinet præceptum Domini, Matthæi sexto. Ne scilicet cum ieiunamus velimus *videri hominibus ieiunantes*, neque imitemur hypocritas, *qui exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.*

Quod tamen, vt rectè notauit sanctus AVGVSTINVS sermone 60. de tempore, non ita intelligi debet, quasi non liceat *publicè Ieiunium indicere, & vidente toto populo pariter cum ipso ieiunare, sed in hoc sensu* (inquit ibi Augustinus) *oportet id intelligi, vt nemo pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia, vel pro misericordia diuina ieiunet: Et vnusquisque interroget conscientiam suam, et si pro solo Deo facit Eleemosynam* (vel ieiunat) *securus, & publicè faciat, vt quicunque viderint imitentur.* Atque ista sex quidem certa, & extra controuersiam sunt, vt dixi, inter nos & Sectarios.

Quænam sint Controuersa.

CONTROVERSA autem inter nos & illos sunt alia quinque. PRIMO, An rectè Ieiunium suscipiatur, tanquam necessarium ex præcepto Ecclesiæ obligante sub peccato mortali: Negant enim hoc inprimis Sectarij, atque adeo censent Ieiunium susceptum cum opinione eiusmodi necessitatis esse prauum & superstitiosum. Neque tamen ipsi primi hoc senserunt. Nam hæc ipsa fuit hæresis Aërij veteris hæretici, à quo non modò sententiam, sed etiam verba videntur mutuati esse in hac quæstione nostri Sectarij.

Vt enim refert EPIPHANIVS hæresi 75. his verbis, Aërius (quibus fermè hodie etiam Sectarij vtuntur) explicabat suam hac de re sententiam: *Sed neque Ieiunium*, inquit, *erit ordinatum. Hæc enim Iudaica sunt, & subiugo seruitutis. Iusto enim lex non est posita, sed parricidis & matricidis, & reliquis. Si verò*, inquit, *omnino volo ieiunare; qualemcunque eligam diem à me ipso, & ieiunabo propter libertatem, &c.* quæ sunt planè ipsæ voces Sectariorum hodie.

Atque etiam diuus Augustinus in libro de hæresibus, cap. 53. *Aëriani*, inquit, *ab Aërio quodam sunt nominati, qui cum esset Presbyter, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens; Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta sollenniter Ieiunia esse celebranda, sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege.* Vt appareat planè, Sectarios huius temporis præceptorem hac in re secutos fuisse Aërium istum hæreticum. Atque eandem Aërij hæresin refert similiter DAMASCENVS in libro de hæresibus: *Negat*, inquit, *se lege Ieiuniorum teneri.*

Est autem omnino certa ex fide Assertio CONTRARIA, scilicet Ecclesiæ præceptum de Ieiunio verè obligare fideles in conscientia sub peccato, & quidem mortali (quantum est ex genere actus) atque adeo non superstitiosè, sed rectè & obedienter id Ieiunium suscipi, tanquam ex præcepto Ecclesiæ necessarium ad vitandum peccatum.

Probatur hæc assertio, PRIMO ex Scriptura sic, Omnis lex de bono actu, per quam Ecclesia intendit in conscientia obligare est necessariò obseruanda ad vitandum peccatum. Sed talis est lex de Ieiunio. Ergo, &c. Minor patet ex Scripturis suprà allatis, quibus ostendimus, Ieiunium tanquam bonum quoddam & vtile opus commendari. Et quod Ecclesia intendat ad illud sub peccato obligare notum est, ac patebit magis ex his testimoniis Ecclesiasticis, quæ post adducemus. Maior verò etiam fuit à nobis ex Scripturis probata, tomo secundo, quæstione quarta de Legibus, puncto sexto. Et patet ex illo, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et Matth. 23. *Omnia quæcunque dixerint*

vobis, seruate & facite; Id quod etiam maximè voluit Dominus intelligi de Ecclesiæ Prælatis. Et Lucæ decimo: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit*; Et ad Roman. 13. *Necessitati igitur subiecti estote; non solùm*, inquit, *propter iram*, id est, propter obligationem ad pœnam, *sed etiam propter conscientiam.* Quod cum dicat Paulus de potestate seculari; à fortiori intelligendum est etiam de obedientia debita potestati Ecclesiasticæ. Iuxta illud eiusdem 1. ad Thessalon. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum* IESVM. Et infrà: *Itaque, qui hac spernit, non hominem spernit, sed* DEVM. Et ad Hebræ. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis.*

SECVNDO probatur ex Conciliis, in quibus seueriſsimè Ieiunium præcipitur, & grauissima pœna decernitur violatoribus Ieiuniorum, tanquam reis nimirum peccati mortalis ex genere. Vt in Concilio Gangrensi, can. 19. *Si quis*, inquit, *Ieiunia, quæ communiter custodiuntur ab Ecclesia, dissoluat, sit anathema.* Et in Concilio Tiburiensi, can. 35. dicitur *irasci Deum*, si quis Quadragesimæ aut Ieiuniorum diebus *coërceatur à ieiunando*, esseque in eis ieiunandum *summa deuotione.* Et in Concilio Carthaginensi IV. can. 63. statuitur, vt *Clericus, qui tempore Ieiunij absque ineuitabili necessitate Ieiunium rumpit, inter minores habeatur.* Et in Concilio Agathensi, can. 12. Iubetur, vt omnes *Ecclesiæ filij in Quadragesima ieiunent, sacerdotali ordinatione, & distinctionis comminatione.* Et in Concilio Moguntino sub Carolo Magno, can. 35. approbatur supradictus Canon Concilij Gangrensis, vbi anathematizantur, qui indictum Ieiunium insolenter dissoluunt. Et in Concilio Toletano VIII. can. 9. *Quisquis absq; ineuitabili necessitate diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione.*

Quibus adde Canonem 56. Synodi VI. Constantinopolitanæ, qui sic habet: *Visum est, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe vnum ordinem sequens, Ieiunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic ab ouis & caseo* (in Quadragesima, de qua ibi est sermo) *quæ quidè sunt fructus & fœtus eorum, à quibus abstinemus; Si autem hoc non seruauerint, si sint quidem Clerici, deponantur, si autem Laici, segregentur.*

TERTIO probatur ex Patribus. Sanctus EPIPHANIVS vbi suprà, hæresi 75. contrariam sententiam Aërij, scilicet Ieiunium debere esse liberum, & non ex præcepto seruandum; pro explorata hæresi habuit. Quam vbi recitasset, subiungit: *Hæc sunt, quæ Aërius in mundo euomuit.* Et infrà: *Quis autem*, inquit, *magis de iis nouit? Hic ne seductus homo, qui etiam nunc superest, & hucusque in mundo versatur, aut qui ante nos testes fuerunt, &c.* Quæ similiter sibi dicta accipiant à nobis Sectarij.

Item THEOPHILVS Alexandrinus libro tertio Paschali, grauissimè peccare eos, qui decreta Ecclesiæ Ieiunia violant, his verbis affirmat: *Desidia & peritura cito voluptate studium virtutis infamant, &c. nescientes, quòd etiamsi conscientiam hominum fugiant, & clausis parietibus vescantur carnibus diebus quadragesimæ, corripiat huiusce modi Dominus & dicat, Iniquitates magnas faciunt isti, vt recedant à Sanctis meis.*

Sanctus BASILIVS homil. 2. de Ieiunio: *Ieiunium*, inquit, *per omne quidem tempus vtile est iis, qui illud sponte suscipiunt, sed multò magis hoc tempore* (Quadragesimæ) *quo per vniuersum terrarum orbem vndique denunciatur ieiunij præconium; nec vlla est Insula, nec vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij Edictum.* Vbi non solùm Ieiunium vltrò susceptum commendat, sed multò magis id, quod solenniter & stato tempore suscipitur necessariò ex *edicto.*

Item S. AMBROSIVS sermone 25. *Non leue*, inquit, *peccatum est, fidelibus indictam Quadragesimam à Domino* (instinctu saltem & exemplo quodam) *violare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere.*

Item sanctus AVGVSTINVS libro de hæresibus, cap. 53. inter alias hæreses Aërij numerat, quòd voluerit, ieiunia esse *libera*, & non *solenniter statuta.* Et in epistola 86. ad Casulanum, de hac ipsa quæstione & necessitate ieiunandi disserens: *Mos*, inquit, *populi Dei, vel instituta maiorum, pro lege tenenda sunt.*

Item S. LEO serm. 13. de Ieiunio decimi Mensis: *In his*, inquit, *diebus qui huic operi* (ieiunio) *sunt specialius præstituti, maior animositas & cura excitanda est feruentior; ne quod pium est agere non indictum, impium sit negligere prædicatum.* Et RABANVS lib. 2. de constit. Clericorum, capite 25. *Qui constituta*, inquit, *atq; demandata ieiunia seruare neglexerit, peccat. Qui autem expletis legitimis, priuata superexpenderit, propriam mercedem habebit.*

TERTIO idem probatur ex studio, quo olim fideles ieiunia huiusmodi ita religiosè obseruabant, vt quandoque etiam mallent quiduis pati, quàm illa violare. Cuius rei testis locuples est Sanctus CHRYSOSTOMVS homil. 6. ad populum Antiochenum, vbi ita ait: *Consuetudo res est, tam facilis & expedita, vt adueniente Ieiunio, etsi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare;* (abstinebatur enim olim etiam à vino, vt infrà dicemus) *Vel aliud quid ieiunij lege non concessum gustare; omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum.*

Atque idem testatur etiam NICEPHORVS libro 17. historiæ, capite 32. *Cum fames*, inquit, *Byzantij increbuisset, rerum necessariarum inopia Imperator Iustinianus, secunda statim ieiunij hebdomade carnes in foro venales proponendas promulgauit. Et hoc quidem sic per vim actum. Populus autem, qui*

pietatem sibi consectandam statuisset, neque eas emebat, neque edebat, mortem sibi potius adeundum esse censens, quàm vt quidquam de patriis moribus & traditionibus mutaret.

QVARTO denique probatur idem ratione. Nam Ieiunium suscipere, tanquam necessarium ex præcepto Ecclesiæ; neque ex parte ipsius *Ieiunij*, neque propterea, quod ex *præcepti* necessitate suscipiatur, nec etiam præterea, quod suscipiatur ex *talis* præcepti necessitate, puta Ecclesiastici, est malum. Ergo nullo modo huiusmodi Ieiunium improbari debet.

Antecedens probatur, quoad singulas eius partes. Nam inprimis Ieiunium ipsum, si consideretur, vt ordinatum ad edomandam carnem; bonus quidam actus virtutis est, vt supra constituimus, & fatentur etiam ipsi Sectarij; ac nominatim Caluinus & Kemnitius locis suprà citatis. Quo pacto nunc loquimur de Ieiunio. Quamuis si nihil aliud consideremus quàm id præcisè, quòd quis abstinet; sit hoc indifferens quiddam, quod potest fieri, vel bene, vel malè.

Item neque necessitas etiam præcepti, vt necessitas quædam est, reddit Ieiunium malum. Tunc enim malè olim in veteri lege fuisset Ieiunium vsurpatum, cùm ex necessitate præcepti diuini susciperetur, & quidem sub grauissima pœna, vt patet ex illis verbis Leuitici 23. *Decima die Mensis huius septimi, dies expiationum erit, affligetisq; animas vestras in ea, &c. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit, die hac peribit de populis suis.* Vbi per *afflictionem* intelligitur Ieiunium, sicut patet etiam ex Hieronymo libro secundo contra Iouinianum, capite vndecimo. Atque etiam nunc tempore nouæ legis (si qualiscumque præcepti necessitas facit illicitum Ieiunium) illicitè vsurparetur Ieiunium ad satisfaciendum diuino illi præcepto, quod sanctus Augustinus in epistola 86. ad Casulanum affirmat extare de Ieiunio *in Euangelicis & Apostolicis literis*, licet non quoad hoc vel illud determinatum tempus. Quam Augustini sententiam Kemnitius vbi suprà memorat & non improbat.

Sed neque necessitas *talis* præcepti, puta *Ecclesiastici*, censeri potest vitiare Ieiunium. Nam tunc omne aliud Ecclesiasticum præceptum vitiaret quemuis actum bonum: quod est apertè absurdum, & contra praxim etiam ipsorum Apostolorum, qui quædam tanquam necessaria præceperunt siue ad tempus, siue ad perpetuum. Vt Actorum decimo quinto: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato, &c.* Et prima ad Thessalonicenses quarto: *Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis per Dominum* IESVM. Et infrà: *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed* DEVM; *qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Quibus vltimis verbis reddit rationem, quare etiam Prælatorum præcepta habeant vim obligandi, quatenus feruntur per auctoritatem humanam: quia scilicet nititur ea auctoritas auctoritate diuina, vt præteream nunc alia quæ ad confirmandam Ecclesiæ potestatem in ferendis legibus diseruimus tomo secundo, disputat. 7. quæst. 5.

Neque verò Sectariorum OBIECTIONES habent aliquid momenti aduersus hanc orthodoxam Assertionem; nisi quod multis technis, & fraudibus conatur, vbi suprà, Kemnitius suo more facere fucum simplicibus lectoribus. Sed hoc quidem loco eas solum obiectiones breuiter refellemus, quæ propriè oppugnant necessitatem præcepti.

PRIMO obiiciunt sententias Christi, Matthæi 9. & 15. Itemque Apostoli ad Colossenses 2. Et ad Galathas secundo & tertio, de Euangelica libertate, nominatim etiam circa vsum ciborum.

Sed facile RESPONDEMVS; per hanc libertatem nos solum eximi à iugo veteris legis, non autem ab obedientia debita præpositis Ecclesiasticis, quibus ipse Dominus in Euangelio obtemperare nos iussit, sicut patet ex testimoniis suprà allatis. Quemadmodum neque per eam libertatem eximimur ab illo præcepto diuino de Ieiunio, quod paulò ante ex Augustini sententia (neque istis refragantibus) diximus in Euangelicis & Apostolicis literis extare; quamuis non quo ad hoc, vel illud tempus determinatè.

SECVNDO vrgent, quòd temporibus, præsertim primitiuæ Ecclesiæ, magna fuit varietas in ieiunando; maximè quo ad numerum dierum, & quo ad tempus. Vt potest intelligi ex quadam epistola Irenæi relata ab Eusebio libro quinto historiæ Ecclesiasticæ, capite 24. Vnde colligunt, obseruationem Ieiuniorum illis temporibus fuisse planè liberam citra vllam necessitatem præcepti.

Sed ad hoc quoque facile RESPONDEMVS; Ex illa enim varietate, quæ tunc in aliquibus locis, & postea etiam succedentibus temporibus fuit (sicut puncto tertio ostendemus) minimè licet colligere nullam tunc fuisse legem Ieiuniorum; sed illam, cum fuerit nimirum humana, (vt puncto quinto ostendemus) fuisse per contrarias consuetudines variis in locis variè enerua-tam, prout sunt variæ conditiones hominum, & temporum & locorum. Nihilominus tamen Lex Ecclesiastica Ieiunij, quo ad aliquem Ieiunij modum, in omnibus locis semper viguit, & seruari debuit, pro cuiusque loci consuetudine.

Atque hoc ipsum docet luculenter sanctus AVGVSTINVS in epistola 86. ad Casulanum. Vt cum ait; *Quoniam non inuenimus in Euangelicis & Apostolicis literis, certis diebus aliquibus euidenter præceptum obseruanda esse Ieiunia; Ideo res quoq; ista*

ſicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile eſt, inuenit in veſte filiæ regis (hoc eſt, Eccleſiæ) *varietatis locum*, iuxta illud nimirum Pſalmi 44. *Circumamicta varietate, &c.* Et ſuprà: *In his rebus*, inquit, *de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Et rurſus: *Sit ergo*, inquit, *vna fides vniuerſæ quæ vbique dilatatur Eccleſiæ, tanquam intus in membris; etiam ſi ipſa fidei vnitas, quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum eſt impeditur: Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinſecus; ipſæ autem obſeruationes quæ variè celebrantur, in eius veſte intelliguntur. Vnde ibi dicitur: In fimbriis aureis circumamicta varietate. Sed ea*, inquit, *quoque veſtis ita diuerſis celebrationibus varietur, vt non aduerſis contentionibus diſſipetur.*

A

TERTIO obiiciunt, quòd Montanus ob id etiam ab Eccleſia tanquam hæreticus damnatus eſt, quia quaſdam leges inſtituit de Ieiunio; vt intelligi poteſt ex Tertulliano, qui Montani errores complexus eſt, in libro de Ieiunio.

RESPONDEO, impudentem eſſe calumniam Catholicis affingere errorem illum Montani. Nam Lex illa Ieiuniorum Montani, vt ex eodem libro Tertulliani intelligi poteſt, ab Eccleſia fuit damnata, non quia quomodocunque fuerit Lex de Ieiunio; ſed *primò*, quia fuit Montani propria, qui ad eiuſmodi leges ferendas non habebat auctoritatem. *Secundò*, quoniam ab ipſo lata iactabatur per ſuum illum commentitium paracletum, quem perfectius ſibi quàm Apoſtolis communicatum eſſe aiebat. *Tertiò*, quia contra conſuetudinem Eccleſiæ tres quadrageſimas per illud Ieiunium præſcribebat, vt teſtatur Hieronymus epiſtola 54. ad Marcellam de erroribus Montani. *Quartò*, quoniam Ieiunium eiuſmodi ita inſtituebat, quaſi abſque illo non eſſent homines verè ſpirituales, ſed animales & carnales, ſicut Tertullianus Catholicos appellabat. *Quintò*, quoniam ſuperſtitiosè etiam, contra Eccleſiæ morem præſcribebat, vt per aliquot dies illarum quadrageſimarum cibis duntaxat aridis, & ab omni humore exiccatis, vterentur; quaſi abſque eiuſmodi ξηροφαγία non poſſet Ieiunium inſtitui ſatis perfectè & ſpiritualiter ad comprimendam carnalem libidinem: propter quam ſuperſtitionem videtur Epiphanius hæreſi 48. Montano etiã tribuiſſe abominationem quandam aliquorum ciborum, ſcilicet humidorum. Quanquam cum ait, pleraſque Sectas *præcipere abſtinere à cibis, non honeſtæ vitæ & maioris virtutis gratia, & præmiorum ac coronarum, ſed abominabilia ea, quæ à* DEO *facta ſunt, exiſtimantes*; non videtur propriè loqui de Montaniſtis, ſed de Tacianis ſeu Encratitis, de quibus ſuprà dictum eſt.

B

Fuiſſe autem talem qualem iam deſcripſimus, legem eam de Ieiunio, quam Montanus ſanciuit, & Eccleſia damnauit; intelligi poteſt ex Tertulliano Montanizante in ſupradicto libro de Ieiunio. Huc enim pertinent hæc, quæ ita ibi ſcribit: *Arguunt*, inquit, *nos quòd Ieiunia* PROPRIA *cuſtodiamus. Item, quòd etiam Xerophagias obſeruemus, ſiccantes cibum ab omni carne, & omni iurulentia & viuidioribus quibuſque pomis.* Item: *aiunt non eſſe ieiunandum ex imperio nouæ diſciplinæ.* Item dicit, *cibum pro veneno deputandum*, aliquibus temporibus; quod ſapit aliquam cibi abominationem. Item: *Omnem*, inquit, *diſciplinam, victus aut occidit, aut vulnerat.* Item exprobrat Eccleſiæ, quod Paracletum in Montano negat. Item inquit, *duas in anno hebdomadas Xerophagiarum exceptis Sabbathis & Dominicis offerimus* DEO, *&c.*

C

Alia verò quædam quæ præterea dicit Tertullianus, ab Eccleſia in Montaniſtarum Ieiuniis damnari: vt quòd ad veſperam vſque ieiunent; quòd non execrationis cauſa, ſed ad edomandam carnem à quibuſdam cibis aliquando abſtineant; & ſimilia: Vel per calumniam affinxit Eccleſiæ Tertullianus, more aliorum hæreticorum, vtpote iam ipſe hæreticus Montaniſta; vel certè non ab iis, qui in Eccleſia eſſent verè orthodoxi, improbabantur, ſed ab aliquibus aliis hæreticis, aut aliquo modo infectis errore Gnoſticorum; qui vt ſuprà vidimus, reiiciebant omnino inſtitutum ipſum Ieiuniorum. Id quod obſeruandum eſt diligenter aduerſus fraudes & artificia vaniſſima Kemnitij circa Ieiunia Montaniſtarum.

D

Aliæ verò obiectiones Kemnitij & aliorum Sectariorum, non huc propriè pertinent, ſed ad alia, quæ deinde iam videbimus eſſe controuerſa in hac quæſtione.

SECVNDO CONTROVERSVM inter nos & Sectarios eſt, An rectè inſtituatur & vſurpetur in Eccleſia Ieiunium per abſtinentiam quoque à quibuſdam cibis, ſcilicet à carnibus, ouis & lacticiniis, atque adeo cum quodam delectu ciborum. Hoc enim eſt illud quod maximè etiam improbant Sectarij in Eccleſiæ Ieiunio. Et ad id vtuntur variis argumentis, quæ poſtea refellemus.

Eſt autem ex fide CERTVM, non ob id eſſe prauum, ſed potius ex ea etiam parte vtile & laudabile Eccleſiæ Ieiunium. Probatur PRIMO ex Scriptura, quæ in quibuſdam Sanctis memorat & commendat eiuſmodi Ieiunia per abſtinentiam à quibuſdam cibis, puta à carnibus & aliis. Vt Danielis decimo: *Trium*, inquit, *hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Et de Ioanne Baptiſta, Matthæi tertio legimus: *Eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre.* Et de aliis legimus, qp abſtinuerint à vino; vt de Rechabitis, Ierem. 35. Et Nazaræis, num. 6. Quorum hæc erat *lex, vt à vino, & omni quod inebriare poteſt abſtinerent.* Quod genus abſtinentiæ fuiſſe gratum Deo, non ſolum quando ex *diuina* lege (vt erat illa Nazaræorum) ſed etiam quando ex præcepto *humano* ſuſcipiebatur; manifeſtè patet in Rechabitis, qui abſti-

nentes à vino ex præcepto tantum paterno placuerunt Deo; vt conſtat ex illo loco Ieremiæ 35. *Pro eo, quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa quæ præcepit vobis: propterea hac dicit Dominus exercituum Deus Iſraël; non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.*

A

SECVNDO probatur ex Conciliis, in quibus abſtinentia à carnibus pro caſtigatione carnis ſuſcepta approbatur, vt in Concilio I. Toletano, in Aſſertione fidei, & Braccarenſi I. Can. 14. Et in VI. Synodo Conſtantinopolitana, Can. 56. & aliis ſuprà citatis.

TERTIO probatur ex vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine; contra quam diſputare *inſolentiſſima inſania eſt*, vt orthodoxè affirmat S. Auguſtinus in epiſt. 118. ad Ianuarium.

QVARTO probatur ex Patribus, qui eiuſmodi abſtinentiam à carnibus in Ieiunio commendant. Sanctus CHRYSOSTOMVS homilia prima in Geneſin, loquens de Ieiunio Quadrageſimæ: *Hæ*, inquit, *veræ feriæ ſunt, vbi animarum ſalus, vbi pax & concordia eſt, vbi omnis huius vitæ apparatus abigitur, vbi clamor & tumultus, cocorum diſcurſus & pecudum mactationes è medio tolluntur.* Et homilia ſecunda in Geneſin: *Nuſquam hodie*, inquit, *tumultus vel clamor, vel carnium conſciſiones, vel cocorum diſcurſus.*

B

S. BASILIVS homil. 1. de laudibus Ieiunij: *Nolite*, inquit, *ad contentiones ac lites ieiunare. Carnes non edis, ſed comedis fratrem tuum; à vino abſtines, ſed ab iniuriis tibi non temperas, &c.*

C

Sanctus EPIPHANIVS in compendiaria doctrina de fide Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: *Sunt*, inquit, *præterea aliæ præeminentes vitæ conuerſationes, quæ in eadem ſancta Catholica Eccleſia ſeruantur, eorum inquam, qui ab omnibus carnibus abſtinent, &c.*

Item THEOPHILVS Alexandrinus libro tertio Paſchali ad Aegypti Epiſcopos: *Qui*, inquit, *Legum præcepta cuſtodiunt, ignorãt vinum in ieiuniis, carnium eſum repudiant & inſatiabilem auaritiam, Dei timore compeſcunt.*

Item THEODORETVS in Epitome diuinorum Decretorum, cap. de Abſtinentia: *A vino*, inquit, *& ab eſu carnium, & ab aliis eiuſmodi abſtinentiam non ſimiliter ac hæretici amplectitur Eccleſia.*

D

Sanctus AVGVSTINVS libro 30. contra Fauſtum, capite 5. *Catholici*, inquit, *edomandi corporis cauſa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant, non ſolum à carnibus, verùm à quibuſdã etiam terræ fructibus abſtineãt; vel ſemper ſicut pauci; vel certis diebus aut temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes.*

Sanctus FVLGENTIVS in libro de fide ad Petrum, cap. 3. *Serui Dei*, inquit, *in eo, quòd à carnibus & vino abſtinent, non tanquam res immundas refugiunt, ſed mundioris vitæ inſtituta ſectantur.*

S. MAXIMVS Taurinenſis homil. 3. de Ieiunio Quadrageſimæ: *Ieiunium*, inquit, *Chriſtianum pacem debet nutrire, non iurgia. Quale autem eſt illud, quòd non veſceris carnibus, & de ore tuo omni eſca ſordidius egreditur maledictum?*

S. ISIDORVS lib. 1. de officiis Eccleſiaſticis, cap. 44. *Non*, inquit, *quia carnes malæ ſunt, ideo prohibentur, ſed quia earũ epulæ carnis luxuriam gignunt.*

S. BERNHARDVS ſerm. 66. in Cantica: *Abſtineo*, inquit, *à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia.*

QVINTO probatur idem manifeſto argumento, ducto ex ipſa ratione Ieiunij peculiaris & propriè dicti, quod vt ſuprà vidimus, ne ipſi quidem Sectarij negant in Scripturis commendari. Nam conſiſtit illud in abſtinentia quadam ſingulari, ad quam alioqui non teneretur quis ex præſcripto communis regulæ temperantiæ. Sed Ieiunium per abſtinentiam à carnibus, vel ab aliquibus aliis eiuſmodi cibis, eſt Ieiunium tale; ſcilicet conſiſtens in ſingulari quadã abſtinentia, ad quam alioqui non teneretur quis per communem regulam temperantiæ, vt patet. Ergo Ieiunium iſtiuſmodi non minus ſecundùm Scripturæ ſententiam eſt laudabile, quàm aliud quoduis peculiare Ieiunium in Scripturis commendatum.

Neque enim poteſt in propoſito aſſignari vllum diſcrimen inter carnes & alios cibos, qui tum quoad qualitatem, tum quoad quantitatem prætermittuntur in omni peculiari Ieiunio (non enim poſſunt in vllo Ieiunio vſurpari omnes cibi, & in omni quantitate). Nam ſicut carnes à Deo creatæ ſunt, & naturâ ſua ſunt bonæ; ita etiam alij cibi, qui quoad qualitatem & quantitatem in omni peculiari Ieiunio prætermittuntur. Et ſicut hoc non obſtante, poſſunt alij cibi in peculiari Ieiunio prætermitti nõ ex abominatione vel ſuperſtitione, ſed ob alium bonum finem, ſcilicet ad edomandam carnem, vel vitandum ſcandalum, &c. ita etiam & carnes & oua & lacticinia. Alioquin, ſi carnes in victu prætermitti abſque abominatione vel ſuperſtitione, nullo vel modo vel fine poſſunt; oportebit damnare illud propoſitum S. Pauli: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*, 1. ad Cor. 8. Sed ad OBIECTIONES Sectariorum, quæ huc pertinent, reſpondendum nunc eſt, quas ferè colligit Kemnitius.

PRIMO obiiciunt, quod vbi peculiaria Ieiunia in Scripturis commẽdantur, nuſquã legitur fuiſſe prohibitum vſum aliquorum ciborum ex iis, quibus alioqui per diuinam legem veſci liceret.

RESPONDEO, Inprimis hoc ipſo, quòd peculiaria aliqua ieiunia populo Dei iniuncta fuerunt, fuiſſe etiam prohibitum, ne fideles quibuſlibet cibis affatim in illis ieiuniis vterentur. Vt patet Leuit. 23. & aliãs. Et conſequenter aliquorum ciborum vſus (licet indeterminatè) in illis ieiuniis prohibitus fuit; inter quos & carnes nullum aſſignari poteſt, quoad hoc diſcrimen in

Universidad de Deusto
Biblioteca

propoſito, ſicut iam oſtendimus in vltima noſtra probatione. Deinde, ſicut potuerunt carnes, & alij quíque cibi, rectè in illis ieiuniis vltrò prætermitti propter bonos fines: ita etiam potuerunt rectè prohiberi ob fines eoſdem; nam quod rectè vltrò fit, rectè etiam poteſt fieri ex præcepto; præceptum enim non contaminat opus, vt ſuprà etiam oſtendimus.

SECVNDO obiiciunt, quod omnes cibi ſunt ad vſum conceſsi hominibus à Deo, præſertim Geneſ. 9. poſt diluuium, verbis illis: *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, &c.* Quo ipſo omnes cibi ſunt per verbum Dei ſanctificati, iuxta Apoſtolum 1. ad Timot. 4. & redditi idonei quibus vtamur. Igitur minimè licet vſu quorundam ex illis præcepto interdicere.

RESPONDEO, inde ſolum probari, quòd illicitum ſit ab vllis cibis abſtinere, vel eorum vſum prohibere, quaſi per ſe immundi & abominabiles ſint, atque adeo nobis illiciti per diuinam & naturalem legem, ſicut impiè ſentiebant Taciani & Manichæi, vt ſuprà vidimus. Minimè autem inde ſequitur, quòd nec ob alios bonos fines liceat ab aliquibus cibis abſtinere, aut illorum vſu interdicere peculiari præcepto, quod quidem non ſit contra præceptum Dei, ſed ſtatuat aliquid ac prohibeat, quod per Dei præceptum nõ ſit mandatum, ſed tantummodo à Deo conceſſum. Alioqui neque Apoſtolus bene præcepiſſet abſtinere à carnibus propter ſcandalum vitandum, neque etiam potuiſſent ad naturalia præcepta addi vlla peculiaria de fide & Sacramentis in noua lege.

TERTIO obiiciunt, eſſe doctrinam Dæmoniorum *abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum*, vt ait Apoſtolus, prima ad Timotheum quarto.

RESPONDEO, hoc iam ſuprà confutatum eſt. Id enim diſputauit propheticè eo loco Apoſtolus contra Tacianos & Manichæos, qui ex abominatione quadam abſtinebãt à vino & carnibus, tanquam naturâ ſua eſſent malæ, vt ſuprà ex Auguſtino notauimus. Quod ipſum patet etiam clariſsimè ex rationibus illis duabus, quibus eum errorem Apoſtolus ibi confutauit, quarum altera continetur illis verbis: *Quos Deus creauit*; Altera illis: *Quia omnis creatura Dei bona eſt*. Alioqui, ſi quouis modo vel fine abſtinere ab aliquibus cibis eſſet doctrina Dæmoniorum; doctrinam Dæmoniorum tradidiſſet & commendaſſet nobis Apoſtolus Paulus, cùm iuſsit abſtinere à carnibus propter infirmorum ſcandalum, 1. ad Corinth. 8. Longè autem abeſſe Eccleſiam ab illo errore Tacianorum & Manichæorum, pluribus teſtimoniis ſupra oſtendimus cõtra calumniam Kemnitij.

QVARTO obiiciunt, abſtinentiam huiuſmodi & delectum ciborum, eſſe cærimoniam Iudaicam, quæ iam exoleuerit: iuxta illud ad Coloſſ. 2. *Nemo ergo vos iudicet in cibo & potu, &c. quæ ſunt vmbra futurorum.*

Sed ad hoc etiam ſupra RESPONSVM eſt, non eodem modo, neque ad eundem finem, ſcilicet ad ſignificationem futurorum Chriſti myſteriorum (ad quam quidam cibi fuerint inepti) ſed aliter, & ad alios fines; neque ex vi illius veteris legis, abſtinentiam à carnibus nunc vſurpari, vt luculenter docuit ſanctus Leo ſermone 7. de Ieiunio ſeptimi Menſis, cuius verba ſupra recitauimus.

QVINTO obiiciunt illas ſententias: *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, Matth. 15. Et: *Omnia munda mundis*, ad Tit. 1.

RESPONDEO cum ſancto AVGVSTINO in lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 33. Sententiis eiuſmodi ſolummodo ſignificari, quòd non debeãt aliqui cibi reſpui tanquam immundi, & inquinati, vel natura ſua, vel ſtatuto veteris legis cærimonialis propter ineptitudinem ad ſignificandum; nihilominus tamen poſſunt aliqui cibi in ieiuniis prætermitti propter alios bonos fines, vt ſæpe dictum eſt.

Meminerunt (inquit Auguſtinus de moribus Catholicorum illic agens) *omnia munda mundis*. Et: *Non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit. Itaq; nõ reiiciendis generibus ciborum, quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ, inuigilat omnis induſtria.*

SEXTO obiiciunt illud 1. ad Corinth. 8. *Neque ſi manducauerimus, abundabimus, neq; ſi non manducauerimus, deficiemus.*

RESPONDEO cum eodem Auguſtino illic, intelligendum id eſſe, ſi vſus ipſe vel abſtinentia cibi nudè conſideretur ſine vlla relatione ad vllum bonum & vtilem finem, qualis eſt refrænatio carnis, vel vitatio ſcandali per fraternam dilectionem, vt iam dictum eſt.

SEPTIMO obiiciunt illud Actorum decimo: *Quæ Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Ex quo loco putat Kemnitius manifeſtè probari, nõ poſſe Eccleſiam prohibere eum cibum, quem Deus ipſe non prohibet, ſed pro mundo & licito habet.

RESPONDEO, Futilem eſſe ratiocinationem hanc Kemnitij. Nam ſolum inde ſequitur, Eccleſiam nec poſſe nec debere prohibere aliquem cibum, tanquam immundum & communem eo modo, quo erant olim quidam cibi decreto legis veteris immundi & prohibiti, tanquam inepti ad ſignificationem myſteriorum futurorum: quandoquidem Deus per abolitionem cærimoniarum illius legis, genus omne ciborum purificauit, & quaſi eluit ab illa immunditia legali. Minimè autem inde ſequitur, quòd nequeat iam Eccleſia aliter, & ob alios fines prohibere quoſdam cibos quibuſdam temporibus, vt iam ſæpe oſtenſum eſt.

OCTAVO

OCTAVO obiiciunt, quod ſanctus Paulus ad Coloſſenſ. 2. improbat & damnat quorundam abſtinentias à quibuſdam cibis, tanquam præcepta & doctrinas hominum, *quæ ſunt*, inquit, *rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.*

RESPONDEO, ab Apoſtolo in eo loco minimè damnari abſtinentiam à cibis talem qualem Eccleſia vſurpat, ſed alia quædam tria genera abſtinentiæ prauæ. Nimirum *primò* abſtinentiam Iudaicam, quaſi adhuc ſeruandæ eſſent cærimoniæ legis veteris. Quo pertinent illa verba Apoſtoli ibi: *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, &c. quæ ſunt vmbra futurorum.* Et quod infrà ait: *Si ergo mortui eſtis* CHRISTO *ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis: quæ ſunt omnia in interitum ipſo vſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum aduerſantes*, nimirum Euangelicæ doctrinæ & libertati. *Secundò*, Abſtinentiam à cibis ſuſceptam ex ſuperſtitioſo cultu Angelorum, qualem vſurpabant olim hæretici dicti Angelici, iuxta diſciplinam Platonicorum, vt docuimus ſuprà diſputatione ſexta, quæſtione tertia, de Adoratione. Huc enim pertinet, quod ibidem Apoſtolus ait: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, &c. Tertiò*, tum in vtroque hoc genere abſtinentiæ, tum in quocunque alio, damnat etiam ibi Apoſtolus abſtinentiam indiſcretam & immoderatam, manifeſtè & notabiliter nocentem corpori. Talis enim abſtinentia illicita eſt, vt docebimus puncto ſequenti. Et huc pertinet, quod ad extremum ibi Apoſtolus ait; Eiuſmodi abſtinentias quamuis habeant ſpeciem ſapientiæ, tamen eſſe ſuperſtitioſas, id eſt, ſuperfluos cultus, quos ibi appellat ἐθελοθρησκείας, id eſt, cultum voluntate propria inſtitutum contra rectam rationem; cum ſit *non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*, vt ibi inquit Apoſtolus.

NONO obiiciunt, quod Euſtachius in Concilio Gangrenſi damnatus fuit, quia à carnibus abſtinebat, vt patet ex epiſtola Synodica eius Concilij.

RESPONDEO, Euſtachium illum non fuiſſe in eo Concilio ob id damnatum, quod à carnibus abſtineret more quidem & inſtituto Ieiunij in Eccleſia vſitati, ſed quoniam vſum carnium reputaret per ſe illicitum, neque cum eo poſſe conſiſtere ſalutis ſpem. Hoc patet manifeſtè *primò* ex dicta epiſtola eiuſdem Concilij, vbi dicitur, Euſtachianos cibos carnium, tanquam illicitos repudiaſſe. *Secundò* patet id etiam ex Canone ſecundo eiuſdem Concilij, vbi ille error condemnatur his verbis: *Si quis carnem edentem (præter ſanguinem & idolis immolatum & ſuffocatum) cum religione & fide, condemnat velut ſpem propter huiuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit. Tertiò*, idem manifeſtiſsimè patet ex eo, quòd Euſtachius ille ieiunia vſitata in Eccleſia, atque adeo etiam abſtinentiam à carnibus eo modo, quo in Eccleſia vſurpabatur, improbauit, & eo etiam nomine in illo Concilio damnatus fuit. Non igitur propter abſtinentiam à carnibus talem qualis in Eccleſia eſt vſitata, ſed propter illam aliam, quam diximus, fuit damnatus. Quod autem reiecerit Eccleſiæ ieiunia patet, tum ex illa epiſtola eiuſdem Concilij, vbi dicitur, Euſtachianos *ieiunia, quæ in Eccleſia prædicantur, contemnenda aſſeruiſſe*, tum ex Canone 19. eiuſdem Concilij, vbi hic etiam error Euſtachij damnatur, his verbis: *Si quis eorum qui continentiæ ſtudent, abſque neceſsitate corporea, tradita in commune ieiunia, & ab Eccleſia cuſtodita, ſuperbiendo diſſoluit ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit.*

DECIMO obiiciunt, quod vt refert Euſebius libro quinto hiſtoriæ, capite tertio, Cùm Alcibiades quidam è *numero eorum, qui pro Chriſto vincti tenebantur vitam arduam & auſteram gereret, nihil ſibi volens accipere præter ſalem & panem cum aqua. Attalo diuinitus reuelatum fuit, Alcibiadem non rectè facere, non vtendo creaturis Dei, & aliis ea re præbendo ſcandalum. Qua reuelatione cognita Alcibiadem cœpiſſe omnia cum gratiarum actione percipere.*

RESPONDEO, Abſtinentiam illam Alcibiadis non fuiſſe improbatam, quia eſſet qualiſcunque abſtinentia à lautioribus cibis, ſed quia (vt apparet ex illa narratione Euſebij) ſcandalum aliquod præbuerit infirmis, quaſi ex abominatione ille repudiaret cibos, qui erant creaturæ Dei; vel quia fortè etiam fuerit indiſcreta & immoderata, conſiderata ratione perſonæ in illa præſertim ærumna & afflictione carceris, cum ſolet eſſe opus conueniente corporis refectione.

VNDECIMO obiiciunt, quòd Spiridion, vt narrat Sozomenus libro primo hiſtoriæ, capite vndecimo, Tempore Ieiunij aduenienti ad ſe hoſpiti, cùm aliud non haberet, appoſuit carnes ſuillas, de quibus ipſe incœpit comedere, hortans hoſpitem, vt idem faceret; qui cum illud facere recuſaret, diceretque ſe Chriſtianum eſſe; hanc, inquit, ob cauſam eo minus recuſare debes, Scriptura enim pronunciat, *Mundis omnia eſſe munda.*

RESPONDEO, vt maximè hæc hiſtoria Sozomeni (de quo ſanctus Gregorius ait, quod multa mentitur) vera ſit, tamen minimè ſuffragari Sectariis. Potuit enim Spiridion propter officium charitatis & hoſpitalitatis, cum neque panem, neque vllum alium cibum haberet, & hoſpes (vt etiam ibi dicitur) valde feſſus eſſet, perſuadere ſibi non improbabiliter, quòd liceret in illo caſu vti carnibus, non obſtante lege Ieiunij præſertim cum hoſpitem eius rei redderet capacem ab eoque ſcandalum eximeret. Nam vt do-

cebimus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cebimus puncto 5. Lex Ieiunij non ita obligat, quin aliquando ex rationabili causa liceat secus facere si absit scandalum.

Adde, quòd ex hac ipsa historia possumus etiam sumere argumentum pro nostra assertione. Narrat enim ibi Sozomenus, Spiridionem non absque Dei timore, ne fortè in ea re peccaret, id fecisse, sed prius Deum precatum esse & petiisse ab eo veniam; nimirum tanquam id facturus, quod alioqui sciebat esse interdictum lege obligante sub peccato. Adde etiam, quòd Ruffinus libro decimo historiæ, capite quinto, vbi de Spiridione illo scribit, eius historiæ mentionem non facit.

DVODECIMO obiiciunt, quòd abstinentia à carnibus in Ieiuniis ab Ecclesia vsitatis, est coniuncta cum magnis lautitiis epularum, quæ parantur accuratissimè ex piscibus. Vt fatendum sit, eiusmodi Ieiunia nihilo plus, sed multò minus vtilitatis ad refrænandam carnem habere, quàm vsum carnium moderatum. Nam lautitiæ illæ piscium multò maius incitamẽtum concupiscentiæ sunt, quàm vulgaris esus carnium; præsertim si (vt ait Kemnitius) sint fumo duratæ & arefactæ: Aut si quis (vt ait Caluinus vbi suprà) minimum lardi aut rancidæ carnis cum pane cibario gustet. Accedit, quòd à vino in eiusmodi Ieiuniis non abstinetur, in quo tamen, vt ait Apostolus, *est luxuria*, ad Ephesios quinto.

RESPONDEO, Ieiunium in Ecclesia vsitatum, & ab Ecclesia præceptum, non consistere in ipso vsu piscium lauto; (Neque enim Ecclesia illum præcipit; alioqui Ieiunium violarent, qui lautè piscibus non vterentur, quod est dictu ineptum) sed in ipsa abstinentia à carnibus, & à pluribus refectionibus quàm vna. &c. prout puncto sequenti explicabimus. Hæc sanè abstinentia, neque in iis, qui piscibus lautè non vescuntur, (qui sunt maxima populi Christiani pars) neque in iis, qui id faciunt, per se est vel mala, vel incitamentum concupiscentiæ; sed potius est actus quidam virtutis temperantiæ, vt ex voluntate seu electione suscipitur, cõducens quantum in ipsa est quidem ad concupiscentiam refrænandam.

Itaque per hanc abstinentiam impletur propriè in ieiuniis præceptum Ecclesiæ, siue quis alioqui lautè piscibus vtatur, siue etiam nullis piscibus, vt multò plures faciunt. Eas enim lautitias Ecclesia, vt non præcipit, ita neque tenetur ipsa speciali lege prohibere, cum neq; omnium, sed paucorum sint, neque expediat alioqui, omnia ea, quæ præter aut contra naturalem legem temperantiæ committuntur, speciali lege prohiberi. Sed satis est, quòd Ecclesia Ieiunium ipsum, id est, abstinentiam à cibis naturâ sua magis incitantibus concupiscentiam, imperat omnibus, sicut & ab omnibus illud vsurpari potest.

Quocirca nihil proficiunt Sectarij, cùm aduersus Ieiunium ab Ecclesia præceptum, obiiciunt incitari concupiscentiam per lautitias piscium: sed deberent nobis probare, quòd per abstinentiam ipsam à carnibus incitetur, aut magis incitetur concupiscentia, quàm per vsum carnium etiam rancidarum; In ea enim *abstinentia per se* Ieiunium consistit, & ea est id, quod per Ieiunij legem præcipitur, sicut est dictum. Cùm autem id nullo modo isti probare possint; frustrà nobis pro nostro Ieiunio suis nugis & cauillationibus student obtrudere carnes rancidas, aut fumo duratas.

Et certè, vel eo nomine isti impudentissimi sunt, quòd cum sciant, apud ipsos nullum ne rancidum quidem esse in vsu Ieiunium peculiare, quale alioquin, nec ipsi diffitentur, in Scripturis Euangelicis & Apostolicis esse præceptum (sicut Augustinus in epistola octogesimasexta ad Casulanum affirmat, vt suprà recitauimus) tamen Ieiunium nostrum arguere & cauillari non verentur.

Fatetur enim Kemnitius vbi suprà, Ieiunium peculiare, quod agnoscit commendatum esse in sacris literis; neque retinuisse, neque restituisse Lutherum; neque in vsu communi apud suos esse; nisi quod aliqui, vt ait, pridie antequam communicent non cœnant, aut parcè cœnant; permagnam scilicet austeritatem Ieiunij. Qua in re ipsi viderint, quomodo rationem Deo reddituri sint violati & neglecti à se diuini præcepti, quod in Euangelicis etiam & Apostolicis noui Testamenti literis contineri non ignorant, tametsi non determinatè quoad hoc vel illud tempus (vt suprà ex Augustino docuimus) sed obligantis tamen in commune omnes qui ex causa rationabili non excusentur.

Quod autem Kemnitius excusans hac in re Lutherum, ait, Illum propterea Ieiunia non retinuisse, quia nulla vera Ieiunia in Ecclesia inuenit; quis non videt esse apertum mendacium? Nam vt fortè in aliquo Saxoniæ angulo ieiunia vera in vsu non fuerint; certè in reliquo orbe toto Christiano non penitus deerant. Item, quod iste addit, Lutherum occupari tunc potius debuisse in instauranda doctrina de iustitia interna; potius Lutherum & Lutheri filios ieiunij desertores condemnat. *Primò*, quoniam ad doctrinam quoque de Iustitia interna pertinet obseruatio præcepti de Ieiunio, tum diuini (iàm dicti,) tum Ecclesiastici determinantis illud diuinum ad aliquem modum & tempus, vt certiùs & vniformius illud à fidelibus obseruetur. *Secundò*, quia non erant res incompatibiles tradere doctrinam de Iustitia interna, & simul doctrinam de Ieiunio peculiari, quæ extat in Scripturis. *Tertiò*, Nam neque illis eam doctrinam de Ieiunio tradidit, quibus iam persuaserat doctrinam illam suam de Iustitia Lutherana.

Ad id

Ad id autem, quod isti etiam obiiciunt non interdici in Ieiuniis vsu vini: Respondeo, Olim quidem abstinentiam quoque à vino fuisse vsitatam in Ecclesiæ Ieiuniis, vt videbimus puncto sequenti: postea verò per communem consuetudinem Lex ieiunij quo ad eum abstinentiæ modum (sicut quo ad alia quædam, vt puncto sequenti videbimus) variata est. Nec propterea, quod Ieiunium per abstinentiam quoque à vino perfectius est, argumentari licet, Ieiunium per abstinentiam à carnibus & non à vino esse nullius vtilitatis: maximè cùm omnibus consideratis, & à toto genere loquendo, abstinentia à carnibus conducibilior sit ad carnem refrænandam, quàm abstinentia à vino; per rationem quam huius rei reddit diuus Thomas hîc, articulo octauo ad primum. Et hactenus de eo, quòd diximus esse SECVNDO controuersum inter nos & Sectarios.

TERTIO CONTROVERSVM inter nos & illos est, An liceat Ieiunium ad eum finem referre, vt *promereamur* per illud, tanquam per bonum opus mercedem à Deo. Nam & hoc maximè etiam negant Sectarij. Sed hæreticè negant, sicut & merita aliorum bonorum operum, vt ostendimus tomo secundo, quæst. vltima de gratia, quo nunc remittimus lectorem, ne iam nobis repetenda sint testimonia illa & argumenta, quibus probauimus meritum omnium bonorum operum, atque adeo etiam Ieiunij, si fiant à persona quæ sit in Dei gratia.

In specie autem de Ieiunij merito hæc nunc testimonia notentur, Ieremiæ 35. de Rechabitis: *Pro eo*, inquit, *quòd obedistis Ionadab patri vestro* (quod erat etiam de abstinentia à vino, &c.) *& custodistis omnia mandata eius, &c. propterea hæc dicit Dominus exercituum, non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Et Matthæi sexto: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua* (id est, non ieiunes ad vanam ostentationem) *ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, & pater tuus qui est in abscondito reddet tibi.* Vbi de redditione mercedis æternæ in cælo Dominus loquitur, vt patet ex illis verbis, quæ mox subiungit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi erugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, &c.*

Quo etiam pertinent alia Scripturæ testimonia, ex quibus constat, per ieiunia seruiri dignè Deo; Qui enim dignè seruit; dignus est mercede. Vt Lucæ secundo, Anna Prophetissa *non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Et 2. ad Corinthios 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, &c. in ieiuniis, in castitate.* Et Actorum 13. *Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus; Segregate mihi Saulum & Barnabam, &c.*

Item sanctus AMBROSIVS in epistola 82. pro explorata hæresi habuit sententiam Iouiniani negantis meritum Ieiunij: *Audio*, inquit Ambrosius, *homines esse, qui dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, &c. delirare eos qui Ieiuniis castigant carnem suam, vt menti subditam faciant. Quod nunquã fecisset, nunquam scripsisset Paulus Apostolus, Si deliramentum putasset: gloriatur itaque dicens: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c.* Et paulò post: *Quæ*, inquit, *istos Epicuræos noua schola misit?*

Item sanctus AVGVSTINVS in libro de perfectione Iustitiæ, cap. 8. in responsione ad ratiocinationem 17. *Post hanc*, inquit, *vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur; Non enim ad saturitatem Iustitiæ, cum hinc exierit quisque, perueniet, nisi ad eam cum hic est, esuriendo & sitiendo currerit.* Et infrà: *Ne istum nostrum cursum fine humanæ gloriæ metiremur, non est Dominus in expositione ipsius iustitiæ executus nisi tria ista: Ieiunium, Eleemosynas, Orationes.*

Item sanctus MAXIMVS Taurinensis, homilia tertia de ieiunio Quadragesimæ: *Eodem*, inquit, *numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cælum: Ieiunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes, animæ virtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissa nobis terræ vicinores efficimur.* His addè alia testimonia citata, tomo secundo, quæstione vltima de gratia, puncto 2. & 4. Neque habent hîc Sectarij peculiaria argumenta, præter communia, quæ solent obiicere contra meritum bonorum operum, illic à nobis refutata.

QVARTO CONTROVERSVM est inter nos & Sectarios, An liceat quoque ieiunare ad eum finem, vt per Ieiunium *satisfaciamus* Deo pro peccatis, quo ad pœnam temporalem pro his debitam. Hoc enim negant quoque Sectarij. Sed non aliis argumentis ducti, præterquàm illis, quibus impiè & imperitè nituntur aliàs probare, non posse nos vllo modo pro peccatis quo ad pœnam satisfacere. Quæ istorum argumenta in materia de Sacramento pœnitentiæ refellenda sunt, vbi est confirmanda contraria Assertio Catholica. Id quod etiam in peculiari libro de satisfactione aliàs fecimus.

Nunc in specie notari possunt hæc testimonia de Satisfactione per Ieiunium. Ionæ tertio: *Vidit Deus opera eorum* (ieiunia) *& pœnitentiam Niniuitarum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est* DEVS *super malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis: & non fecit.* Redemerunt igitur pœnam illam, quam alioqnin subituri erant.

Et 3. Reg. 21. *Cum audisset Achab sermones istos* (comminationes Domini) *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit*

in sacco,

in sacco, & ambulauit demisso capite; Et factus est sermo Domini ad Heliam Thesbitem, dicens; Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.

Et Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, &c. & cõuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ & præstabilis super malitia.* Quis scit, si conuertatur & ignoscat, &c.

Et Matth. 3. *Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? facite fructum dignum pœnitentiæ:* fructus enim pœnitentiæ inter alia est Ieiunium, quatenus habet molestiam & castigationem corporis.

Item sanctus CYPRIANVS lib. 4. epist. 4. ad Clerum & Plebem: *Admoneo*, inquit, *religiosam sollicitudinem vestram, vt ad placandum atq; exorandum Dominum, non voce sola, sed et ieiuniis, & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus.* Et infrà: *Flagella sentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis satisfacimus.*

Item sanctus BASILIVS: *Ieiunium*, inquit, *peccatum in intimis secessibus habitans extinguit, enecatque.* Et infrà: *Per Ieiunium*, inquit, *satisfacito DEO.*

S. CHRYSOSTOMVS in serm. 1. de Ieiunio: *Ieiunium*, inquit, *sententiam Dei reuocauit. Dixit enim Deus, subuertetur Ninive, et non subuersa est.* Et infrà: *Ieiuna, quia peccasti.* Et rursus: *Peccauit alius; ieiunabit se ipsum castigans, vt effugiat pœnam, Ieiunemus ne in nos insurgant concupiscentiæ. Vides vt Ieiunium peccata sequatur, hoc est, quia peccata admissa sunt, sit ipsum propter conuersionem & pœnam.* Et serm. 2. de eodem Ieiunio loquens: *Cum ante plagam remedium vtiliter demonstratum est, multò magis sanciatis appetendum est, vt præstet vulneribus sanitatem.*

S. LEO serm. 8. de Ieiunio septimi Mensis: *Conuenientibus*, inquit, *in vnum propositum tribus studiis, Oratione scilicet & Eleemosyna atq; Ieiunio, præstabitur nobis à misericorde Deo, & cohibitio cupiditatum, & exauditio precum & remissio peccatorum, per Dominum IESVM Christum.* Et sermone nono: *Semper*, dicit, *esse nitendum dum huius vitæ varietate iactamur, vt peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, Ieiuniis atque Eleemosynis deleatur.*

Sanctus AVGVSTINVS in lib. de vtilitate Ieiunij, cuius meminit Posidonius in Indiculo operum Augustini: *Ne*, inquit, *quisquam ieiunans ex Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, & dicat sibi ipsi, Quid facis quia ieiunas? defraudas animam tuam, &c. Deo ergo placet, quia te crucias? ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Respondebo huiusmodi tentatori: Excrucio me planè, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille subueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem suauitatem eius; nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur.*

Et lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 24. *Euertuntur*, inquit, *peccatores duobus modis, Aut sicut Sodomitæ vt pro peccatis suis ipsi homines puniantur; aut sicut Niniuitæ, vt ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur*; qui nimirum Niniuitæ Ieiuniis etiam iram Deo placauerunt, atque adeo etiam redemerunt sibi decretam pœnam.

S. AMBROSIVS in libro de Helia & Ieiunio, cap. 4. perpendens illud Psalmi 30. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; Tegit*, inquit, *abstinentia, dum abluit vitium & mœsto abscondit affectu atque extenuat pœnitendo. Etenim Ieiunium & Eleemosyna à peccato liberant.* Et serm. 40. de Ieiunio Niniuitarum: *Ieiunia*, inquit, *continuanda susceperunt, vt ex inde remedium perciperent, vnde his perditio contingebat*, hoc est, vt iram diuinitatis, quam luxuriando prouocauerãt, *abstinendo lenirent, & offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret.*

Neque ignorant ipsi Sectarij, Patres hos & alios agnoscere in piis Ieiuniis vim satisfactionis & meriti, sed eos hoc nomine impudentissimè reprehendunt, quasi per eam doctrinam *superstitionis semina iecerint*, vt ait Caluinus vbi suprà: *Et longè à fidei analogia, & Scripturæ sententia discesserint*, vt etiam Kemnitius vbi suprà dicere nõ veretur. Prudentibus autem persuadere Sectarij non poterunt, rectiùs se quàm sanctos Patres intellexisse fidei Analogiam & Scripturæ sententiam.

Sed OBIICIT in illo lib. 4. Instit. cap. 12. sect. 19. Caluinus, Augustinum cùm libro 30. contra Faustum (scilicet cap. 5.) & lib. de moribus Manichæorum, cap. 13. refutat intentionem Manichæorum in abstinendo à carnibus, tanquam naturâ malis, satis clarè docere, Ieiunium non etiam ad hos fines (merendi & satisfaciendi) sed solum ad edomandam carnem, & ad fulciendam orationem ac pœnitentiam, referendum esse.

RESPONDEO, Obiectionem hanc planè futilem esse. Nam Augustinus in illis locis improbat quidem abstinentiam illa intentione & fide Manichæorum institutam; & probat eam, quæ à Catholicis suscipitur *edomandi* (vt inquit) *corporis causa, & ad animam in orationibus* (& in pœnitẽtia) *amplius humiliandam*; sed nõ ideo improbat, quòd simul etiam, secluſa illa Manichæorum intentione, abstinentia vsurpetur ad merendum & satisfaciendum: imò hoc ipsum approbat in locis, quæ ex eodem Augustino citauimus partim nũc, partim paulò superius cum ageremus de Ieiunij merito.

QVINTO CONTROVERSVM est, An liceat quoq; Ieiunium ea mente & intentione vsurpare, vt per illud *colamus* Deum. Nam & hanc item opinionẽ & intentionem cultus Dei in Ieiunio, damnant in nobis Sectarij, nescientes quid loquantur. Est enim exploratum tum ex Scriptura, tum ex sententia Patrum, tum ratione manifesta, per Ieiunium verissimè coli DEVM tanquam per vnum videlicet bonum opus ipsi acceptum.

Et PRI-

ET PRIMO quidem in Scriptura præter ea loca ex quibus constat generatim, omnia bona & pia opera placere Deo, atque adeo esse idonea, vt per ea Deus colatur; illud Tobiæ 12. speciatim de ieiunio obseruari debet: *Bona est*, inquit, *oratio cum Ieiunio & Eleemosyna.* Hinc enim apparet, Ieiunium ita acceptum esse Deo, & ita idoneum ad ipsum colendum, sicut est oratio, quæ nimirum suapte ratione est quidam actus virtutis Religionis erga Deum: Et sicut etiam Eleemosyna & misericordia, de qua Iacobus Apostolus in epistola sua cap. 1. *Religio*, inquit, *munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.*

Item obseruanda etiam sunt ad hoc propositum illa Scripturæ testimonia, quæ indicant, seruiri Deo per ieiunia, vt Lucæ 2. Et Actor. 13. Et 2. ad Corinth. 6. sicut supra ostendimus cum ageremus de Ieiunij merito. Seruire enim Deo, colere Deum est. Vnde & Religio, quæ Deo cultum adhibet, nominatur λατρεία, id est, seruitus Deo debita.

Item obseruanda sunt ea Scripturæ testimonia, ex quibus apparet, huiusmodi castigationes corporis esse instar *sacrificij & victimæ* cuiusdam, placentis Deo. Vt Psal. 50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Solet aũt per *humiliationem* in Scriptura intelligi etiam Ieiunium; vt patet Psal. 34. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Et 3. Reg. 31. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* quia scilicet ieiunauerat. Et ad Rom. 12. *Obsecro itaque vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, &c.* Et 1. ad Corinth. 9. *Ego igitur sic curro non quasi in incertum* (id est, quasi Deo non placens) *sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum & in seruitutẽ redigo, etc.* Et ad Galat. 5. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Quod ipsum ibidem significat esse *viuere spiritu*, subiungens mox ad confirmationem: *Si viuimus spiritu; spiritu & ambulemus.* Quod si crucifigere & castigare corpus, est viuere spiritu; certè eo ipso colitur Deus; *nam pater* (vt ait Dominus Ioan. 4.) *tales quærit, qui adorent eum*, scilicet *in spiritu & veritate*, vt ibidem dicit.

SECVNDO præter communia testimonia Patrum, ex quibus passim constat, per omnia bona & pia opera coli Deum, obseruari poterunt hæc speciatim de ieiunio. S. CYPRIANVS in sermone de Ieiunio & tentationibus Christi: *Quoties*, inquit, *Sancti aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuêre, & lachrymis, &c. nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei SACRIFICIVM contriti cordis offerens se prostrauit humilitas.*

S. ATHANASIVS in lib. de virginitate. *In hac*, inquit, *virtute cultum corporis tui, ornamentaq; quære ô Virgo, & placebis cœlesti sponso.*

S. AVGVSTINVS in lib. de vtilitate ieiunij: *Excrucio me*, inquit, (per ieiunium) *vt Deus parcat, do de me pœnas, vt placeam oculis eius, vt delectem suauitatem eius, nam & VICTIMA excruciatur, vt in aram imponatur.*

S. LEO serm. 1. de Ieiunio decimi Mensis: *Tria*, inquit, *sunt quæ maximè ad RELIGIOSAS pertinent actiones, Oratio scilicet, Ieiunium, & Eleemosyna.*

TERTIO idem quoque probatur manifesta ratione. Nam per omne bonum opus colitur Deus, quo scilicet ei seruitur. Sed ieiunium, vt supra ostendimus, est opus bonum, & pium, & in Scripturis commendatum. Ergo per illud Deus colitur.

Neque verò Sectarij habent hoc loco quidquam quod obiiciant, præter obstinatam quandam pertinaciam. Nam quod solent obiicere, non esse Deum colendum nisi per opera quę ipse præcepit: Primò falsum id est, vt partim supra ostendimus disp. 6. q. 2. cum ageremus de inuocatione Sanctorum: partim ostendemus infra disput. 10. in quæst. de statu Religiosorum. Deinde ea obiectio nullum habet locum in proposito. Nam vt supra ex Augustini sententia epist. 86. ad Casulanum (Sectariis ipsis non refragantibus) ostendimus, extat præceptum diuinum de ieiunio peculiari in Euangelicis & Apostolicis literis; quamuis non determinatè quoad hoc vel illud tempus. Et hactenus de p. 2. principali.

PVNCTVM TERTIVM.

Quomodo sit ieiunandum.

D. Thomas art. 6. 7. & 8.

MODVS in ieiunio obseruandus (sicut tradit diuus Thomas hic & alij Theologi in 4. d. 15.) his tribus continetur: Qualitate ciborum: Vnica tantum refectione intra diem naturalem: Hora competente eiusmodi refectionis.

Et quidem quod attinet ad QVALITATEM ciborum, varia fuit olim diuersis temporibus ratio abstinentiæ obseruata in ieiuniis. Aliquando enim abstinebant fideles non solum à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus; vt de consuetudine sui temporis testatur S. AVGVSTINVS lib. 30. contra Faustum Manichæum, cap. 5. Item soliti fuerunt olim fideles abstinere etiam à vino, vt patet ex aliquot testimoniis puncto præcedenti citatis; & nominatim ex Basilio homil. 1. de laudibus Ieiunij, & ex Chrysostomo sermone 1. de Ieiunio, & ex Theophilo Alexandrino lib. 3. paschali. Nec defuerunt etiam qui à piscibus quoq; abstinerent, vt patet ex Epiphanio in compendiaria doctrina de fide Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ.

Cæterum Ecclesiæ consuetudine, quæ in his rebus, vt docet Augustinus epist. 86. & 109. obseruari debet, factum est, vt iam inde à pluribus seculis, legi Ecclesiasticæ de Ieiunio satisfiat in communibus quidem ieiuniis extra quadragesimam abstinendo à carnibus: in quadragesima

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò abstinendo tum à carnibus, tum à lacticiniis, nisi in aliquibus locis per consuetudinem liceat in quadragesima quoq; vti lacticiniis, vt docet D. Thomas hîc art. 8. ad 3. & Caietanus in Sũma, Verbo Ieiunium, & alij Theologi in 4. d. 15. & Ioannes Medina in tractat. de Ieiunio, q. 8. & Nauarrus in Manuali, cap. 21. n. 15. Qui tamen requirit vt talis consuetudo durauerit per spacium saltem 40. annorum. Medina verò loco citato qualemcunque consuetudinem putat sufficere ad eneruandam legem humanam; sed falsò id putat & contra communem sentẽtiam. Oportet enim vt consuetudo eneruans legem, sit rationabilis & prescripta, eo modo quo docuimus tom. 2. q. 5. de Legibus, p. 8. per cap. fin. Extra de Consuetudinibus. Vt autem sit talis, sufficit vt nitatur aliqua causa probabili, & durauerit tamdiu, quamdiu communiter viri probi & prudentes satis esse existiment, iuxta ea quæ illic docuimus.

Atq; **hoc quod** de vi consuetudinis circa delectum **ciborum in ieiuniis** dictum est, similiter accommodãdum est ad alias ieiunij circumstantias quoad tempora vel horam refectionis, &c. Communiter enim omnes tradunt, esse in hoc genere seruandas locorum consuetudines; iuxta expressam doctrinam Augustini in epist. 86. ad Cassulanum, & 119. ad Ianuarium.

Quod autem attinet ad VNAM refectionem, intelligendum est, hanc vim habere Legem ieiunij, vt minimè liceat amplius quàm semel intra diem naturalem quo ieiunandũ sit, reficere corpus per vsum cibi, ad ipsum scilicet nutriendum saltem notabiliter; vt docet D. Thomas hic ar. 6. & communiter alij Theologi in 4. d. 15. & alij auctores supra citati, scilicet Nauarrus in dicto cap. 21. n. 13. & Medina in dicto tract. de Ieiun. q. 5. &c.

Quocirca non censentur violare hac in parte legem ieiunij, qui vel ante vel post illam refectionem bibunt etiam vinum; Nam id per consuetudinem saltẽ iam à multis temporibus receptam licet. Item neque ij, qui ante vel post illam refectionem parum aliquid sumunt nõ per modum nutrimenti, sed vel ad prægustandum, vel per modum medicamenti, vt Electuaria, &c. Vel per modum cuiusdam antidoti & præseruatiui, ne quis postea notabiliter viribus deficiat: vt ij qui lecturi ad mensam pauxillum aliquid sumunt. Item neq; ij, qui aliquid panis vel fructuum accipiunt in *collatione* (vt vocant) vesperi, iuxta receptas locorum cõsuetudines, etiamsi id accipiant non solum per modum medicinæ, sed etiam per modum alicuius exigui nutrimenti, suffragante consuetudine; vt censent Caietanus in Summa, Verbo Ieiunium, & Nauarrus vbi supra nu. 13. Et Ioannes Medina in dicto tract. de Ieiunio, q. 8. & etiam Richardus in 4. d. 15. art. 3. q. 7. ad 2.

Censent autem rectè Caietanus & Nauarrus illic, non extare circa hoc similiter aliquã communem consuetudinem per quam liceat collationem huiusmodi sumere circa meridiem & noctu integram refectionem. Itaq; non licebit id facere nisi subsit causa aliqua peculiaris; vt propter negocia aliqua interdiu peragenda, vel propter personæ complexionem, &c. Nam à lege non est recedendum prętextu consuetudinis, nisi consuetudo communiter inualuerit; circa hoc autem non communiter inualuit.

Notat etiam Nauarrus illic n. 14. contra ieiunij legem hac in parte eum facere, qui surgens semel à mensa animo finiendi refectionem illam seu prandium, rursus postea mensæ accumbit & epulatur, etiamsi id fiat ex paruo interuallo. Nã planè interrumpitur tunc ille actus refectionis; sic, vt duæ iam refectiones moraliter censeri debeant, propter mutationem illam voluntatis. Secus, si quis surgit ex mensa vt faciat aliquid animo statim redeundi; nam tunc censetur tantum continuari vnus & idem refectionis actus, sicut rectè notauit Caietanus loco citato.

Occurrunt autem hoc loco duo DVBIA circa hoc quod asserimus, non esse licitam in ieiuniis nisi vnicam refectionem. PRIMVM est, An qui in die ieiunij sæpius quàm semel vtitur sufficienti refectione & ideo violat ieiunium, toties peccet, quoties comedit sic se reficiendo: An verò tunc solum cum id facit secundò post primam scilicet refectionem licitam. Quidam namque, vt refert Durandus in 4. d. 15. q. 11. censuerunt talem toties peccare quoties comedit. Quam sententiam amplectitur etiam Ioannes Medina q. 5. de Ieiunio.

Ac nititur hæc sententia tribus potissimum argumentis. *Primò.* Nam præceptum Ecclesiæ de non comedendo in die ieiunij plus quàm semel, est præceptum Negatiuum: non enim per illud iubet affirmatiuè Ecclesia semel comedere (tunc enim qui ne semel quidem comederet in die ieiunij, violaret id præceptum; quod constat esse falsum) sed vetat comedere plus quàm semel. Ergo obligat id præceptũ pro omni tempore dieiieiunij. Et consequenter, quotiescunque quis in tali die comedit, violat id præceptum.

Secundò. Nam nõ minus obstat fini, quem Ecclesia intendit in præscribendo ieiunio, tertia & quarta comestio & quæuis alia sequens, quàm secunda. Ergo non minus Ecclesia intendit prohibere tertiam & quartam & sequentes comestiones: & consequenter per illas etiam peccabitur contra Ecclesię præceptum. Antecedens probatur. Nam finis ille quem Ecclesia intendit est, vt comprimatur carnis lasciuia & concupiscentia, quæ non minus, sed potius magis, concitari potest per tertiam & quartam & sequentes comestiones.

Tertiò. Nam si talis per tertiam & sequentes comestiones non peccat; ratio erit, quia postquam secundo comedit, non potest amplius seruare eo die tale ieiunium quale Ecclesia præcipit. Sed hæc ratio minimè est bona. Ergo, &c. Probatur Minor: Nam similiter tunc sequeretur,

non

non peccare eum, qui postquam semel in die ieiunij comedit carnes, & ideo violauit ieiunium, rursus eas comedit secundo & tertio. Item neq; eum, qui postquam manè notabiliter anteuertit horam refectionis, & ideo fregit ieiunium, rursus postea comedit: Nam similiter isti in his casibus non possunt amplius seruare eo die tale Ieiunium quale præcipit Ecclesia, & tamen nemo diceret iteratam illam comestionem carnium, & iteratã refectionem non esse amplius peccatum.

Nihilominus CONTRARIA sententia est probabilior; videlicet nõ toties aliquem peccare in die ieiunij, quoties post primam refectionem comedit, sed tunc solum cùm post eam refectionẽ comedit, id est, per secundam refectionem solum. Ita sentit Durandus vbi supra, qui meritò dicit priorem opinionem esse nimis duram. Et Syluester, Verbo Ieiunium, q. 8. in fine. Et Caietanus hîc art. 8. Et Syluester, Verbo Ieiunium, q. 22. Et Nauarrus vbi supra nu. 14. Ioannes autem Maior in 4. d. 15. q. 6. vtramq; opinionem problematicè defendit. Sed probabilior est secunda vt dixi.

Probatur. Nam, vt rectè censuit Durandus, Ecclesia per legem de semel tantum comedendo in die Ieiunij, non prohibet vlteriorem comestionem qualitercunq; consideratam, sed, vt per illam *transgreditur quis* hũc quasi ieiunij limitem, qui scilicet est vnica comestio. Sed sola secunda comestio post primam, habet hanc rationẽ *transgressionis* eiusmodi limitis ieiunij. Ergo illa sola prohibetur, per eam quidem Ecclesiæ legem: & consequenter per secundam tantùm comestionem peccatur contra eam legem.

Maior probari potest ex ipso communi quasi sensu hominum, atque adeo ex communi ieiunantium consuetudine, quæ scilicet ita videtur eam legem interpretari, vt non prohibeat vlteriorem comestionem nisi illo modo consideratam, nempe quatenus per eam quis *transgreditur* illum ieiunij limitem. Nec enim homines communiter putant se nisi tunc ieiunium violare, scilicet per secundam solùm comestionem.

Minor autem probatur, nam sicut tunc solùm transgreditur quis aliquẽ loci limitem cùm primum passum vltra illum facit, nõ autem postea, quando longius progreditur & iam à limite recessit; Ita in proposito tunc solum transgreditur quis illum Ieiunij limitem, cùm primum vltra vnicam refectionem comedit; non autem postea, cùm transgressus iam eum limitem rursus comedit.

Atque eodem redit ratio, qua confirmat hoc ipsum Caietanus; quia scilicet Ecclesia non prohibet vlteriorem comestionem *absolutè*, sed quatenus abstinentia ab illa est *conditio quædam ieiunij talis* quale ab Ecclesia præcipitur: Atq; adeo, vt potest eiusmodi conditio esse coniuncta cum tali ieiunio. Huiusmodi autem comestio vlterior, cuius scilicet abstinentia sit isto modo conditio seu circumstantia ieiunij, non est nisi sola secunda comestio; nam abstinentia à sequentibus non amplius coniungi & cohærere potest cum tali ieiunio quale Ecclesia præscribit. Id autem Caietani fundamentum similiter ex communi hominum sensu & consuetudine probatur, sicut etiam fundamentum Durandi. Quo posito non est difficile respondere ad argumenta contrariæ opinionis.

Ad *primum* respondeo: Quamuis præceptum id Ecclesiæ de semel tantum comedendo in die ieiunij sit Negatiuum, tamen per illud non prohiberi vlteriorem comestionem absolutè, sed vt *transgressiuam* eiusmodi limitis ieiunij, sicut iam dictum est. Itaque ex eo quod tale præceptum sit negatiuum, tantummodo licet colligere, quòd per secundam quidem comestionem quocunq; illa tempore diei ieiunij vsurpetur, violetur id præceptum; non autem quòd per alias.

Ad *secundum* argumentum respondeo, minimè valere ipsius consequentiam: Non enim est necesse, vt Ecclesia per illam legem intendat prohibere quidquid obstat fini illius legis: sicut neq; est necesse Ecclesiam præcipere quidquid conducit ad eum finem: alioquin præciperet etiam adhuc abstinẽtiam à vino, &c. Satis igitur est, quòd prohibet vlteriorem comestionem vt est *transgressio* limitis ieiunij, sicut dictum est.

Ad *tertium* respondeo, Rationem nostræ sententię propriè non esse illam, quę ponitur in Maiori eius argumenti, sed quam iam ante reddidimus. Neque est par ratio de iis qui semel violant ieiunium comedendo carnes, aut horam refectionis notabiliter anteuertendo. Nam abstinentia à carnibus, & ab vlteriore comestione transgressiua, vt dictum est, limitis ieiunij multo principalius pertinent ad Ecclesiasticum Ieiunium, quàm hora competens refectionis. Et propterea censetur Ecclesia prohibere simpliciter in die Ieiunij quamcunq; comestionem carnium etiam postquam quis semel carnes comedit; Et similiter vlteriorem comestionem transgressiuam etiam postquam quis anteuertit competentem horam refectionis seu comestionis vnius. Quod totum confirmatur ex ipso communi sensu & consuetudine ieiunantium, quæ sic nimirum interpretatur legem de Ieiunio.

SECVNDVM dubium, circa eandem vnicam refectionem est, An non solum is peccet, qui sæpius quàm semel comedit in die ieiunij, sed etiã ille qui alterum ad id inuitat, vel alteri obsonia ad sæpius comedẽdum suppeditat aut vendit. Et breuiter, quod ad INVITANTEM attinet, ex sententia Caietani hîc art. 4. & in Summa, Verbo Ieiunium, & Nauarri vbi supra nu. 24. in postrema editione respondendum est, non esse id peccatum saltem mortale concurrentibus simul tribus circumstantiis.

Prima est, vt inuitans non intendat alterum inducere ad comestionem vlteriorem (nempe

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad cœnam verbi gratia) vt per eam ille violabit ieiunium, atque adeo peccabit, sed vt *comestio est*; ac proinde vt est bonum quoddam entitatiuè.

Secunda est, vt alter sit alioqui cœnaturus, & violaturus ieiunium etiamsi ab isto non inuitaretur. Nam tunc (moraliter rem æstimando) non multum nocet tali is qui eum ad cœnandum inuitat.

Tertia est, vt fiat eiusmodi inuitatio non temerè, sed ex aliquali causa, vtputa ex vrbanitate vel amicitia quadam. Quod si grauior aliqua & peculiaris causa suppetat (vt ad euitandum aliquod notabile damnum quod quis vereatur nisi inuitet) tunc quidem etiam si alter nõ esset alioqui cœnaturus & violaturus ieiunium, excusaretur inuitans à peccato mortali, imo etiã ab omni peccato, dummodo inuitando non intenderet peccatum alterius, vt dictum est.

Ratio est: Nam vt patet ex iis quæ disseruimus disput.3. in q. de scandalo, non tenetur quis cum notabili suo detrimento consulere incolumitati spirituali alterius abstinendo ab eo, quod illi esse possit occasio peccandi, nisi fortè sit constitutus in casu spiritualis necessitatis, iuxta illic dicta: in quo casu nunc non loquimur.

Quod autem attinet ad VENDENTEM aut suppeditantem obsonia alteri ad secundam refectionem seu cœnam, distinguendum est ex sententia Caietani hîc art.4. & Gabrielis in 4. sent. d.16. q.3. art.3. dub.6. & Nauarri vbi supra n.26. Nam vel is, qui vendit vel suppeditat eiusmodi obsonia, scit certò aut probabiliter alterum habere causam probabilem ad vtendum secunda refectione: Et tunc non peccat vendẽdo, vel suppeditando eiusmodi obsonia. Vel scit alterum non habere vllam talẽ causam. Et tunc peccat ei vendendo vel suppeditãdo obsonia: nisi fortè id non faciendo notabile detrimẽtum passurus sit. Nam tunc posset id facere non intendendo tamen, vt alter peccet, sed consulendo propriæ indemnitati & dando obsonia solũ quatenus conferunt ad sustentationem naturæ, &c. Vel neutrum scit, scilicet neque alterum habere causam rationabilem ad secundam refectionem, neque non habere. Et tunc, quoniam in dubio oportet de proximo bene existimare, præsumere potest, alterum habere causam ad id rationabilem, atq; adeo ei obsonia suppeditare. Qui autem parati sunt ad suppeditandum in diebus ieiunij pro secunda refectione cibos quibuscunq; indifferenter, siue causam habeant siue non habeant, mortaliter peccant, vt censent Gabriel & Nauarrus locis citatis.

Iam verò quod attinet ad HORAM competentem refectionis, quam etiam diximus ad debitum ieiunij modum pertinere, varia variis temporib. obseruata in ieiuniis hora refectionis fuit. Nam Ecclesię primitiuę temporibus, & aliquanto etiam post, ad vesperum vsque, id est, vsque ad occasum solis circiter, ieiunabatur; & tunc primùm neque ante sumebatur refectio, quæ idcirco in diebus ieiunij *cœna* nominari solet. Id patet ex D. Basilio hom.1. de laudib. Ieiunij. Et ex S. Augustino in lib. de morib. Ecclesię Catholicę, c.33. vbi ait: *Ieiunare quotidie, semel sub noctem reficiendo corpus, vsquequaque fuisse vsitatissimum*. Et ex aliis. Deinde verò circa horam nonam ab ortu solis refectio illa solita fuit vsurpari, ita scilicet vt ante preces vespertinas recitatas non sumeretur ea refectio: sicut patet ex D. Thoma hîc art.7. & ex cap. *Solent*, de Consecrat. d.1.

Tandem verò vsu & consuetudine communi receptum est, vt liceret sumere refectionem illam circa meridiem plus minus, secundùm locorum consuetudinem, siue secundùm *grossam æstimationem*, vt inquit Caietanus in Summa, Verbo Ieiunium, & loquitur etiam D. Thomas hîc ar.7. Et quamuis soleant Nona & vespertinę preces in quadragesima recitari ante horam refectionis, idq; rectè & conuenienter fiat, vt quoad hoc retineatur antiqua consuetudo, tamen Caietanus loco citato censet non esse id de præcepti necessitate.

Atq; hactenus modus debitus ieiunij, qui scilicet consistit in illis tribus, Qualitate ciborum, Vna refectione, Hora competente, explicatus est. Quo quidem modo Ieiunium vsurpari potest, vel ex Ecclesiæ præcepto in his diebus quibus id ieiunium præscribitur, vel etiam vltrò extra eos dies. Superest tamen DVBIVM circa Ieiunij modum: An sit licitũ ita instituere ieiunium, vt consideratis omnibus circumstantiis, personæ, diuturnitatis Ieiunij, & modi in abstinẽdo, &c. probabile sit, fore, vt sic ieiunans incurrat aliquem valde grauem morbum vel valde notabiliter acceleret sibi mortem, vel aliquod eiusmodi magnum detrimentum valetudinis patiatur.

Et RESPONDENDVM est cum distinctione conuenienter iis quæ rectè de hac re disserunt Franciscus Victoria in Relectione de Temperantia; Et Ioannes Medina q. vlt. de Ieiunio. Et Caietanus hîc ar.1. Nam si quis ieiunet ea intentione, vt aliquod eiusmodi notabile detrimentum incurrat, certum est eum peccare mortaliter vel venialiter pro ratione ipsius detrimenti. Cum enim inferre notabile detrimentũ proximo, peccatum sit; multo magis peccatum est, inferre illud sibi ipsi; siquidem quisq; tenetur seipsum magis diligere quàm proximum. Si autem ieiunans, quamuis non intendat incurrere eiusmodi notabile detrimentum, tamen sciat probabiliter attentis particularibus circumstãtiis, se quidem illud incursurum; similiter peccat pro ratione detrimenti. Si verò id non sciat, & bona alioqui atq; pia intentione ieiunet, ad magis scilicet subiugandam carnem spiritui, & ad suum maiorem profectum spiritualem; tunc etiam si fortè aliquod propterea notabile detrimentum incurrat, tamen non peccat saltem mortaliter etiam si aliquantulum in modo ieiunij excedat: communiter

niter tamen solet in eiusmodi excessibus committi peccatum veniale, vt sentit hîc art.1. Caietanus. Nisi fortè circumstantiæ personæ, & modi ieiunandi sint tales, vt per se sit æquè incertum, an aliquod notabile detrimentum corporis inde sequuturum sit, atque an nullum sit sequuturum. Multi enim solent seuerè etiam ieiunare sine notabili incommodo, atq; adeo etiam vitam in eiusmodi abstinentiis satis diu prorogare. Et vt rectè quoque disserit Franciscus Victoria vbi supra, Cùm præceptum conseruandi vitam, sit *affirmatiuum*, quod proinde nõ obligat nisi quodam morali modo; non tenetur quis omnia facere, quæ videri possunt conducere ad vitã conseruandam & prorogandam: Alioqui enim oporteret quoq; damnare multos Religiosos, imo etiam opifices & mercatores, eo quod à quibusdam operibus non abstinent, quæ non raro vires debilitant, & accelerant mortem.

PVNCTVM QVARTVM.

Quando sit ieiunandum.

D. Thomas art.5.

SIC VT ieiunandi modus olim varius fuit, ita etiam ieiunandi tempus fuit varium. Meminerunt enim Ieiunij non solum feriæ sextæ & Sabbathi singularum hebdomadarũ, sed etiam ferię quartę, Iuo Carnotensis parte 4. Decretorum cap.32. vbi ait, illud *non esse soluendum nisi grandis aliqua necessitas fuerit*. Et S. Damascenus in lib. de hęresibus in Aërio, vbi inter alios Aërij errores numerat, quòd *prohibuerit ieiunium feriæ quartæ & sextæ & Quadragesimæ*. Et ante hos S. Epiphanius hæresi 75. vbi contra eundem Aërium disputans: *A quo*, inquit, *non assensum est in omnibus terrarum orbis regionibus, quòd quarta & pro sabbatho Ieiunium est in Ecclesia decretum*. Et addit, Apostolos constituisse ieiunium istud. Meminit etiam Ieiunij eiusdem quartæ ferię Ignatius in epist. ad Philip. & Origenes hom.10. in Leuit. & alij. Item variam fuisse olim rationem in obseruanda Quadragesima, intelligi potest ex epist. quadam Irenæi apud Eusebium lib.5. historiæ, cap.24.

Sed nec defuerunt hęretici, qui censerent, diebus Dominicis esse ieiunandum, Vt Manichęi, vt refert D. Thomas hîc art.5. ad 3. & S. Augustinus epist.86. & Priscillianistæ. Qui etiam præter Dominicum diem dicebant esse ieiunandum in die Natalis Domini. Et Eustachiani qui diebus Dominicis ieiunandum contendebant, vt apparet ex Concilio Gangrensi can.18. Et idem sensit Aërius apud Epiphanium hæresi 75. quamuis dixit, id faciendum esse liberè & nõ ex necessitate præcepti, vt illi alij hæretici sentiebant.

Cęterum hęc & aliorum hęreticorum sententia de ieiunio diei Dominici, ab omnibus Orthodoxis fuit semper habita pro errore explorato: siquidem traditio Ecclesiastica, iam inde ab ipsis Apostolis manãs, contra decreuit à ieiunio diebus Dominicis esse abstinẽdum. Cuius traditionis testis est in primis TERTVLLIANVS in lib. de corona militis, cap.3. vbi inter alias traditiones Apostolicas non scriptas numerat hanc his verbis. *Die Dominico ieiunium, nefas ducimus*. Atque etiam S. AMBROSIVS lib.8. in Lucam non longè ab initio, circa illud Luc.17. *Si peccauerit in te frater tuus, &c. Nescit*, inquit, *Ecclesia Ieiunium in die Dominica qua Dominus resurrexit*. Et Epiphanius vbi supra, ex Apostolica traditione refutans Aërium. Vnde etiam ille error inter alios errores Eustachianorum damnatus est in Concilio Gangrensi can.18. his verbis. *Si quis propter continẽtiam quæ putatur, aut contumaciam, in die dominico ieiunat, anathema sit*.

Excepto autem eiusmodi errore, consuetudines aliæ diuersæ circa tempora & dies Ieiuniorum, rectè pro ratione locorum seruari potuerunt atque etiam debuerunt, iuxta doctrinam S. Augustini in epistol. 86. ad Casulanum de seruandis in Ieiuniis, receptis locorum consuetudinibus, vt p.2. tradidimus.

Nunc verò ab aliquot seculis consuetudine communi receptum est, vt ieiunetur illis diebus qui omnibus noti sunt; scilicet per quadragesimã exceptis Dominicis, Et in quatuor anni temporibus (cuius ieiunij meminit passim S. Leo, in suis sermonibus de Ieiunio) Et in quibusdam Vigiliis B. Virginis & Sanctorum consuetis & Natalis Domini: atq; etiam in Vigilia Pentecostes, saltem ex recepta consuetudine habente vim legis, quamuis de hoc quidem ieiunio, quod vocãt *exultationis*, non extat alioqui expressum præceptum, vt docent D. Thomas & Caietanus hîc artic.5. ad 3. Nec videtur etiam semper fuisse in vsu; Nam S. AMBROSIVS lib.8. in Lucam vbi supra, etiam dicit, *nescire Ecclesiam Ieiunium per illos quinquaginta dies* qui sunt intra Pascha & Pentecosten.

Quod verò obiiciunt Sectarij, Cærimoniam esse Iudaicam certis quibusdam temporibus & diebus Ieiunium vsurpare; valdè friuolũ est; Nam neq; omnino iisdem temporibus & diebus ieiunat Ecclesia quibus Iudæi; neque etiam ieiunat eadem ratione & modo, & fine, quo illi, scilicet ad cultum illum cærimonialem; neque denique ex vi illius legis veteris; sed nouo institutò & præcepto determinante præceptum illud diuinum, quod in Euangelicis & Apostolicis literis extat in Euangelio, vt ex Augustino in epist. 86. docuimus p.2.

Rectissimè enim & orthodoxè S. LEO serm.4. de Ieiunio septimi Mensis. *Cum nos*, inquit, *oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies sunt ad castigationem communis obseruantiæ consecrati, vt anima quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, & curis seculi impeditur, ex interuallo saltem ad diuina respiret, & quia portio diuini agri est, dignos cœlestibus horreis afferat fructus.*

Porro præter dies illos, quibus plenè ieiunandum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum est, scilicet quoad ciborum *qualitatem*, tum quoad *vnicam* refectionem, tum quoad refectionis *horam*, constat etiam quoad qualitatem quidem ciborum, scilicet quoad abstinentiam à carnibus, ieiunandum esse omnibus feriis sextis & sabbathis; nisi quę fortè loca habeāt priuilegium quoad aliquem ex his diebus, vti habent quædam prouinciæ in Hispania. Ac omnino congruenter feria sexta ieiunari confirmat S. EPIPHANIVS in compendiaria doctrina de fide Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ ex illa sententia Domini, Matth. 9. *Auferetur ab eis sponsus & tunc ieiunabunt*.

Supersunt autem hoc loco explicāda duo dubia. PRIMVM est, An aliquod ieiunium ex supradictis fuerit constitutum iure *diuino* in lege Euangelica. Ratio dubitandi *est*, Nam saltem de ieiunio quadragesimæ videntur id sensisse nonnulli Patres; vt S. Ambrosius serm. 25. vbi ait fidelibus *indictam esse Quadragesimam à Domino*. Et serm. 34. *Hanc*, inquit, *quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit*. Et serm. 16. loquens de eodem ieiunio quadragesimæ: *Hæc*, inquit, *non tam Sacerdotum præcepta quàm Dei sunt*. Et similia dicit serm. 37. & 38. Et S. AVGVSTINVS super Psalm. 110. loquens de eodem ieiunio Quadragesimæ: *Præcipitur*, inquit, *nobis, & ex lege, & ex Prophetis & ex ipso Euangelio*. Et S. LEO serm. 12. de Quadragesima, vbi vocat *ieiunium diuinitus institutum*.

SED vera sententia est, nullum eiusmodi ieiunium determinatè quoad tempus, esse constitutum iure diuino, sed tantum iure Ecclesiastico per Ecclesiæ præceptum; vel etiam per ipsorum Apostolorum traditionē: vt de ieiunio quidem Quadragesimæ asserunt disertè S. Epiphanius hæresi 75. Et S. Hieronymus in epist. 56. ad Marcellam de errorib. Montani. Et S. Leo serm. 6. & 9. de Quadragesima. Atque idem de ieiunio quartę & sextæ feriæ, & sabbathi dixit Epiphanius vbi supra. Et de Ieiuniis quatuor temporum S. Leo, serm. 8. de Ieiunio septimi Mensis.

Probatur autem hæc sentētia ex S. AVGVSTINO in epist. 86. ad Casulanum, vbi censet per consuetudinem Ecclesiæ posse huiusmodi Ieiuniorū obseruationem quoad tempus variari: sicut etiam id factum esse ipsa praxis docet. Quod minimè factum fuisset aut fieri posset, si iure diuino esset determinatum tempus ieiuniorum. Atque ita etiam communiter sentiunt Doctores, & nominatim id bene probat Ioannes Medina, q. 2. de Ieiunio.

Ad testimonia autem Patrum obiecta non est difficile respondere. Nam quod dicunt, à Deo esse *indictam* Quadragesimam, vel à Deo *consecratam*, vel *diuinitus institutam, etc.* non significat propriè præceptum diuinū, sed diuinum *exemplum*, quod scilicet Dominus ipse ieiunando per quadraginta dies nobis dedit: Et item diuinum *instinctum* quo afflati Apostoli quadragesimale Ieiunium instituerunt. Vnde etiam AVGVSTINVS loco citato, scilicet super Psal. 110. non dicit Ieiunium Quadragesimæ præcipi *in* ipso vel *ab* ipso Euangelio sed *ex* ipso Euangelio, id est, conuenienter historiæ Euangelicæ de Ieiunio Domini quadraginta dierum.

Atque hoc tantummodo Augustinum velle, manifestè patet ex eodē in dicta ep. 86. ad Casulanum, vbi disertè ait se in Euangelicis & Apostolicis literis totoque nouo Testamento, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenire definitum quibus diebus oporteat ieiunare. Quæ tamen Augustini sententia non obstat quo minus traditione quidem viuæ vocis Apostoli instituerint ieiunium quadragesimę, vt antea ex Patrum sententia diximus.

SECVNDVM dubium est, an quod asseruimus, die Dominico non esse ieiunandum, ita sit accipiendum, vt nullo modo, vel respectu, vel fine, liceat vnquam ieiunare alicui in die Dominico. Ratio dubitandi est, Nam non eadem videtur esse circa hoc sententia Doctorum. Etenim S. Thomas hìc art. 5. ad 3. Et Caietanus supra q. 93. art. 2. & alij simpliciter id videntur damnare. Contra verò Ioannes Medina, q. 10. de Ieiunio, & Nauarrus in Manuali, cap. 21. nu. 27. censent, licitè posse aliquem ieiunare in die Dominica, si in ea re spectet duntaxat proprium profectum spiritualem per edomationē carnis, & scandalum absit, neq; id fiat ex errore aliquo, aut per contumaciam, quasi improbando contrariam consuetudinem Ecclesiæ.

Quæ sententia posterior videtur mihi omnino probabilis, nec repugnans menti D. Thomæ & aliorum, modò etiam id ieiunium suscipiatur absque vllo quoque vano studio singularitatis. Etenim D. Thomas & alij non damnant eiusmodi ieiunium in die Dominico, nisi eo modo quo damnatum olim fuit à Patribus in hęreticis; sicut supra citauimus; nempe si suscipiatur per contumaciam aduersus Ecclesiam, vt illud vsurpabant hæretici; Aut si suscipiatur cum scandalo, vel ex vano studio singularitatis; non aūt si solum propter propriam necessitatem & profectum spiritualem, secluso scandalo, errore, & contumacia.

Et potest cōfirmari hęc posterior sententia sic intellecta testimonio S. Augustini in dicta ep. 86. vbi cum dixisset, *die Dominico ieiunare scandalum esse magnum*, maximè post errorem Manichæorum, qui suis auditoribus ad ieiunandum constituerunt diem Dominicum; tamen subiungit etiam aliquem modum quo non esset illicitum ieiunare die Dominico, cum addit: *Nisi fortè aliquis idoneus sit nulla refectione interposita, vltra hebdomadam perpetuare Ieiunium, vt ieiunio quadraginta dierum quantum potuerit appropinquet, sicut aliquos fecisse cognouimus, &c. Quemadmodum enim veterum Patrū temporibus Moyses & Helias nihil contra prandia Sabbathorum fecerunt, cùm diebus quadraginta ieiunauerunt, ita qui potuerit septē dies ieiunando transire, non sibi ad ieiunandum eligit Dominicum diem, sed in iis eum inuenit quos ieiunaturum se vouit plurimos dies.*

Videtur itaq; de hac re sentiendum, posse aliquem propter peculiarem suam necessitatem & deuotionem secluso errore, contumacia & scandalo, & vano studio singularitatis, ieiunare aliquando die Dominico: Ordinariè tamen minimè id esse faciendum, propter contrariam Ecclesię consuetudinem, quam in hac parte habere vim legis censuit apertè D. Augustinus in dicta ep. 86. vt patet ex his eius verbis: *Quisquis*, inquit, *diem Dominicum ieiunio decernendum putauerit, non paruo scandalo erit Ecclesiæ. In his enim*, inquit, *rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, vel Instituta Maiorum, pro lege tenenda sunt*.

PVNCTVM QVINTVM.

Qui nam teneantur vel non teneantur ieiunare.

• D. Thomas art. 3. & 4.

CERTVM est, omnes eos, quibus causa aliqua rationabilis ad ieiunium prætermittendum non suppetit, teneri ex præcepto Ecclesiæ ad Ieiunium; & quidem sub peccato mortali, quantum est ex genere eius præcepti; vt patet tum ex communi sensu & consuetudine proborum, quę ita præceptū istud interpretatur, tum etiam ex aliquot Conciliorum & Patrum testimoniis, quibus p. 2. ostendimus graue peccatum esse ex suo genere violare istud ieiunij præceptum. Nec excusatur quis ab hoc præcepto propterea quod iustus sit aut perfectus, vt absurdè censuerunt hęretici Begardi & Beguinæ, quos refellit Alphonsus à Castro, Verbo Ieiunium, hæresi 3. Siquidem etiam iusti & perfecti, subiecti sunt Ecclesiæ legibus, vt ostendimus tomo 2. q. 5. de Legibus, p. 4. contra eosdem & alios hęreticos. Maximè cùm nemo in hac vita tam perfectus sit, quin aliquando sentiat reluctantem carnem spiritui, quæ idcirco vtiliter edomatur per ieiunium.

Causæ verò rationabiles ob quas fit, vt aliquis non teneatur ieiunare, reuocari possunt ex sententia D. Thomæ hìc ar. 4. & aliorum Theologorum in 4. d. 15. ad has tres generales, nempe Impotentiam, Necessitatem, Pietatem, vt rectè annotauit Caietanus in Summa, Verbo Ieiunium.

IMPOTENTIA ad ieiunandum tunc est, cùm quis ieiunare non potest sine magno & notabili detrimento suo vel alterius. Per hanc causam ex communi sententia D. Thomæ hìc & aliorū Theologorum, excusantur à Ieiunio ij, qui nondum impleuerunt tertium septennium ætatis, id est, vigesimum primum annum. Nam communiter vsque ad illud tempus crescunt, & ideo vt plurimum tales notabile detrimentum incurrerent. Leges autem cum in commune præscribantur, respiciunt id quod accidit vt plurimum. Item excusantur per eandem causam Infirmi, quibus scilicet propter debilitatem, crebris & modicis refectionibus opus est, & ideo nequeunt commodè sustentari per vnicam refectionem ieiunij. Item senes, qui ob eandem causam subinde modico cibo refici debent. Siquidem vt ait ad hoc propositū Caietanus hìc art. 4. Senectus est morbus incurabilis. Qui & rectè censet, tales senes in proposito debere vt plurimum censeri eos qui sunt sexagenarij. Nam vt ait idē Caietanus, Cum dies annorum nostrorum sint septuaginta anni, vt Psal. 89. inquit Dauid; is qui iam est sexagenarius *prope interitum est*, ac proinde verè senex est. Siquidem vt ait Apostolus ad Hebr. 8. *Quod antiquatur & senescit propè interitum est*. Si tamen aliquis in illa ætate satis robustus esset, ieiunare teneretur. Id quod arbitrio prudentis aut superioris relinquendum est, vt censent Caietanus illic, & Nauarrus in Manuali, cap. 21. n. 16. Et Ioannes Medina, q. 9. de Ieiunio. Qui rectè ait, non esse quoad hoc parem rationem in senibus & adolescentibus: quia natura non ita determinatè præstituit senibus tempus defectus, sicut pueris siue adolescentulis tempus profectus atq; augmenti.

Item excusantur per eandem causam ex omnium sententia ij, qui ita sunt pauperes, vt non possint nisi per interualla sufficienter refici, quia scilicet careant necessariis cibariis ad vnam sufficientem refectionem. Item mulieres prægnātes & nutrientes: quippe cum non possint ieiunando sufficiens alimentum præbere & sibi & proli, &c.

NECESSITAS excusans à Ieiunio tunc censetur esse, cum quis alicui operi sibi aut suis necessario, vel etiam valdè vtili, non potest vacare simul ieiunando; vt patet ex doctrina D. Thomæ hìc artic. 4. & Caietani & Nauarri, & Medinæ vbi supra, & aliorum communi. Per hanc causam excusantur à Ieiunio ij, qui labore proprio incompatibili cum ieiunio debent victum quærere. Id quod arbitrio prudentis vel ex recepta consuetudine iudicandum est. Itē qui ex officio debent aliquam operam aliis impendere, quā nequeant ieiunando commodè præstare: vt concionando, docendo, &c. Item Coniuges si per ieiunium impediantur ab officio sibi mutuò debito, vt censent Caietanus vbi supra, & Nauarrus & Medina, & alij, &c. Item ij qui alioqui negligerent peculiarem aliquam opportunitatem parandi sibi *insigne aliquod* commodum vel lucrum honestum: iuxta doctrinam Caietani loco cit. & Nauarri vbi supra n. 16. & Medinæ q. 9. de Ieiunio & aliorum.

PIETAS excusare censetur à Ieiunio, cum quis Ieiunium omittit propter aliquod bonum opus *melius* & Deo gratius quàm sit ieiunium; quando Ieiunium simul seruare non potest. Nam vt ait Apostolus 1. ad Tim. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autē ad omnia valet*. Ieiunium autem, vt rectè inquit Caietanus hìc & in summa, præcipitur vt promotiuum ad bonum, non autem vt maioris boni impeditiuum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Per hanc causam excusantur ij, qui propter aliqua bona opera misericordię spiritualia vel temporalia, prętermittunt ieiunium, si ea ieiunando obire non possint. Item qui religionis ergò cum peculiari aliorum ædificatione & profectu spirituali suo peregrinantur, vt censent Caietanus vbi supra & Nauarrus in dicto cap. 21. n. 18.

Sunt autem circa has causas excusantes à ieiunio NOTANDA duo: Ex quorum altero intelligetur, quænam sit vis causarum huiusmodi in excusando à ieiunio: Ex altero autem, quàm latè patere possit praxis siue vsus eiusmodi causarum in excusando à ieiunio.

PRIMO igitur notandum est, cùm causa quæpiam ex prędictis excusat à ieiunio quoad aliquę ieiunij modum, non propterea excusare etiam à ieiunio quoad quemuis alium modum vel modos, quibus eiusmodi causa non obstet: sicut ex communi doctrina notat Ioannes Medina q. 5. & 9. de Ieiunio. Et Caietanus hîc ar. 7. Et Nauarrus in Manuali, cap. 21. n. 22.

Vt verbi gratia, qui propter aliquam causam potest in ieiunio anteuertere horam refectionis, non propterea potest etiã bis comedere; & multo minus edere etiã carnes. Et similiter: Qui ob aliquam causam potest bis comedere, hoc est prandere & cœnare, non propterea potest etiam comedere carnes, licet videtur quidem id insinuare Caietanus in fine art. 7. Sed tamen nullo modo concedẽdum est, cum sit contra communem fidelium existimationem & praxim.

De illo verò qui habet causam comedẽdi bis, probabile est quod asserit ibi Caietanus, eo ipso posse talem anteuertere quoque horam primæ refectionis, vt apud plerosque est vsu receptum. Nam modus ille ieiunij consistens in hora refectionis notabiliter est minus principalis, quam modus consistens in vnica refectione, & veluti accidentaliter ad hunc modum vnius refectionis se habet: sublato autem essentiali auferture etiam accidentale, vt ad hoc propositum ait Caietanus.

Qui autem ob aliquam causam potest comedere carnes, nõ ideo potest etiam comedere bis, vt sentiunt rectè Medina in dicta q. 9. Et Nauarrus vbi supra. Nec contrarium dicit Caietanus. Nã etsi abstinentia à carnibus sit aliquanto principalior modus ieiunij quàm vnica refectio (vt patet ex communi fidelium existimatione, quidquid contrà Caietanus art. 7. dicat) tamen vterq; hic modus est veluti substantialis in ieiunio Ecclesiastico, & idcirco vterque principaliter & per se à lege ieiunij intenditur. Quo fit, vt non ideo excusetur quis ab altero modo ieiunij ex his duobus quoniam excusetur ab altero.

Et quoniam vt dictum est, hora competens vnius refectionis est veluti accidens consequenter se habens ad ieiunij modum consistentem in vnica refectione; Inde fit, vt quemadmodum habens causam comedendi carnes non ideo excusatur ab vnica refectione (sicut iam dictum est) ita etiam neque excusetur ab hora competente illius vnicæ refectionis.

Itaque vt in summa rem hanc totam complectar, doctrina illa communis, quod scilicet excusatus ab vno modo ieiunij nõ idcirco excusetur à modis aliis, vniuersè vera est, excepto illo vnico casu quo scilicet quis excusetur à modo consistente in vnica refectione, & consequenter etiam ab hora refectionis quæ in ieiunio est veluti accidens vnius refectionis, sicut iam dictum est.

SECVNDO notandum est, Tribus modis posse in praxim & vsum deduci id quod constituimus; scilicet quòd per aliquam causam ex prædictis possit quis intermittere Ieiunium absq; peccato vel omni vel saltem mortali. PRIMO, Si vel euidens vel moraliter certum sit verè subesse aliquam ex prædictis causis; siue iudicio eius cuius res agitur, siue alterius probi & periti (præsertim Medici aut Confessarij) quem ille potest in dubio consulere, vt rectè notat Medina in dicta q. 9. Ac tunc quidem non ieiunare nullum peccatum erit.

SECVNDO, Si quis vel probabiliter, vel saltem bona fide iuxta suam conscientiam, sibi persuadeat habere se causam sufficientem ad non ieiunandum hoc vel illo die, aut etiam iis vel illis diebus per Quadragesimam, &c. Tunc enim vel nullum erit peccatum non ieiunare, si videlicet eiusmodi persuasio verè sit probabilis; vel saltem nõ erit peccatum mortale, si quis ita sibi persuadeat bona fide iuxta suam conscientiam: vt tradunt Paludanus in 4. d. 15. q. 4. circa initium. Et Antoninus 2. par. tit. 6. cap. 2. Et Syluester, Verbo Ieiunium, q. 8. Dicto 1. vbi affirmat esse communem opinionem. Et Caietanus hîc ar. 3. Et in Summa, Verbo Ieiunium. Et Nauarrus in dicto c. 21. n. 20. Fundamentũ autem huius sententiæ generatim monstrauimus tom. 2. q. 5. de Legibus, p. 6. in fine.

TERTIO, Si in casu quo quis dubitat, an habeat nec ne sufficientem causam ad non ieiunãdum, obtineat à superiore *dispensationem:* tunc enim non ieiunare nullum erit peccatum. Superior autem in proposito censetur esse tum Episcopus, tum proprius Parochus, tum Prelatus religiosi; vt censent rectè Caietanus hîc art. 4. Et in Summa, Verbo Ieiunium. Et Nauarrus in dicto cap. 21. n. 21. post S. Thomam in 4. d. 15. q. 3. art. 2. qui & hîc art. 4. ad 3. idem insinuat; sicut etiam satis clarè Richardus in 4. d. 15. art. 3. q. 4. *s. Cum grauí.* Atq; ita etiam consuetudine receptum est.

Quanquam generatim quidem, vt scilicet quis nunquam ieiunet, aut nunquam illis vel illis diebus, solus Papa dispensare potest; vt notant Caietanus in dicto art. 4. Et Nauarrus loco citato. Vel is cui eam dispensandi facultatem cum subditis Papa concesserit. Et hactenus de Ieiunio.

QVAE-

QVÆSTIO TERTIA.

De peccatis oppositis Temperantiæ & eius partibus, ac præsertim de Ebrietate & Luxuria.

D. Thomas 2. 2. q. 142. & 148. & seq.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, QVAENAM SINT PECCATA opposita temperantiæ & eius partibus. SECVNDO, Quod nam & quale peccatum sit Ebrietas. TERTIO, Quod nam & quale peccatum sit Luxuria.

PVNCTVM PRIMVM.

Quænam sint peccata temperantiæ opposita & eius partibus.

D. Thomas q. 142. & seq.

PECCATA opposita partim Temperantiæ ipsi, partim eius partibus, sunt potissimum quatuordecim, scilicet *Insensibilitas*, siue Stupor; *Intemperantia. Gula; Ebrietas; Luxuria; Incontinentia; Ira; Crudelitas; Sæuitia* seu feritas: *Superbia; Abiectio animi* seu pusillanimitas; *Curiositas; Superfluitas Ludi; Durities* siue Rusticitas; *Superfluitas Ornatus* siue Apparatus. De quibus omnibus fusè diuus Thomas & Caietanus. Nos breuiter complectemur necessaria.

INSENSIBILITAS siue Stupor peccatum est oppositum ipsi temperantiæ per *defectum*: cum scilicet quis sicut non oportet, & quando non oportet, &c. auersatur & repudiat delectationes tactus; vt docet Philosophus 2. Ethic. cap. 7. & 3. Eth. ca. 11. Vbi Philosophus notat ideo peccatum istud non habere proprium & peculiare nomen, quia rarum est: *Non enim* (inquit in illo cap. 7.) *admodum inueniri consueuerunt, qui in voluptatibus deficiant, & idcirco neque nomen aliquod huiusce modi homines adepti sunt: sed stupidi*, inquit, *appellentur.*

Potest autem peccatum hoc esse mortale vel veniale pro ratione delectationis, atque adeo etiam operationis coniunctæ quæ per illud repudiatur. Nam si quis ex Insensibilitate & Stupore repudiet delectabiles operationes necessarias ad conseruationem vitæ, vel ad satisfaciendum naturali legi Coniugij, &c. peccatum mortale erit, vt patet ex doctrina D. Thomæ quæst. 142. ar. 1. Et Caietani in Summa, Verbo Insensibilitas, & aliorum. Si autem repudiet quis delectabiles operationes necessarias tantum sub peccato veniali; solùm etiam veniale peccatum erit eiusmodi Insensibilitas.

Atq; vt notat loco cit. Caietanus, adeo posset quispiam ex naturali sua complexione esse insensibilis siue stupidus, vt non subesset eiusmodi Insensibilitas Imperio voluntatis, ac proinde vt in hoc genere minimè peccaret.

INTEMPERANTIA peccatum est oppositum eidem ipsi temperantię per *excessum*: cum scilicet quis plus quàm oportet, aut quando non oportet, &c. expetit vel vsurpat operationes delectabiles secundùm tactum in cibo aut potu aut venereis; vt patet ex Philosopho vbi supra. Et ex D. Thoma in illa q. 142. art. 2.

Quemadmodum autem ipsa temperantia est specialis virtus non specie vltima, sed specie subalterna, vt p. 1. explicauimus, ita etiam Intemperantia est peccatum speciale specie *subalterna.* Quod proinde continet sub se varias intemperantias tanquam species, vt Gulam, Ebrietatem, Luxuriam, de quibus postea dicemus.

Ac pro ratione eiusmodi specierum quibus determinatur & contrahitur ipsa intemperãtia, diiudicandum est in particularibus casibus, num ea sit peccatum mortale vel veniale. Quod idem similiter intelligi debet de Insensibilitate, quæ opponitur item ipsi Temperantiæ, sicut iam ante dictum est.

Explicat autẽ pulchrè D. Thomas in dicto ãr. 2. quo sensu Philosophus affirmauerit 3. Ethic. c. 12. Intemperantiam esse peccatum *puerile.* Nempe quia concupiscentia *exorbitans per intemperantiam* est puero similis tripliciter. *Primò*, Quia instar pueri fertur in turpia, quæ scilicet cum recta ratione quam non attendunt pueri, minimè congruunt. *Secũdò*, Quia nisi coerceatur & frenetur, præceps magis fit, vt solet puer suę voluntati permissus; iuxta illud Eccl. 30. *Equus indomitus euadit durus: & filius remissus euadit præceps. Tertiò*, Quoniã castigãda idcirco & coërcenda est, vt puer, iuxta illud quoq; Prou. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Huc ptinet illud Philosophi loco citato

Quod,

Quod, inquit, *turpia appetit, incremẽtumq; magnum accipit, castigandum est ac temperandum. Huiusmodi autem*, inquit, *maximè est & Cupiditas & Puer.*

GVLA, quatenus accipitur hoc vocabulum pro peculiari peccato distincto ab Ebrietate & aliis, peccatum est oppositum virtuti Abstinentiæ per Excessum circa delectabilia secũdum tactum in vsu *ciborum*: cum scilicet quis cibos expetit, aut vsurpat immoderatè, sicut non oportet aut quando non oportet, aut in maiori quantitate quàm oportet, &c.

Dixi autem *quatenus accipitur hoc vocabulum pro peculiari peccato distincto ab Ebrietate, &c.* Nam nonnunquam solet latius accipi pro qualicunq; intemperãtia in tactu gustus, siue sit circa cibum siue circa potum; vt patet ex D. Thoma q. 150. articul. 1. vbi ait diuidi Gulam in comessationem & Ebrietatem; ac proinde Gulam ita generatim acceptam prohiberi ab Apostolo ad Roman. 13. cum ait: *Non in comessationibus & ebrietatibus.* Sed nunc de Gula loquimur propriè vt distinguitur ab *Ebrietate*, quæ est, vt infra videbimus, circa *potum*: Gula autem propriè est immoderatus vsus cibi, sicut diximus.

Est autem Gula tunc peccatum mortale, cum quis ita immoderatè expetit aut vsurpat cibos, vt illorum causâ paratus sit etiam violare leges obligantes sub mortali; sic vt illos anteponat amicitiæ diuinæ, & in eis proinde constituat vltimum suum finem: vt optimè docet D. Thomas q. 148. art. 2. defensus ibi rectè à Caietano contra inanes quasdam argutias Martini de Magistris. Atq; in eiusmodi Gulosos quadrat illud Apostoli ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est.* Alias verò tantùm est peccatum veniale, vt asserit illic diuus Thomas, & Caietanus, Verbo Ieiunium: nisi fortè adferat nocumẽtum aliquod graue, quod Gulosus potuerit & debuerit præuidere & præcauere, & ideo sit mortale.

Item esset Gula peccatum maximè mortale, & species quædam Bestialitatis, si quis in cibum vteretur CARNIBVS HVMANIS; vt probãt optimè Caietanus q. 148. artic. 2. in responsione ad 2. argumentum Martini de Magistris, & Franciscus Victoria in Relectione de Temperantia, n. 5.

Nam *primò* id est prohibitum præcepto diuino Genes. 9. illis verbis: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, &c.* vt iidem auctores sentiunt. Cùm enim ibi concessisset Dominus omnia alia animalia ad vsum cibi illis verbis: *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in escam.* Et addidisset, quonam modo esset animalium carnibus vtendum, scilicet non crudis *cum sanguine*, sed prius mactatis & coctis: subiungit deinde per verba prædicta exceptionem carnium humanarum, quæ nullo modo ad vsum cibi vsurpandæ sunt, neque adeo ad eum finem mactandæ per effusionem sanguinis illarum.

Secundò idẽ probatur ex communi sensu omnium hominum, qui conuenienter rationi rectæ vitam instituerunt. Apud eos namq; omnes, semper horribilis habitus est esus carnium humanarum. Et vt talem illum commemorarunt Historici & Poëtæ quicunque eum apud barbaras aliquas gentes in vsu fuisse literis prodiderunt.

Tertiò idem patet euidenti ratione, Nam cùm cibus assumatur ad nutrimentũ hominis, & ideo debeat corrumpi & interire propter hominis sustentationem; Naturale lumen rationis dictat, nõ rectè ab homine vsurpari in cibum, nisi quod naturâ sua est ignobilius ipsa humana carne, quę sustentatur per cibum, & quod ideo tanquam ordinatum ad eum finem potest ad eum aptari etiam per mactationem, &c. Tale autem, vt patet, non est caro humana: alioqui liceret etiam hominem mactare propter cibationem, vt licet ad hunc finem mactare animalia.

Itaq; rectè censet Caietanus loco citato, non minus contra naturam esse vti carnibus humanis ad sustentationẽ Indiuidui, quàm vti ad conseruationem speciei per generationem fœmina non humana. Hanc enim vim habet, quod Caietanus illic dicit, *sicut naturaliter sola fœmina humana est habilis ad generationem hominis, ita naturaliter sola vegetabilia, & animalia irrationalia, esse materiam habilem ad nutriendum hominem.*

Quartò idem probatur ex eo, quod vt rectè inquit Franciscus Victoria vbi supra, esus carnium humanarum repugnat naturali inclinationi & obligationi pietatis siue *Obseruantiæ* erga humana corpora mortua. Atque etiam Iuri quod habet *quisque* ad sui corporis sepulturam, &c.

Ex quibus rationibus, & maximè ex tertia, conuincitur, ne in *extrema* quidem necessitate cibi, esse licitum vesci humanis carnibus, etiam aliâs mortuis, vt rectè asseruit Frãciscus Victoria vbi supra nu. 6. contra Caietanum loco citato, & contra Abulensem in 6. cap. lib. 4. Reg.

Nam *primò* vesci carnibus humanis, *per se & intrinsecè* est malum, nõ minus quàm fornicari aut coire cum bestia, & alia eiusmodi peccata, quę in nullo casu & ob nullum finem licet committere. Vnde S. Thomas q. 142. art. 4. ad 3. planè æquiparat esum carnium humanarum aliis criminibus bestialibus & contra naturam, quæ in nullo casu licent. *Illa*, inquit, *vitia quæ excedunt modũ humanæ naturæ, sunt magis exprobrabilia, &c. sicut*, inquit, *Si aliquis delectaretur in comestione carnium humanarum, aut in coitu bestiarum aut masculorum.*

Secundò, nam si vti humanis carnibus in extrema necessitate liceret, sæpe id in eiusmodi casibus (vtputa in obsidionibus ciuitatum, &c.) fieret; imo deberet ex præcepto naturali, ad vitam scilicet eo medio (si licitum esset) conseruãdam, quando aliud non suppeteret. At minimè id fieri consueuit. Et si quando aliquis in tali necessitate humanis carnibus vsus est, videmus id factum reprehensum fuisse à sapientibus & horribile iudicatum.

Hoc

Hoc patet ex illa historia Iosephi lib. 7. de bello Iudaico, cap. 8. *Maria*, inquit, *Eleazari filia, vi animi ac necessitate impulsa, rebus aduersis contra naturam excitatur, raptoq; filio, &c. Esto, inquit, mihi cibus, & seditiosis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus Iudæorum. Et hoc simul dicens occidit filium coctumq; medium comedit; adopertum verò reliquum seruauit. Ecce autem seditiosi aderant & nidoris odore capti, mortem ei statim nisi quod parasset ostenderet minabantur: Illa verò, bonam partem se reseruasse respondens, aperit filij reliquias: Illos autem*, inquit Iosephus, *confestim horror capit, visuq; ipso obriguerunt.* Et infrà: *Mox repleta est eo scelere tota ciuitas, & vnusquisq; tanquam hoc ipse admisisset, horrebat.* Et constat etiam 4. Reg. 6. ad simile facinus exhorruisse & scidisse vestimẽta sua Regem Israël in obsidione Samariæ.

Neque obstat, quod potest quis conseruandæ vitæ causa abscindere sibi aliquod membrum, tametsi id aliâs sit contra naturam: Non enim est par ratio abscissionis membri & esus carnium. Nam esus carnium hoc ipso quòd illæ assumuntur vt *cibus*, est malus: & sic nũquam licet: Abscissio autem membri nõ est mala, nisi quatenus est contra totius corporis incolumitatem: contra quam minimè tunc est cum est potius necessaria ad illam. Et sumus quidé hactenus loquuti propriè de esu carnium humanarum, quo scilicet sumantur per modum *cibi*. Nam sumere per modum medicamenti siue in medicamento aliquid carnis humanæ aliquo modo alteratũ (vt quando que fit) constat non esse illicitum.

Porro Gula in quinque species diuiditur, vt D. Thomæ placet ead. q. 148. artic. 4. Quæ species vulgo explicari solent illo versiculo.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiosè.

Nam vt ait S. GREGORIVS li. 30. Moralium, cap. 27. *Quinque modis nos Gulæ vitium tentat. Aliquando namq; indigentia tempora præuenit; aliquando lautiores cibos quærit: aliquando quæ sumenda sunt, præparari accuratius appetit: aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit: aliquando ipso æstu immensi desiderij aliquis peccat.*

Et quòd sint istæ diuersæ species Gulæ, vt vult S. Thomas, inde confirmari potest, quòd prout aliqua peccata diuersis notabiliter rationibus in genere moris aduersantur alicui virtuti, eatenus censentur differre specie; iuxta ea quæ tradidimus disput. 5. q. 10. cum ageremus de differentia furti & rapinæ. Differunt autem valde notabiliter prædicti illi quinque modi, quibus Gula aduersatur virtuti Abstinentiæ. Itaque censeri possunt constituere diuersas Gulæ species, vt vult D. Thomas. Quo posito, cùm quis per aliquem Gulæ modum ex illis nõ qualitercunq; sed mortaliter peccat (constituẽdo scilicet in aliqua eiusmodi Gula vltimũ finem, &c.) necessariò erit in confessione explicandus modus eiusmodi Gulę.

Est item Gula vnum ex vitiis capitalibus, ex quo nascuntur quinque quasi filiæ scilicet Inepta lætitia, scurrilitas, Immunditia, Multiloquium, Hebetudo mentis; vt tradit S. Gregorius lib. 31. Moralium, cap. 31. & explicat facilè D. Thomas in dicta q. 148. art. 5. & 6.

EBRIETAS peccatũ est oppositum Abstinentiæ circa potum per Excessum. sicut etiam LVXVRIA opponitur item per Excessum Castitati, circa delectabilia tactus in venereis. De quibus duobus peccatis cùm sint frequentiora & grauiora, postea p. 2. & 3. latius disserendum est.

INCONTINENTIA prout hìc accipimus istud vocabulum, peccatum est oppositum per defectum illi Continentiæ, quæ vt explicuimus p. 1. firmat & perficit voluntatem, ne ab insurgentibus passionibus appetitus sensitiui (præsertim concupiscentiæ) flectatur & pertrahatur ad id quod est contrarium rectę rationi. Itaque peccatum Incontinentiæ tunc admittitur cùm voluntas cedit & succumbit alicui tali passioni; per cõsensum scilicet in id quod repugnat rationi rectæ, vt patet ex doctrina Philosophi lib. 7. Ethic. cap. 7. & D. Thomæ q. 156.

Potest autem (vt iidem tradunt) voluntas succumbere passioni dupliciter. Vno modo statim atque passio concitatur, atque adeo prius quàm Ratio statuerit, in bono persistere. Quam Incontinentiam appellat ibi Philosophus *Temeritatem*; siue *Præuolationem*, vt alij vertunt, & inquit diuus Thomas loco citato. Altero modo, cum etsi quis initio obstitit Passioni, & statuit in bono permanere, tamen postea deficit & succumbit. Quam Incontinentiam vocat illic Philosophus *Imbecillitatem*. Et addit de priori illo genere Incontinẽtiæ per Temeritatem: *præcipuè celeros, & atra bile affectos, temeraria Incontinentia esse incontinentes. Illi enim*, inquit, *ob celeritatem, hi ob vehementiam, rationem non exspectant, propterea quod proclines ad sequendam imaginationem sunt.*

Contingit autem Incontinentiam esse peccatũ mortale vel veniale pro ratione obiecti. Nam si deliberatè voluntas consentiat passioni in aliquo quod sit peccatum mortale, erit mortale; veniale autem si in aliquo quod sit veniale, vt notat rectè Caietanus in Summa, Verbo Incontinentia. Vbi rectè addit, quod etsi Philosophus 7. Ethic. cap. 5. in mulieribus neq; Continentiam neque Incontinentiam propriè esse censuerit, cum puerorum instar soleant sequi facilè Passiones absque rationis pugna; tamen in Christianis saltẽ mulieribus, quæ per fidei lumen agnoscunt carnem concupiscere aduersus spiritum, & spiritum aduersus carnem, omnino habere locum tum Continentiam, quando in eis spiritus vincit, tum Incontinentiam quando ille vincitur.

IRA cùm est immoderata, prout hìc de ea loquimur, peccatum est oppositum Mansuetudini per Excessum: cùm scilicet quis inordinatè appetit vindictam de aliquo sumere, quam non oportet, aut sicut non oportet. Et est peccatũ Mortale ex suo genere cùm appetitur iniusta vindicta,

vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt docet D. Thomas q.158. ar.3. Qui & addit posse tamen esse peccatum veniale, si nimirum non sit plenè deliberata, vel si sit nimia tantum quoad intensionem & feruorem actus: nisi fortè tum habeat effectum pernitiosum mortaliter contra charitatem Dei vel proximi, vt idem D. Thomas docet.

Dixi autem, Iram *cum est immoderata* esse peccatum, &c. Nam si sit moderata & suscipiatur quando & quomodo expedit, non est peccatum, sed potius habet laudem, vt docuimus tomo 2. q.10. de Passionibus, p.2. & docet etiam D. Thomas hîc q.158. art.1. Atque in illa q.10. de Passionibus, p.1. explicuimus quoque quænam sint iræ species, de quibus D. Thomas in illa q.158. art.5. agit.

Est autem Ira vnum etiam ex peccatis capitalibus; ex quo nimirum nascuntur Rixa, Tumor mentis, Contumelia, Clamor, Indignatio, Blasphemia, vt tradit S. Gregorius lib.31. Moralium, cap.31. & explicat D. Thomas in illa q.158. art.6. & 7. Remedia autem ad sedandam immoderatam iram exposuimus multa tom.2. in dicta q.10. de Passionibus, p.2.

Crvdelitas peccatum est oppositum Clementiæ per Excessum: cùm scilicet quis atrociter excedit modum in puniendo; vt docet D. Thomas q.159. ar.1. ex sententia Senecæ lib.2. de Clementia, cap.4. Et est peccatum Mortale, vt tradit Caietanus in Summa, Verbo Crudelitas, Quandoquidem notabiliter lædit proximum excedendo regulam rectæ rationis & Iustitiæ in puniendo.

Sæ vitia seu Feritas, peccatum est cuiusdam Bestialitatis affine crudelitati & oppositum item Clementiæ: cùm scilicet quis in puniendo excedit atrociter modum, non tam vt culpam vlciscatur eius quem punit, quàm quod instar alicuius ferę delectetur ipse cruciatu & læsione hominis: sicut docet D. Thomas in dicta q.159. art.2. ex Philosopho 7. Ethic. cap.5. qui propterea ait crudelitatem differre à sęuitia siue crudelitate, sicut differt humana malitia à Bestialitate. Itaque sæuitia non minus sed multo etiam magis est peccatum mortale quàm Crudelitas.

Svperbia peccatum est oppositum Humilitati per Excessum, consistens in Appetitu alicuius excellentiæ seu gradus altioris quàm personę ipsi congruat, spectata ipsius dignitate, atq; adeo etiam diuinæ prouidentiæ lege. Hanc enim vim habet, quod ait S. Avgvstinvs lib.14. de ciuit. Dei, cap.13. *Quid est superbia, nisi peruersa celsitudinis appetitus?* Et quod ait Isidorvs lib.10. Etymologiarum: *Qui vult supergredi quod est, superbus est*; ita etiam rationem superbiæ explicat D. Thomas q.162. art.1. & 2.

Ex qua apparet, superbiam esse peccatum speciale distinctum ab aliis, vt etiam D. Augustinus affirmauit in lib. de natura & gratia, ca.29. Nam quamuis in omni peccato cernatur quidam appetitus seu voluntas in aliquid supra id quod decet hominem diuinis legibus subiectum, scilicet in ipsam transgressionem præcepti; tamen non semper voluntas peccantis fertur in istam transgressionem sub ratione peculiaris & proprię cuiusdam Excellentiæ seu Celsitudinis. Quam rationem Excellentiæ & Celsitudinis respicit propriè & formaliter superbia, vt est speciale peccatum. Vnde non nisi materialiter & impropriè potest quoduis peccatum nominari superbia. Et sic intelligi debet quod ait S. Prosper in lib. de vita contemplatiua cap. 2. *Nullum peccatum sine superbia potest vel potuit esse aut poterit.*

Est autem Superbia omnino peccatum mortale ex suo genere. Et quidem si sit superbia *consummata*, vt Caietanus, Verbo Superbia, vocat, per quam scilicet eo vsque progrediatur quis, vt nolit subiici diuinæ Regulę & Legi; grauissimum peccatum mortale esse constat. Ac talem fuisse superbiam Luciferi & aliorum Angelorum malorum, docuimus tom.1. q.14. de Angelis, p.3.

Cum autem superbia fuerit circa alia obiecta; pro ratione illorum erit peccatum mortale vel veniale. Atque etiam erit peccatum mortale si in excellentia, quam quis expetit, constituat vltimum finem: ita scilicet, vt propter eiusmodi excellentiam assequendam sit paratus transgredi præceptum aliquod obligans sub mortali. Posset etiam esse tantummodo peccatum veniale propter imperfectionem actus, si videlicet non sit plenè deliberatus.

Quomodo autem Superbia numeretur inter capitalia peccata, docuimus tom.2. q.14. de Peccatis, & docet etiam clarè D. Thomas hîc q.162. art.8. vbi art.4. exponit quoque quatuor illas superbiæ species quas ponit S. Gregorivs li.23. Moralium, cap.7. inquiens: *Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: Cum bonum aut à semetipsis habere se æstimant* (id est, ita se gerunt, ac si haberent à semetipsis) *aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant* (id est, volunt ita reputari, ac si ex suis meritis accepissent) *aut certè cum iactant se habere quod non habent: aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod non habent.* Explicat quoque D. Thomas q.163. & duabus sequentibus, quomodo peccatum primum primorum parentum fuerit Superbia, & quomodo punitum fuerit & illis à diabolo suggestum. De quibus rebus consulendi sunt hi auctores qui scribunt in Genesin.

Deiectio animi seu Pusillanimitas, aliquando est peccatum oppositum Humilitati per defectum: cum scilicet quis contra rectæ rationis regulam expetit viliora & abiectiora, quàm ipsius dignitatem atque gradum deceant iuxta doctrinam D. Thomæ in dicta q.162. art.1. ad 3. Ratro tamen huiusmodi peccatum est mortale: nisi fortè per illam animi abiectionem accersat quis vel sibi, vel alij, aut aliis, notabile aliquod nocumentum.

Cvrio-

Cvriositas peccatum est oppositum Studiositati per Excessum, consistens in desiderio quodam seu studio immoderato cognoscendi plusquam expedit, aut sicut non expedit, consideratis rei & personæ & officij ipsius, circumstãtiis, &c. Quod vt optimè docet D. Thomas q.167. potest contingere quadrupliciter.

Primò ex parte *finis*; si nimirum quis cognitionem quęrat vt illa abutatur ad superbiam, aut ad aliquem alium malum finem: aut si cognitionem nullo modo referat ad Deum, in quem tanquam in finem referenda est: iuxta illud Avgvstini lib. de vera Religione, ca.29. *In consideratione creaturarum non est vana & peritura Curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus.* Et illud eiusdem Augustini in libro de Moribus Ecclesiæ, cap.21. *Sunt*, inquit, *qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta maiestas naturæ semper eodem modo manentis, magnum aliquid se agere putãt, si vniuersam istam corporis molem, quam Mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimeq; perquirant; vnde tanta etiam Superbia gignitur, vt in ipso Cœlo, de quo disputant, sibimet habitare videantur.* Quo etiam pertinet illud Ieremiæ 9. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt.*

Secundò, ex parte eius *qui* cognitionem quærit: si nimirum per eam impediatur quo minus muneri suo satisfaciat. Quo nomine Hieronymus in epist. ad Damasum de filio prodigo, reprehendit sacerdotes qui *dimissis*, vt inquit, *Euangeliis & Prophetis Comedias legunt, & amatoria Bucolicorum versuum verba cantant.*

Tertiò ex parte eius *à quo* cognitio quæritur. Vt si quæratur à dæmone per expressam vel tacitam ipsius inuocationem; iuxta ea quæ tradidimus supra disp.6. in quæstionibus de Adiuratione & de Diuinatione.

Quartò ex parte *rei* cuius cognitio quęritur: si nimirum ea sit supra humanam facultatem, saltẽ *moraliter loquendo*. Tunc enim studium erit vanum, atque adeo vitiosum & omittendum: iuxta illud Eccles.3. *Altiora te ne quæseris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus; multos enim supplantauit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.* Quo nomine ostendimus supra disput.6. in q. de vanis obseruantiis, meritò posse reprehendi & vanitatis argui studium Chymicorum, &c. Quando nam verò peccatũ istud Curiositatis sit mortale vel veniale, non erit difficile iudicare ex prędictis circumstantiis.

Lvdi superfluitas, peccatum est oppositum Eutrapeliæ (de qua supra q.1. p.2. diximus) per Excessum: cum scilicet quis in ludis seu iocis immoderatius se gerit quàm conueniat regulæ rectæ rationis; vt docet D. Thomas q.168. art.3. vbi etiam in responsione ad 2. ait pertinere hoc peccatum ad *ineptam lætitiam*, quam Gregorius li.31. Moralium cap.31. dicit esse filiam Gulæ.

Et quidem peccatum erit *mortale*, si ludendi modus sit flagitiosus & obscenus, vel perniciosus proximo ob admixtas fraudes in ludo, contra iustitiam: iuxta ea quæ de Iustitia & Iniustitia Ludorum tradidimus supra d.5. q.6. p.5. Vel, si quis ita vehementer studeat ludo, vt eum anteponat obseruationi diuinorum præceptorum aut Ecclesiæ, atque adeo in illo constituat vltimum finem, sicut optimè docet D. Thomas loco citato, aliàs verò solum erit veniale.

Dvrities vel Rvsticitas, vt docet Philosophus lib.2. Ethic. ca.7. & lib.4. c.8. & D. Thomas ead. q.168. ar.4. peccatum est oppositum eidem Eutrapeliæ per defectum: cum scilicet quis adeo inhumanus & aggrestis est, vt se aliis, cùm id expedire videretur, iucundum non præbeat, sed potius molestum; aut impediendo illorum honestam recreationem, aut ei non cooperando, iucundum aliquid dicendo aut agendo. Vitanda namq; vtrimque sunt Extrema in hoc genere. Vnde Philosophus lib.4. Ethic. cap.8. *Qui*, inquit, *in ridiculis excedunt, scurræ esse atque importuni videntur, qui ridicula penitus affectant; adeo vt studeant potius risum mouere quàm honestè loqui, &c. Qui autem neq; ipsi quidquam ridiculi dicunt, neque alios dicẽtes æquo animo patiuntur, rustici & duri sunt. At, qui aptè ac moderatè iocantur, faceti & versatiles dicuntur, quasi ad versionem apti: morũ enim huiusce modi esse videntur motiones.* Cæterùm quia *delectatio*, ad quam ioci ordinantur, appetenda est non per se sed propter operationem, atq; adeo modicè, instar salis seu condimenti (iuxta Philosophum 9. Ethic. c.10.) defectus in hoc genere non est mortale, nisi fortè alij grauiter offendantur.

Ornatvs superfluitas peccatum est oppositum Modestiæ in exteriori Apparatu per excessum: cùm scilicet quis immoderato cultu siue quoad vestes siue quoad alias res vtitur, aliter quã oportet; nempe aut illum referendo ad vanam gloriam captãdam; aut ad aliquam illicitam voluptatem; aut cum solicitius ei operam dat quàm par est; aut cùm aliqua persona cultum corporis refert ad incitãdum alios ad peccatum; aut cum in eo cultu admiscetur fucus & falsitas, &c. vt optimè hæc omnia explicat D. Thomas q.169. artic.1. & 2.

Atque ex eiusmodi diiudicandum est, quando in hoc genere peccetur mortaliter vel venialiter. Et quidem communiter non est in hac superfluitate peccatum mortale, quando in ea non interuenit contemptus Dei, aut notabile damnum proprium aut proximi aut intentio mala mortaliter, &c. iuxta ea quæ tradit illic D. Thomas præsertim art.2. ad 2.

Est autem notandum posse quoque in hoc genere peccari per Defectum contra eandem Modestiam in exteriori ornatu, vt tradit ibi D. Thomas art.1. si nimirum quis circa cultum corporis sit negligentior quàm & recta ratio, & consuetudo atque conuersatio illorum cum quibus viuit, patiatur. Vnde Philosophus 7. Ethicor. cap.7. ad

mollitiem quandam pertinere existimat, *si quis*, inquit, *pallium trahit, ne si ipsum tollat, dolore sibi laborando creet.* Quanquam per huiusmodi negligentiam cultus corporis, tunc solum videtur peccari mortaliter, cùm ea est causa alicuius damni notabilis.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quodnam & quale peccatum sit Ebrietas.

D. Thomas q. 150.

EBRIETATIS vocabulum, vt notat D. Thomas art. 1. & Richardus in 4. d. 15. ar. 3. q. 7. & Sylvester, Verbo Ebrietas, & alij, dupliciter à Theologis vsurpari solet. Vno modo, vt significat priuationē ipsam vsus Rationis ex immoderato potu consecutam. Et sic Ebrietas non est ipsa per se peccatū, sed potius quidam effectus & pœna peccati; vt iidem auctores tradunt. Altero modo, vt significat potum ipsum immoderatum vini vel alicuius alterius liquoris qui inebriare posit. *Ebrietas enim*, vt inquit S. HIERONYMVS in cap. 5. epist. ad Galat. *tam ex vino quàm ex ceteris bibendi generibus, quæ vario modo conficiuntur, potest accidere. Ex quo & de sancto dicitur; Vinum & Siceram non bibet*, Luc. 2. Et sic nunc potissimum loquimur de Ebrietate. De qua quid sentiendum sit exponā per sequentes Assertiones.

PRIMA Assertio. Ebrietas, quæ scilicet consistit in potu eò vsque propter delectationem immoderato, vt priuetur quis per illum violenter vsu rationis; peccatum est mortale si sit voluntaria. Hæc Assertio facilè à nobis probabitur, si prius breuiter explicauerimus descriptionem Ebrietatis in illa assignatam.

Dicimus igitur primò Ebrietatem consistere in *potu*: Nam vt notat Caietanus hîc art. 1. etiamsi quis odoratu alicuius liquoris, aut aliter priuaretur vsu rationis, non ideo tamen esset propriè ebrius per Ebrietatē de qua nūc nobis sermo est.

Deinde diximus Ebrietatem consistere in potu *eò vsque propter delectationem* immoderato, &c. Nam si quis nō propter delectationem tactus in potu, sed propter sanitatem, ex iudicio & prescripto Medicorū in aliquo morbo sumeret vinum aut alium in ebriantem liquorem, largiter etiam vsq; ad priuationem vsus rationis, minimè is exerceret ebrietatem propriè & formaliter, de qua nunc loquimur, sed tantummodo materialiter, vt docet optimè Caietanus hîc art. 2. Et in Summa, Verbo Ebrietas, ex sententia D. Thomæ hîc art. 2. ad 3.

Id autem probatur primò, quoniam Ebrietas de qua nunc loquimur, est opposita illi speciei temperantię, quę nominatur *Sobrietas*: ac proinde sicut Sobrietas & quælibet alia species Temperantiæ, versatur in operationibus tactus vt sunt *delectabiles*; ita etiam è contrario Ebrietas, quæ propriè & formaliter Ebrietas sit, in operatione tactus circa potū consistit non nisi vt is est operatio delectabilis secundum eiusmodi tactum.

Secundò, quoniam in eiusmodi casu morbi, etsi potus ille largior vini aut liquoris priuantis vsu rationis, absolutè quidem & secundum se sit nimius & immoderatus, tamē non esset immoderatus *respectu talis hominis*; affecti scilicet tali morbo in quo Medici iudicarēt largiori illo potu esse opus, vt optimè docet D. Thomas hîc art. 2. ad 3. & Caietanus ibi. Ebrietas autem propriè & formaliter de qua loquimur, cōsistit in potu nimio & immoderato, non quomodocunq; sed habita consideratione ipsius personæ bibētis. Medium namque virtutis circa passiones versantis, sicut versatur Temperantia, à ratione recta præscribitur secundùm omnes circumstantias, atq; adeo maximè etiam per respectum ad operantem ipsum, vt docuimus tomo 2. q. 7. de virtutibus p. 1.

Vnde Caietanus loco citato, & Sylvester, Verbo Ieiunium, q. 3. & Nauarrus in Manuali, cap. 23. nu. 119. sentiunt, Eiusmodi largiorem potum, ex præscripto Medicorum propter sanitatem sumptum, non esse peccatum. Quod ipsum reuera etiam sentit D. Thomas hîc ar. 2. ad 3. vt Caietanus & Sylvester annotarunt. Quamuis dicit quidem, vini potum largiorem non esse necessarium ad vomitum prouocādum, cum posit is prouocari per aquam tepidam aut aliter, ac proinde eo nomine non excusari à peccato. Sed non negat tamen posse excusari à peccato eiusmodi potum largiorem, si aliquo alio respectu & modo, iudicio Medicorum, sit ad sanitatem necessarius: imo id potius apertè concedit, atq; adeo etiam tunc talem potū à peccato excusari; cùm iudicio Medicorum, attenta particulari complexione personæ aut morbi statu, videretur ad sanitatem necessarius vt commouens vomitum, sicut notauit Caietanus hîc art. 2. vbi rem hanc totam illustrat optimo exemplo. Nam qui ex iusta causa reuelat peccatum alterius (vt testificādo illud in iudicio) is materialiter quidem detrahit; & tamē minimè propterea peccat, cùm non detrahat formaliter, scilicet lædendo famam proximi irrationabiliter, Ergo neq; in proposito peccat is, qui ex præscripto Medicorum inebriat se materialiter, eo modo quo est dictum.

Item diximus in descriptione illa, Ebrietatem consistere in potu *eò vsque immoderato, vt priuetur quis per illum* violenter vsu rationis. Nam si eo vsq; non peruenitur, non est Ebrietas propriè & formaliter atq; adeo neq; peccatum mortale ex se, etiam si quis sit aliquanto hilarior, & aliquantulum perturbetur ipsius phantasia, & videatur ei quòd domus gyretur (vt loquitur Caietanus in Summa, Verbo Ebrietas) sed est tunc quædā crapula siue Intemperātia venialis, vt docet ibidem Caietanus, & colligitur apertè ex D. Thoma hîc art. 2. ad 2. vbi ad confirmandum discrimen hoc quod est inter ebrietatem mortalem & eiusmodi

crapulam venialem adducit illud ex AVGVSTINO lib. 10. Confess. cap. 31. sic loquente cum Deo: *Ebrietas longè est à me, misereberis ne appropinquet mihi; crapula autem nonnunquam subrepsit seruo tuo.* Si tamen eiusmodi crapula exerceatur ex intentione directa, valdè parum abest à mortali, sicut ibi censet Caietanus, & Sylvester, Verbo Ebrietas, quæst. 1. Sed tamen ne tunc quidem est mortale, quandoquidem neq; est completa ebrietas, nec valde lædit Rationem.

Item quod diximus Ebrietatem consistere in potu, &c. per quem *violenter* quis priuetur vsu rationis; significat, per Ebrietatem non quomodocunq; priuari hominem vsu rationis, sed cum tali quadam violentia & necessitate, vt non sit in arbitrio hominis situ, vllo medio adhibito redire pro libito ad vsum rationis cum voluerit; sicut est nimirum in arbitrio hominis, qui se dat somno & quieti, excitari & redire ad rationis vsum pro libito, si adhibeat scilicet aliquem à quo in tempore excitetur, vel horologium aut aliquam eiusmodi machinam per cuius strepitum soluatur somno. Inde enim (vt videbimus) vel maximè apparet, grauem quandam esse turpitudinem & culpam in Ebrietate. Quam turpitudinem, vt ait S. Hieronymus in ca. 5. ep. ad Gal. *pulchrè descripsit quidam non ignobilis Orator cùm de Ebrio quodam dixit: Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat.*

Nunc igitur hunc in modum explicata ratione Ebrietatis, quam in assertione nostra affirmauimus esse peccatum mortale si sit voluntaria, non erit difficile probare eam ipsam Assertionem; scilicet Ebrietatem talem esse peccatum mortale, si vel semel voluntariè exerceatur, & non solum si frequenter & ex consuetudine, vt quidam malè opinati fuerunt, referente hîc Caietano art. 2.

Probatur autē PRIMO ex Scriptura, vbi Ebrietas eiusmodi perinde reprehenditur & vituperatur atq; alia peccata mortalia. Vt Prouerb. 23. *Cui væ? etc. Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flaueſcit cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet.* Et Eccles. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et Esaiæ 5. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatē.* Et Oseæ 4. *Fornicatio & vinum & Ebrietas auferunt cor.* Et Lucæ 21. *Attendite vobis nè fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Et 1. ad Cor. 6. *Nolite errare, neq; fornicarij, neq; Idolis seruientes, neq; adulteri, &c. neq; ebriosi, regnum Dei possidebunt.* Vbi quemadmodū damnat Apostolus, non solum eos qui frequēter & ex consuetudine fornicantur, & sunt adulteri, sed etiam qui vel semel hæc peccata committunt; ita quoque eos qui vel semel voluntariè fiunt ebrij, atq; adeo ipsam etiam ebrietatem sine consuetudine; sicut & Augustinus quoq; serm. 231. de Tempore, & Hieronymus in cap. 5. epist. ad Galat. ex eo loco Apostoli redarguunt ipsam Ebrietatem vt & alij Patres. Et ad Gal. 5. apertius etiā de Ebrietate ipsa: *Manifesta*, inquit, *sunt opera carnis, quæ sunt Fornicatio, &c. Homicidia, Ebrietates.* Et infra: *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino in quo est Luxuria.*

SECVNDO probatur ex Patribus, qui & ipsi Ebrietatē pro grauissimo peccato habent. S. BASILIVS hom. 14. *Ebrietas*, inquit, *dæmon est voluntarius ex voluptate animabus nostris inditus, Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, &c.* Et infra: *Ebrius*, inquit, *minimè misericordia dignus est qui sponta neo seruit dæmoni.* Et homil. 1. de Ieiunio: *Ebrietas*, inquit, *Spiritum sanctum propellit.*

S. CHRYSOSTOMVS homil. 57. ad populum Antiochenum: *Vbi Ebrietas*, inquit, *ibi diabolus.* Et hom. 58. in Matt. *Nemo*, inquit, *diabolo magis amicus est, quàm qui delitiis & ebrietate maculatur. Hic enim finis, hæc mater atq; origo vitiorum omnium est.* Et infrà: *Vos ergo sobrios oro, ne hac turpissima insania vnquam capiamini.*

S. AMBROSIVS in libro de Helia & Ieiunio, c. 14. *Certè*, inquit, *veneno caro vulneratur, vino mēs. Noxia est Ebrietas ad corporis sanitatem; menti etiam crimen adiungit.*

S. HIERONYMVS in cap. 5. epist. ad Gal. *Quartum decimum*, inquit, *locum inter carnis opera Ebrietas tenet, Ebriosi quippe regnum Dei non possidebunt.*

S. AVGVSTINVS serm. 231. de Tempore: *Quicunq; pœnitentiam de Ebrietate non egerit, in æternum profectò peribit.* Et infra: *Ideò quicunq; sunt ebriosi totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant. Eripe me de luto vt non inhæream. Psal. 68. Et illud: Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Ebrietas enim quasi inferni puteus, quoscunq; susceperit, nisi digna subuenerit pœnitētia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vēdicat, vt eosdem ipsos de Inferni tenebroso puteo ad charitatis siue sobrietatis lucē redire sine pœnitentia non permittat.* Similia passim alij.

TERTIO probatur ex deformitate & turpitudine maxima atq; grauissima, quæ ob multas rationes ineſt in Ebrietate volūtaria: vt dubitari minimè posit quin ea sit peccatū mortale. *Primò* enim priuat violēter & cum necessitate quadam (vt supra explicaui) vsu rationis, qua nihil in homine prestantius est. Etenim alterum vel ad paucas horas vsu rationis sic priuare, vt nequeat ille interea pro libito ratione vti, seu rationis vsum recuperare, sine dubio peccatū mortale est, cùm graue damnū proximo sic inferatur. Ergo multo magis inferre sibi ipsi eiusmodi damnum circa liberum vsum rei præstantissimæ, scilicet Rationis, erit peccatum mortale. Itē priuare alterum vsu libero domus suę ad vnum etiam vel alterum diem, sine dubio est peccatum mortale. Ergo multo magis priuare vel alterum vel se vsu libero rei multo prestantioris nempe Rationis, vt rectè concludit hîc art. 2. Caietanus.

Secundò, quoniam eo ipso similē se quis brutis animalibus turpiter & contra humanam digni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem facit; imo quodammodo illis inferiorem & abiectiorem, sicut optimè ratiocinatur S. Basilivs homil. 14. in Ebrietatem & Luxum: *Qua*, inquit, *in re, dic homo miser, à brutis differs? nonne Rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ omnis factus dominus & Imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatẽ priuans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris similiq; illis videri. Nec solum peiores Brutis Ebrij, sed etiam sensibus longè infra illa deficere videtur. Quod quasi animalia visu auditúue, atq; ebrius homo, debilitatur? Nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis verò sæpe vt domesticis congrediuntur? An nõ vmbras sæpenumero tanquam sulcos aut loca prærupta transiliunt; aures terrifico sonitu more fluctuantis maris refertas habent, terra interdum insurgere, ac in arduum & rectum erigi, montes verò circummoueri videntur, &c.*

Tertiò, nam per ebrietatem adimit sibi quis facultatẽ ad vitanda ea, quæ per se turpia & peccata sunt, & ad facienda etiam ea quæ contrà decent, & nõnunquam etiam ex præcepto fieri debent. Quæ impotentia insignem quoq; turpitudinem habet. Vnde S. Ambrosivs li. 1. de Abraham, cap. 6. *Vitandam*, inquit, *dicimus ebrietatem, per quam crimina vitare non possumus. Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus.*

Quartò accedit iis etiam deformitas actionum & gestuum & motuum corporis, qui spectari solent in ebriis coniuncti cum summa turpitudine & probro humanæ dignitatis. *Longum est*, inquit Hieronymvs in cap. 1. epist. ad Tit. *insanias quas Ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem iacere conuiuæ, alios scissis vestibus in vulnera aliena proruere, alios clamare, alios dormitare: qui plus biberit, fortior computatur. Accusationis occasio est adiuratum per regem frequẽtius non bibisse. Vomunt vt bibant, bibunt vt vomant; digestio ventris & guttur vno occupantur officio.* Et S. Ambrosivs in lib. de Helia & Ieiunio, c. 16. *Vocem*, inquit, *amittunt: colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescũt, sensu excedũt.* Et S. Basilivs hom. 14. in ebrietatem & luxum: *Quandoq;*, inquit, *ab re & præter modum rident, nunc verò sine consolationis remedio plorant. Nunc itẽ audaces & temerarij, mox timidi & ignaui.* Et infra: *Quid aliud quæso sunt ebrij quàm gentium idola? Oculos habent & nõ vident, aures habent & non audiunt, manus paralysi affectas, pedes infirmos ac facile offendentes.*

Quintò ipsa quoque temperantię regula cum non leui detrimẽto corporis turpiter per ebrietatem exceditur: Et adeo quidem turpiter, vt in eo genere brutis ebrij longè inferiores censeri debeant: *Quanto enim melior*, inquit Chrysostomvs hom. 58. in Matt. *asinus ebrioso est? quanto canis præstantior? Omnes certè animantes, quæ rationis expertes sunt, cùm bibunt aut comedunt; vltra quàm satis etiam si mille homines cogeret nunquam elabuntur, etc.* Et S. Ambrosivs in lib. de Helia & Ieiunio, c. 16. *Hinc*, inquit, *phrænesis periculosa, hinc Calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semiesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium.* Quo & pertinet illud Prouerb. 13. *Cui fœuea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui cõmorantur in vino, & studet calicibus epotandis?*

Sextò, auget etiam culpam & malignitatem ebrietatis, quòd suapte ratione est malum quoddam difficulter sanabile: ita vt qui ei assuescunt, rarò & vix resipiscãt, vt obseruauit S. Ambrosivs in lib. de Helia & Ieiunio, ca. 14. *Meritò*, inquit, *Deus per Moysen non solum veneno, sed etiam Draconum veneno vinum comparauit dicens: Furor draconũ vinum eorum, & ira aspidum insanabilis. Et pulchrè additur Insanabilis: multi enim reliquorum serpentium veneno curantur: nemo ebrietate.*

Hæc igitur tot & tanta ebrietatis mala vel singula vel certè simul pleraq; aut omnia, manifestissimè ostendunt Ebrietatem esse omnino peccatum mortale, si (vti diximus, & explicabimus magis in sequenti Assertione) sit voluntaria.

Neq; obstat, quod Augustinus serm. 4. in die animarum ait, Ebrietatem esse peccatũ mortale *si sit assidua*: Non enim per hoc significat, illam nõ esse per se mortale peccatum si non sit assidua, sed tunc omnino solere maximè esse peccatum mortale cum est assidua: quia tunc vel maximè solet esse voluntaria, vt rectè ad id testimonium Augustini respondet hîc D. Thomas art. 2.

Item neq; obstat quod potest quis absq; peccato priuare se vsu rationis per somnum, aut per Medicinam ex præscripto Medicorum sanitatis causa, &c. Iam enim initio explicauimus, longè aliam rationem ebrietatis esse, per quam scilicet violenter quis priuatur vsu rationis propter excessiuam operationem *delectabilem in potu*, &c. Id quod intrinsecè est malum, & valde deforme sicut iam probauimus. Atque hactenus de prima Assertione.

Secvnda Assertio. Ebrietas non tunc solum voluntaria est, cum directè & ex intentione vult aliquis se inebriare (quamuis tunc quidem est voluntaria maximè) sed etiam cum quis potest & tenetur (sicut semper tenetur) illam vitare & non vitat. Atq; adeo tunc etiam est peccatum mortale iuxta supradicta. De hac Assertione nullum dubium esse potest; Nam tũc Ebrietas est voluntaria *indirectè*, iuxta communem doctrinam traditam à nobis tom. 2. disp. 2. q. 1.

Vt autem censeatur quis *potuisse* vitare ebrietatem quam non vitauit, necesse est, vt considératis omnibus circumstantiis præuiderit vel præuidere potuerit ac debuerit, Ebrietatem ex tali potu vel in tanta quantitate, &c. sequuturã, spectata etiam complexione personæ & aliis circũstantiis vt dixi: quemadmodum tradit Caietanus hîc ex doctrina D. Thomæ ar. 1. & 2. & aliorũ communi. Quando autem id contingat, iudicio prudentis in particularibus casibus diiudicandũ est.

Et quidem si quis iam aliquoties expertus esset, inebriari se ex tali vel simili potu quoad quantitatem, qualitatem, &c. meritò censeri is posset

præuidere potuisse & debuisse ebrietatem sequuturam; atq; adeo mortaliter peccaret illam incurrendo etiam præter directam suam intentionem, tametsi aliquanto minus quàm si ex intentione inebriaretur, vt omnes tradunt, & patet ex dictis tomo 2. vbi supra. Cum autem quis nullam antea experiẽtiam ebrietatis habuit; facilius potest accidere, vt ebrietas quam præter opinionẽ incurrit, non sit illi vllo modo voluntaria; quia scilicet nec potuerit nec debuerit illã præuidere. Sicut hoc modo putatur absque culpa Noë fuisse inebriatus Gen. 9. vt notat D. Thomas hîc art. 1.

Tertia Assertio: Facinora quæ postea in ebrietate committit quis, eatenus sunt illi ad culpam imputanda vel non imputanda, quatenus & ebrietas fuerit vel non fuerit voluntaria, & potuerit aut non potuerit præuidere quis fore, vt ex ebrietate committeret talia facinora. Ita tradunt communiter omnes, & præsertim Caietanus hîc art. 4. ex doctrina D. Thomæ ibidem. Et patet hæc Assertio ex his quæ tradidimus tom. 2. disp. 2. q. 15. p. 5.

Itaque duo requiruntur vt eiusmodi facinora imputentur ad culpam. *Primò*, vt Ebrietas fuerit aliquo modo voluntaria. *Secundò*, vt consideratis omnibus circumstantiis, potuerit atque adeo debuerit quis præuidere se illa commissurum in ebrietate. Quod tunc maximè accideret quando quis iam ante id fuisset expertus: vel quando etsi expertus non fuisset, tamen facinus esset tale, quale in simili casu ebrietatis, & in simili opportunitate illud committendi, pleriq; ebrij solent facile committere. Cuiusmodi verbi gratia, esset peccatum aliquod impudicitiæ in præsentia alicuius mulieris non satis honestæ. Nam tunc meritò quis putare potest, se ebrium idem esse facturum, quod solent plerunque ebrij in similibus casibus; iuxta optimam quandam doctrinam Caietani in dicto art. 4.

Et quamuis eiusmodi facinora ebriorum, cùm sunt ita voluntaria in sua causa, sint aliquãto minora quàm si directè ex intentione & scienter fierent, iuxta dicta tomo 2. q. 6. de peccatis, p. 3. tamen peccata mortalia sunt, si alioqui per se sint mortalia: Neque tunc solum, cùm ipsa Ebrietas fuit per se peccatũ mortale, sed etiam tunc, cum fuit fortè peccatum tantummodo veniale, si talia quidem facinora alioqui mortalia potuerit & debuerit quis præuidere fuisse ex ebrietate sequutura, vt asserit Caietanus in illo art. 4.

Quod saltem tunc puto esse verum, quando Ebrietas fuisset venialis propter imperfectionẽ tantùm ipsius ebrietatis; quia scilicet non omnino peruenerit ad priuationem vsus rationis; etiamsi alioqui sit plenè voluntaria, vel ob *directam* intentionem, vel ob *notabilem* negligentiam in ea præcauenda. Nam tunc nihil deest, quo minus mortalia alioqui facinora, sequuta ex tali ebrietate, & quæ præuideri potuerunt ac debuerunt, imputentur ad culpam mortalem. Siquidem & ipsa per se sunt mortalia & plenè etiam tunc sunt voluntaria indirectè, nimirum *in sua causa*: etiamsi in se quidem non sint plenè voluntaria, propter imperfectum tunc vsum Rationis, non sufficientẽ per se ad peccandum mortaliter.

Si autem Ebrietas ideo fuerit tantummodo venialis, quia non fuerit *plenè* voluntaria, scilicet nec directè, nec per notabilem negligentiam præcauendi ipsam; tunc sanè facinora ex tali ebrietate subsequuta non existimo esse nisi peccata similiter venialia, quantumuis ex suo genere mortalia alioqui sint. Nam non sunt tunc ipsa magis voluntaria quàm sua causa, nempe quàm ipsa ebrietas ex qua sequuntur.

Censet etiam rectè Caietanus ibi, eiusmodi peccata quæ ex ebrietate nascuntur, duobus temporibus ab Ebrio committi, nempe, & cùm is se inebriat, (siquidem tũc veluti interna voluntate directa vel indirecta tendit iam in ea facinora) & cùm postea actu ipso externo ipsa committit. Nam eiusmodi quoque actus est ebrio voluntarius *in sua causa*.

Quando autem consideratis circumstantiis, facinus ex ebrietate secutum nullo modo potuit ac debuit præuideri, nullum est peccatum, etiam si ipsa ebrietas fuerit voluntaria, vt iam ante diximus. Vnde etiam S. Avgvstinvs lib. 22. contra Faustum, c. 44. censuit, incestum ipsum Loth fuisse inculpabilem, quamuis præcedens eius ebrietas fuerit peccatum. Ait enim, *Loth culpandum esse quidem, non tantum quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas.*

Qvarta Assertio. Sicut inebriare se voluntariè est peccatum mortale, ita etiam alterum ad se inebriandum inducere voluntariè; siue voluntate directa, intendendo vt alter se inebriet; siue voluntate indirecta, inuitando scilicet aut compellendo illum ad bibendum quando circumstantiis omnibus consideratis præuideri potest & debet fore vt per eiusmodi potum alter inebrietur. Ita docet D. Thomas hîc ar. 1. ad 3. & alij communiter. Nam cooperari ad malum, perinde malum est, atq; malũ facere. Atq; hoc ipsum etiam expressè asserunt sancti Patres, cùm graphicè describunt & seuerè damnant morem Compotatorum in inuitando se ad bibendum vsque ad ebrietatem.

S. Ambrosivs in lib. de Elia & Ieiunio, ca. 13. *Primò*, inquit, *minoribus poculis velut velitari pugna præluditur, &c. Vbi res calere cœperit, poscunt maioribus poculis, feruor inardescit. Aridus cibus siti exæstuat, & vbi imminui vasa cœperint potu meraciore reparantur. Certant pocula cum ferculis, & inter moras sæpe geminantur; deinde procedente potu longius, contentiones diuersæ & magna certamina, quis bibendo præcellat. Et hæc donec ad mensas perueniatur secundas. At vbi consummatæ fuerint epulæ, putes iam esse surgendum. Tunc de integro potum instaurant suum, & cum consummauerint tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur Phialæ, tunc maximi Crateres quasi instrumenta bellorum. Ac*

ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur; certatur sub iudice; sub lege decernitur. Agonotheres illic furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa. Et cap. seq. *Rogas*, inquit, *ad iucunditatem, cogis ad mortem, &c.*

Et S. Avgvstinvs serm. 231. de Tempore: *Sed illi*, inquit, *qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conãtur dicentes: Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad conuiuium vocauero, potũ ei quantum voluerit ipse non dedero. Non sit*, inquit, *tibi amicus qui te Deo vult facere inimicum; qui & tuus & suus est inimicus. Si & te & alium inebriaueris, habebis hominẽ amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera, si iustum sit vt te à Deo separes, dum te ebrioso coniungis.*

Et serm. seq. *Illud verò*, inquit, *quale est, quod infelices Ebriosi, quando se nimio vino ingurgitant, rident, & vituperant eos, qui rationabiliter hoc tantum quod sufficit bibere volunt dicẽtes, Erubescite. Quare non potestis bibere quantum nos? Dicunt enim eos non esse viros. Et videte*, inquit, *miseriam Ebriosorum. Se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca iacent, & illos non dicunt esse viros qui honestè & sobriè stant. Iacent prostrati, & viri sunt; stant erecti & viri non sunt? Victor ebrietatis vituperatur, & victus ebrietate laudatur. Irridetur sobrius, qui & se & alios potest regere; & non irridetur, imo non plangitur ebriosus, qui nec se nec alios potest agnoscere.*

Et rursus: *Solent*, inquit, *Ebriosi ita se excusare vt dicant, persona potens me coẽgit vt amplius bibam; & in conuiuio Regis nõ potui aliter facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætẽdimus: & quod implere noluimus, non potuisse nos dicimus. Nolle in culpa est nostra, & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur, aut bibas aut morieris: melius esset vt caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falsò obiicitur. Ipsi enim Reges, & quicunq; sunt alij potentes, quia Deo propitio & Christiani sunt & prudentes & sobrij, & toto corde Deum timentes, si te viderent definiisse, vt eis non acquiescas pro timore Dei inebriari; si tibi sub hora videantur irasci; postea verò te in grandi admiratione suscipiunt, &c. Nam & Deus qui te videt per eius amorẽ inebriari nõ velle, ipse tibi gratiam etiam illorum dabit, qui te vt amplius biberes, videbantur hortari & cogere.*

Et serm. præcedente postquam de similibus monuerat: *Ergo*, inquit, *fratres charissimi, dum hæc suggero me absoluo apud Deum. Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare vel cogere voluerit; pro se & pro illis in die iudicij reus erit.*

PVNCTVM TERTIVM.

Quodnam & quale peccatum sit luxuria.

D. Thomas q. 153. & 154.

Vxvriæ vocabulo generatim quidẽ significari solet quilibet Excessus in vsu earum rerum, quæ pertinent ad corporis cultum seu voluptatem. Sic enim vsurpauit hoc vocabulum Cicero lib. 1. de off. cum dixit. *Esse turpe luxuria diffluere, delicatè ac molliter viuere.* Et S. Avgvstinvs lib. 2. Confess. cap. 6. cum ait: *Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari.*

Sed hoc loco de luxuria nobis sermo est, prout est peculiare quoddam peccatum oppositum castitati per Excessum circa delectabilia tactus in venereis. Neq; sic tamẽ Luxuria est aliquod speciale peccatũ specie infima, sed specie subalterna seu generali, cuius sex deinde species numerantur, vt postea videbimus.

Est autem peccatum mortale ex suo genere, vt constat ex Apostolo ad Gal. 5. recensente Luxuriam inter ea opera carnis, quæ qui exercent *regnum Dei non consequentur*. Et idipsum inde patet, quod luxuria est peruersus excessus circa rem maximè alioqui ad bonũ commune necessariam; si iuxtà normam rectæ rationis vsurpetur: scilicet circa generationem humanã, quæ ordinatur ad conseruationem humani generis; dicente Avgvstino in lib. de bono coniugali c. 6. *Quod est cibus ad salutẽ hominis, hoc est concubitus ad salutẽ generis.*

Est item Luxuria vnum ex vitiis capitalibus, vt docet Gregor. lib. 31. Moral. c. 31. quia scilicet alia peccata ex illo oriuntur propter vehementiam venereę delectationis, & præsertim hęc octo. Cęcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Incõstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis seculi, Horror vel desperatio futuri; vt tradit illic Gregorius, & explicat facilè D. Thomas hìc art. 5. De quibus ferè iam supra egimus partim disp. 3. partim 4. partim 8.

Sex autem Luxurię species principales numerantur à Gratiano 36. q. 1. ca. *Lex illa*, Et à D. Thoma hìc q. 154. ar. 1. & ab aliis communiter: scilicet Fornicatio simplex, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, & vitium contra naturam. Sed quamuis istę sint quidem principales species Luxuriæ, tamen præter illas quoque sunt aliæ quædam sub his non directè contentæ, quamuis ad aliquas istarum per nõnullam similitudinem reuocantur, vt patet ex doctrina eiusdem D. Thomæ illic art. 4. & 10.

Itaq; in vniuersum possunt numerari octo species Luxuriæ, addendo scilicet ad prædictas sex *Impudicitiam*, siue immunditiam, & *Sacrilegium* quale in proposito est Luxuria violans votum castitatis. De quibus omnibus ordine nunc est dicendum.

Fornicatio peccatum luxurię est inter vîrum & fœminam qui non sint matrimonio coniuncti. Excedit enim talis Luxuria regulam rationis rectæ ex parte *finis* actus venerei; non quia omnino impediat generationem prolis, sed quoniam obstat educationi rectæ illius, quæ nimirũ requirit operam viri & fœminæ, qui inter se sint deuincti perpetuò legib. matrimonij, vt postea videbimꝰ.

Nec dubitari potest quin sit peccatũ mortale. Id enim est ex fide certum contra errorem Nicolaitarum, cuius meminit S. Ioannes in Apoc. c. 2. Et Irenæus li. 1. cap. 27. Et Græcorum schismaticorum, qui fornicationem sibi non esse illicitam existimarunt, si Guidoni Carmelitæ creditur in Catalogo hæresum. Atq; etiam contra errorem Gnosticorum, qui scortationes non solum licere, sed etiam frequentari debere contendebant, teste Epiphanio hæresi 26.

Sed fornicationem vt dixi, esse peccatum mortale, constat ex his testimoniis Scripturę. Tob. 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Et 1. ad Cor. 6. *Fugite fornicationem, &c.* Et ad Ephes. 5. *Fornicatio & omnis immunditia, &c. nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.* Et ibidem: *Hoc enim scitote Intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Et ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt Fornicatio, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Quod ipsum affirmat etiam de Fornicariis, 1. ad Cor. 6. Et ad Hebr. 13. *Fornicarios enim & adulteros iudicabit Deus.* Et Apoc. 21. *Homicidis & Fornicatoribus, &c. pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.*

Neq; solum est Fornicatio mala mortaliter & prohibita iure *diuino* explicato his testimoniis, sed etiam iure *naturali*, vt rectè asseruerunt Caiet. q. 154. art. 2. Et Sotus li. 5. de Iust. q. 3. art. 3. Et Navarrus in Man. c. 16. n. 1. Et ipse etiam D. Thomas in dicto art. 2. & alij communiter. Quãuis contrà sensit Martinus de Magistris apud Caietanũ loco citato. Et (vt videtur) etiam Durandus in 4. d. 33. q. 2. scilicet iure naturæ fornicationẽ simplicem, saltem non vagam sed inter personas certas, quæ citra matrimonium velint (ex pacto præsertim & obligatione) gerere conuenientem curã prolis, non esse peccatum mortale, sed solum iure diuino positiuo esse prohibitam. Quam opinionem meritò censet Sotus vbi supra, esse errorem in fide minimè tolerabilem. Quod & ipse planè mihi persuadeo.

Primò, Quoniam Scriptura diuina locis citatis, fornicationem detestatur vt rem per se planè malam & abominabilem. Vt patet ex illo modo dicendi *Fugite fornicationem*. Et item ex eo, quod æquè prohibetur atque Idololatria & Furtum, & Homicidium, & alia eiusmodi crimina iure naturæ detestabilia: vt patet 1. Cor. 6. & ad Galat. 5. vbi simul de fornicatione & aliis eiusmodi sceleribus Apostolus affirmat, *quod qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Secundò, Quoniam Apostolus ad refutandum errorem aliquorum Philosophorum gentilium Cynicorum scilicet, qui putauerint fornicationẽ simplicem & alias immunditias esse licitas, tam sępe & tam serio fornicationem & immunditiam omnem detestatus est, & vt fugeretur admonuit: sicut S. Hieronymus obseruauit in ca. 5. ad Ephes. super illa verba: *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, &c.* Et id ipsum apparet ex eo quod ibi subiungit Apostolus, notans errorem illum Philosophorum: *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, etc. non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Et sequitur: *Nemo vos seducat inanibus verbis, &c. Nolite ergo fieri participes eorum.*

Tertiò, Quoniam sancti Patres Fornicationem etiam tanquam suapte ratione malam & detestabilem execrantur. Vt S. Ambrosivs lib. 1. de Chain & Abel, cap. 5. cum inquit: *Ideo ait Apostolus, Fugite fornicationem, vt vel loci fuga, tanquam furiosa domina declinare sauitiam & tetro seruitio exire possimus.*

Et S. Avgvstinvs q. 71. super Exod. vbi affirmat Fornicationem esse concubitum non legitimum, & ideo censeri debere prohibitam illo etiam Decalogi præcepto. *Non mœchaberis:* Sicut prohibetur etiam Rapina tanquam per se mala, & non solùm furtum, illo præcepto *Non furtum facies. Si*, inquit (de fornicatione loquens) *furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed vtiq; à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur: profectò & nomine Mechiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus, prohibitus debet intelligi.* Quem Augustini locum non satis reuerenter Durandus, vbi supra eneruare conatur. Quanquam neq; est consequens Fornicationem contra ius naturale non esse, si in Decalogo non prohibetur. Nam neque Sodomia ibi prohibetur expressis verbis, & tamen est contra ius naturæ.

Item serm. 16. de verbis Domini, pulchro argumento idem Augustinus etiam ostendit Fornicationem suapte ratione esse illicitam, quia per illam scilicet *peccando in corpus*, vt Apostolus ait 1. ad Corinth. 6. iniuria fit Deo, cuius templa sunt nostra corpora. *Si eligeres*, inquit, *in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modò autem tu ipse es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis; vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem ne deserat te, & in ruinam vertaris.* Idque mox confirmat testimonio illo Apostoli 1. ad Corinth. 6. vbi is planè hoc ipso argumento deterret à fornicatione: sicut etiam eo, *quoniam*, inquit, *corpora vestra membra sunt Christi.* Ex quo concludit: *Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit.*

Vtitur etiam eodem Argumento S. Chrysostomvs homil. 18. in epist. 1. ad Corinthios. Et S. Isidorus lib. 2. sententiarum de summo bono, cap. 39. *Inter cætera*, inquit, *septem vitia, Fornicatio maximi est sceleris, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, & tollens membrum Christi facit membrum meretricis.*

Quartò, quoniam defensio & recta educatio atq; institutio humanę prolis, operam requirens patris & matris, reuera tanti momenti est, vt iudicio rectæ rationis necesse sit hac in re quàm certissimè

tissimè proli caueri, per vinculum scilicet perpetuum & indissolubile matrimonij, quod inter se deuinciat vtramq; personam concurrentem ad prolis generationem. Ac proinde ipso iure naturali, quod lucet in iudicio rectæ rationis, deforme ac turpe est personas eas operam dare generationi, quę non sint inter se colligatę eiusmodi vinculo. Id quod est fornicari.

Quod autem citra Matrimonium aliqui habeant curam prolis, aut etiam ad id se pacto obligent; id *per Accidens est*, neq; etiam tollit prædictam deformitatem Fornicationis; Nam nihilominus manet proli illud incommodum, quòd non tam certo & apto modo ei consulitur, quàm oporteret attęta rei natura & grauissima necessitate prolis humanæ in hoc genere rectæ educationis, vtpote ex quà pendet etiam non raro negotium salutis æternæ. Et hæc de prima specie Luxuriæ scilicet de Fornicatione.

ADVLTERIVM peccatum luxuriæ est, ob id etiam turpe & deforme, quòd per illud violatur fides cõiugalis: siue id fiat à duobus alioqui coniugatis, siue à coniugato cum non coniugata, siue à non coniugato cum coniugata. Ac per hoc differt specie Adulterium ab aliis Luxuriæ peccatis. Nam vt optimè docet D. Thomas q. 154. art. 9. in illis actibus Luxurię est specialis Luxurię culpa, qui committũtur cũ aliqua deformitate, cui specialis aliqua ratio deberet obstare: siquidè hoc ipsum ostẽdit esse in tali actu specialem peruersitatem effrænatę libidinis. Talis autem actus est Adulteriũ; cùm deberet illi specialiter obstare fides & sanctitas Coniugij, quę per illud violatur. Quæ consideratio similiter accommodanda est ad explicationem sequentium specierum Luxuriæ de quibus dicemus. Est autem Adulterium omnino peccatum mortale, vt patet ex 6. Decalogi præcepto, *Non mœchaberis*. Et quidem in duplici specie, scilicet Luxuriæ, & Iniustitiæ, propter iniuriam quæ simul alteri coniugi fit.

INCESTVS speciale peccatũ Luxuriæ ob eam rationẽ est, quia committitur cum persona consanguinea vel affini intra prohibitos gradus; siquidẽ ea propinquitas consanguinitatis vel affinitatis deberet peculiari nomine deterrere à turpitudine actus venerei, per contrariam scilicet reuerentiam debitam propinquę personæ, vt rectè docet D. Thomas q. 154. ar. 9. Vnde Leu. 18. Ea ipsa ratio turpitudinis in incestu indicatur illis verbis: *Matertua est; non reuelabis turpitudinẽ eius.*

Nec dubitatur quin hoc peccatum Incestus sit omnino mortale, vt potest etiã intelligi ex Apostolo 1. ad Cor. 5. exaggerantis & execrantis turpitudinem incestus etiam cum persona tantum affine, illis verbis. *Omnino auditur inter vos Fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit, &c.*

Atq; vt notat ex communi doctrina Nauarrus in Manuali, ca. 16. n. 4. diuersæ porro sunt species incestus, prout incestæ personæ sunt sibi propinquę diuerso gradu. Et eo grauior incestus est, quo gradus est propinquior. Itaq; species quoq; determinata Incestus declaranda est in Confessione, declarato gradu propinquitatis: imo etiam explicanda est propinquitatis ratio, An sit videlicet per Consanguinitatem vel Affinitatẽ: Multum enim inter has ppinquitates interest, quod attinet ad turpitudinem actus. Ac proinde Incestus primò diuiditur specie subalterna in Incestum cum persona consanguinea, & Incestũ cum persona affini, & vtraq; rursus species in alias pro diuersitate graduum.

Vnde cum D. Thomas hîc art. 9. ad 2. indicat, Incestũ cum persona consanguinea, & incestum cum Affine, esse in eadem specie luxuriæ, intelligendus videtur de specie generali seu subalterna superiori; proximè nimirum se habẽte ad ipsum genus luxuriæ, non autem de specie inferiori. Et sic etiam admitti potest quod Caietanus ibi tradit de identitate specifica Incestus cum persona consanguinea & Affini, vel in diuersis gradibus; vt subindicauit bene Nauarrus loco citato.

Neq; tamen omnis concubitus cum persona propinqua inter hos gradus iure quidem *naturæ* est Incestus, atq; adeo speciale Luxuriæ peccatũ, sed solùm in quibusdam eiusmodi gradibus; prout in materia de Matrimonio explicandum est. In aliis autem eiusmodi gradibus Concubitus talis solo iure Ecclesiastico est prohibitus, atque adeo Incestus est speciale peccatum; nimirum in gradibus illis in quibus Ecclesia potest & solet aliquando dispensare, vt in materia de Matrimonio trademus Deo volente.

STVPRVM accipiendo hoc vocabulum non generatim vt aliquando solet, sed peculiariter & propriè, peccatum est luxuriæ speciale & ab aliis distinctũ, propterea quòd extra coniugium exercetur cum ea quę est prædita integritate virginali. Nã ea corporis integritas peculiari nomine deberet obstare eiusmodi turpitudini: cùm magnum detrimẽtum adferat ea res, tum ipsi virgini, vtpotè eam reddẽs minus idoneam ad ineundum coniugium; tum etiam parentibus, si in eorum adhuc sit potestate propter eandem rationem: quanquam absque eo etiam quod *actu* fiat iniuria parentibus, habet stuprũ suam specialem deformitatem hoc ipso, quòd per illud corrumpitur integritas virginalis, vt intelligi potest ex D. Thoma in dicta q. ar. 6. ad 1. Quamuis stuprum quidem *quantum in ipso est*, seu quantum est ex natura talis actus, semper infert iniuriam parentibus; quorum scilicet cura & custodia indiget integritas virginalis quantùm est ex se, vt differit in illo ar. 6. Caietanus, explicans & defendens quoad hoc doctrinam D. Thomę aduersus obiectiones Martini de Magistris.

Dixi autem Stuprum exerceri cum *ea*, &c. Nam vt rectè sentiunt Caietanus in dicto art. 6. & Nauarrus

uarrus cap. 16. n. 2. non viri, sed fœminæ duntaxat virginitas, est ea, ob cuius violationem stuprum habet suam deformitatem specialem.

Dixi etiam Stuprum exerceri cum ea quæ sit prædita *integritate* virginali. Nam vt idem Caietanus rectè docet, ad stuprum non sufficit, quòd violetur per qualemcunque voluntariam obscœnitatem virginitas vt est animi virtus, iuxta ea, quæ de virginitate tradidimus q. 1. p. 2. sed oportet corrumpi ipsam *integritatem* corporis virginalem; ea enim corruptio sola reddit (quantum ex se est) fœminam minus idoneam honesto coniugio, &c.

An autem & quando ex stupro nascatur obligatio aliquid RESTITVENDI; intelligi potest ex his quæ docuimus supra disp. 5. q. 3. p. 2. & q. 6. p. 5. circa restitutionem bonorum corporis æquiualenter faciendam in alio rei genere arbitrio prudentis. PRIMO enim qui Virginem violauit planè volentem, secluſa omni vi, dolo, & fraude, nihil ipsi quidem Virgini restituere tenetur; cùm ei nullam fecerit iniuriam, vt patet ex capitulo, scienti, de Regulis Iuris lib. 6. Et tradit Nauarrus ex communi doctrina in Manuali, cap. 16. n. 16. Tenetur autem nihilominus, arbitrio boni & prudentis viri, restituere patri Virginis, quantum satis sit, pro iniuria ei illata, vt docet idem auctor illic nu. 19. & D. Thomas hîc q. 154. art. 6. & Caietanus ibi, & Antoninus 2. parte, tit. 5. cap. 6. §. 1. & alij. Nam hoc ipso quod talis violator Virginis dedecorat eius patrem, & reddit eo facinore difficiliorem elocationem Virginis, affert patri detrimentum precio æstimabile.

SECVNDO, qui Virginem violat aut inuitam omnino (per raptum scilicet vel fraudem) aut propè inuitam & coactam, per importunas nimirũ preces, &c. dupliciter satisfacere ipsi etiam Virgini tenetur pro iniuria illata. VNO modo in foro exteriori, luendo pœnam Iure talibus decretam, quando ad eam condemnabitur per iudicis sententiam. Quæ pœna est vt Virginem violatam dotet, & eam ducat in vxorem, sicut patet ex capitulo. Si seduxerit, Ext. de Adult. & Stupro: vel certè vt eam dotet & afficiatur aliqua pœna corporali arbitrio iudicis, excommuniceturque & detrudatur in Monasterium ad agendum pœnitentiam, vt patet ex cap. Peruenit, eodem titulo, iuncta Glossa. ALTERO modo debet etiam satisfacere in foro interiori: resarciendo ei videlicet damnum stupro illatum per æquialentem restitutionem arbitrio boni & prudentis viri.

Quod quidem damnum nõ vnum & simplex, sed varium & multiplex est. *Primò*, quòd per iniuriam orbatur Virgo integritate illa virginali corporis; quod ipsum per se est detrimentum pretio æstimabile, vt patet ex iis quæ disseruimus disput. 5. in dicta q. 6. p. 5. cùm ageremus de restitutione bonorum corporis. *Secundò*, quòd redditur minus apta ad matrimonium, saltẽ sine magno incommodo contrahendum: siquidem corrupta aut non facilè inuenit maritum; aut si inuenit & matrimonium init, facilè incurrit in mariti odium & alienationẽ, eo ipso nomine, quòd ab alio corrupta fuit: vel certè quamuis casu aliquo accidat, vt id maritus non deprehendat, aut non curet, tamen redditur obnoxia quidem his incommodis; quod ipsum etiam est aliquod detrimentum meritò resarciendum. *Tertiò*, facit quoq; iacturam non leuem honoris. *Quartò*, ipsa quoq; iniuria per Stuprum illata Virgini (quatenus scilicet contra ipsius voluntatem violatur) debet modo aliquo iustè resarciri & compensari. *Quintò*, propter personarum circumstantias particulares possunt vel hæc ipsa damna reddi grauiora, aut alia item peculiaria damna ad hæc accedere. Itaq; horum omnium diligens consideratio habenda est, vt arbitrio boni & prudentis viri, fiat Virgini æquialẽs restitutio seu compensatio; iuxta ea, quæ de compensatione & restitutione bonorum ablatorum, aut illatorum damnorum, tradidimus in supradicta disp. 5. q. 6. puncto præsertim quinto.

In specie autem violator huiusmodi Virginis non tenetur in foro quidem conscientię eam ducere in vxorẽ, nisi duobus in casibus generatim loquendo. PRIMVS est, si Virgini Matrimonium promisit, *saltem verè & ex animo*, & personæ ipsæ non sint adeo conditione dispares, vt ob eam inæqualitatem secutura videantur magna incommoda in matrimonio tali: iuxta ea, quæ ex communi doctrina circa hæc tradit Nauarrus, vbi supra, n. 18. Dixi autem, si promisit *saltem verè & ex animo*; nam qui ex animo non promittit, non verè promittit, ita vt in foro conscientiæ ex vi quidem promissionis obligetur. Quãuis potest quidem fieri, vt qui fictè promittit, obligetur in foro conscientiæ ad implendum quod sic promittit, ob aliquam aliam circumstantiam simul cum ficta promissione concurrentem. Vt si promissionem iuramento confirmauit, iuxta ea quę diximus supra disp. 6. q. 8. p. 4. Vel si (in proposito nostro) circumstantiæ sint tales, vt qui matrimonium fictè promisit, nõ videatur iudicio prudentis posse aliter iustè & æquialenter violatæ ab se Virgini damnũ illatum resarcire, nisi eam in vxorem ducẽdo sicut promisit, seu verè seu fictè. Id quod ordinariè quidem ob illam circumstantiam promissionis etiam fictæ accidit. Atq; eatenus admitto & approbo, quod Nauarrus, vbi supra, tradit, obligari quoque in foro conscientiæ violatorem Virginis ad eam ducendam in vxorem quando id promisit, etiam fictè.

SECVNDVS casus generalis est, quando etiam citra promissionem matrimonij, tales sunt personarum & negotij circumstantiæ, vt omnibus consideratis, iudicio prudentis non videatur aliter posse iustè & æquialenter illatum damnum resarciri Virgini nisi eam in vxorem ducendo: vt si nimirum conditione sint aut pares aut non valdè dispares, & aliæ etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

circumstantiæ id ad debitam compensationē faciendā requirere videantur,&c. Neq; aliquid sit quod obstet;vt obstaret ordo sacer;vel fides alteri prius data per legitima spōsalia, vel matrimonium; vel data Deo per Castitatis votum,&c. vel si parentes nollent filiam ad tale matrimonium tradere,iuxta id quod notat,vbi supra Nauarrus.

Extra huiusmodi verò casus satis erit in foro quidem conscientiæ, satisfacere aliquo alio modo iustè & æquiualēter arbitrio boni & prudentis viri. Nimirum vel virgini augendo dotē tantum quantum satis sit, vt dote sic aucta possit consequi tam honestum matrimonium, quàm potuisset alioqui minore dote si non fuisset corrupta: Vel dando etiam ei integram & sufficientem dotem ad ineundum honestum matrimonium secundùm suum statum, non obstante illa corruptela, si circumstantiæ sint tales, vt iudicio prudentis non aliter videatur posse iustè & æquiualenter corruptę satisfieri;secus enim,cùm persolutio integræ dotis sit pœna à lege,vbi supra,constituta, non tenebitur quis in foro conscientiæ dotem integram persoluere ante condemnationem per sententiam iudicis. Vel deniq; debebit talis suppeditare corruptæ tantum,quantum satis sit vt possit honestè collocari in statu cœlibatus ad seruiendum Deo, si ita ipsa velit; iuxta ea, quæ tradunt Antoninus & Nauarrus, vbi supra,& alij.

Quæ omnia ita demum intelligenda sunt, si corrupta & parentes eius, restitutionē seu compensationem sibi pro iniuria illata & damnis debitam,nō remittant vel quoad totum vel quoad partem seu modū, ac is qui stuprum intulit, possit satisfacere:iuxta ea quę de causis excusantibus à restitutione vel omnino vel ex parte, tradidimus generatim disp.5.q.6.p.7.Hæc de STVPRO.

RAPTVS, vti hic de Raptu loquimur,speciale peccatū luxuriæ est, propterea quòd ad turpem actum exercēdum rapitur & abducitur persona, adhibita violentia vel eidem ipsi personæ cū qua peccatur, vel parenti in cuius potestate est;vel vtrique,vt perspicuè docet D. Thomas q.154.ar.7. Neq; est dubium quin sit peccatū mortale, cùm per violentiam illam, seu potius per *habitudinem* ad illam, luxuriosus actus peculiari nomine turpis reddatur. Neq; interest ad hāc speciem luxuriæ, An persona rapta sit virgo vel corrupta,&c. Iuxta illud Symmachi Papæ 36.q.2.ca.Raptores: *Raptores*, inquit, *viduarum vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris detestamur.* Quomodo autem Raptus sit vel non sit impedimentum matrimonij, videndum est in materia de Matrimonio.

PECCATVM CONTRA NATVRAM vt species est Luxurię, in eo consistit, quòd quis venereum actum exerceat tali aliquo modo prauo, qui per se repugnet & obstet humanæ generationi;quæ est alioqui finis eiusmodi actus. Atq; vt valdè differētibus modis potest hoc fieri, ita variæ sunt huius peccati species vlteriores. Nam vt docet D. Thomas q.154. art.11. & Caietanus ibi & alij communiter, quatuor potissimum modis id potest contingere. Primò, per *voluntariam pollutionem* extra concubitum, quæ solet appellari *mollities quædam siue immunditia.* Secundò, per *bestialitatem*, cum aliqua bestia scilicet. Tertiò per *Sodomiam*, vt Masculi cum Masculo, vel fœminę cum fœmina. Quā turpitudinem detestatur Apostolus ad Roman.1. Quartò per monstrosum seu bestialem concumbendi *modum*, siue quoad corporis partem siue aliter. Quæ omnia quàm sint horrenda & abominabilia,tum Scriptura,tum ratio ipsa naturalis & conscientiæ lumen, quod ne in improbissimis quidem penitus extinguitur, satis superque vnicuique testificatur.

Dixi autem peccari etiam in hoc genere per *voluntariam* pollutionē, &c. Nam si nullo modo voluntaria sit, certum est, eam nullo modo esse peccatum, vt tradunt omnes. Potest autem esse volūtaria duobus modis. Vno modo *directè*, cùm scilicet aut procuratur, aut cùm superueniens approbatur cum quadam complacentia & consensu,&c. Quæ volūtas directa si plenè deliberata sit (vt est, quando illa turpitudo ab hon ine sui planè compote procuratur) nō est dubium quin sit peccatum mortale: iuxta illud Apostoli 1.ad Cor.*6. Neq; Adulteri neq; Molles regnum Dei possidebunt.* Si autem voluntas illa non sit planè deliberata (vt potest aliquando accidere circa approbationem vel consensum in illam turpitudinem superuenientem,&c.) tantum erit veniale peccatum, maius vel minus pro ratione semiplenæ deliberationis. Quo ex capite asserit Nauarrus in Man. c.16.n.8. communem esse sententiam, non esse peccatum mortale turpitudinem hanc, vel omnino vel ex parte contingentē ei, qui ex somno nondū esset plenè excitatus siue experrectus, sed tunc demū si postquam nō *semi* sed *plenè* quis expergiscitur, consentiat in illā per deliberatam voluntatem rationalē. Nam ad constituendum, inquit, peccatum mortale, iudicium integrū requiritur. Et idē tradit Sylvester, Verbo Pollutio.

Altero modo potest eiusmodi turpitudo esse voluntaria *indirectè*; idq; dupliciter. *Primò secundum se:* cum scilicet illa (ob intrinsecam corporis dispositionem, sine alia tunc præsente causa) imminente,& hoc ipsum homine animaduertente vel debente(propter circumstātias) animaduertere, potest quis illam impedire,&hoc facere negligit. Nam hoc ipso, etiamsi directè in illam nō cōsentiat, vult ipsam *indirectè*; siquidem & potest illam impedire & alioqui etiam in tali casu semper impedire tenetur,& non impedit. Et dico *in tali casu* semper teneri quem impedire eam turpitudinem; Nam quādo turpitudo illa ob solam internam corporis dispositionē,& non ob vllam aliam præsentem causam externā imminet, nulla ratio potest suppetere, cur non teneatur quis illam impedire tanquam id nimirum, quod est per se materia peccati mortalis. Secus autem,

quando

quando turpitudo illa imminet ob aliquā aliam præsentem causam. Nam tunc si ea causa sit res alioqui ad finem aliquem debitum & honestum necessaria;non tenetur quis desistere ab eiusmodi causa,vt impediat turpitudinem ex illa imminentem,vt iam iam dicemus.

Secundò, potest eiusmodi Turpitudo esse indirectè volūtaria *in sua aliqua causa*, cui scilicet quis voluntariè operam det, cùm ex illa immineat illa turpitudo:Nam tunc etiam est illi indirectè voluntarius causę effectus;si nimirum & potuerit & etiam debuerit impedire talem effectum desistendo ab illius causa, & non hoc faciat.

Itaque duo requiruntur ad hoc, vt isto secundo modo sit ea Turpitudo indirectè voluntaria, quemadmodum docet Caietanus q.158. art.5. & Nauarrus vbi supra n.7.& alij communiter. Vnū est, vt *potuerit* quis illum effectū turpitudinis impedire, desistendo à causa propter illum impediendum; atq; adeo etiam vt vel præuiderit, vel ob circumstantias potuerit præuidere,sequuturum certò aut probabiliter effectum illū ex tali causa. Nisi enim hoc quis præuideat, non censetur posse moraliter impedire talem effectū *humano modo & ex intentione*, scilicet ideo desistendo à causa, vt talis effectus non sequatur, iuxta communem & receptam doctrinam de Euētibus voluntariis *in causa* traditā à D. Thoma 1.2.q.20.art.5.& q.73. art.8.& à nobis tomo 2. disp.2. q.15. p.5.& disp.6. q.3. p.3. Quando nam verò præuidere ac proinde etiam impedire talem effectum turpitudinis quis potuerit; potius ex circumstātiis & ex complexione vel experientia personę, quàm ex natura & condicione causę, iudicandum est in casibus particularibus. Quandoquidem sæpe etiam fit, vt ne ex causa quidem aliqua suapte ratione obscæna, effectus talis consequatur. Alterum est, vt etiam *debuerit* quis desistere à tali causa propter impediendum talem effectum: sicut quisq; debet quando causa est alioqui vel vana (vt superfluum colloquium aut aspectus,&c.) vel mala & lasciua, aut incētina libidinis,&c. vt cogitationes turpes, aut potus, vel esus, ex quo consideratis rei & personę circumstantiis, verisimiliter talis effectus sit sequuturus; & denique omnis causa non alioqui necessaria ad debitum & honestum finem.

Cum autem causa est alioqui necessaria ad talem aliquem finem;omnes concorditer tradunt, non eo vsque obligari quempiam ad impediendum illum effectum turpem, vt propterea debeat desistere à tali aliqua causa. Ita docet Nauarrus vbi supra nu.7. post D. Thomam 3.par.q.80. art.7.& Antoninum 2.par.tit.6.cap.5. Et Caietanum tom.1. Opusculorum, tract.22.& in Summa, Verbo Pollutio,& alios. Atq; huius rei exemplū poni solet in iis qui audiunt Confessiones, vel cogitant & legunt de eiusmodi materiis ad concionandum vel docendum, &c. Vel colloquuntur cum aliqua persona ex causa necessaria,&c. Non enim tenetur quis abstinere ab eiusmodi propter impediendum talem euentum, modò tamē in illum nullo modo consentiat.

Siue autem primo siue secundo modo turpitudo hæc sit *indirectè voluntaria*; scilicet aut *secundum se* aut *in sua causa*, mortale quoque peccatum erit. Nisi fortè non satis plenè & perfectè fuerit voluntaria his modis indirectis: Vt si negligentia in illa vel in eius causa impedienda, nō fuerit notabilis sed exigua, ob repentinum videlicet casum, vel imperfectam periculi aduertētiam,&c. Sicut enim directus consensus in eam turpitudinem potest esse peccatum veniale si sit imperfectus, ita etiam & multo magis consensus indirectus si similiter imperfectus fuerit.

Porro ad incurrendum, vel nō incurrendum, peccatum mortale in hoc genere, nihil interest per se loquendo, quo nam tempore seu in qua hominis dispositione contingat hæc Turpitudo. Nam & vigilanti potest accidere omnino inuoluntariè, & contra etiam dormienti potest accidere voluntariè indirectò, in sua nimirum causa. Itaq; in casibus particularibus ad diiudicandum & discernendum peccatum in hac materia, solùm dispiciendum est per doctrinam iam traditam, An & quatenus huiusmodi Turpitudo fuerit vel non fuerit voluntaria.

Sunt autem circa hanc ipsam rem duo adhuc notanda. *Primò*, fieri posse vt quamuis causa, in qua Pollutio est volūtaria, sit alioqui tantūmodo peccatum veniale, ipsa tamen pollutio sit peccatum mortale: si nimirum causa sit secundum se peccatum veniale, nō quia sit imperfectè voluntaria sed quia sit circa leuem materiam, quātumuis alioqui plenè & perfectè voluntaria. Tunc enim pollutio etiam sequens erit plenè & perfectè voluntaria,& consequenter erit peccatū mortale, cùm ex se alioqui sit quiddā graue & mortale: quemadmodū p. præced. diximus de facinore ex se mortali, consequente ex imperfecta ebrietate & ideo veniali, quę tamē fuerit plenè voluntaria.

Si autem causa, in qua pollutio est voluntaria, fuerit ex se tantummodo peccatum veniale propterea quòd non plenè fuerit voluntaria; tunc quidem pollutio consequens similiter erit tantummodo peccatum veniale: sicut suo modo p. præced. diximus de facinore consequente ex Ebrietate non plenè voluntaria & ideo veniali.

Itaque ad cognoscendam quantitatem culpæ pollutionis, eius quæ sit voluntaria in sua causa, respiciendum est tantummodo ad perfectam vel imperfectam rationem *voluntarij* in ipsa causa; qualiscunq; demum sit alioqui ea causa, id est, siue sit ex se alioqui peccatum mortale vel veniale, siue nullum; modò tamen non sit necessaria ad aliquem honestum & debitum finem;Nam tunc pollutio ex ipsa consequens nullum erit peccatum, vt antea explicuimus. Non enim censebitur tunc voluntaria indirectè in eiusmodi *causa*, à qua scilicet quis non debuerit etiam desistere, sicut antea est dictum.

Secundò,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundò, illud etiam annotandum; de ipſa quidem pollutione *in ſe*, quãtumuis abſq; vlla culpa contigerit, minimè licere vnquam lętari propter vllum etiam ſalutarem ipſius effectum: quidquid contrà Nauarrus vbi ſupra nu. 7. dicat, non ſatis conuenienter menti illorum quos citat. Etenim quamuis Pollutio ſine culpa eueniens, nõ ſit ipſa per ſe peccatum, tamen eſt per ſe materia & obiectũ peccati; ac proinde minimè licet per vllum motum voluntatis tendere in ipſam ſiue vt præteritam ſiue vt futuram. Quanquam negari non debet, quin ſit licitũ gaudere de effectu eius corpori quandoq; ſalutari. Id quod ſolum fortè voluerunt auctores à Nauarro citati. Ac per hanc breuem explicationem facilè poſſunt dilucidari & diſcuti ea quæ Nauarrus pluribus de hoc diſſerit. Et hæc ſint dicta de iſta Turpitudine.

IMPVDICITIA ſiue Immunditia, vt vocabulum iſtud hîc accipitur, illa Luxurię peccata propriè complectitur, quæ quamuis non obſtent vllo modo fini generationis, neq; ſint contra naturam, tamen habent aliquẽ turpem & à ratione recta exorbitantem modum, vel in ipſo actu venereo interuenientem, vel ordinatum ad eum. Et ad huiuſmodi impudicitiam præcipuè cenſentur pertinere peccata quædam quæ ab ipſis coniugibus in vſu venereo nonnunquam committuntur per inordinatum modum, de quibus aliàs in materia de Matrimonio.

Item ad huiuſmodi impudicitiam pertinent libidinoſa oſcula & TACTVS inter non coniuges. Qui tactus libidinoſi, quando ſigna & effectus, aut incitamenta voluntaria ſunt, internæ delectationis de carnali copula cogitata; ſine vlla cõtrouerſia ſunt peccatum mortale. Nam ſi videre ſolùm mulierem *ad concupiſcendum eam*, eſt peccatum mortale, perinde ac Mœchia ſeu fornicatio, iuxta ſententiam Domini, Matt. 5. multo magis erit peccatum mortale *tangere etiam* mulierem ex tali concupiſcentia, vt optimè ratiocinatur D. Thomas q. 154. art. 4. niſi fortè eſſet tactus exiguus ſeu quaſi momentaneus & non plenè deliberatus.

Si autem eiuſmodi tactus ſeu oſcula ſint ſigna & effectus vel incitaméta voluntaria internæ delectationis item voluntariæ de cogitato vel ſimul exercito venereo aliquo actu vel motu imperfecto, & inchoatiuè tantum ordinato ex natura ſua ad actum perfectum; tunc quidem Martinus de Magiſtris apud Caietanum in dicto ar. 4. ſenſit, non eſſe peccatum mortale. Sed tamẽ pro certo habendum eſt, eſſe etiam tunc peccatum mortale eiuſmodi tactus, vt ex ſententia D. Thomæ rectè confirmat Caietanus ibi, & aſſerit etiam Nauarrus ca. 16. n. 11. & alij omnes verè docti & pij ſentiunt.

Nam cum imperfectus ille modus ſiue actus venereus ſuapte natura ordinetur ad actum perfectum; ſi præterea ad illum accedit actus exterior tam notabilis quàm eſt oſculum ſeu tactus libidinoſus, magna quædam ątq; adeo mortalis deformitas in eiuſmodi culpa cernitur, id atteſtante iudicio & æſtimatione omnium eorum qui ſunt bonæ & timoratæ conſcientiæ.

Vnde etiam Apoſtolus eiuſmodi immunditias ſiue impudicitias, pariter atque fornicationem, cauendam eſſe monet. *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia nec nominetur in vobis*, ad Epheſ. 5. Atque etiam S. CYPRIANVS lib. 1. epiſt. 11. ad Pomponium, non modò ſtupra & fornicationes, ſed etiam eiuſmodi libidines nõ aliud quàm *crimen*, hoc eſt, peccatum mortale, eſſe duxit. *Si incorrupta*, inquit, *inuenta fuerit virgo ea parte ſui, qua mulier poteſt eſſe; potuerit tamẽ ex alia corporis parte peccaſſe, quæ corrumpi poteſt, & tamen inſpici non poteſt. Certè ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio & oſculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis conſitetur?*

Sentit tamen Caietanus vbi ſupra, & poſt eum Nauarrus loco citato, huiuſmodi tactus (modò pudendi non ſint) & oſcula, non perinde eſſe illicita inter ſponſum & ſponſam, etiam ante matrimonium. Siquidem, vt iam ſunt *in via* per ſponſalia ad ſtatum & voluptatem matrimonialem, ita putat Caietanus eis licere illam quaſi inchoationem per oſcula, &c. Si tamen abſit periculum alicuius alterius immunditiæ, quod quia rarò aberit, communiter eſt talibus ab ea re abſtinendum vt etiam cenſuit vbi ſupra Nauarrus. Videat etiam Lector ea quæ de moroſis delectationibus ſcripſimus tom. 2. q. 4. de Peccatis, p. 3.

SACRILEGIVM in propoſito, Luxurię ſpecies eſt per quam fœdatur vel perſona voto caſtitatis Deo dedicata, vel etiam locus conſecratus; iuxta ea quæ tradit Nauarrus cap. 16. n. 3. & quæ nos etiam annotauimus ſupra diſp. 6. in q. de Sacrilegio, circa ſacrilegij ſpeciem ratione *loci*. Ac eſt eiuſmodi Luxuria, cùm perſona ſacra violatur, veluti quoddam adulterium ſpirituale, quo ſcilicet iniuria fit Chriſto cui talis perſona conſecrata eſt, vt explicat D. Thomas q. 154. art. 10.

Quod ſi violẽtia quoq; adhibeatur, erit etiam Raptus ſpiritualis, qui per leges etiam ciuiles grauiſsimè mulctatur: vt patet ex Iuſtiniano Imperatore in l. vnica. §. 1. C. de raptu Virginum. *Raptores*, inquit, *Virginum, etc. vel viduarum, capitis ſupplicij plectendos decernimus; maximè ſi Deo ſuerint Virgines vel viduæ dedicatæ, quod non ſolum ad iniuriam hominum, ſed ad ipſius omnipotentis Dei irreuerentiam committitur.* Sed de his hactenus, atque adeo de iſta diſputatione. Quæ verò deinde de *gratiis gratis datis* diſſerit D. Thomas, facilè poſſunt intelligi ex iis, quæ de illarum ratione & diuiſione tradidimus tomo 2. q. 3. de Gratia, p. 1.

FINIS NONAE DISPVTATIONIS.

DISPVTATIO DECIMA GENERALIS.

DE VARIIS HOMINVM STATIBVS ET OFFICIIS.

DIVISA IN QVÆSTIONES SEX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

QVAESTIONVM ET PVNCTORVM DISPVTATIONIS DECIMÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De ratione & differentia Statuum & Officiorum in communi.

PVNCT. I. *Quid sit Status siue Officium in proposito.*
II. *Quæ sit differentia Statuum & Officiorum.*
III. *An expediat in Ecclesia esse differentiam Statuum & Officiorum.*

QVÆSTIO SECVNDA.

De Statu Perfectionis.

PVNCT. I. *In quo consistat hominis Perfectio.*
II. *Quatenus possit homo in hac vita consequi perfectionem.*
III. *An Perfectio & Status perfectionis sint vnum & idem.*
IV. *Quinam sint in statu perfectionis.*
V. *An aliqui qui in statu perfectionis non sunt, obeant ratione sui officij opera perfectiora, quàm aliqui qui sunt in statu perfectionis.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Statu Episcoporum.

PVNCT. I. *Qualem oporteat eum esse, qui ad Episcopatum promouendus sit.*
II. *An liceat expetere Episcopatum.*
III. *An liceat Episcopatum iniunctum recusare.*
IV. *An liceat Episcopatum susceptum relinquere.*
V. *An liceat Episcopo abesse à propria Ecclesia.*
VI. *An liceat Episcopis & aliis Ecclesiasticis habere aliquarum rerum dominium & proprietatem.*
VII. *An Episcopi & alij Ecclesiastici habeant dominium bonorum Ecclesiasticorum.*
VIII. *An ij Episcopi qui prius fuerunt Religiosi, teneantur, vt ante, ad obseruantiam Regularum.*

QVÆSTIO QVARTA.

De Statu Religiosorum.

PVNCT. I. *An Status Religiosorum, sit status perfectionis, atq; adeò bonus, & Ecclesiæ vtilis.*
II. *An ad statum Religiosum requirantur & sufficiant tria illa vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ.*
III. *Quomodo contingat Religiosos peccare contra illa Religionis vota.*
IV. *An Religiosi teneantur etiam seruare alia consilia Euãgelica, præter illa tria vota.*

V. *An Religiosi ita teneantur seruare regulas sui instituti, vt quotiescunq; illas transgrediuntur peccent mortaliter.*
VI. *An Religiosi grauius peccent eodem genere peccati, quàm seculares.*

QVAESTIO QVINTA.

De Statu Religiosorum quoad illorum functiones siue exercitia.

PVNCT. I. *Quasnam functiones obire liceat Religiosis, versando cum proximis.*
II. *An Religiosi teneantur incumbere labori corporali.*
III. *An liceat Religiosis ex eleemosynis viuere.*
IV. *An liceat Religiosis mendicare & abiecto vestitu vti.*

QVÆSTIO SEXTA.

De Statu Religiosorum quoad differentiam Religionum.

PVNCT. I. *Penes quid attendatur differentia & varietas Religionum; & an ea varietas sit vtilis.*
II. *Vnde diiudicari debeat, quænam Religio sit perfectior.*

IHS

DISPVTATIO DECIMA GENERALIS.

DE VARIIS HOMINVM STATIBVS ET OFFICIIS.

D. Thomas 2. 2. q. 183. vsq; ad finem.

SEX ERVNT HVIVS DISPVTATIONIS quæstiones. PRIMA, *de ratione & differentia Statuum & Officiorum, in communi.* SECVNDA, *de Statu Perfectionis.* TERTIA, *de Statu Perfectionis Episcoporum.* QVARTA, *de Statu Perfectionis Religiosorum, secundùm se.* QVINTA, *de Statu eorundem Religiosorum, quoad illorum functiones siue exercitia.* SEXTA, *de Statu eorundem, quoad differentiam Religionum. Quæ autem addit D. Thomas de Ingressu Religionis in vltima quæstione, patent ex iis, quæ disseruimus disput. 6. q. 5. de Voto, præsertim p. 4.*

QVAESTIO PRIMA.

De ratione & differentia Statuum & Officiorum in communi.

D. Thomas quæst. 183.

EXPLICANDA SVNT TRIA. PRIMO, QVID SIT STATVS SIVE Officium in proposito. SECVNDO, *Quæ sit differentia Statuum & Officiorum in Ecclesia.* TERTIO, *An expediat, in Ecclesia esse eiusmodi differentiam Statuum & Officiorum.*

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Status siue Officium in proposito.

D. Thomas art. 1.

NOMEN STATVS VARIVM HABET vsum & significationem, vt videre est apud Henricum Gandauensem quodlib. 12. quæst. 29. Ad propositum autem ea solum significatio huius vocabuli spectat, qua frequenter etiam apud Latinæ linguæ auctores solet accipi pro peculiari vitæ *conditione* & quasi sorte. Vt cum ait Cicero in Orat. pro

pro Cornelio Balbo: *Quo quisque loco est natus, aut si in qua fortuna est nascendi initio constitutus, hunc vitæ statum vsq; ad senectutem obtinere debet.*

Ita conuenienter huic acceptioni eius vocabuli, potest in proposito ex sententia diui Thomæ artic. 1. describi Status sic: *Status est quædam moralis siue spiritualis conditio vitæ, pertinens ad aliquam libertatem, aut subiectionem siue seruitutem.* Quod hac ratione declarat & confirmat D. Thomas: Nam illud, quod respicit *obligationem*, secundùm quam quis est sui vel alieni iuris; pertinet ad libertatem aliquam aut subiectionem siue seruitutem. Maior probatur. Nam si quis aliqua obligatione astringitur, eo ipso efficitur subiectus, & quasi seruus: si autem obligatione solutus sit, liber est: quare quod respicit obligationem, id ad seruitutem vel libertatem pertinet. Minor probatur. Nam sicut Status naturalis rei, est recta dispositio omnium partium, conueniés conditioni naturali ipsius rei, cum quadam immobilitate & permanentia: sic Status moralis vel spiritualis, nihil aliud est, quàm quædam hominis dispositio recta in ordine ad omnes eius operationes (vel plerasque ac præcipuas) cum quadam *permanentia ac immobilitate*: immobilitas autem in moralibus ac spiritualibus, ex *obligatione* resultat: quare hoc ipso, quòd Status moralis respicit immobilitatem rectæ dispositionis, respectu omnium operationum; respicit etiam *obligationem*. Et sic patet illa Minor.

De huiusmodi igitur Statibus hominum, disputationem nunc instituimus. Neque tamen de omnibus, sed de illis duntaxat, qui pertinent ad maiorem quandam vitæ *perfectionem*. Nam obligationes aliorum Statuum, vt coniugatorum, & seruorum, partim ex communi doctrina de Virtutibus ac vitiis tradita, partim ex tradenda in materia de Matrimonio, satis cognoscuntur: quę verò ad Status perfectionis pertinent, vt Episcoporum ac Religiosorum, speciali disputatione indigent.

Atque eadem ipsa conditio vitæ *immobilis*, quã in proposito appellamus Statum, dicitur etiam in proposito Officium, siue Gradus in Ecclesia peculiaris, diuersis nimirũ rationibus. Vt enim habet prædictam immobilitatem, dicitur *Status*. Et vt habet respectũ ad aliquas operationes, dicitur *Officium*. Et vt est superior vel inferior alicui alij eiusmodi conditioni, dicitur *Gradus*. Quanquam non etiam contrà, omne Officium, vel omnis Gradus in Ecclesia, est status, vt paulò post dicemus de Clericorum officio & gradu.

Porrò Henricus Gandauensis quodlib. 12. q. 29. reiiciens suprà dictam rationem Status assignatam à D. Thoma; de nomine solùm disputat. Nobis satis est, id nomen in ea significatione vsurpari posse, qua D. Thomas hîc vtitur, scilicet vt est quiddam pertinens ad libertatem vel subiectionem seu seruitutem. In ea enim accipitur in Iure *Ciuili*. ff. de Statu hominum, l. cum igitur. & l. Summa, & Cod. de Ingenuis manumiss. l. Status ingenuæ. Atque etiam in Iure *Canonico*. 2. q. 6. Cap. Si quando, adiuncta Glossa.

Sed aduertendum est, quòd ad Statum *Ecclesiasticum*, de quo loquimur, vltra obligationem, qua quis redditur immobilis ad rectè instituendas omnes operationes secundùm aliquem peculiarem vitæ modum, requiritur etiam Solennitas aliqua, siue actio *exterior*, per quam qui in huiusmodi Statibus sunt, pateant iudicio Ecclesiæ. Ita enim disputat etiã hîc S. Thomas de Statibus Ecclesiasticis, vt apparet ex ipso infrà quæstione 184. art. 4.

Hinc est, quòd quamuis apud Theologos ille, qui est in gratia, vel in peccato, dicatur esse in peculiari Statu, propter seruitutem, quam adfert peccatum, & libertatem Christianã, quam confert gratia: apud Iurisperitos tamen huiusmodi Status non distinguuntur, quia non firmantur publica aliqua actione, vel solennitate.

Sed dubium hîc restat circa ratiocinationem, qua D. Thomas, vt ante vidimus, probat & concludit, Statum in proposito esse aliquã vitæ conditionem, pertinentem ad libertatem vel subiectionem seu seruitutem. *Primò* enim, videtur illa ratiocinatio aduersari ei Conclusioni, nedum probare eam. In Conclusione enim ait D. Thomas, statum denotare conditionẽ libertatis vel seruitutis: in illa autẽ ratiocinatione ait, ad Statum pertinere immobilitatem, orientem ex obligatione; atque ita videtur docere, Statum semper pertinere ad subiectionem & seruitutem.

Secundò, nam ipsa etiam Conclusio falsa videtur in se. Etenim virgines & viduæ v. g. dicuntur esse peculiariter in Statu, & tamen non videntur habere aliquam peculiarem conditionem, neq; subiectionis, neque libertatis.

Tertiò, Laici & Clerici dicuntur esse in diuersis Statibus: & tamen in Clericis neque seruitus, neque libertas peculiaris apparet. Vt patet in iis, qui sunt solùm initiati minoribus ordinibus.

Respondeo ad *primum*, ratiocinationem illam D. Thomę optimè conuenire cum Conclusione. Vt enim rectè hîc notat Caietanus, respicere obligationem contingit dupliciter: videlicet *positiuè* includendo ipsam; & *negatiuè* excludendo. Vt si v. g. diceremus, visum respicere colorem positiuè; cæcitatem verò negatiuè. Iam quãdo S. Thomas in ratiocinatione assumit, Statum respicere obligationem, non intelligit vno solo modo determinatè, scilicet positiuè; sed alterutro, id est, aut positiuè, aut negatiuè. Et satis est, vt hoc modo intelligat, ad concludendum, quod vult; videlicet Statum continere quãdam *immobilitatem*. Ratio est: quoniam non minùs difficile est, vt aliquis ex obligatione & subiectione asseratur in libertatẽ, quàm vt contrà, ex libero fiat subiectus & seruus. Itaq; ad intelligendum Statum immobilem,

bilem, satis est, vt qui est in Statu, respiciat obligationem negatiuè aut affirmatiuè, vt dictũ est. Quanquã in hac quidem Disputatione non agimus de Statibus immobilibus per negationem obligationis, qualis est Status Laicorũ: sed tantùm de immobilibus ex obligatione peculiari ad perfectionẽ, quales infrà videbimus, esse Status Episcoporum, & Religiosorum. Sed fuit tamen describenda ratio Status aliquanto latius, vt etiã genus ipsum istiusmodi Statuũ perfectionis cognosceretur.

Ad *secundum* verò, quod obiiciebatur de viduis & virginibus, respondetur eas non esse in Statu propriè, sicut hîc accipimus, nisi Castitatem aut Virginitatem voto & solennitate aliqua, seu actione *externa* confirment: sicut apertè colligitur ex Concilio Toletano 4. cap. 53. & 54.

Ad *tertium* respondetur, Clericos quidem ob id solùm, quòd Clerici sunt, non esse propriè in Statu, sed in gradu quodam & officio Ecclesiastico. Nam vt ante dictum est, de ratione Status est quædam immobilitas ad omnes vel penè omnes actiones vitæ secundum certam aliquam normã instituẽdas. Quam Immobilitatem nulli Clerici Episcopis inferiores habẽt, eo ipso quod Clerici aut tales Clerici sunt, sed solum obligationẽ ad peculiares actiones suorum officiorum & ad castitatem, &c. si sint in sacris; & ideo non sunt propriè in Statu, prout hîc de Statu loquimur; vt videbimus q. seq. p. 4.

Quod verò attinet ad Laicos, illi dicuntur esse in Statu penes negationẽ obligationis, atq; adeò subiectionis vel seruitutis Religiosorũ. Quo ipso modo etiam clerici seculares possent dici esse in Statu; nisi quod non solet haberi hæc consideratio Status in illis. Maneat itaque, Statum in proposito esse conditionem hominis, qua est peculiariter obligatus ad rectè instituẽdas omnes vel penè omnes suas actiones, secundùm certum vitæ modum; & id cum quadã cærimonia *exteriori*, loquendo de Statibus Ecclesiasticis.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quæsit differentia Statuum & Officiorum.

D. Thomas art. 3. & 4.

EX duplici Capite nascitur differẽtia Statuũ in Ecclesia. PRIMO ex parte *actionum* diuersarũ, ad quas peculiariter destinãtur. Quo pacto alius est Status Episcoporũ, alius Religiosorũ, alius Laicorum coniugatorum, &c. vt explicabimus magis in specie p. seq. Ac pro diuersitate etiam eiusmodi actionum differunt diuersa *officia* & *gradus* in Ecclesia: siquidem Status reipsa est etiam Officium & gradus, vt diximus p. præced.

Quo fit, vt in eandem personam, Status, Officiũ, & Gradus possint concurrere, sicut hîc docet D. Thom. art. 3. ad 2. Est enim *Status* Ecclesiasticus conditio personæ, secũdùm quam cũ quadam immobilitate omnes actiones vitæ ad certã normam dirigi debent, sicut patet ex D. Thoma art. 1. maximè ex solutione tertij. *Officium* verò est conditio, secundùm quam persona debet certa quædam ministeria & opera in aliorum vtilitatẽ conferre: iuxta illud 1. Pet. 4. *Vnusquisq; prout accepit gratiam in alterutrũ administrantes*, sicut hîc a. 3. ad 3. S. Thom. explicare videtur rationẽ Officij. *Gradus* verò formaliter loquendo, est conditio, secundũ quã aliquis aliis est superior, vel inferior. Itaq; in Episcopo omnia hęc tria, reipsa concurrũt, secũdũ rationes diuersas, vt patet animaduertenti.

Atq; ex hoc intelligi etiam potest, quomodo accipiendum sit, quod ait D. Thomas art. 3. videlicet diuersitatem Statuũ *ad perfectionem* Ecclesiæ spectare: diuersitatem autem officiorum ad *actiones necessarias* rectè obeundas: diuersitatẽ demùm graduum ad Ecclesiæ *pulchritudinem*. Nimirum intelligi hoc debet secundùm quãdam appropriationem, attendendo rationes formales vniuscuiusq; istorum. Nam secundùm rem ipsam, diuersitas Statuum etiã confert ad omnia illa tria, videlicet ad Ecclesiæ perfectionẽ, actiones, & pulchritudinem; & diuersitas officiorum ac graduũ similiter.

SECVNDO nascitur differentia Statuũ ex parte ipsarum etiã *personarum*, qui in Statu aliquo ad vitæ perfectionẽ pertinente constituti sunt. Hinc enim, vt docet D. Thom. a. 4. alius est Status Incipientium, alius Proficientium, alius Perfectorũ. Quod ita D. Thom. declarat & probat: Humani Status Ecclesiastici, & spirituales, studio humano consistunt & exercentur. Sed in *humano studio* differẽtiam istam videre licet. Ergo penes illam humani eiusmodi Status distinguuntur. Maior probatur. Nam status spirituales Ecclesiastici, de quibus loquimur, pertinent ad seruitutem quãdam Christianæ Iustitiæ, quæ coniuncta est cum libertate à peccato. Sed efficimur serui Iustitiæ *humano studio*. Ergo status Ecclesiastici studio humano consistunt & exercentur. Patet hæc Minor ex illo Apostoli ad Rom. 6. *Cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui eius facti estis, cui obediuistis, siue peccati ad mortem, siue iustitiæ ad vitam.*

Sed OBIICIET fortè aliquis *primò*, quòd ad eundem hominẽ pertinet, in vno & eodem statu incipere, progredi, & demùm peruenire ad perfectionem. Non igitur diuersi Status penes istam differentiam sunt distinguendi. Antecedẽs patet ex sanctis Patribus, qui communiter ita loquuntur de incipientibus, proficientibus & perfectis; vt D. Bernardus serm. 3. & 4. in Cantica, & D. Hieronymus in Prologo super libros Salomonis, & D. Gregorius passim in Moralibus: sed & D. Thomas ita etiam videtur de his loqui suprà q. 24. artic. 9. Atque etiam Caietanus art. 1. huius q. asserit, incipientes, proficientes, & perfectos, propriè loquendo, non esse in diuersis Statibus.

Secundò idem confirmari posset. Nam ad Statum requiritur quædam immobilitas, in aliquo

Universidad de Deusto
Biblioteca

à quo vel nullo modo vel non nisi valde difficulter quis dimoueri possit; vt p. 1. explicatum est. At nō est admodum difficile, vt qui incepit, progrediatur, & fiat perfectus. Ergo hæc differentia propriè non constituit diuersos status.

RESPONDEO ad *primum*, non esse absurdum, vt idē reipsa Status ratione distinguatur in plures, prout habet diuersos accidentales *modos* in diuersis temporibus. Dico secundò, posse etiam intelligi, quòd diuersitas Statuum *realis* ac veluti specifica sumatur ex illa differentia incipientiū, progredientium, & perfectorum pro differentia humani studij: sed tunc nomine *humani studij*, non debemus hîc intelligere conatum vnius & eiusdem hominis ad opera huius vel illius generis vitæ; sed intelligere oportet diuersos conatus secūdùm latitudinem specificam humani studij in diuersis hominibus. Ita nimirum, vt dicamus, *incipientes* in proposito esse coniugatos, qui videlicet faciliorem viam amplectuntur, atque ita videntur incipere in latitudine humani studij. *Proficientes* autem esse Religiosos, qui tendūt ad perfectionem. *Perfectos* demùm esse Episcopos, qui debent esse Magistri perfectionis. Ac tunc quidem hæc secunda differentia Statuū ratione tantùm differret à differentia Statuū prima, quæ oritur, vt diximus, ex diuersitate actionū ad quas ordinantur Status. Nec desunt, qui ita intelligūt D. Thomam hîc art. 4.

Sed prior responsio videtur facilior, & magis consentanea menti D. Thomæ & Patrum. Ac per illam potest etiam responderi ad obiectionem *secundam*. Immobilitas enim non est de ratione Status nisi quoad status essentiam, non autem quoad Status *modum*: Vt omittam interim, non esse etiam valde facilè incipienti *progredi*, aut progredienti *perfici*.

Porrò in Ratione illa, qua D. Thomas declarat & probat (vt diximus) hanc Statuum differentiam, breuiter est aduertendum, *seruitutem* illam Iustitiæ, ad quam ait D. Thomas Statum Ecclesiasticum pertinere, non solùm consistere in communi obligatione præceptorū, quibus seruitur Iustitiæ, & gratia conseruatur: sed etiam in peculiari obligatione ad actiones conuenientes Statui, quæ tandem etiam referuntur ad perfectè seruiendum Iustitiæ.

PVNCTVM TERTIVM.

An expediat, in Ecclesia esse differentiam Statuum & Officiorū.

D. Thom. art. 2.

GRAVIS hoc loco nobis quæstio est cum Hæreticis, qui totum ferè ordinem Hierarchicum Ecclesiæ, è medio sublatum volunt. Atque vt facilius intelligatur, quid illud sit, quod expugnare moliuntur, breuissimè rationem totam Ecclesiasticæ Hierarchiæ ob oculos ponā. Ac primùm quod attinet ad diuersitatem Statuum, tres potissimùm in Ecclesia cernuntur pro diuersitate obligationis ad peculiare genus vitæ; videlicet *Coniugatorum*, quorum est communi via obseruationis præceptorum ad beatitudinem tendere; *Religiosorum*; ac *Episcoporū*, qui maiori cuidam perfectioni vitæ præterea studeant, ita tamen, vt sicut infrà videbimus, ad Episcopos perfectio pertineat, vt ad ipsius *Magistros*; ad Religiosos verò vt ad *discipulos*.

Diuersitas verò Officiorum siue Ministrorum in Ecclesia nascitur ex differentia actionum siue administrationum, quæ necessariæ sunt ex lege & ordinatione diuina, ad hoc, vt fideles in beatitudinem perducantur. Porrò eiusmodi actiones tres sunt, generatim loquendo. Videlicet dissem inatio verbi diuini per *prædicationem*; Administratio *Sacramentorum*; & Gubernatio siue *regimen* animarum.

Quas tres actiones possumus reducere ad tres illos actus Hierarchicos, quos habet B. Dionysius ca. 5. & 6. de Eccles. Hierarch. videlicet Purgare, Illuminare, & Perficere. Nam Prædicatio verbi diuini pertinet ad *Purgationē*. Illuminatio verò, vt ipse Dionysius explicat, ad *Administrationem sacramentorum*, quibus gratiæ splendor fidelibus communicatur. Perficere autem pertinet ad eos, qui *regunt*; & maximè ad Episcopos, quos B. Dionysius appellat *Perfectores*.

Et quidem concionandi muneri destinantur peculiariter Prædicatores verbi Dei in Ecclesia. Administrationi verò Sacramentorum varij Ministri secundùm varios gradus, qui Sacramento Ordinis continentur. Denique potestas gubernādi à variis etiam diuersimodè exercetur. Quidam enim sunt Episcopi, alij Metropolitani siue Archiepiscopi, quibus superiores sunt Patriarchæ. Rursus inter Presbyteros, quidam sunt Parochi, quidam Archipresbyteri, Archidiaconi, Primicerij, Abbates, quorum distinctio ponitur in Cap. Perlatis 25. d. Supremus autem omnium moderator est Summus Pontifex, vt fusè ostendimus disp. 1. q. 1. p. 7.

Finis autem & scopus totius huius ordinis ac diuersitatis, est *consummatio Sanctorum*, iuxta Apostolum ad Ephes. 4. hoc est, charitatis Dei, qua fideles cum Deo coniunguntur, & vt ait D. Dionysius in libro Eccles. Hierarch. perficiuntur ac efficiuntur Deo similes. Expressit Apostolus eūdem finem ad Colos. 1. cùm ait de se & aliis: *Docentes in omni sapientia, vt efficiamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, &c.*

Hæc est breuiter Ecclesiæ dispositio. Hanc castrorum aciem ordinatam hæretici adoriuntur. Ac primùm statum Religiosorum penitus execrantur. Deinde contendunt, officium vel certè potestatem concionandi debere omnibus esse communē. Vtrumque errorem adscribit VValdensibus Aeneas Syluius lib. 1. de origine Bohem.

Hos

Hos secutus est VVicleffus, Ioannes Huss, & Lutherus, qui etiā cum suis asseclis varietatem graduum, atque adeò Sacramentum Ordinis negauit, vt videre est in libro eius de Captiu. Babylon. & de distinct. graduum ac stat. Ecclesiæ Romanę.

Quod verò potissimùm execrantur hæretici, est potestas Ecclesiastica, quam aiunt tyrannicè sibi vsurpasse Papam & Episcopos in reliquos fideles. Hunc errorem disseminauit quidam Marsilius Patauinus, qui tempore Ioannis XXII. in gratiam Ludouici Bauari scripsit librum, quem nominauit Defensorem Pacis, quo contēdit, potestatem secularem non esse subiectam Ecclesiasticæ. Ipsi verò Sectarij nullam aliam administrationem admittunt vel vsurpant, præter Prædicationem verbi, & administrationem eorum Sacramentorum, quæ ipsi recipiunt, & euanidam nescio quam in alios auctoritatem siue potestate in conscientia obligandi. Neque verò ad hanc administrationem eligūt ministros aliquo sacro aut spirituali ritu, sed in populi aut Magistratus secularis aut Ministrorum nudo arbitrio esse dicunt Ministros constituere, aut amouere.

Ex quibus erroribus præcipui ferè sunt refutati partim suprà disput. 1. q. 1. p. 7. & q. 12. partim tomo 2. q. 5. de Legibus, partim refutandi infrà q. 3. & in 4. tomo in materia de Sacramento Ordinis. Nunc tātùm diuersitatem ipsam Statuum & Officiorum à nobis expositā, maximè vtilem esse in Ecclesia, breuiter asseremus, ac tunc demùm argumenta, quibus eam Aduersarij oppugnant, refellemus.

Statuamus igitur claritatis & distinctionis gratia nonnullas hac de re assertiones. PRIMA assertio: Congruentissima, & Deo gratissima est omnis illa varietas Statuum & Officiorum in Ecclesia. Probatur *primò*. Nam constitutio veteris tabernaculi, figura fuit dispositionis Ecclesiæ præsentis, vt colligitur ex Apostolo ad Hebr. 10. Sed ad illud tabernaculum varij ordines Ministrorū pertinebant, vt patet Exod. 29. & Numer. 3. Ergo, &c.

Secundò. Nam Ecclesia præsens est figura Ecclesiæ cælestis & triumphantis. Sed in illa cælesti varij sunt ordines. Ergo. Maior probatur ex Apostolo ad Hebr. 9. vbi vocat hæc *exemplaria cælestia*. Et Dionysius cap. 1. Cæles. Hierarch. ait, distinctionem ordinum cælestium à diuina bonitate variis huius Ecclesiæ Sacerdotibus & Ordinibus expressam esse.

Tertiò. Ecclesia sæpè in Scriptura cum *Regno* comparatur, & Cantic. 6. cum castrorum acie *ordinata*; & dicitur *Corpus* esse, in quo sint diuersa membra ad diuersas functiones, 1. Corinth. 12. & ad Romā. 12. quæ absque diuersitate Officiorum & Statuum in Ecclesia commodè intelligi non possunt. Accedit, quòd vt Clemens Rom. Epist. 1. refert, Beatus Petrus Ecclesiam aiebat esse instar magnæ nauis, cuius Dominus esset Deus, & supremus gubernator Christus Dominus; nautæ verò & ministri, Prælati & alij Officiales Ecclesiastici; nauigantes, omnes fideles. Et subiunxit; Oportere, vt vnusquisque teneret in ea naui quietus suum locum; ne si passim vagari inciperent, aut nautæ & gubernatores impedirentur in suo officio, aut certè nauis depressa mergeretur.

Addit verò iis argumentis, quæ procedunt ex typo & figura, nō mediocrem vim, quòd sanctus Paulus sæpè ita solet argumentari. Vt 1. Corint. 9. vbi ex eo, quòd veteris Testamenti ministri viuebant ex altari, probat, Euangelicos etiam similiter debere, quandoquidem tota ratio veteris Testamenti figura erat noui.

Quartò probatur. Nam Christus Dominus eos, quos elegit, nequaquam voluit esse auctoritate pares. Habuit enim discipulos septuaginta duos, qui Apostolis inferiores erant. Neque Apostolorum omnium par fuit conditio, vt fusè ostendimus disp. 1. q. 1. p. 7. Nam Petro peculiariter tradidit claues regni cælorum. Matth. 17. cui etiam peculiariter commendauit officium confirmādi fratres. Lucæ 22. Et Ioan. 21. ad eum peculiariter dixit: *Pasce oues meas*. Hinc Apostolus ad Ephes. 4. *Alios* (inquit) *dedit Apostolos, alios Prophetas, &c.* Quæ loca eruditissimè ex sententia veterum exponit Franciscus Turrianus libro 1. de Hierarch. Ord. cap. 6. & 10.

Neque verò hanc diuersitatem officiorum, tunc temporis solùm voluit Christus esse, cum Apostoli & Discipuli essent superstites: sed ita illos ad eiusmodi munera elegit, vt etiam ab ipsis & eorum successoribus possent Ministri constitui per omnes Ecclesiæ ætates; id quod doctè Turrianus deducit ex illo loco Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Misit enim Christum Pater æternus, ita vt ipse posset alios mittere; atque adeò alij etiam habere debent successores.

Et sanè quod Matth. 28. Christus dixit: *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi*, referri non potest ad solas illas particulares personas dignitate & gradu differentes quæ cito erant morituræ, sed referri etiam debet ad successores ipsarū, qui eadem munia deinceps vsq; ad consummationem seculi obituri sunt. Hinc Anacletus Papa Epist. 3. ait Apostolis successisse Episcopos, præcipuè verò eos, qui Archiepiscopi vel Primates sunt, vt eruditè disserit dictus Turrianus vbi suprà: Discipulis verò successisse Presbyteros.

Quintò probatur ex Patribus, qui ordinem atque differentiam Statuum & potestatum & officiorum in Ecclesia passim commendant, præferentes longè Ecclesiasticam potestatem seculari. Sanctus DIONYSIVS in libro de Ecclesiast. Hierarch. capite quinto. *Quia*, inquit, *diuinarum actionum imagines sunt Sacerdotales distinctiones, ornatissimi atque inconfusi diuinarum operationum ordinis insitos sibi fulgores indicantes: in primas ac medias & vltimas sanctas actiones, atque ordines, pontificali discretione distinctæ sunt.*

Sanctus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanctus IGNATIVS in Epiſtola ad Smyrnenſes: *Omnia*, inquit, *bene vobis ordinate, quæ mãdata ſunt in Chriſto. Laici Diaconis ſubditi ſint; Diaconi Presbyteris; Presbyteri Epiſcopo; Epiſcopus Chriſto, ſicut ipſe Patri.*

Sanctus Gregorius NAZIANZENVS in Apologet. 1. *Deus*, inquit, *hoc in Eccleſiis conſtituit, vt alij paſcantur, imperiumq; accipiant (quibus id vtile eſt) ac tum ſermone, tum opere ad officium dirigantur: alij contrà ad concinnitatem, perfectionemque Eccleſiæ, paſtorum, Magiſtrorumque munere fungantur.* Et in Oratione ad Ciues timore perculſos, & Principem iraſcentem. *Vos quoq;* (inquit ad Principem) *poteſtati meæ, meiſq; ſubſellijs lex Chriſti ſubiicit. Imperium enim ipſi quoq; gerimus; addo etiam præſtantius ac perfectius.*

Sanctus CHRYSOSTOMVS homilia quinta de verbis illis Iſaiæ: *Vidi Dominum, &c. Vñ*, inquit, *videre diſcrimen, quantum abſit Rex à Sacerdote? expende modum poteſtatis vtriq; traditæ, videbis Sacerdotem multò ſublimius Rege ſedentem.*

Sanctus AMBROSIVS in libro de Sacerdotali dignitate, capite ſecundo, *Honor*, inquit, *& ſublimitas Epiſcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cùm videas Regum colla & Principũ ſubmitti genibus Sacerdotum. Quid iam de plebeia dixerim multitudine, &c. Vnde regendæ* (oues) *Sacerdotibus traduntur, meritò Rectoribus ſuis ſubdi dicuntur.*

Sanctus GREGORIVS libro quarto Regiſtri, epiſtola quinquageſima ſecunda ad Epiſcopos Galliæ. *Ad hoc*, inquit, *diuinæ prouidentiæ diſpoſitio gradus diuerſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordiæ fieret ex diuerſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum.*

Sextò idem probatur à diuo Thoma ratione triplici. Primò. Nam ſicut conueniens fuit, vt perfectio Dei, qui eſt cauſſa vniuerſi, diuerſimodè à variis & inæqualibus Creaturis participaretur, vt ita perfectiùs illa innoteſceret: ſic conuenit, vt multiplex gratia, in Chriſto vniuerſali capite Eccleſiæ vnita, participaretur & oſtenderetur in variis Eccleſiæ mẽbris; iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam Euangeliſtas, &c. in conſummationem Sanctorum.* Secundò. Nam ſic variæ actiones, quæ in Eccleſia requirũtur, expeditiùs præſtari poſſunt per Miniſtros varios. Quam rationem attigit Apoſtolus ad Roman. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, &c.* Tertiò. Nam id conuenit ad Eccleſiæ dignitatem ac pulchritudinem, quæ in varietate graduum cernitur. Quæ pulchritudo adumbrata fuit in ratione domus Salomonis, de qua legitur 2. Reg. 10. Quod videns Regina Saba *omnẽ ſapientiam Salomonis, & habitacula ſeruorũ, & ordines miniſtrãtium, non habuit amplius Spiritũ.* Atq; hactenus generatim pbauimus, conuenientẽ eſſe differentiam & varietatem gradum in Eccleſia. Deinde per ſequentes aſſertiones eandem confirmabimus magis in ſpecie.

Sit igitur ordine SECVNDA aſſertio. Maximè conuenit in Eccleſia tres illos diſtinctos gradus eſſe, Coniugatorum ſcilicet, Religioſorum, & Epiſcoporum. Hæc Concluſio patet ex ipſius Chriſti Domini auctoritate, approbantis illos Status. Nam ſtatum Matrimonij, Matthæi decimo nono illis verbis probauit: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, &c.* vbi obligationem eius Status expreſsit. Statum verò Religioſorum, ſequentium perfectionem, eodem capite propoſuit, cùm poſtquam de coniugibus diſſeruiſſet, ſubiunxit de *Eunuchis, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum.* Et ibi etiam adoleſcenti renunciationem rerum ſuaſit. Obligationem autem eius Status explicuit, Lucæ nono, cùm ei, qui ſe ſequi volebat, dixit: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Hunc Statum Apoſtoli amplexi ſunt, qui omnibus relictis, ſecuti ſunt Chriſtum. De quo plura infrà quæſtione quarta. Statum verò Epiſcoporum ſatis conſtat ex locis citatis, à Chriſto eſſe, videlicet ex illo: *Quoſdam dedit Apoſtolos, &c.* vbi Apoſtolos fecit Epiſcopos, iuxta Anacletum. Item ex illo Actorum vigeſimo, vbi Paulus: *Poſuit vos* (inquit) *Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Obligationem verò huius Status expoſuit Chriſtus Dominus Ioan. 10. docens munus boni Paſtoris.

Ac multa etiam de his Statibus diſſerunt ſancti Patres. Diuus AVGVSTINVS ſuper Pſalm. 131. ait, eos ſignificatos fuiſſe triplici illo hominum genere, de quo Chriſtus Dominus Lucæ decimo ſeptimo: *Duo erunt in agro; duo in lecto; & duo molentes.* Eos enim, qui ſunt in *agro*, ait ſignificare Prælatos, qui laborant in vinea Domini, de quibus Apoſtolus 1. Corinth. 3. *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, &c.* Illi verò, qui ſunt in *lecto*, ſignificant Religioſos, quieti & contẽplationi deditos. Denique *molentes* ſunt coniugati, curis & ſolicitudinibus circumdati & inuoluti. Sed & diuus Bernardus ſermone vltimo in Vigil. Natiuitatis Domini, & ſermone primo in Natiuitate aſſerit, hos tres Status deſignatos fuiſſe tribus illis viris, de quibus Dominus apud Ezechielem capite decimo quarto: *Si fuerint tres viri iſti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, &c.* Per Danielem, qui vitam egit cælibem, ait ſignificari Religioſos. Per Noë, qui arcam gubernauit, Prælatos. Per Iob, qui filiis & copia rerum abundauit, coniugatos.

Eadem ſententia eſt D. Gregorij Magni lib. 1. in Iob cap. 13. *Quid*, inquit, *per Noë (qui arcam in vndis rexit) niſi præpoſitorum Ordo deſignatur? qui dum ad formam vitæ populis præſunt, ſanctam Eccleſiam in tentationum fluctibus regant. Quid per Danielem, cuius mira abſtinentia deſcribitur, niſi continentium vita figuratur? qui dum cuncta quæ mundi ſunt deſerunt, deſpectæ Babyloniæ alta mẽte dominantur. Quid per Iob niſi bonorum coniugatorum vita ſignatur? qui de rebus mundi quas poſſidẽt, dum pia opera faciunt, quaſi per terræ viam ad cæleſtem*

patriam

patriam tendunt. Plura de Religioſis infrà quæſt. 4. De Epiſcopis, quæſtione ſequenti. De Coniugatis aliàs.

TERTIA aſſertio. Omnino expedit in Eccleſia, peculiares Miniſtros, hoc eſt, Clericos à Laicis diſtingui, & deſtinari ad ea, quæ ſunt diuini cultus. Hæc Concluſio ita eſt certa ex fide, ſicut eſt certum, Sacramentum Ordinis ſapienter eſſe à Chriſto Domino inſtitutum. De quo copioſiùs in quarto tomo, Deo volente. Nũc breuiter probatur. Nam non minor ratio diuini cultus in Lege Euangelica, quàm in veteri, habenda eſt. Sed in illa peculiares Miniſtri conſtituebantur. Ergo, &c. Minor probatur. 2. Paralip. 29. vbi Ezechias, Sacerdotibus & Leuitis congregatis; *Vos*, inquit, *elegit Dominus, vt ſtetis coram illo, miniſtretiſque ei & colatis eum, & cremetis incenſum, &c.*

Ratione idem confirmatur. Nam ſi conuenienter naturæ noſtræ, Deus nobis colendus eſt; vtique colendus eſt, non tantùm actionibus internis, ſed etiã exteriori ritu & cærimoniis, quibus mens excitetur, &c. Atqui minimè conuenit, res ſacras exteriores, ad cultum diuinũ pertinentes, indifferenter ab omnibus tractari. Oportet igitur Miniſtros peculiares deſtinari. Maior patet ex dictis diſput. 6. quæſt. 3. Minor probatur. Nam quod ab omnibus indifferenter tractatur, facilè habetur deſpicatui.

Hanc rationem Ethnici etiam Philoſophi expendiſſe videntur. Nam & Ariſtoteles 6. Polit. Oportere inquit eſſe in Rebuſpublicis, qui Deorũ curam gerant, & lib. 1. Metaphyſ. cap. 1. propterea ait Sacerdotibus AEgyptiorũ otium fuiſſe conceſſum, vt Mathematicis diſciplinis vacarent, id eſt, ſtellarum & planetarum cognitioni & venerationi, quos colebant vt Deos. Addit D. Thomas 1. Metaph. lect. 1. huiuſmodi Sacerdotes AEgyptios ex ærario publico ali ſolitos, vt omnino eſſent ab aliis occupationibus liberi. Vnde Geneſ. 47. cùm Ioſeph terram AEgypti ſubiiceret Pharaoni, Sacerdotalis terra dicitur manſiſſe libera. Ex quibus apparet, apud omnes nationes, Miniſtros diuini cultus extitiſſe peculiares, qui etiam in honore ſingulari haberentur.

Aduertendum autem eſt hoc loco, diuerſitatem Miniſtrorum diuini cultus, ſecundùm varios gradus Ordinis, non omnem eſſe inſtitutam diuino iure; ſed, vt probabilior eſt opinio, tres tãtùm: videlicet Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, quos Chriſtus inſtituit. Vbi non excludo Epiſcopos. De quibus, vtrum ſint diſtincti Ordinis, nec ne, in materia de Ordine diſputandum eſt. Vbi etiam videndum, quomodo quatuor Minores ſint iure humano Eccleſiaſtico inducti. De quo interim videri poteſt Sotus in 4. d. 24. q. 1. art. 4.

QVARTA aſſertio. Non minùs expedit in Eccleſia haberi à Prælatis peculiarem delectũ *concionatorum*, vt non ſit hoc munus omnibus æquè commune. Hæc Concluſio eſt etiam de fide. Patet ex Concilio Conſtãtienſi, ſeſſ. 8. vbi decimusquartus error VVicleffi damnatur, qui contrarium aſſerebat; id quod ſecutus eſt Ioannes Huſs. in eodem Concilio damnatus. Et in Bulla Martini V. ij, qui conuertuntur ad Catholicam fidem, interrogari iubentur, vtrum exiſtimẽt, liberum eſſe munus concionandi, nec ne. Item in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 4. de reformatione, prohibetur, ne quiſquam concionetur abſq; approbatione Epiſcopi. Item Leo Magnus cauit epiſt. 60. & 61. ne quiſquam, præter Domini Sacerdotes, concionaretur. Item in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. can. 3. & 6. Synodo generali, can. 64. Laici id munus vſurpãtes excommunicantur. Et clariſsimè etiam Apoſtolus ad Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* hoc eſt, niſi à Deo, mediante iudicio Prælati, locum Dei tenentis, vocentur.

Ratione quoq; idem patet. Nam ſæpenumerò accidit, vt non expediat, hunc vel illum, hoc aut illo loco concionari: neque enim indifferenter omnes poſſunt habere ea præſidia, quæ ad id muneris neceſſaria ſunt. Quare neceſſe eſt, vt Prælatus habeat delectum. Vide plura apud Alphonſum de Caſtro in Summa de Hæreſib. verbo Prædicatio.

QVINTA aſſertio. Magnopere etiam expedit eſſe in Eccleſia *poteſtatem* ad conſtituendum de rebus ſpiritualibus, & negotiis Eccleſiaſticis, cui ſeculares non modò priuati, ſed etiam Principes & alij Magiſtratus pareant, etiam in foro exteriori. Hæc Concluſio fuſiùs probanda eſt in materia de Clauibus. Nunc oſtenditur ex perpetua Eccleſiæ traditione. Nam ex quo Apoſtolis, & maximè Petro, poteſtas ligandi & ſoluendi tradita eſt à Chriſto Domino, Matth. 18. ſemper ad Pontificem & alios Epiſcopos pro ratione auctoritatis illis conceſſæ, negotia Eccleſiaſtica delata ſunt. Sic Petrus & alij Apoſtoli iudicarunt de controuerſia cærimoniarum veteris legis, Actor. 15. Et can. 73. Apoſtolorum, modus præſcribitur in corrigendis Epiſcopis ſeruandus, vt nimirum per alios Epiſcopos admoneantur, &c. De quo tractat Anacletus Epiſt. 1. & Alexander I. epiſt. 1. Et Gelaſius Papa epiſt. 4. ad Anaſtaſium Imperatorem, vt refertur 96. d. Can. Duo quippe: *Duo quippe* (ait) *Imperator Auguſte, ſunt, quibus hic mundus regitur, Regalis auctoritas, & auctoritas Pontificum*; vbi etiam oſtendit hanc illâ eſſe ſuperiorem.

Sed & ipſi Imperatores & Reges hoc idem ſentire, factis & verbis ſæpè declarârunt. Nam Ruffinus lib. 10. Hiſt. Eccleſ. ca. 2. refert, Conſtantinum Magnum in Concilio Nizeno dixiſſe Patribus: *Vos elegit Dominus Sacerdotes, & dedit poteſtatem etiam de nobis iudicandi.* Ac Theodoricus Rex, vt refertur 17. d. Can. Concilia. §. Ad hæc verò, cùm illius ſententia in cauſſa depoſitionis Pontificis quæreretur, reſpondit; *ad ſe nihil de negotiis Eccleſiaſticis, præter reuerentiam Sacerdotum, pertinere.* Pleraque huius generis in Decretis referuntur d. 10.

Ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio etiam pro hac assertione potest sic formari. Sicut ad bonum temporale fidelium procurandum, necesse fuit alios aliis esse subiectos, vt sic ordinatiùs omnia gererentur: ita etiam ad bonum spirituale animarũ; quandoquidem non est in hoc genere minus periculi & difficultatis: Sed in Ecclesia rectè constituta est potestas secularis, quæ bonum commune temporale respiceret, & cui omnes in eo genere parerent. Ergo similiter debuit esse alia potestas spiritualis, quæ bonum commune animarum spirituale haberet sibi propositum.

Adde, quòd tanta est diuersitas ordinis rerum temporalium & spiritualium, vt quæ ad eos ordines pertinent, per vnius Ordinis potestatem rectè administrari non possint. Nam vt spiritualis potestas de rebus omnibus, ad seculum pertinentibus, constitueret, minimè conueniebat; vt colligi potest ex illo Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Quòd verò potestas secularis de rebus spiritualibus, quæ altioris sunt ordinis, decerneret; multò minus esset conueniens: Distinguendæ igitur hæ potestates fuerunt.

Sed aduertendum est, quòd quamuis hæc Ecclesiastica potestas per varios administros sit distributa, sicut initio notauimus; & id quidem rectè ac conuenienter: tamen non omnes administri huius potestatis auctoritatem habent iure diuino. Nam vt colligitur ex epist. 2. & 3. Anacleti, & ex 4. Damasi, distinctio Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum: item Archipresbyterorum, Archidiaconorum, &c. iure humano Ecclesiastico est introducta. Habet enim Ecclesia auctoritatem pro ratione temporum ac circumstantiarum, diuidendi & variè communicandi potestatem Ecclesiasticam, prout expedit bono communi. Pontificem verò Romanum constat, iure diuino supremam habere potestatem, vt fusè probauimus disput. 1. q. 1. p. 7.

Item certum est de fide, Episcopos habere potestatem superiorem Presbyteris. Patet hoc ex illo Pauli 1. ad Timoth. 5. *Aduersus Presbyterum noli accipere accusationem, nisi sub duobus vel tribus testibus.* Ex quo apparet, Timotheum Episcopum habuisse auctoritatem in Presbyteros. Et contrarium, fuit hæresis Aërij, quemadmodum refert Augustinus libro de hæresib. cap. 53. Quem errorem in materia de ordinis Sacramento pluribus refutabimus.

Nunc argumenta nonnulla hæreticorũ contra varietatem Statuum, Graduum, & Officiorum, quam in Ecclesia oportere esse asseruimus, refellenda sunt. PRIMVM est. Ad beatitudinem vnica tantùm via est, asserente Christo, Ioan. 14. *Ego sum via.* Et; *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Superuacanea est igitur differentia Statuum.

RESPONDEO, esse quidẽ vnam viam ad beatitudinem, quæ nimirum est Christus: cæterùm esse in hac via præcipua ac totali, plures semitas, prout quisque *accipit donum à Deo; alius quidem sic, alius verò sic.*

SECVNDVM argumentum. Fideles ad vnitatem & pacem vocati sunt, vt patet Ioan. 17. Sed diuersitas vitæ dissidia parit. Tollenda est igitur. Minor patet. Nã dissimilitudo est caussa discordiæ, sicut similitudo amoris. Vnde Philosophus 8. Ethic. Parua, inquit, differentia, facit in Ciuitate magnum dissidium.

RESPONDEO cum D. Thoma hîc, diuersitatem Officiorum & Statuum non obstare vnitati. Nam sicut plura membra copulãtur virtute spiritus viuificantis: ita varia membra Ecclesiæ virtute Spiritus sancti. Imò hæc diuersitas membra ipsa arctiori vinculo charitatis coniungit, dum vnumquodque membrum videt se alterius operâ indigere. Hinc Apostolus ad Ephes. 4. vbi de diuersitate hac agit, monet, vt simus *soliciti seruare vnitatẽ Spiritus, in vinculo pacis*, quasi ad hoc debeat ipsa diuersitas conferre.

TERTIVM argumentum. Apostolus 1. Cor. 14. ad omnes fideles dicit; *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis.* Et infrà: *Volo omnes vos loqui linguis.* Et 2. Cor. 6. omnibus etiam dicit: *In omnibus nos exhibeamus, sicut Dei ministros, in multa patientia, &c. in verbo veritatis.* Ergo officium docendi & concionandi commune debet esse omnibus.

RESPONDEO, optare quidem Apostolum, vt fideles ita conentur in cognitione Fidei proficere, vt si opus sit, omnes idonei sint ad concionãdum, non tamen sine approbatione Prælati. Ad aliud respondetur, exhiberi nos sicut Dei ministros in verbo veritatis, non solùm quando concionamur; sed etiam quãdo de mysterio fidei verè sentimus & colloquimur.

QVARTO, quòd non debeat esse diuersitas ordinum, ex illo 2. Petri 2. probant: *Vos autem genus electum Regale sacerdotium.* Ex quo apparet, omnes fideles esse æquè Sacerdotes.

RESPONDEO, sensum esse, Christianos originem ducere à vero Rege, & Summo Sacerdote Christo. Ita exponit Alphonsus à Castro in Verbo Ordo, ex sententia Didymi Alexand. Secundò respondetur, diuũ Petrum loqui de Sacerdotio spirituali, quod omnibus fidelibus cõmune est. Ad quod nimirum pertinet offerre hostias etiã spirituales, hoc est, charitatis, iustitiæ, & reliquarum virtutum actiones, quæ in ara mentis nostræ impositæ offeruntur Deo. De hoc genere sacrificij loquitur Apostolus ad Rom. 12. *Exhibete corpora vestra hostiam viuentem.* Et Psalm. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, &c.* Ita hunc locum Petri plerique exponunt. Nec sanè inconuenienter: nam paulò ante ita D. Petrus fideles est cohortatus: *Vos autem tanquam lapides viui superædificamini domos spirituales, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias Deo.* Itaq; videtur de eodem genere Sacrificij deinceps loqui. Tertiò respondet Albertus Pighius contro. 11. circa finem; sententiam illam Petri

non ita ad populum Christianum referendam esse, vt singuli fideles intelligantur esse Sacerdotes proprie; sed cum omni populo collectiuè loquitur, vt sensus duntaxat sit: in populo Christiano esse veros Sacerdotes. Sic etiam illud accipiendum est, quod Deus populo Israëlitico loquitur Exodi decimo nono: *Si audieritis vocem meam, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus, &c. Et in regnum Sacerdotale & gens sancta.* Ex quo loco minimè inferre licet, singulos Iudæos fuisse Sacerdotes. Igitur nec in proposito licebit, ex simili illa sententia Petri colligere, quòd singuli fideles sint Sacerdotes.

QVINTO. In primitiua Ecclesia Episcopi & Presbyteri non distinguebantur, vt patet ex diuo Hieronymo in caput 3. epistolæ ad Titum, dicente differẽtiam Presbyterorum ac Episcoporum, non tam ex dispensatione Dominicæ veritatis, quàm ex consuetudine Ecclesiæ inductam esse.

RESPONDEO, certum esse, D. Hieronymum cognouisse in Ecclesia veram differẽtiam & realem Presbyterorum & Episcoporum, vt patet ex eiusdem Epistola ad Euagrium, & probat fusè Franciscus Turrianus libro primo de Hierarch. ordinationibus, capite vigesimo secundo. Quod verò Hieronymus ait, non tam dispositione Dominica, quàm consuetudine Ecclesiarum Episcopos esse præpositos Presbyteris (ex quo videtur sentire, non esse illos iure diuino institutos) variè à variis exponitur. Caietanus infrà quæstione sequẽti, articulo primo, circa solutionem primi, respondet inter alia, sensum esse, quòd differentia Episcoporum ac Presbyterorum, nõ tam fuit *cognita* ex verbis Christi Domini, quàm ex consuetudine Ecclesiarum: nihilominus illam institutam fuisse re vera à Christo Domino.

VValdensis tomo primo, libro secundo de doctrin. fidei antiquæ, cap. sexagesimo ait, Hieronymum ibi non loqui de differentia Episcoporum ac Presbyterorum, quod attinet ad rem ipsam: sed quod attinet ad nomen Presbyteri & Episcopi: vt sensus ipsius solùm sit, in primitiua Ecclesia indifferenter fuisse Episcopos appellatos Presbyteros, vtpote quod nomen commune est omnibus Sacerdotibus: nihilominus realis inter istos differentia semper fuit. Sicut (inquit) milites Dauid, etsi omnes vocarentur pueri, non tamen ideo erant omnes reipsa pares.

Turrianus vbi suprà respondet, D. Hieronymum non dixisse vnquam, quòd Episcopus & Presbyter, ita fuerint idem, quasi eorum officia non distinguantur: sed quòd in primitiua Ecclesia idẽ homo fuerit Episcopus & Presbyter, hoc est, idem functus fuerit officio Episcopi & Presbyteri, tametsi hæc officia fuerint diuersa. Hoc autem, inquit Turrianus, potuit tunc temporis accidere, ob paucitatem fidelium & Ecclesiarũ. Postea verò crescente numero fidelium, separata sunt hęc officia ad vitanda schismata & confusiones, vt ita clariùs appareret auctoritas Episcoporum in Presbyteros.

Alphonsus à Castro, verbo Episcopus, nullam videtur expositionem vel admittere, vel adhibere. Vnde & VValdensis expositionem reiicit, licet videatur esse D. Thomæ quæstione sequenti, articulo sexto ad primum. Ad auctoritatem autem Hieronymi respondet Castro, ei anteponẽdam esse auctoritatem aliorũ Pontificum & Sanctorum Patrum, qui docent, Episcopos iure diuino institutos esse. Et sanè quicquid sit de mente Hieronymi, pro certissimo id habendum est, vt suprà probauimus. Allatæ tamen expositiones dicti Hieronymi minimè videntur contemnendæ. Et dicemus de hac re etiam tomo quarto in materia de Ordine.

SEXTO contra potestatem Ecclesiasticam opponunt hęretici libertatem Christianam, de qua Apostolus ad Galat. 2. *Christus nos liberauit.* Et ad Galat. 4. *Nos non sumus filij ancillæ, sed liberæ.* Christus etiam Matth. 20. hanc potestatem voluit explosam, cùm ait: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, &c. non ita erit inter vos.* Item Apostolus hos Principatus excludere etiam voluit 1. Cor. 3. cùm ait: *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?*

RESPONDEO, libertatem Christianam non in eo esse, quod hæretici volunt; cùm sæpenumerò Christus ipse & Apostoli fideles admoneant, vt subditi sint potestatibus: sed consistit in liberatione à seruitute peccati, & in facultate seruiendi iustitiæ, quam facultatem præstat gratia. Hoc patet ex Paulo ad Roman. 10. & explicatum est fusiùs tomo secundo in Disputatione de Legibus. Vbi declarauimus, Christianos liberatos esse per Christũ à iugo Legis veteris: De qua etiam libertate disputat Paulus in Epistola ad Galatas. Quod verò adferunt ex Euangelio, potiùs fauet nobis. Cùm enim ait Christus: *Qui maior est inter vos, fiat sicut minor*, apertè indicat, debere esse in Ecclesia Prælatos. Sensus igitur illius admonitionis est: ne Prælati Ecclesiæ collatam sibi auctoritatem ac potestatem ad propria commoda & honorem, more gentium, peruersè referãt: sed potissimùm diuinam gloriam & commune bonum spectent, animarum saluti inseruientes cum charitate & humilitate.



QVÆSTIO SECVNDA.

De Statu Perfectionis.

D. Thomas 2.2. q. 184.

EXPLICANDA SVNT QVINQVE. PRIMO, IN QVO CONSISTAT perfectio hominis. SECVNDO, Quatenus possit homo in hac vita consequi perfectionem. TERTIO, An perfectio, & Status perfectionis, sint vnum & idem, ita, vt quicunque perfectionem assecutus est, sit eo ipso in statu perfectionis. QVARTO, Quinam sint in Statu perfectionis. QVINTO, An aliqui, qui in Statu perfectionis non sint, obeant opera perfectiora, quàm aliqui alij, qui sunt in Statu perfectionis.

PVNCTVM PRIMVM.

In quo consistat perfectio hominis.

D. Thomas art. 1. & 3.

PERFECTIO HOMINIS AB OMNIbus intelligitur esse illud bonum hominis, quod est homini optimum. Neq; tamen hîc à nobis quæstio instituitur de ea hominis perfectione, quæ est simpliciter extremum bonum, eiusque beatitudo. De hoc enim disputatum est tomo 2. disp. 1. Sed quæstio hîc est de perfectione, seu optimo bono hominis *in hac vita*, qua ille ad beatitudinem tendit.

Huiusmodi autem bonũ esse charitatem, certum est ex fide. Ad Rom. 13. *Finis ergo legis est dilectio.* Et Matt. 22. *In hoc mandato vniuersa lex pendet.* 1. Corinth. 13. *Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et ad Colos. 3. *Super omnia autem charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Asserunt hoc etiam passim sancti Patres; & nominatim Gregorius homil. 27. in Euangelia, & D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 22. & deinceps.

Atque idipsum probat S. Thomas hîc artic. 1. optima ratione. Nam tunc vnaquæque res ordinata ad finem, perfecta est, quando suo finî coniungitur. Sed homo coniungitur suo fini, id est, Deo per charitatem. Ergo. Minor patet 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Sed est OBSERVANDVM, perfectionem hanc vitæ Christianæ non ita consistere in charitate, vt nihil aliud ad eam pertineat. Vt enim perfectio naturalis vitæ humanę non solis naturæ partibus essentialibus conseruatur, sed aliis etiam dispositionibus conseruantibus, & remouentibus contraria: sic etiã præter charitatem, in qua veluti essentialiter perfectio Christianæ vitæ cõsistit, virtutes aliæ requiruntur, tanquam dispositiones & instrumenta quædam, quibus charitas ipsa vtitur & confouetur: iuxta illud 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Hoc etiam aliis verbis explicat hîc S. Thomas ad 2. dicens, in charitate consistere perfectionem *simpliciter*, in aliis autem Virtutibus *secundùm quid*.

Quòd si *obiicias*, potiùs in *gratia* perfectionem eam consistere, cùm habitus gratiæ simpliciter sit perfectior habitu charitatis: *Respondeo* primò, cùm loquimur in proposito de charitate, non excludimus gratiam. *Secundò* possumus dicere, perfectionem vitæ consistere in gratia, accipiendo vitam spiritualem, pro spirituali *Esse*: in charitate autem, accipiendo vitam spiritualem pro principio proximo *actionum* spiritualium. Habet enim se gratia vt natura, & charitas vt principium proximum, seu potentia operandi in ordine spiritualium, vti in materia de Gratia q. 3. explicauimus. Ex qua doctrina apparet, Catholicos ab hæreticis iniquè accusari, quasi omnem illi perfectionem ponãt in exterioribus cærimoniis. Non enim est ita.

Porrò ex hac ipsa doctrina consequens est id quod affirmat D. Thomas art. 3. videlicet perfectionem hominis *essentialiter* quidem consistere in præceptis diuinis; *accidentaliter* autem & quasi instrumentaliter, in diuinis Consiliis.

Prior pars huius assertionis probatur à diuo Thoma huiusmodi ratione. Perfectio (vt dictum est) essentialiter consistit in charitate; Dei quidem primariò, proximi autem secundariò. Sed charitas Dei & proximi, quantumlibet perfecta, est in præcepto. Ergo. Minor probatur primò auctoritate Augustini libro de perfectione Iustitiæ, vbi ait, etiam perfectionem charitatis patriæ esse præceptam. Secũdò ratione. Nam charitas præcipitur à Deo, tanquam finis reliquorum præceptorum. Sed in eo, quod quis spectat vt finem,

nullam

nullam vult esse mensuram certam. Ergo Deus præcipiens nobis charitatem, simpliciter præcipit omnem eius perfectionem absq; certa mensura. Minor iam assumpta probatur à Simili. Nã Medicus v. g. non spectat sanitatem secundùm certam mensuram, sed simpliciter illam intendit, quàm potest haberi perfecta, tantumque adhibet certam mensuram in medicamento. Cuius ratio est, quòd sanitatem spectat vt finem, & medicamentum vt medium. Ergo idem putandum est fieri in proposito.

Posterior autem pars eiusdem assertionis, scilicet quòd accidentaliter & quasi instrumentaliter perfectio consistat in consiliis, probatur ex sancto AVGVSTINO in Enchir. ca. 121. vbi docet, consilia etiam referri ad charitatem, tanquam ad quiddam principale: *Quæcunque*, inquit, *mandat Deus, ex quibus vnum est, non mæchaberis; & quæcunque non iubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus vnum est, bonum est homini mulierem non tangere (1. Corinth. 7.) tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligẽdum Deum, & proximum propter Deum, & in hoc seculo, & in futuro.* Et apertè etiam Abbas Moyses apud CASSIANVM collat. 1. cap. 7. affirmat, eiusmodi consilia, vt *nuditatem & priuationem omnium facultatum, non perfectionem, sed perfectionis instrumenta esse.*

Sed circa hanc ipsam diui Thomæ doctrinam possunt quæri hîc quatuor. PRIMO, Vtrum omnino verum sit, quod in ea supponitur, videlicet consilia distingui à præceptis. Negat enim hoc Melanchthon in loco de distinctione consiliorũ & præceptorum, & negãt etiam omnes alij Protestãtes. Sed omnino hæc distingui probabimus commodiori loco infrà q. 4. p. 1.

SECVNDO quæri potest, per quid propriè distinguatur consilium & præceptum. Ratio dubitandi est. Nam vtrumque datur de opere bono, & vtrumque vult Deus à nobis præstari. Per quid igitur distinguuntur? Respondent aliqui, per hoc differre, quòd præceptum datur de necessariis ad salutem; consilium non item. Verùm hæc differentia non est *à priori*. Nam plerumque prius est, esse aliquid præceptũ, quàm esse ad salutem necessariũ: cùm scilicet ideo aliquid ad salutem est necessarium, quia est præceptum. Vnde explicãdum restat, quid sit illud prius, in quo consistit præceptum.

Aliter igitur solet dici, quòd præceptum *obligat*, consilium verò est de bono, ad quod non obligamur. Sed quamuis hoc verum sit, tamẽ oportet explicare, quid sit, Deum obligare nos præcepto. Deinde ista non est adæquata differentia. Nam multa bona sunt, ad quæ non obligamur, de quibus tamen non datur nobis consilium, sed potiùs de oppositio: patet in Matrimonio & aliis huiusmodi.

Dico igitur, differentiam præcepti quidem diuini *naturalis*, & Consilij esse in hoc, quòd consilia dantur de bono consentaneo quidem naturæ nostræ, sed non ita, vt statim ratio naturalis nostra aduertat deformitatem in eo, quòd id nõ præstetur: præcepta verò de eiusmodi bonis sunt, vt attenta constitutione naturæ humanæ statim animaduertatur deformitas in eorum defectu.

Hinc prouenit, vt Deus alia & alia ratione velit à nobis præstari præceptum & consilium. Vult enim præstari præceptum eiusmodi voluntate, vt si illud nõ præstemus, velit nobis succensere, aut etiam priuare nos gratia & charitate, quando graue præceptum & grauiter violatur. Consiliũ autem non ita vult adimpleri, sed solùm simpliciter cupit fieri.

Totũ hoc, quod de differentia consilij & præcepti dixi, sine controuersia locũ habet, loquendo de consilio & de præcepto (vt dixi) *naturali*. Si autem quæratur de differentia præcepti diuini *positiui*, & consilij; dicendum, eam à priori in hoc solo consistere, quòd præceptum adeò seuera, &, vt ita dicam, arcta voluntate, Deus vult ab hominibus seruari, vt si violent, incurrant Dei offensionem aut etiam amittant gratiam & charitatem diuinam: Consilia verò non adeò arcta voluntate Deus adimpleri cupit. Ex hac autem differentia voluntatis diuinæ prouenit, vt violans præceptum positiuũ, deformitatem peccati admittat: omittens verò consilium, non item. Et ex hoc patet etiam discrimen deformitatis in violando præcepto naturali & *positiuo solùm*. Nam ratio deformitatis in violando naturali, non solùm peti potest ex eo, quòd Deus stricta voluntate cupit illud ab hominibus seruari; sed etiam ex ipsa naturæ humanæ conditione.

TERTIO quæritur, Quomodo in Scripturis discernenda sint præcepta à consiliis? Respondeo, *prima* Nota potest esse, vt illud intelligatur esse præceptum, quod iniungitur tanquam id, sine quo charitas Dei & proximi non videtur posse consistere, considerata ipsa ratione & inclinatione charitatis. Cùm enim charitas præcepta sit, imò finis præcepti; quicquid charitas postulat, etiam erit præceptum; & quod illam, quatenus est in se, dissoluit, erit prohibitum.

Secunda Nota est, vt illud intelligatur esse præceptum, quod non simpliciter commẽdatur nobis, sed adhibita graui aliqua commination iis, qui secùs fecerint. Quod si simpliciter tantũ proponitur, vel etiam aliquod præmium promittitur, absque graui tamen commination e, consilium tantùm erit. Hinc colligitur, ea, quæ proponuntur in Decalogo, esse præcepta. Renunciatio verò temporalium, & eiusmodi alia, quia nõ habent adiunctam pœnam, sed tantùm aliquam promissionem, qualis est illa: *Et habebis thesaurum in cœlo*, non sunt in præcepto.

Tertia Nota certissima, est iudicium Ecclesiæ, ad quam pertinet infallibiliter definire de moribus & fide, &c. vt iam supponimus.

QVARTO quæritur, Vtrum omnino illud verum sit, quod dicit D. Thomas, perfectionem *primariò* in præceptis, *secũdariò* in consiliis fitam esse.

Ratio dubitandi est *primò*: Quia Christus Matth. 19. in consiliis videtur illam posuisse, cùm postquam de præceptis dixisset, addidit: *Si vis perfectus esse, vade, vende, &c.* quasi perfectio antonomasticè competat consiliis.

Secundò: Quoniam consilia communiter dicũtur esse de *meliori* bono, & præcepta ad consilia videntur ordinari.

Tertiò: Quoniam ratio, qua id probat S. Thomas, videtur infirma. Minor enim illa, scilicet omnem perfectionem charitatis esse præceptam, simpliciter videtur falsa. Nam si ita est: Ergo efficere non possumus in hac vita, quin præceptum charitatis violemus, ac proinde impossibile esset, vitare omnia peccata mortalia. Consequentia probatur. Nam núquam ita Deum diligimus, quin perfectiùs possit à nobis diligi, non solùm in patria cælesti, sed etiam in hac vita. Si igitur omnis perfectio charitatis in hac & in futura vita possibilis, præcepta nobis est; præuaricatores necessariò sumus eius præcepti: imò sequitur, nunquam illud (ne in cælo quidem) posse impleri: quandoquidem charitas potest esse perfectior & perfectior in infinitum, vt suprà in disput. 3. q. 2. probauimus.

Nihilominus doctrina illa S. Thomæ omnino vera est. Quare ad *primum* respondeo, sensum illorum verborum Domini esse: Si vis omnibus numeris esse perfectus (id est, perfectione tum essentiali, consistente in præceptis; tum etiam accidentali & instrumentali, consistente in consiliis) *Vade, &c.* Tunc enim aliqua res simpliciter dicitur perfecta, quando habet etiam accidentalia sua ornamenta, vt patet in naturalibus.

Ad *secundum* respondeo, duplicis generis esse præcepta. Quædam enim pertinent ad interiorem dilectionem Dei & ad puritatem mentis: alia ad externa opera. Iam consilia non dicuntur de meliori bono, relata ad præcepta primi generis, sed secundi: in præceptis autem dilectionis, vt dictum est, posita est essentialiter perfectio. Præterea falsum est, quod in argumento sumebatur, præcepta referri ad consilia. Nam contrà potiùs, consilia ad obseruationem præceptorum, sine quibus salus obtineri non potest, ordinantur; diuersimodè tamen. Nam ad præcepta primi generis, videlicet internæ dilectionis, ordinantur *directè* tanquam ad finem. Propterea enim consilia sequimur, vt Deo magis ac magis per dilectionẽ inhæreamus. Ad præcepta verò externa ordinãtur consilia quodãmodò *indirectè*. Virginitatem enim v. g. non seruat aliquis eo fine, vt non mæchetur: neq; renunciamus temporalibus, vt non furemur. Iuuat tamen maximè obseruatio virginitatis ad non mæchandum, & renunciatio bonorum ad non furandum. Qui enim omnibus se abdicat, faciliùs abstinet à furto. Sic igitur ad huiusmodi præcepta externa etiam conferunt consilia, licet indirectè. Hinc præcepta comparari solent muro, quo nostra anima custoditur, consilia verò antemurali, quo murus ille defenditur, & stabilitur. Ex quo fit, vt neglectis consiliis, faciliùs murus præceptorum concidat, iuxta illud Threnorum 2. *Luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est.* Doctrina hæc consentanea est D. Thomæ quodlib. 5. art. 19.

Ad *tertium* respondeo, duobus modis posse dici aliquid cadere sub præceptum. Primo tanquã id, quod est executioni mandandum. Secundo tanquam id, quod debet veluti finis spectari ab eo, cui imponitur præceptum, v. g. mittit Belli dux militem ad pugnandum, illique in hũc modum præcipit: Pugna, & ita quidem pugna, vt Victoriam consequaris. Hìc tam pugna, quàm Victoria dici potest cadere in præceptũ Ducis, diuersa tamen ratione. Pugna tãquam id, quod est à milite executioni mandandũ: Consecutio verò Victoriæ, tanquam id, quod est à milite in pugna spectandum vt finis. Similiter in proposito, dilectio Dei excludens omne peccatum mortale, cadit in præceptum charitatis, tanquã id, quod est executioni mandandum: perfectio verò maior charitatis cadit in eiusmodi præceptum, tanquã id, ad quod vt ad finem tendere debemus; non tamen tanquam id, quod à nobis nunc in executione, requiratur per præceptum: sicut docui suprà disp. 4. q. 19. p. 1.

Iam igitur ad argumentum respondetur, veram esse illam propositionem S. Thomæ, videlicet omnem perfectionẽ charitatis cadere in præceptum, sed tamen non ita, vt omnis charitatis perfectio sit ex vi præcepti mandanda executioni, sed aliqua. Nam ea quidẽ charitatis perfectio, quæ excludat peccata mortalia, executioni est mandanda ex vi præcepti: alia autem maior perfectio, spectanda est tanquam id, quo tendamus, non autem executioni nunc mandanda. Quo fit, vt quamuis perfectiùs possimus semper Deũ diligere, non ideo tamen simus præcepti transgressores, quia non perfectiùs diligimus. Nam maior perfectio non requirebatur à præcepto in executione, sed solùm in *intentione*: & ita satis est, ad vitandum peccatum, si per dilectionem excludentem omnia mortalia ad maiorẽ illam perfectionem charitatis tendamus. Quemadmodũ disp. 4. loco citato explicauimus ex sententia sancti Augustini, qui hoc ipsum ita declarat in multis locis, maximè autem lib. de spiritu & litera, cap. 36. Vbi ait propterea præcipi nobis, Deum ex toto corde, & ex tota anima diligere, *vt sic*, inquit, *admoneamur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, ad quid deniq; obliuiscentes ea, quæ retrò sunt, tendere debeamus.*

Quo loco Augustinus non obscurè significat, quod diximus, videlicet perfectionem maiorem charitatis (quam ille *totam* animam, & *totum* cor interpretatur) eatenus duntaxat cadere in præceptum charitatis, quatenus illo ostenditur nobis, non quid nunc debeamus executioni mandare (ita, vt si non facimus, simus transgressores) sed quid sit illud, quo oporteat nos per dilectionem Dei contendere tanquam in finem.

Adde, quòd ratio D. Thomæ, qua illam sentẽtiam Augustini probat, non in alio sensu conuincit, perfectionẽ charitatis totam debere cadere in præceptum. Nam rectè potest intelligi, quòd Deus optet charitatem in nobis esse sine limite, etiamsi non omnem eius perfectionem ita præcipiat, vt ex vi præcepti sit illa executioni mandãda. Ac sic etiam Caietanus hìc exponit diuum Augustinum.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quatenus possit homo in hac vita consequi perfectionem.

D. Thom. art. 2.

NEMO in hac vita potest esse adeò perfectus, vt possit Deum tam perfectè diligere, quãtum Deus amabilis est, id est, dilectione infinita: Neq; adeò, vt possit Deum diligere, quãtum possibile est ex parte diligentis, ita videlicet, vt actu semper diligat. Nihilominus tamen duplex perfectio charitatis potest in hac vita acquiri: Altera, qua homo vitet omnia, quæ cum charitate pugnant, eamq; tollunt, nimirum peccata mortalia: Altera, qua vitet non solùm hæc, sed etiam omnia, quæ possunt esse impedimento homini, quò minùs mẽs eius liberè & expeditè feratur in Deum. Primam assequũtur omnes *incipientes & proficientes*: Secundam *perfecti, & Religiosi*.

Ita docet D. Thom. hîc art. 2. & alij communiter. Et patet hoc totum ex dictis, tum suprà disp. 3. q. 4. tum etiã tomo 2. q. 1. de Gratia, vbi egimus de facultate, quam præstat gratia ad vitãda mortalia. Est autem hæc doctrina media inter duos errores extremos vitandos. Primus est Begardorũ & Beguinarum iactãtium, posse aliquem eam perfectionem charitatis assequi, vt progredi nequeat, & impeccabilis penitus in hac vita reddatur. Hic error dãnatus est in Concilio Viennensi sub Clemente V. vt patet ex Clementina Ad nostrum, de hæreticis. Item in Tridentino sess. 6. capite 11. can. 23. vbi asseritur, omnes quantumlibet perfectos, esse in hac vita obnoxios peccatis venialibus, secluso priuilegio. Quod etiam asseruimus vbi suprà contra Pelagianos. Item hic error est contra Paulum ad Phil. 1. dicentem, *Hoc oro, vt charitas vestra magis abundet.* Et ad Ephes. 4. *in charitate crescamus in illo.*

Secundus error est Sectariorum, negantium posse aliquem vitare omnia peccata mortalia: de quo fusissimè vbi suprà in materia de Gratia.

Tantùm hîc occurrit difficultas circa id, quod cum D. Thoma asseruimus, posse hominẽ illam etiam secundã perfectionem Charitatis assequi, vt vitet omnia Charitatis *impedimenta*. Videtur enim hoc fauere Pelagianis. Nã vitare omnia impedientia & retardantia charitatem, est vitare quoque omnia venialia.

Respondeo, à nobis & à S. Thoma, nomine eorum, quæ impediunt expeditum motum charitatis in Deum, intelligi in præsenti non peccata venialia, sed bona temporalia, quæ solent occasioni esse peccandi, atq; adeo retardant charitatem. Itaq; ij secundam illam perfectionem charitatis assequuntur, qui sese omnibus rebus abdicant, vt Deo liberiùs vacent: quo ipso quidem, secundùm affectum & animi conatum omnia etiam venialia peccata vitare statuunt, quantũ est in ipsis, licet postea in effectu id non assequãtur, sed sæpè peccẽt venialiter, aut ex infirmitate, aut ex ignorantia, aut alia de causa. Tales sunt Religiosi, quos scribit Eusebius lib. 1. de demonstratione Euangelica, cap. 8. communem vitæ rationem superare, non nuptias, non sobolem, non facultates concupiscere; sed propriam voluntatem, atq; adeò res omnes abnegãtes eximmenso rerum cælestium amore, diuino cultui penitus esse addictos.

PVNCTVM TERTIVM.

An perfectio, & Status perfectionis sint vnum & idem.

D. Thomas art. 4.

MINIME sunt hęc idem, vt rectè docet D. Thomas. Status enim perfectionis non consistit in ipsa perfectione, sed in certa quadam obligatione ad illam. Itaq; non quiuis perfectus, est in perfectionis Statu, sed ille, qui se obligauit ad opera perfectionis, cum quadam solennitate exteriori, vt ait S. Thomas. Probatur. Nam Status Ecclesiasticus, qualis est Status perfectionis, debet patere iudicio Ecclesiæ, atq; adeò hominum. Homines autem tantùm *vident, quæ apparent.* 1. Reg. 16.

Hinc fieri potest, vt qui est in Statu perfectionis, non sit perfectus; & contrà, vt qui sit perfectus, non sit in statu perfectionis. Et tales significati videntur Matth. 21. in parabola de duobus illis filiis, quorum alter patri dicenti, *vade, operare in vinea mea, respondit; eo, & non iuit: alter verò respondit; non eo, & iuit.*

Ex qua doctrina, quæ est D. Thomæ hîc, & cõmunis, patet, tria requiri ad Statum Ecclesiasticum, nimirum obligationẽ ad opera perfectionis, & solennitatem aliquam exteriorem, & vt ea obligatio fit ad aliqua opera externa. Nam obligatio cum solẽnitate, referri solet in Ecclesia ad opera externa, de quibus constare possit, vtrum ea præstet, qui se obligauit, nec ne. Et idcirco rectè Caietanus colligit, requiri ad Statum Ecclesiasticũ, vt opera, ad quæ quis se obligat, sint *externa*: quæ tamen debent esse quasi effectus interioris charitatis.

Sed notãdum est, nomine solennitatis externæ, in præsenti non intelligi solùm professionem solennem in aliqua Religione, aut consecrationẽ: sed intelligi quodlibet institutum vel ritũ ab Ecclesia probatum, secũdùm quem aliquis per-

petuò se obliget ad opera perfectionis, ita, vt de huiusmodi obligatione constet Ecclesiæ.

Vnde sequitur, etiã per votum simplex firmari posse Statum, si videlicet illud Ecclesia ad vinculũ publicæ obligationis admittat. Ad immobilitatem namq; Status, nõ requiritur vinculum penitus insolubile, sicut patet in Statu Episcopi, quem aliquis de licentia Papæ, potest deserere, vt infrà videbitur: sed satis est, vt quantum in se est, aliquis perpetuo vinculo sese externo actu astringat. Hinc D. Thomas opusc. 18. cap. 15. nulla facta mẽtione Voti solennis, simpliciter asseruit, eum, qui Voto sese ad opera perfectionis obligauit, esse eo ipso in Statu perfectionis. Quod ipsum Gregorius XIII. in Constitutione de Instituto nostræ Societatis, edita anno 1584. declarauit, definiens, eum, qui tria Vota simplicia post biennium Nouiciatus, iuxta Societatis institutum emittit, cõstitui per illa verè ac propriè in Statu Religioso. Id quod pluribus confirmabo infrà q. 4. p. 2. assertione 5.

PVNCTVM QVARTVM.

Quinam sint in statu perfectionis.

D. Thomas art. 5. 6. & 7.

EPiscopi & Religiosi omnino sunt in statu perfectionis, vt affirmat diuus Thomas hic ar. 5. & alij communiter. Nã vtriq; se obligant ad opera perfectionis cum quadã solennitate, siue actione externa. Religiosi quidẽ, vt rebus omnibus post habitis, Deo inhæreant: Episcopi, vt si opus sit, animã ponant pro ouibus, vt patet Ioan. 10. Et de Religiosis quidẽ infrà q. 4. id fusiùs probabimus.

De Episcopis aũt dubitari id non potest. Nam primò id apertè declarãt amplissima elogia, quibus à sanctis Patribus Episcopalis dignitas commendatur. Vt à S. Ignatio in Epist. ad Smyrn. vbi ait: *Nemo Episcopo honorabilior est in Ecclesia, Sacerdotiũ Deo gerenti pro mundi salute.* Et à S. Ambrosio lib. de Sacerdotali dignitate, cap. 2. vbi dicit: *Sublimitas Episcopalis nullis potest comparationibus adæquari.* Et à S. Athanasio, qui cum aliis Patribus ex Synodo Alexandrina in Epistola ad Felicem II. appellat Episcopos *Ecclesiæ columnas.*

Atq; idipsum manifesta ratione patet. Quoniam obligãtur ad eiusmodi officia, in populum conferenda, quæ præstare ita vt oportet non possunt, nisi flagrent charitate, & sint perfecti. Id q̃ magis explicabitur q. seq. p. 3. vbi simul dicemus de proprietatibus & conditionibus requisitis in idoneo Episcopo.

Sed occurrunt contrà, nonnulla argumẽta ad probandum, nõ esse statum perfectionis, statum Episcopalem. Primvm. Quoniam appetere statũ perfectionis, laude dignum est. At appetere Episcopatum, non item; sed potiùs vituperio. Ergo Episcopatus minimè est Status perfectionis. Minor patet exemplo Sanctorum, quibus laudi datur, quòd Episcopatus repudiauerint.

Respondeo, fugere Episcopatum, esse dignũ laude, non considerando genus ipsum Status (sic enim quiddam perfectum est) sed ob varias circumstantias, de quibus q. seq. p. 1. dicemus.

Secvndvm argumẽtum. Ad perfectionem requiritur paupertas & renunciatio omnium, vt patet Matt. 19. At Episcopi non profitentur paupertatẽ. Ergo minimè sunt in Statu perfectionis.

Respondeo, paupertatem non ita requiri ad perfectionem, quin etiã copia rerum possit esse aliquibus instrumentum perfectionis, videlicet illis, qui perfectionem habere debent tanquam Magistri & Duces aliorum. Hi enim possunt pecuniis ad perfectionem vti, aliis benefaciẽdo. Et tales sunt Episcopi. Adde, quòd parati etiam esse debent ad omnia exponenda, cùm opus sit, pro salute proximorum. Quare non debent opes ipsis esse impedimento.

Tertivm argumentum. Non satis apparet, vnde nascatur Episcopis obligatio ad opera perfectionis, prout requiritur ad statum. Non enim ex consecratione ipsorum: siquidẽ ante illam postquam sunt cõfirmati, perinde ac post illam obligantur, vt habetur in Cap. Inter. Extra de translatione Episcopi. Nec videtur oriri ex iurisdictione. Nam Parochi etiam habent iurisdictionem, & curam animarum, qui tamen non dicũtur esse in Statu perfectionis, vt postea annotabimus.

Respondeo primò, certum esse, *officio & iurisdictioni* Episcopali annexam esse eam obligationẽ iure naturali & diuino, quo nimirũ tenentur pascere gregem. Hoc patebit q. seq. p. 3. & 5.

Dico secundò, etiam teneri eos ad perfectionis opera ex fidelitate propter sponsionem factã Ecclesiæ. Vt enim dicitur in Cap. Licet, & Cap. Inter. Extra de translatione Episcopi, inter Ecclesiam & Episcopũ intelligitur celebrari quoddam quasi spirituale coniugiũ. Quod in electione Episcopi censetur inchoatum; in confirmatione verò ratum; & in consecratione consummatum. Ita habetur in Can. Sicut vir. 7. q. 1.

Dico tertiò, huiusmodi sponsionem posse appellari Votum: quanquam neget Caietanus. Sed S. Thomas q. seq. ar. 4. expresè ita loquitur. Si verò quæras, in quo consistat huiusmodi Votum. Respondetur, dici posse Votũ implicitum, sicut Votum sacerdotum, consistens videlicet in obligatione, qua Episcopus tenetur in gloriã & cultum Dei, opera perfectionis exercere. Explicitũ aũt Votum non videtur in proposito esse. Nã directè Episcopus spondet, non Deo, sed Ecclesiæ.

Dico quartò, huiusmodi obligationẽ astringere Episcopum statim post confirmationẽ, antequam consecretur: patet ex dicto Cap. Inter. Consecratio verò adhibetur postea, tum vt Episcopus de suo officio solenniter moneatur: tum vt quosdam actus Episcopalis ordinis possit exercere, & ordinare, consecrare templa, & virgines, & similia.

Dico

Dico quintò, iure etiam humano Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. de reformatione generali, tenetur Episcopus recipere idem concilium, & detestari publicè omnes hæreses in 1. Syn. Prouinc. post ipsius consecrationem. Item debet iurare Summo Pontifici fidelitatem, & se venturum ad Concilium generale, cùm vocabitur, vt patet ex Cap. Ego Episcopus. Extra de iureiurando.

Ad illud ergo *tertium* argumentum, quo probabatur, non obligari Episcopos ex iurisdictione & officio, ad perfectionis opera ita, vt sint in statu perfectionis, respondetur, non esse simile, quod de Parochis allegatur. Nam ij non accipiũt iurisdictionem completam ac perpetuam: quare non perpetuò obligãtur ad statum perfectionis: & consequenter non sunt propriè in statu, vt iamiam patebit.

Sed circa hoc ipsum est prætereà Qvaestio, an non scilicet Prælati etiam alij inferiores Episcopis, sint in statu perfectionis. Et quidem sententia D. Thomæ hic art. 6. est, non esse. Probat. Quia nec tales sunt in statu perfectionis ratione ordinis, nec officij. Ergo nullo modo. Non ratione *ordinis*: quoniam per consecrationem tantùm constituuntur Ministri & Officiales Ecclesiastici. Non etiam ratione iurisdictionis seu officij: quia non recipiunt illud perpetuò administrandum. Possunt enim etiam sine licentia Episcopi transire ad religionem: quare non sunt in statu perpetuo. Si enim essent, transire ad Religionem sine licentia Episcopi, esset retrospicere, iuxta illud: *Nemo mittens manum, &c.* Lucæ 9.

Verùm hîc rectè aduertit Caietanus, quæstionem hanc esse de nomine. Nam si nomine status, intelligamus quamcunque hominis conditionem, propter quã ille peculiariter obligetur ad charitatem & perfectionẽ quamcunque; certum est, concedi posse, omnes Prælatos Ecclesiasticos, imò omnes Clericos in maioribus Ordinibus, esse in statu perfectionis. Nã præterquàm quòd peculiariter obligantur ad castitatem, quæ est opus perfectionis, & ad obedientiam erga Episcopum; obligantur etiam communibus præceptis strictiùs, quàm alij ad puritatẽ mẽtis procurandam; idq; ob sanctitatem ordinis, quo initiati sunt: Oportet enim Sanctos sanctè & purè viuere. Hæc autem maior obligatio non incumbit eis ex præcepto peculiari. Sed illa ipsa communis obligatio præceptorum, & aliarum virtutum, fit illis strictior ob circumstantiam ordinis, & etiam officij Parochialis vel alterius.

Si autem *Statum Ecclesiasticum* accipiamus propriè, vt in hoc Tractatu accipit S. Thomas, videlicet pro conditione, secũdùm quam aliquis peculiari obligatione astringitur nõ tantũ ad pauca quædam sui officij & gradus opera, sed ad oẽs, vel ferè oẽs vitæ actiones instituendas secundùm peculiarẽ aliquam perfectionis normã, ad quam alioqui ex communibus præceptis non teneretur; sic Prælati inferiores Episcopis non possunt dici esse in statu perfectionis, sed potiùs in officio, quo iurisdictionis potestate sibi demãdatæ, & potestate ordinis fungantur. Ex quo apparet, Henricum Gandauensem quodlib. 12. q. penult. solùm de nomine certare, cùm contendit, iuxta primam nominis acceptionẽ, Prælatos inferiores Episcopis esse in statu.

Hac verò quæstione de nomine prætermissa, dubium occurrit circa id, quod S. Thomas asserit in ratione suæ Conclusionis, Prælatos inferiores Episcopis, respecturos retrò, cùm ingrediuntur Religionem, si verum esset, quòd sint in statu perfectionis, sicut hîc loquimur de Statu.

In Contrarium namq; est, quòd Religiosi inferioris Ordinis non respiciunt retrò, etiamsi absq; licentia Prælati, ingrediantur ordinem arctiorem. Ergo similiter etiamsi Parochus esset in statu perfectionis, posset absque licentia Episcopi ingredi Religionem, nec propterea respiceret retrò: diceremus enim, Statum Religionis esse altiorem.

Respondeo inprimis fatendum esse, illud dictum D. Thomæ esse difficile. Sed possumus tamẽ illud defendere. Nam si status eiusmodi Prælati esset in statu perfectionis, sicut hîc loquimur; status eorum consisteret in eo, quòd perpetuo vinculo se astringerent ad procurandam salutem proximorum: sicut faciunt Episcopi. Hoc autem posito, iam status illorum esset altior statu Religiosorum, sicut paulò post probabimus de statu Episcoporum. Itaq; rectè ait S. Thomas, quòd si essent in eiusmodi statu, & ingrederẽtur absque facultate Religionem, respicerent retrò.

Postremò superest hoc loco Qvaestio, an Status Episcoporum sit perfectior, quàm status Religiosorum? Affirmat D. Thomas art. 7. Nam status Episcoporũ postulat perfectionem veluti *Magistri & agentis*: Religiosi autem profitentur perfectionem vt *Discipuli & patientes.*

Sed contra hanc sententiam occurrunt argumenta duo. Primvm est. Nam si ita esset, sequeretur, eum, qui vouit, se ingressurum Religionem, satisfacere Voto, acceptando Episcopatũ, omisso Statu Religionis: Consequens est falsum. Ergo & Antecedens. Sequela probatur. Nã complecteretur id, quod esset maius bonum, & consequenter non teneretur priori Voto: nam Votum non debet impedire maius bonum. Quemadmodum ille, qui vouit Religionẽ minùs perfectam, abundè satisfacit, si ingrediatur perfectiorem. Iam probatur Minor ex Cap. Per tuas, Extrà de Voto & Voti redemptione, vbi quidã, qui promiserat Religionem, & eâ neglectâ, acceptauerat Episcopatũ, iubetur conscientiæ caussa renunciare Episcopatui, & Votum adimplere.

Secvndvm. Si status Episcopi esset perfectior; maximè, quia vt ait D. Thomas, Episcopi debent esse Magistri perfectionis: Religiosi verò discipuli ipsorum. At hoc ipsum non satis intelligitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam sicut Religiosus satisfacit suo Statui, si procuret progredi in perfectione: neq; debet statim actu esse perfectus illo modo, quo suprà S. Thomas q. 26. ar. 9. de perfectis in charitate loquitur: ita etiam Episcopus videtur suo statui satisfacere, si enitatur esse perfectus. Neq; videtur requiri, vt actu sit iam perfectus. Hoc enim requirere, esset admodum durum. Nam tunc sequeretur, oés eos Episcopos esse in peccato mortali, quibus aliqui Religiosi antecellerent in perfectione actuali charitatis: si verum est, oportere Episcopos actu habere id, ad quod Religiosi tendunt. Quod minimè videtur concedendum. Itaque si Episcopi satisfaciunt, tẽdendo ad perfectionem, sicut Religiosi: sequitur, non magis illos debere esse Magistros perfectionis, quàm Religiosos: & consequenter ratio D. Thomæ non erit solida.

Nihilominus sententia D. Thomæ est vera & communis. Patet ex Cap. Nisi cùm pridem, sub finem. Extra de renunciatione, vbi dicitur *facilius indulgeri, vt Monachus ascendat ad Præsulatum, quàm vt Præsul descendat ad Monochatum.* Ex quo apparet, altiorem esse statum Episcopi. Item D. Dionysius in lib. de Eccles. Hierarch. cap. 5. & 6. passim hoc inculcat, affirmans Episcopos, respectu Religiosorũ, habere se vt *perfectores*. Quod magis patebit ex conditionibus, requisitis in Episcopo, de quibus q. seq. p. 3.

Ad PRIMVM aũt argumentum respondent aliqui cũ Hostiensi, in casu illius Capituli Per tuas, secutum fuisse scandalum, propterea quòd Votũ fuisset publicum: & idcirco ad tollendum scãdalum, iuberi illum renũciare Episcopatui. At hæc Solutio nõ placet. Nam si status Episcopalis verè est perfectior ac altior, scandalum illud potuisset aliter tolli, docẽdo nimirũ, quomodo magis placeret Deo status Episcopalis, quàm Religiosorũ: & consequenter Votũ Religionis debere cedere.

Alij secundò respondent, propterea nõ satisfieri Voto Religionis, acceptãdo Episcopatum: quia licet Status Episcopalis sit altior, tamen est alterius ordinis. Ex quo fit, vt obseruantia Religionis, quã quis nouit, nõ ita contineatur in statu Episcopali. Secùs se habent duæ Religiones. Nam cùm sint eiusdem ordinis; obseruãtia inferioris continetur in obseruãtia superioris, & est quasi dispositio ad illã: quare abundè satisfit Voto Religionis inferioris, ingrediẽdo superiorem.

At nec hæc Solutio valet. Nam quamuis concedamus, esse maiorem diuersitatem studiorum in statu Episcopali & statu Religionis, quam in Religione superiori ac inferiori; tamẽ manet adhuc difficultas argumẽti, si hoc non obstãte, status Episcopalis simpliciter asseritur perfectior statu Religionis. Votum enim de minori bono, nõ solùm cedit maiori bono, quod sit simile minori, sed etiam maiori bono dissimili: vt Votum peregrinationis, voto Religionis.

Aliter ergo respondeo, vt Votũ de minori bono cedat maiori, non satis esse, quòd aliquod bonum sit maius simpliciter & secundùm se, sed necesse præterea esse, vt certò cõstet, esse bonũ maius & melius *ei homini*, qui vouerat minus bonum.

Iam verò moraliter loquẽdo, de nemine possumus certò iudicare, futurum illi maius bonũ & melius Episcopatũ, quàm statum Religionis. Sũt enim variæ circumstãtiæ, ob quas status Episcopalis, etiamsi secundùm se sit perfectissimus, vnicuiq; tamen sit meritò formidandus: de quibus q. seq. p. 1. Patet ergo, cur Votum Religionis non cedat Episcopatui, nimirum quia omnibus circumstantiis consideratis, melius bonum iudicari potest vnicuique esse statum Religionis, quàm Episcopatum. Quamuis neq; ideo possit Episcopus sine facultate transire ad Religionem: cùm oporteat in ea re considerationem habere vtilitatis subditorum & Ecclesiæ.

Ex quibus sequitur, nequaquam absq; aliqua dispensatione fieri, vt Religiosus assumatur in Episcopum. Indicant hoc verba illa dicti Cap. Nisi cùm pridem: *Facilius* (inquit Pontifex) *indulgetur, vt Monachus ad Præsulatum ascendat, &c.* Vbi verbum *(Indulgetur)* quandam dispensationem denotat. Et ratio huius est. Nam communiter loquendo, non solùm de seculari homine, sed etiam de Religioso, dubitari poterit, vtrũ Episcopatus sit illi melior futurus, atq; adeò vtilior bono cõmuni, quàm status Religiosus. Docuimus autẽ suprà in q. de Voto, p. vlt. tũc dispensatione opus esse, cùm dubium est, vtrum Votum debeat cedere alicui bono, quod videtur melius: sicut quando dubiũ est de aliis causis, ob quas adhibetur dispensatio.

Ad SECVNDVM argumẽtum respondetur, Episcopos non propterea dici Magistros perfectionis, & Religiosos Discipulos, quia Episcopi debeant esse *actu* perfecti, & antecellere in charitate omnibus Religiosis: sed positum est id discrimen in diuerso genere operũ perfectionis, quæ Episcopi & Religiosi, ratione status, tenẽtur exercere. Episcopi enim ex propria ratione Status Episcopalis, debent eiusmodi opera charitatis exercere, quæ ex natura sua, ad Magistrũ & Ducẽ pertineãt: cuiusmodi sunt monere, docere, corrigere alios cũ auctoritate, & in omni opere virturũ, aliis exemplo prælucere; ac animã si opus sit, pro ouib' ponere. Religiosi verò ex ratione Religiosi status, non ad hæc, sed ad alia opera tenentur, quæ ex natura sua, potiùs sunt opera Discipuli: vt sunt omnia ea opera, quæ pertinent ad abnegationem sui, & humilitatẽ ac pœnitentiam, &c. Quare licet Episcopi aliqui, actu imperfectiorẽ charitatem habeant, quàm alioqui Religiosi: si tamen conuenienter illi qualicunque charitati, opera suo genere perfectiora præstent, pro loco & tempore, tuta conscientia sunt.

Et quòd hoc modo Episcopi sint veluti Magistri perfectionis, satis arguit, statum eorum esse perfectiorem. Tum quia illa ipsa opera, quæ exercent, naturâ sua promouent magis charitatem erga Deum. Tum etiam quia etsi quæcunq; charitas

ritas, absolutè loquendo, sufficiat ad illa opera perfectiora præstanda: tamen vt certiùs ac faciliùs illa Episcopi præstent, peculiariter ipsi tenẽtur ad studium perfectionis, & progressus in charitate faciendos. Ac multò quidem magis, quàm Religiosi. Quare etsi Episcopus nõ propterea sit in mortali, quòd non antecellat in actuali perfectione charitatis omnibus Religiosis: tamen reus peccati mortalis erit, si quantum est in se, non conetur per exercitia pia Episcopo conuenientia, maiorem perfectionem charitatis assequi, quàm sit communiter perfectio Religiosorum.

PVNCTVM QVINTVM.

An aliqui, qui in statu perfectionis non sunt, obeant, ratione sui officij, opera perfectiora, quàm aliqui, qui sint in statu perfectionis.

D. Thomas art. 8.

QVAESTIO hæc difficultatem nõnullam habet, si comparemus Religiosos ex vna parte, qui sunt in statu perfectionis; & ex altera Prælatos Episcopis inferiores, qui non sunt propriè in perfectionis statu; vt Parochos, Archidiaconos, &c.

Et duas hac de re ex sentẽtia S. Thomæ statuimus Conclusiones. PRIMA. Si attendamus *genus ipsum* operum, quibus eiusmodi Prælati ac Religiosi occupãtur, simpliciter perfectior est status Religiosorum, quàm officium huiusmodi Prælatorum. Probatur *primò* ex Cap. Clerici 19. q. 1. vbi ex Concilio Toletano IV. cap. 49. dicitur, Clericos qui Religionem cogitant, *meliorem vitam sequi cupere*. Et in Cap. Duæ 19. q. 2. ait Pontifex Vrbanus II. *Spiritu sancto afflari* Clericos eiusmodi, cùm Religionem volunt ingredi.

Secundò ex D. Dionysio in lib. Eccles. Hierarch. cap. 5. & 6. vbi in ordine perfectorum solos ponit Episcopos: Presbyteros autem in ordine illuminatorum, quatenus ad administrationem Sacramentorum homines transferuntur ex peccatorum tenebris, in admirabile lumen gloriæ.

Tertiò probatur ratione D. Thomæ, quam ita propono & confirmo. Maioris perfectionis est, totam vitam perpetuò consecrare operibus perfectionis, & procurandæ propriæ saluti, quàm aliqua particularia munia circa salutem animarũ obire, sicut instrumenta quædam Episcoporum; idque non perpetua obligatione, sed arbitratu Episcopi. Sed Religiosi totã vitam perpetuo vinculo consecrant Deo, &c. Prælati autem illi, tantùm vt instrumẽta Episcopi, peculiaria quædam munia obeunt ad salutem animarum, absq; perpetua obligatione. Ergo, &c.

Propositio Maior probatur. Nam qui se perpetuò consecrârunt Deo, eo ipso in omnibus vitæ actionibus perfectionem quandam profitentur, atque adeò singulare studium proficiendi in charitate. Qui verò Episcopos adiuuant in particularibus quibusdam muneribus, vt in administratione Sacramentorum, & explicatione eorũ, quæ sunt necessaria ad salutem, non item; sed satis illis est ad hoc, mediocris quędam vitæ probitas, & obseruatio mandatorum communium.

Minor etiã probatur, scilicet Parochos solùm, vt quædam instrumenta, dare operam saluti animarum multò aliter, quàm Episcopos. Et *primò* hoc colligitur ex diuersa ratione, qua Christus Dominus instituit Apostolos quibus Episcopi succedunt, & discipulos quibus succedunt Presbyteri, Apostolos enim instituit, postquam pernoctauerat in oratione, vt patet Luc. 7. Item misit ipsos solẽniter, quasi Legatos, cum plena potestate, vt patet ex illo Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* At de discipulis nihil tale legitur, sed simpliciter dicitur, illos fuisse *designatos ac missos in omnem ciuitatem, quà erat Christus venturus*, quasi disponentes solũ ac præparantes, &c. *Secundò* colligitur idem ex traditione Ecclesiæ, qua constat ad arbitrium Episcoporũ, Presbyteros efficere, quæcunque faciunt, & facillimè mutari loco, &c. Vnde 80. d. Cap. Non debere, & 16. q. 1. Cap. Clericis, seuerè monentur, ne quicquã faciant absq; voluntate ac nutu Episcopi. *Tertiò* colligitur ex eo, quòd Parochi & similes Presbyteri, non possunt omnia præstare, quæ pertinent ad curam animarum; vt conferre ordines, confirmare, consecrare chrisma, templa, &c. sed solùm quædam particularia; vt aliorum Sacramentorum administrationẽ. Ex quo apparet, illos non quasi principalia agentia, sed quasi instrumentalia, ad salutem animarũ operari, sicut rectè hîc Caietanus. Vt enim ait D. Thomas 5. Metaphys. lect. 2. principalis agentis est, inducere formam completè: instrumentalis autem, solùm disponere & cooperari ad hoc.

Sed contra hanc Conclusionem nostram & D. Thomæ, potest obiici, quòd opera, quib' eiusmodi Prælati occupantur, eiusdem generis sunt cum operibus, quibus occupantur Episcopi. Sed Episcopi sunt perfectiores Religiosis. Ergo & illi Prelati, attendẽdo genus operũ. Maior probatur. Nam vtriq; spectãt salutem animarum. Nec obstat, quòd inferiores Prælati *perpetuò* non obligẽtur, vt Episcopi. Hæc enim differẽtia est extra genus operis, quod ait S. Thom. esse præcipuè considerandum. Confirmatur ex D. Gregorio homil. 12. super Ezechielẽ, vbi ait, nullum esse Deo sacrificium gratius, quàm zelum animarum.

Propter hoc & similia argumenta, Henricus Gandauensis quodlib. 12. q. 29. & Gerson in fine 1. p. tract. 3. sex. concl. contendunt, officium siue statum, vt loquuntur, Prælatorum, perfectiorem esse statu Religiosorum. Nihilominus contraria sentẽtia D. Thomæ est vera, vt iam probauimus.

Itaque respondeo, argumentum hoc & eius confirmationem, solùm probare, quòd si tantùm respiceremus genus vnius vel alterius ope-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris, quod illi Prælati exercent ob salutem animarum, perfectiùs appareret eorum officiũ, quàm vitæ religiosæ institutum. Nam vt in argumento obiiciebatur, eiusmodi opus est eiusdem generis cum operibus Episcoporum. Cæterùm si respiciamus omnes vitæ actiones, pertinentes ad officium eiusmodi Prælatorum; & ex altera parte, etiam consideremus omnes actiones, quas status Religiosus requirit; perfectius iudicabitur religiosæ vitæ institutum, quàm officium eiusmodi Prælatorum; idq; ob rationem iam explicatam. Sic autem iudicãdum est de hac comparatione, videlicet comparando vniuersum institutum vitæ Religiosæ, cum toto officio Prælatorum; & non vnum particulare opus vnius, cum opere alterius.

Sed vrgebit adhuc aliquis, quòd difficilius sit eiusmodi Prælatis rectè in seculo viuere, fungentes suo officio, quàm Religiosis, qui tot periculis non sunt obnoxij. Ergo illi magis merentur, atque adeò perfectius vitæ institutum sectantur. Hanc obiectionem attuli, vt pulchra doctrina D. Thomæ hîc art. 8. de duplici difficultate operum notetur.

Alia enim difficultas rectè operandi nascitur ex ipsa natura *operis*, hoc est, ex illius præstantia, quæ cum quadam arduitate est coniuncta. Alia verò nascitur ab extrinsecis *circumstantiis*. Iam primi generis difficultas, opus efficit magis meritorium; secundi verò non item. Primi autem generis difficultas, est in operibus Religiosorum; secundi, in operibus eiusmodi Prælatorum. Quare hæc maior difficultas vitæ illorum, non efficit vitam eorum perfectiorem.

Poterit hoc totum exemplo declarari. Nemo enim dubitat, quin seruare castitatem cum fœminis conuiuẽdo, maioris difficultatis sit, quàm seruare illam in loco à fœminis remoto, quem quis fugiens occasiones, delegerit ad castè viuẽdum: nihilominùs perfectius facit, qui vt seruet castitatem, fugit fœminas, & seruat illam, quam qui seruat illam cohabitando fœminis. Cur ita? Quia hæc difficultas seruandæ castitatis inter fœminas non ex ipso genere operis, sed ex circumstantia extrinseca oritur. Et hactenus de prima Conclusione.

SECVNDA Conclusio. Si in eiusmodi Prælatis consideremus gradum *sacri ordinis*, simpliciter loquendo, aliquid dignius in ipsis est & perfectius, quã in Religiosis, quatenus Religiosi sunt, & non etiam sacris ordinibus initiati. Ratio est: quoniam sic ordinati destinantur ad dignissima opera, atque adeò tenentur ad singularem quandam sanctitatem ac puritatem mẽtis procurandam. Ex quo consequenter infert diuus Thomas, cæteris paribus, grauius in eodem genere peccati peccare eum, qui sacris ordinibus initiatus est, quàm Religiosum, qui non est etiam ordinatus.

Sed contra hanc assertionem occurrit argumentum. Nam si Monachus non Clericus, committat v. g. furtum mortale, tenebitur sine controuersia confiteri non solùm furtum ipsum, sed & circumstantiam personæ obstrictæ Voto paupertatis; siquidem ea circumstantia mutat peccati speciem. At, si Clericus idem furtum committat, non tenebitur confiteri circumstantiam personæ, saltem non secũdùm omnium opinionem: quia illa circumstãtia non mutat speciem. Igitur Religiosus hoc ipso, quòd Religiosus est, ad maiorẽ sanctitatem tenetur, quàm Clericus.

Respondeo, loqui D. Thomam & nos, quando sunt cætera omnia paria; in proposito autem casu, non sunt. Quod vt facilè intelligatur, animaduertendum est, in hoc conuenire Clericum & Religiosum, quòd sicut Clericus, ob circumstantiam sacri Ordinis, strictiùs obligatur ad sanctitatem & puritatẽ, communi obligatione præceptorum, vti diximus suprà p. 4. sic Religiosus ob circumstantiam trium Votorum, quibus diuino cultui totus dedicatur, strictiùs obligatur illis ipsis communibus præceptis ad sanctitatem. Et præterea tenetur etiam ad ipsa Vota sanctè seruanda, in quo differt à Clerico, qui ad hæc nõ item tenetur ex aliquibus eiusmodi Votis.

Hinc patet, quod diximus, non esse in proposito Casu, cætera omnia paria. Nam furtum Religiosi est contra duplicem sanctitatem, ad quam ille varia obligatione tenetur; scilicet contra illam, ad quam strictiùs obligatur communibus præceptis, in quo conuenit cum Clerico; & contrà illam, ad quam speciatim obligatur vi Voti paupertatis, in quo differt à Clerico. Idem verò furtum, commissum à Clerico, solùm est contra sanctitatem, ad quam ille tenetur strictiùs, communi obligatione præceptorum. Cùm verò diuus Thomas ait, Clericum teneri ad maiorem sanctitatem, quàm Religiosum, atque grauiùs peccare, cæteris paribus; loquitur de obligatione maiore ad sanctitatem, quæ in vtroque, scilicet Religioso & Clerico consurgit, communium præceptorũ. Vnde hæc doctrina D. Thomæ tunc perspicietur vera esse, si adferatur exemplum, in quo Religiosus & Clericus solùm peccent contra illam arctiorem obligationem communium præceptorum, qua tenentur. Nam tunc, quia ceterunt cætera paria, grauiùs peccabit Clericus.

Vt si verbi gratia, vterque committat homicidium, vel notabiliter detrahat de fama alterius.

QVÆSTIO TERTIA.

De Statu Episcoporum.

D. Thomas 2.2. q. 185.

EXPLICANDA SVNT OCTO. PRIMO, QVALEM OPORTEAT *Episcopum esse.* SECVNDO, *An liceat Episcopatũ expetere.* TERTIO, *An liceat Episcopatum oblatum recusare.* QVARTO, *An liceat Episcopatum susceptum relinquere.* QVINTO, *An liceat à propria Ecclesia Episcopali abesse.* SEXTO, *An liceat Episcopis habere aliquarum rerum dominium & proprietatem.* SEPTIMO, *An habeant etiam dominium bonorum Ecclesiasticorum.* OCTAVO, *An ij Episcopi, qui antea fuerunt Religiosi, teneantur, vt ante, ad obseruantiam regularem.*

PVNCTVM PRIMVM.

Qualem oporteat eum esse, qui ad Episcopatum promouendus sit.

D. Thomas art. 3.

HAC DE RE, VERE INPRIMIS DOcet D. Thomas duo. PRIMO, non esse necesse, vt qui ad Episcopatũ promouendus est, cæteris sit melior absolutè secundùm charitatem: oportere tamen & sufficere, vt omnibus pensatis, melior sit & vtilior *communitati*; alioqui committetur graue peccatum acceptionis personarum. Quod patet ex fine officij Episcopalis, qui est, vt communitati consulatur.

SECVNDO, vt quis licitè suscipiat Episcopatum, non esse necesse, vt existimet se cæteris meliorem; sufficit enim, si nihil in se aduertat impediens, quò minus rectè fungatur eo officio. De doctrinæ huius veritate non est quod hîc pluribus disseramus. Patet enim ea satis ex iis, quæ in genere dicta sunt à nobis de obligatione iustitiæ distributiuæ, & de peccato acceptionis personarum suprà disput. 5. quæst. 7.

Illud autem hoc loco magis in specie est explicandum, quibusnam partibus dignitas in Episcopo requisita contineatur. Ac de proprietatibus illi necessariis tractat Apostolus 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 3. vbi ait, *oportere eum esse irreprehẽsibilem, vnius vxoris virum* (id est, non bigamũ) *sobrium, prudentem, pudicum, &c.* de quibus singulis multa testimonia adferuntur à Gratiano in Decretis à d. 24. vsque ad 51. Agit etiam de hoc argumento Concilium Carthaginense IV. & Trident. sess. 6. ca. 1. de Reformat. & sess. 24. ca. 1. & sess. 25. cap. 1. & aliquid sess. 22. cap. 2. de Reformat. Item D. Gregorius in libro de Cura Pastorali, D. Augustinus in libro de Pastoribus, D. Chrysostomus in libris de Sacerdotio. Et D. Bernardus in libro de Consid. ad Eugenium, & passim Pontifices in suis epistolis Canonicis. Nos breuiter de hac re dicemus.

Et primò quidem constat, oportere eum, qui eligendus est, immunem esse ab omni iuris impedimẽto: scilicet ne sit irregularis, ne bigamus, nec quicquam eorum habeat, quæ recensentur d. 51. Can. Qui in aliquo. Porrò aliæ partes, quas communiter Sancti Patres & Scripturæ requirunt in Episcopo, ad quatuor virtutes, quibus oportet Episcopum esse ornatum, reuocare possumus.

PRIMA est Vitæ integritas, quæ Charitate & aliis virtutibus continetur. SECVNDA Competens scientia. TERTIA magnitudo & constantia animi in rebus gerendis. QVARTA Prudentia ad gubernandum. Hæc omnia complexus videtur D. Thomas hîc, cùm docet, tria ad Episcopum pertinere; nimirum populum instruere, ad quod vitæ integritas & scientia confert; Ecclesiam pacificè gubernare, quod est prudentiæ; & illam defendere, quod absq; animi magnitudine non facilè fit. De singulis his virtutibus pauca dicemus.

Quod ad VITÆ INTEGRITATEM attinet, quàm sit illa Episcopo necessaria, potest intelligi ex his sex Capitibus. *Primò* ex eo, quòd Christus Dominus commissurus Petro curã Pastoralem, ter prius illum de charitate examinauit.

Secundò ex eo, quòd in omni genere virtutum, debet se ouibus ducem ac magistrum præbere, verbo & exemplo: iuxta illud, Ioan. 10. *Ante eas vadit.* Hoc Episcopi efficere commodè non possunt, nisi ea virtutis forma præditi sint, quam in aliis ingenerare debent, quod quidem D. Petrus intellexisse satis videtur, cùm epist. 1. cap. 5. vult, vt Ecclesiæ Pastores sint *facti forma gregis ex animo.* Et D. Dionysius cap. 3. Ecclesiast. Hierarch. cùm ait, *oportere ordinem purgatiuum aliorum, ex abundantia purgationis, quam in se habet, aliis communicare, &c.* Et vt ait D. Leo epist. 82. *totus Ecclesiæ ordo peruertitur, si quod requiritur in membris, nõ reperiatur in capite.*

Tertiò ex eo, quòd Episcopus constituitur mediator quidam post Christũ, inter Deum & populum, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Propter quod necesse est, vt

ſæpè ſuis orationibus ac meritis reddat Deũ populo placatum. Atqui, vt D. Gregorius ait in Paſtor. cap. vlt. *ſolicitè formidandum eſt, ne qui iram Dei placare poſſe creditur, ex reatu proprio illam mereatur.*

Quartò ex eo, quòd exigente neceſsitate, debet *animam ponere pro ouibus*, Ioan. 10. quod ſine charitate fieri non poterit, vt decet.

Quintò ex eo, quòd ſi rectè officio ſuo functurus ſit, multa oportet illum pati ab improbis & ſceleratis hominibus, quos interdum neceſſe eſt ſeueriùs corrigere, &c. Hoc autem ſine magna virtute non faciet. Huc illud Apoſtoli ſpectat 1. ad Cor. 4. *Maledicimur & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, &c.* Et illud Chriſti Matt. 10. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.*

Sextò ex eo, quòd oporteat Epiſcopum omnium neceſsitatibus inſeruire, oẽs tolerare, &c. iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 9. *Cùm eſſem liber ex omnibus, omnium me ſeruum feci.* Et illud 2. ad Cor. 4. *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & nos ſeruos veſtros propter illum.* Ad hoc autem nemo non videt neceſſariam eſſe maximã virtutem. Denique innumeræ ſunt obligationes Epiſcopi, ad quas explendas Vitæ integritas maximoperè requiritur.

Atque ex his patet, eam integritatem in Epiſcopo requiri, quæ non ſolùm ſit ſecundùm præſentem iuſtitiam recenter acquiſita, ſed diuturno tempore probata: de quo multa Leo Papa epiſt. 82. & 85. & Innocentius epiſt. 12. & 24. Cælestinus I. epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ, Ormiſda in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Et ratio eſt: quoniam vt notat B. Hieronymus ad Tit. 3. fieri non poteſt, quin inueterata conſuetudo peccãdi minuat Epiſcopo auctoritatem & libertatem animi ad vitia corrigenda, quæ duo maximè in Epiſcopo neceſſaria ſunt.

Neque verò tanta vitæ integritas requiritur, vt neceſſe ſit, Epiſcopum poſt baptiſmum nunquam peccauiſſe. Sic enim nullus ferè Epiſcopus dignus reperiretur, vt habetur in Can. Apoſtolus 81. d. ex D. Auguſtino tract. 41. in Ioannem. Sufficit ergo vtcumque diuturna vitæ probatio.

Adde, quòd olim non ſufficiebat eiuſmodi vitæ integritas, ſed oportebat Epiſcopum diu in Eccleſiaſticis miniſteriis verſatum eſſe, antequã eligeretur: quare Pontifices ægerrimè ferebant, ſi quis ex Laicorum ordine, maximè eorum, qui negotiis ſeculatibus curiæ occuparentur, alicubi aſſumeretur; vt patet ex epiſtolis citatis, maximè Innocentij. Item ex Nicolao Papa in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem. Iam verò non requiritur tam diuturna exercitatio. Vnde in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. de Reformatione, tantùm requiritur, vt per ſex ſaltem menſes fuerit in ſacro ordine conſtitutus. Atque hęc de prima proprietate.

Iam quàm ſit SCIENTIA Epiſcopo neceſſaria earum rerum, quæ ad Religionem pertinẽt, ſatis intelligi poteſt ex illo Malac. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius.* De quo multis diſſerit Gratianus 36. d. Can. Qui Eccleſiaſticis. In Concilio autem Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. de Reformat. requiritur, vt qui eligendus ſit in Epiſcopum, ſit in Iure Canonico, vel in Theologia Magiſter aut Doctor aut Licentiatus; aut ſaltem habeat publicum teſtimonium alicuius Academiæ, quòd in alterutra harum ſcientiarum tantum profecerit, vt poſsit alios docere. Sin Regularis fuerit, à ſuis Prælatis.

Vbi notandum, illam partem Iuris Canonici, quæ ad forum contentioſum pertinet, non eſſe Epiſcopo neceſſariã. Nam vt ait D. Petrus apud Clement. epiſt. 1. Epiſcopum eſſe oportet curis mundialibus immunem. Et ſi quæ lites ſint componendæ, id per Diaconos eſſe faciendum, aut alios miniſtros. Sed & Apoſtolus 1. Cor. 6. ait, lites committẽdas contemptibilibus Eccleſię. Solùm igitur requirunt in Epiſcopo Concilia & Patres cognitionem eorum, quæ pertinent ad myſteria fidei noſtræ ac Religionis commodè explicanda, & populum informandum moribus, & ad hæreticos refutandos.

Sed quæret quis, vtra ſcientia ſit Epiſcopo vtilior, Iuris Canonici, an Theologiæ. Hoſtienſis & Panormitanus ſuper Cap. 1. de affinit. & conſanguinit. reſpondent, vbi hæretici graſſantur, vtiliorem eſſe Theologiam; vbi non, Ius Canonicũ.

Sed reſpondemus abſolutè, vbique eſſe vtiliorem Theologiam. Ita Sotus lib. 3. de Iuſt. q. 2. a. 6. & Caietanus hîc, & alij. Ratio eſt: quia maximè pertinet ad Epiſcopum diſſerere de myſteriis fidei, & moribus, refellere hæreticos, & populum inſtruere, iuxta illud Matth. 28. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, docẽtes ſeruare omnia, quæcunq; præcepi vobis.* Quod docet præcipuè Theologia.

Accedit, quòd partem Iuris Canonici Epiſcopo neceſſariam, quæ videlicet ſacris Canonibus circa Religionem & Eccleſiaſticũ ordinem continetur, faciliùs poteſt Theologus cognoſcere, quàm poſsit Iuris peritus percipere diſputationes Theologicas: quare vtilius eſt, vt ſit in Theologia verſatus. Denique quando Epiſcopus ordinatur, non interrogatur, an ſciat Ius Canonicũ, ſed an *vtrumq; Teſtamentum.*

At obiter quæres, An cũ ad id, qui Epiſcopus ordinatur, reſpondet *ſe ſcire* vtrumque teſtamentum, peccet mortaliter. Communiter enim videntur tales neſcire. Reſpondeo cum Syluestro, verbo Epiſcopus, q. 4. & Richardo quodlib. 4. nó peccare, ſi ſaltem in genere ita ſciat myſteria cõtenta vtroq; Teſtamento, vt poſsit illa commodè explicare populo. Quod ſi nec ſic ſciat, peccat mortaliter cum mentiatur perniciosè.

Iam ad illud, quod Hoſtiẽſis & Panormitanus diſtinguebant inter locum infectum hæreſibus, & non: reſpondeo, etiam vbi non graſſantur hæreſes, neceſſe eſſe quandoque diſputare contra hæreſes, vt populus ab hæreſi præſeruetur. Hæc de ſecunda Virtute Epiſcopo neceſſaria.

Tertia,

Tertia, quæ eſt animi MAGNITVDO & conſtãtia, quàm ſit Epiſcopo neceſſaria, ex eo patet, quòd oportet Epiſcopum Tyrannis & Hæreticis reſiſtere. Item caſtigare improbos, quantumlibet potentes. Vnde illud Eccleſiaſt. 7. Diligenter eſt Epiſcopo perpendendum: *Noli fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis.* Hinc Hierem. 1. *Ne formides à facie eorum.* Et Ezech. 3. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, frontemq; duriorem frontibus eorum, &c.* Hinc Apoſtolus ad Tit. 3. *Argue, obſecra, increpa, &c.* Sed notandum, hanc ſeueritatem manſuetudine mitigandam eſſe, de quo admonet Epiſcopos D. Leo epiſt. 90. & Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. de Reformatione.

Poſtremò de neceſsitate PRVDENTIAE non attinet dicere, cùm conſtet, illam ad Epiſcopi officium, ſi ad vllum aliud, maximè requiri, quandoquidem, vt ait D. Gregorius initio Paſtoral. *Ars artium eſt, regimen animarum.* Igitur omnes hæ virtutes in iis, qui veniunt in electionem, ſunt conſiderandæ. Et qui omnibus ſpectatis vtilior videtur populo futurus, is eligendus eſt.

PVNCTVM SECVNDVM.

An liceat expetere Epiſcopatum.

D. Thomas art. 1.

VT COMMODIVS hac de re diſſeramus, initiò notãdum eſt, tribus modis poſſe accidere, vt appetatur Epiſcopatus. PRIMO, ita, vt ille Epiſcopatum appetat, quẽ conſtat Epiſcopatu eſſe *indignum*: Conſtat autem hoc de illo, cui aliqua vel aliquæ proprietates requiſitæ in Epiſcopo deſunt, de quibus Apoſtolus 1. ad Timot. 3. & nos p. præcedente diximus. SECVNDO, ita, vt ille quidem Epiſcopatum appetat, qui dignus eo apparet, ſed tamen appetat *peruerſè*, id eſt, proponat ſibi in eiuſmodi appetitione bona temporalia, honores, &c. ſicque non ratione ſalutis animarum procurandæ, ſed temporalium bonorum appetat eam dignitatem; ſicut S. Thomas loquitur. TERTIO, ita, vt ille appetat, qui & dignus apparet, & illa omnia, quæ ad Epiſcopatum pertinent, recto ordine appetat; ita ſcilicet, vt id ſpectet, tanquam finem, quòd verè finis eſt, ſcilicet ſalutem animarum, & tanquam medium vel adminiculum bona temporalia, vt honorem, redditus, &c.

Iam quando appetitus Epiſcopatus accidit PRIMO modo, conſtat ſine controuerſia, eum eſſe peccatum mortale. Eſt enim contra iuſtitiam: Siquidẽ is, qui indignus eſt, non poteſt iure accipere redditus: tum etiam cõtra charitatem. Nam talis nociturus eſt ouibus potius, nihil verò profuturus.

Reſtat igitur, vt de appetitu Epiſcopatus SECVNDO & TERTIO modo diſputemus, An, & quale peccatum ſit. Itaque quæritur PRIMO circa ſecundum modum, Vtrum, ſi alioqui dignus, appetat Epiſcopatum, ratione temporalium, peccet; & quali peccato. Videtur autem id nullum eſſe peccatum. Nam Eccleſia ipſa videtur prouocare dignos ad eiuſmodi officia & dignitates recipiendas, propoſitis ſtipendiis & bonis temporalibus. Non igitur eſt illicitum appetere huiuſmodi dignitates intuitu temporalium.

Ad hoc RESPONDENT Caietanus hic & Sotus lib. 10. de Iuſtitia & Iure, q. 2. ar. 1. diſtinguendo. Duobus enim modis poſſe appeti Epiſcopatum, ratione temporalium. Vno modo, vt temporalia ſpectentur tanquam finis ipſius Epiſcopatus. Et hoc, inquiunt, apertè eſt peccatũ mortale. Nam qui Epiſcopatum ad temporalia bona refert, tanquam medium ad finem, ita comparatus eſt, vt quando caſu accidat, bona temporalia obtineri non poſſe, niſi officium Epiſcopale negligatur, facilè illud negligat. Altero modo ita, vt bona temporalia non ſint finis ipſius officij Epiſcopalis, ſed tantùm ipſius *appetitus* officij Epiſcopalis. Intelligunt autem hi Doctores, tunc bona temporalia eſſe finem huius appetitus tantùm, quando quis, etſi Epiſcopale officium ſpectet tanquam finem temporalium, tamen appetit præcipuè ipſa temporalia, & non niſi ſecundariò officium Epiſcopale, vt ſic poſsit ſimul appetere & habere bona illa temporalia annexa; atque ita intenſius appetit bona temporalia, quàm officium Epiſcopale. Et in tali caſu aiunt prædicti Doctores, peccatum quidem eſſe ſic appetere Epiſcopatum, propter nonnullam peruerſitatem cõſiſtentem in eo, quòd id, quod eſt præcipuum, non appetitur præcipuè; & ita non eſt in appetitu idem ordo, qui eſt in ipſis rebus ad Epiſcopatum pertinentibus. Sed tamen id peccatum tantummodo veniale eſſe cenſent.

De primo dicto non dubito, quin ſit verum. Circa ſecundum, primò certum eſt; illud, ſi quod peccatum eſt, non eſſe mortale; id quod etiam Sotus & Caietanus fatentur. Nam dummodo temporalia non ſpectentur, vt finis Epiſcopatus, non eſt magna peruerſitas. Præterea videtur mihi probabile, quòd non ideo quidem ſit veniale, illo ſecundo modo appetere, ratione temporalium, quia temporalia tunc *præcipuè* appetantur. Ratio, quæ me mouet, eſt. Nam non ſemper tenetur aliquis illud præcipuè & intenſiùs velle, quod eſt in ſe præcipuum. Patet ex materia de charitate, vbi diſputatur, eum, qui intenſius amat proximum, quàm Deum, non propterea peccare, tametſi Deus reſpiciatur à charitate, vt finis. Satis namque eſſe, ſi quis appreciatiuè plus diligat Deum, id eſt, ſi illum diligat, vt finem, anteponendo illum reliquis omnibus, tametſi id faciat remiſsiori dilectione. Pari igitur ratione in propoſito ſatis eſſe videtur, vt quis Epiſcopa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum spectet tanquam finem, etiamsi remissius illum appetat, quàm bona temporalia.

Nihilominus tamen aliunde videtur appetitus ille præcipuus temporalium, esse peccatum, saltem veniale. Nempe quia nonnullam deformitatem habet nimium eiusmodi desiderium honorum & commodorum temporalium; maximè cùm plerumq; homines eis abuti soleant. Vnde D. Thom. hìc absolutè affirmat, quòd appetere Episcopatum, ratione honoris, & bonorum temporalium, & celsitudinis gradus; ambitionis aut auaritiæ, vel præsumptionis sit. Nam Christus Matth. 23. reprehendit Pharisæos, quòd amarent *salutationes in foro, & primas cathedras in Synagogis*.

Quidquid autem sit de hoc, Vtrum scilicet Episcopatum sic appetere, sit veniale, nec ne; tamen certum mihi est, quod ex tali appetitu præcisè non redditur quis omnino indignus Episcopatu, quamuis redditur quidem ob id aliquantò minus eo dignus; quo pacto potest hìc intelligi Caietanus. Nam peccatum veniale non reddit aliquem omnino indignum Episcopatu: sed ex eo, quod aliquis illo modo appetat Episcopatum, ratione temporalium solùm peccat venialiter, etiam ex sententia Caiet. Ergo non redditur omnino indignus Episcopatu.

Ad argumentum autem initio propositum respondetur, stipendia illa non proponi, vt Episcopatus expetãtur, sed vt illorũ onus sustineri possit ab iis, qui ad illos assumuntur.

Quæritur SECVNDO, Vtrum ei, qui dignus apparet Episcopatu, liceat illum appetere tertio illo modo, de quo suprà diximus (scilicet ita vt & Episcopatu ipse dignus sit, & quæ ad Episcopatũ pertinent, recto ordine appetat) an verò propter aliquam aliam rationem, simpliciter illicitus sit talis appetitus, etiamsi quis temporalia non multum curet; aut illa spectet tantùm, vt secundarium motiuum.

Quòd autem hoc liceat, probatur *primò*. Nam qui dignus est, licitè acceptat & retinet Episcopatum. Ergo licitè etiam potest illum appetere. Consequentia probatur. Nam in omni materia, actus exterior, est quasi regula, ex qua tanquam ex obiecto interioris actus, iudicandum est de rectitudine actus interioris.

Secundò. Nam alia beneficia Ecclesiastica, quibus cura animarum annexa est, licet appetere, dummodò quis dignus sit, & bona temporalia secundariò spectet. Ergo similiter Episcopatum. Confirmatur. Nam alicubi moris est, vt etiam publicè (qui digni videntur) pro obtinendis eiusmodi præbendis contendant, nedum vt illas appetant.

Tertiò. Nam si id non licet, maximè propter periculum. Sed hæc ratio non obstat, quò minus id liceat. Ergo. Probatur Minor tripliciter. Primò, quia si id periculum mouere debet: Ergo neque liceret retinere Episcopatum, neque acceptare. Secundò, nam id periculum cum auxilio Dei, quod præstò est, superari potest. Tertiò, nam propter bonum commune, itemque ob perfectionem priuatam, ad quam status Episcopalis confert, videtur licitè negligi posse tale periculum.

Quartò. Nam si id non licet; maximè quia, vt ait sanctus Thomas ad 2. nemo potest existimare, se esse dignum Episcopatu. Sed nec istá ratio valet. Ergo. Minor probatur primò, quia sæpenumerò potest aliquis (moraliter loquendo) existimare se habere proprietates, quas Apostolus requirit in Episcopo, de quibus p. 1. Neq; hoc est contra humilitatem, quippe quæ cum veritate non pugnat, vt patet ex S. Thoma suprà quæst. 161. art. 3. & ex Apostolo ad Roman. 8. *Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, &c.* Secundò, nam dato, quòd aliquis non existimet se esse sufficientem, tamen satis est, vt cogitet, se cum auxilio Dei posse sustinere illud officium: non enim est præsumptio, aliquid suscipere, quod sit suprà nostras vires, modò sit possibile cũ auxilio Dei, vt docet sanctus Thomas suprà quæstione 130. art. 1. ad 3.

Nihilominus tres hac de re pono Conclusiones. PRIMA. Etiamsi quis dignus sit, & quæ pertinent ad Episcopatum, ritè expetat (videlicet salutem animarum vt finem, temporalia verò vt adminiculum & motiuum) tamen communiter illicitum est appetere Episcopatum. Ita docet D. Thomas hìc. Et est communis, eaque verissima sententia. Probatur. Nam temerarium est, magno periculo salutis sese obiicere, absque graui necessitate. Sed qui appetunt Episcopatum, cõmuniter loquendo, obiiciunt se magno periculo salutis. Ergo. Minor probatur. Tum quia difficillimum est, omnibus obligationibus, quibus Episcopus astringitur, satisfacere: cùm plurimæ illæ sint & grauissimæ, vt patet ex dictis p. 1. Tum etiam, quia difficile est Episcopo moderationem seruare, & non extolli opibus, auctoritate, &c.

Confirmatur exemplo Sanctorum, quib. laudi datur, quòd Episcopatum refugerint, tametsi digni essent, & nihil peruersi appeterent. Vnde etiam S. Thomas hìc art. 2. ad 3. probat & commendat eos, qui vouent, nunquam quantum in se fuerit, admissuros se Episcopatum, nisi compellantur, nimirum aut vrgente necessitate, aut præcepto eius, qui in hac parte imperare illis possit; id quod Professi Societatis IESV vouent.

SECVNDA Conclusio. Cõmuniter eiusmodi appetitus erit peccatum mortale; non tamen semper erit præsumptio, propriè loquendo. Prima pars probatur. Nam qui graui se periculo salutis temerariè exponit, grauiter lædit charitatem erga seipsum. At periculum Episcopatui annexum, grauissimum est. Ergo. Confirmatur. Nam eiusmodi appetitus reddit hominem indignũ Episcopatu. Ergo est peccatũ mortale. Antecedens

probatur

probatur ex sententia D. Petri, qui, vt est apud Clementem epist. 1. *Hæc cathedra*, inquit, *cupientem se, & audacter expetentem, non requirit, sed moribus ornatum, & verbis eruditum*. Secunda verò pars eiusdem Conclusionis probatur ex iis, quæ sunt dicta in probatione Minoris argumenti quarti.

TERTIA Conclusio. In Casu necessitatis Ecclesiæ, laudabile potest esse, vt qui dignus est, appetat Episcopatum. Ita S. Thom. Caietan. & alij communiter. Ratio est. Quoniam bonum commune est priuato anteponẽdum, ac proinde priuatum periculum tunc negligendum: maximè, quòd in tali casu meritò potest quis sibi multum de diuina gratia & auxilio polliceri. Cõfirmatur ex sententia S. Petri apud Clementem vbi suprà, asserentem, grauius peccare eum, qui in necessitate Ecclesiæ *propter priuatum periculum Episcopatum reiicit, quàm qui populo Christiano in mediis fluctibus laboranti, opem non ferret, cùm posset*.

Casus autem huiusmodi necessitatis esset, si alicubi aut propter labores & pericula vitæ, annexa Episcopatui, nemo reperiretur, qui vellet Episcopatum suscipere; aut propter malitiam aliquorum esset aliàs indignus præficiendus Ecclesiæ. Ac in primo casu ex istis interpretatur D. Gregorius 1. par. Pastoralis, cap. 8. Apostolum dixisse: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Ea enim conditione erant tunc temporis Episcopi, vt singulis ferè momentis mortẽ pro Christo expectarẽt. Addi etiam potest, Apostolum non dixisse: Qui Episcopatum desiderat, *bene* desiderat, sed *bonum* opus desiderat. Potest autem bonum etiam opus, temerariè, atq; adeò illicitè desiderari. Ex hac tertia Conclusione cõsequenter infertur, licitum esse in casu necessitatis, Episcopatũ etiam procurare, si sine scandalo id fieri potest.

Ad *primum* verò argumẽtum contrarium, negatur Consequentia. Ratio disparitatis est: quoniam cùm quis recipit Episcopatum, collatum sibi ab habẽte auctoritatem, existit quædam circumstantia, propter quam absq; temeritate animus illius fertur in Episcopatum. Ea circumstantia est significatio diuinæ voluntatis per Prælatũ, ex qua potest quis persuadere sibi tunc se recipere Episcopatum: siquidem vocatur iam à Deo ad illud munus, iuxta illud ad Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*: Atq; ita polliceri sibi potest talis tunc Dei auxilium, quo facile possit Episcopale munus sustinere. Hæc autem circumstãtia, antequã quis in Episcopũ eligatur, non existit, vt patet. Quare quòd tunc aliquis animo feratur in Episcopatũ, temerarium est: quia nemo debet se tanto periculo velle exponere, quantum est ex se.

Ad *secundum* argumentum respondeo, etiam esse disparitatem. Nam in aliis officiis non est tãtum periculum, neq; illis annexæ sunt tot & tam graues obligationes. Quod ad *Confirmationem* verò attinet, etsi prima facie videri posset alicui nõ bona illa consuetudo contendendi publico examine pro beneficiis, eò quòd videtur esse occasio ambitionis: nihilominus tamen si illi, qui cõtendunt, rectè sint affecti, vt facile possunt optima iudicãda est illa institutio. Erunt autem rectè affecti, si cum specimen suæ dignitatis præbent, illud idem spectent, quod spectare debẽt examinatores; vt nimirum suam dignitatem patefaciant; quò iustè in dignos beneficia Ecclesiastica distribuantur.

Et videtur hæc ipsa consuetudo probata in Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 18. de Reformat. Vbi arbitrio tum Episcopi, tum Synodi prouincialis permittitur, vt publico edicto euocentur, qui pro beneficiis Ecclesiasticis obtinendis, specimen suæ dignitatis in Examine præbere volent. Neque sanè immeritò. Primò, quoniam ita aditus præcluditur iniquis electionibus. Fit enim sic omnibus perspicua vniuscuiusque dignitas, atque adeò difficile est electoribus dignum prætermittere. Secundò, excitantur animi ad studiorum labores alacriùs perferendos, spe præmij. Tertiò, experientia docet, vbi talis viget consuetudo, optimè Ecclesiis esse consultum.

Dices, si ita est, cur non etiam pro Episcopatu publicè contenditur? Respondeo primò, quia non decet examinari eum, qui est in Episcopum eligendus: siquidem oportet eũ esse Magistrum perfectionis. Deinde, quia tanta dignitas requiritur in eo, qui futurus est Episcopus, vt breui examine non possit illa satis cognosci. Quare, vt ait Hormisda Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, longa potius probatione suam vitam monstrare debet, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ.

Ad *tertium* negatur Minor. Et ad primam probationem iam patet ex solutione primi. Cùm enim subsit alia circumstantia, quando quis recipit Episcopatum; non perinde tunc timendum est periculum. Ad secundam probationem respondeo, illum posse sibi auxilia polliceri, qui vocatus est vt Aaron. Si autem quis temerariè cupiuit Episcopatum; vereri potest, se aut destitutum iri auxiliis, aut certè non eiusmodi auxilia habiturum, quibus *facile* possit dignè administrare Episcopatum. Ad tertiam probationem respondetur, esse alias securiores vias procurandi propriam perfectionem, & maximè per statum Religionis. Quod autem ibi dicitur de bono communi, non valet. Nemo enim debet bonum commune procurare cum tanto detrimento proprio, extra casum necessitatis, de quo dictum est in tertia Conclusione.

Ad *Quartum* argumentum negatur Minor. Ad probationes respondetur, illas cõuincere, quòd nõ semper talis appetitus erit, propriè loquẽdo, *præsumptio*, quæ consistit in eo, vt quis suscipiat in se aliquid excedens facultatem suã. Hoc antè ami concessimus in secunda conclusione, videlicet non semper id esse præsumptionem. Erit tamen

id, cõmuniter loquendo, contra charitatem sui, propter periculum, cui se exponit expetens Episcopatum.

PVNCTVM TERTIVM.

An liceat Episcopatum iniunctum recusare.

D. Thomas art. 2.

DVAS hac de re Conclusiones statuit D. Thomas, quæ verisimæ sunt, sed latiore aliquanto explicatione egẽt. PRIMA est. Si Episcopatus alicui digno, & non impedito iniungatur ab habente potestatem, non licet eum recusare. Probtaur. Quia est id cõtra charitatem debitam proximis, quorum vtilitati debet aliquis sese impendere pro loco & tempore. Item contra humilitatẽ & obedientiam debitam Superiori. SECVNDA. Si ille tamẽ, cui Episcopatus imponitur, habet aliquod impedimentum, quod neque ipse possit tollere, neque etiam is, qui Episcopatum imponit; non modò potest, sed etiam debet recusare Episcopatum. Hanc conclusionem ponit S. Thomas in responsione ad 2.

Et prima quidem Cõclusio omnino certa est, vt patet ex Canone 37. Apostolorum, vbi excommunicatur is, qui Episcopatum iniunctum recusat. Patet etiam ex Concilio Antiocheno, cap. 10. & ex sententia D. Petri apud Clementem, epist. 1. quam p. præced. retulimus.

Sed QVÆSTIO hîc est, Quisnam habeat legitimam potestatem imponendi Episcopatum alicui, ita, vt obliget illum ad suscipiendum. Pro cuius Quæstionis declaratione aduertendum est, in creatione Episcopi tria cõcurrere, scilicet electionem, cõfirmationem, & cõsecrationẽ. Ita colligitur ex Ca. Inter, & Ca. Licet. Extra de translat. Episcopi, & Extra de elect. Cap. Cùm in cunctis.

Sumimus autem hîc *electionem* latè, prout nimirum eo vocabulo significari potest electio propriè dicta, quæ fit per suffragrium; & postulatio; & præsentatio; & nominatio. Est autem in Iure *Postulatio*, quando aliquis petitur in Episcopum, cui non potest Episcopatus conferri, absq; aliqua dispensatione. Et per huiusmodi postulationem solam nullum ius apud Superiorem acquirit is, qui postulatur; vt patet Extra de Postulatione Prælatorum, Cap. penult. Per *electionem* verò propriè dictam, is, qui eligitur, acquirit ius, adeò, vt si idoneus est, debeat confirmari, alioqui fit ei peculiaris iniuria; vt patet Extra de Electione, Ca. Postquam, & Cap. Cùm inter Canonicos, & Ca. Scriptum est. *Præsentatio* verò fit ab habente ius patronatus. Et per illam acquirit etiam aliquis ius, sicut per electionem, vt colligitur ex Ca. vltimo, Extra de Iure patronatus. *Nominatio* autem variis modis sumitur in Iure. Aliquando enim sumitur pro insinuatione, qua nimirum per modũ interlocutionis & consultationis proponitur aliquis eligendus; & talis nominatio nullum ius confert, vt notauit Glossa dist. 63. Cap. Quanto. Aliquando verò sumitur pro designatione per electionem facta, vt notat eadem Glossa; & tunc est idem, quod electio; quare idem ius confert, quod illa. Aliquando etiam sumitur pro postulatione, quæ potest dici nominatio Canonica; quando nimirum electores postulant aliquem, cum quo oporteat dispensare, vt notat Glossa, Extra de postulatione Prælatorum, Cap. Bonæ memoriæ. 1. & tunc non confert ius, sicut nec postulatio. Loquimur igitur hîc de electione, vt omnia ista comprehendit.

Notandum præterea, Episcopum iure communi non posse sui muneris actiones exercere ante suam *confirmationem*, quocunque tandem ille modo ex prædictis eligatur. Patet ex Cap. Qualiter, Extra de electione; quanquam ex dispensatione bene possit aliquos actus exercere, vt patet ex Cap. Nihil est, Extra eodem titulo. Confirmatus autem potest exercere omnes actus iurisdictionis, non tamen *Ordinis*, donec consecretur. Ex quibus apparet, Episcopũ, quod ad potestatem iurisdictionis attinet, tunc præcipuè constitui in Episcopali officio ac dignitate, cùm confirmatur, atq; adeò recipit facultatem, vt possit consecrari.

His positis, RESPONDEO ad propositam quæstionem per sex assertiones. PRIMA. Quamuis olim pro temporum ratione, varia fuerit ratio obseruata in *eligendo* Episcopo: ad eius tamen confirmationem, requisitus fuit consensus & auctoritas Metropolitani. Probatur ex Concilio Nicæno, capite 4. & 6. & Antiocheno, capite 19. & Carthaginensi II. cap. 12. vbi aliâs censetur irrita ordinatio, siue confirmatio Episcopi. Idem patet ex multis Decretis, 64. & 65. d.

SECVNDA assertio. Consensus Metropolitani non ita fuit ad hoc requisitus, quasi ad illum ex officio iure diuino pertinuerit Episcoporum confirmatio; sed requirebatur ab eo iure humano, veluti ex commissione Romani Pontificis.

Probatur *primò*. Nam vt quæstione prima, puncto secundo vidimus, Superioritas Metropolitani erga Episcopos, non est de iure diuino: quare neque iure diuino ad illos pertinuit Episcoporum confirmatio, vt quæ est vel maximè actus Superioritatis.

Secundò probatur ex perpetua Ecclesiæ traditione. Nam ANACLETVS Papa epist. 2. ad Episcopos Italiæ, relatus d. 75. cap. 1. sic inquit: *Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint prouincia, Episcopis sunt celebrandæ.*

Et INNOCENTIVS I. epistola prima ad Decentium Episcopum Eugubinum: *Manifestum*, inquit, *est, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Apostolus Petrus, aut eius successores cõstituerunt Sacerdotes.* Item PELAGIVS II.

epistola secunda, ita inquit: *Potestatem habemus intitulare & mutare Episcopos.*

Et S. LEO epistola 82. vel 84. ad Thessalonicensem Episcopum Anastasium, inter cætera committit ei Episcopo suas vices in confirmandis Episcopis illarum prouinciarum; idq; *exemplo præcessorum suorum*, sicut initio eius epistolæ præfatur.

Et D. GREGORIVS lib. 4. Regist., epist. 34. ad Constantiam Augustam, improbans ordinationem Episcopi Salonitani, quod absq; ipsius facultate esset constitutus, sic inquit: *Facta est res, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit.*

Item in Concilio Toletano 12. cap. 6. statuitur, vt non requiratur deinceps consensus Metropolitanorum; sed sufficiat confirmatio per Archiepiscopum Toletanum in prouinciis Hispaniæ & Galetiæ. Si autem potestas confirmandi iure diuino ad Metropolitanum pertinuisset, non potuisset ab illo auferri.

In Concilio etiam Lateranensi sub Innocentio III. cap. 5. conceditur Patriarchis Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, & Hierosolymitano, vt post acceptum à Papa pallium (quod est insigne Pontificalis auctoritatis) possint & ipsi suis Suffraganeis pallium concedere, accepto ab eis iuramento obedientiæ erga Romanam Ecclesiam: ita refertur Extra de priuilegiis, cap. Antiqua.

Adde, quòd hæretici Arriani etiã petiuerunt, vt Iulius Romanus Pontifex, confirmaret suos Episcopos, tanquam is, ad quem sine controuersia id munus pertineret: de quo vide Historiam tripartitam lib. 4. ca. 16. & Nicephorum lib. 9. ca. 8. Et sunt alia plurima testimonia huius generis, pro auctoritate Summi Pontificis in hac re, à nobis allata suprà disput. 1. q. 1. p. 7.

Tertiò probatur eadem assertio ratione. Nam secũdùm Ius diuinum & naturale, ad Principem pertinet, cõstituere necessarios ministros in Repub. At Papa est Princeps & Caput in Ecclesia, vt disput. 1. q. 1. p. 7. fusè probauimus. Ergo. &c.

TERTIA assertio. Neq; populus, neq; Princeps, aut Magistratus, potestatem habent constituẽdi Episcopos, neq; vnquã illam habuêre. Hæc conclusio est contra eos Lutheranos & Caluinianos, apud quos nutu populi & Magistratus ministri constituuntur & deponũtur. Quos refellit Franciscus Turrianus lib. 1. de Hierarchicis ordinationibus, cap. 10.

Probatur ex Canone 31. Apostolorum, vbi excõmunicatur & deponitur, qui per potestatem secularem creatus est Episcopus. Et can. 18. Concilij Antiocheni, Episcopus ordinatus ritè, iubetur manere in officio, etiamsi populus non consentiat. Refertur hoc dist. 22. Cap. Si quis Episcopus. 2. Item in Concilio Sardicensi capite secundo damnatur, qui Episcopatum sumpserit per solas literas & acclamationes populi. Item in 8. Synodo, act. 10. cap. 22. dicitur, Laicos in talibus electionibus non habere aliquam potestatem. Et in tertia Synodo Romana sub Symacho, capite 2. dicitur apertè, esse contra Canones, Laicos asscribere sibi electionem Pontificum. Et capite 3. eiusdem Concilij, vt refertur 16. q. 7. Cap. Non placuit, dicitur Laicus non habere potestatem aliquid statuẽdi in Ecclesia. Peculiariter autem Principes, sua auctoritate constituentes Episcopos, excommunicantur in octaua Synodo generali, can. 22. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. can. 25. & in multis Decretis, relatis à Gratiano, d. 63. Ratio etiam pro hac conclusione, patet. Nam tribuere potestatem spiritualem, qualis est Episcoporum, non potest esse Principum aut populorum, vt qui spirituali auctoritate omnino carent.

Sed opponunt hæretici *primò* antiquum vsum Ecclesiæ, quo constat, populis fuisse commissam electionem Episcoporũ, vt videre est apud Anacletum epist. 3. & apud Cælestinum I. epist. 2. apud Leonẽ I. epist. 82. & 90. *Secundò* peculiariter probant, id pertinere ad Principes & Magistratus ex Concilio Toletano 12. ca. 6. vbi habetur, Episcopos creandos esse secundùm electionem Regis; id quod etiam refertur 63. d. Cap. Cùm longè. Itẽ ead. d. Cap. In Synodo. & Cap. Adrianus, Imperatoribus cõmittitur confirmatio Episcoporum.

Ad *primum* respondet Gratianus in illa d. 63. post Cap. Cùm longè, & Cap. Vota, nequaquam ad populum pertinuisse aliquando Episcopi creationem, tantùm fuisse illius consensum requisitum, aliquibus de causis. Primò, vt dignitas electi innotesceret omnib. Quem enim cõmunis vox populi dignum iudicat, is dignus videtur. Atque eadem de causa præsentiam populi requisitã fuisse aliquando in electione Episcopi, apparet ex Origene hom. 6. in Leuitic. & ex Cypriano lib. 1. Epistolarum, epist. 4. Hinc Paulus 1. ad Tim. 3. de Episcopo loquens: *Oportet illum*, inquit, *bonum testimonium habere ab iis, qui foris sunt.* Secunda causa erat, vt eò facilius populus præstaret delecto Episcopo debitam obediẽtiam. Hanc causam assignat expresè S. Leo epist. 82. Tertia causa erat, vt populus in electione Episcopi præsens, communib. orationibus & vigiliis optimũ à Deo impetraret Episcopum, vt sæpè non sine miraculo etiam factum est: sicut de D. Nicolao & aliis historiæ tradunt.

Ad *secundum* de Regib. & Imperatoribus respõdetur similiter, eos nequaquã ex officio proprio Episcopos constituere potuisse; sed requirebatur eorũ consensus, vt ita facilius Ecclesiæ deuincirentur ac paratiores essent ad illam protegendã. Et quanquam propter beneficia, quæ aliqui Imperatores in Ecclesiam contulêre, fuerit illis hoc aliquando datũ, vt nemo in Episcopum eligeretur, nisi quem ipsi proponerent: tamen vt notauit Gratian. d. 63. Ca. Quia sancta, postquã in hoc Imperatores modũ excesserũt, plus sibi, quã par erat, tribuẽtes, meritò id ius fuit illis per Pontifi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ces ablatũ, vt constat 16. q. 7. Ca. Si quis deinceps, & Cap. Quoniam, & aliq̀uibus sequentibus.

Hoc certum est, ad officiũ Principum nunquã pertinuisse constituere Episcopos: vt patet manifestè ex Cap. Valentinianus, d. 63. ex Historia tripartita, cap. 8. vbi cùm D. Ambrosius contristaretur de sua electione, ita ad eum dixit Imperator: *Noli timere: Deus, qui te elegit, ipse te adiuuabit, & ego adiutor & defensor tuus, vt meum ordinem decet, semper existam.* Quibus verbis satis explicuit, sui officij non esse, Episcopum constituere, sed constitutum adiuuare & defendere. Atque ex eadem Historia constat, eundem Imperatorem noluisse eligere Episcopũ Mediolanensem, mortuo Auxentio Arriano, etiamsi id ab eo peteret Synodus Episcoporum; sed respondisse Episcopis: *Super vos est talis electio.* Hæc de ratione olim seruata in electione Episcoporum.

Iam verò electio commissa est maiori parti Capituli, non exspectato populi consensu; idque ob vitanda scandala, vt patet Extra de electione, per aliquot Capitula. In aliquibus autem locis Rex habet ius præsentandi, sed Confirmatio ad Pontificem Romanum pertinet, præmisso examine, vt decretum est in Concilio Tridentino, sessione 24. cap. 1. de Reformatione.

Qvarta assertio. Creatio Episcopi non pertinet ad Episcopum prædecessorem, id est, non potest ille designare sibi successorem, quem constituat Episcopum. Ita cautum est 8. q. 1. Cap. Episcopo non licet, ex Concilio Antiocheno, cap. 23, & in Cap. Plerique, ex quodam Concilio Romano, eadem causa & quæstione. Et ratio etiam id suadet. Nam constituere Episcopum Superioris est: Episcopus autem prædecessor par est Successori.

Vnde neque Pontifex Romanus potest constituere Successorem, vt notat Glossa Cap. Apostolica. 8. quæstione prima, potest tamen ille statuere modum seruandum in electione Romanorum Pontificum, vt definiuit Symachus in prima Synodo Romana sub ipso celebrata, & refertur 79. distinctione, Cap. Si quis Papa, & Cap. Si transitus. Vnde Nicolaus I. statuit, electionem Pontificis faciendam esse ex concordi sententia Cardinalium, vt habetur distinctione vigesima tertia, Capit. In nomine Domini, & distinctione septuagesima nona, Cap. Si quis Apostolica. Sed postea Alexander III. in Concilio Lateranensi, sub se celebrato, capite primo, decreuit, vt sufficiant duæ partes Cardinalium, à quibus Pontifex eligatur & recipiatur. Sic refertur Extra de electione. Capit. Licet. Et hoc vsq; ad nostra tempora seruatur, vt patet Cap. Vbi periculum, de electione, lib. 6.

Sed obiiciet aliquis contrà, factum D. Petri, qui nominauit successorem Clementem, vt patet ex 1. epist. Clementis. Ad hoc etsi varia, quod attinet ad historiam ipsam, à variis dicantur, respondendũ videtur, quicquid sit de hoc, non esse parem rationem, quod attinet ad posteriores Pontifices. Nam D. Petrus & Apostoli ex peculiari Dei nutu potuerũt id facere, cùm recens esset Ecclesia, & idoneorum hominum magna penuria. Quare autem iam non expediat, vt id faciant alij Pontifices & Episcopi, multis rationibus eruditè explicat Turrecremata libro secundo summæ Ecclesiæ, capite 51. Hactenus de electione & confirmatione Episcoporum, nunc de consecratione dicendum.

Qvinta assertio. Ad consecrationem Episcopi ad minimum requiritur præsentia trium Episcoporum, licet secundùm iura antiqua, Metropolitani, & omnium comprouincialium Episcoporum requirebatur. Patet ex Canone 1. Apostolorum, & Extra de tempore Ordinandorũ. Ca. Si Archiepiscopi, & Ca. Ne Episcopi, & d. 64. Cap. Ordinationes, & d. 75. Cap. Ordinationes, ex Anacleto epist. 2. & 3. & Aniceto epistola vnica: & ex multis aliis Decretis.

Sexta assertio. Solus Summus Pontifex potest obligare aliquem ad suscipiẽdum Episcopatum. Probatur. Nam ad eum solùm pertinet cõfirmatio, per quam potissimùm quis constituitur Episcopus, vt suprà diximus.

Quæret aũt hîc aliquis, vtrũ Prælatus Religionis alicuius possit subditũ obligare ad hoc, vt recipiat Episcopatũ ei oblatum. Respondeo, posse illum declarare obligationem Iuris diuini & naturalis, qua talis Religiosus obstringeretur, in casu necessitatis Ecclesiæ; at extra talem casum, sua auctoritate illũ ad id cogere nõ potest. Ratio est. Quia Prælatus solũ potest præcipere subditis ea, quæ pertinent ad regulam. Sed Episcopatus potius subducit subditum à regula. Ergo. Cõfirmatur. Nam absurdũ esset putare, quòd possit Prælatus præcipere subdito id, per quod ille eximitur ab obedientia regulari erga Prælatum. Hæc de prima conclusione D. Thomæ ex duabus illis quas initio posuimus.

Circa Secvndam conclusionem eiusdem, quædam obseruanda sunt, quæ D. Thomas tradit hic ar. 2. ad. 2. & pertinent ad intelligendam illam ipsam cõclusionem, videlicet quatenus debeat recusare Episcopatum is, qui impedimentum habet. Ait enim primò, quamuis nemo possit acceptare Episcopatum cum proposito peccandi mortaliter: tamẽ per hoc non excusari illum, quò minus Superiori imponenti Episcopatum parere debeat: posse enim illum cum Dei auxilio eiusmodi propositum abiicere; atque adeò id propositum non esse censendum impedimẽtum tale, ob quod teneatur quis Episcopatum recusare. *Secundò* ait, si quis habeat impedimentum Iuris, quod possit per Superiorem, imponentem Episcopatum, tolli, debere illum patefacere tale impedimentum, vt obtenta dispensatione, iniũctum Episcopatum suscipiat. *Tertiò* denique affirmat illud ipsum, quod posuimus in secunda conclusione, videlicet non posse licitè recipi Episcopatum si obstans impedimẽtum ne à Superiore quidem iniungente Episcopatum, possit tolli.

Circa *primum* verò dictum occurrunt duo dubia. Primvm est, Quomodo id dictum intelligatur. Dupliciter namq; accidere potest, vt quis cum proposito peccandi suscipiat Episcopatum. Primò, ita, vt non solùm proponat se peccaturum, sed etiam perseueraturum in peccato. Altero modo ita, vt velit quidem peccare, sed tamen velit etiam resipiscere per pœnitentiam, antequam munera Episcopalia exerceat. Iam quãdo aliquis susciperet Episcopatum cum proposito peccandi primo modo, perspicuum videtur, quòd peccaret. Nam aut vellet exercere munera Episcopalia in illo peccato, aut non: Si vellet, eo ipso peccaret: Si autem nollet, etiam peccaret eo ipso proposito contra obligationem sui officij. De secundo autem modo non videtur esse par ratio.

Nihilominus respondemus, dictum S. Thomę inteligẽdum esse de proposito peccandi secundo etiam modo. Ratio est. Quoniam non solùm actio Episcopalis est aliquid sanctum, sed etiam ipsa Episcopalis *dignitas* propter pactum Dei annexum, ex quo Deus concurrere statuit cũ Episcopo ad actiones supernaturales: quare non ille solùm peccat, qui in peccato exercet munus Episcopale, sed etiam ille, qui in peccato suscipit Episcopatum, etiamsi statuat pœnitere, antequam exerceat illud. Atque hinc etiam certum est, si quis consecretur Episcopus cum proposito peccandi, peccare etiam eum mortaliter: quia sancta sanctè sunt vsurpanda.

Secvndvm dubium est, Vtrum is etiam peccet, suscipiendo Episcopatum, qui tametsi non habeat propositum peccandi, tamen propter circumstantias *opinatur*, moraliter loquendo, futurum, vt sæpè peccet, atque adeò vt exitio sit illi status Episcopalis. Et quæstio est, quando Episcopatus illi iniungeretur, quod ita esset necessarium ad bonum commune.

Ad hanc Quæstionem Sotus lib. 10. de Iustitia, quæst. 3. art. 2. respondet duo. *Primò*, talem neque posse, neque debere suscipere Episcopatum, quem sibi putat adeò periculosum futurum. Ratio huius dicti est: quoniam non debet aliquis pati detrimentum salutis spiritualis propter vllũ bonum cõmune; iuxta illud: *Quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Dicit *secundò* Sotus, electorem posse & debere nihilominus talem præ aliis eligere in Episcopum, posito, vt supponimus, quòd sit aliis dignior, atque adeò necessarius communitati. Item addit, posse alias priuatas personas optare, vt ille præ omnibus eligatur, & recipiat Episcopatum. Et hoc probat. Nam electoribus & aliis priuatis licitum est antepoɔere bonum commune, de quo in tali casu agitur, securitati, atque adeò bono priuato illius personæ eligendæ.

Hæc Soti sententia mihi non placet. *Primò*. Nam aut recipere Episcopatũ in tali casu, potest esse bonum propter circumstantiam boni communis, aut non potest. Si potest: Ergo sicut receptio Episcopatus ab illa persona potest cadere licitè in voluntatem electorum & aliorum particularium: ita etiam in voluntatem eiusdem, de cuius electione agitur, siquidem is similiter potest in ea re spectare bonum commune. Si verò propter eiusmodi circumstantiam boni communis adhuc non potest esse bonum, recipere Episcopatum in tali casu: Ergo sicut ille nõ potest velle Episcopatum recipere; ita neq; electores, neq; alij velle poterunt, vt recipiat.

Sed dices disparem esse rationem de illo, & de aliis. Nam alij non adeò strictè tenentur procurare bonum spirituale priuatum illius: quare licitè poterunt præferre bonum commune: ille verò non item, quia strictissimè tenetur ex charitate erga se procurare suam incolumitatem spiritualem. At contra hoc est *primò*, quòd alij tenentur illum diligere, sicut seipsos. *Secundò*, quòd illa ratio boni communis, propter quam alij excusantur, quò minus securissimè consulant saluti illius, procurando aut optando, vt non recipiat Episcopatum, adeò est magni momenti, vt similiter videatur excusare ipsum met, quò minus debeat etiam tutiori modo sibi consulere repudiando Episcopatum. Est enim bonum commune multò præstantius priuato, & vt paulò pòst dicemus, adhuc ille poterit etiam bono priuato consulere, licet non vsq; adeò securè.

Secundò ideo etiam mihi displicet illa Soti sententia: Nam si in tali casu electores debent illam personam præ omnibus eligere: Ergo etiam possunt illam obligare ad recipiendum Episcopatum: & tunc sequeretur ex sententia Soti, personam illam duobus præceptis astringi ad opposita. Patet. Quia ex vna parte teneretur obedire, recipiendo; ex alia autem teneretur non recipere, propter periculum. Quòd autẽ posset tunc Superior obligare, probatur. Nam Superior habet vim coërcitiuã, vt cum effectu possit consequi illud, quod tenetur intendere ex suo officio. Si igitur deberet in tali casu illum eligere, posset quoq; illum obligare ad acceptandum. Aliàs ipsius auctoritas esset imperfecta.

Tertiò absolutè probo, primum dictum Soti esse falsum. Nam non minus potest aliquis opinari, se peccaturum frequenter propter alia officia & status, vt mercaturam, militiam, &c. quã propter statum Episcopalẽ. Sed nemo propterea tenetur vitare aut relinquere talia officia. Ergo neque Episcopatum. Maior patet experientia. Multi enim experti sunt, sibi eiusmodi officia frequentissimè fuisse occasioni peccandi: quare idem possunt opinari postea frequenter esse futurum. Minor etiam patet. Nam non constat, aliquem propterea fuisse coactum à Confessario

Universidad de Deusto
Biblioteca

relinquere eiuſmodi officia, & tamen credo plurimos paſsim reperiri tales.

Confirmatur. Nam illam opinionem nó minus facilè poteſt quis habere, poſtquam recepit & exercuit aliquandiu Epiſcopatú, quàm antequam eum recipiat. Sed nullus vnquã propterea cogeretur ad relinquendum Epiſcopatum. Ergo, &c. Maior eſt clara. Nam potius experientia poteſt efficere vehementiorẽ opinionẽ de lapſu futuro. Minor probatur. Nam procul dubio ſæpè accidit, vt Epiſcopus quiſpiam aliquid eiuſmodi de ſe opinaretur; & tamẽ nemo obligaret talẽ aliquem Epiſcopum ad relinquendum propterea Epiſcopatum: eſſet enim id ſanè durum.

Vt igitur omiſſa hac ſententia Soti, rectius ad dubium propoſitum RESPONDEAMVS, videndum eſt in primis, quid ſit propriè, aliquem *eſſe in periculo peccandi*, ob quod opinetur futurum moraliter, vt reipſa peccet. Hinc enim diiudicare oportet, vtrum propter aliquam circumſtantiam poſsit aliquis licitè ſuſcipere tale periculum, & manere in illo; Ex quo patebit, vtrum in propoſito caſu poſsit ille & debeat recipere Epiſcopatum, nec ne.

Et *primò* certum eſt, non eſſe idem, eſſe in periculo peccati, quod directè & per ſe eſſe in peccato illo, cuius periculum imminet. Aliud enim eſt periculum peccati, & aliud ipſum peccatum. *Secundò* certum eſt etiam, eſſe in periculo peccati, non idem eſſe, quod aliquem nullo modo poſſe vitare peccatum. Cùm enim peccatum futurum ſit quiddam liberum & contingens, quod poteſt aliter euenire; & de futuro contingenti nihil certò cognoſcamus: fatendum eſt, non obſtante periculo atque opinione de futuro peccato, poſſe illud per gratiam Dei, & liberum arbitrium euitari.

Itaq; reſtat, vt dicamus, id periculum peccandi in hoc ſolũ conſiſtere, quòd facillimè fieri poteſt, vt peccatum committatur, & ideo probabiliſsimũ ſit, id futurum. Quapropter qui periculum peccati ſuſcipit, vel in eo manet, nihil aliud hoc ipſo facit, quàm quòd nõ optimo & ſecuriſsimo modo conſulit ſuæ indemnitati ſpirituali; vt faceret, ſi ex charitate erga ſeipſum, periculum omnino fugeret, vitata occaſione, ex qua timet ſe peccaturum. Id quod cõmuniter loquendo, tenetur quis ex præcepto charitatis affirmatiuo erga ſeipſum facere.

Hoc cũ ita ſit, ſatis iam apparet, accidere poſſe, vt ob aliquam circumſtantiam boni communis, aut alicuius magnæ difficultatis, quis excuſetur, quo minus ex charitate erga ſe teneatur tutiſsima illa via conari ad vitandum peccatum; ſed ſatisfaciat, ſi per aliam poſsibilem viam, licet non adeò ſecuram & certam, conetur peccatum fugere, quantumuis manens in periculo; videlicet ſedulò petendo à Deo gratiam, & pro virili reſiſtendo paſsionibus. Hæc enim reliqua via eſt adhuc, qua talis poteſt non obſtante periculo, vitare peccatum. Sicut patet euidẽter ex eo, quòd ſi talis (manens licet in periculo) committat id peccatum, cuius periculum imminet; verè & meritò illi imputabitur, tanquam ei nimirum, qui in eiuſmodi etiam periculo potuerit cum gratia Dei illud peccatum vitare: neq; ſolùm is diceretur *in cauſa* peccare, ſed *per ſe & directè*.

At diligenter hoc loco notandum eſt diſcrimẽ inter *opinionem* ſiue formidinem de peccato futuro, ſi quis maneat in periculo; & inter *propoſitũ* peccãdi in futurum. Primum enim poteſt eſſe ſine ſecundo. Poteſt enim aliquis illud ipſum animo auerſari, quod opinatur futurum: quare ille, qui in periculo exiſtens, opinatur ſe peccaturũ, non idcirco eſt in peccato; cùm poſsit nihilominus habere propoſitum firmum non peccandi, quantum in ſe fuerit, cum gratia Dei. Quamobrem veriſsimum eſt, quod diximus, tam, ſi aliqua ad id ſuppetat cauſa & circumſtantiã grauis, non peccare; tametſi manens in periculo, non optima & ſecuriſsima via conſulat ſuæ indẽnitati ſpirituali, ſed alia ſufficienti quidem, ſed minus tuta. Etenim præceptum de conſulendo propriæ incolumitati ſpirituali, *affirmatiuum* eſt. Quod proinde non eodẽ modo obligat in omni caſu, ſed aliter & aliter pro ratione circumſtantiarum.

Quib. ita poſitis, ad caſum illius dubij ſecundi RESPONDEO *primò*, cõmuniter loquendo, debere talẽ deponere opinionẽ de peccato futuro. Nam Deus qui propter neceſsitatẽ boni cõmunis illũ Epiſcopũ conſtituit, facillimè poteſt à peccato præſeruare. Non enim Epiſcopatus eſt neceſſaria cauſa peccati: ſed poteſt quis in eo quoq; ſanctiſsimè viuere; vt oſtẽdit in hoc ipſo propoſito S. ATHANASIVS in epiſt. ad Dracontium fugientem Epiſcopatum, in fine.

Secundò dico, ſi non poſsit hanc opinionẽ deponere, debere eum propter circumſtãtiam boni communis, nihilominus recipere Epiſcopatũ iniunctũ. Patet hoc primò ex fundamento iacto. Nam talis circũſtantia excuſat illum, quò minus ſecuriſsima via debeat ſibi cauere; atq; ita debet obedire, recipiendo Epiſcopatum: ſiquidem licitè poteſt facere. Secundò idem probatur ex verbis D. Petri apud Clementem epiſt. 1. vbi planè hoc videtur ſentire; loquens enim Clementi, & in eo omnibus futuris Epiſcopis, ſic inquit: *Si periculum peccati timens, Eccleſiæ gubernacula ſuſcipere refugis* (intellige potiſsimùm in Eccleſiæ neceſsitate) *certus eſto, quòd grauius peccas, quàm ſi populum Dei in mari fluctuãtem, cùm iuuare poſsis, ſubterfugis, tui tantummodo conſiderationem habens.*

Ad Argumentũ verò Soti reſpondeo, talẽ non pati ſpirituale detrimentũ peccati, ſed tantũ ſibire periculũ talis detrimẽti ſpiritualis, qd longè aliud eſt, vt patet ex dictis. Illa aũt ſententia Chriſti, intelligitur de detrimẽto ſpirituali per peccatum, quo quis animam perdit. Oſtendimus aũt, aliud eſſe, periculum peccati; & aliud, peccatum.

Circa

Circa tertium dictum diui Thomæ breuiter notandum, eum, qui impedimentum occultum habet, ortũ ex aliquo delicto, debere quàm cautiſsimè patefacere Superiori, iniungenti Epiſcopatum; id eſt, per aliquas clauſulas generales, quæ ſatis ſint, vt Superior reipſa diſpenſet circa impedimẽtum. Ratio eſt. Nam debet habere talis rationem etiam ſuæ famæ, quando impedimentum oritur ex aliquo delicto.

PVNCTVM QVARTVM.

An liceat Epiſcopatum ſuſceptum relinquere.

D. Thomas art. 4.

DE DVOBVS hoc loco inter omnes conuenit, quæ etiam tradit D. Thomas. PRIMVM eſt. Quando legitima cauſa ſubeſt, & Pontifex facultatem ad id facit, licitum eſſe Epiſcopatui renunciare. Probatur. Nam tamdiu tenetur aliquis Epiſcopale munus ſuſtinere, quamdiu ſubditorum ſalutem eo munere poteſt promouere. Sed tam ex parte ipſius Epiſcopi, quã ex parte ſubditorum, accidere poſſunt varia impedimenta, quo minus ille ſubditis prodeſſe poſsit. Ergo tunc licebit relinquere. Maior probatur. Nam ſalus ſubditorũ debet eſſe Epiſcopo propoſita, tãquam finis. Minor declaratur. Nam ex parte Epiſcopi poteſt accidere ignorantia, peccatũ, infirmitas, & alia huiuſmodi, quę, vt dicemus, obſtãt, quo minus prodeſſe valeat ſubditis. Item ex parte ſubditorum poteſt cõtingere, tantam eſſe eorum nequitiam, vt nihil apud eos Epiſcopus proficiat.

SECVNDVM eſt. Etiamſi legitima cauſa ſuppetat, tãmen nunquam licere Epiſcopatũ deſerere abſq; auctoritate Pontificis. Probatur ex Innocentio III. in Cap. Niſi cùm pridem, Extra de renunciat. Et ratio huius eſt: quia ſicut nõ decet aliquem ſuſcipere Epiſcopatum, niſi vocetur: ita neq; ſua ſpõte deſerere debet, ſed ex ſentẽtia Pontificis; cùm in ea re agatur cauſa ſubditorũ, quorum emolumentum ſpirituale atque ſalus debet Summo Pontifici in hoc genere curæ eſſe.

Sed duo adhuc magis in ſpecie declarãda ſunt. PRIMO, Quomodo contingat, Epiſcopum peccare mortaliter, renunciando Epiſcopatui. SECVNDO, Quomodo contingat contrà, eum peccare non renunciando.

Quod ad PRIMVM attinet, dicendum eſt, in tribus caſibus (generatim loquendo) Epiſcopum peccare mortaliter renunciando. PRIMVS caſus eſt, ſi abſque auctoritate Pontificis Epiſcopatum deſerat, ſiue cauſa legitima ſuppetat, ſiue nõ. Patet ex dicto Cap. Niſi cùm pridem, Extra de renunciatione, & ex multis Decretis. 7. quæſt. 1. Item conuenit id, vt melius conſulatur bono cõmuni, prouidẽdo cõmodè de idoneo Epiſcopo.

Sed quid ſi promotus eſt aliquis in Epiſcopum per Simoniam? Videtur enim tunc poſſe abſque dicta licentia renunciare, cùm non ſit verè ac legitimè Epiſcopus, vt diximus ſuprà in materia de Simonia. Iuriſtę quidam propter hanc rãtionem affirmant, vt refert Gloſſa dicto Capit. Niſi cùm pridem. Sed oppoſitum, quod illic Gloſſa docet, verius eſt, & ita ſupponi videtur in Cap. Poſt translationem, Extra eodem titulo. Ratio eſt. Quia licet is verè non fuerit Epiſcopus, communiter tamen à populo exiſtimatur. Quapropter ad vitandum ſcandalum, & vt rectè communitati conſulatur, expedit in tali etiam caſu interponi auctoritatem Pontificis.

SECVNDVS caſus eſt, Si quis populo valde neceſſarius ſit. Tunc enim, etiamſi de licentia Papæ renuncier Epiſcopatui, peccat mortaliter. Probatur. Nam in tali caſu, ſtrictiſsimo iure diuino & naturali tenetur ille populo præſtare curam & diligẽtiam Paſtoralem. Sed Pontifex nullam habet auctoritatem ſtatuendi aliquid cõtra ius diuinum. Ergo, &c.

TERTIVS caſus eſt, ſi etiam citra talem neceſſitatem, & de licentia Papæ, renunciet quis Epiſcopatui, quando alia legitima cauſa non ſuppetit, quàm quòd ſuis ſolùm priuatis commodis in Religione, vel alio modo vacare cupit. Ratio eſt. Nam bonum commune ſubditorum, quod talis, quãdiu poteſt, ex officio tenetur iure diuino promouere, multis partibus maius eſt, & multo magis gratum Deo. Quare Deus nõ relaxat eam obligationem Epiſcopo in tali caſu propter bonum priuatum, vt quod minoris Deus facit.

Ex quo ſequitur, nullam fore profeſsionem, quam in Religione talis emitteret. Eſſet enim de *minori* bono, pugnãte cum obligatione iuris naturalis & diuini, qua talis ex officio Epiſcopali obſtrictus populo teneretur. Itaq; cogẽdus eſſet, vt rediret ad gregem, deſerta Religione. Hæc de PRIMO.

De SECVNDO, Quando ſcilicet contingat peccare mortaliter, non renunciando Epiſcopatui, notandæ ſunt ſex cauſæ ab Innocentio III. expreſſæ in dicto Cap. Niſi cùm pridẽ, Extra de renunciatione, propter quas, vel earũ aliquam, poteſt aliquis Epiſcopatui renunciare, atq; adeò ad id facultatẽ petere. Quas cauſas numerat ibi Innocentius hoc ordine. PRIMA eſt conſcientia talis criminis, quod impediat executionẽ officij Epiſcopalis, poſt peractam etiam pœnitentiã, vt ibi explicat Innocentius. SECVNDA, debilitas corporis, etiã impediens executionẽ officij Paſtoralis; ſiue illa ex morbo, ſiue ex ſenectute exiſtat. TERTIA, defectus ſcientiæ. QVARTA, malitia populi tãta, vt nulla ſpes ſit reliqua, futurũ, vt apud illum Epiſcopus proficiat. QVINTA, ſcandalum puſillorum, quando nimirum ex aliqua probabili cauſa ita ſunt Epiſcopo offenſi, vt nihil apud populum ille proficiat. Si autem eſt ſcandalum Phariſaicum, id eſt, offenſio irrationabilis, & Epiſcopus apud alios poteſt nihilominus, pficere, nõ eſt

propterea

Universidad de Deusto
Biblioteca

propterea renunciandum, vt ibidem explicuit Innocentius. SEXTA, est bigamia, vel alia irregularitas. Nunc de singulis hiscausis dicendum.

Quod ad PRIMAM attinet, quando illa subest, non est dubium, quin teneatur quis sub mortali renunciare, cùm impeditus tali crimine, nequeat suo muneri satisfacere. Est autem crimen eiusmodi *homicidium & Simonia*; etiamsi hæc peccata sint occulta in Episcopo. De Simonia patet 1. quæst. 1. Cap. Erga Simoniacos. De Homicidio patet d. 50. Cap. Miror. Loquimur autem de Simonia, per quam aliquis est promotus in Episcopum: quia hæc impedit ab executione officij. Item, vt dixi, loquimur, etiamsi ista peccata sint occulta. Nam si peccata sint *manifesta*, propter quæ Episcopus sit diffamatus; aliqui, inter quos est Sotus lib. 10. de Iustitia, quæst. 2. ar. 4. sentiunt, quæcunque peccata impedire executionem officij Episcopalis.

Atque est hîc notandum, quòd vt statutum est in Cap. Hoc nequaquam. 7. q. 1. (ex quinta Synodo Constantinopolitana) & tradit D. Thom. hîc ad 2. is, qui propter crimẽ est ab Episcopatu depositus, & ad Monasterium aliquod retrusus, nõ potest rursus ad Episcopatum promoueri. Quãquam hoc quidem in Cap. Post translationem, Extra de renunciatione. explicatur intelligendũ esse, quando quis est depositus propter crimen, de quo *conuictus vel confessus est*.

Item quod ad SECVNDAM causam, id est, *infirmitatem* attinet, vt impediat, atque adeò teneatur quis ob illam renunciare, debet esse inprimis perpetua, & talis, vt simpliciter obstet, quò minus Episcopus possit, omnibus consideratis, satisfacere suo muneri cum vtilitate populi. Sicut patet ex Innocentio illic, & ex sancto Gregorio libro septimo Registri, epistola 49. ad Maximianum. Dico autem *omnibus consideratis, &c.* quia latissimè patet hoc, quod est, Episcopum suo muneri satisfacere. Neque enim requiritur, vt per se omnia officia, pertinentia ad salutem populi, obeat: satis enim est, si obeat per se aliqua, quæ adeò sint populo salutaria, vt melius cum illo agatur, quàm si alius Episcopus omnia per se officia exerceret; id quod ex circumstantiis est iudicandum.

Quocirca prudenter aduertit Sotus vbi Suprà, fieri posse, vt opera senis Episcopi, aut etiam infirmi; propter consilia, auctoritatem, &c. adeò vtilis sit, vt nõ debeat officio renũciare. Debebit tamen tunc Coadiutores sufficientes sibi adsciscere, & ex redditibus Episcopatus alere. Quòd si infirmitas tanta sit, & tales sint circumstantiæ, vt amplius non sit exspectanda vtilitas ex tali Episcopo, renunciare tenetur: quo casu meritò ex redditibus Episcopatus assignabitur ei pensio, ex qua commodè alatur: debetur enim id laboribus præteritis ab ipso in vtilitatem Ecclesiæ susceptis. Si autem infirmitas non sit talis (vt ordinariè non solet esse) minimè propter illam debet quis renunciare Episcopatui, vt patet ex S. Gregorio libro 2. Registri, epist. 5. ad Candidum, & lib. 13. epist. 13. ad Maximianum, & lib. 9. epist. 41. ad Anatolium. Cuius de hac re retulit etiam sententias Gratianus. 7. quæstione 1. cap. 1. 2. 3.

Circa TERTIAM causam notandum breuiter, posse fieri, vt quamuis Episcopus sufficienti scientia careret, nõ ideo tamen illico teneretur renunciare Episcopatui; si nimirum spes esset, futurum, vt breui, adhibita diligentia, sufficiẽter doctus euadat: Si autem nulla esset eiusmodi spes, teneretur renunciare.

Circa QVARTAM & QVINTAM causam notãdum, tunc propter illas debere Episcopum renunciare Episcopatui, quando speraretur futurum, vt scandalum cessaret, alio Episcopo succedente; aliâs non deberet renunciare. Si autẽ quæras, vtrum posset saltem renunciare, etiamsi non sperarentur meliora, alio Episcopo succedente. Respondeo, si casus esset eiusmodi, vt talis Episcopus nullo modo prodesset propter scandalũ, videtur posse renunciare; quando quidem nõ tenetur exequi suum officium sine fructu. Verùm is casus Metaphysicus ferè est. Semper enim ex præsentia Episcopi aliqua vtilitas redundat ad populum, saltem respectu aliquorum particulariũ. Quare in casu, quo nõ sperarentur meliora, succedẽte alio Episcopo, nõ modò nõ teneretur renunciare Episcopatui, sed ne posset quidem.

Circa SEXTAM causam notandum est, oportere ob illam aut petere dispensationẽ, aut renunciare. Sic autẽ expositis eiusmodi causis, ratio, propter quam illis, vel illarũ aliqua existente, debeat Episcopus relinquere Episcopatũ, perspicua est. Quia iniquè retineret officiũ, quo rectè fungi nõ posset, & iniuria proinde afficeretur populus.

PVNCTVM QVINTVM.

An liceat Episcopo abesse à propria Ecclesia.

D. Thom. ar. 5.

VT intelligamus, an & quatenus liceat Episcopo à sua Ecclesia abesse; prius explicãdũ est, an & quomodo is teneatur adesse præsens, & residere in sua Ecclesia. Itaq; vt totum hoc grauissimũ argumentum de *Residentia & Absentia* Episcoporum commodè expediamus, primò exponam ea, quæ in hac re sunt apud omnes certa; & deinde dicam de eo, quod est in Controuersia. Sunt autem quinque potissimùm certa, & vnum controuersum.

PRIMO certum est, Episcopos iure quidem Ecclesiastico debere suis in Ecclesiis residere, vt cõstat ex aliquot Decretis 7. q. 1. vt Ca. Peruenit. ex Gregorio lib. 5. Registri. epist. 23. & Cap. Suggestũ. ex Liberio epist. secunda, & Ca. Scisciteris, ex

Nicolao

Nicolao ad Humfridum. Atq; idem abundè patet ex Concilio Tridentino, sessione 23. cap. 1. de Reformatione. Vt iam alia præteream in re per se clara.

SECVNDO certum est, siue iure solùm Ecclesiastico, siue etiam diuino teneantur Episcopi residere, tamen ad breue aliquod tempus, posse illos absq; vlla culpa & transgressione præcepti abesse; modò id fiat sine vllo Ecclesiæ detrimento, & nõ sine aliqua æqua causa, tametsi non maximi momenti. Nam vt dicitur in Concilio Tridentino loco citato, qui *aliquantisper tantũ absunt, ex veterũ Canonum sententia, non videntur abesse: quia statim reuersuri sunt.* Vbi etiam declaratur, breue hoc temporis *spacium*, quo ita abesse licet, non debere excedere duos, aut ad summũ tres mẽses singulis annis, siue *continuum*, siue *interruptum*.

TERTIO certum est, quocunque tandem iure, siue Ecclesiastico, siue etiam diuino, Episcopi teneantur residere, posse etiam ex causis aliquibus magni momenti abesse, etiam longo tempore, vt patet ex eodem Concilio Tridentino. Nam cùm præceptum de residentia, siue Ecclesiasticum, siue diuinum sit, sit præceptum *affirmatiuum*, non obligat pro omni tempore, & in omni casu; sed pro ratione circumstantiarũ, vt alia affirmatiua.

Eiusmodi autem CAVSÆ omnes reuocari possunt ad illas quatuor, quæ numerantur in Concilio Tridentino loco citato. Hæ sunt, Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & euidens Ecclesiæ vtilitas.

CHRISTIANA *Charitas* tunc excusaret, quando Episcopus sua præsentia & industria, magnæ alicui necessitati alterius Diœcesis occurrere posset, cum paruo detrimẽto propriæ. Et in aliis similibus casibus, in quibus lex charitatis declaret aliorum proximorum commodum anteponendum ei vtilitati, quæ ad populum ex præsentia Episcopi redundaret.

VRGENS *Necessitas* excusaret, quando residentia vergit in præsens ac manifestissimum discrimẽ vitæ Episcopi, propter morbum, vel propter persecutionem aliquam; si eiusmodi periculũ declinare Episcopus posset, commodè consulendo populo per Vicarios, etiamsi non optimè. In tali casu licitũ esse Episcopo fugere, docet non modò D. Thomas hîc, sed etiam Iulius Pontifex in epistola ad Orientales, & Pelagius II. in epistola ad Benignum. Vnde etiam D. Athanasius librum composuit de excusatione suę fugæ. Quando autem Episcopi præsentia necessaria esset ad salutẽ subditorũ, neq; illis aliter posset prospici; verissimè hîc docet D. Tho. eum propter nullum priuatum, vel commodum, vel periculum, posse gregem deserere: quia bonum commune anteponendum est proprio.

DEBITA OBEDIENTIA excusaret, quando propter aliquod negotium Pontifex ad se vocaret Episcopum, vel Episcopus Parochum. Vbi tamen aduertendum est, negotium, cuius causa Pontifex vocat Episcopum, debere esse eiusmodi, quod in vtilitatem Ecclesiæ cedat. Neq; obstat Cap. Cùm dilectus. Extra de Clericis non residentibus, vbi permittitur illis, qui sunt in seruitio Episcopi & Pontificis, vt faciant fructus suos. Respondeo enim cum Nauarro in Manuali, capite 25. num. 121. hoc intelligendum esse, quando eiusmodi seruitium redũdat in vtilitatem Ecclesiæ; aliâs sola voluntas Pontificis non sufficit, si præceptum de residentia diuinum sit (vt esse videbimus postea) Nam præceptum diuinum non potest Pontifex suo arbitratu infringere.

ECCLESIÆ VTILITAS sine controuersia etiam excusat; & ad illam reducuntur varij Casus, in quibus ius declarat, licitè posse aliquem abesse à sua Ecclesia. Ex quibus Casibus vnus extat in Cap. De multa. Extra de præbendis. Vbi viris literatis, & in dignitate cõstitutis, conceditur, vt possint cum dispensatione Pontificis, habere plura beneficia, requirentia residentiã. Neque est hoc ius abrogatum per Concilium Tridentinum, sessione vigesima quarta, capite decimo septimo, de Reformatione, vbi nemini quacunque dignitate prædito, etiam Cardinalitia, conceditur, vt possit habere duo beneficia, quorum quodlibet requirat personalem residentiam. Sensus enim Concilij est, vt nullus habeat talia beneficia absque dispensatione: quo pacto iuxta idem Concilium, vt Nauarrus capite vigesimo quinto. n. 127. bene interpretatur, liceret habere duo beneficia, quando vnum non requireret residentiam personalem. Manet igitur illud ius antiquum de duobus beneficiis requirentibus residentiam, in suo robore, ita videlicet, vt possit quis illa habere ex dispensatione Papæ: id quod ipsum etiam Concilium Tridẽtinum antea approbauerat sess. 7. cap. 4. de Reformatione, & sess. 22. cap. 3.

Alius eiusmodi Casus extat in Cap. Super specula. Extra de Magistris. Vbi causa studiorũ Theologiæ ad quinquennium conceditur absentia. Item etiam Professoribus eiusdem facultatis, cõceditur ibidem, vt possint abesse, & faciant fructus suos, quamdiu durauerit professio. Censentur enim eiusmodi studia vtilia esse Ecclesiæ. Atq; eandem rationem dicit esse Nauarrus de his, qui studeant Iuri Canonico. cap. 25. n. 121.

Et hæ quidem Causę ita se habent. Circa quas omnes in genere ADVERTENDVM est, in decreto Concilij Tridentini sessione 23. capite primo, requiri, vt causam examinet Metropolitanus, vtrum sit legitima, nec ne: à quo Episcopus debet habere facultatem in scriptis; vel absente Metropolitano ab antiquiore suffraganeo, cuius etiam debet esse iudicium de causa Metropolitani. Facultatem autem requirit in scriptis, si quis absit vltrà duos vel tres menses: duos autem vel tres menses potest Episcopus abesse ex causa iusta, secundùm conscientiam ipsi-

us

us Epiſcopi: neque pro eo tempore requiritur facultas in ſcriptis. Item etiam neque requirit facultatem in ſcriptis Concilium, quando propter aliqua munera annexa Epiſcopatui debet Epiſcopus neceſſariò abeſſe. Vt quando Epiſcopi electores vocantur ad Comitia. Et multò minus requiritur talis facultas in ſcriptis, quando vocantur ad Concilia.

Præcepit etiam ibidem Concilium, inferioribus aliis Clericis, habentibus curam animarum, ne vltra duos menſes abſint, niſi ab Ordinario cauſa abſentiæ in ſcriptis approbetur, quam vult Concilium eſſe grauem. Per duos autem menſes putat Nauarrus capite 25. vbi ſuprà, poſſe Parochum abeſſe, ex legitima cauſa ſecundùm ſuam conſcientiam, tametſi non habeat approbationem ab Ordinario, in ſcriptis. Neque hoc putat eo loco Concilium Tridentinum prohibere.

Sed QVÆRET aliquis, Vtrum Epiſcopi Cardinales, eo ipſo, quòd Cardinales ſunt, & aſſiſtunt Pontifici Romano, cenſeantur legitimè excuſari, quo minus reſideant in ſuis Eccleſiis. Videntur enim excuſari *primò*, quoniam cùm Romana Eccleſia ſit mater & princeps aliarum; qui vtiliter in illa verſatur, videtur eo ipſo aliis etiam Eccleſiis adeſſe, atque adeò quodammodo reſidere in illis.

Secundò. Nam vtilis admodum Eccleſiæ vniuerſali videtur eſſe ea opera, quam Pontifici nauant Cardinales in conſiliis ac ſententiis ferendis. Ergo excuſantur à reſidentia per quartam illam cauſam, videlicet per Eccleſiæ vtilitatem.

Nihilominus RESPONDETVR, illud ſolùm non eſſe ordinariè ſufficientem cauſam, vti rectè cenſuit Sotus lib. 10. de Iuſtitia, q. 3. art. 4. Et probatur ex eodem Concilio vbi ſuprà, quod Epiſcopos etiã Cardinales iubet reſidere. Item etiam ratione. Nam omnibus conſideratis, non eſt Eccleſiæ vtile, vt illi aſsiſtant Romano Pontifici, quorum opera aliis Eccleſiis neceſſaria eſt: Siquidem per alios poſſet ſuppleri Romæ illud officium, qui videlicet non eſſent Epiſcopi. Hic tamen non eſt negandum, quin ſi alicuius Cardinalis auctoritas & prudẽtia inſignis eſſet, ex qua proinde magna vtilitas ad Eccleſiam vniuerſalem redundaret; ſufficiens hoc ipſum cauſa eſſet, vt Romæ maneret, licet eſſet Epiſcopus. Tunc autem non excuſaret eum à reſidentia officium Cardinalis præcisè, ſed illa alia circumſtantia.

Itaque ad *primam* obiectionem contrariam reſpondetur, eſſe nimis generalem illam reſidẽtiam, & magis particularem requiri in ſingulis Eccleſiis. Etſi enim Romana Eccleſia præcipua ſit & caput; at aliæ nihilominus ſunt diſtinctæ, ad quarũ proinde rectã adminiſtrationem requirũtur proprij paſtores, qui reſideant in illa. Et poteſt hæc ſolutio confirmari ex Innocentio III. in Cap. Bonæ memoriæ. 1. Extra de poſtulatione Prælatorum, vbi cùm poſtularetur à Clericis Ra-

uennatenſis Eccleſiæ quidam Cardinalis ſanctæ Praxedis in Archiepiſcopum, Pontifex negauit; & rationem reddidit: quoniam neceſſe erat illum Romæ remanere. Ex quo apparet, Cardinales etiam, ſi alibi Epiſcopi ſint, debere ibi reſidere, & Cardinales ec[illegible] qui Romæ morantur, non hoc ipſo ſufficienter aſsiſtere aliis etiam Eccleſiis: alioqui nulla fuiſſet illa ratio reddita à Pontifice.

Ad *ſecundam* obiectionem iam patet reſponſio ex ratione noſtra. Poteſt enim illa vtilitas cõſiliorum vnius vel alterius Cardinalis, ordinariè ſuppleri aliter. Atque hactenus de eo, quod diximus eſſe TERTIO certum.

QVARTO certum eſt, etiamſi Reſidentia ſit neceſſaria iure diuino, tamen poſſe ex prædictis cauſis, cùm de illis quoque dubium eſt, Papam & Metropolitanum (iuxta id, quod notauimus ex Concilio Tridentino) diſpenſare ſaltem *impropriè*, declarando ſcilicet aliquem non teneri reſidere in hoc vel illo caſu. Etſi enim Pontifex non poſsit in his, quæ ſunt de iure diuino, ita diſpenſare, quaſi ſua ille auctoritate remoueat ab aliquo iuris diuini obligationem (hac enim ratione diſpenſare, eius duntaxat eſt, qui præceptum edit) poteſt tamẽ Pontifex Romanus, cauſa legitima ſuppetẽte, auctoritate ſua declarare, diuinã voluntatẽ non eſſe, vt quis præcepto in tali caſu aſtringatur. Quod quidem quando Romanus Pontifex non temerè efficit, ſed ratione probabili ductus, adeò ratum Deus habet, vt eo ipſo Deus hominem ab obligatione præcepti diuini liberet. Sic ſuprà diſput. 6. in quæſt. de Voto, docuimus, Pontificem ſolitum eſſe in votis diſpenſare, tametſi eorum obligatio ſit de iure diuino.

Sic etiam in propoſito, etiamſi reſidentia ſit de iure diuino (de quo poſtea) tamen poteſt Pontifex ſuper reſidentia diſpenſare, declarando nimirum, aliquem interdum diuino præcepto de reſidentia non aſtringi, quando id poſtulat legitima cauſa; id quod fieri poſſe facilè intelliget is, qui animaduertet præceptum de reſidentia, etiamſi diuinum ſit, eſſe tamen *affirmatiuum*, quod proinde obligat, habita ratione circumſtantiarum. Atq; eodem modo intelligi poteſt, quo pacto interdum fiat, vt Epiſcopi alioqui reſidentes, ex legitima cauſa excuſentur, quo minus aliquas Epiſcopales actiones per ſe exerceant.

QVINTO certum eſt, Epiſcopos & alios habentes curam animarum, ſi abſq; legitima cauſa abſint à ſuis Eccleſiis, debere pro rata abſentiæ, fructus reſtituere. Et ratio eſt. Quoniam, vt eſt in regula Iuris, beneficium datur propter officium: quare ſi quis non præſtet debitum officium, iniquè fructus percipit. Quòd ſi dicas, poſſe fieri ſatis populo per miniſtros Vicarios, ac proinde nõ debere illum in tali caſu inuoluntariè contribuere fructus. Contrà eſt, quòd populus non quo-

modocun-

modocunque contribuit fructus, vt ſibi ſatisfiat ſpirituali miniſterio; ſed vt ſatisfiat ſibi per officium veri paſtoris & proprij, quando legitima cauſa aliud nõ poſtulat. Nam ſpectat in ea re populus id, quod ſibi eſt optimum & vtiliſsimum. Ratio autem optima & per ſe accommodatiſsima ad bonum ſpirituale ſubditorum promouẽdum, eſt, vt à proprio paſtore curentur.

Ex quo ſequitur, non ſolùm iure humano, ſed etiam iure naturali & diuino eiuſmodi Eccleſiaſticos non reſidentes, debere fructus reſtituere, etiamſi ſolo iure humano tenerentur reſidere, & per ſe ipſi officia ſpiritualia populo impendere. Nam hoc etiam dato, tamẽ poſito, quòd id non præſtent; iam populus dat illis fructus non niſi inuitus rationabiliter: ac proinde iure naturæ & diuino tenentur eos reſtituere: neque vlla contraria conſuetudo percipiendi & retinendi fructus, abſque reſidentia, poteſt illos excuſare à reſtitutione. Nam vt rectè notauit Couarruuias ad hoc propoſitum, lib. 3. variarum reſolutionum, cap. 23. iuri naturali & diuino, non obſtat conſuetudo. Itaque iis, qui ex officio ſuo (quocunque tandem iure) debent reſidere, propter curam animarum, conſuetudo non poteſt ſuffragari vt faciant fructus ſuos in abſentia: ſecus de aliis habentibus beneficia, quibus non eſt annexa reſidentia ratione officij; vt qui habent beneficia ſimplicia. Talibus enim poteſt conſuetudo contraria ſuffragari, vt notat ibidem Couarruuias.

Præterea hinc etiam ſequitur, quid reſpondendum ſit, ſi quæratur, Vtrum Eccleſiaſtici, habentes curam animarum, & non reſidentes, debeant reſtituere fructus ſtatim *ante condemnationem*; vel liceat illis exſpectare, donec cogantur per ſententiam. Nauarrus enim in Manuali, capite 25. num. 121. videtur reſpondere, quòd non teneantur ante condemnationem. Sed ex dictis apparet, contrarium eſſe omnino verum; quandoquidem tales iniuſtè fructus perceperunt, neque eos fecerunt, ſuos. Itaque ſtatim tenentur reſtituere. Quam ſententiam habuit Halenſis 3. part. quæſtione trigeſima ſexta, memb. 5. artic. 2. Driedo lib. 2. de libertate Chriſtiana, cap. 4. Couarruuias vbi ſuprà, Angelus, V. Clericus. 7. §. 5. & alij.

Et probatur manifeſtè hæc ſententia ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 1. de reformatione, vbi declaratur, eos, qui abſque legitima cauſa ſecùs, atque Concilium ibi præſcribit, abſunt à ſuis Eccleſiis, *non facere fructus ſuos, neque poſſe illos retinere, tuta conſcientia*, ſed debere illos ſtatim, non exſpectata *alia declaratione*, reſtituere, vel *fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus*, vt ita nimirum cedant in populi vtilitatem. Et prohibet Concilium, ne hìc vlla compoſitio cum Pontifice locum habeat. Loquitur autem in beneficiis habentibus curam animarum. Ratione etiam idem patet. Nam (vt oſtenſum eſt) tales non reſidentes minimè acquirunt ius & dominium in eiuſmodi fructus. Ergo ſtatim tenentur illos reſtituere.

Et hactenus expoſuimus illa QVINQVE, quæ in quæſtione de reſidentia & abſentia Epiſcoporum diximus eſſe certa. CONTROVERSVM autem in eadem quæſtione eſt, an Epiſcopi teneantur reſidere non modò iure Eccleſiaſtico, ſed etiam iure *diuino*. Neque eſt ad praxim inutilis explicatio huius controuerſiæ poſt ea, quæ ſunt hactenus dicta. Nam ſi Epiſcopi ſolo iure Eccleſiaſtico teneantur reſidere; tuta conſcientia eſſe poſſunt, quando cum eis in hac re à Pontifice diſpenſaretur, etiamſi cauſa diſpenſandi non eſſet fortè legitima; cùm poſsit Pontifex eximere aliquem ab obligatione ſolius iuris Eccleſiaſtici, etiam ſine iuſta cauſa. Si autem Epiſcopi iure etiam diuino reſidere teneantur, non ſufficit eis ſine iuſta cauſa vlla diſpenſatio ad ſecuritatem conſcientiæ, & vt non teneantur fructus perceptos reſtituere: Cùm in iis, quæ ſunt iuris diuini, diſpenſatio minimè ſit valida abſque legitima cauſa.

Sunt autem in hac controuerſia duæ ſententiæ. VNA eſt Catharini in tractatu de Reſidentia, vbi contendit probare, illam non eſſe Epiſcopis iniunctam iure diuino, ſed Pontificio ſolùm; ac proinde quòd reſideant, vel abſint, poſitum eſſe in mera Pontificis auctoritate, vt ille de ea re ſtatuat, tanquam is, qui præcipit reſidere. Argumenta huius opinionis poſtea adferemus.

ALTERA ſententia eſt, Epiſcopos iure etiam diuino teneri perſonaliter reſidere in ſuis Diœceſibus. Ita communiter alij, quorum multi de hac materia ſcripſerunt. Vt Turrianus in tractatu de eadem, & Sotus libro decimo de Iuſtitia, quæſtione tertia. Caietanus hìc, & Couarruuias libro tertio variarum reſolutionum, capite tertio, vbi propè finem eruditè probat hanc ſententiam. Quæ ſanè eſt veriſsima.

Probatur PRIMO argumentatione ducta ex iis Scripturæ locis, vnde conſtat, Epiſcopo *perſonale* aliquod, idque maximi momenti incumbere *officium*, quod niſi per ſe ipſe & præſens, obire non poteſt. Nam Chriſtus inſtituens Epiſcopos, non inſtituit inane aliquod nomen aut nudum titulum honoris, ſed aliquod Epiſcopis officium commendauit & imperauit, videlicet regimen & curam Eccleſiarum. At hoc officium Eccleſiis illi præſtare non poſſunt, niſi in eis reſideant. Ergo eo ipſo, quòd Chriſtus obligauit eos ad officium eiuſmodi, obligauit etiam ad reſidentiam.

Maior probatur ex eo, quòd in Scriptura Epiſcopi & alij miniſtri Eccleſiaſtici vocãtur *operarij*. Matth. 9. & 10. Luc. 10. 1. ad Timoth. 5. & ad Titum 2. Item ex illo Actorum 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Ex quo illud 1. ad Ti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

motheum 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum* OPVS *desiderat.* In quam sententiam diuus Hieronymus ad Oceanum: *Opus,* inquit, *non dignitatem, laborem, & non delitias.* Et in eandem sententiam D. AVGVSTINVS libro 19. de ciuitate Dei, capite decimo nono: *Cùm ait* (inquit) *Apostolus: Qui Episcopatum desiderat, bonum* OPVS *desiderat, exponere voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris.* Et deniq; patet satis illa Maior ex dictis p. 1.

Minor autem probatur. Nam officium Episcopi est, docere; Sacramenta quædam sibi propria administrare; altaria & templa benedicere & consecrare; visitare gregem, & ei inuigilare, (quod ipsius nomen præ se fert) illi superintendere in negotio salutis animarum. Item curare morbos publicos, & quoad fieri potest, etiam secretos ouium, quas oportet ex nomine cognoscere, vt Christus Dominus tradidit Ioannis decimo, iuxta illud Prouerbiorum vigesimo septimo: *Cognosce vultum pecoris tui, & greges tuos diligenter considera.* Pertinet etiam ad illum, salutaria pascua à perniciosis discernere, id est, diligenter examinare Confessarios & Concionatores, aliosque ministros, quorum operâ pascuntur oues. Item annunciare populo consilia & voluntatem Dei, & denique solicitudinem gerere Ecclesiarum: quæ omnia perspicuum est, *personalem* operam Episcopi requirere, atque adeò residentiam: Sunt enim omnia prædicta, naturâ sua, actiones personales. Quòd autem ea omnia ad Episcopale munus spectent, ex variis Scripturæ locis apertè colligitur, vt Ioann. 10. & 1. ad Timoth. 3. 2. ad Tim. 4. & ad Tit. 1. Actor. 20. 1. Petri 5. & alibi.

SECVNDO probatur eadem sententia ex variis nominibus, quibus in Scripturis Episcopi vocantur, quæ procul dubio indicant, diuinitus illos obligari ad actiones quasdam per se ipsos exercendas, atque adeò ad residentiam. Nam Esaiæ trigesimo tertio, Malachiæ secundo, Apocalypsis secundo, nominantur *Angeli,* id est, nuncij. Ezechielis 3. & 18. nominantur *speculatores & vigiles.* Esaiæ sexagesimo secundo, *Vigiles & custodes, super muros Hierusalem,* id est, Ecclesiæ, *constituti.* Ioannis 20. & 1. Petri 5. *Pastores.* & etiam Ioannis 10. & 1. ad Corinth. 4. *ministri & dispensatores.* Actorum 20. *Episcopi,* id est, Superintendentes. Iam verò quomodo vigiles & custodes, pastores & dispensatores verè dicãtur, si satis illis sit, per alios vigilare, pascere, &c? Certè princeps ipse non dicitur verè noctu custodire & vigilare, propterea quòd vigiles & custodes ciuitatis instituat. Neque verè etiam posset dici pastor ouium, qui gregem suum per ministros pascendum curat. Quoniam igitur, vt ait Petrus 1. epist. capite 5. Prælati non debent gregi dominari, sed ministros & dispensatores agunt; procul dubio ipsi per se debent exequi Episcopalia munera. Alioqui, vt rectè queritur Damasus Papa epistola quarta, in plurima incommoda oues incurrunt, maximè cùm absente pastore careant dispensationibus interdum necessariis: Ex quo fit, vt peccatis irretiti teneantur.

TERTIO probatur ex eo, quòd quando diuinitus Episcopi instituti sunt, vt regant Ecclesiam, sicut patet Actorum vigesimo, procul dubio iusti sunt regere, non quomodocunque, sed bene. Atqui si absint, non rectè regunt. Ergo. Minor patet ex eo, quòd Christus Ioannis decimo grauiter reprehendit pastorem, qui tanquam *mercenarius* gregem suum deserit. Item ex illo Zachariæ vndecimo: *O pastor & idolum derelinquens gregem suum.* Quibus verbis etiam tales mercenarij reprehenduntur.

QVARTO huic etiam sententiæ suffragantur Patres. Citat enim Turrianus in tractatu de Residentia, Canonem Apostolorum, quem ait se in vetustissimo Codice legisse, in quo *Christi communione priuantur,* qui absunt à grege suo: & hinc Turrianus rectè colligit, præceptum residentiæ esse diuinum. Idem habet sanctus Athanasius in epistola quadam ad Episcopos, ad suas Diœceses proficiscentes; & in alia ad Episcopum Sardensium; & Damasus epistola quarta. Vide Turrianum vbi suprà, & Bartholomæum Mirandam, in tractatu de Residentia, cap. 9.

POSTREMO suffragatur huic sententiæ maximè Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. de Reformatione. Vbi tria pro hac sententia affirmantur. PRIMO, *diuino præcepto mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas cognoscere, pro iis sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, &c. pascere.* SECVNDO, *hæc omnia nequaquam ab his præstari & impleri posse, qui gregi suo non inuigilant neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt.* TERTIO, sacrosancta Synodus proinde eos *admonet & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio & veritate pascant & regant.*

Porrò ex his sequitur PRIMO, teneri Episcopos etiam præcepto *naturali* residere. Probatur. Quia iure naturali quisq; tenetur rectè fungi officio, quod suscepit; maximè quando propter illud recipit stipendium à populo. Sed recta administratio officij Episcopalis consistit in dictis officiis Episcopalibus, requirentibus residentiam. Ergo iure naturali tenentur residere.

SECVNDO sequitur, ea, quæ hactenus dicta sunt de obligatione ad residendum, etiam pertinere ad alios Clericos, habẽtes CVRAM animarum. Patet primò ex Concilio Tridentino vbi suprà. Item ex eo, quòd plurima loca Scripturarum allata, absolutè loquuntur de *Pastoribus:* Et isti etiam suo modo Pastores sunt, qui proinde iure etiam naturali debent suo officio personaliter fungi, atque adeò residere. Alij autem Clerici, habentes beneficia, quibus non est cura animarum annexa; nec iure diuino, nec naturali

tenentur

tenentur residere in suis Ecclesiis: tenentur tamen residere plerique, vel ex iure positiuo, vel ex consuetudine recepta, vt docet Syluester, V. Residentia, q. 1. & patet ex Alexandro III. in Capit. Conquerente. Extra de Clericis non residentibus.

Nunc supereſt, vt respondeamus ad argumẽta opinionis Catharini. Sunt autem ferè ista septem. PRIMVM. Præceptum de Residentia nusquam extat in Scripturis. Ergo non est diuinum.

RESPONDEO. Vt asseramus, præceptum de Residentia esse diuinum, non esse requirendum adeò expressum locũ Scripturæ, vt totidem verbis id significetur: satis enim est, quòd apertè ex Scriptura id colligatur, vt antea fusè disputauimus.

SECVNDVM argumentũ. Solius Summi Pontificis est, hunc vel illum Episcopũ præficere huic vel illi Ecclesiæ. Ergo ex solo ipsius præcepto tenetur Episcopus Ecclesiæ inseruire residendo.

RESPONDEO. Ad solum quidem Pontificem Romanum pertinere, Episcopos confirmare, & huic vel illi Ecclesiæ præficere: sed tamen posito, quòd ab illo confirmati sint, & huic vel illi Ecclesiæ assignati, iam illo iure diuino tenentur suis in Ecclesiis residere, de quo hactenus diximus. Sicut solius Pontificis est, v. g. hanc vel illam Religionem approbare, & sic professionem solẽnem admittere: tamen posito, quòd ille hoc faciat; professus iure diuino obstringitur.

TERTIVM argumentũ. Soli Petro dixit Christus Ioann. 20. *Pasce oues meas.* Ergo solus Pontifex, Petri Successor, debet præcepto quidem diuino gregem Ecclesiæ pascere: alij autem Episcopi solùm ex præscripto Pontificis Romani; in cuius proinde potestate sit, præcipere illis, vt resideant; vel etiã ab ea obligatione liberare, prout expedit.

RESPONDEO. Verum quidem esse, verba illa soli Petro dicta tunc esse. Ex quo colligitur, illũ, eiusque successores, ampliorem potestatem iurisdictionis habere. Cæterùm re ipsa ad alios etiam Episcopos suo modo pertinent, postquam iam illi à Pontifice sunt constituti Episcopi, vt diuus Augustinus libro de Pastoribus, cap. 13. docet, & eruditè probat ex aliis Turrianus vbi suprà. Nam ad alios etiam Episcopos pertinet pascere suum gregem; sicque iure diuino tenentur personaliter id præstare.

QVARTVM argumentum. Episcopi immediatè recipiunt suam potestatem à Romano Pontifice, & non à Deo. Ergo præceptum, quo adiguntur ad hoc, vt Ecclesiæ inseruiant, eique assistant, à solo Pontifice accipiunt. Probatur Consequentia. Nam eiusdem est, potestatem conferre, & etiam per imperium mouere ad executionem eius potestatis.

RESPONDEO cum Turriano vbi suprà, & Soto lib. 10. de Iustitia, quæst. 2. art. 4. duobus modis posse intelligi, quòd Pontifex conferat potestatem Episcopalem. *Primò,* tanquam eius institutor & causa principalis: sicut Rex, v. g. confert potestatẽ Prætori. Hoc modo nequaquam Pontifex, sed Deus solus, potestatem Episcopalem confert, vt constat ad Ephes. 4. & Actor. 20. *Secundo modo* ministerialiter & instrumentaliter, tanquam is videlicet, cui Christus commendauit, vt in Ecclesia cum auctoritate designaret vnicuique Ecclesiæ Pastorem, qui sit à Deo veluti à causa principali potestatem iurisdictionis recepturus. Et hoc duntaxat modo verum est, Pontificem conferre potestatem iurisdictionis Episcopis, sicut colligitur ex quadam oratione, quæ in Consecratione Episcopi recitatur, in qua rogatur Deus, vt qui Episcopus creatur, sit fidelis & prudens, quem ipse Deus constituat super familiam suam. Ex quo patet, eum principaliter à Deo creari. Et sic non sequitur, quòd ad solum Papam pertineat, præcepto astringere Episcopum, vt suo fungatur munere: sed illud principaliter pertinet ad Deum. Vide Turrianum vbi suprà, qui ex diuo Ambrosio & aliis eruditè declarat, quemadmodum qui confert potestatem Episcopalem, non sit homo, sed Deus per hominem.

QVINTVM argumentum. Episcopi abundè satisfacient iuri diuino & naturali, si promoueant bonum spirituale subditorum. At hoc possunt facere, quamuis non resideant. Ergo iure diuino non tenentur residere. Minor probatur. Nam vti possunt idoneis ministris, quorum opera interdum populo erit vtilior, quàm si Episcopus ipse adesset.

RESPONDEO, per accidens esse, quòd per substitutos interdum saluti populi consulatur. *Per se* enim illud est, quod docet Christus Ioann. 10. vt nimirum *mercenarius fugiat.* Tenetur autem Episcopus, non quomodocunque bonum spirituale subditorum promouere, sed tali modo; nimirum pastoris munus, quod personalia opera requirit, verè exercendo, vt sic accommodatissima ratione *per se,* & ex natura rei, populo consulatur.

SEXTVM argumentum: Multi sunt Episcopales actus, quos Episcopi possunt & solent etiam per alios exercere. Vt concionari, conferre Ordines, &c. Ergo eadem ratione possunt omnes actus per ministros exercere.

RESPONDEO. Concedo Consequentiam, quando legitima causa suppetierit ad omnes eiusmodi actus exercendos per alios, sicut sæpe suppetit ad exercendos sic aliquos. Quando autem talis causa ad id non suppetit, minimè satisfaciet Episcopus iuri diuino, exercendo absens omnes eiusmodi actus per alios. Quippe cùm teneatur, sicut dictum est, consulere bono cõmuni tali via & ratione, nimirum pastorale munus verè exequendo. Hoc autem verè non facit, nisi per se ipsum gregem pascat, vt suprà probatum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEPTIMVM argumentum. Papa non poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt de iure diuino. Sed poteſt & ſolet diſpenſare in Reſidentia Epiſcoporum. Ergo hæc Reſidentia non eſt de iure diuino.

RESPONDEO. Eodem argumento probaretur, neque Vota eſſe ſeruanda ex iure diuino. Maior igitur propoſitio diſtinguenda eſt. Nam quãuis non poteſt Papa *propriè* diſpenſare in iis, quæ ſunt iuris diuini, tollendo ſua auctoritate vinculum; poteſt tamen diſpenſare, cum auctoritate & certò (ſi ſubſit legitima cauſſa) declarando illud ceſſare, ſicut ſuprà in pronunciato quarto à nobis declaratum eſt.

PVNCTVM SEXTVM.

An liceat Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis habere aliquarum rerum Dominium & proprietatem.

D. Thomas art. 6.

HOc loco ſolùm generatim quærimus, an liceat Epiſcopis & aliis Eccleſiaſticis aliqua bona tanquã propria poſſidere, ſaltem ea, quæ iure hæreditario aut donatione illis cõtingunt. Nam de Eccleſiaſticis bonis, vtrum illorum ſint veri Domini, p. ſequenti videbimus.

Fuit autem in hac re hæreſis Vadianorum (alio nomine Antropomorphitarũ) qui, teſte D. Auguſtino libro de hæreſibus, hæreſi 50. accuſabant Eccleſiaſticos, quòd poſſeſſiones haberent: non enim eſſe illis licitum. Hos ſecuti ſunt VValdenſes, vt auctor eſt Aeneas Syluius libro de origine Bohemorum, cap. 35. Item VVicleph, vt patet ex actis Concilij Conſtantien. præſertim ſeſſ. 8. Vbi inter alios VViclephi errores, iſte etiam damnatur, num. 10. & 36.

SED ex fide eſt certa contraria aſſertio, vt probauimus ſuprà diſput. 5. q. 10. p. 2. contra hos hæreticos; vbi etiam refutauimus hæreticos alios, qui in vniuerſum negabant licere Chriſtianis habere proprium & peculiare Dominium rerum aliquarum. Ac patet hæc aſſertio tum ex Concilio Conſtantienſi loco citato, tum ex Concilio Antiocheno, cap. 24. & ex Concilio Agathenſi, cap. 48. & ex Carthaginen. III. cap. 49. & ex multis Decretis. 12. q. 1. ex quibus omnibus conſtat, licere Epiſcopis & Clericis *proprium* habere: atq; ita diligentiſsimè cauetur, ne moriente Epiſcopo, alij prætextu Eccleſiaſticorum bonorum in illa etiam irrumpant, quæ ſint illius propria, aut iure hæreditario, aut donatione.

Deinde etiam eadem aſſertio probatur à diuo Thoma hîc manifeſta ratione. Nam ad id, quod non eſt præceptum, ſed tantùm in conſilio, nemo obligatur, niſi quis voto peculiari ſe obliget ad illud, aut ſit neceſſarium ad exequendum rectè debitum officium alicuius. Sed paupertas, ſiue renunciatio temporalium, non eſt à Deo præcepta, neque eam Eccleſiaſtici vouent, neque eſt neceſſaria ad hoc, vt Epiſcopi & alij Eccleſiaſtici rectè fungantur ſuo officio. Ergo minimè illi ad eam tenentur.

SED occurrit argumentum pro contrario errore. Etenim vt Religioſi ſunt cultui diuino dedicati: ita etiam *Clerici*, vt nomen ipſum præ ſe fert; ſunt enim quaſi ſors Domini. At Religioſos, pauperes oportet eſſe. Ergo. *Confirmatur* ex antiquo vſu, quo conſtat, Clericos communem egiſſe vitam, nil proprij poſſidentes, vt patet 12. q. 1. Can. Scimus, ex Vrbano Papa in epiſtola vnica ad omnes Catholicos, cap. 1.

AD hoc argumentum reſpondent aliqui, diſparem eſſe rationẽ de Clericis, propterea quòd illos non deceat mendicare; cùm verſari debeant in miniſteriis; & auctoritas illis ſit neceſſaria. Verùm hæc ſolutio non ſatisfacit. Nam ſatis vitarent mendicitatem, ſi poſſiderent bona *in communi*; nec ad hoc oportet illos habere aliquid proprij: id quod contendit argumentum, eſſe illis illicitum. Patet hoc ex inſtituto aliquarũ Religionum, in quibus non mendicatur, tametſi Religioſi nihil habeant proprij, ſed ſolùm in cõmuni.

Reſpondemus igitur aliter. Varia ac multiplici ratione poſſe homines diuino cultui dedicari. Vnus modus eſt ille, quo Religioſi pauperes dedicantur: Alter, quo Clerici, quamuis proprium poſſideant.

Ad *Confirmationem* reſpondetur, illud nunquã fuiſſe vſurpatum ex præcepto, ſed tantùm ex conſilio. Poſtea verò, creſcente multitudine Clericorum, & refrigeſcente charitate, aliter oportuit fieri ad occurrendum infidelitati eorum, qui bona communia Clericorum malè diſpenſabant. Itaque diuus AVGVSTINVS tametſi aliquando nullum admitteret ad ſacros Ordines, qui nollet in communi viuere, tamẽ poſtea mutauit conſilium, vt ipſe teſtatur 12. quæſtione prima, Capit. Certè ego. ex ſermone ſecundo eiuſdem AVGVSTINI de communi vita Clericorum, ſiue ad Fratres in Eremo.



PVNCTVM SEPTIMVM.

An Epiſcopi & alii Eccleſiaſtici habeant Dominium bonorum Eccleſiaſticorum.

D. Thomas art. 7.

IN HAC quæſtione quædã ſunt certa, vel ferè certa apud Doctores, & aliquid valdè cõtrouerſum. PRIMO certũ eſt, Eccleſiaſticos non eſſe Dominos bonorum Eccleſiaſticorum *immobilium* & *vtenſilium*. Etenim multa ſunt, quæ in bonis Eccleſiaſticis poſſunt numerari. Sunt enim quædã Eccleſiaſtica bona immobilia; vt caſtra, villę, prędia, & alia huiuſmodi à fidelib. donata Eccleſiis: Sunt etiam annui redditus deputati pro aliqua memoria in aliqua Eccleſia agẽda: Sunt decimæ: Sunt oblationes quotidianæ: Sunt ſtipendia, quę Eccleſiaſtici ſolent accipere pro perſonalibus actionibus ſpiritualibus, vt pro collatione Sacramenti, pro faciendo ſacro. Deniq; ſunt bona vtenſilia, vt veſtes ſacræ, ornamenta, &c.

De bonis aũt immobilibus conſtat, Eccleſiaſticos non acquirere abſolutũ & plenum dominium illorũ, vt luculẽter aſſerit S. AVGVSTINVS tract. 6. in Ioan. circa finem, & confirmat pluribus Thomas VValdenſis tom. 1. lib. 4. cap. 43. aduerſus calumniam VViclephi, qui Eccleſiaſticis obiiciebat, quòd in villas, caſtra, & prædia Eccleſiæ, &c. æquè dominium vſurparent, atq; Laici in res, quas poſſident. Quod omnino falſum eſt. Nõ enim poſſunt huiuſmodi bona Eccleſiaſtici alienare, neq; etiam locare, niſi certis cõditionibus, vt Doctores tradunt ſuper tit. de rebus Eccleſiæ alienãdis, vel non. Et Summiſtæ, V. Abalienatio. Et peculiariter Caietanus. V. Excommunicatio, capite 75. & nos ſuprà diſputatione ſexta, in quęſtione de Decimis. Idem etiam conſtat de bonis *vtenſilibus*: Siquidem de iis ferè eadem eſt ratio, atque de immobilibus, vt patet ex Authentica Præterea, Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis, & ex Sylueſtro, V. Abalienatio.

SECVNDO certum eſt, Eccleſiaſticos acquirere etiam dominium ſtipendiorum, quę pro ſuis *peculiaribus* miniſteriis eis dantur; vt pro Miſſa, &c. Et idem iudicium eſt de diſtributionibus (vt vocant) quas accipiunt pro perſonalibus præſentiis, vt ex communi ſententia tradit Couarruuias in Capit. Cùm in officiis. de Teſtamentis, numero 4. aliâs 14. quamuis Nauarrus in Tractatu de redditibus Eccleſiaſticis, quæſtione prima, num. 74. coroll. 19. contrarium de diſtributionibus ſentit: ſed ſine firmo fundamento. Eadem namque de illis, & de ſtipendiis pro aliis peculiaribus miniſteriis eſt ratio: vt intelligi poteſt ex Capitulo vnico. de Clericis non reſidentibus, in 6. Atque eadem ratione idem iudicandum eſt de iis, quæ dantur Eccleſiaſticis propter ſingularem aliquam eorum dignitatem & merita in Eccleſiam, vt Couarruuias aſſerit loco citato, num. 6. vel 19.

TERTIO certum eſt, habere etiam Eccleſiaſticos dominium eius partis redditus Eccleſiaſticorum, quæ ſit illis peculiariter aſſignata, vbi quidem ita illi redditus diuiſi eſſent, vt vna pars eſſet miniſtris peculiariter aſſignata, & alia pauperibus, ſicut docet D. Thomas hîc communiter receptus. Quę diuiſio ſaltem olim in vſu apud multas Eccleſias fuit. Sciendum enim eſt, pro diuerſitate temporum variam fuiſſe in Eccleſia rationem adminiſtrandi bona Eccleſiaſtica. Nam primum inſtitutum illud vitæ communis, quod apud omnes fideles viguit Hieroſolymis, vt conſtat Actor. 2. poſtea ab Eccleſiaſticis receptũ eſt. Durauit enim breui admodum tempore apud alios fideles, vt ex eo colligere licet, quòd etiam tempore Apoſtolorum, licebat Epiſcopis habere aliquid proprium titulo aliquo temporali, vt patet ex Can. 40. Apoſtolorum. Item etiam tempore Clementis (vt patet ex epiſtola 5. illius) iam erat illa ratio vitæ communis collapſa. Succeſſerunt igitur in eo inſtituto Eccleſiaſtici, atque ita bona, quæ à fidelibus Eccleſiis erant donata, in communi poſſidebantur à Clero, committebaturq; eorum diſpenſatio Epiſcopo, vt in ſuos, & miniſtrorum, & alios pios vſus illa fideliter conferret. Hoc apertè conſtat ex Canone 58. Apoſtolorum, vbi Epiſcopus non ſuppeditans neceſſaria miniſtris, iubetur communione priuari & deponi.

Poſt hunc adminiſtrationis bonorum Eccleſiaſticorum ſtatum, ſucceſſit alter. Nam creſcente multitudine Clericorum, & cupiditate, atque adeò infidelitate Epiſcoporum in diſpenſandis bonis Eccleſiæ, hæc ineunda ratio fuit, vt nimirum cumulus bonorum Eccleſię in quatuor partes diuideretur, quarum vna Epiſcopo, altera aliis Clericis miniſtris, tertia fabricæ & cultui diuino, quarta pauperibus aſſignaretur. Hanc diuiſionem faciendam curauit Syluester Papa, vt patet ex Synodo Romana ſub ipſo celebrata, capite quarto. Et poſtea à plurib. Pontificibus confirmata eſt, vt apparet ex variis Decretis. 12, quæſtione 2.

Neq; tamen iſta hæc diſtributio vbique ſtatim, & eodem modo obtinuit. Nam & diui Auguſtini, & D. Hieronymi tempore, aliqui Epiſcopi in communi vitam cum Clericis agebant, vt rectè notauit Sotus vbi ſuprà, & patet 12. quæſtione prima, Can. Certè ego, qui eſt Auguſtini. Item in aliquibus Eccleſiis, non quarta pars duntaxat, ſed tertia contingebat Epiſcopo, vt patet ex Capit. Requiſiuiſti. Extra de Teſtamentis, vbi dicitur, vt Epiſcopi accipiant partem tertiam, vel quartam, ſecundùm conſuetudinem. Quinimò media pars eorum, quæ offerebantur, alicubi contingebat Epiſcopo, vt patet 10. q. 1. Can. Antiquos, ex Concilio Aurelianenſi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex hac igitur varietate factum est, vt iam vix in aliqua Ecclesia reperiatur illa quarta pars pauperibus deputata, sed videntur omnia bona in tres alias partes duntaxat distributa: pars autem pauperum, non est ab aliis sequestrata; quamuis, vt pòst dicemus, debeant Ecclesiastici stricto præcepto pauperibus subuenire.

Neq; verò videtur admodum verisimile, quod quidam dicũt, partem illam pauperum deuenisse ad hospitalia: habent enim illa plerumq; certos fundatores. Neq; magis verò simile illud esse videtur, quod alij dicunt, ex illa parte constituta esse ea beneficia, quæ dicuntur *præstimonialia*, deputata nimirum studio eorum, qui futuri sunt Clerici. Videntur enim potius huiusmodi præstimonialia beneficia succesisse beneficiis, quib. annexa erat cura aliquarum Ecclesiarum, quæ vel neglectæ omnino erant, vel collapsæ.

Quicquid autem sit de hoc, certum est (vt diximus, & vt etiam rectè notat Sotus lib. 10. de Iustitia, q. 4. ar. 3.) in locis, vbi supradicta illa diuisio quadripartita adhuc obtinet, Episcopos verè dominos esse quartæ portionis ad se pertinentis; atq; adeò non debere *ex iustitia* pauperibus quicquam elargiri ex illa. Patet apertè. Nam in variis Decretis. 12. quæst. 2. & præsertim in Cap. De redditibus, vbi mentio fit eiusmodi quadripartitæ diuisionis, perspicuè dicitur, vt Episcopus tollat sibi quartam partem, & illam retineat: quæ verba proculdubio indicant, dominium eius portionis ad Episcopum pertinere; aliàs frustrà fuisset illa diuisio facta, vt rectè ratiocinatur Sotus vbi suprà.

Qvarto certum etiã est, vbi diuisio illa quadripartita obtinuit, & adhuc obtineat, Episcopos & alios Ecclesiasticos, non habere dominium partis pauperum, sed mortaliter peccare contra iustitiam, si partem pauperum sibi vsurpent, atque adeò debere restituere, vt docet hic D. Thomas & omnes.

Qvinto certum est, etiam vbi illa diuisio nõ est, sed pars, quæ erat destinata pauperibus, est confusa cum aliis; posse Ecclesiasticos ex redditibus beneficiorum, quæ administrant, totum id tanquam veros dominos pro arbitrio expendere, quod sit eis necessarium ad tuendam non modò vitam, sed etiam *decentiam status*. Vt probat ex communi sententia & ex Canonibus, Couarruuias in dicto Capit. Cùm in officiis, de Testamentis, numer. 2. vel 6. Nec potest esse de hoc dubium. Nam totum id pertinet ad Ecclesiasticorum condignum stipendium, cuius omnino acquirunt dominium non minus, quàm alij Officiales seu Mercenarij.

Itaque poterunt etiam aliquid moderatè donare, & remunerare aliorũ in se obsequia, & merita, & eleemosynas honestas facere, atque eo nomine consanguineis etiam, aut filiis spuriis (prout naturaliter tenentur) subuenire: item facere Testamẽtum propter consuetudinem, sicut probat Couarruias loco citato, n. 9. vel 23. Nam hæc omnia pertinent ad decentiam status.

Neque ij solùm Ecclesiastici poterunt hæc facere de redditibus Ecclesiasticis, qui non habent alioqui bona patrimonialia, sed etiã qui habent, vt ostendit Couarruuias in Capit. 1. de Testamentis, num. 2. Neque etiam desinunt habere hoc ius & facultatem propter quoduis peccatum mortale, si alioqui non negligant suum officium, vt patet ex cõmuni doctrina, defensa contra nonnullos à Nauarro in Manuali, capite 25. num. 123. & à Sylvestro, V. Clericus. 4. q. 24. & à Soto libro 10. de Iustitia, quæstione quinta, articulo sexto, in fine, & ab aliis.

Sexto certum est, Ecclesiasticos strictissimo præcepto *misericordiæ* esse obligatos præ aliis ad eleemosynas faciendas pauperibus, præsertim de ea parte reddituum Ecclesiasticorum, quæ ipsorum statui superflua est, siue eius sint domini, siue non; atq; adeò grauissimè peccare, si donatione, vel testamento, vel aliter, in alios vsus non pertinentes ad decentiam status, id superfluum conferant, siue eius sint domini, siue non. *Primò*, quoniam sæpius accidit, Ecclesiasticos viros superfluum habere, ex quo proinde eleemosyna impertienda est, iuxta veriorem sententiam, de qua suprà disputat. 3. in quæst. de Eleemosyna, puncto 4. Et ratio est: quia carent prole, cùm sint cœlibes: itaque facilius potest illis aliquid ex bonis propriis superesse. *Deinde* in Concilio Tridentino, sessione 23. capite primo, de reformatione, iure diuino dicuntur astringi Episcopi, vt gerant peculiarem curam pauperum & miserabilium personarum. Sed & Apostolus 1. ad Timotheum tertio, & ad Titum primo, maximè vult, illos esse *hospitales* & misericordes. Vnde 1. ad Timoth. 5. viduas ex Ecclesiæ bonis iubet ali. Accedit etiam huc ratio. Nam eo ipso, quòd Episcopi, & alij habentes curam animarum, tenentur spirituali saluti subditorum peculiariter studere, etiam debent necessitatibus eorum temporalibus peculiari ratione occurrere: multos enim peccare facit egestas. Itaq; vt ex his apparet, in multis casibus sine controuersia peccabunt Ecclesiastici, eleemosynas non erogando, in quibus Laici non peccarent. Tenentur enim maiorem curam pauperum habere, ac proinde inquirere & cognoscere de necessitatibus pauperum.

Hoc tamen ita intelligendum est, vt non censeantur in hoc genere Ecclesiastici grauiter peccare, nisi quando notabiliter malè dispensant eiusmodi superflua in alios vsus, quàm pauperum, iuxta id, quod de Episcopis tradit D. Thom. hic communiter receptus: quòd scilicet si bona Ecclesiastica non sunt diuisa, sed in cõmuni eorum dispẽsatio committatur fidelitati Episcopi, vt is tum in suos, tum in ministrorum, tum in pauperum & fabricæ vsus distribuat, tunc quidem si in eorum distributione parum à rectitudine deficiat, vel etiam illius limites transgrediatur, non videtur

videtur esse mortale peccatum. Nam difficile est in huiusmodi punctim ipsam rectitudinẽ attingere. Si autem notabiliter deficiat, aut excedat, mortale peccatum admittet contra fidelitatem debitam.

Controversvm autem maximè est, an Ecclesiastici sint veri Domini eius partis reddituum Ecclesiasticorum, quæ sit superflua statui ipsorũ; sic, vt solùm stricto præcepto misericordiæ teneantur eam in pauperes erogare: an verò sint solùm dispensatores eius partis, dominio illius existente apud pauperes, quibus proinde ex iustitia quoque teneantur illam erogare sub obligatione restituẽdi ipsis, si in alios vsus eam reddtuum partem conuertant.

Et sunt de hac re tres opiniones. Prima est Caietani hîc, quam etiam insinuauit suprà q. 87. Is primũ aliis Ecclesiasticis præter Episcopos, nullam imponit obligationem iustitiæ elargiendi aliquid pauperibus: atque ita videtur simpliciter concedere, tales esse simpliciter dominos. Quod autem ad Episcopos attinet, distinguit. Nam si, inquit, redditus habeant adeò abundantes, vt in iudicium Sapientis cadere non possit, deberi illis pro suo ministerio tam amplam mercedem; debẽt, inquit, pauperibus ita elargiri, quod ipsis superat de eiusmodi redditibus, vt nisi faciant, debeant restituere: atq; ita videtur negare illos esse simpliciter dominos. Si autem habeant redditus mediocres, non item.

Hæc sententia probatur à Caietano *primò*, quoniã non videtur credibile, quòd intentio Ecclesiæ fuerit, illis dominium adiudicare absolutum tam amplæ præbendæ. *Secundò* accedit, inquit, quòd iam Ecclesiastici vix sunt quinquagesima pars populi Christiani, cùm tamen olim Leuitæ, qui habebãt decimas, essent pars duodecima populi Israëlitici. Ex quo patet, redditus ex decimis fuisse ita Ecclesiasticis designatos, vt quod ipsis superat, debeant erogare pauperibus peculiari ratione: atq; adeò Episcopi, qui abundantes redditus habere deprehenduntur, debebunt pauperibus, quod superat, elargiri; alioqui tenebuntur restituere.

Hanc sententiam meritò reiicit Sotus lib. 10. de Iustitia, q. 4. art. 3. Et primò sine ratione facit Caietanus, quòd Episcopis tantùm imponat hanc obligationem, Clericis aliis prætermissis. Nam si conferatur pars bonorum Ecclesiasticorum, quæ contingit Clericis omnibus, cum parte Episcopi, vt minimum erit æqualis, & plerumq; maior: Quare non magis est credendũ, quod Caietanus putet, partẽ pauperum coniunctam esse cum parte Episcopi, quã cum portione Clericorum: atq; ita non magis Episcopi, quàm alij Clerici, debebunt ex iustitia erogare in pauperes, quod sibi superat. Item fieri potest, vt pars pauperum deuenerit ad Reges & Principes pro Ecclesia pugnantes, quibus constat multa subsidia collata esse à Pontificibus ex redditibus Ecclesiæ. Itaque non est, cur Caietanus putet in portione Episcoporum iam contineri peculiariter portionem pauperum. Denique fundamentum illud Caietani de decimis, non magis probat, Episcopos debere ex iustitia dare quod superat, quàm alios Ecclesiasticos, cùm vtriq; vtantur redditibus decimarum. Quare non rectè Caietanus inter hos & illos discernit, sed vel omnes Ecclesiastici, vel nulli debent ex iustitia dare pauperibus.

Ad *primum* autem argumentum Caietani respondetur, non esse id incredibile, vt magis patebit postea. Ad *aliud* de decimis, iam diximus suprà in q. de Decimis, non esse tam paucos Ecclesiasticos, quàm Caietanus putat. Et dato, quòd essent tam pauci, tamẽ dignitas ministerij Euangelici, & laborum magnitudo, quos iam Ecclesiastici suscipiunt, postulat, vt tanta portio illis assignetur, quanta olim Leuitis.

Ad aliud etiam, quod hîc Caietanus suspicatur, portionem pauperum esse coniunctam cum portione Episcoporum opulentorum, patet ex dictis, non esse eam firmã coniecturam; maximè quia potuit etiam fieri, vt fructus Episcopatuum successione temporum creuerint sine accessione portionis pauperũ. Et dato, quòd portio pauperum accessisset, tamen vniuersalis consuetudo transferre potuisset dominiũ eius in Episcopos, sicut etiam potuisset lex, cũ consuetudo eandem vim habeat in huiusmodi, vt patet ex illo Ca. Requisiuisti, Extra de Testamentis, vbi dicitur, vt Episcopus tollat tertiam vel quartam partem secundùm consuetudinem. Postremò facit etiam contra illam coniecturam Caietani, quod suprà diximus, diuisionem illã quadruplicem non fuisse vbique receptam.

Secũda sententia simpliciter negat, Episcopos & alios Ecclesiasticos esse dominos suorũ reddituum, sed debere ex iustitia dare pauperibus, quicquid iis superat. Ita Alexãder Hallen. 3. par. q. 36. membro 5. artic. 2. Richardus in 4. distinct. 45. art. 3. q. 1. Paludanus in 4. d. 24. q. 3. art. 3. Antoninus 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 19. Gabriel in 4. d. 15. quæst. 8. concluſ. 5. Maior in 4. dist. 24. quæst. 17. Petrus à Soto in Institut. Sacerd. lect. 3. de Sacerdotum vita. Michaël Medina libro septimo de recta in Deum fide, capite vigesimo primo. Qui duo vltimi videntur planè damnare contrariã opinionem. Item Thomas V. Valdensis tom. 1. doctrinalis fidei antiquæ, libro quarto, capite 42. & 43. vt quidam citãt (sed malè: quia solùm de bonis Ecclesiæ immobilibus videtur agere, vel certè de quodã genere dominij, quod minimè pertinet ad præsentem quæstionem) & alij citati à Couarruuia in Capit. Cùm in officiis. de Testamentis, numero tertio, aliâs duodecimo. Estque hæc sententia communis Canonistarum, eamque fortiter defendit Nauarrus in Tractatu & Apologia de redditibus Ecclesiasticis, aitque intelligendam etiam esse de illis, qui habent

habent pensiones ex redditibus Ecclesiæ. Nam res, inquit, transeunt cum suo onere.

Ratio *prima* huius sententiæ est. Quòd bona Ecclesiastica in Decretis Patrum, dicuntur Domino Deo donata, vt patet 12. q. 2. Ca. Qui Christi, & 12. q. 1. Cap. Res Ecclesiæ; Ecclesiasticos verò habere illorum administrationem.

Secundò, quòd semper in Ecclesia intellectum est, huiusmodi bona peculiariter ad pauperes, viduas, &c. pertinere, vt patet ex Clemente libro 2. Constitutionum Apostolicarum, cap. 29. & 30. & 12. q. 1. Cap. Præcipimus, & Cap. Ex his.

Tertiò, quòd si essent domini, non prohiberentur liberè de illis testari & disponere. At prohibentur Iure Canonico. Ergo, &c.

Quartò, quòd in variis Decretis habetur, illos non esse dominos, sed dispensatores, vt 16. q. 1. Cap. Decimæ, & 23. q. 7. Cap. Quod autem, & Extra de Donationibus, cap. 2.

Quintò, in aliis etiam dicuntur interfectores pauperum, raptores, &c, si quod ipsis superat, nō elargiantur; vt distinct. 42. Capit. Ordinamus. & 12. quæstione 2. Capit. Gloria. 5. Amico, & sæpè aliàs.

Sextò, quòd portio pauperum est confusa cum illis redditibus. Ergo quæ ex illis sunt superflua vltra honestam & decentem sustentationem Ecclesiasticorum, censeri debent esse bona pauperum.

Septimò, quòd fideles olim non nisi sub ea *conditione* videntur ea bona dedisse Ecclesiasticis, vt scilicet ea, quæ ipsis superessent, largirentur pauperibus. Ergo non aliter acquirunt illorum dominium; cùm conditionales vel causales donationes non valeant, nisi conditione impleta, vt patet ex Iure Ciuili, Cod. de Donationibus, quæ sub modo vel sub conditione, &c. & ex Canonico. Can. Verum. Extra de Conditionibus appositis.

TERTIA sententia simpliciter tribuit Ecclesiasticis dominium reddituũ suarum præbendarum, etiam quoad superflua statui ipsorum. Hæc sententia est D. Thomæ hîc, & clarius quodlib. 6. art. 12. vbi distinguit duplicis generis bona. Quædam primariò deputata Ecclesiasticis, & secundariò pauperibus: eiusmodi esse dicit redditus præbendarum: Et loquitur de præbendis, sicut iam sunt; & addit. Si hæc Clerici non conferant in pauperes, quantum possunt, non debere illos restituere, licet mortaliter peccent. Alia, inquit, bona sunt primariò deputata pauperibus; vt bona hospitalium; & hæc, inquit, si non conferant Ecclesiastici in pauperes, debent restituere. Eandem sententiam sequitur Adrianus in materia de Restitutione, quæstione 12. quæ incipit: Pro clariori. Et Sylvester, V. Clericus. 4. quæst. 20. & V. Restitutio. 3. quæstione quinta. Gerson in suis moralibus, titulo de Auaritia, Sotus libro 10. de Iustitia, quæstione quarta, art. 3. Driedo libro 2. de libertate Christiana, capit. quarto, vbi de redditibus quidem præbendarum, quæ dantur ipsis Ecclesiasticis, vt Canonicis & aliis, expresè id asserit. Et Ioannes Arboreus in Theosophia. parte prima, capite 25. & Couarruuias in Cap. Cùm in officiis, numer. 3. (aliàs 12.) vbi ait, *hanc sententiam benigniorem esse, & nostris hisce temporibus admittendam, ex totius Christiani orbis consuetudine, qua plurimum adiuuatur.* Et ita ego etiam opinor, sicut & alij non pauci Theologi recentiores.

Probatur PRIMO hæc sententia ex eo, quòd cùm contraria opinio dura omnino & in praxi difficilis, seu potius nulla sit, nullo etiam argumẽto videtur satis firmiter probari posse. Quod enim *primò* dicitur, eiusmodi bona Ecclesiastica Deo à fidelibus data esse; sensus est, eiusmodi bona collata esse Ecclesiæ & eius ministris propter Deum, eiusque cultum. Alioqui probaretur eodem argumento, Ecclesiasticos ne esse quidem dominos portionis reddituum necessariæ ipsis ad eorum statum, cùm omnia omnino bona Ecclesiastica dicantur esse data Deo à fidelibus.

Quod item *secundò* dicitur, eiusmodi bona peculiariter ad pauperes pertinere; solùm indicat onus impertiendi eleemosynas de redditibus Ecclesiasticis strictissimo præcepto misericordiæ.

Quod item *tertiò* dicitur, Iure Canonico prohiberi Ecclesiasticos, ne faciant Testamẽtum; nihilo magis iuuat illam opinionem. Nam quamuis Ecclesiastici sint reddituum Ecclesiasticorum domini: tamẽ meritò prohibentur liberè testari. Fit enim hoc, vt præcludatur aditus Auaritiæ, & sint, dum viuunt, liberaliores in pauperes. Adde tamen, vbi contraria consuetudo viget, posse illos liberè testari, vt ait diuus Antoninus 3. par. titulo 10. capite tertio, §. finali. Et Syluester, V. Clericus. 4. §. 2. & Couarruuias vbi suprà, numero 9. vel 23. Item Iure communi testari possunt ad pias causas, & etiam ad remunerandum honestè officium vel famulorum, vel consanguineorum, &c. Quòd autem aliàs prohibeantur liberè testari, nihil obstat eorum dominio. Nam & ciues etiam meritò prohiberi solent, ne facultates suas in hoc vel illud negotium conferant, ne cum talibus contrahant, &c. Ac multi etiam sunt nobiles seu Principes viri, qui per leges bona sua alienare non possunt. Ratio autem, propter quam potest certis limitibus circumscribi facultas, quam habet dominus vsurpandi liberè rem suam, est, quoniam ita expedit ad bonum commune interdum, quod quidem finis est diuisionis rerum ac dominiorum; & sicut latè patet facultas liberè vsurpandi rem: ita etiam dominium, quod in eiusmodi facultate consistit, vt patet ex dictis suprà disputatione quinta, quæst. 10. p. 1.

Quod item *quartò* dicitur, in quibusdam Decretis dici Ecclesiasticos non esse dominos, sed dispensatores; id intelligendum est de bonis Ecclesiæ aut immobilibus (in quibus possunt

numerari

numerari ipsa etiam beneficia Ecclesiastica) aut vtensilibus; non autem de redditibus præbendarum. Vel si de his etiam redditib. intelligatur, intelligendi sunt illi Canones pro eo tempore & loco, quo pars aliqua illorum fuerit segregata ab aliis, & destinata pauperibus. Vel certè significãt ij Canones, non ita Ecclesiasticos esse absolutos dominos eiusmodi bonorum Ecclesiasticorum, vt liberi sint à strictissima obligatione misericordiæ erogandi superflua illorum in pauperes.

Quod item *quintò* dicitur, Ecclesiasticos, qui pauperibus non largiuntur, appellari à Patribus raptores, &c. parum etiam vrget. Nam Patres eiusmodi exaggerationibus soliti sunt declarare tantùm vim strictissimi præcepti, quo initio diximus, debere Ecclesiasticos misericordes esse in pauperes. Non volunt autem indicare obligationem iustitiæ; vt patet ex eo, quòd interdum etiam eodem genere sermonis inuehuntur in Laicos auaros, quos tamen constat non debere ex iustitia aliquid impertiri pauperibus. Cuius generis testimonia Patrum multa attulimus suprà disputatione tertia, in quæstione de Eleemosyna, p. 4.

Quod item *sextò* dicitur, portionem, quæ erat assignata pauperibus, esse confusam cum redditibus Ecclesiasticorum; nihilo magis conuincit, dominium alicuius partis eiusmodi reddituum non esse nunc apud Ecclesiasticos, sed apud pauperes. *Primò*, quia neque tunc, cùm ea portio erat ab aliis segregata, constat dominium eius fuisse apud pauperes. Quanquam enim teneretur peculiariter Episcopus tunc ex illis bonis subuenire pauperibus, tamen vt rectè Sotus docet lib. 10. de Iustitia, quæstione 4. articulo 3. & Adrianus in materia de Restitutione, quęstione 12. nullius portionis illorum erat dominium apud pauperes, & multo minus apud alios Laicos, sed solùm erat apud Clerum. *Secundò*, quia potuit illa portio, postquam aliis adiuncta est, consumi erogando de bonis illis in necessitates seu prȩmia eorum, qui bene essent meriti de Ecclesia, vt suprà etiam dicebamus. *Tertiò*, quia dato quòd consumpta non sit, tamen potuit postea ex arbitrio & consensu Ecclesiæ cedere in peculiare stipendium & dominium ministrorum, cum annexo onere prouidendi nihilominus pauperibus ex præcepto strictissimo misericordiæ. Atque ita id sanè factum esse (si portio illa cum aliis adhuc confusa supereſt) declarat ipsa communis praxis & consuetudo Ecclesiasticorum, qui suis stipendiis integris vtuntur tanquam suis, Ecclesia ipsa minimè reclamante.

Quod denique *septimò* dicitur, data fuisse à fidelibus Ecclesiastica bona ministris *sub conditione*, vt prouideant pauperibus, non est etiam satis firmum. Nam primò si id ita esset; sequeretur, Ecclesiasticos, qui superflua pauperibus non dant, nullius omnino partis reddituum acquirere dominium; deficiente nimirum donationis *conditione*: ac proinde ne eius quidem partis reddituum esse dominos, quæ ipsis est necessaria ad decentem sustentationem; id quod minimè volunt auctores illius opinionis, neque potest asseri sine absurditate. Deinde quamuis eo etiam animo fideles dederint ea bona, vt ex illis quoque prouideretur pauperibus: tamen minimè constat id intendisse fideles; vel tanquam finem *principalem*, vel tanquam *conditionem*, sine qua nollent donare. Quin potiùs videntur in ea donatione principaliter intẽdisse solum cultum & honorem Dei in suis ministris; sustentationem autem pauperum per prouidentiam ministrorum, videntur respexisse tantummodo velut quoddam eius donationis *motiuum secundarium*. Atque ita videtur illa donatio ea intentione facta, neque *causalis*, neque *conditionalis* fuisse; sed solùm *modalis* (vt vocant) ex qua propter defectum modi seu motiui, nulla oritur obligatio restituendi, quod dono acceptum est, vt annotauimus suprà disputatione quinta, quæst. 6. p. 5. cùm ageremus de restitutione acquisitorum per donationem. Ac potest hoc ipsum probari ex eo, quòd donationes factæ Ecclesiis à fidelibus, absolutè videntur fuisse factæ ad tuendam dignitatem illarum & ministrorum: Neque constat fuisse alicuius portionis dominium pauperibus reseruatum. Hoc videri potest ex forma donationum antiquarum, quarum memoria extat, vt illarum Constantini Imperatoris, de quibus in primo tomo Conciliorum.

SECVNDO potest probari illa tertia sententia ex Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 1. de reformatione, vbi decernitur, vt Ecclesiastici, habentes curam animarum, qui non residents, *non faciant fructus suos*. Et loquitur Concilium de fructibus præbendarum, sicut iam procul dubio sunt constitutæ. Ergo supponit Concilium, illos, si resideant, & rectè suo officio fungantur, simpliciter facere fructus *suos*: alioqui nulla esset illa pœna. Et cõfirmatur vis huius illationis ex eo, quòd communiter Doctores colligunt, Ecclesiasticos, qui interſunt diuinis officiis, acquirere dominium quotidianarũ distributionum, propterea quòd in Cap. vnico. de Clericis non residentib. lib. 6. statuitur, vt qui non interſunt officiis, non acquirant distributiones illas.

TERTIO probatur. Nam ministri Ecclesiastici non debent esse peiori conditione, quàm alij Magistratus & ministri Reipub. At istorum dignitas & labor postulat, vt veri efficiantur domini totius eius stipendij, quod recipiunt. Ergo eodẽ modo Ecclesiastici ministri fiunt domini fructuũ omnium suarũ præbendarũ, quę ipsis dãtur.

QVARTO, pro eadem sententia facit, quòd ex cõtraria opinione sequuntur aliqua absurda in praxi. Nam *primò*, si ex iustitia ad pauperes pertinet id, quod superat Clericis. Ergo possunt illi clam surripere, quando Clerici non erogant eleemosynas. *Secundò*: Ergo qui soluunt

decimas,

Universidad de Deusto
Biblioteca

decimas, poterunt partem reseruare, vt reddant pauperes indemnes, quando intelligunt, Ecclesiasticos non reddituros pauperibus, quod illis debent. *Tertiò*: Ergo deberet concedi pauperibus actio in Iudicio contra Clericos non erogantes, &c. quæ omnia apparent absurda. *Quartò*, si contraria opinio vera esset, mirum est, cur tanto tempore Ecclesia patiatur non seruari in ea parte ius pauperum contra auaros Clericos.

Denique cùm hæc tertia sententia sit facilior; & ex alia parte strictissimo præcepto misericordiæ, quo initio diximus Ecclesiasticos debere prouidere pauperibus, satis illis consulatur; amplectenda videtur potius, quàm cõtraria. Ad argumenta verò eius sententiæ contrariæ, iam responsum est in probatione prima.

Posset autem præterea hîc QVÆRI, Vtrum expediat, Episcopos non modò reddituum suarum præbendarum habere dominium, sed etiam temporalem iurisdictionem, & castra, oppida. Ad hoc tamen respondetur breuiter. Postquam cepit Ecclesiastica auctoritas despici ab improbis & mundanis hominibus, qui nihil aliud præter istha̧c temporalia suspiciunt; maximè expedire illam aduersus hos ea ratione tueri, vt confirmat Sotus libro 10. de Iustitia, quæst. 4. artic. 5. Omnino autem eiusmodi Episcopis prouidendum est, ne qui militare Deo præcipuè debent, negociis secularibus, quæ tractant, sese implicent, id est, ne ita temporali gubernatione animum impediant, vt non possint liberè vacare Deo & negotiis Ecclesiasticis.

PVNCTVM OCTAVVM.

An ii Episcopi, qui prius fuerunt Religiosi, teneantur, vt antè, ad obseruantiam Regularem.

D. Thom. ar. 8.

QVINQVE hoc loco sunt certa, & duo controuersa. PRIMO certum est, ad castitatẽ teneri eiusmodi Episcopos, qui fuerunt Religiosi: & quidem simpliciter, sicut antea tenebantur absque vlla restrictione.

SECVNDO certum est, teneri illos ad seruandam quadantenus obediẽtiam & paupertatem. *Obedientiam* scilicet erga Summum Pontificem, qui est veluti Generalissimus omnium ordinum; quanquã non erga Prælatos Religionis. Eatenus enim, limitata est materia Voti Obediẽtiæ in Religiosis, postquam sunt Episcopi; non enim amplius sunt subiecti Prælatis, vt patet ex Can. Statutũ. 18. q. 1. Quod autem ad *Paupertatem* attinet, sine controuersia etiam tenẽtur ex vi Voti repudiare dominium bonorum *temporalium*. Nam eatenus optimè possunt seruare id Votum, non obstante Episcopali statu.

Patent autem hæc omnia ex doctrina D. Thomæ hîc communiter recepta. Nam (vt verissimè is docet) obseruantias, quæ per se valent ad promouendam & custodiendam perfectionem, vt Castitas, Paupertas, Oratio, Abstinentia moderata, & similia, præstare debent Religiosi etiam postquam sunt Episcopi. Probatur. Nam aduẽniente perfectione præstantioris formæ, non excluditur dispositio conseruans illam, vt patet in naturalibus. Sed status Episcopalis, habet se ad statum Religiosorum, sicut forma perfectior ad dispositionem quandam. Ergo Obseruantia regularis, quæ præstari potest cum statu Episcopali, & custodire illius perfectionem, adhuc obligabit Religiosum, creatum Episcopum. Minor explicatur. Quia, vt suprà diximus, Episcopi sunt quasi Magistri perfectionis, Religiosi discipuli: proinde horum vita est quasi dispositio ad illam.

TERTIO certum est id quod optimè hîc disputat Caietanus, Religiosos Episcopos non teneri vinculo Regularum & Statutorum sui Ordinis, quod attinet ad *pœnas* & *censuras*, decretas transgressoribus. Et ratio huius, inquit Caietanus, est. Nam etsi obligentur aliquibus regulis & statutis, quod ad vim directiuam, (vt iam est dictum) id est, vt adimpleant illas simpliciter, sicut quando erant Religiosi: at minimè conuenit statui & dignitati Episcopali, ita eos ad eiusmodi obligari, vt si transgrediantur, subiecti sint pœnis. Hoc enim minimè conuenit Magistris perfectionis, quales sunt Episcopi: sed discipulis solis Prælato subiectis.

Declarat hoc Caietanus aptissimo exemplo, quo etiam vtitur diuus Thomas in proposito. Nam etsi Præceptorem, qui antea fuit discipulus, deceat tunc etiam meditari & studere, &c. at non ita, vt si non faciat, cedendus sit virgis, sicut discipulus. Ita igitur in proposito: quandoquidem sententiâ diui Thomæ, Episcopus est veluti Magister perfectionis, Religiosus autem veluti discipulus.

QVARTO extra controuersiam etiam est, illos non teneri ad eas obseruantias, quæ obstent officio Episcopali, vt docet diuus Thomas hîc. Sed neque ad illas, quæ eius dignitati non congruunt; in quibus numerat Caietanus institutum illud quorundam Religiosorum, qui dum bibunt, vtraq; manu poculum tenent & sedent. Item habere socium sui Ordinis: quanquã in hoc repugnat illi Sotus lib. 10. de Iustitia & iure, articulo vltimo totius operis. Et sanè quod attinet ad socium eiusdem ordinis, non videtur id dedecere Episcopalem dignitatem. Neque ratio Caietani ad id probandum conuincit. Non enim oportet, vt eiusmodi socius gerat se apud Episcopum, atque si esset illi æqualis. Nam & in Religione etiam est quædam graduum distinctio: ita seruata sua auctoritate potest Episcopus vti socio decenter.

QVINTO certum est etiam, circa alias obseruantias, quæ per se nec promouent perfectionem, nec etiam impediunt, sed in casu solùm, iuxta varias circumstantias; posse eos secum dispensare pro ratione loci, temporis, & personarum, cum quibus agunt, sicut potuisset Prælatus dispensare cum illis, si adhuc subditi manerent, vt docet diuus Thomas hîc communiter receptus.

Hæc cùm ita sint, CONTROVERSIA manet de duob. VNVM est, Vtrum eiusmodi Religiosi Episcopi, acquirant dominium *reddituum Ecclesiasticorum*, sicut alij; an verò teneantur etiam strictissimam seruare paupertatem, item quoad huiusmodi bona. SECVNDVM est, An ad eas obseruantias religiosas, quæ vel per se, vel in casu iuuant ad perfectionem, obligentur *sub peccato*.

Quod ad PRIMVM, Sotus vbi suprà respondet, illos æquè esse dominos reddituum Ecclesiasticorum, ac sunt alij Episcopi. Ratio eius est. PRIMO, quia prorsus eodem modo creantur Episcopi, atque alij. Sed alij acquirunt dominium. Ergo, &c. Et potest hoc confirmari ex eo, quòd tales habent liberam administrationem reddituum Ecclesiasticorum, ita, vt validè transferant dominium eorum, in quemcunq; velint, vt colligi videtur ex Can. Statutum. 18. quæstione prima. Ergo nihil illis deest, quo minus sint domini.

SECVNDO. Talibus fit potestas adeundi hæreditatem paternam, vt patet ex dicto Canone. Ergo videtur iam Votum Paupertatis in illis esse laxatum.

TERTIO. Si non sunt domini; deberent, quod superuacaneè consumunt, restituere. At non apparet, cui debeant, cùm p. præcedenti dixerimus, apud pauperes non esse dominium talium bonorum. Ergo, &c.

NIHILOMINVS sententia contraria est vera, & expresè sancti Thomæ hîc art. 8. ad 3. & suprà quæst. 88. art. 11. ad 3. quibus locis simpliciter negat, illos posse habere aliquid *proprij*. Et probatur. Nam vota, quæ tales in Religione emiserunt, non laxantur, neque limitantur, nisi quatenus illorum obseruatio obstat executioni officij Episcopalis, tanquam maiori bono. Sed abdicatio omnis dominij non obstat hîc, dummodò tales Episcopi habeãt liberam administrationem bonorum Ecclesiasticorũ, vt ea expendant in quoslibet vsus decentes. Ergo, &c.

Ad PRIMVM autem argumentum contrarium negatur Antecedens. Est enim diuersa circumstantia personæ. Nam qui antea fuit Religiosus, obstrictus est paupertatis voto, alij non. Item ad confirmationem dico, liberam illam administrationem committi illis non tanquam dominis, sed tanquam administratoribus & œconomis Ecclesiæ.

Ad SECVNDVM, non conferri iis eam facultatem, vt acquirant dominium, sed vt bonis Ecclesiasticis, quæ administrant, fiat accesio, sicut fieret ex omnib. aliis bonis, quæ quomodocunque tales Episcopi acquirerent; ita, vt quemadmodum omnia, quæ acquisiuissent, cùm erant Religiosi, pertinerent ad ordinem suum, ita postea quæ acquirunt, facti Episcopi, pertineant ad Ecclesiam, vt colligitur ex dicto Canone Statutum.

Ad TERTIVM consequenter videtur dicendum, quòd debeant restituere Ecclesiæ, nisi fortè Ecclesia ad tollendos scrupulos remittat.

Quod ad SECVNDVM Dubium attinet, Caietanus hîc tueri videtur partem affirmatiuam; idque propter rationem S. Thomę pro prima conclusione facta; imo videtur ea sententia esse sancti Thomæ. Vnde infert, teneri illos gestare habitum sui ordinis. Quia hoc non videtur obstare officio illorum, & est veluti quoddam signum ad vota & ad obseruantias promouendas.

RESPONDEO. Difficultas hæc non est de obseruantiis non obligantibus ad culpam: ad has enim patet eos non teneri sub peccato; sed de illis, quæ secundùm statutum ordinis obligant ad mortale vel veniale. Secundò dico, veram esse sententiam Soti vbi suprà, dicentis, eos non obligari sub peccato ad vllas obseruantias, præter vota; sed tantùm ex quadam honestate & decentia; quo pacto ille intelligit sanctum Thomam. Ratio huius est. Nam vt obseruantia siue regula obliget aliquem sub peccato, necesse est, talem subiectum esse regulæ & Prælatis. Lex enim obligat tantùm subditum. Sed Religiosi, postquam fiunt Episcopi, liberantur à iugo regulæ, vt patet in illo Canone, Statutum. 18. q. 1. Ergo, &c. Adde quòd Caietanus ad finem articuli, propter hanc rationem in dubium reuocat, quod anteà asseruerat, & postea in peculiari Tractatu hac de re, expresè sententiam retractauit, vt est videre etiam apud Sotum vbi suprà.



QVÆSTIO QVARTA.

De Statu Religiosorum.

D. Thomas 2. 2. quæst. 186.

EXPLICANDA SVNT SEX. PRIMO, AN STATVS RELIGIOSORUM sit Status perfectionis, atque adeò bonus & Ecclesiæ vtilis. SECVNDO, *An ad eum Statum requirantur & sufficiant Vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ.* TERTIO, *Quomodo contingat, Religiosos peccare contra hæc Vota.* QVARTO, *An Religiosi teneantur etiam seruare alia consilia Euangelica, præter illa tria vota.* QVINTO, *An ita teneantur seruare Regulas sui instituti, vt quotiescunque illas transgrediantur, peccent mortaliter.* SEXTO, *An grauius peccent eodem genere peccati, quàm seculares. Scripserunt autem de Religiosis plerique ex iis, qui de fidei Controuersiis horum temporum disputârunt: sed valdè etiam piè & eruditè, non ita pridem Hieronymus Platus in tribus libris de bono Status Religiosi.*

PVNCTVM PRIMVM.

An Status Religiosorum sit Status perfectionis, atque adeò bonus, & Ecclesiæ vtilis.

RELIGIOSI à virtute Religionis, quæ Deo cultum debitum ac honorem adhibet, nominantur. Quò fit, vt omnes, qui Deum piè sanctèque colunt, religiosi meritò dici queant. Sed per Antonomasiam quandam Religiosi in Ecclesia ij nominari consueuerunt, qui non sola communium præceptorum obseruatione, verùm etiam peculiari vitæ instituto, ac nominatim Voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ, se totos diuino cultui addixerunt. Atque hos ipsos, quoniam Dei cultores præcipui sunt, θεραπευτὰς D. Dionysius cap. 6. Eccles. Hierarch. appellauit. B Quemadmodum & Monachi à veteribus passim appellati sunt, quoniam à secularibus curis abstracti, vni ac soli Deo placere student, vt Dionysius vbi suprà, id vocabulum interpretatur. De his Dei cultoribus, seu Religiosi absolutè, seu etiam Monachi, seu alio quouis nomine appellentur, disputatio à nobis nunc instituitur.

In quorum vitæ ratione ac instituto tria sunt, quæ potissimum detestantur Sectarij, vt intelligi potest ex Luthero in epithalamio suo, & in libro de Votis Monasticis, Caluino libro quarto Institutionum, capite decimo tertio. Philippo Melanchthone in Confessione Augustana, artic. 27. & in Apologia. C

PRIMVM est, quòd Religiosi præter communem præceptorum diuinorum obseruationem; aliquid aliud præstare se velle ad Dei obsequium A profiteantur, quod non sit præceptum, sed opus (vt nominare solemus) consilij & supererogationis. Existimant enim Sectarij, à Deo nobis imperatum esse, quicquid possumus boni facere, & plus etiam multò, quàm possumus, ac idcirco nullum opus nostrum censeri posse opus *Supererogationis.*

SECVNDVM est, quòd Religiosi ad huiusmodi opera Supererogationis, voti Religione, quo magis Deum colant, sese obligant. Est enim, opinione Sectariorũ, vouendi religio apud Christianos vana & superstitiosa, si vota emittantur ea intentione, vt per ea Deus colatur. Nam superstitionem & idololatriam esse, insipientissimè iudicant, omnem Dei cultum, qui à Deo in specie præceptus non sit, sicut nõ est vouendi institutum.

TERTIVM est, quòd nominatim voueant Religiosi perpetuam obedientiam, & castitatem, & paupertatem. Quæ tria vota monastica, superstitiosa, & temeraria & stulta Sectariis videntur.

Ita fit, vt omnem hanc vitæ rationem Religiosorum hominum summa detestatione & odio Sectarij prosequantur, & innumerabilibus conuitiis atque maledictis lacerent. In quo impio studio duces atq; antesignanos habent nõ solùm VValden. & Guilhelm. quendam de sancto amore, aduersus quos D. Thomas opusc. 19. egregiè defendit ordines Religiosorum, & VViclephum, qui,

qui, vt est in Concilio Constantiensi act. 8. omnes religiones introductas esse à diabolo impudentissimè affirmauit, sed etiam longè vetustiores hæreticos. Nam Arriani quoque summi osores ac persecutores Religiosorum fuerunt, vt diuus Athanasius in Vita S. Antonij, & Ruffinus lib. 11. histor. cap. 3. narrant: atque etiam hæretici Donatistæ, vt apparet ex Augustino lib. 3. contra Petilianum, cap. 40. & in Psal. 132. A

Aduersus Sectarios igitur, eorumque patres hæreticos, Religiosorum hostes, tria nos ordine confirmabimus ex Ecclesiæ Catholicæ sententia. PRIMO, omnino pium ac sanctum esse Religiosorum hominum institutum, quo non modò præceptorum obseruatione, sed etiam aliis piis exercitationibus non præceptis, ac peculiari vitæ ratione Deum colere nituntur. SECVNDO, rectissimè etiam eos facere, quòd ad id vitæ genus voti religione se adstringunt. TERTIO, bonum denique & Deo gratissimum esse, quòd nominatim vouent perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam. Hæc enim tria cùm probauerimus, simul à nobis refutabitur contraria sententia Sectariorum, quam antea explicauimus. B

Pium esse Religiosorum hominum Institutum.

QVOD igitur ad PRIMVM attinet, scripta sunt multa pro defensione Religionum, tum à D. Thoma opuscul. 19. contra impugnantes religiones, tum à D. Bonauentura in opusculo de eodem argumento, tum à Thoma VValdensi tomo 1. doctr. fid. lib. 3. per totum, & ab aliis plurimis, & diligentissimè nuper à Roberto Bellarmino. C

Breuiter autem Religiosæ vitæ rationem hæc argumenta probant. PRIMO, quòd Religiosi antiquissima & præclara sanctissimorum virorum habent exempla, quæ in Scriptura partim veteris, partim noui Testamenti commemorantur. Nam vt à Scriptura veteris Testamenti exordiamur, Enos filius Seth peculiarem Dei cultum Deo deferre studuit: vt colligitur ex eo, quod in Genesi cap. 4. de illo scribitur: *Iste cepit inuocare nomen Domini.* Etenim communem rationem colendi & inuocandi Deum, nequaquam ipse primus vsurpare incepit, cùm ante illum Adam & Abel Deum inuocauerint. D

Nec interest, vtrum hoc de Enos scriptum sit, an de Seth eius patre, vt Thomas VValdensis libro 3. doctr. fid. cap. 1. intellexit. Ad vtrumlibet enim ea sententia referri potest secundum textum editionis vulgatæ, & etiam secundùm editionem Hebraicam, & vtroque modo istud testimonium æquè nostro instituto inseruit.

Item Enoch singularẽ cultum adhibuisse Deo, satis eo ipso indicatur, quòd singulariter Scriptura memorat in eodem libro cap. 5. eum *ambulauisse cum Deo, & vltra non apparuisse, quoniam tulit eum Deus*, vt argumentatur Beda li. 1. in Gen.

Item Nazaræos peculiaribus votis Deum coluisse, in Numerorum libro, cap. 6. proditum est. Atq; etiam in libris Regum cum laude commemorantur cœtus Prophetarum, qui in locis desertis singulari quadam vitæ seueritate Deo seruiebant. Ex quorum numero Helisæus (vt patet ex 3. Reg. cap. 19.) relictis parentibus, ac cæteris rebus omnibus, cum Helia secesserit in Eremum, ac ipse etiam Helias peculiari habitu, succinctus zona pellicea, eiusmodi vitæ institutum profitebatur.

Quamobrem D. Hieronymus epistola ad Paulinum Monachum: *Vt ad Scripturarum*, inquit, *auctoritatem redeamus, noster princeps est Helias, noster Helisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus.*

Sed & filios Rechab, quorum extat insignis laus apud Hieremiam cap. 30. his omnibus annumerare licet. Nam etsi variæ sint auctorum opiniones de illis, vt intelligi potest ex Thoma VValdensi li. 3. cap. 5. & Abulensi in 1. Paral. cap. 2. q. 20. & 21. tamen inter omnes sine controuersia constat, eos peculiari vitæ ratione præter communem obseruationẽ legis diuino cultui seipsos addixisse. Vinum enim non bibebant, à coniugio abstinebant, exactamque obedientiam suis maioribus præstabant. Vnde Ioannes Hierosolymitanus lib. 4. de instit. primorum Monachorum, cap. 8. nondubitauit eos appellare Monachos, & Hieronymus epistola ad Paulinum, inter duces Monachorum eos numerat. Ac mira sanè de illorum vitæ instituto recenset Iosephus li. 18. antiquit. cap. 2. & lib. 4. de bello Iudaico, cap. 7.

In Scriptura verò noui Testamenti Apostolorum inprimis extat illustre exemplũ. Nam apud Matthæum peculiari studio perfectionis, præter obseruationem communem mandatorum ad omnes pertinentem, se Christo seruire instituisse, palam illis verbis D. Petri profitentur: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Matth. 19. Quo loco aliquid amplius se fecisse testantur, quàm iuuenem illum, qui Christo ibi responderat, se seruasse mandata à iuuentute sua.

Atque etiam illud præter communem rationem mandatorum ab Apostolis institutum fuit, quod ex voto habebãt omnia cum reliquis perfectioribus fidelibus communia, vt asserit diuus AVGVSTINVS lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 4. & in Psal. 131. & ex D. Luca in Actis Apostolorum, ca. 4. & 5. intelligi potest. Ideo enim D. Petrus Ananiam, cùm de precio venditi agri fraudasset, illis verbis castigat: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Quasi diceret, licuisset tibi hoc facere, nisi te Voti religione proprietate rerum abdicasses.

Itaque magno consensu asseuerant S. Patres institutum Religiosorum planè Apostolicum esse. Vt D. CHRYSOSTOMVS lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ, de monastica vita lo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quens: *Apostoli*, inquit, *huius Philosophiæ documenta dederunt*. Et CASSIANVS collatione decimaoctaua, capite quinto. *Cœnobitarum*, inquit, *disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium*. Et diuus AVGVSTINVS in Psalm.132. de Monachis agens, ad eos affirmat deuenisse vnitatem illam & dilectionem fraternitatis Apostolorum & fidelium, quæ describitur in Actis capite quarto. *Venit*, inquit, *ad posteros ista charitatis exultatio & votum Deo*. Similia dicit Hieronymus libro de viris illustribus, in Philone, Eusebius lib.2.histor. cap. 17. Isidorus lib. 2. de offic. cap.15.&c.

Neque obstat, quòd D. Thomas infra quæstione 187.articulo 3.dicit, Religiones non fuisse institutas tempore Apostolorum; intelligit enim (vt rectè Caietanus eo loco notat) quoad ritum & cærimonias, quibus postea stabiliti & ornari cæperunt. Hoc enim modo non viguit religiosæ vitæ institutum tempore Apostolorum, licet bene quoad religionem voti, & studium maioris perfectionis.

Ac similiter intelligi potest, quod D.Chrysostomus homilia 25. in epistolam ad Hebræos dicit, illa verba Pauli 1.Corinth.5. *Si quis frater nominatur inter vos:* ad omnes tunc fideles pertinuisse, nec tunc fuisse vestigium Monachi, sed omnia ad seculares locutum fuisse tunc diuum Paulum. Verum enim est, non fuisse tunc Monachos aliquos, qui talibus disciplinæ legibus essent obstricti, qualibus fuerunt Monachi postea Chrysostomi tempore, segregati planè ab hominibus secularibus.

Quanquam fieri etiam potuit, vt in Ecclesia quidem Corinthiorum (de qua Chrysostomus loquebatur) nulli fuerint, qui etiam studium perfectionis ex voto, quod est essentiale Religionis, profiterentur. Fuisse autem alicubi tandem Apostolorum tempore, qui exemplo suæ vitæ monasticæ, quod ad essentialia attinet, documenta præbuerint, paulo ante audiuimus asserentem Chrysostomum. Quod ipsum indicat etiam homil.11. in Acta.

SECVNDO probatur religiosæ vitæ institutum exemplis aliorum sanctissimorum hominum, qui post Patriarchas illos, & Prophetas, & Apostolos, iam inde ab Ecclesiæ nascentis initio monasticam vitam coluerunt cum summa laude & commendatione vetustissimorum quorumque scriptorum, qui maximè celebres sunt habiti. Nam inprimis Philo Iudæus in libro de vita contemplatiua *supplicum* (sic enim etiam Monachi olim vocabantur vt est etiam apud Eusebium lib.2. histor. cap.16. & 17.) luculenter narrat, quàm sanctè fuerint à D.Marco in Alexandria instituta monasteria sacrarum virginum & virorum, qui continentiam, paupertatem, ieiunia, & Psalmodiam profiterentur. Ac loqui Philonem de Christianis Monachis, testatur etiam Epiphanius hæresi 29. & Hieronymus in Philone.

Deinde religiosæ vitæ institutum commemorat & explicat D.Dionysius Areopagita libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap.6. cuius & epistola extat ad Demophilum Monachum. Item Tertullianus & Cyprianus; quorum alter, nempe Tertullianus, librum scripsit de *velandis virginibus*, alter de *habitu* Virginum, quę scilicet per religiosę vitæ professionem Christo nupserint, & ei *tradiderint carnem suam*, vt in illo lib. loquitur Tertullianus. Præterea Damasus in Pontificali, testatur, Dionysium Romanum Pontificem ex vita monastica, cùm ea iam in illis temporibus venerationi haberetur, electum fuisse ad Pontificatum.

Extant etiam insignes vitæ monasticæ laudes apud Eusebium lib.1. de demonstratione Euangelica, cap.8. Ruffinum lib.11. cap.8. Chrysostomum libris tribus contra vituperantes religiones, & homil.8. in Matthæum, Basilium libro de laudibus eremi, & in variis opusculis de institut. Monach. Athanasium in vita S. Antonij (qui dicit S. Antonium ex Angelis cognouisse, omnia peccata sibi remissa esse, cùm monasticam vitam iniuit) Hieronymum epistola ad Heliodorum, & Rusticum & Paulinum, & epistola 25. de obitu Blesillæ, qui propositum vitæ Monasticæ, secundum quodammodo Baptismum vocat: Augustinum lib.1. de moribus Eccles. cap.31. qui & regulam quoque præscripsit Monachis, & ipse Monachus fuit, vt indicat lib.3. contra literas Petiliani cap.40. & epistola 89. ad Hilarium, imò etiam *cuculla nigra* indutus, vt de illo D. Ambrosius sermone 94. testatur. Atque vt alios veteres præteream, diuus etiam Bernardus lib. de vita solitaria, religiosæ vitæ institutum insigniter laudat, & lib. de dispensatione & præcepto, sub finem, disciplinam monasticam dicit vocari solitam quasi secundum Baptisma.

Ex his autem testimoniis antiquitatis deprehenditur clarè mendacium Centuriatorum centur.4.cap.6. & aliorum Sectariorum, qui dicunt, cepisse primò Monachatum in Ecclesia quarto seculo, id est, circa annum Domini quadringentesimum. Testimonia enim Athanasij, Cypriani, Tertulliani, Dionysij, Philonis, quæ de vita monastica citauimus, antiquiora sunt.

TERTIO probatur vel maximè hoc vitæ genus auctoritate & commendatione ipsius Christi. Religiosi enim, quorum susceptmus defensionem, ij nominantur, qui perfectioni charitatis studeant, præcipuè per paupertatem, castitatem, & abnegationem propriæ voluntatis atque obedientiam. Hæc autem Christus Dominus non approbauit modò, vt pia & bona studia, sed etiam suasit, vt maximè ad salutem conducibilia: Paupertatem & Castitatem apud Matthæum, capite 19. Abnegationem apud eundem capite 16. Nihil igitur est, cur vituperetur vita Religiosorum, quæ his studiis continetur, cùm sit potius, quod ad rem attinet, commendata Christi testimonio.

monio. Quod probè intelligens D. CHRYSOSTOMVS homil. 17. ad populum, disertis verbis appellauit vitam Monasticam *Philosophiam à Christo introductam*.

QVARTO probatur argumento ex Scriptura ducto hunc in modum. Si sunt aliqua bona & pia opera Supererogationis præter ea, quæ sunt diuinitus imperata; dubitari non debet, quin bonum atque pium sit peculiari vitæ genere studium eorum operum profiteri: nam cur id profiteri, quod bonum est, non sit bonum? At omnino sunt aliqua eiusmodi opera supererogationis. Igitur bonum atque pium est institutum Religiosorum hominum, qui ea opera profitentur.

Assumptio probatur ex Scriptura, & ex Patribus, & ex ratione. Ex Scriptura quidem. Nam *primò* dubium non est, quin castitas bonum opus & magna remuneratione dignum sit, vt patet ex Isaia cap. 56. & ex Salomone Sap.3. & ex Christo Matth. 19. & ex D.Paulo 1. Corinth.7. Et tamen hoc opus nequaquam esse præceptum ipse Christus declarat, inquiens: *Qui potest capere, capiat*. Matth.19. vt Chrysostomus & alij interpretes ibi docent; & apertè etiam D. Paulus 1. Corinth.7. dicens: *De virginibus præceptum Domini non habeo*. Et rursus ibidem: *Si nupserit virgo, non peccauit*.

Secundò, renunciare omnibus, quæ quis possidet, non est dubium, quin bonum opus sit, si fiat studio perfectionis, vt patet ex illo Christi dicto. Matt.5. *Beati pauperes spiritu*. Quod de paupertate etiam voluntaria interpretantur Hieronymus & Beda in caput quintum Matth. Ambrosius in caput sextum Lucæ, & diuus Leo, sermone de Festo omnium Sanctorum, & Basilius quæstione 205. Et ex illo item Matth.19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes*. Et tamen Christus ibidem satis ostendit, id non esse præceptum; siquidem adolescentem adhortatus est, vt id faceret causâ maioris *perfectionis* vltra præcepta. Itaque exponens hunc locum AVGVSTINVS epist.89. quæstione 4. *Magister*, inquit, *bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit: Ibi enim dixit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Hic autem; Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, &c.* Sic enim eo loco D. Augustinus aduersus Pelagianos disputat, qui eodem Augustino teste, contendebant, diuites saluari non posse, nisi sua omnia darent pauperibus.

Tertiò dubium etiam non est, quin bonum & consultum sit, tradere se alterius prudentiæ regendum, qui Christi loco habeatur: iuxta illud Apostoli ad Ephes.6. *Obedite Dominis carnalibus, sicut Christo*. Et illud Prouerb.8. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. At, vt se quispiam voluntati alterius committat, nusquam est præceptum.

Quartò dubium item non est, quin actus bonus & religiosus sit, suo loco & tempore, & cum circumstantiis debitis, iurare ad veritatis confirmationem, vt constat ex illo Deuteronomij c.6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis*. Et tamen de iuramenti vsu nullum extat diuinum præceptum.

Quintò, minimè quoq; negabunt Aduersarij, quin bonum & pium opus sit adiicere animum ad Ecclesiasticum ministerium, atq; adeo Christi ministrum initiari, vt docere fideliter Dei verbum & Sacramenta ritè administrare possis; & tamen nemo à Deo iussus est istud munus suscipere. Ac possunt similiter multæ aliæ rectissimæ actiones commemorari, quæ diuinitus non sunt iussæ.

Ex Patribus etiam probatur illa eadem assumptio. Nam passim distinguunt inter opera præcepta, & ea, quorum præceptum non datur, sed tantùm consilium: vt magna sanè fuerit impudentia Caluini lib.4. cap.13. sect.12. qui mentiri non erubuerit, nulli veterum in mentem venisse, quòd Christus aliquid solùm consuluerit, sed *omnes veteres clamare, nullam voculam*, vt inquit, *à Christo emissam, cui non sit necessariò obtemperandum*.

At D. AVGVSTINVS vnus ex veteribus est. Is autem lib. de sancta Virginitate, cap.30. ad virginitatem, tanquam ad rem à Christo consultam, non autem necessariò faciendam, his verbis, tum Christi, tum suis adhortatur: *Qui potestis*, inquit, *capere, capite. Tollite hostias quisque suas, & introite in atria Domini. Non ex* NECESSITATE, *sed potestatem habentes vestræ voluntatis. Neque enim sicut non mœchaberis, non occides, ita dici potest: Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur* (en discrimen præcepti & consilij) *si fiant ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis; in his autem si quid amplius* SVPEREROGAVERITIS (en ipsum etiam vocabulum *Supererogationis*, quod Theologi acceperunt ab Augustino) *in redeundo reddet vobis*.

Eodem planè modo inter præcepta & consilia distinguunt passim alij omnes veteres. Maximè autem luculenter Cyprianus libro de habitu Virginum, in fine, Hieronymus lib.1. contra Iouinianum, Ambrosius libro de Viduis, qui inter cætera dicit: *Virginitas non imponitur, sed præponitur*: & Gregorius lib.15. Moralium, cap.9. & ex Græcis Origenes in caput 15. ad Romanos, Eusebius lib.1. demonstrationis Euangelicæ, cap.8. Chrysostomus homil.8. de Pœnitentia. Basilius libro de Virginitate. Gregorius Nazianzenus o. rat.1. in Iulianum.

Ratione quoque ex suaui modo diuinæ prouidentiæ ducta probatur illa eadem assumptio. Nam etsi Deus ea omnia, quæ vllo modo facere possemus, imperare nobis potuerit; tamen & suæ bonitatis, & nostræ infirmitatis ratio, vt id non faceret, requirebat. Cùm enim nemo sit, qui faciat, quicquid facere potest; & pauci etiam, qui quædam opera præstantiora, & ideo etiam difficiliora exequi velint; nemo vnquam esset, qui non innumeris & grauissimis peccatis obstrin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

geretur, si omnia, quæ fieri possunt, atque adeo præclarissima quæq; opera, diuinitus essent imperata. Quæ res multo maiori detrimento, quàm emolumento, esset generi hominum, cuius ad vtilitatem & salutem præcepta omnia referri conueniebat. Quare non ad omnia opera necessitate præcepti Deus nos obstrinxit; sed quædam in libera hominis potestate & electione posita sunt, vt qui ea *fecerint* (sicut D. Gregorius Nazianzenus vbi supra inquit) *honore & præmiis exornentur: qui autem minus ea expleuerint, nihil inde periculi pertimescant.* Quod cùm ita sit, firma est quoque illa nostra quarta probatio vitæ religiosæ.

QVINTO probatur idem Religiosę vitę institutum Ecclesiæ testimonio, quæ in multis Conciliis illud, tanquam sanctum & pium commendauit, vt in Chalcedonensi act. 15. cap. 6. in Gangrensi cap. 9. in Ancyrano cap. 18. in Carthaginensi I. cap. 3. in Carthaginensi IV. cap. 11. in Toletano X. cap. 5. in Elibertino cap. 13. in Turonensi II. cap. 21. & denique in Constantiensi sess. 8. vbi VViclephi contrarius error damnatus est, & in Tridentino sess. 25. cap. 1. de reformatione.

Refelluntur obiectiones Sectariorum.

SED OBIICIVNT inprimis Sectarij, vim illius præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex tota mente.* Cuius præcepti ea vis esse videtur, vt necessariò nobis ex Dei amore faciendũ sit, quicquid omnino possumus boni facere. Id autem si ita est, nullum superest bonum opus supererogationis, quod non sit præceptum.

RESPONDEO, non eam esse vim ac sententiam eius præcepti, sed triplicem aliam, quarum nulla efficit, vt omnia bona opera sint præcepta. *Primò*, vis huius præcepti est, vt verè, sincere, & efficaciter Deum diligamus, non fictè & simulatè. Quod & illis verbis D. Ioannes monet epist. 1. cap. 3. *Non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate.* Ita insinuat Scriptura, hoc ipso, quòd nõ planè iisdem verbis, sed aliis & aliis præceptum illud in aliis & aliis locis refert; quasi eadem illa sinceritas & veritas dilectionis diuersis verbis tantundem significantibus vbiq; præcipiatur: vt patet Deut. 6. & apud Matt. cap. 22. & apud Marc. c. 12. & Luc. c. 10. Atq; ita etiam pleriq; expositores indicant, qui nihil distinguunt inter verba, quibus hoc præceptum traditur. Vt Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus in c. 22. Matt. & Ambrosius in c. 10. Luc.

Secundò, vis etiam illius præcepti est, vt Deum diligamus præcipuo quodã animi conatu: Quomodo & vulgo etiam tota animi contentione id efficere, & in eo toti versari dicimur, quod præcipuè conamur, vt etiam loquitur Scriptura in Genesi cap. 31. vers. 6. & 2. Reg. 15. vers. 13. Itaque iubemur Deum rebus aliis omnibus, tanquam finem vltimum anteponere, exequendo ad eam rem, siue per intellectum, siue per quascunque alias animæ vires omnia, quæ vt in eius gratia & amicitia maneamus, requiruntur. Id quod faci-

mus, cùm vitamus omnia peccata mortalia.

Hanc esse vim huius præcepti indicat etiam Scriptura hoc ipso, quòd docet, in hac vita posse hominem huic præcepto ita satisfacere, vt non sit eius præuaricator & reus: si nimirum permaneat in amicitia Dei. Vt patet ex Deuter. cap. 4. 13. 30. & ex 1. Reg. 7. & 3. Reg. 9. 14. & 4. Reg. 13. Quod idem asserit D. AVGVSTINVS lib. de spiritu & litera, cap. 36. cùm disertè scribit, *non esse culpæ deputandum, si in hac vita non potest esse tanta dilectio Dei, quanta cognitioni plenæ debetur.* Denique hanc esse vim huius præcepti, sentiunt communiter alij Patres, & maximè illi, qui per id præceptum dicunt exigi mentis conatum nominatim, quoad vim animæ vegetatiuæ, & sentientis & intelligentis. Vt Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 12. Anselmus in cap. 22. Matthæi, Bernardus serm. 20. in Cantica, & ex Græcis Gregorius Nyssenus libro de creat. homin. capite 8. Theophilactus in cap. 22. Matthæi.

Tertiò, vis huius præcepti est, vt in eiusmodi Dei dilectione, tanquam scopum & terminum, in quem contendamus, habeamus nobis propositam absolutissimam illam perfectionem charitatis, quam assequemur demũ in cœlesti patria, cùm ita Deum ex totis animæ viribus diligemus, vt continenter in illius amore difixi simus, neque ab eo vnquam desistamus. Quem sanè charitatis scopum & finem satis hoc ipso nobis præfixum habemus, quòd cum spe beatitudinis æternæ Deum diligimus.

Hanc esse vim huius præcepti, indicat D. Augustinus lib. de spiritu & litera, c. 36. & lib. de perfect. iust. & D. Bernardus serm. 50. in Cant. & D. Thomas supra q. 44. ar. 6. & q. 184. a. 3. cùm aiunt, præceptũ hoc non posse in hac vita perfectè impleri, eò quòd omnis perfectio charitatis in illud cadat, atque adeo illa etiam, quę in cœlo est futura. Hoc enim (vt q. 2. docuimus) non ita potest ab his auctoribus intelligi, quasi summa illa perfectio dilectionis cadat in præceptum charitatis, vt aliquid iam necessariò exequendum per id præceptũ. Sed quia cadit in illud, vt scopus & finis, quo debeat quis contendere per eam dilectionẽ, quæ iam est exequenda per id præceptum, qua scilicet Deus rebus omnibus (vt ante dictum est) anteponatur. Alioqui consequens esset, omnes in hac vita necessariò peccare contra id præceptum, si secundùm id non potest impleri, quod cadit in illud tanquam *iam exequendum*. Id autem consequens apertè falsum est, & disertè negatur illic à D. Augustino, vt paulo ante vidimus.

Adde, ex isto modo summã illam perfectionem charitatis in id præceptum cadere, nempe non vt aliquid iam necessariò exequẽdum, sed vt finẽ, in quem executio tendere debeat, ipsemet August. vbi suprà, disertis verbis explicat. Nam propterea dicit præcipi, vt ex toto corde, & tota animæ diligamus, *vt admoneamur, quid fide exposcere, & quò spe præmittere, & ad quid obliuiscentes ea, quæ retrò sunt, tendere debeamus.* Et libro de perfectione iustitiæ, ante medium: *Non rectè*, inquit, *curritur, si, quò currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur.*

Potest autem hæc res declarari tum eo exemplo quod adduximus quæstione secunda, tum etiam hoc. Nam si pater hunc in modum præcipiat filio: Inserui Principi, & ita quidem inserui, vt ab eo maximis aliquando muneribus afficiaris, vtrumque dici potest cadere in hoc parentis præceptum, nimirum & seruitium erga Principem, & Principis munera: sed alia atque alia ratione. Seruitium quidem, vt id, quod à filio ex eo præcepto parentis exequẽdum est. Munera verò Principis, vt finis, quem in eo seruitio filius spectare debet: Neque ex parte quidem huius finis id præceptum parentis filius perfectè exequitur, donec munera à Principe consequatur, tametsi non propterea sit interim præcepti paterni reus, modò fideliter Principi inseruiat. Ita in proposito, dilectio Dei, quæ excludat omne mortale peccatum, in præceptum charitatis cadit, vt id, quod hac in vita est exequẽdum vi huius præcepti. Perfectio autem illa summa dilectionis, vt finis ac terminus, in quem per dilectionem debemus contendere.

Porrò has esse veras interpretationes illius præcepti charitatis, & nequaquam eo præcipi, quicquid omnino facere possumus; duas ob causas, si nihil aliud esset, coguntur etiam Sectarij nobis concedere. *Primò*, quia plerumque illi erroris huius sui obliti, argumentari contra nos solent, quòsdam cultus in Ecclesia vsurpatos ideo non esse licitos, quia non sunt diuinitus præcepti. Agnoscunt igitur, non omnia esse præcepta. *Secũdò*, quia, vt de vno opere nominatim dicamus, minimè negant, bonum opus esse, renunciare quempiam omnibus, quæ possidet, & dare illa pauperibus: cùm in eo Christus Dominus Matt. 19. perfectionem constituerit. Et tamen fatentur isti nobiscum, contra Pelagianos, non esse diuinitus id præceptum. Nam vt D. AVGVSTINVS epist. 89. q. 4. Pelagianis respondet, quod Christus ait Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; de renunciatione secundùm animi quandam *præparationem* intelligi debet: vt scilicet sit quis paratus renunciare, si quando ob aliquam circumstantiam fuerit necesse. Quomodo etiam ibi præceperat renunciare *animæ propriæ & vxori.*

Neq; etiam apud Matth. cap. 19. absolutè significat Christus, impossibile fore diuitem intrare in regnum cœlorum, sed impossibile id esse sine auxilio Dei, vt illic etiam Augustinus confirmat ex verbis, quæ ibi subiunxit Christus: *Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum.*

Sic etiam neque Pelagianis suffragatur, quod Christus Matt. 5. præcipit: *Estote perfecti.* Nam non ibi de illa perfectione loquitur, quam postea ponit in renunciatione suorum bonorum, & distinguit à præceptis tanquam ad salutem non necessariam, sed conducibilem ad maius præmium reportandum in cœlo; sed loquitur ibi Dominus de perfectione hominis necessaria ad salutem, quę in obseruatione mandatorum consistit. Alię Sectariorum obiectiones nullius planè ponderis sunt. Quare maneat, aliqua esse opera bona, à Deo non imperata, in quorum studium rectissimè possint incumbere Religiosi.

Religiosæ vitæ institutum non posse propter Vota reprehendi.

QVOD ad SECVNDVM attinet, probatur PRIMO ex Scriptura, rectè posse vota emitti à Christianis, atque adeo etiam à Religiosis, causâ *cultus diuini.* Nam Scriptura in omnibus iustis ea laudat in libro Eccles. cap. 15. *Vota iustorum placabilia.* Et nominatim in Christianis apud Isaiam cap. 19. *Et colent eum in hostiis & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Quo loco sermo est de tempore noui Testamenti, vt exponunt omnes interpretes. Et generatim quoq; iubet vota implere, à quocunque illa emissa fuerint. Psal. 75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro.* Et in Prouerb. cap. 20. *Ruina est homini vota retractare.* Et apud Eccles. cap. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Vt iam alia testimonia pręteream, ex quibus postea probabo nominatim votum paupertatis, castitatis & obedientiæ.

SECVNDO id probatur ex Patribus, qui passim in Christianis quoq; vota prædicãt, & ea vim habere obligandi testantur. Vt Cyrillus, Hieronymus, Theodoretus, & alij interpretes Isaiæ in cap. 19. Et AVGVSTINVS in Psal. 75. qui explicans illud: *Vouete & reddite:* Christianos ad vouendum hortatur his verbis: *Quisque quod potest, voueat & reddat. Non sitis pigri ad vouendum, non enim vestris viribus implebitis.* Et rursus in Psal. 132. *Debet esse*, inquit, *impiger animus, vt & voueat & reddat: ne cùm se minus idoneum reputat ad reddendum, piger sit ad vouendum.* Ostendit etiam, quanta sit obligatio voti, idem Augustinus epist. 45. & Chrysostomus hom. 12. in acta Apostolorum, Fulgentius epistola de debito coniug. cap. 8. Cassianus lib. 4. de institutis renunciantium, cap. 13. & alij passim.

TERTIO probatur ratione, ducta ex communi natura virtutis. Nam id omne, quod naturâ sua est actus virtutis; licet Christianis facere ad honorem & cultum Dei. Sed votũ naturâ sua est actus cuiusdam virtutis, puta Religionis. Ergo licitum est Christianis vouere ad Dei cultum. Maior propositio probatur. Nam omnis actus Virtutis est per se idoneus ad colendum Deum, vt patet ex D. Augustino lib. 10. de ciu. Dei, ca. 6. qui idcirco *omne opus bonum* vocat *sacrificium*; atque etiam ex Scriptura, quæ promiscuè diuersarum virtutum actibus, rationem cultus diuini tribuit. Vt patet ex epistola ad Rom. 12. ad Phil. 4. & ad Hebr. 13. & D. Iacobi 1. Non est autem dubium, quin possint

Christiani ea omni ratione Deum colere, quæ A
suapte natura sit ad diuinum cultum accommodata. Minor autem proposito probatur. Nam vouere est promittere aliquid Deo, nō vt in vsum aliquem eius cedat, cùm ipse nulla re egeat, sed vt cedat in illius honorem *& gloriam*, quæ est proprium obiectum & scopus virtutis Religionis. Atque id ipsum testimonio illo Isaiæ 19. confirmatur: *Colent eum in hostiis & muneribus, & vota vouebunt Domino.*

Quartò probatur alia ratione ducta speciatim ex natura & efficacitate illius *actus* Virtutis, qui est votum. Nam licitum est Christianis suam voluntatē firmare in eo, quod ad spiritualem vtilitatem ipsorum sit cōducibile. Sed hoc faciunt, cùm voto se obligant ad exequendum aliquem B
virtutis actum in Dei gloriam; cùm id totum cedat in vtilitatem, non Dei, cui promittimus, sed nostram. Ergo licitè vouent. Hanc rationem attigit D. Avgvstinvs epist. 45. cùm de voti obligatione agens, inquit: *Felix necessitas, quæ in meliora compellit.*

Postremò probatur exemplis hominum Sanctorum, qui eo nomine in Scriptura commendantur, quòd Deo quidpiā vouerunt: Vt Iacob & Anna, 1. Reg. 1. quæ & idcirco à Deo exaudita est. Itē B. Virgo & Apostoli; vt paulò post ostēdemus.

Responsio ad obiectiones contra Vota.

At obiicivnt Sectarij Primo, quòd in Scriptura noui Testamenti nulla vota commendantur, sed solùm in Scriptura Testamenti veteris. Ex quò quidam Sectarij planè paradoxè colligunt, vota fuisse tantùm cærimonias veteris legis, quæ non magis ad Christianos pertineant, quàm circumcisio & Iudæorū sacrificia. Ita enim desipuit Petrus Martyr in lib. de Cœlibatu & votis Monasticis, & Petrum Martyrem secutus Herbrandus in Spongia sua contra nostrum librum 2. Apologeticum de Idololatria, fol. 12.

Respondeo. Falsum est inprimis, in Scriptura noui Testamenti vota Christianis non commendari. Commendatur enim ibi votum B. Virginis, & Apostolorū, & aliorum, quamuis non expresso etiam *voti* vocabulo, vt postea videbimus. Deinde, si maximè nullis verbis in nouo Testamento mentio fieret Votorum, quę ad Christianos pertineant: tamē nobis satis esset testimonium Isaiæ cap. 19. qui de temporibus noui Testamenti, atq; adeo de Christianis vaticinans, inquit: *Et colent eum in hostiis & muneribus, & vota vouebunt Domino*, vt suprà vidimus. D

Quàm autem ineptum commentum sit, vota cærimonias legis veteris proprias facere, ostendi lib. 3. de Idololatria, cap. 2. in confutatione illius Spongię Herbrandinę. Nam primùm cærimonię legis veteris, certis mandatis diuinis præscriptæ fuerunt: vouendi autem Religio, planè tunc fuit libera, sicut iam: vt patet tum ex aliis locis, tum ex Deut. cap. *6. Si nolueris polliceri, absq; peccato eris.* C
Deinde cærimoniæ propriæ illius legis, actus aliqui externi fuerunt. Vota verò, sola etiam mente potuerunt Deo nuncupari. Denique nulli vnquam Orthodoxorū Patrum istud commentum Petri Martyris & Herbrandi venit in mentem.

Secvndo obiiciunt, omnem Dei cultum voluntarium, qui scilicet à Deo præceptus non sit, sicut non sunt præcepta vota, esse superstitiosum & idololatricum.

Respondeo, falsum & planè delirum esse hoc istorum principium. Vt alibi fusè demonstraui, explicatis omnib. Scripturæ testimoniis, quibus isti ad eam rem abutūtur. Nam vt alia omittam, minimè committunt idololatriam, qui per nomen Dei iurant, vt olim Dauid & alij iurārunt; tametsi cultus ille Dei, qui inuocatione diuini testimonij continetur, nusquam est præceptus.

Θελοθρησκεία verò, quam Apostolus ad Col. 2. dānat, non est, vt falsò Sectarij existimant, quiuis cultus voluntarius, sed qui ita voluntarius est, vt sine certa ratione pro libito suscipiatur, cùm sit per se inanis, & vanus, & simulatus, sicut erat cultus illorum, qui religionis causâ abstinebant à quibusdam cibis, tanquam naturâ sua immundis, contra quorum superstitionem ibi Apostolus disputabat. Quomodo etiam Latinè dicere consueuimus, agi merè gratis & voluntariè id, quod sine certa ratione agitur.

Atq; ita hunc Apostoli locum de simulato cultu intelligunt omnes eius interpretes, & præterea etiam D. Augustinus epist. 59. ad Paulinum, & D. Hieronymus epist. ad Algasiam, q. 10. Itaque rectè Latinus interpres pro vocabulo illo Græco, *Superstitionem* dixit.

Tertio obiiciunt, q̄ obligatio Voti pugnare videtur cū libertate, qua sumus à Christo donati.

Respondemvs, libertatem eam, quam nobis Christus suo meritò peperit, potius augeri & muniri per obligationem Voti. Est enim hæc libertas, non qualiscunque, sed à seruitute peccati, vt docet Apostolus ad Rom. 6. Itaque consistit propriè in quadam facultate, quam nobis gratia diuina suppeditat ad seruiendum Deo, vitandis peccatis mortalibus. Qua proinde facultate efficimur serui iustitiæ, & liberamur à contraria seruitute peccati, id est, ab ea dispositione, qua is, qui peccato mortali obstrictus est, & gratia diuina destitutus, ita est constitutus, vt obnoxius sit peccatis mortalibus, atq; adeo sit necesse, eum, nisi gratiam recuperet, interdum seruire peccato, sicut in materia de Gratia q. 1. disputauimus.

Hoc enim est, quod docet Apostolus ad Roman. 6. cùm explicans hanc libertatem gratiæ & peccati seruitutem, inquit: *Gratias Deo, quòd serui fuistis peccati, liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Hanc igitur gratię libertatem certum est, non modò non minui per obligationem voti, sed etiam augeri & stabiliri, vt diximus. Nam ità per voti obligationem firmamur & adigimur ad seruiendum iustitiæ, vt iam non liceat nobis sine

peculiari

peculiari peccato contra votum, facere id, quod A
vel malum est, & repugnans iustitiæ, vel esse posset occasio mali.

Fateor equidem, libertatem hominis, si absolutè, vt libertas est, consideretur, id est, vt est facultas ad vtrumlibet; & non, vt est libertas *Christiana*, ad seruiendum nempe iustitiæ; aliquo modo minui per obligationem voti: quatenus per illud nempe ita quidpiam factu difficile redditur, vt iam sine peculiari peccato non possit fieri, cùm anteà posset. Sed tamen hoc modo etiam minuitur libertas per obligationem matrimonij, & aliorum contractuum humanorum: quam tamen obligationem nemo præterea censebit pugnare cum libertate Christiana, quam obtinemus per Christi gratiam. B

Adde, quòd non modò eiusmodi diminutio libertatis per votum, cum libertate Christiana non pugnat, sed neq; ipsi etiam libertati simpliciter consideratæ accidit incommodè. Nam non fit ea diminutio secūdùm id, quod est perfectionis in libertate humana, nimirum secundùm facultatem, quam habemus rectè operādi, & consequendi beatitudinē, quæ finis est nostræ libertatis. Hæc enim facultas potius promouetur per Votum, vt ante explicaui. Sed fit ea qualiscunq; diminutio secundùm id, quod est *imperfectionis* in libertate, nempe secundùm procliuitatē ad malum. Quam rem intelligens præclarè D. Avgvstinvs epist. 45. ad Armentarium, inquit: *Non est gratulanda libertas, qua fit, vt non deberatur, quod cum lucro redditur.* Et infrà: *Non te vouisse pœniteat; imo gaude, iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.* C

Adde etiam, quòd vt non esset incommodum nostræ libertati, si penitus facultas & procliuitas ad malum ei adimeretur (vt patet in Deo & beatis, qui perfectissima libertate præditi sunt, tametsi non habent facultatem ad malum) ita etiam non est ei incommodum, sed valde vtile, vt eiusmodi facultas ad malum minuatur per Votum. Nā tātò magis firmatur & promouetur in bono, quantò magis minuitur eius facultas ad malum.

Deniq; sicut non obstat perfectioni libertatis necessitas *præcepti*, quamuis minuat aliquo modo facultatem ad malum: ita neq; necessitas voti. Quæ volui paulo fusius explicare, vt appareat, ex imperitia profectum esse argumentum illud Sectariorum à libertate Christiana ductū, quod potissimum vrget Petrus Martyr lib. de Cœlibatu & votis Monast. D

Qvarto obiiciunt, quòd temerarium esse videtur, exponere se periculo peccandi per obligationem voti.

Respondeo, voti obligationem per se potius minuere periculum peccandi, quatenus per se firmat magis voluntatem in bono, vt hactenus explicaui. Periculum autē, quod ex accidenti ob conditionem humanæ libertatis imminet peccandi circa materiam Voti, non debet deterrere Sapientem à vouendo, cùm possit & eādem ipsa libertate & gratia diuina, quæ præstò est, id periculum superari. Quemadmodum neq; eiusmodi periculum debuit Deum impedire, quò minus præcepta hominibus daret, quę pro libertate sua violare possent. Si enim pericula, quæ ex accidēti imminent, spectare semper oporteret, nihil ferè geri posset in rebus humanis: iuxta illud Eccles. 5. *Qui obseruat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam seret.* Aliæ obiectiones Sectariorum nullius sunt momenti.

Rectè voueri à Religiosis Paupert. Castit. Obed.

Qvod attinet ad Tertium, probatur, rectè à Religiosis vouerī paupertatē, castitatem, & obedientiam, Primo ex Scriptura hoc modo. Quod per se bonum ac pium est, rectè etiam Deo vouetur; cùm ipsa quoq; vouendi religio sit bona & sancta, vt ex Scripturis ante probauimus. Sed paupertatis, castitatis, & obedientiæ studium per se bonum & pium est; vt etiam antea ex Scriptura probauimus. Ergo paupertas, castitas, & obedientia rectè vouentur.

Secvndo probatur exemplis eorum, qui in Scriptura noui Testamenti cum laude commemorantur aliqua huiusmodi vota fecisse. Nam votum Pavpertatis fecisse Apostolos, colligit D. Avgvstinvs lib. 17. de ciuit. Dei, ca. 4. ex illis D. Petri verbis: *Ecce nos reliquimus omnia.* Itē quosdam etiam ex primis Christianis, vt Ananiam & Saphiram, peculiari voto se abdicasse proprietate rerū, colligunt ferè omnes Patres ex illis verbis eiusdem D. Petri ad Ananiam Act. 5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* id est, fallere, promissionem illi factam, & fraudare de precio agri. Ita D. Hieronymus epist. ad Demetriadem, Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli, Gregorius li. 1. Registri, epist. 33. Fulgentius epist. de debito coniug. ca. 8. Rabanus, Chrysostomus, Arator, Oecumenius in illum locum Actorum.

Votum autem Obedientiæ etsi non directè commemoretur in Scriptura, tamen ex illa etiam colligitur, rectè fieri. Nam laudat obedientiam, quæ Præpositis & Maioribus exhibetur. Vt patet Hierem. 35. Luc. 10. & ad Hebr. 13. Et laudat etiam vota, quæ fiunt de re per se bona: vt suprà vidimus. Ex quibus apertè consequitur, obedientiam eiusmodi rectè voueri, secundùm Scripturę sententiam.

Votum verò Castitatis emisisse B. Virginem, colligitur apertè ex illis eius verbis apud Lucam ca. 1. *Quomodo fiet istud, quòniam virum non cognosco?* id est, non possum cognoscere: vt ostendit D. Avgvstinvs libro de sancta virginitate, ca. 4. Gregorius Nyssenus oratione de natiuitate Domini. Beda in cap. 1. Lucæ. D. Anselmus lib. de excellentia virgin. cap. 4. D. Bernardus serm. 4. de Annunciatione, & omnes Theologi cum Magistro sententiarum in 4. d. 30.

Neq; tamen repugnauit B. Virgo huic Voto, A consentiens in matrimonium cum Ioſepho, etiamſi demus, id votum eam antea feciſſe, vt ſentiunt Auguſtinus & Gregorius Nyſſenus locis citatis. Nã non fuit neceſſe, vt conſentiret in *actualem vſum* matrimonij (cùm hic non ſit de matrimonij eſſentia) ſed ſatis fuit, vt conſentiret in poteſtatem quandam Ioſephi ad illum, edocta interim per diuinam reuelationem, nunquam fore, vt ea poteſtas in actum reduceretur. Et ſic ſaluum & integrũ manſit virginitatis propoſitum, quod confirmârat voto.

Item Chriſtus Matt.19. cùm laudat Eunuchos, *qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum*; eos procul dubio laudat, qui legem ſibi priuatam continentię per votum indicunt, atq; eatenus ſibi omnem facultatem ad vſum Venereum amputant.

Quare D. Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap.30. ad hoc ipſum per votum continentiæ faciendum hortatur. Et D. Epiphanius hæreſi 58. illos hoc modo ſe caſtrare dicit, qui vitam agunt monaſticam, atq; adeo voto continentiæ ſe obſtringunt. Et ſimiliter D. Fulgentius libro de fide ad Petrum, cap.3. eos, qui *in corde ſuo* (vt inquit) *continentiam Deo vouent*.

Præterea idipſum votum Caſtitatis feciſſe Apoſtolos colligitur ex verbis D. Petri, qui poſt expoſitam illi à Chriſto eam omnem perfectionẽ, profeſſus eſt Ibidem ſe vnà cum reliquis Apoſtolis eam fuiſſe complexum, inquiens: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Matth.19. Id quod etiam aſſerit D. Epiphanius loco citato, his verbis: *Quinam hi fuerunt, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, niſi generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitam degentes*. Atq; idipſum indicat circumſtantia illius textus. Nam inter illa omnia, quæ Chriſtus docuit relinquenda, numerauerat is etiam *vxores*; quæ dupliciter relinqui poſsũt ſtudio perfectionis; nimirum vel vxorem non ducendo, ſi quis nondum illam duxerit; vel à conſuetudine vxoris abſtinendo, ſi quis eam duxerit.

Deniq; Apoſtolus 1. Tim.5. commemorat atq; commendat votum continentiæ quarundam viduarum, hoc ipſo, quòd aſſerit, eas damnationẽ incurriſſe, quoniam id votum violauerint. *Adoleſcentiores*, inquit, *viduas deuita. Cum enim luxuriata fuerint in Chriſto* (id eſt, cũm iniuria Chriſti) *nubere volunt, habentes damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt*. Hoc enim loco per *fidem*, non poteſt intelligi cõmunis fides de obſeruãdis diuinis legibus, data Deo in Baptiſmo, vt Caluinus & alij Sectarij fingunt: nam hæc nõ violatur per matrimonium, cùm nulla lex diuina illud prohibeat.

Quare ſupereſt, vt per fidem ibi intelligatur peculiaris fides data Deo de continentia per voti promiſsionem, qua fides Deo obſtringitur. Ita enim hũc locum veteres Patres, tum Latini, tum Græci intelligunt. Vt Tertullianus lib. de Monogamia, Hieronymus lib.1. contra Iouinianum, & in cap.44. Ezechielis, Auguſtinus in Pſal.75. & libro de ſancta Virginitate, cap.23. & lib. de bono viduitatis, cap.8. & 9. Ambroſius, Primaſius, Sedulius, Beda, Haymo, Anſelmus in cap.5.1. ad Timotheum, Fulgentius epiſt.1. Epiphanius hæreſi 48. Baſilius lib. de Virginitate, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus & Oecumenius in cap.5. primæ ad Timoth. Itemq; Patres Concilij Carthaginenſis IV. can.104. & Toletani IV. cap. 55. Clemens Romanus lib.3. conſtitut. cap.1. & 2. Innocentius I. epiſt.2. cap.13. & Gelaſius I. epiſt.1. cap.23.

TERTIO probantur tria illa vota ex antiquiſſimo vſu fidelium, quem rectiſsimum fuiſſe conſtat ex teſtimonio & traditione veterum. Nam quòd iam inde ab Apoſtolorum temporibus Votum PAVPERTATIS fuerit in vſu, præter teſtimonia Scripturæ ſuprà citata, conſtat quoque ex Clemente I. epiſt.5. ex Vrbano I. in epiſt. ſua decret. ex Auguſtino in Pſal.25. & lib.17. de ciu. Dei, cap.4. Baſilio in conſtit. monaſt. cap. vlt. ex Caſſiano lib.4. de inſtit. renunciantium, cap.13. & ex Concilio Aurelianenſi I. can.21.

De voto autem CASTITATIS id conſtat ex Ignatio epiſt. ad Tarſenſes, Dionyſio cap.6. Eccleſ. hierarch. Martiali epiſt. ad Toloſanos, cap.8. Clemente Alexandrino lib.3. Stromat. Origene homil.23. in Numer. Athanaſio lib. de hum. Verbi, & lib. de Virginitate. Baſilio lib. de Virginitate, & initio monaſt. inſtit. Epiphanio hæreſi 61. Euſebio lib.4. de vita Conſtantini, & lib.8. hiſt. cap.17. Chryſoſtomo hom.14. & 15. in primam ad Timotheum, & epiſt.6.

Item ex Patribus Latinis: nempe ex Tertulliano lib. de Monogamia, & de velandis Virginibus, & in Exhortatione ad caſtitatem, in fine, Cypriano lib. de habitu Virgin. & lib.1. epiſt.11. Hilario in Pſal.64. Ambroſio lib. ad virg. cap.5. & lib.3. de Virginit. Hieronymo lib.1. contra Iouinianum. Auguſtino lib. de ſancta Virginitate, cap.4. & 30. & in Pſalm.75. Gregorio lib.1. Regiſtri, epiſt.33. & epiſt.40.

Item ex variis Conciliis, vt ex Chalcedonenſi act.15. & 16. Romano ſub Syluestro can.10. Ancyrano can.18. Elibertino cap.13. Arauſicano can. 27. & 28. Carthaginenſi III. cap.33. Carthaginenſi IV. cap.14. Turonenſi II. cap.16. Toletano IV. cap.55. &c.

Item ex antiquis Pontificibus, vt ex Clemente I. lib.3. conſtit. Apoſtol. cap.1. Sothere epiſt.2. Innocentio I. epiſt.2. cap.12. Leone epiſt.90. ad Ruſticum cap.13. & cæteris.

Adde, quòd tanti olim habita eſt religio voti continentiæ, vt Iouinianus Imperator ſegem capitis tulerit in eos, qui ſacras virgines violarent, vt narrat Caſſiodorus ex Sozomeno in hiſtoria tripartita, lib.7. cap.4. Ac extat quoque ea lex, in L. Si quis. C. de Epiſcopis & Clericis.

De Voto deniq; OBEDIENTIÆ idem colligitur ex illis veterum teſtimoniis, quæ indicant, iam olim Religioſos debuiſſe neceſſariò præſtare

obedien-

obedientiam ſuis Maioribus: nam cùm id non A debuerint immediatè communi aliqua lege diuina; reſtat vt debuerint priuata lege, quam ſibi ipſi indixerint promiſsione voti. Debuiſſe autem neceſſariò eos obedire Maioribus, cõſtat ex Hieronymo epiſt. ad Ruſticum Monachum, Auguſtino lib.1. de morib. Eccleſ. cap.31. Baſilio in conſtit. monaſt. cap.22. Caſsiano lib.4. de inſtitutis renunciantium cap.13. & 33. & ex Concilio Agathenſi ca.18. Quin etiam expreſſam mentionem Voti de diſciplinæ religioſæ obſeruantia, facit Auguſtinus in Pſal.75. & 99. & Caſsianus cap.33. citato, & D. Gregorius homil.20. in Ezechielem.

QVARTO probatur ſimul ſanctitas & antiquitas horum trium Vtorum, his veterum teſtimoniis. *Primò* D. Dionyſius c.6. Eccleſ. hierar. B ait, Monachos *coram Sacerdote poſitos intentè promittere, renunciare omnibus diuiſibilibus*, id eſt, caducis omnibus; cuiuſmodi ſunt opes, voluptates, vſus voluntatis propriæ, & cætera.

Secundò, Origenes homil.11. in Leuit. hortatur homines, vt *renuncient mundo, & eius concupiſcentiis; & ſe totos deuoueant Deo tanquam primogenitos*.

Tertiò, D. Hieronymus epiſt. ad Heliodorum, aſſerit, Monachos *facere pollicitationem ſequendæ perfectionis, quam non liceat infringere*.

Quartò, D. Auguſtinus in Pſal.75. & 132. affirmat, optimè Monachos facere, quòd *vitam ſuam denoueant Deo*.

Poſtremò, D. Gregorius homil.20. in Ezechielem; docet, gratiſsimum Dei holocauſtum eſſe, C *cùm quis* (inquit) *omne quod habet, omne quod vinit; omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit*.

Atq; ex hac ſententia Gregorij duci poteſt vltimo loco pro aſſertione iſtiuſmodi trium votorum optima ratio. Nam ſi Deo gratum eſt quodcunque votum, quod ei ſit de actu bono, vt ſuprà probauimus: quantò gratius ei erit iſtud holocauſtũ, quo tribus his votis, & ſe, & omnia ſua ſimul diuinæ maieſtati quis conſecrat? Etenim voto Paupertatis, bona externa; voto Caſtitatis, ſuum corpus; voto Obedientiæ, mentem homo Deo conſecrat; atque adeo id omne, quod aut eſt, aut habet.

PORRO ex his redarguitur inſigne mendacium Philippi Melanchthonis in Apolog. Confeſs. Auguſt. art.27. & Caluini lib.4. Inſtit. cap.13. ſect.10. qui non ſunt veriti ſcribere, antiquos Religioſos nihil habuiſſe commune cũ huius temporis Religioſis. Itemq; Eraſmi in vita S. Hieronymi, qui affirmauit, Monaſteria olim libera fuiſſe Collegia, ex quibus qui diſcederent, & ad ſeculum redirent, ſolùm incurrerent quandam inconſtantię notam. Hæc eſſe falſa, conſtat abundè ex teſtimoniis allatis. Nam obſtringebant ſe Religioſi olim etiam, ſicut modò, his tribus Votis, in quibus eſſentia vitę monaſticę ac religioſæ conſiſtit. Cumq; ſe votorum religione ad inſtitutum religioſæ vitæ obligarent; certè qui ad ſeculum reuertebantur, præter inconſtantiæ notam, graA uiſsimum quoque ſacrilegij peccatum, atque adeo æternam damnationem incurrebant.

Rectè enim D. Auguſtinus in Pſalm.75. *Nemo*, inquit, *poſitus in Monaſterio frater dicat, recedo de Monaſterio; neq; enim illi, qui ibi non ſunt, ad Deum non pertinent. Reſpondebitur enim ei: Sed illi non vouerunt, tu vouiſti*. Et in expoſitione Pſal.99. de Monacho ſui inſtituti deſertore loquens: *Paucorum*, inquit, *moleſtia irritatus, dum non perſeuerauerit implere quod vouerit, ſit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi*.

Argumenta verò Sectariorum contra iſta tria Vota nominatim, nulla ſunt, quæ reſponſione indigeant, præter ea, quæ obiiciunt contra Votum Caſtitatis. Sed hæc ſunt ferè eadem cum illis, quæ obiicere ſolent contra Cœlibatum, quæ nos aliâs in libro de Cœlibatu diluimus, de quo in materia de Sacramento Ordinis diſputari ſolet. Quare ſatis hactenus de Inſtituto in genere Religioſorum dictum videtur.

PVNCTVM SECVNDVM.

An ad Statum Religioſum requirantur & ſufficiant tria illa Vota, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ.

D. Thomas art.3. vſque ad 8.

QVOD iſta Vota rectè & piè obſeruẽtur à Religioſis, ſatis probatum eſt cõtra hæreticos p. præced. Sed quòd etiam ad Religioſorũ Statum *requirantur*, & ſufficiant, & quo modo, ſeu quo gradu; nunc breuiter oſtendendum eſt per ſequẽtes aſſertiones.

PRIMA aſſertio. Ipſa Paupertas, Caſtitas, & Obedientia, omnino requiruntur ad eum Statum. Ita D. Thomas hîc ar.3.4. & 5. & alij communiter. De PAVPERTATE id probatur. Nam Religioſi contendere debent ad charitatis perfectionem. Sed ad hanc acquirendã maximè iuuat Paupertas. Ergo. Probatur Minor. Quia ad charitatem acquirendam, inprimis iuuat exuere affectum rerum temporalium. Exuitur autem per Paupertatem, quatenus parum affici ſolemus erga ea, quę noſtra non ſunt: ſicut contrà afficimur erga ea, quæ poſsidemus.

De CASTITATE idem probatur. Nam ad perfectionem acquirẽdam, neceſſe eſt, vt abſtrahatur animus ab iis, quæ maximè impediunt, quò minus in Deum ille expeditè feratur. Sed talis eſt vſus Venereorum. Ergo, &c. Minor patet primò ex vehementia illius delectationis. Secundò ex cura annexa prouidendi proli & familiæ, &c.

De OBEDIENTIA denique idem probatur. Nam Status Religionis conſiſtit in quadam diſciplina ſiue exercitio, quo ad perfectionem peruenitur. Sed illi, qui tanquam diſcipuli exercentur in aliquo, neceſſe habent ab alio dirigi ſiue erudiri, quod fit per obedientiam. Ergo, &c.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et quidem antiquitus Religiosi non modò A suis Prælatis, sed etiam Episcopis debebant obedientiam: postea verò ab obedientia Episcoporum exempti fuerunt. Itaque non possunt illis aliquid præcipere, exceptis quibusdam casibus in quibus pendent adhuc Religiosi iure communi ab obedientia Episcoporum, sicut etiam patet ex Concilio Tridentino sess. 25. in decreto de reformatione per aliquot capita; & in specie dicemus aliquid de hoc quæstione sequenti.

Secunda assertio. Etiam requiritur ad Statum Religiosum, vt ad hæc tria, scilicet Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, obliget se Religiosus per *Votum*. Ita diuus Thomas articulo sexto. Neque est de hoc vllum dubium apud Orthodoxos. Probatur. Nam Religiosi sunt in B *statu*, quo ad perfectionem tendunt, per obseruationem obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis. Sed ad Statum requiritur *immobilitas*, quæ in iis, quæ alioqui non sunt præcepta, perficitur & additur per obligationem Voti. Ergo. Confirmatur. Nam vt constat ex sententia Christi Lucæ 9. ad perfectionem requiritur, vt aliquis non facilè retrocedat, iuxta illud: *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Hoc autem fit per Votum, quo quis obligatur ad perseuerandum. Hæreticos autem, contemnentes vota monastica, iam refutauimus puncto præcedente.

Ac explicat optimè S. Thomas artic. 7. quemadmodum in his potissimùm Votis consistat ipse Religionis Status; siue status Religionis consideretur, quatenus est quædam disciplina & exercitium perueniendi ad perfectionē, siue quatenus liberat animum à solicitudinibus exterioribus, siue quatenus est holocaustum quoddam, quo homo totaliter se dedicat Deo. C

Est etiam obseruandum, quod ibi D. Thomas ad 4. docet, Religiosos, quamuis ob vitæ perfectionem, quam per hæc tria Vota profitentur, renuncient honori *seculari & mundano*, hoc ipso, quòd deserunt vitam secularem; non tamen renunciare honori, prout est *testimonium veræ virtutis*, debitum piis & sanctis, iuxta illud Psal. 138. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.*

Ex qua tamen doctrina malè ibi Caietanus D colligit absolutè, reprehensione dignos esse eos Religiosos (si qui sunt) qui cùm ad docendum & concionandum sunt destinati, renunciant Doctoratus gradibus, alioqui conferentibus ad auctoritatem, quæ est necessaria Doctori: Malè, inquam, Religiosos tales reprehendit. Nam ex eo, ꝙ hic honor nō mundanus, sed Ecclesiasticus sit, solùm colligitur, posse Religiosos attentis circūstantiis, laudabiliter illum admittere: hoc tamen non obstat, quò minus in casu aliquo laudabiliter etiam à Religiosis repudietur. Imò humilitatis causa posset meritò in aliquo ordine constitui, vt nullus eiusmodi gradibus ornaretur. Quemadmodum licet Episcopatus, dignitas quædam sit Ecclesiastica, multò magis quàm gradus Doctoratus in Theologia; laudabile tamen est Episcopatui renunciare extra casum necessitatis, adeo, vt sanctus Thomas quæstione præcedenti art. 2. ad tertium iudicauerit, eiusmodi renunciationem laudabiliter posse cadere in Votum.

Tertia assertio. Ex his tribus Votis, obedientiæ Votum est potissimum. Ita diuus Thomas articulo octauo. Probatur *primò*, quia per illud offerimus Deo præstantius bonum, id est, voluntatem. *Secundò*, quia complectitur quodammodò reliqua duo, quatenus eorum materia potest cadere sub obedientiam. *Tertiò*, quia propinquius confert ad finem Status Religiosi, cùm per illam dirigamur à Superiore ad perfectionem consequendam. Atque idem patet ex iis Patrum testimoniis, quę pro laude & præstantia Obedientiæ attulimus disputatione 8. quæstione 3.

Quarta assertio. Obedientiæ Votum adeo est essentiale Statui Religioso, vt sine illo non possit esse Religio: licet in aliqua Congregatione emitterentur alia duo. Ita etiam docet diuus Thomas in dicto articulo octauo. Et patet hæc Assertio ex rationibus præcedentis. Loquimur autem in ea de Religione, prout in hoc tractatu vsurpamus istud nomen, vt videlicet antonomaticè significat institutum vitæ illorum, qui totaliter sese addicunt diuino cultui. Hoc pacto verè docet sanctus Thomas, absque Voto Obedientiæ, non posse esse Statum Religionis. Nam alioqui si Statum Religionis volumus appellare institutum vitæ aliquorum, qui se ad aliqua alia opera charitatis, diuinæ gloriæ causâ, peculiariter obligarent; bene posset esse Status Religionis absque Voto Obedientię, sicut etiam absque Voto Castitatis.

Itaque quod quidam disputant, Vtrum *militares* quædam (vt dicuntur) Religiones, sint verè & essentialiter Religiones, etiamsi milites illi possint ducere vxores; quæstio est de nomine. Et rectè negat D. Thomas art. 4. ad 3. tales esse *absolutè & simpliciter* Religiones, sicut etiam Sotus libro 7. de Iustitia, q. 5. art. 3.

Quinta assertio. Sicut hæc tria vota ad statum Religionis verè & propriè dictum requiruntur, ita etiam ad illum cōstituendum sufficiunt, hoc ipso quòd in aliqua Religione per Sedem Apostolicam approbata emittantur certo tempore, & certo modo (vt post Nouitiatum, & coram aliquibus, &c.) siue illa sint solennia, siue simplicia. Hæc assertio, quod attinet ad hæc tria Vota cum sunt solennia, ex se est perspicua. Nam satis tunc patet dedicari per illa hominem totum diuino cultui, cum quadam immobilitate & cærimonia exteriori, atq; adeo constitui in Religionis statu verè & propriè dicto.

Quod autem attinet ad hæc eadem Vota, si sint simplicia, & eo modo emittantur, quo in

Assertione

Assertione diximus; probatur hæc Assertio. Primo ex auctoritate Sedis *Apostolicæ*. Nam Religio nostræ Societatis per Paulum III. & Iulium III. & alios summos Pontifices quoad totam eius viuendi normam & rationem, ita est approbata, vt inter cætera, qui absoluto tempore Nouitiatus emittunt modo consueto coram aliis tria hæc Vota simplicia, desinant eo ipso iam esse Nouitij, atque adeo sint verè & propriè in statu huius Religionis cooptati; nimirum in quendam eius gradum, quamuis non etiam in illum vlteriorem & perfectiorem, quem obtinent huius Religionis professi, qui scilicet Vota etiam solennia emiserunt. Ergo cum hæc Religio, tanquam verè & propriè dicta Religio per Sedem Apostolicam approbata sit; fatendum est, Vota simplicia, modo supra dicto emissa, sufficere, vt quis verè & propriè sit in statu Religionis, & non amplius in Religionis quasi limine, vt Nouitius. A B

Secundo probatur idem ex peculiari *Constitutione* Gregorij decimitertij, edita anno M. D. LXXXIIII. octauo Kalend. Iunij. In qua hoc ipsum de iis qui in Societate tria illa Vota simplicia post Nouitiatum emiserunt, declarauit, & definiuit, & probauit, confutatis etiam luculenter iis, quæ contra obiici possent, ac pœna Excommunicationis latæ sententiæ, nec non inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia secularia, & quórumuis Ordinum Regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrenda, indicta iis qui contradicant: Insuper reseruata ipsi Sedi Apostolicæ absolutione ab huiusmodi. C

Tertio probatur idem ex Concilio *Tridentino* sessione vicesimaquinta, capite decimosexto, de Reformatione Regularium. Vbi Institutum hoc Societatis, nominatim quoad morem istum emittendi absoluto Nouitiatu Vota illa tria non solennia sed simplicia, per quæ scilicet desinat quis esse Nouitius, ac proinde incipiat esse verè ac propriè Religiosus; approbatur verbis amplissimis, tanquam pium, & omnino pertinens ad ipsam Societatis Religionem per Apostolicam Sedem approbatā. Nam cùm ibi Patres Concilij in communi decreto de Reformatione Regularium iussissent, vt *finito tempore Nouitiatus Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eiiciant*, continuò subiunxerunt exceptionem Societatis his verbis: *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesv, iuxta pium eorum Institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino & eius Ecclesiæ inseruire possint.* D

Quarto probatur idem manifesto argumento ducto ex ipsa ratione *Religiosi status*. Nam per hoc aliquis in statu Religionis verè & propriè dicto constituitur, quòd cum quadam immobilitate & externa cærimonia siue actione (per quam nimirum Ecclesiæ iudicio res patefat) addicitur totus & dedicatur per tria illa Vota obsequio & cultui diuino in certo vitæ genere & instituto. Sed hoc ipsum fit per tria illa Vota, non modò solennia, sed etiam simplicia, emissa eo modo quo in Assertione diximus. Ergo per huiusmodi etiam simplicia Vota sic emissa constituitur aliquis in Religionis statu verè & propriè dicto. Maior patet ex his quæ supra disseruimus partim quæstione prima, puncto primo, de ratione status spiritualis in communi, partim in hac quæstione puncto præcedente, de ratione status Religiosi in specie. Minor autem quod attinet quidem ad actionem seu cærimoniam externam, itemque ad personæ dedicationem ad obsequium & cultum Dei, &c. ex se est perspicua. Nam id fieri ponimus in nostra assertione per illa Vota simplicia, de quibus loquimur. Quod autem attinet ad *immobilitatem*; scilicet quòd illud ipsum cum quadam immobilitate fiat per illa Vota simplicia; patet etiam manifestè eadem Minor ex eo, quòd minimè est positum in arbitrio eius, qui modo dicto vota illa emisit, retrocedere, & se eximere ab eo vitæ genere, cui per illa vota se addixit. Negari enim non potest, quin hoc ipso reddatur quis in eo vitæ genere immobilis modo quodam sufficienti ad verum & propriè dictum statum, tametsi non adeo stricto atque est modus ille immobilitatis, qui existit ex Votis solennibus: Sed sufficienti tamen, vt dixi, ad verum & propriè dictum statum. Etenim ad immobilitatem status verè & propriè dicti, non requiritur, vt nullo prorsus modo liberari quis possit ab illa vitæ conditione seu genere cui addictus est, sed vt non possit quidem arbitratu suo.

Patet hoc euidenter in triplici genere statuum, de quibus nemo dubitat, quin sint status verè & propriè dicti. Nam Primo, qui seruus est, verè & propriè est in quodam statu, si spectemus rationem status in communi, de qua disseruimus q. 1. p. 1. Et tamen seruus non aliter est immobilis in eiusmodi statu, nisi quoniam arbitratu quidem suo non potest ab illo se liberare, tametsi potest ab eo liberari voluntate & auctoritate aliena, nimirum sui Domini, si ipsum manumittat. Secundo, Episcopus verè & propriè est in quodam statu spirituali, quatenus per auctoritatem iurisdictionis Episcopalis addicitur functionibus Episcopalibus in subditorum regimine, ob quas ad singularem vitę perfectionem obligatus est; vt patet ex iis, quæ de Episcoporum statu verè & propriè dicto tradidimus q. 2. & 3. Et tamen in eiusmodi statu non aliter Episcopus est immobilis, nisi quoniam arbitratu quidem suo minimè potest ab illo se liberare, tametsi liberari ab eo potest aliena auctoritate, nimirum summi Pontificis: vt si de illius licentia relicto Episcopatu ingrediatur Religionem, iuxta ea quæ

disserui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

disseruimus, quæstione præcedenti. TERTIO Religiosus qui vota solennia emisit, verè & propriè est in spirituali statu Religionis, vt nemo nō agnoscit. Et tamen neque is est aliter immobilis in eiusmodi statu, nisi quia suo quidem arbitratu ab illo liberari non potest, tametsi possit ab eo liberari ex rationabili causa per alienam voluntatem & auctoritatem, nimirum summi Pontificis iuxta communiorem & veriorem sentētiam, quam defendimus supra disp. 6. q. 6. p. 7.

Neque refert, quòd multo quidem difficilius est, vt à Religioso statu dimoueatur & liberetur is qui emisit solennia Vota, quàm is qui emisit simplicia. Nam differentia hęc penes *magis & minus* quoad immobilitatem, non impedit, quo minus vterque tamen sit verè & propriè in statu, attendendo veram ac propriè dictam rationem status, quasi specificam: sicut neque in aliis generibus variatur species per *magis & minus*.

QVINTO, probatur eadem assertio ratione ducta ex *origine* & causa ipsa, ob quam ij qui emiserunt in Religione solennia Vota, meritò censentur esse in Religionis statu verè & propriè dicto. Nam eiusmodi origo & causa non alia est, quàm voluntas, auctoritas, & constitutio Ecclesiæ, per quam *solam solennitas Voti inuenta est*, vt disertis verbis affirmauit Bonifacius VIII. in capitulo vnico, de Voto & Voti redemptione, lib. 6. quod & nos explicauimus supra disp. 6. q. 6. p. 5. Ergo cum per eiusdem Ecclesiæ voluntatem, auctoritatem, & constitutionem, approbatur aliqua eiusmodi Religio, in qua per emissionem votorum simplicium post certū tempus & certo modo institutam, desinat quis esse Nouitius, atque adeo incipiat esse verè Religiosus; fatendum omnino est, talem postquam eiusmodi Vota sic emiserit, constitui in Religionis statu verè & propriè dicto.

SEXTO probatur per locum à *contrario* sic: Qui ab eiusmodi Religione post Vota illa tria simplicia sic emissa, arbitratu suo & temerè desciscunt, sunt verè & propriè Apostatæ à Religione, & vt tales puniendi, sicut Gregorius XIII. in supra dicta constitutione definiuit & luculenter probauit, & intelligi potest ex his quæ disseruimus disput. 1. q. 12. p. 1. Ergo verè & propriè sunt Religiosi qui in tali Religione Vota illa simplicia sic emiserunt.

Quæ verò possent OBIICI aduersus hanc assertionem solùm probare possunt, eos qui in tali Religione Vota illa simplicia sic emiserunt, non esse per omnia eodem illo modo in statu Religionis, quo modo sunt ij qui Vota solennia emiserunt: non autem quòd non sint vllo modo in Religionis statu verè & propriè dicto. Etenim ratio ista Religiosi status verè & propriè dicti, per varios valdè modos determinari & quasi contrahi potest, quorum diuersitas & varietas optimè consistit cum veritate huiusmodi status. Itaque vt ij qui tria tantum solennia vota in Religione emittunt, non propterea in statu Religioso non sunt, quia possunt alij in Religioso statu constitui per plura etiam Vota solennia, quorum quolibet ex approbatione Ecclesiæ mancipētur obsequio diuino (vt mancipantur professi in societate nostra ex approbatione Sedis Apostolicæ per Vota solennia quatuor) sic etiam qui prędicta tria Vota simplicia in Religione emittunt, non ideo desinunt esse in aliquo gradu status Religiosi verè & propriè dicti, quia non item in illo sint per vota solennia: quandoquidem per illa etiam vota simplicia, modo suprà dicto emissa, consistit quædam immobilitas sufficiens ad verum & propriè dictum statum, sicut antea euidenter probauimus.

Atque ex his patet, nihil etiam nobis obstare quòd D. Thomas in hoc tractatu non alia vota Religiosi verè & propriè dicti commemorauerit præterquam vota ipsa solennia professionis. Neque enim ideo voluit negare, quòd possint etiam vota simplicia in Religione ab Apostolica Sede approbata modo supra dicto emissa, consti tuere verum ac propriè dictum Religiosum in aliquo gradu: Sed memorauit nimirum ea duntaxat vota Religiosorum, quæ sola suis illis temporibus erant in vsu ex approbatione Sedis Apostolicæ. Et hactenus de isto puncto.

PVNCTVM TERTIVM.

Quomodo contingat, Religiosos peccare contra tria illa Religionis Vota.

Ad art. 6. D. Thomæ.

PECCATA Religiosorum contra tria illa Vota, facilè dignosci poterunt, si prius explicatum & intellectum fuerit, quęnam propriè sit *materia* cuiusque Voti illorum. Et quod ad Votum PAVPERTATIS attinet, sciendum est, huiusce modi Votum latè patere. Quidam enim Religiosi non modò vouent paupertatem in particulari, sed etiam *in communi*: alij solùm *in particulari*.

Neque verò perfectioni Status Religiosi repugnat, quòd in communi aliquid possideant, sicut fusè docet D. Thomas infrà q. 188. art. 7. & declaratum est in can. Illi qui, & can. Exemplum 12. q. 1. & à Ioanne XXII. in Extrauaganti, Cùm inter nonnullos, de verborum significatione, vbi etiam damnatur error Fratricellorum, negantium Christum cum Apostolis habuisse aliquid in communi. Denique patet id ex Concilio Tridentino sess. 25. capite 3. de regularibus, vbi non modò probatur possessio in communi; sed etiam conceditur omnibus Religiosis, etiam illis, quibus per suas constitutiones non liceret, exceptis tamen Capucinis, & Minoribus de Obseruantia.

Hæc cùm ita sint, potissimùm difficultas est de Voto Paupertatis *in particulari*, quomodo scilicet violetur à Religiosis. Patebit autem hoc facilè, si prius animaduerterimus, quid sit illud, quod promittunt, cùm vouent Paupertatem in particulari. Breuiter, nihil est aliud, quàm oppositum vel contrarium ei, quod in iis cernimus, qui sunt *domini* siue *proprietarij*. In iis autem considerare licet duo. Primum est, quòd habent liberam facultatem vsurpandi rem arbitratu suo absque alterius iniuria, quæ sit contra iustitiam commutatiuam: & per hanc facultatem propriè & formaliter constituitur aliquis dominus, quasi in *actu primo*, vt patet ex definitione dominij supra disp. 5. q. 10. p. 1. tradita. Secūdum est, quòd re, cuius aliquis est dominus, liberè is *vtitur*, independenter à voluntate alterius; quo ipso est rei dominus veluti in *actu secundo*. Iam igitur Religiosi vtroque sese abdicant per Votum Paupertatis. Pollicentur enim se neque habituros, nec recepturos liberam illam facultatem circa rem aliquam, neq; etiam vsurpaturos quicquam independenter à voluntate alterius (scilicet Superioris) quasi dominos. Atque huc tendit doctrina, quam circa hoc rectè tradit Syluester, Verbo Religio 6. num. 2. Hinc diiudicari potest facilè, in quibus casibus violetur Votum Paupertatis.

Patet enim hinc PRIMO, violari, si Religiosus aliquid absque expressa vel interpretatiua facultate Superioris sibi vsurpet. Item multò magis, si contra expressam facultatem Superioris. Item si occultet aliquid, ne Superior accipiat. Item si furetur. Ratio horum omnium est: quia eo ipso iam vsurparet rem *independenter* à voluntate alterius, quasi dominus. Et quidem si res esset notabilis; adeo graue peccatum mortale id esset, vt qui in illo moriens, deprehensus sit, iubeatur in sterquilinio cum re sua sepeliri, vt patet ex cap. Cùm ad Monasterium, & aliis quibusdam, Extra de Statu Monachorum. Si autem res esset parui momenti; tantùm esset veniale.

SECVNDO sequitur, Religiosum, qui ex voluntate Superioris aliqua ad vsum habet, & paratus est relinquere ad arbitrium Superioris, nō esse proprietarium. Sed hîc Prælati animaduertere debent id, quod Concilium Tridentinum vbi suprà cap. 2. præscribit, ne superflua Religiosis concedantur: sed quæ Statum Religiosum deceant.

TERTIO sequitur, peccare mortaliter Prælatum, qui multa superflua concederet Religioso, vt is pro libito vsurparet ad omnem vsum, siue honestum, siue illicitum. Patet: quia esset illum facere dominum, contra Votum.

QVARTO sequitur, esse in malo statu Religiosos, tam Prælatos, quàm subditos, qui non agunt vitam communē. Hoc autem intelligitur, quando ex communibus redditibus possunt sufficienter viuere: alioqui iure naturali licebit vnicuique sibi prouidere, procurando proprium, si aliter non possit viuere. Ita rectè excipit Sylvester vbi supra. Quare quod Concilium Tridentinum vbi suprà capite 2. prohibet, ne Religiosi habeant ad suum proprium vsum res immobiles; intelligitur, supposito, quòd possit illis ex communibus prouideri sufficienter.

QVINTO sequitur, Religiosos ex iis, quæ ad proprios vsus conferuntur sibi à Prælato, non posse aliis donare *liberè*. Ratio est: Quia iam vsurparent rem independenter à voluntate Prælati, atque adeo vt domini. Et consequenter patet, alios, qui hoc modo à Religiosis aliquid acciperent, non acquirere dominium, sed debere restituere Religioni. Hoc autem dictum sit regulariter & absolutè loquendo: alioqui enim licet Religiosis aliquid donare, quando meritò præsumitur de voluntate Superioris. Ita conceditur, posse illos dare paruam eleemosynam, quando peregrinantur. Item posse illos donare id, quod subtrahunt ex victu quotidiano: Vt concedit Nauarrus in tractatu de redditib. Ecclesiasticis, q. 1. quanquam in hoc non est nimia licentia illis concedenda.

Quod autem attinet ad Votum CASTITATIS, statuendum est cum Caietano hîc & Sylvestro, Verbo Religio 6. n. 8. & aliis, in illud cadere non solùm abstinentiam ab vsu matrimonij, sed etiam ab omni alio venereorum vsu secundùm se prohibito per legem Dei. Itaque materia huius Voti non solùm est bonum supererogationis, sed bonum etiam, quod alioqui est præceptum, ac proinde quocunque peccato Luxuriæ violatur hoc Votum, mortaliter vel venialiter pro ratione ipsius peccati Libidinis. Quibus autem rationibus adiuuari possint Religiosi ad seruādum hoc Votum, docet ex decretis Patrum Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 16. §. 8. Et possunt etiam ad id iuuare remedia contra concupiscentiam & voluptatem, quæ indicauimus tomo 2. q. 4. de Passionibus p. 1. & q. 5. p. 1.

Quod denique attinet ad Votum OBEDIENTIÆ, non immeritò dubitari & QVÆRI potest, quidnam cadat sub istud votum Religiosorum. Ratio dubij est. Quia ex vna parte videntur per illud vouere obseruationem omnium & singularum regularum. Vnde quando illas adimplent, obedire dicuntur. In contrarium verò est, quod D. Thomas infrà artic. 9. docet, Religiosum non semper peccare, quando transgreditur regulam, quod tamen faceret, si obseruationem regularum vouisset.

RESPONDEO, sub hoc Votum tantummodo cadere id, quòd propriè est obiectum obedientiæ, videlicet quod à Superiore fuerit *verè præceptum*. Ita D. Thomas docet infrà art. 9. in corpore & ad 2. Et patet etiam ex dictis disp. 7. q. 3. vbi egimus de obiecto Obedientiæ.

Neq; verò quicquid Superior præcipit, tenebitur Religiosus ex hoc voto præstare: sed quicquid præcipit *licitè & secundùm regulam*, siue (quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

idem est) ad institutum Ordinis pertinens: alioquin illicita non tenetur præstare, neq; illa propriè loquendo, potest præcipere Prælatus. Quòd autem tantùm illa, quæ sunt secùdùm regulam, debeat præstare Religiosus ex hoc Voto, patet ex ipsa forma Voti. Vouet enim Religiosus obedientiam in tali vel tali genere vitæ. Vnde Bernardus in libro de dispensatione & præcepto: *Non præcipiat*, inquit, *mihi Prælatus, quod non promisi.*

Quod si aliquando dubium sit, Vtrum quod Prælatus præcipit, sit licitum, vel pertinens ad regulam, nec ne; obediendum est, sicut rectè docet Syluester, Verbo Religio 6. n. 6. Et Verbo Obedientia, n. 2. Et ratio est: quoniam Prælatus habet ius, cui nō potest derogare dubium subditi. Quæ de re plura diximus disp. 7. q. 3.

Ad rationem verò dubitandi respondetur. Quando aliquis seruat regulam, quę non est propriè præceptum obligans ad peccatum, non esse propriè obedientiam, sed plus quàm obedientiam, vt diximus disp. 7. q. 3. Quare transgrediendo eiusmodi regulas, non violatur Votum Obedientiæ: Quomodo autem circa has regulas peccetur, dicemus p. 5.

PVNCTVM QVARTVM.

An Religiosi teneantur etiam seruare alia consilia Euangelica præter illa tria Vota.

D. Thomas art. 2.

RONAM hac de re tres assertiones ex sententia D. Thomę verissima & communiter recepta. PRIMA assertio. Consilia de iis operibus supererogationis, quæ *consequentur* perfectionem charitatis (vt benedicere maledicentibus, prębere alteram maxillam percutienti) non tenētur Religiosi adimplere: debent tamē ad eiusmodi consiliorum obseruationem contendere. Prima pars huius assertionis probatur. Nam institutum vitæ Religiosæ nihil aliud est, quàm disciplina quædam & exercitium virtutis, quo Religiosi ad perfectionē charitatis contendunt, neque ex propria professione obligantur, vt sint iam charitate perfecti. Sed ei, qui contendit ad terminum, non competit, vt ea præstet, quæ pertinent ad eum, qui iam est in termino. Ergo, &c. Secunda pars patet ex eo, quòd Religiosi tenentur contendere ad perfectionem charitatis, per obseruationem nimirū eorum, quę vouerunt, aut eis præcipiuntur, iuxta suum institutum; vt post dicemus. Ergo eo ipso tenentur per eandem obseruationē contendere ad id, quod consequitur perfectionē charitatis.

SECVNDA assertio. Licet Religiosi non peccent, si non obseruant eiusmodi consilia; at peccant, si contemnant. Probatur. Quia talis contemptus aduersatur contentioni ad perfectionem charitatis, ad quam, vt dictum est, tenentur.

Est autem NOTANDVM, nomine contemptus consiliorum siue operum supererogationis, quæ sint in consilio, non esse intelligendū in proposito *iudicium erroneum*, quo aliquis existimaret, diuina consilia inutilia esse, aut eiusmodi opera genere suo parum vel nihil valere: Hoc enim iudicium hæresis potius, quàm contemptus dicēdus est. Secundò, neq; eo nomine intelligenda est *negligentia* executionis eiusmodi consiliorum. Hæc enim non est peccatum, quandoquidem consilia non obligant (loquor autem de executione consilij, quam expressè quis non vouerit) Tertiò, neque intelligendum est *propositum*, quo aliquis statueret non seruare aliqua, vel etiam omnia consilia. Eiusmodi enim propositū in eo, qui nullum opus consilij expresè vouisset, quamuis peccatum veniale videtur, propterea quòd quis proposito illo repugnare velle videtur Spiritui sancto; non tamen esset mortale. Patet, Quia vt suprà disput. 6. q. 6. p. 2. disputauimus, ne Votum quidem de non adimplendo consilio, est mortale.

Hæc cùm ita sint, tria possunt nomine *contemptus consiliorū* intelligi in proposito. Primò, si quis parui ęstimaret ipsum diuinum consilium, prout à Deo proficiscitur. Hoc pacto dubium non est, quin contemptus iste esset graue peccatum mortale, nō solùm in Religioso, verùm etiam in quolibet. Esset enim Irreligiositas & Irreuerentia magna erga Deum. Secundò, si quis etiam parui æstimaret opera ipsa consiliorum, etiam attendendo genus & naturam illorum; ita, vt illa *secundùm se* vilipenderet. Hoc modo contemptus iste, etiam esset peccatum contra Religionem, quatenus id in ignominiā Dei cedit; vt qui talia opera consuluit, tanquam illa, quę sint magni momenti. Et in Religioso quidem non dubito, quin esset mortale. Nam pręter dictam deformitatem irreuerentiæ siue Irreligiositatis, alia cerneretur in Religioso sic contemnente, consistens nimirū in eo, quòd is, qui peculiariter est obligatus ad procurandam perfectionem, tanquam suæ vitæ finem, vilipendit ea, quæ sunt perfectionis, & pertinent ad suum finem. Ab hoc autem statim abhorret recta ratio. Vnde hoc etiam modo intelligendi sunt D. Thomas hîc, & Syluester, Verbo Religio 2. n. 8. asserentes, peccare mortaliter Religiosum, si contemnat perfectionem.

Tertiò, nomine contęptus intelligi potest in proposito peccatum superbiæ, quo nimirum aliquis ægrè ferret ac dedignaretur, se ita esse Deo subiectū, vt ab eo consilia accipiat; atq; ita consilia animo auersaretur. Hoc etiam dubium non est, esse maximum peccatum mortale, nō solùm in Religioso, verùm etiam in quolibet. Et in hoc sensu potissimum verum habet, quod S. Thomas hîc ad 2. dicit, quemlibet Christianum peccare, si contemnat diuina consilia: quanquam non, si illa non adimpleat.

Puto etiam quemlibet mortaliter peccare, si secundo modo dicto contemnat ipsum genus & naturam operum supererogationis. Nam est notabilis

tabilis irreuerentia Dei. Vide Adrianum quodlib. 6. artic. 2. vbi varias acceptiones refert huius nominis (contemptus) sed quę diximus, sufficiūt. Alioqui enim etiam contingit contemnere præcepta, vel per *inobedientiam* formaliter; vt quando aliquis hoc ipso, quòd aliquid præceptum est, nō vult illud præstare: quoniam auersatur præceptum vt sic. Vel per *superbiam*, qua dedignaretur aliquis subiici præcepto, atque ita auersaretur illud; vel etiam per irreligiositatem, quando quis illud parui æstimaret. Sed iam non de contemptu præcepti, sed consiliorum agimus.

Restat autem argumentum vnum ad probandum, falsum esse, quod dictū est, Religiosum peccare mortaliter, parui æstimando opera cōsiliorum secundùm suum genus, propterea quòd debeat contendere ad illa, tanquam ad finem. Nam Religiosus, vt initio dictum est, nō aliter tenetur cōtendere ad perfectionem, quàm satisfaciendo suæ professioni, id est, seruando vota & agendo vitam regularem. Sed hoc facere potest, etiamsi contemnat opera aliqua consiliorū, alioqui non præscripta secundùm regulam sui Ordinis. Ergo contemptus ille non est contrarius contentioni illi ad perfectionē, ad quam Religiosus tenetur: Et sic nō propterea erit mortale peccatum. Maior conceditur infrà art. 9. à Caietano & ab aliis, vt videbimus punct. 5. Minor etiam videtur clara, ex quo opera eiusmodi distinguūtur ab obseruatione Votorū & vita regulari alicuius Ordinis.

Respondeo, probare hoc argumentum, quòd reipsa consistere possint contentio ad perfectionem secundùm regulam alicuius Ordinis, & ille contemptus: at non probat, quòd ista duo consistant simul secundùm rectam rationem. Ex eo enim, quòd Religiosus obligatus est, vt contendat per suam regulam ad perfectionem, cernitur deformitas in hoc, quòd perfectionem illam contemnat. Atq; ita, quod S. Thomas hîc dixit, contemptum illum esse contrarium tendentiæ ad perfectionem, idem est, ac si dixisset, esse contrarium obligationi ad tendendum in perfectionem, si consulatur recta ratio.

TERTIA assertio. Opera supererogationis aut consilij, quæ valent ad *acquirendam* perfectionē, vt abstinentia, &c. non omnia tenentur Religiosi præstare; sed illa, quæ sunt præscripta secundùm vniuscuiusq; Ordinis regulam, ad acquirendam perfectionem Charitatis. Ita indubitanter affirmat hîc D. Thomas, & eandem D. Thomæ assertionem, tanquam indubitatam ponit Caietanus ibi, & Syluester, Verbo Religio 1. num. 3.

Ac probatur manifesto argumento. Nam Religiosus ad alia eiusmodi consilia, quæ non sunt ei præscripta in sui Ordinis regula, non tenetur ex *præcepto* aliquo diuino aut humano; neq; ex *voto*, neq; ratione *finis* Religiosæ professionis, suæ, qua tenetur cōtendere ad perfectionem. Ergo nullo modo. Antecedēs quoad *præceptum* & *Votum* patet. Nam neq; Deus aut Ecclesia exigit amplius à Religioso, quàm vt agat vitam regularem, secundùm normam instituti sui, vt punct. seq. explicabimus; neque Religiosus vouet aliud, quàm eam ipsam regularem vitam. Quod autem neque ratione *finis* professionis teneatur ad eiusmodi alia consilia, inde manifestè probatur, quòd satis poterit tendere & peruenire ad perfectionem per obseruantiam regularem instituti sui; siquidem illud tanquam ad eum finem sufficiens, à sede Apostolica (vt suppono) est meritò approbatum: alioqui non satis rectè illud tanquam idoneum ad perfectionem sectandam approbaretur; si ad eum finem non sit sufficiens.

Nec si alia eiusmodi cōsilia sunt ad eum finem conducibilia, consequens est, vt teneatur Religiosus ea vsurpare: satis namq; est, vt vsurpet ea, quæ iuxta suam regulam conducunt & sufficiunt ad eum finem. Id quod rectè D. Thomas hîc confirmat exemplo Medici, qui non tenetur adhibere quoduis medium seu medicamentum ad sanitatem conducibile: sed satis est, si adhibeat aliquod sufficiens.

Negandum tamen non est, quin fit vtile & pium, Religiosos causâ acquirendæ maioris perfectionis facere etiam aliqua, præter ea, quæ præscripta sunt ipsis in Regula, modò id fiat vt decet, & salua obedientia.

PVNCTVM QVINTVM.

An Religiosi ita teneantur seruare regulas sui instituti, vt quotiescūque illas transgrediuntur, peccent mortaliter.

D. Thomas art. 9.

DOCTRINA D. Thomæ hac de re, verissima est & extra controuersiam, si rectè intelligatur. Itaque ex eius sententia ponam & explicabo duas assertiones.

PRIMA assertio. Non semper Religiosus peccat mortaliter, transgrediens regulam, sed tunc solùm, quādo aliqua existit circumstantia ex his quatuor. PRIMA est. Si quod regula continet, est aliâs ex præcepto *necessarium ad salutem*. SECVNDA. Si est materia *Voti*; vt si Regula cōtineat obseruantiam castitatis, obedientiæ, &c. TERTIA. Si Regula continet aliquid, quod est peculiariter *præceptum* à Superiore, siue viua voce, siue per ipsam regulā. Ratio huius circumstantiæ est. Quia tunc illud prætermittere, esset violare Votum obediētiæ, ex quo tenetur Religiosus adimplere, quicquid à Superiore præcipitur. QVARTA. Si quis transgrediatur Regulam ex *contemptu* regulę: tunc enim semper est mortale propter contemptum: quamuis alioqui obseruantia, quæ in Regula præscribebatur, solùm pertineret ad actū supererogationis, siue interiorem siue exteriorē. Ratio huius est. Quoniam etsi Religiosus non

Universidad de Deusto
Biblioteca

debeat eſſe *actu* perfectus, at debet tendere ad perfectionem, & agere vitam regularẽ, ſicut pollicitus eſt per Votum profeſsionis. Quando autem contemnit, facit contra vitam regularem, & contra contentionem ad perfectionem.

Hæc aſſertio ſigillatim explicanda eſt, percurrendo has ſingulas circumſtantias. Itaque circa PRIMAM circumſtantiam (ſcilicet cùm tranſgrediens regulam peccat mortaliter, propterea quòd Regula contineat aliquid *ad ſalutem neceſſarium*) notandũ eſt primò, dupliciter poſſe in Regula contineri quod alioqui eſt neceſſarium ad ſalutem. VNO modo ita, vt per ipſam regulam peculiariter etiã præcipiatur à Superiore; & tunc quidem tranſgreſsio regulæ ex ea parte, qua eſſet contra votum Obedientiæ, *ſpeciale* peccatũ eſſet. Debet enim Religioſus ex eo voto peculiari ratione præſtare quod præcipitur à Superiore.

Ex ea verò parte, qua talis tranſgreſsio eſſet contra præceptum humanum Superioris, eſſet quidem grauius peccatum, ſed nõ ſpeciale. Nam, vt rectè hîc notat Caietanus, diuerſitas præcepti auget quidem malitiam peccati, ſed nõ parit diuerſitatem ſpecificã; vt quæ ſumitur non ex præcepto, quod violatur, ſed ex obiecto. SECVNDO poteſt id contineri in regula nõ ita, vt peculiariter præcipiatur, ſed ita vt *proponatur ſimpliciter* id, quod alioqui eſt præceptum; Et tunc tranſgreſsio eiuſmodi præcepti, propterea quòd ſit cõtra regulam, neq; ſpeciale, neq; grauius peccatũ erit, cùm regula per ſe nihil obliget, vt ponimus.

Circa SECVNDAM circumſtantiam (ſcilicet cùm tranſgrediens regulam, peccat mortaliter, propterea quòd materia Regulæ, ſit materia *Voti* profeſsionis) notandum PRIMO, loqui D. Thomam de mortali *ex genere*. Poteſt enim alioqui violatio Voti peccatum veniale eſſe, vt ſuprà diſputat. 6. in quæſt. de Voto, puncto 4. docui contra Caietanum.

Notandũ SECVNDO, Votum illud profeſsionis, de quo S. Thomas hîc & ſæpe aliàs in hoc Tractatu loquitur, non eſſe aliquod peculiare Votũ, diſtinctum à tribus prædictis, Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis: vt ex eo patet, quod ſuprà art. 7. D. Thomas abſolutè dicit, perfectionẽ Religionis tribus illis Votis contineri, nulla facta mentione alterius (loquor autẽ de eo Voto profeſsionis, in quo omnes Religiones eſſentialiter conueniunt) Eſt igitur huiuſmodi Votum nihil aliud, quàm illa tria collectiuè ſumpta: ita enim placet Doctoribus, illa vnico verbo *profeſsionis Votum* appellare. Atq; hoc patet ex eo etiam, quod S. Thomas ſubdit in illa circumſtantia. Inquit enim, in eiuſmodi Votum profeſsionis tria prædicta *principaliter* cadere: Videlicet Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam.

Verùm hîc diligẽtiſsimè ADVERTENDVM: Hoc ipſo, quod S. Thomas ait, hæc tria *principaliter* cadere in votũ profeſsionis, inſinuare, aliquid aliud præterea minùs principaliter cadere in votũ profeſsionis; ſiue, quod idem eſt, in illa tria vota. Hoc autem eſt nihil aliud, quàm *vita regularis*, quæ vt ſanctus Thomas in articulo dicit, ad obſeruationem trium illorum votorum ordinatur, atq; ita ſe habet tanquam circumſtantia quædã obiecti ſiue materiæ vniuſcuiuſq; illorum votorum.

Etenim per Votum obedientię nõ ſolùm pollicetur Religioſus ſeſe adimpleturum præcepta Superioris, ſed ſe etiam adimpleturum ſecũdùm vitam regularem ſui Ordinis: Et idem eſt de Paupertate & Caſtitate, *in vita ſcilicet regulari*. Atque hinc eſt, quòd Apoſtata à Religione, non ſolùm habetur reus Voti, qua parte incontinens eſt, aut inobediens, &c. ſed etiam quatenus deſeruit vitam regularem.

Si autem QVÆRAS, in quo cõſiſtat iſta vita regularis, quam dicimus cadere etiam in votum, tanquam circumſtantiam: Ad hoc conuenienter doctrinæ D. Thomæ & aliorum communi ita reſpondeo. PRIMO, eiuſmodi vita regularis, nõ conſiſtit in obſeruatione *actuali* regularũ. Patet. Nam tunc ſemper peccaret contra Votum Religioſus tranſgrediens regulam: cuius contrarium docet S. Thomas hîc & cõmuniter Doctores. SECVNDO dico, conſiſtere in hoc, quòd Religioſus ſit *ſubiectus* regulæ; id quod prius quiddam eſt, quàm actu obſeruare regulam. Nam & ille, qui non ſeruat, propterea reprehenditur, quòd cùm ſit ſubiectus, nõ ſeruat. Itaque regularis illa vita, quam vouet Religioſus, non eſt vita regularis in *actu ſecundo* obſeruationis, &c. Sed veluti *in actu primo* ſubiectionis erga regulam.

At QVÆRES vlteriùs, **in quo conſiſtat hæc** *ſubiectio* erga regulam. Reſpondeo PRIMO, nõ conſiſtit hęc ſubiectio in *propoſito* ſeu voluntate ſeruãdi regulas. Probatur. Quia ſi in eo cõſiſteret, quãdocunq; nollet quis ſeruare regulã, peccaret cõtra Votum. Hoc aũt falſum eſt. Sicut enim tranſgredi reipſa regulã interdum nullum eſt peccatũ ex ſuo genere: ita etiam nullum erit peccatũ velle tranſgredi, cùm actus exterior ſit norma, ex qua de bonitate & malitia actus interioris iudicare debemus. SECVNDO dico, Neq; conſiſtit ea ſubiectio in hoc, quòd ita Religioſus teneatur ſeruare regulam, vt ſi tranſgrediatur, ſit peccaturus. Probatur. Nam hoc non habet locũ in regula ſecundùm ſe nõ obligante ad peccatum: & tamen Religioſus tali etiam regulæ eſt ſubiectus. TERTIO dico, conſiſtere in hoc toto, nimirum quòd & regulæ ſunt à Prælatis cum auctoritate alumnis Ordinis præſcriptę, & ita ad hos illarum obſeruatio pertinet, vt ſi tranſgrediantur, meritò Superiores poſsint ab illis pœnas exigere. Itaque nomine illo *ſubiectionis erga regulam*, totum hoc connotatur, ſiue indicatur.

Et eſt iſta expoſitio ſubiectionis ad regulam, communis tam ſubiectioni ad regulam obligantem ad peccatum, quàm ad non obligantẽ: Nam in illa etiam verificatur, quòd ſit cum auctoritate à Prælatis, ppoſita ſuis alumnis, ita, vt à tranſgreſ-

ſoribus

ſoribus exigi poſsit pęna. Eſt tamẽ in hoc aliquid diſcriminis, quòd pœnæ, quas poſſunt exigere Prælati ab alumnis tranſgreſſoribus regulæ obligantis ad culpam, propriè habent rationẽ *pœnæ*, vtpote quæ ad culpam refertur: pœnæ verò, quæ exiguntur à tranſgreſſoribus regulę non obligantis ad culpam, ſunt potius pœnalitates quædam, quæ & ipſæ etiam in propoſito, communi vocabulo pœnæ nominari poſſunt, vt rectè hîc animaduertit Caietanus.

Eſt autem hæc expoſitio ex mente D. Thomæ hîc ad 2. vbi explicans modum, quo Religioſi obligantur ad regulas, atq; adeo ſubiiciuntur illis, in Ordine, cuius ſtatuta non obligent per ſe ad culpã, ait, per hoc illos obligari, quòd ſi eas tranſgrediuntur, tenentur ad pœnam ſuſtinendam. Circa quem locum videndus hîc Caietanus bene declarans, in eiuſmodi ordinibus, quorum ſtatuta ſub peccato non obligant; neque debere Religioſos pœnam tranſgreſſoribus decretam, ſub peccato ſubire, ſecluſo peculiari præcepto Superioris. Quare quod S. Thomas ait, illos obligari ad ſuſtinendam pœnam, de obligatione latè accepta intelligẽdum eſt, vt nimirum nihil aliud id ſignificet, quàm quod anteà diximus, ſcilicet ita obſeruationẽ regularũ ad alumnos eius Ordinis pertinere, vt Superiores poſsint cum auctoritate à tranſgreſſorib. exigere pœnas, & illos etiã, ſi voluerint, obligare ſub peccato ad illas ſuſtinẽdas.

Expoſui breuiter, quid ſit illud Votum profeſsionis, de quo S. Thomas loquitur in ſecunda circumſtantia; & quid illud principaliter reſpiciat, & quid minus principaliter, videlicet vitam regularem. Item quę ſit hęc vita regularis in votum cadens, quod ſcilicet in ſubiectione ad regulam conſiſtat. Deniq; quid ſit illa ſubiectio, abſtrahẽs à regula, obligante ad culpam, & non obligante.

Nunc SECVNDO circa eandem ſecundam circumſtantiam notandum, non modò votum ſolenne profeſsionis (de quo loquitur D. Thomas) reſpicere *minus principaliter* modo explicato vitã regularem atq; adeo prędictam ſubiectionem ad Regulam, ſed etiam votum ſimplex Paupertatis & Caſtitatis & Obedientię, ita quidẽ in Religione per Sedem Apoſtolicã approbata emiſſum poſt Nouitiatum, vt verè conſtituat Religioſum. Id quod de huiuſmodi votis ſimplicibus in Societate noſtra poſt Nouitiatum emiſsis declarauit, & definiuit, & probauit Gregorius XIII. in peculiari Conſtitutione anno M. D. LXXXIV. edita, in qua etiam ad matrimonium validè contrahendum inhabilitauit eos, qui eiuſmodi vota in Societate fecerint, & à Societate dimiſsi nõ ſint. Qua de re non eſt neceſſe aliquid hîc addere ad ea, quæ de hoc diſſeruimus p. 2. aſſertione 5.

Circa TERTIAM circumſtantiam (cùm ſcilicet tranſgrediens regulam, peccat mortaliter *ex genere*, propterea quòd Regula cõtineat *præceptum* Superioris propriè dictum) nota, intelligendam eſſe de præcepto obligãte ex ſuo genere ad mortale. Alioqui enim, vt rectè notat Caietanus hîc, & Nauarrus in Manuali, c. 23. n. 49. fieri poteſt, vt præceptum aliquod obliget tantùm ad veniale. Si autem quæras, vnde cognoſcendum, vtrum præceptũ Superioris ad mortale vel veniale obliget. Reſpõdet bene Caietanus hîc, vniuerſalem regulam vix poſſe aſsignari, præter communem ſenſum illorum, qui præcepto tenentur; ita, vt illud obliget ad mortale, quod ita obligare iudicant illi; & ſimiliter illud ad veniale, quod communiter tantummodò ſic cenſetur obligare.

Præter hanc autem regulam, dignoſci etiam id poteſt, ex aliquibus particularibus circumſtãtiis, vt rectè docet idẽ Caietanus. Nam ſi aliquid præcipitur in *virtute obedientiæ*, communiter ſolet accipi tanquam ſub mortali. Item ſi ſub pœna *excommunicationis maioris*. Denique exiſtimat etiam Caietanus, verbum illud *(tenetur)* aut aliud æquiualens, communiter indicare obligationem ad mortale, niſi aliâs contrarium explicetur. Atque id colligit Caietanus ex Clementina Exiuit de paradiſo, vbi declaratur, regulas Ordinis ſancti Franciſci, quæ illud verbum continent, obligare ad mortale. De quo fuſius diximus tomo 2. q. 5. de legibus, p. 6. & diſſerit etiam de hoc multa Nauarrus vbi ſuprâ, qui in hoc ferè idem ſentit, quod hîc Caietanus.

Circa QVARTAM circumſtantiam (cùm ſcilicet tranſgrediens regulam, peccat mortaliter propter *contemptum*) notandum eſt, contemptum, de quo hîc loquitur S. Thomas, eſſe in propoſito peruerſam voluntatẽ, qua aliquis *nollet* eſſe ſubiectus regulæ, id eſt, animo auerſaretur totum illud, in quo explicantes ſecundam circumſtantiam, diximus cõſiſtere ſubiectionẽ ad regulam, ac proinde vitam regularẽ, quam vouet Religioſus. Ita ipſemet D. Thomas ſe exponit hîc ad 3.

Hoc poſito, ex dictis circa ſecundam circumſtantiam clarè patet, veriſimum eſſe, quod ait D. Thomas, contemptum regulæ ſiue tranſgreſſionem illius, *ex contemptu*, mortale peccatũ eſſe contra votum profeſsionis, quo Religioſus promiſit vitam regularem. Probatur. Nam vt in ſecunda circũſtantia diximus, vita regularis, quam promiſit, conſiſtit in illa ſubiectione erga regulam. Ergo qui ſuperbè auerſatur ſubiectionem erga regulam, atque adeo contemnit illam, directè facit contra votum; & cùm *ſubiici ſimpliciter & abſolutè regulæ* nõ ſit res leuis, eſt peccatũ mortale.

Atq; ex eodem fundamento patet, quomodo eo ipſo faciat Religioſus contra obligationem illam, qua tenetur contendere ad perfectionem, ſicut ait etiam S. Thomas. Nam vt rectè notat Caietanus, Religioſus non aliter tenetur contendere ad perfectionem, quàm agendo vitam regularem eo modo, quo illam promiſit. Quare ſicut eo ipſo ſatisfacit huic obligationi, quòd vult eſſe ſubiectus regulæ, atq; ita manere in vita regulari, quam promiſit: ſic eo ipſo tranſgreditur hanc obligationem, quòd vult non eſſe ſub-

Universidad de Deusto
Biblioteca

iectus regulæ. Vnde huiusmodi contemptus est veluti quædam apostasia à sua professione.

Cæterùm diligenter hîc discernendum est, inter contemptum regulæ *simpliciter & absolutè*, & contemptum non quidem regulæ, sed *executionis illius hîc & nunc* duntaxat. Etsi enim aliquis auersetur animo executionem regulæ, hîc & nunc duntaxat: tamen non propterea contemnit regulam eo modo, quo hîc loquimur, vt videlicet nolit illi esse subiectus. Id quod optimè etiam docuit S. Thomas hîc ad 3.

Ex quo sequitur, si quis nollet regulas seruare præter sua vota, non eo ipso facere contra Votum aut professionem vitæ regularis, dummodo velit nihilominus esse subiectus regulis. Quanquam existimo eum, qui ita animo comparatus esset in Religione, cõmuniter loquendo, aliunde esse in peccato mortali, propter periculum videlicet, cui se exponeret contemnendi regulas. Nam vt ad hoc propositum rectè notat D. Thomas ad 3. consuetudo transgrediendi inducere solet contemptum, iuxta illud Prouerb. 18. *Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnit.* Quare consuetudo transgrediendi regulas, ex proposito nullam seruandi, mortale esset.

Atq; ita est intelligendus Syluester, cùm verbo Religio 2. n. 12. ait, peccatum mortale esse propositũ transgrediendi omnes regulas præcipuas Ordinis. Esset enim, inquit, contemptus interpretatiuus illarum. Si tamen aliquis aliquam, vel aliquas præcipuas regulas vellet seruare, etiamsi nollet seruare alias, non putat Syluester ibidem, eum esse in malo statu: quoniam per illam, vel illas, inquit, quas vellet seruare vnà cum suis votis, posset contendere ad perfectionem, licet non curreret. Et hactenus de PRIMA assertione.

SECVNDA assertio. Quamuis transgressio regulę in ordinibus Religiosorum, quorum statuta non obligant per se ad culpã, ex suo genere peccatum non sit: potest tamen esse peccatum mortale vel veniale ex contemptu, vel negligentia, vel libidine. Ita docet D. Thomas hîc ad 1.

Et quidem si quis regulam ex *contemptu* transgrediatur, erit mortale, vt ante dictum est. Si autem ex libidine aut negligentia, erit veniale. Nomine autem *libidinis* intelligit hîc S. Thomas cupiditatem nimiam erga aliquid, propter quod quis transgreditur regulam. Et constat, eiusmodi transgressionẽ esse vt minimum veniale. Nam vt rectè inquit Caietanus hîc, si facere ex libidine quidpiam aliud, non prohibitum regula, est veniale: à fortiori, si sit per regulam prohibitum. Nomine autem *negligentiæ*, vt idem Caietanus rectè exponit, intelligit, non quidem simplicem aliquam voluntatem, qua quis velit transgredi regulam; sed transgressionem regulæ ex nulla alia causa, quam ex *torpore* quodam animi & negligentia crassa. Quod etiam vt minimũ veniale est. Nam non est humanum moueri ad aliquid ex animi torpore, sine alia causa, vel fine rationabili.

Ex quibus sequitur, eum non peccare, qui regulam sub peccato ex se non obligantem transgreditur aliquo fine vel causa, quæ tunc illi videtur rationabilis: quamuis illud, quod facit, minus bonum sit, quàm si seruaret regulam. Non enim tenetur aliquis facere semper, quod melius est. Nihilominus communiter admisceri videtur nonnihil culpę in transgressione eiusmodi regularum. Irrepit enim facillimè aut torpor, aut libido.

PVNCTVM SEXTVM.

An Religiosi grauius peccent eodem genere peccati, quàm seculares.

D. Thomas art. 10.

NON est dubium, quin vt docet diuus Thomas hîc, peccatũ Religiosi, cæteris paribus, possit esse grauius: vel ratione scandali; quoniam ad illorum vitam plures respiciunt; vel ratione voti; vel ratione contemptus, si ex contemptu vel malitia peccant. Nam videntur tunc esse peculiariter ingrati Deo. Vnde Dominus queritur per Ierem. cap. 11. *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?*

Vbi tamen notandum, ingratitudinem illam maiorem, quam habet Religiosus erga Deum, cùm ex malitia peccat, nõ esse *speciale* peccatum, nisi quando formaliter & ex intentione peccaret ex contemptu diuinorum beneficiorũ. Aliâs autem ingratitudo illa solùm est circumstantia aggrauans idem peccatũ, propterea quòd persona religiosa Deo consecrata arctius obligatur communibus præceptis, & peculiariter ad sanctitatem tenetur sicut suprà q. 2. disputauimus.

Secluso autem scandalo, quando Religiosus ex infirmitate aut ignorantia peccat; cæteris paribus, minus est illius peccatum, quàm Laici, vt rectè asserit D. Thomas hîc. Et probat ea ratione. Quia si peccatum est veniale; multitudine bonorum operum veluti obruitur: Si mortale; facilius & citius Religiosus resipiscit propter pristinam consuetudinem, qua est in recta intentione erga Deum exercitatus, & propter exemplum fratrum, vt notat Origenes super illud, Psal. 36. *Cùm ceciderit iustus, non collidetur.*

Hæc autem ratio S. Thomæ, quod attinet ad peccatum mortale, videtur solùm conuincere, quòd sit illud in Religioso minus *extensiuè*, quatenus nimirum is citò resurgit ab illo. Potest autem facilè etiam probari, quòd sit minus *intensiuè*, cæteris paribus, ex eo, quòd persona alioqui exercitata charitate erga Deum, & bonis operibus, non solet ex infirmitate aut passione peccare, nisi sit illa passio vehemens, quæ videlicet multum minuat rationem *voluntarij actus*.

QVAESTIO QVINTA.

De Statu Religiosorum quoad illorum functiones siue exercitia.

D. Thomas 2. 2. q. 187.

EXPLICANDA sunt quatuor. PRIMO, Quasnam functiones liceat obire Religiosis, versando cum proximis. SECVNDO, An teneantur incumbere labori corporali. TERTIO, An liceat eis de Eleemosynis viuere. QVARTO, An liceat eis Eleemosynas emendicare, & vti singulari & vili vestitu. De quibus rebus videndi sunt D. Thomas & D. Bonauentura in opusculis, quæ scripserunt doctissimè contra eos, qui suis temporibus oppugnauerunt instituta & mores Religionum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quasnam functiones obire liceat Religiosis, versando cum proximis.

D. Thomas art. 1. & 2.

FVNCTIONES huiusmodi aliæ sunt *spirituales*; vt concionari, docere, audire confessiones, &c. aliæ autẽ sunt *seculares*, quæ scilicet proximè ordinantur ad huius vitæ commoda; vt procuratio & administratio bonorum temporalium, &c.

Et quod ad functiones SPIRITVALES attinet, certa est hæc assertio D. Thomæ: Quamuis Religiosis, hoc **ipso** quòd Religiosi sunt, non competant **eiusmodi munera**: nihil tamen obstat, quò minus ex **facultate** suorum **Superiorum**, & Episcoporum commissione, licitè illa possint obire. Prima huius assertionis pars satis probatur aliquibus auctoritatib⁹, vel ex Patribus, vel ex Conciliis, relatis à Gratiano 7. q. 1. cap. *Hoc nequaquã*, & 16. q. 1. cap. *Monachus*, & cap. *Adiicimus*, & cap. *Nemo potest*, & cap. *Placuit*, & cap. *Ex auctoritate*.

Secunda verò assertionis pars probatur. Quoniã sicut Religiosi hoc ipso, quòd Religiosi sunt, non debent ea munera tanquam *propria* exercere: ita etiam neque eo ipso habent aliquod impedimentum obstans, quò minus possint illis ea munera committi. Duplex enim est impedimentum, quòd eiusmodi muneribus obstare potest. Vnum est *peccatum*: iuxta illud Psal. 49. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, &c.* Hoc autem impedimentum constat longè debere abesse à Religiosis, cùm peculiarem vitæ sanctitatem profiteantur. Alterum impedimentum est *præceptum*, si quo fortè tenerentur illi abstinere ab huiusmodi officiis. Sed neq; hoc impedimentum necesse est in Religiosis reperiri hoc ipso, quòd Religiosi sunt. Possunt enim habere ad id facultatem.

Et quidem vt Religiosi arbitratu suo hæc munera non exerceant, est statutum 16. q. 1. can. *Nemo*, & can. *Placet*, & aliis pluribus. Quòd autem ex commissione tanquam Coadiutores Episcoporum, illa possint licitè exercere, diffusè & eruditè probat S. Thomas opusculo 19. contra impugnantes Religionem cap. 2. 3. & 4. Estq; id certissimum, vt patet ex Syricio Papa epist. 1. cap. 13. & ex Concilio Agathensi cap. 27. Chalcedonensi act. 15. cap. 3. & 4. & ex multis Decretis 16. quæstione 1. **præsertim ex can.** *Moderamine*, & can. *Nonnulli*.

SED aduertendum est; vt Religiosi licitè concionentur, hæc requiri. *Primò* requiritur suorum Superiorum facultas, alioqui peccabunt mortaliter. Patet ex Concilio Tridentino sess. 5. cap. 2. de reformatione, & sess. 24. cap. 4. de eadem: & ex Lateranensi sub Innocentio III. cap. 3. vbi, qui absq; facultate concionantur, excommunicantur. *Secundò*, vt in Ecclesiis aliis extra templa sui Ordinis concionentur; necesse est, vt habeant ab Episcopo facultatem, vt patet ex Concilio Tridentino ibidem. Atque vt colligitur ex Clementina Dudum, de Sepulturis, iure communi etiam requiritur consensus Parochi. *Tertiò*, neq; in Ecclesiis sui Ordinis, neque in aliis concionari possunt, contradicente Episcopo, vt habetur sess. 24. cap. 4. Concilij Tridentini. *Quartò*, vt præterea Confessiones audiant, necesse est vt ab Episcopo idonei iudicentur: quod vt ille cognoscat, adhibere potest examen, vt conceditur in Concilio Tridentino.

Neq; his obstat iam motus proprius Pij V. quo Ordines mendicantium ab hoc iugo Episcoporum exemit. Siquidem ille motus reuocatus est per Gregorium XIII. qui ius commune, & decreta Concilij Tridentini circa huiusmodi voluit omnino suum robur retinere, vt habet Nauarrus in Manuali, cap. 27. ad finem. Intelligo autem Episcopos auctoritate sibi à Concilio Tridentino concessa, posse in hac parte vti, si Concilium Tridentinum alioquin admittant.

Quod autem attinet ad functiones SECVLARES, verissimè quoq; D. Thomas docet ar. 2. licere Religiosis eas obire, si illas non ex cupiditate, aut ambitione, sed ex charitate, causâ vtilitatis aut necessitatis proximorũ, siue sui Ordinis, siue etiam alienorum. Probatur. Nam si ita eiusmodi functiones tractent; conferre poterit eiusmodi exercitium ad perfectionem charitatis acquirendam, quæ est Religiosæ vitæ scopus. Vnde Apostolus ad Roman. cap. vlt. *Commendo vobis*, inquit, *Phœbem sororem nostram, etc. & assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit.*

Hic autem rectè notat Caietanus, conclusionem hanc D. Thomæ intelligendam generatim de omnibus negotiis secularibus secundùm se licitis; non tamen ita, vt intelligantur, Religiosi *quouis modo* illa posse suscipere, id est, exercendo quemcunq; secularem actum. Vnde rectè colligit Caietanus, quatuor conditiones requiri vt Religiosi obeant rectè functiones seculares. *Primò*, vt non id faciant ex cupiditate. Nam ita à scopo aberrarent. *Secundò*, vt id faciant ex charitate. *Tertiò*, vt cum facultate Superiorum. *Quartò*, vt abstineant ab illis actibus, qui cum tumultu, vel inquietudine sunt coniuncti, id est, vt non ipsi per se omnia exequãtur. Vide de his S. Thomam opusculo 19. cap. 15. & Caietanum hîc ad 3.

PVNCTVM SECVNDVM.

An Religiosi teneantur incumbere labori corporali.

D. Thomas art. 3.

IN hac re duo extremi errores sunt cauendi. Primus fuit Psallianorũ, siue Messalianorum, de quibus in historia tripartita li. 7. c. 10. & Augustinus de hæresib. hæresi 57. Hi absolutè negarunt, licere Religiosis laborare: Contra quos scripsit Augustinus librum, quem nominauit, de operib. Monachorum. Refutatur autem is error sufficienter exemplo Apostoli, qui manibus victum & sibi & suis sæpè parauit. Item ipsa naturali ratione, quæ docet, nihil minus, quàm laborem, esse ab homine alienum; & ex alia parte minimè is impedit, quò minus Religiosus possit ad finem suum, id est, perfectionem contendere; imo potius iuuat interdum maximè.

Secundus error fuit VViclephi, qui contra putauit, Religiosos teneri ad laborandum. Damnatus est autem in Concilio Constantiensi sess. 8. & in Bulla Martini V. Sectarij etiam asseruerũt, debere Religiosos laborare, exceptis illis, qui dant operam prædicationi Verbi Dei. Vide Castrum, Verbo labor, & VValdensem lib. 3. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 12. & S. Thomam opusc. 19. ca. 5. Qui & hîc etiam manifestè ostendit, absolutè loquendo, nõ magis teneri Religiosos ad laborem corporalem, quàm Laicos: nisi qui fortè peculiari regula sui Ordinis ad id astringantur.

Probatur. Nam illa, quę ad finem aliquem ordinata sunt, non cadunt in præceptum, nisi quatenus ad eum finem sunt necessaria, ita, vt aliâs non possit ille obtineri. Sed ad consequendum finem, in quem refertur labor, non magis necessarius est labor corporalis Religiosis, quàm Laicis. Ergo, &c. Minor probatur. Nam vt ex variis Scripturę locis colligi potest, labor ordinatus est vel ad quærendum victum, vel ad ocium tollendum, vel ad carnem reprimendam, vel deniq; ad habendum aliquid, vnde pauperibus suppeditetur eleemosyna. At victum aliunde possunt Religiosi habere, perinde atque laici, & ocium vitare oratione, atque aliis exercitiis: Item macerare carnem vigiliis ac pœnitentiis, &c. Deniq; eleemosynam non tenentur erogare, nisi in casu necessitatis proximi, cui ab aliis non possit occurri; in quo casu si aliter occurri non posset, quàm labore aliquid conquirendo, per accidens tenerentur Religiosi laborare, sicut & laici. Ergo non tenentur illi magis ad laborem, quàm Laici.

Quocirca verè etiam notat D. Thomas in responsione ad 1. absolutè loquẽdo, *communitatem duntaxat* astringi præcepto ad laborandum; propterea, quòd labor est necessarius ad communitatem conseruandam. Sicut etiam eadem ratione tenetur communitas adimplere præceptum illud: *Crescite & multiplicamini*. Quare executio horum præceptorum non pertinet ad singulos, sed potius ad Rectores cõmunitatis; qui & possent, quando esset necessitas, particulares personas obligare ad eiusmodi præcepta implenda.

Atq; hæc sint dicta de præcepto laborandi, *per se loquendo*. Nam per accidens, potest aliquis particularis teneri tali præcepto, quando laboris finem (videlicet victum) aliter consequi non posset, vt S. Thomas hîc insinuat.

Porro illud quod ait D. Thomas, non cadere in præceptum id, quod est ordinatum ad finem, nisi quando aliter finis obtineri non potest; intelligendum est de præcepto naturali, secluſa determinatione iuris positiui: aliâs enim rectè notat hîc Caietanus, per ius positiuum fieri quandoque necessarium ex præcepto aliquid ordinatum ad finem, tametsi finis posset sine illo obtineri. Sicut ieiunium, verbi gratia, in Quadragesima, ordinatum ad macerandam carnem, necessarium est ex præcepto & determinatione iuris positiui, licet aliter posset caro macerari.

PVNCTVM TERTIVM.

An liceat Religiosis ex eleemosynis viuere.

D. Thomas art. 4.

SI loquamur *per se & absolutè*, licitum hoc est Religiosis, vt docet D. Thom. hîc. Et id quidem, siue eleemosynæ quotidianæ sint & minutæ, siue pe-

petuis redditibus contineantur. Probatur. Nam vnicuiq; licitum est viuere de eo, quòd est suum, aut quod sibi ob aliquas iustas causas debetur. Sed eiusmodi eleemosynę sunt Religiosorum, aut debentur illis ob iustas aliquas causas. Ergo, &c. Minor, quoad primam partem, patet ex liberalitate Principum, aut aliarum personarum, qua eiusmodi eleemosynæ Religiosis donatæ sunt. Quoad secundam verò partem, probatur. Nam duplex est causa, propter quam alicui quidpiam debetur; videlicet *necessitas*, quæ facit omnia cõmunia; aut *ministerium* aliquod, siue munus priùs impensum. Sed huiusmodi de causis possunt Religiosi recipere eleemosynas. Ergo, &c.

Minor hæc quoad primam causam patet. Possunt enim Religiosi necesitatem habere, aut ex infirmitate corporis, propter quam nequeãt laborare; aut quia etamsi laborent, nõ tamen possunt sufficienter parare sibi eo labore necessaria; aut denique, quia aliqui eorum delicatè fuerunt in seculo educati, nec laborib⁹ assueti sunt, quorum proinde *necessitas*, inquit Augustinus libro de operibus Monachorum, *credenda est & ferenda*. Quoad alterã verò causam, probatur. Quia possunt primò impendere ministeriũ prędicationis. Secundò, sacrificium altaris. Tertiò, studere sacrę Theologiæ. Quartò, accidit etiam, vt aliqui bona sua temporalia Ecclesię dederint. Propter has autem causas, & quamlibet illarum, meritò debentur illis eleemosynæ, vt patet quoad tres primas, 1. Corinth. 9. Et quoad vltimam ex Augustino vbi suprà.

Per accidens tamẽ (vt docet item D. Thomas) potest contingere, vt vsus eleemosynarũ reddatur illicitus Religiosis. Primò, si cessent à Religiosis actibus: defraudant enim tunc benefactores participatione bonorum operũ, cuius spe eleemosynas erogarũt. Secundò, si velint in Religione ociosè viuere absq; vlla vtilitate; quemadmodum solent illi præsertim facere, qui cùm in seculo fuerint seruilis conditionis, volunt postea dominari. Ad quos, ait Augustinus vbi suprà, pertinere illud: *Qui non laborat, non manducet*.

SED occurrunt hîc tria Dubia. PRIMVM, Vtrum in illis casibus ipse *vsus* eleemosynarum illicitus sit Religiosis; an potius *cessatio sola* ab actibus Religiosis & ociositas. Ratio dubij est. Nam D. Thom. ipsum *vsum* illicitum esse significat. Ex alia verò parte, cùm etiam illi, qui ociosè & irreligiosè viuunt, vtantur sine scrupulo eleemosynis sibi donatis, nõ videntur per ipsum *vsum* formaliter loquendo peccare.

Respondeo, ipsum vsum formaliter tunc esse illicitum contra gratitudinis obligationem. Tenẽtur enim Religiosi vsurpare eleemosynas cum ea circumstantia, videlicet vt gratificentur benefactoribus, faciendo illos bonorum operum participes. Quare cùm ociosè & irreligiosè viuunt, ex talis circumstantiæ defectu, peccant vsurpando.

Sed tunc est dubium SECVNDVM. Quando eiusmodi ingratitudo erit mortalis. Respondet Caietanus hîc primò, esse mortalẽ, si quis ex cõtemptu beneficij eleemosynarum abstineat ab actibus religiosis. Et hoc quidem verum est. Nam tunc grauis est deformitas & ingratitudo *per trãsgressionem, &c.* Secundò dicit, etiam esse id peccatum mortale, ex circumstãtia ingratitudinis per meram omissionem citra contemptum, quando quis abstinet ab actibus religiosis, qui sint *necessarij ex præcepto*, obligante ad mortale.

Hoc secundum dictum videtur habere difficultatem, si Caietanus, vt videtur, loquatur de mortali, quod sit speciale peccatũ *ingratitudinis*. Nam vt tale peccatum mortale ingratitudinis committatur, oportet, actum, qui omittitur, esse necessarium ex præcepto sub mortali obligante ad actum non modò secundùm rectitudinem obedientiæ, aut alterius Virtutis, sed etiam secundùm rectitudinem *gratitudinis*, ita, vt hæc etiam rectitudo formaliter sub peccato mortali adhibenda sit in actu præcepto. Quòd autẽ hoc modo præcipiantur Religiosis ij actus qui sunt ipsis necessarij ex præcepto obligante sub mortali; nõ satis constat. Fortè dici potest probabiliùs, contingere peccatum mortale ingratitudinis per omissionẽ in proposito, quando Religiosus nunquam ferè recordaretur benefactorum, & notabiliter esset in obseruantiis religiosis negligens, ita, vt nullam, aut vix aliquas curaret.

Dubitatur TERTIO, Vtrum tales ingrati teneantur restituere, quod ex eleemosynis illicitè cõsumunt. Respondemus cum Caietano hîc, nõ teneri. Nam intentio cõferentium eleemosynas, non est talis, vt velint ingratis nihil donare.

PVNCTVM QVARTVM.

An liceat Religiosis mendicare, & abiecto vestitu vti.

D. Thomas art. 5. & 6.

QVOD attinet ad Mendicitatem; cupiditatis quidem causâ aut ociositatis, non licet Religiosis mendicare: Causâ verò humilitatis, vel necesitatis, vel vtilitatis, tam Religiosis, quàm Laicis licet. Ita D. Thomas hîc art. 5. Quæ assertio definita est contra VViclephum in Concilio Constantiensi, sess. 8. & in Bulla Martini V. & à Leone X. contra articulos Lutheri. Is enim art. 41. dixisse fertur, facturos bene Prelatos ac Principes, si omnes saccos mendicitatis delendos curarent. Etsi verò hîc Lutherus tergiuersetur, negans se vnquam ita dixisse, tamen satis declarauit, sibi mendicitatem non probari; vt videre est apud Roffensem, artic. 41. contra Lutherum. Est præterea modus viuendi mendicantium approbatus per Nicolaum III. in capit. Exiit qui seminat, de verborum significatione, lib. 6. vbi ille asserit, mendici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem confirmatam eſſe exemplo Chriſti Domini & Apoſtolorum. Quocirca D. Thomas in hoc loco rectè putat, etiam in ſenſu literali intelligendum eſſe de Chriſto illud Pſalmi 39. *Ego autem mendicus ſum & pauper.*

Idem eruditè perſequitur Thomas VValdenſis lib. 4. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 3. & 4. vbi inter alia meminit etiam tridui illius, quo puer IESVS remanſit Hieroſolymis; quo tempore piè creditur, illum mendicaſſe. Præterea Caietanus hîc alia commemorat ad hoc propoſitum; vt quando Chriſtus Dominus petiit aquam à Samaritana, & hoſpitium à Zachæo, &c.

Accedit etiam, quòd Apoſtolus collegit eleemoſynas ex Eccleſiis Achaiæ, Macedoniæ, &c. pro Sanctis, qui erant Hieroſolymis, vt patet 1. Corinth. 6. & ad Roman. 15. Denique Chriſtus Marc. 9. iis pollicetur præmium, qui in ſuo nomine *dederint aquæ potum.* Illi autē inprimis cenſendi ſunt, *nomine Chriſti* petere, q veſtigiis Chriſti Domini per religionis profeſsionem & voluntariæ paupertatis, inſiſtunt.

Sed & illi etiam rectè peterent *in nomine Chriſti*, qui etſi alioqui diuites ſint, tamen ad tempus pauperum perſonam induunt, deuotionis causâ, vt in peregrinationibus, &c. de quo rectè Caietanus hîc loquitur: addens etiam, regulariter eſſe illicitum diuitibus petere eleemoſynas, quãdo habent in promptu, vnde viuant. Defraudant enim quodammodo pauperes. Eſſet tamen etiam tunc laudabile, ſi quod colligunt, pauperibus darent. Item ſi in aliquo caſu, non poſſet aliquis aliter expugnare ſuperbiam: licet tũc etiam videatur teneri ad reſundẽdas eleemoſynas collectas pauperibus.

Supereſt autem hîc DVBIVM, quantum eſſet peccatum, mendicare cupiditatis aut ociſitatis cauſa. Reſpondet hîc Caietanus, eſſe diſtinguendum. Nam ſi is, qui ita mendicaret, reuera pauper non eſſet; mortaliter peccaret, teneretúrque pauperibus collecta reſtituere. Quia iniquè contra voluntatem donantis vſurpat. Is enim non niſi vero pauperi vult donare. Addit tamen Caietanus, ſatis eſſe in tali caſu, reſtituere cuicunque vero pauperi; cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio. Si verò is, qui ſic mendicaret, reuera pauper eſſet, putat Caietanus reuera non eſſe mortale. Quia nulli facit iniuriam; ſed peccat ſolùm venialiter, quòd & cupiditati indulgeat, & ſeſe abiiciat ad vitæ genus miſerum, ſine cauſa.

Hoc autem intelligo verum eſſe, quantum attinet ad mendicitatem ex ocio duntaxat. Alioqui quando quis mendicaret ex cupiditate congregandarum opum, regulariter videtur mihi id eſſe peccatum mortale. Nam talis habet propoſitum petendi etiam eleemoſynas, poſtquam habuerit ſufficientem victum, vt ſic congreget diuitias: Atq; ita peccat mortaliter, iuxta primum dictum Caietani. Vt enim ille, qui iam diues, petit & recipit eleemoſynas, cupiditatis cauſa, mortaliter peccat: ita etiam ille, qui hoc habet in animo.

Quod autem attinet ad VESTITVM, omnino licet Religioſis (vt docet D. Thomas art. 6.) eo vti abiecto, in ſignum humilitatis, pœnitentiæ, & contemptus rerum mundanarum, quæ omnia Religioſi profitentur: non tamen id licet causâ vanæ gloriæ, aut negligentiæ. Quam rem fusè proſequitur Thomas VValdenſis lib. 3. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 27. contra VViclephum, qui miris conuiciis proſecutus eſt hunc ritum: ſicut etiam Lutherus, eouſque, vt tandem cucullam abiecerit.

Sed iure optimo Religioſi vſurpant peculiarem & abiectum habitum. Nam vt dicitur Eccleſ. 19. *Amictus hominis annunciat de eo.* Quare vt peculiare genus vitæ ſequuntur: ita expedit, vt illud exteriori habitu indicẽt. Vnde rectè Baſilius regula 22. ex longioribus, inquit: Quemadmodum alius habitus eſt militis, alius viduæ, alius coniugatæ, &c. ita oportet eſſe alium Religioſorum. Hoc vſurparunt Helias, Ioannes Baptiſta, & alij Prophetæ.

Denique hic ritus antiquiſsima Eccleſiæ conſuetudine ac traditione probatus eſt, vt patet ex Dionyſio Areopagita, cap. 6. Eccleſ. hierarch. & ex Concilio Gangrenſi propè finem, & Aurelianenſi V. cap. 19. Carthaginenſi IV. cap. 11. & 104. Toletano VI. cap. 6. Toletano X. cap. 4. 5. & 6. Et VI. Synodo generali, can. 42. Vide S. Thomam opuſculo 19. capite 8. & VValdenſem vbi ſuprà, & Caietanum in Summa, Verbo Excõmunicatio, cap. 61. vbi meminit latæ excommunicationis in Religioſos, qui temerè deſerunt habitum, in cap. Vt periculoſa, tit. Ne Clerici vel Monachi, lib. 6. Qua de re ſuprà diximus diſputat. 1. quæſt. 12. de Apoſtaſia.

QVÆSTIO SEXTA.

De Statu Religioſorum quoad differentiam Religionum.

D. Thomas 2. 2. quæſt. 188.

EXPLICANDA SVNT DVO. PRIMO, PENES QVID ATTENDATVR *differentia & varietas Religionum; & an ea varietas ſit vtilis in Eccleſia.* SECVNDO, *Vnde diiudicari debeat, quænam Religio ſit perfectior.*

PVNCTVM

PVNCTVM PRIMVM.

Penes quid attendatur differentia & varietas Religionum; & an ea varietas ſit vtilis.

D. Thomas art. 1. vſque ad 5.

VT commodius intelligi poſsit, penes quid differant Religiones, inprimis oportet animaduertere ea, in quib. omnes Religiones conueniunt. PRIMO autem conueniunt in eo, quòd perfectionem charitatis omnes ſpectant; vt conſequẽdam non modò communi obſeruatione præceptorum (à qua communis *religio* Chriſtianorũ nominatur, quæ deinde ad varia inſtituta contrahitur, vt diſſerit VValdenſis lib. 3. doctrinalis fidei antiquæ, cap. 17.) ſed etiam obſeruatione conſiliorum, ſecundùm tria Vota, de quibus ſuprà dictum eſt. SECVNDO conueniunt in hoc, quòd præter tria Vota, omnes Religiones ſibi proponunt peculiare aliquod opus charitatis, vel etiam aliqua, tanquam immediatum finẽ, per quem demum ad perfectionẽ charitatis perueniant. Et addunt inſuper peculiaria exercitia & obſeruantias, quò facilius vota ſeruent, & immediatum atque vltimum finem conſequantur: cuiuſmodi ſunt vigiliæ, pœnitentiæ, &c. quę ad hoc valent. TERTIO, commune etiam debet eſſe omnibus Religionibus, vt à Sede Apoſtolica approbentur. Aliquo autem horum deficiente, *Religio* non erit eo modo, quo hîc de Religione loquimur.

His poſitis, facile iã intelligi poteſt, penes quid etiam Religiones differant. Primò enim non differunt in *mediato* ipſarũ fine, id eſt, in perfectione charitatis, cùm ad eã Religiones omnes tendant. Secundò, nec in obſeruantia Votorum. Aut tertiò ex parte approbationis. Sed *differunt* in duobus; PRIMO penes opera charitatis, quæ ſibi proponunt, tanquam finem *immediatum*. Secundò penes exercitia peculiaria, quæ ad eum finem vſurpant, vt docet S. Thomas art. 1.

Hinc fit, vt nullum ſit opus charitatis, ſiue erga Deum, ſiue erga proximum, ad quod non poſsit, tanquam ad immediatum finẽ, inſtitui Religio. Nam quoduis opus charitatis valet ad acquirendam perfectionem, quam omnes Religiones ſpectant veluti mediatum ſuum finem. Hinc rectè S. Thomas art. 2. deducit, inſtitui poſſe aliquam Religionem ad opera *actiuæ vitæ*. Et in artic. 3. ad militandum pro Eccleſia. Et in art. 4. ad Confeſſiones audiendas, concionandum, & ad ſimilia miniſteria obeunda, veluti in ſubſidium Epiſcoporum.

Item rectè eadem ratione docet in art. 5. poſſe Religionem aliq̃ inſtitui, ad ſtudendũ S. Theologiæ in vtilitatem proximorũ: tum quia eiuſmodi ſtudium iuuat etiam ad vitam contemplatiuam, illuminando intellectum, vitandoque errorem: itemq; ad Confeſsiones audiendas: Tum etiam quia non parum confert id ſtudium ad illa, quæ debent eſſe omnibus Religioſis communia. Reprimit enim carnis laſciuiam, tum propter laborem adiunctum, iuxta illud Eccleſ. 31. *Vigiliæ honeſtatis tabefacient carnem:* tum etiam quia abſtrahit cogitationes ab impuris rebus. Iuuat etiam ad paupertatem ſeruandã, quatenus parit contemptum rerum temporalium: iuxta illud Sapient. 7. *Diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius.* Et illud 1. Machab. 12. *Nos verò nullo iſtorum indiguimus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui in manibus noſtris ſunt.* Poſtremò etiam confert ad obedientiam præſtãdam; iuxta illud Auguſtini lib. de operibus Monachorum: *Quæ eſt iſta peruerſitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare?*

Quod verò attinet ad VTILITATEM huiuſmodi varietatis Religionum, pij & eruditi minimè dubitare poſſunt, quin maximè pertineat ad ornatum Eccleſiæ, vt ſit Religionum *circumamicta varietate*, vt patet ex iis, quæ diſſeruimus q. 1. p. 1. Expedit etiam hæc varietas ideo, vt variis operibus charitatis, ex perfectionis amore ſuſceptis, commodius Religioſi alij atque alij vacare poſsint ex inſtituto. Neq; enim ab vno vel altero Ordine, illis omnibus fieri poſſet ſatis.

Verùm in hac parte à Iure Canonico maxima eſt etiam cautio adhibita, ne videlicet Eccleſia plurib. Ordinibus, quàm par eſt (præſertim mendicantium) grauetur. Itaq; in cap. finali. Extra de Religioſis domibus, & cap. vnico, eodem titulo li. 6. ſtrictè prohibetur, ne quiſquam aut nouum Ordinem, ſine approbatione Apoſtolicæ Sedis inſtituat, aut illius habitum ſeu inſtitutum ſuſcipiat. Quin etiam in cap. vnico, de exceſsibus prælatorum & ſubditorum, lib. 6. in Ordinibus iam approbatis, prohibentur erigi Monaſteria abſq; auctoritate Pontificis. Et tandem in Concilio Tridentino ſeſs. 25. cap. 3. de regularibus, mandatur, vt in domibus ſiue Monaſteriis iam erectis, illi tantùm admittantur, qui ex ordinariis vel redditibus, vel eleemoſynis ali poſsint; ac deinceps ne Monaſteria vel domus de nouo erigantur ſine conſenſu Epiſcopi illius Diœceſis, in qua erigenda ſunt.

PVNCTVM SECVNDVM.

Vnde diiudicari debeat, quænam Religio ſit perfectior.

D. Thomas art. 6. 7. 8.

COMPARATIO Religionum facienda eſt, attendendo ad illa, in quibus differunt, videlicet ad finem *immediatum*, & ad obſeruantias, ſeu exercitia,

citia, quæ vsurpant causâ eius finis. Ex FINE immediato perfectior est Religio destinata ad vitã contemplatiuam, quàm quæ ad vitam actiuam refertur. Et adhuc illa perfectior, quæ non solùm ad vitam contemplatiuam, sed etiam ad opera spiritualia vitæ actiuæ ordinatur; vt ad audiendas Confessiones, concionandum, & docendum illa, quæ quis est contemplatus. Hoc enim tantò melius est, quãtò perfectius est illuminare, quàm lucere solùm; sicut rectè disserit S. Thomas ar. 6. Denique ex parte finis immediati, generatim loquendo, Religio aliqua eò erit perfectior, quò opera charitatis, vel plura, vel præstantiora sibi proposuerit.

Ex parte verò OBSERVANTIARVM & exercitiorũ, perfectio maior Religionis ita metienda est, vt illa Religio perfectior censeatur, quæ vtitur obseruantiis magis accommodatis ad suum finem immediatum consequendum. Quare, sicut rectè docet S. Thomas artic. 6. ad 3. non ideo perfectior Religio existimanda est, quia absolutè loquendo vsurpet maiores corporis afflictiones: vt vigilias, &c. Sed perpendendum est, quàm accommodatè eiusmodi obseruantię adhibeantur ad finem Religionis. Tota enim ratio mediorum æstimanda est ex proportione ad finem.

Hinc etiam rectè docet S. Thomas art. 7. non ideo Religionem esse perfectiorem, quòd strictiorem paupertatem absolutè seruet; sed quòd illam, quæ maximè conferat ad finem Religionis. Hinc etiam art. 8. rectè idem docet, vitæ solitudinem, absolutè loquendo, non pertinere ad perfectionem Religionis: quinimò incipientibus periculosam esse, tantumq; perfectis conuenire. Vnde in Concilio Agathensi capite 38. eiusmodi institutum vitę, tantùm iis permittitur, qui prius longo tempore sese in communi vita probauerint. Et in sexta Synodo canone 41. requiritur, vt prius aliquis laudabiliter vixerit in Societate per duos vel tres annos. Sed & Basilius reg. 7. longiorum, absolutè præfert Societatem solitudini.

Deniq; ex eodem fundamento patet, Religionis perfectionẽ minimè metiendam esse ex cantu, aut longa psalmodia. Nam fieri potest, vt eiusmodi institutum chori, minimè conferat ad Religionis alicuius finem: sicut reuera nõ satis conuenit iis Religionibus, quæ sunt ad concionandum, &c. institutæ. Vnde & Caietanus art. 6. asserit, in eiusmodi Ordinib. illos solùm debere recipi, qui ad eiusmodi munera sint idonei; & præterea nullos, exceptis sufficientib. ministris. Atq; etiam D. Thomas suprà q. 91. ar. 3. asserit, cantum non competere Episcopis & aliis, quos ministeriis spiritualibus vacare oportet. Quare cùm eadem sit ratio Religiosorum eiusmodi ministeriis deputatorum; fatendum est, in eius generis Ordinibus conuenienter statui posse, vt officium diuinum publicè in Choro non dicatur, maximè cùm deceat, nullos esse in talibus Ordinibus ineptos ad ministeria spiritualia. Si quando autem in aliquo Ordine simili chorus introductus est, causa videtur fuisse, vt inepti ad alia ministeria spiritualia, in his occuparentur: non igitur tales recipiantur, & nõ erit in eiusmodi Religionibus necessarius chorus.

Ex quibus satis apparet, minus considerate Sotum lib. 10. de Iust. q. 5. art. 3. dixisse, vix mereri nomen Religionis, Ordinem illum, qui careat choro. Deniq; ex parte exercitiorum seu obseruantiarum, generatim loquendo, illa erit perfectior Religio, quæ media ad puritatem cordis, & familiaritatem cum Deo acquirendam aptiora vsurpat: siquidem in eo positum videtur totum negotium Religiosi.

Porro ea, quæ de Religionum INGRESSV diuus Thomas disserit q. seq. cùm perspicua ex se sunt, tum etiam magna ex parte à nobis tractata, partim in hoc ipso tractatu de Statibus, partim suprà disput. 6. in q. de Voto, præsertim p. 4. & 6. Tantùm ex art. 8. illud animaduertendum videtur, quòd licitũ est Religiosis professis in laxiori, siue in imperfectiori Ordine, ad manifestè altiorẽ se conferre, petita tantùm facultate à suis Superioribus, etiamsi illa non obtineatur, vt patet ex cap. Licet, Extra de Regularib. & transeuntib. ad Religionem. Cuius ratio est. Quia maius bonum est acceptius Deo, in instituto vitæ perfectiori tria Vota essentialia Religioni seruare.

Notat prętere a in eodem articulo Caietanus, hoc ius commune ad Canonicos etiam regulares pertinere. Deniq; quod S. Thomas in eodem art. ad 3. dicit, notandum est. Eum, qui antequam profiteretur in Religione inferiori, ad altiorem Religionem voto simplici tenebatur, posse post solennem professionem, in Religione inferiori permanere; eò quòd vinculum Voti simplicis, per illud aliud strictius solennis voti, dissolutum est. Idem declarat optimè Caietanus illic. Et id quoq; definitum est in cap. Qui post Votum, de regularib. lib. 6. Atq; hîc sit tandem huius Tomi finis, ad gloriam eius, qui vt est principium nostrum, ita & finis actionum omnium nostrarum & laborum esse debet.

FINIS TERTII TOMI.

TOMI TERTII INDICES QVINQVE.

I. Locorum Scripturæ.

II. Controuersiarum Fidei.

III. Rerum quæ possunt exponi prõ concione.

IV. Rerum Philosophicarum, præsertim moralium.

V. Rerum omnium præcipuarum, in quibus passim occurrunt multa pertinentia ad casus Conscientiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVI IN HOC TERTIO TOMO EXPLICANTVR.

Ex libro Geneſis.

Cap. Columna.

1. *Benedixit eis & dixit, creſcite, &c.* 1356. B. C
3. *Ipſa conteret caput tuum.* 111. A. 330. A
4. *Nequaquam ita fiet.* 54. B. 65. C
9. *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis.* 2208. D
9. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibũ.* 2180. A
22. *Ego & puer illuc vſq; properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur, &c.* 54. B. C. 65. A. 66. A
24. *Pone manum tuam ſubter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ.* 1907. A
24. *Puella, cui ego dixero; inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit, bibe, &c.* 1978. C
27. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau.* 54. C. 55. B
37. *Accuſauit de crimine peſſimo.* 877. D

Ex libro Exodi.

1. *Quia timuerunt obſtetrices Deum, &c.* 508. D
6. *Nomen meum Adonai, non indicaui illis.* 124. B
20. *Honora patrem tuum, &c.* 751. B
20. *Viſitans iniquitatem patrum in filios, &c.* 53. C. 64. A
20. *Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo.* 1962. B
21. *Reddet animam pro anima, oculum, &c.* 1163. D. 1164. A
22. *Maleficos non patieris viuere.* 2003. A
23. *Si occurreris boui inimici tui, &c.* 816. A
23. *Innocentem & iuſtum non occides.* 1378. C. 1381. A
23. *Non acquieſces plurimorum ſententiæ.* 1378. D. 1381. A

Ex libro Leuitici.

19. *Non maledices ſurdo, nec coram cæco, &c.* 1451. C
19. *Diliges amicũ tuum ſicut teipſum.* 737. B. 1030. C. 1031. B
19. *Non declinetis ad magos, &c.* 1911. B
27. *Animal, quod quis deuouit Deo, &c.* 1853. D

Ex libro Numeri.

23. *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël.* 1914. B

Ex libro Deuteronomij.

6. *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo.* 682. A. B. 728. C. 730. A. 761. A. B. 1022. A. B
6. *Dominum Deum tuum, &c. & illi ſoli ſeruies.* 1746. B. 1747. A
7. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus, &c.* 537. C. D
12. *Non addetis, &c.* 347. C
12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino Deo tuo, &c.* 1711. D
13. *Auferes malum de medio tui.* 2003. A
17. *Si reperti fuerint apud te vir & mulier.* 1712. A
17. *Venies ad Sacerdotes, &c. & facies quodcunq; dixerint, &c.* 276. D. 277. A. 316. B
17. *Qui ſuperbierit, nolẽs obedire ſacerdotis imperio.* 347. A. B
17. *In ore duorum aut trium, &c.* 1428. B. C
23. *Per alienam meſſem tranſiens, falcem mittere non debet.* 1374. B
23. *Non fœneraberis fratri tuo, ſed alieno.* 1544. D
25. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* 965. A

Ex libro Ioſue.

8. *Pone inſidias vrbi poſt eam.* 974. D

Ex libro Iudicum.

8. *Eſt fornicatus in Ephod omnis Iſraël.* 1932. B

Ex libro primo Regum.

18. *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* 999. C

Tertio.

8. *Tunc conuerſus Rex, benedixit vniuerſæ Eccleſiæ.* 190. B
18. *Clamate voce maiore, forſitan Deus veſter cum alio loquitur, &c.* 1917. C
18. *Omnes adoraſſe vitulum aureum.* 191. B. C
22. *Quis decipiet Regem Achab? &c. prodiit ſpiritus (nequam) qui, &c.* 54. D. 66. D

Quarto.

5. *Vade in pace.* 432. D. 437. A. B
10. *Iehu faciebat inſidioſè, &c. ingreſſus q; Iehu in templum Baal, &c.* 432. B. 435. D. 436. C. D
20. *Hæc dicit Dominus Deus, præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues.* 54. C. 66. C. D

Ex ſecundo libro Paralip.

13. *Attamen populus adhuc immolabat in excelſis Domino Deo ſuo.* 1936. B

Ex quarto libro Eſdræ.

14. *Enarrani Moyſi mirabilia multa, &c.* 350. C

Ex libro Tobiæ.

4. *Si multum tibi fuerit, &c.* 825. D. *& ſeq.*
6. *Cum ceperis eſſe cum illa, &c.* 1684. B

Ex libro Iudith.

6. *Non derelinquis præſumentes de te.* 633. D

Ex libro Iob.

1. *Boues arabant, & aſina paſcebantur.* 396. D. 399. A
1. *In omnibus his non peccauit Iob, neq; ſtultum aliquid cõtra Deum locutus eſt.* 53. C. 64. B
5. *Parvulum occidit inuidia.* 918. D. 920. D. *& ſeq.* 927. C
5. *Voca ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum, &c.* 1702. D
7. *Sicut dies mercenarij.* 602. B
7. *Peccaui, quid faciam?* 53. D. 64. C
9. *Si venerit ad me non videbo eum.* 53. D. 64. C. 666. B
9. *Etiamſi habuero quippiam iuſtum, &c.* 1684. A
12. *In multo tempore prudentia.* 1061. B
19. *Deus ſeruauit filios illius, dolorem patris.* 53. C. 64. A
27. *Neq; enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* 53. D. 64. C
29. *Oculus fui cæco.* 799. D
31. *Si abſcondi, quaſi homo peccatum meum.* 1394. A. B
39. *Qui leuiter locutus ſum, &c. Vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem.* 53. D. 64. B
42. *Ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam, &c.* 53. D. 64. B

Ex libro Pſalmorum.

1. *Ideo non reſurgent impij in iudicio.* 453. B
2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.* 180. C. 213. D. 215. B
2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania.* 559. B. C
4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate, &c.* 602. A. 635. C
7. *Ecce parturit iniuſtitiam, &c.* 1536. D. 1537. A

9. *Patientia pauperum non peribit in æternum.* 628. B. C
9. *Conuertantur peccatores in infernum.* 719. C. D. *& ſeq.*
10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* 713. C. 799. D
11. *Diſperdat Dominus, &c.* 720
13. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum.* 191. D
14. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* 1536. C. 1537. A
15. *Quoniam bonorum meorum non eges.* 1762. C
16. *A timore inimici eripe, &c.* 618. D
17. *Tenebroſa aqua in nubibus aëris.* 151. B
18. *Timor Domini ſanctus, &c.* 627. B. C. 628. B. C
18. *Lex Domini immaculata conuertens animas, &c.* 108. D. 180. A
18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c.* 180. C. 187. A. 215. C. D
18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* 185. D. *& ſeq.*
21. *Adorauerunt & manducauerunt omnes diuites terræ.* 1947. A
30. *Proteges eos in tabernaculo tuo.* 185. D
33. *Recede à malo, & fac bonum.* 1658. B
34. *Exurge Domine, & intende iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in cauſam meam.* 2118. C
36. *Tota die miſereatur & commodat.* 1554. C. D
36. *Noli æmulari in malignantibus, &c.* 924. D
37. *Peccatori dixit DEVS, quare tu enarras iuſtitias.* 859. A. B
39. *Non reſpexit in vanitates & inſanias.* 1972. D
42. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam.* 2118. C
44. *Lingua mea calamus ſcribæ.* 22. B. 321. A. B
44. *In veſtitu deaurato, circundata varietate.* 234. D
50. *Tibi ſoli peccaui.* 453. C
50. *Si voluiſſes ſacrificium dediſſem.* 1755. A. B
50. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* 703. A
54. *Non defecit de plateis eius vſura.* 1537. A
57. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* 587. A
58. *Non occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos, &c.* 105. B. C. 533. D
61. *Quoniam ab ipſo eſt patientia mea.* 654. A
67. *Benedicite Domino & fontibus Iſraël.* 126. D
67. *Deus ſaluos faciendi.* 133. C
70. *Quoniam non cognoui literaturam, &c.* 1529. C. D
70. *Tu es patientia mea.* 654. A
71. *Ex vſuris & iniquitate redimet.* 1545. C
77. *Facti ſunt mihi in arcum prauum.* 1461. C. D
79. *Palmites eius vſque ad mare extendit.* 213. C
83. *Ibunt de virtute in virtutem.* 685. A
86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis. & infrà, Dominus narrauit in Scripturis populorũ, &c.* 27. A. B. 128. D. 183. A
92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* 83. D. 229. A
100. *Pſallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* 53. D. 64. C. 666. A. B
103. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem, &c.* 179. D. 189. B
105. *Stetit Phinees & placauit, & ceſſauit quaſſatio.* 104. B
108. *Conſtitue ſuper eum peccatorẽ, diabolus ſtet, &c.* 719. C. D. *& ſeq.*
115. *Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum.* 2130. C
117. *Aperite mihi portas iuſtitiæ, &c.* 601. D
118. *Principium verborum tuorum veritas.* 11. D
118. *Da mihi intellectum, &c.* 73. D
118. *Principes perſecuti ſunt me gratis.* 89. D
118. *Super ſenes intellexi.* 124. B
118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c.* 151. C. D. 152. A. B. C
118. *Retribue ſeruo tuo, &c.* 602. A
118. *Confige timore tuo carnes meas.* 626. B
118. *Secundum iudicia tua viuifica me.* 1148. A
124. *Non relinquet Dominus virgam.* 544. A
129. *Leuani oculos meos in montes.* 1701. A
131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, &c.* 1870. B
140. *Corripiet me iuſtus in miſericordia.* 837. D. 842. B
143. *Quid eſt homo, quod innotuiſti ei?* 482. A
144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* 779. D. *& ſequent.*
147. *Emittit eloquium ſuum terræ, &c.* 321. A

Ex Prouerbiis Salomonis.

1. *Vt detur paruulis aſtutia.* 1078. A. B
3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* 1080. B
8. *Per me reges regnant.* 1355. D
9. *Noli arguere derioſorem, ne oderiſte, &c.* 845. D
16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* 1978. A
20. *Ruina eſt homini vota retractare.* 1817. C
23. *Noli vendere diſciplinam.* 2024. B
23. *Noli à puero ſubtrahere diſciplinam, tu virga percuties eum.* 2207. C
25. *Ventus aquilo diſſipat nubes, & facies triſtis linguam detrahentem.* 1461. C. D

Ex libro Eccleſiaſtæ.

1. *Peruerſi difficile corriguntur.* 836. B
3. *Qui amat periculum, peribit in eo.* 1213. D
7. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexit. & ſeq.* 853. D.

Ex Canticis Canticorum.

2. *Capite nobis vulpeculas paruulas, &c.* 571. D. 1912. B
4. *Tota pulchra es amica mea, &c.* 175. D. 179. B. C
5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* 1724. B
6. *Quaſi caſtrorum acies ordinata.* 179. D

Ex libro Sapientiæ.

8. *Sobrietatem & ſapientiam docet, & iuſtitiam & virtutem.* 1092. C. 1106. A
9. *Per ſapientiam placuerunt tibi Domine.* 387. D

Ex libro Eccleſiaſtici.

4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* 1394. A
17. *Mandauit illis (Deus) vnicuique de proximo ſuo.* 1572. C
30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* 786. A. B
30. *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps.* 2207. C
44. *Non eſt inuentus ſimilis illi.* 64. D
49. *Nemo natus in terra, qualis Henoch.* 53. D. 64. D

Ex Iſaia.

1. *Cum multiplicaueritis orationem, &c.* 1687. D
2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, &c.* 956. A. B
19. *Et colent cum in hoſtiis & muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.* 2338. B. *& ſeq.*
8. *Cum dixerint ad vos, quarite in Pythonibus, &c.* 1712. C
22. *Dabo Eliachim clauem domus Dauid, &c. & aperiet & non erit, qui claudat, &c.* 248. A. B. 370. D
28. *Ecce mitto lapidem in fundamentum Sion, &c.* 406. A. 1006. C
29. *Erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, &c.* 151. A
54. *Erunt omnes docibiles Dei.* 139. D. *& ſeq.*
59. *Non eſt iudicium in greſſibus eorum.* 1137. B
59. *Hoc fœdus meum cum iis, &c.* 189. A. 238. B
60. *Aperientur portæ tuæ iugiter, &c.* 186. B
61. *Fœdus perpetuum feriam cum eis, & ſcietur in gentibus ſemen eorum, & germen, &c.* 186. A. B
63. *Abraham neſciuit nos, &c.* 1712. D

Ex Ieremia.

2. *In omni colle ſublimi, & in omni ligno frondoſo, tu proſternebaris meretrix.* 1934. B
2. *Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus.* 1937. C
3. *Secundum numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda.* 1936. C
8. *Ecce ego mittam ad vos ſerpentes regulos, &c.* 925. B
15. *Si ſterit Moyſes & Samuel, &c.* 1700. A. 1706. B
31. *Non docebit amplius vnuſquiſq; proximum ſuum.* 139. D. *& ſeq.*
36. *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens ad me, &c.* 321. C
41. *Noli nos occidere, quia theſauros habemus.* 1574. B. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex Ieremiæ Lamentationibus.

2. *Luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est.* 2264. A
3. *Leuemus corda cum manibus.* 1683. D. *& seq.*

Ex Ezechiele.

2. *Liber inuolutus.* 151. A
18. *Filius non portabit iniquitatem patris, &c.* 53. C. 64. A
33. *Sanguinem eius de manu speculatoris requiram.* 860. C.D
33. *Si dixero impio, morte morieris, &c. rapinamq; reddiderit, &c.* 1176. B

Ex Daniele.

9. *Non in iustificationibus nostris, &c.* 1688. D. 1689. A

Ex Osea.

2. *Desponsabo te mihi in fide vsq; in sempiternum.* 189. D
6. *Misericordiam magis volo, quam sacrificium.* 1755. A.B

Ex Michæa.

2. *Vinam non essem, &c.* 739. B
4. *Concident gladios suos in vomeres.* 954. C. 956. A. B
6. *Nunquid placari potest Deus in millibus arietum.* 1933. D

Ex Habacuc.

3. *Operuit cælos gloria eius, &c.* 186. A. B

Ex secundo libro Machabæorum.

14. *Gladio se petiit, eligens nobiliter mori, &c.* 1323. A. B
15. *Multum pro populo orauit (Hieremias)* 1700. A. 1706. B

Ex Ioële.

2. *Sanctificate ieiunium.* 2167. B

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. Columna.

5. *Diligite inimicos vestros, si enim, &c.* 764. C. *& seq.*
5. *Si quis te percusserit in vnam maxillam.* 957. A. B. 1142. C
5. *Omni petenti da.* 1018. B
5. *Estote perfecti, sicut pater, &c.* 1031. B. C
5. *Beati Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 1073. A
5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, &c.* 1092. B. 1106. B
5. *Diliges proximum tuum, &c.* 714. D. 799. D
5. *Sit sermo vester, est, est, non, non, &c.* 1350. D
5. *Qui dixerit fratri suo fatue, &c.* 1444. C
5. *Non exies inde, donec reddas, &c.* 1693. B. C
5. *Si autem non dimiseritis hominibus, &c.* 1693. C
5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, &c.* 1873. A. B. 1875. *& seq.*
5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 54. A. 65. A
5. *Lumen positum super candelabrum.* 151. D. 152. 185. C. D. *& seq.*
5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* 2129. D
6. *Pater noster, qui es in cælis.* 78. D. 848. C
6. *Non potestis seruire Deo & mammonæ.* 816. B. C
6. *Dimitte nobis debita nostra.* 175. D
6. *Si enim dimiseritis.* 797. C. 802. B. C
6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* 1044. D
6. *Nolite soliciti esse, dicentes, quid manducabimus, &c.* 1078. B. 1081
6. *Nolite soliciti esse in crastinum.* 1079. B
6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio.* 1917. B
7. *Quid vides festucam in oculo.* 858. C. *& sequent.* 1142. D
7. *Quod gratis accepistis, gratis date.* 1277. B
7. *Multi dicent mihi in illa die, &c.* 451. A
7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* 511. B
7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos.* 162. C. 372. A
9. *Secundum fidem vestram fiat vobis.* 8. A. B. 12. D
10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* 2129. D
10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* 793. B. C
10. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* 929. A. B
10. *Estote prudentes, sicut serpentes, &c.* 1078. B. 1081. C
10. *Dignus est operarius mercede sua.* 2032. A
10. *Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus.* 139. D. 140. A. B
10. *Nomina Apostolorum hæc sunt. Primus Simon, &c.* 262. D
11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* 54. A. 64. D. *& seq.*
12. *Omne regnum in se diuisum, desolabitur.* 929. A. B
13. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, &c.* 1524. D
13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* 174. D
15. *Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt.* 1002. A. 1006. C. 1015. A
15. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* 1004. C. 1018. D
15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* 2181. A
16. *Scandalum mihi es.* 1005. C. D. *& seq.*
16. *Vos autem quem me esse dicitis? Tu es Christus, &c.* 239. D. 240. *& seq.*
16. *Beatus es Simon Bar Iona.* 240. A
16. *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* 240. B
16. *Et ego dico tibi,* 240. B
16. *Quia tu es Petrus.* 240. *& sequent.* 275. C. 277. D. 286. D. 291. C
16. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 241. D. *& seq.* 251. D. 275. D. 298. A
16. *Et tibi dabo claues regni, &c.* 246. C. D. *& seq.*
16. *Et portæ inferi non præualebunt.* 248. C. D. *& seq.*
16. *Et quodcunque ligaueris super terram, &c.* 247. C. D. 249. *& seq.*
16. *Vade post me Satana.* 277. D
17. *Liberi sunt filij.* 1015. B. C. 1375. C
17. *Da illis pro me & te.* 262
17. *Ergo liberi sunt filij.* 545. B
18. *Redde quod debes, & noluit misereri, &c.* 813. C
18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum.* 838. *& seq.* 857. D. 867. D. *& seq.*
18. *Vt in ore duorum aut trium, &c.* 278. B. C. 885. D
18. *Dic Ecclesiæ.* 879. B. C. 886. A
18. *Si Ecclesiam non audierit, &c.* 879. C. 882. 1401. D
18. *Si te audierit, lucratus es, &c.* 883. B. C
18. *Adhibe tecum vnum aut duos.* 886. A. D. *& seq.* 895. D
18. *Necesse est, vt veniant scandala.* 1005. C
18. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur.* 737. D. *& seq.*
18. *Quis putas maior est in regno cælorum.* 262. C. D
18. *Vbi fuerint duo vel tres congregati, &c.* 366. A
19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* 706. C. 1021. B. 1349. D
19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt.* 1335. A
19. *Dimittet homo patrem & matrem.* 1859. A. B
19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* 2330. C
20. *Principes gentium dominantur eorum, &c. non erit ita inter vos.* 2258. B
21. *Eiecit ementes & vendentes de templo.* 1529. A
22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* 952. D. 1244. D
22. *Ex toto corde tuo, & in tota anima.* 1022. A. B
22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto, &c.* 682. A. B. 728. C. 730. A
22. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* 737. B
22. *Non habens vestem nuptialem.* 451. A
23. *Nolite vobis dicere Magistrum in terra.* 140. D
23. *Super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt facite, &c.* 300. B. C. 338. C. D
24. *Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere.* 137. *& seq.* 152. 213. A. 354. B
24. *Super omnia bona sua constituet eum.* 661. B

25. *Sitius & non dedistis mihi potum.* 116. A. B
25. *Simile est regnum cælorum decem virginibus.* 174. D
25. *Acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum.* 451.
26. *Quicunq; acceperit gladium, gladio peribit.* 956.
26. *Discipuli indignati sunt, dicentes; Vt quid perditio hæc?* 66. A
26. *Mitte gladium tuum.* 558. C. 986. D. *& seq.* 1324. A. B
28. *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* 279. B. 2250. C

Ex Marco.

12. *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* 1022. A. B
15. *Et alij, qui crucifixi erant cum eo, conuitiabãtur ei.* 66. A
16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit.* 71. B

Ex Luca.

1. *Sicut locutus est per os Sanctorum.* 22. B
1. *Quoniam multi, &c. qui ab initio ipsi, &c.* 346. B. C
1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* 2342. D
2. *Ecce positus est hic in ruinam.* 1006. C
2. *Exiit edictum, &c. vt describeretur, &c.* 1585. D
3. *Omnis arbor non faciens, &c. Qui habet duas tunicas.* 815. B C
3. *Interrogabãt autem eum milites, &c.* 952. 954. D. 979. C. D
5. *Duc in altum.* 302. B
6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* 1546. *& seq.*
8. *Nemo lucernam accendens.* 152. A
9. *Quicunq; non receperit vos.* 34. B
10. *Ex toto corde tuo, &c.* 1022. A. B
10. *Etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo, &c.* 1908. D
11. *Qui non est mecum, contra me est.* 422. C
11. *Date eleemosynam, & ecce omnia.* 795. D 801. D. *& seq.*
12. *Destruam horrea mea, & faciam maiora.* 805. A. 816. C. *& seq.*
12. *Congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, &c.* 1348. D
14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, &c.* D. 714. 2084. D. 1350. C
14. *Compelle intrare.* 526. C. D. *& seq.* 558. D
15. *Matus gaudium erit in cælo super vno peccatore, &c.* 2113. C
16. *Dives in inferno clamauit ad Lazarum.* 1699. C
17. *Si peccauerit in te frater tuus.* 840. C. D. *& seq.*
17. *Si habueritis fidem, sicut granum, &c.* 605. A
18. *Putasne filius hominis veniens, inueniet fidem in terra.* 181. D. *& seq.* 191. C
18. *Facilius est camelum ingredi.* 816. B. C
18. *Oportet semper orare.* 1724. C. D. 1730. A
22. *Reges gentium dominantur eorum, &c.* 255. C. *& seq.*
22. *Ego autẽ in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* 255. C D. *& seq.*
22. *Simon ecce Satanas expetiuit vos.* 255. D. *& seq.*
22. *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* 255. *& seq.* 275. C. 277. B. 298. A. 302. B
22. *Qui non habet gladium, &c.* 959. B. C
22. *Ecce duo gladij hic.* 373. A

Ex Ioanne.

1. *Hic venit in testimonium.* 141. A
1. *(Christus solus) lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 251.
4. *Venit hora, quando neq; in monte hoc, &c.* 1751. D
4. *Iam non propter tuam loquelam credimus, &c.* 425. B
5. *Ego testimonium hominum non accipio.* 139. D. 140. A. B. D
5. *In resurrectionem iudicij.* 1136. C
6. *Erunt omnes docibiles Dei.* 139. D. 140. A. B
6. *Nemo potest venire ad me, &c.* 481. B. 545. B
7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina eius, &c.* 139. D. 140. A. B
9. *Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* 1698. C
10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* 139. D. 140. A. B
10. *(Solus) pastor qui posuit animam pro ouibus.* 251
10. *Qui non intrat per ostium in ouile, &c.* 406. C. 556. A
10. *Oues meæ non peribunt, &c.* 703. D
10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, &c. mercenarius autem fugit.* 747. C
12. *Multi ex principibus crediderunt in eum.* 385. A. B
12. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* 1149. D
13. *Quod facis, fac citius.* 67. A
13. *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.* 877. D
13. *Hoc est præceptum meum, vt, &c.* 1031. 1032. A
13. *Mandatum nouum, &c.* 1031. D
14. *Ego sum via. Et; nemo venit ad Patrẽ, nisi per me.* 2255. D
14. *Ego rogabo Patrem, & alium, &c.* 188. D. 189. 238. B
14. *Docebit vos omnem veritatem.* 189. D. 190. A. 238. B. 325. D
14. *Vt maneat vobiscum in æternum.* 279. B
15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem: peccatum non haberent.* 498. C
15. *Sine me nihil potestis facere.* 511. C
15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* 668. A
15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis, &c.* 1031. 1032. A
15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam, &c.* 2129. C. *& seq.*
16. *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 139. D. 140. A. B
16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, &c.* 1687. B. C. 1688. A. 1690. C
17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, &c.* 18. C
17. *Pater sanctifica eos in veritate, &c.* 189. A
18. *Mitte gladium tuum in vaginam, &c.* 373. A
20. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, &c.* 18. A
20. *Sicut me misit pater & ego mitto vos.* 2250. C
21. *Simon Ioannis diligis me plus his?* 258. *& seq.* 1279. B
21. *Pasce oues meas.* 258 *& seq.* 275. C. 276. A. B. 277. D. 298. A. 2309. C
21. *Alius cinget te, & ducet, quò non vis.* 277. D

Ex actis Apostolorum.

1. *Sicut prædixit Spiritus sanctus per os Dauid.* 22. B
1. *Eritis mihi testes in Ierusalem.* 140. D. 141. A
4. *Non est aliud nomen, &c.* 409. A. C
5. *Non es mentitus hominibus, &c.* 877. D
5. *Nonne manens tibi manebat? &c.* 1349. D. 2330. D
8. *Putasne intelligis, quæ legis? quomodo possum nisi quis doceat me.* 151. B
10. *Quæ Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* 2181. C
10. *(Cornelius) vir religiosus & iustus, &c.* 40. 2. A
10. *Missus ad Petrum.* 408. C
10. *Surge & ego ipse homo sum.* 1955. A
15. *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, &c.* 302. B
15. *Ego iudico, &c.* 266. C
20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, &c.* 174. C
20. *Beatius est magis dare, quàm accipere.* 341. B

Ex Epistola Pauli ad Romanos.

1. *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerũt.* 391. C
1. *Primum quidem gratias ago Deo.* 482. C
1. *Contumeliosos, superbos, &c.* 1442. B
1. *Seruierunt creaturæ, &c.* 1747. C
2. *Gentes, &c. naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* 391. D. *& sequent.*
3. *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* 6. B
3. *Hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* 54. A. 65. B
3. *Plenissimè sciens (Abraham) quia quæcunq; promisit, potens est & facere (Deus) ideo reputatum est illi ad iustitiam.* 77. D
3. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, &c.* 1092. A
4. *Credenti autem in eum, qui iustificat impium, &c.* 383. D
4. *Ideo ex fide (iustificatio) vt secundum gratiam firma sit promissio.* 147.
5. *Probatio operatur spem.* 602. C
6. *Obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ.* 135. A
6. *Cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui eius facti estis.* 2246. C
8. *Postulat pro nobis (Spiritus sanctus.)* 1679. C. 1690. D
8. *Nos autem primitias spiritus habentes.* 182. C
8. *Quod enim videt quis, quid sperat?* 475. D
8. *Omnis creatura vanitati subiecta est.* 655. A

Universidad de Deusto
Biblioteca

8. *Ipse enim spiritus testimonium, &c.* 665.D. *& seq.*
8. *Scio enim quod neq; mors, &c.* 464.B.654.C.D. 704.D
8. *Prudentia carnis inimica est Deo, &c.* 1077.D
9. *Ecce pono in Sion lapidem offensionis.* 1006.C
9. *Optabam Anathema esse.* 739.C
10. *Æmulationem Dei habent, sed non, &c.* 1006.A
10. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* 499.C
10. *Corde creditur ad iustitiam, ore confessio, &c.* 428.D. 454.C.D
10. *Fides ex auditu.* 393.D
10. *Quomodo autem inuocabunt, in quem, &c.* 1955.B
10. *Sed non omnes obediunt euangelio.* 135.A
10. *Quomodo credent sine prædicante?* 35.C.499.D
11. *Illorum delictum salus est gentibus.* 533.D. *& seq.*
12. *Exhibete corpora vestra hostiam viuentem.* 2256.D
13. *Reddite omnibus debita, &c. nemini quicquam debeatis.* 1176.C.D
13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus, &c.* 1147.B
13. *Dei minister est, vindex, &c.* 952.D
14. *Omne quod non ex fide, peccatum est.* 511.C 513.A.1213.B. 8.D

Ex Epistola I. ad Corinthios.

2. *Laudo vos, quod sicut tradidi, &c. cætera cum venero disponam.* 340.D. *& seq.*
3. *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 139.D.140.A
3. *Mundi sapientia stultitia est.* 134.A
3. *Dei ædificatio estis.* 241.A.B
3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere.* 251.406.C
4. *Nolite ante tempus iudicare.* 115.C
5. *Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* 174.B.528.D.555.C.558.C.D
6. *Audet aliquis vestrum habens, &c. iudicari.* 542.B.1143.B.C
6. *Neq; adulteri, neq; molles, &c.* 2233.B
7. *Melius est nubere, quam vri.* 1818.B
8. *Neq; si manducauerimus, abundabimus, &c.* 2181.C
8. *Si esca scandalizat fratrem meum non manducabo, &c.* 2179.C
8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo.* 1930.B
9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* 2040.
9. *(Paulus) ingressus in Synagogas, confundebat Iudæos.* 267.D. *& seq.*
10. *Eandem escam spiritualem, &c.* 409.A
10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum, &c.* 434.C.D.1973.C
10. *Siue comedritis siue bibitis, &c.* 1722.A.B
10. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant.* 1761.D
11. *Laudo vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi, &c.* 160.D.354.C
11. *Oportet hæreses esse, vt qui, &c.* 1005.C
11. *Iudicium sibi manducat, &c.* 1136.C
12. *Diuisiones gratiarum sunt, & diuisiones operationu, &c.* 233.D
13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non, &c.* 451.C.452.A.B
13. *Charitas nunquam excidit, &c.* 475.704.C
13. *Si distribuero omnes facultates, &c.* 825.D
14. *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis. Volo omnes vos loqui linguis.* 2256.B
15. *Si Christus resurrexit & nos resurgemus.* 42.D

Ex Epistola II. ad Corinthios.

1. *Ego testem Deum inuoco, &c.* 1867.A.1872.B
3. *Fiduciam autem talem habemus per Christum.* 601.C
3. *Littera occidit, spiritus autem viuificat.* 141.B.C
3. *Velamen positum super cor Iudæorum, cum legitur Moyses, &c.* 150.D
4. *Habentes autẽ eundem spiritum fidei, &c.* 409.C. 427.A
5. *Auferte malum ex vobis ipsis.* 571.A
6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* 434.C. *& seq.*
6. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, &c.* 2256.C
12. *Cum essem astutus, dolo vos cepi, &c.* 1078.C.D

Ex Epistola ad Galatas.

1. *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, &c.* 135.B.315.C.464.B
1. *Ascendi Ierosolymam videre Petrum, &c.* 266.D. *& seq.*
2. *Contuli cum illis euangelium, quod prædico in gentibus, &c.* 267.B.C
2. *Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis, &c.* 267.C.D
2. *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* 268.A.864.A
2. *Christus nos liberauit.* 2258.B
3. *Antequam veniret fides, sub lege custodiebamur, &c.* 410.C.571.D
4. *Nos non sumus filij ancillæ, sed liberæ.* 2258.B
5. *Modicum fermentum, totam massam corrumpit.* 556.B.C
5. *Fides quæ per charitatem operatur.* 674.A.675.C
6. *Quis vos fascinauit non obedire veritati?* 135.A
6. *In Christo Iesu neq; circumcisio, &c. quicunq; hanc regulam secuti, &c.* 345.A.B

Ex Epistola ad Ephesios.

1. *Prædestinauit nos in adoptionem, &.* 406.B
2. *Gratiâ estis salui per fidem.* 387.A
2. *Superædificati supra fundamẽtum, &c.* 22.D.26.D.172.A
3. *In prioribus generationibus mysterium Christi non est agnitum, sicut nunc, &c.* 124.B
4. *Vnus dominus, vna fides.* 16.D
4. *Obsecro vos fratres ego vinctus, &c.* 864.C
5. *Ecclesiam non habentem maculam, &c.* 175.D.179.D
5. *Cautè ambuletis, non quasi insipientes, &c.* 1068.B
5. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, &c.* 1727.C
5. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris domino.* 1919.A
6. *Pax fratribus & charitas, &c.* 482.B

Ex Epistola ad Philippenses.

1. *Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, &c.* 406.A.B
1. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.* 736.C.D
3. *Quorum Deus venter est.* 2208.C

Ex Epistola ad Colossenses.

2. *Nemo vos seducat in humilitate.* 2182.B
2. *Nemo ergo vos iudicet in cibo & potu, &c.* 2181.A
2. *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione.* 2182.A
3. *Docentes & commonẽtes vosmetipsos in psalmis & hymnis spiritualibus.* 1919

Ex Epistola II. ad Thessalonicenses.

2. *State & tenete traditiones, &c.* 340.D.354.C

Ex Epistola I. ad Timotheum.

1. *Naufragauerunt à fide.* 476.D
1. *Finis præcepti est charitas.* 1010.D. *& seq.*
1. *Ex corde puro & conscientia bona.* 1023.B
2. *Peccantem coram omnibus argue, &c.* 870.D. *& seq.*
2. *Obsecro primum fieri obsecrationes, &c.* 1680.D. *& seq.*
2. *Vnus est mediator Dei & hominum, &c.* 1713.A.B.C
3. *Oportet Episcopum esse non vinolentum, &c.* 1326.B
4. *Abstinere à cibis, quos Deus creauit, &c.* 1350.B.2180.C
5. *Seniorem ne increpaueris, &c.* 864.C
5. *Qui bene præsunt presbyteri, &c.* 1768.C
5. *Adolescentiores viduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, &c.* 2345.D

Ex II. ad Timotheum.

2. *Quæ audisti à me per multos testes, &c.* 340.D
2. *Ille fidelis permanet seipsum negare non potest.* 61.A
2. *In magna domo non solum sunt vasa aurea,* 175.A
2. *Sermo eorum vt cancer serpit.* 556.B.C.871.C.D
2. *Nemo militans Deo implicat se, &c.* 986.D.987.D
3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, &c.* 159.D. *& seq.*
4. *Diuitibus seculi huius præcipe tribuere, &c.* 815.D. 816.C.D

Ex Epistola ad Titum.

1. *Multi inobedientes, & inaniloqui, seductores, &c.* 135.A

1. *Dilecto filio Tito secundum communem fidem.* 182.B
1 *Coinquinatis & infidelibus nihil mundum.* 511.D
1. *Omnia munda mundis.* 2181.A
3. *Hæreticum hominem post vnam aut alteram admonitionem, &c.* 521.A.B.872
3. *Cum sit proprio iudicio condemnatus.* 1137.B
3. *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem, vnius vxoris virum.* 2277.B

Ex Epistola ad Hebræos.

1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus, &c.* 22.B
1. *Christus hæres vniuersorum.* 1192.C.D
1. *Adorent eum omnes angeli eius.* 1948
6. *Deus abundantius volens ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iuramentum, vt per, &c.* 60.C.D
6. *Spem accedentem vsque ad interiora, &c.* 596.D
11. *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* 9.A.76.A. 134.C.388.D.389.D.392.C. 441. *& seq.*
11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* 77.C. 79.A. 89.B.392.B. 408.A.D
12. *Ne quis fornicator aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenituram.* 2022.B
13. *Præpositos suos audiant.* 298.C
13. *Ipsi enim peruigilant tanquam rationẽ reddituri.* 2100.B

Ex Epistola Iacobi.

1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* 139.D.140.A.B
1. *Religio munda, &c. hæc est, visitare pupillos.* 1672.C
2. *Quicunq; offendit in vno, factus est omnium reus.* 195.C.D
2. *Fides si non habeat opera, mortua est.* 54.A.65.B
2. *Dæmones credunt, &c.* 455.D. 472.D. 474.B.C
4. *Qui detrahit fratri, detrahit legi.* 1451.C

Ex prima Epistola Petri.

2. *Vos autem genus electum, Regale sacerdotium.* 2256.C
2. *Gentem sanctam, populum acquisitionis, &c.* 180.A
5. *Pascite qui in vobis est, gregẽ: prouidentes non coactè, &c.* 257.D. 261.D

Ex Epistola secunda Petri.

1. *Cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti, &c.* 151.C.D. *& seq.* 166.A.B
1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* 166.B.C.D
1. *Dabo autem operam & frequenter habere vos, etc.* 1706.D
3. *Quædam in Epistolis Pauli difficilia intellectu, quæ indocti homines & instabiles, sicut & cæteras Scripturas, &c.* 149.D

Ex prima Epistola Ioannis.

2. *Verè in hoc charitas Dei perfecta est.* 682.A.B
2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed ipsa vnctio docet vos de omnibus.* 139.D. *& seq.*
3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, &c. peccare non potest, &c.* 704.A.B
3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* 743.C.D. 1033.A.B
3. *Non diligamus verbo atque lingua, sed opere & veritate.* 782.C.805.A.B
3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit, &c.* 816.A.B 823.D. 824.A. 827.A
3. *Qui non diligit manet in morte.* 1021.B
3. *Peccatum est iniquitas.* 1128.B
4. *Deus charitas est.* 653.A. 654.B.C
4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* 617.B.C.624.D
5. *Qui credit in filium Dei, habet Dei testimonium in se* 139.D. *& seq.*
5. *Peccauit quis peccatum ad mortem, &c.* 1716.D.1718.B

Ex Apocalypsi.

2. *Memor esto, vnde ceciderit, &c.* 863.C
2. *Angelo Ephesi Ecclesiæ, &c.* 1355.B.C
3. *Qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, etc.* 248.A.B
5. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno.* 1707.A
19. *Cecidi ante pedes eius, vt adorarem, &c.* 1747.A



Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EARVM FIDEI CONTROVERSIARVM, QVAE EXPLICANTVR IN HOC TERTIO TOMO.

In disputatione I. De Fide explicantur Controuersiæ triginta quatuor.

1. An Fides Christiana & Theologica sit virtus Intellectus, vel voluntatis. 9.& seq.
2. An primarium obiectum fidei sit Deus; vel promissiones factæ per Christum. 16.& seq.
3. An Deus per se vel alium docuerit aliquãdo falsum vel docere possit. 53.& seq.
4. An Fides sit euidens. 68.& seq.
5. An præter diuinam reuelationem sit aliqua auctoritas infallibilis, magistra & iudex rerum Fidei, per quam oporteat fidelibus proponi ea quæ credenda sunt. 132.& seq.
6. An eiusmodi auctoritas sit purè diuina, vel purè humana, vel humana diuinitus inspirata. 136. & seq.
7. An ea auctoritas sit ipsa sola auctoritas Scripturæ diuinæ, vel aliqua alia. 141.& 157.& seq.
8. An Scriptura sit obscura. 142.& seq.
9. An Scriptura doceat omnia quę sunt ad salutem necessaria. 59.& seq.
10. An vera Ecclesia (in qua residet auctoritas magistra & iudex Fidei) cõplectatur etiam quoscunq; malos, tanquam sua membra. 170.& seq.
11. An & quomodo vera Ecclesia sit visibilis. 184.& seq.
12. An possit errare. 188.& seq.
13. An Ecclesia vera dignoscenda sit ex sola doctrinę veritate & legitimo Sacramentorũ vsu vel ex aliquibus aliis notis, & quæ nam & quales sint illæ. 192.& seq.
14. An solus cœtus eorũ qui Romano Pontifici parent, sit vera Ecclesia, secundum illas Notas. 210.& seq.
15. An in D. Petro tanquam in Ecclesiæ capite fuerit illa auctoritas magistra & iudex fidei, atque adeo ille inter alios omnes habuerit in Ecclesia primatum. 239.& seq.
16. An aliquis successerit D. Petro in ea auctoritate & primatu. 275.& seq.
17. An is successor sit Pontifex Romanus, qui proinde habeat in Ecclesia Primatum. 728.& seq.
18. An necessariò sit credendum, quidquid Romanus Pontifex cum auctoritate definit de rebus fidei, & morum. 301.& seq.
19. An Scriptura sacra, quæ vt Regula fidei infallibilis consuli debet à Romano Pontifice in fidei definitionibus, cõtineatur illis libris quos Ecclesia Romana tanquam Canonicos recipit. 321.& seq.
20. An vulgata Editio horum librorum sit authentica. 327.& seq.
21. An etiam Traditiones non scriptæ sint infallibiles. 332.& seq.
22. An & quomodo sit etiam infallibilis Conciliorum auctoritas. 360.& seq.
23. An sit etiam infallibilis Patrum auctoritas consentiens. 374.& seq.
24. An sit necessarium ad salutem Credere obiectum aliquod supernaturale. 386.& seq.
25. An sufficiat ad salutem Credere præcipuos aliquos fidei articulos; vel requiratur fides vndequaque sana & integra. 417.& seq.
26. An exterior fidei Confessio sit necessaria ad salutem tempore persequutionum. 428.& seq.
27. An Fides definiatur, & rectè definiatur, ab Apostolo ad Hebr. 11. 442.& seq.
28. An possit Fides esse informis, id est, sine charitate. 449.& seq.
29. An Fides sit donum Dei. 479.& seq.
30. An omnis actio infidelis sit peccatum. 506.& seq.
31. An liceat in dubium & disputationem reuocare doctrinam Fidei in Conciliis definitam. 517. & seq.
32. An & quomodo liceat compellere Infideles ad fidem. 525.& seq.
33. An Hæretici sint puniendi. 554.& seq.
34. An propter Hæresin & Apostasiam à fide possit quis ab Ecclesia priuari dominio & prælatione in Subditos. 569.& seq.

In Disputatione II. de Spe & Timore explicantur Controuersiæ quatuor.

1. An Spes nostra possit etiam inniti Conscientiæ bonorum operum. 601.& seq.
2. An Spes seu Fiducia verè distinguatur à Fide. 604
3. An & quomodo Spes sit certa. 610.& seq.
4. An omnis Timor seruilis sit malus. 621.& seq.

In Disputatione III. de Charitate explicantur Controuersiæ tredecim.

1. An charitas sit aliquid creatum. 649.& seq.
2. An simpliciter sit perfectior omnibus aliis virtutibus. 671.& seq.
3. An sit donum Dei. 678
4. An possit augeri intensiuè. 684.& seq.
5. An possit amitti. 701.& seq.
6. An rectè ex charitate diligatur Deus propter mercedem vitæ æternæ. 761.& seq.
7. An sit opus veræ charitatis & eleemosynæ ritus Christianæ sepulturæ, atque adeo pius & vtilis. 791.& seq.
8. An & quomodo eleemosyna conciliare valeat remissionem peccatorum & salutẽ. 796.& seq.
9. An eleemosyna fit necessariò eroganda. 804.& seq.
10. An correctio fraterna sit necessariò adhibenda ex præcepto. 839.& seq.

11. An possit vllum bellum esse licitum. 950. & seq.
12. An sit licitum bellum contra Turcas. 961.& seq.
13. An & quatenus præceptum de dilectione Dei super omnia possit impleri in hac vita. 1024. & sequent.

In Disputatione V. de Iustitia explicantur Controuersiæ quatuor.

1. An & quomodo Restitutio sit necessaria ad salutem. 1175.& seq.
2. An & quomodo occisio hominis possit esse licita. 1309.& 1312
3. An proprium & peculiare rerum Dominium sit licitum apud Christianos, præsertim Ecclesiasticos. 1348.& seq.
4. An omnis Vsura sit illicita. 1535. & seq.

In Disputatione VI. de Religione explicantur Controuersiæ septendecim.

1. An oratio sit necessaria. 1681.& seq.
2. An Sancti sint inuocandi. 1701.& seq.
3. An & quomodo liceat quibusuis verbis, sæpius etiam iteratis orare. 1722.& seq.
4. An & quomodo sit diu orandum. 1724
5. An liceat in quouis loco, & quouis gestu corporis orare. 1725
6. An sit vtile & pium orandi institutum per Horas Canonicas in Ecclesia vsitatum. 1726
7. An Adoratio latriæ possit tribui Angelis. 1750.& sequent.
8. An decimæ sint necessariò persoluendæ Ecclesiæ ministris. 1767.& seq.
9. An Votum sit opus bonũ & meritorium. 1809. & sequent.
10. An Votum sit obligatorium. 1817.& seq.
11. An liceat aliquando Iurare. 1873.& seq.
12. An liceat vllo modo opem petere à Dæmone per Adiurationem. 1910.& seq.
13. An vtile sit Deum voce etiam & cantu laudare. 1917.& seq.
14. An propriè Idololatria sit solùm creaturæ tribuere diuinum cultum sicut Deo. 1928.& seq.
15. An cultus sacræ Eucharistiæ sit Idololatricus. 1946.& seq.
16. An cultus Sanctorum sit Idololatricus. 1950. & sequent.
17. An cultus sacrarum Imaginum & Reliquiarum sit Idololatricus. 1957.& seq.

In Disputatione IX. de Temperantia explicantur Controuersiæ duæ.

1. An Ieiunium in Ecclesia vsurpatum sit pium & vtile. 2163.& seq.
2. An & quo iure sit illicita Fornicatio. 2226. & sequent.

In Disputatione X. de Statibus explicantur Controuersiæ tres.

1. An sit vtilis in Ecclesia varietas Statuum. 2247. & sequent.
2. An sit aliquis Status perfectionis in hac vita. 2265.
3. An Status Religiosorũ sit bonus & vtilis in Ecclesia. 2327.& seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EARVM RERVM, QVAE EX HOC TOMO TERTIO SVMI POTERVNT AD EXPLICANDVM PRO CONCIONE.

DOminica I. Aduentus, Luc. 21. *Verba autem mea non transibunt.* De Infallibilitate dictorum Dei. 51.& seq.

Dom.II.Matth.11.*Cæci vident, claudi ambulant, &c.* An & quomodo huiusmodi signa seu motiua fidei, sint necessaria ad credendum.35.& seq. *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* De superfluitatis peccato in ornatu exteriori. 2215

Dom.III.Ioan.1. *Et confessus est, quia non sum ego Christus.* De humilitate in non arrogãdo sibi aliquid supra id quod quis est. 2157

In die Natalis Domini.Luc.2. *Euãgelizo vobis gaudium magnum.* De Gaudio in rebus diuinis.776.& seq.Item Ioan.1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Oportere doctrinam fidei humano etiam testimonio infallibili confirmari (præter reuelationem ipsam diuinam) vt à nobis credatur. 132.& seq.

In die S.Stephani.Matth.23.*Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, &c.* De scelere Homicidij. 1308.& seq.

In die S.Ioannis Euang.Ioan.21.*Quid ad te? Tu me sequere.* De peccato Curiositatis. 2214

In die SS. Innocent. Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, &c.* Aliquando somnia esse à bono, aliquando à malo spiritu, & quomodo id discernendum. 1982. Item contra diuinationem per somnia. Ibid. *Et occidit omnes pueros, &c.* Fuisse oẽs illos verè Martyres. 2133

Domin. infra Octau. Nat. Luc.2. *Benedixit illis Simeon.* De contrario vitio maledictionis. 1466. & seq. *Non discedebat de templo, ieuniis & obsecrationibus nocte ac die.* Probari etiam Deo cultum voluntariè susceptum absque omni diuino præcepto, qualis erat illius sanctæ fœminæ. 1711. & 1712

In Epiphania Domini.Mat.2. *Procidentes adorauerunt eum* De Adoratione 1745.& seq. *Obtulerunt et munera, &c.* De Oblationibus quæ citra sacrificium fiunt Deo. 1763

Domin.infra octau.Epiph. Luc. 2. *Inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem, &c.* An & quatenus liceat disputare de rebus diuinis. 517.& seq.

Domin.II.post Epiph.Ioan.2. *Hoc fecit initiũ signorum Iesus, &c.* De motiuis seu signis quibus impellimur ad credendum. 35.& seq.

Domin.IV.Matth.8. *Ascendente Iesu in nauiculã, &c.* Quanam ratione Ecclesia cum nauicula comparetur; cõtra cauillationem quandam sectariorum. 221

Domin.V.post Epiph.Matth.13. *Simite vtraq; crescere vsq; ad messem, &c.* Ecclesiã ex malis & bonis constare. 175.& 176

Domin.Septuagesimæ.Matt.20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.* De inuidia. 916.& seq.

Domin. Sexagesimæ.Luc. 8. *Quod autem in spinis cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, &c.* De vitio nimiæ solicitudinis. 1079

Domin. Quinquagesimæ.Luc. 18. *Ipse verò multò magis clamabat, Fili David miserere mei, &c.* Non esse inutile iterare sæpius in precãdo eandẽ orationẽ: contra Caluin.1723

Feria IV.Ciner.Matt 6.*Tu autem cùm ieunas, &c.* De vtilitate Ieiunij in Ecclesia vsurpati. Et de modo quo institui debet. 2163.& seq.

Feria VI.Matth. cap.5.& 6. *Diligite inimicos vestros.* De dilectione inimicorum.721. *Benefacite iis, &c.* De Beneficentia. 782. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* An & quomodo orandum sit pro inimicis, atque adeò pro omnibus. 1714.& 1718. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c.* De vanæ gloriæ vitio.2141. *Sit Eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* De præstantia & efficacitate Eleemosynæ. 794.& seq.

Domin.I.Quadragesi. Matth. 4. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, &c.* De Ieiunio quadragesimæ.2200. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* De peccato tentationis Dei. 2011. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quænam adoratio debeatur soli Deo. 1747.& seq.

Feria IV.post Domin.II.Quadrag.Matt.20. *Nescitis quid petatis.* De vitio ambitionis.2140. *Calicem quidem meum bibetis.* An mors actualis requiratur ad verum Martyriũ.2127

Domin.III. Quadrag.Luc. 11. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, &c.* De malo discordiæ. 928.& seq.

Feria IV.Matt.15. *Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunq; est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, etc.* Quando contingat filios prætextu religionis violare præceptum de honorandis parentibus. 2084.& seq. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, &c.* Quomodo hoc intelligendum. 2181. *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt, etc.* Quodnam scandalum vitandum, & quodnam curandum. 1014.& seq.

Feria VI.Ioan.4. *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.*1751. *Venit hora quando neq; in monte hoc neq; Hierosolymis, &c.* Rectè & vtiliter nihilominus templa & loca sacra destinari peculiariter ad orandum & adorandũ Deum.1752. *Et mulieri dicebant, quia non iam propter loquelam tuam credimus, etc.* Solam diuinam reuelationem esse id cui tanquã fundamento innititur Christiana fides. Quamuis & alia etiam ad credendum requirantur tanquam conditio sine qua non creditur. 19.& seq.

Feria IV.post Domin.IV. Quadrag.Ioan. 9. *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Quonam modo dictum hoc verum sit. 1698

Feria IV. post Domin.Passionis. Ioan. 10. *Facta sunt encænia in Hierosolymis, &c.* Et ambulabat Iesus in templo, &c. De dedicatione & cõsecratione templorum.1752. & seq. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Non esse Sectarios huius temporis oues Christi, quandoquidem nullam Christi vocem sonãtem per os Ecclesiæ tanquam infallibilem audire volunt, sed solùm scriptam legere. Contra quos disseritur. col. 141.& seq.

In Domin.Palmarum.Matt. 26. *Adiuro te per Deum viuum, &c.* De adiuratione. 1905.& seq.

Domin.I.post Pascha. *Pax vobis.* Ioan.20. De bono pacis. 768. & seq. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc.* De Traditionib.non scriptis.332.& seq.

Domin.II.Ioan.10. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus, &c.* Quomodo peccent Prælati in suis Ecclesiis nõ residentes. 2300.& seq.

Domin.III. Ioan.16. *Et gaudebit cor vestrum, &c.* De gaudio spirituali. 776.& seq.

Domin. IV. Ioan. 16. *Cùm autẽ venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Quomodo hæc promissio impleatur. 188.& seq.

Domin.V.Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* De orationis efficacitate. 1685

In die Ascensionis. Marc. 16. *Et exprobrauit incredulitatem eorum, etc.* Et infrà: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* De Fidei necessitate. 386

Domin. Pentecostes. Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Quomodo Deus diligi à nobis debeat efficaciter & super omnia. 728.& seq.

Feria III.Pentecostes.Ioan.10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Aliunde ascendere Ministros Sectarios, cùm non intrent per ostium legitimæ vocationis ad Ministerium. 226.& seq.

Domin.Trinit.Matt.28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, &c.* Non agnosci à Sectariis Christum habere omnem in cœlo potestatem, cũ negent posse per diuinam Christi potentiã fieri vt Sancti in cœlo & ex cœlo percipiant nostras orationes. Cuius contrarium probatur. 1703.& seq.

Domin.I. post Pentecost. Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* De misericordia. 772.& seq. *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Contra temeraria iudicia.1149. *Eice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.* An & quomodo debeant alios corripere ij, qui sunt ipsi in peccato. 857.& sequent.

Dom.IV.Luc.5. *Dixit ad Simonem duc in altũ, et laxate retia vestra in capturam.* Indicari his verbis auctoritatẽ Petri & successorum eius in tradenda infallibiliter doctrina fidei. 302

Dom.V.Matt.5. *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.* De vitio iracundiæ. 2211. *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* De vitio contumeliæ. 1440.& seq.

Domin.VII.Matt.7 *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos.* Quinam sint isti falsi Prophetæ non missi, sed vltrò venientes, &c. & falsò prætextes auctoritatem doctrinæ diuinæ. 228.& seq.

Domin.VIII.Luc.16. *Filij huius seculi prudẽtiores filiis lucis in generatione sua sunt.* De falsa prudẽtia carnis. 1077.& seq. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* De virtute Eleemosynæ ad salutem comparandam. 795.& seq.

Dom.IX.Luc.19. *Domus mea domus orationis est.* De vtilitate Ecclesiarum ad orandum. 1751.& seq.

Domin. X. Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbatho.* Ieiunium quod in Scriptura memoratur & commẽdari solet, peculiare & distinctum esse à morali & communi ieiunio temperantiæ, quod semper est seruãdum.2160. *Decimas do omnium quæ possideo.* Quo nunc iure & qua ratione teneatur fideles decimas pendere.1767.& seq. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* De virtute Humilitatis.2157.& vitio superbiæ. 2212.& seq.

Domin. XII. Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Quæ sit vis huius præcepti, & quomodo implendum. 1020.& seq.

Domin.XIII.Luc.17. *Et cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens, &c.* De virtute Gratitudinis & vitio Ingratitudinis. 2106.& seq.

Domin.XIV.Matt.6. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, &c.* De vitio nimiæ solicitudinis. 1079. *Quærite primũ regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis.* Quænã res, & quo ordine petendæ sint à Deo. 1690.& seq.

Domin.XVI.Luc.14. *Dicebat adinuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, etc.* De vitio ambitionis. 2140

Domin.XVII.Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c. Hoc est maximum & primum mandatum.* Quomodo Deus sit super omnia diligendus. 724.& 728.& seq. *Secundum autẽ simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* An & quatenus liceat diligere seipsum & magis quàm proximos. 735.& seq.

Domin.XIX.Matt.22. *Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam.* Et infrà. *Qui inuitati erant, non fuerunt digni.* Quatenus possit negotiatio esse illicita, atq; adeò reddere hominem beneficiis diuinæ gratiæ indignum. 1525.& seq.

Domin.XX. Ioan.4. *Cognouit ergo Pater, quod illa hora erat in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit. Et credidit ipse ac domus eius tota.* Requiri aliqua motiua ad credendum præter ipsam reuelationem fidei. 35.& seq.

Domin.XXII.Mat.22. *Non enim respicis personam hominum.* De vitio acceptionis personarum.1270.& seq. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Persoluenda esse principibus tributa & vectigalia. 1245.& seq.

Domin.XXIII.Matth.9. *Et deridebant eum.* De vitio derisionis. 1465.& seq.

Domin.XXIV.Matt.24. *Verba autem mea non transibunt.* De infallibilitate verborum Dei. 56.& seq.

meum

De reliquis Festis.

IN die S. Andreæ. Matth. 4. *Continuò relictis retibus secuti sunt eum.* De efficacitate sermonum Christi ad homines ad se adducendos. 113.& seq.

In die S. Thomæ Apost. Ioan. 20. *Pax vobis.* De bono pacis. 7068.& seq. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* An & quomodo fides sit ineuidens. 68.& seq.

In die S. Matthiæ Apost.Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos.* De bono Obedientię 294.& seq. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* De virtute humilitatis. 2157

In festo Annunciationis. Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Votum Virginis de perpetua castitate. 2342. Quod & Apostoli fecerunt. 2343

In festo Philippi & Iacobi. Ioan.14. *Creditis in Deum et in me credite.* Quid sit credere in Deum.381.& seq. *Propter opera ipsa credite.* Quomodo confirmetur fides nostra operibus Christi mirabilibus. 97.& seq.

In festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. Matt. 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram, &c.* De primatu Petri ex hoc loco & ex aliis. 239.& seq.

In festo S. Iacobi. Vide suprà feria quarta post Dom. primam Quadragesimæ.

In festo S. Laurentij. Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quomodo possit esse etiam bonum odium sui. 713

In festo Assumptionis. Luc. 10. *Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* Quàm latè pateant opera misericordiæ. 790.& seq.

In festo S. Bartholomæi. Luc. 6. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Debere orationem esse perseuerantem. 1688

In festo S. Matthæi. Matth. 9. *Vidit hominem sedentem in telonio.* De negotiatione quatenus sit licita vel illicita. 1525

In festo S. Michaëlis. Matth. 18. *Væ homini illi per quem scandalum venit.* De scandalo. 1002.& seq.

In festo S. Lucæ. Luc. 10. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Quomodo hoc sit intelligendum. 1275.& seq.

In festo SS. Simonis & Iudæ. Ioan. 15. *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* De dilectione proximorum omnium. 714. & 718.& seq.

In festo omnium Sanctorum. Matth. 5. *Beati pacifici.* Quinam verè pacifici sint. 770. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* De vero Martyrio ex causa scilicet iusta. 2128. Item de Sanctorum inuocatione. 1070. & sequent.

In die S. Martini. Luc. 11. *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, neq; sub modio sed super candelabrum, &c.* De dignitate, perfectione, & obligatione status Episcopalis. 2277.& seq.

In festo S. Catharinæ. Matth. 25. *Respondentes prudentes, dicentes, &c.* De vera & perfecta virtute prudentiæ. 1044. & sequent. & quomodo acquiratur, & amittatur. 1061. & sequent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM PHILOSOPHICARVM, PRAESERTIM AD DOCTRINAM MORALEM PERTINENTIVM, SECVNDVM ORDINEM LIBRORVM ARISTOTELIS.

Ad Prolegomena Logicæ.

QVID sit obiectũ alicuius facultatis seu habitus. 13. & 17
Quid sit obiectum formale Quo. 14
Quid sit obiectum formale Quod. ibid.
Quid sit obiectum complexum. ibid.
Per Accidens est, quod ratio formalis sub qua sit cõiuncta cum ipso obiecto. 27
Ratio formalis sub Qua est velut quædam regula potentiæ aut habitus. 28

Ad Prædicamenta.

Quomodo qualitas recipiat magis & minus. 687 688

Ad libros Posteriorum.

Discrimen inter habitus euidẽtes & ineuidentes. 14
Quid sit habitum esse euidentem. ibid.
Duplex processus considerari potest, quando fundamentum habitus ineuidentis inquiritur. ibid.
In quo consistat ineuidentia assensus. 79
De eodem obiecto potest elici assensus euidens & ineuidens. 79
Quid sit assentiri propositioni mediante discursu. 43. & seq.
Quomodo assensus præmissarum sit causa assensus conclusionis. 49
Quis sit sensus illius: conclusio sequitur partem debiliorem. 50
Quomodo hoc fieri possit. 80.81
Quomodo de eodem obiecto possit haberi opinio & scientia, item fides humana & opinio. 81.82
Quid sit notius secundum naturam, & notius secundùm nos. 199. & 200
Quid sit assensus implicitus & explicitus. 396

Ad primum librum de Generatione.

Quędam accidentia nobiliora sunt secundùm suam rationem specificam, quàm substantia creata, & id non modò secũdùm quid, sed absolutè & simpliciter. 659.660
Cur aliqua forma habeat terminum sui augmenti. 685
Intensio formarum non fit secundùm additionem alicuius entitatis realiter distinctæ à gradu seu entitate priori. 688. & seq.
Quomodo principium agentis naturalis quo agit, oporteat esse intensius, quàm sit qualitas in passo. 693.694
Quomodo agens debeat esse dissimile passo in principio actionis. ibid.

Ad secundum Ethicorum.

Duobus modis censeri potest actus aliquis alicuius virtutis, physicè scilicet & moraliter. 425.426
Idem actus moraliter consideratus pertinere potest ad plures virtutes. 427
Diuersi actus materialiter, possunt pertinere ad eandem virtutem. 788
Quid sit odium. 898
Quid sit inuidia. 916.917
Quid sit zelus & æmulatio. 919
Remedia inuidiæ. 925. & seq.

Ad tertium Ethicorum.

Quid sit acedia. 910
Quæ sint remedia acediæ. 915
Quænam & qualis virtus sit fortitudo. 2119. & seq.
Quàm latè pateat materia & functio fortitudinis. 2122. & seq.
Quænam peccata opponantur fortitudini & eius partibus. 2138. & seq.
Quid sit timiditas. ibid.
Quid intimiditas. 2139
Quid audacia seu temeritas. ibid.
Quid præsumptio. 2140
Quid ambitio. ibid.
Quid inanis gloria, Pusillanimitas, &c. 2141. & seq.
Vtrum sit contra fortitudinem seipsum occidere. 1316. & seq.
Possunt etiam ad fortitudinem reuocari ea, quæ de bello & eius conditionibus fusè disputantur. fol. 950. & multis seq.
Quæ & qualis virtus sit temperantia. 2146. & seq.
Temperantia versatur per se nõ nisi in moderandis passionibus tactus. 2149
Temperantia est virtus specialis specie subalterna. 2152
Quænam sint partes temperantiæ. ibid.
Quid sit honestas. 2153
Quid verecundia, abstinẽtia, sobrietas, castitas. 2153
Castitas & pudicitia est eadem virtus. 2154
Quid sit virginitas. ibid.
Quid sit continentia, mansuetudo, clementia, modestia, humilitas. 2156. & seq.
Quid sit studiositas, eutrapelia, & parcitas seu simplicitas. 2158. & seq.
De vitiis oppositis Temperantiæ & eius partibus, ac præsertim de Ebrietate, & de Luxuria, illiusque variis speciebus. 2206. & seq.

Ad quartum Ethicorum.

Quid propriè sit misericordia. 772. & seq.

Miseri-

Misericordia est peculiaris virtus à cæteris distincta. 778
Quid sit beneficentia. 782
Quibus sit benefaciendum. 783
Quomodo vsura sit contra naturam. 1537. & seq.
Quæ & qualis virtus sit obseruantia. 2090. & seq.
Quænam & qualis virtus sit obedientia. 2092. & seq.
Quid sit gratitudo. 2106. & seq.
An & quibus teneatur quis esse gratus. 2108. & seq.
Quale & quantum peccatum sit ingratitudo. 2114

Ad quintum Ethicorum.

Quodnam sit officium Iudicum. 163
Magistratus est animata iustitiæ norma. 165
Quot modis accipiatur ius. 1090. & seq.
Ius & iustum idem. 1091
δίκαιον & δικαιοσὺνη vnde dicantur. ibid.
Quot modis accipiatur iustitia. 1091. & seq.
Iustitiæ obiectum est ius. 1092. & seq.
Medium iustitiæ est medium rei sine comparatione ad ipsum operantem. 1094
Quam latè pateat ius quod est obiectũ iustitiæ. 1095. & seq.
Variæ diuisiones iuris. 1095. & seq.
Inter patrem & filium est ius secundum quid. 1097. & seq.
Ius inter patrẽ & filium est impropriè ius. 1098. & seq.
Idem dicendum de patre respectu filij emancipati. 1100. & seq.
Definitiones iustitiæ. 1102
Iustitia duplex est, particularis & legalis. 1106. & seq.
Iustitia particularis est virtus ab aliis omnibus distincta. 1105. & seq.
Idem dicendum de iustitia legali. 1107. & seq.
Quid Aristoteles asserat de iustitia legali. 1108. & seq.
In iustitia particulari tres rationes considerari possunt. 1114. & seq.
Iustitia legalis est eiusdem speciei, prout est in principe & in subditis. 1116. 1117
In qua materia versetur iustitia. 1117. & seq.
In quo subiecto sit iustitia. 1122
An in appetitu sensitiuo sit etiam quædam iustitia circa bonum alienum. 1123. & seq.
An iustitia sit virtus præstantissima inter omnes virtutes morales. 1124. & seq.
Tot modis accipitur iniustitia, quot iustitia. 1128. & seq.
Quomodo iniustitia committi possit. 1130. & seq.
Quomodo intelligatur illud: Volenti non fit iniuria. 1133. & seq.
Quid sit iudicium, & quomodo sit actus iustitiæ. 1136. & seq.
Tres conditiones requiruntur, vt iudicium in iudice sit licitum. 1143. & seq.
De iustitia commutatiua & distributiua disputatur fusè. 1158. & seq.
Quomodo differant inter se. ibid.
Specie differunt inter se. 1163. & seq.
Quænam sit ratio & differentia earum ex parte materiæ vtriusque. 1168. & seq.
Vtrum liceat seipsum occidere. 1316. & seq.
Quæ sint species commutationum tam voluntariarum, quàm inuoluntariarum. 1169. 1170. 1474
Quæ sit emptionis & venditionis vtilitas. 1476
Quænam sint partes integrales iustitiæ. 1656. & seq.
Quænam sint partes potentiales iustitiæ. 1662. & seq.

Ad sextum Ethicorum.

Quomodo rectitudo virtutum moralium consistat in mediocritate. 867
Quid sit prudentia. 1040. & seq.
Definitio Aristotelica prudentiæ. 1043
Vtrum prudentia sit virtus & qualis. 1044. & seq.
Prudentia tantum versatur circa verum. ibid.
Quam latè pateat prudentiæ functio. 1049. & seq.
Munus prudentiæ potissimum exercetur per actum Imperij. 1053
Quinam sint participes prudentiæ. 1057. & seq.
Quomodo acquiratur & amittatur prudentia. 1061. & seq.
Qualesnam partes habeat prudentia. 1062. & seq.
Prudentiæ prima pars integralis est memoria. 1065. & seq.
Præcepta ad corroborandam memoriam. 1066
Quid sit intelligentia seu intellectus. ibid.
Quid sit docilitas. 1067
Quid sit solertia. ibid.
Quid ratio & prouidentia & circumspectio. 1067. & seq.
Quæ sint subiectiuæ partes prudentiæ. 1068. & seq.
De prudẽtia gubernatiua & particulari. 1069. & seq.
De partibus potentialibus prudentiæ. 1070. & seq.
Quid sit Eubulia, synesis, & gnome. 1071
Prudentiæ opponuntur per defectum, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia & negligentia. 1072. & seq.
De peccatis contrariis prudentię per excessum. 1077. & seq.
Quænam sint præcepta prudentiæ. 1081

Ad lib. 8. & 9. Ethicorum.

Quot modis accipiatur vocabulum amicitiæ. 663
Quot sint conditiones amicitiæ. 663. & seq.
Quomodo inter Deum & homines possit esse amicitia. 667
Vtrum inter seruum & Dominum possit esse amicitia. 668
Quomodo communicatio bonorum requiratur ad amicitiam. ibid.
Quomodo ad amicitiam requiratur conuictus & societas amicorum. 669
Amicitia nõ est virtus ab aliis distincta, sed est quiddam coniunctum cum aliis virtutibus, prout est inter bonos. 670
Quomodo intelligatur illud Aristotelis 9. Eth. cap. 9. amicabilia, quæ sunt ad alterum, prouenire ex amicabilibus quæ sunt ad se. 732
Vtrum liceat pro vita amici seu alterius cuiuscunq; mortem oppetere. 740. 741
Amicitia magis consistit in amare quàm in amari. 759. 760
Quid sit pax & concordia. 768. & seq.
Quid sit discordia & contentio. 928. & seq.
Quid sit rixa, & quæ eius Etymologia. 992. & seq.
Quid sit seditio. 1000
Quomodo differat à discordia & bello. 1001

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX GENERALIS RERVM OMNIVM PRAECIPVARVM, QVÆ IN HOC TERTIO TOMO EXPLICANTVR.

Abailardus.

Abailardus fidem euidentem esse asseruit. 69. E.D. 390.B

Abigiatus.

Abigiatus apud iurisconsultos est, cum sit furtum ex grege dispersõ, & dicitur ab abigendo. 1359.C

Abstinentia.

Quid? 2153.C

Acceptio personarum.

In quo consistat. 1270.B.1272.A
Est peccatum contrarium iustitiæ distributiuæ. 1270.C. 1272.A.1299.C
Genere suo mortale. 1272.B
Acceptio personarum non cadit in Deum. 1273.D. & seq.
An committatur si minus dignus in beneficiis Ecclesiasticis præferatur. 1279.D. quomodo. 1283
Item in beneficiis secularibus. 1288.D. & seq.
An inducat obligationem restituendi. 1291.C.D. & seq.
Quibus facienda sit hæc restitutio. 1291.C
Qui confert indigno prætermisso digno; vel digno, neglecto digniore, an & cui restituere debeat. 1203.1292. 1294. & seq.
Item qui dat consilium, vel resignat in fauorem indigni. 1298. & seq.
An personarum acceptio sit in exhibitione honoris, vel in gratuitis. 1298. & seq.
An inducat obligationem restitutionis communitati faciendæ. 1300.A
An locum habeat in iudiciis. 1301.C.D. & seq.

Accidens.

Accidentia quanam substantiis nobiliora, quæ ignobiliora. 659.A.B
Accidentis esse est inesse, quomodo. 688.A

Accommodatum.

Accommodatum quid. 1170.A
Non transfert dominium. 1171.A. 1268.A
Habet locum in iustitia commutatiua. 1171.A
Iure naturæ restituendum. 1268.A

Accusatio.

Accusationem non admittere aliquando licet. 1385.B
Accusatio quid? & quem habet finem? 1386.A.1389.A
Accusatio & denunciatio iuridica differunt à denunciatione fraterna. 1386.B
Pertinent ad iustitiam commutatiuam vel vindicatiuam. 1386.B
Quomodo differant inter se. 1386.C
Accusatio debet fieri in scriptis. 1386.C. 1392.C
Quando quis alterum teneatur accusare. 1386. & seq.
Aliquando accusare licitè quis potest, nec tamen tenetur. 1388.D
An accusatio prærequirat admonitionem fraternam. 1388.D. Quomodo ab ea differat. 1389.A
An & quomodo emendatus licitè accusari possit. 1390.A. & seq.
Accusatio quare & quomodo medicinalis. 1390.D
Quibus accusare non liceat. 1391.C.D. & seq.
Accusatio quibus vitiis iniqua reddatur. 1393.D
Iudex aliquando potest abolere accusationem. 1393.A.B
Accusatus si veritatem iudici legitimè interroganti non exponat, quomodo peccet. 1394.A. vide Reus.
An possit obiicere testi crimen verum etiam occultum, vt is reddatur inhabilis ad testificandum. 1429.D.1430.A

Accusator.

Causa cadit, si probare non valet, quod obiicit. 220.C. 1387.C.D
Accusator quis? item actor? 1383.D
Non semper ius acquirit, vt iudex procedat contra aliquem. 1383.A
Accusatoris vicem multa supplent. 1383.D
Sæpe multa pericula & incommoda subit. 1387.B.C. 1388.B
Falsò accusans iustè pœna talionis plectitur. 1387.B.1388.C. Item si temerè. 1425.D
Accusator vel actor non habet locum testis. 1400.D
Quando debeat iuuari à testibus. 1425.C.D

Acedia.

Quid? 633.C.D. 910.A. 911.A
Quomodo sit prauitas communis omnibus vitiis. 910.C. 914.A
Est in voluntate & appetitu sensitiuo. 911.A.B

Est

Est contraria gaudio charitatis. 912.A
Quomodo differat ab inuidia. 912.B.913.D
Eius effectus. 912.D. filia. 914. remedia. 915
Est genere suo peccatum mortale. 913.C. vnum ex septem capitalibus. 914.B

Actiones humanæ.

Sunt bonæ vel malæ ratione circumstantiarum. 1068.A

Actus.

Rectè diuiduntur per respectum ad obiecta, in quo consistunt. 383.B.C
Actus dupliciter dicitur esse alicuius virtutis, 425.A.D. 426.A.D. 427.A
Actus moralis in qua specie. 427.C
Actus alicuius virtutis quando necessarius ex præcepto. 429.D
Actum pertinere ad aliquam speciem in genere moris quid? 449.A
Actus cuiusq; virtutis quomodo pertineat ad charitatem. 449.B
Actus internus & externus pertinent ad eandem virtutem. 782.C. Sunt eiusdem speciei. 909.B
Actus & modus intrinsecus actus eodem præcepto præcipiuntur. 1022.D.1023.A
Actus elicitiuè ab aliquo dupliciter dicitur. 1676.A

Adam.

Ante & post peccatum quomodo Christum explicitè cognouit? 402.B.C

Adiuratio.

Quid sit & vnde dicta. 1905.C
Quot modis fiat. 1906.C
An liceat adiurare homines, & ob quas res causas. 1907.D. & seq.
An dæmones liceat adiurare, & quomodo. 1908.B. & seq.
An liceat adiurare creaturas irrationales. 1916.B

Adoratio.

Tribus modis accipitur. 1745. & seq.
Quomodo debeatur creaturis. 1745.B
Propriè quid? 1747.B. & seq.
Adoratio externa ab interna intentione specificatur. 1749.D. & seq.
Adoratio latriæ, vt sit recta, quid requirat. 1750.D. & seq.

Adultera.

Adulteram vxorem deprehensam qui propria auctoritate occidit, peccat mortaliter. 1325.A

Adulterium.

Est maximum peccatum contra proximum, excepto homicidio. 1460.A
Quid sit. 2228.B

Aduocatus.

Aduocati qui esse prohibentur, excepto casu necessitatis: 1434.B.C. & quo peccato?
Debent gratis patrocinari pauperibus. 1435.B
Quando ab hoc excusentur. 1435.C.1436.A
Si accipiant vltra taxata precia, peccant contra iustitiam. 1436.D
Non possunt de quota litis parte pacisci, si obtinuerint causam. 1437.A
Aduocatus quomodo differat à iudice. 1437.A.B
Potest accipere stipendia à suis clientibus. 1437.B
Defendens iniustam causam peccat mortaliter, & debet restituere. 1437.C. quomodo excusetur. ibid. & 1441.A.B
An & quomodo possit dubiam causam suscipere. 1437. & seq.
Aduocati officium quod. 1438.D. & seq.
Quomodo se gerere debeat in causa minus probabili, vel falsa. 1439.B. & seq.
Iniquitatem causæ, nisi sit magni momenti, prodere non debet. 1440.A
Cognita iustitia contrariæ causæ, eam suscipere potest, si absit scandalum, vel particulare pactum. 1440.B

Æmulatio.

Æmulatio quid? 923.D
Differt ab inuidia. 916. & seq. 923.B.C.D
Est bona etiam. 923.D. 924.A
Acromantia quid sit. 1975.C

Agnoclytæ.

Flexis genibus orare nefas ducebant. 1726.A

Albanenses.

Albanenses hæretici vsuram peccatum esse negârunt. 1682.B

Anabaptistæ.

Baptismum paruulorum reiiciunt. 340.A.B
Christianis iudicia exercere prohibitum esse asserunt. 1141. & seq.
Nefas esse aiunt Ecclesiasticos habere rerũ dominium. 1349.B.C
Tollunt vsum iuramenti. 1873.C

Alchimista, Alchimia. *vide Chymici.*

Ambitio.

Quid sit. 2140
Inducit vitia contraria prudentiæ. 1076.B

S. Ambrosius.

Coarguit Imperatorem Theodosium propter cædem Thessalonicensem. 978.C

Amen.

Variis verbis à variis exprimitur. 1694.C
Est iuramentum. 1873.D

Amicitia.

Dupliciter accipitur. 663.D
Quatuor conditiones requirit. 664.665.A. 1099.D
Quid, vt est amor benevolentiæ? 664.A.B
Vt est amor concupiscentiæ quid? ibid.
Amicitiæ conditiones conueniunt charitati. 665.D
Amicitia supereminentiæ quid? 667.C
Amicitia vel est inter æquales, vel efficit quodammodo æquales. 667.D
Quomodo inter dominum & seruum. 668.A.B
Quomodo inter Deum & hominem habeat mutuam bonorum communicationem. 668.C.D
Quomodo dissoluatur. 669.A
Est connexa charitati, eiq; aliquid superaddit. 663.D. 669.C.D

LLL 2 An

Universidad de Deusto
Biblioteca

An amicitia humana sit peculiaris virtus. 670.908.A
Inter bonos tantum laudabilis. 670.C.671.A
An sit propriè ad alterum. 670.C.671.A.1099.D
Quantarum virium sit. 740.D
Consistit potius in amare, quàm in amari. 760.A
Eius actus sunt, condolere de malis amici. 775.A.B. *illi benefacere.* 783.A. *redamare benefactorem.* 1028.D
Eius leges. 805.B.1028.D.1029.B
Est inter patrem & filium. 1098.C.1099.D
Eius vnitas qualis. 1099.D
Maius bonum est fama & honore. 1464.C
Amicitiæ turpes quomodo dissoluendæ. 1464.D
Amicitia quomodo sit pars potentialis iustitiæ, & quomodo ab ea deficiat. 1663.A.B
Eius officium. 1663.A.775.B

Amicus.

Amicus pro amico quomodo licitè ponit vitam suam dare. 740.C.D.&*seq.*
Amicus quomodo propinquior & magis diligendus quàm consanguineus. 754.D
Amicus aliquòne casu, & quo parenti præferendus. 755.A.B.C
Amicus antiquus magis diligendus, quàm nouus. 756.C
Præferendus inimico. 763.D.&*seq.*841.D
Amicorum omnia communia. 1348.D.1351.B
Sine amicis nemo potest viuere. 1464.C

Amor.

Amor concupiscentiæ quid? 598.A.664.A
Quomodo referatur in Deum, & contra. 598.A.&*sequent.*
Amor aliqualis est primus motus appetitus humani. 604.D
Amor beneuolentiæ quid. 664.A.B
In quo consistat. 667.B
Amor Dei erga homines est amor beneuolentiæ. 667.B
Amor amicitiæ propriè non est ad alterum. 670.C
Amore naturali parentes plus amant suos filios quàm Deum. 727.B
Deum magis amamus amore naturali, quàm nos ipsos. 730.C.D.&*seq.*
Amor suiipsius est præstantior, quàm amicitia. 732.D
Amor approbationis & complacentiæ quid? 752.A.B.C.758.B
Amor est vnio quædam. 760.A.B
Qualis sit beneuolentia. 760.A.B.C
Quomodo tendat in rem. 760.D
Non semper supponit perfectam cognitionem rei amatæ. 760.D.761.A
Amor mercenarius quid? 761.D.&*seq.*
Amor inimici quomodo includat amorem amici. 764.B.C
Quomodo vterque necessarius? 765.A
Amor inimicorum est indicium maioris charitatis habitualis. 765.A.B
Non potest altero inuito obtineri. 1561.C.&*seq.*

Angelus.

Angeli quomodo sint pars Ecclesiæ. 171.D
Superiores illuminant inferiores. 400.B.471.B
Inferiores illuminant homines. 400.B.408.B. *quomodo.* 400.C
In statu suæ conditionis triplicem habuerunt cognitionem. 467.A
Angeli & homines in primo statu habuerunt fidem & gratiam. 468.B.C
De eodem obiecto angelus potest habere simul fidem & euidentiam. 470.D
Angelorum & nostra fides quomodo differat. 472.A.B
Item illorum & nostra natura. 681.A.B
Angeli boni sunt nostri proximi & diligendi. 715.A.716.A
Sciunt nostras petitiones, & eas præsentant Deo. 1703.C.D.1704.A

Anima.

Quomodo nobilior, vel dignior charitate. 659.B
Eius partes potentiales. 1064.C
Animas ante diem iudicij non videre Deum error est, & condemnatur. 313.D.316.C

Animans vel animatum.

Animata quomodo digniora inanimis, quomodo non. 1478.B
An liceat ea vita sua priuare. 1308.C.&*seq.*
Sunt facta propter hominem. 1308.C
Bruta non habent rerum dominium. 1339.C.D.&*seq.*

Antichristus.

Qualia signa & prodigia facturus sit. 99.D.101.A

Apes.

Sequuntur vnum ducem. 271.A

Apostasia.

Ab hæresi quomodo differat. 546.&*sequent.*565.A.B.&*seq.*
Quomodo non sit determinata species infidelitatis. 547.C.565.B
Vnde dicta. 563.C
Tribus modis est in voluntate, & vno in intellectu. 564.C
In apostasia propriè dicta duo notanda. 565.A
A quibus ordinibus mortalis vel venialis? 566.B.567.A
An apostasiæ peccato rerum dominium amittatur, vel quis eo priuare possit. 568.C.D.&*seq.*

Apostata.

Admittit infidelitatem Paganorum & Iudæorum. 546.B
Christum quomodo profitetur? 547.D.&*seq.*
In iure ponitur in eodem titulo, in quo hæreticus. 548.A
Quando hæreticus. 565.C
Pœnæ apostatarum. 565.C.&*seq.*548.B.C
Apostata exterior tantùm quis? 565.D.&*seq.*
A religione quis? 567.B.C
Apostatæ à fide capti in bello non gaudent priuilegiis Christianorum. 982.B.C

Apostolatus.

Eius prærogatiua duo requirit. 252.B.C
Apostolatus dignitate quantum Petrus reliquis Apostolis antecelluerit. 252.C.D

Apostoli.

Fontes dicuntur. 126.C.D.128.D.135.C.217.C.D
Non amiserunt omnes fidem fugiendo in passione Christi. 181.C.D
Sunt Fundamenta Ecclesiæ. 182.&*seq.*217.C.D
Auctoritas illorum est immediatè à Christo, & quanta. 252.B.C
Quomodo omnes æquales, quomodo Petro inferiores. 253.C.266.C.D.267.C.268.B.249.A
Habuerunt votum castitatis. 2343.B

Apostolici.

Hæretici fuerunt, qui Christianis omnia communia esse debere contenderunt, etiam vxores. 1349.A
Vsum iuramenti & inuocationem Sanctorum sustulerunt. 1702.A.1873.C

Appellatio.

Appellationes Episcoporum Africæ ad sedem Romanam. 280.&*seq.*
Ex toto orbe semper fiebant ad sedem Apostolicam. 280.D.282.B.283.B.284.D.285.287.D
Appellatio in iudiciis quomodo & quando sit licita. 1404.D.&*seq.* *vide reus.*

Appetitus.

Comparatur cum voluntate. 595.C.D
Quotuplex sit, & quomodo appetitus sensitiuus feratur in bonum futurum. 595.C.D
Quomodo feratur in rem, & in adeptionem rei. 598.C.D
Sensitiuus appetitus Deum non attingit. 767.A
Sequitur cognitionem sensus. 1223.D. *bonum proprium procurat.* *ibid.*
Appetitus dissentientes dicuntur tripliciter. 1115.B

Arithmetica proportio.

Quæ sit. 1091.C.1096.C.1158.C.1159.C.&*seq.*

Arriani.

Quàm latè olim dominati sint. 187.D. *hoc tempore in Transsyluania subditos à decimis persoluendis deterrent.* 1767.B. *cantum in Ecclesia improbant.* 1917.B

Armacanus.

Rerum dominium quouis peccato mortali amitti asserit. 1354.D

Ars.

Quomodo differat à prudentia. 1053.A.1063.A
Ars Architectonica & administratiua quomodo differant. 1116.C.1117.A

Articulus.

Quid propriè? 122.D. *Quid metaphoricè.* 122
Numerantur symboli articuli. 122.D.&*seq.*
An creuerint. 124.A. *an omnibus credendi.* 122.D

Assecurator.

Quis? 1502.B.C. *positne plus exigere, quàm creditor.* 1502.D
An posit ratione periculi aliquid accipere. 1502.A.C

Assensus.

Quomodo assensus præmissarum sit causa conclusionis. 49
Assensus Theologicus cum assensibus aliarum disciplinarum quomodo conueniat, & quomodo ab iis discrepet. 50.D.&*seq.*
Fidei & scientiæ assensus quomodo differat. 48.C.81.C.D
Assensus cum formidine & sine formidine quid sit. 76.D.81.C.D
Assensus fidei & euidens de eodem simul esse possunt. 77.&*sequent. possunt item tantum ratione differre.* 80.C.81.B
Assensus ineuidentia in quo consistat. 79.D
Assensus fidei de obiecto aliunde euidenter noto est meritorius. 80.D

Assceueratio.

Pontificis assceueratio quid sit. 31.A. *canonici scriptoris quid?*
Quomodo differat à propositione. 31.A.B.C
Sitne actus elicitus à fide. 32.B

Astrologi.

Astrologi possunt nonnulla probabiliter prædicere. 1978.D

Astutia.

Quid? 1077.B.D.&*seq.*
Quando sit peccatum mortale, quando veniale. 1078.A
Oritur ex auaritia. 1079.D

Auaritia.

Condemnatur. 816.&*seq.*
Inducit vitia contraria prudentiæ. 1076.D.1079.D
Quænam sit peccatum mortale, quæ non. 1234.A.B

Augustinus.

Nouem ferè annis Manichæus fuit. 69.A. 390.A.481.A
Idem & S. Hieronymus fatentur Scripturas esse difficiles intellectu. 144.C.145.A.B
Quomodo abductus à Manichæis. 481.C
Pars eius regulæ exponitur. 891.&*seq.*
Quas requirat conditiones ad iustum bellum. 963.B.C

Auctoritas.

Quæ iudex & magistra fidei secundum sectarios. 132.C.D.&*seq.*139.B.C
Debere esse auctoritatem quæ sit iudex fidei, probatur. 133.&*seq.*
Auctoritas hæc diuinane an humana? 136.&*seq.*
Fuit omnibus seculis. 141.D
Quot modis in causa fidei possit esse infallibilis. 142.A
Quomodo eorum, qui vita functi sunt, vigeat auctoritas. 142.B.C
Auctoritatem iudicem fidei non posse esse solam Scripturam. 142.D.&*seq. probatur ex eius obscuritate.* 142.&*sequent. deinde quia non continet omnia fidei dogmata.* 157.&*sequent. ex fine auctoritatis.* 161.&*sequent. ex officio iudicis.* 163.&*sequent. ex discrimine iudicij & auctoritatis.* 165. *Quia ipsa Scriptura indiget sententia alterius auctoritatis, quæ alias non potest intelligi. Quia hic est modus, quo Deus docet homines.* 167.C.D.&*sequent. Postremò propter coniunctionem fidei cum obedientia.* 168.B.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auctoritati maiori esse assentiendum in dubiis. 230. C.D.231
Sola auctoritate stulti ad sapientiam perueniunt.231.D. & seq.
Auctoritas miraculis conciliatur. 232.A.B
Pontificis auctoritas in definiendis controuersiis fidei infallibilis est. 301.D. & seq.362
Auctoritas Ecclesiæ & Scripturæ quomodo differat. 326.C.D

Augurium, auspicium. *vide Diuinatio.*

Baptismus.

Sacramentorum & Ecclesiæ ianua est. 177.D
An in nomine Christi tantum valeat. 316.C. 332.D. & seq.
An in re omnibus necessarius ad salutem, an verò votum illius sufficiat. 394.B.C.487.A.B
Quid sit. 416.A
Character eius manet in fidelibus damnatis. 474.D
Cur paruulis sit necessarius secundum Pelagianos. 407.C
Debet præcedere confessionem. 532.B.C
Adultus suscipiens baptismum ad quid obligetur. 1028
Num propriè votum baptismus contineat. 1809.A
Quæ verba in baptismo dicantur. 1809.A
Tantum cooperit peccatum originale secundum hæreticos. 112.B
De baptismo paruulorum contra Anabaptistas. 340.A.B

Basilides Hæreticus.

Censuit non licere martyrium subire. 2129.D. & seq.

Beati.

Non remanet in illis spes & fides, sed charitas. 475.D
Quomodo maneat in iisdem timor. 490.B. 627.B.C. & qualis. 627.D
An timeant de amissione beatitudinis. 627.D. 628. 629.A. & seq.
Sciunt & præsentant petitiones nostras. 1703.D. 1705.A. 1712.D
Appetitus illorum expletur. 1704.B
Cognitio ipsorum longè superat cognitionem huius vitæ. 1704.C.D

Beatitudo.

Formalis & obiectiua quid? 598.A.B
Beatitudo vnius ad alterum pertinet. 600.B.C
Continuatio beatitudinis in beatis non potest esse obiectum spei. 607.C.D
Æternitate mensuratur. 607.C
Beatitudo paupertatis spiritus quid, & cuius timoris effectus sit. 626.D. & seq.
Beatitudo quomodo in Deo, & quomodo in creaturis rationalibus. 729.C.D
Beatitudo quinta (beati misericordes) magnam habet affinitatem cum dono consilij. 1073.A

Begardi & Beguinæ.

Perfectis omnia licere dicebant. 683.B
Constituebant terminum in charitate, vltra quem progredi quis non posset. 684.B
Gratiam semel habitam amitti posse negabant. 702.A

Bellum.

Si sit iustum ad quas virtutes pertineat. 428.A. 538.C. 960.C. 964.C.D. 974.B.C
An bellum inferre liceat infidelibus tantum propter infidelitatem. 534.C.D. & seq.
Bellum iustum tria requirit. 538.A.B. 968.B.C
An possit inferri propter grauissima peccata. 539
Infidelibus non subditis quas ob causas inferendum? 536.A.B. 541.D
Bellum quid significet. 950.A
Bellum esse illicitum, hæresis est. 950.A
Licitum esse probatur. 951.B.C. & seq.
Bellum gerendum, vt pax acquiratur. 955.A. 960.C.D. 972.D
Quomodo contrarium sit paci & charitati. 960.B.C.D. & seq.
Esse iustum & licitum contra Turcas. 961. & seq.
Belli indicendi auctoritas penes quem sit. 963.C.D. & seq.
Defensiui & offensiui dispar ratio. 963.D. 975.C.D
Bellum necessitatis, pax voluntatis. 964.B. 969.A. 992.A
Causæ iusti belli quæ? 964.D. & seq.
Iuste infertur, cùm negligitur quod iuste debetur. 965.D
Belli socios infideles accersere quando liceat. 965.C.D
Bellum scandalosum Francisci Franciæ Regis. 966.D
Sub dubio non bellandum contra existentem in possessione. 967
Belli causa an iusta sit, militum examinare non est. 967.C.D
Bellum etiam iustum non indicendum, nisi post negatam satisfactionem. 968.C.D
Bello etiam incepto, acceptanda est condigna satisfactio. 969.C.D
A bello etiam iusto quare nonnunquam abstinendum. 970.B
Vtrinque per se non potest esse iustum. 970.C.D. 1325.C. 1407.C.D
Gerendum est recta intentione. 972. Hæc si sola desit ad restitutionem non obligat. 973.A
In modo belli fines obseruandi. 974.A. 975.C.D
Stratagemata sunt licita. 974.C.D
An in bello fides hosti data seruanda. 975.A
Innocentibus parcendum. 976. & seq. quando non. 977.A. 1314.C
Quando liceat Ecclesias euertere. 977.C.D
Obtenta victoria, possintne omnes nocentes iustè occidi. 978.C.D
Quid de obsidibus. 978.D
Bello potest regimen Reipub. mutari. 979.A
Bello capti Christiani non rediguntur in seruitutem. 979.B. 981.B.C
In bello non peccandum contra fortitudinem vel iustitiam. 979.C.D

Bello

Bello captæ res immobiles cedunt principi. 981.A
Bello capti qui iure gentium serui, qui non. 981.B.C
Bellum prohibetur Monachis & Clericis. 983.D
Bellare die festo, an licitum. 991.C. 993.A
Bellum & seditio quomodo differant. 1001.A
Quinam in bello iniusto excusentur à restitutione. 1182.B

Benefactor.

Magis diligendus, quàm is cui beneficeris. 757.B.C

Beneficentia.

Est actus proprius & internus charitatis. 782.C

Beneficium.

Aliud seculare, aliud ecclesiasticum. 1274.D
Beneficium seculare, vide Officium.
Beneficium ecclesiasticum quid sit. 1275.B. quare detur. D
Iustitiæne commutatiuæ an distributiuæ in eius distributione habeatur ratio. 1275.D. & seq.
Vtrum in beneficiis conferendis dignior sit præferendus, an verò satis sit dignum eligere. 1278.D. & seq.
An gratis conferenda. 1279.C.D
Non conferre digniori, quale peccatum. 1280.A
Quæ circumstantiæ attendendæ in collatione beneficiorum. 1280.B. 1281. 1282.
Non conferenda existenti in peccato mortali. 1283.A
Concubinariis nequaquam. ibid.
Habenda ratio ætatis, scientiæ & prudentiæ. 1283.A
Ecclesiastica beneficia duplicia. 1283.B
An idem iure possit habere plura beneficia. 1283.D. & seq. & quo.
Quæ beneficia non possint nisi singula singulis conferri. 1284.A. 1286.B. licet interdum plura habere. I. Si beneficium sit nimis tenue. 1284.D. 1285.B. II. Si vna Ecclesia sit annexa alteri, ibid. & 1287.A.B. III. Si sit paucitas bonorum ministrorum. ibid. IV. Propter commendam, quæ perpetua non sit. 1284.D. & seq. V. Propter eminentem literaturam vel nobilitatem. 1287.B. 1285. A.C.D. VI. Propter dispensationem Papæ vel Episcopi. 1285.A. 1286.A.B
Non debent referri ad luxum. 1285.D
Requirentia residētiam cum dispensatione Papæ plura conferri possunt, idq; ex legitima causa. 1286.B
Non habenda ratio carnalis affectus. 1279.B
Non sunt beneficia conferenda cum detrimento Ecclesiæ. 1286.B.C
An ex consuetudine sine dispensatione possint plura haberi. 1286.C.D. 1287.A
Qui habent plura beneficia, debent Ecclesiis prouidere de dignis ministris. 1287.C
Possunt licitè conferri amico, postl habito alio æquè digno. 1394.C
An eorum permutatio sit Simoniaca. 2054.C

Beneuolentia.

Exigi potest pro pecuniis mutuò datis. 1555.A. 1557.C. 1560. & seq.
Est radix donorum precio æstimabilium. 1560.D

Biblia.

Approbata à Conc. Trid. præstant hebræis & græcis. 329. & sequentib.

Bigamus.

Non admittitur ad sacerdotium. 316.A. 1326.C

Blasphemia.

Alia formalis, alia materialis. 525.D
Quæ ab Ecclesia reprimenda. 526.D. & seq.
Accipitur pro læsione famæ alienæ, sed communiter vt est contra Deum. 577.B.C
Blasphemia mentalis tantùm. 578.B
Committitur quatuor modis formaliter. 578.B.C
Damnatorum qualis. 579.A.B
Blasphemiæ verba sciens nemo vsurpet. 579.C.D
Maledicta in sanctos blasphemiæ sunt. 580.A.D
In quo propriè consistat blasphemia. ibid.
Opponitur religioni. 580.D. 582.A. infidelitati affinis est. 581.A
Potest fieri in res sacras. 580.D. & seq.
Quomodo in se habeat malitiam infidelitatis. 582.A
Blasphemia in Spiritum sanctum quot modis possit accipi. 581.C.D. 182.C.D
Quid sit. 581.D. 582. & seq.
Quotuplex. 584.
Velle vt peccatum placeat Deo, blasphemia est. 1797.C. 1799.B

Bogomiles hæretici.

Negârunt omnes orationes, præter Pater noster. 1722.C

Bonum.

Bonum sensibile dupliciter consideratur. 734.A.B
Bonum naturæ & bonum gratiæ omnium fundamentum. 754.A
Aliud perfectum, aliud imperfectum. 770.B
Bonum vno modo, malum multis euenit. 913.D. 949.B.C. 1003.B.C. 1171.B. 1660.D
Tantùm malo contrarium est. 922.A. 970.D
Bonum morale & verum practicum quomodo æquè latè pateant. 1048.D
Bonum morale habet ordinem ad plures animæ potentias. 1048.D. & seq.
Non attingitur nisi per plures specie virtutes morales. 1049.B
Bonum est sui communicatiuum. 1126.C
Bona temporalia qualia sint, & quomodo in oratione petenda. 1696.A. & seq.

Breuiarium.

Breuiarium Romanum omnibus commendatur. 1733.C
Breuiarium Ecclesiæ vel sui ordinis recitare quiuis tenetur. 1733.C
Formula Breuiarij Romani quomodo obliget. 1734.B

Bucerus.

Omnes actiones infidelium peccata asserit. 506.D. & seq.
Refutatur. 508.C.D. & seq.
Pessimos Euangelij fructus ostendit. 93.D. & seq.

Cæcitas.

Mentis cæcitas vitium oppositum dono intellectus. 586.C
Oritur communiter ex luxuria. 587.A. 588.A
Tollit penitus cognitionem. 588.A
Præcipitat in omnia peccata.

Cæcus.

An & quando possit esse aduocatus. 1434.B.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caluinistæ.

Quantoperè inter se & cum Lutheranis de sensu scripturarum contendant. 144.B.149.C.164.B
Quàm sint bilingues & trilingues etiam Grãmatici. 144.B
Lutheranos pro hæreticis condemnant. 178.D

Caluinus.

Qualenam constituat obiectum fidei? 16.A.B
Vult fidem esse euidentem. 69.B.C.D
Soluuntur eius argumenta. 73.C.D
Gloriatur se melius scire veritatem quàm antiqua ecclesia. 87.D
Qua regula distinguit scripturam canonicam à non canonica? 157.C.D
Caluino non placet Monarchia. 271.D
Obiicit contra primatum Pontificis Romani. 277.A.B
Soluitur eius obiectio. 277.B.C
Irridet fidem implicitam. 398.B.C.399.C
Refutatur. 398.C.D.&seq.
Male definit fidem. 445.C
Impugnat distinctionem fidei formatæ & informis. 449.C.D.&seq.
Refutatur. 451.C.D
Asserit omnes infidelium actiones esse peccata. 506.D.&sequentib.
Refutatur. 508.C.D.&seq.
Alium hæreticum morte mulctari curauit, & factum defendit. 557.B.C
Eius error circa charitatem. 671.C.D
Fatetur charitatem perfectiorem fide. 673.D
Putauit semel habitam non posse amitti. 702.A
Abusus est testimonio D. Augustini ad corrumpendam orationem Dominicam. 1695.B.C
Vocat iteratas repetitiones orationũ battologiam. 1722.D.1723.A
Non vult vt oretur nisi lingua vulgari. 1723.D
Adorationem Eucharistiæ idololatriam appellat. 1947.D.&seq.

Cambium.

Quid sit. 1604.A.B.C
Successit illi venditio. 1604.A
Cambium aliud simplex, aliud mixtum. 1604.B
Differt à mutuo. 1604.C
Cambia vocantur impropriè omnes contractus, qui pecunia exercentur. 1605.A.B
Cambium custodiæ quid. 1605.B.1610.A. *an licitum sit.* ibid.
Cambium diuersarum pecuniarum est licitum. 1606.A
Cambium aureorum nummorũ cum nummis vilioris metalli an & quomodo licitum. 1606.&seq.
Cambium pecuniæ vel frumẽti non fit licitè in loco vbi propter copiam valet, vt tantum soluatur in alio loco, vbi propter inopiam plus valet. 1608.D.&seq.
Idem dicendum de alio & alio tempore. 1609.A.B
Nisi quid contractum iustum reddat. 1609.C
Cambium mixtum lucrosum an iustè exerceri possit quæritur in quinq; casibus. 1611.
Ratione solius temporis, quo solutio expectatur vsurarium est. 1612.A.B
Ratione lucri interuenientis vel damni, licitum est. 1612.B
Item ratione loci per literas. 1612.D. *& quo maior est distantia loci, eo maior compensatio peti potest.* 1613.A.1614.A
Non item dicendum de longitudine temporis, quo solutio expectatur. 1613.A
Cambium siccum vel fictum an licitum. 1613.B.1614.A
Cambium mixtum licitum est ratione absentiæ pecuniæ secundùm locum. 1613.C.D
Item ratione officij à Repub. approbati. 1614.B
In cambio ratione interuenientis lucri vel damni quæ consideranda. 1617.C
Item ratione absentiæ secundum locum. ibid.
Copia & inopia campsorum & campsuariorum æstimationem variat. 1617.C.&seq.
Cambiorum sex genera approbantur. 1618.D.&seq.
Cambia exercere cui & quo iure prohibitum. 1619.A.&sequentib.

Canonici libri.

Quinam sint, qui non. 321.D.&seq.
Ab Ecclesia determinandi sunt. 322.A.325.C.D
Enumerantur à conciliis antiquis & recentibus. 322.B
Aliqui aliquando in dubium vocati. 323.D
Alij possunt dici maioris auctoritatis, quàm alij. 324.C.D
Diuinam & infallibilem habent auctoritatem. 328.C.D

Canonicus scriptor.

Quis? 320.C.D.&seq.
Agitur potius à Spiritu sancto, quàm agit. 321.A.B.C.327.A
Differt à Pontifice definiente. 320.D.&seq. *item ab Ecclesia.* 327.A.B

Canonizatio Sanctorum.

Nititur humanis testimoniis. 305.D.306.C.318.B
Est infallibilis. 306.C.D
Ad Ecclesiæ ædificationem & papæ officium spectat. 307.A
Illam veram esse fide tenendum. 308.D

Cantus.

Vtrum cantu sit laudandus Deus & quare. 1917.D
Cantus & vsus instrumentorum musicorum quomodo reddatur illicitus in templo. 1919.B.&seq.

Cardinalis.

Cardinalis Presbyter non nisi 64. testibus deponitur. 1427.C. *Diaconus verò 27. ibid. Episcopi Cardinales an abesse possint à suis Ecclesiis.* 2303.C

Caro.

An in vlla necessitate liceat vesci carnibus humanis. 2208.C.&seq.
Caro hominis an possit esse medicamentum. 2210.B

Castitas.

Quid sit. 2153.
Quomodo Religiosi peccent cõtra votum castitatis. 2354.B
Apostoli habuerunt votum castitatis. 2343.B
Item B. Virgo. 2342.C

Catechumeni.

Quomodo pars Ecclesiæ. 173.B.192.B
Quando dicantur Christiani. 487.A.B

Ante

Ante baptismum deficientes inter quos infideles numerandi. 516.B

Catholicum.

Quid? 182.A.B.213.&seq.
Ecclesia quot modis dicatur catholica. 180.C.D.&seq.

Cautio.

Est necessaria ad vsum prudentiæ. 1068.B.C
Est eius pars integralis. 1062.D.1074.C.D
Est machinatio contra impedimenta. 1063.C.1068.B

Census.

Quid sit. 1582.A.B
Licitè vendi potest. 1582.B.1593.D
Numeratur inter bona immobilia. 1584.B.1585.A.1590.A
Alius consignatiuus, alius resignatiuus. 1584.B
Resignatiuus quomodo conuenit cum Emphyteusi? 1584.C
Alius redimibilis, alius irredimibilis. 1586.B
Census vendi potest ex rebus mobilibus, immobilibus vsu consumptibilibus, fructificantibus tamen. 1584.D. *ex censibus.* 1585.A. *ex personis.* 1585.B.C
Census pluris non potest vendi, quàm res valet, ex qua vtilitas capitur. 1586.A
Census emptio sæpè palliat vsuram. 1586.B
Census perit re pereunte, in qua fundatur. 1586.C.D
Census venditur ex re certa, immobili, fructifera. 1587.D
Census fructuarius & pecuniarius potest vendi. 1588.C
Item certæ vel incertæ pensionis. 1588.D.&seq.
In perpetuum vel ad tempus. 1589.B
Census vitalitius quis. 1589.B
Perpetuus ex quibus rebus non possit vendi. 1589.B
Emptio iusta census ex quo consideretur. 1589.D.&seq.
Census lucrum vsurarium non est. 1590.D.1591.A
Census vnius anni, cui morale periculum subest, non potest licitè minoris emi, quàm sit summa pensionis. 1591.A.B
Quod statuatur iustum precium census. 1592.A.B
Census temporalis accessione periculi, minoris æstimatur. 1593.A.B
Potest addi pactum de retro vendendo in fauorem censuarij. 1594.B.1595.A. *item in fauorem censualistæ.* 1595.C.D.&seq.
Probabile est posse addi pactum de retroemendo & retrouendendo simul eodem tempore. 1599.A.B. *diuersimodè tamen.* 1599.C.D.&seq.
Probabile est posse addi pactum assecurationis. 1600.D.&sequentib.
Census emptio & venditio vt licita sit requirit vndecim conditiones. 1603.

Censualista.

Quis sit. 1582.B.1583.D
Non potest censum petere, si res in qua census fundatur pereat. 1586.C.D.&seq.
Nisi censuarius sit in causa. 1586.D.1587.C.D

Censuarius.

Quis sit. 1589.D
Quomodo possit rem alienare, quæ censui subiecta est, & in quibus casibus. 1602.A.B

Centuriatores.

Primos patres Ecclesiæ reprehendunt in variis articulis fidei. 90.C.D.&seq.
Liberum arbitrium tollunt. 90.C.91.B. *item bona opera.* 90.D. *Martyrium irridet.* 90.D
Sanctorum inuocationem reiiciũt. 9.D. *Virginitatem præterea, dies festos, quadragesimam, monasticum institutum, missam denique, & Romanam Ecclesiam caput aliarum cum S. Cypriano non agnoscunt.* 90.D.&seq.
Seipsos in sua historia hæreticos conuincunt. 224.&seq.

Cerimonialia.

In lege veteri duplicis generis erant. 1763.C

Certitudo.

Fidei certitudo est vnus ex fructibus Spiritus sancti.
Essentialiter est in potentia cognoscente, participatiuè etiã in appetitu. 609.D

Charitas.

Quid sit. 646.A.B.647.A.B.649.A
Charitatis finis. 429.C
Charitas est quædam amicitia. 429.D.663.A.759.C.783.B.805.B.665
Facit omnium virtutum actus perfectos. 446.D.&seq.
An sit forma essentialis vel accidentalis fidei. 448.A
Quare dicatur forma virtutum. 448.A.652.A.B.662.D.671.B.674.A.675.&seq.
Charitate perfectius acceditur ad Deum, quàm fide. 506.B.633.C
Qua ratione versetur circa Deum. 604.A.633.C.660.C.661.B.D.672.D.679.D.714.A.B.728.C.D.&seq.
Charitas Deus est. 648.B.653.A
Quomodo à Theologis accipiatur. 686.B.648.D.649.A
Est aliquid creatum in anima. 649.&seq. *probatur.* 649.D.&seq.
Est primarius fructus Spiritus sancti. 652.A
Charitas nostra est participatio Spiritus sancti. 653.B.D.654.A
Est summum huius vitæ bonum. 654.D
Ordinis supernaturalis. 655.A
Quomodo eius effectus sit infinitus. 655.B.C
Charitatem esse habitum, probatur. 656.B.C.&seq. *esse virtutem.* 658.D.&seq.
Ex omnibus virtutibus maximè inclinat ad actum. 657.B
Quomodo sit quid nobilius anima. 659.B.660.B
Est specialis virtus & ab aliis distincta. 660.D.&seq. 662.C.D.717.D.&seq.
Omnes virtutes continet, & omnibus imperat. 662.D.755.D.787.B
Omnes conditiones amicitiæ continet. 665
Charitas iustorum vera est amicitia. 666.C.D
Est maxima omnium virtutum 671.B.672.B.680.A
Eadem licet sit ergà Deum & proximum, elicit tamẽ actus diuersos. 671.
Nunquam excidit. 672.A.704.C
Quomodo radix & fundamentum salutis. 674.A
Etiam remissa est perfecta virtus. 675.C.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod sit eius subiectum. 676.C.677.C. & seq.
Quæ eius causa efficiens. 678. & seq.680.A. 689.D. & seq.
Quomodo virtus naturalis & supernaturalis. 679.A.B
Ipsa & eius perfectio quatuor modis cõsiderari potest. 679. & seq.
Charitatis perfectio quanta in ordine ad obiectum. 680.A. in ordine ad subiectũ. B. in ordine ad actus elicitos. 681. B.C.D. in ordine ad actus imperatos. 682.B.C.D
Eius intensio est gratuitum Dei donum. 680.C
Secundariò potest æstimari ex nostris dispositionibus. 680.
In actibus elicitis habet tres gradus perfectionis. 681.B.C. D. & seq.
Charitatis summa perfectio est tantum beatorum. 681.C
Secundus gradus est Episcoporum & Religiosorum. 681.D
Tertius est in iis, qui sunt sine peccato mortali. 682.A
In actibus imperatis itidem tres gradus perfectionis sunt. 682.B.C.D
Primus est incipientium. 682.C. & seq.685.A
Secundus proficientium. 682.C.D. & seq.685.A
Tertius est perfectorum. 682.C.D. & seq.685.A
Charitatis perfectio ex parte suorum obiectorum augeri nõ potest. 685.A
Extensiuè augeri potest actualiter, non habitualiter. 683.D. 684.A.B
Intensiuè augeri potest in infinitum. 684.B.C.D. & seq.
Est participatio infinitæ charitatis. 686.A
Eius augmentũ comparatur illuminationi solis. 686.C.D
Charitas Christi omnium maxima. 686.D. & seq.
Qua ratione augeatur intensiuè. 687.C.D. & seq.
Non fit per additionem entitatis realiter distinctæ. 688.C. D. sed per nouũ modum formaliter distinctum. 689.A.B
Causa huius augmenti principaliter Deus est, secundariò homo iustus. 689.D
Charitas effectiuè à solo Deo augetur. 690.A.B. meritoriè à iusto. 690.A.B
Augetur per quemlibet suum actum. 691.D. & seq. idq; secundum totam latitudinem intensionis actus. 695.A.B
Quo actus est diuturnior & magis meritorius ex aliqua circumstantia charitatis, eo magis augetur charitas, aliàs non. 695.D. & seq.
Non augetur per actus aliarum virtutum, licet à charitate imperentur. 696.C.D
Quomodo non semper statim augeatur. 697.
Quilibet remissus actus charitatis auget gloriam. 697.B.C. 699.D
Charitatis actus remissi quando & quomodo habitum minuant. 695.D.701.A.B
Charitatem amitti peccato mortali probatur. 702.C.D. & sequentib.
Corrumpi per peccatum mortale demeritoriè & effectiuè. 705.
Demeritoriè peccato omissionis, effectiuè cõmissionis. 706.A
Potest per diuinam potentiam in homine minui. 707.D. & sequentib.
Vt aliquid ex charitate diligatur, quid requiritur? 712.B
Per charitatem diligi secundùm se quid? 712.C
Charitate nos ipsos diligimus nõ amore amicitiæ, quodammodo tamen. 714.B.C
Ex charitate proximus diligendus. 714.D
Dæmones & damnati minimè. 715.B.C
Varia obiecta charitatis. 715.
Reuocantur ad quatuor genera. 716.A
Ex charitate quantùm & quomodo diligẽdum corpus. 715. D. & seq.
Charitas Dei & proximi quomodo vna & eadem specie. 718.A.B. 907.A
Ex charitate proximus diligendus est licet peccet. 719. & seq. vel nos odio prosequatur. 721. & seq.
Charitatis ordo quomodo intelligendus. 724.A
Aliud alio magis diligitur tripliciter. 725.A
Obiectiuè, appretiatiuè, & intensiuè. 725.A.B
Quod ex charitate magis diligendum est, obiectiuè & appretiatiuè magis diligendum est, non intensiuè necessariò. 726. & seq.
Charitas inclinat ad magis intensiuè diligenda ea, quæ sunt magis diligenda, præceptum tamen nullum extat tale. 727.A
Ex charitate Deus super omnia diligẽdus. 728.C.D. & seq.
Idq; obiectiuè & appretiatiuè. 729.D
Charitatis inclinatio est ad Deum diligẽdum maior quàm ad nosmetipsos. 730.C.D. & seq.
Charitatis inclinatio non repugnat inclinationi naturali. 730.C.D. & seq.
Charitatis actu diligere quid sit. 735.B
An quis teneatur se magis diligere quàm proximum. 735. B.C. quando non. C. & seq.
Charitatis ordinem non violat, qui vt subueniat patri ingressum religionis vel alium spiritualem profectum prætermittit. 736.C
Quæ bona spiritualia debet sibi quis magis velle, quàm proximo. 736.D
Charitate carere nunquam debemus velle. 738.B.C
Charitatis ordo quis seruandus in rebus spiritualibus in ordine ad proximum & seipsum. 740. & seq.
Ordo charitatis recitatur. 740.B. 749.C
Communitatem quomodo magis amare debeamus, quàm nosipsos. 442.C.D. & seq.
Proximi spirituale bonum quomodo & quando magis diligendum quàm nostrum temporale. 743.C.D. & seq.
Magis diligendus est vnus proximus quàm alius internè & externè. 749. & seq.
Quomodo omnes æqualiter diligendi. 750.D. & seq.
Dilectionis duplex principium. 750.C.751.C
Qui ex proximis magis diligendus sit tres regulæ dantur. 751.D. & seq.
Quis appretiatiuè, quis obiectiuè magis diligendus? 751.D. & seq.
Publica persona magis diligenda, quàm priuata. 758.A
Ordo charitatis manebit in cælo. 758.B. 759.A.B. quomodo?
Charitatis habitus operatiuus est simpliciter perfectior habitu misericordiæ. 780.B.C. 758.C
Charitatis maius aut minus meritum vnde spectetur. 763. C.D. & seq.
Charitate inclinamur ad diligendum omnia, vt oportet. 770.C
Charitas & misericordia distinguuntur. 778.A
Charitas in homine melior misericordia, contrà in Deo. 779.D
Charitatis actus in quo consistat. 758.C. 759.C
Amari quid sit. 759.C
Charitatis amor qualis sit actus. 760.A
Diligere amicum est magis meritorium, quàm diligere inimicum. 763.D. & seq.
Amor inimici quomodo includat amorem amici, quomodo non. 764.B.C
Amor inimicorum est indicium maioris charitatis habitualis. 765.A.B
Dilectio inimicorum cur magis laudatur? 765.B
Charitas nostra non potest habere actum infinitum. 767.B
Charitatis actus est infallibilis dispositio ad gratiam. 800. D. & quam ob causam. ibid.
Charitatis præcepta explicantur. 1020.B.C. & seq.
Ex charitatis præcepto diligendus Deus vt vltimus finis. 1021.C. & seq. quaratione?
Charitatis præceptum an possit perfectè impleri in hac vita. 1024.C.D. Et quomodo. 1024. & seq.
Hoc præceptum in venialibus ne venialiter quidem violatur. 1027.A
Hoc præceptum in hac vita in quibusdam casibus impleri debet. 1027.C.D. & seq.
Instante morte potissimum. 1029.B.C
Non semper peccat, qui hos casus non obseruat. 1029. & seq.
Charitatis præceptum erga proximum probatur. 1030.C. D. & seq.
Conueniebat vt hoc præceptum expresè daretur. 1031.A
Quomodo diligendus proximus. 1031.C
Charitatis ordo est in præcepto. 1033.
Charitas est vita spiritualis animæ. 1364.A
Vtrum omnis perfectio charitatis præcepta sit. 2263.B. 2264.B

Christianus.

Christiani quare ad fidem conuersi. 86.A.B
Christiani facti quantum mutentur. 92.93.A
Quomodo inceperint secundùm Iosephum. 102.B
Christianorum fides & mores ab ipsis persecutoribus laudantur. 102.
Christianorum persecutores, Deo vindice, semper puniti. 103.104.
Christiana fidei prædictiones per prophetas. 106.107.
Christianorum doctrina nihil contra, multa supra rationem habet. 108.C
Christianæ religionis ordo pulcherrimus. 110.B
Eius doctrina simplex & efficax. 110.D. & seq.
Christianorum gradus & differentiæ. 176.A.B.C
Christianum nomen quid? 215.A
Christiana Ecclesia antiquior scripturis. 346.B
Christianus quis? 487.A.B
Christianisne liceat habere dominium proprium rerum externarum. 1348. & seq.
Non licet illis vendere arma infidelibus. 1528.D
Christianorum libertas in quo consistat. 2258.C

Christus.

Qualis fuerit, teste Iosepho Iudæo historico. 102.B
Eius laus multiplex. 112.C
Efficacitas eius in dicendo & docendo. 113.D. & seq.
Vulgari & simplici stylo vsus est. 114.B
Quomodo in Ecclesia petra, fundamentum, lapis angularis. 249. & seq.
Quomodo solus fundamentum, lux mundi, Pontifex, Episcopus, doctor & pastor animarum? 251.A.B. 260.A
Christi humanitas quomodo nos facit beatos? 397.D. & sequentib.
Quomodo necessarium semper est ad salutem, credere Christi humanitatem & eius incarnationem? 401. & seq. 409.B.C. 410.
Quomodo id necessarium est simplicioribus? 413.D. & seq.
Christus in Eucharistia adorandus. 416.B
Est proximus noster & magis diligẽdus quàm nosipsi. 742. B.C. eius dignitas. ibid.
Nullum præceptum nouum induxit præter ea, quæ spectant ad fidem Christianam. 808.A. 1428.C
Nulli homini subditus se Pilato iudicandum subiecit. 1375. B.C.D
Vt homo non fuit omnium dominus. 1375.B
Quomodo vnicus mediator, & tamen sancti mediatores. 1713.A.B.C

Chymici.

Quid sit de ipsis sentiendum. 1997.D. & seq.

Circumspectio.

Est pars integralis prudentiæ. 1062.D. 1074.C.D
Et animaduersio circumstantiarum rei. 1063.C. 1068.A
Ad rectum vsum prudentiæ necessaria est. 1068.A.B

Circumstantiæ.

Faciunt actiones humanas bonas vel malas. 1068.A

Ciuis.

Est pars ciuitatis. 1113.B. qualis.
Non potest reddere ciuitati æquale. 1116.B
Potest fieri pars alterius Reipub. vel nullius. 1113.B.C

Ciuitas.

Quid? 1000.C

Clementia.

Quid sit. 2156.C

Clericus.

Quis sit. 326.
Qui habet minores ordines, permittitur ad matrimonium. 566.C.D
Potest deponere officium & habitum. ibid. modò absit contemptus, aliàs erit apostata. 567.A
Tenetur Clericus detegere proditionem. 871.B
Irregularis propterea non est, licet mors accusati sequatur. 871.B
An clericis semper in bello parcendum? 976.
Quomodo licet eos spoliare? 977.C. 984.C
An & quibus illicitum bellare? 983.D. 984. 985. & seq.
Quomodo licet illis interesse bello, & milites hortari? 984. C.D
Illicitè pugnantes irregulares fiunt. 985.A.B. aliàs minimè. 985.C. 989. & seq.
Quo iure prohibeantur bellare. 985.D. & seq.
Diuino iure illicitum esse probatur. 987. 988. obiectiones soluuntur. 988.C.D
Clericum percutiens excommunicatur. 994.C
Percussio talis sacrilegium est. 1076.B
Clerici non recitantes horas canonicas, restituere debẽt fructus beneficij. 1218.A
Ludentes alea mortaliter peccant. 1234.D. & seq.
Prohibentur venari. 1310.A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si venentur, quantum peccatum committant. 1310.B
Non licet illis occidere. 1325.D.& seq.
Non est tamen peculiare ius diuinum hac de re. 1326.B
Clericus inuasus quomodo se gerere debeat. 1331.A
Si aliquem occidat, deponi & brachio seculari tradi debet. 1331.C
Superior verberans clericum subditum quam pœnam incurrat, & quomodo peccet. 1336.A
An clerici possint accusare, & quando 1391. *& seq. an etiã in causa sanguinis sine irregularitate.* 1392.
An & quando possint esse aduocati. 1334.A.B
Quomodo possint negotiari, quomodo non. 1527.A.B
Clerici vel ministri noui testamenti quot excellentiis differant à leuitis veteris legis. 1770.B.C.1771.A
Clericis in maioribus ordinibus constitutis statuto Ecclesiæ matrimonium inire prohibetur. 1832.C.D.& seq.
Clericorum status probatur. 2253.
Vtrum iure diuino sit institutus. 2253.D.2255.C

Columbarium.

Columbarij dominus restituere debet damna data à suis columbis. 1228.C
Quando liceat habere columbas. ibid. C.D

Concilium.

Quæ sint eius munia. 31.C
Cuius sit concilium conuocare. 280.D.287.D.361.D
Concilij Nicæni canones aliquot perierunt. 281.A
Concilia generalia approbant primatum Pontificis Romani. 281.& seq.
Concilium generale Septimum & Tridentinum approbat traditiones. 355.A
Concilium quid? 359.D.& seq.
Quotuplex. 360.
Generale quid. 360.A
Qui ad illud adhibeantur. 360.B
Prouinciale quid? 360.D. *Episcopale quid?* 360.D
Concilia generalia sine papæ auctoritate infallibilia non sunt, ea accedente sunt. 360.D.& seq.362.A.367.D. 361.A.363.B.C.D
Concilij nomine indignum est conciliabulum. 361.B
Concilia quatuor præcipua generalia à Pontificibus conuocata & confirmata sunt. 361.D
Concilium vniuersale non est suprà Pontificem. 363.A
Concilium Pontificis auctoritate confirmatum, Pontificis auctoritatem habet. 363.B
Quæ Concilia per Pontifices confirmata. 364.A
Aliqua prouincilia à Papa confirmata. 364.C. *Vnum Episcopale.*
Concilium omne sine Papa est ἀκέφαλον nec repræsentat perfectè totam Ecclesiam. 365.A
A concilio melius, quàm à solo Pontifice definiuntur fidei controuersiæ. 365.D.& seq.
Concilij Patres possunt dici Papæ consiliarij. 367.B. *sunt iudices.* 366.D.& seq.
Concilium in Spiritu sancto legitimè congregatum quid? 367.C
Concilia antiquitus nihil definiebant in controuersiis fidei, nisi accepto Papæ decreto. 367.D
Concilium Constantiense quomodo approbatum. 370.B
Concilio non renitendum. 373.B.D.517.D
Concilium Episcopale potest errare. 417.B
Concilium & Pontifex non definiunt, quæcunque dicunt. 314.D.& seq.477.A

Concio.

Concionari non omnibus competit. 2253.D

Concupiscentia.

Quomodo actus elicitus temperantiæ. 1118.A
Est etiam materia temperantiæ. ibid.
Est mala non tamen peccatum. 1318.A
Quomodo illi resistendum. 1335.A
Concupiscentia secundum hæreticos est peccatum. 146.B

Confessarius.

Peculiariter corripere tenetur pœnitentem. 862.D
An si monere negligat pœnitentem, vt restituat, ipse restituere teneatur. 1188.D.1189.A.B
Debet cogere eum, qui non habet legitimam causam aliena retinendi. 1263.A.B
Licitè absoluit pœnitentem secundum eius probabilem opinionem. 1307.B.C

Confessio.

Est actus exterior fidei. 427.A.C
Potest ad aliquam aliam virtutem pertinere. 427.B.C
Quomodo pertineat ad fortitudinem. 427.D.& seq.
Confessio fidei non omni sed aliquo tempore est necessaria. 429.A. *idque in duobus casibus.* B.C
Omissio eius quando contingat. 430.A.B
Confessionem fidei ad salutem necessariam negant hæretici. 428.B.C.433.B
Refutantur. 428.D

Confirmatio.

Confertur sæpè non vtenti ratione. 416.B
Secundum multos non est de necessitate. ibid.

Consanguineus.

Consanguinei quare & quo modo ac ordine magis diligendi. 754.B

Conscientia.

Conscientia bona spem præmij magnam dat. 602.A
Contrà mala. 602.B.606.A
In conscientia dubia parendum superiori. 967.D.& seq.

Consideratio.

Quare requiratur. 1074.C

Consilium.

Consilij donum pertinet ad vim intellectiuam. 491.D
Quale iudicium contineat. 492.A
Quomodo practicum? 492.B
Munus eius. 1072.A. *obiectum & vsus.* 1073.A
Est ex septem donis Spiritus sancti. 1072.A
Apte respondet virtuti prudentiæ. 1072.B.1073.A
Manet etiam in beatis. 1073.B
Consilij & præcepti quæ differentia. 2264.C

Consilium Euangelicum.

Non præcipitur. 1396.D.1790.A
Ferè continetur actibus heroicis. 1396.D
Negatiuè vel contrariè aliquid illi opponitur. 1802.B
Negatiuè oppositum potest esse materia voti. 1802.D
Opera consilij distinguuntur ab operibus præcepti. 1810.A

Iurans contra consilium diuinum quomodo peccet. 1887.A
An consilia alia præter sua vota Religiosi seruare teneantur. 2355.C
Consilia quando de meliore bono. 2263.C
Consilium & præceptum in Scriptura quomodo discernenda. 2262.C

Constantinus Imperator.

Iussit templa idolorum claudi. 528.B.530.C.533.C

Constantia.

Quid sit. 2138.A

Consultatio.

De quibus rebus sit. 1050.B
Longa sit. 1054.A
Est actus Eubuliæ. 1065.A.1074.B
Fit ratiocinando & quærendo. 1064.C.D
Est caput prudentis definitionis. 1067.C.D
Prudentiæ deseruit. 1073.A
Quomodo in Beatis. 1073.B
Quæ requirat. 1074.B

Contentio.

Quid sit. 930.C.D.& seq.
Est peccatum mortale. 930.d.& seq.
Vnde nascatur. 930.D. *Quot modis contingat.* 931.C

Continentia.

Quid sit. 2156.A

Contractus.

Contractus innominati qui? 1171.A.1475.D.1523.A
Contractus quid sit. 1472.A.B
Eius iustitia & iniustitia ex quo æstimanda. 1474.B 1646.B
Contractuum speciei variæ. 1474.B.C.D.1605.A.1170
Contractus quando perfectus & absolutus. 1498.C
Quando de incertis & futuris, iustus est. 1500.D
Quomodo nullus, quando vitium rei venditæ tacetur. 1514.A.B.1515.D
Contractus possunt simpliciter, vel mixti cum aliis fieri. 1594.& seq.1604.B.C
Ex parte contrahentiũ quot modis iniusti sint. 1646.B *vel inualidi.* 1647.B
Num semper iniusti, quib. res aliena venditur. 1648.A & sequent.

Contumelia.

Eius ratio in quo consistat. 1440.C.1442.A.1443.A.B. 1445.B.1449.A
Non differt specie à conuitio. 1441.C
Aduersatur iustitiæ commutatiuæ. 1441.C
Infert despectum auferentem honorem. 1442.C.1460.C
Absenti, præsenti, per se & per aliũ fieri potest. 1443.A. 1449.B
Ex illa oritur obligatio restituendi. 1443.D
Oritur maximè ex ira, stultitia & superbia. 1444.A. & sequent.
Fit communiter manifestè. 1460.C.D
Quomodo sit peccatum mortale. 1444.C
Vel veniale aut nullum. 1445.A.B
Verba contumeliæ in superioribus sæpe non sunt peccata. 1445.C.D
Contumelia sine intentione lædendi alterius honorem, potest peccatum esse mortale. 1446A
Quomodo patienter toleranda. 1446.D.& seq.
Quibus de causis repellenda. 1447.A
Tutissimum est ad illam tacere, vel moderatè respondere. 1447.C
Quomodo differat à detractione. 1448.B.& seq.
Quare grauius peccatum, quàm detractio. 1460.B.C. & seq.
Obiectum eius. 1460.C
Quomodo differat à derisione. 1465.C.& seq.
Contumelia Dei non distinguitur specie à blasphemia. 1467.A

Conuitium.

Quid sit. 1442.B
Quando mortale vel veniale. 1444.C.D
Conuitium mortale vel veniale potest esse sine contumelia. 1445.D
Vacat interdum culpa. 1445.D

Correctio.

Correctio fraterna quid? 836.A.837.A
Quomodo differat à correptione. 836.B
Est actus misericordiæ. 837.A.838.A.839.A.B.860.B. 863.D.880.
Quomodo actus externus, quomodo internus. 837.B
Elicitiuè & imperatiuè est à charitate. 838.A.& sequent.
Directiuè à prudentia. 838.B
Est sublenatiua alterius miseriæ, spiritualis maximè. 837.A.& seq.845.C.879.D.& seq.
Pertinet ad officium honestæ amicitiæ. 838.D
Quomodo differat à correctione iuridica. 839.A.844. 880.D.894.& seq.
Correctionẽ fraternam nõ esse necessariã, error. 839.D *Probatur.* 840.& seq.
Correctionis fraternæ obligatio quando. 844.& sequen. 852.A
Quot circumstantias requirat. 844.& seq.850.A.852
Finis eius quis? 845.A.879.D.& seq.866.868
Quibus modis & gradibus adhibenda. 847.D.850
Eius omissio quando peccatum. 850.& seq.
An & quando adhibenda ex malitia peccantis. 853.C
In dubio quando adhibenda. 854.D.& seq.
An adhibenda cum periculo vitæ vel grauis damni. 855.C.D.& seq.860.D
Correctio fraterna peccati venialis obligat sub veniali. 856.D.& seq.
Præceptum correctionis fraternæ an omnes obliget. 857. & seq. *quos maximè.* 860.& seq.
Peccator peccatorem quãdo & quomodo corrigere debeat. 858.B.D.& seq.
Correctio hæc in Prælatis paterna dici potest. 861.C.880
Superior ab inferiori an & quomodo possit corrigi fraternè. 863.C.D.& seq.
Correptio iuridica quorum sit, & in quos. 863.A.B
Correctio fraterna quo animo adhibenda. 865.C.D. *sine damno proximi.* 866.A.& seq.
Correctionis fraternæ generales quædam obseruationes. 865.C.D.& seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Particulares. 865.C.867.*& seq.*
Correctio fraterna cuius præcepti. 867.D.*& seq.*842
Modus præscriptus à Christo, quibus casibus non obseruandus. 870.C.D.*& seq.*
Quando seruandus. 878.*& seq.*
Tres gradus. 879.A
Prælatus in correctione fraterna est vt pater & index. 879
Delatum quomodo posit punire. 881
Correctio hæc non extenditur ad pœnas iuridicas. 881.D.*& seq.*
Si primus gradus profuerit, sistendum est. 883.889.B. *aliàs non.* 885.C.D
An à prima monitione ad Prælatũ, vt ad patrem procedi posit. 888.*& seq.*
Correctione fraterna nihil proficiente an & quando procedi posit ad correctionem iuridicam. 894.*& seq.*
Correctioni fraternæ opponitur scandalum actiuum formale. 1007.A
Eius officium. 1007.B

Crapula.

Quale peccatum. 2217.D.*& seq.*

Creditor.

Semper habet actionem contra mutuatarium, vel emptorem pro capitali. 1502.B.D
Subit periculum dando capitale. 1502.B.C.D
Propter quod periculum posit plus recipere. 1500.*& sequent.* 1505.B

Crudelitas.

Quid sit & quale peccatum. 2212.B

Curati.

An & quando fructus restituere teneantur. 2305.B.C
An teneantur residere. 2308.D

Curiositas.

Quid sit, quot modis fiat, et quale peccatum. 2214.A.*& sequent.*

Dæmon.

Dæmones an & quomodo credant. 455.C.D.472.D.*& sequent.*
Quare nõ habeant, & quomodo amiserint fidem Theologicam. 474
Quomodo posint diligi. 715.B.C
Quomodo decipiant homines per præstigia & somnia, &c. 1973.*& seq. fusè.*

Damnati.

An & qualem habeant fidem. 472.D.*& seq.*
Dãnati fideles quomodo ab infidelibus differãt. 474.D
Illorũ statui repugnat fides et spes. 474.D.605.C.606.C
Damnatorum & reproborum discrimen. 608.B
Quomodo diligendi. 715.B
Possunt aliquid à Deo petere, non autem orare. 1699.C

Debitum.

Aliud reale, aliud personale. 1268.B
Reale strictius obligat & prius restituendum. 1268.B.C.
Debita priuilegiata quæ. 1269.A
Quando & quomodo liceat debita minoris emere. 1489.D.1490.A.1503.1508.*et seq.*
Debita ex honestate & iustitia quæ? 1794.C

Decimæ.

Decimæ ex negotiatione & militia dandæ. 1585.D. 1773.B,C
Decimarum solutione subiiciuntur bona externa Deo. 1673.C
Dantur ad alendos ministros Dei. 1673.C.D
Decimarum solutio ex quibus virtutibus proueniat. 1673.C.D (B.C
Decimarum solutio quomodo posit tolli. 1766.C.1772.
Decimas deberi ministris Ecclesiæ est de fide. 1767.*& sequent.*
Decimas negantes aliena inuadunt. 1769.A
Excommunicantur vsq; ad restitutionem. 1769.A
Decimarum solutio cuius iuris sit. 1769.D
Ex decimis quo præcepto teneantur Ecclesiastici eleemosynas dare. 1770.D
Decimæ datæ Deo & nouem partes retentæ quid significent. 1771.B
Earum obligatio qualis & quanta. 1771.D.*& seq.*
Quot annorum præscriptione reddatur homo liber à solutione decimarum. 1773.A
Decimæ soluendæ ex omnibus rebus iustè partis. 1773.B.C.D.1774.C
Decimæ aliæ prædiales, aliæ personales, aliæ mixtæ. 1773.C.D
Personales non soluuntur vbique. 1773.D
Nec eodem modo, quo prædiales. 1773.D.*& seq.*
Solis Ecclesiæ ministris soluuntur. 1775.B
Prædiales Parochis territorij debentur. 1775.C
Si Parochus non sit, Episcopo. *ibid.*
Personales soluuntur Parochis, à quibus ij Sacramenta percipiunt, qui soluunt. 1775.D. *nisi consuetudo contraria sit.*
Decimæ quomodo posint cedere in vsus Laicorũ. 1775.1776.B.C.D.*et seq.*
Laici eo iure non percipiunt decimas, quo Ecclesiastici. 1778.A
Qui teneantur soluere decimas. 1778.B.1779.A.*& seq.*
Decimarum ius quale, & cuius iudicis. 1780.B

Deiectio, *vide Pusillanimitas.*

Delectatio.

Potest esse de beatitudine formali. 599.C
Habet pro obiecto Deum. 599.C.D
Differt à spe. 599.D
Quid sit *ibid.*
Quando differt à gaudio. 766.A
Est etiam brutorum. 766.A
Est actus charitatis. 922.A.B

Denunciatio.

Iudicialis quæ. 1386.A. *item fraterna.* 1385.B
Quomodo differant inter se et ab accusatione. 1386.A.B
Denunciationis fraternæ finis. 1386.B
In denunciatione fraterna ipse denuncians est loco vnius testis. 1400.D
Quæ crimina denunciatione fraterna, quæiuridica aperienda. 1418.C.1419.A. *Vide Accusatio.*

Depositum.

Quid sit. 1170.B. *Non trãsfert dominiũ.* 1171.A.1268.A.
Pertinet ad iustitiam commutatiuam. 1171.A
Quando & quo iure restituendum. 1268.A
Depositum pecuniæ apud nummularium dicitur cambium custodiæ. 1605.B.1610.A

Desiderium.

Circa quid versetur. 766.B
Non in hac, sed in altera vita habebit finem. 767.C

Desperatio.

Est peccatum in spiritum sanctum. 584.B.634.D
Abiicit diuinam misericordiam. 584.B.633.B.634.D.629.B.C
Sequitur iudicium falsum. 630.B.C.632.C.D.*& seq.*
Potest consistere cum fide. 631
Ex se peccatum mortale est. 633.B. *mater omnium aliorum. Non est maius odio Dei & infidelitate.*
Nascitur ex luxuria & acedia. 633.C
Per defectum spei opponitur. 634.C

Detractio.

In quo consistat. 1448.A.1449.A
Vt plurimum occultè famam ledit. 1448.B.1449.B. 1460.C.D
Quomodo differat à contumelia. 1448.B
Alia directa seu formalis est. 1450.A.B. *quæ quatuor modis fit.* 1450.B.C
Indirecta seu materialis alia, quæ tribus modis perpetratur. *ibid.*C
Detractio fit per positiuum actum, vel per reticentiam & omissionem. 1450.D
Directè diffamans alterum peccat contra iustitiam, & tenetur restituere, non aũt indirectè. 1450.D.*et seq.*
Peccat sæpè iudicio temeraria. 1451.A
Detractio formalis genere suo peccatum mortale est. 1451.C
Qui dicit verba, quæ diminuũt alterius famã, & tamen non intendit, sæpe omnino non peccat. 1451.D.*& seq.*
Detractio incauta potest esse veniale vel mortale. 1452.B
Detractio quomodo sit, si quis alterum diffamat in vno loco, qui in alio publica auctoritate diffamatus est. 1455.C.D
Quando sit peccatum in historicis principum peccata describentibus. 1458.A
Quando sit veniale vel mortale. 1458.A.B.C
Non est leuis materia crimẽ dicere vni cordato viro, similiter si quis dicat, se audiuisse hoc vel illud de altero. 1458.D.*& seq.*
Est tamen leuis, si quis aliquem diffamatũ in vna parte ciuitatis, diffamet in altera. 1459.A.B
Quomodo & quando leuius vel maius peccatum furto. 1460.B. *item contumelia.* 1460.C.D
Detractionis obiectum formale. 1460.C.D
Detractiones audiens & nõ obsistens quomodo & quare peccet. 1461.B.C
Quomodo detractioni resistendum, & cuius id sit. 1461.B.C.D
Detrahentem audiens quomodo aliquando plus peccet ipso detractore. 1461.D.*& seq.*
Superior audiens detrahentem & non corripiens ratione officij non excusatur. 1462.B.1463.A
Vbi detractio inducit graue periculum, obsistendum est sub mortali. 1463.B
Detractio & maledictio imperatiua aliquando æqualia peccata sunt, aliquando vnũ maius alio. 1471.C

Deuotio.

Definitur. 1674.A
Causa eius intrinseca et extrinseca quæ? 1674.B.C
Effectus. 1674.C

Deus.

Quomodo hominibus loquatur. 22.B. 29.C. 59.A.B. 139.D. 137.
An docere posit falsum. 52.*& seq.*
Contrarium probatur. 57.*et seq.*
Quænam possit Deus. 55.A.67.B
Quomodo nos doceat. 136.D. *et seq.* 168.C.D. 168.A
Deo soli videntur tributa, quæ principaliter illi tribuuntur. 139.140 (386.C
Deũ esse, et vnum esse ratione naturali cognosci potest.
Coniungimur illi quadrupliciter. 563.C
Est propriè et essentialiter sua charitas, iustitia, bonitas, &c.
Est ex charitate super omnia diligendus. 728.C.D.*& seq. quomodo.* 729.D.1020.*et seq.*
Vt est obiectum charitatis quot modis consideretur. 728.C.D.*& seq.*
Continet in se omnia bona. 728.D. *et seq.* 732.C.733.A
Se cognoscit et fruitur per essentiam suam. 729.D
Cur magis diligendus quam pater carnalis. 733.C
Quomodo diligendus ex toto corde, &c. 682.A.B.728.C. 730.A.761.A.B.1022.A.B.1024.D. 761.C
Solus seipsum tantum diligere potest, quantum est diligibilis. 761
Potest diligi propter se, licet simul diligatur propter mercedem vitæ æternæ. 761.D.*et seq.*
Quomodo posit esse obiectũ materiale odij. 898.*et seq.*
Quomodo apprehendatur vt malus. 901
Odit peccatores. 902.C
Esse diligendum ex præcepto probatur. 1020.*et seq.*
Vt vltimum finem summè appretiatiuè. 1021.C.*& seq.*
Dilectione supernaturali. 1023.C. *naturali.* 1023.C.D. *ex habitu charitatis & gratia.* 1024.A
Non potest in hac vita perfectè diligi. 1024.C.D
Quomodo in cœlo debeat remunerare merita hominum. 1273.C
Non est acceptator personarum. 1274.A
Habet potestatem faciendi supra et contra omnes particulares naturas rerum. 1320.A.B. 1339.D
Solus est vitæ humanæ dominus et non homo. 1345.C.D.*et seq.*
Quomodo solus orandus. 1700.D.*et seq.*
Non opus habet rebus nostris. 1756.A.1762.B.C.1796 C.1810.D

Deuteronomium.

Quare sic dictum. 316.B

Dialectica.

Quomodo pars potentialis prudentiæ. 1065.B.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratiocinatur ex probabilibus. 1065.B

Discordia.

Quid sit. 928.A
Est genere suo peccatum mortale. 928.A.929.C
Numeratur inter opera carnis. 928.A.B
Unde oriatur. 928.B
In malo bona est. 929.A.B
Opponitur speciali modo charitati. 930.A
Discordia in corde, seditio in opere. 1000.D

Discursus.

Quid secundum quosdam? 43.C.D.*& seq. quid propriè?* 49.50.A
Discursus Theologicus quomodo ab aliis differat. 50.D
Discursu non cognoscimus obiecta supernaturalia esse vera & infallibilia. 52.C
Non est in omni ordine assensuum priorum et posteriorum. 50.A.B

Disputatio & disputare.

De fide publicè disputare ob bonum finem licet. 517.B. C.D.*& seq. aliàs non.*
Cum hæreticis quomodo & quando inutilis disputatio. 513.D
Quot modis ex conditione disputantis illicita sit. 519.A. *item ex conditione auditorum.* 519.*& seq.*
Si est vtilis, non omittitur sine culpa. 520.C
Cum ministris hæreticorum plerumq; inutilis est. 521.A

Diuitiæ.

Quomodo legitimè à diuitibus seruantur? 819.C.D
Superfluæ dandæ pauperibus. 816.*& seq.*
Sunt aliena bona. 817.818.A

Diuinatio.

Quid sit. 1971.A
Quotuplex. 1972.C
Diuinatio per sortes. 1976.B
Unde dignoscenda superstitiosa diuinatio. 1976.D
Astrologi nonnulla possunt probabiliter diuinare ex garritu auium, stellis, &c. 1978.D
Quando diuinatio sit venialis vel mortalis. 1983.B
Diuinatio per Pythones. 1975.B
Diuinationis, qua expressè inuocatur dæmon, nouem genera. 1973.D.*& seq.*
Qua tacitè, duæ species subalternæ. 1975.D.*& seq.*

Docilitas.

Quid sit. 1062.D
Est pars integralis prudentiæ. 1062.D
Necessaria ad prudentiam. 1067.A.B. *ad consultationem.* 1074.B

Dolus.

Quid sit. 1077.B.1078.C
Accipitur in bonam partem. 1078.C.D
Differt ab astutia. 1079.C.D
Origo eius. 1079.D

Dominium.

Dominium & seruitus quo iure instituta. 540.D. 542. C.1147.C
Dominium rerum non amittitur infidelitate vel quouis peccato. 536.C.1147.1355.*& seq.*
Dominium infidelium in fideles de nouo non concedendum. 542.B.C
Dominiũ & seruitus non impediunt amicitiã. 668.A.B
Perduelles dominium rerum amittunt. 828.C.D
Dominiũ rei sæpe trãsfertur per actus illicitos. 1236.A.B
Differt à nuda possessione. 1336.B
Definitur variè. 1337.B.*& seq.* 1537.C
Dominium Dei perfectius quàm hominum. 1339.C.D
Non conuenit brutis dominium. 1339.D
Aliud alio perfectius est. 1340.C
Dominium quomodo habeant pupilli. 1341.A
Dominium rerum vsu consumptibilium an Minoritis conueniat. 1341.*& seq.*
Dominium rei vsu consumptibilis quomodo differt ab vsu? 1341.C.1343.A.*& seq.*
Dominium rerum quomodo conueniat Religiosis. 1343. C.D.1350.B. *Item Ecclesiasticis.* 1349.C.D.*& seq.*
Dominium rei quandoq; apud nullum est. 1344.D
Dominium rei quæ datur, quid requirat. 1344.D
Dominium vitæ nostræ cuius sit. 1345.C.*& seq.*
In dominium humanum quæ non cadant. 1346.A. *vide Homo.*
Origo & fundamentum dominij humani. 1346.A.1354. C.1356.A
Dominium commune rerum externarum est licitum. 1348.A.B
Dominium proprium ante aduentum Christi ferè ab omnibus fuit receptum. 1349.A
Dominium rerum refertur ad vsum. 1351.A
Dominium proprium quando ceperit, & num Ada peccatum illius causa fuerit. 1351.C
Quo iure iam acquiratur rerum dominium. 1352.A.B
Dominium rerum vel personarum non conuenit villis Principibus, sed tantùm iurisdictio. 1352.C
Post diuisionẽ rerum quædam adhuc communia sunt. 1352.D
Dominium rerum quot modis acquiratur. 1353
Inuenta quæ nullum habuerunt dominum, cuius sint. 1353.B.C
Quæ habuerunt dominum, cui danda. 1353.D.*& seq.*
Dominij translatio quid & quot modis fiat. 1354.C
Quot requirat conditiones. 1356.D.*& seq.*
Dominij translationem circa subditos Princeps impedire potest. 1358.A
Dominiũ transfertur etiam per actionem malã. 1487.C
Potest apud vnum esse dominium, periculum apud alterum. 1361.A.B
Quid dominium plenum? 1654.C.D

Dominus.

Potest seruum suum verberare non mutilare. 1335.C

Donatio.

Non debet esse extorta, sed planè voluntaria. 829.C
Coacta iure naturæ nulla est. 1211.C.D
Donatio conditionata quando valeat. 1236.A

Donum.

Donum intellectus. vide Intellectus. 489.D.*& seq.*
Varia dona. 491.D.*& seq.*
Sunt connexa cum charitate. 625.D
Septem dona spiritus sancti. 652.B.1034
Cæteris rebus omnibus anteferuntur. 660.B.1042.A

Donum charitatis et gratiæ quantum. 660.B
Quomodo amittatur. 660.B
A quo infundatur. 678.*& seq.*
Dona Spiritus sancti sunt in solis iustis. 1036.A
Ratione horum mens humana à Spiritu sancto mouetur. 1072.B

Dubitatio & dubitare.

Dubitatio quid? 1154.C.1213.D
Sine prudenti iudicio circa proximum potest esse veniale vel mortale. 1154.C.D
Cum rationabili causa nullum omnino. 1155.A
Ex dubitatione non mutanda opinio prius de alio habita. 1155.C.D
Quando licita. 1155.D. *quando deponenda.* 1156.B
Quando licet in malam partem interpretari? 1156.D
In dubio per malam opinionem indignè contemnitur proximus. 1157.A

Duellum.

Quid sit. 995.A
Iure naturæ in quibus casibus licitum. 995.C.*& seq.*
Quomodo et quando bellum ad duellum reuocandum. 997.C.D.*et seq.*
Quomodo cum honore recusandum. 998.B
Non licet ingredi ad manifestandam veritatem, finiendas lites, vires ostentandas, etc. 998.B.*et seq.*
Dauidis duellum quomodo excusetur. 997.A.999.B
Spectaculi vel voluptatis causa non est licitum. 999.C
Nec ad vitam defendendam, si possit aliter conseruari. 999.D
Duello cooperantes quantoperè peccent. 1000.A
Eius spectatores etiam excommunicantur. ibid.
Quando possit à Principibus permitti. 1000.A

Dulia.

Quænam et qualis virtus sit. 2092.A.B.C
Hyperdulia. ibid.

Durities siue rusticitas.

Quid sit. 2215.A

Ebrietas.

Quale peccatum. 2211.A.*et seq.* 2216.A
Facinora in ebrietate commissa quatenus imputẽtur ad culpam. 2222.B (2223.C
Inducere alterum ad inebriandum se quale peccatum.

Ecclesiastici.

Magis ad eleemosynam tenentur, quàm Laici. 809.D. 2316.B
Sunt in perfectiori statu. ibi.
Sunt dispensatores non suorũ bonorũ, sed Christi. 809.D
Utrum possint habere dominium rerum. 2311
An bonorum Ecclesiasticorum. 2313. *quorum et quorum non.* ibid.
An sint domini redditnum superfluorum. 2317.B

Ecclesia.

Est cœtus omnium fidelium. 30.C.D.113.A.B.156.D. 169.C.170.B.D.*et seq.* 185.A.192.A.200.D
Eius propositio necessaria ad fidem. 30.B.C.D.39.A
Residet auctoritas illius in Papa. 30.C
Ecclesiæ nomine intelligitur Papa. 30.D.237.C.D.*et seq.*
Proponere debet, quæ credenda sunt. 32.C.33.A.123.A. 127.D. *Probatur.* 33.B.C.*et seq.*
Eius vnitas quàm mordicus tenenda. 34
Ecclesiæ iubenti creditur, si non iubet, nec Euãgeliis creditur. 34.C
Ecclesiæ propositio differt ab aliis motiuis fidei. 39.A
Vera Ecclesia nos certos facit de veritate miraculorum. 99.B
Relicta est à Christo non occulta sed manifesta. 115.C
Nominatur ab inimicis suis Catholica. 117.A
Non potest aliquid noui et Apostolis incognitum inducere. 128.A.C.129.B.308.C.309.A
Declarat antiquas fidei veritates. 128.C.D.129.C
Est candelabrum, super quo lucerna verbi diuini lucet. 151.D.*& seq.* 221.B
Ecclesia quænam vera. 169.C.D.*et seq.*
Eius notio. 170.D
Vsurpatur in bonã et malam partẽ. 170.D.*et seq.*
Quædam notanda circa illam. 171.B
Quid sit latè sumpta. 171.C. *Quid strictè.* 172.D
Alia est militans, alia expians, alia triumphans. 293.C 171.D.*et seq.*
A quibus originem sumat. 172.A.B.C
Quomodo differat ab Ecclesia veteris legis. 173.A
Bonos et malos continet. 174.D.*et seq.*
Eius sunt octo proprietates. 177.*et seq.*
Vnitas tribus continetur. 177.D
Quomodo plures Ecclesiæ. 178.B.272.C
Ecclesia habet vnitatem fidei, et modum eius retinendæ. 178.B.C.210.D.211.212
Alia proprietas est, vt sit sancta. 179.180.A.B. *Firma.* 179.D. *Catholica.* 180.C.D.*et seq. cur sic dicta. ibid.*
Duratura est vsq; ad finem mundi. 180.D.181
Vbi fuerit omnib. Apostolis scandalũ patientib. 181.C.D
Est Apostolica. 182.C.D. *ordinata.* 183. *visibilis.* 184.*et seq.* 235.D.*et seq. quomodo.* 184.d.*et seq.*
Designatur nomine Sionis et Hierusalem. 187.C
Non est semper æquè conspicua. 187.D
Potest nullo modo à veritate errare. 188.C.D.*et seq.* 210. A. 297.B.304.A.B.306.B.374.D. 375.A
Eius essentia in veritate fidei consistit. 188.C.200.D.*et seq.* 207.A.208.B.C
Nomine Ecclesiæ intelliguntur Prælati. 190.B
Est alia eius proprietas, quòd extra eam non sit salus. 191.D.192.A.B.201.A.B.210.A
Est corpus Christi. 192.A
Examinat controuersias fidei. 204.D.205.206
Probatur solam Romanam esse veram. 210.C.D. *Vnã.* 210.D.211.212.270.C. *Solam Catholicam.* 212.D.*et seq.* 213.*et seq. Apostolicã.* 217.C.D.*et seq. Ordinatam.* 225.*et seq.*
Ecclesiam Catholicam esse quid sit. 215.C (*et seq.*
Ecclesia, nemine aduertẽte, an deficere possit. 219.220.
Quomodo assimiletur corpori, regno, domui, naui, ciuitati in monte posita. 183.C.221.B.C.234.D.235.B.C. 242.A.B.C.271.A
Ecclesia et Spiritus Dei non possunt separari. 222.B. 236.C
Constat pastoribus et ouibus. 225.D
Eius potestas significatur per claues. 246.C.D.*et seq.*
Quod Ecclesia tota tenetur recipere, est infallibiter à spiritu sancto. 303.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

In libris Canonicis determinandis Dei spiritu ducitur. 322.A.325.C.D (A.B
Ecclesia & scriptor canonicus quomodo differant. 327.
Ipsiusne an Scripturæ maior auctoritas? 307.A.B. *vtra antiquior.* 346.B
Auctoritas Ecclesiæ à Spiritu sancto. 336.C
Ecclesia nunquam antiquanda. 339.A
Commendat publica auctoritate traditiones. 344.B
Quomodo & quando habeat potestatem deponendi vel eligendi Papam. 369.C.D
Eius præcepta quomodo fide tenenda. 416.C
Ecclesiæ propositio non viget apud eum, qui deliberatè dubitat in fide. 504.C.D
Ecclesia primitiua non affecit pœna temporali hæreticos. 558.D
Ecclesia actus purè mentales non punit. 562.D. *Quomodo circa illos aliquid posit.* 563.A.1735.C.D.& *seq.*
Occulta quomodo iudicet. 1735.D.1736.A
Tres status in Ecclesia probantur. 2252.& *seq.*

Ecclesia materialis.

Quæ in bello vi defenditur, iure vi expugnatur. 977.C.
Quis finis Ecclesiæ materialis. 1751.D.& *seq.* (D
Ecclesias ædificare pium opus est. 1752.B.C
Etiam olim consecrabantur. *ibid.*

Electio.

Quomodo differat ab intentione. 717.D.& *seq.*

Eleemosyna.

Quid sit, & vnde dicta. 786.A
Qualis actus misericordiæ. 786.A.811.C
Eleemosyna à sibiipsi quis subuenit? 786.A.799.D.801.D.807.B
Definitur propriè. 786.C
Materialiter sumpta est tantùm virtus moralis. 787.A
Non est immediatè actus charitatis. 787.B. 805.A. 787.B.838.A. *Sed pœnitentiæ.* 788.A.789.A.794.D
Eleemosynæ quot spirituales, quot corporales. 790.A.B. 790.C.D
Vtilitates cõmunes Eleemosynæ cũ aliis virtutib. 794.D
Est opus satisfactorium. 788.A.789.A.794.D
Eleemosynæ spirituales præstantiores corporalib. 795.A
Vtilitates propriæ eleemosynæ. 795.B.C.D.& *seq.*
Eleemosyna valeatne sola ad vitam æternã. 797.787.& *seq.*
Aliquando danda sub peccato mortali. 804.& *seq.*
Eleemosynæ præceptum quot & quibus casibus non obliget. 805.D.& *seq.*
Quando facienda ex necessariis ad statum. 807.C.D.& *seq.* 1436.A. *Vel ad vitam.* 809.C
Præceptum eleemosynæ magis obligat Ecclesiasticos, quàm Laicos. 809.D.2316.B
Eleemosyna non data, nisi debeatur ex iustitia, non obligat ad restitutionem. 810.B.C.1296.D.1368.C
Non sufficit mutuum loco illius, sed gratuitò debet dari. 811.& *seq.* 827.A
Quis eius finis. 812.B
An quis non teneatur eleemosynam dare, nisi in extrema proximi necessitate. 813.D.& *seq.*
Dandane aliquando, & quanta ex necessariis ad statum in graui proximi necessitate. 822.& *seq.*
Quæ moderatio seruanda in danda eleemosyna. 825.D. *et sequent.*
Num & quando peccetur, dum datur superflue. 826.B
Vtrum possit fieri ex alienis, & quando. 827.A.B.C
Quando de communibus? 827.D.& *seq.*
Ex quibus propriis non? 828.B
Qui non possint facere eleemosynam. 828.C.833
Ex rebus turpiter acquisitis quomodo & quando non liceat facere. 830.B.C.& *seq.*
Quibus tribuenda sit eleemosyna. 834.835
Eius præceptum obligat extra necessitatem extremam. 853.D
Eius obligatio oritur non ex iustitia sed ex charitate & misericordia. 1368.C
Propter eius omissionem nihil restituendum. 1296.D. 1368.C

Emptio.

Quid sit. 1170.A.1473.& *seq.*
Eius genus & differentia. 1472.& *seq.*
Quando iusta vel iniusta. 1478.A.1512.1478
Empta res voci præconis subiecta vili precio excusantur. 1478.D
Emptionis & venditionis finis quis? 1484
Emere debita minoris qua ratione & quando liceat. 1490.A.B.C. *Vide Venditio.*
Emere res minoris, quàm in præsenti valeant, anticipata solutione, quomodo non liceat. 1510.C.D.& *sequent.*
An licitum sit rem emere vt defectuosam minori precio, quam tamen emptor cognoscat non defectuosam. 1512.C
An teneatur restituere. *ibid.*
Emptor dissimulans rei valorem contra iustitiam peccat, si emit minoris æquo à venditore ignorante. 1524.C
Potest tamen licitè emere agrum in quo latet thesaurus, quem nescit venditor. 1525.A

Encratitæ.

Encratitæ siue Taciani à carnibus tanquam immundis abstinendum esse docuerunt. 2167.D. *et sequent.*

Enoch.

Quomodo aduentum Christi explicitè cognouerit. 402.C

Episcopatus.

Vtrum liceat Episcopatum expetere. 2281.C.& *sequent.*
Vtrum iniunctum Episcopatum liceat recusare. 2287.
Quis habet potestatem imponendi Episcopatum. 2287.C.2292.B
Per electionem quid iuris quis acquirat. 2287.D
Postulatio quid? 2287.C
An, qui moraliter putat futurum, vt sæpe peccet in Episcopatu, possit iniunctum suscipere. 2293.D
An Episcopatum susceptum liceat relinquere. 2297.B
In quibus peccet quis mortaliter Episcopatum resignãdo. 2291.D
Quando peccet non renunciando Episcopatui. 2298.D

Episcopus.

Eius prærogatiua super alios presbyteros. 234. *item officium & status.* 2255.C.2257.C
Episcopi sunt Apostolorum successores. 253.A
Quomodo æquales, quomodo subiecti Papæ? 265.C.D. 281. *et seq.*
Episcopi Africani implorant auctoritatem Romani Pontificis. 281.C.D.282.A.B.286.A
Episcopi debent explicitè plura scire et credere, quàm populus. 399.D
Debent defendere fidem contra hæreticos. *ibid.*
Quanta eorum perfectio & charitas esse debeat. 681.D
Maximè debent esse eleemosynarij et patres pauperum. 809.D.& *seq.*
Vitam ponere pro ouibus. 810.A
Auctoritatem habent in reges et principes. 1141.D
Episcopo an à sua Ecclesia abesse liceat. 2300
In quibus casibus? 2301
Episcopus quando fructus restituere teneatur. 2305.B.C
In quatuor causis possunt transferre bona obnoxia restitutioni in vsus pauperum. 1266.A.B
Possunt prohibere confessarios ne tales personas sine suo consilio absoluant. 1266.B
Debent eligi ex personis eiusdem Ecclesiæ. 1280.D
In electione ipsorum meritò sæpe habetur ratio nobilitatis & potentiæ. 1281.A
Non debent à grege suo transire ad alium. 1282.B.C
Possunt iustè pensiones Ecclesiis imponere. 1282.D
Vnus potest habere duos Episcopatus. 1284.D
Vi deponatur quot testes requirantur. 1427.C
Episcopi & Religiosi sunt in statu perfectionis. 2267. *argumenta grauia soluuntur.* 2268
Vnde Episcopi obligentur ad perfectionem. 2268.C
Status Episcoporum sitne perfectior statu Religiosorum. 2270.C.D
Episcopi quomodo Magistri perfectionis. 2272.C.D
Qualis debeat esse creandus Episcopus. 2277
Quæ integritas ab eo requiratur. 2279.C
Quæ scientia. D. *quæ constantia & animi magnitudo.* 2281.A
Episcopus non confirmatus functiones sui muneris exercere non potest. 2288.B
Consensus Metropolitani an ad Episcopum confirmandum requiratur. 2288.C.D
Laicus nullus habet potestatem confirmandi Episcopũ. 2289.D. *hæretici refelluntur.* *ibid.*
Episcopus nõ potest sibi designare successorem. 2291.C
Ad consecrandum Episcopum tres Episcopi requiruntur. 2292.B
Quo iure teneantur Episcopi residere. 2306.B
An habeant dominium rerum. 2311
Item vtrũ sint domini bonorũ Ecclesiasticorum. 2313.B
Quorum, & quorum non. *ibid.*
Religiosi facti Episcopi vtrum soluantur à regularũ obseruantia. 2323. *vel paupertate.* 2325.B

Erasmus.

Negat Symbolum Apostolicum. 121.A
Scriptores Canonicos in minoribus posse errare asserit. 331.B
Malè interpretatur definitionem fidei, quæ habetur ad Hebr. XI. 442.B
Damnat bella Christianorum. 952.C.957.D.958.D
Dubius fuit vtrum restitutio facienda sit. 1176.A
Improbat vsum soluendi decimas. 1767.B. & *obligationem votorum.* 1817.C.1873.C

Ethnici.

Quomodo seducti ad idololatriam. 89.C.D
Aliquando subitò conuertuntur. 120.A
Putabant hominem in quanis fide saluari posse. 418.B
Gentilis vel Ethnicus quis. 515.A.516.C

Eubulia.

Quid sit. 1365.A. 1070.C
Est pars potentialis prudentiæ. 1065.A
Eius actus. 1065.A.1070.1074.B
Differt à prudentia, gnome, & synesi. A.B
Eius species. 1071.B.C

Eucharistia.

Verè et substantialiter continet Christum. 416.B
Olim dicta Charitas. 648.B
Petitur in oratione Dominica, petitione quarta. 1692.D.& *seq.*
In cultu eius non committitur idololatria. 1946.D

Euidens.

Quid dicatur. 68.B
Euidentia & fides an de eodem simul esse possint. 68.C. 77.& *seq.*
Euidentia & ineuidentia quomodo mutuò opponantur. 81.C
Euidens iudicium ad vnum habitum elicitiuè, ad alterum impulsiuè pertinet. 119.B
Euidentia in quo consistat. 472.B

Eustachius Hæreticus.

Negauit inuocationem Sanctorum. 1701.D
Censuit non esse orandum in domibus coniugatorum. 1725.D
Ecclesias & earum dedicationem neglexit. 1752.D
Cibos carnium illicitos esse docuit. 2182.D.& *seq.*

Eutrapelia.

Aliquando excusat à culpa conuitij. 1445.D.& *seq.*
Item à vitio derisionis. 1467.B
Quid sit. 2159.A

Excommunicatio & excommunicatus.

Excõmunicati an sint Ecclesiæ membra. 173.B.176.D
Clauditur illis cælum. 246.D
Excõmunicatio nulla locorũ distantia impeditur. 272.A
Quando & qua ratione excommunicetur laicus præsumens disputare cum hæreticis. 519.B.C.D
Cum excommunicatis non agendum. 522.A.B.571.D. 575.B
Necessitas & multitudo excusat. 522.C
Excommunicatio pœna hæreticorum. 554.D.560.D. & *sequent.*
Excommunicatus princeps priuatur iure imperandi. 575.B.C.D.1261.C
Nec populus illi tenetur obedire. 575.C.& *seq.*
Excommunicatus in quibus casibus vitandus. 576.A.B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Excommunicatio maior quomodo ob quamcunq; causam priuat principes sua auctoritate. 576. C
Excommunicati alij amittunt auctoritatem, alij non. 576. C. D
Excommunicatio omnis iuris humani. 882. B
Extendit se tantùm ad subditos. 944. A
Non semper incurritur propter percussionem Clerici. 989. D. 994. C
Nec nisi præcedat peccatum mortale. ibid.
Spectatores duellorum excommunicantur. 1000. A
Excommunicandi nonnunquam sunt, qui restituere nolunt. 1177. D
Excommunicati, qui vendunt arma Saracenis, non sunt absoluẽdi, nisi acquisita dent in subsidium terræ sanctæ. 1221. D
Excõmunicatio non impedit debitũ coniugale. 1261. C
Nec incurritur nisi cum peccato mortali sit coniuncta contumacia. 1401. D

Experientia.

Valet plurimum ad prudentiam acquirendam. 1060. & seq. 1067. B
In quibus sit. 1060. D. & seq.
Potest suppleri per bona exempla. 1060. D. & seq.
Eius munus. 1061. C
Pendet multùm à memoria. 1062. B. 1065. D

Extrema Vnctio.

Potest suscipi à non vtentibus ratione. 416. B
Secundùm multos non est necessaria ad salutem. ibid.

Falsum.

Pugnat directè cum prima veritate. 51. D
An Deus illud docere possit. 52. vide Deus.

Fama.

Fama proximi solicitè custodienda. 848. & sequent. 866. 883
Fama propria sub pœna mortalis peccati defendenda. 849. C
Fama proximi quomodo & quando possit negligi. 870. & seq.
Sitne quis Dominus propriæ famæ, an custos. 873. B. 875. B. 884. B. 1454
Quomodo quis eam possit negligere. 873. B. C. 874. & seq. 884. A. 1453. C. D
Famam lædere apud superiorem grauius, quàm apud socium. 890. D. & seq. 893. A. B
Quæ conditiones requisitæ, vt restituenda sit? 1201. B. C
Læditur variis modis. 1201. D. & seq.
Est inæstimabilis precij comparata cum bonis fortunæ. 1256. B. C. & seq.
Quomodo pecunia compensanda? 1257. C
Est maximum bonum priuatæ personæ. 1420. C. *externum & maximè necessarium.* 1453. A
Læditur inquisitione. 1420. C. & detractione. 1448. & seq. 1460. C. D
Est stimulus ad virtutem. 1453. A. 1456. A. D
Fama bona ordinatur ad amicitias conciliandas. 1464. C

Festum vel festus dies.

Festa quomodo sufficienter celebrentur. 1029. D
Festorum dierum celebratio est Deo grata. 1712. A. B

Fideles.

Qui sint. 464. D
Eorum tres status. 234
Fidelium consensus communis in definitionibus fidei recipiendus. 379. C. D
Fidelium ab infidelibus distinctio secundùm legem gratiæ. 542. C

Fidelitas.

Eius actus. 1811. C
Supponit factam promissionem. ibid.
Violare votum aut promissionem est contra fidelitatem. 1811. D. 1818. D. & seq.
Fidelitas erga Deum: quænam? 1819. B

Fides.

Varia significata fidei. 5. B. 6. 7. 8. 9
Quomodo sit virtus voluntatis. 6. B
Quomodo in Deo. ibid.
De qua fide hoc loco agatur. 7. D. 8. D. 9. A. C. D
Quæ distinguatur à fiducia. 7. D. 10. B. C
Definitur à Theologis. 8. D. & seq. 21. D. 445. A
A Paulo Apostolo. 9. A. 134. C. 388. D. 389. D. 392. C. 441. & seq.
Non est fiducia propriè. 10. B. C. & seq. 451. D
Fides miraculorum. 9. D. 451. C. D
In fidei obiecto quot obseruanda? 14. 15
Est habitus inevidens. 8. D. 9. C. 14. B
Eius causa obscura. 15. B
Formale obiectum quod sit. 16. & seq.
Fidei summa. 17. C. D
Eius formale obiectum quo. 19. & seq.
Ratio formalis obiecti fidei quæ? 22. C. 23. D. 26. A
Ex quo confletur. 22. C. D
Assensus fidei quot requirat. 23. B. D
Fidei resolutio sit tandem in primam veritatem. 25. C
Ad acceptandam fidem an & quibus motiuis opus sit. 35. B. C. D. 99. B. 36. A. B
Fides infusa requirit etiam fidem acquisitam. 36. A
Diuersi diuersis motiuis indigent. 36. D. & seq.
Fides acquisita qualis, & ad quid vtilis. 38. A. C. D
Fidei resolutio quæ. 39. 40
Obiectum eius quomodo incomplexum. 41. C. 47. A
Quomodo complexum. 41. D. 42. A. 47. A
Quarum rerum sit fides. 41. C. D
Fides quomodo inclinet in suum assensum. 42. C. D. 43. 45. B
Mediante discursu non elicit assensus suos. 45. A. D
Fidei & Theologiæ discrimen. 28. A. 45. A
Assensus fidei infusa quàm certi. 46. A. D. 49. D. 79. C. 464. C. D. & seq.
Fidei habitus quomodo prius & principalius feratur in obiectum incomplexum. 47. A
Quomodo assensus fidei acquisitæ præcedat assensum fidei infusæ. 45. D. 49. C. D
Fidei non potest subesse falsum. 51. C. D
Fides virtus intellectualis. 52. B
Eius obiectum an sit euidens. 68. B. C. D. & seq.

Fides & euidentia an in eodem de eodem simul esse possint. 68. C 76. & seq. 470. D. 472. A
Fidei obiectum secundùm sectarios. 16. A. B
Fides liberè acceptanda est. 71. D
Eius assensus quomodo differat ab assensu scientiæ. 74. C
Fidem posse esse informem probatur. 74. D
Non habere meritum, vbi ratio humana præbet experimentum. 69. B. 76. C. 425. C
Fide credi, & euidẽter cognosci possitne idem secundùm idem. 77. B. & seq. probatur. 78. & seq.
Fides humana & opinio quomodo differant. 82. A
Fidei credibilitas an sit euidens. 82. D. & seq.
Euidentem esse probatur 19. argumentis, refutatis omnibus contrariis. 85. & seq.
Fides nihil contra, multa supra rationem docet. 108. C
Fides Christiana sola digna est, cui prudentes credant. 118. A. B
Fidei præceptum cur iure impositum? 118. C
Eius motiua assentiri non cogunt. 118. D
Fidei credibilitas quomodo debeat cognosci, vt quis prudenter assentiri possit. 119. D. & seq.
Num quacunq; fides sufficiat ad salutem. 418. A. & seq.
Omniane fidei dogmata scriptis mandata sint. 341. & sequent.
Fides antiquorũ Patrum et nostra quomodo vna. 124. A
Fidei mysteria non fuerunt notiora iis, qui viciniores Christo extiterunt. 124. D. & seq.
Fides est quædam obedientia. 134. D. 135. A. 168. B. C
Vita Spiritualis imperfecta. 176. C
Fidei veritates ad salutẽ creduntur bifariam. 152. D. 153
Fidei veritas ad substantiã Ecclesiæ pertinet. 188. 200. D
Fide credenda quædam naturalia, quædam supernaturalia sunt. 386. C. D
Fides quomodo necessaria ad primam salutem quomodo ad vltimam? 387. A. & seq.
Est fundamentum salutis & iustificationis. 387. B. C. 388. A. D. 403. A. B. 412. 443. B. 487. C. & seq.
Nulla ignorantia etiam inuincibilis excusat. 386. D. 390. C. D. & seq.
Fides implicita Christi est necessaria ad primam & secundam salutem. 390. D
Fides implicita Christi quæ & qualis? ibid.
Quanta et qualis necessitas fidei ad salutẽ sit. 394. A. B. C
Quædam naturalia sunt fide tenenda necessitate medij & præcepti. 395. A
Fides implicita et explicita quid? 396. B
Quænam & quomodo necessariò explicitè credenda. 397
Fides implicita in multis articulis populo sufficit. 398. B. C. D
Quando in populo requiratur fides explicita. 400. C. D
Fides explicita Christi ante & post aduentum eius quomodo ad salutem necessaria? 401. C. & seq.
Quomodo post promulgationem euangelij? 403. & seq.
Fides implicita Christi ante aduentum eius semper fuit necessaria ad salutem necessitate medij. 408. D & sequent.
Quomodo necessitate præcepti? 410. & seq.
Populo sæpe sufficit implicita, vbi Doctoribus explicita necessaria est. 410. 411
Fide explicitè tenenda summa doctrinæ Euangelicæ. 411. D. 412. D
Fides explicita de Trinitate eodem modo sicut de incarnatione habenda est. 414. et seq.
Fide quomodo tenenda omnia Sacramenta, oratio Dominica, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ? 416. A. B. C
Fidei assensus supernaturalis non potest rei falsæ adhiberi. 417. B
Fides Christiana vbique vna. 418
An sola fides apprehendat gratiam. 673. B
Fidei motiua non pariunt assensus necessarios. 423. D. & sequent.
Eius meritum quomodo augetur vel minuitur? 424. A. D. 425. A. B. 426
Fidem veram celare aliquando licet, negare vel falsam simulare nunquam. 433. C. D. & seq.
Fidei definitio ad Hebræos qualis? 443. C. D. 445. A
Fides quomodo distinguatur à spe. 444. B. C. D
Malè definitur ab hæreticis. 445. C. D
Fidei subiectum quod? 446. & seq.
Est habitus eminenter practicus & speculatiuus. 446. B
Fidei assensus procedit ab intellectu ex motione voluntatis. 446. C. 456. D
Quem habitum in voluntate requirat. 446. D
Fides sine charitate esse, prodesse non potest. 383. D. 447. A. 451. & seq.
A charitate tanquam à forma perficitur. 447. D. & seq.
Fidei formatæ et informis distinctio. 449. C. D. & seq.
Fides radix fiduciæ. 451. D

Fidei actus interiores.

Scire, intelligere, et credere. 10. C. 381. & seq.
Credere quid? 10. C. 12. A. C. 381. et seq.
Fidei actus implicitus & explicitus quomodo differant. 123. C. D. & seq.
Credere Deum, Deo, in Deum quid? 383. B. C. D. 179. A. 202. D. 384. A. B
Quomodo iusti tantùm, & quomodo etiam peccatores in Deum credere dicantur. 384. D. et seq.
Credere Deum an sit infidelium. 385. B. C. D
Actus fidei supernaturalis ex parte principij, medij & obiecti semper fuit necessarius ad salutem. 386. C. D. 389. C. D
Actus fidei interioris quando obliget. 416. D. & seq.
Est meritorius. 423. D. et seq.
An solus actus internus fidei sit actus virtutis fidei, an verò etiã externus, et quomodo. 425. A. D. 426. A. D. et sequent.
Exterior fidei confessio. 427. A
Actus fidei quomodo idẽ specie cum charitate. 448. D. et seq.
Actus fidei informis quomodo perfectus. 456. D
Actus fidei debet esse voluntarius. 429. D
Fides est virtus intellectiua. 443. B. 444. B. 459. C
Fides informis in hominibus et dæmonibus quomodo differat. 455. C. D. 472. D. et seq.
Fides formata vera virtus est, informis improprie. 456. C. D. 457. B. C. D
Informis quomodo faciat actum perfectum. 456. D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est virtus secundùm essentiam. 458. B. 459. B. C
Vnica specie. 460
Quomodo prior, quomodo posterior reliquis virtutibus. 461. C. 462
Quomodo omnia materialia obiecta fidei ad Deum referantur. 460. D. *& seq.*
Est radix & fundamentum omnium virtutum. 461. D. *& sequent.*
Certior omnibus virtutibus intellectualibus. 463. *& sequent.*
Certißima certitudine adhæsionis, non cognitionis. 464. D. 465. A. C. 466
Quomodo dicatur certitudo supra opinionem et infra scientiam. 465. B
Fides dæmonum & damnatorum qualis. 455. C. D. 472. D. 474
Fides infusa donum Dei, & quale. 474. A. 481. *& seq.*
Quomodo maneat in beatis. 475. 476. A. B
Fidei habitus non potest consistere cum contrario actu hæresis. 478. B
Fidem alius alio habet maiorem. 478. C. D
An fides informis aliquando in peccatoribus augeatur. 488. D. *& seq.*
Fidei donũ naturaliter posse cognosci, hæresis est. 479. B. *& sequent.*
Fides acquisita solis naturæ viribus haberi potest. 481. D. 482. D
Fidei assensus supernaturalis requirit habituale quoddam auxilium. 485. A
Fides informis quomodo differat à formata. 485. C. D
Quomodo sit donum Dei. 485. C. D. *& seq.*
Positne infundi sine charitate. 486. C. 488. B
Fidei effectus, & laudes. 487. C. *& seq.*
Fides Catholica maximus mundi thesaurus. 489. A
Potest esse sine charitate. 454. A
Fidei certitudo vnus ex fructibus Spiritus sancti. 492. C
Fidei habitus in eo non manet, qui deliberatè de fide dubitat. 504. C. D
Fides hominem perfectius coniungit cum Deo, quàm vlla virtus moralis. 505. D
Est & eius cognitio præstantior, quàm vlla actio alicuius virtutis moralis. 506. A
Quomodo superet naturalem hominis captum, quomodo non. 529. C
Versatur primariò circa articulos fidei, secundariò circa res alias. 553. D. 554. C
Circa Deum vt testificantem verum. 604. A. 661. A. 662. D. 672. D
Est prior origine, quàm spes. 604. C. D. 673. B. D
Potest esse sine vlla virtute Theologica. 605. C
Fides & charitas tendunt in Deum secundùm se. 633. C
Non potest dici vestis nuptialis. 672. B. C. *& seq.*
Semper augeri potest. 685. B

Fidei iussio.

Quid sit. 1170. B

Fiducia.

Quid sit. 7. C. 10. A. 2136. A
Non distinguitur à spe. 7. D
Non est de potentia faciendi, sed de effectu futuro. 8. B. 13. A
Fiducia & spes oriuntur ex fide Christiana. 10. B. C
Est in voluntate. 10. C. *de futuris.* 11. B

Filius.

Non potest reddere patri æquale. 755. A. 1116. B
Quãdo patri potius, quàm sibi debet subuenire? 755. A. D
A patre accipit esse absolutè. 755. B. D
Quomodo possit præferre amicum patri. 755. B. C
Quando magis vel minus diligendus, quàm pater. 755. C. D
Est effectus & quasi pars patris. 756. A. B
Quomodo magis diligendus, quàm coniunx. 757. A. B
Quomodo possit facere eleemosynam. 833
Filium vendere patri num liceat. 982. C. 1526. D
Filius ita distinguitur à patre, vt tamen sit alter ipse. 1099. D. *& seq.*

Flagellantes hæretici.

Flagellationem martyrio præstare aiebant. 2130. B

Fornicatio.

Quid sit & quale peccatum. 2225. D
Quo iure prohibita. 2226. B. *& seq.*

Fortitudo.

Eius actus & obiectum. 427. *& seq.*
Variæ significationes. 2118. A
Fortitudinis donum pertinet ad vim intellectiuam. 674. E. C
Versatur circa passiones. 1120. d
Subiectum eius. 1223. B. 2021
Quid sit. 2020. B
Partes & vitia opposita fortitudinis. 2138. C
Quàm latè pateat eius materia. 2122. A. *& seq.*
Item functio. 2123. D. *& seq.*

Fortuna.

Quid sit. 1234. B. C
Ludi pendentes à fortuna prohibentur. *ibid.*

Fratricelli hæretici.

Vsum Ecclesiarum improbabãt. 1752. D. *iuramenti similiter.* 1873. C. *& obligationem votorum.* 1817. B

Fraus.

Quale vitium? 1077. B
Quomodo differt à dolo? 1078. D
Quale peccatum? *ibid.*
Origo eius. 1079. D

Fures.

Licitè occidi possunt. 1312. D
Tempore S. Thomæ non mulctabantur morte. 1371. A
Capite plectendos censuit primus Baldus. 1370. D. *et seq.*
Antiqua iura latrones, non fures capite mulctabant. 1371. B

Furtum.

Quid sit. 1358. C. D
Furti nomine cõprehenditur omnis iniquus contractus, & iniusta alienæ rei detentio. 1358. D. 1359. A
Quoties peccatum eiusdem furti iteretur contra præceptum negatiuum. 1359. A. B
Quoties contra præceptum affirmatiuum. 1359. C. D
Furti pro variis materiis varia nomina. 1359. C. D
Eius & rapinæ discrimen. 1360. B. C. 1362. D. 1363. A

Genere suo est peccatum mortale. 1363. C. D. *& sequent.*
Furtumne sit surripere rem propriam clam à fure, vel depositario. 1364. C. D. *& seq.*
Quid in necessitate accipere rem alienam? 1366. D. *& seq.*
Malè nominatur furtum, si quis in extrema necessitate accipit clam aliquid. 1368. D. 1371. C
Furtum mortale est surripere parum à paupere. 1368. D. *& seq.*
Furtum absolutè quam rei quantitatem requirat. 1369. *& seq.*
Eius pœna. 1370. D
Vtrum ablatio rei ex Ecclesia, sub cuius custodia non est, sit sacrilegium. 2016. D

Gaudium.

Quomodo distinguatur à delectatione. 766. A
Quid sit. 766. A
Potest esse actus cuiuscunque virtutis circa bonum possessum. 766. A. B
Eius subiectum. 766. B
Est actus internus charitatis. 766. C. 767. A. 913. B. 922. A. B
Fructus Spiritus sancti. 767. B
Quomodo possit esse aliquando plenum. 767. B. C
Quomodo futurum plenum in cælo. 767. C. 768. A
Gaudium cæleste quomodo in hac vita possideamus. 767. A. 768. B
Gaudij effectus. 922. B

Gentilis. *vide Ethnicus.*

Geomantia.

Quid sit. 1973

Geometrica proportio.

Quæ. 1091. C. 1096. C. 1158. C. 1159. C. *& seq.*

Gloria.

Gloria Dei potius dicitur, quàm honor vel existimatio Dei. 1671. B
Est scopus & obiectum religionis. 1671. C
Inanis gloria quid, & quando peccatũ mortale. 2141. B

Gnome.

Qualis virtus. 1065. A. 1070. C
Est pars potentialis prudentiæ. 1065. A. 1070. C. 1074. C
Differt à prudentia, synesi, & eubulia. 1071
Eius species. 1071. B. C
Est rectè iudicatiua. 1074. C

Gnostici.

Fornicationem approbarunt. 2226. A

Græci.

Restitutionem non esse necessariam dicunt. 1176. A

Gratia.

Variè accipitur. 2106. A
Gratia Dei non potest cum peccato mortali consistere. 146. C. 179. C
Quomodo possit dici naturale donum. 392. A
Requiritur ad obseruationẽ omnium naturalium præceptorum. 392. C
Non potest haberi sine fide. 468. B
Prærequiritur ad fidem, spem & charitatem, & præsupponit eas, vt natura potentias. 481. D. 488. A. 695. C
Gratia excitans & vocans nemini deest. 499. D. 500. C. 510. 632. A. B. C
Gratia primum auxilium cur non detur secundùm proportionem nostræ naturæ. 680. D. 681. A
Cur contra factum in Angelis? 681. A. B
Augetur secundùm totam latitudinem intensionis actus. 695. B. C
Gratia & charitas an semper connectantur. 695. B. C
Corrumpitur per peccatum mortale demeritoriè & effectiuè. 705
Non destruit, sed perficit naturam. 871. B. 984. B
Gratia iustificans potest esse in iis, qui habent prauos habitus. 1060. C

Gratitudo.

Quid sit. 2106. B
Est specialis virtus. 1555. B
Eius debitum obligat sub peccato. 1556. A
Non respicit rem datam, sed affectum dantis. 1555. D. 1556. B
Eius munus. 1662. D
Est pars potentialis iustitiæ. 1662. D
Quomodo ab ea deficiat. 1663. B
An & quatenus quis gratus esse debeat. 2109. C
Cuius iuris sit, & quod eius obiectum. *ibid.*
An innocens magis teneatur esse gratus Deo, quàm pœnitens. 2112. A

S. Gregorius.

An historia de S. Gregorio Papa, liberante Traianum Imperatorem ex inferno, sit admittenda. 1719. B. C

Gula.

Quodnam & quale peccatum. 2208. A
Aduersatur abstinentiæ quinque modis. 2210. D
Eius filiæ. *ibid.*

Habitus.

Habitus euidentis & ineuidentis discrimen. 14. B. C
Qualis processus fidei & habitus scientifici ad assensum. 42. C
Quinam habitus certiores. 464. C. D
Quomodo & quinam certiores habitu fidei. 465. A
Potest habitus consistere cum actu aliquo contrario. 476. C
Habitus an in eo sit, in quo manet ratio formalis obiecti. 477. B
Habitus fidei per se connexus est cum habitu Theologiæ. 477. D
Quanta connexio habitus cum actibus suis? 657. A
Quid efficiat in potentia. 657. C
Habitus rectitudo in quo consistat. 658. D
Habitus scientificus quomodò augeri possit. 684. A. 687. D
Habitus est perfectior actu suo. 694. A
Intenditur etiam per actus remissiores habitu. 694. D. *& sequent.*

Hæresis.

Gaudet solo nomine doctrinæ Christianæ. 93. B. 107. C. 112. D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæreses præsentes nullo confirmantur miraculo. 101. C. 231. B. *sunt feces antiquarum.* 216. D. *& seq.*
Quanta earum confusio. 110. C. 235. B. C
Omnium hæreseon causa. 132. 304. A. 380. D
Quid sit hæresis. 134. D. *& seq.* 213. B. 420. 545. B. 553. D
Omnium hæresum auctores, originẽ, progressum & extirpationem semper notârunt historiæ. 221. C
Vocantur portæ inferi. 248. C. D
Hæresis maximum peccatũ. 420. D. *infidelitas.* 476. D. *vitium oppositum fidei.* 550. A. 871. D
Quomodo differat ab apostasia. 546. *& seq.*
Eius materia doctrina fidei est. 553. D
Non incurritur sólo verborum abusu. 554. B
Eius parua initia reprimenda sunt. 556. 871. C. D
Est lepra spiritualis. 570. B. 871. C. D
Statim ad Superiorem deferenda. 872. A
Differt à schismate. 937. C. D. 936. A. 940. D. *& seq.*

Hæretici.

Deseruerunt patrum fidem. 86. D. *& seq.*
Nostri hæretici in multis cõueniunt cum antiquis. 88. B. 192. D. 193. A. 216. D. *& seq.*
Carent martyribus veris & eorum testimoniis. 90
Fatentur suos Euangelicos esse vita nequissimos. 93. B. 94
Scripturas suo modo explicant. 105. C. D. 156. A. 161. *& seq.* 146. *& sequent. abutuntur planis Scripturis.* 162. A
Palliant se nomine Christiano. 93. B. 107. C. 112. D. 113. A. 173. C. 193. D
Sunt à Christo prædicti. 113. A
Omnium iudicio habentur hæretici, ipsis solis exceptis. 113. B. C. D. 372. 373. A
Eorum modus docendi scatet maledictis. 114. D
Conati sunt corrumpere Symbolum Apostolicum. 122. C
Hoc est corpus meum. octoginta diuersis modis explicant. 148. A. 164
Hæretici nostri in quibusdam Gnosticis astipulantur. 156. B. C
Non sunt rebaptizandi, quamuis ex Scriptura hoc non probetur. 159. A
Quare vocentur falsi Prophetæ. 162. B
Comminiscuntur varia tẽpora defectionis fidei Romanæ ab Apostolica. 218. C
Illorum tres errores circa formam Ecclesiæ. 175. 176
Fraus circa notas Ecclesiæ. 193
Quàm inter se diuisi ac differentes. 211. B. 212
Catholicos peruerterunt semper, Ethnicos conuerterunt nunquam. 215. D. 216. A
Contendunt de primatu Petri. 265. B. 292. *& seq.*
Vtrum ad fidem compellendi? 525. *& seq.*
An comburendi? 555. *& seq.*
Nullam habent Episcoporum successionem. 226. *& sequent.*
Per summam arrogantiã se extraordinariè à Deo missos iactitant. 228. C. *& seq.*
Miraculum ediderunt nullum vnquam. 231. B
Fures sunt & latrones. 233. C
Omnes similes odio in Papam. 300. B
Hæretici semper habiti sunt, qui definitionibus Papæ restiterunt. 304. D. *& seq.*
Solam Scripturam iudicem agnoscunt. 1142. B. *ad illam semper prouocant.* 334. A. B
Omnes semper repudiârunt traditiones. 334. A. B
Quare Scripturas semper in ore habeant. 348. B. C
Multi sunt hæretici ex Scripturis malè intellectis, ex traditionibus pauci. 348. D. 350. D
Per summam iactantiam præferunt se antiquis Patribus. 376. A. B
Damnandi omnes, nisi resipiscant. 418. D. *& seq.*
Fortè aliqui excusantur per ignorantiam, sed vix à peccato. 419. C. *& seq.*
Pernitiosissimi sunt, qui in vno articulo claudicant. 421. D. *& seq.*
Eorum conciones quomodo liceat Catholicis audire. 438. C
Non pertinent ad Catholicam Ecclesiam. 477. A
Amiserunt habitum Theologiæ. 477. D
Possunt habere fidem acquisitam de nonnullis propositionibus fidei sine gratia. 482. D
Hæreticus quis? 554. A. B
Christianus non est. 521. B
Cum hæreticis excommunicatis communicare non licet, nisi excuset necessitas & multitudo. 522. A. C. 561. D. *& seq.*
Hæreticus ab apostata quomodo differat. 546. *& seq.*
Quomodo Christum profiteatur. 547. D
Quibus pœnis coërceatur. 548. A. 554. D
Quis in iure præsumatur hæreticus. 549. D
Quomodo in Scripturis appelletur. 556. A
Multi hæretici hæreticos alios rogo adiudicant. 557. B. C. *& seq.*
Hæretici quomodo Ecclesiæ mẽbra? 558. C. D. 573. C. D. 574. A. 947. D. 948. A. 949. C
Pœnæ in illos diuersæ diuersis temporibus fuerunt latæ. 558. D. *& seq.*
Iustè priuantur dominio rerum temporalium. 560. A. B
Excommunicantur ipso facto. D. *& seq.*
Mentales hæretici non subiacent illis pœnis. 562. C. D. 947. *& seq.*
Semper admittendi sunt ad pœnitentiam. 563. B
Si post primum lapsum respiscant, dignitates illis restituendæ sunt. 564. A
Relapsi comburendi, vel alio supplicij genere è medio tollendi. 559. B. 564. A
Quam spem & fidem habeant. 609. B. C
Quomodo monendi vel accusandi. 872
Differunt à schismaticis. 935. C. D. *& seq.*
Quanã hæretici in Religiosis potissimũ carpãt. 2327. A
Refelluntur. 2335. C

Hebetudo.

Hebetudo sensus quale vitium. 586. C. *& seq.*
Cognitionem debilitat. 588. A
Origo eius quænam. 588. A
Opponitur dono intellectus. 590

Henoch.

Comparatur cum Ioanne Baptista. 64. D. *& seq.*

Homicidium. *vide Occisio hominis.*

Homo.

Quomodo imago Dei. 1311. A
An dominus vitæ suæ? 1319. A. B. 1345. C. D. *& seq. vel rerum suarum. & quomodo?* 1319. B. C. 1354. D
An dominus liberi arbitrij sui. 1346. A. D
Quarum rerum dominus? 1346. *& seq.*
An homo in hominem habuisset iurisdictionem, si Adam nõ peccâsset. 1351. D
Est animal politicum; paruus mundus. 1351. D
Homo liber vendi non potest. 1526. D
An in vlla necessitate sit licitum vesci carnibus humanis. 2208. C. *& seq.*
Caro hominis vtrum possit esse medicamentum. 2210. B

Honestas.

Quid sit. 2153. A

Honor.

In quo consistat. 1196. B
Quomodo auferatur, & quomodo sit restituendus. 1201. *& sequentib.*
Est maximum bonorum externorum. 1256. B. C
In quibus signis exterioribus consistat. 1298. A
Cur alicui deferatur. 1298. B
Honor improbis in potestate constitutis quis & qualis habẽdus. 1298. B
Est actus elicitus obseruantiæ. 1298. D. 1300. B
Materia iustitiæ distributiuæ. 1300. B
Quomodo honor gratuitus, quomodo debitus sit. 1300. D
Quomodo bonum commune. 1299. A. B. 1301. A
Numeratur inter hominis bona. 1442. C. D
Honor in actu quid? 1299. B
In potentia quid? ibid.
Læditur contumelia, conuitio, improperio. 1441. *& seq.* 1460. C
Honorem quomodo negligere possimus & debeamus etiam. 1453. C. D
Est minus bonum, quàm fama. 1460. C. D
Dicitur testimonium excellentiæ. 1670. C. D
Appetitus honoris quando peccatum mortale? 513. C

Horæ canonicæ.

Singulæ commemorantur à sanctis patribus. 1728. *& seq.*
Reprehenduntur ab hæreticis. 1726. D
Earum vsus comprobatur. 1726. *& seq.*
Qui obligentur ad horas canonicas recitandas. 1731. A. B. *& seq.* 1732. B. C
Pensionarij obligantur ad officium B. Virginis. 1732. A
Horæ quomodo dicendæ. 1734. D. *& seq.*
Quæ attentio in illis requiratur. 1734. D. 1736. *& seq.*
Vtrum quis horis & sacro audiendo simul possit satisfacere. 1738. A
Quale peccatum sit præter voluntatem occupari alia re externa inter recitandum. 1738. B
Tempus horis præstitutum quod? 1739. B
Hora quælibet quo tempore dici debeat. 1739. C
Eam non seruare quando & quale peccatum. 1739. B. D
Tutius est & melius anteuertere, quàm postponere. 1739. D
In choro horæ non sunt transmutandæ. 1740. B
Qui ratione beneficij nõ obligatur Choro vel Ecclesiæ, quãdo & vbi possit dicere. 1740. C
Quot causæ excusent à recitatione horarum. 1740. D. *& sequentib.*
Quanta infirmitas excuset. 1740. D
Horarum recitatio cuius iuris sit. 1741. C
Cur ad eas quis obligetur ratione beneficij. ibid.
Ab horis priuatim dicendis nec excommunicatio, nec peregrinatio excusat. 1741. D. *& seq.*
Qui omittit horas vno die quomodo & quoties peccet, & vtrum teneatur repetere. 1742. B. *& seq.*
Officium prætermittens primo toto semestri quomodo peccet, & an debeat restituere. 1743. C. D. *& seq.*
Si postea omittat, quam pœnam incurrat. 1743. C. D. *& quantum debeat restituere.* 1744. B. C. *& seq.*
Satisfacit quis, si dicat officium non animo satisfaciendi. 1744. D

HVGO *de sancto Victore quanta sit auctoritatis.* 888. D. 891. B

Humilitas.

Quid sit. 2157. C
Eius duodecim gradus. 2158. A

Hydromantia.

Quid. 1975. C

Hyperdulia.

Quid sit. 2092. C

Idololatria.

In quo consistat. 1747. C. 1748. D
Committitur tripliciter. 1748. D. *& seq.* 1979. A
Continet materialem blasphemiam. 525. D. *& seq.*
Origo eius. 1941. A. *Auctores.* 1941. D
Vtrum interior an exterior sit grauius peccatum. 1942. A
Vtrum exterior idololatria excommunicationem in Bulla cænæ domini contra hæreticos latam incurrat. 1942. C
Quid sit. 1927. A
Quomodo dignosci possit, an illa committatur. 1943. A
Nullam esse idololatriam in cultu Eucharistiæ. 1946. D
Neq; in cultu Sanctorum. 1950. *nec in obseruatione reliquiarum.* 1968. C. *vel imaginum.* 1957. A
Sitne idololatria ille cultus impius, quo honor diuinus creaturæ tribuitur, qui Deo debetur. 1928. B
Quantum peccatum sit. 1938. B

Iciunium.

Quid sit. 2159. C
Quo tempore sit ieiunandum. 2198. B. *& seq.*
Finis eius quotuplex. 845. B
Quot genera ieiuniorum. 2160. A
An in aliquo casu sit licitum die dominico ieiunare. 2201. B
Ieiunium Ecclesiasticum quid. 2160. A. *& seq.*
An aliquod ieiunium sit iure diuino constitutum. 2200. B
An sit opus bonum. 2163. B
Qui teneantur ieiunare, & quæ causæ excusent. 2202. B
Ieiunium vtile & bonum est. 2164. A. *& seq.*
Potest referri ad varios vtiles fines. 2166. A. *& seq.*
Existentibus in peccato non prodest ad salutem. 2166. D
Non est suscipiendum, quasi cibi immundi sint. 2167. D. *vel ex lege Iudaica.* 2169. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

An ieiunandum sit præcepto Ecclesiæ obligante sub peccato mortali. 2171.A
An abstinendum à certis cibis. 2178.C
An vt promereamur mercedem apud Deum. 2186.B
An vt per ieiunium satisfaciamus. 2187.B
Quomodo sit ieiunandum. 2191.C
An qui sæpius comederet in die ieiunij, quàm semel, toties nouum peccatum committeret, quoties comederet. 2193.B
An qui inuitaret aliquem ad sæpius comedendum, peccaret, vel qui obsonia tali venderet. 2195.D
An quis posit ieiunare cum probabili periculo corporis, &c. 2197.B

Ignorantia.

Ignorantia inuincibilis quæ corrigenda, quæ non. 850. & sequentib.
Quæ inuincibilis possit fieri vincibilis. 853.B
Ignorantia alia contrariæ dispositionis, alia negationis. 1215.C
Ignorantia probabilis facti & iuris. 1251.B.C
Ignorantia quomodo faciat inuoluntarium. 1358.C
Quæ excuset. 1441.A
Ignorantia concomitans quæ? 1441.A.B

Imago.

Imaginum veneratio quæ traditione probetur. 359.A
Earum cultus non est idololatria. 1957.A

Imperator.

Imperatores Summi Pontificis Romani primatum agnouerunt. 283.D.287.A.B
Conciliorum auctoritatem propugnârunt. 517.D
Possunt iustè constituere pœnam capitis in hæreticos. 556.D.557.A.B.559
Possunt à Pontificibus deponi. 373.B.C
Aliqui laudantur propter bella contra Tyrannos & hæreticos suscepta. 953.C

Impœnitentia.

Quid sit & quale peccatum. 581.584.B.C
An penitus irremissibilis? 585.B

Impudicitia.

Quid sit & quale peccatum. 2236.B

Improbus.

Improbi degenerant in bestias. 1312.A
Occidi licitè possunt. 1311.D

Improperium.

Significat defectum in malo indigentiæ. 1442.C

Imprudentia.

Continet sub se omnia peccata opposita prudentiæ. 1075.C
Committitur commissiuè vel omissiuè. ibid.
Aliquibus præceptis prohibetur. 1080.A
Nascitur ex negligentia legendi vel audiendi. 1067.B

Impugnatio veritatis agnitæ.

Quid sit & quale peccatum. 584.B
Hoc peccato impliciti tenentur hæresiarchæ. 584.C

Incarnatio Christi.

Quomodo ab omnibus necessariò credenda. 401. & seq. 409.B.C.410

Incestus.

Quodnam & quale peccatum. 2228.C
Eius species. 2229.A

Inclinatio.

Charitatis inclinatio non repugnat inclinationi naturæ. 730.D.Sed perficit eam. 750.756.D
Inclinatio naturalis hominis non est in malum absolutè hominis. 731.A.734.A
Quomodo sit ad bonum sensibile, quomodo non. 734.A.B
In appetitu sensitiuo est aliquando ad ea, quæ per accidens sunt mala. 734.B.C

Inconsideratio.

Quid sit, & vnde dicta. 1074.C
Quomodo opponatur prudentiæ. 1074.C
Quæ peccata sub se contineat. 1074.C

Inconstantia.

Quid sit. 1074.D
Quomodo opposita prudentiæ. 1074.D
Quæ peccata illi annexa. 1074.D. & seq.

Incontinentia.

Quid sit. 2211.A

Indicium.

Quando sufficiens ad reum interrogandum iuridicè. 1397.B.1419.A.2006.D. & seq.
Quot & qualia esse debeant. 1400.A.1421.A

Indifferens.

Ex circumstantiis modò bonum, modò malum est. 1801.B.C
Materia voti nequit esse indifferens. 1801.B.C.D

Indignatio.

Similis inuidiæ. 919.D. Quomodo ab ea differat. 923.B
Quid sit. 929.A
Quomodo licita circa bona temporalia? ibid.
Circa bona spiritualia licita nunquam est. 925.A

Infamia & infamare.

An sufficiat ad iuridicè interrogandum Reum. 1397.B.C. vel vt de illo apud alios inquiratur. 1397.D.1418.A. 1419.A
An infamia de aliquo crimine satis sit ad interrogandum de alio crimine, & quando. 1399.A.B.C.D
Infamia vera semper requirit euidentiam & indicia manifesta. 1421.D. & seq.
Infamare se sine rationabili causa quale peccatum? 1453.A
Infamare alterum, quale? 1453.A
Quomodo quidam sancti se infamârint. 1453.D. 1454.C
Infamare se vel alterum quando licitum? 1453.D. & seq.
Se ipsum infamare num quis aliquando teneatur. 1454.D
Infamans se, qui curam aliorum habet, quibus nocere posset, tenetur recuperare famam. 1455.A
Infamatum publica auctoritate in vno loco quomodo quis infamare posit in alio sine detractione. 1455.C.D
Infamatum in vno loco publica auctoritate in alio loco infamare, quale peccatum, & num restitutionis obligationem inducat. 1457.A
Quando liceat infamare qui per hypocrisin acquisiuit nomen boni & docti viri, &c. 1457.C.D

Infernus.

Describitur. 622.D. & seq.

Infans.

Infantibus in bello parcendum. 976.

Infidelis.

Quisnam? 505.A
Infideles ad Ecclesiam pertinere quomodo dici possunt? 174.B
Quomodo dicantur credere Deum. 385.
Non communicandum cum illis. 434.B.C.D
Quare damnationi obnoxij? 499.A.B
Quæ gratia ipsis sufficiat ad superandas tentationes. 500.D. 501.A
Cognoscántne Deum esse. 505.B.C.D.506.A
An omnes actiones illorum sint peccata. 506.D. & seq.
Num habeant quædam bona opera moraliter. 508.C
Sæpissimè peccant defectu fidei. 512.D
Varia genera infidelium. 514.D. & seq. 521.C
Cum infidelibus non communicandum est in opere infidelitatis. 521.D
Cum infidelibus excommunicatis nullo modo communicandum, nisi necessitas vel multitudo excuset. 522.A.B.C
Cum non hæreticis, solidis in fide politicè communicare licet. 522.C
An in opere infidelitatis indirectè liceat cum illis communicare. 523.524.
Quinam ad fidem compelli possint. 525.526.D.527.D. & sequentib.
Quorum infidelium ritus & quomodo tolerandi. 532.D. & seq.
An possint cogi ad fidem audiendam. 531.C.D
An infidelium non subditorum liceat terras vi occupare. 534.C.D. & seq.
Sunt suarum rerum veri domini. 536.C
An & quomodo illis dominium permittendum in fideles? 542.B.C
Infideles subditi Ecclesiæ an possint dominio suo priuari. 542.C
Item non subditi. 543.A.B.C

Infidelitas.

In quo consistat. 580.B
Causa eius quænam? 119.A
Fidem tollit. 456.B.476.D
Quomodo pugnet cum iis, quæ sunt fidei. 495.A.B
An infidelitas negatiuè & contrariè sit peccatum. 496.B. & seq. 498.B. & seq. 501.D. seq.
Quomodo dici possit voluntaria. 501.C.D
Infidelitas contrariè quid, & quàm latè patens? 502.A.B
Infidelitas quomodo in voluntate & intellectu. 502.D. 503.A.D. 504. 549.
Alia completa est, alia incompleta. 503.D. 549.A
Omnis assensus deliberatus contra fidem est actus infidelitatis. 505.A
Infidelitas quantum peccatum? 505.B.D. & seq.
Per eam maximè receditur à Deo. ibid.
Eius species quænam & quot? 514.D. 515.A. 516.A
Quot modis repugnet fidei? 514.D. & seq.
Infidelitas hæreticorum deterrima. 516.B.D
Infidelitas dubitantis in fide hæresis est. 548.D. & seq.
Quomodo differat ab hæresi & schismate. 935.C.D. 936. 940.D. & seq.

Ingratitudo.

Quale & quantum peccatum. 2114.A

Inimicus.

Quomodo & quando diligendus. 721.D. 722.A. 1718.D. 1719.A
Eius pœnitentia cum vera charitate admittenda. 722.B.C. & seq. 1718.D. & seq.
Quando remittenda iniuriarum actio, quando non? 722.C. & seq.
Non est excludendus à beneficio dato communitati. 723.B.C
Illum diligere quanta perfectio? 723.C

Iniuria.

Quid nam? 1130.C
Non fit scienti & volenti. 1132. & seq. 1206.A.B. 1360.C

Iniustitia.

Variæ eius significatæ. 1128.A.B.C
Significat defectum gratiæ iustificantis. 1128.B. 1131.C
Si sit vitium contra iustitiam legalem, quale peccatum? 1128.C. 1129.B.C
Si contra particularem quale & quantum? 1130.A.B.C
Variæ eius species. 1130.B.C
Iniustitiam volens nemo patitur. 1132.D. & seq.
Iniustitiæ nolens facere & volens pati quomodo possit quis. 1134.C.D

Inobedientia.

Quale & quantum peccatum? 2103.A. & seq.

Innocens.

Innocentem aliquando occidere an liceat, & in quot casibus. 1313.C.D
An possit se sistere tyranno, vel à Repub. illi tradi ne deleat ciuitatem, vel etiam cogi, vt se ipsum tradat. 1314.D. & seq.
An innocens magis teneatur gratus esse Deo quàm pœnitens. 2112.A
An innocentibus in bello semper parcendum. 976. & seq. 1314.C

Inquisitio.

Vt apud alios de aliquo fiat, quam infamiam requirat. 1397.D. 1421.A.B
Quomodo differat ab interrogatione ipsius rei. 1397.D. 1398.A. 1421.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inquisitio generalis quæ? 1418.C
Specialis quæ? 1419.
Utriusq; qualia debeant esse indicia. 1419.A.B.C.2004.C
Qualis infamia. 1420.B.C.D
Quænam inquisitio lædat famam. 1420.C.1422.D
Quomodo instituenda inquisitio in maleficos? 2004.A.& sequentib.
Quæ indicia ad carcerem & torturam sufficiant. 2006.& sequentib.

Insensibilitas.

Quid sit. 2206.A. quando & quale peccatum. ibid.

Integritas.

Integritas corporis quænam. 2154.C

Intellectus.

An possit elicere duas diuersas intellectiones simul circa idē. 80.C.82.C.
An simul possit eidem assentiri euidenter & ineuidenter. 81.B
Intellectus donum quid? 489.D.490.D.585.C
Quomodo conueniat cum fide. 491.A.B
Quodnam eius officium. 491.B.C.492.C
In quibusnam sit. 491.C
Quomodo differat ab omnibus aliis donis. 491.D.& seq.
Vitia opposita. 586.C
Huius doni vsus præcipitur. 589.C.D.& seq.
Donum intellectus est habitus speculatiuus. 1034.C
Intellectúsne possit simul ferri in plura obiecta. 711.B
Quomodo cognoscat singularia. 1043.D.1066.D.& seq.
Est pars potentialis animæ. 1064.C
Attribuitur sensui interiori. 1067.A

Intelligentia.

Quid sit. 1062.D.1066.D
Quomodo differat à ratione. 1062.D.1063.C

Intemperantia.

Quale peccatum. 503.D.& seq.
Eius subiectum. 504.A
Effectus. 588.A. Obiectum. 1131.D
Imperatum quomodo fiat intemperatè, & quomodo non. 1131.D.1132.A.B
Intemperantia quid sit. 2207.A
Eius species. ibid.B
Quare intemperantia dicatur peccatum puerile. 2207.D

Intentio.

Aliquid addit simplici voluntati. 611.A.599.C. potest esse incerta. 611.A
Intentionis & electionis discrimen. 717.D.718.A.B.C
Intentio bona non semper excusat à peccato. 1005.C.D.& sequentib.
Intentio tacita, virtualis, indirecta, quādo æquiualeat formali & directæ, &c. 1008.C.D

Intimiditas.

Quid sit. 2139.A

Inuentum.

Quando cedat inuenienti. 1353.B
Quando & quomodo domino loci. 1353.C
Quando restituendum priori domino? 1353.D
Quando pauperibus. 1354.A

Inuidentia fraternæ gratiæ.

Quale & quantum peccatum. 584.B.C

Inuidia.

Definitur. 916.A.917.A.B
Quomodo differat ab acedia. 912.B.913.D
Obiectum eius. 918.B.C. Causa. ibid.922.D
Habet tres effectus. 916.& seq.923.B.C.D
Est contraria omnibus virtutibus. 919.C.922.A.B
Quomodo ab odio differat. 919.D.& seq.
Inter quos sit. 920.B
Inter quos vigeat. 920.D.& seq.
Est peccatum mortale. 921.B.922.A.D
Numeratur inter opera carnis. 921.B
Est contraria actui charitatis & misericordiæ. 922.B
Eius filiæ. 922.D
Est vitium incurabile ferè. 925.B.C.D
Eius remedia. 926.& seq.
Est maximè infesta inuidenti. 926.

Inuoluntarium.

Aliud ex ignorantia, aliud ex violentia. 1360.C.1361.A.B.1362.D
Item aliud negatiuè, aliud contrariè. 1363.A.B.1460.C

S. Ioannes Baptista.

Comparatur cum Henoch. 64.D.& seq.
Misit discipulos suos ad Christum. 98.C.D
Eius noua doctrina miraculis confirmata est. 232.B

Iob.

Explicitè cognouit Christum. 402.C.D

Iouinianus hæreticus.

Charitatem non amitti posse credidit. 701.
Meritum ieiunij negauit. 2187.A

Ira.

Mater contumeliæ. 1444.A
Coniuncta stultitiæ & superbiæ. 1444.B
Iram ratio moderatur. ibid.
Quid sit & quale peccatum. 2211.D
Eius filiæ. 2212.A

Irregularitas.

Quando incurratur à clerico accusante alterum. 871.B
Militans quando eam incurrat. 984.& seq.
Irregularitas potest incurri sine peccato. 989.
Irregularis sit, qui occidit inuasorem bonorum temporalium. 1331.B.C
Qui occisores excipiantur ab irregularitate. 1331.B.C
An irregularis sit, quicunq; post baptismum committit homicidium directè voluntarium. 1332.B

Homicidium casuale quādo irregularitatis pœnam importet. 1332.C.& seq.

Irreligiositas.

Quid sit, quæ eius species, quomodo differat à superstitione. 2011.A

Iudæi.

Quàm miseri sint ob Christum crucifixum. 103.104.A.B.105.B
Non cogendi ad fidem. 530.B
Eorum dispersio, christianæ religionis testimonium est. 533.D
Qui libri Iudæorum tolerandi? qui comburendi? 534.A.B
Iudæi conuersi cum non conuersis nullum habent commercium. 542.D
Iudæis quomodo licitum fuerit fœnerari gentibus. 1544.D.& seq.

Iulianus Apostata.

Templa idolorum ad modum Christianorum Ecclesiarum ornanda & ædificanda curauit. 1730.B

Iudex.

Iudicis officium & finis. 163.A.B
Iudex controuersiarum in Ecclesia esse debet. 133.& seq.
Est necessarius in Repub. 163.C.1141.& seq.
Eius sententia standum est. 163.B.165.B
Debet perspicuè & clarè proferre sententiam. 163.D
Iudex & lex debent differre. 165.B
Iudex debet legem consulere. ibid.
Non peccat contra charitatem exercendo iustitiam. 717.B.C.956.D
Fit irregularis propter actum iustitiæ vindicatiuæ. 990.C
Dicitur græcè δικαστὴς quasi δίχα στὴς, id est bipartitor. 1091.B.1093.B.C.1136.B
Est lex animata. 165.D.166.A.1383.B
Iustitia animata. 1140.A.1302.B
Potest alicui benefacere ex coniectura sine testibus, sed non condemnare. 1146.B
Non debet iudicare ex malo affectu, vel ob malum finem. 1146.C
Iudices Areopagitæ quare noctu iudicare soliti? 1146.C.1272.B
An iudicium reddatur illicitum per peccatum mortale iudicis. 1146.D.& seq.
Si sit in peccato graui an peccet, & quomodo se gerere debeat. 1149.B.C.D.1148.B.C
Debet restituere mercedem, quam accipit, vt ferat sententiam. 1218.B
Respiciens personas grauissimè peccat. 1302.A
An possit aliquando abolere accusationem. 1393.A.B
Quomodo propriè dicatur accipere personam. 1302.
Eius actus iudicandi est quoddam bonum commune. 1302.B
Debet procedere in iudiciis, & iis, quæ iudicis arbitrio leges relinquunt, secundum ordinem iustitiæ distributiuæ. 1302.B.C
Vbi habet plenam libertatem vel in opinionibus probabilibus potest pro amico dare sententiam. 1303.D.1304.
Si contra probabiliorem opinionem pro amico iudicet, personam accipit. 1305.A
Quot modis possit iudicare secundum opinionem probabiliorem. 1306.& seq.
Nemo in propria causa iudex. 1321.A
Nec in causa non subditi. 1374.A.B
Iudex debet habere vim coactiuam. 1374.A
Eius sententia est lex quædam. 1374.A
Quot modis quis possit habere iudicis potestatem in alterū. 1374.C.D
An debeat semper ferre sententiam secundum allegata & probata, & quæ auctoritate? 1378.A.1379.C.D.& sequentib.
Possitne se iuuare priuata sua scientia. 1378.B.1381.D
Quomodo rectè ex officio sententiam ferat. 1378.B.1379.D.1380.B
Peccétne si condemnet innocentem, secundum allegata & probata nocentem. 1380.C
Quomodo, quem scit esse innocentem, & secundum allegata & probata condemnandum, subleuabit? 1381.D.& sequentib.
Quomodo & quādo in criminalibus condemnare reum debeat. 1383.A
Contra publicam vtilitatem pœnam relaxare non potest. 1384.A
An & quomodo accusatore volente possit pœnam relaxare. 1387.B.& seq.
Quando iudici interroganti veritas aperienda? 1394.A.B
In quot casibus iuridicè interroget. 1397.& seq.
Quicquid iudex facit, nomine communitatis facit. 1398.B.1419.B
Differt ab arbitro. 1405.C. ab aduocato. 1437.B
Quare iure naturali iudicum potestas restringatur. 1407.A.B
Iudex iudicando, rem non donat, sed cuius sit, decernit. 1433.A.B
Iudicis stipendia cur à communitate assignentur. 1437.A.B
Iudex vtriusq; partis bonum respicit. 1437.B
Quomodo se gerere debeat erga mutuatariū soluentem vsuras. 1567.C.& seq.
An reum ab Ecclesia vi abstractum possit condemnare licitè. 2016.D

Iudicium actus iustitiæ.

Quid sit. 1136.A.B.& seq.
Quomodo actus iustitiæ. 1138.B.D.& seq.
Quomodo actus prudentiæ. 1139.B
Iudicium an licitum inter Christianos. 1141.& seq.
Iudicium temerariū prohibetur. 1142.D.1143.D.1149.D
Iudicium vt sit licitum quot conditiones requirat. 1143.D.1146.D
I. Legitima auctoritas. 1143.D
II. Conformitas cum iustitiæ regula. 1144.B
III. Conformitas cum prudentia. 1146.A
Vsurpatum iudicium quid? 1144.B. iniustum quid? ibid.
Non fiat iudicium ex leuibus causis, coniecturis, malo affectu, &c. 1146.C.1149.C.D
Sine sufficienti causa iudicare quando veniale? quādo mortale? 1150.B.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudicare graue malum de altero dubiè quando mortale vel veniale? 1151.D.1153.A
Iudicium ex suspicione quid sit. 1153.C.D
Tutius est iudicare de malis sæpe bene, & errare, quàm de bonis semel malè & iniuriam inferre. 1158.A.B
Iudicij quænam materia. 1302.C
In iudiciis quale testimonium & quot testes requirantur. 1426.& seq. Vide Testes vel Testimonium.
Iudicium iniustum quot modis fiat. 1431.B.D.& seq.
An & quando obliget. 1432.B.& seq.
Iudicium iniustum & nullum quomodo differant. 1434.A. 1435.A

Iudicium extremum.

Quale sit futurum. 622.D.& seq.

Iuramentum.

Quid sit. 1759.B.1867.A.B
Est actus religionis. 1759.B.1869.C.1875.A
Quomodo differat ab oratione. 1869.D
Aliud est promissorium, aliud assertorium. 1870.B
Promissorium quare suapte naturâ debeat facere fidem. 1870.D
Iuramentum aliud simplicis contestationis, aliud execrationis. 1871.A
Quomodo iuretur per Deum, & quomodo per creaturas. 1871.B.1878.A
Sitne iuramentum iudicandum ex interiori mente. 1871.B.1872.A
Iuramentum execratorium in quo consistat. 1872.B
Quale peccatum? 1872.C
Iuramenti vsus an licitus & bonus. 1873.C.D.& seq.
Quot modis? 1874.D
Vsus iuramenti, vt sit licitus, quænam requirat. 1877.A
A quibus exigendum iuramentum? 1877.B
Iurare per membra Christi & Sanctorum an & quomodo liceat. 1878.B
Iuramentum per falsos Deos vtrum accipi possit ab infideli. 1878.
Per membra Dei iurare blasphemum est. 1878.
Veritas & iustitia in iuramento assertorio & promissorio diuersimodè necessaria sunt. 1979.A
Iuramento non facilè vtendum. 1879.D
Iuramentum ex defectu veritatis, quale peccatum? 1880.B
Iurans se peccaturum quomodo peccet. 1886.D
Iurans contra consilium diuinum quomodo peccet. 1887.A
Iuramentum sine iudicio rationis, quale peccatum? 1887.C
Iurandi consuetudo an licita? & quando peccatum mortale? 1888.D.& seq.
Iurandi vsus aliquando præceptus est. 1892.C
Iuramentum quomodo obliget. 1892.D.& seq.
Vtrum maior obligatio voti, quàm iuramenti. 1894.B
An possit tolli obligatio iuramenti promissorij. 1895.A. ob quas causas? 1896.D
Iuramentum coactum, vtrum, quomodo, & in quo foro obliget. 1898.D.& seq.
Item iuramentum dolosum. 1902.A
Vtrum iuramentum absq; interiori animo sit peccatũ mortale periurij. 1906.A
Super iuramento coacto quãdo non dispensandum. 1901.D

Ius.

Est obiectum iustitiæ. 1090.& seq.
Ius ad rem quid. 1090.B.1293.in re quid. ibid.
Ius idem, quod lex, diuiditur in naturale, gentium & ciuile. 1090.C.1340.A
Ius legale quid? 1095.B.C
Priuatum quid? 1095.C.D
Ius naturale. 1095.D
Humanum vel ciuile. 1096.A.B
In gentium quomodo humanum? 1096.B
Ius seu iustum per proportionem arithmeticam vel geometricam quodnam? 1096.C.1091.
Iustum seu ius istud vtrumq; vbi locum habeat. 1096.D
Ius inter patrem & filium quale? 1097.B.C.1098.A.1103.B.1111.C
Item inter dominum & seruum? 1097.C.1111.C
Inter coniuges dicitur œconomicum. 1097.A.1111.C
Inter ciues & Rempub. quale sit. 1098.A
Quale ius patris & filij emancipati. 1101.&c.
Ius propriè dictũ quas requirat conditiones & quot. 1113.A
Ius non est id quod contrapassum. 1162.D.& seq.
Ius humanum, vt sit æquum, quid requirat. 1367.A
Ius positiuum quomodo restringat ius naturale. 1406.C.D
Ius canonicum & ciuile an pugnent. 1550.C.D
De iure naturæ aliquid dupliciter dicitur. 1761.A

Iustitia.

Quid sit. 1092.D.1102.B.1104.D
Eius duæ partes. 1023.B
Quomodo in sacris literis accipiatur. 1092.A.& seq.
Est vna ex quatuor virtutibus cardinalibus. 1092.B. 1106.A
Eius munus. 1092.B.1093.B.C. obiectum. ibid.
Medium iustitiæ quodnam? 1093.D.& seq. 1119.C. 1659.D
Quot modis differat ab aliis virtutibus moralibus. 1094.D. 1659.D
Iustitia alia distributiua alia commutatiua. 1097.A. 1115.C. 1117.C
Non est propriè inter patrem & filium. 1098.D.& seq. 1100.A.1111.& seq.
Sitne virtus. 1104.C
Iustitia particularis quæ, & an specialis virtus? 1105.C.D.& seq.
Iustitia legalis siue generalis. 1106.
Respicit bonum commune. 1109.B.1111.B
Imperat omnibus virtutum actibus & quatione? 1112.A. 1117.B

Est præstantissima virtus. 1108.D.& seq.
Respondet prudentiæ politicæ. 1110.A
An propriè iustitia? 1112.B.C.D.& seq.
Iustitia particularis an virtus? 1114.B.C.D.& seq.
Alia propria alia impropria est. 1115.A
Iustitia legalis in principe & subditis an sit eiusdem speciei. 1116.D
Iustitiæ particularis materia quæ? 1117.C
Quibus actionibus contineatur & in quibus versetur. 1117.C.& seq.
Differentia iustitiæ ab aliis virtutibus moralib. 1119.D.& seq.
Quomodo dici possit versari circa dolores & voluptates. 1120.D.& seq.
An præferenda virtutibus intellectualibus? 1125.C
An ceteris moralibus. ibid. & 1124.D
Iustitia particularis qua ratione perfectior reliquis, quæ sunt ad alterum? 1125.D
Iustitiæ partes integrales. 1657.C.1658.A
Potentiales. 1662.C.& seq.
Iustitia in iuramento necessaria. 1879.B
Iustitiæ subiectum quod? 1122.B.C.D.& seq.
Iustitiæ commutatiuæ & distributiuæ differentia penes quid sumatur. 1158.C. 1161.D
Differunt specie. 1165.C.D.& seq.
Sunt species iustitiæ particularis. 1165.C
Earum æqualitates diuersam respiciunt speciem. 1166
Diuersis modis respiciunt dignitatem personæ. 1167.B.C
Earum materia duplex. 1168.B.C.D

Iustitia commutatiua.

In quibus operationibus versetur. 1117.C
Inter quos & quomodo constituat æqualitatem. 1159.C. 1162.B.1164.D.& seq.
Ordinat partes inter se per proportionem arithmeticam. 1161.D.& seq.
Est vnica specie specialissima. 1165.D
Partes eius. 1165.D. Laus & actus. 1166.A.B
Eius materia proxima quæ? 1168.D.& seq.

Iustitia distributiua.

Versatur in operationibus distributionum. 1117.C
Procedit proportione geometrica. 1158.C. 1159.C. 1162.B.1164.D. 1165.B. 1166.B.C. 1271.B. 1290.A
Differt à commutatiua. 1161.D
Ordinem constituit inter communitatem & partes. 1160.C.1161.A
Est in principe & subditis. 1162.A. 1301.A
Attendit dignitatem personæ. 1163.B. 1270.D
Eius æqualitas quot terminis contineatur. 1167.B.C
Materia proxima quænam? 1168.D

Iustitia vindicatiua.

Ad quem pertineat. 997.C
Quomodo differat à iustitia commutatiua & distributiua. 1166.D
An iustitia propriè dicta? 1167.A. 1662.D
An æqualitatem constituat. 1167.A. 1663.A.B
Quantam requirat satisfactionem. 1247.A. 1248.D

Iuuenes.

Iuuenes iusti infusam prudẽtiam habere possunt. 1060.C
Acquisitam perfectam habere non possunt. 1060.C
Possunt esse mathematici. 1060.D
Experientiam rerum particularium non magnam habere possunt. ibid.
Memoria non valent. 1066.C

Kemnitius.

Quale ponit fidei obiectum? 16.B.C
Vult suis non Patrum iudiciis credi in sensu sacræ Scripturæ. 87.D
Deprauator præ ceteris insignis testimoniorum sanctorum Patrum. 88.A
Ineptissimè interpretatur verba D. Petri epist. 2. cap. 3. quædam esse in epistolis D. Pauli difficilia, etc. 150.A
Sibi contradicit. ibid.
Concedit auctoritatem Ecclesiæ in examinandis fidei controuersiis. 205.A
Obiicit contra auctoritatem nonnullarum Scripturarum canonicarum. 324.A
Reiici cupit librum Sapientiæ. 324.D.325.A
Impugnat traditiones. 334.C.D.335.A.340.B.C.342.349.A.B.352.D
Mala fide ad hunc finem citat Patres. 356.C.D.& sequent.
Impugnat Concilia. 371.C.373.C
Male definit fidem. 445.C
Sacrilega eius præsumptio in Examine SS. Concilij Tridentini. 373.374.A.B.517.D
Improbæ eius excusationes. 517.D.518.A
Ieiunium omnino liberum esse voluit, nec in quadragesima abstinendum à carnibus. 2175.A.& seq.

Liber.

Libri Hæreticorum non legendi, sed comburendi. 562.A.B
Tales libros occultare capitale est. 562.B. Libri Canonici. vide Canonici.

Laicus.

Sempérne laicus excommunicetur si præsumpserit disputare cum hæreticis. 519.B.C.D
Nullus laicus potest confirmare Episcopum. 2289.D.& seq.
Laici non tam strictè obligantur ad eleemosynam dandam, atque Ecclesiastici. 809.D. 2316.B
Vtrum conficiant peculiarẽ statum in Ecclesia. 2245.B

Lex.

Lex naturalis non euertit, sed statuit inclinationem naturæ. 731.C.D
Prohibet appreciatiuè seipsum magis diligere quàm Deum. 731.D
Iubet quod est necessarium ad vitandam grauem offensam Dei. 732.A
Iubet diligere rempublicam plusquam seipsum. 732.A.B
Lex Ecclesiastica non destruit naturalem. 871.B. 984.B
Leges humanæ ordinariè & per se non obligant cum discrimine vitæ. 997.B
Lex quomodo dicatur norma iuris? 1090.A
Lex vt conuenit cum iure quid? 1090.C
Lex humana & naturalis differunt. 1096.A.B
Leges de omnibus præscribunt. 1106.D
Leges in præsumptione fraudis fundatæ quomodo obligent? 1209.C.D. 1210.A.B.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Legum solennitas requiritur vt contractus valeat, quomodo? 1210.B.C
Lex vt obliget requirit voluntatem legislatoris. 1287.A

Liberalitas.

Liberalitas est pars potentialis iustitiæ. 1662.D
In quo munere versetur? 1662.D
Quomodo deficiat à vera iustitiæ ratione? 1663.A.B
Quomodo differat à magnificentia? 1662.D. 1663.A

Liber.

Libri Iudæorum qui tolerandi, qui comburendi? 534.A.B
Libri hæreticorum comburendi, non legendi. 562.A.B
Libros tales occultare prohibetur sub pœna capitis. 562.B. *Libri Canonici. vide Canonici libri.*

Libertas.

Libertas numeratur inter bona fortunæ. 981.D
Differt ab aliis fortunæ bonis. 981.D
Libertas Christianorum in quo consistat. 2258.C

Liberum arbitrium.

Liberi arbitrij potentia non cadit in dominium hominis. 1346.A.D
Licet vita posterior, tamen omni dominio est prior. 1346.A
Est fundamentum omnis dominij. 1346.A. 1354.C. 1356.A

Lingua.

Linguæ peccata differunt ab aliis. 1445.B.C
Plerung, sunt leuiora ex defectu deliberationis. 1460.B. 1469.B
Æstimantur ex nocumento quod quis conatur inferre. 1465.A

Litaniæ.

Litaniarum de omnibus Sanctis quam antiquus vsus. 1707.D

Locatio & conductio.

Locatio & conductio quid? 1170.A.B
Non transfert dominum. 1171.A
Pertinet ad iustitiam commutatiuam. 1171.A

Longanimitas.

Quid sit. 2137.C

Lucrum.

Lucrum turpe dupliciter. 829.A.B. 1224.D. 1225.A
Lucra turpia quæ. 829. 830.A
Lucrum cessans & damnum emergens quid? 1490.A
Lucrum futurum est precio æstimabile. 1492
Lucri potentia remota non reputatur lucrum cessans. 1494.A.B
Lucrum cessans vt sit, requirit quatuor conditiones. 1494.& seq.
Lucri cessantis per pactũ compensatio est licita. 1494.C. 1600.C
Lucrum cessare quid? 1495.D
Lucri cessantis interesse expectandum diu cum ipsa capitali summa. 1496.C.D. 1497.A
Lucrum vsuræ vltra sortem dicitur fœnus. 1531.A
Est restituendum. 1531.B
Lucrum vsurarium duplex. 1563.A
Lucrum acquisitum ex vsurario lucro est restituendum. 1568.& seq.
Item lucrum annuum ex mutuo dato, saluo capitali. 1632.B. 1633.B
Modi, quibus hoc genus vsuræ contingit, quinq, sunt. 1633.B.& seq.
Contra quatuor sunt, quibus hæc lucra licita fiunt, nisi obstet ius positiuum humanum. 1635.D.& sequent. 1643.D. 1638.C.D. & seq.
Lucra huiusmodi sunt in praxi periculosa. 1642.C.D
Quæ restituenda. 1643.& seq.
Quæ ignorantia & quomodo excuset aliquando ab huiusmodi restitutione. 1644.A.B
Lucrum iusto titulo acquisitum non est restituendum. 1644.C
Dubius post adhibitam debitam diligentiam non tenetur restituere. 1644.C. 1645.B.C

Ludus.

Ludi lucrum quando legitimum? 829.D
Ludus debet esse voluntarius & ordinatus ad recreationem per Eutrapeliam. 829.D. 1232.D. 1234.A
Ludus illicitus ratione materiæ quis? 1233.A.B
Ratione circumstantiarum quis? 1233.C.D
Ludi laudabiles qui nam? 1233.D
Ad ludendum nemo dolo, vi vel prece est compellendus. 1233.D
Non ludendum cum minore, Religioso vel alio, qui alienare bona non potest, vt quis lucrum inde capiat. 1234.A. 1237.D
Qui ludi prohibiti lege humana. 1234.B.C
Nomine ludi alearum qui intelligantur. 1234.B.C
Recreationis causa huiusmodi ludis vti licet. 1234.C.D
Clerici si iis ludis vtantur peccant mortaliter. 1235.A. *laici non facilè.* 1235.B
Ludus est quasi quædam libera donatio conditionata. 1235.D.& seq.
An in ludo perdens coram iudicio soluere cogatur. 1236.B
Quæ fraus in ludo dominij translationem impediat. 1237.B
Potest quis licitè plus lucrari, quàm perdere potest. 1237.D.& seq.
An teneatur quis soluere, quæ promisit se soluturum, si ludo amiserit. 1238.C.D.& seq.
Ludi superfluitas quale peccatum. 2214.D

Lumen.

Naturæ lumine cognoscitur bonitas Dei erga hominum genus. 89.B

Lutherus.

Opponit se antiquis Patribus. 87.C
Cœlibatum aut continentiam obscænè negat esse possibilem. 109.B
Fatetur se à Deo vocatum vt resipisceret, sed restitisse. 116.C.D
Zuinglianos & omnes Sacramentarios vocat Hæreticos. 196.A
Gloriatur Christum à se primo vulgatum. 236.A
Impugnat distinctionem fedei formatæ & informis. 449.C.D. & seq.
Asserit omnes infidelium actiones esse peccata. 506.D. & seq.
Refutatur. 508.C.D.& seq.
Omnem timorem seruilem semper esse malum asserit. 621.C
Refutatur. 621.D.& seq.
Asserit sola infidelitate amitti gratiam. 706.B
Negat bellum contra Turcas esse licitum. 951.A
Vocat Romanos Pontifices Turcissimos Turcas. 962.C
Negat diuinam prouidentiam. 1682.C
Quantam vim tribuat solifidei? 1682.D. 1683.A
Orationem negligit. 1683.A
Irridet horas canonicas. 1727.B
Obligationem votorum. 1817.C

Lutherani.

Lutherani & Caluinistæ quàm inter se contendunt de sensu Scripturarum? 144.B. 149.B.C. 164.B. 211
Quàm bilingues atque etiam trilingues Grammatici. 144.B
Pro hæreticis se mutuò condemnant. 178.D
Lutheranorum & Anabaptistarum disputatio Basileensis. 340.A.B
Lutherani Eucharistiam negant esse institutam, vt adoretur. 1948.C
Sanctorum cultum idololatriam asserunt. 1950

Luxuria.

Habet vehementissimam delectationem. 587.A. 1076.D
Abstrahit animum à spiritualibus. 587.A
Inducit cæcitatem mentis. 587.A. 1076.D
Trahit ad desperationem. 633.C
Adducit secum vitia prudentiæ inimica. 1076.D
Quodnam & quale peccatum sit. 2224.D.& seq.
Eius species. 2225.C

Magistratus.

Illius est inquirere in maleficos. 2002.D. *quo modo?* 2003.B.& seq. *vide Iudex & Inquisitio.*

Magnanimitas.

Quænam virtus. 2136.B

Magnificentia.

Quid sit. 2136.D
Est pars potentialis iustitiæ. 1663.A
Deficit aliquo modo ab illa. 1663.A.B
Munus eius. 1663.A

Maledictio.

Quotuplex. 1466.C. *Eius obiectum.* 1471.A
Quæ licita, quæ non? 1466.C. & seq. 1468.A.C
Quomodo Iudices & Prophetæ dicantur maledicere 1467.C
Maledicere creaturis quale & quantum peccatum? 1468.D
Quæ res maledictionis sint capaces. 1469.A
Maledictio formalis quæ? 1466.C. *quantum peccatum.* 1469.B.C.D. 1470.C
Quid excuset vel augeat peccatum maledictionis. 1469.C.D
Maledictiones parentum quare à filiis timendæ? 1470.B.C
Maledictio specificans malum vel mortem quale peccatum. 1471.B
Maledictio formalis & imperatiua num maius peccatum quàm detractio? 1471.B.C
Maledictio imprecatiua quænam? 1471.B

Maleficium.

Quid sit. 1985.A
Quomodo dignosci possit. 2005.A
Quot sint genera maleficiorum. 2005.B

Malefici.

Quomodo & quando capiendi & puniendi? 2008.A. & seq.
Qua ratione inquisitio in illos instituenda? 2004.A. & seq.
Quis processus cum illis seruandus? 2009.C.& seq.

Malum.

Malum morale positiuum non datur. 515.D
Malum pœnæ quale? 717.B.C. 720.B
Malum variè accipitur. 775.A.B
Non faciendum in bonum finẽ. 784.B. 1012.C. 1014.C. 1321.B. 1322.A
Nec vnquam vt fiat suadendum aut consulendum est. 1574.C.D. & seq.
Oritur ex quocunque defectu. 913.D. 949.C. 1003.B.C. 1171.B. 1660.D
Mala aliqua quomodo in Repub. permittenda? 533.A.C

Manichæi.

Fidem euidentem esse dixerunt. 69.A. 390.A. 479.C
Neminem vnquam ad dandam eleemosynam obligari. 804.A
Bellum esse illicitum. 950.B. 952.D
Negârunt licere animalia occidere, vel herbas mortificare. 1309.A.B
Cultum Sanctorum improbârunt. 1950.A
Carnes immundas esse dixerunt. 2168.C. & seq. 2180.B. & seq.

Mansuetudo.

Quænam & qualis virtus. 2156.C

Marcus Bragadinus.

Alchimiam, quam tractauit, inanem impostu ram esse confessus capite plexus est. 1999.B

Maria Virgo.

Perpetuam seruauit castitatem. 159.B. 359.A
Post Christum omnium angelorum & hominum maximam habuit charitatem & gratiam. 687.A
Habuit votum castitatis. 2342.C

Martianus imperator.

Papæ primatum agnouit. 283.D. 287.B
Conciliorum auctoritatem muniuit. 373. 374.A.B. 287.B
Leges tulit de morte afficiendis hæreticis. 557.B. 517.A.B
Hæreticorum libros concremari iussit. 562.C

Martyrium.

Quantus & cuius virtutis actus. 674.B.C. 1127.A
Est quasi quidam baptismus. 798.B
Subiturus Martyrium quomodo se parare debeat. 1029.A
Quid sit? 2126.A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quas conditiones siue causas requirat & quot? 2127.B. & seq.
De eius efficacitate. 2130.D. & seq.
An per illud remittatur peccatum mortale quoad culpam ex opere operato. 2123.B. & seq.

Massiliani hæretici.

Solam orationem sine baptismo ad salutem sufficere dicebant. 1681.D
Sine vlla intermissione orandum esse. 1724.A.B
Ecclesias esse nullius vtilitatis. 1752.D

Matrimonium.

Quid sit. 416.B
Quando non valeat. 317.A
Quando dissoluatur, si alter conuertatur ad fidē. 543.D. & seq.
An sit validum, si alter coniugum taceat vitium in qualitate personæ suæ, quod si alter sciuisset, non contraxisset. 1516.D
Matrimonij contractus debet esse liberrimus. 1517.A
Est status imperfectior, quàm cœlibatus. 1804.A.B
Quomodo possit esse materia voti. 1804.C.D. & seq.
An possit esse alicui vtilius, quàm cœlibatus. 1804.C. 1807.D
Matrimonium initiatorum sacris statuto Ecclesiæ impeditur. 1832.C.D. & seq.
Quomodo etiam naturali & diuino? 1837.A

Medicus.

Potest curare ægrotum die festo. 991.C
Quid ipsi liceat in morbis desperatis. 855.B.C
Debet pauperes gratis curare. 1435.C. 1436.C
Eius opera vnde æstimanda? 1617.D

Melanchthon.

Superstitionis condemnat S. Dionysium. 91.A
Asserit omnes infidelium actiones esse peccata. 506.D. & seq.

Melissus.

Rex fuit Cretensium, auctor idololatriæ. 1941.D

Memoria.

Radix experientiæ. 1062.B
Pars integralis prudentiæ. 1062.D. 1065.D
Ad memoriam firmandam præcepta aliquot. 1066. A.B.C
In quibus vigeat. 1066.C.D
Necessaria est ad consultationem. 1074.B

Mendacium.

Nunquam licitum. 737.C
Quando in reo respõdente iudici mortale. 1395.B. & seq.
In quo consistat. 1403.D
Genere suo non est mortale. 1430.C

Mercator.

Negotians in loco sacro quomodo peccet. 830.C

Merces.

Accepta ratione officij quando restituenda? 1218
Datur per iustitiam commutatiuam. 1275.C
Eius intuitu bene operari bonum est. 761.D. & seq.

Meretrix.

Acquirit rerum dominium ex turpi causa. 830.C. 1192.B. 1225.D
Extorquet donationem non liberam. 829.C
Non peccat contra iustitiam accipiendo mercedem. 830.C. 1192.B
Non debet ad altare offerre ex lucro meretricio. 830.D. 1221.B. 1224.C. 1765.D. & seq.
Non tenetur ad restitutionem mercedis. 1192.B. 1222. & seq.
Tenetur militi donum restituere. 1220.B
Vsus corporis dominium habet. 1226.B
Meretrix quæ vocetur in iure. 1226.B
Vtrum tam ex occultis, quàm ex publicis actibus possit mercedem accipere & retinere. 1226.D. & seq.
Quomodo liceat illi domum locare. 1527.D. 1578.C

Meritum.

Quale debeat esse. 76.C
In quo consistat eius ratio. 698.C
Ex quo dignitas eius spectetur. 764.A.B
Non est in sola declinatione à malo. 1660.B
Merita hominum sunt Dei beneficia. 1273.C
Quomodo diminuantur. 1815.C.D

Miles.

Non tenetur examinare causam belli. 967.C.D
Dubius debet parere principi. ibid. & seq.
Non subditus dubius militare non debet. 968.B.C
Non curans iustitiam belli est in statu peccati mortalis. 968.C
Debetur illi stipendium ex iustitia. 979.C.D. *Illo contentus esse debet.* ibid.
Quomodo se gerere debeat in bello. 979.D
Iure possidet bona mobilia capta in bello. 980.B
Quomodo se gerere debeat erga inuasorē. 998.C. 1330.D. 1331.A
Non excommunicatur si inuasor, quem occidit, fuit clericus. 1331.A
Quomodo exceptus ab ordinario iudice loci. 1375.A

Miracula.

Fiunt diuinitus ad confirmandam Christi fidem. 97. & seq. 230.D. 471.C.D
An faciant infallibilē certitudinē de vera Ecclesia. 99.B
Miracula falsa à quibus fiant. 99.D. & seq.
Quomodo deprehendantur. 100.B
Miracula Antichristi qualia futura sint. 101.B
Nulla fecerunt Hæretici nostri, Catholici multa. 231.B
Per miracula Deus suis tribuit auctoritatem. 232.A.B. 471.C.D
Fuerunt necessaria ad fidem introducendam. 232.C
Miracula ad sepulchra & reliquias Martyrum & aliorum Sanctorum. 1708. & seq.

Miseria.

Est materia misericordiæ. 774.D. 778.C.D
Quomodo sit miserabilis & miserentis. 775.C.D

Misericordia.

Deo naturalis & maximè propria est. 634.D. 779.D. 780. & seq.
Non est simpliciter præstantissima virtus. 674.C
Quomodo Deum imitetur. 674.C
Est communicatiua boni ad subleuandam alienam miseriam. 674.C. 779.D
Definitur. 772.B. 773.B. 774. & seq.
Subiectum eius. 774.C
Obiectum motiuum. 774.C.D. 775.B. 778.B
Misericordia Christi qualis. 776.A
Qui misericordia moueantur, qui non. 776.B. & seq.
Sine distincta virtus à cæteris. 778.A. 779.A.B
Quomodo maior vel minor charitate. 779.D. & seq.
Misericordiæ actus quomodo effectus charitatis. 787.B
Misericordiæ quænam & quotuplicia opera. 790.B. 791.B
Misericordiam immisericors non meretur. 804.D
Maximè conducit ad vitam æternam. 1073.A
Est perfectior particulari iustitia. 1125
Misericordia diuina respicit maximè ad peccatores. 1698.D

Missa.

Missæ sacrificium explicatur. 1681.A.B
Offertur soli Deo. 1749.B.C
Missam audire & horas canonicas recitare vtrum quis simul possit ita, vt satisfaciat. 1738.A
Missæ præponendum matutinum. 1739.D

Modestia.

Quid sit. 2157.A

Molinæus.

Vsuram licitam esse defendit. 1535.C.D
Refutatur. 1536. & seq.

Mollities.

Quidnam & quale peccatum. 2143.A. 2233.B
Varia significata eius. ibid.B
Mollities siue pollutio quando & quale peccatum. 2233.B. & seq.
Quomodo dignoscēdum sit, vtrum voluntaria sit. 2233. & seq.

Monarchia.

Optimum regimen. 270.271
Facilè degenerat in tyrannidem. 541.A

Monopolium.

In emptione & venditione prohibitum est. 1480.C.D
In Cambio etiam vitandum. 1618.A

Mons pietatis.

Quid sit. 1615.C.D
An licitus. 1615.C.D. & seq.
Administratio & dominium illius pecuniæ ad quem pertineat. 1616.C.D

Motus.

Motus inferiorū aliis proprius, alius participatus. 389.B
Motus aqua proprius deorsum, ex motu lunæ fluxus & refluxus. 389.B
Motus intensionem suam & significationem vnde accipiat. 753.B

Moyses.

Quomodo petat deleri ex libro vitæ. 739.A.B

Mulier.

Mulieribus an in bello semper parcendum. 976
An & quomodo adultera teneatur se prodere, ne spurius sit hæres cum filiis legitimis. 1254.D. & seq.

Munditia cordis.

Est vna ex beatitudinibus. 492.C
Peculiari ratione effectus Spiritus sancti. 492.C

Mutilatio.

Mutilatio alicuius membri in quot casibus permissa? 1334
Origenes reprehenditur, quod se castrauerit. 1334.C
Quid sentiendum de Sanctis, qui se mutilarunt. 1335.B
Patri filium, & domino seruū mutilare non licet. 1335.C

Mutus.

Quomodo & quando possit esse aduocatus. 1434.B.C

Mutuatarius.

Quisnam dicatur. 1530.A
Ad quid obligetur danti mutuum. 1555.C.D. & seq.

Mutuum.

Quidnam? 1170.A. 1531.C. 811.C
Vbi præceptum eleemosynæ obligat, mutuum non sufficit. 811. & seq.
Quando suppleat locum eleemosynæ. 812.A.B. 822.D
Plerumque sit cum incommodo mutuò dantis. 823.B
Transfert dominium. 1171.A. 1539.A. 1551.C.D
Est actus iustitiæ commutatiuæ. 811.C
Ratione mutui non licet mutuatarium ad aliquem contractum obligare. 1507.B
Mutuum quando iustum? 1530.A.B
Quarum rerum sit. 1531.C
Est fedus & fundamentum vsuræ. 1531.C. 1655.A
Quot modis possit quis mutuū petere sub vsura. 1570.A. & seq.
Mutuum petens an & quomodo possit cooperari peccato vsurarij. 1570.D. & seq.
An in necessitate petens, eius peccato cooperetur. 1572.B.C.D
In qua necessitate sit licitum petere. 1573.A.B.C
Quomodo in extrema necessitate liceat vsurarium inducere ad vsuram. 1573.D. & seq.
Mutuum petens ab vsurario illicitè, peccat petendo & auctarium soluendo. 1576.A
Mutuum petens ab vsurario sine rationabili causa cooperatur eius peccato. 1579.C.D
Mutuum quando esse dicitur. 1598.C
Differt à cambio. 1604.C
Mutuum dare, & annuatim aliquid accipere saluo capitali; est vsura. 1632.B. 1633.B. 1634
Fit hoc quinque modis. 1633.B. & seq.
Mutuò dans potest aliquid vltra sortem accipere ex decem causis. 1649. & seq.
In aliis decem causis prorsus non licet. 1654. & seq.

Natura.

Naturarum dignitas potest variè æstimari. 1162.B.C. 1478.B.C

Necessarium.

Quoad actus exercitium & specificationem quid? 312.C.D. 400.D. 410.C. 423.D. 712.C. 713.A
Necessarium necessitate præcepti, medij & obiecti quid. 386.D. 389.D. 397

Necessitas.

Quoad exercitium actus. 312.D
Quoad specificationem. ibid.
Necessitas spiritualis & temporalis triplex. 744.C
Necessitatis extremæ spiritualis proximi quatuor casus. 746. & se

Universidad de Deusto
Biblioteca

Necessitatis extremæ quanta vis? 784.A.B.785.A.B
Necessitatibus corporalibus proximi, quibus, quomodo & quando subueniendum. 814.& seq.
Necessitas extrema facit omnia communia. 826.D. 1252.D. 1253.A. 1367.D
Quænam sit extrema necessitas indicanda. 1367.C.D

Negligentia.

Definitur. 1075.A
Opponitur solicitudini prudentiæ. 1075.A.B
Negligentia legendi & audiendi mater imprudentiæ. 1067.B
Quæ vitia sub se contineat. 1075.B
Quantum aggrauet vel mutet speciem peccati. 1076.C

Negotiatio.

An lucri causa sit licita. 1525.C. 1527.A
Cur habeat speciem turpitudinis. 1525.D
Quomodo laudabilis, quomodo indifferens? 1525.D.& sequent.
An aduersetur perfectioni virtutis. 1526.B
An est commoda Reipub. 1526.B.C
Quomodo illicita ex parte rei venditæ? 1526.D
Quibus personis illicita? 1527.A.B
Quomodo illicita ex parte ementium? 1527.C
Quomodo ratione loci? 1528.D
Temporis & modi. 1529.B
Non est per se illicita propter periuria, quæ in ea committuntur. 1529.C.D
Cur & quomodo reprehendatur à sanctis Patribus. 1529.C.D

Necromantia.

Quid sit. 1976.C

Ninus.

Fuit Rex Babyloniæ auctor populo illi idololatriæ. 1942.A

Nomen.

Vnde imponi soleat. 240.D.& seq.
Nominum mutatio antiquitus aliquid singulare significabat. 240.C.D. 241.245.B.250.C.D

Nörenbergenses.

A Carolo V. petunt sibi restitui confessionem auricularem. 94.C

Nota.

Notæ Ecclesiæ secundum hæreticos quot sint. 193.& seq.
Notæ Ecclesiæ quales debeant esse. 196.C.D
Quid requiratur ad rem quampiam vt nota dicatur. 198.C.D. 199.D. 200.A. 207.B.C.D
Notæ rei debent esse accidentia clariora. 202.A. 207.B
Quid rationem notæ tollat. 207.C.D
Notæ Ecclesiæ possunt esse nunc, quæ olim non fuerunt, & contrà. 207.C. 208.A
Notæ Ecclesiæ sex numerantur. 208.D.& seq.

Nouitas.

Non conciliat auctoritatem doctrinæ. 111.D.& seq.

Nummus.

Quare inuentus? 1164.B. 1476.A.B
Nummos primus signauit Seruius Rex Romanorum, impressa pecudum forma. 1476.B.C

Numularius.

Quis dicatur. 1610.A
A quo iure recipiat stipendium laboris. 1610.A

Obedientia.

Quomodo virtus generalis vel specialis? 1119.B. 1129.A
Impropriè est quædam iustitia. 1395.A
Obligat ad mentem superioris. 1406.B
Reuocatur ad obseruantiam. 1662.D
Quænam & qualis sit virtus. 2092.D
Quàm præstans. 2097.A
Quibus & quatenus obediendum? 2097.D.& seq.
Religiosi quomodo contra votum obedientiæ peccent. 2354.C
Obedientiæ votum quomodo in Scripturis? 2342.D
Ex tribus religionis votis, obedientiæ potissimum & essentiale. 2348.B

Obiectum.

Obiectum primarium & formale habitus cognoscitiui quodnam? 17.B
Obiectum alicuius virtutis moralis quid? 1093.A

Oblatio.

Oblatio primitiarum vnde & quibus fiat. 1763.A.B
Oblationes primitiarum quomodo liceat adhuc facere. 1763.D.& seq.
Oblatio quomodo differat à sacrificio. 1755.C.D. 1764.A
Oblationes in lege Euangelica possunt esse debitæ ex quatuor causis. 1764.A.B
Quomodo debitæ in missa? 1764.C
An possint puniri non offerentes, vel à sacerdote priuari Sacramento. 1764.C.D
Oblationes factæ in aliquo loco, cedunt rectori loci. 1764.D
Quomodo possint Religiosi oblationes accipere. 1765.A
Oblationes consecratæ nullo modo possunt cedere in vsus secularium. 1765.A.B
Voluntariæ fiunt ad arbitrium offerentium. 1765.B.C. aliæ non item. ibid.
Oblatio vitiosa triplici ex causa mala esse potest. 1765.D
Oblatio de quibus rebus fieri possit. ibid.
Primitiarum oblatio num aliquo iure vel præcepto debita? 1766.C
Oblatio primitiarum vel decimarum quomodo possit alicubi tolli. 1766.C

Obseruantia.

Quæ & qualis virtus? 2090.B.& seq

Obseruatio vana seu superstitiosa.

Quomodo differat à diuinatione. 1983.D
Quotuplex? 1985.B
Vnde dignoscatur. 1987.A.& seq.
Quando venialis vel mortalis. 2002.A

Obstinatio.

Quale & quantum peccatum? 584.B.D

Occisio.

Occisio hominis quomodo licita vel illicita. 1308.A. 1310.D.& seq.
Quanam occisio prohibeatur quinto præcepto. 1310.D.& seq.
Occisio hominis vt sit licita, quot conditiones requisitæ? 1311.C
Occisio innocentis quomodo & quando licita? 1313.C.D.& seq.
Quomodo in bello liceat occidere innocentes. 1314.C
Quare occisio sui ipsius prorsus prohibita? 1316.& seq. 1415.B. 1317.A.A. 1320.& seq.
Auctore Aristotele occisores sui priuantur sepultura. 1317.B. 1319.C
Quale & quantum peccatum. 1319.A.& seq.
Quomodo quidam in sacris literis laudentur, qui sibi violentas manus intulerunt. 1323
Occisio Malefactoris cui & qua auctoritate permissa? 1324.A.B
Occisio Tyranni quomodo cuique priuatæ personæ licita? 1324.C.D

Occisio adulteræ. *vide Adultera.*

Occisio malefactoris vtrum ante latam sententiam possit cuiquam permitti. 1325.B.C.D
An post latã sententiam reus se defendere possit. 1325.C
Quibus Clericis prohibita sit occisio sub mortali, quibus sub veniali. 1325.D.& seq.
An quando quis aliter vitam suam defendere non potest, possit alterum occidere, & quomodo. 1326.D.& seq.
An possit vel etiam debeat aliquãdo sui defensionẽ prætermittere, & sese in mortẽ offerre. 1329.C.D.& seq.
Occisio inuasoris bonorum temporalium quando licita. 1330.A.& seq.
Militi vel nobili licet ad defendendum honorem, inuasorem potius occidere, quàm turpiter fugere. 1330.D.& seq.
Occidere licet propter castitatem conseruandam. 1331.B
Occidens rerum temporalium inuasorem est irregularis. 133.B.C
Homicidium aliud per se intentũ, aliud casuale. 1332.A
Homicidarum pœnæ. 1332.& seq. *vide Irregularitas.*
Homicidium quantum peccatum. 1460.A
Occisores inuoluntarij non puniuntur. 1332.C
Quomodo qs seipsum possit indirectè occidere. 1417.A.B

Odium.

Quid sit. 720.A
Odium Dei quantum peccatum. 505.B. 538.D. 539.B. 633.B. 903.B.C.D. 904.A.B. 906.A. 941.A
Odium amici est maius peccatum, quàm odium inimici. 763.D
Odium abominationis quid? 898.A.& seq. 899.B. 903.D
Odium inimicitiæ quid? 898.A. 899.B
Odij obiectum quodnam? 898.A.B.& seq.
Odium proximi quomodo licitum. 900.C. 902.C.D.& seq.
Odium an in omni peccato inueniatur. 904.A.B
An speciale peccatum in Spiritum sanctum? 904.A.B
Odium proximi, quomodo maximum peccatum contra proximum? 904.C.D.& seq.
Cur non numeretur inter peccata capitalia. 906.A
Vnde oriatur. 906.B
Odium Dei & proximi quomodo diuersæ speciei? quomodo eiusdem? 906.C.D.& seq.
Odium proximi quomodo possit esse duplicis speciei. 907.D. 908.B. 909.A.B
Odium Dei an vnius speciei? 908.D.& seq.
Est genere suo peccatum mortale. 909.C
Quando non? ibid.
Refugit bonum diuinum in se. 913.D
Est circa malum absolutè. 920.A
Differt ab inuidia. 920.A
Odij obiectum quodnam? 1471.A.B

Officium.

In officiis secularibus potest contingere personarum acceptio. 1289
In his habet locum iustitia commutatiua. 1280.B.C
Officia secularia an semper & ordinariè possint vendi. 1290.B.D
Pertinent etiam ad iustitiam distributiuam. 1289.D
Quomodo digniores tantùm præferendi? 1289.D.& seq.
Officiorum secularium stipendia quomodo & à quo possint minui, augeri vel auferri, &c. 1290.C.D
Quæ conditiones requirantur ad tollendam personarum acceptionem. 1291.A.B
Quales debeant esse officiales. 1291.B. *vide Acceptio personarum.*

De Statibus. *vide infra suo loco.*

Omissio.

Vt voluntaria sit, quid desideretur. 500.B.C
An minus peccatum, quàm commissio? 1659.A
Quomodo opponatur virtuti. 1659.A. 1661.D
Omissio mali implet præceptum negatiuum. 1660.C
Omissionis peccatum includitur aliquando in transgressione. 1661.A.B.C

Ordo.

Ordo graduum, officiorum & rerum omnium in Ecclesia. 110.B.C. 225.& seq. 233.D.& seq.
Quomodo hic ordo nobis significetur. 183
Ordo Ecclesiæ in quo potissimum consistat. 183.D. 225
Conuenit soli Romanæ Ecclesiæ. 226.C
Ordinũ Ecclesiasticorũ officia & discrimina. 234.& seq.

Organum.

Organorum vsu quomodo peccatum existere possit in Ecclesia. 1919.B

Originalis iustitia.

Quomodo hominis naturæ debeatur. 512.A.B

Originale peccatum.

Quid sit. 501.C.D.& seq.
Non tollitur per baptismum secundum hæreticos, sed tantùm cooperitur. 112.B. 146.B

Origenes.

Reprehenditur quod seipsum castrauerit. 1334.C
Eius discipuli vim orationis pernegarunt. 1682.B

Opera.

Opera bona moraliter esse in infidelibus probatur. 508.& seq.
Consistere posse sine fide. 509.C
Non prodesse impio ad vitam æternam. 509.D. 512.A
Vt sint moraliter bona quid requirant. 510.512.B
A peccato originali non coinquinantur. 512.A
Necessaria sunt ad vitam æternam, & quo modo. 601.& seq.

Quomodo sint causa salutis. 603.A.B
Quomodo beneficiant intuitu mercedis. 761.D. & seq. 763.A
Opera misericordiæ quænam? 790

Opinio.

Quid sit. 76.D
Positne simul esse cum scientia. 76.D.81.C
Opinio & fides humana an differant. 82.A
De quibus rebus sit. 1058.A

Oppignoratio.

Quid sit. 1170.B
Non transfert dominium. 1171.A.1268.A
Quomodo sit actus iustitiæ commutatiuæ. 1171.A
Pignora iure naturali restituenda sunt. 1268.A

Oratio.

Oratio dominica explicatur. 1691.D.& seq.78.D.175.D. 1688.A.1698.B.1714.D
Quomodo fide tenenda? 416.C
Oratio describitur. 1677
Quarum potentiarum actus? 1677.D
Est actus proprius creaturæ rationalis. 1678.B
Item religionis. 1678.C.1679.C.D.1699.C
Quomodo versetur circa agibile. 1678.C.1679.B
Oratio communis & particularis. 1680.B
Mentalis & vocalis. 1680.C
Quid obsecratio & oratio propriè dicta? 1680.D
Errores circa orationem. 1683
Orationis necessitas ostenditur. 1683.& seq.
Orationis præceptum quando obliget. 1684.D
Orationem diu intermittens potest mortaliter peccare. 1685.A
Eius triplex efficacia. 1685.C.D.& seq.
An hæc efficacia semper cum illa coniuncta sit. 1686.C.D
Orationis propria est impetratio. 1687.A
Orationes debitas Deus semper exaudit. 1687.B
Bonæ orationis conditiones quænam? 1687.B. 1698.B. 1720.B.C.1721.B
Oratio Dominica continet omnia, quæ à Deo petenda sunt. 1691.C.D
Constat tribus membris. 1691.D.& seq.
Septem petitionibus. 1692.B
Quare quinque tantùm posita à S. Luca? 1695.A
Qui Patres orationem Dominicam explicarint. 1695. C.D
Quæ oratione determinatè petenda? 1691.C. 1696.A
Omnibus omnino orandum est. 1698.A.B
Orationis virtus in impetrando nititur misericordia Dei. 1698.D
Oratio præsciti aliquando bona. ibid.
Oratio quomodo non accepta Deo? 1699.A.B
Ex se bona est. 1699.C
Quomodo offerenda Deo? quomodo Sanctis? 1700.D
Orationes ad Sanctos commendantur. 1707. & seq.
Pro quibus orandum? 1714.D. 1715.C
An vt omnes salutem æternam consequantur? 1715.D
Oratio nulli in particulari neganda. 1715.D.1717
Quomodo & quando orandum pro inimicis & persecutoribus? 1718.C.D
Quis modus orandi? 1720.& seq.
Qualem attentionem requirit? 1720.C.D. 1723.D
Orare quis potest se vestiens, &c. 1720.C
Quomodo acquirenda attentio. 1720.D
Oratio priuata mente vel voce fieri potest. 1721.C. 1722.A
Orationis vocalis tres vtilitates. 1721.D
Formulæ orationis. 1722.C
An septem petitiones orationis dominicæ ordine sciendæ. 1722.D
Orationi instandum est. 1723
Orant bene latinè, qui latinè non intelligunt. 1723.D
Oratio est vtilis quouis tempore. 1724.A
Dicitur tripliciter continua. 1724.C.D
Potest fieri quocunque modo, gestu, &c. piè & bene. 1725.B.C
Antiqui quomodo orauerint. 1725.B
Orandi decens modus. 1725.C.D
Orare sine attentione quomodo aliquando liceat. 1738. C.D
Oratio quomodo differat à iuramento. 1869.D
Orationem aliqui necessariam dixerunt ad mutandam Dei prouidentiam. 1683.A
Eius vim negârunt nonnulli hæretici. 1683.A

Paganismus.

Quidnam sit. 514.D. & seq.516.C
Duæ species. 516.A
Extensiuè maius est vitium quàm Iudaismus vel hæresis. 516.C

Parcitas.

Quid sit. 2159.B

Parentes.

Magis diligendi quàm filij & amici. 755.A.B.C
Æquale ipsis reddi nequit, & quam ob causam. 755.A.B
Parenti quomodo interdum liceat præferre amicum. 755.B.C
Quomodo magis vel minus diligendi, quã coniunx? A.B

Partes.

Integrales quænam? 1062.C
Subiectiuæ quæ? 1063.C.D

Pascha.

Cur celebretur die dominico. 159.B.C.304.D

Patientia.

Describitur. 2137.A

Pastor.

Debet ali à populo. 1277.C
Eius officium. 360.C.570.D
Quamdiu duret. 276.A
Tempore pestis pastor debet adesse gregi suo, & Sacramenta administrare. 747.C
Officio tunc se abdicare nequit. 747. *nisi alius sufficiens adsit.* 747.D
Tenetur animam ponere pro ouibus. 810.A
An gregem suum possit deserere & quærere alium. 1282.B.C

Pater.

In diuinis ingenitus credendus est, licet hoc in Scriptura non exprimatur. 159.A.B
Dicitur fortitudo. 582.C

Patres.

Patres antiqui quare in quibusdam aliquando errauerint. 310.A.375.D.379.B
Aliquorum scripta magis approbata, quàm aliorum. 309.D.& seq.
Quod vnanimi consensu circa religionem tradunt, infallibiliter tenendum est. 374.D. 375.D. 376.C. 377.B.D.& seq.
Sunt idem in Ecclesia, quod oculi in humano corpore. 374.D.377.C.398.D
Patres Ecclesiæ quinam censendi? 376.D.377.& seq.
Quanta eorum debeat esse auctoritas. 376.D.& seq.
Patrum omnium consensus quomodo intelligendus? 378.C
Quomodo non possint omnes errare. 378.C
Patres & Doctores Ecclesiæ debent plura credere, quàm alij. 399.D
Debent defendere fidem contra hæreticos. 399.D.& seq.

Pater.

Pater spiritualis an magis diligendus, quàm carnalis, & quomodo. 754.C.D.& seq.
Pater coniunctior & magis diligendus, quàm filius. 755.C.D. *& mater.* 756.D
Filius debet potius patri subuenire, quàm sibi. 755.A.D
Pater quibus pœnis posit filios suos punire. 881.C.D
Tenetur aliquando punire filios. 881.D
Potest filios suos verberare, non mutilare. 1335.C
Quomodo se debeat gerere erga filios. 1336.A
Potest aliquando licitè vendere filios. 982.C.1526.D

Paruificentia.

Quid sit. 2142.D. *quando peccatum mortale.* ibid.

Paupertas Religiosa.

Quomodo Religiosi peccent contra votum paupertatis. 2352.C.& seq.
Virum Religiosi facti Episcopi liberentur à voto paupertatis. 2325.B

Pax.

Quid sit. 768.D.769.D
Quando quæratur bello. 768.D. 955.A.B. 960.C.D
Ad pacem quanta consensio requiratur. 769.C.771.D
Qualis sit consensio. 770.A.B
Quomodo vltimus finis noster. 770.B.C
Est effectus charitatis. 770.C.771.A.B.C
Numeratur inter beatitudines & fructus Spiritus sancti. 771.D
Omnia suo modo pacem appetunt. 771.D
Hac nihil expetibilius. 772.A.928.D
Non omnis bona est. 929.A.B
Complectitur omnem consensionẽ cum proximo. 930.D

Peccator.

Quomodo odio habendus. 714.D
Quomodo diligendus. 719.& seq.
Quomodo licitum illi imprecari mala, quomodo non? 719.B.C.D.& seq.

Peccatum.

Non tollitur baptismo secundum hæreticos. 146.B
Peccatum mortale non potest consistere cum gratia. 146.C.706.A.B
Peccatũ aliquando dicitur inclinatio ad peccatũ. 146.C
Dicitur contra naturam. 391.D. 731.A.B
Peccatum contra naturam in quo consistat. 2232.D
Eius species. 2233.A
Peccatũ in quo formaliter consistat. 505.B.506.B.705.D
Veniale non aufert gratiam. 509.D.707.C
Peccatum in Spiritum sanctum quomodo blasphemia? 582.D
Quid sit. 581.D.582.C.583.D.584.B
Eius sunt sex species. 544.B.D
Peccatum in Spiritum sanctum an posit esse primum. 585.A
Quomodo dicatur irremißibile. 585.B.586.A.B
Quomodo peccata sint diuersa specie. 620.C
Peccatũ mortale quomodo corrũpat gratiam. 706.A.B
Peccatum veniale potest consistere cum actu meritorio. 710.D.711.A.B
Quomodo impediat opera charitatis. 711.D
Disponit ad mortale. 737.D
Peccatum quomodo inuoluntarium. 775.A
Quodnam publicum vel occultum dicatur. 870.C.D
Quæ peccata ad superiorem deferenda. 872
Peccatũ aliud alio grauius dupliciter. 904.C.D.& seq.
Peccata contra Deum & proximum quomodo differant natura sua. 906.C
Discrimen commißionis & omißionis. 906.D
In omni peccato commißionis est priuatio perfectionis debitæ inesse. 907.C
Peccatum directæ & indirectæ intentionis quando eiusdem speciei? 1008
Peccata per defectum oppositæ prudentiæ quot? 1072.C. 1073.C.& seq.
Per excessum quot? 1077.& seq.
Continẽtur sub generica ratione imprudentiæ. 1075.C.D
Differunt inter se specie, & sunt explicanda speciatim in confessione. 1076.A
Omnia peccata mortalia possunt dici aduersari prudentiæ & charitati. 1076.B.C
Oriuntur maximè ex luxuria. 1076.D
Peccata contra iustitiam commutatiuã quomodo sunt inter se specie distincta? 1171.B
An multiplicentur ex multiplicitate præceptorum, vel quomodo. 1178.C.D
Quomodo habeant duplicem rationem specificam. 1362.B.C
Peccati grauitas ex quo metienda? 1396.C.D
Peccatum ex genere mortale, quomodo non possit fieri veniale. 1444.& seq.
Veniale ex genere quomodo possit fieri mortale. 1444.D & seq.
An peccata, quæ fiunt verbis vel signis differant ab iis, quæ fiunt factis. 1445.B.C
Peccatum mortale incautè loquendo potest incurri. 1446.A.B
Peccata linguæ ex quo æstimentur. 1465.A
Peccati locum licet permittere, non suppeditare materiam. 1527.D
Peccatum essentialiter in quo consistat. 1534.D
Peccato alieno quomodo quis possit cooperari. 1571.D
Peccato alterius cooperari quid sit. 1576.D.& seq.
Peccato alterius qui indirectè cooperatur, peccat. 1578

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccata omissionis & commissionis quomodo sint specialia peccata. 1658.C.D
Peccatum commissionis quomodo grauius peccato omissionis. 1659.A
Commissio & omissio quomodo opponantur virtuti. 1659.A. 1661.D. 1662.A.B
Peccare nunquam non possibile? 1796.C
Peccata tot specie sunt, quot violantur rectitudines specificæ. 1819.C
Opponuntur peccata virtutis rectitudini. 1819.D
Esse in periculo peccandi quid sit. 2295.B

Peculatus.

Quid sit. 1359.C

Pecunia.

Vnde dicta?
Pecuniæ sunt æquales rebus. 1477.A.C. 1606.A
Pecuniæ nouæ valor vnde æstimandus? 1477.D
Pecunia vnico vsu consumptibilis est. 1510.B
Quomodo & cui fructifera? 1540.A.C
Pecunia quæ res dici possit. 1554.C
Pecuniarum quanta diuersitas? 1604.A
Pecunia pro qua re, & quomodo permutari possit. 1606.& seq.
Pecunia aurea quomodo possit commutari cum pecunia vilioris metalli. 1607.A
Vnde valor pecuniarum augeatur vel minuatur. 1608.A.B

Pelagiani.

Ad quid requisierint baptismum paruulorum. 407.C
Omnia Dei præcepta viribus naturæ seruari posse putârunt. 480.B
Charitatem acquiri viribus nostris. 678.A.C
Fidem à Deo infundi concedebant. 678.C
Gratiam semel habitam non posse amitti. 701.D.& seq.
Rerum dominium inter Christianos abrogabat. 1349.B
Orationem inutilem esse dicebant. 1682.A.B

Perfectio.

Omnis perfectio simpliciter simplex Deo tribuenda. 62.B
Perfectio summa quotuplex? 62.B
Perfectio absoluta ita tribuitur vni tantùm personæ in diuinis, vt non includatur ab alia eiusdem naturæ. 355.C

De statu perfectionis. *vide Inferius.*

Periurium.

Quid sit. 1396.B. 1821.B
Quomodo peccatum mortale, & quomodo interdum excusetur. 939.D. 1396.C. 1820.D. 1821.B
An committatur, quando non seruatur iuramentum æquiuocum vi, metu, &c. extortum. 1404.C

Perseuerantia.

Quænam virtus? 2137.D
In oratione necessaria est. 1698.C

Pertinacia.

Quid sit, & quale peccatum. 2143.C
Quæ sufficiens ad hæresin? 549.C.D.& seq.

S. Petrus.

Eius primatus probatur. 239.& seq.
Nomen eius quid denotet. 240.C.D.& seq.
Primus Apostolorum à Christo constitutus est. 245.C. 250.B. 252.D.& seq.
Petro quomodo dantur claues regni cœlorum? 246.C.D. & seq. 369.A
Caput Apostolorum. 246.& seq. 263
Quibus sit Apostolis æqualis, quibus superior. 252. 253. B.C. 256
Sibi & suis successoribus accepit summam potestatem. 252.D.& seq. 275.& seq.
Præfertur Andreæ prius nato & vocato. 262.D.& seq.
Ex variis gestis S. Petri probatur eius primatus. 264. & seq.
Exploduntur hæreticorum ineptæ obiectiones. 265.C.D. & seq.
Petrus quomodo missus ab aliis Apostolis. 265.D.& seq.
Quid Patres & Concilia senserint de primatu Petri. 273.& seq.
Petri persona priuata & publica. 277.D
Eius successor quis dicendus? 278.C.D. 279.A
Petrus fuit Romæ. 292
Petri & successorum eius in definiendis controuersiis fidei quanta auctoritas? 301.D.& seq.
Iudicis auctoritate Petrus condemnauit Ananiam & Saphiram. 1141.C

Philosophi.

Quæ & quanta potuerint scire de Deo. 78.A.B
Plerique cognouerunt verum Deum. 512.C
Quàm variè disputârint de vnitate Dei. 522.A

Physica.

Quomodo pars potentialis prudentiæ. 1065.B.C
Quomodo ex demonstratione ratiocinetur. ibid.

Pietas.

Sine spe consistere non potest. 637.C
Pertinet ad appetitiuam potentiam. 491.D
An pietatis officium erga parentes sit aliquando intermittendum propter officium religionis erga Deum, quomodo? quando? 2086.A.& seq. 736.B.C
Pietas est imperfecta iustitia inter patrẽ & filios. 1111.C. 1113.C.D
Perfectior est iustitia particulari. 1125.D
Pietas erga parentes est pars potentialis iustitiæ. 1662.D.
Quomodo ab ea deficiat. 1663.A

Plagiatus vel plagium.

Quid sit. 1359.D

Pœna.

Pœna peccati quando excuset à peccato consequente. 501.A.B
Pœnæ hæreticorum quotuplices? 554.D
Pœna talionis quibus iustè infligatur. 1387.B. 1393.C.D
Accusatori temerario iustè infligitur. 1425
Pœnas certorum vitiorum inuenies cum ipsis vitiis suo loco.

Pollutio. *vide Mollities.*

Pœnitentia.

Sacramento pœnitentiæ quæ peccata remittantur. 416.A
Eius obiectum formale quodnam? 788.B
An vna virtus? ibid.
An inferior misericordiâ? & quomodo illi imperat? 788.A.D. 789.D

Pœnitentia post baptismum vnicum remedium peccatorum. 799.B
Eius actus est infallibilis dispositio ad gratiam. 800.D

Pontifex.

Pontificis Romani auctoritas. 30.C.D. 32.D. 132.D. 189.C
Eius asseueratio & propositio quomodo differant. 31
An sit illius proponere res fidei, vt credantur. 30.D.33.A
An illius sit explicare & edere symbolum fidei. 125.A. 131.D
An sit caput Ecclesiæ. 132
An habeat potestatem conuocandi Concilia. 280.C
An præsit generalibus Conciliis, & illa approbet. 287.D
Pontifices Martyres quot fuerint. 90
Pontificum seriem quot texuerint. 280
An quod Pontifex decernit, omnes recipere teneantur. 301.D.& seq.
Romanus Pontifex est Petri Successor. 280.& sequent. 289.B.C. 291
Eius auctoritas ab Episcopis Africanis agnoscitur & imploratur. 281.C.D.& seq.
Pontifex in Schismate quis? 293.D.& seq.
Pontificè eligendi quis modus legitimus. 294.D.& seq.
Num aliquando mulier fuerit. 296.B
An incapax electus acciperet potestatem, & an eligi & recipi possit. 297.A.& seq.
Pontifex quis & quando habendus? 297.B
Quibus signis innotescere possit. 299
Pontificem Catholici quomodo nonnunquam calumnientur. 300.A
Pontifex quomodo vocandus vniuersalis Episcopus? 300.D.& seq.
Quot modis potest aliquid asserere? 302.& seq.
Quando aliquid asserit vt priuata persona, sententia ipsius non obligat. 302.D
An possit labi in hæresin. 303.A.B. 310.& seq. 317.B
Pontificis definitionibus resistêtes in controuersiis fidei, semper habiti sunt hæretici. 304.& seq.
Eius auctoritas in iis, quæ ad religionem & pietatem spectant in tota Ecclesia infallibilis est. 306.B.C. 310. & seq.
Non potest errare in canonizatione Sanctorum. 306.C.D
Per hæresin manifestam decidit de sua auctoritate. 310. C.D. 313.B
Ex iis, quæ asserit, quænam fide tenenda? 314.D. 315.D. 321.B
Quædam erronea quasi definita à Pontificibus diluuntur. 315.& seq.
Pontifex definiens quibus argumẽtis niti debeat. 317.D. & seq.
Definiens rem de fide quænam debeat spectare. 318.A. & seq.
An possit aliquid statuere & definire sine consensu Cardinalium. 319.B.C
Pontifex Romanus, Ecclesia, & sedes Apostolica an inter se distinguantur. 320.A
Pontificum definitiones & Canonica Scriptura an distinguantur, similiter Pontifex definiens & scriptor Canonicus. 320.D
Pontifex & successores lege diuina tenentur credere, quæ determinant. 369.B
Pontificis & secularis principis potestas quomodo differant. 370.C.D
Pontifices multi deposuerũt varios Imperatores & Principes. 373.B.C.D
An & quomodo Pontifex possit esse Schismaticus. 938. & seq.
Quomodo possit incurrere excommunicationem. 943.D
An excommunicatus amittat potestatem suam. 944.A
An iustè eligatur ordinariè ex collegio Cardinalium. 1280.C
Quare non possit conferre beneficia cum detrimento Ecclesiæ. 1286.B.C
Pontificis Nicolai III. & Ioannis XXII. discrepans sententia de Minoritis. 1341.& seq. 1345.A.B
Pontifices summi accipiunt à Christo, quòd nulli sunt subditi. 1375.C
Pontifex Leo IV. quomodo se subiecerit Imperatoris Ludouici iudicio. 1375.B. 1376.A
Pontifex cur non possit se excommunicandum alteri tradere. 1376.C.D.& seq.
Quomodo possit se inferiorem reddere iudice arbitrario. 1377.C.D
Pontifici non Ecclesiæ tradita est potestas clauium. 369. & seq.
Ipsius est approbare & recipere Canonicas Scripturas. 33.D
Non potest sibi deligere successorem. 2291.D

Potestas.

Expedit esse præeminentẽ potestatem in Ecclesia. 2254.C
Quid hæretici hac de re dicant. 2255.D

Præceptum.

Præcepta Decalogi & Ecclesiæ quomodo fide tenenda? 416.C
Præceptum affirmatiuum de actu fidei interiori quo tempore obliget. 416.D. 417.A.B. 850.B
Præcepta negatiua obligant semper. 436.B. 805.C. 843.D
Præceptum & consilium in Scriptura quomodo discernenda. 2262.C
Præcepta fidei quæ, quando & quomodo data. 587.C.D. 588.C.D.& seq.
Præcepta spei. 635.C.D.& seq.
Præcepta seruata sufficiunt ad salutem. 636.C
Præcepta timoris. 638.& seq.
Præcepta seruare est necessarium ad salutem. 706.C
Non repugnant inclinationi naturæ. 730.C.D.& seq.
Præcepta Decalogi sunt naturalia. 731.C
Quomodo naturæ viribus possint seruari. 734.D.& sequent.
Præcepta affirmatiua non obligant omni tempore. 805.C. 843.D
Quando obligent. 850.C. 1684.D
Præceptorum omnium communis finis quis? 812.C
Præcepti finis quo medio acquirendus? 812.C
Præceptis duobus concurrentibus, quæ non possint simul seruari, vtrum seruandum? 1017.A. 1019.D. 1020.A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præceptum iuris humani aliquando ratione scandali omittendum. 1017.B
Præceptum de diligendo Deo demonstratur. 1020.B.C. & seq.
An sit ex decalogo. 1021.B.C
Obligat vt noster vltimus finis, quomodo? 1021. & seq. 1023.C.D. & seq.
Non potest hoc præceptum perfectè impleri in hac vita. 1024.C
Præceptum de diligẽdo proximo explicatur. 1030.C.D. & seq.
Præcepta prudentia. 1080. & seq.
Præcepta quare debeant esse rerum faciliorum. 1396.D
Quæ præcepta dederit Christus. 1428.C
Præcepta non sunt de perfectis & meritoriis. 1660.C
Præcepta negatiua quomodo impleantur. 1660.C
Præcepta humana quomodo possint abrogari. 1772. B.C.D
Præcepta & consilia quomodo differant. 2261.C

Præcipitatio.

Quid sit. 1072.C.1073.C
Quomodo opponatur prudentiæ. 1072.C.1074.B
Quot peccata sub se contineat. 1074.B
Quomodo committi soleat. 1075.C.D

Prælatus.

Quo modo peccet relinquens Religioso subdito multa superflua. 2353.D
Habet ius in suos subditos. 1208.A.C
Quomodo possit & quando vota suorum subditorum irritare. 1846.C.1865.B
An possit obligare subditum ad suscipiendum Episcopatum. 2292.C

Præscriptio.

Quot requirat conditiones. 1212.B.C. & seq.
Quæ res non cadant in præscriptionem. 1212.C.D. & seq.
An opinio vel dubitatio, quod res non sit aliena, impediat bonam fidem & præscriptionem. 1213. & seq. 1215.C.D
Vt incipiat esse præscriptio & possessio quid requiratur. 1214.D. & seq.
Præscriptio in rebus mobilibus vt sit, quantum spatium temporis requiratur. 1215.D. & seq.
Præscriptio rerum immobilium & Ecclesiasticarum quantum tempus exigat. 1216.A. & seq.
Res immobiles temporales quomodo præscribi possint. 1216.B.C
Impleta præscriptione præscribens semper est tutus in conscientia. 1217.B.D
Præscriptio quare instituta? ibid.
Liberat à restitutione. 1259.C
Licitè transfert dominium.
Utilis est ad tollendas lites. 1482.B

Præstigium.

Quid sit, & quot modis fiat. 1973.D
Eius species. ibid.

Præsumptio.

Quid, & quantum peccatum. 584.B. 634.D. 2140.A
Est mortale. 634.B
Sequitur falsum iudicium de Deo. 634.C
Spei & timori opponitur. 634.D. & seq.
Item magnanimitati. 636.A
Vnde oriatur. 636

Precium.

Precia rerum vt sint iusta, quæ consideranda? 1478. & seq.
Precium taxatum publica auctoritate quomodo non possit augeri nec minui. 1479.C.D
Precium naturale quodnam? 1479.D
In preciis taxandis quæ sint attendenda. 1480.A
Precium rei quod sit iustum. 1480.B. & sequent. 1481.D & seq.
An lege omnibus precium possit determinari. 1480.A
Precium excessiuum rerum quibus modis iustum reddatur. 1485.D. & seq.
Precium rei non est æstimandum nisi pro tempore, quo res emptori traditur. 1498.D. & seq. 1519.B
Precium rei quã ob causam possit augeri. 1500.D. & seq.
Precium rei qua æstimatione metiendum. 1519.B.D
Precij æstimatio ex ignorantia quando iusta. 1521.A

Primogenitura.

In veteri Testamento sacerdotio annexa erat. 2022.B

Priuatio.

Sumit speciem ab opposita perfectione. 907.A

Probatio.

Probatio semiplena sufficit ad iuridicè interrogandum reum super aliquo crimine. 1379.B
Ad probationem semiplenam quot requirãtur. 1400.D
Probatio plena quid? 1401.A.C
An sufficiat ad condemnandum reum. 1401.C

Prodigalitas.

Est genere suo peccatum mortale. 1217.C.D

Proditio.

Sine mora detegenda. 851.A.B
A quo & quo iure deferenda. 871.B

Profusio.

Quid sit & quando peccatum mortale. 2143.A

Prometheus.

Auctor simulacrorum. 1941

Promissio.

De re illicita non obligat. 1224.A.1225.B. 1797.D
Facta meretrici de precio obligat. 1222.B.C. 1225.B
Promissio interna vel externa quomodo & quando obliget. 1357.A. & seq.
Promissio diuina quomodo obliget. 1688.C.D
Promissio exterior hominem homini, interior Deo hominem obligat. 1781.D. 1783.C.D. 1794.D
Promissio quid requirat. 1787.1788.B
Vt differt à proposito, qualis actus sit. 1782. & seq.
In quo potissimum consistat. 1783.D. & seq.
Promittere quid sit. 1785
Promissio quot modis possit fieri. 1785.C
Deo facta est votum. ibid.D
Promissionem non implere est peccatum. 1785.D
Quomodo differat à proposito. 1786.A
An possit esse sine voluntate faciendi. 1787
Promissio implicita qua? 1794.B
Promissio facta ex leuitate animi, displicet Deo. 1791.C

Propheta.

Prophetæ qui dicantur. 162.B. 166.B
Prophetæ falsi qui? 162.B.C
Prophetæ cur dicantur videntes. 464.B

Proportio.

Proportio Arithmetica & Geometrica quæ. 1096.C.D. 1158.C. 1159.C. & seq.

Propositio.

Propositio Ecclesiæ prater reuelationem veritatum quomodo sit necessaria. 30.B.D
Pertinet ad Papam. 30.D. & seq.
Pontificis propositio quomodo differat ab eius asseueratione. 31.A
Quid sit. ibid. 32.A
Fertur in reuelationem, non in ipsam veritatem. 31.B.C.D
Supponit asseueratione scriptoris canonici & pontificis. 31.C
Non potest esse ratio formalis sub qua obiecti fidei. 32.A
Facta est ex auctoritate & sententia Ecclesiæ. 34.C
An ab omnibus explicitè cognoscenda. 34.D
Propositio hæretica quænam? 553.

Propositum.

Propositum nudum potest esse intensius aliqua promissione. 1790.D. Vide promissio.

Prouidentia.

Quid sit. 1087.D
Est pars integralis prudentiæ. 1062.D
Est necessaria ad vsum prudentiæ. 1068.A
Prouidentiam diuinam sustulerunt aliqui hæretici. 1682.B.C
Alij absolutam rebus necessitatem imponere dicebãt. 1682.B.C

Proximus.

Quisnam dicendus? 715.A
Proximi nostri quomodo dicantur angeli. 715.A
Proximus licet in peccato sit, tamen diligendus est ex charitate. 719. & seq.
An omnes proximi æquales sint, & pari amore prosequendi. 735.C.749. & seq.
Proximo in necessitate constituto quando & quomodo subueniendum? 814. & seq.
Proximus quot modis diligendus vt nosipsi? 1031.C.D. & sequentib.
Proximi dilectio quomodo dicitur sancta. 1031.C.D. iusta, vera. 1032.A.B
Proximus quo tempore diligendus. 1032.C

Prudentia.

Quænam & qualis virtus? 838.B. 867.B. 1042.D. 1043.A. 1044.D
Quomodo practica & speculatiua? 1042.A.B
Est virtus. 1044. & seq.
In intellectu. 1043.D
Est omnium prima, & sine illa nulla est virtus. 1044.C.D. & seq.
Differt à sapientia. 1045.A
Eius officium & actus. 1045.C.D
Circa quæ singularia versetur. 1045.C.D. 1067.D. 1068.A
Virtus moralis & intellectualis est. 1046.
Specialis item & ab aliis distincta. 1046.D. & seq.
Quomodo versetur circa agibile, vt verum, quomodo vt bonum. 1046.D. 1678.C. 1679.B
Obiectum eius quodnam sit. 1047.A
Eius functiones quæ. 1049.D. & seq.
Differt à syndaresi. 1050.A. 1051.D
Versatur circa ea, de quibus est consultatio. 1050.B.C. 1052.D
Quomodo definiat & circumscribat virtutum fines. 1050.C.D. 1051.A.B. & seq.
Eius munus maximè proprium est imperium. 1052.C.D. 1053.A.B. 1059.B
Quomodo differat ab arte. 1053.A.B
Quale sit eius imperium & an conducat Reipub. 1053.C.D. & seq. 1055. & seq.
Quomodo variæ species prudentiæ? 1056.D
Prudentia est connexa cum reliquis virtutibus moralibus. 1057.C. 1060.A. 1061.A
Quomodo in superioribus & quomodo in subditis? 1057.C.D. & seq.
Propriè dicta versatur circa bonũ proprium. 1056.D. 1058.A.B. 1063.D. 1064.A. 1069.A
Prudentia alia acquisita, alia infusa. 1059.A
Quænam dicatur infusa. ibid.
In quibus existat. 1060.A.B.C
Prudentia vera & acquisita quanã sit, & in quibus. 1059. & seq.
Ponuntur nonnullæ aliæ species prudentiæ. 1560. & seq.
Prudentia à natura non inest, sed dispositio quædam. 1061.A.B
Vtitur principiis vniuersalibus practicis. 1061.A
Quæ ad eius adeptionem conferant. 1061.C.D. & seq.
Quomodo amittatur. 1062.B. 1063.A
Partes integrales prudentiæ. 1062.C.D
Subiectiuæ. 1063.C.D
Prudentiæ gubernatiuæ species quot & quænam? 1063.D. 1064.A.B. 1069.B. 1075.C
Prudentia militaris. 1064.B. 1069.B
OEconomica. 1064. 1069.B
Politica regnatiua. 1064.A. 1069.B. 1116.D. & seq.
Politica simpliciter. ibid.
Prudentia simpliciter dicta an vna sit, & quomodo omnes dictas species complectatur. 1064.B.C. 1069.D. 1070.A
Prudentiæ partes potentiales. 1064. 1065.A.B. 1070.C
Eius perfectus vsus vnde pendeat. 1065.D. 1067. & seq.
An & quomodo possit diuidi in partes subiectiuas. 1069.A. 1070.A.B
Prudentiæ oppositæ peccata per defectum quot? 1072.C. 1073.C. & seq.
Per excessum quot? 1077. & seq.
Prudentiæ præcepta aliqua sunt. 1080.A.B. & seq.
Prudentia politica respondet iustitiæ legali. 1110.A. 1116.C

Prudentia carnis

Quid sit & quando peccatum mortale vel veniale. 1077.B.C

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quando peccatum distinctum? 1077.D

Pudicitia.

Quænam & qualis virtus? 2154.A

Pupillus.

Non potest per venditionem alienare res suas. 1209.B
Empta ab illo ante iudicis sententiam restituenda sunt. 1209.B.1210.C
Eius donatio sine consensu tutoris est nulla. 1212.A
Pupillus est rerum dominus imperfectè. 1340.D. & seq.

Puritas.

Quid sit. 490.B.C.2154.D
Est effectus fidei. 487.C.490.B

Purgatorium.

Purgatorium esse conuincitur. 794.A.B
An animæ eorum liberentur à purgatorio, quorum hæredes non restituunt. 1175.C.D
In purgatorio constituti quomodo pro seipsis orent. 1699.D
An orent etiam pro amicis in hac vita. 1700.A.B
Animæ in purgatorio sunt in statu patiendi. 1700.B
Quomodo tolerent pœnas illas. 1700.B
A pœnis inferni, id est, purgatorij orat Ecclesia animas liberari. 1719.C.D

Pusillanimes.

Facilè inuident aliis. 918.D.920.D.921.A

Pusillanimitas.

Quid sit, & quando peccatum mortale. 2142.B

Pyronomantia.

Quidnam? 1975.C

Pythagorei.

Quodnam statuant obiectum iustitiæ. 1162.D.1163.

Quæstio.

Vnde determinanda? 5.A.B
Quæstio de rei quidditate & obiecto præsupponit quæstionem an est. 5.A.13.C

Qualitas.

Quomodo essentialiter suscipiat magis & minus. 687.D

Rhadamantus.

Eius ius quale fuerit. 1163.A.B

Rapina.

Definitur. 1371.A
Quomodo differat à furto. 1360.B.C.D.1362.D. & seq.
Genere suo semper mortale peccatum est. 1371.A
Grauius furto. 1371.B.1460.B
Quomodo possit res aliena vi eripi sine rapina. 1371.C.D

Raptus.

Raptus vxoris, filij, filiæ, &c. quando sit furtum, quando non. 1360.A
Quale peccatum. 2232.C

Ratio.

Superior alia, alia inferior. 1115.A
Comparantur inter se. 1115.B
Ratio est pars integralis prudentiæ. 1062.D
Quid sit. 1063.C.1067.D
Est necessaria ad rectum vsum prudentiæ. 1067.D
Item ad consultationem. 1074.B
Rationis rectitudo duplex. 1048.B

Reges & principes.

Quomodo suam potestatem accipiant. 370.C.D
Sunt legis diuinæ custodes & promulgatores. 526.C.527.A.530.C
Possunt cogere paganos subditos ad obseruationem legis naturæ. 525.526.530.C
Politiæ curam gerunt. 530.C
Quomodo exactione tributorum possint infideles adigere, vt fidem suscipiant. 530.D. & seq.
Non amittunt dominium propter suam improbitatẽ. 536.D.1147.A.1355. & seq.
Non habent dominium rerum & personarum, sed iurisdictionem duntaxat. 1352.C
Reges impios cur excitet Deus. 1355.
Reges & principes parent potestati Ecclesiæ. 2254.C.D

Religio.

Quid sit. 307.A.B
Religionis ordo falsus an approbari possit à Summo Pontifice. 306.A
In religione confirmanda quot considerentur. 307.B.1318.B
Religionem approbatam à Papa damnare, quantus error? 307.C
Religio aliqua potest vno tempore approbari, alio abrogari. 306.A.308.A
Religionem veram aliquando celare licet, negare verò vel falsam simulare nunquam. 433.C.D. & seq.440.
Religionis officium. 580.D.1672.D
Religio quàm stricto iure debeatur Deo. 1099.B.C.1113.D
Quàm perfecta virtus. 1125.D.1669.D
Obiectum eius quodnam. ibid.
Religio Christiana non tollit, sed perficit naturam. 1141.D
Religio erga Deum quomodo sit iustitia, & quomodo ab ea deficiat. 1662.D. & seq.
Est virtus moralis. 1669.A
Vnica. 1669.C. distincta à reuerentia.
Quomodo distinguatur à virtutibus Theologicis. 1671.D.1680.A
Quomodo aliarum virtutum actus pertineant ad religionem. 1672.C
Religionis actus eliciti quinam? 1672.C.D.1676.A.B
Religione tripliciter subiicitur homo Deo. 1672.D
Religio quomodo possit imperare virtutibus Theologicis. 1675.A
Penes quid attendatur differentia & varietas Religionum. 2373.A
An hæc varietas vtilis sit. 2374.B
Vnde diiudicandum sit, vtra Religio sit perfectior. 2374.D

Religiosus.

Religiosorum status quare non contemnendus? 567.B
Religiosus quando fiat apostata, vagus vel fugitiuus. 567.C.D

Quando deserens ordinem incurrat excommunicationem, quando non. 567.C.D
Religiosorũ perfectio in charitate quanta esse debeat. 681.D
Religiosus quomodo possit eleemosynam facere. 833.
Qui religiosi teneantur ad fraternam correctionem. 862.B
An possint suorum fratrum peccata ad superiorem deferre, & quando. 874.D.875. & seq.
Religiosus cum dispensatione assumẽdus in Episcopũ. 2272.
Religiosi status asperitas. 876.A
Religiosus est sui iuris quoad famam. 894.A.B
Religiosis in bello non semper parcendum. 976.
Commendatur ipsis maximè prudentia. 1058.D
Eorum peccata leuia reputantur grauia. 1151.B.2364.B
Religiosorum prælatus habet ius in suos religiosos. 1208.A.C
Non possunt arbitratu suo ordinem deserere. 1208.B
Sunt in statu perfectionis. 2267.
Religiosum retrahens à religione ad quid teneatur. Vide Restitutio animæ.
Quomodo religiosis conueniat rerum dominium. 1343.C.D.1350.B
Ad quem iudicem Ecclesiasticum possint appellare. 1407.B
Interrogati in visitationibus de criminibus aliorum, quomodo ipsis respondendum sit. 1419.C
Quibus in rebus & quando possint esse aduocati. 1434.B.C
Probabile est ipsis in solenni professione omnia peccata remitti. 1833.D
Quomodo peccent contra votum paupertatis. 2352.C. & seq. Castitatis. 2354.B. Obedientiæ. ibid.C
Vtrum Religiosi teneantur alia consilia seruare præter sua tria vota: quomodo peccent non seruando. 2355.C
Quomodo peccent non seruando regulas. 2358.C
An Religiosi grauius peccent eodem genere peccati, quàm seculares. 2364.B
Quas functiones liceat Religiosis obire versando cum proximis. 2365.A. & seq.
Quæ vt Religiosi concionentur, requirantur. 2366.A
An & quomodo Religiosi teneantur incumbere labori corporali. 2367.C
An liceat illis ex eleemosynis viuere. 2368.D. & seq. quando non. 2369.C
An Religiosis otiosis vsus eleemosynæ sit illicitus. 2369.D
Quando, dum ita accipiunt eleemosynam ex ingratitudine peccent mortaliter. 2367.A
Vtrum teneantur restituere. ibid.C
An liceat Religiosis mendicare. 2370.D. vel peculiari vestitu vti. 2372.B
Quantum peccatum sit otiositatis aut cupiditatis causa Religiosos mendicare. 2371.C
An Religiosi sine ordine sint imperfectioris status prælatis ordinibus initiatis. 2275.
Religiosi facti Episcopi an soluantur à regularum obseruãtia. 2323. item paupertate. 2325.B
Vnde nominentur Religiosi. 2327.A
Quæ sectarij in Religiosis potissimum detestentur. 2327.C
Refutantur. 2335.C
Religiosorum institutum pium esse probatur. 2329.C
Esse institutum Apostolicum. 2330.D
Religiosus status propter vota non reprehendendus. 2339.
Paupertatis, castitatis & obedientiæ vota rectè emittunt. 2342.B
Vtrum hæc tria vota ad statũ Religiosum sufficiant. 2346.B
Ex votis Religiosorum quodnam potissimum sit. 2348.B

Reliquiæ Sanctorum.

Piè ac religiosè honorandæ sunt. 1968.C

Restituere & restitutio.

Quid sit restituere. 1172.B.1263.A.B.D
Restituere quis teneatur. 1181.
Per restitutionem fit duplex satisfactio. 1246.D. & seq.
Cuius iuris sit restitutio. 1261.B
An restituere teneatur, qui in distributione officiorum, accipit personas. 1291.C.D. & seq.
An restitutio sit solius iustitiæ commutatiuæ. 1296.C.1297.A.1242.C.D. & seq.1187.A
An teneatur restituere, qui eleemosynam facere negligit. 1296.D
Restitutio inuenti quando facienda priori domino, vel pauperibus? 1353.D. & seq.
An qui perhibet testimonium materialiter falsum, teneatur restituere. 1430.D.1189.C. & seq.
Item qui alterius bonum consumit putans id esse suum. 1430.D
Restitutio non obligat, quando nec acceptio est iniusta, nec extat res restituenda. 1430.D
Restitutio quomodo facienda propter illatam contumeliã. 1443.D
Venditor defraudans etiam citra iusti precij dimidium tenetur restituere. 1482.D. & seq.
Restitutio quid sit. 1172.C
Vtrum semper requirat æquiualens, vel quando. 1172.C.1173.A.B
Differt à satisfactione. 1174.B.C
Quomodo sit species satisfactionis. 1174.D
Est compensatio secundum æqualitatem iustitiæ. 1175.A
Est necessaria necessitate præcepti, non medij. 1175.C. & sequentib.
Sine restitutione est ficta pœnitentia. 1177.A.B
Quomodo & quando non obliget. 1175.B.C.D.1177.B
Qui restituere nolunt an excommunicari possint. 1177.B
Sitne præcepti affirmatiui an negatiui. 1178.A.B.1249.C.D.1250.C
Reducitur ad præceptum decalogi, Non furaberis. 1178.C
Non restituens pluráne peccata committat, an vnum tantùm. 1178.D.1179.A
Restitutionis obligatio ex quot capitibus existat. 1180.B
Restituere tenetur omnis ille, qui causa est, cur alius minus habeat de suis rebus, quàm illi debeatur. 1181.A.1240. & seq.
Quot modis quis possit sic esse causa. 1181.B.C.D. & seq.
Vbi plures simul inferunt damnum, quinam & quantum debeant restituere. 1182.C.D. & seq.
Restitutionis obligatio ex parte rei acceptæ quando contingat. 1184.A.B.1205.D. & seq.
Quisnam dicatur causa iniustæ acceptionis. 1184.D. & sequentib.
An restituere teneatur qui est causa indirecta iniustæ acceptionis. 1186. & seq.1231.D. & seq.
An semper restituendum illi, qui accepit iniuriam? 1190.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

An ad perniciem proximi facienda est restitutio? 1191.D. 1260.D. & seq.
An prædoni vel furi res furto sublata danda? 1191.A
Qui re restituta abuteretur, restitutio illi non est facienda. 1191.C.D. 1260.D. & seq.
Restitutio facienda est, cui res iniustè ablata est. 1192.A
Homini per se vel per alium licet facere restitutionẽ. 1192. C.D. 1265.D
An res aliena empta à fure, possit illi iure reddi. 1193.
An iniusta acceptio & datio inducant tantùm consilium restitutionis, an verò etiam præceptum. 1194. 1195.
Quid faciẽdum sit, si creditor est incertus. 1192.C.D. 1265. D. & seq. 1566.A

Quid restituendum sit.

Quæ res restitui nequeant. 1196.B.C
Quanam restituenda, quia fuerunt retenta. 1196.D. & sequentib.
Res vsu non consumptibilis vel consumptibilis quomodo restituenda sit. 1197.B. 1248.A.B
Fructus rei quomodo restituendus? 1197.B. 1247. Item damnum emergẽs, vel lucrum cessans? 1197.C. 1247. C. D
Damna mortis denig, vel mutilationis. 1197. C.D
An hæredibus occisi, vel etiam iis, quos alere solebat, restitutio facienda sit, & quomodo. 1197.D. & seq.
Quantum restituere teneatur, qui occidit mercenarium. 1198.C
An præter damna mortis, &c. etiam iniuria resarciẽda sit, & quomodo? 1198.D. & seq.
An & quomodo vitæ & incolumitati hominis possit reddi æquiualens. 1199.A. 1200.C.D
Restitutio potest fieri per res diuersi generis. 1200.A. 1248.B
Dominus columbarij debet resarcire damna illata à suis columbis. 1228.C

Famæ restitutio.

Quando facienda sit. 1201.B.C. quanta, ibid. D. quomodo. 1201.D. & seq.
An qui verè diffamat, sed iniustè, debeat restituere. 1203. A.B.C
Quomodo, qui falsò alterum diffamauit? 1201.D. 1459. B.C
Quid ille restituere teneatur, qui diffamat alterum dicendo se aliquid audiuisse de illo. 1203.D
Quando quis sit liber ab hac restitutione. 1204.A.B. 1205. A.B. 1258.A
Se vicissim diffamantes quid debeant restituere. 1204.C.D
Diffamans alterum directè vel indirectè quomodo peccet, & quando restituere debeat. 1450.D. & seq.
Se ipsum diffamans quando debeat restituere. 1455.A
Tenetur ad restitutionem famæ, qui infamatum in vno loco non publica auctoritate, infamat in alio. 1457.A
Ad famam restituendam quæ sint necessaria. 1459.C.D
Superior audiens subditum suum detrahentem & non corripiens, ad restitutionem obligatur. 1463.A

Restitutio bonorum animæ.

Qui alterum dementauit, in errorem induxit, studiis damnum intulit, quid & quantum debeat restituere. 1205. C.D
Qui induxit alterum in peccatum, an & qua ratione restituere debeat. 1205.D. & seq.
Qui alterum, vi, fraude, blanditiis, &c. in peccatum pertraxit, quomodo debeat resarcire damnum. 1206.C.D
Qui aliquem à religione retraxit, quomodo & quantum debeat restituere. 1207.A. & seq.

Quid restituendum sit ratione modi acquisitionis.

In quibus & quot casibus res acquisita per contractum restituenda sit. 1209
Donata quando sint restituenda. 1211.C.D. & seq.
Acquisita titulo præscriptionis quando sint libera à restitutione. 1212.B.C.D. & seq.
Merces officij quando restituenda? 1218.
Restituẽdum est, quod quis accepit pro mala actione. 1219. A.B. 1221.A.B
Reddenda sunt donata à milite meretrici vel concubinæ. 1220.B
Meretrices quando mercedem restituere teneãtur. 1226. D. & seq.
Quando restituendum, quod capitur venatione? 1227.C. D. & seq.
An superior teneatur compensare damna illata à feris, quando prohibet subditos ne illas occidant. 1229.C.D
Acquisita per vsum rerum communium quando restituenda? 1230.D. & seq.
An & quando quis teneatur restituere, quæ ludo lucratur. 1235.C.D. & seq.
Quæ vis, fraus, dolus, &c. inducant restitutionis obligationem. 1237.B.C
Lucrum annuum ex mutuo dato, saluo capitali, restituendum est. 1632.B. 1633.B. & seq.

De restitutione impedientis bonum alterius.

Qui impedit bonum alterius an & quando debeat restituere. 1240.B.C.D
Qui impedit alterum vi, fraude, &c. à consecutione boni quantum restituere teneatur. 1241.B. & seq.
An qui impedit alterum, qui habet tantùm ius distributiuæ iustitiæ, restituere debeat. 1242.C.D. & seq.
Cur collator beneficij & impediens non pari obligatione restitutionis sint obstricti. 1244.D
An qui non soluit vectigalia iusta, restituere teneatur. 1244.D

Quando & quantum restituendum sit.

Tantum restituendum est, quantum exigit ratio iustitiæ commutatiuæ. 1247.
Valor rei incertæ quomodo compensandus sit. 1248.B.C
Quæ sit ratio restituendi in iustitia vindicatiua. 1248.D
Detinens rem alienam inuito domino quando & sub quo præcepto restituere debeat. 1249.B.C.D. 1250.C
Causæ excusantes à restitutione quænam? 1249.C. 1251.A. & seq. 1263.A.B
Ignorantia probabilis an excuset. 1251.B
Inopia quomodo excuset. 1252.A.B.C. & seq.
Quæ necessitas & quomodo? ibid.
Debitore & creditore ad extrema redactis, vter potius sibi consulere debeat. 1252.D
Alienum, quod in extrema necessitate vsurpatur, an ea cessante reddendum sit. 1253.A.B
An excusetur, qui sine graui damno restituere non potest. 1254. & seq.
Restitutio potest differri in tempus opportunum. 1258.A
Non obligat si aliunde compensatio facta est. 1258.B.C.D
Quomodo quis liberetur à restitutione soluendo æs alienum creditori sui creditoris. 1259.B
Præscriptio num excuset à restitutione. 1259.C
Item ingressus in religionem. 1259.D
Cessio bonorum quomodo liberet. 1259.D. & seq.
Remissio vel donatio creditoris excusat. 1260.
Damnum, quod incurreret creditor si ei soluetur, quodnam excuset. 1260.D. & seq.
Incertitudo creditoris non excusat. 1261.B
Nec excommunicatio. 1261.B
Interitus rei sine culpa & mora retinentis & publica auctoritas excusant. 1261.D. & seq.
An qui restituere renuit, à confessario absoluẽdus sit. 1263. A.B
Vbi sit facienda restitutio. 1263.D. & seq.
An propter interualla locorum differri possit. 1264.B.C
Quis cum suo damno, & quanto restituere teneatur. 1264. C.D. & seq.
Modus restituendi. 1265.D. & seq.
Pauperibus, vbi sunt dubij Creditores, restituendum est, & in nonnullis casibus consulendus Episcopus. 1192.C.D. 1265.D. & seq.
Res ex occulto crimine debet occultè restitui. 1266.C
Ordo restituendi. 1266.D. & seq.
Quis debeat ordinem seruare in restitutione. 1266. & seq.
Debita certa debent prius solui quàm incerta. 1267.B.C
Item quorum dominium semper fuit Creditoris. 1268.A
Debita realia præferenda sunt personalibus. 1268.D
Debita personalia ex iusto contractu præcedunt ea, quæ ex iniquo oriuntur. 1268.D
Debita priuilegiata anteferenda aliis. 1269.A
Hypothetica sunt proxima priuilegiatis. 1269.A
Noua cedunt antiquioribus. ibid.B
Debita ex delictis, quò ex grauiore delicto exist unt, eò citius reddenda. ibid.
Ei citius soluendum, qui in exigendo debito fuit diligentior. 1269.C. & seq.
Quare sit restituendum lucrum vsurarium. 1563. & seq.
An etiam aliquando restituere teneatur vsurarius mentalis. 1564.D. & seq.
Restitutioni num obnoxij sint, qui cooperantur vsurario. 1567.C
Lucrum ex quare vsuraria restituendum sit. 1568.B.C. & sequentib.
Restitutionem non esse faciendam error græcorũ est. 1176.A
De restitutione Simoniæ, vide suo loco.
Virginem violans quid teneatur restituere. vide Virgo.
Curatus quando teneatur fructus restituere. 2305.B.C

Resurrrectio.

Quotuplex sit. 453.B

Rhetorica.

Quomodo pars potentialis prudentiæ. 1065.B.C
Ratiocinatur ex coniecturis. 1065.B

Reuelatio.

Reuelatio diuina necessaria est ad fidem. 20. & seq.
Alia communis, alia priuata. 26.
Reuelationes publicæ sunt fundamentum Ecclesiæ. 27.A.B
Reuelationes priuatæ quomodo credendæ. 27.B
Reuelatio diuina quomodo possit esse ratio formalis fidei, vel Theologiæ. 27.D. & seq.
Est obscura, nec sufficit ad credendum sine motiuis. 36.B
Quod sit eius obiectum. 40.
Reuelatio diuina quomodo innotescat. 400.B

Reus.

Quando teneatur iudici exponere veritatem. 1394.A.B. 1395.A.B. 1397.B
Quando iuridicè interrogari censeatur. 1397. & sequent. 1423.B
De reo vt apud alios inquiratur, quid requiratur. 1397.D
Quid, vt ipse interrogetur iuridicè? 1398.A.B
Interrogatus non iuridicè quibus modis possit eludere iudicem. 1402.B.C.D. & seq.
Considens bonitati causæ & grauatus iniustè potest appellare. 1404.D
In quibus causis & quanto tempore fas sit ad superiorem iudicem appellare. 1405.A. & seq.
Reus iustè condemnatus ad mortem se defendere nequit. 1407.C.D
Iniustè condemnatus quomodo possit resistere. 1407.D
Condemnatus ad mortem iustè potest effugere, vel carceres effringere. 1408.A. 1410.B. & seq.
Quomodo debeat ferre supplicium. 1408.B. 1411.A.B.C
Reus condemnatus, vt per inediam pereat, an possit vel etiã teneatur oblatum cibum comedere. 1415.A. & seq.
An sic condemnato possit quis licitè cibum suppeditare. 1417.C
An quis teneatur ei cibum dare. 1417.C.D
An reus erubescens ad interrogationem possit vlterius interrogari. 1423.C

Rixa.

Quid sit. 992.C
Quando peccatum mortale. 992.C. & seq. 994.A
Numeratur inter opera carnis. 993.C
Est vnum specie peccatum. ibid.
Eius causæ quænam? 994.D
Differt à seditione. 1001.A.B
Quomodo sit contra iustitiam. 993.C. 1001.B

Sacerdos.

Non omnes ex populo sacerdotes sunt. 2256.D
Episcopis subiecti sunt sacerdotes, & ab illis distincti. 2255.C

Sacramentum.

Quid sit. 159.C
Sacramenta ex scripturis expresè probari non possunt. 159.C
Enumerantur singula & describuntur. 416.A.B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacrificium.

Sacrificia antiqua quid significârint. 410.B
Quid sit sacrificium. 1753.B.1756.D.1757.A
Sacrificij externi ratio in quo consistat. 1754.B
Sacrificium duplex describitur. 1755.B.C
Sacrificia nostra Deo non prosunt. 1756.
Sacrificium cuius virtutis actus sit. 1756.D.1758.C.1759.B.1760.A.B
An quarumq; virtutum opera possint dici propriè sacrificium. 1757.B
Sacrificia mala quænam? 1758.D.& seq.
Sacrificium rectum quot conditiones requirat. 1759.C.D.& seq.
Deo soli offerendum est. 1760.A.B.1762.C
Quo iure illi debeatur. 1761.B
Vsus eius quando ceperit. 1761.C
Sacrificia gentilium cur reprehendantur. 1756.D
Sacrificium missæ solius nouæ legis est. 1762.D
Sacrificia legalia an iam Deo offerre liceat. 1763.C
Per sacrificium Dei Maiestatem & dominium in res omnes cognoscimus. 1761.D.& seq.

Sacrilegium.

Quid sit. 2013.D
Quotuplex. 2015.A.& seq.
Vtrum sit sacrilegium furtum rei ex Ecclesia, quæ illius non est, nec eius curæ commissa. 2016.C
An iudex reum sacrilegè abstractum ab Ecclesia possit condemnare, an verò teneatur illum dimittere. ibid.D
Quando sacrilegium sit veniale vel mortale. 2018.A. Pœnæ sacrilegorum. ibid.D
Si infideles cogerentur ad fidem, plurima committerentur sacrilegia. 529.D.& seq.
Sacrilegium luxuriæ peccatum, quodnam? 2237.C

Salomon.

Eius iudicium de diuidendo infante. 1146.B

Salus.

Salus prima & secunda quid? 386.D.387.A.403.A.406.B
Vtraq; fidem necessariò requirit. 386.& seq.
Quomodo inter se non distinguantur. 407.D
Salus in quo potissimum consistat. 738.
Salutem propriam quisq; præferre debet saluti totius mundi. 738.

Sanctum.

Quot modis dicatur. 179.180.A.B.216.C

Sancti.

Quare tantoperè sua corpora afflixerint. 717.A.B
Si qui seipsos interemerunt, quid de illis sentiendum sit. 1323.A.B
Item si se castrauerint vel mutilauerint. 1335.A.B
Quomodo aliquando seipsos diffamauerint. 1453.D. 1454.C
Orant pro nobis. 1699.C
Quomodo ipsi orandi? 1700.D
Quomodo mediatores? 1713.A
Miracula, Sanctorum inuocationem comprobant. 1708.
Sciántne petitiones nostras. 1703.
An sit idololatria illos colere. 1950.A
Imagines & Reliquias eorum habere & venerari an æquũ & pium sit. 1957.A.1968.C
Hæreses contra inuocationem Sanctorum. 1701.D.1702.A
Illos inuocandos esse probatur. 1702.B.& seq.
Hæreticorum obiectiones diluuntur. 1711.D.& seq.

Sapientia.

Accipitur pro fide. 387.D
Saluat. 388.B
Quod sit eius subiectum. 491.D.1034.B
Quale donum sit. 491.D.492.B.1034.C
Sapientia in diuinis tribuitur filio. 582.C
Sapientiæ donum quid? 1034.A.C
Quomodo differat à donis intellectus & scientiæ. 1034.B.C.& seq.
Item consilij. 1035.B
Respondet illi beatitudini. Beati pacifici, &c. 1035.C
Habet duplicem affinitatem cum charitate. 1036.A

Satisfactio.

Differt à restitutione. 1174.B.C
Est pars pœnitentiæ, & fit Deo. ibid.
Facta Deo non habet omnimodam æqualitatem. 1175.A
Duplex est. 1246.D.& seq.

Scandalum.

Quid sit. 1002.A.& seq.
Quomodo possit contingere. 1003.A.B.1009.A
Scandalum actiuum quid? 1004.A
Passiuum quid? 1004.A.1006.B
Scandalum actiuum genere suo mortale est. 1004.D.& sequentib.
Passiuum itidem semper peccatum est. 1006.B
Non est certæ alicuius speciei. 1006.D
Actiuum quomodo peccatum speciale. 1007.A.1008.& seq.
Scandalum vt vitetur, aliquot regulæ. 1012.C.D.& seq.
Scandalum pusillorum quomodo vitandum. 1014.D.& sequentib.
Prætermitti vel differri possunt bona nostra in eum finem. 1017.& seq.
Scandalum pharisaicum quomodo & quando impediendum? 1019.

Scholastici.

Sunt patres. 377.D.& seq.
In doctrina fidei sequuntur antiquos patres. 378.A
Eorum omnium consensus in aliqua re non euincit eundem esse patrum omnium consensum. 378.A.B
Addunt multa dictis patrum explicationis causa. 378.B

Scientia.

Scientiæ & fidei discrimen. 74.C.D
Scientia & opinio an possint esse simul. 76.D.81.C.D
Scientiæ acquisitæ quomodo perficiantur. 125.A.126.A.127.C
Scientiæ donum pertinet ad vim intellectiuam. 491.D.585.C.1034.B
Quodnam de rebus iudicium contineat. 492.A.493.A.585.C
Scientia gratis data & Theologica an omnibus communis? 493.C
Effectus quisnam sit. 494.B
Quæ ignorantia huic dono opponatur. 585.C
Huius doni vsus præcipitur. 589.C.D.et seq.
Quomodo differat à dono intellectus & sapientiæ. ibid.
Scientiæ habitus quomodo respiciat principia indemonstrabilia. 1050.D

Schismaticus.

Quid sit. 177.A
Potest compelli ad fidem. 526.D
Differt ab hæretico. 935.C.D.& seq.
Schismatici quàm grauiter à Deo puniti sint. 940.941.D.942.& seq.
Quomodo priuentur potestate spirituali. 942.A.& sequent.
Schismaticè ordinans & ordinatus peccant. 942.D
A schismatico in necessitate licet accipere baptismum. ibid.
Schismatici quomodo & quando incurrant excommunicationem. 943.A.B
Excommunicati ipso facto amittunt iurisdictionem. 943.C.D
Possunt nisi resipiscant deponi. 944.B
An hoc ipso, quòd labuntur in schisma, potestatem iurisdictionis amittant. 944.C.D.& seq.
Quomodo membra Ecclesiæ? 947.D. 948.A. 949.C

Schisma.

Quid sit. 932.A
In schismate an aliquis Papa? & quis? 293.D.& seq.
Schisma quomodo sedandum? 295
Quàm multa schismata in Ecclesia fuerint. 295.D
Num schisma reddat dubiam pontificum successionem. 295.D
Per schisma se separare ab Ecclesia quid sit. 933.C. 934.A
Est genere suo peccatum mortale. 934.B. 939.D. 940.& seq.
Pugnat cum charitate. 934.D. 935.A.B. 936.C. 940.D
Quomodo distinguatur ab hæresi & infidelitate. 940.D.& sequent.
Variis modis committitur. 936.B.& seq.
A quibus hoc peccatum possit committi. 938.& sequent.

Scriptura sacra.

Iudæi & hæretici quomodo vsurpent Scripturas. 105.D. 111.B.193.D
Scripturæ sacræ efficacia. 110.D. 111.A.B
Quàm antiqua. 111.C
Quomodo seruata & in græcum idioma translata. 111.C.D
Quàm plena sapientiæ. 111.D
Scripturæ sacræ altitudo varios continet sensus. 135.D. 148.C.153.C
Scriptura sola non potest esse auctoritas index fidei. 142.D.& seq.
Est obscura & difficilis intellectu. 143.A.163.331.D. 345.C
Scripturas vt intelligamus multis regulis opus est. 149.A
Scripturæ sacræ quomodo lucerna pedibus nostris? 151.C.D.& sequent.
De variis Scripturis sæpe fuit controuersia essentne Canonicæ. 157.A.B.C.323.D
Scripturæ petra offensionis, & muscipula pedibus insipientium. 161.B
Scripturis claris nonnunquam abutuntur hæretici. 162.A
Scriptura num sit regula ad quam ferendum est iudicium de fide. 165.344.D.345.A.B
Scriptura sacra quid? 320.C
Discrimen eius ab aliis Scripturis. 321
Quibus libris contineatur. 321.D.& seq.
Aliquæ olim in dubium vocatæ. 323.D
Quomodo aliquæ maioris auctoritatis, quàm aliæ? 234.C.D
Sacræ Scripturæ auctoritas infallibilis est. 326.B
Scripturáne an Ecclesiâ sit maioris auctoritatis. 326.C.D
Sacra Scriptura tota est à Spiritu sancto. 331.B.C
Non continet totum verbum Dei.
Scripturâ antiquior Ecclesia.
Scriptura quomodo contineat omnia necessaria ad salutem. 346.D
Scripturæ antiquæ tradendæ quot & quæ causæ? 349.D
Scripturæ abusu multi fiunt hæretici, traditionum pauci. 348.D.350.D
Scripturas cur voluerit Spiritus sanctus esse obscuras, 351.C
Scriptura sola quomodo sufficiens ad faciendam fidem. 355.D
Eius Canoni num adiungenda sit auctoritas Ecclesiæ. 135.D
Num debeat esse iudex Scripturæ. 157
Cuius sit dubias Scripturas examinare. 155.D. 160

Secretum.

Iure naturæ fideliter seruandum. 1426.A
Quare & quando reuelandum. 1426.B.C

Seditio.

Quid sit. 1000.B.C
Genere suo peccatum mortale est. ibid.
Contra charitatem. ibid.D.& seq.
Quomodo differt à discordia, schismate, bello, rixa, &c. 1000.D.et seq.

Senes.

Facile inuident. 921.A
Plerunq; possunt esse prudentes. 1061.B
Qui memoria et prudentia vigeant. 1060.D.et seq.
Quare valde suspiciosi? 1153.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sensus.

Sensus particulares quomodo sint species sensus communis. 1064. B. C. 1070. A

Sepultura.

Est opus misericordiæ & eleemosyna. 791. et sequent.
In loco sacro prodest defunctis. 793. D. et seq.
Sepulturæ priuatio semper fuit pœna habita. 791. C. 792. D
Sepulturam proximi negligere quando mortale. 793. A
Quare Christus non enumerauerit inter opera misericordiæ. ibid.

Seruitus.

Seruitus & dominium quo iure introducta sint. 540. D. 542. C
Non impediunt amicitiam. 668. A. B
Seruitus captorum in bello est ingenua. 983. A

Seruius.

Rex Romanorum fuit, qui primò signauit æs nota pecudum. 1476. B

Seruus.

Quomodo possit facere eleemosynam. 833
Serui Iudæorum ad fidem conuersi eo ipso liberi sunt. 542. C
Serui qui efficiantur bello capti, qui non. 979. B. 981. B. C. D
Quibus seruis liceat fugere. 982. D. & seq.
Seruus quomodo domini instrumentum. 1097. C
Seruum retrahens à domino, initiando illum sacris ordinibus, quantum debeat restituere. 1208. B
Serui donatio nulla est. 1211. C
Serui quomodo dicantur facti propter alios homines. 1339. B
Seruus Christianus quomodo possit vi eripi ab infideli. 1371. A

Seueritas.

Seueritas nimia improbatur. 865. D
Moderata laudatur. 1336. B

Sæuitia.

Sæuitia seu feritas quid sit. 2212. C

Simonia.

Quid sit. 830. A. 2019. A. *vnde dicta.* 2022. A
Quomodo possit conuerti ad eleemosynam. 832. A. B. 1194. B
Quomodo cedat Ecclesiæ iniuria affectæ. 832. 1192. A 1194. B
Quomodo committatur. 1276. D. & seq.
Quomodo dignoscatur spectando materiam, quatenus est quid spirituale. 2022. D
An apud Ethnicos sit locus Simoniæ. 2023. A
An sit Simonia vendere doctrinam, etiam Theologiam. 2024. B. & seq.
Vtrum accipere aliquid pro actibus virtutum sit Simonia. 2027. B
Item dare vel accipere aliquid pro omissione actus spiritualis. 2028. B
Vnde dignoscatur Simonia, spectato obiecto, quatenus est spirituali annexum. 2029. C
Annexum spirituali { *Antecedenter.* 2029. C; *Concomitanter.* 2030. C; *Consequenter.* 2032. C
Quomodo Simonia dignoscatur ex parte actus. 2038. D
An quotiescunque datur spirituale pro temporali, vel contrà, Simonia committatur. ibid.
An etiamsi temporale sit duntaxat motiuum aut compensatio gratuita, tamẽ propter circumstantias committatur Simonia. 2044. A
Virum redimere vexationem per aliquod temporale ad consequendum spirituale, sit Simonia, quomodo & quomodo non. 2048. C
Virum permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum sit simoniaca. 2054. C
Vtrum redimere pensionem præsenti pecunia sit Simonia. 2059. C
Simonia quale & quantum peccatum? 2064. A. 2064. D. & sequent.
Simonia quotuplex? 2063. B. 2069. B. 2071. C
Quæ pœna Simoniæ præsumptæ statuta? 2071
Quæ conuentionali. 2074. B. 2075. A
Cui propter hanc restitutio facienda? 2074. D
Pœna Simoniæ realis. 2075. B. 2076. B
Cui propter Simoniam realem restitutio facienda? & quanta? 2075. C
Pœna mediatoris Simoniæ. 2076. B

Simulatio, simulare.

Simulare falsam religionem aut fidem nunquam licet. 433. C. D. & seq.
Simulatio habitus quando licita, quando non. 433. & seq.
Simulatio Iehu & Naaman condemnatur. 435. D. 436. C. D. & seq.
Cur simulatio in materia fidei semper illicita, in aliis materiis aliquando licita. 437. D. & seq.

Sion.

Excelsa exponitur. 987. C

Sobrietas.

Quid sit. 2153. D

Societas.

Societatis contractus in quo consistat. 1620. A
Potest iustè exerceri. ibid.
Quæ ad eam requirantur. 1620. B. & seq.
Lucrum quomodo diuidendum in societate. 1621. & seq.
Damnum quomodo in vnum tantum possit cadere. 1623. D. & seq.
Societas potest coniungi cum aliis contractibus. 1625. B. C
Quomodo possit socius cum socio coniungere cõtractum assecurationis. 1625. D
Cum societate duo alij contractus simul coniungi possunt. 1628. & seq. 1635. D. 1652. D
Sodomiticum peccatum. vide Peccatum contra naturam.

Socrates & Plato.

Dominium rerum illicitum esse docuerunt. 1349. A

Solertia.

Quid sit. 1063. C
Est pars integralis prudentiæ, 1062. D. 1067
Est necessaria ad vsum illius. 1067. C

Solicitudo.

In imperio prudentiæ quid? 1075. A. B
Quomodo differat ab imperio. 1053. C
Opponitur pigritiæ. 1053. D. & seq.

Solicitudo rerum temporalium.

Quid sit. 1078. D. & seq.
Quale & quantum peccatum. 1077. B. 1079. A

Solicitudo futurorum.

Quale vitium. 1977. B. 1079. B
Quando mortale vel veniale. 1079. C
Vnde oriatur. 1079. D

Somnium.

Somniorum causæ quot sint. 1982. B
Vbi his similia inuenies plura.

Spes.

Quid sit. 595. D. 604. & seq.
Eius obiectum. 10. A. 600. D. 596. D. 598. C
Spes & fiducia quomodo, vel an distinguantur. 7. C. D
Subiectum spei. 10. A. 606. B
Spes non manet in beatis, nec in damnatis. 474. & seq. 605. C. 606. C
Quomodo dicatur esse bonorum & malorum. 593. 594. A
Virtutem esse probatur. 596. A. B. C
Est virtus Theologica. 596. D. & seq. 600. A
Donum Dei. 597. A. B
Qualis spes haberi possit naturæ viribus. 597. B. D
Pertinet ad amorem concupiscentiæ. 598. A. 599. A
Quomodo respiciat beatitudinem formalem. 598. B. C
Quomodo differat à delectatione. 599. D
Quam varia secundarió obiecta habeat. 600. B. C. 601. A. B
Respicit beatitudinem vt possibilem et arduam. 600. D. 606. C
Tribus modis confirmatur. 602. D
Coniungenda est cum bonis operibus. 601. & seq.
Distinguitur specie à fide & charitate. 603. D. 661. A
Sub quaratione formali feratur in Deum. 604. A. 634. A. 635. A. 661. A. B. 672. D
Quomodo media inter fidem & charitatem? 604. C. D. & sequent.
Spes roboratur charitate. 605. A
Non potest esse sine fide, sed sine charitate. 605. D
Quomodo sit certa. 609. D. & seq.
Quomodo non possit esse sine charitate. 605. A. D. 606. A
Spes est in omnibus viatoribus habentibus fidem. 609. A
Non est in hæreticis. 609. B
Quomodo dicatur vana. 610. D. & seq.
Quomodo tendat in Deum. 633. B
Eius aliquod præceptum esse probatur. 635. C. D
Quando illud præceptum obliget. 637. B

Spiritus sanctus.

Adorandus est, licet hoc in Scripturis non legamus. 159. A
Est vnctio. 414. D
Illi attribuitur bonitas. 582. C
Item amor. 586. A
Remissio peccatorum. 586. A
Personaliter est amor & charitas. 648. B. 653. A. & seq.
Ipso Spiritu sancto quomodo diligamus nos. 654. C
Quomodo dicatur charitas. 649. C

Spiritualia.

Quare vendi non possint. 1224. B. C
Spiritualia ministeria & officia debent præstari gratis. 1277. B
Ministri tamen officiorum spiritualium ali debent à populo. 1277. C

Status siue officium.

Quid sit & quomodo accipiatur. 2241
Ad statum Ecclesiasticum quid requiratur. 2244. A. 2266. D
Virgines, viduæ & laici an sint in aliquo statu. 2245. B
Statuum differentia vnde oriatur. 2245. D
Quid hæretici de hoc sentiant. 2248. D
Tres status in Ecclesia probantur. 2252. & seq.
Clericorum status probatur. 2253. & seq.
Vtrum omnis Clericorum status diuino iure sit institutus. 2253. D. 2255. C

Status perfectionis.

Hominis perfectio quæ & in quo consistat. 2259
Perfectio vtrum primarió in præceptis, secundarió in consiliis consistat. 2262. D
Virum omnis perfectio charitatis præcepta sit. 2263. B. 2264. B
Virum homo possit perfectionem consequi. 2266. C
Perfectio à status perfectione differt. 2266. C
Sollennitas externa an ad statum requisita? in quo. 2266. D
Vota simplicia firmant statum. 2267. A
Status Episcoporum sit ne perfectior statu Religiosorum. 2270. C. D
Qui non sunt in statu perfectionis vtrum obeant opera perfectiora iis, qui sunt in statu perfectionis. 2273
Quæ difficultas operis faciat perfectiorem statum. 2275. B
Propter vota Religiosus status non reprehendendus. 2338. & seq.

Studiositas.

Quæ & qualis virtus. 2158. B
Eius subiectum quod sit. 75. A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mouet intellectum ad assensum rerum difficillimarum. 447. D

Stultitia.

Quid sit. 1036. B
Opponitur sapientiæ. 1036. B. 1037. A
Est coniuncta cum hebetudine ad res diuinas. 1037. A
Oritur maximè ex luxuria. ibid.
Quale peccatum? 1037

Stuprum.

Quale peccatum? 2229. C. & seq.

Substantia.

Quibus accidentibus nobilior, quibus ignobilior. 659. A. B

Successio.

Episcoporum successio in Ecclesia est perpetua. 181. D. 217. & seq.
Hæ caruerunt semper hæretici. 226. & seq.
Successio iuncta veritati est anima Ecclesiæ. 226. B. 227. B. C. D
Est vinculum veritatis & fidei. 228. B
Nunquam fuit interrupta. 236. B
Successio primatus Petri in Romana Ecclesia probatur. 275. & seq.
Successio publicæ personæ est, non privatæ. 278. A. B
Successionis ratio explicatur. 278. C. D
Successio Romanorum Pontificum texitur. 280
Non redditur dubia propter schismata. 295. D

Successor.

Quis dicendus? 278. C. D. 279. 293
Successor Petri semper est Pontifex Romanus. 289. & sequent.

Superbia.

Quid sit & quale peccatum. 2212. D. & seq.

Superstitio.

Vnde dicta. 1921
Quomodo contraria Religioni.
Species subalternæ superstitionis. 1922. A
Superstitio, quæ pro obiecto habet creaturam, diuiditur. 1923. D. & seq.
Superstitio habens pro obiecto ipsum Deum, diuiditur. 1925. A

Superfluitas.

Ludi superfluitas. 2214. D. & seq.
Ornatus superfluitas. 2215. C. & seq.

Suspicio.

Quid sit. 1153. C
Oritur potissimum ex tribus causis. 1153. C. D
Habet tres gradus. 1154. A

Susurratio.

Quid sit. 1462. C. 1560. C
Est peccatum distinctum à detractione. 1462. C. 1560. C
Genere suo mortale. 1464. B
Maius detractione & contumelia. 1464. C. D

Symbolum.

Est triplex in Ecclesia. 120. D
Apostolicum vnde dicatur. 120. D. & seq.
Apostolici Symboli pars explicatur. 17. A. 78. 179. A. 202. D. 383. C. D. & sequent.
Symbolum Apostolorum debent omnes scire memoriter. 78. D
Non est Scriptura Canonica. 121. B
Symbolum Athanasij ab Ecclesia receptum est. 121. C
Symbolum quomodo & à quibus compositum & approbatum sit. 121. D
Symbolum cur debeat continere præcipuos articulos fidei. 122. A. B
Symbolum Apostolorum quomodo cõtineat omnia credenda ad salutem. 153. A. B. 411. & seq.
Qua traditione credatur Apostolicum. 359. A
Quomodo omnia illius sint explicitè credenda. 397. B. 398. D. 399. A. C. 411. A. B. 412. & seq.
Symboli articuli primaria fidei materia. 553. D. 554. C
An omnes ordine sciendi. 1722. D

Synagoga.

Quam Synagogam Deus amauerit & rexerit. 276. C. D
Synagoga semper habuit vnum caput & vnum iudicem. 276. D

Syndæresis.

Ipsius est præfigere virtuti finem. 1050. A. 1051. D
Est habitus principiorum practicorum. 1050. A. 1061. A
Est etiam in improbis. 1051. D

Synesis.

Est pars potentialis prudẽtiæ. 1065. A. 1070. C. 1074. C. 1137. A. B
Existit in intellectu. 1065. A. 1070. C
Differt à prudentia, gnome, & eubulia. 1071. A. B
Species eius. 1071. B. C
Est rectè iudicatiua. 1137. A. B

Temeritas.

Quid sit, & quomodo differat à præcipitatione. 1073. C. 2139. C
Opponitur fortitudini & prudentiæ. 1074. B. 1078. B

Temperantia.

Quænam virtus & qualis? 1050. A. 2146. A
Circa quid versetur. 1120. A. D
Subiectum eius. 1223. B
Cur dicatur versari in moderandis passionibus circa delectabilia secundum tactum. 2148. B
Quomodo versetur circa cibum & potum. 2150. B
Regula dignoscendæ rectæ appetitionis. 2151. A
An & quomodo virtus specialis. 2152. A
Partes eius integrales. 2153. A
Subiectiuæ. ibid. C
Potentiales. 2156. A
Peccata opposita temperantiæ, & partibus eius. 2206. A

Tentatio.

Necessaria & vtilis est ad probationem. 1694. D. & seq.
Tentatio Dei quid sit. 2011. C
Quotuplex & quomodo dignoscenda? ibid.
Quale peccatum? 2013. C

Testimonium.

Quando perhibendum. 1418. 1419. A
Testimonium alicuius de altero quot modis iudex possit requirere. 1418. A. B
Testimonium de occultis rogatum quomodo dandum. 1423. D
Testimonium ab æquali petitum quomodo & quando perhibendum. 1423. D. & seq. 1425. B
Quibus titulis ad testimonium perhibendum quis possit obligari. 1424. C. D
Testimonium falsum perhibens quid & cui debeat restituere. 1425. A
Subterfugiens ne interrogetur à iudice vtrum peccet, & an debeat restituere. 1425. A. B
Quando quis obligetur ad testimonium præbendum. 1425. C. 1426. A
Testimonium in iudiciis quod præualeat. 1426. D
Quinam testimonium dare nequeant. 1429. C
Testimonium in iudicio falsum quantum peccatum. 1430. C. D
Testis falsus retractare debet. 1431. A
Testimonium falsum ad liberandum innocentem ab iniusto iudicio quomodo mortale. 1431

Testis.

Quot testes sufficiant ad inquisitionem specialem, si non præcesserit infamia. 1420. B
Testis non obediens iudici interroganti damnum parti læsæ resarcire debet. 1424. D
Quot testes in iudiciis sint necessarij. 1427. A. B
In testamentis apertis & occultis quot testes requirantur. 1427. B
Quomodo vnus sufficiat. 1427. D. & seq.
Quot testes requirantur ad depositionem Ecclesiasticorum omnis generis ac gradus. 1427. C
Duo testes in causis piis ad testamenta firmanda sufficiunt. 1428. D
Diuersa testificantes non faciunt fidem in iudiciis. 1429. A. B
Testem excipere quomodo & quando liceat. 1429. D. & seq.
Testis falsus debet retractare. 1431. A

Theodosius Imperator.

Reprehenditur à D. Ambrosio propter cædem Thessalonicæ patratam. 978. D

Theologia.

Eius ratio formalis obiecti quænam? 27. D. 28. A
Nititur diuina reuelatione mediante discursu. 44. D. & seq.
Theologiæ habitus quomodo assentiatur propositionibus. 46. C
Theologia quomodo necessaria ad salutem? 395. C
Qualis habitus? ibid.
An sit Simonia pro stipendio docere Theologiam. 2024. B. & seq.

Timiditas.

Quid sit. 2038. D

Timor.

Est effectus fidei. 487. C. 489. C
Timor seruilis quid sit. 489. C. 617. A
Filialis quid. 489. C. 616. B
Quomodo filialis est effectus fidei formatæ? 490. A
Quomodo seruilis fidei informis? ibid.
Timor & tremor Dei quomodo in ipsis cælorum potestatibus. 490. B. 627. B. C. D
Timoris donum cuius potentiæ sit. 491. D
Timor quid sit. 613 A. B
Quatuor modis habet respectum ad Deum. 613. C. & seq. 616. B
Timores compatibiles quinam? 614. B
Timoris obiectum quomodo possit esse bonum. 615. A. B
Timor in Scripturis quis commendetur. 615. B. C
Eius species quænam? 616. A
Timor filialis vnde oriatur. 616. B. C
Eius obiectum. 616. D. 617. A
Timor seruilis vnde? 617. A
Cur sic dictus? 617. B. E
Initialis & filialis imperfectus. 617. A. D
Medius est inter filialem perfectum & seruilem. 617. D
Actus timoris culpæ & pœnæ quomodo possint esse in eodem homine. 618. B
Timor mundanus quis? 614. A. 618. C. D
Timor initialis & filialis quomodo differant. 619. B
Timor mundanus quantum peccatum? 619. C. D. 625. A. 1462. A. 1463. B
Timor seruilis quando malus? 621. A. B. 626. A
Secundùm Lutherum semper malus est. 621. C
Timor extremi iudicij quàm vtilis? 622. D. & seq.
Timor introducit charitatem. 623. D
Timor seruilis à Spiritu sancto est. 625. B
Non est effectus doni timoris. 625. C. D
Filialis quando à dono Spiritus sancti. 626. B
Quomodo initium sapientiæ? 626. D
Timoris seruilis boni effectus. 626. C. D
Filialis in quibus sit. 627. B. C. D
An idem & eiusdem rationis futurus sit in altera vita. 628. A. B
Timor bonus seruilis in quibus sit. 628. C. D
Timor in quo consistat. 635. A
Timoris seruilis & filialis an aliquod præceptũ speciale extet. 638. B. C. D
Quis timoris actus sufficiat ad iustificationem. 638. D
Timor cadens in constantem virum quis? 1829. C

Traditio 423. B

Traditio Ecclesiastica commendatur. 34. A. B 129. A. 155. C. 160. D. 217. C. D. 218. A. 3
Traditio Apostolica in dubiis consulenda. 205. D. *quid sit.* 142. 217. C. D. 332. A. B
Quare viua voce tradita?

Dicitur fons veritatis. 126.D. 217.D. & seq.
Traditio præterita non est iudex fidei sine præsenti aliqua auctoritate. 168.D. 169.A.B
Traditiones impugnabant Gnostici, sicut nostri hæretici. 156. C.D. 218.A. 334.A.B. & seq.
Traditione multa tenentur, quæ in sacris literis nõ sunt. 259. & seq. 340. et seq.
Non loquitur semper clarè. 168.D
Ferè scriptis Doctorum conseruatur. ibid.
Non continet omnia, quæ pertinent ad fidem. 169.A
Confundit hæreticos. 218. 348.D
Quotuplex sit. 332.B
Alia perpetua est, alia ad tempus. 332.D. 333.A.B
Cur recipienda? 336.A.B
Traditione credimus vtriusq; Testamenti libros esse sacros. 336.B. 348.C
Traditiones aliquæ apud Iudæos bonæ fuerunt. 338.B.C. 349.C
Traditiones vel inuiti approbant Lutherani. 340.A.B
Traditiones adulterinæ reiiciendæ sunt. 341.C. 343.A.B. 349.A
Antiquitus traditiones à Catholicis receptæ sunt contra hæreticos. 343.C
Sunt sacra Scriptura. 344.C. 355.D. 158.D
Verbum Dei. 346.A
Antiquiores Scriptura. ibid.
Semper viuunt, nec possunt corrumpi. 348.A
Quare ab hæreticis reiiciantur. 348.B
Traditione fuit gubernata Ecclesia vsque ad Moysen, & post hunc in Sacerdotibus conseruata. 350.B.C. 352.A
Traditionis abusu pauci fiunt hæretici, Scripturarum multi. 348.D. 350.D
Traditiones sicut ipsa Ecclesia conseruantur à Spiritu sancto. 351.D. & seq.
Approbantur à Conciliis. 355.A.
Quibus regulis cognosci possint. 358.C.D. & seq.
Traditione quænam & quàm multa tenenda? 359

Tributum.

Tributum iustum qui non soluunt, in conscientia tenentur restituere. 1244.D. & seq.
Vt iustum sit, quas conditiones requirat. 1245.B.C.D. & sequent.
Debet constitui in materia negotiationis. 1246.A
Non debet exigi ab Ecclesiasticis. 1246.C

Trinitas.

Est mysterium difficillimum cognitu. 413.B
Quibus modis & à quibus fide tenendum? 414. & sequent.
Spectat ad summam doctrinæ Euangelicæ. 414.C
Traditur mysterio incarnationis. 414.C.D
Generatio in quo consistat. 415.B
Maius a[illegible]

Tristitia.

[illegible]us. 916.B. & seq. 923.B.C.D
Est triplex in proprio. 920.A
Tristitia de bono proximi quomodo mala? 922
Quomodo bona? 923.B.C.D

Turcæ.

Eorum error est hominem in quauis fide saluari. 418.B. 420.C

Tyrannus.

Quisnam? 1324.C.D
Tyrannum quomodo cuique personæ priuatæ occidere liceat. 1234.C.D
Tyrannum occidere quomodo prohibitum Concilio Constantiensi. ibid.

Venatio.

Venatione capta quando restituenda? 1227.C.D. & seq.
Venationem qui possint prohibere. 1229.A.B.C
Venatio quando non restituenda? 1230.A
Venantes illicitè quomodo puniri possint. 1230.B
Venatio quibus & quomodo licita? 1309.C
Clericis absolutè prohibita est. 1310.A

Venditio.

Quid sit. 1170.A. 1473. 1485.A. 1522.D. 1523.B
Eius partes essentiales. 1472. & seq.
Quando iusta quando iniusta? 1478.A. 1512
In æqualitate precij quæ consideranda? 1478
Vendere rem pluris, quàm vales, vel emere minoris, illicitum est. 1484.D. & seq.
In venditione rerum preciosarum quomodo liceat plus, quàm valent, accipere. 1486.D. & seq.
Vendere vel emere pluris res vsu consumptibiles propter anticipatam vel expectatam solutionem, an semper illicitum. 1488.A.B.C
Item res vsu non consumptibiles. ibid.
Vendens aut emens ratione lucri cessantis vel damni emergentis licitè plus accipere potest, vel minoris emere. 1490.A.B.C. 1492
Venditori licet res suas seruare donec plus valeant. 1497.D
Vendens & emens ratione expensarum, imò etiam periculi possunt augere vel minuere precium rei. 1500. & sequent.
Vendere res ad terminum pluris, quàm in præsenti valent, quomodo sit licitum. 1510.C.D. & seq.
Semper ne venditio sit iniusta, quando defectus rei venditæ tacetur. 1512.B. 1513.B.C.D. & seq.
Venditor debet sæpe monere emptorem etiam de vitio manifesto. 1514.B.C.D
Quando omnino non teneatur monere emptorem. 1515. & seq.
Venditori licet dissimulare copiam rei paulò post futuræ, propter quam valor breui minuetur. 1518.B. 1519. & seq.
Quando non debeat dissimulare. 1521.B.C
Vendens rem alienam quomodo peccet mortaliter. 1522.C.D
Si venditor dicat esse rem alienam & expectandam esse voluntatem domini, an sit licitus contractus. 1523.B
Vendens rem quomodocunq;, cuius dominium amisit, illicitè facit. 1523.D. & seq.
Quarum rerum venditio, quibusue personis sit prohibita. 1526.D. 1527.C

Venderere arma infidelibus quomodo Christianis prohibitum, & quàm graviter? 1528.D

Venenum.

Non potest licitè vendi. 1526.D
Nulla alia re adiuncta vtile fieri potest. ibid.
Veneficium, vide Obseruatio vana.

Verbum.

Verbum Dei aliud expressum, aliud impressum. 345.D. 346.A
Aliquando totum traditione constabat. 346.C
Latius patet, quàm verbum Dei scriptum. 347.A
Verbum Dei cur semper in ore hæreticorum. 348.C

Verecundia.

Quid sit. 2153.B

Veritas.

Veritas prima quænam? 19.D. 20.A.B
Veritas prima in dicendo quid? 20.B. 25.B. 62.B
Veritas omnis ex se est æquè infallibilis. 45.D
In veritatem primam non potest cadere falsum. 51.D. 331.A
Veritas prima quid? 52.A
An falsum docere possit. 52. & seq.
Asserere primam veritatem posse mẽtiri est hæreticum. 58.D
Veritas prima quomodo sit ratio formalis, sub qua, obiecti fidei. 62.B
Veritas fidei quomodo credenda ad salutem? 152.D. 153
Veritas fidei est de essentia Ecclesiæ. 188.C. 200.D. 201.D
Veritas nec rerum nec temporum circumstantiis mutatur. 333.D
Veritas vitæ, iustitiæ, doctrinæ. 1015.A.B
Veritas quomodo sit pars potentialis iustitiæ. 1662.D
Quomodo ab ea deficiat. 1663.B
In assertorio & promissorio iuramento diuersimodè requiritur. 1879.A

Verum.

Verum vero non est contrarium. 970.D
Verum agibile est obiectum prudentiæ. 1046.B.C
Verum practicum & bonum morale quomodo æquè latè pateant, quomodo non. 1048.D. & seq.

Vespasianus.

Ope dæmonis fecit falsa miracula. 100.D

Viduæ.

An sint in aliquo statu. 2245.B

Virgo.

Virginem volentem violans ipsi nihil, sed parentibus tenetur aliquid restituere. 1135.B. 2230.B
Quid si vi opprimat aut fraude decipiat? 2230.C
Quando teneatur eam vxorem ducere. 2231.B
Virgines an sint in aliquo statu. 2245.B

Vigilantius hæreticus.

Impugnauit cultum Sanctorum. 1702.A. 1950.A
Irrisit horas canonicas. 1726.D. & seq.

Virtus.

Quid sit. 456.C. 458.B. 459.A. 496.A. 690.B. 780.C. 1045.B.C. 1120.B. 1669.B. 1104.C. 1110.D. 1111.A
Virtutis finis. 429.C. 457.C
Virtutum actus vt sint perfecti debent informari à charitate. 446.D. 447.B. 449.B
Virtus nulla perfecta est sine charitate. 457.A. 458.A. 652.A.B. 676.A.B
Virtutes omnes disponunt ad optimum. 461.B.D. 462.C. 674.D
Virtutes Theologicæ cæteris priores. 462.A
Virtutes aliæ per accidens possunt præcedere fidem. 462.C.D
Virtutes aliæ lumine diuino, aliæ naturali nituntur. 464.C
Virtutes supernaturales infusæ non augentur nisi meritorie. 478.D
Virtutes Theologicæ quomodo necessariò connexæ, quomodo non? 487.B
Sunt primum principium actionum post gratiam. 488.A
Virtutis perfectio ordinatur in summum bonum. 506.B
Virtuti morali quare contraria duo vitia? 515.A
Virtutes Theologicæ quomodo se habeant in ordine dignitatis & originis. 604.C.D
Significantur per tres filias Iob. 652.B
Virtutis integritas duo requirit. 655.D
Virtutes Theologicæ quænam dicantur. 660.A.C
Virtus specialis quæ dicatur 660.D. 1109.A.B
Ad quam dilectionem Dei requiratur virtus specialis. 661.D. & seq.
Virtus vt sit specialis, quæ & quot requirat. 669.C
Virtute non potest quis inuitus priuari per alium. 670.D
Virtutis bonitas vnde æstimetur. 674.D
Virtus ordinat in duplicem finem. 674.D. 675.A
Fertur triplici actu in suum obiectum bonum. 766.B
Virtutes quædam sunt in appetitu sensitiuo. 766.B
De virtutibus quomodo agunt Theologi? 786.C
Omnium virtutum actus quomodo charitatis effectus? 787.B
Virtus vna potest habere diuersos actus & obiecta materialia. 88.B
Virtus inferior quomodo possit actui superiori[illegible]re, quomodo non.
Virtus nulla sibi contraria per suos actus.
In virtutis actu, qui præcipitur, quot con[illegible]sint.
Virtutes morales circa quid versentur.
Virtutis moralis medium dupliciter potes[illegible]communitati. 10[illegible]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virtutes quibus & quot actibus acquirantur et corrumpantur. 1060.A.C
Virtutum omnium medium non eodem modo ponitur. 1093.D.1094.A.B.D.1119.C
Virtutes aliæ quomodo differant à iustitia ratione obiecti. 1095.A
Virtutis conditiones & officia quæ? 1102.D.1104.C
Virtus qualibet debet rectè operari secũdùm omnes circumstantias suæ laudis & materiæ. 1111.D
Virtus et vitium versantur circa eandem materiam. 1118.B
Virtutis moralis materia quæ sit 1118.B
Virtutes morales qua ratione distinguantur à iustitia. 1119.D. *& seq.*
Omnes etiam præter iustitiam perficiunt hominem in ordine ad seipsum. 1120.A.B.1659.D
Iuuant se mutuò in superandis difficultatibus. 1121.D. 1124.A.B
Quod sit subiectum virtutum moralium. 1223.B. 1126.B
Virtus quæuis perfectißima in suo genere. 1125.A
Virtutes intellectuales præstantiores sunt moralibus. 1125.C
Virtutes quomodo dicantur differre specie. 1165.D
An soli virtuti superiori conueniat imperare. 1674.D. *& seq.*
Virtutem vnam alteri imperare quid sit. 1675.A

Vita.

Vita propria quando profundi possit. 740. *& sequent.* 1322
Quando vitam temporalem pro spirituali proximi profundere liceat. 743.C.D. *& seq.*
Vita comparata ad bona fortunæ æstimari nequit. 1256.B.C.1460
An vita possit profundi pro maximo commodo temporali proximi. 1257.A
Quomodo vita ablata possit compensari pecunia. 1257.C.D
Vitam tueri potest quis omni actu, quo nulli fit iniuria. 1410.A
Vita regularis in quo consistat. 2360.B

Vitium.

Repugnat duobus modis virtuti. 515.A.1921.B
In quo consistat vitij & virtutis contrarietas. 1921.A

Vnitas.

Est vna proprietatum Ecclesiæ. 177.D.178.270.C
Quomodo hæc vnitas intelligenda sit. 178.B.210.D.211.D.212.932.C. *& seq.*
Vnitatis conseruandæ optima ratio. 270.C.D
Vnitas est arctius vinculum quàm vnio. 737.A
Vnum bonum Ecclesiæ bonum. 940.A.B
quent.

Voluntas.

Spectat ad ... ioitur ... is feratur in ... suum bonum supernaturale. *Gener... D*
Maius ... r vt appetitus in duas specie distinctas po... 595.D
... triplex in... fectius feratur in Deum, quàm intelle... 605.C
Potest simul intendere in plura obiecta. 711.B
Deum non potest nolle in se. 899.B
Sub qua ratione aliquid velit vel nolit. 900.A
Quomodo sit pars potentialis animæ. 1064.C

Votum.

Quid sit. 1781.A.B. 1786.B
Vouere quid. 1779.C.D
Votum quot requirat, & quæ. 1781.C. 1782.A. 1787.B. 1788.A.1791. *& seq.*
Quantam requirat deliberationem. 1792.C.D
Votum leuiter emissum an obliget, & quale sit peccatum. 1793.B.C
Voti finis duplex. 1795.A
Ex fine diiudicatur materia voti. ibid.
Votum cur actus religionis. 1795.B.C.1810.D
Vt aliquid sit materia voti, quot conditiones requirantur. 1795.C.1796.A.B
Votum non est, si quis voueat se nunquam peccaturum mortaliter. 1796.C
Votum quando teneat ex circumstantia mala, quando non. 1797.D.1798.1799.*et seq.*
Voti materia non possunt esse, quæ negatiuè opponuntur consiliis Euangelicis. 1802
Cur quædam, quæ opponuntur contrariè, possint? 1803.D. *et seq.*
Votum præteriri quibus de causis liceat. 1805.C
An res præceptæ possint esse materia voti. 1808
Votum in Baptismo propriè non est. 1808.D. 1809.A
Est opus bonum & meritorium. 1809.B.C.D. *& sequent.*
Includit actum voluntatis & intellectus. 1811.B
An votum dicendum, quod promittitur Sanctis? 1812
Melius est aliquid facere ex voto, quàm sine illo. 1812. *et sequent.*
Voto se homo perfectius subdit Deo, quàm si non voueat. 1812.D. 1814.A
Voti vinculum non minuit meritum. 1816.B
Nec eius pœnitudo. 1816.C.D
Aliquando potest esse peccatum. 1816.C.D.1817.A
Vota obligant sub peccato. 1817. *& seq.*
Votum violans an vnum solum peccatum & quale incurrat. 1819.D.1820. *& seq.*
Qui vouet opus tenetur etiam ad necessariam circumstantiam operis. 1822.B
Voti circumstantia à vouente non determinata potest esse quadruplex. 1822.D.*et seq.*
Qui vouit ingressum Religiouis, quando id implere debeat. 1824
Quid possit liberare aliquem à voto. 1825.B. 1826.C
Regula generalis, qua dignoscitur vtrum votum ratione materiæ reddatur inualidum. 1825.C.D. *& sequent.*
Qui post votum castitatis contrahit matrimonium sine dispensatione, non potest petere debitum. 1826.C
Vbi primaria voti materia facta est impossibilis, secundaria non obligat. 1826.D.*et seq.*1829.A

Si quis

Si quis vouit se ingressurum Religionem, quoties, vt denuò liber sit, conari debeat, vt recipiatur. 1828.D
Quid si se ad vnum monasterium obligasset? 1829.A
Post votum, quatenus quis seipsum vouens voluit esse liberum, eatenus liber est. 1829.B
An votum vi extortum, metu cadente in constantem virum, obliget. 1830.D
Votum aliud simplex, aliud solenne.
Quorum sit solenne. 1831.B
Quomodo differant hæc duo vota. 1831.B. 1834.A.B. 1835.D
Solenne dirimit matrimonium contractum, simplex impedit contrahendum. 1831.B. 1834.B. *firmat statum.* 2268.A
Votum simplex in quo consistat. 1831.C. 1834.B. 1837.C
Cur votum solenne matrimonium contractum dirimat. 1831.D. *& seq.*
An votum solenne possit esse sine spirituali benedictione personæ. 1832.B
In quo consistat. 1834. *& seq.*
In voto simplici persona retinet adhuc dominium sui. 1835.D
Qui possint vouere. 1838.A
Subditi non possunt ea vouere, quæ non sunt ipsorum iuris, nisi obtineant facultatem. 1838.B
Quis consensus superioris, vt votum sit ratum, requiratur. 1838.1839.1840
An superior postquam fecit facultatem subdito exequẽdi votum, possit illud reuocare. 1841.D. *& seq.*
Votum semel secundùm se totum irritatum nunquam reuiuiscit. B.C
Votum coniugis, inscio altero coniuge, intrandi vel manendi in Religione est nullum. 1845.D
Subditus facta sibi copia explendi voti, an differre possit. 1841.C
Votum factum non mala intentione, sed tamen inuito altero coniuge, obligat ad non exigendum debitum. 1845.C.D.1846.A
Votum subditi explendum suo tempore, quomodo possit irritari à superiore. 1846.C
Omnia vota simpliciter Religiosi quomodo possunt irritari à Prælato? 1847.*t*
Coniuges quomodo mutuò subditi sibi sint quoad emittenda vota. 1847.B.C
Quomodo seruus domino. 1847.C
Votum coniugis de non exigendo debito alter coniugum non potest irritare. 1848.*t*.C
Voto se obstringere non possunt pueri ante vsum rationis. 1848.C
Ante decimum quartum annum vtens ratione & doli capax votum simplex potest emittere. 1848.C.D
Omnia vota puerorum facta ante annos pubertatis irritari possunt à parentibus. 1849.A. *& seq*
Post pubertatem personalia non possunt. 1849.*t*
Quæ vota serui dominus irritare possit. 1849.*t*
Quando pueri & puellæ possint se solenni voto obstringere. 1849.189
Voti obligatio tollitur quatuor modis. 1850.D
In voto dispensare quid sit. 1851.B.1852.A
Irritare, interpretari & commutare votum quid sit. 1851.C.D. *& seq.*
Quo iure, & in quibus votis dispenset Pontifex. 1852.C.D. *& sequent.*
In quibus votis Episcopi non possint dispensare. 1852.B
Vbi est causa sufficiens, prælatus dispensare potest simpliciter, nec est necesse, vt votum commutet. 1865.B
Animi leuitas in vouendo sitne sufficiens causa dispensationis. 1866.B.C
Sitne maior obligatio voti, quàm iuramenti. 1894.B
Quomodo peccent Religiosi contra sua vota. 2352.C
Votum de minori bono vtrum cedat voto de maiori. 2271.D
Quodnam trium votorum Religiosorum sit potißimum. 2348.B
Obedientiæ votum quomodo in Scripturis? 2342.D
Paupertatis, castitatis & obedientiæ vota rectè emitti, probatur. 2342.B

Vsura.

Definitur. 1530.B.C
Restituenda est. 830.D
Non licet ex ea facere eleemosynam. 830.D
Est quædam iniusta venditio, quæ idem bis venditur. 1474.D.1532.A.1537.B.C.1538.
Quare sit prohibita. 1488.B
Vsura palliata quomodo in emptione & venditione committatur. 1488.C
Vsura communi consensu Doctorum dupliciter accipitur. 1530.B.C. *& seq.*
Vsura alia interior, alia exterior. 1530.C.1531.A
Significat etiam idem, quod fœnus. ibid.
Vsura in quibus rebus potißimum locum habeat. 1531.B.C.1532.A.B
Non est vsura cùm petitur aliquid vltra sortem, in quatuor conditionibus. 1494. *& seq.*
Tripliciter potest aliquid accipi vltra sortem. 1533.A. 1534.C
Vsuram esse vi mutui quid sit. 1532.D.1533.B
Vsura non est proponere sibi finem principalem mutuationis auctarium, quod ex gratitudine alterius sperat. 1533.C.D.1649.A.B
Vsuram esse principaliter vel minus principaliter lucrum vltra sortem exspectare, quomodo sit verum, et quomodo non. 1534.A.B
Vsuram non esse peccatum, error hæreticorum Albanensium. 1535.C.D
Esse prohibitam probatur primò iure naturæ. 1537. 1543. *deinde humano.* 1544
Vsura comparatur latrocinio & parr... D. 1543.D.1563.D.1656.B
Vsura si aliquando iure ciuili fu... iure canonico debebunt cor...
Vsuræ aliquæ olim iure ciuili...
Vsura charitati & iustitiæ ...
Committitur si vi mutui... tur. 1554.C 1649.A.B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non est vsura pro mutuo exigere amorem, vel aliud pecunia non æstimabile. 1555.A.1557.C.1560. *& sequent.*
Sed si quis exigit aliquid ex gratitudine persoluendum vi mutui ita, vt obliget alterum, vsura est. 1556.C.D.1561.B.D
Si quis petat aliquid sincero animo tanquam signum beneuoli animi, vsuram non admittit. 1557.B
An sit vsura, si in pactum deducatur gratuita illa remuneratio. 1558. *& seq.*
Vsuram soluens an directè cooperetur peccato Vsurarij. 1576. *& seq.* 1577.A
Vsura sæpè palliatur in emptione censuum. 1586.B
Non committitur vbi aliquid accipitur ratione lucri cessantis vel damni emergentis. 1649.D. *& seq.*
Item vbi faciendæ sunt expensæ. 1650.D. *& seq.*
Vbi est morale periculum solutionis. 1651.C
Præterea ratione laboris & industriæ. 1651.D
Ratione translationis sortis de loco in locum. 1652.B.C
Ratione distantiæ loci. 1652.C.D
Ratione concursus plurium contractuum. 1652.D. *& sequent.*
Fundamentum & sedes omnis vsuræ est mutuum. 1531.C.1655.A

Vsurarius.

Vsurarij famulus recipiens pecunias quomodo sit causa vsuræ. 1185.D.1567.C
Tenetur restituere. 1186.A.1567.C.D
An Vsurario liceat domum locare. 1527.D. *& sequent.*
Vsurarius dans mutuum, transfert dominium. 1537.C.D. *& seq.*
Accipit aliquid pro vsu, cùm ipsius non sit. 1538.D. *& sequent.*
Quacunque ratione aliquid vltra sortem accipiat, iniustè accipit, si vi mutui id fiat. 1540. *& seq.*
Contra mutuatarium non habet actionem. 1550.C
Debet restituere. 1563. *& sequent.* 1565.C.1648.C.D
Vsurarius mentalis quis, & quando teneatur restituere. 1564.D. *& seq.*
Vsurarius realis quis? *ibid.*
Non potest alienare res vsu non consumptibiles acquisitas per vsuram. 1566.B
Consumptibiles aliquando potest. 1566,B.C.1570.C
Ad necessitatem status & familiæ potest alienare. 1566.D. *& seq. qua ratione.*
Vsurarius non est dominus pecuniæ vsurariæ, & tamen non sunt iniusti contractus, quibus transfert eam pe[illegible] in alios. 1648.C.D
[illegible] est arctius vi[illegible] mum Eccleſiæ [illegible] quent. 1170.A

Volu[illegible]

Spectat ad [illegible] ijs feratur in [illegible] sunt mutatiuam. 1171.A
Gener[illegible] in
Maius [illegible] ir vt appetitus in d[illegible]
Est triplex in[illegible] rfectius feratur in Deum, [illegible] quas ob causas?

VValdenſes hæretici.

Negant Christianis licere exercere iudicia. 1141.B. *& seq. improbant horas canonicas.* 1727.A. *& vsum Ecclesiarum.* 1752.D

VViclephus hæreticus.

Primatum Papæ in Ecclesia negat. 275.B
Peccato mortali dominium rerum amitti dicit. 536.D. 1147.A.1355.A
Damnatur in Concilio Constantiensi. 536.D.1147.A. 1355.C
Asserit item gratiam semel habitam non posse amitti. 702.A
Docuit eleemosynam peccatoribus non esse dandam. 834.B
Superiores puniri posse à suis subditis. 863.B
Similiter illos sua potestate excidere simul atque peccarint mortaliter. *ibid.*
Negat vllum bellum licitum esse. 950.B
Rerum dominium aufert viris Ecclesiasticis. 1349.C
Potestatem legitimè iudicandi Christianis abrogat. 1147.A.B.C
Negat vim orationis. 1682.B.C
Et præsciti orationem valere. 1698.D
Impugnat inuocationem Sanctorum. 1702.A. *Horas canonicas.* 1727.A. *Vsum Ecclesiarum.* 1752.D. *Solutionem decimarum.* 1767.B. *Obligationem votorum.* 1817.C. *vsum iuramenti.* 1873.C. *Cantum in Ecclesia.* 1917
Religiosis laborandum esse tradidit. 2367.D

VVigandus.

Fatetur suos Euangelicos omni scelerum genere coopertos. 94.B
Gloriatur illustrationem fidei ante se mundo non fuisse perspectam. 236.A

Zelus, *vide* Æmulatio.

FINIS.

ERRATA sic corrigantur.

COlumna 54. *litera* C. *versu* 15. *lege* 3.Reg. 74.C.4.Ex quo non fit.92.D.10.Cap. 26. *ibidem.*12.demonstrant. 132.B.10.Nullam. 133.B.7.ducitur. 139.C.5.habetis. 151.A.1.Isai. 29.155.C.13.illas. 164.D.9.eam. 208.A.4.super eos. 278.A.11.iudico.364.D.3.Concilium. 408.A.5.Euangelij euulgationem. 410.A.9.*pro*, *Tempus antecedens*, Tempus vtrumque. *ibid.*B.12.*pro*, *relata*, velata. 433.A.8.quæstione. 13. 457.A.1.& charitate. 470.B.9.præterea. 473.A.3. *dele*, si. 556.D.11.Donatistas. 560.B.8.autem. 575.A.7.*pro*, *Prima*, Secunda. 673.C.6.aliquem. 779.in tit. pun.3.*pro*, *Pars præstantior*, per se præstantior. 788.B.5.Ea ratio est. *ibid.*D.5.*pro*, *Inferiorem superiori*, Superiorem inferiori. 794.D.2.pro, *Triplices*, Tres. 800.D.13.auersionem à peccato. 804.A.11. *post*, *Manschaum*, *adde*, cap.16. *ibid.*D.14.*pro*, *cap.6.* cap. de paupertate. *ibid.* in decretis, dist. 42. initio. 923.A.2.*pro*, *prosperis*, aduersis. 944.B.3.*dele*, Primò. 963.B.10.*pro*, *nempe*, Hæ sunt. 966.A.9.neglexerit. 989.D.5.possint. 1017.D.3.Spiritualis boni ad salutem non necessarij. 1029.A.11.*dele*, Non. *ibidem.*C.4.hominis. 1101.C.3.pacto. 1175.A.1.fit Deo. 1176.D.6.nimirum. 1198.A.5.id ei. 1211. C.10.*pro*, *donatio*, conditio. *ibid.*D.2.*pro*, *Pater*, Atque. 1244.C.6.*dele*, re. 1293.D.8.probant. 1302.A.13.quemuis alium. 1325.B.8.vt contrà. 1344.B.3.posse accersiri. 1355.C.14.Et cap.19. *ibid.*D.5.non pessimi. 1384.C.7.Sed. 1423.C.13.Si requirat iudex. 1426.C.7.diuo. 1485.A.11.*pro*, *& emptio*, aut emptio. 1520.A.1.patet. 1526.B.3.aduersatur. 1532.C.11.quæstione præcedente. 1586.A.3.probentur. 1620.A.9.incurrant. 1631.A.12.dominium. 1633.B.3.q.21. 1638.A.13.*post*, *redimibilis*, *adde*, tantùm ex parte venditoris, & sine assecuratione. 1639.C.4.vtrinque. *ibid.*D.3.Itaque. 1647.v.4.*pro*, *Verè*, verè. 1702.B.7.solidis argumentis. 1795.C.9.colliguntur. *ibid.*10.aliorum. 1799.B.13.*pro*, *concesserit*, commiserit. 1809.D.12.præstitum. 1814.A.2.adimplere. 1850.D.13.iuxta ea. 1880.C.1.*pro*, *Iuramentum.* 2. Periurium. n.1. 1912.A.14.infirma. 1913.A.6.harum. 1914.B.12.illud. *ibid.*C.15.Scæuæ. 1929.B.11.Danielis 14. 1931.B.9. ἀιωλέυειν. *ibid.*10.λατρέυειν. 1970.C.6.abusus. 1972.*pro*, *in*, qui. 1993.C.14.*dele*, verò. 2029.C.11.*Spirituali.* 2040.C.3. *post*, *temporale*, *adde*, tanquam æquiualens. 2046.D.9.actu. 2052.D.*fol.* resignari. 2079.*vers.*18. Quæ autem. 2101.C.10.necessarij. 2126.A.1.*dele*, Quamuis. *ibidem.*B.3.testificatur quis. 2128.C.1.quod est. 2132.A.11.antecellit. 2149.C.10.pertinent. 2151.A.15.qualem. 2152.A.9.Subiectiuæ. *ibidem.*B.7.maximæ. 2155.A.3.*pro*, *voluntate*, libido. *ibid.*13.*dele.* Nam. 2194.B.4.*dele*, Et Syluester verbo Ieiunium, q.22.2206.A.3.quindecim. 2209.D.9.deberet fieri. 2211.C.15.*dele*, quod. 2229.C.2.*dele*, est. 2234.C.12.incentiua. 2243.A.4.Itaque. 2246.C.3.*pro*, *iustitiæ ad vitam*, obeditionis ad iustitiam. 2256.C.8.1.Pet.2. 2264.B.12.disput.3.*ibid.*C.15.disput.3. 2268.D.14.vt ordinare. 2271.C.13.vouit. 2296.A.8.*pro*, *At*, Ac. 2304.B.12.dedit. 2343.D.11.fide. 2355.C.6.consequuntur. 2357.B.2.*pro*, *ad illa*, ad perfectionem. 2367.A.3.si illas non suscipiant. 2374.A.9.duxi. 2375.D.7.art.2.ad 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& seq. q.
Vsurarius non est
non sunt iniust
c. conser in alios.
est arctius vi V
mo num Ecclesiæ vo
quent
Spectat ad Volu
ligitur is feratur in su
Gener D
Maius r vt appetitus in
Est triplex in rfectius feratur in De

